2. 1. 17.

Digitized by Google

SAMUELIS BASNAGII,

FLOTTEMANVILLÆI,

ANNALES POLITICO-ECCLESIASTICI ANNORUM DCXLV.

à Cæſare Auguſto ad Phocam uſque.

In quibus Res Imperii Eccleſiæque obſervatu digniores ſubjiciuntur oculis, erroreſque evelluntur Baronio.

TOMUS TERTIUS.

Exhibens ea notatu digniora, quæ ab Anno Æræ Chriſtianæ Trecenteſimo ſexageſimo quarto uſque ad Annum Sexcenteſimum ſecundum continentur.



ROTERODAMI,
Typis REGNERI LEERS,
MDCCVI.

ANNALES POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæſare Auguſto ad Phocam uſque.

In quibus res Imperii Eccleſiæque obſervatu digniores ſubjiciuntur oculis, erroreſque evelluntur Baronio.

SECULUM QUARTUM.

ANNO DOM. 364.

ANNO U. C. 1117. PER. JUL. 5077. JULIANO 409. DOM. 364. VALENTINIANI I. *Sol.* 9. D. C. *Lunæ* 4. *Indict.* 7. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 4. 5. *P.* 4. *April.*

ANNO DOM. 364.

COSS. *Jovianus Auguſtus & Varronianus.*

Joviani acta & obitus.

I. ANcyræ verſabatur Jovianus, cùm proceſſit Conſul. In trabeæ ſocietatem Varronianum adhibuit filium, admodum parvulum: qui vagitibus ſuis pertinaciter reluctabatur, ne in curruli cella veheretur ex more. Die Conſulatus orationem, quæ numero quinta eſt, Themiſtius habuit in laudes Imperatoris. Succenſet celebritati Orator, quòd nondum egregia ſecum civitas, eorum quæ Ancyræ gerebantur, ſpectaculo frueretur. Porro Jovianus, cujus in medullis atque viſceribus Religio inſidebat, quidquid à Conſtantio ipſiuſque filiis Eccleſiæ donatum, à Juliano ablatum fuerat, prorſus reſtituit. Dedit etiam generalem conſtitutionem ad *Secundum* Præfectum Prætorio, quâ jubebat capitali eos ſupplicio affici, qui ſacram virginem uxorem rapere auſus fuiſſet. Legis verba mox referemus. Reſcripto Jovianus ſuo non diu ſuperſtes fuit: *Cùm enim veniſſet Daſtanam, qui locus Bithyniam diſtinguit, & Galatas, examinatus inventus eſt nocte... Fertur enim recenti calce cubiculi illiti, ferre odorem noxium nequiviſſe, vel extuberato capite periiſſe, ſuccenſione prunarum immenſâ, aut certè ex colluvie ciborum avidâ cruditate diſtentus.*

Marcellin. l. 25. c. 10.

Inopinati interitus cauſas quærens Baronius unam eſſe putat, quòd Jovianus *exornandum Juliani ſepulchrum decreverit.* Quod noſtro judicio eſt iniquiſſimum, cùm honores civiles Principibus debitos non vetet religio, quos etiam imperat. Diem Joviano emortualem magis cum Eutropio placet in *decimum ſextum Februarii* incidiſſe. Corpus defuncti Conſtantinopolim mittitur, ut inter Auguſtorum reliquias conderetur.

Bar. An. 364. n. 3.

De raptoribus Sanctimonialium Lex.

II. Pudicum Joviani animum oſtendit Lex quam in Sanctimonialium raptores labente anno promulgavit. Cauſam Legis Sozomenus docuit: *Hanc autem Legem idcircò tulit, quòd flagitioſi quidam homines Principatu Juliani cum hujuſmodi Virginibus nuptias contraxerant, & ſeu vi, ſeu perſuaſione eas corruperant.*

Sozom. l. 6. 3.

Verba verò Legis ſic ſonant: *Si quis non dicam rapere, ſed vel attentare matrimonii jungendi causâ Sacratas Virgines, vel invitas, auſus fuerit, capitali ſententiâ ferietur.*

Cod. Th. L. 12. Tit. 25. l. 2.

Geminam huic Conſtantius Legem anno CCCLIV. conſcripſerat, quam errante Chronologiâ Baronius anno CCCLXIII. inſeruit n. 129. Sanctionis renovationem neceſſariam fecit laſcivorum hominum improbitas. Jovianæ Legis meminit Sozomenus, nec tamen ſine errore, qui purgandus eſt: *Dedit generalem conſtitutionem ad Secundum, qui tunc erat Præf. Prat. quâ jubebat eum capitali ſupplicio affici, qui ſacram virginem ſibi uxorem deſpondere, aut impudicè duntaxat aſpicere auſus eſſet, nedum rapere conatus fuiſſet.*

Sozom. l. 6. 3.

Quæ non minimum abſunt à Joviani mente, Legiſque ſententia. Aliæ nimirum ſunt partes Principis, aliæ Chriſti. Princeps de factis, non de nudis cogitationibus, quæ ad actus non proceſſere, fert judicium: & longè crudeliſſimum fuiſſet, ultimum illi imponere ſupplicium, qui laſcivos in Sanctimonialem oculos conjeciſſet. Solus igitur Chriſtus eſt qui impudicos aſpectus, impuraſque cogitationes afficit pœnâ. Jovianæ Legis acerbitatem mitigavit Honorius anno CCCCXX. *Si quis dicatam Deo virginem prodigus ſui raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur.*

Cod. Th. L. 12. Tit. 25. l. 3.

Cæterùm licet Sanctimonialium raptores pœnis ſubderentur, religionis voto tanta dignitas nondum inerat, ut ſive virginum, ſive viduarum quæ continentiam profitebantur, matrimonia, veluti ſacrilegia flammis & ſanguine piarentur, quin imò firma rataque habebantur. Majorianus quidem Auguſtus virginum quæ ante quadrageſimum ætatis annum à parentibus velatæ fuerant, nuptias legitimas eſſe ſanxit: *Non eſt ſacrilega judicanda, cùm Chriſtianæ Religionis inſtitutio atque*

Major. Nov. 8.

ANNO DOM. 364.

quę doctrina melius eſſe cenſuerit Virgines nubere, quàm impatientiâ ardore naturali profeſſa pudicitia non ſervare virtutem. Neque Concilia nuptias ejuſmodi irritas eſſe cenſebant. Notiſſimus eſt Ancyranus Canon: *Quotquot Virginitatem pollicitam pravaricati ſunt, profeſſione contemptâ inter digamos habeantur.*

Ancyr. c. 19.

De matrimoniis Sanctimonialium Chalcedonenſe: *Virginem quæ ſe Domino Deo dedicavit, ſimiliter & Monachos non licere matrimonio jungi. Sin ante hoc feciſſe inventi fuerint, ſint excommuncati. Oſtendenda tamen in eos humanitatis autoritatem habere ſtatuimus Epiſcopum ejus loci.*

Chalced. c. 16.

Tot tantiſque teſtibus addatur & Epiphanius, maximus alioquin continentiæ laudator: *Satius eſt ubi à curriculo exciderit, palam ſibi uxorcm legitimis nuptiis adjungere, ac poſt virginitatem longo intervallo ſuſceptâ pœnitentiâ iterum Eccleſiæ reconciliari.*

Epiph. h. 60. n. 7.

Reverà diſertiſſimum eſt Pauli præceptum, *Præſtat nubere quàm uri*; licet tanto Apoſtolo Bellarminus reſiſtat atque repugnet, cujus verba ſunt: *Quæ nubit poſt votum ſimplex, illa verum matrimonium contrahit; tamen aliquo modo magis peccat, quàm quæ fornicatur, quia ſe reddit impotentem ad ſervandum votum, quod non facit quæ fornicatur.*

Bellarm. de Mon. l. 2. c. 30. 545.

Miram ſanè doctrinam, cui non Paulum modò, verùm etiam Auguſtinum opponimus: *Illæ igitur quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non poſſunt, quæ melius nuberent quàm urerentur, id eſt, quàm occultâ flammâ concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur.*

Aug. de virg. c. 34.

Neque ab Auguſtino diſſidet Cyprianus ſcribens Pomponio: *Quòd ſi ex fide ſe Chriſto dicaverunt, pudicè & caſtè ſine ulla fabula perſeverent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant.*

Cypr. Ep. 62.

In tranſcurſu obſervandum Jovianæ Legis à nobis laudatæ ſubſcriptionem errore affectam eſſe: *Dat. x. Kal. Mart. Antiochiæ.* Quippe ex Marcellino conſtat, Jovianum relictâ Antiochiâ Ancyram veniſſe, cùm ampliſſimum Magiſtratum iniit collegâ Varroniano. Itaque vox *Antiochia* in *Antyra* mutanda videtur. Neque loci modò, ſed temporis quoque falſa deſignatio eſt, ſi Jovianus xiv. Kal. Martias naturæ ſatisfecit, ut apud Eutropium legitur, quæ ſententia à vero ſimilior eſt.

Valentiniani origo. Creatur Imperator. Ejus anni.

III. Valentiniano Joviani ſucceſſori pater fuit Gratianus, mediocri ſtirpe ortus apud Cibalas, Pannoniæ oppidum. Funerarius appellatus eſt, eò quòd venalitium funem portanti quinque milites nequirent extorquere. Eo merito aſcitus in militiam *poſt dignitatem Protectoris atque Tribuni, Comes præfuit rei Caſtrenſi per Africam. Unde furtorum ſuſpicione contactus, digreſſuſque, multò poſteà pari poteſtate Britannum rexit exercitum, tandemque honeſtè ſacramento ſolutus, revertit ad larem. Et agens procul à ſtrepitu, mulctatione bonorum afflictus eſt à Conſtantio, hoc nomine, quòd civili flagrante diſcordiâ dicebatur ſuſcepiſſe Magnentium, per agrum ſuum ad propoſita feſtinantem.*

Marcell. l. 30. c. 7.

Ad Præfecturæ Prætorianæ potentiam conſcendiſſe Gratianum, teſtatur Victor in Epitome. Tantorum meritorum patre Valentinianus editus eſt anno Dom. 320. A Conſtantio levibus de cauſis ad Meſopotamiæ caſtella relegatus fuerat, ut Perſarum excurſiones comprimeret. Quòd nempe quidam ex ſchola Silentiariorum Valentinianum flammas ex ore vomentem vidiſſet. Fortitudinis ſimul & pietatis exempla dedit imperante Juliano. Ædituum enim pugno percuſſit, à quo luſtrali aquâ fuerat reſperſus, ob id in exilium pulſus, Thebas Ægyptiacas, vel ut aliis placet, Meletinem incoluerat.

Philoſtorg. l. 7. c. 7.

Defuncto Juliano ſecundæ Scutariorum ſcholæ præfectus fuerat à Joviano, quo extincto, pietatis ſuæ præmia tulit imperium. Progreſſus Bithyniæ Nicæam uſque, exercitus de creando Principe cogitabat. Januarius Joviani affinis leviori ſuffragio ornatus eſt. Eo repudiato, omnium vota in unum Salluſtium Prætorio Præfectum concurrebant. Eo ſenectutem cauſante, filium ſummæ rerum præfici poſtulabant. Ac cùm juvenem, nec ad imperii molem idoneum eſſe diceret, conſpiratione omnium Valentinianus eligitur *apud Nicæam die v. Kal. Martias.* Relictus erat Ancyræ, poſteà ſecuturus: ad eum itaque Legati mittuntur, qui venire ocyus admonerent: *Qui cùm veniſſet accitus, nec videri die ſecundo, nec prodire in medium voluit, biſſextum vitans Februarii menſis tunc illuceſcens.*

Marcell. l. 26. c. 1.

Itaque iniqua eſt cenſura, quâ Valeſius Scaligerum vexat, qui in quartam feriam Valentiniani creationem confert, quæ dies inſitiva fuit in anno biſſextili. Quòd ſi *levatus* fuiſſet Valentinianus xxvi. Februarii, ut contendit Valeſius, biſſextum quod jam tranſierat, timere non potuiſſet. Inauguratus igitur eſt die intercalari, quem ut ſibi infauſtum fugeret, vigeſimo ſexto duntaxat ſuſcipiens imperium, feriâ quintâ coronatur. Obiit anno Dom. CCCCLXXV. die Novembris XVII. in Caſtello Virgioone ætatis anno LV. cùm imperaſſet annos XI. menſes octo, dies XXIII. ut accuratè ſcriptum reliquit Marcellinus: *Animam diu colluctatam efflavit ætatis quinquageſimo anno & quinto, imperii minus centum dies ſecundo & decimo.* Itaque non ſatis accuratè Oroſio proditum, quòd Valentinianus manſerit in imperio *annis* XI.

Marcell. l. 30. c. 6.

Valentiniani mores.

IV. Laudantur in Valentiniano mores animi, formaque corporis: *Valentinianus fuit vultu decens, ſolers ingenio, animo gravis, ſermone cultiſſimus... Quanquam enim ad loquendum parcus, ſeverus, vehemens, infeſtus tamen vitiis, maximèque avaritiæ, cujus puniter ipſe fuit acer. Genera vetuſtiſſimorum meminiſſe, nova arma meditari, fingere terrâ, ſeu limo ſimulacra, prudenter uti locis, temporibus, ſermonibus, atque ut breviter concludam, ſi ei infidis hominibus quibus ſeſe quaſi fidiſſimis prudentiſſimiſque dederat, carere, aut probatis eruditiſque monitoribus uti licuiſſet, perfectus haud dubiè Princeps enituiſſet.*

Vict. Epit.

Summa ejus caſtitas prædicatur: *Omni pudicitia cultu, domi caſtus & foris, nullo contagio conſcientiæ violatus obſcenæ, nihil inceſtum, hancque ob cauſam tanquam retinaculis petulantiam frenarat aula regalis.*

Marcell. l. 30. c. 19.

Diſciplinæ militaris cenſor erat eximius: molliora tributa efficiebat. Tantis tamen virtutibus vitia miſcebantur. In ſeveritatem propenſior: *Memorabat aſſiduè, Severitatem rectæ poteſtatis eſſe individuam ſociam.* Quæſtiones cruentas multiplicari juſſit, damnatorum capitis eripuit mortè neminem. Dum leviora gregariorum errata puniebat, potiorum Ducum flagitia progredi ſinebat in majus. Ob quæ dedecoris aliquid contraxit: *Valentinianus egregius aliàs Imperator, & Aureliano moribus ſimilis, niſi quòd ſeveritatem ejus nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & avaritiam interpretabantur.*

Hieron. Chron.

Sævitiæ Valentiniani exempla ſunt multa. Ob executionem Maximi Pannonii à Judice rectè maturari præceptam, trium oppidorum ordines mactari juſſit.

At

Marcell. l. 27. c. 7. At Quæſtor Eupraxius interpellans: *Parcius*, inquit, *agito, piiſſime Principum: hos enim quos interfici tanquam noxios jubes, ut Martyras, id eſt, Divinitatis acceptos, colit religio Chriſtiana.* Neque illud prætereundum Chriſtiano indignum, more Maximini, Valentinianum duas urſas habuiſſe, *Micam*, & *Innocentiam*, in laniandis hominibus, ipſo ſpectante exercitatas. Exempla ſævitiæ multa exhibet Marcellinus l. 29. c. 3. Ubi imperium ſuſcepit, exercitus imperii conſortem ei adjungere conatur. Quo tempore decantatum ab omnibus reſponſum dedit: *Theodorit. l. 2. c. 6.* *Veſtrum fuit, Commilitones, cùm nullus eſſet imperator, imperii habenas mihi committere. Nunc verò cùm imperium ſuſceperim, meæ deinceps officii eſt, non veſtri, Reipublicæ curam gerere.*

Valens imperii ſocius Valentiniano adjungitur.

V. Dato in perendinum diem ſigno proficiſcendi, convocatis Primoribus quærebat, quemnam ad imperii conſortium oporteret aſſumi. Silentibus cunctis Dagalaiphus Equeſtris Militiæ Rector, reſpondit fidentius: *Si tuos amas, Imperator optime, habes fratrem; ſi Remp. quærere, quem veſtias.* Nicomediam ingreſſus Kal. Martiis, Valentem fratrem ſtabulo ſuo cum Tribunatus dignitate præfecit. Ut venit Conſtantinopolim, nil morandum ratus, *Marcell. l. 26. c. 4.* *quintum Calendas Aprilis productum Valentem* in ſuburbanum, cui *Hebdomo* nomen, ob ſeptem milliarium diſtantiam quâ à regia civitate aberat, repugnante nemine Auguſtum pronuntiat, temporaque diademate redimitum, in eodem vehiculo ſecum reduxit, participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum *Apparitoris* morigerum. Valentis hæc inauguratio die uno in Faſtis Idacianis tardius conſignatur. Porro Valentis regimini Oriens ad Ægyptum uſque Bithyniamque ac Thraciam permittitur: cætera verò ſibi Valentinianus ſervavit, Illyricum, Gallias, Britanniam, Hiſpaniam, atque Africam. His peractis Imperatores febri corripiuntur, quos ſuſpicio inceſſit, ſe veneno à Juliani amicis parato ægrotare. Morborum ergo cauſas inveſtigandas Urſacio Officiorum Magiſtro & Juventio Siſciano Quæſtori commiſerunt. Nil tamen inſidiarum compertum eſt. Exacto menſe Imperatores percurſis Thraciis Næſum advenere: *Ubi in ſuburbano, quod appellatum Mediana, à tertio lapide diſparatur, quaſi mox ſeparandi, partiti ſunt Comites,* nec non militares numeros. Poſt hæc Sirmium ingreſſi, Valentinianus Mediolanum, Valens Conſtantinopolim diſceſſit. In his urbibus *Marcell. l. 26. c. 4. 5.* *ſumpſerunt primitus trabeas Conſulares.* Orientem regebat poteſtate Præfecti Salullius. Italiam cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias Germanianus.

Valentiniani Acta Eccleſiaſtica.

VI. Ut quæ religionem attinent tractemus, eâ animi manſuetudine prudentiâque Valentinianus fuit, ut religionis cauſâ vim alicui inferri noluerit: *Socrat. l. 4. c. 1.* *Valentinianus ſuæ quidem ſectæ homines fovebat, Arianos tamen nullâ afficiebat moleſtiâ.* Quâ æquitate multum ſibi laudis comparavit: *Marcell. l. 30. c. 9.* *Poſtremo hoc moderamine Principatus inclaruit, quòd inter Religionum diverſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit aut illud. Nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id quod ipſe coluit inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes ut reperit.* Decreverat quidem imperii ſub initia nocturna ſacra prohibere, mutatâ tamen ſententiâ, harum quoque ceremoniarum permiſit exercitium: *Zozim. l. 4. c. 3.* *Exorſus ab ipſo lare, quod ajunt, nocturna ſacra fieri prohibuit. Quâ lege coercere volebat, ea quæ ſceleratè deſignarentur. Sed cùm Prætextatus, qui Proconſulis nomine Græciam adminiſtrabat, hanc legem diceret vitam injucundam & acerbam Græcis parituram, ſi futurum eſſet ſi myſteria ſanctiſſima, quæ genus humanum continerent prohiberentur, peragi ea ritè vi legis ſuæ ceſſante permiſit.* Mentio fit Legis ſacra nocturna prohibentis, in Codice Theodoſiano Lege VII. de Maleficis verbis ejuſmodi: *Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut Magicos apparatus, aut ſacrificia funeſta celebrare conetur. Detectum atque convictum, competenti animadverſione mactare perenni autoritate cenſemus. Data V. Idus Septemb. B. Joviano A. & Varroniano Coſſ.* Intercedente Prætextato gratiam Legis hujus Græcia fecit. Relictâ Conſtantinopoli dum Thraciam peragrat, Epiſcopi Helleſponti ac Bithyniæ, & reliqui qui Filium Patri ſimilem aſſerebant, Librariorum errore ὁμοούσιον pro ὁμοιούσιον irrepſit in Sozomenum. *Hypatianum* Heracleæ Perinthi Epiſcopum elegerunt, qui ſuſceptâ pro ipſis legatione, peteret ab Imperatore, ut ad corrigendam fidei doctrinam convenire permitterentur. Qui cùm Imperatorem adiiſſet, & Epiſcoporum mandata ei expoſuiſſet, Valentinianus ita reſpondit: *Sozom. l. 6. c. 7.* *Mihi quidem Laicorum in ordine conſtituto, fas non eſt hujuſmodi negotia curioſius ſcrutari. Sacerdotes verò quibus id curæ eſt, ſeorſum ubicumque voluerint, conveniant.*

Annus Lampſacenæ Synodi.

VII. Baronius cui Valeſius eruditique complures adhærent, Concilium quod permittente Principe Lampſaco coactum eſt, anno ſequenti aſſignandum putant. Quos in eam ſententiam duxit autoritas Socratis, qui duobus Auguſtis primùm Coſſ. à Valente Conſtantinopoli agente, conceſſam Macedonianis, memorat Lampſaceni conventus celebrationem. Magis tamen placet Labbei, Pagiique ſententia, qui Conventum Lampſacenum anno CCCLXIV. alligarunt. Legitur quidem in Marcellino: *Marcell. l. 26. c. 5.* *Actâ igitur tranquillius hyeme, concordiſſimi Principes percurſis Thraciis, Naiſum advenerunt.* Diu tamen ante hyemem Conſtantinopoli profectos, ex ipſo Marcellino conficitur, cùm poſt partitos, & Comites, & exercitus, Valentinianus Mediolani, Valens Conſtantinopoli annum CCCLXV. aperuerint. Reſque certa eſt ex variis ſubſcriptionibus Legum Codicis Theodoſiani. Lex 13. de Operibus Publicis, dicitur data XIII. *Kal. Jul. Med. Divo Joviano & Varroniano Coſſ.* nempe *Mediana*, quod ſuburbanum Naiſſo tertio lapide diſtat. Lex verò 7. de Pactis dicitur, hoc anno data III. Nonas Julias. Sed & in vita Athanaſii apud Photium legitur: *Phot. Bibl. 1447.* *Valentinianus triginta tantum dies Conſtantinopoli ſubſiſtens, Valenti Orientem conceſſit.* Vertente igitur Aprili Valentinianus Regiâ urbe diſceſſit, à quo per Thraciam diſcurrente, *Hypatianus* celebrandæ Synodi copiam impetrat.

Lampſacena decreta. Fueritne Orthodoxa Synodus?

VIII. Lampſacus urbs eſt ſita in anguſto Helleſponti ſinu, de qua Stephanus: *Lampſacus urbs juxta Propontidem à Lampſaco puella indigena ſic dicta. Hæc à Phocæenſibus condita eſt, olim Pityuſa nominata.* A ſplendore, Mela civitatis nomen putat eſſe deductum l. 1. c. 19. *Lampſacum, Phocais appellantibus, nomen ex eo traxit, quòd conſulentibus in quaſnam terras potiſſimùm tenderent, reſponſum erat, Ubi primùm fulſiſſet, ibi ſedem capeſſerent.* Hîc Macedoniani ſatagunt ſuum celebrare Concilium. Quod & Valens permi-

Anno Dom. 364. permiſit, arbitratus ipſos cum Eudoxio, Acacioque Religionis concordiâ copulari. Cùm autem haberent in animo, Conſtantinopolitana & Acta, & Confeſſionem abrogare, viros famâ & eruditione celebres, etſi titulum nec dum adeptos, advocant in auxilium, quorum unus fuit
Baſil. Ep. 82. Baſilius ille Magnus. Quid in eo conventu geſtum ſit, edicit Sozomenus: *Cum per bimeſtre ſpatium inter ſe conſultaſſent, tandem decreverunt, ut ea quæ Conſtantinopoli ſtudio Eudoxii, atque Acacii geſta fuerant, irrita eſſent.* *Et ut formula quidem fidei rejiceretur; quam velut ab Occidentalibus Epiſcopis editam proferentes Eudoxiani, ſubſcriptionibus quorumdam firmari curaverant, polliciti ſe opinionem diſſimilis ſubſtantiæ damnaturos, quod tamen minimè præſtiterunt. Ea verò ſententia, quæ Filium Patri ſimilem prædicat ſecundum ſubſtantiam, prævaleret. Nam vocabulum Similis neceſſariò adjiciendum eſſe ad ſignificandam perſonarum differentiam. Utque in omnibus Eccleſiis ea teneretur fides, quæ Seleuciæ quidem confirmata, Antiochiæ verò in dedicatione majoris Eccleſiæ expoſita fuerat.* Statuerunt etiam, ut exauctorati ab Anomœis Epiſcopi ſedes poſtliminio ſuas recuperarent. Qui adverſus ipſos inſtituerent accuſationem, damnationi ſubjicerentur, Judiceſque ex Epiſcopis Orthodoxis Provinciæ, & ex variis Regionibus congregati, in illis Eccleſiis conſtituerentur, in quâ præſtò teſtes adeſſe poſſunt. His decretis, pœnitentiæ copiam Eudoxianis faciunt, qui tùm minimè obtemperaſſent, Synodus omnibus ubique locorum Eccleſiis Decreta ſua ſignificat. Cùm autem veterentur Lampſaceni, ne Eudoxius ad partes ſuas animum Principis traduceret, Valentem Heracleæ adeunt, qui factâ Valentiniani Romam proficiſcentis deductione, Conſtantinopolim revertebatur. At Imperatorem Aulicoſque ſuam in ſententiam jam Eudoxius pertraxerat. Itaque Legatos hortatur, ne ab Eudoxio diſſiderent. Quibus contradicentibus, & fraudem Conſtantinopoli factam, initaque ab Eudoxio conſilia adverſus Seleucenæ Synodi decreta objicientibus, Imperator irâ ſuccenſus,
Sozom. l. 6. c. 7. illos abire in exilium juſſit; Eccleſias verò Eudoxianis tradi. Lampſacenam Synodum *Catholicam* fuiſſe contendit N. Alexander, quia Arianos damnabant Epiſcopi, & Conſubſtantialem amplectebantur. Ac facilès quidem largimur, de Filio rectè ſenſiſſe Lampſacenos, qui Confeſſionem Antiochenam in Encœniis promulgatam, albo calculo comprobarunt. De Spiritus verò divinitate ipſos malè ſapuiſſe exiſtimamus. Macedonianorum quidem Synodus dicitur
Socr. l. 4. c. 4. Socrati: *Eleuſius Cyzici Epiſcopus, & qui cum illo erant, ſuperiores partes aliquandiu obtinuerunt, cùm Macedonii dogma aſtruerent, quod anteà quidem obſcurum, poſt Synodum autem Lampſacenam manifeſtius factum.* Qui in Conſtantinopolitana Synodo abdicati fuerant, Eleuſius, Euſtathius, & reliqui omnes, Spiritum S. majeſtate ſuâ
Sozom. l. 4. c. 27. evertebant, quibus tamen Lampſaceni ſuas ſedes reſtituere. De Lampſacenorum quidem fide potentiorem certioremve Baſilium proferre teſtem non poſſumus; qui huic Synodo interfuit:
Baſil Ep. 82. *Quoties*, inquit, *fidem exponendo novarunt, Ancyræ dederunt aliam, Seleuciæ alium, aliam Conſtantinopoli, divulgatam illam, & aliam Lampſaco poſteà, & quam dederunt in Nicæa Thraciæ, & jam aliam in Cyzico. De qua etſi reliqua ignoro, hoc tamen audio, quòd omiſſa Conſubſtantialis Confeſſione τὸ κατ' οὐσίαν ὅμοιον, ſimilitudinem quandam eſſentiæ circumferunt, & præterea blaſphemias contra Spiritum S. cum Eunomio conſcribunt.* Hæc Magnus Anno Dom. 364.
ille Baſilius, qui cùm ipſe præſens Lampſaceno conventui interfuerit, de illius fide N. Alexandro Seculi XVII. homine potior eſt exiſtimandus. Fingere quidem cogitatione non poſſumus, Macedoniani dogmatis fautores ſedibus ſuis reſtitutos à Lampſacenis fuiſſe, niſi in eam quoque opinionem toto pectore inclinaſſent.

IX. Curabant præterea magnâ diligentiâ Hilarii cum Auxentio diſputatio.
Hilarius Pictavienſis, atque Euſebius Vercellenſis. Mediolani Ariani erroris patronum ſeſe conſtituebat Auxentius Epiſcopus. Cùm igitur Eccleſiæ utilitatem in primis ſibi proponeret Hilarius, diſputationem inſtituit adverſus hominem, quo defenſore & protectore hæreſis maximè utebatur. Voluptate ſua Lectorem fraudaremus, ſi quæ Mediolani geſta ſunt, noſtris non Hilarii ipſius verbis ſubjiceremus: *Cum* Hilar. contr. Aux.
edicto gravi S. Rex perturbaret Eccleſiam Mediolanenſium, quia Deum verum Chriſtum, & unum cum Patre Divinitatis & ſubſtantiæ confitetur, ſub unitatis ſpecie & voluntate juſſiſſet, etiam impoſtum à interpellatione ſuggeſſi, Auxentium blaſphemum eſſe, & omninò hoſtem Chriſti habendum: atque adjeci eum aliter credere, quam Rex ipſe, aut alii omnes haberent. Quibus eorum permotus audiri nos à Quæſtore, & Magiſtro præcepit, conſidentibus unà nobiſcum Epiſcopis ferè decem. Primumque ut in foro ſolet, de perſona calumniatus eſt. Damnatum quondam me à Saturnino, audiri ut Epiſcopum non oportere. Non eſt nunc temporis quid ad hæc reſponſum ſit enarrare, ſed qui tum audiebant, de fide potiùs, ut Regi placuerat, agitandum eſſe decreverunt. Cùmque jam in arcto eſſet negandi periculo; credere ſe Auxentius Chriſtum Deum verum, & unius cum Deo Patre divinitatis & ſubſtantiæ eſt profeſſus. Placuit igitur hoc ſcribi. Et ne memoriâ audientium, quæ dicta eſſent, elaberentur, continuò libellum Regi per Quæſtorem offero, quo quid convenißet, contineretur. Et ne mentiri arguar, ejuſdem exemplar ſubjeci. Placet omnibus, Auxentium hæc ipſa profiteri frequentet, quod ut ipſe ſcriberet, eſt coactus. Qui diu conſilia ſua verſans, callidiſſimè fidem Regis eludit. Dat Scripturam ſtilo Antichriſti compoſitam. Nam primùm, ea quæ Nicææ Thraciæ omnium impietas in ſe ſolviſſet, ſancta eſſe teſtatur: vim ſcilicet illatam Epiſcopis, fidem eſſe veræ confeſſionis affirmans. Negat quoque ſe ſcire Arium, cùm in Alexandria, in Ariana Eccleſia, cui Gregorius præerat, Presbyter eſſe cœpiſſet. Ut ex anguſtiis ſeſe expediret veterator, Imperatores adit ſcripto: *Beatiſſimis & glorioſiſſimis Imperatoribus, Valentiniano, ac Valenti Auguſtis, Auxentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Mediolanenſium.* Libelli ſumma hæc eſt: *Non oportere ſexcentorum Epiſcoporum unitatem poſt tantos labores, ex contentione paucorum hominum refricari, ubjectis Decretis ante annos decem.* Se Hæreticum, & Arianum non eſſe, *Quia*, inquit, *nunquam ſcivi Arium, non vidi oculis, non cognovi ejus doctrinam:* Profitetur, *Se credere, in unum ſolum verum Deum, Patrem omnipotentem, & in Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum J. C. ante omnia ſecula, & ante omne principium, natum ex Patre, Deum ex vero Deo Patre.* Subdit deinde, *Ut autem pietas veſtra verius cognoſceret ea, quæ geſta ſunt in Concilio Ariminenſi, tranſmiſi, & peto ut ea libenter legi præcipiatis. Sic enim cognoſcet ſerenitas veſtra, quos jamdudum damnatos depoſiti, hoc eſt,*

Hila-

ANNO DOM. 364.

Hilarius & Euſebius contendant ubique ſchiſma facere.

Hilarius Mediolano ejicitur. Auxentius pro pio habetur.

X. Multis ſimulationum involucris integebatur, & quaſi velis quibuſdam obtendebatur Auxentii ea Confeſſio, ut piè ſimul & ſolerter obſervatum Hilario: *Tribuunt Chriſto Dei nomen, quia hoc & hominibus ſit tributum. Fatentur Dei verò Filium, quia ſacramento baptiſmi vere Dei Filius unuſquiſque perficitur: ante tempora & ſecula confitentur, quod de Angelis, & Diabolo eſt non negandum. Ita Domino Chriſto ſola illa tribuuntur, quæ ſunt vel Angelorum propria, vel noſtra.* Cæterùm pietatis ſuæ mercedem Hilarius expulſionem tulit, & quod magis dolendum, ab Orthodoxo Imperatore. Auxentianæ Confeſſionis præſtigiis capti Mediolanenſes, perfidum Hæreticum pro pio viro habent: *Spargitur verò per populos, Auxentium verum Deum Chriſtum, & unius cum Patre Divinitatis ac ſubſtantiæ ſcripſiſſe, neque ab expoſita per me fidei diſſidere ſententia. Poſt quæ ad communionem ejus Rex pro fidei ſinceritate advenit. Sed cùm hoc myſterium impietatis diu occultatum jam non taceretur, diceremque fingi omnia, fidem negari, Deumque atque homines illudi, jubeor de Mediolano proficiſci, cum conſiſtendi mihi in eo, invito Rege eſſet nulla libertas.*

Hilar. contr. Aux.

Error Baronii.

Hoc anno CCCLXIX. contigiſſe, non ſine labe Chronologiæ maxima Baronius opinatur. Quod certiſſimis rationibus oſtenditur, Primùm ſolis Auguſtis, Valentiniano & Valenti oblatus eſt Libellus Auxentii. Nondum igitur Imperatoris dignitatem Gratianus adeptus erat, qui anno CCCLXVII. *levatus eſt in Galliis, die IX. Kal. Septembris*, Lupicino & Jovino Coſſ. ut Idacii Faſti declarant. Inſuper anno CCCLXVII. Hilarius naturæ conceſſit, teſte Chronico Hieronymi. Non potuit igitur biennio poſt obitum apud Mediolanum diſputationem inire cum Auxentio. Hoc ergo, vel ſaltem ſequente anno ſuſcepta eſt. Argumentum Baronii ex verbis Auxentii depromptum, *abjectis decretis ante annos decem*, quibus Ariminenſe Concilium anno CCCLIX. celebratum indicaſſe videtur, Hermantius ſolvit, qui Mediolanenſi Synodo anno CCCLV. coactæ Auxentii verba accommodat.

Herm. Eclairc. l. 11. c. 8.

Apollinaris, an Epiſcopus? Fama ejus.

XI. Sub id temporis initia duxiſſe Apollinaris hæreſin, fit nobis veriſimile. De qua antequam tractaverimus, infauſtæ opinionis parens adducendus ante oculos. Apollinaris pater ortu Alexandrinus, Beryti primùm docuit: inde profectus Laodiceam, ductâ uxore, filium ſuſcepit nomine & *Apollinarem*. Pater ad Presbyteri gradum evectus, Grammaticam; filius qui Lectoris officio fungebatur, Rhetoricam docuit. Florebat eo tempore Epiphanius Sophiſta, quem omni ſtudio Apollinaris ambo fovebant. Dum nobilis ille Rhetor in Bacchi laudem hymnum recitat, Junior Apollinares, cum patre ſuo recitationi interfuit, ac cum Epiphanius prophanos ſacris illis non initiatos, foras abiiſſe juſſiſſet, ambo Apollinares reſtitere. Quod ubi reſcivit *Theodotus* Laodicenſis Epiſcopus, graviter commotus, patrem filiumque Apollinares ejecit Eccleſiâ, quos tamen poſtmodum, pœnitentiâ functos denuò ſuſcipit. Mortuo Theodoto ſucceſſit Georgius Arianus, qui Juniorem Apollinarem à communione exeluſit, ea de cauſa, quòd dum anno CCCXLIX. redux ex exilio Athanaſius Laodiceam tranſmeat, familiaris & amicus redeunti factus eſt. Cum ignominia pulſus Apollinaris, Eccleſiæ demum reſtitui, ſedente Georgio non potuit. Eruditione ſuâ jam celebres, illuſtriores fecit Juliani Decretum, quo Græcorum inſtitui diſciplinis Chriſtiani prohibebantur. Pater enim ſcripti Moſis heroico carmine interpretatus eſt, hiſtoricos verò Veteris Inſtrumenti libros, partim dactylico carmine, partim ad formam tragœdiæ, perſonis adhibitis elaboravit. Junior verò Apollinaris Evangelia & Apoſtolorum ſcripta ad formam dialogorum expoſuit, exemplum Platonis ſecutus. Apollinaris Junior ad Epiſcopatum provectus, aliquandiu Laodicenſi præfuit Eccleſiæ.

Socr. l. 3. c. 16.

Dixit hæc quidem Photius in Excerptis Philoſtorgii: *Ait præterea, quòd quidem neſcio unde hauſerit, Apollinarem Epiſcopum fuiſſe.* A Lamberto quoque Danæo negatur, Epiſcopum fuiſſe. De ea re tamen non eſt dubitandum. Athanaſius Epiſtolâ ad Antiochenſes pag. 580. *Aderant & aliquot Monachi Apollinaris Epiſcopi, in hoc ipſum miſſi.* Hieronymus Apollinaris diſcipulus, de ipſo hæc loquitur: *Apollinaris Laodicenus, Syriæ Epiſcopus, patre Presbytero, magis Grammaticis in adoleſcentia operam dedit.* Aſſeritur & Rufinus, l. 2. c. 20. *Interea apud Laodiceam Syriæ ante id tempus Apollinaris Epiſcopus &c.* Nec obſcurè hoc ex indicat Theodoritus: *Apollinaris*, inquit, *Laodiceæ ut plurimum morabatur. Antiochia verò jam antea Vitalem ordinarat Epiſcopum.* Conſecrare verò Epiſcopum, ipſe non Epiſcopus haud potuiſſet. Dum ſtare viſus eſt integer, arctiſſimis amicitiæ vinculis cum viris illuſtribus copulabatur. Hieronymum auditorem habuit, ut ſcimus ex ipſius ad Pammachium Epiſtolâ: *Apollinarem Laodicenum audivi Antiochiæ frequenter, & colui, & cùm me in Sanctis Scripturis erudiret, nunquam illius contentioſum ſuper ſenſu dogma ſuſcepi.* Cum Apollinare tenerrimorum amorum fœdere pios omnes Epiſcopos fuiſſe conjunctos, fatetur & Epiphanius: *Egregius ille ac venerabilis ſenex, quem nos, & beatæ memoriæ Papa Athanaſius, imò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinaris Laodicenus.* Tantâ quidem conjunctione ſibi Baſilium M. devinxerat, ut Sanctus ille Pater ea de cauſa dedecus paſſus ſit, multis ab ejus communione ſeſe divellentibus, ut in Epiſtola ad Patrophilum profitetur: *Seceſſus cauſam aſſignarunt, quòd Apollinari ſcripſerimus. Ego verò Apollinarem quidem nunquam putavi inimicum eſſe. Imò ſunt quædam, quorum gratiâ virum veneror etiam.* Apollinarem Epiſcopatu prius pulſum fuiſſe, quàm errores proferret ſuos, ex Theodorito colligimus: *Apollinaris verò cùm Eccleſiarum adminiſtratione excidiſſet, novam deinceps, quam excogitaverat doctrinam, palam prædicavit.* Quamobrem verò redactus ſit in ordinem, juxta ſcimus cum ignariſſimis, & num antè vulgatam hæreſim Epiſcopatu motus fuerit, meritò in dubium adducitur.

Philoſtorg. l. 8. c. 15.

Hieron. de Vir. Ill.

Theodorit. l. 5. c. 4.

Hier. Ep. 65. c. 1.

Epiph. h. 77. n. 2.

Baſil. Epiſt. 82.

Theodorit. l. 5. c. 4.

Quid in errorem im; ulit Apollinarem? Ejus dogmata.

XII. Quid virum magnæ & eruditionis, & famæ, & uti videbatur, pietatis excelſæ, in errorem impulerit, quærunt eruditi. Exiſtimat Petavius in Dogm. Theol. injuriæ ſibi à Theodoto illatæ Apollinarem memorem, vindictæ cupidum, errorem demum ſuum excogitaſſe. Quæ tanto viro indigna ſententia eſt, cùm ad Epiſcopatum orthodoxus promotus ſit Apollinaris, in eoque gradu diu ſatis Sanctiſſimorum virorum amicitiâ uſus fuerit. Rufinum potius audire præſtat: *Apollinaris Epiſcopus vir ſanè in cæteris inſtructus, ſed dum contentionis vitio*

Ruſin. l. 2. c. 20.

nimis agitur, & adverſum omne quod quiſque dixerat, ita obvius delectatur, jactatione ingenii malè fortis, hæreſim ex contentione generavit, aſſerens ſolum corpus non etiam animam à Domino in diſpenſatione ſuſceptam. . . Poſt ut ne in tota vinci videretur, ait eum quidem habuiſſe animam, ſed non ex ea qua rationabilis eſt, ſed ex ea ſolum quæ vivificabat corpus: ad ſupplementum verò rationabilis partis ipſum verbum Dei fuiſſe perhibebat, Non probamus tamen in ea re dictum Rufini, quòd primùm negarit Apollinaris, animam à Filio Dei ſuſceptam eſſe. Neque hominem cothurnos in ſcena mutaſſe ſuos non credimus; imò figmentum putamus, quod vulgò jactatus, infelicem Hæreticum animam ex humana Chriſti natura primùm exterminaſſe. A diſcipulis quidem Apollinaris id factum fuiſſe ſcimus, ab Apollinari neſcimus. Apollinariſtarum erroribus

Aug. de Hær. c. 55.

Auguſtinus: Dicunt *ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe. In quæſtione Evangelicis teſtimoniis victi mentem, qua rationalis eſt anima hominis, non fuiſſe in anima Chriſti, ſed pro hac ipſum verbum in ea fuiſſe dixerunt.* Similia de Apollinariſtis Socrates ſcripto tradit, l. 2. 46. Eſt igitur ea ſententiæ mutatio non Apollinari quidem, ſed Apollinariſtis vindicanda. Ac nullus ſanè errorum Apollinaris peritior unquam evaſit, quàm Epiphanius, cui & notiſſimus fuit, & amiciſſimus. De delirantis ſententia audia-

Epiph. 77. n. 1. 2.

mus igitur Epiphanium: *Nonnullis noſtrorum placuit, & quidem primariis, atque à nobis & ab omnibus Orthodoxis divinis propemodum honoribus affectis, mentem ab Chriſti incarnatione dimovere, eundemque carnem cum anima duntaxat ſuſcepiſſe, mentem verò nequaquam aſſerere, hoc eſt, non perfectum hominem induiſſe. . . Egregius ille ac venerabilis ſenex, quem nos, & beatæ memoriæ Papa Athanaſius, imò verò Catholici omnes unicè diximus, Apollinaris Laodicenus, hujus dogmatis auctor ac propagator extitit.* De carne abſque anima ſuſcepta ſilet Epiphanius, quem perinde atque Apollinariſtarum errorem ſine dubio memoraſſet: *Alii verò, Chriſtum animam aſſumpſiſſe negarunt.* Neque mutandæ ſententiæ ſive locus, ſive tempus Apollinari datur, in verbis Epiphanii. Quæ fama ferebat, de Hæretico Chriſti mentem extinguente, incredibilia illis videbantur, qui cum ipſo amicitiæ nodos copularant: *Ac principio quidem, cum id nobis nonnulli ex ejus diſcipulis narrarent, fidem non habebamus, neque veriſimile putabamus, à tanto viro errorem ejuſmodi profectum.* Exiſtimabant abſtruſa reconditaque ea, quæ à viro ſapienti proferebantur, auditoribus minus nota exploratàque fuiſſe: prius

Epiph. h. 77. n. 2.

igitur expectandum, quàm talia docenti nota erroris inureretur. Quòd ſi, uti vulgò ferunt, Chriſti animam à carne primùm ſejunxit Apollinaris, id ipſius diſcipuli ſignificaſſent Epiphanio cæteriſque Epiſcopis, qui nil cauſæ prorſus habuiſſent, cur noviſſimam errantis de mente Dominica opinionem in dubium revocaſſent. Sed & morâ temporis opus fuit diſceptationibus monitiſque, ut quam animo imbibiſſe dicunt, de carne Servatoris animæ experte ſententiam, Apollinaris exueret. Atqui cùm primùm Epiphanii, aliorumque tetigit aures rumor à Chriſto homine mentem dimoviſſe Apollinarem, is in laude adhùc erat rectæ fidei apud Cypri Præſules, atque Orientis; at delirantis primus ſanè palmariſque partus, is eſſe videatur, quem refert Epiphanius, quòd mente ſolâ, non animâ Chriſtum hominem ſpoliaverit. Id etiam luculentiſſimè demonſtrat ipſemet Apollinaris, Epiſtolâ Epiſcopis Diocæſareæ ſcriptâ, quam ab oblivione Leontius vindicavit: *Confitemur non ad hominem ſanctum veniſſe verbum Dei, quod erat in Prophetis, ſed ipſum verbum carnem factum eſſe, non aſſumptâ mente humanâ, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiva ducitur, ſed divinâ mente immutabili & cœleſti.*

Leont. B. D. P. t. 9. 712.

Mentem itaque, non animam à Chriſto abjudicabat. Exarata eſt Epiſtola dum vita in Athanaſio morabatur, uti planum fit verbis ejuſmodi: Athanaſius *ſcit nos & in dogmatibus cum ipſo conſentire.* Recens adhùc erat error Apollinaris, qui ſolam à Chriſto mentem divellebat. Ex fontibus porrò Platonis videtur errorem deduxiſſe ſuum, quod &

Nemeſ. de Nat. Hom. c. 1.

aſſerit Nemeſius: *Quidam è quibus eſt Plotinus, aliud eſſe animam, & aliud mentem ſtatuentes, ex tribus conſtare volunt hominem, è corpore, anima, & mente. Hos ſecutus eſt Apollinaris Laodiceæ Epiſcopus. Hoc enim jactis fundamentis ſententiæ ſuæ, reliqua dogmatis ſuo conſentanea ſuperſtruxit.* Ut autem primùm rumor diſperſus eſt ab Apollinaris diſcipulis, perverſæ Præceptoris ſui doc-

Epiph. h. 77. n. 2.

trinæ Epiphanius fidem non habuit: *Non veriſimile putabamus*, inquit, *à tanto viro errorem ejuſmodi profectum; Itaque nonnulla adhuc meliorum ſpe patienter expectavimus, donec iam omnem accurate cognovimus. Hos enim dicebamus, diſcipulos illius qui ad nos ventitabant, cùm ea minimè caperent, quæ ab erudito illo viro Præceptore ſuo abſtruſa & recondita proferrentur, ejuſmodi quædam finxiſſe ſibi, quæ ab illo nunquam dicerant.* Palmaris itaque hominis hujus error fuit, quod Chriſtum mentis humanæ expertem fingeret. De Trinitate non accuratam ſatis, rectamque

Theodorit. h. Fab. l. 4. c. 8.

tueri ſententiam putabatur: *Apollinaris nonnullis quidem ſcriptis, quod de Trinitate pronunciatum eſt, non violavit. ſed quemadmodum & nos, unam quoque divinitatis ſubſtantiam & tres perſonas prædicavit. In nonnullis autem gradus dignitatum definiit. Ejus enim inventum eſt illud magnum, majus, maximum, tanquam magnus quidem ſit Spiritus, major autem Filius, maximus autem Pater. . . Rurſus in nonnullis ſcriptis perſonarum proprietates confundebat, unde etiam inſimulatus eſt Sabellianiſmi.* Hanc de perſonis divinis opinionem verè ſimul & ſalſè Nazianzenus vocat *divinitatis ſcalam, quæ non in cœlum deducit, ſed è cœlo dejicit.* Ex Theodoriti loco colligi quidem poteſt, rudem indigeſtamque Apollinaris eſſe de Trinitate informationem, ex qua in duras enunciationes ducebatur. In hæreſin tamen Trinitatem evertentem, delapſus eſſe non videtur, ſecus palmaris ejus error non is fuiſſet, qui mentem Chriſto evellebat. Neque Vitalis diſcipulus ejus eò impietatis progreſſus eſt, qui tamen Præceptoris ſui opinionibus mordicùs adhærebat. Philoſtorgius quidem Anomœorum ſectæ addictiſſimus, inſignem tamen hanc laudem Apollinari tribuit. Baſilius Cæſarienſis, Gregorius

Suid. in Apollin. 373.

Nazianzenus, Apollinaris, *Tunc pro Conſubſtantiali contra Heteroufion propugnabant, longè ſuperantes omnes illos qui & prius, & pòſt ad meam uſque ætatem illius hæreſeos fuerunt propugnatores, adeò ut præ ipſis Athanaſius puer judicaretur.* Graviſſimos adhuc errores Apollinari vindicat Na-

Naz. Or. 46.

zianzenus, in ſua ad Nectarium Epiſtola: *Incidit in manus meas libellus Apollinaris, in quo ea quæ aſtruuntur omnem Hæreticorum improbitatem excedunt. Affirmat enim carnem illam, quæ ab*

uni-

ANNO DOM. 364.

unigenito Dei Filio, per diſpenſationem aſſumpta eſt, aſcititiam non eſſe, ſed ab initio fuiſſe in Filio. Librum tamen *Apollinariſtæ* potius quàm *Apollinaris* ipſius eſſe exiſtimamus. Quærenti Epiphanio, qui audierat Apollinariſtarum dogma hoc eſſe, quod *è Virgine Maria Chriſti caro ſuſcepta non eſſet*, reſpondit Vitalis, *Carnem è Maria Chriſtum traxiſſe.* Vitalis autem ne ad latum unguem Apollinaris à dogmate recedebat. Sed & Theodoritus expreſſis verbis Apollinariſtarum nonnullis illum aſcribit errorem: *Quidam alii ex conventu Apollinaris dicebant, Corpus Domini deſcendiſſe de Cœlis.* Denique ipſe Apollinaris ab ea ſe impietate vindicat Epiſtolâ prima ad Dionyſium, quæ extat apud Caniſium: *Anathema igitur ſit*, inquit, *qui non dicit carnem ex Maria*, uti rectè obſervatum N. Alexandro. Abſonam quoque Apollinari Gregorius opinionem tribuit: *Quod omnium indigniſſimum, unigenitum Deum probare nititur, propriâ ſuâ divinitate paſſum eſſe, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque ſimul cum corpore mortuam fuiſſe, ſicque rurſus Patris operâ à morte ad vitam revocatam.* Librum ea impia continentem, quem Gregorius legerat, Apollinari ſubditum eſſe exiſtimamus, nec immeritò, cùm libri hujus Autor ſtatueret, Chriſti carnem è Cœlo delapſam eſſe, cui Apollinaris errori dixit anathema. Eam quoque animo imbibit opinionem Apollinaris, quæ Patrum benè multorum in mentibus fuit infixa, nempè *poſt reſurrectionem in carne cum Sanctis Dominum regnaturum*, teſte Hieronymo in vita Papiæ, necnon Nazianzeno ſecundâ ad Cledonium Epiſtolâ p. 747. Petavius Animadverſionibus ad hæreſim *Dimœritarum*, eruditique complures Apollinarem anno CCCLXII. ab Alexandrina Synodo damnatum eſſe, perſuaſum habent. Quorum à ſententia diſtrahimur, cùm imperante Juliano palam & in luce Apollinaris error nondum fuerit conſtitutus, imò ſcriptis vir ille ſuis multum Eccleſiæ inſervierit. De ortu quidem hujus impietatis Theodoritus: *Apollinaris cùm Eccleſiarum adminiſtratione excidiſſet, novam deinceps quam excogitaverat, doctrinam palam prædicavit, ſeque hæreſeos autorem profeſſus eſt.* Anno autem CCCLXII, etiamnum Epiſcopum agebat, & eo nomine Monachos miſit Alexandrinæ Synodo. Nondum igitur errorem diſſeminarat ſuum. Quò conſequens eſt, nec fuiſſe damnatum. Athanaſius quidem in ſua ad Antiochenſes Epiſtola adverſus Paulum Samoſatenum, Arium & Photinum ſcripta Apollinarem in mente non habuit. Ario ſententia hæc fuit, Chriſtum animæ expertem egiſſe, quam opinionem percellit Athanaſius. De Ario igitur, non de Apollinari Synodus cogitavit: *Apollinariſtas Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti à Catholica Eccleſia diſſenſerunt, dicentes ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe.* Egregium porro adverſus Porphyrium volumen edidit Apollinaris, quod plurimi facit Hieronymus Epiſtolâ LXV. capite primo: *Fortiſſimos libros contra Porphyrium ſcribit Apollinaris*, quem tamen meritò perſtringit, quòd *dimidiatam Chriſti introduxit œconomiam.* Cæterùm Præceptoris ſui erroribus Apollinariſtæ multa addidere poſtmodum: ſcilicet corpus Chriſti divinitati eſſe conſubſtantiale; Dei Filium carnem ex cœlo attuliſſe; Deitatem Chriſti in carnem fuiſſe converſam, cujus opinionis *Polemium* fontem fuiſſe Theodoritus prædicat. Magnos progreſſus fecit Apollinaris hæreſis, quam non minimum adjuvabat Autoris fama: *Parum certè abfuit, quin Orientis omnes Provinciæ à Cilicia uſque ad Phœnicem Apollinaris hæreſin amplecterentur.* Sed à Monachis, & Synodis repreſſa eſt, ut obſervabimus loco ſuo. Sectæ huic maximè infenſum ſe Nazianzenus præbuit, quòd Eudoxiani, Macedonianique cœtus publicos haberent, *ferendum* eſſe dixit. De Apollinariſtis verò hæc ſcribit Nectario: *Quod ex omnibus calamitatibus acerbiſſimum, Apollinariſtarum licentia eſt, quos haud ſcio quonam modo pietas tua Conventuum æquè ac nos habendorum autoritatem ſibi arrogaſſe, atque uſurpaſſe, paſſa fuerit.* Rogat etiam *Olympium*, ne impunitum Apollinariſtarum ſcelus ferat, qui exautoratorum Epiſcoporum operâ Præſulem ſibi conſtituerant. Neque moderatè ſe gerebant Hæretici, qui impetu facto minitabantur Eccleſiæ, ut Theodoro Tyanenſi ſcripſit. Quæ fortè cauſa fuit, cur anno 388. Theodoſius *Apollinarios* ab omnibus locis inhiberi juſſerit. Cogit ad lachrymas viri doctiſſimi celeberrimique lapſus, qui infelici ſectæ parentem ſe conſtituit. Quanta fuerit Apollinaris fama & eruditio, doceat Vincentius Lirinenſis: *Quid illo præſtantius acumine, exercitatione, doctrinâ? Quam multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſit? Quot inimicos fidei confutavit errores, indicio eſt Opus illud triginta non minus librorum nobiliſſimum & maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magnâ probationum mole confudit.* Liber ille adverſus Porphyrium inter cætera Opera Apollinaris maximè probabatur, & Euſebii ſcripta longo intervallo ſuperaſſe atque Methodii, tradit Philoſtorgius l. 8. c. 14. *Innumerabilia* ſcripſiſſe *volumina*, teſtatur Hieronymus, de quibus conſulenda Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoria. Id unum ſcitu perjucundum obſervabimus de ſcriptis Apollinaris, ex vita S. Ephrem petitum: Libros ſuos *cuidam, quam in deliciis habuiſſe ferebatur fœmina, aſſervandos commiſerat* Hæreticus. *Quæ cùm magno innotuiſſent Ephrem, ipſe ejuſdem ſe opinionis eſſe confingens, fœminam quæ libros iſtos profanos cuſtodiebat, adit & de ſe quis ſit, & quam fauſta ei ex eremo afferat, patefecit. Tandem rogat ut Præceptoris ſibi ſcripta publica utilitatis cauſâ exhibeat.* Quibus capta verbis fœmina, libros præbuit, eos tamen ſibi celeriter reddi deprecans. At piſcis glutino omnes illiniens, ita folium cum folio connexuit, ut para una ab altera ſejungi nequiret. Cùm libros Apollinaris coram Judice ad diſputandum aperire vellet, nec poſſet, ignominiam ita moleſtè tulit, ut parum abfuerit quin mortem obiret. Vitam adhùc retinebat anno 380. quem ſenectute provectus, *Theodoſio imperante* reliquit.

Epiph. h. 77. n. 22.

Theodor. h. Fab. l. 4.

Orat 46. 722.

Theodorit. l. 5. c. 4.

August. de Hær. c. 55.

Sozom. l. 6. c. 27.

Naz. Or. 42.

Vincent. Lir. c. 16.

Nyſſen. t. 3. 609.

ANNO U. C. 1118. OLYMP. 286. PER. JUL. 5078. JUL. 410. DOM. 365. VALENTINIANI 2. *Sol.* 10. B. *Lun.* 5. *Indict.* 8. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Martii.*

ANNO DOM. 365.

COSS. *Valentinianus & Valens Aug.*

I. SEditione graviſſimâ Romanum concutitur Imperium, Procopio in Cilicia nato & educato arripiente purpuram. Genere clarus erat, utpote qui Julianum Imperatorem propinquitate attingebat. Vitam moribus caſtigatam ducebat. Imperante Conſtantio Notarium agens, cum Lucilliano Comite ad Saporem miſſus,

Procopii ſita.

ANNO DOM. 365.

ſus, Imperatoris poſt obitum à Juliano Comitibus adjunctus fuerat. A quo etiam Perſidem petente, cum valida militum manu in Meſopotamia relictus erat. Fama fert, ſi quid calamitioſius ſibi contigiſſet Julianum traditâ purpurâ monuiſſe, ut ſuſciperet Imperium. Interfecti Principis corpus, ut ad ſepulchrum uſque duxit, audito ſe diligentius à Joviano quæri, ad abdita longiuſque remota diſceſſit. Ferinæ vitæ pertæſus, quam vix tenuiorum alimentorum auxilio retinebat, impellente neceſſitate apud *Strategium* ex Palatino milite Senatorem amicorum fidiſſimum ſeſe abdidit. Ex agro Chalcedonio ubi deliteſcebat, Conſtantinopolim clanculò ſæpius migrans, ignotus ob ſqualorem vultus & maciem, ſolertiſſimi exploratoris officio fungebatur. Ex rimoribus tum colligebat, incuſare Valentem multos cupiditatis aliena rapiendi. *Petronium* Patricium Principis ſocerum exquiſitis tormentis ſontes innocenteſque pariter afficere: debita jam inde à temporibus Aureliani Imperatoris crudelius perſcrutari.

Marcellin. l. 26. c. 6.

Longè diverſa de Procopio narrat Zozimus. Summam dignitatem adepto Joviano datam ſibi Procopius purpuram tradit, quem & enixè rogat, ut militari ſe ſacramento liberatum, agriculturæ, & rei familiaris ſtudio incumbentem in otio vivere permittat. Quo impetrato Cæſaream Cappadociæ urbem unà cum uxore, & liberis migravit habitatum, quòd ibi prædia maxima poſſideret. Cùm eò commorantem ſuſpectum haberent Valentinianus & Valens, certos confeſtim mittunt, qui hominem comprehenderent: ille poteſtatem facere perducendi quò vellent. Saltem petere, prius ut cum uxore colloqui, liberoſque videre ſuos ſibi permitteret. Quo conceſſo, epulum eis parat, & obrutos vino conſpicatus, cum ſuis ad Pontum Euxinum contendit, inde Conſtantinopolim.

Zozim. l. 4. c. 4.

Nos vero ſimiliorem Marcellini narrationem eſſe putamus. Dum abditus Conſtantinopoli moratur Procopius, occaſionem invenit, quâ ad ſumma rerum faſtigia tolleretur: *Conſumptâ hyeme feſtinans ad Syriam Valens, jamque fines Bithynorum ingreſſus, docetur relationibus Ducum, Gentem Gothorum eâ tempeſtate intactam ideòque ſæviſſimam, conſpirantem in unum ad pervadenda parari collimitia Thraciarum.* Quo cognito, ut ocyus quò tendebat perveniret, peditum equitumque copias ad ea loca miſit, quibus excurſus Barbari metuebantur. Dimoto longius Valente Procopius mortem conditione ſuâ longè clementiorem ratus, periculorum omnium aleam jacit.

Marcellin. l. 26. c. 6.

Erat Eunuchus, cui *Eugenio* nomen, ex aula nuper ejectus, qui malè erga Principes affectabatur. Multum divitiarum poſſidebat Eugenius, quem ſibi familiariter Procopius conciliat.

Zozim. l. 4. c. 5.

Procopius arripit imperium.

II. Ac primum præſidium urbis, quod duobus militum numeris conſtabat, item ſervos armatos corrumpunt. Coactâ multitudine non exiguâ, Anaſtaſianas balneas petit, fideque ſalutis datâ libenter admittitur: *Stetit ſubtabidus nuſquam reperto paludamento, tunicâ auro diſtinctâ, ut regius miniſter indutus, purpureis opertus tegminibus pedum, haſtatuſque purpureum itidem pannulum lævâ manu geſtabat.* Sic Principatum adeptus, proceſſit in publicum militibus ſtipatus. Ut tribunal aſcendit, diu præ metu tacitus ſtetit: *Paucâ tamen interruptâ & moribundâ voce dicere jam exorſus, quibus ſtirpis propinquitatem Imperatoris prætendebat, lenì paucorum ſuſurro pretio illectorum, deinde tumultuariis ſucclamationibus plebis, Imperator appellatus inconditè, petit Curiam raptim.* Rebellionis diem in faſtis conſignat Idacius. Valentiniano & Valente Coſſ. *latro nocturnus hoſtiſque publicus, intra urbem Conſtantinopolim apparuit, die IV. Kalendar. Octobris.* Imperii initio *Nebridius* in locum Saluſtii Præfectus Prætorio Petronii factione promotus, & Cæſareus Conſtantinopolis Præfectus in vincula compinguntur. Timebatur *Julius* Comes, qui Thraciæ militibus imperabat. Ingenioſa fraude literis Nebridii vinculis adhùc conſtricti, quaſi juſſu Valentis de Barbarorum motu accerſitus detinetur. Sic bellicoſæ Thraciæ gentes ſine ſanguine comparantur. Araxius Prætorio præficitur, negotiorum Caſtrenſium adminiſtratio Gomoario & Agiloni Araxii genero committitur. Inventa eſt & occaſio ad alliciendos animos perquàm oportuna. Parvulam Conſtantii filiam, cujus recordatio colebatur, ſinu ipſe circumferens Procopius, neceſſitudinem prætendebat, & Juliani. Intereà nuntii novitate perculſus *Valens*, eò uſque deſponderat animum, ut de abjicienda purpura, veluti graviſſima ſarcina cogitaret. Ab eo turpi conſilio revocatus, Jovios & Victores præmittit, caſtra perduellium irrupturos. Jam ad certamen penè ventum erat, cùm Procopius ſolus prorupit in medium, Vitalianum porrectâ dexterâ oſculatur, dein quærit à militibus adverſis, Nùm fortiſſimis viris placeret, *pro ignotis tot ſuorum conſurrexiſſe mucrones, utque Pannonius degener labefactans cuncta & proterens, imperio quod ne votis quidem concipere auſus eſt, unquam potiatur?* Hortatus potius ſequi *culminis ſummi proſapiam.* Quâ oratione molliti, qui venerant in Procopium pugnaturi, aquilis ſubmiſſis ad eum deſcivere. Fortunæ Procopii alia felicitas accedit. *Rumitalca* Tribunus, qui in ejus partes tranſierat, ſpe celerius Nicæam occupat. Cui recuperandæ Vadomario Rege Alamannorum miſſo, Valens Nicomediam pergit. Exinde profectus, Chalcedonem magnis viribus oppugnat. Obſeſſi non telis modò, ſed & contumeliis eum laceſſunt, *Sabaiarium* vocantes. Sabaia potus eſt pauperum in Illyrico ex hordeo & frumento in liquorem converſus. Obſeſſorum pertinaciâ diſcedere jam parabat, cum Ductore Rumitalca Nicæni nondum Chalcedonis ſuburbio digreſſum à tergo adoriri properant. At de periculo doctus, inſtantem veſtigiis hoſtem per fluminis Galli ſinuoſos amfractus luſit: ſic Bithynia Procopii in ditionem venit. His accenſus Cyzicum aggreditur, quam Serenianus Domeſticorum Comes defendebat. Robuſta catena ferrea portum tuebatur. Aliſo Tribunus factâ ſuper navigiis teſtudine, catenam ſuppoſito ſtipite bipenni confregit. Redactâ in poteſtatem Procopii Cyzico, Serenianus catenis onuſtus Nicæam ducitur.

Ammian. l. 26. c. 7. &c.

Prope Kalend. Novembr. venturo Pariſios Valentiniano Procopii rebellio nunciatur. Tum cura diſtrahitur nùm Barbaros peteret, an Procopium. Sed permotus Nobilium legationibus, Galliæ finibus diſcedere noluit, non ſemel dicens, *Hoſtem ſuum fratriſque ſolius eſſe Procopium, Alamannos verò totius orbis Romani.*

Marcellin. l. 26. c. 5.

Maximus Philoſophus cruciatus, liberatur. Mors hujus Philoſophi.

III. Dum Procopius invadit imperium, *Maximus* Epheſius ille Philoſophus Juliani deliciæ cruciatibus vexatur. Infenſus ei Valentinianus erat, criminationis ejus memor, quâ Juliani temporibus delatus fuerat, quaſi propter

Chriſti

ANNO DOM. 365.

Zoſim. l. 4. c. 2.

Chriſti religionem in Ethnico ritu impiè deliquiſſet. Juſſu Valentis abreptus in cuſtodiam, exquiſitis pœnis afficitur. Elegans eſt hiſtoria, noſtriſque Annalibus digna: *Maximus tùm & publicè in theatris, & privatim apud Imperatorem traduceretur, validis clamoribus à populo admirationi etiam ſic erat, quòd tantas erecto animo perferret ærumnas. Graviſſimos interim illi cruciatus admoverunt, tanquam irrogantes mulctam pecuniariam, cujuſmodi ſummam homo Philoſophia deditus nunquam audiſſe potuit. Suſpicabantur namque illum ſuiſſeorum opes & fortunas obtinere.* Sed mutata ſententia poſterius, exigua mulcta ei fuit impoſita, dimiſſuſque in Aſiam, ut pecuniam in quam damnatus fuit, diſſolveret. Quanta verò ſit paſſus, tragœdiæ modum excedit. Nam ſchaphiſmus ſupplicium Perſis uſitatum, præ tormentis huic illatis *parvum fuerit. Taceo mulebria & procacia tortorum ludibria, dum exquiſitis pœnis corpus differunt, & uxor primaria fœmina, quæ præſens erat, mariti ſortem miſeratur. Cumque modus ſupplicii nullus eſſet, eaque incrementis augeſcerent, oravit uxorem ut medicatam ſibi potionem emeret, quâ porrectâ, à malis eriperetur. Ea verò emit, ſecumque allatam cùm ille poſceret, bibere præoccupat. Quam mox exanimatam neceſſarii & genere proximi ſepulturâ afficiunt: ſed Maximus bibere ſuperſedit.* Quâ verò ratione tormentis exemptus fuerit, dicat Eunapius Sardianus. Aſiam ſonam & morigeram nactus Aſiæ Proconſul Clearchus,

Eunap. vit. Philoſ.

Invenit ibi Maximum quæſtionibus admotum, & in equuleo diſtentum. Poſtulat hic locus ut divinum facinus eloquar, ſiquidem inexpectatus rei ſucceſſus, jure ſummo alii nemini acceptus ferendus eſt quàm Deo. Nam ſatellites ille omnes, qui indefeſſis aſſiduiſque viri tormentis adhibiti fuerant, majori vi fugam capere coëgit. Maximum vinculis exolvit, corpus curavit reficiendum, ſuaque illum menſa admovit. Quæ cùm geſta ſint, dum victricibus Procopii armis metus Valenti injicitur, ad præſentem certè, non ad ſuperiorem annum pertinent, cum quo ea conjungere Baronio placuit. Dilata eo caſu mors Maximi, quam anno tandem CCCLXXII. obiit, accuſatus quòd oraculi de Valentis ſucceſſore redditi conſcius eſſet:

Marcellin. l. 29. c. 1.

Maximus ille Philoſophus, vir ingenti nomine doctrinarum, cujus ex uberrimis ſermonibus ad ſcientiam copioſus Julianus exſtitit Imperator, oraculi ſuprà dicti verſus audiſſe inſimulatus, ſeque comperiſſe aſſenſus, ſed reticendâ profeſſionis conſideratione non effudiſſe, verùm ultrò prædixiſſe conſultores ipſos ſupplicis pœnalibus perituros, Epheſum ad genuinam patriam ductus, ibique capite truncatus, ſenſit docente periculo poſtremo quæſitoris iniquitatem, omnibus eſſe criminibus graviorem.

Horrendus terræ motus.

IV. Dum armis rebellium concutitur orbis Romanus, horrendis terræ motibus agitatur, quaſi rupto fœdere elementa ad bellum quoque ſurrexiſſent. Duodecimo Cal. Auguſt. clades hæc orbem inceſſit. Quam ſic deſcribit Marcellinus:

Marcell. l. 26. c. 10.

Horrendi terrores per omnem orbis ambitum graſſati ſunt ſubitò quaſi, quales nec fabula, nec veridica nobis Antiquitates exponunt. Paulò enim poſt lucis exortum denſitate prævia fulgurum acrius vibratorum tremefacta concutitur omnis terreni ſtabilitas ponderis, mareque diſpulſum retrò fluctibus evolutis abſceſſit, ut retectâ voragine profundorum, ſpecies natantium multiformes limo cernerentur hærentes. . . Multis igitur navibus velut aridâ humo connexis, & licenter per exiguas undarum reliquias palantibus plurimis, ut piſces manibus colligerent, & ſimilia, marinus fremitus veluti gravatus repulſam, verſâ vice conſurgunt, perque vada ſerventia Inſulis & porrectis terræ ſpatiis violenter illiſi, innumera quædam in civitatibus, & ubi reperta ſunt ædificia complanarunt. Horrendi motus meminit & Hilarionis in vita Hieronymus:

Hier. Vit. Hilar.

Maria egreſſa ſunt terminos ſuos, & quaſi rurſus diluvium Deus minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta montium pependerunt. Refert etiam rogatum ab Epidauriis Hilarionem tria crucis ſigna arenis impreſſiſſe, quo facto, mare diu fremens, & quaſi ad obicem indignans, in ſeipſum relabitur. Alexandriæ naves tectorum culminibus inſederunt: *Ad ſecundum lapidem procul à littore contorta ſunt aliqua, & prope Mothonem unam vidit Marcellinus diuturnâ carie ſatiſcentem.* Decem in Creta urbes periere. Quinquaginta hominum millia à refluo mari abſorpta fuiſſe, Cedrenus ſcribit. Ad res Eccleſiæ veniamus.

Lampſaceni Legati Romam veniunt.

V. Lampſacenæ Synodi Legatos anno ſuperiore in exilium Valens miſerat ea de cauſa, quòd ab Eudoxio diſſidebant, gravioraque paſſi fuiſſent, niſi Procopii bellum ſupervenisſet. Impendentium malorum metu territi Macedoniani, tres ex ſuo numero Epiſcopos deligunt, Euſtathium Sebaſtæ, Silvanum Tarſi, Theophilum Epiſcopum Caſtabalorum Ciliciæ urbis, quos ad Valentinianum Imperatorem mittunt, cum literis ad Liberium, & Occidentis Antiſtites, ut Legatos omni ope ſuos juvarent, ſtatumque Eccleſiæ prout ipſis viſum corrigerent:

Sozom. l. 6. c. 10.

Legati cùm in Italiam veniſſent, Imperatorem in Galliis morari didicerunt bellum gerentem, cum Barbaris eas accolentibus. Quo bello in Gallias migrare prohibiti, Liberio literas dedere. Noſtræ Valeſius Chronologiæ adverſatur, qui Macedonianorum hanc legationem anno CCCLXVII. obitam eſſe putat. Noſtræ verò ſententiæ longè firmiora præſidia ſunt. Primùm enim ſua in Confeſſione Euſtathius, Silvanus, atque Theophilus, ſe Lampſacenæ Synodi Legatos eſſe teſtantur:

Sozom. l. 6. c. 11.

Lampſacenæ *Synodi legationem obeuntes, tum ad tuam benignitatem, tum ad univerſos Italiæ & Occidentis Epiſcopos literas afferimus.* Cùm igitur anno CCCLXIV. Synodus Lampſaco coacta ſit, legatio quam injunxit, triennio poſt obita non fuit; & inauditum eſt & abſonum, tantum ſpatii Synodum inter, & Synodi legationem eſſe interjectum. Paucis poſt dimiſſum conventum menſibus Legati iter ſuſcepere. Præterea ſedente adhùc Liberio, Lampſaceni Legati Romam pervenere. Cùm igitur teſtibus Fauſtino, & Marcellino Liberius an. CCCLXVI. perierit, *octavo Cal. Octobris Gratiano & Dagalaifo Coſſ.* Macedonianorum quidem legatio hæc cum anno CCCLXVII. conjungi nequit. Eſt ergo veroſimillimum, Euſtathium, Silvanum, & Theophilum hoc anno Romam perveniſſe. Cui Chronologiæ Marcellinus lucem fœnerat, à quo diſcimus, Valentinianum anno currente in Galliis conſtitiſſe:

Marcell. l. 26. c. 5.

In Oriente Procopius in res ſurrexerat novas, quæ prope Kal. Nov. venturo Valentiniano Pariſios, eodemque nuntiata ſunt die. Literis quas Legati attulerant acceptis, Liberius initio quidem eos admittere recuſabat, utpote fidei Nicænæ corruptores: *At illi ſe dudum reſipuiſſe, & veritatem agnoviſſe, reſponderunt, & Anomœorum quidem doctrinam ejuraſſe jampridem; Filium verò Patri per omnia ſimilem confeſſos eſſe, nec ullatenus differre Conſubſtantialem à ſimili.*

ANNO DOM. 365.

Quæ cùm dixiſſent, fidei ſuæ Confeſſionem ab ipſis flagitat. Quam libenter exhibuere, Symbolo vel Nicæno conſignatam: Confeſſionis verò titulus ſic habet: *Domino fratri, & Comminiſtro Liberio, Euſtathius, Theophilus, & Silvanus, in Domino ſalutem.* Profitentur ſe Catholicam fidem tenere Nicænam, *In qua Conſubſtantialis vocabulum adverſus pravam Arii doctrinam, piè, ſancteque poſitum eſt.* Hæreſim Sabellii, Patripaſſianos, Marcionitas, Photinianos, Marcellianos, Samoſatenos damnant. Præcipuè anathemate feriunt fidem Ariminenſem. Ubi propriis manibus Legati ſubſcripſere, hæc ſubjiciunt: *Quòd ſi quis poſt hanc fidem à nobis expoſitam, adverſus nos, aut adverſus illos, à quibus miſſi ſumus, aliquam criminationem inferre voluerit, cum literis ſanctitatis tuæ coram Orthodoxis Epiſcopis, qui à te probati fuerint, veniat, & apud illos contendat nobiſcum. Ac ſi quid criminis convictum fuerit, in autorem animadvertatur.*

Socr. l. 4. c. 12.

Legati à Liberio ſuſcepti cum literis dimittuntur.

VI. Accepto libello, Legatos Liberius in communionem ſuſcipit, eoſque datis ad Macedonios Epiſcopos literis dimiſit: *Dilectis fratribus & Comminiſtris Evethio, Cyrillo &c. & univerſis per Orientem Orthodoxis Epiſcopis, Liberius Epiſcopus Italiæ, & omnes Occidentis Epiſcopi in Domino ſalutem.* Teſtantur autem in lætitiam ſe fuiſſe conjectos, quod cum Occidentalibus omnibus fide conſentire Orientales deprehendiſſent. Profeſſos eſſe Euſtatium, Silvanum, & Theophilum, ad extremum uſque ſpiritum eam ſervaturos eſſe doctrinam, quæ à trecentis decem & octo Epiſcopis ſancita eſt, cùm divino nutu tantus in Arium congregatus Epiſcoporum numerus fuerit, quantus ille militum quos in Reges Abrahamus armavit: omnes propemodum apud Ariminium collectos, qui partim illecebris, partim dolo decepti fuerant, formulam Ariminenſium anathemate damnaſſe, & Nicæno Symbolo ſubſcripſiſſe. Confeſſionis & Lampſacenorum Legatorum exemplum adjungunt ſuæ Epiſtolæ, ne quam Hæreticis occaſionem ad ſtruendas iterum inſidias relinquant. His literis acceptis, Legati in Siciliam proficiſcuntur.

ANNO DOM. 366.

ANNO U. C. 1119. PER. JUL. 5079. JUL. 411. DOM. 366. VALENTINIANI 3. VALENTIS 3. *Sol.* 11. A. *Lun.* 6. *Indict.* 9. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 7. *P.* 16. *April.*

COSS. *Gratianus & Dagalaiphus.*

Procopius occiditur.

I. PRocopius in dies terribilior Valenti attollebatur. Gotthi ad auxilium tria militum millia perduelli miſerant. Romanorum etiam animos ſibi conciliabat, quòd *Conſtantii filiam parvulam cum matre Fauſtina, & in agminibus, & cùm prope in acie ſtarent, lecticâ circumferens ſecum, ut pro imperiali germine, cui ſe quoque junctum addebat, pugnarent audacius, iras militum accendebat.* Sibi tamen non minimum nocuit, quòd Arbetionis Exconſulis domum mobilis cenſus inæſtimabilis plenam diruiſſet, indignatus quòd accitus adventum diſtuliſſet. Arbetionem enim ad ſe venire Valens hortatur, *ut Conſtantiani Ducis verecundiâ truces animi lenirentur.* Nec ſpes Principem fefellit: *Nam cùm omnibus provectior natu & dignitate ſublimior, canitiem reverendam oſtenderet, multis ad perfidiam inclinatis, publicum graſſatorem Procopium, milites verò ſecutos ejus errorem, filios & laborum participes priſtinorum appellans, orabat ut ſe ac ſi parentem magis ſequerentur, feliciſſimis ductibus cognitum, quàm profligato morem gererent nebuloni, deſtituendo jam & caſuro.* His cognitis Thyatiræ Lydiæ oppido Gomarius, ſpecie captivi ad Imperatorem tranſit. Hormiſdas verò patri Regali cognominis, ad dignitatem Proconſulis evectus à Procopio, fortiter dimicans ſuperior extitiſſet, ni Gomarius ad Valentem defeciſſet. Eo ſucceſſu lætus Valens, Sardes venit. Illinc in Phrygiam proficiſcitur: *Et prope Nacoliam collatis manibus, partium Dux in ancipiti Agilo, rem excurſu prodidit repentino, eumque ſecuti complures, jam pilâ quatientes & gladios, ad Imperatorem tranſeunt.* Quo præter ſpem omnium viſo, Procopius verſus in pedes, ſecreta nemorum petit Florentio & Brachalbâ Tribuno ſequentibus. Dum curis mergitur, ſubitò vinctum comites ejus ortâ luce ad caſtra deducunt. Imperatori offertur reticens ac defixus: ſtatimque abſciſſâ cervice, ſanguine ſuo rebellionem extinguit. Cruribus innexum binis arboribus vi inclinatis, & arrectis miſerè diſcerptum, Scriptores Eccleſiaſtici prodidere Socrates, Sozomenus, Zonaras. Nos rebellionis hujus coætaneum Marcellinum ſequi malumus. Cui quoque Philoſtorgius aſſentitur: *Et Procopius mox capite truncatus eſt.* Non moris erat Imperatoribus, tyrannos diſcerpere arboribus aut quadrigis alligatos. Extinctus eſt ætatis anno XL. *Amplius menſibus decem, corpore non indecoro, ſubcurvus, humumque intuendo ſemper incedens.* Defuncti caput in Gallias ad Valentinianum portatur. De tempore obitus Chronici Alex. Autor, & Idacius inter ſe diſſident. Ille: *Occiſus eſt* XII. *Kal. Julias.* Hic verò: *Extinctus eſt die* VI. *Kal. Junias.* Procopius triſtitiâ, taciturnitate, invidiâ malam ſibi famam collegit apud Themiſtium, Oratione VII. quam anno ſequente habuit: *Invidus, execrabilis, demiſſo ſemper in terram vultu, ſemper tetricus, contracto ſupercilio, taciturnitatem tanquam grave aliquid ad plenum majeſtatis affectans, ſocietatis expers, deteſtandus, moleſtia ac faſtidii plenus, & in hoc gloriâ ſeſe efferens, quòd & odiſſet omnes, & odio ab omnibus haberetur.* Quæ utut exaggerata ferenda ſunt, non item, quod dum ſerviliter Valenti blanditur Themiſtius, de Procopio tradit: *Cùm in Scriba ac Notarii perpetuò ſorte vixiſſet, ex atramento & calamariâ thecâ prodiens, Romani imperii amplitudinem in animum inducere eſſet auſus.* Perfidiæ quoque ſuæ præmium tulere Procopii proditores: *Pari indignationis impetu Florentius & Barchalba qui eum duxerant, confeſtim non penſatâ ratione ſunt interfecti.*

ANNO DOM. 366.

Marcell. l. 26. c. 9.

Philoſtorg. l. 9. c. 5.

Marcell. l. 26. c. 9.

Themiſt. Or. 7. 86.

Marcell. l. 26. c. 9.

Rebelles pœnis ſubjiciuntur.

II. Procopii ſanguine novus perduellis exoritur, defuncto cognatus, Protector Marcellus, *agens apud Nicæam præſidium.* Qui proditione militum, & Procopii morte auditâ, Serenianum medio noctis horrore occidit, cujus mors multis ſaluti fuit. Etenim ſi victoriæ ſuperfuiſſet, incultis moribus homo ingenioque Valenti ſimilis, multas innocentium ſtrages editurus erat, uti jam fecerat. Eo interfecto, Marcellus occupatâ Chalcedone, funeſti Principatus umbram arripit. At Æquitius, miſſis audacibus militibus, raptum ut deditum noxæ mancipium, Marcellum in cuſtodiam compegit: *Poſt dies productus, lateribus ſulcatis acerrimè, pariaque perpeſſis conſortibus interiit.* In fautores Procopii acerbius ſævitum, maximè in Philippopoleos defenſo-

ſenſores, qui nonniſi viſo capite Procopii ſeſe dedere. Carnifex, unci, cruentæ quæſtiones, ſine ætatum & dignitatum diſcrimine ullo per fortunas & ordines omnes graſſabantur. Itaque infauſtam victoriam omnes execrabantur, quovis ſæviſſimo bello graviorem. Sæviſſimum quoque in Procopii Marcellique fautores Valentem ſe præbuiſſe, narrat Zoſimus: *Cum autem amictum quendam Imperatorium apud Marcellum inveniſſet, quem Procopius ei dederat, maximoperè propterea commotus, in omnes acerbè graſſabatur, non eos modò perquirens, qui facto perduellionem adjuverant, verum etiam qui conſilii participes fuerant, vel omninò audierant aliquid, nec quod inſtitueretur, continuò detulerant.* Crudelitatis tamen hujus Valentem abſolvunt Themiſtius atque Libanius, qui licet amicus Procopii, hæc memoriæ prodit: *Sed redeo ad Valentem, cujus benignitas in eo apparuit, quòd cum tyranno amicos tyranni minimè occidendos putavit.*

Marcell. l. 26. c. 10.

Zoſim. l. 4. c. 8.

Valentiniani de Germanis victoria.

III. Lætam quoque de Alamannis victoriam Valentinianus retulit. Fracti variis cladibus Barbari, quas victricia Juliani arma intulerant, viribus tandem reſumptis, Galliæ limites inceſſerant. Anno CCCLXV. ſtatim poſt Kalendas Januarias, gelu aſtringente flumina, egreſſa multitudo licentius vagabatur. Quorum parti Charietto, utriuſque Germaniæ Comes, adſcito ſibi Severiano Comite *longævo, qui apud Cabilona Divitenſibus præſidebat, & Tungricanis*, cum militibus obviam iverat. Ubi ſtrictis mucronibus pugnatum, Romani vertebantur in fugam, cùm Severianum vidiſſent equo deturbatum. Ipſe Charietto dum cedentes objectu corporis retinere conatur, letali ſagittâ configitur. Quâ clade compertâ, Dagalaiphus malè geſta correcturus, Pariſiis miſſus fuerat: *Eoque diu cunctante, cauſanteque diffuſos per varia Barbaros ſemet adoriri non poſſe, accitoque paulò pòſt, ut cum Gratiano ſuſciperet inſignia Conſulatus, Jovinus Equitum Magiſter accingitur.* Ulciſcendis ergo Barbaris currente anno Jovinus Equitum Magiſter deſtinatur. Ut venit prope Scarpona, caſtrum duodecimo à Metenſium urbe milliario diſſitum, majorem Barbarorum copiam, antequam armarentur, ad internecionem delet. Audito deinde alterum Alamannorum globum, direptis villis, quieſcere prope flumen, dum alii rutilantes comas lavant, alii potant ſecuri, Jovinus ſigno repentè per lituos dato, latronum caſtra perrumpens, complures occidit. Auctâ fiduciâ, Jovinus ad tertium Germanorum cuneum properat. Prope Catalaunos Barbari caſtra collocarant, quos adorti Romani, ad uſque diei extremum concertatione protractâ, victoriam *ſine diſpendio* quæſiviſſent, ni *Balchobaudes* imminente veſperâ turpiter ceſſiſſet. Quem ſi ſecutæ reſiduæ cohortes abiiſſent, Romanorum ne vel unus ſuperſtes fuiſſet, qui geſtorum nuncius foret. At miles fortiter pugnans, hoſtium quatuor millibus ſauciis, ſex alia millia interfecit, ipſe verò non amplius mille ducentis amiſit, ducentis tantummodò vulneratis. Progreſſus ulterius Jovinus diſcit, Germanorum Regem captum ab Aſcariis, quos ad diripienda Barbarorum caſtra miſerat, patibulo fuiſſe ſuffixum. Qua de cauſa in Tribunum animadvertiſſet, ni militari impetu commiſſum facinus atrox certis documentis conſtitiſſet. Redeunti Pariſios Jovino claræ præmium victoriæ Conſulatus deſtinatur. Ad Valentinianæ lætitiæ cumulum acceſſit: *Quòd*

Marcell. l. 27. c. 1. 2.

Marcell. l. 27. c. 2.

iiſdem diebus Procopii ſuſceperat caput à Valente tranſmiſſum.

IV. At in partibus Orientis Sapor calcatâ fide Armeniam ditioni ſuæ adjungere conatur. Per exquiſitas, mixtaſque perjuriis illecebras captum Regem Arſacem, *Adhibitumque in convivium, juſſit ad latentem trahi poſticam. Eumque effoſſis oculis vinctum catenis argenteis, quod apud eos Honoratis vanum ſuppliciorum æſtimatur eſſe ſolatium, exterminavit ad caſtellum Agabana nomine, ubi diſcruciatus cecidit ferro penali.* Commiſſâ Cylaci ſpadoni, & Artabani Armeniis, ipſis mandat Artogeraſſam urbem validam, quæ theſauros, uxorem, filiumque Arſacis tuebatur, penitùs exſcindere. Suadebant Cylax & Artabanes, & oppidi defenſoribus & Reginæ deditione Saporis mollire ſeveritatem. At Reginâ triſtes mariti fortunas querente, qui ad proditionem compellebant, ad miſericordiam adducti conſilium mutant. Proditionem religione firmatam pollicentur, quâ promiſſione in deſidiam Perſæ traducti, dum ſomno indulgent, ab obſeſſorum egreſſâ manu trucidantur. Arſacis filium Param ſuadente matre cum paucis è munimento digreſſum ſuſceptumque, Valens apud Neocæſaream morari præcipit. Valentis humanitate abjecti Cylaces & Artabanes, ab eo Param ſibi Regem dari petunt. A Terentio Duce ſine regiis inſignibus reducitur, gentem recturus. Quâ re inflammatus Sapor, majoribus copiis Armeniam vaſtat. His territus Para, cum Cylace & Artabane celſa montium petit, in quibus menſes quinque deliteſcens, Saporis conatus luſit. Qui pomiferis exuſtis arboribus captam, tandem feſſis defenſoribus Artogeraſſam incendit. Arſacis uxorem erutam cum theſauris abduxit. Param per latentes nuncios increpat, quòd regiæ majeſtatis ſpecie Cylaci ſerviret & Artabani. Quibus permotus imprudens juvenis, eos interficit, occiſorumque capita Sapori miſit. Armeniaque periiſſet omnis, niſi Arinthæus adveniſſet. Sed & Sauromaces, quem Iberiæ regno Sapor pepulerat, cum duodecim legionibus & Terentio remittitur. Quem Cyro proximum Aſpacures, cui gentis poteſtatem addito diademate detulerat, rogat ut ſociâ poteſtate regnarent. Diviſioni Valens aſſentitur, eâ lege, ut Hiberiam medius Cyrus divideret: partemque Armeniæ proximam Sauromacea, alteram quæ Perſis contigua Aſpacures teneret. His percitus Sapor, pati ſe exclamans indigna, exercitus ſuos parat ut cœlo ſereno ea ſubverteret, quæ Romani ſtruxerant. Motus hujus tempora docet Marcellinus: *Dum apud Perſas perfidiâ Regis motus agitat inſperatos, & in Eois tractibus bella rediviva conſurgunt, anno ſexto decimo & eò diutius, poſt Nepotiani exitium.* Perierat Nepotianus anno 350. Sergio & Nigriano Coſſ. Hanc & Perſici belli Epocham conſtituit Philoſtorgius: *Valens tertium imperii ſui annum ingreſſus, expeditionem adverſus Perſas ſuſcipit.*

Geſta Saporis in Oriente.

Marcell. l. 27. c. 11.

Marcell. l. 28. c. 1.

Philoſtorg. l. 9. c. 5.

V. Res Eccleſiæ ad hæc tempora pertinentes, unde potius exordiamur, quàm à Concilio Siciliæ, in quam Legati Lampſaceni, acceptis Liberii literis, anno ſuperiore navigarant. De qua Synodo nil ferè præter nomen ad nos pervenit. Id in Socrate legimus: *Cumque illic Synodum Epiſcoporum Siciliæ fieri curaſſent, & Conſubſtantialis fidem coram ipſis confeſſi fuiſſent, fidemque Concilii Nicæni comprobaſſent, acceptis illorum quoque literis, in eandem ſententiam ſcriptis, ad eos à qui-*

Sicula Synodus.

Socrat. l. 4. c. 12.

ANNO DOM. 366.

bus miſſi fuerant, reverterunt. Qui ſuſceptâ Liberii Epiſtolâ, Legatos per ſingulas civitates miſerunt ad eos, qui Conſubſtantialis fidem propugnabant, hortantes ut Tarſum Ciliciæ pariter omnes convenirent, quo & Nicænam confirmarent fidem, & omnes quæ poſteà exortæ fuerant contentiones, penitùs abolerent. Atque id fortaſſe perfectum eſſet, niſi Eudoxius Arianæ religionis Epiſcopus, qui tum apud Imperatorem plurimum poterat, obſtitiſſet. Res tamen accuratius à Sozomeno narrantur. Etenim antequam Tarſenſis Synodus indiceretur, Tyanenſis congregatur, quæ Tarſenſem anno CCCLXVII. *ante exitum veris* celebrandam aſſignat.

Tyanenſe Concilium.

VI. De Tyanenſi ergo eventu nunc eſt agendum, quem non accuratè ſatis ſecundum Baronium Labbeus cum anno CCCLXV. copulat. Eſt autem Tyana Civitas Cappadociæ, ad radices Tauri montis poſita, natalibus Apollonii Magi celebris. Synodo interfuere Euſebius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Athanaſius Ancyræ, Pelagius Laodiceæ, Zeno Tyri, Paulus Emeſæ, Otreius Melitinæ, Gregorius Nazianzenus, & alii complures, qui regnante Joviano collecti Conſubſtantialis doctrinam retinendam eſſe decreverant. Quid in eo conventu geſtum, docebit Sozomenus:

Sozom. l. 6. c. 12.

Liberii literæ recitatæ ſunt. Quâ ex re ingenti gaudio affecti ſcripſerunt ad omnes Eccleſias, ut Occidentalium Epiſcoporum decreta perlegerent, & Epiſtolas tum Liberii, tum Epiſcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ. Nam & iſtorum literas attulerant Legati à Synodo Lampſacena miſſi. Utque omnium illorum numerum conſiderarent. Multò enim plures erant iis qui in Ariminenſi Synodo Lampſacenâ miſſi. Præterea ut conſentire cum illis & communicare vellent, ſeque ejuſdem eſſe ſententiæ per literas indicarent. Poſtremò ut ante exitum veris, ad ſtatutum diem, quem ipſi præſcripſerant, Tarſum Ciliciæ convenirent. Ver anni proximè futuri intelligendum eſſe liquidò conſtat. Cùm enim Lampſaceni Legati anno præſente Siculum cogi Concilium effecerint, quo finito, in Orientem tranſmiſere, ubi poſt reditum, congregati dein Tyanenſes, impoſſibile prorſus fuit, veris ante exitum, anni CCCLXVI. Tarſenſem Synodum congregari potuiſſe, quo tempore Tyanenſis necdum convenerat. In eo quoque Conventu Euſtathius Sebaſtenus reſtituitur. Quâ de re ſic ad Occidentales Baſilius M. ſcribit:

Baſil. Ep. 74.

Quæ verò ſint illi à beatiſſimo Liberio propoſita, & ad quæ conſenſerit, nobis clam eſt, niſi quòd Epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur, eam ubi Tyanæ exhibuit, reſtitutus eſt.

Error Baronii.

Quo loco non eſt diſſimulandus error Baronii, qui verſionibus nimium fidens, hæc ex Baſilii Epiſtola 73. ſuppeditat An. 365. n. 22. *Eſt Nicæna fides, quam Occidentales attulerunt, Tyanenſique Synodo tradiderunt, à quâ & ſuſcepti ſunt.* Atqui non Occidentales, ſed Orientales, Euſtathius ſcilicet Sebaſtenus, Silvanus Tarſenſis, Theophilus Caſtabalorum Epiſcopus, à Tyanenſi Synodo ſuſcepti fuere. Itaque Græca ἀπὸ τῆς δύσεως, *ab Occidente* verti debeat. Eſt & alius Baronio error, quem Labbeus ſecutus eſt, nempe Baſilii Epiſtolam 68. cui titulus eſt, τῇ βουλῇ Τυανέων, *Senatui Tianenſi*, ad Synodum hujus anni ſcriptam eſſe. Quod vel ſolo titulo confutatur: cùm inſolens ſit omninò, Synodos voce βουλῆς ab Eccleſiaſticis Autoribus affici. Ad Euſebii Baſiliique reconciliationem, anno *trecenteſimo ſeptuageſimo* peractam, Epiſtolam pertinere, non ſine veri ſpecie contendit Pagius.

Cæterùm verſipellis ille Euſtathius, vitro fragilior, fide ejuratâ, quam & Romæ, & Tyanæ palam apertèque profeſſus erat, denuò in errorem delapſus, poſtmodum Confeſſionem Nicænam anathemate ferit, & Macedonianorum ſententiam calculo ſuo comprobavit.

Singedunenſe Conciliabulum.

VII. Eodem anno Valens & Urſacius Arianorum fæces, unà cum Collegis ſuæ perfidiæ adverſus Semi-Arianos *Singiduni* in Myſia Conciliabulum habuerunt, quo ad formulam Ariminenſem comprobandam Semi-Arianos inducere conantur. Eà de cauſa *Germinio* ſcribunt, & ab eo reſponſum accipiunt. Extant Epiſtolæ & in fragmentis Hilarii, & in Baronii Annalibus An. 366. n. 26. *Domino Religioſiſſimo fratri Germinio, Valens, Urſacius, Gaius, & Paulus ſalutem.* Rogant, dignetur reſcribere ſi à *fide Catholica, quæ Arimini à S. Concilio expoſita* receſſerit, quæ ſimilem dicebat Filium Patri *non ſecundùm ſubſtantiam, aut per omnia, ſed abſolutè. Dignare igitur*, inquiunt, *hoc quod quæritur evidenter literis tuis declarare, ne quod per latores literarum Jovianus Diaconus, & Martyrius Subdiaconus verbo deprecationis ſuæ, ante prædictos Dominos fratres & Coëpiſcopos noſtros, Valentem & Paulum aſſerebant, magis credibile eſſe videatur, quia per omnia ſimilem eſſe Filium Patri profiteatu. . . Has per Secundianum Presbyterum, Pallentium Lectorem, & Candidianum Exorciſtam tranſmiſimus charitati tuæ XV. Kal. Jan. Gratiano nobiliſſimo puero & Dagalaifo Coſſ.* Reſpondet Germinius, *Dominis fratribus religioſiſſimis Rufiano, Palladio, Severino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano & Stercorio.* Epiſtolæ ſumma eſt, ſe Vitalis in officio ſublimis Præfecturæ militantis relatione comperiſſe, velle ſignificari quid de ſua fide Valenti, Urſacio, Grato & Paulo diſpliceat. Se & à Scripturis, & à Patribus didiciſſe *Chriſtum per omnia Patri ſimilem exceptâ nativitate, Deum de Deo, lumen de lumine.* Valentis verò vafriciem accuſat atque diſſimulationem, quòd Conſtantio Imperatore, Georgio Epiſcopo Alexandriæ, Baſilio Ancyræ, Valente, & Urſacio præſentibus, cùm de fide orta diſſenſio fuiſſet, & protracta uſque in noctem diſputatio, Marcus ab omnibus electus fidem dictaraт, in quâ ſcriptum, Filium ſimilem Patri per omnia, cui omnes ſubſcripſerant: *Ideò*, inquit, *ſine mora veſtræ dilectionis ad conſcientiam per Cyriacum officialem, cujus prima inventa occaſio eſt poſt Carinum Diaconum, quem ad vos miſi, profeſſionem deſtinavi.* Significat autem ſe ob manuum dolorem Epiſtolæ ſubſcribere non potuiſſe, ſed ſubſcribendum mandaſſe: *Compresbyteris Innocentio, Octavo & Catulo.*

Seditio Romana de Damaſo & Urſino.

VIII. Confecto vitæ curriculo Liberius, quem ſuâ reſipiſcentiâ ignaviæ maculas deleviſſe exiſtimamus, obiit *octavo Kalendas Octobris Gratiano & Dagalaipho Coſſ.* ut in Libello Fauſtini & Marcellini legitur, qui omnibus Pontificum Catalogis anteponi debet. Baronius, cui eruditorum nonnulli favent, anno demum CCCLXVII. naturæ ſatisfeciſſe Liberium, eò probat, quòd *Viventius* tum Præfecti urbis munere fungebatur, Lupicino & Jovino Coſſ. Plus pompæ tamen quàm virium ineſt argumento. Etenim Viventii Præfectura partim & trecenteſimi ſexageſimi ſexti, & ſequentis anni partem occupat. Nec cauſæ eſt aliquid cur fidem Fauſtino & Marcellino detrahamus, teſtibus oculatis nefandæ ſeditionis, quæ poſt obitum Liberii, ob Damaſi & Urſini jurgia com-

ANNO DOM. 366.

commota eſt; quam non ſine indignatione atque gemitibus legimus. Defuncti in locum cùm ſubſtituendus eſſet Epiſcopus, graviſſimus ſanè tumultus exoritur. Rem ſic enequuntur Fauſtinus & Marcellinus, qui licet Urſicini partium eſſent, quin hiſtoriam quod attinet audiri non debeant, nulli videmus, eò magis quòd ea commemorent, in ſuo libello ad Imperatores oblato, in quo ab omni fraude alienum oſtendere animum, cura diligentiaque fuit adhibenda:

B. M. P. t. 5. 652.

Octavo Kal. Octobris, Gratiano & Dagalaipho Coſſ. Liberius humanis rebus eximitur. Tunc Presbyteri & Diacones, Urſinus, Amantius, & Lupus cum plebe ſancta, quæ Liberio fidem ſervaverat in exilio conſtituto, cœperunt in Baſilica Julii procedere, & ſibi Urſinum Diaconum Pontificem in locum Liberii ordinari depoſcunt. Perjuri verò in Lucinis, Damaſum ſibi Epiſcopum in loco Felicis expoſtulant. Urſinum Paulus Tiburtinus Epiſcopus benedicit. Quod ubi Damaſus qui ſemper Epiſcopatum ambierat, comperit, omnes quadrigarios & imperitam multitudinem pretio concitat: & armatus fuſtibus, ad Baſilicam Julii perrumpit, & magnâ cæde Fidelium per triduum debacchatus eſt. Hæc verò cur negetur, eſt quidem nobis incompertum. Duas ad eligendum Liberio ſucceſſorem factiones diverſa in loca confluxiſſe, ac quamque ſuæ partis Epiſcopum ſibi flagitaſſe, videtur extra dubium. Id unum in controverſiam adduci poteſt, priorne Damaſus, quàm Urſinus Epiſcopus creatus ſit. Si Rufinum audiamus, jam infulam ſuſceperat Damaſus, cùm ambitione correptus Urſinus ad Pontificatum viam ſibi patefacere voluit:

Ruf. h. l. 2. c. 10.

Damaſum prælatum ſibi non ferens Urſinus, in tantum furoris erupit, ut perſuaſo quodam ſatis imperito & agreſti Epiſcopo, collecta turbulentorum & ſeditioſorum hominum manu, in Baſilica quæ Siſinnii appellatur, Epiſcopum ſe fieri extorqueret; legibus, & ordine, & traditione perverſis. In Eccleſiæ quidem nomine fallitur Rufinus, quæ non *Siſinnii*, ſed *Julii* Baſilica vocabatur. At inordinatam fuiſſe Urſini electionem aſſentimur Rufino, etſi eodem tempore ſeparatim partes conveniſſe probabilitatis ſpecie non careat. Equidem vel ſola Fauſtini narratio argumento eſt, perturbato ordine electionem Urſini factam eſſe, qui contra leges Eccleſiæ ab uno *Paulo Tiburtino Epiſcopo* creatus eſt. Legitimam verò fuiſſe Damaſi conſecrationem, totus orbis teſtatur qui cum ipſo communione conjunctus eſt. Quanquam & fatendum, Damaſum nimiâ Epiſcopatus cupiditate accenſum fuiſſe, quod teſtatur Marcellinus, vir neutrarum partium, utpote Ethnicus. Sed quid ſubinde geſtum ſit, ex Fauſtini Libello audiamus:

Libel. Fauſt.

Poſt dies ſeptem cum omnibus perjuris & arenariis, quos ingenti corrupit pretio, Lateranenſem Baſilicam tenuit, & ibi ordinatus Epiſcopus, & redimens Judicem urbis Viventium, & Præfectum annonæ Julianum, id egit ut Urſinus vir venerabilis, & qui prius fuerat Pontifex ordinatus, cum Amantio & Lupo Diaconibus in exilium mitteretur. Quod ubi factum eſt, cœpit Damaſus Romanam plebem, quæ ſe nolebat procedere, fuſtibus & cæde variâ perurgere, Presbyteros quoque numero ſeptem detentos, per officium nititur ab urbe propellere. Sed plebs Fidelis occurrens, eoſdem Presbyteros eruit, & ad Baſilicam Liberii ſine mora perduxit. Tunc Damaſus cum perfidis invitat arenarios, quadrigarios & foſſores, omnemque Clerum cum ſecuribus, & gladiis, & fuſtibus, & obſedit Baſilicam, horâ diei ſecundâ ſeptimo Kalendarum Novembr. die, Gratiano & Dagalaipho Coſſ. & grave prælium concitavit. Nam effractis foribus, igneque ſuppoſito aditum unde irrumperet exquirebat. Nonnulli quoque de familiaribus ejus tectum Baſilicæ deſtruentes, tegulis fidelem populum perimebant. Tunc univerſi Damaſiani irruentes in Baſilicam, centum ſexaginta de plebe, tam viros quam mulieres occiderunt: vulneraverunt etiam quam plurimos, ex quibus multi defuncti ſunt. De parte verò Damaſi nullus eſt mortuus. Sic multorum ſanguine Pontificatus addicitur Damaſo. Neque tragicæ Fauſtini querelæ figmenta ſunt ad excitandam invidiam comparata. Horrendæ ſtragis teſtis eſt & Marcellinus, qui Baſilicam Siſinnii vocat, quæ à Liberio extructam Fauſtino dicitur Liberii, ut Valeſius exiſtimat vel errando potius Marcellinus vocem *Siſinnii* adhibuit. Quam enim Baſilicam Liberius extruxit, eam nomine non Siſinnii appellavit, ſed ſuo, ut narrat Anaſtaſius in Pontificali: *Hic fecit Baſilicam nomini ſuo juxta macellum Libyæ.* Aſſentitur tamen Marcellino Hieronymus:

Hieron. Chron.

Urſinus à quibuſdam Epiſcopis conſtitutus Siſininum cum ſuis invadit. Quo Damaſianæ partis populo confluente, crudeliſſimæ interfectiones diverſi ſexus perpetratæ. Urſinus tamen aberat. Defunctorum etiam numerus Ammiano minor eſt quàm Fauſtino: *Conſtat in Baſilica Siſinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum, efferatamque plebem diu poſtea delinitam.* Quibus narratis hanc obſervationem ſubjungit: *Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut eorum convivia regales ſuperent menſas.*

IX. Binnii oculos fulgore ſuo perſtrinxit ea Pontificum R. Pompa: *Calumnioſe*, inquit, *hæc Marcellinus ſcripſit, ſed nihil aliud præſtitit, quam ut poſteri cognoſcant ſummo, atque Regali Chriſti Sacerdotio ipſis etiam Eccleſiæ primordiis regiam majeſtatem, ac magnificentiam conjunctam fuiſſe.* Quæ ex ſuo Baronio hauſit. Non ſoli tamen Marcellino, ſed optimis quoque Præſulibus ingratam fuiſſe ſummi regaliſque Sacerdotii majeſtatem, extra dubium eſt.

Luxus Pontif. Rom.

Itaque Marcellinus Provincialium Antiſtitum frugalitatem laudibus afficit: *Epiſcopi R. eſſe poterant beati reverà, ſi magnitudine urbis deſpectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorumdam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuò, numini veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.*

Marcell. l. 27. c. 3.

Damaſi magnificentiæ notam inuſſit & Prætextatus: *Homo ſacrilegus, & idolorum cultor, ſolebat ludens B. Papæ Damaſo dicere, Facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinùs Chriſtianus.* Quæ non dixiſſet Prætextatus, niſi deliciis, luxuque Damaſus affluxiſſet.

Hieron. Epiſt. L. 11. c. 3.

Mollem hanc voluptuoſamque vivendi rationem viri perſtrinxere ſanctiſſimi. Gregorium audiamus Nazianzenum:

Nazian. Or. 32. 526.

Quin hæc quoque fortaſſe nobis exprobaverint, jam enim exprobarunt, quòd nec menſâ lautâ & opiparâ, nec magnificâ veſte utimur, nec ſplendidè in publicum prodimus, nec ad eos à quibus convenimur, gravitatem & faſtum adhibemus. Neſciebam nos equis inſignibus & laſcivis ferri, ſolliſque & curribus magnificè attolli, ac cum faſtu & pompa

Anno Dom. 366.

deduci, velutque blandâ manu demulceri oportere, atque omnes nobis perinde ac belluis de via decedere. A regia quoque magnificentia alienus magnus ille Baſilius, qui hæc ingerebat Modeſto minanti: *Bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet; niſi forte laceris & detritis hiſce pannis indigens, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ ſunt.* Videatur & in Micheam Hieronymus c. 2.

Nazianz. Or. 20. 349.

Damaſi Pontificatus.

X. Damaſus gente Hiſpanus, ex patre, ut ajunt, Antonio, primâ die Octobris conſecratur, ut ex Fauſtini Libello liquet: *Poſt dies ſeptem,* inquit, ab obitu Liberii, ſcilicet octavo Kal. Octob. rebus humanis exempti, Damaſus *Lateranenſem Baſilicam tenuit, & ibi ordinatus Epiſcopus.* Dies erat Dominica huic ceremoniæ apta. Ex quo tamen intelligitur, Urſicinum à Paulo Tiburtino prius conſecratum fuiſſe, quàm Damaſus inauguraretur. De Pontificatus Damaſi diuturnitate diſſident exhibiti à Shelſtrato Catalogi, ac Reginæ Sueciæ Catalogus: *Damaſus natione Hiſpanus ex patre Antonio, ſedit annos* XVII. *menſes* III. *dies* XI. At Pontificale Damaſi: *Sedit annos decem & octo, menſes tres, dies undecim:* vel, ut alia exemplaria habent: *Sedit annis* XVIII. *menſibus* II. *diebus* X. Peperit hanc controverſiam tempus ordinationis Damaſi. Baronius qui anno demum CCCLXVII. ad plures Liberium abiiſſe exiſtimat, Damaſi creationem huic ipſi anno, obitum verò anno CCCLXXXIV. alligavit. Diuturnior verò Epiſcopatus ejus eſſe debet, ſi currente anno CCCLXVI. ordinatus eſt, quod nobis certum fit, tum ex Fauſtini Libello, cùm ex Hieronymi Chronico, quod ad iſtum annum habet: *Romanæ Eccleſiæ triceſimus quintus ordinatur Epiſcopus Damaſus.* Periit verò Damaſus anno Dom. CCCLXXXIV. Richomere & Clearcho Coſſ. ſi Proſperi Aquitani Chronico fides: *Romanæ Eccleſiæ poſt Damaſum triceſimus ſextus præfuit.* At ſi credimus Idacio, ad annum uſque ſequentem vitam retinuit. Septimo enim Theodoſii labente Priſcillianum ad Damaſum acceſſiſſe, tradit in Chronico. De die verò obitus non ſatis liquet. Probabilius tamen mortalitatem exuiſſe, die Decembris decimâ, cùm ſequente luce dicatur eſſe ſepultus tam in Catalogo Reginæ Sueciæ, quàm in Pontificali. Catalogus: *Sepultus eſt in Baſilica ſua* III. *Idus Decembris cum matre ſua, & germana.* Pontificale verò: *Sepultus eſt in via Ardeatina in Baſilica ſua tertio Idus Decembris.* Non eodem porro die extinctus eſt & ſepultus. His ergo limitibus Damaſi Pontificatus includitur. Sedit annos XVIII. menſes duos, dies X. primâ ſcilicet die Octobris anni 366. ad decimam uſque Decembris anni 384. Ut falſa ſint omninò, quæ extant in vita Damaſi: *Migravit ad Dominum anno divinæ incarnationis* CCCLXXXVIII. *Imperii Theodoſii* IX. *indictione primâ.* Damaſi famam inceſſere nonnullorum accuſationes, fatentibus Pontificum Catalogis: *Hic accuſatus in crimine de adulterio factâ Synodo purificatur à quadraginta quatuor Epiſcopis. Damnaverunt Concordium & Caliſtum Diaconos accuſatores, & jactaverunt de Eccleſia.* At ſi ab eo crimine Damaſi innocentia purgata eſt, non nobis vis ea probatur, quam opprimendis Luciferanis adhibuit, cujus exempla nonnulla Annales noſtri ſuo loco exhibebunt. In vita Damaſi multa referuntur miracula ab ipſo patrata. In Vigiliis Pentecoſtes, cùm celebraretur baptiſmus, *De manu cujuſdam Cardinalium puerulus quidam trinâ merſione peractâ caſu cecidit, atque fontis ima petit.* Qui jubente Damaſo ab imo fonte incolumis abſtractus eſt. Cæcum etiam luci reſtituit. Quæ ex otioſorum hominum officina prodiiſſe nobis eſt perſuaſiſſimum. Ætatis ſuæ anno octuageſimo abiiſſe fertur ad plures. Sororem habuit virginem *Irenem* nomine, cui inſcripſit Epitaphium:

Hic ſoror eſt Damaſi, nomen ſi quæris, Irene.

Cupiebat ipſe eam Martyribus condi, ſed pudore quodam prohibitus eſt, ut cecinit carmine XXIX. de ſuo ſepulchro:

Hic fateor Damaſus, volui mea condere membra,
Sed cineres timui Sanctos vexare piorum.

Quæ de Damaſo ad hiſtoriam illuſtrandam ſpectant, ſuis annis dividentur.

De ſubdititis Damaſo Epiſtolis.

Hieron. de Script. Eccl.

XI. Inter Scriptores Eccleſiaſticos locum Damaſus invenit: *Damaſus Romanæ urbis Epiſcopus elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia metro edidit. Et propè octogenarius ſub Theodoſio Principe mortuus eſt.* Opera Damaſi extant in B. P. M. à Martio Milezio Sarazanio Juriſconſ. Romano edita. Non omnes tamen genuinæ ſunt Epiſtolæ quæ Damaſo vindicantur. Germanas quibus res hiſtoriæ lucis aliquid accipiunt, temporibus ſuis aſcribemus, de ſubdititiis paucis agendum. In nothis primùm ea eſt collocanda, quam Aurelio Carthaginenſi ſcripſiſſe dicitur. Quâ teſtatur larvatus ille Damaſus, ſe *prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, per Ammonium Presbyterum, & Felicem Diaconum ſub certis ſignaculis* miſiſſe. Data eſt VI. *Kal. Junii Gratiano* & Cyricio quarto Coſſ. Qui Conſulatus Faſtis eſt omnibus incognitus. Severinus ipſe Binnius, magnus aliàs Decretalium patronus, hanc ad Aurelium Epiſtolam falſi inſimulat. Quippe poſt quartum Gratiani Conſulatum anno 377. geſtum, Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus creatus eſt. Quem adhùc in Diaconatu poſitum invenit Auguſtinus, ubi Mediolano Carthaginem rediit anno CCCLXXXIX. teſte ipſo Auguſtino l. XXII. de Civit. c. 8. Falſis quoque apponenda Damaſi ad Hieronymum Epiſtola, quâ petit *ut pſallentiam & hymnidicum, ſicut ab Alexandro Rectore ſuo, & Epiſcopo didicit, ad eum mittat.* Tantum ſanè ſtylus hujus Epiſtolæ ab illo Damaſi diſtat, quantum à terra cœlum. Sed & imperitiſſimum fuiſſe hujus Epiſtolæ conditorem indicio ſunt, quæ de LXX. Interpretibus ſcripto mandavit, quæ longiſſimè ab Ariſtea diſſident. Quibus Mathiam, Ptolæmeum, Muchium, Sacreum, Hydronium, Pamphilum, Zoaſtitem, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatram, Simonem, inſerit Epiſtola. Cujus & falſitatem præcipuè demonſtrat Reſcriptum Hieronymi, vero Hieronymo indigniſſimum. Quis enim hæc Oedipus ſolvet? *Vox iſta laudis canatur in aleph, quod Prologus Græcè, Latinè Præfatio dicitur.* Falſa quoque & adulterina, quæ Damaſi dicitur ad Stephanum, & Concilia Africæ Epiſtola de *Primatu Apoſtolicæ ſedis*, cauſis Epiſcoporum, accuſatoribus & teſtibus. Data *eſt octavo Kalend. Novemb. Flavio, & Stilichone viris Clariſſ. Coſſ.* Quæ ſubſcriptio ex uno Conſule duos Coſſ. facit. Aureliani quippe Collega Flavius Stilicho nuncupabatur. Sed & Stilichonis ille Conſulatus annum CCCC. afficit annis ſexdecim Damaſi poſt obitum. Inſans quoque titulus Epiſtolæ novitatem accuſat: *Damaſus*

ANNO DOM. 366.

maſus ſervus ſervorum Dei, atque per gratiam ejus Epiſcapus, S. Catholica Eccleſia urbis Ram. Stephana Archiepiſcopo Concilii Mauritania. Romanorum Epiſcoporum Gregorius M. primus ille fuit, qui ſibi titulum indidit ſervi ſervorum Dei. Eſt etiam puerile, quòd Stephanum *Archiepiſcopum* dicit *Concilii Mauritaniæ.* Adulterina quoque eſt Damaſi de Chorepiſcopis Epiſtola, Proſpero Numidiæ primæ ſedis Epiſcopo, & Orthodoxis Epiſcopis miſſa. Data eſt *Kalendis Junii, Libia & Theodoſia viris clariſſ. Coſſ.* Qui ſanè Conſulatus fictitius eſt. Primus Theodoſii Imperatoris anno Dom. CCCLXXX. cohæret, in quo Gratianum Collegam habuit. Imperitè ſcribit, *χωρὶ villa eſt apud Gracas*, à quibus *χώρα* nuncupatur. Concilii Hiſpalenſis ſecundi Canonem 7. laudat, ex quo hæc deſumpſit Autor Epiſtolæ. Chorepiſcopis non liceat, *Neque chriſma conficere, nec chriſmate Baptizatorum* frontes *ſignare, nec publicè quidem in Miſſa quemquam reconciliare, nec formatas Epiſtolas mittere.* Denique falſa eſt Epiſtola Damaſi ad Epiſcopos Italiæ, de cauſis ad Apoſtolicam ſedem referendis. Data *eſt tertia Idus Aprilis. Siricio & Ardabure viris clariſſ.* Coſſ. Ardaburis Conſulatus annum CCCCXXVII. aperuit tribus & quadraginta annis Damaſi poſt obitum. Neque *Siricius*, ſed *Hierius* Ardaburi Collega fuit. Epiſtolæ initium ex Leonis Epiſtola 47. deſumptum eſt.

ANNO DOM. 367.

ANNO U. C. 1120. PER. JUL. 5080. JUL. 412. DOM. 367. VALENTINIANI & VALENTIS 4. GRATIAN. 1. *Sol.* 12. G. *Lun.* 7. *Indict.* 10. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 1. *P.* 2. *April.*

COSS. *Lupicinus & Jovinus.*

Bellum Gothicum. Valens baptizatur.

I. EXtincto in Phrygia Procopio, debellatoque Marcello, cùm ne vel minima rebellionis ſcintilla ſupereſſet, Victor Magiſter Equitum ad Gothos mittitur, cogniturus quam ob cauſam gens amica Romanis, paciſque fœderibus obſtricta, perduelli Principibus ſuis bellum inferenti auxilio ſubiiſſet. Ut factum Gothi ſuum purgarent, literas obtulere Procopii, quibus ſibi Conſtantiniani generis propinquo imperium deberi memorabat, Ideòque errorem ſuum veniâ dignum eſſe prædicabant. Quam Valens excuſationem ſanè vaniſſimam parvi ducens, in eos arma movet. Hanc Baronius expeditionem cum anno CCCLXVI. copulat, repugnante Marcellino: *Pubeſcente vere, quaſito in unum exercitu prope Daphnem nomine munimentum eſt caſtrametatus. Ponte contabulata ſupra navium foras, flumen tranſgreſſus eſt Iſtrum reſiſtentibus nullis.* Ver illud pubeſcens cùm Procopii mortem exceperit, extincti die VI. Kal. Junias anno ſuperiore ad præſentem neceſſariò pertinet. Ut faciliorem ſibi victoriam Valens compararet, baptiſmi armis muniri voluit. Non aſſentimur tamen Theodorito narranti, Valentem tum primùm ab uxore ſua corruptum in Arianum errorem delapſum eſſe, cui jam apertè favebat anno CCCLXIV. cùm Lampſacena Synodus coacta eſt. Non tamen inficiamur, quin artibus uxoris in ſeductionem inciderit. *Domina*, vel Dominica, (id nominis gerebat uxor Valentis) Ariania laqueis prius irretita, virum ſuum in eandem impietatis voraginem impulit. Sic affectus Valens Eudoxium miris modis colebat, à quo profecturus in Gothos baptiſmo

Error Baronii.

Marcellin. l. 27. c. 5.

ANNO DOM. 367.

Theodorit. l. 4. c. 12.

Marcellin. l. 27. c. 5.

initiari voluit. Quæ cruenta perſecutionis occaſio fuit. Ut ponte facto Danubium Valens ſuperavit, nullum invenit, quem vinceret. Quippe Gothi formidine correpti, ardua Serrorum montes petierant: *Ne igitur æſtate omni conſumptâ ſine ullo remaneret effectu, Arinthao Magiſtro Peditum miſſâ, cum prædatoriis globis, familiarium rapuit partem, qua antequam ad dirupta venirent & flexuoſa capi potuerunt, per plana camporum errantes. Hocque tantum quod ſors dederat impetrato, rediit cum ſuis innoxius, nec illata gravi vulnere, nec accepta.* Quibus & noſtra de belli Gothici initio Chronologia ſtabilitur. Etenim verba hæc, *Æſtate omni conſumptâ*, diverſam utique ab illa deſignant, quâ oppreſſus Procopius fuit. Ea autem eſt anni CCCLXVI. Hæc ſunt belli Gothici principia, quod triennio geſtum.

Gratianus creatur Auguſtus. Inaugurationis tempus.

Cod. Theod. de Indulg. L. c. 3 272.

II. Dum Iſtro ſuperato Valens laceſſit Gothos, pulchris ſanè legibus Romanos regit Valentinianus. Qui ad Viventium Urbis Præfectus Reſcriptum miſit ejuſmodi: *Ob diem Paſcha, quem intima corde celebramus, omnibus quos reatus aſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſolvimus. Attamen ſacrilegus, in majeſtatem reus, in mortuos veneficus, ſive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione iſtius muneris ſeparentur. Datum III. Nonas Maii Rom. Lupicino & Jovino* Coſſ. Cùm Paſchalis dies *dierum regina* Patribus exiſtimaretur, eo feſto imminente, criminum indulgentia à Valentiniano emittitur, quem & Valentinianus Junior imitatus eſt. Itaque queritur Ambroſius Ep. 33. Imperatorem ſuadente matre Juſtinâ, quòd pios carceri viros mancipaſſet, *Sanctis diebus hebdomadis ultima, quibus ſolebant debitorum relaxari vincula.* Eò pertinet Indulgentia apud Caſſiodorum: *Quamvis nomen ipſum Judicii dicatum videatur eſſe juſtitiæ, & totius anni orbitam æquitatis jubeamur ambulare veſtigiis, his tamen diebus in domicilium pietatis jure deflectimus, ut ad Redemptorem omnium remiſſionis itinere pervenire poſſimus.* Poſt aliquantum temporis in morbum Valentinianus gravem incidit, quo vita propemodum exceſſit. Dum laborat, occultioribus conſiliis Galli, qui Principis in ſatellitio verſabantur, Ruſticum Julianum beſtiarum more humani ſanguinis avidum ad imperium poſcebant: alii verò in Severum, Peditum Magiſtrum inclinabant. Dum in his cogitationibus animum volutant, Valentinianus morbo recreatur. Quem Proceres hortantur, ut imperii ſucceſſorem deſignet, ne ſi quid humanitùs ipſi accidiſſet, detrimentum Reſpublica caperet. Ea de re cogitabat & Valentinianus, cujus filius Gratianus vultu ſuo ſigna jam oſtendebat, imperio non indigna. Natus erat anno Dom. CCCLIX. Euſebio & Hypatio Coſſ. *die* IV. *Kal. Maias*, ut docent Idacii Faſti: *Puerum oculorum flagrantior lux commendabat, vultuſque & reliqui corporis jucundiſſimus nitor, & egregia pectoris indoles, qua Imperatorem impleſſet, cum veterum lectiſſimis comparandum, ſi per fata, proximoſque licuiſſet.* Paratis omnibus, Gratianus progreſſus in campum, tribunal aſcendit. Quem productum in medium, Princeps exercitui ſuâ oratione commendat. Quâ necdum finitâ, *Milites alius alium anteire feſtinans, Gratianum declararunt Auguſtum, claſſicorum ampliſſimo ſonu blandum fragorem miſcentes armorum.* Quo viſo, Valentinianus *coronâ, indumentiſque ſupremæ fortunæ ornatum*

Caſſ. Var. l. XI. 40.

Marcellin. l. 27. c. 6.

filium

filium oſculatus, jamque fulgore conſpicuum alloquitur, advertentem quæ dicebantur. En, inquit, habes, mi Gratiane, amictum, ut ſperavimus omnes, Auguſtos, meo, commilitonumque noſtrorum arbitrio, delatos ominibus fauſtis. Accingere igitur pro rerum urgentium pondere, ut patris, patruique Collega, & aſſueſce impavidus penetrare cum agminibus peditum, gelu pervios Iſtrum & Rhenum. Ad hæc *Eupraxius* Magiſter memoriæ, primus omnium exclamat, *Familia Gratiani hoc meretur.* Celebris ea ceremonia in Galliis apud Ambianos conficitur. Gratiani inaugurationis tempus, anni hujus initio Baronius aſſignat: eâ ratione fretus, quòd ex Reſcriptis, *Datis menſibus Aprilis, & Maii, inter Imperatores Legum latores, Gratianus quoque nominetur.* Ob eam tamen cauſam Socratem erroris poſtulare non debuit, ſcribentem: *Valentinianus filium ſuum Gratianum Imperatorem renuntiavit, die IX. Kal. Septembres.* Socrati conſentiunt Idacii Faſti, Chronicumque Alex. ut abſque dubitatione Gratiani inauguratio Auguſti menſis XXIV. aſſignari debeat. Neque Baronii urget argumentum, ex Legum titulis petitum, quos certo certius eſt, pluribus ſæpenumerò mendis affectos eſſe: Ut ex Faſtis titulos Reſcriptorum potius, quàm ex Reſcriptorum titulis Faſtos emendare conveniat. Extraordinarium porro Valentiniani hoc factum fuit, quòd non *Cæſares* primùm, ſed initio fratrem filiumque Auguſtos crearit. Quod uno ſolo exemplo patratum, Marci Aurelii ſcilicet, qui *Verum, adoptivum fratrem, abſque diminutione aliqua auctoritatis Imperatoriæ ſocium fecit.*

Marcellin. l. 27. c. 6.

Error Baronii.

Bar. An. 367. n. 20.

Socrat. l. 4. c. 11.

Marcellin. l. 27. c. 6.

III. Magnam hoc anno calamitatem accepere Conſtantinopolitani, quæ gravitate ſuâ in Hiſtoriæ, Chronicorumque monumenta referri meruit. Hieronymus in Chronico: *Tanta Conſtantinopoli eſt orta tempeſtas, ut mira magnitudinis decidens grando, nonnullos hominum interfecerit.* De die Socratem inter, & Chronicum Alex. non convenit: *Lupicino & Joviano Coſſ. Deus Conſtantinopoli grandinem ſaxeam depluit menſe Daſio*, hoc eſt, Junio. At Socrates: His Coſſ. *Sexto Nonas Julii grando immenſa magnitudinis inſtar lapidum cecidit Conſtantinopoli. Hanc autem grandinem irâ Dei immiſſam eſſe dicebant, eò quòd Imperator complures Sacerdotes, qui Eudoxio communicare nollent, in exilium miſerat.* Hoc eodem flagro alias quoque regiones cæſas fuiſſe, Baronius opinatur. Ductâ conjecturâ ex Nazianzeni oratione, *de Plaga grandinis.* Quin varias tamen calamitates in unam permiſceat nulli dubitamus. Quòd grandinis plagam Cappadocia pertulerit Lupicino & Jovino Coſſ. Veterum nemo dixit, non Hieronymus Nazianzeni diſcipulus, non Socrates, non Chron. Alex. non Idacius in Faſtis, qui omnes ſolius Conſtantinopolis meminere. Verba hæc ſunt Idacii: *Conſtantinopoli Deus grandinem pluit in modum petrarum, die IV. Non. Julias.* Sed & ipſe Nazianzenus demonſtrat, ſe de alia grandine commemorare, utpote quæ ceciderit, dum Epiſcopatu fungitur. Hæc quippe leguntur in oratione de plaga grandinis: *Hunc populum mihi compone, hoc eſt, alumno diſciplinæ tuæ, deinde Paſtori, nunc autem Paſtorum quoque principi.* Jam ergo Epiſcopum agebat. Hoc vidit Elias Cretenſis, qui verba Nazianzeni ſic commentatur: *Ex Zazimis enim juſſu tuo huc tranſlatus, Pontificis munere fungor.*

Horrendâ grandine Conſtantinopolis percuſſa. Cappadociamne vexarit?

Chron. Alexandr.

Socr. l. 4. c. 11.

Nazian. Or. 15. 226.

IV. Quâvis grandine ſævior tempeſtas Orientis ferit Eccleſias. Chronicum Hieronymi: *Valens ab Eudoxio Arianorum Epiſcopo baptizatus, noſtros perſequitur.* Conſentiunt Hieronymo Hiſtorici, Socrates, Sozomenus, Theodoritus, quorum teſtimonia proferemus, ut rudis & indigeſta Baronii Chronologia, qui perſecutionis hujus initio anno CCCLXX. aſſignavit, accuratius refellatur. Quippe dum Valentem Eudoxius baptiſmo initiat, *Jurejurando miſerum ad hoc obſtringit, ut in impietate dogmatis perſeveraret, & contraria ſentientes omnibus locis expelleret.* Ac primùm Concilium cogi jubet, quo impietas ſtabiliretur. Hujus Synodi mentio nulla eſt, ſive in Annalibus Baronii, ſive in Labbeana Collectione. Nicomediæ coactam eſſe, ex Socrate facimus conjecturam: *Lampſacena Synodus Valentem præcipuè ad iram provocabat, non ob id ſolum quòd Arianos Epiſcopos depoſuiſſet, verùm etiam quòd fidem Arimini expoſitam anathemate damnaſſet. Cum igitur Nicomediam Bithyniæ veniſſet, Eleuſium Cyzici Epiſcopum ad ſe vocat, qui opinioni Macedonianæ præ cæteris addictus erat. Itaque Imperator collecto Arianorum Epiſcoporum Concilio, Eleuſium illorum fidei aſſentiri jubet. At ille primò quidem id facturum ſe negavit. Tandem verò cùm exilium, & bonorum publicatio ipſi intentaretur, perterrefactus, Arianorum opinioni conſenſit. Sed mox facti ſui illum pœnituit. Reverſuſque Cyzicum, coram omni multitudine vim ſibi illatam conqueſtus eſt, invitum ſe aſſerens, non ſuâ ſponte conſenſum præbuiſſe. Simul monuit, ut alium ſibi Epiſcopum quærerent, eò quòd ipſe vi compulſus, propriam fidem abnegaſſet. Cyziceni tamen pro incredibili amore, quo illum proſequebantur, alteri Epiſcopo ſubjici recuſarunt, nec permiſerunt, ut is Eccleſiâ ſuâ cederet.* Fallitur tamen Socrates, qui tum temporis Eunomium ab Eudoxio Cyzicenæ urbis Epiſcopum conſtitutum eſſe prodit. Alia nos docet Philoſtorgius, Eunomianarum rerum longè peritior, quem mox audiemus.

Valentis perſecutio. Bithynienſis Arianorum Synodus.

Theodorit. l. 4. c. 12.

Socr. l. 4. cap. 6.

V. Anno ſuperiore Tyanenſis Synodus decreverat, ut ante exitum veris proximè futuri conſtituto die Epiſcopi Tarſum Ciliciæ convenirent: *Imperator verò Eudoxii impulſu, Concilium quod in Cilicia futurum ſperabatur diremit, ſcriptis ea de re literis, & adjectis minis.* In Caria verò cùm jamjam Tarſenſis Synodus congreganda erat, *Quatuor circiter ac triginta Aſiani Epiſcopi, in Caria Aſiæ Provincia collecti, ſtudium quidem in reſtituenda Eccleſiarum concordia poſitum magnoperè laudarunt. Conſubſtantialis autem vocabulum admittere recuſabant, affirmantes fidem quæ Antiochiæ, & Seleuciæ promulgata fuerat, ratam eſſe oportere, quippe quæ & Luciani Martyris fides eſſet, & non ſine multis periculis & laboribus, ab ipſorum anteceſſoribus fuiſſet comprobata.* Quam Cariæ Synodum Baronius, Labbeuſque anno CCCLXVI. affixerunt, ea certè præſenti accuratius alligatur. Vere enim, in quo cogenda Tarſenſis erat, anni eſſe præteriti ſuo loco probavimus. In unum porro eundemque annum, & Tarſi, & Cariæ Synodi inciderunt.

Carica Synodus.

Sozomen. l. 6. c. 12.

VI. Quæ Valens perpetrarat, dum & vim infert Eleuſio, & minis prohibet ſuis conventum Tarſenſem, ad majora perſecutionis certamina claſſicum fuit: *Rectoribus Provinciarum mandavit, ut Epiſcopos qui Conſtantii temporibus depoſiti, poſtea regnante Juliano Sacerdotium recuperaverant, Eccleſiis expellerent.* Neque levis

Athanaſius latitat: permittente Valente redit.

Sozom. l. 6. c. 12.

ANNO DOM. 367.

levis pœna inſerta erat Imperatoris Edicto, ſed omnibus ex aqua Præſidibus, eorumque Officialibus & Decurionibus non modica pecunia mulcta irrogabatur, & corporis cruciatus intentabatur, niſi imperata feciſſent. Accepto Reſcripto Alexandrini Magiſtratus, Athanaſium urbe ſuâ ejicere ſtudent. At collecti ſimul Chriſtiani, Præfectum rogant, attento animo Principis Edictum contemplari. Quod eos ſolos ſpectabat, qui Juliano imperante reverſi fuerant. Athanaſius verò ab eo in exilium ejectus fuerat. Quæ cùm nil penſi haberet Præfectus, ejus mandatis reſiſtere, nec vis aliquid paſſi ſunt inferri Athanaſio. Occupabat urbem tumultus, jamque ſeditio metuebatur, cùm Præfectus rem Imperatori ſignificat, paſſus interim Athanaſium remanere. Elapſis multis diebus, cùm extincta penitùs ſeditio videbatur, Præfectus Alexandriæ, & Dux militiæ Eccleſiam, in qua diverſorium Athanaſii erat, occupant. Arbitrari cunctis ſomno oppreſſis, Athanaſium abſque tumultu ejici poſſe. At veſperi paulò antequam Præfectus veniret, Athanaſius clam ſecedens, latibulum petit. In paterno monumento latebras quæſiviſſe ferunt: quo nil triſtius fingi poteſt, cùm penè vivus ſepeliretur. In eo carcere obſcuriſſimo quatuor menſes moratus eſt, ut traditum Socrati. Dum in latebris jacet Athanaſius, *Tatianus* quem Excerpta Scaligeri Chronologicæ *primum Augustalium* vocant, Alexandriam ingreſſus VI. Kal. Febr. inſtare perſecutioni debuit, quam Veterum nonnulli exercuiſſe memorant: Valens *Epiſcopos egit in exilium, & Presbyteros, ac Diaconos, & Monachos, Tatiano Alexandria præſidente, uſque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit.* Ubi permittente Valente, Athanaſius ſepulchro egreſſus paterno Eccleſiam recuperavit, in Ægypto perſecutionem ſedatam eſſe, in Sozomeno legitur. Quippe Valens ſive egregiam viri virtutem miratus, ſive Valentinianum veritus, latenti copiam redeundi fecit. Dum Deo propitio Ægyptus calamitatum expers omnium fuit, quas in Orientis Regiones vis perſecutionis invexit, quaſi pietas Athanaſii, preceſque tot imminentia mala avertiſſent. Reliquis verò Epiſcopis gravis incubuit perſecutio, quibus Arii doctrinam amplecti recuſantibus exilia irrogabantur.

Rufin. h. l. 2. c. 2.

Sozom. l. 6. c. 12.

Meletius Antiochiâ à Valente pellitur. Tempus expulſionis. Pelagius relegatur.

VII. Præſules nobiliſſimos crudele Imperatoris Edictum relegavit. *Pelagius* Laodicenſem regebat Eccleſiam. Is dum eſſet adoleſcens, matrimonii jugum ſubierat, ſed primo nuptiarum die in ipſo thalamo ſponſæ ſuæ continentiæ amorem inſtillaverat: ſuiſque virtutibus adeò inclaruerat, ut ad Epiſcopatum omnium votis promoveretur. Tanti viri claritatem non reveritus Valens, eum depellit in Arabiam. Illuſtrior erat *Meletius*, Arianiſque moleſtius, quàm ut admirando viro parcerent. Antiochiâ ergo ejectum in Armeniam depellunt. Meletii exilium in annum CCCLXX. Pagio conferre placuit. Cui ſententiæ aſſenſus noſtros præbere non poſſumus. Cùm enim fatente viro doctiſſimo depellendis Epiſcopis, qui Juliano imperante Eccleſiis ſuis fuerant reſtituti, Edictum anno CCCLXVII. ſit promulgatum, quid cauſæ fingi poteſt, quamobrem Antiochenſes Magiſtratus, quibus & gravi mulcta, & corporis cruciatus intentabantur, ni è veſtigio Reſcriptum executioni mandarent, nonniſi quadriennio pòſt Eccleſiâ ſuâ Meletium ejecerint? Theodoritus quidem, cui res Meletianæ probè notæ, non multò poſt Valentis baptiſmum Sancti exilium Antiſtitis contigiſſe memoriæ prodidit: *Ita Valens relictâ Apoſtolicâ doctrinâ, adverſariorum partibus ſeſe adjunxit. Dein hinc interjecto brevi tempore, reliqua, quæ ſub jurisjurandi fide promiſerat, adimplevit, nam ex urbe quidem Antiochena magnum Meletium ejecit.* Quòd ſi anno demum CCCLXX. pulſus eſt, non brevi quidem poſt baptiſmum ſuum, ſed multo tempore interjecto Valens Meletium relegavit. Sed & ex mente Sozomeni, cui Pagius innititur, apertè liquet, diu ante annum CCCLXX. Meletio exilium imperatum eſſe, quod Procopii rebellione anteceſſiſſe ſibi perſuaſit: *Imperator in Syriam perrexit. Sed cùm Perſæ nihil novi moliti eſſent, Antiochia conſedit. Quo quidem tempore, Meletium Epiſcopum exilio damnavit. Ac profectò, ut conjicere licet, his graviora tunc temporis fuiſſent perpetrata, niſi bellum Procopii ſuperveniſſet.* Cùm igitur ſibi in mentem induxerit Sozomenus, prius ejectum eſſe Meletium, quàm de Procopii rebellione Valens audierit, nullo quidem jure hujus Hiſtorici teſtimonio Pagius utitur, ut Meletii relegationem anno CCCLXX. alliget. Quippe argumentum quod nectit ex Sozomeno, in ejus errore collocatur. Nempè quòd conſiſtente apud Antiochiam Valente mandatum Meletio fuerit exilium. Certè fallitur Sozomenus, dum Procopii ante rebellionem Antiochiæ Valentem conſediſſe memorat. Sozomeno errorem, in quo Baronius Pagiuſque Chronologiæ ſuæ præſidium collocarunt, Marcellinus evellat: *Sophronius Valentem à Cæſarea Cappadocum jam profecturum, ut vaporatu æſtibus Ciliciæ jam lenitis ad Antiochiæ percurreret ſedes, textu narrato geſtorum, ſpe dubiâ in talibus perculſum & ſtupentem, avertit Galatiam.* Hoc eſt, ſecundum Meletii exilium, ad quod ea ſpectare videntur, quæ tradit Epiphanius, cui geminæ Meletii relegationes permiſcentur: *Noctu in exilium deportatus, ad hæc uſque tempora in patria degit.* Antiochenſi Magiſtratui ad pellendum Meletium ea cautio fuit, quæ Præfecto Alexandrino in mente inſidebat, dum noctu ejiciendum quærit Athanaſium, ne ſcilicet Populi tumultuarentur, ſi interdiu Meletius pelleretur. Clerici quoque Trinitatis cultores Templis ejiciuntur cum populo qui ipſis adhærebat. Ubi verò ſacros cœtus celebrarunt? Nunc in montium antra, nunc ad fluminis ripas. Eò enim vis proceſſerat, ut in uno loco pii conſiſtere non poſſent. Multum Antiochenis profuere Flavianus atque Diodorus, pulſo in exilium Meletio, qui & ad ripas Orontis fluvii, & poſteà in campo, quo milites exerceri ſolebant, Chriſti ovibus alimenta ſufficiebant.

Theodorit. l. 4. c. 13.

Sozom. l. 6. 7.

Marcellin. l. 26. c. 7.

Epiph. h. 73. n. 34.

Theodorit. Philoth. cap. 2.

Theodorit. l. 4. c. 25.

Euſebius Samoſatenſis. Ejicitur à Valente. Amor Samoſatenſium in Euſebium.

VIII. Non clementius Euſebius Samoſatenſis tractatus, vir ſudoribus Apoſtolicis exercitatus. Imperante Conſtantio cùm multas Eccleſias Paſtoribus viduatas ſuis comperiſſet, militarem habitum ſumens, & tiarâ capiti impoſitâ, Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam peragravit, Presbyteris & Diaconis ordinandis. Hunc virum eximium in Thraciam Valens deportari jubet. Venerat ſub veſperam Miniſter imperialis præcepti, quem Euſebius monet adventus ſui diſſimulare cauſam, ne à plebe ſubmergeretur. Veſpertino officio de more celebrato, ſub ipſa ſomni primordia uno famulo confiſus, ſolus optimus ille ſenex egreditur. Famulus ſequebatur

ANNO DOM. 367.

tur cervical duntaxat & codicem ferens. Conſcenſo navigio, ortâ luce Zeugma ingreditur. Cognito ſeceſſu, Samoſatenſes ſui Paſtoris deflentes abſentiam, ſubinde navibus Zeugma perveniunt, in lachrymas effuſi, ſuum Paſtorem orant redire, ne gregem lupis exponat. Cùm flecti non poſſet, ob Leges divinas Magiſtratui obedientiam imperantes, Samoſatenſes autem, veſtes, famulos offerunt exuli, qui paucis neceſſariis acceptis, eos hortatur pro fide fortiter pugnare, quod & reverſi gnaviter præſtitere. Cùm enim Ariani Epiſcopum nomine *Eunomium* Samoſatenſibus præpoſuiſſent, nemo conventus Eccleſiaſticos frequentavit, ſolus ipſe degebat, etſi inſigni animi manſuetudine præditus eſſet. Cùm lavanti ſibi quoſdam rogaſſet, uti ſecum calidis, illi taciti conſiſtebant. Quod cùm honoris causâ fieri exiſtimaret, è balneo ocius abſceſſit. Tum illi aquam hæreſeos piaculo contaminatam eſſe rati, eâ in ſpecus ſubterraneos emiſſa, aliam ſibi affundi juſſere. Quo comperto, *Eunomius* è civitate proficiſcitur.

Theodorit. l. 4. c. 14.

Ætii Athei obitus. Eunomius relegatur.

IX. Admonet Eunomii nomen, alterius Eunomii, infelicis ſcilicet Anomæorum parentis actus memoria proſequi, quos ſummatim exhibuimus. Valens ex Illyrico Conſtantinopolim reverſus Eudoxium præcipuo honore colebat. Itaque quæ de revocando Ætio erat Eunomio pollicitus, implere facillimè potuit. Erat & Euzoio integrum, Ætium reducere, cui olim tantoperè faverat, ut collectâ novem Epiſcoporum Synodo, quæ in hunc *Atheum* decreta fuerant, infirmaſſet. Neuter tamen ſuarum promiſſionum memorem egit. Imò Euzoius iis conviciari cœpit, quorum patrocinium ſuſceperat, *ὑπαιβαλας* in Eccleſia appellans ſectatores Ætii. Eudoxius verò palam in Eccleſia dixit, *Illos non impios, ſed peſtes appello.* Sic tractati Ætius atque Eunomius, ab Eudoxio Euzoioque penitus diſſociati, Conſtantinopolim Florentio commiſere anno CCCLXV. Ac Ætius agrum à Juliano Imperatore circa Mytelenum Lesbiam ſibi donatum petiit. Eunomius verò in horto Chalcedonenſibus muris proximo vitam egit. Licet autem propriam Eccleſiam neuter regeret, à ſectæ ſuæ hominibus, velut Patres, & Antiſtites ducebantur. Anno CCCLXVI. Ætius accuſatus, quòd Procopio faveret, morte mulctatus eſſet, niſi Judicis qui in Aula multum poterat, adventus Ætium gladio ſubduxiſſet. Qui relictâ Lesbo, Conſtantinopolim navigans, ibi cum Eunomio & Florentio vixit: *Nec multò pòſt exceſſit, Eunomio oculos digitis comprimente, & reliqua quæ ad funus pertinent, unà cum ejuſdem opinionis ſectatoribus ſplendidiſſimè procurante.* Anno circiter CCCLXVII. vertente, eâ *peſte* orbis terrarum liberatus eſſe videtur. Eunomius verò, cujus in agro Procopius delituerat, vix mortem effugit, quæ in exilium mutata, ab Auxonio Prætorio Præfecto in Mauritaniam relegatur.

Philoſtorg. l. 9. c. 3. & c.

Hilarii Pictavienſis obitus: Libri, mores, & fama.

Error Baronii.

X. Ut exoptatum Eccleſiæ gaudium Ætii mors attulit, ſic flebilis omnibus bonis Hilarii Pictavienſis obitus eos in mœrorem conjecit. A noſtra Baronius Chronologia multum diſcrepat, qui invitis Antiquis omnibus exitum Hilarii cum anno CCCLXIX. copulat. Hieronymus ad annum Dom. CCCLXVII. quem tertium Valentiniani numerat, hæc habet: *Hilarius Epiſcopus Pictavis moritur.* Gregorius Turonenſis: *Quarto Valentiniani & Valentis anno, Sanctus Hilarius apud Pictavos, plenus ſanctitate & fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad Cælos. Nam & ipſe legitur mortuos ſuſcitaſſe.* Quin etiam anno citius naturæ ſatisfeciſſe Sulpitius memorat: *Hilarius ſexto anno poſtquam redierat, in patria obiit.* Anno vero trecenteſimo ſexageſimo, jubente Conſtantio reverſus fuerat. Supremus Hilarii dies Januarii putatur eſſe XIII. quo defuncti memoria in Martyrologiis recolitur. Quam tamen opinionem non infirmo argumento refellit Pagius: *Epiſtola*, inquit, *Synodica Conciliabuli Singidini in Myſia habiti, quæ ab Hilario in fragmentis refertur, dicitur data decimo quinto Kal. Januarii, Gratiano Nobiliſſimo P. & Dagalaiſo Coſſ. die nempe XVIII. menſis Decembris, anni CCCLXVI. Quòd ſi Hilarius die XIII. anni CCCLXVII. mortuus fuiſſet, Synodicam illam Fragmentis ſuis inſerere non potuiſſet cum Pictavis obierit.* Vero propius eſt periiſſe primo Novembris, quo in nonnullis Martyrologiis Hilarii feſtum celebratur. Præſtat tamen ſilentibus Antiquis, ultimum Hilarii diem ignorationis nebulis tegi. Odio pluſquam vatiniano Hilarius Arianos proſequebatur. Hinc de Auxentio Mediolanenſi: *Mihi certè*, inquit, *ille nunquam aliud quàm Diabolus erit, quia Arianus eſt.* Lucubrationibus ſuis Eccleſiæ inſerviit: *Phrygiam relegatus duodecim adverſus Arianos confecit libros, & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum Epiſcopos ſcripſit, & in Pſalmos commentarios, in quo Opere imitatus eſt Origenem. Eſt & ejus ad Conſtantium libellus, quem viventi Conſtantinopoli porrexerat. Et alius in Conſtantium, quem poſt mortem ejus ſcripſit. Et liber adverſum Valentem & Urſacium, Hiſtoriam Ariminenſis & Seleucenſis Synodi continens, & adverſus Præfectum Saluſtium, ſive contra Dioſcorum, & liber Hymnorum, & Myſteriorum alius, & commentarii in Matthæum & tractatus in Job, quos de Græco Origenis ad ſenſum tranſtulit, & alius elegans libellus contra Auxentium, & nonnullæ ad diverſos Epiſtolæ.* Quorum librorum pars magna deſideratur. Infantilem ad Abram Epiſtolam Hilario vindicare nobis religio eſt, adeò à ſtylo gravitateque abhorret Sancti Epiſcopi. Fallitur porro Hieronymus dum ſibi perſuaſit, Conſtantii poſt obitum Hilarium adverſus ipſum librum ſuum edidiſſe, incredibile quidem mortuum jam Principem tot compellationibus adiiſſe. Poſt reditum in Galliam anno CCCLX. id Operis condidiſſe exiſtimamus. Neque magis ſumus Baronianæ ſententiæ de libri adverſus Auxentium Chronotaxi. Cui annum vindicat CCCLXIX. quo tempore jam beatus erat Hilarius. Nos vero ſimilius annum CCCLXV. huic libro aſcribimus. Hilarii eloquentiam ad Cælum uſque extollit Fortunatus in Carmine de vita S. Martini:

ANNO DOM. 367.

Gregor. Tur. h. l. 1. c. 39.

Hieron. de Script.

Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Uberior Nilo, generoſo ſpatſior Hiſtro,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis.

Fortun. l. 1. p. 598.

Sapientiſſima tamen eſt noſtro judicio de Hilariano ſtylo cenſura Hieronymi ad Paulinum Epiſtolâ: *Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur, & cùm Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & à lectione ſimplicium fratrum procul eſt.* Pace ſanctorum cinerum ea protulit de corpore Chriſti, quibus nil excuſationis parari poteſt: *In corpus Domini irruens paſſio,*

Hieron. Ep. 13.

Hilar. de Trinit. lib. 10.

ANNO DOM. 367.

paſſio, nec tamen naturam paſſionis exercuit, cùm & pœnali miniſterio illa deſævit, & virtus corporis, ſine ſenſu pœnæ, vim pœnæ in ſe ſævientis excepit. Quæ de Chriſti *divinitate* eſſe intelligenda fruſtrà contendit N. Alexander. Non dixit, & *virtus divinitatis*, ſed virtus corporis, ſine ſenſu pœnæ vim pœnæ excepit. Hoc ex corporis Dominici affectionibus probere ſatagit, quod à noſtro diverſum, *Calcabat undas, & non degravabatur inceſſu.* Quem locum non attendiſſe videtur Hieronymus, dum Lætæ ſcribit de filiæ inſtitutione: *Hilarii libros in offenſo decurrat pede.* Ejuſmodi quoque Hilarius ſententiæ fuit, juſtorum animas protinus Cœlo non recipi: *Dominus*, inquit, *cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. Non temporis hujus, & ſaculi eſt illa cuſtodia, non aduri Sole & ab omni malo conſervari, ſed futuri boni expectatio eſt, cùm exeuntes de corpore ad introitum illum Regni cæleſtis per cuſtodiam Domini Fideles omnes reſervabuntur, in ſinu ſcilicet interim Abrahæ collocati, quo adire impios interjectum chaos inhibet, quo uſque introëundi rurſum in Regnum Cælorum tempus adveniat. Cuſtodit ergo Dominus exitum, dum de corpore exeuntes ſecreti ab impiis interjecto chao quieſcunt.* Hilarium linguarum Hebraicæ Græcæque imperitum fuiſſe, non diſſimulat Hieronymus ad Marcellam: *Hebræi ſermonis ignarus fuit, Græcarum quoque literarum quandam aurulam ceperat. Sed Heliodori Presbyteri, quo ille familiariter uſus eſt, ea quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene eſſent dicta quærebat.* Nihilominus ubique locorum fama inclaruit Hilarii, quem Hieronymus magnum virum vocat: *Et temporibus ſuis diſertiſſimum, qui & confeſſionis ſuæ merito, & vitæ induſtriâ, & eloquentiæ claritate ubicunque Romanum nomen eſt, prædicatur.* Neque eloquentiâ modò, ſed & morum ſuavitate memoriæ ſeſe commendavit: *Hilarius vir naturâ lenis & placidus, ſimulque eruditus, & ad perſuadendum commodiſſimus.* Ut non immeritò *magnificum quoddam mundi lumen* à Rufino fuerit appellatum.

Hieron. Ep. 7.

Hilar. in Pſ. 120.

Hieron. Ep. 141.

Rufin. h. l. 1. c. 31.

Urſinus in urbem revocatus iterum à Valentiniano ejicitur.

XI. Intereà Damaſi Urſinique diſſidia magnam Eccleſiæ Rom. calamitatem afferebant: *Plebs adunata in Baſilica Liberii clamabat, Chriſtiane Imperator, nihil te latet. Omnes Epiſcopi Romam veniant, agatur cauſa, quintum jam bellum Damaſus fecit: à ſede Petri homicidas foras. Voces ergo plebis ad Valentinianum ſunt delatæ Principem, qui pietate commotus reditum conceſſit exulibus. Tunc Urſinus cum Amantio & Lupo Diaconibus* XVII. *Kalend. Octobr. Lupicino & Jovino Coſſ. ad urbem redit; cui plebs ſancta gratanter occurrit. Sed Damaſus tantorum ſibi conſcius ſcelerum . . . redemit omne palatium, ut facta ſua Principi panderentur. Imperator neſciens quid Damaſus perpetraſſet, Edictum prorogat, ut Urſino exilio relegato, nulla ulterius populos contentio nefanda collideret.* Tunc Urſinus XVI. Kal. Decemb. juſſione Imperatoris ad exilium properat. Qui partium exulis erant, per cœmeteria Martyrum, ſine Clericis ſtationes celebrant.

Fauſt. Libel. 672.

ANNO U. C. 1121. PER. JUL. 5081. JUL. 413. DOM. 368. VALENT. & VALENTIS 5. GRATIAN 2. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 8. *Indict.* 11. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 20. *April.*

ANNO DOM. 368.

COSS. *Valentinianus Aug.* II. *& Valens Aug.* II.

I. DUm profectus Ambianis Treviros Valentinianus properat, ex Britannia triſtem nuncium accipit, Barbarorum conſpiratione, *Nectaridum Comitem maritimi tractus occiſum: & Fullofaudem Ducem, hoſtium inſidiis circumventum.* Ne metuenda mala in dies ingraveſcerent, Theodoſius armis elatus illùc properat. Freta tranſeuntem ſecuti Batavi, Eruli, Jovii, & Victores. Ut ad inſulam appulit, Lundinio veteri oppido petito, hoſtes adoritur vagantes, onere ſarcinarum graves pecora prædamque excuſſit, quam *tributarii* omnem reſtituit, præter partem exiguam, feſſis militibus conceſſam. Ut intellexit, omniſi per dolos occultiores & improviſos excurſus, barbaram gentem ſuperari poſſe, virum juſti tenacem, nomine Civilem, & Dulcitium ſcientiæ militaris inſignem ſibi mitti flagitat.

Tumultus Britannici.

Marcellin. l. 27. c. 9.

II. Sub eadem ferè tempora Galliarum tranquillitatem Germani perturbant: *Alamannus Regalis Rando nomine*, Moguntiacum præſidiis vacuum latenter irrepit. Fortè Chriſtiani ritus ſuos celebrabant, in quos invadens, virilem muliebremque ſexum cum ſuppellectile non parva indefenſum abduxit. Non multò poſt ſpes lætiorum Romanis affulſit. Vithicabio Rege Vadomari filio audace & forte, qui perpetuò bellum in Romanos accendebat, extincto, fraude miniſtri ab ipſis corrupti, Valentinianus accito Sebaſtiano Comite, cum Illyriis & Italicis numeris quos regebat, Rhenum trânſgreditur. Ut obſiſtentem invenit neminem, flammis omnia vaſtat. Longius progreſſus ad locum, cui *Solicinio* nomen, aſpicit Barbaros, qui montem præcelſum occuparant. Hic Princeps maximum periculum adit. Quippe dum intecto capite per ignota paluſtreſque uligines tendit, in inſidias incidit: quarum impetu ſubitò periiſſet, ni per labilem limum incitato equo digreſſus, legionum ſe gremiis immerſiſſet: periculo tam proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens auro lapilliſque diſtinctam, cum ipſo tegmine penitùs interiret. Quiete corporibus reficiendis datâ, Salvius & Lupicinus ad celſiora montis evadere conantur: acriter utrinque dimicatur. Sed impetu Romano impares Germani fugam arripiunt. Sebaſtianus Comes, qui *arctoam montium partem clementer proclivem* occupaverat, multos morti demittit. Poſt victoriam Valentinianus & Gratianus Treveros revertere, ubi & triumphales ludos edidere, teſte Auſonio in Moſella ſub finem:

Valentini de Germanis victoria.

Auguſta veniens, quod mœnibus urbis
Spectavit junctos nati Patriſque triumphos.

III. Intereà Valens bello Gothico detinebatur. Quod nullis tamen cladibus hiſtoriam illuminat. Id unum ad hunc annum ſcribit Marcellinus: *Ingredi terras hoſtiles pari alacritate conatus, fuſius Danubii gurgitibus vagatis impeditus, manſit immobilis, prope Carporum vicum ſtativis caſtris aduſque autumnum locatis emenſum. Unde quia nihil agi potuit diſtinente magnitudine fluento-*

Bellum Gothicum.

Marcellin. l. 27. c. 5.

Anno Dom. 368.

rum, *Marcianopolim ad hyberna diſceſſit.* Ad res Eccleſiæ nunc convertamus oculos.

Paſchalis Indulgentia Valentiniani.

Cod. Th. l. 9. Tit. 38. de indulg. l. 4.

IV. Pietate motus ſuâ Valentinianus, Paſchatis ſolemniati novos honores contulit, conceſſa miſeris indulgentiâ: *Paſcha celebritas poſtulat, ut quoſcunque nunc ægra expectatio Quæſtionis, pœnaque formido ſollicitat, abſolvamus. Decreto tamen Veterum mos gerendus eſt, ne temerè homicidii crimen, adulterii fœditatem, majeſtatis injuriam, maleficiorum ſcelus, inſidias venenorum, raptuſque violentiam ſinamus evadere.* In tempus latæ Legis mendum irrepſit: *Lecta* VIII. *Idus Junias Valentiniano & Valente* II. Coſſ. Etenim appetente Paſchatis feſto indulgentiæ concedebantur. Paſcha verò labentis anni Aprilis vigeſimo inſidebat, ut vero propior ſit doctiſſimi conjectura Gothefridi, *Lecta* VIII. *Idus Aprilis.* Mirum verò quòd in aſſignando die Paſchatis vir ille clariſſimus tam turpiter à vero deſciverit: *Paſcha*, inquit, *hoc anno celebratum* XVI. *Kal. Maias.* Atqui terminus Paſchalis in XVIII. Aprilis incidit poſt XVI. *Kal. Maias.* Quin etiam XVI. Kal. Maias quartæ feriæ cohærebat, VI. Lit. Dom. F. E. Paſcha verò die non Mercurii, ſed Solis ab Eccleſia celebrabatur. Altera hæc eſt indulgentia Valentiniani Senioris, quam ambabus ulnis Epiſcopi amplexi ſunt. Hinc Nyſſenus Orat. 3. de Reſurrectione Chriſti: *Nullus adeò ægritudine preſſus & obnoxius eſt, quin per hujus feſti magnificentiam mali ſui remiſſionem ſentiat atque levamen. Hoc die nexi ſolvuntur; debitor dimittitur; ſervus bono & humano præconio atque Edicto Eccleſiæ manumittitur.* Valentiniani clementiam imitatus eſt & Theodoſius M. Quem ſic urbem Antiochenſium alloquentem inducit Chryſoſtomus: *Meminiſti nuper cum hoc feſto appetente, Epiſtolam per totum orbem miſiſti, jubentem, eos omnes qui carcere detinebuntur, dimitti, eiſque crimina indulgeri. Quia etiam ſi hæc manſuetudini tuæ ſignificandæ non ſufficerent, in hæc verba ſcripſiſti. Utinam mihi & mortuos revocare, atque ad priſtinam vitam reducere liceret.*

Chryſ. Hom. 20. ad Ant.

Synodus Rom. Damaſi in Urſacium. Quo anno coacta?

Athan. t. 1. 942.

V. Damaſus Conſubſtantialis patronus coactâ in urbe Synodo, Urſacium, Valentemque criminibus ſuis, & impietate notiſſimos damnari curat. Qua de cauſa ipſi gratulatur Athanaſius in ſua ad Afros Epiſtola, anno ut videtur 369. confecta. Verba ſunt Sancti Præſulis: *Gratiam habemus & illius pietati, & cæteris, qui Romæ convenerunt, quòd Urſacio & Valente cum ſociis ſuis ejuſdem ſententiæ ejectis, concordiam Eccleſiæ Catholicæ conſervarint.* Damaſus ergo cum Epiſcopis Romæ coactis, fulminibus Urſacium ſuis, Valentemque jaculatus eſt. Illud verò quàm certum, tam & Synodi hujus tempus obſcurum. Anno CCCLXVI. à Damaſo coactam eſſe, eo ſibi argumento perſuaſit Pagius, quòd de ea mentio acta ſit ab Hilario, qui è vita abiit anno CCCLXVII. At quæſtionis eſt, num de Romana Synodo ſedente Damaſo coacta Hilarii fragmenta ſint intelligenda. Quam memorant Epiſtolam, ea ſic habet: *Dilectiſſimis fratribus per Illyricum, fidem paternam retinentibus Epiſcopi Italiæ.* Teſtantur verò ſe Nicænam fidem ſervare, Ariminenſis Concilii ſtatuta reſcindere: damnare autores hæreſis *Arianæ, vel Ætianæ Valentem, & Urſacium.* Quidni verò Italia preſſius acciperetur ea in Epiſtola? Pro illis ſcilicet Provinciis, quæ Vicario Italiæ ſubditæ à ſuburbicariis regionibus diſtinguebantur. In illa parte quidem Italiæ multum ſudaſſe atque allaboraſſe Euſebium Vercellenſem novimus, atque Hilarium, ut Ariana lolia evellerent. De optimis illis Antiſtitibus Rufinus h. l. 1. c. 31. *Velut*, inquit, *magnifica quædam mundi lumina Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt, ut omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis Hæreticorum tenebræ fugarentur.* Quòd ſi *Italiam* uſurpari latius placeat, quidni Concilium indicabitur à Liberio coactum, quæ Baronio ſententia eſt ad annum 365. n. 26. in quo Synodicam Hilarii Epiſtolam retulit. Quod verò prima Romanis Synodus Præſide Damaſo anno CCCLXVI. coacta non fuerit, ex Athanaſio colligimus: *Cùm contigiſſet nos in unum convenire, ſcripſimus dilecto Damaſo, Epiſcopo magnæ Romæ contra Auxentium, miramurque cur nondum depoſitus ejectuſque ſit ex Eccleſia.* Non multò poſtquàm Urſacius & Valens damnati ſunt à Rom. Synodo, Epiſtola ab Athanaſio eſt ad Damaſum directa de ejiciendo Auxentio. Eo caſu perfidi Hæretici damnationem in annum vel CCCLXXI. vel ſequentem Damaſus non diſtuliſſet, quo tempore denuntiatam tamen fuiſſe Pagius exiſtimat.

Anno Dom. 368.

Athan. ad Afros. t. 1. 941.

Pag. Crit. An. 369. n. 5.

Damaſus Urſinos vexat.

VI. Ut veris laudibus Damaſum oneramus, bellum nefandis erroribus indicentem, ſic illum non celebramus, triſtes Urſini reliquias atrocius perſequentem: *Cùm ad S. Agnetem multi Fidelium conveniſſent, armatus cum Satellitibus ſuis Damaſus irruit, & plurimos vaſtatione ſua ſtrage dejecit. Quod factum crudeliſſimum omnis Epiſcopis Italiæ diſplicebat. Quos etiam cum ad natale ſuum ſolemniter invitaſſet, & nonnulli conveniſſent ex eis, precibus apud eos molitur & pretio, ut ſententiam in S. Urſinum proferant. Qui reſponderunt, Nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus. Exinde Presbyteri diverſis modis afflicti, per exilia & peregrina loca diſperſi ſunt.* Hæc Fauſtinus & Marcellinus, quæ optaremus falſa eſſe. Addunt parti Urſini adeò infenſum ſe præbuiſſe, ut Sacerdotibus per dies ſacros plebem convocare non liceret. Damaſi Clericos cum Officialibus in illam domum irruiſſe, quâ ſacras Vigilias celebrabat: per ſilices tantâ vi Macarium traxiſſe, *ut in ejus coxa perniciosiſſimum vulnus fieret:* nullis à Judice minis adduci potuiſſe, ut cum Damaſo communicaret: relegatum, atrocitate vulneris apud Oſtiam animum exhalaſſe: Florentiumque hujus urbis Epiſcopum, etſi communionis fœdere cum Damaſo conjunctum, cum veneratione tamen exulem ſuſcepiſſe, defunctumque ex vetuſto monumento in Baſilica Martyris Aſterii ſepeliviſſe.

Fauſt. Libell. 658.

Valentis perſecutio in Conſubſtantialis defenſores.

Marcellin. l. 26. c. 4.

Socrat. l. 4. c. 11.

VII. Dum hæc in Italia geruntur, Nicænæ fidei fautores Valens vexabat. Neque Damaſus Valentinianum orabat, ut fratrem Orthodoxis mitiorem redderet, quod facillimè tamen ab ipſo impetraſſet, *Participe quidem legitimæ poteſtatis, ſed in modum apparitoris morigero.* Cur deprecatoris officio non functus ſit Damaſus, cauſa eſt in medio. Verebatur ne ſi Valentem offenderet, Urſinum adverſus ſe propugnaret. Itaque liberè & impotenter Orientis in Eccleſias graſſabatur. At cæleſtibus quidem minis à furore revocari debuit: Quippe *terræ motus in Bithynia factus Nicæam urbem ſubvertit die* V. *Idus Octobris.* Hanc cladem cum XII. menſis hujus conjungunt Faſti Idaciani, quâ funditùs urbs hæc everſa corruit. Nec multò pòſt alio terræ motu magna pars urbis Germæ in Helleſ-

ponto

Anno Dom. 368.

ponto cecidit. His tamen ad reſipiſcentiam Valens non adducebatur. Qui Conſubſtantialis fidem profitebantur, eos expulit Conſtantinopoli, & cum illis Novatianos, utpote idem de Trinitate ſentientes, quorum Eccleſias etiam claudi juſſit. Sed & Epiſcopum ipſorum, Agelium nomine, exilio mulctari præcepit. Virum qui jam inde à Conſtantini temporibus Eccleſiis illorum præfuerat. Principis tamen iram repreſſit Martianus, qui ex Palatii milite Novatianorum Presbyter factus, grammaticæ artis præcepta tradebat Anaſtaſiæ & Caroſæ, Valentis filiabus. Itaque Marciani autoritate clauſæ aliquandiu Novatianorum Eccleſiæ, denuò reſerantur. Dum bellum Gothis inferens Valens in urbe Tomi verſatur, Vetranio Scytharum Epiſcopus more ipſis ſolemni totius Provinciæ Eccleſias regebat. Quæ conſuetudo diutius perduravit, ut omnes Provinciæ hujus Eccleſias unus ſolusque regat Epiſcopus. Vetranioni ſuadere Valens conatur, ut cum Arianis communicaret. At Vetranio conſtanter & liberè coram Imperatore locutus de fide Nicæna ab eo diſcedens, ad aliam ſe Eccleſiam contulit. Quem populus, qui vivendi Imperatoris cauſa eò confluxerat, ſubinde ſecutus eſt. Valens unà cum ſuis derelictus, contumeliam iniquo animo tulit. Quocircà Vetranionem comprehenſum in exilium abduci jubet: nec multò pòſt redeundi copiam fecit exuli, dum metuit ne Scythæ Epiſcopi ſui relegationem indignati, res novas molirentur.

Socrat. l. 4. c. 9.

Sozom. l. 6. c. 21.

Cæſarii obitus. Num Autor Dialogorum qui ejus nomine ornantur.

VIII. Ingens Nicænæ urbis clades, de qua mentio facta eſt, Cæſario, Gregorii Nazianzeni fratri debitum honorem reddere monet, & gloriæ titulum. Ibi officio Quæſtoris fungebatur: cùm deletis propemodum civibus, urbiſque elegantiâ, penè ſolus ex viris illuſtribus ſalvus evaſit incredibili modo, ipſâ veluti ruinâ protectus. Exiguas tantum periculi notas retulit, & hiſce vulneribus, quaſi pietatis Magiſtris uſus, lubrica honorum, opumque contemneret. Ac ſibi quidem in animo conſtituerat, totum ſe cœlo addicere, quod & fratri ſuo per literas ſignificavit. Verùm qui terræ motum effugerat, vim morbi declinare non potuit. Moriens pauperes ſibi hæredes inſtituit, *Ut dives hinc migraret.* In ſinu Gregorii Patris, & Nonnæ matris ſpiritum Deo reddidit. De more Chriſtianorum juſta defuncto ſoluta ſunt. Effertur corpus cum multiplici hymnorum cantu, celebrique pompa ad Martyrum ſedes: *Sanctis parentum manibus honoratur, matre accenſas faces geſtante, Pſalmorum cantu luctum ſopiente.* Natu minor frater erat Nazianzeno. Relicto in Palæſtina Gregorio Alexandriam petierat, quo eruditis ſe excolendum traderet. Ubi in Philoſophia, Aſtronomia, Medicina magnos progreſſus fecit, egreſſus Alexandriâ, Conſtantinopolim appulit: cùm eruditione ſuâ multum inclaruiſſet, ipſi ſenatoria dignitas, nobileque matrimonium offertur, ut his veluti vinculis retentus, regiæ urbi eſſet ornamento. Allectus tamen pietate parentum, redeuntem Nazianzenum, fratrem ſuum ſecutus eſt. Juliani in aula Medici officio fungebatur, eique ob eruditionem percharus erat. Adhibuit itaque omnes machinas ad vincendum adoleſcentem. Sed Principis promiſſionibus à fide dimoveri non potuit. Quo tempore Julianus temperare nequivit, quin exclamaret, *ò felicem patrem, ò miſeros filios.* Cavius Baronio credulus, Cæſarium *Comitem rerum privatarum*, & Quæſtorem à Juliano creatum eſſe ſibi perſuaſit. Id muneris tamen defuncto Juliano obtinuiſſe, nobis eſt certiſſimum. Audiatur Nazianzenus: *Ac tempus quidem Imperatores ſubinde commutavit.* Quænam eſt illa mutatio, ſi Juliani mors non eſt? *De eo inter Imperatores certamen erat, quiſnam Cæſarium magis ſibi adjungeret.* Certantes illi Imperatores qui ſunt, niſi Valentinianus & Valens, à quo etiam Quæſtoris officio donatus eſt? Anno CCCLXV. vir illuſtris Conſtantinopoli præfectus eſt, nomine Cæſarius, ſed alius ſanè à noſtro Cæſario, Gregorii fratre. Tantam quidem dignitatem non præteriiſſet Nazianzenus, in Oratione funebri fratris, quæ honorum longè minorum meminit. Breviarium vitæ Cæſarii hoc eſt, in qua nil illuſtrius apparet, quàm quod dixit moriens: *Quæ mea ſunt omnia, pauperibus dari volo.* Anno CCCLXVIII. vel ſaltem inſequente naturæ conceſſit. Ejus memoria Februarii XXV. recolitur in Rom. Martyrologio. In mortui fortunas inimici ejus crudeliter invaſerunt: eaque de cauſa Nazianzenus literas dedit Sophronio Præſidi: *Cæſarius quidem exanimis jacet, ab amicis inops, deſertus, miſerabilis, exiguâ myrrhâ donatus. Impetum autem hoſtes fecerunt, ut audio, atque ejus facultates alii aliunde liberrimè & inſolentiſſimè partim diripiunt, partim dereptæ ſunt, nec quiſquam eſt qui prohibeat.* Non quaſi pecuniarum nomine angeretur Nazianzenus, ea Sophronio ſcribit, ſed ne ſolus ex mortalibus Cæſarius amicis caruiſſe videretur. Extant nomine Cæſarii Dialogi quatuor, *Quibus continentur explicationes quarumdam Quæſtionum, de rebus gravibus propoſitarum Cæſario, per Conſtantium, Theocariſtum, Andream, Gregorium, Domnum, Iſidorum, Leontium, quo tempore Cæſarius à ſecretis erat, & Conſtantinopoli docens, viginti totos annos commorabatur.* Ac dicit quidem Photius, *Legi Cæſarii librum capita continentem Eccleſiaſtica* CCXX. *Per Quæſtiones porro & Reſponſiones ſuppoſitis quoque perſonis interloquentibus, compoſita illi oratio eſt, & quidem Gregorii, ut aiunt, cujus hunc Autorem eſſe fratrem, Theologi cognomentum indicat.* Sed & Suidas in Cæſario: *Cæſarius, inquit, Gregorii Theologi frater, varia ſcripſit, & contra Græcos.* Quin tamen à Cæſario fratre Theologi, Dialogi ſint abjudicandi, nulli dubitamus. Titulus ſanè Cæſario non competit, qui nec *annos viginti* Conſtantinopoli conſiſtit, nec *à ſecretis* fuit. Quòd ſi hoſce Dialogos edidiſſet Cæſarius, nunquam profectò id à Nazianzeno ipſius fratre prætermiſſum fuiſſet in Oratione funebri. Nec profundiſſimæ Quæſtiones de Trinitate, quibus perſolvit primus Dialogus, Medicum ſonant, rebus aulicis, civilibuſque muneribus, à Theologia ſecretum, atque ſubmotum. Quid ſibi velit Baronius de Cæſarii Operibus, haud ſatis intelligimus; *Extant Cæſarii pia eruditaque lucubrationes, nempe de anima Dialogi.* Qui titulus non quadrat ad Dialogos. De eo Opere, ſi quis noſtram requirat ſententiam, variorum Autorum farraginem eſſe exiſtimamus: quod oſtendit tertius liber, in quo & *Sanctus vir Gregorius Nyſſenus*, & *Maximus* laudantur. Maximus verò diu poſt Cæſarium floruit.

Nazianz. Orat. 10.

Anno Dom. 368.

Nazian. Epiſt. 52. pag. 781.

Phot. Cod. 210. 539.

Bar. An. 368. n. 11.

Parmenianus Donatiſta. Optatus in illum ſcribit. Quis Optatus?

Error Baronii.

IX. Eodem anno defunctos eſſe Cæſarium, atque *Donatum Pſeudo-Epiſcopum Carthaginenſem partis Schiſmaticorum*, & ſibi, & eruditis quàm plurimis Baronius perſuaſit. At citius ad fata Donatum veniſſe, teſtatur B. Au-

Baron. An. 368. n. 12.

 guſtini

Anno Dom. 368.

guſtini ſermo ſecundus *de pace & charitate*, quem Sirmondus edidit, in quo legitur: *Et tamen adhuc poſt Apoſtolicas voces, poſt Eccleſiæ declarationem, & toto mundo dilatationem dicitur mihi. Non dimitto Donatum, non dimitto neſcio quem Carum, Lucium, & Parmenianum*, obſervante Pagio. Quibus conficitur, Donato proximè *Parmenianum* non ſucceſſiſſe. Ut ſectæ ſuæ ſubſidio eſſet Parmenianus, adverſus Eccleſiam libros complures edidit, de quibus in Optato mentio eſt. Ad *eruendam veritatem* deſiderabatur, ab aliquibus *Deſenſoribus partium* conflictum haberi: *Vivantibus conſeſſum* Donatiſtis, Optatus datur Parmeniano adverſarius, ad refellenda
Opt. l. 1. mendacia. Ipſum loquentem audiamus: *Frater meus Parmenianus, ne ventoſe ac nudè, ut cæteri loquerentur, quidquid ſentire potuit, non ſolùm dixit, ſed etiam in Scriptura digeſſit. Cujus dictis tùm reſpondere veritate cogente compellimur, erit inter nos abſentes quodammodo collatio.* Optatus Epiſcopus erat Milevis, quæ eſt urbs Numidiæ. Solis ſuis Scriptis nobis innotuit. Ubi, quando natus, quo tempore mortem obierit, quidve egerit memoriâ dignum, prorſus ignoratur. Afris honori fuiſſe, teſtis eſt Auguſtinus Libro primo in Parmenianum, in quo Optatus dicitur, *venerabilis memoriæ*, Cyprianis, Lactantiis, Victorinis, Ambroſiis comparatur. Fulgentius quoque in fine libri ſecundi ad Monimum, *Sancti* titulo Optatum afficit. Quo tempore librum Optatus ſuum adverſus Parmenianum condidit, non ſatis diſtinctè, explicatèque pro-
Ibid. didit. Nota temporis hæc eſt: *Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit, per totam Africam perſecutionis eſt divagata tempeſtas.* Diocletiani perſecutionem indicat anno CCCIII. inchoatam. Quid verò præciſè temporis excurrat, in dubio eſt. Baronius anno 368. alii biennio ſerius Optati hoc Opus vulgatum eſſe exiſtimant. Illud conſtat imperantibus Valentiniano & Valente lucem aſpexiſſe. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Optatus Afer, Epiſcopus Milevitanus, ex parte Catholica ſcripſit ſub Valentiniano & Valentino Principibus adverſum Donatianæ partis calumniam libros ſex, in quibus aſſerit, crimen Donatianorum in nos falſò retorqueri.* Obſervatu dignum eſt, de ſex tantum libris Optati commemoraſſe Hieronymum, etſi nunc ſeptem numerentur. Sex quidem libris conſtitiſſe, ipſe
Ibid. teſtatur Optatus: *Sexto*, inquit, qui ultimus eſt, *de inconſideratis præſumptionibus, & erroribus veſtris* tractabitur. Itaque vix in dubio poni poteſt, quin ſeptimus liber ſit Autoris ab Optato diverſi. Cenſet etiam traditorum *crimen, capitale non eſſe, ſi id feciſſet unuſquiſque eorum, magno metu perterritus, quòd Moſes feciſſet iratus.* Quod eſt ab Optato prorſus alienum. Antiqui tamen Scriptoris opus eſſe, in confeſſo ponitur. Illius me-
Freculp. Chro. l. 4. c. 05. minit Freculphus: Optatus *ſcripſit adverſum Donatianæ partis calumnias libros* VII. Schiſmatis Donatiſtarum cauſas progreſſum, & furores fusè Optatus proſecutus eſt, nobiſque ad hiſtoriam illuſtrandam adjumento fuit.

Anno U. C. 1122. Olymp. 287. Per. Jul. 5082. Jul. 414. Dom. 369. Valentin. & Valentis 6. Gratiani 3. *Sol.* 14. D. *Lun.* 9. *Indict.* 12. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 4. *P.* 12. *April.* — Anno Dom. 369.

Coss. *Valentinianus nobiliſſimus puer & Victor.*

I. BAronio, eruditiſque compluribus Socratis perſuaſit autoritas, Valentinianum puerum nobiliſſimum, qui præſentem annum aperuit, Valentiniano genitum eſſe: *Gratiano*, inquit, *& Dagalaiſo Coſſ. Valentiniano Auguſto in Occidentis partibus natus eſt filius, patri cognominis.* In Faſtis quidem Idatianis, à Sirmundo editis legitur: *His Coſſ. natus eſt Valentinianus Junior, filius Auguſti Valentiniani, die* XV. *Kalend. Febr.* Teſtantur tamen Valeſius, atque Harduinus, in MS. disertè ſcriptum inveniri, *His Coſſ natus eſt Valentinianus Junior, filius Auguſti Valentis.* Eſt igitur in Socrate graviſſimus error, quòd Valentinianum Juniorem Valentiniani filium dicat, qui ortus Valente fuit. Neque audiendus Baronius, qui *Juſtinam Arianam fœminam* matrem aſſignat huic Valentiniano. Quem errorem peperit ille Socratis. Certiſſimis quidem rationibus, doctiſſimi viri Valeſius, atque Harduinus, Valentinianum Juniorem legitimo parenti Valenti reſtituere. Quippe Valentinianus Junior, qui Valentiniano Auguſto anno CCCLXXV ſucceſſit, erat ferè quadrimus, ut teſtantur Hiſtorici. Eſt ergo alter à Valentiniano puero nobiliſſimo, qui labente anno Conſul proceſſit: qui niſi quid humanitùs accidiſſet, debuiſſet tunc certè annum ferè decimum attigiſſe. 2°. Qui Valentiniano patri ſucceſſit, interfectus eſt anno CCCXCII. Arcadio Auguſto iterum, & Rufino Coſſ. cùm adhuc penè puer eſſet, annos circiter XX. natus: diverſus igitur ab eo eſt, qui lucem aſpexit Gratiano, & Dagalaiſo Coſſ. 3°. Valens in quinto ſuo Conſulatu, quem anno Dom. CCCLXXIII. geſſit, Valentinianum Coſſ. Collegam habuit, qui *iterum* Conſul dici debuiſſet, ſi cum Victore annum CCCLXIX. aperuiſſet. Atqui legitur in Faſtis, Coſſ. *Valens* V. *& Valentinianus Junior Cæſar.* Denique Themiſtius, qui Valentis in ditione degebat, in oratione, quam anno currente habuit, præſentem Valentinianum alloquitur. Valentiniani verò Auguſti filius non extra paternum imperium educatus fuiſſet. Eſt ergo Valentinianus ille nobiliſſimus puer, Valentis Auguſti filius. Valens, uti legitur in Athanaſii vita apud Photium, Valentiniano Imperatori *frater uterinus erat.* Socerum habuit *Petronium*, cujus filiam duxit *Dominicam*, quam *Dominam* vocat Chronicum Alex. His parentibus ortus eſt Valentinianus Januarii XVIII. an. CCCLXVI. qui & *Galates* nuncupatus: quod nomen geſſit, quia in Galatia erat editus. *Gallus* ea de re Chronico Alexandrino vocatur: *Valens uxorem habebat Dominam, ex qua ſuſcepit filium Gallum, & filias duas, Anaſtaſiam & Caroſam.* In Oratione ſua, quæ numero IX. eſt, ſic triennem puerum alloquitur Themiſtius: *Tu ex felici familia, primus hactenus purpurâ ab incunabulis involutus es, & te ab ipſo jam partu victoria excepit, eademque fovit aluitque victoria.* Unus ſiquidem annus, & Valentiniano lucem, & Procopio mortem attulit.

Quis Valentinianus anni 369 Conſul? Filiuſne Valentiniani Imperatoris?

Socr. l. 4. c. 10.

Baron. An. 366. n. 31.

ANNO DOM. 369.

Themiſt. Or. 9. 121.

tulit. Pergit Themiſtius: *Jam verò in ulnis circumlatus adhùc in expeditionem, cum patre proficiſceris, cum eo exercitum ducis, neque te in thalamis blandè ſomnum concilians, nec adipe, ac medullâ ovium, ſed ad Iſtrum, atque in media Scytharum hyeme nutrit, uſdem & veſcentem cibis, & eodem potu, cum parente, atque militibus utentem.* Quibus apertè liquet, non Valentiniani quidem, ſed Valeotis pingi filium, qui patri ſuo in Gothos proficiſcenti comes erat.

Belli Gothici fines. Pax cum Athanarico.

Marcellin. l. 27. c. 5.

II. Perdurabat adhùc bellum Gothicum, jam biennio geſtum: *Simili pertinaciâ tertio quoque anno per Novidunum navibus ad tranſmittendum amnem connexis perrupto barbarico, continuatis itineribus longius agentes. Gruthungos bellicoſam gentem aggreſſus eſt, poſtque leviora certamina Athanaricum eâ tempeſtate Judicem potentiſſimum auſum reſiſtere cum manu, quam ſibi crediderat abundare, extremorum metu coëgit in fugam?* Novidunum porrò caſtrum Scythiæ fuit, hodie *Nivors* appellatum. Ut majore Barbaros clade afficeret Valens, certam auri ſummam ei ſe daturum pollicetur, qui Gothi caput attuliſſet. Mox igitur omnes, ſpe lucri, Sylvas atque paludes ingreſſi, obvios quoſque perimunt, & interfectorum capita monſtrantes, pecuniam conſtitutam retulere. Eâ clade affecti Barbari, qui aliundè vetitis commerciis, neceſſariorum inopiâ premebantur, Legatos de pace ſupplices mittunt. Locus ad fœdera facienda conſtituitur: *Et quoniam aſſerebat Athanaricus, ſub timenda exſecratione jusjurandi eſſe obſtrictum, mandatiſque prohibitum patris, ne ſolum calcaret aliquando Romanorum, & adigi non poterat, indecorumque erat & vile, ad eum Imperatorem tranſire, placuit navibus remigio directis in medium flumen, quæ vehebant cum armigeris Principem, gentiſque Judicem inde cum ſuis fœderari ut ſtatutum eſt pacem.* Acceptis obſidibus, Valens Conſtantinopolim rediit. Hanc Sextus Rufus pacem celebrat in Breviario, quod anno currente *Valenti* oblatum eſt: *Maneat modò conceſſa divinitùs, & ab amico cui credis, & crediturus es numine, indulta felicitas, ut ad hanc ingentem de Gothis etiam Babylonia tibi palma pacis accedat.* Cæterùm non immeritò qui Regem præſtabat, Athanarico *Judicis* titulum Marcellinus indidit. Regis quippe nomen faſtidiebat Athanaricus, cujus contemptus rationem reddit Themiſtius: *Idcircò Regis appellationem repudiat, uſurpat Judicis, tanquam hæc quidem potentiæ, illa verò ſapientiæ propria ſit.* Hic ille Athanaricus infamem ſibi famam collegit ex perſecutione Chriſtianorum. Hieronymus in Chronico ad hunc ipſum annum: *Athanaricus Rex Gothorum in Chriſtianos perſecutione commotâ, plurimos interfecit, & de propriis ſedibus in Romanum ſolum expulit.* De ea perſecutione nil nobis ſpeciatim innotuit. Quæ à Sozomeno aliiſque narrantur, ſuis annis dividentur.

Zoſim. l. 4. c. 11.

Marcellin. l. 27. c. 5.

Themiſt. Or. 10.

Valentinianus munimenta in ripis Rheni collocat.

III. At Valentinianus Gallias à Germanorum excurſibus ut tutas præſtaret, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad uſque Oceanum magnis molibus communivit, *Caſtra extollens altius, & caſtella, turreſque aſſiduas per habiles locos & oportunos, quà Galliarum extenditur longitudo: nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis poſitis, ſubradens barbaros fines.* Dum cogitat munimentum celſum & tutum præterlabente Nicro fluvio, undarum pulſu ſubverti poſſe, meatum alioſum vertere ſtatuit. Adhibentur & aquariæ rei periti, & ingens militum manus. Sed machinæ vi gurgitis evellebantur. Vicit tamen labor improbus militum, mento tenus ſæpè demerſorum. Sed & trans Rhenum in monte Piri, qui barbaricus locus eſt, *munimentum extruere diſpoſuit raptim*, datque in mandatis Syagrio Notario, Ducique Aratori, ut opus perficerent. Dum fundamenta jaciuntur, Optimates Alamannorum, qui agentium apud Romanos obſidum patres erant, flexis poplitibus orant, *Ne paſſis calcatis rem adorirentur indignam.* Quæ cùm in caſſum loquerentur, filiorum flentes exitium diſceſſere. Tum ex abdito collis propinqui proſilientes Barbari, milites ſeminudos humum etiam geſtantes obtruncant; Duces ambos occidunt. Nec indicaturus geſta ſuperfuit quiſquam præter Syagrium, qui deletis omnibus ad Comitatum reverſus, ſacramento exutus à Principe, ad lares relegatur.

ANNO DOM. 369.

Marcellin. l. 28. c. 2.

Gangrenſis Synodus.

Pag. Crit. An. 358. n. 13.

IV. Involutus Chronologiæ obſcuritate latet annus Synodi Gangreoſis, adverſus Euſtathium congregatæ. Itaque non mirum Concilii tempus in ſententiis eruditorum poni. A Pagio annum CCCXL. inter & CCCLVII. collocatur, quia Synodo Oſius interfuit. Antiochena Concilio in Encæniis coacto antiquiorem eſſe Valeſio placuit. Valeſii autem Pagiique ipſius conſenſu, Baronii de Gangrenſi conventu Chronologia eſt omninò reſpuenda, qui ex præſentia *Oſii Cordubenſis*, qui eidem Synodo interfuiſſe legitur, temporibus Conſtantini M. indictam eſſe colligit. Ac ſanè illuſtriſſimi Purpurati ſententia ab Antiquorum omnium ſuffragio deſeritur: *Sciendum eſt*, inquit Socrates, *in locum Euſtathii Epiſcopum ſubrogatum eſſe Meletium. Cæterùm Euſtathius poſt hæc etiam in Synodo Gangrenſi, quæ ipſius cauſa in Paphlagonia collecta fuerat, condemnatus eſt.* Sozomenus verò à Gangrenſi Synodo, Euſtathium Epiſcopatu ejectum eſſe, dum memorat, oſtendit diu poſt Nicænum Concilium coactam eſſe, cujus ætate nondum Epiſcopali infulâ ornabatur Euſtathius. Cæterùm etiam atque etiam obſervandum, *Oſium Cordubenſem*, cujus nomen extat in verſione Latina, Græcis in fontibus deſiderari. Itaque vanum eſt ſive Pagii, ſive Baronii Chronologiæ fundamentum. Epiſtolæ Synodicæ titulus hic eſt: *Dominis venerabilibus Comminiſtris in Armenia conſtitutis, Euſebius, Ælianus, Eugenius, Olympius, Bithynicus, Gregorius, Philetus, Pappus, Eulalius, Hypatius, Proæreſius, Baſilius, Baſſus.* Oſius Cordubenſis inter eos nullo veſtigio reperitur. Creditu quidem difficillimum, Orientalium alicui Synodo Oſium interfuiſſe Conſtantini poſt obitum. Cùm itaque poſteriorem Conſtantinopolitanâ Synodo, anno CCCLX. coactâ, Gangrenſem Socrates faciat, non alienum à temporum ordine putamus, ſi illam cum anno præſente copulemus. Euſebius quidem, qui Synodi hujus Præſes fuit, non Cæſarienſis eſſe videtur. Porro *Gangra* Paphlagoniæ eſt oppidum, de quo Strabo l. 12. *Dejotarus Caſtoris filius, cognomento Philadelphus, Paphlagoniæ imperavit, & Gangra Morzæi regiam habuit, id autem eſt oppidum ſimul & caſtellum.* Adfuere Gangræ Epiſcopi circiter XV.

Bar. An. 361. n. 44.

Error Baronii.

Socrat. l. 2. c. 43.

Sozom. l. 4. c. 24.

Euſtathius à Sebaſteno diverſus. Num idem cum Eutactо?

V. Huic conventui Euſtathius anſam præbuit. Quis verò Euſtathius ille fuerit, quæritur ab eruditis. Si Socrati fidem adjungimus, atque Sozomeno, damnatus ille à Gangrenſibus Euſtathius, à Sebaſtenſi, cujus ſæpius meminimus, non eſt diverſus. Quæ ſententia Valeſio, Pagio,

aliiſ-

Anno Dom. 369.

aliiſque benè multis placuit. Nos Baronii, Blondellique opinionis magis ſumus, qui non eundem Euſtathium eſſe putant. Errores quidem quibus Euſtathius contaminatus eſt, Sebaſtenſi non objecit Conſtantinopolitana Synodus, in qua damnatus eſt: non Baſilius Magnus, qui in ſua ad Occidentales Epiſtola veteratorem illum Sebaſtenſem ſuis coloribus pingit, ejuſque vitam penè ab incunabulis rimatur. Cui fiet veriſimile, & Gangrenſis damnationis, & ſuperſtitionum, quibus eam ſibi provocavit Euſtathius, oblivionem Baſilium cepiſſe? Ideò prætermiſit, quia horum flagitiorum immunis erat Sebaſtenus Euſtathius. Meminit & Euſtathii Sebaſteni Epiphanius, quem diſertiſſimè Arianis inſerit. Nunquam verò de aliis & erroribus ſilentium egiſſet, ſi quos Gangrenſes damnavere, iis Sebaſtenus Euſtathius coopertus fuiſſet. Diſplicet tamen Baronii conjectura, qui *loco Euſtathii Eutactum* reponendum eſſe cenſet. *Eutactus* quidem non nobis ignotus, quem & Anachoretam fuiſſe, & veſtem aſperitate ipſâ horribilem geſtaſſe, ex Epiphanio didicimus. At Baronius ex Euſtathio, quem anno CCCXXXV. à Gangrenſibus damnatum eſſe ſtatuit, Eutactum fabricare non potuit, qui Conſtantii ſub obitum errores ſuos profeſſus eſt. Sed & *Eutacti* venena ab Euſtathianis non minimum diſcrepant. De impiis *Eutacti* dogmatibus tractat Epiphanius hæreſi XL. Denique Veterum nullus eſt, qui Euſtathio Eutacti nomen impoſuerit, ut fluxa, vanaque ſit ea conjectura Baronii. Eſt igitur Euſtathius à Gangrenſium fulmine proſtratus, diverſus à Sebaſteno. Hæc verò fuere errorum, quos docebat capita. Matrimonium damnavit: multos à conjugibus ſuis ſeparavit. A cibis abſtinendum docuit. Servos prætextu pietatis, à Dominis abſtraxit. Mulieres tonderi fecit. Præſcripta jejunia fugienda, diebus verò Dominicis jejunandum eſſe præcepit. In ædibus conjugatorum preces fieri vetuit. Preſbyteri uxorem habentis, quam Laicus ſibi copulaverat benedictionem, & communionem inſtar piaculi declinandam docuit. Qui Eccleſias averſabantur, iis ſuaſit domi communicare. Ipſe verò Philoſophi habitum geſtans, ſectatores ſuos novâ atque inſolitâ veſte indui juſſit. Porro in Synodica Gangrenſis Concilii Epiſtola Euſtathius Epiſcopi Preſbyterive nomine non afficitur, quo tantæ dignitatis ſilentio & ab Euſtathio Sebaſtienſi diſtinguitur.

Epiph. h. 75. n. 1.

Bar. An. 361. n. 53.

Socr. l. 2. c. 44.

Canones Gangrenſes.

VI. Canones ea Synodus edidit XX. Primus anathemate ferit eos, qui matrimonium vituperant. II. Eum damnat, qui præter ſanguinem Idolothyta ſuffocatum carnibus utentes, velut impios deteſtatur. III. Eos obruit, qui ſervum docent prætextu pietatis Dominum contemnere, & ab ejus obſequio diſcedere. IV. Eos percellit, qui negant oblationi Preſbyteri, qui uxorem ſibi aſſumpſit, eſſe communicandum. V. Illos damnat, qui & Eccleſias, & conventus in eis celebratos averſantur. VI. Eos elidit, qui in contemptum Eccleſiæ conventus agitant non conveniente Preſbytero juxta decretum Epiſcopi. VII. Illos damnat, qui abſque cognitione Epiſcopi oblationes vel dant, vel accipiunt extra Eccleſiam. VIII. Illum anathemate ferit, qui cùm nec Epiſcopus ſit, nec Epiſcopi delegatus, dat, vel accipit oblata pauperibus diſpenſanda. IX. Eos vexat, qui ſtudentes virginitati nuptias abominantur. X. Damnat virgines, quæ adverſus conjuges extolluntur. XI. In vituperatores Agaparum cenſuras ſtringit. XII. Qui juſtitiam in pallio quærit, utenteſque *birris* deſpicit, eum excommunicat. XIII. Mulieres habitum propter continentiam mutantes amictumque ſumentes virilem, anathemate percutit. XIV. Uxorem quæ nuptiarum odio virum deſerit, communione ejicit. XV. Qui filios nec alit, nec ad pietatem inſtituit, eum abſcindit. XVI. Filios pietatis obtentu à parentibus diſcedentes ejicit. XVII. Mulierem quæ religionis ſpecie comam tondet, excommunicat. XVIII. Exercitii cauſâ ſuſceptum die Dominicâ jejunium damnat. XIX. Eos ferit, qui abſque corporis neceſſitate Eccleſiaſtica jejunia diſſolvunt. XX. Qui conventus ad martyria agitatos ſpernunt, illos Eccleſia pellit. Declarant autem Patres, ſe non eos abſcindere, qui Dei in Eccleſia ſecundum Scripturas in continentia, & pietate exerceri volunt, ſed illos qui exercitationis obtentu ſuperbiunt, & adverſus ſimpliciores ſe attollunt. Virginitatem mirantur, & matrimonium laudant. Quæ à Scripturis & Apoſtolicis traditionibus ſancita ſunt, in Eccleſia celebrari exoptant.

Anno Dom. 369.

ANNO U. C. 1123. PER. JUL. 5083. JUL. 415. DOM. 370. VALENT. & VALENTIS 7. GRATIANI 4. *Sol.* 15. C. *Lun.* 10. *Indict.* 13. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Martii.*

Anno Dom. 370.

COSS. *Valentinianus Aug.* III. & *Valens Aug.* III.

Saxonum irruptio: à Romanis delentur.

I. SAxones prædis incendiiſque aſſueti more ſuo, Romanos limites petunt. Primæ eruptionis procellam Nannenus Comes ſuſtinet, vir diuturno bellorum labore nobilis. At cùm ſe vulneratum, imparemque certaminibus fore cerneret, à Valentiniano impetrat, ut Peditum Magiſter Severus opitulatum rebus dubiis veniret. Ejus adventu Barbaros tantus corripit timor, ut ante pugnam ſignorum aquilarumque fulgore præſtricti, veniam pacemque ſupplices orarent. Pactis induciis, & *datis ex conditione propoſita juvenibus multis habilibus ad militiam*, Saxonibus reditus permittitur. Quem cùm ſecuri parant, in abdita valle Romani redeuntibus ſtruunt inſidias. Sonitu adverſantium perciti, exiluere quidem intempeſtivè, qui penitùs deleti fuiſſent, niſi cataphractorum equitum cuneus auxilio fuiſſet. Barbarorum ſuperſtes relinquitur nullus, qui cladem ad patrios lares ſuam nunciaret. Quod facinus, ut indignum perfidumque, non incuſare non poſſumus. Saxonum cladem *Deuſone in regione Francorum* anno CCCLXXIII. alligat Hieronymus in Chronico, cui Marcellinum meritò anteponimus, hanc Saxonum eruptionem in tertium Valentiniani Conſulatum conferentem.

Marcellin. l. 28. c. 5.

Burgundiones in Germanos Valentinus excitat.

II. Dum in omnem partem verſat animum Valentinianus, quibus commentis Alamannorum, & Macriani Regis frangeret faſtus, Burgundios in eorum perniciem excitare ſtatuit. Cur genti id nominis impoſitum tradit Oroſius: *Aiunt in magnam coaluiſſe gentem, atque etiam ita nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta, Burgos vulgò vocant.* Quod viris eruditis diſplicet ad gentis Reges, Valentinianus per Fidos homines ſcribit, ut tempore præſtituto ſupervenirent, ſimulque pollicetur,

Oroſ. l. 7. c. 32.

Anno Dom. 370.

cetur, ſe cum Romanis militibus, tranſito Rheno adventantibus laturum auxilia. Gratiſſimæ Burgundionibus literæ, quòd & ſe ſobolem Romanorum eſſe jactabant & ſalinarum, finiumque cauſâ cum Alamannis ſæpius litigabant. Catervas mittunt lectiſſimas, quæ Imperatori ad ſtruenda munimenta occupato, Romanis maximo terrori fuere. Neque immeritò, ſi ſama vera prædicat: *Burgundianum octoginta fermè millia, quod nunquam antè ad Rhenum deſcenderunt*, inquit in Chronico Hieronymus, cui & aſſentitur Oroſius. Paulſper morati cùm promiſſa Valentiniani non impleri animadverterent, ad Comitatum mittunt, auxilia ſibi dari poſcentes, ad ſua redituris. Quod ubi negari per ambages ſentiunt, captivis omnibus interfectis patriam repetunt. De Burgundionibus plura dicentur ad annum CCCCXIII.

Marcell. l. 18. c. 5.

Mors Eudoxii. Demophilus ei ſuoſtituitur. Quis Demophilus?

III. Quam cum Gothis pacem Valens fecerat, ea belli adverſus Eccleſiam vires intendit: cui præbuit occaſionem mors Eudoxii Conſtantinopolitani Præſulis. Defuncto Eugenio Nicæam profectus erat, ut in mortui locum Epiſcopum ordinaret. At prius quàm huic negotio finem imponeret, abiit è vita. Sedem Conſtantinopolitanam tenuerat annis XIX. peſtis communis Eccleſiæ, fideique Nicænæ infenſiſſimus homo, qui gratiâ quâ apud Valentem pollebat, in veritatis perniciem abutebatur. Synodi Decreto Demophilus Beræâ Conſtantinopolim transfertur, quod & Valenti placuit. Vix pejor Eudoxio ſucceſſor dari potuit. Ortus erat Demophilus Theſſalonicâ, genere non ignobili. Eum in ſede Conſtantinopolitana præcipuè collocavit Dorotheus Epiſcopus Heracleæ, quem errando *Theodorum* vocat Philoſtorgius. Quod viris eruditis occaſionem præbuit quærendi in eo homine Theodorum Heracleotem, qui dudum mortem obierat. Dum porro Demophilus in Epiſcopali ſede ſtatuitur, multi exclamant, *Indignus*. Miſcebat quidem omnia, & Eccleſiæ dogmata turbabat. Sermonem habens ad Conſtantinopolitanos, dixit: *Corpus Chriſti permixtum Divinitati penitùs evanuiſſe, eo modo quo lactis ſextarius in univerſum maris elementum conjectus evaneſcit.* At Orthodoxi ex Eudoxii obitu animum oppreſſum & demiſſum, ad ſpem erigentes, occaſione ſibi datâ uſi, fidei ſuæ virum, nomine *Evagrium*, conſtituunt. Ab Euſtathio olim Antiocheno Epiſcopo ordinatum eſſe, Socrates narrat: *Eum ordinavit Euſtathius, olim Antiochiæ Epiſcopus, qui ipſius quidem Joviani Principis Edicto, ab exilio fuerat revocatus, tunc verò cùm veniſſet Conſtantinopolim, eo conſilio ut Homouſianorum fidem ſtabiliret, occultus in ea urbe morabatur.* Ab Euſtathio tamen, qui Nicænæ Synodo præfuerat, & anno CCCXXVIII. Antiochiâ ejectus, à Conſtantino Magno in Thraciam relegatus fuerat, conſecratum eſſe Evagrium, creditu fit difficillimum. Fingamus ad longiſſimam eam ætatem Euſtathium perveniſſe, à Juliano quidem fuiſſet revocatus, non ſecus ac exilio ſuo rediere illi, qui ſolum antè verterant. Euſtathius igitur à Joviano reſtitutus, à Magno Euſtathio Antiocheno diverſus eſt. Quod etiam oſtendit locus, in quem poſt Evagrii ordinationem à Valente ejectus eſſe dicitur: *Euſtathius in oppidum Thraciæ Bizuam relegatur.* Ubi extremum diem conficere debuit. Euſtathius verò Antiochenus Trajanopoli, vel certè Philippis ſepultus eſt.

Philoſtorg. l. 9. c. 8.

Philoſt. l. 9. c. 14.

Socr. l. 4. c. 14.

Socr. l. 4. c. 15.

Tumultus Conſtantinopoli Demophili cauſâ. Valentis perſecutio.

IV. Evagrii ea conſecratio Arianorum iram accendit, qui perſecutionem iterum movent. Cujus rumor ad Valentem affertur. Conſtantinopoli relictâ, Antiochiam properabat, ſed cauſâ tumultus Nicomediæ conſiſtit, verituſque ne ſeditio civitatem everteret, milites Conſtantinopolim mittit cum mandatis, ut Euſtathius Bizuam, Evagrius in alium locum relegaretur. Quibus geſtis, Ariani inſolentiâ elati Catholicos multò acerbius vexant. Quorum alios verberibus, & contumeliis, alios pecuniâ, alios carcerum pœnâ afficiunt. Quæ cùm illi ferre non poſſent, Imperatorem adeunt, ut ex parte ſaltem Arianorum violentiâ liberarentur. Spe tamen ſuâ exciderunt, cùm qui injuriarum vindex eſſe debebat, earum autor inveniretur. Ordinis Eccleſiaſtici octoginta numero delecti fuerant, qui Valentem convenirent. Quorum Principes erant Urbanus, Theodorus, & Menedemus. Ut Nicomediam venere, libellos offerunt Principi, quibus & Arianam violentiam ſuggerebant. Quâ ardebat Imperator, egregie iram occultat; clam verò Modeſto Prætorii Præfecto mandat, ut homines comprehenſos neci daret. Mortis novum genus fuit, atque inuſitatum. Veritus Modeſtus, ne ſi tot pios Clericos ſub oculis omnium interficeret, ſeditionem excitaret, fingit ſe illos in exilium deportaturum. Imponuntur navigio fortiſſimi Martyres: ut ad medium Aſtaceni ſinus venere, nautæ ſibi imperata faciunt. Navem incendunt, quo perpetrato, in ſcapham diſceſſere. At vento vehementius flante, ad navale, cui nomen eſt *Dacidizo*, ea pervenit, ibique cum viris ipſis penitùs abſumitur.

Socr. l. 4. c. 16.

Fames in Phrygia & Cappadocia. Baſilii liberalitas.

V. Cruentam tot innocentium mortem ne inultam quidem Chriſtus paſſus eſt. Statim enim ſecuta eſt fames per univerſam Phrygiam adeò gravis, ut plerique incolarum ex ſuis ſedibus ad tempus migrare neceſſe habuerint, qui partim in alias Provincias, partim Conſtantinopolim ſe recepere. Optimum perfugium, quia in ea urbe abundat annonæ copia, & quam navium ope magnam ſibi comparabat. Phrygiam præcipuè afflixit miſeranda fames, cujus & meminere Hieronymus in Chronico, & Idacius in Faſtis: *Valentiniano & Valente III. Coſſ. magna fames fuit in partibus Phrygiæ*, in Cappadocia tamen etiam graſſabatur. Elegantibus tragiciſque verbis eam Nazianzenus calamitatem deſcribit, quæ Cæſaream regionis metropolim invaſit: *Fames erat, & quidem poſt hominum memoriam atrociſſima. Languebat civitas, nec ulla ex parte auxilium afferebatur, nec ulla calamitatis medicina.* Exercendæ liberalitati egregiam Baſilio materiam dura neceſſitas præbuit: *Nam cùm eos, quos fames vulneraverat, in unum coëgiſſet, nonnullos etiam ſpiritum ægrè trahentes, viros, fœminas, pueros, ſenes, miſerabilem omnem ætatem, omnia ciborum genera, quibus fames depelli ſolet, corrogans, atque ollas leguminum, ſalſique noſtratis obſonii, & ad levandam pauperum famem accomodati plenas proponens, ac deinde Chriſti, qui linteo præcinctus, Diſcipulorum pedes abluere minimè grave ducebat, miniſterium imitans, ſimulque conſervorum ſuorum ad eam rem operâ utens, pauperum corpora & animas curabat.* Ad eam quoque famem referre licet, quæ de Petro Baſilii fratre narrat Nyſſenus in vita S. Macrinæ: *Cùm gravi quadam tempore laboraretur inopiâ & fame, multique famâ beneficentia excitati, undique confluerent ad eum receſſum, quem incolebant, tantum induſtriâ*

Socr. l. 4. c. 16.

Nazianz. Or. 20. 341.

Nyſſ. c. 2. 186.

ſuâ pauperibus cibariorum ſubminiſtravit, ut adventantium frequentiâ locus ille non ſolitudo videretur eſſe, ſed civitas. Anno CCCLXVII. hanc famem Baronius alligavit n. 30. Cùm enim ex ipſius Chronologia Baſilio Presbyterum adhùc agente contigerit, Phrygiæ famem ab ea quæ Cappadociam invaſit, temporibus ſecernere coactus eſt, quia Baſilium anno CCCLXIX. Cæſareæ Epiſcopum præfecit.

Vitæ Baſilii M. breviarium. Fueritne Diaconus?

VI. Egregium hoc Baſilii facinus de iis ſcripto conſignandis monet, quæ in Sancti Patris hiſtoria memoratu digniora ſunt, antequam Epiſcopatum capeſſeret, quem anno ſequente adipiſcetur. Baſilius nobilitate, pietate, eloquentiâ, eruditione, verè magnus, non Chriſtianorum modò, ſed Confeſſorum quoque ſanguine creatus eſt, ut ex domeſticis avitiſque exemplis virtutem fidemque diſceret. Furente *Maximino*, qui ad ſummum impietatis crudelitatiſque gradum nitebatur, Baſilii majores vitandæ perſecutioni ad quandam Ponticorum montium ſylvam, cum paucis comitibus cibi Miniſtris fugiunt, in annum penè ſeptimum atque aliquantò amplius exilium illis protractum fuiſſe narrant. His parentibus genitus *Baſilius*, magni filii pater uxorem habuit *Emmeliam*, mulierem ſui nominis, quod *concinnitatem* ſignificat. Non aptè ſatis huic fœminæ Centuriatores nomen *Eumele* impoſuerunt. Baſilium Epiſcopum egiſſe, Labbeus aliique opinantur. Quorum conjecturam refellit Nazianzenus, qui in Oratione de Baſilii M. laudibus non præteriiſſet, ipſius parentem Pontificali munere ornatum fuiſſe: urbis quoque ubi hoc officii adminiſtrarat, nomen edidiſſet. De quibus cùm profundum ſilentium egerit, indubitanter Baſilii noſtri patrem Epiſcopia eximimus. Nobis favet & Nyſſenus, qui de patris ſui Epiſcopatu, in vita S. Macrinæ nil habet. Morientis quoque Macrinæ hæc verba ſunt ad fratrem ſuum: *Patet quidem illis temporibus, & juvenis eatenus floruit, ut, inter cives, & in δικαστηρίοις, judiciis ejus gloria conſiſteret*, pagina 192. Et hinc liqueat Judicem fuiſſe non Epiſcopum. In Ponto lucem aſpexit

Nazianz. Or. 20. 314.

Baſilius: *Primâ ætate, ſub magno patre, quem communem virtutis Magiſtrum eo tempore Pontus proponebat, velut faſciis involvitur.* Ut majorem eruditionem deſideravit, Cæſaream Palæſtinæ migrat, hinc Byzantium urbem Oratoribus & Philoſophis magnis florentem & præcipuè Libanio, atque inde Athenas literarum ſedem & domicilium tendit. Hîc non Rhetoricam modò & Philoſophiam, ſed neceſſariam debilitati corporis medicinam diſcere quoque cogitur.

Socr. l. 4. c. 26.

Athenis auditor fuit *Himerii* & *Proæreſii*. Ut vel hoc uno ſpecimine liqueat, quantum à veri tramite deflexerit perſonatus Amphilochius, qui agenti apud Athenas Baſilio Doctorem aſſignat *Eubulum*. Placuit N. Alexandro, Baſilium & in ea civitate *Libanii* auditorem fuiſſe, uti narrat in vita S. Gregorii Naz. quo tamen Autore, viderit: non ſanè Socrate, à quo tenemus,

Socr. l. 2. c. 1.

Libanium à Pædagogis Conſtantinopoli expulſum, Nicomediæ ludum aperuiſſe. Domum reverſus, aliquandiu Cæſareæ verſatus eſt. Cùm verò careret amiciſſimo Gregorio Nazianzeno, quem Athenis arctiſſimis ſibi amoris nexibus copularat, neceſſarias quaſdam peregrinationes inivit. Hic porro cætera mendaciſſimus audiri Pſeudo-

Amphil. Vit. Baſ. 158.

Amphilochius poteſt: *Profectus eſt Baſilius in Ægyptum, & accedens ad quendam Archimandritam, Porphyrium nomine, petivit ſibi dari Libros Sacros, quibus divina dogmata perdiſceret. Porro hoc conſecutus manſit illic, ſeſe oblectans meditatione divinorum eloquiorum, aquâ, & oleribus victitans.* Anno integro ibi moratum petiiſſe Hieroſolyma, legimus in Amphilochio. Patriam reverſus à *Dianio* Cæſareæ Epiſcopo Lectoris ad munus evehitur. A Meletio Antiocheno ad Diaconatum promotum fuiſſe narrant Amphilochius, Socrates lib. 6. c. 3. atque Nicephorus:

Niceph. l. 11. c. 17.

Baſilius à Meletio Antiochiæ Epiſcopo Diaconus creatur. Id verò nobis incertum, quòd Diaconi munere functus ſit Baſilius. Id quidem non memorat Nazianzenus, qui de Lectoris officio non ſilet: *Cùm prius Sacros Libros populo lectitaſſet, qui eos poſteà enarravit, nec hunc τοῦ βήματος*, malè *Bithus Sacerdotii* vertere malumus, *ambonis gradum indignum ſe duxiſſet, ita demum Presbyterorum; ac deinde Epiſcoporum in Cathedra Dominium laudat.* Ex Lectore igitur Presbyter factus eſſe videtur, alioquin Nazianzenus Diaconatus magis quàm Lectoris officii meminiſſe debuiſſet. Quanquam dubitationis nonnihil injicit Baſilii ad Gregorium Epiſtola, in qua hæc legimus:

Nazianz. Or. 20. 336.

Nazianz. p. 837.

Dilectum Condiaconum Euſtathium miſi. Quòd ſi Diaconum egit, à Meletio quidem Antiocheno id muneris ſuſcipere non potuit, qui anno demum CCCLX. in Antiochena ſede collocatus, poſt menſem eâ expulſus eſt. Neque niſi violatis Eccleſiæ legibus, à Meletio, cujus Clericus non erat, Baſilius creari Diaconus potuit.

Baſilius ſolitudinem petit.

VII. Solorum locorum amore Baſilius jam in Clero conſtitutus, jam Lector, Cappadociæ deſerta petit, anno circiter CCCLXVII. Quod Rufini verbis illuſtratur:

Ruf. l. 2. c. 9.

Gregorius cùm ſe totum Dei ſervitio mancipaſſet, tantum de Collega amore præſumpſit, ut ſedentem Baſilium, de Doctoris Cathedra deponeret, ac ſecum ad Monaſterium manu injectâ perduceret. Ibique, per annos, ut aiunt, tredecim omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis divinæ Scripturæ Voluminibus operam dabant. Quæ tredecim annorum ſumma geminum Baſilii ſeceſſum complectitur. Homines ſubegit, abjectis inanium rerum ſecularium curis,

Ibid.

ſimul notitiam recipere, in unum coire, Monaſteria conſtruere, Pſalmis, & hymnis & orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere, eiſque habitacula honeſta, & quæ ad victum neceſſaria ſunt, præbere, virgines inſtituere, pudicam caſtamque vitam omnibus penè deſiderabilem facere. Porro cùm *Dianius* Conciliabuli Conſtantinopolitani fidei, quæ *Conſubſtantialem* exterminabat, anno CCCLX. ſubſcripſiſſet, quam cum ſuo Antiſtite communionem coluerat, Baſilius ſolvit. Cùm autem in lethalem morbum incidiſſet, redintegratur amicitia:

Baſil. Ep. 86.

Congregatis nobis, dicebat teſtem eſſe Dominum, quòd ſimplici corde ſcripto Conſtantinopolitanæ fidei conſenſerit quidem, verùm nulla in re irritam voluerit eam fidem, quæ Nicææ à Sanctis Patribus expoſita eſt. . . Precari ſe quoque, ut non ſepararetur à cœtu beatorum illorum Epiſcoporum CCCXVIII. qui piam illam fidei prædicationem promulgaverant orbi. Atque iſtâ ſatisfactione nos ita permovit, ut ſolutâ omni cordium noſtrorum hæſitatione, ad communionem illius acceſſerimus. Defuncto Dianio ſucceſſit Euſebius, qui Baſilio Presbyteri munus detulit, at non multò pòſt exaſperatus animo, ob famam fortè Baſilii magnam magni diſſidii anſam præbuit. Euſebii in electione tumultus aliquid acciderat: & Cæſareenſibus ſuſpectus

erat,

ANNO DOM. 370.

erat, ut qui non tam Canonum præſcripto, quàm per vim Eccleſiæ Præfecturam accepiſſet. Quantum nobis quaſi per nebulam videre licet, eò proceſſere contentiones, ut ab Euſebio Baſilius communione ſuſpenderetur. Nil quidem aliud innuunt verba hæc *περιυβρισμένος καὶ ἀπορριμμένος*, *probro affectus, & rejectus*, quæ Gregorius Theologus adhibuit. Dum igitur cum Baſilio ſimultatem exercet Euſebius, Monachi qui indignum eſſe ducebant, virum, quem ut Principem ſuum colebant, contumeliâ affici, periculoſiſſimum facinus aggrediuntur. Ab Eccleſia ſeſe abrumpentes, ſecum partem plebis non exiguam abducunt. Quod incendium ut extingueret Baſilius, monitore uſus Gregorio, in Pontum profugiens, ſolitudinem amplectitur.

Naz. Or. 20. 336.

Baſilius redit Cæſaream: cum Euſebio reconciliatur.

VIII. At gravibus de cauſis deſertum exire ſuum cogitur, quæ ad hunc annum pertinent. Valens, qui triſtem in Orientis Eccleſias perſecutionem anno 367. commoverat, Conſtantinopoli profectus, adverſus Cappadociæ Chriſtianos, quorum in medullis Nicæna fides inhærebat, expeditionem ſuſcipit: *Impetum quoque unà tum eo facit exercitus ipſo dignus, improbi Eccleſiarum Gubernatores, ſævi atque immanes orbis illius, qui ipſius imperio editioni ſubjectus erat, Tetrarchæ. Qui cùm ex Eccleſiis alias jam tenerent, alias oppugnarent . . . huc quoque, ut noſtram in ditionem ſuam redigerent, venerunt, nullâ re perinde ut eorum, de quibus paulò antè locuti ſumus, ſimulatæ, atque illius qui tum nobis præſidebat, imperitiâ, ac morbis qui apud nos graſſabantur, freti atque ſubnixi.* Quæ paulò obſcuriora illuſtrat Sozomenus: *At Valens relictâ Nicomediâ, Antiochiam verſus iter fecit. Quo quidem tempore, cùm in Cappadociam veniſſet, Orthodoxos, ut ſolebat, exagitare, & illius Provinciæ Eccleſias, Arianis tradere ſtuduit.* Ob tumultum ſcilicet Conſtantinopolitanum defuncto Eudoxio concitatum, Valens Nicomediæ conſtiterat. Quâ relictâ, Eccleſiæ Cappadociæ opprimi poſſe putabat, ſpem faciente, & Baſilii abſentiâ, & Cæſarienſis Eccleſiæ diſſidio. Ubi verò nunciatur, Arianus Valentis ſatellites in Cappadociam contendere, Baſilius Gregorii Epiſtolâ invitatus, quæ XIX. eſt, Ponto decedens venit Cæſaream. Comes ipſi adfuit amiciſſimus Gregorius. Inimicitiis depoſitis, in quibus impietas magnam ſpei ſuæ partem collocabat, vir optimus Euſebii Præſulis ſibi reconciliat animum: *Proximum Baſilio negotium ac ſtudium hoc fuit, Antiſtitem colere, atque obſervare, mortalibus omnibus perſuadere, moleſtiam eam quam acceperat, tentationem quandam, & luctam improbi illius*, Diaboli ſcilicet fuiſſe, *honeſta ac laudabili contendia invidentis: cæterùm non ignarum ſe eſſe, quid obedientia ordiniſque ritualis leges poſtularent.* Tum in pauperibus alendis, quos fames ingens enecabat, quam memoravimus, operam adhibuit. Hæc ſunt charitatis exempla. Idem & magnanimitatis præbuit, quibus alia vix poſſunt comparari. Modeſtus Prætorio Præf. antevertens Valentem, promiſſorum, minarumque machinis Baſilii fidem expugnare tentat. Quæ pro nihilo habens: *Publicatio*, inquit, *bonorum non obeſt, ei qui vel ſolam fidem poſſidet. Exilium non terrebit qui totum terrarum orbem animo ſupergreditur, illud autem plagas, labores, mortem tolerare, quando id pro veritatis defenſione exigitur, ne mulieribus quidem terrorem incutere ſolet.* Tum Modeſtus, Paterc Imperatoris Magiſter nominari; vult hoc fieri, ſublato exiguo quoddam, quod in Symbolo ſcribitur, nempe *Conſubſtantialis* vocabulo. Cui Baſilius, Se de ordine Confeſſionis ne vel mutare quidquam cogitare. Neque certaminis finis. Demoſtheni cuidam coquinæ Præfecto, Baſilium vincendi provinciam mandat. Omnia illo miſcente, & impio quodam ex Illyrico, qui tabellas manu ferebat, omnes ad opus hoc convocante, rurſus adeſt Præfectus. Adſunt & Præcones, Apparitores, cancelli, cortinæ, triſte judicii miniſterium. Baſilius verò in ſecunda ea pugna ſemetipſum ſuperavit.

Naz. Or. 20. 338.

Sozom. l. 6. c. 15.

Naz. Or. 20. 339.

Nyſſ. l. 1. con. Eunom. 313.

De Macrina ſorore & fratribus Baſilii. Emmelia que ipſorum matre.

IX. Non ſolâ famâ ſuâ, ſed fratrum quoque, & ſororum virtutibus Baſilius inclaruit. Itaque labor minimè nobis injucundus erit, de egregia piaque familia nonnulla noſtris Annalibus intexere. *Emmelia* Baſilii M. mater, in qua vultus forma cum mentis pulchritudine certabat, ne ab amantibus raperetur, vitæ gravitate ſpectatum ſibi viſum eligit, primoque partu *Macrinam* genuit, aviæ nomine, quæ in perſecutionibus certaverat, appellatam. Arcanum & nomen alterum gerebat, *Thecla* ſcilicet, quòd inſtante partu ſomno conſopita *Emmelia*, viſa ſibi fuerat videre virum, humanâ ſpecie auguſtiorem, qui *Thecla* nomine filiolam appellavit. Puellarem ætatem ingreſſa Macrina, quæ ex Scriptura aptiora erant, ſibi diſcenda proponebat; cum primis Sapientiam Salomonis, & Pſalmos, quorum ſive ſurgeret, ſive ederet, ſive ad cubitum ſe componeret, partem aliquam canebat. Tantæ venuſtatis erat, ut ne pictorum quidem manus ejus decorem aſſequerentur. Deſpondetur optimo juveni, qui in reis defendendis multum ſibi famæ colligebat. Cùm ad fata prius veniſſet, quàm nuptiæ perficerentur, reſpuit omne conjugium, dicens, Virum, cui deſponſata fuerat, non mortuum eſſe, ſed Deo vivere. Sorores habuit ab uſu nuptiarum non abhorrentes, quæ honeſtibus viris collocantur. Macrina verò Baſilio M. poſtquam ex ſcholis domum reverſus eſt, ad vitam aſceticam excitavit. Matri quoque perſuaſit Monaſterium petere. Emmeliæ Baſilioque ſuperſtes anno CCCLXXX. ad plures abiit. Baſilio tres fratres fuere. Is qui ſecundum Baſilium natu major erat, *Naucratius* nomine, cùm vigeſimum ſecundum ætatis annum confeciſſet, ad ſolitariam vitam ſe contulit. Naucratium domeſticorum unus *Chryſaphius* comitatur. Nactus ſeceſſum propter Iridem fluvium, qui per mediam *Ponti* Provinciam labitur, ſenes morbo laborantes curabat, venandoque, egeſtate & languore affectis victum ſubminiſtrabat. Quinquennium in eo ſtatu egerat, cùm ad venationem profectus, unà cum Chryſaphio mortuus domum reportatur. Qui caſus Emmeliæ maximum dolorem incuſſit. Secundus Baſilio frater Gregorius Nyſſenus, de quo alius erit diſſerendi locus. Tertius verò, qui Emmeliæ liberorum minimus erat, *Petrus* appellabatur, *in quo pariendi dolores finierat mater. Quo enim tempore ipſe in lucem edebatur, pater è vita diſceſſit.* Petrum paulò poſt ejus ortum ab ubere nutricis ſublatum Macrina ſtatim enutrivit. Ei quoque vitæ aſceticæ amorem inſtillavit, in qua tantos progreſſus fecit, ut Baſilio M. virtutis præſtantiâ non inferior haberetur. A fratre ſuo Preſbyter creatur, poſtquam ad Cæſarienſem Epiſcopatum evectus fuit. Pro pietate adverſus Arianos egregiè dimicavit. In eo certamine *ſtrenuè ſe geſſit Petrus, iiſdem parentibus natus, quibus*

Nyſſ. Vit. Macr. 185.

Theodorit l. 4. c. 30.

ANNO DOM. 370.

Niceph. l. 11. c. 19.

Nyſſ. Vit. Macr. 186.

Gregorius atque Baſilius. Sed Gentilium diſciplinis non perinde ac illi excultus, vita tamen ſplendore conſpicuus. Sebaſtiæ in virtutis præmium Antiſtes ſacrorum præfectus eſt. Felicem tantis liberis matrem, quæ anno CCCLXX. confecit vitæ curriculum! Noviſſima ſanctæ mulieris verba audire voluptati eſt: *Cùm de abſentibus ſingulatim amanter mentionem fecit, ut nullus eſſet expers benedictionis, cùm præcipuè præſentes ipſa precibus ſuis obtulit Deo. Etenim cùm ei ex utraque parte lectuli adverſi aſſiderent, alterâ manu utrumque tangens, hiſce verbis poſtremis Deum allocuta eſt: Tibi, Domine, & primitias, & decumam dico fructuum uteri mei. Primitiarum enim locum hæc mihi obtinet primogenita; decuma verò extremus hic decimus filius. Tibi autem lege utrâque debentur, & tua ſunt munera. In hanc igitur primogenitam meam, & hunc decimum veniat ſanctimonia. Ita & benedictioni, & vitæ finem ſtatuit, cùm prius mandaſſet liberis, ut ſe in ſepulchrum paternum inferrent.* Emmeliæ, necnon viri ejus Baſilii memoria in Martyrologio recolitur ad Maji xxx. *Cæſareæ in Cappadocia Sanctorum Baſilii, Emmeliæ conjugis ejus, parentum S. Baſilii Magni, qui tempore Galerii Maximiani exteeres facti, Ponticas ſolitudines incoluere.* Maximinum tamen, non Maximianum dixit Nazianzenus, etſi non neſciamus utrumque ſæpius permiſceri. Neque ſoli Baſilii parentes; ſed avi etiam Ponti deſerta petiere. Multis Baſilius lachrymis matris ſuæ mortem proſecutus eſt. Qua de re ſcripſit ad Euſebium, ſuum Antiſtitem: *Quòd unicum habebam vitæ ſolatium, matrem etiam propter mea peccata amiſi. Tu ne me derideas, qui in hac ætate orbitatem deflere ſoleam. Sed hoc ſcias, me animum ſeceſſum nequaquam ægrè ferre, cui quod in reliquis dignitate reſpondeat, non invenio.* Reſpuenda eſt Baronii Chronologia, quæ Emmeliæ obitum cum anno CCCLXIX. copulat. Quem ex chariſſimæ matris obitu dolorem Baſilius contraxit, is ad concipiendum morbum graviſſimum non minimum conduxit. De iniqua valetudine, quâ conſumebatur, ſic Euſebium monet in laudata jam Epiſtola: *Rurſus igitur in morbum incidi, iterumque in lecto decumbo, exiguis omninò viribus fluctuans, & propemodum in unaquaque hora neceſſarium vitæ finem expectans. Porro Eccleſiæ ferè ut corpus meum affecta ſunt, nullâ quidem ſpe bonâ effulgente, verùm in deteriora rebus ſemper delabentibus.*

Baſil. Epiſt. 7.

Ibid.

Apoſtolorum Eccleſia Conſtantinopoli dedicatur.

X. Invaleſcebat apud Chriſtianos conſecrandorum Templorum conſuetudo. Itaque Conſtantinopoli Eccleſia SS. Apoſtolorum v. Idus Aprilis dedicatur, ut ex Faſtis Idacii novimus & Alex. Chronico. Se digniùs feciſſent Templorum poſitores, ſi ejectâ ſuperſtitione ſimplicitati Veterum adhæſiſſent, & corpora Spiritui Sancto ſua conſecraſſent.

Valentiniani de donationibus erga Clericos Conſtitutio.

Cod. Theod. t. 6. p. 48.

XI. Legem anno labente tulerunt Imperatores, quam in Eccleſiis Urbis legendam Damaſo miſerant. Sanctioni occaſionem præbuit Clericorum, Monachorumque immenſa divitiarum cupido, quæ regiis cohiberi Edictis debuit: *Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qui Continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant, ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthàc eos ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos. Cenſemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quâcunque, vel extremo judicio poſſint adipiſci: & omne in tantum inefficax ſit, quòd alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per ſubjectam perſonam valeant aliquid vel donatione, vel teſtamento percipere. Quin etiam ſi fortè poſt admonitionem Legis noſtræ, aliquid hiſdem eæ fæminæ vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiſcus uſurpet. Lecta in Eccleſiis Rom. IV. Kal. Aug. Valentiniano & Valente III. AA. Coſſ.* Baronium commovit ea lex Valentiniani, quam verbis expreſſis *parum æquam* nuncupat. Cenſuræ tamen Baronianæ notam imprimit Hieronymus in ſua ad Nepotianum Epiſtola: *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, Mimi, & Aurigæ, & Scorta hæreditates capiunt: Solis Clericis, ac Monachis hâc lege prohibetur. Et non prohibetur à Perſecutoribus, ſed a Principibus Chriſtianis. Nec de Lege conqueror, ſed doleo, Cur meruerimus hanc Legem. Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio.* Neque iniquitatis Legem accuſat Ambroſius, qui anno CCCLXXXIV. hæc in Libello adverſus relationum Symmachi ſcripſit: *Nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus Legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus injuriam, quia diſpendium non dolemus.* Eſt quidem veroſimile, ipſo Damaſo id agente editam eſſe Legem, deſtruendæ ſordidæ avarorum Clericorum, & Monachorum officinæ. Timendum ſanè fuit, ne pietatis ſpecie omnia voraret poſſidendi cupido, quæ in Clericis exarſit, de quibus meritò carmen ingenioſi Poetæ uſurpari poteſt:

ANNO DOM. 370.

Hier. Ep. 2.

Creverunt & opes, opum furioſa libido:
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt,
Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant:
Atque ipſa vitiis ſunt alimenta vices.

In Clericorum Monachorumque ſuffragiis pro defunctis in ſacrificiis, reliquiis, aliiſque ejuſmodi permagna vis fuit ad commovendam liberalitatem, ac longè major quàm in ſaltatorum cantilenis, aut meretricum artibus, ut certiſſimâ experientiâ tenemus. Prudentiſſima igitur fuit Valentini Conſtitutio: *Quod Sacerdotibus prophanis legaverit Chriſtiana vidua valet, quod Miniſtris Dei non valet:* quia majus ex Teſtamentis periculum, quibus plus in Clericos, quàm in profanos opum effundebatur.

ANNO U. C. 1124. PER. JUL. 5084. JUL. 416. DOM. 371. VALENTIN. & VALENTIS 8. GRATIAN. 5. *Sol.* 16. B. *Lun.* 11. *Indict.* 14. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

ANNO DOM. 371.

COSS. *Gratianus Aug. II. & Sextus Petronius Probus.*

Valens Antiochiam proficiſcitur. Quo anno illam ingreſſus eſt?

I. POſt ſuſceptam adverſus Cæſarienſes expeditionem, quam Nazianzenus non immeritò *Barbaricam incurſionem* vocat, Valens Conſtantinopolim redierat. Hoc quidem anno ibi Legem dedit, de Cenſu ad Modeſtum Præf. Præt. VIII. Kal. Febr. Neque ex ea civitate ante menſem Maium videtur eſſe profectus. Intereà Sapor pugnis, victoriiſque ſuis ſuperbus, exactâ hyeme in Romanos conductam plebem cataphractos & ſagittarios mittit. Quibus copiis Trajanus Comes, & Vadomarius opponuntur, juſſi à Principe, obſervare potius, quàm laceſſere Perſas: *Qui cùm veniſſent Vagabanta, legionibus habilem locum, rapidos turmarum procurſus hoſtilium*

Marcellin. l. 29. c. 1.

hoſtilium in ſe ruentium acriter exceperunt inviti, operaque conſulta retrocedentes ne ferro violarent adverſorum quemquam primi, & judicarentur diſ-ciſſi fœderis rei, ultimâ trudente neceſſitate congreſſi ſunt. Confoſſiſque multis diſceſſere victores. Inter moras tamen utrimque ſecus tentatis aliquoties levibus præliis, varioque ſinatu eventu, pactis induciis ex conſenſu æstateque conſumptâ, partium diſceſſere ductores, etiam tum diſcordes. Et Rex quidem Parthus hyemem Cteſiphonte acturus, redit ad ſedes, & Antiochiam Imperator Romanus ingreſſus. Magna inter eruditos quæſtio eſt, quo tempore Valens Antiochiam venit. Baronius anno CCLXX. eum ingreſſum aſſignat. Sed perperàm, ut multis legibus liquet, hoc anno Conſtantinopoli à Valente promulgatis. Quin etiam regnaſſe hyemem, cùm Antiochenam Valens urbem intravit, ex laudato Marcellino non obſcurè colligitur. Quæ cùm ea non eſſe poſſit, quæ partim Decembri ſuperioris, partim Januario præſentis anni inſidebat, à Baronii Chronologia eſt neceſſariò diſcedendum. Valeſius Gratiano & Probi Conſulatui cum Valentis adventum alligat, quem Pagius cum anno CCCLXXII. copulat. Sed Pagium inter atque Valeſium pax facillimè componi poteſt. Nempè ſi vertente Decembri, adventus ille Antiochenus contigerit, quem initio anni CCCXXII. Pagius collocat. Bidui ſaoè aut tridui differentia tanti non eſt, ut bellum Chronologicum ſuſcipiatur, nec ex illa perturbationis aliquid exorietur in Hiſtoria. Utrique quidem ſententiæ communia ſunt argumenta. Poſt Valeſium obſervat Pagius, Libanium in vita ſua, ſe quinquagenarium fuiſſe, Joviano adhùc imperante; poſteà pag. 48. annum ætatis octavum & quinquageſimum egiſſe ſe profiteri, tunc Valens Auguſtus Antiochiam venit. Ab exitu Joviani, qui anno CCCLXIV. ad plures abiit, ad uſque Conſulatum Gratiani & Probi octennii ſpatium effluxit. Contemplemur nunc res Eccleſiæ.

Cyzico Demophilus Epiſcopum imponit.

II. Demophilus, qui deceſſorem Eudoxium impietate ſuperabat, Cyzicum ſe contulit, ut Eunomio Epiſcopum ſubſtitueret. Ex quo impius ille *Anomæorum* facilè Princeps, eâ civitate relictâ, aliò conceſſerat, nullus ab Eudoxio Antiſtes recedenti ſubrogatus fuerat. Creando igitur Epiſcopo unà cum Dorotheo aliiſque Cyzicum ſe Demophilus contulit. Incolæ Eleuſii ſui quondam Epiſcopi opinioni adhærentes, Chriſtum Patri ſecundum naturam ſimilem conſtanter profitebantur. Ubi verò Demophilus ipſorum proteſtationem admiſit Ætio Eunomioque damnato, ac orationibus, ſcriptiſque Eunomium Anomœum appellaſſet, ac qui ipſius doctrinam amplecteretur, anathemati ſubjeciſſet, Cyziceni tandem ordinationem admiſere, neminem alium ad Epiſcopatum promoveri paſſi, niſi quem ipſorum ſuffragia prætuliſſent. Qui ordinatus eſt, illicò Filium Patri Conſubſtantialem prædicavit.

Philoſtor. l. 9. c. 13.

Euſebius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus. Mors ipſius.

III. Epiſcopalis conſecratio, eâ Cyziceni Antiſtitis longè celebrior, hoc anno peracta eſt, Baſilii nimirum, qui omnium ore Magnus audit. Viro illuſtri locum dedit mors Euſebii, cum quo redierat in gratiam, quaſi expectaretur hæc illa amicitiæ redintegratio, ut Cæſarienſis Epiſcopus ad fata veniret: non vanum nomen gerebat, aut eo indignum ſe præſtabat optimus ille Euſebius, qui à *pietate* ſortitus erat appellationem. Mortuo Dianio, cùm ſucceſſorem alii alium proponerent: *Tandem plebs uno conſenſu primarii ordinis virum unum, vitâ & moribus eximium, divino tamen baptiſmo nondum conſignatum, invitum & repugnantem corripientes, ſimulque militaribus copiis, quæ tum in urbe erant opem aſſerentibus, in Sacrario collocarunt, & Epiſcopis obtulerunt, ab uſque petere inſtituerunt, ut eum initiarent, & Antiſtitem proclamarent, ſuaſioni interim vim admiſcentes.* Euſebius ille fuit. Quò tandem vis ea progreſſa eſt? Epiſcopi coacti, Euſebium *purificarunt, Antiſtitem renunciarunt, in throno collocarunt.* Hæc anno circiter CCCLXII. contigerunt. Ingrata Juliano Imperatori fuit Euſebii ordinatio, ipſique minabatur: neque amico & benevolo in eum animo erat Provinciæ Præſes, qui ob contraria in Reip. adminiſtratione ſtudia ab eo diſſidebat. Quin etiam Epiſcopos per literas accerſebat, Euſebium accuſaturos, minarum aliquid adjungens. Scripſerat & Gregorio Patri, qui non ſatis prædicandâ libertate, & animi celſitudine reſpondit: *Nos, potentiſſime Præſes, rerum omnium quæ geruntur Cenſorem unum, & Regem habemus, qui nunc oppugnatur. Is & præſentem electionem expendet, quam nos ritè & legitimè, atque ut ipſi gratum eſt, fecimus. Id autem nemo unquam nobis adimet, quin ea quæ facta ſunt, ut rectè ac juſte facta defendamus.* Strenuè fortiterque in Epiſcopatu ſuo pro pietate certavit Euſebius, & quod maximum putamus, odio omni depoſito prior Baſilii amicitiam requiſivit. Quod Nazianzenus teſtatur Epiſtolâ 19. *Puto fore ut deprecatrices & evocatrices literas ad te veniant, quemadmodum & ipſe mihi ſignificavit.* Tandem Deo chariſſimus ille Præſul exhauſtis in perſecutione laboribus benè multis anno 371. abiit è vita. Si Baronio credimus, *Violento morbo confectus eſt.* Nil eſt tamen Gregorii in narratione, quod *violenti* aliquid indicet. *Celerrimè* quidem, non tamen violenter vitâ functum dicit Gregorius: imo *tidine jecundè.* In ipſius Baſilii manibus animam exhalans, ad Deum migravit. Euſebium illum ipſum eſſe, cujus memoria die XXI. Junii recolitur, nonnullis creditum: *In Cæſarea depoſitio Sancti Euſebii Epiſcopi.* Audito defuncti obitu, Baſilius hæc ſuo Gregorio ſcribit: *A morte B. Euſebii metus non parvus nos invaſit, ne fortè ii, qui Metropolitana Eccleſiæ noſtra quondam inſidias ſtruebant, eamque hæreticis zizaniis implere cupiebant, occaſionem hanc nacti, pietatem iis hominum animis multo labore conſitam; perniciosis ſuis doctrinis radicitùs evellant.* Dei favore providetur ne melior Euſebio defenſor Eccleſiæ deſideraretur.

Naz. Or. 19. 308.

Bar. An. 370. n 45.

Naz. Or. 20. 342.

Naz. p. 837.

Baſilius M. ad Epiſcopatum promovetur.

IV. Euſebio quippe ſucceſſor datur Baſilius ille Magnus, quem Baronius, eruditique penè omnes anno CCCLXIX, ad Epiſcopatum evectum eſſe arbitrantur. Eſt autem certiſſimum, in Baronianis erroribus numerari, quòd tam citò Baſilium ornavit infulâ. Doceat hoc Gregorius Baſilii frater: *Progreſſus Imperator Conſtantinopoli, cum ingenti apparatu proficiſcebatur in Orientem, elatus animo ob res paulo antè adverſus Barbaros feliciter geſtas.* Quæ ſunt de bello Gothico, & fœdere cum Athanarico intelligenda. Hæc autem geſta ſunt anno CCCLXIX. Profiſci igitur in Orientem non potuit, niſi inſequente anno, quo tempore Baſilius nondum Epiſcopatum induerat, agente adhùc inter homines Euſebio. Id ipſum apertiſſimè demonſtrat Modeſti cum Baſilio colloquium: cui obtemperanti *promittebat honores omnes ab Imperatore,*

Error Baronii.

Nyſſ. contr. Eun. l. 1. 312.

ratore, & præterea Eccleſiæ gubernaculum, & clavum. Quid eſt Epiſcopatus, ſi hic non eſt? Pollicebatur autem eam dignitatem, quam nondum fuerat adeptus. Nyſſeno aſſentitur Nazianzenus, à quo audivimus Ponticas ſolitudines exiviſſe Baſilium, ubi Valentem in Cappadociam properare novit, & cum Euſebio in gratiam rediiſſe. In illo igitur cum Modeſto congreſſu Baſilius adhuc Presbyterum agebat anno CCCLXX. Denique exhauſto demum bello Gothico, Modeſtus Prætorio Præfectus eſt: *Pace facta, Valens Conſtantinopolim proficiſcitur, & quia Auxonius Præfectus Prætorio diem ſuum in terris ſupremum clauſerat, Modeſto Magiſtratum hunc tradit.* Sic luce clarius eſt, anno CCCLXIX. ad Præſulis honores nondum aſcendiſſe Baſilium, quo cum adhuc Presbytero, Modeſtus jam Prætorio Præf. miſcuit colloquia. Probabiliter admodum cum anno præſente ejus conſecrati copulatur. Cui vulgò Junii XIV. aſſignatur: *Cæſareæ in Cappadocia ordinatio S. Baſilii Epiſcopi, qui tempore Valentis Imperatoris doctrinâ & ſapientiâ inſignis, omnibuſque virtutibus ornatus mirabiliter effulſit.* Non incidit tamen dies hæc in primam feriam, ſed in tertiam, ex quo conficitur, vel Dominicæ diei nondum neceſſariò cohæſiſſe ordinationes, vel quod longè veriſimilius, Baſilianæ inaugurationis diem in ignoratione jacere. Anno CCCLXIX. Junii quidem quartus & decimus primæ feriæ cohærebat, at Baſilii conſecratio cum eo anno copulari nequit.

Zoz. l. 4. c. 11.

Martyrol. R.

Baſilii ordinatio.

V. Quæ Baſilii in ordinatione notabiliora ſunt, nunc oratione proſequamur. *Maturè fugam arripuiſſe* Baſilium, ne Euſebio ſubſtitueretur, unde hauſerit Baronius prorſus neſcimus. Id certè ſcimus, correptum metu Baſilium, ne vacuam Hæretici ſedem invaderent, Euſtachium Diaconum cum literis Gregorio miſiſſe, ut adventu ſuo laboribus pro Eccleſia ſuſceptis confectum conſiliis recrearet, & juvaret auxilio, ut demum Paſtor legitimus gregi imponeretur. Ad iter ergo ſe accinxit Gregorius, lachrymans & gemens ob amici morbum. Ubi verò Epiſcopos Cæſaream concurrere intellexit, Baſilium qui adventum eò negaverat, perſtringit Epiſtolâ, quæ numero eſt XXI. *Ad Metropolitanam urbem nos acciviſti, cùm de creando Epiſcopo conſultatio propoſita eſſet. Ac quàm ſpecioſo & ad perſuadendum appoſito prætextu uſus es? Ægrotare te finxiſti.* Ubi verò Gregorius Cæſaream Epiſcopos confluere intellexit, profectionis conſilium abrupit. Intereà ſcribit ad Cæſarienſes Gregorius pater, ut Baſilius Epiſcopus crearetur, quem & de meliore notâ commendat: *Ex omnibus qui apud vos in honore ſunt, neminem Deo dilectiſſimo filio noſtro Presbytero anteferre poſſum, viro & vitâ, & ſermone purgato, quique vel omnium ſolus, vel certè quàm maximè utráque re adverſus temporis turbinem, ac vigentem hæretica linguæ pruritum, velut in procinctu ſtare poſſit.* Nec diſſimilia Epiſcopis ingerit, qui ipſum ad Metropolitanam urbem de conſtituendo Epiſcopo vocaverant. Paucis quidem, ſed gravibus verbis Baſilium Antiſtitibus commendat: *Nos verò neminem, nec enim fas eſt, chariſſimo filio noſtro Baſilio Compresbytero præferre poſſumus.* Quin etiam optimus ille ſenex morbo fractus atque debilitatus, iter tamen aggreditur, ut calculo ſuo Baſilii electionem juvaret. Porro ea non proceſſit quidem *citra invidiam & dimicationem tum eorum qui patriæ præſidebant, tum perditiſſimorum quorumque urbis civium, qui ad eorum partes ſe adjunxerant.* Vicit tamen Baſilius, cujus in conſecratione mirandum quid accidit. Gregorius enim pater, qui vehiculo penè mortuus Cæſaream petierat, *Juvenis redit, firmus ac valens, oculos erectos habens, a manuum impoſitione & unctione, addo etiam & ab illius qui ungebatur, capite roboratus.* Si credimus Pſeudo-Amphilochio, Chriſtus *aſtans in viſione cum Apoſtolis, pane & vino in ſacro altari propoſitis, Baſilium excitavit, dicens, Secundum petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut tuis ipſe verbis incruentum ſacrificium offeras.* Videbantur in Templo ſpiritualе lumen, virique glorioſi amictu candido. Quid vero tanto dignatus honore fecit Baſilius? *Pane in tres* partes diviſo, *unam quidem cum multo timore & veneratione ſumpſit, alteram verò unà ſecum ſepeliendam ſervavit, tertiam denique in columba aurea depoſitam, deſuper ſacrum altare ſuſpendit.* Quæ vel ſola ſufficiunt ad larvam Pſeudo-Amphilochio detrahendam, utpote & incognita Nazianzeno, & à temporibus Baſilii alieniſſima.

Naz. Ep. 22.

Naz. Ep. 23.

Naz. Or. 20. 343.

Vit. Baſil. 176.

Baſilii Magni mores.

VI. Magnæ Baſilio fuere virtutes. Mira frugalitas, ab omni luxu aliena: *Illi tunica una, & pallium unum, & ſtratus humi lectulus, & illuvies, & vigiliæ; & ſuaviſſima cœna, & obſonium, panis & ſal, & potio quam fontes profundunt.* Magnum erga pauperes ſtudium, quos pro liberis habebat, fovebat, amplectebatur. Ne labra quidem vir nobilis, & nobilibus ortus, gloriâque clariſſimus ægrotis admovere gravabatur. Aliis cupediariorum lenocinia, elegantes curſus, veſtes molles relinquebat, ſibi verò ægrotorum, vulnerumque curationes reſervabat. Superbiæ tamen ſuſpicionem effugere non potuit, quam Nazianzenus purgat, ex oſculis, quæ leproſis figebat. Quin etiam hæreſeos inſimulatus eſt. In convivio quodam ampliſſimis laudibus efferebatur. Tum vir pietatis & habitum, & nomen præ ſe ferens exclamat, *Orthodoxiæ titulo fruſtrà laudatur Baſilius.* Unde hoc? Tum ille: *Ex Eupſychii Martyris Synodo nunc venio, camque dicti mei teſtem habeo, atque illic Baſilium Magnum audivi, de Patre quidem & Filio optimè & perfectiſſimè, atque ut vix quiſquam alius facilè queat, diſſerentem; Spiritum Sanctum autem convellentem ac diſtorquentem.*

Naz. Or. 20. 360.

Naz. Ep. 26.

Sic malus obtrectat facta immortalia livor,
Nec ſinit adjutas doctoris creſcere laudes.

Quas vir optimus calumnias paſſus fuerit, pluribus docebimus. Porro poſtquam res domeſticas ex ſententia conſtituit, totum orbem pacare aggreſſus eſt, ſcriptis ad omnia penè loca literis, ut tempore ſuo obſervabimus.

De duobus Aſteriis.

VII. Intereà errorem evellamus Baronio. De Aſterio Sophiſta Sancti Juliani in hiſtoria hæc refert Theodoritus. Per Cyrum urbem bidui itinere Antiochiâ diſtantem, Julianus iter habens, divertit in ædem Dionyſii Martyris. Qui illic præerant, convenientes ſupplicarunt, ut ſibi opem ferret: *Dicebant enim Aſterium qui in ſophiſtica & falſa dicendi arte fuerat educatus, & ſe in Hæreticorum Eccleſiam injecerat, & Epiſcopale munus erat aſſecutus, falſum acriter defendere.* Quem Baronius Aſterium pro illo Sophiſta habet, cujus ſæpius meminit Athanaſius, quemque Marcellus Ancyranus ſcriptis ſuis confutavit. Quin tamen ex duobus Aſteriis unum fecerit, non eſt ambigendum. Teſtem damus Athanaſium: *Aſterius Cappadox Sophiſta multiceps, unus ex ſociis Euſebianis, quoniam Idolis in* priore

Bar. An. 370. n. 81.

Ath. de Synod. 887.

Bar. An. 369. n. 45.

ANNO DOM. 371.

priore perſecutione, qua fuit ſub avo Conſtantii immolaverat, & propterea nequiret in Clerum cooptari de ſententia Euſebii, Opuſculum fecit quale & ipſe volebat, in quo locuſtam & erucam cum Chriſto comparat. Eſt autem creditu difficillimum, hominem qui Maximiano imperante numinibus ſacrificarat adulto jam Valerii Principatu, & vitam retinuiſſe, & ejus corporiſque animique roboris fuiſſe, *ut falſum acriter defenderet, & improbo artificio uteretur in veritatem.* Quo tempore annos propè centum natus fuiſſet. Eſt & in obſervatione ponendum, illum Aſterium Cappadocem ad clericales honores ſuâ idololatriâ aditum ſibi obſtruxiſſe. Quibus non obſcuris notis ab Aſterio *Cyrenſi* Epiſcopo ſecernitur. Duos ergo Aſterios diſtinguimus, ejuſdem quidem & nominis, & ſententiæ, ſed & ætate, & munere diverſiſſimos. *Aſterius Epiſcopus* ſubitaneâ morte Juliani precibus confectus eſt: *Uno die ante diem feſtum & celebrem, quo verba erat facturus falſi defenſor, & hoſtis veritatis, is divinitùs immiſſam accepit plagam, & cùm uno tantum die ægrotaſſet, exceſſit e vivis.* De Aſterio verò Athanaſii Hieronymus videtur intelligendus: *Aſterius Arianæ Philoſophus factionis ſcripſit regnante Conſtantio, in Epiſtolam ad Rom. & in Evangelia, & Pſalmos; & Commentarios, & multa alia, quæ à ſuæ partis hominibus ſtudioſiſſimè leguntur.* Quæ Opera Aſterio Cyrenſi Epiſcopo vindicare quidem Baronius non debuit; hoc uno vel argumento, quòd huic Aſterio Epiſcopi titulum non indiderit Hieronymus, quo Scriptores Eccleſiaſticos afficit, qui id muneris geſſere.

Theodorit. Philot. c. 2.

Valentinianus indulgentiæ aliquid concedit Urſino.

VIII. At Occidentis in partibus Valentinianus, Urſino in Gallias relegato, manſuetudinis aliquid exhibere voluit, dato ea de re ad Ampelium P. P. Reſcripto: *Budum Urſini in inquietudine provocati, faventes concordiæ Populi Chriſtiani, quieti etiam Urbis ſacratiſſimæ providentes, uno interim loco intra Gallias duntaxat perturbatorem tranquillitatis publicæ, ſtatueramus jure cohiberi: ſcilicet ne applicatione morum latè diſſenſionis in commodum ſpargeretur. Verùm natura noſtra manſuetudine levigati ita memorato abſcedendi copiam dedimus, ne ad urbem Romam, vel certè ſuburbicarias regiones pedem inferat, neque nequitia ſua contagionem conetur infundere. Id etiam de cæteris erroris ſui conſortibus, Gaudentio videlicet, Urſo, Ruſo, Auxanone, Auxanio, Adiedo, & Ruſino ſancimus, ut quos nequitiæ ſimilitudo complectitur, eoſdem & conditio emendationis aſtringat.* Ad Maximinum quoque Vicarium Urbis eadem de re ſcripſit. Mandatum exhibet integrum Bar. ad hunc annum, in quo legi poteſt.

Hilarionis vita & obitus.

IX. Huic quoque anno mors Hilarionis celebritatem attulit. Ortus erat *vico Tabatha, qui circiter quinque millia à Gaza urbe Palæſtinæ ad Auſtrum ſitus eſt.* Lucem aſpexit anno Dom. CCXCI. A parentibus qui Idolis deditì erant, miſſus Alexandriam, Grammatico traditur. Hic Deo doctore uſus, pietatem didicit, ut non arenæ ſanguine, non circi furoribus, ſed Chriſtianâ diſciplinâ delectaretur. Incenſus viſendi Antonii ſtudio, pergit ad eremum, ac mutato priſtino habitu duobus ferè menſibus apud S. Abbatem manſit. Reverſus cum quibuſdam Monachis ad patriam, parentibus jam defunctis, partem bonorum fratribus, partem pauperibus largitur. Annos quindecim natus, ſolitudinem, *quæ in ſeptimo milliario à Majoma*, ingreditur. Veſtes ejus, ſaccus, *pelliceus ependites, quem B. Antonius proficiſcenti dederat*, ſagumque ruſticum. Quindecim tantùm caricas poſt Solis occaſum comedebat: *A viceſimo primo anno uſque ad* XXVII. *tribus annis dimidium lentis ſextarium madefactum aquâ frigidâ comedit, & aliis tribus panem aridum, cum ſale, & aqua à 27. uſque ad triceſimum herbis agreſtibus, & virgultorum quorumdam radicibus crudis ſuſtentatus eſt. A triceſima autem primo uſque ad triceſimum quintum ſex uncias hordeacei panis, & coctum modicè olus abſque oleo in cibo habuit.* Prima in Syria Monaſteria poſuit: *Nec dum tunc Monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam Monachos ante Sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator, & eruditor hujus converſationis, & ſtudii in hac Provincia fuit.* Multa Hilarionis miracula narrat Hieronymus. Signo crucis maris impetum repreſſit; abſens Antonii obitum novit; Dæmones expulit; tres à Medicis deſperatos Ariſtenatæ filios ſanitati reſtituit. Nos pietatem Hilarionis pluris facimus, quam in morte etiam exhibuit. Octogeſimo ætatis ſuæ anno, quaſi teſtamenti vice brevem manu propria ſcripſit Epiſtolam, omnes divitias ſuas Heſychio relinquens: *Evangelium ſcilicet, & tunicam ſacceam, cucullam & palliolum. Jamque modicus calor tepebat in pectore, nec præter ſenſum quidquam vivi hominis ſupererat, & tamen apertis oculis loquebatur, Egredere, quid times? Egredere, anima, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſervíſti Chriſto, & mortem times?* In hæc verba exhalavit ſpiritum. Obiit in Cypro; corpuſque ejus *ante urbem Papho* ſepultum, quod poſt decem ferè menſes Heſychius furatus eſt. Baronius mortem Hilarionis in annum 372. contulit. Ac ex Hieronymo colligit, *Eundem hoc ipſo anno diſceſſiſſe.* Nos verò ex Hieronymo conficimus, Baronium anni unius metachroniſmo peccaſſe: *Sexageſimo tertio vitæ ſuæ anno* flebat quotidie. Interrogatus à fratribus, Quid haberet cur ſe conficeret? ait, *Rurſum ad ſeculum redii, & recepi mercedem in vita mea, en homines Palæſtinæ exiſtimant me alicujus eſſe momenti. Cumque ita vixiſſet lugens biennium*, Antonii novit obitum. Naturæ ſatisfecit Antonius anno CCCLVI. menſe Januario. Quo tempore Hilarion erat annorum ſexaginta quinque. Si LXV. Hilarionis cum anno CCCLVI. currit, octuageſimus ergo Hilarionis in Dom. CCCLXX. incedit, qui & ipſi fatalis fuit.

Hier. Vit. Hil.

Error Baronii.

Bar. An. 372. n. 107.

Hieron. Vit. Hil. Pag. 96.

ANNO U. C. 1125. PER. JUL. 5085. JUL. 417. DOM. 372. VALENT. & VALENTIS 9. GRATIAN. 6. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 12. *Indict.* 15. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 7. 1. *P.* 7. *April.*

ANNO DOM. 372.

COSS. *Modeſtus & Arintheus.*

Firmi in Africa rebellio & mors.

I. FIrmo qui apud Mauritaniam regnum invaſerat, hic annus mortem attulit. Perjucunda hiſtoria eſt, & Annalibus digna. *Nubel* Regulus Maurorum potentiſſimus, moriens filios & legitimos, & nothos reliquerat. Eorum unus *Zamma*, Comiti nomine *Romano* percharus, clam à *Firmo* fratre interfectus eſt. Defuncti necem ulciſci cum omni ratione *Romanus* niteretur, Firmus ultimorum metu deſcivit ab imperio. Ne hoſtis implacabilis incrementis virium adoleſceret, Theodoſius Magiſter Equitum perduelli opponitur, vir bello, & virtutibus clarus. Secundis auſpiciis cum claſſe Arelato

Anno Dom. 372.

to profectus, ad Sitifenſis Mauritaniæ littora appulit. Spectatiſſimi Ducis adventu præſtrictus Firmus, præteritorum veniam miſſis Oratoribus poſcebat. Scriptis quoque docebat, ſe non ſponte ſuâ deſciviſſe, ſed iniquitate licentius graſſante coactum. Pace obſidibus acceptis promiſſâ, Theodoſius amorem omnium ſibi conciliavit, quod à Provincialibus commeatum dari prohibuit, dicens, *Meſſes, & conditoria hoſtium virtutis Romanorum horrea eſſe. Tubuſaptum* Sitifenſis Mauritaniæ oppidum progreſſus, ſecundam Firmi legationem repudiat, quæ obſides ſecum non adduxerat. Dein Tyndenſes Moſſiſenſeſque, quos Dius, & Maſcizel, Firmi fratres ducebant, aggreditur. Certamen aſperum committitur, in quo Barbari vincuntur: plures ſubinde agri vaſtantur. Maſcizel reparatis viribus Romanis occurrit. Sed fuſis è parte ſuorum pluribus equi pernicitate ægrè diſcrimine mortis eximitur. Feſſus clade geminâ Firmus, Chriſtiani ritus Antiſtites oraturos pacem cum obſidibus miſit. Qui cùm læta reſponſa retuliſſent, præmiſſis muneribus, ipſe fidenter ad Theodoſium accedit. Suſcipitur cum oſculo, biduoque poſt *Icoſium* oppidum militaria ſigna, & coronam ſacerdotalem reſtituit. Fraudes tamen moliebatur, ut nihil hoſtile metuentes Romanos veluti fluctu ſubito opprimeret. Fratris adjuvabat conſilia Firmi ſoror, nomine *Cyria*, divitiis affluens. Confugerat cum Mazuca fratre rebellis ad *Iſaflenſium* populum. Inductis in pugnam Romanis, Barbara inclinatur acies. Mazuca letaliter ſaucius capitur, & non multò pòſt dilatato vulneris hiatu exceſſit. Defuncti caput mittitur Cæſaream. Firmus equo per ſaxa diſcurrere aſſueto dilabitur. Ut ad Iſaflenſes ipſum rediiſſe comperit Theodoſius, eos adoritur, cui Rex *Imazen* progreſſus obviam, *Cujus loci es tu*, inquit, *vel quid acturus hùc veniſti? reſponde.* Quem Theodoſius intuens torvum, *Comes*, ait, *Valentiniani ſum, orbis terrarum Domini, ad opprimendum latronem funereum miſſus, quem niſi ſtatim reddideris, ut invictus ſtatuit Imperator, peribis funditùs cum gente quam regis.* Quo audito, jactis in Theodoſium conviciis, *Imazen* abſceſſit. Conferti dum audent in prælio Barbari, *Firmus equo celſiori inſidens, ſago puniceo porrectius panſo*, clamoribus magnis milites hortatur, ut dedant Theodoſium *truculentum, & ſuppliciorum ſaviorum repertorem*, ſi diſcriminibus eximi vellent. Quibus commoti nonnulli, prælium deſerunt. At Imazen tot cladibus attritus, prorumpens ex acie ſolus, Thodoſium rogat, ut ad ſe *Maſſillam* mittat, per quem monet, ut Iſaflenſibus acriter immineat. Quibus attritis, Firmus dum latenter evadit, captus ab Imazene cuſtoditur. Tum mortem unum ſibi perfugium ratus, vino conſulto diſtentus, ſilenti nocte oppreſſis ſomno cuſtodibus, funiculo quem caſus paraverat, ſibi gulam fregit. Camelo defuncti cadaver impoſitum, mittitur Theodoſio, qui Sitifim triumphanti ſimilis rediit. Firmi rebellio plures annos exhaurit, ipſo teſte Marcellino, cujus hæc verba ſunt: *Exinde cùm militem ducens incolumem Theodoſius ad fundum veniſſet, nomine Mazucanum exuſtis deſertoribus paucis, aliiſque ad ſagittariorum exemplum, quibus manus adempta ſunt, contruncatis Tipatam menſe Februario venit.* Morte Firmi hoc anno extincta ſeditio eſt. Ad res Eccleſiæ nunc convertamus animos.

Marcel. l. 29. c. 5.

II. Valens in Oriente ſuos ſucceſſus urgens more ſuo, fidem extinguere tentabat. Obſcuritate tegitur annus, quo præclarum certamen Baſilius iterum iniit. Ac Pagius illud in annum CCCXXLVI. transfert, conjecturâ ex Hieronymo ductâ, qui hæc habet, *Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ clarus habetur.* Huic tamen Chronologiæ pugnat Nazianzenus, qui in oratione funebri Baſilii glorioſam de Valente victoriam, Anthimii cum Baſilio diſceptationi præponit, quæ diu quidem ante annum CCCLXXVI. contigit, utpote quæ cauſa fuerit, cur Gregorius Zazimis Epiſcopus imponeretur, neque furor Valentis tamdiu quieſcere potuit, quin ut imperii ſui cæteras partes, ſic Cappadociam quoque triumpharet oppreſſâ pietate. Itaque eò inclinat animus, ut Baſilius hoc anno rurſum in arenam deſcenderit, manum cum adverſario conſerturus. Aures præbeamus Nazianzeno: *Chriſti hoſtis Imperator, & fidei tyrannus, cum majore impietate, ac ferventiore acie, utpote cum valentiori adverſario rem habiturus, ad nos iterum venit, indignum & miſerum eſſe exiſtimabat, cùm multas gentes imperio teneret, ac finitimos omnes impietatis robore, atque potentiâ domuiſſet, ditioneque ſua, quidquid obvium habuerat, ſubjeciſſet, ab uno homine, unâque civitate ſuperari.* Ecce igitur iterum Modeſtus Prætorio Præfectus. Omnium gentium, ſeculorum omnium memoriâ conſecrari debet magni Præſulis cum Præfecto colloquium: *Quæ tua eſt, inquit, ratio, heus tu, Baſili, ut tanto Imperatori obſiſtere audeas, ſoluſque omnium contumaciter te geras? Quorſum, reſpondit Baſilius, hæc oratio ſpectat, & quænam hæc contumacia & arrogantia? Nondum enim id ſatis intelligo. Quoniam, inquit ille, Imperatoris Religionem minimè colis, omnibus aliis jam inclinatis & ſuperatis. Non enim, inquit, Baſilius, hæc vult Imperator meus: nec rem ullam creatam adorare ſuſtineo, cùm & ipſe à Deo creatus ſim, & Deus eſſe jubear. Nos verò, inquit ille, quid tandem tibi videmur? Nihil ſanè, inquit Baſilius, dum hæc jubetis. Age verò, inquit ille, non magnum & honorificum exiſtimas, ad noſtras partes adjungi, ſocioſque nos habere? Ad hæc Baſilius, Vos quidem Præfecti eſtis, & quidem illuſtres, non inficias eo, minimè tamen Deo præſtantiores. Socios autem vos habere mihi quidem amplum, & honorificum fuerit, quidni enim cùm ipſe quoque Dei creatura ſitis? Sed ut alios quoſdam ex his qui nobis ſubjecti ſunt. Non enim perſonarum dignitate, ſed fide Chriſtianiſmus inſignitur. Hâc oratione commotus Præfectus ac majore irâ ſuccenſus, de ſubſellio ſurrexit, atque aſperioribus verbis cum eo agere perrexit. . . . Quid poteſtatem hanc non pertimeſcis? Cur pertimeſcerem, inquit Baſilius, quid fiet, quid patiar? Quid patieris intulit ille? Unum è tam multis, quæ meæ ſunt poteſtatis. Quænam hæc ſubjunxit Baſilius. Fac enim intelligamus. Bonorum, inquit, ille proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Baſilius, Si quid aliud, id nobis minitare: horum enim quæ adhùc commemoraſti nihil nos attingit. Quonam modo, inquit ille? Quoniam, inquit Baſilius, bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet, niſi fortè laceris & detritis hiſce pannis indiget, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copia ſunt. Exilium autem haud cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc quam nunc incolo, meam habeo & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco.*

Anno Dom. 372.

Baſilii M. cum Modeſto certamen.

Jam

Digitized by Google

ANNO DOM. 372.

Jam tormenta quid accipere queant, cùm corpus deſit, niſi forte primam plagam dixeris: hujus enim ſolius penes te arbitrium & poteſtas eſt. Mors porro beneficii mihi loco erit: citius enim me ad Deum tranſmittet, cui vivo & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii. Quo ſermone obſtupefactus Præfectus, Nemo, inquit, me adhuc uſque diem ita eſt allocutus, nec pari verborum libertate. Neque enim, ait Baſilius, fortaſſe tu Epiſcopum incidiſti. Hâc Baſilii magnanimitate

Naz. Or. 20. 346.

victus Valens, vim ipſi adhiberi vetuit. Antiochiæ præclarum hoc conſtantiæ ſuæ ſpecimen Baſilium edidiſſe nugatur Pſeudamphilochius, repugnante Nazianzeno.

Melania: vitæ ipſius breviarium.

III. Digna noſtris & Annalibus *Melania*, mulier nobilis, quæ à compluribus Eccleſiaſticis Scriptoribus celebratur. Neptis, filiane Conſulis fuerit, non ſatis liquet. *Marcellino Conſule avo* ortam eſſe, in Epiſtola Paulini decima legimus. At Hieronymus in Chronico: *Melania*, inquit, *nobiliſſima mulierum Romanarum, & Marcelli quondam Conſulis filia.* Conſtat tamen Conſulari ſanguine fuiſſe procreatam. Illuſtris hæc ſimulque pia mulier, gravem fortunam paſſa eſt, quam verbis Hieronymi ſubjiciemus:

Hieron. Ep. 25.

S. Melania noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas . . . calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdidit filios. Rem ſum dicturus incredibilem, ſed teſte Chriſto, non falſam. Quis illam tunc non putaret, more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conſciſſa, lacerum pectus invadere? Lachryma gutta non fluxit. Stetit immobilis, & ad pedes advoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditius tibi ſervitura ſum, Domine, quia tanto me onere liberaſti. Sed forſitan ſuperatur in cæteris. Quin imò quâ illos mente contempſerit, in unico poſteà filio probat, cui omni quam habebat poſſeſſione conceſſâ, ingruente jam hyeme Hieroſolymam navigavit. Quo magno exemplo Paulæ Blæſillam filiam lugentis lachrymas abſtergit Hieronymus. Brevi ſpatio in eam calamitatem incidiſſe teſtatur Paulinus,

Paul. Ep. 10.

cujus hæc verba ſunt: *Ita crevit ærumnis, ut duos filios & maritum intra anni tempus amitteret, unico tantum ſibi parvulo, ad memoriam ſibi potius quàm ad compenſationem affectuum derelicto.* Hoc, vel certè proximo anno, peregrinationem inſtituit Hieroſolymitanam. Non rectâ tamen viâ Hieroſolymam proficiſcitur, cùm eò non pervenerit, niſi anno demum CCCLXXIV. Luſtravit prius Ægyptum, ut ex Palladio conſtat. Acceptis mobilibus, in navem injectis, cum aliquot famulis navigat Alexandriam, & cùm illic res ſuas vendidiſſet, ingreſſa montem Pitriæ, Sanctos Patres convenit, Pambo, Arſiſium, Dioſcorum, verſaturque apud eos circiter annum dimidium. Melaniam Rama profi-

Pallad. Lauſ. cap. 117.

ſcentem, Rufino Aquileenſi comitatam fuiſſe, indicat Baronius. Quod nullo veſtigio invenimus; non certè in Palladio. Anno inſequen-

An. 372. n. 33.

te, dum defuncto Athanaſio perſecutio graſſatur in Ægypto, fortitudinis ſimul & pietatis magna exempla præbuit: *Hæc fugatos recipiebat, aut*

Paul. Ep. 10.

apprehenſos comitabatur. . . . Eâdem tempeſtate, per triduum quinque millia Monachorum latentium panibus ſuis pavit. Relictâ Ægypto, Hieroſolymam comite Rufino ſe contulit anno CCCLXXIV. Peregrinationis hujus meminit Hieronymus ad Florentium Epiſtolâ: *Frater Rufinus cum S. Melania ab Ægypto Hieroſolymam veniſſe narratur.* Uſa eſt primùm amico Hieronymo, qui ſuſpicione non caruit amoris impuri, ut ipſe fatetur in ſua ad Aſellam Epiſtola: *Nihil mihi aliud objicitur, niſi ſexus meus, & hoc*

Hier. Ep. 99.

nunquam objicitur, niſi cùm Hieroſolymam Paula, & Melania proficiſcuntur. Ubi verò ſoluta Rufini Hieronymique amicitia Præceptoris ſui partes amplexa eſt, Melania temperare Hieronymus non potuit, quin cenſuram in utrumque ſtringeret Epiſtolâ ad Pammachium: *Hæc non*

Hier. Ep. 101.

eſt illius culpa, cujus ſub perſona alius agit tragœdiam, ſed Rufini & Melaniæ, Magiſtrorum ejus, qui illum magnâ mercede nihil ſcire docuerunt. Complures annos ſancta mulier Hieroſolymis eſt commorata. Quid verò illic egerit, docet

Pallad. h. Lauſ. cap. 118.

Palladius: *Monaſterium apud Hieroſolymam ſibi fecit, in quo viginti & ſeptem annorum tempus implevit, quinquaginta ſecum ſeveres virgines habens. Erat etiam cum ea Rufinus.* Paulò aliter de longa peregrinatione Paulinus. Sanctam Melaniam, inquit, *ex Hieruſalem poſt quinque luſtra remeantem excepimus.* Ab ea muneri tum accepit *tunicam de tenero agnorum vellere contextam*, quam Severo dono miſit, eò commendabilio-

Paul. Ep. 10.

rem, *quòd de ſancta & illuſtris in Sanctis Dei fœmina Melania benedictione* pignus erat. Tanto virtutum præcipuequè humilitatis miraculo fuit, ut Theclæ nomen acceperit. Filium reliquit, cui Gregorius Tur. *Urbani* nomen indidit, deceptus, ut videtur, verbis Hieronymi, *unico Prætere tunc Urbano filio derelicto.* De Melania obſervatu non indigna multa & nos ſequentes anni docebunt.

Valentis Bibliotheca.

IV. Hoc quoque anno Valens de curanda Conſtantinopolitana Bibliotheca cogitat, miſſo ad *Clearchum* hujus urbis Præfect. Reſcripto: *Antiquarios ad Bibliotheca codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos quatuor Græcos, & tres Latinos ſcribendi peritos legi jubemus.* In hunc quoque annum referendum putamus, quæ habet Hieronymus in Chronico ad Valentiani IX. *Clearchus Præfectus Urbis Conſtantinopolis agnoſcitur, à quo neceſſaria & diu expectata votis aqua inducitur civitate.* Quippe in Conſulatum Modeſti & Arinthei Clearchi Præfectura incidit.

ANNO U. C. 1126. OLYMP. 288. PER. JUL. 5086. JUL. 418. DOM. 373. VALENTIN. & VALENTIS 10. GRATIANI 7. *Sol.* 18. F. *Lun.* 13. *Indict.* 1. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 2. *P.* 31. *Mart.* — ANNO DOM. 373.

COSS. *Valentinianus* IV. & *Valens* IV.

Gabinius Rex occiditur. Quadorum irruptiones.

I. IN deprimendis Germanorum viribus mente animoque incumbens Valentinianus, *Macrianum* Regem in Romanos inſurgentem capere tentat, juncto navibus Rheno. Culpâ tamen militum conſiliis ſuis excidit. Aſſiduè præceperat, ut incendiis & rapinis abſtinerent, quod impetrare non potuit. Ignium fulgore, militumque ſtrepitu regii ſatellites exciti, carpento veloci impoſitum *Macrianum* collibus abdiderunt. Hâc Valentinianus gloriâ defraudatus militum culpâ, ad uſque quinquageſimum *lapidem terris hoſtilibus inflammatis, redit Treveros mæſtus.* Aliam Barbaris querelarum cauſam præbuit. In ipſis Quadorum terris quaſi Romano juri jam vindicatis, ædificari caſtra præſidiaria mandat, quod legationibus & ſuſurris Barbari impediebant. Sed *Maximinus* Præfectus Prætorio, increpato *Æquitio*, per Illyricum Ar-

 morum

norum Magiſtro, ut deſide opus paulò ante inchoatum aggreditur. Quin etiam Gabinium Regem, ne quid novaretur, modeſtè poſcentem, ut aſſenſurus, humanitate ſimulatâ cum aliis ad convivium invitat. Quem poſt epulas egreſſum hoſpitalitate nefariè violatâ, trucidari ſecurum jubet. Facinus atrox adeò *Quados* permovet, ſui Regis flentes interitum, ut ſuperato Danubio cùm nihil hoſtile expectaretur, agreſtes circa meſſem occupatos adorti ſint: majoreque parte deletâ quidquid ſuperfuit, domum cum multo pecore abducunt. Parum abfuit, quin caperetur filia Conſtantii, cibum ſumens in publica villa, quam appellant Piſtrenſem, cùm duceretur Gratiano nuptura, ni Meſſala Provinciæ Rector carpento impoſitam Sirmium reduxiſſet. Latius ſe cum Sarmatis Quadi diffuſi, omnia vaſtant. Auditoque Equitium ad remotiora Valeriæ ſpatia receſſiſſe, illùc properant, ad eum perdendum eò propenſiores, quòd miſerum Gabinium ab ipſo circumventum eſſe putabant. Ruentibus Barbaris obviam eunt Mœſiaca & Pannonica legiones, ſed dum inter ſe de honore certant, Sarmatæ eas adorti, univerſas penè delent. Cur verò in annum 373. ea referamus, nobis Autor eſt Marcellinus: *Secuto poſt hæc anno, Gratiano adſcito in ſocietatem trabeæ Æquitio Conſule. Valentiniano offertur Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades.*

Marcel. l. 29. c. 6.
Marcel. l. 30. c. 3.

Theodori conſpiratio. Multi ea de cauſa trucidati.

II. Exeunte anno ſuperiore Valens Antiochiam ingreſſus, ibi hyemem tranſigebat. Quo tempore & credulitatis, & crudelitatis ſimul ſuæ dedit ſpecimen. *Fiduſtius* Præſidialis, Irenæus, Pergamius arte magicâ imperaturi poſt Valentem nomen quæſiverant. Ferunt Dæmonem literas quatuor oſtendiſſe *θ, ε, ο, δ*, trium tamen literarum meminit Marcellinus. Hæc clam geſta caſu quodam innotuere. Fortunatianus Comes rerum privatarum Palladium, ut veneficum, & Heliodorum fatorum per genituras interpretem adigendos prodere quæ ſcirent, Modeſto, Prætorii Præfecto tradiderat. In quæſtione Palladius exclamat, Levia eſſe hæc, majoris momenti alia eſſe. Juſſus docere quæ norat, Fiduſtium accuſat: qui ſubitò correptus, fatetur ſe cum Hilario, & Patritio vaticinandi peritis de imperio futuro conſuluiſſe. Omnibus præſtabat Theodorus, ſecundum inter Notarios gradum adeptus. Antiquo genere in Gallia natus erat, *Liberaliter educatus, modeſtiâ, prudentiâ, humanitate, gratiâ, literis ornatiſſimus.* Captus Conſtantinopoli Antiochiam adducitur, fatetur ſe non appetitu regni occupandi illicito, ſed ratione quâdam indeclinabilis fati imperium ſperaſſe. Sed ex literis Hilario ſcriptis oſtendebatur, ſe patrandæ cupiditatis tempus quæſiviſſe. Tum Valens omnes occidi juſſit, ne iis quidem exceptis, qui de oraculo aliquid audierant. Jugulantur omnes præter Simonidem, qui ob conſtantiam flammis exuritur: *Qui vitam ut dominam fugitans validam, videns ſubitas momentorum ruinas, immobilis conflagravit.* Diogenes dudum Bithyniæ Rector, ut opimum patrimonium ejus diriperetur, capitali eſt pœnâ affectus. Periit & Maximus Epheſius, Juliani amicus. Quin etiam *acervi voluminum multi ſub conſpectu Judicum concremati ſunt, ex domibus eruti variis, ut illiciti, ad leniendam caſorum invidiam, cùm eſſent plerique liberalium diſciplinarum indices variarum, & juris.* Longius proceſſit Valentis furor, quàm ut ſolos Theodori factionis conſcios ultimo ſupplicio afficeret. Necabantur Theodori, Theodoti, Theodoſii, Theoduli, ac quotquot hujuſmodi habebant nomina. Inter quos etiam Theodoſiolus quidam, vir fortiſſimus, nobilis Hiſpanus neci datus eſt. Multi ob imminentis periculi metum nomina ſua mutavere. Meminit & Theodori Siculi Chryſoſtomus, pulchritudine, magnitudine corporis & autoritate apud Imperatorem præſtantis, qui Valenti ſtruxit inſidias. Quæ Baronio cauſa fuit, duos fingendi Theodoros, qui Imperatori inſidiati ſunt. At longè veriſimilius eſt, lapſum Chryſoſtomum ex *Gallo* Theodoro Siculum feciſſe. Duas quidem conſpirationes à duobus Theodoris contra Valentem inſtitutas, neſciunt Hiſtorici. Porro biennio peccat Baronii Chronologia, quæ Theodori caſum cum anno 370. copulat. Sævitiæ Valentis dignum ſe Feſtus miniſtrum præbuit, quem ad omne crudelitatis genus promptum miſerat Imperator, ut Aſiam pro Conſule adminiſtraret, ne quis eruditione præditus ſuperaret. Nam cùm omnes indagaſſet Feſtus, quos quidem reperiſſet, nullâ cognitione adhibitâ interficiebat: reliquos cædio ſemet ipſos multare cogebat.

Marcell. l. 29. c. 1.
Zoſim. l. 4. c. 14.
Socrat. l. 4. c. 19.
Bar. An. 370. n. 88.
Zoſim. l. 4. c. 15.

Edeſſena Valentis perſecutio. Eulogius & Protogenes.

III. Multò majorem crudelitatis invidiam Valens collegit ex perſecutione Fidelium. Dum enim moratur Antiochiæ, *Homouſianos* per univerſas ferè Orientis Provincias Eccleſiis expulit, ac eâ re minimè contentus, variis inſuper ſuppliciis eos affecit. Edeſſæ in Baſilica Thomæ Apoſtoli collectæ ſine intermiſſione celebrabantur. Præfectum percuſſiſſe fertur, quòd Fideles inde etiam expellendos non curaſſet. Cùm Imperatori invitus obſequi vellet, nec tot homines occidere, clam illos monuit, ne quis in Baſilica remaneret. At obtemperavit nemo, cùmque Præfectus cum militibus ad Baſilicam properaret, paupercula quædam mulier parvulum manu filium trahens, contendit ad Eccleſiam, agmine eorum qui Præfectum ſtipabant, perrupto. Quod Præfectus moleſtè ferens, adductam ad ſe mulierem compellat: *O infelix, quò tam audacter & inverecundè properas? Tum illa, Quò, inquit, etiam alii properant. At Præfectus, Non audiſti cunctos qui illic reperti fuerint, à Præfecto eſſe interimendos. Mulier, Audivi equidem, ait, atque idcircò feſtino, ut ipſa quoque illic inveniar. Cùmque Præfectus dixiſſet, Et quò hunc parvulum trahis? Reſpondit mulier, Ut & ipſe martyrium ſubire mereatur.* Quæ cùm Præfectus Valenti retuliſſet, ſimul abſurdum eſſe dicens, tantam multitudinem momento temporis interficere, Imperatoris iram compeſcuit. Inſignis hiſtoria hæc accuratius narratur Theodoreto. Plebem quidem à cruciatibus, quos expectabat, Valens liberam præſtitit. Presbyteros verò & Diaconos in ultimas oras deportari juſſit, ni cum Arianis communicarent. Clericis igitur congregatis Modeſtus blandâ oratione ſuadere conatur, ut obſequantur Imperatori. Extremæ enim amentiæ eſſe, Principi qui tot tantiſque imperaret, paucos numero refragari. Silentibus univerſis Præfectus ad eorum Ducem Eulogium, virum in primis laudandum converſus, ab eo quærit, Cur non reſponderet? Cui Eulogius, *Non putabam mihi reſpondendum eſſe, cùm non eſſem interrogatus.* Tunc Præfectus, Communica cum Imperatore. Ad hæc Eulogius facetè & urbanè, *Nùmquid ille unà cum Imperio Sacerdotium adeptus eſt?* Cavillatione commotus Præfectus,

Socrat. l. 4. c. 18.

ANNO DOM. 373.

ſectus, *Non hoc*, inquit, *dixi, ſtolide: ſed vos hortatus ſum cum iis communicare, quibus cum Imperator communicat.* Sed cùm reſpondiſſet Eulogius, Paſtorem ſe habere, & illius nutu imperioque omnes regi, Præfectus octoginta ſimul correptos in Thraciam relegavit. Qui dum abducerentur, maximo cultu & honore affecti ſunt. Invidiâ verò commoti adverſarii, Imperatori ſuggerunt, hanc quam putabat ignominiam, viris illis decus attuliſſe. His compertis, Valens binos illos ſeponi juſſit, & alios quidem per Thraciam, alios in finibus Arabiæ, alios per Thebaidis oppida diſpergi. Eulogius & Protogenes in urbem *Antinoum* relegantur. Qui huic civitati præficiebatur Epiſcopus, Orthodoxus erat, ſed paucarum ovium Paſtor, quia incolæ ſuperſtitione Ethnicorum imbuebantur. Tum Eulogius cellulæ incluſus, diu noctuque Deo ſupplicat, ut errantes ſuâ luce compleret. Protogenes verò Sacrarum Literarum peritus, ſcholâ inſtitutâ puerorum Magiſter factus, illos & per notarum compendia ſcribere, & divina eloquia docuit. Fortè unus ex adoleſcentibus in morbum incidit: Tum *Protogenes* ad domum ejus profectus, apprehensâ ægrotantis dextrâ, morbum oratione depulit. Quo comperto, reliquorum adoleſcentum Patres eum ſinguli in domos ſuas deduxerunt, orantes ut ægrotantibus opem ferret. At ille negabat, ſe Deo ſupplicaturum prius, quàm infirmus baptiſmum ſuſcepiſſet. Sic crudelitas Valentis in bonum ceſſit Eccleſiæ.

Theodorit. l. 4. c. 18.

Sabæ Martyrium.

IV. Dum Orientis Eccleſias cladibus Valens vexat, Gothiæ Chriſtiani à ſuis Principibus vaſtantur. Sanctitate eminebat *Sabas*, cujus nomen in Martyrologiis clarum eſt. Decreverant Principes ad edenda Idolothyta Fideles cogendos eſſe. Quo cognito, Ethnici conſilium ineunt, ut amicis affinibuſque ſuis pro immolatis ea proponerent, quæ immolata non eſſent. Re cognitâ, Sabas non ſolùm comedere cibos vetitos abnuit, ſed palam profeſſus eſt, Chriſtianum eſſe non poſſe, qui hos cibos admiſerit. Motâ iterum perſecutione, Ethnici quidam jurejurando affirmare volebant, nullum in vico ſuo extare Chriſtianum. Quibus Sabas obſtitit, *Nemo*, *inquit, pro me juret, ego enim Chriſtianus ſum.* Imminente die Paſcharis ad aliud oppidum proficiſci voluit, ut cum *Guthica* Presbytero feſtum celebraret. Iter facienti apparuiſſe dicitur vir venerabilis, mandans, ut ad *Sanſalem* Presbyterum ſe conferret, quod cùm feciſſet, feſtum ſimul agitarunt. Tertiâ poſt celebrationem nocte *Atharidus* Rhoteſti Reguli filius cum latronum manu in vicum irrumpit. Sanſalam capiunt atque Sabam, quem dirè torquent. Ambobus edenda Idolothyta offeruntur. Quos cibos cùm reſpuiſſent, dimiſſo Sanſalâ, Sabæ mors imperatur. Ducitur ad fluvium *Muſaum*, qui hodie *Muſſovo* nomen habet, undis ſuis Walachiam rigantem. Ibi in flumen projectus, ligno quod collo ipſius alligaverant, ſuffocatur. Erat annorum octo & triginta: *Martyrio coronatus eſt, quintâ die Sabbati poſt Paſcha, pridie Idus Aprilis, Valentiniano & Valente Imperatoribus, Conſulatum gerentibus Modeſto, & Arintheo.* Extractum ex aqua carnifices inſepultum reliquere. Reliquias Dux Scythiæ, Junius Soranus, in Romaniam tranſtulit, quas dein miſſas in Cappadociam popularibus ſuis largitus eſt.

Ruinart. Act. 674.

ANNO DOM. 373.

Synodus Romana adverſus Auxentium. Quid egerit?

V. Pulſo Sancto Dionyſio Mediolanenſi Epiſcopo, ſuffectus à Conſtantio fuerat Auxentius, Romanæ quidem linguæ homo, ſed hæreſeos duntaxat peritus, qui à S. Hilario exagitatus, fraude ſuâ, & Valentiniano, & Mediolanenſibus impoſuerat. Scripſerat Damaſo Athanaſius, contra Auxentium, & invaſorem Eccleſiæ, & perfidum Arianum, & multorum ſcelerum reum: neque tamen ullo Synodi decreto nocentem Damaſus percuſſerat, prohibente, ni conjecturâ fallimur, metu Valentiniani, qui cum Auxentio communione conjungebatur. At tandem redit in præcordia virtus, coactoque in urbe Concilio, Damaſus Auxentium proſcribit, cujus Synodi cùm ætas ſit obſcuriſſima, hujus anni in principio commodè conſignari poſſe exiſtimamus. Synodi mentio eſt apud Athanaſium in ſua ad Epictetum Epiſtola: *Diverſis Conciliis per Galliam, Hiſpanias & Romæ celebratis, omnes qui in eo conventu fuêre, iſtos unâ fugat, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arii ſunt ſapiunt, Auxentium dico Mediolanenſem, Urſacium, Valentem, & Caium Pannonem, communi calculo, utpote ſpiritus iniciati anathemate percuſſerunt.* Eadem ſe Synodus Epiſcopis Illyrici ſcribit: *Epiſcopi ad ſacrum Concilium Romæ congregati, Epiſcopis in Illyrico conſtitutis, Damaſus, Valerius, & reliqui, dilectis fratribus in Domino, ſalutem.* Teſtantur autem ſe fratrum ex Gallia, & Venetia relatione didiciſſe, nonnullos hæreſin inducere. Auxentium in hoc negotio præcipue damnatum eſſe, æquum omnes orbis Romani Doctores inter ſe conſentire. Sanctam Nicænorum conſtitutionem nonnullos violaſſe: qui Arimini illam attentare coacti erant, ſe deceptos fuiſſe fateri. Addunt ſibi perſuaſum futurum, qui alia ſentiunt, à ſua communione brevi eſſe ejiciendos, amiſſo Epiſcopi nomine. Quam Epiſtolam ab oblivione vindicarunt Sozom. l. 6. c. 33. & Theodoritus l. 2. c. 22. Lucas Holſtenius anno 1662. exemplar Synodi hujus edidit, ex quo multa novimus, quæ Baronio in notitiam non venere. Quot ſcilicet Epiſcopis conſtiterit, & ad quos Epiſtola Synodica miſſa fuerit: *Exemplum Synodi habitæ Romæ, Epiſcoporum* XCIII. *ex Reſcripto Imperiali. Damaſus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priſcus, Innocentius, Abundius & cæteri, qui ad audiendam cauſam Auxentii, exponendamque fidem, in urbe Romana convenerunt, Epiſcopis Catholicis per Orientem conſtitutis, in Domino ſalutem.* Acceptâ Orientalis Epiſtolâ, Synodum apud Antiochiam celebrarunt anno, ut videtur CCCLXXIII. Epiſtolæ complures ſubſcripſere. Audiamus iterum Holſtenianum exemplar: *Omnis Orientalis Eccleſia, factâ Synodo apud Antiochiam, conſonâ fide credentes, & omnes ita conſentientes, eidem ſuper expoſitæ fidei ſinguli ſuâ ſubſcriptione confirmant.* Subſcripſere Meletius Epiſcopus Antiochenus, Euſebius Epiſcopus Samoſatenus, Pelagius Epiſcopus Laodicenus, Zenon Epiſcopus Tyri, Eulogius Epiſcopus Edeſſenus, Bematius de Mallo, Diodorus de Tarſo: *Similiter & alii* CXLVI. *Orientales Epiſcopi ſubſcripſerunt.* Album porro calculum addidit Romana hæc Synodus venerando Trinitatis myſterio: *Majores noſtri* CCCXVIII. *Epiſcopi atque ex urbe Sanctiſſimi Epiſcopi urbis Romæ, directi apud Nicæam, confectis Conciliis, hunc murum adverſus arma diabolica ſtatuerunt, atque hoc antidoto, mortalia pocula propulſarunt, ut Patrem, Filium, Spiritumque*

Athan. T. 1. 582.

Lab. Concil. t. 2. 892.

Theodorit. l. 2. c. 22.

S. unius Deitatis, unius virtutis, unius figuræ, unius credere oporteret ſubſtantiæ. Sic Spiritus Sancti divinitas ſtabilitur.

Orientalium & Baſilii ad Occidentales Epiſtola.

VI. Cæterùm Synodi Epiſtola à Sabino Diacono ad Orientales videtur eſſe perlata. Ejus quidem miniſterio uſi ſunt Meletius, Euſebius, Baſilius M. ut Occidentalibus calamitates notificarent ſuas, Epiſtolâ quæ apud Baſilium numero eſt XCVI. *Italis & Gallis, Deo dilectiſſimis, ac Sanctiſſimis fratribus, & Coadjutoribus in Italia, & Gallia, unanimis & concordibus Epiſcopis, Meletius, Euſebius, Baſilius, in Domino ſalutem.* Epiſtolæ ſumma hæc eſt. Quod effectus ſuos Occidentalibus aperiant, ſe minus ſolatii experiri, quàm lachrymorum fundere. Ipſi dein ad ſuum auxilium incitant, quod jamdudum expectatum nondum erant aſſecuti. Per Sabinum Legatum hortantur, ut induant miſericordiæ viſcera: Non paucas numero Eccleſias in periculum incidiſſe monent, *quippe à finibus Illyrici, ad Thebaidem uſque hæreſeos malum depaſci.* Quodque miſerrimum, non externo tantùm, ſed interno quoque bello Eccleſiam peti. Porro Sabinus ille unus idemque homo videtur cum Sabino Diacono, de quo mentio eſt in exemplari Holſtenii: *Ego Sabinus Diaconus, Mediolanenſis Legatus de authentico dedi.* Quod egregio Pagius & argumento probat, ex Baſilii Epiſtola 73. *Ego tum mediorum in Sabinum Diaconum, quo nuncio huc ad nos illi uſi ſunt, ad Illyricos ſcripſi, ad Italos præterea, & Gallos Epiſcopos.*

Lab. Concil. t. 2. 892.

Privatas & Baſilius literas ſcripſit, quas Dorotheus attulit, quibus miſerrimus Eccleſiæ Orientalis ſtatus egregiè pingitur: *Abiguntur Paſtores, ut greges diſpergantur, & quod omnium eſt durиſſimum, neque qui affliguntur, per genuinum martyrium illatas paſſiones tolerant. Neque plebs Martyrum loco athletas habet ac veneratur, propterea quòd Chriſtianorum nomine tecti ſunt perſecutores. Unum jam crimen eſt, quod vehementer punitur, ſi paternas quis Traditiones diligenter obſervet. Ob hanc cauſam paternis ſedibus abiguntur pii, & ad ſolitudines migrare coguntur.* Hortatus eſt & Athanaſium Baſilius, laborantibus Eccleſiis auxilii aliquid ab Occidentalibus impetraret. Sic autem eum compellat: *Quis univerſo Orienti canitie tuâ venerabilior? Relinque monumentum aliquod iſtâ tua converſatione vitâ dignum, colendiſſime Pater, innumeros illos, quos pro pietate ſubiſti labores, uno iſto opere confirma.*

Baſil. Epiſt. 70.

Baſil. Epiſt. 48.

Illyricana Synodus.

VII. Cum Synodus Romana Epiſcopis in Illyrico conſtitutis, Epiſtolam quoque ſuam miſerit, non incommodè Illyricanum Concilium, cujus tempus tenebris eſt involutum, huic & anno aſſignatur. Eſt quidem prorſus rejicienda Baronii Chronologia, Illyricorum Epiſcoporum conventum anno CCCLXV. alligantis, cui Labbeus perperàm aſſenſus eſt. Gratiano jam Auguſto in unum confluxiſſe Illyricanos, apparet extatque ex Imperatorum Reſcripto, eodem anno promulgato, quod & Gratiani nomen habet. Purpuram autem induit Gratianus anno Domini CCCLXVII. Lupicino & Jovino Coſſ. ut luce clarius ſit, in annum CCCLXV. Illyricanorum conventum conferri non poſſe. Quot Epiſcopis conſtiterit neſcimus. Quin tamen benè multi adfuerint, non eſt ambigendum. Id quidem Auguſtorum verba ſonant: *Cùm in Illyrico tot Epiſcoporum Synodus congregata eſſet.* Laudant autem, & vehementiſſimè comprobant, de Trinitate ſententiam: *Hortamur vos, fratres, ut Trinitatem Conſubſtantialem ſemper & ubique prædicantes, hæredes regni Dei fieri poſſitis.* Epiſcopos & nonnullos loco movent, negantes, & Filium, & Spiritum S. ex Patris ſubſtantia eſſe: quorum & nomina ſubjiciunt; *Polychronium* ſcilicet, *Telemachum, Fauſtum, Amantium*, & *Cleopatrum.* Mittunt Epiſcopum Elpidium ad Aſiæ Phrygiæque Antiſtites, qui ipſorum fidem exploraret, utrùm ita ſeſe haberet, uti ab Euſtathio Coëpiſcopo audiverant: quos & jam hortantur, ſi quid olim erroris imbiberant, prorſus expuere. Elpidio perferendam Epiſtolam tradidere, cujus hic eſt titulus: *Epiſcopi Illyrici Eccleſiæ Dei, & Epiſcopis Diœceſeos Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ & Pacatianæ in Domino ſalutem.* Epiſtola, ex qua hæc ſubjecimus, extat apud Theodoritum l. 4. c. 9. Fides ab Illyrici Epiſcopis comprobata regio eſt Edicto corroborata atque munita: *Imperatores Maximi, ſemper Auguſti victores, Auguſti Valentinianus, Valens, & Gratianus, Epiſcopis Diœceſeos Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ in Domino ſalutem. Cum in Illyrico tot Epiſcoporum Synodus congregata eſſet, poſt accuratam inquiſitionem de ſalutari verbo, declararunt beatiſſimi Pontifices, Conſubſtantialem Trinitatem Patris ac Filii, ac Spiritus Sancti. Noſtra verò majeſtas eandem ubique prædicari præcepit.* Vetat etiam vim illam adhiberi Clericis, quâ opprimebantur. Subjungit Reſcriptum: *Hoc præceptum dedimus coram Megetio, Cicerone, Damaſo, Darlampone, & Veteaſio audientibus. Sed & ipſa geſta ad vos miſimus, ut cognoſcere poſſitis, ea quæ geſta ſunt in præſtantiſſima Synodo. . . Nos verò perinde ſentimus ac Synodus, tum quæ Romæ, tum quæ in Galliis nuper facta ſunt, unam eandemque ſubſtantiam Patris ac Filii, & Spiritus Sancti in tribus eſſe perſonis.* Ex ea quoque Imperatorum Conſtitutione diſcimus, poſt annum CCCLXV. Synodum eſſe coactam, utpote quæ Arianorum perſecutionem memoret non ante annum CCCLXVII. à Valente motam. Neque nomeni Euſtathii Baronio præſidio eſt, quem ſine argumento Sebaſtinum Euſtathium eſſe putat. Porro etſi Valentis nomine Reſcriptum ornetur, à ſolis tamen Gratiano & Valentiniano eſt promulgatum. Quippe moris erat in imperialibus Decretis, ab uno vel Imperatore ſancitis, Auguſtorum qui collegæ erant, omnium nomen & adhiberi. Valens quidem Conſubſtantialis fidei non patrocinabatur. Alia peccat illuſtriſſimus Purpuratus, dum exiſtimat, Imperatorias haſce *literas à Valente potius, quàm à Valentiniano eſſe conſcriptas.* Conjecturæ Baronianæ argumenta ne vel nauci eſſe liquet. Ait, Valentis nomen in titulo hujus Epiſtolæ præponi, quod eſt falſiſſimum. Deinde quod ait, *res* Aſianæ Diœceſeos nihil ad Valentinianum attinuiſſe, ne id quidem verum eſt. Baronium quidem refellit Ammianus l. 26. c. 4. Valentinianus Valentem *tempora diademate redimitum, in eodem vehiculo ſecum reduxit, participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum apparitoris morigerum.* Quidni igitur Phrygiæ Aſiæque Epiſcopis reſcripta miſiſſet Valentinianus? Quod porro Legatum Synodi Illyricanæ ad Aſiæ Antiſtites Elpidium, quem eruditi nonnulli *Presbyterum* putant, *Epiſcopum* diximus, id ex Epiſtola collegimus, in qua Synodi Præſules *Dominum ſuum & Comminiſtrum* Elpidium vocant, quibus ſanè titulis purum putum Presbyterum non affeciſſent. Hactenus de Synodis, & Romana & Illy-

Theodoret. l. 4. c. 8.

Theodoret. l. 4. c. 8.

Error Baronii.

Bar. An. 365. n. 25.

ANNO DOM. 373.

Illyricana, quæ Chronologiæ obſcuris involutæ larent.

Valens ad puerum ſuum ægrotum Baſilium accerſit. Galatus moritur.

VIII. Dum Valens verſatur Cæſareæ, die *Epiphaniæ*, cœtus erat in Eccleſia ampliſſimus, cui Imperator ſe perfunctoriè conjungit. Cùm dona quæ ipſemet effecerat, divinæ menſæ offerenda erant, nec quiſquam illa acciperet, ita titubare cœpit, ut niſi quiſpiam è Sacrarii Miniſtris vacillantem ſuppoſitâ manu retinuiſſet, miſerè prolapſurus eſſet. Ut intra ſacra vela ingreſſus eſt, de fide Baſilius ipſum multa monet. Aderat tum Demoſthenes, Caſtrenſis ſacri Palatii, qui dum dicentem objurgat, barbariſmum admittit. Tum ſubridens Baſilius, *Vidimus etiam, inquit, Demoſthenem literarum expertem.* Et cùm ille vehementius indignatus, minaretur, ſubjicit Baſilius: *Tuum munus eſt juſculorum condimenta curare. Divina enim dogmata exaudire non potes, cùm habeas aures obſtructas.* Porro vincentibus improbis adverſus Baſilium exilium decernitur. Nox aderat, in promptu currus, in plauſu hoſtes, in luctu pii: At exilii decretum Rex Regum Deus reſcindit, percuſſo febri Valentiniano Galate Principis filio. Faſtidiente morbo medicinam Valens ad Baſilium confugit, quem cùm ob contumeliam ipſi illatam accerſere non auderet, viris cum ſacro Antiſtite familiaritate conjunctis hanc legationem committit. Permotus ad id faciendum ab uxore ſua. Mater pueri *Dominica* Auguſta Imperatori affirmavit, ſe per ſomnum horrendis quibuſdam viſis vexatam fuiſſe, puerumque male habere, propter contumeliam, quâ Baſilium affecerat. Ad ejus adventum morbus fit levior: ingreſſum ſic affatur Princeps, Si vera eſt doctrina fidei tuæ, ora ne moriatur filius meus. Tum Baſilius, Si credideris, Imperator, quemadmodum ego credo, & ſi ad concordiam redacta fuerit Eccleſia, vivet puer. Neganti Valenti dixit Baſilius, *Fiat igitur de puero, quodcunque Deus voluerit.* Remiſſo Baſilio, non multò pòſt puer ex hac vita migravit. Quippe juramenti ſui memor Princeps, quod Eudoxio dixerat, Arianis qui tum aderant Epiſcopis, puerum baptizare præcipit. Quo facto, protinus animam exhalavit. Valeſius *Galatæ* mortem circa annum Chriſti vel CCCLXXI. vel CCCLXXII. contigiſſe putat. Non ſatis tamen vir doctiſſimus ad temporis circumſtantiam attendit, quam Gregorius indicat, diem ſcilicet *Epiphaniæ*, quo tempore anno CCCLXXII. Valens Antiochiæ verſabatur, non Cæſareæ: Anno verò ſuperiore menſe Januario Baſilius necdum Epiſcopus erat, & Valens aberat Cæſareâ.

Theodorit. l. 4. c. 19.

Socr. l. 4. cap. 26. Nazianz. Or. 20. 351.

Theodorit. l. 4. c. 19.

De anno Athanaſii ultimo.

IX. Morte filii ſui ad pietatem Valens non eſt eruditus, utpote qui ad Ægypti perſecutionem convertit animum. Antequam verò de ea vexatione dicamus, de obitu Athanaſii nobis eſt commemorandum, ex quo data furori ruenti porta eſt. De anno fatali Athanaſii gravis controverſia exoritur. Baronius, cujus in Chronologiam deſcendere complures, morti Sancti Præſulis annum CCCLXXII. aſſignat. Socrates anno citius naturæ ſatisfeciſſe Athanaſium exiſtimat: *Athanaſius Gratiano iterum & Probo Coſſ. poſt tot & tanta pro Eccleſia certamina ex hac luce migravit, cum annos ſex & quadraginta non ſine ingentibus periculis Epiſcopatum adminiſtraſſet.* Vix tamen Socratis hæc ſententia ab errore defendi poteſt, etſi viri doctiſſimi huic Chronologiæ præſidio ſint. Quâ admiſſâ, in Epiſcopatu annos XLVI. non tranſegiſſet Athanaſius: unus de ea ſumma eſſet eximendus. Inſuper defuncto Athanaſio, *abſque mora Valenti, qui tum Antiochia morabatur*, rem Ariani ſignificarunt. Non autem hanc civitatem ingreſſus eſt Imperator, niſi vertente anno CCCLXXI. Itaque longè cautior eſt ſententia Baronii, qui anno tardius uno Athanaſium exceſſiſſe prædicat. Non eſt tamen accurata ſatis Illuſtriſſimi Purpurati Chronologia, quæ unius anni prochroniſmo peccat. Itaque Bucherii ſententiæ magis ſumus, qui in præſentem uſque annum Sancti Præſulis mortem prorogat. Huic Chronologiæ ſubit auxilio Hieronymus, qui ad annum Domini CCCLXXIII. hæc habet: *Alexandriæ ordinatur Epiſcopus Petrus*, cujus creatio in emortualem Athanaſii annum incidit. Graviſſimum quidem pro ea ſententia argumentum colligitur ex Proterii Alexandrini Epiſcopi ad Leonem Papam Epiſtola: *In octogeſimo nono quidem anno ab Imperio Diocletiani, ſuperſtite beatæ memoriæ Patre noſtro, & Epiſcopo, Anaſtaſio* (lege Athanaſio) *cum* XIV. *Luna Paſchalis vigeſimo octavo die menſis Phaminot, id eſt, nono Kalend. Aprilium die proveniſſet, dies Dominica in ſubſequentem tranſlatum eſt hebdomadem, ita ut quintâ die menſis Pharmuti, hoc eſt, pridie Kalendarum Aprilium celebraretur Paſcha Dominicum.* Qui characteres annum CCCLXXIII. afficiunt, quo & Paſcha celebratum eſt Martii 31. & *nonus Calendarium Aprilium* primæ feriæ cohærebat, jubente literâ Dominicali F. Tum, teſte Proterio, Athanaſius vitam adhuc retinebat. Itaque verè obſervatum Bucherio: *Diſce Athanaſium, non ante hunc annum Chriſti* CCCLXXIII. *mori potuiſſe.* Cæleſtem Deo animam reddidit ſecundâ Maii, feriâ quintâ, ut monent Excerpta Chronologica Scaligeri, licet perperàm Athanaſii mortem in anno CCCLXXVII. conſignarint: *Athanaſius Epiſcopus obiit in Alexandria Pachon* VII. Quo die memoriam ipſius recolunt Martyrologia.

Socrat. l. 4. c. 20.

ANNO DOM. 373.

Socrat. l. 4. c. 21.

Bucher. Com. p. 84.

Mors Athanaſii. Petrum ſibi ſucceſſorem eligit.

X. In Dei decretis erat, optimum illum Paſtorem à tribus Imperatoribus Eccleſiâ ſuâ ejectum, furente ubique locorum Valente, placidâ tamen in ſinu gregis ſui morte requieſcentem, laboribus & vitâ finem eſſe impoſiturum, ut omnibus conſtaret, Chriſti ad arbitrium componi fluctus irarum & attolli: *Sciſcitatus de ſucceſſore, Petrum tribulationum ſuarum participem, & ſocium delegit.* Quo dicto, *In bona ſenectute vitam claudit, Patribuſque ſuis, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur. Atque ut Epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in diſceſſu afficitur, quàm quo in civitatis ingreſſibus ornatus fuerat. Sic videlicet è vita migrans, ut multas lachrymas excitaret, majoremque iis rebus, quæ in aſpectum cadunt, nominis ſui gloriam in omnibus animis recondere.* Accedere ad gloriam Athanaſii nil majus ſanè poteſt, quàm Nazianzeni teſtimonium: *Vita ipſius morumque ratio Epiſcopatus norma erat, & ipſius dogmata pro fidei lege habentur.* Corpus defuncti terræ mandatur. Quippe exemplo B. Antonii ſuas in urnis reliquias condi noluit, abrogando Ægyptiorum mori, qui mortuos in lectulis ſuos collocabant. Venerandum corpus defuncti Venetias tandem tranſlatum, illic decentiſſimè ſervari rumor eſt, cui nos credulos non eſſe profitemur.

Rufin. l. 2. c. 3.

Nazianz. Or. 21. 397.

Nazianz. Or. 21. 397.

Damaſc. de Imag. Or. 1.

Librorum Athanaſii Chronotaxis.

XI. Superſunt nobis Athanaſii reliquiæ, oſſibus, cadavereque precioſiores, ſimul & utiliores,

ris, magni ſcilicet Scripta Præſulis, quæ tanto in pretio fuere, ut uſurpato Athanaſii nomine, veteratores ſeque, ſuaque Opera venditarint. Lucubrationum Athanaſii, quam conjiciendo aſſequimur, Chronotaxin inſtruere placet. Quo adminiculo & nonnihil illuſtrabitur Hiſtoriæ, & errores Baronii purgabuntur. Primigenii Athanaſii fœtus illi videntur eſſe, quos adverſus Ethnicos edidit: Orationes ſcilicet & contra Gentes, & de Incarnatione Verbi, quibus alium Hieronymus titulum imponit: *Feruntur*, inquit, *ejus adverſum Gentes duo libri.* In quibus cùm in Arianos non invehatur, inde conjectura naſcitur, prius editos fuiſſe, quàm calumniis adverſariorum peteretur. Eſt igitur probabiliſſimum, ante annum CCCXXXIV. quo Cæſarienſis Synodus à Conſtantino de cauſa Athanaſii fuit imperata, ſcriptas eſſe, & fortè anno CCCXXX. cum proxime ſequente Iſchyras atque Arſenius in S. Antiſtitem accuſationem compararint. Anno CCCLIV. ad Dracontium direxit Epiſtolam, qui Epiſcopatum fugiebat. Quem multis monet argumentis ſacrum munus inire, ne impendentes Antiſtitibus calamitates vitare velle videretur. Non multò ante feſtum Paſchatis ſcriptam eſſe hæc innuunt, *Quis in Paſcha evangelizabit, ſi tu abſis?* Anno CCCLV. ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ miſit Epiſtolam, cui perperam imponitur titulus, *Oratio prima contra Arianos.* Id verò ex his colligimus: *Georgium Cappadocem* [illegible], *ad vos mittere volunt.* Nondum igitur Alexandriam ingreſſus fuerat, aut ſtrages ediderat, quas adveniens intulit. Neque perſecutionis meminit, quam ſilentio non obruiſſet. Eodem quoque anno ſuam ad Conſtantium adornat Apologiam, in qua mentio eſt exiliorum, quæ *Paulino Liberioque* ſunt imperata, illo ipſo anno, quo Mediolanenſe Concilium coactum eſt. Anno CCCLVI. condidit ad Orthodoxos Epiſtolam, quam Baronius Hermantiuſque perperàm anno CCCXLI. affigunt. Quos refellit *Georgii* nomen ſæpius uſurpatum, qui anno duntaxat CCCLVI. ab Antiocheno Conciliabulo Alexandriæ Epiſcopus impoſitus eſt. Anno CCCLVII. Epiſtolam ad Solitarios miſit, quos cupido inceſſerat noſcendi tragœdias ab Arianis commiſſas: *Cùm id multis hortatibus à me poſtuletis, pauca recenſui, & noſtras, & Eccleſiæ calamitates.* Sub ea tempora priorem conſcripſiſſe videtur Apologiam de fuga ſua, cùm à *Syriano* Duce vexaretur. Leontius Antiochiæ, Georgius Laodiceæ, aliique Arianorum de grege complures ipſius timiditatem accuſabant. Quod vitium ut à ſe depelleret, oſtendit Arianorum tantum eſſe furorem, ut adverſus eum fugæ potuerit uti præſidio, quod & ingruentibus perſecutionibus Prophetæ Apoſtolique adhibuerunt. Anno CCCLVIII. de morte Arii ad Serapionem Epiſtolam aſcribimus, quæ illam ad Solitarios excepit. Ut his indicatur, *Miſi tuæ pietati, ea quæ ad Monachos ſcripſi.* Alteram Athanaſii Apologiam anno CCCLIX. vindicamus, utpote quæ lapſum Liberii memoret, de quo vix ante eum annum aliquid audire potuit: *Liberius Præſul*, inquit, *non ad finem uſque exilii afflictionem ſuſtinuit.* Anno CCCLX. Epiſtolam de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis addicimus. Vix quidem citius condi potuit. Quippe Seleucenſis Synodus incepit die V. Kal. Octobr. Euſebio & Hypatio Coſſ. Cùm ergo accuratam hujus Synodi notitiam habuerit Athanaſius, cujus in Epiſtola legimus, & Epiſcopos Concilio interfuiſſe propemodum CLX. & finitâ Synodo profectos eſſe ad Conſtantium, ut ipſi acta notificarent, utique ante annum CCCLX. hæc Athanaſio nunciari non potuere. Anno CCCLXIII. dum ad imperii clavum Jovianus ſedet, exarata eſt Epiſtola, quâ de fide interroganti reſpondet, neque ab eo tempore divellenda eſt, & illa ad Antiochenſes, quæ extincto Juliano confecta. Tunc enim Athanaſius Synodum apud Alexandriam habuit, cujus Epiſtola meminit. Anno CCCLXIX. Epiſtolam ad Africanos ſcriptam eſſe putamus: conjecturamque ducimus ex verbis, *Sufficiunt quidem Scripta Damaſi, magnæ Romæ Epiſcopi, cæterorumque tot numero inibi congregatorum.* Quam enim Damaſi Synodum memorat, ea eſt anno, ut exiſtimamus, CCCLXVIII. congregata. Arianos perſtringit Epiſtola. Anno CCCLXXII. debetur inſignis ad Epictetum Corinthium Epiſtola, quâ Apollinariſtas perſtringit, qui Chriſti corpus verbo Conſubſtantiale eſſe delirando nugabantur. Noſtra verò Chronologia his innititur: *Diverſis Conciliis per Galliam, Hiſpanias, & magna Romæ celebratis omnes qui adfuere, Auxentium, Urſacium, &c. anathemate percuſſerunt.* Romæ autem Auxentius anno CCCLXXII. ineunte damnatus eſt. Superſunt Epiſtolæ, & ad *Palladium*, & ad *Joannem Antiochumque* Presbyteros, quæ Baſilio M. jam ad Epiſcopatum promoto conditæ ſunt, utpote quæ hujus Antiſtitis meminerint, qui anno demum CCCLXXI. creatus eſt. Poſſunt igitur percommodè, vel CCCLXXII. vel etiam CCCLXXIII. anno vindicari. Cæterorum Scriptorum ætas nos fugit. Porro etſi tempus, quo Vita Antonii ab Athanaſio chartis mandata eſt, ignoremus, Baronio tamen aſſentiri non poſſumus, qui anno CCCXL. hoc Opus ab Athanaſio Romam allatum fuiſſe ſibi perſuaſit. Conjecturam hanc ſuam collocat in verbis Hieronymi; ſed perperàm, ut legenti certum fiet. Verba hæc ſunt de Marcella B. Hieronymi: *Hac à Papa Athanaſio, & poſteà Petro, qui perſecutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum, Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monaſteriorumque in Thebaide Pachomii & Virginum ac viduarum didicit diſciplinam.* Quæ ne vel minimo indicio ſignificant, vitam Antonii jam ſcripto fuiſſe traditam. Ea quæ de Antonii & teſtamento, & morte in ea vita legimus, Baronio errorem evellere debuiſſent. Cùm enim ad plures abierit Antonius, anno CCCLVI. Januarii XVII. Utique vita Antonii, quæ fusè de ipſius obitu tractat, ab Athanaſio ſcribi poſtmodum debuit. Imperante Valente conditam ſit vero ſimile. Itaque non eorum opinionis eſſe poſſumus, qui hoc Opus exiſtimant fuiſſe Athanaſio ſubditum. Ex ſcriptis Athanaſii nullum eſt, cui Veterum plures teſtimonium perhibeant. Laudatur à Nazianzeno Or. 21. 376. à Chryſoſtomo hom. 8. in Matth. à Palladio in Hiſtoria Lauſiaca c. 8. ab Hieronymo de Viris illuſtribus, aliiſque compluribus, ut obſervatum Hermantio. In tanta exiſtimatione fuit de vita Antonii liber, ut eo lecto, nonnulli ad pietatem accenſi fuerint, ut adducto exemplo Potianus Auguſtinum monuit. Intereà faciles largimur puram non eſſe, ſed lutulentam nonnullis in locis fluere. Illud certè magni eſſe Athanaſii credere non poſſumus:

Anto-

Athan. t. 1. 290.

Ath. ad Solit. 808.

Athan. t. 1. 670.

Athan. Apolog. 807.

Ath. ad Afr. 931.

Ath. ad Epict. 582.

Bar. An. 340. n. 7.

Hieron. Ep. 16.

Anno Dom. 373.

Antonius beſtiam vidit formâ humanâ ad femora uſque; crura & pedes, aſinum. Quod ad ſignum Crucis factum eſt, longè adhuc incredibilius: *Beſtia cum Dæmonibus ſic fugitavit, ut celeritate cadens moreretur. Quæ illius mors ruina Dæmonum fuit.* Neque multo veriſimilius quod paginâ 476. habetur, Satanam ſpecie ingentis hominis Antonio dixiſſe, *Cur me falsò accuſant Monachi.* Quoniam de Scriptis Athanaſii multa diximus, eſt nobis perorandum. Quanto olim in pretio fuerint, præceptum Joanni Moſcho, à Coſmo Abbate datum, abundè teſtatur: *Cùm inveneris aliquid ex Opuſculis Sancti Athanaſii, nec habueris chartas ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud.* Addamus & Photii de ipſis judicium: *Athanaſii dictio perſpicua, ut & in cæteris ejus omnibus, ſobria item & candida, vehemenſque ac profunda, & argumenta valide torquens, ejus verò ubertas in his ac fecunditas admodum ſanè fuit mirabilis. Qui Gregorium Theologum, Sanctumque Baſilium dixerit ex hoc tanquam fonte hauſtos egregios illos & limpidos librorum ſuorum rivos, contra* (Arianiſmum) *profudiſſe, ſanè à ſcopo minimè aberrabit.* Quod nos penè fugerat, inter egregia Athanaſii facinora non minimum eminet, quòd obortas de vocibus *ſubſiſtentia* & *natura* lites compoſuerit, maximo Eccleſiæ bono. Id obſervatum ab Hypatio Epheſino in ſua cum Severianis collatione: *Orientalibus Sanctis Patribus pro perſona ſuſcipientibus ſubſiſtentiam, & ſicut tres perſonas, ita & tres ſubſiſtentias in Sancta Trinitate dicentibus, per multa tempora diſſidium factum eſt inter Orientales, & Occidentales Sanctas Eccleſias. Orientalibus quidem Occidentales Sabellianorum ſectam defendere ſuſpicantibus, quia unam dicebant eſſe in Trinitate ſubſiſtentiam. Occidentalibus verò, Orientales Arianam ſectam ſequi dicentibus, eò quòd tres ſubſiſtentias in tres alterius ſubſtantiæ vel naturæ perſonas proferrent ſecundum imitationem Arii. Quam diviſionem per Sanctum Athanaſium Deus univit. Utriuſque enim linguæ peritus, utraſque partes per Dei gratiam ad concordiam revocavit.* Athanaſio Synclitæ vitam aſcribit Nicephorus Hiſtoriæ l. 8. 40. Mulieris hujus vitam edidit Cotelerius: de quo Opere cùm Veteres nil mentionis egerint, ab Athanaſio libenter illud objudicamus. N. Alexander aliique opus Athanaſio tribuunt. Synclitæ majores ex Macedonia orti, pietatis Alexandrinorum famâ permoti, urbem *Macedonem* conceſſere. Synclitæ nuptias ob ejus formam moreſque omnes ambiebant. Amore verò Virginitatis Chriſtum ſibi ſponſum elegit. Multis corpus ſuum jejuniis exterminavit: *Pane furfuroſo veſcebatur, aquâ ſæpè penitùs abſtinebat, humi dormiebat* c. 18. Sic voluptatum victrix, ubi funeri propior eſt, *Viſiones ſpectavit, Angelorumque auxilia, Sanctarum Virginum invitationes ad aſcenſum,* ac quaſi fuſo divinitùs oraculo, quæ aderant mulieribus dixit, *Poſt triduum ſeparabor à corpore, ſed & horam emigrationis declaravit* c. 113. Si verum amamus, Synclitæ hæ viſiones & vaticinia, Scriptorem indicant ab Athanaſio diverſum. Quod aliis quoque argumentis demonſtratum imus. 1°. Cotelerianus Codex, nullius Autoris nomen gerit, & in notis editor ſuis fatetur, *In Codice vetuſtiſſimo Cryptaferratenſi Bibliotheca Vaticana, eam Vitam aſſignari Polycarpo Aſcetæ.* Nec immeritò, cùm liber ille Autorem Aſceticæ diſciplinæ deditum immerſumque ſonet. 2°. Synclitæ factum moribus Ægyptiacarum Sanctimonialium non eſt conſonum: *Convocato quodam Presbytero, præcidit comam ſuam,* c. 11. Virgines vero, quæ Deo ſe dicabant, *crinem Monaſteriorum matribus offerebant deſecandum,* teſte Hieronymo Ep. 48. 3°. Incredibile videtur, quod ſi quando urgente neceſſitate, Synclita *cibum extra conſuetum tempus ſumpſiſſet, pallebat ejus facies, concidebat corporis moles,* c. 10. Superſtitioſi Aſcetæ commentum hoc eſt, extollendæ monachali diſciplinæ, cùm legibus naturæ, corpus fame debilitatum, ſumpto cibo recreetur. Furfuris eſt ejuſmodi, quod ad illam quæſtionem, *Qua via ſalutem conſequi oporteret,* Synclita lachrymarum imbrem effundens, altum *ſilentium exercebat* c. 21. Atqui reſponſum quæſtioni dare debuit, quod poſtmodum dedit: *Non facias violentiam pauperi.* 4°. Crudeli ſuperſtitione conditum eſt facinus, quod veluti egregium Autor memorat. Dæmon Synclitæ *molarem dolore affecit. Inde putrefacit gingivam, excidit os, ulcus totam percurrit maxillam.* Reſpuit tamen omnia remedia: acceſſitos rejicit Medicos: *Quid me,* inquiebat, *ab hac præclara lucta arcetis?* c. 11. Quaſi vero inſitus nobis à Deo corporis noſtri amor adhibere morbis remedia non imperaret. Denique quis ſibi inducat in animum, inſignem virginem ætate Athanaſii in Ægypto florentem, nil ab Arianis, nil à Gregorio, nil à Georgio, qui Sanctimoniales miris modis vexarunt, perſecutionis paſſam fuiſſe, de qua ne *μυ* quidem in ejus Vita.

Margin notes, left column: Ath. Vit. Ant. 482. — Prat. Spirit. cap. 40. — Phot. Cod. 140. pag. 315. — 1a. Conc. 4. 1768.

XII. Petrum Eccleſiæ Alexandrinæ moriens commendaverat Athanaſius: ſpectata quoque viri hujus virtus, favorem omnium ipſi conciliabat. Epiſcopatum igitur pietate, & patientiâ duce, comiteque Athanaſii deſignatione conſequitur. Teſtetur Theodoritus: *Petrus vir præſtantiſſimus Sacerdotium ſuſcepit. Quem primus quidem Pontifex ille Beatiſſimus ſuffragio ſuo deſignarat Epiſcopum. Cuncti verò electionem comprobaverant, tam Sacerdotalis Ordinis viri, quàm Magiſtratus & honorati. Sed & univerſus Populus lætitiam ſuam fauſtis acclamationibus declaravit. Hic namque Athanaſii ſudorum particeps fuerat, eumque & præſentem domi, & abſentem foris erat comitatus, & unà cum illo varia ſubierat pericula. Quam ob cauſam & vicini Epiſcopi Alexandriam confluxerunt, & qui in Monaſteriis degebant, relictis palæſtris ſuis aderant, ut in Athanaſii locum Petrus ſuccederet poſtulantes.* Pluribus & Petrum laudibus Nazianzenus afficit Oratione XXIV. in Ægyptiorum adventum.

Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ præficitur.

Theodorit. l. 4. c. 20.

XIII. Ut Petrum virum & religioſum, & diſertum, vivam Athanaſii imaginem, & veritati proximam, Epiſcopatui deſtinari, Arianis compertum fuit, abſque mora, Valenti, qui tum Antiochiæ verſabatur, rem ſignificant. Arreptâ occaſione, *Euzoius* Arianorum Epiſcopus, omni ratione conatur, ut de imponendo Lucio Antiſtite Alexandriam mitteretur. Idem quoque viſum Imperatori. Regnante Joviano Ariani Alexandrini Lucium jam ſibi dari Epiſcopum contenderant, eoque de cauſa ſecum Antiochiam ipſum adduxerant. Hoc nos Acta monent, quorum fragmenta extant in Athanaſio: *Quidam de plebe Antiochena, comprehenſum Lucium, ad Imperatorem adduxerunt, dicentes, Rogamus tuam majeſtatem precamur, vide quem voluerint creare Epiſcopum.* Neque auditu injucundum Joviani Auguſti ad veſtibulum Palatii habi-

Lucii Ariani vita. Alexandriæ præficitur Epiſcopus.

Athan. l. 2. 29.

habitum cum Lucio colloquium: *Peta à potentia tua, audi me. Subſiſtit Rex, & ait, Tibi ipſi Lucio dico, Quomodo huc veniſti, navine, an pedes? Lucius reſpondit, Navigio, Domine mi. Princeps dixit, Tibi dico, Luci, Deus mundi, & radians Sol ipſe, & Luna ſuccenſeat illis ipſis, qui tecum navigarunt, quod te non projecerunt in mare, & navis illa nunquam impaſterum habeat ventos ſecundos, neque hybernatura cum comitibus tuis portum attingat.* Jam totis viribus Lucio favebat Euzoius. Pulſo à Valente Euſebio Samoſatenſi, Eunomio Lucius ſuffectus fuerat, non gregis Paſtor quidem, ſed lupus crudeliſſimus, à benignitate deceſſoris alieniſſimus. De quo hæc memoriæ prodit Theodoritus, Lucio prætereunte, inter pedes aſini quo vehebatur, ludentium puerorum elapſa pila pertranſiit. Tum clamore ſuo pilam contaminatam eſſe teſtantur. Quo intellecto, uni ex famulis præcepit ſubſiſtere, ut quid acturi eſſent, obſervaret. Accenſo rogo pueri pilam per flammas trajectam expiant. Hoc erat indicium odii, quo *Lucium* Samoſateni proſequebantur.

Theodorit. l. 4. c. 15.

Quo ut ſe magis dignum præſtaret, Præſidibus perſuaſit, ut plures Sacerdotalis Ordinis viros in exilium mitterent. *Evolcium* Diaconum in Oaſim, *Antiochum* Euſebii ex fratre nepotem, virtutibus clarum & ſacerdotali honore decoratum, in Armeniæ angulum relegat. Nefario illo homine, quoquo pacto opus erat Arianis, ut Alexandrina Eccleſia everteretur. Quo homine? Qui Epiſcopatum emerat, nec ſuffragio Clericorum, aut poſtulatione plebis electus fuerat. Repertam igitur occaſionem Euzoius, Lucii Alexandrinum ad Epiſcopatum promovendi ambabus ulnis amplexus, protinus cum Imperialibus copiis Alexandriam contendit. Pergit & cum ipſo *Magnus*, regiorum theſaurorum Comes, qui Juliani temporibus, Berytenſem Eccleſiam incenderat.

Socr. l. 4. cap. 21.

Palladio Ægypti Præfecto datur in mandatis, ut milites operam ſuam præberent. Sic tranquillitas Eccleſiæ Alexandrinæ, quæ viventis Athanaſii veluti in tutela fuerat, cum eo Ægyptum reliquit.

Lucii terribilis Alexandriam ingreſſus.

XIV. Acceptis Valentis mandatis, Palladius cultui numinum addictus, cui Eccleſiæ calamitas erat in deliciis, ſpecie quidem regiis Edictis obtemperandi, reverà tamen ut animo ſuo uteretur, collectâ Gentilium & Judæorum multitudine, Eccleſiæ ambitum circundat: *Petrum* ſecedere monet, abnuenti vim expulſionemque minatur. Paucis deinde interjectis diebus advenit Lucius, communis Orthodoxorum pernicies, cui *Euzoius* Eccleſias tradit. Indignus hic ille Lucii ingreſſus fuit. Non illum præcedebant Monachi, hymnos è Scripturis depromptos canentes. Non Epiſcopi, non Diaconi, non populi comitabantur. Ingeminabant has voces Ethnici, *Benè adveniſti, Epiſcope, qui Filium negas. Serapis te diligens huc adduxit.*

Theodorit. l. 4. c. 22.

At populus Athanaſii doctrinâ innutritus, cùm contrariam ſibi eſcam ſubminiſtrari cerneret, ab Eccleſiaſticis conventibus abſtinuit.

Theodorit. l. 4. c. 21.

Lucius verò Idolorum cultoribus, tanquam ſatellitibus uſus, ex Orthodoxis alios cædebat, alios fugere compellebat, alios in carcerem conjiciebat. Dum in Eccleſiæ facie vultuque dolor ineſt, Petrus cum literis communicatoriis, quas Damaſo ſcripſit, lachrymas quoque ſuas, & gemitus Romam tranſmittit. Scribenti ſimul & dolenti Damaſus reſpondit. Quæ novam Lucii furori materiam præbuere: *Diaconus qui à chariſſimo noſtro Damaſo Epiſcopo urbis Romæ conſolatorias ſimul & communicatorias literas attulerat, manibus poſt tergum revinctis, publicè à carnificibus ductus eſt, non ſecus ac inſignis quiſpiam maleficus.* Verba hæc ſunt Petri in Epiſtola ſua. Nec ignominiâ tantùm, ſed cruciatibus quoque Diaconum affecerunt, quem poſt verbera crucis ſe ſigno conſignantem, omni ſolatio deſtitutum, ad æris metalla, quæ ſunt in *Phenne*, relegant.

Perſecutio Alexandrina ſub Lucii ingreſſum.

XV. Sed Petri & coloribus, & penicillo pingenda nobis ea vis eſt perſecutionis. Provinciæ Rector Palladius, ſimulacrorum cultor aſſiduus, qui ad bellum Chriſto inferendum ſæpius ſe exercuerat, in Eccleſiam, *quam Theana* vocant, impetum facit: *Loco verborum gravium, laudes Idolorum canebant: pro lectione Sacrarum Scripturarum plauſus manuum indecoros, & ſtultas cum obſcœnitate voces uſurpabant. Virginum veſtes diſcindere, & nudas prorſus per urbem traducere. Quòd ſi quis ab hac miſeratione captus, eos impedire, ac verbis admonere voluiſſet, vulneratus abibat. Multæ Virgines per vim ſtupratæ ſunt: multæ dum fuſtibus capita verberabantur, manſerunt exanimes. Ac ne corpora quidem ſepulturæ mandari permittebantur.* In ipſo altari puerum muliebri veſte indutum ſaltare faciunt. Flagitioſum quoque prorſus nudum in Eccleſiæ ſolio collocant, unde concionem habuit, quâ furta, adulteria, voluptates vitæ utilitati eſſe docebat. Ut perpetuò ſibi ſimilis eſſet *Magnus*; qui ad Principum arbitrium religionem accommodans ſuam, quam Berytenſium Eccleſiam incenderat, ſumptibus reficere ſuis coactus fuerat, Joviano pœnas daturus, niſi multorum ſuffragio Principis clementiam meruiſſet *Magnus* ille impietatis ſatelles, Presbyteros ac Diaconos XIX. numero comprehenſos, ex quibus nonnulli octogeſimum annum exceſſerant, conſtituto publico judicio fidem prodere cogit, minis & promiſſionibus adhibitis. Suadenti audacter reſpondent: *Deſine tandem, deſine his verbis nos terrere; nos enim nec novicium, nec recentem Deum colimus.* Ut conſtantiam ipſorum frangeret, multis eos diebus Comes in carcere detinet. Cùm autem à pietate virum abducere non poſſet, lachrymante ante Prætorium plebe, pulſos Alexandriâ, in urbem Phœnices *Heliopolim* relegat, Chriſti notitiâ expertem. Quod barbariem ſuperat omnem, Alexandrini ne flere quidem permiſſi, vetante Palladio Præfecto. Quorum nonnulli lacerati, torti, ad Phœnneſia, & Proconneſia metalla damnati ſunt. Quos inter Monachi erant tres & viginti numero. Paulò pòſt Diaconus, qui literas Damaſi Petro, & communicatorias, & conſolatorias attulerat, ad metalla damnatus eſt. Involvit & Epiſcopos vis procellæ hujus. Antiſtites Ægypti undecim numero, qui pietatis doctrinam unà cum lacte ſuxerant, à *Magno* Diocæſaream Judæis refertam amandantur. Quid intereà de Petro factum? Si Socrati credimus atque Sozomeno, in carcerem ductus eſt, ex quo elapſus, & ad omnes Eccleſias ſcripſit, & ad Damaſum contendit. Vinculorum tamen ſuorum non meminit Epiſtola, de quibus certè ſilentium non egiſſet. Fugâ igitur ſibi conſuluit, quam non niſi anno ſequente arripere potuit. Hic eſt ille Lucii Alexandriam ingreſſus, miſerorum ſanguine & lachrymis nobilis. Qua de cauſa impium ſuis coloribus pingit Nazianzenus. Secunda, inquit, Ægypti plaga, luporum Paſtor, ſecundus

Theodorit. l. 4. c. 21.

Anno Dom. 372.

dus ille Arius: *Prodibant in aciem copiæ ſurore ardentes: immanis & ferus exercitus adverſus inermes homines, ac rei bellicæ ignaros. Expellebatur Sacerdos Viri Sancti ſucceſſor legitimè, atque ut Spiritus ordo poſtulabat, tinctus, ac canitie & prudentiâ ornatus.*

Naz. Or. 23. 417.

Gregorii Naz. vita. Quo anno editus?

XVI. Submonent nos verba Gregorii Nazianzeni, de ejus ad Epiſcopatum promotione tractare, quam hoc anno factam exiſtimamus. Verùm antequam ea quæ ad illam pertinent, oratione proſequamur, ſumma vitæ ipſius faſtigia nobis ſequenda ſunt, ut in viri magni, cui auguſtum *Theologi* nomen inditum eſt, & imagine, & virtutibus noſtri lætentur Annales. Gregorius patre cognomine, & *Nonnâ* matre genitus, *Arianzi* in prædio paterno lucem aſpexit, quod non longe *Nazianzo*, obſcuro Cappadociæ ſecundæ oppido diſſitum erat. Quæ urbs tanto viro adeò inclaruit, ut apud extremos orbis terrarum fines propter alumnum civemque illuſtris extiterit. A Nonna & ante ortum, & poſtquam in lucem editus eſt, Deo conſecratur, neque donum repudiatum eſt, cùm pietate eruditioneque inter paucos eminuerit. Verùm enimverò de anno Gregorii natali magna lis eſt atque diſceptatio. Papebrochius, Pagiuſque anno CCCI. genitum eſſe Gregorium putant, ſuamque in Suida ſententiam collocant: Gregorius *cùm ad nonageſimum ætatis annum, & ulterius progreſſus fuiſſet, decimo tertio Imperatoris Theodoſii anno ex vita excedit.* Annus XIII. Theodoſii cum Dionyſiano CCCXCI. conjungitur. Nectunt & argumenta viri illi eruditi, quæ ſuæ ſententiæ præſidio ſint. Cum ea tamen Chronologia graviſſimæ rationes confligtantur atque dimicant. Quippe ſi Gregorius anno CCCI. genitus eſt, jam annum vigeſimum quintum evaſerat, cùm pater Epiſcopatum iniit. Hoc autem falſiſſimum eſſe, docent verba, quibus bonus ille ſenex filium obſecrat, ut ſibi auxilio ſit in exercendo munere: *Nondum tot anni ſunt tui, quot in ſacris mihi ſunt peracti victimis.* Quid eſt dicere Gregorium patre jam Sacerdote ſatum eſſe, ſi hoc non eſt? Hinc ſanè neceſſariò conficitur, Nazianzenum jam adultum non fuiſſe, cùm Epiſcopi dignitatem obtinuit pater ipſius, quod ex ſua Chronologia Pagius Papebrochiuſque admittere tenentur. Aliud argumentum miniſtrant verba Gregorii: *Tempus ingens fluxerat, jam in literis triginta & annos penè tunc exegeram.* Tricenario majorem Nazianzenum fuiſſe, ex eo loco colligit Gregorius Presbyter in vita ipſius: *Triceſimo jam anno in artium ſtudiis exacto patria ſe veſtitmt.* Annus Dionyſianus CCCLV. jam labebatur, cùm Nazianzenus Julianum Athenis ſtudentem vidit. Quo tempore, ſi anno CCCI. lucem aſpexit, jam annos LIV. impleverat, cùm in Julianum incidit. Itaque ſi triceſimus non *ætatis*, ſed *ſtudiorum* annus intelligitur, ut viſum Pagio, igitur non ante vigeſimum quartum ætatis ſtudiis inhæſiſſet, quod nobis de Epiſcopi filio, ſcientiarumque amantiſſimo eſt incredibile. Non tot annorum hominem nobis ſe pingit Gregorius, dum canit de Athenienſibus: *Magiſtri cogniti ignoti mihi, mordicùs me detinent.* Et adhùc Præceptoribus utebatur ſub ea tempora, quibus reliquit Athenas. Quòd ſi *ibidem per annos triginta ſtudiis operam navavit*, ut Pagius contendit, æquale penè temporis ſpatium Athenis à Baſilio fuiſſe conſumptum neceſſe eſt, utpote qui & paulò poſt Gregorium Athenas venit, & paulò ante Athenis exceſſit. Tandiu verò in ea urbe Baſilium moratum, creditu eſt difficillimum. Neque vero ſimilius, triginta annis, & à patre longævo, & à dilectiſſima matre abfuiſſe Gregorium. Quid *triginta annis?* Imò amplius cùm & Cæſareæ Palæſtinæ, & Alexandriæ prius moratus ſit, quàm Athenas peteret. Denique longè à quinto & quinquageſimo anno Gregorium abfuiſſe, cùm patriam repetiit, ex verbis ipſius apertè liquet: *Ut igitur domum revertimur, continuò facti ſumus juris noſtri, atque ex imberbibus inter viros poſiti, ad philoſophandum nos contulimus generoſius.* Quòd verò hic *figuratam emancipationem*, & ex imberbi animum factum virilem viri eruditi ſomniant, nobis certè non placet. Facti fuere ſui juris, quia Doctorum poteſtati, quibus apud Athenas ſubjiciebantur, exempti ſunt. Neque nobis facilè perſuadebitur, Gregorium qui ex Pagii calculo, ſexagenario propior domum reverſus eſt, *tum primum viriliter agere cœpiſſe.* Eò igitur propendemus, ut anno CCCXXVI. Gregorius editus ſit, non multò poſt Synodum Nicænam, nec ſine numine quidem, ut à magni conventus temporibus viri hujus, qui Arianorum & malleus fuit, nativitas propius abeſſet. Quæ cùm ita ſint, cauſa quidem Gregorio fuit, cur Oratione XXVII. diceret: *Si huc primùm cum ſenectute hac cana, & his membris, tum vita diuturnitate, tum morbo fatigatis, atque contractis veniſſem* Conſtantinopolim. Anno quippe circiter 380. hanc Orationem habuit, in qua Maximum Cynicum perſtringit. Quo tempore Gregorius jam quintum & quinquageſimum annum agebat. Quid igitur miri, ſi ſe laboribus, ſe vigiliis, ſe ſtudiis, ſe jejuniis morbiſque confectum, eâ ſe ætate ſenem dixerit? Neque aſſentiri viris eruditiſſimis poſſumus, qui Gregorii carmen de vita ſua *non diu poſt Cæſarii & Gorgoniæ mortem* conditum eſſe putant. Quam ſanè Chronologiam Gregorianum carmen refellit. Mentionem enim agitat & Petri Alexandrini levitatis, & fraudum Maximi Cynici, & diſceſſus ſui ex urbe Conſtantinopolitana, quibus apertè liquet, poſt annum CCCLXXXI. carmen illud eſſe conditum. Graviſſimum quidem argumentum Pagii Chronologiæ eſſet auxilio, ſi quod contendit, Nonna viro ſuo *coætanea* fuiſſet. Quo caſu duos & quinquaginta annos jam nata Gregorium primogenitum ediſſet, ſi anno Domini duntaxat CCCXXVI. genitus eſt. At Nonnam marito ſuo coætaneam fuiſſe, Gregorii in carmine nondum invenire potuimus.

Suid. t. 2. 627.

Naz. de Vit. pag. 9.

Naz. de Vit. pag. 5.

Anno 354. n. 8.

Anno Dom. 373.

Naz. Or. 20. 334.

Naz. Or. 37. 468.

Pag. Crit. an 369. n. 5.

Gregorii Naz. peregrinationes.

Naz. Or. 10. 161.

XVII. Ubi adolevit Gregorius, literarum amore ſuccenſus, Cæſaream Palæſt. proficiſcitur, viris eruditis nobilem. Hoc ipſe narrat ſua in Oratione de laudibus Cæſarii: *Cùm jam peregrinationis tempus eſſe videretur, ac tum primùm alter ab altero diſtracti ſumus, ego nimirum ob artis oratoriæ amorem in Palæſtinæ ſcholis tum florentibus moratus.* Itaque metuimus, ut poſt Gregorium Presbyterum Cavius erraverit, qui præclarum adoleſcentem ſtudiis incumbentem Cappadociæ Cæſaream prius petiiſſe tradit. Ex Palæſtina dein Alexandriam tendit, ut viris eruditione celebribus uteretur. Inde Athenas properat. Cum in mari Cyprio verſaretur, procella ſubitò coorta maximum naviganti periculum infert, eò majus, quòd nondum ſacris undis fuerat expiatus. Morte liberatus, benignè ab Athenienſibus

ANNO DOM. 373.

menſibus excep'us atque jucundè, non multò pòſt advenienti Baſilio conſuetudine, amicitiâ, domo jungitur. Poſtquam Baſilius ab ea civitate abiit, Gregorius à juventute conſertis manibus retinetur, ut docendi provinciam ſubiret. Uſus eſt ibi celeberrimis eo tempore Sophiſtis, *Himerio*, & *Proæreſio*. Ut amicorum precibus aliquid moræ conceſſit, relictis demum Athenis Byzantium ſe contulit. Quo tempore in Cæſarium fratrem, ad eam civitatem ex Alexandrina appellentem incidit. Quem fruſtrà retinere conantibus Conſtantinopolitanis, ſocium itineris ſecum patriæ reſtituit. Baptiſmum adeptus, ſolitudinis amore in Pontum ſeceſſit. Intereà pater ipſius Conſtantinopolitani Conciliabuli anno CCCLX. coacti, formulæ ſubſcribit imprudens: *Cùm dolum ob animi ſinceritatem ab omni dolo alienam non caviſſet.* Diſſidentibus ab eo hac de cauſa compluribus, bonus ille ſenex filii monitis ad viam rediit. Procellâ ſic in auram redactâ, à parente Gregorius ad Presbyteri gradum evehitur. Cùm autem amorem ſolitudini renuntiare haud poſſet, in eam iterum conceſſit. Quo tempore, cùm defuncto Conſtantio Julianus rerum potitus, Chriſtianos Græcorum literis imbui vetuiſſet, carminibus editis divinam Chriſti diſciplinam inſtillavit animis. Majora etiam aggreſſus eſt, accedente Cæſaream Valente, ut Eccleſiam Arianorum ditioni ſubjiceret. Ad Metropolitanæ Eccleſiæ clavum ſedebat *Euſebius*, vir morum quidem integritate præſtans, Theologiæ tamen rudis & imperitus. Euſebio tum temporis erant cum Baſilio inimicitiæ. Quem hortatur Gregorius, ut laboranti ſubſidium pietati ferat. Ac ut ad hanc provinciam ſuſcipiendam Baſilium vehementius impelleret, pugnæ ſe ſocium pollicetur. Suſceptâ cum amico expeditione, anno CCCLXX. profligatis apud Cæſaream Arianis glorioſè triumphat. Cùmque animam Euſebio morbus abſtuliſſet, omnem lapidem movit, ut Baſilius Metropolitani dignitatem adipiſceretur, quod etiam factum eſt.

Naz. Or. 19. 297.

Diſſidium Baſilii cum Anthimio.

XVIII. Sic tandem eò pervenimus, quò noſtra primum oratio collimabat. Orta erat Baſilium inter Anthimiumque contentio, cui anſam præbuit in duas Provincias & Metropoles Cappadociæ diviſio. Vetus Metropolis Cæſarea, cui Baſilius; nova verò *Thyana*, cui præerat Anthimius. Civitates quæ Provinciæ ſuæ nuper adjunctæ fuerant, ut jam ad ſe attinentes ſibi vindicabat Anthimius. Baſilius verò antiquæ diviſioni inhærebat. Conventus à novo Metropolita ſubſtrahebantur, proventus diripiebantur, Eccleſiarum Presbyteri partim ſermonum blanditiis alliciebantur, partim immutabantur: *Quod autem* Anthimium *magis in furorem agebat*, *Taurici reditus erant, qui ab ipſa quidem in tranſitu cernebantur: verùm ad Cæſarienſem devehebantur. Sancti Oreſtii proventus colligere magni æſtimabat. Adeò ut ipſius etiam iter facientis mulas aliquando corripuerit, ac ne ultrà progrederentur, cum prædatoria manu prohibuerit.* Ex hoc diſſidio Baſilii animum ſubiit cogitatio de pluribus in ſuæ Provinciæ Epiſcopatibus conſtituendis. Ex quo & animarum cura major ſuſcepta eſt, & quælibet civitas proventus ſuos habuit, & bellum hâc ratione compreſſum eſt.

Naz. Or. 20. 316.

Nazianzenus Zaſimis Epiſcopus imponitur.

XIX. Epiſcopatum uni, qui ſcilicet *Zaſimis* inſtituebatur, Baſilius Gregorium præficit. Hinc illæ lachrymæ! Ignobilis locus erat, nec magno ſanè Gregorio dignus:

In Regia medio viæ eſt vicus ſitus,
Qui ſcindit in tres ſe vias lymphis carens,
Exors viroris, libero indignus viro;
Arctum prorſus oppidum, & triſte nimis.

Naz. de Vit.

Quid rationis haberet Baſilius, ut virum & illuſtrem, & ſibi amiciſſimum tam obſcuro loco præficeret, eſt nobis incompertum. Nobiliori quidem Epiſcopatui Gregorium imponere facillimum Baſilio fuit, utpote qui

Denos haberet quinquies cum Antiſtites ſub ſe.

Non immeritò igitur ſe per hujuſmodi honoris ſpeciem contemptum, ignominiâque affectum Gregorius querebatur. Et ſanè eorum amicitia, quæ alioquin clavo trabali fixa videbatur, ob eam cauſam penè diſſiluit. Baſilius quidem apud bonos viros eo nomine graviter offendit, iniquiuſque cum Gregorio egiſſe exiſtimatus eſt, quàm vel pro ſuo ſolito candore, vel pro illius meritis & dignitate, vel pro amicitiæ jure. Cùm Epiſcopatum hunc Gregorius repudiaret, aculeatas Baſilius literas ipſi ſcribit, quibus non ſine ſtomacho reſpondit Nazianzenus: *Deſiſtas nos tandem maledictis inceſſere, ut inſulſos & ruſticos, quoniam ea quæ paſſi ſumus, intelligere ac perſentiſcere auſi ſumus.* Teſtatur ſe Martium Anthimium certamine non exceptutum: *Quid enim opus eſt pro lactentibus & avibus, & quidem alienis, non ſecus ac pro animabus, & Canonibus digladiari? Quid etiam ſplendidis illis Zaſimis Metropolitanam urbem privare?* Sic denique perorat: *Nos id duntaxat lucri ex amicitia tua capiemus, ut amicis poſthàc minimè fidamus, nec Deo quidquam præferamus.* Nova adhùc Epiſtola Baſilius in amicum invehitur. Cui reſpondet Gregorius: *Deſidiam & inertiam nobis objicis, qui Zaſima tua recuſavimus, nec Epiſcopatus cupiditate incitamur.* Ut tandem ad ſuſcipiendum Epiſcopatum reluctans Gregorius cogeretur, parentis ipſius Baſilius adhibet operam, cujus tandem imperio ceſſit:

Naz. Ep. 31. 796.

Naz. Ep. 32. 796.

Ipſe me tamen vi Præſulem
Facit, atque fallens rurſus hic natum Pater.

In ſua inauguratione concionem habuit, quæ numero ſeptima eſt, *Rurſum ſuper me unctio, & ſpiritus.* Aderant præſentes & pater ipſius, & Baſilius. Quibus conjicimus, Nazianzi ordinationem eſſe peractam: non certè Zaſimis, quam Eccleſiam nunquam adiit, ut ipſe teſtatur in vita ſua: *Nullo modo mihi datam Eccleſiam attigi, nec vel unicum cultum Deo abtuli, aut populo comprecatus ſum, aut ulli Clericorum manum tetendi.* Multum diuque pater laboravit, ut Zaſimis filius ſederet. Quod cùm impetraret, Nazianzum dein advocat illum, ut parentis coadjutor ſubiret auxilio. Ibi poſt delegatum hoc ſibi munus Orationem habuit, quæ numero eſt octava. In ea verò parentem ſuum Nazianzenoſque allocutus, piæ ſolitudinis fructus laudat: addit ſe publicæ utilitati velle conſulere, quia ſe juvat qui alios juvat ad Deum adducendos. Dum Nazianzi verſatur, advenit Anthimius, Thyanenſis Metropolitanus, cum Epiſcopis, præ ſe ferens videndi Gregorii ſenioris deſiderium. Junioris autem animum tentat *parœcias commemorans, & Zaſimorum paludes, & ipſius electionem*, ut in partes ſuas adduceret. Quibus infectis, iratus abſceſſit, Baſilium quaſi crimen objiciens. Ad Synodum etiam vocavit, quod cùm rejeciſſet Gregorius, ab eo ſaltem impetrant, ut ipſius rogatu Baſilius cum Comprovincialibus conſultationem haberet. Quod & ſe facturum recepit. Hoc tamen moleſtè Baſilius tulit. Qui cùm

Naz. Or. 7. 142.

Grego-

Anno Dom. 373.

Gregorium vexaſſet, ab eo id accepit reſponſi: *Hac cognita tibi prius eſſe oportuit, vir admirande, ac ne tum quidem contumeliâ afficere, ſi nihil aliud certè ut Presbyteros. Quòd ſi oſtentationis gloriaque nimio ſtudio teneris, atque e loco ſuperiori nos alloqueris, velut Metropolitanus, parva civitatis incolas, vel etiam civitatis expertes, nobis quoque ſupercilium eſt, quod opponamus.* Eodem ut videtur anno, *de Plaga grandinis* Orationem habuit, quæ numero eſt xv. A Gregorio quidem & coram patre, & jam erecto Epiſcopo recitatam eſſe, his perſpicuè monemur: *Hunc populum mihi compone alumno tua diſciplina, deinde Paſtori, nunc autem Paſtorum quoque principi.*

Naz. Or. Ep. 35. 798.

Naz. Or. 15. 226.

Res Baſilii M. in hæreſeos ſuſpicionem incidit.

XX. Sub idem ferè tempus, paulò tamen prius accidiſſe videtur, quod Baſilii famam non minimum nobilitat. *Euſebius* Ponticæ Provinciæ Præfectus gravem ipſi contumeliam inuſſit. Nobilem viduam, quæ non ita pridem maritum amiſerat, Judicis invitam ad nuptias pertrahebat. Quæ cùm vim vitare non poſſet, ad ſacram menſam confugit. Divinum azylum violari noluit Baſilius. Præfectus Magiſtratus quoſdam mittit, qui ſancti Præſulis cubiculum ſcrutarentur: inſuper adeſſe jubet, & quaſi reum cauſam dicere. Pallium detrahi, & lacerari mandat: *At ille, Exuam præterea, ſi lubet ita, tunicam.* Minabatur ungulis laceraturum: at ille: *Hujuſmodi laniatione*, inquit, *medicinam hepati aſſeres, magnoperè me prementi.* Ad Baſilii periculum tota civitas commovetur. Pietatem arbitrabantur, ſi Præfectum diſcerperent. Qui ſupplex & abjectus, ab ipſo Baſilio populum correptum retinente, periculo liberatur. Porro optimi Antiſtitis in fide, innocentia, pietate non ſatis præſidii fuit, ut calumniam effugeret, quæ de gloria ipſius nonnihil delibavit. Quippe in ſuſpicionem hæreſeos incidit, ita ut ab eo Monachi Cæſarienſes divellerentur. Id ſignificatum Athanaſio, qui non multò ante obitum innocentis venit in ſubſidium, datâ ad Palladium Presbyterum Epiſtolâ: à quo non ſecus ac à Dianio ea de re monitus fuerat. Palladio reſpondet: *Monachis quæ decuit ſcripſi, ut veluti filii obſequantur patri, nec iis quæ ille probat contradicant. Nam ſi ſuſpectus eſſet in negotio veritatis, rectè pugnarent. Sin autem confidunt eum eſſe gloriam Eccleſiæ, dum ita decertat pro veritate, non fas eſt cum tali homine pugnas conſerere, ſed amandus potius ob pium animum.*

Ath. t. 1. 952.

Anno Dom. 374.

ANNO U. C. 1127. PER. JUL. 5087. JUL. 419. DOM. 374. VALENT. & VALENTIS II. GRATIAN. 8. *Sol.* 19. E. *Lun.* 14. *Indict.* 12. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 3. P. 13. *April.*

COSS. *Gratianus Aug.* III. *& Equitius.*

Pax Valentiniani cum Rege Macriano.

I. VAſtatis Germanorum pagis nonnullis, munimentum Valentinianus ædificabat prope Baſiliam, *quod appellant accolæ Robur.* Dum his occupatur, affertur relatio Probi, quâ de clade Illyrici ob extinctum Gabinium Regem à Quadis illata monetur. Nuntiis attonitus Imperator, *Paternianum Notarium* mittit, qui de negotio accuratius inquireret. Acceptis certis nuntiis, evolare dein protinùs cogitabat, Barbaros oppreſſurus. Sed abeunte jam autumno, quam moliebatur, expeditioni tempus non erat idoneum. Optimatum ergo conſiliis adusque principium veris expeditio differtur. Intereà Rex *Macrianus*, qui formidini erat, armiſque ſuis Imperatoris confinia diſturbare poterat, blandius prope Magontiacum acceſſitur: *Poſt dicta & audita ultro citrò verſus, amicitia media ſacramenti fide firmatur.* Quæ ad extremum uſque Macriani ſpiritum conſtantiſſimè perduravit. Inito fœdere Treveros Valentinianus ad hyberna diſceſſit.

Anno Dom. 374.

Marcel. l. 30. c. 3.

Lucius Ægypti Monachos perſequitur.

Ruf. l. 2. c. 3.

II. At in Oriente crudeli bello Eccleſias delere Valens pergebat. Cujus autoritate Lucius armatus in Ægypto furebat. Verbis Rufini rem exequamur, qui perſecutionis & teſtis, & ſocius fuit: *Lucius tanquam materia ſibi crudelitatis oblatâ, ſævior erga cæteros efficiebatur.* . . . . *Poſt fugas civium, & exilia, poſt cædes & tormenta, flammaſque, quibus innumeras confecerat, ad Monaſteria furoris ſui arma convertit. Vaſtat eremum, & bella quieſcentibus indicit. Tria millia ſimul, aut eo amplius, viros per totam eremum ſecretâ & ſolitariâ habitatione diſperſos, oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam equitum ac peditum manum. Tribunos, Præpoſitos, & bellorum Duces tanquam adverſum Barbaros pugnaturus elegit. Qui cùm veniſſent, novam belli ſpeciem vident hoſtes ſuos gladiis objectare cervices, & nihil aliud dicere, niſi, Amice, ad quid veniſti.* Ut faciliorem de pietate victoriam referret, Macarium & Iſidorum Patres Monachorum clam raptos, *in inſulam quandam Ægypti Paludium* deportari jubet, Chriſtianis prorſus vacuum. Senes cum duobus pediſſequis noctu ad inſulam deducuntur, in qua Templum erat ſummâ veneratione ab incolis loci obſervatum. Vix navicula ſenum ad litus appulerat, cùm virgo Templi Sacerdotis filia correpta ſpiritu agi per medios populos cœpit, & crebros ducens rotatus, ſtridens hùc atque illùc rabida ora vibrare. Ad ſpectaculum tam lugentis monſtri cùm populi conveniſſent, per ſuras raptam ſequentes ad ſenes perveniunt. Ibi verò projecta eorum pedibus & proſtrata, clamare cœpit: *Quid veniſtis hùc, ô ſervi Dei Summi, antiquis nos & veternoſis evolvere domiciliis? In hoc loco depulſi undique latebamus: quomodo vos nequaquam latere potuimus. Cedimus antiquis ſedibus: populos veſtros, terraſque recipite.* Ejicitur è puella improbus ille ſpiritus: fides nunciatur, quam adeò cupidè amplectuntur incolæ, ut habitum in ſumma veneratione Templum manibus ſuis deſtruerent, & Eccleſiam confeſtim ædificarent. Quæ cùm Lucio nuntiata eſſent, veritus ne juſtam ſuorum iram provocaret, utpote qui non hominibus, ſed Deo bellum indiceret, exules occultè revocatos in eremum remitti jubet. Ne hîc quidem aliud miraculum eſt prætereundum. Ad Nitriæ Monachos dum interfectores expectabantur, homo delatus eſt membris omnibus, & præcipuè pedibus aridus. Ut oleo unctus eſt, dicentibus eis, *In nomine J. C. quem Lucius perſequitur, ſurge, & ſta in pedibus tuis, & redi in domum tuam,* ſubitò exiliens *benedicebat Deum.* Non deſerta modò, ſed Alexandrinam quoque civitatem perſecutionis furor inceſſebat. Auguſtalis Alexandriæ relegat Iſidorum, Piſimium, Adelphium, Paphnutium, Pambo, Ammonium, & XII. Epiſcopos, & Presbyteros, & Clericos, & Anachoretas, ut eſſent omnes numero CXXVI. qui in Palæſtinam circa Diocæſaream deportantur. Exules Melania ſecuta, ipſis propriâ ſuâ pecuniâ ſubminiſtravit. Et cùm prohiberentur Miniſtri nobilis mulier induta ſervili caracallâ,

Pallad. Lauſ. c. 17.

tacallâ, veſpere eis ferebat, quæ neceſſaria erant. Hoc ipſo anno Melaniam Hieroſolyma ſe contuliſſe, monet nos Hieronymus in Chronico. Alexandrinis eo modo vexatis non defuit Baſilius M. quibus inſignem ſcripſit Epiſtolam: *An*, inquit, *Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An noviſſima hora eſt? . . . Expectant vos, fratres, Martyrum corona. Parati ſunt Confeſſorum chori, ut manus vobis porrigant.* Literas pertulit Eugenius Monachus, per quem Alexandrinos orat ſibi reſcribere.

Baſil. Ep. 71.

Mavia Regina. Moſem ſibi Epiſcopum dari à Romanis impetrat.

III. Tantam crudelitatis famam ex ea perſecutione Lucius ſibi comparavit, ut cæteris quoque regionibus odio eſſet. Qua de re Veterum in monumentis inſignis extat hiſtoria. Mavia, Saracenorum Regina, defuncto marito virilem animum induens, vicinas Imperii Rom. Provincias populata fuerat. Ac res ad eum locum pervenerat, ut Militum Dux in Phœnicia Orientis Comitem ad auxilium ferendum vocaret. Hoſtis contempto poſtulationem riſit, quaſi Regina muliebres animos exercitibus ſuis inſtillaſſet. Itaque rem ſic inſtituerat Comes, ut Dux ille à quo accerſitus fuerat, pugnæ tantùm ſpectator foret. At prœlio commiſſo, Comes cum ſuis in fugam verſus, vix tandem à Palæſtinis & Phœnicibus militibus ſervatus eſt. Eorum enim Præfectus ubi Comitem fugientem vidit, ſtultum eſſe putavit, extra pugnam, uti mandatum fuerat conſiſtere. Itaque ſignis collatis, cominus cum Arabibus congreditur, ut ſenſim ſe recipiens, hoſtes ingruentes jaculis ſubmoveret. Quæ res ab ipſis Saracenis carminibus eſt celebrata. Et quia bellum hoc grave Romanis imminebat, Legatos ad Maviam de pace miſerant. At illa primùm pacis conditiones ſuperbè rejicit. Ubi verò doctrinæ pietatis eſt initiata, pacem ita recepit, ſi Moſes Monachus, qui in confinio Ægypti & Palæſtinæ morabatur, Saracenis Epiſcopus imponeretur. Eâ conditione pax conſtituta eſt, cujus adeò tenax Mavia fuit, ut filiam Victori Magiſtro Militum ſuam deſponderet. Poſt Valentis ex urbe Antiochena diſceſſum pacem conſtitutam eſſe Socrates memorat. Quin tamen in errorem delapſus fuerit, nulli dubitamus, cùm anno CCCLXXVIII. quo poſt relictam Antiochiam Valens Conſtantinopolim venit, in ea urbe cuneus Saracenorum fuerit, à Mavia miſſorum, qui obſidentibus Gothis civitati fuere præſidio. Hoc Maviæ cum Romanis bellum annis CCCLXXII. & CCCLXXIII. geſtum exiſtimamus; pacem verò præſente conſtitutam. Cùm enim nonniſi adulto jam anno proximo Lucius Alexandriam ſit ingreſſus, vix ante carentem Moſis ad antrum infamis hujus hominis crudelitatis fama deportari potuit. Petitio Maviæ, cui Moſes miraculis virtutibuſque ſuis innotuerat, indicata Principi, ſine mora impleri jubetur. Captus Moſes ad Sacerdotium ſuſcipiendum Alexandriam ex more deducitur. Adeſt Lucius, cui ordinandi ferebatur officium. Quo viſo, Moſes præſentibus & Ducibus, & populo ait: *Ego quidem me non eſſe dignum tanto Sacerdotio judico: verùm tamen ſi aliqua in me licet indigno divina diſpenſatio putatur explenda, Deum noſtrum Cœli & terræ Dominum teſtor, quòd Lucius Sanctorum ſanguine pollutas, & cruentas ſuper me non injiciet manus. Cùmque Lucius tam gravi notâ inuſtum ſe videret, in oculis plurimorum, Quare, inquit, ô Moſes, tam facilè condemnas eum, cujus fidem ignoras? Aut ſi quis tibi aliquis de me aliter indicavit, audi fidem meam, & tibi ipſi magis, quàm aliis crede. Tunc ille, Deſine, inquit, ô Luci, doloſis tuis me quoque imaginibus aggredi. Benè mihi nota eſt fides tua, quam proteſtantur ſervi Dei, per metalla damnati, Epiſcopi in exilium truſi, Presbyteri, Diaconi, extra Chriſtiani nominis habitacula relegati, beſtiis alii, alii etiam ignibus traditi, nàm quid poteſt verior eſſe fides, quæ auribus capitur, quàm quæ oculis pervidetur? Apud me certum eſt, quòd qui Chriſto rectè credunt, iſta non faciunt.* Itaque ab Epiſcopis quos Lucius in exilium truſerat, Moſes Sacerdotium ſuſcipit. Sic & gentis ferociſſimæ pacem tenuit, & fidei Catholicæ cuſtodivit intemerata conſortia. Quânam verò ratione ad Chriſti notitiam gens Saracenorum perducta fuerit, non eſt quidem ſilendum. Fide imbuuntur Sacerdotum colloquiis & Monachorum, qui per vicinas ſolitudines Philoſophiæ operam dabant, vitæque virtutibus, & miraculis refulgebant. Eâ verò occaſione ad Religionem amplectendam impulſi ſunt. *Zocomus* eorum Phylarchus, famâ Monachi allectus, ad illum acceſſit, calamitatem deplorans ſuam, quòd liberorum expers vitam degeret. Monachus oratione factâ hominem dimiſit, pollicitus ipſi filium naſciturum, ſi Chriſto crederet. Ut filius natus eſt Zocomo, promiſſi memor, & baptiſmum ſuſcepit, & ſuos ad ſacramentum ſuſcipiendum adduxit. Moſis, gentis hujus Epiſcopi ordinationem Baronius anno CCCLXXII. alligavit. Nos perpenſis omnibus, tempore ſcilicet ingreſſus Lucii Alexandriam, perlata ad Moſem perſecutionis fama ſancti Monachi in Ægyptum adventu, ut Epiſcopali munere indueretur: conſecrandi denique ob rejectum Lucium ad Epiſcopos in exilio agentes profectione, præſente duntaxat anno ordinatum eſſe non immeritò exiſtimamus.

Niceph. l. 11. c. 46.

Socr. l. 4. c. 36.

Marcell. l. 31. c. 16.

Rufin. l. 2. c. 6.

Sozom. l. 6. c. 38.

Aphraates. Ejus cum Valente colloquium.

IV. Ab hoc fortè anno non eſt divellenda inſignis, cujus Theodoritus meminit, hiſtoria. Perſa genere erat *Aphraates*, illuſtri quidem & nobili, qui avitâ ſuperſtitione relictâ, Edeſſam veniens in vita ſeſe aſcetica collocavit. Inde profectus Antiochiam, verba linguæ Græcæ nonnulla didicit, quibus non minimum Eccleſiæ profuit. Nolebat unquam ab aliquo quidpiam accipere, non cibos, non obſonium, non veſtem: niſi ab uno ſolo noto, qui panem ei ſuppeditabat. Quin etiam ab Anthemio, qui apud Perſas Legati munere fungebatur, allatam ex ea regione tunicam repudiavit. Dum Valens incolit Antiochiam, monitis ſuis & pietate Aphraates Fidelium mentes excolebat. Quem cùm Imperator vili amictum pallio, concitoque quamvis ſenili gradu properantem, eſſet intuitus, dixiſſetque aliquis, Hunc eſſe Aphraatem, ex cujus ore Antiocheni pendebant, quærit ab eo, *Quò vadis?* Tum ille, *Pro tuo*, inquit, *regno precaturus.* Ad hæc Imperator, *Domi potius manere debueras, & juxta monaſticam legem intùs precari.* Cui divinus ille vir, *Rectè admodum dicis, Imperator. Id ego facere debueram, idque hactenus facere non deſtiti, quamdiu oves Servatoris noſtri pace fruebantur. Nunc verò cùm in maximam perturbationem inciderint, omnis via tentanda eſt, & pecus conſervandum.* Aliâ & comparatione, quæ aptiſſima fuit, Imperatorem refellit. An puella ſedens in thalamo, domum paternam incendio correptam negligere debet, ac non potius relicto thalamo hàc & illàc diſcurrere, aquam afferre, ignem extinguere? *Hoc ipſum eſt,*

Anno Dom. 374.

eſt, inquit, *Imperatos, quod ago. Tu in patriis noſtri domum ignem injeciſti, circumcurſamus nos, eum eſtinguere conantes.* His auditis, Valens obticuit. At unus ex Imperatoris Cubiculariis, cùm interminatus eſſet ſancto viro, è veſtigio pœnas dedit. Ad balneum cùm perrexiſſet Valenti parandum, ſubitò mente captus, in ferventem aquam deſiliens extinguitur. Adjungamus aliud optimi viri miraculum. Equus Principi chariſſimus morbo afficiebatur, qui Medicorum artem ſuperabat. Tum ſtrator unà cum equo venit ad Aphraatis domicilium. Qui nil cunctatus, aquam ex puteo hauſtam ſignoque crucis benedictam, ad equum afferri jubet: ejus quoque ventrem oleo benedicto inungit. Quo facto diffugiente morbo, equus ſtatim ſanatur. Hæc erant divina veluti vincula, quibus Valentis impius furor cohiberi debuit. At in perſequendo obſtinatior more ſuo in Eccleſias graſſabatur.

Theodorit. l. 4. c. 26.

Theodorit. Philot. c. 8.

Petrus Alex. Romam venit.

V. Petrus ut ab Alexandrinâ ſe procellâ removeret, veluti ad ſalutis perfugium Romam properat: *Non multò pòſt ex Imperatoris Reſcripto univerſi, qui fidem Conſubſtantialis profitebantur, tum ex urbe Alexandria, tum ex univerſa undique Ægypto pelli juberentur.* Ut fugitivus Antiſtes tot periculis elapſus ad Damaſum acceſſit, Lucii immanitatis ſigna publicè ſpectanda propoſuit: *Nam pro cadaveribus cruentas veſtes Eccleſiæ Romanæ protulit, ac per tacitam accuſationem omnibus lachrymas movit.*

Socrat. l. 4. c. 32.

Nazian. Or. 23. 418.

Vitalis: ipſius verſutia. Apollinariſtarum Antiochiæ fit Epiſcopus.

VI. Dum Orientis Eccleſiis malorum incumbit cohors, gravior ecce calamitas Antiochenæ incidit Eccleſiæ. *Apollinaris* Laodicenus Epiſcopus, de quo multa ſuo loco diximus, ne quid in religione intemeratum relinqueret, poſt violatam deliriis ſuis fidem leges Eccleſiæ perfringit. In duas partes dividebantur Antiochenſes. Pars Meletio adhærebat, pars altera Paulinum ſequebatur. Duobus capitibus tertium Apollinaris addidit, ut tricipitis potius Cerberi, tria efferentis ora, & tres latratus ſimul edentis, quàm corporis Chriſti, quod unum eſt, Antiochenſis Eccleſia ſimilitudinem indueret. Res quemadmodum geſta ſit, nobis exponit Sozomenus. *Vitalis* Presbyter Antiochenus, ex Meletii Clero, vir præ cæteris ob vitæ & diſciplinæ ſeveritatem illuſtris, & in regendis iis quibus præerat, ſedulus, eâ de cauſâ venerabilis plebi erat. Verùm malis avibus Apollinari ſe conjunxit, relicto Deletio. Ferunt enim à Flaviano Presbytero prohibitum, ne more ſolito Epiſcopum videret, veluti contemptum, ex offenſione animi cum Apollinari amicitiam copulaſſe. Qui vicem ut redderet, Vitalem Antiochiæ Epiſcopum creat. Eâ vitæ ſanctitate fuit, ut non paucos ſibi Auditores compararit, qui ab ipſo ſortiti nomen, *Vitaliani* appellabantur. Optimis floruiſſe moribus Vitalem, teſtatur & Epiphanius, cui probè notus erat: *Vitalis*, inquit, *Epiſcopus, homo vitâ, moribus, & inſtituto religioſiſſimus.* Ut porro Damaſi patrocinio uteretur, anno proximo Romam navigaverat. Baronius ſemper ſui ſimilis, fingit Vitalem de Apollinaris errore, *In crimen vocatum ad dicendam cauſam, apud Damaſum Romam ſe contuliſſe.* Quaſi verò moris tum fuiſſet, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyteros, Pontificis Rom. ad tribunal evocari. Quo tempore quidem in urbem Vitalis profectus eſt, nondum Epiſcopum ab Apollinari creatum eſſe, ex Epiſtola Damaſi ad Paulinum facimus conjecturam: *Per filium meum Vitalem, ad te ipſum ſcripta direxeram, tuæ voluntati & tuo judicio omnia derelinquens, & per Petrum Presbyterum breviter indicaveram, me in articulo jam profectionis ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi ſcrupulus reſideret, & volentes forſitan Eccleſiæ copulari, tua cautio probanda differret, fidem noſtram miſimus, non tam tibi, qui nobis fidei communione ſociaris, quàm his qui in ea ſubſcribentes, tibi, id eſt, nobis per te voluerint ſociari, dilectiſſime frater. Quapropter ſi ſupradictus filius meus Vitalis, & qui cum eo ſunt, tibi voluerint aggregari, primùm debent in ea expoſitione fidei ſubſcribere, quæ apud Nicæam piâ Patrum voluntate firmata eſt.* Ex quibus intelligitur, Vitalem, cui *filii* titulum imponit Damaſus, necdum Epiſcopum egiſſe. Porro & fidem Damaſo obtuliſſe ſuam, & diſſimulationis adhibuiſſe integumenta Vitalem, monuit nos Nazianzenus in ſua ad Cledonium Epiſtola: *Ne autem nos hoc nomine accuſent, quòd Vitalis viri nobis chariſſimi fidem, quam ita poſtulante B. Damaſo Romæ Epiſcopo literis conſignatam edidit, prius quidem probaverimus, nunc autem repudiamus, de hac quoque re pauca diſſeramus.* Nimirum ut Manichæis, qui ſolis electis ſuis impia detegebant, ſic & Apollinariſtis ſolemne fuit, Scripturæ phraſes adhibere, animæ & rationis loco divinitatem inducentes. Mentem verò ſuam ſectæ ſuæ patronis aperiebant, dum pietatis ſpecie, & dictionibus alios fallebant. Quam Vitalis artem adhibuit ad decipiendum Damaſum. Porro Chronologiæ moleſti eſſe non videmur, ſi Vitalis ex urbe reditum cum hoc anno copulemus. Cùm autem literis Damaſi ob pietatem ſuam commendaretur, hinc fortè Apollinaris occaſionem arripuit, chariſſimum fautorem, & diſcipulum ad Epiſcopatum currente anno promovendi. Epiphanius in ſuo adverſus hæreſes tractatu, quem anno labente aggreſſus eſt, Vitalis *Epiſcopi* meminit. Quo etiam munere jam ornatum fuiſſe indicat Hieronymus, in ſua ad Damaſum Epiſtola, quæ numero eſt LVII. Videtur autem anno CCCLXXV. eſſe confecta. Itaque cùm Vitalis ad urbem Presbyter appulerit, probabile exiſtimamus, anno CCCLXXIV. ipſum ſectæ Apolliniſtarum Præſulum impoſitum eſſe.

Epiph. h. 77. n. 20.

Bar. An. 373. n.

Anno Dom. 374.

Dam. Ep.

Naz. Or. 42. 746.

Vitalis cum Paulino jurgia. Errores Vitalis.

VII. In excitando acuendoque Paulini, Vitaliſque jurgio, plurimum valuit nova dignitas, quâ ex Presbytero, Epiſcopus evaſerat. Rixarum teſtis Epiphanius: *Habebat nonnihil cum Epiſcopo religioſo Paulino * diſcordia, viciſſimque Paulinus à Vitali, quem tum accerſivimus, diſſidebat. Vitalis Paulino Sabelliani quandam dogmatis vocem objiciebat. Unde cùm eò nos acceſſiſſemus, ab abſoluta cum Paulino communione temperavimus, donec oblatâ fidei profeſſione, quam ſcripto comprehenderat, aliud perſuaſit . . . Secundum hæc Vitalem ejuſque ſocios ſic allocuti ſumus, Quid autem & vos dicitis? Si quid invicem diſſidii habetis, conciliatâ pace, penitùs tollite. Dicant, inquis, tum objicientibus aliis, negare ipſos hominem eſſe perfectum. Contrà Vitalis reſpondit, imò verò fatemur Chriſtum perfectum hominem induiſſe.* Quin etiam apertè profeſſus eſt, à Chriſto animam eſſe ſuſceptam. At de mente quærentibus, mentemne Chriſtus accepit, ſine ulla cunctatione negavit: *Eatenus*, inquit, *perfectum hominem fuiſſe dicimus, ſi divinitatem illi loco mentis aſcribamus, & carnem atque animam adjungamus.*

Epiph. h. 77. n. 70. &c.

Anno Dom. 374.

mus. Caput hoc fuit erroris Vitalis & ſectæ ipſius: *Utebantur & ritibus ab Eccleſia Catholica alienis, præter ſacros hymnos, qui in Eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris aſtricta pſallentes, quæ ab Apollinare erant excogitata.* Vitalis meminit Hieronymus, in ſua ad Damaſum Epiſtola: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum.*

Sozom. l. 6. c. 25.

Hier. Ep. 57.

Epiphanii vita. Epiſcopus creatur.

VIII. Epiphanius, de quo Vitalis in hiſtoriâ mentionem fecimus, ob ſuſceptum adverſus hæreſes tractatum hoc anno non minimùm inclaruit: *Ea demum inſtituti noſtri ratio eſt, ut opiniones, cognitioneſque varias ac tam fidei quam infidelitatis profeſſiones, hæreſes item ac prava dogmata complectar, quæ errore circumventi homines, toto orbe diſſeminarunt, ex quo primum humanum genus in terra conditum eſt ad hodiernum uſque tempus, qui eſt Valentiniani & Valentis annus XI, Gratiani VII.* Non hoc tamen ipſo anno tractatum abſolvit ſuum, cùm de Manichæorum hæreſi ſcripſerit anno Gratiani IX. & Valentiniani Junioris primo. Cæterùm quod ingens Opus anno CCCLXXIV. aggreditur Epiphanius, nos ſubmonet, ea quæ Autoris in vita ad id uſque temporis memoratu digniora ſunt, noſtris Annalibus inſerere. Epiphanius genere Phœnix, circa Eleutheropolim, prope *Bizanducem* vicum anno 287. editus eſt, ſi ipſius vitæ Autori Joanni credimus: *Interrogatus Epiphanius ab Arcadio Imperatore, Quot annos eſſet natus, dixit, Centum & XV. & tres menſes.* Longiſſimæ quidem ætatis Epiphanium fuiſſe teſtatur Hieronymus, cui probè notus erat. Verba ſunt Hieronymi anno 392. Epiphanius *ſupereſt uſque hodie, & in extrema ſenectute varia condidit Opera.* Hieronymo Suidas etiam ſuffragatur, ut omninò ignoremus, qua de cauſa clariſſ. Du Pin in ſua Bibliotheca Epiphanii nativitatem circa *annum 332.* contulerit. Sic annos duntaxat LX. natus fuiſſet, quo tempore ſuum de Scriptoribus Eccleſiaſticis librum edidit Hieronymus. Id certiſſimum eſt, magnâ ſenectute provectum Epiphanium, vitam cum morte commutaſſe, etſi dubia ſint, quæ de ipſius ætate Joannes Polybiuſque retulere. Clari Epiphanio natales non contigere. Pater ejus agricola, mater ſe in lino exercebat. Religione Judæum egiſſe, ipſe *Luciano* locutus eſt. Decennia patrem cùm amiſiſſet, à matre ad nundinas mittitur de equo vendendo, ut ejus pretio victum familiæ compararet: *Cruciabatur autem animo mater ejus, dum ſolicita eſſet, quomodo Epiphanium aleret, & ejus ſororem.* Legiſperito Tryphoni creditus Epiphanius, bonorum Doctoris ſui relinquitur hæres. Qui cùm in Lucianum Monachum incidiſſet, vidiſſetque ſe amictu exuentem, ut daret pauperi, ſubinde amore fidei inflammatur. Baptizatus ab Epiſcopo annos XVI. natus; vitam aſceticam ingreditur auſpice Hilarione. Hæc Joannes prædicat. In brevi verò narratione, quæ Ancorato præfigitur, primam vitæ aſceticæ exercitationem in Ægypto ſuſcepiſſe dicitur, ubi ad XX. uſque ætatis annum remanſit. A Gnoſticis in juventute tentatus, glorioſam de voluptate victoriam adeptus eſt. Incidit in petulantes mulieres, quæ ludentes hæc loquebantur: *Hunc juvenem ſervare non potuimus, ſed in manibus Principis perire ſivimus.* Quæ liberalior inter illas formâ erat, ſemetipſam velut illecebram objecerat. Vicit tamen adoleſcentis pietas, qui lectia & impuræ ſectæ libris, eam ad Epiſcopos detulit, ex quo factum, ut LXXX. ferè capita ex ea urbe in exilium ejecta fuerint. Fabuloſa multa prætermitta, quibus ſcatet Epiphanii vita, ut ad Epiſcopatum ejus veniamus. Inveniendo Hilarioni, qui juxta Paphum agebat, Cyprum navigans ab ipſo convento jubetur ire Salaminam, ne Gazæ repetens ſolitudinem, veniret in maris periculum: quo etiam correptus eſt, dum boni ſenis conſilia faſtidit. Vi procellæ Salaminam ejectus, urbem ingreditur, emendis uvis. Dum venditori ſolvit pretium, advenit Pappus annoſus Epiſcopus, fultus duobus Diaconis, qui dixit Epiphanio, ſe ſequi in Eccleſiam. Tum vi ductum ad altare, *Pappus* primò ipſum Diaconum, deinde Presbyterum, denique Epiſcopum creat, ut his gradibus ad ſummos Eccleſiæ honores aſcenderet. Si Joanni Polybioque fides, anno ſexageſimo ætatis ſuæ ad Epiſcopatum pervenit. Cum itaque anno 287. lucem aſpexiſſe dicatur, hinc ſequitur anno Dom. CCCXLVII. conſecratum fuiſſe: *Fui Epiſcopus cùm eſſem LX. annos natus, fui vero in Epiſcopatu quinquaginta quinque annos & tres menſes.* Qui ſimul collecti annos conſtituunt CXV. At Menologium Græcorum annos duntaxat CV. & tres menſes aſcribunt Epiphanio. Nos magis fidem habemus Sozomeno, qui Valente jam imperante Epiſcopatum Epiphanio adjunctum eſſe memorat: *Porro antequam Cyprum veniſſet, Principatu adhùc Valentis Auguſti manebat in Palæſtina.* Purpuram Valens induit anno CCCLXIV. quo tempore Palæſtinæ Monachum adhùc agebat Epiphanius. Annos quidem in Epiſcopatu XXXVI. renſegiſſe Epiphanium, teſtatur Palladius: Theophilus, qui *Beatum Epiphanium Conſtantiæ in Cypro Epiſcopum, qui XXXVI. annos Eccleſiæ præfuit, probris affecerat, ut Hæreticum aut Schiſmaticum ſub Damaſo aut B. Siricio.* Ex quibus colligimus anno circiter CCCLXVII. ad Epiſcopatum Epiphanium evectum eſſe, qui anno CCCCIII. ad plures abiit. Itaque ſublectæ fidei Joannis & Polybii traditio eſt, de ratione quâ Epiphanius Pontificatum adiit, quâ tamen lectores fraudari noluimus. Epiphanius linguarum peritus erat. Hinc ſcomma Hieronymi in Rufinum: *Tu bilinguis eris, qui tantam habes Græci Latinique ſermonis ſcientiam. . . & Papa Epiphanius πενταγλωττ@ς, quia quinque linguis contra te, & amaſium tuum loquitur.* Nec obſcurus quidem in Eccleſia Epiphanius, de quo Sozomenus: *In Metropoli totius Inſulæ Epiſcopatum adminiſtravit. Qua ex re per univerſum orbem terrarum maximam nominis celebritatem adeptus eſt. Nam cùm in media hominum multitudine, & in urbe magna & maritima Sacerdotio fungeretur, & cum ea, quâ præditus erat, virtute civilibus negotiis ſe appliciſſet, brevi omnibus tam urbanis, quàm peregrinis notus extitit.* Epiphanii in honorem maximè cedit teſtimonium Hieronymi: *Ille vel Preſbyter Monaſterii ab Eutychio audiebatur, vel poſteà Epiſcopus Cypri à Valente non tangebatur. Tanta enim venerationis ſemper fuit, ut regnantes Hæretici ignominiam ſuam putarent, ſi talem virum perſequerentur.*

Epiph. l. 1. p. 2.

Epiph. h. 66. n. 20. 638.

Epiph. vit. n. 63.

Anno Dom. 374.

Epiph. h. 26. n. 17.

Epiph. Vit. n. 63.

Sozom. l. 6. c. 32.

Pal. Dial. 151.

Hier. Ap. in Ruf. c. 3.

Sozom. l. 6. c. 32.

Hier. Ep. 61. c. 2.

Gregorii patris obitus.

IX. Gregorius Nazianzi Epiſcopus, Magni Gregorii pater, hoc anno lucis uſuram amiſit. Non multò poſt adeptum anno CCCXXV. baptiſmum Epiſcopalem dignitatem obtinuerat: *Sacerdotium ſuſcipit, non eâ facilitate & confuſione, quæ nunc viget, ſed nonnullo interjecto temporis ſpatio, quo nimirum ad ſui purgationem aliorum*

ANNO DOM. 374.

rum quoque purgandorum peritiam adjungeret. Silveſtrem Eccleſiam acceperat, cujus ferinos mores mitigavit, verâ ruſticis pietate incitâ. A Conciliabulo tamen Conſtantinopolitano anno CCCLX. cum aliis multis deceptus eſt optimus ſenex.

Naz. Or. 19. 297.

At *ſolus ipſe, illæſam mentem, minimèque ſimul cum atramento infectam animam habere creditus eſt, tametſi per animi ſimplicitatem abreptus fuiſſet, dolumque ob animæ ſinceritatem ab omni dolo alienam minimè caviſſet.* Lapſum tamen ſuum egregiè reparavit, cùm Conſubſtantialis aſſertores, qui ab eo diſſidium fecerant, & ſibi, & cæteris primus reconciliarit. Probis moribus cum optimo quoque certabat. Pauperibus amorem verum præſtans, non ſuperflua modò, ſed neceſſaria quoque ſua diſtribuebat. Pulcberrimum Templum Nazianzi populi quidem largitione nonnihil adjutus, præcipuè tamen ſumptibus ſuis extruxit: *Vulgari, & uſitato veſtitus genere utebatur.* Cùm in morbum graviſſimum incidiſſet, myſteriique tempus adeſſet, famulum nominatum accitum, veſtem ſibi porrigere jubet; ipſiuſque manu ductus, *ſine ſacrario, in ſacrario, ſine altari* ante populum myſteria peregit. Ut verò & verba, quibus ſacramenta conficiuntur, recitavit, & populum benedixit,

Naz. Or. 19. 305.

in lectulum ſe conjecit. Quibus apparet, in cubiculo quidem, at non ſine communicantibus Fidelibus Euchariſtiam eſſe confectam. Tanto pietatis ardore inflammabatur, ut in poſtremo ſuo morbo, cujus vim ſenium intendebat, ex ſola Liturgia, *ſingulis diebus, atque interdum etiam horis* roboris aliquid conciperet, quaſi morbus veluti ex imperio fugaretur. Tandem optimus

Or. 19. 313.

ille Præſul vitæ confecit curriculum, *cùm centum fermè annos vixiſſet, ex iiſque in Sacerdotio quinque & quadraginta exegiſſet.* Hæc ex Oratione funebri Nazianzeni hauſimus, quæ præſente Baſilio eloquentiſſima pronuntiatur.

Ambroſius creatur Epiſcopus.

X. Si quid adverſi ex boni Antiſtitis morte eſt Eccleſiæ coortum, hanc abundè jacturam reparat Præſulis longè nobilioris ordinatio; Ambroſii ſcilicet Mediolanenſis, quæ hunc in annum incidit. Ambroſius patre ſibi cognomine, qui & in Gallia munus Præfecti Prætorio geſſerat, editus eſt. Annus nativitatis jacet in obſcuro. Baronius illum eſſe putat, qui in Dionyſiana Æra trecenteſimus trigeſimus tertius numeratur. Eſt tamen Hermantii opinio veroſimilior, quæ Ambroſianos natales anno circiter CCCXL. aſcribit. Cui conjecturæ Paulinus non minimum

Paul. vit. Ambr.

favet, dum hæc de Ambroſio memorat: *Cùm adoleviſſet, & eſſet in urbe Roma conſtitutus, cum matre vidua, & ſorore quæ virginitatem jam fuerat profeſſa, cùm videret Sacerdotis à domeſtica ſorore, vel matre manus oſculari, ipſe ludens offerebat dexteram, dicens, Et ſibi fieri oportere, & quidem Epiſcopum ſe futurum eſſe memorabat.* Annus CCCLII. labebatur antequam Marcellina ſoror Ambroſii conſecraretur, utpote quæ benedictionem à Liberio Papa ſit conſecuta. Quòd ſi anno CCCXXXIII. lucem aſpexit Ambroſius, nonum & decimum jam evaſerat, quo tempore ſoror ipſius Virginibus addita eſt. Fit autem creditu difficillimum, hujus ætatis Ambroſium oſculandam ludendo dexteram obtuliſſe, qui luſus puerilis eſt, & infantilis. Treveris genitum eſſe, ex Paulino non immeritò colligitur: *In adminiſtratione Galliarum patre ejus Ambroſio natus eſt Ambroſius, qui infans in area Prætorii poſitus.* Erat enim tunc Auguſtæ Trevirorum, Galliarum Metropolis. Quam dignitatem Arelate poſtmodum eſt conſecuta. Vagientis pueri ori inter dormiendum inſedit examen apum, quo viſo, pater exclamat, *Si vixerit infantulus ille, aliquid magni erit.* Cùm literis imbutus fuiſſet, tantâ eloquentiâ plauſuque cauſas egit, ut *Anicius Probus* Præfectus Prætorio eum ſibi Conſiliarium aſſumpſerit. Probi

ANNO DOM. 374.

Marcell. l. 27. c. 11.

mentio eſt in Marcellino: *Ad regendam Præfecturam ab urbe Probus accitus, claritudine generis, & potentiâ, & opum amplitudine cognitus orbi Romano.* Quam dignitatem cùm acceperit anno 368. eruditi diſquirunt, probabiliſne ſit Baronii Chronologia, qui anno ſequente Inſubriam, Liguriam, Æmiliam Ambroſio regendam à Probo traditam eſſe exiſtimat. Provinciam hanc ſerius ipſi mandatam eſſe veroſimilius. Rem quod attinet, conſtat in eas regiones Conſularibus ornatum inſignibus Ambroſium à Probo eſſe legatum. Cui dimiſſo verba hæc notanda locutus eſt, *Vade, age, non ut Judex, ſed ut Epiſcopus*, quaſi omen futuræ dignitatis. Quâ verò ratione eam adeptus ſit, non minimum admirationis habet. Auxentio defuncto, quem ob Arianam perfidiam complures Synodi damnaverant, Valentinianus acceſſitos Epiſcopos ſic

Theodorit. l. 4. c. 6.

alloquitur: *Noſtis utique, qualem oporteat eſſe eum, cui honor Sacerdotii defertur, quodque non doctrinâ ſolùm, ſed etiam vitâ ſubditos informare debeat, ſeque illis velut exemplar omnium virtutum proponere, & bonam converſationem doctrina ſua teſtem habere. Ejuſmodi igitur virum in Pontificali Cathedra nunc collocate, ut nos quoque, qui imperium adminiſtramus, ſincerè atque ex animo caput ei ſubmittamus; ejuſque reprehenſiones tanquam ſalutarem medicinam ſuſcipiamus; homines enim cùm ſimus, ſæpius labamur neceſſe eſt.* His ſapienter dictis commoti Epiſcopi, rogant Imperatorem, utpote pietate & prudentiâ excellentem, ut ipſe eligat Epiſcopum. Quod cùm viribus ſuis majus profeſſus eſſet, egreſſi è Palatio Epiſcopi in eligendo tumultuantur. Pars Arianâ labe afflata hujus opinionis Præſulem ſibi cupiebat. Pars verò ſanior virum pium maximè deſiderabat. Veritus ſeditionem Ambroſius, cui Provinciæ adminiſtratio commiſſa erat, ad Eccleſiam pergit: *Ubi cùm alloqueretur plebem, ſubitò vox fertur infantis in populo ſonuiſſe Ambroſium Epiſcopum.* Eo quaſi claſſico diſceptantes ad concordiam adducuntur:

Paul. vit. Ambr.

Itaque qui antè turbulentiſſimè diſſidebant, quia & Ariani ſibi, & Catholici ſibi Epiſcopum cupiebant, ſuperatis alterutris, ordinari, repentè in hunc unum mirabili & incredibili concordiâ conſenſerunt. Miro hoc conſenſu attonitus Ambroſius, & quaſi conjectus in ſtuporem, de fugiendo Epiſcopatu ſecum cogitat. Quomodo? *Egreſſus Eccleſiâ, tribunal ſibi parari fecit, quippe mox futurus Epiſcopus, altiora conſcendit. Tunc contra conſuetudinem ſuam perſonis juſſit adhiberi tormenta.* Nil tamen profuit conſilium, populo non ignorante, ſpeciem hanc ſeveritatis adhiberi, ut electio reſcinderetur. In una igitur fugâ ſpem omnem collocat ſuam. Nocte intempeſtâ civitate egreſſus, Ticinum verſus iter dirigit. Ut eò ſe perveniſſe putavit, numine interceptus, curſu reflexo Mediolanum redit. Reverſo populus cuſtodiam adhibet, ne iterum fugam arripiat. Fallit tamen ſuos cuſtodes Ambroſius, novâque ſibi fugâ conſulens, *Leontii* clariſſimi viri in ſuburbano latebras quærit. Sed ab ipſo Leontio fugitivus proditur. Quippe conſenſum Valentinianus

Digitized by Google

Anno Dom. 374.

niarius ſuum requiſitus dederat, abſque quo Ambroſius, utpote Magiſtratu ornatus creari Epiſcopus non poterat. Ex ſuffragiorum conſenſione divinam electionem ratus, continuò Ambroſium, qui de grege Catechumenorum adhùc unus erat, & baptizari ſubinde, & ordinari præcipit. Nicolaus Papa in ſua ad Photium Epiſtola Cæleſti ad Epiſcopatum vocatione Ambroſium promotum fuiſſe prædicat: *Qui*, inquit, *non inſtinctu hominum, ſed divinâ vocatione per miraculorum prodigia electus eſt.* Quæ Veterum ſcriptis non videntur conſona. Latibulo eductus ſuo Ambroſius Mediolanum perducitur, moxque ſacris initiatus, octavo poſtquam baptizatus eſt die, Sacerdos efficitur ſeptimo Idus Decembris. A noſtra Petavius Chronologia diffidet: Ambroſius vir Conſularis, inquit, *creatur Epiſcopus anno* 375. Petavio ſavet Hieronymus, vel in editione Scaligeri, licet Pagius ſecus opinetur. Ad annum enim Dom. CCCLXXV. qui Olympiadis 288. tertius eſt, hæc habet: *Poſt Auxentii ſeram mortem Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* Quin tamen deliret ea Chronologia nulli dubitamus. Baptizatus eſt Ambroſius Novembris ultimo, ordinatus Decembris ſeptimo. Quæ utraque dies in primam feriam incidit anno currente, non verò ſequente. Die autem Dominicâ tum temporis ordinationes peragebantur. Inſuper dum in Valentiniano vita morabatur, Ambroſius inauguratur. Periit autem Valentinianus anno CCCLXXV. Novembris XVII. Quòd ſi hunc in annum ordinatus eſt Ambroſius, ejus conſecratio Valentiniani obitum excepiſſet: quod reſpuit hiſtoria. S. Præſulis & baptiſmo, & ordinationi Imperator adfuit, & in Dei laudes erupit: *Gratias tibi ago, Deus omnipotens, & Servator noſter, quòd huic viro, cui corpora commiſeram, tu animas regendas commiſeris, & electionem meam juſtam eſſe declaraveris.* Paucis pòſt diebus elapſis, cùm reprehendiſſet Ambroſius, quæ à Magiſtratibus non rectè facta videbantur, reſpondit Imperator: *Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam. Sed licet eam probè noſcem, non ſolùm non contradixi, imò aſſenſum præbui ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum noſtrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit.* Ambo admirationem nobis efficiunt, Ambroſius in inurenda, Princeps in ferenda cenſura.

Petav. Rat. l. 6. c. 7.

Theodorit. l. 4. c. 7.

Valentinum Concilium.

XI. Emenſis & Oriente & Italiâ, quaſi debitum ſupereſt opus, requirere, quid ſit actum in Galliis. Valentinum autem reperimus Concilium, quod in MSS. quibuſdam, triginta Epiſcoporum fuiſſe legitur. In Epiſtolæ titulo XXI. Antiſtites exhibentur: *Dilectiſſimis fratribus per Gallias, & quinque Provincias conſtitutis Epiſcopis, Fœgadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Æmilianus, Brito, Juſtus, Evodius, Rhodanius, Eortius, Chreſtus, Concordius, Conſtantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Simplicius & Vincentius, Epiſcopi in Domino ſalutem.* Ex ordine nominum vix dubitamus, quin *Fœbadius* præfuerit. Præbuerat Synodo materiam Epiſcoporum diſceptatio nonnulla: *In ſtatu meliore compoſitis, quæ fuerant cœpta cauſa diſſidii* ad Canones condendos proceſſere, ut ſacta tectaque diſciplina permaneret. Canones ſunt numero quatuor. Primus ſancit ne digami impoſterum ad ſacros ordines promoveantur: *Nec requirendum utrùmne initiati ſacramentis divinis, anne Gentiles, hâc ſe infelicis ſortis neceſſitate macularint.* II. De puellis quæ ſe Deo devoverunt, ſi ad nuptias convolarint, ſtatuit ne ipſis ſtatim pœnitentia detur: *Et niſi plenè ſatisfecerint, earumdem communio differatur.* III. Qui poſt baptiſma ſe *vel profanis ſacrificiis Dæmonum, vel inceſtâ lavatione polluerint*, agant pœnitentiam ad uſque obitum, non ſine ſpe remiſſionis, quam à Deo expectare debent. IV. Qui ſe ſub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Epiſcopatus mortali crimine dixerint eſſe pollutos, ab ordinatione removeantur, utpote *reos vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis.*

Anno Dom. 374.

Quænam quinque Provinciæ, à Galliis diſcretæ?

XII. Quæſtionis aliquid habet Valentini Præfatio Concilii: *Dilectiſſimis fratribus per Gallias, & quinque Provincias conſtitutis.* Quibus ſanè verbis quinque Provinciæ à Galliis diſtinguuntur, quaſi ipſis minimè includerentur. Difficultatis etiam non minimum exoritur, quænam ſint illæ Patrum Valentinorum quinque Provinciæ, in quibus deſignandis viri eruditiſſimi operam ſuam collocarunt. His quæſtionibus nobis eſt obiter perſolvendum. Primam quod attinet, conſtat antiquæ Narbonenſis urbes à Veteribus, ex Galliæ regionibus excludi, quod ab Agrippa factum docet Plinius lib. IV. c. 17. *Agrippa univerſarum Galliarum inter Rhenum & Pyrenæum, atque Oceanum, ac montes Gebennam, & Juram, quibus Narbonenſem Galliam excludit, longitudinem CCCCXX. M. Paſſ. latitudinem CCCXIII. computavit.* Marcellinus à Galliis diſtinguit Aquitaniam: *Hæ Provinciæ urbeſque ſunt ſplendida Galliarum. In Aquitania quæ Pyrenæos montes & eam partem ſpectat Oceani, quæ pertinet ad Hiſpanos, prima Provincia eſt Aquitanica.* Eandem Sextus Rufus diviſionem amplexus eſt: *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis Provinciæ ſeptemdecim.* Auſonius de Arelato in Poëmate de Claris Urbibus:

> *Populoſque alios & mœnia ditat*
> *Gallia, queis fruitur, gremioque Aquitania lato.*

Hinc Galliarum initia Marcellinus à civitate Lugdunenſi ducit l. XV. c. 11. *Rhodanus emenſa ſpatia flexuoſa Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, ſuum in nomen aſciſcit, qui locus eſt exordium Galliarum.* Hanc Valentini Patres diviſionem ſequuntur. Quæ etiam extat in Taurinenſi Synodo, anno 398. coacta: *Fratribus*, inquit, *dilectiſſimis per Gallias, & quinque Provincias conſtitutis.* Quænam verò ſint illæ Provinciæ, non eſt in medio, variantibus clariſſimorum Marcæ, Gothefridi, aliorumque ſententiis. Probabiliſſimum exiſtimamus, Narbonenſem primam, cujus Narbo Metropolis; Narbonenſem ſecundam, cujus caput Aquæ ſextiæ; Viennenſem, cui Vienna præficitur. Alpes maritimas, quibus præeſt Ebrodunum, & Aquitaniam primam, in qua Biturigum eminet, quinque Provincias conſtituiſſe. Graias Alpes in illis Provinciis, uti Petro de Marca placuit, haud numerandas eſſe, hinc colligimus, quòd ne vel Provinciis, quæ introductâ à Petronio mutatione ad ſeptenarium numerum increverant, includantur. Tota verò Petroniana mutatio addendo facta fuit, non detrahendo. Extant aperta mutationis hujus veſtigia in Honorii ad Agricolam Reſcripto, quod eſt anno CCCCXVIII. promulgatum: *Unde & illuſtris magnificentia tua, & hanc præceptionem noſtram, & priorem ſedis ſuæ diſpoſitionem, per ſep-*

tem

ANNO DOM. 374.

tem Provincias, in perpetuo faciat cuſtodiri, ut ab Idibus Auguſti quibuſcunque mediis diebus in Idus Septembres in Arelatenſi urbe noverint honorati, vel poſſeſſores Judices ſingularum Provinciarum, annis ſingulis Concilium eſſe ſervandum, ita ut de Novempopulana, & de ſecunda Aquitania Provincia longius conſtituta ſunt, ſi eorum Judices occupatio certa detinuerit, ſciant Legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos. Quod verò Aquitania prima in quinque Provinciis locum habeat, ex Philaſtrio intelligitur, in Manichæorum hæreſi de Priſcillianiſtis ſcribente c. 62. *Ut latrones jam ſub figura Confeſſionis Chriſtianæ multorum animas mendacio ac pecudali turpitudine non deſinant captivare, qui & in Hiſpania, & quinque Provinciis latere dicuntur, multoſque hâc quotidie fallaciâ captivare.* Erant verò in Aquitania complures farinæ ejuſmodi. Hincmarus Epiſtolâ XIV. ad Epiſcopos de jure Metropolitanorum n. 17. ſeptem Provincias numerat, ab illis Gallicanæ Notitiæ diverſas: *Quæ*, inquit, *temporibus Theodoſii & Honorii Imperatorum, Pontificatu Papæ Zozimi per ſeptem Provincias, ſcilicet Viennenſem, Lugdunenſem, Narbonenſem primam, & ſecundam, & Alpinam, & Novempopulanam, & ſecundam Aquitanicam emanavit.* Quibus colligi poſſet, Aquitaniam ſecundam, cui Burdigala caput fuit, ad quinque Provincias pertinuiſſe. Quod ex Sulpitio Severo firmari poſſet, dum de Inſtantio, Salviano, & Priſcilliano loquitur: *Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnificè ſuſcepti, ſparſere perfidiæ ſemina, maximèque Eluſanam plebem, ſanè tum bonam & religioni ſtudentem, pravis prædicationibus pervertere, à Burdigala per Delphinum repulſi.* At in ea re parvi eſt momenti Hincmari autoritas, qui ſeptem Provinciis *Lugdunenſem* inſerit, non ſine errore, utpote quæ Galliarum à quinque Provinciis ſecretarum pars fuerit. Quin etiam Aquitanica ſecunda à Viennenſi, Narbonenſibuſque Provinciis, primâ remotior fuit, ut longè ſatius ſit primam, quàm ſecundam Aquitanicam in quinque Provinciarum numerum aſcribi. Cæterùm ne vel in Hincmaro Graiæ Alpes partem quinque Provinciarum ullam fecere, à quibus, vel invito clariſſimo Blondello, removendas eſſe exiſtimamus. Neque placet doctiſſimi ſententia Gothefridi, cui *quinque Provinciæ* numerantur: *Aquitania prima, & ſecunda, Lugdunenſis, Senonia in qua Pariſii, ſecunda Lugdunenſis, & tertia.* Quippe Lugdunenſes Provinciæ omnes, necnon *Senonia* Galliarum partes erant, à quinque Provinciis diſtinctarum, uti ex Marcellino, Notitiaque Galliæ apertè liquet. Extat Honorii Lex de Sacrificiis, Ravennæ IV. Kal. Febr. anno CCCXCIX. promulgata, quæ Procliano *quinque Provinciarum* Vicario mittitur: *Sicut ſacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta ſervari.*

De Sacr. L. XV.

ANNO DOM. 375.

ANNO U. C. 1128. PER. JUL. 5088. JUL. 420. DOM. 375. VALENTIS 12. GRATIANI 9. *Sol.* 20. D. *Lun.* 15. *Indict.* 3. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

P. C. *Gratiani & Equitii.*

Valentiniani in Quados expeditio.

I. PUbeſcente vere Valentinianus Treveris egreſſus, ulturus Quados properabat. Adventanti occurrit Sarmatarum legatio, ſuppliciter orans, ut genti ſuæ propitius veniret, nullius ſceleris conſciæ. Ut Carnuntum venit, per continuos tres menſes æſtivos arma parat, & alimenta, irrupturus in Quados. Hoc in oppido filius Juventii Præfecti Prætorio Galliarum, Notarius, Probo ſpectante carnificis manu interficitur. Vocabatur in crimen, *quòd aſinum occidiſſe dicebatur ad uſum artium ſecretarum.* Ille verò id ſe feciſſe dicebat, ad imbecillitatem firmandam fluentium capillorum. Miſero quoque juveni objiciebatur, quòd *petente per jocum quodam Nigrino, ut eum Notarium faceret*, exclamaverat hominem ridens, *Fac me Imperatorem, ſi id volueris impetrare.* Præmiſſo Merobaude ad vaſtandos Barbarorum agros, adjuncto Comite Sebaſtiano, Valentinianus Acincum caſtra commovit. Progreſſus in Quados, jugulatâ ætate promiſcuâ, & tectis combuſtis, rediit nullo ſuorum deſiderato. Ut commoda hyberna haberet Bregitionem pervenit.

Marcell. l. 30. c. 5.

Mors Valentiniani.

II. Dum ibi commoratur, Quadorum Legati veniunt, pacem ſuppliciter orantes, quam ut impetrarent, & tyrocinium, & quædam utilia rei Romanæ pollicebantur. Affirmabant Procerum ex conſenſu, nil mali Romanis illatum. Quæ gravis paſſi fuerant, ex impetu latronum orta. Ad hæc Imperator, irâ vehementi perculſus, gentem omnem increpat, ingratam & beneficiorum immemorem. Erumpente ſubito ſanguine, letali ſudore perfuſus, ne ſpectantibus Barbaris laberetur, in conclave à miniſtris ducitur. Fortè aberant Medici diſperſi, ut correptos peſte milites remediis juvarent. Unus tamen repertus, Principis venam ſæpius pungens, ne guttam quidem cruoris elicere potuit. Senſit æger ultimam neceſſitatem adeſſe ſibi: *Dicere conatus aliqua, vel mandare, ut ſingultus ilia crebrius pulſans, ſtridorque dentium, & brachiorum motus velut ceſtibus dimicantium indicabat, jam ſuperatus liventibuſque maculis interfuſus, animam diu colluctatam efflavit ætatis quinquageſimo anno & quinto, imperii minus centum dies, ſecundò & decimo.* Periit Novembris XVII. feriâ tertiâ. Mortis omen quæſitum in fulmine, quod repentè nubibus excuſſum apud Sirmium Palatii & Curiæ partem incendit & fori. Corpus defuncti *curatum ad ſepulturam* anno ſequente Conſtantinopolim miſſum, quam urbem ingreſſum eſt V. Calend. Januar. Anno verò Dom. CCCLXXXII. Antonio & Syagrio Coſſ. in ſarcophago à Theodoſio Imperatore depoſitum eſt, die IX. Cal. Martii.

Marcell. l. 30. c. 6.

Valentinianus Junior creatur Imperator.

III. Defuncto Valentiniano, anxietatis non minimum Optimates inceſſit. Patris obitum ignorabat Gratianus Treveris agens, ubi à Valentiniano in Quados movente relictus erat. Gallicanæ cohortes timebantur, quæ velut imperiorum arbitræ, novum quid auſuræ videbantur. Hac in anguſtia *Merobaudes*, quem Valentinianus utriuſque Militiæ Magiſtrum conſtitutum in Quados miſerat, protinùs revocatur. *Sebaſtianus* vir placidus quidem, ſed militum favore metuendus, ignarus adhùc fati Valentiniani, longius à Merobaude amandatur. Reverſo ſpecie tuendi Rheni Merobaude, placuit filium defuncti Valentinianum ad imperium vocari. Natus erat an. 371. Gratiano II. & Probo Coſſ. ut ex Marcellino liquet: *Valentinianus puer defuncti filius, tum quadrimus*, &c. Ut certo hoc diſcrimine diſtinguatur à Valentiniano, qui anno Dom. CCCLXVI. Gratiano & Probo Coſſ. die XV. Kalend. Februarii editus eſt, qui non *qua-*

quadrimus, ſed *decennis* certè fuiſſet. Junior ille Valentinianus, Valentiniani Auguſti filius, *degebat cum Juſtina matre in villa, quam muro cinctam appellant.* Omnium ſententiâ Cerealis avunculus ejus eò mittitur, qui puerum lecticâ impoſitum duxit in caſtra: *Sextoque die poſt parentis obitum Imperator legitimè declaratus, Auguſtus nuncupatur more ſolemni.* Marcellinum illuſtrant Faſti Idacii: *Levatus eſt Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani, ab exercitu in tribunali, die x. Kalend. Decembr. in civitate Acinco.* Geminatis Occidentis Imperatoribus imperium ab Optimatibus dividitur. Gratiano Celticæ nationes, & Hiſpania tota cum inſulis Britanniæ: Valentiniano Italia, Illyricum, Africa contribuitur. Neque hoc moleſtè tulit Gratianus, optimæ ſi quis alius indolis, *qui conſanguineum pietate nimiâ dilexit, & educavit*, nec in illos animadvertit, qui ſibi inſcio imperii collegam dederant, etſi errando Philoſtorgius l. 9. c. 16. ſcripſerit, Gratianum ea de cauſa quoſdam affeciſſe ſupplicio. Cæterùm non ante annum 379. Gratianum inter & Valentinianum imperium dividitur. Nullæ quidem Leges extant, Valentiniani Senioris ab obitu ad uſque annum 379. quæ Valentiniani Junioris nomine latæ fuerint.

Marcell. l. 30. c. 10.

Zozim. l. 4. c. 19.

Nùm duas ſimul uxores Valentinianus habuit? Juſtina.

IV. De Juſtina Valentiniani Junioris matre percelebris eſt Socratis narratio, quam & compluribus perſuaſit. *Juſtus* Juſtinæ pater, qui Conſtantii temporibus Picenum adminiſtrarat, viſus eſt ſibi in ſomnis, imperialem purpuram è dextro latere parere. Somnio hoc commotus, in credulitatem inclinatior Conſtantius, miſſo perſecutore hominem interficit. Virgo Juſtina progreſſu temporis Severæ Valentiniani Imperatoris conjugi innoteſcere cœpit. Cùm unà lavarentur, mirata Juſtinæ pulchritudinem, magnis eam laudibus audiente Valentiniano celebrat. Quibus in amorem conjectus, de Juſtina ducenda conſilium init; ita tamen, ut Severam non repudiaret, ex qua filium habebat Gratianum, quem paulò antè Auguſtum fecerat. Ac ut cuivis duabus ſimul uxoribus conjungi liceret, Legem publicè propoſuit. Ex Juſtina verò Valentinianum Juniorem, Juſtam, Gratam, & Gallam ſuſcepit. Priores duæ virginitatem coluere, Galla Theodoſio Seniori poſtmodum nupſit. Græcorum opplevit animos ea Valentiniani Polygamia. Eamque Theoctiſtus Magiſter adhibuit, ut Theodorito Studitæ perſuaderet, cum Patriarcha Conſtantinopolitano, qui Joſephum œconomum Sacerdotio reſtituerat, communionem quam reſpuebat, iniret. Reſpondet Theodor. *Quis è ſanctis qui tum vivebant Patribus, ſanctè feciſſe Valentinianum prodidit, cùm duas uxores duxit.* Hanc tamen Valentiniani polygamiam in loco fabulæ ponimus. Rem quippe tam inuſitatam, tam à Romanis moribus alienam Marcellinus non prætermiſiſſet: nec impia connubia Epiſcopi toleraſſent, non Ambroſius ſanè, vir ſi quis alius, morum cenſor, & diſciplinæ Chriſtianæ vindex acerrimus: neque Valentiniani hoc editum ullo veſtigio in Cæſarum legibus invenitur. Denique figmenti jugulum petit Zozimus, qui minorem Valentinianum natum eſſe tradit, *de conjuge, quæ prius Magnentii uxor fuerat.* Quæ igitur de Juſtina Virgine Socrates narrat, ea ſunt à vero prorſus aliena. Defunctâ ergo *Severâ*, Valentinianus *Juſtinæ* nuptias adeptus eſt. Ad res Eccleſiæ veniamus.

Socr. l. 4. c. 31.

Bar. An. 808. n. 12.

Zozim. l. 4. c. 19.

V. In Oriente diffundebat ſe & virus, & fama Apollinariſtarum. Vitali adhærebat Timotheus, vir petulans, qui illuſtriores Epiſcopos conviciis onerabat. Quam rem apud Facundum queritur Petrus Alexandrinus, ſcribens Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, pro vera fide in exilio conſtitutis: *Conſiliatoribus igitur nobis in his quæ incurrunt utor, & quid oportet me facere, ſic ſemper perturbatum, Timotheo diffamante ſeipſum Epiſcopum eſſe, ut per hoc confidentius inſurget, & paternas leges infringat? Voluit enim me anathematizare, & Baſilium Cæſareæ, & Paulinum, & Epiphanium, & Diodorum Epiſcopos, & ſoli Vitali communicare.* Quæ cùm in Occidentem ſpargerentur, Damaſus Romæ Concilium cogit, cui Petrus Alexandrinus interfuit. Hoc nos docuit Sozomenus: *Primus autem Damaſus Epiſcopus urbis Romæ, & unà cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes, cum hanc hæreſim latius ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverunt.* Damnationis hujus meminit & ipſe Damaſus in ſua Decretali, quæ poſtmodum ſcripta eſt, ad Orientales, qui Timothei abdicationem flagitabant: *Quid igitur*, inquit, *depoſitionem Timothei à me denuò poſtulatis? Qui & hic judicio ſedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epiſcopo depoſitus eſt, unà cum Magiſtro ipſius Apollinare, & in die judicii debita ſupplicia ac tormenta patietur.* Vox πάλιν *denuò*, oſtendit diu antè damnatum eſſe Timotheum, quàm Damaſi hæc Epiſtola Orientalibus mitteretur. Quæ ſi obſervaſſet Baronius, multis quidem erroribus Annales ſuos purgaſſet. Synodum Romanam, in qua primum Timotheus damnatus eſt, anno CCCLXXXIII. coactam eſſe putat. Perperàm ſanè, cùm Timotheus Alex. qui huic Concilio interfuit, anno duntaxat CCCLXXIV. Romam pervenerit. Neque à Damaſo in eo conventu ad Orientales ſcribi potuit, quod ex Theodorito ſuppeditavimus. Eſt enim extra modum abſonum, in prima Timothei damnatione dixiſſe Damaſum: *Quid Timothei damnationem à me denuò poſtulatis.* Cùm porro Ambroſii ordinationem Romana hæc Synodus excipiat in Sozomeno, probabiliter cum anno CCCLXXIV. copulari poſſe exiſtimamus.

Damaſi Synodus adverſus Apollinariſtas.

Facund. l. 4. c. 2.

Sozom. l. 6. c. 21.

Theodoret. l. 5. c. 10.

Error Baronii.

VI. Apollinariſtis non Damaſus modò, ſed Ephrem quoque Edeſſenus Diaconus adverſabatur. Omnibus quidem Hæreticis infenſus erat, verùm tamen *abſurdiſſimam Apollinarii opinionem ſic deteſtabatur, ut omni conatu atque ſollicitudine, eandem ex quorumvis Chriſtianorum animis evellere ſtuderet.* Cùm porro Ephrem in paucis illuſtris fuerit, ipſius vita noſtris erit Annalibus ornamento. Hunc ſanè virum *univerſa Eccleſiæ Doctorem* Nyſſenus habet. Syrus Ephrem in urbe Niſibi, vel circa Niſibim lucem aſpexit. In ea quidem à Sapore obſeſſa morabatur, cùm ad ipſius preces Jacobus in murum conſcenderit, cinices & culices in Barbarorum elephantos immiſſurus. In monaſtica philoſophia ab ineunte ætate ſeſe exercuit, adeò gravitatis tenax, famæque ſuæ cuſtos, ut cujuſvis mulieris vel ſolum aſpectum refugeret. Relictâ patriâ, Edeſſam pergit. Tum ſolutioris vitæ fœmina ex adverſo occurrens, intentis ingredientem oculis intuebatur. Quam increpitam juſſit oculos in terram defigere. Verùm illa objurganti venuſtè reſpondet, Cur nam id faciam, quæ non ex tellure, ſed ex te orta ſum: *Æquius eſt, ut tu quidem terram aſpi-*

S. Ephrem vita.

Nyſſ. Vit. Ephr. 599.

ANNO DOM. 375.

aſpicias, ex qua ortus es: ego verò te aſpiciam, ex quo creata ſum. Hæc caſtitatis exempla ſunt: audiamus patientiæ. Miniſter qui cibum ei afferebat, ollam fregit. Cui pudore conſtricto: *Eamus*, inquit, *ad cibum, quando ille ad nos non venit.* Mox ad ollæ fragmenta ſedens cœnavit. Pauperibus ipſe pauper, maximo tamen adjumento fuit. Premebat Edeſſenos gravis diuturnaque fames. Tum progreſſus è cella, divites increpat qui populares ſuos percuntes negligebant. Reſpondentibus ſe neſcire, cui facultates diſpenſandas crederent, quia omnes inhiabant lucro, hæc locutus eſt: *Ecquis vobis ego videor eſſe?* Fatentur virum probum. Tum ille: *Veſtrâ cauſâ*, inquit, *libens hoc munus ſubibo.* Sumptâque pecuniâ, trecentos circiter lectos in publicis porticibus conſtituit. Et eos qui ex fame morbum

Sozom. l. 3. c. 16.

contraxerant, curare cœpit. Finitâ fame, in cellulam regreditur. Nullum porro breviſſimi temporis momentum fuit, in quo oculi lachrymis non perfunderentur, ob communes & privatas calamitates, quas deplorabat. Egregium virum ad Diaconi munus ſuæ virtutes evexere, quo in Eccleſia Edeſſena functus eſt. Ad Pontificatum verò nunquam aſcendere voluit. Imò cùm afferretur decretum, quo Epiſcopus eligebatur, ſtatim in forum currit, ubi & palàm comedens, & indecorè incedens, ſeſe pro inſano exhibuit. Quo viſo, de ejus ordinatione non prætereà cogitarunt. Cùm Baſilii fama ubique locorum diſpergeretur, ipſius videndi cupido Ephrem inceſſit. Quæ peregrinatio non incommodè in annum CCCLXXV. conferri poteſt:

Nyſſ. Vit. Ephr. 605.

Baſilium vidit atque novit, quem ſenex intuitus, multis cœpit vocibus venerari. Quippe, ſi Nyſſeno fides, *Conſpexit refulgentem columbam, humero ipſius inſidentem dextro, verbaque ſapientiæ ſubminiſtrantem.* A Baſilio Presbyterum creatum fuiſſe Ephrem, legitur in Pſeudo-Amphilochio: *Cur, Domine Ephrem, ſacram Sacerdotii ordinationem tibi congruam, non accipis. Cui Ephrem per interpretem, Quia peccator ſum. Reſpondit ei Baſilius M. Utinam & ego talis peccator eſſem. Dixitque ad eum, Flectamus genua.* Mirum dictu qui Græcè neſciebat, Græcè dicit, *Salva, miſerere, ſuſcita, & cuſtodi nos, Deus, tuâ gratiâ.* Tum

Amph. Vit. Baſ. p. 205.

interpres in Diaconum, Ephrem verò in Presbyterum creatur. Fabuloſa nobis hæc ſunt omnia, licet Combefixio, Pagioque Ephrem in Presbyterum hæc ordinatio vera videatur, quam ſanè non omiſiſſet Nyſſenus in vita Ephrem. Quin etiam ſolo Diaconi titulo ornatus eſt ab Hieronymo, atque Sozomeno. Id miraculo propius, quod cùm Græcas literas non attigiſſet, potentiſſimè tamen Hæreticorum errores confutavit. Canticis quoque ſuis non minimum Eccleſiæ profuit. *Hermonius* Bardeſanis filius, olim cantica quædam compoſuerat, in quibus impietas modorum ſuavitati permixta, exitioſâ dulcedine captos animos corrumpebat. Modorum elegantiam atque compoſitionem ab Hermonio mutatus, pietatem hymnis ſuis permiſcuit, ut audientibus eſſet remedium. Qui in

Theodorit. l. 4. c. 29.

Martyrum feſtis cantati, decus & lætitiam ipſis addidere. De illuſtris Viri Operibus hoc eſt Hieronymi teſtimonium: *Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, multa Syro ſermone compoſuit. Et ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem Scripturarum, publicè in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta recitentur. Legi ejus de Spiritu S. Græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen ſublimis ingenii etiam in translatione cognovi.* Mors viri ſancti, claritate cum ipſius vita certavit: *In cælum jam perrecturus, iis qui tunc ibi aderant, mandabat, ne pretioſo cum veſtimento corpus ſuum ſepelirent. Et ſi quis tale quidpiam cogitaſſet, hoc ipſum quod ſepulturæ cohoneſtandæ decreviſſet, pauperibus impertiretur.* Imò noluit privatim corpori ſuo conſtitui tumulum, quòd perinde atque Patres peregrinus eſſet in terra. Deceſſiſſe *ſub Valente* Principe B. Ephrem tradit Hieronymus. Valenti tamen ſuperfuit & ipſi Baſilio. Itaque mors ejus nonniſi jam labente anno 380. contigit, ut narrabitur.

ANNO DOM. 375.

Nyſſ. Vit. Ephr. 613.

Valentis in Monachos perſecutio.

VII. Ut quæ in Oriente gerebantur, memoratu digniora proſequamur, Valens perſecutioni acrior inſtabat. Maximè infenſus erat Monachis, qui totis viribus nervisque pietatem tuebantur. Hinc Hieronymo ſcriptum in Chronico: *Multi Monachorum Nitriæ per Tribunos, & milites caſi.* Miſerandam Oroſius lanienam fuſius narravit. Valens Valentiniano mortuo, *illicò velut effrenatâ libertatis audaciâ legem dedit, ut Monachi, hoc eſt, Christiani, qui ad unum fidei opus, dimiſſâ ſecularium rerum multimodâ actione ſe redegerant, ad militiam cogerentur. Vaſtas illas tunc Ægypti ſolitudines, arenaſque diffuſas, quas propter ſitim ac ſterilitatem, periculoſiſſimamque ſerpentium abundantiam, converſatio humana non noſſet, magna habitantium Monachorum multitudo compleverat. Huc Tribuni & milites miſſi, qui ſanctos ac veros milites Dei, alio nomine perſecutionis abſtraherent, interfecerunt ibi multa agmina Sanctorum.* Neque ſolos Nitrienſes Monachos perſecutio obruit. Lugentibus non defuit Baſilius, qui vulneribus vexatorum adhibuit, ſcriptâ ad *Acacium, Ætium, Paulum, Silvanum, Diaconos & religioſos Monachos* Epiſtolâ, quam *Sanctiſſimo* Presbytero ferendam dedit. Ex ea diſcimus quòd *confeſtim poſt Paſcha, qui ad lites & pugnas jejunarant, in tabernacula irruiſſe, laboreſque Monachorum igni tradidiſſe.* Miſeris non brachia modò, ſed viſcera quoque ſua Baſilius aperuit: *Expectabam ut confeſtim ad humilitatem noſtram, tanquam paratum refugium univerſi accurreretis. Sperabamque daturum mihi Dominum indeſinentium dolorum meorum refocillationem è veſtro complexu, & ſudore, illo quem propter veritatem diſtillatis, in corpus hoc otioſum excepto, habiturum me conſortium præmiorum promiſſorum vobis à Judice veritatis.* Quam anno ſequente Baſilius Epiſtolam exaravit, ubi fama reſperſus eſt calamitatum, quas Monachis intulerant.

Oroſ l. 7. c. 77.

Baſil. Ep. 19.

Themiſtii de hominibus ad fidem non cogendis ad Valentem Oratio.

VIII. Cùm porro Valens majore in dies odio adverſus Homouſianos æſtuaret, quos acerbiſſimè vexabat, Themiſtius furentem oratione placare tentat. Quam Latinè olim ab Andrea Duditio publicatam, Græcè Petavius vertit. Pulcherrima hæc eſt Themiſtii ſententia: *Nemo eſt, Imperator, in terris te major, nemo potentior: nemo contra tam humilis, tamque infirmus, quem imperio & cruciatu corporis ad te diligendum poſſis adducere, niſi ſuâ ipſe voluntate ad te amandum incitetur. An cenſes cùm ad ſtudium tui præſentis, & in conſpectu orbis terrarum poſui, neminem invitum poſſis pertrahere, te pietatem quam velis & cultum Dei, ab aſpectu noſtro ſemper oliteſcentis, decretis juſſiſque tuis in omnium animis poſſe imprimere?* Addit, diuturnum non eſſe poſſe, quod ſimulatum eſt. Simulatum autem eſſe, quòd metu, non ex animo ſuſcipitur. Dei

Themiſt. Or. 12. 156.

Anno Dom. 375.

legem eſſe, ut voluntates noſtræ ſolutæ ac liberæ, quam velint, viam ingrediantur, æternam præſtantemque mentem veneraturæ: corpus interimi poſſe, animum verberibus & vinculis coerceri non poſſe. Concludit, *Qua igitur dementia eſt, id agere, ut omnes homines iiſdem opinionibus inviti imbuantur? Quod neque fieri poteſt, neque ſi poſſit, debet.* Hac Themiſtii Oratione Valens utcumque mitigatus, minori quidem acerbitate in puniendo uſus eſt quàm anteà: iram tamen adverſus Sacerdotes Dei conceptam, nunquam penitùs abjeciſſet, niſi ſupervenientes curæ publicorum negotiorum, eum ab ejuſmodi ſtudio revocaſſent.

Sozom. l. 6. c. 36.

Anno Dom. 376.

ANNO U. C. 1129. PER. JUL. 5089. JUL. 421. DOM. 376. VALENTIS 13. GRATIANI 10. VALENTIN. 1. & 2. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 16. *Indict.* 4. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 27. *Mart.*

COSS. *Valens Aug.* V. *Valentinianus Junior.*

Gothi ab Hunnis pulſi in Thraciam confluunt.

I. DUm Valens in Oriente moratur, ſtridens procella Romanum ferit imperium, fluctuſque tollit, quibus miſer ille Princeps obruitur. Cauſæ tantæ cladis paucis ſunt expediendæ. Hunni quos ex Dæmonibus ortos Jornandes nugatur, rerum Geticarum cap. XXIV. Paludis Mæotis, & Tanais fluvii oram incolentes, Gothis ſibi vicinis incogniti erant, ob lacum, qui maximus eſt interjectum. Fortè bos œſtro percitus, quem lacum trajicientem bubulcus inſequitur, vel, ut alii referunt, cervua, quem venatores inſequebantur, de Gothorum regione docuit, frugum ubertate nobili. Quæ cùm Principi ſuo Hunni retuliſſent, placuit in Gothos impetum facere. Pervaſis Alanorum regionibus, ad amnem Danaſtum, qui & Tyras appellatur, perveniunt. Athanaricus Thervingorum Judex, Caſtris prope Danaſti margines opportunè metatis, *Munderichum* Ducem cum *Lagarimano* & Optimatibus aliis ad uſque viceſimum lapidem miſit, hoſtium adventum ſpeculaturos. Hunni multitudinem longius eſſe aliquam ſuſpicati, favente Lunæ luce, flumen ſuperant: Athanaricumque quàm celerrimè petunt. Stupentem ad impetum primum, amiſſis quibuſdam ſuorum ad præruptos montes effugere cogunt. Dum ſui tuendi cauſâ à Geraſo flumine ad uſque Danubium muros excitat, Hunni ſucceſſus ſuos urgentes, Gothos oppreſſiſſent, ni prædæ onus fuiſſet impedimento. Populi para major Athanaricum deſerere coacta, Duce Alavivo ripas occupat Danubii. Miſſiſque Oratoribus ad Valentem, ſuſcipi poſcunt, & quiete victuros ſe pollicentes, & daturos, ſi res flagitaſſet auxilia. Intereà rumor diſpergitur: *Per omne quidquid ad Pontum à Marcomannis prætenditur & Quadis, multitudinem barbaram abditarum nationum, vi ſubitâ ſedibus pulſam, circa flumen Iſtrum vagari cum caritatibus ſuis diſſeminantes.* Precibus Valentem obteſtabatur plebs extorris, citra flumen ſuſcipi, quod lætitiæ potius quàm timori fuit. Barbaris tranſitus Danubii conceditur, quem ratibus cavatiſque arborum alveis tranſmittunt, permiſſas à Valente Thraciæ partes occupaturi. Tum adulatores ad cœlum uſque Principis fortunam attollebant, quòd ex ultimis terris tot tyrocinia ei nec opinanti præberet: *Et primus cum Alavivo ſuſcipitur Fritigernus, quibus & alimenta pro tempore, & ſubigendos agros tribui ſtatuerat Imperator.* Barbarorum tamen adventus, maximæ orbi Romano perniciei fuit.

Marcellin. l. 31. c. 3.

Anno Dom. 376.

Ulfilas Gothos ad Arianos convertit. De Verſione Bibliorum ab eo confecta.

II. Fidei quoque cladem invexit ille Barbarorum adventus. Ulphilas Gothorum Epiſcopus, Legatorum Princeps erat, quos ad Valentem miſerant. Initio quidem nulla in parte diſſentiebat ab Orthodoxis. Neque à Nicænis Decretis diſceſſerat, licet imprudens anno CCCLX. Conſtantinopolitano Conciliabulo interfuiſſet. Ut verò hoc ipſo anno dum Legati munere fungitur, Conſtantinopolim veniens, cum Arianorum Antiſtitibus de religione diſſeruit, eique polliciti fuiſſent ſe legationem illius adjuturos eſſe, modò cum ipſis ſentire vellet, neceſſitate compulſus ad Arianos defecit. Cum ipſo gens univerſa Gothorum ad eas partes ſe quoque tranſtulit. Gothi enim ad manſuetiorem cultum per eum traducti, cunctis in rebus ei facilè obtemperabant, pro certo habentes, nil eorum quæ ab illo dicerentur improbum eſſe. Ut ipſis magis perſuaderet cum Valente communione conjungi, aſſeruit dogmatum diſcrepantiam nullam eſſe & contentionem ex ambitione ortam: *Quamobrem Gothi hactenus Patrem quidem Filio majorem eſſe dicunt; Filium tamen creaturam dicere non ſuſtinent, licet cum iis communicent, qui ita dicunt.* Sic Gothicam fidem Arianum virus infecit. Eodem etiam tempore *Ulfilam Gothicas literas excogitaſſe, & ſacris Scripturis in Gothorum ſermonem converſis effeciſſe, ut Barbari divina eloquia perdiſcerent*, in Socrate legitur, atque Sozomeno. Quæ de Scripturarum verſione traditio à falſo non abludit. Quippe Nicæno Concilio Gothorum Epiſcopus interfuerat, *Theophilus* nomine, qui & *Synodo præſens ſubſcripſerat.* Eſt autem creditu difficillimum, nullum in lingua vernacula Scripturarum Gothis uſum fuiſſe eo tempore, quo Epiſcopum ſuum anno CCCXXV. ad Synodum omnium celeberrimam mittebant: cùm in ſacrorum Codicum lectione para maxima pietatis collocaretur. Id unum admitti poteſt, Ulfilam vel partem Bibliorum aliquam nondum Gothicè verſam in hanc linguam transfudiſſe, vel novam ſanè tranſlationem adornaſſe. Eſt autem ea de cauſa ab Ulphila ſecta Arianorum amplificata. Bello inteſtino Gothi in partes dividuntur. Alteri Athanaricus, alteri præerat Phritigernus. Mox commiſſo prælio victus Phritigernus, Romanorum implorat auxilium. Quo conceſſo, adjutus Thraciæ militibus, Athanarici copias in fugam vertit. Ut autem Valenti gratiam referret, ſeque in omnibus fidum atque amicum ei oſtenderet, religionem ipſius amplectitur & Barbaris ſuis, ut idem quoque facerent, perſuaſit. Hos & Ulphilas excoluit, & Athanarici ſubditos ſuperſtitione numinum relictâ, ad Chriſtianam religionem amplectendam pellexit.

Sozom. l. 6. c. 37.

Theodorit. l. 4. c. 37.

Socr. l. 4. c. 33.

Socr. l. 2. c. 41.

Sozom. l. 6. c. 37.

Gothorum ab Athanarico perſecutio.

III. Ea quæ Ulfilæ fuit ſuæ religionis promovendæ cupiditas, Athanarico perſecutionis occaſionem obtulit. Quippe ſubditos ſuos Ulfilæ ſuaſu Chriſtianam amplecti religionem ægrè ferens, multos Martyres morti miſit. Quos Arianis inſerere, qui falſos duntaxat Martyres habent, Veterum autoritas prohibet. Auguſtinus: *Rex Gothorum in ipſa Gothia perſecutus eſt Chriſtianos crudelitate mirabili, cum ibi non eſſent niſi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati ſunt, ſicut à quibuſdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & ſe iſta vidiſſe incunctanter recordabantur*

August. de Civ. l. 18. c. 32.

Anno Dom. 376.

dabantur audivimus. Ambroſius quoque ideò fortè à Gothis Romanos victos eſſe dicit, *Quoniam quem illi oblatione ſanguinis fatebantur, huic Ariani quæſtionem generis inferebant.* Nondum igitur Gothos omnes Ariana labes affecerat, cùm Ulfilas religionis ſocietate Valenti ſeſe conjunxit. Quam à Patribus hauſerant fidem, adhùc toto pectore retinebant, ut immeritò Socrates, quos Athanarici barbaries extinxit, illos Arianis permiſcuiſſe videatur. Quæ paſſi ſunt, narret Sozomenus: *Multos eorum variis ſuppliciis affecit: & alios quidem in judicium adductos, cùm Chriſti fidem liberè ac fortiter profeſſi eſſent, alias, ne loquendi quidem facultate eis conceſſâ, è medio ſuſtulit. Fertur enim eos, quibus id mandatum fuerat ab Athanarico, ſtatuam quandam in carpento collocatam, per ſingula tabernacula eorum, quos Chriſtum colere proditum fuerat, circunduxiſſe, utque eam ſupplices adorarent, eique ſacrificarent, juſſiſſe. Qui cùm id facere detrectarent, illos tabernacula unà cum ipſis hominibus incendiſſe. Sed & aliud quiddam longè atrocius eo tempore accidiſſe accepi. Nam præ violentia eorum qui ſacrificare invitos cogebant, deſpondentes animum, tam viri quàm mulieres, quarum aliæ pueros ſecum ducebant, aliæ recens natos infantes uberibus ſuis admotos nutriebant, ad tabernaculum Eccleſiæ, quæ illic erat, confugerunt, ubi cùm ignem ſubjeciſſent Gentiles, cuncti qui intus erant, incendio conſumpti ſunt.*

Ambr. l. 2. n. 37.

Sozom. l. 6. c. 37.

Mors Euzoi Antiocheni. Dorotheus ei ſuccedit.

IV. Malo graviſſimo tandem Eccleſiam morte ſuâ liberavit Euzoius Antiochenus, qui & fidem, & pacem totis viribus turbabat: *Euzoius Arianæ partis apud Antiochiam Epiſcopus extremum diem obiit, Conſulatu Valentis v. & Valentini junioris primo: ejuſque in locum ſubſtitutus eſt Dorotheus.* Dorotheus qui defuncto ſucceſſit, homo fuit *vaniſſimus*, teſte vel Ariano Philoſtorgio: *Mortuo*, inquit, *Euzoio Antiocheni Epiſcopo Dorotheus ex Heraclea Thraciæ, in ejus ſedem tranſlatus eſt.* Demophilo conjunctus, Epiſcopo ordinando Cyzicum venerat, nil tamen perficere potuit, quòd incolæ doctrinâ Eleuſii imbuti, Filium Patri ſecundum ſubſtantiam ſimilem profiterentur. Ut igitur Præſulis ordinationem admitterent, diſſimulatione candidi prorſus pectoris indignâ, Ætium Eunomiumque anathemati ſubjecerat. Qui verò creatus eſt Epiſcopus, Chriſtum Deo Conſubſtantialem palàm apertèque prædicavit. Hic ille Dorotheus deceſſori non melior, in Antiochena Cathedra collocatur.

Socr. l. 6. c. 35.

Philoſt. l. 9. c. 14.

Fana Ethnicorum fiſco addicta.

V. At in Occidente Gratianus Hæreticorum fana fiſco addixit latâ lege. Quo tempore Gracchus Præfectus urbis egregiam in dejiciendis Idolis operam navat. Quod præclarum facinus multis laudibus celebrat Hieronymus ad Lætam Epiſtolâ: *Ante annos paucos propinquus veſter Gracchus nobilitatem patriciam ſonans nomine, cùm Præfecturam gereret urbanam, nonne ſpecum Mithræ, & omnia portentuoſa ſimulacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perſes, Helias, Bromius Pater initiantur, ſubvertit, fregit, exuſſit, & his quaſi obſidibus ante præmiſſis impetravit baptiſmum Chriſti.* Carminibus quoque ſuis id extulit Prudentius adverſus Symmachum l. 1. Quæ anno 000 ſuo obſervavit Baronius, ea cum CCCLXXXIII. conjungens. Quam refellit Chronologiam doctiſſimus Gothefredus. Gracchus enim Præfectus urbis fuit Kalendis Decembris, eique inſcripta Lex Codicis Theodoſiani, *Ne in ſua cauſa quis judicet.* Anno ſequente eam & dignitatem obtinuit. De Gracchо, qui Idololatriæ monumenta in urbe disjecit, hæc ſunt Prudentii carmina:

Hier. Ep. 7.

Error Baronii.

Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos
Jure poteſtatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, ſimulachra Deum juſſiſſe revelli.

De Foro Eccleſiaſtico Lex Gratiani.

VI. Labente anno Treviris XVI. Kal. Jun. Legem de Foro Eccleſiaſtico Gratianus tulit Auguſtus. Quam Artemio, Euridicio, Appio, Geraſimo, cæteriſque Epiſcopis miſit: *Qui mos eſt cauſarum civilium, iidem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendi ſunt. Ut ſi quæ ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad Religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & a ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab Ordinariis extraordinariiſque Judicibus, aut illuſtribus Poteſtatibus audientia conſtituit.* Inſignem ſanè Legem, quâ negotia ſuis quæque Tribunalibus meritò dividuntur. Ut enim *tractant fabrilia fabri*, ſic Clericorum eſt, rebus Eccleſiaſticis, utpote earum peritis, admovere animum. Quæ diſciplina Apoſtolorum exemplo ſancita eſt, qui extinguendo Antiochenſis Eccleſiæ diſſidio ad Hieroſolymitanum Concilium profecti ſunt. In hanc quoque ſententiam loquitur Gregorius Naz. Epiſtolâ CCXXVII. quæ eſt ad Nectarium Regiæ urbis Præſulem, de Epiſcopo *Boſphorio*: *Controverſiam de majoribus Eccleſiis exortam, ipſe diſſolves juxta Spiritus gratiam quæ in te eſt, & Canonum tenorem. Illud autem minimè ferendum tua reverentia videatur, quòd noſtra publicis Prætoriis traducantur. Nam tametſi ſint Chriſtiani, ut certè Dei benignitate ſunt ejuſmodi negotiorum Judices, quid commune gladio & Spiritui?* Gregorio aſſentitur Ambroſius, ſcribens ad Valentinianum: *Auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam Legibus ſuis ſanxit in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici ordinis alicujus, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis, hæc enim verba Reſcripti ſunt, hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam ſi alias quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſâ, etiam hanc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere.* Clericorum verò delicta, quæ Remp. lædunt, æquum eſt publico jure vindicari.

Ambr. Ep. 32.

ANNO U. C. 1130. PER. JUL. 5090. JUL. 428. DOM. 377. VALENTIS 14. GRATIAN. 1. & VALENTIN. 2. & 3. *Sol.* 22. A. *Lun.* 17. *Indict.* 5. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 7. P. 16, *April.*

Anno Dom. 377.

COSS. *Gratianus Auguſtus* IV. & *Merabaudes.*

Gothicæ ſeditionis cauſæ.

I. IRato Deo Valens terras in imperio Gothis incolendas aſſignarat. Quod benè proceſſiſſe videbatur, non poterat ad ſalutem converti hoc malum. Calamitatibus quæ Romanis incidere, anſam præbuere *Lupicinus* per Thracias Comes, & Dux Maximus ambo æmuli temeritatis: *Cùm traducti Barbari victus inopiâ vexarentur, turpe commercium Duces inviſiſſimi cogitarunt: & quantos undique inſatiabilitas colligere potuit, canes pro ſingulis dederunt mancipiis, inter quæ & filii ducti ſunt Optimatum.* Cùm nefando hoc *commercio nudandi* detinerentur, nec cibis congruis adjuvarentur, murmurare incipiunt. Lupicinus ne jam deficerent veritus, eos admotis militibus adigebat ocius proficiſci. Aliud acceſſit atrocius, quod Barbarorum furorem accendit. Alavium, Phritigernemque ad convivium invi-

Marcellin. l. 31. c. 4.

ANNO DOM. 377.

tarat Lupicinus, qui oppoſitis militibus intereà Gothicam plebem à mœnibus Marcianopolis arcebat, ad comparanda ſibi neceſſaria admitti rogantem. Orto jurgio ventum ad pugnam. Interfecta manus militum à Barbaris ſpoliatur. Quod ubi Lupicino auditum, ſatellites omnes, qui pro Prætorio honoris & tutelæ cauſâ Duces ſuos præſtolabantur, occidit. Ad hæc Gothi iram ob detentos Reges ſuos multa minabantur, cùm Phritigernes veritus ne obſidis vice detineretur, exclamat, *Graviore pugnandum exitio, ni ipſe ad leniendum vulgus ſineretur exire cum ſociis.* Hoc imperato egrediuntur bella moturi, quæ contigiſſe *Gratiano IV. & Merobaude Coſſ. Faſti Idatii docent. Gens Gothorum, qui pro miſericordia ſuſcepti ſunt, rebellaverunt adverſus Romanos.*

Gothorum in Thracia crudelitates.

II. Thervingi vexillis de more ſublatis ad bellum conſurgentes, omnia vaſtant, villas incendunt. Adverſus quos Lupicinus tumultuariè coactis militibus, *In nono ab urbe miliario ſtetit paratus ad decernendum.* Ingruentibus ad pugnam Gothis, *Tribuni & pleraque pars armatorum periere ſignis ereptis.* Lupicinus verſus in fugam, Marcianopolim curſu petit. Tum hoſtes occiſorum armis induti, nullo vetante graſſabantur. Otioſis animis *Sueridus* & *Colias* Gothorum Optimates dudum ſuſcepti, has ſtrages contemplabantur: *Verùm Imperatoriis literis repentè perlatis, quibus tranſire juſſi ſunt in Helleſpontum, viaticum, cibum, biduique dilationem tribui ſibi ſine tumore poſcebant.* Quod Hadrianopolitanus Magiſtratus indignè ferens, iiſque infenſus ob ſua ſuburbana vaſtata, ni ocius abirent, extrema minatur. Conviciis, telis etiam petiti Gothi, apertè deficiunt, cæſiſque plurimis, habitu jam Romano armati, ſe Fritigerni conjungunt, urbemque obſidione cingunt. Sed obſidendi ignaris cùm multæ clades incidiſſent, Fritigernes abire imperfecto negotio ſuaſit, *pacem ſibi cum parietibus eſſe* memorans: hortatur optimas regiones præſidiis vacuas adoriri. Placuit Barbaris conſilium, quibus ſe captivi non pauci, & complures fame oppreſſi, qui vino exili, vel panis fruſtis ſeſe mutavere, & multi ferendis vectigalibus impares, ſe ſocios addidere. Nil furentibus intactum, juvenum ſenumque funera miſcent, cædibus incendiiſque omnia vaſtant:

Marcellin. l. 31. c. 6.

Abſtractis ab ipſo uberum ſuctu parvulis & necatis, rapta ſunt matres, & viduata maritis conjuges ante oculos caſis, & puberes adultique pueri per parentum cadavera tracti ſunt. Senes denique multi ad ſatietatem vixiſſe clamantes, poſt amiſſas opes cum ſpecioſis feminis manibus poſt terga contortis, defletiſque Gentilium favillis adium, ducebantur extorres.

Terentii pars. Romanorum cum Gothis pugna.

III. Triſtia nuntia de cladibus imperii ut accepit *Valens*, ſubinde *Victorem* Magiſtrum equitum ad Perſas miſit, ut res Armeniæ componeret. Ex ea devictis hoſtibus reverſus erat. *Terentius* Dux præſtantiſſimus, & pietate inſignis, cui Valens poſcendi quidquid vellet, liberam facultatem conceſſit. Qui non aurum, non prædia, non dignitates, ſed Eccleſiam unam illis petit, qui Apoſtolicam fidem tuebantur. Lectum libellum Valens indignatus diſcerpſit, jubens Terentio, alia poſtulare quæpiam. Qui collectis libelli fragmentis, *Accepi*, inquit, *ô Imperator, & habeo donum quod petii, nec aliud petiturus ſum. Judex enim eſt conſilii mei, qui Judex eſt univerſorum.* Ut autem Gothorum impetum

Theodorit. l. 4. c. 32.

ſiſteret Valens, Antiochiâ protinùs egreſſurus, ad Conſtantinopolim petendam *Profuturum* præmiſit, & *Trajanum*, qui legiones ex Armenia ductas Barbaris opponunt, per furta magis, quàm per juſta bella pro ſua multitudine debellandis. Inſidebant Æmi montis faucibus auxilium expectantes, quod Valens à Gratiano impetraverat. Adventabat Dux *Frigeridus* cum Pannonicis & Tranſalpinis copiis. Poſt quem Richeomeres Domeſticorum tunc comes, cohortes è Gallia aliquas ducens, in Thraciam properababat. Articulorum dolore præpedito Frigerido, communi conſenſu Gratiani copiis præfectus Richeomeres, Profuturo conjungitur atque Trajano, prope oppidum *Salices*, Tomos inter & Salmuridem ſitum, à ſalicibus nomen adeptum. Non longo ſpatio Barbari plauſtris ſuis quaſi muro cincti, otio fruebantur, & ubertate prædarum. Commiſſum certamen nox imminens diremit. Romani proximos Marcianopolis petiere ſeceſſus. Gothi intra vehicula conſiſtentes, *exinde per dies ſeptem* egredi non audebant. Hæc anno in autumnum vergente gerebantur. Intereà Valens *Saturninum* miſit ſuppetias laturum Profuturo, atque Terentio. Fortè

Marcellin. l. 31. c. 7.

iiſdem diebus Barbari ſpe prædæ, Hunnis & Alamannis ſibi conjunctis, ab Hiſtro ad Rhodope rapinis cædibuſque omnia vaſtant. Sic turpem Valentis religionem infami gente Deus ulciſcebatur. Tantis quidem Taifali flagitiis cooperti erant, *Ut apud eos nefandi concubitus fœdere copulentur puberes. Si quis jam adultus aprum exceperit ſolus, vel interemerit urſum immanem, colluvione liberatur inceſti.*

Ibid.

Gratiani de Germanis victoria.

IV. Non immunis bellorum ea pars imperii fuit, quæ Principem Gratianum habuit. Ex Lentienſibus Germaniæ populis, qui Rheno confines ſunt, unus inter Imperatoris armigeros militans, poſcente negotio ad lares reverſus, interrogantes, Quid ageretur in palatio, *Docet accerſitu Valentis patrui, Gratianum Orientem verſus ſigna moturum.* Quibus avidè acceptis, Lentienſes *Rhenum gelu pervium Februario menſe* trajiciunt. Coacti ſunt tamen non ſine jactura retrocedere. Ut verò novere, maximam exercitus partem in Illyricum Imperatore mox affuturo progreſſam, collectis demum pagorum incolis numero quadraginta, vel ut alii memorant, ſeptuaginta millibus in Gallias irrupere. At Gratianus cohortibus, quas in Pannonias præmiſerat, revocatis, convocatiſque quas in Galliis retinuerat, *Nannieno* Duci rem commiſit, cui junxit & Mallaubodem Domeſticorum Comitem. Apud Argentariam urbem *Colmar* dimicatur, tantâque Barbari clade vaſtantur, ut non pluſquam quinque millia ſuperfuerint. Conſtat quidem magnam fuiſſe ſtragem, cujus & Victor meminit: Gratianus *apud Argentarium oppidum Galliæ triginta Alamannorum millia in bello extinxit.* Lætus tanto ſucceſſu Gratianus, Rheno tranſito, infidam delere gentem ſtatuit. Principis adventu turbati Lentienſes, montium ſuorum juga petunt, ac pro rebus caritatibuſque ſuis totis viribus pugnant. At intentum exitio ſuo Gratianum ut conſiderarunt, precibus deditionem impetrant: oblatâque juventute Romanorum tyrociniis permiſcenda, ad ſuas terras redire permittuntur. Gratiano gloriæ multum ea victoria peperit.

Marcellin. l. 31. c. 10.

Gratiani Lex in Donatiſtas.

V. Non armis modò contra Barbaros, ſed Edictis quoque ſuis Gratianus adverſus errores pugnat, quæ hoc anno miſit ad Flavianum Vi-

carium

Digitized by Google

ANNO DOM. 377.

Aug. Ep. 164.

C. Th. l. 16. *Tom.* 6. 94.

carium Africæ. Erat Flavianus Donatiſtarum partium, ut nos Auguſtinus monuit, qui Donatiſtas ſic compellat: *Quid ergo? Flaviano quondam Vicario partis veſtræ homini, quia legibus ſerviens, nocentes quos invenerat, occidebat, non communicaſtis?* Lex autem ſic ſe habet: *Eorum condemnamus errorem, qui Apoſtolorum præcepta calcantes, Chriſtiani nominis Sacramenta ſortitos, alio rurſus baptiſmate non purificant, ſed inceſtant, lavacri nomine polluentes. Eos igitur autoritas tua erroribus miſeris jubebis abſiſtere, Eccleſiis, quas contra fidem retinent, reſtitutis Catholicæ. Eorum quippe inſtitutiones ſequenda ſunt, qui Apoſtolicam fidem ſine intermutatione baptiſmatis probaverunt. Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Evangeliorum & Apoſtolorum fides & traditio incorrupta ſervavit, ſicut & lege Divali parentum noſtrorum Conſtantini, Conſtantii, Valentiniani decreta ſunt* &c. *Data* XVI. *Kal. Novembris Gratiano Aug.* IV. *& Merobaude Coſſ.* Conſtantinopoli Lex lata eſſe dicitur, quod vitioſum. Eſt enim Lex Gratiani, non Valentis; ſed & *Flaviano* Africæ Vicario data eſt: Valenti verò Africa non ſubjiciebatur. Itaque minus dubitandum hanc Legem ſcriptam in Galliis ex conſilio Epiſcoporum. Quam aſſurgere palam eſt Gallicano cothurno, ut obſervatum Gothefrido. De poſteriore Legis parte controverſiæ eſt aliquid, quam ad Manichæos ſpectaſſe contendit Baronius. At tota Legis ſeries ipſius opinionem refellit: *Sed plerique expulſi de Eccleſiis, occulto tamen furore graſſantur, loca magnarum domorum, ſeu fundorum, illicitè frequentantes: quos Fiſcalis publicatio comprehendet, ſi piaculari doctrinæ ſecreta præbuerint. . . Quòd ſi errorem ſuum diligunt, ſuis malis, domeſticoque ſecreto, ſoli tamen foveant viros impia diſciplina.* Quibus verbis duo Donatiſtarum genera indicantur. Unum eorum, qui nonnullas adhùc Eccleſias retinebant. Alterum eorum, qui Eccleſiis pulſi magnarum loca domorum frequentabant. Error porro Donatiſtis fuit, qui homines ad ſuam ſectam accedentes, licet nomine Trinitatis ablutos, novo baptiſmo tingebant, quem à Cypriano, antiquiſque Africæ Synodis morem hauſerant. Itaque non accuratè ſatis Gratianus *Traditionem incorruptam* laudat, cùm de baptiſmo Hæreticorum variarit Eccleſiarum diſciplina. Cui veritas cordi eſt, ille fatebitur abſonam fuiſſe Stephani Papæ antiquitatem jactantis ſententiam: *Si quid ergo*, inquit, *à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* Fallitur ſanè doctiſſimus Gothefridus in Legis hujus commentario, ſcribens, *In argumento Stephani Patres acquieviſſe.* Arelatenſes quippe mediam Stephanum inter & Cyprianum ſententiam elegerunt, ut ſcilicet non abluerentur illi, qui in nomine Trinitatis baptiſati fuerant, ut fuſè ſuo loco demonſtravimus.

ANNO DOM. 378.

ANNO U. C. 1131. PER. JUL. 5091. JUL. 423. DOM. 378. GRATIANI 12. VALENTINIANI 3. & 4. *Sol.* 23. G. *Lun.* 18. *Indict.* 6. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 1. *P.* 1. *April.*

COSS. *Valens Aug.* VI. *& Valentinianus Aug.* II.

Valens Conſtantinopolim venit, quam iratus exit.

I. VAlens tot tantiſque ſuorum cladibus veluti tubâ excitatus, tandem relictâ Antiochiâ Conſtantinopolim venit. Quam ingreditur *die tertio Calendas Junias.* Tum Trajanum, qui anno ſuperiore pugnâ non proſperâ ſatis pugnaverat, malè exceptum ignaviæ damnavit. Cui fidenter Trajanus: *Non ego victus ſum, ô Imperator, ſed tu victoriam proſicis, qui contra Deum pugnas, ejuſque auxilium Barbaris concilias, cùm enim à te impugnetur Deus, ad illorum partes tranſit. Deum porro comitatur victoria, & illis cedit, qui Deum ductorem habent. An neſcis quos Eccleſiis expuleris, & quibus eas tradideris?* Quin etiam Arinthæus & Victor, Magiſtri quoque Militum Imperatorem rogarunt, ne reprehenſiones cum veritate conjunctas iniquo animo ferret. Sed & gravis dolor Conſtantinopolitanos habebat, quòd Barbaris urbis ſuæ ſuburbia vaſtantibus, nullæ tunc copiæ aderant ad reſiſtendum idoneæ. Et cùm equeſtre certamen ageretur, uno conſenſu adverſus Imperatorem vociferantur, ut qui nullam Reip. curam gereret. Clamabant acriter, *Da nobis arma, & ipſi pugnabimus.* His auditis, Imperator ad iram provocatur, & die tertio Idus Junii urbe egreditur, minatus ſe de Conſtantinopolitanis pœnas ſumpturum, ſi rediiſſet incolumis. Sed malis ominibus nunquam reverſurus proficiſcitur. Quippe exeunti Iſaac Monachus inclamaſſe fertur: *Quò pergis Imperator, qui Deo bellum intuliſti, nec illum habes adjutorem? Ille enim eſt, qui contra te Barbaros concitavit, quia tu quoque prior multorum linguas ad blaſphemiam contra ipſum excitaſti; eos verò qui ipſum laudabant, Eccleſiis expuliſti. Deſine ergo bellum ei inferre, & ipſe bellum comprimet. Redde optimos Paſtores gregibus ſuis, & incruentam de hoſtibus victoriam reportabis. Quòd ſi his inſuper habitis, prælium inieris, neque ipſe reverteris, & exercitum prætereà amittes.* Ad hæc Imperator irâ percitus, Revertar, inquit, teque interficiam, & falſi vaticinii pœnas à te exigam. Tum ille, *Interfice, ſi verbis meis mendacium fuerit deprehenſum.* Quæ ſi vera ſunt, fallitur ſanè Hieronymus: *Valens de Antiochia exire compulſus, ſerâ pœnitentiâ noſtros de exiliis revocat.* Nullam de exulum revocatione Legem à Valente conſcriptam fuiſſe veroſimilius. Factis tantum induciis, perſecutio interquievit, neque ullos auditâ Gothorum rebellione Clericos in exilium mittere perrexit, ut à Socrate, Sozomenoque fuit obſervatum.

ANNO DOM. 378.

Theodorit. l. 4. *c.* 33.

Socr. l. 4. *c.* 38.

Theodorit. l. 4. *c.* 33.

Hier. Chron.

Gothis Valens occurrit.

II. Sebaſtianus qui Trajano ſuffectus, pedeſtri exercitui à Valente præfectus erat, trecentenis militibus per ſingulos numeros lectis, Hadrianopolim ingreſſus, ſecutâ luce, impetu clandeſtino erumpens, *Gothorum vaſtatorios cuneos, prope flumen Hebrum viſos* aggreditur. Quos omnes proſtravit, paucis exceptis, quibus fugæ velocitas præſidio fuit: Barbarorum clade præda recuperatur. Tum Valens, & Gratiani de Lentienſibus, & Sebaſtiani de Gothis victoriâ incitatus, *Melanthiado*, quæ Cæſariana villa eſt, profectus, prope ſuburbanum Hadrianopoleos venit, ubi vallo, ſudibus, foſſâque firmato, Gratianum expectat, quem mox adfuturum, allatæ à Richomere literæ nunciabant. Victor Magiſter Equitum, multique alii imperii ſocium expectari cenſebant, ut viribus junctis Gothi facilius opprimerentur. Vicit tamen funeſtum Valentis fatum, cui adulatores ſuadent, feſtinandum eſſe, ne penè partæ victoriæ Gratianus conſors fieret. Dum neceſſaria pugnæ parantur, Chriſtiani

ſtiani ritûs Presbyter, miſſus à *Fritigerno* Legatus, venit ad caſtra Imperatoris. Literis Gothus ſuis petebat, ut ſibi ſuiſque paternis tectis extorribus, *Habitanda Thracia ſola cum pecore omni concederetur & frugibus.* Quo impetrato, perpetuam pacem ſpondebat. Arianis quoque literis aſtutus ille barbarus Valentem docebat, Gothorum ſævitiam molliri non poſſe, niſi ſtantem prope cum exercitu ſuo Romanum Imperatorem cernerent. Quinto Iduum Auguſtarum ſigna moventur. Decurſiſque viarum ſpatiis, *octavo*, vel ut Faſti Idacii prædicant, *duodecimo* ab Hadrianopoli milliari, apparent hoſtium carpenta. Pars Barbarorum, cum *Alatheo* & *Saffrace* procul agens, dum expectatur, altera oraturos pacem Legatos mittit. Quorum vilitate deſpectâ, à Valente Optimates de firmanda pace idonei poſcuntur. Gothi de induſtria cunctabantur, ut inter fallaces inducias equites ſui redirent. Intercà camporum incendia lignis nutriebant, ut aucto æſtivo calore Romani marcerent. Advenit intercà caduceator à Fritigerno miſſus, petens Nobiles ad ſe obſides mitti. Laudato conſilio, Tribunus Equitius Valentis propinquus eligitur in pignus. Quo repugnante, quia captus ab hoſtibus, à *Dibalto* lapſus, ſævos eorum motus verebatur, *Richomeres* ſponte ſuâ ſeſe obſidem offert. Eo ad vallum hoſtile tendente, Sagittarii & Scutarii, quos *Bacurius* Iberus regebat, & Caſſio, ut immaturè proruperant, ita incerti diſceſſu primordia belli fœdarunt. Hoc impedimento Richomeres nuſquam ire permittitur, & Gothorum equitatus cum Matheo & Safrace revertitur.

Marcellin. l. 31. c. 12.

Gothorum cum Valente pugna.

III. Fatalis tandem pugna committitur, die v. Iduum Auguſtarum: *Siniſtrum cornu ad uſque plauſtra ipſa acceſſit, ultra ſi qui tuliſſent ſuppetias proceſſurum: à reliquo equitatu deſertum, multitudine hoſtili urgente, ſicut ruina aggeris magni oppreſſum atque dejectum eſt. Steterunt improtecti pedites, ita concatervatis manipulis, ut vix mucronem exercere, aut manus reducere quiſquam poſſet.* Hæc Romanorum cladis cauſa fuit, quam verbis Oroſii exponere juvat: *Primò ſtatim impetu Gothorum, perturbata Romanorum equitum turma, nuda peditum deſeruere præſidia. Mox legiones peditum undique equitatu hoſtium cinctæ, ac primùm nubibus ſagittarum obrutæ. Deinde cùm amentes metu ſparſim per devia cogerentur, funditùs caſa gladiis inſequentium, contiſque perierunt.* Reliqua doceat Marcellinus: *Imperator diris pavoribus circumſeptus, paulatimque inſiliens funerum moles, ad Lanciarios confugit, & Mattiarios. Eoque viſo, Trajanus exclamat, ſpem omnem abſumptam, ni deſertus ab armigeris Princeps, ſaltem adventitio tegeretur auxilio. Hocque audito, Victor nomine Comes, Batavos in ſubſidiis locatos, haud procul ad Imperatoris præſidium raptim cogere properans, cùm invenire neminem poſſet, gradiens retrò diſceſſit, parique modo Richomeres periculo ſemet exemit, & Saturninus. Diremit hac nunquam penſabilia damna, quæ magno rebus ſtetere Romanis, nullo ſplendore Lunari nox fulgens.*

Marcellin. l. 3. c. 13.

Oroſ. l. 7. cap. 33.

Marcellin. l. 31. c. 13.

Mors Valentis.

Marcellin. l. 31. c. 13.

IV. Quodnam verò extremum Valenti fatum venit? *Dicunt Valentem animam non exhalaſſe confeſtim, ſed cum Candidatis, & ſpadonibus paucis, prope ad agreſtem caſam relatum, ſecundâ contignatione fabre munitam, dum fovetur manibus imperitis, circumſeſſum ab hoſtibus qui eſſet ignorantibus, dedecore captivitatis exemptum.... Cùm enim obpeſſulatas januas perrumpere conati, qui ſecuti ſunt à parte penſili domus ſagittis inceſſerentur, ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam, congeſtis ſtipulæ faſcibus, & lignorum, flammâque ſuppoſitâ ædificium cum hominibus torruerunt.... Unde quidam de Candidatis per feneſtram lapſus, captuſque à Barbaris prodidit factum, & eos mærere afflixit, magnâ gloriâ defraudatos, quòd Romanæ rei Rectorem non cepere ſuperſtitem. Is ipſe juvenis occultè poſteà reverſus ad noſtros, hæc ita accidiſſe narravit.* Victor, Zozimus, Hiſtoricique Eccleſiaſtici Valentem incendio concrematum eſſe teſtantur. Sic magno Dei judicio flammis periit Princeps, qui ſuppoſito igne perſecutionis Eccleſias vaſtaverat. Pulcherrima eſt Oroſii ea de clade ſententia: *Quò magis teſtimonium punitionis ejus & divinæ indignationis terribile poſteris eſſet exemplo, communi caruit ſepulturâ. Conſoletur ſe, ſed in hoc ſolo pervicacia miſeriaque Gentilium, quia temporibus & Regibus Chriſtianis tanta ſimul congeſta clades, preſſam Reip. oneravere cervicem: everſæ Provinciæ, deletus exercitus, Imperator incenſus. Magnum reverà hoc eſt ad noſtrum dolorem, magiſque miſerum quò magis novum. Sed quid hoc ad conſolationem proficit Paganorum, qui palam pervident, & in his quoque perſecutorem Eccleſiarum fuiſſe punitum.*

Oroſ. l. 7. cap. 33.

Valentis mores.

Vict. Epit.

V. Non omnium Principi neceſſariarum Valens expers virtutum fuit. In eo hæc probanda: *Fuit poſſeſſoribus conſultor bonus, mutare Judices rarius, in amicos fidus, iraſci ſine noxa, & periculo cujuſque.* Addit Marcellinus: *Ulter acer ambitionum, ſeverus militaris & civilis diſciplinæ corrector, pervigil ſemper & anxius: Provinciarum æquiſſimus tutor, quarum ſingulas ut domum propriam cuſtodiebat indemnes: furibus & in peculatu deprehenſis Judicibus inimicus aſper & vehemens.* In eo vitia hæc eminebant: *Magnarum opum intemperans appetitor, laborum impatiens, duritiamque magis affectans, immanem incrudelitatem proclivior, ſubagreſtis ingenii, nec bellicis, nec liberalibus ſtudiis eruditus, in ſanguinem ſæviebat & diſpendia locupletum.* Nigri coloris fuit, *Pupula oculi unius obſtructa, ſed ita ut non eminus appareret, figura benè compacta membrorum, ſtatura nec procera, nec humilis, incurvis cruribus, extante mediocriter ventro.* Imperavit à die IV. Kal. Aprilis, anni Dionyſiani CCCLXIV. ad uſque V. Iduum Auguſti, hujus anni. Hoc eſt, annos XIV. menſes IV. dies XIII. Obiit quinquageſimo contiguus.

Marcellin. l. 31. c. 14.

Gothi Conſtantinopolim obſident.

VI. Elati victoriâ ſuâ Gothi, ut per transfugas novere, Valentis theſauros Hadrianopoli conditos eſſe, civitatem petivere. Mandant obſeſſis per minaces literas ſe dedere. Romanorum Candidatos aliquos, qui ad ipſos defecerant, pelliciunt, ut ſimulatâ fugâ, intra muros ſuſcipi poſtularent, ingreſſique partem urbis aliquam incenderent, ut dum extinguitur à civibus incendium, Gothi impetum facerent. Recepti Candidati, dum de Conſiliis hoſtium interrogati variant, quæſtione vexati, crimen fatentur, quòd cervicibus abſciſſis piarunt. Repulſi obſeſſorum viribus Barbari, relictâ Adrianopoli, Perinthum occupare ſtatuunt. Quam tamen priſtinarum cladium memores tentare non audent. Agrorum cultoribus cæſis, aut captis, omnia vaſtant. Inde Conſtantinopolim petunt. Dum ſuburbana vaſtant, cives arrepto vice teli, quod cuique obvium erat, ſuopte motu adverſus Barbaros erumpunt. Uxor Imperatoris *Dominica*

Marcellin. l. 31. c. 15.

Socrat. l. 5. c. 1.

cnoctis

cunctis ad bellum egredientibus, ex regali ærario ſtipendium dabat. Dum portarum obices penè pulſant Barbari, Saracenorum cuneus recens illùc accerſitus, congreſſurus Barbarorum globo repente conſpecto fidenter erupit: *Ex ea turma crinitus quidam, nudus omnia præter pubem, ſubraucum & lugubre ſtrepens, educto pugione, agmini ſe medio Gothorum inſerit, & interfecti hoſtis jugulo labra admovit, effuſumque cruorem exſuxit.* Quo ſpectaculo territi, poſteà non more ſuo ferociebant. Poſt accepta majora funera quàm illata, *Exinde digrediuntur per arctoas provincias.* Interéà *Victor* è periculo ereptus Gratiano in Pannonia commoranti, Valentis nunciat interitum: *Ille non admodum mæſto patrui cadem animo tulit, quòd inter eos ſuſpicio quadam intercederet.* Valente abſque filiis extincto, Aſiam, & reliquam Africæ partem imperio Gratianus ſuo adjungit. Ut verò relictam ſibi hæreditatem adiret, Conſtantinopolim petit: *Cùm audiviſſet Valentis patrui mortem, confeſtim ad Orientalem Romam accurrit.* Hæc Suidas, qui etiam innuit Conſtantinopoli latam eſſe Gratiani Legem, quo exules ob pietatem Eccleſiis ſuis reſtituebantur. Sic ad res Eccleſiæ ſenſim pervenimus.

Zoſim. l. 4. c. 24.
Theodorit. l. 5. c. 2.

Lucius poſt Petri reditum Alexandriâ pellitur.
Socr. l. 4. c. 37.

VII. Ex urbe Antiochena Valentis diſceſſus prima veluti aurora fuit lucis, quæ poſt profundam calamitatum noctem Orientis Eccleſias illuſtravit. Abjicere metum incipiunt, & ſpes erigere: *Præcipuè Alexandrini valde animis confirmantur. Quippe tunc recens ab urbe Romana reverſus erat Petrus, cum literis Damaſi Epiſcopi R. quibus ille, & Conſubſtantialis fidem, & Petri ordinationem confirmabat. Itaque populus reſumptâ fiduciâ, Lucium quidem exturbat, Petrum verò in ejus locum ſubſtituit. Et Lucius quidem ſtatim conſcenſo navigio, Conſtantinopolim perrexit.* Fruſtrà tamen id itineris ſuſcepit, cùm auxilium quærenti Valentis obitus obſtiterit. In ea urbe permanſit, donec anno 380. cum Demophilo à Theodoſio pelleretur. Eccleſiæ Alexandrinæ crudeliſſimus ille perturbator atque vaſtator, firmandis erroribus ſuis Orationes nonnullas ſcripſit, quarum fragmenta citantur in Romana Synodo, Martino Præſide. Ex ſermone, quem Paſchatis in Feſto habuit: *Ubi igitur*, inquit, *neceſſaria erat anima, ut perfectus homo adoraretur Deo? Propterea veritatem clamat Joannes, Verbum caro factum eſt. Compoſitum eſt carne, non autem & animâ, ſicut hi qui nunc pro fide negotiantes aſſerunt, ſed quidem carni unitum erat, & unus factus eſt cum eo. Nam quomodo unus Chriſtus niſi una perſona, una compoſita natura ſicut hominis, qui ex anima & corpore extat, cognoſcimus? Si autem & animam habuit, ſicut & adulteratores adulteratas nunc Eccleſias docent, oppugnant ſe motus Dei & animæ, quoniam removet horum utrumque, & in diverſas operationes ducitur.*

Later. Secret. v. 314.

Exules revocantur. Eulalius.

VIII. Auditâ fatali Valentis clade, nil antiquius Gratiano fuit, veræ fidei addicto, quàm revocare quos patrui ſui crudelitas ejecerat. Ut ergo pietatem, quam in animo inſitam habebat, manifeſtiorem redderet, *Lege latâ præcepit, ut Paſtores qui in exilium ejecti fuerant ſuis gregibus reſtituerentur.* Ex Edicto Gratiani liquet, Epiſcopos à Valente exilio ſuo ſolutos non fuiſſe, ut poſt Hieronymum ſcripſit Oroſius. Nil ſanè Gratiani Lege ad eam rem opus fuiſſet, ſi à Valente Antiochiam exeunte jam revocati fuiſſent. Decrevit etiam, *ut cujuſcunque religionis homines abſque ullo diſcrimine in Eccleſiis convenirent. Soli autem Eunomiani, Photiniani, & Manichæi pellerentur Eccleſiis.* Porrò qui exilio reverſi ſunt, plebis concordiam potiore loco ducentes, rogarunt Arianæ partis Antiſtites, ne Orthodoxos deſererent, neve Eccleſiam mutuis diſſenſionibus divellerent. Quo animo inter cæteros fuit Eulalius, Amaſeæ in Ponto Epiſcopus. Poſt reditum, quendam ex Arianis Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ præfectum cùm inveniſſet, quem ex tota urbe ne quinquaginta quidem homines ſectabantur, ipſum rogavit, ut Eccleſiam ſecum regeret, Primatu fruens, tanquam præmium ſervatæ concordiæ. Quam conditionem cùm Arianus repudiaſſet, haud multò poſt paucis illis præeſſe deſiit, reliquis ſe Eulalio conjungentibus.

Socr. l. 5. cap. 2.

Sozom. l. 7. c. 2.

Meletii cum Paulino fœdus.

IX. Poſtquam Gratiani Edicti beneficio Antiochiam repetiit Meletius, gravis in plebe contentio exoritur. Paulinum Valens non affecerat exilio, pietatem ejus venerationi habens. Nonnulli ergo poſtulabant, ut communi jure ambo Epiſcopatum adminiſtrarent. Ipſe Meletius nomine ſuo dignus Paulinum ſic compellat: *Quandoquidem & mihi harum ovium Dominus ipſe curam commiſit, & tu aliarum curam ſuſcepiſti, ovesque inter ſe in religione conſentiunt, jungamus greges, ô amice, & contentionem de Primatu deponamus. Quòd ſi Cathedra in medio poſita contentionem facit, eam auferre conabor. Poſito enim ſuper illa Evangeliorum libro, nos ex utraque parte ſedeamus... At ſi quidem ego prior ex hac vita diſceſſero, tu ſolus, ô Amice, Præſulatum totius gregis obtine. Si verò id tibi prius contigerit, tum ego prout potero, gregis curam geram.* Oblatam conditionem cùm reſpuiſſet Paulinus, Magiſter Militiæ Eccleſias Meletio tradidit. Paulo aliter res à Socrate narratur, & Sozomeno. Negante Paulino Cathedræ ſocietatem, cum Meletio ab Arianis ordinato, populi vi adhibitâ, ipſum in quadam extra urbem Eccleſia in ſede Epiſcopali collocarunt. Poſteà verò populus ad concordiam rediit, pactis inter ſe ejuſmodi conditionibus. Qui ad Epiſcopatum gerendum idonei erant, ſex numero, eos Sacramento adegerunt, ut altero è duobus Epiſcopis mortuo, nemo Cathedram ambiret, ſed alterum qui ſuperſtes eſſet, defuncti locum retinere ſinerent. Præſtito juramento populus ad concordiam redigitur. Soli Luciferani ſe à reliquis ſejunxerunt, quòd Meletius ab Arianis conſecratus fuiſſet. In ea porro narratione magna obſcuritas eſt Chronologiæ. Theodoritum ſi ſequimur, Socratem atque Sozomenum tam Meletii cum Paulino colloquium, quàm fœdus Antiocheni populi non multò poſt Edictum Gratiani fuit inſtitutum. Sunt tamen conjecturæ quæ ſuadeant, ad annum 380. ea debere referri, ut obſervabimus. Non Antiochenæ modò, ſed aliis quoque Eccleſiis in utilitatem ceſſit Meletii reditus. Quippe viros inſignes præfecit Eccleſiis. Diodoro Tarſenſium Epiſcopo conſtituto, Cilicum Provinciam commendavit. Joanni natalibus claro, ſed virtutibus longè illuſtriori, Apameæ Pontificatum tradidit. Stephanum & Græcorum literis, & pietate à teneris unguiculis imbutum, Germaniciæ Eudoxiani erroris labe corruptæ præfecit Antiſtitem.

Theodorit. l. 5. c. 3.

Sozom. l. 7. c. 3. Socrat. l. 5. c. 5.

Theodorit. l. 5. c. 4.

Euſebii Samoſateni reditus. Mors ipſius.

X. Gothis Thraciam populantibus, ad Iſtrum degebat magnus ille Euſebius Samoſatenſis Epiſcopus. Qui ruptis Lege Gratiani vinculis exilii, in

ANNO DOM. 378.

in Orientem reverſus, inſignes fide viros præfecit Eccleſiis. *Acacium* Berœæ, Hierapoli *Theodotum*, *Euſebium* Chalcidi, *Iſidorum* Cypro, *Eulogium* Edeſſæ, *Marim* Dolichæ, quam Arriana labes affecerat. Extremum hunc Sancto Præſuli laborem Deus conceſſit, cùm nefando caſu in exigua ea civitate mortem invenerit. Marim cum illic in Sacerdotio collocare vellet, *ingredientem urbem mulier quædam Arriana labe maculata, tegulam è ſuperiore ædium parte immiſit, qua caput ejus obtrivit, nec multò poſt ad meliorem vitam eum tranſmiſit. Sed ille moriens eos qui aderant, jurejurando obſtrinxit, ne à muliere pœnas hujus facti ullas exigerent.* In annum proximè ſuturum mors eſt Euſebii conjicienda, cùm non ſatis ſpatii videatur poſt ſolutum exilium, ut labente anno hæc omnia peregerit. Vir & pietate, & laboribus clarus fuit Euſebius, cujus in morte magnam Eccleſia jacturam fecit. Venerationi fuit omnibus bonis, præcipuè Gregorio Theologo. A Valente dum relegabatur in Thraciam, Nazianzum ingreſſus eſt, ſed à Gregorio gravi morbo tum decumbente ſalutari non potuit. Qua de re exuli nobiliſſimo dolorem teſtatur ſuum: *Me non tam morbus, quamvis alioqui periculoſiſſimus excruciabat, quam quòd fauſto & ſacroſancto tuo congreſſu privabar.* Quanti verò ipſum fecerit, oſtendit flagrans deſiderium ejus, ut Euſebius ſuis in precibus ſcribentis memor eſſet, ſuturis viatico, & in præſenti ævo, & in futuro: *Tantum enim virum tot ærumnas pro Evangelii fide perferentem, tantiſque perſecutionibus vexatum, tantam denique ſibi ipſi apud juſtiſſimum Deum liberæ tem per calamitatum perpeſſionem comparantem; hunc, inquam, patronum quoque noſtrum per orationes fieri dignari, tantam vim habere mihi perſuadeo, quantam ſi vel à quodam Sanctorum Martyrum id mihi impenderetur.* Periere Euſebii Samoſatenſis ſcripta, quorum Theodoritus meminit: *Divinus autem Euſebius ad Iſtrum degebat, Gothis Thraciam populantibus, quemadmodum ex ſcriptis ejus cognoſci poteſt.*

Theodorit. l. 5. c. 4. — *Naz. Epiſt. 18. 792.* — *Theodorit. l. 4. c. 15.*

Gregorius Nyſſenus, num ante Baſilium factus Epiſcopus?

XI. Ex ilio quoque ſuo ſolutus eſt Gregorius Nyſſenus, Baſilii frater, de quo nonnulla ſunt nobis commemoranda. Gregorius patre Baſilio, & Emmeliâ genitus, tertius ipſorum filius numerabatur. Major natu *Baſilius*, quem ſequebatur *Naucratius*, poſt quem Nyſſenus vitæ limen ingreſſus eſt. Lector creatus, Sacris Libris, quos in Eccleſia plebis lectitare ſolebat, abjectis ad Rhetoricam ſe contulit. Qua de cauſa aculeatâ à Nazianzeno Epiſtolâ perſtringitur: *Quid tibi accidit, vir ſapientiſſime, quidque tibi in te ipſo diſplicuit, ut ſacris illis ſuaviſſimiſque Libris, quos quondam populo lectitabas, calcatis atque projectis, aut etiam ad fumum ſuſpenſis, ſalſos & amarulentos in manus ſumpſeris, ac Rhetor vocari, quam Chriſtianus malueris?* Fuit etiam alia de cauſa à Baſilio ſuo graviſſimè vexatus, quòd non candidè ſatis conditam à ſe Epiſtolam avunculo ſuo aſſignaſſet: *Quomodo adverſus te per ſcripta pugnare poſſim? Quomodo te propter meritu reprehendere poſſim? Tertium dic mihi, quis in eadem retia incidit? Unam mihi concinnatam à te Epiſtolam obtuliſti, velut à venerandiſſimo & communi noſtro avunculo, decipiens me neſcio quâ gratiâ.* Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopum eſſe impoſitum, tam certum quidem, quàm incertus eſt inaugurationis annus. Qua de re Baronius ſententiam ſic oſtendit ſuam: *Quoto potiſſimum Domini anno Epiſcopus Nyſſæ creatus fuerit, & utrùm ante Baſilium, an poſt eam dignitatem ſit conſecutus, haud ſatis compertum habetur, cùm tamen conſtat ſequenti anno jam agentem Epiſcopum, perſecutione Valentis a propria Eccleſia expulſum eſſe.* Quæſtio hæc, uter prior Epiſcopali dignitate ornatus ſit, Baſilius, an Gregorius, decidi poſſet, ſi in verbis Nyſſeni Nyſſenum reperire liceret: *Baſilius magnæ Cæſareæ creatus eſt Antiſtes, qui in Clero fratrem ſuum, ad ſacrum, quod in Presbyterio eſt, Sacerdotium provexit, myſticis ſuis ſacrificiis eum conſecrans. Atque hic rurſus ex vita curſus ad graviora ſanctioráque dirigebatur, aucto Philoſophiæ Sacerdotio.* At non ſatis liquet, quem fratrem intelligat, imò vero ſit ſimilius, Petrum indicari, non Gregorium, qui de ſe in prima plurali perſona hac in Epiſtola loquitur. Porrò quod Baronius conſtare dicit, Nyſſenum anno CCCLXX. jam Epiſcopum in exilium miſſum eſſe, ne dum conſtet, falliſſimum quidem exiſtimamus; cùm ex ipſo Nyſſeno aperte liqueat, non ante annum CCCLXXIII. in exilium eſſe projectum: *Mihi Gregorio*, inquit, *cupiditas incidit ſororem inviſere. . . . Nam diuturnitas mihi temporis ſpatium, quod interim fluxerat, dum ejuſmodi perturbationibus congreſſus noſter impeditur, octo plus minus annorum videbatur.* Quæ ad Olympium de Macrina Epiſtola, cum menſibus aliquot poſt Antiochenam Synodum anno CCCLXXX. celebratam ſcripta fuerit, *conſtat* anno CCCLXXXI. eſſe concinnatam. A quo tempore ſi octennium retrò putemus, quo Gregorius ab *hæreſis Principibus patriâ pulſus*, chariſſimæ ſororis eſt colloquio prohibitus, ad annum utique CCCLXXIII. perveniemus. Debebatur Arriano furori victima Nyſſenus, qui totis viribus graſſanti hæreſi repugnabat. Quod Theodoritus memoriæ prodidit l. 4. c. 30. *Inter Epiſcopos Gregorii duo illuſtres fuere, Nazianzenus, ac Nyſſenus. . . . Et hi quidem in Cappadocia propietate decertantes, egregiam operam navarunt.* Exulantem paſſim plurimis Epiſtolis ſolatus eſt amicus Nazianzenus. Quarum in una gravem hanc ſententiam legimus: *Moleſtis rebus ne nimis diſcrucieris. Si enim minorem ex his mœrorem capiamus, minus moleſta erunt.* Ne id quidem eſt prætereundum, Gregorium Nyſſenum non faſtidiſſe nuptias. Uxorem duxit *Theoſebiam* illuſtrem fœminam, quæ maritum ſuperſtitem habuit. Itaque Nyſſeno conſolatoriam Nazianzenus Epiſtolam miſit. Defunctam variis laudibus oneravit: *Theoſebiam Eccleſiæ decus, Chriſti ornamentum. . . . Theoſebiam verè ſacram, & Sacerdotis conjugem, & honore parem, & magnis myſteriis dignam.* Vaticinatione quâdam permotus Nazianzenus, Nyſſeno ſcripſerat: *Non ita grave putandum eſt, quod recaluerint Hæretici, ac veris amœnitate freti, ex latebris ſuis prorepant. Paulum, crede mihi, ſibilabant, ac poſteà in terram ſe abdent.* Sibila comprimere incœpit Edictum Gratiani, quo Eccleſiæ ſuæ Gregorius Nyſſenus redditus eſt.

Scilicet 370. — *Bar. An. 369. n. 65.* — *Nyſſ. Vit. Macr. pag. 187.* — *Nyſſ. Vit. Macr. 188.* — *Nazianz. Ep. 35.* — *Nazianz. Ep. 95.* — *Nazianz. Ep. 31.*

Gregorius Seleuciâ Conſtantinopolim mittitur.

XII. Ut non Principum autoritate modò, ſed vi quoque rationum error comprimeretur, Nazianzenus Conſtantinopolim mittitur, Arrianorum labe diu corruptam ſedentibus in Eccleſia Epiſcopis, qui modis omnibus fidei reliquias ex animis evellere conabantur. Defunctis Gregorio, Nonnâque parentibus, Nazianai nullis detineri precibus Gregorius potuit. Seleuciam er-

go

go proficiſcitur, Templo Theclæ nobilem, ut ipſe cecinit in carmine de vita ſua:

Primum fugâ me contuli Seleuciam,

Ubi Virgo Thecla fanum habet celebre admodum.

Ibi deliteſcebat, cum vulgato Gratiani decreto, ut laboranti fidei ſuccurreret, Conſtantinopolim miſſus eſt. Currente anno eam ſuſcepiſſe provinciam nobis eſt veroſimillimum. Non ante quidem Valentis obitum ſurentibus Arianis eò proficiſci potuit. Brevi ſanè in regia urbe conſtitiſſe, apud Ruſinum legimus: Gregorius *reddita pace, Conſtantinopolim ad Eccleſiam docendam venire exhortatus non abnuit. Ubi brevi tempore tantum ad emendandum Populum vetuſtu Hæreticorum infectum veneno profecit, ut tunc primùm Chriſtiani ſibi fieri viderentur, & novellam lucem veritatis aſpicere, cum religioſus Doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis.* Breve id tempus triennio circumſcribitur. Tota hæc Gregoriana mora fuit in urbe Conſtantini, ut ex ipſo Nazianzeno rectè obſervat Baronius, Conſtantinopolitanos ſic compellante: *Quid improbum, quid vobis contrarium, quid noxium, vel verbis protuli, vel deſignavi toto hoc jam triennio.* Ut rejicienda ſit omninò ea Nicephori Chronologia de Byzantinis Epiſcopis: *Gregorius Nazianzenus Præfectus eſt Eccleſiæ annis* XII. *deinde ad ſua reverſus eſt.* Porro non ſuâ ſponte Gregorius id operis agreditur. Ex multis unus à Synodo electus eſt, qui difficillimo hoc officio fungeretur. Quod & ipſe docuit carmine de ſua vita:

Rufin. l. 2. c. 9.

Naz. Carm. de Epiſ.

Me miſit almus ſpiritus vocantibus

De plebe multis atque item Paſtoribus,

Plebem ut juvarem, pro fide arma ſumere.

Ac ſanè maxima quibus ereptus eſt pericula, proſperique ſuarum concionum ſucceſſus egregium præbet divinæ legationis ſigillum. Non aſſentimur tamen Baronio, aliiſque eruditis, qui ab Antiochena Synodo Conſtantinopolim Gregorium legatum eſſe perſuaſum habent, utpote quæ biennio poſt Nazianzeni in regiam urbem adventum celebrata ſit. Alia ergo Synodus eſt intelligenda, cujus monitis Gregorius obtemperavit. Plurimum quoque Baſilii valuit autoritas, ut ad difficillimam provinciam obeundam Gregorium ſuum impelleret. Verba hæc ſunt Gregorii Presbyteri: *Protinùs illo Baſilio luminari Magno, ipſius cupiditati alacritatique quaſi faces quaſdam ſubdente, aliiſque complaribus Epiſcopis, principibuſque urbis civibus fidei pietate præditis, ab eo obnixè contendentibus, ut ipſius auxilio egentibus, quaſi Herculem quendam, Alexica cùm ſe præberet, Conſtantinopoli ſtatim adſuit.* Quid verò ibi obtigerit Gregorio, ſequentibus annis commodius narrabitur.

Greg. Vit.

De ætate Hieronymi.

XIII. Factâ Doctoris mentione, æquum eſt & diſcipulo virtutis teſtimonium reddere, *Hieronymo* ſcilicet, qui tum temporis in Oriente verſabatur, & Presbyter à Paulino creatus eſt, currente circiter anno, antequam Paulinum æmulum Meletius ſuum ſibi reconciliaret. More noſtro vitæ illuſtris repræſentabimus imaginem. Hieronymus patre Euſebio natus eſt, oppido *Stridone*, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit. Matris nomen ignoratur. De anno Hieronymi natali magna inter Chronologos diſceptatio eſt. Nos *Proſpero* adhæreſcendum putamus, qui ad annum Domini CCCCXX. Theodoſio Auguſto IX. & Conſtantino III. Coſſ. hæc habet in Chronico: *Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis ſuæ* XCI. *pridie Kal. Octobr.* Vix in annis Hieronymi aberrare Proſper potuit, cùm & Occidentalibus probè notus Hieronymus, & Hieronymo ſuppar Proſper fuerit, cujus à Chronologia non eſt niſi gravi de cauſa diſcedendum. Itaque anno Domini 330. *Gallicano & Symmacho Coſſ.* imperante Conſtantino M. Hieronymum lucem aſpexiſſe exiſtimamus. Neque à Proſpero multum abeſt Gennadius in Capitulo de Viris illuſtribus, quod Mabillonius edidit, Analectorum t. 2. p. 42. *Nonagenarius ferme, ut perhibent, poſtea in Domino requievit.* A veritate tamen relinqui Proſperi Chronologiam, *Mariani Victorii, Baroniique* ſententia eſt. Arbitrantur enim, non *Conſtantino*, ſed *Conſtantio* imperante natum eſſe Hieronymum: *Erat*, inquit Baronius, *tempore obitus Juliani annum agens circa vigeſimum.* Cùm igitur periret Julianus anno CCCLXIII. qui ex ſententia Baronii cum Hieronymi vigeſimo labebatur, anno CCCXLIV. lucem aſpexiſſe debuit. Hanc ſuam Chronologiam firmant verbis Hieronymi: *Dum adhùc eſſem puer, & in Grammaticæ ludo exercerer, ac ſubitò in ipſo perſecutionis ardore Juliani nunciatus eſſet interitus, eleganter unus de Ethnicis, Quomodo, inquit, Chriſtiani dicunt Deum ſuum eſſe patientem.* Quòd ſi natus eſt Hieronymus imperante Conſtantino, *Gallicano & Symmacho Coſſ.* erat igitur annorum 34. cùm Julianus ad fata venit. Rectè! At, inquit Baronius, *Quonam pacto verum erit, Hieronymum tunc temporis fuiſſe puerum, & Grammaticis facultatibus imbui?* Tanti tamen non ea ratio eſt, ut Proſperi percellat Chronologiam. Quidni anno 34. in Grammaticæ ludo exerceri Hieronymus potuit, cùm Marcus Aurelius Imperator, jam ſenex Philoſophorum ſcholam ingreſſus fuerit? Quo viſo, exclamavit Lycius, manu ad cœlum ſublatâ: *O Sol, Romanorum Imperator jam ſenex libellum tractans, Ludimagiſtri domum frequentat.* Quid, nonne Marci Antonii Gniphonis Grammatici ſcholam frequentavit Cicero *etiam, cùm Præturâ fungeretur*, obſervante Suetonio de illuſtribus Grammaticis c. 7. Ut Eccleſiaſticos Autores Ethnicis jungamus, nonne anno trigeſimo ſuo Gregorius Nazianzenus Athenis utebatur Ludimagiſtro? Nonne ipſe Hieronymus jam ſenex Didymo ſe diſcipulum præbuit? *Jam canis ſpargebatur caput, & Magiſtrum potius quam diſcipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum.* Qui locus ad ætatem Hieronymi intelligendam maximè conducit. Etenim ſi anno duntaxat CCCXLIV. editus eſt, in ſenium quidem non inclinabat Hieronymus, nec *canis ſpargebatur*, cùm ad Didymum profectus eſt, qui ab anno CCCLX. ad tercenteſimum ſeptuageſimum floruit. Quo tempore ex Baroniana Chronologia annum duntaxat XXVII. impleviſſet Hieronymus. Neque magis voce *pueri* movemur, quàm ſibi aptat, cùm ad fata Julianus venit. Eam enim frequenter uſurpat, non ad pueritiam ſanè, ſed ad adoleſcentiam ſignificandam, quæ ultra annum quadrageſimum extenditur. Pueritia propriè illa eſt, quæ infra annum XVII. conſtituitur, definiente apud Gellium *Tuberone*, qui de Servio Tullio ſcripſit, cùm quinque claſſes cenſus faciendi cauſâ inſtitueret, *Pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptemdecim.* Quâ notione vox *pueri* non accipi poteſt apud Hieronymum. Exempla ſanè

Bar. An. 372. n. 58.

Hier. in Abac. c. 1.

Suid. in Marc. pag. 89.

Hier. Ep. 65. c. 1.

Gell. l. 10. cap. 28.

ſunt certiſſima, quibus monemur indiſcriminatim pro adoleſcentia pueritiam poni ab Hieronymo: *In adoleſcentia*, inquit, *mea provocatus ardore & ſtudio Scripturarum, allegoricè interpretatus ſum Abdiam Prophetam.* En *adoleſcentiam*, cui inferius pueritiæ nomen imponit: *Quid igitur condemnamus, in quibus pueri luſimus?* Sed & in ſua ad Nepotianum Epiſtola: *Dum eſſem adoleſcens, imò penè puer, & primos impetus laſcivientis ætatis eremi duritiâ reſtrinarem.* Quin etiam *infantiam* vocat ætatem ſuam, quâ contigit horrendus ille terræ motus, qui orbem Romanum inceſſit anno CCCLXV. die XII. Kal. Auguſti, Valentiniano & Valente Coſſ. *Audivi quendam Areopolitem, ſed & omnis civitas teſtis eſt, motu terræ magno in mea infantia.* Quo tempore vel ex Baroniana Chronologia annum XXII. ingreſſus erat Hieronymus. Creditu quidem difficillimum, anno ætatis ſuæ XLVIII. tot Opera edidiſſe, quot anno Theodoſii XIV. qui Dionyſianus eſt CCCXCII. edita à ſe commemorat libro de Viris illuſtribus.

Hieron. Proœm. in Abd. 126.

Hieron. Epiſt. 2.

Hieron. in Iſ. c. 15.

XIV. Hactenùs de ætate Hieronymi. Habuit ſororem, & fratrem natu minorem, nomine *Paulinianum*. Divite familiâ ortum eſſe, hæc indicant, quæ leguntur in libro primo contra Rufinum: *Memini me puerum curſitaſſe per cellulas ſervulorum, diem feriatum duxiſſe luſibus.* Grammaticæ Præceptorem *Donatum* habuit. Dum Romæ operam ſtudiis dabat, addictus erat & Religioni: Solebat *cum cæteris ejuſdem ætatis, & propoſiti, diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circuire, crebròque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſa ex utraque parte ingredientium per parietes haberent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, Deſcendant ad infernum viventes.* Neque tamen Rhetoricas artes negligebat: *Cùm adoleſcentulus Romæ controverſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia Judicum.* Intereà magnus ille virginitatis laudator, & penè nuptiarum oſor veneri ſuccubuit, ut ex his colligitur: *Virginitatem in cœlum fero, non quia habeam, ſed quia magis mirer, quod non habeo.* Quæ ſcripſit Pammachio. In urbe ſacris undis expiatur, teſte ſuâ ad Damaſum Epiſtolâ: *Inde nunc meæ animæ* poſtulo *cibum, unde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Româ profectus, in Gallias comite *Bonoſo* contendit, ut ex variis Bibliothecis, viriſque eruditis, quibus tum Gallia florebat, eruditionis theſauros ſibi compararet. Treveris, quæ ad Metropolitanæ Galliarum civitatis honorem aſcenderat, commoratum eſſe docet ipſe ad Florentium Epiſtolâ VI. *Librum de Synodis S. Hilarii, quem ei apud Treviros manu meâ ipſe deſcripſeram, æquè ut mihi transferas peto.* Dum in Gallia verſatur, vidit rem nefandam, *Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus.* Ut liberius Chriſto vitam dicaret ſuam, in aſcetica ſe diſciplina collocare placuit. In patria tamen ob peſſimos *Lupicini* Epiſcopi mores, domicilium conſtituere noluit. Neque tumultus urbis Romanæ Monachi vitæ erant idonei. Stetit ergo cogitanti ſententia, longiores regiones petere. Domi itaque conſtitutis rebus, & Bibliothecam, quam ſummo ſtudio Romæ inſtituerat, cum viatico tantæ peregrinationi neceſſario aſſumens, relictis conſanguineis, Innocentio, Evagrio, Hylâ, Heliodoro comitibus Hieroſolymam conceſſit, ut legitur Epiſtolâ ad Euſtochium c. 13. Ibi cùm aliquandiu moratus eſſet, alias & in regiones peregrinatur, quod Rufinum monuit: *Poſtquam me à tuo latere ſubitus turbo convulſit, tunc mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber. Tunc maria undique, & undique cœlum, tandem in incerto peregrinationis erranti, cùm me Thracia, Pontus, atque Bithynia, totumque Galatiæ & Cappadociæ iter, & fervido Cilicum terra fregiſſet æſtu, Syria mihi velut fidiſſimus naufrago portus occurrit.* Antiochiam Syriæ metropolim ingreſſus, poſt aliquantum moræ eâ urbe relictâ ſolitudines petit, quas Procemio in Abdiam, *Syriæ Chalcidis* vocat. Dum evolveret Bibliothecam curioſius, in morbum incidit: *Lecturus Tullium jejunabam . . . Si quando in memet ipſum reverſus Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus.* In media ergo ferè Quadrageſima, febris legentem invaſit. Raptus æger in ſpiritu, ad Judicis tribunal pertractus, de conditione interrogatur. Ubi ſe Chriſtianum eſſe reſpondit, Præſes, *Mentiris*, ait, *Ciceronianus es, non Chriſtianus.* Hic quidquid morborum eſſe poterat expertus, *Innocentium* amiſit, partem animæ ſuæ. Porro in deſerto fugientem mundum totus mundus ſequebatur: *Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore.* Quas cogitationes ut elideret, Hebraicis literis admovit animum. Ad mentem, inquit, *edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaque verba meditarer.* Dum in partes ſcinditur Antiochia Paulini, Meletii, Vitalis diviſionibus, anxius cuinam adhæreret Hieronymus, Damaſo ſcribit: *Non novi Paulinum, Meletium reſpuo, Vitalem ignoro*, quid ergo de voce hypoſtaſis, in qua veneni latebat aliquid, ſit exiſtimandum, ſuppliciter quærit. Cùm porro Paulino communione conjungeretur Damaſus, Eccleſiæ Romanæ alumnus, Hieronymus Paulini partes amplexus eſt, à quo etiam in Presbyterum ordinatur currente circiter anno. A conſecrato verò, qui aſceticam ejurare vitam nolebat, hæc Paulinus audivit: *Nùm rogavi te, ut ordinarer? Si ſic Presbyterum tribuis, ut Monachum nobis auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem ſub nomine Presbyteri, tollis mihi propter quod ſeculum dereliqui, ego habeo quod ſemper habui.* Quæ de Hieronomymo ad annos ſequentes pertinent, ſuis temporibus dividemus.

De Hieronymi pueritia, & peregrinationibus. Fit Presbyter.

Hier. in Ezech. cap. 40.

Hier. in Gal. c. 2. 128.

Hieron. Ep. 50. cap. 8.

Hieron. Ep. 57.

Hieron. Ep. 41.

Hieron. Epiſt. 22. cap. 13.

Hieron. Epiſt. 22. cap. 3.

Hieron. Epiſt. 4. cap. 12.

Hieron. Epiſt. 61. n. 16.

XV. Eruditi, pii & religioſi laude Diodorum Tarſenſem Epiſcopum noſtri Annales fraudare non debent. Sanguinis ſplendore nobilem Diodorum fuiſſe, ex Theodorito diſcimus, dum illum ob animi fortitudinem præconiis effert: *Generis quidem ſui*, inquit, *nobilitatem nullatenus conſiderabat, ærumnas autem pro fidei defenſione libenti animo tolerabat.* Monaſteriorum uni, quod juxta Antiochiam conditum erat, Præfectum agebat, quo munere dum fungitur, auditores habuit, qui clarâ famâ apud Veteres poſtmodum fuere, Theodorum ſcilicet Mopſueſtienſem, & Maximum Seleuciæ, Joannem Conſtantinopolis Epiſcopum. Eo tempore quo furens audaciâ, ſceluſque anhelans Valens Imperator, Antiochenſem Eccleſiam perſequitur,

Diodorus Tarſenſis. Quis? Ejus Opera.

Theodorit. l. 4. c. 25.

agente

ANNO DOM. 378.

agente in exilium Sancto Meletio, ex radicibus montis expulſus Diodorus, ad ripas proximi fluminis, cum Flaviano Chriſti oves paſcebat. Poſtquam in defendenda pietate fecit ut induſtriam omnes ſuam cognoſcerent, dignus à Meletio judicatur, qui Epiſcopi nomine Tarſenſi Eccleſiæ præficeretur: *Divinus Meletius Diodorum, qui in graviſſimâ illâ tempeſtate navem Eccleſiæ incolumem ſervaverat, Tarſenſium Epiſcopum conſtituit, & Ciliciam ei Provinciam commendavit.* Anno circiter CCCLXXVIII. Valentis Imperatoris poſt obitum Pontificatum iniiſſe videtur. Synodo Conſtantinopolitanæ, anno CCCLXXXI. jubente Theodoſio coactæ, Diodorus interfuit, magnique cœtus pars una magna fuit. Quo tempore & autor extitit, ut regiæ urbis Epiſcopatus Nectario crederetur. Tacitus ſecum ipſe agitabat Diodorus, quiſnam potiſſimùm eligendus eſſet ad eam Cathedram, quæ tantâ ambitione deſiderabatur. Quo momento ad eum Nectarius acceſſit, velut laturus Epiſtolas, ſi quas ille Tarſum ſcribere voluiſſet. Tum Nectarii canitiem, morum ſuavitatem, vultumque Epiſcopatu dignum intuitus, eum Meletio commendavit. Tanta pietatis in celebritate Diodorus erat, ut Lege latâ Theodoſius ſanciret, illos Eccleſiis eſſe præficiendos, qui cum Diodoro Epiſcopo Tarſi communicarent. Diodori vitæ breviarium unà cum ipſius laudibus Domnus proſequitur Antiochenus in ſua ad Theodoſium Epiſtola: *Iſte magnus Diodorus teſtem quidem pietatis habet clarorumque certaminum magnum illum Baſilium. In illo enim claruit tempore, quo Arii impietatis patroni tunc Imperatorum animas irretientes, adverſus veritatem illorum movere potentiam. . . Dei autem homo S. Meletius, à quo appellationem habent apud nos Apoſtolicorum cuſtodes dogmatum, Meletianos enim nos vocant Arii ſectatores, ſacratiſſimum Diodorum Gubernatorem Ciliciæ univerſæ propoſuit, & Tarſeorum ei regimen commiſit. Iſte in regia civitate cum Gregorio, & reliquis qui ejus erant ſtudii, ter beatum Nectarium Archiepiſcopum ordinavit. Iſte magni Joannis Doctor, qui ſedem regiæ civitatis ornavit, & univerſum mundum doctrinâ complevit.* Quamdiu Epiſcopatum cum vita retinuerit, nobis eſt incompertum. Id unum ſcimus, anno CCCXCIV. non amplius inter homines fuiſſe, cùm Nectarii Concilio *Phalerius* Diodori ſucceſſor interfuerit. Non virtutibus modò, ſed ſcriptis quoque ſuis Diodorus famæ multum ſibi collegit. Verba hæc ſunt Sozomeni: *Multos, ſicut accepi, libros poſteris ſcriptos reliquit, & ſacra Volumina ad literam expoſuit, repudiatis allegoriis.* Librorum Catalogum ex Theodoro Lectore Suidas exhibet, non inutiliter noſtros in Annales referendum: *Interpretationes in totum V. Teſtamentum: in Geneſim, Exodum, & reliqua. In Pſalmos, in quatuor libros Regum, in ea quæ in Paralipomenis quæruntur. In Proverbia, Quod ſit diſcrimen contemplationis & allegoriæ: in Eccleſiaſtem: in Canticum Canticorum: in Prophetas. Chronicum quod Euſebii Pamphili de temporibus errorem emendat: in quatuor Evangelia, in Acta Apoſtolorum, in Epiſtolam Joannis Evangeliſtæ. Quod unus Deus ſit in Trinitate: contra Melchiſedecitas, contra Judæos: de Reſurrectione Mortuorum: de Anima: contra diverſas de ea ſectas: ad Gratianum capita: contra Aſtronomos & Aſtrologos & Fatum: de Sphæra, & ſeptem Zonis*, (legendum putamus quinque zonis, *e* in ζ mutato. Septem enim zonæ Veteribus ignorantur:

Utque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis;)

De contrario Aſtrorum progreſſu: de Hipparchi Sphæra; de Providentia, contra Platonem, de Deo & Diis: de Natura & materia. De Deo & falſa Græcorum materia. Quòd inviſibiles naturæ non ex elementis, ſed unà cum elementis ex nihilo factæ fuerint. Ad Euphronium Philoſophum per interrogationem & reſponſionem: contra Ariſtotelem: de Corpore cæleſti. Quomodo Sol ſit calidus: contra eos qui cœlum animal eſſe dicunt. Quomodo ſemper quidem opifex permaneat, opificia verò non ſemper. Quomodo velle & nolle, ſit in æterno Deo, contra Porphyrium: de Animalibus & Sacrificiis. Immenſi & laboris & eruditionis Diodorum fuiſſe oportet, qui tot Opera condiderit. Legerat Photius tractatum de Fato, libris octo & tribus ſupra quinquaginta capitibus diſtinctum, ex quibus ampla ſatis fragmenta exhibet in ſua Bibliotheca c. 223. Sed & in tractatum adverſus Manichæos inciderat, de quo hæc habet: *Libris quinque & viginti cum Manichæis certavit. Quorum ſeptem prioribus putat quidem, vivum ſe Manichæorum Evangelium refellere: at non aſſequitur, dum non illud, ſed quod ab Adda ſcriptum erat & Modium appellatur, evertit. Reliquis deinde libris, ea Sacræ Scripturæ loca purè explanans atque declarans, quæ Manichæi ad ea quæ animo concepiſſent, accommodare ſolent.* De Diodoriano ſtilo hoc ipſius eſt judicium: *Eſt in loquendo purus atque diſtinctus.* Diverſa tamen eſt de Diodori libris cenſura Hieronymi: *Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, dum Antiochiæ eſſet Presbyter, magis claruit. Extant ejus in Apoſtolum commentaria, & multa alia ad Euſebii magis Emiſeni characterem pertinentia, cujus cùm ſenſum ſecutus ſit, eloquentiam imitari non potuit propter ignorantiam ſecularium literarum.* Refert & Facundus verba hæc Hieronymi, ſed paululum immutata. Habet enim, *extant ejus in Apoſtolo Commentaria*: quodque præcipuum eſt, Euſebium non dicit *Emiſenum*. Quæ lectio vero ſimilior eſt: *Ad Euſebii*, inquit, *magis characterem pertinentia*. Euſebius autem non *Emiſenus*, ſed Cæſarienſis potius indicatur.

XVI. Virum tantæ famæ, Nazianzenis, Baſiliis, Meletiis, Epiphaniis Nyſſenis percharum labe hæreſeos aſperſum, tandem à quinta Synodo damnatum eſſe, quis crederet? Hunccine virum anathemate percuſſum, quocum conjunctio ſignum pietatis erat, regnante Theodoſio! Tanti viri memoriæ iniquior Baronius, Neſtorio erroris ſui fontem fuiſſe prædicat: *Eandem*, inquit, *doctrinam Diodori fuiſſe quæ fuit & Theodori Mopſueſteni Theodoritus aſſirmat.* Subjungit etiam, *Neſtorium à Diodoro didiciſſe perfidiam.* Verùm enimverò Theodoriti mentem non accuratè ſatis reddit illuſtriſſimus Purpuratus. Verba hæc ſunt Theodoriti. Theodorus Mopſueſtenſis, *Præſtantiſſimus quidem Diodori auditor, divini autem Joannis ſocius atque adjutor fuerat. Ambo quippe ex ſpiritualibus Diodori fontibus ſimul hauſerant.* Concedamus Baronio, Theodorum Neſtoriani erroris fuiſſe. Fitne conſequens Diodorum eâdem & lue contactum? Neſtorianis ergo Chryſoſtomus & inſeri deberet, qui non minus quàm Theodorus Mopſueſtenſis, de ſpiritualibus Diodori fontibus hauſit. Non igitur Diodori ex doctrina veneni aliquid Theodorus imbibit animo. Non inficiamur qui-

Theodorit. l. 5. c. 4.
Sozom. l. 7. c. 8.
Sozom. l. 7. c. 9.
Facund. l. 8. c. 5.
Sozom. l. 8. c. 2.
Ovid. Metam. L. 1. f. 2.
Suid.
Phot. c. 85. pag. 203.
Fac. l. 4. cap. 2.
Num Diodorus Tarſenſis fons Neſtorianiſmi?
Bar. An. 428. n. 35.
Theodorit. l. 5. c. 40.

Bar. An. 428. n. 35.

dem Diodorum à Cyrillo Neſtorianiſmi accuſari: *Senſit*, inquit, *quòd alter ſit Filius qui de Sancta Virgine natus eſt, & alter propriè Filius Dei Patris exiſtat.* Credulus Cyrillo Baronius, Diodorum erroris hujus poſtulat. Quin tamen ſive ex odio, ſive ex prava Diodori Scriptorum interpretatione, Sancto Viro calumnia impoſita ſit, nulli dubitamus: & nobis aſſentitur Facundus, qui prolatis ex Baſilio, Chryſoſtomo, Epiphanio, Hieronymo, teſtimoniis, ab errore Diodori liberavit innocentiam. Longum eſt & non neceſſarium teſtimonia tot exſcribere, quæ ex Facundi libro quarto peti poſſunt. Referamus duntaxat verba ipſius, quæ magni ſunt momenti abſolvendo Diodoro: *Laudatur adoleſcens ab Athanaſio, laudatur à Petro jam gravis, laudatur à Timotheo ſenex. Tota vita ejus fuit in laudibus, & poſt mortem ab Athanaſii, Petri, Timothei ſucceſſore cum Theodoro dicitur accuſatus. Quis hoc poſſit æquanimiter ferre?* Inſpiciatur & Domni Antiocheni ad Theodoſium Epiſtola. Animo præcipuè recondenda ſunt verba Photii: *In libris de Fato pius quidem eſt hic Scriptor, atque in eam ſectam de Dei Filio, quem impia Neſtorii rabies diſſcuit, aberrando deflexit.* Solemne eſt multis ex locutionibus, quæ paulò ſunt incommodiores, bonis viris errores aſcribere, à quibus ſunt mente alieniſſimi, quoſque locis compluribus profligatum eunt. Ea ut videtur de cauſa Diodorus pro Neſtorianiſmi fonte habitus eſt, etſi in diverſum affectus utriuſque Filii Dei, qui & divinitate ſimul & humanitate in una eademque perſona præditus eſt, tenaciſſimus. Ad ſe nunc nos vocant Epiſcopi, ad celebrandam Synodum in urbe congregati.

Fac. l. 4. cap. 2.

Fac. l. 8. cap. 5.

Phot. pag. 662.

Romanæ Synodi de Urſini factione expoſtulatio.

XVII. Valentiniani Reſcriptum anno CCCLXXI. *Ampelio* Præfecto Urbis miſſum eſt, quo *Urſicino* facultas concedebatur Gallias exeundi, dummodò, *Ne ad urbem Rom. vel certè ſuburbicarias regiones pedem inferret*, factioni præbuerat incrementa. Quâ gliſcente, animis ad odia revocatis, Iſacio ſi erant Judæo ad inſidias Damaſo ſtruendas; Urſicinianos tumultus exponit Romana Synodus, in ſua ad Gratianum & Valentinianum Epiſtola. Dicunt indignum eſſe, conventum eò munitiorem fieri, quò flagitioſior fuerit: *Parmenſis Epiſcopus dejectus judicio noſtro, Eccleſiam tamen retinet impudenter. Damnatus æquè Florentius Puteolanus ... poſt ſextum annum repſit ad civitatem, tenuit Eccleſiam, multas in oppido Puteolano, de quo dejectus fuerat, ſeditiones inſolentiâ concitavit. ... Per Africam rurſum ſacrilego, rebaptizatores nutu Dei præceptiſti expelli. Sed ab expulſis Claudianus eſt ordinatus, & ad perturbandam urbem Romam quaſi Epiſcopus deſtinatur. ... Sic denique factio profecit Urſini, ut Iſaac Judæo ſubornato, qui facto ad Synagogam recurſu, cœleſtia myſteria profanavit, Sancti fratris noſtri Damaſi peteretur caput, ſanguis Innocentium funderetur, componerentur doli, quibus divino planè inſtinctu providentia veſtra pietatis occurrit, ſpoliaretur propè Eccleſia omnibus miniſteriis: eâ fraude videlicet ut dum cauſam diceret qui in omnes Judex fuerat conſtitutus, nemo eſſet qui de lapſis, vel certè de factioſis poſſet Epiſcopatus invaſoribus judicare.* Verbis Synodi lucis aliquid fortè fœnerat narratio hæc Pontificalis: Damaſus *invidioſè accuſatus de adulterio, factâ Synodo purgatus eſt à XLIV. Epiſcopis, qui etiam damnaverunt Concordium & Calliſtum, Diacones, accuſatores ejus, & projecerunt de Eccleſia.* In Hiſpaniam relegatus eſt Iſaac, ut juſtas calumniæ ſuæ pœnas lueret. De tot tantiſque Urſinianæ factionis injuriis ut querelas ſuas protulere, ea flagitant ab Imperatoribus: *Jubere pietas veſtra dignetur quicunque vel ejus, vel noſtro judicio, qui Catholici ſumus, fuerit condemnatus atque injuſtè voluerit Eccleſiam retinere, vel vocatus à Sacerdotali judicio per contumaciam non adeſſe, ſeu ab Illuſtribus viris Præf. Præt. ſive à Vicario acitus ad urbem Romam veniat: aut ſi in longinquioribus partibus hujuſmodi emerſerit quæſtio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen: vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos quos Romanus Epiſcopus Judices dederit, contendere ſine dilatione jubeatur.* Synodi petitioni annuerunt Imperatores, dato ad *Aquilinum* Reſcripto. Cogitent eruditi, an non hæc illa ſit ipſa Synodus, cujus mentio eſt in Libello Synodico. Valente defuncto, *Gratianus & Occidentis & Orientis Imperator factus, pios Epiſcopos ab exilio revocavit. Quo tempore beatus etiam Damaſus ſacram Romæ convocavit Synodum adverſus Arianos, Pneumatomachos, & alios plurimos Hæreticos. Expoſitamque definitionem divinorum capitum Theſſalonicam ad Paulinum miſit, quæ ex divina diſpenſatione abſque maxima perferit, & Trinitatem homouſion adorandam eſſe omnibus perſuaſit.* Extincto quidem Valente, Epiſcopos de conventu celebrando, Romam confluxiſſe, indicat Gratiani & Valentiniani Reſcriptum Aquilino Vicario, in eo intervallo promulgatum, quod effluxit Valentis obitum inter & Theodoſii ad imperium evectionem, cùm amborum nomina deſiderentur. Conjectura igitur eſt probabilis, & de rebus Damaſi, & de fide, in ea Synodo tractatum eſſe: licet à verò aberret Autor Synodici, dum ait, definitionem *Theſſalonicam* ad Paulinum miſſam eſſe: *Antiochiam* dicere debuit.

Lab. t. 2. Conc. 899.

Gratiani tribuendæ Damaſo autoritati Decretum.

XVIII. Liberalitate Imperatorum non minimum adolevit Damaſi autoritas. Qua de re extat Reſcriptum Gratiani & Valentiniani ad Aquilinum: *Volumus ut quicunque judicio Damaſi, quod ille cum conſilio quinque, vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum qui Catholici ſunt, judicio vel conſilio condemnatus fuerit, ſi juſtè voluerit Eccleſiam retentare, ut qui evocatus ad ſacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, ut ab illuſtribus viris Præfectis Prætorio Galliæ atque Italiæ, autoritate adhibitâ ad Epiſcopale judicium remittatur, ſive à Conſularibus vel Vicariis, ut ad urbem Romam ſub proſecutione perveniat. ... Quòd ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cujuſcunque Sacerdotis iniquitas eſt ſuſpecta aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum acceſſitum liceat provocare: modò ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.* Hoc Reſcripti, quod integrum Baronius exhibet, anno 381. n. 2. ad præſentem potius annum pertinere oſtendit titulus, in quo Theodoſii nomen eſt prætermiſſum. 2°. Urſinus Mediolani cum Arianis anno 381. copulabatur: at quo tempore Romana Synodus ad Imperatores ſcripſit, Urſinum Galliæ cohibebant, & Agrippinæ agentem coercebant. 3°. Anno 381. Præfecti urbis munere fungebatur *Antidius*, non *Aquilinus*, quem & mendoſè Baronius vocat *Vicarium Ordinariorum*. Baronii de eo Gratiani Reſcripto Chronologiam refellunt Blondellus de Primatu p. 194. atque Labbeus t. 2. Concil. 1005.

Lab. Concil. t. 2. 1002.

XIX.

Anno Dom. 378.

Auſonius Conſul deſignatur.

XIX. Cùm purpuræ Conſulari Auſonium Doctorem ſuum Gratianus deſtinaſſet, ultimo Decembris labentis anni precationem ſtrictâ oratione condidit, cui titulus eſt: *Precatio Auſonii Conſulis deſignati, pridie Kalendas Januarii faſcibus ſumptis:*

Auſon. Idyl. 8.

Jane veni, novus anne veni, renovate veni Sol,
Conſulis Auſonii Latiam viſure curulem.

Error Baronii.

Quibus carminibus ſi Baronius advertiſſet animum, magno ſe errore liberaſſet. Theodoſio quippe verſum eum accommodat:

Faſcibus Auſonii ſuccedet Cæſar in annum.

Bar. An. 379. n. 2.

De Theodoſio, inquit, *eodem menſe Imperatore creato intelligens.* Atqui Theodoſio nondum ad imperium vocato, Auſonius titulum Cæſaris non impoſuiſſet. Theodoſius quidem anno duntaxat proximè futuro die XIV. Kal. Febr. Imperator dictus eſt. Cæſar ille, qui faſcium Auſonio ſucceſſor erit, ille ipſe Gratianus eſt:

Faſcibus Auſonii ſuccedet Cæſar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.

Anno 389. non Theodoſius, ſed Gratianus Conſul V. proceſſit.

Anno Dom. 379.

Anno U. C. 1132. Per. Jul. 5092. Jul. 424. Dom. 379. Gratiani 13. Valent. 4. & 5. Theodosii 1. *Sol.* 24. F. *Lun.* 19. *Indict.* 7. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 2. P. 21. *April.*

Coss. *Auſonius & Q. Clodius Hermogenianus.*

Theodoſius ad imperium promovetur. Qua de cauſa?

I. Lacerato Gothorum irruptionibus imperio, egregium Gratianus remedium comparare voluit. Opus erat Imperatore ſapiente ſimul & forti, qui magnanimitate ſuâ ferocientes Barbaros comprimeret. Theodoſius talis erat, ut nihil virtutibus ejus deſiderari poſſet; hunc purpuræ ſocium eligi placuit. Sed & aliæ cauſæ intervenere, cur Collegam Theodoſium ſibi Gratianus aſciſceret. Conſanguineus Theodoſio erat, ſi Proſpero fides: *Gratianus poſt mortem patrui Theodoſii, Theodoſium filium in conſortium aſſumit imperii.*

Proſp. Chron.

Patruus tamen, ſi propriè loquimur, eſſe non potuit. Avunculus tamen eſſe potuit, ſive Thermantia Valentiniani Senioris ſoror, ſive matris Gratiani Theodoſius Comes frater fuerit. Præcipuè ſummâ filio dignitate contributâ, paternos manes placare voluit. Anno CCCLXXVI. ut in Hieronymiano Chronico legimus: *Theodoſius Theodoſii poſteà Imperatoris pater, & plurimi Nobilium occiſi.* Illuſtris viri, qui Maurorum gentes multis præliis fregerat, Firmumque rebellem ad mortem coëgerat, obitum memorat Oroſius: *Cùm experientiſſimâ providentiâ totam tum Mauritaniæ Africam meliorem reddidiſſet, inſtimulante & obrepente invidiâ, juſſus interfici apud Carthaginem, baptizari in remiſſionem peccatorum præoptavit. At poſtquam Sacramentum Chriſti quod quæſierat aſſecutus eſt, poſt glorioſam ſeculi vitam etiam de vita æternitate ſecurus, percuſſori jugulum ultrò præbuit.*

Oroſ. l. 7. cap. 33.

Theodoſii Comitis æmuli, Valentiniani Junioris ætate & autoritate, ad explenda odia ſua abuſi fuerant. Ut quam in patre ſuo injuriam Theodoſius acceperat, Gratianus deleret, ipſum ad imperium evehere decrevit. Inaugurationem ejus cum *die XVII. Calendas Februarii* Socrates copulavit. Chronologiæ Socratis immeritò Baronius adhæſit, qui in Annalibus Theodoſium die XVI. *Januarii* purpurâ ornatum eſſe tradit. Cui menſtruè Chronologi repugnant.

Socrat. l. 5. c. 2.

Bar. An. 379. n. 3.

Faſti Idaciani: *Auſonio & Olybrio Coſſ. levatus eſt Theodoſius Auguſtus ab Auguſto Gratiano die XIV. Kal. Februarias in civitate Sirmio.* A Faſtis non diſſentit Chronicum & Alexandrinum, & Marcellini. Hoc optimum Gratiani factum Auguſtinus celebrat: *Gratianus à Theodoſio vindicatus eſt, cum parvulum haberet & fratrem, avidior fida ſocietatis, quàm nimia poteſtatis.*

Anno Dom. 379.

Auguſt. de Civit. l. 5. c. 25.

Illud vero nunquam ſatis laudandum, quod de Theodoſio memorat in ſuo Panegyrico Pacatus: *Dies ille continuus boni autor, quo tu cùm ad ſuſcipiendam Rempub. vocabaris, oblatum imperium deprecatus es: nec dans ſpeciem tantum ut cogi videreris, ſed obnixe, & diu, & velut impetraturus egiſti.* Sirmii porro Auguſtum creatum eſſe, cecinit Sidonius, Majoriani in Panegyrico, carm. 109.

Nam Theodoſius quo tempore Sirmi,
Auguſtum ſumpſit nomen, &c.

Theodoſii parentes, & anni.

II. Theodoſius genitus patre non *Honorio*, ut habet Victoris Epitome, ſed *Theodoſio*, & matre *Thermantiâ*, genere Hiſpanus, originem à Trajano traxiſſe dicitur. Patriam habuit vel *Italicam*, Trajani civitatem, ut docet Marcellinus in Chronico, vel *Caucam* in Gallæcia Provincia, ut narrant Idacius, atque Zozimus. Anno circiter CCCXLIV. editus eſt, utpote qui vitæ annos *quinquaginta* impleverit. Ad imperium promotus fuit annos agens XXXIII. quo tempore maximam in bello famam ſibi collegerat: *Accito ab Hiſpania Theodoſio, cunctis faventibus, agenti annum à triceſimo tertium, imperium committit.*

Vict. Epit.

Sub patre militaverat, nec ſine laude. Qua de re Pacatus in Panegyrico: *Summatim tamen illud attingam cum patre divino caſtrenſe collegium, actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, dies noctesque præliando aut vigilando conſumptas, graviſſimas pugnas terrâ marique pugnatas.* Anno circiter CCCLXXII. Præfectus Mœſiæ impoſitus, variis Barbaros cladibus affixerat. Quò pertinent verba Marcellini: *Inter has fortunæ diſpendia triſtioris, Dux Mœſiæ Theodoſius Junior, primâ etiam tum lanugine juvenis, Princeps poſteà perſpectiſſimus, Sarmatas liberos ad diſcretionem ſervorum rebellium appellatos, confinia noſtra ex alio latere invadentes, aliquoties expulit, & afflixit, congreſſibus denſis attritos adeòque obſiſtentes, fortiſſimè turbas confluentes oppreſſit, ut cæſorum plurium alites, juſtè ſanguine ſatiaret & feras.*

Marcellin. l. 29. c. 6.

Occiſo patre, ſponte in Hiſpaniam ſeceſſerat. Si fides Hiſtoriæ, oraculis ſomniiſque oſtenſum ipſius imperium fuit: *Oraculo in Aſia divulgatum eſt, eum Valenti ſucceſſurum, cujus nomen Θ, & Ε, & Ο, atque Δ, Græcis literis inchoaretur.* Qua de cauſa Theodorus ſupplicia perſolvit.

Vict. Epit.

Ferunt etiam Theodoſium, viſum ſibi vidiſſe Meletium Antiochiæ Præſulem, qui *imperiali chlamyde ipſum indueret, & regalem coronam capiti ipſius imponeret.* Flacillam duxerat uxorem, ex qua Arcadium & Honorium genuit.

Theodorit. l. 5. c. 6.

Paul. Diac. l. 12.

Itaque non accuratè ſatis in libello Synodico ſcribitur: *Gratianus caſtris adverſus Gothos metatis, Theodoſium ſororis maritum præfecit.* Libelli Synodici errorem quoque errat Chronicum Alexandrinum ad Conſulatum Arcadii & Bautonis.

Lab. Concil. an. 997.

Jam ſummâ rerum potiebatur, cùm *Gallam Valentiniani Majoris & Juſtinæ filiam, Valentiniani quoque Junioris ſororem in matrimonium duxit.* In pace rebus humanis, annum agens quinquageſimum apud Mediolanum exceſſit. Hæc Victor in Epitome, à quo valde

So-

Socrates diſſidet, qui Theodoſio annos aſſignat ſexaginta. Nos Victoris, qui antiquior eſt, ſententiæ magis ſumus. Annos xvi. cùm imperaſſet, ad nobiliora regna tranſlatus eſt, anno cccxcv. Olybrio & Probino Coſſ. ante diem xvi. Calendas Februarii. Quòd ſi accurate loquimur, imperavit annos xv. menſes xi. dies xxix. Itaque non eſt audiendus Victor, qui de Theodoſio ſcribit *regnavit annos* xvii. cum decimo ſexto dies unus defecerit.

Mores Theodoſii.

III. Cum Theodoſio maximæ virtutes Cæſarinum ſolium aſcenderunt. Ut verè ſimul & lepidè de inclyto Principe Claudianus cecinerit:

Claud. de 4 Conſ. Hon.

Digna legi virtus, ultrò ſe purpura ſupplex
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus.

Ad vivum expreſſam Theodoſii imaginem poſuit Victor ſua in Epitome:

Vict. Epit.

Fuit Theodoſius moribus & corpore Trajano ſimilis, quantum Scripta Veterum & pictura docent. Sic eminens ſtatus, membra eadem, par cæſaries, osque, abſque eo quod illi aliquantum vellendo ſteriles genæ, neque tam ingentes oculi erant, neſcio an & tanta gratia, tantuſque flos in facie, ſeu tanta dignitas in inceſſu. Mens verò prorſus ſimilis, adeo ut nihil dici queat, quod non ex libris in iſtum videatur transferri. Clemens animus, miſericors, communis, ſolo habitu differre ſe cæteris putans: in omnes homines honorificus, verùm effuſius in bonos: ſimplicia ingenia æque diligere, erudita mirari, ſed innoxia, largiri magno animo magna, amare cives vel privato contubernio cognitos, eoſque honoribus, pecuniâ, beneficiis cæteris munerans, præſertim quorum erga ſe aſpero caſu officia probaverat. Illa tamen quibus Trajanus aſperſus eſt, vinolentiam & cupidinem triumphandi, uſque eò deteſtatus eſt, ut bella non moverit, ſed invenerit: prohibueritque Lege miniſteria laſciva, pſaltriaſque comeſſationibus adhiberi. Tantum pudori tribuens & continentiæ, ut conſobrinarum nuptias vetuerit tanquam ſororum. Literis ſi nimium perfectos contemplemur, mediocriter doctus, ſagax plane multumque diligens ad cognoſcenda Majorum geſta . . . jam illa minutiora & ut dicunt intra Aulam, quæ quidem quia occulta ſunt, magis natura hominum curioſa oculos aureſque ad ſe trahunt. Patruum colere tanquam genitorem: fratris mortui ſororiſque liberos habere pro ſuis, cognatos affineſque parentis animo complecti: elegans lætumque convivium dare, non tamen ſumptuoſum, miſcere colloquia pro perſonis, ſtudio, dignitatibus, ſermone cum gravitate jucundo: blandus pater, concors maritus. Alios prorſus mores Theodoſio adſcribit Zoſimus, voluptatem, negligentiam, immanem avaritiam. Victori magis credendum. Indutus purpurâ Theodoſius, Orienti, Thraciæque præficitur.

Aſcholius. Gothi debellantur.

IV. Exundantibus ubique locorum Gothorum examinibus, res Thraciæ deterrimo loco erant. Quin etiam Barbari Macedoniam ingreſſi ad muros uſque Theſſalonicæ acceſſerant, quos precibus *Acholius* ſuis, quaſi ſpiritualibus machinis repulit. Qua de re obſervabilia ſunt verba Ambroſii:

Ambr. Epiſ. 37.

Hunc ipſum toties ingruentibus Gothorum catervis, nequaquam tamen potuerunt barbarica penetrare tela, expugnare multarum gentium bellicus furor. Denique in cæteris populatores locis illic pacem rogabant. Mirantibuſque quid ſibi ſine milite ullo obſiſteret, à prudentioribus intimabatur Eliſæi intus imitatorem degere, ætate ſupparem, non imparem ſpiritu, caverent ne exemplo Syriaci agminis ſibi quoque cæcitas offunderetur. Theſſalonicæ, cujus *Acholius* Epiſcopus, Theodoſius morabatur, dum Gothi, Taifali, Barbarorumque colluvies Thraciam occupabant, caſtellorum, oppidorumque Præſidiariis, ne paululum quidem extra munitiones progredi audentibus, nedum ut apertis locis manus conſererent. *Modares* regii Scytharum generis, qui non multò antè transfugerat ad Romanos, & propter fidelem Romanis navatam operam Magiſterium militum fuerat adeptus, cùm intellexiſſet univerſos in campis colli ſubjectis hoſtes abuſos annonâ, quam in agris & vicis repererant, vino jacere obrutos, tacite militibus imperat, ut gravioribus armis rejectis, gladios duntaxat & ſcuta ferentes, Barbaros luxu ſolutos invaderent. Quod ubi factum eſt, momento univerſos interfecerunt. Cùm nulli jam viri ſupereſſent, mortuos ſpoliant, & mulieres ac pueros aggreſſi, quatuor plauſtrorum millia capiunt, cum tot mancipiis, quot hiſce curribus vehi potuere. Sic Thraciæ in extremo periculo conſtitutæ, Barbaris præter ſpem omnem deletis, ſunt in tranquillo collocatæ.

Zoſim. l. 4. c. 26.

Aliâ & clade Gothi afficiuntur, quos nondum puberes Valens olim in Orientem diſperſerat. Quippe *Julius* ipſorum educationi & cuſtodiæ præpoſitus in varias urbes ipſos diſtribuerat, ne magno collecto numero res novas molirentur. Audito quid in Thracia popularibus ſuis acciderat, quotquot in eodem erant oppido, inter ſe congrediuntur, & alias urbes incolentibus ſignificant, cogitare ſe Romanas urbes adoriendo, parentes ac populares ſuos ulciſci. Quid conſilii à Gothis caperetur, Julius Theodoſio minimè ſtatuit aperiendum, à quo id Præfecturæ ſibi commiſſum non fuerat. Scriptis ſecretò ad Conſtantinopolitanum Senatum literis, ab eo accipit poteſtatem agendi quidquid expediendum Reipublicæ putaret. Accerſitis ergo ad ſe omnibus militarium ordinum Præfectis, quod inſtituerat conſilium, cum ipſis communicat. Illi confeſtim rumores ſpargunt, Imperatorem largis muneribus eos afficere velle: pecuniamque, agroſque diſtributurum in omnes, ut eos ad ſuam populique Rom. amicitiam pelliceret: jubere ſe ut ea de cauſa die conſtituto intra metropoles convenirent. Per has elati ſpes Barbari, nonnihil de iracundia, deque ſtruendo urbibus exitio remittunt, & expectato die præſtituto, quo ſinguli venire juſſi fuerant, confluunt: Tum milites occupatis tectis, quæ verſus forum quodlibet ſpectabant, ingreſſos Barbaros lapidibus & telis tantis perpetunt, donec univerſis ad internecionem deletis, urbes orientales imminenti formidine liberaſſent.

Id. ibid.

Hiſtoriam nonnullâ luce reſpergunt Idacii Faſti: *Ipſo anno multa bella Romani cum Gothis commiſerunt, Deinde victoria nuntiata ſunt adverſus Gothos, Alanos & Hunnos, die* xv. *Kal. Decembris.* Itaque à vero prorſus Theodoritus aberrat, qui à Theodoſio privatæ adhùc fortunæ homine, felici adcò pugnâ debellatos Gothos eſſe memorat, ut cùm victor ad Gratianum curſu perrexiſſet barbaricæ cladis futurus nuncius, ne veriſimilia quidem videbantur, quæ narrabat. Victoriam tamen eâ ratione adeptam eſſe Baronius exiſtimat, licet Theodoſium tum temporis Principem eſſe fateatur.

Theodorit. l. 5. c. 5.

Auſonii Panegyricus num initio anni recitatus?

V. Ut pro Conſulatu Auſonius dignas Gratiano grates perſolveret, Panegyricum dixit Treviris, præſente Imperatore. Quo liquet, non anni principio, ut ſibi perſuaſit Baronius,

ſed

ANNO DOM. 379.

ſed in exiiu potius eſſe pronuntiatum, qui à Januario Februarioque Sirmii Imperator verſabatur, ut à doctiſſimo Gothofredo obſervatum. Verba ſunt Auſonii: *Tu, Gratiane, tu Romani imperii limites, tot flumina & lacus, tot veterum intercepta regnorum, abſque Thracia, per totum quam longum eſt, latus Illyrici, Venetiam, Liguriamque & Galliam veterem, inſuperabilia Rhætia, Rheni aquoſa, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriori tranſcurſu quàm eſt properatio noſtri ſermonis evolvis, nullâ requie otii, ne ſomni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illuſtres, ut Conſulem tuum quamvis deſideratus anticipes.*

Gratiani de Hæreticis Reſcriptum.

VI. Valentis poſt obitum Gratianus ſanxerat, *Omnes, cujuſcunque Religionis homines abſque ullo diſcrimine in Eccleſiis convenirent, ſoli autem Eunomiani, Photiniani, & Manichæi pellerentur Eccleſiis*, referente Socrate l. v. c. 2. Quod etiam Suidas docet, in voce Gratianus. Quæ Lex ad annum CCCLXXVIII. referenda videtur. Mutatâ dein in melius ſententiâ, anno labente Hæreticis omnibus ſilentium imponit, miſſo ad Heſperium Reſcripto, quod ſic ſonat: *Omnes vetita Legibus Divinis & Imperialibus hæreſes perpetuò conquieſcant. Quiſquis opinionem plectibilibus Dei profanus imminuit, ſibi tantum nocitura ſentiat, aliis obfutura non pandat. Quiſquis redempta venerabili lavacro corpora reparatâ morte tabificat, id auferendo quod geminat, ſibi ſolus talia noverit, alios nefariâ inſtitutione non perdat. Omneſque perverſæ iſtius Superſtitionis Magiſtri, pariter & Miniſtri, ſeu illi Sacerdotali aſſumptione Epiſcoporum nomen infamant, ſeu quod proximum eſt, Presbyterorum vocabulo Religionem mentiuntur, ſeu etiam Diaconos, cùm nec Chriſtiani quidem habeantur, appellant, hi Conciliabulis damnatæ dudum opinionis abſtineant. Denique antiquato Reſcripto, quod apud Sirmium nuper emerſit, eâ tantùm ſuper Catholica obſervatione permaneant, quæ perennis recordationis pater noſter, & nos ipſi victurâ in æternum æquè numeroſâ juſſione mandavimus. Data III. Non. Aug. Mediol.* Hic verò obſervandum, Juſtiniani in Codice libro I. de Hæreticis Tit. v. L. I. aſcriptam Gratiano Legem reperiri, cujus prima duntaxat ſententia Gratiani eſt, cætera verò laudatâ Lege prorſus diſſident, potentiſſimo quidem indicio, in Juſtiniano Codice Legem ſinceram non eſſe. Quod cùm Baronius non obſervaverit, eam Gratiani nomine totam in Annales ſuos retulit. Quem laudato germano Gratiani Reſcripto errorem vitamus. Gratiani porro, non Valentiniani Junioris Legem eſſe, ex eo liquet, quòd Gratiani antiquare Leges Valentinianus Junior non auſus fuiſſet. Neque ad annum uſque CCCLXXXVIII. rectam Valentinianus fidem profitebatur, utpote à Juſtina matre ſua Arianis imbutus venenis atque innutritus. Vix porro dubitandum, quin Ambroſio Autore Gratianus dum Mediolani verſatur, Legem tulerit: quæ in duo genera dividit Hæreticos. Nonnulli pravè de ipſo numine ſentientes, ipſius majeſtatem polluunt, cui Gratianus crimini nomen *plectibile* imponit. Alii verò ſanctitatem Baptiſmi, eo renovato deterunt, *Reparatâque morte tabificant*. Non Gratianus modò, verùm etiam Theodoſius curis Eccleſiæ admovit animum. Quippe dum Theſſalonicæ verſatur, impellente, ut fert conjectura, Sancto Præſule urbis hujus Aſcholio VI. Kal. April. Legem conſcripſit: *Quadraginta diebus, qui auſpicio cæremoniarum Paſchale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium Quæſtionum.* Feriæ Eſuriales quadraginta diebus conſtabant in Macedonia ad quam Lex ea pertinet. Quæ non modò Quæſtionis dolori reos eximit, verùm omnem quoque criminum cognitionem Judicibus inhibet labente Quadrageſimâ.

Cod. Th. de Hær. l. 5. p. 115.

Cod. Th. de Quæſt. lib. 4.

Efficacia orationum Gregorii. Anaſtaſia Eccleſia unde nomen adepta?

VII. Ad res Eccleſiæ propius ſe convertat oratio. Miſſus Conſtantinopolim Gregorius Nazianzenus, Nicobuli domum ingreditur, qui ipſius affinis erat. Hæc illa domus triumphantibus Arianis portus erat, perfugiumque Fidelium, ibi conventus ſuos agitantium. Doceat ipſe Gregorius: *Domus quædam pia, Deique amore flagrans, non ſecus atque Elizæum Sunamitidis domus, nos refocillavit, hominum corporis ſpiritùſque cognatione mecum conjunctorum, ac ſingulari liberalitate præditorum, apud quos hic quoque populus compactus eſt, cum exagitatam & vexatam fidei pietatem adhùc ſurriperet nequaquam liberè, nec ſine periculo.* Ut Ariani ſenſere acceſſiſſe Gregorium ad ferendas pietati ſuppetias, attollunt iras ſubitò, diſpoſitiſque inſidiis Sanctum Epiſcopum perditum volunt, quaſi impium, qui colendos complures Deos induceret: quod carminibus in vita ſua luſit:

Nazianz. Or. 28. 484.

Exarſit in me tota civitas,
Multos perinde ac ſi Deos inducerem.

Lapidibus ipſum & inſectantur, imò Judicis ad tribunal trahunt, ſed in tanto periculo conſtitutum militem Chriſtus ſuum non deſeruit. Cujus Spiritu corroboratus, de reſtituenda pietate non deſpondit animum, quem in his cogitationibus optimis ſanè volutabat: *Hi domos habent, nos hoſpitem; hi templa, nos Deum; hi populos, nos Angelos; hi temeritatem, nos fidem; hi minas, nos orationes.* Grex ipſi exiguus objiciebatur, quod verum eſſe fatetur: *Ubi ſunt qui Eccleſiam multitudine definiunt, ac parvum gregem aſpernantur?* In tantum tamen orationibus profecit, ut penè ſepultam Conſtantinopoli fidem excitarit, eâque de causâ Nicobuli domo nomen *Anaſtaſia* impoſuerit. Itaque à vero aliena eſt ſententia Socratis, quòd exiguo Oratorio, ubi Gregorius conventus agebat, Imperatores cùm maximam Baſilicam adjunxiſſent, Anaſtaſiæ & nomen indiderint. Quod Nazianzenus ipſe refellit, in ſua ad Synodum Conſtantinopolitanam Oratione: *Vale, Anaſtaſia, nomen à pietate habens. Tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhùc contemptui erat, excitaſti.* Vera hæc eſt cauſa nominis, ut rectè putat & Sozomenus: *Hanc Eccleſiam Anaſtaſiam nominant, quòd Nicæna fidei doctrina per potentiam Hæreticorum oppreſſa, jam utique ut dicam intermortua, Gregorii concionibus in eo loco ſuſcitata revixerat.* Ut etiam falſi ſint illi, quorum meminit Sozomenus, eò dictam eſſe Anaſtaſiam, quòd dum collectas populus ibi celebraret, *Mulier quædam prægnans, quæ ex ſuperiori porticu delapſa, illicò expiraverat, factâ oratione ſubitò ſuſcitata ſit.* Secutis annis Anaſtaſia præ cæteris regiæ urbis Eccleſiis illuſtris fuit. Erat & ſita Novatianis Anaſtaſia, quæ inde nomen traxit, quòd cùm defuncto Conſtantio Julianus Eccleſiam juxta *Pelargum* ſtatuere permiſiſſet, ubi prius collocata, ex ſuburbano Siccenſi materias in eum locum tranſtulere excitandæ rurſus Eccleſiæ. Tantos porro in pietate promovenda progreſſus Gregorius fecit, ut in Oratione ſua ad Synodum Conſtantinopolitanam hæc habeat:

Nazianz. Or. 25. 440.

Socr. l. 5. cap. 7.

Nazianz. Or. 32. 527.

Sozom. l. 7. c. 5.

Sozom. l. 4. c. 20.

ANNO DOM. 379.

Nazianz. Or. 32. 527.

Tuque, ô magnum hoc Templum, & nobile, nova hereditas, quòd magnitudinem quam nunc habes, ab orthodoxa doctrina ſuſcepiſti, quòdque nos cùm prius Jebus eſſet, Hieruſalem effecimus. Dum Orientem Gregorii fama diſcurrit, eâ commotus Hieronymus Conſtantinopolim petit, tanto audiendo Doctori. Quo tempore diſcipuli ſui interrogationem, quam ſolvere non poterat, ingenii eluſit acumine, ut teſtatur ad Nepotianum Hieronymus: *Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus à me, ut exponeret, quid ſibi vellet in Luca Sabbatum δευτερόπρωτον, eleganter luſit, Docebo te, inquiens, ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris invitus ſcire, quod neſcis; aut certè ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis.*

Hieron. Ep. 2. p. 5.

Maximus Cynicus Epiſcopatum Conſtantinopolitani vult uſurpare.

VIII. Conſtantinopolim longè alia de cauſa advenit & *Maximus*, Eccleſiæ hujus urbis procella, turbo, ac tempeſtas pacis atque otii. Quam civitatem ſub anni principia ingreſſus eſſe videtur. Patriâ erat Alexandrinus, profeſſione Philoſophus Cynicæ diſciplinæ. Ideòque ſic eum compellat Gregorius: *Adeſdum, canis, non impudentiâ, ſed oris libertate; non ingluvie, ſed quia in diem vivis.* Ex optimis & nobiliſſimis natus erat, & Valente imperante, *Trinitatis ad ſanguinem uſque propugnator fuerat.* Quippe & virgis laceratus fuerat, & in exilium relegatus: *Oaſis, inhumana illa ſolitudo, ſed jam propter te ſancta ſedes, ad exulandum tibi decernitur.* Poſt quadriennium, τετραέτη fuerat revocatus, unde lepida Nazianzeni comparatio Maximi & Lazari, qui *quatriduo poſtquam è vita migraverat*, excitatus fuerat. Neque moveat aliquem, ſi quæ Maximo aſcribimus, à Nazianzeno aſſignentur Heroni. Quippe titulum Orationis hujus adulterinum eſſe, docuit nos Hieronymus: *Scripſit Gregorius Laudes Maximi Philoſophi poſt exilium reverſi, quem falſo nomine quidam Heronis ſuperſcripſerunt, quia & eſt alius liber, vituperationem ejuſdem Maximi continens, quaſi non licuerit eundem laudare, & vituperare pro tempore.* Cùm ſe confeſſione ſuâ atque doctrinâ Nazianzeno commendaſſet Maximus, domuſque menſæque ipſius fit particeps:

Nazianz. Or. 23. 410.

Greg. Naz. Or. 23. 419.

Hieron. de Vir. Illuſtr.

Menſa domuſque dogmatum hunc & conſilii,
Conſortem habebam.

Quin etiam ſi Gregorio Presbytero fides, ſacris undis à Nazianzeno Maximus expiatur. At Philoſophus ille, qui quantivis eſſe pretii videbatur, maximus quidem hypocrita fuit, atque nebulo. Quippe de uſurpando Conſtantinopolitano Epiſcopatu clam cogitabat, beneficiorum à Gregorio ſibi collatorum prorſus immemor. Ad rem, quam moliebatur, auſum fuiſſe aucupare Gratiani animum oblato ipſi libro de Fide contra Arianos, Lectoribus Baronius ſuis ſuadere voluit. Sed Baronianorum errorum hic unus eſt, quem deponere debuit. Ipſo Hieronymo Judice: *Maximus Philoſophus natus Alexandriæ, Conſtantinopoli Epiſcopus ordinatus eſt, & pulſus, inſignem de Fide adverſus Arianos ſcripſit librum, quem Mediolani Gratiano Principi dedit.* Quòd ſi jam ordinatus Conſtantinopoli Epiſcopus, jam urbe regiâ pulſus Gratiano librum obtulit ſuum, non igitur aggreſſus eſt primùm aucupare animum Imperatoris, ut fundamenta jaceret Epiſcopatus, cui inhiabat.

Bar. An. 379. n. 24.

Maximus ab Ægyptiis ordinatur. Gregorius ex ſeceſſu recedit.

IX. Intereà advenit Claſſis Ægyptiaca, neque temperare Gregorius potuit, quin recitatâ palam Oratione adventum Alexandrinis ſuum gratularetur. Navarchæ erant numero ſeptem, Ammon, Apammon, Harpocras, Stippas, Rhodon, Anubis & Hermanubis, de quibus hæc in concione locutus eſt: *Poſteaquàm Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, ut par erat, contuliſtis; Deo etiam, quæ Dei ſunt tribuiſtis. Illi nempè vectigal; huic timorem; & poſtquam cibis veſtris populum aluiſtis, ipſi quoque ut à nobis alamini, huc acceditis. Nam nos jam frumentum largimur, ac frumentum quidem veſtro nequaquam fortè deterius.* Navarchas in Epiſcopos Baronio mutare placuit: *Septem*, inquit, Petrus *legavit Epiſcopos, occaſione prætenſâ, ut frumentum debitum Imperatori portarent Conſtantinopolim*, reverà uti putat illuſtriſſimus Purpuratus, ut Maximum ordinarent. Egregium ſcilicet munus Epiſcopis impoſitum, ut vectores Alexandrini tritici forent! Neque advertit animum Baronius carmini huic Gregoriano:

ANNO DOM. 379.

Nazianz. Or. 24. 425.

Error Baronii.

Bar. An. 379. n. 25.

Miſelli Nautæ, pretio & exiguo emptiles.

Nautarum adventum ille Præſulum excipit: *Venere poſthàc, miſorant hos qui prius digni phalange tali Duces*, illi ſcilicet, quos *Paſtores*, ποιμένας vocat: qui non *ſeptem*, ſed *tres* tantùm fuere, teſte Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Epiſtolâ quintâ. Porro recreandi animi cauſâ Gregorius regiâ urbe ſeceſſerat. Ac dum deambulandi maris aſpectu fruitur, ſpectaculum in doctrinam ſibi convertit. Et ut in mari vitæ humanæ reperiebat imaginem, ſic algæ, oſtreæque leviſſimæ, quæ fluctus expuebant, petris interim immotis, in ipſius mentem revocabant; hinc leves hominum mentes, qui ne tantillum quidem adverſorum impetum ſuſtinebant; inde animorum firmitudinem, qui fide ſtabant immobiles. Maximus foro uti qui ſciebat, abſente Gregorio Epiſcopatum arripere tentat. Operam ipſi collocabat ſuam Presbyter, quem amici loco ſemper Gregorius habuerat. Evehendo ad Epiſcopatum Maximo pecuniâ opus erat. Fortè Presbyter aderat, Thaſſo ad urbem regiam appulſus, ut marmoreas tabulas emeret ad extruendam Eccleſiam. Ut Ægyptiaci Præſules advenere, Nautæ pretio corrupti, cùm Gregorii de grege nonnullis, vanis levibuſque hominibus diei ſub exortum ingrediuntur Eccleſiam, locant in ſede Epiſcopali Maximum. Ut rei per urbem ſpargitur rumor, repentè adveniunt Clerici, Magiſtratuum complures, Orthodoxorumque pars maxima, ipſi etiam Ariani ruptâ temeritate obſtupefacti. Cohors itaque Maximi Eccleſiâ egrediens, in Choraulæ cujuſdam domum ſe confert, illicque Maximum Epiſcopum creat:

Nazianz. Or. 28. 477.

Canem reſectâ Præſulem ſignant comâ
Nequiſſimum.

Naz. de Vit. ſua.

Quid multa? turpiter ex regia urbe Maximus ejicitur, id unum adeptus, quòd longiorum capillorum onus depoſuerit. Quò profectus ſit, ſequens annus exhibebit. Nulla porro Timotheo excuſatio parari poteſt, qui levitate indigniſſimâ poſt miſſum literis ſuis Gregorio ſuffragium, quo in Epiſcopali regiæ urbis cathedra ipſum collocarat, cauſis latentibus Maximo favit. Ut ex ſuburbano Conſtantinopolim Gregorius rediit, eloquentiſſimam adverſus Maximum Orationem habuit, quæ numero eſt vigeſima octava: *Mihi quoque*, inquit, *timorem injiciunt canes, per vim in Paſtorum claſſem irrumpentes, idque cùm ad paſtoralis muneris adminiſtrationem nihil omninò aliud contulerint, quàm quòd*

Nazianz. Or. 474.

comam

Digitized by Google

ANNO DOM. 380.

comam, cui ornanda & alenda turpiter ſtuduerant, raſerunt. Petrum quoque perſtringit Alexandrinum: *Nihil propius factum eſt, quàm ut Petrus etiam me abjuraret, ac fortaſſe ne flet quidem amare, ut peccato medeatur.*

Naz. Or. 28. p. 485.

ANNO U. C. 1133. PER. JUL. 5092. JUL. 425. DOM. 380. GRATIANI 14. VALENTINIANI 5. & 6. THEODOSII 2. *Sol.* 25. E D. *Lun.* 1. *Indict.* 8. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 12. *April.*

COSS. *Gratianus Aug.* v. *& Theodoſius Aug.*

Imperatorum victoriæ de Germanis & Gothis.

I. GErmanis tumultuantibus, Gratianus anno ſuperiore in Gallias redierat, quo parta eſt illi victoria. Res quoque Theodoſio feliciter ceſſit. Principis utriuſque victorias ſummatim tangit Sozomenus: *Cùm Alamanni crebris incurſionibus Gallias infeſtarent, Gratianus ad Occiduas paterni imperii partes reverſus eſt, quas ipſe ſibi ac fratri regendas retinuerat, cum Illyricum, & Orientis partes Theodoſio tradidiſſet. Et ipſe quidem ex animi ſui ſententia rem geſſit adverſus Alamannos. Theodoſius verò bellum cum Barbaris Iſtrum accolentibus non minus feliciter confecit. Quorum alios cùm prœlio deviciſſet, alios Romanorum amicitiam poſtulantes, acceptis obſidibus, in fœdus ſuſcepiſſet, Theſſalonicam venit.* Præclarè ab Imperatoribus geſtorum meminit in Faſtis Idacius: *Gratiano v. & Theodoſio Coſſ. victoria nunciata ſunt amborum Auguſtorum.* Theodoſii tamen gloriam Zozimus deterit. Ait Theodoſium Gothorum transfugas militum numeris aſcripſiſſe: nullum in caſtris ordinem, nullum Romani vel Barbari diſcrimen transfugis jam legionibus aſcriptis, licitum in patriam redire, ſicque popularibus ſuis omnia renunciaſſe. Negligenti hâc adminiſtratione cognitâ, Barbaros nullo prohibente ad Macedoniam uſque progreſſos: transfugis ad eorum ſe partes adjungentibus, ad Theodoſii tentorium uſque noctu contendiſſe. Dum fugâ elabitur, ſtipatores ejus ad unum occiſos eſſe. Ea victoria Macedoniam Theſſaliamque in ſuam poteſtatem redegiſſe. Nec ſecius ubi in patriam receſſere, Principem quaſi nil triſte Macedonicis, & Theſſalicis oppidis accidiſſet, graviſſima tributa imperaſſe; ut vel mundus muliebris, omniſque veſtitus, Canonis penſitatione conferretur. Theodoſii tamen victoriam Faſti prædicant, Chriſtianique Hiſtorici, imò Nazianzenus, qui tum temporis Conſtantinopoli degebat: *Imperator nobis advenit recens Terra ex Macedonia, Marte domitis Barbaris.*

Sozom. l. 7. c. 9.

Zozim. l. 4. c. 31.

Naz. Vit.

Nùm diviſum à Gratiano Illyricum?

II. Cæterùm laudatus à nobis Sozomenus, graviſſimæ difficultati, quam eruditi movent, illuſtrandæ eſt idoneus. Quippe Marca aliique docti perſuaſum habent, Illyricum Theodoſio non eſſe traditum. Quod ſi eſt, patentis Sozomenus erroris damnari debet. Nobis tamen exploratum eſt, nil Sozomenum peccaſſe. Voluntate Conſtantini diviſo in Præfecturas quatuor imperio, illa quæ fuit Illyrici, has regiones complectebatur, Autore Zozimo: *Præfecto alteri Macedones attribuit, & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam, & circumjacentes Inſulas, & Epirum utramque; præter has & Illyrios, & Dacas, & Triballos & Pannonianos ad Valeriam uſque, & Myſiam ſuperiorem.* Illyrici ex Præfectura fuit. Quòd ſi partem ejus aliquam ſua ſub ditione Theodoſius tenuit, fatendum eſt utique, Sozomenum non peccaſſe, ſed à Gratiano Illyricum diviſum eſſe, Orientaleque ceſſiſſe Theodoſio. Id quidem innuit Victor: Gratianus *cùm animadvertiſſet, Thraciam, Daciamque, tanquam genitales terras poſſidentibus Gothis, accito ex Hiſpania Theodoſio, imperium committit.* Orientale quidem Illyricum Macedoniam, Daciamque complectebatur, quas regiones cùm Gothi infeſtarent, Gratiano viſum eſt, eas aſſignare Theodoſio, Duci fortiſſimo. Theſſalonicam Theodoſiani Imperii partem eſſe, graviſſimis rationibus demonſtrat Valeſius. Renunciatus Auguſtus Sirmii Theodoſius, Theſſalonicam profectus, illic diu ſedit, & legationes civitatum Orientis excepit. Cùm in morbum incidiſſet, ab Aſcholio Theſſalonicæ baptizatus eſt. Theſſalonicæ quoque Leges multas promulgavit. In Synodo Conſtantinopolitana, cui ſoli Orientis Epiſcopi interfuere, recenſetur Aſcholius. Neque magni ſunt momenti adverſariorum rationes, ſi Præfectura Eccleſiaſtica à civili diſtinguatur. Eccleſiaſtici regiminis reſpectu Occidentalis erat Theſſalonica, reſpectu verò politici imperio Orientali ſubjacebat, ex diviſione Gratiani. Ad priorem diviſionem pertinent verba Patrum Aquileenſium ad Theodoſium: *Et quidem per Occidentales partes, duobus in angulis tantùm, hoc eſt, in latere Daciæ ripenſis, ac Mœſia, fidei obſtrepi videbatur.* Itaque Aſcholius Theſſalonicenſis Romanæ Synodo interfuit.

Zozim. l. 2. c. 33.

Lab. Concil. t. 2. 1000.

Aſcholius Theſſalonicenſis Theodoſium baptizat.

III. Dum ab expeditione ſuâ reverſus, Theſſalonicæ verſatur Theodoſius, in graviſſimum morbum incidit. Sed ab Aſcholio ejus urbis Epiſcopo baptizatus, deinde convaluit: priuſquam ablueretur, ab eo percontatus eſt, Quam ille fidem ſectaretur? Porro vir erat inſignis pietate Aſcholius. Patriam Cæſaream habuit, Cappadociæ Metropolim. Euphoniæ cauſâ Latinis dicitur *Acholius*, cùm germanum nomen ſit *Aſcholius*. Hunc magni fecit Baſilius M. qui ad illum tres Epiſtolas ſcripſit. Tantæ pietatis erat, ut contra vim Gothorum Theſſalunicenſibus præſidio eſſet, quo nomine ab Ambroſio celebratur: *S. autem Acholius precibus ſuis fecit, ut de partibus Macedoniæ victores fugaret.* Illum ipſum in Concilio Conſtantinopolitano ſedentem videbimus. In magna apud Theodoſium gratia erat, ob virtutes quibus ornabatur: *Aſcholio valde tum delectatus eſt, quippe qui ejuſdem ſententia eſſet, viro tum ſermone, tum Operibus eximio, & ut ſummatim dicam, cunctis Sacerdotalis officii dotibus exornato.* Celebrem impellente Aſcholio Legem Theſſalonicæ tulit Imperator ad Conſtantinopolitanos miſſam, ut eam amplecterentur religionem, quam Damaſus Papa & Petrus Alex. ſequebantur: *Hoc eſt*, inquit, *ut ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus S. unam Deitatem ſub parili majeſtate, & ſub pia Trinitate credamus.* Reliquos Hæreticis inſcribit, quibus Dei Principiſque vindictam minatur. Data eſt III. *Kal. Martias, Theſſalonica.* Non unum Damaſum adducit ante oculos, ſubjungit & Petrum Alex. *virum Apoſtolica ſanctitate*, quòd illi Epiſcopi ſacrum Apoſtolicæ doctrinæ theſaurum illibatum illæſumque ſervarent, qui in Oriente miſerè diſſipabatur. Ex Lege Theodoſii luce clarius eſt, à Pontificis Rom. nutu rem Chriſtianam non pependiſſe, neque *centrum communionis*, ut loqui amant, exiſtimatum fuiſſe.

Ambr. Ep. 39.

Sozom. l. 7. c. 4.

Cod. Th. l. 6. 4.

Secus ſolum Damaſum Theodoſius propoſuiſſet ad ſequendum. Ubi morbo recreatus eſt Imperator, Conſtantinopolim venit die octavo Cal. Decembris. Hic porro fugiendus eſt error Baronii, Socratem vexantis, quòd ſcripſerit Theſſalonicam Macedoniæ urbem eſſe in Illyrico. Atqui utrumque verum eſt, cùm Illyrici caput eſſet Theſſalonica. Qua de re inſignis locus eſt apud Theodoritum l. v. c. 17. *Theſſalonica civitas eſt ampla, & incolarum multitudine abundans: ſita quidem in Macedonum Provincia, ſed quæ caput eſt Theſſaliæ, & Achaiæ, & aliarum plurium Provinciarum, quæ ſunt ſub adminiſtratione Præfecti Prat. Illyrici.*

Maximus à Petro literas extorquet, eique favent Occidentales.

IV. *Maximus* Cynicus ob uſurpatum factione Sacerdotium Conſtantinopoli pulſus, Principis auxilium imploraturus Theſſalonicam accedit. Oranti comites erant Epiſcopi Ægyptii, à quibus ordinatus erat. Ut auguſtæ civitatis Epiſcopatum ab Imperatore petiit, cùm in legibus Eccleſiaſticis nil haberet, quo niteretur Maximus, non ſine minis ejicitur. Cùm verò expugnari ejus ambitio non poſſet, Alexandriam navi petit. Petri familiares auro pellicit, minis verò infirmum ſenem aggreditur: *Aut mihi*, inquit, *Conſtantinopolitanam cathedram aſſere, aut à tua non abſtinebo.* Et quidem in perſpicuum malum audax hominis facinus deſiiſſet, niſi Alexandriæ Præfectus ſeditionis metu Maximum eâ urbe pepuliſſet. Extorſit tamen à Petro, qui tum haud digna nomine ſuo faciebat, Communionis literas, quarum mentio eſt in ſecunda Concilii Italiæ ad Theodoſium Imperatorem Epiſtola: *In Concilio nuper cùm Maximus Epiſcopus, Alexandrinæ Eccleſiæ communionem manere ſecum, lectis Petri Sanctæ memoriæ viri literis prodidiſſet, ejuſque intra privatas ædes, quia Ariani Baſilicas adhuc tenebant, ſecretum eſſe mandatoribus Epiſcopis ordinantibus, dilucidâ teſtificatione docuiſſet, Nihil habuimus, beatiſſime Principum, in quo de Epiſcopatu ejus dubitare poſſemus: cùm vim ſibi repugnanti, à pleriſque etiam de populo & Clero teſtatus eſſet illatam.* Sic impudentiâ caninâ Occidentis Epiſcopis Maximus illudebat.

Lab. Concil. t. 2. 1008.

Quippe ex Anaſtaſia Eccleſia turpiter ejectus, in Chormulæ domum conceſſerat, ubi ludicra ejus ordinatio peracta. Quas verò Petri literas oſtendebat, extortæ prorſus erant. Sic larvatus ille Epiſcopus in credulorum Occidentalium mentes irrepſit. Quibus perpenſis, Baronii errores effugimus, qui Maximum ea de cauſa à Theodoſio pulſum exiſtimat, quòd ſciret, Damaſum in capeſſendo Epiſcopatu faviſſe Gregorio: *Dolemus*, inquit, *excidiſſe ipſas Damaſi literas, tunc pro Gregorio contra Maximum ſcriptas, quarum meminit Nicolaus Rom. Pont. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem.* Verùm enimverò dolorem inhibere ſuum illuſtriſſimus Purpuratus debet, cùm nullæ Damaſi adverſus Maximum pro Gregorio Epiſtolæ fuerint, cui ſanè Pontifex Rom. non favebat, uti didiciſſet ex Epiſtola Concilii Italiæ, ſi jam edita fuiſſet, cùm Annales lucem aſpexere. Verba ſunt Concilii: *Itaque cùm Maximum Epiſcopum receperint in communionem noſtra conſortia, quoniam eum à Catholicis conſtitit Epiſcopis ordinatum, nec ab Epiſcopatus Conſtantinopolitani putavimus petitione removendum.* Hæccine Theodoſio ſcripſiſſet Concilium Italiæ, ſi Maximo repulſo Damaſus Gregorio faviſſet? Profectò quibus Ambroſio Concilioque artibus illuſit Maximus, ſic

Bar. An. 380. n. 5.

Lab. Concil. t. 2. 1008.

etiam Damaſum fefellit. Ac eò magis, quòd Petri, quocum Damaſus firmiſſimis amicitiæ vinculis copulabatur, communicatorias Epiſtolas oſtendebat. Si verum igitur amamus, principio quidem Damaſus non favebat Maximo. Reſpondit enim Ægyptiis: *Decurſis literis dilectionis veſtræ, fratres chariſſimi, ſatis ſum contriſtatus eo tempore, quo Deo præſtante Hæretici iterant abjecti, neſcio quos ex Ægypto venientes in poſtulatione contra regulam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, alienum à noſtra profeſſione in Conſtantinopolitana civitate Cynicum ad Sacerdotium vocare voluiſſe.* Poſtmodum verò cùm Romam Maximus ad Synodum venit, anno 382. cauſam ut ageret ſuam, à veteratore deceptus, ipſi maximè favit. Nunquam tamen Gregorio patrocinatus eſt Damaſus, ut ex Collectione Romana Holſtenii Marca demonſtrat: *Illud præterea commoneo dilectionem veſtram, ne patiamini aliquem contra ſtatuta Majorum noſtrorum, de civitate alia ad aliam transduci, & deſerere plebem ſibi commiſſam, & ad alium populum per ambitionem tranſire.* Hæc Damaſus ad Ægyptios. Gregorio quoque Itali omnes adverſabantur. Qua de re mentem ſic ſuam aperiunt Theodoſio: *Reverà advertebamus Gregorium, nequaquam ſecundum traditionem Patrum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi Sacerdotium vindicare.*

Marc. de Concord. l. 5. c. 21. p. 55.

Theodoſius Conſtantinopolim ingreditur. Eccleſiis Arianos pellit.

V. Relictâ Theſſalonicâ Theodoſius Conſtantinopolim properat, quam VIII. Cal. Decembris ingreditur, ut in Chronico Alex. legitur, πρὸ η καλ. Δεκεμβρίων, non ut Latina Raderi verſio perperàm habet, XIII. *Kal. Decembres.* Splendidum, pompæ plenum, illuſtremque fuiſſe Principis adventum, narrant Philoſtorgius atque Zozimus, *quaſi triumphum ob glorioſam victoriam peragens.* Lugubris tamen ingreſſus eſſe debuit, ſi vera Zozimus prædicat. Nimirum Gothos nocte jam profundâ magnum ignem accenſum conſpicatos, qui propter Theodoſium lucebat, flammâ Duce, ad ipſius tentorium contendiſſe. Cùmque pauci contra multos non ſufficerent, *Imperatori quidem aufugiendi ſpatium conceſſiſſe. Ipſi verò fortiter dimicantes, infinitâ Barbarorum multitudine trucidatâ, ceciderunt univerſi.* Ut venit Theodoſius, prima ipſius cura fuit, redintegratâ pace animos ad concordiam revocare, & Eccleſias amplificare. Confeſtim igitur mandat Demophilo, Arianæ partis Epiſcopo, utrùm Nicænæ fidei conſentire, pacemque amplecti vellet. Illo conditionem ſibi oblatam detrectante, *Si pacem*, inquit, *& concordiam fugis, te quoque ex Eccleſiis fugere jubeo.* Quæ cùm audiviſſet Demophilus, ſecum ipſe perpendens, quàm difficile eſſet potentioribus reſiſtere, convocatâ in Eccleſiam multitudine, ipſe in medio ſtans gregales ſuos ita allocutus eſt: *Fratres, ſcriptum eſt in Evangelio, Si vos perſecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. Quoniam igitur Imperator nos ab Eccleſiis excludit, ſciatis nos craſtinâ die extra urbem conventum eſſe habituros.* His dictis egreſſus, extra urbis portas deinceps conventus celebravit. Exiit etiam unà cum illo Lucius, qui Alexandriâ profugus, Conſtantinopoli degebat. Ne vel in Conſtantinopolitanis ſuburbiis diu conventus egit Demophilus: *Qui ejectus ad civitatem ſuam Berœam ſe contulit. Hypatius quoque Nicæâ expulſus, Cyrum Syriæ, ex qua erat oriundus, ſe recepit. Sed & Dorotheus Antiochiâ ejectus, in Thraciam, unde originem ducebat, demigravit.* Sic fortunam ſuam morte

Zoz. l. 4. c. 20.

Philoſt. l. 9. c. 19.

Valen-

Anno Dom. 380.

Valenris error amiſit, qui ubique ferè locorum in Oriente triumphabat. Quàm diu ſteterit, ex Socrate novimus: *Ad hunc modum Ariani tùm quadraginta annis Eccleſias obtinuiſſent, concordiam ad quam eos invitabat Theodoſius Imperator, averſati, ex urbe diſceſſerunt Conſulatu Gratiani V. & Theodoſii Auguſti prima, die ſexta Calendas Decembris. Hi verò qui Conſubſtantialis fidem tuebantur, in eorum locum ſuccedentes, Eccleſias poſtliminio recuperarunt.*

Socr. l. 5. c. 7.

Gregorius Naz. à Theodoſio Epiſcopus Conſtantinopoli conſtituitur.

VI. Gregorius tam quietis amans & otii, quàm expers ambitionis, viſa factione, quam Maximi ordinatio pepererat, de relinquenda Conſtantinopoli ſecum cogitat. At ut præſente Eccleſia palam dixit, *filii Beatiſſimæ Trinitatis, meique eſtote memores*, intellecto conſilio, in gemitus erumpunt populi, Magiſtratuumque militumque nonnulli, unà cum Clero & virginibus recedere cupientem retinent. Reſiſtebat tamen vir optimus:

Naz. de Vit.

At non decebat me genu ad vim flectere,
Non capere ſedem, urbis non ritè traditam.

Ferunt quempiam ſublatâ voce dicere non dubitaſſe: *O Pater, Trinitatem tecum ejicis.* Quâ voce auditâ, vir egregius diſcedendi cupiditatem repreſſit. Dum eò loci ſunt res Gregorii, advenit Imperator, qui pulſo Demophilo, Gregorium amplexus, *O Pater*, inquit, *Deus tibi, tuiſque ſudoribus, per me Eccleſiam committit. En ſacram Ædem, & thronum tibi trado.* Tum Ariani, qui vi non poterant, precibus contendere, ne ſibi Templum Princeps eriperet: Gregorio verò mortem intentabant, ſubornato juvene, qui pectus ejus enſe trajiceret. Illuceſcente poſterâ die, Imperator cum Gregorio Templum ingreditur. Fortè nubibus Solem ſubeuntibus, repentè tenebrarum aliquid exoritur. Quæ res ut à feſtivitate aliena, Arianis lætitiam afferebat. Ut verò ſacrarium Princeps & Epiſcopus ingreſſi ſunt, diſcuſſis nubibus, Sol Templi compagem radiis illuſtrat ſuis, & Gregorii ingreſſum Deo gratum eſſe indicaſſet futuro Præſule, quaſi ſalutato. Tum omnes Imperatorem orare, ut Gregorium in Epiſcopali Cathedra collocaret. At quâ animi erat modeſtiâ, & pietate, mutuatitiâ ob infirmitatem ſuam voce uſus, exclamat, *Nunc tempus eſt ut beneficium à Trinitate acceptum agnoſcamus gratiaſque ipſi agamus: de throno aliàs agemus.* Quæ verba à Principe, populoque gratis auribus accepta ſunt. In tanto tumultu unus duntaxat gladius exeritur, qui ſine cruore mox vaginâ reconditur. Intereà caſus accidit, qui deviciendis cum Gregorio hoſtium animis multum profuit. Morbo decumbebat, cùm ægri cubiculum complures ingreſſi, gratiis Deo actis, ob & ſalutem Imperatoris, & Templa recepta omnium harum rerum autorem & architectum profitentur. Ut læti cubiculo exceſſere, adoleſcens quidam relictus, manibus ſuis pedes beati Præſulis comprimens, cum lachrymis ſceleris veniam poſtulabat. Gregorio ſciſcitante, quid ſibi id ſermonis vellet, nil reſponſi dabat. Lugens tantùm veniam orabat. Tum præſentium unus ita loquitur: Hic eſt ille carnifex tuus, qui ferrum tibi in præcordia defixurus erat, niſi Chriſtus tibi auxilio fuiſſet. Quo audito, juvenem ſic alloquitur, Tibi Servator ignoſcat: *hoc ſolum ad facinoris purgationem à te peto, ut hæreſim execreris, meuſque fias.* Cognitâ manſuetudine, civitas erga Gregorium majore amore accenditur.

Anno Dom. 380.

VII. Qui levitate ſuâ perpetuam ſuæ famæ maculam impreſſit Petrus Alexandrinus, naturæ conceſſit, cùm ſediſſet circiter ſeptennio: anno CCCLXXIII. Athanaſio ſucceſſor datus erat. Valentis perſecutione, quæ Alexandrinam corripuit Eccleſiam, fugere coactus Romam petierat, ubi non ſexennio, ut communis fert Chronologia, ſed quinquennio moratus, in patriam redierat ſuam, poſtquàm Valens Gothicâ ſeditione Antiochiâ ſecedere coactus eſt. Exiguo tempore perſecutori ſuperſtes, eâ lenitate manſuetudineque erga Arianos fuit, ut famam deflorarct ſuam: *Poſt Valentis interitum tam affabilis in recipiendis Hæreticis fuit, ut nonnullis ſuſpicionem accepta pecuniæ intulerit.* Petri inconſtantia excuſari nequit, dum poſt miſſas Gregorio Naz. communicationis literas, Maximum ad Conſtantinopolitanum Epiſcopatum promovit; quo facto imprudenti ſanè diſſidii ſemina miſit in Eccleſiam: injuriâque gravi virum magnum affecit, qui pietate ſuâ, laboribus, Scriptis, emolumento fidei erat. A recta tamen Religionis norma Petrus non deflexit, imò exemplum veritatis piæque doctrinæ omnibus propoſuit ad imitandum, uti conſtat ex Lege Theodoſii, cujus meminimus. Cui accedunt & verba Hieronymi ad Marcum: *Si iis placet, Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent.* Totâ Nicephorus errat viâ, qui annum Epiſcopatus unum Petro aſſignat in ſuo Chronico. Menſe Februario adhùc inter homines Petrus erat, mors quidem ejus necdum Theodoſio innotuerat, teſte ipſius ad populum Conſtantinopolit. Edicto, in quo Petrus *vir Apoſtolica Sanctitatis*, ut fidei exemplar proponitur ad imitandum. Datum eſt III. Cal. Mart. Petri ſuperſunt monumenta quædam, Epiſtola ſcilicet de Lucii perſecutione cùm Alexandriam ingreſſus eſt. Extat apud Theodoritum l. 4. c. 32. ac ex ea multa hauſimus, quæ noſtris Annalibus forent ornamento: ſunt & fragmenta Scriptorum Petri à Facundo laudata, quorum alterum ſuo loco exhibuimus. Fratrem Epiſcopatus ſui hæredem habuit Timotheum, qui & Maximo favit, & Conſtantinopolitanæ Synodo præſens adfuit.

Petri Alex. obitus. Scripta.

Hieron. Chron.

Hier. Ep. 77.

VIII. Nil cauſæ fuit cur Petri funus multis Eccleſia lachrymis proſequeretur: at debuit omninò vix conſolabilis dolor eſſe, ob Baſilii M. obitum, qui Calendis Januarii cæleſtem Deo animam reddidit. De die Martyrologiorum Menæorumque conſenſio eſt. Extatque primo Januarii Baſilii Panegyricus apud Amphilochium, quem tamen ab Iconienſi diverſum putamus: *Baſilii ad Deum terrâ & corpore ſoluti, migratioque non abs re, ne quis præter rationem fuerit ſuſpicatus, à caſu hodiernâ die circumciſionis Jeſu, media divina Chriſti nativitati, baptiſmoque concurrit: ſed velut qui beatiſſimus vir in Chriſti nativitatis baptiſmique renunciatione, & exaltatione ſpiritualem circumciſionem exaltaverit, ſacra memoria ejus die unâ & ipſe reſolutione ad Chriſtum exaltari meruit, decretum fuit ut per id tempus annua ejus memoria, celebritaſque haberetur honori.* De ſupremo autem Baſilii anno magnum inter eruditos diſſidium eſt, quia alii citius, alii ſerius ordinationem viri ſancti factam eſſe putant. Quæ in Epiſcopatu annorum ſpatia decurrerit, docet ipſius frater Gregorius Nyſſenus: *Poſt autem annis octo tranſactis, & nono inchoato, per totum orbem celeberrimus Baſilius ab hominibus*

Annus Baſilii emortualis.

Amphil. Or. 2. p. 1061.

Nyſſ. de Vit. Macr. 187.

Anno Dom. 380.

ad Deum conceſſit, communem patriæ & Eccleſiæ luctus occaſionem præbens. Cujus temporis initia Baronius cùm à XVIII. Cal. Julii anni CCCLXIX. duxerit, Baſilii mortem primo Januarii anni CCCLXXVIII. affigere coactus eſt. Quam Chronologiam *Du Pin*, aliique eruditi amplectuntur. Gravibus tamen argumentis obruitur. 1°. Inſignis illa de Baſilii obitu funebris Oratio, quam Gregorius habuit Nazianzenus, non multò poſt notam defuncti mortem eſt pronuntiata, cùm amici ſui funeri hæc juſta ſolverit. Abſonum ſanè videtur, quòd biennio pòſt de componenda ea Oratione cogitarit. Illud tamen conſequitur ex Baronii Chronologia. Quippe Oratio hæc funebris mortuo jam Valente, qui Auguſti menſis IX. anni CCCLXXVIII. periit, fuit recitata, ut ex opprobriis, quibus Valentem onerat, apertè colligitur, quibus vivente Principe, cujus in ditione morabatur, ſuæ ſaltem ſecuritatis cauſa omninò pepercisſet: *Imperator*, inquit, *auri*

Naz. Or. 20. 337.

amantiſſimus, & Chriſti inimiciſſimus, ac duobus his graviſſimis morbis laborans, inexplebili nimirum avaritiâ, & blaſphemiâ: poſt perſecutorem perſecutor, poſt apoſtatam non quidem apoſtata, ſed nihilò tamen eò meliorem ſe Chriſtianis præbens. Si ſincerè & cogitare, & loqui volumus, hæc indicant, Valentem non egiſſe inter homines, cùm pronuntiata ſunt. Valentis igitur obitum mors excepit Baſilii, quæ cùm in primum Januarii inciderit, non in illum ſanè, qui labentem duxit annum CCCLXXVIII. quo caſu Baſilio ſuperſtes Valens fuiſſet, non Valenti Baſilius. 2°. Certa res eſt, defuncto Valente Conſtantinopolim petiiſſe Gregorium Naz. cui ſecuro non eſſe licuiſſet, vitam retinente Principe Ariano, cujus & Religionem Conſtantinopolitanorum pars multò maxima ſequebatur. Atqui ad eam provinciam ſuſcipiendam Gregorium Baſilius ſuum incitavit, ut à Gregorio Presbytero monemur. Nazianzenus *Baſilio luminari magno, ipſius cupiditati faces quaſdam ſubdente, Conſtantinopoli ſtatim affuit.* 3°. De Baſilio Hieronymus hæc habet: *Moritur imperante Gratiano.* Non dixit regnante Valente, quia jam obierat: ſecus non minus de Baſilio ſcripſiſſet, quàm de Ephrem, uti putabat, imperante Valente mortuo: *Deceſſit ſub Valente Principe.* Gratiani nomen adhibuit, quia tum Senior erat Auguſtus. 4°. Inſuper in Eccleſiæ Græcæ monumentis à Cotelerio editis extat Baſilii ad Theodoſium M.

Mon. t. 2. 97.

Epiſtola, cujus initium eſt: *Calamitas accidit in Regione noſtra ex aquarum effluvio.* Theodoſius verò imperium adiit XIX. Jan. an. CCCLXXIX. 5°. Suo loco demonſtratum eſt, anno CCCLXX. Euſebium Baſilii deceſſorem vitam adhùc retinuiſſe, cùm Cæſarienſem Valens Eccleſiam adortus eſt, quo tempore Baſilius ex ſolitudine Pontica in hanc urbem ſe contulit, Epiſcopi ſui futurus auxilio. Obiit ergo Baſilius Calendis Januarii anni CCCLXXX. ſucceſſorem habuit *Helladium*, qui Conſtantinopolitanæ Synodo adfuit.

Mors Baſilii M.

IX. De Sancti Baſilii obitu ea memoriæ mandavit Pſeudo-Amphilochius: *Circa nonam præſtò fuit ad ſacrificia Miſſarum in ſacratiſſima Eccleſia unà cum Cleri & civitatis Primoribus, cum quibus percepto iterum pane, dimiſit eos, ac valedicens, & oſculans in oſculo ſancto, dimiſit eos. Teſtamento autem ſepeliri ſanxit, cum tertia illa portione data ſibi à Deo communionis. Recumbenſque in lecto, Euchariſtiâ adhùc in ore, reddidit ſpiritum Domino. Poſtridie convenit univerſa multitudo, ejuſque corpore pretioſo in ſacratiſſimam Eccleſiam illato, juſta fecerunt omni unguentorum ſoſſituumque obſequio.* Subjungit Gregorium Nazianzenum affuiſſe ſeſtioum, corpuſque depoſitum in Templo S. Martyris Eupſychii: requieviſſe Calendis Januarii anni V. Valentis & Valentiniani. In quibus hæc ſola probamus, quòd Baſilius, & Calendis Januarii lucem amiſerit, &

Amph. vit. Baſ. 224.

onguentis poſt mortem delibutus in Eupſychi Templo conditus ſit. Naxianzeoum quidem non interfuiſſe Baſilii funeri, monet ipſius ad Gregorium Nyſſenum conſolatoria de obitu fraterno Epiſtola, cujus & ſtylus, & circunſtantiæ clamant, non ſubditam, ſed veram Nazianzeni Epiſtolam eſſe: *Hoc etiam ærumnoſæ huic vitæ reliquum erat, ut Baſilii mortem audirem ... mihi autem præter alia, hoc quoque propter gravem ac periculoſum corporis morbum, quo etiam nunc premor, ereptum eſt, ut ſanctum cinerem exoſculer, tibique ea quæ conſentanea ſunt, philoſophanti præſtò ſim, atque communibus amicis conſolationem adhibeam.*

Nazian. Ep. 37.

Itaque non ferenda eſt Combeſixi criſis, qui ut Pſeudo-Amphilochio patrocinetur ſuo, *Fuerit*, inquit, *forte Epiſtola illa* [illegible]. *Pagius* mirâ arte anni emortualis Baſilii criterium extundit ex eo, quòd exceſſiſſe dicitur *anno V. Valentis, & Valentiniani*: Loquitur, inquit, *de anno quinto Valentiniani Junioris, menſe Novembri anni 379. inchoato, ideòque ſignificat, Calendis Januarii anni 380. Baſilium mortuum eſſe.*

Pag. Crit. An. 378. n. 2.

Nobis verò perſuaſiſſimum eſt, Pſeudo-Amphilochium Chronologiæ omnis rudem & imperitum, de Juniore Valentiniano prorſus non cogitaſſe, quia & Valentem cum Valentiniano conjungit, & tempora potius Theodoſii, cujus imperio verus Amphilochius ſubjiciebatur, quàm Valentiniani Junioris, annorum IX. pueri nomine conſignaſſet. Certiora Baſilii obitus monumenta nobis ſuppeditat Nazianzenus: *Ad Angelos eos, à quibus abducebatur, poſtremis his verbis habitis, In manus tuas commendo ſpiritum meum, animam lætus exhalavit.*

Naz. Or. 20. 375.

Funus ejus ornamentis, gemmis & auro precioſioribus decoratum eſt: *Pſalmodia à luctu vincebantur; patientia doloris magnitudine frangebatur. Certabant noſtri cum Ethnicis, Judæis, advenis, iique viciſſim nobiſcum, utris uberiores lachrymæ, uberiorem utilitatem afferrent.* In parentum ſepulchro corpus conditur, *Martyr Martyribus adjungitur.* Juſtas denique Baſilio laudes, non Nazianzenus ipſius amicus, non Nyſſenus frater modò, ſed totus & eruditorum chorus contribuit. Mirantur omnes pietatem, eloquentiamque cum gravitate conjunctam. Quin etiam Baſilii pallorem, taciturnitatemque quaſi imitatione dignam nonnulli ſunt proſecuti, quo factum, ut in odioſam triſtitiam inciderent. Egregia ſui monumenta poſteris Baſilius reliquit. Xenodochium, quod accenſo in pauperes ſtudio extruxerat, Nazianzenus laudibus afficit: *In quo morbus æquo animo toleratur, & calamitas beata cenſetur. Quid cum hoc Opere Thebas ſeptem portas habentes, quid Ægyptiacas illas comparem.*

Naz. Or. 20. 359.

Magnum quidem eſt, domum ſtatuiſſe, in qua *homines ante mortem vitâ functi, pluribus corporis membris mortui civitatibus expulſi, nominibus potius quàm corporum lineamentis agnoſcendi*, ægri ſcilicet, & pauperes excipiebantur. At longè majus opus Baſilius movit, dum Scriptis orbem ſuis illuſtravit, in quibus gravitas rerum cum orationis elegantia certat. Libanius

ejus

ejus ævi Sophiſta nobilis, in eruditorum corona, acceptis Baſilii literis ſubitò exclamavit, *Vincimur.* Quærentibus, Quid hoc ſibi vellet, reſpondit: *In elegantium Epiſtolarum certamine victus*

Phot. Bibl. c. 141. p. 318.

quidem ſum. At Baſilius eſt qui vicit. Is autem amicus noſter eſt, & eam ob rationem gaudeo. De Baſilio magnus & ille Criticus Photius: *Præſtantiſſimus eſt in libris omnibus. Purâ enim dictione ſignificante, propriâ, & omninò civili ac panegyricâ, ſi quis alius uti novit. Senſuumque ordine ac puritate primas & nemini ſecundus apparet. Jam perſuadendi quoque vim ac jucunditatem cum perſpicuitate amat: atque ita ejus fluit oratio, quaſi ultrò tanquam è fonte rivulus ſcaturiret.*

Mors Ephrem.

X. Baſilium defunctum laudavit & Ephrem Edeſſenus, ſed cantu veluti cygneo, cùm eodem anno mortalitatem etiam exuerit. Duodecim circiter menſibus antequam vitæ finem imponeret, graſſante fame id pauperibus exhibuit

Pallad. Lauſ. c. 101.

miniſterii, de quo mentionem egimus: *Impleto anno tùm ſuccedente fertilitate nil haberet quod ageret, ingreſſus eſt in ſuam cellulam, & poſt menſem mortuus eſt.* Non id prætereundum, quod diſcipulo ſuo Paulino moriens ſuggeſſit, ut à mentis ſuperbia eum revocaret: *Huic obiturus beatus Ephrem aſtanti ſibi dixiſſe fertur, Vide, Pauline, ne te ſubmittas cogitationibus tuis. Sed cùm te ad purum comprehendiſſe putaveris Dominum, crede ne intellexiſſe. Præſenſerat enim ex ſtudiis, vel ſermonibus ejus, nova inveſtigare, & immenſum intellectum tenere: unde eum frequenter Bardeſanem novellum vocabat.* Præſagâ futuri mente hæc à moriente Ephrem pronuntiata fuiſſe, do-

Gennad. de Vir. Ill.

cuit eventus: *Paulinus Presbyter, diſcipulus B. Ephrem Diaconi, homo acris valde ingenii, & in divinis doctus Scripturis. Sed vivente Magiſtro clarus in Doctoribus Eccleſiæ fuit, & maximè ex tempore declamator. Poſt illius autem obitum amore Primatus & nominis, ſeparans ſe ab Eccleſia, ſcripſit contraria fidei multa.* Ephrem Baſilio ſuperſtitem fuiſſe, teſtatur Autor vitæ S. Baſilii. Ad Sanctum Diaconum mulierem miſerat Baſilius, de peccato quod ipſa chartis illeverat delendo. Ephrem verò ad Baſilium remiſſæ hæc locutus

Amphil. vit. Baſ. 219.

eſt: *Vade, ne tardaveris, ut pervenias ad ipſum priuſquam exceſſerit. Illa valedicens Sancto rediit Cæſaream. Ut verò ingreſſa eſt in civitatem, occurrit S. Baſilii corpus, quod efferebatur.* Encomium etiam in S. Baſilium, ab Ephrem dictum, argumentum eſt hominis Baſilio ſuperſtitis. Ut Hieronymo non ſatis exploratum fuiſſe videatur tempus mortis Ephrem, quam Valente imperante contigiſſe prædicat. Menſe uno poſt Baſilium Calendis Februarii naturæ ſatisfeciſſe Beatum Ephrem, traditum Baronio, anno 378. n. 12. Eſt tamen creditu difficillimum, tam citò mortem obiiſſe, cùm non miſſis curſoribus mors Baſilii agenti apud Edeſſam Ephrem innotuerit. Sed & nonnullo temporis intervallo opus erat ſcribendo Baſilii Encomio. Ex laudata quidem Palladii hiſtoria, Ephrem videtur autumno potius quàm hyeme ad plures abiiſſe. Sit igitur dies obitus in incerto. De ejus viri Operibus, quæ multa reliquit, notabile eſt Photii

Phot. Bib. Cod. 116. p. 514.

judicium: *In his admonitoriis ſancti viri ſermonibus, jure quis admiretur, quam altè penetret perſuadendi vis, quantumque ab his fluat jucunditatis, quàm denique affectuum copiâ referti ſint. Oratio tamen ejus ac figura nihil mirum, ſi ad conſuetum homiliarum uſum & inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in autorem ſenſuum, ſed in horum interpretem ea conferenda culpa. Qui namque Syriacè ſunt lingua benè periti, verbis adeò ac tropis excellere norunt, ut ambiguum ſit, ab hiſne an à ſenſu recondito tanta ejus dicendi vis atque elegantia proficiſcatur.* Porro cum Hieronymo, Palladio, Sozomeno, Gennadio ſolummodò *Diaconus* audiat, commentum eſt Pſeudo-Amphilochii, quòd à Baſilio Ephrem Presbyteri ad officium promotus ſit.

Antiochena Synodus ſub Meletio. Quid egerit?

XI. Menſe Octobri Synodus Antiochena cogitur. Baronius, Labbeus, cæterique omnes, qui Baſilii mortem cum anno CCCLXXVIII. copulant, hoc ex ſua Chronologia Concilium eidem anno aſſignare tenentur. Nobis verò, quibus eſt perſuaſum, annum CCCLXXX. ſupremum Baſilio fuiſſe, neceſſitas incumbit, huic & ipſi anno conventum Antiochenum alligare,

Nyſſ. de vit. Macr. 187.

fretis autoritate Nyſſeni: *Erat poſt hanc jacturam nonus menſis, aut paulò amplius, cùm Epiſcoporum Concilium indictum eſt Antiochiæ, cui nos etiam interfuimus.* Quin conſtituta ſit in eo Concilio fidei regula, non eſt ponendum in dubio, cùm verba Conſtantinopolitanorum Patrum eò per-

Theodorit. l. 5. c. 9. 211.

tineant: *Et fides quidem, quæ conſtanter à nobis prædicatur, in ſumma ſic ſe habet: ex qua majorem adhuc vobis voluptatem capere liccbat, ſi & libellum Antiochiæ conditum à Synodo, quæ illic celebrata, eſt legere dignemini.* Quibus intelligimus, Antiochiæ, & Conſtantinopoli eoſdem errores damnatos eſſe, Eunomianorum ſcilicet, Arianorum, Pneumatomachorum, Apollinariſtarum. Antiocheni ſuæ fidei Confeſſionem miſere Damaſo. Timothei Apollinaris diſcipuli damnationem Epiſtolâ quoque ſuâ Synodicâ flagi-

Theodorit. l. 5. c. 10.

tarunt, ut patet ex Pontificali Reſcripto: *Quod debitam Apoſtolicæ ſedi reverentiam exhibet charitas veſtra, & in eo vobis ipſis plurimum præſtatis, filii chariſſimi. . . . Scitote quòd profanum olim Timotheum Apollinaris Hæretici diſcipulum, unà cum impio ejus dogmate damnavimus.* Et paulò infrà: *Quid igitur depoſitionem Timothei à me denuò poſtulatis? Qui & hic judicio ſedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epiſcopo depoſitus eſt, unà cum Magiſtro Apollinare.* Quibus

Error Baronii.

obſervatis, Theodorito evelluntur errores, atque Baronio. Innuit Theodoritus, Damaſi hanc Epiſtolam illâ Conſtantinopolitanorum poſteriorem eſſe: ſed non ita eſt, nec ad Conſtantinopolitanos ſcribitur, qui Timothei damnationem à Damaſo non requirebant. Peccavit quoque Baronius, qui Damaſi hanc Epiſtolam putat in Synodo Rom. anno 373. eſſe concionatam; non eſt tamen Epiſtola Synodica, & diu poſt tempus ab Annalium parente conſtitutum, confecta fuit, utpote quæ mentionem agitet Timothei, pridem damnati præſente Petro Alexandrino, qui anno duntaxat CCCLXXIIII. urbem pervenit. Porro non modò contra errores Edictum de Religione Antiochenſes decrevere: videntur etiam fœdus feciſſe quòd ſive Paulinus Meletio, ſive Meletius Paulino ſuperſtes eſſet, defuncti locum retineret, cùm ea res ejus momenti foret, ut abſque Synodali autoritate conſtitui non poſſet. Si quis etiam conjecturæ locus, tum temporis Meletius hanc Paulino conditionem obtulit, ut jungerentur oves, poſitoque ſuper Cathedra Evangeliorum libro Epiſcopi ex utraque parte ſederent. Cur ſic cenſeamus, movent nos verba Theodoriti: *Cùm Sapores Magiſter Militum Antiochiam advenisset, & Imperatoris Legem protuliſſet, Paulinus quidem aſſe-*

affirmare cœpit, ſe Damaſo communicare. Quibus Lex ea non obſcurè indicatur, quam tertio Calendas Martias Theſſalonicæ Theodoſius tulerat, ſe primùm & Gratiano v. Coſſ. ut quam Damaſus & Petrus Religionem ſequerentur, in illa populi verſarentur. Verba ſunt Legis: *Cunctos populos, quos clementia noſtra regit temperamentum, in tali volumus Religione verſari, quam Divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſque nunc ab ipſo inſinuata declarat. Quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ Sanctitatis.* Hinc Paulinus, Apollinariſque jactabant, ſe cum Damaſo communicare, ut à Principis Lege ſe non damnari demonſtrarent: *Tunc ſapientiſſimus Flavianus, qui in Presbyterorum ordine adhùc erat conſtitutus, primum quidem Paulinum allocutus eſt, Magiſtro Militum audiente: Si Damaſi communionem amplecteris, ô amice, doctrinæ nobis ſimilitudinem oſtende. Nam ille quidem unam eandemque Trinitatis ſubſtantiam confitens, tres hypoſtaſes disertè prædicat. Tu contrà Trinitatem tollis hypoſtaſum. Oſtende igitur conſenſionem doctrinæ, & Eccleſias accipe, ut Lex jubet. Ad Apollinarem converſus hæc dixit: Miror te, amice, tam impudenter repugnare veritati. Idque cùm probè ſcias, Damaſum aſſerere, perfectum hominem à Deo verbo aſſumptum eſſe. Tu verò contrarium affirmare non ceſſas. Mentem enim noſtram à ſalute excludis. Quòd ſi falſa ſunt, quæ tibi objecimus, nunc ſaltem renuntia novitati, quam excogitaſti, & Damaſi doctrinam amplectere, ac tum demum ſacras Ædes obtine.* Theodoſii Lex ea eſt, quam Gratiano Theodoritus aſcribit, quia trium Imperatorum titulus nomina continebat, quorum Gratianus, utpote ſenior, primus fuit. Sed & ea, quæ præſente & Sapore Militum Magiſtro, & Paulino, & Vitali, & Meletio geſta, non obſcurum eſt Synodi veſtigium. Legationem quoque Gregorio Nyſſeno Antiochenſes injunxere, ut Arabiæ Eccleſiis auxilium ferret. Quam & obiiſſe, ipſemet prædicat Epiſtolâ ad amicum, de euntibus Hieroſolymam: *Mihi*, inquit, *neceſſe fuit pro ſancto Concilio habito, emendandæ Arabicæ Eccleſiæ gratiâ ad loca iſta proficiſci.* Neque aliam præter Antiochenam noſtram intelligere Synodum licet, ut ex verbis Macrinæ ad fratrem ſuum liquet: *Te ad res conſtituendas Eccleſiæ mittunt & vocant.*

Cod. Theod. l. 16. de Fid. Cath. l. 2.

Theodorit. l. 5. c. 3.

Nyſſen. t. 3. 653.

Mors & funus Macrinæ.

XII. Finitâ Synodo, Nyſſenum cupido inceſſit, chariſſimam videndi ſororem *Macrinam*, cujus colloquio à perſecutionibus fuerat prohibitus. Ingreſſus domum, in qua virginibus præerat, invenit ſororem gravi morbo decumbentem, quæ non multò pòſt vitæ curriculum abſolvit. Antequam ſpiritum emitteret, jacens in lectulo, qui Orienti obvertebatur, preces ad Deum fudit, quibus oſtendebat & mortis contemptum, & ſpem reſurrectionis certiſſimam. Quam orationem dum abſolvit, *ori, & cordi crucis ſignum appoſuit.* Facto veſpere, profundum gemitum ducens, *cum precatione vitam terminavit.* Cùm ſplendidioribus tegi veſtibus corpus defunctæ juſſiſſet Nyſſenus, *Veſtiana* Senatoris filia, quæ huic officio vacabat, ſolvit ferreum crucis ſignum, quod defunctæ ex collo pendebat, cum anulo ejuſdem materiæ. Veſtianæ cruce relictâ, anulum ſibi Nyſſenus ſervat. Cui Veſtiana: *In deligendo non aberraſti. Etenim excavatus eſt annulus ſub ipſa pala, ibique de ligno vitæ particulam conditam* habet, quòd quæ ſupra eſt pala, ſimili notâ ſignificat. Ad funus cohoneſtandum vicini confluxere omnes: adfuit & Epiſcopus *Araxius* nomine, qui cum Nyſſeno anteriorem feretri partem geſtavit, duobus de Clero poſteriorem ferentibus. Præcedebat non exiguus Diaconorum numerus, qui cereos manu tenebant: ſed & Pſalmis loca proxima reſonabant. Ut ad paternum ſepulchrum defunctæ corpus acceſſit, à fratre atque Araxio juxta matris reliquias conditum eſt. Quo facto Nyſſenus proſtratus ad tumulum, & pulverem oſculatus triſtis diſceſſit.

Nyſſ. Vit. Macr. 198.

Priſcillianus. Origo ipſius erroris.

Error Baronii.

XIII. Non in Syria modò, ſed in Hiſpania quoque Synodus hoc anno celebratur. Cæſaraugustana ſcilicet, quam Baronius, Binnius, Du Pin in annum CCCLXXXI. perperàm contulere, utpote quæ Æsâ Hiſpanicâ 418. coacta ſit, quæ Dionyſianam annis XXXVIII. ſuperat. Cui conventui error *Priſcillianiſtarum* anſam præbuit, de quo prius eſt diſſerendum, quàm Synodi decreta expoſuerimus. Antes Sulpitio præbeamus, eleganti ſanè Scriptori, qui & Priſcilliano coætaneus fuit: *Sequuntur tempora ætatis noſtræ gravia & pericluſa, quibus non uſitato malo polluta Eccleſia, & perturbata omnia. Namque tum primùm infamis illa Gnoſticorum hæreſis intra Hiſpanias deprehenſa, ſuperſtitio exitiabilis, arcanis occultata ſecretis. Origo iſtius mali oriens ab Ægyptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facilè eſt diſſerere. Primus eam intra Hiſpanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus.* Cæterùm *Marci* nomen Hieronymo primùm, deinde Baronio fraudi fuit. Exiſtimarunt enim, Marcum Sulpitii unum eundemque hominem eſſe, cum Marco Irenæi, qui impuræ Marcoſiorum ſectæ ſe præbuit autorem. De Lupicino hæc ad Theodoram ſcribit Hieronymus: *Refert Irenæus vir Apoſtolicorum temporum, quòd Marcus quidam, de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendens, primùm ad Gallias venerit, & eas partes per quas Rhodanus, & Garumna fluunt, ſuâ doctrinâ maculaverit. . . . Inde Pyrenæum tranſiens Hiſpanias occuparit.* Sed de Marci in Hiſpanias peregrinationibus ne verbum quidem ullum habet Irenæus. Impuri quidem ipſius diſcipuli *Rodanenſes multas ſeduxerunt mulieres*: quòd verò Magiſter in Gallias ſe contulerit, non legitur in Irenæo. Itaque gemini Marci ſunt agnoſcendi, magno ſanè temporum ſpatio diſſiti. Quod & oſtendunt verba Sulpicii, qui de *temporibus ætatis ſuæ*, non Irenæi commemorat. Cur verò relictâ Ægypto Marcus in Hiſpanias migrarit, cauſa latet. Forſan ad eam peregrinationem ſuſcipiendam Valentis Lege coactus eſt, de revocandis ad publica munera Monachis. Marci Auditores fuere *Agape*, quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Elpidius: *Ab his Priſcillianus eſt inſtitutus, familiâ nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multâ lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi promptiſſimus. Felix profectò, ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium, prorſus multa in eo animi & corporis bona cerneres. Vigilare multum, famem & ſitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus. Sed idem vaniſſimus, & plus juſtò inflatior, profanarum rerum ſcientiâ. Quin & magicas artes ab adoleſcentia eum exercuiſſe creditum eſt. Is ubi doctrinam exitiabilem aggreſſus eſt, multos Nobilium pluresque populares autoritate perſuadendi, & arte blandiendi allicuit in ſocietatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxa fide, & ad om-*

Sulpit. l. 2.

Hier. Ep. 29.

Iren. l. 1. c. 9.

Sulp. l. 2.

nia

ANNO DOM. 380.

nia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis ſpeciem & ore & habitu prætendens, honorem ſui & reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ iſtius tabes, pleraque Hiſpaniæ pervaſerat. Quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos Inſtantius, & Salvianus, Priſcillianum non ſolùm conſenſione, ſed ſub quadam conjuratione ſuſceperant. Quo Adyginus Epiſcopus Cordubenſis ex vicino agens comperta, ad Idatium emerita ætatu Sacerdotem refert. Is verò ſine modo & ultrà quàm oportuit Inſtantium, ſociosque ejus laceſſens, facem quandam naſcenti incendio ſubdidit. Ut exaſperaverit malos potius quàm compreſſerit. Igitur poſt multa inter eos, & digna memoratu certamina apud Cæſarauguſtam congregatur.

Errores Priſcillianiſtarum.

XIV. Incredibile eſt, quantum errorum homo, cui tot inerant animi bona, in Eccleſiam invexerit. Summam hæreſeon exhibet Auguſtinus: *Priſcillianiſtæ, quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, maximè Gnoſticorum & Manichæorum dogmata permixta ſectantur. Quamvis & ex aliis hæreſibus eas ſordes, tanquam in ſentinam quandam horribili confuſione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines ſuas habent in ſuis dogmatibus & hæc verba:*

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Auguſtin. de Hær. c. 70.

Hi animas dicunt ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum per ſeptem Cœlos, & per quoſdam gradatim deſcendere Principatus, & in malignum Principem incurrere, à quo mundum hunc factum volunt, atque ab hoc Principe per diverſa carnis opera ſeminari. Aſtruunt enim, fatalibus aſtris homines colligatos, ipſumque corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna cœli eſſe compoſitum, ſicut hi, qui Mathematici vulgò appellantur, conſtituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde nominatim ſigna percurrentes, ad plantas uſque perveniunt, quas Piſcibus tribuunt, quod ultimum ſignum ab Aſtrologis nuncupatur. Hæc & alia fabuloſa, vana, ſacrilega, quæ perſequi longum eſt, hæreſis iſta contexit. Carnes tanquam immundas eſcas etiam ipſa devitat. Conjuges quibus hoc malum potuit perſuadere disjungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, ſed malignis Angelis tribuunt: hoc verſutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum Canonicarum repudiant, ſimul cum Apocryphis legentes omnia, & in autoritate ſumentes: ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertentes, quidquid in Sanctis Libris eſt, quod eorum evertat errorem. De Chriſto Sabellianam ſectam tenent, eundem ipſum eſſe dicentes, non ſolùm Filium, ſed etiam Patrem & Spiritum S. Extat & Leonis ad Turibium Epiſtola, quâ de ſectæ hujus erroribus inſtruimur, 1°. Sanctam Trinitatem tantùm nominibus diſtinguebant. 2°. Filium Dei Patre ſuo poſteriorem dicebant. 3°. Chriſtum eò unigenitum putabant, quòd ex Virgine fuerat editus. 4°. Natali & Dominicâ die jejunia celebrabant. 5°. Animas ſtatuebant ex Dei ſubſtantia. Diabolum ex Chao fuiſſe procreatum cenſebant: nuptias peccatum eſſe: corpora humana à Dæmonibus eſſe in utero formata: filios promiſſionis à Spiritu Sancto eſſe procreatos: animas in cœlo peccaſſe, ſtelliſque ſubjici. Obſcœna Priſcillianiſtas perpetraſſe, monet ad Cteſiphontem Hieronymus: *Priſcillianus in Hiſpania, pars Manichæi, de turpitudine, cujus te diſcipuli diligunt plurimum . . . .*

Leo Ep. 94.

Soli cum ſolis clauduntur mulierculis, & illud inter coitum, amplexuſque decantant:

Tum Pater omnipotens fecundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

Aſcribit & Priſcillianiſtis Angelomus, *Chriſtum hominem in phantaſia fuiſſe*, quod Leo Magnus quoque teſtatur Sermone 93. Superiore anno emerſit ſecta hæc, & in notitiam venit, ſi Proſperi Chronico fides: *Auſonio & Olybrio Coſſ. Priſcillianus Epiſcopus de Gallæcia Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.* Nondum tamen ad Epiſcopatum aſcenderat, quem anno duntaxat CCCLXXXIV. adeptus eſt.

ANNO DOM. 380.

Hier. Ep. 71. Inſpiciatur & Prædeſtinatus Hær. 70.

Cæſarauguſtana Synodus.

XV. Damnandis Priſcilliani erroribus apud *Cæſarauguſtam* Arragonum Metropolim Octobri, *Synodus congregatur, cui tum etiam Aquitani Epiſcopi interfuere.* Conventus Epiſcopis duodecim conſtabat. *Fœgadio* ſcilicet, & *Delphino* Aquitanis, *Eutychiano* Baſtitano, *Ampelio*, *Augentio*, *Lucio*, *Ithacio*, *Splendonio*, *Valerio* Cæſarauguſtano, *Sympoſio*, *Catherio*, *Idacio.* Vadimonium rei deſeruere, ut monet Sulpitius: *Verùm Hæretici committere ſe judicio non auſi, in abſentes tum lata ſententia, damnatique Inſtantius, & Salvianus Epiſcopus, Helpidius & Priſcillianus Laici. Additum etiam, Ut ſi quis damnatos in communionem recepiſſet., ſciret in ſe eandem ſententiam promendam. Atque id Ithacio Soſſubenſi Epiſcopo negotium datum, ut decretum Epiſcoporum in omnium notitiam deferret, maximeque Iginum extra communionem faceret, qui cùm primus omnium inſectari palam Hæreticos cœpiſſet, poſteà turpiter depravatus, in communionem eos recepiſſet.* Superſunt octo Canones ab Epiſcopis conditi: *Quarto Nonas Octobris Cæſarauguſtæ in Secretario reſidentibus Epiſcopis, ab univerſis dictum, Recitentur ſententiæ. Lucius Epiſcopus legit.* Sequuntur contenta Canonum. 1°. Fœminæ fideles à virorum alienorum cœtibus ſeparentur, qui non obſervabunt Synodi ſententiam, iis anathema dicitur. 2°. Ut diebus Dominicis nullus jejunet, nec diebus Quadrageſimæ abſit ab Eccleſia. Quippe Priſcillianiſtæ Manichæorum more, diem Solis in odium Dei, rerum omnium conditoris jejunio dicabant. 3°. Ut qui Euchariſtiam in Eccleſia accipit, & ibi eam non conſumit, anathema ſit. 4°. Ut tribus hebdomadis, quæ ſunt ante Epiphaniam, hoc eſt, à XVI. Kal. Jan. ad uſque VIII. Idus, ab Eccleſia nemo recedat. Scilicet moris erat Priſcillianiſtis, tum jejunare, exiſtimantibus Chriſtum expertem carnis humanæ fuiſſe. 5°. Ut qui à ſuis Epiſcopis communione privantur, ab aliis non recipiuntur. 6°. Ut Clericus, qui propter luxum Monachus vult eſſe, excommunicetur. 7°. Ut Doctoris ſibi nomen non imponat, cui conceſſum non eſt. 8°. Ut ante quadragiota annos Sanctimoniales Virgines non velentur. Hoc ipſo anno Inſtantium, & Salvianum à Synodo damnatos, Priſcillianum Laicum in Abilenſi *(Labinenſi)* oppido conſtituiſſe, eſt à Baronio proditum; quinquiennii quidem prochroniſmo, quem ope Idaciani Chronici vitamus. Cæſarauguſtanæ Synodi autoritate armati Idacius atque Ithacius, ſeculares Judices adeunt, ut eorum decretis Hæretici urbibus pellerentur: *Igitur poſt multa & fœda, Idacio ſupplicante elicitur à Gratiano tum Imperatore Reſcriptum, quo univerſi Hæretici excedere non Eccleſiis tantùm aut urbibus, ſed extra om-*

Sulp. l. 2.

Bar. An. 381. n. 108.

Sulp. l. 2.

ANNO DOM. 380.

Cod. Th. l. 6. p. 72.

nes terras propelli jubebantur. Edicti Gratiani meminit Lex Honorii anno CCC. promulgata. Qui Epiſcopali loco detruſus fuerit, *Rurſuſque Sacerdotium petere, procul ab ea urbe quam infecit, ſecundum Legem Divæ memoriæ Gratiani centum millibus vitam agat.* Contrarium tamen poſteà Reſcriptum Priſcillianiſtæ impetrarunt, teſte Sulpitio: *Corrupto Macedonio tum Magiſtro Officiorum, Reſcriptum eliciunt, quo calcatis, quæ prius decreta erant, reſtitui Eccleſiis jubentur.*

Ambroſius Sirmii Avennium ordinat: quo jure? Quid ipſi contigerit?

XVI. Dum venenis ſuis Priſcillianus inficit Hiſpanias, Juſtina Auguſta, Valentiniani Junioris mater, audaciſſima mulier, totis viribus Ariano favebat errori. Defuncto Sirmienſi Epiſcopo ad eam urbem properat, ut Sectæ hujus hominem Eccleſiæ Antiſtitem præfici omni ratione niteretur. Eò etiam proficitur Ambroſius, qua de cauſa non ſatis eſt exploratum. Auctoritate Metropolitani illùc ſe contuliſſe, Baronius exiſtimat: *Ut*, inquit, *Eccleſia Sirmienſi ſuæ Diœceſis conſulturus præficeret Catholicæ communionis Epiſcopum.* Hanc ſuam conjecturam firmat auctoritate Suetonii, cujus hæc de Julio Cæſare verba ſunt: *Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adjecto, Lege Vatiniâ accepit.* Quia verò Sirmium urbs erat Illyrici, illuſtriſſimus Purpuratus ſibi induxit in animum, Sirmium ad Mediolanenſis Epiſcopi Diœceſim pertinere. Hunc tamen errorem Baronio Zozimus auferre debuit, à quo diſcimus non ejuſdem Præfecti Prætorio eſſe Sirmium, & Mediolanum, ex Conſtantini Magni diviſione. Illyrici Præfecto Sirmium, Italiæ verò Præf. Mediolanum ſubjiciebatur, ut expreſſis verbis à Zozimo proditum l. 2. c. 33. Baronii ſententiam doctiſſimus perſtringit & Noriſius, Diſſertatione de Synodo v. p. 86. *Equidem non video quid Baronii ſententiam Lex Vatiniana juvet, quâ Illyricum Occidentale, Ciſalpinæ Galliæ accenſebatur. Nam licet is tractus Illyrici à Præfecto Præt. Italiæ ſæpius regeretur, haud tamen ad ejuſdem regiminis normam, Metropolitana in Italia jurisdictio ſtatui poteſt: aliàs unus fuiſſet Italiæ, & Africæ Metropolita. Africa enim per Præf. Præt. Italiæ gubernabatur.* Neque perpetuò Illyrici tractus à Præf. Præt. Italiæ adminiſtrabatur, licet ſæpius illum gubernaverit: à Conſulari qui Sirmii morabatur, regebatur. Itaque *Anemius*, vel ſi placet alio vocare nomine, *Avennius*, non uti Suffraganeus Mediolanenſis Epiſcopi conſecratus eſt. Ipſi ſanè Metropolitani, quandoque à Metropolitanis inaugurabantur. Sic Chryſoſtomi ordinationi peragendæ Theophilus Conſtantinopolim ab Arcadio accitus fuerat. Neque aſſentimur Noriſio, qui *Speciale privilegium* Ambroſio ab *Apoſtolica ſede* donatum ſomniat, *ut Sirmii Epiſcopum conſecraret.* De privilegio ejuſmodi nil vel Baronio venit in mentem. Ambroſius ergo Sirmium acceſſit, vel ab Eccleſia, quæ ſuo Præſule orba erat invitatus, vel ex charitatis officio, ne Arianus ei conſtitueretur. Quid autem ibi egerit, ex Paulino audire jucundum eſt: *Cùm Ambroſius Sirmium ad creandum Epiſcopum Avennium perrexiſſet, ibique Juſtinæ tum temporis potentia, & multitudine coadunata, de Eccleſia pelleretur, ne non ab ipſo, ſed ab Hæreticis Arianis Epiſcopus in eadem Eccleſia ordinaretur: eſſetque conſtitutus in tribunali, nihil curans eorum quæ à muliere excitabantur: una de Virginibus Arianorum impudentior cæteris, tribunal conſcendens, apprehenſo veſtimento Sacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipſis cæſus de Eccleſia pelleretur, audivit, ut ipſe ſolitus erat referre, Etſi ego indignus tanto Sacerdotio ſum, tamen te non convenit, vel profeſſionem tuam, in qualemcunque Sacerdotem manus injicere, unde debes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid eveniat. Quod dictum exitus confirmavit. Nam alio die mortuam ad ſepulchrum uſque deduxit, gratiam pro contumelia rependens.... Sed hoc factum non levem adverſariis intuſſit metum, pacemque magnam Eccleſiæ Catholicæ in ordinando Epiſcopo tribuit.* Hæc non *Avennio*, quod vult Suetius, ſed Ambroſio contigere. Pro Avennio, alii *Anemium* meritò legunt, quo nomine Romano Concilio interfuit, quod Præſide Damaſo anno CCCLXXXII. celebratum eſt.

Bar. An. 380. n. 18.

Suet. Jul. c. 22.

Error Baronii.

ANNO DOM. 380.

Mors Saporis.

XVII. Sapor Perſarum Rex, tot relatis de Principibus Romanis victoriis clarus, cùm in imperio, quod in utero materno quaſi geſſerat, ſeptuaginta annos exegiſſet, tandem ad fata venit hærede fratre relicto. Non inutiliter ex Agathia de Perſicis Regibus hæc ſubjiciemus: *Poſt Saporem, Artaxerxes germanus frater, ut Regni tum particeps, quatuor ibi regnans exegiſſet annos emoritur. Hujus filius Sapores & ipſe dictus, annos quinque regnavit. Totidem verò & geminatos, alteroque adjecto, Saporis filius Varanes, qui & Cermaſat, à Cerma natione quadam, in poteſtatem redacta, haud ſecus dictus ac Romani aſſuevere, qui ab Africa Africanum dixerunt, & Germanicum à Germania. Poſt hunc Iſdigertes filius ſuſcepit Principatum, qui & Magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus. Arcadius namque fermè jam moriens, cùm mortalium ſua diſponeret, hoc uſum cuſtode ferunt Theodoſii filii, & totius imperii Curatore.*

Agath. l. 5. c. 12.

ANNO U. C. 1134. OLYMP. 290. PER. JUL. 5094. JUL. 426. DOM. 381. GRATIANI 15. VALENT. 6. & 7. THEODOSII 3. *Sol.* 26. C. *Lun.* 2. *Indict.* 9. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 5. *P.* 28. *Mart.*

ANNO DOM. 381.

COSS. *Flavius Eucherius, & Flavius Syagrius.*

Athanaricus Conſtantinopolim venit. Moritur.

I. VAſtatâ Gothicis excurſionibus Macedoniâ atque Theſſaliâ, Gratianus magnas *Baudoni* Duci copias tradiderat, quocum & *Arbogaſtem* miſerat. Gente Franci erant, amiciſſimis in Romanos animis, expertes avaritiæ, in bellicis rebus prudentiâ & fortitudine præſtantes. Poſtquàm cum exercitu in Macedoniam Theſſaliamque pervenere, Gothi cognitâ ipſorum & virtute, & prudentiâ hiſce regionibus relictis in Thraciam conceſſere. Quæ anno ſuperiore geſta ſubjici debuere, ad caſus currentis anni intelligendos. Quippe Fritigerni mens erat, Græciæ civitates aggredi: *At prius commeatus ſibi copiam comparandam, & Athanaricum totius Regni Scytharum generis Principem longe removendum Gothi arbitrabantur, ne quem haberent à tergo, qui conatum ipſorum impediret. Hunc igitur adorti, nullo labore locis iis, in quibus erat, expulerunt. At is celeriter ad Theodoſium ſe contulit: Theodoſius hominem cum Barbaris comitibus amanter excepit, ſpatium non exiguum extra Conſtantinopolim obviam ei progreſſus.* Conſtantinopolim ingreſſus eſt Athanaricus, *die tertio Idus Januarias.* Quantum mutatus ab illo ſuperbo Athanarico, qui olim jactaret, *Sub timenda execratione jusjurandi*

Zozim. l. 4. c. 33.

Zozim. l. 4. c. 34.

Digitized by Google

ANNO DOM. 381.

di ſe eſſe obſtrictum, mandatiſque prohibitum patris, ne ſolum calcaret aliquando Romanorum, eoque prætextu in medio flumine pacem cum Valente conſtituerat. Inſigni eâ mutatione Chriſtiaoi ſanguinis, quem barbarus Rex ille fuderat, pœnas expetebat Dei judicium. Paternâ domo ejectus egens ad Chriſtianos, quos odio proſequebatur, confugit, nec multò pòſt mortem obiit: *Eodem menſe diem functum idem Athanaricus* VIII. *Kal. Februar.* Theodoſius *regiâ ſepulturâ mortuum terræ mandavit. Et tantam ſanè magnificentiam adhibuit, ut tam ſuperbo funere Barbaris omnibus obſtupefactis, Scytha domum redirent, nec Romanos amplius infeſtarent bonitatem Principis admirati. Quotquot autem cum Rege vitâ functo venerant, cuſtodienda ripa fluminis intenti, diu quominus incurſionibus Romani vexarentur impedirent.* Theodoſii in excipiendo Athanarico benignitatem laudibus celebravit Themiſtius Oratione *de Regia virtute*, quæ hoc anno dicta eſt: *Quemadmodum à magnete lapide attrahuntur ultrò ramenta ferrea, ſic ipſe ſine labore, ac prælio Gotorum allexiſti Regulum. Et ſuperbus ille quondam & tumidus ſponte ad te venit, ac ſuplex regiam civitatem ingreditur, cujus ad placandum parentem Maximus ille Conſtantinus ſtatuam olim erexerat, quæ poſt Curiam adhùc collocata cernitur.*

Marcell. l. 27. c. 5.

Faſti Idat.

Zozim. l. 4. c. 34.

Themiſt. Or. 15. 190.

Concilium Conſtantinop. Nùm tria biennio Concilia in ea urbe coacta?

II. Eò loci res Eccleſiæ in Oriente erant, ut generalis Synodi remedium requirerent. In factiones dividebantur Epiſcopi: hæreſibus concordia divellebatur. Semi-Ariani de Filii majeſtate nonnihil delibabant: Macedoniani Spiritum Sanctum rebus conditis apponebant: neque in Eccleſia Conſtantinopolitana ſatis tranquillitatis erat, cujus Epiſcopatum ſibi Maximus vindicabat, cui & Occidentales, & Alexandrini favebant. Viſum igitur Theodoſio, in urbe regia ex ditionis ſuæ Epiſcopis generale convocari Concilium. His de cauſis Epiſcopos advocaſſe prodit Socrates: *Imperator ſuæ fidei Epiſcoporum Concilium convocat, quo & Nicana fides confirmaretur, & Conſtantinopoli ordinaretur Epiſcopus. Et quoniam in ſpem venerat, Macedonianos fidei ſuæ poſſe ſociari, eorum quoque Antiſtites evocavit.* Verùm antequàm ad geſta Syoodi progrediatur oratio, etiam atque etiam obſervandum, complures Conſtantinopolitanos eſſe, quæ vulgò permiſcentur non ſine hiſtoriæ detrimento, cùm uni conventui aſſignentur Canones, qui duobus ſunt cœtibus dividendi. Sunt eruditi viri, qui intra biennium tres Synodos Conſtantinopoli coactas fuiſſe perſuaſum habent. N. Alexander cenſet *primum Concilium anno Chriſti* 381. *ipſo anni exordio habitum eſſe.* Cui Meletium etiam interfuiſſe putat. Suam verò conjecturam probat autoritate Socratis: *Meletius Conſtantinopolim proficiſcitur, quo quidem tempore Gregorius communi multorum Epiſcoporum ſuffragio, ab Epiſcopatu urbis Nazianzi ad Conſtantinopolitana Eccleſiæ Sacerdotium tranſlatus eſt.* Verùm enimverò verba hæc Socratis illum ipſum conventum indicant, à quo Gregorius in nova Roma conſtituitur; magnum ſcilicet Concilium CL. Epiſcopis conſtans, quo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Gregorium Præſulem impoſitum eſſe Socrates ipſe docet: *Imperator ſuæ fidei Epiſcoporum Concilium convocat, quo & Nicana fides confirmaretur, & Conſtantinopoli ordinaretur Epiſcopus.* Quâ Synodo ad Gregorium in Conſtantinopolitana ſede collocandum nil opus erat, ſi à conventu ſub anni initia celebrato Antiſtes jam creatus

Socr. l. 5. c. 8.

Socr. l. 5. c. 6.

Socr. l. 5. c. 8.

fuiſſet. Eadem ergo Syoodus fuit, quæ & Gregorium conſtituit regiæ urbis Epiſcopum, & fidem Nicænam ſtatuit; magna ſcilicet, quæ Majo menſe coacta eſt. Quanquam paucis in verbis multa peccarit Socrates. Quippe nec ab Epiſcopatu Nazianzeno, quem non geſſerat Gregorius, Conſtantinopolim tranſlatus eſt; nec Meletius Conſtantinopolim profectus eo tempore, quo illùc ſe Gregorius contulit. Tres quoque Synodos Conſtantinopolitanas excogitavit *Du Pin*, quas alio tamen ordine diſpoſuit. Primam anno CCCLXXXI. ex omnibus Orientis Epiſcopis, præterquam Ægyptiacis conflatam; ſecundam anno 382. in qua Gregorius abiit Epiſcopatu; tertiam anno 383. à qua ſcripta eſt Epiſtola ad Damaſum, Ambroſium, & cæteros Romæ congregatos, quibus Nectarii ordinationem ſignificant. Ex duabus tamen tres à viro clariſſimo Synodos confectas eſſe nobis perſuaſum. Verba quidem Epiſtolæ Synodicæ diſertiſſimè demonſtrant, eo anno concinnatam fuiſſe, qui illum proximè excepit, quo centum & quinquaginta Epiſcopi ſuot Majo menſe congregati: *Legere dignemini libellum illum, qui ſuperiore anno editus eſt ab Oecumenica Synodo.* Duobus quidem annis continuis duas eadem in urbe Oecumenicas Orientis Synodos celebratas eſſe, neque fit vero ſimile, neque ullis Veterum monumentis oſtendi poteſt. Duorum duntaxat & Synodorum meminit Theodoritus, qui præmiſsâ mentione mortis Meletii, hoc addit: *Sequente verò æſtate cùm plerique eorum ad eandem urbem veniſſent, Eccleſiaſtica enim negotia eos illùc evocaverant, Occidentalium Epiſcoporum Synodicam Epiſtolam acceperunt.*

ANNO DOM. 381.

Du Pin Bibl. 344.

Theodorit. l. 5. c. 9.

Theodorit. l. 5. c. 8.

III. Theodoſii mandato Epiſcopos Conſtantinopolim confluxiſſe, omnibus eſt in confeſſo. Teſtis Socrates, cujus verba jam adduximus. Teſtis Theodoritus: *Theodoſius Epiſcopos duntaxat imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire.* Teſtis omni exceptione, major Synodi ad Theodoſium Epiſtola: *Ex quo tempore juxta literas tuæ pietatis Conſtantinopoli convenimus &c.* Neque id Baronius, Bienniuſque inficiantur. Ut verò quo jure, quâ injuriâ Pontificis R. tueantur majeſtatem, contendunt, convocationi Damaſi autoritatem interveniſſe. Et io Collectione Conciliorum legitur: *Concilium Conſtantinopolitanum, in quo centum & quinquaginta Epiſcopi autoritate Damaſi Papæ, & Theodoſii Senioris favore congregati.* Quæ quidem ſententia à temeritate ſejungi nequit, utpote quæ Antiquitatis omnis conſenſu deſtituatur. Plures à Principe coactum dixere Concilium, à Damaſo nullus ſcripſit, quod ſanè mirum, ſi convocationi autoritas ipſius interveniſſet. Deinde ſi nutu ejus Epiſcopi unà conveniſſent, ſuos ſanè Legatos ad Synodum miſiſſet, qui nulli quidem interfuere. Denique adfuiſſent Epiſcopi ditionis & Gratiani, & Valentiniani Junioris, ex quibus qui adeſſet, inventus eſt nemo. Neque apud nos pondus habent Baronii rationes. Objicit verba Lucentii in Concilio Chalcedonenſi Legati Pontificis de Dioſcoro: *Synodum auſus eſt facere, ſine autoritate Apoſtolicæ ſedis, quod ritè nunquam factum eſt, nec fieri licuit.* At non, ſi Dioſcoro Epiſcopo licuit abſque Pontificis R. conſenſu Synodum Oecumenicam facere, licuit ſanè Imperatori orbis Romani Domino. Deinde alia congregatio, alia convocatio eſt. Ad Synodi Oecumenicæ congregationem requiratur conſenſus Epiſcopi

Nùm Damaſi autoritate Synodus Conſtantinopolitana coacta?

Theodor. l. 5. c. 7.

Bar. An. 381. n. 20.

Lab. Concil. t. 2. 969.

Bar. An. 381. n. 22.

ANNO DOM. 381.

Romani, qui præcipuum erat Eccleſiæ membrum; ad convocationem verò non eſt neceſſarius. Pro ſua autoritate Theodoſius Epiſcopis qui in ipſius poteſtate erant, conventum imperare potuit, cujus ſanè præceptis erat obtemperandum. Denique Synodus Oecumenica eſt vel abſolutè, vel certo reſpectu, qualis Conſtantinopolitana, quæ ex ſolis Orientis Antiſtitibus conſtabat. Ad Synodum ejuſmodi quid autoritate Damaſi opus erat?

Qui Epiſcopi Synodo Conſtantinopolitanæ interfuere? An in ea ordinatus Gregorius?

Socr. l. 5. c. 8.

Theodor. l. 5. c. 7.

IV. Menſe Majo convenerunt Epiſcopi numero centum & quinquaginta, exceptis vel Macedonianis, cujus ſectæ *triginta ſex erant, pleriſque ex civitatibus Helleſponti*, quos inter eminebant *Eleuſius Cyzicenus, & Marcianus Lampſaci Epiſcopus*. Ubi Orthodoxi Præſules venere, Theodoſius vetuit, ne quis ipſi renuntiaret, quiſnam eſſet magnus ille Meletius; quem ex ſomnii memoria volebat agnoſcere: *Cùmque univerſus ille Epiſcoporum cœtus in palatium veniſſet, Imperator relictis cæteris ad magnum Meletium accurrit. Ac velut filius patris amantiſſimus, poſt longum temporis ſpatium paterno conſpectu fruens, complecti eum cœpit, ac deoſculari ejus oculos, labra, pectus, caput, & dextram, quæ illum coronaverat. Poſthac cum reliquos etiam omnes benignè excepiſſet, hortatus eſt, ut tanquam patres de rebus propoſitis deliberarent.* Præter Meletium aderant & inſignes pietate, & ſapientiâ Epiſcopi; Helladius Baſilii M. ſucceſſor, Gregorius & Petrus iiſdem, quibus Baſilius parentibus nati; *Amphilochius* Antiſtes Lycaoniæ, *Optimus* Piſidiæ, *Diodorus* Ciliciæ, *Pelagius* Laodiceæ, *Eulogius* Edeſſæ, *Acacius* Berœæ, *Iſidorus* Cyri, *Cyrillus* Hieroſolymorum, *Gelaſius* Cæſareæ Paleſtinæ, *Aſcholius* Theſſalonicæ. Duos hîc conventus cogitat Baronius, alterum ante menſem Majum, cui non intererat *Timotheus* Alex. in quo cauſa Gregorii Nazianzeni peracta eſt: alterum menſe Majo celebratum, in quo damnatus Macedonius, cui Timotheus interfuit. Conjectura Baronii Nazianzeni in carmine innititur:

Greg. de Vit.

Quidquid ortus Præſulum, Ægyptum citra
Habebat uſque ad inclytam Romam novam
Terra mariſque ex intimis receſſibus,
Quo concitatum cœlitùs pacto haud ſcio.
Coit repentè firmet ut thronum mihi,
Quos inter unus vir erat pius admodum
Simplex, apertus moribus, plenus Deo.

In eo conventu *nil prætereà actum, quàm de confirmatione electionis Gregorii* Illuſtriſſimus Purpuratus arbitratur. Hæc tamen Synodorum Conſtantinopolitanarum in uno eodemque anno multiplicatio non videtur admittenda. Quippe Socrates Sozomenuſque teſtantur, Synodum à Theodoſio coactam eſſe, ut & Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopus conſtitueretur, & Nicæni Concilii fides confirmaretur. Hoc igitur in uno eodemque conventu peractum eſt. Gregorium quoque poſt centum & quinquaginta Patrum adventum, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum impoſitum eſſe, narrat Theodoritus. Neque aliud ſuo carmine Concilium Gregorius pingit, quàm magnum illud, quod Orientis ex Epiſcopis conſtabat. Non à nobis quidem impetrabitur, ut verum eſſe concedamus, quòd tot Epiſcopi peractâ Gregorii conſecratione otioſi ſederint, nec ſubinde de fide tractarint. Multò minus in ſuas Eccleſias reverſi ſunt, ut inde poſtmodum Conſtantinopoli denuò repetitâ eodem anno quidem, ſed menſe Majo unà convenirent. Neque ad probandam Baronii conjecturam vis ulla eſt Gregorii in carmine. Faciles ſanè concedimus, Timotheum ex remotioribus Orientis partibus profectum poſt peractam Gregorii ordinationem Conſtantinopolim intraſſe. Non ea de cauſa tamen duos conventus temporis intervallo ſeparatos fingere licet. Synodus una fuit, quæ pluribus eſt diebus continuata. Quod & oſtendit titulus Canonum: *Canones Sanctorum CL. Patrum, qui Conſtantinopoli convenerunt, Flavio Eucherio & Flavio Evagrio, viris clariſſ. Coſſ. VII. Idus Julias.* Equidem Ægyptios ante adveniſſe quàm Nazianzenus abdicaret, Gregorius Presbyter teſtatur: *Adfuere Epiſcopi tum ex Ægypto, tum ex Macedonia Byzantium vocati, cum adhuc ſupradicta Synodus in urbe eſſet.* Ut nil opus ſit, duas Synodos vario tempore, licet eodem anno celebratas imaginari, alteram ante Majum, alteram Majo coactam. Synodo præfuiſſe Timotheum, & rationi conſonum eſt, & Veterum monumentis. Quippe tum temporis Alexandria totius Orientis ſedes nobilior fuit. Audiatur Sozomenus: *Præerant* Macedonianis *Eleuſius Cyzicenus, & Marcianus Lampſacenus. Cæteris verò Timotheus Alexandrinæ ſedis Antiſtes præſidebat, & cum eo Meletius Antiochiæ, & Cyrillus Hieroſolymitanus, pœnitentiâ tum ductus, quòd opinioni Macedonii antehàc adhæſiſſet.* Libellus Synodicus hæc habet: Concilio *præfuerunt, & præſederunt Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hieroſolymorum.* Conſentit & Photius de Synodis: *Præſides habuit Timotheum, qui Alexandriæ, & admirabilem virum Meletium, qui Antiochiæ, & Cyrillum, qui Hieroſolymorum ſedes obtinebant.*

Lab. Concil. t. 2. 945.

Soz. l. 7. c. 7.

Lab. Conc. t. 2. 976.

Gregorius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ creatur Epiſcopus.

V. De fide prius tractare quàm de diſciplina, in Synodis doctrinæ cauſâ convocatis, erat in more poſitum. Opus tamen fuit, antequam Gregorius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addiceretur, de Maximi cauſa judicare, num eſſet legitimus regiæ urbis Epiſcopus, nec ne. Ut fatendum ſit, præpoſteram in Socrate, & Zozomeno de Maximi abdicatione narrationem eſſe, quæ Nectarii ſequitur ordinationem. Maximo mirum in modum favebant Ægyptii, utpote & Alexandrino, & Nicænæ doctrinæ fautori acerrimo, & ab Ægypti Præſulibus furtivâ ordinatione conſecrato. Nihilominùs Cynico Epiſcopatus abrogatur: *Maximum nec eſſe, nec fuiſſe unquam Epiſcopum decreverunt, nec Clericos eos, qui ab illo ordinati eſſent. Cuncta denique, quæ ſub illo, aut ab illo facta fuiſſent, irrita eſſe ſtatuerunt.* Apollinaria veneno imbutum eſſe *Maximum* teſtatur Theodoritus. Quâ vel ſolâ cauſâ Præſulia dignitate dejici debuit. Autoritate Damaſi Maximum ejectum fuiſſe prædicat Papa Nicolaus, in ſua ad Michaelem Imperatorem Epiſtola: *Denique ut ex his paucos commemoremus, nonne Maximus poſtquam multum à Damaſo Papa, ſicut ejus ad diverſos Epiſtolæ miſſæ indicant, laboratum eſt, Conſtantinopoli pulſus.* Quæ à veritate prorſus aliena ſunt, & Hiſtoriæ maximè contraria. Favebat enim Maximo Damaſus, non Gregorio. Neque Damaſi Epiſtola extat ulla, quæ Nicolai dictis præſidio ſit. Gregorium verò, cujus ope extincta penè Conſtantinopolitana Eccleſia ad vitam revocata fuerat, Patres regiæ urbi Antiſtitem præficiunt: *Sancta* Synodus (verba ſunt Gregorii Presbyteri) *eum Epiſcopum conſtituit, ſententia ſua Ducem & Anteſignanum habens magnum*

Sozom. l. 7. c. 9.

Bar. An. 865. n. 86.

Bar. An. 381. n. 38.

Socr. l. 5. c. 8. Sozom. l. 7. c. 7.

Anno Dom. 381.

num illum Antiochenſium Paſtorem Meletium. Ob id lætitiam apertiſſimè tulerunt, Princeps, Magiſtratus, Clerus, Virgines, populus. Solus Gregorius commune gaudium mœrore lachrymiſque ſuis deluebat:

Greg. de Vit.

Sacris me collocant his ſedibus
Flentem, gementem.

Quo illuſtris Antiſtitis in vita nil majus fortè, aut mirabilius fingi poteſt, ut regiæ urbis thronus, vel bonis viris cupiditatem ipſius adipiſcendi injeciſſet, in dolorem poſſidenti ceſſerit, adeò verum eſt, relegatâ ambitione totum ſe pietati Gregorium conſecraſſe. Peractâ Gregorii ordinatione, ad res fidei conſtituendas Synodus ſe convertit.

Eleuſius Conſubſtantiale rejicit. Symbolum Conſtantinopol.

Sozom. l. 7. c. 7.

VI. Magnâ omnium conſpiratione Nicæna doctrina confirmatur, ſed & ab iis, qui cum Eleuſio erant, Patres *contenderunt, ut cum ipſis conſentire vellent, revocantes in memoriam legationum, quam ad Liberium miſerant, & ſponſionem quam eidem fecerant, per Euſtathium, Silvanum, & Theophilum. Verùm ille cùm diſertè affirmaſſent, nunquam ſe Conſubſtantialem Patri Filium aſſerturos eſſe, etiamſi contraria iis, quæ Liberio pollicitì fuerant, dicturi eſſent, diſceſſerunt. Et ad eos, qui in ſingulis urbibus opinioni ipſorum adhærebant, literas ſcripſerunt, ne Decretis Nicænæ Synodi conſentirent.* Patres verò, elidendis qui graſſabantur erroribus, Symbolum fidei condidere, quod ſic habet: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli & Terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum, ex Patre natum, ante omnia ſecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum: homouſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus ac ſepultus, & tertiâ die reſurrexit, ſecundum Scripturas aſcendit in Cœlos, ſedet ad dexteram Patris: inde venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi, amen.* Formula hæc fidei longè Nicænâ perfectior eſt, atque conſummatior, uti etiam requirebatur, ob hæreſes, quæ caput erigebant, & efferebant. *Dixere, cœli, terræ factorem*, contra Manichæos duorum principiorum aſſertores: *natum ante ſecula*, contra Photinum, qui primam Domini originem ex Virgine ducebat: *ex Maria Virgine natum*, adverſus Apollinariſtas, affirmantes Servatoris carnem fuiſſe ab initio: *cujus regni non erit finis*, ut & Millenariorum, & Marcelli errores refellerent: *& in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, cum Patre & Filio adorandum*, ut Macedonianos percellerent.

De Eccleſiæ diſciplina Synodi Conſtantinopolitanæ decreta.

Sozom. l. 7. c. 9.

VII. De diſciplina verò Patres ſanxerunt: *Ut Epiſcopi in propriis manerent Eccleſiis, nec temerè in extraneas Provincias pedem inferrent, neve ordinationibus nihil ad ſe pertinentibus invocati ſeſe ingererent; ea verò quæ in ſingulis Provinciis contigiſſent, Synodus cujuſque Provinciæ pro arbitrio ſuo ordinaret & conſtitueret. Prætereà ut poſt Epiſcopum urbis Romæ Conſtantinopolitanus habeat honoris prærogativam, utpote quæ Junioris Romæ Epiſcopatum adminiſtret.* Addit Socrates: *Sed & Patriachas conſtituerunt, Provinciarum diviſione factâ, ita ut nullus Epiſcopus ultra propriam Diœceſim alias Eccleſias invaderet.* Vocem autem *Patriarcha* laxiore ſignificatu ſumit: ſcilicet pro *Metropolitanis*, ut ſequentibus indicatetur: *Ac Nectarius quidem regiam urbem, & Thraciæ Provincias ſortitus eſt; Helladius verò, qui Cæſareæ Cappadociæ poſt Baſilium erat Epiſcopus, Ponticæ Diœceſis Patriarchatum obtinuit, & unà cum eo Baſilii frater Gregorius Epiſcopus Nyſſæ, & Otrejus Melitinæ in Armenia. Aſiana autem Diœceſis Patriarchatum ſortitur Amphilochius Iconii & Optimus Antiochiæ Piſidiæ Epiſcopus. Ægypti adminiſtratio Timotheo Alexandriæ Epiſcopo attributa eſt. Orientis autem Eccleſiarum regimen & curam Epiſcopis illius regionis commiſerunt, Pelagio ſcilicet Laodiceæ, & Diodoro Tarſi Epiſcopo, quam quidem prærogativam Meletio tunc præſenti tribuerunt.*

Socr. l. 5. c. 9.

Pontica ſanè Diœceſis duos ne vel *Exarchas*, nedum *Patriarchas* veri nominis habere potuit, quia Exarchus ille eſt qui Diœceſi uni Eccleſiaſticæ præficitur. Neque Optimus Piſidienſis, aut Amphilochius Iconienſis aliud munus gerebant, quàm Metropolitani. Suâ ergo conſtitutione, ne quis in alterius Provinciam invaderet, *Patriarchatus*, hoc eſt, Metropolitanatus ſtatuiſſe dicti ſunt, quia de eorum jure invaſio hæc delibabat, imò & autoritatem evertebat. Ea enim Metropolitani dignitas erat, ut abſque cognitione ejus, & confirmatione nullus in ipſius Provinciâ Epiſcopus creari poſſet, ut Canone ſuo quarto Nicæni ſtatuerant. In tranſcurſu obſervetur error Socratis, ſcribentis præſente Meletio Nectarium Thraciæ Provincias eſſe ſortitum. Atqui nonniſi defuncto Meletio, Nectarius ex Laico ad Epiſcopi munus evectus eſt, quod nunc eſt aperiendum.

Mors Meletii funus. Corpus effertur Antiochiam.

VIII. Hactenus in Synodo omnia rectè proceſſerant. Errores damnabantur: in ſede ſua tranquillè & placidè quieſcebat Gregorius, paucis Ægyptiis diſſidentibus, cùm infelici caſu in turbas verſa eſt, & mutata pax. Quam calamitatem attulit magni mors Meletii, qui Gregorio maximè favebat. Cùm ambitionis præcidendæ cauſâ tranſlationes Epiſcoporum Canonibus prohiberentur, nihilominus virum optimum, qui & pietatem Conſtantinopoli reſtituerat, & ex parvo gregem magnum reddiderat, Gregorium hujus urbis Eccleſiæ Antiſtitem Meletius præfecerat, nil penſi habens, quod Zazimorum à Baſilio Epiſcopus creatus fuerat: *Brevi pòſt tempore Meletius ad vitam doloris expertem migravit, omnium qui dicendi facultate pollebant, funebribus orationibus celebratus.* Vir quidem fuit, magnâ & pietate, & fide præditus. Florentibus Arianorum rebus, Eccleſiâ pulſus erat, multiſque calamitatibus exhauſtis, gemino exilio mulctatus. Moribus eminebat optimis, temperantiâ, juſtitiâ, ſapientiâ, omnique virtutum genere excultus. Hoc quidem magnæ Meletio gloriæ fuit, quòd Orthodoxi ab Hæreticis Meletiani dicerentur, teſte Domni ad Theodoſium Epiſtolâ: *A Meletio appellationem habent apud nos, Apoſtolicorum cuſtodes dogmatum. Meletianos enim nos vocant Arii ſectatores.* Præcipuè à laudato viro Gregorio Nyſſeno laudatus eſt, qui triumphantem in Cœlis Meletium exhibet:

Theodor. l. 5. c. 8.

Facund. l. 8. c. 5.

Digitized by Google

ANNO DOM. 381.

In adytis & penetralibus Sacerdos eſt, in interioribus velo, quo Præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Chriſtus, reliquit carnis integumentum. Ingens ex morte Meletii omnes dolor inceſſit: *Imperator mærens ob eam calamitatem, ſurrexit è ſolio.* Magnâ pompâ urbs regia Sancto Præſuli juſta ſolvit, accenſis innumeris cereis, populiſque ad funus confluentibus. Defuncti exuviæ poſtmodum Antiochiam tranſlatæ ſunt. Qua de re Nazianzenus in vita ſua: *Eccleſiamque vectus eſt, pòſt ad ſuam Theſaurus ingens.* Per totam viam ex Imperatoris juſſu cadavér præter morem Romanorum, intra urbes receptum. Et Pſalmorum cantibus per ſingula loca, alternatim exceptum honorificè, Antiochiam uſque deductum fuiſſe fertur. Juxta loculum Babylæ Martyris depoſitum eſt. Meletii memoria die Februarii 21. recolitur: quod, uti videtur, tum temporis corpus Antiochiam pervenerit.

Sozom. l. 7. c. 10.

Flavianus in locum Meletii eligitur.

IX. In eas conditiones pax Antiochena convenerat, ut mortuo Meletio, Paulinus ab omnibus pro Epiſcopo haberetur. Quod nec Occidentales latuit, quorum hæc verba ſunt ad Theodoſium: *Si quis eorum altero ſuperſtite deceſſiſſet, nulla ſubrogatio in defuncti locum ſuperſtite altero gigneretur.* Spreto fœdere Flavianum, *Orientalis Diœceſis Epiſcopi in unum congregati, communi ſuffragio Epiſcopum ordinarunt, univerſâ Eccleſiâ communi conſenſu, & quaſi uno ore eum honorante. Quam quidem legitimam ordinationem Synodus etiam univerſa ſuſcepit*, quæ verba ſunt Epiſtolæ Conſtantinopolitanorum, anno 382. ad Damaſum, & Ambroſium miſſæ. Flavianum conſecrant Diodorus Tarſi, & Acacius Berœæ Epiſcopi. Quippe Meletium ſecutus, Conſtantinopolim venerat cum Elpidio Compresbytero.

Theodor. l. 5. c. 9.

Sozom. l. 7. c. 11.

Diſplicuit Gregorio perfida hæc ordinatio. Manendum dicebat in conditione & pacto, quod cum Paulino factum fuerat:

Thronum retineat, qui tenuit ad hunc diem.

Ubi verò ſenem vita deſeruerit, tum de ſubſtituendo Epiſcopo videbitur. Optimum quidem conſilium, ſed Flaviani fautoribus ingratum, quod & Orientalium exaſperavit animos. Cæterùm contra jurisjurandi fidem peracta ea Flaviani conſecratio, Antiochenam rurſus commovit Eccleſiam: *Plurimi ſe à Flaviani communione ſejunxerunt, ac ſeorſum ſub Paulino collectas celebrarunt. Sed & Sacerdotes ipſi hujus rei causâ inter ſe diſſidebant. Et Ægyptii quidem, cum Arabicis & Cypriis, Paulini tanquam injuriâ affecti, vicem dolebant. Syri verò & Palæſtini, ac Phœnices, & ex Armeniis, Cappadocibus, Galatis & Ponticis plerique Flaviani partes favebant.* At Epiſcopus Rom. Occidentaleſque omnes indignati nullas ad Flavianum literas dabant. Quin & *Diodorum* Tarſenſem, & *Acacium* Berœenſem ob Flaviani ordinationem in crimen vocabant, & ab eorum communione abſtinebant.

Sozom. l. 7. c. 11.

Temperare non potuerunt Occidentales, quin indignationem oſtenderent ſuam, in Epiſtola quam Theodoſio miſere: Flavianus *contra fas, atque Eccleſiaſticum ordinem in locum Meletii non tam ſubrogatus, quàm ſuperpoſitus aſſeritur. Atque hoc factum allegatur, conſenſione & conſilio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus.* Si recta monentem Gregorium Orientales audiviſſent, tantis ſanè diſſidiis Eccleſia lacerata non fuiſſet.

Lab. Conc. t. 2. 1007.

Gregorius abit Epiſcopatu. Qua de cauſa? Quot annis Conſtantinopol. præfuerit.

X. Porro conſultiſſimâ ſententiâ ſuâ Flaviani fautoribus ſe victimam Gregorius præbuit, quod nunc eſt explicandum. Tentaverant omni ratione Flaviani fautores, Gregorium in ſuas partes pertrahere, ut tanti viri nomine atque ſuffragio, quam moliebantur, electioni pondus adderent. At facilius erat fontibus ſuis relabi flumina, quàm de ſententia ſua virum æquitatis ſervantiſſimum dimovere. Imò non ſine indignatione exceſſit è Synodo. Sed & Epiſcopali domo deſertâ, in aliam conceſſit perfidam electionem execratus. Intereà adveniunt Ægyptii, atque Macedones, qui moleſte ferebant, ſe abſentibus Gregorii electionem eſſe peractam. Id præcipuè Timotheum urebat, & Maximi causâ cui faverat, & quia ut nobilioris totius Orientis Cathedræ Epiſcopo, debitam ſibi Gregorii conſecrationem exiſtimabat. Ut igitur ipſius Ordinatoribus doloris aliquid inurerent, Gregorium pellere conabantur. Porro ſi vera prædicat Theodoritus, eò res proceſſit, ut inſignes Epiſcopi ſe ab Ægyptiorum communione removerent. Nitebantur Gregorii adverſarii autoritate Nicæni Canonis XV. *A civitate in civitatem nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus tranſeat, quod factum erit, infirmabitur, & Eccleſiæ reſtituetur, cui ordinatus fuerat.* Ut tamen Canonis hujus eximebatur Gregorius, qui haud ſponte Conſtantinopolim venerat. Neque ulli fiebat injuria, ſi collatum ſibi à Synodo Epiſcopatum retinuiſſet: cùm & nullus ibi Antiſtes eſſet, & Zazimis alius præſideret. Nazianzo verò nunquam Præſul datus erat, etſi complures id ſibi perſuaſerint, quos refellit ipſe Gregorius: *Inter omnes conſtat, me non Nazianzi, ſed Zazimorum Antiſtitem creatum eſſe.* At vir ille pacis amans & otii abire Epiſcopatu decrevit. Ad concordiam animorum conciliandam ſequeſtrum interceſſiſſe, contendit Baronius pronuntiatâ oratione de pace, quæ numero eſt XVI. *Pax amica, non re duntaxat, ſed nomine ipſo jucunda.* At niſi noſtra nos conjectura fallat, rejicienda prorſus eſt ea ſententia. Quippe ſi coram Synodo hanc orationem habuiſſet, eum quidem ſermonem uſurpaſſet, quem non ſemel adhibuit, cùm allocutus eſt Concilium, *ô chari Paſtores & Collegæ.* Qui ſermo nullo quidem veſtigio in Oratione de Pace reperitur. Sed in ea multa quoque leguntur, quibus colligere par eſt, extra Synodum orationem fuiſſe recitatam. Debellatos ab exteris Romanos queritur: *Gravia ſunt quæ nunc & cernimus, & audimus. Patria funditùs everſa innumerabiles, copia cadentes, terra ſanguinis mole laborans, non ob defenſorum ignaviam: nam illi ipſi ſunt, qui univerſum penè terrarum orbem bello ſubegerunt: ſed ob improbitatem noſtram, vigentemque adverſus Trinitatem impietatem.* Quæ quidem anno CCCLXXXI. non apta ſunt, cùm ſuperiore victor de Gothis penè triumphans Conſtantinopolim Theodoſius ingreſſus fuiſſet, Edictiſque ſuis Trinitatis hoſtes profligaſſet. Non magis huic tempori ſequentia conveniunt: *Nec verò mihi mærorem afferunt, aut Eccleſia occupata*, pag. 219. Qui ſunt illi qui Eccleſias Conſtantinopolitanas invaſerant, ſtante Synodo? Imò pulſi fuerant Ariani Paſtores anno ſuperiore. Denique finis orationis, *non amplius aliquid adjiciam, quandoquidem filiis parcere lex paterna eſt*, non eſt hominis, Synodum Oecumenicam alloquentis. Neque verba hæc, quibus Baronius innititur, *Cathedram certaminis & invidiæ plenam accepimus*, pag. 232. ipſius conjecturæ favent, cùm frequentiſſimæ ſint ubique locorum ob Pri-

ANNO DOM. 381.

Naz. Ep. 42.

Error Baronii.

Naz. Or. 32. 500.

Naz. Or. 14. 214.

matum

ANNO DOM. 381.

matum & Cathedram contentiones ejuſmodi, ut nullâ neceſſitate hîc cogamur, Conſtantinopolitana hujus anni certamina intelligere. Non magis aſſentimur Baronio, exiſtimanti Gregorii Orationem XXVII. *de ſeipſo, & ad eos qui ipſum Cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant, & de populi alacritate, quam erga eum oſtenderat.* Synodicam fuiſſe, cùm ne verbulo quidem Paſtorum & Collegarum meminerit. Imò verba hæc Baronii opinionem refellunt:

Naz. Or. 27. 465.

Vos qui plebs eſtis, zelo & iracundiâ ferventes clamantem me & lamentantem, in hac ſede collocaſtis, propter vim amoris erga me veſtri legem violantes. Hæccine magno Concilio locutus eſſet Gregorius: *Vos qui plebs eſtis?* Hæccine Synodum ſpectant? *Nonnulli eorum qui ferventiores erant, uſque adeò ſuccenſuimus, ut amorem in odium mutato, à nobis confeſtim receſſerint.* Hæc ergo ad ſuperiorem annum pertinent, cùm diſcedere volentem Gregorium Conſtantinopolitani retentum, Epiſcopum ſibi nuncuparunt, rem ipſam

Naz. Vit.

probante Theodoſio verbis ejuſmodi: *O Pater, en ſacram Ædem & thronum tibi trado.* Una igitur noſtro judicio Gregorii oratio coram Synodo dicta, ea nempe, quæ numero eſt XXXII. *Quo pacto res noſtra vobis ſeſe habere videntur, ô chari Paſtores, & Collegæ &c.* Quippe cùm vir ille probus, ſui causâ obortam videret diſſidiorum tempeſtatem, exemplo Jonæ in mare projici voluit, componendis contentionum fluctibus. Suggeſtum ergo conſcendit, orationem habiturus, quæ penè lachrymas excuſſit nobis. Non grex quidem Conſtantinopoli erat veniente Gregorio, ſed gregis umbra tenueque veſtigium; quem ex parvo oberranteque in montibus, abſque caula Paſtoreque magnum florentemque reddiderat. Conſenſu plebis, Cleri, Principiſque in Cathedra collocatus, à magna totius penè Orientis Synodo conſecratus fuerat. In præmium tamen laborum ſpernitur, ac non tantum ejicitur:

Hieri collocaſtis in throno, nunc pellitis.

Deferbuerat ſcilicet Orientalium Epiſcoporum ille amor, quo in Gregorium prius propendebant, quàm Flaviani ordinationi obſiſteret. Tantis verò precibus dimitti Epiſcopatu flagitat, quantis pro retinendo enixè alius quiſpiam contendiſſet: *Num vos hîs verbis permovemus, ac victoriam obtinuimus? An potius ad veſtros animos inflectendos validior nobis adhibenda eſt oratio? Vos ergo per Trinitatem, quam nos colimus, & vos colitis, per communem noſtram ſpem, atque hujus populi coagmentationem obteſtor, hoc mihi beneficium date, cum precibus dimittite: hoc mihi ſit dimicationis præconium. . . . Ac vos quidem orationes diſceſſui meo congruentes parate, ego autem his verbis extremùm vos ſalutabo.* Ubi verò Templis, Virginibus, Clero, Synodo, Principibus,

Naz. Or. 34. 528.

civitati valedixit, ſic tandem perorat: *Vale Trinitas, meditatio mea, & decus meum. His velim ſerveris, & hos ſerves, meum hunc populum, meus enim eſt, etſi aliter gubernetur, atque audiam te quotidie tum ſermone, tum vitâ, & moribus augeri, & in ſublime attolli. Filioli depoſitum quaſo cuſtodite, mementote lapidationum mearum, Gratia Domini J. C. ſit cum omnibus vobis, amen.* Exinde in Cappadociam profecturus, Theodoſium adit. Ab eo flagitat laboribus liberari, maximaque ipſius imperii trophæa re unâ exornari, Epiſcoporum ſcilicet concordiâ. Quâ oratione Imperator & Senatores in admirationem rapti, vix diſcedendi poteſtatem fecere. Quæ præpoſterè Baronianis in Annalibus narrantur, quaſi Gregorius prius à Theodoſio abeundi copiam impetraſſet, quàm ad Synodum orationem habuiſſet. Quæ ordinis perturbatio eſt. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ annos circiter XII. Gregorium præfuiſſe legimus & in vita Nazianzeni, à Gregorio Presbytero ſcripta, & in vita Baſilii apud Amphilochium, ut alios prætereamus. Verba ſunt Pſeudo-Amphilochii: *Magnus Grego-*

Vit. Baſ. pag. 158.

rius factus Nazianzenus Epiſcopus, qui & annis circiter XII. Apoſtolicæ ſedis gubernacula tenuit. Quo vel uno argumento vulnus inſanabile *Combefiſio* inſtigitur, qui Baſilii vitam addicit Amphilochio. Quaſi verò Amphilochium Gregorio & amiciſſimum, & coætaneum latuerit, ſolo triennio Gregorium Conſtant. conſtitiſſe, & Eccleſiæ Conſtantinopol. nomen Apoſt. ſedis impoſuerit Amphilochius. Pagius tamen Combefiſio ſuccenturiatus, ſic Amphilochii ſui mentem explicat: *Dicendum*, inquit, *Nazianzeno attri-*

Pag. Crit. An. 38. n. 8.

buiſſe tempus, quod ab anno 379. quo Conſtantinopolim ſe contulit, uſque ad mortem ejus fluxit. Id tamen acuminis à Pſeudo-Amphilochio contunditur, qui Græcè habet, *δωδεκα διακυβερνήσας χρόνους.* Scriptis ergo ſuis Conſtantinopolitanæ fidei Gregorius auxilio fuerit: hoccine eſt Eccleſiam Conſtantinopolitanam *gubernare?*

Nectarii ordinatio. Quis vir fuerit?

XI. Gregorio, qui Epiſcopatu abierat, ſufficiendus erat Antiſtes. Fortè *Nectarius* quidam, Tarſo Ciliciæ oriundus, vir Senatorii ordinis, Conſtantinopoli degebat. Qui in patriam diſceſſurus adiit *Diodorum*, Tarſi Epiſcopum, veluti laturus Epiſtolas, ſi quas ille ſcribere voluiſſet. Diodorus Nectarium conſpicatus, eum Sacerdotio dignum eſſe cenſuit, ob vultum Antiſtite dignum, capitis caniciem, & morum ſuavitatem. Eum itaque ad Flavianum Antiochenſem, quaſi alterius negotii causâ deductum multis laudibus proſequitur, orans ut ſuo ſuffragio adjuvaret. Nondum ſacris initiabatur Nectarius, proindeque Diodori ſuffragium Flavianus deridebat. Abire volentem nihilominus aliquantum temporis operiri juſſit. Non multò poſt, cùm ex mandato Theodoſii, Epiſcopi eorum nomina perſcripſiſſent, quos Conſtantinopolitanâ ſede dignos judicabant, facultate Principi reſervatâ, unum ex omnibus eligendi Flavianus Diodori in gratiam Nectarium poſtremum adjecit. Perlecto indiculo, Imperator Nectarium elegit. Quamvis verò baptiſmi expertem eſſe intelligeret, multis licet Epiſcopis refragantibus, in eadem ſententia permanſit. Cùm Imperatoris ſententiam ſuffragio ſuo comprobaſſent, poſt adeptum baptiſma Neophyti veſtem indutus, Nectarius communi totius Concilii calculo Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatur.

Soz. l. 7. c. 8.

Nicolaus Papa in ſua ad Photium Epiſtola Nectarianæ ordinationis cauſas has fuiſſe prædicat:

Bar. 862. n. 12.

Quòd in Sancta Conſtantinopolitana Eccleſia nullus Clericorum inveniri poterat, qui peſſima hæreſis nimboſâ caligine non fuerit impeditus. Et ob id Nectarium expugnatorem Hæreticorum, & defenſorem atque gubernatorem Eccleſiarum ad Eccleſiaſticam curam & dignitatem Sacerdotalem jam dicta ſecunda Synodus elegit. Quæ oſtendunt, Nicolaum Antiquitatis, & Hiſtoriæ prorſus imperitum. Conſtantinopolitanos Clericos pietate Gregorius imbuerat, ex quibus unus eligi poterat, qui debellandis Arianis eſſet idoneus. Potuit etiam ex aliis Diœceſibus Presbyter ad Patriarchatum

Con-

ANNO DOM. 381.

Conſtantinopolitanum evehi. Nectario igitur creditus eſt, quia ſic viſum Theodoſio, cujus voluntati Præſules obtemperarunt. Nectario Sacrorum imperito erat opus Doctore, à quo officium Sacerdotale diſceret. *Cyriaco* igitur Adanorum Epiſcopo, ad eam rem Præceptore utitur. Ac *Martyrium* quidem cogitabat Nectarius Diaconum ordinare, quem familiorem habebat, & Medicum, & omnium quæ in juventute deliquerat, conſcium. Martyrius verò nequaquam id fieri paſſus eſt, anteactæ vitæ ſuæ Nectarium teſtem eſſe jubens. Cui Nectarius: *An non ego qui nunc ſum Epiſcopus, meam verò vitam, multò quàm tu negligentius traduxi, ſicut tu ipſe teſtari potes, qui intemperantiæ meæ ſæpius miniſtraſti.* Martyrius verò ſubjecit: *At tu percepto recens baptiſmo mundatus es, ego verò qui jam pridem baptiſmum ſum conſecutus, in eadem quâ prius vivendi ratione perſeveravi.* Eâ ratione ordinationem recuſat.

Soz. l. 7. c. 10.

Eodem anno & Gregorium abdicaſſe, & Nectarium electum eſſe, extra dubium ponunt verba Epiſtolæ Synodicæ ad Damaſum, & Ambroſium: *Conſtantinopolitana Eccleſia, quam nuper ex Hæreticorum blaſphemia tanquam ex leonis faucibus eripuimus, reverendiſſimum ac religioſiſſimum Nectarium ordinavimus Epiſcopum in Concilio universali communi omnium conſenſu coram religioſiſſimo Imperatore Theodoſio, aſtipulante omni Clero, & universâ civitate.* Significant quoque ſe Antiochiæ Flavianum impoſuiſſe Præſulem. Quæ ſi diverſis & Synodis, & annis contigiſſent, ut *Du Pin* exiſtimat, diverſis utique etiam Epiſtolis Damaſo Ambroſioque notificata fuiſſent. Neque in ſua Synodica à *Concilio Oecumenico* ordinatum ſcripſiſſent Nectarium, niſi à Synodo CL. Epiſcoporum anni CCCLXXXI. conſtitutus fuiſſet. Ea quippe, quæ anno ſequente eſt Conſtantinopoli coacta, *Oecumenica* nec fuit ullo modo, nec dici potuit.

Theodor. l. 5. c. 9.

Quot Canones à Synodo Conſtantinopolitana conditi?

XII. Canones quoſdam Synodus edidit, ſed de eorum numero aliquid quæſtionis eſt. Vulgò ſeptem recenſentur, qui & uno tenore collocantur. Eſt tamen probabiliſſimum, tres duntaxat à Conſtantinopolitanis conditos eſſe. Tres enim tantum exhibet Dionyſii Exigui Latina verſio, quod argumentum non minimi ponderis eſt. Epiſtola quoque Synodi ad Theodoſium habet: *Quæ adverſus fidem Nicænam oborta ſunt, pravas opiniones extrema cum execratione reprobavimus. Præterea ad rectè conſtituendum & ordinandum ſtatum & diſciplinam Eccleſiarum certos Canones ſtatuimus.* Quæ omnia tribus ſanè, vel ex alia diviſione, quatuor Canonibus continentur. Sed & in Epiſtola Synodica Conſtantinopolitanorum, anno CCCLXXXII. concinnata, tria tantùm ſuperioris Concilii capita extitiſſe indicatur: In libello, inquiunt, *qui ſuperiore anno ab Oecumenica Synodo editus eſt, fidem noſtram latius expoſuimus, & contra hæreſes nuper exortas, anathema manuum noſtrarum ſubſcriptione protulimus.* Hic eſt primus Canon. Subjiciunt: *De particulari autem adminiſtratione ſingularum Eccleſiarum obtinuit ſanctio, & SS. Patrum, qui Nicææ congregati ſunt, regula, ut in ſingulis Provinciis, ei ſi illis placuerit, unà cum ipſis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant.* Hic eſt Secundus Canon. Tertius verò de abdicatione Maximi ab ordinatione Nectarii neceſſariò intelligitur, de qua etiam commemorant. Quibus Canonibus conditis, Conſtantinopolitani Patres Symbolum ſuum ſubdidere, ut appareret in interpretatione Dionyſii Exigui. Gratiano quoque diſtinct. XVI. tres tantùm Conſtantinopol. Canones numerantur: *Condemnatâ præfatâ hæreſi Macedonii, ſtatuerunt Canones tres, quorum Autor maximè S. Nectarius Conſtantinopol. Epiſcopus fuit.* Primus Canon decernit violandam non eſſe fidem CCCXVIII. Patrum Nicænorum. Itaque Eunomianos, Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Marcellianos, Photinianos, Apollinarios, anathemate damnat. II. Vetat Epiſcopos extra terminos ſibi præfixos accedere: ſancit quoque Eccleſias apud Barbaros conſtitutas, juxta paternos mores gubernari: addit, *Conſtantinopolitanum Epiſcopus habeat honoris Primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd urbs ipſa ſit Junior Roma.* III. Placuit, neque Maximum Epiſcopum eſſe vel fuiſſe, nec eos qui ab ipſo in quolibet gradu Cleri ſunt ordinati, Clericis inſeri: omnia quæ ab eo ſunt perpetrata, omninò abrogantur. Has Conſtitutiones, Principis autoritate conſignari voluerunt. *Septimo* igitur *Idus Julias* ſcribunt Imperatori, ſe ad ipſius pietatem referre quæ acta ſunt in Concilio: novam ſe concordiam unà renovaſſe: breves definitiones edidiſſe: fidei Nicænorum Patrum confirmandæ ad ordinandam Eccleſiarum diſciplinam certos Canones conſtituiſſe. Addunt: *Rogamus igitur tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilii decretum, ut ſicuti literis, quibus nos convocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es, ita etiam finem eorum quæ decreta ſunt, obſignes.* Nectarius Synodo ſubſcripſit, ex quo conſequens eſt, anno CCCXXXI. non ſequente Epiſcopum creatum eſſe, ut ſtatuit *Du Pin* Chronologia, quam Lex Theodoſiana mox recitanda refellit, quæ Nectarii *Epiſcopi* meminit. Data Lex ea eſt tertio Cal. Aug. Eucherio & Syagrio Coſſ. id eſt, anno 381.

Lab. Conc. t. 2. 941.

An falſus Canon Conſtantinopol. de collato Epiſcopo Conſtantinopol. Primatu?

XIII. Porro Baronii Binniique clamores movit Canon ille Conſtantinopolitanus, quo Novæ Romæ Præſuli honoris Primatus poſt Romanum Epiſcopum contribuitur: *Impoſtura nomine*, inquit Baronius, *ſuſpectus habetur, imò planè additicius eſſe atque ſuppoſitus docetur.* Quod rationibus paulò infra ſolvendis probat. Binnius verò titubantibus veſtigiis incedens non dubitat, Canon, ſi commentitius non ſit, quin à Clericis Conſtantinopolitanis *poſt Timothei Alex. abitum furtim in Acta Concilii relatus fuerit.* At profectò temerè eſt, quòd in opinionem ejuſmodi deſcenderint, quam Collectiones Synodorum omnes refellunt: in quibus Canon ille legitur. Neque ut ſubdititium verſione Dionyſius expulit ſuâ. Inſuper Chalcedonenſium ſanctio Patrum hæc eſt: *Centum quinquaginta religioſiſſimi Epiſcopi æqualem Primatum honoris aſſignarunt ſanctiſſimæ ſedi, novæ Romæ.* Illud & affirmant Trullenſes Canone 36. *Renovantes ea, quæ ſtatuta ſunt à CL. ſanctis Patribus, qui in hac regia Deoque chara urbe convenerunt.* Canonem ergo aut ſubditum, aut furtim in Acta à Clero Conſtantinopolitano relatum eſſe abſente Timotheo, quis credat? Num hoc commenti, quod Binnio placuit, delere ſtatuta debet, tam Chalcedonenſium, quàm Conſtantinopolitanorum in ſexta Synodo Occum. expreſſis verbis profitentium, à CL. Epiſcopis, qui Conſtantinopoli verſabantur, hujus urbis Præſuli Primatum honoris veteris Romæ æqualem eſſe collatum? Si Canon vel falſus eſt, vel

Bar. An. 381. n. 35.

Lab. Conc. t. 2. 671.

Chalced. Syn. Act. 16.

à

ANNO DOM. 381.

à Clero Conſtantinopolitano furtim obtruſus, non utique à CL. Patribus conditus eſt, quod tamen à duobus Conciliis Oecumenicis affirmatur. Neque Leoni Magno, acuto ſane viro, & cui ſuæ ſedis honos maximè curæ fuit, viſum falſi dicam ſcribere. Canoni jus negat, quia ab Eccleſia R. probatus Canon non fuit, factum non negat, imò agnoſcit. Scribit enim Anatolio:

Leo Ep. 53.

Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur, quorumdam ante ſexaginta, ut jactas, annos facta ſubſcriptio, nunquamque à prædeceſſoribus tuis ad noſtræ ſedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui, caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti. Quòd ſi figmentum hæc *ſubſcriptio* fuit, quomodo ab initio ſui caduca eſſe potuit? Caderene poteſt quod nihil eſt? Denique Socrates, Sozomenus Conſtitutionis hujus disertè meminere, ut prorſus expurgari ſuſpicio debeat *additi ſuppoſitique* Canonis. Sunt etiam veſtigia plurima, quibus ſua huic Canoni veritas aſtruitur, à doctiſſimo Marca obſervata. De ſecundæ ſedis gradu Eccleſiæ Conſtantinopol. delato hæc habet:

Marca de Concord. l. 3. c. 7.

Ejus honoris quaſi poſſeſſionem ſtatim adeptus Nectarius, in ejus Concilii ſubſcriptione, quam primo loco ante Theophilum Alex. Patriarcham appoſuit, Lex etiam quæ à Theodoſio lata eſt, de confirmatione diſciplinæ, ab eadem Synodo decretæ, Nectarium Theophilo præponit. Erat tamen memoriâ doctiſſimus Præſul. Quippe Theophilus, nondum ad Epiſcopatum Alex. aſcenderat, quem tenebat Timotheus. At in ſubſcriptionibus, Nectarius Timotheo præponitur. Sed & in Synodo Conſtantinopolitana anni 394. ubi Theophilus Alex. & Flavianus Antioch. interfuere, certo certius eſt, Nectarium primas partes habuiſſe. Neque minus certum Chryſoſtomo juris aliquid in Aſiam fuiſſe, qui, Lydiæ, Aſiæ, Cariæ Epiſcopis numero LXX. congregatis, Synodum celebravit, Epiſcopumque ordinavit, teſte Palladio. Neque ſive Baronianæ, ſive Binnianæ ratiunculæ momenti ſunt alicujus. Objiciunt, Epiſtolam ad Damaſum ſcriptam Conſtitutionis hujus non meminiſſe. Anatolium à Leone exagitatum, nunquam ſe autoritate alicujus Canonis à Conſtantinopolitano Oecumenico conſtituti purgaſſe. Timotheum Alex. Canoni, qui in ipſius præjudicium cedebat, pugnaturum fuiſſe, quod feciſſe non legitur: Conſtitutionibus ipſius Synodi, à qua jura ſingulis Metropolitanis illibata ſervabantur, Canonem eſſe contrarium. Ad quæ facilis reſponſio eſt. Nempe Epiſcopos anno 382. decreti hujus in ſua, ad Damaſum Synodica nil meminiſſe, quod jam ſubirato ingratiſſimum futurum eſſe noverant. Nil quidem Pontifices R. magis uſſit, quàm ea Conſtantinopolitani throni evectio. Conſtat Anatolium id Canonis memoraſſe, ut verbis Leonis ſuperius laudatis apparet, & promptum eſt: proindeque hoc argumenti de Baronianis erroribus unus eſt. Quid Timotheus fecerit, nobis ignotum, quia Acta Synodi non ſuperſunt. Canoni tamen conſenſiſſe ob regiæ urbis majeſtatem eſt vero ſimillimum, ac eò magis quòd autoritas ipſius ſarta tectaque remanebat, etſi ex primo ordinis gradu ad ſecundum relegaretur. Aliter tamen fieri non poterat, quia ordo Metropolitanorum ad politicam urbium dignitatem dirigebatur, quâ Conſtantinopolis ex Imperatorum decreto Alexandriam ſuperabat. Verum quidem, de Heracleæ Antiſtitis privilegiis Canone Conſtantinopolitano eſſe delibatum: hæc tamen Canonis ſuperioris exceptio eſt, contrarietas non eſt.

Decreta Conſtantinopolitanorum firmat Theodoſius.

Cod. Th. de Fide Cat. l. 3.

XIV. Conſtantinopolitanorum Patrum decreta ſuffragio Theodoſius ſuo comprobavit, Latâ Lege tertio Kal. Auguſti: *Epiſcopis tradi omnes Eccleſias mox jubemus, qui unius majeſtatis atque virtutis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confitentur. . . Quos conſtabit, communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Timothei, nec non intra Ægyptum, Alexandrinæ urbis Epiſcopo eſſe ſociatos. Quos etiam in Orientis partibus Pelagio Epiſcopo Laodicenſi, & Diodoro Epiſcopo Tarſenſi in Aſia, nec non Proconſulari, atque Aſiana Diœceſi, Amphilochio Epiſcopo Iconienſi, & Optimo Epiſcopo Antiocheno: in Pontica Diœceſi, Helladio Epiſcopo Cæſarienſi, & Otreio Melitено, & Gregorio Epiſcopo Nyſſeno. Terennio Epiſcopo Scythiæ, Marmario Epiſcopo Marcianop. communicare conſtiterit.* Inſignem Legem, & multis ſanè nominibus in animis recondendam! Ac primùm ſilentium imponit Baronio, Canonem Conſtantinopol. de Primatu Regiæ urbis Epiſcopi ad figmenta releganti. Atqui ex mente Synodi, Theodoſius Timotheo Alex. Nectarium præponit. Neque peculiaris ei Diœceſis tribuitur, licet Thraciæ præficeretur, propter ſummi honoris apicem, qui ſecundum Rom. Epiſcopum ei conferebatur. Deinde Damaſum Lex omittit in Epiſcoporum enumeratione, quibuſcum communio Præſulibus & ineunda, ut Eccleſiarum potiantur, maximo argumento in Pontificis R. autoritate rem Chriſtianam non recumbere. Præclarus eſt porro Gothofredi in hanc Legem Commentarius, in quo Salmaſii error perſtringitur, qui libro de Primatu Papæ p. 45. Legem *Gratiano* vindicavit, quæ Theodoſii eſt. Deinde oſtenditur, Sozomenum l. VII. c. 9. non unâ ratione ab hac Lege abiiſſe: ordinem Epiſcoporum invertiſſe, cùm Diodorum ante Pelagium Gregorium Nyſſæ, ante Otreium Melitinæ nominarit, Optimum Epiſcopum in Aſia Antiochenum omiſiſſe. In Lege omitti Antiochiæ, quæ juxta Orontem eſt, Epiſcopum, quòd Meletio Flavianus ſucceſſerat, cujus electioni de Orthodoxorum grege complures obſiſtebant, proindeque à Theodoſio in exemplum communionis adduci haud potuiſſe, immeritòque Salmaſium de Primatu Papæ p. 46. Legi poſt verba, *quos etiam in Orientis partibus*, hæc inſeruiſſe: *Meletio Antiocheno Epiſcopo.* Hæc non ſcripſit Theodoſius, nec ſcribere potuit, cùm tertio Cal. Auguſti, quo Lex promulgata fuit, ad plures Meletius abiiſſet.

Lex Theodoſii in Hæreticos.

Cod. Th. de Hæret. l. VI.

XV. Aliam & Theodoſius Legem promulgavit, quæ Concilio Conſtantinopolitano poſterior eſſe videtur: *Nullus Hæreticis myſteriorum locus, nulla ad exercendi animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. . . Nicæna fides dudum à majoribus tradita, & Divinæ Religionis teſtimonio atque aſſertione firmata obſervantia ſemper manſura teneatur. Photiniana labis contaminatio, Arriani ſacrilegii venenum, Eunomiæ perfidiæ crimen, & nefanda monſtruoſis nominibus Autorum prodigia Sectarum ab ipſo etiam aboleantur auditu. Is autem Nicænæ aſſertor fidei & Catholicæ Religionis verus cultor accipiendus eſt.* Prima Theodoſii hæc eſt in Hæreticos Conſtitutio Eutropio Pr. Præt. miſſa. Data dicitur IV. *Id. Jan.* At non immeritò errorem in ſubſcriptione Legis offecit Gothefridus, cùm manifeſtum ea Conſtitutio reſpectum habeat ad primum Concilii Conſtanti-

ANNO DOM. 381.

nopolitani Canonem: *Cuſtodiendam eſſe fidem* CCCXVIII. *Patrum, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt, ad anathemathizandam omnem Hæreſim, ſpecialiter Eunomianorum, & Arianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum.* Jam verò non ante Maium Conſtantinopolitani Concilium ſuum celebrarunt. Non à veri ſpecie abhorret conjectura, hanc à Sozomeno Legem indicari. De odio in Hæreticos aliquid remiſerat Theodoſius, ut vel cum Eunomio miſcere colloquia paratus eſſet, niſi à Flacilla Auguſta ab eo conſilio fuiſſet revocatus. Monitis ejuſmodi cautior factus, eos qui pravè ſentirent, non admiſit:

Sozom. l. 7. c. 6.

Contentiones quoque & cœtus in foro fieri vetuit, atque de natura & ſubſtantia Dei ſolito more diſputare haudquaquam tutum eſſet, effecit, latâ Lege & pœnâ in eam rem conſtitutâ. Hinc laudatâ Nicænorum fide ſubjungit Reſcriptum: *Hæc profectò nobis magis probata, hæc veneranda ſunt.* Singulque omnes intra oppida Hæreticorum congregationes vetat.

Synodus Aquileienſis.

XVI. Duobus poſt Conſtantinopolitanum menſibus Aquileiæ & Synodus cogitur, cui triginta duo Epiſcopi interfuere, *Valerianus* Aquileienſis, *Ambroſius* Mediolanenſis, *Euſebius* Bononienſis, *Limenius* Vercellenſis, *Anemius* Sirmienſis Illyrici, *Sabinus* Placentinus, *Abundantius* Tridentinus, *Philaſter* Brixianus, *Conſtantius* Arauſicus, *Theodorus* Octodurenſis, *Domninus* Gratianopolitanus, *Amantius* Nicienſis, *Maximus* Emonenſis, *Baſſianus* Laudenſis, *Proculus* Maſſilienſis, *Heliodorus* Altinenſis, *Felix* Jaderenſis, *Evantius* Ticinenſis, *Exuperantius* Dortonenſis, *Diogenes* Genuenſis, *Conſtantius* Sciſcianenſis Legatus Gallorum, *Juſtus* Legatus Gallorum, *Felix* Legatus Afrorum, *Evagrius* Presbyter & Legatus, Artemius, Almachius, Januarius, Jovinus, Macedonius, Caſſianus, Marcellus, Euſtachius, Maximus, Chromatius Presbyter. Qui *Nonis Septembribus* in Eccleſia conſidentes, de *Palladio*, & *Secundiano*, Epiſcopis Arianis, & *Attalo* hujus opinionis Presbytero judicium inſtituere. Petierant Palladius ac Secundianus, *congregari Concilium de extrema parte orbis Romani.* Ac Imperatores quidem conceſſere; *Ut nemo deeſſet volens, nemo cogeretur invitus.* Cùm autem moleſtiſſimum fuiſſet: *Si propter duos in fide cariofos toto in orbe eſſent Eccleſiæ Sacerdotibus deſtitutæ*, de reorum causâ Aquileienſes quæſtionem inſtituunt. Synodo præerat *Ambroſius*, quo jubente ſcriptum Imperiale à Sabiniano Diacono recitatur. Arii quoque Epiſtola lecta eſt, quæ Patrem ſolum æternum dicebat. Urgente Ambroſio, ut Palladius reſponderet, talia fatur: *Veſtro ſtudio factum eſt, ſicut dictat Lectio ſacra à vobis prelata, ut non eſſet generale & plenum Concilium. Abſentibus Sacerdotibus noſtris nos reſpondere non poſſumus. Ambroſius dixit, Qui ſunt conſortes veſtri? Palladius dixit, Orientales Epiſcopi.* Poſt multa ultrò citròque dicta *Ambroſius Epiſcopus dixit, Damna impietatem Arii*, ſilente Palladio, omnes Epiſcopi dixere, *A nobis omnibus anathema ſit Palladius. Ambroſius Epiſcopus dixit, Acquieſcis ut cætera legantur, Palladi? Palladius dixit, Date, auditores, veniant, & ex utraque parte exceptores, non poteſtis eſſe Judices, ſi auditores non habuerimus, & niſi ex utraque parte venerint qui audiant, non vobis reſpondemus. Ambroſius Epiſcopus dixit, Quos quæris auditores? Palladius dixit, Sunt hic honorati multi. Sabinus Epiſcopus dixit, Poſt tot blaſphemias auditores petis? Ambroſius Epiſcopus dixit, Sacerdotes de Laicis judicare debent, non Laici de Sacerdotibus.* Omnes unâ mente oreque Palladio, & Arium damnare nolenti, & tergiverſanti anathema dixerunt, quibus Palladius: *Ludite*, inquit, *ſine Concilio Orientali vobis non reſpondebimus.* De Secundiano, & Attalo eandem tulere ſententiam. Qua de re Galliarum Epiſcopos Epiſtolâ ſuâ Synodus monuit. Scripſit & Imperatoribus, quid à ſe geſtum ſit. Ac de Attali Presbyteri Magiſtro *Valente* ſubjiciunt, torquatum, & braccatum impietate Gothicâ, more indutum Gentilium auſum eſſe in proſpectum exercitus prodire Romani. Orant domum repetat ſuam, nec florentiſſimas Italiæ civitates contaminet. Monent primo *Petavione* ſuper poſitum S. Marco admirabilis memoriæ Sacerdoti, dejectumque à plebe Mediolanum poſt everſionem patriæ *inquietare*. Denique flagitant, ut Photinianis, qui Sirmii conventus adhùc celebrabant, *Coitione* interdicant, quo & honos Eccleſiæ, & Legibus Imperialibus reverentia exhibeatur.

Lab. Conc. t. 2. 979.

Pauli Epiſcopi reliquiæ Conſtantinopoli inferuntur.

XVII. Hoc anno Pauli Conſtantinopolitani quondam Epiſcopi reliquiæ juſſu Theodoſii Conſtantinopolim tranſlatæ ſunt, & in Eccleſia ſepultæ, quam Macedonius perſecutor ejus ædificarat; ut vel poſt obitum de ſuo perſecutore triumphum ageret. Eccleſia autem nomine Pauli eſt appellata, unde complures de plebe Paulum Apoſtolum ibi requieſcere ſuſpicabantur. Sancti Martyris hiſtoriam fuſius tractavimus anno Dom. 351.

Sozom. l. 7. c. 10.

ANNO U. C. 1135. PER. JUL. 5095. JUL. 427. DOM. 382. GRATIANI 16. VALENTIN. 7. & 8. THEODOS. 4. *Sol.* 27. B. *Lun.* 3. *Indict.* 10. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

ANNO DOM. 382.

COSS. *Antonius & Syagrius.*

Gothi ſe Romanis tradunt.

I. RApuerat Gothos in admirationem Theodoſii munificentia, qui profugum *Athanaricum* lautè magnificèque exceptum regiis poſt obitum exequiis decorarat. Quæ res eos ita permovit, ut ſe Romanorum ditioni ac poteſtati permiſerint: *Univerſa Gothorum gentes, Rege defuncto, aſpicientes virtutem benignitatemque Theodoſii, Romano ſeſe imperio dediderunt.* Diem quoque memorandæ deditionis ab oblivione exemerunt. Faſti Idacii: *Antonio Syagrio Coſſ. univerſa gens Gothorum, cum Regno ſuo in Roman. ſe tradiderunt die v. Nonas Octobris.* Infidam tamen pacem fuiſſe, monet nos Idacii Chronicum. Legem Imperator conſtituit, quæ extat in Codice Theodoſiano, ne Ethnici Templo Oſdroënenſi prohiberentur, ita tamen ut ſacrificiis prorſus abſtinerent. Quod Reſcriptum pridie Kal. Decembris Conſtantinopoli datum, Palladio Duci Oſdroënæ miſſum eſt. In dubio quippe poni videbatur, num Templum Edeſſæ quæ Oſdroënæ caput eſt, quod longè celeberrimum, fuit occluderetur, utpote ſimulachris refertum quæ ſuperſtitionis præbebant illecebram, Lege ſuâ dubiorum aculeos evellit Imperator: *Ædem olim frequentiæ dedicatam, cœtui etiam populo quoque communem, in qua ſimulacra feruntur poſita, artis pretio quàm divinitate metienda, jugiter patere, publici Concilii autoritate decernimus. Neque huic rei obreptivum officere ſentimus oraculum, ut conventu urbis & frequenti cœtu videatur.*

Oroſ. l. 7. c. 34.

C. Theod. l. 8. de Pag.

ANNO DOM. 382.

deatur. Ceſſabat à ſimulacris periculum, ſi modò ſacrificiorum uſus prohiberetur, cùm Ædes ejuſmodi civitati ſit ornamento, Manichæis etiam & condendi Teſtamenti facultate, & conventibus ſuis Theodoſius interdicit. Encratitas quoque, Saccoforos, Hydroparaſtatas proditos crimine, *Summo ſupplicio & inexpiabili pœnâ* jubet affligi. Quin etiam detegendis illis Hæreticis Inquiſitores conſtituit: *Sublimitas itaque tua det Inquiſitores*, quæ prima ad eruendos Hæreticos muneris ejus inſtitutio eſt. Subjungit: *Nemo tales occultos cogat latenteſque conventus. Agris vetitum ſit, prohibitum mœnibus, ſede publicâ privatâque damnatum. Ac ſummâ exploratione rimetur, ut quicunque in unum Paſcha diem non obſequenti religione convenerint, tales indubitanter, quales hâc lege damnamus, habeantur. Datum pridie Kal. Aprilis Antonio & Syagrio Coſſ.* Para ultima Legis Quartadecimanos perſtringit, & Audianos, qui eodem die cum Judæis Paſcha celebrabant.

Synodus Rom. ſub Damaſo ann. 382.

II. Romæ hoc anno Synodum coactam eſſe certè certòque ſcimus: quid in ea geſtum fuerit, ob amiſſorum Actorum penuriam ferè neſcimus. Synodi hujus meminit Conſtantinopolitanus conventus ſua in Epiſtola: *Dominis cariſſimis, & religioſiſſimis fratribus, & Comminiſtris Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Aſcholio, Anemio, Baſilio, & reliquis Sanctis Epiſcopis, qui in magna urbe Roma collecti ſunt.* Propoſitum quidem Occidentalibus erat, Oecumenicam Synodum congregare, impetratâ à Principibus facultate, quod Italiæ Epiſcoporum ad Theodoſium ex Epiſtola perſpicuum eſt: *Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temerè ſtatuendum eſſe conſuimus.* Orientalium in expectatione fuiſſe Occidentis Epiſcopos, verba docent Palladii Ariani ad Ambroſium Aquileienſis Concilii Præſidem: *Palladius dixit, Imperator noſter Gratianus juſſit Orientales venire, negas tu juſſiſſe eum. Ipſe Imperator nobis dixit, Se Orientales juſſiſſe venire. Ambroſius Epiſcopus dixit, Utique juſſit, qui non prohibuit huc venire.* Itaque Palladius recepit ſe reſponſurum in *pleno Concilio.* Ipſe Ambroſius cum Italiæ Epiſcopis queſtus eſt in Epiſtola ad Theodoſium, Orientales Synodum vitaſſe: *At eo ipſo tempore, qui generale Concilium declinaverunt, Conſtantinopolique geſſiſſe dicuntur.* Ad eam quoque Synodum Orientales ab Occidentalibus fuerunt invitati, quod & ipſi fatentur: *Conveneramus Conſtantinopolim juxta literas reverentiæ veſtræ, ſuperiore anno poſt Aquileenſe Concilium, ad piiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſas, ad hanc ſolam profectionem inſtructi Conſtantinopolim uſque, & de hac tantùm Synodo, Epiſcoporum qui in Provinciis remanſerant, conſenſum afferentes, de longioris autem profectionis neceſſitate nihil ſuſpicati eramus.* Cauſæ quidem & multæ, & magnæ Orientis Occidentiſque Synodum requirebant. Scindebantur in partes Eccleſia Antiochena, aliis Flaviano, aliis Paulino faventibus. *Maximus* quoque Cynicus pro Conſtantinopolitano Epiſcopo haberi cupiebat, & ſe legitimè conſecratum Italis perſuaſerat. Imò litis ſuæ arbitrium in Synodum, quæ univerſalis ſperabatur, tranſtulerat. Quam rationem fuiſſe, quamobrem Orientales adventum ſuum negarent, Itali perſuaſum habuere: *Cùm cognoviſſent ad hoc partium veniſſe Maximum, ut cauſam in Synodo ageret ſuam, quod etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, jure & more majorum; ſicut & Sanctæ memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugiſſe judicium viderentur, cùm eum, ſicut diximus, experiri velle adverſus eos, qui Epiſcopatum ejus abnuerant, comperiſſent, præſtolari utique etiam noſtram ſuper eo ſententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, ſed conſortium tamen debuit eſſe communis arbitrii.* Non exiſtimamus tamen, ea de cauſa ſuſtinuiſſe adventum ſuum, cùm probationibus legitimis caninam Maximi Cynici, & impudentiam, & fallaciam coarguere facillimè poſſent. Neque magis Baronio aſſentimur, Orientales declinaſſe, ne rationem redderent *Canonum à ſe conſtitutorum.* Quaſi verò id metuerint, qui Occidentalibus non ſubjiciebantur. Id eo quidem non fuiſſe metu, apertè liquet, cùm & Legatos ad Synodum miſerint, & de geſtis in Conſtantinopolitano ſuperioris anni Concilio Italos monuerint. Excuſationem ergo ut legitimam admittimus, quòd ea profectio & prorſus *nudaſſet Eccleſias*, quæ nunc primùm incipiebant renovari, *& præſtituti temporis anguſtia, nec ad longioris itineris apparatum, nec ad omnes communionis ſuæ Epiſcopos, qui in diverſis Provinciis ſunt, commonendos, & conſenſus ab iiſdem accipiendos ſufficeret.* Quæ vere ſincerèque dicta credimus, cùm nil cauſæ prorſus fuerit, cur patenti mendacio ſeſe contaminarent. His rationibus, quæ & conſilio, & ſpe generalis eſſe debuit, Romana Synodus in particularem abiit.

Lab. Conc. t. 2. 1008.

Lab. Conc. t. 2. 980.

Lab. Conc. t. 2. 1008.

Theodorit. l. 5. c. 9.

Lab. Conc. t. 2. 1008.

Bar. An. 382. n. 16.

Num Epiphanius, & Paulinus adfuerint Synodo R. Quid in ea geſtum?

III. Interfuere Synodo Damaſus Romæ, Ambroſius Mediolani, Valerianus Aquileæ, Aſcholius Theſſalonicæ, Anemius Sirmii, aliique Epiſcopi complures. Epiphanium Conſtantiæ, Paulinumque Antiochiæ præſentes adfuiſſe, Baronio quidem *conſtat*, nobis non item; imò veroſimillimum eſt, ab eo conventu abfuiſſe, ut ex Ambroſii ad Theodoſium Epiſtola colligimus. Qui enim Maximi adventus in Italiam meminit, de Paulino & Epiphanio eò ſe conferentibus multò magis memoraſſet: neque generatim dixiſſet, Orientales *generale Concilium declinaſſe.* Quòd ſi Paulinus pars aliqua conventus Rom. fuiſſet, nil Damaſo opus erat, ipſi apud Theſſalonicam degenti Epiſtolam mittere Synodicam, quâ hæreſes multæ percellebantur. Miſit igitur, quia abfuit à Synodo. Romano Concilio Canonem de prærogativa ſedium Baronius vindicavit: *Quamvis per orbem Catholica diffuſa Eccleſia, quaſi unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Eccleſia non ullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini Salvatoris noſtri Primatum obtinuit*, &c. Monet tamen Labbeus, hæc pertinere ad Concilium Romanum primum, ſub Gelaſio anno 494. celebratum. Ut annis plus centum à veri tramite hîc Baroniana Chronologia deflexerit. In eâ Damaſi Synodo Maximus Cynicus pro Conſtantinopolitano Epiſcopo agnitus eſſe videtur, ut ex Italorum Epiſtola facimus conjecturam: *Itaque cùm Maximum Epiſcopum receperint in communionem noſtra conſortia, quoniam eum à Catholicis conſtitit Epiſcopis ordinatum, nos ab Epiſcopatu Conſtantinopolitani putavimus petitione removendum.* Non ſine multa probabilitatis ſpecie Epiſtola Damaſi Synodica contra diverſas hæreſes Rom. Synodo aſſignatur, quæ extat apud Theodoritum: *Confeſſio fidei*,

Bar. An. 382. n. 19.

Lab. Conc. t. 2. 1013.

Lab. Conc. t. 2. 1008.

Theodorit. l. 5. c. 11.

ſidei, quam Papa Damaſus miſit ad Paulinum Epiſcopum, cùm eſſet Theſſalonicæ. Hoc quidem anno Paulinus ex Oriente Romam venit, ut nil miri ſit, cùm in Macedonia verſabatur, eò miſſam à Damaſo fuiſſe hanc fidei profeſſionem. Deceptus verſionibus Baronius, quibus nimis fidit, aſperè in Theodoritum invectus erat: *Scripta*, inquit, *ſunt Synodalis Epiſtola à Damaſo ex Romano Concilio ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum. . . Pro Paulino Antiocheno poſuit Paulinum Theſſalonicenſem, ne videlicet ex illis ſaltem literis communicatio Damaſi cum Paulino convinci poſſet.* Beavit nos tamen illuſtriſſimus Purpuratus, qui quam *revelaverat ignominiam Patris*, velo tegere coactus eſt, ubi ex inſpectione Græcorum fontium, *Theodoritum omni carere culpâ* deprehendit, quam in interpretem meritò transtulit. Non tamen audiendus eſt, cùm Damaſi hanc Epiſtolam aſſignat anno CCCLXXIII. quo tempore quidem Paulinus non agebat Theſſalonicæ. Longè igitur ſatius eſt, Synodo Rom. anni 382. illam Epiſtolam aſcribere. Varia continet in varias hæreſes Anathemata. Arium, Eunomium, Macedonianos, Photinum, jaculatur, quibus hæc ſubjungit: *Hæc eſt ergo ſalus Chriſtianorum, ut credentes Trinitati, id eſt, Patri, & Filio, ac Spiritui S. & in eam baptizati, veram ſolamque divinitatem, potentiam, majeſtatem, & ſubſtantiam ejuſdem ſine dubio credamus.*

Bar. An. 378. n. 41.

Theodorit. l. 5. c. 11.

Conſtantinopoli Synodus anni 382. Quid egerit?

IV. Sedente Romanâ Synodo, ſuam & Conſtantinopoli Orientales habebant. Plerique Epiſcoporum, qui ſuperiori anno in regia urbe à Theodoſio accerſiti fuerant, ob negotia Eccleſiaſtica *ſequenti æſtate*, quæ eſt labentis anni, eò ſe contulere. Poſt Aquileenſe Concilium Occidentales Imperatori ſcripſerant, ut qui ad ipſius ditionem Epiſcopi pertinebant, in Italiam tenderent, Synodo Oecumenicæ celebrandæ. De longinqua ea profectione nil cogitantes, ad Conſtantinopolim uſque venere. Neque longius procedere poterant, prohibente anguſtiâ temporis, quòd ad ſuæ communionis Epiſcopos commonendos, & conſenſus ab iiſdem accipiendos neceſſarium fuit. Sed & Orientalis Eccleſiæ ſtatus impedimento erat, quominus Romam tenderent: *Etſi enim*, inquiunt, *perſecutionum violentiâ penitùs liberati videmur, & Eccleſias diu ab Hæreticis poſſeſſas perfectè recuperaſſe, tamen moleſti ſunt nobis lupi, qui poſtquam ab ovibus depulſi ſunt, ovium greges in ſaltibus diripiunt, contrarios conventus agere præſumunt, populorum concitant ſeditiones.* Porrò cùm *veluti membra propria, piiſſimi Imperatoris literis* evocarentur, ex ſuo conventu tres Legatos Romam mittunt: *Reverendiſſimos & cariſſimos fratres, & Comminiſtros, Cyriacum, Euſebium, & Priſcianum deprecati, ut ad vos alacri animo proficiſcerentur.* Teſtantur &, Se credere *in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. æqualem item dignitatem, & coæternum imperium in tribus perfectis hypoſtaſibus.* Conſequenter pugnantes fidei quæ graſſabantur, hæreſes damnant. Quid in ſuperioris anni Oecumenicâ Synodo geſtum ſit, Nectarii videlicet in Conſtantinopolitana, Flaviani in Antiochena Eccleſia ordinationem memorant. Monent quoque *Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, reverendiſſimum ac religioſiſſimum Cyrillum, Epiſcopum eſſe, qui & Canonicè ab Epiſcopis Provinciæ olim fuit ordinatus, & plurima variis in locis contra Arianos certamina ſubiit.* Egregio hoc Antiquitatis monumento, quænam Eccleſiæ hujus ævi diſciplina fuerit, certè certòque deprehendimus. Damaſum Epiſcopoſque, quibus in Synodo præerat, *fratres* vocant, & *Comminiſtros*: piiſſimi *Imperatoris literis* ſe in urbem Romanam ad Concilium evocatos fuiſſe teſtantur, quibus luce clarius eſt, non id Damaſi ſortis fuiſſe, ut & Principem ageret Eccleſiæ, & autoritate ſuâ Epiſcopos ad Concilium Oecumenicum accerſeret. Accuratæ Richerii ad hanc Conſtantinopolitanorum Epiſtolam obſervationes legantur in Hiſtoria Conciliorum Generalium t. 1. p. 92. Porro in Labbeana Conciliorum Collectione ea Conſtantinopolitanæ Synodi ad Romanam Epiſtola anno 381. perperàm aſſignatur, quæ ſequenti eſt vindicanda.

Theodorit. l. 5. c. 9.

De Chryſoſtomi anno natali.

V. In ſcenam nunc prodeat magnus ille Chryſoſtomus, Orientis decus & lumen, Conſtantinopolitanæ Paſtor Eccleſiæ futurus, qui anno ſuperiore creatus à Meletio Diaconus, famâque ſcriptiſque multum inclareſcere cœpit. Joannes, ob eloquentiam Chryſoſtomus dictus, Antiochiam Syriæ Metropolim patriam habuit. Patre *Secundo*, matre Anthuſâ genitus eſt, claro apud ſuos genere: *Natum è parentibus qui nobiliter vixerant in officio Magiſtri Militum Syriæ, Patri in lucem editum poſt ſororem*, teſtatur Palladius. Ac Georgius Alex. narrat *Secundum, Anthuſamque* à Meletio, & ad fidem adductos, ejuratis quæ colebant numinibus, & ſacris undis expiatos, quæ nos in incerto relinquimus, cum parvæ ſit autoritatis liber ille Georgii, de vita Chryſoſtomi, utpote fabulis multis reſperſus. Autor Menologii, pravâ Theodoriti interpretatione *Publiam* Chryſoſtomo matrem fuiſſe prodidit: *Die IX. menſis Octobris S. Publia, Imperante Juliano, in urbe Antiochia, probitate morum celeberrima, viri ſui conſuetudine paucos annos uſa, peperit fœtum Deo dignum, admirabilem illum Joannem, cognomento Chryſoſtomum:* Si tamen accuratius obſervetur Theodoritus, utique Joannem Publiæ inter, & Chryſoſtomum diſcrimen conſtituit: Publiæ filius *Presbyterorum Antiochiæ diutiſſimè Princeps fuit, & ad regendam Apoſtolicam ſedem, ſæpe communibus ſuffragiis electus, eum honorem declinavit.* Quæ Chryſoſtomo non conveniunt. De anno natali Chryſoſtomi controverſia eſt inter eruditos. In Epitome vitæ Chryſoſtomi, à clariſſimo Bigotio edita, Sancti Patris ortus, cum anno CCCLIV. conjungitur: *Simul vitæ ejus tempus ſunt anni quinquaginta duo & menſes octo.* p. 228. Cùm itaque 18. Kal. Decembris anno 407. mortem obierit, ſi tum temporis annos 52. & menſes 8. impleverat Chryſoſtomus, nativitas ejus in menſem Aprilem anni 354. incidit. Huic ſe Chronologiæ Baronius addixit, fretus autoritate Leonis Imperatoris, Zonaræ, Georgii, aliorumque Græcorum. Quam & ſententiam Cavius amplexus eſt. Eſt tamen à vero prorſus aliena, ſi Palladium dicamus arbitrum, Chryſoſtomo coætaneum, qui ipſius vitam ſic digerit. Annos XVIII. natus cùm à Sophiſtis deſciviſſet, ut mente virili fuit, cum Meletio manſit triennio. Dein cùm in Monachum Syrum incidiſſet, durum ipſius vivendi genus imitatur quadriennio. Poſteà in ſpeluncam ſeceſſit ſolus, ibique biennium egit. Inde poſtquam altari annos quinque miniſtraſſet, à Meletio Diaconus ordinatur. A Flaviano Presbyter creatus annos XII. in Eccle-

Pall. Vit. Chryſ. c. 5. 40.

Theodorit. l. 3. c. 19.

Bar. An. 362. n. 133.

ſia

ANNO DOM. 382.

ſia Antiochena tranſegit. Qui anni collecti ſummam quidem conſtituunt annorum XLIV. At etiam atque etiam eſt obſervandum, ut à Sophiſtis receſſit Chryſoſtomus, non ſubinde Meletii domum ingreſſum eſſe, ſed ubi *mente virili* fuit, quæ non eſt hominis annos XVIII. nati. Fuit ergo temporis intervallum, triennium ſcilicet, antequam relictis Sophiſtis dein familiariter Meletio uteretur, ut vero proximum ſit, & anno circiter CCCXLVII. editum eſſe, & ſexagenarium ad plures abiiſſe. Quod etiam oſtendunt Opera jam multa anno CCCLXXXII. ab ipſo condita, & tempus quod foro prius dicavit, quàm Sacrorum Librorum amore caperetur. Ut enim à foro ſe abſtraxit, Carterii Diodorique, qui Antiochenſibus Aſceteriis præſidebant, diſciplinam prius coluit, quàm apud Meletium habitaret: virilitatem igitur induerat, cùm in ipſius contubernium admiſſus eſt.

De ſtudiis Chryſoſtomi. Quis Baſilius ipſi amicus?

VI. Vix de vita hauſerat aliquid, cùm patrem amiſit. *Anthuſa* verò licet ætate, fortunæque bonis floreret, expertem viri vitam agere voluit. Quæ res admirationem effecit *Libanio*, Sophiſtæ clariſſimo. Annos enim viginti nata erat, cùm maritum amiſit. Temperare igitur non potuit, quin exclamaret, *En quales mulieres apud Chriſtianos ſunt.* Decem & octo annos agens, à Sophiſtis qui voculas captant deſcivit. In Rhetorica *Libanium*, in Philoſophia *Andragathium* Magiſtros habuit. Ac ſtudiis eloquentiâque tantum profecit, ut omnium ætatis ſuæ Oratorum præſtantiſſimus evaſerit, Judice vel Libanio. Nam cùm moriturus eſſet, percontantibus amicis, quis in ejus locum ſuccederet: *Joannes*, inquit, *niſi Chriſtiani ſubripuiſſent.* Ad forum deinde convertit animum, ut ipſe teſtatur in libris de Sacerdotio, dum de amicitia, quâ cum Baſilio conjungebatur, mentionem facit: *Qui fieri poſſet, ut qui continenter judiciis ac foro intereſſem, ac Scenæ oblectamenta attonitus ſectarer, frequenti uti poſſem conſuetudine ejus, qui nonniſi libris affixus, in forum nunquam veniret.* Quibus apparet, ut Sophiſtarum ludo egreſſus eſt, non è veſtigio ſe ad Meletium convertiſſe. Quis verò Baſilius ille fuerit, quem tenerrimo amore complectebatur, eſt in obſcuro. Baſilium Magnum, qui poſtmodum Cæſareæ creatus eſt Epiſcopus, in eo quærit Socrates, cujus ſententiam ſequuntur *Eraſmus* in vita Chryſoſtomi, nec non *Germanus Brixius* in ſua ad verſionem librorum de Sacerdotio præfatione. Falluntur tamen quicunque hanc in ſententiam deſcenderunt, ut palam eſt verbis ipſius Chryſoſtomi: *Earumdem diſciplinarum ſacris initiati fuimus, tum etiam Præceptoribus iiſdem operam uterque dedimus. Neque enim ob patria amplitudinem claritatemque alter altero ſeſe plus efferre, ac venditare poterat.* Quæ profectò ad Baſilium Cæſarienſem quadrare nequeunt. Neque enim claritate Baſilii M. patria cum illa Chryſoſtomi certare poterat, neque Athenis verſatus fuerat Chryſoſtomus, ut Baſilii Præceptoribus uteretur. Quòd ſi tantâ cum Chryſoſtomo conjunctus amicitiâ Baſilius fuiſſet, multas utique ad ipſum Epiſtolas ſcripſiſſet, quarum aliqua ad nos perveniſſet. Sed & annis Chryſoſtomo longè major Baſilius fuit. Non abludit à vero, Baſilium illum *Raphanenſem* Epiſcopum eſſe, qui Conſtantinopolitano Concilio Oecumenico adfuit, ultimuſque poſt Syriæ Provinciæ Epiſcopos ſubſcripſit. Feliciter foro militaſſe Chryſoſtomum, Baronius probat ex Libanii literis, quas recitat Iſidorus Peluſiota in Epiſtola ad Ophelium: *Cùm pulchram tuam & elegantem Orationem accepiſſem, viris quibuſdam, qui & ipſi Orationum opifices & architecti ſunt, eam legi. Quorum nullus erat, qui non ſaltaret, & clamorem ederet.* Quæ Libanii ad Joannem verba ad Chryſoſtomum pertinere Iſidorus arbitratur. Magis tamen placet conjectura Valeſii. Libanii hanc Epiſtolam ad Joannem ſcriptam eſſe, qui tum Conſtantinopoli agebat, & qui Panegyricum illic dixit Theodoſio, ob filios ad conſortium regni aſſumptos. Nec Antiochiâ exceſſit Chryſoſtomus, ut Libanius qui Antiochiæ Rhetoricam docebat, ad illum abſentem literas daret. Cùm porro Chryſoſtomus laborioſum iniquumque vivendi genus hominum, qui in foro verſantur, attento animo conſideraſſet, tranquilliorem ſequi vitam maluit: *Quod fecit exemplo Evagrii, qui ſub iiſdem Præceptoribus eruditus, ad quietam vivendi rationem jam pridem ſe contulerat.* Evagrium putamus illum eſſe, cujus in ſuo Chronico meminit Hieronymus: *Zenobia apud Immas haud longè ab Antiochia vincitur. In qua pugna ſtrenuiſſimè adverſus eam dimicavit Pompeianus Dux, cognomento Francus, cujus familia hodieque apud Antiochiam perſeverat: ex cujus Evagrius Presbyter cariſſimus nobis ſtirpe deſcendit.* Non nobis hîc Baronii errorem diſſimulare licet, qui de Evagrio hæc habet: Socrates *addit*, *Evagrium Juniorem, filium Senioris Evagrii, nobiliſſimi civis Antiocheni in eremum jam anteà conceſſiſſe.* Quæ nullo veſtigio reperiuntur in Socrate. Non *Junior* Evagrius, non filius Senioris Evagrii, non in eremum conceſſiſſe dicitur. Quod ſi Juniorem Baronius nominavit oppoſitione factâ ad *Seniorem* Evagrium, cujus meminit anno CCCLXII. n. 226. iterum fallitur ex verſione Baſilii: ὁ Πρεσβύτερος Εὐάγριος, ab interprete ſic redditur, *Senior Evagrius*, cùm verti debuiſſet, *Presbyter Evagrius, filius Pompeiani Antiochenſis, qui quondam migravit verſus Occaſum cum Euſebio.* Ut ſtatuit apud ſe Chryſoſtomus animum applicare melioribus ſtudiis, ſacræ Philoſophiæ Magiſtros habuit eos, qui tum temporis nobilibus illic Monaſteriis præſidebant, Carterium & Diodorum. Antiochiæ in ſuburbiis poſita ea Aſceteria videbantur, ut viri pii, qui Sacrorum Librorum lectioni aſſiduè vacabant, ab omni turba & tumultu procul abeſſent.

Chryſoſtomus Lector ordinatur. Eremum petit. Libri.

VII. Dum captus amore ſacrarum Literarum Chryſoſtomus, illis legendis admover animum, frequenter ad Eccleſiam orationis causâ properabat: *Ac perſuaſit etiam Theodoro & Maximo, Condiſcipulis ſuis, qui unà cum ipſo Libanium Sophiſtam audierant, ut relictâ profeſſione, quæ nihil præter quæſtum ſpectaret, ſimplicem potius ac tenuem vitam amplecterentur.* Porro anno 372. magnum in periculum venit. Dum ob Theodori rebellionem libri magici mandato Valentis quærerentur, qui librum ejuſmodi ſcripſerat, illum projecit in flumen. Fortè tum temporis ſocio comitatus tranſibat Chryſoſtomus. Recepto libro, invenere magica. En momento advenit miles, ejus præſentiâ metu correpti libro abjecto, periculis liberantur. Dum Eccleſiam frequentat Chryſoſtomus, Meletius cognito felici juvenis ingenio, permittebat ei ſecum aſſiduè verſari: *Cùm verò tres annos aſſiduè apud eum manſiſſet, ſacro lavacro ab eodem initiatus Lector promovetur.* A Zenone Epiſcopo Hieroſolymis

Sozom. l. 8. c. 2.

Chryſ. de Sacerd. l. 1.

Chryſ. de Sacerd. l. 1.

Valeſ. Annot. in Socr. p. 76.

Socr. l. 6. c. 3.

Bar. An. 382. n. 63.

Baſil. Ep. 8.

Soz. l. 8. c. 2.

Socr. l. 6. c. 3.

Hom. 38. in Act.

Pallad. Vit. Chryſ. c. 5. 41.

ſolymis redeunte creatum Lectorem eſſe, Socrates narrat, repugnante Palladio. Baronius Valeſiuſque, ut Socratem cum Palladio concilient, exiſtimant Zenonem Tyri Epiſcopum fuiſſe, qui tunc abſente Meletio ipſius in Eccleſia Antiochena Vicarius fuit. Propriis tamen Meletii manibus ut initiatum, ſic & Lectorem conſecratum Palladius indicat. Eſt porro & Baronio in ea re peccatum, dum Socratem vexat, quaſi dixiſſet, Zenonem *Hieroſolymorum Epiſcopum* fuiſſe. Quod Socrati immerito aſcribitur. Sed fallax quoque eſt Baronii conjectura, de Zenone ſcribentis: *Vel quod tradit Nicephorus Majumæ Epiſcopo.* Imperante ſiquidem Theodoſio ad Majumæ Epiſcopatum Zeno evectus eſt: *Epiſcopatum Eccleſiæ illius ſortitur, id autem contigit Principatu Theodoſii.* Juvenili Chryſoſtomi animo civitatis labores non ſufficiebant. Magna itaque ipſum cupido inceſſit, vitam agere ſolitariam. Quod conſilium Baſilius adjuvabat: *Adhortabatur, ut domo uterque relictâ, unà habitaremus.* Quod ubi Anthuſa ſubodoratur: *Me*, inquit, *ſibi aſſidere voluit ſuper lectum, in quo me enixa fuerat.* Tum hæc dixit lachrymans: *Ubi corpus hoc à te ſepultum cum patris tui oſſibus conjunxeris, tum demum filii longas profectiones ſuſcipito.* Maternis & precibus, & lachrymis permotus Chryſoſtomus, paternos habitaſſe lares videtur, quoad Anthuſa vixit. Eâ defunctâ ad vicinos montes accedens, in Syrum quendam incidit, ſeveriſſimæ continentiæ ſenem, cujus duriora vitæ inſtituta quadriennio imitatus, eo relicto ſeceſſit in ſpeluncam, ſolus deliteſcere cupiens: *Illic annos moratus eſt duos, quibus inſomnis, ut plurimum perſtitit, Chriſti Teſtamentum, quo ignorantiam expelleret addiſcens. Cùm toto illo biennio nec interdiu, nec noctu decubuiſſet, proxima ventri ei ſunt emortua, lumborumque vires pro frigore profligata.* Impar ferendo exercitii hujus oneri ad Eccleſiam rediit, à ſpeluncis avulſus, inde quinquennio Eccleſiæ miniſtrat, quo labente Baſilius ad Epiſcopatum promovetur. Fama erat, utrumque Sacerdotali officio deſtinari. Jam dies advenerat, in quo eligendi ambo erant. Tum inſcio amico Chryſoſtomus latebras petit, quo factum, ut ſoli Baſilio Præſulis dignitas adjungeretur. Cùm Baſilius Raphanenſis Conſtantinopolitanæ Synodo Oecumenicæ Epiſcopus adfuerit, hinc nobis exoritur conjectura, Baſilium ad Epiſcopatum prius evectum eſſe, quàm Chryſoſtomus à Meletio ſub annum CCCLXXXI. Diaconus crearetur. Novam dignitatem adeptus, quaſi præmium collati muneris Eccleſiæ deferre voluit, condito adverſus Gentes libro, cujus Epocham ipſe docuit; vigeſimum videlicet annum à Templi Daphnæi conflagratione, quæ XI. Kal. Novemb. anno CCCLXII. imperante Juliano contigit: *Ecce jam vigeſimus, annus*, inquit, *agitur, nec tamen ædificii ab igne relicti pars ulla deleta eſt.* Deinde celeberrimos de Sacerdotio libros edidit, teſte Socrate: *Nec multò pòſt Diaconi dignitatem à Meletio conſecutus, ſcripſit libros de Sacerdotio, & alios adverſus Stagirium, ad hæc de incomprehenſibili Dei natura, & de commanentibus Mulieribus.* Sunt tamen eruditi, qui non ſine cauſa exiſtimant, libros de Sacerdotio à Chryſoſtomo ante Diaconatum conditos fuiſſe, quæ Blondelli ſententia eſt de Primatu p. 1256. De Sacerdotio libri ſex omnibus admirationi fuere. Teſtis Iſidori Peluſiotæ ad Euſtathium Epiſtola: *Sapiens ille & eruditus arcanorum Dei interpres Joannes, Byzantinæ Eccleſiæ, atque adeò Eccleſiarum omnium oculus, librum eum ita ſubtiliter, & prudenter atque accuratè condidit, ut omnes tam qui, ut Deo gratum eſt, Sacerdotio funguntur, quàm qui negligenter & ignavè Sacerdotalem dignitatem adminiſtrant, hic & virtutes ſuas, & vitia reperiant.* Huic & Operi Chryſoſtomi lucubrationes Suidas omnes poſtponit: *Excellunt ſermones de Sacerdotio, tum ſublimitate & elocutione, tum lenitate, & elegantiâ verborum.* De Chryſoſtomo erit iterum dicendi locus, ubi de ipſius Epiſcopatu tractabitur.

Bar. An. 382. n. 66.

Sozom. l. 5. c. 9.

Chryſ. de Sacerd. l. 1.

Pallad. Vit. Chryſ. c. 5.

Socrat. l. 6. c. 3.

Iſid. Epiſt. l. 1. 156.

VIII. Anno ſuperiore Gregorius relictâ Conſtantinopoli, patriam repetierat ſuam. Quid illic egerit, paucis videndum, cùm vel in privato obſcuroque loco degens multum Eccleſiæ profuerit. Muneris Epiſcopalis pertæſus, nil antiquius habuit, quàm ut Nazianzi Epiſcopus aliquis præficeretur. Helladium igitur, qui Baſilio Magno ſuffectus erat, enixè rogat, ut Antiſtitem conſtituat. Ad eum ſcripſerat Helladius de ſacro Paſchatis die celebrando, pro eo more, ut majores Præſules literis Epiſcopos ſuis de eo feſto monerent. Scribenti reſpondit Gregorius, Optare ſe, ut Helladius vivus & incolumis eam ſæpius feſtivitatem agitet. Addit: *Si mihi datis ſenectutem commodè claudere, huic Eccleſiæ Epiſcopum conſtituite, quem Spiritus S. deſignavit.* Precibus annuit Helladius, qui Nazianzi *Eulalium* præfecit. Quo conſecrato, ſpargitur rumor, Gregorium vel invitum paternâ ſede ejectum fuiſſe. Nunciam falſi famam ut refelleret, Nyſſeno ſcribit, ſe propter effœtum corpus, & emortuum à Dominis Epiſcopis gratiam hanc poſtulaſſe, ut conſtitueretur *Eulalius*, nec legibus adverſantem, cùm inter omnes conſtet, ſe non Nazianzi, ſed Zazimorum Antiſtitem creatum eſſe. Optat etiam, ut Eulalii in manibus immori ſibi contingat. Intereà vocatur ad Conſtantinopolitanam Synodum, quæ æſtate hujus anni celebrata eſt, quam detrectavit profectionem ob & valetudinem corporis, & mentem à conventibus Eccleſiaſticis abalienatam, ut ſcribit Procopio Epiſtolâ LV. *Ego ſi vera ſcribere oportet, hoc animo ſum, ut omnem Epiſcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum & fauſtum vidi.* Cùm novis rurſus literis adventus ipſius repeteretur, Olympio Cappadociæ Præfecto ſcribit: *Hoc mihi morbo ipſo gravius eſt, quòd cùm æger ſim, ægrotare non credar.* Gravem tamen morbo ſe ſuo habere teſtatur, à quo eâ profectione prohibetur.

Eulalius rogante Gregorio Nazianzi præficitur.

Naz. Ep. 54.

Naz. Ep. 42.

Naz. Ep. 76.

IX. Imperatorum literis facultas Orientis Epiſcopis conceſſa fuerat, de Concilio celebrando Romam petere. Nil tamen mandati datum, ut ex Actis Aquileenſibus exploratum eſt: *Præfectus Italiæ literas dedit, ut ſi vellent convenire, in poteſtate haberent.* Quòd ſi proficiſcendi injuncta ipſis neceſſitas fuiſſe, utique juſſis obtemperare non potuiſſent. Conſtat quidem, Paulinum, Epiphaniumque in urbem contendiſſe, quò tamen non niſi Synodo jam finitâ perveniſſe exiſtimamus. Teſtemque damus Hieronymum, qui Paulino Epiphanioque comes itineris fuit. Non integro triennio Romæ commoratus eſt Hieronymus, ut ipſe Aſellam docuit, dum de Romanis hæc ſcribit: *Penè certè triennium cum iis vixi.* Itaque præcipiti jam autumno in urbem cum Paulino, & Epiphanio ſe contulit, utpote eâ egreſſus menſe Auguſto, ad repetendum

Hieronymi cum Paulino Romam profectio.

Hier. Ep. 99.

ANNO DOM. 382.

Hieron. Apol. 3. contra Ruf. c. 7.

petendum Orientem: *Menſe Auguſto, flantibus Eteſus cum S. Vincentio Presbytero &c. navim in Romano portu ſecurus aſcendi.* Jam verò Synodus R. ante æſtatem celebrata eſt, utpote quæ Conſtantinopolitanæ non nihil anteceſſerit, æſtate coactæ. Quæ nobis obſervantur adverſus Baronium, qui contendit, Paulinum Antiochenſem, & Epiphanium Conſtantienſem à Synodô R. non abfuiſſe. Quid verò in ea peregrinatione Hieronymo contigerit, cùm ad illuſtrandos Annales conducat, paucis eſt declarandum. Ut abiit Epiſcopatu Gregorius, Hieronymus qui eo Doctore uſus erat, relictâ Conſtantinopoli in Orientem migraverat. Romam verò currente anno properantibus Paulino & Epiphanio comes acceſſit:

Hier. Ep. 16.

Cùm & me Romam cum Sanctis Pontificibus, Paulino & Epiphanio Eccleſiaſtica traxiſſet neceſſitas. Damaſi literis accerſitum urbem petiviſſe, creditum Baronio. At de hiſce literis ne verbulum quidem in Hieronymo. Exiſtimamus potius Paulini, cujus Presbyter erat, autoritate permotum, itineris ſe comitem addidiſſe, ut Epiſcopo ſuo adjumento eſſet. Per Macedoniam iter ipſos ſuſcepiſſe, docet Confeſſio Damaſi Paulino miſſa, dum Theſſalonicæ verſabatur. Inde Athenas migrarunt. Dum quæ aſpectu digniora ſunt, oculis luſtrat Hieronymus: *In arce*, inquit,

Hieron. in Zach. c. 12.

Athenienſium juxta ſimulachrum Minervæ vidi ſphæram æream graviſſimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpuſculi movere vix potui. Cùm quærerem, Quidnam ſibi vellet, reſponſum eſt ab urbis ejus cultoribus, Athletarum in illa maſſa fortitudinem comprobari. Paula mulier illuſtris Romæ

Hier. Ep. 27. c. 2.

Epiphanium hoſpitem habuit. Paulinum in aliena manentem domo, quaſi proprium humanitate poſſedit. Quorum accenſa virtutibus, per momenta patriam deſerere cogitabat.

Núm Cardinalis Hieronymus? Quid Romæ egerit?

X. Invaluit obſcurioribus ſeculis opinio, Hieronymum ad Cardinalis apicem Romæ à Damaſo erectum fuiſſe. Micrologus in Eccleſiaſticis Obſervationibus: *Beatus quoque Hieronymus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Presbyter*, &c. Pſeudo-Auguſtinus Sermone 24. ad fratres in Eremo:

Microl. c. 29.

Legimus, fratres chariſſimi, S. Patrem Hieronymum Cardinalem fuiſſe in Eccleſia S. Laurentii Martyris. Quæ certè fabula eſt. Sedente Damaſo purpuram geſtare nulli Presbyteri videbantur: neque Cardinalis dignitate unquam celebratur Hieronymus, qui Eccleſiæ non Romanæ quidem, ſed Antiochenæ potius Presbyterum agebat, ubi & ordinatus fuit. Neque ulli urbis Eccleſiæ Rector, Diaconuſve impoſitus eſt. Id ſolum munus geſſit, ut Damaſi eſſet à ſecretis, quod & ipſe teſtatur ad Ageruchiam Epiſtolâ: *Ante annos plurimos cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum, Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis conſultationibus reſponderem.* Quòd verò eo tempore contigerit, adeò inauditum eſt, & mirum, ut temperare nequeamus, quin noſtris & Annalibus illud inſeramus. Rem ipſe narret Hieronymus:

Hier. Ep. 11.

Vidi duo inter ſe paria, viliſſimorum è plebe hominum comparata; unum qui viginti ſepeliſſet uxores: alteram quæ viceſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi ut ipſi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum pariter & fœminarum poſt tantas rudes, quis quem prius efferret: vicit maritus, & totius urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens, adoreamque, per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præcedebat. Quid verò inſtituendis animis in urbe egerit Hieronymus, ex ipſo audire par eſt:

ANNO DOM. 382.

Hier. Ep. 99.

Multa me virginum turba crebrò circundedit, divinos Libros ut potui, nonnullis ſæpè diſſerui. Frequenter ad eum accedebat *Marcella*, ut de Scripturis interrogaret: ſed & *Albina* mater Marcellæ quæſtiones ipſi proponebat ſolvendas, quas examinabat, ut non *tam diſcipulam, quam Judicem* ſe habere ſentiret.

Helvidius quis? Ejus error.

XI. Opportunè in urbem ſe contulit Hieronymus, ut Helvidii temeritatem comprimeret. Quis vero Helvidius, doceat Gennadius libro de Viris Illuſtribus: *Helvidius Auxentii diſcipulus, Symmachi imitator, ſcripſit religionis quidem librum ſtudio, ſed non ſecundum ſcientiam, neque ſermone, neque ratione nitidum. Cujus Operis ita Sanctarum Scripturarum ſenſus ad ſuam perverſitatem flectere conatus eſt, ut earum teſtimoniis aſſerere voluerit, S. Mariam poſt nativitatem Domini, quem Virgo peperit, Joſepho ſponſo ſuo junctam, & ex ejus conſortio filios ſuſcepiſſe, qui fratres Domini appellati ſunt.* Clericus, an Laicus fuerit Helvidius, eſt in obſcuro, neque adverſarius ejus novit Hieronymus, qui de eo ad unum ſciebat, civitatis Romanæ incolam eſſe: *Ego ipſe*, inquit, *qui contra te ſcribo, cum in eadem tecum urbe conſiſtam, albus, ut, ajunt, aterve ſis, neſcio.*

Hieron. advers. Helvid. c. 8.

Eò tamen inclinat animus, ut de Clericis unus fuerit, utpote qui & Auxentii Mediolanenſis Epiſcopi diſcipulus, & in Scripturæ, Patrumque lectione verſatus fuerit: *Scioluſ ſibi viſus, Tertullianum in teſtimonium vocat, & Victorini Petabionenſis Epiſcopi verba proponat*, c. 9. Quæ partes potius Clerici ſunt, quam Laici. Negabat & Helvidius, majora virginum, quàm conjugum eſſe merita: *Homo ruſticanus, & vix primis quoque imbutus literis* audit Hieronymo. Alii fortè diverſæ ſententiæ fuère, nec tam vilis videtur homo, cujus liber *fratrum* precibus ab Hieronymo refelli debuit. Placuit & Apollinaris diſcipulis, de B. Virginis poſt Chriſtum editum cum Joſepho conſuetudine Helvidiana ſententia, quam *Antidicomarianitarum* nomine vocatam damnavit Epiphanius, miſſâ in Arabiam Epiſtolâ.

Epiph. h. 78.

Jovinianus quis? Ejus errores.

XII. Eodem, quo Helvidius loco prodiit Jovinianus, Mediolanenſi civitate, novus Hieronymo adverſarius. Fuit in ea urbe Monaſterium, de quo mentio eſt apud Auguſtinum: *Erat Monaſterium Mediolani, plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia ſub Ambroſio nutritore.* Alumnus hujus Aſceterii Jovinianus currente anno eos ſpargere cœpit errores, qui docenti fuerunt infamiæ. Monachum egiſſe, teſtatur Hieronymus:

Auguſt. Confeſſ. l. 8. c. 6.

Hier. ad Jov. l. 1. c. 25.

Cùm Monachum eſſe ſe jactitet, & poſt ſordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum ad candidam veſtem, & nitidam cutem, ad mulſum & elaboratas carnes, & popinas ſe conferat. Promiſſi profeſſique Monachatus deſertor donavit avaro ventri quidquid quærebat, voluptatibuſque diffluebat, ut audierit *Epicurus Chriſtianorum*, ſi fides Hieronymo:

Hier. adv. Jov. l. 2. c. 13.

Antè nudo eras pede; modò non ſolùm calceato, ſed & ornato: tunc pexâ tunicâ & nigrâ ſubuculâ veſtiebaris, ſordidatus & pallidus, & calloſam opere geſtitans manum; nunc lineis, & ſericis veſtibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, coma in occipitium, frontemque tornantur. Quos induxerit errores, nemo Veterum melius novit, quàm Hieronymus, qui *Commentariolos* ipſius refellendos legit, evolvitque: *Dicit, Virgines,*

Hier. ad Jov. l. 1. c. 2.

ANNO DOM. 382.

nes, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lota ſunt, ſi non diſcrepent, cæteris operibus ejuſdem eſſe meriti. Nititur approbare, eos, *qui plenâ fide in baptiſmate renati ſunt, à Diabolo non poſſe ſubverti. Tertium proponit, inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam eſſe diſtantiam. Quartum, quod & extremum, eſſe omnium qui ſuum baptiſmum ſervaverint, unam in regno cœlorum remunerationem.* Alios Joviniano impingit errores Auguſtinus, qui Hieronymo ignorabantur:

Aug. de Hær. c. 82. *Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens, Eam pariendo fuiſſe corruptam.* Quæ tamen non diligenter explorata, ſed ex incerto rumore Joviniano aſcripta eſſe exiſtimamus. Nunquam profectò illos errores diſſimulaſſet Hieronymus, *qui adverſarii ſententias de tenebroſis libris ejus, quaſi de foveis ſerpentes protraxit*, in quibus nil invenit ejuſmodi, quòd & peccata ad æqualitatem omnia redigerit, & Mariæ virginitatem impugnaret. Noſtram quoque conjecturam firmat Reſcriptum Ambroſii

Lab. Conc. c. 2. 1025. ad Siricium: *Sed de via perverſitatis produnt, ur dicere, Virgo concepit, ſed non Virgo generavit.* Verbum *produntur* indicat non ex certa notitia, ſed ex fama affingi hæc Joviniano, veluti ipſius doctrinæ conſequens. Hanc quoque Doctoris ſui ſententiæ opinionem diſcipuli Joviniani addere potuerunt.

Joviniani libri: damnatio: exilium: mors.

XIII. Commentariolos edidit Jovinianus, barbaros ſanè, & vitiis ſpurciſſimis ſermonis confuſos, ut ex uno hoc ſpecimine apparet, quod ab oblivione vindicavit Hieronymus: *Satiſfacio invitatus, non ut claro curram nomine, ſed ut rumore purgatus vivam vano. Obſecro agium, novellas plantationum, arbuſta teneritudinis, erepta de vitiorum gurgitibus, audientiam communitam agminibus. Scimus Eccleſiam, ſpe, fide, charitate inacceſſibilem, inexpugnabilem; non eſt in ea immaturus, omnis docibilis; impetu irrumpere, vel arte illudere poteſt nullus.* Hi ſunt Joviniani flores, hæ elegantiæ, quas ſalſè ludit Hieronymus verbis Plauti: *Has quidem præter Sibyllam leget nemo, nam divinandum eſt.* Diſcipulos tamen habuit Jovinianus. Mulieres hâc urgebat interrogatione: *Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Suzanna?* Viros quoque complures adjecit ſectæ ſuæ, qui cum Magiſtro ſuo percelluntur à Siricio anno circiter 390. Qua de re Epiſtolam

Lab. Conc. c. 5. 1024. ſcripſit Eccleſiæ Mediolanenſi: *Omnium noſtrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri, unam ſactam conſtat eſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus, qui incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divinâ ſententiâ, & noſtro judicio in perpetuum damnati, extra Eccleſiam remanerent.* Secundum Siricii judicium ab Eccleſia quoque Mediolanenſi damnantur. Duobus libris Jovinianum anno 390. confutavit Hieronymus. At impetu pugnæ abreptus, ea protulit, quæ adverſarii opinionibus non ſunt meliora, & ſi verum volumus, deteriora quidem haberi debent, ut ad oram libri Marianus Victorius appoſuerit:

Hier. ad Jov. l. 1. c. 4. *De ſecundis nuptiis cautè legas Hieronymum.* Quis ferret hæc de nuptiis? *Quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod corpus Chriſti accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo continentis.* Itaque non levi de cauſa ſuis contra Jovinianum libris indignationem pluribus movit, uti liquet ex ſua ad Pammachium Epiſtola. Quibus etſi nonnihil ſatisfecit ſecundas tertiaſque probando nuptias, attamen in ſua ad Ageruchiam Epiſtola poſt libros ad Jovinianum ſcripta, ad quos nimirum ipſam remittit, ad ingenium ſemper ſuum redit.

ANNO DOM. 382.

Non poſſe quidem ullâ excuſatione tegi putamus, quæ de muliere vigeſimarum duarum nuptiarum habet:

Hier. Ep. 11. *Quid dicemus tali mulieri? Viginti duos habuiſti maritos, & iſte, à quo ſepelieris, non eſt tuus.* Hem non *eſt* tuus! Quid eſt vigeſimum ſecundum conjugium dicere ſcortationem, ſi hoc non eſt? Quanto laudabiliora ſunt verba Epiſcoporum ad Siricium: *Bonum conjugium, per quod eſt inventa poſteritas ſucceſſionis humanæ, ſed melior virginitas, per quam regni cœleſtis hæreditas acquiſita.* Pace Hieronymi, aſperè nimis in Jovinianum invectum eſſe putamus, quem *Epicureum* vocat, cùm exploratum ſit, iſtum *Epicureum* à nuptiis temperaſſe, ut monuit Auguſtinus:

Aug. de Hær. c. 82. *Non ſane ipſe vel habebat, vel habere volebat uxorem, quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, ſed propter præſentem prodeſſe neceſſitatem, ne homo conjugales pateretur moleſtias, diſputabat.* Non ab Eccleſia modo, ſed à Principibus quoque Jovinianus damnatus eſt, quem in *Boam* Inſulam relegavit Honorius anno CCCCXII.

Cod. Th. c. 6. 174. *Jovinianum ſacrilegos agere conventus extra muros urbis ſacratiſſimæ, Epiſcoporum querela deplorat. Quare ſuprà memoratum corripi præcipimus, & contuſum plumbo, cum cæteris ſuis participibus & Miniſtris exilio coërceri. Ipſum autem machinatorem in Inſulam Boam ſeſtina celeritate deduci.* Dalmatiæ Boa Inſula fuit, de qua Marcellinus l. XXII. *Florentius contruſus in Inſulam Dalmatiæ Boas.* Et l. XXVIII. *Senatus cùm Hymerium ad Boas Dalmatiæ locum exterminaſſet.* Quamdiu vitam in exilio Jovinianus retinuerit, prorſus neſcimus. Gennadius ex *Paulo* Presbytero Jovinianum triſtem vitæ ſuæ finem impoſuiſſe prædicat: *Meminit Joviniani Hæretici, & voluptatum ac libidinum prædicatoris, cui in tantum continentis, & caſtæ vitæ inſtitutio contraria fuerat, ut inter luxurioſas epulas animam eructaret.* Fides ſit penes Autorem.

ANNO U. C. 1136. PER. JUL. 5096. JUL. 418. DOM. 383. VALENTIN. 8. & 9. THEODOS. 5. ARCADII 1. *Sol.* 28. A. *Lun.* 4. *Indict.* 11. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 7. P. 9. *April.* — ANNO DOM. 383.

COSS. *Merobaudes II. & Flavius Saturninus.*

Arcadius fit Imperator: ætas ipſius. Arſenius an Præceptor?

I. NOvo Principe, qui rerum in Oriente potiretur, hic annus floruit, Theodoſio Arcadium ſibi aſſumente in Collegam. Natus erat *Flacillâ*, Antonii, qui anno ſuperiore Conſul proceſſit, filiâ. Prudentiſſima mulier hæc fuit, Theodoſiani conſilii *perpetuò ſocia & particeps.* Anno circiter CCCLXXVII. Arcadius vitæ limen ingreſſus eſt. Paternum ante imperium natum eſſe, carmen Claudiani teſtatur de quarto Honorii Conſulatu:

Naſceris æquæva cum majeſtate verendus,
Nullaque privata paſſus contagia ſortis,
Omnibus acceptus, ultrò te regia ſolum
Protulit, & patrio felix adoleſcis in oſtro.

Nempè Theodoſii ante imperium Arcadius, poſt imperium Honorius editus erat. Decimo ſeptimo Kal. Febr. ad Auguſteam dignitatem Arcadium evectum eſſe, & in Faſtis Idac. & in Socrate

Anno Dom. 383.

crate legitur Chronicum verò Alex. Paulusque Diaconus, triduo pòſt id contigiſſe prædicant XIV. *Kal. Februaris*, quod & veriſimilius, quia hoc ipſo die Theodoſius purpuram induerat. Conſtantinopoli *in milliari ſeptimo in tribunali levatus eſt*, die Januarii XIX. Septennis igitur Arcadius imperium adiit. Itaque Oratorum more, qui exaggerato ſermone utuntur, intelligendus Themiſtius: *Sacer ſatus ſacro jam ex partu repentè conſummatus & perfectus, unicus, omnium votis expetitus, tum ab ipſis incunabulis & faſcus Auguſtus appellatur.* Themiſtio filium Theodoſius commiſerat ſuum, dum ad Occidentem in Gothos pugnaturus proficiſcitur. Quo etiam Doctore uſus eſſe videtur: *Adeſdum itaque, chariſſime fili, genibuſque meis inſide, uti ipſe te diſciplinis informem atque inſtituam.* Quæ leguntur Oratione XVIII. de audiendi cupiditate Theodoſii, anno ſequente pronuntiatâ. Itaque fabulam redolet, quod ex Metaphraſte Baronius narrat: *Arſenium Romanæ Eccleſiæ Diaconum* à Gratiano Præceptorem Arcadio eſſe miſſum. Ingreſſum in ſcholas Theodoſium, cùm Arcadium ſedentem vidiſſet, & Arſenium ſtantem, filio ſuo inſigne Imperatoris abſtuliſſe. Poſteà verò cùm Arcadio verbera inflixiſſet Arcadius, & mortem Præceptori ea de causâ minaretur diſcipulus, divino monitu Arſenium palatio relicto in Ægypti deſerta ſe contuliſſe. Fabulæ ſuſpicionem auget mentio de duobus Theodoſii filiis, cùm exploratum ſit, Honorium anno ſequente vitam hauſiſſe. Noſtram verò ſententiam de Themiſtio Arcadii Præceptore adhùc firmant verba Oratoris hujus ad Arcadium: *Accedet ad hoc magiſterium informationemque tui illuſtris Plato, ac divinus Ariſtoteles, à quibus magnus Alexander eſt inſtitutus.* Platonem Ariſtotelemque Arcadii inſtitutioni præficit Themiſtius, quia horum Philoſophorum doctrinæ peritus, eâ diſcipuli ſui animum informavit. Ignota quoque Veteribus illa de Arſenio narratio, quam ambabus ulnis Græci recentiores amplectuntur. Inſpiciatur Nicephorus l. 12. c. 21.

Themiſt. Or. 18. 224.

Themiſt. Or. 18. 225.

Gratianus occiditur: anni, & mores ejus.

II. Dum novus Princeps Orientem exhilarat, in Occidente multis quidem flebilis Gratianus occidit. Cunctis fuiſſet plenus virtutibus, ſi ad Reipublicæ gerendæ ſcientiam animum intendiſſet, à qua propè alienus non voluntate modò, ſed etiam exercitio fuit. Quæ cauſarum una, cur præmaturo non minus quàm triſti fato perierit: *Nam dum exercitum negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeòque Barbarorum comitatu, & propè amicitiâ capitur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra ſe militum excitavit.* Maximus ergo vir ſtrenuus tyrannide apud Britanniam arreptâ, cùm in Gallias tranſmiſiſſet, occurrit Gratiano. De optimi Principis morte variant Hiſtorici. Narrat Zozimus, exercitus ad quinque dies velitationibus uſos. Ut verò conſpexit Gratianus, Mauros equites univerſos Maximum factâ diſceſſione Auguſtum appellaſſe, cæteroſque ad ipſum paulatim deficere, deſperatis rebus cum trecentis equitibus verſus Alpes aufugiſſe. Quem aſſecutus Andragathius occidit. At rem aliter narrant Socrates, Sozomenus, Paulus Diaconus, quibus & magis credimus, cùm dolo occiſum eſſe, Oroſius, Marcellinuſque teſtentur: *Maximus eam opinionem miſit in vulgus, quia uxor Gratiani ſuo viro feſtinaret occurrere, in Lugduno Galliæ civitate fluvium tranſeunti. Gratianus autem credens conjugem Creuſam venire, quam nuper acceperat, non præcavens inſidias, & veluti cæcus in foveam immanis hoſtis occurrit. Dum ergo veniſſet Gratianus, quaſi ad uxoris vehiculum ex improviſo exiliens Andragathius, Gratianum interemit.* Pronuntiato Ambroſii Mediolanenſis nomine, quem in paucis chorum habuerat, animam exhalavit. Quod in Oratione funebri Valentiniani indicat Ambroſius: *Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem.* Occiſus eſt die VIII. Kal. Septembris. Natus erat anno Dom. CCCLIX. Euſebio & Hypatio Coſſ. *die* XIV. *Kal. Maii*, docente in Faſtis Idacio. Vixit ergo annos 24. menſes quinque, dies ſeptem incluſo emortuali. Eſt igitur error & in Victore, qui annos XXVIII. & in Paulo Diacono, qui XXIX. annos Gratiano tribuunt. Baronius ſanè fallitur, qui ex Amiano ſibi colligere viſus eſt, Gratianum annos XXVIII. vixiſſe, cujus errorem ipſi abſtuliſſent Faſti Idacii, ſi tum lucem aſpexiſſent. Creatus eſt Imperator anno CCCLXVII. die IX. Kal. Septembr. Sexdecim igitur annos implevit regnando, ut non ſatis accuratus ſit ſive Victoris, ſive Pauli calculus. Dignus erat meliore fato Princeps egregiè moratus: *Literis ſuit haud mediocriter inſtitutus. Carmen facere, ornatè loqui, explicare controverſias Rhetorum more. Nihil aliud nocte dieque agere, niſi ſpiculis meditari, ſummæque voluptatis divinæque artis credere, deſtinata ferire: parcus cibi ſomnique, & vini ac libidinis victor.* In prima commendatione ponendum, quòd hujus ætatis Princeps pietatem maximè coluerit. Quas ipſi laudes contribuit Ambroſius: *Fuit ipſe fidelis in Domino, pius atque manſuetus puro corde: fuit etiam caſtus in corpore, qui præter conjugium neſcierit fœmina alterius conſuetudinem.* Quam Gratiani uxorem Creuſæ nomine Paulus afficit Diaconus, ea alio nomine donatur à Zozimo: Cibum, inquit, *Romanis ſuppeditabant Læta, Gratiani quondam Principis conjux, ejuſque mater Piſſamena.* Utrumque forſan nomen geſſerit. Porro Ambroſius à Valentiniano miſſus eſt ad Maximum, ut defuncti fratris corpus petenti redderetur: *Ego tuus iterum Legatus repetivi Gallias propter ſalutem tuam primò, deinde pro pace, atque pietate, quâ fraternas reliquias poſtulabas.* Maximâ crudelitate Pilati vincente barbariem, qui Joſepho Domini corpus petenti tradidit, Maximus Gratiani exuvias flagitanti Valentiniano denegavit. Obitum Gratiani tota Gallia luxit. Qua de re verba ſunt egregia in Pacati Panegyrico: *Alta licet vulnera, quod fatendum eſt, proximus nobis Italus, contiguus oſtendat Hiſpanus. Sed in dolore ſuo habet ſuum uterque ſolatium, hic tyrannicidium vidit: nos primi impetum belluæ furentis excepimus.*

Vict. Epit.

Zozim. l. 4. c. 35.

Paul. Diac. l. 12.

Anno Dom. 383.

Error Baronii.

Vict. Epit.

Zozim. l. 5. c. 39.

Ambr. de obit. Valent.

III. *Magnus Clemens Maximus*, Gratiani percuſſor, natalibus ſuis adeò obſcurus fuit, ut ipſius patria ſit in ambiguo. Ex Socrate in Britannia natum eſſe, probari contendit Baronius, & ſibi de *ſtemmate Conſtantini aliquid arrogaſſe*, ex *Flavii*, quod gerebat, cognomine colligit. Nil tamen ex Socrate Baronius habet auxilii: Μάξιμος ἐκ τῶν περὶ τὰς Βρεττανίας μερῶν ἐπανέστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ, Latinè ſonant: *Maximus ex Britanniæ partibus contra Romanum imperium rebellionem excitavit.* Quæ ſeditionis locum indicant, non Maximi patriam: neque illuſtri ſanguine

Maximus quis? Imperator creatur.

Bar. An. 383. n. 1.

Socr. l. 5. c. 11.

ſatum eſſe Maximum, oſtendit Pacatus: *Nonne ipſi ſibi objeciſſet, te eſſe triumphalis viri filium, ſe patris incertum? Te hæredem nobiliſſimæ familiæ, ſe clientem. Te retrò omni tempore Romani exercitus Ducem, libertatis patronum, ſe urbis exterrem, patriaque fugitivum.* Quibus liquet, in Britannia Maximi natales non eſſe quærendos, quam Inſulam non fugiebat quidem, ſed incolebat. Zozimo aſſentimur, qui verbis expreſſis Maximum *Hiſpanum* eſſe tradit. Bellicis virtutibus clarus erat: *Maximus vir quidem ſtrenuus & probus, atque Auguſto dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet.* Maximum Ducem illum exiſtimamus eſſe, qui quantos colligere canes potuerat, pro ſingulis Gothorum mancipiis dederat. Quam verò rebellandi cauſam arripuerit, ea eſt. Pariebat Gratiano apud milites odium, quòd Alanorum transfugas tanti faceret, ut nullam penè Romanorum rationem haberet. Quod paulatim ſuccenſos ad rerum novarum libidinem exercitum perpulit, præcipuè Britannicos, qui magis quàm cæteri contumaciæ indulgebat: *Incitabat etiam eos Maximus, Hiſpanus natione, qui Theodoſii Principis in Britannia commilito fuerat.* Is permoleſtè ferens Theodoſium imperare, ſe verò ad nullam honorificam dignitatem perveniſſe, militum offenſionem alebat: *Invitum propemodum ab exercitu Imperatorem creatum*, narrat Oroſius. Zozimo magis fidem adjungimus. Rebellantes ergo legiones Maximo tradunt cum diademate purpuram. Tranſmiſſo navibus Oceano ad oſtia Rheni appellunt, Germaniæ exercitibus Maximo faventibus. Rebelli objiciebat ſe Gratianus prælio congreſſurus. Ut verò conſpicatur, primum Mauros Equites univerſos ad Maximum defeciſſe, cæteros paulatim ad ipſius partes tranſire, deſperatis rebus, ſumptiſque ſecum trecentis equitibus aufugit. Fugienti quid contigerit, dicit Hieronymus Heliodoro: *Gratianus ab exercitu ſuo proditus, & ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hoſti fuit, cruentataque manus veſtigia parietes tui, Lugdune, teſtantur.*

Oroſ. l. 7. c. 34.

Marcellin. l. 31. c. 4.

Zoz. l. 4. c. 35.

Hier. Ep. 3. 9.

Maximi mores.

IV. Maximus ut votorum compos fieret, dolos adhibuerat, perſuaſo milite, rem Theodoſii nomine omnem geri. Quod & faſſus eſt Theodoſio, dum in conſpectum venit, teſte Pacato: *Ad primam tuam vocem nefario pectori excuſſa confeſſio eſt: nec cunctari ſaltem aut muſſitare potuit, quin conſilium omne nudaret, ſe videlicet favoris tui obtendiſſe prætextum, quod aliter non potuiſſet allicere militum ſocietates, niſi ſe auctoramenti tui finxiſſet autorem.* Quò verò dignior imperio videretur, antè quàm illud arriperet, baptizari voluit, ut poſteà ſcripſit Siricio: *Ad imperium*, inquit, *ab ipſo ſtatim fonte ſalutari aſcendi.* Malis tot artibus uſurpatum imperium crudeliſſimè adminiſtravit. Fidi amiciſſimique Gratiano, Vallio, & Merobaudes, hujus anni Conſul, tyranno fidei ſuæ pœnas dedere: *Vallionis triumphalis, & trabeati Merobaudis recordetur interitum. Quorum alter poſt ampliſſimos Magiſtratus, & purpuras Conſulares, & contractum intra unam domum quendam bonorum Senatum, vitâ ſe abdicare compulſus eſt. Alteri manibus ſatellitum Britannorum gula demi fracta, & injuſta fœminea mortis infamia, ut ſcilicet maluiſſe vir ferri amantiſſimus videretur laqueo perire, quàm gladio.* Maximi avaritia crudelitatem æquabat, ſi Pacato fides: *Stabat ipſe purpuratus ad lances, & momenta ponderum, motuſque trutinarum, pallens atque inhians exigebat.* Itaque tranſierat in vota paupertas, Gallique ut effugerent carnificem, optabant ſubire ſectorem. Laboraſſe quidem avaritiâ Maximum, teſtatur & Sulpitius, qui aliundè ſatis ipſi favet: *Fertur, ille vir, multis boniſque actibus præditus, adverſus avaritiam parùm conſuluiſſe.* Imperavit Maximus uſque ad annum CCCLXXXVIII. quo periit, *quinto Kal. Auguſti.* Ut verò uſurpatum ſtabiliret imperium, *Victorem* filium creatum prius Cæſarem Auguſtum nuncupavit.

Lab. Concil. t. 2. 1030.

Sulp. Dial. 576.

Fames Italiæ.

V. Non bello quidem ut Gallia, ſed fame Italia graviter oppreſſa eſt. Tanta vis mali hujus fuit, ut plures ex urbe ejicerentur. Mali cauſam neglectis Romanorum ſacris Symmachus vindicavit. Exclamat itaque in ſua ad Flavianum Epiſtola: *Dii patrii, facite gratiam neglectorum ſacrorum; miſeram famem pellite, quam primum revocentur noſtri, quos invita dimiſit.* Italicæ famis memoriam agitaſſe, Ambroſius creditur libro de Officiis tertio, c. 7. *Quantò ille rectius, qui cùm jam provectâ proceſſiſſet ætate, & famem toleraret civitas, atque ut in talibus ſolet, peterent vulgò, ut peregrini urbe pellerentur, Præfecturæ Urbanæ curam cæteris majorem ſuſtinens, convocavit honoratos, & locupletiores viros popoſcit, ut in medium conſulerent, dicens, Tam inhumanum eſſe peregrinos ejici, quam hominem ex homine exui, quàm cibum morienti negare.*

Sym. Ep. l. 2. Ep. 7.

Theodoſius Sectarum Synodum cogit; Quid egerit?

VI. Ad res Eccleſiæ nunc gradum proferamus. Tumultus compluribus Orientis in locis graves oriebantur Baſilicarum cauſâ. Quas dum occupare vellent Catholici, repugnabant Ariani. Has Theodoſius turbas pro virili comprimere voluit, congregato Sectarum omnium cœtu. Conſtantinopolim venere Epiſcopi *menſe Junio.* Accitum *Nectarium* Princeps interrogat, quâ ratione Chriſtiana Religio ad concordiam revocari poſſet. Controverſiam quoque, quâ Eccleſiæ dividebantur, diſcutiendam eſſe putabat. Nectarius accerſito *Agelio* Novatianorum Epiſcopo, Imperatoris conſilium aperit. Ille diſputandi imperitus, *Siſinnium* Lectorem ſuum, virum & Sacrarum Literarum, & Philoſophiæ Ethnicæ notitiâ imbutum eligit, qui diſputandi munus obiret. Siſinnius Nectario dat conſilium, ut diſceptationibus omiſſis expoſitiones Veterum in teſtimonium adducerentur: ſingularum quoque Sectarum Principes interrogaret Imperator, utrùm veterum Doctorum, qui ante diſſidium in Eccleſia floruerant, rationem cenſerent habendam eſſe. Conſilium amplexus Theodoſius, à Sectarum capitibus petit, Veteribuſne Doctoribus tanquam idoneis, & fide dignis Chriſtianæ doctrinæ teſtibus acquieſcant? Quæ interrogatio Sectarum Epiſcopos in varias ſententias diſtraxit; quod proponebatur à Principe, aliis rectum affirmantibus, aliis negantibus. Ad alium ſe conſilium Imperator convertens, juſſit ut ſingulæ Sectæ ſuæ fidei Confeſſionem proferrent. Conſcriptam Arianorum *Demophilus*, Eunomianorum *Eunomius*, Macedonianorum *Eleuſius* Principi obtulere. Libellis acceptis, in cubiculum digreſſus, remotis arbitris Deum precatur, ut ad dignoſcendam veritatem quærenti auxilio eſſet: *Poſt hæc perlectis uniuſcujuſque dogmatis libellis, cætera quidem dogmata, utpote quæ Trinitatis diviſionem inducerent, damnavit, chartaſque laceravit, ſolam verò Conſubſtantialis fidem laudavit, atque ſuſcepit.* De Confeſſione Eunomii ſuo loco dictum eſt in hiſtoria hujus Hæretici.

Socr. l. 5. c. 10.

Sed

ANNO DOM. 383.

Sed in Lectorum gratiam horrenda quædam ex ea Confeſſione deprompta ſubjiciemus. Sic de Deo Patre impurus cenſet Hæreticus: *Neque igitur ſubſtantiâ ſuâ in generando Filium uſus eſt, ſed voluntate ſolâ. Neque ſecundum ſui ipſius ſubſtantiam, ſed qualem voluit, generavit. Quo facto per ipſum primum quidem omnium, ac majus omnibus Spiritum Sanctum fecit, propriâ quidem potentiâ & juſſu, operatione tamen & poteſtate Filii... Unus igitur eſt Deus ingenitus, increatus non factus, unuſque Dominus J. C. Dei Filius, genitum ingeniti, non tamen tanquam unum ex genitis, creatura increati, non tamen tanquam una ex creaturis, factum non facti, non tamen tanquam unum ex factis.* Inſpiciantur & Valeſii Annotationes ad Socratem l. 5. c. 10. & Cavii Hiſtoria Literaria p. 183.

Amphilochius. Quâ ratione in Arianos Theodoſium excitavit.

Lab. Conc. t. 2. 1015.

VII. Eo tempore celebratum videtur Conſtantinopolitanum Concilium, quod ſub Theodoſio tertium eſt. Extat ipſius memoria in libello Synodico: *Synodicè anathemati ſubjecerunt eos, qui Ariani permanerent; Paulianos item, Apollinariſtas, Marcellianos & Photinianos, & decreta edita, perquàm pia, unà cum Epiſcopis ad B. Damaſum id miſerunt.* In id & temporis incidit, quod de Amphilochio memorat Theodoritus. Ingreſſus in Palatium, cùm Arcadium, qui paulò antè Auguſtus fuerat renuntiatus, adſtantem Imperatori vidiſſet, Theodoſium ſolito more ſalutans, filium honoris expertem dimiſit. Quod cùm ab Amphilochio per oblivionem factum Imperator exiſtimaret, accedere ad filium juſſit, & oſculari. Verùm Amphilochius ſufficere honorem dixit, quem ipſi exhibuiſſet. Quod indignè ferens Imperator, contemptum filii ſuam ajebat injuriam. Tum Amphilochius ſui conſilii cauſam aperuit: *Vides*, inquit, *Imperator, te filii tui contumeliam ferre non poſſe, ſed ſuccenſere iis, qui illi contumeliam faciunt. Crede igitur, Deum quoque hujus univerſi eos adverſari, qui Filium ipſius unigenitum blaſphemant, eoſque tanquam ingratos erga Servatorem, ac benè de ſe meritum odio habere.* Talibus dictis Theodoſius placatur, & ab Hæreticis magis alieno redditur animo. Itaque Legem in Hæreticos omnes condit III. Non. Septembris, quâ tam in urbibus, quàm in agris, conventu, necnon ordinandi facultate prohibentur.

Theodorit. l. 5. c. 16.

Cod. Th. de Her. l. 12.

Meſſaliani errores.

VIII. Annum quoque nobilitavit Synodus Sidenſis, de qua paucis. Side Pamphiliæ civitas eſt, in quam de damnandis *Meſſalianis* Epiſcopi confluxere. Duplex Meſſalianorum genus diſtinguitur Epiphanio. Antiquiores nil niſi meri Gentiles erant, de quibus ea narrat Epiphanius, quæ obſcuritate multâ involvuntur. Poſteriores à prioribus propagati, Chriſtianorum nomen uſurpabant. Meſſaliani autem, hoc eſt, orantes vocabantur, ab Hebræo verbo צלא quod eſt, *preces fundere*, unde מצלין, *οἱ εὐχόμενοι*, *precantes.* Sub Valentiniani initiis exorti ſunt, anno circiter CCCLXIII. quod ab Ephiphanio non multum diſcrepat, qui *ſub Conſtantii ferè Imperatoris* tempus prodiiſſe memorat. Cunabula ipſorum Meſopotamia, unde digreſſi ſeſe Antiochiam contulere. Sectæ hujus Principes, *Dadoes*, *Sabbas*, *Adelphius*, cum *Herma*, & *Simeone*, & *aliis pluribus. Qui ſe ab Eccleſiaſtica quidem communione neutiquam ſepararunt, nec prodeſſe quidquam, nec nocere dicentes divinam eſcam.* Opus manuum averſantes, ut vitium, ſomno ſe totos dant, ſomniorumque viſa prophetias vocant. Dæmonis impulſum Spiritus Sancti præſentiam exiſtimantes. Uſum Euchariſtiæ nec prodeſſe cuiquam, nec nocere cenſebant. In unum coacti tam viri, quàm mulieres, mundo ſe renunciaſſe, & ſua omnia deſeruiſſe profitebantur. Soluti ac vagi manus ad ſtipem porrigebant, victu & poſſeſſione carentes. Promiſcuè dormientes omnes in ſpatioſiſſimis vicis per æſtatem jacebant, quòd ſe quidquam in terra poſſidere negarent. Nullum apud ipſos jejunium fuit. Toti in orationes intenti, à ſecunda, tertiave hora, vel etiam noctu, ſi eſurirent, nihil non pro ſua libidine faciebant. Eâ fuere impudentiâ, ut ſe corporeis Trinitatem oculis vidiſſe jactarent. Erant autem ad negandum parati, etſi de rebus ſuis urgebantur, protinùs eos maledictis obruebant, qui horum aliquid dicebant. Ignominiam Chriſtiano nomini non minimam ſecta hæc impoſuit. Itaque *Letoius* Meletinenſis Epiſcopus plurima Monaſteria incendit, quæ ea labes infecerat. Lycaoniam hâc quoque peſte liberavit Amphilochius. Flavianus etiam, ubi Epiſcopatum Antiochenum adeptus eſt, audiens Meſſalianos Edeſſæ agere, & doctrinæ venena ſuæ in vicinos ſpargere, miſſâ Monachorum multitudine, eos Antiochiam adduxit. Ut autem errorem ſuum negantes convinceret, *Adelphium* ſenem blandè accerſitum, juxta ſe ſedere juſſit. Rogat exponi ſibi, quâ ratione dicerent adverſarium quidem Spiritum recedere, ſupervenire verò gratiam Spiritus S. Quibus allectus Adelphius, ex baptiſmo nil emolumenti ad abluros redire dixit; ſolam verò orationem expellere Dæmonem habitantem. Tum ſuccedere Spiritum S. qui corpus perturbationibus liberet, mentem attollat ad ſublimia, ut nec jejunio opus ſit, nec doctrinâ componendis affectibus. Sed ſubinde ex præſentia Spiritus, & futura cerni, & Trinitatem oculis deprehendi.

ANNO DOM. 383.

Theodorit. l. 4. c. 11.

Epiph. h. 80. n. 3.

Epiph. h. 80. n. 1.

Theodorit. l. 4. 11.

Theodorit. h. Fab. l. 4.

Theodor. l. 4. c. 11.

Varii errores Meſſalianorum.

Ec. Gr. Mon. t. 1. 302.

IX. Multa Meſſalianicorum errorum capita ex ipſorum libris deprompta nos docet Damaſcenus in ſuo de Hæreſibus tractatu, quem Cotelerius edidit, ex quo nonnulla Lectoribus ſuppeditamus: *Unà in homine habitant Satanas & Spiritus Sanctus, usque Apoſtoli liberi fuerunt ab hac operatione... Ignis creator eſt. Ante tranſgreſſionem Adamus cum Eva impaſſibiliter concubuit. Orantibus apparere Servator poteſt, ſeu Crux in luce.* Neſcimus cur ſic Græca Cotelerius vertat, quæ de Cruce nil habent, id tantùm habent: ὁ Σωτὴρ ἐν φωτὶ, *Servator in luce. Inhumanitatem erga pauperes inducunt, dicentes, Non eſſe conveniens, ut qui ſeculo renunciarunt, ſubveniant publicis mendicis.* Subjungunt, *Quòd non deceret Aſcetas in Eccleſiaſtica Collecta perſiſtere... Permittunt ad hac nonnullis eorum, ſi qui velint genitalia abſcindere. Pro nihilo ducunt excommunicationem; jurant & pejerant ſine ullo metu...* Flagitiis quoque multis honeſto viro indignis ſeſe cooperiebant, eodem Damaſceno teſte: *Multi poſt ejuſmodi apud ipſos perfectionis teſtimonium inter externos, quoſque Chriſtianorum nomine indignos cenſebant, viſi ſunt in diverſa obſcœna flagitia, pecuniarum furta, & fornicationes incidiſſe. Legitimas nuptias nulla penitùs de cauſa dirimunt, eoſque qui à conjugio receſſerunt, tanquam Aſcetas dirimunt.* Erroribus detectis, Meſſaliani ex Syria pulſi in Pamphiliam venere, quam ſuis quoque venenis infecere.

Theodorit. l. 5. c. 11.

Sidenſis & Antiochena in Meſſalianos Synodi.

X. Meſſalianorum hæc examina cùm Pamphiliam inundaſſent, anſam Epiſcopis præbuere

Anno Dom. 383. *Siden* veniendi, ut inſanum errorem damnarent. Nonnulla de eo conventu Photius habet, digna noſtris Annalibus: *Præfuit Synodo Amphilochius Iconii Epiſcopus, conſidentibus & aliis viginti quinque Epiſcopis. In eodem ipſo libro lecta eſt ipſius Synodi ad magnum Flavianum Epiſcopum Antiochiæ Synodica Epiſtola, rerum geſtarum rationem reddens. Quapropter etiam ipſe Flavianus Synodum indixit adverſus eoſdem illos Hæreticos, accedentibus tribus Epiſcopis, Biza Seleucia, & Marutha gentis Suphareuorum, & Sama, ad quos ſe cùm Presbyteri, tum Diaconi ad triginta conjunxerunt. Noluit hæc Synodus Adelphium, pœnitentiam profitentem, hæreſimque abjurantem admittere, quòd neque ea hæreſeos abjuratio, neque pœnitentia vera atque ex animo facta probaretur. Hæreſis hujus auctores fuere Adelphius, neque Monachorum, neque Sacerdotum in ordinem lectus, ſed plebeius & privatus, & Sabbas, Monachorum habitum præferens, quem ex rei eventu* ἀπόκοπον, *hoc eſt, reſectum nominarunt. Alter item Sabbas, & Euſtathius venerandus, & Dadoes & Semeſones, Dæmonis zizania, aliiſque his adhærentes. Condemnati verò Adelphius ejuſque ſectatores, neque pœnitentiæ locum propterea repererunt, quòd quos anathemate tanquam Meſſalianos condemnarunt, cum hic veluti conſortibus, ſcripto communicare deprehenſi ſunt.*

Phot. Cod. 51. p. 38.

Neque tamen Decretis & Sidenſibus, & Antiochenis prorſus extinctus error. Aliis deinde & Synodis, & Epiſcoporum literis quinto adhùc ſeculo profligata eſt, teſte Photio, qui ea de re non pauca habet.

Lex Theodoſii in Taſcodrogitas. XI. Labente anno in Taſcodrogitas Legem Theodoſius conſtituit, Conſtantinopolitani XCC. Cal. Julias, cujus verba ſic ſonant: *Taſcodrogitæ à ſedibus quidem ſuis minimè propellantur: ad nullam tamen Eccleſiam hæretica ſuperſtitionis turba conveniat. Aut ſi fortè convenerit, à Conventiculis ſuis ſine mora propulſetur.* Quinam illi Hæretici, quos Reſcripto ſuo perſtringit Imperator, Epiphanius docuit: Cataphrygum ſecta fuit, ideò cognominata, *quòd* τασκὸς *illorum linguâ paxillum ſignificat,* δρουγγ© *verò naſum, ſive roſtrum. Quòd igitur inter orandum, indicem manu digitum naſo imponunt, ut animi triſtitiam & affectatam quandam ſanctitatem præ ſe ferant, à nonnullis ideò Taſcodrogitæ nominantur.* A Taſcodrogitis non diſcrepare illi videntur, quibus Philaſtrius, Auguſtinuſque *Pattalorinchitarum* nomen impoſuere: *Pattalorinchitæ in tantum ſilentio ſtudent, ut naribus & labiis ſuis digitum apponant, ne vel ipſam taciturnitatem voce prærìpiant, quando tacendum ſibi eſſe arbitrantur. Unde etiam illis nomen eſt inditum.* Πάτταλ© *enim Græcè dicitur palus, &* ῥύγχ© *naſus.* Ab ea deſcriptione non illa diſcrepat, quæ apud Philaſtrium legitur c. 29. *Paſſalorinchitæ digitum imponentes in nares, & ora ſua, & in labia, quaſi ſilentium ſemper exercent, non rei alia niſi taciturnitati quaſi ſtudium commodantes. Hoc autem facientes quaſi Prophetas cupiant imitari, quia ait David Proph. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo.* Taſcodrogitæ in Pontica Regione florebant, quæ cauſa fuit, cur Theodoſius latam in ipſos Legem Conſtantiniano Ponticæ Diœceſis Vicario miſerit, ne ſuperſtitioſa ſecta publicam conventibus ſuis tranquillitatem turbaret. In Cappadocia quoque atque Galatia Taſcodrogitæ diffundebantur, præpoſterâ imitatione Pythagoreorum proſecuti ſilentium.

Epiph. Hær. 48. n. 14.

Aug. de Hær. c. 63.

De Urſula traditio. XII. Ad res Occidentis Eccleſiaſticas accedimus. Complures delectavit jucunda de Urſula narratio, mira continens, plebeculæ vetuliſque quæ placeant, hunc in annum conferenda. Hiſtoriæ breviarium ex *Gaufrido* Epiſcopo Aſaphenſi ſubjiciemus, quam fuſius Baronius exhibet in ſuis ad Martyrologium notis Octobr. XXI. Cùm *Maximus* Armoricos ſedibus expuliſſet, ut Britannicorum militum, quos in ea regione collocarat, poſteritati conſuleret, ex magnæ Britanniæ inſula ſingulis uxores quæri juſſit. Singulis militibus ſingulæ virgines deſtinantur. Erat autem prædictorum militum *præcipuus poſt Maximum Dux Conanus*, unus ex Britanniæ Regulis, cui paris nobilitatis conjux deſtinatur, filia Dinoci Regis Cornubiæ, nomine *Urſula*. Londini itaque cunctis coactis, invitæ licet patrium ſolum, charoſque ſuos relinquentes imponuntur navigiis, dumque regionem Armoricam cogitant nautæ, mox ſæva procella naves impulit in Germanicum litus. Tum *Melga* Pictorum, & *Gaunus* Hunnorum piratæ, qui comparatâ claſſe cum Gratiano Imperatore adverſus Maximum fœdus inierant, ut eum à cœptis deturbarent, *In has ad littus jactatas virginum naves incidentes, ſic in Britannas virgines ut in hoſtes graſſati ſunt, ut vim inferendi illarum pudicitiæ conſilium caperent. Quæ omnes hortatu Urſulæ mortem diriſſimam potius oppetere, ac gladiis obtruncari Chriſtianâ conſtantiâ decreverunt, quàm ignominioſum quid pati. Cùmque eâ perſiſterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutatâ, cùm aliò properarent, ne longiori morâ diſtinerentur, ſingulas crudeliſſimè trucidarunt. . . Sparſa in finitimis regionibus fama de glorioſa virginum nece, quòd vita potius, quàm pudicitiæ diſpendium pati ſuſtinuiſſent, à vicinorum locorum accolis ſacra cadavera cum honore ſunt ſublata, atque Coloniam Agrippinam delata, debito ſanctis Martyribus cultu celebrata ſunt.* Hæc etſi minimè probabilia, variis adhùc pigmentis & fuco puerili ornata ſunt, ut majori voluptati eſſent. In ſcenam inductus eſt *Papa Cyriacus*, ob virginum adventum in lætitiam conjectus, quia ipſe *Britannus* erat, ut in Legenda legitur. Alia narrantur furfuris ejuſmodi, quæ eruditorum palato non multum ſapiunt. Quibus nos & apponimus, quæ Lindanus Epiſcopus Ruremundenſis habet, de loco martyrii Urſulæ, virginumque comitum: Coloniæ ſcilicet, ubi nunc viſitur Urſulæ Collegium, *fuiſſe certaminis arenam, inde pii non imperitè videntur aſtruere, quòd Templi area nullum ſuſcipit ſepeliendum, imò pueros recens baptizatos de nocte quaſi evomens, in ſuperficiem rejicit viſendos.* Verendum quidem infantibus vel expiatis ſacramento baptiſmi, ne ut in ſepulchro, ſic & in cœlo Urſulæ conſortes eſſe prohibeaotur. Ex narratione Gaufridi certus virginum numerus colligi nequit, qui tamen magnus eſſe debuit. Certo tamen aliis definiri placuit, ut ad undecim millia creverit. Quas Cyriacus Papa virgines relictâ ſede comitatus, cum ipſis lauream martyrii retulit. Quæ portenta ſunt hiſtoriæ, ac penè funera. Hîc illaudatum N. Alexandri candorem præterire non poſſumus. Qui Acta & Suriana, & Gaufridana ſincera non eſſe profitetur. Deque Cyriaci Papæ virgines comitantis martyrio rotundè ſcribit: *Nulla fabula pluribus ab Autoribus, ceu vera hiſtoria refertur*, quod multorum Autorum teſtimonia probat. Quos inter memorare non veretur *Hermannum Crombak, Societatis Jeſu Presbyterum, tomo 1. de Urſula vindicata.* Nihilominus caſtigatâ narra- Anno Dom. 383.

Martyr. Oct. 21.

ANNO DOM. 383.

ratione Urſulam cum ſociis Martyribus inſerit. Scilicet everti prorſus fide non potuit narratio, quæ Martyrologia, quæ Breviaria, quæ Sorbonæ monumenta invaſit. Sorbonæ, quæ *perenne Concilium* eſt, *à quo funduntur oracula*. Hæc illa Sorbona, *Chriſtianæ ſapientiæ Palladium*, ſanctam Urſulam, & ſocias, ut patronas veneratur. Unde tamen Urſulæ ſociarumque martyrio fidem habebimus, ſi monumenta, quæ de ea commemorant, multis fabulis aſperguntur? Nùm teſtes ex parte rejicere, ex parte admittere licet?

Urſulæ traditio refellitur.

XIII. Pace Sorbonæ, Breviariorum & Martyrologiorum, traditionis de Urſulæ martyrio vel caſtigatæ nil fidei aſſerimus. Falſum, quòd *Conanus* Urſulæ, ſi Diis placet, ſponſus præcipuus poſt Maximum Dux fuerit, quæ dignitas erat *Andragatii*, *qui ſummam belli adminiſtrabat*. Falſum, vivente Gratiano Armoricas ad regiones appellere voluiſſe Britannicas virgines. Tranſmiſſo navibus Oceano ad oſtia Rheni vertiſſent, quò & Maximus cum ſuis militibus acceſſerat. (*Zozim. l. 4. c. 35.*) Falſum, imperante Maximo Britannos in Armoricam colonias tranſmiſiſſe, quæ tamen vera eſſe debent, ut Urſulæ verum martyrium prædicetur. Ridiculum etiam, tam delicatos fuiſſe Maximi milites, ut virgines uxores ipſis quæri debuerint. Quaſi viduæ juniores fuiſſent faſtidio. Præterea tam inſignis nobiliſque martyrii nulla memoria eſt in Sulpitio, hujus ætatis Autore, nulla in Oroſio, nulla in Gregorio Turonenſi, ejuſmodi narrationum helluone cupidiſſimo, nulla in Martyrologiis ſive Uſuardi, ſive Roſweidi, ſive Adonis, cùm nulla tamen tot victimarum pro Chriſto cæſarum celebritatem inobſcurare potuiſſet oblivio. Accedat argumentis autoritas Vandelberti Monaſterii Prumienſis Diaconi, qui Lotharii ſub imperio Martyrologium ſcripſit, Plurimarum quidem virginum à Barbaris occiſarum meminit, Urſulam tamen Ducem agminis, nec quamlibet aliam nominat:

Tunc numeroſa ſimul Rheni per littora fulgent,
Chriſto virgineis erecta trophæa maniplis
Agrippina urbi, quarum furor impius olim
Millia mactavit, Ductricibus inclyta ſanctis.

En plures virgineæ cohorti Duces, non una ſola, quarum & nomen ſilentio tranſmittitur. Ut extra dubium ſit, fictam eſſe de Urſulæ martyrio traditionem.

ANNO DOM. 384.

ANNO U. C. 1137. PER. JUL. 5097. JUL. 429. DOM. 384. VALENTINI 9. & 10. THEODOS. 6. ARCAD. 2. *Sol.* 1. G F. *L* . 5. *Indict.* 12. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 1. 2. *P.* 24. *Mart.*

COSS. Clearchus & Richomeres.

Symmachus Præfectus Urbis.

Maximus à Theodoſio Imperator agnoſcitur.

I. MAximus, qui Principis ſui ſanguine imperium ſibi emerat, tyrannidis ſuæ thronum Treveris conſtituit: Hic *ab immaniſſimis Germanorum gentibus tributa ac diſpendia ſolo terrore nominis exegit*. Ac cùm poſſidere ſe jam tutò crederet imperium, Legatos ad Theodoſium mittit. (*Paul. Diac. l. 12.*) Legatus eo nomine fuit, Auguſtalium cubiculorum Præpoſitus, vir ætate gravis, ex illorum numero, qui à prima ætate cum Maximo verſati fuerant. In ea legatione adeò ſe ſuperbum præbuit tyrannus, ut perpetrati parricidii non modò veniam non petierit, ſed cum Theodoſio fœdus & concordiam tantâ contumaciâ inire voluerit, ut conditiones aſpernanti bellum denunciaret. Pro Imperatore Gratiani percuſſor habetur à Theodoſio. Quo cum & ſtatuas, & Auguſtales titulos participat. Datur in mandatis *Cynegio* Præfecto Prætorii, quem Theodoſius mittebat in Ægyptum, ut imaginem Maximi conſpiciendam Alexandrinis palam exponeret, conſortemque imperii factum habitâ ad populum oratione declararet. (*Zozim. l. 4. c. 37.*) Maximi legationem in annum CCCLXXXVII. Valeſio conferri placuit. Eſt tamen incredibile, quinquennio prius regnaſſe Maximum quàm Legatum mitteret, ut in Imperatoriæ dignitatis conſortium admitteretur. Neque *Cynegius* anno duntaxat CCCLXXXVII. Præfectum Prætorio egit. Annis pluribus eâ dignitate functus eſt. Valentiniano quoque Juniori legationem Maximus miſit, de qua mentio eſt apud Rufinum: *At Valentinianus in Italia degens, fratris nece, atque hoſtis metu perterritus, ſimulatione oblatam pacem à Maximo ſimulans ipſe quoque libenter amplectitur.* (*Ruf. l. 2. c. 15.*) Legationis quoque meminit Ambroſius in ſua ad Valentinianum Epiſtola: *Nonne intra Gallias juxta urbem Moguntiacum Comes Victor occurrit mihi, quem direxiſti, ut pacem rogaret?* Quæ Ambroſii verba ſunt ad Maximum. Retento Ambroſio, Victor Mediolanum petit. Poſtulabat, ut quaſi filius ad patrem, Valentinianus ad Maximum accederet. Negatum Victori, quod poſtulabat: *De pace tantum conſpirare ſtudia, non de adventu Imperatoris.* (*Ambr. Ep. 27.*) Sed Maximi fratrem Honoratum Valentinianus remiſit; cùm poſſet ſuum dolorem ulciſci, *in ipſo nuncio necis fraternæ* frenavit iram. Sic Principis optimi percuſſor aliquandiu placidè, quietèque regnavit, nemine tanti ſceleris expetente pœnas. Una fortè ſontem ulciſcebatur umbra Gratiani, quæ diris comitata furiis, & irata, minasque ob os ejus, oculoſque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angue flagra quatiebat, ut Pacati verba uſurpemus.

Perſarum ad Theodoſium legatio.

II. At in Orientis partibus gloria Theodoſii fulgore ſuo Perſarum obſtringebat oculos, ut gens ſuperba, quæ Romanum nuper ſpernebat imperium, miſſâ legatione Theodoſium adierit, ut Faſtis Idacii, Marcellinique Chronico monemur: *Legati Perſarum Conſtantinopolim advenerunt, pacem à Theodoſio Principe poſtulantes.* (*Marcellin.*) Error itaque Baronio eſt, Perſicam cum anno CCCLXXXI. legationem conjungenti. (Error Baronii. *Bar. An. 381. n. 11.*) Non minimo honori fuit Theodoſio, quòd Perſæ ultrò ipſius quærerent amicitiam, quod & obſervatum Oroſio: *Perſæ, qui Juliano interfecto, aliiſque Imperatoribus ſæpè victis, nunc etiam Valente in fugam acto, recentiſſimæ victoriæ ſatietatem crudâ inſultatione ructabant, ultrò Conſtantinopolim ad Theodoſium miſere Legatos, pacem ſupplicitèr poſtulantes, ictumque tunc fœdus eſt, quo univerſus Oriens uſque ad nunc tranquilliſſimè fruitur.* (*Oroſ. l. 7. c. 35.*) Quò magnificentior legatio eſſet, munera Principi multa attulit, quorum *Pacatus* meminit: *Perſis ipſa, Reipublicæ noſtræ retrò æmula, & multis Romanorum Ducum famoſa funeribus, quidquid unquam in Principes noſtros inclementiæ fecit, excuſat obſequio. Denique ipſe ille Rex ejus dedignatus anteà confiteri hominem, jam fatetur timorem, & in his te colit Templis, in quibus colitur, tum legatione mittendâ, gemmis ſericoque præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua eſſeda ſuggerendis, etſi adhùc non eſt fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius eſt.* Quibus docemus, nondum in

pacis fœdera cum Theodoſio Perſas coiviſſe, quod tamen & Oroſio placuit, & Marcellino, ſed honorariam legationem fuiſſe. Faſti quidem Idacii de pace conſtituta nil habent: *Richomera & Clearcho introierunt Conſtantinopolim Legati Perſarum.*

Honorius naſcitur.

III. Non Perſicâ legatione mndò, ſed Honorii quoque nativitate, qui Occidenti poſtmodum præfuit, Theodoſius lætatur. Vitam ingreſſus eſt Honorius v. *Idus Septembris*, teſte Chronico Alex. *Richomera & Clearcho Coſſ. natus eſt Honorius germanus Arcadii frater* IX. *Septembris.* Quem Honorius diem celebrandi Comitivæ Proximatus ſtatum tempus voluit: *Geminum natalis noſtri dies quotannis Comitivam Proximatus manſura in longum ætate celebravit.* Placillam matrem habuit, ex qua Theodoſius quatuor liberos ſuſcepit, quorum recordatur Nyſſenus in Oratione funebri Placillæ: *Cùm tres eſſent filii, qui virilis ſexus erant, apud patrem reliquit, ut regno ejus præſidio eſſent; ad ſuam verò partem ſolam filiam pertinere exiſtimavit.* Filii tres, Arcadius, Honorius, Gratianus, qui jam exceſſerat cùm Themiſtius habuit orationem XVIII. *de audiendi cupiditate Theodoſii*, paolò antè quàm lucem aſpiceret Honorius, pronuntiatam, in qua Arcadium vocat *ἀγαπητὸν*, ſive *unicum.* Filiæ verò Pulcheriæ nomen impoſitum, cui mater ſuperſtes fuit. Totâ Sucurius errat viâ, qui Honorium Gallæ fuiſſe filium, ſibi perſuaſit. Pauca memoratu digna res Orientis Eccleſiaſticæ noſtris Annalibus ſuppeditant.

Cod. Th. Tit. 26. de Prox. l. XI.

Nyſſ. t. 3. 533.

Audacia Sectarum. Marcianus Agellio Novatianorum Epiſcopo ſuccedit.

IV. Gregorius Nazianzenus, dum Conſtantinopolitano Epiſcopatu abiit, pollicitus fuerat, ſe manu, calamoque in Hæreticos pugnaturum; quod & fecit, impletis hoc anno promiſſis. Nectario igitur ſcribit, niſi ſanandis Eccleſiæ malis curæ aliquid adhibeatur, futurum brevi, ut in deſperationem ſenſim res provolvantur. Eudoxiani palam hæreſim oſtentabant ſuam, Eccleſias quaſi ex permiſſu colligentes Macedoniani, eò temeritatis proruperant, ut Epiſcoporum ſibi nomen aſciſcerent. Eunomius in perniciem ſuam omnes pertrahere conabatur: *Quod tamen ex omnibus Eccleſiæ calamitatibus acerbiſſimum, Apollinariſtarum licentia eſt, quos haud ſcio, quonam modo pietas tua conventuum æquè ac nos habendorum autoritatem ſibi arrogaſſe, atque uſurpaſſe paſſa fuerit.* Hâc Epiſtolâ permotus Nectarius, à Principe Reſcriptum impetrat, quod Cynegio Præfecto Prætorio miſſum eſt: *Omnibus hujus urbis latebris indagine curioſiore perſpectis, ſine ulla gratiæ interventione pellantur. In aliis locis vivant, ac penitùs à bonorum congreſſibus ſeparentur. Datum* XII. *Cal. Febr. Conſtantinopoli Richomere & Clearcho Coſſ.* Sexto Idib. Mart. adverſus Apollinarios Legem & Cynegio miſit, quâ ab omnibus locis pellebantur, inſtituendorum Clericorum poteſtate exuebantur. Agellius Novatianorum Epiſcopus ex hac luce migravit, paulò antè quàm naſceretur Honorius. Morti proximus Siſinnium Presbyterum ſuo loco Epiſcopum conſtituit. Diſertus erat in primis, & à Maximo Philoſopho unà cum Imperatore Juliano fuerat inſtitutus. At Novatiani hanc Siſinnii ordinationem moleſtè tulerunt, quòd non potius Marcianum creaſſet, cujus operâ imperante Valente immunes perſecutionis evaſerant. Morbo paululum recreatus Agellius, leniendo plebis dolori in Eccleſiam delatus, talia fatur: *Marcianum poſt me Epiſcopum habete, poſt Marcianum verò Siſinnium.* Nec multò pòſt extremum diem clauſit. Hæc in Oriente, Occidentis res nunc exequamur.

Naz. Or. 46. 721.

Cod. Theod. l. 13. de Hæres.

Socr. l. 5. c. 21.

Socr. l. 5. c. 12.

Symmachus aram Victoriæ, & ſtipendia reſtitui petit.

V. Symmachus, vir magnæ inter Senatores Rom. famæ, qui ad dignitatem Præfecti urbis aſcenderat, cùm in ea mente foret, famem quæ Romanos anno ſuperiore inceſſerat, ſupplicium onminum eſſe, quo ſacrorum ſuorum negligentiam ulciſcebantur, Veſtalibus reddi ſtipendium, à Valentiniano flagitat, quod Imperatores ipſis ſufficiebant: *Quanto*, inquit, *commodo ſacri Ærarii veſtri, Veſtalium virginum prærogativa detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt? Honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur Sacerdotii vacare muneribus. Nemo me putet ſolam cauſam religionum tueri. Ex hujuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta Romani generis incommoda. . . Nil imputans aſtris ſacrilegio annus exaruit.* Petebat etiam reſtitui aram Victoriæ: *Reddatur tamen nomini honor, qui numini denegatus eſt. Multa Victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit.* Ne petitioni, quæ nomine Senatus ornabatur, Valentinianus imprudens annueret, Ambroſius interceſſit. Rogat, ne quod à Gratiano rectè conſtitutum erat, convellat, fraternave præcepta reſcindat. Nullius injuriam eſſe memorat, *cui Deus omnipotens anteſertur:* monet ut Symmachi petitionem Theodoſio mittat, utpote rem graviſſimam, de qua abſque illius & autoritate, & ſuffragio decerni non poſſit: quòd ſi Epiſcoporum conſilia pro nihilo habeat, quid futurum ſit, docet abſque circuitione: *Licebit tibi ad Eccleſiam convenire, ſed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies reſiſtentem. Quid reſpondebis Sacerdoti, dicenti tibi, Munera tua non quærit Eccleſia, quia Templa Gentilium muneribus adornaſti.* Ne verò pueritiam exiſtimet excuſationi ſibi eſſe, ſubjicit, *Quid reſpondebis his verbis? Puerum te eſſe lapſum? Omnis ætas perfecta Chriſto eſt.* Symmachi quoque libellum confutavit Ambroſius, vicitque ſententiâ ſuâ. Symmachi petitionem ſprevit, rejecitque Valentinianus, cujus factum laudibus ad cœlum uſque extulit Ambroſius. Non ſine numine quidem contigit illo ipſo anno, quo Veſtalium caſtitatem præconio ſuo commendabat Symmachus, ac ereptis ſtipendiis mala urbis aſſignabat, quòd *Primogenia* apud Albam Veſtalium Antiſtes à *Maximo* corrupta fuerit, quod facinus majorum vindicari ſupplicio, ab urbis Præfecto enixè Symmachus ipſe petit.

Ambr. Ep. 30.

Vitæ Auguſtini breviarium.

VI. Eccleſiæ proſ[illegible]rat Ambroſius, monitis Valentinianum ſuis pr[illegible]bens, ne alendæ Veſtalium ſuperſtitioni ſacrum ærarium ſuppeditaret. Aliâ adhùc ratione fidei utilitati inſervit, dum Auguſtinum Manichæorum laqueis irretitum evellit Mediolani. Sunt in vita ſancti Patris multa notatu digna, quorum præcipua verbis exequi debemus. Natus erat Idibus Novembris anno Dom. CCCLIV. ut ſuo eſt loco obſervatum. Puerilibus annis Tagaſtenſi oppido diſcendæ Grammaticæ operam dedit, inde *Madauros* miſſus, humanioribus literis animum imbuit. Puerorum more à ſtudiis abhorrens, Græcorum linguam præcipuè averſabatur. Poëtæ tamen quibus delectabatur, faſtidium literarum, quo laborabat, expulerunt. Quo tempore juvenilium quidem affectuum procellis vexabatur, ipſo fatente: *Quàm longè exulabam à deliciis domus tuæ, anno illo* XVI. *ætatis carnis meæ.*

Aug. Conf. l. 2. c. 2.

Rever-

ANNO DOM. 384.

Reverſus Madauris ſexto illo decimo anno, *ex neceſſitate domeſtica feriatus ab omni ſchola, cum parentibus eſſe cœpit.* Ætatis ſuæ ſeptimo & decimo de arte rhetorica ſibi comparanda mittitur Carthaginem, anno Dom. CCCLXXI. Rapiebant ſtudentem *ſpectacula theatrica.* Sed & in foro verſabatur inter cauſidicos, quo tempore *Patricius*, pater ipſius, baptiſmate ſuſcepto, ad plures abiit. Intereà amore Philoſophiæ capitur, quem *Hortenſius Ciceronis excitaverat.* Ea porro tanta ipſi erat acies animi, ut *annos natus fermè viginti*, Ariſtotelis categorias legerit *ſolus*, & intellexerit. Verſabatur nonnunquam in ſacrorum Codicum lectione, quorum ſimplex neglectuſque ſtylus legenti fuit contemptui. Delicato palato mel Ciceronianæ orationis magis ſapiebat. Quam verbo ſuo illatam Deus injuriam ſubitò ulciſcitur. Quippe referta Manichæis Carthago erat, in quos malis avibus cùm incidiſſet, Auguſtinus miſerè corrumpitur: *Dicebant veritas, & veritas; inſerebantur* pro Deo *Sol & Luna.* Tagaſtem urbem ſuam reverſus, anno ætatis XIX. pueros Grammaticam docuit. Neque Monicæ gaudio fuit chariſſimi filii reditus, turpiſſimis erroribus depravati. Laborabat ex dolore, atque ex hoc miſera ſollicita erat, quia animæ dimidium ſuæ à Chriſto erat alienum. Dum ea de cauſa pia mater tota lacrymis defluit, in ſomnis videt *ſe ſtantem in quadam lignea regula, & advenientem ad ſe juvenem ſplendidum atque arridentem ſibi* mœrenti. Quærenti doloris cauſas, cùm ea reſpondiſſet, filii *perditionem ſe plangere*, lugentem juſſit attendere; quod cùm feciſſet, Auguſtinum vidit *juxta ſe in eadem regula ſtantem.* Ut autem ex Manichæorum impietate laborantem expediret, Epiſcopum Scripturæ peritum enixè rogat, inſtituto cum Auguſtino colloquio ipſius errores refelleret. Noluit ille, & quidem ſapienter. Reſpondit enim, Novitate hæreſis inflatum juvenem ſuperbumque, *quòd nonnullis quæſtiunculis jam multos imperitos exagitaſſet*, conſilia remediaque omnia repudiaturum: *Tantum*, inquit, *roga pro eo Dominum, ipſe legendo reperiet, quis ille ſit error.* At illa flens uberius, cùm inſtaret, ut cum Auguſtino diſſereret, urgenti celeberrima verba hæc locutus eſt, *Fieri non poteſt, ut filius iſtarum lachrymarum pereat.* Quid intereà Auguſtinus agebat? *Theatricos plauſus, contentioſa certamina, ſpectaculorum nugas, intemperantiam libidinum* ſectabatur. Docebat & illis annis Rhetoricam, ſed & his vacantem titillat Aſtrologiæ cupiditas. Dum hujus diſciplinæ blandimentis capitur, ſenex medicus, qui artis Genethliacæ vanitatem probè noverat, ab eo ſtudio ipſum revocat. Sub id tempus juvenis, quocum firmiſſimis amicitiæ vinculis copulabatur, quem & erroris ſui venenis corruperat, graviſſimum in morbum incidit. Dum *ſudore lethali* corripitur, inſcius quid gereretur, ſacris undis expiatur. Ubi convaluit, amicum tali modo baptizatum irridebat. Quæ ludibria graviter & iniquo animo paſſus eſt, mirante Auguſtino. Cujus amicus cùm non multò pòſt vi morbi naturæ ſatisfeciſſet, tanto dolore ob id corripitur, ut domus patriaque ſua tædio eſſet. Annus ætatis erat circiter XXV. Æræ verò Dionyſianæ CCCLXXIX. cùm relicto Tagaſtenſi oppido venit Carthaginem, ibique Rhetoricam profitetur. *Anno undetriceſimo ætatis ſuæ*, Domini CCCLXXXIII. ad eam civitatem acceſſit Fauſtus, Manichæorum Epiſcopus, *quem per annos fermè ipſos novem* expectabat. In tanta apud ſuos exiſtimatione Fauſtus erat, ut ſcrupulorum quibus pungebatur, omnium aculeos Auguſtino evulſurum pollicerentur. Dubiis verò Auguſtini cùm ſatisfacere non poſſet, tum conatus, quo proficere in illa ſecta ſtatuerat, eo homine cognito, prorſus intercidit. Cœpit itaque legere cum Fauſto, qui in rhetoricas artes *flagrabat.* Porro cùm *apud Carthaginem fœda eſſet, & intemperans licentia Scholaſticorum*, tædio contumaciæ hujus, potius quàm lucri, gloriæve amore percitus, etſi his cauſis nonnihil moveretur, relictâ Carthagine, in urbem proficiſci ſtatuit. Conſilium tamen ſuum matri indicatum noluit, quæ abeuntem uſque ad mare ſecuta eſt. Conabatur Monica proficiſcentem vel ſequi, vel retinere. Quam ut falleret, finxit ſe *amicum nolle deſerere, donec vento facto navigaret.* Ut Romam venit, Manichæi domo uſus, febri laborat. Recuperatâ valetudine, ſuæ ſectæ homines frequentabat. Incipiebat tamen frigeſcere ſtudium, quo in eam propendebat: *Helpidii ſermones etiam apud Carthaginem* ipſum *movere cœperant.* Candido pectori dicta Manichæorum diſplicebant, clam affirmantium, *Scripturas N. T. falſatas fuiſſe.* Intereà domi diſcipulos inſtituebat. Ubi verò novit, pleriſque Romanorum id moris eſſe, *ne mercedem magiſtro reddant, ut transferant ſe ad alium*, decrevit aliò migrare. Anno ætatis trigeſimo, Epochæ Dionyſianæ CCCLXXXIV. *poſteà quàm miſſum eſt Mediolano Romam ad Præf. urbis*, de Rhetoricæ Profeſſore habendo, tum fautores Manichæorum totis viribus conantur ad id muneris Auguſtinum promoveri: *Dictione propoſitâ probatum* ipſum Præfectus tunc Symmachus miſit: quem paternè ſuſcipit Ambroſius. Hic feſſo portus ſalutis fuit. Delectabatur ſuavitate ſermonis ejus, *minus tamen hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti erat.* Dum Mediolani moratur, venit Monica, quæ terrâ marique filium ſequebatur. Matri cùm indicaſſet, *Non ſe quidem jam eſſe Manichæum, ſed neque Chriſtianum, exilivit lætitiâ.*

Aug. Conf. l. 4. c. 16.

Aug. Conf. l. 3. c. 11.

Ibid.

Aug. Conf. l. 6. c. 1.

Epulæ ad memorias Martyrum. Ab Agapis diverſæ. Abrogatæ.

VII. Beatæ fœminæ non minus propriis virtutibus, quàm filii ſui, & famâ, & pietate claræ, factum non eſt prætereundum, utpote conducens illuſtrandæ Antiquitati. Mos invaluerat ubique locorum, ut Natalitia Martyrum epulis celebrarentur. Cujus fontem exiſtimamus Gregorium Thaumaturgum, qui poſt annum 255. quâdam συγκατάβασιν novellis Chriſtianis permiſit, ejuſmodi agitare convivia. Cùm animadvertiſſet, quòd propter corporis voluptates imperitum vulgus in errore ſimulacrorum *permaneret, permiſit eis, ut in memoriam ſanctorum Martyrum ſeſe exhilararent.* Ex hac itaque conceſſione *per anniverſarium circuli ambitum congregati, lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.* Qui ritus in Pontica regione ortus, in alias orbis Provincias imitatione ſeſe diffudit. Conſuetudinis meminit Theodoritus: *Pro Pandiis ac Dionyſiis, hoc eſt, Jovis Liberique Patris ſolemnitates populari epulo peraguntur.* Vigebat & in Africa ritus ejuſmodi, cujus tenax Monica, eò & apud Mediolanum defungi voluit: *Illa cùm attuliſſet caniſtrum, cum ſolemnibus epulis, prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm unum pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, unde dignationem ſumeret, non ponebat. Etſi multa eſſent, quæ illo modo videbantur honoranda memoria defunctorum, idem ipſum unum quod ubique*

Nyſſ. Vit. Greg. 574.

Theodorit. de Mart. l. 8.

Aug. Conf. l. 6. c. 2.

poneret

ANNO DOM. 384.

poneret circumferebat. Quod jam non ſolùm aquatiſſimum, ſed etiam tepidiſſimum cum ſuis Præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur. Quibus apparet, ceremoniam ejuſmodi Agaparum Apoſtolicarum multum diſſimilem eſſe, quæ non ad *memoriam defunctorum honorandam*, ſed ad viventes alendos erant inſtitutæ, ut docet Tertullianus: *Inopes quoſque refrigerio iſto juvamus.*

Tert. Apol. c. 39.

Sed & ſecundo ſeculo, quo frequentiſſimus Agaparum uſus erat, nil loci huic accuſationi datum, quòd *illa quaſi parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima*, quod de ceremonia, quam Monica obſervabat, dictum eſſe novimus. Neque objectum unquam Chriſtianis, qui tum temporis floruere, ipſos vertiſſe Idola in Martyres, quod *Fauſtus* Afris objecit: *Illos*, inquit, *votis ſimilibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus.* Non ſanè Fauſti calumnia hæc fuit. De Ænea Anchiſæ parentalia celebrante, Poeta:

Aug. in Fauſt. c. 21.

Ad tumulum magnâ medius comitante catervâ,
Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho,
Fundit humi.

Virg. Æn. l. 5. v. 77.

Mortuos ſuos ſalutabant: *Salve, ſancte parens.* In plebem vinum, oleum dividebant. Imò eò proceſſit Adriani munificentia, ut *in honorem ſocrus ſua aromatica populo* donarit. Pro ferali cœna nudo cilici ſepulchrorum offam ex lente imponebant, cùm inferias ſolverent. De ea ceremonia Hieronymus in Oſeam: *Lugentium cœnas Græci νεκρόδειπνα vocant, nos parentalia poſſumus dicere, ab eo quòd parentibus mortui immolentur.* Quid verò ſacra illa Chriſtianorum, à Monica ex uſu Afrorum peracta, niſi νεκρόδειπνα? Quid niſi ſacra parentalia diebus conſecrationis Martyrum confecta ad ipſorum honorem? *Pultes, panis, merum* ſimiliter afferebantur, quæ Martyrum tumulis imponebantur, atque memoriis. Indutam Chriſtianiſmi larvâ Ethnicorum ſuperſtitionem Eccleſiâ ſapienter ejecit Ambroſius: Cùm igitur Monica *ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes & panem, & merum attuliſſet, & ab oſtiario prohiberetur, ubi hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam piè atque obedienter amplexa eſt, ut ipſe mirarer, quòd tam facilè accuſatrix potius conſuetudinis ſuæ, quàm diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit. . .* Placuit poſteà Africæ Epiſcopis anno 399. actus Ambroſii imitari, prohibitis illis *parentalibus*. Quod ab Imperatoribus flagitandum eſſe decernunt: *Illud etiam petendum, ut quoniam contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili attracta ſunt, ita ut nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur. Ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de poſſeſſionibus impoſita pœna prohibere. Maximè cùm etiam in natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident, quibus diebus etiam quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos & plateas exerceant: ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devotè venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis laſcivientibus appetatur, ut etiam ipſius ſanctæ religionis fugiatur acceſſus.* Noluit tamen Honorius *feſtos conventus Civium* ſubmoveri.

Hier. in Oſ. c. 9. p. 59.

Auguſt. Conf. l. 6. c. 2.

Cod. Afr. c. 60.

Satyri vita & mors.

VIII. Lætitiæ, in quam Ambroſium conjecerat felix de Symmacho victoria, dolor ingens intervenit ex morte Satyri. Ambroſio duo fratres erant, quorum natu minor Satyrus, Ambroſio major fuit, ut ex ipſo colligimus: *Quis igitur non miretur virum inter fratres duos, alterum virginum, alterum Sacerdotem ætate medium.* Satyrus autem Ambroſio pietate magis quàm naturâ frater erat: *Quàm plaudebam mihi, quòd tali me Dominus fratre donaverat tam pudico, tam efficaci, tam innocenti.* Cùm horrendâ in mari procellâ adhùc Catechumenus jactaretur, *Divinum illud Fidelium ſacramentum popoſcit. . . ut fides ſua conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in Orario, & Orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.* Servatus ex undis Dei Eccleſiam requirit, ut gratum Deo oſtenderet animum. Cupidus quoque baptiſmi advocat Epiſcopum, ex quo percontatur, *Utrùm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conveniret?* In ea quippe regione Luciferani ſchiſmatis erat Eccleſia. Ubi primòm copia liberior Eccleſiæ fuit, deſideratum accipit baptiſmum, acceptumque ſervavit. Cùm ad Epiſcopatum Ambroſius evectus eſt, domeſtica ipſius ſollicitudo in uno Satyro requievit: *Sine offenſione ulla & gubernaſti fratris domum, & commendaſti Sacerdotium*, c. 3. Redierat ex Siculis, Africaniſque regionibus, cùm morbo correptus amicis *maturè ereptus eſt.* Defuncti Ambroſius clauſit oculos, corpuſque extulit: *O immites & aſperæ manus, quæ clauſiſtis oculos, in quibus plus videbam. O durior cervix, quæ tam lugubre onus conſolabili licet obſequio geſtare potuiſtis*, c. 5. Pulcherrima eſt fratrem lugentis ſententia: *Lætandum eſt magis, quòd talem fratrem habuerim, quàm dolendum, quòd fratrem amiſerim*, c. 1. Satyro porro hunc ipſum annum ſupremum fuiſſe, ex verbis fratris conjecturam ducimus: *Deo gratias, quia in hoc omnium metu, cum omnia motibus ſint ſuſpecta barbaricis, communem dolorem privato dolere tranſegi*, c. 1.

ANNO DOM. 384.

Ambr. de exc. Sat. c. 9.

Ambr. de exc. Sat. c. 3.

IX. Verſabatur adhùc Romæ Hieronymus, totus in explicanda Scriptura, promovendaque pietate; quo tempore, dum ſeptuageſimum ſecundum Pſalmum interpretatur, repentè nunciatur, *ſanctiſſimam Leam exiiſſe de corpore*, cujus reliquiæ delatæ ſunt Oſtiam. Monaſterii Princeps erat, & Mater Virginum, de qua ille ipſe Hieronymus: *Æternâ beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris.* Alia *Prætextati* conditio fuit, Conſulis deſignati, qui ludendo dicebat Damaſo, *Facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinùs Chriſtianus.* Periit eo tempore, quo Lea, idque præmii tulit, quod impietati debetur. Tanta erat Hieronymi apud Eccleſiam Romanam autoritas, ut in ipſius inſtitutis aliquid immutarit, addito ſacris hymnis *Alleluia*. Non erat quidem vocis hujus omninò peregrina, quam die Paſchatis Templa ſua reſonare docebat. Interim negandum non videtur, quòd conſiliis Hieronymi permotâ Româ frequentiorem Alleluia uſum Pſalmodiæ ſuæ adjunxerit. Neque aliud ſibi volunt verba Gregorii Magni ad Joannem Syracuſanum. Gregorio Siculus quidam objecerat, *Quomodo Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere, qui ejus conſuetudines per omnia ſequitur?* Cùm dicerent, Quas? Reſponſum eſt, *Quia Alleluia dici ad Miſſas extra Pentecoſtes tempus feciſtis.* Ad hæc Gregorius: *Ut Alleluia hîc diceretur de Hieroſolymorum Eccleſia, ex B. Hieronymi tempore Beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum.* Epiſtolam refert & Amalarius de Eccleſiaſticis Officiis libro 4. cap. 26.

Acta Hieronymi Romæ: frequentior uſus Alleluia ab eo introductus.

Hier. ad Marc. Ep. 24.

Greg. Ep. l. 7. 63.

X. Cùm

Quid Alleluia? Unde ortum in laudibus Eccleſiæ?

X. Cùm porro *Alleluia* ritus Eccleſiaſtici pars magna fuerit, de eo nonnulla proferre inſtituti noſtri ratio movet. Qui à limine Hebraica ſalutarunt, ſciunt & tenent, *Alleluia* ex verbo, & nomine compoſitum eſſe. Nempe ex imperativo plurali pihel הללו *laudate*, & nomine יה *Deum*: quod vocabulum ex יהוה videtur eſſe contractum. Itaque non ſatis accurata eſt explicatio Alcuini: *Canticum etiam lætitiæ, id eſt, Alleluia, quod eſt, laus Domini, ſine fine cantabit.* Non melior eſt Iſidori interpretatio. Alleluia *expoſitio, duorum verborum compoſitione conſiſtit, hoc eſt, laus Dei.* Exſuperat verò omnem ſtultitiam Durandi Mimatenſis ſententia, qui libro ſecundo de Ritibus Eccleſiæ monet, *Alleluia* vocabulum *Gratum* eſſe. Neque doctior eſt criſis Anſelmi Cantuarienſis, ſcribentis *Alleluia* non eſſe vocem alicujus linguæ, ſed Angelicam. Qua de cauſa ambo meritas Cardinali Bonæ pœnas dedere. Ab Auguſtini quidem in Pſalmos Commentario diſcere facillimè potuiſſent, & vocem Hebræam eſſe, & vocis ſignificationem. Ad imitationem hymni Angelici, quem Joannis Apocalypſis exhibet capite XIX. *Alleluia* in Eccleſiæ laudes introductum eſt. Cùm enim cœleſtes illi Spiritus in ſuo hymno, *Alleluia quater* altâ voce pronunciarint, grandi hocce exemplo Eccleſia uti voluit, quò voces Angelicas referret, & in canticis ſuis vivam gloriæ cœleſtis imaginem imprimeret. Rectè noſtrâ ſententiâ Iſidorus: *Joannes in Apocalypſi refert, Spiritu revelante vidiſſe ſe, aut audiviſſe vocem cœleſtis exercitus Angelorum, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem validorum tonitruum, dicentium, Alleluia. Ex quo nullus debet ambigere, cùm hoc laudis myſterium dignâ fide, & devotione celebretur, Angelis eſſe conjunctum.* Cur verò Hebraicè ab Eccleſiis & Orientis & Occidentis retineatur, non malè ab illo ipſo Iſidoro declaratur: *Alleluia autem, ſicut & Amen, de Hebræa in aliam linguam nequaquam transferuntur: non quia interpretari minimè queant, ſed ſicut aiunt Doctores, ſervatur in eis antiquitas, propter ſanctiorem autoritatem.* Quòd verò Joannes Græcè ſcribens, & vocabulum *Alleluia*, & Hebræum quater etiam uſurparit, difficilioris ſanè diſquiſitionis eſt? Nùm ſignificatum voluit, Dei laudes, quæ Judæis olim propriæ erant, ad Græcos cum Hebræorum lingua migraſſe? Subindicatne linguam, quâ beati in cœlo conſtituti erumpent in Dei laudes, Hebræam eſſe; quam Adamus in Paradiſo, Sacerdotes in Templo Hieroſolymitano, Angeli in Cœlo adhibuere laudando Deo? Quod verò quater Alleluia uſurpant, eâ repetitione crebrâ oſtendunt, & frequentiſſimè in Dei laudibus verſari nos oportere, & maximam gloriæ cœleſtis partem in Deo celebrando conſiſtere, quod venuſtè explicat Auguſtinus Sermone 7. de duabus piſcationibus: *Dicamus quantum poſſumus Alleluia, ut ſemper dicere mereamur. Ibi cibus noſter Alleluia, potus Alleluia, actio quietis Alleluia, totum gaudium Alleluia erit, id eſt, laus Dei.*

Alcuin. de Div. Off. 231.

Iſid. de Eccl. Off. l. 1. c. 13.

Ibid.

De uſu Alleluia.

XI. Alleluia uſus, & publicus, & privatus fuit. Ac olim ſignum erat, quo virgines Aſceteriorum incolæ in conventum cogebantur: *Poſt Alleluia cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat.* Neque proprium id fortè Monaſteriis fuit, quod hoc ſigno quaſi tubâ congregarentur. Ad Eccleſiarum quoque nonnullarum imitationem illud Monaſteria ſibi uſurpaſſe conjectura eſt. Narrat quidem Sozomenus, Ethnicos Alexandrinos, qui Serapium obtinebant, in fugam ſe conjeciſſe: Chriſtianos eum locum occupaſſe; noctque intempeſtâ, quæ illum diem, quo hæc facta ſunt præceſſit, Olympium Philoſophum *quendam in Serapio Alleluia canentem audiviſſe. Et quoniam foribus occluſis neminem conſpiciebat, ſed ſolam audiebat vocem Pſalmum illum modulantem, intellexit, quid ſibi vellet hoc ſignum.* Quaſi nimirum illâ voce Chriſtiani ad Serapium convocarentur. Cæterùm non omnibus ſanè temporibus Alleluia in Eccleſia cantabatur. Si vera Sozomenus prædicat, in urbe quotannis ſemel dicebatur: *Romæ quotannis ſemel cantatur Alleluia, primo die Paſchalis feſtivitatis: adeò ut multi Romanorum hoc jurejurando uti ſoleant, ut hunc hymnum audire & canere ipſis contingat.* Vetuſtam quidem fuiſſe hanc Romanorum conſuetudinem credimus. Aliquid mutationis accidiſſe videtur Damaſi temporibus, impulſore Hieronymo. Quantas Hieronymus in Vigilantium tragœdias moverit, quis ignorat? Quarum cauſa hæc una fuit, quòd diceret Vigilantius, *nunquam niſi in Paſcha Alleluia cantandum.* Quâ controverſiâ probabiliſſimum eſt, veteris diſciplinæ Vigilantium patronum egiſſe. Porro in aliis regionibus parcius, in aliis frequentius cantabatur, quam in rem notabilia ſunt verba Iſidori: *In Africanis regionibus non omni tempore, ſed tantùm Dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini reſurrectionem Alleluia cantatur, pro ſignificatione futuræ reſurrectionis, & lætitiæ. Verùm apud nos ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem præter dies jejuniorum, vel Quadrageſima, omni tempore canitur Alleluia. Scriptum eſt enim, Semper laus ejus in ore meo.* Eò pertinet ad Januarium Auguſtini Epiſtola: *Ut Alleluia per illos ſolos dies quinquaginta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur, alibi, atque alibi, ipſis autem diebus ubique.* Jejuniorum tempore intermittebatur Alleluia. Quod cùm à nonnullis in Quadrageſima, exceptâ ultimâ hebdomade, apud Hiſpaniam caneretur, Toletanis Patribus conſuetudinem abrogari placuit: *Statuimus, ut in omnibus diebus Quadrageſimæ Alleluia non decantabitur.* In Miſſa defunctorum abſtinebant & nonnulli ab Alleluia: *Ad Miſſam defunctorum, gloria Patri, & Alleluia, quod lætitiam deſignat, non cantatur, quia luctum imitatur.* Neque etiam cantabatur in Miſſa de Innocentibus. More tamen antiquo vel in ipſis funeribus adhibebatur, ut liquet in Epitaphio Fabiolæ: *Fama totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata tecta Templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluia.* In Miſſali Gothica, obſervante Bonâ, Miſſa pro defunctis ſic incipit: *Tu es portio mea, Domine, Alleluia, in terra viventium, Alleluia, Alleluia.* Cur verò certis diebus cantarent, certis ab Alleluia temperarent, myſterii rationem habuit, ipſo Auguſtino docente: *Neque enim & hoc ſine ſacramento certis diebus cantamus Alleluia.* Objicienti Græco, ſemel in Paſcha pſallere *Alleluia*, reſpondet Humbertus: *Porro ipſum Alleluia ſicut calumniamini, non ſolummodò in Paſcha cantamus, ſed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus noſtris accepimus. . . Quòd autem novem hebdomadibus Alleluia intermittimus, non incongruè per novem hebdomadas novem ordines Angelorum accepimus.*

Hier. Ep. 27. c. 10.

Soz. l. 7. c. 15.

Soz. l. 7. c. 19.

Hier. adv. Vig. c. 1.

Iſidor. de Eccl. Off. l. 1. c. 13.

Aug. Ep. 119. c. 17.

Tolet. 4. c. 10.

Gem. An. l. 1. c. 121.

Hieron. Ep. 30. c. 4.

Aug. in Pſ. 106.

Humber. B. M. P. c. 18. p. 404.

Anno Dom. 384.

pimus. Quorum decimus ordo per ſuperbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & felicitatem perturbavit. Qui condolentes ſua diminutioni, & parem ruinam timentes ſibi, à perfecta laude Creatoris fuere præpediti. Deſcendunt & in myſterio Alcuinus, Amalarius, aliique Liturgicorum Scriptores, dum exponunt, cur Alleluia duo cantentur Sabbato ante octavas Paſchæ. Hæc de uſu publico Alleluia ſufficiant, de quo non illepida eſt Auguſtini ſententia: *Certis quidem diebus cantamus Alleluia, ſed omni die cogitamus. Sic enim hoc verbo ſignificatur laus Dei.* Privatum uſum quod attinet, perpetuò in ore verſabatur Alleluia, ut vel nautis pro celeuſmate eſſet, ut docet Sidonius Heſperio:

Aug. in Pſ. 106.

Curvorum hinc chorus helciariorum
Reſponſantibus Alleluia ripis,
Ad Chriſtum levat amnicum celeuma.

Sidon. Ep. l. 2. 10.

Mors Damaſi. Num Autor Pontificalis?

XII. Decembris circiter undecimo Damaſus Romanus Epiſcopus annos ferè 80. natus vitâ expellitur. Multorum ſermone tritum eſt, & celebratum, Pontificalis librum aſcribi Damaſo. Cui fundamentum opinioni præbuiſſe videntur Epiſtolæ duæ in MSS. Codicibus libro Pontificali præfixæ, quorum una incipit, *Beatiſſimo Papa Damaſo Hieronymus. Gloriam ſanctitatis tua noſtra humilitas deprecatur. Et ſecunda, Damaſus Epiſcopus urbis Roma. Gaudet Eccleſia, tuo fonte ſatiata.* Eſt tamen certiſſimum, Damaſo Pontificale eſſe abjudicandum. Primùm enim præfixæ Pontificali Epiſtolæ Damaſo Hieronymoque ſunt eximendæ, ne fundamentum opinionis hujus ſit in aqua poſitum. Deinde qui Damaſi Operum mentionem fecit Hieronymus, de Pontificali ſilet, quòd nullus præteriiſſet: *Damaſus*, inquit, *Romana urbis Epiſcopus, elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia Opuſcula heroico metro edidit, & propè octogenarius ſub Theodoſio Principe mortuus eſt.* Tertiò, in eo quod Bedam inter & Damaſum tempus eſt interjectum, Pontificale laudavit nullus. Quartò, verba ſunt Schelſtrati: *Beda primus quod ſciam, mortalium citavit in Martyrologio ſuo ad* VIII. *Idus Auguſti nonnulla de morte Sixti, ex geſtis Pontificalibus, qua nec Damaſo, nec alicui particulari Autori tribuit. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, qui ſeculo nono ſcripſit, Epiſtolâ 28. ad Nicolaum Primum hujus libri ſub titulo libri Epiſcopalis meminit, quem nulli planè Autori aſcribit.* Quis igitur Pontificali Autor eſt aſſignandus? Petri Lambecii ſententia hæc eſt, prioris libri Pontificalis partem à Notariis Apoſtolicis, diverſis quidem temporibus, ſed eodem ſtylo conſcriptam, & à Damaſo in tabulis Vaticanis repertam ad Hieronymum tranſmiſſam eſſe. Ea tamen opinio offenſus noſtros impetrare nequit ob ſtyli barbariem, errores Chronologicos, fabuloſas narrationes, quæ omnio Autores dedecent, primo, ſecundo, tertioque ſeculo florentes, quorum oratio cultior fuiſſet, & nitidior, notitiaque rerum quas narrant, longè accuratior. In vitis & Pontificum à Petro Apoſtolo ad ſeculum ſeptimum uſque deductis, unus idemque orationis tenor eſt, forma eadem, atque barbaries. A vero non abludit opinio Baronii, Anaſtaſium Collectorem potius, quàm Scriptorem vitarum Pontificum uſque ad Nicolaum Primum; Adriani verò, cui Nicolaus deceſſit, vitam ab Anaſtaſio conditam. Quæ rationibus non ſpernendis ſententia firmari poteſt. 1°. Quia Beda in Martyrologio ad VIII. Idus Auguſti Geſtorum Pontificalium meminit. Beda autem annis amplius centum ante Anaſtaſium obiit. 2°. Hincmarus Rhemenſis Epiſtolâ 26. ad Nicolaum Papam libri Epiſcopalis mentionem egit, ex quo hæc refert: *Sicut Gelaſius in Acacio dicit, qui à ſede Apoſtolica damnatus, & non reſtitutus, licet Anaſtaſius Papa, ſicut in libro Epiſcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finivit.* Quæ de Anaſtaſio ſecundo habentur in Pontificali. 3°. Veterum Pontificum nullus vitas à Damaſo ad uſque Nicolaum, quo ſedente ſcripſit Anaſtaſius, aſcripſit Anaſtaſio. 4°. Labbeus vidit MS. Codicem tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ Pontificum, qui anteriores fuere Damaſo, jam ipſi tribuebantur antè quàm aut natus eſſet Anaſtaſius, aut ſaltem ex primis infantiæ crepundiis emerſiſſet. Videatur Schelſtratus jam laudatus, qui ea nobis argumenta fœneravit. Hæc obiter occaſione Damaſi, cui Pontificale addictum eſt. Damaſo ſuccedit Siricius, labente uti putamus anno. Verùm de ea quæſtione tractabitur inferius.

Schelſtr. Antiq. Eccl. Diſſert. 3. c. 6. 370.

Bar. An. 867. n. 139.

Anno Dom. 384.

ANNÓ U. C. 1138. OLYMP. 291. PER. JUL. 5098. JUL. 430. DUM. 385. VALENTIN. 10. & 11. THEODOS. 7. ARCAD. 3. *Sol.* 2. E. *Lun.* 6. *Indict.* 13. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.*

Anno Dom. 385.

COSS. *Flavius Arcadius Aug. & Bauto.*

Mors & virtutes Flacillæ Auguſtæ.

I. MAximo & Imperii, & Eccleſiæ damno *Flacilla* Auguſta Theodoſii uxor hoc anno mortalitatem exuit. Egregiæ quidem fœminæ obitum anno ſequenti vindicat Harduinus in ſua ad Themiſtium Chronologia. Communis tamen ſententia verior nobis eſſe videtur, utpote in Marcellino innixa, qui Gallæ cum Theodoſio nuptias cum anno CCCLXXXVI. copulat: *Honorio Caſare & Evodio Coſſ. Galla Theodoſii Regis altera uxor, his Coſſ. Conſtantinopolim venit.* Ad pietatem prudentiamque Flacillæ vix accedere aliquid potuit, quarum virtutum monumenta extant in Theodorito plurima. Viro ſuo Legis divinæ præcepta in memoriam aſſiduè revocabat, quibus ſeſe prius accuratè erudierat. Imperiali autoritate non ad ſuperbiam, ſed ad Dei amorem excitabatur ardentius. Mutilorum, ægrorumque curam gerebat, ipſa ſingulis utilia præbens. Juſcula eorum deguſtabat, caliceſque ſuis manibus abluebat: iis verò qui ab hoc miniſterio revocare ipſam ſtudebant, dicere ſolebat: *Auri diſtributio imperio convenit. Ego verò pro ipſo imperio miniſterium meum Deo autori illius offero.* Theodoſio verò hæc perpetuò ſuggerebat: *Semper cogitare debes, mi vir, quid prius fueris, & quid nunc ſis. Hac enim ſi continuò perpenderis, nequaquam ingratus eris erga autorem tuum. Sed imperium quod accepiſti, juſtè adminiſtrabis, atque hoc modo coles eum, qui dedit.*

Theodorit. l. 5. c. 19.

Juſtina Mediolani perſecutionem movet.

II. Dum defunctam Flacillam luget Oriens, Juſtina Auguſta Valentiniani Junioris mater, mulier impotens, Flacillæque longè diſſimilis, adverſus Eccleſiam Mediolanenſem perſecutionem movet. Ejus initia Baronius aſſignat anno ſequenti. Eſt tamen vero ſimilius, præſenti contigiſſe, cui & à Proſpero alligatur. Oratio de tradendis Baſilicis, quæ anno ſequente recitata eſt, tempus indicat, quo Ambroſius Valentiniano Baſilicam tradere juſſus eſt: *Superiore*, inquit, *anno*, qui Domini eſt 385. Neque poſterior Ambroſii legatio, quæ anno 387. ſuſcepta

eſt,

Digitized by Google

Anno Dom. 385.

eſt, poteſt cum annis perſecutionis conjungi. Superatis Alpium jugis, autumno Maximus Italiam ingreſſus eſt. Itaque ſi hoc ipſo anno miſſo milite Portianam ſibi Baſilicam Valentinianus vindicavit, geminam ad Maximum apud Treveros agentem mittere legationem debuiſſet, quadrimeſtri labente. Quod omninò eſt incredibile. Cæterùm de perſecutione Rufinum audiamus: *Juſtina Ariana hæreſeos alumna, impietatis ſua venena, qua vivente viro ſuppreſſerat, filio facilè decepto fidenter aperuit. Igitur apud Mediolanum poſita conturbare Eccleſiarum ſtatum, comminari Sacerdotibus depulſionis exilia, niſi Ariminenſis Concilii Decreta, quibus fides Patrum temerata fuerat, revocarent. Quo bello Eccleſia murum & turrim validiſſimam pulſabat Ambroſium, eumque minis, terroribus, atque omni oppugnationis genere fatigans, primum ſibi aditum debellanda rimabatur Eccleſia.* Matris autoritate permotus Valentinianus, ab Ambroſio Baſilicam Arianis habendam extorquere conatur. Quod & indicat vir ſanctus, in Oratione de non tradendis Baſilicis, ſequente anno pronunciata: *Quaſi verò ſuperiori anno, quando ad palatium ſum petitus, cùm præſentibus Primatibus ante Conſiſtorium tractaretur, cùm Imperator Baſilicam vellet eripere, ego tunc aula contemplatione regalis infractus ſum, conſtantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto jure diſceſſerim. Nonne meminerunt, quòd ubi me cognovit populus Palatium petiiſſe, ita irruit, ut vim ejus ferre non poſſent, quando Comiti militari cum expeditione ad fugandam multitudinem egreſſo, obtulerant omnes ſe neci pro fide Chriſti?* Non effugit tamen invidiam vir ſanctus, licet totis viribus populum revocaſſet.

Ruf. l. 2. c. 15.

Ambr. Epiſt. 32.

Auxentius Mediolanenſis Epiſcopus, à priore Auxentio diverſus.

III. Fax & veluti princeps perſecutionis erat *Auxentius*, Mediolanenſium Arianorum Epiſcopus, nomine priori *Auxentio* ſimilis, reverà tamen perſonâ diverſus. Auxentii utriuſque meminit Hieronymus. Ad priorem, qui imperantibus Conſtantio Valentinianoque Seniore ſedebat Mediolanenſi in Cathedra, hæc pertinent de Hilario Pictavienſi: *Alius elegans libellus contra Auxentium.* Juniorem verò Auxentium ſpectant ad Damaſum verba Hieronymi: *Jungatur cum beatitudine tua Urſicinus, cum Ambroſio ſociatur Auxentius.* Defunctus enim erat Senior Auxentius, cùm ad Epiſcopatum Ambroſius evectus eſt. Patriâ non conveniebant inter ſe Auxentii. Alter Cappadox, ut monet Athanaſius: *Auxentium delatorem potius quàm Chriſtianum è Cappadocia Mediolanum amandavit Conſtantius, hominem ne Romana quidem lingua, ſed tantummodò hæreſeos peritum.* Alter verò gente Scytha fuit: *Alius in Scythia partibus dicebatur, alius hic vocatur, nomina pro regionibus habet*, quæ de Juniore Auxentio locutus eſt Ambroſius. Cùm verò Auxentii nomen Mediolanenſibus inviſum eſſe ſciret, veterator non Auxentius, ſed *Mercurinus* dici voluit, quaſi ex mutatione nominis erroris odium deponeretur. Quam ob rem eleganter ab Ambroſio perſtringitur: *Unum portentum eſt, & duo nomina. Etenim ne cognoſceretur quis eſſet, mutavit ſibi vocabulum, ut quia hic fuerat Auxentius Epiſcopus Arianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, ſe vocaret Mercurinum. Mutavit ergo vocabulum, ſed perfidiam non mutavit. Exuit lupum, & induit lupum. Nihil prodeſt, quòd mutaverit nomen: quod ſit agnoſcitur, alius in Scythia partibus dicebatur, alius hic vocatur.* Perfidiæ Arianæ hominem urebat Epiſcopatus ſui obſcuritas. Eccleſiam habebat nullam conventibus ſectæ ſuæ celebrandis, dum Baſilicas omnes Catholici occupabant, ut in *plauſtris* ſuæ Religionis ſacra conficeret. Conſiliis ergo ſuis *Juſtinam* ſuperbam mulierem, erroriſque ſui tenacem permovet, ut Baſilicam & ſibi, & Imperatori vindicaret. Turpe Principibus rerum Dominis, nil Templi eſſe, in quo pietate palam publicèque fungerentur. Perſecutionis facem fuiſſe, hæc indicant Ambroſii: *Auxentius uno momento tot populos, quod in ipſo eſt, trucidabit; alios gladio, alios ſacrilegio.* Perſecutio hæc more fluminum, vires acquiſivit eundo, perduravitque ad annum uſque CCCLXXXVI. quo dum magis ſævit, feliciter extincta eſt, ut narrabimus.

Hier. Ep. 57.

Ath. ad Solit. 861.

Ambr. Ep. 31.

Ambr. t. 1. Or. 5.

Anno Dom. 385.

Quid Auguſtino contigerit Mediolani.

IV. Dum Mediolani verſamur, quid agebat Auguſtinus, eſt paucis expediendum. Kalendis Januariis Bautoni Conſuli laudes publicâ eſt oratione proſecutus. Eo tempore Manichæiſmum quidem exuerat, nondum tamen fidem induerat. Platonicorum libros à Victorino in Latinum verſos evolvebat, in quibus invenire ſibi viſus eſt *de Dei verbo multa conſentanea Chriſtianæ doctrinæ.* Intereà voluptatibus illicitis fruebatur, conſuetudinem habens cum concubina. Illegitimi tandem tori pertæſus, nuptias adipiſci voluit. Conſiliis quidem ſuis ab uxore ducenda ipſum prohibebat Alypius. Vicit tamen matrimonii cupido. Promittitur uxor, maximè *matre dante operam, quo jam conjugatum baptiſmus ſalutaris ablueret.* Ipſius verò concubina in Africam rediit, Deo vovens, alium ſe virum neſcituram, relicto apud patrem *filio naturali.* Cùm porro ſponſa nondum nubilis eſſet, dilationis impatiens Auguſtinus, tanquam poſt biennium accepturus quam petebat, novam ſibi concubinam adjunxit. Dum eò loci eſt, Scripturam ſtudioſè legit, ex qua voluptatem mente capiebat. Tum audire ſibi videbatur *vocem de excelſo, Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me. Tu mutaberis in me.* Accenſus amore divinorum, ad *Simplicianum* adit, quem in accipienda Dei gratia Ambroſii patrem vocat. Accedenti gratulatur Simplicianus, quòd in Platonicorum, non in aliorum Philoſophorum Scripta incidiſſet. Auditâ verò mirâ Victorini ad fidem converſione, quam narrabat ei Simplicianus, exurſit ad Victorinum imitandum. Novum pietatis amorem animo Auguſtini ingeneravit *Potitianus* Afer Tagaſtenſis, qui in Palatio militabat. Narrabat ille B. Antonii vitam, ex cujus vel lectione juvenis ad pietatem accenſus erat. Audito Potitiano, Auguſtinus totus diſplicuit ſibi. Ex receſſu petito, flens ſub ficu, talia fatur: *Quamdiu cras, & cras, quare non modò, quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Dum in hac cogitatione verſatur, audit vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quaſi pueri, an puellæ, neſciebat: *Tolle, lege; tolle, lege.* Arrepto confeſtim codice Pauli, aperuit, legitque cum ſilentio. Verba, quibus primùm conjecti ſunt oculi, hæc erant: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; ſed induite Dominum J. C.* Annos tunc natus erat XXXI. Dum in receſſu verecundo moratur, plures ſcribit libros, tres ſcilicet contra Academicos, quos Romaniano dicavit, de Vita beata, de Ordine, & Soliloquia.

Auguſt. Conf. l. 6.

Auguſt. Conf. l. 8. cap. 6.

Siricius. Ejus ad Himerium Epiſtola.

V. Mediolano Romam proficiſcimur. Quo currente anno Pontificatum geſſerit Siricius, nulli

Anno Dom. 385.

nulli dubitamus. Utrùm verò vel præſente, vel ſuperiore anno Damaſo ſucceſſerit, difficilioris quæſtionis eſt. Baronius quidem, Papebrochiuſque annum 386. ſupremum Damaſo fuiſſe exiſtimant. Quorum Chronologia Idacii Chronico firmatur, qui ad ſeptimum Theodoſii annum hæc habet: *Priſcillianus aliquot Epiſcoporum Conciliis auditus, Italiam petit & Romam, ubi ne ad conſpectum quidem Sanctorum Epiſcoporum Damaſi & Ambroſii receptus, cum his cum quibus ierat, redit ad Gallias.* Siricius igitur nondum Damaſo ſucceſſerat. Omnibus tamen perpenſis, eorum magis ſententiæ ſumus, qui & Damaſi obitum, & Siricii creationem in annum proximè elapſum conjiciunt, quam Pagius ex Siricii Epitaphio probat:

Ter quinos populum in annos qui rexit amore,
Nunc requiem ſentit cœleſtia regna petiture.

Cùm igitur exceſſerit anno CCCXCVIII. ter quini illi anni inveniri non poſſunt, niſi de CCCLXXXV. partem aliquam delibarit. Proſper quidem in ſuperiorem annum Siricii refert initia: *Rom. Eccleſia poſt Damaſum triceſimus ſextus Siricius præfuit ann.* XVI. Siricium natione Romanum dicunt, ex patre *Tiburtio*. Quid egerit ſcripſeritve, ſequentibus docebimus. Pontificatus primitiæ ſunt Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem hoc anno ſcripta: *Data decimo tertio Idus Febr. Arcadio & Bautone Coſſ.* Suſpicionem tamen injicit ſubſcriptio hæc, quia Arcadium jam Auguſtum titulo *clariſſimi* Siricius non affixiſſet. Epiſtolam quod attinet, Siricio eam non vindicare non poſſumus: *Directa ad deceſſorem noſtrum Sanctæ recordationis Damaſum, fraternitatis tuæ relatio, me jam in ſede ipſius conſtitutum invenit. Quam cum in conventu fratrum ſolicitius legeremus, tanta invenimus, quæ reprehenſione & correctione ſunt digna, quanta optaremus laudanda cognoſcere. Et quia neceſſe erat, nos in ejus laboribus curiſque ſuccedere, cui per Dei gratiam ſucceſſimus in honore; facto ut oportebat primitùs meæ provectionis indicio, ad ſingula prout Dominus aſpirare dignatus eſt, conſultationi tuæ reſponſum competens non negamus.* Quibus liquidò conſtat, initiis Epiſcopatus ſui à Siricio fuiſſe conſcriptam. Continet capita XV. I. De non rebaptizandis Arianis, quos quidam denuò baptizari volebant. II. Ne præter quàm in Paſcha & Pentecoſte, niſi in periculo baptiſmus celebretur, non Natali Dom. non feſtivitatibus Apoſtolorum. III. Apoſtatæ ab Eccleſia ſeparentur. Quòd ſi pœnitentiam agant morte imminente, reconcilientur. IV. Non licet alterius ſponſam matrimonio ſibi copulare. V. Qui poſt pœnitentiam ad militiam, vel nova conjugia redeunt, orationibus & myſteriorum celebrationi interſint, expertes tamen Euchariſtiæ, in exitu ſolummodò ſuſcipiendæ. VI. Monachi virgineſque promiſſam continentiam violantes, in ergaſtulis damnentur ad perpetuam pœnitentiam, nec niſi in fine Euchariſtiam accipiant. VII. Sacerdotes & Levitæ, qui *tam de conjugibus propriis*, quàm de turpi coitu ſobolem procrearunt, perſeverent in officio abſque ullo honoris augmento, eâ lege, ut continentes ſe præbeant. Qui uſum uxorum ex Vet. Lege ſibi conceſſum contendunt, omni dignitate Eccleſiaſticâ moveantur. VIII. Qui multa contraxere conjugia, ad Sacerdotium Diaconatumque non promoveantur. IX. Qui quinquennio Diaconi in officio laudabiliter verſatus eſt, Presbyterium conſequatur; exinde poſt decennium Epiſcopatum adipiſcatur. X. Qui grandævus munus Eccleſiaſticum deſiderat, tempore baptiſmi Lectoribus & Exorciſtis inferatur, ſi tamen & unam, & virginem uxorem acceperit. XI. Clericus qui aut viduam, aut ſecundam uxorem duxerit, dignitate ſuâ moveatur, laicâ ſibi tantùm communione conceſſâ. XII. Illæ ſolæ cum Clericis fœminæ habitent, quas Synodus Nicæna permiſit. XIII. Monachi ad Clerum promoveantur, ordine graduum ſervato. XIV. Pœnitens ad Clericatum non evehatur. XV. Pœnitens, digamus, viduæ maritus, qui per ignorantiam Clericus factus eſt, ad ulteriorem gradum non aſcendat. Hæc Baſſianus Tarraconenſis Presbyter retulit *Himerio*.

Anno Dom. 385.

VI. Dum Romæ verſamur, de Hieronymo pauca dicamus. Damaſo à ſecretis fuerat, cujus autoritate & præſidio tegebatur. Eo defuncto, à Clericis invido dente carpi cœpit, quòd ipſorum luxum perſtrinxerat. Hoc innuit in ſua ad Demetriadem Epiſtola: *Ante annos circiter triginta de Virginitate ſervanda edidi librum . . . qui ſermo offendit plurimos, dum unuſquiſque in ſe intelligens, quod dicebatur, non quaſi monitorem libenter audivit, ſed quaſi criminatorem ſui operis averſatus eſt.* Ingeſtas ſibi calumnias graviter queritur in ſua ad Aſellam Epiſtola: *Oſculabantur mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant.* In ipſum conjiciebant, quidquid impuro homini convenit. *Ille probroſus, ille verſipellis, ille mendax, & Satanæ arte decipiens.* Præcipuè dum profectio imminet, amoris turpis accuſatur in Paulam & Melaniam, quæ abeuntem ſecutæ ſunt. Profectionem ipſius verbis narrabimus: *Menſe Auguſto flantibus Eteſiis cum Sancto Vincentio Presbytero, & adoleſcente fratre, & aliis Monachis, qui nunc Hieroſolymæ commorantur, navim in Romano portu ſecurus aſcendi, maximâ me Sanctorum frequentiâ proſequente. Veni Rhegium, & in Scyllæ littore paululum ſteti.* Per Maleas & Cycladas ad Cyprum appulit, ubi ſuſceptus ab Epiphanio, venit Antiochiam cum Paulino communicaturus. Paula Euſtochio filiâ comitata, Hieronymum mox ſecuta eſt, nobiliſſima matrona, ex Gracchorum & Corneliorum familia. Antèquàm proficiſceretur, liberis ſuis cuncta largitur. Deſcendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, liberis proſequentibus: *Parvus Toxotius ſupplices manus tendebat in littore. Ruffina jam nubilis, ut ſuas expectaret nuptias, tacitis fletibus obſecrabat.* Delata Cyprum, Epiphanii pedibus provoluta, decem ab eo diebus retenta eſt, quibus labentibus refrigeria fratribus reliquit. Inde per Seleuciam pervenit Antiochiam, ubi aliquandiu cum Paulino commoratur.

In Cleri Rom. odium incidit Hieronymus. In Orientem redit.

Hieron. Ep. 8.

Hieron. Apol. adv. Ruf. l. 3. cap. 7.

Hieron. Ep. 27.

VII. Tradunt ſubinde nobis acta ſua Galliæ commemoranda: Burdigalenſe ſcilicet Concilium, adverſus Priſcillianum celebratum, quod perperàm cum anno CCCLXXXIII. *Du Pin* conjungit. Anno CCCLXXX. Cæſarauguſtani Patres, Inſtantium & Salvianum Epiſcopos, Helpidiumque, Priſcillianumque Laicos damnaverant. Quid exinde geſtum ſit, Sulpicius docet Severus: Inſtantius & Salvianus *ad confirmandas vires ſuas, Epiſcopum in Labinenſi* (lege Abulenſi) *oppido conſtituunt. Rati nimirum, ſi hominem acrem & callidum ſacerdotali autoritate armaſſent, tutiores fore ſeſe.* Tum verò Idacius,

Priſcillianus. Ad Burdigalenſe Concilium vocatur.

atque

Anno Dom. 385.

atque Ithacius acrius inſtere, ſed parum ſanis conſiliis ſeculares Judices adeunt, ut eorum decretis atque executionibus Hæretici urbibus pellerentur. Elicitur à Gratiano Imperatore Reſcriptum, quo univerſi Hæretici excedere non Eccleſiis tantum aut urbibus, ſed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto Gnoſtici diffiſi rebus ſuis, non auſi judicio certare, ſponte ceſſere qui Epiſcopi videbantur; cæteros metus diſperſit. At tum *Inſtantius*, *Salvianus*, & *Priſcillianus* Romam proficiſcuntur, ut apud Damaſum objecta purgarent. Sed iter eis per interiorem Aquitaniam fuit. Ubi tum ab imperitis magnifice ſuſcepti, ſparſere perfidiæ ſemina, maximéque *Eluſanam* plebem pravis prædicationibus pervertere, A Burdigala per Delphinum repulſi, in agro Euchrociæ infecere nonnullos. Inde iter cœptum ingreſſi, turpi comitatu cum uxoribus atque alienis etiam fœminis, in queis erat *Euchrocia*, & filia ejus *Procula*, de qua fama fuit, Priſcilliani ſtupro gravidam, partum ſibi graminibus abegiſſe. Ubi Romam pervenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum, æquè adverſantem ſibi Ambroſium repererunt. Tum vertere conſilia, corruptoque Macedonio Magiſtro Officiorum, Reſcriptum eliciunt, quo reſtitui Eccleſiis jubebantur. Inſtantius & Priſcillianus repetivere Hiſpanias. Salvianus in urbe obierat. Hæretici corrupto *Volventio* Proconſule, vires ſuas confirmant. *Ithacius*, quaſi perturbator Eccleſiarum, reus poſtulatus, profugit ad Gallias. Hiſpaniarum Vicario res defertur; mittuntur Officiales, qui Ithacium tum Treveris agentem ad Hiſpanias retraherent. Quos ille callidè fruſtratur. Rumor inceſſerat, Maximum in Britannia ſumpſiſſe imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Novi Imperatoris adventum expectat Ithacius. Ubi Maximus Treveros ingreſſus eſt, ingerit preces in Priſcillianum, ac ſocios ejus invidiæ plenas & criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hiſpaniarum literis, omnes omninò, quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdigalenſem jubet.

Sulp. l. 2.

Burdigalenſis Synodus.

VIII. Synodum hoc anno celebratam eſſe, teſtatur Ithacius, qui & ipſi interfuit. Priſcillianus *cum his cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi ſimiliter à Sancto Martino Epiſcopo, & ab aliis Epiſcopis Hæreticus judicatus, appellat ad Cæſarem.* Quæ cum anno Theodoſii ſeptimo copulat Idacius. Burdigalenſis Acta Synodi penes ſe habere, Labbeo dixerat *Hieronymus Viguerius*, Oratorii Presbyter; ſed quod ſciamus, nemo ea in publicam lucem aſſeruit. Pauca hæc ex Sulpitio hauſta ſubjicimus oculis: *Deducti ad Synodum Inſtantius & Priſcillianus, quorum Inſtantius prior juſſus cauſam dicere, poſtquam ſe parum expurgabat, indignus eſſe Epiſcopatu pronunciatus eſt. Priſcillianus verò, ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit. Permiſſumque id noſtrorum inconſtantiâ, quia aut ſententiam in refragantem ferre debuerant, aut ſi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare, non cauſam Imperatori, de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita omnes quos cauſa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accuſatores Idacius & Ithacius Epiſcopi, quorum ſtudium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, ſi non ſtudio vincendi plus quàm oportuit certaſſent.* Cæterùm ſeditione populari morte mulierculæ, quæ errores Priſcilliani ſequebatur, ſupplicio miſerorum præluſum eſt: *Burdigala quædam Priſcilliani diſcipula, nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.* Quæ in Arcadii & Bautonis Conſulatum Proſper retulit.

Sulp. l. 2.

Sangarenſe Novatianorum Concilium. Sabbatius.

IX. Dum hæc in *Occidente* geruntur, Novatianam ſectam grave diſſidium inceſſit. Agellio Conſtantinopolitanorum Novatianorum Præſuli defuncto Marcianus anno ſuperiore ſucceſſerat, qui *Sabbatium* ex Judæo Chriſtianum ad Presbyterii dignitatem promovit. At quo recens imbuta fuerat, ſervavit odorem teſta, ſtudioſè Judæorum ritibus inſerviens. Incendebatur & Epiſcopatus cupiditate Sabbatius. Adjunctis itaque ſibi duobus Presbyteris ambitionis ſuæ conſciis, *Theoctiſto*, & *Macario*, Paſchalis feſti ſolemnitatem, quam Novatiani Valentis Auguſti temporibus in vico Phrygiæ *Pazo* innovaverant, ipſe defendere inſtituit. *Pazus* vicus eſt ad Sangaris fluvii fontes, ubi pauci & obſcuri de Novatianorum plebe regulam promulgarunt, ut quotannis eodem die cum Judæis Paſchale feſtum celebraretur. Cui Synodo nec *Agellius* Conſtantinopolis, nec *Maximus* Nicææ, nec Nicomediæ, aut Cotyæi Epiſcopi Novatianorum interfuere. Principio auſterioris vitæ ſimulatione Sabbatius ab Eccleſia ſe ſubduxit, ſpecie flagitioſos fugiendi, quos Sacramentis indignos ſuſpicabatur. Ubi verò progreſſu temporis cognitum eſt, *Sabbatium* conventus ſeorſum agere velle, de ipſius ordinatione dolens Marcianus, ſæpenumerò dicebat, *Satius fuiſſet ſpinis manus meas imponere, quàm Sabbatio.* Facto apud Sangarum, quod Bithyniæ eſt emporium, Concilio, accerſitus Sabbatius, doloris cauſas exponere jubetur. Tum ille fatetur, diſſenſionem de Paſchali feſto cauſam doloris ſibi præbuiſſe, quod juxta & Judæorum morem, & formulam in Patarenſi Synodo promulgatam obſervari debuit. Adducti in ſuſpicionem Epiſcopi, Sabbatium Cathedræ Epiſcopalis eſſe cupidum, jurejurando hominem adigunt, nunquam ad Præſulis dignitatem aſcenſurum. Cùm ille in hæc verba juraſſet, regulam de feſto Paſchali promulgarunt, quam ἀδιάφορον, *indifferentem* vocant: *Affirmantes diſſenſionem de Paſcha die tanti non eſſe, ut ejus cauſâ quiſquam ab Eccleſia ſecedere debeat, nec eos qui Pazi convenerant, præjudicium Eccleſiæ univerſali feciſſe.* Itaque Sabbatius geminum quotannis Paſcha celebravit, alterum ſeorſim more Judaico lunæ XIV. alterum ritu Chriſtiano die Sabbati magni pernoctans, & ſequenti luce Sacramenta cum cæteris in Eccleſia participans. Ex Phrygiæ & Galatiæ partibus ſimpliciores imitati Sabbatium, juxta ipſius conſuetudinem Paſcha in occulto celebrarunt. Hujus Synodi Novatianæ tempus eſt in obſcuro. Anno 391. coactam eſſe Baronius arbitratur. Ex narratione Socratis citius celebrari debuit. Sabbatii meminit & Libellus Synodicus: *Qui in Phrygia erant Æstiani, Synodo in Pazi vico collectâ cum Judæis celebrandum eſſe Paſcha decreverunt. Quod decretum cùm Sabbatius apprehendiſſet, multos Byzantiorum in ſocietatem erroris abripuit. A quo Sabbatiani hodie dicuntur.*

Socrat. l. 4. c. 28.

Socr. l. 5. cap. 21.

Lab. Concil. t. 2. 887.

Mors Timothei Alex.

X. Alexandriæ lucis uſuram amiſit Timotheus Epiſcopus, Petri & ſucceſſor, & frater. Anno CCCLXXX. creatus Alexandrinorum Antiſtes, fraternis incedens veſtigiis, *Maximi* Cy-

ANNO DOM. 385.

nico faverat. Ad Synodum Conſtantinopolitanam acceſſerat, ibique ſe Gregorii Nazianzeni ordinationi adverſarium intendens, occaſionem viſo ſancto præbuerat debitam ſibi Cathedram deſerendi. Obiit xx. Julii primâ feriâ, Arcadio & Bautone Coſſ. cùm circiter quinquennio Eccleſiam Alex. adminiſtraſſet. Egregia de ipſo differtur ſententia. Ammonem Monachum, qui ſpontè ſibi aurem amputaverat, ne ad ſacros ordines eveheretur, cùm inaugurarei, monenti ob mutilationem Epiſcopatui non aptum eſſe, reſpondit: *A Judæis ista Lex ſervatur. Ego, ſi dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, ſed moribus probum, non eum dubitabo Epiſcopum facere.* Monachorum illuſtrium, qui Ægyptum incolebant, Hiſtoriam ſcripſit, de qua Sozomenus: Quanta Apollos miracula patrarit, *Timotheus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus commemorat, qui & hujus viri, & aliorum, quorum anteà mentionem feci, vitam literis prodidit.* Extant & reſponſa Canonica Timothei, numero *octodecim* cum Balſamonis Commentariis, quæ legi poſſunt tomo v. B. M. P. p. 1218. Ex Canonibus eos ſolos proferemus, quibus ad notitiam diſciplinæ apud Chriſtianos vigentis pervenire poſſumus. Canon 6. ſtatuit mulieri, die baptiſmi ſanguinis menſtrui vectigalia ſolventi, donec purgatur, à Sacramento eſſe abſtinendum. Can. 8. puerperam à jejunio Quadrageſimali abſolvit. Canon 10. Jejuniis Antepaſchalibus vini & olei uſum ægrotis largitur. Canon 11. benedicendo viri alicujus cum matertera, vel amita conjugio Clericum prohibet. Can. 16. jejunanti ad percipiendam Euchariſtiam, qui aquam bibit nolens, præcipit frequentiorem Sacramenti uſum. Quò liquet, jejunium *naturale*, quod Romanorum in diſciplina de requiſitis ad fruendum Dominico corpore unum exiſtimatur, Veteribus non fuiſſe neceſſarium. Timotheo ſucceſſit Theophilus.

Pallad. Lauſ. c. 2.

Sozom. l. 6. c. 29.

ANNO DOM. 386.

ANNO U. C. 1139. PER. JUL. 5099. JUL. 431. DOM. 386. VALENTIN. 11. & 12. THEODOS. 8. ARCAD. 4. *Sol.* 3. D. *Lun.* 7. *Indict.* 14. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

COSS. *Honorius Nobiliſſimus puer & Evodius.*

Gruthingi debellantur.

I. EXundantes in imperium R. *Gruthingi*, ex Scythica gente Barbari, novæ gloriæ ſegetem Theodoſio præbuere. Copiis armiſque abundantes, corporis & jam robore excellebant. Itaque peragratis nullo negotio interjectorum populorum terris, ad ipſam uſque Iſtri ripam pervenere. Cùm fluminis tranſmittendi copiam ſibi concedi poſtularent, *Promotus* in iis locis Magiſter Militum exercitibus ad ripam fluminis, quàm fieri poterat, longiſſimè porrectis, à tranſitu Barbaros arcebat. Sed & dolo deleri placuit. Convocatis nonnullis Gruthingicæ linguæ peritis, præcipit proditionis mentionem injicere. Petito ingenti pretio, cùm Barbari dicerent, Præmii magnitudinem ſuas ſuperare facultates, *Promoti* inſtitores nil ſibi de lucro decidi permittebant. Ut de ſumma tandem utrimque convenere, clam de tradendo Duce Romano cum exercitu paciſcuntur. Conſtitutum erat Barbaros de nocte Romanum exercitum agreſſuros. Partem copiarum robuſtiſſimam lintribus impoſitam, Barbari jubent dormientes milites adoriri. Deinde alios, qui ratione roboris medium velut ordinem obtinebant, primis impetum facientibus opem ferret. Re confectâ, plebs ſe oſtentatura erat. Ut Barbaris occurreret *Promotus*, latitudinem ac ſi navalis eam efficit, quæ navigiis tribus conſtaret. Longitudinis autem majoris ratione habitâ, ad viginti uſque ſtadia ripam fluminis occupat. Nocte illuni Barbari lintres ingrediuntur, quos Romanorum naves facillime demergebant, nemine propter armorum pondus evadente. Lintres, qui Romanos navibus circumvectos vitabant, cùm in ſeptum navium incidiſſent, telis obruebantur, ut armis, cadaveribuſque amnis impleretur:

Fluitantia nunquam
Largius Arctois pavere cadavera piſces.

Hoc modo cùm flos ipſe Barbarici exercitus omninò extinctus fuiſſet, ad prædam milites ſe convertere; pueros & mulieres abducere. Tunc accerſitum, qui non longè aberat, Theodoſium, rei fortiter geſtæ teſtem Promotus fecit. Theodoſius dignâ Principe clementiâ captivos vinculis liberatos dimiſit, & muneribus demulſit; hâc eos humanitate pelliciens, ut ad ſe ſponte tranſirent. De ea victoria in Faſtis Idacii mentio eſt: *Honorio Nobil. & Evodio Coſſ. victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Gruthingorum à noſtris. Theodoſio & Arcadio deinde cum victoria & triumpho ingreſſi ſunt Conſtantinopolim die IV. Idus Oct.*

Zozim. l. 4. c. 39.

Variæ Theodoſii Leges.

II. Plurimas Theodoſius Leges ad Religionem ſpectantes promulgavit. Hæreticis, quibus conventus permittebantur, ſi turbas moverent, ut ſeditionibus reis, & perduellibus capitis ſupplicium impoſuit. Data Lex eſt Conſtantinopoli x. Kal. Februarii. Sequente menſe hæc ſcripſit de Martyrum exuviis: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat; nemo Martyrem diſtrahat; nemo mercetur. Habeant verò in poteſtate, ſi quolibet in loco Sanctorum eſt aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod Martyrium vocandum ſit, addant quod voluerint fabricarum. Dat. IV. Kal. Martii Conſtantinop. Honorio Nob. puero & Evod. Coſſ.* Jam reliquiarum invaluerant venditiones, quæ modis omnibus ſunt prohibendæ. De Archieroſyna quoque legem tulit XVI. Kal. Jul. Conſtantinopoli: *In conſequenda Archieroſyna ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen à Templorum cultu obſervatione Chriſtianitatis abſceſſerit.* Archieroſyna hoc muneris fuit, quod in cura Templorum verſabatur, quæ cùm pars ſit Idololatriæ, meritò Chriſtianis vetabatur. Quæſitum Tertulliano, nùm Chriſtianus Magiſtratu fungi potuit? reſpondet, *Credamus itaque ſuccedere alicui poſſe, ut in quoquo honore, ut in ſolo honoris nomine ſuccedat, neque ſacrificet, neque ſacrificiis autoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas Templorum deleget, non vectigalia eorum procuret.*

Cod. Th. l. ult. de Sep. viol.

Cod. Th. de Decurion. l. 12.

Tertul. de Idololat. cap. 17.

Pro Arianis Lex Valentiniani.

III. At in Occidente Valentinianus Arianis favens Leges componebat, quibus error juvabatur: *Damus copiam colligendi his, qui ſecundum ea ſentiunt, quæ temporibus divæ memoriæ Conſtantii, Sacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano, expoſitâque fide, ab his ipſis qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi Concilio Conſtantinopoli etiam confirmata, in æternum manſura decreta ſunt. Conveniendi etiam quibus juſſimus, pateſcat arbitrium. Dat. x. Kal. Febr. Mediolani Honorio Nob. puero & Evod. Coſſ.* Quo Decreto flammis perſecutionis Eccleſia cingebatur. Quid ex eo ortum

Cod. Th. de Fid. Cath. l. 4.

ſit

Anno Dom. 386.

ſit mali, verbis Rufini eſt aperiendum: *Interim dictanda adverſum fidem Patrum Imperialia Decreta mandantur Benevolo, tunc Memoriæ Scrinii Præſidenti. Sed ille, cui ab incunabulis ſacra fides & venerabilis fuit, abnegat ſe impia verba poſſe proferre, & contra Deum loqui. Tum verò ne inceptum Reginæ fruſtrari videretur, celſior honor promittitur, ſi impleret injuncta. Ille qui nobilior in fide eſſe, quàm in honoribus cuperet, Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipſum, quem habeo tollite, tantùm mihi conſcientia fidei duret illæſa. Hæc dicens, ante pedes impiæ præcipitantium cingulum fecit.* Benevolo quoque virtutis teſtimonium reddit Gaudentius in Præfatione ad tractatus ſuos: *Noſtri namque temporis Regina Jeſabel, Arianæ perfidiæ patrona, ſimulac ſocia, cùm Beatiſſimum perſequeretur Ambroſium, Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, te quoque eâ tempeſtate Magiſtrum Memoriæ oblitum ſalutaris fidei arbitrata, contra Catholicas dictare Eccleſias compellabat; quod ne faceres, ultrò & promotionis politicæ dignitatem & ambitionem ſeculi, gloriamque mundanam pro Dei gloria contempſiſti, magis eligens privatus vivere quàm motitus militare.*

Ruf. l. 2. cap. 16.

B. M. P. t. 5. 942.

Auxentius ad diſputandum provocat Ambroſium.

IV. Fretus autoritate Juſtinæ Auxentius, ad diſputationem Ambroſium provocans, Imperatoris Conſiſtorium pugnæ arenam ſtatuit. Arbitros dat ignotos, qui poſteà Gentiles eſſe deprehenduntur. Tanto præſidio innixus, certam ſibi victoriam pollicitus:

Æn. l. 5.

> *Caput altum in prælia tollit,*
> *Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat*
> *Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*

Dalmatium ergo Tribunum, & Notarium Ambroſio mittit Valentinianus, poſtulans ut Judices eligeret, ſicut & Auxentius elegerat. Principi reſcribit Ambroſius, ab Imperatore Valentiniano Seniore olim decretum eſſe, *In cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis.* Tanti Imperatoris, qui pater fuit Principi, vilem debere nemini ſententiam eſſe: *In cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare.* Addit: *Veniant planè, ſi qui ſunt ad Eccleſiam, audiant cum populo, non ut quiſquam Judex reſideat, ſed ut unuſquiſque de ſuo affectu habeat examen, eligat quem ſequatur.* Non poſſe Judices eligi, qui de fide ſtatuant, utpote qui aut gratiam ſperent, aut *offenſam metuant.* Invenit poſteà, Judices ab Auxentio delectos de grege Ethnicorum eſſe: *Certus Auxentius non ignaros vos eſſe rectæ fidei, veſtrum refugit examen, & Gentiles quoſdam quatuor aut quinque fermè homines elegit cognitores ſibi.* Quæ verba ſunt Ambroſii ad populum Epiſt. 32.

Ambr. Ep. 32.

Juſtinæ in Ambroſium perſecutio.

V. Cùm tantum animi & conſtantiæ in Ambroſio eſſe Juſtina cerneret, in graviores confeſtim iras exarſit. Dolebat, ſe Reginam ab unius Præſulis fortitudine vinci. Plena erant omnia lachrymarum, cùm per Eccleſias juberentur *ejici Catholici Sacerdotes, reſiſtentes gladio feriri, Curiales proſcribi omnes, niſi mandatum impleverint.* Ac non jam *Portiana, hoc eſt, extramurana Baſilica petebatur, ſed Baſilica nova, hoc eſt, intramurana, quæ major eſt.* Hæc erat Epiſcopalis Eccleſia, quam Auxentius vindicare ſibi conabatur, ut queritur Ambroſius: *Meam Baſilicam petit cruento ore, ſanguinolentis manibus.* Propoſitum & Ambroſio, ut Eccleſiæ vaſa traderet, qui hoc reſponſi reddidit: *Me ſi de meis aliquid poſceretur, id quod mei juris eſſet libenter offerrem.* De Templo verò Dei *nil poſſe decerpere* profitetur, quia illud *cuſtodiendum, non tradendum acceperit.* Die Dominicâ Palmarum vi Eccleſiam ſibi vindicare Principi placuit, forti nobilique pertinaciâ ab Ambroſio negatam: *Poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterii tradebam Baſilicæ. Illic nunciatum eſt mihi comperto, quòd ad Portianam Baſilicam de Palatio Decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent: populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere: Miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi à populo Caſtulum quendam, quem Presbyterum dicerent Ariani.* Quibus auditis Ambroſius fletibus perfuſus, extemplò mittit Presbyteros & Diaconos, qui *Caſtulum* eriperent injuriæ. Cùm in uno Ambroſio ſtare videretur, quod Princeps nil impetraret, placuit in exilium mitti. Juſtina dignitates pollicebatur iis, qui ſanctum virum de Eccleſia raptum deportarent: *Unus infelicior cæteris, nomine Euthymius, tanto furore excitatus eſt, ut juxta Eccleſiam ſibi domum pararet, atque in eadem carrum conſtitueret, quò facilius raptum ſuperpoſitum carpento ad exilium perduceret.* Cùm totum diem Palmarum in Eccleſia tranſegiſſet Ambroſius, inde domum cubitum ſe recepit, ut ſi quis abducere eum vellet, inveniret paratum. Tum populus, qui famâ acceperat, Paſtori ſuo exilium parari, non excubias modò, ſed veluti corporum oppoſitus deſtinat. Poſterâ die Martii XXX. feriâ ſecundâ Ambroſius revertit in Eccleſiam, quæ circumfuſo milite occupatur. Quo ſpectaculo cùm plebs turbaretur, illam egregiâ hâc oratione ſolatur: *Video vos præter ſolitum ſubitò eſſe turbatos, atque aſſervantes mei. Miror quid hoc ſit? Niſi fortè quia per Tribunos me vidiſtis, aut audiſtis Imperiali mandato eſſe conventum, ut quò vellem abirem hinc, & ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. . . . Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deſeram. Coactus repugnare non novi. Dolere potero, flere potero, potero gemere; adverſus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma ſunt. Certè ſi Dominus hunc nos certamini deputavit, fruſtrà pervigiles tot noctibus & diebus cuſtodias exhibetis.* Neque ob milites domum repetere potuit. Itaque noctem in Baſilica tranſegit. Quo tempore illud accidiſſe videtur, de quo Rufinus commemorat: *Ambroſius verò adverſum Reginæ furorem non ſe manu defenſabat, aut telo, ſed jejuniis, continuatiſque vigiliis ſub altari poſitus, per obſecrationes defenſorem ſibi atque Eccleſiæ parabat.* Hymnis quoque cantatis dolorem ſuum populus mitigavit: *Tunc Hymni & Pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt.* Intereà Valentinianus graves Ambroſii defenſoribus mulctas imponebat, neque ab illis exigendis diei Dominicæ ſanctitate prohibebatur: *Condemnationes illicò graviſſimæ decernuntur primò in corpus omne mercatorum. Itaque Sanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus ſolebant debitorum relaxari vincula, ſtridunt catenæ, imponuntur collo innocentium, exiguntur ducenta pondo auri intra totum triduum. Mercatoribus nonnulli tantum pietatis fuit, ut dicerent ſe tantum, & duplum, ſi peteretur, daturos, dum modò ſervarent fidem.* Porro milites ipſi, quos in fidem Valentinianus armaverat, pietati ſe defenſores conſtituunt. Mandant Impera-

Anno Dom. 386.

Ambr. Ep. 33.

Paul. Vit. Ambr.

Ambr. Or. 5.

Ruf. l. 2. cap. 16.

Aug. Conf. l. 9. c. 7.

Ambr. Ep. 33.

ANNO DOM. 386.

peratori, *Si prodire vellet, haberet copiam; ſe tamen præſtò futuros, ſi viderent eum cum Catholicis convenire, alioquin ſe ad eum cœtum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros.* Quin etiam ad conventum Ambroſii ſeſe adjungunt. Quibus viſis, mulierum turbabantur animi. Proripit ſe una: *Ipſi tamen ſe ad orationem veniſſe, non ad prælium* loquuntur. Itaque prodire Arianorum nullus auſus eſt. His permotus Imperator, cortinas regias, quæ in *Portiana* ſuſpenſæ fuerant, removeri jubet. Quod ubi novit Ambroſius, cùm eò tendere à plebe rogaretur, Presbyteros direxit. Quod Valentiniano diſplicuit. Miſit ergo Notarium, qui mandata deferret: *Cur*, inquit, *Presbyteros ad Baſilicam deſtinaſti? Si tyrannus es, ſcire volo, ut ſciam quemadmodum me adverſus te præparem.* Cui reſpondit Ambroſius: *Nunquam Sacerdotes tyranni fuerunt, ſed tyrannos ſæpè ſunt paſſi.* Hæc feriæ fuit ſecundæ perſecutio, quo die ſcinduntur *ab illudentibus pueris cortina regia.*

An. 387. n. 28.

Sequenti die, quem obrepente ſomno feriam ſecundam majoris hebdomadæ Baronius vocat, cùm *tertia* jam adeſſet, legitur Jonæ liber, quod quaſi reſipiſcentis Imperatoris omen fuit. Nec omini defuit eventus. Plebis enim furorem veritus, militumque in Ambroſium ſtudia, de extorquenda Baſilica mentem exuit: *Nunciatur Imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de Baſilica; negotiatoribus quoque quod exactum de condemnatione fuerat, redderetur.* Quo cognito, populus in Dei laudes erupit. Noſtri non ſileſcant Annales de pœna Ambroſianis perſecutoribus illata poſtmodum. Calligonus Præfectus Cubiculi Ambroſio hæc nunciari juſſit:

Ambr. Ep. 33.

Me vivo, tu contemnis Valentinianum, caput tibi tollo. Miſer ille Eunuchus ſuæ conditionis oblitus, cùm meretriciis amoribus ſeſe implicuiſſet, capitis damnatus eſt, teſte Auguſtino:

Aug. cont. Jul. l. 6. cap. 14.

Eſt tamen concupiſcentia ſpadonum, pudicèque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipſe conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani Junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confeſſione convictum. Euthymius verò, qui ad Ambroſium deportandum currum paraverat,

Paul. Vit. Ambr.

Poſt annum, eodem die, quo illum rapere ſe arbitrabatur, eodem carpento impoſitus, de eadem domo ad exilium deſtinatus eſt.

Maximi de perſecutione ad Valentinianum literæ.

VI. Novum ecce & inſperatum extinguendæ prorſus perſecutioni acceſſit auxilium: *Dum hæc in longum diverſis machinis & oppugnationibus nequam Juſtina molicetur, Maximus qui ſe exuere tyranni infamiâ, & legitimum Principem geſtiret oſtendere, datis literis impium proteſtatur inceptum fidem Dei impugnari, & ſtatuta Catholicæ Eccleſiæ ſubrui.*

Ruf. l. 2. cap. 16.

Extat etiamnum Epiſtola Maximi integra & in Baronio, & in Collectione Labbeana Conciliorum, quæ ſanè egregia eſt, & optimo potius Principe, quàm tyranno digna: *Audivi*, inquit, *novis clementiæ tuæ Edictis Eccleſiis Catholicis vim illatam fuiſſe: obſideri in Baſilicis Sacerdotes, mulctam eſſe propoſitam, pœnam capitis adjectam, & Legem ſanctiſſimam ſub nomine neſcio cujus legis everti.* Addit, in re jam vetuſta atque uſitata aliquid novum feciſſe, reprehenſionem eſſe. Fide Trinitatis gloriari Galliam, Aquitaniam, Hiſpaniam, Romam ipſam venerabilem, ſolum Illyricum in errorem eſſe delapſum. Arianæ legis *Murſinenſe* oppidum ad judicium quondam erroris miſerè concidiſſe: Valentinianum patrem hâc fide fideliter imperaſſe. Subjungit: *Nullo certè majori genere curam meam circa Clementiam tuam probare tibi poſſem, quam ſi te horter, ut deſinas. . . . Italiam omnem & venerabilem Romam, cæteraſque Provincias ſuis Sacerdotibus reddas, neque te medium inſeras.*

ANNO DOM. 386.

Num reliquiis Protaſii & Gervaſii Juſtinæ perſecutio fuit extincta?

VII. Ex ſepulchro ad compeſcendam Juſtinæ perſecutione Baronius auxilium petit: *Ex refoſſis Sanctorum Martyrum ſacris reliquiis impertitur à Deo digniſſimo Sacerdoti præſidium.* Id innuit & Auguſtinus, Confeſſionum l. 9. c. 7. Dum narrat, opportunè detectos eſſe Gervaſii Protaſiique reliquias *ad coërcendam rabiem fœmineam, ſed regiam*, cùm ob patrata miracula,

Bar. An. 387. n. 37.

illius inimica animus etſi ad credendi ſanitatem non applicitur, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Rectum tamen in ea re nobis clariſſ. Du Pin judicium videtur:

M. B. P. 252.

On croit que la decouverte des Reliques de Sainct Gervais & de Sainct Protais, & les miracles qui ſe firent alors, contribuerent à la paix de l'Egliſe. Mais il y a bien de l'aparence que la veritable raiſon, qui empêcha Juſtine & Valentinien, de pouſſer les choſes à l'extremité, fut l'état des affaires de l'Empire. Sic eſt, noluerunt Principes viro & ambitioſo, & forti Maximo occaſionem præbere in Italiam invadendi, quam ambabus ulnis amplexus eſſet, ſi neglectâ ipſius Epiſtolâ Valentinianus fidem, Ambroſiumque adhùc exagitaſſet. Spreverunt quidem Ariani Gervaſii Protaſiique reliquias, & confecta ab illis miracula pro figmento habuerunt. Teſtis ipſe Ambroſius:

Ambr. Ser. 92.

Ariani dicunt, Non ſunt iſti Martyres, nec torquere Diabolum poſſunt. Et inferius: *Cedit Diabolus plagis, & adhùc cedere neſciunt Ariani.* Teſtis & Paulinus:

Paul. Ambr. Vit.

Intra palatium multitudo Arianorum, cum Juſtina conſtituta, deridebat tantam Dei gratiam, quam Eccleſiæ ſuæ Catholicæ Dominus Jeſus meritis Martyrum ſuorum conferre dignatus eſt. Cæterùm ne hîc quidem erroris expers eſt Baronii Chronologia, quæ Gervaſii Protaſiique inventionem affigit anno Dom. 387. Quam immeritò ſententiam Dallæus amplexus eſt, cùm ex Ambroſio refellatur: *Acclamavit populus, ut in Dominicum differretur diem Martyrum depoſitio, ſed tandem obtentum, ut ſequenti fieret die.* Sextâ ſcilicet feriâ, cùm ſi ſeptima laberetur, facillimè votis populi Ambroſius annuiſſet, ut ſolemnior foret ſub altari Martyrum depoſitio. Prætereà ejuſdem ſunt anni inventio Gervaſii Protaſiique, & perſecutio Ambroſii, quæ ad labentem utique annum pertinet.

Inventio corporum Gervaſii Protaſiique.

VIII. Antequam celeberrimam Gervaſii Protaſiique Reliquiarum inventionem exequamur, de novis Sanctis, ad Ambroſianam ætatem uſque prorſus incognitis dicamus. Legitur in Notis *Vivis* ad XXII. librum Auguſtini de Civitate Dei c. 8. Gervaſius & Protaſius *filii fuerunt Vitalis Equitis Rom. Martyris, & Valeriæ.* Quæ ex obſcura fama, ut par illud Martyrum nobilitaretur, in vulgus diſperſa ſunt. Neque ubi, quando, quomodo, à quibus ad mortem fratres damnati ſunt, Veterum in monumentis ullo veſtigio reperitur. Ne nomine quidem ante Ambroſiana tempora noti erant. Ipſorum ſepulchrum in obſcuro latebat, nullis aut miraculis, aut Fidelium eò confluentium cœtibus inſignitum: ut ad inveniendas defunctorum Reliquias cœleſti revelatione Mediolanenſi Epiſcopo opus fuerit. Adeò propter humilitatem & obſcuritatem Martyres illi mortalium in igno-

ANNO DOM. 386.

Auguſt. de Civ. l. 22. c. 8.

ratione verſabantur, teſte vel Auguſtino: *Corpora Martyrum Protaſii & Gervaſii cùm laterent, & penitùs neſcirentur*, &c. Chriſtianorum Sancti Naboris ad cancellos accedentium ſepulchrum, in quo fratres Martyres requieſcebant, pedibus calcabatur. Imperante M. Aurelio pietati ſanguinem dediſſe, creditum Baronio. Sunt tamen, qui ſæviente Nerone martyrii coronam adeptos eſſe exiſtiment, freti verbis Ambroſii: *Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat.* Utrobique tamen de anno Martyrum ſupremo conjecturæ *cùm laterent, & penitùs neſcirentur*. Eorum & novitatem teſtatur Gaudentius tractatu XVII. *Habemus Gervaſium & Protaſium, beatiſſimos Martyres, qui ſe ante paucos annos apud urbem Mediolanenſem Sancto Sacerdoti Ambroſio revelare dignati ſunt, quorum ſanguinem tenemus gypſo collectum.* Cruor ille immixtus gypſo, & copioſus etiam in defunctorum monumento repertus, nuperæ potius quàm antiquæ mortis indicium eſt. De ipſorum ſupplicio hæc habet Martyrologium Adonis ad XIII. Kal. Julii: *Mediolani natalis SS. Gervaſii & Protaſii Martyrum. Qui beatiſſimi cùm per decem annos in uno cœnaculo concluſi, lectionibus & orationibus atque jejuniis vacaſſent, undecimo ad palmam martyrii pervenerunt. Tenti ab Aſtaſio Comite, qui primùm tam diu juſſit plumbatis contundi, quàm diu exhalaret ſpiritum. Sequentem verò, id eſt, Protaſium fuſtibus cæſum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religioſus unà cum filio ſuo furtim abſtulit, & in domo ſua in arca marmorea ſepelivit.* Vix dubitandum, quin & longum Gervaſii Protaſiique carcerem, & Aſtaſii Philippique nomina, & arcam marmoream, ſepelientis in domo conditam, Martyrologorum liberalitati debeamus. Neque quam Gervaſio mortem illatam dicunt, ea ſatis Ambroſio narranti conſentit: *Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum.* Ex qua ſanguinis in ſepulchro reperti copia Gervaſius Protaſiuſque ambo videntur gladio periiſſe. Illud tamen admirationem movet, quòd oſſa *Gigantorum* potius fuerint quàm hominum. Quânam demum ratione ignoti Martyres venerint in notitiam, nunc eſt dicendum. Baſilicam dedicabat Ambroſius, cùm uno ore à plebe interpellatur: *Sic in Romana Baſilica dedices. Reſpondi, Faciam, ſi Martyrum reliquias invenero, ſtatimque ſubiit velut cujuſdam ardor præſagii. Quid multa? Formidantibus etiam Clericis juſſi eruderari terram eò loci, qui eſt ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris. Inveni ſigna convenientia, adhibitis etiam, quibus per nos manus imponenda foret. Sic Sancti Martyres eminere cœperunt, ut adhùc nobis ſilentibus arriperetur urna, & ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulchri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum.* Ambroſio divinitùs patefactas fuiſſe Martyrum reliquias, canit Paulinus Epiſtolâ XII.

Ambr. Serm. 91.

Id. ibid.

Quoſque ſuo Deus Ambroſio poſt longa revelat
Secula, Protaſium cum pare Gervaſio.

Diurna verò nocturnave manifeſtatio fuerit, non dixit Paulinus. At Auguſtinus: Corpora, inquit, Martyrum Protaſii & Gervaſii *cùm laterent & penitùs neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnium revelata reperta ſunt.* Quæ nonnihil ab Ambroſio diſcrepant. Quippe ſi viſo nocturno ſacra Ambroſio corpora indicata fuiſſent, oranti populo dubitanter non reſpondiſſet, *Si Martyrum reliquias invenero*, utpote ex divino oraculo jam certus inveniendi, formidinemque Clericorum pepuliſſet: *Subiit*, inquit, *velut cujuſdam ardor præſagii*, quæ impulſum potius divinum, quàm ſomnium innuunt. Ambroſii quoque narrationem inter, & verba Auguſtini aliquid intereſt, ſcribentis Confeſſ. l. 9. c. 7. Gervaſii Protaſiique corpora *incorrupta in theſauris ſecreti tui recondideras*, quæ apertè ſignificant, integra adhùc fuiſſe, nullâque violata putredine. Ambroſius verò, *Oſſa omnia integra* extitiſſe narrat. Alia verò ſunt *corpora*, alia *oſſa*. Carne quidem ſuâ nudatas fuiſſe Gervaſii Protaſiique reliquias, Ambroſii verba perſpicuè teſtantur: *Condidimus integra ad ordinem.* Et alibi: *Inviolata reliquia loco ſuo & ordine reperta.* De corpore integro quis hæc prædicet? Quis ſcripſit unquam, Chriſti *oſſa* in ſepulchro eſſe condita? Inventis reliquiis tranſlatione opus erat: *Ingens concurſus populi per biduum. Quid multa? Condidimus integra ad ordinem, tranſtulimus veſpere jam incumbente ad Baſilicam Fauſtæ. Ibi vigilia totâ nocte, manus impoſitio. Sequenti die tranſtulimus in Baſilicam, quam appellant Ambroſianam.* In Kalendario Carthaginenſi, Martyrologiiſque Gervaſii Protaſiique depoſitio XIII. Kal. Jul. affigitur, quæ cùm labente anno in diem Veneris inciderit, apparet Junii XVII. feriâ IV. Ambroſium corpora Martyrum inveniſſe. Optabat plebs diem Dominicam tranſlationi Martyrum dicari: *Acclamavit populus, ut in Dominicam differretur diem Martyrum depoſitio, ſed tandem obtentum, ut ſequenti fieret die.* Sextâ nimirum feriâ. Hinc liquet anno non 387. uti Baronius exiſtimat, ſed 386. tranſlata eſſe Martyrum oſſa. Inter transferendum fit miraculum, multorum ore celebratum: *Dum transferimus, cæcus ſanatus eſt.* Hæc breviter Ambroſius, quæ fuſiori oratione proſequitur Auguſtinus, tam libro de Civitate Dei XXII. quàm Confeſſionibus l. 9. c. 7. Cùm Gervaſii & Protaſii corpora *propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant Spiritus, confeſſis eiſdem Dæmonibus ſanabantur, verùm etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiviſſet, atque audiſſet, exilivit, eòque ſe ut duceret ſuum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum. . . . Quod ubi fecit atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt.* Cæci nomen Ambroſius edidit: *Severus*, inquit, *nomine, lanius miniſterio.* Novo adhùc miraculo Gervaſii Protaſiique Gregorius Turon. illuſtrat. Narrabat quidam: *Quando hæc glorioſa corpora tranſlata in Eccleſiam illam fuerunt, dum in honorem ipſorum Martyrum Miſſarum ſolemnia celebrarentur, cecidiſſe è camera tabulam unam, quæ illiſa capitibus Martyrum rivum ſanguinis elicuerit. De quo infecta linteamina, vel pallula, ſive vela Eccleſiaſtica beatus cruor collectus eſt, qui uſque adeò confluxiſſe fertur, quoad uſque linteamina qui ſuſciperent, ſunt reperta.* Quod miraculum ſuperſtitioſorum figmentis apponimus, de quo ſilent Ambroſius atque Auguſtinus. Maxima porro ab Ambroſiana ætate apud poſteros Gervaſii Protaſiique gloria fuit. Itaque anno Dom. DCXLIX. *Hadoindus* Cœnomanenſis Præſul in ſui teſtamenti tabulis verba hæc appoſuit: *Dono tibi, Sancta ac venerabilis mater*

ANNO DOM. 386.

Id. ibid.

Greg. l. 1. Mir. c. 47.

Bar. An. 652. n. 14.

Eccleſia Cænomanica, in honore Sanctæ Mariæ & Domini Gervaſii & Protaſii Martyrum villam juris mei, cujus vocabulum appellatur Auſa, Mediolano Gervaſii Protaſiique oſſa Briſacum Germaniæ à Friderico primo tranſlata ſunt, obſervante *Vive*. Cæterùm tranſlatas ab Ambroſio Gervaſii Protaſiique reliquias legimus, adoratas non legimus. Miracula verò, quæ ab ipſis patrata feruntur, non eo quidem conſilio facta ſunt, ut reliquiis adorationem conciliarent, ſed ut fidem Trinitatis aſtruerent, cujus Protaſius & Gervaſius cultores egere. Itaque Trinitatem Dæmones ipſi, licet inviti, profitebantur, ſi credimus Ambroſio: *Audivimus hodie dicentes eos, quibus manum imponebatur, neminem poſſe eſſe ſalvum, qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc Diabolus, ſed Ariani nolunt fateri.* Cæterùm multiplicatæ Martyrum tranſlationes, quæ ad imperium uſque Conſtantii Eccleſiæ incognitæ erant, occaſionem præbuere Legi Theodoſii, quæ IV. Kal. Mart. labente anno Conſtantinopoli conſtituta eſt, quâ defunctorum tranſlationibus eſt interceſſum: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat, nemo mercetur. Habeant verò in poteſtate, ſi quolibet in loco Sanctorum eſt aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod Martyrium vocandum ſit, addant quod voluerint fabricarum.*

Ambr. Serm. 93.

Cod. Th. de ſepulchris l. 7.

Synodus Rom. ſub Siricio.

IX. Dùm in Italia verſamur, transgrediamur ad ea, quæ in urbe Roma facta ſunt. Anni ſub initia Synodum celebratam eſſe, Epiſtolâ Siricii docemur, ad Epiſcopos Africæ miſsâ: *Cùm in unum plurimi fratres conveniſſemus, ad S. Apoſtoli Petri reliquias, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cæpit exordium*, &c. Octoginta Epiſcoporum fuiſſe, ipſa Siricii Epiſtola teſtatur: *Data Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta ſub die octava Idus Januarii, poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis, virorum clariſſ. Coſſ.* Quæ ultima verba virorum clariſſ. Coſſ. à mala manu videntur eſſe. Titulus ſanè *clariſſimi* non ſatis Imperatore dignus: & ſuperfluum prorſus poſt mentionem Conſulatus Arcadii & Bautonis ſubjungere, *virorum clariſſ. Coſſ.* Ad collapſam diſciplinam reſtituendam Synodus ea cogitur, quo tempore Honorii Evodiique Conſulatus adhùc ignorabatur; quæ cauſa eſt, cur ſcribatur in Epiſtola, *Poſt Conſulatum Arcadii Aug. & Bautonis.* Capita conſtituit nonnulla, quæ Siricii in Epiſtola continentur. I. Ut extra conſcientiam ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis nemo audeat ordinare. II. Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præſtitum videatur. III. Si quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſecularis habuerit, ad Clerum admitti non debet. IV. Viduam Clericus non ducat uxorem. V. Qui Laicus viduam duxerit, non admittatur ad Clerum. VI. De aliena Eccleſia ordinare Clericum nullus uſurpet. VII. Abjectum Clericum alia Eccleſia non admittat. VIII. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur, præter eos quos rebaptizant. IX. *Suademus, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia in miniſterio divino quotidianis neceſſitatibus occupantur.* Quæ omnia in quarta Siricii Epiſtola legimus.

Lab. Conc. t. 2. 1029.

X. Ut res Italiæ abſolvamus, *Philaſtrio* Brixienſi Epiſcopo fatalis hic annus fuit. Benè in Trinitatis fidem animatus, odia Arianis movit, à quibus & ante Epiſcopatum vexatus eſt. Id quidem in ſermone legitur, qui Gaudentii nomen habet: *Non ſolum contra Judæos & Gentiles, verùm etiam contra hæreſes emicuit, & maximè contra eo tempore furentem Arianorum perfidiam tanto fidei vigore pugnavit, ut etiam verberibus ſubderetur, & in corpore ſuo ſtigmata Domini noſtri J. C. portaret. Nam & in Mediolanenſi urbe idoneus olim cuſtos Dominici gregis fuit, Ariano repugnans Auxentio, prius quàm B. eligeretur Ambroſius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publicâ, & privatâ diſputatione lucratus in fide eſt.* Aquileenſi Synodo anno CCCLXXXI. coactæ interfuit. Ipſum Mediolani agentem Auguſtinus vidit. Vir Apoſtolicus Gaudentio audit ſucceſſori ipſius in ſua ad *Benevolum* Præfatione: *Imbutum te admirabilibus doctrinis Apoſtolici per omnia viri, Patris noſtri Philaſtrii, tanta conſtantia teſtimonium approbarit.* Natale Philaſtrii XVIII. Julii in Martyrologio celebratur. Librum edidit de Hæreſibus, in quo & accuratius judicium, & ſtyli nitorem non immeritò deſideramus. Ea quidem hæreſibus inſerit, quæ vel figmenta ſunt, vel ſanè ab hæreſibus quàm longiſſimè diſtant. Quæ de ranarum cultoribus, Muſoritis, Puteoritis habet, ab omni mortalium memoria ſunt incognita. Neque in hæreſibus numeranda ea, quæ de terræ motu, aut Aſtrorum nominibus prodit. Philaſtrio longè doctiorem Epiphanium, & hæreſeon peritiorem fuiſſe teſtatur Auguſtinus, qui & Philaſtrii libri meminit, libro ſuo de Hæreſibus: *Philaſtrius quidam Brixienſis Epiſcopus, quem cum S. Ambroſio Mediolani ipſe vidi, ſcripſit hunc librum: nec illas hæreſes prætermittens, quæ in populo Judæorum fuerunt ante adventum Domini, eaſque viginti & octo commemoravit, & poſt Domini adventum centum & viginti octo ſcripſit.* Ingens ille hæreſeon numerus indicio eſt, multa à Philaſtrio haberi, quæ infami eo titulo donari non debuere. Gaudentio deceſſit Philaſtrius.

Philaſtrius: ejus vita libríque.

Sur. 18. Jul.

Martinus de Priſcilliano Maximum adit.

XI. Producantur nunc in medium, quæ in Gallia geruntur. Anno ſuperiore Priſcillianus Synodi Burdigalenſis declinans judicium, ne ab Epiſcopis audiretur, ad Maximum provocarat. Appellantem ſecuti erant accuſatores *Idacius* atque *Ithacius*. Intereà dum annus CCCLXXXVI. labitur, Martinus, qui Eccleſiæ cauſam ad politicum tribunal deferri moleſtiſſimè ferebat, Principem adit. Quid geſſerit, eſt obſervatu digniſſimum: *Apud Treviros conſtitutus, non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret. Maximum orare, ut ſanguine infelicium abſtineret: ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententiâ Hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſeculi judicaret. Denique quoad uſque Martinus Treviris fuit, dilata cognitio eſt, & mox diſceſſurus egregiâ autoritate à Maximo elicuit ſponſionem, nihil cruentum in reos conſtituendum. Sed poſtea Imperator per Magnum & Rufum Epiſcopos depravatus, & à mitioribus conſiliis deflexus, cauſam Præfecto Evodio permiſit, viro acri, & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronunciavit, redegitque in cuſtodiam, donec ad Principem*

Sulp. l. lib. 2.

ANNO DOM. 386.

pem referret. Hoc ipſo anno & ad mortem miſſum eſſe Priſcillianum, & celebratum Concilium Trevirenſe, Baronii, Labbei, omnium denique quotquot legimus, Chronologia eſt, Nos verò Idacio freti, & Trevirenſem conventum, & Priſcilliani ſupplicium in annum CCCLXXXVII. transferendum eſſe exiſtimamus. Magni quidem in ea re momenti eſt Idacii autoritas, qui de miſeri Priſcilliani accuſatoribus unus exiſtimatur. Ad annum verò Theodoſii XX. hæc ſcribit in Chronico: *Priſcillianus propter ſupradictam hæreſim ab Epiſcopatu depulſus, & cum ipſo Latronianus Laicus, aliquantique Sectatores ejus apud Treverim ſub Tyranno Maximo cæduntur.* Ex quo conſequitur, Concilium Trevirenſe, quod Priſcilliani mortem excepit, ad ſequentem annum neceſſariò pertinere. Sed & adventus duo Martini ad urbem Treveritanam ſunt diſtinguendi; prior ante obitum, poſterior poſt obitum Priſcilliani.

Martini vita à relicta militia.

XII. Ad res Martini tractandas invitat atque illectat tùm orationis ſeries, cùm viri celeberrimi fama. Martini de virtutibus dubitamus, quemadmodum exponamus, quòd vereamur, ſi res explicare incipiamus, non vitam ejus enarrare, ſed Hiſtoriam videamur ſcribere: ſi tantum ſummas attigerimus, ne rudibus Antiquitatis minus lucide appareat, quantus fuerit ille vir. Martini annum natalem, patriam, militiam, cùm jam tractaverimus, quæ deinde ſecuta ſunt, ſcitu jucundiora proferamus. Relictâ militiâ apud Hilarium Pictavienſem commoratur. Ut verò Martinum ſibi magis devinciret, Diaconum Hilarius creare voluit. Quod munus eùm repudiaſſet, *intellexit vir altioris ingenii hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id officii ei imponeret, in quo quidem locus injuria videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit.* Quam ille ordinationem non repudiavit. Non multò pòſt ad *patriam, parenteſque, quos adhùc Gentilitas detinebat,* voluntate Hilarii proficiſcitur. Inter Alpes eùm in latrones incidiſſet, eorum unus ab eo percontatur, Quiſnam eſſet? Reſpondit, Chriſtianum ſe eſſe. Quærebat etiam ab eo, An timeret? *Tum verò conſtantiſſimè profitetur, Nunquam ſe fuiſſe tam ſecurum, quia ſciret, miſericordiam Domini maximè in tentationibus affuturam. Se magis dolere illi, qui Chriſti miſericordiâ, utpote latrocinia exercens, eſſet indignus.* Quin etiam latronem ad fidem adduxit. Ut in patriam venit, *matrem Gentilitatis abſolvit errore, patre in malis perſeverante; plures tamen ſuo ſalvavit exemplo.* Cùm hæreſis Ariana maximè intra Illyricum pullulaſſet, adverſus perfidiam Sacerdotum penè ſolus pugnans, publicè virgis cæditur, & ad extremum de civitate pellitur. Ut turbatam exilio Hilarii Galliam invenit, Mediolani ſibi Monaſterium ſtatuit: *Ibi quoque eum Auxentius, autor & princeps Arianorum graviſſimè inſectatus eſt, multiſque affectum injuriis de civitate exturbavit. Cedendum itaque arbitratus, ad inſulam Gallinariam nomine ſeceſſit, comite quodam Presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquando radicibus vixit herbarum. Quo tempore helleborum venenatum, ut ferunt, in cibum ſumpſit. Sed cùm vim veneni in ſe graſſantis, vicinâ jam morte ſenſiſſet, imminens periculum oratione repulit, ſtatimque omnis dolor fugatus eſt.* Hæc anno Dom. circiter CCCLIX. contigere. Nec multò pòſt eùm S. Hilario comperiſſet poteſtatem fuiſſe indubiam redeundi, *Roma ei tentavit occurrere, profectuſque ad urbem eſt.* Contigit ea profectio anno CCCLX. quo & Hilario permiſſus in Occidentem reditus.

Sulp. Vit. Mart. c. 4.

ANNO DOM. 386.

Martinus creatur Epiſcopus. Annus Epiſcopalis quæritur.

XIII. Jam præterierat Hilarius, quem Martinus eſt veſtigiis proſecutus; eùmque ab eo gratiſſimè fuiſſet ſuſceptus, haud longè ſibi ab oppido Monaſterium collocavit. Forte abſente ſe Catechumenus febri obiit, quem poſt reditum vitæ reddidiſſe dicitur. Vacante Epiſcopatu Turonenſi, ob *Lidorii* mortem, anno circiter CCCLXX. defuncti, Martinus ad Epiſcopatum Eccleſiæ Turonicæ petebatur, ſed cùm à Monaſterio erui ſuo facilè non poſſet, *Ruricius* quidam, unus è civibus, uxoris languore ſimulato ad genua illius provolutus, ut egrederetur obtinuit. Ita diſpoſitis jam in itinere civium turbis, ſub quadam cuſtodia ad civitatem uſque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non ſolùm ex illo oppido, ſed etiam ex aliis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam Sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Antiſtitem fuerant evocati, impiè repugnabant, dicentes, *Scilicet contemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe Epiſcopatu, hominem vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem.* Inter Epiſcopos præcipuè *Defenſor* quidam nomine, dicitur reſtitiſſe. Dum Lector expectatur, cui legendi eo die officium erat, unus è circunſtantibus ſumpto pſalterio, quem primum verſum invenit, arripuit: *Pſalmus autem erat, Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum, & defenſorem. Quo lecto clamor populi tollitur, pars diverſa confunditur.* Quoto anno Martinus Epiſcopatum adiit, quæritur ab eruditis. Ac Baronius quidem, Petavius, aliique complures annum Dom. CCCLXXV. Martini inaugurationi aſſignant. Nobis verò à Gregorii Turonenſis Chronologia diſcedere religio eſt: cùm & de Martini ſucceſſoribus unus fuerit, & annum quod attinet, temporum circunſtantiis, ſibique optimè conſtet: *S. Martinus,* inquit, *anno octavo Valentis & Valentiniani Epiſcopus eſt ordinatus.* Octavus Valentiniani annus incipit die v. Kal. Mart. anno Dionyſiano CCCLXXI. *Sedit annos XXVI. menſes IV. dies XXVII.* Quibus locus alius adjungi debet: *S. Martinus octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem XXVI. apud Condatenſem Eccleſiæ ſuæ vicum excedens à ſeculo, feliciter migravit ad Chriſtum, tranſiit autem mediâ nocte, qua Dominica habebatur, Attico Cæſareoque Coſſ.* Diem menſis non indicat Gregorius, itaque in alio loco quæritur, ubi de Baſilica Martini à *Perpetuo* condita hæc habet: *Solemnitas iſtius Baſilicæ triplici virtute pollet, id eſt, dedicatione Templi, translatione corporis ſancti, ordinatione ejus Epiſcopatus: Hanc enim quarto Nonas Julias obſervabis; depoſitionem verò ejus tertio Idus Novembris eſſe cognoſces.* Sed hìc Gregorium cum Gregorio non conſpirare deprehendimus. Quippe anno CCCXCVII. Novembris undecimus in *quartam* feriam incidit. Itaque ſi *depoſitionis* nomine mortem Martini intelligit, utique ſanctus ille Epiſcopus ad Chriſtum non migravit *mediâ nocte, qua Dominica habebatur.* Erat enim Lit. Dom. D. Epact. Sol. 4. Gregorio igitur alius Martini obitus, alia depoſitio eſſe debet, ut ſibi conſentiat. Verùm eâ ratione diem mortis Martini

Sulp. Vit. Mart. c. 7.

Greg. Tur. H. Franc. l. 10. c. 31.

Greg. Tur. H. Fr. l. 1. cap. 47.

Greg. Tur. H. Fr. l. 2. cap. 14.

Anno Dom. 386.

tini non declarabit. Ex illa verò die, quam Martini ordinationi conſtituit, conſequens eſt, exceſſiſſe Novembris ultimo. *Quarto Nonas Julias* ordinatum eſſe prodit. Cùm igitur ſederit annos XXVI. menſes IV. dies XXVII. ſeptimus & vigeſimus ille dies cohæret XXX. Novembris, quæ feria ſecunda eſt. Omnia facilè componentur, ſi in numeros, quod ſæpiſſimè contigit, binarii errorem irrepſiſſe dicamus, ut loco *dies* XXVII. legamus *dies* XXV. Sic ſalva erunt omnia. Et vitâ, & Epiſcopatu abiit Martinus menſe Novembri, die XXVII. mediâ nocte, quæ Dominica habebatur. Eſt tamen adhùc ſcrupulus unus. Nam ordinatio Martini non in diem Dominicam incidet. Nonarum Juliarum quartus anno CCCLXXI. feriæ eſt ſecundæ vindicandus, quia Lit. Dom. B. Epacta Sol. 6. Quanquam & dici poſſet, ordinationes eo tempore dici Dom. neceſſariò aſtrictas non fuiſſe. Clariſſimus Pagius de rebus Chronologicis benè meritus exiſtimat, Martinum anno CCCLXXI. die Junii duodecimâ, quæ Dominica fuit, eſſe conſecratum. Quod ex ſupremo Sancti Præſulis die demonſtrat, quem *ſeptimum Novembris* ſtatuit. Indubitanter in hanc ſententiam deſcenderemus, ſi duæ difficultates nobis eximerentur. Altera, quòd ſeptimo Novembris *Martinus* mortalitatem expleverit, quod in Gregorio Tur. necdum invenire potuimus. Altera, quòd repugnante Gregorio Martini ordinationem Pagius *duodecimo Junii diei* affixerit. Nobis quidem ægrè perſuadebit, diem ordinationis Martini poſt annum CCCLXI. fuiſſe mutatum, ac qui ante Synodum Turonenſem pridie Idus Jun. palam recolebatur, poſt Synodum in IV. Non. Jul. transferretur. Cui bono mutatio hæc, quâ verus ordinationis Martini dies eximebatur memoriæ? Neque id mutationis à Gregorio prætermiſſum fuiſſet. Donec ergo noſtris ſatisfiat ſcrupulis, erit nobis vero ſimile, Epiſcopatum iniviſſe Martinum anno Dom. CCCLXXI. quarto Julii, annos circiter quinquaginta quinque natum. Sumpto Epiſcopatu conſtantiſſimè perſeveravit, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas erat. Longiores eſſemus, ſi quæ ſancti viri notatu ſunt digniſſima, in noſtros transferremus Annales. Illud tamen prætermittere non poſſumus. Locus fuit, quem falſa hominum opinio velut conſepultis ibi Martyribus ſacraverat, addito etiam altari à ſuperioribus Epiſcopis conſtituto. Autoritatem vulgò ſuam non accommodavit ſanctus Antiſtes, ne ſuperſtitio convaleſceret. Dum orat Dominum, ut quis eſſet ſepultus, oſtenderet, videt propè aſſiſtere umbram ſordidam, quæ de crimine confitetur: *Latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune.* Non in minimis Martini præclaris facinoribus ponimus, quòd currente anno jam ſeptuagenarius de eripiendo Priſcilliano ad Maximum acceſſerit. Noverat optimus ille Præſul, non *tortores* quidem, ſed Doctores errantibus eſſe adhibendos.

Sulp. Vit. Mart. c. 5.

Chryſoſtomus Presbyter creatur.

XIV. Ut de rebus in Oriente ad Eccleſiam pertinentibus nonnulla commemoremus, novâ Chryſoſtomum dignitate ſpectamus ornatum, ex Diaconatu ſcilicet ad Presbyteratum evectum. Quâ vel unâ obſervatione error evellitur Socrati, qui ab Evagrio Paulini ſucceſſore Chryſoſtomum conſecratum eſſe tradit. Erat inter homines Paulinus, cùm Presbyterio Chryſoſtomus appoſitus eſt, ut nil dubitationis ſit, quin à Flaviano ordinatus fuerit, quod disertè Palladius ſcriptum reliquit: *Cùm ejus ad docendum facultas jam inclareſceret, & populus ex ſeculi amaritudine dulceſceret ejus converſatione, à Flaviano Epiſcopo Presbyter ordinatur.* Annos natus erat circiter XXXVIII. De miraculo, quod in ea Chryſoſtomi ordinatione perpetratum Georgius Epiſcopus Alex. memorat, prorſus ſilet Palladius, ut inde liqueat, ex fabularum officina prodiiſſe, non ſecus ac multa ejuſmodi, quæ hoc in Autore leguntur. Commentum tamen narretur ob ejus antiquitatem. Flavianus Meletii in ſede Antiochena ſucceſſor, apparitione divinâ monitus, Joannem è Cœnobio in urbem reductum Presbyterum creat: *Qua ſanè viſio & Joannem ordinari, & Flavianum ordinare mandabat. Columba item illa advolans, quæ jam ordinandi capiti inſedit. Quantâ Dei gratiâ replendus ille eſſet, ſatis oſtendit.* Sacris Presbyteri nomine annos XII. operatus eſt ad Conſulatum uſque Honorii & Eutychiani, anno CCCXCVIII. geſtum, quo tempore ad Epiſcopatum promovetur, teſte Marcellini Chronico. Labente hoc duodecennio miraculorum non expers floruiſſe fertur: *Fœmina Euclia nomine filius febri ad Medicorum deſperationem correptus, à Joanne curatus eſt aquâ, quam ille Cruce ſignatam ad aſpergendum dederat. Mulier item quædam ſecta Marcioniſtarum, cujus vir ea in urbe Magiſtratum quendam gerebat, dyſenteriâ graviter laborans, deſperata jacebat. Sanitate verò per illum receptâ, ipſa cum conjuge omnique adeò familia, complureſque Marcionitæ, hæreſi abjuratâ ad Orthodoxos redierunt.* Hæc ex Georgii Alex. narratione, ex qua id lucri ſaltem ad nos redit, ut morum antiquorum notitiâ imbuamur. Quod verò miraculis narratis anteponimus, tractatus in Presbyteratu Chryſoſtomus complures ſcripſit, qui admirationi fuere: *Presbyterii honore cohoneſtatus, Expoſitiones divinorum Evangeliorum, Statuas, Conſolationem, Commentarios in Pſalterium, de Virginitate, de Miſericordia, & plurimos alios libros edidit.*

Pall. Vit. Chryſ. 42.

Phot. Bib. Cod. 96. 254.

Phot. Bib. pag. 255.

Niceph. l. 13. c. 2.

Hieronymus adit Didymum. Linguæ Hebraicæ dat operam.

XV. Ne Hieronymus quidem, qui Palæſtinam repetit, nos de ſe tacere patitur. Mediâ hyeme venerat Hieroſolymam, quâ poſt aliquantum moræ relictâ, cupiditate diſcendi inflammatus Ægyptum petit. Mirum viri deſiderium, qui eùm vel eruditorum Doctor eſſe poſſet, diſcipulis tamen inſeri voluit. Magnum apud omnes erat Didymi nomen, quem diſſerentem audire ſtuduit: *Jam canis ſpargebatur caput, & Magiſtrum potius quàm diſcipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum, in multis ei gratias ago, quod neſcivi didici.* Rogante Hieronymo tres libros in Oſeam, & quinque alios in Zachariam dictavit. Relictâ Alexandriâ Hieronymus ad Nitriæ Monaſteria ſe contulit: ſed Bethlehemæ ſuæ cupidus, calcatum relegit iter, concito gradu illùc reverſurus. Tum quam primoribus tantùm labris attigerat, Hebræam linguam didicit, comparato ſibi ex recutitis Magiſtro: *Quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui Præceptorem? Timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Aliud tamen nomnuis gerebat ille Doctor Hieronymi: *Barhanina* vocari debuit, ut conſtat Epiſtolâ ad Pammachium, quâ Ruſinum perſtringit: *Nec mirum, ſi pro Barhanina, ubi eſt aliqua verborum ſimilitudo, ſcripſeris Barrabam.*

Hieron. Ep. 65.

Id. Ibid.

Hieron. Ep. 67. c. 3.

In-

ANNO DOM. 387.

Incepit & animum admovere ſcribendis in Epiſtolas Pauli Commentariis.

ANNO U. C. 1140. PER. JUL. 5100. JUL. 432. DOM. 387. VALENTINI 12. & 13. THEODOS. 9. ARCAD. 5. *Sol.* 4. C. *Lun.* 8. *Indict.* 15. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 5. P. 25. *April.*

COSS. *Valentinianus Aug.* III. *& Eutropius.*

Ambroſii ad Maximum Legatio.

I. GRatiani fuſus cruor, uſurpatumque nefandâ rebellione ſceptrum Maximi ambitionem non ſatiaverat. Toti Italiæ inhiantem dolor hic remordebat, quòd incautum Valentinianum, & fraternâ nece conſternatum continuò non fuiſſet adortus. Neque belli prætextus ambitioſo deerant. Pietatem accenſæ perſecutione læſerat Valentinianus. Itaque gementi Eccleſiæ paranda erant auxilia. Querebatur etiam, *Bautonem, qui ſibi regnum ſub ſpecie pueri vindicare volebat*, in ſe Barbaros immiſiſſe. Cùm belli quod apparabat, rumor Valentiniani tetigit aures, ad Ambroſium convertit oculos, quem *Maximo* Legatum mitteret. Oblitus injuriarum, quas paſſus fuerat optimus ille Præſul, injunctum munus ſuſcipit. Ut pervenit Treviros, poſtridie proceſſit ad Palatium. *A Gallicano* Cubiculi Præpoſito poſcit adeundi copiam. Refert Eunuchus, nonniſi in Conſiſtorio Maximum adiri poſſe. Ut ſedit in Conſiſtorio, ingredienti Ambroſio aſſurrexit, *ut oſculum daret*. Ad quem Ambroſius: *Quid oſcularis eum, quem non agnoveris, ſi enim me agnoviſſes, non hoc loco videres?* Queſtus eſt Maximus, ſe ab Ambroſio in priore legatione fuiſſe deluſum, à quo retentus fuerat, ne in Italiam irrumperet. Accuſationem refellit Ambroſius, illis expoſitis, quæ priori in legatione fecerat, quæ loco ſuo protulimus. Subjungit: *Confer utriuſque factum. Tu feciſti incurſare Rhætias: Valentinianus ſuo tibi auro pacem redimit. Aſpice illum quoque, qui tibi ad dexteram aſſiſtit, quem Valentinianus cùm poſſet ſuum dolorem ulciſci, honoratum ad te redire fecit. . . . . Confer ergo, te Judice, utriuſque factum. Ille tibi fratrem tuum viventem remiſit, tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adverſum ſe auxilia non negavit. Sed vereris ne exuviarum reditu renovetur militibus dolor, hoc enim allegas. Quem viventem deſeruerunt, eum defendent peremptum! Quid eum mortuum times, quem occidiſti, cùm poſſes reſervare?* Conſiſtorium exeunti pollicitus erat Maximus, *ſe tractaturum*. Poſteà cùm videret, ab Epiſcopis, qui vel ſibi communicabant, vel *qui aliques licet à fide devios, ad necem petebant*, Ambroſium abſtinere, commotus juſſit ſine mora regredi. Pro prudentia ſua probè Ambroſius intellexit, Maximum Valentiano inſidias moliri. Id ergo ſubinde ei ſignificat, eâ clauſulâ ſuæ Epiſtolæ impoſitâ: *Vale Imperator, & eſto tutior adverſus hominem pacis involucro bellum tegentem.*

Ambroſ. Ep. 27.

Domnini ad Maximum legatio.

II. Prudentiſſima hæc erant Ambroſii conſilia, quibus tamen irato Deo Valentinianus non auſcultavit. Intereà Maximus de Valentiniano dejiciendo cogitans, ad adeundam Italiam ſe parabat. Commotus his Valentinianus, alteram Aquilejâ legationem mittit, de firmiore pace conſtituenda. *Domninus* natione Syrus, & notæ melioris familiaris, qui & maximâ ſecundum Principem poteſtate præditus, fide pariter, & uſu rerum præſtare cæteris videbatur, ea de cauſa ablegatur. Ut ad Maximum venit, capitibus legationis omnibus expoſitis, cum comitate excipitur, et muneribus penè obrueretur. Quo factum, ut amiciſſimum Valentiniano Maximum eſſe putarit. Ac potuit uſque adeò Domninum decipere Maximus, ut etiam partem exercitus ſui cum eo mitteret, quæ Valentiniano contra Barbaros Pannoniis imminentes auxilio eſſet. Sic viam Maximo faciliorem ſuperandis Alpibus reddidit *Domnini* imprudentia. Quem redeuntem cum copiis univerſis Maximus ſequitur, tacitè præmiſſis in itinere cuſtodibus, qui omnem curam adhibebant, ne curſu quis prætergreſſus Maximi in Italiam tranſitum Domnini comitibus nunciaret. Sic prohibente nemine Maximus celeriter Italiam ingreſſus, Aquilejam copias ducit.

Zozim. l. 4. *c.* 42.

Valentinianus Theſſalonicam fugit.

III. Valentiniano tam repentino caſu perturbato metuendum erat, ne vivus à Maximo captus interficeretur. Itaque navem ingreſſus Theſſalonicam abiit, ſociâ navigationis matre Juſtinâ, *Gallâque* ſorore, quæ matris religione imbuta erat, ut narrat Philoſtorgius l. x, c. 7. *Illa verò Arii ſectam ſectabatur*, quæ non minus Gallæ, quàm Juſtinæ conveniunt. Legatione ad Theodoſium miſſâ rogant, ut illatam familiæ Valentiniani ulciſcatur injuriam. Habito conſilio viſum, ut ipſe Senatorum parte comitatus Theſſalonicam peteret. Ibi de integro deliberatur, quid agendum. Communi decreto puniri Maximum placuit. At Theodoſius non *animi mollitie*, ut viſum Zoſimo, ſed prudentiâ non minimâ bellorum civilium calamitates in medium affert. In his Rempublicam utrinque letales plagas accipere. Cenſet itaque legationem prius ad tyrannum eſſe mittendam. Si Valentiniano reſtitueret imperium, bello abſtinendum, imperiumque ſecundum formam priſtinam dividendum eſſe. Sin avaritiâ vinci ſe pateretur, abſque mora ulla bellum faciendum. Adverſus hæc, quæ Reip. conducebant, hiſcere poterat nemo. Ac miſſam quidem legationem ex Pacati Panegyrico colligimus: *Tandem in nos oculos Deus retulit . . . . & huic ſacrata capiti objecit furorem, ut fœdus abrumpere, jus feciale violare, bellum edicere non timeret.* Ut porrò Theodoſii animum magis inflammaret Juſtina, Gallam filiam ſuam eximiâ formâ præſtantem, coram eo ſtatuit, & genua ipſius amplexa ſuppliciter obſecrat, ne cædem Gratiani, à quo habebat imperium, inultam relinqueret. Cùm puellæ deſiderio Theodoſius indies magis ureretur, conventâ *Juſtinâ*, filiam ejus in matrimonium ſibi poſtulat. Quam eâ lege Juſtina pollicetur, ut & Gratiani cædem ulciſcatur, & paternum Valentiniano imperium reſtituat. Quæ Zoſimi narratio ſi vera eſt, ut ſit certè vero ſimilis, errat Marcellini Chronicum, dum Theodoſii Gallæque nuptias in annum proximum confert. Permovit & Theodoſium jus feciale violatum. Non porrò bellum prius movere ſtatuit, quàm divina poſceret oracula. Erat in Ægypto Monachus, qui vaticinationes fundere putabatur. Quem Princeps conſultum voluit. Id memorat Auguſtinus: *Cùm Maximum terribilem faceret ille ſucceſſus, hic in anguſtiis curarum non eſt lapſus ad curioſitates ſacrilegas, ſed ad Joannem in Ægypti eremo conſtitutum, quem Dei ſervum prophetandi Spiritu præditum, famâ crebreſcente didicerat, miſit. Atque ab eo nuntium victoriæ certiſſimum accepit.*

Zoz. l. 4. *c.* 44.

Aug. de Civit. l. 5. *c.* 26.

Anno Dom. 387.

Maximus vaſtat Italiam.

Ambroſ. Ep. 8.

IV. Maximus audito Juſtinam cum liberis fugâ ſibi conſuluiſſe, collectis navibus expeditis Andragathium ad eos capiendos dimittit, fruſtrà tamen, cùm Jonium fretum jam tranſmiſiſſent. Intereà fulminis in morem Maximus Italiam vaſtabat, ut Ambroſii ad Fauſtinum monet Epiſtola: *De Bononienſi veniens urbe, à tergo Claternam ipſam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas. In dextera erat Brixillum, à fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipſo adhùc nomine ſonans. Ad lævam Apennini inculta miſeratus, & florentiſſimorum quondam populorum caſtella conſiderabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur ſemirutarum urbium cadavera, terrarumque ſub eodem conſpectu expoſita funera non te admonent, unius ſanctæ licet & admirabilis fœminæ deceſſionem conſolabiliorem habendam; præſertim cùm illa in perpetuum proſtrata ac diruta ſint; hæc autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat.*

Antiochena ſeditio. Theodoſius flectitur.

V. At in Oriente graviſſima apud Antiochiam ſeditio commovetur. Novum ob bella tributum Theodoſius indixerat, quod cùm Antiocheni ferre non poſſent, in furorem ardentes æneam *Flacillæ* ſtatuam dejiciunt. Deturbatam & Principis ſtatuam, injecto fune, additâque verborum contumeliâ per urbia vicos trahunt. Qui tumultus ante Quadrageſimam exortus eſt. Officio ſuo Magiſtratus non defuit, qui tumultuantium nonnullos in ipſo facinore deprehenſos ultimo ſupplicio affecit. Ut juſtus Principis furor exarmaretur, Flavianus Epiſcopus nomine civitatis deprecator mittitur, qui in regios Miniſtros incidit, ad puniendam Domini ſui injuriam properantes. Auditâ quippe ſeditione Theodoſius graviter commotus, privilegia urbi adimit, Laodiceæ Primatum contribuit, incendium Antiochiæ minatur, *Elebichium* Magiſtrum Militum, & *Cæſarium* Palatii Præpoſitum mittit, qui triſtem ſententiam exequerentur. Cujus adventus ut rumor diſperſus eſt, plebs in ſtuporem conjicitur. Jam ſedato furore, ſui facti pœnitebat, ac quaſi præſentium malorum ſenſu omnes gemebant. Tum Chryſoſtomus conciones habuit egregias, quas ἀνδριάντας, *ſive ſtatuas* Græci appellavere, quarum prima eſt, *Quid dicam, aut eloquar? Lachrymarum præſens tempus, non verborum; luctuum, non ſermonum; deprecationis, non concionis.* Dum fletu lachrymiſque paſcitur Antiochia, repentè inexpectatum miſeris auxilium venit. Monachi qui radices montis incolebant, multis precibus Imperatoris Legatos adeunt. Præcipuè *Macedonius*, Sacræ Scripturæ peritus, nullâ poteſtatis Elebichii Cæſariique ratione habitâ, media in urbe chlamydem alterius apprehendens, utrumque ex equo deſcendere jubet. Illi vetulum hominem, brevis ſtaturæ, & vilibus tectum panniculis, conſpicati principio quidem indignantur. Ut verò de hominis eximia virtute moniti ſunt, equis deſilientes, & genua illius amplectuntur, & veniam poſtulant. Quibus Macedonius talia loquitur: Viri amici, nunciate hæc Imperatori: *Homo es, non Imperator duntaxat. Proinde noli ad imperium ſolum attendere, ſed naturam etiam conſidera. Ne igitur hominem ad imaginem Dei conditum crudeliter jugulari præcipias.* Jubet etiam conſiderare, pro una ex ære ſtatua plures alias poſſe fabricari. Ipſum verò ne unum occiſorum capillum creare poſſe. Sic conveniendi Imperatorem tempus impetratur. At Flavianus Antiochenſis Epiſcopus, qui

Sozom. l. 7. c. 23.

Theodorit. l. 5. c. 10.

pro civibus legatione fungebatur, perſuaſit adoleſcentibus, qui ad Imperatoris menſam canere ſolebant, ut cantica, quibus Antiocheni in ſupplicationibus ſuis utebantur, cantarent. Canto Imperator in clementiam flexus, iram depoſuit, perfuſo vel lachrymis poculo, quod tum fortè in manus habebat. De memorabili hiſtoria nil cauſæ Baronio fuit, cur dubitaret ob ſilentium Chryſoſtomi, qui rem notatu digniſſimam prætериit tamen, homiliâ XX. ad Antiochenſes. Eam enim omiſit, quia nota erat lippis & tonſoribus. Ipſe Flavianus multum quidem contulit ad extinguendam Principis iracundiam. Primùm enim ſilentio lachrymiſque offenſum adoritur. Deinde querenti Theodoſio reſpondet, civibus ſuis conducibilius fuiſſe, à Barbaris civitatem everti; cui reparandæ ſpes in benevolentia Imperatoris collocabatur. Quo merito excandeſcente nil perfugii reſtabat, nil auxilii miſeris relinquebatur. Non Epiſcopum modò, ſed & Legatos mitti, qui à plebe commiſſa purgarent, Decurionum Ordini placuit. *Libanium* ergo Rhetorem, & *Hilarium* ſplendore familiæ, atque omni eruditionis genere præſtantem deligunt. Ac Libanius coram Imperatore & Senatu Oratione de Seditione pronunciatâ Theodoſium ab ira revocavit. Quin etiam alteram de reconciliatione oranti injunxit orationem. Itaque maximus error Baronio eſt, dum falſi dicam ſcribit Zozimo; quaſi Libanius ad fata veniſſet ante ſeditionem Antiochenam. Superſunt etiamnum orationes Libanii ab injuria temporis vindicatæ. Primâ de Legatorum adventu famâ potuit ſecedere Libanius; ubi verò deferveſcere cœpit Principis iracundia, ad eum mitti deprecator potuit, & reverà miſſus eſt. Hanc Antiochenſium ſeditionem Baronius, Petavius, Valeſius in annum 388. contulere. Placet tamen magis Gothefridi Pagiique Chronologia, qui anno 387. eum tumultum alligarunt, quia menſe Aprili anni proximè ſequentis Imperator non Conſtantinopoli, ubi à Flaviano conventus, ſed Theſſalonicæ verſabatur, quo ante anni præſentis exitum ſe contulit.

Anno Dom. 387.

Soz. l. 7. c. 23.

Zozim. l. 4. c. 41.

Bar. Ann. 388. n. 11.

Priſcillianus cum ſociis occiditur.

VI. Nunc ad res Eccleſiæ ſtylum delabi noſtrum permittamus. Priſcillianum gemino judicio auditum *Evodius* in cuſtodiam redegerat, donec ad Principem referret. Intereà miſſus à Valentiniano Legatus Treviros venit Ambroſius, quo tempore nondum Priſcillianus perierat. Maximus *cùm videret me abſtinere ab Epiſcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos devios licet à fide ad necem petebant, commotus eis juſſit, nec ſine mora regredi.* Quæ Ambroſii verba ſunt ad Valentinianum. Quibus & communis Chronologia, quæ anno CCCLXXXVI. tam Priſcilliani ſupplicium, quàm Trevirenſe Concilium affigit, refellitur, & noſtra egregiè firmatur, quæ currentem annum his aſſignat. Nondum infelix homo ſanguinem fuderat, legationem Ambroſio obeunte, ut disertè ea verba teſtantur, *Aliquos devios licet à fide ad necem petebant.* Nec dum igitur morti miſſi, quod & oſtendit Chronicon Idacii, qui de accuſatoribus, ut creditur unus, quod Priſcillianus luit ſupplicium, cum anno Theodoſii *nono* copulat: *Priſcillianus propter ſupradictam hæreſim ab Epiſcopatu depulſus, & cum ipſo Latronianus Laicus, aliquantique ſectatores ejus apud Treverim ſub Tyranno Maximo caduntur. Exin in Gallæciam Priſcillianiſtarum hæreſis invaſit.* Quâ ratione miſeri

Ambr. Ep. 27.

miſeri ad fata venerint, nunc eſt dicendum. Maximus vel orte, vel ſuperſtitione deſideriis furentium Epiſcoporum nimis inſerviebat. Quod verè queſtus eſt Pacatus in Panegyrico: *Fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus Antiſtites, reverà autem ſatellites, atque adeò carnifices, non contenti avitis patrimoniis, calumniabantur in ſanguinem, & vitas premebant reorum jam pauperum. Quin etiam cum in judiciis capitalibus aſtitiſſent, cùm gemitus & tormenta miſerorum auribus ac luminibus hauſiſſent, cùm lictorum arma, cùm damnatorum frena tractaſſent, pollutas pœnali manus contactu ad ſacra referebant, & ceremonias, quas inceſtaverant mentibus, etiam corporibus inquinabant.* Adjungit & querelis exemplo: *Sed nimirum graves ſuberant invidioſaque cauſa, ut unco ad pœnam Clarivatis matrona raperetur. Objiciebatur enim atque etiam exprobrabatur mulieri vidua nimia religio, & diligentius culta divinitas. Quid hoc majus poterat intendere accuſator Sacerdos?* Hæcene indicavit ipſe Maximus in ſua ad Siricium Epiſtolo, quæ patratorum à Manichæis ſcelerum meminit? Non enim de Priſcillianoi comitibus *Clarivatis* matrona, de qua altum in Sulpicio ſilentium. Morte hujus mulieris od extinguendum Priſcillianum viam ſibi Maximus aperuit. Apponit accuſatorem *Patricium* fiſci patronum: *Ita eo inſiſtente Priſcillianus capitis damnatur eſt, unàque cum eo Feliciſſimus & Armenius, qui nuper à Catholicis Clerici Priſcillianum ſecuti deſciverant. Latronianus quoque, & Euchrocia gladio perempti. Inſtantius in Sylinam inſulam, qua ultra Britanniam ſita eſt, deportatur. Itum deinde in reliquos ſequentibus judiciis, damnatique Aſarinus, & Aurelius Diaconus gladio. Tiberianus ademptis bonis in Sylinam inſulam datus. Tertullus, Potamius, & Joannes, tanquam viliores perſona, & digni miſericordiâ, quia ante quaſtionem ſe ac ſocios prodidiſſent, temporario exilio intra Gallias relegati. Cæterum Priſcilliano occiſo, non ſolùm non repreſſa eſt hereſis, qua illo autore proruperat, ſed confirmata, latinſque propagata eſt. Namque ſectatores ejus, qui eum prius ut Sanctum honoraverant, poſteà ut Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hiſpanias relata, magniſque obſequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priſcillianum ſumma religio putabatur.*

Sulp. l. 2. [margin note beside "Apponit accuſatorem Patricium"]

Synodus Trevirenſis. Ithacii mores.

VII. Non multò poſt irrogatum Priſcilliano ſupplicium Treviris Synodus cogitur, cujus Sulpicius meminit. De geſtis in ea conventu pauca ſuperſunt: *Congregati apud Treviros Epiſcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem ſibi cauſam fecerant.* Quin etiam Synodus pronunciavit, *Ithacium culpâ non teneri.* Unus tamen Theogniſtus Ithacii communionem averſatus eſt, fatente Maximo, qui hæc Martino locutus eſt: *Theogniſtum odio potius, quàm cauſâ feciſſe diſſidium, eundemque tamen ſolum eſſe, qui ſe à communione interim ſeparavit.* Navus & induſtrius litigandi Ithacius, videns quàm invidioſum ſibi apud Epiſcopos foret, ſi accuſato etiam poſtremis rerum capitalium judiciis aſtitiſſet, ſe cognitioni ſubſtraxerat, callido jam ſcelere perfecto. Denique eò proceſſit Conciliabuli hujus vecordia, ut ex ejus ſententia Maximus decreverit, *Tribunos ſummâ poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui Hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin Sanctorum etiam maximam turbam tempeſtas illa depopulatura eſſet, parvo diſcrimine inter hominum genera. Etenim tum ſolis oculis judicabatur, cùm quis pallore potius aut veſte, quàm fide Hæreticus æſtimaretur.* Dum adhuc ſedet Synodus, Martinus Treviros advenit gravibus de cauſis ad comitatum ire compulſus. Has principales petitiones habebat, pro *Narſete* Comite, & *Leucadio* Præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus ſtudiis iram victoris emeriti. Ille præcipua cura, ne Tribuni cum jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. Intereà Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe quærentes, *Actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolus latâ ſententiâ palam damnaverat, Martini armaret autoritas: non oportuiſſe hominem recipi mœnibus, illum jam non defenſorem Hæreticorum eſſe, ſed vindicem, nihil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius ultionem.* Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator, Martinum cum Hæreticorum ſorte miſcere. Sed licet ille Epiſcopis eſſet obnoxius, non erat neſcius, Martinum fide & virtute cunctis præſtare mortalibus. Aliâ igitur viâ Sanctum vincere parat. Secreto accerſitum blandè appellat: Hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum, potius quàm inſectationibus Sacerdotum; non eſſe cauſam, quâ Ithacii, cæterorumque partis ejus communionem putaret eſſe damnandam. Quibus cùm Martinus parum moveretur, Rex irâ accenditur, ac ſe de conſpectu ejus abripuit. Mox percuſſores iis, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum, jam noctis tempore palatium irrupit; ſpondet ſi parceretur, ſe communicaturum, dum modò ut & Tribuni jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur. Nec mora interceſſit. Maximus indulget omnia. Poſtridie *Felicis* ordinatio parabatur, ſanctiſſimi ſanè viri, & planè digni, qui meliore tempore Sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus iniit. Verùm ſummâ vi Epiſcopis nitentibus, ut communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Ac poſtero die ſe inde proripuit. Cæterùm Ithacius, qui vivente Maximo triumphabat, poſt ejus obitum Sacerdotio motus eſt: *Quod initio jure judiciorum, & egregio publico defenſum, poſteà Ithacius in jurgiis ſolitus, ad poſtremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & conſiliis effecerat: ſolus tamen omnium Epiſcopatu detruſus.* Quod anno 389. contigiſſe, Proſperi legitur in Chronico, à quo tamen monemur, Urſacium cum Ithacio ejectum eſſe. Promoto & Timaſio Coſſ. *Ithacius & Urſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cujus accuſatores fuerant, Eccleſia communione privantur.* Neque eâ dignitate præditus eſſe debuit infamis homo, quem ſuis coloribus egregiè depingit Sulpitius: *Ithacius fuit audax, loquax, impudens, ſumptuoſus, ventri & gula plurimum impertiens. Stultitia eò uſque proceſſerat, ut omnes etiam ſanctos viros, quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut propoſitum erat certare jejuniis, tanquam Priſcilliani ſocios, aut diſcipulos in crimen arceſſeret.* Auſus etiam miſer eſt Martino palam objectare hæreſis infamiam.

Sulp. Dial. 3. c. 15. [margin note beside "Synodus pronunciavit"]

Ibid. [margin note beside "Ac poſtero die"]

Sulp. l. 2. [margin note beside "Quod initio jure judiciorum"]

Ibid. [margin note beside "Ithacius fuit audax"]

Auguſtinus Rhetorem exuit: baptizatur.

VIII. Anno celebritatem ottulit baptiſmus Auguſtini. Errores demum exuerat, totoque pectore ſacra ſalutis myſteria anhelabat, cùm dolore dentium anno 386. corripitur, qui adeò ingraveſcebat, ut loqui non valeret. Quid

verò

Anno Dom. 387.

verò leniendo dolori adhibuit remedii? Rogat ſuos pro ſe Deum precari ſalutia: *Scripſit hoc in cera, & dedit eis, ut legeretur.* Ubi fixerunt genua, fugit dolor. Quo Chriſti munere adjuvatur conſilium Auguſtini, de Profeſſoratu Rhetoricæ deponendo: *Jam pauciſſimi dies ſupererant ad Vindemiales ferias*, quoa ſtatuit tolerare, ut ſolemniter abſcederet. Ut Vindemiæ tempus advenit, rus *Verecundi* petit, ſibi conceſſum relaxando animo. Peractis Vindemialibus feriis, arti ſuæ renunciat, quòd & Deo ſervire delegiſſet, *& illi profeſſioni præ difficultate ſpirandi, ac dolore* pectoris non ſufficeret. Tum & ſaluti ſuæ vacare ſollicitè cœpit, ut baptiſmum Paſchali feſtivitate ſuſciperet. Propterea Ambroſio *ſcribit errores ſuos*, quem & rogat monere, ſi quid de Sacris Libris legendum eſſet. Ille roganti *juſſit Eſaiam* evolvere, qui & veram mentis præcipit ablutionem, & reſipiſcentiam prædixit Ethnicorum. Illuxit tandem ille dies, quo ſacris undis expiatus eſt. Comites habuit baptiſmi *Alipium* amicum, & *Adeodatum* filium, annos *ferme quindecim* natum. Ingreſſus erat Auguſtinus ætatis tertium & trigeſimum, qui ab Idibus Novembris anni CCCLXXXVI. initium duxerat. Alia Baronio ſententia eſt, qui Auguſtini baptiſmum cum an. Dom. CCCLXXXVIII.

Bar. An. 387. n. 72. Error Baronii.

copulat, libente jam ætatis *quarto & trigeſimo.* Quam ſanè Chronologiam Auguſtinus ipſe refellit, dum verbis expreſſia docet, ſe baptiſma fuiſſe conſecutum anno poſt Ambroſii perſecutionem:

Auguſt. Conf. l. 9.

Annus erat, aut non multò amplius, cùm Juſtina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur. Paſchali ſuperioris annis hebdomade, cujus pars noviſſimis Martii diebus inſidebat, Ambroſius à Juſtina vexatus fuerat: baptizatus eſt igitur diebus Paſchalibus anni præſentis, ut accuratè Auguſtino ſcribitur. Neque hîc ſibi Baronius conſtat, qui Natalem annum Auguſtini in *Arbetionis & Lolliani* Conſulatum contulit, Dom. CCCLV. Quo caſu anno 387. non quartus & trigeſimus Auguſtini, ſed XXXIII. labebatur.

De hymno Te Deum. Nùm ab Ambroſio conditus? Ejus antiquitas.

IX. Inveteravit opinio, dum baptizatur Auguſtinus ab Ambroſio, hymnum celeberrimum *Te Deum laudamus* ab utroque junctâ voce fuiſſe cantatum. In MS. quod Dacii Mediolanenſis Chronicum inſcribitur, ea leguntur, quæ ex Cardinali Bona noſtris Annalibus inſerimus:

Bona Div. Pſ. c. 16. 849.

A Beato Ambroſio cunctis Fidelibus urbis aſtantibus, & videntibus in nomine, & individua S. Trinitatis Auguſtinus baptizatus & confirmatus eſt. In quibus fontibus prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus cantantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus ediderunt, quod ab univerſa Eccleſia Catholica uſque hodie tenetur, & religiosè cantatur. Quin aliquid vetuſtatis hymnus ſibi aſſumat nulli dubitamus, cujus quidem in Regulis Benedicti mentio eſt Regulâ XI.

B. M. P. t. 9. 644.

Poſt quartum Reſponſorium incipiat Abbas hymnum, Te Deum laudamus. Itaque diu ante annum 822. cantatus eſſe videtur, quo tamen tempore primum in Eccleſiæ hymnis ouditum fuiſſe, nonnullis eruditis creditum. In Decretis Ludovici Pii adverſus Clericorum violatores promulgatum, legitur: *Eccleſiaſticus ordo, & Principibus laudes referentes, hymnum Te Deum laudamus decantabant. Et ſic ſoluta eſt Synodus.* Triburienſis ſcilicet anno 822. Porro Traditionem Dacii falſam eſſe, eò nobia liquet, quòd notatu digniſſimam Auguſtinus eam ſiluerit, quam utique memoraſſet, dum de ſuo baptiſmo mentionem fecit. Ambroſio quidem aſcripſit hymnum, *Veni Creator omnium*, ut apparet extatque libro ſeato de Muſica, cap. 9. Quantò magis hymni meminiſſet, qui dum baptizatur, & ſibi, & Ambroſio à Spiritu S. inſtillatus eſt. Præterea variis Autoribus *Te Deum* aſcribitur, ut valde dubium ſit, fueritne hymnus ab Ambroſio conditus, ne dum exploratum ſit aut probabile, uno concentu ſubitò ab Ambroſio baptizante, & Auguſtino baptizato fuiſſe cantatum. Eruditi quidem à Dacio Mediolanenſi Chronicum abjudicant. Chronici fidem & autoritatem exploranti doctiſſimo *Mabillono* reſponſum ab Antonio Maria Puſtula, Eccleſiæ Metropolitanæ Bibliothecario, Chronicum eſſe annorum DC. non tamen eâdem manu deſcriptum: *Præferre nomen Dacii Archiepiſcopi Mediolanenſis, verùm titulum eſſe recentiorem*, ut monet Cavius. In antiquiſſimo Breviario MS. Collegii Aniciani de Urbe Canticum titulum præfert, *Hymnus S. Abundii.* Ab aliis *Siſbuto* Monacho Ordinis Benedicti vindicatur. Eſt igitur hymni *Te Deum* Autor incertus, nobis tamen certum Ambroſii non eſſe.

Mors Monicæ, & pietas.

X. Magnam Monicæ lætitiam attulerat chariſſimi filii ſui baptiſmus, quæ non multò pòſt longè majori gaudio cumulatur. Mediolano Oſtiam profecta erat, ut cum Auguſtino in Africam remearet. Ibi lethali morbo correpta ſpiritum Deo ſuum reddidit:

Auguſt. Conf. l. 9. c. 10.

Apud Oſtia Tiberina, ubi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo ſoli valde dulciter. In illo colloquio pia mater hæc filio dicit: *Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem prius quàm morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te etiam contemptâ felicitate terrenâ ſervum ejus videam. Quid hic facio?* Cùm intereà vix intra *quinque dies, aut non multò amplius decubuit febribus.* Ut poſt deliquium, quod paſſa fuerat, nonnihil reſtituitur, *Navigio, Auguſtinoque*, qui tum aderant filiis ſuis hæc mandat: *Ponite hoc*

Ibid.

corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis, mei ubi fueritis. Pietate ſunt & prudentiâ tincta verba morientis:

Conf. l. 9. c. 11.

Quærentibus utrùm non formidaret, tam longè à ſua civitate corpus relinquere. Nihil, inquit, longè eſt Deo: neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, unde me reſſuſcitet. Tempus obitus ſuæ matris in his conſignavit Auguſtinus: *Ergo die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto anno ætatis meæ, anima illa religioſa corpore ſoluta eſt.* Eruditis compluribus, ipſique Baronio perſuaſum,

Error Baronii.

annum CCCLXXXIX. Monicæ ſupremum fuiſſe. Quam verba laudata ſententiam refellunt. Anno quippe Dom. 389. annoa Auguſtinus non tres & triginta, ſed triginta quinque natus erat. Neque hic error in numeris eſt cum Baronio fingendus, cùm doctiſſimis Benedictinis teſtibus, communis lectio in omnibus exemplaribus reperiatur. Quæ aliundè verbis ipſius Auguſtini fulcitur: *Apud Oſtia Tiberina poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos navigationi.* Quibus apertè liquet, Auguſtinum cum matre Mediolano non *Romam*, ſed Oſtiam contendiſſe. Româ quidem Oſtiam quatuor circiter Gallicis milliaribus diſtantem, nil *longi* eſt laborioſique itineris, ut ſolerter doctiſſimus obſervat Noriſius. Itaque defunctâ matre, Auguſtinus Oſtiâ Romam

Anno Dom. 387.

mam profectus. Cùm porro trigeſimus quartus Auguſtini annus Idibus Novembris inceperit, citius Monica vitam reliquit, utpote anno Auguſtini 33. defuncta. Placuit Romano Martyrologio, Monicæ memoriam *quarto* Maii celebrari, quod tamen vetuſtioribus in Martyrologiis deſideratur. Non eſt ſanè veriſimile, eo die Monicam ad plures abiiſſe, cùm Paſcha hoc anno fuerit Aprilis 25. celebratum. Quo tempore Monica adhùc agebat Mediolani. Felicem filio Auguſtino Monicam, felicem quoque Auguſtinum matre Monicâ, quæ corruptum juvenem lachrymis Deo ſuis peperit. Magnam matris ſuæ pietatem paucis poſteros docuit Auguſtinus:

Confeſ. l. 5. c. 9.

An verò tu, Deus miſericordiarum, ſperneres cor contritum, & humiliatum, vidua caſta, & ſobria, frequentantis eleemoſynas, obſequentis atque ſervientis ſanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum, bis in die manè, & veſpere ad Eccleſiam tuam ſine ulla intermiſſione venientes, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, ſed ut te audiret in tuis ſermonibus.

Cyrilli Hieroſ. obitus. Orthodoxus exceſſit.

XI. Anni ſub initia in Oriente Cyrillus Hieroſolymitanus hominem exuit. Varios Cyrilli caſus ſuis temporibus noſtri docuerunt Annales. Pulſo Maximo ſucceſſerat, Arianis faventibus, Quin etiam de fide ſua malè audit, teſte Sozomeno, qui de Cyrillo & Acacio hæc habet: *Uterque eorum in ſuſpicionem venerat.* Ac expreſſis ſanè verbis Macedonianis ipſum inſerit: *Cyrillus*, inquit, *Hieroſolymorum Epiſcopus. Pœnitentiâ tum ductus, quòd opinioni Macedonii antehàc adhæſiſſet.* Cum Semi-Arrianis communione conjunctum fuiſſe, certum exploratumque eſt. Cyrillum etiam Arianis apponit Hieronymus in Chronico ad annum 349. Poſt Maximum *Eccleſiam Ariani invadunt. Id eſt, Cyrillus, Eutychius, rurſum Cyrillus, Irenæus, tertiò Cyrillus, Hilarius, quartò Cyrillus.* Maximi quoque, à quo Presbyter creatus erat, ordinatione repudiatâ, ſuadentibus Arianis ad Diaconi gradum rediiſſe, teſtatur Hieronymus; cujus non omninò nobis vacillat fides, cùm Hieroſolymitanarum rerum peritus evaſerit, ob loci quem incolebat, viciniam. Porro ſi Arianâ labe quandoque fuerit affectus, quin ad frugem redierit nulli dubitamus. Honorificum quidem pietati ejus teſtimonium Patres Conſtantinopolitani reddiderunt: *Sæpè pulſus Eccleſiâ, & receptus, ad extremum ſub Theodoſio Principe annis inconcuſſum Epiſcopatum tenuit.* Extant ipſius Opera, Epiſtola ſcilicet ad Conſtantium, Catecheſes XVII. ad Competentes, *quas in adoleſcentia compoſuit*, ut narrat Hieronymus, libro de Viris Illuſtribus. Quarum & quartam laudat Theodoritus in ſuo Dialogo ſecundo, qui inconfuſus inſcribitur. Catecheſes denique Myſtagogicæ numero quinque, quæ omnia pace eruditorum nonnullorum Cyrillo non aſcribere non poſſumus. Cyrillo Joannes ſucceſſit.

Soz. l. 4. c. 25.

Soz. l. 7. c. 7.

Anno Dom. 388.

ANNO U. C. 1141. PER. JUL. 5101. JUL. 433. DOM. 388. VALENTIN. 13. & 14. THEODOS. 10. ARCAD. 6. *Sol.* 5. B, A. *Lun.* 9. *Indict.* 1. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 9. *April.*

COSS. *Theodoſius Aug. II. & Cynegius.*

Maximus Siricio ſcribit. Debellatur à Theodoſio.

I. MAximus, cujus adventus Italiæque ubique terrori fuerat, manſuetudine animos omnium, ac æquitate ſibi devincire voluit. Ad eum ſcripſit Siricius, cujus Epiſtola deſideratur. Quantum ex Maximi reſponſione colligitur, fidei Confeſſionem ab eo poſtulaverat: *Accipimus literas Sanctitatis tuæ, quæ nobis fuere gratiſſimæ, quæque planè & nomini Sacerdotis, & dignitati urbis ſplendidiſſimæ convenirent.* Teſtatur id ſibi animi eſſe, ut fides Catholica concordantibus univerſis Sacerdotibus illæſa perſeveret. Deprehendiſſe ſe in ſuo adventu inquinata aliqua, quibus niſi opem celeriter attuliſſet, *ingens divulſio atque perditio fuiſſet exorta, & vix ſananda poſteà vita concreviſſent.* Velle ſe quid proximè proditum ſit, Manichæos ſceleris admittere, ex geſtis potius, quàm ea ore ſuo cognoſci. Extat Epiſtola & in Annalibus Baronianis, & in Collectione Labbeana Conciliorum t. 2. 1030. Intereà quod Valentiniano eripuerat, modis omnibus ſibi conſervare conabatur. Andragathius coactis copiis mare occupabat, quòd Theodoſium exercitu navali bellum facturum exiſtimaret. At Theodoſius intento his rebus Andragathio, ab bellum ſe comparabat. Acceſſitum Aquilejâ Tatianum, Prætorii Præfectum in patria declarat. Equitibus *Promotum*, militibus *Timaſium* præficit. Cùm ad proficiſcendum nil deeſſe videretur, affertur rumor, Barbaros Romanis legionibus permiſtos à Maximo de proditione ſollicitari. Perfidiam cùm jam vulgari ſenſiſſent, ubi quâvis arte perquiſiti, majori ea parte periere. Hoc metu liberatus Theodoſius, Juſtinam cum filio filiaque navibus impoſitam, Romam ablegat, & per Pannoniam adverſus Maximum contendit. Tyrannus fratri Marcellino cuſtodiendos Italiæ aditus tradiderat. Exercitus miſit venienti Theodoſio occurſuros, qui commiſſâ apud *Siſciam* pugnâ vincuntur. Audiatur Pacatus: *Illi quidem nefario ſanguine belli primitias imbuentes, par pœna culpaque documentum fuerunt. Teſtis eſt Siſcia, teſtis pulcherrimus amne conflictus; ſi conflictus ille dicendus eſt, quo ita in publicos proditores animi plenus miles invaſit, ut eum nec numerus reſiſtentium, nec maximi fluminis altitudo remorata ſit.* Pugnæ Maximus non interfuit, ut falsò ſibi perſuaſit Baronius. Quod utique Pacatus non omiſiſſet: *Vexillarium ſacrilegæ factionis avidus gurgitibus abſorbuit* Savus. Novam dein Theodoſius victoriam adipiſcitur: *Delectat in prælium Marcellinus cohortes, & ipſum factionis nefariæ robur, illa belli civilis Megara rapiebat, tantò cæteris ſatellitibus audentior, quantò excellentiorem operam navabat tyranno frater tyranni.* Eo prælio fuſus eſt Petavione Marcellinus: *Nullus finis cadendi inſequendique, niſi ſubſtraxiſſet aliquando victoribus mors hoſtem, & nox diem.* Tum manus militum ſubmiſſis precabunda vexillis, petit veniam neceſſitatis, quam blandè tractatam Theodoſius juſſit eſſe Romanam. Hæmona *impulſis effuſa portis* obviam provolat, portas virentibus ſertis coronat, accenſiſque funalibus diem auget.

Anno Dom. 384.

Mors Maximi.

II. Fractus tot cladibus Maximus, Theodoſium poſt terga reſpectans, in modum amentis ab Alpibus Juliis evolabat: ac ipſo quo agitabatur metu alligatus, in oppidum ſemet Aquileenſe præcipitat. At pars quædam exercitus ad hujus urbis muros accedens, vi ſibi per portas aditum fecit imparibus ad reſiſtendum cuſtodibus. Tum *Maximus Imperatorio ſolio deturbatur, cùm pecuniam in milites ſuos partire cœpiſſet. Habitu Imperatorio exutus, ad Theodoſium deducitur.* Quanam de cauſa in conſpectum ſuum Princeps venire Maximum juſſerit, aperit

Zozim. l. 4. c. 45.

Anno Dom. 388.

Pacatus: *Ad primam vocem tuam nefario pectori excuſſa confeſſio eſt, nec cunctari ſaltem aut muſſitare potuit, qui conſilium omne nudaret, ſe videlicet favoris tui obtendiſſe prætextum, quòd aliter non potuiſſet allicere militum ſocietates, niſi ſe autoramenti tui finxiſſet autorem.* Theodoſius paucis quæcunque in Rempublicam deliquiſſet, velut exprobrationis loco recenſitis, hominem carnifici tradit, meritam pœnam luiturum. Occiſus eſt *hoſtis publicus Maximus tyrannus à Theodoſio Auguſto in Miliario tertio de Aquileja* v. *Kal. Auguſti*, ut narrat Idacius in Faſtis. De die diſſidet Socrates, qui Maximi ſupplicium vi. *Kal. Sept.* copulat. De morte tyranni pulcherrima ſunt verba Pacati: *Pertinet ad ſecuritatem omnium, ſeculorumque id factum videri, ut ſi quis unquam nefaria vota conceperit, monimentis noſtrorum temporum recenſitis per oculos hauriat innocentiam.... Quiſquis purpuram quandoque regali veſtire humero cogitabit Maximus, ei exutus occurrat. Quiſquis aurum gemmaſque è privatis pedibus optabit, Maximum ei plantis nudus appareat. Quiſquis imponere capiti diadema meditabitur, avulſum humeris Maximi caput, & ſine nomine corpus aſpiciat.* Tanti non erat quinquiennale circiter imperium, ut & Gratiani ſanguine, & Valentiniani ejecti illud ſibi Maximus emeret, tortoris deinde manu mortem inventurus: *Sed & filius ejus Victor occiditur poſt paucos dies in Galliis à Comite Theodoſii.* Nec meliora Andragathio fata contigere: *Andragathius Comes, cognitâ Maximi nece, præcipitem ſeſe è navi in undas dedit, & ſuffocatus eſt.* Ferunt, Martinum caſus Maximo ſuos vaticinando prænuntiaſſe. Si bellum Valentiniano inferret, *Sciret ſe primo quidem impetu futurum eſſe victorem, ſed parvo poſt tempore eſſe periturum.*

Zoſim. l. 4. c. 45.

Oroſ. l. 7. c. 35.

Sulp. Vit. Mart. c. 23.

Clementia Theodoſii in victos. Valentiniano reſtituit imperium.

III. Tam clementer Theodoſius victoriâ uſus eſt ſuâ, ut in dubio ponatur, an non manſuetudo ipſius fortitudinem ſuperarit: *Paucis Maurorum hoſtium, quos ſecum velut agmen infernum moriturus incluſerat, & duobus aut tribus furioſis gladiatoris laniſtis, in belli piaculum caſis, reliquos omnes venia complexa, velut quodam materno ſinu clauſit. Nullius bona publicata, nullius præterita dignitas imminuta.* Tyranni vel ſanguini parcitum, quod Ambroſius celebrat in ſua ad Theodoſium Epiſtola: *Inimici tui filias revocaſti, nutriendas apud affinem dediſti, matri hoſtis tui miſiſti de ærario ſumptus.* Quod rei caput erat paternum omne imperium Valentiniano reddidit. Ex iis verò, qui Maximo militaverant, quidquid ſelectum erat, inter ſuos retulit. Valentinianus porro fortunâ ſuâ ſapientior factus, & quod amiſerat imperium recuperavit, & quâ caruerat fidem didicit, ad quam à Theodoſio perductus eſt. Cùm enim anno ſuperiore Theſſalonicam fugiſſet, dixit Theodoſius, *Imperatoriam aciem ſtare non armis, ſed juſtis cauſis.* Patrem ipſius Valentinianum feliciter imperaſſe, patruum verò Valentem cæde Sanctorum pollutum, à Gothis fuiſſe combuſtum: *Rectè Chriſtum colit is, qui non immeritò te ejicit. Incredulitas tua Maximo facultatem dedit.* Ut in pietate magis proficeret Valentinianus, Juſtina opportunè ad fata venit. Mulieris obitus anno 388. à Proſpero alligatur, cujus à Chronologia non eſt diſcedendum: *Juſtina, quæ Eccleſias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa eſt.* Itaque non eſt audiendus Zoſimus, qui reſtituto in imperium Valentiniano, Juſtinam à conſiliis fuiſſe prodit: *Cui quidem & mater aderat, quæ quidquid ob ætatis imbecillitatem filii prudentia deeſſet, quantum à muliere præſtari poterat, ſupplebat.* Quod munus ſi implevit Juſtina, diu quidem eo non perfuncta eſt, cùm labente anno perierit.

Pacat. Paneg.

Ambr. Ep. 17.

Suid. Valens.

Zoſim. l. 4. c. 47.

Anno Dom. 388.

Fanum Valentinianorum, Judæorumque Synagoga evertitur.

IV. Reſtitutâ pace, quod de anno ſupererat, Theodoſius, & Aquilejæ, & Mediolani tranſegit. Dum in his urbibus moratur, Edictis ſuis Maximi geſta perſtringit, ſcribens ad Trifolium Præf. Prætorio: *Nullus ſibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica conceſſit audacia, ſed ad priſtinum ſtatum damnata præſumptio revocetur. Dat. x. Kal. Oct. Aquileja Theod. II. & Cynegio Coſſ.* Menſe Octobri Mediolanum contendit, ubi Legem & adverſus Maximum promulgavit, quâ judicia tyranni omnia abrogavit vi. Id. Oct. Cæterùm conſiſtenti apud Mediolanum à Comite Orientis nuncius affertur de incenſo Valentinianorum Templo, nec non de ſubruta ab Epiſcopo Judæorum Synagoga. Rem Ambroſius exequitur in ſua ad Theodoſium Epiſtola: Monachi, *prohibentibus iter Valentinianis, quo Pſalmos canentes ex conſuetudine, uſuque veteri, pergebant ad Maccabæorum martyrium, moti inſolentiâ incenderunt fanum eorum.* De Synagoga verò *relatum eſt à Comite Orientis militarium partium, incenſam eſſe Synagogam, idque autore factum Epiſcopo, juſſiſti vindicari in cæteros, Synagogam ab ipſo ædificari Epiſcopo.* Calendis Auguſti quibus in Oriente Maccabæorum memoria recolebatur, ignis fano Valentinianorum à Monachis ſubjicitur. Factum & Epiſcopi, & Monachorum improbaverat Theodoſius, neque immeritò, ut noſtra fert ſententia. Itaque tumultus autores pœnis ſubjecerat: hoc moleſtè tulit Ambroſius, qui aculeatâ Theodoſium Epiſtolâ pungit: *Quid mandas in abſentes judicium? Habes præſentem, habes confitentem reum. Proclamo quòd ego Synagogam incenderim, certè quòd illis mandaverim, ne eſſet locus, in quo Chriſtus negaretur.* Aquilejâ, quam negotiorum cauſâ petierat Ambroſius, miſſa eſt ad Principem Epiſtola. Quâ lectâ, cùm nondum flecteretur, reverſus Mediolanum Ambroſius, in concione adverſus Theodoſium invehitur, inducto Chriſto, ſic renitentem alloquente: *Ego te triumphatorem ſine labore feci, & tu de meis inimicis donas triumphos.* Impetravit tandem, ut quæ mandaverat Imperator revocarentur.

Ambr. Ep. 29.

Ibid.

Paul. Vit. Ambroſ.

Jureneinterceſſerit Ambroſius Theodoſio reſtitutionem Synagogæ imperanti?

V. Zelum quidem Ambroſio non invidemus, prudentiam tamen in eo facto deſideramus, cùm & Monachorum, & Epiſcopi facinus iniquitate conditum fuerit. Quid publicam evertere tranquillitatem, quid de Magiſtratus autoritate delibare, quid pugnas movere, quid tumultus excitare, ſi hoc non fuit. Lex eſt Honorii ſapientiſſima: *Chriſtianis demandamus, ut Judæis ac Paganis quietè degentibus, nihilque tentantibus turbulentum non audeant manus inferre, Religionis autoritate abuſi. Nam ſi contra ſecuros fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea ſola quæ abſtulerint, ſed convicti, in duplum quæ rapuerint, reſtituere compellentur.* Equidem ſi Valentinianorum fana, ſi Judæorum Synagogæ evertendæ erant, Principis Edictum requirebatur. Neque privatis licet ædificia, ſive Ethnicorum, ſive Judæorum publica ſubruere, quorum uſus Legibus & autoritate Imperatorum conceditur. Quòd ſi Monachis, Epiſcopiſve id licitum eſt, liceat quoque Heterodoxorum bona diripere; privatas & domos incidere, in quibus & pietatem negant, & Chriſto conviciantur.

Cod. l. 1. Tit. 10. l. 6.

Pace

ANNO DOM. 388.

Pace Ambroſii, factum, quod laudat, & vis fuit, & furtum, quo legitimis dominis bona ſua eripiebantur, cum perturbatione ordinis omnis, cujus Deus autor eſt, & conſtitutor. Quam Monachis ex Epiſcopo impunitatem Ambroſius comparavit, ea maxima fuit illecebra furoris, ut Antiſtites Aſcetæque omnes licenter flammis cingerent Eccleſias Hæreticorum, Templa Ethnicorum, Synagogas Judæorum: *Puto dicturum Epiſcopum* (verba ſunt Ambroſii) *quòd ipſe ignes ſparſerit, turbas compulerit, populos concluſerit, ne amittat occaſionem martyrii. O beatum mendacium!* Beata hæc mendacia neſcit pietas, veritatis amantiſſima, quæ ut Chriſto cordi ſemper fuit, ſic etiam eſſe debet omni probo. Neſciunt & Martyres Patres Illiberitani illos, qui in evertendis Ethnicorum fanis ſibi mortem acceſſunt: *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Evangelio non eſt ſcriptum, neque invenitur ab Apoſtolis unquam factum, placuit in numerum eum non accipi Martyrum.* Rectè & ſapienter, cum Apoſtolos pietatis amor non deficeret, qui tamen in delubra Ethnicorum, & Synagogas Judæorum non involarunt, quo ſanè facto graviſſimum & ſibi, & Evangelio odium conciliaſſent. Deſtruxit *Pyreum* in Perſide *Abda* Epiſcopus, *zelo immoderato impulſus*, quo gravem in Chriſtianos perſecutionem excitavit. Hîc quidem Baronius lupum auribus tenet, qui laudibus Ambroſii zelum afficit, quem ſanè improbat Gregorius Magnus, dum contraria Ambroſio ſtatuit. Petrus Proſelytus, crucem imaginem, *birrum album*, quo de fonte ſurgens indutus fuerat, Judæorum in Synagoga collocaverat. Scribit ea de re Januario Calaritano Gregorius: *His hortamur affatibus, ut ſublatâ exinde cum ea quâ dignum eſt veneratione, imagine atque cruce debeatis, quod violenter ablatum eſt, reformare, quia ſicut legalis definitio Judeos novas non patitur erigere Synagogas, ita quoque ſine inquietudine veteres habere permittit.* In urbe Panormitana occupata quoque fuerat Judæorum Synagoga, & *conſecrata*. Quid ad hæc Gregorius? Cenſet primùm *irrationabiliter* occupatam eſſe, deinde *Fantino* defenſori præcipit, *Ut quia quod ſemel conſecratum eſt, Judæis ultrà non valet reſtitui, quantum à filiis glorioſe Venantio Patricio, & Urbicio Abbate, Synagoga ipſa cum his hoſpitiis, quæ ſub ipſis ſunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ſibi conjunctis æſtimata fuerint, ſtudii tui ſit, ut præfatus frater & Coepiſcopus noſter dare pretium debeat.*

Illib. c. 60.

Theodorit. l. 5. c. 39.

Gregor. Ep. l. 7. 5.

Greg. Ep. 17. 58.

Ariani domum Nectarii comburunt.

VI. At in Oriente apud Conſtantinopolim abſente Theodoſio turbas movet Arianorum audacia. De bello, quod adverſus Maximum gerebatur, varii rumores ſpargebantur, tyrannum ſcilicet de Imperatoris exercitu victoriam retuliſſe, ipſum Theodoſium propediem in tyranni poteſtatem venturum eſſe. Tunc Ariani ægrè ferentes Eccleſias intra urbem poſitas ab iis quos anteà perſecuti fuerant, obtineri, rumores amplificant. Poſtquàm verò alia, quæ nuntiabantur, ipſis falſorum rumorum autoribus perſuaſerant, non conficta eſſe, ſed vera, quæ ipſi vulgaviſſent, Ariani reſumptâ fiduciâ in apertam erumpentes inſaniam, domum Epiſcopi Nectarii conjectis facibus incenderunt. Debitam furentibus pœnam Theodoſius condonavit precibus Arcadii, ut eâ manſuetudine turbulentos exarmaret.

Socr. l. 5. c. 13.

Mors Cynegii Conſulis.

VII. Cynegio viro clariſſimo, qui annum aperuit, fata vitam eripuere, ut veluti in purpura moreretur: *Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in ſuo Conſulatu Conſtantinopoli. Hic univerſas Provincias longi temporis tabe deceptas in ſtatum priſtinum revocavit, & uſque ad Ægyptum penetravit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum eſt corpus ejus ad Apoſtolos die XIV. Kal. Aprilis. Et poſt annum tranſtulit, cum matrona ejus Acbantia ad Hiſpanias pedeſtre.* Quâ obſervatione apparet deceptum eſſe Zozimum, qui de Cynegii obitu hæc habet: *Mortuo in itinere Cynegio, Præf. Prat. cùm ex Ægypto reverteretur.* Hic ille Cynegius Præf. Prætorio quoad vixit, Theodoſio fuit amiciſſimus. Morem ſuo Principi gerens, *aditus Templorum per Orientem, & univerſam Ægyptum, & ipſam Alexandriam occluſit, ſacrificiaque ab omni ævo uſitata, cum omni patriiꝰ cultu prohibuit.* Extat Theodoſii Reſcriptum ad Cynegium, Fauſtini & Marcellini libello reſpondentibus, quo teſtatur, quanti ipſum fecerit: *Cynegi, parens chariſſime & amantiſſime, ſublimitas tua præceptum noſtræ ſerenitatis, quo fidem Catholicam omni favore veneremur, & ſine qua ſalvi eſſe non poſſumus, jubeat cuſtodiri.* Hoc anno Reſcriptum Cynegio miſſum eſſe, Baronius putat. Ni tamen fallimur animi, datum prius fuit, quam Damaſus exceſſit, in quem Fauſtini libellus aſperè invehitur, nullâ vel Siricii mentione factâ, vel relatæ de Maximo tyranno victoriæ. Extant in Codice Theod. geminæ adverſus Hæreticos Leges Cynegio miſſæ. Prior in Eunomianos, Macedonianos, Arianos, nec non Apollinarianos, anno 384. conſtituta. Poſterior anno, qui Cynegio fatalis fuit, conſcripta eſt adverſus *Apollinariſtas*, de qua mentio poſtmodum. Mortuo Cynegio *Tatianus* ſuffectus eſt. Theodoſius *accerſitum Aquilejâ Tatianum, qui & alios ſub Valente Magiſtratus geſſerat, & erat in omnibus virtute ſingulari præditus, Prætorii Præfectum in patria declarat.*

Faſt. Id.

Zozim. l. 4. c. 45.

Zozim. l. 4. c. 37.

B. M. P. t. 5. 661.

Bar. Ann. 38. n. 94.

Zozim. l. 4. c. 45.

VIII. In Theodoſii Reſcripto ad Cynegium miſſo legitur de Fauſtino & Marcellino: *Petentium laudanda illatio eſt, qui communicantes Gregorio Hiſpan. & Heraclida Orientali, Sanctis ſanè ac laudabilibus Epiſcopis, optant in fide Catholica ſine oppugnatione alicujus ac moleſtia vivere.* Quis verò fuerit Gregorius ille *Hiſpanus* quem Theodoſius commendat, paucis eſt explicandum. Erat de Luciferanorum grege *Illiberitanus* Epiſcopus, cui multum præconii contribuunt in ſuo libello Fauſtinus & Marcellinus. Oſio Cordubenſi communionem renunciarat, qui Conſtantio morem gerens, cum *Potamio* blaſphemiæ ſubſcripſit. Qua de cauſa accerſitum ad *Clementium* Vicarium, Oſius Gregorium in exilium ejici voluit. Famâ Luciferi permotus, eum apud Sardiniam conveniens, animis communioneque arctiſſimè cum illo conjunctus eſt. Adeò infenſus Arianis fuit, ut ipſorum communioni copulari nunquam voluerit. Pro Sancto Epiſcopo habetur à Theodoſio, ut laudata à nobis verba teſtantur. Locum Gregorius invenit in Martyrologio R. ad octavum Kal. Maii: *Illiberi in Hiſpania S. Gregorii Epiſcopi, & Confeſſoris.* Quæ cauſa fuiſſe videtur, cur Baronius Gregorium Bæticum Eccleſiæ copulatum eſſe putet. Nobis verò potius videtur, Luciferanorum in ſecta animum obfirmaſſe, in qua & inveteravit, & odio eos proſecutus eſt, qui vel ſolâ externâ communione cum Arianis quandoque permixti fuere. Vitam retinebat adhùc anno CCCXCII. quo tempore ſuum de Viris illuſtribus librum Hieronymus edidit, Arcadio II. & Rufino Coſſ. *Gregorius Bæticus*

Gregorius Bæticus. Autor netractatus de Fide apud Nazianzenum.

Bar. Ann. 388. 98.

Hier. de Vir. ill.

ticus Illiberi Epiſcopus uſque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit, & de Fide elegantem libellum, qui hodieque ſupereſſe dicitur. Eruditorum fert nonnullorum conjectura, Orationem, quæ in Gregorio Nazianzeno numero eſt XLIX. eum hoc titulo, *D. Gregorii Nazianzeni de Fide Rufino Presbytero interprete tractatus*, Gregorii Bætici eſſe. Paſchaſii Queſnelli ſententia hæc eſt, quam N. Alexander amplectitur. Eam tamen in incerto eſſe moſumus. Nullis ſanè argumentis veroſimilem fidem faciunt, librum Latinum Gregorii Bætici, in extrema Hiſpaniæ conditum tanti Græcis pretii fuiſſe, ut ſubinde in ſuam linguam verterent, ex qua rurſus à Rufino Gregorii hujus coævo in Latinum transfunderetur. Credidit ſanè Rufinus non eſſe Gregorii Bætici, quem Theologo aſſignavit. Nec unius Rufini opinio hæc eſt, quæ & Auguſtini mentem opplevit, qui Epiſtolâ tertiâ Orationem illam *de Fide* Gregorio Orientali aſcribit Epiſcopo. Neque vitium ſatis eſt in phraſibus, ut Latino addicatur Autori, quæ non conditoris, ſed interpretis videntur eſſe: *Ratio quadam, qua apud Græcos nuncupatur λόγος.* Hæc ex ſtylo Rufini manaſſe probabiliſſimum, cujus magna in vertendo licentia fuit. Quanquam non Rufino ſoli, ſed aliis etiam interpretibus in more fuerit uſurpare phraſes ejuſmodi. Sic in Epiſtola Epiphanii ad Joannem, quæ Latini non eſt Autoris, legitur: *Corpus hoc ob id juxta Græcos δέμας, id eſt, vinculum.* Et paulò ſuprà: *Aſſerit animas juxta Græcam etymologiam ψύχας &c.* Quòd Gregorii Bætici liber in Græcum verſus fuerit, non dixit Hieronymus, dicturus ſanè ſi noviſſet.

Naz. Or. 49. 732.

Epiphanius lacerat imaginem. Pars ea Epiſtolæ ſitne ſubdita?

IX. Dum in Oriente verſamur, memoria eſt Epiphanii apprehendenda, qui Palæſtinam peragrans exſecit, ex quibus querelæ ſunt exortæ. Rem ipſe exequatur Epiphanius in ſua ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſtola: *Audivi quoſdam murmurare contra me, quia quando ſimul pergebamus ad Sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem quis locus eſſet, didiciſſemque eſſe Eccleſiam, & intraſſem ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam: non enim ſatis memini cujus imago fuerit. Cùm ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra autoritatem Scripturarum pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus ejuſdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent. Illique contrà murmurantes dixerunt, ſi ſcindere voluerat, juſtum erat, ut aliud daret velum atque mutaret. Quod cùm audiviſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, illicò eſſe miſſurum. Paululum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere: arbitrabar enim enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor ut jubeas Presbyteros ejuſdem loci ſuſcipere velum à latore, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere, in Eccleſia Chriſti ejuſdem vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi.* Hæc Epiphanius in Epiſtola, quæ apud Hieronymum numero eſt ſexageſima. Qui conſcientiam non exuere, illi quidem fatebuntur, Epiphanio diſplicuiſſe, quòd Sanctorum imagines in Templis collocarentur: eumque morem à communi Eccleſiæ diſciplina alienum fuiſſe, cujus ſanè non ignarus erat Epiphanius, qui multas orbis regiones peragrarat. Id rotundè concedit clariſſ. Du Pin, cujus candorem non laudare non poſſumus. Epiſtolæ verò autoritatem conciliat Hieronymus, à quo laudatur tertio Apologiæ ſuæ libro adverſus Rufinum cap. 7. Quam & ab ipſo in Latinum transfuſam fuiſſe, oſtendunt verba Apologiæ, quæ ne voculâ quidem ab Epiſtola diſcrepant. Torſit Baronium locus Epiphanii. Quem igitur nodum ſolvere non poterat, audacter ſecuit. Cenſet enim partem illam Epiphanianæ Epiſtolæ ſubditam eſſe, quod & Bellarmino placuit. Hanc tamen Epiſtolæ partem à fraudis ſuſpicione multa liberant. Primùm Epiphanii hæc Epiſtola, quæ in omnibus Hieronymi exemplaribus reperitur, nuſquam abſque parte ea legitur, quam illuſtriſſimi Cardinales accuſant imposturæ. Deinde ſi eſt à mala manu, utique ab Iconoclaſtis addita eſt, ut adverſariorum opinionem labefactarent. Quod flagitii ſi perpetraſſent, Epiſtolam utique laudaſſent, ut fraudis ſuæ aliquid emolumenti perciperent. Hoc verò telo contrariæ opinionis jugulum Orientales Iconoclaſtæ nunquam petierunt. 3°. Pars ea in libris Carolinis reperitur, teſte c. XXV. l. 4. quo ſanè fraudis ſuſpicio omnis eluitur. Denique poſt partem eam nonnulla de Palladio addit Epiphanius, quæ finem imponunt Epiſtolæ. Fuit autem difficillimum in duas Epiſtolæ partes genuinas ſubditam laciniam inferre longiſſimam, atque intrudere. Objicit Baronius: *Epiphanio ceſſiſſet dedecori conſcindere in aliena Diœceſi ſacras imagines, qui eaſdem in omnibus Cypri Eccleſiis eſſe pateretur.* Rectè quidem & ſubtiliter, ſi Eccleſiæ Cypriæ imaginibus opplebantur ætate Epiphanii. Id verò falſiſſimum eſſe, factum Epiphanii demonſtrat. Pergit Baronius in diſputando: *Quid eſt, amabo te, quòd ab adverſariis Iconoclaſtis tempore Nicæni Concilii ſilentio prætermiſſa eſt hæc ad Joannem Epiſtola?* Miram ſanè argumentationem, quâ Baronius jugulatur. Quippe ſi hoc loci Epiphanii Epiſtolæ ab Iconoclaſtis fuiſſet additum, illud utique adhibuiſſent, ut ſuæ cauſæ inſerviret. Quod cùm non laudarint, indicio eſt partem Epiſtolæ de ſciſſa imagine genuinam eſſe. Nil verò miri, id argumenti ab Iconoclaſtis omiſſum, cùm multa alia prætericrint. Addit Baronius: *Quomodo non majori energiâ Joannes in Epiphanium ea exaggeraſſet, qui tantoperè in eundem invectus eſt, quòd in aliena Diœceſi ſanctum virum Diaconum & Presbyterum ordinaſſet.* At pace Baronii, Joannes non tam de ſciſſa imagine queri debuit, quàm de Pauliniani ordinatione. Removebat errorem Epiphanius, cum Palæſtinæ ſaltem diſciplina pugnantem, dum ſcindit imaginem: perturbationem verò ordinis introducebat cum legibus Eccleſiæ pugnantem, dum in aliena Diœceſi Clericum conſecravit. Quòd ergo malâ novitate Eccleſiam liberaſſet Epiphanius, non ſatis cauſæ Joanni fuit, cur intumeſceret, cur minitaretur, cur ubique locorum ſcriberet. Quanquam pro jure ſuo ſtatuit Baronius, Epiphanii velum ſcindentis factum patienter à Joanne toleranterque fuiſſe habitum. Quid ni Joannes eorum unus fuit, de quibus loquitur Epiphanius: *Audivi quoſdam murmurare contra me.* Bellarmini rationes cùm ab illis Baronii non multum diſcrepent, aut ad eas revocentur, vix ſolutione egent. Quam ſanè rationem ex Gregorio Magno petit, ad Serenum Maſſilienſem

Bar. Ann. 392. n. 52.

Bar. Ann. 392. n. 54.

l. 9. Ep. 9. ſcribente, nullum anteà ipſum *fregiſſe imaginem Chriſti vel Sanctorum*, ea nil virium habet. Cùm ex Gregorii in Hiſtoricis ignorantia ducatur. Quàm neſcivit Gregorius Eudoxium Hæreticum, qui & Antiochenſi, & Conſtantinopolitanæ præfuerat Eccleſiæ; tam obſcurum Epiphanii factum in viculo perpetratum ignorare potuit. In reliquis Bellarmini argumentis minus virium eſt. Quæ, ut noſtros Doctores prætereamus, N. Alexander ex profeſſo refellit articulo de Epiphanio pag. 626. ut nobis nil opus ſit in illis ſolvendis immorari.

Epiphanius Paulinianum ordinat in Palæſtina.

X. Aliud in ſua peregrinatione fecit Epiphanius, quod Joannem commovit. Clericum ordinavit in Eleutheritana regione, quæ cùm ad Tribum Judæ pertineret, putavit Joannes factam injuriam ſibi. Rem ſic exequitur Epiphanius: *In Monaſterio fratrum, & fratrum Peregrinorum, qui Provinciæ nihil tuæ deberent, & propter noſtram parvitatem, & literas quas ad eos crebrò direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere diſcordiam, ne viderentur quâdam duritiâ, & conſcientia noſtra antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, ordinavimus Diaconum, & poſtquam miniſtravit, rurſus Presbyterum.* Ordinati nomen non edit Epiphanius, ſed ab Hieronymo diſcimus, fratrem ſuum fuiſſe, nomine *Paulinianum*: cujus ſanè ordinatio mira fuit, ipſo teſte Epiphanio: *Cùm celebraretur Collecta in Eccleſia villæ, quæ eſt juxta Monaſterium noſtrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem ſuſpicionem per multos Diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari ſe cupiens, adjuraret nos per nomen Chriſti, & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret.* Prima vis ea fuit, altera ſequitur: *Et cùm miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iiſdem verbis, quibus antea ſuaſeramus, impulimus ut ſederet in ordine Presbyterii.* Hinc magna diſcordiarum ſemina. Contendebat Epiphanius, nil Joanni illatum injuriæ, quia ad ipſius ditionem Monaſterium non pertinebat. Quod & affirmat Hieronymus: *Monaſterium Sancti Papæ Epiphanii nomine, vetus dictum, in quo frater meus ordinatus eſt Presbyter in Eleuteropolitano territorio, & non in Æliensi ſitum eſt.* Contrà verò Joannes contendebat, Epiphanio à ſe mandatum, ne quenquam ordinaret, & hoc ab eo fuiſſe promiſſum. Id negabat Epiphanius, qui hoc tantùm fatetur: Cùm Zenoni Presbyter Rufinus *neſcio quæ alia tranſitoriè loqueretur, etiam hoc dixerit, Putas ne aliquos ordinaturus eſt Sanctus Epiſcopus?*

Hier. Ep. 61. c. 3.

Epiphanius Hieroſolymis in Origenis dogmata concionatur.

XI. Aliud accidit longè gravius, quo concordia diſſiluit. Verſabatur Hieroſolymis Epiphanius, cui ſpecie honoris ad concionandum *Joannes* Cathedram obtulit ſuam. Prius tamen in Antropomorphitas bacchatus eſt, perſtringendo, quem eo errore affectum putabat Epiphanio: *Recordare, quaſo, illius diei* (verba ſunt Hieronymi ad Joannem) *quando ad horam ſeptimam invitatus populus, ſpe ſolâ, quaſi poſteà auditurus Epiphanium eſſet, detinebatur, quid tunc concionatus ſis, nempe contra Antropomorphitas, qui ſimplicitate ruſticâ Deum habere membra, quæ in divinis Literis ſcripta ſunt, arbitrantur, furens & indignans loquebaris, oculos, manus, & totius corporis truncum in ſenem dirigebas, volens illum facere ſuſpectum ſtultiſſimæ hæreſeos. Poſtquam laſſus ore arido, reſupinâque cervice, ac trementibus labiis conticuiſti, & tandem totius populi vota completa ſunt, quid tibi fecit delirus & fatuus ſenex? Surrexit, ut ſe indicaret pauca dicturum eſſe, ſalutatâque & voce, & manu Eccleſiâ, Cuncta, inquit, quæ locutus eſt Collegio frater, ætate filius meus contra Anthropomorphitarum hæreſim, benè & fideliter locutus eſt, quæ meâ quoque damnantur voce, ſed æquum eſt, ut quomodo hanc hæreſim condemnamus, etiam Origenis perverſa dogmata condemnemus. Qui riſus omnium, quæ acclamatio conſecuta ſit, puto quod retineas?* Moleſtiſſimè ferebat Joannes damnari Origenem. Quod verbis acrioribus exequitur Hieronymus: *Quando contra Origenem in Eccleſia tua Papa Epiphanius loquebatur, quando ſub illius nomine in vos jacula torquebantur. Tu & chorus tuus canino rictu, naribuſque contractis, ſcalpentes capita, delirum ſenem nutibus loquebamini. Nonne ante ſepulchrum Domini miſſo Archidiacono præcepiſti, ut talia diſputans conticeſceret? Quis hoc unquam Presbytero ſuo coram plebe imperavit Epiſcopus? Nonne cùm de Anaſtaſi pergeretis ad crucem, & ad eum omnis ætatis, & ſexus turba confluerat, offerens parvulos, pedes deoſculans, fimbrias vellens; cùmque non poſſet promovere gradum, ſed in uno loco vix fluctus undantis populi ſuſtineret, tu tortus invidiâ adverſus glorioſum ſenem clamitabas, nec erubuiſti in os ei dicere, quòd volens, & de induſtria moraretur?*

Hier. Ep. 61. c. 4.

Hæc tria, quin & alia fecerunt, ut Joannes & Epiphanio ſubinfenſus eſſet, & Hieronymo, quem Epiphanio magis quàm ſibi ſciebat additum. Diſplicebat etiam Joanni, quòd Hieronymus Monachatus obtentu nullis reliquorum Presbyterorum legibus aſtringi ſe pateretur. Hinc illa diſputationum ſeges, quæ annis CCCXCI. & CCCXII. Palæſtinam inflammarunt, cùm Epiſtolis Epiphanius & Hieronymus ſuis infeſtus in Joannem aculeos immiſere. Hoc, vel certè anno ſequente ea contigiſſe, quæ narravimus, docet nos Epiſtola Hieronymi ad Pammachium: *Quando eum* (Epiphanium) *per Archidiaconum tacere juſſiſti. Ille per totum exinde triennium ſuas injurias devorat, privatâque ſimultate contemptâ, fidei tantùm correctionem poſtulat.* Scripta verò eſt Epiſtola Hieronymi adverſus Joannem anno CCCXCII. paucis menſibus poſt Eclipſim, quæ Junii VI. anno CCCXII. contigit, teſte capite 16.

Ibid.

Joannes Hieroſolymitanus. Quis?

XII. Quis porrò Joannes ille, qui tantis occaſionem diſſidiis præbuit, eſt commemorandum. Si credimus Hieronymo, imbuebatur graviſſimis erroribus, antequam ad Hieroſolymitanum Epiſcopatum Cyrillo ſucceſſurus eveheretur. Quam dignitatem ut adipiſceretur, errores exuiſſe dicitur: *Quis te hoc tempore arguit Arianum? Quis tibi nunc Photini, Manichaique crimen impingit. Olim iſta emendata ſunt, atque convulſa.* Quæ tamen accuſatio Hieronymi potius iracundiæ debetur, quàm veritati. Quis enim imperante Theodoſio hominem Photini Manetiſque venenis palam & apertè corruptum in auguſtiſſima Hieroſolymitanorum Cathedra collocaſſet? Ac ſpe tanti Epiſcopatus illectus, errores quidem nonnihil occultare ſuos potuiſſet; abjicere ſanè vix potuiſſet. Nec eam acriter accuſationem urget Hieronymus, imò utcunque purgat: *Donamus tibi, ut non ſis Arianus, imò plus, ut nunquam fueris*, cap. 3. Vix tricenario major Epiſcopus creatus eſt anni CCCLXXXVII. ſub initia, ut ſcribit Theophilo Hieronymus: *Ipſe quando ordinatus eſt non multum ab eo, in qua nunc frater meus eſt, diſtabat ætate.* Fautor Origenis

Hier. Ep. 61. c. 2.

Hier. Ep. 61. c. 2.

erat

ANNO DOM. 388.

erat longè maximus. Quæ cauſa fuit cur ipſi offenderetur Epiphanius, & ipſe viciſſim Epiphanio, qui etiam initam cum eo communionem doluit: Ad nos, inquit, Hieronymus *ſuis rebus perturbatus, veuit examinis, temere ſe communicaſſe dicens; rogatuſque ab omni Monaſterio, ut ad te de Bethlehem reverteretur, tantorum preces non ferens, ſic reverſus eſt veſpere, ut medio noctis aufugeret, & litera ad Papam Siricium probant.* Non obſcurus fuit ille Joannes, quem Theodoritus *virum admiratione dignum* dixit, Hiſtoriæ l. 5. c. 35. Neque famæ multum collegiſſe negat Hieronymus: *Te fautores tui diſertiorem Demoſthene, acutiorem Chryſippo, ſapientiorem Platone contendant, & tibi ipſi fortè perſuaſerint.* Sed de Joanne plura in ſequentibus.

Hier. Ep. 61. c. 2.

Hier. Ep. 61. c. 4.

Apollinariſtas comprimit Theodoſius.

XIII. Non erroribus modò ſuis, verùm etiam ſeditionibus Apollinariſtæ Eccleſiæ erant detrimento. Ab Epiſcopis dignitate ſuâ ſpoliatis demum impetrarant, ut ſectæ ſuæ nebulonem Epiſcopum inſtituerent, quod facinus audax Nazianzenus queritur Olympio, quaſi remedia vulneribus adhibita fuiſſent, ut in venenum mutarentur. Nec pravas homines lenitas inflectebat. Præter alia omnia eò audaciæ proruperant, *Ut Epiſcopos, quibus dignitas ab univerſali Orientalium & Occidentalium concilio abrogata fuerat, arcerſentes, aut tranſeuntibus abutentes, cuidam impii & adulterini ſui gregis Epiſcopi nomen impoſuerint.* Vim quoque Orthodoxis intulerunt indigna paſſis, ut Theodoro Tyanenſi ille ipſe Gregorius ſignificatum ivit: *Ut cætera miſſa faciam, quæ Apollinariſtæ nunc impetu facto partim moliuntur, ex Domino meo Compresbytero, Eulalio Chorepiſcopo, & Celeuſio, quos deditâ operâ ad pietatem tuam miſimus, intelliges.* Ut non ferenda ſeditioſorum audacia comprimeretur, Gregorius Nectario Epiſtolam miſit: *Quod autem,* inquit, *ex omnibus Eccleſiaſticis calamitatibus acerbiſſimum, Apollinariſtarum licentia eſt, quos haud ſcio quonam modo pietas tua conventuum æquè ac nos habendorum autoritatem ſibi arrogaſſe, atque uſurpaſſe paſſa fuerit.* Coërcendæ nefariorum audaciæ, hortante ut conjectura eſt Nectario, Theodoſius adhibuit operam, datâ ad Cynegium Præf. Præt. Lege, quæ VI. Id. Martias Theſſalonicæ conſcripta eſt: *Apollinarios cæteroſque diverſarum hæreſum ſectatores ab omnibus locis jubemus inhiberi, à mœnibus urbium, à congreſſu honeſtorum, à communione Sanctorum. Inſtituendorum Clericorum non habeant poteſtatem; colligendarum congregationum vel in publicis, vel in privatis Eccleſiis careant facultate; nulla iis Epiſcoporum faciendorum præbeatur autoritas; ipſi quoque Epiſcopi nomine deſtituti, appellationem hujus dignitatis amittant. His etiam illud nectimus, ut ſuprà memoratis omnibus, adeundi atque interpellandi ſerenitatem noſtram aditus denegetur.* Ad memorata Apollinariſtarum facta verba Legis non obſcurum reſpectum habent. In ſectam Apollinariſtarum à Theodoſio adhibitos eſſe ſeveritatis aculeos, nil miri, cùm dogmatibus ſuis fundamenta ſalutis everterint. Chriſti carnem Virgine ortam eſſe negabant. Itaque hæc in ipſos Nazianzenus fulmina torquet: *Si quis carnem à Cœlo deſcendiſſe, non autem hinc atque à nobis eſſe dixerit, anathema ſit.* Sine mente Chriſtum fuiſſe nugabantur, quia *divinitas mentis loco ſufficiebat.* Quam rationem aliâ magis ineptâ firmabant: *Mens noſtra,* inquiebant, *damnata eſt.* Quaſi verò caro noſtra damnationis expers fuerit. Itaque venuſtè ſatis ipſis *Sarcolatrarum* Gregorius nomen impoſuit. Neque etiam vim Deitatis, quæ Spiritui Sancto ineſt, ſatis cuſtodiebant, quem Patre, Filioque minorem & exiſtimaſſe videntur. De librorum ſuorum multitudine non minimum gloriabantur.

Naz. Ep. 77.

Naz. Ep. 68.

Naz. Or. 46.

Cod. Th. de Hær. l. 14.

Naz. Or. 51 740.

ANNO DOM. 389.

ANNO U. C. 1142. OLYMP. 292. PER. JUL. 5102. JUL. 434. DOM. 389. VALENTIN. 14. & 15. THEODOS. 11. ARCAD. 6. *Sol.* 6. G. *Lun.* 10. *Indict.* 1. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 1. *P.* 1. *April.*

COSS. *Primaſius & Promotus.*

Theodoſii triumphus. Triumpharitne & Valentinianus?

I. VErſantem Mediolani Theodoſium cupido inceſſit videndi Romam, quam pulcherrimo ob Maximi cladem triumpho exhilararet. Cujus ingreſſus accerſitum Conſtantinopoli Honorium comitem eſſe voluit. Triumphi diem ab oblivione Idacius in Faſtis vindicavit, qui Junii tertius & decimus fuit: *Timaſio & Promoto Coſſ introivit Theodoſius Auguſtus in urbem Romam, cum Honorio filio ſuo die Iduum Juniarum, & dedit congiarium Romanis.* Triumphum Latinus deſcribit Pacatus: *Quæ Romæ geſta ſunt, qualem te urbi dies primus invexerit, quis in Curia fueris, quis in roſtris, ut pompam præeuntium ferculorum curru modò, modò pedibus ſubſecutus, alterno clarus inceſſu, nunc de bellis, nunc de ſuperbia triumpharis, ut te omnibus Principem, ſingulis exhibueris Senatorem, ut crebro civilique progreſſu, non publicâ tantum operâ luſtraveris, ſed privatas quoque ædes divinis veſtigiis conſecraris, remotâ cuſtodiâ militari, tutior publici amoris excubiis, horum hæc linguis; horum, inquam, voce laudentur, qui de communibus gaudiis, & dignius utique quæ maxima, & juſtius poterunt prædicare, quæ propria ſunt.* Valentinianum cum Theodoſio triumphaſſe, Socrati creditum, atque Sozomeno: *Ambo Imperatores Romam victores ingreſſi ſunt.* Quorum in ſententiam Baronio deſcendere placuit, repugnante quidem Pacato, qui de Valentiniani triumpho ne verbum quidem habet: quem oblivioni non dediſſet. Unum triumphaſſe Theodoſium, docuit & Rufinus: *Ipſe poſteà quàm Romam illuſtri triumpho invectus eſt, ad propria rurſus regna remeavit.* Nil cauſæ quidem Valentiniano fuit, cur de Maximo triumphum ageret, cùm bello non interfuiſſet. Miſſus fuerat Romam cum Juſtina matre. Debellato verò Maximo ad Theodoſium ſe contulit, quo cum in urbem rediit, teſte Paulo Diacono: *Tunc igitur Imperatores Valentinianus & Theodoſius peractâ victoriâ Romam venere.* Venit igitur cum Theodoſio, ſed non triumphavit.

Socr. l. 5. c. 24.

Ruf. l. 2. c. 17.

Paul. H. l. 13.

Theodoſius parcit Symmacho.

II. Ab Idibus Juniis ad uſque Cal. Septembris Theodoſius in urbe moratus eſt. Quo labente temporis ſpatio, quæ perpetuâ debent memoriâ contineri, multa patravit. Symmachus eruditione ſuâ magis quàm Senatoriâ dignitate clarus, de Maximi laudibus Orationem habuerat, eoque præſente recitarat. Quo nomine poſtmodum perduellionis accuſatur. Extremum veritus ſupplicium ad Eccleſiam confugit. At Theodoſius *Leontio Novatianorum in urbe Epiſcopo gratificatus, Symmachum crimine abſolvit.* Qui veniam conſecutus, Apologeticum in laudem Imperatoris conſcripſit. Theodoſii tamen iram commovit, ſi Proſpero fides: *Symmachus ille mirabili eloquio, & ſcientiâ præditus, tamen Paganus,*

Socr. l. 5. c. 14.

Proſp. Prom. 38 p. 270.

præconio

præconio laudum in Conſiſtorio recitato, ſubtili arte quâ valuit, aram victoriæ in Senatu reſtitui Chriſtiano, ut noverat, Principi intimavit. Quem ſtatim à ſuis aſpectibus pulſum, in centeſimo lapide rheda non ſtrata impoſitum, eâ die manere præcepit. Diuturnum tamen non paſſus eſt exilium, cùm anno CCCXCI. Conſulem egerit.

Lupanaria Romæ Theodoſius evertit.

III. Exempla hæc ſunt clementiæ; ſequuntur pietatis, quæ exhibet ex Socrate hiſtoria Miſcellanea: *Erat ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata, in qua panis fiebat, qui univerſæ civitati miniſtrabatur. Hujus mancipes tempore procedente piſtrina publica latrocinia eſſe fecerunt. Cùm enim eſſent molæ in locis ſubterraneis conſtitutæ, per ſingula latera earum domunum tabernas inſtituentes, meretrices in eis proſtare faciebant, quatenus per eas plurimos reciperent, alios qui pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi feſtinabant. Arte namque mechanicâ in molam de taberna cadebant, & hoc patiebantur maximè peregrini, & ita latebant clauſi, ut multi uſque ad ſenectutis tempus laborantes inde non permitterentur exire, æſtimantibus eorum propinquis eſſe defunctos. In ejuſmodi laqueos miles quidam Theodoſii incurrit. Cumque fuiſſet clauſus ad molam, nec dimitteretur exire, evaginato gladio prohibentes occidit. At illi terrore deterriti militem dimiſerunt. Hoc agnoſcens Imperator, & mancipes ſuppliciis occidit, & ipſam piſtrinam deſtruere funditùs præcepit.* Aliud & flagitium abrogaſſe dicitur. Mulieres in adulterio deprehenſæ proſtibulo includebantur, eoque tempore, quo Veneri indulgebant, ad irrogandam ipſis infamiam tintinnabula percutiebantur. Quæ lupanaria Theodoſius deſtrui juſſit. Hæc etiam memoriæ Socrates prodit. Quæ tamen de addictis lupanari adulteris pulſatiſque ad infamiam ipſarum tintinabulis, veri ſpecie carent. Alia Chriſtianis imperantibus adulteris pœna irrogabatur. *Hoc anno* & *Stilichonem* è foribus Capitolii laminas aureas abſtuliſſe, & *Serenam* è collo Rheæ detraxiſſe mundum muliebrem Baronius narrat. Qui magnus eſt prochroniſmus, vel eo quem laudat teſte Zozimo, qui *poſt oppreſſam* Eugenii *tyrannidem* ea contigiſſe memorat. Cæterùm ut errores Theodoſius omnes extingueret, hanc Legem tulit, ut Sectarum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Lectoreſque *ex funeſtis Conciliabulis, ſeu intra urbem, ſeu in ſuburbanis eſſe videantur, omninò propellantur.* Manichæos quoque Theodoſius urbe pepulit, facultatibus ipſorum publicatis, ut oſtendit Reſcriptum datum XV. Kal. Jul. Maleficis etiam ultimum ſupplicium denuntiat.

Paul. H. l. 13.

Bar. An. 389. n. 56.

Error Baronii.

Zoz. l. 5. c. 38.

Cod. Th. t. 6. 136.

Joannes Hier. Pauliniani fautores excommunicat.

IV. Ad res Eccleſiæ nunc tranſgrediamur. Eſt autem ab Oriente incipiendum, cùm ibi geſta fuerint nonnulla, quorum notitia rebus Occidentis lucem fœnerat. Joannes Hieroſolymitanus Pauliniani ordinatione commotus diſſimulatam & latentem iram tandem indicat. Ac longius quàm par fuit, proceſſit dolor, cùm eos omnes, qui Pauliniani ordinationi favebant, excommunicationis fulmine percuſſerit. Audiatur Hieronymus, qui ad Joannis querelas hæc regeſſit: *An non tu potuit ſcindu Eccleſiam, qui præcepiſti Bethlehem Presbyteris tuis, ne Competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent, quos nos ad Dioſpolim ad Confeſſorem & Epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos? Eccleſiam ſcindere dicimur, qui extra cellulas noſtras locum Eccleſiæ non habemus? An non tu ſcindis Eccleſiam, qui mandas Clericis tuis, ut ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum Presbyterum dixerit, Eccleſiam prohibeatur intrare? Ex quo tempore uſque in præſentem diem videmus tantum ſpecum Domini, & Hæreticis intrantibus procul poſiti ſuſpiramus? Noſne ſumus qui Eccleſiam ſcindimus, an ille, qui vivis habitaculum, mortuis ſepulchrum negat; qui fratrum exilia poſtulat?* Hanc Hieronymus injuriam triennio diſſimulavit.

Hier. Ep. 61. c. 16.

Mors Paulini: ſucceſſorem Evagrium dicit: ea de cauſa Capuenſis Synodus cogitur.

V. Non minorem diſſidiorum cauſam præbuit mors Paulini, quem Antiochenum Epiſcopum Lucifer creaverat. Paulinus cum Eccleſiæ diviſionem propagari vellet, contra regulas *Evagrium* ſibi ſucceſſorem dicit, ut illatæ ſibi injuriæ ultorem relinqueret. Defuncto Paulino ſuccedit *Evagrius*, cujus communionem Paulini fautores amplectuntur, quibus ſe *Siricius* conjungit, qui & quantum potuit, effecit ut Theodoſius faveret Evagrio. Finiendis ergo litibus *Capuæ* Synodus indicitur, ad quam Flavianus vocatur. Qui ab Imperatore ea de cauſa potius in Oriente Concilium cogi flagitat. Pauca Capuenſis Synodi veſtigia ſuperſunt. Numeroſam fuiſſe, Patres Africani teſtantur, qui Capuenſem Synodum *plenariam* vocant. Id & innuit Ambroſius, qui ut à Theophilo audivit, Flavianum neglecto Capuenſi Decreto Imperatorem adire precibus, ſubinde exclamat: *Fruſtrà ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor.* Quid porro Capuenſi in conventu factum ſit, docet Ambroſius in ſua ad Theophilum Epiſtola: *Non habet quod urgeat Evagrius, & habet quod metuat Flavianus, ideòque refugit examen. Dent fratres veniam dolori juſto, quia propter ipſos univerſus orbis concutitur, & illi tamen noſtro non compatiuntur dolori.* Componendis litibus hæc ſanxere Capuenſes: *Bona pacis naufragio, ſancta Synodus Capuenſis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem, & duobus iſtis tuæ ſanctitatis examen impartiretur, fratribus & Conſacerdotibus noſtris Ægyptiis pariter conſidentibus, quia hoc verum judicium futurum arbitrati ſumus, quod neutri parti ſociatâ communione aliquo favori propenderet.* Flavianus tamen Ægyptiaco conventui præſentiam non fecit ſui, quod moleſtè tulit Ambroſius, qui ob id Flavianum ut *exlegem*, exortemque Sacerdotalis conſortii perſtringit.

Ambr. Ep. 78.

Bonoſi errores: accuſatur apud Capuenſes.

VI. Alia momenti longè majoris à Capuenſibus tractantur. *Bonoſus*, non *Naiſſenſis*, ut doctiſſimo viro creditum, ſed Sardicenſis Epiſcopus abſona multa diſſeminabat. Quippe contendebat, B. Virginem poſt editum Servatorem liberos procreaſſe. Quem perſtringit errorem Siricius in ſua ad Illyricanos Epiſcopos & Anyſium Epiſtola: *Sanè non poſſumus negare, de Maria filiis fuiſſe jure reprehenſum: meritòque veſtram ſanctitatem abhorruiſſe, quòd ex eodem utero virginali, ex quo ſecundum carnem Chriſtus natus eſt, alius partus effuſus ſit. Neque enim elegiſſet Dominus Jeſus naſci per Virginem, ſi eam judicaſſet tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni concubitus humani ſemine coinquinaret.* Præthereà Chriſtianos in nomine Trinitatis ſacris undis expiatos Bonoſus, aut certè ipſius diſcipuli novo baptiſmo perfundebant, ut ex Aurelianenſi Concilio mox laudando apertè liquet. Majora adhùc peccabat Bonoſus, qui duos in uno Chriſto Servatores prædicabat, unum ante res conditas;

ANNO DOM. 389.

ditas; alterum ex Virgine procreatum. Hoc docet *Marius Mercator* in diſſertatione ad XII. Anathematiſmum Neſtorii: *Ebionem Philoſophum ſecutus Marcellus Galata eſt. Photinus quoque, & ultimus temporibus Sardicenſis Bonoſus, qui à Damaſo urbis Romæ Epiſcopo prædamnatus eſt.* Æternitatem uni filiorum Dei aſcripſiſſe Bonoſum, ſtatuit Pagius: non credo. Ario potius aſſenſum præbuiſſe videtur, cujus ut baptiſmo, non ſanè Photiniano utebatur, licet diſcrimine ſolvo cum Paulianiſtis Bonoſiaci ſocietatem inierint. Ut hinc liqueat, Filium Dei ad res conditas æquè à Bonoſiacis, ac Photinianis eſſe relegatum. Obſervatu dignus eſt Synodi Arelatenſis II. Canon 16. *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet, Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes*, &c. Auxilius quoque libro de Sacris Ordinationibus c. 22. de Bonoſiacis hæc ſcribit, *Quòd Chriſtum Deum ex Patris ſubſtantia ante ſecula negent.* Porro ſi de Bonoſi prædamnatione, cujus Mercator meminit, quæritur, ea reperitur Damaſi in Epiſtola ad Paulinum Antiochenum de Vitali:

Lab. Concil. t. 2. 865.

Si quis dixerit, Verbum pro humano ſenſu in carne verſatum, hunc Catholica Eccleſia anathematizat, nec non eos qui duos in Salvatore Filios confitentur, id eſt, alium ante incarnationem, & alium

Theodorit. l. 5. c. 11.

poſt aſſumptionem carnis ex Virgine. Paria geminaque leguntur in Confeſſione Damaſi, Paulino apud Theſſalonicam agenti miſſa. Cùm culpâ tantarum blaſphemiarum Bonoſus teneretur, apud Capuenſes poſtulatur erroris. Cauſæ cognitionem *Anyſio* Theſſalonicenſi, Antiſtitibuſque Macedoniæ delegant, qui ſua Bonoſo Eccleſia interdixere. Hoc nos monet Siricii apud Ambroſium Epiſtola: *Cùm hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo, atque ejus accuſatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus facto cognoſcerent, advertimus quòd nobis judicandi forma competere non poſſet.* Conſuluit Ambroſium Bonoſus, an non vetitam ſibi Ec-

Ambr. Ep. 79.

cleſiam liceret ingredi: cui reſpondit, *Quòd nihil temerandum foret, ſed omnia patienter ordine gerenda, neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, ut quid videretur vobis juſtitia convenire ſtatueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem.* Bonoſus caput ſectæ fuit, cui Bonoſiacæ nomen eſt impoſitum. Capuenſis porro Synodi mentionem egit Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ c. 48. *Illud autem ſuggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum.*

Bonoſiaci. Num à Photinianis diverſi?

VII. Cæterùm Bonoſi apud Capuenſes de erroribus accuſati mentio monet errantem Baronium ad viam revocare. Fretus auctoritate Veterum, Bonoſum & Bonoſi diſcipulos cum Photinianis permiſcet: *Photini*, inquit, *hæreſim*

Bar. An. 389. n. 73.

impiè fuiſſe ſectatum Bonoſum, Innocentius Papa haud obſcurè ſignificat. Nos nullo ab Innocentio veſtigio id indicatum fuiſſe exiſtimamus. Fefellit fortè Baronium Innocentianæ titulus Epi-

Innoc. Ep. 20.

ſtolæ, quem Editioni Surius ſuæ præfixit: *Ad Laurentium Senienſem de Bonoſiacis, quòd ſint Judæis comparandi.* In Epiſtola tamen de *Bonoſiacis* ne verbum quidem, ſed de *Photinianis*, qui Chriſtum Deum ante ſecula Patris ex ſubſtantia genitum negabant. A Bonoſo ordinatos gradum retinere ſuum Epiſcoporum judicio decretum eſt. In Photinianos verò Clericos, acriores ſanè ſeveritatis aculeos adhibuiſſent. Audiatur Innocentius ad Martianum: *Superiore tem-*

ANNO DOM. 389.

Innoc. Ep. 21.

pore, ſi tamen ritè recordor, memini me tam ad dilectionem tuam, quàm ad fratres & Coëpiſcopos noſtros Rufum, & cæteros hujuſmodi literas de Clericis Naxenſibus tranſmiſiſſe, his videlicet, qui ſe ante damnationem Bonoſi aſſerebant, tam Presbyteros, quàm Diaconos ordinatos; ut ſi relicto, atque damnato ejus errore vellent Eccleſiæ copulari, libenter reciperentur: ne fortè qui eſſent digni recuperandæ ſalutis, in eodem errore deperirent. Atqui Photiniani hominis erroribus Pauli Samoſateni laborantis, ut baptiſmus, ſic & ordinationes rejicerentur. Variavit tamen de Bonoſiacis Clericis Veterum diſciplina, eodem teſte Innocentio Epiſtolâ XXI. c. 5. *Auſi quondam fratres noſtri, aliorumque Conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, hi cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ſi ordinati reciperentur.* Alia tamen apud Auxilium lectio eſt, quâ ſequitur, Bonoſi ordinationes removendo ſcandalo ſuſceptas fuiſſe: *Ut quos Bo-*

Aux. de Sac. Ord. c. 22.

noſus ordinaverat, ne cum eo remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur. Quæ lectio ſi retineatur, magnum Bonoſiacos inter & Photinianos diſcrimen ſtatuit. Gennadium Bonoſiacos pro *Photinianis* habuiſſe, facilem largimur, apud quem legimus: *Audentius Epiſcopus Hiſpanus ſcripſit contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci vocantur.* Sed errantis Gennadii Baronius veſtigia ſequi non debuit. Photinianos inter & Bonoſiacos diſcrimen eſſe, Synodus Arelatenſis ſecunda eximiè declarat, Canonibus XVI. & XVII. *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet. Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizare in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Quos Bonoſus errores ſparſerit, ex Mario Mercatore manifeſtò docuimus. Hæreticorum more atque ingenio Bonoſus fautores colligere ſibi multos ſtudens, impuros homines, qui in Eccleſia Catholica nullo loco fuiſſent, ad ſacros ordines promovebat. Quâ audaciâ factum, ut longè latèque ea ſecta regnans, non Macedoniæ, non Illyrici, non Daciæ finibus contineretur, ſed ditionem quoque ſuam ad extremas uſque Gallias extenderit. Hinc laudati Arelatenſium Patrum Canones: hinc Aurelianenſium Decretum: *Judex civitatis,*

Aur. 3. c. 30.

vel loci, ſi Bonoſiacum, vel cujuſlibet alterius hæreſis Sacerdotem quamcunque perſonam de Catholicis rebaptizaſſe cognoverit, quia Reges nos conſtat habere Catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad Regis fidem atque juſtitiam proptereà diſtringendos adduxerit, annuali excommunicationi ſubdatur.

Quid Romæ egerit Auguſtinus? In Africam remeat.

VIII. Dum in Italia verſamur, quid agat Auguſtinus paucis videamus. Poſt defunctam *Monicam* relictâ Oſtiâ, anno CCCLXXXVII. in urbem migraverat. Neque patiebantur pietatis igniculi, quos baptiſmus ipſius menti indiderat, Fidelem otioſum eſſe calamo, qui Catechumenus pro veritate jam multa ſcripſerat. Anno igitur CCCLXXXVIII. & parte ſequentis ad ſcribendum animum appulit: *Jam*, inquit, *bap-*

Aug. Retr. l. 1. c. 7.

tizatus autem, cùm Romæ eſſem, non ferre tacitus poſſem Manichæorum jactantiam de falſa & fallaci continentia, vel abſtinentia, quâ ſe ad impe-

ritos

Digitized by Google

Anno Dom. 389.

ritos decipiendos veris Chriſtianis, quibus comparandi non ſunt, inſuper præferunt, ſcripſi duos libros, unum de moribus Eccleſiæ Catholicæ, alterum de moribus Manichæorum. In urbe quoque ſcripſit Dialogum, in quo de anima multa quæruntur. Cùm etiam de mali origine inquiſiviſſet, & conſtaret, ortum ejus ex libero arbitrio eſſe ducendum, de libero Arbitrio libros Romæ inchoat: *Tres libri, quos eadem diſputatio peperit, appellati ſunt de libero Arbitrio, quorum ſecundum & tertium in Africa, jam etiam Hippone Regio Presbyter ordinatus, ſicut tunc potui, terminavit.* Relictâ Româ, proſperâ navigatione in Africam remeat. Ut Carthaginem appulit, Innocentii vicariæ Præfecturæ Exadvocati domum cum Alipio ingreſſus incolit. Curabatur Innocentius à Medicis propter fiſtulas, quas numeroſas atque perplexas habebat. Unus inter multos ſinus fefellerat Medicos, qui niſi ferro aperiretur, curari non poterat. Innocentium viſitabant quotidie *Saturninus* Valentis Epiſcopus, Geloſius Presbyter, ac Diaconi Carthaginenſis Eccleſiæ, quos lachrymis rogavit: *Ut mane dignarentur eſſe præſentes ſuo funeri, potius quam dolori.* Illuxit dies qui metuebatur, ſed Medico tentante cicatricem, firmiſſima reperitur. Solis & Innocentii, & amicorum precibus remedium vulneri comparatum eſt. Reverſus Tagaſtem cum Alipio, Evodioque Auguſtinus, quod prius in mente habuerat, conſilium mandat executioni, ut in communi vita cum amicis ſe collocaret. Petito rure, ibi totum triennium permanſere. Quis fuerit vitæ modus, docet Poſſidius: *A ſe jam alienatis curis ſecularibus, cum iis qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, boniſque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte.* Quo tempore libros confecit duos de Geneſi contra Manichæos; abſolvit libros de Muſica, addidit Commentarium de vera Religione.

Poſſ. Vit. Aug. c. 3.

Anno Dom. 390.

ANNO U. C. 1143. PER. JUL. 5103. JUL. 435. DOM. 390. VALENTIN. 15. & 16. THEODOS. 12. ARCAD. 7. *Sol.* 7. F. *Lun.* 11. *Indict.* 3. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 2. P. 22. *April.*

COSS. *Valentinianus Aug.* XV. *& Neoterius.*

Prodigia.

I. PRodigio annus inſignis fuit cùm Româ Theodoſius diſceſſurus erat. Sidus novum mediâ nocte juxta Luciferum apparuit in Zodiaco, ad quod concurſus Aſtrorum undique factus eſt: *Exinde veluti mutuâ colliſione cogente, omnium Aſtrorum lux in unam flammam commixta effulſit, & ancipitis gladii magni & terribilis figuram expreſſit.* Sideris motus ab illo Aſtrorum longè diverſus fuit. Oriebatur & occidebat unà cum Lucifero. Poſteà verò paulatim recedens ad Septentrionem aſcendebat. Communem autem circuitionem eandem habuit, quam reliquæ ſtellæ quas ambulabat. Cæterùm cùm proprium curſum XL. dierum ſpatio compleviſſet, in mediam Majorem Urſam ſe conjecit, & in ipſo ejus meditullio poſtremum viſum, ibidem extinctum eſt. Eodem tempore viſa ſunt duo humana corpora à monſtris vix diverſa. Syrus ſtaturâ erat quinque cubitorum, adjecto inſuper palmo. Nomen huic erat Antonio. Ægyptius verò in tantam contractus erat brevitatem, ut incluſas in caveis perdicea non invenuſtè imitaretur, utque perdices cum illo ad rixam uſque colluderent. Inerat ei prudentia, brevitate corporis nullatenus imminuta.

Philoſtorg. l. x. 9.

Philoſtorg. l. x. c. 11.

II. Magnarum virtutum Princeps erat Theodoſius, ſed ſanguinis impetu nonnunquam proclivior in iracundiam. Quæ cauſa fuit horrendæ ſtragis apud Theſſalonicam editæ. Ea quia tamen tantam pietatis oſtendendæ materiam optimus ille Imperator invenit, ut illuſtrandæ manſuetudini, religioni, humilitati, cæteriſque virtutibus Chriſtiano dignis comparata eſſe videretur. *Butherici* per Illyricum Militum Magiſtri pincernam auriga quidam de ſtupro ſollicitaverat, ob idque comprehenſus in cuſtodia detinebatur. Cùm nobile equorum certamen in Circo edendum eſſet, Theſſalonicenſes poſtulant aurigam liberari, ad ejuſmodi certamina neceſſarium. Quod cùm fruſtrà flagitaſſent, graviſſimâ demum ſeditione commotâ, *Buthericum* interficiunt. Ex Magiſtratibus nonnulli & ſaxis obruuntur, & per vicos trahuntur. Graviſſima hæc Imperatoris injuria fuit, cui placando totis viribus eſt ab Epiſcopis allaboratum. Neque fruſtrà omninò, ut videbatur. Theſſalonicenſium graviſſimo ſceleri *jam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam.* Præcipuè Ambroſio ſpectatæ virtutis Præſuli, quem chariſſimum habebat, civibus veniam ſe daturum pollicitus fuerat: *Sed agentibus Comitibus occultè cum Imperatore, ignorante Sacerdote, uſque in horam tertiam gladio civitas eſt donata.* In puniendo quidem ſatis modi non eſt conſtitutum, ut geminam in ea re noxam Theodoſius contraxerit; quòd & promiſſa non impleverit, & furori immoderato dederit habenas. Quo contigit innocentes morti complures mitti. Peregrini qui recèns Theſſalonicam appulerant, præter expectationem comprehenduntur: urbs ſanguine repletur. Inter triſtia quæ contigere, penè lachrymas excutit mercatoris caſus, qui pro duobus filiis ſemetipſum offerens, ſanguine ſuo ipſorum vitam redimi flagitabat. Illi calamitatem hominis miſerati, pro altero ex filiis, quem vellet, preces admittunt. Verùm pater cùm ambos aſpiceret, flens & gemens, anceps animi quoad interficerentur permanſit. Famulus quidem frugi pro Domino ſuo, qui tum ad mortem deducebatur, libenti animo occiditur. Septem hominum millia interfecta eſſe dicuntur, nullo prius habito judicio, nec ſceleris autoribus condemnatis. Porrò ſtrages hæc debellato jam *Eugenio* non contigit, ut Sozomeno placuit. Eſt profectò cum præſente anno copulanda, quo menſes octo Mediolani in pœnitentia Theodoſius tranſegit, ad uſque Natale Dominicum, quod neque anno ſuperiori, quo ad triumphandum Idibus Jun. Romam profectus eſt; neque anno CCCLXXXVII. aptari poteſt, quo ob temporis anguſtias octimeſtris pœnitentiæ munere fungi non potuit, non ante v. Cal. Auguſti debellato Maximo.

Anno Dom. 390.

Strages Theſſalonicenſis.

Aug. de Civ. l. 5. c. 26.

Paul. Vit. Ambr.

Sozom. l. 7. c. 25.

Theodor. l. 5. c. 17.

III. Cognitâ Theſſalonicenſium clade, Ambroſius ſolitâ animi conſtantiâ gravitateque Principi ſcribit: *Factum eſt in urbe Theſſalonicenſium, quod nulla memoria habet, quod revocare non potui, ne fieret, imò quod ante atrociſſimum fore dixi, cùm toties rogarem. . . Quando primùm auditum eſt, cum propter adventum Gallorum Epiſcoporum Synodus convenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat factis tui abſolutio in Ambroſii communione.* Exemplis & rationibus pòſt ubi ad pœnitentiam Theodoſium hortatus eſt, ſic Epiſtolam abſolvit: *Amo, diligo, orationibus proſequor, ſi credis, ſequere; ſi,* in-

Theodoſii pœnitentia.

Ambr. Ep. 18.

injuriam, credis, agnoſce quod dico; ſi non credis, ignoſce quod facio, in quo Deum præfero. His punctus aculeis Theodoſius, in dolorem incidit. Graviſſimi facinoris conſcientiâ opprimebatur, verſabatur ante oculos ſanguis innocentium, quorum minaces umbræ flagra quatiebant. Ab Eccleſiæ ingreſſu aliquandiu abſtinet, non ſuſcepto tamen pœnitentiæ publicæ jugo, quam Imperatori non decere arbitrabatur. Mediolanum ingreſſo, ac more ſolito ad Eccleſiam venienti Ambroſius obviam proceſſit extra veſtibulum, & à ſacri liminis ingreſſu eum prohibet: monet ſplendore purpuræ non decipi, cùm hominibus ſimilis naturæ, imò conſervis imperarет. Addit: *Quomodò Sacroſanctum Domini corpus ejuſmodi manibus excepturus es, injuſte cæſorum ſanguine adhuc ſtillantes? Quomodo pretioſum ſanguinem admoturus es ori tuo, qui verbo furoris tui tot hominum ſanguinem injuſtè effudiſti? Abſcede igitur, nec poſterioribus factis prius peccatum augere velis. Accipe vinculum, quod Deus omnium Dominus ſurſum ſuffragio ſuo comprobat.* His obtemperans Imperator, flens revertitur in palatium. Octo menſes effluxere, quos ad uſque natale Dominicum in luctu tranſigebat. Quod cùm animadvertiſſet Rufinus Magiſter Officiorum, à Principe doloris cauſam quærit. Sciſcitanti acerbius ingemiſcens, reſpondet: *Tu, Rufine, ludis, mea quippe mala minimè ſentis. Ego verò gemo ac doleo meam conſiderans calamitatem: ſiquidem ſervis & mendicis patet Eccleſia Dei, in quam liberè ingrediuntur, & Domino ſuo ſupplicant. Mihi verò & Eccleſiæ aditus interdictus eſt, & præterea clauſæ ſunt Cæli fores. Tum Rufinus, Curram, inquit, ſi tibi placet, & exorabo Antiſtitem, ut vincula tua ſolvat. Cui Imperator, Non perſuadebis Ambroſio, novi æquitatem ſententiæ illius. Nunquam ille Imperialem reveritus poteſtatem, Dei Legem violaturus eſt.* Quæ *divina* Lex ea eſt, quam perfringere Ambroſius noluit? Lex eſt *Eccleſiæ*, inquit Baronius, ut *nonniſi propè Paſchale tempus publici pœnitentes ab Epiſcopo reconciliarentur* Deo. Vel Lex illa, *quâ cavetur, ne voluntarius homicida niſi in fine vitæ communicet.* Quæ illuſtriſſimi Purpurati explicatio falſa eſt, vel judice Valeſio. Quas laudat Leges Baronius, illæ humanæ ſunt, non *divinæ*: ab Epiſcopis, non à Chriſto ſancitæ: novellæ, non antiquæ, utpotè poſt extinctos Apoſtolos conſcriptæ, à quorum & diſciplina diſſident. Divinis quidem oraculis non eſt conſtitutum, ut homicidæ nonniſi abeunte vitâ reconcilientur Eccleſiæ, aut pœnitentes nonniſi Paſchate vinculis excommunicationis liberentur. Divinam ergo Legem vocat Theodoſius, quæ publicis peccatoribus, quorum crimen Eccleſiæ offenſioni fuit, publicam pœnitentiam imponit.

Theodorit. l. 5. c. 18.

Bar. An. 390. n. 23.

Error Baronii.

Theodoſius abſolvitur. Quâ conditione?

IV. Inſtantem Rufinum, qui ſe Ambroſio perſuaſurum pollicebatur, Imperator abire jubet, nec multò pòſt ſpe blandiente ſubſequitur. At ſimulatque Rufinum Ambroſius vidit: *Canum*, inquit, *impudentiam imitaris, Rufine. Nam cùm tantæ cædis ſuaſor extiteris, pudorem è fronte excuſſiſti, neque formidas, tùm adverſus imaginem Dei tantâ rabie ſævieris.* Supplicanti Rufino, nunciantique Imperatorem brevi ad futurum Ambroſius dicit: *Se illum ab ingreſſu ſacri veſtibuli repulſurum, aut ſi imperium in tyrannidem vertat, libenti animo ſanguinem daturum.* Miſſo igitur nuncio Rufinus Theodoſio ſuadet, intra palatium remanere. Quæ cùm in medio foro didiciſſet, *Ibo*, inquit, *& juſtas patiar contumelias.* Ut ad Eccleſiæ ſepta pervenit, in ipſam quidem Baſilicam non ingreditur, ſed ad Ambroſium in ſalutatorio ſedentem accedit, quem rogat vincula ſua ſolvere. Objicienti Epiſcopo hujuſmodi adventum tyrannicum eſſe, Legeſque Dei calcare, reſpondet Imperator: *Non contra fas ingredi cupio ſacra veſtibula, ſed à te peto, ut vinculis me abſolvas, nec mihi januam occludas, quam reſipiſcentibus omnibus Dominus aperuit.* Ad hæc Ambroſius: *Cujuſmodi medicamentis vulnera tua curaſti?* Hic Imperator: *Tuum eſt, medicamenta oſtendere, mei verò officii oblata ſuſcipere.* Tum Ambroſius: *Scribe Legem, quæ furoris ſententias irritas reddat, & triginta dierum ſpatio maneant ſcripta ſententia, de cæde ac bonorum proſcriptione rationis judicium expectantes. At tum ſedato æſtu iracundiæ, ratio per ſe ipſa judicium exercens examinabit ea, quæ decreta ſunt, diſpicietque, utrùm juſta ſint, an injuſta.* Si injuſte, diſcerpet; ſin juſta, confirmabit. Utilem conſcribi Legem cùm ſubinde Princeps juſſiſſet, ejus tandem vincula relaxantur. Tum Templum ingreſſus, non ſtans aut genibus flexis, ſed humi jacens, hanc vocem emittit: *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.* Denique manibus comam vellens, frontemque percutiens, & lachrymarum manantibus guttis ſolum rigans, veniam ſibi dari poſcebat. Cùm dona ſacræ menſæ offerenda eſſent, ad altare progreditur. Ubi obtulit, intus de more ſuo ad cancellos ſubſtitit. Quærenti Ambroſio, Quid vellet, reſpondit, Expectare ſe ſacrorum myſteriorum perceptionem. Cui per Archidiaconum Ambroſius ſignificavit, ſacrarium ſolis Sacerdotibus patere, purpuram Imperatores facere, non Sacerdotes: abſcederet ergo, ut cum Laicis conſiſteret. Hîc non ſuperbiâ animi ſe intra cancellos ſubſtitiſſe teſtatur, ſed quia Conſtantinopoli id moris ſibi fuit. Pro hac admonitione ſe Præſuli gratias agere. Quam reverſus Conſtantinopolim regulam & obſervare voluit. Feſto quippe die oblatis ad ſacram menſam muneribus ſuis, ſtatim abſceſſit. Roganti Nectario, Cur non remanſiſſet, ſuſpirans reſpondit: *Vix tandem edoctus ſum, quid eſſet diſcriminis Sacerdotem inter & Principem. Veritatis Magiſtrum vix tandem inveni.* De Theodoſii pœnitentia hiſtoria hæc eſt, in qua quem nos magis laudemus, Principem an Epiſcopum, non ſatis certò ſcimus: illum ob ſubmiſſam cum humilitate obedientiam, hunc ob conſtantiam ac amorem, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ pertinacem. Nunquam ita magnificè quidquam dicemus, id utriuſque virtus quin ſuperet ſua. Utrumque ergo admirabimur: ac eò magis, quòd rariſſimi ſint & Epiſcopi, qui potentiæ regiæ ſecuri, ad æqui normam ſeque ſuamque diſciplinam dirigant; & Principes, qui majeſtatis ſuæ immemores, Paſtoribus Eccleſiæ juſta præcipientibus morem gerant.

Theodorit. l. 5. c. 18.

De Theodoriti narratione circa abſolutionem Theodoſii dubia quædam.

V. Hîc porro ſcrupuli exoriuntur nonnulli, qui evelli debent. Ac primùm quòd ſacrario pulſus ſit Theodoſius Ambroſio præcipiente, aliquid difficultatis habet. Rem ſanè memoratu digniſſimam Paulinus ſilentio præterit. Sed & ex Theodoriti narratione conſequitur, Theodoſium Mediolani ad ſacram menſam non prius acceſſiſſe, quàm vinculis ſolveretur. Secus conſuetudinis hujus Eccleſiæ gnarus, intus ad cancellos poſt abſolutionem non ſubſtitiſſet percipiendo ſacramento. Eſt autem creditu difficile,

tum

tum primùm Mediolani, ubi pluribus anno ſuperiore menſibus moratus fuerat, corpus Dominicum participaſſe. Eſt itaque vero ſimilior narratio Sozomeni: *Moris erat, ut Imperatores intra conſepta altaris in Eccleſia conſiſterent, honoris cauſâ à populi multitudine ſeparati. Quod ex aſſentatione, vel ex diſciplina corruptione profectum eſſe Ambroſius animadvertens, locum Imperatori in Eccleſia aſſignavit, ante cancellos altaris: ita ut Imperator quidem plebem, ipſum verò Imperatorem Sacerdotes in Eccleſia præcederent.*

Sozom. l. 7. c. 25.

Itaque ſacrario Theodoſium pepuliſſe non videtur, ſed ipſi locum ante cancellos conſtituiſſe. Affert & difficultatem Lex, Ambroſio conſulente à Theodoſio promulgata, ne quis cæde, vel bonorum proſcriptione plecteretur, niſi diebus triginta poſt latam ſententiam. Quippe jam extabat Lex Gratiani ante octennium Veronæ promulgata: *Si vindicari in aliquos ſeverius contra noſtram conſuetudinem pro cauſa intuitu juſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſanè excipiat vinciatque cuſtodia, & excubiis ſolertibus vigilanter obſervet. Datum* XV. *Kal. Sept. Verona Antonio & Syagrio Coſſ. an.* 382.

Cod. Juſtin. l. 9. Tit. 47. l. 20.

Non igitur Lege condendâ opus erat, ſed vetere obſervandâ. Abſit tamen ut falſum putemus, quòd Legem ejuſmodi poſt ſtragem Theſſalonicenſem Theodoſius conſcripſerit autore Ambroſio. Id ſummâ conſpiratione Hiſtorici teſtantur, magnaque in ea re Rufini coætanei autoritas eſſe debet: *Lege ſanxit in poſterum, ut ſententia Principum ſuper animadverſione prolata, in diem triceſimum ab executoribus differrentur, quo locus miſericordiæ, vel ſi res tuliſſet, pœnitentia non periret.*

Ruf. l. 2. c. 18.

Solvit difficultatem Baronius, dicendo in gratiam Theodoſii titulum Legis eſſe mutatum, ut facinus occultaretur: Exiſtimamus, inquit, *ſtudio perpetratum ab aliquo, qui indignè ferret, ea ſuo loco, & tempore atque titulo poſita legi, quibus Theodoſii immane facinus decantaretur.*

Bar. An. 390. n. 26.

Quaſi verò eâ ratione mortalium memoriæ facinus eximi potuiſſet. Eſt ergo Valeſiana ſolutio Baronianæ anteponenda. Hanc ſcilicet Legem primùm quidem latam fuiſſe à Gratiano, Antonio & Syagrio Coſſ. poſteà verò occaſione cædis Theſſalonicenſium renovatam à Theodoſio: priorem tamen titulum Legis ſemper remanſiſſe, qui Gratiani nomen præferebat. Gothofridus in ſuo ad hanc Legem Commentario exiſtimat Gratiani nomen expungendum, ut Theodoſio Reſcriptum vindicetur, qui poſt devictum Maximum agens in Italia, imperium adminiſtrabat. Quocircà Flaviano Præf. Præt. *Illyrici & Italiæ* Lex ea dirigitur. Hinc colligit, Theſſalonicenſem cædem anno 389. contigiſſe. Ea tamen Chronologia minus accurata videtur. Cùm enim Natali feſto Eccleſiæ Theodoſius reconciliatus fuerit, expectaſſetne ad uſque Auguſti XVIII. anni 390. ad ferendam Legem, quæ promiſſam veniam ab Ambroſio impetrarat? Itaque in ſubſcriptione mendum eſſe videtur. Cæterùm in explicanda Lege bis errantem non immeritò Gothofridus Baronium vexat. Data Lex dicitur XV. *Kalend. Septemb.* non ut Baronius ſcripſit, *menſe Septembri*. Putat etiam Theodoſianæ ſubſcriptioni temerè ab Aniano inſcriptionem & ſubſcriptionem additam videri; quem errorem Tribonianus poſteà ſecutus fuerit. In quo ſanè poſtremo fallitur Baronius: *Nam neque Aniani Codicem unquam vidit Tribonianus, & integrum Codicem Theodoſianum præ manibus eum habuiſſe manifeſtiſſimum eſt.*

Cod. Th. de Pœn. Tit. 40. 306.

VI. Antè quàm à Theodoſio abeamus, celeberrimæ legis, quam *Tatiano* XI. Cal. Jul. promulgandam dedit, agitanda mentio eſt: *Fœminæ, quæ crinem ſuum contra divinas humanaſque Leges inſtinctu perſuaſæ profeſſionis abſciderint, ab Eccleſiæ foribus arceantur. Non illis fas ſit ſacra adire myſteria, neque ullis ſupplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare. Adeò quidem ut Epiſcopus tonſo capite fœminam ſi introire permiſerit, dejectus loco etiam ipſe cum hujuſmodi contuberniis arceatur.*

Lex Theodoſii de raſura mulierum.

Cod. Th. l. 6. 60.

Non immeritò id ſeveritatis in tonſas fœminas Theodoſius adhibet, cùm ſuperſtitione ſuâ honeſtati, naturæque inferrent injuriam. Expreſſa ſunt verba Apoſtoli, *Quòd ſi turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.*

1 Cor. 11. 6.

Neque ante Euſtathium à Gangrenſi Concilio damnatum mulier aliqua in tondendis capillis religionem collocarat. Tum ſuadente Novatore pars pietatis aliqua viſa eſt crinium hæc amputatio, quaſi vel naturalis ornamenti contemptus, atque relegatio. Cui perverſæ opinioni Gangrenſes interceſſere edito Canone: *Si mulier propter divinum cultum, ut æſtimat, crines attondeat, quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit, tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ, anathema ſit.*

Gangr. c. 17.

Non tamen Gangrenſium ſcitis virium ſatis fuit, ut abuſus tolleretur, ſive quòd paucis forſan innoteſcerent, ſive quòd novitatis amor Eccleſiæ Leges deprimeret. Ægyptiis quidem mulieribus, quæ Deo ſeſe vovebant, in more fuit, capillos abjicere, non ſine tamen ſpecie neceſſitatis aliqua. Quod nos docuit Hieronymus in ſua ad Sabinianum Diaconum Epiſtola: *Moris eſt in Ægypti, & Syriæ Monaſteriis, ut tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſeculo renunciantes omnes delicias ſeculi conculcarint, crinem Monaſteriorum Matribus offerant deſecandum. . . Hoc autem duplicem ob cauſam de conſuetudine verſum eſt in naturam, vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur.*

Hier. Ep. 48.

Hanc capillitii mulieribus remotionem ſeveriſſimè prohibet Imperator, ut gliſcenti extra modum ſuperſtitioni obviam iret. Quòd ſi Theodoſii, & Gangrenſium Patrum in mentes penetraſſet Baronius, non ſibi induxiſſet in animum, quarto ſeculo Diaconiſſas capite *raſo* miniſterium peregiſſe ſuum. Prohibitamque à Theodoſio capillorum abſciſſionem, ne juniores viduæ eo ritu Diaconiſſarum ſe numero inſertum irent. Quod à mente Legis prorſus alienum eſt, quæ in omnibus ſanè fœminis capitis raſuram vetat, quæ fit *inſtinctu perſuaſæ profeſſionis*. Obſervabilia ſunt verba Legis, quæ hodiernas Latinorum Sanctimoniales feriunt: *At non modò* Epiſcopus, *ſi fieri ſuaſerit, verùm etiam ſi hoc ab aliquibus exigi factum denique eſſe quâcunque ratione comperèrit, nihil ſibi intelligat opituleri.* Non igitur ſolæ illæ perſtringuntur mulieres, quæ ſponte ſuâ ſibi crines amputabant, ut Diaconiſſæ munus ambirent; ſed & illas, quæ vel ſuadente Præſule, vel à Monaſteriorum Matribus tonſæ capillos abjecerant. Quantum mutati ritus? Pœnas nunc daret Epiſcopus, qui in tonſas ad profitendam in Monaſterio Religionem virgines admitteret. Ad Synodum, quæ Mediolani celebratur, nunc accedamus.

Anno Dom. 390.

Mediolanenſis Synodus. Damnat Jovinianum.

VII. Synodi hujus meminit Ambroſius in ſua de cæde Theſſalonicenſium ad Theodoſium Epiſtola. Qua de cauſa Concilium congregatum fuerit, paucis eſt aperiendum. *Jovinianus* Mediolano, ubi ſub nomine viri pii, & habitu Monachi delituerat, ejectus, Romam ſe contulerat: pluresque & voce, & ſcriptis in errorem impulerat. Quid docuerit, eſt ſuo loco declaratum. Ut error innotuit Pammachio, non minus pietate, quàm Senatoriâ dignitate claro, ipſum Siricio Pontifici Rom. detulit, qui coacto Presbyterio *Jovinianum* damnat. Quod Eccleſiæ Mediolanenſi notificat, miſſâ per tres Presbyteros Epiſtolâ: *Nos ſanè nuptias non aſpernanter accipimus, quibus velamine interſumus. Sed virgines quas nuptiæ creant, Deo devotas, majore honorificentiâ veneramur. Facto ergo Presbyterio, conſtitit doctrina noſtra, id eſt, Chriſtianæ Legi eſſe contraria. Unde Apoſtolicum ſecuti præceptum, quia aliter quàm quod accipimus, annuntiabant, omnium noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam factam conſtat eſſe ſententiam, ut Jovinianus Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus, qui incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divinâ ſententiâ, & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent. Quod cuſtodituram ſanctitatem veſtram non ambigens, hæc ſcripta direxi, per fratres & Compresbyteros meos, Creſcentem, Leopardum & Alexandrum, qui religioſum efficium fidei poſſint Spiritu adimplere ferventes.* Acceptâ Epiſtolâ, quæ anni ſub initia eſt exarata, Mediolani Concilium cogitur, cui ex Gallis Epiſcopi interfuere nonnulli. Extant adhùc Præſulum quorumdam nomina, qui Epiſtolæ Synodicæ ſubſcripſere; *Eventius* Cenetenſis, *Maximus* Emonenſis, *Felix* Jadrenſis, *Baſſianus* Laudenſis, *Theodorus* Octodurenſis, *Conſtantius* Arauſianus, *Sabinus* Placentinus, *Euſtaſius*, *Geminianus*, *Aper* Presbyter, aliique complures. Synodo Præſes erat Ambroſius. Statuunt verò, *Jure laudari bonam uxorem, ſed melius piam virginem præferri.* Mariam & Virginem concepiſſe, & Virginem peperiſſe. Siricium monent, Manichæos omnium execratione damnatos eſſe. Denique ſubjungunt: *Quos tua Sanctitas damnavit, ſcias apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos. Incolumem te, & florentiſſimum Deus noſter tueatur omnipotens, Domine dilectiſſime frater.* Joviniani *Commentariolos* hoc anno confutavit & Hieronymus, duobus libris qui adhùc extant, in quibus propenſior in virginitatem, quàm decuit; durior ſanè in matrimonium meritò viſus eſt. Non ſatis quidem pietatis huic argumento ineſſe, illi fatebuntur, qui omnia poſtpoſuere veritati: *Si bonum eſt mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere, nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum; ſi autem malum eſt, & ignoſcitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat.* Non Eccleſiæ cenſuris, ſed Reſcriptis quoque Principum Jovinianus damnatus eſt, anno CCCXII. *Jovinianum ſacrilegos agere conventus extra muros urbis ſacratiſſimæ, Epiſcoporum querela deplorat. Quare ſuprà memoratum corripi præcipimus, & contuſum plumbo cum cæteris ſuis participibus, & miniſtris exilio coërceri, ipſum autem machinatorem in Inſulam Boam feſtinâ celeritate deduci; cæteris prout libuerit, dummodo ſuperſtitioſa conjuratio exilii ipſius diſcretione ſolvatur, ſolitariis, & longo ſpatio inter ſe poſitis inſulis in perpetuum deportatis. Si qui autem pertinaci improbitate vetita & damnata repetiverit, ſciat ſe auſteriorem ſententiam ſubiturum. Datum pridie Nonas Martis Mediolani Honorio II. & Theodoſio V. AA. Coſſ.* Boa, quam ſemper numero plurali *Boa* Marcellinus vocat, miſerorum id temporis ſedes fuit. De Florentio Marcellinus: *Contruſus eſt in Inſulam Dalmatiæ Boas.* Ad *Boas* quoque Hymetium relegatum eſſe, eodem Autore novimus.

Lab. Concil. t. 2. 1024.

Hier. adv. Jov. l. 1. c. 4.

Marcellin. l. 22. c. 3.

Marcell. l. 28. c. 1.

Carthaginenſis Synodus ſecunda: ejus Canones.

VIII. Non patitur nos Joviniani rebus diutius inſiſtere Synodus Carthaginenſis ſecunda, quæ hoc anno celebrata eſt, etſi Baronio Binioque aliter viſum, qui immani errore anno CCCCXXV. illam aſſignant, triginta quinque annorum metachroniſmo. Quibus vulgatæ editionis titulus fraudem fecit: *Glorioſiſſimo Imperatore Valentiniano Auguſto IV. & Theodoſio viris clariſſ. Coſſ.* Atqui ſi accuratè titulum meditamur, ſubitò ſubjiciet ſe mentibus corruptio. Quippe anno CCCCXXV. proceſſere Coſſ. *Theodoſius Aug. XI. & Valentinianus Cæſar.* Quem Conſulatum ſi titulus Synodi indicaſſet, neque Valentinianus præpoſitus eſſet Theodoſio, neque nota numeralis IV. addita fuiſſet, cùm eo tempore primum Conſulatum Valentinianus inierit, neque Theodoſius notarum expers eſſet, quibus ſæpius geſti ab eo Conſulatus deſignarentur. Germanus ergo titulus ſic habet: *Glorioſiſſimo Imperatore Valentiniano Aug. IV. & Neoterio viris clariſſ. Coſſ. IV. Kal. Julias Carthagine in Baſilica Perpetuæ reſtituta, cùm Genethlius Epiſcopus unà cum Victore Abderitano, & alio Victore Puppianenſi, & cæteris Coëpiſcopis ſuis, Provinciarum diverſarum conſediſſet.* Qui titulus egregiè nos inſtruit de tempore Synodi. Expungenda quoque vox eſt *Aurelius*, qui nondum ad Epiſcopatum aſcenderat. Canones XIII. ab eo Concilio ſunt editi. I. Genethlius Epiſcopus hortatur, ſanctiſſimam & tenere, & prædicare Trinitatem; quod omnibus placuit. II. *Epigonio* Epiſcopo Bullenſium Regiorum, & Genethlio inſtantibus ſtatuitur. *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant.* III. Suggerente Numidio Epiſcopo Maxulitano ſancitur, ne *Chriſmatis confectio & puellarum conſecratio à Presbyteris fiant*, neque quemquam in Publica Miſſa reconcilient. IV. Presbyter pœnitentem juſſus à ſuo Epiſcopo reconciliare poteſt. V. Proponente Felice Epiſcopo Selemſelitano edicitur, ut Diœceſis, quæ Epiſcopum nunquam habuit, non habeat; quòd *ſi populus multiplicatus deſideret proprium habere Rectorem*, ejus voluntate, in cujus poteſtate eſt Diœceſis conſtituta, habeat Epiſcopum. VI. Numidio Maxulitano conſulente decernitur, ne qui criminibus implicantur, Clericos accuſent. VII. Felice Selemſelitano ſuggerente, qui excommunicatum alterius ſuſceperit, Epiſcopus vel Presbyter excommunicatur. VIII. Subjungente illo ipſo Felice Presbyter excommunicatus, qui ſacrificare præſumit, anathematizatur. IX. Proponente Numidio Presbyter, qui inconſulto Epiſcopo agenda celebraverit, honore privatur. X. Epiſcopus accuſatus, cui non eſt facultas plurimos congregare Antiſtites, à duodecim Epiſcopis, à ſex Presbyteris, & à tribus Diaconis cum ſuo Epiſcopo audiri jubetur. XI. Victore Abziritano monente, ut nullius alienam Provinciam uſurpet, id Patribus placuit. XII. Numidio ſuggerente ſancitur, ne inconſulto

Me-

Metropolitano Epiſcopus ordinetur. XIII. Genethlio inſtante Epiſcopus, qui contra ſuam vel profeſſionem, vel ſubſcriptionem in Concilio habitam venerit, deponitur. Objicit Baronius, Chronologiam ut tueatur ſuam, *Alipium Tagaſtenſem*, qui c. 8. nominatur, anno duntaxat CCCXCIV. creatum Epiſcopum eſſe. Addit, Genedio, qui Concilio præfuit, *Aurelium ſenem Epiſcopatum ceſſiſſe*. Ex quo conficit, inter Carthaginenſia extantia Concilium, quod dicitur ſecundum, verè poſtremum eſſe circa tempora Cæleſtini. Argumenta tamen hæc omnia ſunt nihili. Falſum, Genethlium, quem Geoedium vocat, Aurelio ſucceſſiſſe, cui certè certòque deceſſit. Falſum, in emendationibus exemplaribus mentionem eſſe *Alipii* Epiſcopi. Falſum, Aurelium ea propoſuiſſe, quæ leguntur Canone ſecundo. Loco Aurelii, qui nondum ad Epiſcopatum promotus fuerat, legendum *Epigonius*. In corrupta editione fundamenta Baronii omnia collocantur. Nos, qui felicioribus avibus uſi, in correctiores editiones incidimus, ingenti errore noſtros liberamus Annales.

Bar. An. 397. n. 44.

Gregorii Naz. obitus. De ejus ætate, annoque emortuali.

IX. Rebus Occidentis ea, quæ Orientali in Eccleſia obſervatu digniora ſunt, nunc adjicimus. Arianzi Gregorius Naz. languenti corpore, ſed animo vegeto, quantum eniti potuit, errores evellebat. Dum in præclaro hoc officio occupatur, à Monachis, qua de cauſa, quove tempore neſcimus, id tantùm ſcimus, à pauperibus Monachiſque graviſſimo fuiſſe periculo ſubjectum, uti *Theodorum* Tyanenſem monuit: *Gravia ſunt*, inquit, *quæ contigerunt: nimirum & contumeliam altaribus illatam eſſe, & conturbata myſteria, & nos inter ſacra, quibus opera dabatur, & eos qui ſaxis nos appetebant, interjectos, adverſus lapidum jactus medicinam à precibus petiiſſe, virginum pudorem in oblivionem veniſſe, Monachorum modeſtiam, pauperum calamitatem, quos animorum auſteritas miſericordiâ quoque privaverat.* Illatas viro ſancto contumelias graviter Theodorus moleſtèque ferebat. Injuriæ tamen magnitudinem vicit Gregorii patientia: cui perſuaſum erat, non tam orationem movere, quàm actionem, *quæ taciti cujuſdam monitoris inſtar eſt*: ac magnum quidem eſſe de lædentibus pœnas ſumere, at multò majus & divinius acceptam injuriam tolerare. Quo anno optimus ille Præſul ad fata venerit, præciſè definire mortalium viribus nimis eſt arduum. De ipſius ætate hæc Suidas habet: *Cùm ad nonageſimum annum & ulterius progreſſus fuiſſet, decimo tertio Theodoſii Imperatoris anno ex vita excedit.* Quæ vel ſi vera concedantur, ſupremus Nazianzeni annus necdum innoteſcit, cùm Theodoſii decimus tertius duobus Julianis inſideat. Incipit enim Januarii XIX. an. Dionyſiano CCCXCI. & Januarii XVIII. anno ſequente abſolvitur. Sive igitur hoc, ſive illo perierit, verum erit anno Theodoſii XIII. exceſſiſſe. Citius tamen mortem obiiſſe exiſtimamus, Autore Hieronymo, qui Suidæ anteponi debet: *Gregorius*, inquit *Nazianzenus deceſſit ante hoc fermè triennium ſub Theodoſio Principe.* Ab anno Theodoſii XIV. ducendum eſt id *fermè triennii*, ab eo nimirum ſpatio, quod à Dionyſiani CCCXCII. Januarii XIX. ad uſque ſequentem extenditur. A Theodoſii verò XIV. ad uſque XIII. triennium numerari nequit. Non neſcimus, totis clar. Pagium nervis allaboraſſe, ut Suidam cum Hieronymo componat: *Hieronymus*, inquit, *librum* de Scriptoribus Eccleſiaſticis *anno* CCCXCIII. *quo Theodoſius die Januarii annum decimum quintum iniit, in lucem emiſit.* Subtile tamen hoc inventum reſpuit Hieronymus: *Hieronymus uſque in præſentem annum, id eſt, Theodoſii Principis decimum quartum hæc ſcripſi.* Quòd ſi anno CCCXCIII. poſt XVIII. Januarii librum Hieronymus edidit ſuum, Theodoſii quidem non *decimo quarto* ſcripſiſſet, ſed *decimo quinto*. Atqui non *decimo quinto* dixit Hieronymus, ſed *decimo quarto*, qui cùm Dionyſianum CCCXCII. penè totum complectatur, vero proximum eſt, Theodoſii decimum quartum fuiſſe ab Hieronymo deſignatum. Labente ergo Dom. CCCXII. librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis confecit: à quo ſi triennium retrò numeretur, in annum CCCXC. perveniemus, quo hominem exuiſſe Gregorium, nobis eſt veroſimile. Quanquam vox *fermè* ab Hieronymo adhibita ſtatum exploratumque annum certè certòque cognoſci prohibet. Porro de ætate Gregorii Theologi, quam ſecundum Suidam Pagius, aliique concedunt fuiſſe longiſſimam, mentem jam noſtram aperuimus. Equidem ſi nonagenarius & eò amplius obiiſſet, maturam hanc Præceptoris ſui ſenectutem obſervaſſet Hieronymus, qui Hilarionis, Antoniique notavit. Nec mirum, tot Nazianzeni annos à recentioribus Græcis fuiſſe numeratos, cùm ſibi in mentem induxerint, Gregorium Byzantii *annos duodecim* egiſſe, ut Gregorio Presbytero, & Pſeudo-Amphilochio placuit. Nos morbis, curis, jejuniiſque confectum, anno ætatis quinto & ſexageſimo ad plures abiiſſe exiſtimamus. Pietate, eloquentiâ, eruditione æternum ſibi nomen peperit. Cum Baſilio, Apollinare, Nazianzeno collatus Athanaſius puer exiſtimabatur, Judice Philoſtorgio: *Gregorii autem cum utroque comparati oratio, ſublimiorem in ipſa ſcriptione gradum obtinebat. Nam & Apollinarem uberiore dicendi genere ſuperabat, & Baſilio gravior erat.* Secutus eſt Polemonem dicendi charactere. Tanti fiebat ejus eruditio, & pietas, ut penè pro fidei regula haberetur, teſte Rufino: *Manifeſtum namque indicium eſt, non eſſe rectæ fidei omnem, qui in fide Gregorio non concordat.* Exemplo Gregorii contemptum Paſtores ſolentur ſuum, qui in adminiſtrandis Eccleſiis viris ſe inferioribus poſthabentur: cùm laborum virtutiſque ſuæ præmium excellentiſſimus ille Præſul id conſecutus ſit, ut Conſtantinopolitanâ ſede penè repelleretur, & longè ignobiliores prælati viro fuerint, qui ob & virtutem, & vitæ ſplendorem omnibus longè antecellebat.

Nazian. Ep. 81. p. 839.

Pag. Crit. an. 389. n. 4.

Nùm Gregorii Naz. Teſtamentum ſincerum?

X. Strictâ ſolutâque oratione Gregorius Scripta reliquit, quæ omnium in manibus verſantur. Sunt tamen ſpuria nonnulla, quæ ipſi aſcribi prohibet ratio veritatis. Oratio tertia & quinquageſima, cui titulus, Metaphraſis in Eccleſiaſten, Gregorii Thaumaturgi eſt, non Nazianzeni. Tragœdia Chriſtus patiens eſt potius Apollinaris. De Gregorii Teſtamento lis eſt, quod à Briſſonio primum editum, Jacobus Sirmondus Latinum ex Græco fecit. Ac operam contulit omnem Baronius, ut Nazianzeno vindicetur, cujus in ſententiam deſcendunt Nat. Alexander, Cavius, Du Pin, aliique eruditi. Nos verò aſſenſum ſuſtinere malumus, cùm pace *Cavii* ſint & multæ, & non inertes dubitandi cauſæ. Ac primum ſic ſtatuit Teſtamenti conditor: *Quæcunque ex B. fratris mei Cæſarii rebus in veſte ſerica, aut linea, aut lanea, aut buriſba-*

Anno Dom. 390.

buriobaliis ſuperſunt, hæc ad Alypiana liberos pertinere volo. Jam verò hæc maximè pugnant cum voluntate & *Cæſarii*, & *Nonnæ*, à qua bona Cæſarii omnia ſunt alendis pauperibus relicta. De Nonna Nazianzenus: *Omnes filii opes pro eo ſe in ſepulchrale munus daturam recepit.* De Cæſario verò: *Hæredes ipſe habebit, quos habere commodiſſimum eſt, & quos voluit, ut dives hinc migraret.* Hoc eſt, pauperes hæredes habebit, unde igitur Nazianzeno veſtes ſericæ, lineæ, laneæ, quas ex bonis Cæſarii habuiſſe dicitur? Interceſſitne vir pius, & matris chariſſimæ promiſſis, & dilecti fratris ultimæ voluntati? Hoc argumenti ſibi ſolvendum non propoſuere ſive Baronius, ſive N. Alexander. 2°. Gregorium cælibem vitam egiſſe, omnibus eſt in confeſſo. Qui potuit igitur in Teſtamento ſuo & *Alypianam θυγατέρα, filiam* memoraſſe, & *Meletium γαμβρόν, generum?* Reſpondent, Nazianzenum neptes ex Gorgonia ſorore *filias* dixiſſe, Meletium verò Nonnæ virum, generum eſſe vocatum. Valeat quidem ſolutio, ſi genuinam verborum ſignificationem corrumpere liceat, ut ex ſorore neptes *filiæ* dicantur, & ipſarum mariti *generorum* nomine afficiantur. Sed ſermonis tam inſolentis non putamus extare exemplum ullum. Ac in Teſtamento quidem, in quo adhibentur non inſolita vocabula, ſed maximè propria: duriſſimum ſanè eſt, ex ſorore neptes filias vocari, quæ nec naturâ ſunt, nec adoptione natæ. 3°. Anno CCCLXXXI. ſtante adhuc Oecumenicâ Synodo Conſtantinopolitanâ, Gregorius Pontificatu abiit, uti ſuo loco demonſtratum. Eſt igitur extra modum abſonum, poſt ſolutam Synodum, Nectariumque Epiſcopum creatum, Nazianzenum Conſtantinopolitani Epiſcopi titulum aſſumpſiſſe: *Gregorius Epiſcopus Catholicæ Conſtantinopolis Eccleſiæ.* Quo momento valedictoriâ oratione pronuntiatâ abiit è Synodo, eo ſanè unà cum Epiſcopatu exuit titulum Conſtantinopolitani Præſulis, quod factum eſt ante ultimum Decembris, quo tempore Teſtamentum conditum dicitur: *Flavio Eucherio, & Flavio Evagrio, viris clar. Coſſ. pridie Cal. Januarias.* Jam vero Arianzi tunc verſabatur Gregorius, & Epiſcopatus Nectarii omnibus venerat in notitiam. Hoccine tempore Gregorius ſe Conſtantinopolis Epiſcopum ſcripſiſſet? Dictu facillimum eſt, *mendum irrepſiſſe in menſem:* at probatu difficillimum. Quod enim Baronius ſe in duos Codices MSS. incidiſſe teſtatur, *in quibus nomen menſis non erat aſcriptum*, id unum probat, mancos mutiloſque Codices illos fuiſſe, cùm in more perpetuo ſit poſitum, menſes in Teſtamentis conſignari.

Naz. Or. 10. 173.

Evagrius Ponticus. Ejus & vita & ſcripta.

Sozom. l. 6. c. 30.

XI. Narravit omnis ætas, & deinceps narrabit, *Evagrium* Ponticum illis temporibus florentem, quibus Nazianzenus mortem obiit. Cujus cùm diſcipulus fuerit, aptiſſimâ ſerie poſt injectam de Doctore mentionem, de auditore quoque commemorabimus: *Ortus hic fuit ex urbe Iberis, quæ ad Euxinum Pontum ſita eſt.* In Concilio quidem Chalcedonenſi inter Epiſcopos, qui ſubſcripſere, recenſetur *Uranius Iberenſis* Provinciæ Helenoponti. Hinc non ſpernenda Valeſio conjectura naſcitur, vitium in Hieronymum irrepſiſſe, ſcribentem Cteſiphonti, *Evagrius Ponticus Hyperborita* &c. Legendum potius *Hyborita*. Evagrium Gregorio Nazianzeno Ægyptum luſtranti comitem fuiſſe, perperàm Socrates prodit: neque fidem Sozomeno noſtram adjungimus; narranti, dum Conſtantinopolitanam Eccleſiam Nazianzenus adminiſtrat, *Evagrium Archidiaconum habuiſſe.* De Evagrio quippe longè certiora Palladius affert, ipſi amiciſſimus, ideòque magis audiendus: *Evagrius genere Ponticus, civitatis Iberorum, filius Presbyteri, Lector promotus à S. Baſilio Epiſcopo Cæſareæ ad Argæum.* Poſt mortem S. Baſilii Gregorius Nyſſenus gnarus virtutum Evagrii, eum Diaconum creat. Pòſt ubi anno CCCLXXXI. ad Conſtantinopolitanam Synodum venit, reliquit eum Nectorio. Cùm porro diſſerendi foret peritiſſimus, in regia urbe floruit, *in diſputationibus juveniliter exultans adverſus omnem hæreſim.* Itaque errantis Sozomeni veſtigia ſequi Baronius non debuit: *Erat*, inquit, *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus à Gregorio ordinatus Evagrius Ponticus.* Fuit quidem à Gregorio promotus ad Diaconatum: verùm non à *Nazianzeno*, ut falsò illuſtriſſimus Purpuratus ſibi in mentem induxit, ſed à *Nyſſeno*. Cùm autem vultu eſſet eleganti Evagrius, & exquiſito veſtium cultu uteretur, quidam ex Proceribus zelo percitus eum uxori familiarem eſſe intelligens, interficere molitur. Horrendâ verò viſione monitus periculum ſibi imminens effugit. Videbatur ſibi quaſi in ſcelere deprehenſus, manus & pedes ferro vinctos habere. Et cùm in judicium deducendus ac ſupplicio afficiendus eſſet, quidam ad eum accedens, ſacrum ei Evangeliorum Codicem demonſtrat, pollicitus, modò ex urbe egredi vellet, ſe illum vinculis liberaturum. Ille tactis Evangeliis, ita ſe facturum juravit, & ſolutus vinculis, confeſtim è ſomno excitatur. Cùm apud ſe ſtatuiſſet vitam monaſticam excolere anno circiter 386. conſcenſâ navi petit Hieroſolyma. Venientem ſuſcipit Melania. Hîc graviſſimum in morbum incidit, qui ſex menſibus languentem depaſcebatur. Quem ſic alloquitur Melania: *Promitte mihi, teſte Domino, te vitæ monaſticæ ſcopum eſſe ſecuturum, & ego orabo Deum, ut detur tibi tempus commeatus, & vitæ terminus.* Quæ cùm pollicitus fuiſſet, morbo recreatur. Ex illo tempore Melaniæ factus eſt amiciſſimus, teſte Hieronymo, qui quam ad cœlum uſque extulerat, nobilem fœminam perſtringit: *Evagrius Ponticus Hiberita, qui ſcribit ad eam, cujus nomen nigredinis, teſtatur perfidiæ tenebras.* Melaniæ periphraſis hæc eſt. Ut impleret promiſſa Evagrius, amictu monaſtico indutus proficiſcitur in montem *Nitriæ*, anno circiter CCCLXXXVII. Biennio cùm illud incoluiſſet, tertio ſolitudinem ingreditur. Itaque non accuratè Cavio ſcriptum, *In Nitrienſi quodam Monaſterio per quindecim annos delituit.* In interiori deſerto *vixit annos* XIV. *in cellis.* Panis *libra* ſingulis diebus cibo erat: quem crudis oleribus, & modicâ aquâ condiebat: trimeſtri tempore *olei ſextarium* conſumebat: *in Epiphaniis Eccleſiæ communicabat.* Nuncianti cuidam patris obitum dixit, *Noli impiè loqui, Pater enim meus immortalis eſt.* Ad Epiſcopatum Theophilus Alex. illum promovere voluit: verùm aufugit, nullâ tamen corporis ſui parte mutilatâ. Qua de cauſa feſtivè dixit *Ammonius*, Malè ipſum feciſſe, qui ne Epiſcopus crearetur, aurem ſibi præſciderat. Cui Ammonius, *Tu verò Evagri, an non putas te pœnas daturum, qui linguam tibi abſcindens, conceſſâ tibi gratiâ præ nimio tui ipſius amore uti nolueris.* At ſi linguam ſibi, non certè manus abſcidit Evagrius, qui multos libros confecit,

Anno Dom. 390.

Sozom. l. 6. c. 30.

Pallad. H. Lauſ. c. 86.

Bar. An. 381. n. 78.

Error Baronii.

Sozom. l. 6. c. 30.

Hier. ad Cteſiph. c. 2.

Socr. l. 4. c. 23.

Anno Dom. 390.

fecit, de quibus in Veteribus mentio eſt, quorum etiam nonnulli ſuperſunt. De libris Evagrii Nrecphorus: *Libri ab eo plurimi, & maxime neceſſarii compoſiti ſunt, inter quos quidam, Monachus, ſive de practice & operatice virtute inſcriptus eſt; quidam γνωστικὸς, hoc eſt, cognitor, ſive de eo qui cognitionem eſt conſecutus. Hic in quinquaginta capita eſt diviſus. Scripſit etiam librum alium, qui confutationem, ſeu invectivam continet adverſus tentatores Dæmones. Id Opus in octo diviſit ſectiones, juxta octo deliberationum, ſeu cogitationum numerum. Item Problemata prognoſtica ſexingenta: & prætereà στίχηρα, hoc eſt, verſuum duos libros reliquit: alterum ad eos, qui in Cœnobiis ſunt Monachos, alterum autem ad eas, quæ virginitatem colunt Sanctimoniales. Omnia verò Scripta ejus admiranda ſunt, & ſententiis & elocutione ad perſuadendum prorſus accommodata.* Non ſine laude Evagrii meminit Gennadius, *viri divinâ & humanâ literaturâ inſignis.* Teſtatur etiam, ſe Opus adverſum octo principalium vitiorum ſuggeſtiones, *juſſum in Latinum tranſtuliſſe.* Addit: *Compoſuit & Anachoretis ſimpliciter viventibus librum centum ſententiarum per capitula digeſtum, & eruditis ac ſtudioſis quinquaginta ſententiarum, quem ego Latinum primus feci. Nam ſuperiorem olim tranſlatum, quia vitiatum, & per tempus confuſum vidi, partim reinterpretando, partim emendando Autoris veritatem reſtitui.* Ex Gnoſtico nonnulla laudat Socrates l. 4. c. 23. Liber Evagrii ad Anatolium *de octo vitioſis cogitationibus*, à clariſſimo Bigotio editus, nil aliud eſſe videtur, quàm capitum ſumma. Diſcimus quidem ex Gennadio, librum illum Scripturæ teſtimoniis refertum eſſe, quæ nulla ſunt in editione Bigotiana: *Adverſum octo principalium vitiorum ſuggeſtiones, octo ex ſanctarum Scripturarum teſtimoniis oppoſuit libros, ad ſimilitudinem videlicet Domini, qui tentatori ſuo ſemper Scripturarum teſtimoniis obviavit.* De Evagrii Operibus qui plura noſſe cupiet, adeat Cotelerii monumenta Eccleſiæ Græcæ, Cavium, Du Pin, Pagium, Labbeum &c. Strenuè propugnavit Origenem Evagrius, quo nomine vapulat Hieronymo. Quin etiam Moſchus in Prato Spirituali narrat, Theophanem Neſtorii de grege diſcipulum Evagrium vidiſſe in inferis conſtitutum, magnâque Hæreticorum catervâ comitatum. Moribus Evagrius fuit optimis, *Ab omni faſtu & arrogantia ita alienus, ut nec jure merito laudatus præconiis intumeſceret, nec immerito vituperatus, contumelias iniquo animo ferret.* Vitam duxit longiſſimam, cujus ultimum annum ignoramus.

Niceph. l. 11. c. 42.

Gennad. de vir. Ill.

Gennad.

Prat. Spir. c. 14.

Sozom. l. 6. c. 30.

Joannes Hieroſ. erroris ab Epiphanio poſtulatur.

XII. Hoc ipſo anno tandem latentia Epiphanii & Joannis Hieroſolymitani odia palam erupêre, dum apud Joannem ita ſeſe excuſat Epiphanius, ut ipſum erroris apertè poſtulet. Fautores doctrinæ ſuæ multos Origenes invenerat, ſed acerrimos quoque adverſarios patiebatur, quorum è præcipuis Epiphanius. Audiverat ob Pauliniani ordinationem tumultuari Joannem, minitari ſe ſcripturum *in extremos fines terræ.* Cui ut ſeſe purget Epiphanius, narrat quâ ratione adductus ſit, ut *Paulinianum* crearet Presbyterum. Facto ſuo præſidium affert Cypri conſuetudinem: *Multi Epiſcopi communionis noſtræ, & Presbyteros in noſtra ordinaverunt Provincia, quos nos comprehendere non poteramus, & miſerunt ad nos Diaconos, & Subdiaconos, quos ſuſcepimus cum gratia.* Teſtatur etiam, ſe hortatum eſſe *Philonem*, & *Theoprobum* Epiſcopos, ut in ipſius Provincia ordinationes celebrarent. Joannem magis urebar rumor, quòd ab Epiphanio ſacra faciente diceretur, *Domine, præſta Joanni, ut rectè credat.* Ita tamen ſe excuſat Epiphanius, ut erroris labem aſpergat Joanni: *Quanquam*, inquit, *hoc in corde ſemper orem, tamen ut ſimpliciter fatear, nunquam in alienas aures protuli.* Graviora ſunt, quæ ſequuntur: *Obſecro te, dilectiſſime, & advolutus pedibus tuis precor, præſta mihi, & tibi, ut ſalveris, . . . & recede ab hæreſi Origenis, & à cunctis hæreſibus, dilectiſſime. Video enim, quòd propter hanc cauſam omnis veſtra indignatio concitata ſit, quòd dixerim vobis, Arii patrem, Origenem ſcilicet, & aliarum hæreſeon radicem, & parentem laudare non debetis.* Purgandi ſui causâ Joannes Theophilo ſcripſit Alexandrino. Qua de re perſtringitur ab Hcronymo: *Reſponde Epiſtolæ ejus* (Epiphanii;) *Palæſtina interrogaris, & reſpondes Ægypto.* Scintilla hæc fuit graviſſimarum contentionum, quibus Eccleſia lacerata eſt.

Epiph. Ep.

Hier. Ep. 61. c. 2.

Anno U. C. 1144. Per. Jul. 5104. Jul. 436. Dom. 391. Valentin 16. & 17. Theodos. 13. Arcad. 8. *Sol.* 8. E. *Lun.* 12. *Indict.* 4. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

Anno Dom. 391.

Coss. *Tatianus & Q. Aurelius Symmachus.*

Barbari in paludibus latitantes à Theodoſio delentur.

I. PArs ea Barbarorum, qui muneribus Maximi corrupti proditionem moliebantur armis Romanorum, elapſa intra paludes, & vicinas ſtagnis ſylvas abdita, in Macedonum, Theſſalorumque fortunas graſſabatur, occupato armis tyranni Theodoſio: *Poſteà verò quam fama victoriæ reditusque Principis ad eos perlata fuiſſet, rurſus in paludes ſeſe abdebant, & hinc clanculum egreſſi, cùm primum dies illuxiſſet, obvia quævis agebant, atque ita ad loca conſueta ſe recipiebant.* Intereà relictâ Italiâ Theodoſius Theſſalonicam revertitur, qui non levem ob Barbarorum impetus in Macedonia perturbationem invenit. Penè animum ejus ſubibat cogitatio, ſpectra potius quàm homines eſſe. Re cum nemine communicatâ, equitibus numero quinque ſecum ſumptis, eorum quemque tres aut quatuor equos loro ducere juſſit, ut uno defatigato ſeſſor in alium aſcenderet. Sic nemini quidquam ſuſpicionis præbens ſe Imperatorem eſſe, ubi cibo cum ſuis indigebat, à ruſticis petebat. Tandem perexiguum ad diverſorium venit, in quo degebat anus, à qua tecto recipi, & potum ſibi, lectumque præberi poſtulat. Quo impetrato Princeps in parte diverſorii cubans hominem conſpicit, latitare volcoti ſimilem. Ab anu quis eſſet & unde ut quærit, reſponſum ſe prorſus neſcire; id ſe ſcire, ex quo Theodoſium cum exercitu reverſum nunciatum eſt, hunc hominem apud ſe divertere, ac ſingulos in dies perſoluto victus pretio, diem totum domo egreſſum, adventante nocte velut à labore reverti. His auditis correptum hominem Princeps dicere jubet, quiſnam eſſet. Illo ſilente quæſtiones flagris admotis inſtituebantur. Cùm ne huic quidem vi adhibitæ cederet, equitibus imperat gladiis corpus ejus pungerent, adjecto ſe Theodoſium eſſe. Tum ille Barbarorum abditorum exploratorem ſe fatetur, quibus narraret, quæ regiones, quive homines eſſent invadendi. Confeſtim huic caput amputatur: & profectus ad exercitum Princeps, milites eò deducit, ubi degere

gere Barbaros cognoverat, quorum ingentem cædem edit. Cùm jejuni milites laboribus per paludes exantlatis non ſufficerent, Dux Timaſius alimenti ſumendi ſpatium concedi rogat. Ut tuba ſignum receptui dedit, milites accedunt ad epulas, quibus ſatiati, vino laboreque victi altum dormiunt. Quo animadverſo Barbari ſuperſtites dormientes milites confodiunt. Interfectuſque cum copiis Princeps fuiſſet, ſi non ex iis quidam, qui necdum pranſi erant, ad ipſius tentorium properantes, quod acciderat nunciaſſent. Quò perturbatus, cum comitibus fugâ periculum vitare ſtatuit. Fugientibus obviam factus *Promotus*, Theodoſium rogat, ſibi ſuorumque ſaluti conſulere, poſſe ſe Barbaros meritis pœnis afficere: quos tanto impetu adoritur, ut admodum pauci, qui ſe ſurſum in paludes receperunt, incolumes evaſerint. His confectis, Imperator Conſtantinopolim revertitur, quam unà cum *Honorio* filio ſuo ingreſſus eſt *die quarto Idus Novembris*.

Zozim. l. 4. c. 48.

Socr. l. 5. c. 18.

Rufinus Promotum occidit.

II. Non multò pòſt caſus Principis aulam triſtiſſimus ioceſſit, Honoratiſſimo apud eum loco Rufinus habebatur, natione Celta, Palatinorum Ordinum Magiſter, cui arcana omnia credebantur. Quod animos *Timaſii*, & *Promoti* nonnihil pungebat, qui poſt tot exhauſta pro imperio diſcrimina poſteriore loco cenſerentur. Cùm in conſilio publico verbum paulò ferocius in *Promotum* jactaſſet, id ille non ferens, ſe lædentem percuſſit. Rufinus ad Theodoſium ingreſſus, oſtenſâ facie tantam ad iram eum impulit, ut diceret, ni conceptam adverſus Rufinum invidiam deponerent, brevi Principem viſuros. His Rufinus auditis, perſuadet Imperatori, Promotum mitti ad milites exercendos. Dum Promotus in Thraciam proficiſcitur, Barbari à Rufino in inſidiis collocati virum optimum trucidant, qui opes contempſerat, & erga Principes ſincerè ſe geſſerat. Rufinus quaſi qui facinus honeſtum patraſſet, Conſul deſignatur. Hactenus de rebus imperii, ad res Eccleſiæ nunc convertatur oratio.

Zozim. l. 4. c. 51.

De capitis Joannis Baptiſtæ translatione traditio.

III. Celeberrima tranſlatio eſt capitis Joannis Baptiſtæ, quod ferunt in Baſilica à Theodoſio conſtitutum. At mira, & ſanè mira eſt Scriptorum de inventionis tempore diverſitas. Proſper in Chronico cum anno CCCXC. tranſlationem conjunxit, Valentiniano IV. & Neoterio Coſſ. Chronicum verò Alex. illam confert in annum præſentem Tatiano & Symmacho Coſſ. menſe *Februario*, XII. *Kal. Mart.* Eſt tamen in utroque patentiſſimus error. Anno quippe CCCXC. Theodoſius in regiam urbem ex Italia minimè remearat. Neque Tatiano & Symmacho Coſſ. Februarii XVIII. contingere tranſlatio potuit, quo tempore Theodoſius nondum Conſtantinopolim redierat, quam decimo duntaxat Novembris ingreſſus eſt. Sed & in illo ipſo Chronico legitur, ad Conſulatum Vincomali & Opilionis: *Anno Syromacedanum* DCXXIII. *Antiochenorum* DI. *&* CDXXV. *anno à cæde Joannis Præcurſoris, Prophetæ, & Baptiſtæ, cujus veneranda cervix Emeſæ reperta eſt.* Hoc & ipſum tempus ſacri capitis inventioni aſſignat gravis Autor Marcellinus, qui annus eſt Domini CCCCLIII. Nùm Joannes biceps fuit? Potuitne unum idemque caput à Theodoſio M. ex vico Coſilai Conſtantinopolim transferri, ſi demum imperante Marciano fuit *Emeſæ* repertum? Aut quâ ratione Vincomalo & Opilione Coſſ. Emeſæ repertum, ſi Faſtos reſerantibus Tatiano & Symmacho à Theodoſio tranſlatum fuit, annorum LXII. diſcrimine? Rem ſic ſcripto prodit Sozomenus. Joannis caput inventum dicebatur apud Monachos ex ſecta Macedonianorum, qui priùs Hieroſolymis morantes, poſteà in Ciliciam migraverant. Quæ res ut à *Mardonio* Præpoſito Imperialis Palatii delata eſt Valenti Imperatori, jubet is caput Conſtantinopolim deferri. Publico itaque vehiculo imponitur: ut autem venit *Pantichium*, qui locus eſt in agro Chalcedonenſium, mulæ quæ vehiculum trahebant, ulterius progredi detrectant. Quæ res Valenti cùm mira videretur, in vico *Coſilai* ſacrum caput depoſuerunt. Porro Theodoſius, qui ad eum locum perrexerat, cùm inde reliquias transferre vellet, reſiſtis totis viribus ſacra virgo quædam, quæ caput tanquam cuſtos comitabatur, Theodoſii precibus cùm vix tandem reliquias annuiſſet, irritum fore Imperatoris conatum arbitrata, Theodoſius loculum, in quo conditæ erant, *Purpureâ veſte, quâ indutus erat involvens, ſecum detulit. Reverſuſque in ſuburbano urbis Conſtantinopolitanæ, quod Septimum dicitur, depoſuit, ampliſſimâ illic & pulcherrimâ Baſilicâ in honorem Dei conſtructâ.* Ac matronam nec promiſſis, nec muneribus eò adducere potuit, ut Macedonianas opiniones deponeret. *Vincentius* tamen Presbyter, qui ejuſdem ſectæ cum matrona erat, & juxta arcam reliquiarum Joannis Miſſarum ſolemnia celebrabat, illicò ſubſecutus cum Catholica Eccleſia communicat. Juraverat quidem nunquam ſe à Macedoniana ſecta receſſurum; ad extremum tamen declaverat, *Ut ſi Baptiſta Imperatorem ſequi vellet, ipſe quoque cum illo communicaret.*

Sozom. l. 7. c. 21.

Tranſlatum à Theodoſio non fuit caput Baptiſtæ.

IV. Diſſimulare nullo modo poſſumus, de falſa narratione nos ſuſpicione aſpergi, ac vehementer eò propendere, ut Joannis capitis ea tranſlatio à Theodoſio abjudicetur. Figmentum hoc fuit Macedoniani, quod Sozomeno impoſuit, atque Proſpero. Socrates quidem, qui Conſtantinopolitanus erat, miraculis comitatam tranſlationem ejuſmodi non obruiſſet ſilentio. De illa tamen ne verbulum quidem habet, etſi accuratè recordetur ea tempora, quibus & ex Italia Conſtantinopolim reverſus eſt Theodoſius, & ſacræ Joannis exuviæ in regiam urbem invectæ feruntur. Cùm ſolemnes, pompæque plenæ forent tranſlationes reliquiarum, vix probabile quòd capitis Joannis depoſitio Socratis, qui diligenter res Conſtantinopolitanas exequitur, memoriam effugerit. Silentium Socratis adjuvat Hieronymus, qui Vigilantium confutaturus, factam à Theodoſio Joannis tranſlationem non memorat, & antiquiorem, & nobiliorem illâ Samuëlis, cujus meminit imperante Arcadio. Cùm itaque & *Conſtantii*, & *Arcadii* reliquias transferentium mentionem egerit, utique Theodoſium, qui in illis medius erat, non omiſiſſet, ſi Joannis caput Conſtantinopolim intuliſſet. Quin etiam ſi eâ urbe conſciâ Sancti Martyris caput in Baſilica Theodoſius collocaſſet, ne vel levis umbra quidem Marcellino & Chronico Alex. fuiſſet, cur in Marciani regnum inventionem capitis hujus conferrent. Obſervabilia verba Marcellini: *Hoc venerabile caput ſub Uranio, memorata Epiſcopo civitatis per præfatum Marcellum Presbyterum conſtat inventum, Vincomalo & Opilione Coſſ menſe Februario, die* XXIV. *mediâ jejuniorum, Paſchalium ſeptimanâ,*

Im-

ANNO DOM. 391.

Imperatoribus verò Valentiniano & Marciano regnantibus. Non dubia loquitur Marcellinus. *Conſtat*, inquit; certamque rem eſſe, oſtendunt temporis circunſtantiæ, quas accuratiſſimè deſignat. 3°. Illud & à vero alienum eſt, quòd *vehiculo* caput Baptiſtæ fuerit impoſitum. Mulis equiſque ſacrarum reliquiarum geſtandi honos invidebatur, & ſancto pignori ferendo Epiſcopi deſtinabantur: Macedoniano fingere currum placuit, ut locus eſſet miraculo: *Mulæ quæ vehiculum trahebant, ulterius progredi detrectarunt, idque licet equiſones minas ipſis intentarent, & auriga flagello graviter eas caderet.* Neque magis vero ſimile, quòd Theodoſius ipſe beati Martyris caput *purpurâ ſuâ involutum* ſecum detulerit: quo facto in Clericorum munus involaſſet. Ridiculum etiam, quòd Macedonianum mulierem tantis precibus adierit, ut habendas ſibi reliquias permitteret. Itaque Baronio aſſentiri non poſſumus, qui hoc ipſo anno factam à Theodoſio translationem exiſtimat. Rumorem ergo tranſlationis inter & inventionem capitis diſtinguendum exiſtimamus. Rumorem quod attinet, anno certè CCCCLIII. antiquiorem eſſe fatemur, quo Marcellinus caput Joannis *Emeſæ* inventum eſſe tradit. Quippe Sozomenus, qui Theodoſio Juniori Hiſtoriam nuncupavit ſuam, de tranſlatione mentionem egit, Macedonianorum ex lacunis hauſtam: ut certo certius ſit, hujus rei famam jam apud aliquos emanaſſe, à fabulatoribus ſcilicet diſſeminatam, ſcriptiſque proditam, quibus creduli fuere Proſper atque Sozomenus. Inventio verò, quæ tranſitioni antecedere debuit, anno duntaxat CCCCLIII. contigit. Deliberandum tamen amplius cenſemus, caput illud Baptiſtæ fuerit, necne? Dubitationis quidem aculeos figit diſcordia hæc Chronologica de inventi capitis tempore. Quod ſcribente Sozomeno Joannis caput exiſtimabatur, Joannis quidem non erat. Nùm Marcelli Presbyteri traditio vero ſimilior? Qui ſunt illi Monachi, qui divinis mandatis inſtructi, Sancti Martyris caput invenere? Quis ille figulus, qui creditas ſibi reliquias furto fugâque abſtulit, Emiſenæ urbi inferendas? Sed ſuo loco Marcellini traditio accuratius ad examen revocabitur.

Sozom. l. 7. c. 21.

Pœnitentiarius Presbyter Conſtantinopoli abrogatur.

Socrat. l. 5. c. 19.

V. Conſulatu Tatiani atque Symmachi Presbyter, qui Pœnitentiæ præerat, ea de cauſa Conſtantinopoli removetur: *Matrona quadam ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta poſt baptiſmum à ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat. Presbyter verò præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcilicet unà cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentia conveniens, oſtenderet. Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ ſcilicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cùm dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſiâ ejectus eſt, Populus verò graviter commoveri cœpit: neque enim ſolùm ob ſcelus quod patratum fuerat, indignabatur, verùm etiam eò quòd labes haud mediocris atque infamia hoc facto aſperſa videbatur Eccleſia. Cùm igitur eam ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Eccleſiæ Presbyter Nectario ſuaſit, ut Pœnitentiarium Presbyterum expungeret, unumquemque verò pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet.* Hanc Socratis narrationem Baronius habet in dubio: *Tanta hac Socrati teſtanti præſtanda eſt fides, quanta cæteris Hæreticis de ſuis*

Bar. Ann. 56. n. 26.

dogmatibus tractantibus. Latinus quoque Latinius anno 1587. diſſertationem edidit Romæ, quâ oſtendere conatur, Socratis hanc hiſtoriam fabuloſam eſſe. Immeritò tamen ea vel falſi poſtulatur, vel in dubio ponitur. Narrat Socrates, quæ audierat ab Eudæmone, qui abrogandi Pœnitentiarii Nectario autor fuit. Neutri verò cauſa ulla fuit, cur mentiretur. Imò mentiri non potuere, cùm ſuâ ætate Pœnitentiarii Presbyteri munus Conſtantinopoli extingueretur, ut teſtatur & Sozomenus. Quænam ergo ejus abrogandi cauſa fuit, ſi hæc non fuit? Equidem aut nullus unquam omninò fuit in urbe regia Pœnitentiarius, aut ætate Socratis adhùc vigebat, aut conſilio Eudæmonis abiit in nihilum. Atqui non eò impudentiæ proceſſere Socrates Sozomenuſque, qui Conſtantinopolim incolebant, ut negarent extare Pœnitentiarium, quem ipſi tonſoreſque adhùc supereſſe noviſſent. Fides humana de medio ſane tollitur, ſi Socrati Sozomenoque teſtibus oculatis detrahitur. Liceat Baronio Bellarminum opponere, & Purpuratum Purpurato: *Non facilè adduci poſſum ut credam, hiſtoriam illam falſam eſſe, quæ tunc ſcribebatur, cùm adhùc viverent qui rei geſtæ interfuerant, præſertim cùm res quæ narratur, non in angulo aliquo, ſed in urbe celeberrima conſcio populo univerſo contigiſſe dicatur.*

Bellarm. de Pœnit. l. 3. c. 4.

VI. Hic aperit ſe latius ad ſcribendum materia. Ac primùm etiam, atque etiam eſt obſervandum, non unam, ſed geminam matronæ fuiſſe Confeſſionem, diverſis & temporibus factam. Baronius quidem uni eidemque Confeſſioni aſcribit, & peccatorum poſt baptiſmum à matrona perpetratorum, & cum Diacono conſuetudinis manifeſtationem, ſed egregiè fallitur, quod ex ipſo Socrate patet. Auditis enim quæ admiſerat matrona poſt baptiſmum ſceleribus, Presbyter confitentem canonicis pœnis affecerat, quæ certè non poſt mancam mutilamque, ſed poſt integram conſummatamque Confeſſionem imponuntur. Nondum igitur ſtupro polluta fuerat, quod contigit poſtmodum, dum imperatæ ſibi pœnitentiæ munere defungitur. Porro ex gemina illa Conſtantinopolitanæ matronæ Confeſſione exultant Latini atque triumphant, utpote quæ diſciplinæ ſuæ præſidio ſit: *Non publica fuit iſta Confeſſio, ſed ſecreta, & qualis hodie à Catholicis fieri ſolet*, inquit Valeſius, Annotationibus in illam Socratis Hiſtoriam. *En*, exclamat Schelſtratus, *Confeſſionem omnium peccatorum, eamque auricularem ſoli Pœnitentiario Presbytero factam.* At nondum ampla ſpolia retulere. Peccata ſunt cordis, vel operis, quæ ex Lege divina Presbytero nuncianda eſſe omnia, ſtatuit Latinorum diſciplina: *Omnis utriuſque ſexus omnia ſua peccata debet fideliter confiteri*, tam cogitatione ſcilicet, quàm facto commiſſa. Quòd ſi cordis flagitia Pœnitentiarii eorum tribunali non adducebantur à Veteribus, ipſorum utique diſciplina ab ea Latinorum variat, multumque diſſidet. Præterea ita moribus Latinorum eſt comparatum, ut ſecretæ Confeſſioni ſecreta *ſatisfactio* irrogetur. Ut vitare nequeant, quin ſua diſciplina à veteri exiſtat multum diverſa, ſi peccata Pœnitentiario vel privatim indicata ſatisfactione publicâ delerentur. Utraque verò differentia hæc certiſſima ſit atque exploratiſſima, ut nihil eſt, quòd antiquitatem laudent. Cordis peccata Confeſſionis partem non fuiſſe demonſtrat Eulogius Presbyter,

An Confeſſio Pœnitentiario Conſtantinopoli facta, Latinorum Confeſſioni ſimilis?

Schelſtr. Conc. Ant. pag. 143. n. 3.

ANNO DOM. 391.

byter, cujus meminit Sozomenus: *Ferunt cum rem divinam faceret, accedentium cogitationes uſque adeò pranoviſſe, ut delicta eorum certiſſimè coargueret, & quæ ſinguli penitùs in mente recondita habebant perſpiceret. Eos igitur, qui mali quidquam perpetraſſent, aut patrare decreviſſent, aliquandiu arcebat ab altari, delicta eorum in apertum proferens, poſteà verò pœnitentiâ purgatos ad myſteria admittebat.* Quòd ſi Legibus Eccleſiæ quilibet tenebatur, quæ ſolo eodem flagitia perpetraverat, ea Pœnitentiarii auribus tutis committere, niſi indultâ divinitùs gratiâ Eulogio opus erat noſcendis arcanis animi; quæ Confeſſio abundè prodidiſſet abſque miraculi alicujus auxilio. Similiter de Euthymio, qui quinto ſeculo floruit, id narratur vitæ ipſius cap. 69. quòd *internos animi motus ex aſpectu externo veluti per quoddam ſpeculum intelligeret, & accuratè poſſet cognoſcere, cum quibuſdam nimirum quiſque decertaret cogitationibus, & quaſnam quidem ſuperaret, à quibuſnam verò per Malignum vinceretur.* Admiſſâ confeſſione, quid hiſce miraculis opus? Neque conceptum mente adulterium publicæ ſatisfactionis pœnâ afficiebatur. Quò pertinet Canon quartus Neocæſarienſis Synodi: *Si quis propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormiendum cum ipſa, ejus autem deſiderium ad opus non venerit, videtur eſſe gratiâ liberatus.* Quòd ſi peccata omnia cum circumſtantiis Fideles omnes tam viri, quàm mulieres clanculariâ Confeſſione exponere cogebantur; non unus quidem Presbyter, ſed Sacerdotes complures in urbe regia audiendis Confeſſionibus, & Pœnitentiæ imponendæ præfici debuerunt. Unus certè Pœnitentiarius impar fuiſſet tanto oneri, quamvis cibi, potus, ſomnique expers, diebus noctibuſque in tribunali ſedens, confitentibus audiendis vacaſſet. Atque unus duntaxat Conſtantinopoli Pœnitentiarius fuit: certiſſimo indicio, non quorumcunque Chriſtianorum peccata quælibet, ſed certa certorum hominum audiviſſe ſcelera; *Pœnitentium* ſcilicet, qui gravi ſcelere perpetrato ſuam poſt baptiſmum innocentiam maculaverant. Qui cùm numero pauci forent, iis audiendis vel in maxima urbe Coostantinopolitana unus duntaxat Pœnitentiarius ſufficiebat. Peccata quoque, quæ privatim Sacerdoti fuerant indicata, publicâ exomologeſi piabantur. Neque arcana ſanè fuit matronæ Conſtantinopolitanæ pœnitentia, quæ *jejunio & orationibus opus pœnitentia conveniens oſtendit.* Laborioſi hujus officii mulieribus immunitatem non datam eſſe, Fabiola matrona Romana teſtatur: *Ante diem Paſcha in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtetit in ordine Pœnitentium Epiſcopo, Presbyteris & omni populo collachrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla* ſubmiſit. In Chriſti Legem non peccaverat *Fabiola*, quæ viro ob adulterium dimiſſo alteri nupſerat. Quæ igitur ſeſe flagitiis polluerant mulieres, multò magis pœnitentiæ publicæ vinculis aſtringebantur. Vel ſi indulgentiâ quâdam partibus exomologeſis nonnullis eximebantur, ſaltem aliquandiu ſine communione ſtabant, licet adulterium occultum foret, ut apparet ex Baſilii ad Amphilochium Epiſtola, c. 34. Denique occulta vel peccata pœnitentiæ publicæ ſubdita fuiſſe, eſt ſuo loco quàm fuſiſſimè probatum: & oſtendit Innocentii ad Vitricium Epiſtola, c. 12. *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſteà vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe junxerint, de ſæculo receſſerit.*

Sozom. l. 6. c. 28.

Hier. Ep. 30. c. 3.

VII. Cæterùm caillit hoc loco quæſtio ſubdifficilis, quid à *Nectario* fuerit abrogatum. Baronius hîc commentus eſt, & Presbyterum Pœnitentiarium loco ſuo motum, & publicam peccatorum Confeſſionem abrogatam eſſe: *A matrona*, inquit, *propalatum peccatum, ſed id eodem Sacerdote procul dubio ſuadente, cujus rei causâ ille meritò à Nectario eſt gradu amotus.* Verùm hic ſuaviter errat doctiſſimus Purpuratus, & injuriam facit immerenti Presbytero. Sacerdotale munus retinuit, ſolo Pœnitentiarii officio ſuppreſſo, atque deleto, cùm nil peccaſſet, ut in ordinem redigeretur. Itaque id ne vel ſomniando ſcripſerunt Hiſtorici: *Presbyterum qui agendæ pœnitentiæ prapoſitus erat, abolevit.* Quod fieri potuit, etſi ad privatam conditionem non redierit. Jura igitur Sacerdotis omnia retinuit, dempto eo ſolo, quod non eſt cum Presbyteratus natura conjunctum, Pœnitentiarium agere. Licentius adhùc Baronius peccat: *Illa potius theatralis fieri interdum ſolita Confeſſio peccatorum fuerit abrogata, quam & Sanctus Leo prohibuit.* Nimirum in eam Baronius ſententiam deſcendit, quæ Pamelio placuit & Bellarmino, de *peccatis ſecretis ſecretam, de publicis publicam fuiſſe Confeſſionem.* Qua de re mentem oſtendêre ſuam illuſtriſſimi Casdin.les, Baronius anno 56. n. 18. Bellarminus de Pœnit. l. 3. c. 6. quorum ſententia noſtris eſt ponderibus examinanda. Non nos latet, eò proceſſiſſe ſcrupuloſam præpoſteramque nonnullorum pietatem, ut omnia peccata ſua vel ſcriptis libellis, vel clarâ voce palam proferrent. Id quidem in Leone legimus *de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcriptam profeſſionem publicè recitari* à nonnullis. Invenimus etiam apud Matthæum Pariſienſem: *Hugo de Nonant, Coventrenſis ſive Ceſtrienſis Epiſcopus, Romam tendens, in Normania capit graviter infirmari. Cùmque ingraveſcente ægritudine mortem ſibi vicinam cognoviſſet, fecit acceſſiri viros religioſos totius Normaniæ, quos habere poterat, Abbates, & Priores, & audientibus cunctis voce clamoſâ confeſſus eſt purè & maximâ cordis contritione, ac lachrymarum jugiter effuſione, omnia peccata, ſcelera, & enormitates omnes, quæ ſuæ memoriæ occurrebant. Tantâ autem contritus erat & commotus pœnitentiâ, quòd omnes aſtantes, & ſe intuentes ad lachrymas & ſingultus commovit. Denique flens, & ejulans, manibuſque conſertis, prælatos omnes in virtute Dei adjurabat, quatenus ſibi pœnitentis ſuper tot & tantis flagitiorum exceſſibus pœnam infligerent, & ſatisfactionem condignam.* Illud etiam faciles largimur, publicum illum luctum, quo pœnitentes tabeſcebant, publicam quandam peccati profeſſionem fuiſſe. Obſcœnam ſanè vitam palam apertèque prædicabat illa mulier, quæ fonte lachrymarum Chriſti pedes irrigabat: *Ingemiſcere, lachrymari, mugire dies noctesque ad Dominum, Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*, quod teſte Tertulliano à Pœnitentibus fiebat, quid aliud erat, quàm palam peccatum confiteri. Verùm enimverò Confeſſio non illa eſt, quam Baronius imaginatur, *theatralis* ſcilicet, quâ peccati & ſpecies, & circumſtantiæ declarabantur, à ſecreta eò tantùm diverſa, quòd hæc ſolo Sacerdote conſcio, illa verò Eccleſiâ teſte peragebatur. *Theatralem* publi-

ANNO DOM. 391.

Num à Nectario publica peccatorum abrogata Confeſſio?

Bar. Ann. 96. n. 34.

Sozom. l. 7. c. 16.

Bar. An. 56. n. 34.

M. Pariſ. in Richard. pag. 185.

publicamque Confeſſionem, aut Conſtantinopoli in uſu fuiſſe, aut ullis Eccleſiæ legibus alicubi ſancitam eſſe negamus & pernegamus cum viris doctiſſimis Petavio, atque Valeſio. Quæ conſuetudo ſi quandoque introducta fuit, ut ſanè fuit, non ex antiquo diſciplinæ uſu, ſed verius abuſu eſt introducta. Ac immodeſta & profuſa quidem fuiſſet Confeſſio ejuſmodi: nil vulgi auribus ædificationis intuliſſet accurata illa ſordium omnium declaratio; imò pudorem potius incuſſiſſet. Quis tolerare potuiſſet, adulterum apertè narrantem, ubi, quando, quot vicibus in aliena peccaſſet uxore? Neque eâ Confeſſione *diſtinctâ* opus erat, cùm peccatum publicum ſufficere: injungendæ pœnitentiæ. Indignationem ſanè potius moviſſet, quàm miſericordiam. Neque in ea quæſtione Leonis autoritatem defugimus, ſcribentis ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi à quibuſdam illicitâ uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri, de pœnitentia videlicet, quæ ita a Fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis facta reſerari, quibus poſſint Legum conſtitutione percelli.*

Leo Ep. 80.

Grave in theatralem Baronii Confeſſionem argumentum Sozomenus ſuppeditat: *Moleſtum ab initio jure merito viſum eſt Sacerdotibus, tanquam in theatro circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vita integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate & prudentiâ polleret; huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur.*

Sozom. l. 7. c. 16.

Si jure merito ab initio Epiſcopis moleſta viſa eſt publica peccatorum omnium profeſſio, non ergo in moribus Eccleſiæ recepta eſt. Cui & vitandæ Presbyter, qui arcani cuſtos fidiſſimus eſſet, eligebatur. Neque Baronio, Bellarminove Caſſiodori autoritas præſidio eſt, qui in Hiſtoria Tripartita ita reddit verba Sozomeni: *Viſum eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro, ſub teſtimonio Eccleſiaſtici Populi delicta pandantur.* Caſſiodorum omnibus anteponit Bellarminus de Pœnit. l. 3. c. 14. Eſt tamen illiberale, in vitio typographi abſonam conſtituere ſententiam. Cuivis odoris eſt paululum, ſtatim olfacit loci corruptionem. Cur enim ſecreti tenacem eligere Sacerdotem jubet, ſi veluti in theatro ſpeciatim peccata pandebantur? Corrigendus ergo Caſſiodorus, vocibus quæ deſiderantur reſtitutis, ne fœdè ſibi repugnet: *Proptereà quia grave viſum eſt*, ſic ſimplex optimuſque ſenſus fluit, quem rectè Nicephorus aſſecutus eſt: *Grave autem Epiſcopis, qui proximè poſt Chriſtum fuere, viſum eſt, in media plebe, vel in theatro noxam confiteri.*

Niceph. l. 12. c. 28.

Quòd ſi verba Caſſiodori immutabilia retineri placet, de Confeſſione publica, quæ fit, vel verbis generalibus, vel ſignis aperti doloris erunt explicanda: minimè verò de diſtincta ſpecialique peccatorum cum circumſtantiis manifeſtatione, quæ & nil emolumenti

peccatoribus attuliſſet, & Fidelium auribus offenſioni fuiſſet. Sic confutata eſt Baronii de facto Nectarii ſententia, à quo fingit theatralem peccatorum confeſſionem eſſe abrogatam.

An pœnitentia publica à Nectario abrogata?

VIII. Publicam à Nectario Pœnitentiam extinctam fuiſſe, ſibi Petavius induxit in animum. Qui error immanis eſt, & indignus tanto viro. Quaſi verò capitalis flagitii rei, quod publicè commiſſum eſt, publica ſatisfactione fuerint liberati. Quid eſt diſciplinæ confuſio, quid ordinis omnis perturbatio, ſi hæc non eſt? In ſexta Synodo generali Conſtantinopolitana pœnæ ab adulteris publicæ repetuntur: *Qui reliquerit legitimam uxorem, & aliam duxerit, juxta Domini ſententiam adulter eſt. Sancitum eſt, ut hi qui tales per annum lugeant, per biennium ſint audientes, per triennium ſubjaceant, & tandem ſexto anno congregentur cum Fidelibus, & ita demum menſâ Domini digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnituerint.*

Pet. in Epiph. Hær. 59. pag. 242.

Conſt. VI. cap. 87.

Regulæ quoque Pœnitentiales ſub annum 842. à Methodio Conſtantinopolitano Patriarcha conſtitutæ, etiamnum extant: *Si qui ſuâ ſponte ad negandum transfugerint, ii quidem habent Canonem terribilem: ſed propter commiſerationem duos annos jejunent a carnium & ovorum eſu, & à vino abſtinentes, genuum inflexiones facientes. Si ſint, qui dum juvenes & robuſti, quotidie centum diebus, ducentes dicentes, Kyrie eleiſon. Duobus autem annis expletis, ante octo dies preces propitiatorias accipiant, & quæ ſequuntur, ut prius ſtatutum eſt, in ipſis fiant.* Id eſt, octavo die laventur, & à lavacro, linteo accincti chriſmate inungantur, eorum in morem qui baptizantur, & novis veſtibus induantur.

Bar. An. 842. n. 21.

Ecquis ignorat, Actione IX. Synodi Oecumenicæ VIII. Photii teſtibus pœnitentiam ejuſmodi impoſitam: *Eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam, & aliis duobus, intra Eccleſiam audire divinas Scripturas uſque ad Catechumenos.* Sed & exemplis propriis Petavianus error coarguitur. Occiſo *Stephano Hagiochriſtophorità*, Andronici tyranni Miniſtro, Pacius Angelus per mediam viam & forum curſitans, altâ voce clamat, ſe eo enſe, quem ſtrictum adhùc ſuſtinebat, Stephanum occidiſſe: *Templum eo habitu ingreſſus, eam ſedem conſcendit, in qua homicidæ facinus ſuum exponentes, ab ingredientibus & egredientibus veniam petunt.*

Nicet. An. pag. 171.

Aliud publicæ pœnitentiæ exemplum ille ipſe Nicetas ſuppeditat in Annalibus. Iſacius ille Angelus, Andronici ſucceſſor, impunitate ſeditioſis omnibus conceſſâ, *Eos qui accedebant benignè ſuſceptos monebat, ut pœnitentia ob violatum jusjurandum declaranda cauſâ Patriarcham adirent, ſeque anathemate ſolvi peterent. Ac multi, quibus religio cordi erat, ita fecere: cæteri verò nutu capitis duntaxat admonitioni illius aſſenſi, magni Templi ingreſſum & Confeſſionem pro nugis habuerunt.*

Nicet. An. pag. 193.

Quid igitur abrogavit Nectarius? Legem eam ſolvit, quâ delinquentes aſtringebantur, clancularia ſua flagitia Sacerdoti confiteri, quæ Pœnitentiæ erant publicæ obnoxia, ut in poſterum liberè pro conſcientiæ morſibus, aculeiſque illa detegerent, nullâ deinceps neceſſitate cogente. Hoc vidit clariſſimus ille Valeſius: *Non ideò Confeſſionem, & Pœnitentiam unà cum Pœnitentiario abolevit Nectarius. Neque enim interdixit Fidelibus, ne quis impoſterum, aut ipſum, aut alium ex Presbyteris adiret confitendorum criminum cauſâ. Neque ſibi ipſe poteſtatem ademit, eos qui publicum crimen admiſiſſent, a ſacris myſteriis arcendi & ad publicam Pœnitentiam compellendi.*

pellendi. . . . *Sed neminem Laicorum ad Confeſſionem & publicam Pœnitentiam compulit.* Aſſentiri tamen viro doctiſſimo non poſſumus, ſcribenti, *Diſpenſativam ac temporariam fuiſſe eam Nectarii conſtitutionem.* Lex quippe peccata confitendi non eſt à Nectarii ſucceſſore Chryſoſtomo reſtituta. Itaque defuncto jam Chryſoſtomo hæc Eudæmoni Socrates dixit: *Conſilium tuum, ô Presbyter, utrùm Eccleſiæ profuerit an non, Deus viderit. Cæterum anſam ex eò ſingulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant.* Cui expoſtulationi nil loci relictum fuiſſet, ſi extinctam à Nectario confitendi Legem ſucceſſorum aliquis ſuſcitaſſet. Sed & Sozomenus ipſe queritur, ex eo tempore, quò ſubmotum eſt Pœnitentiarii munus, in laxam ac diſſolutam vivendi rationem paulatim delapſam eſſe: *Nam anteà ut equidem exiſtimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta enuntiabant, tum ob ſeveritatem Judicum, qui ad id erant conſtituti.* Denique qui Legis abrogationem poſteros docuere Socrates atque Sozomenus, ſcriptum quoque reliquiſſent, à quo Lex confitendi denuò conſcripta fuiſſet. Conſtat igitur, ipſorum ætate poſt defunctum Nectarium annis amplius quadraginta nullam Conſtantinopoli viguiſſe arcana peccata confitendi neceſſitatem, Confeſſione liberæ pietati permiſſâ. Quòd ſi Sacramentalis hodierna Confeſſio retineretur, nil cauſæ Socrati & Sozomeno fuiſſet, cur Pœnitentiarii abrogationem deplorarent. Adverſus peccata opem adhùc ſuam præbuiſſet Sacramentum Confeſſionis, quâ veluti freno aureo cohiberentur. Nullum ſanè arcana prodendi flagitia mandatum fuiſſe, ex verbis Sozomeni planum eſt: *Cùmque conſilium ei dediſſent nonnulli, ut unicuique prout ſibi conſcius eſſet, ac fiduciam ſui haberet, ad ſacrorum myſteriorum communionem accedendi liberam faceret poteſtatem, Presbyterum qui agendæ Pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit.* Libera ſanè facultas ex conſcientiæ præſcripto, ſacra corporis & ſanguinis Chriſti myſteria participandi adverſâ fronte cum Sacramentali Confeſſione pugnat, abſque qua flagitium putant Euchariſtiam ſuſcipi. Ex noſtris obſervationibus conficitur, arcana Sacerdoti peccata confitendi Legem ab Apoſtolis non eſſe impoſitam. Secus eò temeritatis non proceſſiſſet Nectarius, ut divinam Legem ſuâ autoritate perſtringeret. Viri boni indignum facinus clamitaſſent: Chryſoſtomuſque, Præſul ſi quis alius, virtutibus affluens atque pietate, Legem renovaſſet. Ut ex his liquidò conſtet, non divinam, ſed humanam prorſus fuiſſe.

Valeſ. An. in Socr. pag. 68.

Socr. l. 5. cap. 19.

Sozom. l. 7. c. 16.

Sozom. l. 7. c. 16.

Quo anno everſum Serapium?

IX. Quanquam conſtet *Serapium*, nobile Ethnicorum apud Alexandriam Templum imperante Theodoſio everſum eſſe, de anno tamen quo ſubrutum fuit, eſt controverſia inter eruditos. Baronius enim, quem ſequitur Valeſius, fani demolitionem anno CCCLXXXIX. aſſignavit, Autore Marcellini Chronico, à quo proditum, *Timaſii* & *Promoti* Conſulatu fuiſſe dejectum. Huic quoque Chronologiæ ratio favere videtur. Cynegius enim in Ægyptum miſſus, à Theodoſio in mandatis acceperat, Templa Ethnicorum ſubvertere, quod & ab ipſo factum fuiſſe, in Faſtis narrat Idacius: *Uſque ad Ægyptum penetravit, & ſimulacra Gentium evertit.* Non omnia tamen fana à Cynegio ſubruta fuiſſe conſtat ex Sozomeno: non ſanè *Serapium*, cujus alioquin demolitio anno CCCLXXXVIII. vindicanda foret, cùm Cynegii corpus ſuo Conſulatu deductum fuerit ad Apoſtolos, die XIV. Kal. April. Itaque nobis vero ſimilior eſt Chronologia Pagii, quæ Serapidis ſubverſionem cum anno CCCXCI. copulavit. Quod & jam teſtatur *Proſper* in Chronico Imperiali, qui anno Theodoſii, Gratiani poſt obitum octavo everſi Serapii meminit. Eſt & huic Chronologiæ ex Ammiano præſidium. Meminit enim *Neoterii* Conſulis, qui annum Dom CCCXC. aperuit: *Neoterium poſteà Conſulem, tunc Notarium, ad Africam tuendam ire diſpoſuit.* Libro verò XXII. Serapii adhùc ſtantis meminerat. Maximæ apud omnes celebritatis Serapium fuit. De Alexandrinis ædificiis Marcellinus: *His accedunt altis ſublata faſtigiis Templa, inter quæ eminet Serapium, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnatis ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliquâ operum multitudine, ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat.* Erat etiam Memphi *Serapium*, de quo Strabo: *Eſt etiam Serapium in loco valde arenoſo, adeò ut arenæ cumuli à ventis exaggerentur. In iis ſphinges erant, quarum aliæ ad caput uſque obrutæ videbantur, aliæ ex dimidio apparebant, quibus periculum conſiderari poteſt, ſi ad Templum eunti turbo incidiſſet.*

Marcellin. l. 26. c. 5.

Strab. lib. 17.

Serapium Alexandrinum. Pugna Ethnicorum cum Chriſtianis.

Socr. l. 5. cap. 16.

Ruf. l. 2. cap. 23.

X. Fatalis Alexandrino Serapio dies inſtante Theophilo contigit. Cujus ſubruendi poteſtatem à Theodoſio nactus nihil prætermiſit, quo Gentilium myſteria contumeliâ afficeret: *Cruenta Mithræ ſacra publicè ſpectanda propoſuit. Serapidis verò, & aliorum Deorum myſteria quàm ridicula eſſent oſtendit, phallos per medium forum ſublimes circumferri jubens.* Contumeliâ commoti Pagani, conſpiratione factâ in Chriſtianos irruunt, compluribuſque occiſis *Serapium* occupant. Sed quia famoſi Templi ſupremum diem tradituri ſumus, congruens videtur, accuratiorem ejus deſcriptionem ex Rufino ſuppeditare: *Locus eſt non naturâ, ſed manu, & conſtructione; per centum aut eò amplius gradus in ſublime ſuſpenſus, quadratis & ingentibus ſpatiis omni ex parte diſtentus. Cuncta verò, quo ad ſummum pavimentorum evadatur, opere fornicato conſtructa, quæ immenſis deſuper luminaribus, & occultis aditibus invicem ſecreti diſtincta, uſum diverſis miniſteriis, & clandeſtinis officiis exhibebant. Jam verò in ſuperioribus, extrema totius ambitus ſpatia occupant exedræ, & Paſtophoria, domuſque in excelſum porrectæ, in quibus vel Æditui, vel hi, quos appellabant ἁγνεύοντας, commanere ſoliti erant. Porticus quoque poſt hæc omnem ambitum quadratis ordinibus diſtincta intrinſecus circuibant. In medio totius ſpatii ædes erat, pretioſis edita columnis, & marmoris ſaxo extrinſecus amplè magnificèque conſtructa. In hac ſimulacrum Serapis ita erat vaſtum, ut dextra unum parietem, alterum læva perſtringeret: quod monſtrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compoſitum ferebatur.* Quæ de ferrea Solis imagine, magnetis ope in aëre pendente Rufinus ſubjungit, fabuloſa eſſe exiſtimamus: cùm vis ea ſit magnetis, ut ſibi ferrum quàm proximè fieri poteſt, conjungat, retineatque complexu ſuo. Occupato Serapio, quod in exiguo colle ſitum erat, Ethnici tanquam ex arce improviſò erumpentes, multos Chriſtianorum comprehenſos, tormentis ſacrificare cogebant. Detrectantes verò aut in crucem agebant, aut aliâ morte perimebant. Pugna Ethni-

cos

Anno Dom. 391.

Socr. l. 5. cap. 16.

cos inter & Chriſtianos eò uſque producta eſt, quoad cædis ſatietas finem malo impoſuiſſet. Perierunt eo conflictu ex Gentilibus pauci, ex Chriſtianis verò quàm plurimi: *Vulnerati autem ex utraque parte erant innumerabiles.* Dux Militum *Romanus*, & Præfectus *Evagrius* hortabantur Ethnicos & à bello abſiſtere, & Serapium relinquere. Eos autem alacriores reddebat & conſcientiæ facinoris, & *Olympius* quidam, qui in habitu Philoſophi cum ipſis degens, ſuadebat pro ſacris patriis, ſi res ita poſtularet, mortem eſſe ſubeundam. Eâ commoti pertinaciâ, *Romanus*, & *Evagrius* quæ gerebantur Imperatori ſignificant. Qui his auditis, Chriſtianos occiſos Martyribus opponens, interfectoribus veniam dari mandat, quò faciliùs ad fidem adducerentur. Quæ Epiſtolæ ubi palam Alexandriæ recitantur, ingens clamor è Chriſtianis attollitur, quod ipſo ſtatim exordio Imperator Paganis culpam aſcriberet: qua de cauſa, qui Serapium cuſtodiebant, fugam arripuiſſe dicuntur, quod à Chriſtianis occupatum poſtmodum in Eccleſiam Arcadio Imperatori cognominem immutatum eſt.

Sozom. l. 7. c. 15.

Templa Ægypti evertuntur. Tyranni Sacerdotis fraudes.

Socr. l. 5. cap. 16.

XI. In ſeditionis pœnam Theodoſius Templa Ethnicorum omnia ſolo æquari juſſit. Quibus deſtruendis *Romanus* & *Evagrius* Theophilo fuerunt auxilio. Statuæ in lebetes, & in alios Alexandrinæ Eccleſiæ uſus conflantur. Unam duntaxat Serapidis ſervari, ac publicè proponi juſſit, ne Gentiles quandoque inficiarentur, hujuſmodi ſe Deos coluiſſe. Horret animus dicere, quæ Templorum in adytis reperta ſunt. Quot ibi infantium capita deſecta inauratis labris inventa ſunt? Quot miſerorum crucibiles mortes depictæ? De Saturni Sacerdote Tyranno totius penè Alexandriæ adultero hæc memoriæ recondenda. Primariis viris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat Saturnum præcepiſſe, ut uxor ſua pernoctaret in Templo. Quam gaudens exornatam comptius, & donariis onuſtam mittebat ad Templum. In conſpectu omnium concluſâ matronâ, Tyrannus clauſis januis, & clavibus traditis diſcedebat. Tum per ſubterraneos aditus Saturni ſimulacrum ingreſſus, pavidam mulierem alloquebatur. Deinde arte quâdam linteolis obductis, repentè lumina extinguebantur univerſa. Tum deſcendens Tyrannus mulieri adulterii vitium inferebat. Accidit quondam pudicæ mentis fœminam horruiſſe facinus, & cognitâ voce Tyranni, domum regreſſam viro de fraude ſceleris indicaſſe: qui tantâ inflammatus injuriâ Tyrannum ad tormenta deducit. Canopus, veluti aliorum numinum victor, ab Ægyptiis colebatur, Ipſius ſimulacrum, *pedibus perexiguis, attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre tumido, in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti formatur.* Templum ejus Sacerdotalium literarum obtentu, *Magicæ artis erat penè publica ſchola.* Adventante Theophilo nullus profuit ſudor, nec ceris fraus obducta ſubvenit, vaſtata ſunt omnia, atque ad ſolum deducta. Porro Ethnicorum multi Imperatoris iram veriti, ex urbe Alexandrina profugerunt, ex quibus fuere duo, *Helladius*, & *Ammonius* Grammatici: Ille *Jovis*, hic *Simiæ* Sacerdos dicebatur. Helladius gloriatus eſt, quòd in conflictu novem ſuâ manu homines interemiſſet. Conſtantinopoli Grammaticam profitentes Ammonium, Helladiumque Socrates audivit. Olympius nave in Italiam migravit.

Ruf. l. 2. cap. 31.

Ruf.

Id.

Socr. l. 5. cap. 16.

Anno Dom. 391.

Non Alexandriæ modò, ſed & in aliis urbibus pro Templis ſuis Ethnici pugnarunt. In Arabia Petræi, & Areopolitæ, in Palæſtina *Raphienſes*, & Gazæi, in Phœnice *Heliopolitæ*, apud Syros denique cives urbis *Apameæ*, quæ ad *Axium* fluvium ſita eſt, qui eò audaciæ proruperunt, ut Marcellum loci hujus Epiſcopum interficerent. Audierat maximum Templum in *Aulone* eſſe, qui Apamenſium regionis tractus eſt. Aſſumptis ergo militibus, eò perrexit ad fanum evertendum. Dum Templi in expugnatione milites occupantur, Ethnici ſubitò in Epiſcopum pedibus ægrum irruentes, in rogum conjiciunt. Progreſſu temporis, ut cædis autores qui latuerant, detecti ſunt, Marcelli filii patris ſui mortem ulciſci cupiebant. Prohibuit tamen Provinciæ Synodus cædem in ſontibus vindicari, ob quam & defuncto, & ipſius conſanguineis, amicíſque Deo gratias potius agendæ forent.

Sozom. l. 7. c. 15.

Auguſtinus Presbyter creatur.

XII. Dum in Ægypto Ethnicorum evertuntur numina, Auguſtini pietas ſpecioſè lateque patet, ut meritis ſuis Presbyteri munere conſpiratione omnium dignus exiſtimaretur. Tertius annus erat, ex quo cum ſociis orationi, ſtudiis, Scripturæ lectioni vacabat. Sed dona cælitùs optimo viro collata Eccleſiæ ædificandæ debebantur. Cùm fortè *Hipponem* regium petiiſſet, de adipiſcendo Presbyteratu nil cogitans, ad id muneris evehitur. Rem Poſſidius narrat: *In Eccleſia Hipponenſi Catholica Valerius Sanctus Epiſcopatum gerebat. Qui cùm flagitante Eccleſiaſticâ neceſſitate de providendo & ordinando Presbytero civitati plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur; jam ſcientes Catholici S. Auguſtini propoſitum, & doctrinam, manu injecta, quoniam & idem in populo, ſecurus & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat, tenuerunt. Solebat autem Laicus, ut nobis dicebat, ab iis tantùm Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum tulerunt, omnibus id uno conſenſu, & deſiderio perfici petentibus, magnoque ſtudio & clamore flagitantibus, uberim eo flente: nonnullis quidem lachrymas ejus, ut nobis ipſe retulit, tunc ſuperbè interpretantibus, & tanquam eum conſolantibus, & dicentibus, quia locus Presbyterii licet ipſe majore dignus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatus.* Legatur & ipſius Auguſtini ad *Albinam* Epiſtola 225. Hæc illa ordinatio circa feſtum Paſchatis videtur eſſe peracta. Vix in Presbyterium allectus erat, cùm à Valerio juſſus eſt habere conciones. Quod cùm magni ponderis eſſe, non immeritò exiſtimaret, inducias ad Paſcha uſque ſibi concedi poſtulat libello pio modeſtoque, quem obtulit Valerio: *Ad quod*, inquit, *negotium mihi parvum tempus, vel uſque ad Paſcha impetrari volui, per fratres à tua ſinceriſſima & venerabili charitate, & nunc per has preces volo.* Quibus verò de cauſis adductus eſt, ut id moræ impetraret, ipſe verbis excellentiſſimis exponit: *Ante omnia peto, ut cogites religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio. Sed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet.* Valerio autem, quem inducit hæc

Poſſid. Vit. Aug. c. 4.

Anno Dom. 391.

Auguſt. Ep. 148.

ſibi objicientem, *Vellem ſcire, quid deſit inſtructioni tuæ*, ſic reſpondet: *Tam multa quidem ſunt, ut faciliùs poſſim enumerare, quæ habeo, quam quæ habere deſidero. Audeo enim dicere, ſcire me, & plenâ fide retinere, quid pertineat ad ſalutem noſtram. Sed hoc ipſum, quomodo miniſtrem ad ſalutem aliorum, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant?* Inſignem Epiſtolam, & dignam quæ ſacri miniſterii candidatis memoriæ commendetur.

Egregia Auguſtini in Presbyteratu facinora.

XIII. Utrùm Auguſtini votis Valerius annuerit, eſt in incerto. Cæterùm Africanis Eccleſiis non erat in more poſitum concionandi officium Presbyteris injungere, cui ſoli duntaxat Epiſcopi perſolvebant. At Valerius, *homo naturâ Græcus, minuſque Latinis & literis inſtructus*, cùm ad conciones habendas minus idoneum ſe ſciret, ignarus aliunde id ab Orientis Eccleſiis conſuetudinis adhiberi, à ſuo Presbytero impleri voluit, quod à ſe minus potuit. Quod exemplum quaſi ad imitandum Africæ proponeretur, cœpit & alios Epiſcopos movere, ut Presbyteri præſentibus Antiſtitibus Dei verba populis miniſtrarent. Quem ad morem introducendum plurimum momenti habuit Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi autoritas, qui ad Valerii exemplum ſeſe componens, à Presbyteris & divina populis oracula infundi voluit. Quamobrem ipſi Auguſtinus Alipiuſque Epiſtolâ gratulantur.

Aug. Ep. 77.

Porro munus ſuum præclare Auguſtinus exornavit. Impetravit à Valerio hortum, in quo Monaſterium conſtituit, venditiſque bonis ſuis, ut emolumento pauperibus eſſent, ſocios ſui ſimiles ſibi conjunxit. Quæ narrantur & a Poſſidio cap. 5. & ab Auguſtino Sermone de Diverſis 49. Collatis quoque ſignis in Manichæos, qui Hipponem regium ſuis ſuperſtitionibus infeſtabant, acerrimè dimicavit:

Poſſid. Vit. Aug. c. 6.

In illa Hipponenſi urbe Manichæorum peſtilentia quam plurimos cives, & peregrinos infecerat, & penetraverat: ſeducente & decipiente ejuſdem hæreſis quodam Presbytero, nomine Fortunato, ibidem converſante atque manente. Quam anno inſequente diſputationem cum Hæretico habuit. Sed & indecoris, qui Africanas oppleverant Eccleſias, ritibus evellendis multum allaboravit. Martyrum in honorem comeſſationes inſtitutæ erant, veluti parentalia. Quem turpiſſimum ſanè morem & Ambroſius Mediolani abrogarat, & ſapientes Epiſcopi in multis quoque locis extinxerant. Aurelio igitur nuper ad Carthaginenſem Epiſcopatum evecto ſcribit Auguſtinus, ut totis viribus abuſum tollat Epiſcopus, quem Diaconus improbaverat: *Comeſſationes & ebrietates ita conceſſa & licita putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum non ſolum per dies ſolemnes, quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit, ſed etiam quotidie celebrentur.* Et paucis interjectis ſubjungit:

Aug. Ep. 4.

Sed feramus hæc in luxu & labe domeſtica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamuſque cum eis corpus Chriſti, cum quibus panem edere prohibemur, ſaltem de Sanctorum corporum ſepulchris, ſaltem de locis Sacramentorum, de domibus orationum tantùm dedecus arceatur. Quæ ſequente anno Epiſtola eſt exarata.

Anno U. C. 1145. Per. Jul. 5105. Jul. 437. Dom. 392. Theodos. 14. Arcad. 9. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 13. *Indict.* 5. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 28. *Mart.*

Anno Dom. 392.

Coss. *Arcadius Aug.* II. *& Rufinus.*

Sacra numinum reſtitui non vult Valentinianus.

I. Theodoſii in Orientem digreſſio ſpem Ethnicorum accenderat de impetranda à Valentiniano aræ Victoriæ reſtitutione. Senatores igitur numinibus addicti juvenem adeunt Principem, ut ablata ſacra ſuis cultoribus redderentur. Præerat legationi *Symmachus*, vir magnæ & famæ & eruditionis, qui annum præteritum aperuerat. Tantis tamen deprecatoribus flecti Valentinianus non potuit. Quod pium laudabileque facinus laudibus ad cœlum uſque extulit Ambroſius in ſua de Valentiniani obitu Oratione funebri: *Solvo ſervo tuo munus gratiæ tuæ, quam ille nunquam negavit, qui ante diem mortis Templorum privilegia negavit, inſurgentibus quos revereri poſſet. Aſtabat virorum caterva Gentilium; ſupplicabat Senatus; non metuebat hominibus diſplicere in Chriſto.* Hanc ſibi viam ad cœleſtem gloriam Valentinianus aperuit, qui paucis poſt diebus *Arbogaſtis* ambitioni immolatur.

Arbogaſtis in Valentinianum ſuperbia.

II. Arbogaſtes, gente Francus, quem ſecundum à Bautone locum Gratianus obtinere juſſerat, illo rebus humanis exempto, fretus induſtriâ ſuâ, citra Principis autoritatem Magiſterium Militum in ſe tranſtulerat. Neque militarium expertem virtutum agebat. Vir erat fortis, rei bellicæ peritus, pecuniæ ſpretor, quibus magnam ad potentiam ſibi aditum fecit, quæ tanta fuit, ut etiam adverſus Principem liberior eſſet, & quæcunque non rectè, nec uti par erat, fieri putabat, prohiberet. Quæ cùm moleſtè Valentinianus ferret, ſæpius ſe ſuperbo Franco oppoſuerat: fruſtrà tamen ob militarem, quâ Arbogaſtes muniebatur benevolentiam. Tandem non ferens amplius Princeps, ſe ſubditi ſui quaſi clientem eſſe, cùm throno inſidens: *Accedentem videret Arbogaſtem, torvis oculis hominem aſpiciens, libellum porrigit, quo ei Magiſtratum abrogabat. Hoc ille perlecto, Nec poteſtatem mihi dediſti, ait, nec eripere poteris. Quibus prolatis, diſcerptoque libello, & in terram abjecto diſcedit.* Ea eo die inimicitiæ patebant. Frequentibus Valentinianus literis de illata ſibi injuria Theodoſium monebat, ſimul petebat auxilium, jurejurando affirmans, ſe ad ipſum advolaturum, ni quàm primùm hæc feciſſet. Intereà Arbogaſtes alia tacitus volutabat in animo. Verſabatur in aula *Eugenius*, tantâ eruditione præſtans, ut oratoriam artem profiteretur. Quem *Richomer*, ut perelegantem familiariter complexus, Arbogaſti commendaverat, qui aſſiduâ conſuetudine tantâ cum Eugenio amicitiâ copulabatur, ut ipſi arcana mentis omnia crederet. Hunc Arbogaſtes deligit, quem ad imperium veheret. Eo propoſito offenſum Eugenium adeò demulcet Arbogaſtes, ut tandem conſenſum impetrarit.

Zoſim. l. 4. c. 54.

Valentiniani Junioris obitus. Quo tempore periit?

III. In Gallia verſabatur apud Viennam Valentinianus, qui baptiſmi cupidus Ambroſium expectabat, ut ab eo ſacris undis ablueretur. Erant in Gallia quidem optimi Sacerdotes. Verùm Valentinianus, qui in parentis loco Ambroſium habebat, regenerationis ſuæ myſterium ab eo ſuſcipere voluit. Tum facinus quod impiè moliebatur, Arbogaſtes perpetrat. Strangulatum

tum prius miſerum Valentinianum, ut voluntariam ſibi mortem conſciviſſe putaretur, laqueo ſuſpendit, biduo poſt Valentiniani miſſas ad Ambroſium accerſendum literas. Corrupti Eunuchi dormienti vel ludendi gulam fregere. Neque quin ſic perierit eſt dubitandum; cùm id teſtentur Scriptores coætanei: *Adoleſcens Valentinianus, & penè puer, poſt fugam, poſt exilia, poſt recuperatum multo ſanguine imperium haud procul ab urbe fraternæ mortis conſcia necatus eſt, & cadaver exanime ſuſpendio infamatum.* Quæ verba ſunt Hieronymi luctum Heliodori de Nepotiani morte levantis. *Hier. Ep. 3.* Itaque in errorem lapſus eſt Zozimus, qui de Valentiniani obitu hæc habet: Arbogaſtes Valentinianum propter Viennæ muros ludicra cum militibus exercentem, nil tale cogitantem, *lethaliter vulnerat & interficit.* *Zoz. l. 4. c. 54.* De triſti Valentiniani morte obſervabilia habet nonnulla Philoſtorgius: *Philoſtorg. l. 11. c. 5.* Arbogaſtes Viennæ *cùm eum pranſum, & meridiano tempore in deſerto quodam palatii loco cum quibuſdam ſcurris labra in fluvium mergentem vidiſſet, ſatellites quoſdam in eum miſit, qui manuum vi, ac mentis ſeritate miſerum ſtrangularunt.* Sic indigno fato periit optimæ ſpei Princeps. Diem obitus ab oblivione vindicavit Epiphanius, ſi vera prædicat: *Epiph. de Menſ. n. 20. pag. 177.* *Arcadio II. & Rufino Coſſ. mortuus eſt Valentinianus Junior, Valentiniani Magni filius, qui ſubinde uti ferunt, præfocatus in palatio repertus eſt, Idibus Maii, pridie Pentecoſtes, die Sabbati, ipſo verò die Pentecoſtes elatus eſt. Erat tum apud Ægyptios menſis Pachon dies vigeſima prima, juxta Græcos Artemiſii menſis tertia & viceſima, ſecundum Romanos decimo ſeptimo Kalendas Junias.* Eſt tamen in eo calculo erroris aliquid librariorum incuriâ. Quippe Maii *decimus ſextus* Artemilii Syromacedonum eſt *ſecundus & viceſimus*, non verò viceſimus tertius. Aliâ ratione locum Epiphanii emendat Petavius, *Pag. 421.* qui pro τρίτῃ καὶ εἰκάδι, legit ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ, *decima ſexta.* Quæ emendatio eſt rejicienda, cùm Artemiſius Syromacedonum à XXV. Aprilis ducat initium. Ex Epiphanii Chronologia vigiliâ Pentecoſtes Valentinianus occiſus eſt, & die ſequente ſepultus. Cæterùm meditanti cogitationem Ambroſius injicit, quod alio tempore Valentinianus periérit: *Ambr. Or. in fun. Val.* *Quos ego aſtus ejus illo biduo fuiſſe comperi, quo literis quas ad me miſerat, ſupervixit? Veſperi profectus eſt Silentiarius, tertio die manè quærebat, Jamne remeaſſet? Jam venirem? Ita ſibi ſalutem quandam venturam arbitrabatur.* Quòd ſi Pentecoſtes vigiliâ periit Valentinianus, abſente quidem Ambroſio non periiſſet, qui ad illum abluendum properabat. Baptiſmus autem ſolemnia, quem Imperator expectabat, diebus Paſchatis, & Pentecoſtes miniſtrabatur. In re certa ſufficiat Epiſtola Siricii ad Himerium annis circiter ſeptem Valentiniani ante obitum exarata: *Siric. Ep. 1. cap. 2.* *Hoc ſibi privilegium, & apud nos, & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat: quibus ſolis per annum diebus ad fidem confluentibus, generalia Baptiſmatis tradi convenit Sacramenta.* Viennâ igitur non abfuiſſet Ambroſius vigiliâ Pentecoſtes, qui in Gallias migrabat baptizando Valentiniano. Quâ tamen civitate pluribus adhuc diebus aberat, cùm de Principis obitu triſte nuncium accepit. *Jam ſuperabam Alpium juga, & ecce nuncius amarus mihi, & omnibus, de tanti morte Imperatoris. Reflexi iter, fletibus meis lavi.* Extinctus eſt igitur aliquot ante Pentecoſtem diebus. Marcellinus in Chronico narrat, Valentinianum periiſſe Martii decimo quinto: *Valentinianus Imp. apud Viennam dolo Arbogaſtis ſtrangulatus interiit Idib. Martiis.* Quod ſatis cum Ambroſio conſentit. De anno quidem fallitur Marcellinus, qui ſuperiorem Valentiniano emortualem eſſe dixit. De die autem à vero non omninò abiit. Quippe nondum adoleverat æſtas, cùm Theodoſio mandanti regium curari funus hæc Mediolano Ambroſius ſcripſit: *Conſoletur cariſſimas exuvias, ſi acceleretur ſepultura, ne æſtivo penitùs ſolvantur calore; vix enim ſuperiorem ætatem tranſegimus.* *Ambr. Ep. 34.*

IV. De Valentiniani ætate, quâ vitæ exemptus eſt, non conſtat inter eruditos. *Anni, moreſque Valentiniani.* *Erat Valentinianus* (verba ſunt Baronii) *cùm obiit, annum agens ætatis vigeſimum ſeptimum inchoatum.* *Bar. Ann. 392. n. 9.* Fallitur tamen illuſtriſſimus Purpuratus, cujus Chronologia cum Scriptoribus temporis hujus disertè pugnat. Seniore Valentiniano mortuo Valentinianus *adhùc quadriennis, autore Equitio, ac Merobaude propinquo, ubi cum matre fuerat allatus, creatus eſt Imperator.* *Vict. Epit.* Victori conſentit & Marcellinus: *Marcell. l. 3. c. 10.* *Valentinianus puer, defuncti filius tum quadrimus*, vocatur ad imperium. Baroniani erroris, quo complures & afficiuntur, cauſa eſt in proclivi. Scilicet Valentinianum Valentis filium cum Valentiniano Juniore Auguſto permiſcuit. Cum igitur filius Juſtinæ Valentinianus purpuram *quadrimus* induerit, anno CCCLXXV. agebat annum XXI. cùm morti miſſus eſt. Vigeſimo ſecundo Novemb. *in civitate Acinco* ab exercitu Imperator fuerat renunciatus. Regnavit ergo annos ſexdecim, menſes quinque, & dies aliquot, quorum certus definiri numerus non poteſt, quia tempus obitus ignoratur, cùm explodenda Epiphanii de die Valentiniani Chronologia videatur. Quam ſi ſequi lubet, menſibus annisque imperii dies XXV. addit. A vigeſima tertia Novembris initia Principatus ipſius ducere Baronius non debuit, cùm præcedenti imperium adierit, teſte in Faſtis Idacio: *Error Baronii.* Levatus eſt *Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die X. Kal. Decembr. in civitate Acinco.* Seducta à Juſtina impotente fœmina, Arianiſmi tenaciſſima, Eccleſiæ perſecutionem intulerat. Ut verò ad frugem rediit, egregiæ indolis pietatiſque ſpecimina præbuit, Ambroſio teſte: *Ambr. Or. in fun. Val.* Circenſibus delectabatur, *ſic iſtud abſterſit, ut ne ſolemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratiâ Circenſes putaret eſſe celebrandos. Ajebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci, omnes feras uno momento juſſit interfici.* Quam tamen laudem ipſius eruperat continentia. Formoſam Romæ ſcenicam adoleſcentes deperibant, juſſit eam ad Comitatum venire. Pretio corruptus, quem miſerat, mulierem non adduxit. Alterum miſit: *Deductam tamen nunquam aut ſpectavit, aut vidit. Poſteà redire præcepit, ut omnes agnoſcerent, irritum ejus non eſſe mandatum, & adoleſcentes doceret, ab amore mulieris temperare, quam ipſe qui potuit habere in poteſtate deſpexerat.* Necdum tamen uxori alligabatur. Decor oris & corporis, regiaque indoles in eo eminebat, imperio digniſſima, patremque juſtitiâ, & magnitudine animi ſuperaturus putabatur, ſi ad virilem ætatem perveniſſet. Audito lamentabili Valentiniani caſu, Theodoſius dedit animum in luctus: *Sozom. l. 4. c. 22.* *Sed & conjux ejus Galla, fratrem deplorans, univerſam turbavit aulam.* Quæ verba Zozimi ea Marcel-

ANNO DOM. 392.

Bar. Ann. 390. n. 75.

lino Baronius falſi poſtulat. Itaque Gallæ obitum cum anno CCCXC. conjungit: *Hoc anno Galla Auguſta Conſtantinopoli cùm eſſet, ex hac vita migravit, quam Arcadius ſepelivit.* At vel diverſo Marcellini Chronico Baronius uſus eſt, vel egregiè fallitur. Hoc tantùm narrat Marcellinus: *Galla Theodoſii uxor ab Arcadio privigno ſuo ejecta eſt.* Quæ à mente Baronii toto cœlo diſferunt. Defuncti corpus infertur urbi Mediolanenſi, quodque unicum reſtabat pietatis munus, jubente Theodoſio dignam Imperatore ſepulturam ſortitur. Cura hæc Ambroſio demandatur, qui Theodoſio reſcribit: *Nunc de ſepultura ejus quoniam ſcripſit clementia tua, ita hic procurandum. Eſt hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in uſus hujuſmodi aptiſſimum. Nam & Maximianus Diocletiani ſocius ita humatus eſt. Sunt tabulæ porphyreticæ pretioſiſſimæ, quibus veſtiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, ſed expectabatur Reſcriptum clementiæ tuæ.* Dolor ſororibus defuncti Principis vix exitmi potuit. Videre ſibi videbantur germani ſui quotidianum funus tenere. Quotieſcunque ad tumulum accedebant, *exangues* revertebantur. Valentiniani funus funebri Oratione decoravit Ambroſius, qui de conditione ſtatuque Principis, quem mors expertem baptiſmi abſtulerat, memoranda hæc pronuntiavit: *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani. Sed jam credamus vel teſtimonio Angelorum, quod deterſâ labe peccati ablutus aſcendit, quem ſua fides lavit, & petitio conſecravit. Credamus quia aſcendit à deſerto, hoc eſt, ex hoc arido & inculto loco, ad illas florulentas delectationes, ubi cum fratre conjunctus, æterna vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, ſi quid meæ orationes valebunt: nulla dies vos ſilentio præteribit: nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio; nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione tranſcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo.* Tres extant in Codice Theod. Valentiniani adverſus Hæreticos Leges, quæ perpetua ſunt monumenta pietatis ejus. Prima data XVIII. Kal. *Stabu* Macedoniæ urbi, anno 388. jubet Triſolio Præſ. Præt. ut perfidiæ ſectæ *nullum uſquam ſinantur habere conventum.* Secunda, quæ numero eſt XVIII. anno 389. conſcripta, Manichæos *ex omni quidem orbe terrarum, ſed quam maximè de urbe* pellit, *ſub interminatione judicii.* Tertia, quæ vigeſima numeratur, Hæreticorum contagia pellit *urbibus* vicinis, *ac nullis penitùs patere conventibus* jubet. Data eſt Romæ XIV. Kal. Junii anno 391.

Cod. Theod. de Hær. l. 15.

Eugenius ſuſcepto imperio legationem ad Theodoſium mittit.

V. Valentiniani exuvias indutus, imperium arripuit Eugenius: ſpecie quidem Princeps, reverà tamen ſubditus Arbogaſti, cujus & cliens fuerat. Quod indignatur Claudianus:

Pro crimen ſuperum! Longi pro dedecus ævi
Barbarus Heſperias exul poſſederat oras,
Sceptraque dejecto dederat Romana clienti.

Claud. de 3. Conſ. Hon.

Solâ fere eloquentiâ nobilis erat Eugenius, qui ne vel in Chriſtianam Religionem ſincerè ſatis affectus erat. Sperabat ſe purpuram firmiter retenturum, inductus verbis hominum, qui ſe futura noſſe jactabant ex inſpectatione extorum, ſyderumque obſervatione. Superſtitioſius hæc augebat Flavianus tum Præfectus, *Cujus aſſertionibus Eugenium victorem fore pro certo præſumpſerant.* Porro Theodoſium legatione adire tyranno placuit. Quâ *Ruffinus* Athenienſis fungebatur, qui nec literas Arbogaſtis ſecum attulit, nec ullam aliam mentionem illius fecit. Quærebatur, aſſentiritne Theodoſius vellet Eugenianæ evectioni, vel repugnaret. Quin etiam, ſi Ruffino credimus Hiſtorico, *Fuere nonnulli Sacerdotum, qui pacis legatione ſuſceptâ innocentem eſſe Arbogaſtem à mortis ſcelere apud Theodoſium teſtarentur.* Intereà pergratum Ethnicis, ut faceret Eugenius, quæ Valentinianus Symmacho negaverat, ea petentibus Flaviano, & Arbogaſti conceſſit, aram Victoriæ ſcilicet, & ſumptus ceremoniarum. Quod ubi audivit Ambroſius Epiſcopus, relictâ urbe Mediolanenſi, ad quam Eugenius properabat, Bononiam migravit. Ad illum ſcripſerat tyrannus vel ab imperii initio, cui non reſponderat Sanctus Præſul, utpote qui jam mente prævidebat, quæ precibus Ethnicorum conceſſurus erat Eugenius. Ubi verò novit votis annuiſſe, diutius ſilere noluit. Scripſit igitur Epiſtolam, in qua cur non expectato Eugenio Mediolanum exierit, rationes exponit: *Clementiſſimo Imperatori Eugenio Ambroſius Epiſcopus. Seceſſionis meæ cauſa timor Domini fuit, ad quem omnes actus meos, quantum queo dirigere, neque unquam ab eo mentem deflectere, nec pluris facere cujuſvis hominis quam Chriſti gratiam conſuevi. Nemini injuriam facio, ſi omnibus Deum præfero.* Perſtrinxit & Eugenium, quòd ad ſacrificia numinibus perpetranda ſumptus erogaret. Id primum quidem Eugenius petentibus negaverat, ſed alterâ virorum illuſtrium legatione victus, quæ poſtulabant tandem conceſſit, eo prætextu, quòd non Templis ſanè, ſed præſtantibus viris de ſe optime meritis ea tribuiſſet: *Ubi clementia tua imperii ſuſcepit gubernacula, compertum eſt poſteà, donata illa eſſe præcellentibus in Repub. ſed Gentilis obſervantiæ viris: & fortaſſe dicatur, Imperator Auguſte, quia ipſe non Templis reddideris, ſed benè meritis de te donaveris. Verum noſti pro Dei timore agendum eſſe conſtanter.* Pugnat etiam exemplo Judæorum, qui collatam in ſacrificium Herculis pecuniam voluerunt navibus inſtaurandis inſumi. Denique cedro digna hæc ſubjungit, *Cùm privato detulerim in corde intimo, quomodo non deferrem Imperatori. Sed qui vobis deferri vultis, patimini ut deferamus ei, quem imperii veſtri vultis autorem probari.*

ANNO DOM. 392.

Zozim. l. 4. c. 55.

Ruf. l. 2. c. 31.

Ambr. Ep. 15.

Tatianus dignitatibus exuitur: calamitates ejus.

VI. Ad res in Oriente geſtas pergamus. Ruffinus gratiâ, quâ apud Theodoſium pollebat, impotenter abuſus, carnificum ſecures illuſtri ſanguine cruentari voluit. *Tatianus*, vir ſingularis virtutis, quem plurimis ſub Valente dignitatibus functum ad Prætorio Præfecti in Illyrico honorem Theodoſius evexerat, cujus & nomen anno proximo Faſtis ſcriptum fuerat, & Proculus Tatiani filius, quem Conſtantinopolitanum Prætorem dixerat, accuſantur à Ruffino, cujus eâ duntaxat ratione clariſſimi viri odium ſibi conciliarant, ſi Zozimo fides, quòd officia ſua caſtiſſimè, & incorruptiſſimè adminiſtrarant. Verùm Theodoſii Leges complures docent, onera à Tatiano multa Provincialium humeris fuiſſe impoſita, quæ anno ſequente ſunt abrogata. Ut perfici poſſent, quæ in eos agitabantur conſilia, prius Præfectura Tatiano abdicatur, & in jus ducitur, Ruffino Præfecto Aulæ deſignato. *Proculus*, qui ſuſpectam Ruffini habebat induſtriam, metuebatque, ne quid novi molitus, arte quâdam res ſuas conturbaret, animadverſis inſidiis fugâ ſibi conſuluit. Tum Ruffinus Imperatori perſuadet, ut tam patrem, quàm filium magnis ſpebus impleat. Quibus deluſus Tatianus, eò

impel-

impellitur, ut filium per literas revocaret. Proculum ſimul atque comparuit, correptum carcer excipit: *Et Tatiano patriam incolere juſſo frequenter ad cognoſcendam Proculi cauſam coitur. Tandem Judices Proculum morte mulctandum Sycas, quod ſuburbii nomen eſt, abduci jubent. Id Princeps animadvertens miſit, qui gladium à cervicibus ejus revocaret. At is Rufini mandato parens, tardius abiit, & ubi jam caput abſciſſum fuerat, advenit.* Triſtem adoleſcentis caſum depingit Claudianus:

Zoz. l. 4. c. 52.

Lib. 1. in Rufinum.

Juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtricta cecidere ſecuri,
Ibat grandævus nato moriente ſuperſtes
Poſt trabeas exul.

Mortis diem eximit oblivioni Chronicum Alex. *Proculus Expræfectus capite punitus eſt in Sycis* VIII. *Idus Decembris.* Obitum tamen anno tardius uno conſignat. Macedonem, non *Lycium* Tatianum fuiſſe, indicat Zozimus l. 4. c. 45. Theodoſius *accerſitum Aquileiâ Tatianum Prætorio Præfectum in patria declarat.* Ob delictum in Lycia perpetratum Tatianus in jus ductus eſſe videtur, ut ex Lege 9. de Indulgentiis criminum colligitur: *Nec unius viri illuſtris Tatiani tantum valuerit temporalis offenſio teterrimi Judicis inimici, ut adhùc macula in Lycios perſeverat, quæ in ipſo jam temporis abſolutione conſumpta eſt.* Cladibus porro ſuis Tatianus innocenti Chriſtianorum cruore pœnas dabat. Anno Dom. CCCLXVII. Præfectum agens Alexandrinum crudeliſſimæ Valentis perſecutionis miniſtrum ſe præbuerat, ut Rufinus monuit. Cui conſentit & Autor vitæ Athanaſii apud Photium: *Tatianus tunc Ægypti Præſes cædium, quibus multis Ægyptios affixerat, ſtatim pœnas divina vindicta dedit. Simul enim dignitate & pecuniis privatus ſtipem petiit, & ignominiosè mortuus eſt.* Quæ tamen non ſatis accuratè ſcripta, cùm diu ſatis, non *ſtatim* poſt Præfecturam Ægyptiacam loco ſuo motus ſit: Tatiani caſus accuratius ſcribit Aſterius Amaſeæ Epiſcopus in Oratione ſua adverſus Calendarium Feſtum: *Illum autem Expræfectum, invictum illum ut putabatur, ac leonini pectoris, qualis vitæ cataſtrophe excepit! Primùm quidem filium ſuum vidit capite truncatum, tum & ipſe capitali ſententiâ damnatus eſt, laqueoque jam gulæ admoto, clementiâ Principis manibus carnificis exemptus eſt, ut quantulum ætati ſupererat, ſenex in dolore & calamitate, ſenſuque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ, tali magni Conſulatus exitu, vitâ decederet.*

Phot. Cod. 358. pag. 1450.

Aſter. B. M. P. t. 5. p. 818.

Leges de abroganda ſuperſtitione à Theodoſio latæ.

VII. Dum in Occidente ſuperſtitionis monumenta reſtituit Eugenius, in Oriente ea tolli omnia Theodoſio placuit. Gradatim in evellendis Idololatriæ monumentis proceſſerat. Primùm enim ſacrificia prohibuerat, inſigniora Templa ſubruerat, aut fiſco addixerat. Necdum tamen ceremonias omnes abrogarat, non thurificationem, non ornamenta imaginum, non fanorum ingreſſum. Quæ tandem prohiberi voluit latâ Lege VIII. Novembr. *Nullius omninò ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in poteſtate poſitus, vel honore perfunctus, ſive potens ſorte naſcendi, ſeu humilis genere, conditione, fortunâ, in nullo penitùs loco, in nulla urbe, ſenſu carentibus ſimulacris, vel inſontem victimam cædat, vel ſecretiore piaculo Larem igne, mero, Genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat. Quòd ſi quiſpiam immolare hoſtiam ſacrificaturus audebit, aut ſpirantia exta conſulere, ad exemplum majeſtatis reos licitâ cunctis accuſatione delatus, excipiat ſententiam competentem, etiamſi nihil contra ſalutem Principum, aut de ſalute quæſierit,* &c. *Data* VI. *Idus Novembr. Conſtantinopoli Arcad. Aug.* II. *& Rufino Coſſ.* Hanc Ambroſius Legem laudibus cumulavit in Oratione funebri Theodoſii verbis ejuſmodi: *Qui abſcondit ſimulacra Gentium. . . . Omnes enim cultus Idolorum fides ejus abſcondit: omnes enim ceremonias obliteravit.* Quippe non ſacrificia modò, ſed thura quoque Idolis oblata prohibuit: *Namque omnia loca, quæ thuris conſtiterit vapore fumaſſe, ſi tamen ea in jure fuiſſe thurificantium probabuntur, fiſco noſtro adſocianda cenſemus.* Sic non confeſtim, ſed variis gradibus Ethnica ſuperſtitio Principum Legibus deleta eſt. Conſcripſerat quoque de Hæretico Legem: *In Hæreticis erroribus quoſcumque conſtiterit vel ordinaſſe Clericos, vel ſuſcepiſſe officium Clericorum, denis libris auri viritim mulctandos eſſe cenſemus,* &c. Dato eſt Conſtantinopoli XVII. Kal. Julii. Alias & Leges condidit, quæ extant in Cod. Theodoſiano. Nos ad alia properamus.

Cod. Theod. l. 12. de Pagan.

Hæreſim Origenis objicit Hieronymus: ejus inconſtantia.

VIII. Dum præclaris Legibus Theodoſius ſuperſtitiones exterminat, rixæ Epiphanii Joanniſque quàm ſolitò magis magnæ turbabant Eccleſiam. Involuti famâ ſuâ Origenis cineres diu placidè quieverant; neque defuncto viro, & eruditione, & pietate verè magno hæreſeos òicam ullus ſcripſerat. Integrâ ſuâ gloriâ fruebatur, ipſiſque Hieronymo fuerat admirationi. Placuit tandem nonnullis, famam mortui detergere, errores accuſare, miſeriſque modis hominem de Eccleſia benè meritum proſcindere. Ac Diocletiani quidem temporibus *Methodius* Tyrius doctrinam Origenis impugnarat. Sed vir quemquam ad ſuas partes pellexit. Ortâ Arianâ factione, dum Origenes ſuffragium ſtudioſius ambit, Orthodoxi Origenis cauſam non ſatis diſtinguentes ab Ariana, utramque damnaverunt. De celebritate Origenis detractum maximè, cum ſuſceptis inter viros Eccleſiaſticos nonnullos inimicitiis, maximis motibus Eccleſia concutitur. Hieronymus quidem, totis viribus Origenem aggreſſus, capita erroris octo refellit in ſua ad Pammachium de erroribus Joannis Hieroſolymitani Epiſtola: *Et primum de libro περὶ ἀρχῶν, ubi loquitur, Sicut enim incongruum eſt dicere, quòd poſſit Filius videre Patrem, ita inconveniens eſt opinari, quòd Spiritus Sanctus poſſit videre Filium. Secundum, quod in hoc corpore quaſi in carcere ſint animæ religatæ, & antequam homo fieret in Paradiſo, inter rationabiles creaturas in cœleſtibus commoratæ ſunt. Tertium, quòd dicat, & Diabolum, & Dæmones acturos pœnitentiam aliquando, & cum Sanctis ultimo tempore regnaturos. Quartum, quòd tunicas pelliceas humana corpora interpretetur, quibus poſt offenſam & ejectionem de Paradiſo Adam & Eva induti ſunt, haud dubium quin antè in Paradiſo ſine carne, nervis & oſſibus fuerint. Quintum, quòd carnis reſurrectionem membrorumque compagem, & ſexum, quo viri dividimur à fœminis, apertiſſimè neget. Sextum, quòd ſic Paradiſum allegorizet, ut hiſtoria auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœleſtes intelligens. Septimum, quòd aquas, quæ ſuper cœlos in Scripturis eſſe dicuntur, ſanctas ſupernaſque virtutes, quæ ſupra terram, & infra terram contrarias, & Dæmoniacas eſſe arbitretur. Octavum, quòd extremum objicit, imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam conditus fuerat, dicit ab*

Hier. Ep. 61. c. 3.

ro deperditam, & in homine poſt Paradiſum fuiſſe. Si vera loqui fas eſt, plus æquitatis in accuſatore requirimus, Origenem miratus erat Hieronymus, laudaverat, ſibi gloriæ ducebat, quòd ſcitis Origenis Opera ſua reſperſerat. Imò Præfatione in librum nominum Hebraicorum disertè ſcripſerat: *N. Teſtamenti verba & nomina interpretatus ſum, imitari volens ex parte Origenem, quem poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum nemo niſi imperitus negat.* Hic tamen ille Eccleſiarum Magiſter mutato Hieronymo fit Hæreticus. Vix noſtris fidem habemus oculis, dum Hieronymi in Epiſtola ad Theophilum legimus: *Origeni ſemper dogmatum conſtantiſſimè abſtuli veritatem.* Hem ſemper, & conſtantiſſimè abſtulit Origeni dogmatum veritatem! Qui igitur pro Eccleſiarum Magiſtro habuit Origenem? Præficitne Hæreticum Eccleſiis Doctorem? Inconſtantia hæc non nobis placet. Primùm de ſuis erroribus non monitus erat Origenes: abfuit itaque pertinacia, quâ propriè conſtituitur hæreſis. 2°. In aliis locis mentem aperit ſuam Origenes. 3°. Non ita comparatum eſt, ut errores ſalutem omnes eripiant: ea duntaxat errorum eſt indoles, eorumque *fundamentales* vocantur. Denique qui momenti ſunt alicujus, utpote Trinitatem evertentes, ab Origene abjudicandos eſſe oſtendit doctiſſimus Huetius in Origenianis, qui præcipuè legendus *quæſtione ſecundâ de Sanctiſſima Trinitate*: ubi iis rationibus eum defendit, quæ ſuam Origeni innocentiam reſtituunt. Etſi non diffiteamur, loca eſſe nonnulla durius ſanè ſcripta, At ſi eâdem ſeveritate Patrum dicta examinaremus omnia, qui Synodo Nicænâ majores fuere, multis quidem hæreſeos labes objiceretur.

Hier. Ep. 62. c. 2.

Dicteria Origeniſtarum. Qui Pelusiotæ? Error Baronii.

IX. Parte alterâ, qui Origeni favebant impenſius, ipſius adverſariis non parcebant, quos dicteriis aſpergebant, quæ recordatur Hieronymus: *Illa ſunt ſtrophæ veſtræ, atque præſtigia, quibus nos Peluſiotas, & jumenta, & animales homines dicitis, quia non recipimus ea, quæ Spiritus ſunt.* Cur verò *Peluſiotarum* nomen ſuis adverſariis impoſuerint fautores Origenis, quæritur ab eruditis. Marianus Victorius ſic cenſet: *Peluſiotas autem vocat pigros, terrenoſque à Peluſio Ægypti urbe.* Quæ explicatio non eſt accurata. Alludit itaque Hieronymus ad Græcam vocem πηλὸς, *lutum*, unde & Peluſium civitas nomen accepit ſuum. Baronio vox *Peluſiotas* diſplicuit: *Pilosiotas*, inquit, *novâ voce pro ludibrio nuncupabant, non autem Peluſiotas, ut depravatè legitur, ſubſannantes Catholicos, quaſi crederent mortuos reſurrecturos etiam cum pilis.* Quam novam ſanè audacemque conjecturam meritò vexavit Huetius ἐν τοῖς: *Catholicos appellabant Peluſiotas, quòd tanquam luto immerſi, & curvi in terras, ac cæleſtium inanes eſſent, ad vocem πηλὸς ſcurrili joco alludentes. . . . Expoſitionis noſtræ fidejuſſorem damus Hieronymum ipſum, Epiſtolâ 65. ad Pammachium & Oceanum, cap. 3. Peluſiotas, inquit, nos apellant, & luteos, animaleſque, & carneos, quòd non recipiamus ea, quæ Spiritus ſunt. Manifeſtius etiam in Jerem. 29. 14. Quæ cùm audiunt diſcipuli ejus* (Origenis) *& Grunniana* (hoc eſt, Rufini) *familia ſtercora, putant ſe divina audire myſteria, noſque qui iſta contemnimus, quaſi pro brutis habent animantibus, & vocant πηλουσιώτας, eò quòd in luto iſtius corporis conſtituti non poſſimus ſentire cæleſtia.* Joanni favebant Didymus Alex. Evagrius Ponticus, Palladius, Rufinus, & ut vero proximum, Theophilus Alex. qui mutatâ demum ſententiâ Origeni ſe adverſarium intendit.

Hier. Ep. 61. c. 5.

Bar. Ann. 393. n. 10.

Huet. Orig. l. 2. c. 4. 301.

Iſidorum de componendo Joannis & Hieronymi diſſidio mittit Theophilus.

X. Cùm Joannis & Monachorum Palæſtinæ diſſidia viris cordatis dolori eſſent, *Archelaus* Comes *diſertiſſimus, & Chriſtianiſſimus* pacis arbiter eſſe voluit. Pollicetur Joannes adventum ſuum: *Inſtabat dies Paſcha, frequens Monachorum turba convenerat.* Mandat Joannes, qui expectabatur, ob morbum mulieris cujuſdam ſe non poſſe venire. Reſcribit Archelaus, *monet altero & tertio die manere, ſi vellet venire.* At nauſeam patiente muliercula Monachorum obliviſcitur. Dum eò loci res erat, ab Alexandrino Præſule Theophilo mittitur Iſidorus Presbyter componendo diſſidio. Sed pacis ſequeſter non erat idoneus, utpote impensè favens Origeni. Audiatur Hieronymus: *Literæ manu ejus ſcriptæ, quæ ante tres menſes legationis ad nos directæ erant, portantes errorem, Vincentio Presbytero redditæ ſunt, quæ uſque hodie ab eo tenentur, quibus cohortatur Ducem exercitus tui, ut ſuper petram fidei ſtabili perſiſtat gradu, nec noſtris næniis terreatur. Pollicetur ſe antequam legationis eſſet ulla ſuſpicio, venturum Hieroſolymam.* Ibi Joannis Apologia, quam Theophilo miſit, ab ipſo Iſidoro dictata eſt, *Ut idem eſſet & dictator, & bajulus literarum.* Quin etiam cum tribus viribus ad Monachos acceſſiſſet, literas Theophili noluit reddere. Dicenti Hieronymo, *Si Legatus es, redde legationis Epiſtolas; ſi Epiſtolas non habes, quomodo Legatum te probabis.* Reſpondit, ſe habere quidem literas, adjuratum tamen à Joanne, ne eas redderet. Quærenti autem Iſidoro, Cur Joanni communicavere, ſi hæreticus erat, reſponſum Monachi dedere: *Communicavimus, nihil de hæreſi ſuſpicantes. Poſtquam verò à Beato Papa Epiphanio conventus, tam ſermone, quàm literis reſpondere contempſit, cunctis Monachis ab eodem Epiphanio ſcripta venerunt, ut abſque ſatisfactione fidei nullus ei temerè communicaret.* Sic inflammata magis quàm compoſita Iſidori legatione diſſidia. Apologiam Joannes Theophilo miſit ſuam, cujus iſtud erat exordium: *Tu quidem ut homo Dei, & Apoſtolicâ ornatus gratiâ, curam omnem Eccleſiarum, maximè ejus, quæ in Hieroſolymis eſt, ſuſtines, cùm ipſe plurimis ſollicitudinibus Eccleſiæ Dei, quæ ſub te eſt, diſtringaris.* Scripſit & Hieronymus Theophilo, per ſe non ſtare, quin fracta amicitia reſarciatur, dummodò non per vim extorqueatur. Exemplo Hilarii excuſat ſeſe, quòd Origenem verterit. Addit, fratrem ſuum Paulinianum Joannis in Diœceſi non fuiſſe creatum ab Epiphanio Presbyterum, quòd Monaſterium, ubi Paulinianus ordinatus eſt, *Eleutoropolitano territorio, non Elienſi* includeretur. Queritur denique ſibi, Monachiſque à Joanne & poſtulatum exilium, & impetratum. Non tamen Joannis proceſſere conſilia.

Hier. Ep. 61. c. 15.

Ibid.

Ibid.

Hier. Ep. 62.

Hieronymus ſchiſmatis accuſatus, ſeſe purgat.

XI. Intereà Joannes non quieſcebat, qui palam & ubique Hieronymum ſchiſmatis poſtulabat. Quam impoſitam ſibi injuriam eluit: *Quis ſcindit Eccleſiam? An nos, quorum omnis domus Bethleem in Eccleſia communicat; an tu, qui aut bene credis, & ſuperbè de fide taces; aut malè, & verè ſcindis Eccleſiam. Nos ſcindimus Eccleſiam, qui ante paucos menſes circa dies Pentecoſtes, cùm obſcurato Sole omnis mundus jamjamque venturum Judicem formidaret, quadraginta diverſæ ætatis & ſexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certè quinque Presbyteri erant in Monaſterio, qui*

Hier. Ep. 61. c. 16.

ſuo

Anno Dom. 392.

ſuo jure poterant baptizare ; ſed noluerunt quidquam contra ſtomachum tuum facere, ut & hæc tibi de fide retinendæ daretur occaſio. An non tu ſcindis Eccleſiam, qui mandas Clericis tuis, ut ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum Presbyterum dixerit, Eccleſiam prohibeatur intrare? Ex quo tempore uſque in præſentem diem videmus tantum ſpecum Domini, & Hæreticis intrantibus procul poſiti ſuſpiramus? Noſne ſumus, qui Eccleſiam ſcindimus, an ille, qui vivis habitaculum, mortuis ſepulchrum negat, qui fratrum exilia poſtulat? Eo loci erat res Hieronymi cùm Pammachius rumore tantarum rixarum afflatus, Hieronymum ſibi amicum hortatur, ut de iſtis diſſidiis Epiſtolam ſcribat, quâ terrarum orbis viri notitiâ inſtrueretur. Roganti paruit Hieronymus ſcriptâ, quæ hoc anno lucem aſpexit Epiſtolâ: *Noſti, Pammachi, noſti, me ad hoc opus non inimicitiis, non gloriæ cupiditate deſcendere, ſed provocatum literis tuis ex ardore fidei, ac velle ſi fieri poſſet, omnes id ipſum ſapere, nec impatientiæ & temeritatis poſſe reprehendi, ſi poſt triennium loquar.* Aſperè hac in Epiſtola adverſus *Joannem* invehitur, quem Arianis olim faviſſe tradit. Inſtat urgetque, ut de Origenis erroribus, quibus ab Epiphanio poſtulabatur, ſeſe purget: *Octo quæſtionum capita objecta fuiſſe* dicit, quorum tangit tria duntaxat, omiſſis cæteris. Errores, qui aſcribebantur Origeni, fusè refellit. Anno ſequenti Epiſtolam aſſignat Baronius, cujus Chronologiæ repugnat Eclipſis, quam *circa dies Pentecoſtes* contigiſſe memorat Hieronymus. Eclipſis ſub hæc tempora nulla fuit, anno CCCXCIII. fatente Calviſio, licet Baronii Chronologiam fuerit amplexus: *Hieronymus*, inquit, *in Epiſtola contra Joannem meminit tenebrarum in Feſto Pentecoſtes, ſed in Pentecoſten nunquam incidit, nec plenilunium, nec novilunium, & latitudo Lunæ circa hoc tempus in vero planè refragatur.* Jacobus verò Capellus demonſtrat anno CCCXII. Eclipſin fuiſſe Junii VI. diebus viginti uno poſt Pentecoſten, quæ Maii decimum ſeptimum ſibi vindicavit: ut non immeritò ſcripſerit Hieronymus, *circa dies Pentecoſtes* obſcuratum Solem eſſe. Labente quoque anno librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis Hieronymus abſolvit ſuum, ut ipſe docuit: *Hieronymus patre Euſebio natus, oppido Stridonis uſque in præſentem annum, id eſt, Theodoſii* XIV. *hæc ſcripſi.* Neque in ſequentem annum cum Pagio librum eum transfert Marcellinus: *Arcadio II. & Rufino Coſſ. uſque hunc* XIV. *Theodoſii imperii annum B. Hieronymus poſt Aſcenſionem D. N. J. C. à Petro Apoſtolo incipiens, & in ſemet ipſum deſinens, 135. virorum illuſtrium Eccleſiaſtica volumina deſcripſit, apud Bethleem oppidum degens.* Ex eo libro multa ad illuſtrandam Hiſtoriam idonea deſumpſimus.

Auguſtini cum Fortunato diſputatio.

XII. A Palæſtinæ diſſidiis transgrediamur nunc ad celebrem Auguſtini cum *Fortunato* diſputationem. In urbe Hipponenſi Manichæorum Presbyterum *Fortunatus* agebat, vir non minimi apud ſuos nominis. Teſtibus populis colloquentium verba ab exceptoribus ſcripto mandantur. Quorum ex Actis diſputationis tempus innoteſcit: *Quinta Calendas Septembris, Arcadio Auguſto bis, & Rufino viris clariſſ. Coſſ. habita diſputatio adverſus Fortunatum Manichæorum Presbyterum, in urbe Hipponenſium regionum in balneis Soſii, ſub præſentia populi.* Biduo diſputatio continuata. De fide quæſtionem ingredi volenti Auguſtino, tempore Manichæorum, quam olim coluerat, diſciplinæ perito, hæc *Fortunatus* loquitur: *Ex te ergo præſentes audiant boni viri, utrùm ſint vera, ſuper quibus criminamur, & appetimur, an ſint falſa.* Cui reſpondet Auguſtinus: *De moribus veſtris plenè ſcire poſſunt, qui electi veſtri ſunt, in oratione, tu quamvis ſim, nihil turpe geri vidi.* Suas adverſus Solem orationes fundebant. Verſabatur quæſtio de mali cauſa, quam libero hominis arbitrio rectè Auguſtinus aſſignabat, Fortunatus verò Principi tenebrarum: *Mihi*, inquit, *ratio quærenda eſt, quemadmodum anima, & ob quam cauſam in mundum venerint: nos dicimus quod à contraria natura anima cogitatur delinquere.* Inſtabat poſcebatque ab adverſario Auguſtinus: *Iterum atque iterum quæro, ſi Deo nil nocere poterat, cur huc animas miſit?* Quæſtioni reſpondet Fortunatus: *Naturæ contrariæ modum imponere.* Quæ reſponſio cùm oſtenderetur abſurda, quòd animæ in ſcelerum abyſſum mergerentur, ne dum naturæ contrariæ modum imponerent, redactus ad incitas Fortunatus talia fatur: *Sine præjudicio profeſſionis meæ dixerim illa, quæ à te opponuntur, cum retracta verò meis cum majoribus: ſin minus reſponderint interrogationi huic meæ, quæ ſimiliter à te nunc mihi offertur, erit in mea contemplatione, quia & ego animam meam certâ fide liberari, & venire ad hujus rei inquiſitionem, quæ à te mihi offertur, & oſtenſurum te pollicearis. Auguſtinum dixit, Deo gratias.* Porro promiſſionis immemor illam non implevit Fortunatus, cujus caſus paucis nos Auguſtinus docuit: *Nec ſanè Catholicus factus eſt, ſed tamen ab Hippone diſceſſit.* Inſpiciatur de ea diſputatione *Poſſidius* de Vita Auguſtini, cap. 6. Quin in bonum ceſſerit Eccleſiæ Auguſtini victoria hæc nulli dubitamus. Si qua fides eſſet ſermoni ſexto, qui dicitur Auguſtini ad fratres in eremo, eâ diſputatione multi ſuperſtitionem exuere: *Poſt cujus,* (Fortunati ſcilicet) *receſſum baptizavi ferè ſexaginta Paganos.* Sed fatentur omnes, ſermones iſtos Auguſtini non eſſe. Fortunato, qui pudore Hipponem reliquerat, ſucceſſor datur à Manichæis, quem ſcripto adiit Auguſtinus: *Denuncio tibi in nomine Chriſti, ut ſi paratus es, ſolve quæſtionem, in qua defecit præceſſor tuus Fortunatus, & ita hinc iras, ut non redires, niſi cum ſuis diſputatione collatâ inveniret, quod contra reſpondere poſſet, diſputans cum fratribus. Sin autem ad hoc non es paratus, diſcede hinc, & noli pervertere vias Domini.*

Ang. l. 6.

Aug. Retr. l. c. 16.

Aug. Ep. 244.

Anno U. C. 1146. Olymp. 293. Per. Jul. 5106. Jul. 438. Dom. 393. Theodos. 15. Arcad. 10. Honorii 1. *Sol.* 10. B. *Lun.* 14. *Indict.* 6. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

Anno Dom. 393.

Coss. *Theodoſius Aug.* III. *& Abundantius.*

Honorius creatur Auguſtus, Quo die?

I. NOn minimum doloris Theodoſio incuſſerat mors Valentiniani, quem ætate florentem, amicitiæque affinitatiſque vinculis ſibi conjunctum amiſerat. Ac ſanguis quidem optimi Principis quærebat ultorem: non injuſto tamen metu corripiebatur Theodoſius, cui Arbogaſtis fortitudo probè nota. Perpenſis tamen omnibus, perfidos ultioni & gloriæ decrevit eſſe mactandos. Ubi de ſumma rerum aleam jacture conſtituit, ea fecit, quæ bello quod moliebatur, conducebant. Primùm ad purpuram vocat

Anno Dom. 393.

Honorium, minorem natu filium, quem ex Flacilla die v. Iduum Sept. anno Dom. 384. ſuſceperat, Richomere & Clearcho Coſſ. Nonus ætatis ſuæ annus Honorio labebatur, cùm ſummæ rerum præficitur. Inaugurationis tempus Socrates memoriæ credidit. Filium ſuum *Honorium* Auguſtum renuntiavit, ſe tertiùm, & Abundantio Coſſ. *Ante diem quartum Idus Januarii.* Fueritne eo menſe evectus ad imperium Honorius, ambiguum faciunt Proſper atque Marcellinus. Verba ſunt Proſperi: *Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco, quo fratrem ejus Arcadium Cæſarem fecerat, Principem conſtituit, ſeptimo ab urbe milliario, cùm horâ diei tertiâ tenebræ factæ ſunt.* Eadem penè Marcellinus habet. Hinc Petavio creditum, Honorii inaugurationem in Novembrem incidiſſe, quo tempore contigit Solis Eclipſis, quam deſcribit Calviſius: *Marcellinus & Proſper affirmant, hoc anno horâ diei tertiâ tenebras obortas fuiſſe. Quæ verba non incommodè de Eclipſi Solari intelliguntur, quæ accidit die XX. Nov. & minutis viginti ante meridiem, horâ tertiâ poſt exortum Solem, poſt mediam noctem Romæ, horis novem, & minutis* 43. &c. Ægrè tamen patimur, Socratem ea memorantem, quæ Conſtantinopoli præſente ſe geſta ſunt, falſi poſtulari. Quæ de tempore inaugurationis Honorianæ refert, quis neget ex monumentis publicis hauſta fuiſſe? Socratis adjuvat Chronologiam Theodoſii Junioris ad imperium evectio, quæ quarto & Iduum Januariar. die facta eſt, ut ſimili tempore patruique nepotiſque conſecratio perageretur.

Socr. l. 5. c. 25.

Theodoſius Joannem de bello conſulit.

II. Præterea cùm magnus hoſtis ingentibus copiis ſubnixus Theodoſio comprimendus eſſet, cœleſte terrenumque ſimul auxilium ſibi comparare voluit. In bello adverſus Maximum geſto fatidicam Joannis Ægyptii Monachi ſapientiam fuerat expertus. De expeditione, quam in Eugenium parabat, ſimiliter & Joannem conſuli voluit. Ad Joannem igitur quoſdam miſit qui peterent, num tyrannis bellum inferri oporteret? Legatorum præcipuus erat *Eutropius* Eunuchus, qui in mandatis habebat, Joannem ſi fieri poſſet adducere, ſin minus, ab eo ſaltem diſcere quid agendum. Reverſus Eutropius, *nuntiavit Theodoſio, quòd victoriam ex bello relaturus eſſet, extinctoque tyranno poſt victoriam in Italia ipſum eſſe moriturum.* Benignis quoque Legibus vectigalium, quæ Tatianus nuper Præfectus Prætorio impoſuerat, onera populis levavit: *Æraria præſtationis adjectio, quam citra priſcam conſuetudinem Provincialium humeris Tatianus impoſuit, à cunctis penitùs ſalubri moderatione removenda eſt. Data pridie Idus Junii Conſtantinopoli Theodoſio* III. *& Abundantio Coſſ.* Aliâ Lege proſcriptorum bona, quæ Tatianus fiſco juſſerat adnecti, Imperator hæredibus reddi jubet. Noluit etiam eos, qui ipſius famam laceſſebant, pœnis ſubjici, nec durum aliquid ſuſtinere.

Sozom. l. 7. c. 22.

Synodus Hipponenſis. Fueritne ipſius Canones in capitulum à Carthaginenſibus redacti?

III. Dum oppugnando Eugenio ſeſe accingit Theodoſius, Africani Patres Hipponem regium confluxere, de reſtituenda Eccleſiæ diſciplina. Plenaria hæc Synodus fuit, teſte Poſſidio. Locumque tempuſque Synodi nos Eccleſiæ Africanæ Canonum Codex docuit: *Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio Auguſto* III. *& Abundantio, viris clariſſ. Coſſ.* VIII. *Idus Octobris Hippone regio in ſecretario Baſilicæ Pacis.* Synodo interfuit & Auguſtinus, qui de fide Symboloque diſputavit, ut ipſe monuit: *Per idem tempus coram Epiſcopis, hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone regio agebant, de fide & Symbolo Presbyter diſputavi. Quam diſputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, ſtudioſè inſtantibus, in librum contuli. . . Hoc Opus ſic incipit, Quoniam ſcriptum eſt,* &c. Baronii ſententia hæc eſt, ſancitos ibi Canones in breviarium fuiſſe reductos: *Nam ipſorum* XLII *capitulorum brevis ſumma deſcripta eſt, quæ ndem facilius innoteſcerent, idque Decreto Concilii Carthaginenſis poſteà celebrati, Cæſario & Attico Coſſ.* Neque diffitemur, apud eruditos hanc ſententiam obtinuiſſe. In editione quidem Conciliorum Labbeana legitur: *Concilii Hipponenſis abbreviationes factæ in Concilio Carthaginenſi tertio.* Sequuntur deinde capitula quadraginta unum. At re graviori lance perpenſâ, Schelſtratus anno 1679. librum edidit *de Eccleſia Africana, ſub Primate Carthaginenſi*, quâ veroſimilibus rationibus oſtendit, Synodicam Carthaginenſem veteri novâque editione exhibitam, non Carthaginenſis quidem, ſed Byzaceni eſſe Concilii, vel ſi *non ſuppoſititiam, ſaltem interpolatam eſſe.* Hoc autem variis probat argumentis. I. Inſcribitur Epiſtola Synodica *Epiſcopis Numidiæ, Mauritaniæ utriuſque, Tripolis, & Provinciæ Proconſularis*, omiſſâ Byzacenâ, cujus alia afferri ratio non poteſt, quàm quòd hæc Synodica ab Epiſcopis Byzacenis ſcripta ſit ad alios Antiſtites, etiam Proconſularis Provinciæ, cujus Metropolitanus tum temporis erat Aurelius. II. In Concilio Carthaginenſi tertio hæc habentur apud Codicem Canonum: *Litera fratrum Byzacenorum, ſed & breviarium, quod eidem Epiſtolæ adjunxerunt ad hunc cœtum congregatum legantur, ut ſi quæ fortè illic movere charitatis veſtræ animum poſſunt, in eodem breviario, quæ diligentius fuerint animadverſa, in melius reformentur. Hoc enim frater, & Coëpiſcopus noſter primæ ſedis Mizonius, ſcribens ad meam parvitatem poſtulavit. Si ergo placet, quæ tractata ſunt, legantur, & ſingula à veſtra charitate conſiderentur. Epigonius Epiſcopus dixit, In hoc breviario, quod decerptum eſt de Concilio Hipponenſi, nihil arbitramur eſſe emendandum, vel aſſuendum, niſi ut dies S. Paſchæ tempore Concilii innoteſcat.* Ex quo conficitur, nihil ex ſtatutis Hipponenſibus relatum fuiſſe, inter Canones Concilii Carthaginenſis tertii, quàm illud, quod de Paſchate tractat. Cùmque omnes tituli in breviario contenti inveniantur, & aucti reperiantur in Carthaginenſi tertio, apparet titulos conſtituere non *Hipponenſis*, ſed *Carthaginenſis* potius breviarium. De moroſa hac quæſtione videatur Schelſtratus Eccleſiæ Afric. Diſſert. 3. c. 6. Porrò pauci Hipponenſis Concilii Canones nobis innoteſcunt, quos ſubjicit ille ipſe Schelſtratus. Unus fuit de Paſchate, etſi quotus fuerit, ignoretur. III. Ut ſi quis Epiſcopus à Synodo fuerit excommunicatus, communicare non audeat. V. Ut Epiſcopi, ſive Presbyteri, ea quæ ſunt in locis ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, niſi cauſas antè reddiderint. VIII. Ut Epiſcopi, quidquid nomine ſuo comparaverint, cogantur Eccleſiæ refundere: quidquid autem eis donatur, cui voluerint, conferant. IX. Epiſcopi rem Eccleſiæ ſine Primatis conſilio non vendant, nec Presbyteri ſine conſcientia Epiſcopi. Alia quædam & in Hipponenſi Concilio Decreta reperiuntur. In Carthaginenſi anni Dom. 401. Fravitâ & Vincentio Coſſ. ubi legitur: *Dies Concilii idem ſerve-*

Lab. Conc. t. 2. 1065.

Aug. Retr. l. 1. c. 17.

Anno Dom. 393.

Bar. An. 393. n. 33.

Lab. Conc. t. 2. 1068.

Anno Dom. 393.

ſervetur, qui in Hipponenſi Concilio conſtitutus eſt, id eſt, x. Kal. Sept. Sed & Carthaginenſe anno Dom. cccevii. celebratum, hæc etiam habet: *Conſtitutum fuerat in Concilio Hipponenſi, ut ſingulis annis contraberetur Concilium Africa plenarium.* Ex ordine Canonum Hipponenſium, qui ex Ferrandi *Breviatione* ſuppeditantur, luce clarius eſt, ſententiam *Baronii*, *Du Pin*, aliorumque eruditorum veram non eſſe, quod ex Decreto Carthaginenſis Concilii, anno Dom. cccxcvii. coacti, Cæſario & Attico Coſſ. xli. *capitulorum Hipponenſium brevis ſumma deſcripta ſit.* Quippe laudari ex Fulgentio Ferrando Canones nullo modo reſpondent Canonum ordini, qui *Concilii Hipponenſis abbreviationes* nomen habet.

Donatiſtarum ſchiſma ob Maximianum & Primianum. Synodus Cebarſuſſenſis.

IV. Dum in Africa collapſam Epiſcopi diſciplinam reſtituunt, Donatiſtæ ſcinduntur in partes, ut ſuo ſchiſmate Eccleſiæ, quam miſerè laceraverant, pœnas perſolverent. Carthagini, mortuo *Parmeniano* Donatiſtarum Epiſcopo, anno ut videtur cccxcii. *Primianus* defuncto ſucceſſor datus fuerat. Ab initio ferè Epiſcopatus tyrannum potius quàm Epiſcopum egit. Facta ejus, in Synodica Conciliabuli Cavernenſis leguntur. A Presbyteris *velut precario jure poſtulavit, ut ad damnandos quatuor Diaconos, viros egregios, ac ſingularibus meritis approbatos, Maximianum ſcilicet, Regatianum, Donatum, itemque Salgamum conſpirarent, ut incunctanter ei promitterent accommodare conſenſum. Cujus illi malâ præſumptione ſtupefacti, cum rem ſilentio refelliſſent, per ſe cogitatum ſcelus non dubitavit implere, uſque adeò ut in Maximianum Diaconum, virum ſicut omnibus notum eſt, innocentem, ſine cauſa, ſine accuſatore, ſine teſte, abſentem, ac lecto cubantem, ſententiam putaret eſſe promendam.* Invitâ quoque maximâ parte plebis *inceſtos* communioni reſtituebat. Quibus permoti Seniores, rogant Epiſcopos Congregari. Venere numero *tres & quinquaginta*, ſed Primiani factione Baſilicarum ingreſſu prohibentur. Congregantur ergo apud *Cavernam Suſis*, juxta Carthaginem, unde inditum Conciliabulo *Cavernenſe* nomen. Damnant verò *Primianum* his de cauſis: *Primo quòd ſuper vivos Epiſcopos alios ſubrogavit; quòd inceſtos cum Sanctorum communione miſcuerit; quod Presbyteros ad conjurationem in eadem conſtringere pertentarit; quòd Fortunatum Presbyterum in cloacam fecerit mitti, cùm ægrotantibus baptiſmo ſuccurriſſet; quòd communionem Demetrio Presbytero denegavit, ut cogeret filium abdicare; quòd idem Presbyter objurgatus ſit, quòd Epiſcopos hoſpitio ſuſcepiſſet; quòd multitudinem miſerit, qua Chriſtianorum domos everteret; quòd obſeſſi ſunt Epiſcopi ſimul & Clerici, & poſteà ab ejus ſatellitibus lapidati ſint; quòd in Baſilica cæſi ſint Seniores, quòd indigne ferrent, Claudianiſtas ad communionem admitti; quòd ſe nobis audiendum noluerit exhibere, cùm Baſilicarum fores ne ingrederemur, multitudine & Officialibus intercluſerit.* Tempus Conciliabuli non ſatis liquet: exiſtimamus tamen anno fuiſſe proximo celebratum. Statuunt enim Epiſcopi, *Ut quique Conſacerdotum, vel Clericorum ſua ſalutis immemores, à die viii. Cal. Januarium minus à Primiani damnati communione receſſerint, damnationis ſententiâ conſtringantur.* Cavernenſe Conciliabulum Baronius anno cccxciv. aſſignat, cui Labbeus aſſentitur. Quorum nobis Chronologia diſplicet, cùm incredibile ſit, uno eodemque anno tria à Donatiſtis Concilia eſſe convocata: primum; trium & quinquaginta Epiſcoporum *apud Cavernam Suſis*. Secundum *Cebarſuſſi*, centum & eo amplius Præſulum. Tertium *Bagai*, cui cccx. Antiſtites de ſecta Donatiſtarum interfuere. Ideò magis incredibile, quòd *Cavernenſis* indulgentia ad uſque diem Decembris protenditur. Indicio potentiſſimo in eo ſpatio, quod eſt à fine Cavernenſis Conciliabuli, ad uſque Decembrem nullam Synodum congregandam eſſe, quâ Decreta de Primiano reſcinderentur, aut firmarentur. Quibus accuratè perpenſis *Cavernenſe* ſuperiori, *Cebarſuſſenſe* præſenti, *Bagatenſe* proximè futuro anno aſſignamus. Damnato Primiano; nullus in ejus locum Epiſcopus ſubſtituebatur. Id anno 393. reſervabatur in Cebarſuſſitano conventu, qui & Primiani damnationem majoribus vinculis oneravit, & Maximianum ejecto ſuffecit. Cebarſuſſum urbs eſt Provinciæ Byzacenæ, ad quam centum & amplius Epiſcopi convenere. Cujus Synodi plus ſemel apud Auguſtinum mentio eſt. Creſconium ſic compellat: *Numquid hoc dicturus es, Maximianum à veſtra communione ſchiſma feciſſe? Sed Maximianus hoc non dicit, qui Primianum potius, & vos omnes aſſirmat, à parte Donati, in qua ipſe permanſit, ſchiſma feciſſe, & recitat Decreta Conciliorum. Primum, quod apud Carthaginem à quinquaginta & tribus factum eſt, quo prædamnatus eſt Primianus; alterum, quod Cabarſuſſi centum vel amplius veſtri tunc Epiſcopi condiderunt, quo perfectè plenuſque damnatus eſt.* Expulſo Primiano Cebarſuſſenſes ornatum inſulâ Maximianum Carthaginenſibus præficiunt. Id ſibi vult Auguſtinus, qui libro de Hæreſibus c. 69. hæc ſcribit: *Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejuſdem erroris centum fermè Epiſcopis ordinatus.* Electus quidem eſt *Cebarſuſſi*, ſed conventus hujus autoritate ab Epiſcopis duodecim, quos legaverat, Carthagine ordinatur. Fuere autem illi *Victorianus* Carcabianenſis, *Martianus* Sullectinus, *Beianus* Baianenſis, *Salvius* Aitaphenſis, *Theodorus* Uſulenſis, *Donatus* Sabratenſis, *Migginus* Belephantarienſis, *Prætextatus* Aſſuritanus, *Salvius* Membreſitanus, *Valerius* Melziranus, *Felicianus* Muſticanus, & *Martialis* Pertuſenſis. Graviſſimi ſchiſmatis hoc initium fuit, quod & pudore, & vulneribus Donatiſtarum factionem totam cooperuit.

Auguſtin. in Pſalm. 36.

Aug. l. 4. adverſus Creſcon. c. 6.

Aug. l. 3. contra Creſc. c. 53.

Anno U. C. 1147. Per. Jul. 5107. Jul. 439. Dom. 394. Theodos. 16. Arcad. 11. Honorii 2. *Sol.* 11. A. *Lun.* 15. *Indict.* 7. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 7. P. 2. *Apr.*

Anno Dom. 394.

Coss. *Arcadius Aug.* iii. *Honorius Aug.* ii.

Theodoſii in Eugenium apparatus. Duxeritne ſecum Honorium?

1. CUm periculoſiſſimi belli cura Theodoſium remorderet, ea quæ prælio neceſſaria erant, totâ hyeme parabat. Ac Romanis exercitibus Ducem *Timaſium*, & ſecundum hunc Stilichonem Serenæ Theodoſii fratris filiæ maritum præfecit. Fœderatos verò Barbaros *Gaini* & *Saulo* parere juſſit. Poteſtatem quoque in exercitu *Bacurius* habuit, non *ex Armenia oriundus*, ut creditum Zozimo, ſed gentis Rex Ibericæ, qui apud Romanos *Domeſticorum Comes* erat, vir pietate non minus quàm virtutibus, bellique peritiâ clarus, qui ad victoriam adipiſcendam maximo adjumento fuit. Intereà mœ-

Ruf. l. 1. c. 30.

Zoz. l. 4. c. 57.

Bar. An. 394 n. 2.

ſtitia gravis Theodoſium inceſſit ob *Gallæ* conjugis obitum, quæ parturiens infantis onus cum vita depoſuit. Baronius, qui ſibi in mentem induxit, Gallam ante quadriennium naturæ ſatisfeciſſe, in Zozimum calamum ſtrinxit: *Cui*, inquit, *hujus temporis Scriptores omnes adverſantur.* Fidenter tamen dicimus, horum Autorum nullum Baronio eſſe præſidio; ne vel Marcellinum, cujus autoritate perperàm utitur. *Appetente vere* profectum eſſe Theodoſium, narrat Philoſtorgius, quem refellunt Leges complures Aprili in urbe Conſtantinopolitana adverſus Hæreticos conſcriptæ; *Hæretici neque Epiſcopi faciendi poteſtatem, neque Epiſcoporum confirmationes licitas habeant. Datum* XVII. *Kal. Maji Conſtantinopoli, Arcadio* III. *& Honorio* II. *AA. Coſſ.* De ſubſcriptione tamen dubitamus, quæ extat in alia Lege, ne Hæretici illegitima Concilia habeant, quæ data dicitur VII. *Idus Julii Conſtantinopoli*, quo tempore urbe regiâ egreſſus eſſe videtur. Intereà *non tam armorum, telorumque, quàm jejuniorum orationumque ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quam obſecrationum pernoctatione munitus circuibat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fidâ Sanctorum interceſſione poſcebat*, Ut proficiſcendi tempus advenit, *ambobus filiis Imperatoribus Conſtantinopoli relictis*, ad Occidentis partes properè contendit, Barbaris trans Iſtrum compluribus auxilium adverſus tyrannum præbentibus. Socrati aſſentitur Philoſtorgius, dum narrat, debellato jam Eugenio, Honorium à Theodoſio ex urbe regia in Italiam acceſſitum eſſe: *Poſt hæc Imperator Mediolanum ingreſſus, Honorium filium ſuum evocavit.* Sunt tamen Scriptores, qui ſolum in urbe regia Arcadium relictum eſſe memorant. Honorium quidem à Theodoſio abductum fuiſſe, Zozimus Marcellinuſque prædicant; *Arcadio* III. *& Honorio iterum Coſſ. Theodoſius Auguſtus, aſſumpto Honorio Cæſare, eodemque filio contra Arbogaſtem, qui Eugenium tyrannum Imperatorem facere auſus eſt, iterum properavit.* Non eſt tamen dubitandum, quin cum Arcadio Honorius ſteterit Conſtantinopoli, id ipſum canente Claudiano:

Ruf. l. 2. c. 33.

Socrat. l. 5. c. 25.

Philoſt. l. 11. c. 2.

Ibid.

Claud. de III. Conſ. Honorii.

Quæ tibi tunc Martis rabies, quantuſque ſequendi
Ardor erat?
Ille vetat, rerumque tibi committit habenas.

Eugenii apparatus: minæ in Chriſtianos Theodoſius inſidiis liberatur.

II. At Eugenius pro virili omnia faciebat, quæ ad victoriam ſibi conducere exiſtimabat. Tyranno maximè favebant Ethnici, quibus ſua ſacra reddiderat: *Pagani, qui errores ſuos novis ſemper erroribus animant, innovare ſacrificia, & Romam funeſtis victimis cruentare, inſpicere exta pecudum, & ex fibrarum præſcientia ſecuram Eugenio victoriam nuntiare: ſuperſtitioſius hæc agente, & cum omni animoſitate Flaviano tunc Præfecto.* Commovebatur & in Chriſtianos Eugenius ea de cauſa, quòd ſua munera, utpote hominis ſacrilegi, ab Eccleſia reſpuebantur, nec orandi cum Fidelibus facultas ſibi concedebatur. Itaque Arbogaſtes Flavianuſque *recedentes Mediolano cum exercitu, ut Alpium clauſtra munirent, minati ſunt cùm revertiſſent, ſtabulum ſe eſſe facturos in Baſilica Eccleſiæ Mediolanenſis, atque Clericos ſub armis probaturos.* Quid non mortalia pectora cogit ſuperſtitio, quæ vel ſapientiores viros dementat. Jovis ſimulacra adverſus Theodoſium, certis ritibus velut conſecrata in Alpibus conſtituere. Quaſi venientem hoſtem fulminibus, quibus armabantur, proſternere valuiſſent. At dormiente ſuæ Junonis in ſinu Jove, Theodoſius fulminum ejus ſecurus, Alpium aditu præter omnem ſpem potitus, ad hoſtes accedit, ob inopinatum adventum Eugenio territo. Collocaverat in inſidiis milites tyrannus, qui Alpium latera occuparant, ac licet viribus, & numero impares forent, loci tamen conditione vincerent In ſummis Alpibus conſtitutus Theodoſius, Chriſtum, corpore humi fuſus, mente cœlo fixus orabat: *Prima ſalutis via extitit Arbitio, hoſtilium partium Comes, qui cùm ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidiis, converſus ad reverentiam præſentis Auguſti, non ſolum periculo liberavit, verum etiam inſtruxit auxilio.* Quo tempore illud contigiſſe videtur, quod Ambroſius celebrat in Oratione funebri Imperatoris: *Cùm locorum anguſtiis, & impedimentis calonum agmen ſerius in aciem deſcenderet, & inequitare hoſtis mora belli videretur, deſiluit equo Princeps, & ante aciem ſolus progrediens, ait, Ubi eſt Theodoſii Deus.*

Paul. vit. Ambr.

Aug. de Civ. l. 5. c. 26.

Zoz. l. 4. c. 58.

Oroſ. l. 7. c. 35.

Eugenius debellatur: egregia Theodoſii victoria.

III. *Die octavo Idus Septembris* prælium committitur ad fluvium, quem *Frigidum* vocant, qui ab urbe Aquileia diſtat triginta ſex millibus paſſuum. Pugna variè à variis narratur. Defectus Solis meminit Zozimus, quo tantæ terris tenebræ inducuntur, ut nox eſſe potius, quàm dies exiſtimaretur. Addit, Bacurio cum fœderatorum maxima parte interempto, victoriam ceſſiſſe Eugenio: at dum milites ad epulas converſi ſecuri hoſtium humi jacent, appetente aurorâ à Theodoſio delentur. Quæ narratio eſt prorſus fabuloſa, cùm eo tempore nulla Solis fuerit Eclipſis. Placet inter omnes hiſtoria Rufini, pugnæ coætanei, quam Socrates quoque amplectitur: *Ubi ad primos ventum eſt, & illicò ſe legitimo Principi tradiderunt, cum cæteris imis vallibus deprehenſis conflictus acerrimus geritur. Stetit aliquandiu anceps victoria. Fundebantur auxilia Barbarorum, terga jam hoſtibus dabant, ſed fiebat hoc, non ut Theodoſius vinceretur, ſed ne per Barbaros vincere videretur. Tum ille, ut converſas ſuorum acies vidit, ſtans in edita rupe, unde & conſpiceret, & conſpici ab utroque poſſet exercitu, projectis armis, ad ſolita ſe vertit auxilia, & proſtratus in conſpectu Dei. Tu, inquit, omnipotens Deus, noſti quia in nomine Chriſti Filii tui, ultionis juſta, ut puto, prælia iſta ſuſcepi, ſi ſecus in me vindica. Si verò cum cauſa probabili, & in te confiſus huc veni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant Gentes, Ubi eſt Deus eorum? Quam ſupplicationem pii Principis certi à Deo eſſe ſuſceptam, hi qui aderant Duces animantur ad cædem, & præcipuè Bacurius, vir fide, pietate, virtute, & animi & corporis inſignis, & qui comes eſſe, & ſocius Theodoſii mereretur, proximos quoſque conto, telis, gladio paſſim ſternit, agmina hoſtium conferta, & conſtipata perrumpit. Iter per millia ruentium ad ipſum tyrannum ruptis agminibus, & acervatim fuſis ſtragibus agit. Vix fortaſſe ab impiis credantur, quæ geſta ſunt. Etenim compertum eſt, quod poſt illam Imperatoris precem, quam Deo fuderat, ventus ita vehemens exortus eſt, ut tela hoſtium in eos qui jecerant, retorqueret. Cùmque magnâ vi perſiſtente vento, omne jaculum miſſum ab hoſtibus fruſtraretur, fracto adverſariorum animo, ſeu potius divinitus repulſo, Arbogaſte Duce necquicquam fortiter faciente, Eugenius ante Theodoſii pedes vinctis poſt terga manibus adducitur. Ibique vita ejus & contaminis finis fuit.* Cœleſti prodigio dubeni

Ruf. l. 2. c. 33.

Theo-

ANNO DOM. 394.

Theodoſii victoriam, teſtis & Claudianus, qui licet Ethnicus, miraculi meminit, dum Honorium ſic compellat:

Claud. de Hon. 3. Con.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in autores, & turbine repulit haſtas.
O nimium dilecto Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Paulò aliter carmina protulerunt Auguſtinus Oroſiuſque, unde fit conjectura, ex auditione tantùm, non inſpecto Claudiano carmina reddidiſſe:

O nimium dilecto Deo, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Tyrannus ad Imperatoris pedes provolutus, ut incolumis ſervaretur popoſcit. Cui milites ante ipſos Imperatoris pedes oranti caput amputarunt, quod haſtâ præfixum totis caſtris circumfertur, ut qui à partibus Eugenii ſtabant, ad Principem ſuum extincto tyranno redirent. Superſtites ad Theodoſium curſu delati, Auguſtum inclamant, & quam petebant veniam, à clementiſſimo Imperatore confeſtim impetrant. Arbogaſtes, qui in montes aſperrimos fugerat, animadverſo loca à militibus perluſtrari omnia, ut caperetur biduo poſt pugnam, de ſe ſupplicium ſumit. Quod eleganter luſit Claudianus:

Zozim. l. 4. c. 58. Socr. l. 5.

At forus inventor ſcelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Enſis, & ultrices in ſe converteret iras.

Ruf. l. 2. c. 33.

Flavianus plus pudoris, quàm ſceleris reus, cùm potuiſſet evadere, eruditus admodum vir, mereri ſe mortem pro errore juſtius, quàm pro crimine judicavit.

Theodoſii poſt victoriam clementia.

IV. Egregiam Theodoſii victoriam clementia decoravit: *Inimicorum ſuorum filios, quos non ipſius juſſus, ſed belli abſtulerat impetus, etiam nondum Chriſtianos ad Eccleſiam confugientes, Chriſtianos hâc occaſione fieri voluit, & Chriſtianâ charitate dilexit, nec privavit rebus, ſed auxit honoribus. In neminem poſt victoriam privatas inimicitias valere permiſit.* Hæc Auguſtinus, qui rem quoque recordatur ſcitu jucundam: Simulacra Jovis contra ſe in Alpibus conſtituta depoſuit, *eorumque fulmina, quòd aurea fuiſſent jocantibus, quod illa lætitia permittebat curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benignèque donavit.* Non minimum contulit Ambroſius ad excitandam Principis clementiam: *Obſecravit primo ſcriptis Imperatorem miſſo Diacono. Poſteà verò quàm directus eſt, Joannes tunc Tribunus & Notarius, qui nunc Præfectus eſt, ad tuitionem eorum, qui ad Eccleſiam confugerant; etiam ipſe Aquileiam perrexit, precaturus pro eis, quibus facilè venia impetrata eſt.*

Aug. de Civ. l. 5. c. 26.

Paul. Ambr. vit.

Viſio oblata Theodoſio expenditur. De nummo viſioni accommodato.

V. De bello celeberrimo ea commemoravimus, quæ vera ſunt, aut certè veroſimilia. Alia narrantur ex rumore, quibus minimum fidei habemus. Aiunt, Dæmoniacum in Templo, ubi ad bellum proficiſcens Theodoſius preces fuderat, à Dæmone ſublimem raptum, eo ipſo tempore, quo pugna committebatur, Joanni Baptiſtæ conviciatum, eumque tanquam capite truncatum, probris appetiviſſe clamaſſeque, *Tu me vincis, & exercitui meo inſidiaris.* Apparet ſanè inurbanum fuiſſe Diabolum illum, qui victori ſuo contumelias faceret. Non *Joanni* quidem, ſed *Deo* Oroſius, Rufinus, imò Claudianus victoriam referunt. Neque melioris notæ eſt, quod in Theodorito legitur. Theodoſium

Sozom. l. 7. c. 24.

ſomno oppreſſum, videre ſibi viſum duos viros, albâ veſte indutos, & albis equis inſidentes, qui bono animo ipſum eſſe juberent, Propugnatores enim ſe miſſos eſſe. Alter ſe *Joannem* Evangeliſtam, alter *Philippum* Apoſtolum ſe dicebat. Idem miles ſe vidiſſe narrabat. Commenta hæc ſomniantium eſſe oſtendit Rufini ſilentium, qui cùm Aquileiæ Presbyterum ageret, *Frigidi* vicinæ fluvii, juxta quem ea Principi viſio offerri debuit, tanti quidem notitiâ miraculi inſtructus fuiſſet, quod nunquam diſſimulaſſet. Neque magis Oroſio notum atque Auguſtino, qui cœleſtia hæc auxilia ignorarunt. Mirum quoque eſt, Ambroſium, qui poſt Eugenii cladem Theodoſii ſæpius uſus eſt colloquio, de cœleſti ea viſione nil commemoraſſe in optimi Principis Oratione funebri. Quod prodigium oblivioni non dediſſet, utpote perpetuâ memoriâ celebrandum. Sed nec cum Sozomeni narratione illa Theodoriti conſpirat, cùm non à Philippo Joanneque Apoſtolis, ſed à *Joanne Baptiſta* dejectus dicatur exercitus. Quam ipſi victoriæ gloriam eripere, quâ lucre modeſtiâ Joannes, Philippuſque noluiſſent. At Baronius ex nummis Theodorito narrati fidem aſtruit. Apud Fulvium Urſinum nummus erat Theodoſii, cujus manus ſacro Evangelio munitur, ſiniſtra verò cruce armatur: *Ex adverſa verò numiſmatis facie inſueris expreſſe Sacerdotali decoros habitu geminos illos, quos in viſu vidit Apoſtolos, Joannem, atque Philippum expreſſos reddi, atque dextrâ Volumen Sacrum, ſiniſtrâ vero crucem geſtantes.* Ex eo quoque nummo antiquum illuſtriſſimus Purpuratus exiungit Sacerdotalem habitum, tonſuram, palliola. Et quiſquam de Theodoſiana viſione dubitet prætereà? At malis avibus exorti ſunt viri doctiſſimi *Noriſius Pagiuſque*, qui has Baronio delicias, hanc voluptatem eriperent. Nempe quam veram Theodoſii effigiem putat, ea non Senioris eſt, ſed Junioris Theodoſii. Quos verò arbitratur Joannis Philippique vultus, atque habitus, illi ſunt Theodoſii Junioris, & Valentiniani Tertii. Itaque nondum habemus veſtes, tonſuram, palliola Sacerdotum, niſi Auguſtorum ornamentis ſimillima fuiſſe fingamus. Sed verba ipſa Pagii de eo nummo afferamus: *Erudite Noriſius Diſſertatione de Numiſmate Licinii c. 3. oſtendit eo in nummo, non Theodoſii Senioris, verùm Junioris Tricennalia vota hoc anno ſoluta, & nuncupata ſimul Quadragenaria deſignantur . . . In præfato itaque nummo à Baronio adducto deſignantur Imperatores Theodoſius ac Valentinianus Junior, Conſulari habitu induti, non verò gemini Apoſtoli habitu Sacerdotali exornati, præſertim cùm Valentinianus Theodoſio conſobrino Junior appareat. Imperatores autem radiato capite, quemadmodum noſtrâ ætate Divorum imagines, paſſim exprimi ſolitos, docent eorumdem numiſmata. In eo numiſmate ideò Theodoſius ſolus exprimitur, & in adverſa parte ipſe cum Valentiniano Juniore, quia percuſſum fuit Conſtantinopoli, quod deſignat, Con. ob. id eſt, Conſtantinopoli obſignata*, nempe moneta. Non moleſtum fuit verba deſcribere, quibus ex nummi explicatio, & Baronii refutatio continetur.

ANNO DOM. 394.

Theodorit. l. 5. c. 24.

Baron. An. 394. n. 10.

Error Baronii.

Pag. Diſſ. Hyp. p. 283.

VI. Debellato Eugenio, Theodoſio placuit abſtinere Sacramentis. Teneræ conſcientiæ Princeps exiſtimabat myſteria pollui manibus, quæ in bello licet legitimo, multum ſanguinis fuderant: *Præclarum adeptus victoriam, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, abſtinuit à conſortio Sacra-*

Theodoſius ab Euchariſtia temperat. Num ob bellum ab ea ſit abſtinendum?

Ambr. in Fun. Theod.

ANNO DOM. 394.

cramentorum, donec Domini circa ſe gratia filiorum exprimeretur adventu. Neque negamus, ſcrupuloſam hanc diſciplinam aliquarum Eccleſiarum fuiſſe, ut qui bello interfuerant, aliquandiu expertes Sacramentorum degerent. Id non præcipit quidem, ſed conſulit Baſilius:

Baſil. Ep. Can. c. 13.

Cædes in bello factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur ignoſcentes iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Rectè autem forte habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſolâ trium annorum communione abſtinere. Populorum conſenſus hunc diſciplinæ conciliat autoritatem. De lauro Plinius:

Plin. l. 15. c. 30.

Ob has cauſas equidem crediderim honorem ei habitum in triumphis potius, quàm quia ſuffimentum ſit cædis hoſtium, & purgatio, ut tradit Maſſurius. Cantantur pueris Maronia carmina de Ænea ſecra patri ſuo porrigente:

Æneid. l. 2.

Me bella è tanta digreſſum, & cæde recente
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Num. 31. 19.

Legimus & in Moſe: *Qui occiderit hominem, & occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertia, & ſeptima.* Quæ purgatio tamen ob tactum defuncti potius, quàm ob cædem, quæ juſta eſt, imperatur, ut ex capite XIX. hujus libri colligitur. Commune tamen jus Eccleſiis non fuiſſe, ut milites à pugna recente redeuntes ab Euchariſtia temperarent, verba indicant Athanaſii ad Ammonem: *Cùm cædem facere non liceat, in bello tamen hoſtem trucidare, non modò lege permiſſum eſt, ſed cum laude ita conjunctum, ut honoribus magnis ornentur, qui in eo ſtrenuè geſſerint aliquid.* In bello quidem Eugeniano Theodoſius *ſanctificaſſe* manus ſuas potius videtur, quàm polluiſſe, cùm & juſtitiæ, & fortitudinis, & pietatis functus ſit exercitio, dum infamem tyrannum Principis ſui interfectorem merito ſupplicio affecit, laboranti Religioni ſuccurrit. Rempublicam latronibus liberavit. Quæ Deo tam grata fuere, ut etiam ab eo miracula elicerent. Rectè de Baſiliano Canone monet Zonaras: *Hæc quidem pœna eſt Chriſtianis haud tolerabilis. Quam verò ob cauſam nequaquam puras manus gerere judicabuntur, qui pro Republica & fratribus dimicant, ne captivi abducantur ab hoſtibus, aut in ſervitutem abducti liberentur? Nam ſi ab interficiendis Barbaris caveant, quaſi manus polluentes, peſſum ibunt omnia, cunctorumque Barbari potientur.* Porro relictâ Aquileiâ, Theodoſius Mediolanum profectus eſt, ubi pervenit poſtridie ejus diei, quo Ambroſius illùc redierat, inde Princeps Romam proficiſcitur.

Theodoſius Romam venit. Flavianum Siricio reconciliat.

VII. Urbem ingreſſus ovans Theodoſius, Honorium Imperatorem declarat, Stilichone & Legionum in iis locis Duce, & tutore filii creato. Advocato Senatu, qui avitis ritibus adhærebat, orationem habuit, quâ eos hortabatur, ut miſſo errore Chriſtianam fidem amplecterentur. Qui tamen à patria religione diſcedere noluerunt, quam à jactis urbis fundamentis acceperant.

Zozim. l. 4. c. 59.

Triumphaſſe cum patre Honorium Claudianus docet, qui ſpectandi ſtudio omnes certaſſe canit:

Claud. de 3. Conſul. Hon.

Cùm tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus.

Quæ cùm Eugenii cladem excipiant, ad geſtum de Maximo triumphum referri nequeunt. Cum Imperatore Romam ingrediuntur Stilicho, conjuxque Serena, quæ cùm matris Deûm Ædem videre voluiſſet, ademptum Rheæ collo monile appoſuit ſuo.

Zozim. l. 5. c. 38.

Dum Romæ Princeps moratur, *Siricius* Clerusque Rom. iterum queruntur, quòd Flaviani tyrannidem non extingueret. Jam Imperatorem perſtrinxerant, quòd tyrannos qui adverſus ipſum inſurgerent, opprimeret; illos verò, qui Chriſti Leges perfringerent, facillimè toleraret. Quam expoſuerant querelam primo Principis in Italiam adventu, cùm Maximus eſt debellatus: ut graviter hallucinetur Theodoritus, qui ſedente poſt Siricium Anaſtaſio id contigiſſe memorat. Rurſus ea de cauſa Imperatorem adeuntibus reſponſum hoc tulere. Paulinum jam pridem fato functum, Evagrium verò non eſſe legitimè ordinatum. Ad hæc *Orientis Eccleſias Flaviani Epiſcopatum defendere. Nec Orientem modò, ſed & univerſam Aſianam, & Ponticam, ac Thraciam Diœceſim ei communicare, conjunctaſque eſſe. Totum denique Illyricum eum Orientalium Epiſcoporum Primatem agnoſcere.* Hortatus eſt & querulos Imperator, ut extinctis jurgiis concordiam animorum copularent. Tantis monitis flexi, ſimultatem ſe abjecturos pollicentur, & Legatos qui à Flaviano mitterentur ſuſcepturos.

Theodorit. l. 5. c. 23.

Anno tamen duntaxat CCCXCVIII. Flavianus miſſâ legatione cum Eccleſia Rom. reconciliatur. Theodoſii geminum in urbem adventum Pagius inficiatur, quaſi in ſolius Zozimi errantis narratione collocaretur. Non attendit tamen & Claudiano, & Theodorito, qui de gemino Theodoſii Romam adventu commemorant. Qua & in hiſtoria jactum eſt Flaviani cum Siricio reconciliationis fundamentum. Quod verò Zozimus ait, Honorium à Theodoſio Imperatorem renunciatum eſſe, perquàm commodè intelligi poteſt, nempe quòd Honorius jam Auguſtus Occidentali imperio præpoſitus fuerit. Hæc quidem Socrates narrat: *Honorium igitur filium* Theodoſius *accerſit Conſtantinopoli, cùm in animo haberet ſtatum Occidentalis imperii ordinare.*

Socr. l. 5. c. 26.

Synodus Conſtantinopolitana. Qua de cauſa coacta?

VIII. Ut à Synodis hujus anni res Eccleſiaſticas ordiamur, tertio Calend. Octobris in baptiſterio ſanctiſſimæ Conſtantinopolis Eccleſiæ Synodus celebratur, cui interfuere Nectarius, *Theophilus* Alex. *Flavianus* Antiochenus, *Palladius* Cæſareæ Cappadociæ, *Gelaſius* Cæſareæ Palæſtinæ, *Gregorius* Nyſſæ, *Amphilochius* Iconii, *Paulus* Heracleæ, *Arabianus* Ancyræ, *Ammon* Adrianopolis, *Phalerius* Tarſi, *Lucius* Hierapolis, *Elpidius* Laodiceæ, *Paulus* Alexandrorum, *Dioſcorus* Hermopolis, *Prabatius* Beronices, *Theodorus* Mopſueſtiæ, *Biſus* Seleuciæ, *Epagatus* Marcianopolis, *Gerontius* Claudiopolis. Eſt vero ſimillima Baronii conjectura de dedicanda Eccleſia, quam Rufinus excitaret, tot inſignes Epiſcopos Conſtantinopolim veniſſe. Teſtatur quidem Sozomenus, in Rufiniano ſuburbano palatium eſſe, *& maximam Eccleſiam, quam Rufinus ipſe in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxerat, & Apoſtoleum ob id cognominarat. Monachos quoque juxta eam collocavit, qui Clericorum in ea Eccleſia munus explerent.*

Sozom. l. 8. c. 17.

Ea videtur eſſe cauſa, cur Alexandrinus Antiochenuſque Præſules in urbem regiam ſe conferrent. Dum Epiſcopi unà conveniunt, Bagadii & Agapii, qui Boſtrenſem Epiſcopatum ſibi vindicabant, rixas componunt. Synodo præfuit Nectarius, qui jubet litigantes jura ſua proponere. Bagadii depoſitio à duobus duntaxat Epiſcopis, qui jam exceſſerant, facta fuerat. Quam diſciplinam ne deinceps obtineret, Conſtantinopolitani prohibent, utpote quæ ſcitis Nicænis pugnaret.

Lab. Concil. t. 2. 1253.

ret. Nectarius dixit: *Sicut ſanctiſſimus Epiſcopus Arabianus intulit, volens futura ſtabilire, conſequenter & humanè ſanctiſſimi Epiſcopi Theophili ſententia decrevit, non licere in poſterum, nec à tribus quidem, ne dum à duobus, eum qui reus examinatur, deponi, ſed majoris Synodi & Provinciæ Epiſcoporum ſententia, ſicut Apoſtolici definiere Canones.*

Amphilochius Iconienſis. Ipſius & vita, & Opera.

IX. Proximus Concilio Conſtantinopolitano ad Amphilochium, qui in eo præſens fuit, gradus faciendus eſt. In Cappadocia Amphilochius lucem accepit, quod disertè teſtatur Hieronymus Epiſtolâ ad Magnum, ut mirum ſit, doctiſſimum Caveum *divinationem* adhibuiſſe ad tantum alumnum Cappadociæ vindicandum: *Extant*, inquit, *& Julii Africani libri . . . Cappadocumque Baſilii, Gregorii, & Amphilochii.*

Hieron. Ep. 84.

Du Pin N. B. p. 133.

Eruditorum fert nonnullorum opinio, Amphilochium adoleſcentiam foro ſuam dicaſſe. Non inficiamur quidem, extare Gregorii Nazianz. de *Amphilochio* ad *Cæſarium* Epiſtolam, ex qua colligitur, Amphilochium quendam foro militaſſe:

Naz. Ep. 106.

Quia minimè improbus erat, idcircò ne improbitatem quidem ſubodoratus eſt, nimirum ſermonis potius quàm morum correctionem ſibi convenire arbitratus. Nobis verò alium à noſtro pingi Amphilochium, penè certum eſt ex verbis ipſius Epiſtolæ: *Ipſe meâ manu tibi charıſſimum filium veſtrum Amphilochium offero, virum probitatis nomine uſque adeò nobilem, etiam præterquam ætas ferat, ut ipſe qui & ſenex, & Sacerdos, & amicus veſter ſum, præclarè mecum agi exiſtimaturus ſim, ſi eam hominum exiſtimationem obtinerem.* Oppoſitionem ſui inſtituit, & ſenis & Præſulis cum Amphilochio, & juvene, & Laico. Amphilochius verò Iconienſis Gregorio Naz. coætaneus erat, quem & ad Metropolitani dignitatem evectum, *filii* nomine Theologus non affeciſſet.

Naz. Ep. 160.

Forenſem quoque, non *Epiſcopum* reperimus *Amphilochium*, in his Gregorii: *Celerrimè nobis opem ferat, jus dicens.* In vita ſe ſolitaria conſtituiſſe Amphilochium, indicant Gregorii ad ipſum Epiſtolæ:

Naz. Ep. 92.

Olera autem ſua viro Ozizalenſi petierimus, quorum apud vos ſumma copia, apud nos verò magna inopia eſt, nec mirum fuerit, nec à conſuetudine alienum. Quibus apparet, *Ozizalum* in Cappadocia rus fuiſſe, ubi Amphilochius verſabatur, ab iis locis non longè diſſitum, quæ Nazianzenus incolebat, qui Epiſtolâ XIII. petit & ab Amphilochio, ut copioſius olera mittat. Annos quadraginta in ſpelunca vixiſſe vini oleique neſcium, aquam panemque tantùm in cibos admittentem, Metaphraſtes ſcripto prodidit. Quo anno Iconienſi Eccleſiæ præfectus ſit, CCCLXXI. vel CCCLXXV. non ſatis liquet. Faceta de ea promotione narrat Metaphraſtes, riſu potius quàm refutatione digna:

Vit. Amph. p. 249.

Angelus apprehenſâ Amphilochii dexterâ, duxit eum ad Eccleſiam. Ingreſſi viderunt magna lumina, perinde atque in feſto Domini . . . Unus autem ex S. Angelis dicit ad eos, Precemini omnes, cœpitque dicere, Divina gratia præficit ordinatque fratrem noſtrum Amphilochium Epiſcopum civitatis, noſtro qui adſumus, & ſuffragio & periculo. Portentoſæ tamen huic ordinationi ſuffragatur Franciſcus Combefiſius:

Combef. Not. p. 279.

Conſtantiſſimum eſt potuiſſe eam fieri, fuiſſeque omninò credendum, S. Angelis ea de re teſtantibus. Nobis verò *conſtantiſſimum* eſt, ſapientiſſimas Leges ſuas nullâ cogente neceſſitate Chriſtum non perfringere. Ut verò jus vel miniſtrandi Evangelii, vel celebrandi Sacramenta non conceſſit Angelis, ſic nec Epiſcopos ordinandi facultatem largitus eſt. Pugnat & ordinatio ejuſmodi cum Eccleſiæ ritibus; ille enim verus Epiſcopus eſt exiſtimandus, qui conſenſu plebis ad Epiſcopatum electus, illam aſſequitur, χειροθεσίᾳ adhibitâ. Neque miraculoſæ ordinationis hujus ulla apud Veteres vola eſt, atque veſtigium, licet crebrò meminerint Amphilochii. Oecumenicæ Synodo Conſtantinopol. anno CCCLXXXI. interfuit Amphilochius, tantæque exiſtimationis erat apud Theodoſium, ut in Aſiana Diœceſi ſolos ad Epiſcopatum promovendos eſſe ſanciret, qui cum Amphilochio communicarent.

Sozom. l. 7. c. 9.

Anno CCCLXXXIII. arte quâdam Principem adverſus Arianos commovit, præteritò abſque honore Arcadio, ut eſt ſuo loco ex Theodorito obſervatum l. 5. c. 16. Præfuit & Sidenſi Concilio adverſus *Meſſalianos* eodem anno congregato, ut fuſè ex Photio narravimus. Vitam ad annum uſque 394. produxiſſe conſtat, cùm eorum unus Epiſcoporum fuerit, qui Conſtantinopolim venere de dedicando *Apoſtoleo*, & Synodo adfuerit, in qua de Bagadii Agapiique cauſa tractatum. Baſilio M. chariſſimus Amphilochius fuit, qua de cauſa gloriæ non minimum ad eum redundat, utpote à laudatiſſimo viro laudibus cumulatum. Extant complures ad ipſum Baſilii Epiſtolæ, quas inter non minimo loco ſunt duæ Canonicæ. Neque Græcis modò, ſed Latinis etiam Patribus fuit honori. Quid his Hieronymi ad *Magnum* diſertius?

Hier. Ep. 84.

Extant libri . . . Cappadocum Baſilii, Gregorii & Amphilochii, qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos referciunt libros, ut neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam Scripturarum. Anno 1644. Pariſiis à Combefiſio apud *Simonem Piget* Amphilochii Opera edita ſunt. Utrùm verò aliqua ſint Amphilochii, non eſt extra dubium. Vita quidem S. Baſilii, ſive Orationem, ſive res ſpectemus, non magis eſt Amphilochii cenſenda, quàm Suetonii aut Theophraſti. Noſtrique judicii plurimas in Annalibus rationes ſparſimus. Quibus & hæc accedat, quòd Pſeudo-Amphilochius Baſilium patris nomine affecerit, cui ætate dignitateque Metropolitani æqualis erat:

Vit. Baſ. p. 156.

Celebris Baſilius pater noſter. Præter fragmenta quædam Veterum in monumentis diſſeminata, unum fortè Amphilochii genuinum Opus ſupereſt, Epiſtola Synodica, quam Cotelerius edidit. Tota eſt Epiſtola in commendando auguſtiſſimæ Trinitatis myſterio, cui Nicæni Patres ſuffragati ſunt:

Cotel. Mon. t. 2. p. 101.

Cùm, inquit, *eo tempore de quæſtione circa Spiritum Sanctum taceretur, ideò nihil amplius addiderunt. Verùm iis qui prudenter legerint, ſufficiens videbitur doctrina de Spiritu S. quæ ea in fide continetur. Docuerunt enim, ſicut credi debet in Patrem & Filium, ita etiam credendum eſſe in Spiritum.* Hinc colligit Amphilochius, illos qui blaſphemiâ afficiunt Spiritus Sancti majeſtatem, fruſtrà Arianorum repudiare communionem, quibuſcum meritæ damnationis dabunt pœnas. Cujus verò Synodi aut anni Epiſtola fuerit, prorſus ignoramus. Id tantùm ſcimus, in votis tam Concilii, quàm Amphilochii fuiſſe, ut Baſilio præſente uterentur: *Optabamus quidem maximè admirandum, omnique cum reverentia nominandum Baſilium, præſentem excipere in noſtra Synodo & ſocium, ſeu potius Principem habere in dandis ad vos literis.* Labente anno, vel proximè ſequente naturæ conceſſit Amphilochius.

Anno Dom. 394.

chius. Quin Gregorio Nazianzeno ſuperſtes fuerit, nullus dubitat, & conſtat ex Hieronymo, qui adhùc inter homines Amphilochium extitiſſe memorat, quo tempore de Scriptoribus Eccleſiaſticis librum edebat ſuum, fermè triennio Gregorii poſt obitum: *Amphilochius Iconii Epiſcopus nuper mihi librum legit de Spiritu Sancto, quòd Deus eſt, & quòd adorandus.* Itaque noſtrum ſubit animum dubitatio, num Epiſcopus Iconienſis ille ſit Amphilochius, de quo apud Nazianzenum mentio eſt in Paranetico apud Olympiadem:

A patre ſuſceptam, qua te formavit honeſtis
Moribus, Amphilochi, ſoror omni labe carentis:
Quem miſi Cæli Domino cum Virgine Thecla,
Præconem veri celebrem, mihi dulce decuſque.

Quem nodum ut ſolvat Baronius, *Illa verba*, inquit in notis ad Martyrologium, *Gregorii de Amphilochio, & Thecla ſpiritualiter puto intelligenda de contemplatione cæleſtium.* Quæ quomodo ad verba Gregorii quadrent, aut quomodo ad cœleſtium contemplationem Amphilochium Gregorius tranſmiſerit, non ſatis intelligimus. Præſtat fortè duos Amphilochios ſecernere & Epiſcopos, & penè coævos, quomodo eâdem ætate in Cappadocia duo Epiſcopi fuere Gregorii nomine, Nazianzenus videlicet, atque Nyſſenus. Natale Amphilochii Novembris XXIII. celebratur: *Iconii in Lycaonia S. Amphilochii Epiſcopi, qui Sanctorum Baſilii & Gregorii Nazianzeni in eremo ſocius, & in Epiſcopatu collega, poſt multa certamina pro Catholica fide ſuſcepta, ſanctitate & doctrina clarus, quievit in pace.*

Paulini vita, ætas, dignitates, Presbyteratus.

X. Hæſit animus in rebus Orientis, ſed quoque de viris illuſtribus Occidentis referre hortatur Paulinus, qui in Eccleſia inclareſcere cœpit, generis nobilitate quidem inſignis, longè tamen ſuâ pietate clarior. Anno Dom. CCCLIII. Paulinum editum eſſe, Cavii, Du Pin, & complurium fert ſententia, Conſtantio Aug. IX. & Juliano Cæſare II. Coſſ. Paulò tamen antiquiorem eſſe, ex verbis ipſius ducimur ad exiſtimandum. Sic enim ſcribit Auguſtino: *Ætas mihi ſecundùm carnem ea jam eſt, quâ fuit ille ab Apoſtolis in Porta Specioſa verbi poteſtate ſanatus.* (Paul. Ep. 41.) Quæ Epiſtola currente anno ſcripta eſt, Auguſtino nondum ad Epiſcopatum promoto, quem anno ſequente induet. *Fratris* enim, non patris nomine compellat Auguſtinum, quem jam Epiſcopum utique eo titulo affeciſſet: *Gratia Dei tecum ut eſt, in æternum maneat optamus, frater in Chriſto.* Quòd ſi hoc anno Paulini ætas illa fuit, quam *claudus* ab Apoſtolis ſanatus ingreſſus erat, majorem ſanè quadragenario fuiſſe neceſſe eſt: *Annorum enim erat amplius quadraginta homo ille, in quo edictum fuerat ſignum ſanationis.* (Act. 4. v. 22.) Quæ phraſis indicat, claudum aliquot annis quadragenariam ætatem ſuperaſſe. Annis & aliquot ante CCCLIII. genitum fuiſſe, oſtendit Conſulatus ipſius, qui Auſoniano anteceſſit. Eſt enim creditu difficile, privatæ fortunæ hominem anno ætatis ſuæ 25. Conſulem fuiſſe dictum, quod tamen admittere neceſſarium, ſi anno 353. lucem aſpexit. Faſtos enim reſeravit Auſonius anno Dionyſiano 379. Laborat tamen Chronologia in certo Paulini natali anno deſignando. Natus eſt *Ebromagi*, oppidulo non longè diſſito Burdigalenſi civitate. Hinc Severo ſcripſit: *Ebromagum enim non hortuli cauſâ, ut ſcribis, relinquimus, ſed Paradiſi.* (Paul. Ep. 5.) Conſulari familiâ ſatus, ampliſſimum & ipſe Magiſtratum prius geſſit, quàm Auſonius eo fungeretur anno CCCLXXIX. quod & ipſe teſtatur in ſua ad Paulinum Epiſtola:

Anno Dom. 394.

Quanquam & Faſtorum titulo prior, & tua Romæ
Præceſſit noſtrum ſella curulis ebur. (Auſon. Ep. 2.)

Ordinarium Conſulatum geſſiſſe Paulinum, pro certo Baronius habet. (Bar. An. 394. n. 81.) Quod à vero prorſus abhorret, cùm Paulini nomen in Faſtis, quos & multos, & optimos habemus, nuſquam reperiatur. Ad ſuffectum ergo pertinent carmina hæc Auſonii:

Paulinum Auſoniumque viros, quos ſacra Quirini
Purpura, & auratus trabea velavit amictus. (Auſon. Ep. 24.)

Ordinariis ſanè Conſulibus trabea aurata propria non fuit, quam & ſuffecti gerebant. His & illis par ornatus erat. Non multò pòſt quàm Magiſtratu functus, peregrinandi indulſit deſiderio. Verſanti in Gallia laborantem *oculum ei Martinus penicul͏o contigit, priſtinamque ei ſanitatem ſublato omni dolore reſtituit.* (Sulpit. Vit. Mart. c. 21.) Conjugem habuit *Theraſiam*, primariam mulierem, cujus & virtutes, & nobilitas inter ſe certabant. Anno circiter 389. à Burdigalenſi Epiſcopo *Delphino* ſacris initiatur: qua de cauſa in ſua ad Delphinum, quæ numero prima eſt Epiſtola ſcribit, ipſum ſibi patrem in Domino factum. Sed & in ſuis ad Alipium Tagaſtenſem Epiſcopum literis verbis expreſſis teſtatur, ſe à Delphino fuiſſe baptizatum. Simulatque ſacris undis expiatus eſt, miſſis verborum lenociniis, Scripturæ oraculis, & pietati ſe totum conſecravit. Quod Auſonio, quem Doctorem in Rhetorica habuerit, quaſi oleum & operam perdidiſſet, adeò diſplicuit, ut ad poëſim ſerio ſe revocanti ſcripſerit:

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Muſas præcipis?
Negant Camenis, nec patent Apollini
Dicata Deo pectora.

Non ſolam verborum elegantiam, ſed quod factu longè difficilius, mundi gloriam, opeſque prorſus abjecit, quas alendis pauperibus deſtinavit. Quam ipſi mentem indidere & fluxa fragiliſque rerum humanarum conditio, & moleſtiæ quas ex inimicorum traxit invidia: *Ut à calumniis & peregrinationibus requiem capere viſus ſum, nec rebus publicis occupatus, & à fori ſtrepitu remotus, ruris otium, & Eccleſiæ cultum placitâ in ſecretis domeſticis tranquillitate celebravi, ut paulatim ſubducto à ſecularibus turbis animo præceptiſque cæleſtibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi, comitatumque Chriſti, jam quaſi de finitima huic propoſito via demigraverim.* (Paul. Ep. 1. p. 164.) Id conſilii totis viribus adjuvit *Theraſia*. Migravit igitur iterum in Hiſpaniam, ubi egenis diſtractorum fundorum pretia diſtribuit, quam ob rem à Martino, ut magnum exemplum omnibus ingerebatur: *Illum ſequendum, illum clamabat imitandum, beatumque eſſe præſens ſeculum tantæ fidei virtutiſque documento.* (Sulpit. Vit. Mart. c. 26.) Neque uxoris ſuæ bonis magis quàm ſuis pepercit, qua de cauſa utriuſque laudes extulit Ambroſius Epiſtolâ ſextâ & trigeſimâ: *Matrona quoque virtuti & ſtudio ejus proximè accedit, neque à propoſito viri diſcrepat.* Quò facilius opes profunderent ſuas, nulla ipſis ſoboles fuit. Itaque libentius bonorum hæredes ab ipſis pauperes ſcripti. Apud Complutenſes quidem ex chariſſima uxore primogenitum diu deſideratum ſuſcepit. At octavo die mortuo puerulo, ibidem ad Martyres ſepultus eſt. Dum Barcinone conſiſtit, à populis pietatem ipſius mirantibus ad Preſ-

ANNO DOM. 394.

Paul. Ep. 6.

Presbyteri munus rapitur, feriâ ſecundâ, quâ Chriſti natale celebrabatur anno CCCXCIII. *Die Domini, quo carne naſci dignatus eſt, repentinâ, ut ipſe teſtis es, vi multitudinis, ſed credo ipſius ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus ſum. Fateor invitus, non faſtidio loci, nam teſter ipſum, quia & ab æditui nomine & officio optavi ſacram incipere ſervitutem, ſed ut alio deſtinatus, alibi ut ſim, mente compoſitus & fixus, novum inſperatumque placitum divinæ voluntatis expavi . . . Eâ conditione in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari addictus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer. In Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus.* Qui Barcinonenſem adminiſtrabat Eccleſiam, *Lampius* Epiſcopus Paulinum conſecrat.

Geſta Paulini ut creatus eſt Presbyter. Nolam petit.

XI. Quæ ad viri ſancti hiſtoriam hoc anno pertinent proſequamur. Inter Presbyteros allectus, ſuo hæc Severo ſcribit: *Veni, ſi placet, ante Paſcha, ut ſacras ferias me Sacerdote concelebres.* Cùm apud ſe ſtatuiſſet Barcinonenſi Eccleſiæ non alligari, Hiſpaniâ relictâ in Italiam migrat. Ut venit Mediolanum, Ambroſium convenit, à quo benignè amanterque ſuſceptus, Clero hujus Eccleſiæ aſcribitur, cui ornamento decorique eſſe poterat. Id ſignificat Alipio, quem *patrem* vocat, quia anno ſuperiore ad dignitatem Epiſcopalem in Tagaſtenſi urbe aſcenderat:

Paul. Ep. 45.

Ego etſi à Delphino Burdigalæ baptizatus, à Lampio apud Barcinonem in Hiſpania per vim inflammatæ ſubitò plebis ſacratus ſum, tamen Ambroſii ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotii ordine confoveor. Denique ſuo me Clero vindicare voluit, ut etſi diverſis locis degam, ipſius Presbyter cenſear. Eo fortè conſilio Ambroſius Paulinum ſibi ſucceſſorem deſtinabat in animo. Relictâ civitate Mediolanenſi ſanctus Presbyter Romam pergit. Verùm Siricius & dignitatis, & pietatis Paulini immemor, ipſius meritis non digna rependit, quod & Paulinus queritur: *Plenius indicare poterunt conſervi noſtri, pueri tui, quantum nobis gratia Dominica detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio.* Neque Cleri Romani invidiam effugere potuit. Feſtinantius ergo Româ egreſſus, Nolam, cujus cupidiſſimus erat, proficiſcitur, ubi certatim omnes ipſi honorem habuere. Pueri tui,

Paul. Ep. 1.

qui pauci ipſis diebus, quibus interfuere, viderunt quàm aſſidua nos, quàm ſedula ſollicitorum fratrum Monachorum, Antiſtitum, Clericorum, atque etiam ipſorum ſæpè ſecularium officia toto illo noſtræ ægritudinis tempore celebraverint. Munuſcula quoque Nolenſia ſuo Severo miſit: *Panem Campanum de cellula* ſua *pro eulogia, ſcutellamque buxeam*, ſuarum divitiarum teſtem. Aliis quoque viris illuſtribus Epiſtolas anno currente ſcripſit. Alipio, cui gratias agit

Paul. Ep. 45.

ob miſſum ſibi *opus ſancti & perfecti in Domino Chriſto viri, fratris* ſui *Auguſtini libris quinque confectum.* Ut par referret, & *Euſebii venerabilis Epiſcopi Cæſarienſis de cunctis temporibus hiſtoriam*, & *panem unum unitatis gratiâ* miſit, *in quo etiam Trinitatis ſoliditas continetur.* Auguſtinum quoque adhùc Presbyterum ſuis literis adiit. Quem magnis laudibus afficit, ob quinque libros ipſius adverſus Manicheos, quos acceperat ab Alipio: *In his*, inquit, *me oblecto, de his cibum capio.* Panem & unum Auguſtino mittit, *unanimitatis* indicium. Hanc Epiſtolam aliæ exceperunt, numero duæ, quæ hoc, vel ſequente anno prius ſunt exaratæ quàm Auguſtinus Epiſcopus crearetur, quem non *patris*, ſed fratris nomine compellat. Priore, quanti Auguſtinum faciat, teſtatur: poſteriore, novem ipſi quæſtiones ſolvendas proponit. Geminæ Epiſtolæ extant eo ornatæ titulo. Domino fratri, & unanimo Auguſtino *Paulinus*, *& Theraſia peccatores.* Quippe ſocietatis vincula non ſolverat Paulini ad Presbyteratum evectio: vir & uxor tecto communi utebantur. De Theraſia S. Ambroſius:

Ambroſ. Ep. 36.

Tranſcriptis in alienum jura ſua prædiis, virum ſequitur, & exiguo illic conjugis contenta ceſpite, ſolatur ſe religionis & charitatis officiis. Quam hoc anno Fundanæ Baſilicæ extructionem Baronius memorat, ea noſtro judicio in aliud tempus conferri debet. Jam ex Oriente Melania redierat, priuſquam Baſilicam ſuam dedicaret, ut liquet Epiſtolâ ad Severum XI. De Paulino alia ſuis temporibus noſtri Annales ſuppeditabunt.

Bagaienſis Donatiſtarum Synodus.

XII. Sunt Donatiſtarum nonnulla obſcuritate ignorantiæ non obruta, è quibus pauca attigiſſe ſatis erit. *Primiano* Donatiſtarum apud Carthaginem Epiſcopo anno ſuperiore à Cebarſuſſitano centum & amplius Epiſcoporum Concilio damnato, in ejus locum Maximianus ſuffectus fuerat. At hoc anno mutatis rerum vicibus, damnato Maximiano Primianus à majore Synodo dignitati ſuæ reſtituitur. In civitate Bagaienſi Numidiæ numeroſiſſimus ſanè conventus celebratur, utpote qui Epiſcopis CCCX. conſtabat. Nonnullorum nomina ad nos pervenere: Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Januarius, Saturninus, Felix, Pegaſius, Rufinus, Fortunius, Criſpinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus. Trecenti decem numero congregantur Aprilis XXIV. Neque obſcura eſt conventus hujus Epocha, quam docet Auguſtinus:

Aug. l. 3. cont. Creſcon. c. 56.

A die VIII. Kal. Maiarum poſt Conſulatum Theodoſii Auguſti ter, Conſulatu Auguſtorum Arcadii III. & Honorii iterum, qui eſt dies Concilii Bagaienſis, &c. Hæc autem ſciſcunt in ſuo conventu: *Placuit Spiritui Sancto, qui in nobis eſt, pacem firmare perpetuam, & ſchiſmata reſecare ſacrilega.* Poſtquam verò multis Maximianum contumeliis oneraruni, ſubjungunt: *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Eccleſiæ matris inimicum, Dathan, Core & Abiron Miniſtrum de pacis gremio ſententiæ fulmea excuſſit, & quem adhùc eundem dehiſcens terra non ſorbuit, ad majus ſupplicium ſuperis reſervavit.* Maximiani ordinatores numero duodecim, quorum nomina edidimus, diris devovent: *Famoſi ergo criminis reos . . . qui funeſte opere perditionis vas ſordidum collectâ feculentiâ glutinarunt; ſed & Clericos aliquando Eccleſiæ Carthaginis, qui dum facinori interſunt, illicito inceſtui lenocinium præbuerunt, Dei præſidentis arbitrio, univerſalis Concilii ore veridico damnatos eſſe cognoſcite.* Permittunt Eccleſiæ aditum illis, qui à Maximiani factione ſeſe ſegregarunt; temporiſque ad redeundum ampla ſpatia concedunt, conſtituto *octavarum Calendarum Januariarum proximè futurarum* die. Quo calculo ad uſque

Aug. l. 3. cont. Creſcon. c. 53.

diem dilationis, *octo menſes fermè numerantur*, ut habet Auguſtinus. Sic juſto numine divelluntur homines, qui miſerè Eccleſiæ membra laceraverant. Maximianorum quidem tantum odium Primianiſtas cœperat, ut æmulis obruendis ſuis lapidem omnem moverint. Adverſus corporis ſui Schiſmaticos Legum publicatum implorant auxilia. Eò proceſſit furor, ut ne vel Maximianorum

ANNO DOM. 394.

norum tectis parceret. Horrendum, quod legitur in Auguſtino, *Primianos* ſic alloquente: *Modò præconem miſiſtis, qui clamaret Sinisi, Quiſquis Maximiano communicaverit, incendetur domus ejus.* Indignum & Chriſtianis, quod *Salvio* Membreſitano, Maximiani de ordinatoribus uno, ſupplicii eſt irrogatum. Adeunt *Seranum* Proconſulem, qui de lite ſecundum Bagaienſis Synodi tabulas judicat. Chariſſimus Membreſitanis Salvius erat. Quid igitur ab Abitinenſibus factum? Horreſcimus referentes. Comprehenſus *Salvius, non jam deducendus ad judicium, ubi in partes fuerat prolata ſententia, ſed pompâ miſerabili triumphandus. Capiti enim ſeni mortuos canes alligaverunt in collo, & ſic cum illo quantum libuit, ſaltaverunt.* Digna hæc Mezentio potius, quàm Chriſtianis. Itaque ab ipſius fautoribus Salvio, ut Martyri, nova Eccleſia extructa eſt. Eccleſiæ profuit ea Donatiſtarum diviſio. Itaque decretum ab Orthodoxis in Africa, ut res Primianiſtarum, & Maximianiſtarum ex Actis publicis exciperentur, futuræ ponderoſiſſimo argumento, quo factio Donati obrueretur: *Placuit ut, ex Concilio noſtra literæ dentur ad Judices Africanos, à quibus hoc peti congruum videretur, ut in hoc adjuvent communem matrem Eccleſiam Catholicam, in quo Epiſcopalis autoritas contemni in civitatibus poteſt,* Id eſt, *ut judiciariâ poteſtate atque diligentiâ, ex fide Chriſtiana quid geſtum ſit in omnibus locis, in quibus Maximianiſtæ Baſilicas obtinuerunt, qui ab eis ſchiſma fecerunt, inquirant, & geſtis publicis, propter firmam notitiam omnibus neceſſariam, faciant inhærere.* Vi potentiſſimæ rationis oppreſſi Donatiſtæ ne hiſcere quidem poterant. Hâc uſus eſt Auguſtinus adverſus *Emeritum.* Maximianus quidem, quem multo graviore quàm Cæcilianum ſententiâ percuſſerant, magis Africanos polluere debuit, quàm Cæcilianus polluerit longè diſſitos. Notabilia ſunt contra Gaudentium verba Auguſtini: *Invenı ſi potes quid dicas, quomodo ſuſcepetitis honorem Felıciani Muſtitani, & Prætextati Aſſuritani, quos cum Maximiano, & aliis decem ſine ulla dilatione damnaſtis, contra quos, ut eos de Baſilicis pelleretis, apud duos, vel ni fallor, apud tres Proconſules litigaſtis, & cum jam in locum Prætextati alium ordinaſſetis, poſt tam longum tempus eos in ſuis honoribus recepiſtis? Quâ juſtitiâ, quâ ratione, quâ fronte in honore ſuo ſuſcipitur Maximianiſta damnatus, & damnatur orbis terrarum Catholicus inauditus?* Dum mutuis ſeſe vulneribus Donatiſtæ confodiunt, ad alia properamus.

Aug. Ep. 66.

Aug. contr. Creſcon. l. 4. c. 48.

Codex Afr. c. 67.

Aug. l. 1. cont. Gaudent. c. 39.

ANNO DOM. 395.

ANNO U. C. 1148. PER. JUL. 5108. JUL. 440. DOM. 395. ARCADII 3. HONORII 2. *Sol.* 12. G. *Lun.* 16. *Indict.* 8. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 1. P. 25. *Mart.*

COSS. *Olybrius & Probinus.*

De Conſulibus hujus anni, quibus parentibus nati?

I. QUi annum reſeravere Coſſ. germani fratres erant, illuſtri patre Sexto Anicio Petronio Probo geniti, qui & Conſul proceſſerat anno CCCLXXI. & Africæ Proconſul impoſitus fuerat, & Præfectum Prætorio Illyrici, Italiæ, Africæ, Galliarum egerat. Matrem habuere Probam, ſuo conjuge dignam, quam in ſua de Conſulatu Probini & Olybrii Panegyri celebrat Claudianus:

Sic Proba præcipua natos exornat amictu.

Id fortunæ privatæ novum, quod fratres ampliſſimum ſimul Magiſtratum adierint. Quod & Claudianus obſervat:

O bene ſignatum fraterno nomine tempus!
O conſanguineis felix auctoribus annus!

Et paulò infra:

Omni nobilior luſtro tibi gloria ſoli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum
Germanos habuiſſe Duces.

Claud. de Prob. & Olybr. Conſ.

De Aniciis, Probis, & Olybriis multa Baronius Annalibus intulit, quæ genealogiarum Romperiti virgâ cenſoriâ notarunt. Quâ de re conſuli poteſt & Reneſii Epiſtola 69. & Pagii Critica. Id præcipuè obſervandum, matrem Conſulum à Proba Faltonia diſtingui, quæ *Virgilio centones* edidit, quos damnoſa dies non detrivit, utpote qui extent Patrum in Bibliotheca. Eruditorum complures unà cum Baronio duas Probas pro una habuere, quæ tamen diſtingui debent, & diſtinxit Iſidorus, qui Probam Poetriam *Adelphii* uxorem fuiſſe memorat in ſuo libro de Viris illuſtribus, quem Sixtus Senenſis, eruditique nonnulli ſequuntur. Equidem cùm magnis laudibus Probam Conſulum matrem exornet in ſua ad Demetriadem Epiſtola Hieronymus, ipſius tamen in Arte poetica peritiam ſilet. Sanctæ mulieris virtuti reddamus teſtimonium ex Hieronymo petitum: *Quis hoc credat? Proba illa omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illuſtrius, cujus ſanctitas & in univerſos effuſa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum Probini, Olybrii & Probi non fatigarunt ordinarii Conſulatus, & cum incenſis direptiſque domibus in urbe captivitàs ſit, nunc habitas venundare dicitur poſſeſſiones, & facere ſibi amicos de iniquo Mammona.* Demetrias, ad quam de ſervanda virginitate Epiſtolam ſcribit Hieronymus, ex matre Juliana Probæ neptis fuit.

Hier. Ep. 8. c. 19.

Arcadius fueritne à Theodoſio Romam accerſitus?

II. Filium *Honorium* Theodoſius celeriter Conſtantinopoli accerſiverat, cùm Occidentis imperium ordinare haberet in animo. At quæſtionis eſt, an non Arcadium quoque advocaverit? Inficiari quidem non poſſumus, Veterum nonnullos hanc in ſententiam deſcendiſſe. Id primâ ſpecie innuit Ambroſius, qui de Theodoſii religione hæc habet: *Abſtinuit à conſortio Sacramentorum, donec Domini circa ſe gratiâ filiorum exprimeretur adventu.* Veniſſe quidem in Italiam Arcadius debuit, ſi Chronicum Alex. vera prædicat: *Arcadius Româ proficiſcitur, relicto ibi Honorio fratre.* Hanc Baronius opinionem amplectitur: *Cùm filios*, inquit, *Arcadium, & Honorium venientes excepiſſet Imperator.* Eſt tamen contraria ſententia veroſimilior, quòd ſolus accerſitus fuerit Honorius, quod Socrates Philoſtorgiuſque teſtantur. Graviſque pro ea opinione ratio militat, quòd Theodoſii funeri non adfuerit Arcadius, qui dubio procul juſta patri cum Honorio ſolviſſet, ſi Conſtantinopoli relictâ Mediolanum ſe cum fratre contuliſſet. Ambroſius in funere Theodoſii: *Hunc quadrageſimum celebramus, aſſiſtente ſacris Honorio.* Et ad Honorium converſus, *Fles*, inquit, *Imperator Auguſte, quòd non uſque Conſtantinopolim reverendas reliquias ipſe proſequeris.* Quibus Claudianus accedat, qui de tertio Honorii Conſulatu hæc ſcribit in Panegyri:

Ambr. in fun. Theod.

Bar. An. 395. n. 23.

Diſtulit Auguſtus cupida ſe reddere Cœlo,
Dum tibi pacatum præſenti traderet orbem.

Quòd ſi Arcadius & accerſitus fuiſſet, ſolius Hono-

ANNO DOM. 395.

Honorii Claudianum meminiſſe quis credat? Itaque Chronicum Alex. non moramur, cui Scriptores antiquiores pugnant. At plus virium ineſt in verbis Ambroſii: *Filiorum exprimeretur adventu:* filii dicere debuiſſet, non *filiorum*, ſi unus Honorius veniſſet. Explicari tamen poteſt enallage numeri, quâ figurâ pluralis pro ſingulari ponitur. Quomodo Turnus de ſe loquitur:

Æneid. lib. 12.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus.

Quam nec Apoſtolus figuram reſpuit, qui de uno perfectiſſimoque cruento Domini ſacrificio dicit, cœleſtia purificari debere: *Potioribus quam hæ ſunt, victimis.*

Hebr. 9. 23.

Quam intelligi figuram ipſe jubet Ambroſius, qui nec funeri præſentem, nec ad urbem Conſtantinopolim redeuntem Arcadium memorat.

Obitus Theodoſii.

III. Morbo jam decubuiſſe Theodoſium, quo mortalitatem exuit, cum Honorius accerſitus eſt, traditum Socrati. Quem tamen erraſſe, ex Claudiano liquet, qui poſt invectum in triumphali patris curru Honorium, ſic in urbe loquentem Stilichoni Theodoſium exhibet:

Tu curis ſuccede meis, tu pignora ſolus
Noſtra fove, geminos dextra tu protege fratres.

Reverſus Româ Theodoſius Mediolani, ex ærumnis malam corporis ægritudinem contraxit: paululum tamen recreatus, victoriæ causâ ludos equeſtres edidit. Ante prandium quidem commodè habebat, dum ſpectaculis aderat. Poſt prandium verò ſubitò ingraveſcente morbo, ad ſpectaculum venire non potuit:

Socr. l. 5. cap. 26.

Sed filio ſpectaculis præſidere juſſo, ſequente nocte animam exhalavit Olybrio & Probino Coſſ. τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ, decimâ ſeptimâ menſis Januarii. Aquæ intercutis morbo correptum è vita abiiſſe, teſtatur Philoſtorgius.

Bar. Ann. 395. n. 22.

Error Baronii.

Hîc uno die peccat Baronii Chronologia, qui magni Principis obitum *decimo ſeptimo* Kal. Februarii aſſignat. A Socrate non modò, ſed ab hiſtoria quoque Miſcellanea Baronius refellitur: *Defunctus eſt* XVI. *Kal. Februarii*, feriâ IV. Periiſſe anno ætatis ſexageſimo creditum Socrati: nos magis Victori aſſentimur, qui decennio minorem Theodoſium dixit. Exceſſit igitur ætatis quinquageſimo, cùm imperaſſet annos non *ſeptemdecim*, ut legitur & in Miſcellanea, & in Victoris Epitome, ſed ſexdecim, detractis tantùm duobus diebus. Creatus enim à Gratiano Auguſtus fuerat Januarii XIX. anno Dom. CCCLXXIX. Auſonio & Olybrio Coſſ. Itaque biduo antè extinctus eſt, quàm annum imperii ſextum & decimum abſolviſſet. Imperatorum fuit omnium excellentiſſimus: prudentiâ, pietate, caſtitate, fortitudine nulli ſecundus, & verè magnus, qui Theſſalonicenſem cædem perpetuò doluit, quâ re forſan unâ purpuram contaminavit ſuam. Egregium optimi Principis dictum memoriæ commendavit Themiſtius:

Themiſt. Or. 19. 232.

Ad eum qui ante omnia ſalutis Principum rationem habendam eſſe dixerat; imò ſane dixiſti, famæ potius, atque exiſtimationis. Neque enim vitæ longitudo Principi, ſed excellentia quadam virtutis perſequenda eſt. Sed in laudibus Theodoſii immorari non eſt neceſſarium, de quo jam multa diximus, qui id gloriæ conſecutus eſt, ut in triumpho penè ſuo ſepeliretur, debellatis tyrannis, & utramque Remp. utrique, id eſt, Arcadio, & Honorio quietam relinqueret. Materiam Paulini Panegyrico amplam fuſamque Theodoſius præbuit, ob quem multum ſibi laudis comparavit, præcipuè ab Hieronymo, cui ab Autore miſſus eſt: *Felix Theodoſius, qui à tali Chriſti Oratore defenditur. Illuſtraſti purpuras ejus, & utilitatem legum futuris ſeculis conſecraſti.*

Hieron. Ep. 13.

Quadrageſimo poſt obitum die ſepulchro donatus eſt, ipſiuſque in funere Ambroſius Orationem habuit: unde non illepida alluſio hæc dicenti orta: *Sicut S. Joſephus patri ſuo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodoſio patri juſta perſolvit.* Quid de ſtatu animæ ipſius exiſtimarit Ambroſius, documento ſunt verba hæc: *Fruitur nunc auguſtâ memoriâ Theodoſius luce perpetuâ.* Erroris dicam Baronius ſcribit Zozimo, narranti, Theodoſium *dum Conſtantinopolim revertitur, morbo vitam finiſſe.*

Bar. An. 395. n. 22.

Nil tamen cauſæ fuit, cur immerentem cenſurâ vexaret. Zozimus quidem verbis expreſſis narrat, *Theodoſium in Italia rebus humanis exceſſiſſe.*

Zozim. l. 5. c. 4.

Verùm non pugnant, & Mediolani, & dum Conſtantinopolim remeat, fato functum fuiſſe, quia per Mediolanum regiam imperii ſui ſedem repetebat. Defuncti corpus pollinctum ſepulchris Imperatoriis, quæ Conſtantinopoli ſunt, illatum fuit *die ſexto Idus Novembris.* Arcadius ſolemni exequiarum honore funus proſecutus eſt. Imperii adminiſtrationem ſuſcepere Arcadius Orientis, Honorius Occidentis.

Rufinus Præfectus Præt. Ejus origo, & mores.

IV. Morte Theodoſii magna eſt in imperio facta mutatio. Non ea filiis, quos ſuperſtites habuit, & rerum experientia, & animi firmitudo, quæ rebus adminiſtrandis eſt idonea. Annum Arcadius agebat XVIII. Honorius verò XI. Utrique tutoribus opus erat. Arcadius brevis erat ſtaturâ, habitu corporis tenuis, cruribus infirmus, & colore niger. Corpori reſpondebat animus: *Mentis autem ſocordia tum ex ejus ſermonibus, tam ex conniventibus oculis apparebat, qui dormientium more clauſi, ægrè admodum aperiebantur.*

Philoſtorg. l. 11. c. 3.

Occidentem ſub Honorio Stilicho, Orientem ſub Arcadio Rufinus regebat, Theodoſio olim percharus, qui paucis menſibus Domino ſuo ſuperfuit. De cujus vita, exituque nunc nobis eſt commemorandum. Ortum Aquitaniæ ſuum Rufinus debuit. Eleganti fictione Claudianus *Megeram* exhibet, quæ

Fictò Languida paſſu
Invadit muros Eluſæ, notiſſima dudum
Tecta petens.

Ut languentem in otio Rufinum excitaret:

Claud. in Ruf. l. 1.

Rufinum, quem prima meo, de matre cadentem
Suſcepi gremio.

Eſt autem Eluſa urbs Aquitaniæ, Rufini patria. Itaque non ſatis accuratè Zozimo *Celta* dicitur. Procero corpore fuit, & virili animo, cujus ſolertiam, & oculorum motus & linguæ facundia declarabat. Suis artibus blanditiiſque tantis ſibi vinculis Theodoſium devinxit, ut arcana ei omnia crederet, & ad ampliſſimas imperii dignitates ipſum promoveret: *Palatinorum enim Ordinum Magiſter* creatus eſt. Quâ autoritate ſuperbus, cùm in *Promotum* ferociora verba jeciſſet, ab eo manu percuſſus eſt. Quâ Theodoſius injuriâ adeò permotus fuit, ut ipſius æmulis minatus ſit, ni conceptam in Rufinum invidiam deponerent, ipſum brevi Principem viſuros. Incuſſi ſibi colaphi dedecus non multò pòſt *Promoti* ſanguine Rufinus eluit, qui eum in Thraciam occidi juſſit. Quaſi egregium facinus patraſſet, anno CCCXCII. cum Arcadio Auguſto Faſtis inſcribitur. Anno CCCXLIV. in Eugenium movente Theodoſio Præfectus Aulæ relin-

ANNO DOM. 395.

Zozim. lib. 4.

Suid. Ruf.

quitur cum eâ poteſtate, quæ æqualis eſſet omnis impatiens. Juniorum quippe Imperatorum tutorem agens, omnia pro arbitrio gerebat. Si fortè prædium locuples erat alicui, dominus ſtatim corripiebatur, confictâque accuſatione ſpecioſâ fortunis ſpoliabatur. Prætoria avaritiæ Rufini omnia ſerviebant. Adulatores, qui heri & nudius tertius ſubſellia purgabant, & pavimenta verrebant, precioſas veſtes fibulis aureis conſtrictas geſtabant. Defuncto Theodoſio ſub Arcadii larva, nomineque rerum potiebatur. Doribus quidem & corporis, & animi longè præſtabat Arcadio. Non multò poſt auditam Principis mortem crudele facinus perpetrat. Lucianus, qui patrono Rufino utebatur, Comes Orienti præfectus erat. Vir tantæ æquitatis, ut mortalibus leges imperare vellet. Cùm igitur affinis Honorii Eucherius, filius Stilichonis, præter rationem decori aliquid à Luciano petiiſſet, re non impetratâ adeò commotus eſt, ut ipſum apud Imperatorem accuſaret. Ut Princeps in Rufinum culpam conjecit, qui tali viro tantum potentiæ contulerat, Rufinus paucis conſciis Antiochiam proficiſcitur, & intempeſtâ nocte civitatem ingreſſus, comprehenſum nemine accuſante Lucianum, cauſam dicere cogit. Plumbeis pilis in cervicem verberari jubet. Deficientem mox opertum lecticâ vehi curat, quaſi aliquid humanitatis præbiturus. Quod cùm Antiochenſes ægrè ferrent, eos demulcet, extructâ regiâ porticu, quâ nullum habet urbs ædificium ſplendidius.

Zozim. l. 5. c. 2.

Arcadius Eudoxiam ducit. Cujus filia?

V. Alias ſpes Rufinus agitat in animo. Impetrandæ affinitatis Auguſtæ negotium aggreſſus, magis quàm unquam aliàs, ſuam Principi filiam collocare ſtudet. Verùm conſiliis excidit ſuis. Quam porro uxorem duxerit Arcadius, Baronii causâ eſt diſquirendum. Si illuſtriſſimo Purpurato credimus, hallucinantur, *qui dixerunt Eudoxiam filiam eſſe Bautonis Conſularis.* Suam verò ſententiam fulcit autoritate Zozimi, in quo videre ſibi viſus eſt, Eudoxiam *Promoti neptim* eſſe. Sed ex Zozimo malè intellecto decipitur. Non dixit quidem Zozimus, *Eudoxiam* unius ex *Promoti* filiis natam fuiſſe, verùm apud unum ex ipſius filiis educatam, quæ longiſſimè diſcrepant. Sed audiatur Zozimus: *Erant duo Promoti filii, qui adhuc ſuperſtite Theodoſio, cum liberis ejus educabantur. Horum alter apud ſe habebat virginem eximia pulchritudinis. Hanc Eutropius, unus ex Imperatoris Eunuchis, ut uxorem Princeps duceret, venuſtate puellæ prædicatâ hortatur.* De Promoti filiis ne verbum quidem. Principem non illubenti animo Eutropii dicta admittentem ſolers Eunuchus inflammat magis, monſtratâ virginis imagine. Tum tripudiare populum, & ſertis uti, velut Principum in nuptiis moris eſt, jubet Eutropius. Cùmque veſtem, quæ Arcadium deceret, & mundum è regiis ſumptum, Miniſtris Imperatoris geſtandum dediſſet, præeunte populo per mediam urbem incedit. Putabant omnes, munera Rufini filiæ deſtinari. Ubi verò propius Imperatoris Miniſtri ad Promoti domum acceſſere, cum donis hanc ſponſalitiis intrant, *eiſque virgini traditis, quæ apud filium Promoti educabatur, quænam Principi futura conjux eſſet oſtenderunt.* Nil igitur eſt in Zozimo, quod Baronio faveat. Filius Promoti Eudoxiæ pater non appellatur, imo ex verbis ipſius, *apud filium Promoti educabatur*, ſubindicatur, ab eo non eſſe genitam. Libenter igitur aſſentimur Philoſtorgio, qui *Eudoxiam* Bautonis filiam fuiſſe tradit. Francus erat Bauto, qui cum Theodoſio anno CCCLXXXI. Conſul proceſſerat, & à Gratiano Magiſter Militum in Occidente creatus erat. Vir fuit prudentiâ inſignis, & fortitudine, divitiarumque ſpretor, quibus vinculis militum ſibi conciliabat animos. Bautonis filiæ, Eudoxiæ mens erat excelſa, ſuoque parente digna: *Longè à viri deſidia, ac ſocordia diſtabat. Inerat enim ei nonnihil barbaricæ audaciæ.* Non ignoramus, Eudoxiam nonnullis Gratiani Auguſti filiam exiſtimari, ut in Nicephoro legitur l. 13. c. 4. Verùm longè major fides habenda Philoſtorgio, qui Arcadio coætaneus erat. Nuptiæ Arcadii cum Eudoxia v. Kal. Maii celebrantur, Chronico Alexandrino teſte.

Zozim. l. 4. c. 3.

Zozim. l. 4. c. 33.

Philoſtorg. l. 11. c. 6.

Arcadii in Hæreticos Leges. Quis Euresius?

VI. Non matrimonio duntaxat, ſed pulchris quoque Legibus novum Arcadius imperium ſtabilire conatur. Menſe Martio ad Rufinum ſcribit: *Cuncta ſupplicia, quæ ſanctionibus divæ recordationis genitoris noſtri adverſum Hæreticorum ſunt pertinaces ſpiritus conſtituta, noſtri etiam Decreto reparantes decernimus.* Eunomianorum perfidiam mentem damnat. Addit: *Ne quis memoratæ ſectæ militandi, aut teſtandi, vel ex teſtamento ſumendi habeat facultatem.* Data eſt III. Id. Martii Conſtantinopoli. Aliam & Legem tulit, ne Hæretici cœtus illicitos congregarent, eorumque nemo audeat ſibi Epiſcopi nomen aſciſcere. Data eſt III. Kal. Aprilis. Ad Aurelianum Proconſulem Aſiæ declarat, quibuſnam Hæreticorum nomen ſit imponendum: *Experientia tua Eureſium Hæreticum nec in numero Sanctiſſimorum Antiſtitum habendum eſſe cognoſcat.* Data Conſtantinopoli III. Non. Septembr. Alias & Leges conſcripſit, quæ in Codice Th. legi poſſunt. Quis verò *Eureſius*, de quo Arcadii in Lege mentio eſt, quæritur eruditis. Ac doctiſſimus Gothofredus illum eſſe putat, cujus Fauſtinus & Marcellinus in ſuo ad Theodoſium Libello meminere. In editione tamen Libelli hujus apud Max. Bibl. Patrum nullus apparet *Eureſius.* Hæc habet de Damaſo: *Sed & nuper tentavit graviter perſequi beatiſſimum Epheſium Epiſcopum, Sanctæ fidei æmulatione ferventem, ordinatum intaminatæ plebi Romanæ à conſtantiſſimo Epiſcopo Taorgio, & ipſo illibatæ fidei viro ſub invidia falſi impoſiti cognomenti per ſuos defenſores interpellans Judicem Baſſum, quaſi adverſus Luciferianos.* Conſulant quibus facultas eſt, Libelli exemplaria, ut conſtituatur, legendumne ſit *Epheſius*, an *Eureſius?* Quòd ſi retineatur Eureſius, ex verbis laudatis apparet, non Orientis, cui Arcadius imperabat, ſed Occidentis Epiſcopum Eureſium fuiſſe.

Fauſt. Libel. 658.

Alarichum ad Græciam vaſtandam Rufinus movet.

VII. At ambitione Rufini ingenti vulnere imperium concutitur. Spe affinitatis Arcadii dejectus multa volutabat in animo, cùm Stilicho, qui Occidentis curam gerebat, retentis fortiſſimis militibus debiliores in Orientem ablegat. Rufino ſuccenſebat, qui poteſtatem ſuæ parem in Oriente exercebat. Quippe Stilicho moriente Theodoſio, curam utriuſque Principis ſibi mandatam eſſe jactabat. Itaque de profectione ad Arcadium cogitabat, ut de ipſius rebus pro arbitrio diſponeret. Tum Rufinus pedibuſque manibuſque conari, ut Stilichonis profectionem averteret. Neque de cupiditate imperii vel tantillum detrahebat: quod ut adipiſceretur, militiam Orientis diſſipat atque debilitat,

Anno Dom. 395.

ſitat, perfidiſque utitur, quos dignitatibus præficerer. Fuerant tres filii Muſonio, viro qui ſummum doctrinæ faſtigium attigerat, Muſonius, Axiochus, & Antiochus. Ac Muſonius, Axiochuſque virtutes paternas ſuperare contendebant. Antiochus verò contrariis ſtudiis delectabatur. Quâ improbitate ſuâ idoneum ſe Rufinianis conſiliis inſtrumentum præbuit. Græciæ rebus titulo Proconſulis præficitur; ſimul Gerontio ad Thermopylas præſidium traditur. Rufini conſilia eleganter Claudianus pingit:

Claud. in Ruf. l. 2.

Everſo juvat orbe mori ſolatia letho,
Exitium commune dabit, nec territus ante
Diſcedam, cum luce ſimul linquenda poteſtas.

His per ſummam nequitiam deſignatis, ſecretò Alarichum miſſis muneribus, ad vaſtandum imperium ſollicitat. Proficiſcenti in Eugenium Theodoſio militaverat Alarichus, moleſtèque ferebat, ſe ſolis præfici Barbaris, quos Imperator ipſi tradiderat. Accenſus ergo Rufini conſiliis, Thraciâ egreſſus, in Macedoniam Theſſaliamque impetum facit. Interjecta omnia vaſtat. Propius ad Thermopylas delatus, clàm ad Proconſulem Antiochum mittit, & ad Gerontium Thermopylarum Cuſtodiæ Præfectum, qui ſuum eis adventum nunciarent. Gerontius diſcedens, liberum Barbaris in Græciam tranſitum relinquit. Qui nullo negotio agros diripiunt, urbeſque delent, quidquid virilis ſexus erat interimunt, puerulos mulieresque gregatim unà cum opibus univerſis partam prædam abigunt. Bœotia vaſtatur omnis, ut diu cladis ſuæ monumenta oculis exponeret. Solæ Thebæ ob urbis munitionem calamitatis expertes. Athenas properabat Alarichus, ratus ſe facillimè urbem occupaturum, quæ propter amplitudinem cuſtodiri non poſſet, & obſtructo Piræo fame opprimi facilè poſſet. Hic ope Minervæ, armatam ſeſe oppugnantium oculis objicientis, ereptas Alaricho Athenas Zozimus fabulatur. Alia nos civitati præſidia fuiſſe exiſtimamus, Eccleſiæ preces, Chriſtique numen, qui ut ſuperbos debellat, ſic ſubditis parcit. Alarichus igitur ſponte ſuâ pacem per præcones civibus offert; quâ acceptâ, ſacramentiſque ultrò citròque præſtitis, cum paucis civitatem ingreditur. Exceptus comiter poſteaquàm & laviſſet, & cum lectiſſimis in urbe viris fuiſſet epulatus, & muneribus cultus, Attica tota ſine injuria ceſſit. Inde Megaride primo impetu captâ, Peloponeſum verſus properat. Factâque à Gerontio Iſthmi tranſcundi copiâ, citra laborem omnes ſubinde urbes expugnat, Corinthum, Spartam in poteſtatem redigit.

Zozim. l. 5. c. 6.

Hunni vaſtant Orientem.

VIII. Neque ſola Græcia clades lugebat ſuas. Hunnorum examina ſuis egreſſa paludibus, Orientis regionibus inſidebant, ut eleganter canit Claudianus l. 2. in Ruf. 27.

Alii per Caſpia clauſtra,
Armeniaſque nives inopino tramite ducti
Invadunt Orientis opes: jam paſcua fumant
Cappadocum.

Quas edidere ſtrages, narrat & Hieronymus in ſua ad Oceanum Epiſtola de obitu *Fabiolæ*; cui dum domicilium tantâ dignum muliere quæritur, & diverſorio Mariæ carere non vult, nuncius affertur ab ultima Mæotide, Hunnos erupiſſe. Abſentibus Romanis exercitibus, qui adverſus Eugenium moverant pernicibus equis, hùc illùcque Barbari volitabant. Illatam Imperio calamitatem deflet Hieronymus: *Inſperati ubique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miſerabantur infantiæ. Cogebantur mori, qui nondum vivere cœperant, & neſcientes malum ſuum inter hoſtium manus ac tela ridebant. Conſonus inter omnes rumor petere eos Hieroſolymam, & ob nimiam auri cupiditatem ad hanc urbem percurrere. Muri neglecti pacis incuriâ ſarciebantur. Antiochia obſidebatur. Tyrus ſe volens à terra abrumpere, inſulam quærebat antiquam. Tunc & nos compulſi ſumus parare naves, eſſe in littore, adventum hoſtium præcavere, & ſævientibus ventis magis Barbaros metuere, quam naufragium; non tam propriæ ſaluti, quàm virginum caſtimoniæ providentes.* Metu Barbarorum exterrita Fabiola Romam reverſa eſt, ut ibi pauper viveret, ubi fuerat dives. Inſpiciatur de vaſtato à Barbaris imperio Hieronymi ad Heliodorum Epiſtola.

Hieron. Ep. 30.

Stilicho Achaiæ ſuccurrere properat.

IX. Nunciâ Græciæ calamitate Rufino cupiditas creſcit imperii. Neque impedimentum turbatâ Republicâ fore ſibi ullum exiſtimabat. At Stilicho militibus ad naves impoſitis, ad opem Achaiæ ferendam proficiſcitur. Ut Peloponeſum appulit; Barbaros in Pholoën fugere cogit. Quid Pholoë, Plinius docet: *Montes in Arcadia Pholoë cum oppido.* Si Claudiano credimus, Stilichonis è manibus victoriam Rufini dolus eripuit:

Plin. l. 4. cap. 6.

Claud. in Ruf. l. 2.

Illa dies potuit noſtris imponere finem
Cladibus, & ſceleris cauſas auferre futuri.
Invida proh quantum rapuit fortuna triumphum!
Inter equos interque tubas mandata feruntur
Regis, & armati veniunt ductoris ad aures.

Quaſi ab Arcadio Orientis miles fuiſſet repetitus:

Cede equidem & miſeram permitto cladibus urbem,
Flectite ſigna Duces, redeat jam miles Eous,
Parendum eſt, taceant litui, prohibete ſagittas,
Parcite contiguo, Rufinus præcipit, hoſti.

Non tamen Poëtæ Stilichoni ſerviliter blandienti temerè hîc fides detrahitur. Credendum magis Hiſtoricis. Hujus ætatis Scriptor Oroſius de Stilichone, & Rufino hæc habet: *Quid uterque egerit, quidve agere conatus ſit, exitus utriuſque docuit, cùm alius ſibi, alius filio ſuo affectans regale faſtigium, ut rebus repente turbatis, neceſſitas Reipublicæ ſcelus ambitus tegeret, genteſque barbaras ille immiſit, hic fovit.* Itaque fidem libenter adjungimus Zozimo. Barbaros Stilicho commeatus inopiâ facillimè deleviſſet, *Niſi deliciis, & mimis ridiculorum, & parum verecundis mulierculis ſe dediſſet, ac militibus quæcunque Barbari reliquerant, diripiendi poteſtatem feciſſet, hoſtibuſque ſpatium concedendi, ut è Peloponeſo cum omni præda regreſſi in Epirum tranſirent, & in urbes ejus graſſarentur. Quod eos feciſſe conſpicatus Stilicho, rebus infectis in Italiam navigat, cum majora gravioraque Græcis intuliſſet mala per eos milites, quos ſecum adduxerat.* Quòd ſi nondum de filio ad auguſtam dignitatem evehendo cogitabat, ſaltem Illyricum ab Arcadii ditione ad Honorium transferre cupiebat. Id ex Miſcellanea colligimus: Stilicho habebat *ſub ſe plurimos Romanorum, atque Gentilium, qui contractis inimicitiis cum Arcadii Ducibus cogitabat congredi contra eos. Tunc ergo agens cum Honorio, Alaricum Regem facit ordinari Magiſtrum Militum, & acceſſit adverſus Illyricum, eique Jovium Præfectum conſtituit, ut arma contra Romanos attolleret,*

Oroſ. l. 7. cap. 37.

Zozim. l. 5. c. 7.

Miſcell. lib. 13.

Digitized by Google

ret, & Provincias Honorii ſubderet ditioni. Quæ narrantur & à Sozomeno l. 9. c. 4. ex quo à Paulo Diacono videntur eſſe deſumpta. Quæ tamen Sozomenus narrat, geſta ſunt poſtmodum.

Rufinus Præf. occiditur. Quid uxori, & filiæ contigerit?

X. Quod Rufini cauſâ Claudianus de improbis canit,

Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant,

Verum eſſe, demonſtrat exitus Rufini, qui triennio, & eo amplius Orientem pro libitu adminiſtraverat. Diadema imperiumque cogitans ab iis, qui delectum militum agebant, purpurâ indui ſperabat. At mortem talia meditanti mittit Stilicho. Revertebantur milites, qui ex Oriente cum Theodoſio adverſus Eugenium contenderant, quibus *Gainas* præficiebatur, cui Stilicho conſilium aperuerat. Ubi Conſtantinopoli propius abfuere milites, antegreſſus Gainas Arcadio eorum nunciat adventum. Quibus ingreſſuris Principem obviam prodire hortatur. Suadenti obſecutus Arcadius unà cum Rufino occurrit exercitui. Ac in ſpem venerat Rufinus, quòd primo ſtatim aſpectu abjecto Arcadio à militibus Imperator crearetur. At illi, qui non purpuram, ſed mortem afferebant, Rufinum in *loco qui Tribunal dicitur, ad ipſos Imperatoris pedes gladiis trucidarunt, tum quod ipſis id mandatum fuerat à Stilichone, tum quod deriderì ſe à Rufino deprehenderant.* Periit Novembris XXVII. Porro milites, quorum furor ſanguine miſeri non ſatiabatur, defuncto caput amputant, lapidem ori ejus immittunt, haſtæque iobinum circumferentes, quaquaverſum diſcurrere cœperunt: *Dextram quoque Rufini præciſam geſtantes, per ſingulas urbis officinas circumtulerunt, hac addentes, Date ſtipem inſatiabili; magnamque auri vim hujuſmodi poſtulationibus collegerunt.* Quâ Philoſtorgii narratione in mentem verborum Hieronymi penetrare licet: Rufini *abſciſſa manus dextera ad dedecus inſatiabilis avaritiæ oſtiatim ſtipem mendicavit.* Hunc crudelitate injuſtitiâque exitum ſibi miſer ille meruit, qui ad dignitatem Prætorii Præfecto evectus, omnia nutu ſuo regebat. Cujus improbitatem eleganti carmine Claudianus deſcribit:

Philoſtorg. l. 11. c. 3.

Hieron. Ep. 3.

Infernos gravat umbra lacus, Pater Æacus horret,
Inſtantemque etiam latratu Cerberus urget.

Zoſim. l. 5. c. 7.

Uxori verò filiæque Rufini ad Eccleſiam Chriſtianorum metu confugientibus, ne cum illo perirent, *Eutropius* fide datâ permiſit, ut Hieroſolymorum ad urbem navigarent, ubi reliquum vitæ tempus exegerunt. In annum proximè futurum diſceſſum mulierum Marcellinus contulit: *Rufini uxor & filia exulant.* Immenſas Rufini facultates ex majori parte ſibi vindicavit Eutropius. Quàm Rufinus malitiâ ſuâ, tam probitate ſoror Rufini celebris fuit. Silvania mulieri nomen erat, de qua mentionem fecit in hiſtoria Lauſiaca Palladius. Silvania ſoror Rufini Præfecti increpavit mollitiem *Jobini*, qui acceptâ pelvi pedes & manus palmis laverat aquâ frigidiſſimâ. Cui mulier, *Confide, fili*, inquit, *ego ago annum ætatis ſexageſimum. Præter extrema manuum mearum, & hoc propter communionem non pes meus aquam tetigit, non vultus, neque ullum ex membris meis, etiamſi me varia invaſerint ægritudines.*

Pallad. Lauſ. cap. 143.

Stilicho, ejus ortus, & mores.

XI. Invitat orationis ſeries tenorque materiæ de *Stilichone* commemorare, qui & ambitione cum Rufino certabat, & fatum commune ſortitus eſt. Obſcuri ſunt in Hiſtoria Stilichonis ortus: de quibus Claudianus, magnus alioquin Stilichonis adulator, pauca hæc habet:

Quid facta revolvam,
Militiamque patris? Cujus pretendere famam,
Si nihil egiſſet clarum, nec fida Valenti
Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilicho.

Valentem nomine patrem habuit. Barbarum fuiſſe conſtat, Vandalico ſanguine procreatum: *Comes Stilico, Vandalorum imbellis, avara, perfida, & doloſa gentis, genere editus.* Quæ Oroſii verba ſunt l. 7. c. 38. Fuit tamen præſtantis & corporis, & animi. De pace ad Perſas Legatus miſſus erat:

Vix primævus eras, pacis tùm mitteris autor,
Aſſyria tanta fœdus cum gente ferire.

Claud. de Laud. Stil. lib. 1.

Tantum favoris à Theodoſio præclaris facinoribus ſuis eſt emeritus, ut *Serenam* fratris ſui filiam ipſi junxerit matrimonio. Stilichonis ſocero Honorio fuiſſe nomen, ex Claudiano colligimus, Honorium Auguſtum ſic loquentem inducente:

Mellior, ô patrui germen, cui nominis hæres,
Succeſſi?

Claud. de Nupt. Hon.

Ut in Eugenium arma movit Imperator, ſecundum Timaſium Romanis exercitibus Stilichonem præfecit. Quem cùm affinitatis cauſâ fidiſſimum ſibi arbitraretur, Princeps optimus moriens filiis ſuis tutorem dedit. Ad ſummum penè faſtigium evectus, Imperatoris titulum Honorio reliquit, potentiâ autoritateque ſibi reſervatâ, quâ inſolenter admodum uſus eſt. Victor in litibus abibat, qui pecuniâ ſententiam redimebat. Quidquid divitiarum erat, in Stilichonis domum confluebat. Neque ſentiebat Honorius quidquam eorum, quæ gerebantur, ſed quod imperaſſet Stilicho, pro lege ducebatur. Duas ex Serena filias ſuſceperat, *Mariam*, atque *Thermantiam*: natu majorem Mariam uxorem dedit Honorio. Quas Claudianus nuptias eleganti carmine deſcribit, in quo fingit Honorium Mariæ cupidum ipſam ambiiſſe:

Cunctatur mea vota ſocer: quid jungere differt
Quam pepigit, caſtaſque preces implere recuſat?

Auditâ Alarichi in Græciam irruptione, militibus naves complevit, ut Achaiæ eſſet auxilio. Quam tamen clade graviori affecit, illâ quam à Barbaris patiebatur. Reque infectâ in Italiam revertitur. Hinc veroſimilem conjecturam duximus, jam ſecum in animo cogitaſſe, Illyricum Honorii ditioni adjungere.

Arianorum diviſio. Pſathyriani.

XII. Commemoratis rebus imperii, Eccleſiaſticas referamus. Arianis ſatis & animorum erat, & concordiæ ad bellum fidei inferendum. Hoc tamen anno conjunctio diſſiluit. Quippe oritur inter ipſos quæſtio, poſſetne Deus etiam antequam Filius ſubſiſteret, vocari Pater: *Dorotheus igitur Antiochia ab illis accerſitus, Patrem nec eſſe, nec vocari poſſe dixit, niſi exiſtente Filio. Marinus verò, quem ante Dorotheum ex Thracia evocaverant, opportunâ occaſione arreptâ, ægrè enim ferebat quòd Dorotheum ſibi prætuliſſent, contraria ſententia patrocinium ſuſcepit.* Facto diſſidio, qui ſub Dorotheo erant, in ſuis ſedibus manſere, qui verò Marinum ſequebantur, inſtructis ſibi privatis Oratoriis conventus celebravere. Qui nondum exiſtente Filio Patrem fuiſſe dicebant, *Pſathyriani* vocati ſunt, ea de cauſa, quòd *Theoctiſtus* quidam natione Syrus, *Pſathyropola*, id eſt,

Digitized by Google

Anno Dom. 395.

eſt, placentarum venditor, hoc dogmatis acerrimè defendebat. Quod & amplexus eſt Selenas, Gothorum Epiſcopus, paternâ quidem origine Gothus, Phryx maternâ, quâ ratione utrâque linguâ expeditè docebat in Eccleſia. *Pſathyriani* tamen paulò pòſt inter ſe dividuntur, Marino diſſidente ab Agapio, quem ipſe ad Epiſcopatum Epheſi promoverat. Agapii partes Gothi ſequebantur. Quam contentionem cùm ſtudio gloriæ exoriri Clericorum complures animadverterent, ad Conſubſtantialis fidem ſe tranſtulerunt. Quòd autem Pſathyrianorum Marino Duce ab Arianis diſſidium huic anno alligemus, Autor eſt nobis Socrates: *Cum Ariani quinque ac viginti annorum ſpatio inter ſe diviſi fuiſſent, tandem regnante Theodoſio Juniore, Conſulatu Plintha Magiſtri Militum, Pſathyriani rationibus victi à contentione deſtiterunt: & in unum corpus denuò coëuntes, quaſi Lege latâ ſanxerunt, ne qua in poſterum mentio fieret quæſtionis illius, cujus cauſâ fuerant ſeparati.* Porro Plinthæ Conſulatus annum aperuit illum, qui Dom. CCCCXIX. eſt. A quo ſi viginti quinque numerentur, in Dom. CCCXCV. incidimus.

Socr. l. 5. cap. 23.

Auguſtinus creatur Epiſcopus.

XIII. Ab hoc horrido diſſidio ad lætum & ſerenum caſum tranſeamus, Auguſtini ſcilicet ad Hipponenſem Epiſcopatum evectionem. Quem hoc anno contigiſſe Proſper Caſſiodoruſque teſtantur: *Olybrio & Probino Coſſ. Auguſtinus B. Ambroſii diſcipulus multâ facundiâ doctrinâque excellens, Hippone Regio in Africa Epiſcopus ordinatur.* Nec ſatis cauſæ videmus eſſe, cur eum eruditis nonnullis in annum CCCXCVI. illam creationem conferamus, repugnante Proſperi penè ſupparis Chronologia. Cùm imparem muneribus Epiſcopalibus ſeſe Valerius agnoſceret, Auguſtinum ſibi collegam aſciſci voluit. Exemplo raro quidem, ſed non prorſus novo. Metuebat optimus ſenex, cui fama Auguſtini probè nota, ne ſibi eriperetur aliquo in Epiſcopatu collocandus: neque profectò vanus omninò is timor erat. Id quidem factum fuiſſet, *niſi hoc idem Epiſcopus cognito, ad locum ſecretum eum tranſire curaſſet, occultatumque à quærentibus, minimè inveniri feciſſet.* Hipponenſes in eodem metu omnes verſabantur, hinc Sancto Presbytero Carthaginenſem Aurelium adeundi licentia negabatur. Ut firmiſſimis ergo vinculis Auguſtinum Valerius ſibi conjungeret, collegam aſciſcit, teſte Poſſidio: *Sciens ſe corpore & ætate infirmiſſimum, egit ſecretis literis apud Primatem Epiſcopum ſedis Carthaginenſis, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque gravitatem, & obſecrans, ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ Cathedræ non jam ſuccederet, ſed Conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur B. Valerius optavit, & rogavit ſatagens, Reſcripto impetravit. Poſtquam petitionem, ad viſitandum adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ, Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerius Antiſtes Epiſcopis qui fortè tunc aderant, & univerſæ plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem: omnibuſque audientibus, & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ, ſuo vivente Epiſcopo Presbyter Auguſtinus recuſabat. Dumque illi fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro, tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam & majoris loci ordinationem ſuſcepit.* Narciſſo quidem Alexander in Epiſcopatu Hieroſolymitano collega datus erat. Theotecnus quoque Cæſareæ Epiſcopus Anatolium Præſulem ſibi ſucceſſurum ordinaverat. Neque ob id jus divinum violabatur. Ipſe quidem Auguſtinus non Chriſti, ſed Nicænæ Synodi Legibus ordinationem pugnare ſuam fatetur. Quanquam & Canon Nicænus, *Ne in una civitate duo ſint Epiſcopi*, benignâ interpretatione emolliri poſſit. Nulli ſanè ordinatio Auguſtini erat injuriæ; non Valerio hujus cupido; non Hipponenſi Eccleſiæ, Epiſcopatum Auguſtini flagitanti; non Africæ Epiſcopis, ob ædificationem Hipponenſium conſenſum præbentibus ſuum. A quo verò ordinatus ſit Auguſtinus, ipſe Petiliano declaravit in Carthaginenſi collatione 3. n. 247. *Megalius me ordinavit; Primatus Eccleſiæ Cath. eo tempore, quo ille me potuit ordinare.* Eccleſiæ gratulati ſunt viri boni, quod tantum Præſulem accepta fuerit. Hic quidem ſilentium non egit Paulinus, qui de ea electione ſcribit Romaniano: *Non autem tantum hoc ſcribimus gratulandum, quòd Epiſcopatum Auguſtinus acceperit, ſed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Eccleſiæ, ut verba cœleſtia Auguſtini ore perciperent, qui ad majorem Dominici muneris gratiam, novo more provectus ita conſecratus eſt, ut non ſuccederet in Cathedra Epiſcopo, ſed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopo Coëpiſcopus Auguſtinus eſt.* Quæ Paulini Epiſtola eſt anno CCCXCVI. exarata, quo & Auguſtini literas accepit, quibus de nova ipſius dignitate docebatur. Duæ porro in Africa civitates erant, quibus Hippo nomen impoſitum. Una in Africano littore, cognomine diverſa, *διάῤῥυτος* dicebatur hoc eſt, Hippo *irriguus*. Altera diſcriminis faciendo Hippo regius vocabatur, ſive *æquilo regium*. Huic Auguſtinus Epiſcopus imponitur, Alteri *Florentius* Auguſtino coætaneus præficiebatur, qui & Leporii ſatiſfactionis libello ſubſcripſit.

Proſp.

Poſſid. Vit. Aug. c. 8.

Anno Dom. 395.

Euſeb. l. 7. cap. 32.

Paul. Ep. 46.

Anno U. C. 1149. Per. Jul. 5109. Jul. 441. Dom. 396. Arcad. 1. & 2. Honor. 4. & 2. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 17. *Indict.* 9. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 13. *April.*

Anno Dom. 396.

Coss. *Arcadius Auguſt.* IV. *& Honorius Auguſt.* III.

I. Extincto Rufino, potentiæ ipſius hæres factus *Eutropius* Eunuchus, propemodum regnabat. Servili genere ortus, cùm in palatium irrepſiſſet, & ad dignitatem Præpoſiti evectus fuiſſet, præſente tamen fortunâ minimè contentus erat. Omnes igitur opes tantâ cupiditate arripiebat, ut ipſam ſuperaſſe Avaritiam videretur. Sed & viros præſtantes ſubmovere voluit, ne quis alius præter ipſum poteſtate Imperatori proximus eſſet. Porro cùm Præfecto Prætorio opus eſſet, qui in Rufini locum ſufficeretur, huic *Timaſium* dignitati præponere voluit. Erat Timaſius bellicis virtutibus clarus, qui à Valentis uſque temporibus præliis pluribus interfuerat, Theodoſiumque ab ingruentium Barbarorum impetu liberaverat. Timaſii tamen fortitudinem pravi mores deturpabant. Inſolens erat, & ſuperbus; impuris voluptatibus liqueſcebat. Hoc primùm ſummumque rerum humanarum bonum exiſtimabat, honorem, gloriam, opes, & arbitratu ſuo vivendi licentiam. Propter ebrietatem dies noctesque neſciebat. Ab Eutropio accerſitus ex Pamphilia in Lydiam rediit,

Eutropius quis? Timaſio exilium imperari jubet. Quis Timaſius.

Phil. ſtorg. l. 11. c. 4.

Tanquamſiquidam Rex, aut ut ille, qui vel ipſum Imperatorem, & Eunuchum obiter pro oblectamento habiturus, ſi vellet. Hinc Timaſio cauſa calamitatis, cui intercendæ hanc Eutropius occaſionem reperit. *Bargus* Syriæ Laodiceâ ortus, Lucanicarum in foro inſtitor, ob flagitia quædam Sardes profugerat. Quem utpote facetum, & conciliandis ſibi hominibus idoneum, in familiaritatem Timaſius admiſit, Præfectumque ſubinde Militum cohorti Conſtantinopolim & ſecum abducit. Eo homine ad ſtruendam Timaſio calumniam Eutropius utitur, quaſi imperium affectaſſet. Ut indignum omnibus viſum eſt, inſtitorem farciminum tot dignitatibus illuſtri viro crimen intentare, Arcadius qui Judicis officio fungebatur, cauſæ cognitionem Saturnio committit atque Procopio. Vir erat *Procopius*, qui nonnunquam verum liberè proferebat, eoque tempore contendebat iniquum eſſe, Timaſium tot dignitatibus clarum, vilis impurique homuncionis calumniis opprimi. Vicit tamen *Saturnini* ſententia. Itaque Oaſim Timaſius *relegatus*, ſterilem locum, è quo nemo poſſet evadere, qui eò deportaretur. Eſt enim vaſta arenæ planicies inter Oaſim interjecta, in qua nec veſtigia à ventis deleta remanent, nec arbor ulla eſt, aut domicilium, quod ſit indicio. Hinc proclive eſt emendare corruptum locum Hieronymi: *Timaſius præcipitatus repentè de altiſſimo gradu, evaſiſſe ſe putat, quod Aſſa vivit inglorius.* Legendum *Oaſi*, ubi relegatus Timaſius miserè vitam finiit. Quod ex Amaſeæ Epiſcopo Aſterio diſcimus in Sermone adverſus feſtum Calendarum: *Alter verè cum Prætoris munere eundem ipſe adeptus honorem, in Ægypti atque Libyæ extremis finibus, in locis arenoſis, & humoris omnis humanique cultus expertibus, damnationis ſupplicium fugiens, miserè extinctus eſt.* Quibus infelicem Timaſium pingi nemo non videt. Quem ſive ſiti oppreſſum, ſive per arenas vagantem mortuum repertum eſſe Sozomenus memorat. Huic uxor *Pentadia* fuit, fœmina propriis virtutibus quàm mariti dignitate illuſtrior. Quam ad Eccleſiæ azylum confugientem extrahere Eutropius Eunuchus conatus eſt. Nec abludit à vero, poſtmodum *Pentadiam* Eccleſiæ ſe miniſterio dicaſſe, cùm Diaconiſſæ Pentadiæ mentio ſit in vita Chryſoſtomi: *Ingreſſus autem Baptiſterium, Olympiadem vocat, quæ ab Eccleſia non diſcedebat, ſimul & Pentadiam, & Proclam Diaconiſſas.* Cæterùm Baronii error eſt auferendus, qui Timaſii caſum cum anno CCCXCV. copulat. Cùm enim Rufinus die Novembris XXV. perierit, cujus ante obitum de accerſendo Timaſio non cogitabat Eutropius, illo ipſo anno, qui Rufino ſupremus fuit, Timaſius & ex Aſia vocari, & Conſtantinopoli à Saturnio damnari non potuit. Quæ Timaſio non pepercerat Eutropii avaritia, ea infamem Eunuchum adverſus *Abundantium* concitat, virum multis honoribus functum. Thraciâ oriundus erat, qui à Gratiani uſque temporibus militaverat Theodoſio, & unà cum ipſo anno CCCXCIII. Conſul proceſſerat. Cujus opibus inhians Eutropius, virum illuſtrem aulâ ejectum, Sidonem habitare jubet. Non tamen in Phœnicia reliquum vitæ tranſegit, ut ſibi perſuaſit Zozimus. In locum triſtiorem iterum relegatur, teſte Hieronymo: *Abundantius egens Pityunte exulat.* Cujus & caſum memorat jam laudatus à nobis Aſterius: *Quid de eo dicemus, qui & ipſe Exconſul & Exprætor in terra nunc Cholchide agens, ejuſce regionis Barbarorum humanitati vitam & ſpiritum debet?* Prodigioſam ſemiviri avaritiam, qui ad ſterilitatem perpetuam damnatus nullo fine opes congregabat, ſi liberos ſuſtuliſſet, eum ſpecie ſaltem rationis aliquâ inſaniiſſe.

Suid.
Zozim. l. 5. c. 9.
Hieron. Ep. 3.
B. M. P. t. 5. 818.
Sozom. l. 8. c. 7.
Pallad. Vit. Chryſ. pag. 89.
Zozim. l. 5. c. 10.
Hieron. Ep. 3.

Gildonis rebellio. Quandonam incepit?

II. At majora molitur Eutropius, qui privatas non modò fortunas, ſed ipſum etiam imperium labefactare conatur, ut ſuæ ambitioni ſerviret. Ad extinguendum Rufinum conſilia cum Stilichone ſociaverat. Poſtmodum verò potentiam Stiliconis veritus, Conſtantinopolitanæ urbis aditum ei præcludere cogitat. Neque talia verſanti in animo occaſio defuit. Gildo, *Firmi*, de quo ſuo loco tractavimus frater, anno CCCLXXXVII. utriuſque Militiæ Magiſter per Africam à Theodoſio creatus, rebellare cœpit:

Auſus Latio contendere Gildo,
Germani nec fata timet.

Quid verò cauſæ eum impulerit, non eſt in medio, ſive quâdam permotus invidiâ, ſive minimam in parvulis Principibus ſpem fore arbitratus, *Africam à ſocietate Reipublicæ ſibi uſurpare auſus eſt, Gentili magis licentiâ contentus, quàm ambitu regiæ poteſtatis inflatus. Huic Maſcizel frater fuit, qui novarum rerum molitiones in fratre perhorreſcens, relictis apud Africanam militiam duobus filiis adoleſcentibus, in Italiam rediit. Gildo & abſentiam fratris & præſentiam filiorum ejus ſuſpectam habens, adoleſcentes dolo circumventos interfecit.* Gravis Romæ fuit ea ſeditio ob tritici penuriam, quod ex Africa ſuppeditatum tranſvehi Gildo prohibuit. Hoc eò intolerabilius, quòd Niliacis navibus ex Ægypto nil frumenti Italiæ miniſtrabatur, quod Conſtantini Legibus Conſtantinopolim vehebatur:

Oroſ. l. 7. cap. 36.

Ægyptia rura
In partem ceſſere novam ſpes unica nobis
Reſtabat Libye.
\- - - - - - -
Hanc quoque nunc Gildo rapuit ſub fine cadentis
Autumni.

Claud. de bel. Gild. 65.

Hinc gravis fames exorta. At de Gildonici tumultus initio ex Claudiano magna difficultas exoritur, qui fundentem carmina hæc Africam inducit:

Gildoni fecunda fui: jam Solis habena
Bis ſenas torquent hyemes cervicibus, ex quo
Hæret triſte jugum: noſtris jam luctibus ille
Conſenuit, regnumque ſibi tot vindicat annis.

Id. ib. v. 155.

Licentiâ poeticâ hæc ceciniſſe Claudianum exiſtimamus, quo majores Stiliconi laudes afferret; vix quippe triennio rebellem Africa Gildonem pertulit. Alio Claudianum modo Baronius explicat; nempe, quòd *Firmi fratris conjunxit tyrannidem.* Quæ noſtro judicio explicatio eſt reſpuenda, quòd & Firmi in rebellione Romanis Gildo fidus fuerit, & numerus ille duodenarius inveniri nequeat, ſive deducatur à Firmi ſeditionis initio, quæ anno circiter CCCLXXI. inceperat, ſive à diuturnitate, quæ à novennio quàm longiſſimè abfuit. Multò minus placet illuſtriſſimi Purpurati ſententia, qui *tempore belli Eugeniani* Gildonem *ab imperio Rom. deſciviſſe* putat. Quam refellit opinionem Victor in Epitome: Honorius *apud Mediolanum exceſſit, utramque Rempublicam utrique, id eſt, Arcadio & Honorio quietam relinquens.* Oroſius quoque nonniſi mortuo jam Theodoſio, Gildonem Honorio inſurrexiſſe tradit: *Gildo Comes ſimul ut defun-*

Bar. Ann. 398. n. 37.
Error Baronii.
Bar. Ann. 398. n. 38.
Oroſ. l. 7. cap. 36.

Anno Dom. 396.

defunctum Theodoſium comperit, Africam Orientalis imperii partibus jungere molitus eſt. Coluit igitur Theodoſium ad extremum ipſius uſque ſpiritum, quo eum & affinitate conjungebatur. Quippe Salvina Gildonis filia à Nebridio uxor ducta fuerat, Flacillæ Auguſtæ ex ſorore genito. Quod teſtatur Hieronymus in ſua ad Salvinam, quæ maritum lugebat, Epiſtola: *Alius forſitan laudet Nebridium, quòd ſorore generatus Auguſta, & in matertera nutritus ſinu, invictiſſimo Principi ita charus fuit, ut ei conjugem nobiliſſimam quæreret, & bellis civilibus Africam diſſidentem, hâc velut obſide ſibi fidam redderet.* Defuncto itaque Theodoſio, demum labeſcere cœpit Gildonis fides, quem Eutropius ſollicitat, avulſam ab Honorii ditione Africam Arcadiano imperio adjicere. Non eſt tamen negandum, ex Claudiano colligi, vivente Theodoſio Gildonem de rebellione cogitaſſe:

Hieron. Ep. 9.

Zoſim. l. 5. c. 11.

Claud. de VI. Hon. Conſ. 110.

Alter præcepta vocantis
Reſpuit, auxiliiſque ad proxima bella negatis,
Abjurata palam Libya poſſederat arva.

Fictionem tamen poëticam eſſe hanc imperante Theodoſio Gildonis rebellionem, præter Hiſtoricorum teſtimonio innuit & ipſe Claudianus, qui Alaricum & Theodoſio obſtitiſſe canit:

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat, qui ſæpè tuum ſprevere profanâ
Mente patrem.

Theodoſio quidem militavit Alaricus. Nodus hic eſt difficillimus, quem peritioribus ſolvendum proponimus.

Igne & terræ motu Deus Conſtantinopoli minatur.

Proſp. Chr.

III. Anno celebritatem prodigium attulit, quod Chronologi, Hiſtoricique recordantur, Conſtantinopoli *terræ motus per dies plurimos fuit, cœlumque ardere viſum eſt.* Fertur pio militi divinitùs nunciatum, civitatem venturo de cœlo igne perituram. Quod cùm indicaſſet Epiſcopo, monita non reſpuit Nectarius, qui gregem ſuum ad reſipiſcendum hortatur: *Noctu initio viſa eſt ignea nubes ab Oriente, primò parva, deinde paulatim ut accedebat ſupra civitatem, ita creſcebat, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor ſulphuris deerat. Omnes ad Eccleſiam confugiebant: non capiebat multitudinem locus. Baptiſmum extorquebat quiſque, à quo poterat.* Sed nubes minui cœpit, paulatimque conſumpta eſt. Vix ſecurus erat populus, cùm iterum audit migrandum eſſe, quòd civitas proximo Sabbato eſſet peritura. Tum cuncti cum Arcadio aliquot milliaribus progreſſi, ad fundendas orationes in unum locum congregantur. Magnum fumum ſubitò vident; ſed tranquillitate redditâ omnes læti redeunt: *Nemo de domo ſua quidquam perdidit patente.* Aug. de Excid. urb. c. 6. Inſpiciatur & Pauli Diaconi Hiſtoria Miſcellanea l. 13.

Eunomianorum diſſidia.

Socr. l. v. cap. 24.

IV. Sæpenumerò firmior eſt Hæreticorum, quàm Orthodoxorum concordia. Contigit tamen quandoque ſectas in varias ſcindi partes, ut faciliore lapſu ruant. Eunomii familia ad fidei perniciem nata, magnos excitat motus, qui labente anno erupiſſe videntur. Quos ut facti ſunt, narrat Socrates: *Qui ab Eunomio nomen traxerunt, varias in partes poſteà diſciſſi ſunt. Primum enim Theophronius quidam Cappadox, cùm libros quoſdam compoſuiſſet, quos de exercitatione mentis inſcripſit, in odium ſuorum incurrens, tanquam ſuæ ſectæ deſertor ab illis ejectus eſt. Qui poſteà ſeorſum ab illis collectas celebrans, hæreſim de ſuo nomine nuncupatam reliquit. Deinde Eutychius quidam Conſtantinopoli ob levem quandam controverſiam ab Eunomianis diſceſſit, & nunc ſeparatim conventus agit. At Theophronii quidem Sectatores vulgò vocantur Eunomiotheophroniani. Qui autem Eutychio ſe adjunxerunt, Eunomieutychiani.* Ut impreſſa in Baptiſmo auguſtiſſimæ Trinitatis veſtigia delerent, formam divini Sacramenti prorſus mutatam iverunt: *Non enim in Trinitatem baptizant, ſed in mortem Chriſti.* Socratis narrationem illuſtrat Sozomenus: *Theophronius*, inquit, *ex ſacris Oraculis probare conatus eſt, Deum qui futura prænoſceret, præſentia verò ſciret, & præterita meminiſſet, non eodem ſemper modò ſe habere, ſed pro ratione futuri, præſentis, & præteriti mutare cognitionem. Ob ejuſmodi* opiniones, cùm ne ipſis quidem Eunomianis *ferendus videretur, ex eorum Eccleſia ejectus, hæreſim nominis ſui condidit.* Eutychius verò Dei Filium ignorare diem Judicii palam aſſeruit. Quam impiam ſanè ſententiam cùm Eunomianorum Antiſtites improbarent, relictâ ipſorum communione Eutychius ad Eunomium in exilio tunc agentem perrexit, qui ipſius opinioni ſuffragatus eſt, unàque cum eo fudit orationes, quamvis nefas ſit apud ipſos orare cum illis, qui expertes ſunt literarum, quæ per notas ab aliis ignoratas communionem teſtantur. Defuncto non multò pòſt Eunomio, ille qui in urbe Regia Eunomianis ſacris præerat, Eutychium admittere noluit, *Præ invidia illi infenſus, quòd cùm aſſertionem illius, qui ne Clericus quidem erat, acriter impugnare vellet, quæſtionem minimè ſolvere potuiſſet.* Hæc illa Eunomianorum diſſidia, novæque impietates, quibus & Chriſti majeſtatem, & baptiſmi Sanctitatem violabant, cauſam Arcadio præbuiſſe videtur, cur labente anno Leges non in Hæreticos modò, ſed præcipuè in Eunomianos promulgaret. Quippe quam memoravimus hiſtoriam, ea demonſtrat, quænam illa dementia, quod facinus, quis furor, quis error Eunomianorum fuerit, cujus in Legibus mentio eſt. Leges audiamus.

Sozom. l. 7. c. 17.

Leges Arcadii in Hæreticos.

V. Hæreticos Arcadius Eccleſiis, Diaconiciſque exuit ſuis, quos & ſacratiſſimâ urbe pepulit. Prohibuit etiam illos intra civitatem noctu, vel interdiu conventus agere, Clearcho U. P. centum librarum auri mulctâ irrogatâ, ſi publicos privatoſque conventus conceſſerit. Data eſt v. Nonas Martii. Multis Imperatorum Legibus Hæreticorum & myſteria, & conventus prohibebantur. Verùm conniventibus ſanè Magiſtratibus, Eccleſias Hæretici ſuas etiamnum retinebant. Hinc ſancitum ab Arcadio: *Cuncti Hæretici procul noverint, omnia ſibi loca hujus urbis adimenda eſſe, ſive ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſive quæ Diaconica appellantur, vel etiam Decanica; ſive in privatis domibus, vel locis privatis fiſco noſtro adcorporandis.* Diaconica loca erant Eccleſiæ, quæ alias *Secretaria* dicuntur, ubi vaſa, veſtes, reſque ſacris uſibus deſtinatæ recondebantur. *Decanica* præbuere uſum quendam *cuſtodiæ Eccleſiaſticæ*, obſervante Gothofredo. Eunomianos rectà feriere gemina Arcadii Edicta, quæ hoc & anno promulgata ſunt: *Doctores autoreſque Eunomianorum facinoris inveſtigati, Clericique maximè, quorum furor tantum ſuaſit errorem, ex civitatibus pellantur extorres. Data* XI. *Kal. Maii.* Præter communes odii in Eunomianos cauſas ſpeculiares Arcadius habuiſſe potuit ex Eunomianorum diſſidiis, quorum pars Theophronium ſequebatur, pars Eutychium.

Cod. Theod. t. 6. p. 150.

Anno Dom. 396.

chium. Sed & ſecutis annis Arcadius Eunomianos non civitatibus tantùm pepuli, ſed & conventus eorum in agris modis omnibus, Codiceſque & libros prohiberi voluit.

Ambroſii Acta nonnulla.

VI. Ambroſio cœleſtis virtutis teſtimonium nunc eſt reddendum, de quo multa narrat Paulinus, quorum fides ſit penes Autorem. Quo tempore Honorius Mediolani Libycarum ferarum munus exhiberet, data à Stilichone militibus eſt licentia, *Creſconium* rapere de Eccleſia, ad quam confugerat. Fugientem ad altare Ambroſius cum Clericis defendendum circumdedit. Militibus Ariani præerant, qui ablato Creſconio exultantes ad amphitheatrum redeunt. Vim altaribus illatam diu flevit Ambroſius. Quam tamen Deus ultus eſt. Dimiſſi quippe leopardi celere ſaltu ad locum, in quo milites ſedebant, aſcendunt, quos morſibus appetitos graviter ſaucios reliquere. Hoc ubi vidit Stilicho, pœnitentiâ motus, cumulate ſatisfecit Ambroſio. Ac Creſconium quidem illæſum dimiſerat, quia verò graviſſimorum erat criminum reus, ad exilium deſtinatur, non multò pòſt indulgentiâ proſequente. Aliud prodigii ſubjungit Paulinus, multò minus credibile. In Ambroſiana Baſilica ſervus Stilichonis verſabatur à Dæmone liberatus, qui falſas conficere Epiſtolas deprehenſus eſt, cui pœnæ aliquid ob Ambroſii reverentiam Stilicho irrogari noluit. Quem ſervum interrogatum, cùm flagitii autorem deprehendiſſet Ambroſius, *Oportet*, inquit, *illum tradi Satanæ in interitum carnis.* Vix ea fatus erat, *cùm eodem momento Spiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit.* Pace Paulini, liceat nobis eo de miraculo dubitare, cùm ſolis Apoſtolis id privilegii conceſſum fuerit Dæmonibus uti, quaſi lictoribus ad extorquendos peccatores. Intereà ex ea narratione diſcimus, quid ſit *tradi Satanæ*, quod non ſatis aptè complures de Excommunicatione interpretantur. Paulino judice hoc aliud prorſus ſonat, nempe Dæmoni excarnificandum dari.

Paulin. Vit. Ambr.

Anno Dom. 397.

Anno U. C. 1150. Olymp. 294. Per. Jul. 5110. Jul. 442. Dom. 397. Arcad. 15. & 3. Honorii 5. & 3. *Sol.* 14. D. *Lun.* 18. *Indict.* 10. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

Coss. *Atticus & Cæſarius.*

Flacilla Arcadio naſcitur.

I. Rerum imperii ſterilem annum ingredimur, Eccleſiaſticorum verò fœcundum ſatis, morteque virorum clariſſ. lugubrem. Conſtantinopoli Bauonis ex filia Eudocia Auguſta Arcadio Flacilla nata eſt. Perrexit & Imperator illis moleſtus eſſe, qui de religione malè ſentiebant. *Doctores Apollinariſtarum* Conſtantinopoli ejecit, conventiculaque ipſorum addixit Fiſco Lege latâ Kal. April. Aliam quoque utilem ſimul & honeſtam in ambitioſos conſtitutionem promulgavit, ſerò tamen executionem mandatam. Ut illi ſcilicet, qui ambitione ad honores aſcenderant, mulctentur exilio. Data eſt IV. Kal. Martii.

Ambroſii obitus. Quamdiu ſederit? Hebraicæ linguæ imperitus.

II. Cæterùm, ut res Eccleſiaſticas exequamur. Ambroſius poſt exantlatos pro pietate labores multos poſita ſanctitati præmia recipit. Multa de ipſius obitu Paulinus refert, quæ ex fide Scriptoris memorabimus. Optimo Præſuli vita tædio erat, ob ingraveſcentem paſſim & ubique avaritiæ libem, quæ non Laicos modò, ſed Clericos etiam inceſſebat. Paucis antè diebus quàm decumberet, cùm excipiente Paulino Pſalmum XLIII. dictaret, *ſubitò in modum ſcuti brevis, ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipſius, tanquam in domum habitator, ingreſſus eſt. Poſt quod facta eſt ſpecies ſicut nix, poſtea verò reverſus eſt vultus ejus ad ſpeciem ſuam.* Quâ luce veluti ſigillo cœleſti Ambroſii doctrinam conſignatam eſſe volunt. Inter dictandum ſubſiſtit in his verbis, *Si autem Dominum negligamus, & longe nos faciamus à Domino, facimus nobis adverſarium fortiorem.* Non multò poſt cùm Eccleſiæ Ticinenſi Epiſcopum præfeciſſet, languore corripitur, quo cùm pluribus diebus detineretur, Stilicho dixiſſe fertur, *Tanto viro decedente de corpore, interitum imminere Italiæ.* Perſuadet igitur Nobilibus civitatis, quos Ambroſio percharos eſſe noverat, decumbentem adire, quem rogarent à Deo ſibi petere vivendi commeatum. Hoc ut ab amicis audivit, reſpondit, *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* In extrema parte porticus, in qua jacebat, longè ſatis ab eo diſſiti verſabantur, Caſtus, Polemius, Venerius, Felix, Diaconi, qui ſubmiſſa voce de moribundi ſucceſſore loquebantur. Ut Simpliciani mentionem fecere, exclamavit tertiò, *Senex, ſed bonus.* Cætera Paulini verbis narrentur: *Eodem tempore, quo à nobis migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei uſque ad illam horam, quâ emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis oravit. Nos autem labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis cùm in ſuperiora domûs ſe ad quieſcendum compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi, Surge feſtina, quia modò eſt receſſurus, qui deſcendens obtulit Sancto Domini corpus. Quo accepto ubi deglutivit, emiſit ſpiritum. . . . Inde ad Eccleſiam majorem antelucanâ horâ, quâ defunctus eſt, corpus ipſius portatum eſt, ibique eâdem fuit nocte, quâ vigilavimus in Paſcha.* Luceſcente die Dominico peractis Sacramentis effertur corpus in Baſilicam Ambroſianam, ubi conditum eſt. Quin hoc anno extremum diem morte confecerit Ambroſius, non eſt ambigendum. Concilium Carthaginenſe tertium Kal. Septemb. Cæſario & Attico celebratum, de Donatiſtis hæc ſtatuit: *Placuit, ut conſulamus fratres & Con-Sacerdotes noſtros Siricium, & Simplicianum.* Jam ergo Simpliciano decellerat Ambroſius. Prætereà Ambroſianum obitum cum quarto Aprilis conjungunt Martyrologia. Mortuus eſt autem Sancto Sabbato, teſte Paulino: ut ab anno CCCXVII. mors Ambroſii divelli nequeat, quo magnum Sabbatum quarto Aprilis affigebatur. Itaque Marcellini Comitis Chronologia non eſt accurata, quæ in annum CCCXCVIII. Ambroſianam mortem contulit. Ut vel in corruptum Marcellini exemplar Baronium incidiſſe, vel non ſatis vigilantibus oculis illud perluſtraſſe neceſſe ſit, dum annum ſupremum Ambroſii ex Marcellino probari contendit: *Coſſ.* inquit, *Cæſario & Attico Ambroſii obitum contigiſſe Marcellinus aſſirmat.* Id ſanè non affirmat Marcellinus, qui Sancti Præſulis obitum Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. contigiſſe memorat. Creatus fuerat Epiſcopus ſeptimo Decembris, anno CCCXCVIII. Quâ ratione annos XXII. menſes quatuor, duobus duntaxat diebus exceptis, Epiſcopatum Mediolanenſem tenuit. Laudes ipſius

Paul. Vit. Ambr.

Cart. 3. c. 48.

Error Baronii.

Bar. Ann. 397. n. 35.

Anno Dom. 397.

ſuas paucis quidem, ſed ſignificantibus verbis Marcellinus exequitur: *Ambroſius Mediolanenſis, virtutum Epiſcopus, arx fidei, Orator Catholicus ad Dominum commigravit.* Invicti animi ſe virum fuiſſe, injuſtis Principum imperiis cedere neſcii, non uno exemplo demonſtravit. Græcè Latinèque eruditum omnes fatentur, ſed Hebraicæ prorſus linguæ imperitum fuiſſe exploratiſſimum eſt. Qua de cauſa pueriliter erravit, dum Hebræa quædam vocabula interpretatur. Tot ſanè ipſius in Sermonibus ad Pſalm. XXVIII. peccata ſunt, quot Sermones. Exempla quædam ſubjiciamus. Sermone ſecundo: *Bet interpretatio conſideranda eſt, quem in Latinum converſa, Confuſio declaratur.* Sermone quarto: *Dalet ſignificat Latinè Timorem, vel ut alibi invenimus, Nativitatem.* Sermone ſexto: *Zain ſignificat Latinè, Dixite.* Eâdem penitiâ literas omnes Hebræas interpretatur, ut prodigio ſit, virum graviſſimum in ejuſmodi ineptias delapſum eſſe, quæ dant Hebræorum pueris ludibria. Præſtaret ſanè ab ignotæ linguæ explicatione prorſus temperare. Non neſcimus, Hieronymum Hebræorum elementis ſignificationes adjunxiſſe in ſua ad Paulam Urbicam Epiſtola. Hieronymianæ verò ſignificationes ſunt ab Ambroſianis penitùs diverſæ: *Beth, domus; Dalet, tabulatum; Zain, hæc.* Extant adhùc genuina Ambroſii ſcripta; alia tamen dubia ſunt, alia ſubdita, ornata magno nomine, de quibus conſulendi Critici. Ambroſio Miſſam aſcribit Walafridus Strabo: *Ambroſius quoque Mediolanenſis Epiſcopus, tam Miſſæ quam cæterarum diſpoſitionem officiorum ſuæ Eccleſiæ & aliis Liguribus ordinavit, quæ uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia.* Eſt tamen vero ſimilius, Miſſam Ambroſianam compilatoris opus eſſe, qui multa quidem ex Ambroſio deſumpſit, quæ poſteri ſuis additamentis auxere, qui Liturgiarum caſus omnium fuit, quæ Veteribus vindicantur. Quod verò Cardinalis Bona de ritu Ambroſiano habet, *Miſſæ ordinem à S. Barnaba Apoſtolo, pſallendi verò regulam à S. Mirocleте Archiepiſcopo* Eccleſiam Mediolanenſem accepiſſe, opus habet argumentis ad fidem impetrandam. Hymni verò Ambroſiani in tanto pretio fuerant, ut palam publicèque in Galliarum Eccleſiis canerentur. Quò pertinet Synodi Turonenſis ſecundæ Canon 23. qui apud Carranzam eſt 17. *Licet Ambroſianos habeamus hymnos in Canone, tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt formâ, cantare volumus.* De Ambroſii Operibus ſuum Hieronymus interponere judicium noluit: *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus uſque ad præſentem diem ſcribit, de quo quia ſupereſt, meum judicium ſubtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.* Ambroſio Simplicianus ſucceſſit.

Hier. Ep. 155.

Strabo de Reb. Eccl. c. 22.

De Martini anno emortuali & die.

III. Novos in luctus ob *Martini* mortem vocatur Eccleſia. Non neſcimus quidem, de fatali anno Martini inter eruditos multum eſſe controverſiæ. Quantum in ea re ſit diſſidii, vel ex uno Petavio ſciri poteſt, qui varias Veterum de ultimo Martini anno opiniones refert libro de Doctr. Temp. XI. c. 44. & Rationarii l. IV. c. 13. Verùm, ut in noſtro Baronio hæreamus, illuſtriſſimi ſententia Purpurati hæc eſt, Martinum anno CCCII. abiiſſe è vita. Quâ ſanè Chronologiâ ſibi non conſtat. Objecerat enim Martinus, cùm Synodus Taurinenſis eſt celebrata, quam tamen Baronius anno CCCXCVII. alligavit. Rem quod attinet, Baronii ſententia in ipſo Severo inniti videtur, ſcribente, Martinum *ſexdecim poſtea annos vixiſſe*, quàm Trevirenſe Conciliabulum coactum eſt. Atqui hoc Conciliabulum anno Dom. CCCLXXXVII. celebratum eſt. Ex verbis tamen Sulpitii ad annum uſque CCCCIII. vitam produxiſſe Martinum, foret exiſtimandum, quod non ſit veriſimile. Cùm autem numeri in Sulpitio ſæpius corrupti deprehendantur, ad ætatem Martini deprehendendam auxilii ſatis non ſuppeditant. Itaque Gregorii Turonenſis Chronologiam amplecti tutius exiſtimamus, cùm è Martini ſucceſſoribus unus fuerit: *S. Martinus octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatûs autem XXVI. apud Condatenſem Eccleſiæ ſuæ vicum excedens à ſeculo, feliciter migravit ad Chriſtum. Tranſiit autem mediâ nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæſarioque Coſſ.* Accurata hæc & Conſulum, & ætatis Martini deſignatio maximum eſt veritatis indicium. Præterea cum Turonenſium Epiſcoporum Indiculum Gregorius texuerit, in quo locum ipſe decimum nonum occupat, ſi in anno Martini emortuali peccavit, in ſequentium & Epiſcoporum annis erraſſe neceſſe eſt. Falſum ergo, & Britium, cui Martinus deceſſit, annos ſediſſe XLVII. & *Euſtochium* Britii ſucceſſorem annos XVII. Epiſcopatum tenuiſſe. Atqui nil cauſæ eſt, cùm hic Gregorius erroris poſtuletur, cùm hoc annorum ſpatium ad CCCCLXI. pertingat, quo Perpetuus Turonenſem Eccleſiam adminiſtrabat, ut conſtat ex Synodo, cui præfuit. At Martini ſupremus dies Novembris XI. aſcribi nequit, utpote qui in quartam feriam incidat, quâ Martinus cœlo donatus non fuit. Itaque alius depoſitionis, alius Martini obitus dies. Depoſitio ad reliquiarum tranſlationem pertinet, quæ tertio Idus Novembris facta eſt, quo & ſancti viri memoria recolitur. Mors verò in alium diem eſt conjicienda, quem ex Gregorio ſic extundimus: Martinus *anno octavo Valentis & Valentiniani Epiſcopus ordinatus eſt. Sedit autem annos XXVI. menſes quatuor, dies XXVII.* Porro ipſo teſte Gregorio, ordinatus eſt Martinus *quarto Nonas Julias.* Animam igitur exhalaſſet Novembris die XXX. cui Gregorianus ille calculus cohæret. Hunc tamen morti Martini diem aſſignare prohibemur, quia ultimus Novembris anno CCCXCVII. cum feria ſecunda copulatur. Obiit verò Martinus *mediâ nocte, quæ Dominica habebatur.* Quòd ſi duos duntaxat dies, qui facillimè numeris addi potuere, calculo Gregoriano eximimus, ſic omnia rectè procedent. Sedit Martinus annos XXVI. menſes quatuor, dies XXV. quâ ratione nocte, quæ Dominicam duxit, ad plures abire potuit. Atque de difficillima quæſtione conjectura noſtra hæc eſt, ut nocte, quæ Novembris XXIX. imminet, exceſſerit. Porro Gregorius non ſatis accuratè annos recenſet, qui Martini ab obitu ad uſque Chlodovej mortem fluxere: *A tranſitu ergo S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovei Regis, qui fuit XI. annus Epiſcopatus Licinii Turonici, ſupputantur anni CXII.* Quo caſu anno CCCC. Martinus exceſſiſſet. Corrupti ergo numeri ſive Librariorum, ſive Autoris incuriâ. A Cæſarii Atticique Conſulatu Chlodovei ad uſque obitum anni ſunt CXV. Quâ ratione Gregorius eſt emendandus.

Anno Dom. 397.

Sever. Dial. 3.

Greg. Tur. l. 1. c. 47.

Gregor. l. 10. c. 3.

Gregor. l. 2. c. 14.

Gregor. l. 2. c. 43.

Mors Martini. Pietas, fama.

IV. Ut ex vita, ſic ex morte Martini virtutem diſcere eſt in proclivi. Cauſa extiterat, quâ Condatenſem Diœceſim viſitaret. Clericis hujus Eccleſiæ diſſidentibus, componendæ con-

cordiæ proficiſci non recuſavit, bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi pacem Eccleſiæ redditam reliquiſſet. Ita profectus cum ſuo illo, ut ſemper, frequentiſſimo diſcipulorum, ſanctiſſimoque comitatu, mergos in flumine conſpicatur piſcium prædam ſequi: *Forma*, inquit, *hæc Dæmonum eſt, inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captas devorant, exſaturarique non queunt devoratis.* Aliquandiu in Eccleſia, ad quam ierat, commoratus, pace inter Clericos reſtitutâ, cùm jam regredi ad Monaſterium cogitaret, viribus corporis cœpit repentè deſtitui, convocatiſque diſcipulis indicat, ſe jam reſolvi. Tum verò mœror & luctus omnium, vox una plangentium: *Cur nos, pater, deſeris? Aut cui nos deſolatos relinquis? Invadent gregem tuum lupi rapaces, & quis eos morſibus noſtris percuſſo Paſtore prohibebit? Scimus quidem deſiderare te Chriſtum: ſed ſalva tibi ſunt tua præmia, nec dilata minuentur: noſtri potius miſerere, quos deſeris.* His fletibus motus lachrymaſſe perhibetur, converſuſque ad Dominum, hæc tantùm flentibus voce reſpondit: *Domine, ſi adhùc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Cùm jam per aliquot dies febri teneretur, nobili illo ſtratu ſuo in cinere & cilicio recubabat. Et cùm à diſcipulis rogaretur, ut ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi, *Non decet*, inquit, *filii, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccavi.* Rogatus à Presbyteris, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret: *Sinite*, inquit, *ſinite me, fratres, cœlum potius reſpicere, quàm terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Hæc locutus, Diabolum vidit propè aſſiſtere: *Quid hic*, inquit, *aſtas, cruenta beſtia? Nil in me, funeſte, reperies; Abrahæ me ſinus recipit.* Cum hac voce ſpiritum cœlo reddidit. Triumpho ſimiles Martini exequiæ. Tota civitas obviam corpori fuit, multi ex vicinis etiam urbibus affuerunt. Ad duo ferè millia Monachorum conveniſſe dicuntur. Agebat ante ſe Paſtor extinctus greges ſuos, pallidas turbas, agmina palliata, Monachos ſcilicet, quibus ut Philoſophiæ deditis, uti pallio ſolemne fuit: ut in *agminibus palliatis* fruſtrà Sacerdotes quærant eruditorum nonnulli. *Tum Virginum chorus, fletu abſtinens præ pudore, cùm lætandum potius illi eſſe ſentiret, quem jam ſuo Dominus gremio confoveret.* Sic beati viri corpus *uſque ad locum ſepulchri hymnis canora cœleſtibus turba proſequitur. Martinus hîc pauper & modicus, cœlum dives ingreditur.* De Martini ſepultura Pictavos inter & Turonenſes exortum certamen eſſe, narrat Gregorius. Dicebant Pictavi, *Nobis Abbas extitit.* Reſpondebant Turonenſes, *Nobis à Deo donatus . . . & primum ei Monaſterium cum Mediolanenſibus fuit.* Dum inter ſe litigant, nox ruit, & gravi ſomno Pictava phalanx opprimitur. Tum Turonenſes opportunâ occaſione uſi, *ſanctiſſimi corporis glebam per feneſtram ejiciunt*, & per Vigennam ingreſſi Ligerim Turonenſi civitati inferunt, non ſine Pictavenſium pudore. De ea pugna tamen ne vel tenue eſt apud Sulpitium veſtigium, & fabuloſæ traditionis officinam redolet. Multorum ore laudatur Martinus, pietate, ſanctitate, miraculis. Feſtus dies ejus in honorem eſt inſtitutus, qui anno CCCCLXI. jam in Gallia celebrabatur, ut liquet ex Synodo Turonenſi: *Severino viro clariſſ. Conſule, die XVIII. Kal. Decembres, cùm ad ſacratiſſimam feſtivitatem, qua Domini Martini receptio celebratur, in civitate Turonorum beatiſſimi Sacerdotes veniſſent*, &c. Perpetuam Martini imaginem & in libro de vita Martini, & in Dialogis Severus impreſſit. Sancti quoque Antiſtitis effigiem cum Paulini imagine ad ſacrum fontem conſtituit. Qua de cauſa Sulpicio ſuo verſus inſcribendos Paulinus miſit. Carminum unum, quod brevius eſt, ſubjiciemus oculis: alterum, quod longius, ex Paulini Epiſtola XII. petatur:

Abluitis quicumque animas, & membra lavacris;
Cernite propoſitas ad bona facta vias.
Adſtat perfectæ Martinus regula vitæ,
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate beati:
Exemplar ſanctis ille ſit, iſte reis.

Martini quoque laudes verſibus celebravit Venantius Fortunatus. Dolendum quòd vir tantus nil ſcripto mandarit, quo mentes ad pietatem erudirentur. Extat quidem in Bibliotheca M. Patrum Profeſſio fidei, quæ Martini nomine inſcribitur: *Profeſſio fidei facta à B. Martino Archiepiſcopo Turonenſi.* Brevis eſt, & Orthodoxa. At cùm Veterum nullus illam aſſignet Martino, non abſque ratione ab eo abjudicatur. Non nævis tamen Martini doctrina caruit. Quippe in abſonam opinionem delapſus eſt, cujus meminit Severus Dialog. 2. cap. 16. ante ſeculi finem venturum Neronem, qui tamen ab Antichriſto perimetur. Exiſtimavit etiam, *quòd caput regni Hieroſolymam eſſet habiturus* Antichriſtus, *& ab illo urbem & Templum eſſe reparandum.* Poſt XX. dierum Interpontificium *Briti*us quartus Turonenſium Epiſcopus ordinatur.

Martyrium Siſinnii, Martyrii, Alexandri.

V. Fatis naturæ debitis dum viri pii in Occidente ſternuntur, manu cruentâ Martyrum vita exhauritur, quod dictu mirum Chriſtianis imperantibus. Sed Principum autoritas adverſus impotentem Ethnicorum furorem non ſemper fuit auxilio. *Siſinnius, Martyrius, Alexander* Ananiam, ſtadiis viginti quinque Tridento remotam petierant, de miniſtrando Ethnicis Evangelio. Liberi erant matrimonii vinculis, Siſinnius *Diaconi*, Martyrius *Lectoris*, Alexander *Oſtiarii* officio fungebatur. Quandiu nullum in eo loco publicum fidei ſignum fuit, vis nulla ab Ethnicis eſt Martyribus illata. Ubi verò propriis ſumptibus Eccleſiam Siſinnius excitavit, res hæc Ethnicorum inflammat odia: Omnes igitur *in unum collecti, per aliquot ſpatia tracti, Deo animas expirarunt. Et duorum quidem ductum eſt corpus exanime: tertia verò, quo tenacior vitæ, ita fuit pœna ſenſibilior, nam vivus ſuas ſpectavit exequias. Præparatus eſt de ſacris Eccleſiæ culminibus, ſeu trabibus rogus: hæc flamma Martyres revelavit. Dies paſſionis Sanctorum quarto Kal. Junias, feriâ ſextâ.* Quæ Vigilius Epiſcopus Tridentinus Epiſtolâ Simpliciano ſuâ ſignificavit, qui & ſibi propoſuit, Baſilicam in eo loco condere, ubi morti Martyres objecti fuerant. Horum & Martyrum Gaudentius meminit Brixienſis in Homilia de XL. Martyribus: *Recepimus Sanctos cineres Siſinnii, Martyrii, Alexandri, quos nuper in Ara Agathini uni venerandæ religionis cultus attentius inhærendo gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremavit, ut holocauſtum Deo fierent, qui Chriſtianos ſuas victimas Dæmonis miniſtrare increpatione juſtiſſimâ vetuiſſent.* Nomina Ananienſium Martyrum ſuam poſteris memoriam conſecrarunt. Capti ſanctorum

virorum

Sever. Ep. 3.

Greg. Tur. l. 1. c. 47.

Turon.

Ruinart. Act. 682.

Digitized by Google

Anno Dom. 397.

virorum interfectores, ſed precibus Fidelium à merito ſupplicio liberantur, ne gloria Martyrum detereretur. Quod teſtatur Auguſtinus ad Marcellinum Comitem Epiſtolâ: *Scio in cauſa Clericorum Anaunenſium, qui occiſi à Gentilibus nunc Martyres honorantur, Imperatorem rogatum facile conceſſiſſe, ne illi qui eos occiderant, & capti jam tenebantur, pœnâ ſimili punirentur.* Pugnantibus Chronologiæ regulis Anaunenſium mortem anno cccc. Baronius affigit. Quod profectò mirum, cùm Acta vel ab ipſo exhibita non dubiâ ſanè notâ tempus paſſionis exhibeant, *quartum* ſcilicet *Kalendarum Juniarum, feriam ſextam.* Quæ ſoli anno cccxcvii. competunt, vi literæ Dominicalis D. & Epactæ, Sol. 4. Anno quadrageſimo xxviii. Maii, feriæ non *ſexta* quidem, ſed *ſecunda* affigebatur.

Aug. Ep. 158.

Error Baronii.

Mors Nectarii.

VI. Neque luctus Oriens immunis fuit, cùm hoc etiam anno vitam cum morte Nectarius commutarit: *Extremum diem obiit Cæſario & Attico Coſſ. quinto Kal. Octobris. Statim igitur de ordinando Epiſcopo contentio exoritur, aliis alium poſtulantibus.* Cùmque hac de re conſilium ſæpius initum fuiſſet, placuit Joannem Eccleſiæ Antiochenæ Presbyterum ex ea civitate accerſi, ut defuncto ſufficeretur. Nectario ſuæ laudes fuere. Non magnos quidem in Theologia progreſſus fecerat, verùm prudentiâ in adminiſtrando Epiſcopatu pollebat. Quoſque probos in exercendo Prætoris officio mores oſtenderat, eos in regenda Eccleſia ſervavit. Paucis quidem, ſed vivis coloribus Nectarium Socrates pingit: *Vir erat generis Senatorii Nectarius, moribus placidus, & in omni vita planè admirandus.* Has virtutes Præſul factus magis excoluit. Defuncto ſuccedit Chryſoſtomus, de cujus ordinatione anno ſequente, quo peracta eſt, tractabimus.

Socr. l. v. 8.

Synodus tertia Carthaginenſis.

VII. Tot funeribus egreſſi, ad alia convertimus animos. Hoc anno *tertium* Carthaginenſe Aurelio Præſide Concilium celebratur. Baronio placuit atque Binnio, *verè ſecundum* dici, quòd ſibi in mentem induxerint, Synodum ſub Genethlio anno cccxc. coactam, in annum ccccxxv. eſſe rejiciendam: qui immanis error eſt, ex corruptis exemplaribus hauſtus, ut ſuo tempore demonſtravimus. Porro Synodi Epocha Præfatione continetur: *Cæſario & Attico V. C. Coſſ. quinto Calendas Septembris, Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ; cùm Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis conſediſſet, aſtantibus etiam Diaconibus, advenientibus quoque Victore Seuepupianenſe, Tuto Migirpenſe, Evangelo Aſſuritano.* In Hipponenſi Synodo decretum fuerat, plenaria Concilia x. Kal. Septembris celebranda eſſe: abſentibus verò Provinciarum aliquarum Legatis, die Auguſti octavâ & vigeſimâ eſt inchoatum. Vero ſimiliſne ſit Baronii conjectura, *Perpetua* in Baſilica, quæ Carthaginenſium Eccleſiarum omnium major erat, Epiſcopos coactos eſſe, quæ *Reſtituta* nomine aucta ſit, quia erepta Donatiſtis, reſtituta Catholicis fuerat, judicent eruditi. Quid eſt ſubtilitate opus eſt, cùm celebretur in Actis Saturnini & Datii *Reſtituta*, quæ in civitate Abitinenſi ad Africam Proconſularem pertinente, cum Chriſtianis in domo *Octavi Felicis*, dum Dominicum celebrat, cum ſociis ad Anulinum Proconſulem Carthagini agentem adducitur. Noſtra fert conjectura, huic Baſilicam Martyri poſitam eſſe, quæ Reſtituta vocaretur. A Synodo Canones quinquaginta numero ſunt conſtituti, quorum ſumma hæc eſt.

Anno Dom. 397.

Canones Carthaginenſes.

VIII. I. Omnes Africanæ Provinciæ Epiſcopi obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi accipiant. II. Singulis annis Concilium convocetur, ad quod Provinciæ, quæ primas ſedes habent, de Synodis ſuis ternos Legatos mittant. De Tripoli propter inopiam Epiſcoporum, unus accedat. III. Clericis ordinandis Decreta Conciliorum inculcentur. IV. Ne Diaconi, Virgineſque ante xxv. ætatis annos conſecrentur. V. Per ſolemniſſimos Paſchales dies *Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal.* Baronio Sacramentum deſignat Symbolum, quod Atris *Fidei Sacramentum* dicebatur. Hanc ergo Canonis mentem eſſe putat: *Non fiant, qui Catechumeni inferioris ſunt ordinis, Competentes.* Quæ noſtro judicio explicatio non recta eſt, aut Antiquitati conſona. Præſtat de reliquiis Euchariſtiæ, quæ pluribus in locis edendæ Catechumenis præbebantur, Canonem intelligere. Hiſce particulis arcentur, ut ipſis ſal, quo condiebantur, ſolummodò diſtribuatur. Sal Catechumenorum indicant verba hæc Auguſtini: *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi quibus alimur, quia eſt Sacramentum.* Vel de melle lacteque vox *Sacramentum* eſt accipienda, quam adjuvat explicationem Can. 37. Codicis Africani: *Primitiæ, ſeu mel & lac, & quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur.* VI. Defunctis non detur Euchariſtia, quia dictum à Domino, *Accipite, & edite.* VII. Ne Epiſcopus accuſatus apud Primatem communione ſuſpendatur, niſi literis ipſius evocatus minimè occurrerit intra menſis ſpatium. Quòd ſi veras neceſſitatis cauſas habuerit, cauſæ intra alterum menſem dicendæ integram habeat facultatem: poſt menſem ſecundum tandiu non communicet, donec purgetur. VIII. Presbyteri accuſentur, Epiſcopi quinque, ſi Diaconi Epiſcopi duo cauſas diſcutiant. IX. Clericis quibus crimen fuerit intentatum, vel civilis cauſa commota, ſi relicto judicio Eccleſiaſtico, publicis judiciis purgari voluerit, locum ſuum amittat in criminali judicio; in civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. X. Judicibus, à quibus ad majores fuerit provocatum, non obſit, quòd ſoluta ſententia fuerit, niſi cupiditate, aut gratiâ judicarint. Ab arbitris dictis provocare non liceat. XI. Clericorum filii ſpectacula nec edant, nec aſpiciant. XII. Clericorum liberi cum Hæreticis Schiſmaticiſque matrimonio non conjungantur. XIII. Clerici ne vel in conſanguineos Ethnicos per donationes, aut teſtamentum aliquid conferant. XIV. Clerici filios ſuos non emancipent, niſi de moribus eorum fuerint & ætate ſecuri. XV. Clerici nec conductores ſint, nec procuratores, neque turpi negotio victum quærant. XVI. Clericorum nullus amplius accipiat, quàm cuiquam accommodaverit. XVII. Cum Clericis fœminæ extraneæ non habitent, illis exceptis, quæ ex domeſtica neceſſitate cum eis antequam ordinarentur habitabant. XVIII. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi non ordinentur, priuſquam domeſticos omnes Catholicos fecerint. XIX. Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur uxores ducere, aut continentiam profiteri.

Bar. Ann. 377. n. 46.

Aug. de Pecc. Mer. ii. 6.

XX.

ANNO DOM. 397.

XX. A nullo Epiſcoporum uſurpentur plebes alienæ. XXI. Clericum alienum niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere. XXII. Nullus ordinetur Clericus, niſi probatus vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. XXIII. Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; & cùm altari aſſiſtatur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio.

De reliquis Carthaginenſis Synodi Canonibus.

IX. XXIV. Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm panis, & vinum aquâ mixtum. XXV. Clerici vel continentes ad viduas, vel virgines non accedant, niſi permiſſu Epiſcopi & Presbyterorum, præſentibus etiam Clericis, aut gravibus Chriſtianis. XXVI. Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur *Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos*. Quæ conſtitutio ad ſolam ſpectat Africam: nam in aliis locis eo titulo donabantur, ſatis apto tamen, & ad Chriſti Legem quadrante, quâ ambitio omnis à Clericis removetur. XXVII. Clerici bibendi causâ tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. XXVIII. Epiſcopi trans mare non proficiſcantur inconſulto Primate, à quo ſumenda *formata*. A prima quoque ſede ad tranſmarinos Epiſcopos diriguntur. XXIX. Sacramenta altaris nonniſi à jejunis celebrentur, excepto die, quo cœna Domini celebratur. Si pomeridiano tempore defunctorum commemoratio facienda, ſolis orationibus fiat ab iis, qui jam pranſi reperiuntur. XXX. Nulli Clerici in Eccleſiis conviventur, niſi fortè hoſpitiorum neceſſitate. Populi ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur. XXXI. Pœnitentibus Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. XXXII. Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Ob crimen publicum Pœnitenti ante Abſidem manus imponatur. XXXIII. Virgines ſacræ defunctis parentibus in Monaſterio Virginum collocentur, vel gravioribus fœminis commendentur, ne vagantes lædant Eccleſiæ exiſtimationem. XXXIV. Ægrotantes, qui per ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur. XXXV. Hiſtrionibus, Apoſtaticiſque converſis reconciliatio non negetur. XXXVI. Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, chriſma verò nunquam conficiat. XXXVII. Clerici niſi juſta de cauſa in aliena civitate non immorentur. XXXVIII. Quod in Capſenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, non fiant rebaptizationes, reordinationes, tranſlationes Epiſcoporum. XXXIX. Non minus quàm à *tribus Epiſcopus ordinetur*. Honoratus & Urbanus petebant, ut à duodecim Epiſcopis ordinatio perageretur. Quorum poſtulationi interceſſit Aurelius, quia in Tripoli Epiſcopi erant *quinque tantummodò*. XL. Ut dum Epiſcopus eligitur, ſi contradicatur, quinque Epiſcopi conveniant. XLI. Ut per ſingulos annos Epiſcopi ad Concilium convenientes, etiam de Paſchali ſolemnitate à Primate ſuo informentur. XLII. Ut non accipiat alium Epiſcopum plebs, quæ in Diœceſi ſemper ſubjacuit, niſi conſenſu Epiſcopi. XLIII. Qui ad Concilium venire detrectant, & plebem, & honorem amittant. XLIV. Ut Clericum alienum nullus ſibi præſumat Epiſcopus ordinare. XLV. Ut Epiſcopus, qui plures habet Clericos, ei qui eget, ad ordinandum poſtulatus largiatur. XLVI. Ut Epiſcopus in Diœceſi factus ſolùm eam plebem teneat, in qua extitit ordinatus. XLVII. Præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur *ſub nomine divinarum Scripturarum*. Quibus Carthaginenſes inſerunt Tobiam, Judith, Eſther, Maccabæorum libros duos. Quod Decretum vel Antiquitati pugnat, vel quod verius eſſe putamus, diſtinctione eſt aliquâ explicandum. De libris Canonicis quænam Veterum ſententia fuerit, abundè teſtantur liber 8. Conſtit. Clementis, c. 57. Melito apud Euſebium l. 4. c. 26. Epiſtola Feſtalis Athanaſii, t. 2. 39. Epiphanius de Pond. & Menſuris, Cyrillus Illuminatorum Catecheſi IV. quibus Tobias, Judith, Maccabæorum libri non ſunt Canonici. Neque eos in Canone collocat Laodicenſis Synodi Canon 59. qui eſt antiquior Carthaginenſi. Itaque diſtinctione opus eſt, ut cum Antiquitate Carthaginenſes ineant concordiam: nempe vox *Canonica* latius patet, & libros eos ſignificat, non qui certam, firmamque morum fideique regulam conſtituunt, ſed qui ædificandæ plebi leguntur in Eccleſia: quâ ratione Paſtoris liber divina Scriptura Irenæo, Origenique nonnunquam dicitur. Propriè Canonicos non fuiſſe Carthaginenſibus Tobiam, Judith, Maccabæos, teſtis Auguſtinus, qui Synodo & ſubſcripſit, & interfuit: Maccabæorum, inquit, *non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet, propter quorumdam Martyrum paſſiones vehementes, atque mirabiles*. Et libro II. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis præponatis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque autoritatis tenent.* Quibus luce clarius eſt, Canonicorum librorum duo genera fuiſſe, quorum diſſimilis autoritas fuit. Qui propriè ſunt Canonici, eo autoritatis proceſſere, ut quovis reſpectu divini haberentur, ſummamque & fidei, & moribus obedientiam imperarent. Denique mens Canonis haurienda eſt ex Synodo Carth. anni CCCCXVIII. in quo legitur: *Hoc etiam fratri, & Conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia à Patribus accepimus in Eccleſia legenda. Liceat etiam legi Paſſiones Martyrum, cùm anniverſarii dies eorum celebrantur.* Cùm igitur præter Canonicas in Eccleſiis Scripturas legi quidquam prohibeant, ac nihilominus Paſſiones Martyrum legi concedant, certum quidem exploratumque eſt, vocem *Canonicas* non propriè eſſe uſurpandam, ſed latius, pro libris ſcilicet Eccleſiaſticis, qui cum fructu legi aliquo poſſunt. Ad reliquos Synodi Canones pergamus. XLVIII. De Donatiſtarum filiis penes ipſos baptizatis conſulantur fratres & Conſacerdotes Siricius & Simplicianus, ne parentum errore prohibeantur ſacri altaris miniſterio. XLIX. Ut omnia quæ Clerici, qui nihil habent dum ordinantur, in Eccleſiaſtico gradu poſiti acquiſivere, Eccleſiæ conferantur. L. Ut geſta Concilii Epiſcoporum ſubſcriptione firmentur.

Aug. de Civit. l. 18. c. 36.

Lab. Conc. t. 2. 1177.

Melaniæ hiſtoria. In Occidentem redit. Paulinum viſitat.

X. Illuſtris ſuis virtutibus magis quàm vel nobilitate ſuâ matrona Melania, Oriente relicto in urbem revertitur. Anno 371. in Ægyptum profecta

Anno Dom. 397.

profecta fuerat Monachos videndi ſtudio: inde Rufino comite Hieroſolymam migraverat. Quoto ætatis anno in Ægyptum navigaverit, non eſt in medio. Ac primâ ſpecie juventutem jam depoſuiſſe, colligi videtur ex Hieronymi Chronico: Melania *unico Prætore tunc Urbano derelicto, Hieroſolymam navigavit.* Quod à Paulino non minimum diſſidet, niſi aviæ *matris* nomen impoſuerit. Audiantur verba Paulini, qui maternam egregiis verbis conſtantiam deſcribit: *Luctuoſo ambitu trium funerum comes, vidua pariter & orbata Romam venit, cum unico ſuo incentore potius, quàm ſolatore lachrymarum, ſive infans ante ſui ſenſum mala ſentiens, jam ſaperet alienam lugere mortem, qui adhùc vitam ſuam noſſe neſciret, ſive ignara malè ſecurus infantia, miſerabili ludo inter matris lamenta luderet.* Annos XXII. natam eſſe Melaniam cùm peregrinationem inſtituit ſuam, teſtatur Palladius in Lauſiacis, cap. 117. Sed error numeros invaſit. Quippe narrat ipſe Palladius, annorum *ſexaginta* Melaniam fuiſſe, cùm in Occidentem revertitur. Quâ ratione tertium & trigeſimum ingreſſa erat, cùm ſe pelago commiſit. Itaque dum in Oriente commoratur, annos XXVII. implevit, ex quibus viginti quinque Hieroſolymis tranſegit. Monaſterium incolebat ſuis ſumptibus extructum, in quo *quinquaginta ſecum ſorores Virgines* habuit. Omnes apud Hieroſolymam peregrinos Epiſcopos, Monachos, Virgines ſuis ſumptibus aluit. Paulini Antiocheni partibus auxilii non minimum attulit. Verſabatur cum Melania Rufinus, quo amico, Magiſtroque utebatur. Ut novit, neptem ſuam Melaniam cum viro illuſtri matrimonio junctam eſſe, ac poſt nuptias ſeculo renunciare velle, in Italiam navigare conſtituit. Apud Cæſaream conſcenſâ navi navigatione tam proſperâ utitur, ut poſt viginti dies Neapolim appulerit, ubi filiorum nepotumque occurſu excepta, mox Nolam ad Paulinum feſtinat. Quo cultu & comitatu, ex Paulino audire non injucundum: *Macra illam, & viliore aſellis burico ſedentem, tota hujus ſeculi pompa, quâ honorati & opulenti poterant circumfluis, Senatores proſequebantur carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus, gemente Appiâ atque fulgente.* Paulini tugurium, quod *à terra ſuſpenſum cœnaculo uno, porticui, cellulis hoſpitalibus interpoſita,* Melaniæ ipſiuſque comitibus *non incapaces anguſtias præbuit.* Solvit Paulino ſuæ hoſpitalitatis pretium Melania, tunicam ſcilicet de tenero agnorum vellere contextam, quam ſuo dein Severo miſit, cum Epiſtola, anno ſequente exarata. Dedit & Paulino partem particulæ de ligno divinæ crucis, quam Joannes Hieroſolymitanus mittebat munori. Noſtri doluiſſent Annales prætermiſſam ſilentio matronam laudibus Antiquorum nobilem: ſed & adventus Melaniæ ſuo tempori redditus, uſui eſt ad illuſtrandam hiſtoriam. Nondum Rufini & Hieronymi amicitia diſſiluerat; abeuntem cum Melania Rufinum Hieronymus votis & precibus proſecutus eſt. Relictâ Nolâ, in urbem tandem Melania pervenit, ubi ad annum uſque CCCCVIII. permanſit, multos inſtitutionibus, complures ad pietatem excitando. Intereà comite Rufino familiariter utitur, utpote qui biennio in urbe conſtiterit, antequam ad conſanguineos reverteretur. Non eſt quidem Baronii Chronologia accurata ſatis, dum Rufinianam Romæ commorationem anni unius limitibus circumſcribit. Quippe Rufinum Syrum, qui biennio pòſt Aquileenſis Rufini diſceſſum Italiam petierat, rogarat ut ipſum ſalutaret, quod Epiſtolâ LXVI. Aquileenſi ſignificatum ivit: *Sanctum quoque Presbyterum Rufinum ob quandam cauſam per Romam Mediolanum miſimus, & oravimus, ut noſtro animo & obſequio vos videret.*

Paul. Ep. 10.

Pall. Lauſ. c. 118.

Paul. Ep. 10.

Id. Ep. 11.

Anno Dom. 398.

ANNO U. C. 1151. PER. JUL. 5111. JUL. 443. DOM. 398. ARCADII 16. & 4. HONORII 6. & 4. *Sol.* 15. *C. Lun.* 19. *Indict.* 11. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 5. *P.* 18. *April.*

COSS. *Honorius IV. & Eutychianus.*

I. MAriam Honorio filiam Stilicho deſponderat ſuam, jubente, ſi Claudiano credimus, Theodoſio. Peractæ hoc anno nuptiæ, qui geminâ lætitiâ hilaris fuit, matrimonio ſcilicet Imperatoris, & clade Gildonis. Teſtetur Claudianus initio libri primi de laudibus Stilichonis:

Honorii cum Maria nuptiæ.

Continuant Superi pleno Romana favore
Gaudia, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus augent.
Conjugii nedum feſtivos regia cantus
Sopierat, ceſſit fuſo Gildone triumphus,
Et calidis thalami ſucceſſit laurea ſertis,
Sumeret ut pariter Princeps, nomenque mariti,
Victoriſque decus.

Annum Honorio XIV. labebatur cùm celebratæ nuptiæ, quas Epithalamio Claudianus decoravit:

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram — Verſ. 285.
Præradiant ductura nurum; calet obvius ira
Jam Princeps.

II. Expoſuerat Honorio Maſcelzel, quæ indigna à fratre ſuo Gildone paſſus fuerat. Filiorum miſerè extinctorum manes patrem provocabantur ultorem: Ad Gildonem *jam ut hoſtem bello inſequendum Maſcelzel frater miſſus eſt, quem idoneum procurandæ Reipub. fore propria orbitatis recens dolor pollicebatur.* Non fugiebat Maſcalzelem, quantum in rebus deſperatiſſimis valeant preces cum fide conjunctæ. Caprariam ergo inſulam adiit, unde ſervos Dei aliquot ſumpſit, quibus cum orationibus, jejuniis, Pſalmis, dieſque noctesque continuavit, ſine cæde vindictam. Verbis Oroſii præclarum referemus eventum: *Ardalio fluminis nomen eſt, quod fluit inter Thebeſtem, & Metridertam civitates, ubi cum parva manu, hoc eſt, cum quinque millibus, ut aiunt militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, cùm interjectâ morâ excedere loco, oppoſitaſque præjacentis vallis anguſtias tranſgredi vellet, intercurrente nocte beatum Ambroſium Epiſcopum, Mediolani paulò antè defunctum, per ſomnium ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem, Hic, hic, hic. Quod ille prudenti conjecturâ intellexit, meritò annunciantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem ſignificari. Subſtitit, ac tertio demum die poſt noctem orationibus pervigilem, ab ipſis cœleſtium Sacramentorum myſteriis in hoſtem circumfuſum proceſſit. Et cùm ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba jactaret, ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem, & jamjamque pugnam excitantem, gladio percuſſit in brachio, eumque manu debilem, ipſo vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. Quo viſo reliquæ cohortes deditionem jam factis priorum exiſtimantes, certatim ſe*

Gildo debellatur. Maſcelzel à Stilichone extinguitur.

Oroſ. l. 7. c. 36.

Anno Dom. 398.

ad Maſcelzelem ſignis tradidere converſis. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti in diverſa fugerunt. Gildo & ipſe fugam molitus, arreptâ navi, ut in altum provectus, ac deinde revocatus in Africam eſt, poſt aliquot dies ſtrangulatu interiit. Oroſii narrationem illuſtrant hæc Claudiani carmina:

Claud. de Laud. Stil. l. 1. 357.

Prædonem lembo profugum, ventiſque repulſum
Suſcepit merito fatalis Tabraca portu
Expertum, quòd nulla tuis elementa paterent
Hoſtibus.

Urbs eſt Numidiæ Tabraca, de qua Plinius: *Oppidum Tabraca civium Romanorum.* Agilem lætamque victoriam fuiſſe, Claudianus ipſe teſtis eſt:

Plin. l. 5. c. 3.

De Bel. Gild. l. 1.

Necdum Cyniphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildo: nulla victoria nodis
Hæſit, non ſpatio terræ, non obice ponti
Congreſſum; profugum, captum vox nuntiat una.

Victoriam ante menſem Aprilem relatam fuiſſe, eruditis colligitur ex Lege tertia Cod. Theodoſiani *de calumniatoribus*, data III. Id. Mart. Mediolani: *Innocentes, ſub ſpecie falſæ criminationis non patimur callidorum impugnatione ſubverti. Qui ſi contempſerint, intelligant ſibimet ſeveritatem Legum pro commiſſis facinoribus imminere.* Victuro Africæ Proconſuli Lex ea miſſa eſt, quia exſtincto Tyrannis ſæpenumerò delatores exoriebantur. Quid opus conjecturis, Claudiano canente:

Quem veniens induxit hyems, ver perculit hoſtem.

Gildonis bona, quæ ampliſſima erant, fiſco adjudicantur. De perduellis fautoribus decennio pœnæ expetuntur. Anno quippe CCCCVIII. Philippo & Baſſo Coſſ. terno Id. Novembris Lex promulgatur, quæ de pœnis eſt XIX. *Satellites Gildonis cuſtodia mancipentur, & proſcriptione damnentur.* Filiam reliquit Gildo *Salvinam*, pietate inſignem, de qua mentio eſt & in Paulino, & in Hieronymo. Defuncto conjuge ſuo Nebridio viduam conſolatur Hieronymus: *Loquimur ad eam, cujus faciem ignoramus, & virtutes novimus, quam nobis fama commendat, cujus venerabiliorem pudicitiam adoleſcentia facit, quæ mortem juvenis mariti ſic flevit, ut exemplum conjugii dederit.* Porro victoriæ ſuæ diu Maſcezel non ſuperfuit. Pauſam mortis eam aſſignat Oroſius: *Eccleſiam temerare auſus eſt, atque ex ea quoſdam non dubitavit extrahere. Secuta eſt pœna ſacrilegum. Nam ſuperſtitibus atque inſultantibus, quos ab Eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus & ipſe punitus eſt, probavitque in ſe uno ad utrumque ſemper divinum vigilare judicium, quando & cùm ſperavit, adjutus, & cùm contempſit, occiſus eſt.* Quæ irrogatam carnificis manu mortem indicant. At miſeri exitium hominis ambitioni Stilichonis aſcribit Zozimus. Gildonis frater, Africâ Honorio reſtitutâ, in Italiam reverſus eſt. Cui cùm invideret Stilicho, colere ſe hominem ſimulat. Dum igitur Maſcelaele comitatus ad pontem fluminis pervenit, ſatellites dato ſibi ſigno hominem in flumen ridente Stilichone detrudunt.

Hier. Ep. 9.

Oroſ. l. 7. c. 36.

Zoz. l. 5. c. 11.

Optatus Donatiſta: crudelitas ipſius in Orthodoxos.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 2. c. 23.

III. Morte Gildonis graviſſimo onere Africana liberatur Eccleſia. Tyranno amicus erat *Optatus*, de Donatiſtarum factione Epiſcopus, qui & Catholicos, & Maximianiſtas graviſſimè vexavit. Sub illo *Optato Gildoniano* Africa toto decennio gemuit: *Viduas oppreſſit, pupillos evertit, aliena patrimonia prodidit, aliena matrimonia ſeparavit, res vendendas innocentium procuravit, venditarum pretia cum Dominis plangentibus diviſit.* Cum nefario homine Donatiſtæ communionem miſcebant, quem & tantum non venerabantur; ipſius natalitia frequentabant, pacis oſculum inter Sacramenta copulabant, Euchariſtiam & ipſi præbebant, & ab eo accipiebant. Juſtas tandem furoris ſui pœnas pependit, morte Domini ſui exitio ſimillimâ: *Optatus namque de Satellitio Gildoniano accuſatus, tali genere mortis extinctus eſt.* De nefario homine videatur & Auguſtini liber 1. cap. 24. & 37.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 2. c. 29.

Circumcellionum furor Inſidiantur Auguſtino. Quâ de cauſa?

IV. Neque unus ſceleratiſſimus Optatus, ſed factio quoque Donatiſtarum in Catholicos acerbè ſæviebat. Præcipuè *Circumcelliones* exſtinctâ omni humanitate turbabant. Inſidias itinere Epiſcopis tendebant; Clericos plagis immaniſſimis contendebant, Laicos percutiebant, ignem comburendis ædificiis inferebant. Exempla crudelitatis ipſorum exhibet *Reſtitutus* Presbyter. A Donatiſtarum factione deficiens, Orthodoxorum in communionem tranſierat. Malas beſtias ſua rabies armavit in deſertorem: *Reſtitutum de domo ſua raptum, & pro arbitrio immaniter tuſum, in gurgite etiam cœnoſo volutatum, burda veſtitum, cum quibuſdam dolendum, quibuſdam ridendum in pompa ſui facinoris oſtentaſſent, abductum inde quo voluerunt, vix poſt dies duodecim dimiſerunt*, ut narrat Januario. Majorem furori quoque ſuo victimam, Auguſtinum quæſivere, à quo verbiſque, ſcriptiſque exagitabantur. Moris erat ſancto Præſuli, viſitare ſuæ Diœceſis Eccleſias, quas pietate imbueret. Aliquoties igitur armati vias obſedere Circumcelliones, ut luſtrantem Eccleſias perditum irent: *Evenit quidem Dei providentiâ, ut Ductoris hominis errore per aliam viam cum ſuis comitibus Sacerdos, quo tendebat, veniſſe, atque per hunc, quem poſteà cognovit, errorem manus impias evaſiſſet.* Indignabantur Auguſtino, qui voce calamoque ſeditioſam Donatiſtarum factionem opprimebat. *Petilianus* ſectæ hujus in Numidia Epiſcopus, vir erat eloquentiſſimus. Qui cùm Presbyteris ſuis adverſus Catholicos Epiſtolam ſcripſiſſet, ad eam refellendam operam Auguſtinus ſuam collocavit: *Cùm eſſem*, inquit, *in Eccleſia Conſtantinenſi, Abſentio præſente, & collegâ meo, Fortunato ejus Epiſcopo, obtulerunt mihi fratres Epiſtolam, quam ad ſuos Presbyteros ſchiſmatis ejuſdem Epiſcopum dediſſe dicebant. . . . Quem ſolet fama prædicare, quod inter eos doctrinâ atque facundiâ maximè præcellat.* Cæterùm hîc aſſenſum Baronio noſtrum abnuimus. Duos ſibi Petilianos fingit, alterum *Cirthenſem*, alterum *Conſtantinenſem*. Vel putat, errorem irrepſiſſe in titulum, *Ut loco Conſtantinenſis, Cirthenſis ſit poſitus.* Atqui nec Petilianos diſtinguere duos, nec errorem in titulo fingere opus eſt: cùm Cirtha Conſtantinaque urbs eadem fuerit, ut à Victore monemur in libro de Cæſaribus: *Cirtha oppido, quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito exornatoque, nomen Conſtantina inditum*; quo Conſtantino Magno honor eſt exhibitus. Probabile fit admodum, non in homine tantùm, ſed in Eccleſias quoque Donatiſtarum furorem invaſiſſe, quod & innuit Lex Honorii, quæ anno labente ad Theodorum Præf. Præt. miſſa eſt: *Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas irruens, Sacerdotibus & Miniſtris, vel ipſi*

Auguſtinus Epiſt. 68.

Poſſid. Vit. Aug. c. 12.

Aug. l. 1. cont. Petil. cap. 1.

Error Baronii.

Bar. Ann. 398. n. 31.

cultui

ANNO DOM. 398.

cultus locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur, deferatur in notitiam Poteſtatum. Hujus Legis autoritate repreſſa ea vis eſt Donatiſtarum: *Judicei Africanæ, armatæ apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem Comitem Africæ literis, prælato Legis iſtius tenore depoſcant, ut rei talium criminum non evadant. Dat. VII. Kal. Maii, Mediolani Honorio IV. & Eutychiano Coſſ.* Hujus quoque Conſtitutionis meminit Gregorius M. Lib. II. Epiſt. 53. Nondum Auguſtini ad notitiam Lea ea pervenerat, dum in condendis contra Petilianum libris leborabat. Itaque fidenter adverſarios ſic compellat: *Quærimus à vobis, quos veſtrûm a noſtris probetis occiſos? Nullam quidem Legem ab Imperatoribus datam, ut occideremini recolo.* Ubi vero notitiam Legis Auguſtinus habuit, Marcellino ſcripſit, ut pœnæ ſontibus conſtitutæ condonarentur: *Nolumus*, inquit, *paſſiones ſervorum Dei, quaſi vice talionis paribus ſuppliciis vindicari.*

Cod. Th. l. 31. de Epiſc. pag. 60.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 2. c. 20.

Aug. Ep. 159.

Nùm Canones CIV. ſint Synodi Carthaginenſis?

V. In Africa verſantibus nobis incumbit ea narrare, quæ ad Eccleſias hujus regionis attinent. Ac ſcribentibus ſeſe offert Carthaginenſe Concilium, quod *quartum* nuncupatur. Exoritur inter eruditos diſceptatio, fideſne ſit adhibenda Canonibus CIV. qui Synodo vulgò vindicantur. Ac Baronius pro certo habet, ſublato Gildone datam eſſe facultatem Epiſcopis numero CCXIV. *Carthaginem ad ſacra conveniendi comitia.* Baronii in ſententiam deſcendere complures, cui interceſſit doctiſſimus *Chriſtophorus Juſtellus.* Noſtro quidem judicio graves ſunt de veritate Canonum iſtorum dubitandi rationes. Quippe nuſquam apud antiquiores Latinos reperiuntur; non in Codice Græco Canonum Eccleſiæ Africanæ, non in Ferrando Carthaginenſi Diacono. Obſervat & Labbeus, titulum Concilio præfixum, *Statuta Eccleſiæ antiqua*, aliter ſe in Codice Barberino habere: *Statuta Orientis Eccleſiæ antiqua.* Si verum tamen volumus, Orientis Epiſcopis illæ conſtitutiones non ſunt vindicandæ, quibus non moris eſt, & Exorciſtis libellum exorciſmorum, & Lectoribus Codicem legendum, & Oſtiariis claves Eccleſiæ tradere. Cur autem altum ſit de hiſce Canonibus in Antiquioribus ſilentium, rationem affert Schelſtratus: *Quod hujus Concilii tempore religio erat, ſilentio obvolvere arcana fidei & Sacramentorum myſteria.* Quæ ratio duplici nomine videtur infirma. Ferrandus enim materiæ, quâ Euchariſtiæ Sacramentum conſtat, ipſe meminit, cap. 108. *Ut Diaconus panem non eroget, nec calicem benedicat.* Inviolatâ quidem religione ſilentii Synodum memoraſſe potuiſſet, quia breviationes Canonum Catechumenis non credebantur. Deinde plurimi ſunt Concilii hujus Canones, qui Eccleſiæ Sacramenta non reſpiciunt. Quæritur ergo, nec ſine ratione, cur de Synodo, quæ ob & Canonum, quos edidit, & Epiſcoporum 214. quibus ea conſtitit, multitudinem celeberrima eſſe debuit, nullum ſit in Veteribus veſtigium? De illa primus mentionem egit Iſidorus, qui VII. ſeculo floruit. Exorciſtæ, inquit, *cùm ordinantur, ſicut ait Canon, accipiunt de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi.* Quæ verba ſunt Canonis VII. At quod in obſervatione ponendum, *Carthaginenſem* Canonem eſſe, non dixit Iſidorus. Præterea non injuriâ dubitatur, tantumne ſibi vetuſtatis afferant ceremoniæ in ordinandis minoribus Clericis adhibitæ, ut anno CCCXCVIII. Exorciſta porrecto ab Epiſcopo exorciſmorum libello, Acolythus accepto ab Archidiacono ceroferario cum cereo, Oſtiarius traditis ab Epiſcopo Eccleſiæ clavibus ſuo muneri conſecrarentur? Inſuper Canon 27. Carthaginenſis tertii, ſuperiore anno celebrati, ſanxerat, ne *Clericus cum extraneis mulieribus habitaret.* Cui igitur ſerio cogitanti ſit vero ſimile, eandem anno præſente Legem iterum conſtitui in Carthaginenſi IV. Canone XLVI. Sed & fruſtrà in eadem Synodo Canones LI. & LII. conditi fuiſſent, quibus idem continetur. His accedat, quòd ab Epiſcopo ordinando articuli requiruntur, qui ad hæreſes anno CCCXCVIII. recentiores reſpectum habent. Verbi gratiâ, interrogatur, ſi Chriſtus eſt *una perſona, unus filius*, quo Neſtorius perſtringitur: *Si in baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admiſſa ſunt, dimittantur.* Quod contra Pelagianos eſt inſtitutum. Eſt autem creditu difficillimum, virus Pelagianorum adeò in Africa anno CCCXCVIII. invaluiſſe, ut eâ opus interrogatione fuerit ordinandis Epiſcopis. *Pelagius* ſanè, imò *Cœleſtius* quoque poſtmodum innotuere. Nonne via fidem habet, quod in una Carth. Synodo Canones CIV. conditi ſint, cùm frequentes Epiſcoporum conventus in ea civitate agitarentur. Itaque non diſſimulamus, de hiſce Canonibus dubitatione concuti, ut potius videatur farrago Canonum quædam, diu poſt currentem annum edita, quàm Conſtitutio Synodi, VI. *Idus Nov. Honorio IV. & Eutychiano Coſſ.* celebratæ.

Bar. Ann. 398. n. 67.

Lab. Conc. t. 2. 1198.

Schelſtr. Eccl. Afr. Diſſert. 3. c. 8. 215.

Iſidor. de Eccl. Off. l. 2. c. 13.

ANNO DOM. 398.

Carth. 4. c. 1.

VI. Ad Canones nunc procedendum. I. Ordinandus Epiſcopus examinatur, ſitne naturâ prudens, docibilis, moribus caſtus; ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat; Trinitatis Deitatem Conſubſtantialem aſſerat, articuloſque profiteatur, quibus Symbolum conſtat Apoſtolicum; ſi nuptias non improbet; ſi ſecunda matrimonia non damnet; ſi carnium perceptionem non culpet, &c. II. Duo Epiſcopi teneant Evangeliorum Codicem ſuper caput Præſulis, qui ordinatur, & uno fundente benedictionem, reliqui manibus ſuis caput ejus tangant. De eo Canone notabilia ſunt verba Alcuini: *Non reperitur in autoritate veteri, neque novâ, ſed neque in Romana Traditione.* III. Epiſcopus ſuper caput Presbyteri, quem ordinat, manum teneat, cæterique Presbyteri juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. IV. Solus Epiſcopus manum ſuper caput Diaconi qui ordinatur, ponat. V. Subdiaconus patinam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. VI. Acolythus dum ordinatur ab Archidiacono, accipiat ceroferarium, cum cereo, & urceolum vacuum. VII. Exorciſta dum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum exorciſmorum, cum poteſtate imponendi manus ſuper Energumenum. VIII. Lectori ſpectante plebe tradat Epiſcopus Codicem, de quo lecturus eſt, dicendo, *Eſto Lector verbi Dei.* IX. Oſtiario tradat Epiſcopus claves Eccleſiæ de altario, dicens, *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his clavibus recluduntur.* X. Pſalmiſta poteſt ſolâ juſſione Presbyteri officium ſuſcipere, dicentis, *Vide ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.* XI. Sanctimonialis Epiſcopo conſecranda offeratur in veſtibus, quibus ſemper uſura eſt. XII. Viduæ vel

Canones Carthaginenſi Synodo vindicati.

Alcuin. de Off. p. 271.

Sud.

Tanquamſiquidam Rex, aut ut ille, qui vel ipſum Imperatorem, & Eunuchum obiter pro oblectamento habiturus, ſi vellet. Hinc Timaſio cauſa calamitatis, cui inferendæ hanc Eutropius occaſionem reperit. *Bargus* Syriæ Laodiceâ ortus, Lucanicarum in foro inſtitor, ob flagitia quædam Sardes profugerat. Quem utpote facetum, & conciliandis ſibi hominibus idoneum, in familiaritatem Timaſius admiſit, Præfectumque ſubinde Militum cohorti Conſtantinopolim & ſecum abducit. Eo homine ad ſtruendam Timaſio calumniam Eutropius utitur, quaſi imperium affectaret. Ut indignum omnibus viſum eſt, inſtitorem farciminum tot dignitatibus illuſtri viro crimen intentare, Arcadius qui Judicis officio fungebatur, cauſæ cognitionem Saturnio committit atque Procopio. Vir erat *Procopius*, qui nonnunquam verum liberè proferebat, eoque tempore contendebat iniquum eſſe, Timaſium tot dignitatibus clarum, vilis impurique homuncionis calumniis opprimi. Vicit tamen *Saturnini* ſententia. Itaque Oaſim Timaſius relegatur, ſterilem locum, è quo nemo poſſet evadere, qui eò deportaretur. Eſt enim vaſta arenæ planicies inter Oaſim interjecta, in qua nec veſtigia à ventis deleta remanent, nec arbor ulla eſt, aut domicilium, quod ſit indicio. Hinc proclive eſt emendare corruptum locum Hieronymi: *Timaſius præcipitatus repentè de altiſſimo gradu, evaſiſſe ſe putat, quod Aſſa vivit inglorius.* Legendum *Oaſi*, ubi relegatus Timaſius miſerè vitam finiit. Quod ex Amaſeæ Epiſcopo Aſterio diſcimus in Sermone adverſus feſtum Calendarum: *Alter verò cum Prætoris munere eundem ipſe adeptus honorem, in Ægypti atque Libya extremis finibus, in locis arenoſis, & humoris omnis humanique cultus expertibus, damnationis ſupplicium fugiens, miſerè extinctus eſt.* Quibus infelicem Timaſium pingi nemo non videt. Quem ſive ſiti oppreſſum, ſive per arenas vagantem mortuum repertum eſſe Sozomenus memorat. Huic uxor *Pentadia* fuit, fœmina propriis virtutibus quàm mariti dignitate illuſtrior. Quam ad Eccleſiæ azylum confugientem extrahere Eutropius Eunuchus conatus eſt. Nec abludit à vero, poſtmodum *Pentadiam* Eccleſiæ ſe miniſterio dicaſſe, cùm Diaconiſſæ Pentadiæ mentio ſit in vita Chryſoſtomi: *Ingreſſus autem Baptiſterium, Olympiadem vocat, quæ ab Eccleſia non diſcedebat, ſimul & Pentadiam, & Proclam Diaconiſſas.* Cæterùm Baronii error eſt auferendus, qui Timaſii caſum cum anno CCCXCV. copulat. Cùm enim Rufinus die Novembris XXV. perierit, cujus ante obitum de accerſendo Timaſio non cogitabat Eutropius, illo ipſo anno, qui Rufino ſupremus fuit, Timaſius & ex Aſia vocari, & Conſtantinopoli à Saturnio damnari non potuit. Quæ Timaſio non pepercerat Eutropii avaritia, ea infamem Eunuchum adverſus *Abundantium* concitat, virum multis honoribus functum. Thraciâ oriundus erat, qui à Gratiani uſque temporibus militaverat Theodoſio, & unà cum ipſo anno CCCXCIII. Conſul proceſſerat. Cujus opibus inhians Eutropius, virum illuſtrem aulâ ejectum, Sidonem habitare jubet. Non tamen in Phœnicia reliquum vitæ tranſegit, ut ſibi perſuaſit Zozimus. In locum triſtiorem iterum relegatur, teſte Hieronymo: *Abundantius egens Pityunte exulat.* Cujus & caſum memorat jam laudatus à nobis Aſterius: *Quid de eo dicemus, qui & ipſe Exconſul & Exprætor in terra nunc Cholchide agens, ejuſce regionis Barbarorum humanitati vitam & ſpiritum debet?* Prodigioſam ſemiviri avaritiam, qui ad ſteriſitatem perpetuam damnatus nullo fine opes congregabat, ſi liberos ſuſtuliſſet, cùm ſpecie ſaltem rationis aliquâ inſamiſſet.

Zozim. l. 5. c. 9.

Hieron. Ep. 3.

B. M. P. t. 5. 818.

Sozom. l. 8. c. 7.

Pallad. Vit. Chryſ. pag. 89.

Zozim. l. 5. c. 10.

Hieron. Ep. 3.

II. At majora molitur Eutropius, qui privatas non modo fortunas, ſed ipſum etiam imperium labefactare conatur, ut ſuæ ambitioni ſerviret. Ad extinguendum Rufinum conſilia cum Stilichone ſociaverat. Poſtmodum verò potentiam Stiliconis veritus, Conſtantinopolitanæ urbis aditum ei præcludere cogitat. Neque talia verſanti in animo occaſio defuit. Gildo, *Firmi*, de quo ſuo loco tractavimus frater, anno CCCLXXXVII. utriuſque Militiæ Magiſter per Africam à Theodoſio creatus, rebellare cœpit:

Gildonis rebellio. Quandonam incepit?

Auſus Latio contendere Gildo,
Germani nec fata timet.

Quid verò cauſæ eum impulerit, non eſt in medio, ſive quâdam permotus invidiâ, ſive minimam in parvulis Principibus ſpem fore arbitratus, *Africam à ſocietate Reipublica ſibi uſurpare auſus eſt, Gentilis magis licentiâ contentus, quam ambitu regia poteſtatis inflatus. Huic Maſcizel frater fuit, qui novarum rerum molitiones in fratre perhorreſcens, relictis apud Africanam militiam duobus filiis adoleſcentibus, in Italiam rediit. Gildo & abſentiam fratris & præſentiam filiorum ejus ſuſpectam habens, adoleſcentes dolo circumventos interfecit.* Gravis Romæ fuit ea ſeditio ob tritici penuriam, quod ex Africa ſuppeditatum tranſvehi Gildo prohibuit. Hoc eò intolerabilius, quòd Nilincis navibus ex Ægypto nil frumenti Italiæ miniſtrabatur, quod Conſtantini Legibus Conſtantinopolim vehebatur:

Oroſ. l. 7. cap. 36.

Ægyptia rura
In partem ceſſere novam ſpes unica nobis
Reſtabat Libya.
- - - - - - -
Hanc quoque nunc Gildo rapuit ſub fine cadentis
Autumni.

Claud. de bel. Gild. 65.

Hinc gravis fames exorta. At de Gildonici tumultus initio ex Claudiano magna difficultas exoritur, qui fundentem carmina hæc Africam inducit:

Gildoni fecunda fui: jam Solis habenas
Bis ſenas torquent hyemes cervicibus, ex quo
Hæret triſte jugum: noſtris jam luctibus ille
Conſenuit, regnumque ſibi tot vindicat annis.

Id. ib. v. 155.

Licentiâ poeticâ hæc cecinisse Claudianum exiſtimamus, quo majores Stiliconi laudes afferret; vix quippe triennio rebellem Africa Gildonem pertulit. Alio Claudianum modo Baronius explicat; nempe, quòd *Firmi fratris conjunxit tyrannidem.* Quæ noſtro judicio explicatio eſt reſpuenda, quòd & Firmi in rebellione Romanis Gildo fidus fuerit, & numerus ille duodenarius inveniri nequeat, ſive deducatur à Firmi ſeditionis initio, quæ anno circiter CCCLXXI: inceperat, ſive à diuturnitate, quæ à novennio quàm longiſſimè abfuit. Multò minus placet illuſtriſſimi Purpurati ſententia, qui *tempore belli Eugeniani* Gildonem *ab imperio Rom. deſciviſſe* putat. Quam refellit opinionem Victor in Epitome: Honorius *apud Mediolanum exceſſit, utramque Rempublicam utrique, id eſt, Arcadio & Honorio quietam relinquens.* Oroſius quoque nonniſi mortuo jam Theodoſio, Gildonem Honorio inſurrexiſſe tradit: *Gildo Comes ſimul ut defun-*

Bar. Ann. 398. n. 37.

Error Baronii.

Bar. Ann. 398. n. 38.

Oroſ. l. 7. cap. 36.

ANNO DOM. 396.

defunctum Theodoſium comperit, Africam Orientalis imperii partibus jungere molitus eſt. Coluit igitur Theodoſium ad extremum ipſius uſque ſpiritum, quo cum & affinitate conjungebatur. Quippe Salvina Gildonis filia à Nebridio uxor ducta fuerat, Flacillæ Auguſtæ ex ſorore genito. Quod teſtatur Hieronymus in ſua ad Salvinam, quæ maritum lugebat, Epiſtola: *Alius forſitan laudet Nebridium, quòd ſorore generatus Auguſtæ, & in matertera nutritus ſinu, invictiſſimo Principi ita charus fuit, ut ei conjugem nobiliſſimam quæreret, & bellis civilibus Africam diſſidentem, hâc velut obſide ſibi fidam redderet.* Defuncto itaque Theodoſio, demum labeſcere cœpit Gildonis fides, quem Eutropius ſollicitat, avulſam ab Honorii ditione Africam Arcadiano imperio adjicere. Non eſt tamen negandum, ex Claudiano colligi, vivente Theodoſio Gildonem de rebellione cogitaſſe:

Hieron. Ep. 9.

Zoſim. l. 5. c. 11.

Claud. de VI. Hon. Conſ. 110.

Alter præcepta vocantis
Reſpuit, auxiliiſque ad proxima bella negatis,
Abjurata palam Libya poſſederat arva.

Fictionem tamen poëticam eſſe hanc imperante Theodoſio Gildonis rebellionem, præter Hiſtoricorum teſtimonia innuit & ipſe Claudianus, qui Alaricum & Theodoſio obſtitiſſe canit:

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat, qui ſæpè tuum ſprevere profanâ
Mente patrem.

Theodoſio quidem militavit Alaricus. Nodus hic eſt difficillimus, quem peritioribus ſolvendum proponimus.

Igne & terræ motu Deus Conſtantinopoli minatur.

III. Anno celebritatem prodigium attulit; quod Chronologi, Hiſtoricique recordantur. Conſtantinopoli *terræ motus per dies plurimos fuit, cœlumque ardere viſum eſt.* Ferunt pio militi divinitùs nuncìatum, civitatem venturo de cœlo igne perituram. Quod cùm indicaſſet Epiſcopo, monitis non reſpuit Nectarius, qui gregem ſuum ad reſipiſcendum hortatur: *Noctu initio viſa eſt ignea nubes ab Oriente, primò parva, deinde paulatim ut accedebat ſupra civitatem, ita creſcebat, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor ſulphuris deerat. Omnes ad Eccleſiam confugiebant: non capiebat multitudinem locum. Baptiſmum extorquebat quiſque, à quo poterat.* Sed nubes minui cœpit, paulatimque conſumpta eſt. Vix ſecurus erat populus, cùm iterum audit migrandum eſſe, quòd civitas proximo Sabbato eſſet peritura. Tum cuncti cum Arcadio aliquot milliaribus progreſſi, ad fundendas orationes in unum locum congregantur. Magnum fumum ſubitò vident; ſed tranquillitate redditâ omnes læti redeunt: *Nemo de domo ſua quidquam perdidit patente.* Aug. de Excid. urb. c. 6. Inſpiciatur & Pauli Diaconi Hiſtoria Miſcellanea l. 13.

Proſp. Chr.

Eunomianorum diſſidia.

IV. Sæpenumerò firmior eſt Hæreticorum, quàm Orthodoxorum concordia. Contigit tamen quandoque ſectas in varias ſcindi partes, ut faciliore lapſu ruant. Eunomii familia ad fidei perniciem nata, magnos excitat motus, qui labente anno erupiſſe videntur. Quos ut facti ſunt, narrat Socrates: *Qui ab Eunomio nomen traxerunt, varias in partes poſteà diſciſſi ſunt. Primùm enim Theophronius quidam Cappadox, cùm libros quoſdam compoſuiſſet, quos de exercitatione mentis inſcripſit, in odium ſuorum incurrens, tanquam ſuæ ſectæ deſertor ab illis ejectus eſt. Qui poſteà ſeorſum ab illis collectas celebrans, hæreſim de ſuo nomine nuncupatam reliquit. Deinde Eutychius quidam Conſtantinopoli ob levem quandam controverſiam ab Eunomianis diſceſſit, & nunc ſeparatim conventus agit. At Theophronii quidem Sectatores vulgò vocantur Eunomiotheophroniani. Qui autem Eutychio ſe adjunxerunt, Eunomieutychiani.* Ut impreſſa in Baptiſmo auguſtiſſimæ Trinitatis veſtigia delerent, formam divini Sacramenti prorſus mutatum iverunt: *Non enim in Trinitatem baptizant, ſed in mortem Chriſti.* Socratis narrationem illuſtrat Sozomenus: Theophronius, inquit, ex ſacris Oraculis *probare conatus eſt, Deum qui futura prænoſceret, præſentia verò ſciret, & præterita meminiſſet, non eodem ſemper modò ſe habere, ſed pro ratione futuri, præſentis, & præteriti mutare cognitionem.* Ob ejuſmodi opiniones, cùm ne ipſis quidem Eunomianis *ferendus videretur, ex eorum Eccleſia ejectus, hæreſim nominis ſui condidit.* Eutychius verò Dei Filium ignorare diem Judicii palam aſſeruit. Quam impiam ſanè ſententiam cùm Eunomianorum Antiſtites improbarent, relictâ ipſorum communione Eutychius ad Eunomium in exilio tunc agentem perrexit, qui ipſius opinioni ſuffragatus eſt, unàque cum eo fudit orationes, quamvis nefas ſit apud ipſos orare cum illis, qui expertes ſunt literarum, quæ per notas ab aliis ignoratas communionem teſtantur. Defuncto non multò poſt Eunomio, ille qui in urbe Regia Eunomianis ſacris præerat, Eutychium admittere noluit, *Præ invidia illi infenſus, quòd cùm aſſertionem illius, qui ne Clericus quidem erat, acriter impugnare vellet, quæſtionem minimè ſolvere potuiſſet.* Hæc illa Eunomianorum diſſidia, novæque impietates, quibus & Chriſti majeſtatem, & baptiſmi Sanctitatem violabant, cauſam Arcadio præbuiſſe videtur, cur labente anno Leges non in Hæreticos modò, ſed præcipuè in Eunomianos promulgaret. Quippe quam memoravimus hiſtoriam, ea demonſtrat, quænam illa dementia, quod facinus; quis furor, quis error Eunomianorum fuerit, cujus in Legibus mentio eſt. Leges audiamus.

Socr. l. v. cap. 24.

Sozom. l. 7. c. 17.

Leges Arcadii in Hæreticos.

V. Hæreticos Arcadius Eccleſiis, Diaconiciſque exuit ſuis, quos & ſacratiſſimâ urbe pepulit. Prohibuit etiam illos intra civitatem noctu, vel interdiu conventus agere, Clearcho U. P. centum librarum auri mulctâ irrogatâ, ſi publicos privatoſque conventus conceſſerit. Data eſt v. Nonas Martii. Multis Imperatorum Legibus Hæreticorum & myſteria, & conventus prohibebantur. Verùm conniventibus fortè Magiſtratibus, Eccleſias Hæretici ſuas etiamnum retinebant. Hinc ſancitum ab Arcadio: *Cuncti Hæretici procul noverint, omnia ſibi loca hujus urbis adimenda eſſe, ſive ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſive quæ Diaconica appellantur, vel etiam Decanica; ſive in privatis domibus, vel locis privatis fiſco noſtro adcorporandis.* Diaconica loca erant Eccleſiæ, quæ alios *Secretaria* dicuntur, ubi vaſa, veſtes, reſque ſacris uſibus deſtinatæ recondebantur. *Decanica* præſtitere uſum quendam *cuſtodiæ Eccleſiaſticæ*, obſervante Gothofredo. Eunomianos tecta feriere gemina Arcadii Edicta, quæ hoc & anno promulgata ſunt: *Doctores auctoreſque Eunomianorum facinoris inveſtigati, Clericique maximè, quorum furor tantum ſuaſit errorem, ex civitatibus pellantur exterres. Data XI. Kal. Maii.* Præter communes odii in Eunomianos cauſas ſpeculiares Arcadius habuiſſe potuit ex Eunomianorum diſſidiis, quorum pars Theophronium ſequebatur, pars Eutychium.

Cod. Theod. c. 6. p. 150.

ANNO DOM. 396.

chium. Sed & ſecutis annis Arcadius Eunomianos non civitatibus tantùm pepuli, ſed & conventus eorum in agris modis omnibus, Codiceſque & libros prohiberi voluit.

Ambroſii Acta nonnulla.

VI. Ambroſio cœleſtis virtutis teſtimonium nunc eſt reddendum, de quo multa narrat Paulinus, quorum fides ſit penes Autorem. Quo tempore Honorius Mediolani Libycarum ferarum munus exhiberet, data à Stilichone militibus eſt licentia, *Creſconium* rapere de Eccleſia, ad quam confugerat. Fugientem ad altare Ambroſius cum Clericis defendendum circumdedit. Militibus Ariani præerant, qui ablato Creſconio, exultantes ad amphitheatrum redeunt. Vim altaribus illatam diu flevit Ambroſius. Quam tamen Deus ultus eſt. Dimiſſi quippe leopardi celere ſaltu ad locum, in quo milites ſedebant, aſcendunt, quos morſibus appetitos graviter ſaucios reliquere. Hoc ubi vidit Stilicho, pœnitentiâ motus, cumulate ſatisfecit Ambroſio. Ac Creſconium quidem illæſum dimiſerat, quia verò graviſſimorum erat criminum reus, ad exilium deſtinatur, non multò pòſt indulgentiâ proſequente. Aliud prodigii ſubjungit Paulinus, multò minus credibile. In Ambroſiana Baſilica ſervus Stilichonis verſabatur à Dæmone liberatus, qui falſas conficere Epiſtolas deprehenſus eſt, cui pœnæ aliquid ob Ambroſii reverentiam Stilicho irrogari noluit. Quem ſervum interrogatum, cùm flagitii autorem deprehendiſſet Ambroſius, *Oportet*, inquit, *illum tradi Satanæ in interitum carnis.* Vix ea fatus erat, *cùm eodem momento Spiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit.* Pace Paulini, liceat nobis eo de miraculo dubitare, cùm ſolis Apoſtolis id privilegii conceſſum fuerit Dæmonibus uti, quaſi lictoribus ad extorquendos peccatores. Intereà ex ea narratione diſcimus, quid ſit *tradi Satanæ*, quod non ſatis aptè complures de Excommunicatione interpretantur. Paulino judice hoc aliud prorſus ſonat, nempe Dæmoni excarnificandum dari.

Paulin. Vit. Ambr.

ANNO DOM. 397.

ANNO U. C. 1150. OLYMP. 294. PER. JUL. 5110. JUL. 442. DOM. 397. ARCAD. 15. & 3. HONORII 5. & 3. *Sol.* 14. D. *Lun.* 28. *Indict.* 10. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

COSS. *Atticus & Cæſarius.*

Flacilla Arcadio naſcitur.

I. RErum imperii ſterilem annum ingredimur, Eccleſiaſticorum verò fœcundum ſatis, morteque virorum clariſſ. lugubrem. Conſtantinopoli Bautonis ex filia Eudocia Auguſta Arcadio Flacilla nata eſt. Perrexit & Imperator illis moleſtus eſſe, qui de religione malè ſentiebant. *Doctores Apollinariſtarum* Conſtantinopoli ejecit, conventiculaque ipſorum addixit Fiſco Lege latâ Kal. April. Aliam quoque utilem ſimul & honeſtam in ambitioſos conſtitutionem promulgavit, rarò tamen executioni mandatam. Ut illi ſcilicet, qui ambitione ad honores aſcenderunt, mulctentur exilio. Data eſt IV. Kal. Martii.

Ambroſii obitus. Quamdiu ſederit? Hebraicæ linguæ imperitus.

II. Cæterùm, ut res Eccleſiaſticas exequamur, Ambroſius poſt exantlatos pro pietate labores multos poſita ſanctitati præmia accipit. Multa de ipſius obitu Paulinus refert, quæ ex fide Scriptoris memorabimus. Optimo Præſuli vita tædio erat, ob ingraveſcentem paſſim & ubique avaritiæ libem, quæ non Laicos modò, ſed Clericos etiam inceſſebat. Paucis antè diebus quàm decumberet, cùm excipiente Paulino Pſalmum XLIII. dictaret, *ſubitò in modum ſcuti brevis, ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipſius, tanquam in domum habitator, ingreſſus eſt. Poſt quod facta eſt ſpecies ſicut nix, poſtea verò reverſus eſt vultus ejus ad ſpeciem ſuam.* Quâ luce veluti ſigillo cœleſti Ambroſii doctrinam conſignatam eſſe volunt. Inter dictandum ſubſiſtit in his verbis, *Si autem Dominum negligamus, & longe nos faciamus à Domino, facimus nobis adverſarium fortiorem.* Non multò poſt cùm Eccleſiæ Ticinenſi Epiſcopum præfeciſſet, languore corripitur, quo cum pluribus diebus detineretur, Stilicho dixiſſe fertur, *Tanto viro decedente de corpore, interitum imminere Italiæ.* Perſuadet igitur Nobilibus civitatis, quos Ambroſio percharos eſſe noverat, decumbentem adire, quem rogarent à Deo ſibi petere vivendi commeatum. Hoc ut ab amicis audivit, reſpondit, *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* In extrema parte porticus, in qua jacebat, longè ſatis ab eo diſſiti verſabantur, Caſtus, Polemius, Venerius, Felix, Diaconi, qui ſubmiſſa voce de moribundi ſucceſſore loquebantur. Ut Simpliciani mentionem fecere, exclamavit tertiò, *Senex, ſed bonus.* Cætera Paulini verbis narrentur: *Eodem tempore, quo à nobis migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei uſque ad illam horam, quâ emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis oravit. Nos autem labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis cùm in ſuperiora domûs ſe ad quieſcendum compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi, Surge feſtina, quia modò eſt receſſurus, qui deſcendens obtulit Sancto Domini corpus. Quo accepto ubi deglutivit, emiſit ſpiritum. . . . Inde ad Eccleſiam majorem antelucanâ horâ, quâ defunctus eſt, corpus ipſius portatum eſt, ibique eâdem fuit nocte, quâ vigilavimus in Paſcha.* Luceſcente die Dominico peractis Sacramentis effertur corpus in Baſilicam Ambroſianam, ubi conditum eſt. Quin hoc anno extremum diem morte confecerit Ambroſius, non eſt ambigendum.

ANNO DOM. 397.

Paul. Vit. Ambr.

Concilium Carthaginenſe tertium Kal. Septemb. Cæſario & Attico celebratum, de Donatiſtis hæc ſtatuit: *Placuit, ut conſulamus fratres & ConSacerdotes noſtros Siricium, & Simplicianum.* Jam ergo Simpliciano deceſſerat Ambroſius. Præterea Ambroſianum obitum cum quarto Aprilis conjungunt Martyrologia. Mortuus eſt autem Sancto Sabbato, teſte Paulino: ut ab anno CCCXVII. mors Ambroſii divelli nequeat, quo magnum Sabbatum quarto Aprilis affigebatur. Itaque Marcellini Comitis Chronologia non eſt accurata, quæ in annum CCCXCVIII. Ambroſianam mortem contulit. Ut vel in corruptum Marcellini exemplar Baronium incidiſſe, vel non ſatis vigilantibus oculis illud perluſtraſſe neceſſe ſit, dum annum ſupremum Ambroſii ex Marcellino probari contendit: *Coſſ.* inquit, *Cæſario & Attico Ambroſii obitum contigiſſe Marcellinus aſſirmat.* Id ſanè non affirmat Marcellinus, qui Sancti Præſulis obitum Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. contigiſſe memorat. Creatus fuerat Epiſcopus ſeptimo Decembris, anno CCCXCVIII. Quâ ratione annos XXII. menſes quatuor, duobus duntaxat diebus exceptis, Epiſcopatum Mediolanenſem tenuit. Laudes ipſius

Cart. 3. c. 48.

Error Baronii.

Bar. Ann. 397. n. 35.

Digitized by Google

Anno Dom. 397.

ſuis paucis quidem, ſed ſignificantibus verbis, Marcellinus exequitur: *Ambroſius Mediolanenſis, virtutum Epiſcopus, arx fidei, Orator Catholicus ad Dominum commigravit.* Invicti animi ſe virum fuiſſe, injuſtis Principum imperiis cedere neſcii, non uno exemplo demonſtravit. Græcè Latinéque eruditum omnes fatentur, ſed Hebraicæ prorſus linguæ imperitum fuiſſe exploratiſſimum eſt. Qua de cauſa pueriliter erravit, dum Hebræa quædam vocabula interpretatur. Tot ſanè ipſius in Sermonibus ad Pſalm. CXVIII. peccata ſunt, quot Sermones. Exempla quædam ſubjiciamus. Sermone ſecundo: *Bet interpretatio conſideranda eſt, quam in Latinum converſa, Confuſio declaratur.* Sermone quarto: *Dalet ſignificat Latinè Timorem, vel ut alibi invenimus, Nativitatem.* Sermone ſexto: *Zain ſignificat Latinè, Dutte.* Eâdem peritiâ literas omnes Hebræas interpretatur, ut prodigio ſit, virum graviſſimum in ejuſmodi ineptias delapſum eſſe, quæ dant Hebræorum pueris ludibria. Præſtaret ſanè ab ignotæ linguæ explicatione prorſus temperare. Non neſcimus, Hieronymum Hebræorum elementis ſignificationes adjunxiſſe in ſua ad Paulam Urbicam Epiſtola. Hieronymianæ verò ſignificationes ſunt ab Ambroſianis penitùs diverſæ: *Beth, domus; Dalet, tabularum; Zain, hac.* Extant adhùc genuina Ambroſii ſcripta; alia tamen dubia ſunt, alia ſubdita, ornata magno nomine, de quibus conſulendi Critici. Ambroſio Miſſam aſcribit Walafridus Strabo: *Ambroſius quoque Mediolanenſis Epiſcopus, tam Miſſa quàm cæterarum diſpoſitionem officiorum ſuæ Eccleſiæ & aliis Liguribus ordinavit, quæ uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia.* Eſt tamen veroſimilius, Miſſam Ambroſianam compilatoris opus eſſe, qui multa quidem ex Ambroſio deſumpſit, quæ poſteri ſuis additamentis auxere, qui Liturgiarum caſus omnium fuit, quæ Veteribus vindicantur. Quod verò Cardinalis Bona de ritu Ambroſiano habet, *Miſſæ ordinem à S. Barnaba Apoſtolo, pſallendi verò regulam à S. Mirocleto Archiepiſcopo* Eccleſiam Mediolanenſem accepiſſe, opus habet argumentis ad fidem impetrandam. Hymni verò Ambroſiani in tanto pretio fuerant, ut palam publicèque in Galliarum Eccleſiis canerentur. Quò pertinet Synodi Turonenſis ſecundæ Canon 23. qui apud Carranzam eſt 17. *Licet Ambroſianos habeamus hymnos in Canone, tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt famâ, cantare volumus.* De Ambroſii Operibus ſuum Hieronymus interponere judicium noluit. *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus uſque ad præſentem diem ſcribit, de quo quia ſupereſt, meum judicium ſubtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.* Ambroſio Simplicianus ſucceſſit.

Hier. Ep. 155.

Strabo de Reb. Eccl. c. 22.

De Martini anno emortuali & die.

III. Novos in luctus ob *Martini* mortem vocatur Eccleſia. Non neſcimus quidem, de fatali anno Martini inter eruditos multum eſſe controverſiæ. Quantum in ea re ſit diſſidii, vel ex uno Petavio ſciri poteſt, qui varias Veterum de ultimo Martini anno opiniones refert libro de Doctr. Temp. XI. c. 44. & Rationarii l. IV. c. 13. Verùm, ut in noſtro Baronio hæreamus, illuſtriſſimi ſententia Purpurati hæc eſt, Martinum anno CCCII. abiiſſe è vita. Quâ ſanè Chronologiâ ſibi non conſtat. Obierat enim Martinus, cùm Synodus Taurinenſis eſt celebrata, quam tamen Baronius anno CCCXCVII. alligavit. Rem quod attinet, Baronii ſententia in ipſo Severo inniti videtur, ſcribente, Martinum *ſexdecim poſtea annos vixiſſe*, quàm Trevirenſe Conciliabulum coactum eſt. Atqui hoc Conciliabulum anno Dom. CCCLXXXVII. celebratum eſt. Ex verbis tamen Sulpitii ad annum uſque CCCCIII. vitam produxiſſe Martinum, foret exiſtimandum, quod non ſit veriſimile. Cùm autem numeri in Sulpitio ſæpius corrupti deprehendantur, ad ætatem Martini deprehendendam auxilii ſatis non ſuppeditant. Itaque Gregorii Turonenſis Chronologiam amplecti tutius exiſtimamus, cùm è Martini ſucceſſoribus unus fuerit: *S. Martinus octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem XXVI. apud Condatenſem Eccleſiæ ſuæ vicum excedens à ſeculo, feliciter migravit ad Chriſtum. Tranſiit autem mediâ nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæſarioque Coſſ.* Accurata hæc & Conſulum, & ætatis Martini deſignatio maximum eſt veritatis indicium. Præterea cùm Turonenſium Epiſcoporum Indiculum Gregorius texuerit, in quo locum ipſe decimum nonum occupat, ſi in anno Martini emortuali peccavit, in ſequentium & Epiſcoporum annis erraſſe neceſſe eſt. Falſum ergo, & Britium, cui Martinus deceſſit, annos ſediſſe XLVII. & Euſtochium Britii ſucceſſorem annos XVII. Epiſcopatum tenuiſſe. Atqui nil cauſæ eſt, cùm hic Gregorius erroris poſtuletur, cùm hoc annorum ſpatium ad CCCCLXI. pertingat, quo Perpetuus Turonenſem Eccleſiam adminiſtrabat, ut conſtat ex Synodo, cui præfuit. At Martini ſupremus dies Novembris XI. aſcribi nequit, utpote qui in quartam feriam incidat, quâ Martinus cœlo donatus non fuit. Itaque alius depoſitionis, alius Martini obitus dies. Depoſitio ad reliquiarum tranſlationem pertinet, quæ tertio Idus Novembris facta eſt, quo & ſancti viri memoria recolitur. Mors verò in alium diem eſt conjicienda, quem ex Gregorio ſic extundimus: *Martinus anno octavo Valentis & Valentiniani Epiſcopus ordinatus eſt. Sedit autem annos XXVI, menſes quatuor, dies XXVII.* Porro ipſo teſte Gregorio, ordinatus eſt Martinus *quarto Nonas Julias.* Animam igitur exhalaſſet Novembris die XXX. cui Gregorianus ille calculus cohæret. Hunc tamen morti Martini diem aſſignare prohibemur, quia ultimus Novembris anno CCCXCVII. cum feria ſecunda copulatur. Obiit verò Martinus *mediâ nocte, quæ Dominica habebatur.* Quòd ſi duos duntaxat dies, qui facillimè numeris addi potuere, calculo Gregoriano eximimus, ſic omnia rectè procedent. Sedit Martinus annos XXVI. menſes quatuor, dies XXV. quâ ratione nocte, quæ Dominicam duxit, ad plures abire potuit. Atque de difficillima quæſtione conjectura noſtra hæc eſt, ut nocte, quæ Novembris XXIX. imminet, exceſſerit. Porro Gregorius non ſatis accuratè annos recenſet, qui Martini ab obitu ad uſque Chlodovej mortem fluxere: *A tranſitu ergo S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovej Regis, qui fuit XI. annus Epiſcopatus Licinii Turonici, ſupputantur anni CXII.* Quo caſu anno CCCC. Martinus exceſſiſſet. Corrupti ergo numeri ſive Librariorum, ſive Autoris incuriâ. A Cæſarii Atticique Conſulatu Chlodovei ad uſque obitum anni ſunt CXV. Quâ ratione Gregorius eſt emendandus.

Sever. Dial. 3.

Greg. Tur. l. 1. c. 47.

Gregor. l. 10. c. 3.

Gregor. l. 2. c. 14.

Gregor. l. 2. c. 43.

Mors Martini. Pietas, fama.

IV. Ut ex vita, ſic ex morte Martini virtutem diſcere eſt in procliví. Cauſa extiterat, quâ Condatenſem Diœceſim viſitaret. Clericis hujus Eccleſiæ diſſidentibus, componendæ con-

cordiæ proficiſci non recuſavit, bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi pacem Eccleſiæ redditam reliquiſſet. Ita profectus cum ſuo illo, ut ſemper, frequentiſſimo diſcipulorom, ſanctiſſimoque comitatu, mergos in flumine conſpicatur piſcium prædam ſequi: *Forma*, inquit, *hæc Dæmonum eſt, inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captos devorant, exſaturarique non queunt devoratis.* Aliquandiu in Eccleſia, ad quam ierat, commoratus, pace inter Clericos reſtitutâ, cùm jam regredi ad Monaſterium cogitaret, viribus corporis cœpit repentè deſtitui, convocatiſque diſcipulis indicat, ſe jam reſolvi. Tum verò mœror & luctus omnium, vox una plangentium: *Cur nos, pater, deſeris? Aut cui nos deſolatos relinquis? Invadent gregem tuum lupi rapaces, & quis eos morſibus noſtris percuſſo Paſtore prohibebit? Scimus quidem deſiderare te Chriſtum: ſed ſalva tibi ſunt tua præmia, nec dilata minuentur: noſtri potius miſerere, quos deſeris.* His fletibus motus lachrymaſſe perhibetur, converſuſque ad Dominum, hæc tantùm flentibus voce reſpondit: *Domine, ſi adhùc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Cùm jam per aliquot dies febri teneretur, nobili illo ſtratu ſuo in cinere & cilicio recubabat. Et cùm à diſcipulis rogaretur, ut ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi, *Non decet*, inquit, *filii, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccavi.* Rogatus à Presbyteris, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret: *Sinite*, inquit, *ſinite me, fratres, cælum potius reſpicere, quàm terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Hæc locutus, Diabolum vidit propè aſſiſtere: *Quid hic*, inquit, *aſtas, cruenta beſtia? Nil in me, funeſte, reperies; Abraha me ſinus recipit.* Cum hac voce ſpiritum cœlo reddidit. Triumpho ſimiles Martini exequiæ. Tota civitas obviam corpori fuit, multi ex vicinis etiam urbibus affuerunt. Ad duo ferè millia Monachorum conveniſſe dicuntur. Agebat ante ſe Paſtor extinctus greges ſuos, pallidas turbas, agmina palliata, Monachos ſcilicet, quibus ut Philoſophiæ deditis, uti pallio ſolemne fuit: ut in *agminibus palliatis* fruſtrà Sacerdotes quærant eruditorum nonnulli. *Tum Virginum chorus, fletu abſtinens præ pudore, cùm lætandum potius illi eſſe ſentiret, quem jam ſuo Dominus gremio confoveret.* Sic beati viri corpus *uſque ad locum ſepulchri hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur. Martinus hic pauper & modicus, cælum dives ingreditur.* De Martini ſepultura Pictavos inter & Turonenſes exortum certamen eſſe, narrat Gregorius. Dicebant Pictavi: *Nobis Abbas extitit.* Reſpondebant Turonenſes, *Nobis à Deo donatus . . . & primum ei Monaſterium cum Mediolanenſibus fuit.* Dum inter ſe litigant, nox ruit, & gravi ſomno Pictava phalanx opprimitur. Tum Turonenſes opportunâ occaſione uſi, *ſanctiſſimi corporis glebam per feneſtram ejiciunt*, & per Vigennam ingreſſi Ligerim Turonenſi civitati inferunt, non ſine Pictavenſium pudore. De ea pugna tamen ne vel tenue eſt apud Sulpitium veſtigium, & fabuloſæ traditionis officinam redolet. Multorum ore laudatur Martinus, pietate, ſanctitate, miraculis. Feſtus dies ejus in honorem eſt inſtitutus, qui anno CCCCLXI. jam in Gallia celebrabatur, ut liquet ex Synodo Turonenſi: *Severino viro clariſſ. Conſule, die XVIII. Kal. Decembres, cùm ad ſacratiſſimam feſtivitatem, quo Domini Martini receptio celebratur, in civitate Turonorum beatiſſimi Sacerdotes veniſſent*, &c. Perpetuam Martini imaginem & in libro de vita Martini, & in Dialogis Severus impreſſit. Sancti quoque Antiſtitis effigiem cum Paulini imagine ad ſacrum fontem conſtituit. Qua de cauſa Sulpicio ſuo verſus inſcribendos Paulinus miſit. Carminum unum, quod brevius eſt, ſubjiciemus oculis: alterum, quod longius, ex Paulini Epiſtola XII. petatur:

Sever. Ep. 3.

Greg. Tur. l. 1. c. 47.

Turon.

Abluitis quicunque animas, & membra lavacris,
Cernite propoſitas ad bona facta vias.
Adſtat perfecta Martinus regula vita,
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate beati:
Exemplar ſanctis ille ſit, iſte reis.

Martini quoque laudes verſibus celebravit Venantius Fortunatus. Dolendum quòd vir tantus nil ſcripto mandarit, quo mentes ad pietatem erudirentur. Extat quidem in Bibliotheca M. Patrum Profeſſio fidei, quæ Martini nomine inſcribitur: *Profeſſio fidei facta à B. Martino Archiepiſcopo Turonenſi.* Brevis eſt, & Orthodoxa. At cùm Veterum nullus illam aſſignet Martino, non abſque ratione ab eo abjudicatur. Non nævis tamen Martini doctrina caruit. Quippe in abſonam opinionem delapſus eſt, cujus meminit Severus Dialog. 2. cap. 16. ante ſeculi finem venturum Neronem, qui tamen ab Antichriſto perimetur. Exiſtimavit etiam, *quòd caput regni Hieroſolymam eſſet habiturus* Antichriſtus, *& ab illo urbem & Templum eſſe reparandam.* Poſt XX. dierum Interpontificium *Briſius* quartus Turonenſium Epiſcopus ordinatur.

Martyrium Siſinnii, Martyrii, Alexandri.

V. Fatis naturæ debitis dum viri pii in Occidente ſternuntur, manu cruentâ Martyrum vita exhauritur, quod dictu mirum Chriſtianis imperantibus. Sed Principum autoritas adverſus impotentem Ethnicorum furorem non ſemper fuit auxilio. *Siſinnius*, *Martyrius*, *Alexander* Anaunam, ſtadiis viginti quinque Tridento remotam petierant, de miniſtrando Ethnicis Evangelio. Liberi erant matrimonii vinculis. Siſinnius *Diaconi*, Martyrius *Lectoris*, Alexander *Oſtiarii* officio fungebatur. Quandiu nullum in eo loco publicum fidei ſignum fuit, vis nulla ab Ethnicis eſt Martyribus illata. Ubi verò propriis ſumptibus Eccleſiam Siſinnius excitavit, res hæc Ethnicorum inflammat odia: Omnes igitur *in unum collecti, per aliquot ſpatia tracti, Deo animas expirarunt. Et duorum quidem ductum eſt corpus exanime: tertio verò, quo tenacior vita, ita fuit pœna ſenſibilior, nam vivus ſuas ſpectavit exequias. Præparatus eſt de ſacris Eccleſiæ culminibus, ſeu trabibus rogus: hac flamma Martyres velavit. Dies paſſionis Sanctorum quarto Kal. Junias, feriâ ſextâ.* Quæ Vigilius Epiſcopus Tridentinus Epiſtolâ Simpliciano ſuâ ſignificavit, qui & ſibi propoſuit, Baſilicam in eo loco condere, ubi morti Martyres objecti fuerant. Horum & Martyrum Gaudentius meminit Brixienſis in Homilia de XL. Martyribus: *Recepimus Sanctos cineres Siſinnii, Martyrii, Alexandri, quos nuper in Ana Agathini uni veneranda religionis cultus attentius inhærendo gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremavit, ut holocauſtum Deo fierent, qui Chriſtianos ſuos victimas Dæmonis miniſtrare increpatione juſtiſſimâ vetuiſſent.* Nomina Anaunenſium Martyrum ſuam poſteris memoriam conſecrarunt. Capti ſanctorum

Ruinart. Act. 682.

virorum

ANNO DOM. 397.

virorum interfectores, ſed precibus Fidelium à merito ſupplicio liberantur, ne gloria Martyrum detereretur. Quod teſtatur Auguſtinus ad Mercellinum Comitem Epiſtolâ: *Scio in cauſa Clericorum Anaunenſium, qui occiſi à Gentilibus nunc Martyres honorantur, Imperatorem rogatum facile conceſſiſſe, ne illi qui eos occiderant, & capti jam tenebantur, pœnâ ſimili punirentur.* Pugnantibus Chronologiæ regulis Anaunenſium mortem anno CCCC. Baronius affigit. Quod profectò mirum, cùm Acta vel ab ipſo exhibita non dubiâ ſanè notâ tempus paſſionis exhibeant, *quartum ſcilicet Kalendarum Juniarum, feriam ſextam.* Quæ ſoli anno CCCXCVII. competunt, vi literæ Dominicalis D. & Epactæ, Sol. 4. Anno quadrigenteſimo XXVIII. Maii, feriæ non *ſexta* quidem, ſed *ſecunda* affigebatur.

Aug. Ep. 158.

Error Baronii.

VI. Neque luctus Oriens immunis fuit, cùm hoc etiam anno vitam cum morte Nectarius commutarit: *Extremum diem obiit Cæſario & Attico Coſſ. quinto Kal. Octobris. Statim igitur de ordinando Epiſcopo contentio exoritur, aliis alium poſtulantibus.* Cùmque hac de re conſilium ſæpius initum fuiſſet, placuit Joannem Eccleſiæ Antiochenæ Presbyterum ex ea civitate accerſi, ut defuncto ſufficeretur. Nectario ſuæ laudes fuere. Non magnos quidem in Theologie progreſſus fecerat, verùm prudentiâ in adminiſtrando Epiſcopatu pollebat. Quoſque probos in exercendo Prætorio officio mores oſtenderat, eos in regenda Eccleſia ſervavit. Paucis quidem, ſed vivis coloribus Nectarium Socrates pingit: *Vir erat generis Senatorii Nectarius, moribus placidus, & in omni vita planè admirandus.* Has virtutes Præſul factus magis excoluit. Defuncto ſuccedit Chryſoſtomus, de cujus ordinatione anno ſequente, quo peracta eſt, tractabimus.

Mors Nectarii.

Socr. l. v. 8.

VII. Tot funeribus egreſſi, ad alia convertimus animos. Hoc anno *tertium* Carthaginenſe Aurelio Præſide Concilium celebratur. Baronio placuit atque Binnio, *verè ſecundum* dici, quòd ſibi in menſem induxerint, Synodum ſub Genethlio anno CCCXC. coactam, in annum CCCCXXV. eſſe rejiciendam: qui immanis error eſt, ex corruptis exemplaribus hauſtus, ut ſuo tempore demonſtravimus. Porro Synodi Epocha Præfatione continetur: *Cæſario & Attico V. C. Coſſ. quinto Calendas Septembris, Carthagine in Secretario Baſilica Reſtituta; cùm Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis conſediſſet, aſtantibus etiam Diaconibus, advenientibus quoque Victore Senopupianenſe, Tuto Migirpenſe, Evangelo Aſſuritano.* In Hipponenſi Synodo decretum fuerat, plenaria Concilia X. Kal. Septembris celebranda eſſe: abſentibus verò Provinciarum aliquarum Legatis, die Auguſti octavâ & vigeſimâ eſt inchoatum. Vero ſimiliſne ſit Baronii conjectura, *Perpetua* in Baſilica, quæ Carthaginenſium Eccleſiarum omnium major erat, Epiſcopos coactos eſſe, quæ *Reſtituta* nomine aucta ſit, quia crepta Donatiſtis, reſtituta Catholicis fuerat, judicent eruditi. Quid eâ ſubtilitate opus eſt, cùm celebretur in Actis Saturnini & Datii *Reſtituta*, quæ in civitate Abitinenſi ad Africam Proconſularem pertinente, cum Chriſtianis in domo *Octavi Felicis*, dum Dominicum celebrat, cum ſociis ad Anulinum Proconſulem Carthagini agentem adducitur. Noſtra fert conjectura, huic Baſilicam Martyri poſitam eſſe, quæ Reſtituta vocaretur. A Synodo Canones quinquaginta numero ſunt conſtituti, quorum ſumma hæc eſt.

Synodus tertia Carthaginenſis.

VIII. I. Omnes Africanæ Provinciæ Epiſcopi obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi accipiant. II. Singulis annis Concilium convocetur, ad quod Provinciæ, quæ primas ſedes habent, de Synodis ſuis ternos Legatos mittant. De Tripoli propter inopiam Epiſcoporum, unus accedat. III. Clericis ordinandis Decreta Conciliorum inculcentur. IV. Ne Diaconi, Virgineſque ante XXV. ætatis annos conſecrentur. V. Per ſolemniſſimos Paſchales dies *Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal.* Baronio Sacramentum deſignat Symbolum, quod Afris *Fidei Sacramentum* dicebatur. Hanc ergo Canonis mentem eſſe putat: *Non fiant, qui Catechumeni inferioris ſunt ordinis, Competentes.* Quæ noſtro judicio explicatio non recta eſt, aut Antiquitati conſona. Præſtat de reliquiis Euchariſtiæ, quæ pluribus in locis edendæ Catechumenis præbebantur, Canonem intelligere. Hiſce particulis arceantur, ut ipſis ſal, quo condiebantur, ſolummodò diſtribuatur. Sal Catechumenorum indicant verba hæc Auguſtini: *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi quibus alimur, quia eſt Sacramentum.* Vel de melle lacteque vox *Sacramentum* eſt accipienda, quam adjuvat explicationem Can. 37. Codicis Africani: *Primitiæ, ſeu mel & lac, & quod una die ſolemniſſimo in infantum myſteria ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur.* VI. Defunctis non detur Euchariſtia, quia dictum à Domino, *Accipite, & edite.* VII. Ne Epiſcopus accuſatus apud Primatem communione ſuſpendatur, niſi literis ipſius evocatus minimè occurrerit intra menſis ſpatium. Quòd ſi veras neceſſitatis cauſas habuerit, cauſæ intra alterum menſem dicendæ integram habeat facultatem: poſt menſem ſecundum tandiu non communicet, donec purgetur. VIII. Presbyteri accuſentur, Epiſcopi quinque, ſi Diaconi Epiſcopi duo cauſas diſcutiant. IX. Clericis quibus crimen fuerit intentatum, vel civilis cauſa commota, ſi relicto judicio Eccleſiaſtico, publicis judiciis purgari voluerit, locum ſuum amittat in criminali judicio; in civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. X. Judicibus, à quibus ad majores fuerit provocatum, non obſit, quòd ſoluta ſententia fuerit, niſi cupiditate, aut gratiâ judicerint. Ab arbitris dictis provocare non liceat. XI. Clericorum filii ſpectacula nec edant, nec aſpiciant. XII. Clericorum liberi cum Hæreticis Schiſmaticiſque matrimonio non conjungantur. XIII. Clerici ne vel in conſanguineos Ethnicos per donationes, aut teſtamentum aliquid conferant. XIV. Clerici filios ſuos non emancipent, niſi de moribus eorum fuerint & ætate ſecuri. XV. Clerici nec conductores ſint, nec procuratores, neque turpi negotio victum quærant. XVI. Clericorum nullus amplius accipiat, quàm cuiquam accommodaverit. XVII. Cum Clericis fœminæ extraneæ non habitent, illis exceptis, quæ ex domeſtica neceſſitate cum eis antequam ordinarentur habitabant. XVIII. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi non ordinentur, priuſquam domeſticos omnes Catholicos fecerint. XIX. Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur uxores ducere, aut continentiam profiteri.

ANNO DOM. 397.

Canones Carthaginenſes.

Bar. Ann. 377. n. 46.

Aug. de Pecc. Mer. c. 6.

XX.

ANNO DOM. 397.

XX. A nullo Epiſcoporum uſurpentur plebes alienæ. XXI. Clericum alienum niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere. XXII. Nullus ordinetur Clericus, niſi probatus vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. XXIII. Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; & cùm altari aſſiſtatur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio.

De reliquis Carthaginenſis Synodi Canonibus.

IX. XXIV. Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm panis, & vinum aquâ mixtum. XXV. Clerici vel continentes ad viduas, vel virgines non accedant, niſi permiſſu Epiſcopi & Presbyterorum, præſentibus etiam Clericis, aut gravibus Chriſtianis. XXVI. Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur *Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos*. Quæ conſtitutio ad ſolam ſpectat Africam: nam in aliis locis eo titulo donabantur, ſatis apto tamen, & ad Chriſti Legem quadrante, quâ ambitio omnis à Clericis removetur. XXVII. Clerici bibendi cauſâ tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. XXVIII. Epiſcopi trans mare non proficiſcantur inconſulto Primate, à quo ſumenda *formata*. A prima quoque ſede ad tranſmarinos Epiſcopos diriguntur. XXIX. Sacramenta altaris nonniſi à jejunis celebrentur, excepto die, quo cœna Domini celebratur. Si promeridiano tempore defunctorum commemoratio facienda, ſolis orationibus fiat ab iis, qui jam pranſi reperiuntur. XXX. Nulli Clerici in Eccleſiis conviventur, niſi fortè hoſpitiorum neceſſitate. Populi ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur. XXXI. Pœnitentibus Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. XXXII. Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Ob crimen publicum Pœnitenti ante Abſidem manus imponatur. XXXIII. Virgines ſacræ defunctis parentibus in Monaſterio Virginum collocentur, vel gravioribus fœminis commendentur, ne vagantes lædant Eccleſiæ exiſtimationem. XXXIV. Ægrotantes, qui per ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur. XXXV. Hiſtrionibus, Apoſtaticiſque converſis reconciliatio non negetur. XXXVI. Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, chriſma verò nunquam conficiat. XXXVII. Clerici niſi juſta de cauſa in aliena civitate non immorentur. XXXVIII. Quod in Capſenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, non fiant rebaptizationes, reordinationes, tranſlationes Epiſcoporum. XXXIX. Non minus quàm à *tribus Epiſcopis ordinetur*. Honoratus & Urbanus petebant, ut à duodecim Epiſcopis ordinatio perageretur. Quorum poſtulationi interceſſit Aurelius, quia in Tripoli Epiſcopi erant *quinque tantummodò*. XL. Ut dum Epiſcopus eligitur, ſi contradicatur, quinque Epiſcopi conveniant. XLI. Ut per ſingulos annos Epiſcopi ad Concilium convenientes, etiam de Paſchali ſolemnitate à Primate ſuo informentur. XLII. Ut non accipiat alium Epiſcopum plebs, quæ in Diœceſi ſemper ſubjacuit, niſi conſenſu Epiſcopi. XLIII. Qui ad Concilium venire detrectant, & plebem, & honorem amittant. XLIV. Ut Clericum alienum nullus ſibi præſumat Epiſcopus ordinare. XLV. Ut Epiſcopus, qui plures habet Clericos, ei qui eget, ad ordinandum poſtulatus largiatur. XLVI. Ut Epiſcopus in Diœceſi factus ſolùm eam plebem teneat, in qua extitit ordinatus. XLVII. Præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur *ſub nomine divinarum Scripturarum*. Quibus Carthaginenſes inſerunt Tobiam, Judith, Eſther, Maccabæorum libros duos. Quod Decretum vel Antiquitati pugnat, vel quod verius eſſe putamus, diſtinctione eſt aliquâ explicandum. De libris Canonicis quænam Veterum ſententia fuerit, abundè teſtantur liber 8. Conſtit. Clementis, c. 57. Melito apud Euſebium l. 4. c. 26. Epiſtola Feſtalis Athanaſii, t. 2. 39. Epiphanius de Pond. & Menſuris, Cyrillus Illuminatorum Catecheſi IV. quibus Tobias, Judith, Maccabæorum libri non ſunt Canonici. Neque eos in Canone collocat Laodicenſis Synodi Canon 59. qui eſt antiquior Carthaginenſi. Itaque diſtinctione opus eſt, ut cum Antiquitate Carthaginenſes ineant concordiam: nempe vox *Canonica* latius patet, & libros eos ſignificat, non qui certam, fixamque morum fideique regulam conſtituunt, ſed qui ædificandæ plebi leguntur in Eccleſiis: quâ ratione Paſtoris liber divina Scriptura Irenæo, Origenique nonnunquam dicitur. Propriè Canonicos non fuiſſe Carthaginenſibus Tobiam, Judith, Maccabæos, teſtis Auguſtinus, qui Synodo & ſubſcripſit, & interfuit: Maccabæorum, inquit, *non Judas, ſed Eccleſia pro Canonicis habet, propter quorumdam Martyrum paſſiones vehementes, atque mirabiles*. Et libro 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis præponatis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque autoritatis tenent.* Quibus luce clarius eſt, Canonicorum librorum duo genera fuiſſe, quorum diſſimilis autoritas fuit. Qui propriè ſunt Canonici, eo autoritatis proceſſere, ut quovis reſpectu divini haberentur, ſummamque & fidei, & moribus obedientiam imperarent. Denique mens Canonis haurienda eſt ex Synodo Carth. anni CCCCXVIII. in quo legitur: *Hoc etiam fratri, & Conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia à Patribus accepimus in Eccleſia legenda. Liceat etiam legi Paſſiones Martyrum, cùm anniverſarii dies eorum celebrantur.* Cùm igitur præter Canonicas in Eccleſiis Scripturas legi quidquam prohibeant, ac nihilominus Paſſiones Martyrum legi concedant, certum quidem exploratumque eſt, vocem *Canonicas* non propriè eſſe uſurpandam, ſed latius, pro libris ſcilicet Eccleſiaſticis, qui cum fructu legi aliquo poſſunt. Ad reliquos Synodi Canones pergamus. XLVIII. De Donatiſtarum filiis penes ipſos baptizatis conſulantur fratres & Conſacerdotes Siricius & Simplicianus, ne parentum errore prohibeantur ſacri altaris miniſterio. XLIX. Ut omnia quæ Clerici, qui nihil habent dum ordinantur, in Eccleſiaſtico gradu poſiti acquiſivere, Eccleſiæ conferantur. L. Ut geſta Concilii Epiſcoporum ſubſcriptione firmentur.

Aug. de Civit. l. 18. c. 36.

Lab. Conc. t. 2. 1177.

Melaniæ hiſtoria. In Occidentem redit. Paulinum viſitat.

X. Illuſtris ſuis virtutibus magis quàm vel nobilitate ſuâ matrona Melania, Oriente relicto in urbem revertitur. Anno 371. in Ægyptum profecta

ANNO DOM. 397.

profecta fuerat Monachos videndi ſtudio: inde Rufino comite Hieroſolymam migraverat. Quoto ætatis anno in Ægyptum navigaverit, non eſt in medio. Ac prima ſpecie juventutem jam depoſuiſſe, colligi videtur ex Hieronymi Chronico: Melania *unico Prætore tunc Urbano derelicto, Hieroſolymam navigavit.* Quod à Paulino non minimum diſſidet, niſi aviæ *matris* nomen impoſuerit. Audiantur verba Paulini, qui maternam egregiis verbis conſtantiam deſcribit: *Luctuoſa ambitu trium funerum comes, vidua pariter & orbata Romam venit, cum unico ſuo incentore potius, quàm ſolatore lachrymarum, ſive infans ante ſui ſenſum mala ſentiens, jam ſaperet alienam lugere mortem, qui adhùc vitam ſuam neſſe neſciret, ſive ignara malè ſecurus infantia, miſerabili ludo inter matris lamenta videret.* Annos XXII. natam eſſe Melaniam cùm peregrinationem inſtituit ſuam, teſtatur Palladius in Lauſiacis, cap. 117. Sed error numeros invaſit. Quippe narrat ipſe Palladius, annorum *ſexaginta* Melaniam fuiſſe, cùm in Occidentem revertitur. Quâ ratione tertium & trigeſimum ingreſſa erat, cùm ſe pelago commiſit. Itaque dum in Oriente commoratur, annos XXVII. implevit, ex quibus viginti quinque Hieroſolymis tranſegit. Monaſterium incolebat ſuis ſumptibus extructum, in quo *quinquaginta ſecum ſorores Virgines* habuit. Omnes apud Hieroſolymam peregrinos Epiſcopos, Monachos, Virgines ſuis ſumptibus aluit. Paulini Antiocheni partibus auxilii non minimum attulit. Verſabatur cum Melania Rufinus, quo amico, Magiſtroque utebatur. Ut novit, neptem ſuam Melaniam cum viro illuſtri matrimonio junctam eſſe, ac poſt nuptias ſeculo renunciare velle, in Italiam navigare conſtituit. Apud Cæſaream conſcenſâ navi navigatione tam proſperâ utitur, ut poſt viginti dies Neapolim appulerit, ubi filiorum nepotumque occurſu excepta, mox Nolam ad Paulinum feſtinat. Quo cultu & comitatu, ex Paulino audire non injucundum: *Macro illam, & viliore aſellis burico ſedentem, tota hujus ſeculi pompa, quâ honorati & opulenti poterant circumfluis, Senatores proſequebantur carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus, gemente Appiâ atque fulgente.* Paulini tugurium, quod *à terra ſuſpenſum cœnaculo uno, porticu, cellulis hoſpitalibus interpoſita*, Melaniæ ipſiuſque comitibus *non incapaces anguſtias præbuit.* Solvit Paulino ſuæ hoſpitalitatis pretium Melania, tunicam ſcilicet de tenero agnorum vellere contextam, quam ſuo dein Severo miſit, cum Epiſtola, anno ſequente exarata. Dedit & Paulino partem particulæ de ligno divinæ crucis, quam Joannes Hieroſolymitanus mittebat munere. Noſtri doluiſſent Annales prætcriram ſilentio matronarum laudibus Antiquorum nobilem: ſed & adventus Melaniæ ſuo tempori redditus, uſui eſt ad illuſtrandam hiſtoriam. Nondum Rufini & Hieronymi amicitia diſſiluerat; abeuntem cum Melania Rufinum Hieronymus votis & precibus proſecutus eſt. Relictâ Nolâ, in urbem tandem Melania pervenit, ubi ad annum uſque CCCCVIII. permanſit, multos inſtitutionibus, complures ad pietatem excitando. Intereà comite Rufino familiariter utitur, utpote qui biennio in urbe conſtiterit, antequam ad conſanguineos reverteretur. Non eſt quidem Baronii Chronologia accurata ſatis, dum Rufinianam Romæ commorationem anni unius li-

Paul. Ep. 10.

Pall. Lauſ. c. 118.

Paul. Ep. 60.

Id. Ep. 11.

mitibus circumſcribit. Quippe Rufinum Syrum, qui biennio pòſt Aquileenſis Rufini diſceſſum Italiam petierat, rogarat ut ipſum ſalutaret, quod Epiſtolâ LXVI. Aquileenſi ſignificatum ivit: *Sanctum quoque Presbyterum Rufinum ob quandam cauſam per Romam Mediolanum miſimus, & oravimus, ut noſtro animo & obſequio vos videret.*

ANNO DOM. 398.

ANNO U. C. 1151. PER. JUL. 5111. JUL. 443. DOM. 398. ARCADII 16. & 4. HONORII 6. & 4. *Sol.* 15. *C. Lun.* 19. *Indict.* 11. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 5. *P.* 18. *April.*

COSS. *Honorius IV. & Eutychianus.*

I. MAriam Honorio filiam Stilicho deſponderat ſuam, jubente, ſi Claudiano credimus, Theodoſio. Peractæ hoc anno nuptiæ, qui geminâ lætitiâ hilaris fuit, matrimonio ſcilicet Imperatoris, & clade Gildonis. Teſtetur Claudianus initio libri primi de laudibus Stilichonis:

Honorii cum Maria nuptiæ.

Continuant Superi pleno Romana favore
Gaudia, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus augent.
Conjugii nondum feſtivas regia cantus
Sopierat, cecinit fuſo Gildone triumphus,
Et calidis thalami ſucceſſit laurea ſertis,
Sumerat ut pariter Princeps, nomenque mariti,
Victoriſque decus.

Annum Honorio XIV. labebatur cùm celebratæ nuptiæ, quas Epithalamio Claudianus decoravit:

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram *Verſ. 285.*
Præradiant ductura nurum; calet obvius ire
Jam Princeps.

II. Expoſuerat Honorio Maſcelzel, quæ indignè à fratre ſuo Gildone paſſus fuerat. Filiorum miſerè extinctorum manes patrem precabantur ultorem: Ad Gildonem *jam ut hoſtem bello inſequendum Maſcelzel frater miſſus eſt, quem idoneum procurandæ Reipub. ſore propria orbitatis recens dolor pollicebatur.* Non fugiebat Maſcelzelem, quantum in rebus deſperatiſſimis valeant preces cum fide conjunctæ. Capraſiam ergo inſulam adiit, unde ſervos Dei aliquot ſumpſit, quibus cum orationibus, jejuniis, Pſalmis, dieſque noctesque continuavit, ſine cæde vindictam. Verbis Oroſii præclarum referemus eventum: *Ardalio fluminis nomen eſt, quod fluit inter Thebaſtem, & Metridoram civitates, ubi cum parva manu, hoc eſt, cum quinque millibus, ut aiunt militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, cùm interjectâ morâ excedere loco, oppoſitaſque præjacentis vallis anguſtias tranſgredi vellet, intercurrente nocte beatum Ambroſium Epiſcopum, Mediolani paulò antè defunctum, per ſomnium ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem, Hic, hic, hic. Quod ille prudenti conjecturâ intellexit, meritò annunciantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem ſignificari. Subſtitit, ac tertio demum die poſt noctem orationibus pervigilem, ab ipſis cœleſtium Sacramentorum myſteriis in hoſtem circumfuſum proceſſit. Et cùm ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba jactaret, ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem, & jamjamque pugnam excitantem, gladio percuſſit in brachio, omnique manu debilem, ipſo vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. Quo viſo reliquæ cohortes deditionem jam facti pronam exiſtimantes, certatim ſe* ad

Gildo debellatur. Maſcelzel à Stilichone extinguitur.

Oroſ. l. 7. c. 36.

ad Maſcelzelem ſignis tradidere converſi. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum diduxerat, defectu militum deſtituti in diverſa fugerunt. Gildo & ipſe fugam molitus, arreptâ navi, ut in altum provectus, ac deinde revocatus in Africam eſt, poſt aliquot dies ſtrangulatu interiit. Oroſii narrationem illuſtrant hæc Claudiani carmina:

Claud. de Laud. Stilic. l. 1. 357.

Prædonem lembo profugum, ventiſque repulſum
Suſcepit mœſto fatalis Tabraca portu
Expertum, quòd nulla tuis elementa paterent
Hoſtibus.

Urbs eſt Numidiæ Tabraca, de qua Plinius: *Oppidum Tabraca civium Romanorum.* Agilem lætamque victoriam fuiſſe, Claudianus ipſe teſtis eſt:

Plin. l. 5. c. 3.

De Bel. Gild. l. 1.

Necdum Cyniphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildo: nullis victoria nodis
Hæſit, non ſpatio terræ, non obice ponti
Congreſſum; profugum, captum vox nuntiat una.

Victoriam ante menſem Aprilem relatam fuiſſe, eruditis colligitur ex Lege tertia Cod. Theodoſiani *de calumniatoribus*, data III. Id. Mart. Mediolani: *Innocentes, ſub ſpecie falſæ criminationis non patimur callidorum impugnatione ſubverti. Qui ſi contempſerint, intelligant ſibimet ſeveritatem Legum pro commiſſis facinoribus incumbere.* Victuro Africæ Proconſuli Lex ea miſſa eſt, quia cæſis Tyrannis ſæpenumerò delatores exoriebantur. Quid opus conjecturis, Claudiano canente:

Quem veniens induxit hyems, ver perculit hoſtem.

Gildonis bona, quæ ampliſſima erant, fiſco adjudicantur. De perduellis fautoribus decennio pœnæ expetuntur. Anno quippe CCCCVIII. Philippo & Baſſo Coſſ. tertio Id. Novembris Lex promulgatur, quæ de pœnis eſt XIX. *Satellites Gildonis cuſtodiæ mancipentur, & proſcriptione damnentur.* Filiam reliquit Gildo *Salvinam*, pietate inſignem, de qua mentio eſt & in Paulino, & in Hieronymo. Defuncto conjuge ſuo Nebridio viduam conſolatur Hieronymus: *Loquimur ad eam, cujus faciem ignoramus, & virtutes novimus, quam nobis fama commendat, cujus venerabiliorem pudicitiam adoleſcentia facit, quæ mortem juvenis mariti ſic flevit, ut exemplum conjugii dederit.* Porro victoriæ ſuæ diu Maſcelzel non ſuperfuit. Pauſam mortis eam aſſignat Oroſius: *Eccleſiam temerare auſus eſt, atque ex ea quoſdam non dubitavit extrahere. Secuta eſt pœna ſacrilegium. Nam ſuperſtitibus atque inſultantibus, quos ab Eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus & ipſe punitus eſt, probavitque in ſe uno ad utrumque ſemper divinum vigilare judicium, quando & cùm ſperavit, adjutus, & cùm contempſit, occiſus eſt.* Quæ irrogatam carnificis manu mortem indicant. At miſeri exitium hominis ambitioni Stilichonis aſcribit Zoſimus. Gildonis frater, Africâ Honorio reſtitutâ, in Italiam reverſus eſt. Cui cùm invideret Stilicho, colere ſe hominem ſimulat. Dum igitur Maſcelzele comitatus ad pontem fluminis pervenit, ſatellites dato ſibi ſigno hominem in flumen ridente Stilichone detradunt.

Hier. Ep. 9.

Or. l. 7. c. 36.

Zoz. l. 5. c. 11.

Optatus Donatiſta: crudelitas ipſius in Orthodoxos.

III. Morte Gildonis graviſſimo onere Africana liberatur Eccleſia. Tyranno amicus erat *Optatus*, de Donatiſtarum factione Epiſcopus, qui & Catholicos, & Maximianiſtas graviſſimè vexavit. Sub illo *Optato Gildoniano* Africa toto decennio gemuit: *Viduas oppreſſit, pupillos evertit, aliena patrimonia prodidit, aliena matrimonia ſeparavit, res vendendas innocentium procuravit, venditarum pretia cum Dominis plangentibus diviſit.* Cum nefario homine Donatiſtæ communionem miſcebant, quem & tantum non venerabantur; ipſius natalitia frequentabant, pacis oſculum inter Sacramenta copulabant, Euchariſtiam & ipſi præbebant, & ab eo accipiebant. Juſtas tandem furoris ſui pœnas pependit, morte Domini ſui exitio ſin illumâ: *Optatus namque de Satellitio Gildoniano accuſatus, tali genere mortis extinctus eſt.* De nefario homine videatur & Auguſtini liber 1. cap. 24. & 37.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 1. c. 23.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 2. c. 29.

Circumcellionum furor Inſidiantur Auguſtino. Quæ ce cauſa?

IV. Neque unus ſceleratiſſimus Optatus, ſed factio quoque Donatiſtarum in Catholicos acerbè ſæviebat. Præcipue *Circumcelliones* extinctâ omni humanitate turebant. Inſidias itinere Epiſcopis tendebant; Clericos plagis immaniſſimis contendebant, Laicos percutiebant, ignem comburendis ædificiis inferebant. Exempla crudelitatis ipſorum exhibet *Reſtitutus* Presbyter. A Donatiſtarum factione deficiens, Orthodoxorum in communionem tranſierat. Malas beſtias ſua rabies armavit in deſertorem: Reſtitutum *de domo ſua raptum, & pro arbitrio immaniter cæſum, in gurgite etiam cœnoſo volutatum, burda veſtitum, cum quibuſdam dolendum, quibuſdam ridendum in pompa ſui facinoris oſtentaſſent, abductum inde quo voluerunt, vix poſt dies duodecim dimiſerunt*, ut narrat Januario. Majorem furori quoque ſuo victimam, Auguſtinum quæſivere, à quo verbiſque, ſcriptiſque exagitabantur. Moris erat ſancto Præſuli, viſitare ſuæ Diœceſis Eccleſias, quas pietate imbueret. Aliquoties igitur armati vias obſedere Circumcelliones, ut luſtrantem Eccleſias perditum irent: *Evenit quidem Dei providentiâ, ut Ductoris hominis errore per aliam viam cum ſuis comitibus Sacerdos, quo tendebat, veniſſe, atque per hunc, quem poſtea cognovit, errorem manus impias evaſiſſet.* Indignabantur Auguſtino, qui voce calamoque ſeditioſam Donatiſtarum factionem opprimebat. *Petilianus* ſectæ hujus in Numidia Epiſcopus, vir erat eloquentiſſimus. Qui cùm Presbyteris ſuis adverſus Catholicos Epiſtolam ſcripſiſſet, ad eam refellendam operam Auguſtinus ſuam collocavit: *Cùm eſſem*, inquit, *in Eccleſia Conſtantinenſi, Abſentio præſente, & collegâ meo, Fortunato ejus Epiſcopo, obtulerunt mihi fratres Epiſtolam, quam ad ſuos Presbyteros ſchiſmatis ejuſdem Epiſcopum dediſſe dicebant. . . . Quem ſolet fama prædicare, quod inter eos doctrinâ atque facundiâ maximè præcellat.* Cæterùm hîc aſſenſum Baronio noſtrum abnuimus. Duos ſibi Petilianos fingit, alterum *Cirthenſem*, alterum *Conſtantinenſem*. Vel putat, errorem irrepſiſſe in titulum, *Ut loco Conſtantinenſis, Cirthenſis ſit poſitus.* Atqui nec Petilianos diſtinguere duos, nec errorem in titulo fingere opus eſt: cùm Cirtha Conſtantinaque urbs eadem fuerit, ut à Victore monemur in libro de Cæſaribus: *Cirthæ oppido, quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito exornatoque, nomen Conſtantina inditum*; qui Conſtantino Magno honor eſt exhibitus. Probabile fit admodum, non in homine tantùm, ſed in Eccleſias quoque Donatiſtarum furorem invaſiſſe, quod & innuit Lex Honorii, quæ anno labente ad Theodorum Præf. Præt. miſſa eſt: *Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas irruens, Sacerdotibus & Miniſtris, vel ipſi*

Auguſtinus Epiſt. 68.

Poſſid. Vit. Aug. c. 12.

Aug. l. 1. cont. Petil. cap. 1.

Error Baronii.

Bar. Ann. 398. n. 31.

cultui

ANNO DOM. 398.

cultus locoque aliquid importet injuria, quod geritur, deferatur in notitiam Poteſtatum. Hujus Legis autoritate repreſſa ea vis eſt Donatiſtarum: *Judices Africani, armata apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem Comitem Africæ literis, prælato Legis iſtius tenore depoſcant, ut rei talium criminum non evadant. Dat.* VII. *Kal. Maii, Mediolani Honorio* IV. *& Eutychiano Coſſ.* Hujus quoque Conſtitutionis meminit Gregorius M. Lib. 11. Epiſt. 53. Nondum Auguſtini ad notitiam Lex ea pervenerat, dum in condendis contra Petilianum libris laborabat. Itaque fidenter adverſarios ſic compellat: *Quærimus à vobis, quos veſtrûm à noſtris probetis occiſos? Nullam quidem Legem ab Imperatoribus datam, ut occideremini recolo.* Ubi verò notitiam Legis Auguſtinus habuit, Marcellino ſcripſit, ut pœnæ ſontibus conſtitutæ condonarentur: *Nolumus,* inquit, *paſſiones ſervorum Dei, quaſi vice talionis paribus ſuppliciis vindicari.*

Cod. Th. l. 31. de Epiſc. pag. 66.

Aug. cont. Lit. Petil. l. 2. c. 20.

Aug. Ep. 159.

Num Canones CIV. ſint Synodi Carthaginenſis?

V. In Africa verſantibus nobis incumbit ea narrare, quæ ad Eccleſias hujus regionis attinent. Ac ſcribentibus ſeſe offert Carthaginenſe Concilium, quod *quartum* nuncupatur. Exoritur inter eruditos diſceptatio, ſitne fides adhibenda Canonibus CIV. qui Synodo vulgò vindicantur. Ac Baronius pro certo habet, ſublato Gildone datam eſſe facultatem Epiſcopis numero CCXIV. *Carthaginem ad ſacra conveniendi comitia.* Baronii in ſententiam deſcendere complures, cui interceſſit doctiſſimus *Chriſtophorus Juſtellus.* Noſtro quidem judicio graves ſunt de veritate Canonum iſtorum dubitandi rationes. Quippe nuſquam apud antiquiores Latinos reperiuntur; non in Codice Græco Canonum Eccleſiæ Africanæ, non in Ferrando Carthaginenſi Diacono. Obſervat & Labbeus, titulum Concilio præfixum, *Statuta Eccleſiæ antiqua*, aliter ſe in Codice Barberino habere: *Statuta Orientis Eccleſiæ antiqua.* Si verum tamen volumus, Orientis Epiſcopis illæ conſtitutiones non ſunt vindicandæ, quibus non moris eſt, & Exorciſtis libellum exorciſmorum, & Lectoribus Codicem legendum, & Oſtiariis claves Eccleſiæ tradere. Cur autem altum ſit de hiſce Canonibus in Antiquioribus ſilentium, rationem affert Schelſtratus: *Quod hujus Concilii tempore religio erat, ſilentio obvolvere arcana fidei & Sacramentorum myſteria.* Quæ ratio duplici nomine videtur infirma. Ferrandus enim materiæ, quâ Euchariſtiæ Sacramentum conſtat, ipſe meminit, cap. 108. *Ut Diaconus panem non eroget, nec calicem benedicat.* Inviolatâ quidem religione ſilentii Synodum memoraſſe potuiſſet, quia breviationes Canonum Catechumenis non credebantur. Deinde plurimi ſunt Concilii hujus Canones, qui Eccleſiæ Sacramenta non reſpiciunt. Quæritur ergo, nec ſine ratione, cur de Synodo, quæ ob & Canonum, quos edidit, & Epiſcoporum 214. quibus ea conſtitit, multitudinem celeberrima eſſe debuit, nullum ſit in Veteribus veſtigium? De illa primus mentionem egit Iſidorus, qui VII. ſeculo floruit. Exorciſtæ, inquit, *cùm ordinantur, ſicut ait Canon, accipiunt de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi.* Quæ verba ſunt Canonis VII. At quod in obſervatione ponendum, *Carthaginenſem* Canonem eſſe, non dixit Iſidorus. Præterea non injuriâ dubitatur, tantumne ſibi vetuſtatis aſſerant ceremoniæ in ordinandis minoribus Clericis adhibitæ, ut anno CCCXCVIII. Exorciſta porrecto ab Epiſcopo exorciſmorum libello, Acolythus accepto ab Archidiacono ceroferario cum cereo, Oſtiarius traditis ab Epiſcopo Eccleſiæ clavibus ſuo muneri conſecrarentur? Inſuper Canon 27. Carthaginenſis tertii, ſuperiore anno celebrati, ſanxerat, ne *Clericus cum extraneis mulieribus habitaret.* Cui igitur ſerio cogitanti ſit vero ſimile, eandem anno præſente Legem iterum conſtitui in Carthaginenſi IV. Canone XLVI. Sed & fruſtrà in eadem Synodo Canones LI. & LII. conditi fuiſſent, quibus idem continetur. His accedat, quòd ab Epiſcopo ordinando articuli requiruntur, qui ad hæreſes anno CCCXCVIII. recentiores reſpectum habent. Verbi gratiâ, interrogatur, ſi Chriſtus eſt *una perſona, unus filius*, quo Neſtorius perſtringitur: *Si in baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur.* Quod contra Pelagianos eſt inſtitutum. Eſt autem creditu difficillimum, virus Pelagianorum adeò in Africa anno CCCXCVIII. invaluiſſe, ut eâ opus interrogatione fuerit ordinandis Epiſcopis. *Pelagius* ſanè, imò *Cœleſtius* quoque poſtmodum innotuere. Denique vix fidem habet, quod in una Carth. Synodo Canones CIV. conditi ſint, cùm frequentes Epiſcoporum conventus in ea civitate agitarentur. Itaque non diſſimulamus, de hiſce Canonibus dubitatione concuti, ut potius videatur farrago Canonum quædam, diu poſt currentem annum edita, quàm Conſtitutio Synodi, VI. *Idus Nov. Honorio* IV. *& Eutychiano Coſſ* celebratæ.

Bar. Ann. 398. n. 67.

Lab. Conc. t. 2. 1198.

Schelſtr. Eccl. Afr. Diſſert. 3. c. 8. 215.

Iſidor. de Eccl. Off. l. 2. c. 13.

Carth. 4. c. 1.

Canones Carthaginenſi Synodo vindicati.

VI. Ad Canones nunc procedendum. I. Ordinandus Epiſcopus examinatur, ſitne naturâ prudens, docibilis, moribus caſtus; ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat; Trinitatis Deitatem Conſubſtantialem aſſerat, articuloſque profiteatur, quibus Symbolum conſtat Apoſtolicum; ſi nuptias non improbet; ſi ſecunda matrimonia non damnet; ſi carnium perceptionem non culpet, &c. II. Duo Epiſcopi teneant Evangeliorum Codicem ſuper caput Præſulis, qui ordinatur, & uno fundente benedictionem, reliqui manibus ſuis caput ejus tangant. De eo Canone notabilia ſunt verba Alcuini: *Non reperitur in autoritate veteri, neque novâ, ſed neque in Romana Traditione.* III. Epiſcopus ſuper caput Presbyteri, quem ordinat, manum teneat, cæterique Presbyteri juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. IV. Solus Epiſcopus manum ſuper caput Diaconi qui ordinatur, ponat. V. Subdiaconus patinam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. VI. Acolythus dum ordinatur ab Archidiacono, accipiat ceroferarium, cum cereo, & urceolum vacuum. VII. Exorciſta dum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum exorciſmorum, cum poteſtate imponendi manus ſuper Energumenum. VIII. Lectori ſpectante plebe tradat Epiſcopus Codicem, de quo lecturus eſt, dicendo, *Eſto Lector verbi Dei.* IX. Oſtiario tradat Epiſcopus claves Eccleſiæ de altario, dicens, *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his clavibus recluduntur.* X. Pſalmiſta poteſt ſolâ juſſione Presbyteri officium ſuſcipere, dicentis, *Vide ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.* XI. Sanctimonialis Epiſcopo conſecranda offeratur in veſtibus, quibus ſemper uſura eſt. XII. Viduæ vel Sancti-

Alcuin. de Off. p. 271.

Anno Dom. 398.

Sanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, aptæ ſint imperitas docere. XIII. Sponſi & ſponſæ à parentibus ſuis, vel Paranymphis benedicendi Sacerdoti offerantur, & pro benedictionis reverentia in virginitate permaneant. XIV. Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat. XV. Epiſcopus vilem ſuppellectilem & menſam, ac victum pauperem habeat. XVI. Epiſcopus Gentilium libros non legat, Hæreticorum autem pro neceſſitate. XVII. Epiſcopus viduarum & pupillorum per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat. XVIII. Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat. XIX. Epiſcopus pro rebus tranſitoriis non litiget provocatus. XX. Epiſcopus lectioni, orationi, & Verbi Dei prædicationi tantummodò vacet. XXI. Epiſcopus ad Synodum ire non ſine gravi neceſſitate inhibeatur: Legatum tamen mittat, ſuſcepturus ſalvâ fidei veritate, quidquid Synodus ſtatuerit. XXII. Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, & civium teſtimonium quærat. XXIII. Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum, ſecus irrita erit ipſius ſententia. XXIV. Concionante in Eccleſia Sacerdote, qui egreſſus fuerit auditorio, excommunicetur. XXV. Diſſidentes Epiſcopos Synodus reconciliet. XXVI. Diſſidentes fratres ad pacem magis quàm ad judicium Epiſcopi cohortentur. XXVII. Epiſcopus de ignobili ad nobiliorem locum non transferatur, niſi per ſententiam Synodi, & utilitate Eccleſiæ poſcente: inferioris gradus Clerici Epiſcoporum ſuorum conceſſione poſſunt ad alias Eccleſias tranſire. XXVIII. Injuſta Epiſcoporum damnatio à Synodo retractetur. XXIX. Epiſcopus ſi Laico, aut Clerico crimen impegerit, deducatur ad probationem in Synodum. XXX. Abſente accuſato ſententia ab Eccleſiæ Judicibus lata irrita erit. XXXI. Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis utatur. XXXII. Irrita donatio Epiſcoporum venditio, commutatio, abſque ſubſcriptione Clericorum. XXXIII. Epiſcopi, vel Presbyteri, ſi ad alterius Eccleſiam venerint, tam ad verbum faciendum, quàm ad ablationem conſecrandam invitentur. XXXIV. Epiſcopus ſedens ſtare Presbyterum non patiatur. XXXV. Epiſcopus in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum collegam ſe Presbyterorum cognoſcat. XXXVI. Presbyteri per ſeipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet, à ſuis Epiſcopis ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant. XXXVII. Diaconus ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi Miniſtrum noverit. XXXVIII. Diaconus præſente Presbytero juſſus Euchariſtiam populo præbeat. XXXIX. Diaconus quolibet loco, jubente Presbytero ſedeat. XL. Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus, loquatur. XLI. Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis albâ utatur. XLII. Clericum inter tentationes officio ſuo incubans promoveatur. XLIII. Qui pro Chriſtiana religione affligitur, à Sacerdotibus honoretur, & per Diaconum ei victus ſubminiſtretur. XLIV. Clericus nec comam nutriat, nec barbam. XLV. Clericus profeſſionem ſuam in habitu, & in inceſſu probet, nec veſtibus & calceamentis decorem quærat. XLVI. Clericus cum extraneis mulieribus non habitet. XLVII. Clericus per plateas & andronas abſque neceſſitate non ambulet. XLVIII. Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel foro deambulat, officio ſuo moveatur. XLIX. Clericus qui abſque neceſſitate vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur. L. Clericus inter tentationes negligentius agens, ab officio removeatur. LI. Clericus artificio victum quærat. LII. Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agriculturâ abſque officii ſui detrimento quærat. LIII. Clerici artificiola, & literas diſcant. LIV. Clericus invidens fratrum profectibus, non promoveatur.

Anno Dom. 398.

De aliis Canonibus Synodo Carthaginenſi vindicatis.

VII. Canon LV. Accuſatores fratrum ab Epiſcopo excommunicentur, reſipiſcentes ad communionem, non ad Clerum recipiantur. LVI. Clericus qui adulationibus vacat & proditionibus, deponatur. LVII. Clericus maledicus cogatur ad poſtulandum veniam. Si noluerit, exautoretur. LVIII. Frequenter litigantis teſtimonium nemo abſque grandi crimine recipiat. LIX. Diſcordantes Clericos Epiſcopus ad concordiam trahat; inobedientes Synodus damnet. LX. Clericus ſcurra ab officio retrahatur. LXI. Clericus qui jurat per creaturas, acerrimè objurgetur; ſi perſtiterit, excommunicetur. LXII. Eadem ſeveritas adhibetur in Clericum inter epulas cantantem. LXIII. Clericus qui abſque neceſſitate jejunium rumpit, minor habeatur. LXIV. Qui die Dominico ſtudioſè jejunat, non credatur Catholicus. LXV. Paſchæ ſolemnitas uno die celebranda. LXVI. Clericus qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem injuſtam putat, recurrat ad Synodum. LXVII. Seditioſi, uſurarii, ultores non ordinentur Clerici. LXVIII. Nullus ex Pœnitentibus ad Clerum promoveatur, deponatur, ſi per ignorantiam fuerit ordinatus. LXIX. Ordinandi poteſtate privatur Epiſcopus, qui ſciens ordinaverit Clericum, à quo vidua repudiata, aut ſecunda uxor ducta eſt. LXX. Clericus Hæreticorum, Schiſmaticorumque & convivia & ſodalitia vitet. LXXI. Conventicula Hæreticorum non Eccleſiæ, ſed Conciliabula appellentur. LXXII. Cum Hæreticis nec orandum, nec pſallendum. LXXIII. Qui communicat, aut orat cum Excommunicato, excommunicetur. LXXIV. Sacerdos pœnitentiam imploranti pœnitentiæ leges injungat. LXXV. Pœnitentes negligentiores tardius recipiantur. LXXVI. Si qui petit pœnitentiam obmutuerit, vel in phreneſim inciderit, dent teſtimonium, qui audierunt, & accipiat pœnitentiam: ſi credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus. LXXVII. Pœnitentes in infirmitate viaticum accipiant. LXXVIII. Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum acceperint, non abſolvuntur abſque manuum impoſitione, ſi ſupervixerint. LXXIX. Pœnitentium qui pœnitentiæ leges exequuntur, ſi caſu obierint, memoria oblationibus, & orationibus commendetur. LXXX. Omni tempore jejunii manus Pœnitentibus imponatur. LXXXI. Pœnitentes mortuos efferant, & ſepeliant. LXXXII. Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant. LXXXIII. Pauperes & ſenes Eccleſiæ plus cæteris honorandi. LXXXIV. Nullus ſive Gentilis, ſive Judæus,

Anno Dom. 398.

dæus, ſive Hæreticus, prohibeatur audire verbum Dei uſque ad Miſſam Catechumenorum. LXXXV. Baptizandi nomen dent ſuum, & diu abſtinentiâ vini & carnium, ac manus impoſitione crebrâ, examinati baptiſmum percipiant. LXXXVI. Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis, ſpectaculis, & conjugibus abſtineant. LXXXVII. Catholicus, qui vel juſtam cauſam ad alterius fidei Judicem defert, excommunicetur. LXXXVIII. Qui die ſolemni prætermiſſo Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur. LXXXIX. Auguriis & incantationibus, nec non feriis & ſuperſtitionibus Judaicis inhærens, excommunicetur. XC. Omni die Exorciſtæ Energumenis manus imponant. XCI. Pavimenta Domorum Dei Energumeni verrant. XCII. Energumenis victus quotidianus per Exorciſtas miniſtretur. XCIII. Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur. XCIV. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus refutanda. XCV. Qui oblationes defunctorum negant Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. XCVI. Quæratur in judicio, cujus ſit converſationis & fidei accuſator & accuſatus. XCVII. Qui religioſis fœminis præponendus eſt, ab Epiſcopo loci probetur. XCVIII. Laicus præſentibus Clericis, niſi ipſis jubentibus docere non audeat. XCIX. Mulier quantumvis docta, & ſancta, viros in conventu docere non audeat. C. Mulier baptizare non præſumat. CI. Viduæ adoleſcentes, quæ corpore infirmæ ſunt, ſumptu Eccleſiæ ſuſtententur. CII. Culpa eſt Epiſcopi, vel Presbyteri, qui Parochiæ præeſt, ſi adoleſcentiores viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus ſubjiciantur. CIII. Viduæ quæ ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, meritis & orationibus ſuis Eccleſiam adjuvent. CIV. Viduæ quæ ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjectâ ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, excommunicentur, ſi ad nuptias ſeculares tranſierint. Addit Canonem CV. doctiſſimus Baluzius, quo Schiſmatici damnantur, qui Eccleſiaſticæ conjunctionis vincula ſolvunt.

Nùm certam antiquis Laicis jus baptiſandi competere urgente neceſſitate?

VIII. Cæterùm, qui mulieribus miniſtrandi baptiſmi facultatem negat Carthaginenſium Canon, cum Latinorum diſciplina apertè pugnat, quæ urgente neceſſitate non Laicis modò, verùm etiam mulierculis infantes Catechumenoſve ſacris undis piandi jus tribuit. Itaque ut ſartam tectamque conſuetudinem tuerentur ſuam Lombardus atque Gratianus, interpolatum Lectoribus Canonem obtrudunt: *Mulier quamvis ſancta, baptiſare non præſumat, niſi neceſſitate cogente.* Lomb. libro IV. Diſt. 6. A. Inſpiciatur & Gratianus de Conſecratione, Canon. mulierum. Ea tamen exceptio in omnibus Conciliorum exemplaribus deſideratur, quæ per corruptorum fraudes ad novitatis patrocinium tandem ad Canonem defluxit. Cùm porro noſtrorum ſit Annalium ſcopus, antiqua Eccleſiæ inſtituta adducere, coram oculis de legitimo baptiſmi miniſtro Patrum ſententiam exponere juvat. Diſerta eſt Florentinæ Synodi, cui Latini mordicùs adhærent, præſcriptio: *In cauſa neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus & mulier, imò etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſervet Eccleſiæ.* Quam ſanè ſententiam Veterum inſtitutis conſonam non eſſe certè certòque ſcimus, moltò minus Evangelio jus baptiſandi illis duntaxat tribuenti, quibus prædicandi munus injungitur: *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos.* Cùm itaque baptiſmi adminiſtratio ab uno Chriſti inſtituentis arbitrio pendeat, ex hac etiam ſola metienda eſt, ne in juris alieni uſurpationem incidamus. Nunc ea de re placita Patrum adeamus. Laicis urgente neceſſitate à pluribus conceſſam eſſe diſpenſandi baptiſmi facultatem non ignoramus. Verùm ſua & hîc limitatio fuit. Audiantur Eliberitani: *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe Fidelem qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptiſare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum.* Tertullianus, qui Laicorum baptiſmo favet, mulierem verbis expreſſis impugnat: *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui; ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii ſortem vindicare..* Neque ſui diſſimilis eſt libro de Baptiſmo c. 17. *Petulantia mulierum, quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet.* Eadem Conſtitutionum Autori ſententia fuit: *De mulieribus baptiſantibus ſcitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere. Quòd ſi à mulieribus baptiſari oporteret, profectò Chriſtus à Matre ſua baptiſatus eſſet.* Nec à Clemente diverſus eſt Epiphanius, qui de B. Virgine ſic cenſet: *Ac ne baptiſandi quidem poteſtas eſt illi facta, cum alioqui tingi ab illa Chriſtus potuit, quàm ab Joanne potuiſſet.* Hinc Sancti Patris in Marcionem aculei: *Jam mulierculis baptiſandi poteſtatem facit; nihil enim apud illos niſi ludibrio ac riſu digniſſimum.* Fruſtrà eſt autem Bellarminus, qui objecto diſtinctionis ambone, tantorum vim telorum exire putat: *Loquuntur Patres de publico miniſterio, non de privato in caſu neceſſitatis.* Quippe Tertullianus æquè jus baptiſandi ac Euchariſtiam conſecrandi à mulieribus abjudicat, quæ ne vel privatim offerre poſſunt. Neque Laici, quibus adminiſtrationem baptiſmi Tertullianus largitur, publico uti miniſterio poſſunt ad ſuppeditandum baptiſmum, aut conſecrandam Euchariſtiam. Cæterùm ex Veteribus non defuere, qui Laicis tribuendi baptiſmi facultatem eximunt. Quam Cypriano, Firmilianoque mentem fuiſſe, inficias ire ne vel ipſa pertinacia poteſt, utpote qui Schiſmaticorum Hæreticorumque baptiſmum prorſus reſpuebant. In eam ſanè ſententiam apertè propendet Baſilius in ſua ad Amphilochium Epiſtola, c. I. *Qui autem abrupti ſunt Laici effecti, nec baptiſandi, nec ordinandi habent poteſtatem . . . Quare eos, qui ab ipſis baptiſati erant, tanquam à Laicis baptiſatos, juſſerunt ad Eccleſiam venientes vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari.* Laicorum ergo baptiſmus Baſilio legitimus non fuit, qui eam ab Hæreticis Schiſmaticiſque miniſtratum ideò renovari voluit, quia *Laicorum* fuit. Præclaris quoque Conſtitutionum, quæ Clementis uſurpantur verbis, Laicorum baptiſmus obruitur: *Neque Laicis permittimus facere aliquod opus ſacerdotale, ut ſacrificium aut baptiſmum, aut impoſitionem manus, aut benedictionem, ſive parvam, ſive magnam. Nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Domino. Hujus namque gratia per impoſitionem manuum Epiſcopi datur; qui verò non eſt ad eam lectus, ſed potius ſibi eam rapuit, hic* ſup-

Elib. c. 38.

Tert. de Vel. Virg. c. 9.

Conſt. l. 3. c. 9.

Epiph. h. 79. n. 3.

Epiph. h. 42. n. 4.

Bellar. de Bapt. l. 1.

Conſt. l. 3. c. 10.

Anno Dom. 398.

ſupplicio Oſia afficietur. Inſignis locus, cui nil noctis offundi poteſt. 1°. Publicum miniſterium à privato non diſtinguit Clemens, diſtinguendum ſanè, ſi imminente neceſſitate Laicum baptiſma probaſſet. 2°. Sacerdotale opus eſt Clementi ſacri lavacri adminiſtratio. Laicorum vero non eſt, Sacerdotis uſurpare Provinciam. Denique Laicis æquè ſuppeditando baptiſmo, ac ſacrificio perpetrando Clemens interdicit. Atqui nec privatim, nec publicè Laico licet Euchariſtiam conficere, neque igitur & ſacris undis aliquem purgare. Denique ipſe Auguſtinus in dubio eſt, peccetne Laicus, dum baptiſantis munere fungitur. Quo caſu liquidò conſtat ab ejuſmodi officio eſſe Laico temperandum: *Quamquam etſi Laicus aliquâ pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nullâ enim neceſſitate cogente ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt. Si autem neceſſitas urget, aut nullum, aut veniale delictum eſt.* Ex his luce clarius, vanum eſſe quem Latini prædicant, cumque *antiquiſſimum*, Eccleſiæ conſenſum.

Aug. contra Epiſt. Parm. l. 2. c. 13.

Taurinenſis Synodus. Quoto anno congregata?

IX. Relatis, qui Carthaginenſis IV. dicuntur, Canonibus, offert ſe Taurinenſe Concilium, ut aptâ ſerie Synodos connectamus. De anno hujus Synodi non ſatis liquet. Id unum certiſſimum, defuncto jam Martino fuiſſe coactum, ut apertè conſtat ex Zozimi Papæ ad Epiſcopos Africæ Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſtola: *Lazarus dudum in Taurinenſi Concilio graviſſimorum Epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cum Britii innocentis Epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiiſſet.* Martinus verò Britio deceſſerat. Conſtare ergo nequit Baronii Chronologia, quæ Synodum Taurinenſem anno CCCXCVII. Martini verò obitum anno CCCCII. alligavit. Ut conſentanea quidem illuſtriſſimus Purpuratus loqueretur, Concilium Taurinenſe anno CCCCIII. affigere debuit. Nullâ quidem nos ratione prohibemur, illud cum anno CCCXCVIII. copulare. Epiſcopis viginti conſtitiſſe, nonnullis in exemplaribus legitur. Precibus Epiſcoporum Galliæ, Taurino nobiliſſimæ in regione Pedemontana urbi, eſt celebratum *decimo Kalendas Octobris.* Proculus Maſſilienſis Epiſcopus pro Metropolitano Eccleſiarum in ſecunda Narbonenſi Provincia conſtitutarum ſeſe venditabat. Vir erat *Proculus* magni nominis, de quo cum multa laude commemorat Hieronymus ſub finem ſuæ ad Ruſticum Epiſtolæ: *Habes iſtic ſanctum doctiſſimumque Pontificem Proculum, qui vivâ & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet.* Concilio quoque Aquileenſi Galliarum Legatus, anno 381. interfuerat. Ex altera parte ſecundæ Narbonenſis Epiſcopi, alterius Provinciæ Sacerdotem ſibi præeſſe non debere contendebant. Taurinenſes verò Canone primo Patres ſtatuunt contemplatione pacis, ut Proculus in Eccleſiis ſecundæ Narbonenſis, quoad vixerit, Primatus habeat dignitatem. De Primatu quoque Arelatenſis Epiſcopus cum Vienneſi contendebat. Olim quidem Arelatum Viennenſis Provinciæ cenſebatur. Quod demonſtrat Elenchus Epiſcoporum Arelatenſis Synodi, imperante Conſtantino Magno celebratæ: *Marinus Epiſcopus de civitate Arelatenſium, Provincia Viennenſi.* Arelate tamen Principum beneficio, variis jam inde à Conſtantini temporibus de Metropolis nomine cum Vienna certabat. Canone igitur ſecundo ad vinculum pacis conſervandum decernunt, ut qui ex eis probaverit, ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ Primatum obtineat. Octavius, Urſio, Remigius, Triferius Epiſcopi Sacerdotum ordinationem uſurparant, nec ſine aliorum offenſione. Canone igitur tertio ſtatuitur, ne in poſterum faciant, ni honore Sacerdotii privari velint. *Palladius* Laicus *Spano* Presbytero non leve crimen intenderat, deficienteque probatione legitimâ damnatus erat à Triferio. Canone quarto ſententia firmatur, conceſſâ Triferio poteſtate, *quando voluerit, Palladio relaxare.* Canone quinto illi ipſi Triferio dant facultatem, Exuperantio Presbytero, qui ipſum injuriâ affecerat, quando voluerit, gratiam communionis indulgere. Felix Trevirenſis Epiſcopus, vir aliàs ſanctiſſimus, ab Ithacianæ partis Epiſcopis ordinatus ipſis mordicùs adhæſerat. Itaque Canone ſexto, qui à Felicis communione ſegregare ſe voluerint, illos in ſuam communionem ſuſcipiunt juxta literas *venerabilis memoriæ Ambroſii*, & Romani Sacerdotis. Canone ſeptimo prohibetur, alterius Clericum vel ordinare, vel abjectum in communionem recipere. Canone octavo ſancitur, Clericos vel contra interdictum ordinatos, vel liberos in miniſterio procreantes, ad majores gradus non eſſe promovendos. In Zozimi Epiſtolis legitur, *Lazarum*, qui Britio Turonenſi calumnias impoſuerat, à Taurinenſibus pro calumniatore eſſe habitum. Verba hæc ſunt Zozimi ad Africanos: *Vetus Lazaro conſuetudo eſt innocentiam criminandi. Per multa Concilia in Sanctum Britium Coepiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt. A Proculo Maſſilienſi in Synodo Taurinæ oppidi ſententiam calumniatoris excepit.* At calumnias Lazaro ab inimicis impoſitas facilem admiſiſſe Zozimum, vero propius eſt, ut inferius declarabitur. Ad univerſos Galliarum Epiſcopos Synodicam Concilium ſcripſit.

Hier. Ep. 4.

Zozim. Ep. 6.

Zozim. Ep. 4.

Obitus Siricii. Quo menſe contigerit?

X. Creditum, nec immeritò, Siricium hoc anno ad fata veniſſe; tempus verò mortis eſt in obſcuro. Exceſſiſſe XXVI. Novembris, Pagii ſententia eſt, quam & Hieronymiano, & Bedæ Martyrologio aſtruit, in quibus legitur: *Romæ depoſitio Siricii Epiſcopi.* Ab ea Chronologia longè diſcrepant Catalogi Pontificum, tam Reginæ Sueciæ, quàm libri Pontificalis, qui *Februarium* menſem Siricio ſupremum fuiſſe memorant. Quæ ſententia & veriſimilior, utpote gravi argumento firmata. Prodiere Auguſtini adverſus Petilianum libri, ſedente jam Anaſtaſio ſucceſſore Siricii. Sic enim Petilianum compellat: *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet.* Quo tempore Lex Honorii data VI. Cal. Maii de turbulentis Donatiſtis ultimo in Africa ſupplicio afficiendis, Auguſtino ignorabatur: *Nullam quidem* Legem, inquit, *ab Imperatoribus datam, ut occideremini recolo.* Extat Lex de irruptione in Eccleſias in Cod. Theod. l. 31. de Epiſcopis. Quòd ſi XXVI. Novembris Siricius obiit, annus jam CCCXCIX. labebatur, cùm de promoto ad Epiſcopatum Rom. *Anaſtaſio* Auguſtinus nuncium accepit. Eſt autem creditu difficillimum, de Honorii adverſus Donatiſtas Lege nil cognitionis habuiſſe anno CCCXCIX. decem circiter menſibus poſtquam promulgata eſt. Periit itaque Siricius menſe Februa-

Aug. contr. Petil. l. 2. c. 51.

Aug. contr. Petil. l. 2. c. 20.

ANNO DOM. 398.

Februario, licet dies ſit in incerto. Sepultus eſt in Cœmeterio Priſcillæ, viâ Salariâ, nono, vel octavo, vel ſeptimo Cal. Martias.

Anaſtaſius Papa. Duæ Epiſtolæ ipſi ſubditæ.

XI. Succeſſit Siricio *Anaſtaſius*, cujus initium non eſt in medio. In Pontificali emendato, nec non Catalogo Reginæ Sueciæ, Siricii poſt obitum XX. dierum Interpontificium fuit. Oonphrius verò, Vacavit, inquit, *ſedes menſem unum, dies XV.* Pagius novem dierum Interpontificium agnovit. Ex ea diverſitate Pontificatus Anaſtaſii diuturnitas accuratè definiri nequit. Natione Romanum fuiſſe dicunt ex patre Maximo. Marcellinus in Chronico: *Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. Romanæ Eccleſiæ Anaſtaſius XXXVII. Epiſcopus ordinatus vixit annos quatuor.* Dies XXII. Anaſtaſii Pontificatui addit Proſper in Chronico. Inter Anaſtaſii Epiſtolas duæ reperiuntur, quæ abſque hæſitatione ulla ſubditiciis ſunt apponendæ. Prior ad omnes Germaniæ Epiſcopos ſcripta, tria capita complectitur. Primum ſancit, ut S. Evangelium univerſi non ſedentes, ſed ſtantes audiant. Secundum vetat in Clerum aliquos referre, niſi quinque, aut eo amplius Epiſcoporum chirographis ſunt deſignati. Tertium Manichæos, qui Romæ inventi ſunt, in Germania ſuſcipi prohibet. Data eſt Epiſtola *Nonis Octobris, Arcadio & Bautone viris clariſſ. Coſſ.* Poſterior *Nerianum* religioſiſſimum virum ob parentem amiſſum ſolatur. Data eſt *ſeptimo Idus Junii, Theodoſio Auguſto VII. & Palladio, viris clariſſ. Coſſ.* Neutra verò germana eſt, ſed Iſidori Mercatoris camulos olet. Anaſtaſius quidem nondum Epiſcopum agebat, anno CCCLXXXV. quem aperuerunt Arcadius atque Bauto: obierat verò diu ante Theodoſii Auguſti VII. & Palladii Conſulatum, anno Dom. CCCCXVI. geſtum. Ne verò talium mercium venditores dicant, notas conſulares *ſuperadditas* eſſe, & in melioribus deſiderari, obſervandum, utramque Epiſtolam Pontificum, qui Anaſtaſio poſteriores ſunt, laciniis conſtare. Priore exhibentur verba Leonis de Manichæis ad Epiſcopos per Italiam Epiſtolâ II. nec non Flaviani ad Leonem. In poſteriore agnoſcuntur verba hæc Innocentii ad Julianam nobilem fœminam: *Vita hujus quacunque ſunt ſpatia, æternis divinisque officiis illuſtrare contendes, ut qui inſignem te præſtitit, reddat per ſecula clariorem.* Hæc ipſiſſima verba impoſtor ſcribit *Neriano*.

Flaviani ad Siricium legatio.

XII. Rebus Occidentis, ea quæ Orientem ſpectant, nunc ſubnectamus. Nondum exceſſerat Siricius, cùm miſſa à Flaviano Antiocheno legatio Romam pervenit, ut in pace veluti atque lætitia urbis Pontifex ſepeliretur. Non temerè eſt, quòd legationem cum anno CCCXCVIII. conjungimus. Præeuntem Theodoritum ſequimur, qui de injuncta Acacio legatione hæc habet: *Hic unà cum reliquis Romam veniens, diuturnam ſimultatem, quæ ſeptemdecim annos duraverat, ſedavit, pacemque inter Eccleſias compoſuit.* Quod diſſidium cum ab ordinatione Flaviani, poſt defunctum anno CCCLXXXI. Meletium peracta inceperit, anno utique CCCXCVIII. miſſo Acacio componi debuit. Erroris quidem Baronius Theodoritum accuſat: *Si decem & ſeptem*, inquit, *numeres annos, in annum Domini CCCLXXIX. rem rediges.* Nec mirum legationem à Baronio cum anno CCCLXXIX. copulari. Quippe diſſidii initium à tempore Juliani ob

Theodorit. l. 5. c. 23.

Bar. An. 398. n. 80.

Paulini electionem deduci voluit, ſed perperàm prorſus, judice Valeſio. Nempe ob pactum Meletii cum Paulino, utcunque ſopita diviſio fuerat, quam Flaviani ordinatio renovavit. Rem porro ſic narrat Theodoritus. Theodoſio polliciti fuerant Occidentis Epiſcopi, ſimultatem ſe abjecturos: *Quod cùm accepiſſet divinus Flavianus, egregios quoſdam Epiſcopos Romam miſit unà cum aliquot Presbyteris, & Diaconis Antiochenſis Eccleſiæ. Horum omnium princeps erat Acacius, Berœæ urbis Syriæ Epiſcopus, vir ubique gentium, terrâ marique celeberrimus.* Sic poſt annos XVII. ſedata diſſidia. Cæterùm ſedente non Siricio, ſed Anaſtaſio pacem compoſitam eſſe, Palladius tradit in vita Chryſoſtomi, ubi de Iſidoro ea commemorat: *Tu verò, & ipſa noſti hominem, quando cum Acacio veniens, Flaviani cum Theophilo communionem attulit, viginti annos abruptam Beati Evagrii cauſâ.* Nobis Theodoriti narratio vero ſimilior eſt.

Theodorit. l. 5. c. 23.

Pall. p. 51.

Chryſoſtomus Epiſcopus creatur. Dies ejus ordinationis.

XIII. Permotus famâ Chryſoſtomi Arcadius, Conſtantinopolitanum eximio viro Epiſcopatum injungere decreverat, quem multi ambiebant: quorum alii Prætorium fatigabant, alii donis corrumpebant, alii verò ad plebis genus procumbebant. Orthodoxi verò ſollicitato Principe virum Sacerdotii peritum requirebant. Inerant Chryſoſtomo egregiæ virtutes, quæ Præſulem decent. De ipſius moribus id narrat Moſchus Prati ſpiritualis c. 191. *Quòd ex quo ſalutarem accepiſſet baptiſmum, nunquam juraverit, neque aliquem jurare compulerit, neque alicui obtrectaverit, neque mentitus ſit, neque ſcurrilia locutus ſit, aut facetias admiſerit.* In mores ejuſmodi inſpicere tanquam in ſpeculum illos jubemus, qui ſacris deſtinantur. Eutropio Eunucho facti Cubiculi Præpoſito Chryſoſtomi eloquentia, virtuſque erant notiſſimæ, ab eo tempore, quo res Imperatoriæ ad Syriam ipſum abduxerant. Cupiebat itaque Chryſoſtomum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præficere. Cùm igitur apud Arcadium polleret plurimum, eum adeò permovit, ut Comiti Orientis ſcriberet de mittendo abſque tumultu Chryſoſtomo: Co-mes *ſtatim acceptis literis, hortatur ipſum, ut extra civitatem ad uſque Martyria juxta portam Romanenſem dictam ſiſtat ſe; & publica rheda impoſitum, Eunucho ad id miſſo, cum milite Magiſtri tradit.* Quo ſolemnior eſſet inauguratio, Epiſcopos Imperator complures adeſſe jubet, præcipuèque *Theophilum* Alexandriæ Præſulem. Hic modis omnibus Chryſoſtomi gloriam deterebat, nilque tentatum relinquebat, quo Presbyterum ſuum *Iſidorum* ad urbis regiæ Epiſcopatum promoveret. Ea verò de cauſa Iſidorus fuit Theophilo chariſſimus. Quo tempore adverſus Maximum Theodoſius bellum gerebat, Theophilus munera mittens Imperatori, binas Iſidoro munerum latori Epiſtolas tradiderat, ut quem ſors victorem dediſſet, ei & literas offerret, & munera. Hiſce mandatis obſequens Iſidorus, Romæ belli eventum expectabat. At ea res diu latere non potuit, Lectore, qui Iſidoro comes erat, ſubripiente literas. Quo furto territus Iſidorus, illicò aufugit Alexandriam. His de cauſis Iſidoro Theophilus maximè favebat. Verùm enimverò cùm multi in Theophilum libri Epiſcopis oblati fuiſſent, quibus criminum complurium accuſabatur, acceptos Eutropius libellos oſtendit Theophilò, optione datâ;

Pallad. vit. Chr. p. 43.

datâ, vel Chryſoſtomum ordinandi, vel judicium de objectis ſubeundi. Quibus territus Theophilus, Joannem Chryſoſtomum conſecrat. In Epiſcopali ergo ſede conſtituitur *quarto Kalendas Martii*, Honorio Auguſt. IV. & Eutychiano Præfecto Præt. Coſſ. Inaugurationis hujus dies in ſextam feriam incidebat. Qui Pagio dies ab illo diverſus eſt, quo in Epiſcopali ſede conſtituitur, quia *Epiſcoporum ordinationes diebus Dominicis per hac tempora peragebantur.* Nobis verò tam acutis eſſe non licet, ut diem ordinationis à die conſtitutionis Chryſoſtomi in Cathedra Conſtantinopolitana ſeparemus. Quo momento Præſul conſecratur, eo ſanè & in Epiſcopali ſede conſtituitur. Neque animo concipere valemus, Chryſoſtomum Februarii XXI. qui dies Dominicus erat, fuiſſe conſecratum, & ſex poſt diebus in Epiſcopali throno collocatum: quaſi diverſis & temporibus, & ceremoniis ea peragerentur. Nondum certè Antiquitatis in monumentis reperimus, Chryſoſtomum altero die ordinatum, altero in ſede ſua conſtiturum. Cùm itaque ſimul hæc peracta ſint, dicendum potius, certis trabalibuſque clavis diei Dominicæ nondum ordinationes Epiſcoporum affixas fuiſſe, ut ex Cyrilli Alex. inauguratione liquet, quæ ſextâ feriâ peracta eſt, à tribus diebus Theophili poſt obitum. Dum Chryſoſtomus communi decreto conſecratur: *Dæmone obſeſſum quendam ejus ope fuiſſe liberatum*, in Georgio Alex. legimus. Quod miraculum nugis fabulatorum apponimus, de quo altiſſimum eſt in Palladio, Socrate, Sozomenoque ſilentium.

Socr. l. 6. c. 2.

Pag. Crit. an. 398. n. 14.

Mores Chryſoſtomi. Quæ Epiſcopatus functiones?

Pall. Vit. Chryſ. p. 45.

XIV. In altiſſima Chryſoſtomus ſpecula poſitus, Eccleſiæ ſuæ ſtatum proſpectare cœpit. Raro autem adhibens pedum increpationis, *intendit ſermonem adverſus filiam ſororiam, ut vocant, vitæ ſocietatem: revera autem adverſus inverecundam & improbam vitam cum mulieribus illis, quæ dicuntur ſubintroductæ, oſtendens ſi malorum detur optio, meliores ipſis lenones eſſe. . . . Inde pars Cleri minimè religioſa, quæque morbo illo tenebatur, commota eſt.* Nec voce modò, ſed ſcriptis quoque ſuis peſſimum *Agapetarum* malum evellere conatur, duobus libris editis, quorum priori hic eſt titulus: *Quòd regulares fœminæ cum viris cohabitent.* Poſteriori verò, *adverſus eos, qui apud ſe forent ſorores adoptivas.* Veriſſimè Sanctus ille Præſul contentâ voce clamabat, in muliercularum ejuſmodi fautores, qui multas retinendarum cauſas afferebant: *Ego nullam eos habere crediderim, quæ vel honeſta ſit, vel idonea.* Quæ fuerint *Agapetæ*, priore noſtrorum Annalium tomo ſufficienter declaravimus. Ut in pauca rem conferamus, Extraneæ mulieres erant, quæ ſolatii ſpecie cum Clericis habitabant. De mulieribus ejuſmodi Hieronymus ad Euſtochium Epiſtolâ XXII. c. 5. *Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum?* Quam ab Eccleſia infamiam Principes Legibus quoque ſuis ejecerunt. Extat ea de re Conſtitutio Honorii, anno 420. promulgata: *Eum qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet.* Converſus deinde ad avaros Chryſoſtomus, turpe vitium, eâ quâ pollebat eloquentiâ inſectatur: *Poſt hæc Oeconomi tabulas ſcrutatur, & reperit ſumptus Eccleſiæ inutiles, & horum ſubſidium ceſſare jubet.*

Chryſ. t. 5.

Venit inde ad examinandos ſumptus Epiſcopi, & invenit immodicam profuſionem, atque illorum profuſos ſumptus ad noſocomium transferri jubet. Invaleſcente neceſſitate plura noſocomia ædificat, quibus duos pietate inſignes Presbyteros præponit, Medicoſque, coquoſque aſſignat. Viduarum dein ſcrutatur ordinem: ſi quas invenit voluptatibus deditas, admonet jejunare, à balneis, à precioſis veſtibus abſtinere, aut protinùs ad ſecundas nuptias concedere: hortatur populos, nocturnis precibus aſſiduos eſſe. His moribus Chryſoſtomus ipſo Epiſcopatus exordio in odium Cleri venit, cui videbatur aſperior. Jam ſatis ad ſeveritatem proclivem magis inflammabat Diaconus ejus Serapio, vir *Ægyptius*, & ad contumeliam natus, qui die quadam coram univerſo Clero contentâ voce Epiſcopum ſic alloquitur: *Nunquam iſtis dominari poteris, ô Epiſcope, niſi unâ virgâ omnes abegeris.* Nec multò poſt pluſes Chryſoſtomus variis de cauſis ejecit Eccleſiâ. Tum inſtructæ in ipſum calumniæ, quibus eò præcipuè fidem accommodabant, quòd cum nemine veſci vellet, nec vocatus ad convivium accederet. Queſtus eſt & non nemo, arte *coracus*, Chryſoſtomum carò ſui copiam facere, niſi in Eccleſia, & moleſtè ferre, diu colloqui cum volentibus. Qui hos Chryſoſtomi mores defendebant, dicebant illum imbecillioris fuiſſe ſtomachi, difficilemque in ſumendo cibo. Alii propter diſtrictioris vitæ diſciplinam narrabant hominum vitaſſe conſortia. Fuit etiam Chryſoſtomo ſimultas quædam cum Monachis, & præcipuè cum *Iſaac*. Quàm enim hujus vitæ ſectatoribus, qui inſtituto ſuo congruam vitam degebant, favebat, ſic illis, qui per vicos orbis conſpiciebantur, infenſus erat, eoſque objurgabat.

Pallad. Vit Chryſ. p. 46.

Socr. l. 6. c. 4.

Pall Vit. Chryſ. 182.

Socr l. 6. c. 4.

Sozom. l. 8 c. 9.

Olympias Diaconiſſa: vitæ ipſius breviarium.

XV. Ad odium Chryſoſtomi acceſſerunt & aliæ cauſæ, nimirum exhortationes ad Olympiadem directæ, fœminam primariam, de cujus vita nonnulla ſunt in medium afferenda, noſtris Annalibus ornamento futura. Fuit *Olympias* quædam Ablavii Præfecti Prætorio filia, ſponſa Conſtantis Imperatoris, quam Arſaci Armeniæ Regi Conſtantius conjunxerat. Ab illa tamen diverſa noſtra eſt. Ac Senioris Olympiadis, quæ defuncto Arſace Rege *Anyſium Secundum* Comitem virum habuit, Juniorem Olympiadem filiam fuiſſe, Baronius exiſtimat. Quæ valde incerta ſunt, ne falſa dicamus. Conjecturæ quidem Veterum nullus patrocinatur. Imò à Palladio refellitur, qui Olympiadem non *Anyſii Secundi*, ut habent Menologia, ſed *Seleuci* ex Comitibus filiam, neptem autem *Ablavii Exprafecti* fuiſſe tradit. Nuptiarum Olympiadis meminit Nazianzenus ad Procopium, quæ una eademque cum noſtra Olympiade mulier fuerit, prorſus ignoramus: *Nuptias celebramus forſan dixeris, idque aurea, itaque Olympiadis ut grex Epiſcoporum aderat, tu verò aberas, vir egregie.* Orbata parentibus *Nebridio* Exprafecto matrimonio conjuncta eſt. Vix viginti menſes voluptatibus nuptiarum inſervierat, cùm maritus ejus naturæ debitum citò perſolvit. Liberali erat ingenio, formâ floreque ætatis, nec non eruditione exornata, quæ Theodoſii ad aures cùm perveniſſent, cognato ſuo *Elpidio* Hiſpano Olympiadem in matrimonium dari voluit. Quas illa nuptias pertinaciùs fugit, dicendo, *Si me voluiſſet Rex meus cum viro vivere, virum mihi non abſtuliſſet.*

Pall. Lauſ. c. 144.

Naz. Ep. 57.

Anno Dom. 398.

tuliſſet. Morte mariti ad continentiam ſe vocari arbitrata, totis eam viribus ſervare ſtatuit. Audito reſponſo Theodoſius Urbis Præfecto mandat, Olympiadis bona ſervari, uſque dum triginta ætatis annos explevisſet. Tum Præfectus incitatus ab Elpidio eò uſque nobilem mulierem vexat, ut ne vel facultatem quidem haberet, & cum inſignibus Epiſcopis colloquendi, & ad Eccleſiam accedendi, ut piæ anguſtiis animi Elpidio aſſentiretur. Illa verò, & Deo gratias agit, & Imperatori hæc nuntiat: *Principi debitam, & congruam Epiſcopo virtutem in me humilem exhibuiſti, Domine, mandans grave onus meum cuſtodiri, cujus curam habebam. Majus autem feceris, ſi illud pauperibus, & Eccleſiis diſtribui juſſeris.* Poſtmodum reverſus à bello, quod in Maximum geſſerat Theodoſius, auditâ Olympiadis virtutis magnitudine, juſſit ipſam bonorum ſuorum poteſtatem habere. Abſtinebat animatis, & quàm rariſſimè balneo utebatur, in quod nunquam niſi cum tunica deſcendebat, ſeſe verita. Nectarius ob ejus virtutes ad Diaconiſſæ munus mulierem promoverat. Quas ingentes ſanè poſſidebat opes, petentibus erogabat. Quod cùm Chryſoſtomus deprehendiſſet, de ratione diſpenſandi opes conſilium dat: *Dum,* inquit, *opulentis opes addis, idem facis, ac ſi tua in mare effunderes. An ignoras, te tuâ ſponte facultates tuas indigentibus propter Deum dedicaſſe. Quòd ſi me audis, pro neceſſitate petentium largitionem tuam deinceps moderaberis.* Quod egregium ſanè conſilium in cauſas odii adverſus Chryſoſtomum verterunt.

Pall. Vit. Chr. 165.

Sozom. l. 8. c. 9.

Lex Arcadii de Clericorum ordinatione.

XVI. Dum in urbe regia verſamur, Legis de Clericorum ordinatione memoria eſt apprehendenda: *Si quos fortè Epiſcopi deeſſe ſibi Clericos arbitrantur, ex Monachorum numero rectius ordinabunt; non obnoxios privatis publicíſque rationibus cum invidia teneant, ſed habeant jam probatos. Data* VII. *Kal. Aug. Cod. Th. t. 6. p. 68.* Honorii Legem eſſe Baronio placuit. Reverà tamen ab Arcadio ſancitam eſſe, demonſtrat Gothofredus ὁ πάνυ: *Cùm hoc caput deſumptum pro parte ex fine Legis 16. de Pœnis, eique adhæſiſſe, quæ quidem pars eſt Arcadianæ conſtitutionis.* Sapientiâ conditum eſt hoc Imperatoris Decretum, cùm Monachorum vita & mores Clericatus eſſent veluti præludium, quod eximiè demonſtrant verba Hieronymi ad Ruſticum: *Ita ergo age, & vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe merearis, ut adoleſcentiam tuam nullâ ſorde macules: ut ad altare Chriſti, quaſi virgo de thalamo procedas, & habeas de foris bonum teſtimonium, fœminæque nomen tuum noverint, & vultum tuum neſciant. Cùm ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit, agito quæ Cleri ſunt.*

Hieron. Ep. 4.

De Clericis Lex Arcadii.

XVII. Aliam quoque Legem Arcadius promulgavit tertio Kal. Auguſti, quâ proviſum voluit, ne Clericorum Eccleſiæve obtentu privatæ, publicæque rei damnum inferretur. Nempe ne ſui cuique loco Clerici deſint, ſi aliundè petantur; præcipuè vicis, qui idoneos Clericatui non multos habere poſſunt. Verba Legis ſic ſonant: *Eccleſiis, quæ in poſſeſſionibus, ut adſolet, diverſorum, vicis etiam, vel quibuſlibet locis ſunt conſtitutæ, Clerici non ex alia poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, eatenus ordinentur, ut propria capitationis onus ac ſarcinam recognoſcant: ita ut pro magnitudine, vel celebritate uniuſcujuſque vici Eccleſiis certus judicio Epiſcopi Clericorum numerus ordinetur.* Hinc conſtat, Clericos immunes cenſus non fuiſſe, qui pro modo jugorum, quæ quis poſſidebat, à ſingulis præſtandus erat. Id enim ſibi vult *capitatio,* non ut primâ ſpecie colligi poſſet, onus hominum capitibus impoſitum. Qua de re Gothofredi doctiſſimus *de Cenſu* tractatus eſt conſulendus.

Lex Arcadii in Eunomianos.

XVIII. Ne hîc quidem prætereunda eſt Lex Arcadii in Eunomianos, peſtilentiſſimos ſanè Hæreticos, non errorum modò, ſed morum quoque cauſâ virorum bonorum odio digniſſimos. Libros Eunomius complures ediderat, quibus ſuæ ſectæ homines erudirentur. Quia cauſa fuit, cur à Theodoſio Magno urbe Regiâ pelleretur: *Eunomium Conſtantinopoli in privatis ædibus collectas celebrantem, & libros à ſe conſcriptos recitantem, in exilium mitti juſſit, eò quod multos doctrinâ ſuâ corrumperet.* Ut quantum eniti poterat, Arcadius impiam hæreſim extingueret, non in urbibus modò, verùm etiam in pagis Eunomianorum conventus prohibuit: *Qui ſi fortè in rure degentes, aut populum congregare, aut aliquos probabuntur inire conventus, perpetuò deportentur.* Neque duntaxat in homines, ſed in libros quoque ſævitum: *Codices ſanè eorum, ſcelerum omnium doctrinam ac materiam continentes, ſummâ ſagacitate mox quæri, ac prodi, exertâ auctoritate mandamus, ſub aſpectibus eorum judicantium incendio mox cremandos.* Non de nihilo eſt, quòd Princeps magnam in Eunomianorum Codicibus inveſtigandis adhiberi jubeat diligentiam; cùm ſolemne eſſet hominibus ejuſmodi, libros ſuos abſcondere. Audiatur Photius Cod. 138. *Libellum Eunomii de induſtria ne ad alios perveniret, occultatum vix tandem nactus Baſilius Magnus jugulavit.* Defuncto Baſilio, quem ipſius metu Eunomius in latebris abdiderat, amicis tandem ſuis vulgavit. Perditi ſectæ hujus mores Legum ſeveritatem non immeritò provocabant, de quibus Auguſtinus ſecundum Epiphanium: *Fertur etiam, Eunomius adeò fuiſſe bonis moribus inimicus, ut aſſeveraret, quòd nihil cuique obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.* Non injuriâ ergo pernicies hæc pietatis & ſanctitatis agendis conventibus prohiberi debuit. Hinc Sacerdotibus ſcriptum à Syneſio: *Eos audio, qui ex impia Eunomii ſecta ſunt, ſi Quintianum neſcio quem, atque illam in Comitatu potentiam, quam identidem jactant, præ ſe ferentes, rurſum adulterari Eccleſiam, & falſos Doctores ſimpliciorum animis laqueos prætendere, quos qui à Quintiano nuper ad hoc deſtinati ſunt, ſecum advexerunt. . . . Nota ſunt omnibus illorum perfugia. Scitis quinam illos agri ſuſcipiant: ſcitis quænam ædes latronibus pateant, ſagaci fures odoratu perſcrutamini.*

Socrat. l. v. 20.

Cod. Theod. t. 6. p. 152.

Aug. de Hær. c. 54.

Syneſ. Ep. v.

ANNO DOM. 399.

ANNO U. C. 1152. PER. JUL. 5112. JUL. 444. DOM. 399. ARCAD. 17. & 5. HONOR. 7. & 5. *Sol.* 16. B. *Lun.* 1. *Indict.* 12. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

COSS. *Manlius Theodorus & Eutropius.*

Manlius Theodorus.

I. IN eo Conſulatu horrendum videmus prodigium: ſemihominem viri clariſſimi collegam, ut non immeritò exclamet Claudianus:

Omnia ceſſerunt Eunucho Conſule monſtra.

Quàm flagitiis turpis Eutropius ſuis, tam virtutibus nobilis erat Manlius Theodorus, cui vel in juventute ampliſſimum ob merita munus eſt perſolutum:

Claud. de Conſul. Theod. 17.

Nil jam, Theodore, relictum,
Quo virtus animi creſcat, vel ſplendor honoris.
Culmen utrumque tenes: talem te protinus anni
Formavere rudes, & dignum ſellâ curuli,
Traxit iter, primæque ſenes ceſſere juventæ.

Non ex Claudiano modò, ſed ex Auguſtino quoque Theodori virtus innotuit, de qua mentionem fecit in libro ſuo de Ordine: *His temporibus, ut omittam cæteros, vir ingenio & eloquentiâ, & ipſis inſignibus fortuna, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus.* Hic eſt ille ipſe Theodorus, cui Auguſtinus librum de Vita beata ſuum nuncupavit.

Aug. de Ordine l. 1. c. 21.

Eutropii Conſulatus fatalis Imperio.

II. Fortunâ ſuâ non contentus *Eutropius*, ſervili genere ortus, eò ambitionis progreſſus erat, ut & Patricius, & Conſul creari vellet, quod etiam ab Arcadio malis avibus impetravit, quo tanquam pecude utebatur. Non indigniori faſces homini tribui potuere, quem ex Scriptore coætaneo his coloribus Suidas pingit: *Nullum non facinus prætermiſit. Nam & Magiſtratus publicè vendidit, & aliquid valentes calumniatus eſt, & Summates exiliis ſubjecit, & omnem contumeliam Senatoriis viris intulit. Neque etiam Barbarorum ſocietate abſtinuit.* Conſulatus tam ſceleſti nebuloni in dedecus imperii ceſſit, ut eleganter obſervat Claudianus, qui Stiliconi gratulatur, quòd morum priorum memor, turpe nomen ab urbe relegarit:

Claud. l. 2. in Eutr. 126.

Ille dedit portum, quo ſe pulſata referret
Majeſtas Latii, deformataque ſecures.
Ille dedit faſtus, ad quos Oriente relicto
Confugeret ſparſum maculis ſervilibus annum.

Sed & lepidè in monſtrum Conſulis invehitur:

Claud. in Eutr. l. 1. cap. 8.

Heu terra cœlique pudor! trabeata per urbes
Oſtentatur anus, titulumque effeminat anni.

Neque probro tantùm, ſed damno quoque Reipublicæ fuit Conſulatus Eutropii. Inter Arcadium & Honorium majores diſcordias concitabat. Hinc Claudianus:

Arma relinque viris, geminam quid dividis aulam?
Conariſque pios odiis committere fratres?

Porro auctam eâ dignitate avariſſimi crudeliſſimique hominis potentiam Proceres moleſtè ferebant, præcipuè Gainas, quem maximè urebat ille opum affluxus, quo Eutropii domus inundabatur. Ut ergo novit Eutropium Conſulatui deſtinari, *Tribigildum* ſibi conſilii ſocium adjungit, qui Phrygiam populari cœpit, quam anno proximo cladem experta eſt. Porro in altum tollitur Eutropius, ut graviore lapſu rueret.

ANNO DOM. 399.

Eutropius ejicitur, qua de cauſa? Confugit in Eccleſiam: occiditur.

III. Novâ jam ſobole regia domus dieſcebat, ob natam ex Eudocia *Pulcheriam* XIV. Kal. Febr. cùm Eutropius fortunæ ſuæ magnitudini impar, ipſam Auguſtam afficit contumeliâ, cui ſubitam è palatio ejectionem minatur. Incitat Eudoxiæ animi celſitudo cum audacia conjuncta. Liberos ergo ſuos ambabus ulnis amplexa, ad virum accedit: liberoſque ſimul cum lachrymis prætendens, ea loquitur, quibus Arcadii animum ad miſerationem commoverit. Tum Princeps dignitate ſuâ Eutropium exuit. Hæc Philoſtorgius. Cui aſſentitur & Sozomenus. Hoc & innuit Socrates, teſtatus *Eutropium in Imperatoris* offenſionem veniſſe. Aliam tamen cauſam infelicitatis Eutropii Zozimus memorat, Gainam ſcilicet, qui Eutropium ſibi tradi poſtularat. At Philoſtorgio favent Claudiani hæc carmina:

Philoſtorg. l. 11. c. 6.

Socr. l. 6. cap. 5.

Mollis femineâ detruditur arte tyrannus,
Et thalamo pulſus, perdidit imperium.

Zozimo tamen magis Baronius aſſentiri videtur nullo jure, ſi quid noſtra conjectura valeat. Ut mortem evaderet Eutropius, curſu Eccleſiam petit, quæ fugienti eſſet azylo. Ut hic quoque juſtum Dei numen & deprehendere, & mirari liceat. Quippe ſupplices, qui ad aras confugerant, Eccleſia extrahere conatus erat, atque inter cæteros *Pentadiam*, uxorem Timaſii. Quin etiam Legem ferri curaverat Eutropius, quâ vetabatur, ne quiſquam ad Eccleſiam confugeret, & qui jam confugiſſent, expelli jubebantur. Extat etiamnum Lex in Codice Theodoſiano, data VI. Kal. Auguſti, Honorio Aug. IV. & Eutychiano Coſſ. quâ Oeconomis Eccleſiæ ſolutio imperabatur debitorum, quibus illi obnoxii erant, *quos Clerici defenſandos receperint.* Azylum tamen à ſe violatum, amplectitur Eutropius. Miſit Imperator ſatellites, qui trementem pallidumque Eccleſiâ evellerent. Sed religione loci repreſſus intemerata Eccleſiæ jura reliquit. Tum Chryſoſtomus ſuggeſtum conſcendens, Orationem habuit, quâ aculeis Eutropium nonnullis pungit, ut oſtenſâ hominis miſeriâ populum ad clementiam flecteret. Gloriæ ſplendoriſque vanitate demonſtratâ, quærit ubi faſces, ubi majeſtas Conſulatus, ubi choreæ, ubi theatra, ludi adulationes? Fuere hæc omnia noctis ſomnium. Converſus ad Eutropium, Nonne, inquit, dicebam tibi, cùm me indeſinenter objurgares, vera monentem, quod ego tibi potius amicus eſſem, quàm adulatores? Fide digniora eſſe vulnera ab amicis, quàm ultrò ingerentia ſe oſcula inimicorum: *Eccleſia à te hoſtiliter habita expanſo ſinu te excepit.* Sic ſuomet facto Eutropius quam tulerat Legem abrogavit. Arcadius verò, ne à lachrymis quidem temperans, ſpiculatorum ad vindicandam Principis injuriam feſtinantium iram ſedavit. Exacerbatos & plebis animos mitigavit oratio Chryſoſtomi. Itaque morte in exilium mutatâ, Eutropius in Cyprum relegatur. Eâ ſorte Eutropius ſe digniſſimum fecerat, qui poteſtate ſuâ in tyrannidem abutebatur:

Sozom. l. 8. c. 7.

Cod. Th. l. 3. de his qui confugiunt ad Eccl.

Claud. in Eutr. l. 1.

Procerum ſqualloro repletus
Carcer, & exulibus Meroe, campique gemiſcunt
Æthiopum.

Eſt porro de tempore caſus Eutropii aliquid controverſiæ. Quippe Lex Arcadii, quâ in Cyprum abduci juſſus, *data eſt* XVI. *Kal. Februarii Conſtantinopoli, Theodoro V. C. Coſ.* Eâ die fuiſſe

relo-

relegatum, ex ſubſcriptione Pagius exiſtimat. Nobis tamen magis Baronii ſententia placet, errorem in diem irrepſiſſe, Eutropiumque non multò poſt Paſchatis ſolemnitatem ad ſacram menſam confugiſſe. Hoc indicant verba Chryſoſtomi, de plebis ad videndum Eutropium numeroſo concurſu: *Nec minorem nunc video populi frequentiam, quàm in proxima ſacrata Paſcha celebritate.* Ægrè verò nobis perſuaderetur, ſuperioris anni Paſcha in mentem veniſſe Chryſoſtomo. Cur enim Paſchalis potius feſtivitatis meminit, quàm aut Natalis, aut Pentecoſtes, niſi quia caſus Eutropii à Dominica reſurrectione minus aberat? Ex quo conficitur, præſentis quidem, non proximi anni Paſcha eſſe intelligendum. Aliundè regnabat etiamnum Eutropius, cùm in *Tribigildum Leo* mittitur:

Claud. in Eutr. l. 2. 315.

Tandem conſilium belli confeſſus agendi
Ad ſua tecta vocat.
Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Craſſâ mole Leo.

Zozim. l. 5. c. 15.

Jam verò anno non ſuperiore, ſed præſente Leo in Tribigildum movit, dum Pamphyliam vaſtabat. Clades, quas anno CCCXCVIII. Barbarus ediderat, ſe parvi facere fingebat Eutropius:

Claud. in Eutr. l. 2. 307.

Parvamque latronum errare catervam,
Ad ſontes tormenta magis, quàm tela parare
Nec Duce frangendas jactat, ſed Judice vires.

Poſt igitur feſtum Paſchatis Arcadius Aureliano Præfecto Præt. reſcribit, omnes res Eutropii Ærario ſacro adjungi, Conſulatum abrogari, Acta ipſius antiquari. Addit: *Adhibitis itaque fidis cuſtodibus, ad Cyprum inſulam perducatur, in qua tua ſublimitas relegatum eſſe cognoſcat, ut ibidem pervigili curâ vallatus, nequeat ſuarum cogitationum rabie cuncta miſcere.* Tergeminis dignitatibus fulgebat Eutropius. Cubiculi Præpoſitum agebat, Patricium atque Conſulem. Tria pœnarum genera honores ejus excepere, bonorum ſcilicet proſcriptio, dignitatum ademptio, exilium. Faſtis Eunuchi nomen eraditur. Salſè bonorum Eutropianorum privationem illudit Claudianus:

Cod. Th. Lege 17. de Pæn.

Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis eſſe pater.

Ad Cyprum Eutropium perveniſſe, & Hiſtorici narrant, & Claudianus canit:

Prolog. in lib. 2. Eutr. 50.

Improbe, quid pulſas muliebribus aſtra querelis,
Quòd tibi ſub Cypri littore parta quies?

Philoſtorg. l. 11. c. 6.

Id teſtatur & Philoſtorgius: *At non multò pòſt, cùm nonnulli Eutropium accuſaſſent, quòd Conſul factus ornamentis iis uſus eſſet, quibus nemini præter Imperatorem uti licebat, ex Cypro revocatus eſt. Cùmque Judices Pantichio conſediſſent, Aurelianus verò Præfectus Prætorio, & alii, qui præcipuos Magiſtratus gerebant, ad exercendam quæſtionem conſtituti eſſent, Eutropius convictus criminis, cujus accuſabatur, capite pœnas dedit.* Philoſtorgium inter & Zozimum de ſupplicii loco ſatis convenit. *Pantichium* locus eſt in agro Chalcedonenſium, teſte Sozomeno l. 7. c. 21. Dicta eſt autem ea ſtatio *Pantichium*, eò quòd nihil aliud haberet quàm murum. Addit Zozimus: *Qui res Imperatoris adminiſtrabant, jusjurandum Eutropio præſtitum, cùm extraheretur ex Eccleſia per cavillationem eludentes, eum è Cypro revocant, quaſi qui juraſſent, non ſe morte mulctaturos ipſum, dum Conſtantinopoli eſſet, Chalcedonem miſſum interficiunt.* Sic fortunis dignitateque omni everſus, vitâque ſpoliatus Eutropius, magnum fragilitatis humanæ exemplum præbuit. Quò pertinent egregia Claudiani conſilia:

Zozim. l. 5. c. 18.

Quiſquis adhùc ſimiles Eunuchus tendit ad actus,
Reſpiciens Cyprum deſidat eſſe ferox.

Baronius libro de Prædictionibus, qui Proſpero perperàm aſſignatur, fidem adjungens, *Ethnicum* Eutropium fuiſſe putat. Verba ſunt Autoris, *Eutropius animâ, & mente Paganus.* Hæc verò non ſignificant, externâ religione Ethnicum fuiſſe, ſed mores induiſſe Ethnico potius, quàm Chriſtiano dignos. Quæcunque verò Pſeudo-Proſpero ſententia fuerit, quin Chriſti religionem profeſſus ſit Eutropius, nulli dubitamus. Chryſoſtomum quippe ob pietatem & eloquentiam, quâ pollebat, ad Epiſcopatum promovit, quod non feciſſet Ethnicus. Neque ſuperſtitionem Chryſoſtomus unquam objecit Eutropio. De reformandis quidem recoquendiſque moribus, non de ſuſcipienda fide crudelem Eunuchum monuit.

Proſp. p. 3. Prom. 38.

Gainas quis? Ejus rebellio. Tribigildum ſibi ſocium adjungit.

IV. Eutropii potentiâ, quaſi fomite accenſa, quæ inſita erat ambitio Gainæ, de uſurpando imperio cogitat. Ac ſocium ſibi conſilii *Tribigildum* adjungit, ad quodvis facinus audaciſſimum & promptiſſimum, & propinquitate conjunctum. Gente Gothus erat Gainas, qui ex gregario milite præter omnium expectationem ad honorem Magiſterii militaris pervenerat. Quem in Eugenium arma movens Theodoſius, unà cum Sauſo Barbaris fœderatis præfecerat. A Stilicone corruptus, mortem Rufino obtulerat. Inerant Barbaro virtutes militares; & ad juvanda conſilia, quæ moliebatur, magno Tribigildus erat auxilio, utpote ad dignitatem Comitis evectus, multiſque Barbarorum copiis præditus. Anno igitur ſuperiore, ut quæ cogitabant executioni mandarent, Tribigildus in Phrygiam proficiſci ſe velle ſimularat, ut militantes ſibi Barbaros inſpiceret. Quibus aſſumptis, obvia quæque diripit; viros, mulieres, pueros furori ſuo immolat, brevique tantam calonum viliumque animarum copiam coegit, ut Aſiam in diſcrimen adduceret.

Zozim. l. 5. c. 13. Philoſtorg. l. 11. c. 8.

Claud. in Eutr. l. 2. 272.

Securas Barbarus urbes
Irrupit, facileſque capi: ſpes nulla ſalutis,
Nulla fuga: putribus jam propugnacula ſaxis
Longo corruerant ævo, paciſque ſenecta.

Primâ famâ cladis Eutropius imperii ruinas diſſimularat, furtim tamen magna cum donis promiſſa mittit Tribigildo. At Barbarus,

Claud. l. 2. in Eutr. 318.

Se famulo ſervire negat, nec grata timentum
Munera, militiam nullam, nec prima ſuperbus
Cingula dignari, nam quis non Conſule tali
Vilis honos.

Quibus apparet, caſum Eutropii XVII. Januarii, quod Pagius exiſtimat, non contigiſſe. Cùm novis funeribus funera denſarentur, Arcadius qui propter ſtoliditatem nullam publicæ calamitatis rationem habebat, totum Eutropio negotium committit. Is Gainam, & *Leonem* Duces deligit. Nullis quidem virtutibus hanc *Leo* fortunam meruerat, uno excepto, quòd Eutropio familiaris erat. *Leonem* egregiè depingit Claudianus:

Claud. l. 2. in Eutr. 378.

Quem vix Cyclopea ſolum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret: hinc nomen fertur meruiſſe Leonis.

Dum Dux ille ad edendum potius, quàm ad pugnandum natus, ſitis ad Helleſpontem locis immoratur, qui nec cum Tribigildo congredi auderet;

Anno Dom. 399. — deret, ſimulque vereri ſe diceret, ne fortè Tribigildus ex improviſo agros depopularetur, urbes à perduelle capiuntur, incolæque, militeſque interficiuntur, Barbarorum nemine Romanis auxilia ferente. Gainas verò, qui Tribigildo mandarat, copias ad Helleſpontum ducere: fingebat quidem ſe Romanorum calamitates indigno ferre animo, at mirari ſe Tribigildi ſtratagemata. Sagaciſſimum hoſtem arte potius, quàm Marte vincendum. Intereà clam Tribigildo mittebat copias auxilio futuras ad ea, quæ moliebatur. Quòd ſi Tribigildus non Piſidiam verſus, ſed in Lydiam contendiſſet, ſimul & Jonia periiſſet, unde tranſvectus in Inſulas, comparatâ claſſe ad Ægyptum uſque cuncta vaſtaſſet. Permittente Deo, cùm in Pamphyliam copias ducere ſtatuiſſet, in loca inacceſſa incidit. Cùm vaſtanti nullus obſiſteret exercitus, *Valentinus* quidam Selgæ municeps, quæ non *Pamphyliæ*, ut narrat Zoſimus, ſed *Piſidiæ* potius eſt oppidulum in colle ſitum, rei bellicæ non omninò rudis, Barbaros continuis fundarum ictibus petit. Tribigildo nil erat effugii: parte alterâ jacebant paludes, alterâ verò extabat aſcenſus orbicularis, qui ob ſimilitudinem animalis cochleæ nomen accepit. Itaque multi lapidum jactu Barbari opprimebantur, multi qui ſtagnum tenebant mergebantur. At pecunia viam aperuit. Cochleam Florentius præſidio tenebat, à quo Tribigildus multo auro tranſitum & ſibi, & trecentis militibus redemit. Eo modo cùm evaſiſſet, cæteros funditùs deleri paſſus eſt. At in aliud periculum incidit, ab oppidorum incolis Melanem inter & Eurymedontem amnes incluſus. Quæ cùm Gainæ ſignificaſſet, is occultato ſuo de rebellione conſilio Leonem mittit, qui Piſidiæ Pamphyliæque eſſet auxilio. Veritus autem ne Tribigildus omni ex parte abſumeretur, cohortes alias ſuper alias, ad caſtra Romanorum mittit, in quos irruunt, regionem populantur, milites interficiunt, donec *Leonis* exercitum cum ipſo Duce prorſus delevissent, totamque regionem vaſtaſſent. De ea clade audiatur Claudianus:

Zoſim. l. 5. c. 16.

Claud. l. 2. in Eutr. 433.

Tarbigilus ſimulare fugam, flatuſque Leonis
Spe nutrire leves, improviſaſque repentè,
Dum gravibus marcent epulis, hoſtique catenas
Inter vina crepant, largo ſopita Lyæo
Caſtra ſubit: pereunt alii, dum membra cubili
Tarda levant; alii lèto junxere ſoporem.
Ipſe Leo, damâ cervoque fugacior ibat.
Sudanti tremebundus equo, qui pondere poſtquam
Decidit implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat; cœno ſubnixa tenaci
Mergitur.

Periculo liberatus Tribigildus, graviores Phrygiæ calamitates intulit. Exitum belli hujus annus ſequens docebit.

Syneſii ad Arcadium legatio. Egregia ipſius de regno oratio.

V. Clades Cyrene maximas paſſa fuerat, quibus in Arcadii liberalitate remedium quærebat, miſſo inſigni Philoſopho Syneſio, qui obſequii cauſâ coronam Principi auream offerebat. Hoc quidem, vel certè ſuperiore anno Cyrenenſes eâ Arcadium legatione adeunt, cujus Dux erat *Syneſius*, noſtris in Annalibus non ſemel memorandus, qui egregiam de Regno tunc orationem habuit: *Me ad te cùm auro caput, tum animum Philoſophiâ coronaturum Cyrene miſit Græca civitas, antiquum & venerabile nomen, infinitis olim Doctorum carminibus celebrata; nunc pauper & humilis, ingentiaque ac deſerta rudera, cui regiâ munificentiâ opus eſt, ſi quid geſtero velis, vetere illâ ſuâ origine non indignum.* Quæ legationis hujus cauſas nos monent. Excellentiſſimâ oratione regia virtutibus pectora informat ad imperandum idoneis, quam non oculis legere modò, ſed mentibus inſerere Principibus opus eſſet. Ex pulcherrimis, quibus conſtat ſententiis, nonnullas noſtris Annalibus inſeramus: *Rectè omninò vetus ſententia. Subjectorum multitudinem Regem non potius facere, quam tyrannum, ſicut nec ovium multitudo Paſtorem potius quàm coquum, qui illas abigit, ut mactatis non modò ipſe famem expleat, ſed & aliis epulandas pretio diſtrahat.* Docet Principum unum eſſe inexpugnabile munimentum amorem civium: *Ecquod verò tutius imperium eſt, quàm illud quod amore & charitate munitur? Quiſnam privatus, quantumvis mediocri conditione ſecurior, aut ab inſidiis tutior, quàm Rex ille, quem non metuunt, ſed cui metuunt ſubditi.* Oſtendit nil tantæ imperio perniciei attuliſſe, quantum in Imperatore ſcenicus ornatus. Cætera lectu digniſſima. Memoriâ tamen erravit Syneſius, niſi fortè à Librariis vitium fluxerit, dicendo *Carinum* à Legatis Perſarum in gregariorum militum habitu fuiſſe deprehenſum. Carinum hominum omnium contaminatiſſimum, quique nullam adverſus Parthos expeditionem egit. Itaque legendum *Carum*. Triennio continuata eſt ea Syneſii legatio, ut ipſe canit in Hymno tertio:

Can. 430.

Vatum debitum ex Thracia,
Ubi per triennium
Habitavi in vicinia.

Quis verò Syneſius, commodiùs declarabimus, ubi de ipſius Epiſcopatu tractabitur.

Majumæ ſpectaculum. Abrogatur.

VI. Gratiſſima ſemper populis fuere ſpectacula, neque vel ab iis, quæ honeſtati pugnabant, abhorrebant animo. Abrogata quidem Majumæ lætitia Provincialibus reddita erat, lege datâ VII. Kal. Maii Arcadio IV. & Honorio III. Coſſ. anno CCCXCVI. cùm verò Chriſtianæ diſciplinæ boniſque moribus adverſaretur. Iterum anno currente prohibetur: *Illud, quod ſibi nomen procax licentia vindicavit, Majumam fœdum atque indecorum ſpectaculum denegamus. Datum VI. Non. Octob. Conſtantinopoli Theodoro V. C. Conſule.* Abrogando ſpectaculo multum contulit eloquentia Chryſoſtomi. Quanam verò de cauſa id nominis ſpectaculum ſortitur? Nùm ab urbe *Majuma*, de qua Sozomenus: *Navale urbis Gazæorum, quod Majuma nuncupatur, ſuperſtitioni admodum deditum.* Nùm potius à מים *aqua*, unde & *Majuma* ortum habet? Non ſine magna quidem aquarum copia id ſpectaculi edebatur, quod perſtringere videtur Chryſoſtomus: *Ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum: & hanc tu ſtatim relinquens, curris ad theatrum, ut natantes fœminas, & ſexum illum publicis oculis intuearis expoſitum. Ad diabolicam illam lotem feſtinus accurris, ut ſcilicet ſpectes meretricem natantem, & naufragium animæ repentè patiaris. . . . Nam illa quidem in mediis aquis ludit natans; tu verò de ſublimi ſpectans gradu, in libidinis profundo demergeris.* Feſtum hoc gravioribus Ethnicis ludibrio fuit. Ut Gothofredus ex Libanio probat, cujus verba ſunt: *Erant quidam qui pravum feſtum invenerant in Daphnem. Feſtum illud celebre erat, omni modo ſe indecenter gerere.* Hoc feſti menſe Auguſti ſeptiduo circiter celebra-

Sozom. l. 2. c. 5.

Chryſoſt. in Matth. Hom. 7.

Anno Dom. 399.

beshatur. Turpe ſpectaculum mirum eſt ab Arcadio anno CCCXCVI. fuiſſe permiſſum: *Clementia noſtra placuit, ut Majuma Provincialibus lætitia redderetur.* De Majuma præclara habet Gothofredus, quæ legi poſſunt.

Fana in Eccleſias mutantur: vana de Chriſtianiſmi fine carmina.

VII. Dum in Oriente ſpectaculorum maculæ purgantur, agrorumque Templa evertuntur, in Occidente quoque Fana numinum à culmine ruunt, certatim ad demolitionem incumbentibus & Magiſtratibus, & populis: quod tantum pudoris, Ethnicis quantum doloris incuſſit. Spe magnâ complebantur, fatalem Religioni Chriſtianæ hunc annum eſſe futurum, in quo numinum oracula, vel delirantium potius ſomnia interitum portendebant. Cùm enim viderent, tot tantiſque perſecutionibus mira fidem incrementa ſumpſiſſe, excogitaverunt verſus Græcos, tanquam conſulenti cuidam divino oraculo effuſo, ubi *Petrum maleficia feciſſe ſubjunguns, ut coleretur Chriſti nomen per* CCCLXV. *annos, deinde completo memorato numero annorum ſine mora ſumeret finem.* Horum initium annorum ducit Auguſtinus ab anno Chriſti emortuali, quo debellatis cruce ſuâ hoſtibus aſcendit in cœlum, quinquageſimoque poſt ſuam reſurrectionem die miſit Spiritum Sanctum, quæ anno qui Geminos Coſſ. habuit, Dionyſiano nimirum XXIX. affixit Auguſtini Chronologia.

Aug. de Civ. l. 18. cap. 53.

Ponebantur ergo divinæ Religioni metæ, anno CCCXCVIII. quo elapſo ruere debuit. Contrà verò nobilem de ſuperſtitione annus CCCXCIX. triumphum egit: *Conſule Manlio Theodoro, quando jam ſecundum illud oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit religio Chriſtiana, quid per alias terrarum partes forſitan factum ſit, non fuit neceſſe perquirere. Interim quod ſcimus, in civitate notiſſima, & eminentiſſima Carthagine Africa, Gaudentius & Jovius Comites Imperatoris Honorii* XVI. *Kal. Aprilis falſorum Deorum Templa everterunt, & ſimulacra fregerunt.* Re accuratius penſitatâ, Honorius ædes *illicitis rebus vacuas* ſubrui prohibuit. In gloriam quidem religionis ceſſit, quòd mancipata Idolis Templa in Eccleſias mutarentur, ut ibi laudes Deo canerentur, ubi profanis hymnis Dæmonum aures recreatæ fuerant, atque permulſæ. Voluit tamen Imperator in eum Legibus vindicari, qui cum ſacrificio deprehenderetur, etſi feſtos conventus civium concederit.

Aug. de Civ. l. 18. cap. 54.

Cæleſtis Deæ Templum Carthagine mutatur in Eccleſiam.

VIII. Ut Honorio Templa ſubrui prohibenti Carthaginenſes obtemperarent, celeberrimum Deæ ſuæ cœleſtis Fanum Chriſto ſacrarunt. Rem fuſè exequitur Autor, qui Proſperi ſub nomine latet: *Apud Africam Carthagini Cæleſtis ineſſe ferebant Templum nimis amplum, omnium Deorum ſuorum Ædibus vallatum. Cui ut platea lithoſtrato, pavimento & pretioſis columnis & mœnibus decorata, propè in duobus ferè millibus paſſuum protendebatur. Cùm diutius clauſum incuriâ, ſpinoſa virgulta circumſeptum obruerint, vellet que populus Chriſtianus uſui vera religionis vindicare, dracones aſpideſque illic eſſe ob cuſtodiam Templi, Gentilis populus clamitabat. Quo magis Chriſtiani fervore ſuccenſi, eâ facilitate omnia amoverunt illæſi, quâ Templum ſuo vero Regi cæleſti & Domino conſecrarent. Nam cùm Sancta Paſcha ſolemnis ageretur feſtivitas, collectâ illic & undique amnis curioſitate, etiam adveniens multitudo Sacerdotum multorum pater, & digna memoria nominandus Antiſtes Aurelius cæleſtis jam Patria civis, Cathedram illic loco Cæleſtis & habuit, & ſedit. Ipſe tunc aderam cum ſociis, & amicis: atque ut ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat, dum curioſi ſingula, quæ pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe ingeſſit aſpectui, titulus aneis grandioribuſque literis in frontiſpicio Templi conſcriptus, Aurelius Pontifex dedicavit.* Quod Pontifex Ethnicus Aurelius Templum numinibus ſacrarat, Præſul Chriſtianus Aurelius vero Deo dicavit.

Proſp. p. 3. cap. 38.

Quæ Dea cœleſtis Afrorum? Suffectani Martyres.

IX. Dum celeberrimi Carthaginenſium numinis caſum exequimur, quid fuerit, paucis aperiendum. Cœleſtis, Urania, Aſtarte, multa ſunt unius ejuſdemque Deæ nomina, *Luna* ſcilicet, quæ inter minores ignes maximè fulget. Neque dubitamus, quin eidem numini poſita ſit inſcriptio apud *Conſeranos* in Novempopulania reperta:

Minerva Beliſama Q. Valerius Monum. . . .

In voce quippe Beliſamæ Hebræa reperiuntur בעלה עוחים *regina cælorum*, qui Lunæ titulus eſt, de qua Moſes ipſe locutus fuerat, *Fecit Deus luminare minus, quod nocti dominaretur.* Et de Junone, quæ non eſt à Luna diverſa, Virgilius:

Aſt ego quæ Divûm incedo regina, Joviſque
Et ſoror, & conjux.

Explicationem adjuvat inſignis ille locus Herodiani de mortalium ſtolidiſſimo Heliogabalo, qui Deo ſuo quærebat uxorem: *Negans bellige-ram uxorem, atque armatam equidem eſſe Deo ſuo, ſimulacrum Uraniæ juſſit afferri, quod ſcilicet Carthaginenſibus, omnique Africa venerabile poſitum fuiſſe à Phœniſſa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem diſſecto corio ædificavit. Hanc Afri Uraniam, Cæleſtem videlicet vocant, Phœnices Aſtroarchen* (lege Aſtarten) *Lunam eſſe affirmantes. Congruere igitur ajebat Antoninus matrimonium Solis & Lunæ.* Afris Luna maximo ſemper honori fuit, præcipuèque Carthaginenſibus:

Herodian. lib. 5.

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabitâ coluiſſe Samo.

Privatis quoque in domibus ſuæ *Cæleſtis* imaginem venerabantur, quod queritur Salvianus: *Habent quippe intra muros patrios inteſtinum ſcelus, Cæleſtem illum ſcilicet Afrorum Dæmonem.* Hinc Poeta Lyricus:

Salvian. de Provid. lib. 8.

Juno, & Deorum quiſquis amicitior
Afris.

Carm. l. 2. Od. 1.

Sed de Cœleſti ſatis. Illud in tranſitu obſervabimus, ex verbis Jeremiæ Baronium non ſatis aptè colligere, Cœleſtem Afrorum Deam illam ipſam eſſe, quam nomine *Regina Cæli*, Lunam ſcilicet Judæi coluere. Non neſcimus quidem, id in Vulgata Verſione legi: Faciunt *placentas Reginæ Cæli.* At Hebræa למלכת השמים linguæ Hebraicæ peritioribus potius ſignificant *operi cælorum.* מלכת pro regina ſumi in Scriptura non legimus, pro opere quidem legimus. Porro non omnes Ethnici patienter tulere ſua frangi numina. In colonia Suffectana Chriſtianos ſexaginta miſere mori, quorum memoria Auguſti XXX. recolitur: *Coloniæ Suffetulanæ in Africa Beatorum* LX. *Martyrum, qui furore Gentilium cæſi ſunt.* Cujus lanienæ meminit Auguſtinus: *Apud vos* LX. *numero fratrum innocens effuſus eſt ſanguis: & ſi quis plures occidit, functus eſt laudibus, & in veſtram Curiam tenuit Principatum.*

Bar. Ann. 399. n. 67.

Jerem. 7. 18.

Levit. 13. 48.

Aug. Epiſt. 267.

Reddite igitur animas, quas manus veſtra contorſit, & ſicut à nobis veſter Hevenles reddibetur, ſic etiam à vobis tantorum animæ reddantur.

Synodus Carthaginenſis.

Lab. Concil. t. 2. 1081.

X. Hoc ipſo anno Carthagini Synodus celebratur, de qua nil niſi tempus ferè ſupereſt: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimi Imperatoris Honorii IV. & Eutychiani, viri clariſſ. v. Kal. Majas Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ. In hoc Concilio legationem ſuſceperunt Epigonius, & Vincentius Epiſcopi, ut pro confugientibus ad Eccleſiam quocunque reatu involutis Legem de glorioſiſſimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abſtrahere.* Ad Synodi poſtulationem ſpectare Honorii Legem, *Sapidiano* Africæ Vicario miſſam, datamque VII. Kal. Jul: Briaiæ, Baronius exiſtimat, ſed immeritò.

Error Baronii.

Quippe Synodi legatio ad jus azylorum pertinet, quæ Maſcizel anno ſuperiore violaverat, protractis ex Eccleſia nonnullis ad pœnam. Lex verò ad Eccleſiarum immunitates refertur: cùm azyla non ad Templorum Clericorumve commodum, ſed ad miſerorum ſecuritatem inducta ſint. Audiantur verba Legis, ut error Baronii facilius deprehendatur: *Si Eccleſiæ venerabilis privilegia cujuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta, commiſſum quinque librarum auri condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Eccleſias, vel Clericos per obreptionem, vel ab Hæreticis, vel ab hujuſcemodi hominibus fuerit contra Leges impetratum, hujus ſanctionis autoritate damnetur.* Lex ergo contra Donatiſtas lata eſſe videtur, quibus Catholicorum privilegia impetere & violare placuit, impetratis per obreptionem privilegiis.

Cod. Th. t. 6. p. 72.

Rufini, Hieronymique diſſidia.

XI. Dum Superſtitionem ubique locorum Religio triumphat, læta hæc dolore temperat Eccleſia ob moleſtiſſima Rufini, Hieronymique diſſidia. Rufinus Oriente cum Melania profectus in Italiam appulerat. Dumque Romæ verſatur, Origenis *de Principiis* librum Latinè redditum in urbe vulgaverat. Tranſlationem verò ſuam Prologo ornaverat, in quo pluribus Hieronymum laudibus affecerat: *Hieronymus*, inquit, *collega noſter ab Epiſcopo Damaſo deprecatus, cùm Homilias duas de Cantico Canticorum in Latinum tranſtuliſſet ex Græco, ita in illo Opere ornatè, magnificèque præfatus eſt, ut cuivis legendi Origenem & avidiſſimè perquirendi deſiderium commoveret dicens, Illius animæ convenire, quod dictum eſt, Introduxit me Rex in cubiculum ſuum, aſſerens quod cùm in cæteris libris omnes vincat, in Canticis Canticorum ipſe ſe vincit. . . . Nos ergo rem ab illo quidem cœptam ſequimur, & probatam: ſed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornare poſſumus dicta: unde vereor ne vitio meo illud accidat, ut is vir, quem ille alterum poſt Apoſtolos Eccleſiæ doctorem, ſcientia ac ſapientia meritò comprobavit, inopiâ ſermonis noſtri longè eſſe inferior videatur.* Quæ ſcripta ſunt *Macario*. Quid in ea re peccarit Rufinus, aut quâ ratione conſtitutam cum Hieronymo violarit amicitiam, nec dum comprehendere potuimus. Ipſiſſima Hieronymi verba referebat, verba non arcana, non auribus tutis, fidelibuſque credita, ſed ubique locorum cum ſcriptis Hieronymi diſſeminata, quæ legentium oculis paterent. Eâ tamen Præfatione nonnihil commotus Hieronymus, clementer quidem ſatis Rufino ſcribit: *Præfatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν ad me miſſa eſt, quam ex ſtylo intellexi tuam eſſe. In qua obliquè, imò apertè ego petor. Poteram & ego, qui ſæpiſſimè figuratas controverſias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere, & tuo te more laudare. Sed abſit a me, ut quod reprehendo in te imiter, quin potius ita ſententiam temperavi, ut & objectum crimen effugerem, & amicum quantum in me eſt, nec læſus læderem. Sed obſecro te, ut ſi deinceps aliquem ſequi volueris, tuo tantùm judicio ſis contentus. Hæc apud te, amice, potius expoſtulare volui, quam laceſſitus publicè deſævire, ut animadvertas, me reconciliatas amicitias purè colere.*

Hieron. Ep. 66.

Hanc Rufino Epiſtolam anno currente direxit Hieronymus. Nil ſanè manſuetius: purè amicitias colere voluit, amicum lædere noluit. Si verum tamen volumus, lapidem ferebat alterâ manu, panem oſtentabat alterâ. Quantum & amicitiæ, & promiſſorum immemor in Rufinum bacchatus ſit Hieronymus, quo tempore bona verba hæc illi ſcribebat, teſtatur adhùc ad Pammachium & Oceanum Epiſtola: *Schedulæ, quas miſiſtis, honorificâ me affecere contumeliâ; ſic ingenium prædicantes, ut fidei tollerent veritatem: & quia eadem & Alexandria, & Roma audieram, & in toto penè orbe boni homines ſuper meo nomine jactare conſueverunt, & tantum me diligunt, ut ſine me Hæretici eſſe non poſſint; omittam perſonas, rebus tantùm & criminibus reſpondebo.* Anno CCCXCIX. ea Epiſtola ſcripta eſt, paucis antè momentis, quàm diceret Rufino Hieronymus, *Se ita ſententiam temperaſſe, ut crimen effugeret, & amicum nec læſus læderet.* Mirum promiſſi complementum! Egregiam ſanè patientiam, & animi manſuetudinem! Siccine amicitiam purè colebat Hieronymus, qui verbis expreſſis Rufinum vocat *Hæreticum*, quâ nulla viro pio, Presbyteroque injuria gravior eſſe poteſt: *Tantum*, inquit, *me diligunt, ut ſine me Hæretici eſſe non poſſint.* Pace Sanctorum cinerum, hæc non obſervamus, quo ipſis conviciemur. Amicus nobis Hieronymus, ſed magis amica veritas, quæ Hiſtorico rebus debet omnibus anteponi. Sed magnarum quoque litium ſedemus arbitri, ut poſito omni favore nobis incumbat rectum de contendentibus, ſinceramque ferre ſententiam, eò magis quò Baronius, Marianus Victorius, aliique innumeri iniquiores eſſe Rufino videantur.

Hieron. Epiſt. 65.

Hieronymus fuit Origeniſta.

Bar. An. 397. n. 20.

XII. Verba hæc ſunt Baronii: *Quod magis mireris, nec quidem ipſe Rufinus erubuit Romæ jactare, tum S. Hieronymum, tum etiam Theophilum Alex. iiſdem Origenis erroribus aſſentiri.* Atqui nil cauſæ Rufino fuit, cur ob id erubeſceret, cùm certo ſit certius, Hieronymum olim Origeniſtam fuiſſe. Non noſtris, ſed doctiſſimi Præſulis Huetii verbis id demonſtremus: *Origenis doctrinam, & eruditionem laudaſſe ſe fatetur, dogmata tenuiſſe pernegat. . . . Et tamen cùm Commentarios ſuos in Eccleſiaſten, & Epiſtolam ad Epheſios Adamantii ſcitis refererit, vix eis ſemel contradixit. Imò verò ne Origenem quidem autorem citavit. Quòd ſi ea pro falſis habuit, cur cenſuræ notam non appoſuit? Cur cùm id ſibi vitio daretur, id ſibi gloriæ duxit? Nam quod dicunt* (inquit, Proleg. in lib. 2. Com. in Michæam) *Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere Veterum ſcripta, quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant, eandem laudem ego maximam duco, cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, & vobis placere non dubito.* Veriſſimè ergo Rufinus prædicabat, Hieronymum

Huetius in Origen. l. 2. p. 205.

Ori-

ANNO DOM. 399.

Origeniſtam fuiſſe. Quid his diſertius, quæ loguntur in libri de nominibus Hebraicis Præfatione: *Origenem poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum nemo niſi imperitus negat.* Ut ſuo Hieronymum gladio non ſine ratione Rufinus jugularit: *Hæc eſt tua tanti Magiſtri gravitas, ut eum quem in aliis laudas, eundemmet in aliis, & quem in Præfationibus tuis alterum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum dixiſti, nunc Hæreticum dicas? Quis Hæreticus Eccleſiarum Magiſter aliquando dici poteſt.* Sulpitius quoque Severus Hieronymum Origeniſtis inſerit, dum Poſthumianum hæc loquentem inducit: *Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus vir maximè Catholicus, & ſacræ legis peritiſſimus, Origenem ſecutus, primo tempore putabatur.* Denique Pelagius Papa ſecundus in Epiſtola ad *Eliam* Aquilejenſem, & alios Iſtriæ Epiſcopos hæc ſcribit: *An non & Hieronymus noſtræ Eccleſiæ Presbyter ... tanto erga Origenem favore tenditur, ut penè diſcipulus ejus eſſe videatur?* Ex anguſtiis facilius ſe ſimulque candidius liberaſſet Hieronymus, ſi rotundè dixiſſet, ſe Origeniſtam olim fuiſſe, nunc non eſſe, quod tandem dicere coactus eſt: *Erravimus juvenes, emendemur ſenes.*

Ruf. Invect. 2.

Sulp. Dial. 1. cap. 3.

Hieron. Apol. l. 3. cap. 3.

Rufinus accipit aculeatam Hieronymi Epiſtolam; inchoat Invectivam.

XIII. Rufinus relictâ Româ, jam Aquilejæ verſabatur, cùm Hieronymianæ exemplar Epiſtolæ ad Pammachium & Oceanum ſcriptæ, ſibi miſſum accepit: *Perlegi ſcripta tua, Apronianè chariſſime, quæ ab amico & fratre bono de Oriente ad virum nobiliſſimum Pammachium miſſa, tranſmiſiſti ad me.* Eâ lectâ, ſuam in Hieronymum Invectivam adornare incipit, quæ tribus libris conſtabat, ipſo teſte Hieronymo: *Dicitur furere, & tres contra me libros venuſtate Atticâ contexuiſſe.* In elaboranda duplici Apologia Rufinus triennium contrivit. Prior vetuſtate intercidit, poſterior ſupereſt, duas in partes diviſa, quarum prima criminationes ab Hieronymo impactas refellit, altera Hieronymum ipſum ſugillat. Anno CCCC. abſolutos eſſe Rufini libros, perſuaſum Baronio. Quâ ſententiâ conſequens eſt, anno CCCXCVIII. inchoatos eſſe. Quod Baronio quidem non ſatis conſentit, qui Rufinum Romæ moratum annum unum eſſe fatetur. Profectò non ante CCCXCIX. Rufinus opus inchoare ſuum potuit, utpote qui Aquilejæ conſiſtebat, cùm animum ad ſcribendam Apologiam appulit, poſt acceptam Hieronymi ad Pammachium Epiſtolam. Hæ ſunt cruſæ magni diſſidii, quo Eccleſia in partes ſcinditur, multis Rufino, compluribus Hieronymo faventibus:

Hier. t. 9. 136.

Hieron. Apolog. l. 1. c. 1.

Bar. An. 400. n. 32.

Certatum totis concuſſi viribus orbis.

Quòd ſi de lite judicium quis noſtrum expoſcat, Hieronymum quidem laudare non poſſumus, quòd Rufinum *Hæretici* nomine aſſcerit: quem non miramur, hanc à ſe infamiam depellere. Orthodoxiſſima eſt ea, quam Anaſtaſio Pontifici Confeſſionem miſit. Neque in culpa fuit, quòd Origenem verterit, qui & *Hilarium* Confeſſorem, & *Ambroſium*, & *Victorinum*, & *Hieronymum* ipſum interpretem nactus ſit. Honeſtiſſima Rufini excuſatio hæc eſt: *Origenis ego neque defenſor, neque aſſertor ſum, neque primus interpres. Alii ante me hoc & idem fecerant. Feci & ego poſtremus, rogatus à fratribus.* Laudavit Origenem Rufinus! At laudavere viri, & doctiſſimi, & piiſſimi. Laudavit totus olim orbis: laudavit & Auguſtinus, vel eo tempore quo Origenianos manes perſequebatur Hieronymus: *Petimus ergo, & nobiſcum petit omnis Africanarum Eccleſiarum ſtudioſa ſocietas, ut in interpretandis eorum libris, qui Græcè Scripturas noſtras quàm optimè tractaverunt, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus illos tales viros, & unum potiſſimum, quem tu libentius in tuis literis ſonas.* Quid eſt laudare Origenem, ſi hoc non eſt? Origenem quidem oſtendit Auguſtinus, quem præ omnibus laudarat Hieronymus. Non inficiamur, ſuos Origeni errores fuiſſe, ſed tanti non videntur eſſe, ut ad blaſphemos & Hæreticos ſit relegandus, eò magis quòd ab errante abfuit pertinacia. Itaque abſit invidia dicto, probare non poſſumus, quòd ex venialibus erroribus mortales pro ſua ipſe fecerit Hieronymus. Præcipuè poſtquam virum magnis pro Eccleſia laboribus defunctum, ad cœlum uſque extuliſſet, & certiſſimo exemplo Rufinus oſtendiſſet, corruptos Origenis libros fuiſſe. Tot tantique viri, qui & auditum, & lectum Origenem amabant, colebant, commendabant, ac in ſinu veluti geſtabant, ſatis ſuperque teſtantur, auguſtiſſimæ Trinitatis myſterio inimicum Origenem non fuiſſe. Quòd tam animoſè in Origenem ſcripſit Hieronymus, id fecit, ut Joannem Hieroſolymitanum potius, quàm ut Origenem læderet. Origenem quippe inſectari cœpit, cùm Joannem odiſſe cœpit. Et Joannem cùm ſugillabat, freni aliquid ei injiciebat Epiſcopalis infula. In Rufinum quominus totam bilem effunderet, nullo freno retinebatur. Nec in Rufinum tantùm efferbuit ejus ira, ſed & in omnes qui tum Origeniſtæ dicebantur, cum decimo circiter ante hunc anno totus propemodum orbis Chriſtianus Origeniſta videri poſſet. Quòd ſi abſque circuitione dicendum, longè prudentior Rufinus, modeſtior benigniorque Hieronymo. Rufino quidem præſtabat eloquentiâ eruditioneque Hieronymus. At moribus, & conſtantiâ Rufinus Hieronymum ſuperabat. Ne verò novum quid & inauditum proferre videamur, qualibus Hieronymus moribus præditus ſit, exponat clariſſimus ille Huetius: *Optabile foret, ut ſanctiſſimus ille Doctor conſtantior animi fuiſſet, & moderatior, neque tam facile bili ſuæ fuiſſet morigeratus, ut in contraria pro rerum ac temporum ratione traheret ſe, & jactaret ſiviſſet: nonnunquam etiam maximos viros amariſſimis conviciis perfudiſſet. Fatendum quippe eſt, jure eum ſæpè a Rufino fuiſſe reprehenſum: ſæpè etiam Rufinum ab eodem ſine cauſa fuiſſe culpatum.* De Rufino quoque & Hieronymo doctiſſimus *Du Pin* ſententiam oſtendat ſuam: *Il faut avouer que Rufin, quoy que fort maltraité par S. Jeroſme, a été un des plus habiles hommes de ſon ſiecle. Il ne ſavoit peut-être pas tant que ce Saint, mais il avoit l'eſprit plus poſé, & moins vehement. Il n'écrit pas ſi bien Latin, mais ſon ſtile eſt plus égal.* De Rufino Hieronymoque iterum in ſequentibus.

Hieron. t. 9. 135.

ANNO DOM. 399.

Auguſt. Ep. 8.

Huet. in Origen. l. 2. p. 220.

Du Pin N. Bibl. t. 4. 142.

ANNO

ANNO DOM. 400.

ANNO U. C. 1153. PER. JUL. 5113. JUL. 415. DOM. 400. ARCAD. 18. & 6. HONOR. 8. & 6. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 2. *Indict.* 13. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 1. *April.*

COSS. *Fl. Stilicho & Aurelianus.*

Cur tam ſerò Stilicho Conſulem egit?

I. HIſtoriam legenti mirum id incidit, quòd Stilicho affinis Theodoſii, ſocer Honorii, tutor imperii, nullum hactenus Conſulatum geſſerit. Eleganti fictione Claudianus Galliam inducit, Africam Siciliamque, Conſulatus, quem meruerat, moram querentes. Ac Sicilia quidem Stilichonem ſic compellat:

Claud. de Stilic. l. 2.

Servatas Stilicho per te, venerande, curules
Ornatas nec dum fateor: quid profuit anni
Servilem pepuliſſe notam? defendis honorem
Quem fugis, & ſpernis, tantâ quem mole tueris:
Reſpuis oblatum, pro quo labente reſiſtis!

Quibus liquet, per unum Stilichonem ſtetiſſe, quod nondum in Faſtis legeretur, & pagina tantum neſciret adhuc nomen, quod jam numerare decebat. Involutam modeſtiæ nomine Stilichoni ambitionem fuiſſe, ſequentia docebunt.

Gainæ rebellio: quid ab Arcadio petierit? ficta concordia.

II. Dum annum in Occidente aperit Stilicho, Orientem Tribigildi furor vaſtabat. Duxerat milites ſuos per Lydiam ſuperiorem. Omiſſâ tamen civitate Sardenſi, quæ Lydiæ metropolis, Thyatiram accedit. Ut verò ipſum pœnitentiâ inceſſit, quòd deſtitutam auxilio omni civitatem non expugnaſſet; cum Gaina reverti ſtatuit ad eam capiendam. Quod & feciſſent, niſi delapſa ingens pluvia terram inundaſſet, fluminaque adeò auxiſſet, ut tranſiri non poſſent. Tum diviſis copiis Tribigildus in Helleſpontem, Gainas in Bithyniam tendit, rebus omnibus Barbarorum direptioni conceſſis. Perveniente ferè Chalcedonem Gainâ, extremo in periculo verſabatur Orientis imperium. Tum arte Barbarum aggredi placuit. Miſſis itaque ad eum Legatis, petere juſſit Arcadius quæ vellet, ſeſe paratum eſſe poſtulanti concedere omnia. Obſides ſibi tradi poſtulat, duos viros Senatores, Saturninum & Aurelium, illum Conſularem, hunc Conſulem. Qui pro Republica mortem oppetere parati, Imperatoriſque mandato libenter obtemperantes, in hippodromo obviam proceſſere Barbaro. Ut viros Gainas accepit, eis gladium admovit, eatenus tamen, ut cutem tantummodò ſtringeret, quos deinde in exilium miſit. Poſtulat & Gainas, ut ſu Princeps conveniret, qui neceſſitati parendum ratus, proceſſit ad Barbari colloquium. Euphemiæ Martyris, quæ anno Dom. CCCVII. obierat, in Templum à Boſphoro duobus circiter ſtadiis diſtans, ingreſſi ambo, juramentis invicem præſtitis, neutrum alteri inſidias ſtructurum pollicentur. Arma deponit Gainas, ab Imperatore equeſtris pedeſtriſque Militiæ Magiſter factus. At ſincerum Arcadius, perfidum Gainas ſacramentum dixit. Quippe tantæ fortunæ impar Eccleſiam perturbare aggreditur. Suadentibus Arianæ ſectæ Epiſcopis, quorum religionem profitebatur, petit à Principe, ut ſuæ diſciplinæ hominibus una ex Eccleſiis urbicis traderetur: neque decorum & æquum eſſe, ſibi Militiæ Romanæ Magiſtro extra muros ad orandum proficiſci. Barbari petitionem ut compertam habuit Chryſoſtomus, aſſumptis qui Conſtantinopoli tum morabantur Epiſcopis, in regiam pergit. Aderat tum fortè Gainas, cui coram Arcadio Chryſoſtomus patriam, fugam, juramenta objicit. A Theodoſio ſervatus, quam perpetuam & legibus, & Theodoſii filiis fidem pollicitus erat, violare conabatur. Legem profert, quâ Theodoſius vetuerat Hæreticorum intra mœnia conventus. Lex ea eſſe videtur, quam anno Dom. 384. tulerat: *Eunomiani, Macedoniani, Ariani, necnon Apollinariani omnibus hujus urbis latebris indagine curioſiore perſpectis, ſine ulla gratia intercentione pellantur.* Suadet Imperatori, Legem adverſus reliquas hæreſes latam ſervare: ſatius eſſe imperio cedere, quàm prodita Dei domo piaculum admittere. Addit Theodoritus, ſubjunxiſſe Chryſoſtomum: *Omnes tibi, ô Gaina, aperta ſunt Ædes ſacra, nec ullus aditum prohibet, ſi orare volueris.* Non ſatis tamen accuratè hanc Chryſoſtomi orationem Gainæ rebellioni anteceſſiſſe tradit. Sozomeno, qui Conſtantinopolitanus cauſidicus fuit, potior eſt fides habenda.

Soz. l. 8. c. 4.

Cod. Th. Hær. l. 13.

Theodorit. l. 5. c. 37.

Gainas perniciem Conſtantinopoli molitur. Gothi delentur.

III. Perfidiæ manifeſtandæ occaſionem Gainæ præbuit, quòd ſuadente Chryſoſtomo nil in Eccleſiis innovatum. Jam ergo fidem datam violare, urbemque deprædari molitur. Ac primum argentariorum tabernas invadere tentat, quibus direptis maximam ſibi pecuniam collegiſſet. Verùm argentarii hujus conſilii rumore cognito, pretioſa ſua omnia abſcondiderunt, nec pecuniam in menſis more ſolito propoſuere. Tum Gainas immiſſis noctu Barbaris Palatium incendi jubet. Ut acceſſere propius, videre ſibi viſi ſunt plures ingentis molis milites. Quo ſpectaculo territi, re infectâ redeunt, ſuſpicati exercitum eſſe, qui recèns adveniſſet. Gainas qui ſciebat, haud plures ſolito milites in urbe eſſe, alios ſequente nocte miſit, qui cùm idem quod priores illi renuntiaſſent, ipſe accedens, teſtis fuit admirandi ſpectaculi. Ratus reverà ex aliis urbibus milites conveniſſe, qui interdiu occultabantur, ſimulat ſe correptum à Dæmone, & quaſi Deum oraturus pergit ad Eccleſiam, quam in honorem Joannis Baptiſtæ Theodoſius in Septimo conſtruxerat. Ex Barbaris alii in urbe remanent, alii ſimul egrediuntur cum Gaina. Profecti Barbari clam arma efferunt, in doliis, fœminarumque vehiculis occultata. Deprehenſo dolo, portarum cuſtodes dum exportari tela prohibent, à Barbaris occiduntur. Ad hæc Imperator Gainam hoſtem publicum renuntiat; Barbaroſque, qui in urbe remanſerant, occidi jubet. Elapſo die milites juxta Eccleſiam, quæ Gothorum dicebatur, prælium ineunt. Barbarorum circiter ſeptem millia Eccleſiam veluti ſalutis ſuæ azylum occuparant. Quos in eo ipſo loco Imperator occidi jubet. Cùm ex ſuo azylo extrahere auderet nemo, viſum eſt demoliri tectum, quod menſæ ſacrarii eſt impoſitum, ut quibus hoc datum eſſet negotii, accenſis lignis, in eos conjectis ad internecionem omnes caderent, quod & factum eſt. *Jactis deſuper lapidibus obrutos* eſſe, Marcellinus memorat. Eſt vero ſimillimum, & lapides, & accenſa ligna Conſtantinopolitanis pro telis fuiſſe. Cladis hujus tempus in Chronico Alex. conſignatur: *Gothi multi in Lemomacellio cæſi ſunt. Conflagravit quoque Gothorum Eccleſia, cum magno numero Chriſtianorum, menſe Panemo, XV. Idus Julias.* Eccleſia quoque cum Barbaris incendio con-

Zozim. l. 5. c. 18.

Socr. l. 6. c. 6.

Zozim. l. 5. c. 18.

Sozom. l. 8. c. 4.

Socr. l. 6. c. 6.

Zozim. l. 5. c. 18.

Anno Dom. 400.

conſumpta eſt, quod iis, qui præ cæteris Chriſtianis religioſiores erant, magnum piaculum eſſe videbatur.

Gainas Thraciam vaſtat. Chryſoſtomi ad eum legatio.

IV. Cùm ingentibus Gainas auſis excidiſſet, apertius bellum intendit. Thraciæ agros adoritur: quia oppida muris munita incolarum præſidio tenebantur. Nil niſi gramen extra muros relictum: animantia, fructuſque intra urbes cogebantur. Quo tempore legationem ad Barbarum Chryſoſtomus ſuſcepit. Metu quippe omnes correpti, nec prælium inire, nec Legati munus obire volebant, perfidum Barbari ingenium veriti. Altercationis ſuæ cum Gaina, exortique ex ea odii ſecurus Chryſoſtomus, ſtatim alacri animo pergit in Thraciam. De cujus adventu certior factus Gainas, obviam Præſuli longiſſimè procedens, dextram venientis oculis impoſuit, filioſque ſuos ſacris illius genibus admovit. Extat etiamnum Chryſoſtomi homilia, cui titulus eſt: *B. Joannis homilia, cùm Saturninus, & Aurelianus acti eſſent in exilium, & Gainas egreſſus eſſet è civitate.* Ex qua colligitur, qua de cauſa Barbarum adierit. Nec ſucceſſu caruit ea legatio, teſte ipſo Chryſoſtomo, qui Conſtantinopolitanis hæc locutus eſt: *Multo tempore ſilui, & poſt longum temporis ſpatium ad charitatem veſtram reverſus ſum... Poſteaquam autem in amænis illis ac triſtibus finis eſt impoſitus, denuò me ad vos recepi.*

Theodorit. l. 5. c. 28.

Gainæ claſſis mergitur. Ipſe à Hunnis occiditur.

V. Quos perduelli infauſtos exitus proſperum attulit Arcadii numen nunc videamus. Gainas Thraciâ relictâ, in *Cherroneſum* contendere ſtatuit, & per Helleſponti anguſtias in Aſiam migrare. Quæ dum molitur, communi ſuffragio *Fravitta* Romano exercitui imponitur. Barbarus quidem natione, ſed moribus & indole Græcus erat, numinum cætera cultor. Multis jam Præturis illuſtris totum Orientem à Cilicia ad Palæſtinam uſque latronum lue purgaverat. Acceptis exercitibus Barbaros in Aſiam migrare prohibet. Intereà verò dum ad prælium ſe Gainas parat, Fravitta milites exercebat ſuos, quos ad pugnam tam idoneos reddit, ut depoſitâ ſuperiorum temporum ignaviâ permoleſtè ferrent belli moras. Neque dum interdiu noctuque ſua caſtra perluſtrat, claſſem negligit. Gainas verò propter inopiam commeatus moram longiorem moleſtè ferens, è ſylva in Cherroneſo cæſis, & inter ſe compactis milites cum equis impoſuit, & fluxu ſecundo ferri permiſit. Tum Fravitta, navibus paululum è terra provehi juſſis, primus occurrentem in prima ſerie ratem invadit, quam navi ſuâ roſtro aheneo munitâ, cum viris demergit. Factum ſui Ducis imitati cæteri, telis hoſtes confecere. Sed & Zephyrus, qui vehementi impetu flare cœpit, facilem Romanis navigationem præbens, Barbaros cum equis agitat, disjicitque, qui fluctibus obruti periere. Hanc Chronicum Alexandr. cladem Decembris 23. alligat: *Hauſti fluctibus in mari anguſto Gothi, quod Stenon in Cherroneſo appellatur, menſe Appellæo, x. Calend. Januarias.* Citius tamen demerſos fuiſſe neceſſe eſt, ſecus hoc ipſo anno Gainas trans Danubium occidi non potuiſſet. Tantâ clade conſilii ad inopiam redactus Gainas, ad ſitam extra Cherroneſum Thraciam procurrit. Quidquid obvium erat diripit. Veritus autem, ne Romanus exercitus ſuus, qui pauci erant adoriretur, qui ipſum comitabantur, Romanos ſuſpectos habens, univerſos occidit. Superatoque Iſtro, ad ſua reverti cogitat. At *Uldes* Hunnorum Princeps non tutum arbitratus Barbaro ſuas habenti copias, permittere trans Iſtrum domicilium, ratuſque ſe Arcadio pergratum facturum, coactis copiis adverſus Gainam aciem inſtruit. Gainæ milites aliquot præliis ſtrenuè reſiſtunt, & compluribus cæſis Gainas ipſe fortiter pugnans occubuit. Cujus caput ab *Ulde* Conſtantinopolim miſſum anno ſequente pervenit, *tertio Nonas Januarias.* Menſe *Februario* anno CCCC. periiſſe Gainam, Marcellini in Chronico legitur, quod ex hiſtoriæ ſerie falſum deprehenditur. Gainas quidem claſſem parare, relictâ Thraciæ Cherroneſo, Iſtrum trajicere, multaque cum Hunnis prælia committere non potuit in tam brevi temporis ſpatio, quod à Januario ad Februarium uſque protenditur. Sed neque accuratè ſatis pugnam Conſtantinopolitanorum cum Gothis, mortemque Barbarorum, *qui tecto Eccleſiæ culmine lapidibus obruti fuere,* cum Theodori & Eutropii Conſulatu conjunxit. Hîc aliud prorſus agebat Baronius, dum ſcripſit, Marcellinum *in ſequentem annum Gainæ necem referre.* Quam ſanè cum præſente copulavit: *Stilichone, inquit, & Aureliano Coſſ. Gainas Comes de hoc bello fugiens evaſit, ipſo tamen anno occiſus eſt, menſe Februario.*

Zozim. l. 5. c. 21.

Error Baronii.

Bar. An. 400. n. 48.

Cometes ingens. Eudoxia Augusta renunciatur. Arcadia naſcitur.

VI. In monumentis Hiſtoriæ Cometa celebratur ingentis magnitudinis, qui Conſtantinopoli imminebat, vulgoque Gainæ perfidiam portendiſſe credebatur: *Quas quidem injurias prænuntiavit Cometes, qui eo tempore ſupra civitatem maximus apparuit, ad ipſam ferè terram pertingens, & qualis nunquam antea viſus memoratur.* Pietati profuit & cœleſte ſignum, & Gainæ ſcelus. Cùm enim barbarus enſis Conſtantinopolitanis in pectoribus penè infigeretur, Catechumeni ad baptiſmum feſtinabant; peccatores vitio abdicato reſipiſcentiam excolebant, teſte Chryſoſtomi in Acta Hom. XLI. quæ anno proximè ſequente pronunciata fuit. Anni hujus triſtitiam læta mitigavere nonnulla: *Illuſtriſſima Eudoxia v. Idus Januarii renuntiata eſt Auguſta, nataque eſt illuſtriſſima Arcadia, menſe Xanthico, III. Non. Aprilis.*

Soz. l. 8. c. 4.

Chron. Alex.

Chryſoſtomus nocturnas antiphonas inſtituit. Ejus cura ad exterminandas hæreſes.

VII. Ad res Eccleſiæ memorabiles dum convertimur, in Chryſoſtomo hæreamus neceſſe eſt. Tantâ facundiâ pollebat, ut orationibus ipſius populus expleri non poſſet. Itaque in medio omnium conſiſtens, ex Lectorum ſuggeſtu populum ſedens docebat. Quo tempore miraculum contigiſſe dicitur, quod memorat Sozomenus. Vir quidam de Macedonianorum ſecta, qui de myſterio Trinitatis diſſerentem Chryſoſtomum audierat, repudiato errore fidem amplexus, uxorem hortatur ſuam, ut idem ſecum de Divinitate ſentiret. Ac pertinacius repugnanti tandem hæc minatur: *Niſi in divinis myſteriis mecum communicaveris, nec vitæ conſors mihi eris in poſterum.* Mulier id ſe facturum pollicita, ancillâ ſibi fidâ utitur ad fallendum maritum. Myſteriorum tempore Sacramentum manu tenens, quaſi Deum oratura, caput ſubmiſit. Aſtans ancilla allatum domo panem, clanculum dominæ tradit. Qui dentibus admotus ſtatim lapidis inſtar obduruit. Tum mulier metuens, ne quid ſibi gravius accideret, ad Chryſoſtomum pergit. Lapidem oſtendit morſus veſtigia retinentem, ignotâque prorſus materiâ, & colore

inſtrato prædictum. Lapis in theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ætate Sozomeni etiamnum ſervabatur. Ex ea narratione liquido conſtat, corporis Chriſti Sacramentum non ori communicantium a ſacerdote ingeſtum, ſed in manus traditum fuiſſe. Maximâ quoque curâ & diligentiâ ſervando gregi ab errorum incurſibus Chryſoſtomus invigilabat. Ariani, quibus ademptæ regiæ urbis Eccleſiæ, extra mœnia conventus agebant, ac primum publicis in porticibus nocte congregati, hymnos ſui dogmatis *antiphonatim* pſallebant; ortâ verò luce cantando ad collectarum ſuarum loca pergebant. Quæ celebrioribus feſtivitatibus, ac primo ultimoque cujuſvis hebdomadis die faciebant. Canticis tandem ſuis ea, quæ ad diſputationem ſpectant, addidere: *Ubinam ſunt, qui tres dicunt eſſe unicam potentiam.* Id metuens Chryſoſtomus, ne Orthodoxorum nonnulli ex hymnis ejuſmodi in errorem inducerentur, quam regebat plebem, invitat ad nocturnos hymnos. Cantantibus decus additur & ornamentum. Cruces argenteæ, cereique illis anteibant, quibus præerat Briſo, Eudoxiæ Auguſtæ Eunuchus, qui & hymnorum cantoribus erudiendis præponebatur, ſumptus ad pompam ſuppeditante Imperatrice. Specie quidem conſilium probum erat; vergit tamen in tumultum, & ſeditionem. Quippe Ariani æmulatione accenſi, ulciſci ſe & pugnam inire inſtituerunt. Nocte prælio commiſſo utrinque cæſi, nonnulli intereunt, Briſo lapide in fronte percutitur. Quibus permotus Arcadius, interdixit Arianis publico hymnorum cantu. Suum tamen pſallendi ritum Orthodoxi retinuere. Eodem quidem pietatis amore, ſed majore prudentia evellendis errore Hæreticis elaboravit magnus ille Chryſoſtomus. Gothicæ linguæ Preſbyteros, Diaconos, Lectoreſque ordinatos Eccleſiæ præfecit, quam ipſis aſſignaverat. Quam ſæpius ingreſſus, interpretis utriuſque ſermonis periti uſus operâ, conciones habuit, quibus Gothi Arianâ lue corrupti perſanabantur. Curam quoque ſuam in Scythas extendit, qui Iſtri ripas incolunt. Quos cùm fidei cupidos intellexiſſet, viros conquiſivit, qui Apoſtolicos labores æmularentur, quos & Barbaris præfecit. Scripſit ad Leontium Ancyræ Epiſcopum, Barbaros ad pietatem converſos eſſe, quem & rogat viros mittere idoneos, qui ſalutis viam Scythis oſtenderent. Quas Theodoritus Epiſtolas legerat. Audiens etiam vicos eſſe in urbis Cyrenſis ditione, qui Marcionis impietate laborabant, literas miſit Epiſcopo, quibus illum hortabatur, tanto morbo adhibere remedia, oblato Legum imperialium ad eam rem auxilio.

Soz. l. 8. c. 5.

Socr. l. 6. c. 8. Sozom. l. 8. c. 8.

Theodorit. l. 5. c. 30. 31.

Conſtantinopolitana Synodus. Quid actum in ea fuerit?

VIII. Dum res Chryſoſtomi exequimur, ſcribentibus offert ſeſe Conſtantinopolitana Synodus, cujus tempus certiſſimis à Palladio criteriis deſignatur. Quippe ſic ex Proceribus unum inducit, ea Chryſoſtomo loquentem: *Abſurdum eſt, te qui ſis Epiſcopus, in tanta tumultus expectatione relinquere civitatem, & peregrinationem in Aſiam obire . . . Erat autem expectati tumultus cauſa Gaïnas Barbarus.* Aliâ quoque notâ tempus Synodi innoteſcit: *Tertiâ decimâ indictione venerunt Conſtantinopolim Aſiani Epiſcopi.* Conſtabat Synodus Epiſcopis XXXI. quos inter *Theotimus* ex Scythia, *Ammon* Ægyptius ex Thracia, *Arabianus* ex Galatia. Omnibus congregatis, & communicantibus *Euſebius* quidam à *Cilbianis Jugis Epiſcopus*, *Valentinopolitanus*, τῆς μεγ. Σαββάτου, *primæ Hebdomadis* præpoſito Joannis nomine libellos tradit Synodo contra *Antoninum*, Epheſi Epiſcopum. Capita ſeptem accuſationis libellus complectebatur: I. *Quod conflatis vaſis ſacris argentum in uſum ſui converſiſſet.* II. *Quod ablatum ab ingreſſu baptiſterii marmor in balneum ſuum tranſtuliſſet, deinde columnas Eccleſiaſticas a pluribus annis jacentes intra ſuum ſtatuiſſet triclinium.* III. *Quod puer ejus eadem patraſſet, quem adhuc haberet in miniſterio irreprehenſum.* IV. *Quod prædia Eccleſiæ relicta a Baſilina Juliani Imperatoris matre vendidiſſet, ſibique vendicaſſet.* V. *Quod dimiſſâ uxore ſuâ, cum ea rurſus congreſſus filios ex ea procreaſſet.* VI. *Quòd pro lege & conſtituto haberet, ordinationes Epiſcoporum vendere juxta rationem redituum.* Ad hæc Chryſoſtomus Euſebium hortatur, ne Antoninum accuſet ſcripto. Eo ſermone accenſus gravioribus in Antoninum verbis utitur. Tum Chryſoſtomus Paulum Heracleæ Epiſcopum hortatur, Antonino faventem, diſſidentes ad concordiam compellere. Quo dicto, quia tempus erat ſacrificii, Eccleſiam ingreſſus, pacemque populo ex more precatus, ſedet cum reliquis Epiſcopis. Clam verò ſubingreſſus accuſator *Euſebius* coram omni populo libellum offert alterum, eadem continentem. Viſâ hominis pertinaciâ, Chryſoſtomus libellum recepit, lectiſque divinis eloquiis, *Panſophium* Piſidiæ Epiſcopum orat, divina dona offerre. Dimiſſo populo, ſedens in baptiſterio cum reliquis Epiſcopis accuſatorem coram omnibus vocatum, antequam libellus legeretur, hortatur quod expediebat eligere, ne poſtquam lectus fuerit, accuſatori non integrum foret abolitionem petere. Inſtante eo libellus legitur. A rerum ſacrarum diſtractione inquiſitionem inchoant. Factum negat Antoninus; non aderant teſtes; quibus ut parceret Chryſoſtomus, ſimulque purgaret Eccleſiam, ultrò in Aſiam profectionem pollicetur. Tum Antoninus, qui ſibi conſcius erat, unum è Proceribus conventum rogat, Chryſoſtomi hanc inhibere profectionem, teſtes ſe exhibiturum pollicitus. Suadet Aulicus Chryſoſtomo, in urbe regia manere, quæ ob Gainæ tumultus perturbationis plurimum cum timore conjunctæ patiebatur. Eliguntur ergo tres Epiſcopi numero, qui in Aſiam mitterentur. *Syncletius* Trajanopolis, *Heſychius* Parii, *Palladius* Helenopolis Epiſcopus. Hypæpis Aſiæ civitas deligitur, eâ lege, ut qui intra duos menſes ibi non occurriſſet, excommunicaretur. Poſt hæc Syncletius, Palladiuſque, Smyrnam ingreſſi, ſuum partibus adventum ſignificant: *Heſychius* verò, qui Antonino amicus erat, ne adeſſet, morbum ſimulat. Porro ante Judicum adventum litigantes, cùm malis artibus fuiſſent reconciliati, dicæ tantùm causâ Hypæpinorum in civitatem ſe conferunt. Rogant Judices accuſatorem, intra quot dies ſit teſtes adducturus. Ratus ille ob fervidos æſtatis calores mox diſceſſuros, intra XL. dies ait producturum teſtes, aut pœnas ſe Canonum ſubiturum pollicetur. Dimiſſus ad inquirendos teſtes, omiſſâ inquiſitione in urbe regia latibulum quærit. Exacto quod conſtitutum erat temporis ſpatio, Euſebium excommunicatum denuntiant, vel deſertorem, vel calumniatorem. Et poſt alios XXX. dies, deficiente accuſatore Conſtantinopolim te-

Pallad. vit. Chryſ. p. 131.

Pallad. vit. Chryſ. 125.

redeunt, cui invento facinus exprobrant. At ille cauſatus infirmitatem corporis, teſtes ſe adducturum pollicetur. Quæ cùm in longum tempus abirent, moritur Antoninus. Eo diſſidio magnarum rerum ſemina ſparguntur, ut videbitur inferius.

Pallad. ... Chryſ. 129.

De anno Carthaginenſis Synodi.

IX. Conſtantinopolitana Synodus admonet nos, ut ad Concilia Occidentis tranſgrediamur. Eſt inter obſcura Chronologiæ annus Concilii Carthaginenſis, quod vulgò *quintum* nominant. Ac Baronius, Binnius, aliique anno CCCXCVIII. putant aſſignandum, freti verbis tituli: *Poſt Conſulatum Caſarii & Attici, qui annum* CCCXCVII. *aperuere*. Rectè quidem, ſi ſincerus titulus foret. At in Collectione Iſidori Mercatoris alius Conſulatus exhibetur: *Poſt Conſulatum Flavii Stilichonis*. Quo eruditi impelluntur anno CCCCI. hoc Concilium vindicare. Neutra tamen ſententia placet. Ac prior illa quidem Synodorum Carthaginenſium ordinem immutat prorſus, atque pervertit. Quæ enim quinta vocatur, ex Baronii Chronologia tertium locum occupat. Neque in anno CCCCI. cum Chriſtophoro Juſtello, Perronioque collocandam eſſe exiſtimamus. Eſt enim impoſſibile duas Synodos Carthagine tam brevi eodem ſpatio anno celebratas eſſe: priorem VI. Kal. Junii, poſteriorem XVI. Kalend. Julias. Jam verò ex Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ ſcimus, anno CCCCI. Junii XVI. Carthagine Synodum eſſe coactam: *Poſt Conſulatum Fl. Stilichonis, viri clariſſ.* XVI. *Kal. Julias Carthagine in Secretario Baſilica Reſtituta*. Quæ Synodus eſt à quinta Carthaginenſi diverſa. Iraque Schelſtrati in Chronologiam inclinat propenderque ſententia, ut quinta Carthaginenſis anno CCCC. affigatur. Titulus ſanè, qui mutilus eſt, nulla Conſulum nomina exhibet in melioris notæ exemplaribus: *Poſt Conſulatum placuit, ut die ſextâ Kalendarum Junii Carthagine in Secretario Baſilica Reſtituta ſubter inſerta ſtatuerentur. Cùm Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis ſuis conſediſſet, aſtantibus Diaconibus conſtituta ſunt hac, qua in ſequenti Concilio definita ſunt.* Quæ verba etiam atque etiam ſunt obſervanda, utpote quæ hanc Synodum ab illa ſecernant, quæ Stilichonis poſt Conſulatum eſt celebrata. Nomen ergo, quo lacuna impleri debet, *Theodori* eſſe putamus, qui anno ſuperiore Conſul proceſſit. Conjecturæ vim intendit Honorii Reſcriptum mox laudandum, quod ſecundo quintæ Carthaginenſis Synodi Canoni optimè reſpondet. Eſt autem ea Conſtitutio anno CCCC. promulgata. Itaque Synodo anno CCCCI. coactæ, legatione opus non fuit ad ea impetranda, quæ ante plures menſes jam ab Imperatore conceſſa fuerant.

Lab. Concil. t. 2. 1081.

Carthaginenſes Canones.

X. Conſtabat ea Synodus Epiſcopis LXXII. qui Capitulis XV. ſubſcripſere. I. In judicio Eccleſiaſtico non liceat Clericum ad teſtimonium vocari, atque pulſari. II. Clericum judicio Epiſcoporum pro quocunque crimine damnatum non liceat ab ullo homine defenſare, interpoſitâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætas, nec ſexus excuſatur. III. Placuit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus continere, quod ni fecerint, Eccleſiaſtico removeantur officio. IV. Ne niſi cogente neceſſitate res Eccleſiæ diſtrahantur, conſulto etiam Primate, cum ſtatuto Epiſcoporum numero. Quòd ſi ob temporis anguſtias conſuli Primas non poſſit, vicini Epiſcopi conſulantur. V. Nullus Epiſcopus in aliena Diœceſi diutius quàm oportet reſideat. VI. Qui nullo teſtimonio ſe baptizatos noverunt, baptizentur: ſimiliter & Eccleſiæ, de quarum conſecratione dubitatur, conſecrentur. VII. Dies venerabilis Paſchæ formatarum ſubſcriptione *omnibus intimetur*. Dies verò Concilii XI. Kal. Novembr. ſervetur. VIII. Interceſſores ne Cathedram morientis Epiſcopi diu retineant, ſed intra annum eidem provideant. IX. Quotieſcumque celebrandum eſt Concilium, Primatibus quarumcunque Provinciarum ſignificetur, ut de univerſis Epiſcopis duæ vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis quotquot electi fuerint, ad diem Concilii accurrant. Quòd ſi non poſſint occurrere, excuſationem in tractoria ſcribant. XI. Presbyteris Diaconiſve juſta de cauſa exauctoratis manus non imponantur tanquam Pœnitentibus, aut Fidelibus: rebaptizati ad Clericatum ne promoveantur. XII. Clerici criminis rei, ſi innocentiam aſſerere velint, intra excommunicationis annum hoc faciant: poſteà non erunt audiendi. XIII. Alienum Clericos Monachoſve nullus Epiſcopus promoveat. XIV. Altaria, quæ per agros tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullæ reliquiæ conditæ probantur, ab Epiſcopis evertantur. Quòd ſi propter tumultus id fieri nequeat, plebes admoneantur, ne illa loca frequentent. Conſtituta per revelationes altaria reprobentur. XV. Ab Imperatoribus petatur, ut omnes Idololatriæ reliquiæ in quibuſcunque locis, lucis, vel arboribus deleantur.

Ad legationem Carthag. Synodi Lex Honorii.

XI. Ad Synodum Carthaginenſem hujus anni ſpectare Honorii Legem Adriano Præf. Prætorio Italiæ & Africæ miſſam, cenſet Gothofredus ὁ πάνυ. Quod ut oſtendat, Codicis Africani Canonem LXII. contendit anno non CCCCI. uti vulgò creditur, ſed labente fuiſſe conſtitutum. Sic verò ſonant verba Canonis: *Et illud petendum, ut ſtatuere dignentur, ut ſi quis cujuſlibet honoris Clericus judicio Epiſcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſive ab Eccleſiis quibus præfuit, ſive à quolibet homine defenſari, interpoſitâ pœnâ damni pecunia atque honoris, quo nec atatem, nec ſexum excuſandum eſſe pracipiant.* Africanorum Præſulum poſtulationi ad amuſſim reſpondere videtur Lex Honorii: *Quicunque reſidentibus Sacerdotibus fuerit Epiſcopali loco detruſus & nomine, ſi aliquid vel contra cuſtodiam, vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehenſus, rurſaſque Sacerdotium petere, à quo videtur expulſus, procul ab ea urbe quam infecit, ſecundam Legem Diva memoria Gratiani, centum millibus vitam agat.* At viri doctiſſimi conjectura ex die latæ Honorianæ Conſtitutionis refellitur: *Data pridie Non. Febr. Ravenna, Stilichone & Aureliano Coſſ.* Moris non erat Afris, Synodos Januario ſuas celebrare. Neque hyberno tempore tam citâ navigatione uti potuiſſent Concilii Legati, ut Ravennam ingreſſi, quarto Februarii ab Honorio Legem impetrarent. Gothofredo tamen lubentiſſimè largimur, laudatum Canonem Carthaginenſis eſſe Synodi, quæ quinta nuncupatur, *ſexto Kal. Junii* coactæ. Eſt etiam vero proximum, poſtulantibus Afris Legem rogatam eſſe, cùm ipſorum votis optimè reſpondeat. Unum obſtat, nempe

Cod. Th. t. 6. p. 72.

nempe tempus Legis, quæ Synodo antecedit. Verùm cùm ſæpenumero error in dies Auguſtcorum Reſcriptorum irrepſerit, omnia conſtabunt, ſi legatur, *Data pridie Nonas Decembris.* Incredibile fit quidem, Afrorum legationi juſtæque petitioni Honorium non reſpondiſſe. Quæ vero reſponſio eſt, ſi Lex laudata non eſt? Afrorum poſtulationi occaſionem ſuppeditavit *Equitius*, olim Hipponenſis Diarrtorum Epiſcopus, qui dignitatem, quâ merito ſuo maximo exutus fuerat, modis omnibus recuperare ſuam volebat. De impudente Equitii pertinacia in Africæ Synodis ſæpius tractatum.

Annus Toletani Concilii primi.

XII. A Carthaginenſi tempeſtivus ad Toletanam Synodum tranſitus videtur. In ea quondam ſententia Baronius verſatus eſt, Toletanum quod primum dicitur Concilium, anno Dom. CCCCV. celebratum eſſe, eâ ratione innixus, quod *Innocentii Rom. Pontificis ad Synodum Toletanam data adhùc extat Epiſtola.* Ut vero incidit in Acta hujus Synodi, quæ *Ambroſius Morales* edidit, mutatâ tum ſententiâ compertum habuit Concilium celebratum eſſe Ærâ CCCCXXXVIII. quæ Dionyſianum annis XXXVIII. ſuperat. Neque ullus eſt ea de re dubitandi locus, cùm Chronicum Idacii disertè teſtetur, Synodum ſedente *Anaſtaſio* coactam eſſe anno *Honorii quinto*, qui ſextus tamen dici debuit, nepote qui à die XVII. Januarii anni CCCXCV. quo Theodoſius obiit, regni initium habuit. Epiſtola igitur Innocentii tertia & vigeſima, cui titulus eſt, *Innocentius univerſis Epiſcopis in Toletana Synodo conſtitutis, dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem*, ad aliam utique Synodum ſpectat. Id egregiè probant Acta Synodi, in quibus qui Symphoſio adhæſerant, jubentur expectare, *Quid Papa qui nunc eſt, quid ſi Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.* Anno verò Chriſti CCCCV. Simplicianus ad plures abierat: ut mirum ſit, Petavium poſt editionem & Actorum Synodalium, & Chronici Idacii, Toletanum Concilium in annum CCCCV. contuliſſe. His accedat, in ipſa Innocentii Epiſtola Toletanas Synodos duas diſertiſſimè exhiberi. Verba hæc ſunt Epiſtolæ, c. 3. *De Joanne quoque Epiſcopo, cujus in Synodo Toletana ſuper receptis Symphoſio atque Dictinio per Legatos conſenſus acceſſit*, &c. Atqui Toletana illa Synodus, de qua hæc commemorat, diverſa prorſus ab ea eſt, ad quam hanc Epiſtolam dirigit.

Bar. An. 405. n. 45.

Lab. Conc. t. 2. 1231.

Toletani Canones.

XIII. Interfuere Synodo Epiſcopi XIX: quorum hæc ſunt nomina, *Patruinus* Emeritenſis, qui conventui præfuit, Aphrodiſius, Severus, Hilarius, Ortygius, Aſturius, Serenus, Leporius, Aurelianus, Lampidius, Marcellus, Licinianus, Leonas, Olympius, Jocundus, Lampadius, Florus, Euſtathius, Exuperantius. Cujus Concilii tempus accuratè titulus deſignat: *Stilichone Conſule habitum Ærâ* CCCCXXXVIII. *Patruino Epiſcopo præſidente, ſub die ſeptimo Idus Septembris.* Adfuere Presbyteri quoque, & Diaconi; illi ſedebant, hi ſtabant; quibus placuit omnibus, ſtatuta Nicæna diligentiſſimè ſervari, irrogatâ violatoribus excommunicationis pœnâ. Canones viginti conſtituêre. I. Presbyteri & Diaconi, qui ante interdictum, quod *per Luſitanos* (vel ut alii legunt,) *per priores ante nos Epiſcopos* conſtitutum eſt, incontinenter vixerint, ad majorem gradum non promoveantur. II. Pœnitens ne ad Clerum admittatur, niſi neceſſitate urgente, Oſtiarius aut Lector erectus, ita tamen ut Evangelia, & Apoſtolum non legat. Pœnitens ille eſt, qui poſt baptiſmum pro graviſſimis peccatis publicam pœnitentiam gerens, *ſub cilicio divino fuerit reconciliatus altario.* III. Lector, qui viduam duxerit, ad altiorem gradum, niſi fortè ad Subdiaconatum non promoveatur. IV. Subdiaconus qui defunctâ uxore aliam duxerit, ab officio remotus habeatur inter Oſtiarios & Lectores, ita ut Evangelium & Apoſtolum non legat. Qui tertiam acceperit, abſtentus biennio inter Laicos per pœnitentiam reconcilietur. V. Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, qui ad Eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus ab Epiſcopo ſe non emendaverit. VI. Puella Dei nil familiaritatis habeat cum Confeſſore, aut Laico ſibi ſanguinis alieni: ad convivium ſola non adeat, niſi ubi honeſtæ mulieres. In Lectorum domibus Virgines ſacræ non admittantur, niſi ſint conſanguineæ ſorores. VII. Clericus, cujus uxor peccaverit, præter necem habeat poteſtatem conſtringendi eam: neque cum ea cibum ſumat, niſi pœnitentiam egerit. VIII. Qui poſt baptiſmum militaverit, Diaconi ad dignitatem non perveniat. IX. Nulla profeſſa aut vidua abſente Epiſcopo, aut Presbytero antiphonas cum Confeſſore, vel ſervo faciat. Lucernarium niſi præſente Epiſcopo, Presbytero, Diacono non legatur. X. Nullus obligatum cuiquam abſque conſenſu domini, vel patroni Clericum faciat. XI. Si quis potentem, Clericum, aut religioſum expoliaverit, & Epiſcopum convenire noluerit, excommunicetur, donec audiatur, ut reddat aliena. XII. Nullus Clericus alteri Epiſcopo communicet, niſi à ſchiſmate recedit, vel hæreſi. XIII. Qui ingrediuntur Eccleſiam, nec unquam communicant, ad pœnitentiam accedant: ſi communicant, non ſemper abſtineant. XIV. Qui acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non conſumpſerit, vel ut ſacrilegus propellatur. XV. Ad domum Excommunicatorum nullus accedat: qui cum ipſis colloqui deprehenditur, excommunicetur. XVI. Devota, quæ adulterium perpetravit, decem annos pœniteat. Priuſquam in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullum convivium recipiatur. Quæ virum accepit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi maritus deceſſerit. XVII. Qui junctus matrimonio concubinam habet, communione privatur. Qui caret uxore, ſi unâ concubinâ contentus eſt, Sacramento non repellitur. XVIII. Vidua Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſi maritum accipit, moriens tantùm participet Euchariſtiam. XIX. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi filia, quæ Deo devota eſt, ſi maritum duxerit, in exitu vitæ communicet, poſt actam pœnitentiam ſi eam pater, vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. XX. Quia in aliquibus Provinciis Presbyteri Chriſma conficiunt, placuit ex hac die à ſolo Epiſcopo confici, ad quem ante Paſcha Diaconi, aut Subdiaconi mittantur, chriſma allaturi. Presbyter abſente Epiſcopo chriſmare poteſt, Diaconus non poteſt.

Priſcillianiſtarum nonnulli errorem ejurant. Quid de ipſis Toletani decrevere?

XIV. In eo Concilio geſta ſunt & nonnulla memoratu digniſſima. Symphoſius quippe, Dictinius, *& alii cum his, Gallæciæ Provinciæ Epiſcopi, Priſcilliani Sectatores, hæreſim ejus blaſphemiſſimam, cum aſſertione totius profeſſionis ſuæ ſub-*

Idacii Chron.

Anno Dom. 400.

ſubſcriptione condemnant. Hic eſt ille Dictinius, qui Leonis in Epiſtola ad Turibium corruptè voce *Diſicinius* appellatur. Scriptis patrocinatus erat ſuis Priſcillianiſtarum errori, de quibus & mentio eſt Leonis in Epiſtola, c. 16. *Prodidit juſta querimonia, quòd Dictinii tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, à multis cum veneratione legerentur, cùm ſi aliquid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem ejus magis amare debeant, quàm lapſum.* Quæ ſummatim refert Idacius, fuſius in Actis Synodi proponuntur. Poſt Cæſaraugustanum Concilium Hiſpaniæ Epiſcopis ſcripſerat Ambroſius Mediolanenſis, ut ſi Clerici de Priſcillianiſtarum ſecta *condemnaſſent, quæ perperàm egerant, & implevissent conditiones, quas præſcriptas litera continebant, reverterentur ad pacem.* Propè gemini tenoris Epiſtolas miſerat Siricius. Mordicùs tamen errori ſuo adhærebant Priſcilliani fautores. Ac *Symphoſius* Dictinium ordinaverat Epiſcopum, quem Ambroſius decreverat, ſolo Presbyteri honore contentum eſſe. Declinaverant & indictum in Toletanâ urbe Concilium, ad quod fuerant evocati. Quæ magna ſanè pertinacia fuit cum errore conjuncta. At tandem ad frugem ſe recepere complures, aliis in impietate ſuâ permanentibus. Edantur in reſipiſcentiæ ſuæ laudem nomina ad Eccleſiam redeuntium. Præſentibus ergo Toletanis *Symphoſius* hæc dixit Epiſcopus: *Hanc ego doctrinam, quæ aut duo Principia dicit, aut Filium innaſcibilem, cum ipſo autore damno, qui ſcripſit.* De ſcripto quoque recitavit: *Omnes libros hæreticos, & maximè Priſcilliani doctrinam damno.* Dictinius quoque Priſcilliani opiniones palam apertèque ejuravit: *Hoc, inquit, in me reprehendo, quod dixerim, unam Dei, & hominis eſſe naturam.* Comaſius Presbyter hæc locutus eſt: *Sequor autoritatem Epiſcopi mei Symphoſii, ſequor ſapientiam ſenis.* Quin etiam ex chartula legit: *Cùm Catholicam & Nicænam fidem ſequamur omnes, & Scriptura recitata ſit, quam Donatus Presbyter, ut legitur ingeſſit, ubi Priſcillianus innaſcibilem eſſe Filium dixit, conſtat hoc contra Nicænam fidem eſſe dictum.* Horum exemplum imitantur Iſonius, atque Vegetinus: *Iſonius nuper baptizatum ſe à Symphoſio, & Epiſcopum factum, hoc ſe tenere, quod in præſenti Concilio Symphoſius profeſſus eſt, reſpondit. Vegetinus verò olim ante Cæſaraugustanam Synodum Epiſcopus factus, ſimiliter libros Priſcilliani cum Autore damnaverat.* Fuere tamen nonnulli, qui toti ſe Priſcilliano addiære, quem Catholicum ſanctumque Martyrem ne vel interrogati prædicarunt. Obſtinatiſſimi erroris hujus fuit *Herennas* Epiſcopus cum Clericis ſuis. Alios & Acta Toletana memorant: *Hunc cum his omnibus, tam ſuis Clericis, quàm diverſis Epiſcopis, hoc eſt, Donato, Acurio, Æmilio, qui ab eorum profeſſione recentes maluiſſent ſequi conſortium perditorum, decernimus à Sacerdotio ſubmovendum.* Vegetinum nullâ antè ſpeciali ſententiâ damnatum communioni ſuæ reddunt. *Paternum* libenter amplexi, Eccleſiam retinere ſuam permittunt, recepturi in ſuam communionem, cùm ſedes Apoſtolica reſcripſerit: *Reliqui qui ex Provincia Gallæcia ad Concilium convenerant, & in Symphoſii ſemper communione duraverant; acceptâ formâ à Concilio miſſa ſi ſubſcripſerint, etiam ipſi in cœleſtis pacis contemplatione conſiſtant, expectantes pari exemplo, quid Papa qui nunc eſt, quid ſi Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.* Symphoſium jubent expectare communionem, unde prius ſpem futuræ pacis acceperat, quod obſervandum etiam Dictinio, & Anterio decernunt. Conſtituunt quoque *prius quàm per Papam, & Simplicianum communio reddatur, non Epiſcopos, non Presbyteros, non Diaconos ab illis ordinandos*, ut noſcant nam Synodicæ ſententiæ præſtent reverentiam. Monent Epiſcopos vigilare, ne quis communione depulſus *Collectiones faciat per mulierum domos; & apocrypha, quæ damnata ſunt, legat.* Denique *Ortygio* Epiſcopo Eccleſias, de quibus pulſus fuerat, pronunciant eſſe reddendas. Geſta hæc ſunt Synodi Toletanæ, in quibus obſervandum, Gallæciæ Epiſcopis, qui Priſcilliani partes deſeruerant, tam Simpliciani Mediolanenſis, quàm Anaſtaſii Rom. Epiſcopi expectandam eſſe communionem. Quod certè mirum, ſi pro Eccleſiæ totius Principe, atque Paſtore Anaſtaſium Toletani habuiſſent.

Leon. Ep. 93.

Lab. Conc. tom. 2. pag. 1229.

XV. Inter Toletanos præcipuè eminebat Olympius, qui nomen ſuum libris quos conſcripſit, famæ commendavit. De ſcriptis ejus mentio eſt apud Gennadium: *Olympius natione Hiſpanus Epiſcopus, ſcripſit librum fidei adverſum eos, qui naturam, & non arbitrium in culpam vocant; oſtendens non creatione, ſed inobedientiâ inſertum naturæ malum.* Uſus eſt & Olympii teſtimoniis nec ſine laude Auguſtinus contra Julianum: *Olympius Hiſpanus Epiſcopus, vir magnæ in Eccleſia & in Chriſto gloriæ, in quodam ſermone Eccleſiaſtico, Si fides, inquit, &c.* Illuſtris quoque fœminæ memoria eſt apprehendenda, Fabiolæ ſcilicet, cui Hieronymus magnifica juſta perſolvit in ſua ad Oceanum Epiſtola. Ex pœnitentia, quâ Romæ defuncta fuerat, multum ob pietatem laudis ſibi comparaverat. Eleëmoſynis tamen, quas in pauperes erogavit, ſe ipſâ major fuit: *Prima omnium νοσοκομεῖον inſtituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus atque inediâ miſerorum membra foveret . . . Quoties morbo regio & pædore confectos humeris ſuis ipſa portavit? quoties lavit purulentam vulnerum ſaniem?* Hoc circiter anno pietatis ſuæ præmia tulit, in cœlites relata. Necdum ſpiritum exhalaverat, *& jam fama volans tanti prænuncia luctus totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata tecta Templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluia.* Hæc eſt illa Fabiola, cujus etſi defunctæ tractatui de quadraginta duabus Manſionibus nomen præfixit Hieronymus. In ſua peregrinatione Hieroſolymitana Fabiola hoſpitio utebatur Hieronymi, à quo etiam extorſit, ut de XLII. Manſionibus opuſculum ſibi promitteret: *Quod, inquit, uſque in præſens tempus, ut nunc intelligo, Domini voluntate dilatum, redditur memoriæ illius, ut Sacerdotalibus prioris ad ſe voluminis induta veſtibus, per mundi hujus ſolitudinem gaudeat ſe ad terram repromiſſionis aliquando veniſſe.* Ex quibus intelligimus, anno proximè ſequente promiſſi munus Hieronymum confeciſſe.

Olympius, quin? Mors Fabiolæ.

Gennad. de Vir. illuſtr.

Aug. contr. Julian. l. 1. c. 3. & 7.

Hier. Ep. 30.

Hier. Ep. 30. c. 3.

XVI. Annum nobilitavit Severi Sulpitii Hiſtoria ſacra: *Dominus, inquit, crucifixus eſt Fuſio Gemino & Rebellio Gemino Coſſ. A quo tempore uſque in Stilichonem Conſulem ſunt anni CCCXXII.* Si Gennadio credimus, Severi nomen geſſit: *Severus Presbyter, cognomento Sulpitius, Aquitanicæ Provinciæ, vir genere, & literis nobilis, & pau-*

Severus Sulpitius. Ipſius vitæ breviarium.

Sulp. H. l. 2.

ANNO DOM. 400.

pertatis atque humilitatis amore conſpicuum. Quæ pauca multis Severum laudibus exornant. Nitiobrigem fuiſſe, ex ipſo colligitur, qui Phœbadium ſuum vocat: Inter Ariminenſes *conſtantiſſimus*, inquit, *habebatur noſter Phœbadius*, p. 428. Phœbadius verò Aginni Epiſcopum egit. Miraculo ad Dominum converſum eſſe, Paulinus memorat: neque inficiamur potentiſſimâ Dei gratiâ opus fuiſſe, ut ſpretis terrenis ad cœleſtia ſe converteret. Proferantur verba Paulini, quibus de Severo multa docemur: *Ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior. . . & in ipſo adhuc mundi theatro, id eſt, fori celebritate diverſans, & facundi nominis palmam tenens, repentino impetu diſcuſſiſti ſervile peccati jugum. . . . Neque te divitia de matrimonio familia conſularis aggeſta, neque poſt conjugium peccandi licentia, & calebs juventa ab anguſto ſalutis introitu . . . in mollem illam & ſpatioſam multorum viam revocare potuerunt.* Conjugi ergo de ſanguine conſulari ortæ ſuperfuit Severus. Martino amiciſſimum fuiſſe ſcimus, Monachum neſcimus. Toloſæ habitavit, teſte ſuâ ad ſocrum *Baſſulam* Epiſtolâ: *Ego Toloſa poſitus, tu Treveris conſtituta.* Ad Presbyteri dignitatem pervenit, Epiſcopatum verò nunquam adeptus eſt: ut magnum peccatum ſit eruditorum nonnullorum, qui cum Severo Bituricenſi Antiſtite, qui ſexto exeunte ſeculo è vita abiit, illum permiſcuere. Veneno Pelagii jam ſenex afflatus eſt, teſte Gennadio: *In ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret.* Millenariorum opinioni favit, ipſo fatente Hieronymo, cui amicus erat. Dictione uſus eſt terſâ & eleganti in ſcribendis & Epiſtolis, & Dialogis, & vita Martini, & Hiſtoria Sacra, unde Saluſtii Chriſtiani nomen ſibi comparavit. Anno circiter CCCCXX. vitam cum morte commutavit.

Paulin. Ep. 1.

ANNO DOM. 400.

ANNA-

ANNALES
POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæſare Auguſto ad Phocam uſque.

In quibus res Imperii Eccleſiæque obſervatu digniores ſubjiciuntur oculis, erroreſque evelluntur Baronio.

SECULUM QUINTUM.

ANNO DOM. 401.

ANNO U. C. 1154. OLYMP. 295. PER. JUL. 5114. JULIANO 446. DOM. 401. ARCADII 19. & 7. HONOR. 9. & 7. *Sol.* 18. F. *Lunæ* 3. *Indict.* 14. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 2. *P.* 14. *April.*

ANNO DOM. 401.

CÒSS. *Fravitta & Vincentius.*

Natales Theodoſii. Gravis hyems.

I. VIctoriâ de Barbaris ſuâ contentus Fravitta, fugientem perſequi Gainam noluerat. Quod victori invidiæ fuit, quaſi popularibus ſuis pepercisset. Nihilominus benignè exceptum Conſulem deſignarat Arcadius. Quod munus ampliſſimum hoc anno geſſit. Fravitta natione Gothus erat, ſed magnâ fide & benevolentiâ erga Romanos præditus, teſte Socrate.

Socr. l. 6. c. 6.

Fravittæ Conſulatum decoravit Theodoſii Junioris nativitas, quæ quarto Idus Aprilis contigit. Eundem Theodoſii natalibus dicin Chronicum Alex. aſſignat. Ut in Marcellino error ſit, Librariorum fortè culpâ, qui Theodoſii ortus III. *Idus Aprilis* alligavit. Infantulum Chryſoſtomus baptiſmo conſecravit. Tanta hyemis inclementia fuit, ut miris modis in mare ſævierit: *Maris Pontici ſuperficies ita gelu ſtanata eſt, ut per triginta dies ſoluta tandem glacies, inſtar montium per Propontidem ſupernè portata decurreret.*

Niceph. l. 13. c. 9.

Marcell. Chron.

Chryſoſtomo in Aſiam migrandi cauſæ. De Geruntio, & Severiano.

II. Hîc loci occurrunt nobis res Eccleſiaſticæ memoratu digniſſimæ, quas tamen horreſcentes referemus; cùm magnam Eccleſiæ cladem attulerint. Conſuetâ Chryſoſtomus vigilantiâ Epiſcopale munus implebat: dum eo fungitur, defuncto *Antonino* Epheſino Præſule ex Aſia Epiſtolas accipit, quibus in ea regione ipſius præſentia requirebatur. Verùm antequam de rebus in ea peregrinatione geſtis diſſeramus, nonnulla prius narrare peropus eſt, quibus præviis illuſtrior ſimulque clarior fluet hiſtoria. Diaconus Ambroſii *Gerontius* vel fucum facere volens, vel variis imaginibus deceptus, quibuſdam retulerat, ſe noctu *onoſcelidem* comprehenſam, capite raſo in piſtrinam conjeciſſe. Qua de cauſa Ambroſius eum, utpote indigna locutum, domi ad tempus manere, & pœnitentiâ expiari juſſerat. At *Gerontius* & medicinæ peritus, & eloquentiâ pollens, ſpreto Ambroſio, Mediolanenſique urbe relictâ Conſtantinopolim pergit. Ibi cùm Aulicorum in animum ſeſe inſinuaſſet, non multò pòſt Nicomedienſem Epiſcopatum adipiſcitur. Ordinaverat eum *Helladius*, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, cujus filio ſplendidam in Palatio militiam impetraverat. Hoc ubi didicit Ambroſius, Nectario ſcribit, Gerontio Epiſcopatum adimeret, ne & ſe, & Eccleſiæ diſciplinam contumeliâ affici pateretur. Verùm Nectarius, quamvis id omni ſtudio perficere conaretur, nunquam tamen obtinere potuit, univerſis ſimul Nicomedienſibus fortiter repugnantibus. Gerontii abdicatio Chryſoſtomo deſtinabatur. Dum & hac, & compluribus aliis de cauſis in Aſiam migrat, Eccleſiam Severiano ſuam commendat. Quæ res & Chryſoſtomo damno fuit. Gabalorum Syriæ Epiſcopum Severianus agebat. Exemplo Antiochi in regiam ſe civitatem contulerat. Erat Antiochus Ptolemaidis in Phœnicia Epiſcopus, tantæ vis eloquentiæ, ut à nonnullis *Chryſoſtomi* quoque nomen adipiſceretur. Cujus ope & laudis, & pecuniarum multum Conſtantinopoli ſibi comparaverat. Antiochum imitatus *Severianus*, regiam & orbem petit. In ſententiis exponendiſque ſacris Oraculis Antiochio præſtantior quidem habebatur, minus tamen expeditè loquebatur, & aſperitatem Syrorum retinebat. Cæterùm Chryſoſtomum benevolum nactus, ſæpè in Eccleſia concionatus, magnam ſui admirationem excitavit, tantumque autoritatis adeptus eſt, ut Arcadii Eudoxiæque in familiaritatem veniret. Ipſi igitur, ut ſui ſtudioſo, migraturus in Aſiam gregem Chryſoſtomus ſuum crediderat. At Severianus auditoribus gratificari, populumque demulcere impenſius ſtudebat. Quod Chryſoſto-

Sozom. l. 8. c. 6.

mo·

mo diſplicuit. Jam reverſus ex Aſia fuerat, cum tranſeunti Severiano Serapio Chryſoſtomi Diaconus aſſurgere noluit, quo contumeliam inureret. Quâ commotus injuriâ Severianus, protinùs exclamat, *Si Serapis moriatur Chriſtianus, Chriſtus nunquam homo factus eſt*. Tum quidam ex Serapionis familiaribus ſuppreſſâ dicti hujus parte, affirmant à Severiano affirmatum, Chriſtum non induiſſe hominem. Accuſatus ea de re Severianus, ut blaſphemus à Chryſoſtomo urbe pellitur. Hoc ubi reſcivit Eudoxia, ſtatim Severianum Chalcedone revocat. Chryſoſtomus verò, quamvis à multis rogaretur, colloquium ipſius detrectabat, donec Auguſta Apoſtolorum in Eccleſia impoſito Chryſoſtomi genibus Theodoſio filio, ægrè in gratiam cum

Socr. l. 6. c. 11.

Severiano offenſum reduceret. Ac ſpecie quidem reconciliari intus exulcerato animo remanſere. Reconciliationis ſinceræ tamen ſigna Chryſoſtomus multa dedit, ut nil cauſæ ſit, cur diſſimulationis à Socrate poſtuletur. Multum quidem gregem ſuum hortatus eſt Præſul optimus, ut cohiberet animos in Severianum concitatos: *Si ergo*, inquit, *præparavi animos veſtros ad ſuſcipiendam legationem meam, recipite fratrem noſtrum Severianum Epiſcopum*. Die ſequente Severianus concionem habuit, in qua pacem exhibet, diſcreta corpora animum in unum copulantem. Quæ licet Chryſoſtomi poſt reditum contigerint, ea uno tenore narravimus, ne res Severiani ad hunc annum pertinentes diſtraherentur.

Synodus Epheſina. Quid in ea actum.

III. Veniamus nunc ad ea, quæ in Aſiatica peregrinatione ſunt à Chryſoſtomo geſta. Mortuo Antonino, Aſiæ Epiſcopi, Cleruſque Epheſinus obnixè Chryſoſtomum rogant, ut Epheſinæ Eccleſiæ & ab Arianis, & ab avaris hominibus afflictæ malis remedii aliquid adhiberet. Pietate flagrantem nec infirmitas corporis, nec vis hyemis impedire potuit, quominus in Aſiam navi iter carperet: *Irruente ſævo Aquilone, metuentes nautæ ne in Proconneſum ejicerentur, poſito velo in partem navis, quæ ventis verberabatur, Tritonis promontorium prætervehuntur, & ibi jactis*

Pallad. Vit. Chryſ. 134.

anchoris manſerunt, Auſtrum expectantes, ut Apamiæ applicarent. Cùm ibi biduum jejuni perſtitiſſent, in navicula agitati, tertiâ die Apamiam devenere, ubi eum expectabant Paulus, Cyrinus, & Palladius, quos via comites aſſumpſerat Joannes, pedibuſque confecto itinere Epheſum perveniunt. Et congregatis Lydiæ Epiſcopis, Aſiæ atque Cariæ numero ſeptuaginta ordinationem faciunt. Hæc Palladius, ex quo diſcimus, quid in eo conventu geſtum. Acceſſit ad Synodum Euſebius, ſex Epiſcoporum accuſator, rogans ad communionem admitti, teſteſque acceptorum ob ordinationes ab Antonino nummorum ſe producturum pollicetur. Ut ea de re tractari placuit, ſex illi ingrediuntur, qui datâ pecuniâ ordinationem ſibi emerant ab Antonino. Inducti teſtes, & Presbyteri, & Laici, & mulieres, qui munerum ſpecies, quantitatem, loca, tempora proferunt. Tum convicti rei, fatentur ſe pretio ordinatos, quo à Curiis liberarentur. Orant ſuum ſibi miniſterium relinqui; ſin minus, datum aurum recipiant, ſuppellectilemque uxorum, quam & nonnulli ſuppeditarant. Pollicetur Chryſoſtomus, ſe à Curiæ moleſtiis exorato Imperatore reos liberaturum. Synodus verò præcepit, ut ab Antonini hæredibus datam pecuniam recuperarent: intra altare quidem communicarent, ſed Exſacerdotum nomine. Sententiæ rei acquievere, unus etiam ex iis publicorum negotiorum defenſor factus eſt, & in eorum locum ſuffecti alii cœlibes, moribus probis, eruditioneque ornati. *Tredecim Epiſcopos in Lycia, Phrygia, Aſia ejectos eſſe*, Sozomenus tradit, l. 8. c. 16. Quem Palladius de Judicibus unus, errorem refellit. Sex tantùm fuere, quos Synodus exauctoravit. *Gerontius* Ambroſii Mediolanenſis Diaconus, cujus paucis ſuprà lineis relata eſt hiſtoria, loco ſuo movetur, reſiſtentibus maximè Nicomedienſibus, quibus perchatus erat: *Privatim publicèque Gerontii beneficia recenſebant, ubertimam utilitatem, quam ex illius arte medica percipiebant, dexteritatem denique ac ſedulitatem, qua erga omnes ex æquo tam pauperes, quam divites utebantur. Nec ſecus ac in terræ motu, aut ſiccitate per plateas civitatis ſuæ & Conſtantinopolis circumeuntes pſallebant, Deoque ſupplicabant, ut illum Epiſcopum haberent*. Gerontii in locum *Panſophius* Eudoxiæ Auguſtæ Præceptor, vir pius, & placidis moribus à Chryſoſtomo ordinatur. Egregiis tamen hiſce dotibus Nicomedienſium ſibi comparare benevolen-

Pallad. Vit. Chryſ. 136.

tiam haud potuit, qui ademptum ſibi Gerontium deſiderantes, frequenter tumultuabantur. Defuncto Antonino ſucceſſor poſtulabatur. Cùm magna contentio moveretur, aliis alium ad Epheſinam Cathedram promovere ſtudentibus, jurgia hæc componere Chryſoſtomus ſtatuit, Heraclide Cyprio Diacono quondam ſuo ad Epiſcopatum evecto. Novatianis quoque & Quartodecimanis multas ademit Eccleſias, quo facto Conſtantinopolim redit. Atque hîc eſt obſervandum, Baroniique Labbeique Chronologiam accuratam non eſſe, utpote qui Synodum Epheſinam cum anno CCCC. copularint, repugnantibus & hiſtoriæ tenore, & verbis expreſſis Palladii. Rogante Euſebio, ut in communionem admitterent, *contradicunt quidam Epiſcopi, adduntque calumniatorem eum eſſe, non oportere ipſum admitti. Poſt hæc ſupplicat dicens, Quoniam cauſa iſta biennio maxima ex parte examinata eſt, & ad veſtram adventum facta eſt dilatio, rogo pietatem veſtram, ut hodie jamjam teſtes producam*. Quòd ſi Epheſina Synodus an. CCCC. eſt congregata, non *biennio* quidem, ſed anno duntaxat uno Euſebii Antoninique cauſa ſub Judice fuiſſet. Tractata primum fuit anno proximo in Conſtantinopolitano conventu, *indictione* XIII. coacto: *biennium* ergo, quo lis perduravit, annum & CCCCI. complectitur, quo finita eſt.

Sozom. l. 8. c. 6.

Socr. l. 6. c. 11.

Pallad. Vit. Chryſ. 135.

IV. Longè graviori tumultu Orientis quatiuntur Eccleſiæ. Fervidus ingenio Hieronymus, ut Origeniſtarum pelle indutum Joannem Hieroſolymorum Epiſcopum laceraret, in fautores Origenis Theophilum accenderat. Verba hæc ſunt Epiſtolæ, quam Alexandrino Præſuli miſerat: *Super nefaria hæreſi quòd multam patientiam geris, & putas Eccleſiæ viſceribus inſubantes tuâ poſſe corrigi lenitate, multis Sanctis diſplicet, ne dum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat*. Laudis ſuæ cupidiſſimum Hieronymiani aculei pupugere. Sed aliæ quoque cauſæ Theophilum inflammarunt, quarum faſtigia ſumma nobis ſunt ab initio ſequenda. Exorta in Ægypto quæſtio fuerat, Utrùm Deus humanâ formâ præditus eſſet? Quam in opinionem Monachi deſcenderent, qui præ imperitia Scripturæ verba ſimpliciter, & ut ſonant, acceperc. Qui de meliore

Cauſæ Synodi Alex. in Origeniſtas. Quid in ea decretum? Epiſtola Theophili in Origenem.

Hieron. Ep. 68.

ANNO DOM. 401.

liore luto creati erant, hanc ſententiam impietatis damnabant, Scripturæque contrariam, in quâ Deus molis expers omnis aſſeritur, utpote purus putuſque Spiritus. Theophilus ipſe palam publicèque in Eccleſia docuerat, & in Epiſtolarum una, quas de feſto Paſchali ex more ſcribebat, Deum & à figura humana alienum, & incorporeum prorſus eſſe affirmaverat. Quæ nunc Epiſtola deſideratur. Hoc ubi Ægyptii Monachi novere, Alexandriam profecti tumultuantur, Theophilumque velut impium è medio tollere volunt. Ad quos progreſſus, *Perinde*, inquit, *vos aſpexi, ac vultum Dei*, quo dicto cùm furor non nihil mitigatus foret, talia loquuntur: *Si ex animo ita credis, Origenis libros damna, quibus Lectores in eam ſententiam inducuntur.* Tum Theophilus: *Iſtud quidem jampridem conſtitueram, faciamque, ſicut vobis videtur.* Hâc ratione deluſis Monachis Theophilus ſeditionem diſſolvit. Synodum verò cogit apud Alexandriam, quâ Origenis libri damnarentur. Pauca Synodorum ea de cauſa celebratarum ſuperſunt in

Sulp. Dial. 1. c. 3.

Sulpitio Severo veſtigia: *Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui tractator Sacrarum Scripturarum peritiſſimus habebatur. Sed Epiſcopi quadam in libris ipſius inſanius ſcripta memorabant, quæ aſſertores ejus defendere non auſi, ab Hæreticis potius fraudulenter inſerta dicebant. . . Adverſum hos Epiſcopi obſtinatius renitentes, pro poteſtate cogebant recta etiam univerſa cum pravis, & cum ipſo autore damnare, quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet; reſpuendam eſſe penitùs lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus, quàm profutura ſapientibus.* Hæc Poſthumianus, qui tum temporis in Ægypto verſabatur, narrat Severo. Extat Epiſtola Paſchalis Theophili, quæ perturbato ordine ſecunda dicitur, cùm prima ſanè fuerit, quâ Origeniſtæ percelluntur. Cujus hoc eſt initium: *Chriſtum Jeſum Dominum gloriæ*, &c. Ex criteriis ſanè

Theoph. Ep. 2.

liquet, ad hunc annum pertinere: *Juxta Evangelicas traditiones finiamus, jejunia intempeſtâ nocte, octavo decimo die menſis Pharmuti, & altero die, qui Dominicæ Reſurrectionis eſt Symbolum, id eſt, nono decimo ejuſdem menſis verum Paſcha celebremus.* Pharmuti quidem *decimus nonus* eſt Aprilis XIV. quo Paſcha anno CCCCI. eſt celebratum. In ea porro Epiſtola Theophilus multum & acerbè in Origeniſtas invehitur: *Cur*

B. M. P. c. 5. 851.

Dathan & Abiron, qui minora peccarunt, non veniant ante tribunal Chriſti, & ſui comparatione contemnent eum, qui extra Eccleſiam Salvatoris variarum doctrinarum thuribula diabolico igne compleverit? Aſſerit, fautorem eſſe Magi Elymæ, ne verò intactos prætereat errores Origenis, ea quoque carpit, quæ cum laude dicta ſunt, *mediatorium* ſcilicet Chriſti regnum perpetuum non

1 Cor. 15.

fore, Paulo Apoſtolo dicente, *Filium Patri regnum eſſe traditurum*, & ſubjiciendum eſſe Deo, qui erit omnia in omnibus. Hîc Baronii error non eſt diſſimulandus, qui & Origeniſtarum à Theophilo damnationem, & Monachorum in urbem regiam adventum anno CCCC. aſſixit. Quem vitaſſet errorem, neque eruditis benè multis propinaſſet, ſi & tempori ſuo Epheſinum Concilium aſſignaſſet, quod certè Monachorum anteceſſit adventui, & Epiſtolarum Theophili Paſchalium notas diligentius obſervaſſet. Porro Origeniſtarum adverſariis non ſuffecit Synodalis autoritas ad eos prorſus obruendos auxilium Imperatoris implorarunt. Quod nos docuit Hieronymus Apologiæ in Rufinum l. 1. c. 3. *Imperatorum quoque ſcripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origeniſtas pelli jubent, me ſuggerente dictata ſunt.* Sic tandem factum eſt, ut Origenes, quem penè pro Deo Veteres coluerant, ut noxius Dæmon ad inferos relegaretur. Quò pertinet viſum Monachi à Neſtoriano errore ad pietatem tranſlati. Vir quidem ſpecie terribilis,

Cotel. Mon. c. 2. 349.

aſſumptum Monachum *duxit in locum tenebroſum, fœtidum, igne ferventem, & oſtendit ei in ipſo igne Neſtorium & Theodorum, Arium & Origenem, aliosque nonnullos.*

Cauſæ odii Theophili in Longos fratres: ejus in ipſos violentia.

V. Damnatis Origeniſtis, Theophilus dein vindictæ cupidum explet animum. Hîc præ cæteris nobis eſt audiendus Palladius. Iſidorus Athanaſii Presbyter, quem & ordinarat annos natus octoginta, ab Optimatis vidua mille aureos acceperat, præſtito per Servatoris menſam juramento, ſe clam Theophilo emptis veſtibus pauperiores Alexandriæ fœminas contecturum, ne extruendis ædificiis adhiberentur pro more Theophili. Qui ubi ex exploratoribus ſuis, quos complures habebat, audivit aureos viduis veſtiendis impenſos eſſe, vocatum Iſidorum rogat, an ea ita ſeſe haberent. Fatente Iſidoro, ſcenam mutat. Poſt duos menſes Clero convocato, chartulam præſente Iſidoro profert, quâ criminis Sodomitici accuſabatur. Miratur Iſidorus, cur annis decem, vel octo libellum Theophilus reconditum habuerit, cæterùm accuſatorem adeſſe jubet. Re in alium diem dilatâ, Theophilus promiſſis, & ut aiunt, decem aureorum munere corruptum, juvenem accuſatorem parat Iſidoro. Quos cùm matri dediſſet, verita illa ne ad Provinciæ Præſidem provocaret Iſidorus, ipſi tragœdiam fatetur, oſtenſis aureis, quas à ſorore Theophili ſe accepiſſe ferebat: nec multò pòſt morbo mamillas depaſcente, vitam cum morte commutat. Puer verò metu Legum ad ſacram menſam perfugit. Silente ergo jure Iſidorus Eccleſiâ pellitur, qui graviores à Theophilo veritus inſidias, curſu petit Nitriæ montem ad Monachos, cum quibus in adoleſcentia vixerat. Tum Theophilus, miſſis ad vicinos Epiſcopos literis, Monachorum præcipuos tam monte, quàm interiore eremo pelli jubet. Monachi cum Senioribus Alexandriam migrantes, damnationis cauſam quærunt à Theophilo. Qui *Ammonio* grandævo omophorium manibus ipſe ſuis injicit in collum, malis colaphos impingit, pugnis nares cruentat, clamando, *Hæretice, anathematiza Origenem.* Sic ſanguine ſuo reſperſi ad Monaſteria redeunt. Ne hæc quidem ſatis erant ad ſatiandum Theophilum. Advocatis vicinis Epiſcopis in Monachos Concilium cogit, ex quibus nullâ factâ dicendi copiâ, tres præcipuos excommunicat, perverſæ doctrinæ obtentu. Nomina Excommunicatorum Palladius non edidit. Illos verò putamus eſſe, quos memorat Theophilus in ſua ad Epiphanium

Hieron. Ep. 67.

Epiſtola; Ammonium, Euſebium, & Euthymium. Latâ excommunicatione, ex ipſo monte homines eligit quinque numero, quos in Clerum refertet. Unum ex illis Epiſcopum creatum viculo præficit, ſecundum Presbyterum, tres alios Diaconos creat. Collati honoris in præmium libellos, quorum ipſe verba dictarat, adverſus ſenes offerunt, quibus acceptis Theophilus Auguſtalem convenit, nomineque ſuo flagitat, ut Ægypto pellantur militari manu.

Accepto in ſpeciem militæ, atque mandato, ſceleratorum turbam congregat, pueros qui ſecum erant, vino ingurgitat, noctuque repentè invadit Monaſteria; Dioſcorum Sanctum Epiſcopum tractum à ſervis Æthiopibus, throno ejici jubet; parœciam ipſius ſibi vindicat, quam à Chriſti adventu habebat civitas Dioſcori. Expilatis cellulis, tres quos excommunicationis fulmine ferierat, inquirit maximâ diligentiâ. Quos in puteum demiſſos, impoſitâ ori ſtoreâ, cum non inveniſſet, cellulas ipſorum appoſitis ſarmentis incendit: ſimul & Sacri Codices, & optimi libri cum Euchariſtia in cineres rediguntur. Ut Alexandriam repetiit, egreſſi latibulis Monachi, ſumptis melotis ſuis Æliam proficiſcuntur. Præter Presbyteros & Diaconos, trecenti ex monte Monachi cum abeuntibus migrant; alii per diverſa loca diſperguntur. Ad hæc Theophilus aculeatas Palæſtinæ Epiſcopis literas ſcribit, quibus ipſos monet, ne deinceps in locum, vel privatum, vel publicum Monachos admittant. Quippe Ammonius ac reliqui Hieroſolymis Scythopolim pervenerant, commodum ſibi ejus loci domicilium arbitrati ob copiam palmarum, quarum foliis ad conſueta Monachorum opera utebantur.

Sozom. l. 8. c. 13.

Theophili depellendis Monachis Epiſtolarum latores Presbyteri duo *Priſcus & Babilus*, quorum meminit Hieronymus:

Hieron. Ep. 70.

Vidimus illos zelo fidei concitatos, raptim Palæſtinæ luſtraſſe regiones, & diſperſos regulos uſque ad ſuas latebras perſecutos. Illi hìc & illìc migrantes, tandem in comitatum veniunt, atque Chryſoſtomi ad genua provoluti orant, ſuccurrat miſeris, calumniam paſſis. Numero *quinquaginta* erant, quorum caniciem ſacris laboribus tinctam ut vidit, in lachrymas effuſus ſtetit. Cui profugi: *Sede pater, & nobis medere, non mediocriter vulneratis à Theophili Papæ furore. Si & ipſe nos negligis, nihil jam reliqui nobis ſit à vobis, niſi ut Imperatorem adeamus, & prava illius facta in contumeliam Eccleſiæ exponamus.* Rogant perſuadeat Theophilo, ſuum petentibus domicilium in Ægypto concedere, nil contra aut ipſum, aut Servatoris Leges peccantibus. Quibus auditis, libenter negotium Chryſoſtomus ſuſcipit: monet eos adventus ſui cauſam apud omnes religioſo ſilentio tegere; datoque ipſis in Anaſtaſia Eccleſia hoſpitio, non tamen alimenta ſuppeditavit, quæ & à religioſis fœminis, & proprio ſibi labore compararunt.

Pallad. Vit. Chryſ. p. 53.

Ad preces quoque in Eccleſia fundendas Monachos admiſit, Chryſoſtomus illis tamen ſacrorum myſteriorum communionem impertire noluit, quòd ante cauſam cognitam id fieri non poterat. Poſt aliquantum temporis procedente in publicum Auguſtâ, ad eam Ammonius ipſiuſque comites acceſſere, illatam ſibi querentes injuriam à Theophilo. Tum Imperatrix honoris cauſâ ſubſiſtens, prolato extra vehiculum capite inclinato annuit.

Soz. l. 8.

Quos & ſic alloquitur: *Benedicite, & orate pro Imperatore, pro me, ac liberis, atque imperio. Ego dabo operam, ut Synodus brevi convocetur, & Theophilus huc veniat.*

Pertinacia Theophili in vexandis Nitrienſibus. Scribit Epiphanio. Theophili iniquitas.

VI. Ut lugubrem perſequamur hiſtoriam, ſub id tempus, quo Monachi ſui doloris cauſas aperuere Conſtantinopolitano Præſuli, contigit Clericos Theophili nonnullos in regiâ urbe verſari, Magiſtratuum, qui regendæ Ægypto deſtinabantur, benevolentiam Theophilo conciliantes. Quos ad ſe accitos Chryſoſtomus interrogat, Præſentiumne Monachorum notitiam haberent? Qui candidè profeſſi ſunt, & ſibi probè notos eſſe, & vim magnam perpeſſos. Neque repugnarunt, quominus afflictis benignum ſe præberet; id unum flagitarunt, ne ad myſteriorum uſum admitteret, quod nec ab eo factum eſt, licet id nunciatum fuerit Theophilo. Ut autem Monachis promiſſa ſolveret, Theophilo ſcribit:

Pallad. Vit. Chryſ. p. 60.

In hoc mihi ut filio, & fratri gratificare, hoſce viros amplectitor. At tantum abeſt, omnia Chryſoſtomo cederet, ut audito demum Monachos in regiam urbem perveniſſe, quod à ſuis Clericis ibi conſiſtentibus accepiſſe exiſtimamus, & viros diſputandi litigandique peritos miſit, & Legatos ea de cauſa quoque mittere, Epiphanium hortationibus ſollicitavit. Ipſum audiamus, hæc Epiphanio ſcribentem:

Hier. Ep. 67.

Dignationis tuæ eſt, quæ in hujuſcemodi certaminibus ſæpè ante nos pugnavit, & poſitos in prælio conſolari, & congregare totius Inſulæ Epiſcopos, ac Synodicas literas tam ad nos, quàm ad Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, & ſi quos alios putaveris mittere, ut conſenſu omnium & ipſe Origenes nominatim, & hæreſis nefaria condemnetur. Didici enim, quod calumniatores veræ fidei, Ammonium, Euſebium, Euthymium, novo pro Hæreticis favore bacchantes Conſtantinopolim navigaſſe, ut & novos, ſi quos voluerint, decipiant, & veteribus ſuæ impietatis ſocios conjungant. Cura igitur tua ſit, ut cunctis Epiſcopis per Iſauriam atque Pamphyliam, & cæterarum Provinciarum, quæ in vicino ſunt, rei ordinem pandas, & noſtram ſi dignam putas, Epiſtolam ſubjicias, ut omnes uno ſpiritu congregati, cum virtute Domini noſtri J. C. tradamus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ poſſidet eos. Et ut celerius noſtra Conſtantinopolim ſcripta perveniant, mitte induſtrium virum, & aliquem de Clericis, ſicut & nos de ipſis Nitriæ Monaſteriis Patres Monachorum cum aliis ſanctis & continentiſſimis viris miſimus, qui poſſint cunctos in præſenti docere, quæ geſta ſunt. Hieronymum quoque de Nitrienſium Monachorum vexatione Theophilus monuit;

Hier. Ep. 69. & 70.

Origenis hæreſim in Monaſteriis Nitriæ quidam & furioſi homines ſerere, & fundere cupientes, propheticâ falce ſuccisi ſunt. Cui reſpondet Hieronymus: *Breviter ſcribimus, quòd totus mundus exultat, & in tuis victoriis gloriatur, erectumque Alexandriæ vexillum crucis, & adverſus hæreſim trophæa fulgentia gaudens populorum turba proſpectat.* Quæ de Nitrienſibus ampla ſpolia Theophilus retulerat, Hieronymo ſignificat & Epiphanius:

Hier. Ep. 73.

Sic Dominus confortavit famulum ſuum Theophilum, ut ſuper altare Eccleſiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret, & impleretur in eo, quod dicitur, Scribe hoc ſignum, quia delebo funditùs Origenis hæreſim à facie terræ cum ipſo Amalech. Si verum volumus, odio nimis ſuo indulſit Theophilus, neque in damnandis Monachis æqui juriſque regulas ſervavit. Inauditos fulminibus ſuis jaculatus eſt, eoque furoris proceſſit, ut vix in dubio poni poſſit, quin perſonas potius quàm errores ulciſci voluerit. Quid meruere cellulæ? Quid Sacri Codices? Quid Euchariſtia? Quid puer? quæ omnia flammis addicta. Theophili facinus damnat Chryſoſtomi manſuetudo, qui exules Monachos excepit benigniſſimè. Damnat & in primo Sulpicii Dialogo Poſthumianus. Qui in Origene reperiebantur errores, ab ipſius fautoribus non defendebantur, affirmantibus ſcilicet *fraudulenter inſertos eſſe.* Hoc unum volebant, *Ideò non propter illa, quæ in reprehenſionem meritò vocantur, etiam*

reliqua

ANNO DOM. 401.

reliqua eſſe damnanda. Quæ poſtulatio honeſta fuit, eò magis quòd ante obortas lites viri pii & uſi fuerant explicationibus Origenis, & libros ipſius verterant. Subjungit Poſthumianus: *Cùm hæc, atque alia iſtiuſmodi ab Epiſcopis proderentur, ex ſtudiis partium orta eſt ſeditio. Quæ cùm reprimi Sacerdotum autoritate non poſſet, ſævo exemplo ad regendam Eccleſiæ diſciplinam Præfectus aſſumitur, cujus terrore diſperſi fratres, ac per diverſas oras Monachi ſunt fugati, ita ut propoſito Edicto in ulla conſiſtere ſede ſinerentur.* In Epiphanio quoque majorem non requirere prudentiam non poſſumus: utpote qui de Monachis, quorum nec ſententia, nec cauſa ſibi ſatis explorata fuit, tulerit judicium. A quo cùm Ammonius quæreret, *Utrum aliquando in diſcipulos, aut in libros noſtros incideris? Illo negante iterum, quæſivit Ammonius, Unde ergo Hæreticos eſſe judicaſti, qui nullum habes argumentum, quo ſententiam illorum poſſis convincere?* Infelicis diſſidii ſeriem ſequentibus annis debitam reſervamus.

Sever. Dial. 1. c. 3.

Soz. l. 8. c. 15.

Baronii de fratrum Longorum expulſione errores.

VII. Convertamus nunc animum ad Baronium, qui erroribus nonnullis recitatam à nobis hiſtoriam maculat. Ac primum immeritò negat, Legatos à Theophilo Conſtantinopolim miſſos fuiſſe. Literis Theophili ad Epiphanium, inquit, *ſignificatur ab Epiphanio, non autem à Theophilo Conſtantinopolim tunc miſſum eſſe Legatum.* Atqui certum eſt, plures à Theophilo prius Conſtantinopolim Legatos miſſos eſſe, quàm Epiphanio ſcriberet. Teſtis ipſa Theophili Epiſtola, quæ legationis meminit: *Mitte*, inquit, *induſtrium virum, & aliquem de Clericis, ſicut & nos de ipſis Nitriæ Monaſteriis Patres Monachorum, cum aliis ſanctis & continentiſſimis viris miſimus.* Præterea *ante expulſos ex Palæſtina Monachos Conſtantinopolim profectos eſſe*, Baronius exiſtimans, falſi dicam ſcribit Sozomeno. Vera tamen ſcripſiſſe Sozomenum, Palladius oſtendit: *Theophilus irâ ſuccenſus, literas exarat ad Epiſcopos Palæſtinæ: Monachi multâ neceſſitate acti, cùm in alia ex aliis loca migrarent, tandem ad Comitatum veniunt.* Negat & Baronius, cum Ammonio in regiam urbem Iſidorum migraſſe, fretus Theophili literis, qui Ammonii, Euſebii, Euthymii ſolùm meminit. Quæ ratio ne vel nauci eſt, cùm ex *Palladio* conſtet, *quinquaginta* Monachos Conſtantinopolim veniſſe. Utrùm verò comes ipſorum fuerit Iſidorus, neſcimus quidem, & quantum ex Palladio conjicere datur, vero ſimilius eſt, in urbem regiam ſe non contuliſſe. Inſuper hoſtos ſuos Palladii ex fontibus irrigaſſe Sozomenum, Baronio venit in mentem: *Sed à quo Sozomenus ejuſmodi mutuatus eſt hiſtoriam? Invenies planè eadem fermè, & alia à Palladio, & ipſo jamdudum Origeniſta eſſe conſcripta.* Nos verò quovis pignore certabimus, in Palladii de vita Chryſoſtomi hiſtoriam oculos Sozomenum non depoſuiſſe, adeò diverſa memorat. Narrat odii adverſus quatuor fratres, qui *Longi* dicebantur, Ammonium ſcilicet, Dioſcorum, Euſebium atque Euthymium, Theophilo cauſam fuiſſe, Iſidorum, qui teſtem ſe conſtituerat, quòd ex Manichæorum ſecta mulier ad ſacra myſteria conſenſu Theophili à Petro Archipresbytero admiſſa fuiſſet, ex quo contigit, Petrum Iſidorumque ejici à Theophilo. Aliam verò odii rationem affert Palladius. Germanam verò inimicitiæ cauſam, quam Palladius tangit, eam proponit quidem Sozomenus; quòd nempe pecuniam Iſidorus reficiendis pauperibus adhiberat: *At ex quodam viro fide digno auditam.* Non igitur ex Palladio hauſtam. Cujus de vita Chryſoſtomi opus ſi legiſſet, inſtitutæ & adverſus Iſidorum accuſationis mentionem egiſſet. Errorem quoque vitaſſet, in quem delapſus eſt, Ammonium ſcilicet, & qui cum illo erant, ut audivere, miſſos à Theophilo aliquos eſſe, à quibus calumniâ afficerentur, Conſtantinopolim navigaſſe. Quod nec Palladio conſentit, nec veritati. Ex Palladio quidem didicimus, diu ſatis Ammonium cum ſociis prius in urbe regia conſtitiſſe, quàm Theophili Legati advcotarent. De profectione verò Legatorum audire Ammonius in Palæſtina non potuit, niſi poſt plurimos dies, quibus labentibus Legati Theophili jam urbi appropinquaſſent. Eſt ergo vero ſimilius, pace doctiſſimi *Huetii*, ubi Theophilo notum Monachos Conſtantinopolim tendere, ſtatim eo Legatos miſiſſe, qui Ammonio adverſarentur, ipſumque cum ſociis non minus ex Thracia, quam ex Palæſtina pellerent. Quod & innuit ad Epiphanium Epiſtola, quem hortatur mittere *induſtrium* virum, *Ut*, inquit, *celerius noſtra Conſtantinopolim ſcripta perveniant.* Atqui Legatum Epiphanii prævenissent illi, quos diu ante Ammonii profectionem Theophilus amandaſſe dicitur.

Bar. Ann. 400 n. 72.

Hier. Ep. 67.

Bar. Ann. 400. 72.

Pallad. Vit. Chryſ. p. 58.

Bar. Ann. 400. n. 71.

Soz. l. 8. c. 12.

Marcella Origeniſtis inimica. Anaſtaſius damnat Origenem.

VIII. Quibus tragœdiis & Occidentem turbarint res Origenis, nunc exponendum. Ut Romæ anno CCCXCVIII. Origenis de Principiis liber vulgatus eſt, à multis plaudentibus manibus exceptus, ab aliis rejectus fuerat. Præcipuè *Marcellam* commoverat, fœminam illuſtrem, ac ſuâ & pietate, & nobilitate in prima commendatione habitam. Non prætereatur ſine honore mulier, quam egregiis laudibus afficit Hieronymus: *Orbata patris morte, viro quoque poſt nuptias ſeptimo menſe privata eſt. Cùmque eam Cerealis, cujus clarum inter Conſules nomen eſt, propter ætatem & antiquitatem familiæ, & inſignem, quod maximè viris placere conſuevit, decorem corporis ac morum temperantiam ambitioſius peteret, ſuaſque longævas polliceretur divitias .... illa reſpondit, Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, utique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante, Poſſe & ſenes diu vivere, & juvenes citò mori, eleganter luſit, Juvenis quidem poteſt citò mori, ſed ſenex diu vivere non poteſt.* Hæc eſt illa mulier, quæ Romanorum multos in Origeniſtas commovit: *Dux fœmina facti.* Quam ut laboranti pietati ſuccurrentem ad cœlum uſque extollit Hieronymus: *S. Marcella, quæ diu ſe cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximèque ſeculi homines in aſſenſum ſui traheret, ac ſimplicitati illuderet Epiſcopi, qui de ſuo ingenio cæteros æſtimabat, publicè reſtitit, malens Deo placere, quàm hominibus.* Sic bili ſuæ indulgens Hieronymus temperare non potuit, quin *Siricium* nonnihil perſtringeret. Obtinuere ab eo quidem fautores non errorum ſanè, ſed librorum Origenis pietatis ſuæ teſtimonium: *Petunt & impetrant Eccleſiaſticas Epiſtolas, ut communicantes Eccleſiæ diſceſſiſſe viderentur*, ut in eadem Epiſtola ad Principiam legitur. Quæ verba in Rufinum præcipuè torquet Hieronymus. Relictâ quippe Româ Aquileiam migraverat, ubi anno CCCXCIX. miſſam ab Nepotiano Hieronymi, quâ Hæreticus vocabatur, Epiſtolam acceperat. Porro non ut Ca-

Hier. Ep. 16.

Ibid.

thedræ, ſic & benigni, quem in Rufinum Siricius oſtenderat, animi hæres Anaſtaſius fuit. Rufinum hæreſeos infamarant nonnulli, quibus tamen primum Pontifex aſſenſum non præbuerat: *De abſente*, (verba ſunt Rufini) *ſibique benè & in fide, & in veritate Dei cognito non accommodavit auditum ſanctitas tua.* Ut aſperſas tamen famæ ſuæ maculas Rufinus elueret, Apologiam fidei ſuæ miſit Anaſtaſio. Ea fuit Apologiæ infelicitas, ut non placeret. Joannes Hieroſolymitanus Rufino amicus, de ipſius fama ſollicitus, ad Anaſtaſium ſcribit. Hanc ſcribendi cauſam fuiſſe, verba indicant Anaſtaſii: *Quod te verò vulgi de Rufino querela ſollicitat, ut quoſdam malis ſuſpicionibus perſequaris, hanc etiam opinionem conſtringam divina lectionis exemplo.* Joannis literis invitatus Anaſtaſius, ſcribenti dirigit Epiſtolam, quam unam injuriæ temporis exemit hiſtoria. Reſpondet Anaſtaſius Joanni, qui multis ipſum laudibus oneraverat: *Hoc de laudibus eſt tuis, quòd me tantum de cæleſtis animi iſtius ſerenitate laudaſti. Tui enim Epiſcopatus ordo perſpicuus per diverſum orbem velut radians, etiam ad nos ſplendoris ſui detulit claritatem.* Quæ mirum quantum diſcrepent à verbis Hieronymi, quibus amariſſimis Joannem vexavit in ſua ad Pammachium de erroribus Joannis Hieroſolymitani Epiſtola: *Habes Papam Epiphanium, qui te apertè miſſis literis Hæreticum vocat.* Ad Joannis verò de Rufino conſultationem ſic reſpondet Anaſtaſius: *Rufinus, de quo me conſulere dignatus es, conſcientia ſua habet arbitrium divinam majeſtatem, apud quam ſe integro devotionis officio ipſe viderit, qualiter debeat approbare. . . . Hoc igitur mente concepi, quòd qui urbis noſtræ populis de tranſlata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus velut nebulam excitans, injectam fidem Apoſtolorum, majorum traditione firmatam, veluti devius anfractibus illum voluiſſe diſſolvere. Diſcere hoc loco libet, quid agat in Romanam linguam iſta tranſlatio. Approbo ſi accuſat autorem, & execrandum factum populis prodit: ut juſtis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama conſtrinxerat. Si verò interpres tantorum malorum erroribus conſenſum præſtat, & legenda impia dogmata prodit in populos, nihil aliud ſui opera laboris extruxit, niſi ut propria velut mentis arbitrio hanc, quæ ſola, & quæ prima apud Catholicos Chriſtianos vera fides jam ab Apoſtolis exinde uſque ad tempus præſens tenetur, inopinata titulo aſſertionis everteret.* Inſuper Joannem remittit ad Epiſtolam Mediolanenſi *Venerio*, à ſe ſcriptam: affirmat ſibi curam non defuturum ad Evangelii fidem circa ſuos populos cuſtodiendum: *Gaudet beatiſſimorum Principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens ab Origenis lectione revocetur.* Denique ad Rufinum rediens, *Rufinum*, inquit, *ſcito, quod propriâ mente Origenis dicta ad Latinum tranſtulit ac probavit, nec diſſimilis ab eo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum. . . . Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi.* Meminit Epiſtolæ hujus Hieronymus Apologiæ l. 2. c. 4.

Lab. Conc. t. 2. pag. 1194.

Rufini Apologia.

IX. Cùm famâ periclitaretur Rufinus, Apologiam pro fide ſua ad Anaſtaſium miſit, in qua nil eſt, quod ad pietatem requiratur: *Ad me*, inquit, *quoniam appetita exiſtimationis meæ fama pervenit, æquum putavi, ut quoniam ipſe poſt triginta ferè annos parentibus redditus ſum, & durum ſatis atque inhumanum erat, ſi tam citò deſererem eos, quos tam tardè reviſeram, ſimul & quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddidit ad iterandos labores, literis meis ſatisfacerem beatitudini tuæ.* De reſurrectione cenſet, *integram & perfectè futuram hujus ipſius carnis noſtræ. . . . Hæc nobis de reſurrectione tradita ſunt ab his, à quibus ſanctum baptiſma in Aquileenſi Eccleſia conſecuti ſumus.* De Diabolis hæc habet: *Si quis negat, Diabolum æternis ignibus mancipandum, partem cum ipſe æterni ignis accipiat, ut ſentiat quod negavit.* De animarum origine ſic ſtatuit, Deum eſſe & animarum, & corporum conditorem; utrùm verò formatis jam corporibus, vel ante corpora mentes condiderit, nil *certi*, vel *definiti* aliquid ſe tenere fatetur. De Origenis tranſlatione dicit, hanc ſe adornaſſe fratribus rogantibus: illa reſecaſſe, quæ ſibi in ſuſpicionem veniebant Origenis non eſſe, utpote cum aliis ejuſdem Autoris libris pugnantia. Subjungit, *Origenis ego neque defenſor, neque aſſertor ſum, neque primus interpres.* Rufini tamen Apologiam repudiavit Anaſtaſius, teſte Hieronymo: *Vade potius Romam, & præſens ad eum expoſtula, Cur tibi, & abſenti, & innocenti fecerit contumeliam? Primum ut non reciperet expoſitionem fidei tuæ, quam omnis, ut ſcribis, Italia comprobavit. Deinde ut Epiſtolas contra te ad Orientem mitteret, & cauterium tibi hæreſeos, dum neſcis, inureret.* Cæterùm quietum Rufinum non multum ſollicitavit Anaſtaſii Epiſtola, quâ damnabatur. Imò ſcribentem accuſavit iniquitatis. Audiatur Hieronymus: *Siricii jam in Domino dormientis profers Epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis. Quid enim tibi, ut ais, officere poteſt, quòd te ignorante aut ſcripſit, aut fortè non ſcripſit.* Et paulò ſuprà in eodem capite: *Rurſum in juſtitiam ſcribentis arguis, etiamſi ſcripta ſit ab illo, ſive non ſcripta, ad te nihil pertinere teſtaris, qui præceſſoris ejus habeas teſtimonium.* Neque etiam hanc Rufini damnationem magni fecit Chromatius Aquileiæ Epiſcopus, qui Rufinum & pro amico ſemper, & pro Presbytero habuit; ut etiam omnibus modis allaboraverit, Hieronymo Rufinum inſectanti imponere ſilentium. Hoc nos ipſe monuit Hieronymus: *Teſtem invoco Jeſum conſcientiæ meæ, qui & has literas, & tuam Epiſtolam judicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papæ Chromatii voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum.* Atque hic Baronium erroris non poſtulare non poſſumus. Primum anno CCCCII. Anaſtaſii ad Joannem Epiſtolam exaratam fuiſſe ſciſcit. Qui anni eſt unius metachroniſmus. Cùm enim tam Invectivæ Rufini, quàm Anaſtaſii ad Joannem Epiſtolæ ſuæ in Apologia meminerit Hieronymus, neceſſe eſt Epiſtolam currente anno ſcriptam fuiſſe, cùm in ſequente Apologia prodierit. Cenſet & illuſtriſſimus Purpuratus, Rufinum Anaſtaſii mandato in urbem fuiſſe evocatum: *Rufinum ſcriptis publicis literis Romam vocat.* Quas ex ingenii ſui officina depromptas ſanè Epiſtola memorat. Sic eſt, nullis Rufinum literis ad ſe Anaſtaſius accerſit. Quarum utique meminiſſet Rufinus in ſua Apologia: neque contumaci pepercilſet Hieronymus, qui pro ſuis affectibus Decreto Pontificis Romani rebellem incuſaſſet. Accuſatum fuiſſe dicit, vocatum non dicit: *Innocentem te vocat, ad cujus interpretationem Roma contremuit, abſentem qui accuſatus, reſpondere non audis.* Denique de Rufini ſuperbia ſuam ad Pontificale tribunal requiſitam mandato præſentiam negantis, non queſtus eſt Anaſtaſius in ſua ad Joannem Epiſtola. Neque congruum quidem fuiſſet, aut Legibus

Hier. ep. 210.

Hier. Apol. in Ruf. l. 3. c. 6.

Id. Ib.

Hier. Apol. l. 3. c. 2.

Error Baronii.

Bar. Ann. 401. n. 2.

Hier. Apol. l. 3. c. 6.

ANNO DOM. 401.

gibus Eccleſiæ conſonum, ut Aquileenſis Eccleſiæ Presbyterum Romano ſe throno ſiſtere juberet Anaſtaſius. Quas Hieronymus memorat Epiſtolas, illæ non ad Rufinum, ut perperàm creditum Baronio, ſed ad Joannem directæ ſunt ab Anaſtaſio, ut Hieronymiana verba accuratius perpendenti liquebit.

Rufini in Hieronymum Invectiva.

Bar. Ann. 402. n. 32.

Hier. Ap. l. 3. c. 3.

X. Prodiit & hoc anno Rufini adverſus Hieronymum Apologia. Reſpuenda quippe eſt Baronii Chronologia, exiſtimantis, *ante biennium, nempe anno Dom.* CCCC. *Rufinum tres libros adverſus Hieronymum conſcripſiſſe.* Quem Hieronymus errorem ipſe coarguit: *Libri enim tui, quos limaſti per triennium, diſertiores ſunt.* Cujus initium triennii ab illo eſt tempore repetendum, quo miſſum ab Aproniano Hieronymi ſcriptum accepit, anno CCCXCIX. Conſtabat tribus libris Rufini hæc Apologia, quam Aproniano vindicavit: *Dicitur furere, & tres contra me libros venuſtate Atticâ texuiſſe.* Palam tamen & publicè proferri nolebat Rufinus, ea fortè de cauſa, quòd ſuam ad Pammachium, Oceanumque, quâ perſtringebatur, Epiſtolam palam non emiſiſſet Hieronymus. Clancularios quidem libros fuiſſe queritur: *Scribuntur contra me libri; ingeruntur omnibus audiendi, & tamen non eduntur, ut ſimplicium corda percutiant, & mihi facultatem pro me auferant reſpondendi.* Librorum unus nunc deſideratur. Cur Origenem verterit, Rufinus rationem reddit. Macario libros adverſus Fatum componenti, ac de Providentiæ quæſtionibus, quæ ſubdifficiles videbantur, hærenti in ſomnis navis apparuit, quæ portum ingreſſa, nodos ſuæ hæſitationis abſolveret. Supervenit Rufinus, à quo poſtulat, Origenem, *quem opinatiſſimum apud Græcos audierat*, in Latinum verti: ac *ad Latinum ſermonem tricennali jam penè incuriâ torpuiſſe ſe*, cùm diceret Rufinus, precibus tandem rogantis annuit. Deinde fidem exponit ſuam, à pietate non abhorrentem: Urget verbis ipſius Hieronymum: *Ait etiam, ipſum Origenem pro his dictis pœnituiſſe, libello pœnitentiæ ad Fabianum, tunc urbis Romæ Epiſcopum dato: & tamen poſt pœnitentiam, poſt centum & quinquaginta annos mortis ſuæ in jus eum trahis, & ad damnationem vocas.* Libro ſecundo acerbitatem, quam in vexandis omnibus Chriſtianorum ordinibus adhibuerat, Hieronymus coarguit, quæ tanta fuit, ut editum Romæ de ſervanda Virginitate *libellum omnes Pagani, & inimici Dei, & apoſtatæ, & perſecutores certatim ſibi deſcribebant.* Objicit, ſuas de non legendis Ethnicorum libris pactiones perturbaſſe perjurio, cùm vix una pagina ſit Operis ejus, *quæ non eum iterum Ciceronianum pronunciet, ubi non dicat, ſed Tullius noſter, ſed Flaccus noſter, ſed Maro.* Inconſtantiam accuſat & Hieronymi de Origene, atque Didymo: *Didymum ipſum, quem nunc Prophetam videntem nomine deſignas, iterum eum perverſum Doctorem criminaris.* Inſtat, *Melania*, quam in Chronicis *Theclam* ſcripſerat, nomen de exemplaribus ſuis eraſiſſe, *cùm actum ſuos vidiſſet, diſtrictioris diſciplinæ fœmina diſplicere.* Denique ne longiores ſimus, ſic adverſarium alloquitur: *Scripta mea nulla extant, in quibus error meus aliquid corrigendus ſit. Tua extant multa, quæ ut video, nunc ſecundum ſententiam tuam univerſa damnanda ſunt.* Negari quidem non poteſt, ſanè haud eſſe omnia Hieronymi. Duriſſimum illud quod urget Rufinus: *In tantum prolaberis, ut ſordes nuptiarum nec martyrii cruore dilui poſſe confirmes.*

Hier. Ap. l. 1. c. 1.

Ibid.

Ruf. Invect. l. 1. 147.

Ruf. Inv. l. 2. 136.

XI. Quam de *Venerio* Mediolanenſi mentionem fecit Anaſtaſius in ſua ad Joannem Epiſtola, argumentum eſt, Simplicianum hoc anno naturæ ſatisfeciſſe. Natale ipſius in Martyrologio Romano non IV. *Maii*, ut Pagius habet, ſed *Auguſti* XVI. recolitur, ubi legitur: *Mediolani depoſitio S. Simpliciani Epiſcopi.* Citius tamen obiiſſe, liquet ex Concilio Carthaginenſi, hoc anno celebrato: *Poſt Conſulatum* ſcilicet *Flavii Stilichonis* XIV. *Kalendas Julias*, quo tempore decernunt, Legatum mitti ad *Venerium Sacerdotem Mediolanenſis Eccleſiæ.* Sic optimus ille ſenex quadriennio ſedit, ſucceſſorum Venerium nactus, qui & Concilio Italico interfuit, hoc anno de Donatiſtarum cauſa coacto, de quo mentio eſt in Codice Africano c. LXVIII. Non magno temporis divortio martyrium Vigilii Tridentini Simpliciani ab obitu ſeparatur. Periit enim Vigilius vel proximo, vel præſente anno. Memoria S. Martyris Junii XXVI. recolitur: *Apud Tridentum S. Vigilii Epiſcopi, qui cùm reliquias Idololatriæ penitùs extirpare conaretur, à feris & Barbaris hominibus lapidum imbre percuſſus, pro Chriſti nomine martyrium implevit.* Non ſolo martyrio, ſed ſcriptis quoque nomen memoriæ commendavit. Verba ſunt Gennadii: *Vigilius Epiſcopus ſcripſit ad quendam Simplicianum in laudem Martyrum libellum, & Epiſtolam continentem geſta ſui temporis apud Barbaros Martyrum.* Quo criterio non minus quàm temporis circumſtantia certum exploratumque eſt, Vigilii adverſus Eutychem libros noſtri non eſſe Vigilii, qui diu ante Eutychem morti miſſus eſt. Eruditorum nunc fert ſententia, Vigilio Tapſenſi eſſe vindicandos.

ANNO DOM. 401.

Mors Simpliciani. Vigilius Tridentinus obiit martyrio. Scripta ipſius

XII. Venerii nomen Mediolanenſis Eccleſiæ Præſulis, cui Simplicianus deceſſit, ſubmonet Carthaginenſis Synodi Acta in medium producere, utpote quæ *Venerii* meminerint: *Poſt Conſulatum Flavii Stilichonis, viri clariſſimi*, XIV. *Kal. Julias, Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ, cùm Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis ſuis conſediſſet, aſtantibus Diaconibus Aurelius Epiſcopus dixit, Eccleſiarum Dei per Africam conſtitutarum neceſſitates mecum optimè novit charitas veſtra, ſanctiſſimi fratres.* Quid hoc neceſſitatis fuerit, declarat Aurelius: *Tanta indigentia Clericorum eſt, multæque Eccleſiæ ita deſertæ ſunt, ut ne unum quidem Diaconum, vel illiteratum habere reperiantur. Nam de cæteris ſuperioribus gradibus, & officiis tacendum arbitror, quia ut dixi, ſi miniſterium Diaconi facilè non invenitur, multò magis ſuperiorum honorum inveniri non poſſe certiſſimum eſt. Et quotidianos planctus diverſarum penè emortuarum plebium jam non ſuſtinemus.* Cui magnæ quidem calamitati remedium ut afferrent, Sacerdotem eligi decernunt, profecturum *ad tranſmarinas Italiæ partes, ut tam ſanctis fratribus & Conſacerdotibus noſtris, venerabili ſancto fratri Anaſtaſio ſedis Apoſtolicæ Epiſcopo, quàm etiam ſancto fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ neceſſitatem ipſam ac dolorem, atque inopiam noſtram valeat intimare. Ex his enim ſedibus hoc fuerat prohibitum.* Anaſtaſio Venerioque ſcilicet non placebat, Donatiſtas qui Eccleſiæ jungebantur, in Clerum admitti. Ex quo magna erat Diaconorum Sacerdotumque penuria. Cenſet igitur Aurelius, legationem ad utrumque Epiſcopum mitti, ut Donatiſtæ reſipiſcentes ad ordines promoveantur. Aurelii mentem illuſtrat Codicis Africani Ca-

Carthag. Synodus: ob Clericorum penuriam Legatum Anaſtaſio mittit & Venerio.

Lab. Conc. t. 2. 1642.

ANNO DOM. 401.

non LVII. *Nonnulli ejuſdem ſectæ Clerici, cum plebibus, atque honoribus ſuis ad nos tranſire deſiderent, qui amore honoris aut perſuadent ad vitam, aut retinent ad ſalutem. Sed hoc majori fratrum ſupradictorum conſiderationi dimittendum cenſeo, ut prudentiori ſuo conſilio noſtræ ſuggeſtionis ſermonem cùm perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his qui infantes baptizati ſunt, ſatagimus, ut noſtra ſi placet, in iiſdem ordinandis conſentiant voluntati.* In ea conſultatione priores Anaſtaſio poteſtatis partes non vindicant, cui *Venerium* collegam aſciſcunt: de utroque, *ſi placet*, uſurpant. Synodo Canones XXXII. collectores vindicant. At conſtat accuratiùs perpendenti, pro maxima parte Canones eſſe Carthaginenſis tertii. Verbi gratiâ Canon ſecundus Carthaginenſis eſt tertii XVI. Illius tertius, ſeptimus, undecimus, hujus ſunt XVIII. XXVII. XXIII. In Codice Eccleſiæ Africanæ Concilio poſt Stilichonis Conſulatum Carthagine celebrato, Canones duntaxat novem ſubjiciuntur. Quibus relatis, alius titulus præponitur: *Vincentio & Flavio viris clariſſ. Coſſ. Idus Septembris.* Quorum nonnulli etiam Carthagine conditi ſunt anno CCCXCIX. obſervante Schelſtrato. De rebus Equitii hoc anno à Carthaginenſibus Patribus tractatum. Hipponenſis Diarctorum civitatis Epiſcopum agebat, qui ob pravos mores loco ſuo motus fuerat, quam illatam ſibi contumeliam moleſtè ferebat turbulentus homo, ambitionis œſtro percitus. De quo hæc loquitur Aurelius Canone Codicis Africani LXV. *Equitii etiam olim merito ſuo Epiſcopali ſententiâ damnati, non arbitror prætereundam eſſe legationis cauſam; ut ſi fortè eum in illis partibus reperit, vel ubi licuerit, adverſus eum peragere. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, multum placet & iſta proſecutio: maximè cùm olim damnatus ſit Equitius, & impudens ejus inquietudo, pro ſtatu & ſalute Eccleſiæ, magis magiſque ubique repellenda.* Ejuſdem & Equitii meminit Carthaginenſe Concilium anno CCCCIV. celebratum, in Codicis Africani Canone 93. *Adjungendum etiam de Equitio, ut improbitas ejus, quâ ſibi jus Sacerdotum improbiſſimè vindicat, ab Hipponenſi Diarctorum Diœceſi ſecundum ſtatuta Imperatorum repellatur.*

Lab. Conc. t. 2. pag. 1089.

XIII. In Codice Eccleſiæ Africanæ, tam Græco, quàm Latino aliud hoc anno Concilium Carthagine celebratum legitur: *Vincentio & Flavio viris clariſſ. Coſſ. Idibus Septembr. Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ, cùm in Concilio congregati in Eccleſia Carthaginenſi conſediſſemus, ex Africanis omnibus Provinciis Epiſcopi, recitatis Epiſtolis beatiſſimi fratris & Conſacerdotis noſtri Anaſtaſii, Eccleſiæ Rom. Epiſcopi, quibus nos paterna & fraterna charitatis ſollicitudine, ac ſinceritate adhortatus eſt, ut de Hæreticorum & Schiſmaticorum Donatiſtarum inſidiis, & improbitatibus, quibus Africanam Catholicam graviter vexant, nullo modo diſſimulemus, gratias agimus Domino noſtro, quòd illi optimo & Sancto Antiſtiti ſuo tam piam curam pro membris Chriſti, quamvis in diverſitate terrarum, ſed in una compage corporis conſtitutis, inſpirare dignatus eſt.* Præfationem excipiunt Canones viginti, qui in Codice Eccleſiæ Africanæ, & Græco, & Latino ſubjiciuntur. Accuratè verò Schelſtrato obſervatum, ex viginti hiſce Canonibus reperiri undecim, qui ex Carthaginenſi quinto fuere deſumpti. Canon quidem, qui XXXVII. numeratur, quintus potius dicendus, Carthaginenſis quinti tertius eſt. Sextus, qui XXXVIII. appellatur, Carthaginenſis quinti quintus eſt. Sequens, hoc eſt, ſeptimus, ſive trigeſimus nonus, Carthaginenſis v. ſextum conſtituit. Itaque ſoli ſunt Canones quatuor, qui Synodo Carthaginenſi Idibus Septemb. currenti anni coactæ, vindicari debeant, qui in Codice Africanæ Eccleſiæ incipiunt à numero LXVI. Primus ergo Canon eſt, ut cum Donatiſtis leniùs agatur. II. De literis ad Judices Africanos mittendis, ut ea quæ inter Donatiſtas & Maximianiſtas acta ſunt, innoteſcant. III. Ut Clerici Donatiſtarum in Eccleſia Catholica ſuſcipiantur in Clero: qua de cauſa mittuntur Epiſtolæ ad Epiſcopos tranſmarinos, & Anaſtaſium, quibus indicatur, contemplatione pacis & utilitatis de Donatiſtarum ſecta Clericos in ſuis honoribus ſuſcipi, *Non ut Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur; ſed ut illud maneat circa eos, qui ſic tranſire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis conciſio procuretur.* IV. Ut legatio ad Donatiſtas componendæ pacis gratiâ dirigatur, *Ut manifeſtum fiat omnibus, per geſta etiam municipalia propter documentorum firmitatem, quid ipſi de Maximianiſtis Schiſmaticis ſuis egerint; ubi eis divinitùs demonſtratur, ſi attendere velint, tam iniquè tunc illos ab Eccleſiæ unitate præciſos, quàm iniquè nunc clamant à ſe Maximianiſtas ſchiſma feciſſe.* Synodi hujus beneficio Concilium in Italia de rebus Donatiſtarum cogitur. Quid in eo geſtum fuerit, prorſus ignoratur.

Synodus Carth. 13. Septemb. Quot Canones ediderit?

Lab. Conc. t. 2. pag. 1089.

ANNO DOM. 401.

Ibid.

ANNO U. C. 1155. PER. JUL. 5115. JUL. 447. DOM. 402. ARCAD. 10. & 8. HONOR. 10. & 8. *Sol.* 19. E. *Lun.* 4. *Indict.* 15. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 3. *P.* 6. *April.*

ANNO DOM. 402.

COSS. *Arcadius Aug.* v. *& Honorius Aug.* v.

I. CHaritate paternâ vagientem adhùc in cunis filiolum Theodoſium ad imperium evexit Arcadius. Superioris anni Aprilis decimo ortus erat, & Januarii decimo dicitur Auguſtus, Alexandrino Chronico teſte: *Arcadio* v. *& Honorio* v. *Coſſ. Theodoſius Junior Conſtantinopoli ad Hebdomum in Tribunali ab Arcadio patre, menſe Audynæo,* IV. *Idus Januarias creatus eſt Auguſtus.* Conſulatus quoque proximè futurus novo Principi deſtinatur. Anni lætitiam detrivit metus urbi Regiæ, ex telluris agitatione incuſſus. *Conſtantinopoli ingens terræ motus fuit.*

Theodoſius creatur Imperator.

Marcellin.

II. At longè gravioribus Eccleſia motibus concutitur. Implacabilis Theophilus ardens Chryſoſtomi, pro *Longis* Monachis deprecatoris munus fungentis, Epiſtolas pro nihilo habuerat: miſſiſque hominibus litigandi peritis, Monachos exules variis calumniis affecerat. Quin etiam Legatis benè multis, quos ad exorandum miſerant, teſtati paratos eſſe errores omnes damnare, Alexandrini iracundia Præſulis attollebatur. Quam cùm flectere nequirent, Monachi libello offerunt Joanni, quibus tyrannis Theophili detegebatur. Tum Chryſoſtomus, omnia per ſe, per Epiſcopos moliri, ut accuſationem omitterent. Nunciat & Theophilo, eo deſperationis Monachos veniſſe, ut in ipſum accuſationem inſtituerent: nolle à comitatu diſcedere: quid agendum, ſibi reſcribat. Hîc Theophilus magis magiſque inflammari, ad Chryſo-

Monachi à Theophilo vexati Arcadium adeunt.

ſtomum

ANNO DOM. 402.

ſtorum dentatas literas mittere: *Arbitror equidem non ignorare te Canonum Nicænorum Decretum, quo ſancitur, ne Epiſcopus litem extra fines ſuos judicet: ſi autem ignoras, diſce, & à libellis adverſus me abſtine. Nam ſi judicari me oporteat, ab Ægyptiis Epiſcopis judicandus ſum, non à te, qui ſeptuaginta quinque dierum itinere hinc abes.* Acceptam Chryſoſtomus Epiſtolam penes ſe ſervat, partes verò ad pacem ineundam hortatur: fruſtrà tamen, cùm id unum monitis egerit ſuis, ut magis exacerbarentur. Itaque rem à ſua cura dimiſit. Monachis ergo Principem adire libello placuit. Imperatricem quoque S. Joannis in Martyrio verſantem orant, adverſantium Monachorum libellos apud Præfectum examinari, Theophilumque vel invitum vocari, ut coram Joanne judicaretur. Admiſſâ poſtulatione Alexandriam mittitur *Elaphius* de adducendo Theophilo: Monachorumque, qui ex partibus ejus erant, accuſatio ſubditur examini. At miſeri eventum veriti, dilatione ad Theophili adventum uſque petitâ, ſe ſubornatos ab eo fatentur, qui ipſorum etiam ſupplicationes dictaverat. Conjiciuntur ergo in carcerem, Judicibus vades in tali cauſa accipere nolentibus. At Monachorum nonnulli in vinculis exceſſere, dum lentus expectatur Theophilus, alii poſt ejus adventum in poſtrema interrogatione *Proconneſum* à Judicibus relegantur.

Pallad. Vit. Chryſ. 61.

Theophilus Paſchalem Epiſtolam contra Origenem ſcribit.

III. Hæc Conſtantinopoli. At Alexandriæ Theophilus Chryſoſtomi de inſtantibus ad comitatum Monachis monitorum ſecurus, totus erat, ut ubique locorum triumpharet Origeniſtas. Ab Eccleſia pellit fratrem Monachorum *Dioſcorum* Epiſcopum, qui in ea conſenuerat. Scripſit etiam, quæ perverſo ordine *prima* dicitur, Paſchalem Epiſtolam, cujus initium eſt, *Primum ſolemnitatis Auguſta ſermo divinus.* Neque dubium ſinunt eſſe animum alicujus Epiſtolæ criteria: *Incipientes hebdomadam ſalutaris Paſcha quintâ die menſis Pharmuthi, finientesque jejunia ſecundum Evangelicas traditiones veſpere Sabbati, decimâ die Pharmuthi, & illuceſcente ſtatim Dominicâ feſta celebremus undecimâ die ejuſdem menſis.* Pharmuthi XI. in ſextum Aprilis anni hujus incidit, cui Paſchalis feria cohæret. In ea Epiſtola Theophilus damnatis primùm Apollinariſtis, ad Origenem ſe convertit, quem *hydram* appellat *omnium hæreſeon.* Dixerat Origenes, *Quòd anima Salvatoris ſe evacuaverit, & formam ſervi acceperit*, quibus Theophilus colligit, Origenem *fidem, quæ omnium confeſſione firmata eſt, ſuâ impietate diſſolvere*, quia anima Chriſti erit æqualis Deo. Aſcribit & id opinionis Origeni, *Spiritum Sanctum non operari ea, quæ in anima ſunt.* In quibus quidem accuſationibus plus iracundiæ elucet, quàm veritatis. Hanc Hieronymus Epiſtolam Pammachio miſit, atque Marcellæ, ut fama Origenis extingueretur.

B. M. P. t. 5. 849.

Epiphanius damnat Origenem. Libroſne ipſius inhibuerit?

IV. Superiore anno Epiphanium rogarat Theophilus, de damnandis Origeniſtis Synodum cogere: *Dignationis tuæ eſt, quæ in hujuſcemodi certaminibus ſæpè ante nos pugnavit, & poſitos in prælio conſolari, & congregare totius Inſulæ Epiſcopus, ac Synodicas literas tam ad nos quàm ad Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, & ſi quos alios putaveris mittere, ut conſenſu omnium & ipſe Origenes nominatim, & hæreſis nefaria condemnetur.* Momenti libenter obtemperatum: *Collecto igitur Epiſcoporum totius Inſulæ Concilio, lectionem librorum Origenis prohibuit. Miſit etiam literas ad Joannem Epiſcopum, quibus eum hortabatur, ut & ipſe à legendis Origenis libris abſtineret, & convocatâ Synodo Epiſcoporum ſuorum, idem cum ipſo decerneret.* Quæ Chryſoſtomus parvipendens, muneri ſuo diligenter incumbebat.

Hier. Ep. 67.

Socr. l. 6. c. 10.

ANNO DOM. 402.

Error Baronii.

Hic Socratem Sozomenumque erroris poſtulat Baronius, qui disertè negat, ab Epiphanio lectionem Origenis eſſe prohibitam. Itaque ſolos errores Origenis damnatos fuiſſe contendit. Cui ſententiæ probandæ affert Hieronymi ad Pammachium Epiſtolam: *Ubi declarat, magno ſtudio S. Epiphanium curaſſe, ut Joannem ipſum avocaret ab erroribus Origenis, non autem à lectione librorum ejuſdem.* Ægrè tamen nos patimur, tam infirmâ ratione Socratis Sozomenique narrationem convelli. Eorum ſanè teſtis Socrates eſſe potuit, quæ de damnatis ab Epiphanio libris Origenis memoriæ prodit. Profectò vero proximum eſt, ea feciſſe Epiphanium, quæ Theophilus monitor ejus fecerat, qui non Origenem modò damnaverat, ſed lectionem quoque Origenis inhibuerat, teſte Poſthumiano, qui eo tempore Alexandriæ verſabatur, quo libri vitabantur, dicentibus Epiſcopis, *Quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet, reſpuendam eſſe penitùs lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus, quàm profutura ſapientibus.* Denique quis ſibi fingat animo, libris Origenis pepercisse Epiphanium, quorum lectionem Principes ipſi prohibuere? Eo quidem Imperatores proceſſere, moti Epiſcoporum & Synodis, & Epiſtolis. Vetitam verò ab Imperatoribus Origenis lectionem verbis expreſſis Anaſtaſius ſignificat Joanni Hieroſolymitano: *Illud quoque, quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui, beatiſſimorum Principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens, ab Origenis lectione revocetur, damnandamque ſententiâ Principum, quòm lectio rerum profana prodiderit.* Neque illuſtriſſimo aſſentiri Purpurato poſſumus, qui in verbis Anaſtaſii damnationem duntaxat librorum Periarchon ſibi videre viſus eſt: *Ea utique*, inquit, *intelligenda eſt libri Periarchon.* Quippe verba hæc, *ab Origenis lectione revocetur*, nullo jure de unius libri lectione capi poſſunt, neque etiam debent, cùm non unum de Principiis librum, ſed complures & alios Origenis libros erroris accuſarent. Neque viſum eſt aliquid in Baronii ratione, quam petiit ex Hieronymi de erroribus Joannis Hieroſolymitani Epiſtola. Id unum ſequitur, nondum damnatos libros fuiſſe, qui gliſcentibus odiis poſtmodum fuere prohibiti. Ne vel ipſe quidem Theophilus Origeniſtas jaculatus erat, cùm Joannis Hieroſolymitani, & Epiphanii incepere diſſidia.

Bar. Ann. 402. n. 12

Sever. Dial. 1. c. 3.

Lab. Conc. t. 2. 1195.

Bar. Ann. 402. n. 16.

Epiphanius petit Conſtantinopolim. Quid ibi egerit: ſictumne ſit Ammonii cum ipſo colloquium.

V. Damnatis ergo libris Origenis, non multò pòſt inductus Theophili conſiliis Epiphanius Conſtantinopolim venit. Afferebat unà ſecum exemplum Synodalis ſententiæ, quâ non ipſum quidem Origenem excommunicaverat, ſed libros ejus damnaverat. Ut ad locum, quem *Septimum* vocant, applicuit, non longè ab urbe diſſitum, factâ oratione, ordinatoque Diacono in Eccleſia ibi extructa, Conſtantinopolim ingreditur. Socratis commentum eſſe, Diaconi in aliena Diœceſi ab Epiphanio ordinationem, Baronius arbitratur, cui Valeſius repugnat, cùm nil cauſæ ſit, cur Socrates mendacii arguatur in iis rebus, quas ipſe videre potuit. Cur quod in Palæſtina jam fecerat Epiphanius,

Con-

Conſtantinopoli quoque non faceret, præcipuè rogatus à populo? Fidem quidem Socratis à ſuſpicione erroris liberat Polybius in vita Epiphanii: *Nobis ingreſſis in unum ex illis Monaſteriis*, quæ ſcilicet ab Eudoxia capiebant annonas, *coegerunt Epiphanium, ut ordinaret, quoniam ita opus erat, eum qui præeſſet reſponſis Eccleſiæ, quod etiam fecit*.

Vit. Epiph. n. 62. 373.

Intrantem Cleri totius occurſu Joannes honore afficit, quem & invitat, ædibus Eccleſiaſticis uti. Quibus prorſus repudiatis, cum Chryſoſtomo congredi noluit. Privatim verò congregatis, qui tum in urbe regia morabantur Epiſcopis, quæ in Origenem decreta fuerant oſtendit. Ac ſubſcribere quidem nonnullis perſuaſit, complures verò recuſarunt. Quin & Theotimus Epiſcopus Scythiæ palam reprehendit Epiphanium, quòd & mortuum afficeret contumeliâ, & non ſine calumniis judicia Veterum reprehenderet. Recitatiſque ex libro quopiam Origenis locis, utilia Eccleſiis hæc eſſe oſtendit, & abſurde vituperari. Porro etſi inurbanè ſatis Lares Epiphanius Epiſcopales reſpuiſſet, repudianti nihilominus Chryſoſtomus honorem habuit. Quem hortabatur, & conventus ſacros ſecum celebrare, & contubernalem agere. Quas ſe conditiones accepturum negat Epiphanius, niſi prius & libros damnaret Origenis, & Dioſcorum cum ſociis expelleret. Eo quoque progreſſus eſt, incitantibus Chryſoſtomi inimicis, ut publicè in Eccleſia & Origenis libros, & Monachos exules, utpote fautores Origenis, damnare vellet. Cui peragendo dum appropinquat Eccleſiæ, obviam ei occurrit Serapio, à Chryſoſtomo miſſus, qui præſens erat iis, quæ pridie fuerant conſtituta. Feſtinanti palam denunciat Epiphanio ea geri, quæ nec juſta, nec ipſi utilia erant: tumultu populi, cujus autor eſſet, in periculum venturum eſſe. Quâ demum ratione impetus ille Epiphanii cohibetur.

Soz. l. 8. c. 14.

Intereà Theodoſius Eudoxiæ filius morbo corripitur. De filii ſalute anxia Imperatrix, miſſo ad Epiphanium nuncio rogat, pro laborante Deum oret. Ille victurum puerulum pollicetur, ſi Hæreticos, qui cum Dioſcoro erant, averſaretur. Cui Auguſta, *Si Deus filium meum eripere voluerit, ita fiat*. Subjungit ſapienter, ſi ea vis Epiphanio fuiſſet, ut ad vitam mortuos revocaret, non paſſurum quidem fuiſſe mortem Archidiaconi ſui *Criſpionis*, qui non ita pridem exceſſerat. Auguſtæ quoque mandato Ammonius cum ſociis Epiphanium convenit. Interroganti, Quinam eſſent, reſponſum, *Longi ſumus, ô pater. Sed libenter quidem diſcerem, utrum aliquando in diſcipulos, aut in libros noſtros incideris*. Illo negante, iterum quærit Ammonius, *Unde ergo Hæreticos eſſe judicaſti?* Dicenti Epiphanio, id ſe ex auditu accepiſſe, Nos vero, ait Ammonius, *planè contrarium fecimus. Nam & diſcipulos tuos ſæpè vidimus, & libros perlegimus, ex quibus unus eſt, qui Ancoratus inſcribitur. Cùmque multi vituperarent te, & tanquam Hæreticum calumniari vellent, nos pro patre, uti par erat, propugnavimus*. Poſt hæc lenius eos allocutus Epiphanius, à ſe dimiſit. Brevi tempore interjecto Cyprum navigavit; navem aſcenſurus Epiſcopis, qui ipſum ad littus uſque proſecuti fuerant, dixiſſe fertur, *Urbem vobis & palatium & ſcenam relinquo. Ego verò abſcedo feſtinè & quidem valde*.

Soz. l. 8. c. 15.

Fama eſt & Chryſoſtomum Epiphanio prædixiſſe, *Illum in navigatione eſſe moriturum*, Epiphanium autem prænuntiaſſe *Joanni abdicationem*. Quin verò figmenta ſint ea vaticinia, nulli dubitamus. Tantâ quidem irâ ferventibus Prophetiæ Spiritum quis indultum eſſe credat? Non ſunt viris ſapientibus dignæ ſatis minæ ejuſmodi. Porro quæ de Ammonii cum Epiphanio colloquio habuit Sozomenus, *penitus falſa, veritatis expenſâ lance*, contendit Baronius, autoritate Leonis Auguſti, memorantis Eudoxiam in partes ſuas traxiſſe Epiphanium, nedum Ammonio ad illum adire præceperit. Subjungit, calumniam eſſe, quòd *levi tantùm auditu* Nitrienſes Monachos damnaverit: cùm Synodalibus ex Concilio Alexandrino ſcriptis Theophilus damnatos eſſe ſcripſiſſet. Scilicet Leonis Auguſti, qui anno circiter 886. ſcripſit, autoritas erit anteponenda Sozomeno, qui non multò poſt Ammonii adventum in urbe regia floruit! Quidni Auguſta paulò antequam Chryſoſtomo infenſior foret, Monachos indignè paſſos miſerta, Epiphanium adire juſſerit? Eò magis quòd ipſorum accuſatores calumniatorum nomine vincula & carceres frænarent.

Bar. Ann. 402.

Neque ſcripta Theophili Synodalia Epiphanio probè nota, falſi Sozomenum inſimulant: imò narrationem ipſius firmant, quod ex fama *audituque* eos damnarat Epiphanius, ex Actis ſcilicet Alexandrinis, non ex librorum à Monachis editorum lectione: ex qua ſola ferre ſententiam debuit. Inauditos quidem Monachos damnavit Alexandrina Synodus: *Neque ad defenſionem vocatis ipſis, nec factâ illis dicendi poteſtate, tres viros è præcipuis excommunicat*.

Pallad. Vit. Chryſ. 55.

Neque in Origeniſtarum gratiam à Palladio conficta hæc eſſe, teſtatur tyrannis Theophili, quæ tanta fuit, quanta potuit eſſe maxima: teſtatur pietas Chryſoſtomi, qui exulibus copiam ſui non feciſſet, benigniſſimè exceptis, ſi ipſos Hæreticos inveniſſet, aut juſta ſententiâ perculſos: teſtatur pœna Theophili Legatis à Magiſtratu irrogata. Quos Ammonio calumniatores à Theophilo apponi opus non fuiſſet, ſi rectum fuiſſet judicium ab Alexandrina Synodo promulgatum. Credulus ergo Actis Synodalibus Epiphanius, non ex percepta veritate, ſed ex *auditu* in miſeros invectus eſt.

Theotimus Tomitanus Præſul. Origenis defenſor.

VI. Origeni illata à Theophilo, Epiphanioque injuria Theotimo diſplicuit, viro ſanè percelebri, quem illaudatum præterire non poſſumus. Theotimi nomen eò magis magnum & memorabile, quòd Chryſoſtomo amicum nubilo tempore ſe præbuit. Tomitarum, & Scythiæ totius Epiſcopum agebat Theotimus, in monaſtica diſciplina innutritus, quam & in Epiſcopatu coluit: *Aiunt enim comam aluiſſe perpetuò, quo habitu primùm philoſophari inſtituerat. Victu autem fuiſſe admodum tenui, & tempus ſumendo cibo non idem ſemper habuiſſe, ſed cùm eſuriret fortè, aut ſitiret*. Quem Hunni, Barbari oræ Iſtri incolæ, virtutis cauſâ mirati, *Deum Romanorum* vocabant, cœleſtem ejus vim experti. Fertur, juxta Barbarorum regionem iter facienti ex adverſo occurriſſe quoſdam, qui eâdem viâ pergerent Tomim. Lamentantibus ipſius comitibus, veluti perituris, ex equo deſilit, Deum oraturus. Tum verò Barbari nec Theotimo, nec comitibus, nec equis conſpectis prætergreſſi ſunt. Barbaros crebris incurſionibus Scythiam vaſtantes ad manſuetudinem traduxit, conviviis exceptos, muneribuſque allectos. Hac de cauſa Barbarus opulentum illum eſſe ſuſpicatus, inſidiis comprehendere molitur.

litur. Dum ſublatâ dextrâ, quem paraverat laqueum, Theotimo injicere parat, in ipſo conatu manus Barbari extenſa remanſit, nec inviſibilibus vinculis prius liberatur, quàm Theotimus pro illo Deum oraſſet. Hic eſt ille Theotimus, qui Origenis libros damnari noluit.

Zozim. l. 7. c. 27.

Methodius palinodiamne de Origene cecinerit?

VII. Dum res Origenis Theophilique proſequimur, ſcribentibus offert ſe Baronii cenſura, quâ Socratem vexat. Scripſerat viles homines, qui per ſe inclareſcere non poſſunt, ex illuſtriorum virorum vituperatione famam aucupari, quo morbo primùm laboravit Methodius Olympi Lyciæ civitatis Epiſcopus: *Methodius quidem cùm in libris ſuis Origenem diu multùmque inſectatus fuiſſet, poſteà tamen quaſi palinodiam canens, in Dialogo, quem Xenonem inſcripſit, ſummâ eum admiratione proſequitur.* Ad hæc, *patentis mendacii Socratem convinci*, Baronius exclamat. Illud autem probat ex Hieronymi adverſus Rufinum Apologia: *Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, cujus ſuprà memini, in ſexto libro τῆς ἀπολογίας Origenis, hoc idem objicit Methodio Epiſcopo & Martyri, quod tu in meis laudibus criminaris, & dicit, Quomodo auſus eſt Methodius nunc contra Origenem ſcribere, qui hæc & hæc de Origenis locutus eſt dogmatibus?* Socrati tamen defenſorem ſe conſtituit Valeſius: *Euſebius*, inquit, *in loco citato apertè non dicit, Methodium fuiſſe anteà locutum pro Origene. Neque enim dicit, qui hæc & hæc de Origenis locutus fuerat dogmatibus, ſed tantùm locutus eſt, quod in utramque partem accipi poteſt. Non igitur mendacii accuſandus eſt Socrates.* Inſtat Baronius, hanc Methodii palinodiam Origenis defenſores Euſebium & Rufinum penitùs ignoraſſe. Non eſt tamen impoſſibile, Euſebium Rufinumque non in omnia Methodii loca incidiſſe, & à Socrate obſervatum fuiſſe, quod eorum effugerat oculos. Itaque Socrates vera an falſa de Methodio prædicarit, non eſt in medio. Tam disertè quidem palinodiam eſſe cantatam à Methodio ſcribit, adductis & ex Dialogo, cui Xenoni nomen, probatione, ut abſque ullâ temeritatis nota hîc noſtrum aſſenſum ſuſtinere poſſimus.

Socr. l. 6. c. 13.

Bar. Ann. 402. n. 17.

Hier. Apol. l. 1. c. 2.

Valeſ. Annot. in Socr. p. 79.

Pammachio de Origenis damnatione ſcribit Hieronymus. Theophili mittit Epiſtolam.

VIII. Dum Origenis famam viri pii tuentur, novis eam maculis aſpergit Hieronymus, hæc Pammachio ſcribens atque Marcellæ: *Quem Demetrius Alexandri urbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus . . . . Ubi hæreſis, quæ ſibilabat in mundo, & me, & Papam Theophilum ſui jactabat erroris?* Miſit & cum Epiſtola Paſchalem Theophili, à ſe in Latinum transfuſam, illam ſcilicet, cujus eſt initium, *Primum ſolemnitatis Auguſtæ ſermo divinus*, quæ prima Paſchalium, licet perperàm, appellatur. Epiſtolæ quidem reſpondet, quam exhibet ſumma in quatuor partes diviſa. In primo capite hortatur ad Paſcha celebrandum; in ſecundo & tertio loco Apollinarium & Origenem jugulat; in quarto Hæreticos ad pœnitentiam hortatur. Pammachium quoque & Marcellam, *Chriſtiani Senatus lumina*, hæc monet: *Prædicationem quoque Cathedræ Marci Evangeliſtæ Cathedra Petri Apoſtoli ſuâ prædicatione confirmet, quanquam celebri ſermone vulgatum ſit, beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem fervore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foveis ſuis Hæreticos perſecutum, ejuſque literæ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt.* Quibus & noſtra Chronologia firmatur, & Baroniana damnatur, qui Anaſtaſii ad Joannem Epiſtolam anno CCCCII. alligavit. In ore enim erant omni Orienti literæ Anaſtaſii, cùm ſuam Hieronymus Epiſtolam Pammachio miſit, non multò poſt anni labentis initia.

Hieron. Ep. 78.

Hieronymus in Rufinum Apologia.

IX. Non Epiſtolis modò ſuis, ſed vulgatâ etiam in Rufinum Apologiâ & ipſum, & Origenem duriter vexavit Hieronymus. Rufinum quidem his perſtringi extra dubium eſt. Ubi hæreſis, quæ *latratu impudentiſſimorum canum ad inducendos ſimplices noſtrum mentiebatur aſſenſum.* Apologiæ libros duos ſcripſit, dum ſolâ famâ, amicorumque monitis nota adhùc erat Invectiva Rufini. Priore libro objecta Rufini diluit: poſteriore oblatam Anaſtaſio Rufini Apologiam immiſericorditer exagitat. Ut novit Rufinus editos Hieronymianæ Apologiæ libros, Apologiam ad ipſum ſuam cum aculeata Epiſtola miſit, in qua aſſerebat, ni in ſilentium deſcenderet, crimina ſe in medium prolaturum, quæ ſibi confeſſus erat. Epiſtolæ ſummam verbis complectitur Hieronymus: *Lectis literis prudentia tua, quibus in me inveheris, & laudatum quondam tuum, quem verum collegam loquebaris & fratrem, nunc libris ad reſpondendum provocas, terreſque criminibus.* Bonis viris pacisque Chriſtianæ amantibus inuſſere dolorem tanta virorum de Eccleſia benè meritorum diſſidia. Inter diſceptantes medium ſe collocare ſequeſtrum voluit *Chromatius*, Aquileenſis Epiſcopus. Neque hoc diffitetur Hieronymus: *Teſtem invoco Jeſum conſcientiæ meæ, qui & has literas, & tuam Epiſtolam judicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papæ Chromatii voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum, & vincere in bono malum, ſed quia minaris interitum niſi tacuero, reſpondere compellor.* Quæ reſponſio anno CCCCIII. prodiit. Privatas Apologiæ accuſationes diluit. In ſcenam adducit Pamphili Apologiam, quam ab Euſebio conditam Sancto Martyri Rufinus vindicarat. Profert exagitatos toties libros περὶ ἀρχῶν, aliaque ejuſmodi, quæ ſilentio potius obrui, quàm vulgari debuere. Apologiam Afris ſuam miſit Hieronymus, cui hæc reſcribit Auguſtinus Epiſtolâ, quæ in Hieronymianis ordine eſt XCIII. *Neſcio, quæ ſcripta maledica ſuper tuo nomine ad Africam perveniſſe audivimus. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis reſpondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui inter tam charas familiareſque perſonas, cunctis penè Eccleſiis notiſſimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum extitiſſe diſcordiæ.* Quantò & ſapientior Hieronymo, & religioſior Auguſtinus, qui in verba charitatis plena erumpit: *Heu mihi, qui vos ſimul alicubi invenire non poſſum! prociderem ad pedes veſtros, flerem quantum valerem, rogarem quantum amarem.*

Hieron. Ep. 38.

Hieron. Apol. l. 3.

Hieron. Apol. l. 3. c. 1.

Innocentius Papa ſuccedit Anaſtaſio. Anni Innocentii.

X. Qui Rufinum damnaverat Anaſtaſius, mortalitate intercipitur, cùm quadriennio ſediſſet. Sex quidem Anaſtaſio Pontificatui annos vindicat Idacius: magis tamen placet Marcellini Chronologia, qui ad quintum Arcadii & Honorii Conſulatum hæc habet: Romanæ Eccleſiæ *Innocentius* XXVIII. *creatus Antiſtes.* Baronius ſupremum Anaſtaſii diem in v. Kal. Maii contulit. Quis tamen fuerit, non ſatis liquet. Defuncto ſucceſſit Innocentius, quem Albanenſem natione dicunt ex patre Innocentio. Pontificatus initium à XV. Kal. Junii vulgò petitur. Vixiſſe annos XV. teſtatur Marcellinus. Si libro Pontificali creditur, annum XVI. ingreſſus eſt. In ſerie & Actis Romanorum Pontif. Schelſtratia-

nus:

nis: Innocentius ſedit *annos* x v. *menſes duos*, *dies viginti*. In Reginæ Sueciæ Catalogo anni x v. menſis unus, dies xxi. aſcribuntur Innocentio. Quibus liquet, initium finemque Epiſcopatus ipſius certè certòque definiri non poſſe, licet Baronius fidenter ſcripſerit, omni ex parte conſtare rationem; quam certo annorum, menſis, & dierum numero conſignavit, hoc eſt, *annos* x v. *menſem unum*, *dies decem*. Damnatur à Proſpero illuſtriſſimi Purpurati Chronologia: *Romana*, inquit, *Eccleſia* xxxviii. *præeſt Epiſcopus Innocentius annis* x v. *menſibus duobus*, *diebus* xxi. Falſam eſſe de die menſeque Innocentii ultimo Baronii Chronologiam, quem ſtatuit v. *Kal. Auguſti*, Paſchaſini ad Leonem Papam teſtatur Epiſtola: *Tempore recordationis Domini prædeceſſoris veſtri Zoſimi*, *anno Conſulatus Honorii* xi. *& Conſtantii* ii. *tunc enim cùm declinaretur*, *ne* x. *Kal. Maii dies Paſcha teneretur*, *celebratum eſt die* viii. *Kal. April.* Annus erat Dom. cccxvii. quo tempore Paſchatis jam ſedebat Zoſimus, cui Innocentius deceſſerat. Innocentio Baſilicæ Gervaſii & Protaſii dedicatio vindicatur.

Bar. Ann. 417. n. 4.

Bucher. p. 76.

De Milevitanæ Synodi Canonum & ordine, & numero.

XI. Hæc in Italiâ: ad res Africæ pergamus. Generale Afrorum Concilium celebratur, *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio*, *& Honorio Auguſtis* v. *Coſſ. ſexto Kal. Septembr. in civitate Milevitana*, *in Secretario Baſilicæ*. Errore Librariorum nota hæc Conſularis v. C. qua quintus Imperatorum Conſulatus deſignatur, *Viris Clariſſimis* mutata eſt, qui titulus eſt Cæſaribus indignus. Illa tamen ipſa præfatio cum vitioſa nota Milevitano ſecundo præfixa eſt, anno ccccxvi. coacto. Eſt porro Canonum & ordo, & numerus conſiderandus. In Codice Eccleſiæ Africanæ tam Græco, quàm Latino, quinque duntaxat Canones numerantur. I. De Epiſcoporum ordine, ut qui poſterius ordinati ſunt, prioribus ſe non audeant anteferre, & de archivo & matricula Numidiæ. II. De Quodvult Deo Epiſcopo. III. De Maximiano Epiſcopo. IV. Ut Epiſcopi, qui ordinantur, ab ordinatoribus ſuis Epiſtolas accipiant, quæ diem & Conſulem præferant. V. De his, qui vel ſemel in Eccleſia legerint, ab aliis non poſſe promoveri. Hæc non *ſex*, ut ſcripſit Schelſtratus, ſed *quinque* capitibus in Africano Codice continentur. Quippe Canon lxxxvi. & de Epiſcoporum ordine, & de matricula Numidiæ conſtitutionem complectitur. Quòd ſi accuratè cogitare & loqui volumus, ſeptem Milevitanæ Synodi Canones recenſebimus. Quippe primus in Præfatione latet. Poſt enim verba hæc, *aſtantibus Diaconis*, continuò ſequitur, *Aurelius Epiſcopus dixit*, *Quoniam Eccleſia Sancta unum eſt corpus*. Qui reverà primus Canon eſt, quo & Hipponenſia, & Carthaginenſia Decreta firmantur. Nec gratis hæc dici, fidem facit Fulgentius Ferrandus, qui in Breviatione Canonum refert ſub titulo lxxviii. *Ut nullus Epiſcopus prioribus ſuis ſe audeat anteponere*, *Concilio Milevitano*, *titulo* ii. ut rectè obſervatum Schelſtrato. Non eſt ſanè congruum, conſtitutionem aliquam Synodi in Præfatione contineri. Primus ergo Canon eſt, *Ut quæ jamdudum vel in Hipponenſi Synodo firmata ſunt*, *vel poſtmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita*, nunc & rata habeantur. Proponenti Aurelio aſſentiuntur *Xantippus* Epiſcopus, primæ ſedis Numidiæ, & *Nicetius* Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ. Canon ſecundus, qui ordine primus eſt, & Dionyſio Exiguo, & aliis occaſione *Xantippi* Tagonenſis, & *Victorini*, de Primatu contendentium conditus eſt. Quippe is in Numidia mos invaluerat, atque in Africanis Provinciis, ut non ex dignitate urbium, quæ in civili negotio Metropolitanæ agebant, ſed ex ordinationis antiquitate penderet Primatus, ea de cauſa vagus & mobilis, contra regionum penè omnium conſuetudinem, quæ majeſtati urbium illum alligavit. Hunc ſibi Numidiæ Primatum *Victorinus* aſſerebat, tractoriamque ad Auguſtinum miſerat, quæ quinto Idus Novembris anni ſuperioris ad ipſum pervenerat. Tam informis autem erat tractoria hæc, ut ad magnam admirationem Auguſtinum traduceret: *Ad ipſos Numidas ita perturbato & neglecto ordine ſcriptum*, *ut nomen meum tertio loco invenerim*, *qui novi*, *quam poſt multos Epiſcopos factus ſim. Quæ res & aliis injurioſa eſt ſatis*, *& mihi invidioſa. Præterea venerabilis ſenex*, *& collega noſter Xantippus Tagonenſis ait*, *quòd Primatus ipſe contingat*, *& erga plurimos ſic habetur*, *& tales miſit Epiſtolas.* Prætermiſſum tamen Xantippi nomen fuerat. Hinc proponente *Valentino*, ſancitur Canone ſecundo Milevitano, *Ne qui poſterius ordinati ſunt*, *prioribus ſe anteponant.* Tertius Canon ille eſt: *Matricula & Archivus Numidiæ*, *& apud primam ſedem ſit*, *& in Metropoli*, *id eſt*, *Conſtantinæ.* In editione quidem & Dionyſiana, & Græca hoc Decreti capiti lxxxvi. inſeritur. Sed ex titulo luce clarius eſt, ab illo diſtingui, cum titulorum numerus Canonum multitudini reſpondeat. Atque hic erroris Baronius reus peragitur: *In duas*, inquit, *Provincias dividebatur Numidia*, *ob idque altercatio oborta inter Xantippum Epiſcopum Conſtantinæ Numidiæque Primatem*, *& Victorinum Epiſcopum alterius civitatis.* Quæ verba afficiuntur errore gemino. Non eo quippe tempore Numidia in *duas* Provincias diſtrahebatur. Teſtis Rufus in Breviario Valenti Imperatori nuncupato: *Per omnem Africam ſex Provinciæ factæ: ipſa ubi Carthago eſt*, *Proconſularis*, *Numidia Conſularis*, *Bizacium Conſularis*, *Tripolis*, *& duæ Mauritaniæ*, hoc eſt, Sitifenſis & *Cæſarienſis Præſidales.* Quòd ſi Numidia duas in Provincias dividebatur, non *ſex* quidem, ſed per omnem Africam *ſeptem* Provinciæ factæ fuiſſent. Neque in Notitia imperii, Arcadio & Honorio imperantibus vulgata, duæ Numidiæ, ſed una. De Primatu quidem Numidiæ totius, non partis alicujus in Provinciam redactæ, lis erat Xantippum inter & Victorinum, quem ſic compellat Auguſtinus: *Peto beatitudinem tuam*, *ut mihi ignoſcas*, *& primo inſtare digneris*, *ut inter tuam ſanctimoniam*, *& ſenem Xantippum concorditer conſtet*, *quis veſtrum debeat convocare Concilium.* Neque verba Synodi Baronio præſidio ſunt: matricula *Numidiæ & apud primam ſedem ſit*, *& in Metropoli*, *id eſt*, *Conſtantinæ.* Quibus diſcrimen ſtatuitur Primatum civilem inter, & Eccleſiaſticum. Civilem Conſtantina ſibi aſſerebat, Eccleſiaſticum verò nulli quidem urbi, quia *perſonalis* ſoli duntaxat ætati deſtinabatur. Ex ſuo de duobus Numidiis præjudicio B. Xantippum *Conſtantinæ* Epiſcopum Baronio imponi placuit, quem *Tagonenſem* Auguſtinus vocat.

Aug. Ep. 217.

Bar. Ann. 402. n. 65.

Error Baronii.

Aug. Ep. 217.

De aliis Milevitanis Canonibus. Gippitani Presbyteri cauſa.

XII. Alios Milevitanorum Canones proſequamur. IV. Ille eſt, qui penultimo loco in Africano Codice collocatur, numero lxxxix. *Ut Epiſcopi qui ordinantur*, *ab ordinatoribus ſuis Epiſ-*

ANNO DOM. 402.

Epiſtolas accipiant, quæ diem, & Conſulem præferant. Quem Canoni locum deberi demonſtrat Ferrandus, qui non pro *quinto* quidem illum, ſed pro quarto ſua in *Breviatione* habet. Verba hæc ſunt Ferrandi: *Ut Epiſcopus ordinatus ab ordinatore ſuo literas ſubſcriptas accipiat, ordinationis ejus diem; ſimul & Conſulem continentes. Concil. Milevit. tit. i v.* Ex materiæ quidem affinitate de matricula in prima ſede Numidiæ collocanda Canonem is excipere debet, ut *Epiſcopi ab ordinatoribus Epiſtolas accipiant*, quâ ratione lis de Primatu omnis extinguebatur, utpote qui conſecrationis antiquitati aſſignabatur. V. Quodvultdeum *Centurienſem* Epiſcopum attinet, ab adverſario accuſatum. Recedente accuſatore, placuit nullum cum Quodvultdeo communicare, donec cauſa ad exitum perducatur, licet gradu ſuo non moveretur. VI. De Maximiano Bagaienſi, & ad eum, & ad plebem à Concilio literæ dantur, ut & ipſe ab Epiſcopatu diſcedat, & populus alium ſibi requirat. Quæ Maximiani honeſta dimiſſio eſt, utpote ex contemplatione pacis exorta. Relictis Donatiſtis Eccleſiæ adhæſerat: qui cùm non libenter à populis reciperetur, amore concordiæ Epiſcopatu demum abire voluit, quod ex Auguſtino conſtat: *Longè eſt quippe glorioſius, Epiſcopatus ſarcinam propter Eccleſiæ vitanda pericula depoſuiſſe, quàm propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe . . . . Voluit ergo Deus, etiam per fratrem tuum Maximianum oſtendere inimicis Eccleſiæ, eſſe in viſceribus Chriſti ejus, qui non ſua quærant, ſed quæ Jeſu Chriſti.* Septimo Canone ſancitur, qui vel ſemel in Eccleſia aliqua legerint, ab alia ad Clericatum illos promoveri non poſſe. Hactenus de ordine numeroque Canonum Milevitanorum. De Gippitanæ Eccleſiæ Presbyteri cauſa in ea quoque Synodo tractatum eſſe, ex Auguſtini ad Xantippum Epiſtola non immeritò colligitur. Presbyterum non uno nomine Auguſtinus exautoraverat. Pecuniam ruſticani *diutino apud ſe commendato* interverterat. Confeſſus erat & die jejunii natalis Domini, quo Gippitana Eccleſia jejunabat, apud quandam malæ famæ mulierem & prandiſſe, & cœnaſſe, & in una domo manſiſſe. Hæc ergo de Presbytero Auguſtinus Numidiæ Primati *Xantippo* ſignificat: *Audivi cauſam ejus, cùm centum dies eſſent ante Dominicum Paſcha, qui futurus eſt VIII. Idus Aprilis: hoc propter Concilium inſinuare curavi venerabilitati tuæ.* Quod temporis criterium anni eſt CCCCII. quo Paſcha *ſexto Aprilis* agitabatur. Cauſa verò Presbyteri audita eſt anno ſuperiore, die Decembris XXVII. feriâ primâ. Extra dubium videtur, quod de abdicato Presbytero Auguſtini ſententiam Synodus ratam fecerit.

Aug. Ep. 238.

Aug. Ep. 236.

ANNO DOM. 403.

ANNO U. C. 1156. PER. JUL. 5115. JUL. 448. DOM. 403. ARCAD. 21. & 9. HONOR. 11. & 9. *Sol.* 20. D. *Lun.* 5. *Indict.* 1. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Auguſtus & Rumoridus.*

Alaricus Romanis inſurgit: quo tempore ad Pollentiam pugnarit.

I. AD Romani imperii cladem fatale nomen Alarici in ſcenam prodire debet. Theodoſio Eugenium debellanti militaverat, quaſi ſub Imperatore Rom. ad evertendum Imperium vincendi tyrocinium feciſſet. Quas permovente Rufino ſtrages in Græcia ediderat, ſuo eſt loco narratum. Alarico Magiſtri Militum dignitatem Stilicho impetraverat, hortatus ut Illyricum occuparet, ſed in eam regionem iter facturus Honorii literis retentus fuerat. Ut verò ſe ſuoſque negligi videt, ad majora nititur. Ac, ſi Jornandi credimus, à Gothis Rex creatur indignantibus, quæ à Theodoſio Magno ſoluta ſibi munera fuerant, ab ipſius filiis mollem vitam ducentibus negari. Jornandis ipſiſſima verba proferantur: *Mox Gothis faſtidium eorum increvit; verenteſque ne longâ pace eorum reſolveretur fortitudo, ordinant ſuper ſe Regem Alaricum, qui erat poſt Amalos, ſecunda nobilitas; Balthorumque ex genere, origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis, Baltha; id eſt, audax nomen inter ſuos acceperat. Mox ut ergo antè factus Alaricus creatus eſt Rex, cum ſuis deliberans, ſuaſit ſuo labore quærere regna, quam alienis per otium ſubjacere, & ſumpto exercitu per Pannonias, Stilichone & Aureliano Coſſ. & per Sirmiam dextro latere, quaſi viris vacuam intravit Italiam.* Alarici porro patriam nos Claudianus docuit in Panegyri de ſexto Honorii Conſulatu, verſu 105.

Sox. l. 9. cap. 4.

Jorn. de Reb. Get. c. 29.

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat.

Eſt autem *Peuce* Iſtri inſula, Plinio non ignota: *Primum oſtium Peuces, mox ipſa Peuce inſula.* Hic eſt ille Alaricus, qui ob expugnatam Romam orbis Dominam æternæ famæ nomen ſuum mandavit. Romanos inter & Gothos apud *Pollentiam* Liguriæ civitatem dimicatum fuiſſe conſtat: civitati pugna hæc celebritatis aliquid attulit:

Plin. l. 4. c. 12.

O celebranda mihi cunctis Pollentia ſæclis!
O meritum nomen, fœlicibus apta triumphis
Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum
Barbariæ.

Claud. de bel. Get. 636.

Cui verò anno prælium hoc ſit aſſignandum, non ſatis exploratum. Proſper in Chronico anno ſuperiori pugnam affigit: *Arcadio & Honorio V. Coſſ. adverſum Gothos vehementer utriuſque partis clade Pollentiæ pugnatum eſt.* Eadem & Caſſiodoro Chronologia eſt; præſenti tamen potius quàm proximo anno id certaminis initum eſſe vero ſimilius, cùm Claudianus ſenem Gothum Alarico ſic loquentem inducat:

Si numero non fallor, ait, triceſima currit
Bruma ferè, rapidum poſtquam tranſnavimus
Iſtrum,
Romanamque manum tantis eluſimus annis.

Claud. de bel. Get. 488.

Ne verò vox *ferè* moræ ſit alicui, verſu 634. hæc ait:

Unoque die Romana rependit,
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.

Gothi quidem anno CCCLXXIII. Valentiniano Auguſto IV. & Valente IV. Coſſ. irruptionem in Romanum imperium fecerant, teſte Marcellino: *Rem Romanam alius circumſteterat metu totius Gothiæ, Thracias licentius perrumpentis.* Trigeſimus ab ea expeditione annus in CCCCIII. incidit, quo Alaricum gravi quoque clade afflictum eſſe Prudentius docuit lib. 2. contra Symmachum:

Marcel. l. 30. c. 2.

Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannonia pœnas tandem deleta pependit.

Verùm cùm Proſper non modò, ſed Caſſiodorus etiam Pollentianam pugnam quinto Arcadii Honoriique Conſulatui affixerit, patimur facilè, annum certaminis in Chronologiæ obſcuris poni; ut pro lubitu hanc, aut illam quiſque ſententiam amplectatur.

ANNO DOM. 403.

Pugna Stilichonis cum Alarico ad Pollentiam.

II. Romana ſigna Alani ſequebantur, quorum Dux fortiter pugnans occubuit:

Mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis prælatus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus
Finxerat.

Claud. de bel. Get. 581.

Conſtitit multorum morte Stilichonis victoria, quam tandem de Alarico retulit, ut mirum ſit, Romanos à Gothis victos in Caſſiodori Chronico legi: *Stilichone & cum exercitu Rom. Gothi victum ſuperaverunt.* Non eo quidem impudentiæ proceſſiſſet Claudianus, ingens licet Stilichonis laudator, ut turpiſſimè debellatum victorem caneret. Sui Ducis obitu turbatus eques flectebat habenas, ni Stilicho inſtructâ legione ſecutus, ſubſidiis peditum equeſtrium pugnam inſtauraſſet. Sarcinas objicere ſuas hoſtes, ut Romanos prædæ cupidine à pugna revocarent, conſilium non ſucceſſit, quod eleganter Claudianus uſit:

Id. ib. v. 614.

Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis
Incaſſum; neque eum feralis præda moratur;
Sed juſtos præbent ſtimulos monumenta doloris.
Aſſeritur ferro captivum vulgus, & omnes
Diverſa vocis populi, quos traxerat hoſtis.
\- - - - - - -
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
Divitiæ?

Stilichonis & victoriam teſtatur Prudentius lib. 2. contra Symmachum:

Mirabere ſeris,
Poſteritas, ſeclis inhumata cadavera longè,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.

Debellatus Alaricus capi facillime potuit: maluit tamen cum victo paciſci Stilicho, ut auxilium ſemper ſuum peteret Honorius, à tanto hoſte laceſſitus. Cùm proditionis inſimularetur Stilicho, gravem culpam graviore cumulavit, violato fœdere, quod cum Gothis pepigerat. Audiamus Oroſium, illorum temporum Scriptorem: *Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima, & quibuſcunque ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantem occulto fœdere fovens, publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendamque Remp. reſervavit.* Gallias Gothis incolendas Honorius conceſſerat. Quas dum petit Alaricus, Stilicho proficiſcenti parat inſidias. Belli ſummam Sauli Duci Ethnico crediderat, qui conculcatâ & fœderis, & diei religione, Gothos ipſo Paſchatis die ſacris vacantes adoritur. Inopinatâ irruptione perturbati Barbari primùm debellantur. Reſumptis tamen animis perfidiam, religioniſque contemptum ulciſcuntur, graviſſimâ Romanorum ſtrage: *Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam geſtis, cùm Barbaro & pagano Duci, hoc eſt, Sauli ſumma belli commiſſa eſt: cujus improbitate reverendiſſimi dies, & Sanctum Paſcha violatum eſt, cedentique hoſti propter religionem, ut pugnaret extortum eſt. Tum quidem oſtendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus poſſet, & quid ultio exigeret. Pugnantes vicimus, victores victi ſumus.* Sic Romano ſanguine & deleta Pollentiæ clades, & ſancita fœderum religio, quæ intemerata eſſe debet.

Oroſ. l. 7. cap. 38.

Idem ibid.

Theophilus venit Conſtantinopolim. Ejus in Chryſoſtomum odium.

III. Relatis quæ ad imperium pertinent, æternæ Joannis Chryſoſtomi memoriæ nunc eſt tendendus animus. Elaphius adducendo Theophilo Alexandriam miſſus erat, neque Præſuli fas erat debitam Principi obedientiam exuere. Venit ergo diu multumque expectatus *horâ ſextâ, quintâ hebdomadis.* Ingredienti nullus à Clero Conſtantinopolitano honos exhibetur. Presbyterorum, Diaconorumve nullus obviam proceſſit, quos non latebat, Theophilum Chryſoſtomo infenſum eſſe. Soli nautæ, qui Alexandriâ frumentum attulerant, fauſtis adventantem acclamationibus excepere. Cùm Eccleſiæ præſentiam negaſſet ſuam, ad imperialem domum, quæ *Placidiana* appellatur, divertere maluit. Tres ibi ſeptimanas commoratus, Chryſoſtomi neque ad colloquium acceſſit, neque ad Eccleſiam. Unum ipſius animum una cura ſollicitabat, quâ ratione Sanctum Præſulem perditum iret. Auri largitione munerum cupidos, lautioribus epulis gulæ deditos, ſpe dignitatum Clericos ſibi mancipat. At conatibus ejus maximum *Eudoxia* momentum addidit. Quippe poſt diſceſſum Epiphanii relatum Chryſoſtomo fuerat, inſtigante Auguſtâ Epiphanium contra ipſum ſe adverſarium intendiſſe. Tum Chryſoſtomus, qui fervidior erat ingenio, adverſus mulieres ſine mora orationem habuerat. Quæ à malevolis excepta ad Principum aures refertur, quaſi clanculariâ eius operatione Imperatrix appeteretur. Hîc Auguſta tumultuari, illatam ſibi injuriam queri, communem viro & conjugi inferri contumeliam; curat igitur, ut quàm primùm adverſus Chryſoſtomum Synodus à Theophilo congregetur.

ANNO DOM. 403.

Socr. l. 6. c. 15. Pall. Vit. Chryſ. 64.

Theophilus inſidias ſtruit Chryſoſtomo. Quos adjutores habuit?

IV. Nemini non obvium erat, Theophilum perniciem moliri Chryſoſtomo, adventu ſuo jam conſiliorum indicia præferentem; quæ verbis audire Chryſoſtomi jucundiſſimum erit: *A pientiſſimo Imperatore, cui adverſus illum quædam nunciata erant, juſſus venire ſolus, collectâ multitudine Epiſcoporum Ægyptiorum non paucorum, huc venit, quo prælidio declarare volebat, ſe ad bellum, & ad aciem pergere.* Theophilo tamen jam claſſicum canenti nullum à Chryſoſtomo urbanitatis, nullum benevolentiæ, nullum charitatis officium defuit. Obſecravit & ipſum, & qui cum eo venerant, apud ſe ut diverterent; iterum rogavit, ut ſecum precum communioniſque vinculis conjungi vellet: quod nullo impetrare modo potuit. Non ideò tamen offenſam in Theophilum mentem accipit: *Vocavit nos Rex pientiſſimus, & juſſit ut iremus in locum, in quo ille agebat, reique ſummam ab eo audiremus: nam inſidias & cædes, & alia plurima cauſabantur. Nos autem ſcientes Leges Patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam ſuper hac re ejus literas, oportere in quibuſque Provinciis ſua negotia tractari, fortiter detractavimus, ne cauſam ſuſciperemus judicandam.* At Chryſoſtomo par pati non referebat Theophilus, qui calcatis Eccleſiæ legibus in aliena ſe Provincia Judicem conſtituere moliebatur. Archidiacono Chryſoſtomi vocato, ejus operâ ſibi Clerum conjungit. Duos Chryſoſtomus Diaconos Eccleſiâ pepulerat, officio ſuo indigniſſimos, alterum ſcilicet homicidii reum, alterum adulterii. Quibus ſpe reſtitutionis Theophilus perſuadet, libellos adverſus Joannem offerre, quos ipſe dictaverat. Nil quidem veri accuſatione continebatur, præter hoc unum, quod admonebat Chryſoſtomus, *Ut omnes poſt communionem aquam, aut paſtillum deguſtarent, ne cum ſaliva, aut pituita aliquid è Symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent, quod primus ipſe faciebat, & eos qui vellent, ad religionem & reverentiam erudiebat.* Neque hìc & partes neglexere ſuas,

Chryſ. ad Innoc. Ep.

Pall. Vit. Chryſ. 80.

ſuas, qui infenſiores erant Chryſoſtomo, vitiorum & luxus cenſori acerrimo. Inter adverſarios eminebant viduæ quædam, ex rapacitate ſua divites, quæ movendis ſeditionibus opes adhibebant: *Marſa* ſcilicet, *Promoti uxor*, *Caſtria Saturnini*, *& Eugraphia quadam uſquequaque furioſa.* Operam quoque ſuam contulit ejiciendo Chryſoſtomo Acacius Berœenſis, dudum ob id infenſus, quòd malum Conſtantinopoli hoſpitium nactus, ſe à Chryſoſtomo neglectum querebatur, ut ſupra modum intumeſcens, temperare non potuerit, quin exclamaret, *Ego ipſi ollam condio.* Conjurationis quoque ſocium ſe præbuit, *Iſacius Syriſcus*, falſorum Monachorum præpoſitus. Theophilum totis & viribus adjuvabat *Severianus*, reconditam adhùc in animo ſimultatem gerens. Hæc adornari per Theophili accuſatores ſecurè licebat, qui judicium non ut olim urgebant.

Pallad. Vit. Chryſ. pp. 49.

Synodus ad Quercum, quot Epiſcopis conſtiterit? Quando congregata?

V. Inſtructis ad tenendum Chryſoſtomum machinis, Synodum Theophilus cum ſuis cogit. Ad *Quercum* pergit, Chalcedonis ſuburbanum, quod *Rufinianum* ex Rufino olim Præfecto Prætorio, & Conſulari nomen habuit. Coëunt *in ædibus Eugraphiæ, cum Severiano, Antiocho, Aſacio, & reliquis Joannis infenſis, propter modeſtas ejus admonitiones.* Ex quibus Severianus, & Antiochus homines & Antiochiam primùm amandarant, qui in Chryſoſtomi adoleſcentiam inquirerent, & Aleſandriam deinde ad Theophilum in ſtruendis accuſationibus ſolertiſſimum. Synodo præfuit *Paulus* Heracleæ Epiſcopus, referente Photio, pag. 59. Præcipui conventus erant *Theophilus* Alexandriæ, *Acacius* Berœæ, *Antiochus* Ptolemaidis, *Severianus* Gabalorum, & *Cyrenus* Chalcedonis Epiſcopi. Photius *quadraginta quinque* Epiſcopos adfuiſſe memorat, repugnante Palladio, qui duntaxat *ſex & triginta* numerat, pag. 71. Cui potius fides eſt adjungenda, niſi fortè de Ægyptiis Epiſcopis ſit intelligendus. Verba ſunt ipſius: *Tu trigeſimus ſextus es ex una Provincia, nos verò ſumus quadraginta è diverſis Provinciis.* Quanquam explicationi ſequentia non apta ſint, *conſentaneum eſt, ut minor numerus à majori ſecundum Canones judicetur.* Cur ex *una Provincia* Synodum conſtitiſſe Palladius dicat, cui ex Syria Ægyptoque Epiſcopos adfuiſſe conſtat, eſt nobis obſcuriſſimum. Ex Epiſcopis 36. à quibus damnatus Chryſoſtomus, *undetriginta Ægyptii erant, ſeptem verò aliarum regionum.* Ac cùm præ Ægyptiis tam pauci forent, ea fortè cauſa Palladio fuit, cur *unius* Provinciæ Synodum vocarit. Menſe Junio conventus ille celebratur, ut ex Palladio colligitur: *Novem, aut decem menſes præterierunt, cum Joannes Epiſcopus adjunctis* XLII. *Epiſcopis conventus ageret.* Quod ſpatium temporis à Paſchate anni CCCIV. imminente, quo Joannes expellitur, deductum, in Junium præſentem incidit. Aliquandiu Conciliabulum perduravit: *Tredecim hæc Actionibus peracta. Duodecim quidem contra S. Chryſoſtomum: tertia decima contra Heraclidem, quem Epheſiis ille ordinaverat Epiſcopum. . . . Heraclida accuſator Macarius quidem ſuit Magnetum Epiſcopus. Beati verò Joannis palam hoſtis, primuſque accuſator Joannes Diaconus.*

Pallad. Vit. Chryſ. 23.

Pallad. Vit. Chryſ. 80.

Phot. Bibl. cap. 59. pag. 54.

Joannis & Iſacii accuſationes in Chryſoſtomum.

VI. De ea Synodo Photius non pauca refert, quæ & à Palladio in vita Chryſoſtomi, & à Chryſoſtomo in ſua ad Innocentium Epiſtola ſilentio teguntur. Quæ tamen eo nomine haud rejicienda putamus, cùm ſummatim Conciliabuli geſta narrarint. Queritur ſanè Chryſoſtomus, *Theophilum vocato ipſius Archidiacono, quaſi jam Eccleſia viduata eſſet, Clerum omnem ſibi adjunxiſſe.* Ut vel hinc fides aſtruatur Photio, ſcribenti Arſacium Archipreſbyterum, Atticumque adverſus Chryſoſtomum teſtes adhibitos fuiſſe. Tria præcipuè capita ſunt à Conciliabulo tractata: primum de Joanne, ſecundum de Heraclide, tertium de Nitrienſibus Monachis, ex quo materia, quæ ad ſcribendum plurima eſt, eam ſumemus, quæ ſit noſtris Annalibus æqua. Joannes Chryſoſtomi Diaconus capita accuſationis XXIX. in ipſum profitetur: Primum, *quòd ſe ejeciſſet ob domeſticum puerum Eulalium pulſatum.* II. *Quòd Monachus nomine Joannes, jubente Chryſoſtomo verberatus, ferreâque catenâ aſtrictus fuiſſet.* III. Quòd pretioſarum rerum magnam vim divendidiſſet. IV. Quòd marmora ornandæ S. Anaſtaſiæ à Nectario relicta diſtraxiſſet. V. Quòd Clericos, ut viles contumeliâ affeciſſet. VI. Quòd Epiphanium delirum, & parvulum Dæmonem vocaſſet. VII. Quòd Severiano calumnias ſtruxiſſet, incitatis contra eum Decanis. VIII. Quòd plenum ſycophantiis librum in Clerum conſcripſiſſet. IX. Quòd tres Diaconos, Acacium, Edacium, & Joannem accuſarit, quaſi humerale ipſius furati fuiſſent. X. Quòd Antoninum ſepulchrorum violatorem convictum ordinarit. XI. Quòd Joannem comitem in tumultu militari prodiderit. XII. Quòd neque accedens ad Eccleſiam, neque eam ingreſſus Deum orarit. XIII. Quòd ſine altari Diaconos & Preſbyteros ordinavit. XIV. Quòd unâ ordinatione quatuor ſimul Epiſcopos creavit. XV. Quòd omnibus foras emiſſis mulieres ſuſcipiat. XVI. Quòd hæreditatem à Thecla relictam per Theodulum vendiderit. XVII. Quòd Eccleſiæ reditus nemo noverit, quo abeant. XVIII. Quòd Serapionem facinoris accuſatum Preſbyterum ordinaverit. XIX. Quod homines cum toto orbe communicantes, & in cuſtodia mortuos adeò contempſerit, ut ne corpora quidem ſepulturæ mandanda curarit. XX. Quòd Acaciumne ad colloquium quidem admiſerit. XXI. Quòd Eutropium Preſbyterum in exilium pellendum præbuerit. XXII. Quòd Beronium Preſbyterum contumeliis vexatum tradiderit. XXIII. Quòd ubi laverit, Serapion claudat labrum, ut nemo alius lavet. XXIV. Quòd ſine teſtibus multos ordinarit. XXV. Quòd ſolus edat intemperanter. XXVI. Quòd ſimul accuſator, teſtis, Judexque ſit, ut patet ex geſtis cum Martyrio Archidiacono, & Proæreſio Lyciæ Epiſcopo. XXVII. Quòd pugno contuderit Memnonem in Apoſtolorum Æde, & manente ex ipſius ore ſanguine Euchariſtiam obtulerit. XXVIII. Quòd in throno exuitur, & induitur, & paſtillum edit. XXIX. Quòd ordinatis à ſe Epiſcopis pecunias largiatur, ut per illos Clerum opprimat. Protulit & Iſacius libellum contra Chryſoſtomum, accuſationis capita XVIII. continentem. I. Quòd Joannes propter Origeniſtas ferro vinctus fuiſſet. II. Quòd Epiphanius propter Origeniſtas communicare cum illo noluiſſet. III. Quòd relictâ hoſpitalitate ſolus cibum caperet. IV. Quòd in Eccleſia dicat, menſam eſſe furiarum plenam. V. Quòd in Eccleſia ita ſe jactet, *Depereo, inſanio.* VI. Quod interpretari ipſe debeat, quæ-

ANNO DOM. 403.

nam illæ ſuriæ? Quid, depereo, & inſanio? VII. Quòd licentiam peccantibus præbeat, ſic docens, Si iterum peccaſti, reſipiſce iterum. VIII. Quòd impie doceat, Chriſtum orantem, ideò non eſſe auditum, quòd non ut oportet, oraſſet. IX. Quòd ad ſeditionem populum concitaret, etiam adverſus Synodum. X. Quòd ex Ethnicis nonnullos, qui Chriſtianos graviter affixerant, in Eccleſia ſuſcepiſſet, & defenderet. XI. Quòd aliorum invadat Provincias, ordinetque ibidem Epiſcopos. XII. Quòd Epiſcopos injuriâ afficiat. XIII. Quòd Clericos inuſitatis calumniis oneret. XIV. Quòd aliorum depoſita vi rapuerit. XV. Quòd ſine conventu præterque Cleri mentem ordinet. XVI. Quòd Origeniſtas exceperit, Monachoſque in carcerem conjectos non dimiſerit, morientes non inviſerit. XVII. Quòd aliena mancipia, vel accuſata Epiſcopos ordinarit. XVIII. Quòd ipſum hunc Iſacium male ſæpè mulctarit. Capita accuſationis exhibuimus omnia, quia Baronianis in Annalibus manca ſunt atque mutila. Spuria hæc Acta eſſe, non levis ſuſpicio Baronium incuſſit, quòd in illis deſiderari videntur, quæ in ſe objecta ipſemet Chryſoſtomus tradit. Quod ſcilicet ad communionem non jejunos ſuſceperit, ut ad Cyriacum ſcribit. Leviſſimam ſane conjecturam! Conflatam in Synodo ad Quercum de pranſis ad Euchariſtiam admiſſis accuſationem eſſe, non dixit Photius: In ſequenti ſanè Conciliabulo exerceri potuit. Quanquam vel ſi concederetur in conventu ad Quercum inſtitutam eſſe, id unum ſequeretur, Acta à Photio relata non eſſe plena; accuſatoreſque alios à Joanne Diacono, & Iſacio diverſos, alia propoſuiſſe, quæ non ſunt à Photio ſcripto mandata.

Phot. Bibl. p. 54.

Bar. Ann. 403. n. 20.

Geſta Synodi ad Quercum cum Heraclide, & Setienſibus.

VII. Antequam verbis exequamur, quid Chryſoſtomi in cauſa actum fuerit, quæ alia Conciliabuli geſta ſpectant, paucis expediamus, ut ſerie non interruptâ & de conventus Actis, & de Chryſoſtomi hiſtoria filum orationis deducamus: *Cœperunt in Heraclidem, & Palladium Helenopolis Epiſcopos ambos conquirere, & Joannes Monachus libellum itidem porrexit, accuſans Heraclidem, quòd Origeniſta eſſet, & Cæſareæ Palæſtinæ in furto deprehenſus fuiſſet, Aquilini Diaconi veſtimenta furatus. Et quamvis talis eſſet, inquit, Joannes Epiſcopus, Epheſiorum eum ordinavit.... Poſteà rurſum Iſacius Epiſcopus Heraclidem accuſat, ut Origeniſtam, minimèque ſuſceptum à Sanctiſſimo Epiphanio, neque in precationis, neque in ciborum communionem.* Heraclidis res rogati actione XIII. tractaverunt. Abſente Heraclide quæſtio hæc agitabatur, qui & violentiæ poſtulabatur, quòd nonnullos injuſtè catenis vinctos per mediam Epheſinam urbem traduxiſſet. Hæc verò Monachorum in cauſa facta eſſe, narrat Sozomenus. De libris Origenis omiſſâ mentione, Setienſes Theophilus Monachos ad pœnitentiam invitat, oblivioni ſe traditurum præterita pollicitus. Inclamantibus Theophili fautoribus, ut veniam peterent, & deprecatorum apud Synodum perſonam ſibi accommodantibus, conturbati Monachi, quod ſolemne eſt ipſis dicere, vel injuriâ affectis, *Parce*, clamant. Communione veniam peccantibus reſtitutâ, de Sitienſium Monachorum injuria lis eſt finita. Quod factum non fuiſſet, ſi Dioſcorus & Ammonius adfuiſſent. Sed Dioſcorus antequam hæc fierent, in Eccleſia Martyris *Mocii* ſepultus fuerat. Erat Mocii Baſilica in urbe Conſtantinopoli, ut hic in errorem Socrates delapſus ſit, qui Dioſcoro tribuit, quæ Ammonio conveniunt. Ammonius verò dum Synodus pararetur, languore correptus ad Quercum trajecit, ibique ingraveſcente morbo non multò pòſt extremum diem clauſit, & apud vicinos Monachos ſplendidam meruit ſepulturam. Ammonii morte auditâ, Theophilus lachrymas fudiſſe perhibetur, cunctiſque audientibus dixiſſe, *Neminem inter ſui temporis Monachos parem Ammonio extitiſſet.* Sic ablatum immeritò Setienſibus honorem verbis lachrymiſque reſtituit.

Phot. Bibl. p. 55.

Socr. l. 6. c. 17.

Ibid.

Soz. l. 8. c. 17.

Synodi ad Quercum judicium de Chryſoſtomo. Ejicitur Conſtantinopoli.

VIII. Nunc Synodi de Chryſoſtomo judicium triſtiore ſtylo proſequamur. Primum de Joanne Monacho, quòd *ferro vinctus fuiſſet*, accuſationis caput excutere noluerunt, at in ſecundum & ſeptimum, quod Iſacius obtulerat, inquiſitum. Mox tertium quoque accuſationis à Joanne Diacono factæ caput examinatur, quòd nempè ſacra ſupellectilia vendidiſſet. In eo capite Arſacius Archipresbyter, Chryſoſtomi ſucceſſor, & Atticus Presbyter, teſtes adhibiti contra Chryſoſtomum, teſtimonium dicunt, ut & Elpidius. Quibuſcum Acacius Presbyter in quartum quoque caput teſtatur. Dum in Chryſoſtomum hæ machinæ fabricantur, mirantibus Epiſcopis XL. qui cum ipſo erant, quâ ratione Theophilus omnium animos mutaſſet; percrebuerat quippe Sanctum Præſulem ob loquendi libertatem ſecuri percuſſum iri, hæc ſapientiſſima loquitur: *Mercatura eſt ſeculum: emimus, vendimus, & diſcedimus.* Intereà cunctos urbis Clericos ad ſe Synodus evocat, depoſitionem illis interminata, qui non obtemperaſſent. Ad cauſam dicendam & Chryſoſtomum, & Serapionem, & Tigrium Presbyterum cum Paulo Lectore adeſſe jubet. Synodi mandatum afferunt Dioſcorus & Paulus, qui nuper in Libya juvenes fuerant ordinati: *Sancta Synodus ad Quercum congregata Joanni.* Epiſcopi titulum omiſere: *Libellos accepimus adverſus te, infinita crimina continentes. Adeſto igitur, tecum adducens Serapionem, & Tigrium Presbyteros, iis enim opus eſt.* Lectis chartulis, Epiſcopi qui cum Chryſoſtomo erant, mittunt Demetrium Epiſcopum Piſinatium, Eleuſium Apamiæ, Lupinum, quem Lupicinum Palladius vocat; Apamiæ Presbyteros, Germanum & Severum, qui dicerent, non vitari judicium, ſed hoſtem maniſeſtiſſimum. Congruum non eſſe, Thraciæ Epiſcopos ab Ægyptiis judicari: habere ſe adverſus Theophilum libellos ſeptuaginta capitum, manifeſta piacula continentes. Ipſum triceſimum ſextum eſſe ex unica Provincia. Cum Chryſoſtomo verò eſſe quadraginta ex variis Provinciis, inter quos ſeptem Metropolitani eminebant. Conſentaneum minorem numerum à majori, potiorique eſſe judicandum. Hæc Epiſcopi. Ac Chryſoſtomo quoque viſum, pro ſe reſponſum dare. Reſcripſit ergo, ſe quidem de loco non contendere, etſi judicium in civitate maximè fieri oportuerit; at rejicere & Theophilum, qui & Alexandriæ, & in Lycia dixerit, *In comitatum proficiſcor, ut Joannem deponam*; & Acacium, qui locutus fuerit, *Ego illi ollam condio*; & Severianum, & Antiochum, *quorum conatus theatra canunt.* Ex conſeſſu ut Judices ejiciantur, poſteà ad quamvis Synodum ſe venturum eſſe pollicetur, ſecus vel ſi decies miſerint, nil amplius ex ſe audituros. Intereà ex

Phot. Bibl. p. 59.

Pallad. Vit. Chryſ. 68.

Soz. l. 8. c. 17.

Anno Dom. 403.

ex Synodi Epiſcopis unus ſuggeſſit, darent libellos Imperatori, ut Joannem vel invitum ad conſeſſum traherent. Venit ergò Notarius cum Arcadii Reſcripto, cui inſerta erat Epiſcoporum ſupplicatio, de Chryſoſtomo vel repugnante ad judicium ſiſtendo. Poſt datum Notario reſponſum prodiere duo Joannis Presbyteri, Eugenius & Iſacius Monachus, qui talia loquuntur: *Scripſit tibi Synodus, tranſi ad nos, ut objecta crimina diluas.* Ad hæc Chryſoſtomus per alios Epiſcopos ſignificat, *Quonam tandem ordine judicatis, qui neque inimicos meos ejecerítis, & me per Clericos meos accerſatis?* Illi arreptis Epiſcopis *alium verberibus affecerunt, alterius veſtes conſcerpſerunt, alteri ferreas catenas collo circumpoſuere, quas S. Joanni paraverant, ut ſic conjectus in naviculam in ignotum locum amandaretur.* Cùm quartùm appellatus Chryſoſtomus non comparuiſſet, Arſacius, Atticus, Elpidius Presbyteri, ac præter eos Eudæmon & Oneſimus ſententiam accelerari poſtulant: *Itaque Synodi Præſes Paulus Heraclea Epiſcopus omnes ſententiam dicere voluit, ſtatutumque beatum virum ſede pellendum, incipiente Gymnaſio Epiſcopo, & finiente Theophilo Alex. numero omnes quinque & quadraginta. Poſt miſſa eſt ad Clerum Conſtantinopolitanum tanquam è Synodo Epiſtola de Chryſoſtomi è throno dejectione: relatio quoque ad Principes facta.* Cujus relationis contenta docet Palladius: *Quoniam quorumdam criminum accuſatus Joannes, & ſibi conſcius, noluit adeſſe, leges talem deponunt, quod & ipſe ſubiit.* Complectebantur & libelli læſæ majeſtatis crimen, convicium ſcilicet in Auguſtam, quòd eam vocaſſet Jezabel: *Jubebit igitur pietas veſtra eum vel invitum ejici, & pœnas læſæ majeſtatis dare, quandoquidem in hæc inquirere nobis non licet.* Sic abdicatus Chryſoſtomus ad Oecumenicam Synodum provocat. Ut ſub veſperam populo res ea nunciata eſt, graviſſimâ ſeditione commovetur. Itaque totâ nocte excubantes, eum ab Eccleſia abduci nequaquam patiuntur, ſed cauſam in majore Concilio dijudicandam eſſe proclamant. At Chryſoſtomus, ubi compertum habuit ab Arcadio præſens exilium ſibi imperari, *Tertio poſt damnationem die circa meridiem ultrò ſe ipſe tradidit inſciâ multitudine.* Vi igitur abductus à Magiſtratu in navim conjicitur, noctuque navigat. Sic ejectus venit in prædiola ad Prænetum urbem Bithyniæ.

Pallad. Vit. Chryſ. 73.

Phot. Bibl. c. 59. p. 59.

Pallad. Vit. Chryſ. 74.

Socr. l. 6. c. 15.

Chryſ. Ep. ad Inn.

Chryſoſtomus revocatur: quamobrem?

IX. Magnâ extulerat Theophilum lætitiâ exilium hoc Chryſoſtomi; ſed mutatis rerum vicibus breve comprimere gaudium cogitur. Dum Sanctus ille Præſul abducitur, populus graviter tumultuatur. Imperatorem, Synodum, præcipuè Theophilum, Severianumque maledictis appetit. Plebeiam quoque indignationem magis inflammat Severiani concio, in qua Joannis depoſitionem laudat, hominis ſuperbi, vel una ea de cauſa Epiſcopali munere ejiciendi, cùm Deus veniæ largitor maximus huic uni ſceleri reſiſtat. Tum populus à ſeditione revocari non potuit; in Eccleſiis, in foro tumultuantur; ad ipſum uſque palatium progreſſi, cum ululatu, & lachrymis Chryſoſtomum revocari flagitant. His acceſſit ingens terræ motus, quaſi Chryſoſtomi caſum ipſa elementa indignarentur: *Una dies interceſſerat, cùm plaga quædam in regio cubiculo fieri contigit.* His permota Eudoxia, Arcadio perſuadet eumdem revocari. Poſt paucos ergo dies miſſo ſtatim *Briſone*, Eunucho ex *Praneto* Bithyniæ oppido Chryſoſtomum reducit: literis teſtata ſuis, ſe inſidiarum ab inimicis ſtructarum participem non eſſe, imò ſe illum honore proſequi, ut Antiſtitem, liberorumque ſuorum initiatorem. Tum reverſus Chryſoſtomus, in Auguſtæ ſuburbano circa *Anaplum* reſedit. Nec ante judicium majoris Synodi in urbem ingredi voluit. At indignantibus populis, conviciiſque Principes laceſſentibus, tandem ab Epiſcopis ſupra triginta, plebe Pſalmos ad præſens negotium compoſitos canente, pleriſque etiam cereos accenſos geſtantibus, vel invitus in Eccleſiam deducitur. Quin etiam recuſantem compellunt, & in Epiſcopali ſolio ſedere, & pacem populo dare. Extemporali oratione habitâ, exclamat, *Quid dicam, quid loquar? benedictus Deus.* Eleganti ſimilitudine indicat Theophilum tentaſſe vim inferre Eccleſiæ ſuæ, perinde ac olim Regem Ægyptium uxori Abrahami; populum verò ob propenſum erga ſe animum, Imperatores ob benevolentiam laudibus proſecutus, tantos in laudem Arcadii Eudoxiæque plauſus excitat, ut orationem imperfectam abrumpere cogeretur. Sed non multo pòſt, hoc ipſo nimirum anno Auguſtæ iracundia recrudut, cui materiam præbuit oratio, quam Chryſoſtomus in eos habuit, qui non procul ab Eccleſia Eudoxiæ ſtatuam poſuerant. Itaque duobus menſibus cùm procella deſediſſet, fluctus longè majores rurſus attollit. Cùm enim ſaltatorum ſtrepitum, plauſuſque ſpectatorum quaſi illatam Eccleſiæ injuriam moleſtè Chryſoſtomus tuliſſet, Eudoxia dolore percita, in eum iram evomuit. Quæ labente anno geſta, ſequente fuſius narrabimus, ne ſeries divellatur hiſtoriæ.

Soz. l. 8. c. 18.

Id. ibid.

De Heraclide ſeditio. Theophilus cum ſuis fugam maturat.

X. Quid nunc conſilii Theophilus caperet, haud ſatis ſciebat, adeò conturbaverat rationes ipſius triumphans Chryſoſtomi reditus. Ac volebat quidem palam reducem accuſare Præſulem, qui contra præſcripta legum abdicatus Sacerdotio, nihilominus eo fungeretur. Cogitanti ea de re fiduciæ ſatis non erat, metuenti ne Imperatorem, Proceresque offenderet, qui invitum redire compulerant. Accuſatoribus ergo Heraclidis auditis, judicium contra abſentem conſtituit, ratus ex ea re probabiliorem ſe cauſam deponendi Joannis arrepturum. Repugnantibus amicis Heraclidis, qui æſtimabant iniquum eſſe, & ab Eccleſiæ moribus alienum, abſentem judicare, hinc Ægyptii Alexandrinique inde Conſtantinopolitani mutuo in ſe impetu facto pugnant, quo certamine multi vulnerati, quidam etiam interfecti. Tum Severianus, reliquique Epiſcopi, qui Chryſoſtomo infenſi erant, metu correpti ex urbe aufugiunt. Theophilum quærebant Conſtantinopolitani, quem in mare mergerent: præcipuè ipſi iraſcebantur & ſuccenſebant, utpote incendii totius faci, atque autori. Poſt Conciliabuli judicium ſic iniquitatem aperuit ſuam, ut eam cernere oculis viderentur: quo contigit inflammari magis in ipſum odia. Quippe quos damnaverat libros Origenis continuò legebat. Ac interroganti cuidam, Cur libros, quos damnaverat evolveret, hæc locutus eſt: *Similes ſunt Origenis libri prato cujuſque generis floribus exornato. Si quid ergo in illis mihi occurrit boni, illud decerpo: ſi quid verò ſpinoſum apparuerit, hoc utpote quod pungit, miſſum facio.*

Socrat. l. 6. c. 17.

Nilamon Epiſcopatum abnuit: moritur.

XI. Cùm plebem Conſtantinopolitanam malè in ſe animatam eſſe Theophilus compertam

verò ludis neglectis, cùm imperio ſe Diocletianus abdicaſſet, paulatim quaſi deliſiit, taciteque redactum eſt ad barbariem majori ex parte, ſicut res ipſa teſtantur. . . . Conſtantino & Licinio III. Coſſ. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam ludos conſueto more celebrari oportuit. Eo verò non obſervato, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget? Has quidem Zoſimus querelas comprimere debuiſſet, ſi ludi ſeculares fuiſſent ab Honorio celebrati. Neque nos movent Claudiani carmina, quæ ſententiæ ſuæ Baronius auxilio eſſe voluit:

Claud. de 6. Hon. Conſul. v. 388.

> *Jam flaveſcentia centum*
> *Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces,*
> *Spectandoſque iterum nulli, celebrantia ludos*
> *Circumflexa rapit centenus ſecula Conſul.*

Pag. Diſſ. Hyp. pag. 189.

Non diſplicet explicatio Pagii: *Spectandoſque iterum nulli, id eſt, nec ultimo ſeculo viſos, nec iterum ſpectandos, quia celebrandi non erant.* Sed & licentiâ figmentoque poetico edita ab Honorio ſpectacula Claudianus ludorum ſecularium ſimilitudine reſperſit. Equidem ſi ludos ſeculares Honorius celebraſſet, tam exiliter, tam jejunè de ipſis Claudianum commemoraſſe quis credat? Pompæ plenam, ſplendidamque hanc ludorum exhibitionem carmine magnifico laudaſſet. Itaque immerenti Honorio injuriam à Baronio oblatam eſſe cenſemus, neque eo *ſcelere ad excidium urbis Deum ſollicitaſſe* putamus. Aliæ prorſus fuere cauſæ, cur Barbarorum præda fieret.

Bar. Ann. 404. n. 1.

Gladiatorios ludos abrogat Honorius. Quamobrem?

III. At non ſi *ſeculares*, gladiatorii tamen ab Honorio ludi celebrati ſunt. Hinc Claudianus:

Claud. de Conſul. VI. Hon. v. 625.

> *Et pulchras errorum artes, jucundaque Martis*
> *Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna Magiſter.*
> \- - - - - - -
> *Ferreus alterno concentus plauditur enſe.*
> *Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantaque ſalutant*
> *Te, Princeps, galeæ.*

Hactenus ludos gladiatorios viguiſſe, ſatis ſuperque teſtantur carmina Prudentii:

Prud. adv. Symm. l. 1.

> *Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,*
> *Quodque Patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.*
> *Ille urbem vetuit taurorum ſanguine tingi;*
> *Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari;*
> *Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas.*

Quòd cruentas inhiberi delicias tam enixè Prudentius flagitet, documento eſt, adhùc in uſu fuiſſe Romanis. Id etiam oſtendit Auguſtini Confeſſionum liber VI. c. 8. de Alypio ſcribentis: *Alypium gladiatorii ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptum.* Hoc verò ipſo anno eſſe prohibitos, ſit vero proximum, ea de cauſa, quam Theodoritus exhibuit. *Telemachus* monaſticæ vitæ deditus ex Oriente profectus, Romam eo tempore venit, quo funeſtum gladiatorum ſpectaculum edebatur. In arenam ingreſſus, pugnantes compeſcere gladiatores conatur. Quod cùm cruentæ cædis ſpectatoribus moleſtum fuiſſet, ipſius autorem lapidibus obruerunt. Quo cognito, Imperator *Telemachum* Martyribus aſcribit, utrumque ſpectaculum penitùs abrogavit. Non eſt quidem accurata Sigonii, Calviſiique Chronologia, qui ludos & hominum, & Chriſtianorum nomini dedecus afferentes anno CCCXCVII. ob Honorio extinctos eſſe ſtatuunt; quos ſanè refellunt Prudentii carmina ſcripta poſtmodum. Baronio tamen largiri haud poſſumus, *ab Honorio revocata eſſe gladiatorum mu-*

Theodorit. l. 5. c. 26.

Error Baronii.

Bar. Ann. 404. n. 2.

nera, quæ tot Chriſtianorum Imperatorum Legibus vetita fuerant. Ante Honorium non abrogata fuiſſe Romæ, monet Prudentius:

> *Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam.*

Theodorit. l. 5. c. 26.

Monet & Theodoritus: *Honorius, qui Europæ partes regendas ſuſceperat, gladiatorum ſpectacula olim Romæ fieri ſolita ſuſtulit.* Veterum ſanè nullus de reſtitutis, quos deceſſores abrogarant, Honorium infamavit, neque gloria prohibendi feralia ſpectacula in ipſius ætatem *dilata*, ſi in urbe à Conſtantino Magno jam abrogata fuiſſent. Conſtantini Magni Legem, anno CCCXXV. Beryti promulgatam, non ubique locorum viguiſſe, ſuo loco demonſtravimus.

Cur Eudoxia Chryſoſtomo infenſa Synodum cogi jubet?

IV. Ultimum Telemacho Monacho diem ludi apud veterem Romam attulerant: in Conſtantinopoli fatalia quoque Chryſoſtomo ſpectacula fuere. Superiore anno argentea Eudoxiæ Auguſtæ ſtatua ſupra columnam porphyream erecta fuerat, amicta muliebri ſtolâ. Parcant nobis Baronii cineres, ſi anno CCCCIII. erectam ſtatuam putemus, quam currente duntaxat poſitam exiſtimat. Ipſius quidem Chronologiam damnant & Proſper & Marcellinus, qui noſtræ favent: *Theodoſio Juniore, & Rumorido Coſſ.* inquit, *Eudoxia Arcadii uxoris, ſuper Porphyreticam columnam argentea ſtatua juxta Eccleſiam poſita hactenus ſiſtit.* Neque à vero ipſos aberraſſe, Socrates ipſe teſtatur, à quo ſcimus, feſto Natalis Imperatorem ad Eccleſiam non proceſſiſſe, *ſed Joanni mandaſſe, ſe non prius cum illo communicaturum, quàm illata ſibi crimina diluiſſet.* Ut tot teſtibus planum ſit, anno ſuperiore ſtatuam eſſe poſitam, quæ tantis calamitatibus occaſionem miniſtravit. Stabat in loco, qui Pittacia dicitur, juxta Eccleſiam S. Irenes, ſi Theophani fides. Et in ejus dedicatione Præfectus urbis, qui Manichæus erat, plebem ad plauſus, & tripudia excitarat, non ſine divini officii incommodo, quod tranquillè peragi non poterat, obſtrepente ſaltantium numero. Quæ omnia libenter admittimus, excepto uno, quòd ſtatua Eudoxiæ juxta S. Irenes Templum collocata dicatur; cùm ex Socrate liqueat, *Sophiæ* fuiſſe proximam: *Stabat hæc in edita baſi, nec admodum contigua Eccleſiæ, quæ Sophia cognominatur, nec ab ea procul diſſita, ſed inter utramque media duntaxat platea via interjecta erat.* Plauſus illic, & publica ſaltatorum & mimorum ſpectacula edebantur, in quæ, ut ad contumeliam Eccleſiæ geſta, Chryſoſtomus invehitur. Multò quidem prudentius feciſſet, ſi blandâ oratione Principibus perſuaſiſſet ab ejuſmodi ludicro temperare. Cùm porro zelo ſuo dediſſet habenas, Eudoxia quaſi injuriam paſſa iterum excandait. Operam dat omnem, ut adverſus Chryſoſtomum Synodus denuò congregetur. Tum ille eloquentiæ ſuæ aculeos omnes exerit, quibus Auguſtam pungeret, percelebri oratione habitâ: *Rurſus Herodias furit, rurſum ſaltat, rurſum Joannis caput in diſco geſtit accipere.* Quâ non Eudoxia modò, ſed & Arcadius ipſe adeò commotus eſt, ut ne vel ipſo Servatoris natali Eccleſiam ingreſſus ſit, Joannique mandarit, nil communionis cum ipſo habiturum, quin prius de accuſationibus ſeſe purgaſſet.

Error Baronii.

Socr. l. 6. cap. 18.

Id. ibid.

Soz. l. 8. cap. 20.

Synodus Conſtantinopolitana adverſus Chryſoſtomum.

V. Quò facilius optimum Præſulem irent perditum, Theophilo mittunt miro accuſationum artifici. Rogant ipſe veniat, aut ſi recuſet, ſuggerat litis exordia. Adventum ille ſuum negat, memor quomodo effugiſſet; tres verò miſer-

ANNO DOM. 404.

ſerrimos legat Epiſcopos, *Paulum*, *Poemenem*, & alium recèns ordinatum, qui conflatos ab Arianis adverſus Athanaſium Canones afferunt, quibus Chryſoſtomo lites inciderent, quòd nullâ autoritate Synodi poſt abdicationem ad Eccleſiam rediiſſet. Conſtantinopoli Concilium cogitur, vocatis è Syria, Cappadocia, Ponto, & Phrygia univerſis Metropolitanis & Epiſcopis, qui cum Chryſoſtomo communicarunt, ne uti prius in Canones committerent, quam Principes communionem ægrè tulerunt. At Theodotus Tyanorum Epiſcopus, intellectâ conſpiratione, inſalutatis relictis omnibus Eccleſiam repetiit ſuam. *Leontius* verò Ancyræ, Ammoniuſque Laodiceæ ambuſtæ Epiſcopus ignem admoverunt Eccleſiæ. Quippe & victi minis Imperatorum, & ſpe munerum capti, ſe Acacio, Antiocho, Cyrino Chalcedonenſi, ac Severiano conjungentes, Antiocheni Conciliabuli Canoni robur incutiunt, ſtatuenti: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter jure, aut injuriâ depoſitus per ſe redeat ad Eccleſiam abſque Synodo, talis non habeat amplius locum defenſionis, ſed abſolutè expellatur.* Cùm autem alii ab Heterodoxis, alii à Catholicis ſancitum Canonem eſſe contenderent, Imperatorem adeunt Acacius, Antiochus Cyrinus, &c. quem monent ut ex Epiſcopis Chryſoſtomi fautoribus, qui XL. & eo amplius erant, decem evocaret ad conciliandam Canonibus autoritatem. Ingreſſi Elpidius Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, atque Tranquillus, ſuadent Imperatori, non oportere indictâ cauſâ Joannem ejici. Depoſitum non fuiſſe, ſed à Comite expulſum, Principiſque mandato à Notario revocatum, Canones laudatos Hæreticorum eſſe. Hic inverecundè ſatis coram Imperatore altercari Chryſoſtomi inimici. Tum Elpidius: *Subſcribant*, inquit, *Acacius & Antiochus, ejuſdem ſe eſſe fidei cum illis, qui Canones ediderc.* Placuit ea res Arcadio, eorum quæ perverſè agebantur innocenti, qui ſubridens dixit Acacio, *Nihil iſto mihi videtur utilius.* Conticuere primùm Joannis adverſarii, anguſtiis verò loci constricti, ſubſcriptionem pollicentur; promiſſa tamen non implevere. Verſabatur tum Conſtantinopoli Cyrillus, qui poſtmodum Epiſcopus Alexandriæ impoſitus eſt, à quo didicimus, in Synodo hæc ab Acacio dicta fuiſſe: *Si ſcirem quòd nunc, ſi Joanni veniam largiremur, melior fieret ſemetipſo, & recederet à duritia & aſperitate, quæ in eo eſt, omnes vos rogaſſem pro eo.* Hæc in Lupi Syllogc ipſi Acacio Cyrillus ſcripſit, anno Dom. CCCCXXXII. Dum hæc, aliaque geruntur, novem decemve menſes prætereunt; Joanne intereà Epiſcopis XLII. conjuncto, quibuſcum conventus agebat. Eſſloreſcente porro cum vere Domini jejunio, privatim cum ſuis Antiochus Imperatorem convenit, ut imminente Paſchate Joannem juberet expelli. Nec mora: ipſi mandatur Eccleſiam exire. Reſpondet Chryſoſtomus, à Deo acceptam Eccleſiam ſe relinquere non poſſe; ab Arcadio urbis Domino ejiciendum eſſe, ſe ut recedenti ſibi aliquid excuſationis foret. Igitur non ſine verecundia quadam expulſum ab Eccleſia jubent domum Epiſcopalem incolere, ut ſi quid triſte accideret, citius eum Eccleſiæ redderent; ſin minus, inſidias ſtruerent. Illuceſcente magno Sabbato Chryſoſtomo denunciant, egrediatur Eccleſiâ: reſcribit ille, quæ conſentanea. At Imperator & diei celebritatem veritus, & urbis tumultum, Acacium Antiochumque acceritos ſic alloquitur: *Videte quid facto opus ſit, ne non rectè conſuluerітіs.* Hærenti reſpondent: *Imperator, in caput noſtrum ſit Joannis depoſitio.* At pro ultimo ſubſidio Epiſcopi XL. ſacri jejunii diebus numero pares, Arcadium & Eudoxiam in Martyriis adeunt, orantes cum lachrymis, parcerent Eccleſiæ, maximè propter Paſcha, & ſacris myſteriis initiandos. Preces deſpuentibus Imperatoribus, Paulus Cretæ Epiſcopus imperterritâ fiduciâ dixit: *Eudoxia, Deum time, tuorum te liberorum miſereat, neque viola ſanctam Chriſti ſolemnitatem ſanguinis effuſione.* Reverſi XL. Epiſcopi, in diverſoriis ſuis vigilias cum luctu lachrymiſque agitarunt. Joannis tamen Presbyteri in publico lavacro, quod *Conſtantianas* vocant, congregatis populis vigilias celebrabant, Scripturas legendo, baptiſmumque miniſtrando. Rogantibus Antiocho, Severiano, Acacio, ut ab eo loco populi arcerentur, Magiſtratus renuit: *Nox eſt*, inquit, *& ingens multitudo, ne quid temerè fiat.* Tum Acacius: Nemo manſit in Eccleſia: timemus ne Imperator vacuam Eccleſiam ingreſſus, populi noſcat erga Joannem benevolentiam, quem utpote inſidum, ab omnibus penè deſeri diximus.

Lup. Syll. cap. 56.

Pallad. Dial. 84.

VI. Magiſtratus præſagâ mente cernens, quæ futura erant, Lucio, ut ajunt, Ethnico, rectori numeri ſcutariorum mandat, moderatè populum ad Eccleſiam revocate. Ubi verò Lucius populi & frequentiam retulit, & conſtantiam, Acacius verbis promiſſiſque ab eo impetrat, ut vel oratione perſuaſos ad Eccleſiam populos adduceret, vel vi turbatos feſtum celebrare prohiberet:

Impetus à Lucio factus in vigilantes apud thermas Conſtantianas.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare labores?

Æn. l. 2. v. 361.

Lucius igitur aſſumptis ex parte Acacii Clericis, cum Tyronibus quadringentis diſtrictos gladios geſtantibus, ſecundâ noctis vigiliâ impetum facit; ad ſanctas uſque aquas penetrat; in Diaconum procaciter illiſus, Symbola effundit; Presbyteros grandævos fuſtibus in capite ferit; ſacrum fontem cruore conſperſit. Nudæ mulieres fugam arripiunt: *Alius manu vulneratus abibat plorans, alius virginem trahebat conſciſſis veſtibus, omnes autem deprædantes vaſa ſacra ſibi rapiebant. Presbyteri, Diaconique comprehenſi in carcerem detrudebantur; qui de populo honoratiores, urbe regiâ pellebantur.* Paria Chryſoſtomus & gemina fuſiore ſtylo ſcripſit ad Innocentium. Miſerum ſanè horrendumque fuit, quòd illis temporibus ea in Clericos perpetrata ſint, quibus vel ipſi rei vinculis eripiebantur. Plures Epiſcopi quàm quadraginta fugari, tantaque clades fuit, ut Hæretici, Judæi, Ethnicique quaſi captâ civitate dolerent. Cruentæ noctis dies illuceſcens ſtragem æquavit. Extra muros in nemora plebs migraverat feſto celebrando. Fortè Imperator egreſſus erat, ut ſe in vicino campo exerceret. Ut vidit agrum ad quintum circiter milliare colore candentem, quis ille cœtus eſſet, rogat à militibus. Erant ad tria fermè millia hominum recens baptizatorum, qui de more albis veſtibus tegebantur. Mentiti milites, Hæreticorum conventum eſſe referunt. Mox ab invidis mittuntur, qui & auditores diſpergerent, & Doctores comprehenderent. Cum Clericis detinentur & Nobilium conjuges: *Sunt & quibus rapti maforte, aliis maures cum ima parte aurium detraxere.* Quæ cùm fieri videret Eleutheri uxor, ſpecie elegantiſſimâ & opulentiſſimâ, rejecto maforte, & ancillari veſte ſumptâ,

Pal. Vit. Chryſ. 83.

Pal. Vit. Chryſ. 87.

ANNO DOM. 402.

Conſtantinopoli quoque non faceret, præcipuè rogatus à populo? Fidem quidem Socratis à ſuſpicione erroris liberat Polybius in vita Epiphanii; *Nobis ingreſſis in unum ex illis Monaſteriis*, quæ ſcilicet ab Eudoxia capiebant annonas, *coëgerunt Epiphanium, ut ordinaret, quoniam ita opus erat, eum qui præeſſet reſponſis Eccleſiæ, quod etiam fecit.*

Vit. Epiph. n. 62. 373.

Intrantem Cleri totius occurſu Joannes honore afficit, quem & invitat, ædibus Eccleſiaſticis uti. Quibus prorſus repudiatis, cum Chryſoſtomo congredi noluit. Privatim verò congregatis, qui tum in urbe regis morabantur Epiſcopis, quæ in Origenem decreta fuerant oſtendit. Ac ſubſcribere quidem nonnullis perſuaſit, complures verò recuſarunt. Quin & Theotimus Epiſcopus Scythiæ palam reprehendit Epiphanium, quòd & mortuum afficeret contumeliâ, & non ſine calumnia judicia Veterum reprehenderet. Recitatiſque ex libro quopiam Origenis locis, utilia Eccleſiis hæc eſſe oſtendit, & abſurde vituperari. Porro etſi inurbanè ſatis Lares Epiphanius Epiſcopales reſpuiſſet, repudianti nihilominus Chryſoſtomus honorem habuit. Quem hortabatur, & conventus ſacros ſecum celebrare, & contubernalem agere. Quas ſe conditiones accepturum negat Epiphanius, niſi prius & libros damnaret Origenis, & Dioſcorum cum ſociis expelleret. Eo quoque progreſſus eſt, incitantibus Chryſoſtomi inimicis, ut publicè in Eccleſia & Origenis libros, & Monachos exules, utpote fautores Origenis, damnare vellet. Cui peragendo dum appropinquat Eccleſiæ, obviam ei occurrit Serapio, à Chryſoſtomo miſſus, qui præſens eratis, quæ pridie fuerant conſtituta. Feſtinanti palam denunciat Epiphanio ea geri, quæ nec juſta, nec ipſi utilia erant: tumultu populi, cujus autor eſſet, in periculum venturum eſſe. Quâ demum ratione impetus ille Epiphanii cohibetur.

Soz. l. 8. c. 14.

Intereà Theodoſius Eudoxiæ filius morbo corripitur. De filii ſalute anxia Imperatrix, miſſo ad Epiphanium nuncio rogat, pro laborante Deum oret. Ille victurum puerulum pollicetur, ſi Hæreticos, qui cum Dioſcoro erant, averſaretur. Cui Auguſta, *Si Deus filium meum eripere voluerit, ita fiat.* Subjungit ſapienter, ſi ea vis Epiphanio fuiſſet, ut ad vitam mortuos revocaret, non paſſurum quidem fuiſſe mortem Archidiaconi ſui *Criſpionis*, qui non ita pridem exceſſerat. Auguſtæ quoque mandato Ammonius cum ſociis Epiphanium convenit. Interroganti, Quinam eſſent, reſponſum, *Longi ſumus, ô pater. Sed libenter quidem diſcerem, utrùm aliquando in diſcipulos, aut in libros noſtros incideris.* Illo negante, iterum quærit Ammonius, *Unde ergo Hæreticos eſſe judicaſti?* Dicenti Epiphanio, id ſe ex auditu accepiſſe, Nos vero, ait Ammonius, *planè contrarium fecimus. Nam & diſcipulos tuos ſæpè vidimus, & libros perlegimus, ex quibus unus eſt, qui Ancoratus inſcribitur. Cùmque multi vituperare te, & tanquam Hæreticum calumniari vellent, nos pro patre, uti par erat, propugnavimus.* Poſt hæc lenius eos allocutus Epiphanius, ab ſe dimiſit. Brevi tempore interjecto Cyprum navigavit; navem aſcenſurus Epiſcopis, qui ipſum ad littus uſque proſecuti fuerant, dixiſſe fertur, *Urbem vobis & palatium & ſcenam relinquo. Ego verò abſcedo feſtinè & quidem valde.*

Soz. l. 8. c. 15.

Fama eſt & Chryſoſtomum Epiphanio prædixiſſe, *Illum in navigatione eſſe moriturum*, Epiphanium autem prænuntiaſſe *Joanni abdicationem.* Quin verò figmenta ſint ea vaticinia, nulli dubitamus. Tantâ quidem iris fervenribus Prophetiæ Spiritum quis indultum eſſe credat? Non ſunt viris ſapientibus dignæ ſatis minæ ejuſmodi. Porro quæ de Ammonii cum Epiphanio colloquio habuit Sozomenus, *penitùs falſa, veritatis expenſâ lance*, contendit Baronius, autoritate Leonis Auguſti, memorantis Eudoxiam in partes ſuas traxiſſe Epiphanium, nedum Ammonio ad illum adire præceperit. Subjungit, calumniam eſſe, quòd *tēm tantùm auditu* Nitrienſes Monachos damnaverit: cùm Synodalibus ex Concilio Alexandrino ſcriptis Theophilus damnatos eſſe ſcripſiſſet. Scilicet Leonis Auguſti, qui anno circiter 886. ſcripſit, autoritas erit anteponenda Sozomeno, qui non multò poſt Ammonii adventum in urbe regia floruit!

Bar. Ann. 402.

Quidni Auguſta paulò antequam Chryſoſtomo infenſior foret, Monachos indigna paſſos miſerta, Epiphanium adire juſſerit? Eò magis quòd ipſorum accuſatores calumniatorum nomine vincula & carceres frænarent. Neque ſcripta Theophili Synodalia Epiphanio probè nota, falſi Sozomenum inſimulant: imò narrationem ipſius firmant, quod ex fama *audituque* eos damnarat Epiphanius, ex Actis ſcilicet Alexandrinis, non ex librorum à Monachis editorum lectione: ex qua ſola ferre ſententiam debuit. Inauditos quidem Monachos damnavit Alexandrina Synodus: *Neque ad defenſionem vocatis ipſis, nec factâ illis dicendi poteſtate, tres viros e præcipuis excommunicat.*

Pallad. Vit. Chryſ. 55.

Neque in Origeniſtarum gratiam à Palladio conficta hæc eſſe, teſtatur tyrannis Theophili, quæ tanta fuit, quanta potuit eſſe maxima: teſtatur pietas Chryſoſtomi, qui exulibus copiam ſui non feciſſet, benigniſſimè exceptis, ſi ipſos Hæreticos inveniſſet, aut juſtâ ſententiâ perculſos: teſtatur pœna Theophili Legatis à Magiſtratu irrogata. Quos Ammonio calumniatores à Theophilo apponi opus non fuiſſet, ſi rectum fuiſſet judicium ab Alexandrina Syoodo promulgatum. Credulus ergo Actis Synodalibus Epiphanius, non ex percepta veritate, ſed ex *auditu* in miſeros invectus eſt.

Theotimus Tomitanus Præſul. Origenis defenſor.

VI. Origeni illata à Theophilo, Epiphanioque injuria Theotimo diſplicuit, viro ſanè percelebri, quem illaudatum præterire non poſſumus. Theotimi nomen eò magis magnum & memorabile, quòd Chryſoſtomo amicum nubilo tempore ſe præbuit. Tomitarum, & Scythiæ totius Epiſcopum agebat Theotimus, in monaſtica diſciplina innutritus, quam & in Epiſcopatu coluit: *Aiunt enim comam aluiſſe perpetuò, quo habitu primùm philoſophari inſtituerat. Victu autem fuiſſe admodum tenui, & tempus ſumendo cibo non idem ſemper habuiſſe, ſed cùm eſuriret fortè, aut ſitiret.* Quem Hunni, Barbari oræ Iſtri incolæ, virtutis cauſâ mirati, *Deum Romanorum* vocabant, cœleſtem ejus vim experti. Fertur, juxta Barbarorum regionem iter facienti ex adverſo occurriſſe quoſdam, qui eâdem viâ pergerent Tomim. Lamentantibus ipſius comitibus, veluti perituris, ex equo deſilit, Deum oraturus. Tum verò Barbari nec Theotimo, nec comitibus, nec equis conſpectis prætergreſſi ſunt. Barbaros crebris incurſionibus Scythiam vſſtantes ad manſuetudinem traduxit, conviviis exceptos, muneribuſque allectos. Hac de cauſa Barbarus opulentum illum eſſe ſuſpicatus, inſidiis comprehendere molitur.

Anno Dom. 402.

litur. Dum ſublatâ dextrâ, quem paraverat laqueum, Theotimo injicere parat, in ipſo conatu manus Barbari extenſa remanſit, nec inviſibilibus vinculis prius liberatur, quàm Theotimus pro illo Deum oraſſet. Hic eſt ille Theotimus, qui Origenis libros damnari noluit.

Zoſim. l. 7. c. 27.

Methodius palinodiamne de Origene cecinerit?

VII. Dum res Origenis Theophilique proſequimur, ſcribentibus offert ſe Baronii cenſura, quâ Socratem vexat. Scripſerat viles homines, qui per ſe inclareſcere non poſſunt, ex illuſtriorum virorum vituperatione famam aucupari, quo morbo primùm laborarit Methodius Olympi Lyciæ civitatis Epiſcopus: *Methodius quidem cùm in libris ſuis Origenem diu multumque inſectatus fuiſſet, poſteà tamen quaſi palinodiam canens, in Dialogo, quem Xenonem inſcripſit, ſummâ cum admiratione proſequitur.* Ad hæc, *patentis mendacii Socratem convinci*, Baronius exclamat. Illud autem probat ex Hieronymi adverſus Rufinum Apologia: *Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, cujus ſuprà memini, in ſexto libro τῆς ἀπολογίας Origenis, hoc idem objicit Methodio Epiſcopo & Martyri, quod tu in meis laudibus criminaris, & dicit, Quomodo auſus eſt Methodius nunc contra Origenem ſcribere, qui hæc & hæc de Origenis locutus eſt dogmatibus?* Socrati tamen defenſorem ſe conſtituit Valeſius: *Euſebius*, inquit, *in loco citato apertè non dicit, Methodium fuiſſe anteà locutum pro Origene. Neque enim dicit, qui hæc & hæc de Origenis locutus fuerat dogmatibus, ſed tantùm locutus eſt, quod in utramque partem accipi poteſt. Non igitur mendacii accuſandus eſt Socrates.* Inſtat Baronius, hanc Methodii palinodiam Origenis defenſores Euſebium & Rufinum penitùs ignoraſſe. Non eſt tamen impoſſibile, Euſebium Rufinumque non in omnia Methodii loca incidiſſe, & à Socrate obſervatum fuiſſe, quod eorum effugerat oculos. Itaque Socrates vera an falſa de Methodio prædicarit, non eſt in medio. Tam diſertè quidem palinodiam eſſe cantatam à Methodio ſcribit, adductâ & ex Dialogo, cui Xenoni nomen, probatione, ut abſque ulla temeritatis nota hîc noſtrum aſſenſum ſuſtinere poſſimus.

Socr. l. 6. c. 13.

Bar. Ann. 402. n. 17.

Hier. Apol. l. 1. c. 2.

Valeſ. Annot. in Socr. p. 79.

Pammachio de Origenis damnatione ſcribit Hieronymus. Theophili mittit Epiſtolam.

VIII. Dum Origenis famam viri pii tuentur, novis eam maculis aſpergit Hieronymus, hæc Pammachio ſcribens atque Marcellæ: *Quem Demetrius Alexandri urbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus .... Ubi hæreſis, quæ ſibilabat in mundo, & me, & Papam Theophilum ſui jactabat erroris?* Miſit & cum Epiſtola Paſchalem Theophili, à ſe in Latinum tranſfuſam, illam ſcilicet, cujus eſt initium, *Primum ſolemnitatis Auguſtæ ſermo divinus*, quæ *prima* Paſchalium, licet perperàm, appellatur. Epiſtolæ quidem reſpondet, quam exhibet ſumma in quatuor partes diviſa. In primo capite hortatur ad Paſcha celebrandum; in ſecundo & tertio loco Apollinarium & Origenem jugulat; in quarto Hæreticos ad pœnitentiam hortatur. Pammachium quoque & Marcellam, *Chriſtiani Senatus lumina*, hæc monet: *Prædicationem quoque Cathedræ Marci Evangeliſtæ Cathedra Petri Apoſtoli ſuâ prædicatione confirmet, quanquam celebri ſermone vulgatum ſit, beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem fervore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foveis ſuis Hæreticos perſecutum, ejuſque literæ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt.* Quibus & noſtra Chronologia firmatur, & Baroniana damnatur, qui Anaſtaſii ad Joannem Epiſtolam anno CCCCII. alligavit. In ore enim erant omni Orienti literæ Anaſtaſii, cùm ſuam Hieronymus Epiſtolam Pammachio miſit, non multò poſt anni labentis initia.

Hieron. Ep. 78.

Hieronymi in Rufinum Apologia.

IX. Non Epiſtolis modò ſuis, ſed vulgatâ etiam in Rufinum Apologiâ & ipſum, & Origenem duriter vexavit Hieronymus. Rufinum quidem his perſtringi extra dubium eſt. Ubi hæreſis, quæ *latratu impudentiſſimorum canum ad inducendos ſimplices noſtrum mentiebatur aſſenſum.* Apologiæ libros duos ſcripſit, dum ſolâ famâ, amicorumque monitis nota adhùc erat Invectiva Rufini. Priore libro objecta Rufini diluit: poſteriore oblatam Anaſtaſio Rufini Apologiam immiſericorditer exagitat. Ut novit Rufinus editos Hieronymianæ Apologiæ libros, Apologiam ad ipſum ſuam cum aculeata Epiſtola miſit, in qua aſſerebat, ni in ſilentium deſcenderet, crimina ſe in medium prolaturum, quæ ſibi confeſſus erat. Epiſtolæ ſummam verbis complectitur Hieronymus: *Lectis literis prudentia tua, quibus in me invehereris, & laudatum quondam tuum, quem verum collegam loquebaris & fratrem, nunc libris ad reſpondendum provocas, terreſque criminibus.* Bonis viris paciſque Chriſtianæ amantibus inuſſere dolorem tanto virorum de Eccleſia benè meritorum diſſidia. Inter diſceptantes medium ſe collocare ſequeſtrum voluit *Chromatius*, Aquilenſis Epiſcopus. Neque hoc diffitetur Hieronymus: *Teſtem invoco Jeſum conſcientiæ meæ, qui & has literas, & tuam Epiſtolam judicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papæ Chromatii voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum, & vincere in bono malum, ſed quia minaris interitum niſi taceo, reſpondere compellor.* Quæ reſponſio anno CCCCIII. prodiit. Privatas Apologiæ accuſationes diluit. In ſcenam adducit Pamphili Apologiam, quam ab Euſebio conditam Sancto Martyri Rufinus vindicarat. Profert exagitatos toties libros περὶ ἀρχῶν, aliaque ejuſmodi, quæ ſilentio potius obrui, quàm vulgari debuere. Apologiam Afris ſuam miſit Hieronymus, cui hæc reſcribit Auguſtinus Epiſtolâ, quæ in Hieronymianis ordine eſt XCIII. *Neſcio, quæ ſcripta maledica ſuper tuo nomine ad Africam perveniſſe audivimus. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis reſpondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui inter tam charas familiareſque perſonas, cunctis penè Eccleſiis notiſſimæ amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum extitiſſe diſcordiæ.* Quantò & ſapientior Hieronymo, & religioſior Auguſtinus, qui in verba charitatis plena erumpit: *Heu mihi, qui vos ſimul alicubi invenire non poſſum! prociderem ad pedes veſtros, flerem quantum valerem, rogarem quantum amarem.*

Hieron. Ep. 78.

Hieron. Apol. l. 3.

Hieron. Apol. l. 3. c. 1.

Innocentius Papa ſuccedit Anaſtaſio. Anni Innocentii.

X. Qui Rufinum damnaverat Anaſtaſius, mortalitate intercipitur, cùm quadriennio ſediſſet. Sex quidem Anaſtaſii Pontificatui annos vindicat Idacius: magis tamen placet Marcellini Chronologia, qui ad quintum Arcadii & Honorii Conſulatum hæc habet: Romanæ Eccleſiæ *Innocentius* XXVIII. *creatus Antiſtes.* Baronius ſupremum Anaſtaſii diem in V. Kal. Maii contulit. Quis tamen fuerit, non ſatis liquet. Defuncto ſucceſſit Innocentius, quem Albanenſem natione dicunt ex patre Innocentio. Pontificatus initium à XV. Kal. Junii vulgò petitur. Vixiſſe annos XV. teſtatur Marcellinus. Si libro Pontificali creditur, annum XVI. ingreſſus eſt. In ſerie & Actis Romanorum Pontif. Schelſtratia-

nis: Innocentius ſedit *annos* XV. *menſes duos, dies viginti*. In Reginæ Sueciæ Catalogo anni XV. menſis unus, dies XXI. aſcribuntur Innocentio. Quibus liquet, initium finemque Epiſcopatus ipſius certè certòque definiri non poſſe, licet Baronius fidenter ſcripſerit, omni ex parte conſtare rationem; quam certo annorum, menſis, & dierum numero conſignavit, hoc eſt, *annos* XV. *menſem unum, dies decem*. Damnatur à Proſpero illuſtriſſimi Purpurati Chronologia: *Romanæ*, inquit, *Eccleſiæ* XXXVIII. *præeſt Epiſcopus Innocentius annis* XV. *menſibus duobus, diebus* XXI. Falſam eſſe de die menſeque Innocentii ultimo Baronii Chronologiam, quem ſtatuit V. *Kal. Auguſti*, Paſchaſini ad Leonem Papam teſtatur Epiſtola: *Tempore recordationis Domini prædeceſſoris veſtri Zoſimi, anno Conſulatus Honorii* XI. *& Conſtantii* II. *tunc etiam cùm declinaretur, ne* X. *Kal. Maii dies Paſcha teneretur, celebratum eſt die* VIII. *Kal. April.* Annus erat Dom. CCCCXVIII. quo tempore Paſchatis jam ſedebat Zoſimus, cui Innocentius deceſſerat. Innocentio Baſilicæ Gervaſii & Protaſii dedicatio vindicatur.

Bar. Ann. 417. n. 4.

Bucher. p. 76.

De Milevitanæ Synodi Canonum & ordine, & numero.

XI. Hæc in Italiâ: ad res Africæ pergamus. Generale Afrorum Concilium celebratur, *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Auguſtis* V. *Coſſ. ſexto Kal. Septembr. in civitate Milevitana, in Secretario Baſilicæ*. Errore Librariorum nota hæc Conſularis V. C. qua quintus Imperatorum Conſulatus deſignatur, *Viris Clariſſimis* mutata eſt, qui titulus eſt Cæſaribus indignus. Illa tamen ipſa præfatio cum vitioſa nota Milevitano ſecundo præfixa eſt, anno CCCCXVI. coacto. Eſt porro Canonum & ordo, & numerus conſiderandus. In Codice Eccleſiæ Africanæ tam Græco, quàm Latino, quinque duntaxat Canones numerantur. I. De Epiſcoporum ordine, ut qui poſterius ordinati ſunt, prioribus ſe non audeant anteferre, & de archivo & matricula Numidiæ. II. De Quodvult Deo Epiſcopo. III. De Maximiano Epiſcopo. IV. Ut Epiſcopi, qui ordinantur, ab ordinatoribus ſuis Epiſtolas accipiant, quæ diem & Conſulem præferant. V. De his, qui vel ſemel in Eccleſia legerint, ab aliis non poſſe promoveri. Hæc non *ſex*, ut ſcripſit Schelſtratus, ſed *quinque* capitibus in Africano Codice continentur. Quippe Canon LXXXVI. & de Epiſcoporum ordine, & de matricula Numidiæ conſtitutionem complectitur. Quòd ſi accuratè cogitare & loqui volumus, ſeptem Milevitanæ Synodi Canones recenſebimus. Quippe primus in Præfatione latet. Poſt enim verba hæc, *aſtantibus Diaconis*, continuò ſequitur, *Aurelius Epiſcopus dixit, Quoniam Eccleſia Sancta unum eſt corpus*. Qui reverà primus Canon eſt, quo & Hipponenſia, & Carthaginenſia Decreta firmantur. Nec gratis hæc dici, fidem facit Fulgentius Ferrandus, qui in Breviatione Canonum refert ſub titulo LXXVIII. *Ut nullus Epiſcopus prioribus ſuis ſe audeat anteponere, Concilio Milevitano, titulo* II. ut rectè obſervatum Schelſtrato. Non eſt ſanè congruum, conſtitutionem aliquam Synodi in Præfatione contineri. Primus ergo Canon eſt, *Ut quæ jamdudum vel in Hipponenſi Synodo firmata ſunt, vel poſtmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita*, nunc & rata habeantur. Proponenti Aurelio aſſentiuntur *Xantippus* Epiſcopus, primæ ſedis Numidiæ, & *Nicetius* Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ. Canon ſecundus, qui ordine primus eſt, & Dionyſio Exiguo, & aliis occaſione *Xantippi* Tagonenſis, & *Victorini*, de Primatu contendentium conditus eſt. Quippe is in Numidia mos invaluerat, atque in Africanis Provinciis, ut non ex dignitate urbium, quæ in civili negotio Metropolitanos agebant, ſed ex ordinationis antiquitate penderet Primatus, ea de cauſa vagus & mobilis, contra regionum penè omnium conſuetudinem, quæ majeſtati urbium illum alligavit. Hunc ſibi Numidiæ Primatum *Victorinus* aſſerebat, tractoriamque ad Auguſtinum miſerat, quæ quinto Idus Novembris anni ſuperioris ad ipſum pervenerat. Tam informis autem erat tractoria hæc, ut ad magnam admirationem Auguſtinum traduceret: *Ad ipſos Numidas ita perturbato & neglecto ordine ſcriptum, ut nomen meum tertio loco invenerim, qui novi, quam poſt multos Epiſcopos factus ſum. Quæ res & aliis injurioſa eſt ſatis, & mihi invidioſa. Præterea venerabilis ſenex, & collega noſter Xantippus Tagonenſis dicit, quòd Primatus ipſe contingat, & erga plurimos ſic habetur, & tales miſit Epiſtolas.* Prætermiſſum tamen Xantippi nomen fuerat. Hinc proponente *Valentino*, ſancitur Canone ſecundo Milevitano, *Ne qui poſterius ordinati ſunt, prioribus ſe anteponant*. Tertius Canon ille eſt: *Matricula & Archivus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Conſtantina*. In editione quidem & Dionyſiana, & Græca hoc Decreti capiti LXXXVI. inſeritur. Sed ex titulo luce clarius eſt, ab illo diſtingui, cùm titulorum numerus Canonum multitudini reſpondeat. Atque hic erroris Baronius reus peragitur: *In duas*, inquit, *Provincias dividebatur Numidia, ob idque altercatio oborta inter Xantippum Epiſcopum Conſtantinæ Numidiæque Primatem, & Victorinum Epiſcopum alterius civitatis*. Quæ verba afficiuntur errore gemino. Non eo quippe tempore Numidia in *duas* Provincias diſtrahebatur. Teſtis Rufus in Breviario Valenti Imperatori nuncupato: *Per omnem Africam ſex Provinciæ factæ: ipſa ubi Carthago eſt, Proconſularis, Numidia Conſularis, Bizacium Conſularis, Tripolis, & duæ Mauritaniæ*, hoc eſt, Sitifenſis & *Cæſarienſis Præſidales*. Quòd ſi Numidia duas in Provincias dividebatur, non *ſex* quidem, ſed per omnem Africam *ſeptem* Provinciæ factæ fuiſſent. Neque in Notitia imperii, Arcadio & Honorio imperantibus vulgata, duæ Numidiæ, ſed una. De Primatu quidem Numidiæ totius, non partis alicujus in Provinciam redactæ, lis erat Xantippum inter & Victorinum, quem ſic compellat Auguſtinus: *Peto beatitudinem tuam, ut mihi ignoſcas, & primo inſtare digneris, ut inter tuam ſanctimoniam, & ſenem Xantippum concorditer conſtet, quis veſtrum debeat convocare Concilium.* Neque verba Synodi Baronio præſidio ſunt: matricula *Numidiæ & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Conſtantina*. Quibus diſcrimen ſtatuitur Primatum civilem inter, & Eccleſiaſticum. Civilem Conſtantina ſibi aſſerebat, Eccleſiaſticum verò nulli quidem urbi, qui a *perſonalis* ſoli duntaxat ætati deſtinabatur. Ex ſuo de duobus Numidiis præjudicio B. Xantippum *Conſtantinæ* Epiſcopum Baronio imponi placuit, quem *Tagonenſem* Auguſtinus vocat.

Aug. Ep. 217.

Bar. Ann. 402. n. 65.

Error Baronii.

Aug. Ep. 217.

De aliis Milevitanis Canonibus. Gippitani Presbyteri cauſa.

XII. Alios Milevitanorum Canones proſequamur. IV. Ille eſt, qui penultimo loco in Africano Codice collocatur, numero LXXXIX. *Ut Epiſcopi qui ordinantur, ab ordinatoribus ſuis Epiſ-*

ANNO DOM. 402. *Epiſtolas accipiant, qua diem, & Conſulem præſe-rant.* Quem Canoni locum deberi demonſtrac Ferrandus, qui non pro *quinta* quidem illum, ſed pro quarto ſua in *Breviatione* habet. Verba hæc ſunt Ferrandi: *Ut Epiſcopus ordinatus ab ordinatore ſua literas ſubſcriptas accipiat, ordinationis ejus diem, ſimul & Conſulem continentes. Concil. Milevit. tit. 1v.* Ex materiæ quidem affinitate de matricula in prima ſede Numidiæ collocanda Canonem is excipere debet, ut *Epiſcopi ab ordinatoribus Epiſtolas accipiant*, quâ ratione lis de Primatu omnis extinguebatur, utpote qui conſecrationis antiquitati aſſignabatur. V. Quodvultdeum *Centarienſem* Epiſcopum attinet, ab adverſario accuſatum. Recedente accuſatore, placuit nullum cum Quodvultdeo communicare, donec cauſa ad exitum perducatur, licet gradu ſuo non moveretur. VI. De Maximiano Bagaienſi, & ad eum, & ad plebem à Concilio literæ dantur, ut & ipſe ab Epiſcopatu diſcedat, & populus alium ſibi requirat. Quæ Maximiani honeſta dimiſſio eſt, utpote ex contemplatione pacis exorta. Relictis Donatiſtis Eccleſiæ adhæſerat: qui cùm non libenter à populis reciperetur, amore concordiæ Epiſcopatu demum abire

Aug. Ep. 238. voluit, quod ex Auguſtino conſtat: *Longè eſt quippe glorioſius, Epiſcopatus ſarcinam propter Eccleſia vitanda pericula depoſuiſſe, quàm propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe . . . . Voluit erga Deus, etiam per fratrem tuum Maximianum oſtendere inimicis Eccleſia, eſſe in viſceribus Chriſti ejus, qui non ſua quærant, ſed quæ Jeſu Chriſti.* Septimo Canone ſancitur, qui vel ſemel in Eccleſia aliqua legerint, ab alia ad Clericatum illos promoveri non poſſe. Hactenus de ordine numeroque Canonum Milevitanorum. De Gippitanæ Eccleſiæ Presbyteri cauſa in ea quoque Synodo tractatum eſſe, ex Auguſtini ad Xantippum Epiſtola non immeritò colligitur. Presbyterum non uno nomine Auguſtinus exautoraverat. Pecuniam ruſticani *diutino apud ſe commendata* interverterat. Confeſſus erat & die jejunii natalis Domini, quo Gippitana Eccleſia jejunabat, apud quandam malæ famæ mulierem & prandiſſe, & cœnaſſe, & in una domo manſiſſe. Hæc ergo de Presbytero Auguſtinus Numidiæ

Aug. Ep. 236. Primati *Xantippo* ſignificat: *Audivi cauſam ejus, tùm centum dies eſſent ante Dominicum Paſcha, qui futurus eſt* VIII. *Idus Aprilis: hoc propter Concilium inſinuare curavi venerabilitati tua.* Quod temporis criterium anni eſt CCCCII. quo Paſcha *ſexta Aprilis* agitabatur. Cauſa verò Presbyteri audita eſt anno ſuperiore, die Decembris XXVII. feriâ primâ. Extra dubium videtur, quod de abdicato Presbytero Auguſtini ſententiam Synodus ratam fecerit.

ANNO DOM. 403. ANNO U. C. 1156. PER. JUL. 5115. JUL. 448. DOM. 403. ARCAD. 21. & 9. HONOR. 11. & 9. *Sol.* 20. *D. Lun.* 5. *Indict.* 1. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 4. *P.* 29. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Auguſtus & Rumoridus.*

Alaricus Romanis inſurgit: quo tempore ad Pollentiam pugnarit.

I. AD Romani imperii cladem fatale nomen Alarici in ſcenam prodire debet. Theodoſio Eugenium debellanti militaverat, quaſi ſub Imperatore Rom. ad evertendum Imperium vincendi tyrocinium feciſſet. Quas permovente Rufino ſtrages in Græcia ediderat, ſuo eſt loco narratum. Alarico Magiſtri Militum dignitatem Stilicho impetraverat, hortatus ut Illyricum occuparet, ſed in eam regionem iter facturus Honorii literis retentus fuerat. Ut verò ſe ſuoſque negligi videt, ad majora nititur. Ac, ſi Jornandi credimus, à Gothis Rex crea- *Zoz. l. 9. cap. 4.*
tur indignantibus, quæ à Theodoſio Magno ſoluta ſibi munera fuerant, ab ipſius filiis mollem vitam ducentibus negari. Jornandis ipſiſſima verba proferantur: *Mox Gothis faſtidium eorum increvit; verentesque ne longâ pace eorum reſolveretur fortitudo, ordinant ſuper ſe Regem Alaricum; qui erat poſt Amalos, ſecunda nobilitas; Balthorumque ex genere, origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis, Baltha; id eſt, audax nomen inter ſuos acceperat. Mox ut ergo ante ſa- tus Alaricus creatus eſt Rex, cum ſuis deliberans, ſuaſit ſua labore quærere regna, quam alienis per otium ſubjacere, & ſumpto exercitu per Pannonias, Stilichone & Aureliano Coſſ. & per Firmiam dextra latere, quaſi viris vacuam intravit Italiam.* Alarici porro patriam nos Claudianus docuit in Panegyri de ſexto Honorii Conſulatu, verſu 105. *Jorn. de Reb. Get. c. 29.*

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat.

Eſt autem *Peuce* Iſtri inſula, Plinio non ignota: *Primum oſtium Peuces, mox ipſa Peuce inſula.* Hic *Plin. l. 4. c. 12.*
eſt ille Alaricus, qui ob expugnatam Romam orbis Dominam æternæ famæ nomen ſuum mandavit. Romanos inter & Gothos apud *Pollentiam* Liguriæ civitatem dimicatum fuiſſe conſtat: civitati pugna hæc celebritatis aliquid attulit:

O celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis! *Claud. de bel. Get. 636.*
O meritum nomen, fœlicibus apta triumphis
Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum
Barbariæ.

Cui verò anno prælium hoc ſit aſſignandum, non ſatis exploratum. Proſper in Chronico anno ſuperiori pugnam affigit: *Arcadio & Honorio v. Coſſ. adverſum Gothos vehementer utriuſque partis clade Pollentiæ pugnatum eſt.* Eadem & Caſſiodoro Chronologia eſt; præſenti tamen potius quàm proximo anno id certaminis initum eſſe vero ſimilius, cùm Claudianus ſenem Gothum Alarico ſic loquentem inducat:

Si numeris non fallor, ait, triceſima currit *Claud. de bel. Get. 488.*
Bruma ferè, rapidum poſtquam tranſnavimus
Iſtrum,
Romanamque manum tantis eluſimus annis.

Ne verò vox *ferè* moræ ſit alicui, verſu 634. hæc ait:

Unoque die Romana rependit,
Quidquid ter denis ætas amiſimus annis.

Gothi quidem anno CCCLXXIII. Valentiniano Auguſto IV. & Valente IV. Coſſ. irruptionem in Romanum imperium fecerant, teſte Marcellino: *Rem Romanam alius circumſteterat metus totius Gothiæ, Thracias licentius perrumpantis.* *Marcel. l. 30. 2. 2.*
Trigeſimus ab ea expeditione annus in CCCCIII. incidit, quo Alaricum gravi quoque clade afflictum eſſe Prudentius docuit lib. 2. contra Symmachum:

Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannonia pœnas tandem deleta pependit.

Verùm cùm Proſper non modò, ſed Caſſiodorus etiam Pollentianam pugnam quinto Arcadii Honoriique Conſulatui affixerint, patimur facilè, annum certaminis in Chronologiæ obſcuris poni, ut pro lubitu hanc, aut illam quiſque ſententiam amplectatur.

Pugna Stilichonis cum Alarico ad Pollentiam.

II. Romana ſigna Alani ſequebantur, quorum Dux fortiter pugnans occubuit:

Mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis prælatus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus
Finxerat.

Conſtitit multorum morte Stilichonis victoria, quam tandem de Alarico retulit, ut mirum ſit, Romanos à Gothis victos in Caſſiodori Chronico legi: *Stilichonem cum exercitu Rom. Gothi victum ſuperaverunt.* Non eo quidem impudentiæ proceſſiſſet Claudianus, ingens licet Stilichonis laudator, ut turpiſſimè debellatum victorem caneret. Sub Dacia obitu turbatus eques flectebat habenas, ni Stilicho inſtructâ legione ſecutus, ſubſidiis peditum equeſtrem pugnam inſtauraſſet. Sarcinas objicere ſuas hoſtes, ut Romanos prædæ cupidine à pugna revocarent, conſilium non ſucceſſit, quod eleganter Claudianus uſit:

Claud. de bel. Get. 581.

Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis
Incaſſum; neque enim feralis præda moratur;
Sed juſtos præbent ſtimulos monumenta doloris.
Aſſeritur ferro captivum vulgus, & omnes
Diverſa vocat populi, quos traxerat hoſtis.

Id. ib. v. 614.

\- - - - - - - -

Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte petirent
Divitiæ?

Stilichonis & victoriam teſtatur Prudentius lib. 2. contra Symmachum:

Mirabere ſeris,
Poſteritas, ſeclis inhumata cadavera longè,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.

Debellatus Alaricus capi facillime potuit: maluit tamen cum victo paciſci Stilicho, ut auxilium ſemper ſuum peteret Honorius, à tanto hoſte laceſſitus. Cum proditionis inſimularetur Stilicho, gravem culpam graviore cumulavit, violato fœdere, quod cum Gothis pepigerat. Audiamus Oroſium, illorum temporum Scriptorem: *Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima, & quibuſcunque ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantem occulte fœdere fovens, publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendamque Remp. reſervavit.* Gallias Gothis incolendas Honorius conceſſerat. Quas dum petit Alaricus, Stilicho proficiſcenti parat inſidias. Belli ſummam Sauli Duci Ethnico crediderat, qui conculcatâ & fœderis, & diei religione, Gothos ipſo Paſchatis die ſacris vacantes adoritur. Inopinatâ irruptione perturbati Barbari primùm debellantur. Reſumptis tamen animis perfidiam, religioniſque contemptum ulciſcuntur, graviſſimâ Romanorum ſtrage: *Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam geſtis, cùm Barbaro & pagano Duci, hoc eſt, Sauli ſumma belli commiſſa eſt: cujus improbitate reverendiſſimi dies, & Sanctum Paſcha violatum eſt, cedentique hoſti propter religionem, ut pugnaret extortum eſt. Tum quidem oſtendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus poſſet, & quid ultio exigeret. Pugnantes vicimus, victores victi ſumus.* Sic Romano ſanguine & deleta Pollentiæ clades, & ſancita fœderum religio, quæ intemerata eſſe debet.

Oroſ. l. 7. cap. 38.

Idem ibid.

Theophilus venit Conſtantinopolim. Ejus in Chryſoſtomum odium.

III. Relatis quæ ad imperium pertinent, æternæ Joannis Chryſoſtomi memoriæ nunc eſt tradendus animus. Elaphius adducendo Theophilo Alexandriam miſſus erat, neque Præſuli fas erat debitam Principi obedientiam exuere. Venit ergo diu multumque expectatus *horâ ſextâ, quintâ hebdomadis.* Ingredienti nullus à Clero Conſtantinopolitano honos exhibetur. Presbyterorum, Diaconorumve nullus obviam proceſſit, quos non latebat, Theophilum Chryſoſtomo infenſum eſſe. Soli nautæ, qui Alexandriâ frumentum attulerant, fauſtis adventantem acclamationibus excepere. Cùm Eccleſiæ præſentiam negaſſet ſuam, ad imperialem domum, quæ *Placidiana* appellatur, divertere maluit. Tres ibi ſeptimanas commoratus, Chryſoſtomi neque ad colloquium acceſſit, neque ad Eccleſiam. Suum ipſius animum una cura ſollicitabat, quâ ratione Sanctum Præſulem perdium iret. Auri largitione munerum cupidos, lautioribus epulis gulæ deditos, ſpe dignitatum Clericos ſibi mancipat. At conatibus ejus maximum *Eudoxia* momentum addidit. Quippe poſt diſceſſum Epiphanii relatum Chryſoſtomo fuerat, inſtigante Auguſtâ Epiphanium contra ipſum ſe adverſarium intendiſſe. Tum Chryſoſtomus, qui fervidior erat ingenio, adverſus mulieres ſine mora orationem habuerat. Quæ à malevolis excepta ad Principum aures ſelertur, quaſi clanculariâ vituperatione Imperatrix appeteretur. Hic Auguſta tumultuari, illatam ſibi injuriam queri, communem viro & conjugi inferri contumeliam: curat igitur, ut quàm primùm adverſus Chryſoſtomum Synodus à Theophilo congregetur.

Socr. l. 6. c. 15. Pall. Vit. Chryſ. 64.

Theophilus inſidias ſtruit Chryſoſtomo. Quos adjutores habuit?

IV. Nemini non obvium erat, Theophilum perniciem moliri Chryſoſtomo, adventu ſuo jam conſiliorum indicia præferentem; quæ verba audire Chryſoſtomi jucundiſſimum erit: *A pientiſſimo Imperatore, cui adverſus illum quædam nunciata erant, juſſus venire ſolus, ſelectâ multitudine Epiſcoporum Ægyptiorum non paucorum, huc venit, quo præludio declarare volebat, ſe ad bellum, & ad aciem pergere.* Theophilo tamen jam claſſicum canenti nullum à Chryſoſtomo urbanitatis, nullum benevolentiæ, nullum charitatis officium defuit. Obſecravit & ipſum, & qui cum eo venerant, apud ſe ut diverterent; iterum rogavit, ut ſecum precum communioniſque vinculis conjungi vellet: quod nullo impetrare modo potuit. Non ideò tamen offenſam in Theophilum mentem accipit: *Vocavit nos Rex pientiſſimus, & juſſit ut iremus in locum, in quo ille agebat, reique ſummam ab eo audiremus: nam inſidias & cædes, & alia plurima cauſabantur. Nos autem ſcientes Leges Patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam ſuper hac re ejus literas, oportere in quibuſque Provinciis ſua negotia tractari, fortiter detractavimus, ne cauſam ſuſciperemus judicandam.* At Chryſoſtomo par pari non referebat Theophilus, qui calcatis Eccleſiæ legibus in aliena ſe Provincia Judicem conſtituere moliebatur. Archidiacono Chryſoſtomi vocato, ejus operâ ſibi Clerum conjungit. Duos Chryſoſtomus Diaconos Eccleſiâ pepulerat, officio ſuo indigniſſimos, alterum ſcilicet homicidii reum, alterum adulterii. Quibus ſpe reſtitutionis Theophilus perſuadet, libellos adverſus Joannem offerre, quos ipſe dictaverat. Nil quidem veri accuſatione continebatur, præter hoc unum, quod admonebat Chryſoſtomus, *Ut omnes poſt communionem aquam, aut paſtillum deguſtarent, ne cum ſaliva, aut pituita aliquid è Symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent, quod primus ipſe faciebat, & eos qui vellent, ad religionem & reverentiam erudiebat.* Neque hic & partes neglexere

Chryſ. ad Innoc. Ep.

Pall. Vit. Chryſ. 80.

Anno Dom. 403.

ſuas, qui infenſiores erant Chryſoſtomo, vitiorum & luxus cenſori acerrimo. Inter adverſarios eminebant viduæ quædam, ex rapacitate ſua divites, quæ movendis ſeditionibus opes adhibebant: *Marſa* ſcilicet, *Promoti uxor*, *Caſtria Saturnini*, *& Engraphia quadam uſquequaque furioſa*. Operam quoque ſuam contulit ejiciendo Chryſoſtomo Acacius Berœenſis, dudum ob id infenſus, quòd malum Conſtantinopoli hoſpitium nactus, ſe à Chryſoſtomo neglectum querebatur, ut ſupra modum intumeſcens, temperare non potuerit, quin exclamaret, *Ego ipſi ollam condio*. Conjurationis quoque ſocium ſe præbuit, *Iſacius Syriſcus*, falſorum Monachorum præpoſitus. Theophilum totis & viribus adjuvabat *Severianus*, reconditam adhuc in animo ſimultatem gerens. Hæc adornari per Theophili accuſatores ſecurè licebat, qui judicium non ut olim urgebant.

Pallad. Vit. Chryſ. pag. 49.

Synodus ad Quercum, quot Epiſcopis conſtiterit? Quando congregata?

V. Inſtructis ad tenendum Chryſoſtomum machinis, Synodum Theophilus cum ſuis cogit. Ad *Quercum* pergit, Chalcedonis ſuburbanum, quod *Rufinianum* ex Rufino olim Præfecto Prætorio, & Conſulari nomen habuit. Coëunt *in ædibus Eugraphiæ, cum Severiano, Antiocho, Acacio, & reliquis Joanni infenſis, propter modeſtas ejus admonitiones*. Ex quibus Severianus, & Antiochus homines & Antiochiam primùm amandarant, qui in Chryſoſtomi adoleſcentiam inquirerent, & Alexandriam deinde ad Theophilum in ſtruendis accuſationibus ſolertiſſimum. Synodo præfuit *Paulus* Heracleæ Epiſcopus, referente Photio, pag. 59. Præcipui conventus erant *Theophilus* Alexandriæ, *Acacius* Berœæ, *Antiochus* Ptolemaidis, *Severianus* Gabalorum, & *Cyrinus* Chalcedonis Epiſcopi. Photius *quadraginta quinque* Epiſcopos adfuiſſe memorat, repugnante Palladio, qui duntaxat *ſex & triginta* numerat, pag. 71. Cui potius fides eſt adjungenda, niſi fortè de Ægyptiis Epiſcopis ſit intelligendus. Verba ſunt ipſius: *Tu triceſimus ſextus es ex una Provincia, nos verò ſumus quadraginta è diverſis Provinciis*. Quanquam explicationi ſequentia non apta ſint, *conſentaneum eſt, ut minor numerus à majori ſecundum Canones judicetur*. Cur ex *una Provincia* Synodum conſtitiſſe Palladius dicat, cui ex Syria Ægyptoque Epiſcopos adfuiſſe conſtat, eſt nobis obſcuriſſimum. Ex Epiſcopis 36. à quibus damnatus Chryſoſtomus, *undetriginta Ægyptii erant, ſeptem verò aliarum regionum*. Ac cùm præ Ægyptiis tam pauci forent, ea fortè cauſa Palladio fuit, cur *unius* Provinciæ Synodum vocarit. Menſe Junio conventus ille celebratur, ut ex Palladio colligitur: *Novem, aut decem menſes præterierunt, cum Joannes Epiſcopus adjunctis* XLII. *Epiſcopis conventus ageret*. Quod ſpatium temporis à Paſchate anni CCCIV. imminente, quo Joannes expellitur, deductum, in Junium præſentem incidit. Aliquandiu Conciliabulum perduravit: *Tredecim hac Actionibus peracta. Duodecim quidem contra S. Chryſoſtomum: tertia decima contra Heraclidem, quem Epheſi ille ordinaverat Epiſcopum. . . . Heraclida accuſator Macarius quidem fuit Magnetum Epiſcopus. Beati verò Joannis palam hoſtis, primuſque accuſator Joannes Diaconus.*

Pallad. Vit. Chryſ. 23.

Pallad. Vit. Chryſ. 80.

Phot. Bibl. cap. 59. pag. 54.

Joannis & Iſacii accuſationes in Chryſoſtomum.

VI. De ea Synodo Photius non pauca refert, quæ & à Palladio in vita Chryſoſtomi, & à Chryſoſtomo in ſua ad Innocentium Epiſtola ſilentio teguntur. Quæ tamen eo nomine haud rejicienda putamus, cùm ſummatim Conciliabuli geſta narrarint. Queritur ſanè Chryſoſtomus, *Theophilum vocato ipſius Archidiacono, quaſi jam Eccleſia viduata eſſet, Clerum omnem ſibi adjunxiſſe*. Ut vel hinc fides aſtruatur Photio, ſcribenti Arſacium Archipresbyterum, Atticumque adverſus Chryſoſtomum teſtes adhibitos fuiſſe. Tria præcipue capita ſunt à Conciliabulo tractata: primum de Joanne, ſecundum de Heraclide, tertium de Nitrienſibus Monachis, ex qua materia, quæ ad ſcribendum plurima eſt, eam ſumemus, quæ ſit noſtris Annalibus æqua. Joannes Chryſoſtomi Diaconus capita accuſationis XXIX. in ipſum profitetur: Primum, *quòd ſe ejeciſſet ob domeſticum puerum Eulalium pulſatum*. II. *Quòd Monachus nomine Joannes, jubente Chryſoſtomo verberatus, ferreàque catenâ aſtrictus fuiſſet*. III. Quòd pretioſarum rerum magnam vim divendidiſſet. IV. Quòd marmora ornandæ S. Anaſtaſiæ à Nectario relicta diſtraxiſſet. V. Quòd Clericos, ut viles contumeliâ affeciſſet. VI. Quòd Epiphanium delirum, & parvulum Dæmonem vocaſſet. VII. Quòd Severiano calumnias ſtruxiſſet, incitatis contra eum Decanis. VIII. Quòd plenum ſycophantiis librum in Clerum conſcripſiſſet. IX. Quòd tres Diaconos, Acacium, Edacium, & Joannem accuſarit, quaſi humerale ipſius furati fuiſſent. X. Quod Antoninum ſepulchrorum violatorem convictum ordinarit. XI. Quòd Joannem comitem in tumultu militari prodiderit. XII. Quòd neque accedens ad Eccleſiam, neque eam ingreſſus Deum oravit. XIII. Quod ſine altari Diaconos & Presbyteros ordinavit. XIV. Quòd unâ ordinatione quatuor ſimul Epiſcopos creavit. XV. Quod omnibus foras emiſſis mulieres ſuſcipiat. XVI. Quòd hæreditatem à Thecla relictam per Theodulum vendiderit. XVII. Quòd Eccleſiæ reditus nemo noverit, quo abeant. XVIII. Quòd Serapionem facinoris accuſatum Presbyterum ordinaverit. XIX. Quod homines cum toto orbe communicantes, & in cuſtodia mortuos adeò contempſerit, ut ne corpora quidem ſepulturæ mandanda curarit. XX. Quòd Acacium ne ad colloquium quidem admiſerit. XXI. Quòd Eutropium Presbyterum in exilium pellendum præbuerit. XXII. Quòd Berennium Presbyterum contumeliis vexatum tradiderit. XXIII. Quòd ubi laverit, Serapion claudat labrum, ut nemo alius lavet. XXIV. Quòd ſine teſtibus multos ordinarit. XXV. Quòd ſolus edat intemperanter. XXVI. Quòd ſimul accuſator, teſtis, Judexque ſit, ut patet ex geſtis cum Martyrio Archidiacono, & Proæreſio Lyciæ Epiſcopo. XXVII. Quòd pugno contuderit Memnonem in Apoſtolorum Æde, & manente ex ipſius ore ſanguine Euchariſtiam obtulerit. XXVIII. Quòd in throno exuitur, & induitur, & paſtillum edit. XXIX. Quòd ordinatis à ſe Epiſcopis pecunias largiatur, ut per illos Clerum opprimat. Protulit & Iſacius libellum contra Chryſoſtomum, accuſationis capita XVIII. continentem. I. Quòd Joannes propter Origeniſtas ſerio vinctus fuiſſet. II. Quòd Epiphanius propter Origeniſtas communicare cum illo noluiſſet. III. Quòd relictâ hoſpitalitate ſolus cibum caperet. IV. Quòd in Eccleſia dicat, menſam eſſe furiarum plenam. V. Quòd in Eccleſia ita ſe jactet, *Depereo, inſanio*. VI. Quod interpretari ipſe debeat, quæ-

 nam

Anno Dom. 403.

nam illæ ſuriæ? Quid, depereo, & inſanio? VII. Quòd licentiam peccantibus præbeat, ſic docens, Si iterum peccaſti, reſipiſce iterum. VIII. Quòd impie doceat, Chriſtum orantem, ideò non eſſe auditum, quòd non ut oportet, oraſſet. IX. Quòd ad ſeditionem populum concitaret, etiam adverſus Synodum. X. Quòd ex Ethnicis nonnullos, qui Chriſtianos graviter afflixerant, in Eccleſia ſuſcepiſſet, & defenderet. XI. Quòd aliorum invadat Provincias, ordinetque ibidem Epiſcopos. XII. Quòd Epiſcopos injuriâ afficiat. XIII. Quòd Clericos inuſitatis calumniis oneret. XIV. Quod aliorum depoſita vi rapuerit. XV. Quod ſine conventu præterque Cleri mentem ordinet. XVI. Quòd Origeniſtas receperit, Monachoſque in carcerem conjectos non dimiſerit, morientes non inviſerit. XVII. Quòd aliena mancipia, vel accuſata Epiſcopos ordinarit. XVIII. Quod ipſum hunc Iſacium male ſæpè mulctarit. Capita accuſationis exhibuimus omnia, quia Baronianis in Annalibus manca ſunt atque mutila. Spuria hæc Acta eſſe, *non levi ſuſpicio* Baronium inceſſit, *quòd in illis deſiderari videntur, quæ in ſe objecta ipſemet Chryſoſtomus tradit.* Quod ſcilicet *ad communionem non jejunos* receperit, ut ad Cyriacum ſcribit. Leviſſimam ſane conjecturam! Conflatam in Synodo ad Quercum de pranſis ad Euchariſtiam admiſſis accuſationem eſſe, non dixit Photius: In ſequenti ſanè Conciliabulo exerceri potuit. Quanquam vel ſi concederetur in conventu ad Quercum inſtitutam eſſe, id unum ſequeretur, Acta à Photio relata non eſſe plena; accuſatoreſque alios à Joanne Diacono, & Iſacio diverſos, alia propoſuiſſe, quæ non ſunt à Photio ſcripto mandata.

Phot. Bibl. p. 54.

Bar. Ann. 403. n. 20.

Geſta Synodi ad Quercum cum Heraclide, & Scetienſibus.

VII. Antequam verbis exequamur, quid Chryſoſtomi in cauſa actum fuerit, quæ alia Conciliabuli geſta ſpectant, paucis expediamus, ut ſerie non interruptâ & de conventus Actis, & de Chryſoſtomi hiſtoria filum orationis deducamus: *Cœperunt in Heraclidem, & Palladium Helenopolis Epiſcopos ambos conqueri, & Joannes Monachus libellum itidem porrexit, accuſans Heraclidem, quòd Origeniſta eſſet, & Cæſareæ Palæſtinæ in furto deprehenſus fuiſſet, Aquilini Diaconi veſtimenta furatus. Et quamvis talis eſſet, inquit, Joannes Epiſcopus, Epheſiorum eum ordinavit.... Poſteà rurſum Iſacius Epiſcopus Heraclidem accuſat, ut Origeniſtam, minimèque ſuſceptum à Sanctiſſimo Epiphanio, neque in precationis, neque in ciborum communionem.* Heraclidis res rogati actione XIII. tractaverunt. Abſente Heraclide quæſtio hæc agitabatur, qui & violentiæ poſtulabatur, quòd nonnullos injuſtè catenis vinctos per mediam Epheſinam urbem traduxiſſet. Hæc verò Monachorum in cauſa facta eſſe, narrat Sozomenus. De libris Origenis omiſsâ mentione, Scetienſes Theophilus Monachos ad pœnitentiam invitat, oblivioni ſe tradi turum præterita pollicitur. Inclamantibus Theophili fautoribus, ut veniam peterent, & deprecatorum apud Synodum perſonam ſibi accommodantibus, conturbati Monachi, quod ſolemne eſt ipſis dicere, vel injuriâ affectis, *Parce*, clamant. Communione veniam peccantibus reſtitutâ, de Scetienſium Monachorum injuria lis eſt finita. Quod factum non fuiſſet, ſi Dioſcorus & Ammonius adfuiſſent. Sed Dioſcorus antequam hæc fierent, in Eccleſia Martyris *Mocii* ſepultus

Phot. Bibl. p. 55.

Socr. l. 6. c. 17.

fuerat. Erat Mocii Baſilica in urbe Conſtantinopoli, ut hic in errorem Socrates delapſus ſit, qui Dioſcoro tribuit, quæ Ammonio conveniunt. Ammonius verò dum Synodus paratetur, languore correptus ad Quercum trajecit, ibique ingraveſcente morbo non multò poſt extremum diem clauſit, & apud vicinos Monachos ſplendidam meruit ſepulturam. Ammonii morte auditâ, Theophilus lachrymas fudiſſe perhibetur, cunctiſque audientibus dixiſſe, *Neminem inter ſui temporis Monachos parem Ammonio extitiſſet.* Sic ablatum immeritò Scetienſibus honorem verbis lachrymiſque reſtituit.

Anno Dom. 403.

Ibid.

Soz. l. 8. c. 17.

VIII. Nunc Synodi de Chryſoſtomo judicium triſtiore ſtylo proſequamur. Primum de Joanne Monacho, quòd *ferro vinctus fuiſſet*, accuſationis caput excutere noluerunt, at in ſecundum & ſeptimum, quod Iſacius obtulerat, inquiſitum. Mox tertium quoque accuſationis à Joanne Diacono factæ caput examinatur, quòd nempè ſacra ſupellectilia vendidiſſet. In eo capite Arſacius Archipresbyter, Chryſoſtomi ſucceſſor, & Atticus Presbyter, teſtes adhibiti contra Chryſoſtomum, teſtimonium dicunt, ut & Elpidius. Quibuſcum Acacius Presbyter in quartum quoque caput teſtatur. Dum in Chryſoſtomum hæ machinæ fabricantur, mirantibus Epiſcopis XL. qui cum ipſo erant, quâ ratione Theophilus omnium animos mutaſſet; percrebuerat quippe Sanctum Præſulem ob loquendi libertatem ſecuri percuſſum iri, hæc ſapientiſſima loquitur: *Mercatura eſt ſeculum: emimus, vendimus, & diſcedimus.* Intereà cunctos urbis Clericos ad ſe Synodus evocat, depoſitionem illis interminata, qui non obtemperaſſent. Ad cauſam dicendam & Chryſoſtomum, & Serapionem, & Tigrium Presbyterum cum Paulo Lectore adeſſe jubet. Synodi mandatum afferunt Dioſcorus & Paulus, qui nuper in Libya juvenes fuerant ordinati: *Sancta Synodus ad Quercum congregata Joanni.* Epiſcopi titulum omiſere: *Libellos accepimus adverſus te, infinita crimina continentes. Adeſto igitur, tecum adducens Serapionem, & Tigrium Presbyteros, iis enim opus eſt.* Lectis chartulis, Epiſcopi qui cum Chryſoſtomo erant, mittunt Demetrium Epiſcopum Piſinatium, Eleuſium Apamiæ, Lupinum, quem Lupicinum Palladius vocat; Apamiæ Presbyteros, Germanum & Severum, qui dicerent, non vitari judicium, ſed hoſtem manifeſtiſſimum. Congruum non eſſe, Thraciæ Epiſcopos ab Ægyptiis judicari: habere ſe adverſus Theophilum libellos ſeptuaginta capitum, manifeſta piacula continentes. Ipſum triceſimum ſextum eſſe ex unica Provincia. Cum Chryſoſtomo verò eſſe quadraginta ex variis Provinciis, inter quos ſeptem Metropolitani eminebant. Conſentaneum minorem numerum à majori, potiorique eſſe judicandum. Hæc Epiſcopi. At Chryſoſtomo quoque viſum, pro ſe reſponſum dare. Reſcripſit ergo, ſe quidem de loco non contendere, etſi judicium in civitate maximè fieri oportuerit; at rejicere & Theophilum, qui & Alexandriæ, & in Lycia dixerit, *In comitatum proficiſcor, ut Joannem deponam*; & Acacium, qui locutus fuerit, *Ego illi ollam condio*; & Severianum, & Antiochum, *quorum conatus theatra canunt.* Ex conſeſſu ut Judices ejiciantur, poſteà ad quamvis Synodum ſe venturum eſſe pollicetur, ſecus vel ſi decies miſerint, nil ampliùs ex ſe auditurος. Intereà

Synodi ad Quercum judicium de Chryſoſtomo. Ejicitur Conſtantinopoli.

Phot. Bibl. p. 59.

Pallad. Vit. Chryſ. 68.

Soz. l. 8. c. 17.

ANNO DOM. 403.

ex Synodi Epiſcopis unus ſuggeſſit, darent libellos Imperatori, ut Joannem vel invitum ad conſeſſum traherent. Venit ergò Notarius cum Arcadii Reſcripto, cui inſerta erat Epiſcoporum ſupplicatio, de Chryſoſtomo vel repugnante ad judicium ſiſtendo. Poſt datum Notario reſponſum prodiere duo Joannis Presbyteri, Eugenius & Iſacius Monachus, qui talia loquuntur: *Scripſit tibi Synodus, tranſi ad nos, ut objecta crimina diluas.* Ad hæc Chryſoſtomus per alios Epiſcopos ſignificat, *Quonam tandem ordine judicatis, qui neque inimicos meos ejecetis, & me per Clericos meos accerſatis?* Illi arreptis Epiſcopis *alium verberibus affecerunt, alterius veſtes conſcerpſerunt, alteri ferreas catenas collo circumpoſuere, quas S. Joanni paraverant, ut ſic conjectus in naviculam in ignotum locum amandaretur.* Cùm quartùm appellatus Chryſoſtomus non comparuiſſet, Arſacius, Atticus, Elpidius Presbyteri, ac præter eos Eudæmon & Oneſimus ſententiam accelerari poſtulant: *Itaque Synodi Præſes Paulus Heracleæ Epiſcopus omnes ſententiam dicere voluit, ſtatutumque beatum virum ſede pellendum, incipiente Gymnaſio Epiſcopo, & finiente Theophilo Alex. numero omnes quinque & quadraginta. Pòſt miſſa eſt ad Clerum Conſtantinopolitanum tanquam è Synodo Epiſtola de Chryſoſtomi è throno dejectione: relatio quoque ad Principes facta.* Cujus relationis contenta docet Palladius: *Quoniam quorundam criminum accuſatus Joannes, & ſibi conſcius, noluit adeſſe, leges talem deponunt, quod & ipſe ſubiit.* Complectebantur & libelli læſæ majeſtatis crimen, convicium ſcilicet in Auguſtam, quòd eam vocaſſet Jezabel: *Jubebit igitur pietas veſtra eum vel invitum ejici, & pœnas læſæ majeſtatis dare, quandoquidem in hæc inquirere nobis non licet.* Sic abdicatus Chryſoſtomus ad Oecumenicam Synodum provocat. Ut ſub veſperam populo res ea nunciata eſt, graviſſimâ ſeditione commovetur. Itaque totâ nocte excubantes, eum ab Eccleſia abduci nequaquam patiuntur, ſed cauſam in majore Concilio dijudicandam eſſe proclamant. At Chryſoſtomus, ubi compertum habuit ab Arcadio præſens exilium ſibi imperari, *Tertio poſt damnationem die circa meridiem ultrò ſe ipſe tradidit inſciâ multitudine.* Vi igitur abductus à Magiſtratu in navim conjiciatur, noctuque navigat. Sic ejectus venit in prædiola ad Prænetum urbem Bithyniæ.

Pallad. Vit. Chryſ. 73.

Phot. Bibl. c. 59. p. 59.

Pallad. Vit. Chryſ. 74.

Socr. l. 6. c. 15.

Chryſ. Ep. ad Inn.

Chryſoſtomus revocatur: quamobrem?

IX. Magnâ extulerat Theophilum lætitiâ exilium hoc Chryſoſtomi; ſed mutatis rerum vicibus breve comprimere gaudium cogitur. Dum Sanctus ille Præſul abducitur, populus graviter tumultuatur. Imperatorem, Synodum, præcipuè Theophilum, Severianumque maledictis appetit. Plebeiam quoque indignationem magis inflammat Severiani concio, in qua Joannis depoſitionem laudat, hominis ſuperbi, vel una ea de cauſa Epiſcopali munere ejiciendi, cùm Deus veniæ largitor maximus huic uni ſceleri reſiſtat. Tum populus à ſeditione revocari non potuit; in Eccleſiis, in foro tumultuantur; ad ipſum uſque palatium progreſſi, cum ululatu, & lachrymis Chryſoſtomum revocari flagitant. His acceſſit ingens terræ motus, quaſi Chryſoſtomi caſum ipſa elementa indignarentur: *Una dies interceſſerat, cùm plaga quadam in regio cubiculo fieri contigit.* His permota Eudoxia, Arcadio perſuadet exulem revocari. Poſt paucos ergo dies miſſo ſtatim *Briſone*, Eunucho ex *Praneto* Bithyniæ oppido Chryſoſtomum reducit: literis teſtata ſuis, ſe inſidiarum ab inimicis ſtructarum participem non eſſe, imò ſe illum honore proſequi, ut Antiſtitem, liberorumque ſuorum initiatorem. Tum reverſus Chryſoſtomus, in Auguſtæ ſuburbano circa *Anaplum* reſedit. Nec ante judicium majoris Synodi in urbem ingredi voluit. At indignantibus populis, conviciiſque Principes laceſſentibus, tandem ab Epiſcopis ſupra triginta, plebe Pſalmos ad præſens negotium compoſitos canente, pleriſque etiam cereos accenſos geſtantibus, vel invitus in Eccleſiam deducitur. Quin etiam recuſantem compellunt, & in Epiſcopali ſolio ſedere, & pacem populo dare. Extemporali oratione habitâ, exclamat, *Quid dicam, quid loquar? benedictus Deus.* Eleganti ſimilitudine indicat Theophilum tentaſſe vim inferre Eccleſiæ ſuæ, perinde ac olim Regem Ægyptium uxori Abrahami; populum verò ob propenſum erga ſe animum, Imperatores ob benevolentiam laudibus proſecutus, tantos in laudem Arcadii Eudoxiæque plauſus excitat, ut orationem imperfectam abrumpere cogeretur. Sed non multo pòſt, hoc ipſo nimirum anno Auguſtæ iracundia recrudúit, cui materiam præbuit oratio, quam Chryſoſtomus in eos habuit, qui non procul ab Eccleſia Eudoxiæ ſtatuam poſuerant. Itaque duobus menſibus cùm procellis deſediſſet, fluctus longè majores rurſus attollit. Cùm enim ſaltatorum ſtrepitum, plauſuſque ſpectantium quaſi illatam Eccleſiæ injuriam moleſtè Chryſoſtomus tuliſſet, Eudoxia dolore percita, in eum iram evomuit. Quæ labente anno geſta, ſequente fuſius narrabimus, ne ſeries divellatur hiſtoriæ.

Soz. l. 8. c. 18.

ANNO DOM. 403.

Id. ibid.

X. Quid nunc conſilii Theophilus caperet, haud ſatis ſciebat, adeò conturbaverat rationes ipſius triumphans Chryſoſtomi reditus. Ac volebat quidem palam reducem accuſare Præſulem, qui contra præſcripta legum abdicatus Sacerdotio, nihilominus eo fungeretur. Cogitanti ea de re fiduciæ ſatis non erat, metuenti ne Imperatorem, Proceresque offenderet, qui invitum redire compulerant. Accuſatoribus ergo Heraclidis auditis, judicium contra abſentem conſtituit, ratus ex ea re probabiliorem ſe cauſam deponendi Joannis arrepturum. Repugnantibus amicis Heraclidis, qui affirmabant iniquum eſſe, & ab Eccleſiæ moribus alienum, abſentem judicare, hinc Ægyptii Alexandrinique inde Conſtantinopolitani mutuo in ſe impetu facto pugnant, quo certamine multi vulnerati, quidam etiam interfecti. Tum Severianus, reliquique Epiſcopi, qui Chryſoſtomo infenſi erant, metu correpti ex urbe aufugiunt. Theophilum quærebant Conſtantinopolitani, quem in mare mergerent: præcipuè ipſi iraſcebantur & ſuccenſebant, utpote incendii totius faci, atque autori. Poſt Conciliabuli judicium ſic iniquitatem aperuit ſuam, ut eam cernere oculis viderentur: quo contigit inflammari magis in ipſum odia. Quippe quos damnaverat libros Origenis continuò legebat. Ac interroganti cuidam, Cur libros, quos damnaverat evolveret, hæc locutus eſt: *Similes ſunt Origenis libri prato cujuſque generis floribus exornato. Si quid ergo in illis mihi occurrit boni, illud decerpo: ſi quid verò ſpinoſum apparuerit, hoc utpote quod pungit, miſſum facio.*

De Heraclide ſeditio. Theophilus cum ſuis fugam maturat.

Socrat. l. 6. c. 17.

XI. Cùm plebem Conſtantinopolitanam malè in ſe animatam eſſe Theophilus compertam

Nilamon Epiſcopatum abnuit: moritur.

tum haberet, nil cunctatus cum Ægyptiis ſuis, Iſacioque Monacho ineunte jam hyeme in Ægyptum navigat. Accidit fortè, ut navis ſecundo vento Geras appelleret, oppidulum quinquaginta circiter ſtadiis diſtans Peluſio. Defuncto Epiſcopo cives Nilamonem aſcetam ſibi Epiſcopum delegerant. Degebat is in cella, cujus oſtium lapidibus obſtruxerat. Recuſantem Epiſcopatum hortatur Theophilus, ut à ſe ordinari pateretur. Cui cùm ægrè perſuaſum eſſet Sacerdotium ſuſcipere, tandem hæc dixit Theophilo: *Craſtino die id fac, ſi tibi videatur, ô Pater, at mihi liceat hodie res meas diſponere.* Ut poſtridie ex compacto venit Theophilus, januam aperiri juſſit. Age, inquit Nilamon, prius orationi vacemus. Probato ejus conſilio Theophilus ſe adorandum inſtituit. Dum preces funduntur, Nilamon vitam cum morte commutat. Ac initio quidem id Theophilum latuit. Verùm cùm maxima diei parte exhauſtâ, altiori voce inclamantibus Nilamon non reſponderet, dejectis tandem lapidibus mortuum inveniunt. Tum eum, quo par erat cultu indutum, publicâ ſepulturâ decorant: *Eccleſiam quoque circa ejus tumulum incolæ ejus loci ædificarunt, diemque illius obitus celeberrimum agere, hactenus perſeverant.* Natale ejus in Martyrologio Romano ſexto Januarii recolitur.

Soz. l. 8. cap. 19.

Mors Epiphanii.

Bar. Ann. 402.

XII. Fatalem non Nilamoni modò, ſed Epiphanio quoque hunc annum exiſtimamus. Baronius quidem: *Quoto*, inquit, *Domini anno obierit, ignoratur, decennium verò non exceſſiſſe conſtat.* Nil tamen illuſtriſſimo Purpurato cauſæ fuit, cur Socrati Sozomenoque fidem detraheret, qui conſtantiſſimè narrant, priuſquam appuliſſet in Cyprum, Epiphanium fato interceptum fuiſſe. Itaque anni ſub initio, vel exeunte CCCCII. mortalitatem exuit, cùm annos XXXVI. ſediſſet Epiſcopus. Jam fama ipſius obitum Hieronymi ad aures detulerat, cùm poſt ejectum anno CCCCIV. Chryſoſtomum hæc ſcripſit Theophilo: Joannes *Origeniſtas in ſuam eccipient familiaritatem, & ex his plurimos in Sacerdotum promovens, atque ob hoc ſcelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Epiſcopos clarum in orbe ſidus effulſit, non parvo mœrore contriſtans, meruit audire, Cecidit, cecidit, Babylon.* Redeuntem in Cyprum Epiphanium in ipſa navi exceſſiſſe Polybius narrat. Procellam in mari futuram prædixerat. Quæ & circa occaſum ſolis exorta eſt: *Epiphanius verò erat in infima parte navis, paſſis manibus, & ejus pectori impoſita erant Evangelia, & erant aperti ejus oculi, & vox ejus non audiebatur. Manſit autem illa tempeſtas duos dies, & duas noctes.* Tertio die juſſit accendi ligna, ſuffitumque jaci ſuper carbones. Quæ cùm feciſſet Polybius, dixit Epiphanius: *Orate; filii; & fecit orationem, ita ut recumbebat, & poſt orationem nos complexus eſt, dicens, Salvi eſtote, filii; Epiphanius enim non vos amplius videbit in hac vita, & ſtatim tradidit ſpiritum, ſtatimque ceſſavit tempeſtas maris.* Subjungit Polybius miracula, quibus ſanè non ſumus creduli. Unum ſcilicet ex nautis, dum vult aperire veſtem Epiphanii, & videre num eſſet circunciſus, à dextero mortui Epiphanii pede percuſſum, ad uſque puppem navis exanimem fuiſſe jactum: tertio verò die ad defuncti pedes poſitum ſurrexiſſe. Longævum periiſſe Epiphanium, certum exploratumque eſt, licet in dubio ſit, quod de ipſius ætate Polybius Joanneſque retulere; annum CXVI. ingreſſum fuiſſe. Græcorum in Meneis legitur, *centum quinque annos, ac menſes præterea tres expleviſſe*; quod à vero non abludit. Eâque ratione anno CCXCVII. editus eſſet. Reliquias Epiphanii melle ſuperfuſo Conſtantienſes in Eccleſia ſepelierunt: *Synaxis quæ in illius honorem fit, in ſanctiſſima illius æde celebratur, quæ eſt ad Sancti Philemonis.* Libros ſcripſit Epiphanius, qui omnium manibus teruntur. Celebritatis plurimum Auctori attolere libri tres adverſus hæreſes octoginta; de quibus extat Photii judicium vero conſentaneum: *Genus dicendi humile; & cujuſmodi ejus eſſe poteſt, qui Attica doctrina rudis extiterit. Sed & in confutandis hæreſibus plerumque nervos non habet. Quanquam interdum præſtantiſſimis illas rationibus; ac ſententiis aggreditur.* Meminit horum librorum non ſemel Auguſtinus, quos tamen non legerat, ſed illorum brevem duntaxat Epitomen, ut liquet ex ſuo de hæreſibus libro ad *Quodvultdeum*: *Breves*, inquit, *ſanè ſunt hi libelli, etſi in unum libellum redigantur, nec ipſe erit noſtro, vel aliorum quibuſdam libris longitudine comparandus.* Inter Græcos magnus habetur Epiphanius, cujus reliquiis miracula multa aſcripſere, quæ ex fama memorat Sozomenus l. 7. c. 26. Epiphanio ſucceſſor datus eſt *Sabinus* à Provinciæ Synodo creatus, ut docent Epheſina monumenta, Actione VII.

Menolog.

Phot. Bibl. n. 124.

Synodus Carthaginenſis. Ad concordiam Donatiſtas invitat.

XIII. Dum in Oriente concordiæ vincula diſſoluunt inſenſi Chryſoſtomo Epiſcopi, Africani Antiſtites hiantia Eccleſiæ vulnera conglutinare tentant, invitatis ad pacem Donatiſtis: *Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio Auguſto, & Rumerido viro clariſſ. Coſſ. VIII. Kal. Sept. Carthagine in Baſilica regionis ſecunda.* Concilium univerſale conſedit, aſtantibus Diaconis. Adfuere legationes ex omnibus Provinciis Africæ. Legationis Byzacenæ literas obtulere Philologius, Geta, Venuſtianus, Felicianus Epiſcopi. Legationis Mauritaniæ Sitiphenſis literas dedere Lucianus, & Silvanus: *Alypius Tagaſtenſis dixit, Nos quidem de Numidia venimus, & ſancti fratres Auguſtinus & Poſſidius: ſed de Numidia legatio mitti non potuit, quod adhùc tumultu Tyronum Epiſcopi propriis neceſſitatibus in civitatibus ſuis aut impediti, aut occupati ſunt. Nam etiam Tractoriam ſanctitatis tuæ cùm ad ſanctum Senem Xantippum deferrem, in præſenti Tractatu hoc viſum fuerat, ut Concilium indiceretur, quo inſtructa legatio poſſet ad hoc Conſilium deſtinari. Sed cùm eum poſterioribus literis admonerem de impedimento Tyronum, ut ſuperius dixi, Reſcriptis propriis excuſavit.* Rectè monet parens Annalium, *Tyrones* deſertores militiæ fuiſſe, qui prædonum more per Africæ Provincias graſſabantur. Quos Imperator, datis ad Hadrianum Præfectum Prætorio Reſcriptis quatuor, compeſci voluit. Sexto Nonas Octobris hæc ſtatuit: *Opprimendorum deſertorum facultatem Provincialibus jure permittimus, qui ſi reſiſtere auſi fuerint, velox ubique jubemus eſſe ſupplicium.* Quam Anaſtaſio Venerioque legationem miſerant, ut ea redux fuit, exponere debuit, quid de promovendis ad ordines Donatiſtis ſtatuerant. Aurelius igitur Epiſcopus, qui Synodi Principem agebat, Epiſcopis hæc proponit: *Jamdudum ſicut veſtra ſanctitas recordatur, habito Concilio deſtinavimus fratres noſtros ad transmarina Legatos, quos oportuit in cœtu ſanctitatis veſtræ perfuncta legationis curſum narrare.* Auditis Legatis, Synodo Donatiſtas conveniendos eſſe placuit: *Profeſſio veſtra omnium hoc depromptſit,*

Cod. Th. de Deſertoribus, lib. 14.

Anno Dom. 403.

promptè, debere unumque noſtrum in civitate ſua per ſe convenire Donatiſtarum præpoſitos, aut adjungere ſibi vicinum collegam, ut pariter eos in ſingulis quibuſque vel civitatibus, vel locis, per Magiſtratus, vel Seniores locorum conveniant. Placere hoc ſibi, ab omnibus dictum. Petunt etiam, ut Epiſtolis ad Judices de Concilio mittendis pro omnibus ſubſcribat Aurelius.

Cod. Afr. cap. 91.

Formula invitationis ad Donatiſtas directæ.

XIV. Quam conventionis formulam ediſdere, ea eſt, *Laeto* recitante Notario: *Conventmus vos ex Concilii noſtri auctoritate miſſi, de veſtra correctione gaudere cupientes, conſiderantes Domini charitatem, qui dixit, Beati pacifici, quia ipſi filii Dei vocabuntur, & admonuit per Prophetam etiam his, qui dicunt ſe fratres noſtros non eſſe, dicere non debere, Fratres noſtri eſtis. Hanc ergo pacificam ex charitate venientem commonitionem noſtram contemnere non debetis, ut ſi quid veritatis habere vos arbitramini, non dubitetis aſſerere. Id eſt, ut congregato veſtro Concilio, delegatis ex vobis, quibus cauſam aſſertionis veſtræ committatis, ut & nos poſſimus hoc facere, ut etiam de noſtro Concilio delegantur, qui cum eis, quos delegeritis, conſtituto loco, & tempore, quidquid quæſtionis eſt, quod veſtram à nobis ſeparat communionem, cum pace diſcutiant, & tandem aliquando adjuvante Domino Deo noſtro, finem veternoſus error accipiat, ne propter animoſitatem hominum infirmæ animæ, & ignari populi ſacrilegâ diſſenſione diſpereant. Si enim hoc fraternè acceperitis, Veritas facilè dilucеſcet. Si autem hoc facere nolueritis, diffidentia veſtra facilè innoteſcet.* Epiſcoporum omnium calculo formula hæc comprobatur. His conſtitutis, Septimino Proconſuli libellum offerunt ſuum, *Idibus Septembris*, ea continentem: *Multa contra divinas leges humanaſque leges ab Hæreticis de parte Donati Eccleſia Catholica ſuſtinet. Unde petimus ſublimitatem tuam, ut cum eos de hac re per Magiſtratus, ſive in civitatibus, ſive in pertinentibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi geſtorum, & eos ex allegatione noſtra honeſtè convenire præcipias.*

Cod. Afr. cap. 92.

Coll. Carth. 3. n. 174.

Rufinus Romam petit.

XV. Sub ea penè tempora Rufinus Orientem, ubi magnæ famæ erat, pluriſque ſibi amicos conciliaverat, repetitum voluit. Proficiſcenti prius conſilium fuit in urbem venire. Quod nos Paulinus monuit, Epiſtolâ ad Rufinum XLVIII. *Vos in æſtu ſollicitudinis, & incerto morarum Romam peti judicaſtis.* Quamdiu ibi moratus ſit, nos prorſus latet. Id ſcimus in ſuburbio extra portam Angelicam in loco, cui vulgò *Pignete* nomen, dies aliquot tranſegiſſe, teſte ipſius ad Paulinum Epiſtolâ: *Quia autem Quadrageſima diebus in Monaſterio Pigneti poſitus, hæc reſcripſi ad te.* Reſponſio eſt Epiſtolæ, quam per *Cerealem* Paulinus Rufino miſerat, ipſum invitaturus, ut ad ſe veniret: *Nobis autem, & ſi pro tua charitate præſumptio ſit, quia remeaturus ad Orientem, non feres inviſitatis nobis abire, tamen de peccatis noſtris metus eſt, ne etiamſi tam nobis vicina filia Babylonis avertas.* Eo tempore egregio de Benedictionibus Patriarcharum ſcribendo vacabat Rufinus, cujus initia mirò ſuavitate legentem affecerant. Quæ cauſa fuit, cur ut librum ad umbilicum Autor duceret, enixè rogarit Paulinus: *Sanè importunitate, quâ oſtium tuum, vel mediâ nocte pulſare conſuevi, repulſa metu ad verecundiam & modum poſtulandi coactum, nunc hoc circa me negotii tibi trado; ut Benedictiones XII. Patriarcharum, cujus jam principium mihi expoſita circa perſonam Judæ Prophetia, triplici ut juſſum eſt interpretatione, conſcriptis paginis edidiſti, per reliquos filios diſtributam digneris exponere.* Quibus perſpicuum eſt, vel invito Hieronymo, qui Rufini famam modis omnibus laceravit, ipſum in gloria fuiſſe apud inſignes pioſque viros, qui ab eo Scripturæ explicationem flagitabant. Relictâ urbe Rufinum in Orientem migraſſe, conjecturam facimus ex ipſius profeſſione fidei, quam ſuo loco ſumus exhibituri. Profeſſionis verba ſunt: *Propter venerationem Sanctorum locorum Hieroſolymarum & Bethlehem venimus*, &c.

Paul. Epiſt. XLIX.

Anno Dom. 403.

ANNO U. C. 1157. PER. JUL. 5116. JUL. 449. DOM. 404. ARCADII 22. & 10. HONOR. 12. & 10. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 6. *Indict.* 2. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 5. & 6. P. 17. *April.*

Anno Dom. 404.

COSS. *Honorius Auguſtus VI. & Ariſtænetus.*

Honorius ovans urbem ingreditur.

I. HOnorii Conſulatui celebritatis multum addidere, & edita ſpectacula, & triumphi ſpecies, quem ob victum apud Pollentiam Alaricum duxit. Calendis Januarii ovans urbem ingreditur Princeps, ut ex Claudiani Panegyri intelligitur:

Quo tempore ſolos
Romanos vetuit currum præcedere Patres:
Cùm tamen Emilerius, cui regius undique ſanguis,
Atque Auguſta ſoror, fratri præberet ovanti
Militis officium.

Claud. de VI. Conſ. Hon. v. 561.

Paucis ante diebus multum pluerat Novilunio, Decembris XXIX. feriâ tertiâ, horâ 18. Kalendis verò Januarii dies ſerenus illuxit:

Ipſe favens votis, ſolitoque decentior aër,
Quamvis aſſiduo noctem fœdaverat imbre,
Principis & Solis radiis deterſa removit
Nubila; namque ideò pluviis turbaverat omnes
Ante dies, Lunamque rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.

Verſ. 538.

Seculareſne ludos Honorius ediderit?

II. Spectaculis annum & inſignitum fuiſſe extra dubium ponimus, utrùm verò ludos ſeculares Honorius ediderit, quæſtionem habet. Gentilium conſilio, qui horumce ludorum celebrationi urbis æternitatem deberi exiſtimabant, reſtitutos eſſe, Baronius ſtatuit, vacuos quidem Ethnicorum rituum, non tamen ſuperſtitionis omnis: *Quis putat eos nunc prætermiſſos à pueris & puellis Sibyllina illa carmina, in his edendis ludis ſolemnia?* Ab illuſtriſſimi Purpurati opinione, quæ multorum & eruditorum eſt, quàm longè abſumus. Mutilis ſanè ludis urbis fata non alligabant, quales ab Honorio exhibitos, Baronius ſibi induxit in animum. Itaque ut morem Ethnicis gereret, integros reſtituere ludos debuiſſet. Defuncto Philippo ludos ſeculares Romæ nullos fuiſſe, illuſtrium Hiſtoricorum, qui imperante Honorio florebant, teſtimonio compertum habemus. Aurelius Victor de Cæſaribus in Philippo: *Et quoniam nomen admonuit, noſtrâ quoque ætate poſt mille centeſimus, Conſule Philippo, exceſſit, nullis uti ſolet, ſolemnibus frequentatus. Adeò indies cura minima Romanæ urbis.* Accedat & Victori Zozimus, qui ex ludorum ſecularium intermiſſione in horrendas calamitates imperium incidiſſe queritur: *Cùm rectè ſicut oraculum tradit, & ipſa res exigit, hæc omnia ſuo modo & ritu peragerentur, ſalvum erat Romanorum imperium, & univerſum propè dixerim orbem noſtrum, perpetuò ſibi ſubjectum habebant, iiſdem*

Bar. Ann. 304. n. 4.

Zozim. l. 2. c. 7.

verò ludis neglectis, cùm imperio ſe Diocletianus abdicaſſet, paulatim quaſi deliuit, taciteque redactum eſt ad barbariem majori ex parte, ſicut res ipſa teſtantur. . . . Conſtantino & Licinio III. Coſſ. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam ludos conſueto more celebratos oportuit. Eo verò non obſervato, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget? Has quidem Zoſimus querelas comprimere debuiſſet, ſi ludi ſeculares fuiſſent ab Honorio celebrati. Neque nos movent Claudiani carmina, quæ ſententiæ ſuæ Baronius auxilio eſſe voluit:

Claud. de 6. Hon. Conſul. v. 388.

Jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtiva detondent Gargara falces,
Spectandoſque iterum nulli, celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus ſecula Conſul.

Pag. Diſſ. Hyp. pag. 189.

Non diſplicet explicatio Pagii: *Spectandoſque iterum nulli, id eſt, nec ultimo ſeculo viſos, nec iterum ſpectandos, quia celebrandi non erant.* Sed & licentiâ figmentoque poëtico edita ab Honorio ſpectacula Claudianus ludorum ſecularium ſimilitudine reſpexit. Equidem ſi ludos ſeculares Honorius celebraſſet, tam exiliter, tam jejunè de ipſis Claudianum commemoraſſe quis credat? Pompæ plenum, ſplendidamque hanc ludorum exhibitionem carmine magnifico laudaſſet. Itaque immerenti Honorio injuriam à Baronio oblatam eſſe cenſemus, neque *eo ſcelere ad excidium urbis Deum ſollicitaſſe* putamus. Aliæ prorſus fuere cauſæ, cur Barbarorum præda fieret.

Bar. Ann. 404. n. 1.

Gladiatorios ludos abrogat Honorius. Quamobrem?

III. At non ſi *ſeculares*, gladiatorii tamen ab Honorio ludi celebrati ſunt. Hinc Claudianus:

Claud. de Conſul. VI. Hon. v. 625.

Et pulchros errorum artes, jucundaque Martis
Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna Magiſter.
- - - - - - - -
Ferreus alterno concentus plauditur enſe.
Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantaque ſalutant
Te, Princeps, galea.

Hactenus ludos gladiatorios viguiſſe, ſatis ſuperque teſtantur carmina Prudentii:

Prud. adv. Symm. l. 2.

Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodque Patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille urbem vetuit taurorum ſanguine tingi;
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari;
Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas.

Quòd cruentas inhiberi delicias tam enixè Prudentius flagitet, documento eſt, adhùc in uſu fuiſſe Romanis. Id etiam oſtendit Auguſtini Confeſſionum liber VI. c. 8. de Alypio ſcribentis: *Alypium gladiatorii ſpectaculi hiatu incredibiliter abreptum.* Hoc verò ipſo anno eſſe prohibitos, aut vero proximum, ea de cauſa, quam Theodoritus exhibuit. *Telemachus* monaſticæ vitæ deditus ex Oriente profectus, Romam eo tempore venit, quo funeſtum gladiatorum ſpectaculum edebatur. In arenam ingreſſus, pugnantes compeſcere gladiatores conatur. Quod cùm cruentæ cædis ſpectatoribus moleſtum fuiſſet, pacis autorem lapidibus obruerunt. Quo cognito, Imperator *Telemachum* Martyribus aſcribit, tetrumque ſpectaculum penitùs abrogavit. Non eſt quidem accurata Sigonii, Calviſiique Chronologia, qui ludos & hominum, & Chriſtianorum nominis dedecus afferentes anno CCCXCVII. ab Honorio extinctos eſſe ſtatuunt: quos ſanè refellunt Prudentii carmina ſcripta poſtmodum. Baronio tamen largiri haud poſſumus, *ab Honorio revocata eſſe gladiatorum munera, quæ tot Chriſtianorum Imperatorum Legibus vetita fuerant.* Ante Honorium non abrogata fuiſſe Romæ, monet Prudentius:

Theodorit. l. 5. c. 26.

Error Baronii.

Bar. Ann. 404. n. 2.

Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam.

Monet & Theodoritus: *Honorius, qui Europæ partes regendas ſuſceperat, gladiatorum ſpectacula olim Romæ fieri ſolita ſuſtulit.* Veterum ſanè nullus de reſtitutis, quos deceſſores abrogarant, Honorium infamavit, neque gloria prohibendi feralia ſpectacula in ipſius ætatem *dilata*, ſi in urbe à Conſtantino Magno jam abrogata fuiſſent. Conſtantini Magni Legem, anno CCCXXV. Beryti promulgatam, non ubique locorum viguiſſe, ſuo loco demonſtravimus.

Theodorit. l. 5. c. 26.

Cur Eudoxia Chryſoſtomo infenſa Synodum cogi jubet?

IV. Ultimum Telemacho Monacho diem ludi apud veterem Romam attulerant: in Conſtantinopoli fatalia quoque Chryſoſtomo ſpectacula fuere. Superiore anno argentea Eudoxiæ Auguſtæ ſtatua ſupra columnam porphyream erecta fuerat, amicta muliebri ſtolâ. Parcant nobis Baronii cineres, ſi anno CCCCIII. erectam ſtatuam putamus, quam currente duntaxat poſitam exiſtimat. Ipſius quidem Chronologiam damnant & Proſper & Marcellinus, qui noſtræ favent: *Theodoſio Juniore, & Rumoride Coſſ.* inquit, *Eudoxia Arcadii uxoris, ſuper Porphyreticam columnam argentea ſtatua juxta Eccleſiam poſita hactenus ſiſtit.* Neque à vero ipſos aberraſſe, Socrates ipſe teſtatur, à quo ſcimus, feſto Natalis Imperatorem ad Eccleſiam non proceſſiſſe, *ſed Joannı mandaſſe, ſe non prius cum illo communicaturum, quàm illata ſibi crimina diluiſſet.* Ut tot teſtibus planum ſit, anno ſuperiore ſtatuam eſſe poſitam, quæ tantis calamitatibus occaſionem miniſtravit. Stabat in loco, qui Pittacia dicitur, juxta Eccleſiam S. Irenes, ſi Theophani fides. Et in ejus dedicatione Præfectus urbis, quâ Manichæus erat, plebem ad plauſus, & tripudia excitarat, non ſine divini officii incommodo, quod tranquillè peragi non poterat, obſtrepente ſaltantium numero. Quæ omnia libenter admittimus, excepto uno, quòd ſtatua Eudoxiæ juxta S. Irenes Templum collocata dicatur; cùm ex Socrate liqueat, Sophiæ fuiſſe proximam: *Stabat hæc in edita baſi, nec admodum contigua Eccleſiæ, quæ Sophia cognominatur, nec ab ea procul diſſita, ſed inter utramque media duntaxat platea via interjecta erat.* Plauſus illic, & publica ſaltatorum & mimorum ſpectacula edebantur, in quæ, ut ad contumeliam Eccleſiæ geſta, Chryſoſtomus invehitur. Multò quidem prudentius feciſſet, ſi blandâ oratione Principibus perſuaſiſſet ab ejuſmodi ludicro temperare. Cùm porro zelo ſuo dediſſet habenas, Eudoxia quaſi injuriam paſſa iterum excanduit. Operam dat omnem, ut adverſus Chryſoſtomum Synodus denuò congregetur. Tum ille eloquentiæ ſuæ aculeos omnes exerit, quibus Auguſtam pungeret, percelebri oratione habitâ: *Rurſus Herodias furit, rurſum ſaltat, rurſum Joannis caput in diſco geſtit accipere.* Quâ non Eudoxia modò, ſed & Arcadius ipſe adeò commotus eſt, ut ne vel ipſo Servatoris natali Eccleſiam ingreſſus ſit, Joannique mandarit, nil communionis cum ipſo habiturum, quin prius de accuſationibus ſeſe purgaſſet.

Error Baronii.

Socr. l. 6. cap. 18.

Id. ibid.

Soz. l. 8. cap. 20.

Synodus Conſtantinopolitana adverſus Chryſoſtomum.

V. Quò facilius optimum Præſulem ſternt perditum, Theophilo mittunt miro accuſationum artifici. Rogant ipſe veniat, aut ſi recuſet, ſuggerat litis exordia. Adventum ille ſuum negat, memor quomodo effugiſſet; tres verò miſer-

ANNO DOM. 404.

ſerrimos legat Epiſcopos, *Paulum*, *Poemenem*, & alium recèns ordinatum, qui couſtatos ab Arianis adverſus Athanaſium Canones afferuot, quibus Chryſoſtomo lites inciderent, quòd oullâ autoritate Synodi poſt abdicationem ad Eccleſiam rediiſſet. Conſtantinopoli Concilium cogitur, vocatis è Syria, Cappadocia, Ponto, & Phrygia univerſis Metropolitanis & Epiſcopis, qui cum Chryſoſtomo communicarunt, ne uti prius io Canones committerent, quam Principes communionem ægrè tulerunt. At Theodorus Tyanorum Epiſcopus, intellectâ conſpiratione, ioſalutatis relictis omnibus Eccleſiam repetiit ſuam. *Leoatius* verò Ancyræ, Ammoriuſque Laodiceæ ambuſtæ Epiſcopus ignem admoverunt Eccleſiæ. Quippe & victi minis Imperatorum, & ſpe munerum capti, ſe Acacin, Antiocho, Cyrino Chalcedonenſi, ac Severiano conjungentes, Antiocheni Conciliabuli Canoni robur incutiuot, ſtatuenti: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter jure, aut injuriâ depoſitus per ſe redeat ad Eccleſiam abſque Synodo, talis non habeat amplius locum defenſionis, ſed abſolutè expellatur.* Cùm autem alii ab Heterodoxis, alii à Catholicis ſancitum Canonem eſſe contenderent, Imperatorem adeunt Acacius, Antiochus Cyrinus, &c. quem monent ut ex Epiſcopis Chryſoſtomi ſautoribus, qui XL. & eo amplius erant, decem evocaret ad conciliandam Canonibus autoritatem. Ingreſſi Elpidius Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, atque Tranquillus, ſuadent Imperatori, non oportere indictâ cauſâ Joannem ejici. Depoſitum non ſuiſſe, ſed à Comite expulſum, Principiſque mandato à Notario revocatum, Canones laudatos Hæreticorum eſſe. Hic inverecundè ſatis coram Imperatore altercari Chryſoſtomi inimici. Tum Elpidius: *Subſcribant*, inquit, *Acacias & Antiochus, ejuſdem ſe eſſe fidei cum illis, qui Canones edidere.* Placuit ea res Arcadio, eorum quæ perverſè agebantur innocenti, qui ſubridens dixit Acacin, *Nihil iſto mihi videtur utilius.* Conticuere primùm Joannis adverſarii, anguſtiis verò loci conſtricti, ſubſcriptionem pollicentur; promiſſa tamen non implevere. Verſabatur tum Conſtantinopoli Cyrillus, qui poſtmodum Epiſcopus Alexandriæ impoſitus eſt, à quo didicimus, in Synodo hæc ab

Lup. Syll. cap. 56.

Acacio dicta fuiſſe: *Si ſcirem quòd nunc, ſi Joanni veniam largiremur, melior fieret ſemetipſe, & recederet à duritia & aſperitate, quæ in eo eſt, omnes vos rogaſſem pro eo.* Hæc in Lupi Sylloge ipſi Acacio Cyrillus ſcripſit, anno Dom. CCCCXXXII. Dum hæc, aliaque geruotur, novem decemve menſes prætereunt; Joanne intereà Epiſcopis XLII. conjuncto, quibuſcum conventus agebat. Effloreſcente porro cum vere Domini jejunio, privatim cum ſuis Antiochus Imperatorem convenit, ut imminente Paſchate Joannem juberet expelli. Nec mora: ipſi mandatur Eccleſiam exire. Reſpondet Chryſoſtomus, à Deo acceptam Eccleſiam ſe relinquere non poſſe; ab Arcadio urbis Domino ejiciendum eſſe, ſe ut recedenti ſibi aliquid excuſationis foret. Igitur non ſine verecundia quadam expulſum ab Eccleſia jubent domum Epiſcopalem incolere, ut ſi quid triſte accideret, citius eum Eccleſiæ redderent; ſin minus, inſidias ſtruerent. Illuceſcente magno Sabbato Chryſoſtomo denunciant, egrediatur Eccleſiâ: reſcribit ille, quæ conſentanea. At Imperator & diei celebritatem veritus, & urbis tumultum, Acacium Antiochumque accerſitos ſic alloquitur: *Videte quid facto opus ſit, ne non rectè conſulueritis.* Hæreni reſpondent: *Imperator, in caput noſtrum ſit Joannis depoſitio.* At pro ultimo ſubſidio Epiſcopi XL. ſacri jejunii diebus oumero pares, Arcadium & Eudoxiam in Martyriis adeunt, orantes cum lachrymis, parcerent Eccleſiæ, maximè propter Paſcha, & ſacris myſteriis initiandos. Preces deſpuentibus Imperatoribus, Paulus Cretæ Epiſcopus imperterritâ fiduciâ dixit: *Eudoxia, Deum time, tuorum te liberorum miſereat, neque viola ſanctam Chriſti ſolemnitatem ſanguinis effuſione.* Reverſi XL. Epiſcopi, in diverſoriis ſuis vigilias cum luctu lachrymiſque agitarunt. Joannis tamen Presbyteri in publico lavacro, quod *Conſtantianas* vocant, congregatis populis vigilias celebrabant, Scripturas legendo, baptiſmumque miniſtrando. Rogantibus Antiocho, Severiano, Acacio, ut ab eo loco populi arcerentur, Magiſtratus renuit: *Nox eſt*, inquit, *& ingens multitudo, ne quid temerè fiat.* Tum Acacius: Nemo manſit in Eccleſia: timemus ne Imperator vacuam Eccleſiam ingreſſus, populi noſcat erga Joannem benevolentiam, quem utpote infidum, ab omnibus penè deſeri diximus.

Pallad. Dial. 84.

Impetus à Lucio factus in vigilantes apud thermas Conſtantianas.

VI. Magiſtratus præſagâ mente cernens, quæ futura erant, Lucio, ut ajunt, Ethnico, rectori numeri ſcutariorum mandat, moderatè populum ad Eccleſiam revocare. Ubi verò Lucius populi & frequentiam retulit, & conſtantiam; Acacius verbis promiſſiſque ab eo impetrat, ut vel oratione perſuaſos ad Eccleſiam populos adduceret, vel vi turbatos feſtum celebrare prohiberet:

Æn. l. 2. v. 361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare labores?

Lucius igitur aſſumptis ex parte Acacii Clericis, cum Tyronibus quadringentis diſtrictos gladios geſtantibus, ſecundâ noctis vigiliâ impetum facit; ad ſanctas uſque aquas penetrat; in Diaconum procaciter illiſus, Symbola effundit; Presbyteros grandævos fuſtibus in capite ferit; ſacrum fontem cruore conſpergit. Nudæ mulieres fugam arripiunt: *Alius manu vulneratus abibat plorans, alius virginem trahebat conſciſſis veſtibus, omnes autem deprædantes vaſa ſacra ſibi rapiebant. Presbyteri, Diaconique comprehenſi in carcerem detrudebantur; qui de populo honoratiores, urbe regiâ pellebantur.* Paria Chryſoſtomus & gemina fuſiore ſtylo ſcripſit ad Innocentium. Miſerum ſanè horrendumque fuit, quòd illis temporibus ea in Clericos perpetrata ſint, quibus vel ipſi rei vinculis eripiebantur. Plures Epiſcopi quàm quadraginta fugari, tantaque clades fuit, ut Hæretici, Judæi, Ethnicique quaſi captâ civitate dolerent. Cruentæ noctis dies illuceſcens ſtragem æquavit. Extra muros in nemora plebs migraverat feſto celebrando. Fortè Imperator egreſſus erat, ut ſe in vicino campo exerceret. Ut vidit agrum ad quintum circiter milliare colore candentem, quis ille cœtus eſſet, rogat à militibus. Erant ad tria fermè millia hominum recens baptizatorum, qui de more albis veſtibus tegebantur. Mentiti milites, Hæreticorum conventum eſſe referunt. Mox ab invidis mittuntur, qui & auditores diſpergerent, & Doctores comprehenderent. Cum Clericis detinentur & Nobilium conjuges: *Sunt & quibus rapti maforte, aliis maures cum ima parte aurium detraxere.* Quæ cùm fieri videret Eleutheri uxor, ſpecie elegantiſſimâ & opulentiſſimâ, relicto maforte, & ancillari veſte ſumptâ,

Pal. Vit. Chryſ. 87.

curſu civitatem petit ſervandæ pudicitiæ. Itaque myſteriorum oblationes in carceribus peragebantur, dum juramenta, flagra, cruciatus in Eccleſiis adhibebantur, ut Chryſoſtomus excommunicatione feriretur.

Chryſoſtomi ad Italiæ Epiſcopos literæ.

VII. Ut de Chryſoſtomo ampliorem Theophilus triumphum duceret, Innocentium Romanæ urbis Epiſcopum de ipſius abdicatione monitum voluit. Lectore miſſo cum literis, refert ſe Joannem depoſuiſſe. Lectâ Epiſtolâ, parum abfuit, quin Theophili temeritatem damnans exhorreſceret Innocentius, quòd & ſolus ſcripſiſſet, nec cur, aut quibuſcum abdicationis ſententiam tuliſſet, notificaret. Dubius tamen manebat, nolens ob rei geſtæ levitatem ſcribere. Interea Euſebius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus, qui ob Eccleſiaſtica negotia Romæ tum temporis verſabatur, Innocentium adit, quem rogat paul ſper expectare, brevi factionem eſſe pateſaciendam. Triduo poſt venere Epiſcopi quatuor ex partibus Chryſoſtomi, *Panſophius* Piſidiæ, *Pappus* Syriæ, *Demetrius* Galatiæ ſecundæ, *Eugenius* Phrygiæ, qui tres Epiſtolas reddiderunt, unam Chryſoſtomi, alteram quadraginta Epiſcoporum, qui Joanni communione conjungebantur, tertiam Cleri Conſtantinopolitani. Porro Joannis Epiſtola non ad ſolum Innocentium dirigebatur; eadem ipſa *Venerio* Mediolanenſi, *Chromatioque* Aquileenſi miſſa eſt. Unius itaque Epiſtolæ exemplaria tria confecta ſunt. Hoc ex clariſſimi Bigotii editione didicimus, quam ex Archetypo Florentiæ, facultate à Ferdinando II. Etruriæ Ducis impetratâ exſcriptam, bono eruditi orbis vulgavit. In communibus hujus Epiſtolæ editionibus, vel & in ipſa Labbeana, verba etiam atque etiam obſervanda deſiderantur, quæ in Bigotiana legimus: *Hæc ipſa etiam ſcripta eſt ad Venerium Epiſcopum Mediolani, & ad Chromatium, Aquileæ Epiſcopum.* Quæ maximi ſanè momenti ſunt ad contundendam eorum opinionem, qui Pontificis ad tribunal Chryſoſtomum appellantem, ſibi videre videntur. Ex ipſo quoque Epiſtolæ tenore ſole clarius eſt, ad unum Innocentium ſcriptam non fuiſſe, cùm ipſiſſima verba hæc in vulgatis & verſionibus, & editionibus reperiantur: *Igitur Domini maximè venerandi, & pii, cum hæc ita ſe habere didiceritis, ſtudium veſtrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc, quæ in Eccleſias irrupit iniquitas.* Ea autem Epiſtola Chromatium, Venerium, Innocentiumque docet de iis, quæ & in Conciliabulo ad Quercum, & in Conſtantinopolitana Synodo violenter perturbatèque geſta ſunt, quæ fuſè ſatis narravimus. Quæ ne roboris aliquid habeant, ſicut neque naturâ ſuâ habent, conventos Epiſcopos hortatur ad ſcribendum.

Legatio Theophili ad Innocentium, qui reſcribit Theophilo.

VIII. Lectis Chryſoſtomi literis, Innocentius & ipſi, & Theophilo literas communicatorias miſit, improbans Theophili judicium. Cenſet aliam Synodum ex Orientis, Occidentiſque Epiſcopis eſſe cogendam, recedentibus ab eo conventu, & amicis, & inimicis. Paucis pòſt diebus venit Presbyter Theophili *Petrus*, cum *Martyrio*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono, qui & ipſius literas, & Actorum Conciliabuli ad Quercum commentariolos reddidere. Ex quibus apparebat, Chryſoſtomum ab Epiſcopis XXXVI. eſſe damnatum, *quorum undetriginta erant Ægyptii, ſeptem verò aliarum regionum.* Actis perlectis, accuſationem Innocentius, quæ gravis eſſet, nullam comperit; præcipitem itaque & abruptam, quam Theophilus ſententiam effuderat, exſibilare pergit. Cui etiam hanc ſcribit Epiſtolam: *Frater Theophile, nos quidem habemus te, & fratrem Joannem nobis communicantes. . . . Quod niſi congruum judicium ſequatur in his, quæ per ludibrium geſta ſunt, fieri non poteſt, ut à Joannis communione diſcedamus. Tu igitur ſi judicio confidis, ſiſte te ad Synodum, quæ ſecundum Chriſtum cogitur, & ibi expoſitis criminationibus, ſub teſtibus Nicæni Concilii Canonibus, aliam enim regulam Romana non admittit Eccleſia, irrefragabilem ſecuritatem habebis.* Pall. 13.

Provocaritne ad Innocentium Chryſoſtomus?

IX. Porro feſtinanti ad res Chryſoſtomi narrandas manum hic injicit non minimi momenti quæſtio, quâ eruditorum ſubſellia perſonant, provocaritne ad Innocentium Chryſoſtomus. Bellarmini, Perronii, N. Alexandri, & ut alios prætereamus, Baronii noſtri ſententia hæc eſt, ad Pontificis R. tribunal à Chryſoſtomo fuiſſe provocatum: Innocentium, inquit, *adverſus tot nefaria Orientalium, & Ægyptiorum Epiſcoporum appellat.* Bar. Ann. 404. n. 20. Nos verò provocationis neque vocem invenimus, neque veſtigium. Appellavit ad Synodum Chryſoſtomus, quod & ipſe Innocentio ſignificatum voluit: *Tractus à Curioſo urbis, per mediam civitatem vi abducor, & in navim conjicior, quia Synodum ad juſtum judicium appellabam*, p. 13. Aliud verò eſt Pontificis R. aliud Synodi Oecumenicæ tribunal. Imò quia ad Synodum, non ad Innocentium utique provocabat. Quæ verò ea Chryſoſtomi fuiſſet negligentia, quæ ſtoliditas, appellationem ad Innocentium omiſiſſe ſuam in illa Epiſtola, quam ipſi dirigit, & in qua de ſua ad Concilium provocatione commemorat? Teſtantur & Socrates, & Sozomenus, Chryſoſtomum ad *generale Concilium* provocaſſe, nullâ appellationis ad Innocentium mentione factâ. Cùm itaque ſummum ultimumque judicium flagitarit, luce clarius eſt, illud in auctoritate non Innocentii quidem, ſed univerſalis Concilii quæſiviſſe. Inſuper Innocentii ad Theophilum Epiſtola ipſum monet, ut ſe ad *Synodum* ſiſtat. Quòd ſi ut ſummus controverſiæ hujus Judex fuiſſet appellatus, ad ſuum quidem, non verò ad Concilii tribunal Theophilum advocaſſet. Præterea nullas in ea re ſummi Judicis partes ſibi aſſumpſit Innocentius, non Theophilum citavit, non damnavit: damnandum ſanè, & exauctorandum, ſi juris aliquid in abroganda Synodi ad Quercum ſententia habuiſſet. Imò permanſit aliquandiu cum Theophilo communione conjunctus; quæ maxima fuiſſet iniquitas, ſi in eo negotio ſummi Judicis officio functus fuiſſet. Denique ſi ad Innocentium cauſam Chryſoſtomus ſuam detuliſſet, nil Pontifici Romano cauſæ fuiſſet, cur Synodo opus eſſe cenſeret. Nec prudenter feciſſet, qui compendiariam abrogandæ Conciliabuli ad *Quercum* ſententiæ viam longiori & moleſtiori poſthabuiſſet. Jam verò Concilium ad eam rem œcumenicum neceſſarium eſſe, Innocentius ipſe teſtatur in ſua ad Clerum Conſtantinopolitanum Epiſtola: *Cæterùm quid contra ipſos in præſentia agendum? Synodali cognitione peropus eſt, quam dudum etiam eſſe cogendam cenſuimus. Sola enim illa talium procellarum motum ſopire poteſt.* Innocent. Ep. 29. Iterum atque iterum monemus, ſi ad Innocentium, ut ſummum Judicem Chryſoſtomus confugiſſet, ſola ad reſcindendum

dum Conciliabuli judicium Innocentii ſententia ſufficiebat, in qua ſummus autoritatis Eccleſiaſticæ apex reſediſſet: Oecumenico Concilio nil opus erat, quod neceſſarium tamen Innocentius ipſe profitetur.

De Chryſoſtomi provocatione ad Papam rationes ſolvuntur.

X. Duo ſunt, quæ à N. Alexandro objiciuntur. Honorii ſcilicet, & Palladii autoritas. Palladii verba ſic reddit: *Innocentius Papa Theophili judicium caſſum atque irritum eſſe decrevit.* Quæ verſio eſt Ambroſii Camaldulenſis, tota ad extollendam Pontificis R. autoritatem comparata. At Græca Palladii id non ſonant. Verbum *ἀθετήσας* verti debuit *ſpernens*, quo ſenſu illud ipſum vocabulum Paulus adhibuit: *ἀθετήσας τὸν νόμον*, *ſpernens Legem Moſis.* Hebr. c. x. v. 28. Joann. xii. v. 48. *Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ*, *qui ſpernit me.* Id Palladium ſibi voluiſſe, ſequentia vincunt: *Spernens quod à Theophilo factum videbatur judicium, dixit debere aliam cogi Synodum irreprehenſibilem, Occidentalium, & Orientalium.* Quòd ſi Theophili ſententiam abrogaſſet Innocentius, cui bono voluiſſet Synodum convocari? Eâne opus erat, ut quod Papa caſſum jam reddidiſſet denuò, irritum decerneret? Si Theophili ſententiam Innocentius caſſam eſſe decrevit, cur nil pœnæ irrogavit Theophilo? Cur ipſius ſententiæ non eſt obtemperatum, utpote ſummâ autoritate pollentis? Cur ex Oriente Epiſcopi, qui Chryſoſtomi communionem ejurarunt, rebellionis in decreta ſummi Eccleſiæ capitis inſimulati non fuere? Urget adhùc N. Alexander Honorii ad Arcadium Epiſtolam: *Hi, quorum expectabatur autoritas, pacificâ Joanni Epiſcopo communione permiſſâ faciendam concordiam cenſuerunt, neque quemquam putarunt ante judicium conſortio pellendum.* Quæ argumentatio adverſariorum opinionem non adjuvat, ſed potius obruit. Non ſolius Innocentii, ſed plurimum Honorius Sacerdotum meminit: *Miſſi*, inquit, *ad Sacerdotes urbis æternæ atque Italiæ, utraque ex parte legati.* Neque mittere Legatos, eſt *provocare.* Denique verba hæc, non *quemquam putarunt ante judicium conſortio pellendum*, certiſſimè indicant, provocationem ad Innocentium nullam fuiſſe, quam ipſius judicium excepiſſet. Quodnam ergo *judicium* innuit Honorius? Concilii quidem Oecumenici, quod Chryſoſtomus appellaverat, profuſúque neceſſarium ab ipſo Innocentio exiſtimabatur. Aliud verò Innocentii tribunal, aliud Concilii Oecumenici.

Palladius 23.

Joannitæ. Chryſoſtomo percuſſor mittitur.

XI. Ad Chryſoſtomum nunc redeat oratio. Quos fautores plurimos habebat, illi è publico lavacro pulſi in locum extra urbem convenere, quem Conſtantinus civitate nondum conditâ ad Circenſium ludorum ſpectaculum complanaverat, & aſſeribus circumſepſerat. Atque modò hic, modò alibi, prout copia dabatur, ſeorſim collectas agere Joannitarum nomine. Sub idem tempus homo furiis agitatus, pugione armatus, cædem Chryſoſtomo moliebatur. Sed comprehenſum, & ad Præfectum urbis ductum, miſſis quibuſdam Epiſcopis Chryſoſtomus prius liberat, quàm tormentis ſubjiceretur. Poſt hæc ſervus *Elpidis* Presbyteri effuſo curſu in ædes Epiſcopales irrupit. De cauſa irruptionis interrogatus, non verbis, ſed ſicâ reſpondit, quâ hominem percutit: alterum qui priore percuſſo inclamaverat, ſimiliter vulnerat; tertium quoque transfixit. Clamantibus qui aderant, ut fugientem comprehenderent, quidam ex balneo rediens, hominem dum retinet, letali vulnere percuſſus, exanimis concidit. Ægrè tandem percuſſor captus, in palatium ducitur. Neque populi furor palam clamantis, & ſicarium, & eos, qui ad inſidias Chryſoſtomo parandas incitarant, pœnis afficerentur, antè compuni potuit, quàm Præfectus nocentem tanquam judicaturus accepiſſet. Supplicio tamen exemplum fuiſſe, narrat Palladius, licet quatuor homines occidiſſet, treſque vulneraſſet. Fama erat, pretio corruptum id facinoris aggreſſum eſſe. Tum qui ex plebe ferventiores erant, noctu diuque Chryſoſtomi domum alternis circumſedere, ne Sancto Præſuli fieret injuria.

Sozom. l. 8. c. 21.

Chryſoſtomus urbe ejicitur.

XII. Chryſoſtomi inimicos urebat ingens ille amor, quo Paſtorem populi ſuum complectebantur. Quinque ergo poſt Pentecoſten diebus, quæ Junii quinto celebrata eſt, Acacius, Severianus, Antiochus, atque Cyrinus Imperatorem adeunt. Quem hortantur, Chryſoſtomum ejicere, precati in ſuum caput ipſius abdicationem incedere. Patricium ergo Notarium mittit, qui Joanni hæc denuntiaret, ſimulque Eccleſiâ egredi præciperet. Relictâ ergo Epiſcopali domo, Antiſtitibus qui cum eo verſabantur, dixit, *Venite, oremus, & Angelo Eccleſiæ valedicamus.* Ut verò ex religioſis Proceribus unus Joanni ſignificavit, paratum eſſe *Lucium* ipſum vi ejicere, maturandumque clandeſtinum exitum, ne retinendo abeunti plebs cum milite pugnam iniret, in Sacratio Epiſcopis valedixit, quorum & nonnullos oſculatur. Ingreſſus baptiſterium, Olympiadam vocat, Pentadiam, Proclam Diaconiſſas, & Silvinam Nebridii uxorem, quas Epiſcopo legitimè ordinato, perinde atque ſibi caput ſubmittere monet. Ad magnum, quod Occidenti obvertitur Eccleſiæ veſtibulum, jumentum, cui ſolebat inſidere, ſtare juſſerat, ut populum ibi exſpectantem à ſe dimoveret. Egreſſus parvo navigio imponitur, protinùſque in Bithyniam ducitur.

Pallad. 88.

Eccleſia igne corripitur. An miraculoſo?

XIII. Qui optimo exuli infenſi erant, veriti ne populus abeuntem reduceret, ſi abduci noſcerent, fores Eccleſiæ occludere properant. Quæ cùm & lapidibus fractæ, & magna vi apertæ fuiſſent, ignis repentè exortus Eccleſiam undique corripuit. Incendii tempus Chronicum ducet Alex. *Repentè conflagravit magna Eccleſia, cum loco dicto Senatus, incenſa ab iis, qui Templum tenebant, Xylocertis dictis, feriâ ſecundâ, horâ ſextâ.* Narrat & Socrates, cladem accidiſſe xii. die Kal. Julii. Cauſam incendii quod attinet, à variis ea variè refertur. Miraculo incendium aſcribit Palladius: *Flamma è media ſede viſa verbi Dei interpretem requirebat, quo non invento ſedem depaſcebatur, in altum aroreſcens per catenas ad tectum uſque ſerpſit.* Prodigia tamen non ſunt fingenda, cùm cauſæ naturales ſeſe mentibus offerunt. Socrates admotum à Joannitis ignem; ab inimicis verò Chryſoſtomi injectum eſſe, Chronicum Alex. teſtatur. Cladis culpam partes adverſas mutuò ſibi aſcripſiſſe, narrat Sozomenus. Cui contentioni materiam ſanè miraculum abſtuliſſet. Neque Palladius, qui aberat, teſtis eorum quæ narrat, eſſe potuit. Prædicari igitur miraculum debuit ab iis, qui in Eccleſia verſabantur. Illi verò infenſi erant Chryſoſtomo. Quòd ſi teſtes miraculi fuere, nil cauſæ fuiſſet, cur Arcadius à Joannitis incendii pœnas repeteret. In eo tamen plura Baronius videre miracula ſibi viſus eſt. Egregia ſunt de eo incendio verba Honorii ad Arcadium: *Audio Eccleſiam ſacroſanctam*

Sozom. l. 8. c. 22.

Socrat. l. 6. c. 18.

Pallad. 91.

Bar. Ann. 404. n. 44.

Anno Dom. 404.

toi *imperatorum opibus expoſitam, precioſis cultibus nobilem tantâ ſupplicantium Principum oratione auguſtiſſimam flagraſſe, & illud Conſtantinopolitanæ urbis unicum lumen in ſavillas dilapſum, Deo non vetante fumaſſe, execrari enim videbatur inquinata myſteria, & avertiſſe oculos ab eo loco, quem jam ſanguis infecerat.* Porro de miraculo verbum nullum. Quantum conjicere datur, Templum à Joannitis incendio conſumptum eſt. Quod & narrat Zozimus, ne poſt Chryſoſtomum ullus crearetur Epiſcopus, eaque de cauſa in fautores ipſius gravius animadverſum. Quâ porro ratione incenſa Eccleſia conflagrarit, Zozimus exequitur: *Clam Eccleſiæ flamma per noctem injecta, circaque diluculum extra eam progreſſa, cum hoc ipſo quinam eſſent, ignoraretur, orto die, cunctis urbem extremo verſantem in periculo ſpectandam exhibent. Nam & Eccleſia tota conflagrabat, & ædificia contigua cum ea ſimul abſumebantur. Irruit ignis & in illam domum, in qua Senatus haberi ſolebat. Ea domus ante palatium ſita erat, ad omnem elegantiam, & magnificentiam elaborata. Nam ſimulacris artificum exornata erat ipſo aſpectu majeſtatem præferentibus, & coloribus marmorum, quæ hiſce temporibus non eruuntur.* Periere imagines Muſarum, quas Helicone Conſtantinus ſuam in urbem tranſtulerat. Vim flammæ ſimulacra & Jovis Dodonei, & Minervæ evaſiſſe dicuntur. Periit Eccleſiæ ſuppellex omnis, nullo tamen ſive hominum, ſive animantium damno. Eò funeſtius incendium, quòd hujus occaſione mala Chryſoſtomi ingraveſcebant. Vinctus in Bithynia cum Cyriaco, & Eleuſio detinebatur à Præfecti militibus, ſupplicium minantibus ob incendium Eccleſiæ. Cyriacus & Eleuſius, cum reliquis Clericis vincti adducti, innocentes abſolvuntur. Hoc deerat unum Chryſoſtomi malis, ut fax incendii hujus haberetur. Purgandi ſui cauſâ hæc ergò Magiſtratibus ſcribit: *Et ſi in aliis non dediſtis mihi locum defenſionis, ſaltem in rebus Eccleſiæ audiar, an autor ſim, ut dicunt, ejus incendii.*

Soz. l. 5. cap. 24.

Pall. Dial. 94.

Chryſoſtomus Cucuſum ducitur. In Chryſoſtomum Hieronymus inſehitur.

XIV. At ne in eo quidem auditus, noctu diuque per milites in deſertiſſimum Armeniæ oppidulum *Cucuſum* deducitur. Vir meliore fortunâ dignus, utpote qui pietate, eruditioneque in paucis fuerit. Fatale fuit inſignibus regiæ urbis Antiſtitibus, ſuâ ſede turpiter pelli. Ante annos XXIII. Gregorius Nazianzenus dimiſſus Nectario deceſſerat. Pietati lachrymas extorſit Chryſoſtomi calamitas. Soli Sancti Præſulis adverſarii lugentibus omnibus triumphabant & exultabant. Quos inter non ſine commotione animi Hieronymum talia Theophilo ſcribentem invenimus: *Nos Joannem, qui dudum Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam, Deo placere ſemper optavimus, & cauſas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere volumus; ſed ille, ut cætera flagitia ejus taceam, Origeniſtas in ſuam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in Sacerdotium provehens, atque ob hoc ſcelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Epiſcopos clarum in orbe ſidus effulſit, non parvo mœrore contriſtans, meruit audire, Cecidit, cecidit Babylon.* Aliud agebat doctiſſimus ille Valeſius, qui quæ Hieronymi eſt, Theophilo Epiſtolam vindicavit. Æquior Chryſoſtomo Innocentius fuit, quàm Hieronymus. Theotecnus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter attulit Epiſtolas XXV. Epiſcoporum Synodi Joannis, quibus docebant, urbe expulſum Cucuſum relegari. Eccleſiam

B. M. P. t. 5. 843.

Val. in Socr. Ann. l. 6. c. 24.

incenſam eſſe. Theotecno communicatorias literas dedit Innocentius & ad Chryſoſtomum, & ad ipſius fautores. Quibus nil auxilii afferre potuit, obſtantibus Procerum nonnullis. Paulò pòſt venit homuncio deformis, nomine Paternus, qui ſe Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyterum jactabat. Afferebat literas Acacii, Pauli, Antiochi, Severiani, & aliorum quorumdam, quibus incendii Chryſoſtomum poſtulabant: ut viro ſancto honorem perinde atque Epiſcopatum ereptum irent. Paternum adeò Pontifex Romanus deſpexit cum accuſatione, ut ne quidem reſpondere dignaretur.

Anno Dom. 404.

Pall. 14.

XV. Quæ gravia inter eundum ſanctiſſimus exul paſſus eſt, uno tenore exequamur. Dolori Chryſoſtomi delinimentum id eſſe videbatur, quod proficiſcentem intuentibus lachrymas excutiebat, indignum viri caſum dolentibus. Quibus tamen amicitiæ pignoribus frangebant ipſius animum atque debilitabant. Ut in Cappadociam & Taurociliciam venit, magno agmine Sancti Patres, Monachi, Virgines obviam ipſi prodiere, in fletus erumpentes, ac talia dicentes: *Satius fuiſſet Solem radios ſuos ſubſtrahere, quàm Joannis os conticere.* Quæ vir ille ſanctus ſcripſit Cyriaco. Moleſtiâ itineris, & doloris in febrim incidit, quâ cùm vexatur, nulla laboranti quies dabatur, diebus noctibuſque iter facere coactus. In eoque miſerrimo ſtatu abſque medicis balneis, levaminibus ægroto neceſſariis, dies triginta & amplius permanſit. Tandem aliquando Cæſaream appulit, quæ feſſo ipſi ſubſidium venit. Puram ibi aquam, quam biberet reperit; pane nec duro, nec rancido uſus eſt. Hoſpitium in ultimo urbis receſſu nactus, à Clericis, Monachis, Virginibus benignè excipitur. At *Pharetrius* Cæſareæ Epiſcopus nec obviam proceſſit Chryſoſtomo, nec laborantem viſitare voluit. Nec mirum, tantam homini duritiam fuiſſe, utpote qui per literas cum Chryſoſtomi adverſariis conſenſiſſet, etſi ad Conciliabulum Conſtantinopolitanum de ipſo damnando vocatus non fuiſſet. At Pharetrii Presbyteri, Epiſcopo ſuo generoſiores, cum Chryſoſtomo communionis fœdera conjunxere, ut Olympiadi ſignificavit. Dum de Cæſarea relinquenda cogitat, auditur Iſauros Cæſareenſium regionem populari, ingens quoddam oppidum incendiſſe. Ad nuncium Tribunus acceptis militibus ex civitate exceſſit, ſenes verò ad muros defendendos arma capiunt. Dum eo loci res ſunt, ſub auroram Monachi ultima Chryſoſtomo minantur, ni confeſtim abiret. Præfectus urbis audito Monachorum furore, accurrit ut eos exoraret, ſed ne vel tantillum precibus ipſius molliuntur. Ad Pharetrium igitur miſit, rogandum, ut ob morbum, quo Chryſoſtomus urgebatur, & imminens ab Iſauriis periculum pauci dies laboranti concederentur ad commorandum. Fruſtrà tamen eâ viâ à Præfecto tentata eſt. Imò acriore impetu Monachi aſſurgunt, ut ne quidem Presbyter ullus eſſet auxilio. De Pharetrii ſententia hæc fieri dicebantur, invidiâ conflagrantis, quòd Proceres civitatis multum honoris habuiſſent Chryſoſtomo. Horâ ergo meridianâ Chryſoſtomus lecticam ingreſſus, plebe lachrymante, & harum rerum autorem diris devovente proficiſcitur. At *Seleucia* Rufini uxor precibus apud Chryſoſtomum egit, ut in ipſius villam, ab urbe paſſuum quinque millibus diſtantem, ſe conferret. Ubi id Pharetrius reſcivit, graviores Seleuciæ minas in-

Quid Chryſoſtomo Cucuſum proficiſcenti contigerit?

Pallad. Dial. 77.

ANNO DOM. 404.

intentat. Quas cùm ferre non poſſet, inſtare Iſauros ſignificat. Intempeſtâ igitur nocte ingreſſus Evethius Presbyter magnis Chryſoſtomum clamoribus excitat, nuncians adeſſe Barbaros. Surgit ſubitò, lucernas accendi jubens. Quas Evethius extingui voluit, ne Barbari lucis ſplendore exciti, impetum facerent. Tum equus in genua lapſus, Chryſoſtomum cum lectica, cui includebatur, humi proſtravit. Nulla tamen affectus clade, ut potuit, in montibus, tenebriſque, manum tenente Evethio, perreptavit. Exantlatis laboribus multis Cucuſum venit, ubi ſanitatem recuperavit. Apud Dioſcorum virum nobilem divertit, qui vel ipſius causâ ex ſuis ædibus aliò migravit. Benigniſſimè etiam ab hujus civitatis Epiſcopo ſuſceptus eſt. Omnes omnibus exulem modis recreabant & reficiebant, ut vel ipſemet Epiſcopus, ſi licuiſſet, ſede ſuâ Chryſoſtomo ceſſiſſet. Sic exilii amara adeò diluta ſunt, ut nollet Cucuſo in alium locum transferri. Cyriaco, Olympiæ, amiciſque multas literas ſcripſit, viciſſim & ab eis recepit.

Pallad. Dial. 96.

Cucuſo annum unum moratus eſt, quo labente plurimos pauperes in magna fame, quæ regionem invaſerat, non tam pane quàm verbo pavit. Inclaruit exilii gloria Sancti Præſulis. Pecuniis quas & amici ejus, & Olympias ipſi ſuppeditabat, captivos complures ab Iſauris redemptos ſuis reſtituit. Egentibus neceſſaria ſubminiſtravit. Qui divitiarum non egebant, eos oratione ſibi conciliavit.

Sozom. l. 8. c. 27.

Cæterùm quæ patiebatur optimus ille Præſul, Honorium malè habuerunt. Animum igitur inſtituit ad ſcribendum Arcadio. Queritur primùm, cur *de excidio pereuntis Illyrici* ab aliis potius indicibus, quàm à fraternis monitis audierit. Tranſit deinde ad ea, quæ perpetrata erant, ſacro die Paſchatis, ut eo potiſſimum tempore, *quo indulgentiâ principali triſtia noxiorum clauſtra reſerantur, pia legis & pacis miniſtros ſævus carcer includeret.* Exilium quoque improbat Chryſoſtomi: *Miſſi ad Sacerdotes urbis æternæ, atque Italiæ ex utraque parte Legati: expectabatur ex omnium autoritate ſententia; informatura regulam diſciplinæ; integrum nempe eſſe debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet.*

Lab. Conc. t. 2. 1311.

Arſacius creatur Epiſcopus.

XVI. Dum in Armenia moratur Chryſoſtomus, ad regiam urbem redeat oratio. Exuli ſufficitur *Arſacius*, frater Nectarii, qui Conſtantinopolitanum Epiſcopatum ante Chryſoſtomum adminiſtrarat. Octogeſimum jam ætatis annum impleverat, cùm infulâ ornatus eſt. Si Palladio fides, violato quod in Evangelia fecerat juramento, Epiſcopus creatur. Noluerat Eccleſiæ Tarſenſi præfici, quod cùm Nectarius ipſi exprobraret, juraverat, nullum unquam Epiſcopatum ſe ſuſcepturum. Ordinatus eſt in *Æde Apoſtolorum, menſe Dæſio, ſexta Kal. Julias*, ut Chronicum Alex. habet, cujus tamen error eſt, dum *diem Lunæ* fuiſſe tradit, quæ verè *Dominica* fuit. Vir erat manſuetus, & admodum religioſus: *Verùm laudem, quam omnium conſenſu Presbyter adeptus erat, imminuerant Clerici quidam, qui quæcunque ipſis libitum erat agebant; facta verò illi imputabant.* Præcipuè illum infamarunt, quæ Joanni fautoribus poſtmodum acciderunt.

Sozom. l. 8. c. 23.

Joannitarum vexationes. Reſtituuntur quos Synodus Epheſina exauctorarat.

XVII. Propenſo quo complures erant in Chryſoſtomum animo, cum *Arſacio* communicare, preceſve fundere detrectabant, quod permixtos cum ipſius conſortibus Chryſoſtomi inimicos deprehendebant. In extremis ergo urbis partibus dum conventus agunt, Arſacius hæc ad Imperatorem retulit. Tribunus cum militibus impetum in ipſos facere juſſus, plebem ſaxis & fuſtibus cæſam fugere compulit. Nobiliores verò, & qui Chryſoſtomi partes ardentius tuebantur, cuſtodiæ tradi. Tum mulieres ornatu ſuo per vim ſpoliantur monilibus, zoniſque aureis: nonnullis etiam inaures cum auriculis detrahuntur. Vivebat nihilominus Conſtantinopolitanorum in pectore amor Chryſoſtomi, quem minæ nullæ, nulla verbera, cruciatus nulli delere poterant. Joannitarum vexationes auxit incendium Eccleſiæ. Sæviebat in eos *Optatus*, regiæ urbis Præfectus, religione Ethnicus, eoque Chriſtianis infenſior; qui complures Chryſoſtomi amicos ultimo ſupplicio affecit. In judicium adducitur *Eutropius* Lector, iis indicandis, qui Eccleſiæ ignem injecerant. Teneri corporis juveni cruciatus admoventur, lora, fuſtes, faces ardentes; genæ & latera unguibus lacerantur: qui ſic diſcerptus, de incendii autore nihil ſe ſcire profitetur. Poſt tormenta in carcerem conjectus, illic animam exhalavit. Adducta & ad Optatum Olympias Diaconiſſa, quæ interroganti, cur Eccleſiam incendiſſet, reſpondit: *Non eſt hoc vitæ meæ inſtitutum. Ego enim facultates meas, quæ multæ erant, & maxima, Templis Dei inſtaurandis impendi.* Quæ cùm ſibi probè nota Præfectus diceret, ſubjungit illa: *Tu ergo in accuſatoris locum tranſi, & alius de nobis judicet.* Tum Optatus tam Olympiadi, quàm cæteris mulieribus amentiam exprobrat, quòd ſui Epiſcopi communionem averſarentur, cùm liceret omnibus ſe moleſtiis liberare. Ceſſere præcipienti omnes, exceptâ Olympiâ, quæ dimiſſa eſt, ut patronos conſuleret. Altero verò die exhibitam, magno auri pondere mulctavit. Illa ſpretis pecuniis, relictâque Conſtantinopoli, in urbe Cyzico domicilium fixit. At Tigrius Presbyter flagris cæſus, vinctis pedibus & manibus, in equuleo extenſus, membris diſſolutus eſt. Barbarus erat, & Eunuchus, qui ad Presbyterii gradum promotus, egregiis placidiſque moribus præditus apparuit, & erga pauperes & peregrinos ſi quiſquam alius benigniſſimus.

Socr. l. 6. cap. 18.

Cruciatus, vexationeſque ut vitarent viri boni, honeſtæque mulieres, indicto ſibi exilio urbe exceſſere. Inter eas eminebat Nicarete, nobili genere apud Nicomedienſes orta, quæ perpetuæ ſe caſtitati addixerat. Ampliſſimo patrimonio injuſtè ſpoliata; quæ pauca ſibi relinquebantur, & domeſticis ſuis, & aliis diſpenſabat. Medicamenta quoque multa ad uſus pauperum ægrotantium præparabat. Hanc virginibus præficere ſæpius Chryſoſtomus voluerat. Egregia illa mulier & in alia loca migravit. Illud dolendum, at multò magis lugendum, quòd Epiſcopi à Synodo Epheſina anno CCCCI. ejecti, rurſus Cathedras ſuas receperint, illis expulſis, qui legitimè creati fuerant. Epheſina in Eccleſia, quam Joannes Apoſtolus, Timotheuſque illuſtrarant, Eunuchus Victoris Tribuni collocatur, dum *Heraclides* peritus Scripturæ, qui & aſceticam vitam coluerat, & triennio Diaconi munus obierat, & ab Epiſcopis LXX. ordinatus fuerat, vinclis & carcere detinebatur.

Sozom. l. 8. c. 24.

Pallad. Dial. 139.

Lex Arcadii ad componendos Conſtantinopolis tumultus.

XVIII. Tumultui, quo regia urbs concutiebatur, perſanando machinas Arcadius omnes admovit; triplici ratione paci publicæ conſulens. Primò inquiſitioni incendii, quo Eccleſia

Sena-

ANNO DOM. 404.

Senatuſque conflagraverat, finem modumque adhibuit. Deinde Joannitarum conventus prohibuit. Denique peregrinos Conſtantinopoli Clericos ejecit. Extat ea de re Conſtitutio data XV. *Kal. Septembris*, Studio Præfecto urbis: *Quoniam perſona ad inquiſitionem perpetrati incendii, ut tui culminis ſuggeſtio pateſecit, nequeunt inveniri, Clericos carceris cuſtodiâ relaxamus, ita ut navibus impoſiti ad Lares proprios revertantur. Nec preſcriptionis periculo domus careant, quæ Epiſcopos, vel Clericos peregrinos poſt publicationem Edictorum, & noſtræ Serenitatis affatus probabitur ſuſcepiſſe: Pari formâ ſervanda, ſi qua domus cives Clericos nova ac tumultuoſa conventicula extra Eccleſiam celebrantes ſuſceperint. Ad obſervandos ſiquidem ſeditionis aditus id noſtro ſedit arbitrio, ut omnes Epiſcopi, & Clerici, & peregrini ab hac ſacratiſſima urbe pellantur.*

Cod. Th. t. 6. p. 75.

Porphyrius Flaviano defuncto ſuccedit. Porphyrius quis?

XIX. Dum hæc aguntur, Flavianus Antiochiæ Epiſcopus fato fungitur, felix morte ſuâ, utpotem moleſtiis ereptus, quibus amici Chryſoſtomi obruebantur. Depoſitione quippe Chryſoſtomi quondam Presbyteri ſui Flavianus non conſenſerat. Flaviani locum occupat Porphyrius, quem ſuis coloribus ſic depingit Palladius: *Porphyrius quidem iſte in Eccleſia diu verſatus eſt, & Diaconi, & Sacerdotis officio functus in Presbyterio, iſtis quidem temporibus alienos mores gerens, in nulla unquam re ſpiritali Eccleſiæ præfuit.* Cùm ſeſe inſinuaſſet in gratiam Epiſcoporum, invitos penè eos compellebat ad vitioſas ordinationes. Præſtigiatoribus, aurigiſque & præerat, & convivabatur, hoc crimen ipſius Magiſtratuum complurium in actis continebatur. Sodomitico & ſceleri obnoxium fama vulgavit. Defuncto Flaviano viri mulieresque prorſus favebant *Conſtantio* Presbytero, qui à teneris unguiculis Eccleſiæ inſervierat. Ac primo quidem ab Epiſtolis Flaviani fuerat, quo in officio ſe integrum, & ab omni lucro alienum præbuerat. Ad Lectoris deinde munus, atque Diaconi promotus, eximium Aſcetam egerat; perſpicacem, miſericordem, avaritiæ expertem, in judiciis juſtum, in ferendis injuriis patientem, ad perſuadendum idoneum, ad veſperam uſque jejunantem, cælibem, omnibus denique numeris abſolutum. Quem ne ſucceſſor Flaviano daretur, Porphyrius fugare molitur. Miſit ad Comitatum, & ad potentiores Epiſcopos; impetratiſque à Principe literis, in Oaſim Conſtantium ut perturbatorem relegari curat. Qui ſtatim ubi id reſcivit, amicorum auxilio in Cyprum fugit. Remoto æmulo Porphyrius Cyriacum, & Diophantum Presbyteros, Clericoſque cæteros miſit; obſervatoque tempore, quo civitas ad ſuburbana tranſiret, ad Olympiaca certamina apud Daphnem celebranda, cum Acacio, Severiano, Antiocho, quos penes ſe abſconditos habuerat, pauciſque Clericis in Eccleſiam irrupit. Clauſiſque januis tam feſtinato ordinatur, ut ne preces quidem ad finem perducerentur, metu ne facinus deprehenderetur. Conſecratione Porphyrii peractâ, Severianus cum ſociis accepto pretio, per montes & invia loca ſubitò diffugiunt. Priora quoque ſcelera novis Porphyrium cumulaſſe ferunt. Poſt ordinationem ſcilicet, conflata ſacra vaſa in Magiſtratus impendiſſe. Soluto ſpectaculo, ut populi in civitatem ingrediuntur, audiunt quid Acacius egiſſet in ordinando Porphyrio. Quâ re ad indignationem permoti, igne ſarmentiſque armari, Porphyrium cum ædibus perditum volunt. Qui non ignarus quo odio haberetur, ad Valentinum exercitus Præfectum confugit. Pretio Comes corruptus, omiſſis Iſauricis, qui Roſum & Seleuciam vaſtabant, Porphyrio ſocio cum militibus Eccleſias diripit, quo tumultu crucis ſignum pedibus conculcatur. Miſſis poſt aliquot dies hominibus, efficit ut ſenex perditis moribus Præfectus Vigilum crearetur. Tum populus, qui in terra inculta litanias agebat, in Eccleſiam verberum metu convenire cogitur. Clerus verò Antiochenſis inſignior, clam plebe coactâ, ne ipſis quidem Eccleſiæ parietibus appropinquabat, quos & fugiebant opulentiores matronæ. Mirum ſanè fuiſſet, ſi hujus indolis homo fautorem ſe Chryſoſtomo præbuiſſet. Ipſius ergo damnationi utroque pollice ſubſcripſit, qua de cauſa multi in Syria à Porphyrii, Eccleſiæque ejus communione ſeſe abruperunt, conventibus ſeorſim celebratis. Qua de cauſa multum moleſtiarum perpeſſi ſunt. Quippe Arſacii, Theophili, Porphyriique in gratiam Lex lata eſt, ne Orthodoxi extra Eccleſias convenirent, expellerenturque, qui cum tribus his Antiſtitibus communione divellerentur. Extat etiamnum Arcadii Reſcriptum: *Rectores Provinciarum moneantur, ut conventus eorum arceantur illiciti, qui Orthodoxorum religione ſuffulti, ſpretis ſacroſanctis Eccleſiis, aliò convenire conantur. Hi qui ab Arſacii, Theophili, Porphyrii, reverendiſſimorum ſacræ Legis Antiſtitum communione diſſentiunt, ab Eccleſia procul dubio repellendi. Datum* XIV. *Kal. Decembris Conſtantinopoli Honorio Auguſto* VI. *& Ariſtenato Coſſ.* Scripſit ad Eccleſiam Rom. Porphyrius, ſed reſponſo indignus habitus eſt. Cæterùm Porphyrio æquiorem ſe præbuit Theodoritus, quàm Palladius, qui in Chryſoſtomi inimicum commotiori fuit animo: Alexander, inquit, *in Epiſcopatu ſucceſſit Porphyrio, qui poſt Flavianum Eccleſiæ illius Præſulatum ſortitus, multa benignitatis monumenta reliquerat. Atque hic quidem excellenti quâdam prudentiâ præditus fuit.* Quibus apertè liquet, non leviter nimiumque de fama virorum credendum eſſe adverſariorum accuſationibus, utpote qui affectibus ſupra modum ſuis indulgeant. Hominem ſanè flagitiis ejuſmodi coopertum, quæ Porphyrio Palladius tribuit, tot laudibus Theodoritus non affeciſſet.

Pallad. Dial. 142.

Pall. Dial. 142. & c.

Sozom. l. 8. c. 19.

Pallad. Dial. 141.

Theodorit. l. 5. c. 35.

Mors Eudoxiæ Auguſtæ.

XX. Frequentiſſimè contigit, bonis improbiſque adverſa eſſe communia, ut de mortalium caſibus non temerè ſit judicandum. Cùm verò innocentem Chryſoſtomum graviſſimè inſectati ſint ipſius adverſarii, in quas incidêre ſubitaneas calamitates, juſto numini, illatas ſervo ſuo injurias ulciſcenti, non abs re quidem illæ aſcribi poſſunt. Inuſitatæ magnitudinis grando tam Conſtantinopoli, quàm in ejus ſuburbiis cecidit, pridie Calendas Octobris: quaſi ipſa elementa exilium Sancti Præſulis indignarentur: quarto die poſt delapſam grandinem Eudoxia Auguſta migravit è vita. Sex tamen diebus poſt grandinem Imperatricem fato conceſſiſſe, Chronicum memorat Alexandrinum: *Mortua eſt Eudoxia Auguſta menſe Hyperberetæo, pridie Nonas Octobres, feriâ* v. *& humata eſt in Templo Sanctorum Apoſtolorum, menſe Hyperberetæo,* IV. *Idus Octobris, feriâ* IV. Socratis tamen Chronologia eſt multò veriſimilior, cui ſuffragatur & Sozomenus, libri VIII. capite 19. Periit ergo Eudoxia *quarto Octobris, feriâ tertiâ.* Quòd ſi de ſupremo ipſius die aliquid reperitur apud Vete-

Socr. l. 6. cap. 19.

ANNO DOM. 404.

res diſcriminis, de anno tamen maxima conſpiratio eſt. In prima quidem commendatione ea de re poni debet teſtimonium Eunapii Sardiani, qui eo tempore florebat: *Arſacius Joanne Chryſoſtomo exterminato, ſolium Epiſcopi occupavit, Arcadiique Imperatoris uxor gravida, & mox abortiens vitâ deceſſit.* Ut ad genua, tempuſque obitus Auguſtæ nil requiri videatur, quo utrumque certum exploratumque habeatur. Subjungunt Græci recentiores miraculum, quod mendacem ipſorum redolet officinam: *Urnam, cui Eudoxia impoſita eſt, moveri cernere erat, Deo videlicet eum, qui per illam concitatus fuerat, motum oſtendente.* At recentioribus Græcis alia de ultimo Eudoxiæ anno Chronologia placuit. Narrant mortuum fœtum Eudoxiæ in utero quatuor diebus retentum computruiſſe, abſceſſum in utero feciſſe. Fœtu non exeunte, quemdam dolenti amuletum ſuperpoſuiſſe; ſtatim mortuum quidem fœtum ejeciſſe, ſimulque animam miſerè efflaſſe. Hæc verò mortuo jam Chryſoſtomo contigiſſe ſtatuunt, anno CCCCVII. Ea eſt Leonis Auguſti, Metaphraſtis, Nicephori, recentiorumque Græcorum Chronologia.

Phot. Bibl. c. 77. p. 170.

Niceph. l. 13. c. 36.

Cedren.

De anno Eudoxiæ ſupremo Græculorum Baroniique rationes ſo..untur.

XXI. Quorum opinioni Baronius acceſſit, literis Innocentii ad Arcadium fretus: *Innocentii*, inquit, *Papa litera ad Arcadium Imperatorem poſt obitum Joannis Chryſoſtomi data, tum Arcadii ad eum reddita, adhùc eo tempore Eudoxiam ſuperſtitem fuiſſe ſignificant.* Subjungit illuſtriſſimus Purpuratus, Palladium de malis illatis Eudoxiæ ne verbum quidem habere, *quæ ante omnia fuerant recenſenda*: quo ſilentio ſignificari putat, *ea nondum hoc tempore eſſe facta.* Tam illiberale tamen facinus à Baronio exoriri non debuit, ut vanis & monumentis, & conjecturis conſtantem Veterum de anno Eudoxiæ ſupremo conſpirationem everteret. Quam ſi rationem admittimus, funditùs hiſtoria perit. Scilicet Hiſtoricorum veterum conſenſio, & illorum ipſorum qui eo tempore vixere, quo ad plures abiit Eudoxia, certiſſimum non erit ejus rei argumentum! Et Latini Græcique Scriptores in fœdum triennii prochroniſmum incidêre, quod, ſi Diis placet, recentiores longè Veteribus oculatiores prudenter vitavere! Pro nihilo habebuntur teſtimonia Socratis, Sozomeni, qui Conſtantinopoli vigebant, Eunapii Sardiani, Proſperi, Marcellini, qui Eudoxiæ obitum Conſulatui Honorii & Ariſtenæti alligarunt? Ex conſtantiſſimo illo & Latinorum, & Græcorum teſtimonio Baronius Innocentii ad Arcadium literas falſi potius accuſare, quàm Veterum narrationem omnium ſubruere debuit. Sic eſt, falſiſſima Innocentii ad Arcadium Epiſtola perhibetur, quam Nicephorus profert l. 13. c. 34. Verba ſunt Epiſtolæ: *Vox ſanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, ô Imperator. . . Non enim Eccleſia tantùm Conſtantinopolitana melliſtua illius lingua jacturam fecit, ſed & orbis ſub Sole totus ad orbitatem redactus eſt, viro tam divino amiſſo, perſuaſione unius mulieris fabulam hanc & ſpectaculum exhibentis. Verùm excipiet illa & præſentem hîc pœnam, & futurum ſempiternum ſupplicium, non poſt multos hoſce dies ei advenient.* Quæ verba ſunt fingentis Græculi alicujus, non certè Innocentii, ſcilicet ſcripſiſſet Innocentius, extincto Chryſoſtomo *mundum ad orbitatem fuiſſe redactum.* Hæccine digna ſummo Pontifice. Neque Innocentius ignorare potuit, Chryſoſtomum ſuperſtitem fuiſſe Eudoxiæ, non Eudoxiam Chryſoſtomo. Commentum quoque eſt, & Arſacium jam mortuum ab Innocentio diris fuiſſe devotum, & Theophilum telo excommunicationis petitum: *Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematiſmum, & abſolutam à Chriſtianiſmo alienationem.* Hæc ergo non fecit, non ſcripſit Innocentius. Horum nullum eſt in Veteribus veſtigium. Nihilo veriora ſunt, quæ de excommunicatione Arcadii in ea Epiſtula continentur: *Ego minimus & peccator, cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, ſegrego te, & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti.* Nullus ante Georgium Alexandrinum, qui vixit A. D. DCXXX. hujus Epiſtolæ meminit. Quam Innocentii ad Arcadium Epiſtolam exhibet Cedrenus, ea non minimum differt ab illa Nicephori. De excommunicatione Arcadii ſilet Cedrenus. Quòd ſi ſubdita eſt Innocentii ad Arcadium Epiſtola, falſum quoque neceſſe eſt Arcadii ad Innocentium reſponſum, quod Glycæ in Annalibus reperitur: *Quod attinet ad filiam tuam Eudoxiam, ſcito me illi parum moderate pro ratione delicti mercedem retuliſſe, quo ſanè factum eſt, ut ex eo mœrore & anguſtia difficili graviſſimâque correpta ægritudine decumbat. Igitur quod ſupereſt, enixè te obſecro, ut nos à ſegregatione liberes.* Quis tam obeſæ naris fraudem non olfaciat? Scilicet latuit Palladium, Socratem, & Sozomenum ea Arcadii Eudoxiæque excommunicatio! Si fulmina hæc torſiſſet Innocentius, Arcadii ſanè non territicaſſent animum, qui & ſui fratris Honorii monita neglexit, & autoritati Innocentii ſubditus non erat. Neque magis nos movet conjectura Baronii de Palladii ſilentio, in quod deſcendit de Eudoxiæ obitu, quaſi poſt ſcriptum Dialogum contigiſſet. Quæ non minima eſt Baronii hallucinatio, vel ſi concederetur, Eudoxiam anno 307. mortem inveniſſe. Quippe non ante id temporis exaratus eſt Palladii cum Theodoro Dialogus, ut egregiè vincunt verba hæc de Heraclide Epheſio: *Quadriennium Nicomediæ in carcere incluſus eſt.* Cujus captivitatis initium cum relegationem excipiat Chryſoſtomi, id quadriennii quidem in annum Dom. CCCCVIII. incidit, Arcadii ante obitum. Non igitur ea de cauſa tragicam Eudoxiæ mortem Palladius ſilentio tranſmiſit, quaſi nondum contigiſſet, cùm de infelici adverſariorum Chryſoſtomi obitu commemoravit, Illam potius præteriit, ne regiis manibus inſultare videretur, & tam improvidâ mentione Arcadii in ſe iram acerbius provocaret. Quanquam generatim & caſtigatæ divinitùs Eudoxiæ Palladium meminiſſe dici poſſit. Quò ea verba ſpectant: *Quorumdam Epiſcoporum & Laicorum corpora morbus occupans, variis doloribus diſtrahebat.*

Bar. An. 404. n. 111.

Lab. Concil. t. 2. p. 1309.

Pall. Dial. 196.

Pall. Dial. 157.

Inimicorum Chryſoſtomi infelix exitus.

XXII. Non multò ante Eudoxiam acerbo funere merſus eſt *Cyrinus* Chalcedonenſis Epiſcopus, qui præ cæteris Chryſoſtomo conviciatus erat. Cyrini pedem Maruthas Meſopotamiæ Epiſcopus imprudens calcaverat. Quo caſu adeò malè affectus eſt, ut putrefacto pede neceſſe habuerit eum abſcindere. Neque verò id ſemel factum, ſed ſæpius iterata ſectio. Totum enim corpus depaſcebatur vis morbi, adeò ut pes & alter eo malo correptus id remedium ſuſtinuerit. Complurium quoque Palladius meminit, qui ob illatam Chryſoſtomo injuriam graviſſimos cruciatus pertulere. Quâ tamen pœnâ non exiſtimamus cum Baronio, eodem anno omnes affectos

Socr. l. 6. c. 9.

fectos fuiſſe. Refert Palladius, Aurelium & Siſinnium ſub vitæ finem hoc vaticinii fudiſſe, poſt magnam in Eccleſia perſecutionem peſſimum ipſius autoribus exitum imminere. Quod ex parte factum, & poſtmodum fiet. Quorumdam Epiſcoporum, & Laicorum corpora morbus diſtrahebat; lentâ quidem febre viſcera perurens, alii aquâ intercute laborabant; alius ex equo decidens, fracto crure dextro, ſtatim vitam abrupit; alius intercluſa voce octo menſes in lecto maceratus eſt; alteri vivo crura ad genua uſque paulatim per triennium diſſecta, &c. Tutius tamen eſt, occulto Dei judicio committi hæc, qui variis de cauſis hominibus dolores incutit.

Pall. Dial. 157.

Chryſoſtomi fautores plurimi Romam veniunt.

XXIII. Fautorum Chryſoſtomi tot malis vexatorum pars non minima Romanam civitatem pro refugio habuit. Ac primum Cyriacus, Synnadorum Epiſcopus fugam arripuit ob Edictum Arcadii: *Si quis non communicat Theophilo, Arſacio, & Porphyrio, ille quidem Epiſcopatu arceatur, ſimul etiam amittat, ſi quam viſus fuerit habere ſubſtantiam pecuniarum & prædiorum.* Poſt Cyriacum venit Eulyſius, Apameæ in Bithynia Epiſcopus cum literis & quindecim Epiſcoporum Joannis ex Synodo & Anyſii Theſſalonicenſis, in quibus & prior, & poſterior Conſtantinopolis direptio referebatur. Elapſo menſe acceſſit *Palladius* Helenopolitanus, furore Magiſtratuum elapſus, qui novi in Joannitas Edicti exemplar attulit: *Quicunque occultaverit Epiſcopum, aut Clericum, aut omninò exceperit in domum ſuam aliquem, qui Joanni communicat, domus ejus publicetur.* Poſt Palladium adventarunt & Germanus Presbyter, & Caſſianus Diaconus cum Cleri Conſtantinopolitani literis, quibus docebatur, ipſorum Eccleſiam vim paſſam eſſe. Breviculum & oſtenderunt, quo conſtabat precioſa vaſa coram Judicibus, *Studio* Præfecto Urbis, *Eutychiano* Præfecto Prætorii, *Joanne* Comiti Theſaurorum, & *Euſtathio* Quæſtori aurcam argenteamque ſupellectilem, veſteſque traditas eſſe. Poſteà venit & *Demetrius*, Peſſinuntis Epiſcopus cum literis & Epiſcoporum Cariæ & Presbyterorum Antiochiæ, quibus ſe Romanam ſequi diſciplinam teſtabantur: Porphyriique peractam contra jus & fas ordinationem deplorabant. Poſt omnes acceſſere & *Domitianus* Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & *Vallagas* Presbyter Niſibenus, qui ſevera *Optati* Præfecti judicia in Diaconiſſas, mulctas auri irrogatas, ſoluta Aſcetarum latera memoravere. Quæ ad miſericordiam motus Innocentius tandem Honorio ſignificat, ut tot tantiſque malis remedii aliquid afferret. Quid Honorius auxilii præbuerit, poſtmodum videbitur.

Pall. Dial. 27.

Innocentii ad Vitricium Epiſtola.

XXIV. In nomine Innocentii adhùc hærcamus neceſſe eſt, cujus extat Epiſtola ad Vitricium Rothomagenſem Epiſcopum, hoc ipſo anno exarata. Data xv. *Kal. Martias, Honorio* vi. *& Ariſtenato Coſſ.* Abeſt tamen ſubſcriptio MS. Juſtelli. Eccleſiæ Rom. normam ab Innocentio Vitricius flagitarat, quæ & capitibus xiii. comprehenſa, miſſa eſt. I. Ne extra conſcientiam Metropolitani ordinetur Epiſcopus. II. Qui cingulum militiæ poſt baptiſmum accipiunt, Clerici non fiant. III. Cauſæ Clericorum ab Epiſcopis Provinciæ componantur: *Si majores cauſa in medium fuerint devoluta, ad ſedem Apoſtolicam ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale judicium referantur.* Quem indicat Synodum, ea non Nicæna eſt, ſed Sardicenſis, c. 3. 4. 5. cujus mentem explicuimus, ut non appellationem, ſed judicii reviſionem concedat Epiſcopo Rom. IV. Clericus uxorem niſi virginem non ducat. V. Qui ſive ante, ſive poſt baptiſmum viduam duxit, non admittatur ad Clerum. VI. Bigami ad Clerum non promoveantur. VII. Alterius Clericum nullus ordinet, neque ab alio ejectum recipiat. VIII. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantum impoſitionem ſuſcipiantur. IX. Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. X. Monachi ſi Clerici fiant, continentiæ propoſitum ſervare debent. XI. Curiales Clerici non fiant, quia ludorum vel munerum apparatibus aut præeſſe, aut intereſſe ſolent. XII. Virgines ſacræ, quæ vel nubunt, vel corrumpuntur, non admittantur ad pœnitentiam, niſi cui ſe junxerant, mortem obierit. XIII. Virgines non velatæ ſi neglecto propoſito nubant, aliquandiu pœnitentiam agant.

Legatio Afrorum contra Donatiſtas.

XXV. Sic in Italia. At in Africa legatio contra Donatiſtas ab Antiſtitibus decernitur, glorioſiſſimo Imperatore Honorio Auguſto vi. Conſule Kal. Julias, Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ. In hoc Concilio legationem ſuſceperunt *Theaſius* & *Evodius*. Legatis datur Commonitorium, cujus ſumma hæc eſt: Ex Carthaginenſis Synodi Decreto anni ſuperioris, Donatiſtarum Præpoſiti conventi fuerant, *ut electis ex ſuo numero aliquibus idoneis*, cum Catholicis *pacificè conferrent. Sed quia diffidentia premebantur, nihil penè auſi ſunt reſpondere. Unde quia impletum eſt erga eos Epiſcopale, ac pacificum officium, & illi qui veritati reſpondere nequiverunt, ad immanes violentias ſunt converſi, ita ut multos Epiſcopos multoſque Clericos inſidiis oppreſſerint, Eccleſias etiam aliquas invaſerint, Imperatorum jam clementia eſt conſulere, ut Eccleſia Catholica eorum etiam proſpectione muniatur, ne temerario homines religioſis temporibus infirmos populos terrendo prævaleant, quoniam ſeducendo depravare non poſſunt.* Petunt etiam ab Imperatoribus, & adverſus impetum Circumcellionum præſidia, & Legis Theodoſianæ executionem, de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos Hæreticos, ſeu etiam in poſſeſſores, ubi eorum congregatio deprehenditur. Flagitant quoque, Legem repeti, ut Hæreticis relinquendi, vel ſumendi ex Teſtamentis jus adimat. Mittunt & Imperatoribus literas totius Synodi nomine, quibus ſubſcripſit Aurelius. Annuit votis Synodi Honorius, ut ex ipſius Reſcriptis anno ſequente promulgatis apparet. Qua de re inſpiciatur & Auguſtini ad Bonifacium Epiſtola 50.

Cod. Afr. c. 93.

Diſputatio Auguſtini cum Felice Manichæo.

XXVI. Gloriam in Africa ſuam amplificavit Auguſtinus, ob inſignem quam de Felice Manichæo victoriam retulit. Hipponem regium venerat Hæreticus, ut errores ſuos diſſeminaret. *Fortunato verſutiorem Felicem* fuiſſe, Baronii fert opinio. Nobis verò alia inſidet animo ſententia; ac ſanè temperare non potuit Eraſmus, quin Felicis miraretur *impudentiam*, qui ad diſputationem publicam Auguſtinum provocavit. Ex diſputatione liquet, cum impudentia Felicis certaſſe imperitiam. Septimo Iduum Decembri incepit diſputatio. Ac primùm petiit Felix proferri *autores Legis* ſuæ. Lecta igitur eſt *Epiſtola Fundamenti*, cui titulus, *Manichæus Apoſtolus J. C. providentia Dei Patris.* Quam Manichæo digni-

ratem

Digitized by Google

ANNO DOM. 404.

tatem fuiſſe, probari ſibi flagitavit Auguſtinus. Ventum deinde ad blaſphemias Epiſtolæ. Quærit Auguſtinus: *Quid iſta gens tenebrarum, quam videtur Deus timuiſſe?* Cùm ne hiſcere quidem Felix poſſet, petit moram ſibi concedi ad reſpondendum: *Pridie Iduum Decembrium* conveniunt in *Eccleſiam* Pacis. Ad reſpondendum Auguſtinus hortatur æmulum. Queritur Felix, ſe non habuiſſe Codices legendos, qui ſub ſigillo publico cuſtodiebantur. Jubente Auguſtino proferuntur. Populis præſentibus continuata diſputatio. Victoriam ad Auguſtinum veritas tranſtulit, cujus præmium fuit atque triumphus Felicis emendatio, qui depoſitis erroribus Eccleſiæ conjungitur: *Anathematiſmos charta inſcribit in Manichæum Auguſtinus, qui cùm eandem chartam Felici dediſſet, etiam ille manu ſuâ hæc verba ſcripſit: Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathematizo eum, & doctrinam ipſius, & ſpiritum ſeductorem, qui in illo fuit.* Eâ diſputatione fractæ Manichæorum vires. Fauſtus, quem mirabantur & ſuſpiciebant, in inſulam fuerat relegatus, à qua non multò pòſt Imperatorum indulgentiâ cum ſuis liberatus erat.

Auguſt. contr. Felic. l. 2.

Auguſt. cont. Fauſt. l. 5. c. 8.

Paulæ vitæ breviarium & mors.

XXVII. Annum nobilitat mors fœminæ illuſtris *Paulæ*, quæ Romanæ civitati Bethlehem prætulerat. Multa in Palæſtina Monaſteria ſtatuerat; virorum unum, cui & viros præfecerat: Virginum tria, quæ matronæ honeſtiſſimæ adminiſtrabant: *Poſt Alleluia cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat. Manè horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, veſpere, noctis medio per ordinem pſalterium cantabant. Nec licebat cuiquam ſororum, ignorare Pſalmos, & non de Scripturis Sanctis quotidie aliquid diſcere. Die tantùm Dominico ad Eccleſiam procedebant, ex cujus habitabant latere, & unumquodque agmen matrem propriam ſequebatur, atque inde pariter revertentes inſtabant operi diſtributo, & vel ſibi, vel cæteris indumenta faciebant.* Miram & frugalitatem coluit Paula. Cùm menſe Julio in febrim incidiſſet, ut melius ſe habuit, ſuadebant ei Medici, opus eſſe *vino tenui, & parco.* Epiphanium rogaverat Hieronymus, languentem ut compelleret vinum bibere; ſed monenti Paula non ceſſit, ut quærenti Hieronymo, quid egiſſet, reſponderit, *Tantum profeci, ut ſeni homini penè perſuaſerit, ne vinum bibam.* Ne unum quidem nummum Euſtochio filiæ reliquit. Ut ſibi mortem imminere ſenſit, illos verſiculos ſuſurrabat, *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum,* &c. Interrogata ab Hieronymo, *Cur nollet reſpondere, an doleret aliquid. Græco ſermone reſpondit, Nihil ſe habere moleſtiæ, ſed omnia quieta & tranquilla perſpicere. Poſt hæc obmutuit, & clauſis oculis, quaſi jam mortalia deſpiceret, uſque ad expirationem animæ eoſdem repetebat verſiculos.* Dum funus habetur, concurſus adfuit magnus cohoneſtandis exequiis: *Tranſlataque Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cùm alii Pontifices lampadas, cereoſque præferrent, alii choros pſallentium ducerent, in media Eccleſia ſpeluncæ Servatoris poſita eſt.* Epitaphium defunctæ & ſtrictâ, & ſolutâ oratione incidit Hieronymus. Latinum duntaxat, quod ad Chronologiam maximè pertinet, ſubjiciemus: *Dormivit Sancta & Beata Paula* VII. *Kal. Februarii tertiâ Sabbati, poſt Solis occubitum. Sepulta eſt* V. *Kal. earumdem, Honorio Auguſtu* VI. *& Ariſtenio* (lege Ariſtenæto) *Coſſ. Vixit in ſancto propoſito Romæ annos quinque; Bethlehem annos* XX. *Omne vitæ tempus implevit annis quinquaginta ſex, menſibus octo, diebus viginti.* Mortuam ſic compellat Hieronymus: *Vale, ô Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva.* Ex uno ſpecimine hoc deprehendere licet, qualis & hujus ſeculi fides de animarum corpore ſolutarum conditione, & Eccleſiæ diſciplina circa morientes.

Hier. Ep. 27. c. 10.

Hier. Ep. 27. c. 13.

ANNO DOM. 404.

Theophili Epiſtolarum Paſchalium ordo.

XXVIII. Scribendæ Paulæ vitæ non ſolùm vacavit Hieronymus; operam quoque ſuam collocavit, ut tertiam Theophili Paſchalem Epiſtolam Latinam faceret, cujus initium eſt, *Nunc quoque Dei viva ſapientia.* Certiſſimis notis Epiſtola conſignatur: *Finiamus jejunia veſpere Sabbati viceſimâ primâ die ejuſdem menſis Pharmuti, & ſequenti die Dominicâ Paſcha celebremus, viceſimâ & ſecundâ die ejuſdem menſis.* Quæ dies Aprilis XVII. reſpondet, quo Paſcha celebratum. Qualis Quadrageſima Veterum fuerit, docet Theophilus: *Ignorant vinum in jejuniis, carnium eſum repudiant.* Deinde conviciis Origenem multis onerat. Ordine Paſchalium Theophili Epiſtolarum obſervato, errores Baronii faciliime purgantur. Qui perturbatum, quo editæ ſunt, ordinem ſecutus, primam illam eſſe arbitratur, quæ hoc habet initii: *Primum ſolemnitatis auguſtæ ſermo divinus,* &c. Ordine ſecundam ſtatuit eam, quæ ſic incipit, *Chriſtum Jeſum Dominum gloriæ.* Verùm enimverò, ut ſuo loco demonſtravimus, quæ prima dicitur, anno CCCCII. eſt promulgata, quæ ſecunda autem appellatur, anni eſt CCCCI. id eſt, anni hujus Paſcha deſignat.

Bar. An. 399. n. 51.

ANNO U. C. 1158. OLYMP. 296. PER. JUL. 5117. JUL. 450. DOM. 405. ARCAD. 23. & 11. HONOR. 13. & 11. *Sol.* 22. A. *Lun.* 7. *Indict.* 3. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 7. P. 2. *April.*

ANNO DOM. 405.

COSS. *Stilicho* II. *& Anthemius.*

I. QUi Conſul proceſſit Anthemius, & pietate, & ſapientiâ ſuâ ampliſſimo Magiſtratu dignus habebatur. Nepos erat Philippi, qui imperante Conſtantio Præfectum Prætorio agens, Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſede ſuâ expulerat. Aviti tamen erroris minimè hæres, fidem in prima commendatione habuit. Legatus ad Perſas miſſus, ex ea regione tunicam Aphraati Monacho attulerat, ipſi gratiorem eſſe futuram exiſtimans. Quam tamen oblatam recuſavit; ſuam utpote ſibi jucundiorem, licet deteriorem, meliori alteri anteponens. Chryſoſtomo, vel exuli ſemper amiciſſimus fuit: hinc gratulatio nunciatur ad ampliſſimam dignitatem evecto: *Alii tibi Conſulatus atque poteſtatis nomine gratulantur, ego autem magnificentiæ cauſâ ipſis quoque majeſtatibus, imperiiſque gratulor, neque enim te ornarunt, verùm abs te ornata ſunt.*

Anthem. Cr[illegible] qu[illegible]

Socr. l. 7. c. 1.

Theo. H[illegible] c. 8

Chryſ. Ep. 147.

II. Quæ ſpes prædandi Iſaurorum occæcarat animos, etiamnum illos armabat, ut ſubjectam regionem invaderent. In manipulos diviſi vicos mœnibus deſtitutos, & obvia quævis vexabant. Anno ſuperiore *Roſum*, & *Seleuciam* vaſtarant. Currente verò parum abfuit, quin prædonum in manus Chryſoſtomus incideret. Quod & Theodoro Diacono ſignificatum voluit: *Intempeſtâ nocte præter ſpem omnem & expectationem Iſaurorum agmen oppidum percurſavit, penèque nos cepit.* Iſauricos incurſus faciliores reddebat clades regioni à Tribigildo immiſſa, qui paulò antè cum Barbaris ſuis rebellionem moverat. Prædatoribus comprimendis Narbazacus Dux mittitur,

Iſauri prædones. A Narbazaico debellantur.

Chryſ. Ep. 69.

ANNO DOM. 405.

mittitur, qui laborantibus Pomphiliæ rebus ſuccurreret: *Is ubi copias idoneas accepiſſet, & latrones fugâ dilapſos intra montes perſecutus fuiſſet, complures eorum villas cepit, & virorum multitudinem non exiguam interfecit: adeòque prorſus eos in poteſtatem facillime redegiſſet, & incolis oppidorum ſecuritatem ſolidam paraſſet, niſi delictis & fœdis voluptatibus deditus, multum de vigore ſuo remiſiſſet, ac pecunia manus porrigens, bono publico divitias prætuliſſet.*

Zoz. l. 5.

Iſaurorum cladem hunc in annum Marcellinus refert: *Stilichone II. & Anthemio Coſſ. Iſauri per montem Tauri diſcurſantes ingens diſpendium Reip. importarunt, quibus Narbazaicus Legatus majus continuò rependit incommodum.* Vitam tamen retinente Eudoxiâ de Iſauris relatam à Narbazaico victoriam eſſe, creditum Zozimo: Narbazaicus *ob prævaricationem ad aulam revocatus, nihil expectabat aliud quàm uti judicio ſiſteretur. Sed parte illorum, qua ab Iſauris acceperat, Auguſtæ oblata, tum examen effugit, tum opes iſtas in voluptates urbanas impendit.*

Zoz. l. 5. c. 25.

Ex Palladio tamen atque Chryſoſtomo apparet, mortuâ jam Eudoxiâ Iſauros ab Narbazaico debellatos fuiſſe, quorum vim ut effugeret Chryſoſtomus, Cucuſo Arabiſſum transfertur. Itaque Aulicorum favore meritas Narbazaicus pœnas vitavit.

De anno debellati Radagaiſi.

III. Læta fuerat de Iſauris victoria. At Occidenti gaudium longè majus attulit penè incredibilis *Radagaiſi* clades, quem mirâ felicitate Stilicho debellavit. Utrùm verò hoc, vel ſequente anno Barbarus armis Romanorum deletus fuerit, non eſt in medio. Radagaiſi cladem cum Stilichonis & Anthemii Conſulatu Proſper conjungit: *Radagaiſus in Thuſcia multis Gothorum millibus cæſis, ducente exercitum Stilichone, ſuperatus & captus eſt.* Marcellinus verò egregiam illam Stilichonis victoriam in annum CCCCVI. contulit, Arcadio VI. & Probo Coſſ. Marcellinum Proſpero anteponere, Baronio placuit, Honorii Edicto permotus: *Provinciales pro imminentibus neceſſitatibus omnes invitamus Edicto, quos erigit ad militiam innata libertas. Datum XIII. Kal. Maji Ravennæ, Arcadio A. VI. & Probo Coſſ.*

Cod. Th. l. 2. 388.

In ea Veterum Chronologorum diſcordia quem tutò ſequamur, non ſatis liquet. Inclinat magis in Marcellinum Gothofredus, fretus Honorianâ Lege, datâ XV. Cal. Maji anni proximè ſecuturi: *Contra hoſtiles impetus non ſolas jubemus perſonas conſiderari, ſed vires, & licet ingenuos amore patriæ credamus; incitari ſervos etiam hujus autoritate Edicti exhortamur, ut cum primum ſe bellicis ſudoribus offerant, præmium libertatis, ſi apti ad militiam arma ſuſceperint, Pulveratici etiam nomine binos ſolidos accepturi.* Quâ Lege imminens indicari videtur periculum, quod Italiæ arma Radagaiſi intentabant. Graviſſimo ſanè conſtringi Honorium metu, oſtendit Lex biduo poſt ſancita, quâ ingenuis ad militiam ſe conferentibus, denos cuique ſolidos ex ærario pollicetur. Verùm quidni exiſtimare licet, Honoriana hæc Edicta Vandalos reſpicere atque Alanos, qui anno CCCCVI. *Gallias trajecto Rheno, pridie Kal. Januarii ingreſſi ſunt*, teſte Proſpero. Itaque labente, vel inſequente anno Radagaiſus deletus ſit, in incerto relinquatur. Barbaricam cladem, quæ miraculo fuit, nunc exequamur, ſecuri num præſente, vel futuro anno contigerit.

De Radagaiſo mira victoria.

IV. Radagaiſus & Paganus, & Scytha, quorum vel in altero magna timendi cauſa fuit, omnium antiquorum præſentiumque hoſtium longè immaniſſimus, repentino impetu totam inundat Italiam. Pluſquàm ducenta Gothorum millia Regem ſuum ſequebantur, & ſi qua Zozimo fides, ex Tranſiſtritanis, Tranſrhenanis, Celticis, Germanicisque nationibus hominum *quadringenta* ſibi millia comparaverat. Nos potius Oroſio, Marcellinoque accedimus, qui ducento circiter millia numerant. Eò magis metuendus erat ſævus ille Barbarus, quòd *favorem Deorum ſacrificiorum obſequiis invitaret, & omnem Romani generis ſanguinem Diis ſuis propinare decreverat.*

Oroſ. l. 7. c. 37.

Ethnici Romam incolentes, luctus angoreſque ſuos aliquo ſolatio levabant, quòd ſua de numinum cultu ſuperſtitio reſtitutioni propior erat. Contrà verò Chriſtiani animis conſternati, eò magis terrebantur, quòd non Eccleſiis, non Sacerdotibus, non ſacris quæ colebant, immanis Scytha peperciſſet. In eo caſu propè ad ſeditiones in urbe res venerant. Radagaiſo Romanis arcibus imminente, *fit omnium Paganorum in urbe concurſus: hoſtem eſſe, cum utique virium copiâ, tum maximè præſidio Deorum potentem, urbem autem ideò deſtitutam, & maturè perituram, quia Deos, & ſacra perdiderit. Magnis querelis ubique agitur, & continuò de repetendis ſacris, celebrandiſque jactatur. Fervent totâ urbe blaſphemiæ; vulgo nomen Chriſti, tanquam lues aliqua præſentium temporum probris ingravatur.*

Oroſ. l. 7. c. 37.

At cœleſtem ſuis opem Chriſtus attulit, ne foret ludibrio: *Conceduntur quidem adverſus immaniſſimum illum hoſtem Rhadagaiſum aliorum hoſtium cum copiis ſuis inclinati ad auxilium animi. Adſunt Uldin & Sarus, Hunnorum & Gothorum Duces, præſidio Romanorum.* Sed potentiæ Domini, non gladiis militum victoria debebatur. Conterritum divinitùs Rhadagaiſum in Feſulanos montes cogit. Agmina, quibus anguſtior Italia videbatur, parvo includuntur vertici: *Non diſpoſita in bellum acies fuit, non furor timorque incerta pugna prætulit, non cædes acta, non ſanguis effuſus eſt, non poſtremo damna pugnæ eventu compenſata victoria, edentibus, bibentibus, ludentibuſque noſtris, tanti illi, tamque immanes hoſtes, eſurientes & ſitientes, languenteſque confecti ſunt.*

Id. ib.

De glorioſa, cœleſtique victoria audiamus & Auguſtinum: *Uno die tantâ celeritate ſic victus eſt, ut ne uno quidem, non dicam extincto, ſed nec vulnerato, Romanorum multò amplius quàm centum millium proſterneretur ejus exercitus: atque ipſe cum filiis mox captus, pœnâ debitâ necaretur.*

Aug. de Civit. l. 5. c. 23.

Tanta captivorum multitudo fuit, ut ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur. Servituti tamen ſuæ non diu ſuperfuere: *Illicò cunctis qui emebantur morientibus, quod improbi emptores eorum non impenderunt turpiter pretiis, expenderant miſericorditer ſepulturis.*

Oroſ. l. 7. c. 37.

Portentoſi planè mendacii Zozimum Baronius arguit, ea narrantem: *Hoſtium adventu non expectato cum omni exercitu Iſtrum Stilicho trajecit.*

Zoz. l. 5. c. 26.

Vix tamen credibile eſt, eo abſurditatis lapſum eſſe Zozimum, ut extra *Danubium* Radagaiſum debellatum eſſe crediderit. Ea quidem deſperatio, quæ Romam in extremo, uti narrat, periculo conſtitutam inceſſit, argumentum eſt, Barbaros non extra Iſtrum fuiſſe collocatos, cùm ſic Alpium faucibus parvâ militum manu prohiberi potuiſſent. Eſt itaque conjectura vero proxima, pro Ἴςρῳ legendum eſſe Ἄρνῳ, ut errore Librariorum ob vocis ſimilitudinem *Arnus* in *Iſtrum* mutaretur. Radagaiſi *debellatorem S. Ambroſium*

Baro-

Bar. An. 406. n. 7.

Baronius invenit, Autore Paulino, Ambroſianæ Vitæ Scriptore. Refert Paulinus, quo tempore Radagaiſus Florentiam obſidebat, *per viſum S. Ambroſius cuidam apparuit, & promiſit alia die ſalutem ipſis affuturam.* Hæc ex *Panſophia* audivit Paulinus. Quæ ſi concederentur, id unum ſequeretur, tantæ ſalutis Ambroſium præconem fuiſſe, non verò quòd ſalutem eam *operatus ſit magnus tyrannorum vindex, & debellator S. Ambroſius.* Carmina quoque, quæ Paulino Nolano aſcribuntur, nullum Ambroſio locum aſſignant in debellando Radagaiſo, quem Petro, Paulo, Martyribuſque Romanis vindicarunt. Cæterùm Ambroſio aut Martyribus ad vincendum, Chriſto nil opus fuit. Itaque uni Deo, ut par eſt, nobilem Auguſtinus, Oroſiuſque de Radagaiſo victoriam retulere, nullâ ſive Ambroſii, ſive Martyrum factâ mentione: *Quod noſtra memoria*, verba ſunt Auguſtini, *recentiſſima tempore Deus mirabiliter, & miſericorditer fecit.* Deus, inquit, non *Ambroſius.* Oroſius ſimiliter: *Non ſinit Deus rem potentia ſua virtutem hominum videri.* Potentiæ ergo non *Ambroſianæ*, ſed divinæ hoc opus fuit.

Aug. de Civ. l. 5. c. 23.

Synodus Toletana: ad eam ſcribit Innocentius.

V. Quid geſtum in Eccleſia, nunc eſt memoriâ celebrandum. Ac primum ſcribenti ſeſe offert Synodus Toletana, ab illa quidem diverſa, quæ anno 400. eſt agitata, cùm *Symphoſius, Dictiniuſque*, & alii cum his Gallœciæ Provinciæ Epiſcopi, Priſcilliani olim ſectatores, hæreſim ipſius damnaverunt. Priori & interfuerat, & præfuerat *Patruinus* Emeritenſis Epiſcopus, Poſteriori adfuit *Gregorius* Patruini ſucceſſor, teſte Innocentio: *Gregorii etiam Emeritenſis Epiſcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis eſt ordinatus.* Extat & Innocentii ad Toloſanam Synodum Epiſtola, quæ Concilio anni CCCC. dirigi haud potuit, ſedente adhòc Anaſtaſio. In exemplaribus quidem benè multis legebatur, *Ad Epiſcopos Synodi Toloſana.* Eſt tamen obſervatio doctiſſimi Sirmondi veriſſima, reſtituendum eſſe, *Toletana.* Tractat enim Epiſtola de geſtis apud Toletum anno CCCC. *Quanta quære doluerint Symphoſium atque Dictinium, alioſque qui deteſtabilem hæreſim damnaverunt, receptos in fidem Catholicam tunc fuiſſe.* Hæc verò Hiſpaniam ſpectant, non Galliam; præterea verba Innocentii, *Et quamvis dilectioni veſtræ, fratres chariſſimi, regula Nicæna ſint cognita, ſecundum quas ordinationes faciendas eſſe per ſententiam decernitis*, quæ leguntur capite VI. manifeſtò alludunt ad verba Patruini: *Patruinus Epiſcopus dixit, Mihi autem placet, conſtituta primitùs Concilii Nicæni perpetuò eſſe ſervanda.* Nonnullis diſplicuerat Epiſcopis ea animi manſuetudo, quæ à Toletana erga Priſcilliani ſectatores fuerat adhibita, qui honorem gradumque ſuum retinuerant: *Quòd Bætici vel Carthaginenſes Epiſcopi propter Galliciorum communionem à pace omnium diſſederunt, orta diſſenſio eſt.* Propterea Hilarius Epiſcopus, & Elpidius Presbyter amore concordiæ Romam ſe contulerant. Epiſtolâ igitur Synodum adiit Innocentius, quam probabili ratione ſubnixi hunc in annum contulimus. Conſtat Epiſtola ſex capitibus. Primum, quòd Epiſcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæreſi converſos perperàm diſſideant. II. Quòd Rufinus & Mincius Epiſcopi in alienis Eccleſiis contra Canones ordinarint. III. Ut Joannis Epiſcopi, *cujus in Synodo Toletana ſuper receptis Symphoſio atque Dictinnio per Legatos conſenſus acceſſit*, cauſa examinetur. IV. Ut vitioſæ ordinationes prohibeantur. V. Ut querela Gregorii Emeritenſis Epiſcopi diſcutiatur. VI. Quales ad Clericatum eligi, & ordinari debeant. Nonnullorum ſententia erat, *Quòd ante baptiſmum uxor accepta non debeat imputari, quia in baptiſmo omnia dimittuntur*: unde colligebant, ad ordines promoveri etiam illum poſſe, qui unam ante, alteram verò poſt baptiſmum uxorem duxiſſet. Quam & in opinionem deſcendit Hieronymus: *Carterius Hiſpaniæ Epiſcopus, homo & ætate vetus & Sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram poſt lavacrum duxit uxorem.* Hoc erat problema Oceani. Ratiunculis verò multis probat Hieronymus, *nihil veteris hominis in baptiſmo reſervari*: proindeque ad ordinationem non officere initum prius à Catechumeno connubium. Quam pro *prava errare* ſententiam habet Innocentius; nec immeritò, cùm matrimonii vincula legeſque baptiſmus non diſſolvat: ſecus priori conjugi poſt ſuſceptum lavacrum altera ſuperinduci poſſet.

Innoc. Ep. 23. c. 5.

Innoc. Ep. 23. n. 1.

Id. ib.

Hier. Ep. 83.

Carthaginenſis Synodus.

VI. Non in Toletana modò, ſed in Carthaginenſi quoque civitate Synodus celebratur, cujus breviarium extat in Africano Codice: *Stilichone II. & Anthemio viris clariſſ. Coſſ. X. Kal. Sept. Carthagine in Baſilica Regionis ſecunda. Ut libera legatio ab omnibus Provinciis ad Concilium dirigatur. Ad Mizonium Legati, & literæ propter liberam dirigendam legationem deſtinari præcepta ſunt: ut quia apud Carthaginem tantum unitas facta eſt, dentur etiam literæ ad Judices, ut & aliis Provinciis, & civitatibus operam impendi jubeant unitati, ut gratiarum actionem de Carthaginenſi Eccleſia pro univerſa Africa de excluſione Donatiſtarum cum Epiſcoporum literis ad Comitatum mittantur. Recitatæ ſunt literæ Papæ Innocentii, ut Epiſcopi ad tranſmarina pergere facilè non debeant, quod hoc ipſum Epiſcoporum ſententiis confirmatur: ut propter gratiarum actionem, & excluſionem Donatiſtarum duo Clerici Eccleſiæ Carthaginenſis ad Comitatum mittantur.*

Cod. Afr. c. 94.

De unitate Catholicorum cum Donatiſtis.

VII. Unitatis, de qua Africani Patres mentionem egere, ſubmonet, quid rei fuerit, anguſto ambitu orationis amplecti, cùm propoſiti noſtri ratio non fuſiſſimè ſcribenda omnia, ſed recordanda ſumpſerit. Anno ſuperiore ex Carthaginenſis Synodi Decreto *Theaſius* & *Evodius* contra Donatiſtas legationem ſuſceperunt: cujus hic ille ſcopus præcipuè fuit, ut executioni mandaretur Lex Theodoſii, quâ auri libræ decem imponebantur & Hæreticorum ordinatoribus, & ordinatis, & poſſeſſoribus locorum, in quibus conventus agebant, Hæreticiſque ex teſtamentis aliquid aut ſuſcipiendi, aut relinquendi facultas negabatur. Placuit tamen Synodo, diſcriminis aliquid inter Donatiſtas ſtatui, ut nimirum auri mulcta illis duntaxat irrogaretur, qui violentiâ mores ſuos condiebant. Hoc nos Auguſtinus docuit: *Ex Concilio autem noſtri Epiſcopi Legatos ad Comitatum miſerunt, qui impetrarent, ut non omnes Epiſcopi & Clerici partis veſtræ eâdem condemnatione decem librarum auri, quæ in omnes Hæreticos conſtituta eſt, tenerentur; ſed hi ſoli, quorum in locis aliquas à veſtris violentias Eccleſia Catholica pateretur.* Porro non ea vis inerat Donatiſtis omnibus. Reperiebantur inter eos nonnulli, quibus humani manſuetique officia animi probabantur. Talis erat ille *Vincentius*, Cartennenſis Epiſcopus; tales & illi, quibus præerat, fatente utcunque Auguſtino: *Quod autem*

Aug. Ep. 68.

Aug. Ep. 48.

tem ad vos attinet, qui non ſolùm cum illis communiter Donatiſtis à Donato, verum etiam propriè Rogatiſtæ à Rogato appellamini, mitiores eſſe videmini, quia cum Circumcellionum immaniſſimis gregibus non ſævitis. Sed nulla beſtia ſi neminem vulneret, propterea manſueta dicitur, quia dentes & ungues non habet: ſævire vos nolle dicitis; ego non poſſe arbitror. Synodi votis annuit Honorius, qui de unitate Decretum per Africanas regiones proponi voluit, dato Reſcripto III. Nonas Martii. Eodem & anno hanc in Donatiſtas

Cod. Theod. l. 6. 158.

Legem conſtituit: *Donatiſtæ ſuperſtitionis Hæreticos, quocunque loci vel latentes, vel convictos, legis tenore ſervato, pœnam debitam abſque dilatione perſolvere decernimus. Dat. VI. Idus Decembr. Stilichone & Anthemio Coſſ.* Explicandæ Legi eſt in obſervatione ponendum, anno ſuperiore à Patribus Africanis id Decreti ſancitum fuiſſe,

Cod. Afr. c. 93.

Ut illam legem, quæ à Religioſæ memoriæ eorum patre Theodoſio de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos Hæreticos, ſeu etiam in poſſeſſores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata eſt, ita deinceps confirmari præcipiant, ut in eos valeat, contra quos propter eorum inſidias Catholici provocati conteſtationem depoſuerint, ut hoc ſaltem terrore à ſchiſmatica, vel hæretica pravitate deſiſcant, qui conſideratione æterni ſupplicii emendari corrigique diſſimulant. Auri libræ decem ea pœna eſt, quæ Donatiſtis imponitur, & à *Criſpino* hujus ſectæ homine ſoluta eſt. Impetraverat quidem Catholicus Epiſcopus Poſſidius debiti remiſſionem. Verùm cùm ad Imperatorem Criſpinus provocaſſet, reſponſum

Poſſid. Vit. Aug. c. 12.

eſt, *Nullo prorſus loco Donatiſtas Hæreticos eſſe, & ad jura Legum omnium contra Hæreticos latarum, ubique teneri debere.* Itaque Criſpinus auri libras decem intulit fiſco. Hinc liquidò conſtat, falli Baronium, ſcribentem, Honorii de mulcta aurata decem librarum perſolvenda conſtitutionem deſiderari. Cùm ea porro conditio Donatiſtarum foret, ut Principum Legibus obtuerentur, ex eo grege qui rebaptizabant, facultatum omnium publicatione mulctarentur, omnes jure teſtamenti condendi facultate privarentur, unitas ea ſecuta eſt, quam Faſti Idaciani memorant: *Stilichone II. & Anthemio Coſſ. inter Catholicos & Donatiſtas unitas facta eſt.* Exemplum cæteris urbibus Africæ Carthago præbuit. Hinc verba Synodi, quæ ſubjecimus: *Quia apud Carthaginem tantum unitas facta eſt*, quòd dubio procul in ea primùm civitate Honorii Reſcripta executioni mandata fuerint. Ex Donatiſtis tamen nonnulli cæteris animoſiores, nec metu, nec pœnis ad ſocietatem cum Eccleſia ineundam adigi unquam potuere; aliis ſubinde de ſua ſecta indies diſcedentibus.

Nùm probanda unitas vi Legum conſtituta?

VIII. Porro ſi verum tueri volumus, ea faciendæ unitatis ratio nec recta fuit, nec laudabilis. Diſplicuerat olim Auguſtino gravi de

Aug. Ep. 48.

cauſa: *Mea primitùs ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum; verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne victos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore Legum imperialium converſa eſt.* Non tamen in his exemplis vis ulla eſt ad probandum, cùm laqueos, quos ſibi olim Auguſtinus induerat, non ſolvant; quòd ſcilicet timore Legum Imperialium *fictos Catholicos habeamus, quos apertos Hæreticos noveramus.* Ceſſante quidem pœnarum metu in ſuos errores tam facile relabuntur, quàm aqua remotis obicibus deorſum fluit. Ut ex frequenti experimento liqueat, Principum minas perfidos facere quidem, & diſſimulatores, non Chriſtianos. Itaque abſque ratione Baronius, aliique innumeri Auguſtini in ſententiam conceſſere, quòd *emolumenti multum*

Bar. An. 405. n. 30.

Catholicæ unitati ſeveritas Legum attulerit. Emolumentum ſanè non eſt, quod invitâ & ratione, & æquitate impetratur. Nil autem magis à ſapientia & rectitudine alienum fingi poteſt, quàm mentem ad credendum cogi. Cùm enim fides ſit intellectus aſſentientis perſuaſio quædam, non ea vis pœnarum eſt, ut quod mens verum eſſe putet, pro falſo habeat, aut vice verſa. Imò vis ſuppliciorum ea eſt, ut odium potius, quàm amorem concilliet religioni. Ad diſſimulationem ergo deducere pœnæ poſſunt, ad fidem non poſſunt. Ac pace quidem Auguſtini, Themiſtius utut Ethnicus in ea cauſa longè ſapientiorem ſe præbuit, cujus egregia ſunt verba ad

Them. Or. 12. 156.

Valentem Auguſtum de Religionibus: *Neque bonum virum per vim queas efficere; eſt enim virtus habitus voluntarius, neque cogere poſſis, ut id ullâ re ſentiam, quod ſentire nolo. . . Qui vim adhibet, pugnat cum Dei & naturæ Lege, qui quam poteſtatem hominibus Deus tribuit, eam tentat adimere. Quanquam fruſtra omnis labor ſuſcipitur.* Rectè & ſapienter. Eſt enim religio actus libertatis noſtræ, cui nulla imperia, nullæ pœnæ, cruciatus nulli vim inferre poſſunt. Neque moramur diſtinctionem Auguſtini in *juſtam*, & *injuſtam* perſecutionem: injuſtam, quæ contra veritatem; juſtam, quæ pro veritate exercetur. Qua de re exemplum affert Nabucodonoſorum, modò leges promulgantem de adorandis Idolis; modò prohibentem, ne verum Numen contumeliâ afficeretur. Quibus ſanè nunquam efficiet, mortales ad religionem eſſe cogendos. Non eam ſanè rationem adhibuit Chriſtus; non amplexi ſunt Apoſtoli propagandæ religioni, licet eâ potentiâ præditi forent, quæ cœleſtes Ethnicis pœnas irrogare poſſet. Religionem voluerunt ſemper eſſe liberrimam, quam veriſſimam ſanè proponebant. Ac dum veritati litat Eccleſia, ſi metu legum humanarum in fide errantes ad viam reducere velit, partis litigantis ſimul & Judicis officio fungitur, quod abſque ſpecie iniquitatis aliqua fieri nequit. Inſuper & Dei Legem abrogat, quæ ita comparata eſt, ut ſtatuat mentes noſtræ, quam velint religionem liberè ingrediantur: & religionem extinguit omnem in perſuaſione, & amore conſiſtentem. Hinc

Joſ. XXIV. 15.

Joſue ſic Hebræos olim compellabat: *Si malum videtur in oculis veſtris colere Jehovam, eligite vobis hodie quem colatis, ſive Deos quos coluerunt majores veſtri, qui habitabant trans flumen, ſive Deos Emorræorum.* Adcò verùm eſt, Religionem mentis libertati permittendam eſſe, non cogendam, utpoteque ea coactione evaneſcat, atque diffluat. Neque Patribus, qui furentibus Ethnicis floruere, in mentem venit ea Auguſtini diſtinctio, vis *juſta* & *injuſta*, cùm Doctores ad perſuadendum, non tortores ad cruciandum adhibendos eſſe ſtatuerent. Ut ad brevia veniamus, violentia Donatiſtarum, in Eccleſias, bona, tabulas publicas, perſonas denique involantium Legibus contundi potuit, fides cogi non potuit. Quæ duo maximè diſcrepant.

IX. In

ANNO DOM. 405.

IX. In quamcunque memorabilium partem rerum Eccleſiaſticarum convertamus, velimus nolimus, in Chryſoſtomo hæreamus neceſſe eſt. Hyems ſolito major dolorem Sancti Præſulis ſtomacho maximum intulit. Vomitus ſubinde oriebantur, capitis dolores, cibi faſtidia, perpetuæ vigiliæ. Quæ Olympiæ ſcripſit. Cùm Cucuſi frugi eſſet, ea res & ipſius adverſariis invidiam movit, teſte Palladio: *Cùm autem & ob id ipſi inviderent illi fratricidæ, Arabiſſum eum transferunt, variis vexationibus ſubjicientes, ut vitam tandem relinqueret. Et illic curſus non mediocriter virtutibus ſplendeſcens, excitavit veluti ex ignorantiæ ſomno ad ſermonis divini lucem eos omni vicina regione eos, qui gravi infidelitatis ſopore oppreſſi erant.* Arabiſſo complures & hoc, & ſequente anno amicis Epiſtolas ſcripſit. Ex quibus una eſt ad Innocentium, cui gratulatur ob conſtantiſſimum tenerrimumque amorem, quo ſe exulem afflictumque proſequebatur, quam Epiſtolam tertio exilii anno ſcriptam Joannes Presbyter, & Paulus Diaconus Romam attulere.

Chryſ. Ep. 6.

Pall. Dial. 96.

ANNO DOM. 406.

ANNO U. C. 1159. PER. JUL. 5118. JUL. 451. DOM. 406. ARCAD. 24. & 12. HONOR. 14. & 12. *Sol.* 23. G. *Lun.* 8. *Indict.* 4. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 1. *P.* 22. *April.*

COSS. *Arcad. Aug.* VI. *& Probus.*

De reliquiarum Samuelis translatione.

I. TAntum eo ſeculo ſtudium non ſolùm obſervandæ, ſed etiam amplificandæ venerationis erga Reliquias fuit, ut in transferendis pompæ ductores vel Auguſti ipſi ſeſe præberent, quod anno præſente contigit. Prophetæ Samuëlis Reliquiæ poſt mille quadringentos & ſexaginta annos ab ejus obitu tranſlatæ feruntur, exultantibus tripudiantibuſque Conſtantinopolitanis. Celeberrimæ ſolemniſque deductionis meminit Hieronymus adverſus Vigilantium, cui tranſlationes ejuſmodi prorſus diſplicebant: *Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa B. Samuëlis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam. Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos, in ſerico, & vaſe aureo portaverunt. Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem unâ voce reſonarent.* Pompæ tempus Chronicum nos Alexandrinum docuit: *Arcadio* VI. *& Probo Coſſ. delatæ ſunt reliquiæ S. Samuëlis Conſtantinopolim per gradus ſcalaſve Chalcedonenſes, menſe Maio* XIV. *Kal. Junias pompam deducentibus, Arcadio Auguſto, & Anthemio Præfecto Prætorio Coſſ. Item & Æmiliano Præfecto urbi, & univerſo Senatu. Repoſitæ ſunt ad tempus in ſanctiſſima Eccleſia Magna.* In fano, quod Samuëlis nomen habuit, prope Septimum condito, poſtmodum collocantur. Religionis amore manabat quidem ea ceremonia, at ſapientiæ expers fuit, ut & hîc locum inveniant verba Apoſtoli: *Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Ut poſt tot annos à morte Samuëlis ipſius reliquiæ transferrentur, gemino opus miraculo fuit: uno, quo conſervarentur à putredine; altero, quo ab aliis oſſibus ſecernerentur. Quâ verò ratione ſacra oſſa manifeſta fuerint, ne vel ipſe docuit Hieronymus. Obſervetur interea, & in animis cuſtodiatur Decretum Carthaginenſium de Reliquiis: *Placuit ut altaria, quæ paſſim per agros & per vias tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, & qui rectè ſapiunt, nullâ ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi ubi corpus, aut aliqua Reliquiæ ſunt, aut origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſimâ origine traditur.* Nil verò argumenti fuit ad cognoſcendas Samuëlis Reliquias. Neque *per ſomnia & per manes* quæ fiunt, Reliquiarum revelationes à Carthaginenſibus probantur. Ad incendia porro prohibenda nil auxilii attulere Samuëlis exuviæ, cùm eo ipſo anno, quo in urbe conditæ ſunt, *Oſtia Circi unà cum prandiaria, & circumpoſitis porticibus, menſe Octobris* VIII. *Cal. Novemb. horâ tertiâ noctis conflagrarint.*

Hier. Ep. 53. c. 2.

Niceph. l. 13. c. 10.

ANNO DOM. 406.

Col. Afr. c. 83.

Chron. Alex.

Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus creatur. mores ejus.

II. Samuëlis Reliquias ab Attico Epiſcopo geſtatas eſſe exiſtimamus. Morte quippe ſuâ Arſacius Cathedram Conſtantinopolitanam vacuam fecerat. Perierat die tertio Idus Novembris, Stilichone iterum & Anthemio Conſulibus. Locum defuncti complures ambiebant: quarto Arſacii poſt obitum menſe ordinatur Atticus, Presbyter Cleri Conſtantinopolitani, qui unus fuerat ex Chryſoſtomi inſidiatoribus. Menſe itaque Martio ad Epiſcopatum Atticus evehitur. Patriam habuit Sebaſtem Armeniæ. Ab ineunte ætate in Philoſophia inſtitutus fuerat à Monachis Macedonianis, qui tunc temporis in hujus ſapientiæ ſtudio apud Sebaſtem florebant. Virilem ingreſſus ætatem ad Catholicam Eccleſiam ſe tranſtulit. Cùm eſſet naturâ magis quàm diſciplinâ prudens, in rebus agendis ſummæ fuit dexteritatis, & ad ſtruendas atque evitandas inſidias ſolertiſſimus, moribus maximè blandus, in concionibus mediocris, quæ nec ſcriptione dignæ, nec eruditionis expertes videbantur. Quippe ſtudioſus elegantiæ, ſi quando tempus nactus fuerat, probatiſſimos quoſque Veterum Scriptores legebat. Erga ſuæ opinionis homines gnavum ſeſe & induſtrium præbuit; terribilem verò iis, qui diverſæ ſectæ erant. Illuſtri quoque laude Atticum Socrates celebravit, ut eruditione, prudentiâ, pietate præſtantem: *Unde etiam Eccleſia ſub ejus Pontificatu maximum incrementum cepere.* Hæreticos terrere aggreſſus, mitem ſe poſthàc & placidum erga ipſos oſtendit. Aliis prorſus coloribus Atticum pingit Palladius: *Arſacio ſufficitur Atticus, è Presbyteris omnium adverſus Joannem molitionum artifex, qui cùm videret, neminem Orientalium Epiſcoporum ſecum communicare, & ne civitatis quidem populum propter ea, quæ tam nefariè atque injuſtè in Joannem ab ipſo acta erant, expers cùm eſſet Sacrarum Scripturarum, perfecit ut Imperialibus Reſcriptis cogerentur ii, qui cum ipſo non communicabant.* De Attici tamen imperitis non eſt prorſus Palladio habenda fides, utpote qui fuerit Attico infenſiſſimus. Reſcriptum verò ſic ſonat: *Si quis Epiſcoporum non communicat Theophilo, Porphyrio, & Attico, Eccleſiâ quidem ejiciatur, & à propriis facultatibus abigatur.*

Socr. l. 6. c. 20.

Soz. l. 8. c. 27.

Socr. l. 7. c. 2.

Pallad. Dial. 93.

Honorii de Chryſoſtomo ad Arcadium legatio.

III. Tantum ſeveritatis in Joannis Chryſoſtomi fautores fuit adhibitum, ut ne vel Occidentis

dentis Epiſcopi, qui juſſu Honorii legationem apud Arcadium ſuſceperant, injuriæ forent immunes. Anno ſuperiore Antiſtites Italiæ congregati, Imperatorem orarunt, ſcriberet Arcadio, Synodum apud Theſſalonicam imperare; quo facilius eò tendentes Orientis Occidentiſque Epiſcopi rectum de obortis cum Chryſoſtomo diſſidiis judicium ferrent. His accenſa Honorii pietas, Innocentio urbis Præſuli ſcribit, mittat Epiſcopos quinque, Presbyteros duos, Diaconum unum, qui ferrent ſuam ad Arcadium Epiſtolam. Hoc quidem, non ſuperiore anno, uti Baronio ſcriptum, n. 15. ea legatio miſſa eſt. Quippe ut Conſtantinopolim pervenit, jam ſedebat Atticus, qui poſt Martii decimum ordinatus eſt. In ſua verò profectione atque reditu quatuor duntaxat menſes exhauſere Legati, ut extra dubium poni debeat, ipſos hoc demum anno ex Italia in Orientem migraſſe.

Error Baronii.

Literæ Honorii ad Arcadium.

IV. Pietatem redolet Epiſtola Honorii, quam ad Arcadium attulêre: *Tertiò jam ſcribo ad manſuetudinem tuam, rogans ut quæ ex compacto contra Joannem Epiſcopum geſta ſunt, emendentur. Et ut videtur, nondum perfectum eſt. Quare denuò ſcripſi per hoſce Epiſcopos, & Presbyteros, multum ſollicitus de pace Eccleſiaſtica, per quam & noſtrum Imperium pacem obtinet, ut jubere digneris, Orientis Epiſcopos Theſſalonica convenire. Etenim Occidentis noſtri Epiſcopi, lectis viris adverſus malum ac mendacium firmiſſimis, miſerunt Epiſcopos quinque, Presbyteros verò duos, & Diaconum unum magnæ Eccleſiæ Romæ. Quos velim omni honore digneris; ut ſi perſuaſi fuerint, quòd jure expulſus ſit Joannes, doceant me ab ejus communione recedere, aut ſi coarguerint, ſponte malignos eſſe Orientis Epiſcopos, ab eorum te communione avertant.* Subjunxit & Innocentii & Chromatii Epiſtolas nomine totius Occidentis, docentium quid ſentirent de Chryſoſtomo. Rogat etiam Arcadium, jubeat vel nolentem ſiſtere Theophilum, ut pax in Concilio firmiſſima conſtituatur.

Pallad. Dial. 29.

Infelix Legatorum Honorii ſucceſſus.

V. Literis acceptis, Æmilius Beneventi Epiſcopus, Cythigius, & Gaudentius Brixienſis unà cum Valentiniano & Bonifacio Presbyteris itineri ſe accingunt. Ferebant Epiſtolas & Innocentii, & Italorum Epiſcoporum, Chromatii Aquileenſis, Veneriique Mediolanenſis, atque aliorum, nec non Commonitorium Synodi totius Occidentis publicâ evectione Conſtantinopolim proficiſcuntur, cum Cyriaco Emeſeno, Demetrio Piſinuntis, Palladio Helenopolis & Eulyſio Apameæ Epiſcopo: *Commonitorium continebat, Joannem judicium ingredi non debere, niſi ipſi prius reſtitueretur & Eccleſia & communio, ut ſublatâ cauſâ detrectandi judicii, ſuâ ſponte confeſſum iniret.* At malis ovibus ſolverunt. Ut enim præter Græciam Athenas navigarunt, ab infeſto Militum Tribuno detinentur, qui ſtatim Centurione adjuncto ipſis prohibuit Theſſalonicam accedere, ne quas ferebant literas, traderent Anyſio. Ipſos dein in duo navigia conjectos dimiſit. Ingruente porro Auſtro vehementi, tribus diebus ſine alimento freta tranſjiciunt. Circa horam tertiæ diei duodecimam juxta ſuburbana Victoris Conſtantinopolim appellunt. Retenti ab exactoribus portuum, contra fas includuntur Thraciæ caſtello, cui *Athyra* nomen; Romani quidem in una domuncula; in pluribus verò qui cum Cyriaco verſabantur, adeò vexati, ut ne famulus quidem præſtò eſſet, qui miniſtraret. Legationis ſuæ literas petentibus non reddidere, quas Arcadio dare volebant. Cùm in eo conſilio perſeverarent, ad eos accedit *Patricius* Notarius, dein complures alii, poſtremùm *Valerianus* Cappadox numeri Præfectus, qui rupto *Mariani* Epiſcopi pollice, Honorii Epiſtolam cum reliquis abſtulit. Poſtridie certi mittuntur, Aulici ſine, ut ab Attico communicarent, & de Joannis judicio ſilerent. Quam Legati conditionem cùm repudiaſſent, pace deploratâ rogant, ut ſaltem abſque periculo ad Eccleſias redire ſuas permitterentur. Tum Valerianus Tribunus Legatos in deterrimam navem conjectos Athyris expulit. Inde Lampſacum appellentes, mutatâ nave vicesimo die applicant Hydruntum Calabriæ civitatem, tandemque poſt quatuor menſes ad ſua rediere.

Pallad. Dial. 31.

Joannitarum gravis perſecutio.

VI. At Legatorum comites durius multò tractantur. Initio fama vulgaverat, in mare merſos fuiſſe: reverà in longiſſimum exilium relegantur. Cyriacus Emeſenus Palmyræ in Perſarum caſtello octoginta millibus ultra Emeſam collocatur. De Eulyſio non placet doctiſſimi verſio Bigotii: *Eulyſium Epiſcopum Boſtra ulterius itinere trium dierum in caſtello Arabum Miſphas dicto, Saracenis adjacente.* Quippe Eulyſius non *Boſtra*, ſed *Apameæ in Bithynia* Epiſcopum agebat, teſte Palladio, pag. 26. Sic ergo vertenda verba hæc exiſtimamus: *Eulyſium verò ſimiliter ultra Boſtram Arabum triduo itinere, in caſtello Miſphas dicto, juxta Saracenos relegatum ferunt.* Palladius in oppido Syene juxta Æthiopas, Demetrius in Oaſi Mazicibus proxima cuſtoditur. Serapio ad excuſſionem uſque dentium cæſus, ut fama eſt, in patriam relegatur. Hilarius vir ſanctus & ſenex, qui annis XVIII. panem non guſtavit, olera duntaxat & frumenta toſta in cibum admittens, plagis non à Judice, ſed à Clero conciſus, in intimum Pontum pellitur. Antonius in ſpeluncis Palæſtinæ ſeſe concluſit. Timotheus Marconiæ, & Joannes Lydiæ Epiſcopi in Macedonia eſſe dicuntur. Briſo frater Palladii, Eccleſiâ ultrò relictâ in agello ſuo terram propriis manibus fodit. Elpidius Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, & Pappus, per totum triennium de ſcala domus ſuæ non deſcenderunt, precationibus vacantes. Heraclidas Epheſius quadriennio Nicomedienſi in carcere incluſus eſt. Reliqui de communione Joannis Antiſtites omni ſpe abjectâ, aut communicarunt Attico, aut in alias Thraciæ partes tranſlati ſunt, aut delituere. Silvanus Sanctus Epiſcopus Troade piſcatu ſuo vitam tolerabat. Stephanus Monachus, qui Romanorum Epiſtolas detulit, ob id ipſum verberatus, decem menſibus in carcere conditus eſt. Hæc, aliaque complura de *Joannitarum* vexatione Palladius habet. Sic Honorii literæ atque legatio, quæ optima ad reſtituendam pacem remedia videbantur, morbum vehementius irritarunt, nec antè extinctus eſt, quàm Chryſoſtomus naturæ ſatisfaceret.

Pallad. Dial. 149.

Vigilantius. Fueritne Gallus?

VII. Plebeja Reliquiarum religio, quæ complurium mentes opplebat, ac blanditiis quibuſdam veluti pietatis alliciebat, non omnibus cordi erat. Priſcis ſeculis ignorabatur Reliquiarum & tranſlatio & cultus. Impreſſis oſculis accenſiſque cereis, nil honoris Martyrum oſſibus exhibebantur, quæ quantum licebat honeſtis exequiis ſepulcro condebantur. Ac freno quidem opus fuiſſe, quo propenſi in Reliquias populorum

Anno Dom. 406.

Carth. v. cap. 14.

pulorum animi retinerentur, monet Carthaginenſium Decretum, anno CCCC, promulgatum: *Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ubi corpus, aut aliqua certa reliquia ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis vel paſſionis fideliſſimâ origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubique conſtituuntur altaria, omnimodè reprobentur.* Somniis verò debebantur reliquiarum complurium patefactiones. Præcipuè *Vigilantio* diſplicuit cultus reliquiarum, qui ſolitò magis in gnus quotidie creſcebat. Quis verò *Vigilantius*, cujus famam miſerè laceravit Hieronymus, paucis eſt aperiendum. Gallum fuiſſe, Gennadius prædicat: *Vigilantius Presbyter, natione Gallus, in Hiſpania Barcilonenſis parœcia Eccleſiam tenuit.* Ob hæc ſtricto mucrone Genoadii in jugulum Baronius invadit: *Gennadius*, inquit, *redarguitur, qui quòd ſciret hominem verſatum in Gallia, Gallum utique fuiſſe exiſtimavit.* Præceps tamen illuſtriſſimi Purpurati cenſura eſſe videtur, quam noſtro judicio Cavius ſuo comprobare calculo non debuit.

Bar. Ann. 406. n. 40.

Non nos quidem fugit, de Vigilantio hæc legi apud Hieronymum: *Iſte caupo Calagurritanus, & in perverſum propter nomen viculi, mutus Quintilianus.* At occaſionum diſtinguendi geminam Vigilantii patriam ipſe præbuit Hieronymus; nimirum originis, & nativitatis. Origine *Calagurritanus*, nativitate *Gallus* Vigilantius fuit, ut ex Hieronymo nobis collegiſſe videmur: *Reſpondet generi ſuo, ut qui de latronum, & Convenarum natus eſt ſemine, quos Cnejus Pompejus edomitâ Hiſpaniâ, & ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenæi jugis depoſuit, & in unum oppidum congregavit, unde & Convenarum urbs nomen accepit.* Convenarum civitas, hodie *Comminges*, in Gallia cis Pyrenæos montes ſita eſt. Jam verò teſtatur Hieronymus, *Convenarum ſemine* ortum eſſe Vigilantium. Hac de cauſa ſubjungit, *Gallia vernaculum hoſtem ſuſtinent.* Quòd ſi Vigilantius tam nativitate, quàm primâ origine Hiſpanus fuit, *vernaculus* quidem Galliarum hoſtis dici haud potuit. Denique Vigilantii patriam non obſcurè hæc indicant: *Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubitò Vigilantius*, quaſi ignara monſtrorum hactenùs Gallis illud repentè edidiſſet. At Gallus ille Vigilantius *de Vectonibus, Arrebatis, Celtiberiſque deſcendebat.* Ad Presbyteri gradum evectus in Eccleſia Barcinonenſi, Paulino Nolano percharus fuit, qui etiam honorificam de ipſo mentionem fecit, in ſua ad Severum Epiſtola prima: *Vigilantius quoque noſter, in Campania & antequam ad nos perveniret, & poſteàquam perveniret, vi febrium laboravit, & ægritudini noſtra, quia & ipſe ſociale membrum erat, ſolativo labore compaſſus eſt.* Quin etiam in Palæſtinum migrantem Paulinus commendaverat Hieronymo: *Credidi Sancti Presbyteri Paulini Epiſtolis.* In Palæſtina verſabatur anno circiter 392. cùm terra gravi motu concuſſa, tantum terroris injecerit ipſi Vigilantio, ut *abſque tunica* nudus ad orandum proceſſerit. Quo tempore percharus Hieronymo. Quid his diſertius? *Sanctum Vigilantium Presbyterum quâ aviditate ſuſceperim, melius eſt ut ipſius verbis, quàm meis diſcas literis.* Mutabili ratione labitur Hieronymi hic erga Vigilantium amor, cujus inconſtantiæ cauſa nobis eſt declaranda.

Hier. adv. Vigil. c. 2.

Ibid. c. 2.

Hier. Ep. 75.

Hier. adv. Vigil. c. 4.

Hier. Ep. 13.

VIII. Vigilantius privatim jam ſuam de veneratione reliquiarum ſententiam oſtenderat. Imò ea de re cum Hieronymo ſermonem miſcuerat: *Ego vidi hoc aliquando portentum, & teſtimoniis Scripturarum, quaſi vinculis Hippocratis volui ligare furioſum. Sed abiit, exceſſit, evaſit, erupit, & inter Hadriæ fluctus, Cottiique Regis Alpes in nos declamando clamavit.* Nondum tamen accenſa bile conviciis Vigilantium oneraverat. At ubi reſcivit, à Vigilantio ſe Origeniſtis inſeri, in Ægypto, aliiſque regionibus id rumoris diſpergi, dentatam ſcribit Epiſtolam, quâ miſerè accuſatorem lacerat: *Dimiſiſti Ægyptum, & cunctas Provincias reliquiſti, in quibus ſectam tuam liberâ plerique fronte defendunt, & elegiſti me ad inſectandum, qui omnia contra Eccleſiæ dogmata reprehendo.* Poſtquam verò libris editis Reliquiarum venerationem impugnare Vigilantius cœpit, Hieronymus jam ipſi infenſus, aſperius in Autorem invehitur, tractatu qui hoc ipſo anno exaratus eſt. Cur ad ſcribendum permotus fuerit, rationem affert: *Auctores ſunt hujus dictatiunculæ meæ Sancti Presbyteri, Riparius, & Deſiderius, qui parochias ſuas vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas, miſeruntque libros per fratrem Siſinnium, quos inter crapulam ſtertens evomit.* Anno circiter CCCCIV. Vigilantii adverſus honorem reliquiarum libri vulgati ſunt.

Anno Dom. 406.

Cauſæ odii Hieronymi in Vigilantium.

Hier. Ep. 53.

Hier. Ep. 75.

Hier. adv. Vigil. c. 2.

IX. Ex Hieronymi tractatu has Vigilantii opiniones fuiſſe, ſcimus atque tenemus. 1°. *Neceſſe non eſſe, tanto honore non ſolùm honorare, ſed etiam adorare, illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colitur.* 2°. Pulverem linteamine circumdatum non eſſe oſculis adorandum. 3°. Sanctorum animas cereolis non eſſe illuſtrandas. 4°. Specialem Sanctorum pro viventibus interceſſionem nullam eſſe. 5°. Vigilias & pernoctationes in Baſilicis Martyrum abrogandas. 6°. In Paſchate duntaxat Alleluia eſſe cantandum. 7°. Cœlibatum Clericis non eſſe neceſſarium. 8°. Satius eſſe, eleemoſynas popularibus erogare ſuis, quàm Hieroſolymitanis mittere. 9°. Satius eſſe, paulatim fructus poſſeſſionem ſuarum pauperibus dividere, quàm ſemel omnes largiri. Hic Baronius diſcipulos Vigilantii convenit: *Dic, amabo te, quibus putas revelatam à Deo Catholicam veritatem, Vigilantione, an admirandis illis, ſanctiſſimiſque viris, Victricio Rothomagenſi, atque Exuperio Toloſano?* Liceat & nobis illuſtriſſimum Purpuratum viciſſim compellare: Cui potius, Baroni, pietatis doctrina revelata eſt, Prophetis, Apoſtoliſve, an Hieronymo, Victricio, Exuperio? Atqui venerandi Prophetæ, ſanctiſſimique Apoſtoli nec reliquiis Sanctorum oſcula libavere, nec cereos accenderunt, nec Cœlites oratione adierunt, ut & antiquitate, & melioribus exemplis Vigilantii cauſa potior eſſet, quàm Hieronymi. Ac præ iracundia ſanè apud ſe Hieronymus non fuit, dum *Dormitantium* ſuum refellit. Ut vel ipſo tacente, faciliimè nobis perſuadeamus, *Tractatum ſuum unius noctis lucubratione dictaſſe, feſtinante admodum fratre Siſinnio, & propter Sanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante.* Hæccine magno digna ſunt Hieronymo? *Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt?* De cereis Martyrum in honorem accenſis dignane hæc Hieronymo? *Illud fiebat Idolis, & idcircò deteſtandum; hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum eſt.* Quâ concluſione ſequitur, divinos Martyribus

De Vigilantii opinionibus.

Bar. Ann. 406. n. 48.

Hier. adv. Vigil. c. 2.

ANNO DOM. 406.

honores impendi: tales enim erant, quibus accenſis interdiu cereis idola afficiebantur. Hoccine Hieronymo dignum: *Cereos non clarâ luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris*, cùm certo certius eſſet, ante tumulos Martyrum cereos accenſos fuiſſe, quod ſui immemor Hieronymus fatetur à mulieribus fieri? Quid peccavit Vigilantius, ſi muliebrem, quam non negat Hieronymus inſipientiam, ejectam religione voluerit, quæ caſtiſſima ſemper, ſapientiſſimaque eſſe debet? Hæccine blaſphemia eſt, quòd ſecundum Scripturam, corporum reliquias *pulviſculum* Vigilantius vocaverit? *Expone manifeſtius*, inquit Hieronymus, *ut totâ libertate blaſphemes.* Hactenus credideramus, blaſphemiam convicium eſſe numinis. Non miramur Hieronymum Doctoris ſui Gregorii Naz. placitis inhærentem. Dixerat Gregorius in Julianum ſcribens de Martyribus: *Quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel ſola corpora idem poſſunt quod anima ſancta, ſive tangantur, ſive honorentur. Quorum vel ſola ſanguinis gutta, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt quod corpora.* Hinc indignatio, qui ramentis *pulveſculiſque* Martyrum tantum virium tribuit, repugnante Vigilantio. Cœlitibus tamen diſplicuiſſe ſuarum Reliquiarum diviſionem plus ſemel legimus. Fructuoſi cinerum partem Chriſtianorum quiſque ſibi collegerat. Id Martyri ingratum, ſi Actis ipſius fides: *Poſt paſſionem apparuit fratribus, & monuit, ut quòd unuſquiſque per charitatem de cineribus uſurpaverat, reſtituerent ſine mora, unoque in loco ſimul condendos curarent.* Marcellini reliquias Româ adductas Eginardus ſibi comparaverat. Quid contigerit, ex Eginardo diſcamus: *Illas Reliquias ſuper altare, penè quod loculus ſacros Martyrum cineres continens poſitus erat, gemmatâ capſa reconditas collocavimus, fueruntque ibi repoſita, uſque dum nos menſe Novembri ad palatium ire parantes, per revelationem admoniti ſumus, ne prius de illo loco proficiſceremur, quàm eas corpori, de quo ſumpta erant, conjungeremus.* Porro Vigilantius nonnullos, vel invito Hieronymo fautores habuit: *Miror, Sanctum Epiſcopum, in cujus parrochia eſſe dicitur, acquieſcere furori ejus*; quæ ad Riparium verba ſunt Hieronymi. Et in libro adverſus Vigilantium, *Proh nefas! Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes.* Et paulò infrà, cap. 2. *Aſſerunt repertos eſſe nonnullos, qui faventes vitiis ſuis, illius blaſphemiis acquieſcant.* Quid de Vigilantio actum fuerit, neſcimus: *Damnatum ab Eccleſia Romana*, Cavius ſcripſit, teſtemque laudat Hieronymum; quod tamen in eo necdum legimus. Fallimur, an quæ de Joviniano dicta ſunt, Vigilantio vir doctiſſimus non accommodarit? *Ille Romana Eccleſia auctoritate damnatus, inter phaſides aves, & carnes ſuillas non tam emiſit ſpiritum, quàm eructavit.* Quæ non Vigilantium ſpectant, ſed Jovinianum. Ex Gennadio Vigilantii referamus imaginem: *Vigilantius Presbyter, natione Gallus, in Hiſpania Barcilonenſis parrochia Eccleſiam tenuit. Scripſit & ipſe zelo quidem religionis aliquâ, ſeductus humanâ laude, & præſumens ſupra vires ſuas. Homo linguâ politus, non ſenſu Scripturarum exercitatus. Expoſuit pravo ingenio ſecundam Danielis viſionem, & alia locutus eſt, quæ catalogo Hæreticorum neceſſario exponentur.* Rejiciendam Vigilantii explicationem meritò perſtrinxit Hieronymus: *Auſus es dicere, montem, de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſine manibus, eſſe Diabolum, & lapidem Chriſtum.*

Cap. 2.

Naz. Or. 3. p. 77.

Bar. Ann. 827. n. 13.

Hier. adv. Vigil. c. 1.

Hier. Ep. 75.

X. Commentariis quoque ſuis in Zachariam, Oſeam, Joëlem, Amos, & Malachiam annum ditavit & Hieronymus. Quorum tempus conſignavit in ſuo ad Pammachium Procœmio: *Præſenti anno, cui ſexti Conſulatus Arcadii & Anicii Probi factis nomen impoſuit, Exuperio Toloſanæ Eccleſiæ Pontifici Zachariam, & ejuſdem urbis Minerio & Alexandro Monachis Malachiam Prophetam interpretatus ſum. Statimque recurrens ad principium voluminis, Oſea & Joel, & Amos tibi negare non potui.*

ANNO DOM. 407.

Commentaria in Zachariam ſcripſit Hieronymus.

Hier. in 3. Comm. Amos, pag. 113.

ANNO U. C. 1160. PER. JUL. 5129. JUL. 452. DOM. 407. ARCAD. 25. & 13. HONORII 15. & 13. *Sol.* 24. F. *Lun.* 9. *Indict.* 5. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 2. P. *April* 14.

COSS. *Honor. Aug.* VII. *& Theodoſius Aug.* II.

I. ODio inflammatus in Hæreticos Honorius, ipſos Edictis proſternere ſuis, atque obterere pergebat. Reſcriptum ergo VIII. Kal. Martii promulgavit, quo præcipuè Manichæos, Phrygas, Priſcillianiſtaſque vexabat, quos bonorum publicatione mulctavit, inhibitâ quoque facultate condendi teſtamenta, aut legata accipiendi. Eo ipſo anno Thermantiæ nuptiis ſeſe inquinavit, quarum tempus nos Zozimus docuit: *Exacto autumno cùm hyems cœpiſſet, Baſſus & Philippus Coſſ. deſignati ſunt. Imperator autem Honorius, Mariâ conjuge jampridem rebus humanis exemptâ, ſororem ejus Thermantiam ſibi matrimonio jungi petebat.* Ex Maria nullos quidem liberos ſuſceperat. Quippe cùm nondum viro maturam filiam Serena ſuam cerneret, nec ſecius nuptias differri vellet, ope mulieris potione præbitâ perfecit, ut matrimonii requiſita Honorius implere non valeret. Puellâ virgine mortuâ, Serena Imperatoriæ prolis cupida, pugnante vel Stilichone, Honorium Thermantiæ copulat. Infauſtæ prorſus hæ nuptiæ. Ex Thermantia nullos Honorius liberos procreavit, vi potionis vel à Serena olim præbitæ, vel, ut ait Philoſtorgius, à Stilichone oblatæ, quo genero ſuo ſobolis procreandæ facultatem adimeret. Anno 408, defuncto Stilichone Thermantia ab Honorio matri reddita. Nec multò poſt vitam cum morte commutavit, anno Dom. 405. Honorio x. Theodoſio VI, Coſſ. ſi Chronico Alex. fides: His Coſſ. *renuntiata eſt mors Thermantiæ, Imperatoris Honorii conjugis, menſe Panemo, tertio Kal. Auguſti, feriâ* VI. Nuptiis tamen non diu ſuperfuiſſe ſuis, legitur in Zozimo lib. 5. cap. 28.

Honorii cum Thermantia nuptiæ infelices: annus Thermantiæ ultimus.

C. Theod. l. 40. de Hæret.

Sozom. l. 5. c. 28.

II. Nuptiarum tamen lætitiæ vacare vix ſinebant Barbari, qui fera arma nunciantes, imperium vaſtabant. Anno ſuperiore *Vandali & Alani, Gallias trajecto Rheno pridie Kal. Januarii ingreſſi*, ut Proſper habet, ſanguine cædibuſque omnia complebant. Tantumque terroris vicinis regionibus incuſſere, ut Britannicis vel exercitibus eſſent formidini. Quid mali intulerint, narret Hieronymus in ſua ad Ageruchiam Epiſtola: *Innumerabiles & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda Reſpublica, hoſtes Pannonii vaſtarunt. Moguntiacum nobilis quondam civitas,*

Vandalica in Gallias irruptio.

Hier. Ep. 11.

capta

Anno Dom. 407.

capta atque ſubverſa eſt, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obſidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebata, extremique hominum Morini, Tornacui, Nemetus, Argentoratus, tranſlati in Germaniam. Aquitania Novemque populorum Lugdunenſis, & Narbonenſis Provincia, præter paucas urbes, populata ſunt cuncta, quas & ipſas foris gladius, intus vaſtat fames. Non poſſum abſque lachrymis Toloſæ facere mentionem, quæ ut hucuſque non rueret, Sancti Epiſcopi Exuperii merita præſtiterunt. Ad invadendas Gallias Barbaros à Stilichone permotos eſſe prædicat Oroſius:

Oroſ. l. 7. c. 38.

Gentes alias copiis viribuſque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hiſpaniarumque Provinciæ premuntur, hoc eſt, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipſoque ſimul motu impulſorum Burgundionum, ultrò in arma ſollicitans, deterſo ſemel Romani nominis metu ſuſcitavit. Verùm in tantam materiam incendii Gallorum ipſæ manus funeſtiores faces intulere: quod non diſſimulavit *Salvianus*, Maſſilienſis Presbyter:

Salvian. de Gubern. l. 7.

Cæteri autem & plurimi ferme ac nobiliſſimi, propè idem omnes, penè unus gurges, omnium gula: penè unum lupanar, omnium vita. . . . . Et miramur ſi terra vel Aquitanorum, vel noſtrorum omnium à Deo Barbaris data ſunt, cùm eas, quas Romani polluerant fornicatione, nunc mundent Barbari caſtitate. Sic Galliæ peccata enſe barbaro Dei numen ulciſcebatur.

Conſtantini & Britannorum rebellio.

III. Novam & calamitatem Vandalorum impetus attulit imperio. Britannicæ Legiones veritæ, ne Barbari progrederentur ulterius, ad tyrannos eligendos ſe vertêre. Rem ſic Zozimus exequitur.

Zozim. l. 6. c. 2.

Honorio VII. & Theodoſio iterum Coſſ. milites Britannici ſeditione concitatâ, Marcum in regio ſolio collocant, eique tanquam rerum in iis locis potienti ſe ſubjiciunt. Quo interfecto, Gratianum purpurâ coronâque ornatum, een Principem ſolito ſatellitio comitantur. Quo poſt menſes quatuor, & vitâ & imperio ſpoliato, Conſtantino ſummam rerum deferunt, quaſi felix omen in nomine geſtaſſet. De eo homine Proſper in Chronico: *Conſtantinus ex infima militia ob ſolam ſpecium nominis in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias tranſit.* Militibus Juſtinum & Neovigaſtem cùm præfeciſſet, relictâ Britanniâ Bononiam tranſmiſit. Magnâque felicitate momento omnes exercitus ad Alpes uſque Galliam & Italiam diſterminantes ſibi conciliat; ut imperium jam tutò poſſidere videretur. Rebelli uſurpatum Stilicho ut extorqueret imperium, *Sarum* cum exercitu mittit, qui cum Juſtiniano congreſſus, eum cum majore exercitus parte proſternit. Magnâ prædâ potitus, Conſtantinum adoriri ſtatuit. Receperat ſe Valentiam urbem defenſioni idoneam, cui obſidionem Sarus admovet. Inſtituerat cum Saro Neovigaſtes de pace colloquium, ultrò citròque præſtitis ſacramentis. Quorum ſecurus Sarus, jusjurandi religione violatâ, Neovigaſten morti miſit. Defunctis ſuis Ducibus alios Conſtantinus ſufficit, *Ebodinchum* natione Francum, *Gerontium*que Britannum. Quorum fortitudinem atque belli gerendi peritiam veritus Sarus, Valentiam, quam ſeptem diebus obſederat, levat obſidione. Tum impetu in ipſum facto, Conſtantini Duces in fugam conjiciunt. Qui prædâ univerſâ Bacaudis conceſſâ, ab ipſis adeundæ Italiæ facultatem impetrat. Tum veritus Conſtantinus, ne Itali liberum in Gallias

Zoz. ibid.

haberent aditum, Præſidiarios ad Alpes collocavit. Rhenum quoque præſidio idoneo munivit, quod à Juliani Principis temporibus neglectum fuerat.

Id. ib.

IV. Antequam res Eccleſiæ ingrediamur, Legis Honorianæ mentio eſt agitanda, quæ data eſt Romæ VIII. Kal. Mart:

Lex Honorii in Manichæos.

Quid de Donatiſtis ſentiremus, nuper oſtendimus. Præcipuè tamen Manichæos, vel Phrygas, ſive Priſcillianiſtas meritiſſimâ ſeveritate perſequamur.

Cod. Th. l. 6. 160.

Phryges à Priſcilla Montaniſtarum Propheriſſa *Priſcillianiſtæ* nuncupabantur. Quam verò in Phrygas & Manichæos ſeveritatem Honorius adhibuit, ea fuit, ut ipſorum error *publicum crimen* eſſet. Bonorum publicatione plectebantur, quæ proximis cedebant; ab omni liberalitate removebantur; donandi, emendi, vendendi, contrahendi facultate ſpoliabantur. In defunctos inquiſitio tendebat. Clementiæ tamen aliquid Honorius adhibuit, Lege promolgatâ XIII. Kal. Decemb. quâ reſipiſcentibus venia conceditur:

Cod. Th. l. 6. 162.

Qui Catholicam fidem ſimplici confeſſione ſuſceperint, licet adeò inveteratum malum longâ ac diuturnâ meditatione nutriverint, ut etiam Legibus antè latis videantur obnoxii, tamen hos ſtatim, ut fuerint Deum ſimplici Religione confeſſi, ab omni noxa abſolvendos eſſe cenſemus. Cæterùm inter Hæreticos Manichæi præcipuè infames fuere. Labentibus annis aliam & ſortiti ſunt appellationem. Theophani vocantur Pauliciani:

Miſcell. l. 24.

Multi autem, qui in hi blaſphemabant, habitu tantùm Chriſtiani erant, veritate verò Pauliciani. De quo titulo inſignis eſt Zonaræ locus:

Zonaras l. 15. 156.

In Oriente magna fuit Manichæorum multitudo, qui & Pauliciani vulgò imperitius appellantur, vocabulo ex Paulo & Joanne compoſito, qui etſi apud illos celebres Hæreſiarchæ, tamen & perverſæ opinionis autores non fuerunt. Novo adhùc nomine divitea facti ſunt, *Atingani* dicti. De Nicephoro Imperatore Theophanes Miſcellaneæ libro XXIV. 325. *Manichæorum verò, qui nunc Pauliciani & Atingani dicuntur, quique in Phrygia & Lycaonia conſtituti, confines ejus habebantur, amicus ferventiſſimus erat.* Eo pertinent & verba Zonaræ:

Zonaras l. 15. 123.

Nicephorus Manichæis, & iis qui Atingani vocantur, in oraculis, auguriis, & arcanis magicis uſus eſt. Unde in Romanis Provinciis diſperſum id hominum genus multorum ſimplicium fidem corrupit. Porro etſi præ cæteris inviſum eſſet genus hoc hominum, in eorum tamen vitam non ſæviit Honorius.

Carthaginenſis Synodi anni 407. Canones.

V. Venire nunc ad res Eccleſiæ lubet. Africæ Antiſtites plenarium Carthagine Concilium celebrarunt, quod nonnullas de ſuperioribus Synodis conſtitutiones emendavit: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio* VII. *& Theodoſio* II. *Auguſtis Coſſ. Idibus Juliis, Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ.* Præfatio hæc eſt, quâ tempus Synodi deſignatur. Canones XVI. conſtituit, in Codicem Eccleſiæ Africanæ Græcè Latinèque relatos. I. Sanctionem Hipponenſem abrogat, de plenario Africæ Concilio quotannis cogendo, quod quotieſcunque *exegerit cauſa communis, in Provincia ubi oportunitas perſuaſerit*, deinceps celebrabitur: qua de re ad Carthaginenſem ſedem literæ mittentur. II. Ab electis Judicibus provocare non licet. III. Numidarum, Byzacenorum, Maurorum, Sitiphenſium, Cæſarienſium, & Tripolitanorum legationes gratiſſimè accipit. IV. Executores Eccleſiæ quinque conſtituit, qui in diverſis Provinciis impertiuntur. Quæ tres capite Codicis

Anno Dom. 407.

xcvi. Sanctiones continentur. V. Vincentium & Fortunatianum ad Imperatores mittit, ut dent facultatem conſtituendi Scholaſticos ad res Eccleſiæ, cauſaſque defendendas. VI. Qui ad Comitatum mittuntur, habeant legationem liberam. VII. Teſtantur Mauri, Cæſarienſes Primuſum literis conventum fuiſſe, ut plenario Concilio ſui præſentiam faceret, cui non adfuit. VIII. Plebibus quæ proprios Epiſcopos nunquam habuerunt, Epiſcopi non dentur, niſi ex Concilio plenario uniuſcujuſque Provinciæ, & ſententia Primatus Diœceſeos, ad quam Eccleſia pertinet. IX. Plebes à Donatiſtis converſæ, quæ habuerunt Epiſcopos, inconſulto Concilio habere mereantur: quæ verò defuncto Epiſcopo ſuo ad alicujus Epiſcopi Diœceſim pertinere volunt, non eis negatur. X. *Mauritius* Epiſcopus ab Eccleſiæ Senioribus accuſatus petit, ut ipſis abſentibus, nec inventis, licet tertio requiſitis, ſibi pro Judicibus conſtituantur Xantippus, S. Auguſtinus, Florentius, Theaſius, Sampſychius, Secundus, & Poſſidius, qui poſtulanti omnes conceduntur. XI. De diſſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſiæ ad Papam Innocentium ſcribatur, ut utraque Eccleſia pacem teneat. XII. Qui uxores, aut viros dimittunt, ſic maneant. XIII. Preces quæ probatæ fuerint à Concilio, ad altare dicantur, nec aliæ contra fidem præferantur. XIV. Qui publicorum judiciorum cognitionem ab Imperatore petierit, honore privetur: ſi Epiſcopale judicium ab eo poſtularit, nihil ei obſit. XV. Qui in Africa non communicans, in tranſmarinis ad communicandum obrepſerit, à Clericatu ejiciatur. XVI. Qui ad comitatum ire voluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ Eccleſiam mittitur, intimetur, ut inde etiam ad comitatum formatam accipiat.

Mors Chryſoſtomi. Quo tempore contigerit? Dies funeris.

VI. Exequias Chryſoſtomo ire jam tempus eſt, qui ærumnoſam vitam glorioſa morte commutat. Splendebat Arabiſſi cœleſte ſidus, eruditione, pietate, diligentiâ, quibus ipſi vel Ethnici ad fidem amplectendam permovebantur. Quæ res Severiano, Porphyrio, aliiſque Syriæ Epiſcopis invidiam movet. Mittunt igitur ad Comitatum, ac autoritate quâ pollebant, Reſcriptum acrius obtinent, cùm mulcta, intra breve tempus ut transferretur Pityuntem, locum regionis Tſanorum deſertiſſimum, ad littus Pontici maris ſitum. Milites Præfecti Prætorio Sanctum Præſulem deducentes, iter maximè urgebant. Hoc ſe habere in mandatis affirmabant, ſpe injectâ, quòd ex ipſius morte ad majores gradus eveherentur. Unus quidem furtim humanitatis aliquid ei oſtendebat; alter verò blanditias, quibus ab occurrentibus invitabatur, ut cum exule mitius ageret, pro injuria habebat. Ingruente imbre egrediebatur, ut aquæ rivis Chryſoſtomus inundaretur, per dorſum & pectus defluentibus. Solis æſtum pro deliciis habebat, gnarus calvo Sancti Præſulis capiti magno eſſe incommodo. Ne moræ vel tantillum in iis locis concedebat, ubi balneorum ſolatium erat. Tribus menſibus in laborioſiſſimo hoc itinere conſumptis, ut *Comanis* appropinquarunt, urbe præteritâ extra muros in Martyrio, quinque aut ſex millibus diſſito manſerunt: *Eâdem ipſâ nocte apparuit ei loci illius Martyr, nomine Baſiliſcus, qui Epiſcopus Comanorum cùm eſſet, martyrium paſſus eſt Nicomediæ in Bithynia, ſub Maximino unà cum Luciano Presbytero. Macte animo, inquit, frater Joannes, craſtinâ enim die unà erimus.* Oraculo fidens Chryſoſtomus, ſequenti die oravit milites, ut ad horam quintam uſque ibi permanerent. Illi verò non auditis ejus precibus, inde abſceſſerunt. Confectis circiter triginta ſtadiis, rurſus ad Martyrium unde diſceſſerant redierunt, cùm graviter ille ſe haberet: *Reverſus tandidas veſtes vità, quam duxerat dignas requirit, exutuſque prioribus, eas ſibi jejunus induit, omnibus ad calceamenta uſque mutatis, atque reliquias præſentibus diſtribuit. Et ſumptis Dominicis Symbolis, coram aſtantibus ultimam orationem facit: & cùm dixiſſet more ſuo, Gloria Deo propter omnia, & ultimum amen obſignaſſet,* extenſis pedibus cœleſtem animam Deo reddidit.

Pallad. Dial. 98.

Extremum diem obiit Septembris xiv. quo tempore Crucis exaltatio celebratur: *Sic enim conveniebat, eum qui vitam omnem ſub Cruce tranſegerat, & gloriam non in alia re quàm in Cruce Chriſti collocaverat, feſto ipſius die, quem ex materia iſta acceptum circumferebat, cinerem deponere, atque ad Deum in ſublime ferri.* Quæ eleganter Nicephorus habet, l. 13. c. 37. In pleriſque Socratis exemplaribus legitur quidem, Chryſoſtomum obiiſſe *decimâ quartâ Novembris.* Scribendum tamen eſſe *Septembris*, monet Valeſius ex Codice Sfortiano, & ex Verſione Epiphanii Scholaſtici. In Epitome vitæ Chryſoſtomi legitur, ſepultum fuiſſe *decimo quarto Novembris.* Quod ſatis ad Palladium quadrat: *Tanta autem multitudo Virginum, Monachorum, & qui ſanctitatis teſtimonium habebant, aderat è Syria, Cilicia, Ponto atque Armenia, ut plerique putarent, quaſi dato ſigno eos advenìſſe. Pollinctus igitur ad ſepulturam, & feſtâ celebritate honeſtatus, velut victor athleta una cum Baſiliſco ſepelitur in eodem Martyrio.* Ex quibus intelligitur, non eodem ſanè die & periiſſe, & ſepultum fuiſſe, ut in Breviario ipſius vitæ legitur. Mortem inter & funus ſpatium temporis memorabile interjici debuit, ut ex tot regionibus Virgines, Monachique ad exequias cohoneſtandas in urbem Comanenſem confluerent. Ex noſtra Chronologia exceſſit annos natus ſexaginta, non *quinquaginta duos, & menſes octo*, ut vulgò creditur. Creatus erat Epiſcopus xxvi. Februarii anno cccxcviii. quam cum vita dignitatem exuit, poſt annos ix. menſes ſex, dies xxiv. ex quibus tres annos, menſes totidem, dies novem egit in exilio, quod ipſi imperaverat Arcadius, die Junii *decimâ* anni cccciv. teſte Palladio: *Quinto porro die à finita Pentecoſte Acacius, Severianus, Antiochus, atque Cyrinus Imperatorem adeunt, in caput noſtrum,* inquiunt, *Joannis depoſitio eſto.* Pentecoſte verò anno cccciv. in quintum Junii incidebat. Primus igitur exilii Chryſoſtomi dies à Junii decimo eſt repetendus, feriâ ſextâ, ut à vero abſit calculus clariſſimi Du Pin, qui tribus annis, & menſibus exilio Joannis dies xxiv. addit. Quem & Blondellus noſter errorem erravit.

Pallad. Dial. 101.

Pallad. Dial. 98.

Blondell. de Prim. 1250.

Laudes & doctrina Chryſoſtomi.

VII. Æternum ſibi nomen Chryſoſtomus emit eloquentiâ ſuâ, pietate, laboribus. Multa quidem Sancti Præſulis ſcripta à temporis injuria vindicata poſſidemus; at non pauca quoque periiſſe ſcimus, de quibus Suidas: *Cætera ejus ſcripta numerum ſuperant. Omnem enim & Judaicam, & Chriſtianam Scripturam commentariis explicavit, ut alius nemo. Martyrum verò feſtivitates expeditis dicendi genere adauxit, linguam etiam habens, quæ ſuo fluxu Nili cataractas ſuperabat.*

Anno Dom. 407.

perabat. Nullus profectò mortalium ab omni ævo tantâ dicendi copiâ abundavit, quantâ ſolus ditatus erat, & ſolus abſque fucu illud aureum & divinum Chryſoſtomi nomen, ut quodam hæreditario jure conſecutus eſt. Ejus verò ſcriptorum numerum recenſere non hominis eſt, ſed Dei potius omnia cognoſcentis. Optandum quidem, ut iracundiæ, ad quam propenſior erat, robuſtiora vir optimus frena injeciſſet, atque credulitati. Quibus affectibus ita ſe comparavit, ut Principes acrioribus verbis pungeret, ſibique maxime infenſos efficeret. Melius ſanè fuiſſet, ſi palam & publicè Eudoxiam Auguſtam *Herodiadis* nomine non affeciſſet. Sed & in ipſius ſcriptis nonnulla reperiuntur puriſſimæ veritati non ſatis conſona.

Chryſ. hom. 39. in 1. ad Cor.

De animæ gloria poſt mortem hæc habet: *Si non reſurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ eſt in cælis.* Ex quibus conficitur, ne vel Martyrum quidem animas in cœleſti felicitate agere. Durius & illud eſt, quod de pietatis initiis tradit, dum de Abrahamo loquitur:

Chryſ. in Geneſ. hom. 42.

Quando à patria ſua migrabat, quod neque à progenitoribus ſemen fidei acceperit, & à ſeipſo valde religioſam atque piam mentem obtulerit. Non à ſeipſo quidem, ſed à Dei gratia religioſam Abrahamus mentem obtulit. Similiter Homiliâ XII. in Hebræos: *Noſtrum quidem eſt præeligere & velle, Dei autem eſt perficere.* Secus Paulus, qui verbis expreſſis affirmat, Deum potentiſſimè in nobis operari, & *velle* & perficere, quia ex nobis idonei non ſumus, ne vel benè cogitare. Inſpiciatur & Hom. in Matth. XXXIII. Sixtus Senenſis poſtquam Chryſoſtomum utcunque excuſatum ivit, tandem hæc notanda profert:

Sixt. Bibl. l. 5. n. 101.

Dicendum eſt, ſicut etiam Anianus in Præfatione Commentariorum Chryſoſtomi in Matthæum annotavit, Chryſoſtomum interdum naturæ noſtræ vires plus æquo extuliſſe, ex contentione diſceptandi cum Manichæis & Gentilibus, qui hominem aſſerebant vel naturâ malum, vel fati violentiâ ad peccandum compelli. Neque admittenda, quæ docuit Homiliâ in Philippenſes tertiâ, de iis, qui nil ſuis animabus ſolatii ex divitiis ſibi compararunt: *Juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos quoquomodo.* Hæc aliaque ſimilia viri magni meritis ſunt condonanda. Multa hiſtoriæ Chryſoſtomi à Georgio Alexandrino, Leone Auguſto, Damaſceno, aliiſque addita, ſunt ad aniles ſanè fabulas releganda. De Georgio Alexandrino id obſervatum Photio:

Phot. Bibl. pag. 266.

Scriptor ipſe quidem præter hiſtoriæ fidem narraſſe quædam viſus eſt. Baronius ipſe, magnus alioquin ejuſmodi nugarum helluo, petitam ex Prato Spirituali Adelphii de gloria Chryſoſtomi viſionem virgâ cenſoriâ notavit.

Bar. Ann. 407. n. 35.

Debuiſſet quoque fidem detrahere & Innocentii ad Arcadium, & Arcadii ad Innocentium Epiſtolis, quibus ſibi perſuaſit, & Arcadium à Pontifice fuiſſe excommunicatum, & Eudoxiam ſuperfuiſſe Chryſoſtomo. Quæ commenta ex fabuloſa Græcorum officina prodiere, Scriptoribus Sancto Præſuli, & coætaneis, & ſuppatibus prorſus ignota. De reſtituta Chryſoſtomi fama, redintegrataque Orientalium cum Occidentalibus communione ſuo loco diſſeremus. Satis in anteceſſum verba apponere Theodoriti de injuria ſancto illata Præſuli:

Theodorit. l. 5. c. 34.

Hanc injuſtitiam præcipuè deteſtati ſunt Epiſcopi Europæ. A communione enim eorum, qui hæc fecerant, ſeipſos ſeparaverunt. Illyriciani quoque omnes eorum partibus ſeſe adjunxerunt. Orientalium verò urbium quàm plurimæ communionem quidem ſceleris refugerunt, corpus tamen Eccleſiæ haud diſciderant, & poſt mortem magni Doctoris orbis terrarum Occidentales Epiſcopi Epiſcoporum Ægypti, & Orientis, & Boſphori ac Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quam divini illius viri nomen una cum reliquis ſato functis Epiſcopis conſignaſſent.

Clades Conſtantinopolitanæ urbis.

VIII. Sub ea tempora, quibus Chryſoſtomus terras relinquebat, contigit ædem ruere Conſtantinopoli, veluti indicio quodam calamitatis ob Sancti Præſulis mortem rebus eccleſiaſticis illatæ. In urbe regia domus eſt ampliſſima, quæ *Carya* nuncupatur, quòd in ejus atrio nux eſt arbor, in qua Acacius Martyr olim ſuſpenſus martyrium conſummaſſe fertur. Quam ob cauſam parvum etiam Templum juxta illam arborem ædificatum eſt. Quod cum Arcadius ingreſſus fuiſſet, factâ precatione diſceſſit. Qui Baſilicæ in vicinia habitabant, Imperatoris videndi cauſâ confluxerant. Alii extra ædem progreſſi, viarum tranſitus occupabant, unde & Imperatoris ventum, & pompam omnem facilius proſpicere ſe poſſe arbitrabantur. Alii ſequebantur, donec univerſi cum mulieribus ſimul & parvulis extra Baſilicam tandem ſunt conſtituti. Quo facto ædes ampliſſima, quæ in ambitu Baſilicæ erat, repente corruit. Aliis & cladibus Conſtantinopolis affecta eſt:

Chr. Alex.

Imber magnus cum fulgetris, tonitruis, terraque motu Calendis Aprilibus primâ noctis vigiliâ exoritur, adeò ut lamina area fori Theodoſiani convoluta devolverentur, & ſignum Chriſti ex Capitolio decideret, multa navigia hauvirentur, domicilia Hebdomo non pauca everterentur. Exuſtum quoque Prætorium Monaxii, Præfecti urbi a populo Conſtantinopolitano propter inopiam annonæ; tractaque eſt illius carruca à prima regione uſque ad roſtra Domnini. Occurrerunt illis duo Militum Præfecti, Varanes & Arſacius, Syneſius quoque, & Comes Largitionum, qui rogarunt illos: Redite, inquiunt, quò veniſtis, & nos verberabimus, ut vultis. Ex illo die, quo Chryſoſtomus expulſus eſt, læta pauca urbi regiæ contigere. Ornamenta quædam quaſi reparandis damnis hoc ipſo anno addita fuere. Subſellia circi ad porticum inſtaurata ſunt. Ciſterna quoque maxima

Marcellin.

juxta porphyreticam Conſtantini Imperatoris columnam in foro ejus ſub platea tranſitum conſtructa eſt.

De illuſtribus Clericis Arianis Conſtantinopoli agentibus.

IX. Dum Conſtantinopoli verſamur, memoriæ ſunt mandanda, quæ Arianorum ſectæ contigere. *Dorotheus* factionis hujus Epiſcopus, qui ex Antiochena ſede Conſtantinopolim tranſlatus fuerat, centum & novem annos natus, ex hac luce migravit, *Honorio VII. & Theodoſio iterum Coſſ. die VIII. Idus Novembris.* Defuncto ſucceſſit Barba, cujus temporibus Arianorum religio infelici potius, quàm felici fato duos diſertiſſimos viros habuit, Presbyteri dignitate decoratos. Horum alter *Timotheus*, alter *Georgius* dicebatur. Gregorius à Barba ordinatus fuerat. Timotheus verò Pſathyrianorum ſectæ prius adhæſerat. Georgius Græcorum diſciplinæ magis excultus erat, Timotheus in Sacris Literis plus operæ poſuerat. Georgius Ariſtotelis & Platonis libros aſſiduè habebat in manibus. Timotheus Origenem adamabat, & cùm Sacras Literas publicè exponeret, Hebraicæ quoque linguæ ignarus non erat. Cum Timotheo Socrates collocutus, re ipſâ perſpexit, quàm paratus eſſet & expeditus explanandis obſcurioribus Scripturæ oraculis.

Socr. l. 7. c. 6.

Anno Dom. 407.

Siſinnius Novatianorum Epiſcopus. Acuta ipſius dicta. Mors.

X. Morti Dorothei, Arianorum qui Conſtantinopoli degebant Epiſcopi, alia quoque jungenda eſt, Siſinnii Novatianorum regiæ urbis Antiſtiti, qui eodem & anno extremum diem morte confecit. Pro ineptis Baronius habet, quæ de Siſinnio Socrates memoriæ prodidit. Nobis verò alia ſententia eſt, cùm famæ ſatis ſibi Siſinnius compararit, dictaque multa ſale condita emiſerit, quæ Sozomenus etiam memoratu non indigna judicavit. Ac noſtro quidem judicio ea fabulis præſtant, quibus ſæpius Annales Baronius ſuos opplevit, cùm quæ de Siſinnio narrantur, vel vera ſint, vel ſanè veroſimilia, & ad res Antiquitatis illuſtrandas momenti ſint alicujus.

Bar. Ann. 307. n. 19.

Defuncto Marciano ſucceſſit Siſinnius XXVII. Novembris, anni CCCXCV. illo ipſo die, qui Rufino mortem attulit.

Socr. l. 6. c. 1.

Tunc *Novatianorum Epiſcopus Marcianus ex hac luce migravit, eique in Epiſcopatu ſucceſſit Siſinnius.* Vir erat tum Ethnicorum, cùm Eccleſiaſticorum Autorum peritus, prudentiâque, & eloquentiâ præditus. Quo tempore Sectarum Principes Theodoſius Magnus coegerat, Presbyterum adhùc agens Agellii, id conſilii Nectario dederat, ut ab Hæreticis peteret, *Admitterentne Scripturæ interpretes, qui ante diſſidium Eccleſiæ vixerant.* Quâ interrogatione inter ipſos Hæreticos diſceptatio exoriebatur.

Sozom. l. 7. c. 12.

Ejus erat ad diſputandum acuminis, ut ipſe Eunomius, qui eo nomine celebris habebatur, cum eo congredi noluerit. Ubi Epiſcopatum adeptus eſt, moribus caſtum, probumque ſe præbuit; victu tamen delicato & ſuperfluo utebatur. Tanta cum venuſtate jocabatur, ut Epiſcopis, Magiſtratibuſque acceptus foret. Deriſus à quodam, quòd candidâ veſte perpetuò tegeretur, quæſivit ab eo, ubinam ſcriptum eſſet, *nigrâ indui oportere.* Pro ſe verò locum Salomonis attulit, *Sint veſtimenta tua ſemper alba*, quibus & Chriſtus in transfiguratione ſe viſendum exhibuit. Leontio Ancyrano, qui Novatianis Eccleſias abſtulerat, acceſſit Siſinnius, ut eas repeteret, à quo cùm probris afficeretur, quòd numinis clementiam à Novatianis tolli diceret, *At enim*, inquit Siſinnius, *nemo tantam pœnitentiam egit quantam ego.* Leontio petenti hujus pœnitentiæ rationem, reſpondit Siſinnius, *Quòd te viderim.*

Sozom. l. 8. c. 1.

In Chryſoſtomum, qui dixerat, *Licet millies pœnitentiam egeris, accede*, librum conſcripſit, quo ob ejuſmodi dictum graviter exagitavit.

Socr. l. 6. c. 22.

Minanti Chryſoſtomo, ſilentium ſe ipſi indicturum, facetè reſpondit, *At ego tibi mercedem ſolvam, ſi me tanto labore liberaveris.* Obiit anno CCCCVII. cùm ſuæ ſectæ duodecennio præfuiſſet. Succeſſorem reliquit *Chryſanthum*, qui tamen ob arreptam vitando Epiſcopatui fugam anno duntaxat CCCCXII. Epiſcopatum adiit.

Sabbatius a Novatianis diſſidet. Ambit Epiſcopatum. Mors.

XI. Rebus Novatianorum tumultus aliquid attulit mors Siſinnii. Sabbatius, cujus cauſâ *Sangarenſe* Concilium regulam conſtituerat *indifferentem* nomine, quâ declarabatur de ſcſto Paſchatis diſcrimen tanti non eſſe, ut unitas animorum ſolveretur, juramento ſe obſtinxerat, dignitatem Epiſcopalem nunquam ſe ſuſcepturum. A Novatianis tamen ſeſſionem fecerat, non ſine ſcelere. Quippe dum legeret verba hæc Evangelii, *Erat autem dies feſtus, qui dicitur Judæorum Paſcha*, ipſe de ſuo adjecit, *Maledictus, qui extra azyma celebraverit Paſcha.* Quâ fraude ſimplicioribus Novatianorum multos ſibi conjunxit. At in ſolemni pervigilio pernoctantibus terror repentè incidit, quaſi Siſinnius ipſorum Epiſcopus in ipſos impetum faceret. Ortâ perturbatione mutuo ſe in anguſto loco, quo includebantur, obtrivere, ut plus quàm ſeptuaginta perierint. Qua de cauſa complures à Sabbatio deficiunt.

Socr. l. 7. c. 5.

Mortuo Siſinnio cùm Chryſanthus fugâ ſe ſubduxiſſet, Sabbatius oportunum ſibi tempus eveniſſe ratus Eccleſiæ adminiſtrandi, ab obſcuris quibuſdam Epiſcopis ad id comparatis manus ſibi fecit imponi, ſpretâ juramenti religione. Ordinatorum unus Hermogenes fuit, qui ob libros ſuos impietatis plenos ab ipſo Sabbatio additâ imprecatione fuerat excommunicatus. Hæc tamen fruſtra molitus eſt ob inventum tandem Chryſanthum.

Socr. l. 7. c. 12.

Ambitione ſuâ Sabbatius non Epiſcopatum quidem, ſed exilium ſibi comparavit. Quippe Rhodum relegatus, illic mortem obiit. Tum qui Paſchatis cauſâ, ſeceſſione factâ ipſi adhæſerant, defuncti corpus tranſtulere Conſtantinopolim, & ſuper tumulum preces fudere. Quo cognito Atticus, miſſis noctu foſſoribus, cadaver Sabbatii alio ſepulchro abſcondi juſſit; Novatiani verò ut effoſſum tumulum invenere, deinceps locum illum colere deſierunt. Hæc anno circuer CCCCXLIV. contigere.

Socr. l. 7. c. 26.

De Hieronymi ob Petrum à Paulo objurgatum cum Auguſtino litibus.

XII. Anno Dom. CCCCVII. gravis ob Petrum Paulinâ cenſurâ vexatum diſceptatio Hieronymum inter & Auguſtinum exoritur. Pauli verba hæc, *Cùm veniſſet Petrus Antiochiam, in os ei obſtiti, eò quòd condemnandus eſſet*, eâ explicatione illuſtrarat Hieronymus: *Cùm vidiſſet Apoſtolus Paulus, periclitari gratiam Chriſti, novâ bellator vetus uſus eſt arte pugnandi, ut diſpenſationem Petri, quâ Judæos ſalvari cupiebat, novâ ipſe contradictionis diſpenſatione corrigeret, & reſiſteret in facie, non arguens propoſitum, ſed quaſi in publico contradicens. . . . . Quòd ſi quis putat aliquis, verè Paulum Petro Apoſtolo reſtitiſſe, & pro veritate Evangelii intrepidè feciſſe injuriam præceſſori, non ei ſtabit illud, quòd & ipſe Paulus Judæis Judæus factus eſt.*

Hier. ad Gal.

Non immeritò ea Auguſtino explicatio diſplicuit, ex qua ſanè ſequebatur, Paulum fuiſſe mentitum. Nec enim vera prædicarat, *Petrum eſſe condamnandum*, ſi recta eſt expoſitio Hieronymi: *Mihi, inquit Auguſtinus, videtur exitioſiſſimè credi, aliquod in Sanctis Libris haberi mendacium, id eſt, eos homines, per quos nobis illa Scriptura miniſtrata eſt, atque conſcripta, aliquid in ſuis Libris fuiſſe mentitos.*

Aug. apud Hier. Ep. 86.

Itaque Epiſtolâ Hieronymum adiit per *Profuturum*, ut ſcribenti, quos moverat ſcrupulos evelleret. Literas tamen *Profuturus* non detulit, quia *retractus de itinere* Epiſcopus eſt conſtitutus. Epiſtola anno circiter CCCCI. eſt exarata, utpote à Siſinnio *in Inſula Adriæ ante hoc fermè quinquennium* reperta.

Hier. Ep. 92.

Quæ verba ſunt Epiſtolæ Hieronymianæ, anno CCCCVI. confectæ. Novâ adhùc Epiſtolâ, cùm nil reſponſi accepiſſet, Auguſtinus rogat Hieronymum, quæſtionem ut ſolvat.

Id. ib.

Imò tertiam ſilenti dirigit, teſte Hieronymo: *Tres ſimul Epiſtolas, imò libellos per Diaconum Cyprianum tuæ dignationis accepi.*

Hier. Ep. 87.

Hier. Ep. 89.

Cur verò reſponſi nil daret Hieronymus, has cauſas affert, quòd non certò ſciret, Auguſtini Epiſtolam eam eſſe, quâ ad palinodiam hortabatur: *Non temerè exemplaribus literarum credendum putavi, ne fortè me reſpondente læſus, juſtè expoſtulares, quòd probare antè debuiſſem, tuum eſſe ſermonem, & ſic reſcriberem.* Reſponſioni quoque *Paula* morbum impedimento

ANNO DOM. 407.

dimento fuiſſe teſtatur. Quæ Hieronymi Epiſtola Paulæ poſt obitum anno CCCCVI. ſcripta eſt, Honorio VI. & Ariſtenæto Coſſ. Ne hìc quidem convitiorum immemor ſuorum fuit: *Hier. Ep. 91.* *In Scripturarum campo juvenis ſenem non provoces. Memento Daretis & Entelli, & vulgaris proverbis, Quòd bos laſſus fortius figat pedem.* Auguſtini Epiſtolam per *Siſinnium* Diaconum vix Hieronymus acceperat, cùm aliæ quoque literæ afferuntur, quibus & explicationis, quam de Pauli cum Petro jurgio protulerat, ratio poſtulabatur. Reſpondet Hieronymus: *Crebras ad me Epiſtolas dirigis, & ſæpè compellas, ut reſpondeam cuidam Epiſtolæ tuæ, cujus ad me, ut anteà ſcripſi, per fratrem Siſinnium Diaconum exemplaria pervenerunt abſque ſubſcriptione tua.* Cauſam & in Epiſtola reddit, cur repetenti non ſatisfecerit: *Ego autem ut ſimpliciter fatear, dignationi tuæ primum idcircò reſpondere nolui, quia tuam liquidò Epiſtolam non credebam. Deinde illud cavebam, ne Epiſcopo communionis meæ viderer procaciter reſpondere, & aliqua in reprehendentis Epiſtola reprehendere, præſertim cùm quædam illa hæretica judicarem.* *Hier. Ep. 92.* Addit, ſe recordatum hiſtoriæ, quòd Annibalem juveniliter exultantem *Qu. Maximus patientiâ ſuâ fregerit.* Tandem cùm tres ſimul Epiſtolas per Cyprianum Diaconum accepiſſet Hieronymus, aſtrictus neceſſitate Auguſtini quæſtionibus reſpondet. Solutionis ſumma hæc eſt: *Hier. Ep. 89. c. 3.* *Didicimus quòd propter metum Judæorum & Petrus & Paulus æqualiter finxerint, ſe Legis præcepta ſervare. Quâ igitur fronte, quâ audaciâ Paulus in altero reprehendit, quod ipſe commiſit?* Hæc verò nil ad capellas, *Aug. Ep. 19.* ut ſapienter demonſtravit Auguſtinus: *Erat contra Evangelii veritatem, ut putarent qui credebant in Chriſtum, ſi ex illius veteribus Sacramentis ſalvos ſe eſſe non poſſe. Hoc enim contendebant Antiochiæ, qui ex circumciſione crediderant, contra quos Paulus perſeveranter acriterque confligit. Ipſum verò Paulum non ad hoc id egiſſe, quòd vel Timotheum circumcidit, vel Cenchreis votum perſolvit, vel Hieroſolymis à Jacobo admonitus, cum eis qui noverant, legitima illa celebranda ſuſcepit, ut putare videretur per ea Sacramenta etiam Chriſtianam ſalutem dari. Sed ne illa, quæ prioribus, ut congruebat temporibus, in umbris rerum futurarum Deus fieri juſſerat, tanquam Idolatriam Gentilium damnare crederetur.* Quod ad rem ipſam maximè pertinet, nùm peccaverit, aut quid peccaverit Petrus, ac Hieronymi ſententia fuerit ne probè nota Auguſtino, eſt loco ſuo tractatum.

ANNO DOM. 408.

ANNO U. C. 1161. PER. JUL. 5121. JUL. 453. DOM. 408. HONOR. 16. & 14. THEODOSII 7. & 1. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 10. *Indict.* 6. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 3. 4. *P.* 29. *Mart.*

COSS. *Fl. Philippus & Anicius Baſſus.*

Mors Arcadii. Liberi ejus.

I. QUi non ſatis æquum ſe Chryſoſtomo oſtenderat Arcadius, non diu Sancto Præſuli ſuperſtes fuit. Obiit primo *Kalend. Mai*, anno ætatis circiter uno & trigeſimo, imperii verò ab anno Dom. CCCLXXXIII. deducti quinto & vigeſimo, menſibus tribus, diebus tredecim. Quippe à patre Theodoſio evectus ad imperium fuerat Januarii XIX. Merobaude II. & Flavio Saturnino Coſſ. Splendorem Arcadiani regni extinxit omnem Principis inertia, qui à ſervis ſuis regebatur. Hinc malorum labes. Optimates ſubmovebantur; dignitates vendebantur; officia publica vilibus animis committebantur. Primas ſecundum Eutropium partes habebat Oſius olim coquus, qui Officiorum Magiſter creatus fuerat. Qua de re lepidè ſunt Claudiani verſus:

ANNO DOM. 408.

Claud. in Eutr. l. 2.

> *Sed prima poteſtas*
> *Eutropium præfert, Hoſio ſubnixa ſecunda.*
> *Dulcior hic ſale cunctis, prudenſque novandi*
> *Juris, & admoto, qui temperat omnia, fumo.*

Plures Arcadius ex Eudoxia liberos ſuſcepit, qui perturbato prorſus ordine à Baronio numerantur: *Bar. Ann. 408. n. 1.* *Reliquit poſt ſe filios, Theodoſium, Pulcheriam, Arcadiam, & Marinam.* De filiabus Nicephorum Sectarium habuit: *Niceph. l. 13. c. 4.* *Duas Eudoxia filias Arcadio genuit, Pulcheriam primum, deinde Arcadiam, ac tertiam Marinam.* Arcadii vero liberorum ordinem ſic ex Chronico Alex. reſtituimus. Anno Dom. CCCXCVII. *Cæſario & Attico Coſſ. nata eſt Flacilla Junior illuſtriſſima, menſe Maio, XV. Kal. Julias.* Anno Dom. CCCXCIX. Theodoro & Eutropio Coſſ. *nata eſt Pulcheria illuſtriſſima, menſe Audynæo, XIV. Kal. Febr.* Pulcheriam excepit Arcadia, edita anno CCCC. tertio Aprilis. Theodoſius Junior lucem aſpexit anno Dom. CCCCI. Fravitâ & Vincentio Coſſ. Aprilis *decimo*, ut narrant Socrates & Chr. Alex. qui Marcellino, quem Blondellus ſequitur, anteponi debent, Theodoſii nativitatem Aprilis XI. alliganti. Anno denique Dom. CCCCIII. Theodoſio Juniore & Rumorido Coſſ. *nata eſt illuſtriſſima Marina, menſe Peritio, IV. Idus Februarii.* Flacilla cœlebs vitam implevit anno Dom. CCCCXXXI. Pulcheria nupſit Marciano. Arcadia ædificavit thermas Arcadianas, nec non Ædem ſacram B. Andreæ, dictam Arcadiæ. Marina extruxit domum Marinæ. *Chr. Alex.* Liberis potius ſuis quàm virtutibus memoriam Arcadius ſuam poſteris conſecravit. Moritur nullâ re geſtâ nobilis, inerti magis ingenio quàm miti; uxorius prorſus homo, qui dum Eudoxiæ impenſius obſequitur, rem & publicam, & Chriſtianam penitùs peſſumdedit.

Arcadiuſne filio tutorem inſtituerit Iſdigerdem?

II. Triſtiſſima tum temporis facies erat imperii. Theodoſius Junior moriente patre vix ſeptimum annum egreſſus erat, Barbarique undique imperio minabantur. Quid ageret Arcadius? Fama eſt, Theodoſio Perſarum Regem Iſdigerdem tutorem aſcripſiſſe, eventu feliciſſimo. Quam rem primus ſcripto Procopius prodidit: *Arcadius jamjam moriturus, ac de ſucceſſore ſollicitus, Theodoſio filio parvo admodum in cunis exiſtenti cogitabat quemnam curatorem, ſociumque adminiſtrationis, ſimul & inſtitutionis optimè adhiberet. . . . . Honorius enim patruus ſatis idoneus non videbatur, quòd res Italiæ turbatæ jam erant, & bellum in Oriente Perſarum nihilominus formidabat. In hac animi anguſtia conſtitutus Arcadius, quanquam aliàs naturâ minimè ingenioſus erat, ſalutare conſilium inivit, quo filium pariter, & imperium ſervavit, ſive de Procerum ſuorum ſententia, ſeu divino impulſus ſpiritu teſtamentum condidit, in quo hæredem filium inſtituit; tutorem verò illius Iſdigerdem Perſarum Regem, cui cùm plurima mandavit, tum ut Theodoſio imperium ſuâ & prudentiâ pariter, & potentiâ incolume ſervaret.* Officium ſibi mandatum Iſdigerdes non reſpuit, ſcriptiſque ſtatim ad Senatum literis munus continuò ſe præſtiturum, hoſteſque ſi foret opus omninò prohibiturum pollicetur.

Hæc

ANNO DOM. 408.

Hæc Procopius de bello Perſico, libro primo, c. 1. Paria penè, geminaque in Miſcellaneis legimus, quæ & Iſdigerdis ad Senatum literas refert: *Arcadio moriente, neque curatorem ſibi constituente, qui ſuppleat locum direxi. Ne quis ergo insidias pueris conetur, ne prælium intolerabile contra Romanos inſurgat.* Quem verò in ſui vicem Rex ſubſtituit, is *Antiochus* vocatur, qui pro Chriſtianis multa ſcripſit. Narrationi huic aſſenſum Baronius cum multis præbuit, quam ad fabulas relegandam eſſe exiſtimamus. Prudentiâ quidem nobis condita videntur ea de narratione Agathiæ verba: *Is ſanè vulgatior ſermo per priſcos poſteris proditus, vel ad hanc tempeſtatem, ut apud doctos, ita & imperitos ſedulò circumfertur. Haud tamen uſpiam literis commendatum comperimus, vel celebratum, nec apud eos fortè, qui de Arcadii morte pleraque hiſtoria tradiderunt, niſi in Procopii Rhetoris ſcriptis.* Primus ergo Procopius fabulam literis commendavit, nec ſine errore ſummo, utpote qui vagientem adhùc in cunis Theodoſium exhibeat, cui octavus jam annus labebatur, cùm Arcadius abiit ad plures. Cæterùm de mandata Perſarum Regi tutela ne verbum quidem ullum apud Socratem, qui multa de Iſdigerde habet, aut Sozomenum, qui non Perſarum potentem, ſed *Pulcheriam Theodoſii Junioris ac totius imperii curatricem* memorat. Prodigio ſanè fuiſſet altum & Socratis, & Sozomeni, qui Theodoſio imperante florebant, hoc de Perſica tutela ſilentium. Neque inſignis de Marutha Epiſcopo hiſtoria cum Procopii narratione ullâ ratione conſentit. Cùm ſecundam apud Perſas legationem *Maruthas* obiiſſet, vitis ipſius & pietate, & miraculis Iſdigerdes, *Romanos quidem deinceps dilexit, eorumque amicitiam amplexus eſt.* Nondum igitur Iſdigerdis in tutelam traditus Theodoſius, quæ adminiſtrari non potuit, quin Rex Perſarum fœdere, amicitiâque cum Romanis arctiſſimè conjungeretur. Legatio verò Perſidis Maruthæ non prius fuit injuncta, quàm Cyrillo Alexandrino Theophilus Epiſcopus anno Dom. 412. decederet. Fabulam quoque disertè refellit Zozimus: *Stilicho cupiebat in Orientem proficiſci, reſque Theodoſii conſtituere, qui Arcadii filius erat, adhùc juvenis ac tutela indigens, & ipſe Princeps Honorius idem illud iter ſuſcipere cogitabat, & quæ ſtabiliendo pupilli hujus imperio facerent, ordinare.* Neque tutelæ indigus Theodoſius, neque Stilichoni aut Honorio iter in Orientem maturare opus erat, ſi junioris tutelam Principis Iſdigerdes adminiſtraſſet. Denique quis credat eo ſtoliditatis Arcadium proceſſiſſe, ut Regem, & hoſtem imperii, & Ethnicum filio ſuo tutorem inſtituerit, cùm non neſciret, Perſicam fidem non ſatis tutam eſſe? Quid eſt ovem lupo committere, ſi hoc non eſt? Scimus quidem tantæ Arcadium ſocordiæ fuiſſe, ut *βοσκήμα*, *pecus* quædam ſcribatur Zozimo. At ea vel ipſa de cauſa totus à nutu, arbitrioque Aulicorum pendebat, qui ab eligendo tutore Perſa ſuis ipſum conſiliis prohibuiſſent. Faceſcat ergo cantata pluribus fabula cum Antiocho præceptore ab Iſdigerde miſſo, de quo ne *μῦ* quidem in Scriptoribus Theodoſio coætaneis. Tutorem potius Theodoſii *Anthemium* fuiſſe exiſtimamus, quod & Socrates innuit: *Anthemius Præfectus Prætorio ſummam rerum ſub Theodoſio adminiſtrabat. Omnium porro ſui temporis prudentiſſimus & habitus eſt, & verò fuit. Nil unquam inconſultò genere ſolitus, ſed de rebus agendis cum plurimis familiarium conſultabat, præſertim verò cum Troilo Sophiſta, qui præterquam quòd illi amicitiâ conjunctus erat, conſilium quoque rerum peritiâ Anthemio par exiſtimabatur.* Quod & novum in Iſdigerdis tutelam telum miniſtrat. Quâ ſanè non opus erat, cùm Anthemius pietate, & ſapientiâ, quàm conſulari, & Præfecti Prætorio dignitate longè illuſtrior, par eſſet huic gerendæ Provinciæ.

Miſcell. lib. 13.

Agath. l. 4. c. 12.

Soz. l. 9. c. 1.

Socr. l. 7. c. 8.

Zoz. l. 5. c. 31.

Socr. l. 7. c. 1.

III. Succeſſit Arcadio Theodoſius Junior. Natus erat anno CCCCI. decimo Aprilis, Vincentio & Fravittâ Coſſ. Impleverat annos VII. dies XXIII. Kalendis Maii, quibus naturæ ſatisfecit Arcadius. Periit anno Dom. CCCCL. Julii circiter XXVIII. Valentiniano Auguſto VII. & Avieno Coſſ. Excerpta Theodori Lectoris: *Theodoſius Junior ad venationem egreſſus, cùm in Leucum fluvium abreptus fuiſſet, ſequente nocte mortuus eſt, & in monumento Arcadii patris ſepultus.* Vixit igitur annos XLIX. menſes tres, dies circiter XIX. Initio verò à creatione ſua ducto, quæ tertio Id. Jan. anno CCCCII. contigit, imperavit annos XLVIII. menſes ſex, dies XVIII. A morte verò patris regnavit annos XLII. menſes duos, dies circiter XXVIII. Theodoſio egregii fuere mores. Nil ſtuporis aut vecordiæ ex regia educatione contraxit. Fortitudo ac tolerantia tanta in eo fuit, ut algorem pariter & æſtum generoſo animo ſuſtineret; jejunaret etiam quàm frequentiſſimè, ac præſertim quartâ & ſextâ feriâ. Palatium ſic ſuum inſtituit, ut à Monaſterio non multum diſcreparet. Matutino tempore ipſe unà cum ſororibus ſuis hymnos in Dei laudem alternis recitare conſueverat. Sacræ Scripturæ libros memoriter callebat, & cum Epiſcopis de iiſdem diſſerebat. In colligendis divinorum eloquiorum interpretibus longè majorem adhibuit diligentiam, quàm Ptolomæus olim Philadelphus. Clementiâ verò atque humanitate omnes longo intervallo mortales ſuperavit. Quippe nunquam injurias ultus eſt ſuas. Interrogantique cur ea de cauſa mulctaſſet neminem, *Utinam*, inquit, *etiam mortuos ad vitam revocare mihi liceret.* Populo ſpectacula conſueta flagitante, anno quodam qui tempeſtatibus variis triſtis erat, referto jam Circo, ac dum nivales imbres cadebant, per præcones populum ſic alloquitur: *Multò ſatius eſt, ut omiſſo ſpectaculo omnes pariter Deo ſupplicemus, quo ab imminenti tempeſtate ſervemur illæſi.* Vix abſolverat præco, cùm ecce omnes ſummâ alacritate Deo ſupplicantes, hymnos in Circo cantare cœperunt. Hæc egregia, quæ tamen, ſi verum volumus, nonnullâ & credulitate, & ſuperſtitione temperavit: *Cùm Chebronenſis Epiſcopus extremum diem obiiſſet Conſtantinopoli, ſagum ejus petiiſſe dicitur, eoque licet admodum ſordido pro pallio uſus fuiſſe, cùm conſideret, ſe hoc modo nonnihil ex ejus viri ſanctimonia percepturum.* Mirum adipiſcendæ ſanctitatis adjumentum!

Anni, moreſque Theodoſii Junioris.

Socr. l. 7. c. 22.

IV. Ne continuò à rebus imperii recedamus, ad illas Occidentis veniendum. Qui tyrannidem occupaverat *Conſtantinus*, Arelato tutius ſedebat, Honorio jure formidabilis. Nec ipſius ambitioni Galliæ ſufficiebant: ad Hiſpanias igitur animum adjicit. Filios procrearat duos, *Conſtantem*, qui Monachum agebat, & *Julianum*, quem *nobiliſſimum* vocat. Priorem natu majorem Cæſarem creatum in Hiſpanias miſit, quas in poteſtatem redi-

Conſtantinus Conſtantem Cæſarem creat, qui Hiſpaniarum potitur.

Anno Dom. 408.

redigeret ſuam, debellatis Honorii conſanguineis. Acceptâ Cæſaris dignitate Conſtans in Hiſpaniam migrat, pro Duce *Terentium*, pro Præfecto Prætorio *Apollinarem* habens. Palatinis ordinibus & civiles, & militares Judices imponit. Obſtabant Conſtantino duo fratres juvenes, nobiles & locupletes, *Didymus*, & *Verenianus*, qui legitimo Principi *adverſus tyrannum & Barbaros tueri ſeſe, patriamque moliti ſunt.* Illi primò per Luſitanicos exercitus bellum adverſus Conſtantem gerunt, à quo victi, plurimo tempore ſervulos tantum ſuos ea propriis prædiis colligentes, hoſtem aggrediuntur. Parumque abfuit, quin eum in graviſſimum diſcrimen adducerent. Hic quoque ſpe ſuâ cadentes, Conſtantis in poteſtatem veniunt, à quo cum uxoribus ſuis in cuſtodiam ducti. Re ipſorum fratribus Theodoſio Lagodioque nunciatâ, in Italiam profugit alter, alter in Orientem ſalvus evaſit. His in Hiſpania feliciter geſtis Conſtans revertitur, adductis ſecum ad Conſtantinum Vereniano, atque Didymo, qui mox interficiuntur. Porro Gerontius in Hiſpania relictus eſt, qui cum Gallicis militibus Pyrenæorum fauces cuſtodiret. Petebant Hiſpani cuſtodiam de more ſibi mandari, nec regionis tutelam exteris committi, quod cùm non impetraſſent, hinc apud Hiſpanias prima mali labes. Barbari quippe, quibus quondam in fœdus militiamque receptis, *Honoriaci* nomen erat, quaſi in victoriæ præmium diripiendi licentiam accipiunt. Sic onuſti prædâ, quo magis ſcelus impunitum foret, atque ſibi ſceleris plus liceret, proditâ Pyrenæi cuſtodiâ, clauſtriſque patefactis, cunctas gentes, quæ per Gallias vagabantur, Hiſpaniarum Provinciis immiſere, ut anno ſequenti dicetur, quo pernicies hæc his regionibus incubuit.

Oroſ. l. 7. cap. 40. Zozim. l. 6. c. 4.

Alaricus in Italiam migrat. Pax ab eo emitur conſilio Stilichonis.

V. Dum Conſtans Hiſpanias evellit imperio, Alaricus relictis Epiris, & ſuperatis anguſtiis, quæ tranſitum ad Venetos impediunt, apud *Æmonem* caſtra locat, extremam Italiæ urbem, vel ut aliis placet, ſuperioris Pannoniæ in finibus ſitam. Hinc ad Stilichonem Legatos mittit de poſcenda pecunia, quòd ſuadente ipſo & in Epiris hæſerat, & verſus Italiam profectus eſſet. Relictis Ravennæ Legatis, Stilicho Romam migrat, cum Imperatore ac Senatu conſilia collaturus. Propoſito, bellum gerendum eſſet, nec ne, complurium quidem ſententia eò tendebat, ut bello res decerneretur. Stilicho verò cum paucis faciendæ cum Alarico pacis autor erat. Quærentibus cur pacem colere mallet, eamque cum dedecore Romanæ majeſtatis conjunctam, reſpondet, Quoniam Alaricus diu in Epiris hæſerat, ut Illyricum Honorii adjiceret imperio. Quod factum fuiſſet, ni ipſius profectionem literæ Principis impediviſſent. Quas & palam exhibuit, culpâ moræ in Serenam collatâ, quæ Imperatorum concordiam ſartam tectamque ſervari voluiſſet. Placuit igitur, librarum auri millia quatuor pacis nomine ſolvi, quod unius Stilichonis metu decretum. Itaque Lampadius genere dignitateque præſtans, exclamat, *Non eſt iſta pax, ſed pactio ſervitutis.* Ac ne quid ſibi mali ob iſtam libertatem accideret veritus, ad proximam Chriſtianorum Eccleſiam fugit. Hic Stilichonis ſe perfidia prodidit, quam non immeritò Autores Chriſtiani incuſant, repugnante Zozimo. Hieronymus ad Ageruchiam: *Quis hoc credet? Quæ digno ſermone hiſtoria comprehendent? Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro*

Zozim. l. 5. c. 29.

Hieron. Ep. 11.

Anno Dom. 408.

ſalute pugnare? Imò ne pugnare quidem, ſed auro, & cunctâ ſupellectile vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed ſcelere Semibarbari accidit proditoris, qui noſtris contra nos opibus armavit inimicos. Probabiliſſimum eſt, Honorii liberis carentis in locum Eucherium à Stilichone clam ſubſtitui, quod & narravit Oroſius: *Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima, & quibuſcumque ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publicè autem & belli, & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendamque Rempublicam reſervavit.* Conſtitutâ cum Alarico pace turpiſſimâ, conſilio Serenæ Honorius Româ relictâ Ravennam proficiſci voluit, utpote tutiorem, ut ſi pace violatâ urbem Alaricus invaderet, Principem ſaltem ſuam in poteſtatem non redigeret. Quod iter cùm Stilichoni improbaretur, multa ad illud impediendum excogitat. Non cedente Honorio, *Sarus* de Stilichonis ſententia ante Ravennam tumultus excitat. At ne hic quidem à conſilio Princeps dimovetur. Intereà de Arcadii obitu nuncius affertur. Ac Stilicho volebat in Orientem proficiſci, conſtituendarum rerum Theodoſii ſpecie; Honorius verò ſtatuebat illud & iter ſuſcipere, cui interceſſit Stilicho, & expenſarum molem cauſatus, & Conſtantini rebellionem. Satius eſſe, ſe Conſtantinopolim migrare, Alaricum verò adjunctis Romanis legionibus perduelli occurrere. Quod conſilium cùm Honorio placuiſſet, miſſis & ad Theodoſium, & ad Alaricum literis, Bononiâ diſceſſit. Nil eorum tamen, quæ deliberata erant, ſunt à Stilichone perfecta. Quo proditionis ſuæ non obſcura dabat indicia.

Oroſ. l. 7. cap. 38.

Zozim. l. 5. c. 31.

Olympius Stilichonem occidi curat. Dies mortis ipſius.

VI. Tandem tot fraudes, ſceleraque nocentis ſupplicio ſummo rerum vindici conſtringi placuit. *Olympius* Ponto Euxino ortus, ſplendidam in Palatio militiam gerebat. Stilichonis operâ Honorio familiaris factus. Chriſti cultor erat, neque inficiari Zozimus potuit, quin frugi hominem ſe oſtenderet, magnâ virtutis ſpecie actiones omnes ſuas exornantem. Pietatem quidem ipſi Auguſtinus gratulatur. Milites adverſâ valetudine laborantes inviſebat, probique viri partes implebat. Ut intellexit conſilia Stilichonis, ea in vulgus ſpargere cœpit. Oſtendit Honorio, quid rerum Stilicho moliretur. Quibus Princeps permotus, Ravennatibus literas militibus mitti, quæ Stilichonem comprehenſum libera in cuſtodia detineri juberent. Sarus necatis per quietem Hunnis, qui Stilichoni ſatellites erant, potituſque impedimentis ad tentorium ejus pergit. Ut novit Stilicho deſtinari cuſtodiæ, vicinam Eccleſiam intempeſtâ nocte ingreditur. Poſteaquam illuxit, milites Eccleſiam petentes, Epiſcopo præſente jurant, ſe in mandatis habere, non vitam azyla quærenti eripere, ſed fugiendi libertatem. Dum extra Eccleſiam ſub cuſtodia detinetur, afferuntur literæ, quibus Stilichoni ob commiſſa in Rempublicam flagitia pœna capitis irrogabatur. Conſtitutum erat Barbaris, quotquot ipſi aderant, damnatum evellere ſupplicio. Ab eo tamen conatu eos revocavit, præbenſque gladio cervicem, *Auguſti die vigeſimâ tertiâ* vitam cum ſanguine fudit. Sic tantorum ſcena ſcelerum patefacta. Sic periit Stilicho, qui relicto Principi Imperatoria nomine, reverà imperium adminiſtrabat, Ducíſque Militum munus tribus & viginti annis geſſerat. Ac ut *unum puerum purpuram indueret,*

Zozim. l. 5. c. 34.

Oroſ. l. 7. cap. 38.

ANNO DOM. 408.

totius generis humani ſanguinem dedit. Eucherius ad officium Tribuni Notariorum evectus, dum pater detinetur, fugâ verſus urbem elabitur. Quem Arſacius & Terentius Eunuchi aſſecutum, Romam interficiendum Imperatoris mandato deduxere.

Zozim. l. 5. c. 35.

Honorius uxorem Thermantiam throno dejectam, matri ſuæ reddi juſſit, nullâ tamen ſuſpicione onuſtam. Periit Eucherius, *qui ad conciliandum ſibi favorem Paganorum, reſtitutione Templorum & everſione Eccleſiarum imbutarum ſe regni primordia minabatur.*

Oroſ. l. 7. cap. 38.

Marito ſiliquque diu ſuperſtes Serena non fuit. Poſtquam urbi obſidionem Alaricus admovit, Senatus Placidiaque Honorii ſoror uterina cenſuerunt, Serenam eſſe occandam, veluti malorum cauſam: quâ remotâ Alaricum diſceſſurum eſſe putabant, cùm nemo ſupereſſet, qui obſidenti urbem proderet. Erat quidem ſuſpicio falſa: nihilominus gula Serenæ frangitur, teſte Olympiodoro.

Zozim. l. 5. c. 38.

Laqueo cervices illas præbuiſſe elidendas, quibus Cybeles injecerat ornamenta, Zozimus tradit. Eucherii Serenæque mortem in annum CCCCIX. Baronio conferre placuit. Quantum verò Zozimi mentem intelligimus, neutrius obitus eſt ab hoc anno removendus. Quippe ambo prius periere, quàm Alaricus urbem obſidione levaſſet, quod anni ſub exitum contigit. Tuſciæ jam inſidebat, relictâ Româ, cùm meritis ſuos pœnis affecit, qui Romanos commeatus aliquid ſubvehentes adorti fuerant:

Zozim. l. 5. c. 40.

Mediocre, inquit Zozimus, *jam laxamentum hoc malorum eſſe videbatur, quo tempore Honorius Ravennæ Conſulatum inibat, octies hunc honorem conſecutus.*

Zozim. l. 5. c. 37.

Incredibile ſanè, tamdiu Eucherii mortem eſſe dilatam, quam miſſis Eunuchis Honorius ex illo die quærebat, qui Stilichoni ſupplicium attulit, decimo ſcilicet Kalend. Septembris. Porro Eunuchi exhibiti officii ab Honorio præmium tulere: Terentium Auguſtalis Cubiculi Præpoſitum fecit, & Arſacio proximum ab eo locum dedit.

In Stilichonis conſcios inquiritur.

VII. Extincto Stilichone, inveſtigandis proditionis conſciis maxima diligentia adhibetur. Ac primùm in familiares ipſius inquiritur. *Deuterius* Auguſtalis Cubiculi Præfectus; *Petruſque* Notariorum Tribunus quæſtioni publicæ ſubjiciuntur, qui fruſtrà tamen fuſtibus ad mortem uſque cædi jubentur, profeſſi ſe conſiliorum Stilichonis ignaros eſſe.

Zozim. l. 5. c. 44.

Marcellinus & Salonius fratres inter Notarios Principis militantes, Præfecto Prætorii traduntur.

Zozim. l. 5. c. 35.

Romæ *Heliocrates* Fiſco Præfectus literas Principis affert, quibus illorum bona publicabantur, qui favore Stilichonis muneris aliquid impetraſſent. Leges quoque plurimas in perduelles Honorius ſanxit. Deportatione plectebantur, qui ex proſcriptorum numero vel Comitatum, vel mœnia urbis æternæ intraſſent, quod Reſcriptum x. Kal. Oct. eſt promolgatum. Proſcriptorum quoque, ſatellitumque fortunæ ærario acceſſere. Illud gravius, quod nullâ excuſatione tegi poteſt, ut militibus, qui in civitatibus verſabantur, rumor de fato Stilichonis auditus, illi continuò in Barbarorum uxores, liberoſque graſſantur, facultateſque diripiunt.

Zozim. l. 5. c. 37.

Quod cùm noviſſent ſpoliatorum propinqui, commoti graviter ob violatum à Romanis fidem, Deo teſte datam cum Alarico belli ſocietatem ineunt.

Oblatam ab Alarico pacem reſpuit Honorius.

VIII. His quaſi gradibus fortuna urbis Romanæ cadere cœpit. Attamen bello pacem Alaricus anteponebat, memor induciarum, quas cum Stilichone pepigerat. Miſſis ad Honorium Legatis, parvâ pecuniâ pacem offert; obſides petit *Æتium* Jovii, & *Jaſonem* Gaudentii filium; viciſſim ex ſuis Nobilibus obſides ſe daturum pollicetur. Quibus conditionibus pacem exploratam firmamque proponit. Malis tamen avibus hos pacis leges reſpuit Honorius, neque intereà ſaluti imperii ſatis providet.

Roma tribus ab Alarico vicibus obſeſſa.

Zozim. l. 5. c. 36.

Subclamanti bellum opus erat legionibus, quæ ex Provinciis cogerentur; conſtituenda & in locis præſidia, quæ hoſtem tranſeuntem ſiſterent. Præficiendus exercitui *Sarus*, cujus & fortitudo, & peritia Gothis terrori erat; Olympius verò exercitui Duces imponit, qui ſui contemptum hoſtium in animis excitare poſſent, *Turpilionem* equitatui, *Varanem* pedeſtribus copiis. Sed in fatis hoc erat:

Urbs antiqua ruet, multos dominata per annos.

Virg. Æn. lib. 2.

Triſtique experimento Honorius diſcere debuit, *urbis æternæ* titulum nulli eſſe civitati concedendum. Tres Romæ obſidiones totidem annis ab Alarico factæ ſunt accuratius diſtinguendæ, quas Baronius confuſione quâdam involvit, dum primam cum anno ſequente copulat; ſecundam verò, quâ Attalus Imperator creatus eſt, cum anno CCCCX. conjungit, ingenti & rerum & temporum perturbatione, quâ immiſſæ famoſæ urbi clades nos liberabimus.

Error Baronii.

Urbem obſidet Alaricus. Gravis Romanorum calamitas.

IX. Alaricus ſpreto Honorii apparatu Romanam expeditionem ſuſcipere conſtituit. Ac ſive famâ, ſive fictione poëticâ Claudianus narrat, monitorem eſſe, qui ad obſidionem urbi admovendam Gothorum Principem ſollicitabat:

Claud. de bello Get. v. 542.

Hortantes his adde Deos: non ſomnia nobis,
Nec volucres; ſed clara palam vox edita luco eſt:
Rumpe omnes, Alarice, moras: hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad urbem.

Tempus tamen quod attinet, defuit fides oraculo, quod ſuſum ante *Pollentiæ* pugnam. Neque à ſolo Claudiano proditum, numinis afflatu de urbe obſidenda Alaricum cogitaſſe. Id & in Sozomeno legitur:

Zozim. l. 9. c. 6.

Ajunt probum quendam Monachum, ex his qui in Italia erant, Alarico Romam properanti ſuaſiſſe, urbi parceret, nec tantorum malorum autor exiſteret. Cui Alaricus reſpondiſſe fertur, Se non ſuâ ſponte hæc aggredi, ſed quendam ſibi aſſiduè moleſtum eſſe, qui ipſum urgeat, Romamque expugnare jubeat. Per Alaricum ſanè non ſtetit, quin Roma ſtaret, Honoriique arx alta maneret. Sed genii, ad urbis excidium Gothicum Regem impellentis, narratio ſit in incerto. Hoc quidem excidii multis debebatur. Divinitatis particulam ſibi aſſumebant vel ipſi Imperatores, qui Chriſto collo ſubjiciebant. Extat etiamnum Lex anno proximè futuro lata, quâ Principes Romani de ſe, veluti Diis, loquebantur:

Cod. Th. l. 1. t. 2.

Nulli habetur ambiguum, etiam ab hæredibus, & pro hæredibus poſſe Reſcripta noſtri numinis allegari. Reſcriptis Imperatorum *cæleſtis oraculi* nomen imponebatur, quem ex more ſermonem Carthaginenſi in collatione Marcellinus adhibuit, n. CXLVI. & Lege CI. de Hæreticis: *Oraculo penitùs remoto*, id eſt, Edicto. Honorius ductis ſororibus germanis, inceſtu ſe polluerat: regnabat licentia theatri atque ludorum, quo veluti obſequio numinis ſibi favorem conciliari arbitrabantur.

Salv. l. 6. pag. 364.

Teſtis Salvianus: *Chriſto, ô amentia monſtruoſa, Chriſto Circenſes offerimus & mimos, tunc & hoc maximè cùm ab eo aliquid boni capimus, cùm proſperitatis ab eo aliquid attribuitur, aut victoria de hoſtibus à divinitate præſtatur.*

tur. De Romanorum verò moribus hæc ſubjungit libro ſequente: *Putamus poſſe nos ſalvus eſſe, quando amne impunitatis ſcalut, umuis impudicitia turpitudo à Romanis admittitur, & à Barbaris vindicatur.* Gothi Romanos armis, Romani Gothos vitiis ſuperabant. Hæc remitenrem Alaricum provocabant; hæc manum ipſius armabant ferro, criminum ukore. Cùm opus longè maximum aggrederetur, placuit Ataulſum uxoris ſuæ fratrem ex ſuperiore Pannonia accerſere, Hunnorum, Gothorumque haud ſpernendas copias ducentem. At non expectato ipſius adventu ulterius progreſſus, Aquileam, Altinum, Cremonam prætergreſſus, nullo prorſus occurrente, relictâ Ravennâ, & Arimino Romam properat. Neque mors *Serenæ*, quam Gothis favere Senatus exiſtimabat, Alaricum ab obſidione ſubmovit. Occupato Tiberi, commeatum miniſtrari prohibet. Durabant obſeſſi, ſubſidium Ravennâ quotidie expectantes. Spe ſuâ deſtituti, annonam minuunt, partem ejus coquentes, quod ſingulis diebus erogabatur. Creſcente penuriâ tertiam duntaxat ſuppeditant. Deficiente alimento peſtis tamen excipiebat. Urbs cadaveribus opplebatur, quæ extra urbem efferre non licebat. Quem teterrimum odorem exhalabant, ſolus ſufficiebat urbi vaſtandæ abſque penuriæ auxilio. Eo caſu nomen æternæ famæ ſuum commendavere *Læta*, Gratiani Principis quondam conjux, ejuſque mater *Piſſamena*, quæ pluribus cibum ſuppeditabant. Ubi verò eò redacti ſunt Romani, ut fame pereundum eſſet, Legatos ad Alaricum mittunt, qui nunciarent, obſeſſos ad pacem æquis conditionibus faciendam paratos eſſe. Deliguntur *Baſilius*, Hiſpanus genere, qui Præſidis Provinciæ dignitatem erat adeptus, nec non *Joannes* Præpoſitus, aliquando Principis Notarius, & Alarico probè notus. Ignorabatur adhùc, num præſens Gothorum Princeps adeſſet, cui mandata Senatus exponunt. Audito plebem Romanam ad arma paratam eſſe, tum ille, *Spiſſius*, inquit, *fœnum rariore facilius ſecatur*, quo cachinno Legatos irriſit. Ventum ad pacis colloquia, quibus iis utitur ſermonibus, qui inſolentiam Barbarorum omnem ſuperabant. Non aliter ſe obſidionis finem facturum affirmabat, niſi aurum urbis omne, argentum, ſupellectilem, mancipiaque barbara acciperet. Dicenti ad hæc Legatorum altero, quid *Romanis tandem relinqueret*, reſpondit, *animas*. Impetratis induciis, geſta legationis nunciant. Tum Ethnici cœleſte auxilium amiſſum eſſe putantes, quòd patrii ritus violati fuerant, ad eos recurrendum eſſe ſtatuunt. Ac fortè Pompeianus urbis Præfectus, cùm in quoſdam incidiſſet, qui ex Tuſcia venerant, referentes *Narniam* oppidum præſentibus ſe liberaſſe periculis, ac per nuncupata numini vota, cultumque patrium, tonitruis fulgetriſque immanibus elicitis Barbaros imminentes abegiſſe, cum his collocutus, quæcunque de Pontificum libris fieri expediret, facere decrevit. Quia verò Chriſtianam religionem imbiberat animo, quo tutius id perageret, quod volutabat, omnia cum Innocentio urbis Epiſcopo communicat, *qui opinioni ſuæ ſalutem urbis anteponens, clam permiſit eis facere quæcunque ſcirent.*

Zoz. l. 5. c. 40. 41.

De prima Rom. obſidionis anno Num affuerit in urbe Innocentius?

X. Id ab Innocentio permiſſum negat Baronius, adhibito Sozomeni ſilentio, qui *licet Navatianus eſſet, & adverſus Innocentium nonnihil commotus*, de Innocentio nil habet ejuſmodi. Imò tantum, inquit, *abfuit, ut ejuſmodi ſcelus admiſerit, ut ne periret cum noxiis, ſubſtractus fugerit.* At non iis Innocentium rationibus Baronius purgat, quæ falſi dicant prorſus ſcribant Zozimo. Contigit ſæpè viris probis, in gravi metu conſtitutis, ea patrare, quæ ſuæ religioni pugnant, ut hîc verba Junonis uſurpare liceat,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Bar. Ann. 409. n. 7.

Neque ſatis veriſimile fit, Præfectum urbis, Chriſtianum agentem inconſulto Epiſcopo id remedii tentari voluiſſe, quod adhibitum quidem fuiſſe conſtat: *Cùm illi non aliter hac urbs conſultura dicerent, niſi publicè conſueta ſacrificia fierent, Senatu in Capitolium aſcendente, atque tum ibi, tum quolibet in urbis foro ritè debita ſacra peragenta, nemo intereſſe ceremoniis ritu patrio celebrandis auſus fuit, ſed hominibus illis a Tuſcia valere juſſis, ad permulcandum animi ſtudiu Barbarum ſe convertunt.* Omnibus ergo auxiliis deficientibus, Senatus nonnihil indulgere potuit, ut rituum celebrationem non probaret quidem, ſed tamen non impediret, modò clam peragerentur. Nolumus tamen ea de re cum Baronio contendere, res ſit in incerto. Cæterum quòd tum temporis urbe abfuiſſe Innocentium Baronius prædicat, nobis certè haud placet, quibus perſuaſum, hæc anno non CCCCIX, uti illuſtriſſimus Purpuratus cenſet, ſed CCCCVIII. geſta fuiſſe, quod duobus argumentis demonſtrabimus. Quorum prius illud eſt ex Zozimo petitum: *Niſi ante adventum in hæc loca Barbarorum Arſacius & Terentius Eunuchi curſu evaſiſſent, & filium Stilichonis Eucherium Romam adduxiſſent, mandato Principis interficiendum, omninò in manus Alarici perveniſſet adoleſcens.* Non eſt autem probabile, Eunuchos anno duntaxat CCCCIX. in Eucherium incidiſſe, quem ſollicitè quærebant, ab illo die, quo Stilicho in cuſtodiam traditus erat. Fugientem *verſus urbem* aſſecuti ſunt. Aliud argumenti nectimus ex Zozimo. Numeratâ pecuniâ ſolvens obſidionem Alaricus, in locis circa Tuſciam caſtrametatur. Tum Barbari *Romanas ad portum devectas* adoriantur, quod ubi comperit Alaricus, *ſingulari ſtudio vindicatum prohibuit. Mediocre jam laxamentum hoc malorum eſſe videbatur, quo tempore Honorius Imperator Ravennæ Conſulatum inibat, octies hunc honorem conſecutus.* Relictâ ergo obſidione, Tuſciæ prius inſedebat Alaricus, quàm Honorius annum octies aperiret, cùm in ea regione eo momento verſaretur, quo de Gothis in Romanos graſſantibus ſupplicium ſumpſit, incuntibus Conſulatum Honorio VIII. & Theodoſio III. Ex quibus liquet, & in urbe adhùc præſentem Innocentium egiſſe, & anno CCCCVIII. Romam ab Alarico obſidione cinctam fuiſſe, quorum neutrum admittit Baronii Chronologia.

Zozim. l. 5. c. 42.

Zozim. l. 5. n. 37.

Zozim. l. 5. c. 42.

Alaricus Romam obſidione liberat.

XI. Cùm omnia Romanos deficerent, placuit tandem, auri pondo quinque millia ab urbe ſolvi, argenti triginta millia, tunicarum ſericarum quatuor millia, vellerum coccineorum tria millia, piperis tria librarum millia. Quod autem nullas in fiſco pecunias urbs haberet, opus erat, Senatores quotquot habebant patrimonia, eum ex deſcriptione collationem ſuſciperet. *Palladio* id datum negotii, ut quod ſolvendum erat, & ſingulorum patrimoniorum facultate metiretur. Qui cùm in ſolidum nequiret omnia cogere, ex ornamentis numinum, ſtatuiſque, quarum nonnullas aureas & argenteas conflarunt, tribu-

tributum ſuppeditatur. Harum in numero fuit Fortitudinis ſimulacrum, quo fuſo, quidquid virtutis apud Romanos ſupererat, extinctum eſſe, Zozimus nugatur. Collectis pecuniis ad Honorium legatio mittitur, quæ ſignificaret Alaricum non pecunias duntaxat, ſed Nobilium quoque filios pro obſidibus habere velle. His conditionibus ſocia cum Romanis arma ſe juncturum, prodituruṁque in aciem adverſus quemvis, qui hoſtili eſſet in eos animo. Quæ leges cùm Principi probarentur, pecunia Barbaris numeratur. Tum Alaricus triduo forum civibus permiſit, quibus & exitus per portas quatuor conceſſus. E portu quoque ſubvehendæ annonæ copiam fecit. Ut ſibi neceſſaria compararunt Gothi, Româ diſcedentes, circa Tuſciam caſtrametantur. Mancipia verò ex urbe aufugientia Barbaris ſemet aggregantia, ipſorum copias quadraginta hominum millibus auxere. Æquitatis ſuæ ſpecimen oſtendit & Alaricus, milites ſuos ultus, qui Romanos commeatum urbi inferentes adorti fuerant.

Zozim. l. 5. c. 41.

Melania ex urbe in Siciliam migrat.

XII. Dum Alaricus in Tuſcia caſtrametatur, ſpoliis Romanorum onuſtus, ad res Eccleſiæ pergamus. Ac in Italia verſantibus offert ſe Melania, nobilis ea matrona, quæ relicto Oriente Romam anno CCCXCVII. repetierat. Dum illic moratur, multis charitate, pluribus exemplo profuit. Nonnullos & ſuperſtitione liberavit, quorum unus *Apronianus* Ethnicus, quem Chriſti religione informavit, cui etiam perſuaſit continentiam amplecti; quam & diſciplinam ſectantur uxor ipſius, & ſoror ſ filia, *Avita* nomine. Ubi cladem urbi imminere ſenſit, Alarico cum Gothis Italiæ incubante, diſceſſum maturat, ſuis comitata. Palladium audiamus: *Cùm autem ſuam quoque neptem confirmaſſet Melaniam, unà cum ejus marito Piniano, & catecheſi inſtruxiſſet Albinam nurum ſuam, uxorem filii ſui, & perſuaſiſſet his omnibus, vendere quæ habebant, Româ eos eduxit. Chriſti autem ancilla eis dicebat, Filii, plusquam quadringentis ab hinc annis ſcriptum eſt, Ultima hora eſt, quid ergo juventes ac volentes immoramini in vanitate vitæ, ne fortè veniant dies Antichriſti, & non poſſitis frui veſtris opibus. Cumque omnes his verbis liberaſſet, ad monaſticam vitam traduxit. Et filium juniorem Publicolam cùm inſtruxiſſet, duxit in Siciliam. Poſtquam autem hi omnes Româ abſceſſiſſent, qui catecheſi inſtituti fuerant à B. Melania, barbarica quædam procella in urbem Romanam irruit.*

Pallad. Lauſ. cap. 118.

Melania Junior. Quo anno Melania, Pinianuſque Siciliam reliquere?

XIII. Melaniæ in comitatu erat fœmina aviæ virtutibus non indigna, quæ & ipſius nomen gerebat, *Melania* Junior, quæ de ſe ſilentium agi non patitur. Piniano juncta erat, juveni nobiliſſimo, quem duorum filiorum patrem fecerat. Ubi exceſſere, *tantum eam cepit odium matrimonii, ut diceret marito ſuo Piniano, filio Severi, qui erat ex Præfectis, Si volueris quidem mecum habitare ut ratio dictat, te dominum agnoſce. Sin autem hoc tibi grave videtur, utpote juveni, res omnes meas tibi habe, & ſolum ſine me eſſe corpore liberam. Deus poſtea miſertus adoleſcentis, et zelum pietatis immiſit. Cum ergo nupſiſſet viro, tredecim annos nata, ſeptem verò cum eo vixiſſet, vigeſimo ætatis ſuæ anno mundo renunciat.* Omnia ſua ſerica integumenta dedit altaribus, parteque prædiorum longè maximâ diſtractâ, collectam pecuniam in Palæſtinam, Ægyptum, aliòſque regiones pauperibus, Monachiſque diſtribuendam miſit. Quam diu ſpontanei exules illi nobiliſſimi Siciliam incoluere, eſt diſquirendum. Triennium inſulam incoluiſſe, movemur ad credendum. Annò quidem CCCCIX. in Africam migraſſe cum Piniano Melaniam, & Hipponem ad inviſendum Auguſtinum acceſſiſſe, Baronii fert ſententia. Ea tamen Chronologia multorum eſt errorum ſcaturigo. Sic Pinianus anno CCCCIX. Presbyter creatus eſt. Sic Auguſtini ad *Albinam* Piniani ſocrum Epiſtola hoc & anno confecta eſt. Sic Melania Senior eodem anno fato functa Hieroſolymis. Sic Rufinus anno decimo diem ultimum clauſit. Quos errores elidit omnes inſignis Rufini locus, ex ipſius ad Urſacium Epiſtola petitus, quam Valeſius edidit. Ut mirum ſit, eruditos viros, qui in ignotum Baronio locum inciderunt, ipſius tamen Chronologiæ adhæſiſſe. Verba hæc ſunt Rufini: *Sed reddenda pollicitationi non tempeſtivum, ut illa ait, ſed tempeſtuoſum nobis tempus, ac turbidum fuit. Quis enim ibi ſtylo locus eſt, ubi hoſtilia tela metuuntur. Ubi in oculis eſt urbium agrorumque vaſtatio? Ubi fugitur per marina diſcrimina, & ne ipſa quidem abſque metu habentur exilia? In conſpectu etenim, ut videbas, etiam ipſe noſtro Barbarus, qui Rhegino oppido miſcebat incendia, anguſtiſſimo a nobis freto, ubi Italia ſolum Siculo dirimitur, arcebatur. Jam enim ex omnibus, quæ in Lege ſcripta reperi, ſola ut puto, in Deuteronomio deſunt oratiuncula, quas ſi Dominus juverit, & ſanitatem dederit oculis, cupimus reliquo corpori ſociare, quamvis amantiſſimus filius noſter Pinianus, cujus religioſum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat & alia.* Barbarus ille, qui Rhegino oppido miſcebat incendia, Alaricus eſt, qui poſt vaſtatam anno CCCCX. Romam in Brutiam conceſſit. Quo tempore religioſum Piniani cœtum Rufinus in Sicilia comitabatur. Ut luce clarius ſit, non ante annum CCCCXI. Pinianum cum Melania Hipponem veniſſe, Presbyterique gradum adeptum eſſe. Rufinus quidem, qui ſuam ad Urſacium Epiſtolam anno CCCCXI. exaravit, de Piniano ea loquitur, quæ certiſſimè oſtendunt, ipſum in Clericos nondum relatum eſſe. Probabiliſſimâ conjecturâ ducimur ad credendum Rufinum de Melaniæ Pinianique in Siciliam profectione, monitum ad tam chara ſibi capita, relictâ Aquileâ, in Siciliam labente anno CCCCVIII. migraſſe. Ut & hic in Baronio peccatum ſit: *Profectus eſt Rufinus*, inquit, *in Siciliam, Melaniæ, ut opinor, navigationem conſecutus.* Rectè, non igitur *profugus extra patriam Rufinus ob cladem Aquileenſibus illatam*, ut illuſtriſſimus Purpuratus habet, cùm nil calamitatis hoc anno Aquileenſi urbi arma Alarici intulerint, teſte Zozimo: *Aquileam, & urbes ordine trans Eridanum ſitas, curſu præterit.* Erant Melaniæ Juniori prædia in Sicilia, quæ profugis habitationem præberent ad annum uſque CCCCXI. quo in Africam conceſſere.

Error Baronii.

Bar. Ann. 309. n. 17.

Ruf. ad Urſ.

Error Baronii.

Bar. An. 410. n. 60.

Zozim. l. 5. c. 37.

Synodi Carthaginenſes: qua de cauſa legationes mittunt ad Comitatum?

XIV. Defuncto Stilichone illicò Ethnici Donatiſtæque in Africa creſtas erigunt, jactantes, Leges adverſus ſe latas inſcio, vel nolente Honorio conſtitutas fuiſſe. Exiſtimarunt igitur unà cum Stilichone prorſus extinctas eſſe. Errori quoque furorem addiderunt, ut vim Orthodoxis inferrent. Cui ut intercederent, Auguſtinus privatas non modò Epiſtolas Olympio ſcribit, verùm etiam legationes ex Conciliis ſuis Honorio miſere. Prius celebratur decimo Kal. Julias Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſti-

tutæ,

Anno Dom. 408.

tutæ. Autoritate Synodi legationem iterum ſuſcepit *Fortunatianus* Epiſcopus contra Paganos & Hæreticos. Poſterius in eodem Secretario *tertio Idus Octobris* congregatur: *In hoc Concilio ſuſceperunt legationem Reſtitutus & Florentius Epiſcopi contra Paganos & Hæreticos, eo tempore, quo Severus & Macarius occiſi ſunt, & propter eorum cauſam Evodius, Theaſius & Victor, Epiſcopi caſi ſunt.*

Col. Afr. cap. 106.

Legationibus præcipuè furor Ethnicorum anſam dediſſe videtur, qui moleſtè ferentes Idola deſtrui ſua, ſeditiones commovere. Ad illas pertinere putamus *Calamenſem* tumultum, quem Baronius perperàm, ut videtur, anno CCCXCIX. n. 72. alligavit. Kalendis Juniis Feſto Paganorum petulans turba admodum inſolenter ſe geſſit, teſte Auguſtino in ſua ad *Nectarium* Epiſtola. Saltantes Ethnici ante fores Eccleſiæ tranſibant: *Quam rem illicitiſſimam atque indigniſſimam Clericis prohibere tentantibus, Eccleſia lapidata eſt.* Poſt dies octo, licet notiſſimo Imperatorum leges ordini ſignificatæ fuiſſent, iterum Eccleſia lapidatur. Vim querentibus Chriſtianis, publica jura negantur. Neque grandine, quæ eodem die ceciderat, tertiam aggredi lapidationem prohibentur. Poſtremò ignem Eccleſiaſticis tectis atque hominibus inferunt;

Aug. Epiſt. 202.

unum ſervorum Dei occiderunt, cæteris partim ubi potuerant latitantibus, partim quo potuerant fugientibus: cum intereà contruſus atque coarctatus quodam loco ſe occultaret Epiſcopus, ubi ſe ad mortem quærentium voces audiebat. Geſta ſunt hæc ab hora fermè decima uſque ad noctis partem non minimam. Cauſa hæc fuiſſe videtur legationis Fortuniani, quem Carthaginenſis Synodus, menſe Junio convocata, ad comitatum miſit. Non multò pòſt gravior malorum cohors incubuit, occiſis *Severo* & *Macario*, cæſiſque Evodio, Theaſio & Victore Epiſcopis. Quam indicare cladem videtur & Auguſtinus in ſua ad *Olympium* Epiſtola:

Auguſt. Ep. 129.

Jam quidem unam Epiſtolam miſeram in negotio ſancti fratris & collegæ mei Bonifacii Epiſcopi Cataquenſis, ſed nondum ad nos pervenerant graviora, quæ nos vehementius agitarent; quibus comprimendis vel corrigendis, quemadmodum meliore ſecundum Chriſti viam conſilio ſuccurratur, commodius Epiſcopi qui propterea navigaverunt, cùm tantâ benignitate cordis tui actum ſunt. Cùm porro quas vivo Stilichone Honorius adverſus Ethnicos Hæreticoſque Leges promulgarat, inſcio Principe latas eſſe prædicarent, Olympium hortatur Auguſtinus, Reſcripta impetret, *quibus innoteſcat, Leges illas, quæ de Idolis confringendis, & Hæreticis corrigendis vivo Stilichone in Africam miſſa ſunt, ex voluntate Imperatoris piiſſimi & fideliſſimi conſtitutas.* Id facilè conceſſit Honorius, qui Lege datâ VIII. Kal. Dec. omnia quæ in Donatiſtas, Manichæos, Priſcillianiſtas, Gentiles decreta fuerant, in effectum pleniſſimum deduci jubet: *Donatiſtarum, Hæreticorum, Judæorum nova atque inuſitata detexit audacia, quòd Catholicæ fidei velint ſacramenta turbare. Quæ peſtis atque contagionis latius emanet ac profluat.* Quem locum in mendo jacentem ſic reſtituit Gothofridus: *Quæ peſtis atque contagio ne latius emanet, tua gravitas provideat. In eos igitur, qui aliquid quod ſit Catholicæ ſectæ contrarium, adverſumque tentaverint, ſupplicium juſtæ animadverſionis expromi præcipimus.* Noluit tamen Auguſtinus Donatiſtas occidi, quod Epiſtolâ ſuâ Donato Africæ Proconſuli ſignificavit:

Auguſt. Ep. 127.

Ex occaſione terribilium Judicum ac Legum, ne æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt exerceri. Sic ergo eorum peccata compeſce, ut ſint quos pœniteat peccaviſſe. Exiſtimat Gothofridus Legem XLVI. non ad Patrum Africanorum poſtulationem latam eſſe, quorum Legati ſerius ad Honorium pervenerint, verùm ad privatas Auguſtini aliorumque querelas datam eſſe, quæ *mediâ hyeme* ad Honorium pervenere ante Legatorum adventum.

Anno Dom. 408.

Cœlicolæ qui?

XV. Nulla feſtinatio mentionem Edicti tranſgreditur, quo cum Hæreticis *Cœlicolæ* ſunt obtuti:

Cod. Th. l. 6. p. 164.

Omnia quæ in Donatiſtas, qui & Montenſes vocantur, Manichæos, ſive Priſcillianiſtas, vel in Gentiles, à nobis generalium Legum autoritate decreta ſunt, non ſolum manere decernimus, verùm in executionem pleniſſimam effectumque deduci. Ita ut ædificia quoque vel horum, vel Cœlicolarum etiam, qua neſcio cujus dogmatis novi conventus habent, Eccleſiis vindicentur. Dat. XVII. Kal. Decembr. Romæ Baſſo & Philippo Coſſ. In Africa floruiſſe Cœlicolas ſcimus, quorum & meminit & Auguſtinus. Cum *Fortunio* Donatiſtarum apud *Turbaſicum* oppidum Epiſcopo collationem inſtituerat, quæ abſolvi non potuit, quòd cum Cœlicolarum Præſide colloquia miſcere, Auguſtini inſidebat in animo:

Auguſt. Epiſt. 163.

Miſeramus ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos baptiſmi inſtitutorem inſtituiſſe, & multos illo ſacrilegio ſeduxiſſe, ut cum illo quantum ipſius temporis patiebantur anguſtiæ, aliquid loqueremur. Utrùm in aliis imperii regionibus Cœlicolarum ſecta viguerit, prorſus ignoramus. Qui verò *Cœlicolæ*, in dubium cadit.

Error Baronii.

Baronius de ſua olim ſententia deceſſit, quæ *Cœleſtis Deæ cultores* quærebat in Cœlicolis. Quis enim credat, homines qui numina adoratione proſequebantur, baptiſmo voluiſſe tingi? Aut ſuperſtitioni, quæ antiquitatis multum aſſumebat, Honorium *dogmatis novi* nomen impoſuiſſe? Non magis tamen illuſtriſſimo Purpurato pectus ſapiebat, dum Cœlicolas invenit in *Apoſtatis, qui ex Chriſtiana fide tranſirent ad Judaiſmum.*

Bar. An. 408. n. 26.

Baronium quidem refellit Lex Theodoſii anno ſequente promulgata: *Cœlicolarum nomen inauditum quodam modo novum crimen ſuperſtitionis vindicavit.* Quæ nullâ ratione Apoſtatis Chriſtianæ Religionis competunt, quorum crimen nec novum eſt, nec ſuperſtitionis nomen ſibi vindicat, ſed defectionis, quæ ſuperſtitione eſt omni nefandior. Fuerunt ergo *Cœlicolæ* homines Judæos inter & Chriſtianos medii. A Judæis quidem nonnihil diſcrepabant, ut ex Lege Conſtantini liquet:

Cod. Juſt. l. 1. Tit. 9. lib. 3.

Judæis, & Cœlicolis, & Majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari, quòd ſi quis poſt hanc Legem aliquem, qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit . . . auſus fuerit attentare, mox flammis dandus eſt. Dat. XV. Kal. Novemb. Murgillo, Conſtantino Aug. IV. & Licinio IV. Coſſ. Annus erat Dom. CCCXV. cùm Lex ea ſancita eſt, quâ Baronii & ſententia obruitur, cùm nulla Apoſtatarum ſecta ſit, quæ tamen Cœlicolarum aliqua eſſe dicitur. Sed & proprio nomine, atque Præfectorum titulis à Judæis Cœlicolæ diſtinguebantur. Judæis *Patriarchæ*, Cœlicolis *Majores* imponebantur. Novo etiam ſuperſtitionis ſcelere Cœlicolæ contingebantur, quod de puris putiſque Judæis cogitare non licet. Neque Cœlicolæ Chriſtiani audiebant, quaſi Hæretici, ſecus nec nobile nomen, nec *Epiſcopi* titulum,

Anno Dom. 408.

tulum, quo Heterodoxi gaudebant, reſpuiſſent. Præterea Cœlicolæ ad *venerationem Chriſtianam* converti jubentur, non ad Eccleſiam, ex qua diſceſſerant redire. Fuerunt igitur Chriſtianos inter & Judæos medii, qui utriuſque religionis ceremoniarum mixturâ unum Deum colebant, addito novo baptiſmo. Obſervetur in tranſcurſu, vocem *Cœlicolis*, quæ extat in Lege Conſtantini, doctiſſimo Gothofredo *à mala Tribonicam, vel Librarii manu eſſe.* Ad res Orientis tranſgrediamur.

Goth. Com. pag. 235.

Theophili in Chryſoſtomum odium.

XVI. Defuncto Chryſoſtomo, quod in ipſius monumento condere Theophilus debuit, odium adhùc vivebat, omnibuſque modis Sancti Præſulis famam deterebat. Conviciorum partem aliquam, quæ innocenti fecit, exhibet Facundus Hermianenſis Epiſcopus: *B. Theophilus de S. Joanne Conſtantinopolitano, cujus auctoritatis atque doctrina multò majorem venerationem Chriſti debet Eccleſia, talia & tanta conſcripſit, ut etiam nos, quòd ea vel memoramus, ſola poſſit neceſſitas excuſare? Fratres, inquit, Joannes perſequitur immundo ſpiritu, quo ſuffocabatur Saul, & iterum Sanctorum miniſtros necavit.* Et paulò infrà: *Non ſolùm non eſt Chriſtianus Joannes, ſed pejor eſt Rege Babylonio; multò ſceleratior quàm Beltaſar Idololatris, & Ethnicis ſceleratior eſt Joannes. Tibi, ait, præſens ignominia, æterna in futuris ſeculis pœna reddetur.* Cætera quæ horrentes legimus, ex Facundo petantur. Multò tamen magis ſuccenſemus Hieronymo, qui furori Theophili obſecutus, nefanda hæc in Latinum transfudit, teſte Facundo: *Legas innormem librum, non ſolùm contumeliis, ſed ipſâ quoque ſæpè repetitâ maledictorum recapitulatione nimis horribilem, ab Hieronymo Presbytero tranſlatum. De quo idem Beatus Theophilus expectavit, ut per ejus eloquium qualis Joannes fuerit, Latini cognoſcerent.* Eo animo Theophilus communionis cum Eccleſia Romana vincula ſolvit, Cyrilloque odia in Chryſoſtomum tranſmiſit, qui tamen vel in Ægypto memoriæ ſuæ cultores invenit, ſuperſtite etiamnum Theophilo.

Fac. l. 6. cap. 5.

Theodoſius Epiſcopus dum Macedonianos vexat, Epiſcopatum amittit.

XVII. Ut ad jucundiora cognitu veniamus, Theodoſius Synnadis, quæ Phrygiæ Pacatianæ urbs eſt, Epiſcopus dignam eo, quem vexandis Hæreticis affectum præbuit, mercedem tulit. In ea civitate complures Macedoniani verſabantur, quos non ea illa tantùm, ſed vel & ex agris ipſis pellebat: *Id autem agebat non ex more Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ perſecutionem exercere non ſolet, ne recta fidei ſtudio incitatus, ſed avaritiæ obnoxius, pecunias ex Hæreticis colligere cupiebat.* Præcipuè illorum Epiſcopum, cui Agapeto nomen, variis moleſtiis affecit. Cùm puniendis Hæreticis Rectores Provinciæ Theodoſio non ſufficerent, Conſtantinopolim proficiſcitur, Edictis Præfectorum Prætorio impetrandis. Dum ea de cauſa in urbe regia moratur, Agapetus re cum Clero populoque ſuo communicatâ, perſuadet Conſubſtantialis fidem amplecti. Quo confecto, rectà ad Eccleſiam tendit. Celebratâque oratione, Theodoſii Cathedram occupat. Haud multò pòſt adeſt Theodoſius cum auxilio Præfecturæ, qui geſtorum ignarus ad Eccleſiam pergit. At ab omnibus expulſus Conſtantinopolim regreditur. Attico caſum narrat ſuum, qui dolentem verbis ſolatur quidem, monet tamen, ut publica commoda privatis rationibus anteponat. Agapeto autem ſcribit, Epiſcopatum retinere. Multos Theodoſio ſimiles noſtrâ ætate

Socrat. l. 7. c. 3.

Epiſcopos fuiſſe ſcimus, qui quos odioſo nomine Hæreticos appellabant, litibus vexabant, ut eos pecunia emungerent, quod & nos experti ſumus in Gallia verſantes. Meminit & Socrates miraculi, quod Conſtantinopoli contigit. Judæus paralyticus ſuſcepto baptiſmo ea fonte egreſſus, morbo liberatur, quo prodigio Ethnicorum complures ad fidem fuere perducti.

Socr. l. 7. cap. 4.

Anno Dom. 409.

ANNO U. C. 1162. OLYMP. 297. PER. JUL. 5122. JUL. 454. DOM. 409. HONOR. 17. & 15. THEODOS. 8. & 2. *Sol.* 26. C. *Lun.* 11. *Indict.* 7. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

COSS. *Honorius Aug.* VIII. *& Theodoſ. Aug.* III.

De Conſtantini Conſulatu cum octavo Honorii conjuncto.

I. MAgnis ille Scaliger magnis urgetur anguſtiis ex inſcriptione Auguſtæ Trevirorum, quæ Honorio Conſtantinum octavi Conſulatus collegam dedit. Græca eſt inſcriptio, quæ Latinè ſic ſonat:

Hic jacet Euſebia in pace, Hieracomita ex vico.
Addanorum, quæ non diu vixit, ad annos ſcilicet XV.
Honorio VIII. *& Conſtantino* I. *Coſſ.*

Scalig. de Emend. l. 5. 516.

Addana, ut conſtat ex Stephano, urbs eſt Ciliciæ, cujus meminit & Ptolomæus: *Hanc Addanus & Sarus extruxerunt, cùm bellum geſſiſſent adverſus Tarſenſes, ſed ſuccubuiſſent. Ab iis quidem eſt condita, ſed ab Adane eſt appellata.* Hæc Stephanus. Honorii ætate vicus erat, ſive oppidulum, ex quo originem ducebat *Euſebia.* Quærit igitur Scaliger, *Quis ſit iſte Conſtantinus, Collega Honorii in ſeptimo Conſulatu?* Scribi debuit, *octavo Conſulatu*, non ſeptimo: nota numeralis Græca eſt H, ut mirum ſit, virum eximium de ſeptimo Honorii Conſulatu, qui cum Theodoſii ſecundo conjungitur, perpetuò tractaſſe. Quæ erroris nebula non minimum conduxit ad Conſtantinum occultandum. Meritò quidem commune perfugium reſpuit de ſuffecto Conſtantini Conſulatu. Cui bono, quove jure ſuffectus induci Conſulatus, cùm ordinarius Theodoſii, tertius ſcilicet, foret in promptu? Eſt ergo vero proximum, Conſtantinum, qui purpuram anno CCCCVII. uſurparat, Conſulatum quoque ſumpſiſſe, anno CCCCIX. gerendum, & in regionibus imperio ſuo ſubditis, ad quod & Auguſta Trevirorum pertinebat, cum Honorio Faſtos reſeraſſe. Quæ cauſa fuit, cur Euſebiæ Epitaphium Honorii VIII. & Conſtantini I. Conſulatui conſignaretur. De tempore verò, quo ampliſſimum Magiſtratum Conſtantinus adiit, clariſſimo Pagio aſſentiri non poſſumus: *Non eſt*, inquit, *veroſimile, Conſtantinum antequam Imperatoriam veſtem ipſi Honorius miſiſſet, hujus Imperatoris in Conſulatu collega ſe dicere auſum fuiſſe.* Quidni veroſimile? Quaſi verò Conſtantinus, qui invito Honorio & imperium ſumpſit, & filium ſuum Conſtantem Cæſarem dixit, inconſulto & Honorio ſe Conſulem creare non potuiſſet? Pluriſne fuit, Conſulatus quàm imperii collegam agere, quam ſibi dignitatem Conſtantinus impoſuit? Quòd ſi poſt miſſam ab Honorio veſtem Imperatoriam Conſtantinus demum Conſul proceſſit, annum quidem aperire non potuiſſet, qui jam labebatur, cùm de impetrando conſenſu Honorii Legatos ad eum miſit, ut imperii collega haberetur.

Pag. Proleg. n. 10.

II. Fue-

Conſtantinus ab Honorio Imperator agnoſcitur. Conſtantem Auguſtum dicit.

II. Fuerat hæc Pagii ſententia, legationem Conſtantini ad Honorium cum anno Dom. CCCCVIII. eſſe copulandam; calamumque in Calviſium ſtrinxerat atque Petavium, qui anno CCCCIX. legationem fixere. Miſſa ſcilicet Conſtantino purpura Pagio cauſa eſt, cur is ſe Conſulem deſignarit, ex quo colligebat, in annum ſuperiorem legationem incidiſſe. Ab ea tamen opinione meritò receſſit, quæ adverſâ fronte pugnat Zozimo. At ſimul advertere debuit, non poſt miſſam ab Honorio veſtem imperatoriam Conſtantinum ſe Conſulem deſignaſſe.

Pag. diſſer. Hypat. pag. 173.

Conſtantinus arreptum vi imperium cùm ſpecie juris aliquâ tenere vellet, Eunuchos ad Honorium mittit, veniam poſcens, quòd imperium ſibi delatum accepiſſet; non illud ſponte rapuiſſe, ſed à militibus coactum ſe tenere profeſſus eſt.

Zozim. l. 5. c. 43.

Honorius, qui & Alarici armis detinebatur, & conſanguineorum Vereniani & Didymi rationem habebat, quos è vinculis eripere volebat, ignarus adhùc jugulatos eſſe, imperatoriam Conſtantino veſtem mittit. Poſt aliquantum temporis *Jovium* Conſtantinus ad Honorium legat, qui conſtitutam prius pacem ratam haberi, veniamque ob interfectos Didymum & Verenianum poſceret, quos mandatis Conſtantini occiſos inficiabatur. Vir erat eruditione, virtutibuſque omnibus præſtans Jovius, qui ut gravius commotum Honorium ſenſit, rectè facturum ait, ſi curis Italicis occupatus aliquid concederet.

Zozim. l. 6. c. 1.

Si poteſtas abeundi ſibi concederetur, Conſtantinum non multò pòſt cum Britannicis, Gallicis, Hiſpanicis copiis rediturum ad ferendam Italiæ opem. His conditionibus abeundi licentia Joviano conceditur. Cùm aſſenſu Honorii imperio Conſtantini robur acceſſiſſe videretur, filium ſuum *Conſtantem* ſubinde creat Auguſtum. Abrogatâque Apollinari poteſtate, alterum ejus loco Prætorio Præfectum creat. Conſtans verò repetitâ Hiſpaniâ, *Juſtum* Ducem ſecum adducit.

Zozim. l. 6. c. 5.

Ea re offenſus *Gerontius*, concilians ſibi eorum locorum militibus, Gallicos exercitus ad rebellionem impellit. Aliam Hiſpaniis cladem immiſit Conſtantis imprudentia. Pyrenæi cuſtodiam extraneis militibus commiſerat, qui patefactis clauſtris Barbaros per Gallias vagantes in Hiſpanias immiſere. Fatalis ingreſſus diem docet Idacius in Chronico: *Alani & Vandali, & Suevi Hiſpanias ingreſſi, Æra* CCCCXLVII. *alii quarto Calendas, alii tertio Idus Octobris memorant die, tertiâ feriâ, Honorio* VIII. *& Theodoſio Arcadii filio* III. *Coſſ.* Barbaris ipſi Honoriaci conjunguntur:

Oroſ. l. 7. cap. 40.

Ubi actis aliquandiu magnis cruentiſque diſcurſibus, poſt graves rerum atque hominum vaſtationes, quarum ipſos modò pœnitet, habitâ ſorte, & diſtributâ uſque ad nunc poſſeſſione conſiſtunt. Rem paulò fuſius exequitur Idacius, cujus verba anno ſequente referemus.

Honorius Olympium exautorat. Duces in aliorum locum conſtituit.

III. Quæ cum Alarico pax conſtituta fuerat, necdum rata habebatur, Honorio nec obſides dante, nec poſtulatis omnibus ſatisfaciente. Ex urbe igitur Legati mittuntur Cecilianus, Attalus, Maximianus, qui Principi clades Romanorum exponerent. Nil tamen à Legatis impetratum. At Theodoro Præfecturâ urbanâ ſpoliato, eam Cæciliano tradi, placuit Attalumque Fiſco præeſſe. Viſum quoque Principi, quinque Dalmaticos militum ordines de ſuis ſedibus excitos urbis cuſtodiæ imponi. Erant in ordinibus ſex hominum millia, qui & fortitudine, & audaciâ florem roburque exercitibus afferebant: His præerat *Valens*, ad quodvis periculum adeundum promptiſſimus: qui ratus indignum ea per itinera proficiſci, quæ hoſtis non teneret, ſuos milites in Alarici manus conjicit. Deletis omnibus vix centum fugâ dilabuntur, quorum & ipſe Dux unus fuit. Dilatâ pace, extra urbem exire Romanis non erat integrum. Senatus igitur pacis cauſâ Legatos ad Imperatorem mittit, quibuſcum *Innocentius* proficiſcitur Epiſcopus. Dum iter exequuntur, Alpes tranſibat *Ataulphus*, quæ à Pannonis Venetiam verſus ſeſe porrigunt. Venienti occurri Honorius juſſit. *Olympius* Dux Palatinorum Ordinum cum equitibus, peditibuſque quotquot in urbibus erant, trecentiſque Hunnis comitatus, *Ataulphum* adortus, Gothos mille centumque occidit. Et amiſſis militibus duntaxat XVII. Ravennam incolumis pervenit. Tanto facinori indigna merces ſolvitur. Eunuchi Olympium inſimulant, velut autorem calamitatum, quæ inceſſebant imperium. Quâ accuſatione effecerunt, ut Olympio Magiſtratus abrogaretur.

Zozim. l. 5. c. 45.

Qui veritus, ne quid ſibi gravius accideret, fugâ ſe in Dalmatiam contulit. Si qua Olympiodoro fides, Olympius in ſuam dignitatem poſt annos aliquot reſtitutus, iterum ad privatam fortunam rediit, ac denique triſti fato periit:

Phot. Bibl. pag. 179.

Fuſtibus ſcilicet à Conſtantio, qui Placidiam uxorem duxerat, mactatus occubuit, cùm ei ante cædem auricula reſectæ eſſent. Optimi viri jactura hæc Reipublicæ damno fuit. Ac quaſi ob illatam profugo injuriam Deus Honorium ulciſceretur, milites motâ apud Ravennam ſeditione portum occupant, clamoribuſque ſuis Imperatoris ad ſe adventum poſtulant. Jovius Prætorio Præfectus, ſeditionis cujus autor eſſe perhibebatur, cauſam poſcit à militibus. Qui *Turpillionem*, & *Vigilantium* Duces unà cum *Terentio* Auguſtalium Cubiculorum Præpoſito, & proximo ſecundum hunc *Arſacio*, ſibi dandos eſſe poſtulant.

Zozim. l. 5. c. 47.

Perpetuo igitur exilio indictâ cauſâ Duces mulctantur, & in navim conjecti à vectoribus necantur, quibus hoc in mandatis Jovius dederat, ne ſtructarum ſibi inſidiarum Principem monerent. Terentius in Orientem relegatur; Arſacius Mediolani ſe continere jubetur. Sic quaſi externis viribus Roma extingui non poſſet, ipſi in exitium ſuum Romani armabantur, quo facilius Alaricus triumpharet. *Turpillionis* poteſtas *Valenti* tradita. Poſt Vigilantium *Allabicho* Equitum Præfectura mandatur. Dalmaticis militibus præficitur *Generidus*, origine quidem Barbarus, ſed omni virtutum genere præditus. Cultui numinum adhærebat, à quo ſe abduci non patiebatur. Promulgatâ Lege, quæ in aula eos uti cingulo vetabat, qui Chriſtianos non agerent, Generidus domi ſe continet. A quo cùm Honorius petiiſſet, cur loco ſuo ad palatium non accederet, reſpondet, Legem eſſe, quæ cingulum ſibi evelleret. Dicenti Principi, ipſum eâ Lege haud teneri, qui tantum pro Republica diſcrimina adiiſſet, reſpondit, ſe honorem illum non accipere, quâ ad omnium tenderet injuriam, quotquot à militia propter Legem illam ſpoliati erant. Nec munus ſuum obiit, donec Imperator neceſſitate compulſus Legem abrogaſſet.

Zozim. l. 5. c. 46.

Quod anno præcipiti factum eſt.

Pacis conditiones Honorio offert Alaricus.

IV. Tranſlatâ in ſe omni apud Imperatorem autoritate, *Jovius* Legatos ad Alaricum mittere decrevit, qui eum hortarentur, Ravennam accedere de pace facienda. Honorii Joviique

Anno Dom. 409.

que literis aſſenſum præbens Gothorum Princeps, Ariminum triginta milliaribus Ravennâ diſſitam proficiſcitur. Eò quoque celeriter ſe Jovius confert, & amicus, & hoſpes olim Alarici, cujus poſtulata hæc erant, ut in annos ſingulos certa auri ſumma ſolveretur; annonæ menſura quædam ſuppeditaretur; ipſe cum ſuis omnibus Pannonias, Noricos, Dalmatiam incoleret. Græca Zozimi habent, Βενετίας, *Venetias*, quæ vox corrupta videtur, ut ex orationis ſerie liquet: rectius legerimus, Παιονίας, *Pannonias*. Privatis Imperatorem literis Jovius hortatur, Alaricum utriuſque Militiæ Magiſtrum conſtituere, ut eâ dignitate delinitus, de conditionum aſperitate nonnihil remitteret. Acceptis literis, Honorius damnatâ Jovii temeritate, ipſi ſignificat, utpote perito facultatum publicarum, aurique, annonæque modum ſtatuat: Ducis autem officium ſe nunquam Alarico conceſſurum. Ut Epiſtolam audiente Alarico Jovius legit, cætera quidem moderatè tulit, verùm ubi negatum ſibi, gentique ſuæ Militiæ Præfecturam vidit, irâ percitus, mox in urbem Barbaros contendere ſuos juſſit, ſuam, gentiſque ulturus injuriam. Tum Jovius ad conſilii inopiam redactus, Ravennam redit; ac ut ſe omni culpâ liberaret, Sacramentis Honorium obſtrinxit, quibus ſanctè polliceretur perpetuum cum Alarico bellum. Simul & ipſe Principi tecto capite, jusjurandum præſtat, & à Proceribus omnibus ſimile quiddam exigit. Ad bellum cum Alarico gerendum Hunnorum decem millia Honorius ſibi jungit, quibus frumentum, pecora, boves ex Dalmatia adductos parat. Copias ex omnibus locis ſuas evocat: mittit & quoſdam exploraturos, quonam modo Alaricus iter ſuum Romam inſtitueret. At Alaricus, quem ſuſceptæ adverſus Romam expeditionis pœnitebat, Epiſcopos urbium ablegat, qui autores Honorio eſſent, ne urbem orbis dominam Barbaris vaſtandam daret, tanta ædificia hoſtili deleri flammâ non pateretur; æquis potius conditionibus pacem componeret; ſibi dignitatibus opus non eſſe; nec jam ſe poſtulatas prius Provincias petere; ſufficere ſibi ambos Noricos, qui continuis Barbarorum incurſionibus vexatos, tributi minimum inferant Fiſco; annonæ tantum in ſingulos annos adjiceret, quantum ipſe ſatis eſſe putaret; poſtulato auro ſe libenter renunciare; velle ſe belli ſocietatem cum Romanis adverſus quemvis inire. Non unâ duntaxat, ſed geminâ Epiſcoporum legatione Honorium adiit, ut ex Zozimo colligitur. Hæc illa Alarici manſuetudo ad humillimas conditiones deſcendentis, ut Romæ parceret, omnibus erat admirationi. Nec immeritò, cùm hâc ratione magnum ſpectatumque ſatis temperantiæ præberet exemplum, quòd cum ambitione, gloria, divitiarum cupiditate conflictaretur, neque commoveretur animus in iis rebus tamen, ut Gothorum magis quàm Romanorum Principi ſalus urbis cordi foret. At vaſtatio ſuperbæ civitatis & fatis, & criminibus ipſius debebatur. Stupendâ ſuperſtitione Jovius, aliique Alarici poſtulata hæc cò concedi poſſe negabant, quòd Magiſtratus omnes jurejurando ſe obſtrinxiſſent, cum Alarico pacem ſe nullam facturos; Deo præſtitum ſacramentum fortaſſe negligi poſſe; dictum verò per caput Imperatoris non poſſe. Bis ergo repulſam paſſus Alaricus, Romam reverſus, eam iterum obſidet, minatus ſe everſurum, ni cives

Zozim. l. 5. c. 50.

Zozim. l. 5. c. 51.

conjunctis animis Honorio bellum inferrent. Ad poſtulata cunctantibus, portum expugnat, ubi annona urbis recondebatur, quam militibus ſe ſuis expenſurum minatur, ni celeriter Romani juſſa obtemperarent.

Attalus creatur Imperator: ejus acta. Societatem imperii reſpuit.

V. Poſtquam fatali aliquâ quaſi neceſſitate Romanis cum fame morteque belligerandum fuit, Senatus inſtitutâ deliberatione iis aſſentitur, quæ Gothus imperabat. Quod verò ſibi conciliare poterat Alaricus, imperium adjungit Attalo, urbis Præfecto, quem ſublimem in auguſto ſolio, purpurâ diademateque cinctum collocat. Is Alarico gratiſſimus erat, utpote à *Sigeſaria* Gothorum Epiſcupo baptizatus. Qua de cauſa Ariani ſpes ſuas alebant, rati ſe poteſtatem Eccleſiarum adepturos, quas Conſtantio, Valenteque imperantibus tenuerant. Ethnici verò ex priore Attali inſtitutione ſuperſtitionem amplexurum ſuam exiſtimabant, ac ritus patrios redditurum. Itaque de collatis Attalo honoribus complures lætabantur, ut obſervatum Sozomeno l. IX. c. 9. *Pagani quidem conjecturam capientes ex Attali inſtituto, & ex priore ejus educatione illum ſuperſtitionem Gentilem palam amplexurum eſſe ſperabant, & Templa ac ſacrificia patria, dieſque feſtos ipſis redditurum. Ariani verò Eccleſiarum poteſtatem iterum ſe adepturos putabant.* Spes ejuſmodi alentibus Honorius intercesſit, datâ Lege VI. Kal. Julii: *Si quis contra ea, quæ adverſus Hæreticos & diverſi dogmatis ſectatores conſtituta ſunt, etiam cum annotatione noſtra beneficio venire tentaverit, careat impetratis.* Porro Attalus ad ſumma faſtigia rerum evectus, illicò filium ſuum Prætorio Præfectum *Lampadium* creat, & *Marcianum* Præfectum urbis. Exercitus Alarico tradit, atque Valenti. Hinc regio cum ſatellitio ad palatium pergit. Poſtridie Senatum ingreſſus, jura ſe ſervaturum, Ægyptumque reliquaſque orbis Provincias ſub Italorum ditione redacturum pollicetur. Tertullum quoque Conſulem dicit. Quam indecoram theatralemque poteſtatem meritò irridet Oroſius: *Nec mirum, ſi jure hâc pompâ miſer luſus eſt, cujus ille umbratilis Conſul Tertullus auſus eſt in Curia dicere, Loquar vobis, Patres Conſcripti, Conſul & Pontifex, quorum alterum teneo, alterum ſpero.* Ex quibus intelligimus, cultorem numinum Tertullum fuiſſe, ac ex conceſſâ Attalo poteſtate Ethnicos in ſpem veniſſe reſtituendæ ſuæ ſuperſtitionis, quæ tamen juſto numine ab ipſis Gothis in urbe anno ſequente prorſus everſa fuit, atque deleta. Porro magnâ Alaricus prudentiâ præditus, rectè Attalum monet, idoneas in Africam copias mittere, quarum operâ Heracliano autoritatem abrogaret, Honorii partibus faventi, id provinciæ *Drumæ* mandandum eſſe, qui cum Barbaris quibus præerat, Heraclianum facillimè dejicere poterat. At ſpe falſâ vaticiniorum impletus Attalus, quæ ipſum & Carthagine, & totâ abſque certamine Africâ potiturum pollicebantur, tectum ſprevit Alarici conſilium. Non Drumæ igitur, ſed *Conſtantino* in Africanos milites imperium tradit, nec firmas tamen cum eo copias mittit. Dum res Africæ ſunt in dubio, adverſus Honorium Ravennæ commorantem, expeditionem ſuſcipit. Miſerrimam quidem fortunam tunc temporis trahebat Imperator. Tantâ mutatione rerum perterritus, miſſis Jovio & Valente Legatis, Attalo imperii ſocietatem offert. Quas ille ſuperbiâ faſtidioque reſpoit, profeſſus ſe ne nomen quidem Imperatoris Honorio relicturum,

Zozim. l. 6. c. 7.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Zozim. l. 6. c. 7.

ANNO DOM. 409.

Sozom. l. 9. c. 9.

ctorum, neque vel integrum corpus, ſed in inſulam relegaturum, & præterea partem corporis aliquam mutilaturum. Mitiora tamen Attali verba fuiſſe, narrat Sozomenus: Honorio *ſcripſit, ut inſulam, aut alium quem vellet locum, ſibi deligeret, in quo privatus ageret, omni Imperatorio cultu nihilominus retento.* Conſentit & Sozomeno Olympiodorus, qui etiam memorat, Jovio Attalum dixiſſe, *Spoliatum non haberi Imperatorem, qui ſuâ ſponte imperio abdicaret.* Eâ Attali territus oratione Princeps, ad capeſſendam fugam ſe accingit, cui arripiendæ in promptu naves erant, quas in Ravennenſi portu plurimas coegerat. Dum conſilia hæc agitat, ſex militum cohortes appulere, quæ vivo adhùc Stilichone expectabantur, ſed tunc primùm ex Oriente ad belli ſocietatem venere: *In his erant quatuor hominum millia.* Græca quidem Zozimi habent, μυριάδες, *quadraginta millia.* At longè veroſimilius legendum, χιλιάδες, *quatuor millia.* Sex quippe cohortes militum millibus quadraginta non conſtant, neque tot armatis Ravennæ cuſtodiam Honorius credidiſſet, quam hiſce cohortibus creditam ſcimus atque tenemus. Veriſſimam emendationem eſſe, docet Sozomenus, qui habet, τετρακισχιλίων, militum *quatuor millia.* Eo auxilio recreatus Imperator, ac veluti ex ſomno excitatus, Ravennæ manendum ſtatuit, dum rerum Africanarum in expectatione verſatur. Quòd ſi vinceret Heraclianus, bellum Alarico Attaloque eſſe inferendum; ſin vinceretur, in Orientem ad Theodoſium fugiendum eſſe, Occidentiſque imperio cedendum.

Sozom. l. 9. c. 8.

Zozim. l. 6. c. 8.

Roma gravi fame premitur. Alaricus imperium abrogat Attalo.

VI. Intereà Alaricus totis viribus Attali imperium amplificare conabatur. Æmiliæ urbes benè multas nullo labore in ditionem redigit: Bononiam tamen diu ſatis obſeſſam capere haud potuit. Inde profectus Ligures petit, quos Attalo ſubjiceret. Valens verò Magiſter Equitum, proditionis inſimulatus occiditur. Tum theatralis Principis res incipiunt

Ex illo fluere, & retrò ſublapſa referri.

Conſtantino, quem in Africam miſerat interfecto, ſpes quidem ipſius ab ea parte fluctuabant. Jovius quoque, quem Legatum ad Honorium miſerat, corruptus ab eo de proditione cogitat. Hic eſt ille ipſe Jovius, qui Honorii Prætorio Præfectus erat, qui ſæpius apud Attalum legatione fruſtra obitâ, apud ipſum manſerat, Patricius ejus appellatus. Negat in Senatu ullam ſe amplius legationem obiturum: Barbaros in Africam mittendos eſſe ait, qui Heracliano bellum inferrent. Alarico verò perſuadere conatur, Attalum ſtabilito imperio, & ipſi, & conſanguineis inſidias ſtructurum. Porro ut in Africam alios cum pecunia, ut Conſtantini locum implerent, miſſos eſſe novit Alaricus, de fortuna Attali deſperare cœpit, qui ſtoliditate quâdam animi res prorſus inutiles moliretur. Statuerat in animo, Ravennæ obſidionem urgere, donec eam expugnaſſet. Hortante tamen Jovio inde diſcedendum ſtatuit. Acceſſit Attalo nova calamitas. Occupatis ab Heracliano Africæ portibus, nil frumenti, olei, rerumque vitæ neceſſariarum in urbem invehebatur. Hinc gravior priore fames, dardanariis quidquid habebant ſupprimentibus, ut cibis pretium ſuomet judicio ſtatuerent. Ad eas ergo anguſtias Roma redigitur, ut ab iis, qui ſperarent hominum quoque corpora eſſe deguſtanda, vox hujuſmodi Circenſibus ludis emitteretur, *Pretium pone carni huma-*

Phot. Bibl. pag. 182.

næ. Adeò quidem fames invaluit, ut cives tritici loco caſtaneis uterentur, & quoſdam humanas carnes comediſſe ſuſpicio eſſet. Exaggerata tamen Hieronymi ad *Principiam* verba putamus: Roma *fame periit antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur inventi ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactanti infanti, & ſuo recipit utero, quem paulò antè effuderat.* Has ob cauſas Attalus Romam profectus, Senatum cogit. Conſultatione propoſitâ omnibus ferè placet, *Drumam* virum, qui fidei ſuæ virtutiſque experimenta multa dederat, cum Barbaris in Africam mitti. Solus cum paucis Attalus diſſentiebat, qui Gothorum aliquos cum Romanis ire nolebat. Hinc de abrogando Attalo imperio Alaricus cogitat, quod ut efficeret, extra Ariminium, ubi morabatur, productum diademate Attalum ſpoliat, atque purpurâ. Quibus ad Honorium miſſis, Attalum in omnium oculis ad privatam fortunam redigit. Ipſum tamen cum Ampelio filio retinuit, donec pace cum Honorio conſtitutâ vitæ incolumitatem eis impetraſſet. Hæc anno CCCCX. Baronio affigi placuit, cujus ſanè Chronologiam Proſper damnavit, qui Attali caſum in octavum Honorii Conſulatum refert: *Attalus Romæ Imperator factus, qui mox privatus regno Gothis cohæſit.*

ANNO DOM. 409.

Sozom. l. 9. c. 8.

Hieron. Ep. 16.

Zozim. l. 6. c. 12.

Error Baronii.

VII. Sub ea fortè tempora Palladii cum Theodoro de vita Chryſoſtomi Dialogus in lucem prodiit. Pro certo quidem habendum, quòd prius conditus ſit, quàm Theophili Alexandrini ultima audirentur, qui exceſſit anno Dom. CCCCXII. Idibus Octobris, Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. Baronium ſua ſanè Chronologia decipit: *Palladius*, inquit, *in Dialogo, quem ſcripſit de rebus S. Joannis Chryſoſtomi, ipſo ejus exordio de ſe teſtatus, veniſſe Romam ſub Zozimo Papa.* Zozimus autem Pontificatum adiit anno CCCCXVII. Ducitur in errorem Baronius à Præfatione, quam Palladii Dialogo Ambroſius præfixit Camaldulenſis: *Cùm veniſſet aliquando Romam Palladius Helenopolitanæ Eccleſiæ venerandus Antiſtes, Joannis illius ſanctiſſimi viri Conſtantinopolitani Epiſcopi, jam vitâ functi diſcipulus, ſuſceptuſque fuiſſet, cùm honorificè à Pontifice Romanæ ſedis Zozimo beatiſſimo, tam à Clero univerſa devotiſſimè.* Atqui ex inſitis Dialogo argumentis conſtat, Theophilum adhùc inter homines agere, cùm Palladius & Theodorus inter ſe colloquebantur. Hæc de Theophili nomine Epiſcopus dicit Diacono: *Quomodo autem & Theophilus dicitur, qui non amat Deum, propter quem & hominum injurias ferre debuit? Si verò Deum non amat, ut ſe quidem ipſum.* De defuncto ſcribi ne potuit, *non amat Deum?* Præteritum, *non amavit* uſurpandum fuit. Diſertior adhùc locus eſt, qui arte nullâ eludi poteſt, editionis Bigotianæ, quâ utimur, paginâ 244. *Scopus Eccleſiæ Rom. iſte eſt, non communicare unquam Orientalibus Epiſcopis, præſertim Theophilo, donec Dominus dederit locum univerſali Synodo.* Vita igitur morabatur in Theophilo, cùm Dialogum Palladius ſuum concinnavit.

Palladii de vita Chryſoſtomi Dialogus.

Socrat. l. 7. c. 7.

Bar. Ann. 417. n. 1.

Pallad. Vit. Chryſ. pag. 152.

VIII. Quis verò Palladius, nunc paucis videamus. In Galatia lucem aſpexit, anno circiter CCCLXVIII. Ubi vigeſimum ingreſſus eſt, peregrinatione ſusceptâ in Ægyptum profectus, Alexandriam pervenit. Hic ſe *Iſidoro* Presbytero excolendum tradidit. Id officii mandatum Dorotheo Aſcetæ celeberrimo, quo Præcep-

Palladius quis?

tore

ANNO DOM. 409.

tore ad triennium uſus, anno circiter CCCXCI. Nitriam montem petiit. Nactuſque *Evagrium* Ponticum, ab eo Origenis diſciplinam didicit. Intereà ingruentibus carnis affectibus, quibus vexabatur, in *Scetes* ſolitudine apud *Pachonem* delituit. Mox Thebaidis deſerta ingreſſus, ad Joannem Abbatem accedit, qui & Epiſcopatum, & calamitates ei multas portendit. Dum Ægypti regionem peragrat, in ſplenis ſtomachique morbum incidit. Quæ cauſa fuit, cur repetitâ Alexandriâ recuperandæ valetudini in Palæſtinam tenderit. Anno circiter CCCCI. relicto Oriente, in Bythiniam iter convertens, ibi Epiſcopatum ſortitur. Vitæ ſuæ Chronologiam ipſe digerat: *Cùm veniſſem*, inquit, *Alexandrinam civitatem ſecundo Conſulatu Theodoſii Magni Imperatoris.* Annus erat Dom. CCCLXXXVIII. quem Theodoſius iterum, & Cynegius aperuere. Sic verò vitæ ſuæ tempus diſtribuit in ſua ad Lauſum Epiſtola: *Cum trigeſimum quidem & tertium annum agerem in converſatione cum fratribus, & vita ſolitaria, vigeſimo autem Epiſcopatus, totius autem vitæ meæ tertio & quinquageſimo, neceſſarium exiſtimavi, ſpiritalis utilitatis gratiâ tibi cupiens in ſcriptis narrare, quæ à Sanctis Patribus rectè & ex virtute geſta ſunt.* Epiſcopum agebat, cùm Chryſoſtomi cauſâ, cui addictiſſimus erat, Romam adventavit, benignèque à Piniano & Melania ſuſceptus eſt: *Non parvo*, inquit, *honore nos affecerunt, cùm Romam veniſſemus propter B. Joannem Epiſcopum.* Annus labebatur 404. cùm urbem Palladius ingreſſus eſt. At ſi illuſtribus amicis floruit, inſignes & adverſarios tulit. Palladium ſuis Epiphanius aculeis pungit in ſua ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſtola: *Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc miſericordiâ Dei indiget, cave, quia Origenis hæreſim prædicat.* Hieronymus quoque Palladium miſerè vexat Procemio ſuo in Dialogos adverſus Pelagianos: *Palladius ſervili nequitia tandem hæreſim inſtaurare conatus eſt, & novam tranſlationis Hebraicæ mihi calumniam ſtruere.* Conviciis Hieronymi commotus Palladius, nonnihil & ipſum perſtringit. Cùm arctis amicitiæ vinculis Chryſoſtomo jungeretur, particeps & afflictationum ejus factus eſt. Relegatus ad Blemmyes in oppido Syenenſi cuſtoditus; ibi aſperè nimis tractatus eſt: *Palladio famulum abſtulerunt, vim ipſi inferentes, ut tabellas deponeret.* Exilio tandem liberatur, ſi ab eo Palladio non diverſus eſt, de quo Socrates prodit: *Palladius ab Helenopoli Aſponam tranſlatus eſt.* Erat *Aſpona* Galatiæ oppidum, cujus Epiſcopus Euſebius Epheſinæ Synodo interfuit.

Pallad. Lauſ. c. 1.

Pallad. Lauſ. cap. 121.

Hieron. t. 1. 224.

Pallad. Vit. Chryſ. 198.

Socrat. l. 7. c. 36.

Palladione uni aſcribendus & Dialogus, & Hiſtoria Lauſiaca?

IX. Cæterùm in difficilem nodum incidimus, fueritne hic ille Palladius, qui vitam ſcripſit Chryſoſtomi. Ac primâ ſpecie alter ab eo dicendus eſt. Palladius enim Epiſcopus, qui cum Theodoro Diacono colloquitur, narrat Palladium in exilio verſari apud Syenem: non unus igitur idemque homo cum eo Palladio, qui tum temporis cum Theodoro colloquia miſcebat. Sed & Palladio interlocutori Theodorus hæc narrat: *Elapſo menſe acceſſit Palladius Epiſcopus Helenopolis abſque literis.* Hæccine dixiſſet Palladio interlocutori, niſi diverſus foret à Palladio Helenopolitano? Aliud argumenti clariſſimus affert Bigotius anno 998. *Palladius Autor Hiſtoriæ Lauſiacæ natus erat annos* XL. *At Theodorus ſæpè compellat Epiſcopum Autorem Dialogi, veluti ſenem, eumque per canos ejus adjurat.* Ea quidem argumenta ſolvi non poſſent, niſi concedatur, figmenti aliquid Palladium Evagrii diſcipulum in ſcribendo Dialogo adhibuiſſe, ut fuco quodam atque veluti perſonâ ſeſe tegeret. Eſt verò quàm probabiliſſimum, eum autem uſurpaſſe, ut ſibi ſcribenti velum obtenderet, ne illatas vexationes intenderet. Fervebat enim adhùc perſecutio amicorum Chryſoſtomi, quæ ratio fuit, ut Palladius alienis ſe coloribus reſperſerit, ne cognoſci poſſet. Eò igitur ſententia noſtra propendet, ut Palladio, ut Evagrii diſcipulo, & Epiſcopo Helenopolitano aſcribatur tam Lauſiaca Hiſtoria, quàm Dialogus de vita Chryſoſtomi. Cujus opinionis veriſimilitudo non perſtenui indicio nobis innoteſcit. Conſtat, Lauſiacæ Scriptorem hiſtoriæ & veniſſe Romam, & amiciſſimum Chryſoſtomo fuiſſe. Id vincunt verba à nobis ex capite CXXI. laudata. Olympiadi quoque conjunctiſſimus erat Palladius, Autor Hiſtoriæ Lauſiacæ: *Fuit*, inquit, *ſpiritalis hujus germanus amicus, & ejus cognatis familiariſſimus: adeò ut multa pecunia ſint à me ex ejus ſententia diſtributa.* Hæc verò miris modis conveniunt Palladio, Autori Dialogi, qui Olympiadem multis laudibus exornat, & rerum Chryſoſtomi fuit peritiſſimus. Prætereà Autor Dialogi Palladius vocabatur. Verba ſunt Photii: Georgius Epiſcopus Alexandrinus *refert ex Palladio Epiſcopo, qui Dialogi formâ pulchrè ac ſtudioſè Chryſoſtomi res conſcripſit*, &c. Bis verò in Bigotiana Dialogi hujus editione Palladius, qui eum conſcripſit, *Helenopolitanus* Epiſcopus appellatur: in principio ſcilicet, & fine Dialogi. Eſt autem creditu difficillimum, eodem tempore duos fuiſſe Palladios, & Helenopolitanos Antiſtites, & amicos Chryſoſtomo. Dialogum edidit Palladius circiter anno labente. Hiſtoriam verò Lauſiacam anno præter propter CCCCXXI. cùm vitæ tertium & quinquageſimum fuiſſet ingreſſus. Hiſtoriæ meminit Socrates: *Extat liber ſingularis à Palladio Monacho Evagrii diſcipulo elucubratus, in quo cuncta, quæ ad illos pertinent, accuratiſſimè exponuntur.* Ex his refellendus Baronius, qui anno 429. n. 8. Palladio Diacono Eccleſiæ Romanæ Dialogum aſcribit, quem ſcriptum ſedente Zozimo perperàm fingit. Palladius ſanè Diaconus nullis libris famam poſteris ſuam commendaſſe dicitur, aut linguæ Græcæ peritus unquam habitus eſt; neque Helenopolitanum Præſulem egit. Quòd ex Trithemio illuſtriſſimus Purpuratus libros Palladio Diacono multos vindicat, ejus errores cumulat. Balæus quidem, non Trithemius libros illos fœnerat Palladio, ut in ſequentibus videbitur.

Pallad. Lauſ. cap. 144.

Phot. pag. 95. cap. 96.

Socrat. l. 7. c. 23.

ANNO U. C. 1163. PER. JUL. 5123. JUL. 455. DOM. 410. HONOR. 18. & 16. THEODOS. 9. & 3. *Sol.* 27. B. *Lun.* 12. *Indict.* 8. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

ANNO DOM. 410.

COS. *Flavius Varanes.*

I. FLavius Varanes, ſolus in Faſtis Conſul apparet, cujus cauſam Proſper aperuit: *Roma orbis quondam victrix à Gothis Alarico Duce capta, & ob hoc ſolus fuit Orientalium partium Conſul, quod & ſequenti anno obſervatum eſt.* Non neſcimus, Baronium, cujus ſententiam Capellus, aliique complures amplectuntur, ordina-

Num Tertullus Conſul ordinarius?

riic

Anno Dom. 410.

Bar. An. 410. n. 1.

riis Coſſ. Tertullum apponere, ab Attalo quidem creatum, *ſed à Faſtis abjectum.* At ſi quid noſtra conjectura valet, Tertullus non ordinarius quidem, ſed ſuffectus Conſul fuit, utpote qui eo munere functus eſt, cùm Attalus imperabat, quo ejecto, ordinarium Conſulis officium exercere non potuit. Anno quidem proximo diademа purpuramque, quibus Attalum ſpoliaverat, Honorio miſerat Alaricus, ut ad illum & ipſum annum Tertulli Conſulatus pertinere videatur, quo etiam tempore dixit, *Loquar vobis P. C. Conſul & Pontifex, quorum alterum teneo,* Conſulatum ſcilicet, *alterum ſpero.* Conſulatum igitur adiit ſuffectum anno 409. non ordinarium anno 410. Nulluſque in Occidente Conſulem egit, dum Varanes Faſtos in Oriente referat, quia ditioni Honorii Roma tum eripiebatur. Quid ſibi velint Faſti Idaciani, prorſus ignoramus: *Honorio IX. & Varari, quod fuit Tertullo.*

De tempore expugnatæ ab Alarico urbis.

II. Ejecto Attalo, ſpes erat ſemianimum Honorii imperium reſtitui poſſe. Sed fatum Romæ venerat, neque clades quam Deus conſtituerat, vitari potuit. Cum copiis Ravennam profectus erat Alaricus, firmam cum Honorio pacem facturus, ſed fortuitum ejuſmodi conſilio impedimentum opponitur. *Sarus* nec Alarici, nec Honorii partibus conjunctus, cum perexiguis Barbarorum copiis in Piceno morabatur. Ataulfus, qui erat infeſto in eum animo, ob exortas olim inimicitias ad ea loca accedit, in quibus Sarus conſiſtebat. Cui cùm copiarum ſatis non eſſet prælio committendo, ad Honorium profugere ſtatuit, & cum eo adverſus Alaricum belli ſe ſocium præbere. Ducebat milites circiter trecentos fortes & fidos, qui impetu in Gothos facto, nonnullos interfecere. Clade ſuorum, & irâ percitus, & metu Alaricus ſubitò Romam reverſus, eam obſidet, turbat, irrumpit. Quo porro & modo, & tempore Alarici in poteſtatem venerit, eſt in obſcuro. Sozomenus, *Romam*, inquit, *iterum obſeſſam, proditione cepit.* Anno urbis CCCCLXIV. expugnatam fuiſſe tradunt Oroſius, Miſcellanea, Cedrenus, repugnantibus Proſpero atque Marcellino, ut prodigio ſit, memorandæ cladis annum eſſe in incerto. Proſpero magis aſſentimur, qui cladem Romanam Varanis affigit Conſulatui, quæ & Marcellino Chronologia eſt. De menſe verò placet nobis Miſcellanea: *Capta eſt Roma IX. Kal. Septembris*, quæ Chronologia veri ſimilitudinis multum arripit ex verbis Hieronymi, hæc Euſtochio ſcribentis, in Proœmio ad librum ſeptimum Commentariorum Ezechielis: *Furtivis noctium horis, quæ hyeme propinquante longiores eſſe cœperunt, hæc ad lucernulam, qualiacunque ſunt, dictare conamur. Nec jactamus, ut quidam forſitan ſuſpicantur, fratrum ſuſceptionem, ſed morarum cauſas ſimpliciter confitemur, præſertim cùm Occidentalium fuga, & Sanctorum Locorum conſtipatio, nuditate atque vulneribus indigentium, rabiem præferat Barbarorum, quos abſque lacrymis & gemitu videre non poſſumus.* Quòd ſi Calendis Aprilis expugnata fuiſſet, uti Calviſio aliiſque placuit, propinquante non hyeme quidem, ſed æſtate potius profugi ad Palæſtinam appuliſſent.

Alaricus azyla in urbe ſtatuit. Quid à Gothis actum?

III. Quæ penè incredibili in urbis expugnatione memoratu digniora geſta ſunt, ſilentio non ſunt prætereunda. Fortitudinis Alarici fuit, quòd orbis dominæ civitatis poteretur; manſuetudinis, quòd azyla miſeris concederet: quâ humanitate bellicam ſanè gloriam longiſſimè ſuam ſuperavit. Conſtat quidem, antequam urbem irrumperet, præcepiſſe, *Ut ſi qui in Sancta Loca, præcipuèque in Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos in primis inviolatos, ſecuroſque eſſe ſinerent.* Neque ipſi vel Ethnici perfugium reſpuere, qui quod odio habebant, Chriſtiani nomen ſibi impoſuere, ut Eccleſiarum altaribus tecti, Barbarorum gladiis eriperentur.

Oroſ. l. 7. c. 39.

Quo tamen beneficio malè uſi ſunt, utpote qui conviciis benè multis Servatoris religionem laceſſerent, ut obſervatum Auguſtino: *Quod nomen multi eorum mendaciter uſurparunt, ut effugerent pœnas præſentis exitii. Nam quos vides petulanter & procaciter inſultare ſervis Chriſti, ſunt in eis plurimi qui illum interitum, cladem que non evaſiſſent, niſi ſervos Chriſti ſe eſſe finxiſſent.* Scilicet in Sacris Locis vitam invenere: *Teſtantur hoc Martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione urbis, ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt*, ut eodem capite memorat Auguſtinus. Præceperat & Alaricus prædæ inhiantibus, ut à ſanguine temperarent. Aberat tum temporis Innocentius, cui hoc Dei numen induliit, ut dum Ravennæ moratur, *peccatoris populi non videret excidium.* Mandato ſui Principis ſive ſpontè, ſive metu Gothi obtemperavere. Eſt in exemplis pietatis militaris factum notabile, quod æternæ memoriæ conſecravit Oroſius: *Diſcurrentibus itaque per urbem Barbaris, fortè unus Gothorum, potens & Chriſtianus, ſacram Deo Virginem jam ætate provectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperit: cumque ab ea aurum argentumque honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit & protulit. Dumque expoſitis opibus, attonitum Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignotâ etiam vaſorum qualitate videret, virgo Chriſti ad Barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt: præſume ſi audes, de facto tu videris, ego quia defendere nequeo, contendere non audeo.* Quæ cùm Alarico Gothus ſignificaſſet, Petri in Baſilicam vaſa referri juſſit. Domus à Baſilica longo intervallo diſſidebat: *Itaque magno ſpectaculo omnium diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata, palam aurea atque argentea vaſa portantur, exertis undique ad defenſionem gladiis, piâ pompâ munitur: hymnus Deo, Romanis Barbariſque concinentibus publicè canitur.*

Aug. de Civit. l. 1. c. 1.

Oroſ. l. 7. c. 39.

Hanc concordiam religionis amor inſtillabat, ut urbe tubis, clamoribuſque perſonante, Romani in Gothos, vel Gothi in Romanos migraſſe viderentur. Egregium hoc Alarici facinus celebrat & Caſſiodorus l. 12. Alarico tamen ludibria dedit majeſtas imperii, quod ut irrideret, uno die Attalum rurſus, & Auguſtum creat, & ad privatam fortunam redigit: *In hoc Alaricus Imperatore facto, infecto, refecto ac defecto, citius his omnibus actis penè quàm dictis, mimum riſit, & ludum ſpectavit Imperii.* Quod momento factum legitur in Miſcellanea: *Attalum unâ die tanquam Imperatorem fecerunt procedere; alterâ verò ſervi ſchemate miniſtrare.* In expugnatione urbis captam eſſe *Placidiam* Honorii ſororem, apertè indicant Olympiodorus apud Photium, & Oroſius. Cujus de Ataulfo verba ſunt: *Captivâ ſorore Imperatoris in uxore aſſumptâ Alarico in regnum ſucceſſerat.* Eſt quidem vero ſimilius, captivam fuiſſe quàm obſidem.

Oroſ. l. 7. c. 42.

Miſc. l. 13.

Oroſ. l. 7. c. 43.

Quid Marcellæ contigerit? De cladis Rom. magnitudine.

IV. Quid cum Marcella actum, nobili fœmina, nunc exponendum. Ingreſſos Gothos vultu excipit intrepido: *Cumque poſceretur aurum,*

rum, & defoſſas opes vili excuſaret tunicâ, non tamen fidem fecit voluntaria paupertatis. Caſam ſuſtibus flagellisque, aiunt non ſenſiſſe tormenta, ſed hoc lachrymis, hoc pedibus eorum proſtratam egiſſe, ne te à ſuo conſortio ſeparatent, ne ſuſtineret adoleſcentia, quod ſenilis ætas timere non poterat. Chriſtus dura corda mollivit, & inter cruentes gladios invenit locum pietas. Cùmque & illam & te ad B. Pauli Apoſtoli Baſilicam Barbari deduxiſſent, ut vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulcrum, in tantam lætitiam dicitur erupiſſe, ut gratias ageret Deo, quòd te integram ſibi reſervaſſet. Quæ ad Principiam verba ſunt Hieronymi.

Hier. Ep. 16.

Itaque Oratoris potius quàm Hiſtorici ille ipſe Hieronymus perſonâ fungebatur, dum cladem Romanam ſic deſcribit in ſua ad Gaudentium Epiſtola: *Urbs inclyta, & Romani Imperii caput, uno hauſta eſt incendio. Nulla eſt regio, quæ non exules Romanos habeat: in cineres ac favillas ſacra quondam Eccleſiæ conciderunt, & tamen ſtudemus avaritiæ.*

Hier. Ep. 12.

Memoriâ quoque recondenda eſt inſignis hiſtoria, quæ in Sozomeno legitur. Alarici miles Arianus, mulieris Catholicæ egregiâ formâ captus, ad ſtuprum eam trahebat. Repugnanti Barbarus nudato gladio mortem minatur: levi quoque brachio ſuperficie tenus ipſius collum percutit. Tum cruore ſuperfuſa mulier, cervicem gladio ſubjecit. Quam & caſtitatem, & fortitudinem miratus Gothus, Petri in Baſilicam mulierem duxit. Eſt tamen in confeſſo, non eandem Barbaris omnibus temperantiam fuiſſe. Sacrarum Virginum violatæ nonnullæ.

Soz. l. 9. c. 10.

Hoc indicant verba Hieronymi ad Demetriadem: *Vidiſti te captivam, & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis; horruiſti truces hoſtium vultus; raptas Virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti.*

Hier. Ep. 8.

Fatetur & Auguſtinus ſtupra commiſſa, & in aliena matrimonia, & *in quaſdam Sanctimoniales.* At prodigio ſanè eſt, Barbarorum licentiam non majorem fuiſſe. Triduum ab Alarico conceſſum urbi diripiendæ, quæ annos amplius mille in exhauriendo terrarum orbe conſumpſerat, ut notum fieret omnibus, Chriſtum Romam caſtigari voluiſſe, extingui noluiſſe: *Tertiâ die Barbari, quâ ingreſſi urbem fuerant, ſponte diſcedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, ſed ne tanto quidem, quantum ſeptingenteſimo conditionis ejus anno caſus effecerat.* Subjungit Oroſius notabilia hæc: *Et ne quiſquam fortè dubitaret, ad correptionem ſuperbæ laſciviæ, & blaſphemæ civitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum, eodem tempore clariſſima urbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ inflammari ab hoſtibus nequiverunt.*

Oroſ. l. 7. c. 39.

Hîc diverſus ab Oroſio Marcellinus tradit, ſex dies diripiendæ urbi Gothis fuiſſe conceſſos. Facillimum quidem Alarico fuit, Romanum Imperium tenere, ſed urbi caſtigator, deſtinabatur, non Rector, ne Princeps Arianus in molles hominum animos influens, rectam de Chriſto ſententiam labefactaret. Narrat Egnatius, quòd cùm nunciatum Honorio eſſet Ravennæ Romam perditam, credidit ille, de pugnaci gallo, cui Romæ nomen erat, ſignificatum eſſe, admiratumque vehementer tam ſubitò periiſſe eum, qui cùm paulò antè feſtiviſſimè luſerat. Autorem fabulæ Calviſius Agathiam memorat, quam tamen in eo nondum reperire potuimus. Cujuſcunque ſanè fuerit rumor ille, falſo propius abeſſe nobis videtur. Cùm Honorio probè nota foret virtus Alarici, qui ſemel & iterum Romam anno ſuperiore ad incitas redegerat. Profuit poſteris Romana clades, & exemplo, quo diſcimus, divitiis, magnitudini, opibuſque nimium non eſſe credendum, & occaſione, quam Auguſtino præbuit condendi aureos de Civitate Dei libros, quos anni ſub exitum inchoaſſe videtur. Verba ſunt Autoris: *Interea Roma Gothorum irruptione, agentium ſub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis everſa eſt. Cujus everſionem Deorum falſorum multorumque cultores, quos uſitato nomine Paganos vocamus, in Chriſtianam religionem referre conantes, ſolito crebrius & amarius Deum verum blaſphemare cœperunt. Unde ego exardeſcens zelo domus Dei adverſus eorum blaſphemias, vel errores libros de Civitate Dei ſcribere inſtitui. Quod opus per aliquot annos me tenuit.*

Aug. Retract. l. 2.

Onuſti ſpoliis Romanorum, quæ totius olim orbis fuerant, Gothi in Campaniam primùm, Lucaniam deinde migrantes, per arma, per viros latè ſtrages dedere. Ut Occidenti calamitatis multum, ſic Orienti terroris non minimum Barbari intulere. Ne verò Theodoſii & imperium Gothicus furor laceſſeret, Princeps reſcripſit Anthemio, Ut *ſtationes navium, portus, littora, omnes abſceſſus Provinciarum, abdita quin etiam loca, inſulaſque* ſoleniſſimè cuſtodiret, ſolis Honorii Legatis pervias.

Cod. Th. l. 2. de lit. & itin. cuſt.

Urbis cladi diu non ſuperfuere viri inſigneſque fœminæ, quæ ei fuerant ornamento. Ad plures enim anno labente abiiſſe Pammachium & Marcellum, ex verbis Hieronymi, quo cum amicitia conjungebantur, colligimus: *Ecce ſubitò mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obſidio, multorumque fratrum & ſororum nunciata eſt, atque ita conſternatus obſtupui, ut nihil aliud diebus ac noctibus niſi de ſalute omnium cogitarem.*

Hier. Præf. in Ezech.

Clades Hiſpaniæ ob corruptionem morum immiſſa.

V. Lugente Româ, mœrentibuſque in Italia animantibus & hominibus, in lachrymas etiam Hiſpania vocabatur, à Gunderico Rege Vandalorum miſere vexata. Neque Barbari duntaxat, ſed peſtis etiam, fameſque in Hiſpaniarum perniciem armabantur. Lamentabilis hiſtoriæ ſeriem, triſti Idacii ſtylo conditam, tradimus: *Debacchantibus per Hiſpanias Barbaris, & ſæviente nihilominus peſtilentiæ malo, opes & conditam in urbibus ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exhaurit. Fames dira graſſatur, adeò ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ. Matres quoque necatis, vel coctis per ſe naterum ſuorum ſunt paſtæ corporibus. Beſtiæ occiſorum gladio, fame, peſtilentiâ, cadaveribus aſſuetæ, quoſque hominum fortiores interimunt, horum carnibus paſtæ, paſſim in humani generis efferantur interitum; & ita quatuor plagis, ferri, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, ubique in toto orbe ſævientibus, prædicta à Domino per Prophetas ſuos adnunciationes implentur:*

Saxa jacent, nulloque domus cuſtode tenetur;
Rarus & antiquis habitator in urbibus errat.

Lucan. l. 2. v. 26.

Horrenda dictu de Hiſpaniæ calamitatibus narrat Olympiodorus, cujus verba referre placet: *Dum Vandali Hiſpanias vaſtant, qui in muratas ſe urbes Romani receperant, eo inedia adacti ſunt, ut invicem ſe laniando edere cogerentur. Ibi mulier una, quatuor liberorum mater, omnes devoravit, ad ſingulos prætexens, reliquos ſe alere, ac ſalvare velle, donec omnibus abſumptis, lapidibus à plebe obruta eſt.*

Phot. Bibl. p. 190.

Ut Italicæ, ſic & Hiſpanicæ cladis una communiſque cauſa fuit, corruptela morum, cui juſtæ & debitæ pœnæ ſolvebantur. Hoc teſtatur Salvianus Maſſilienſis Presbyter: *Quid Hiſpanias? Nonne vel eadem, vel majora*

Salvian. l. 7.

ſerſitan

forſitan vitia perdiderunt? Quas quidem cæleſtis ira etiamſi aliis quibuſlibet Barbaris tradidiſſet, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed acceſſit hoc ad manifeſtandam illis impudentiæ damnationem, ut Vandalis potiſſimum, id eſt, pudicis Barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate Deus oſtendere voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem, cum & Vandalas ob ſolam maximè pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam maximè impudicitiam ſubjugaret.

Paulinus Epiſcopus Nolenſis. Natale VIII. Felici ſolvit. Nola obſidetur. Civibuſne Felix apparuerit?

VI. Attento animo imperii clades memoravimus, noo remiſſiore nunc ſtudio res Eccleſiaſticæ narrentur. Dum Gothi Campaniam populantur, offert ſe nobis *Paulinus*, qui Barbarorum Nolam expugnantium vexationes patitur. Jam ad Epiſcopatus honorem aſcendiſſe, Barbaris civitatem eam obſidentibus, eruditis in conſeſſum venit. Quoto verò anno Antiſtes creatus ſit, non ſatis liquet. Anno proximo paſtorali pedo donatum eſſe vero ſimilius: hoc autem munus ſuum ſolitâ pietate & diligentiâ exornavit, quem Barbarorum telis clypeum objiciebat. Hoc anno ſolens more ſuo Felici Confeſſori natale ſolvit, XVIII. uti putamus Januarii die uno tardius, quàm Romano in Martyrologio celebratur. Eſt enim in Carthaginenſi Calendario ſcriptum XVIII. *Kal. Februarii, Sancti Felicis Nolenſis.* Natale Felicis octavum eo tempore conditum eſſe, variis carminibus indicatur:

Tempus erat lætis modò promere gaudia verbis,
Anxia ſi lætas paterentur tempora voces:
Sed tamen iſta dies, licet inter prælia, nobis
Lætitiâ paciſque dies erit; horrida longè
Bella fremant, noſtris pax libera mentibus adſit.

Dum ferro flammâque huic urbi Gothi minitantur, fama eſt, Felicem Nolenſibus ſuis ſe conſpicuum exhibuiſſe. Id ſe à viris fide dignis audiviſſe teſtatur Auguſtinus, qui à Paulino interrogatus, utrùm proſit cuique poſt mortem, quòd corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur, ex viſione probat, mortuos vivis adeſſe: *Hinc*, inquit, *ſolvitur illa quæſtio, quomodo Martyres ipſis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui quid agant vivi. Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipſis hominum aſpectibus Confeſſorem apparuiſſe Felicem, cujus inquilinatum piè diligis, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis.* Quæ ne quid diſſimulemus, Felicis manifeſtatio ſcrupulos nobis multos injicit. Teſtibus Auguſtini Scripturæ autoritas longè major, atque certior, diſertè negat, beatarum animarum è cœlo in terram excurſus *Ii, qui volunt tranſire ad vos, non poſſunt*; mortalibuſque qui Moſem habent & Prophetas, tali auxilio non opus eſſe teſtatur. Præterea teſtes illi *certi*, quos Auguſtinus excitat, diverſæ prorſus opinionis ſunt ab illa Veterum, quibus ignotum penitùs fuit, nùm juſtorum ſpiritus res humanas adminiſtrarent, ut diſertè teſtatur Origenes: *Jam verò ſi etiam extra corpus poſiti, vel Sancti qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant, vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti, agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, habeat hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria.* Quòd ſi ſeculo Origenis Cœlitum animæ deſcendebant, ut res curarent noſtras, quod de Felice Nolano creditum, potuiſſetne Origenes *ad occulta* Dei amandare quæſtionem, nùm juſtorum corporibus ſolutorum ſpiritus *aliquid laborarent pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum?* Nondum igitur ea cura quietos ſollicitabat, licet ſanguinis rivis Eccleſia penè inundaretur. Sed & illud difficultatis eſt ſolvendum, quî mens Felicis, quæ corpore ſoluta erat, hominum aſpectibus apparuerit, cùm ea ſit natura ſpirituum, ut in oculos non occurrant. An ergo proprio, vel mutuatitio corpore conſpicuus Felix redditus eſt? Si proprio, igitur ad vitam revocatus, quomodo defuncti illi, qui Chriſto moriente ingreſſi ſunt Hieroſolymam: ſi aſſumpto, qui igitur pro Felice agnoſci potuit, aut cur cùm haberet proprium, alieno corpore uſus eſt? Non ſit autem veroſimile, Nolenſi in obſidione aut ſuſcitatum Felicem eſſe, aut alterum ſibi corpus aptaſſe. Quid quod quæſtio à Paulino mota, de viſo Felice narrationem prorſus evertit. Ambiguum quidem Paulino eſſe non potuit, prodeſſe alicujus ſepulturam apud memorias Martyrum, ſi & ea loca luſtrarent, & illic ſe orantium ante oculos ſiſterent, quod demonſtratum Felicis manifeſtatione Paulinus ignorare non potuiſſet. His & illud accedat, quòd ex ea viſione nil ad Nolenſem urbem emolumenti rediit, quæ à Barbaris vaſtata eſt. Ut mirum ſit, Baronium ſcripſiſſe, *Felice patrono populum Nolenſem nil mali paſſum eſſe.* Scilicet major Felicis vaſtiorque potentia, quàm ea Petri Paulique fuit, qui afflictis rebus Romanorum nil auxilii præbuere. Quid igitur de teſtibus Auguſtini fiet? Cùm ſit ita comparatum, illos qui amant, amorum ſuorum imaginibus crebrò in mentem recurrentibus commoveri, ſic Felicis, de cujus auxilio multum Nolenſes ſperabant, ſpecie mentibus inhærente, ſive noctu, ſive diu, perculſi ipſum Felicem ſe vidiſſe crediderunt. Non ita eſt profectò, ut apparitiones ejuſmodi certis potentiſſimiſque Scripturæ teſtimoniis opponantur, docentibus paſſim, mundi caſus beatis mentibus ignorari: *Partemque nullam eis amplius eſſe in ulla re, quæ fit ſub Sole.* Neque Felicis ille Nolanam in civitatem deſcenſus cum Auguſtini ſatis conſentit, qui libro de Cura pro Mortuis, capite 15. hæc loquitur: *Fatendum eſt neſcire quidem mortuos, quid hic agitur. Poſteà verò audire ab iis, qui hinc ad eos moriendo pergunt.* Atqui ſi Felix dum *Nola* obſidetur, eam ingreſſus, quidni ea ſciviſſet, quæ ibi agebantur, aut cur opus Confeſſori fuiſſet, illa audire, ob iis qui moriendo ad ipſum tendebant, cùm geſtorum teſtem oculatum præſtaret? Neque ullam chariſſimæ matris viſitationem unquam Auguſtinus impetravit, magnum dulciſſimo filio Monicam deſideranti ſolatium. Quòd ſi beatorum animæ terras luſtrant, cui potius Monica auxilium gaudiaque afferre debuit, quàm optimo gnato? Ex Sanctorum viſitationibus ejuſmodi id detrimenti accepit Religio, quòd cultus & adoratio Martyribus exhiberetur apotheoſi donatis, ut meritò ingenioſi Poëtæ de Ænea carmen uſurpari queat:

Ambroſia dulci cum nectari miſta
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, Temploque ariſque recepit.

VII. Cæterùm utrùm Sanctorum animæ ad homines redeant, necne, cùm quæſtio ſit momenti

Aug. de Cur. pro Mort. c. 16.

Lucæ c. 16. v. 26.

Origen. in Rom. cap. 2. l. 2.

Bar. An. 410. n. 46.

Eccl. 9 8.

Num Beatorum animæ in terras redeant?

menti ad pietatis, antiquitatiſque notitiam longè maximi, in ea paululum immorari placet. Qui in Sacris Oraculis verſantur, ſciunt & tenent, mortalium curam non cœleſtibus quidem animis, ſed Angelis eſſe à Deo demandatam. Itaque Angeli ſæpenumerò quidem, Sanctorum autem animæ Cœlo delapſæ nunquam in Scriptura Fidelibus familiariter utuntur. Jacobo patriam repetenti Angeli Dei obviam veniunt, non Beatorum animæ. Lugentem Danielem ſolatur Angelus, non Abelis, aut Abrahami ſpiritus. Tritum eſt atque omnibus obvium Davidis Oraculum: [*Pſalm. 91. v. 29.*] *Angelis ſuis præcipiet de te, ut conſervent te in omnibus viis.* De Cœlitum mentibus certantes in mundo Fideles cuſtodientibus, nulla promiſſio ejuſmodi in Scriptura legitur. Hinc de ſolis Angelis dictum: [*Hebr. 1. 14.*] *Nonne omnes ſunt miniſterii munere fungentes Spiritus, qui miniſterii cauſâ emittuntur, propter hæredes ſalutis futuros?* Quidni Sanctorum animis id muneris tribuitur, ſi illis quoque fuit à Deo impoſitum? Non mens ſanè ſive Joannis Baptiſtæ, ſive Stephani Martyris Petrum Herodiano carcere liberat, Paulum periculo naufragii proximum ſolatur, Joanni Apocalypſis pandit arcana. Angelorum ea provincia eſt, quam egregiè, fideliterque ſuſceptam adminiſtrarunt. Cypriano hæc mens fuit, cui Nemeſianus hæc ſcribit Epiſtolâ 78. *Rogemus, ſicut mandaſti, ut Deum, & Chriſtum & Angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores.* De Sanctorum ſpiritibus ne verbum quidem, quia non ſunt nobis cuſtodes dati. Neque priſcis ſeculis creditum, beatas animas Cœlo delapſas, præſentes mortalibus adfuiſſe. Irenæus [*Iren. l. 5. 31.*] in alia prorſus ſtat ſententia, dum ſcribit: *Manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus* (Chriſti) *propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum definitum à Deo, & ibi uſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem.* Eâdem & opinione imbutus Origenes: [*Orig. de Princ. l. 2. c. 11.*] *Puto*, inquit, *quòd Sancti quique diſcedentes ex hac vita, permaneant in loco aliquo in terra poſito, quem Paradiſum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, & ut ita dixerim auditorio.* Neque ab ea ſententia variat diſſidetque illa Lactantii: [*Lact. l. VII. c. 21.*] *Omnes in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen.* Ad refellendas beatorum animarum in terras excurſus, quo quid diſertius dici poteſt? Quippe ſi rebus noſtris interſunt, non in Paradiſo ad reſurrectionem uſque *commorantur*. Non in eo *permanent*, non in eo *detinentur*, quod verbis expreſſis à laudatis Auctoribus aſſeritur. De Angelis quidem atque Dæmonibus quàm abſurdiſſimè diceretur, illos Cœlo, hos inferno *detineri*, cùm certum exploratumque ſit ad implenda miniſteria ſua utroſque terrarum orbem obire. Irenæi, Origenis, Lactantii accedit ad ſententiam Scriptor ille Quæſtionum, qui ſub nomine larvaque latet Juſtini Martyris. Sic enim reſpondet ad quæſtionem: [*Juſtin. Q. 76.*] *Quæ fuit utilitas latroni, quòd anima ipſius in Paradiſum eſt illata.* Utilitas hæc fuit, *quòd dignus reputatus eſt, qui Sanctorum cœtui adjungeretur, in quo uſque ad diem reſurrectionis & remunerationis reſervatur.* Ne vel ſomniando quis arbitraretur, Barbaris Nolam oppugnantibus, Felicem in Cœlo cuſtodire, ſi civitatis hujus incolis apparuit, aut conſpicuum eorum oculis ſe præbuiſſe, ſi ad diem reſurrectionis uſque Sanctorum cœtui includitur.

Verùm inſignis pro noſtra ſententia locus extat in Quæſtionibus ad Antiochum apud Athanaſium: *Animæ quæ nos prævenientes decedunt, inviſuntne hanc vitam rurſus, vel non?* Reſpondet verò, *Nequaquam.* Urget inſtatque Auctor: *Quaſi hæc ita ſunt, quomodo apparent Sancti multi toties in ſuis Templis, & tumulis?* Quærenti ſic perſolvit: [*Athan. Q. 26.*] *Illa quæ apud Templa & tumulos Sanctorum ſiunt, ſed per Sanctos Angelos transfiguratos in ſpeciem Sanctorum. Quomodo enim, cedo mihi, una exiſtens B. Petri, aut Pauli anima poteſt in eodem momento apparere in ſuo monumento, & in mille Templis ſuis per totum mundum? Hoc enim nec Angelus unus facere poſſet aliquando. Solius enim Dei eſt, in duobus locis, & per totum mundum in eodem momento inveniri.* Ad Pſeudo-Athanaſii mentem loquitur Angelus Gabriel apud *Eginardum* de Marcellini reliquiis: Albrico [*Bar. An. 828. n. 8.*] apparuit *per viſum quidam vir, canitie venerabilis, veſte candidâ indutus, virgam auream manu tenens*, qui talia latur: *Noſti me, quis ego ſim? Tum ego nihil hæſitans, S. Marcellinum eum eſſe reſpondi: & ille, Non ita eſt, inquit, ut opinaris, ſed Gabriel Archangelus ego ſum, perſonamque ad formam Marcellini ideò aſſumpſi, quia Dominus Deus rerum ac cauſarum ad iſtos Martyres pertinentium curam mihi commiſit.* Quòd ſi viſis ejuſmodi fidem aſtringi noſtram pateremur, in promptu reſponſio eſſet, non Felicem, non Martyres oculis mortalium conſpicuos fuiſſe, ſed Angelos eorum ſpecie. Inficias tamen ire nolumus, quin complurium mentes opinio impleverit, ipſaſmet Cœlitum animas res Chriſtianorum curare; Angelorum in morem amicos viſitaſſe ſuos; Templis tumuliſque ſuam præſentiam afferre. Hoc ſibi vult Baſilius ſua in XL. Martyres Homiliâ: *Qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad Quadraginta confugit: qui lætatur, ἐπαυτὺς ad eos accurrit.* Similiter Syneſius ad Aurelianum Epiſtolâ, quæ XXXI. numeratur: *Si ulla ſunt civitatum animæ, ut reverà ſunt Præſides divinæ, & è geniorum numero, univerſas puta gratiam habere tibi . . . Proinde illas ipſas ſingulis temporibus adeſſe tibi credite advocatas & ſocias, communemque pro te Deum precari.* Verùm enimverò, qui in ejuſmodi ſententiam deſcenderunt, poſt Conſtantinum Magnum floruere. Eſt autem indignum, Antiquitatem novitati cedere. Præterea illud etiam eſt atque etiam obſervandum, ex Ethnicorum lacunis id opinionis hauſtum non prudenter ſatis invectum fuiſſe in religionem. Qua de re inſignis eſt apud Clementem locus, Strom. l. 6. 455. *Exiſtimant nil referre, an has animas, Deos, an Angelos dicamus. Jam verò qui ſunt eorum doctrina periti, in multis Templis tanquam Deorum ſtatuas, omnes ferè mortuorum loculos poſuere, Dæmones quidam vocantes eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, ut quæ divinâ providentiâ propter vitæ puritatem poteſtatem acceperint, ut ad hominum miniſterium locum, qui eſt circa terram, obirent.* Similia leguntur in Apuleo de Deo Socratis: *Eſt & ſecundo ſignificatu ſpecies Dæmonum animus humanus, emeritis ſtipendiis vitæ corpore ſuo abjurans. . . . Ex hiſce ergo Lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto numine domum poſſidet.* Hinc Libanii ad Julianum apoſtrophe: [*Socr. l. 3. c. 23.*] *O Dæmonum alumne, Dæmonum diſcipule, Dæmonum aſſeſſor.* Ex ea opinione tandem ad Martyrum cultum & invocationem perventum, quos veluti præſentes precibus adibant ſuis.

ANNO DOM. 410.

Quid in Nolenſi obſidione Paulinus egerit? Num redimendo captivo in Africam migrarit?

VIII. Ad gloriam Paulini amplificandam Nolenſis expugnatio protuit. Dum barbaria manibus tenebatur vexandus, precibus ſuis Deum adiit, quibus effectum eſt, mutatâ feritate molles Gothorum animos reddi: *Paulinus noſter Nolenſis Epiſcopus ex opulentiſſimo divite voluntate pauperrimus, & copioſiſſime ſanctus, quando & ipſam Nolam Barbari vaſtaverunt, cùm ab eis teneretur, ſic in corde ſuo, ut ab eo poſteà cognovimus, precabatur, Domine, non excrucier propter aurum & argentum, ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis. Ibi enim habebat omnia ſua, ubi eum condere & theſaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixit.* Quid in Paulino magis laudemus, divitiarum contemptum, an humilitatem, non ſatis ſcimus. Modeſtiam quidem ſummam oſtendit in Epiſtola, quam jam Epiſcopus anno CCCCXI. Auguſtino ſcripſit, quem ſic compellat: *Sancto Domino beatiſſimo, & unicè nobis unanimo ac venerabili patri, fratri, Magiſtro Auguſtino Epiſcopo, Paulinus & Teraſia peccatores.* Ætate hominum memorabilis rumor inveteravit de facto Paulini, dum Nola expugnaretur, quod non eſt ſilentio prætereundum. Autorem habemus Gregorium Magnum in Dialogis: *Hoc tempore, quo ſcilicet Vandali cum Mauris, captâ Româ, totum Campaniæ tractum popularentur, Nolamque miſerâ ruinâ diruerent, Paulinus Epiſcopus Nolanæ Eccleſiæ, vir ſanctiſſimus, & ſicut ſcribit Gregorius, eloquentiſſimus, profanaque eruditionis in primis doctus, nec prophetico ſpiritus expers, cùm redimendis Chriſtianis captivis cenſum omnem conſumpſiſſet, videretque viduam, captivum filium effictim lugentem & lamentantem, tamque immodicas lachrymas pietati admixtas, multò magis pius ipſe ferro non poſſet, cùm vidua in Africam, ubi captivus erat filius, trajecit. Ibi vicariis manibus redemptum filium matri reddidit. Paulinus verò cùm ejus ſanctitas etiam barbariſſimis eſſet hominibus venerabilis, juſſus eſt in patriam cum ſuis omnibus civibus dono acceptis redire.* Non miramur quidem Baronium exiſtimantem, quòd *hiſtoria hæc leviter rejici non debeat.* At nobis ſanè non levem Petavius admirationem efficit, quam Rationario ſuo fabulæ ſe credulum præbuit, undique diffluentis. Vandali quidem urbe potiti ſunt anno CCCCXLV. Valentiniano VIII. & Anthemio Coſſ. At eo tempore ad fata jam venerat Paulinus, annis XIV. ante Geiſerici in Italiam expeditionem. Neque Vandali ſpoliatâ Româ, de obſidenda Nola in Campaniam conceſſere. Itaque ſi redimendo captivo ſeſe captivum Paulinus tradidit, id contigiſſe debuit non Vandalis, non Genſerico, ſed Alarico cum Gothis ſuis Italiam vaſtante, qui Gregorii primus & magnus error eſt, Vandalos cum Gothis permiſcentis. Egregiè quoque fallitur dum narrat, in redimendis captivis Nolenſibus Paulinum facultates exhauſiſſe, quas tum temporis nullas habuit, ut nupèr ex Auguſtino didicimus. Neque rem memoratu digniſſimam præteriiſſet Auguſtinus, qui quæ Paulinus dixit, dum Gothorum in manibus verſabatur, ſcripto mandavit. Prætereà Alarico nil juris erat in Africam, ut captivos eò deportaret. Denique non eo inſaniæ provectus fuiſſet Paulinus, qui ſeſe, officiaque ſua Eccleſiæ debebat, ut pro redimendo uno capite laqueos indueret. Non eſt iſta pietas quidem, ſed imprudentia longè maxima. Salvandæ Gregorianæ fabulæ Baronius ait: *Captivos ex Campania viri in Africam abductos, non bello aliquo, ſed Vandalicæ claſſis invaſione.* At ut libuit Baronio ea fingere, liceat & nobis ea ſpernere, & pro nihilo putare. Commentum quidem quod ipſi placuit, cum Gregorio pugnat, qui non ſubitariam Vandalicæ claſſis memorat invaſionem, ſed & Romanæ, & Nolenſis civitatis à Barbaris expugnationem. Faceſcat ergo cum Baroniano commento Gregorii fabula.

Aug. de Civit. l. 1. c. 10.

Paul. Ep. 44.

Gregor. Dial. l. 3. c. 8.

Bar. An. 441. n. 193.

Bar. An. 431. n. 194.

Carthaginenſis Synodus contra Donatiſtas.

IX. Africam progreſſo occurrit Synodus Carthaginenſis contra Donatiſtas celebrata, cujus tenuia extant in Africano Codice veſtigia, qui tamen errando numerum Theodoſii Conſulatuum uno adauxit, quos quatuor recenſet, qui tribus duntaxat continebantur: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii VIII. & Theodoſii IV.* (legendum III.) *Auguſtorum*, XVIII. *Kal. Julias, Carthagine in Baſilica regionis ſecunda. In hoc Concilio legationem ſuſceperunt contra Donatiſtas Florentius, Poſſidius, Præſidius, Vonantius Epiſcopi eo tempore, quo Lex data eſt, ut liberâ voluntate quis cultum Chriſtianitatis exciperet.* Neceſſitate coactus Honorius ruente imperio, remiſſiore fuerat tam in Paganos, quàm in Hæreticos animi. Verebatur ne Donatiſtæ tot Legibus exaſperati, Attali Tyranni partes in Africa ſequerentur. Copiam ergo rituum ſuorum exercendorum Donatiſtis fecerat. Id Reſcripti innuit Lex data VIII. Cal. Septembris miſſaque Heracliano Africæ Comiti: *Oraculo penitùs remoto, quo ad ritus ſuos Hæreticæ ſuperſtitiones obrepſerant, ſciant omnes Sanctæ Legis inimici, plectendos ſe pœnâ & proſcriptionis & ſanguinis, ſi ultra convenire per publicum execranda ſceleris ſui temeritate tentaverint.* Oraculum, Lex ea eſt, quæ publicè coeundi Hæreticis poteſtatem fecerat, cujuſque Africani Patres meminere, quæ rogantibus Synodi ſuæ Legatis abrogatur, propoſitâ proſcriptionis atque ſanguinis pœnâ. Eâ quoque legatione impetratur, ut Catholicos inter & Donatiſtas de religione collatio inſtitueretur, quæ anno ſequente habita eſt. Extat de Collatione inſtituenda Decretum Honorii, datum Ravennæ *pridie Idus Octobris*, quo Flavius Marcellinus Tribunus & Notarius diſputationi Judex conſtituitur, quas partes ſanctiſſimè implevit in Collatione, ut inferius videbimus: *Studio*, inquit, *pacis & gratia venerabilium virorum Epiſcoporum legationem libenter admiſimus, qua congregari Donatiſtas Epiſcopos ad cœtum celeberrimæ deſiderat civitatis, ut electis etiam Sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet. Quam rem intra quatuor menſes præcipimus explicari.*

Cod. Afr. c. 107.

Cod. Th. l. 6. 170.

Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus creatur. Ipſius vitæ breviarium.

X. Carthagine nos ad Pentapolim vocat Syneſius, vir & ad Arcadium legatione, & eruditione ſuâ nobilis, qui Cyrenenſem Epiſcopatum adipiſcitur. Clari Syneſio natales contigere, ut ipſe prodidit: *Ab Euryſtene, qui Dorienſes in Spartam deduxit, ad meum uſque patrem generis ſucceſſiones publicis tabulis inſcripta ſunt.* Quâ nobilitate *Andronicum* dignitate ſuâ ſuperbum, longè ſuperabat. Hypatiæ Theonis Philoſophi filiæ, quæ Alexandriæ morabatur, ſe excolendum tradidit. Tantæ eruditionis erat ea mulier, ut doctos ævi ſui viros omnes ſupereminerét. Itaque illuſtrem Syneſius fœminam maximè coluit, multoque honore affecit in literis, quas complures ad eam ſcripſit. Præcipuè Epiſtolâ XVI. ſic eam compellat: *Mater & ſoror, & magiſtra,*

Syneſ. Ep. 57. p. 197.

&

ANNO DOM. 410.

& in his omnibus benè de me merita, & ſi qua alia res eſt, appellatione honorifica. Et Epiſtolâ CXVI. *Afer ſum, illic editus, & avorum non ignobilia ſepulchra illic aſpiciens; propter te unam patriam mihi aſpernaturus videar.* Socerum virum nobilem habuit, nomine *Theophilum*, cujus filiam duxerat, quam amore teneriſſimo complectebatur. Anno CCCXCIV. à Cyrenenſibus Conſtantinopolim miſſus egregiâ oratione erga afflictam humilemque patriam Arcadii commoverat affectus. Triennio ſuâ legatione functus, Cyrenem rediit. Quanam in vita ſe conſtituerat, ipſe poſteros docuit: *Vivebam optima cum ſpe in mundo, velut in religioſo quodam ſepto ſolutum animal, liberè degens, oratione, & libris, & venatione vitam diſtinguens.* Cùm ubique locorum fama Syneſii extenderet, Theophilo aliiſque Clericis Ptolemaidenſi Eccleſiæ, quæ Antiſtitem amiſerat ſuum, imponi Syneſium placuit. Quam ſanè Provinciam invito ſuſcepit animo. Vix Epiſcopatum inierat, cùm tanti munêris moleſtiis novus dolor acceſſit: *Cùm luctus expers hactenus ad paucos ante hoc tempus dies fuiſſem, mortuum vidi, quem morte prævenire cupiebam.* Chariſſimum quippe liberorum amiſit, cujus obitum tam acerbe tulit, ut parum abfuerit, quin ſibi mali aliquid conſciſceret.

Syneſ. Ep. 57. 194.

Syneſ. Ep. 57. 196.

Syneſius fugit Epiſcopatum: falſòne teſtatus ſit, ſe à fide reſurrectionis alienum eſſe?

XI. Admirationem & nobis efficit, & omnibus movere debet Syneſii hæc ad Præſulis dignitatem evectio, quem recta, Epiſcopoque requiſita pietas nondum informarat. Mittamus ſacris undis necdum expiatum fuiſſe Syneſium; id minimum putamus, cùm vel poſt Nicæna Decreta Ambroſius Nectariuſque ex Catechumenis poſt baptiſmum Epiſcopi mox evaſerint. At Syneſio pura fides non erat; Platonis quippe placitis imbutus, exiſtimabat prius animas exiſtere quàm corporibus jungerentur. Deinde mundo, quem æternum putabat, finem credere non poterat. Quod verò hos errores atrocitate quàm longiſſimè ſuperabat, mortuorum reſurrectioni fidem non adhibuit. Quo myſterio convulſo ruere tam Evangelium, quàm pietatem neceſſe eſt. Platonica tota ſunt hymni primi hæc carmina. Mens enim,

Diſtributa adeſt,
Pars ejus ſtellarum curſus,
Pars Angelorum cœtus;
Pars etiam gravi nexu
Terrenam ſortita eſt formam,
Disjunctaque à parentibus
Tenebroſam hauſit oblivionem.

Quid eſt ſtatuere mentem noſtram corpore priorem eſſe, ſi hoc non eſt? Nullum verò imminere mundo finem, canit hymno III. verſu 322.

At quod ſtatutum omninò in cœtu entium,
Nunquam poſthàc interibit.

Quod verò maximum putamus, fide alienus erat à reſurrectione corporum: *Perſuadent illi, ut & ſalutare regenerationis myſterium reciperet, & Epiſcopatus jugo colla ſubmitteret, quamvis reſurrectionis dogma nondum admitteret, neque profiteri vellet, cùm id prudentiſſimè conjicerent, ad reliquas viri virtutes etiam hac propediem acceſſura, quandoquidem divina gratia nihil imperfectum habere ſe patitur.* Neque ex vanis rumoribus ea prodit Evagrius, utpote quæ ſunt ex ipſo Syneſio deprompta. Dum enim, cur Epiſcopatum fugeret, fratri ſuo rationes affert, hæc illi candidè prorſus exponit: *Nunquam profectò mihi perſuaſero, animum originis eſſe poſteriorem corpore. Mundum cæteraſque ejus partes unà interitu nunquam dixero. Tritam illam ac decantatam reſurrectionem ſacrum quidpiam atque arcanum arbitror, longèque abſum à vulgi opinionibus comprobandis.* Ad hæc Baronius exclamat: *Errore maximè labuntur, qui putant hæc ſeriò fuiſſe à Syneſio inculcata.* Syneſii ergo mentem explicet illuſtriſſimus Purpuratus: *Artem, inquit adhibuit, ut Epiſcopatus onus effugeret, ut ſimulatè agens, & illa inculcans, adeò Chriſtiana fidei & diſciplina averſantia, ejiceretur omninò à munere Epiſcopatus.* Mirè quidem arte ſuâ Baronius finxit Syneſium, quem & mendacem, & Hæreticum ſe finxiſſe putat, ut deſtinatum Epiſcopatum fugeret. Egregiam verò ſolertiam, & viro probo dignam qui infamiâ hæreſeos falsò ſe contaminat, ne ornetur infulâ! Verùm enimverò ab artibus ejuſmodi quàm longiſſimè Syneſius abeſt. Fratrem Evoptium ſic alloquitur, chariſſimum fratrem, & ſecum educatum: *Apud te de animi mei motibus diſputabo.* Quid eſt ſincerè loqui, ſi hoc non eſt? Pergit animi ſenſus exponere: *Si ad Epiſcopale munus vocor, nolo mentiri dogmata; horum Deum, horum homines teſtes facio. Affinis eſt Deo veritas, apud quem criminis expers omnis eſſe cupio.* Ne hæc quidem ſeriò, & ſimulatè juravit, & repugnante conſcientiâ Deum teſtem vocavit! Arte hâc ſuâ Baronius Syneſium facit Hæretico pejorem, omniumque mortalium ſceleſtiſſimum. Præterea animum Baronius advertere debuit hymnis, quos Chriſtianus Epiſcopuſque Syneſius condidit, in quibus Sanctæ Trinitatis myſterium profert:

Evagr. l. 1. c. 15.

Syneſ. Ep. 105.

Bar. An. 410. n. 80.

Syneſ. Ep. 105. 247.

Cano te, Unitas;
Cano te, Trinitas;
Unitas es, Trinitas cùm ſis.

Quæ leguntur hymno tertio, carmine 210. Atqui ille ipſe hymnus Chriſti oracula mundi finem canentia prorſus evertit. Neque de fugiendo Epiſcopatu tunc cogitabat, quem jam adeptus erat. Fateamur itaque neceſſe eſt, partim eruditionem Syneſii, proboſque mores, partim virorum qui Epiſcopatu digni forent penuriam, partim ſpem, quam de candido Syneſii pectore in Chriſti religionem propendentis Theophilus conceperat, in cauſa fuiſſe, cur pravis adhùc opinionibus imbutus, & ſacris undis ablueretur, & ad Epiſcopatum promoveretur. Neque novum & inauditum illis temporibus, multa in ordinationibus peragi, quæ jura Canoneſque non ſinebant: verbi gratiâ, quòd Laici inviti repugnanteſque ad Sacerdotium eveherentur. Sic Paulinianus frater Hieronymi ab Epiphanio ſic Auguſtinus à Valerio, ſic Pinianus ab Auguſtino Presbyter electus eſt. De Syneſio, fugaque Epiſcopatus egregiam Romæ concionem audientibus Cardinalibus Holſtenius habuit, quâ Baronii & ſententiam refellit, & conjecturas ſolvit. Holſtenianæ reſponſionis eò ſumma redit, calamitoſa fuiſſe ruentis Imperii tempora, corruptiſſimos ejus ſeculi mores, afflictiſſimum Africæ ſtatum: *Unum miſeris affulgebat auxilium, ut virum aliquem, eloquentia aut civilis prudentiæ facultate, aut magnorum virorum gratiâ & amicitiis polleatem, ſibi patronum, & quaſi tutelare numen legerent, ſub cujus umbra deliteſcerent, qui immanes calamitates averteret.* His de cauſis Apoſtolica præcepta, quæ *Neophytum* Epiſcopatu repellunt, Eccleſiæque Canones in conſecrando Syneſio violati ſunt, quod fieri tamen

non

ANNO DOM. 410.

non debuit. At quinam homo tot erroribus inquinatus non ad baptiſmum modò, verùm ad Epiſcopatum admittitur? *Perſpectum habebat Theophilus animum, ad Chriſtianam religionem propenſiorem*, inquit Holſtenius. Subjungit, *Eadem hæc dogmata, quæ Syneſio pertinacius inſidebant, jampridem ab Origene in Alexandrinam Eccleſiam fuiſſe invecta.* Sed longè pejus Origene errabat Syneſius, itaque nec ſacris undis expiari, nec infulâ donari debuit. Hic ſe verſutus pietatiſque ſecurus Theophili Alexandrini prodit animus, qui dum defunctum Origenem diris devovet, illum privatim diligentiſſimè legere non verebatur modò, verùm etiam pertinacem Origenis diſcipulum & Doctore ſuo atrocibus errantem ad Epiſcopatum evehebat.

De Syneſii chirographo in Evagrii ſepulchro reperto traditio expenditur.

XII. Quam de Syneſio fide reſurrectionis informando ſpem agitarant in animo, ea non ipſos fefellit, Evagrio teſte. Eo pertinet Moſchi narratio, quæ nobis fabula propior videtur, quàm hiſtoria. Cùm autem eruditis nonnullis probabilitatis ſpecie aliquâ induatur, nil nobis erit invidiæ, ſi narrationem ex Prato Spirituali depromptam Annalibus inſeramus. Syneſius cùm Cyrenem veniſſet, reperit Philoſophum, *Evagrium* nomine, ſuum in ſtudiis liberalibus ſodalem, ſed idolis deditum. Quem à ſuperſtitione ad Chriſti religionem modis omnibus transferre Syneſius ſatagebat. Id Evagrio in Chriſtianis maximè diſplicebat, quòd mortales omnes in proprio ſuo corpore reſurrecturos, ac aditâ incorruptibilitate perpetuò victuros exiſtimabant. Affirmabat autem Syneſius, omnia hæc vera eſſe. Poſt multum temporis, cùm tandem Evagrio perſuaſiſſet Chriſtianum fieri, tam ipſum, quàm familiam baptizavit. Non multò poſt ſuſceptum Sacramentum Evagrius trecentos pauperibus diſtribuendos Syneſio aureos dedit, eâ lege, ut eroganti in futuro ſeculo redderentur. Cautionem, quam Evagrius exigebat, ſuâ manu Syneſius fecit. Morti proximus Evagrius ſcedulam jubet ſuis in manibus poſitam ſecum ſepeliri. Tertiâ die poſt funus Syneſio apparet Evagrius, hæc locutus: *Veni ad ſepulchrum ubi jaceo, & accipe chirographum tuum. Accepi enim debitum, ſatisfactumque mihi eſt, atque ut certior ejus rei ſias, propriâ me ſubſcripſi manu.* Manè Evagrii ad tumulum cum Primoribus urbis acceſſit Syneſius. Repertum chirographum aperitur, inveniuntque manu Evagrii ſubſcriptum: *Ego Evagrius Philoſophus, tibi ſanctiſſimo Domino Syneſio Epiſcopo, ſalutem. Accepi debitum in his literis manu tuâ conſcriptum, ſatisfactumque mihi eſt, & nullum contra te habeo jus, propter aurum quod dedi tibi, & per te Chriſto Deo & Salvatori noſtro.* Aſſerebat Leontius, cautionem illam manu Philoſophi ſubſcriptam ſervari uſque hodie, atque in Sacrario Sanctæ Cyrenenſis Eccleſiæ cuſtodiri.

Prat. Spir. c. 195.

Hæc Moſchus à Leontio Apameenſi ſe audiſſe refert, qui ad Cyrenenſem Epiſcopatum promovendus erat. Quo teſtimonio fidei aliquid narrationi afferri poſſe, Du Pin exiſtimat: *Ceci peut donner quelque creyance à cette hiſtoire.* At ſuæ narrationi fidem Moſchus ipſe detrahit, utpote qui Cyrenenſis Eccleſiæ Syneſium habeat Epiſcopum, quo in fundamento narratio collocatur: *Fuit temporibus Theophili beatiſſimi Papæ Alexandrini Cyrenes Epiſcopus Syneſius Philoſophus.* Alia verò fabulæ ſcena aſſignari debuit, Ptolemais videlicet, ubi morabatur Syneſius, Sacramentaque adminiſtrabat. Sed & pactum Syneſii cum Evagrio de reddendis in futuro ſeculo, quos pauperibus erogarat aureis, puerile eſt omninò, & Philoſophi Epiſcopique gravitate indignum. Falſi quoque plurimum ſuſpicionem induit Evagrii ſubſcriptio, profitentis ſe debitum accepiſſe. Quaſi verò & pecunia in altera vita redderetur, & mentes corpore ſolutæ ſcribendi facultate pollerent. Quo calamo, aut atramento chartis memorata verba Evagrii ſpiritus illeviſſet? Nos de Syneſio longè certiora afferemus. Nempe teſtatur, ſe vel poſt Epiſcopatum velle uxoris ſuæ habere notitiam: *Mihi & Deus ipſe, & lex, & ſacra Theophili manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico, ac teſtor, neque me ab ea prorſus ſejungi velle, neque adulteri inſtar cum ea clanculum conſueſcere.* Quo vel uno exemplo liquet, injunctam Epiſcopis non fuiſſe continendi neceſſitatem.

Syneſ. Ep. 105.

ANNO DOM. 410.

ANNO U. C. 1164. PER. JUL. 5124. JUL. 456. DOM. 411. HONOR. 19. & 17. THEODOS. 10. & 4. *Sol.* 28. *A. Lun.* 13. *Indict.* 9. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *April.* — ANNO DOM. 411.

COSS. *Theodoſius Auguſt. IV. Nullam Occidens Conſulem habuit.*

Res Conſtantini Gerontius Maximum creat Imperatorem. Conſtantem occidit.

I. QUem complexa erat fortuna Conſtantinum, cæcum factum ad ima tandem detrudit. Hactenus quidem ex animi ſententia res tyranno ſuccedebant. Quibus accenſa ipſius cupido, Italiæ quoque inhiabat. Superatis Alpibus Cotiis, *Veronam venit.* Jam Padum trajecturus, de *Alavici* morte nuncium accipit. Erat Alavicus Magiſter Militum Honorii, eoque nomine ſuſpectus, quòd Occidentis Imperium ad Conſtantinum transferre vellet. Imperatorem ex proceſſu redeuntem de more antecedenti mora infertur. Quo momento Honorius ex equo deſiliens, gratias Deo agit, à quo fuerat inſidiis tantis liberatus. Atque hic Baronius pendens ex Chriſtophorſiana verſione graviſſimum in errorem incidit, quæ ſunt Alavici, ad Gothorum regem Alaricum referens. Hinc illuſtriſſimi Purpurati ſcitum, quod omni ex parte à veritate relinquitur. Dixiſſe Sozomenum, *Alaricum ante obitum initâ cum Honorio pace, ab eo declaratum fuiſſe totius ducem exercitus.* Quaſi verò & *occiſus* fuerit Alaricus, & exceſſerit, dum Honorio antecedit, quod de Alavico narrat Sozomenus. Alius ergo Alaricus, alius Alavicus, quem *Alloviсum* vocat Olympiodorus: *Allovicus*, inquit, *quòd Euſebium Præpoſitum ſuſtuliſſet, Imperatoris ſententiâ pœnas dedit.* Zozimo *Ellebichus* dicitur, qui Turpillione & Vigilantio occiſis, ex Domeſticorum Equitum Comite, Magiſter Equitum creatus fuerat. Quo loco emendandus Zozimi textus à Librariis corruptus. Allobichium ὑπάρχον κατὰ γένος; legendum, ἱππάρχον. Comperto Alavici obitu, Arelatum Conſtantinus fugâ ſe recepit. Eo quoque tempore illùc Conſtans acceſſit, qui debilitatis, quas in Hiſpania habebat, copiis, eam reliquerat. Alia Conſtantinum inceſſit infœlicitas. Gerontium rebellaſſe audit, qui ex illo die, quo *Juſtum* Ducem conſtitutum Conſtans in Hiſpaniam adduxerat, defectionem moliebatur, quæ in hunc annum erupit. Maximum, quem Imperio idoneum exiſtimabat, Imperiali veſte indutum Auguſtum creat, Tarraconeque morari

Bar. An. 411. n. 1.

Phot. Bibl. p. 182.

Zoz. l. 5. c. 48. 640.

ANNO DOM. 411.

rit jubet. Olympiodoro Gerontii *filius* Maximus ſcribitur, qui aliis duntaxat amicus perhibetur, quod & vero ſimilius. Gerontius expeditione adverſus Conſtantinum ſuſceptâ, agentem Viennæ Conſtantem interfici jubet. Compertâ eâ defectione, Conſtantinus Edovicum Ducem ſuum trans Rhenum mittit, ut Alamannorum impetraret auxilia. Ipſe verò Arelato incluſus, quam Gerontius admoverat obſidionem, totis viribus ſuſtinet.

Soz. l. 9. c. 13. &c.

Copiæ Conſtantini fuſæ. Presbyter creatur: occiditur.

II. Jam major Gerontianorum pars ad Conſtantinum defecerat, cùm Honorii exercitus Conſtantio Duce appropinquat Arelato. Quo cognito, paucis comitatus Gerontius, fugâ arreptâ Hiſpanias petit. Adventu Romanorum obſidione mutatâ, Conſtantinus ſe Arelatumque tuebatur, expectans Edovicum, qui cum ingentibus copiis veniebat auxilio. Qui nuntius ut obſeſſo lætitiam, ſic & obſidentibus terroris non minimum incutiebat; ut Conſtantius & Ulfilas, Honorii Duces, de repetenda Italia jam conſilium agitarent. At cognito Edovicum in proximo caſtra habere, Rhodanum trajiciunt, Conſtantius Peditum Ductor adventum hoſtium expectat. Ulfila verò haud procul abditus, cum equitatu ſubſidet. Ut hoſtes copias Ulfilæ prætergreſſi, cum Conſtantii limitibus pugnam ineunt, eos Ulfilas repentè ſigno dato, à tergo adoritur. Quibus disjectis, alii occiduntur, alii vertuntur in fugam, alii abjectis armis, quam petivere veniam aſſequuntur. Equo conſcenſo, Edovicus ad Ecdicium multis à ſe beneficiis affectum, veluti ad amicum profugit. Ecdicius verò, dexterâ, quam fidei teſtem dederat, ſcelere violatâ, Edovici caput amputatum ad Conſtantium defert. Qui caput quidem accipi jubet, ſed amaris ſalibus interfectorem aſpergit, dicens, *Rempublicam gratias agere ob facinus Edicii*. Edicium verò abſcedere jubet, nec ſibi, nec exercitui commodam fore ratus hominis conſuetudinem, qui tam malè hoſpites ſuos exciperet: dignum ſanè perfidiæ hoſtimentum, meritòque ſolvendum proditori, qui ambitionis cauſâ amicitiæ hoſpitalitatiſque jura omnia reſolverat. Cognitâ Edovici cæde, Conſtantinus purpurâ ſponte depoſitâ, ingreſſus Eccleſiam, Presbyter ordinatur. Tum obſeſſi acceptâ jusjurandi fide portas aperiunt. Arelatenſes quidem omnes veniam conſequuntur: at Conſtantinus filiuſque *Julianus* ad Honorium perducti ob interfectos Verenianum & Didymum ipſius affines, miſerè occiduntur, ſpretâ juramenti religione, quod Honorio non fuit honori. *Conſtantini in conto caput allatum eſt* XIV. *Kal. Octobris*, teſte in Faſtis Idacio. Diſtabat locus, in quo occiſus eſt, triginta à Ravenna milliaribus. Quinquennio circiter imperio Conſtantinus potitus eſt. *Gula ac ventri deditum* fuiſſe, ſcripſit *Frigeridus*. *Socordia* quoque labem ipſi Zozimus inurit, quibus vitiis commoti Thranſrhenani Barbari, Britannicæ accolas inſulæ, Galliæque nationes quaſdam impulerunt, ut ab imperio deficerent, ejectiſque Magiſtratibus Romanis, Rempublicam pro ſuo arbitratu conſtituerent. Non adverſus tyrannum modò, ſed in Epiſcopos quoque Conſtantium pugnaſſe Baronius opinatur, cujus verba ſunt: *Conſtantius dum adverſus ſanctos Epiſcopos aggreſſus eſt inire certamen, expertus eſt pariter Deum ad poſtremum ſuis conatibus adverſarium.* Quæ à veritate deſtituuntur. Quippe poſt egregias victorias Conſtantius ad imperium evectus eſt, quod quinquennio adminiſtravit. Neque Erotem & Lazarum Epiſcopatu pepulit, qui ab Sacerdotali officio temperarunt. Quod nos Zozimus docuit Epiſtola IV. *Se ipſi*, inquit, *propria abdicavere ſententia*. Eros quidem non à Conſtantio, ſed ab Arelatenſibus *inſons & nullis inſimulationibus obnoxius pulſus eſt*, teſte Proſperi Chronico. Cæterum de ultimo Conſtantini anno variant Scriptores. Cladem ejus anno 412. Proſper affigit, quem eruditi plures cum Baronio ſequuntur. Conſtantini verò mortem Idacius cum labente anno copulat, cujus Faſtos amplectimur. Fruatur quiſque ſuâ Chronologiâ.

Soz. l. 9. c. 14. Olympiodor. 183.

Zoz. l. 6. c. 5.

Bar. An. 412.

Gerontii obitus. Maximus purpurâ ſpoliatur.

III. Proditione quoque ſuâ debitas Gerontius pœnas invenit in Hiſpania, ut unus & ſceleri & ſupplicio locus eſſet. Quippe Hiſpani milites ipſum ob fugam ſuam ſpretum occidere conſtituunt. Noctu itaque obſeſſâ domo impetum in eum faciunt. At Gerontius, cum uno Alano familiari ſuo, pauciſque admodum ſervulis, tela ex ſuperiori domus parte conjiciens, ſupra trecentos milites interemit. Telis exhauſtis, ſervi clam aufugiunt. Quâ etiam ratione periculum evadere Gerontius potuit. Ipſum retinuere vincula amoris, quibus cum uxore *Nunechia* conjungebatur. Ortâ luce cùm milites ignem in domum injeciſſent, deploratâ ſpe ſalutis omni volenti Alano comiti ſuo caput abſcidit. Nunechiæ quoque cum lachrymis ſemetipſam gladio admoventi, poſcentique ut priuſquam in aliorum poteſtatem veniret, viri ſui dexterâ moreretur, extremum hoc munus oranti caput amputat. Ipſe verò cùm ſe tertiò percuſſiſſet, abſque vulnere lethali ſtricto pugione, quem ad femur habebat, cor ſuum transfixit. Vir fuit fortiſſimus, *nequam* tamen *magis quàm probus*, Oroſio teſte. Maximus intellectâ morte Gerontii, ad Barbaros fœderatos fugit. Umbratilis caſum Imperatoris ſic exequitur Oroſius: *Maximus exutus purpurâ, deſtitutuſque à militibus Gallicanis, qui in Africam trajecti, deinde in Italiam revocati ſunt, nunc inter Barbaros in Hiſpania egens exulat.* Cur ſupplicium, quod merebatur effugerit, cauſas Proſper aperuit: *Maximo in Hiſpania, regno ablato, vita conceſſa, eò quòd modeſtia humilitaſque hominis affectati imperii invidiam non merebatur.* Quæ cum anno CCCCXII. Proſper copulat.

Soz. l. 9. c. 13.

Oroſ. l. 7. c. 42.

Mors Alarici. Ataulfus ei ſuccedit.

IV. Felicitati Honorii aliud momentum acceſſit. Alaricus expugnatâ Româ ſuperbus, mox gloriâ ſuâ ſepelitur. Multâ per Campaniam, Brutiamque ſtrage editâ, Rhegium uſque cum Gothis ſuis pervenerat. Conſilium ipſis erat, in Siciliam prædandi cauſâ migrare. Ut conſcendere naves, naufragium paſſi, ſuorum complures amiſere. Fabulatur Olympiodorus, ſtatuam conſecratam Gothis tranſitum negaviſſe. Pede altero perpetuum ignem, altero perennem aquam geſtabat. Statua cùm ab *Aſclepio* Conſtantii & Placidiæ in Sicilia Curatore confracta fuiſſet, tandem Inſula ab Æthneis ignibus Barbariſque vaſtatum. Quæ ridenda ſuperſtitio eſt. Porro dum de agendis deliberat Alaricus, ſubito apud Conſentiam morbo correptus, debitum morti munus ſolvit. Gothi præſtantem virtutibus multis Regem ſuum lachrymis proſecuti, miris modis defuncti exequias celebravere: *Baſentinum amnem de alveo ſuo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio alveo cum multis opibus ſepeliunt, amnemque meatus proprio reddentes,*

Phot. Bibl. 182.

Paul. Diac. l. 14.

no

ne quis locum ſcire poſſet, captivos qui interfuerant extinguunt. Auditâ morte Alarici, Honorium ex equo deſcendentem magnas Deo gratias egiſſe, Baronius ſibi perſuaſit. Cujus errorem coarguimus ex confuſione Alarici, & *Alarici* manantem. Alarico ſucceſſit *Ataulfus*, qui ſuo tempore actum aget in Annalium noſtrorum ſcena. Narrat quidem Miſcellanea: Ataulfo Rege creato, Gothi *Romam redeunt, ſi quid reſiduum fuit, more locuſtarum eradunt, auferentes exinde Gallam Placidiam, Theodoſii Principis filiam, ſororem Honorii, quam ſibi Ataulfus apud forum Cornelii conjugio ſociavit.* Quæ ad fabulas ſunt releganda. Neque defuncto Alarico Romam expugnavit Ataulfus, neque apud forum Cornelii cum Placidia matrimonio conjunctus eſt, ſed apud *Narbonam*: neque hoc anno celebratæ nuptiæ, ut Baronio, multiſque creditum. Metu Alarici liberatus Honorius, *Romæ Vicennalia dedit.*

Barbari inter ſe Hiſpanias dividunt.

V. Cladibus quoque ſuis nonnihil reſpiraverunt Hiſpaniæ: *Subverſis memoratâ plagarum graſſatione Hiſpaniæ Provinciis,* ferri ſcilicet, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, *Barbari ad pacem ineundam Domino miſerante converſi, ſorte ad habitandum ſibi Provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Vandali occupant & Suevi, ſitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Luſitaniam, & Carthaginenſem Provincias. Et Vandali, cognomine Silingi, Bæticam ſortiuntur. Hiſpani per civitates & caſtella reſidui à plagis Barbarorum per Provincias dominantium, ſe ſubjiciunt ſervituti.* Hæc Idacius in Chronico.

De Rufini & patria, & anno ſupremo.

VI. Imperii rebus noſtri Annales ſatisfecere, reſtat nunc ut Eccleſiæ animus exhibeatur. Ac in Europa verſantibus, offert ſe Rufinus Preſbyter, vir apud Antiquos famæ non minimæ, qui hoc anno mortis debitum ſolvit. Ipſius originem prius memoremus. De Rufini patria cauſæ eſt aliquid, cur pendeamus animi. Quippe in Hieronymo legitur: *Illud verò ridiculum, quòd poſt triginta annos ad parentes ſe reverſum eſſe jactas. Homo qui nec patrem habet, nec matrem, & quos viventes juvenis dereliquit, mortuos ſenex deſiderat, niſi fortè parentes militari vulgarique ſermone cognatos & affines nominat: quos quia non vult deſerere, nec inhumanus putetur, aut durus, idcircò patriâ derelictâ Aquileiæ habitat.* Quo inſigni loco apparet, Aquileiam Rufino patriam non eſſe. *Syrum* fuiſſe, verbis expreſſis Marius Mercator docuit: *Rufinus natione Syrus.* At Palladius Rufino amicus, Italum egiſſe memorat: *Cum Melania vixit generoſiſſimus, & ex ſe ſolo eruditus Rufinus, hic ab Italia ex Aquileia urbe Sacerdotio denique dignus.* Hanc conciliandi rationem affert *Righerius*, quòd *Sacerdotii titulo fuerit Aquileienſis, natione verò, ut Mercator exprimit, Syrus.* Aliud tamen innuit Rufinus, qui conſanguineos, quos *parentes* vocat, Aquileiam incoluiſſe, ſcribit Anaſtaſio. Quòd ſi natione Syrus fuiſſet, in Syria quidem affines ſuos habuiſſet. Aliam potius diſtinctionem adhiberi placet. Nempè vel originis patria eſt, vel habitationis. Origine Aquileienſis Rufinus fuit, habitatione Syrus, quia in Palæſtina, quæ Syriæ Præfecturæ includebatur, plures annos converſatus eſt. Quippe anno 371. ex Italia Alexandriam navigavit, ac deinde poſt quinque luſtra Oriente relicto, cum Melania urbi reſtituitur. Cur verò à Baronii Chronologia, quæ penè eruditos omnes opplevit, de anno Rufini ſupremo, qui vulgò cum Dionyſiano CCCCX. copulatur, diſſideamus, his rationibus innitimur. Conſtat ex ipſo Rufino, jam Italiam vaſtante Alarico, inceptam eſſe Euſebianæ Hiſtoriæ verſionem, cujus Autor hæc ſcribit ad Chromatium, Aquileenſem Epiſcopum: *Tu, venerande pater Chromati, medicinæ exquirens genus, tempore quo diruptis Italiæ clauſtris, Alarico Duce, Gothorum ſe peſtifer morbus infudit, & agros, armenta, viros longè lateque vaſtavit, populis tibi à Deo commiſſis feralis exitii remedium aliquod quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali contagione abſtractæ, melioribus occupatæ ſtudiis tenerentur; injungis mihi, ut Eccleſiaſticam hiſtoriam, quam vir eruditiſſimus Euſebius Cæſarienſis Græco ſermone conſcripſerat, in Latinum verterem.* Quæ Prologi Rufiniani verba ſunt. Porro nonniſi defuncto Stilichone, quem Auguſti die XXIII. anno Dom. CCCCVIII. periiſſe certum eſt, Italiam vaſtare cœpit Alaricus. Cùm ergo Euſebii verſionem Rufino mandarit Chromatius, eo tempore quo Gothi in Italia *agros, armenta, viros longè latèque vaſtaverant*, annus Chriſti CCCCIX. jam labebatur, cùm vertendæ Euſebianæ Hiſtoriæ Rufinus admovit animum. Eſt autem incredibile, non completo biennio tantæ molis opus abſolvi potuiſſe, quod eſt prorſus admittendum, ſi Rufinus anno CCCCX. extinctus ſit. Ac eò incredibilius, quòd binos de hiſtoria Eccleſiaſtica libros à ſe editos, Rufinus Euſebianæ hiſtoriæ inſeruerit. Præterea Rufinus vitam in Sicilia retinebat, quo tempore Gothi Rhegium, Brutiorum metropolim obſidebant. Qua de re diſertiſſima ipſius verba ſunt in ſua ad *Urſum* Epiſtola: *Nec ipſa quidem abſque metu habentur exilia. In conſpectu etenim, ut videbas, etiam ipſe noſtro Barbarus, qui Rhegino oppido miſcebat incendia, anguſtiſſimo à nobis freto, ubi Italiæ ſolum Siculo dirimitur, arcebatur.* At labente anno CCCCXI. Rhegium ab Alarico expugnatum eſt, cùm IX. Calendas Septembris ſuperioris anni Roma capta fuerit. Cùm igitur poſt relictam Romam Gothi in Campania conſtiterint, obſidioneque Nolæ & aliarumque civitatum diu retenti fuerint, antequam ſub ditionem ſuam Rhegium redigerent, ab hoc utique anno Rhegienſis expugnatio divelli nequit, quâ & peractâ, & auditâ Rufinus Urſo ſcribebat. Denique Oroſio mens ea fuit, urbem anno duntaxat conditionis ſuæ MCLXIV. armis Gothicis captam fuiſſe, cujus expugnationi Rufinum ſuperſtitem eſſe non ignoravit. Ex quo conficitur, Rufini diem extremum poſt annum Dom. CCCCX. ab Oroſio fuiſſe conſignatum. De Rufino nunc pauca ſubjungamus.

Hier. Apol. l. 2. n. 1. 202.

Pallad. Lauſ. c. 18.

De Rufini fama & moribus.

VII. Hieronymus mentis impotentiâ inverecundè ſatis in hominis, & olim amici, & Preſbyteri cineres invehitur, quem non ſuo nomine, ſed *ſcorpii* appellatione afficit. Convicia quidem hæc Hieronymi laudare non poſſumus, ſcribentis ad Euſtochium in primo Commentariorum Ezechielis: *Quia & tu indeſinenter hoc flagitas, & magno vulneri cicatrix paulatim obducitur; ſcorpiuſque inter Encaladum & Porphyrium Trinacriæ humo premitur, & hydra multorum capitum contra nos aliquando ſibilare ceſſavit; datumque tempus, quo non Hæreticorum reſpondere inſidiis, ſed Scripturarum expoſitioni incumbere debeamus, aggrediar Ezechielem.* Contumeliam quidem tam inſignem Rufinus accipere non debuit, qui *Chromatio* pio ſanctoque Epiſcopo percharus ſemper fuit, teſte Rufini in Hiſto-

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Prologo, cujus verba jam exhibuimus. Neque minimarum ſanè laudum homo fuit. Sex annis in Ægypto commoratus, Macarii, Antonii diſcipuli, alterius & Macarii, Iſidori, Pambæ, virorum celebrium uſus eſt conſortio. Fortitudinis quoque ſuæ exempla in iis regionibus dederat. Neque adduci poſſumus ut credamus, hæc falſò jactaſſe Rufinum in ſua ad Anaſtaſium Epiſtola: *Fides noſtra perſecutionum Hæreticorum tempore, cùm in Sancta Alexandrina Eccleſia degeremus, in carceribus & exiliis, quæ pro fide inferebantur, probata eſt.* Rufini quoque pietatem teſtatur ingens ille amor, quo Paulinus, Melania, Pinianus, viríque multi, qui pietatis ſuæ cauſâ in prima commendatione fuere, ipſum complectebantur. Scriptis etiam Rufinus ſuis famæ plurimum ſibi comparavit, ut obſervatum Gennadio: *Rufinus Aquileienſis Eccleſiæ Presbyter, non minima pars Eccleſiæ Doctorum, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem Græcorum Bibliothecæ Latinis exhibuit.* Quanti verò pretii fuerit ejus in Symbolum expoſitio, teſtantur verba Gennadii: *Proprio autem labore, imò gratiæ Dei dono expoſuit idem Rufinus Symbolum, ut in ejus comparatione alii non expoſuiſſe credantur.* Inter Epiſtolas, quas de pietate multas edidit, maxime illæ laudantur, quas ad *Probam* ſcripſit. Gennadio ea diſplicuere convicia, quæ in Rufinum jecit Hieronymus: *Sed & obtrectatori opuſculorum ſuorum reſpondit duobus voluminibus, arguens, & convincens ſe Dei intuitu, & Eccleſiæ utilitate, auxiliante Domino ingenium agitaviſſe. Illum verò æmulationis ſtudio incitatum, ad obloquium ſtylum vertiſſe.* Eſt tamen in confeſſo, liberas nimis fuiſſe Rufini verſiones, quibus de ſuo multa inſerebat. Neque excuſari quidem poſſet, ſi ſciens & prudens Sixto Martyri, urbis Antiſtiti, *Sexti* Pythagorei ſententias fœneravit. Qua de re Hieronymus ad Cteſiphontem: *Illam autem temeritatem, imò inſaniam ejus quis digno poſſit explicare ſermone, quod librum Sexti Pythagorei, hominis abſque Chriſto, atque Ethnici, immutato nomine, Sixti Martyris, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi prænotavit.* At quàm Auguſtinus, tam & Rufinus *Sexti* in nomine decipi potuit. Ea quondam Auguſtino mens fuit, illas ſententias Martyris eſſe, ut ipſe fatetur libro 2. Retract. c. 42. *Ita defendi tanquam reverà ejuſdem Sixti eſſent, id enim putaverant.* Rufini ſpernendi non ſunt Commentarii in Oſeam, Joel, & Amos.

Ruf. invect. 150.

Hier. ad Cteſiph. c. 2. p. 221.

Rufinus fueritne fons Pelagianiſmi? Negaritne peccatum originis?

VIII. Ea fuit Rufini conditio, ut dubiam ſui famam relinqueret. Nonnullis pius audit & Catholicus; quibus ſe Caſſianus addit: *Rufinus,* inquit, *Chriſtianæ Philoſophiæ vir, haud contemnenda Eccleſiaſticorum Doctorum portio.* Rufinum quoque plurimi fecit Palladius in Lauſiaca c. 118. *Nobiliſſimus & moribus ſimillimus & fortiſſimus Rufinus, ex Aquileia civitate Italiæ, qui poſtea dignus eſt habitus Presbyteratu. Quo non eſt inventus inter homines nec doctior, nec mitior.* Aliunde verò origo exiſtimatur Pelagianiſmi, quæ Baronio mens eſt, neque omnino fruſtra, ſi qua fides Cœleſtio. Cùm enim infelix ille alumnus Pelagii anno CCCCXII. in Synodo Carthaginenſi, interrogaretur ab *Aurelio* de traduce peccati, reſpondit: *Diverſa ab eis audivi, qui utique in Eccleſia Catholica conſtituti ſunt Epiſcopi.* Urgente Paulino Diacono, *Dic nobis nomina eorum,* reſpondit Cœleſtius: *Sanctus Presbyter Rufinus, Romæ qui manſit cum S. Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non ſit.* Quod Cœleſtii teſtimonium utique maculæ aliquid impreſſit Rufini fidei. Fons quidem Pelagianiſmi à Mario Mercatore habetur ad Pintam ſcribente: *Hanc ineptam & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem ſub Sanctæ recordationis Anaſtaſio, Rom. Eccleſiæ Summo Pontifice, Rufinus natione Syrus, Romam primus invexit, & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens, per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprimè imbuit, atque inſtituit impiam vanitatem.* At remota præjudiciorum nebula, nil eſt Cœleſtiana in accuſatione momenti. Mittamus Rufinum Presbyterum eſſe, in quem teſtis unius accuſatio ſuſcipi non debeat, vel Paulo judice. Suis quidem reſponſionibus Cœleſtius ſeſe mendacii alligat. De peccati traduce jactabat ſe diverſa audiviſſe ab Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis. Ubi verò à Paulino rogatus eſt ipſorum edere nomina, ne unum quidem protulit. Ac eò tandem rediit Cœleſtii jactantia, ut pro multis unum hominem proferret; pro compluribus Epiſcopis unum duntaxat Presbyterum. Urgenti Paulino, *Dic nomina ipſorum,* reſpondet Cœleſtius: *Non tibi ſufficit unus Sacerdos?* Hæccine ſufficiunt relegando ad Hæreticos Rufino? Ne id quidem prætereundum, Oroſium in ſuo Apologetico Pelagianiſmi fontes indicaſſe, qui tamen de Rufino profundum in ſilentium deſcendit: *Origenes & Priſcillianus, & Jovinianus olim apud ſe mortui, in his vivunt,* ſcilicet Pelagio, & Cœleſtio. Cur de Rufino ſilet Oroſius, ſi peſſimâ doctrinâ informavit Pelagium atque Cœleſtium? Neque Marii Mercatoris videtur accuſatio legitima aut idonea. De peccato originali errores ſi Romæ Rufinus ſparſiſſet, hoccine diſſimulaſſet Anaſtaſius? Qui cùm nuſquam tanti Rufinum accuſaverit, non immeritò Marii Mercatoris mercibus pretium cum fide detrahitur. Gelaſium quidem ingens ille error Rufini latuit: *Rufinus vir religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros.* Hem vir religioſus, qui Pelagii veneno tumerit, originiſque peccatum pro figmento haberet! In Rufino verò id ſolum improbat Gelaſius, quod damnaverat Hieronymus: *Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa ſentimus, quæ beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Jam verò de peccato originis nulli ſunt Hieronymi in Rufinum aculei, quos dubio procul vel in defuncti pectus infixiſſet, quem miſerè, & ſi verum volumus, illiberaliter laceravit, etſi minimè nos lateat, Rufinum Pelagii fontem fuiſſe Hieronymo. Verùm multa fuere Pelagiani erroris capita, quorum illud non minimum homines eo ſanctitatis pervenire poſſe, ut ne vel cogitatione vitiorum aliquâ titillarentur, quem Hieronymus errorem Rufino nomine *Grunnii* donato tribuit. Aliud verò eſt *nil eſſe peccati traducem.* Quin etiam Hieronymus ut inimicus, de Rufiniana doctrina teſtis repelli jure debet. Peſſimè quidem exiſtimationi ſuæ conſuluit, dum quem olim tenerè dilexerat, quem miris laudibus affecerat, de cujus pietate ad *Florentium* ſcripſerat, *Noli me ejus æſtimare virtutibus, in illo conſpicias expreſſa ſanctitatis veſtigia . . . ſatis habeo, ſi ſplendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre ſuſtineat;* in ipſo tamen mortis tumulique aſylo conſtitutum vexaverit. Qui adverſus

Caſſian. de Incarn. l. 7. c. 27.

Lab. Concil. t. 2. 1510.

Hier. Ep. 5.

verſus magnum Chryſoſtomum aſperè debacchatus eſt, mirum ſi Rufino parceret. Cùm itaque ex ſcriptis Rufini non legatur, *nil eſſe peccati traducem*, defuncti memoriam injurioſius tractare nobis videntur illi, qui ipſi hæreſeos labem aſpergunt. Placet nobis de Rufino clariſſimi Du Pin ſententia: *C'eſt à tort, à mon avis, que la plûpart des nouveaux outragent ſi fort ſa memoire, & le traitent comme un des plus grands Heretiques du monde. Il ne faut pas prendre garde à toutes les injures dont St. Jerome l'a chargé dans la chaleur de la diſpute.* Hæc ſunt quæ Baronio opponamus, qui Rufinum *Pelagii præcurſorem* habuit. Inſignem quidem pro peccato originali locum ex Rufino mox afferemus.

Bar. An. 410. n. 62.

Nùm Rufinus non Aquileienſis, ſed Syrus fons Pelagianiſmi habitus?

IX. Emerſit ex Jeſuitarum grege *Joannes Garnerius*, vir eruditus, qui Magiſtrum Cœleſtii Rufinum, quem Pelagii præcurſorem dicunt, ab Aquileienſi alterum eſſe putat. Non neſcimus quidem duos extitiſſe *Rufinos*, amicos Hieronymo, Aquileienſem, & Syrum, cujus cum laude meminit & Hieronymus in ſua ad Aquileienſem Epiſtola: *Sanctum quoque Presbyterum Rufinum ob quandam cauſam per Romam Medeolanum miſimus, & oravimus, ut noſtro animo & obſequio vos videret.* Hinc orta Garnerio conjectura, non Aquileienſem quidem Mario Mercatori, ſed Syrum ſignificari, qui verbis expreſſis Rufinum dicat *natione Syrum*, non obſcuro, ut videtur, utriuſque diſcrimine. Huic conjecturæ roboris aliquid accedit ex Mario Mercatore, hæc narrante: Rufinum *inimicam rectæ fidei quæſtionem ſub Sanctæ recordationis Anaſtaſio, Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice Romam primus invexit.* Nobis tamen eæ conjecturæ non ſunt tanti, ut à recepta ſententia nos evellant; nimirum de Aquileienſi Rufino *Cœleſtium* eſſe locutum. Syrus quidem Rufinus eruditionis famâ non inclaruit. Magni verò nominis autoritatem Cœleſtius errori ſuo prætendere voluit. Aquileienſem igitur innuebat, qui apud multos in gloria erat. Sed & Rufinus Syrus Romam miſſus ab Hieronymo, nil erroris Pelagiani intulit urbi. Legato ſanè ſuo non pepercisset Hieronymus, qui tamen nunquam in Syrum Rufinum invectus eſt. Saltem errorem Novatoris perſtrinxiſſet Anaſtaſius, aut certè, cui decuſſerat, Innocentius, qui nulla in Syrum Rufinum fulmina torſit. Denique Hieronymus in ſua ad Cteſiphontem Epiſtola, Pelagianiſmi fontes numerat Evagrium Ponticum, Rufinum Origenem: *Nec erubeſcas de ſocietate talium, teneto eorum nomina, quorum blaſphemiis jungeris.* Neque Rufinum Syrum *Grunnii* nomine donavit Hieronymus, ſed *Aquileienſem*. Verba hæc ſunt Hieronymi, libri IV. in Hieremiam Procemio: *Subitò hæreſis Pythagoræ & Zenonis, impaſſibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in diſcipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata eſt, cœpit reviviſcere.* Scommatibus Hieronymi certiſſimum eſt Rufinum Aquileienſem pingi, qui *Sexti* Philoſophi ſententias Latinas fecerat: ut extra dubium eſſe videatur, Rufinum Syrum in fide non malè audiiſſe; quem in ſcriptis contra Pelagianos nunquam perſtrinxit Hieronymus. Neque momenti ſunt alicujus Garnerii conjecturæ, utpote ex lapſu hiſtorico Marii Mercatoris petitæ. Nullus ſanè Rufinus nomine eum in urbem errorem invexit, qui traducem peccati originalis inficiatur. Quòd verò vocetur *Syrus*, hoc ab ejus habitatione ductum. Sic J. Chriſtus nativitate Bethlehemiticus, ab incolatu *Nazaræus* eſt appellatus. Sic Felix *Nolanus* dicitur, quia hujus civitatis & incola & Sacerdos fuit, qui tamen origine Syrus, ut Paulinus canit, Natali IV.

Hier. Ep. 66.

Hier. ad Cteſiph. c. 2.

> *Ex Oriente genus, nec enim magis altera tellus*
> *Felicis patriam decuit.*
> *Hoc igitur genitore Syro generatus in urbe,*
> *Dilectam coluit patriæ ſub imagine Nolam.*

Aquileiâ Rufinum diu abfuiſſe conſtat, utpote qui ſcripſerit ad Anaſtaſium: *Quoniam ipſe poſt triginta ferè annos parentibus redditus ſum, & durum ſatis atque inhumanum erat, ſi tam citò deſererem eos, quos tarde reviſeram.* Hinc Syrus dici potuit, incolatus reſpectu, licet ratione nativitatis eſſet Aquileienſis, ut non obſcurè verbis ipſius indicatur. Ibi enim conſanguineos habuit, quibus poſt longam temporis moram tandem redditus eſt. Labente anno apud Meſſanam Rufinus obiit, & *Trinacria humo premitur*.

Hier. t. 9. 134.

X. Multis defunctum Rufinum contumeliis affecit Hieronymus, quaſi Hæreticum, *ſcorpiique* nomine dignum. In ea verò accuſatione modeſtiæ verique tranſiviſſe limites; docet Rufinianæ fidei profeſſio, quam à clariſſimo Noriſio editam in primo Hiſtoriæ Pelagianæ libro cap. 5. integram referemus. Conſtat Præfatione, & XII. articulis:

Propter venerationem Sanctorum Locorum Hieroſolymarum & Betlehem venimus, & intelleximus plurimos fratres in nobis ſcandaliſari, eò quòd audierint, nos multa hæretica, & quæ contra fidem Eccleſiæ veniunt, profiteri. Itaque Deo præſente teſtamur, quia in ſoa ſcripta ſunt, nos ex parte ſenſiſſe per errorem, & præſenti tempore condemnare. Alia autem, in quibus falsò infamamur, nos dixiſſe, nec dicere, & contraria quæ in aliis ſuſpicamur, poſuiſſe atque damnaſſe.

1. *Qui dicunt Diabolo & Dæmonibus, & impiis, hoc eſt, Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibuſque Hæreticis, exceptis Chriſtianis qui rectam fidem ſequuntur, & ſunt peccatores, pœnas eorum non eſſe perpetuas, anathema ſint.*

2. *Qui dicunt, quemvis Sanctum Virum & Prophetalem & Apoſtolicum ſine Dei auxilio poſſe eſſe perfectum, anathema ſint.*

3. *Qui dicunt Chriſtum Filium Dei, Deum Verbum in hominem eſſe mutatum, ita ut Deus Verbum eſſe deſierit, ut hominem purum natum ex Maria, ſecundum Paulum Samoſatenum, & Photinum, & merito atque virtute in Dei vocabulum profeciſſe, anathema ſint.*

4. *Qui dicunt, illud quod ſcriptum eſt, De die, anno, & hora neſciunt neque Angeli, neque Filius, juxta blaſphemias Arianorum; & non propter diſpenſationem carnis aſſumptæ, anathema ſint.*

5. *Qui dicunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, hoc eſt, Sanctam Trinitatem diverſæ inter ſe eſſe ſubſtantiæ, & non unius poteſtatis atque naturæ, anathema ſint.*

6. *Qui dicunt, quolibet modo & quolibet ſenſu Filium Patrem non videre, anathema ſint.*

7. *Qui dicunt, animas noſtras ex Angelorum faſtigio in hæc corpora corruiſſe propter quædam antiqua peccata, & in iſto mundo agere pœnitentiam, aſſumentes illa teſtimonia,* Priuſquam humiliarer, ego peccavi; *&,* Educ de carcere animam meam, *& cætera his ſimilia, anathema ſint.*

8. *Qui dicunt, Dominum noſtrum & Salvatorem noſtrum, non in noſtra veniſſe, ſed diverſa*

ſublimiorisque fuiſſe ſubſtantia, ſive cæleſtis, & non in totum ſumpſiſſe, quod de Maria eſt, vel animam hominis non habuiſſe, vel mentem abſque peccato, anathema ſint.

9. *Qui dicunt, poſt multa ſecula & tempora, quæ non poſſimus humanâ cogitatione comprehendere, reſtitutionem fieri omnium in antiquum ſtatum, & univerſa ad ſua redire principia, anathema ſint.*

10. *Qui dicunt, poſt reſurrectionem non eadem habere nos corpora, ſed aerea quadam & ſpiritalia, & non ejuſdem naturæ, cujus in ſepulchro conditi ſumus, licet incorrupta atque immortalia, anathema ſint.*

11. *Qui dicunt, poſt reſurrectionis finem & poſt multa tempora aboleri corpora, & everti in uſum, ut ſine corporibus tantum animæ ſimus, quod prius ſuimus, anathema ſint.*

12. *Qui dicunt, animas prius fuiſſe, quàm nata ſunt, & non cum corpore ſecundum exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri, anathema ſint.*

Pace Hieronymi, non æquum ſe præbuit, dum tam illiberaliter hominis ejuſmodi manibus inſultat, ab erroribus Origenis Pelagiique abhorrentis, fundamentaque pietatis omnia retinentis. Quòd verò de peccato originis nil dixerit Rufinus, non eam cauſam eſſe putamus, quòd id quæſtionis in adiaphoris annumeraret, ut Noriſius exiſtimat, verum quia tanti non poſtulabatur erroris, cùm confeſſio fidei edita ſit, ut innocentem eorum ſe oſtenderet, quibus accuſabatur. Quanquam ex ſecundo anathematiſmo colligi poſſit, Rufinum admittere originis humanæ vitium, ex quo fit ut prorſus egeamus gratiâ Chriſti, quam viris ſanctiſſimis neceſſariam eſſe fatetur. Extat referente Bellarmino inſignis apud Rufinum Commentario in Pſalm. 51. locus pro peccato originali: *Ego conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti. Numquid de adulterio David natus erat, de Jeſſe juſto viro & conjuge ejus? Quid eſt ergo, quod ſe dicit in iniquitatibus conceptum eſſe, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam? Nemo naſcitur niſi trahens culpam, & culpa pœnam.*

Melaniæ Pinianuſque petunt Africam. Pinianus ſe invito Presbyter eligitur.

XI. Rufino in Sicilia comites fuere *Melania* utraque, *Albina*, *Pinianuſque*, Rhegium expugnante Alarico. Quod ex Rufini ad Urſum Epiſtola certum exploratumque eſt. Quippe in Deuteronomium pollicetur oratiunculas: *Quas*, inquit, *ſi Dominus juverit, & ſanctitatem dederit oculis, cupimus reliquo corpori ſociare, quamvis amantiſſimus filius noſter Pinianus, cujus religioſum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat & alia.* Paulò ſuprà Barbarei meminerat, *qui Rhegino oppido miſcebat incendia*, ut extra dubium ſit, eo ipſo tempore Pinianum, Melanias, Albinam, nondum Rufini à comitatu divulſas, adhùc in Sicilia verſari, ubi opima prædia Junior Melania poſſidebat. Quibus falſa apparet Baronii Chronologia, qui in annum Dom. CCCCIX. Piniani & Melaniæ ex Sicilia ad Africam navigationem refert. Quo fonte cœnoſo alii & errores manarunt. Quæ ergo de Piniano & Melania illuſtriſſimos Purpuratus cum anno CCCCIX. copulavit, in præſentem ſunt conjicienda. Relicto Rufino cohors cùm Africæ ad oras appuliſſet, ad *Tagaſtenſem* Epiſcopum proficiſcitur. Literis nobiliſſimos advenas ſalutavit Auguſtinus, quibus ſe excuſatum voluit, quòd & hyemis ingruentis, & ſtatus Eccleſiæ ſuæ cauſâ ad eos accedere non poſſet. Auguſtinum ergo inviſere illuſtribus advenis placuit. Timebat Pinianus, ne ab Auguſtino ad Presbyteri munus eveheretur. Quem ab metu defendit Alypius, cui ab ipſo Auguſtini promiſſum fuerat, nil à ſe coactionis oriturum, ut Pinianus Presbyter ordinaretur. Eâ pollicitatione ſecurus, Hipponem migrat. Contra ſuam ipſius expectationem accidit, tumultuantes Hipponenſes flagitare, ipſum ſibi Presbyterum dari. Multa quoque in Alypium convicia jactabant. His auditis, ad eos Auguſtinus accedit, quos monet, factum à ſe Piniano promiſſum ſervandum eſſe. Adjecit & hæc Auguſtinus: *Si meâ fide violatâ, illum haberent Presbyterum, me Epiſcopum non haberent*: quibus minis Hipponenſes utcunque reprimuntur: at ſubinde multò vehementius inflammantur, exiſtimantes Auguſtinum ad violanda promiſſa poſſe cogi, vel ab alio ſaltem Epiſcopo Pinianum poſſe conſecrari. Pinianus miſſo ad Auguſtinum *ſervo Dei*, juraſſe ſe ſignificat, ſi invitus ordinaretur, ſe exceſſurum Africâ. Hoc ipſum affirmat & Auguſtino, qui ad ipſum adierat; quòd ſi tamen invito ſibi Sacerdotii onus non imponatur, præſentiam ſuam pollicetur. Quæ Piniani promiſſa, ut Auguſtinus plebi nota fecit, petunt ſaltem, ut ſi quandoque ſponte Presbyter efficeretur, in Eccleſia Hipponenſi crearetur. Poſtulationi libens Pinianus annuit, quod cùm populis nunciatum eſſet, ſtatim læti, promiſſa impleat poſtulant. Pinianus vim populi veritus, tandem aſſentitur, unàque cum Auguſtino ad populum accedens, *dixit ei, quæ à Diacono audita erant, ſe mandaſſe, ſe juraſſe, eaque ſe eſſe facturum.* Reſponſum eſt, *Deo gratias.* Petitum ut ſcripto, quod ſuâ manu Pinianus conſignaverat, ſubſcriberet & Auguſtinus: qui ut cœpit ſcribere, *Sancta Melania contradixit*, cui Auguſtinus obtemperavit, ſicque manca ſubſcriptio remanſit. Extorto per vim juramento, ſatisfaciendum ſibi non eſſe Pinianus arbitratus, ſequente die Tagaſtam clam cum ſuis revertitur. Excuſavit Hipponenſes ſuos Auguſtinus, quos pecuniarum amore, virum & nobilem, & divitem Presbyterum ſibi dari voluiſſe, Albina, Melaniaque querebantur. At licet fortè ad Piniani non opes, ſed pietatem attenderent, ea ſanè Presbyteros creandi ratio eſt prorſus iniqua, atque regulis Apoſtolicis maximè contraria. Nil tam voluntarium eſſe debet, quàm Presbyteri munus, quod niſi ſponte aſſumatur, Deo placere nequit, quæ ab invitis nobis fiunt, ea prorſus repudiante. Poteſtas quidem Eccleſiæ iſta non eſt, ſed tyrannis, quæ repugnantes Clericos facit, vel mortis injecto metu: eò magis in Hipponenſibus improbanda, quòd Pinianum, uxoremque ipſius Melaniam cœlum ſolumque mutare cogeret cum aëre morbido. Diſplicuit & Alypio vis ea, quæ Piniano fuit illata; quâ factum quoque eſt, ut nonnihil refrigeſceret amicitia. Extat de Piniani rebus Auguſtini ad Alypium Epiſtola, quæ eſt in ordine 124. Sed amicorum iræ amoris eſt redintegratio eſt, nec ea de cauſa Alypii Auguſtinique concordia prorſus diſſiluit.

Error Baronii.

Bar. An. 409. n. 16.

Aug. Ep. 225.

Melania Senior filium amittit: obiit Hieroſolymæ.

XII. Ut Melaniæ claudamus hiſtoriam, dum illuſtris fœmina in Africa verſatur, *Publicolam* filium amiſit. Eò gravior clades, quò ſuæ matri unicus erat, ex natis compluribus, quos procreaverat. Magnitudinem materni doloris majore conſtantiâ vicit atque pietate, quâ Dei ad arbi-

ANNO DOM. 411.

arbitrium nutumque ſe prorſus compoſuit. Sanctæ mulieris patientiam Auguſtinus Paulino ſignificavit. Epiſtolam attulit *Quintus*, munere Diaconus, quam poſt Paſcha anni CCCCXII. Paulino reddidit, qui *pro Apoſtolorum & Martyrum veneratione* Romam petierat. Epiſtolæ tamen lectionem diſtulit, donec Foemium veniſſet, quâ didicit, *illam beatam matrem, & aviam Melaniam fleviſſe carnalem obitum unici filii, taciturno quidem fletu, non tamen ſicco à maternis lacbrymis.* Porro non tam defunctum lugebat, quam *propemodum in ſeculari vanitate præventum, quia necdum illum deſeruerat Senatoria dignitatis ambitio.* Optaſſet mater, ut exemplo ſuo, filius *ſaccum togæ, & Monaſterium Senatui prætuliſſet.* Fuit tamen *Publicola* optimis moribus,

Paulin. Ep. 44.

mitis & humilis corde, ut non immeritò credatur introiiſſe in requiem Domini. Relictâ Africâ, Hieroſolymam Melania petit, diviſiſque facultatibus, quas ex prædiorum Siculorum diſtractione col-

Pall. Lauſ. c. 118.

legerat, *intra quadraginta dies obiit, in bona ſenectute, relicto Monaſterio Hieroſolymis, & ſumptibus Monaſterii.* Annos circiter LX. nata vitam cum morte commutavit. Anno CCCCXII. clauſiſſe diem extremum exiſtimamus, quia ſuperiore, dum hyeme ingruebat, Tagaſtæ verſabatur antequam ad Auguſtinum Pinianus accederet. Melaniam Hieronymo reconciliatam

Bar. An. 309. n. 19.

fuiſſe, Baronius opinatur. Quod nobis non fit vero ſimile, cùm in Epiſtola ſua ad Cteſiphontem noto jam Pelagio ſcripta Melaniam perſtrinxerit: *Evagrius Ponticus Hiborita . . . ſcribit ad eam, cujus nomen nigredinis teſtatur perfidiæ tenebras.* Periphralis eſt nominis Melaniæ. Quæ ad Cteſiphontem Epiſtola Melaniæ Senioris poſt obitum exarata eſſe videtur. Teſtemque damus Oroſium, qui in Hieroſolymitano conventu hæc anno 315. labente locutus eſt. Hoc in ipſius Pelagii ſcriptis Hieronymus *in Epiſtola ſua quam nuper ad Cteſiphontem edidit, condemnavit.* Junior Melania defunctâ jam Seniore Hieroſolymam acceſſit. Amicitiâ conjuncta fuit cum Hieronymo, cujus hæc ad Auguſtinum verba ſunt in Epiſtola, quam Innocentio Presbyter perferendam dedit anno circiter CCCCXIII.

Hier. Ep. 79.

Sancti filii communes Albinus, Apinianus, & Melania plurimum vos ſalutant. Legendum potius *Pinianus*, qui vir Melaniæ fuit. Jejunio & eleemoſynis poſteris nomen ea Melania commen-

Pall. Lauſ. c. 118.

davit, de qua Palladius: *Poſt diem unum comedebat, in principio autem, poſt quinque variè ancillis ſuis ſerviens.* Qua ratione variis ſua bona provinciis diſpenſarit, ex Palladio diſcatur. Sedem cum viro ſuo Melania invenit in Martyrologio, quod utriuſque memoriam Decembris XXXI. recolit: *Sancta Melania, quæ cum viro ſuo Piniano Româ abſcedens, & Hieroſolymam proficiſcens, inter fœminas Deo ſacras; vir inter Monachos religioſam vitam exercens, & ambo ſancto fine quieverunt.*

Collationis Carthag. locus & tempus.

XIII. In Africa ſequuntur res maximi momenti, quæ noſtris nunc Annalibus ſunt reddendæ. Anno ſuperiore in Carthaginenſi Synodo contra Donatiſtas legationem ſuſceperant Florentius, Præſidius, Poſſidius, & Benenatus, ſive Venantius Epiſcopi, qui exoptatam tandem Catholicorum Donatiſtarumque collationem impetrarant. Quæſtio omnis erat non de articulis, quibus ipſa Religio conſtituitur, verùm de ſchiſmate, de ſucceſſione Eccleſiarum, de ipſa denique Eccleſia, quam ſibi ſolis Donatiſtæ vindicabant. Formulam itaque quæſtioni congruentem cognitori Marcellino Honorius Reſcripto ſuo imperaverat: *Id ante omnia ſervaturus, ut ea, quæ ad Catholicam Legem vel olim ordinavit antiquitas, vel Parentum noſtrorum autoritas religioſa conſtituit, vel noſtra ſerenitas roboravit, novellâ ſuperſtitione* (lege ſubreptione) *ſubmotâ, integra & inviolata cuſtodias.* Id erudito miraculo penè habetur, quod Honorius, cujus notiſſima ſocordia fuit, infelix, cladibuſque ſuis attonitus, Africanæ Eccleſiæ preces audierit, cujus majorem geſſiſſe curam videtur, quàm ſuæ Romæ, atque Italiæ. Nobis tamen admirationem non efficit ea cura, cùm Afrorum legatione Honorii excitaretur ignavia, & ad flagitatam Collationem non viribus, non conſiliis, non milite Principis, ſed uno duntaxat Reſcripto opus eſſet. Intra quatuor menſes agi cauſam præceperat Imperator. Edicto ſuo pridie Idus Octob. Ravennæ dato anno 410. Marcellinus verò, quem cognitorem cauſæ Honorius conſtituerat, ſuo *Edicto Baſilicas ſine juſſione Imperatoris reddidit Donatiſtis, qui ſe pollicerentur eſſe venturos*, ut Auguſtini ex Breviculo Collationis ſermus atque tenemus. Aliud etiam Edictum promulgavit manſuetidinis plenum, in quo hæc habentur: *Si de mea perſona aliquid cunctationis affertur, alium mecum Judicem, quem ipſi delegerint, Donatianæ partis & fidei, vel ſuperioris vel ſimilis dignitatis reſidere, non abnuam.* Sic numeroſus partis utriuſque Epiſcoporum cœtus colligitur, ex ſex Africæ Provinciis, Proconſulari ſcilicet, Byzacenſi, Numidia, Mauritaniis Sitiphenſi & Cæſarienſi, & Tripolitana, quarum Epiſcopis Carthagini præſentiam afferre ſuam mandabatur. Locumque tempuſque Collationis primæ cognitionis geſta docent: *Poſt Conſulatum Varanis V. C. Kalendas Junis, Carthagine in Secretario thermarum Gargilianarum.* Quem locum ideò Collationi conſtitutum Baronius putat, non verò Baſilicam vel *Fauſti*, vel *Reſtitutæ*, ob Donatiſtas, qui Catholicorum Eccleſias *Satanæ Synagogas* eſſe dicebant. Quam rationem neſcimus, an ea ſit idonea, cùm non Baſilicæ per ſe, ſed ob Catholicos odio eſſent Donatiſtis. Qui cùm ad conventum & colloquium conſtiterint, cum adverſariis miſcendum, nil cauſæ habuiſſent, cur unam ex Baſilicis Carthaginenſibus repudiarent ad Collationem. Thermæ ergo Gargilianæ Baſilicis videntur antepoſitæ, quia ſe commodiores oſtendere. Locus erat amplus, lucidus, æſtivos calores temperans refrigerio, & quod conventui opportuniſſimum, in urbis Carthaginenſis medio ſitus. Baronii refellit conjecturam, noſtramque firmat Marcellini Decretum: *Erit autem Collationis aptiſſimus locus thermarum Gargilianarum, in quem die Kal. Juniarum eoſdem Epiſcopos ſolos, qui deſignati ſunt, oporteat convenire.* Nil ergo ſive locus, ſive tempus ſpectetur, Epiſcoporum deliberationi permiſſum Decreto conſtituendo, etſi præſentibus fuerit ſignificatum, ut illud ſuo ſuffragio comprobarent.

ANNO DOM. 411.

Collat. c. 5.

Bar. Ann. 411. n. 7.

Collat. c. 10.

XIV. Edicto quoque hoc ſuo Marcellinus Epiſcopos monuit, *non amplius quàm ſeptenos ambarum partium mutuà inter ſe diſceptationis habituros eſſe colloquium, quos in officium diſputandi ſuarum partium ſubrogaret electio.* De Maximianiſtis verò, à Donatiſtarum corpore ſegregatis, ſubjungit Marcellinus: *Maximianiſtis etiam Edicti hujus innoteſcat autoritas, quâ ſibi ab illo Con-*

Marcellinus Maximianiſtas reſpuit. Actorum numerum ſtatuit.

tike

cilio intelligant temperandum, quod inter Catholicos Donatiſtaſque diſtingui omnem, dijudicarique conflictum, clementium Principum præceptio religioſa conſtituit. Nec eis opitulari aliquatenus poteſt, quòd ſibi Donatiſtarum nomine blandiuntur, cùm à Donatiſtis dicantur eſſe damnati. Denique quod memoriâ cuſtodiendum, utriuſque partis Epiſcopis antequam conveniant, præcipit Marcellinus ad ſe literas mittere, quibus mandati ſui conditionibus ſe ſatisfacturos omnibus polliceantur: *Supereſt ut ante Concilii diem univerſum hujuſce ordinationis tenorem utriuſque partis Epiſcopi, amputatâ penitùs morâ miſſis ad dicationem meam literis ſuis, impleturos ſe promittant.* Quæ ſi vir doctiſſimus attendiſſet, in ſua de ſchiſmate Donatiſtarum hiſtoria, non utique ſcripſiſſet, ubi Donatiſtæ venere Carthaginem, *primam de loco conſeſſus fuiſſe deliberationem*; proximam verò, *de numero eorum, quibus in publicis conventibus futurus eſſet locus.* Tam locus Synodi, quàm numerus diſceptantium Marcellini in Edicto antè conſtitutus fuerat, quàm vocatis Epiſcopis exhiberetur.

Collat. Carth. c. 10.

Witz. de Sch. Don. n. 13. &c.

Donatiſtarum adventus. Noto iam Marcellino ſuam ſignificant. Catholicorum Notoria.

X V. Non integrum Donatiſtis erat, negare præſentiam: quæ præfractis Honorii imperiis injungebatur: *Si intra præſtitutum tempus ſtudioſè Donatiſtarum Epiſcopi declinaverint conveniré, trini Edicti vocatione contumacium tempora concludantur. Quibus emenſis atque tranſactis, ſi provocati adeſſe contempſerint, cedat cum Eccleſiis populus, qui Doctores ſuos ſilentio noverint ſuperatos.* Multum humanitatis Donatiſtarum Epiſcopis fuit exhibitum, quibus conceſſæ per *tractorias* vecturæ, omniaque commeatui neceſſaria. Pompæ plenum fuiſſe Donatiſtarum ingreſſum, *ut tam magnæ civitatis oculos in ſe converterent*, audimus ex Baronio. Quæ Donatiſtis perperàm illuſtriſſimus Purpuratus accommodat, cùm de omnibus omninò Epiſcopis ſint accipienda, teſte Auguſtino: *Congregantur ex univerſa Africa Epiſcopi . . . qui loquantur pro omnibus, eliguntur ab omnibus . . . utrique conveniunt.* Specioſi ergo agminis pompa, quæ Carthaginenſium oculos in ſe convertit, cœtus eſt Epiſcoporum utriuſque partis numeroſiſſimus. Inſpiciatur & Synodi Cirthenſis ad Donatiſtas Epiſtola, quæ apud Auguſtinum eſt 152. Prima Donatiſtis Carthaginem ingreſſis cura fuit, *notoriam* Marcellino ſuam ſignificare, ut ipſius mandata exequerentur: *Poſt Conſulatum Varanii V. C. octavo Kalendas Junii, Flavio Marcellino V. C. & ſpectabili Tribuno & Notario, Januarius, Primianus, & cæteri ſinceræ Chriſtianitatis Epiſcopi, & Catholicæ veritatis. Notum fecimus ſinceritati tuæ nos Edicto tuo conventos, ex diverſis partibus Africæ convolantes, ingreſſos fuiſſe Carthaginem XV. die Kal. Juniarum.* De Edicto Marcellini hoc addunt: *Alterum quoque dignatus es edere, in quo cùm multa nos moveant, tum præcipue magnam ſollicitudinem facit, quia nos ipſos Edicto tuo Epiſtolis noſtris adſtipulari oportere cenſuiſti, cùm hoc nec mos publicus habeat, nec Judicum conſuetudo.* Subjungit: *Sinceritatem tuam plurimum exhortamur, cunctos nos ad te venire præcipias, ut quam primùm de numero noſtro conſtet, quos adverſarii paucos eſſe ſæpè mentiti ſunt.* Notoriam quoque ſuam Marcellino Catholici exhibuerunt, cujus verba referre juvat: *Aurelius, Silvanus, & univerſi Epiſcopi Catholici. Edicto ſpectabilitatis tuæ . . . in omnibus nos conſentire, ſicut admonere dignatus es, per has literas intimamus. . . . Illo etiam veritate confiſi, nos vinculo conditionis obſtringimus, ut ſi nobis ii, cum quibus agimus, demonſtrare potuerint, ſubitò Eccleſiam Chriſti, neſcio quorum, quos iſti accuſant, periiſſe contagio, & in ſola remanſiſſe parte Donati, nullos apud eos honores Epiſcopalis muneris requiremus, ſed eorum ſequemur pro ſola æterna ſalute conſilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognita veritate debebimus.* Contrà verò ſi nullorum hominum ſibi commiſtorum peccatis perire potuiſſe Eccleſiam demonſtrarint, ſpondent, ſe adverſariis Epiſcopatus honorem ſervaturos: *Poterit quippe unuſquiſque noſtrum honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentius, ſicut peregrino Epiſcopo juxta conſidente collegâ. Hoc cum alternis Baſilicis utriſque conceditur, uterque ab alterutro honore mutuo prævenitur, quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, poſſeſſio pacis non fit anguſta, ut uno eorum defuncto, deinceps jam ſingulis ſinguli priſtino more ſuccedant. Aut ſi forte Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitatâ rerum facie tolerare non poſſunt, utrique de medio ſecedamus, & Eccleſiis in ſingulis damnatâ ſchiſmatis cauſa, in unitate pacifica conſtitutis, ab his, qui ſinguli in Eccleſiis ſingulis inveniuntur, unitati facta per longa neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. Quid enim dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de Cathedris deſcendere formidamus?* Pulcherrima verba hæc ex intimis præcordiis charitatem anhelant, eò notabiliora, quòd fortè nemini proponentur ad imitandum.

Collat. Carth. n. 4.

Bar. An. 411. n. 5.

Aug. poſt Collat. c. 25.

Collat. Carth. n. 14.

Coll. c. 16.

Catholicorum Concilium ante Collationem.

X V I. Egregia hæc animorum conſenſio Concilii fuit Catholici, trecentis circiter Epiſcopis conſtantis, qui *tertio Kalend. Juniarum* convenerant. Hoc ſanè magnum mirumque videtur, quòd in eandem ſententiam tot capita deſcenderent: *Duo ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret. Unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberius auſus eſt; alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſtràquam illum ſenem liberius hæc dicentem obruit omnium fratrum correptio, ille mutavit ſententiam, vultum etiam alter mutavit.* In ea quoque Synodo conſtitutum eſt mandatum, quod biduo pòſt Marcellino fuit exhibitum: *Mandatum in Eccleſia Carthaginenſi ab univerſo Concilio Epiſcoporum Catholicorum, præſidente Aurelio, Epiſcopo Eccleſiæ Carthaginenſis, & Silvano Primate Numidiæ.* Hoc ſuo mandato eligunt idoneos fratres, qui *Eccleſiam Sanctam* adverſus Donatiſtarum objecta defendant, contendentium, Cæciliani, & ſociorum ejus peccatis periiſſe pollutam, atque in parte duntaxat Donati ejus reliquiis remanſiſſe: oſtendunt quoque, *Conſtantinum* Imperatorem poſt Eccleſiaſtica judicia, quibus Cæcilianus fuerat abſolutus, cauſam partibus præſentibus omnem cognoviſſe, atque innocentem Cæcilianum, illos autem calumnioſiſſimos judicaſſe. Felicis quoque Aptungenſis ordinatoris Cæciliani innocentiam Æliano Proconſuli claruiſſe: *Hæc*, inquiunt Patres Carthaginenſes, *exequenda mandamus fratribus & Coëpiſcopis noſtris, Aurelio, Alypio, Auguſtino, Vincentio, Fortunatiano, & Poſſidio. . . . His autem adjungimus, cum quibus ubi opus fuerit, conſilium habeant, Novatum, Florentium, Maurentium, Priſcum, Serennianum, Bonifacium, & Scillatium: ad cuſtodiendam verò conſcriptionem geſtorum Deuterium, Leonem,*

Aug. Geſt. cum Emer.

Coll. Carth. r. 55.

Leonem, *Aſterium & Reſtitutum.* Quòd ſi Eccleſias, quas diſceptantes Epiſcopi adminiſtrabant, cognoſcere placet, nomina ſunt in promptu. Aurelius *Carthaginenſis*, Alypius *Tagaſtenſis*, Auguſtinus *Hipporegienſis*, Vincentius *Coluſitanus*, Fortunatus *Conſtantinenſis*, Fortunatianus *Siccenſis*, Poſſidius *Calamenſis*.

De Officio Carthaginenſi quod Collationi interfuit.

XVII. Illuxit tandem primus Junii dies, qui celeberrimæ Collationi præfigebatur. Aderat Officium; neque inutile prorſus erit, virorum illuſtrium, quibus conſtituebatur, nomina ſuppeditare, utpote quæ & in Annalibus Baronianis deſiderentur, & illuſtrandæ proſint hiſtoriæ: *Præſentibus Sebaſtiano, Maximiano, & Petro, viris devotiſſimis; Protectoribus domeſticis adſtantibus, Urſo, Petronio, & Liboſo Ducenariis; Bonifacio, & Evaſio Apparitoribus illuſtrium atque eminentium Poteſtatum; Tileto Apparitore illuſtris Comitivæ ſedis, Extitioſo Adjutore Corniculari, Poſſidio, Quodvultdeo, & Colonico Adjutoribus Commentariorum Domini noſtri V. C. & ſpectabilis Vicarii; Nampio Scribâ Officii V. C. Legati almæ Carthaginis, Rufiniano Scribâ V. C. Curatoris celſæ Carthaginis, excipientibus etiam Hilario & Prætextato, Exceptoribus Domini noſtri V. C. & ſpectabilis Vicarii, & Romulo Exceptore V. C. Legati almæ Carthaginis, excipientibus quoque Januario & Vitale Notariis Eccleſiæ Catholicæ, Victore & Creſconio Notariis Eccleſiæ Donatiſtarum.* Collationi viri tot inſignes pondus addebant.

Geſta primæ diei in Collatione Carthag.

XVIII. Cognitio tribus eſt diebus geſta. Vitandæ verò confuſioni quodcunque memoratu dignum videtur, ordine ſuo recenſebimus. Primo die jubente Marcellino Tribuno & Notario, qui ab Honorio Collationi Præſes dictus erat, Imperatoris Decretum *Martialis* Exceptor recitavit. Quo lecto, Marcellinus jubet Edictum quoque ſuum omnium in conſpectu proferri. Poſt lectionem quærit à Donatiſtis, nùm placeret alium ex ipſorum parte Cognitorem reſidere; *qui ſi praſtò eſt, intrare dignetur.* Ad alterius dein Decreti Marcelliniani lectionem Exceptor prodit, & locus, & forma Collationis conſtituebatur. Subinde *Notoria* Donatiſtarum à Romulo legitur, cujus recitationem excepit lectio Epiſtolæ Catholicorum. Utriuſque Epiſtolæ, quæ cognitu neceſſaria ſunt, ea jam exhibuimus. Ut apparuit Catholicos Edicti tenori conſenſiſſe, quærit Cognitor ab alterius partis Epiſcopis, an ſatisfecerint, aut ſatisfacere velint. Poſt multas interlocutiones, quæ momenti non ſunt alicujus, Concilii Carthaginenſis, tertio Kal. Juniarum celebrati, mandatum legitur, quo Epiſcopi octodecim eligebantur, ſeptem ſcilicet ad diſputandum, totidem ad conſultandum, quatuor ad acta ſcriptis mandanda. Omnium quoque Catholicorum Epiſcoporum, qui mandato ſubſcripſerant, numero CCLXVI. nomina recitantur. Hic Petilianus flagitat, *veniant in judicium Notarii*, cùm Clerici minoris loci Epiſcopos ſe fingere potuerint: requirendum igitur utrùm numerum novitas fecerit, an

Coll. n. 61.

dederit antiquitas. Poſt multa jurgia ſtatuit Marcellinus, Epiſcopos præſentes venire dignentur. Stabant intereà Donatiſtæ, quod moleſtum Marcellino videbatur: *Mihi*, inquit, *onerosum, tot venerabilibus viris ſtantibus reſidere dignamini*: hanc ob urbanitatem gratias quidem Petilianus egit honeſtiſſimas, ſtare tamen cum ſuis maluit exemplo Domini, qui ante Præſidem ſtare dignatus eſt. Secundum formam cœleſtis Oraculi Donatiſtas Marcellinus monet, idoneos aſſertionis ſuæ Actores indicare, cui præcepto his verbis ſatisfecere: *Poſt Conſulatum Varani V. C. octavo Kal. Junii, Carthagini*

N. 148.

Januarius, Primianus, Felix, Donatus, Candorius, Optatus, Donatianus, Antonianus, Victorianus, Fortis, &c. Primiano, Petiliano, Emerito, Protaſio, Montano, Gaudentio, Adeodato, Coëpiſcopis noſtris, præſentes præſentibus, ſalutem. Mandamus vobis Eccleſiæ cauſam, defenſoreſque vos facimus adverſus traditores, perſecutoreſque noſtros. . . . Quidquid egeritis pro ſtatu Eccleſiæ, ratum nos habituros noſtrâ ſubſcriptione profitemur. Mandato ſubſcripſerant Donatiſtarum Epiſcopi omnes quotquot aderant, quos inter *Felix Epiſcopus Romæ.* Papitio Maſſoni obſervantur quatuor Epiſcoporum nomina ex ſeptem viris, quos Donatiſtica factio elegerat ad diſputandum. Primianus *Carthaginenſis*, Petilianus *Conſtantinienſis*, Emeritus *Cæſarienſis*, Gaudentius *Thagmudenſis*. Aliorum trium Eccleſiæ ignorantur. Lectis ſcribentium nominibus, Poſſidius, Aureliuſque ipſorum quoque præſentiam flagitarunt. Omnium ergo jubente Tribuno ſubſcriptione recitantur, quod Petiliano pergratum fuit: ut eâ ratione de ſuarum Eccleſiarum numero conſtaret. Dum quorumdam nomina recitantur, ſcribi jubet Alypius Tagaſtenſis, illos *in villis, vel fundis eſſe Epiſcopos ordinatos.* N. 181. Porro Manilius Bazienus Presbyter pro ſuo Epiſcopo oculis capto ſubſcripſerat, quod Tribuno probatum. Ea res tamen jurgii aliquid movit. Alypius enim ſuæ partis abſentium Antiſtitum nomina inſeri voluit. Ad hæc Petilianus teſtatur, ex ſuis multos vel neceſſitatibus, vel adverſis valetudinibus præpeditos non veniſſe; Cathedras quoque viduatas eſſe; quæ in Actis contineri voluit. At *Felicis Zummenſis* occaſione lis non minima exoritur, quæ non eſt prætereunda. Quæſivit Fortunatianus, Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopus Catholicus, quomodo *Felix*, qui aberat, ſubſcribere potuerit. Cùm hæc falſitas eſſe videretur, reſpondit Petilianus: *Felix quidem Lambienſis hic ægrotat, ſed* N. 205. *& alii duo, id eſt, Flavianus, & Donatus idem non mediocri ægritudine torquentur, credo quod alicui mandaverit pro ſe ſubſcribi ille Felix, & in nomen ſedis, vel loci factus eſt error, quem aut ſimpliciter accipiant, aut facimus hujus nominis jacturam.* Quam proſecutionem ſufficere cognitori exiſtimatum. At ſubinde diſceptatio longè major exoritur. Ut Rufinianus Scriba recitavit *Quodvultdeus Epiſcopus Geſſitenſis*, dixit Petilianus, *In itinere defecit.* Id cùm Catholicis impoſſibile videretur, petiit Alypius, *utrùm Clericus ex nomine ſuo ſubſcripſerit, an ex nomine defuncti*, Exceptore recitante auditur, *Quodvultdeus Epiſcopus Geſſitenſis ager ſubſcripſi.* Hîc quidem aqua Donatiſtis hærebat, quia ſi ſubſcripſerat Quodvultdeus, non igitur in itinere obierat, quia in urbe Carthaginenſi ſubſcripſerat mandato *octavo Kalend. Jun.* Rimam tamen invenit *Adeodatus*, quà ſe elabi poſſe putavit: *Is qui* N. 207. *mandavit, de cujus nomine nunc agitur, cùm ægrotare cœpiſſet, ad propria remeans, in itinere defecit.* Quæ excuſatio cùm veriſimilitudinis aliquid haberet, ea Marcellino non diſplicuit; id unum rogavit, utrùm Quodvultdeum Carthagine fuiſſe, *ſub Dei teſtificatione* Adeodatus deſignaret. Ad hæc Emeritus, *Quid ſi ſe alius pro eodem* Ibid. *opoſuit?* Quâ excuſatione prior quidem evertebatur.

Anno Dom. 411.

batur. Ex geſtis hujus diei apparet, quot Epiſcopi mandatis ſubſcripſerint. Ex parte Donatiſtarum Rufinianus Scriba numeravit CCLXXIX. incluſis ſex numero, qui aberant. Ex parte verò Catholicorum 266. inventi ſunt, quibus poſteà viginti adduntur, qui etiam ſubſcripſere. Itaque ſi numerus Africanorum Epiſcopatuum ineatur, erant incluſis omnibus Catholicorum 570. Donatiſtarum circiter 500. Cùm dies penè emenſus foret, ab utraque parte conceſſum, *die perendino* negotium peragi, ut *craſtino intermiſſo* ſchedæ deſcriberentur.

Coll. 2. n. 32.

Geſta ſecundæ diei in Collatione Carthag.

XIX. Secundâ Junii die, Flavio Marcellino, illiſque qui proximè interfuerant, etiamnum præſentibus, *Primianus*, *Petilianus*, *Emeritus*, *Protaſius*, *Montanus*, *Gaudentius Epiſcopi*, *& defenſores veritatis*, notoriam hanc ſuam ſignificarunt, quâ poſtulabant, oblatum à Catholicis mandatum ſibi in notitiam perferri, ne imparati ad judicium venirent. Quæ poſtulatio cùm æqua videretur, juſſit Marcellinus mandatum rogantibus deſcriptum tradi. Tertio Nonas Junias, præſentibus iis, quos jam memoravimus, *Liboſus Ducenarius illuſtrium Poteſtatum dixit, quoniam in hodiernum diem comperendinata cognitio eſt, & pro velo ſunt utriuſque partis Epiſcopi, ſi jubet ſublimitas tua, intromittantur.* Ingreſſis partis utriuſque Epiſcopis, quibus diſputandi munus injunctum fuerat, Marcellinus eos omnes rogavit, ut ſedere dignarentur. Ubi Catholici conſedere, dixit Petilianus, *quod priore judicio factum non eſt, facere non audemus.* Iterum rogante Marcellino, ut Donatiſtæ ſederent, reſpondit Petilianus, *Patribus noſtris abſentibus non ſedemus, maximè cùm Lege divinâ conſeſſus prohibeatur, ne cum hujuſcemodi adverſariis noſtris conſidere volumus.* Hîc ſe Marcellini urbanitas oſtendit, qui ſibi extorqueri noluit, ut ſtando cognoſceret. Ablato ergo *ſeſſu Judicis* ipſe ſtetit, & Catholicis unà ſurgentibus, dixit Donatiſtis, *Decet me vobis ſtantibus, habere hujuſmodi voluntatem, quæ ad reverentiam ſanctorum pertinet Sacerdotum*; cui Petilianus, *Honorificè feceris.* Poſt hæc Martialis Exceptor monuit, notoriam pridie Marcellino oblatam eſſe recitandam. Quo facto, Petilianus rogat prius edi geſta quàm reſponderet. Subjungit & Emeritus, ita ſe eſſe comparatum, ut diuturnâ lectione edoceri debeat. Lecto Decreto, ut perendino die negotium repeteretur, juſſit Cognitor ad cauſæ meritum venire. Ad hæc Donatiſtæ urgent acta proferri, quorum partem cùm in Codicibus adhùc haberi, *Martialis* Exceptor reſpondiſſet, rogant iterum Donatiſtæ, ut geſta ex more ederentur, quod cùm humanum & juſtum videretur, petente vel Auguſtino cognitio differtur in *ſextum Iduum Juniarum*, juſſique Exceptores, Junii ſeptimo matutinis horis geſta edere, quæ vel uno die prius Montano tradita ſunt, ut ex ipſius Confeſſione liquet: *Scripſi vobis, Hilaro, & Prætextato Exceptores, me accepiſſe à vobis geſta gemina cognitionis, in quibus cum traditoribus & perſecutoribus noſtris conflictimus. . . Tradidiſtis coram Patribus & Coëpiſcopis noſtris die octavâ Iduum Juniarum, horâ diei tertiâ in Eccleſia Theoprepia.*

Coll. 2. n. 3. &c.

Coll. 3. n. 5.

Diei tertiæ Collatio Carth. Tergiverſationes Donatiſtarum.

XX. Die conſtitutâ octavâ Junii, feriâ v. ingreſſis partis utriuſque Actoribus Epiſcopis, Marcellinus juſſit *principale negotium proponi.* Hic Emeritus contendit, primùm qualitatem perſonarum diſcutiendam eſſe, quis in judicium adduxit, quis Principes convenit, quis Legatos miſit, quis judicium poſtulavit. Neque Cognitori ea Donatiſtarum proſecutio diſplicuit, qui Imperatoris Sanctionem recitari juſſit. Quâ lectâ, petunt etiam preces Epiſcoporum, qui Honorium adierant, proferri, quæ certè vitiligatorum tergiverſatio fuit. His amotis diſputandum erat, *in qua ſit parte ſuperſtitio conſtituta.* Rotundè quidem Catholici fatebantur, ſe Collationem petiviſſe: cauſam verò diſſidii cùm Princeps inquiri juſſiſſet, nil rationis erat Donatiſtis urgere perpetuò, *prodant mandatum*, *prodant legationem.* Huic ſuæ tergiverſationi Legatorum fortè mendacia obtendebant; omniaque vulganda eſſe cauſabantur: *Noverit hæc conſcientia populi, ſciat univerſa Provincia.* Addebat Petilianus: N. 75. *Si cognovero à perfidia atque mendacio te cœpiſſe, neceſſe eſt ut tuam perſonam prorſus evitem, quid enim mihi prodeſt docere mendacem?* Multis de nomine Catholici ultrò citròque jactis, quærit Emeritus, *utrùm petitoris loco adſtarent* adverſarii, quod non prorſus iniquè poſtulabatur, judice vel Marcellino, jubente, *Reſpondeatur objectis.* Non inficias quidem ire Catholici poterant, quin anno CCCCIII. Theodoſio & Rumorido Coſſ. ſupplicem Septimino Proconſuli Libellum obtuliſſent *adverſus Hæreticos de parte Donati.* Lecto Libello, exclamat Petilianus; *Petitor eſt, qui petit.* Hæc verò ſe poſtulaſſe, ſed præcedentibus adverſariorum criminationibus, & accuſationibus Catholici profeſſi ſunt. In quæſtione agitanda, quis petitor eſſet, multum temporis eſt inertis tranſmiſſum. Ac noſtro quidem judicio, partes illæ Catholicis implendæ erant, utpote qui Collationem miſſâ legatione flagitarant. Cæterùm non ſatis candida fuit Petiliani proſecutio, qui diſceptationem aliò transferre conatus, quæſiit ab Auguſtino, *Filius eſſet Cæciliani, an non?* At quis eum ordinaſſet? Cui meritò reſponſum à Fortunatiano: *Quid ad cauſam pertineat veritatis, uniuſcujuſque Epiſcopi ordinator, non ſatis cognoſcimus.* Ex Petiliani interrogatione apparet, illos Donatiſtarum ſimiles eſſe, qui ad ravim uſque ab Evangelicis flagitant, *Quis vos ordinavit?* Evangelicos verò meritò adverſariis ſuis Catholicorum Fortunatianique verba reponere: *Quid ad cauſam pertineat veritatis uniuſcujuſque Epiſcopi ordinator, non ſatis cognoſcimus.*

Coll. 3. n. 16.

N. 89.

N. 97.

N. 117.

N. 144.

Donatiſtæ cauſam ingrediuntur Reſponſiones Auguſtini.

XXI. Cæterùm capita controverſiæ gemina erant, de quibus diſputandum; alterum facti, alterum juris; ſcilicet Cæcilianus foret traditor, nec ne: conceſſo verò traditorem fuiſſe, nùm ex communione, quam Cæciliani ſucceſſoribus Eccleſiæ Africanæ colebant, jure tituloque Eccleſiæ Chriſtianæ excidiſſent? Ac prior quidem illa quæſtio ex tabulis publicis; poſterior verò ex Scripturæ monumentis decidi debuit, ut ſapienter Marcellinus agnovit: *Si traditionis*, inquit, N. 156. *crimen objicitur, quod ſine dubio Legibus divinis non poteſt approbari, ſed geſtorum fide diligentius inveniri, tum demum geſtis publicis omnia peragantur. Sin verò cauſa fidei cœperit agi, tunc ad ea, quæ V. & N. Teſtamenti exemplis docenda ſunt, veniatur.* Quo Decreto quid æquius? Porro omiſſis velitationibus, ex quibus nil fructus redibat, niſi jactura temporis, tandem cauſæ jugulum Donatiſtis invadi placuit. Quorum nomine ſic Marcellinum compellat Emeritus: *Quoniam habemus in manibus divinorum Sacramentorum collectam undique uniformitatem, id ſpſum* N. 149.

Anno Dom. 411.

ſum adverſum eorum mandatum, quod legaliter ſe ſcripſiſſe dixerunt, jubeat recitari, ut poſt aſſertionem noſtra perſecutionis, lectionemque libelli, ſive literarum, quas in judicio petimus recenſendas, univerſa qua noſtris partibus competunt, ſpecialiter peragamus. Recitante Romulo, obturbat Emeritus, *non legit, non diſtinguit ſenſus.* Concedente Auguſtino Donatiſtis, ut mandatum legerent ſuum. *Habetdeum* Epiſcopus jubente Marcellino recitavit: *Januarius & cateri Epiſcopi veritatis Catholica, qua perſecutionem patiuntur, & non faciunt, &c.* Hoc verò ſuo mandato exponunt, quod ad rem maximè faciebat: *Adverſariis noſtri decurſis teſtimoniis, quibus Eccleſia cum laude ſui ubique diffunditur, id prius mandant ſuis defenſoribus peragendum, ut contra nos, qui Eccleſia defendimus puritatem, iſto modo agant, ut eandem Eccleſiam habituram in ſe permixtos ſimul bonos & malos, uſque in finem ſeculi dicant eſſe prædictam. Cujus rei cauſâ nos magis oſtendimus, Eccleſiam Dominus in Scripturis divinis ſanctam & immaculatam fore ubique nuntiatam.* Hanc verò ſuam opinionem teſtimoniis probant, nec non exemplis. Aiunt Prophetam, quem *Sophoniam* vocant, quòd prohibitum ſibi panem ſumpſerat, à leone diſceptum fuiſſe. Schiſmaticorum altaribus, Eliam nunquam communicaſſe. Catholicos in defenſionem ſceleris ſui fruſtra Judæ proditoris exemplum aſſumere ſibi, quem Dominus hominibus ignotum pertulit. Nullum Schiſmaticorum, Hæreticorumque baptiſmum eſſe: *Unde enim fieri poteſt, ſi una eſt Eccleſia, & indiviſus eſt Chriſtus, ut foris poſitus baptiſmum conſequatur?* Non moribus modo, ſed corpore etiam ab improbis hominibus eſſe recedendum, multis Scripturæ locis oſtendi. Numeri c. 16. Eſaiæ c. 52. 2 Cor. 6. Vanum eſſe ſuffugium adverſariorum ſuorum, dicentium, ab aliquis ipſorum Maximianiſtis fuiſſe perſecutiones illatas, *cùm utique longè aliud ſit, uſurpata Eccleſiaſtica & compauperum civiliter repetere voluiſſe,* nec ullum ad communionem ſuam invitum coëgiſſe. Queruntur denique, ſanguinis multum effuſum eſſe per Leontium, Urſacium, Macarium, Paulum Taurinum, Romanum, ſtupratas virgines, ſpoliatos pauperes, ablatas Baſilicas, actos in fugam Sacerdotes, in uno oppido Bagaienſi cruoris mul-

N. 258.

tum manaſſe. Ad hæc Auguſtinus reſpondit, venturum Chriſtum, ut *mundet aream ſuam*; divina extare teſtimonia de zizaniis & tritico. Hoc Donatiſtæ fatebantur, ſed dicebant, malos Sacerdotibus eſſe incognitos. Excepit hæc multa de voce *mundi* diſceptatio, utrùm de Eccleſia, an de mundo eſſet intelligenda. Collationis cætera malo fato periere, quæ ex titulis capitum Breviculo Auguſtini, geſtiſque poſt Collationem ſunt intelligenda. Objectum Catholicis, dixiſſe plures Eccleſias eſſe, quod lectis Codicibus dictum eſſe non conſtitit. Defendere illi, quæ protulerant, de Eccleſia præſentis temporis, & futuri. Petentibus Donatiſtis, ut de ſingulis articulis pronuntiet, Marcellinus reſpondit, Legibus prohibere, *ne ſententia pro parte negotii proferatur.* Eò proceſſit petulantia Donatiſtarum, ut Judici dicerent,

N. 295.

Si Chriſtus non es, cur de Sacerdotibus judicas. Et Catholicis affirmantibus, quòd *Donatiſta oculos eruendo Diabolum ſuperaverunt*, objicerent *Diabolum eſſe defenſum.* Redit in diſceptationem de Cæciliano cauſa: teſtanteque Petiliano, ſe propter raucedinis impedimentum agere non poſſe, Catholici interloquuntur Petilianum ſe ſubſtraxiſſe, *quod & Donatus Caſenſis ex geſtis evidenter oſtenſus eſt.* De Felice quoque Aptungitano lis magna fuit, Cæciliani ordinatore, cujus purgatio geſtis exhibitis oſtendebatur. Cùm habuiſſet Marcellinus ubi oſtentaret præclaram patientiam ſuam moroſæ diſceptationis, ut nihil ſuperfuit quod legeretur, partes exire jubentur, quo ſcribi poſſet plena ſententia.

N. 541.

Marcellini de Collatione ſententia.

XXII. Ubi revocatæ partes præſentiam attulere ſuam, Marcellinus dixit: *Univerſalis Eccleſia ſtatum Cæciliani inſimulatione, de quo nihil reprehenſibile potuit approbari, non debere ſubverti, nec abſentiam eorum qui ſe à corpore Eccleſia ſeparant, latâ adverſus eum prajudicare valuiſſe ſententiâ: ſicut nec à Maximianiſtis recenti tempore in abſentem Primianum prolata damnatio eidem nocere prævaluit.* Inducta deinde ultima ſententia triumphalis memoriæ Conſtantini, de Cæciliani innocentia & Donati calumnioſa criminatione, Feliciſque Aptungenſis per Proconſulare decretum purgatione ſubjungit: *Declarata igitur veritati detecta falſitas colla ſubmittat. Unde univerſos ordinis viros, dominos etiam fundorum, actores, conductores, tam domus divina, quam etiam privatarum poſſeſſionum, Senioreſque omnium locorum hujus Edicti autoritate commoneo, quatenus memores Legum, dignitatum æſtimationis, ſaluſiſque propria, Donatiſtarum conventicula in omnibus civitatibus & locis prohibere contendant, ita ut Eccleſias, quas eis humanitate meâ abſque imperiali pracepto uſque ad diem ſententia conſtat indultas, Catholicis tradere ſine ulla dilatione feſtinent, ut maluint tot ſanctionum laqueis irretiri. Hi autem, qui poſt vetita Legum eorum ſe cœtibus miſcuerint, indubitanter intelligant, pœnam ſe imperiali arbitrio præſtitutam ulterius vitare non poſſe.* Concedit Epiſcopis Donatiſtarum, abſque moleſtia ad ſua loca remeare. Circumcellionum quoque turbas comprimi jubet, ſecus, loca mox fiſco occupanda prædicat. Cùm ad noctem uſque Collatio prorogata fuiſſet, noctu quoque ſententia pronuntiata eſt.

Collationis exitus: Factionis Donatiſtæ decrementum.

XXIII. Abſolutâ Collatione, Donatiſtæ Actis ſubſcribere à Cognitore jubentur. Ac principio id recuſarunt, ut paratæ eſſent calumniæ, negarent ſe dixiſſe quæ dixerant; corrupta eſſe à Marcellino Acta cauſarentur. Standum tamen promiſſis fuit, quibus convenerant, geſta ab utraque parte ſubſcriptionibus ſuis eſſe munienda. Id teſtatur Auguſtinus: *Hac verba negarent ſe fortè dixiſſe, niſi ſuâ poſſent ſubſcriptione convinci. Ecce quàm diligenter actum eſt pro ſalute veſtra, ut verbis noſtris ſubſcriberemus, quod fieri omninò nolebant, & ut facerent, tandem aliquando compulſi ſunt. Nam extant verba eorum ubi hoc facere recuſarunt, & rurſum alia verba, ubi hoc facere conſenſerunt, quod primo negaverant. Omnia ſcripta ſunt, omnibus ſubſcriptum eſt. Ideò enim videbantur nolle ſubſcribere, ut negare ſe poſſent, dixiſſe quod dixerant, & de geſtis corruptis Judici calumniari.* Queſti ſunt Donatiſtæ prolatam noctu Judicis ſententiam. Quas ad querelas meritò Auguſtinus exclamat, *O ferream frontem. Nocte dicta eſt ſententia, ſed fulgens lumine veritatis.* Sed & incluſos tanquam in carcere fuiſſe conqueſti ſunt; fruſtra tamen querelis ejuſmodi ſuorum aures implebant. Conſtabat enim, partibus unum eundemque locum circum-

Aug. poſt Coll. c. 21.

Poſt Coll. c. 19.

ANNO DOM. 411.

ſcriptum fuiſſe; locum ſpatioſum, lucidum, amœnum, frigidum: ut vel utriſque, vel, quod certiſſimum eſt, ne utris fieret injuria. Donatiſticæ factionis Collatio hæc veluti funus fuit, quæ exinde corpus paſſim diſtrahendum dedit. Anno Dom. CCCXI. orta fuerat, tantoſque in Africa progreſſus fecerat, ut vel tempore Collationis Epiſcopatus cum Catholicis ex æquo ferè partiretur. In Collatione CCLXXXVI. ſubſcripſere: quorum nomina ut lecta ſunt, dixerat Alypius, *Scriptum ſit, ducentos viginti eſſe abſentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certa neceſſitas detinuit.* Subjunxerat Fortunatianus Sitenſis:

Coll. 1. n. 213.

Cathedras nos quoque ſexaginta quatuor vacuas habere, his geſtis intimamus. Qui numeri ſimul ducti ſummam Cathedrarum efficiunt DLXX. Petilianus verò partis ſuæ numeraverat Epiſcopatus circiter quingentos, quibus Maximianiſtæ non includebantur. Recitata fuerunt CCLXXIX. Epiſcoporum nomina, ſex abſentibus incluſis. Ad verba Alypii ductoros viginti, qui deſiderabantur numerantis, exclamaverat Petilianus, *Scriptum ſit, multò plures abſentes eſſe, & jam Cathedras viduatas, quibus Epiſcopi ordinandi ſunt.* Erant ergo Petiliano Cathedræ circiter quingentæ. Poſt Collationem verò factio Donati miſerum traxit ſpiritum: ut ſi ſectam, quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, atque adoleverit, ut quaſi ad quemdam juventæ florem pervenerit, ut poſteà velut conſeneſcens, ad finem pervenerit, annorum circiter centum ſpatium impleverit, utpote quæ orta anno CCCXI. lethalem ictum revoluto ſeculo ea Collatione tandem acceperit, cujus maximos fructus non ſemel prædicat Auguſtinus. Satis ſit ipſius verba referre ex geſtis cum Emerito, qui Collationi interfuerat: *Donatiſtas in nomine Chriſti in gremium Catholicum magna ex parte ſuſcepimus, ita ut penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus.* Quæ anno CCCCXVIII. hoc eſt, ſeptennio poſt Collationem ſcripta fuere. Quin etiam eâ Collatione mortalium ferociſſimi Circumcelliones manſuefacti & exculti, ad elegantiores melioreſque mores defluxere: *Colendis agris, antiquo Circumcellionum & opere & nomine inſerviunt, ſervant caſtitatem, tenent unitatem:* quæ Gaudentio ſcripſit Auguſtinus, qui ex Collatione plurimas ſibi palmas collegit. Legatur & ad Bonifacium Epiſtola 50. & liber 1. adverſus Gaudentium, cap. 29. In tanto pretio Catholicis ea Collatio fuit, ut in compluribus Eccleſiis labente Quadrageſimâ palam publicèque legeretur. Qua de re verba Auguſtini obſervanda ſunt animo;

Aug. de Geſtis cum Emerito.

Præſentibus vobis fratrem & Coëpiſcopum meum Dentesium obſtringo, ut quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Tagaſtam, apud Conſtantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Eccleſias, ſic etiam deinceps facere non pigeſcat. Ut anni omnibus per jejuniorum dies, id eſt, Quadrageſimam ante Paſcha, quando vobis maximè jejunantibus plus vacat audire eadem geſta Collationis, per annos ſingulos univerſa à capite in finem ex ordine recitentur. Felices Africanas Eccleſias, ſi ut ratione, cauſaque Donatiſtis ſuperiores erant, ſic & morum ſanctitate viciſſent! Hic ille fructus Collationis eſſe debuit, ut pallentes mores raderentur, quos in pleriſque Catholicorum non immeritò culpabant, ac pro communionis impedimento habebant. Quòd verò ſeveriſſimis Legibus Imperatorum Donatiſtæ poſt Collationem exagitati fuerint, laudare non poſſumus. Perturbatores quidem meritis erant ſuppliciis afficiendi. Qui verò manſueto degebant animo, tolerandi videbantur, utpote qui religionem colerent à pietate non disjunctam, quam & moribus ſuis non decolorabant, ac de rebaptizandis Hæreticis diſciplinam obſervabant, quam Cyprianus, Firmilianus, Synodique & Orientis & Occidentis calculo ſuo comprobaverant. Sed de rebus Donatiſtarum ſequentibus adhùc decebimur.

ANNO DOM. 411.

De Bracarenſi Synodo. Num genuina?

XXIV. Dum Eccleſiaſtica nos Occidentis negotia detinent, de Bracarenſi Concilio, quod in annum CCCCXI confert Labbeus, paucis dicamus. Qui interfuere Epiſcopi decem, Synodi Præfatione referantur: *Convenientibus Epiſcopis Elipandus Columbrienſis, Pamerius Ægytaneus, Ariſbertus Portugalenſis, Deuſdedit Lucenſis, Gelaſius Emeritenſis, Potamius Eminienſis, Tiburtius Lamacenſis, Agathius Irenſis, Petrus Numantinus in Fano S. Mariæ, Dominus Pancratianus Epiſcopus primæ ſedis dixit.* Qui ſanè titulus in mendo cubans, eſt ex ſubſcriptionibus reſtituendus. Pancratius *Bracarenſis*, Gelaſius *Emeritenſis*, Elipandus *Columbrienſis*, Pamerius *Egitavenſis Idanha*, Ariſbertus *Portuenſis*, Deuſdedit *Lucenſis*, Potamius *Eminienſis Agueda*, Tiburtius Lamacenſis, &c. Barbaris Hiſpanias vaſtantibus, Epiſcopi Symbolum fidei condidere, quod Alanis Suevis Vandaliſque opponeretur, quorum alii Idololatriam, alii Arianiſmum profitebantur. Decernunt ergo, Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum ante tempora, Spiritum procedentem à Patre & Verbo; Deos gentium eſſe Dæmonia. Genuinum eſſe Concilium, Labbei ſententia eſt. Pace tamen viri doctiſſimi, quod primum Bracarenſe Concilium putatur, nos pro figmento habemus. Stylus quidem Synodi tam humilis eſt, tam ſordidus, tam ab eorum temporum Latinitate disjunctus, ut non ſine Antiquitatis injuria hunc in annum conferri poſſit. Flores aliquot decerpantur, ut nares judicent, reſpirantne gratum vetuſtatis odorem: *Notum vobis eſt frater, & ſocii mei,* (ſic incipit Pancratius) *quomodo barbaræ gentes devaſtant univerſam Hiſpaniam. Præter Celtiberiam & Carpetaniam, jam reliqua omnia verſus Pyrenæos ſub ſua jacent poteſtate. Et quia malum hoc jamjam eſt ſupra capita noſtra, volui vos advocare.* Diniſſent genuini Bracarenſes, ſub *ipſorum* poteſtate. Antiquitatem nec ſapit, *relatorium* vobis mutat. Quid verò Bracarenſi ea formula opus erat, quâ myſterium Trinitatis proponeretur, cui Symbolis Nicæno, & Conſtantinopolitano abundè cautum erat atque proviſum? Saltem notiſſima Symbola recordari Bracarenſes debuere. Denique ſuo ſe indicio prodit forex, & patet, qua de cauſa Synodus fuerit fabricata:

Lab. Conc. t. 2. 1509.

Si placet vobis omnibus, ſtatuatur quid agendum ſit de reliquiis Sanctorum: præcipuè de Patre noſtro, & Apoſtolo hujus regionis Petro Ratiſtorſi, quem ad ſalvandas animas Jacobus Dominus conſanguineus dimiſit. Ut certò certius ſit, Synodum cuſam eſſe, poſtquam Jacobi Apoſtoli in Hiſpanias profectio obtrudi cœpit, diu poſt annum Dom. CCCCXI.

Num Synodus Epiſcoporum Ptolemaide Andronicum damnavit?

XXV. Eſt Baronianis in Annalibus, & in Labbeana Collectione Synodus Ptolemaidenſis cum anno CCCCXI. conjuncta. Cujus cogendi cauſam illam potiſſimum intercesſiſſe, illuſtriſſimus Purpuratus memorat, quòd multa adverſus Eccleſiam impia Andronicus perpetraſſet:

Bar. Ann. 411. n. 53.

Quibus

Digitized by Google

Anno Dom. 411.

Quibus in Synodo propoſitis, atque probatis, communi omnium ſententiâ durâ excommunicationis pœnâ mulctatur. Magno verò hoc argumento Baronius nititur, quòd in verſione, quâ utebatur, legerit, *Concilium ad Epiſcopos.* Hinc fauſtis avibus Synodus Ptolemaidenſis exorta. At niſi obtuſior nos fallat mentis acies, Decretum quidem Ptolemaidenſis Presbyterii videmus, Synodi *pluribus Epiſcopis* conſtantis non videmus: neque Baroniana verſione in errorem nos abripi patiemur, qui in Græcis nil Synodi invenerimus. Syneſii verba ſunt, οἷς τὸ Συνέδριον μετῆλθε τὴν Ἀνδρονίκου μανίαν ἀκούσατε. *Quibuſnam pœnis Presbyterium in Andronici furorem animadverterit, audite.* Syneſius non dixit *Synodus*, dixit *Synedrium*, quæ vox inſolens eſt Epiſcoporum conventui ſignificando: neque Synodum doctiſſimus ille Petavius vidit, qui Latinè vertit, *de conſilii ſententia.* Baronium ſanè, Biniumque res ipſa monere debuit, nullius Synodi Epiſcopalis conſtitutum fuiſſe illud, quo Andronico excommunicationis pœna irrogatur: *Siu quiſquam velut anguſtæ urbis Eccleſiam contempſerit, & ab ea damnatos receperit, noverit is ſciſſam à ſe Eccleſiam, quam unam eſſe conſtat.* Ab Eccleſia igitur Ptolemaidenſi, non à Synodo Andronicus percuſſus fuerat. Neque parvitas urbis alicujus Synodi in ea congregatæ autoritatem ullâ ratione deterit. Igitur ab Eccleſia Ptolemaidenſi Andronicus excommunicatus fuit, à Synodo non fuit, quæ ex prava duntaxat verſione Conciliorum nummum ſaxit. Non pugnemus quidem, quin Synodus *Diœceſana* dicatur, hoc eſt, conſtans ex Epiſcopo, ſuiſque Presbyteris, undique in unum confluentibus. Qualis ille conventus Hieroſolymitanus fuit, qui in Pelagium à Joanne, Presbyteriſque ſuis eſt anno CCCCXV. celebratus. Plurium verò Epiſcoporum Concilium fuiſſe conventum illum Ptolemaidenſem, præciſè negamus Baronio. In novum & errorem, licet leviorem, ſua verſio Baronium induxit, qui germanum *Thoantis* nomen perpetuò corrumpit, in *Tonantem* mutatum, quamvis in Græcis ſemper habeatur Θόας. Θρασυτάτῳ Θόαντος, *audaciſſimo Thoante.* Et paulò infrà: Θόαντι καὶ τοῖς αὐτοῦ, *Thoanti & ejus ſociis.*

Synoſ. Ep. 75.

Andronici & Syneſii hiſtoria.

XXVI. Relegatâ ad commenta Ptolemaidenſi Synodo, non illepidam de Syneſio hiſtoriam noſtros in Annales referemus. Andronicus Beronicenſis in Pentapolitana regione natus, & educatus fuerat. Obſcuri huic homini parentes contigerant, utpote qui ne avi quidem nomen edere poterat; imò neque patris, & à *piſcatu ad Præfecturam* evectus fuerat. Dum eâ fungitur, civis quidam Ptolemaidenſis calamitate oppreſſus publicas pecunias furatus erat. Neque argenti minimum abſtulerat miſer. Ab eo quippe Andronicus ſupra decem ſtaterum millia repetierat, & abſque dilatione ulla propter mille reliquos interficere conſtituerat. Caſtello reus includebatur inexpugnabili, cuſtodibuſque, ne panis inferretur, prohibitum, ut quintus jam dies illuceſceret, ex quo cibis omnibus captivo interdiceretur. Ac Syneſii odio in vinctum maximè ſæviebat. Cur verò Syneſio iraſceretur, cauſa hæc fuit. Erant Andronico cum viro nobili inimicitiæ, quòd nuptias hic affectabat, ille prohibebat. Cùm ob hæc ab Andronico cruciaretur, Eccleſia miſero ſuccurrere voluit. Verùm à *Thoante*, uno ex ſatellitibus excitatus, in has voces erupit: Andronicus, *nec quemquam ex Andronici manibus ereptum iri, non ſi pedem ipſum Chriſti manibus amplectatur.* Alia Syneſius queritur: *Eccleſiæ foribus affixit, Andronicus nefarius ſuis ſceleribus inviolabilis menſæ ſupplicationem intercludens.* His de cauſis excommunicationis telo Andronicum Ptolemaidenſis Eccleſis. Hæc quoque ad alias ſcribit Eccleſias: *Andronico & ejus ſociis, Thoanti ejuſque ſociis nullum Dei Fanum aperiatur.* Quòd ſi quis cum illis communione jungatur, Ptolemaidenſes teſtantur, ſe nec eâdem menſâ uſuros unquam, nedum myſteria ipſi diſpenſent. Violentiæ ſuæ poſtmodum pœnitentiâ ductus Andronicus, vinculis ſuis ſolvitur, repugnante Syneſio. Antequam excommunicationis literæ mitterentur, ſupplicem ſe eſſe ſimulat, pœnitentiam poſt cetur, *quam mihi omnes admittendam exiſtimabant, me uno excepto.* Neque io ea re ana benignitatem Eccleſiæ experitur Andronicus. Cùm enim non multò poſt in calamitatem incidiſſet, ipſius miſertus Syneſius, quantum potuit infelicem adjuvat; adeò ut potentibus viris ejus cauſâ moleſtus fuerit, eumque è *ſuneſto tribunali* extraxerit, quod Theophilo Alexandrino ſignificatum voluit. Ex eo ſpecimine præclara Syneſii agnoſcitur indoles. Neque gratia, aut potentis hominum ad iniqua deflectebat, utpote qui defuncti Chryſoſtomi memoriam coleret, quod vel ipſius infenſiſſimo hoſti Theophilo Epiſtolâ declaravit, dum de Alexandro Presbytero narrat, beatæ memoriæ Joanni olim fuiſſe commendatum: *Honoratur enim à nobis*, inquit, *mortui memoria, quoniam omnis cum vita ſimultas exuitur.*

Synoſ. Ep. 57.

Id. ib.

Anno Dom. 411.

Syneſ. Ep. 58.

Syneſ. Ep. 72.

Syneſ. Ep. 69.

Syneſ. Ep. 66.

Anno U. C. 1165. Per. Jul. 5125. Jul. 457. Dom. 412. Honor. 20. & 18. Theodos. 11. & 5. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 14. *Indict.* 10. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 14. *April.*

Anno Dom. 412.

Coss. *Honorius Aug.* IX. *& Theodoſius Aug.* V.

Jovinii rebellio.

I. Extincto cum Conſtante Julianoque, filiis Conſtantini, patre tyranno, rebellionibus injecta demum frena videbantur. Fuere tamen, qui infelices defunctorum exitus non pertimeſcentes, eorum actus imitari voluere. Jovinius apud Moguntiacum, quod Olympiodoro perperàm *Mundiacum* ſcribitur, Imperator creatur, operâ ſtudioque & Goaris Alani, & Gunnarii Burgundiorum Præfecti. Jovinio ut ſe adjungeret Ataulfo, Attalus autor fuit. Ubi cum copiis ad illum ſe contulit, eo adventu offenſus Jovinius, Attalum accuſat profectionis ſuaſorem. Nova hæc ſeditio Honorio nequaquam minimum metuenda fuit. Deſciverat Sarus, infenſus Imperatori, qui de *Belleridi* ipſius domeſtici cæde nullam rationem habens, percuſſorem inultum patiebatur. Magno inceptis Jovinii adjumento Sarus fuiſſet, vir ad miraculum ſtrenuus. Tanto hoſte Principem liberavit Ataulfus, qui ut diuturnum inveteratumque odium ſaturaret, occurrit Saro, qui viros octodecim aut viginti apud ſe habebat. Fortitudine advocatâ Sarus, cui ſpes nulla ſalutis erat, mortem ſuam multo aggreſſorum ſanguine emi voluit. Quem geſta heroica, & ſtupore digna edentem, adhibitis ſaccis, virum ægrè captum interficiunt. Perperàm Schotus vertit, *ſcutis adhibitis.*

Phot. Bibl. p. 183.

Gothi Gallias invadunt. Gallorum corruptio.

II. Imperium nova clades turbat. Gothi Rege Ataulfo Gallias ingreſſi, miſeras regiones

variis calamitatibus premunt, quibus deplorandis vexatorum lachrymæ non ſufficiebant, ut magnitudinem Gallici ſceleris penè vis doloris æquavit. Virtutis imaginem ferè nullam reliquerat morum corruptio, quod Salvianus verbis tragicis deflet: *In omnibus Gallis, ſicut divitiis primi ſuere, ſic vitiis. Nuſquam enim improbior voluptas, nuſquam inquinatior vita, nuſquam corruptior diſciplina.* Exceptis paucis, qui *ſparſis redemerunt crimina nummis*, omnes vitiorum quaſi fluctu opprimebantur. *Prope idem omnes, penè unus gueges omnium gula, penè unum lupanar omnium vita.* Quid tantæ vitiorum colluviei rependi debuit, niſi quod & repenſum fuit? Crimina deploravit Salvianus, calamitates Proſper etiam deflevit:

Salvian. l. 7.

Proſp. de Provid. Prol.

Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet aquis.
Quod ſane deſunt pecudes, quod ſemina frugum;
Quod jam locus non eſt vitibus, aut oleis;
Quod fundorum ædes vis abſtulit ignis & imbris:
Quarum ſtare aliquas triſtius eſt vacuas,
Si toleranda mali labes, heu cæde decenni
Vandalicis gladiis ſternimur & Geticis!

Quo lugubri carmine Aquitaniæ clades canebat. Dum Ataulfus ſe cum Gothis in Gallias effundit, Conſtantius qui tyrannide Conſtantini imperium liberaverat, in Hiſpanias migrat, ut uſurpatam Maximo dignitatem evelleret. Miſero vita conceſſa, qui ob humilitatem morte quidem indignus videbatur, utpote rebus imperii nil detrimenti allaturus, licet inter homines relinqueretur.

Edictum Honorii in Donatiſtas provocantes.

III. Ad res Eccleſiæ tranſeamus, quæ jucunditate ſuâ legentium oculos delectare poſſunt. Mens Donatiſtis ſemper fuerat ad Imperatorem provocare, ut verbis expreſſis in Collatione ſæpius oſtenderant. In malam tamen verſa eſt appellatio, quâ commotus ad iram Honorius Reſcriptum ad Seleucum Præſ. Præt. miſit, quo mulctæ eis imponuntur, bonorum proſcriptiones, & Clericorum exilia imperantur, Eccleſiæ donariaque Catholicis vindicantur, ut miſeris vita trahenda foret, quæ cederet in ſupplicium, ipſique vel morti poſtponenda. Audiatur Edictum: *Caſſatis quæ Pragmatica, vel adnotatione manus noſtræ potuerint impetrari, ut manentibus his, quæ etiam dudum ſuper hoc definita ſunt, & Veterum Principum Sanctione ſervatâ, niſi ex die prolata Legis omnes Donatiſtæ, tam Sacerdotes, quàm Clerici, Laicique Catholicis, ea quæ ſacrilegè deſcivere, reddidere. Tum illuſtres ſigillatim pœnæ nomine Fiſco noſtro auri pondo quinquaginta cogantur inferre. Spectabiles auri pondo triginta; clariſſimi pondo viginti; Sacerdotales auri pondo triginta; Principales auri pondo quinque? Circumcelliones argenti pondo decem. Qui niſi à Conductoribus, ſub quibus commanent, vel Procuratoribus executori exigendi fuerint præſentati, ipſi teneantur ad pœnam; ita ut nec domus noſtra homines ab hujuſmodi cenſura habeantur immunes. Uxores quoque eorum maritalis ſegregatim mulcta conſtringat. Hos enim, quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio ſubſequetur. Servos etiam Dominorum admonitio, vel colonos, verberum crebrior ictus à prava religione revocabit, ni malunt ipſi ad prædicta diſpendia, etiamſi ſint Catholici, retineri. Clerici verò, Miniſtrique eorum, ac pernicioſiſſimi Sacerdotales ablati de Africano ſolo, quod ritu ſacrilego polluerunt, in exilium viritim ad ſingulas quaſque regiones ſub idonea proſecutione mittantur. Eccleſiis eorum, vel conventiculis, prædiiſque, ſi qua in eorum Eccleſias Hæreticorum largitas prava contulit, proprietati poteſtatique Catholicæ, ſicut jamdudum ſtatuimus, vindicatis. Datum III. Kal. Febr. Ravennæ Honorio IX. & Theodoſio V. AA. Coſſ.* Suæ appellationis hunc fructum Donatiſtæ perceperunt, obſervante Poſſidio in vita Auguſtini: *Poſt eorum appellationem piiſſimi Regis reſponſo, juſti inter Hæreticos condemnati ſunt.* Utrum verò æquitate conditum Reſcriptum Honorii fuerit, illi dicant, quibus veritas cordi eſt. Durum ſanè nobis videtur, invitos homines ad religionem ſuſcipiendam impelli. Neque arma ejuſmodi ſunt Apoſtolis conceſſa, quibus tamen illa contulit omnia Dominus, quæ ad amplificandum ipſius regnum requirebantur. Non eò tamen proceſſit Honorii ſeveritas, ut Donatiſtas morte afficeret. Hinc Bonifacio hæc ſcribit Auguſtinus Epiſtola 50. *Jam enim Lex fuerat promulgata, ut tanta immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, quàm ipſa ſæviebat, non tantùm violenta eſſe, ſed omninò eſſe non ſineretur impune: non tamen ſupplicio capitali propter ſervandam etiam circa indignos miſericordiam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in Epiſcopos miniſtros eorum exilio conſtituto.*

Cod. Th. l. 52. de Hæret.

Edicto Honorii irritantur Donatiſtæ.

IV. Edicto Honoriano territos complures ad Eccleſiam pedibus acceſſiſſe ſcimus, corde neſcimus; quæ tamen una ratio eſt, quâ ritè cum Eccleſia copulemur. At multi fuere, quos ſeveritas ea potius irritavit, ut Catholicorum odio magis magiſque flagrarent; quod nec Poſſidio diſſimulatum: *Ex qua ratione ſolito amplius eorum Epiſcopi, cum ſuis Clericis & plebibus communicaverunt, & qui pacem tenuerunt Catholicam, multas eorum perſecutiones uſque ad membrorum amputationem, & internecionem pertulerunt.* Præcipuè Circumcelliones furoris ſui aculeos emiſere. *Reſtitutum* Presbyterum occiderunt. *Innocentio* oculum effoderunt: cujus ſceleris confeſſionem non ſalientibus ungulis, non urentibus flammis, ſed admotis virgis Marcellinus extorſit. Quem ne ſontes meritis pœnis afficeret, enixè rogat Auguſtinus, ut eâ manſuetudine feros ad humanitatem animos flecteret. Voluit tamen geſta ſibi à Marcellino mitti, quæ publicè in Hipponenſi Eccleſia legerentur. Macrobius quoque Donatiſtarum Epiſcopus, comitante virorum mulierumque catervâ, aperuit ſibi Baſilicas, quas poſſeſſorum quantuluſcunque timor clauſerat. Imò non pauci furore perciti, mortem ſibi conſcivere, ut ex verbis Auguſtini intelligitur: *Mitiora in vos conſtituit Imperator, propter manſuetudinem Chriſtianam exilium vobis voluit inferre, non mortem, ſed vos homines docti conſiderantes quid debeatur merito, & quid minus ſit in ſupplicio, non de judicio illius, ſed de veſtro additis mortem.*

Aug. Ep. 169.

Auguſtini cum Fortunio Collatio.

V. Omnibus intereà modis allaborabat Auguſtinus, ut vires frangerentur Donatiſtis. Quibus enervandis longiſſimam Carthaginis Collationem, lectuque moleſtiſſimam in Epitomen redigere ſtatuit. Aliundè Donatiſtæ non quieſcebant. Omni ratione conati adverſariorum victoriam figmentorum obſcurare nebulis. Jactabant ubique, emptam auro Marcellini ſententiam, quæ famâ cùm Epiſcoporum ad aures appuliſſet, Concilium apud Cirtham, Numidiæ urbem celebrari placuit, quò falſus de corrupto Marcellino rumor extingueretur. Dum in itine-

re

Anno Dom. 412.

re conſtitutus Auguſtinus, Turbuſicum oppidum ingreditur, *Fortunii* Donatiſtarum Epiſcopi colloquio frui voluit, quod & petenti libentiſſimè conceſſum. Id ætati detulit Auguſtinus, ut ipſe prior ad Fortunium adiret annis majorem. Antequam conſederent, rumore de collatione diſperſo, in domum turba non minima confluit. Diſputando horæ aliquot protractæ diſceptationis in exordio, partibus litigantibus placuerat, quæ utrinque dicerentur, à Notariis excipi. Recuſantibus Notariis, qui eo fungi officio facillime poterant, fratrum qui aderant nonnulli, operam ſuam pollicentur, ſed inordinatis obſtrepentium interpellationibus ſcribendo abſtitere. Collationis hujus ſummam Auguſtini ad Donatiſtas Epiſtola complectitur 163. Ac primùm vitam Auguſtini, quam ab *Eleuſio*, *Glorio*, & *Felicibus* narrantibus ſe comperiſſe dicebat, Fortunius prædicavit, quæ omnia benefacere ille potuiſſet, ſi in Eccleſia feciſſet. Hinc arrepta occaſio quærendi, quænam illa eſſet Eccleſia, ubi rectè beneque vivere oporteret? Hic primò aſſerere Fortunius, *Ubique terrarum eſſe communionem ſuam.* Ad hæc Auguſtinus: *Quærebam utrùm Epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet quo vellem dare, & affirmabam, quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari poſſe quæſtionem.* Ventum deinde ad perſecutiones, quas Donatiſtis inferri plurimas Fortunius querebatur. Tranſmarinas Eccleſias innocentes manſiſſe aiebat, donec Macarianæ perſecutioni conſenſiſſent. Addebat, Sardicenſe Concilium ad Epiſcopos Afros, qui erant communionis Donati, dediſſe literas. Agitanda quæſtio erat de ſchiſmate, & poſtero die Fortunius ad Auguſtinum venit, & hæc iterum tractare cœperant, ſed ordinandi Epiſcopi neceſſitas Collationem ſolvit. Fortunio laudis aliquid ex diſputatione rediit, in qua ſe virum oſtendit probum amantemque pacis, quod & Auguſtinus teſtatur: *Quantum arbitror, difficillimè poteſtis invenire in Epiſcopis veſtris tam utilem animum, & voluntatem, quàm in iſto ſene perſpeximus.* (Aug. Ep. 163.)

(Cirthenſis Synodus in Donatiſtas.)

V I. Poſtquàm Epiſcopi Cirtham convenere, optimè inſtituunt rationem, quâ calumniantium linguæ occludi poſſent. Junii x i v. Synodus celebratur, cui Silvanus præfuit. Illuſtrium Epiſcoporum, qui interfuere, nomina ſunt, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximinus, Optatus, Auguſtinus, Donatus. Acta quidem periere: ſupereſt tamen Epiſtola, quâ notitiâ geſtorum utcunque inſtruimus. Epiſtolam dictavit Auguſtinus, quæ breviſſimam Carthaginenſis Collationis exhibet hiſtoriam. Scribunt Donatiſtis, ſuos Epiſcopos falſò dicere, *Cognitorem præmio fuiſſe corruptum:* inter abſentium nomina mortui nomen inſeruiſſe, quo de ſua multitudine gloriarentur. Non eſſe cur probos mores jactent, *cùm quiſquis à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam:* oſtendiſſe ſe & obtinuiſſe, communionem malorum *non maculare aliquem participatione Sacramentorum, ſed conſenſione factorum:* non magis obeſſe Cæciliano abſenti ſeptuaginta plus minus Epiſcoporum Concilium, quàm *Primiano* obfuit Maximianiſtarum centum circiter Epiſcoporum Synodus. Scripta eſt Epiſtola x v i i. *Kal. Julias, poſt Conſ. Honorii Auguſti* v i i i. *Conſule.* Quam tamen numeralem notam error invaſit. Legendum quippe *Honorio* i x. *Conſule*, cujus octavus Conſulatus annum cccci x. afficit biennio ante Collationem.

(Aug. Ep. 159.)

(Pelagius: ejus patria: ab aliis Pelagiis, quibuſcum confunditur, diſtinguendus.)

V I I. Dum decreſcit in Africa Donatiſtarum factio, peſtilens error irato Deo Carthagine emerſit, qui hoc ipſo anno in hujus urbis Concilio damnatur. Pelagii is error eſt, quem palam apertèque *Cæleſtius* profitetur. Antequam verò de Synodi decreto dicere inſtituamus, Pelagii Cœleſtiique originem, ſimul ac mores, notabilioraque illa, quæ apud Antiquos latius diffuſa ſunt, ut quàm breviter cognoſci poſſint, ab illuſtribus electa monumentis deligere conſtituimus, ut documenta ſumere volentibus longæ inquiſitionis labor abſit. A Pelagio, utpote Magiſtro, principium. Pelagio patria fuit Anglia, inſula Occidentalis Oceani nobiliſſima: cujus in regione, quæ Wallia dicitur, natales habuit, atque incunabula. Hinc Mario Mercatori *Brito* appellatur: Rufinus, inquit, *Pelagium, gente Britannum, Monachum decepit.* Eandem quoque Pelagio patriam Proſper aſſignat in Chronico: *Pelagius Brito, dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti exerit.* Et de ingratis contra Pelagianos:

Dogma quod antiqui ſatiatum felle draconis,
Peſtifero vomuit coluber, ſermone Britannus.

Ac ut à Pelagio Tarentino diſtingueretur, *Britonis* cognomen habuit. Hinc Oroſius in Apologetico: *Britannicus*, inquit, *noſter mox, ut voluerit, ſe noſſe confidit.* Faceſſat ergo eruditorum nonnullorum opinio, qui vel in *Aremorica*, ut Danæus, vel in *Scotia*, ut Voſſius, vel in *Hybernia* Pelagii patriam invenere. Populare nomen *Morgan* Pelagius accepit, hoc eſt, *Marigena*, unde & Pelagii appellatio affixa homini, veluti infauſto omine, quo fluctus ab ipſo movendi portendebantur. Claros Pelagio natales non contigiſſe, ex verbis Oroſii colligimus: *Quanquam hoc quod neque aptè, neque decorè dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt, ut honeſtioribus ſtudiis erudireris, neque naturaliter provenit ut ſaperes.* (Oroſ. Apol.) Porro ne nos malus auferat error, plures Pelagii ſunt diſtinguendi, quos Baronio, Righerio, aliiſque eruditis permiſceri placuit. Monachus fuit nomine Pelagius, de quo mentionem fecit Chryſoſtomus in quarta ad Olympiadem Epiſtola: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus ſum. Cogita igitur, quot quantiſque coronis digni ſunt, qui forti animo in acie ſteterunt, cum viros tam piè ac ſanctè, tantaque cum tolerantia viventes, abripi atque in fraudem impelli videamus.* Pelagium Britonem hiſce coloribus pingi perſuaſum Baronio. Quod nobis eſt creditu difficillimum. (Bar. Ann. 405. n. 7.) Pelagii ſui lapſum anno cccc v. lugebat Chryſoſtomus, quo tempore Pelagius noſter ob pietatis ſpeciem in magna adhùc gloria erat. Laudes quidem ipſius proſequitur Auguſtinus, libris de Peccatorum Meritis, qui anno cccc x i i. conditi ſunt: *Legi Pelagii quædam ſcripta, viri ut audio ſancti, & non parvo profectu Chriſtiani.* Aug. de Pecc. Mer. l. 3. c. 1. Et in ſequentibus, *Bonum ac prædicandum virum* fuiſſe dicit. Quas Pelagio noſtro laudes non conceſſiſſet, ſi ante octennium jam Orientalium ad aures errorum ipſius infamia perveniſſet. Occidentalium quidem animis prius quàm Orientalium mentibus impreſſa fuit Pelagii notitia, in quam anno duntaxat cccc x v. venere. Teſtis Oroſius in Apo-

Anno Dom. 412.

Apologetico : *Intromiſſum Pelagium unanimiter omnes interrogaſtis , an hæc , quibus Auguſtinus reſpondiſſet , ſe docuiſſe cognoſceret ?* Joannes quoque Hieroſolymitanus præſente Oroſio ea locutus eſt : *Hæc quæ leguntur , in alios dicta ſunt , aut de Pelagio ſuggerendum putas.* Adeò verum eſt , magnam de Pelagii erroribus in Oriente ignorationem fuiſſe ; quâ ſanè non laboràſſent Epiſcopi , qui conventui Hieroſolymitano interfuere , ſi tam apertè jam ante decennium errores vulgàſſet , ut Olympiadis aures rangerent. Quid multa ? Ex Marii Mercatoris Commonitorio à Labbeo edito diſcimus , urbem à Gothis antè vaſtatam fuiſſe , quàm in Palæſtinam Pelagius migraret :

Lab. Conc. t. 2. 1515.

Poſt Romanæ urbis vaſtationem in Palæſtina degebat Pelagius. Chryſoſtomus vero ad plures prius abiit , quàm urbi cladem inferret Alaricus. Fuit & in Ægypto Monachus , nomine *Pelagius* , quem perſtringit Iſidorus Peluſiota , ſcriptâ ad ipſum Epiſtolâ :

Iſid. Ep. l. 1. 314.

Tibi ingens annorum turba canitiem invexit : & tamen rigidum atque inflexum animum habes , ex alio Monaſterio ad aliud ſubinde migrans , atque omnium menſas perſcrutans atque explorans. Quæ in Pelagium *Britonem* dici , Baronio placuit :

Bar. Ann. 405. n. 8.

Qui vagationis Pelagii haud putat *cauſam fuiſſe , popinas abſumendi , ſed pateram venenatæ hæreſis propinandi.* Nobis verò alium prorſus deſignari Pelagium , penè certum eſt. Volebat Iſidorus Pelagium ſuum includi Monaſterio , qui contra aſceticæ diſciplinæ regulas paſſim & ubique vagabatur , quas ſub annum 431. querelas jactabat Iſidorus. Eſt autem incredibile , Pelagium Britonem , qui urgente ſenio notiſſimus Hæreticus fuit , tum temporis Ægyptiaca Monaſteria incoluiſſe , à quibus , ut pleno *lupum inſidiantem ovili* , quàm longiſſimè abegiſſent. Neque hæreſim Pelagii ſui incuſat Iſidorus , quod ſine dubio feciſſet , ſi eâ laboraſſet ; perſtringit tantùm voluptates ipſius , quibus perfluebat. Pelagio verò Britoni ſobrior ſicciorque vita , deliciis gulæ non liqueſcebat. Alius & Pelagius fuit , *Tarentinus* dictus , à quo noſter , addito Britonis cognomine , ſecernebatur. Auguſtinus Paulino :

Aug. Ep. 106.

Pelagium quem credimus , ut ab illo diſtingueretur , qui Pelagius Tarenti dicitur , Britonem fuiſſe cognominatum , quod ſervum Dei dilexeris novimus , nunc autem quemadmodum diligas ignoramus. Quo vel uno loco liquet , *Pelagium* Anglum laudabilibus moribus præditum , Paulinoque percharum , cum *Pelagio* ſive Iſidori , ſive Chryſoſtomi confundendum non eſſe. Cæterum Pelagii in corpore vitia naturæ quædam inerant , Oroſio teſte :

Oroſ. Apol. 452.

Noſter hic mutilus lævis in fronte , monophtalmus , non neceſſarium ſibi æſtimat munimen in capite. Latos etiam humeros geſtabat , *robuſtamque cervicem* , præferebat *etiam in fronte pinguedinem.* Sic ab Oroſio pingitur.

Vita moreſque Pelagii. Laicus Monachus erat. Epocha erroris ipſius.

VIII. Pelagio Britoni vita aſcetica placuit. Non eam tamen coluit , quæ vel in Cœnobio , vel in eremo profitentem conſtituit. Fabula eſt Veteribus prorſus ignota , quæ Pelagium *Bancorienſis* Cœnobii alumnum prædicat. Monachus ſimpliciter ſcribitur Auguſtino :

Aug. de Hæreſ. c. 88.

Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima à Pelagio Monacho exorta. Monachus & Mario Mercatori dicitur. Ut ſacræ Virgines , ſic & Monachi propriis in laribus complures habitabant. Quæ cauſa fuit , cur Auguſtino *veluti Monachus* Pelagius appelletur. Nil Eccleſiaſticorum honorum adeptus , ſolâ Laici ſorte contentus fuit. Hinc Joannem Hieroſolymitanum ſic compellat : *Quid fratres tui , Patres noſtri ſenſerint , & decreverint , ſuper hac hæreſi , quam nunc Laicus prædicat , intimamus.* Neque alium quàm pro Laico Pelagium habet Zozimus in ſua ad Africanos Epiſtola :

Zoz. Ep. 4.

Mirum eſt , ſi iſti laicum virum ad bonam frugem longâ erga Deum ſervitute nitentem , falſis literis percellere voluerunt. Ita animo & vitâ conſtitutum fuiſſe Pelagium , ut humana ratio poſtulat , oſtendunt & laudes plurimæ , quibus à S. Auguſtino affectum jam monuimus , & Paulini , Melaniæ , Piniani , virorumque pietate inſignium , Pelagiique cum benevolentia & charitate magna conſenſio. Nonnihil tamen ut homo voluptati indulgens , ab Oroſio perſtringitur :

Oroſ. Apol. 452.

Fieri poteſt ut judicio ſuo ſe arbitretur , … Spiritu timoris cohoneſtatum , qui poſt multam crapulam noviſſimè expergefactus , adſurgit , poſſe hominem ſine peccato eſſe. Quæ indignationi potius , vel conjecturis , quàm veritati videntur aſcribenda , quia latos humeros , & pinguedinem in fronte oſtendebat Pelagius. Carthagini verſabatur anno ſuperiore , dum Collatio Catholicorum & Donatiſtarum inſtituebatur. Quo tempore uſus eſt Auguſtini colloquio :

Aug. de Geſt. Pal. c. 22.

Ejus faciem Carthagine quantum recolo , ſemel & iterum vidi , quando curâ Collationis quam cum Donatiſtis Hæreticis habituri eramus , occupatiſſimus fui ; ille verò ad tranſmarina properavit. Quod mente jam conceperat , erroris monſtrum edidit anno circiter CCCCV. Ut enim innocentiam oſtenderet ſuam , Epiſtolâ ad Innocentium anno CCCCXVII. miſſâ alterius meminit , quàm duodecennio antè Paulino ſcripſerat. Hoc nos Auguſtinus monuit libro primo de Gratia , c. 34. & 35. Verba hæc ſunt Pelagii : *Legant illam Epiſtolam , quam ad S. virum Paulinum ante XII. fere annos ſcripſimus , quæ trecentis ferè verſibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur.* Quibus recitatis , continuò ſubjungit Auguſtinus : *Hanc ego Epiſtolam legi , & inveni eum penè per totam non immorari , niſi in facultate , & poſſibilitate naturæ , & penè ibi tantam gratiam Dei conſtituere.* Apertius conditas in pietatem detexit inſidias Commentariis ſuis , quæ anno circiter CCCCIX. elucubravit , de quibus Marius Mercator in ſuo Commonitorio : *Auſus eſt memoratus ante vaſtationem urbis Romæ in Apoſtolum Paulum Commentarios condere , & his edere , de quorum amicitia præſumebat. Explanare autem ſe putavit ſingula Apoſtoli verba , vel ſenſus. In Epiſtola igitur , quæ eſt ad Romanos , cum ad illa loca veniſſet , ubi Vas electionis ita loquitur :* Propterea ſicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit , & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors pertranſivit … *ita idem ait : Exemplo , inquit , ſeu imagine uſus eſt.* Verbis Pelagii recenſitis , ſubjungit Marius :

Lab. Conc. t. 2. 1513.

Poſteros hic dicit , non omnes ubique , & omninò totos homines læſos illius peccato , ſed illos tantum , qui per imitationem ſimiliter ſuis peccatis , & propriis factis ſunt rei prævaricationis , ſicut Adam. Venenarium quoque Pelagius egit in ſua ad *Demetriadem* Epiſtola , quæ mulierem ad virtutem hortatur. Præclara quidem habet , ſed viro illita , atque condita , qualia hæc ſunt :

Hier. t. 9. p. 2.

Volens Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere , & liberi arbitrii poteſtate donare , utriuſque partis poſſibilitatem homini inſerendo , proprium ejus fecit eſſe , quod velit , ut boni ac mali capax naturaliter utrumque poſſet , & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Mortalia

hæc

Anno Dom. 412.

hæc femina in libris ſparſit ſuis, quæ multos infecere. Porro nondum manifeſtâ hæreſi nomen Scriptoribus Eccleſiaſticis ſuum inſeruit: *Pelagius Hæreſiarches, antequam proderetur Hæreticus, ſcripſit ſtudioſis tres neceſſarios de fide Trinitatis libros, & pro actuali converſatione Eulogiarum, ex divinis Scripturis librum unum, capitulorum indicii in modum S. Cypriani Martyris præſignatum.*

Gennad. Catal. c. 42.

Cœleſtius. Ipſius patria. Mors. Errores.

IX. Magiſtro Pelagio Cœleſtius uſus eſt, quem labente hoc anno Carthaginenſes damnaverunt. Cœleſtius Hiberniam ſibi patriam duxit, qua de cauſa *Scotus* non ſemel dicitur Hieronymo in ſuis Commentariis ad Hieremiam, Libri primi Procemio: *Nec recordatur ſtolidiſſimus, & Scotorum pultibus prægravatus*, &c. Perperàm Mariani Victori editio habet *Scoterum*. Quem his coloribus pingat Hieronymus, intellectu non eſt difficillimum. Præcurſorem ejus *Grunnium* dicit, hoc eſt, Rufinum, quem alio & corio, & nomine indutum lacerat. A Rufino verò ſe audiviſſe prædicabat Cœleſtius, *peccati non eſſe traducem*. Sed & ejuſdem Commentarii in tertium librum Procemio Hieronymus: *Habet enim progeniem Scotiæ gentis de Britannorum vicinia.* Itaque Baronio viriſque eruditis non aſſentimur, qui in verbis Hieronymi Pelagium quæſivere: *Videas*, inquit Baronius, *deſcriptum eſſe Pelagium.* Imò *Cœleſtium* videmus. Pelagius quidem Scotus non erat, ſed Britannus. Alia verò Scotia, alia Britannia, quas ſanè regiones accuratè diſtinxit & Hieronymus in verbis laudatis, *Scotica gentis de Britannorum vicinia.* Cœleſtio præcipuè infenſus Hieronymus, à quo & hæreſim nomen traxiſſe voluit, Alypio ſcribens & Auguſtino: *Autoribus vobis hæreſis Cœleſtiana jugulata eſt.* Non dixit Pelagiana. Iterum atque iterum dicimus, *Scotorum pultibus prægravatus* homo, unus idemque eſt cum Cœleſtio, cujus in patria pultes familiares erant veſcendo. Salomonis Ducis Cornubiæ conſanguineum fuiſſe nonnulli memorant, quod jure *Cævius* reliquit in dubio, non item quòd Hibernus fuerit, ſi quid valeat autoritas Hieronymi.

Error Baronii.

Bar. Ann. 410. n. 61.

Hier. Ep. 79.

De Cœleſtio loquentem Marium Mercatorem audire jucundum erit: *Pelagio adhæſit Cœleſtius, nobilis natu quidem, & illius temporis auditorialis Scholaſticus. Sed natura vitio eunuchus à matris utero. Eruditus hic à Pelagio prædicte inſtructus, ſenſum iſtum impiiſſimum meracius imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiæ hujus ſuæ participes & complices fecit.* Priuſquam ſe Pelagio excolendum traderet, editis libris nomen famæ ſuum commendarat, teſte Gennadio: *Cœleſtius antequam ad Pelagium concurreret, imò adhùc adoleſcens; ſcripſit ad parentes ſuos de Monaſterio Epiſtolas in modum libellorum tres, omni Deum deſideranti neceſſarias. Moralis ſi quidem in eis dictio, nihil ibi vitii poſtmodum prodit, ſed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* Magiſtro ſuo candidior pectore diſcipulus erat, atque audacior. Clam timidèque Pelagius erroris ſui ſecreta detegebat. Apertè verò opiniones Cœleſtius ſuas proferebat: Auſus, (verba ſunt M. Mercatoris) *palam publicèque his verborum ſententiis eundem ſenſum diſſeminare per populos.* Inter Pelagium ergo & Cœleſtium hoc interfuit, quòd ille tenacioris animi, hic effuſioris videbatur, quod & Auguſtino obſervatur: *Attendite quid Cœleſtius apertiſſimè dixerit, & ibi videbitis, quid vobis Pelagius occultaverit. . . . Hunc ſenſum vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem diſcipulus ejus palam, & ſine ullius obſcuritatis ambagibus apud ſedem Apoſtolicam profiteri non erubuit, nec timuit.* Cùm ergo ſive liberioris, ſive pertinacioris Cœleſtius eſſet ingenii, ut Carthaginem migravit, ſenſus palam ſuos detegit. Audiamus adhùc M. Mercatorem: *Cœleſtius egreſſus ex urbe Romana, Carthaginem Africæ totius Metropolim venit, ibique de infrà ſcriptis capitulis apud Aurelium Epiſcopum memoratæ urbis per libellum à Paulino Diacone ſanctæ memoriæ Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi eſt accuſatus, ſicut geſtorum confectio ſe habet.* Hæc verò amicis ſuis capita ubique locorum diſſeminanda miſit,

B. M. P. t. 27. 130.

Gennad. Catal. c. 44.

Aug. de Pec. Orig. c. 6.

Lab. Conc. t. 2. 1512.

Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus fuiſſet.

Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, non genus humanum.

Quoniam parvuli qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, nec per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.

Quoniam Lex mittit ad regnum Cœlorum, quomodo & Evangelium.

Quoniam ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, id eſt, ſine peccato.

Hiſce errorum gurgitibus Cœleſtius immerſit, qui idcircò non Eccleſiæ fulminibus modò, verùm etiam Principum Reſcriptis obrutus eſt, Honorii ſcilicet anno CCCCXVIII. & Conſtantii anno CCCCXXI. uti ſtylo fuſiore tum declarabimus.

Carthaginenſis adverſus Cœleſtium Synodus.

X. Cœleſtiana dogmata ubi Africæ Epiſcopis innotuere, opinionibus quæ nervos pietatis omnes elidebant, obſiſtendum putaverunt. Quod utilius ut fieret, Synodum Carthagini celebrant anno CCCCXII. labente, ut probabiliter admodum colligitur ex Epiſtola Synodica, anno CCCCXVI. ad Innocentium Pontificem ſcripta, quæ de Erotis, Lazarique literis hæc habet: *His lectis, Pelagium & Cœleſtium autores nefarii prorſus, & anathematizandi ab omnibus nobis erroris advertimus. Unde factum eſt, ut recenſendum peteremus, quod ante fermè quinquennium ſuper Cœleſtii nomine hìc apud Eccleſiam Carthaginenſem fuerat agitatum.* Elucubrata eſt Epiſtola Theodoſio Juniore VII. & Palladio Coſſ. Regreſſu in anteriora facto, id quinquennii in annum Dom. CCCCXII. incidit. Utrùm verò Synodus menſe Februario congregata ſit, ut *Garnerio* creditum, in incerto habendum exiſtimamus. Periere geſta Synodi, exceptis fragmentis nonnullis, quæ deprompta ex Auguſtino noſtris Annalibus inſerimus: *Aurelius Epiſcopus dixit: Sequentia recitentur. Et recitatum eſt, quòd peccatum Adæ ipſi ſoli obfuerit, & non generi humano. Et cùm recitatum eſſet, Cœleſtius dixit: Dixi de traduce peccati me dubium eſſe. Ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiæ, conſentiam, quia diverſa ab eis audivi, qui utique in Eccleſia Catholica conſtituti ſunt Epiſcopi. Paulinus Diaconus dixit: Dic nobis nomina eorum. Cœleſtius dixit: S. Presbyter Rufinus Romæ, qui manſit cum S. Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non ſit. Paulinus Diaconus dixit: Et aliquis alius? Cœleſtius dixit: Audivi & plures dicere. Paulinus Diaconus dixit: Dic nomina ipſorum. Cœleſtius dixit: Non tibi ſufficit unus Sacerdos? Et poſt aliqua, alio loco, Aurelius Epiſ-*

Aug. Epiſt. 90.

Aug. de Pec. Orig. l. 2. c. 2. &c.

ANNO DOM. 412.

copus dixit : Reliqui libelli legantur. Et recitatum *eſt, quòd infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Uſque in finem libelli minoris ſuperius inſerti. Aurelius Epiſcopus dixit : Docuiſti, Cæleſti, aliquando ut dixit Diaconus Paulinus, quòd infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Cæleſtius dixit : Exponat quid dixit ante tranſgreſſionem. Paulinus dixit : Tu nega hoc te docuiſſe. Unum eſt ex duobus, aut neget ſe docuiſſe, aut jam damnet illud. Cæleſtius dixit : Jam dixi, exponat quomodo dixi ante tranſgreſſionem. Paulinus Diaconus dixit : Nega te illa docuiſſe. Aurelius Epiſcopus dixit : Rogo quid intelligerim ego, ex hujuſmodi objectione tua, Adam conſtitutus in Paradiſo, quod ante dicatur inexterminabilis factus, poſteà per tranſgreſſionem præcepti factus ſit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline? Paulinus Diaconus dixit : Hoc, Domine. Aurelius Epiſcopus dixit : Statum certè infantium hodie baptizandorum, utrum talis ſit, qualis fuit ante tranſgreſſionem Adæ, aut certe de eadem origine peccati, de qua naſcitur, tranſgreſſionis culpam trahat? Hoc vult Paulinus Diaconus audire? Paulinus Diaconus dixit : Utrum docuit hoc, an non, neget? Cæleſtius dixit : Jam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, nec non & alios aſtruere : licet quæſtionis res iſta ſit, non hæreſis. Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari, quid quæris aliud?* Quid poſt tot interrogationes hoc homine factum, docent Marius Mercator, qui multa nos Baronio,

Lab. Conc. t. 2. 1512. eruditiſque incognita monuit : *De quibus omnibus capitulis ſuprà ſcriptis, exemplaribus Synodalium geſtorum Patres, & Epiſcopi rogationi illius reſtiterunt Cæleſtio, & juſſerunt ut condemnaret, quia eſſent hæretici ſenſus. Sed Cæleſtius nullo modo acquieſcens, quin imò reſiſtens Actis iiſdem, quibus frequenter auditus eſt, Eccleſiaſticâ communione privatus eſt. A qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. Quâ mox idem ipſe appellatione neglectâ, Epheſum Aſiæ urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum Presbyteri petere.* Erudiit qui Marium Mercatorem necdum editum legerant, Paulinum Cœleſtii accuſatorem pro *Diacono Carthaginenſi* habuere, quem Mediolanenſem fuiſſe tenemus, illum ſcilicet, qui Ambroſii vitam ſcripto mandavit.

Mors Theophili. Vitæ ipſius breviarium. Scripta. XI. Exhauſtis rebus Occidentis, Orientis & memorabilia ambitu orationis ampleſtimur. Incipiamus à Theophilo, mors criterium eſt Socrati Chronologicum, multorum quæ ab oblivione vindicavit : *Theophilus Alexandrinus*

Socr. l. 7. c. 7. *Epiſcopus morbo veterno correptus, extremum diem obiit Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. Idibus Octobris.* Abiit igitur è vita *tertiâ feriâ.* Adeptus erat Epiſcopatum anno CCCLXXXV. teſte Socra-

Socr. l. 5. c. 12. te : *Arcadio Aug. II. & Bautone Coſſ. mortuo Timotheo Alexandrinæ urbis Epiſcopo, Theophilus Sacerdotii curam ſuſcepit.* Sedit annos circiter XXVIII. Vir fuit & mentis acumine, & Canonum peritiâ, & eruditione laudabilis. Famæ quoque non minimum ſibi comparaverat in evertendis Alexandrinorum numinum fanis. At in magnitudinem vitia hominis virtutibus certa-

Socr. l. 6. bant. Aſtutiæ ſuæ cauſâ nomen accepit *Cothurni.* Quæſtui deditus erat, multumque ſtudii in accumulandis opibus collocabat. Origeniſtis primùm adeò favebat, ut Monachos, quibus *Longi* nomen erat, Origenis ſtudioſos ſummâ benevolentiâ proſequeretur, eorumque Eccleſiaſticarum diſpenſationi præficeret. At concepto dein in illos odio, quòd ipſius avaritiam moleſtè ferrent, tam acerbè eum Origeniſtis vexavit, ut ad crudelitatem vix addi poſſet. Seipſum vero ſuperavit furore in laceſſendo Chryſoſtomo, quaſi conjuratione in pietatem ſanctitatemque factâ, utramque exterminari voluiſſet. Horrenda ſunt fragmenta libri, quem in adverſarium

Facund. l. 6. edidit : *Dicit illum contaminatum, & in Eccleſia primitiverum impium, peſtilentem, veſanum, & tyrannica mentis inſaniâ furibundum, atque in ſua veſania gloriantem, animam ſuam adulterandam tradidiſſe Diabolo.* Hoc addit : *Arium & Eunom aut contra Chriſtum Joannis blaſphemiis delectantur, Judæi & Idololatræ, juſtificati ſunt tuâ comparatione Gentiles.* Multa ejuſmodi ſpiritus Facundus ab oblivione vindicavit. Extra Hiſtoriæ fines Damaſceni fabulam examinamus, qui ut imaginibus autoritatem afferat, hæc habet de Theophilo, qui Chryſoſtomi nomen in Eccle-

Damaſc. de imag. l. 3. ſia recitari prohibuerat : *Theophilus ob illud peccatum non poterat animam agere donec allata ei fuit imago Chryſoſtomi, quam ille cum adoraſſet, ſpiritum emiſit.* Quæ ſi vera ſunt, mirum ſanè, Attico monenti Chryſoſtomi nomen ſanctis eſſe tabulis inſcribendum, Cyrillum Theophili & ſucceſſorem, & conſanguineum obſtitiſſe. Conſtat quidem ex Nicephoro, hæc Attico reſcrip-

Niceph. l. 14. c. 27. ſiſſe Cyrillum : *Quomodo namque inter Sacerdotes Dei cenſebitur, illorumve feret ſortem, cui Sacerdotalis dignitas abrogata eſt.* Non abludit tamen à vero, morientem hæc dixiſſe Theophilum : *Beatus es, Abba Arſeni, qui ſemper hanc horam ante oculos habuiſti :* quam rarò quidem ſibi adduxiſſe, qui hæc loquebatur, ex ipſius monumentis apertè liquet. Honorificus tamen in defunctum Leo Magnus fuit in ſua ad Martianum Augu-

Leo Ep. 64. ſtum Epiſtola : *Sed ſanctæ*, inquit, *memoriæ Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus*, &c. Quod nobis quidem admirationem efficit, cùm Chryſoſtomi causâ Romanæ & Alexandrinæ Eccleſiæ communio divulſa fuerit. Hinc Carthaginenſium Decretum, anno CCCCVII. con-

Col. Ecc. Afr. cap. 101. ditum : *Placuit, ut de diſſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſiæ ad Sanctum Papam Innocentium ſcribatur, quo utraque Eccleſia inter ſe pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Cùm igitur quam Romana colebat, Chryſoſtomi memoriam vivente Theophilo Alexandrina Eccleſia non reſtituerit, atque extra Innocentii communionem Theophilus mortem obiit, qui tamen ſanctæ memoriæ vir Leoni dicitur. *Beati* quoque nomine non ſemel à Facundo Theophilus afficitur. De ipſius pœnitentia ſit Deus arbiter. Scripto nonnulla mandavit Theophilus, quorum meminit Gennadius : *Theophilus Alexandrinæ civitatis Epiſcopus ſcripſit adverſum Origenem unum & grande volumen, in quo omnia penè ejus dicta, & ipſum pariter damnat, ac ſimul edocet, non à ſe eum primùm, ſed ab antiquis Patribus, & maximè Heracla fuiſſe & à Presbyterio ejectum, & de Eccleſia pulſum, & de civitate fugatum. Sed & adverſum Anthropomorphitas Hæreticos, qui dicunt, Deum humanâ figurâ & membris conſtare, diſputatione longiſſimâ confutans, & divinarum Scripturarum teſtimoniis arguens & convincens eos, oſtendit, Deum incorruptibilem & incorporeum juxta Patrum fidem credendum. . . . . Paſchalem etiam recurſum, quod magna apud Nicæam Synodus poſt XCV. annos agi in tempore & die, & Luna, ſecundum ſtatum ſuum invenerat, additis quibuſdam*

buſdam ipſius feſtivitatis rationibus, & expoſitionibus Theodoſio Principi obtulit. Hujus & operis meminit Leo in ſua ad Martianum Auguſtum Epiſtola. Multa & alia ſcripſit, quorum fragmenta leguntur Veterum in monumentis, de quibus Hiſtoriæ eruditorum literariæ conſulantur, nec non Bibl. Max. Patrum t. v. Extant etiamnum ex verſione Hieronymi Paſchales Epiſtolæ tres, quas ſuis temporibus reſtituimus. Quod opus magnis laudibus affecit Hieronymus in ſua ad Theophilum Epiſtola: *Miratι ſumus*, inquit, *in opere tuo utilitatem omnium Eccleſiarum.* Id in obſervatione ponendum, quòd Profeſtum nativitatis Dominicæ, qui dies erat eſurialis, eâ ratione coli Theophilus ſtatuat, cùm primæ feriæ cohærebat, quæ ex Eccleſiæ diſciplina jejunii erat immunis: *Quia ergo accidit, ut Sanctorum Theophaniorum ſit hic profeſtus dies, & à jejunando tamen diſpenſemus, ad utrumque ſcientes procedamus, ut paucos dactylos ſumentes, ſimul & hæreſes vitemus, quæ Domini noſtri J. C. reſurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus.*

B. M. P. t. 5. 860.

Cyrillus Alex. Theophilo ſuccedit.

XII. Defuncto Theophilo Cyrillus non ſine diſputatione ſubſtituitur, quam Socrates memorat. Ortâ de Epiſcopatu contentione, alii quidem *Timotheum* Archidiaconum, alii verò Cyrillum ſororis Theophili filium in ea ſede collocare ſtudebant, *Cùmque ob id mota eſſet populi ſeditio, Timothei quidem partibus favebat Abundantius Dux Militum Ægypti. Quamobrem tertio poſt obitum Theophili die Cyrillus ordinatur.* Acceſſerat Octobris xv. feriâ tertiâ. Tertius poſt obitum in Sabbati diem incidit, ut non mirari non poſſimus Capellum ſcribentem, Cyrillum *electum eſſe xx. Octob. feriâ primâ*: quo caſu non *tertio*, ſed quarto Theophili poſt obitum die conſecratus fuiſſet. Ex Cyrilli electione liquet, clavo trabali diebus Dominicis non affixas fuiſſe Epiſcoporum ordinationes. Magnam in Epiſcopatu gerendo Cyrillus poteſtatem adhibuit: *Ex eo enim tempore Epiſcopi Alexandrini Sacerdotalem gradum atque ordinem ſupergreſſi, Principatum quendam obtinere, & cuncta pro imperio agere cœperunt. Statim igitur Cyrillus, clauſis Novatianorum Eccleſiis quotquot erant Alexandriæ, primò quidem ſacra earum vaſa atque ornamenta abſtulit. Deinde Epiſcopum illorum Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudavit.*

Socr. l. 7. c. 7.

Id. ib.

Synefii de Paſchate ad Petrum Epiſtola.

XIII. Dum in Ægypto verſamur, Syneſii memoria eſt apprehendenda, qui hoc anno ad Petrum Presbyterum de Paſchate Epiſtolam ſcripſit: *Solemnium literarum latorem, quibus conſtituta feſtivæ celebritati dies indicitur ad xix. Pharmuti, ita ut quæ proximè illam antecedit nox, reſurrectionis myſterio conſecrata ſit, hunc & abeuntem & redeuntem omni cum humanitate proſequimini, ac jumentorum mutatione utrimque dimittite.* In vertendo graviter Petavius peccavit, *ad decimum nonum Aprilis*, qui feriæ *ſextæ* cohærebat, à celebratione Paſchatis alieniſſimæ. Vertere igitur debuit, *Aprilis* xiv. qui reſurrectioni Dominicæ, Paſchatique celebrando dicabatur. *Pharmuti* quippe decimus nonus Aprilis quarto & decimo cohæret, quo Paſcha hujus anni eſt agitatum.

Syneſ. Ep. 13.

Marcellæ Epitaphium condidit Hieronymus.

XIV. Hoc quoque anno Marcellæ, de qua non ſemel mentionem agitavimus, illuſtris fœminæ Epitaphium condidit Hieronymus. Obierat anno CCCCX. non multò pòſt quàm urbs à Gothis deſolata eſt. Defunctæ mortem ſic narrat Hieronymus: *Poſt aliquot dies ſano, integro, vegetoque corpuſculo obdormivit in Domino, & pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens ſpiritum in tuis oſculis, dum inter lachrymas tuas illa rideret conſcientia vitæ bonæ, & præmiis futurorum.* Cur verò tam ſerò Principiam Virginem defunctæ filiam ſoletur Hieronymus, hanc ipſe cauſam attulit: *Hucuſque reticerem, & biennium præterirem ſilentio, non fuit diſſimulationis, ut male exiſtimas, ſed triſtitiæ incredibilis, quæ ita meum oppreſſit animum, ut melius judicarem, tacere impræſentiarum, quam nihil dignum illius laudibus dicere.*

Hier. Ep. 16.

Maruthæ Epiſcopi in Perſidem legatio.

XV. Socratem ſecuti, Maruthæ in Perſidem legationem in hoc & anno collocamus, quam ante quadriennium contigiſſe, Baronio placuit. Illam quippe refert in annum Dom. CCCCVIII. quæ Chronologia Socrati pugnat. Etenim injectâ Cyrilli ad Epiſcopatum Alexandrinum evectionis mentione, hæc habet: *Sub idem tempus Chriſtiana Religio in Perſide propagata eſt.* Cum igitur Cyrillus anno duntaxat CCCCXII. Eccleſiæ Præfectus ſit, ad illud quoque tempus Maruthæ eſt referenda legatio. Meſopotamiæ Maruthas Epiſcopum agebat, gentis ſcilicet *Supharenorum & Sami*, qui in Synodo ad Quercum adverſus Chryſoſtomum congregata *Cyrini* pedem imprudens calcaverat. Negotiorum cauſâ neceſſe Theodoſius Auguſtus habuit, Maruthæ ad Iſdigerdem Perſidis Regem profectionem injungere. Cui ut viro pietate inſigni, Rex honoris multum attulit. Quippe diuturnum capitis dolorem, quo Magi illum liberare haud potuerant, Maruthas ſuis precibus pepulerat. Ea re Magorum offendit animos, quorum apud Iſdigerdem autoritas plurimùm valebat. Veriti ne Princeps Chriſti religionem amplecteretur, ad fraudes ſe convertunt. Eo tempore, quo Rex ignem perpetuum in æde adorare conſueverat, hominem ſub terra abditum exclamare jubent, *Foras exturbandum eſſe Regem, impiè agentem, dum Chriſtianorum Epiſcopum Deo carum eſſe putat.* His permotus Iſdigerdes, de dimittendo Marutha cogitat. Ut precum ſubſidio Magorum fraudem novit Antiſtes, conventum Regem ſic compellat: *Noli, ô Rex, amplius deludi, ſed ingreſſus poſtquam vocem audieris effoſſâ humo fraudem deprehendes.* Non ignis, ſed fraudulenti homines loquuntur. Maruthæ monitis cùm Rex paruiſſet, invento clamante, fraus detegitur. Qua de cauſa Magos decimationis adjecit ſupplicio. Permiſit & Maruthæ ubicunque vellet, Eccleſias extruere: eâque ratione Religio apud Perſas latius propagatur. Conſtantinopolim Maruthas reverſus, non multò pòſt ad Perſas iterum mittitur. Tum Magi novos excogitare dolos. Machinatione quâdam teterrimum odorem eò loci excitant, quò Rex procedere ſolebat, eumque à Chriſtianis diffuſum eſſe calumniantur. At Rex, qui ſuſpectos jam Magos habebat, ubi novit fœtoris hujus artifices eſſe, meritis eos pœnis affecit. Majorem & Maruthæ honorem habuit, Romanorum quoque amicitiam amplectitur. Parum etiam abfuit, quin & fidem ſuſciperet, novo permotus miraculo. Dæmonem quippe, quo filius Regis vexabatur, jejuniis precibuſque ſuis Maruthas, Abdaſque Perſidis Epiſcopus expulerunt.

Socr. l. 7. c. 8.

Id. ib.

Chryſanthus Novatianis Conſtantinopolis præficitur. Mores ipſius.

XVI. Chryſantho in urbe Conſtantinopoli Novatianorum Epiſcopatum annus attulit. Noſtræ huic Chronologiæ Socrates præſidio eſt:

ANNO DOM. 412.

Chryſanthus Novatianorum Epiſcopus, cùm per ſeptem annos Eccleſias ſua ditionis gubernaſſet, ex hac vita diſceſſit, Monaxio & Plinthâ Coſſ. die ſeptimo Kal. Septembr. Annus erat Dom. CCCCXIX. Quòd ſi in anteriora relabimur, ſeptem numeratis à die Auguſti XXVII. ad annum CCCCXII. perveniemus. Filius erat *Martiani*, Novatianorum Epiſcopi, qui *Siſinnio* deceſſerat. Ab ineunte ætate in palatio militaverat. Imperante Theodoſio Seniore, Conſularis Italiæ factus, atque exinde Vicarius Britanniarum conſtitutus, ex utraque adminiſtratione maximam gloriam retulerat. Dum Conſtantinopolitanæ urbis Præfecturam ambit, Epiſcopus à moriente Siſinnio deſignatur. Invitum Novatiani ad Epiſcopatum evehere dum conantur, Chryſanthus ſe fugâ ſubduxit. Quem cùm latitantem in Bithynia deprehendiſſent, vi pertractum ad Antiſtitis honores promovent. Vir fuit prudentiâ & modeſtiâ ſingulari. Primus autem pauperibus ex propria pecunia diſtribuit. Ab Eccleſiis nil accepit præter duos panes Elogiarum ſingulis Dominicis. Iis moribus præditus effecit, ut Novatianorum Eccleſiæ Conſtantinopoli & augerentur, & conſervarentur.

Socr. l. 7. c. 17. — Socr. l. 7. c. 12.

ANNO DOM. 413.

ANNO U. C. 1166. OLYMP. 298. PER. JUL. 5126. JUL. 458. DOM. 413. HONOR. 21. & 19. THEODOS. 12. & 6. *Sol* 2. E. *Lun.* 15. *Indict.* 11. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

Proſp. Chr.

COSS. Lucius ſolus, in Oriente creatus. *Hujus Collega in Conſulatu Heraclianus fuit, qui novarum in Africa rerum reus, & honorem amiſit, & vitam.*

Jovinii & Sebaſtiani tyrannorum interitus.

I. JOvinius vir *Galliarum nobiliſſimus*, ſpreto Honorio, anno ſuperiore tyrannidem occupaverat. Ut uſurpatum imperium firmioribus ſibi vinculis conjungeret, fratrem ſuum *Sebaſtianum* imperii Collegam creat. Quod cùm invito Ataulfo feciſſet, in ejus odium incurrit. Itaque Gothus per internuntios capita ſe tyrannorum miſſurum, pacemque initurum Honorio pollicetur: *Hi domum ubi redierunt, & jusjurandum præſtitum eſt. Sebaſtiani mox caput Imperatori mittitur. Jovinius etiam ipſe ab Ataulfo obſeſſus ſe dedit, miſſuſque ad Imperatorem, propriâ Dardani Præfecti manu interficitur.* Tyrannorum capita extra Ravennam palis infixa. *Extra Carthaginem* in Olympiodoro legimus, non ſine gravi mendo. Narbonæ obſeſſos fuiſſe tyrannos, ex Idacio colligitur: *Jovinus & Sebaſtianus oppreſſi ab Honorii Ducibus Narbona interfecti ſunt.* Qui continuo ſubjungit, *Gothi Narbonam ingreſſi, vindemia tempore.* Quanquam Olympiodorum inter, & Idacium non ſatis conveniat, Poſſunt tamen utcunque conciliari, admiſſo Honorii Ducibus, Ataulfum adjumento fuiſſe, ejuſque præcipuè operâ tyrannos fratres Imperatores in poteſtatem veniſſe. Plus tamen fidei Olympiodoro habemus, narranti, non Narbonæ, ſed in Italia Jovinium periiſſe. Sic miſeris umbratile imperium nil profuit, niſi ut citius morerentur, de quibus hæc nunciat Oroſius: *Jovinus poſteà vir Galliarum nobiliſſimus, in tyrannidem mox ut aſſurrexit cecidit. Sebaſtianus frater ejuſdem, hoc ſolum, ut tyrannus moreretur elegit.*

Phot. Bibl. 180. — Oroſ. l. 7. cap. 42.

Heracliani rebellio & interitus.

II. Neque rebellionis immunis Africa. Mirum dictu, Heraclianus, qui Honorium tyrannidi Stilichonis exemerat, Africamque, quam ſuo imperio adjungere cupiebat Attalus, legitimo Principi ſervaverat, fidem ſuam ingenti ſcelere violat. Nec Honorii munificentiâ, à quo & Africæ Præfecturam, & Conſulatum hoc anno gerendum obtinuerat, in officio ſuo retineri potuit. Imò dignitatibus ſuis veluti præcipitio utitur, quo ex altiori loco delaberetur. Immanem porro ſe tyrannum præbuit, quem ſuis coloribus pingit Hieronymus in ſua ad Demetriadem Epiſtola: *Qua de medio mari fumantem viderat patriam, & fragili cymba ſalutem ſuam ſuorumque commiſerat, crudeliora invenit Africa littora. Excipitur enim ab eo, quem neſcias utrùm avarior, an crudelior fuerit. Cui nihil dulce præter vinum & pretium, & qui ſub occaſione partium clementiſſimi Principis ſæviſſimus extitit tyrannorum.* Perduellis hiſtoriam verbis Oroſii narrabimus: *Heraclianus interea Africa Comes miſſus, cùm idem Attalus umbram geſtaret imperii, Africam ſtrenuè adverſum Judices ab eo miſſos tutatus, Conſulatum adeptus eſt. Quo elatus ſupercilio, Sabinum domeſticum ſuum, virum ingenio callidum, induſtriaque ſolertem, & ſapientem nominandum, ſi animi vires tranquillis ſtudiis accommodaſſet, generum allegit. Cum quo quorundam periculorum ſuſpiciones dum patitur, fecit. Atque aliquandiu Africana annona extra ordinem detenta, ipſe tandem cum immenſa, certè temporibus noſtris, & ſatis incredibili claſſe navium Romam contendit. Nam habuiſſe tunc tria millia ſeptingentas naves dicitur. Quem numerum nec apud Xerxem quidem, prælatum illum Perſarum Regem, nec Alexandrum M. vel quenquam alium Regum fuiſſe, hiſtoria ferunt.* Menſe Junio ad Italiæ littora appuliſſe videtur, cùm *tertio Nonas Julii* Reſcriptum ab Honorio Ravennæ ſit promulgatum, quo infauſtæ hoſtis publici cervices reſecari jubentur. Tantæ claſſis ingens Romanorum mentes terror habuit. At magnus ille apparatus in fumi umbram convertitur, ut ambiguum foret, Heraclianine claſſis, an clades major eſſet: Heraclianus *ſimul ut cum agmine militum ad urbem pergens littore egreſſus eſt, occurſu Comitis Marini territus, & in fugam verſus, arreptâ navi ſolus Carthaginem redit, atque ibi continuò militari manu interfectus eſt.* Ignota Baronio nonnulla narrat Idacius, quibus nobili huic hiſtoriæ luminis aliquid additur: *Heraclianus movens exercitum de Africa adverſus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu ſuperatus effugit in Africam, caſis in loco ſupradicto quinquaginta millibus armatorum. Ipſe poſt Carthagine in Æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur.* Hanc Heracliani cladem in annum CCCCXIII. Faſti referunt Idacii. Quam minus accuratè Marcellinus cum anno ſequente conjungit. Perduellis Acta omnia ſunt abrogata; nomen è Faſtis eraſum; ſatellites ejus morti deſtinati. *Sabinus* Heracliani gener Conſtantinopolim fugit, unde poſt aliquantum temporis retractus, exilio damnatur.

ANNO DOM. 413. — Hieron. Ep. 7. p. 19. — Oroſ. l. 7. cap. 42.

Mors Marcellini Tribuni.

III. Luctificæ cladis aliquid tantæ infixum victoriæ fuit. *Marinus* Comes exterminandis Heracliani fautoribus in Africam migraverat. Is virum optimum Marcellinum Collationis Carthaginenſis Præſidem morti miſit: *Quem Marinus Comes apud Carthaginem, incertum zelo ſtimulatus, an auro corruptus occidit.* Cædis immaniſſimæ cauſam Donatiſtis aſcribit Hieronymus ex ſuſpicione potius, ut opinamur, quàm certa notitia: *Scripſit dudum vir ſanctus & eloquens* Epiſ-

Hieron. l. 3. adv. Pelag. c. 6.

ANNO DOM. 413.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Epiſcopus Auguſtinus ad Marcellinum, qui poſteà ſub invidia tyrannidis Heracliana ab Hareticis innocens caſus eſt. Honorio diſplicuit injuſta viri probi cædes, cujus & autorem ulciſcitur: *Marinus continuò revocatus ex Africa, ſactuſque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conſcientia ſua dimiſſus eſt.* Hoc unum Marino præmium fuit inſignis victoriæ, quâ Africam afferebat Imperio. Vita privata, ærumnarumque plena, quam laureis triumphiſque inſignem duxiſſet, ſi à Marcellini ſanguine temperaſſet. Diuturnior vita quidem Marcellino ſperari potuit, at non fama celebrior, quàm illuſtrem ſanè poſteris commendavit, quibus innotuit, tum ex Collatione Carthaginenſi, cui Cognitor interfuit, tum ex Epiſtolis Auguſtini, quas plures ad ſe ſcriptas accipere meruit. Geſta quoque viri pii ipſius vitæ ſupereſſe Imperatori placuit, dato ad Julianum Proconſulem Reſcripto, quod Auguſti XXX. anno eſt inſequente promulgatum: *Notione & ſollicitudine Marcellini ſpectabilis memoria viri contra Donatiſtas geſta ſunt ea, qua tranſlata in publica monumenta habere volumus perpetim firmitatem. Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Datum III. Kal. Sept. Conſtantio & Conſtante Coſſ.* Locum Marcellinus invenit in Martyrologio, ubi ipſius memoria recolitur ſexto Aprilis: *Carthagine Sancti Marcellini Martyris, qui ob Catholica fidei defenſionem ab Hareticis occiſus eſt.* Eſt tamen cauſa mortis hujus obſcuriſſima, Oroſio teſte.

Col. Th. de Hær. leb. 55.

Ataulfus Maſſiliâ repellitur. Placidiam retinet.

IV. Pacem cum Honorio ſe initurum Ataulfus pollicitus erat, certiſque pignoribus, miſſo ſcilicet Sebaſtiani capite, promiſſa rata feciſſe videbatur. Diſturbata tamen pax fuit occaſione Placidiæ, quam Ataulfus apud ſe Romæ captam habebat. Studio maximè Conſtantii, qui *Placidiam* amabat, ea repetebatur. Quam fratri poſcenti non reddidit Gothus, quòd promiſſa ſibi annona non ſolveretur. Frumenti argentum ſubinde promittunt, ſi Placidiam reciperent. Simulatio hæc erat, cùm annonæ conferendæ Romanis copia non eſſet. Eâdem & ſimulatione Barbarus utebatur, & pacem bello commutaturus videbatur. Intereà Maſſiliam in ſuam redigere poteſtatem, adhibito dolo conatur: *Sed à Bonifacio nobiliſſimo viro vulneratus, & vix ſalvo capite fugiens, in ſua ſe tentoria recepit, urbe omiſſâ, qua lætitia plena, laudibus ac bonis ominibus Bonifacium eſt proſecuta.* Porro Ataulfus, qui Placidiæ nuptias ambiebat, Conſtantio eam poſtulanti graviores prætexit poſtulationes, ut ſi compos illarum non fieret, illa juſtè retenta videretur. Artibus tantum effecit ſuis, ut cupitas anno ſequente nuptias adipiſceretur.

Phot. Cod. 80. p. 186.

Qui Burgundiones? Mores eorum.

V. Non ſatis erat, Gallias à Gothis tyranniſque vaſtari. Immittuntur & his regionibus Burgundiones, *qui partem Gallia propinquantem Rheno obtinuerunt*, teſte Proſperi Chronico. Germaniæ gens erat bellicoſa, & pubis immenſæ viribus affluens, ideòque finitimis metuendæ, de qua hæc ſcitu jucunda memorat Marcellinus: *Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri poteſtate depoſitâ removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra. . . . Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinſtus, & eſt perpetuus obnoxius diſcriminibus nullis, ut Reges.* Eam olim Germaniæ partem habitabant, quæ nunc *le Marquiſat de Brandebourg* nomen habet. Eorum fines terminalibus lapidibus ab Alamannorum limitibus diſtinguebantur. Gloriæ ſibi ducebant, Romanorum progeniem dici: *Jam inde à temporibus priſcis ſobolem ſe eſſe Romanam Burgundii ſciunt.* Quin falſa fuerit jactantia hæc, nulli dubitamus: ut fruſtra omninò ſint eruditorum conjecturæ ad fabulam aſſerendam veritati. Falſa quidem ſunt ea, quæ de gente profert Oroſius: *Burgundionum quoque novorum hoſtium novum nomen, qui pluſquam octoginta millia, ut ferunt, armatorum ripa fluminis inſederunt. Hos quondam ſubactâ interiore Germaniâ, à Druſo & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris per caſtra diſpoſitos, ajunt in magnam coaluiſſe gentem, atque ita nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgò vocant.* Vim Romanorum non experti erant Burgundiones, ut à Tiberio Druſoque in caſtra diſponerentur. Druſus ſanè *Albim* non ſuperarat, qui expeditionum ipſius in Germaniam terminus fuit: *Viſurgim tranſgreſſus, omnia populando ad Albim uſque pervexit. Hunc cum fruſtra tenatus eſſet tranſire, tropbais conſtitutis receſſit.* Miſſa ergo obſcuriſſima Burgundionum origine, quorum ſolum fere nomen Plinio notum fuit, narranti *Vandalorum partem fuiſſe*, ad certiora veniamus.

Marcellin. l. 26. c. 5.

Oroſ. l. 7. cap. 32.

Dio l. 55. 548.

Burgundiones Gallias ingrediuntur. Fiunt Christiani.

VI. Fortiſſimæ gentis manus compluſes hoc anno Gallias ingreſſæ, earum partem ſibi propriam fecere, quæ lapſu temporis poſſidentium nomen obtinuit. Felicibus quidem auſpiciis his locis inſedere, ubi minus quadriennio, quæ ad Chriſti cultum pertinent, didicerunt, quos quaſi prehenſa manu duxit Dominus, ut ſuum ejuratâ ſuperſtitione regnum amplificarent, morumque probitate victis Gallis eſſent exemplo. Audiatur Oroſius: Burgundionum *eſſe prævalidam & perniciosam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumptâ poſſeſſione conſiſtunt. Quamvis providentiâ Dei omnes Chriſtiani modò facti Catholicâ fide, noſtriſque Clericis, quibus obedirent receptis, blande, manſuetè, innocenterque vivant, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis.* Quæ ſcripto mandabat Oroſius anno Dom. CCCCXVI. quatuor annis poſt immiſſos in Gallias Burgundiones. Hic Baronius malè in Socratem animatus, ipſi falſi dicam impegit, quòd Burgundionum ad fidem inſtitutionem in Valentiniani III. regnum, Honorio jam defuncto contulerit: *Iſta*, inquit, *ſcripſit Oroſius vivente adhuc Honorio.* Præceps tamen videtur eſſe cenſura, cùm de Burgundionibus Gallias incolentibus Oroſius tractet, Socrates verò de Burgundionibus ſcribat, qui in Germania ſedes habent. Ac illi quidem non multò pòſt quàm Gallias ingreſſi, Chriſti religionem ſuſcepere, ut nos Oroſius monuit. Hi verò ſerius ad Servatoris diſciplinam deducti. Dictis Socratis advertamus animum: *Gens eſt barbara, trans flumen Rhenum ſedes habens, eorum qui Burgundiones vocantur. Hi vitam quietam, & à negotiis alienam ducunt.* Quippe omnes ferè fabri lignarii erant, quâ arte ſeipſos alebant. Quorum in regionem aſſiduè irruentes Hunni, multos ex incolis interficiebant. Burgundiones conſilii ad inopiam redacti, Deo cuipiam Servatori ſeſe committere ſtatuunt. Animadverſo verò Romanorum Deum, certiſſimum invocantibus auxilium eſſe, communi conſenſu ad Chriſtianam ſe religionem contulere. Extemplò ad quandam Galliæ civitatem profecti, ab Epiſcopo baptiſmum flagitant. Ille ſeptiduo jejunare juſ-

Oroſ. l. 7. cap. 32.

Bar. Ann. 413. n. 26.

Anno Dom. 413.

ſos, fideique rudimentis imbutos, octavo pòſt die ſacris undis ablutos dimittit. Exinde fidenti animo adverſus Hunnos progrediuntur: nec ſpes eos feſellit. Hunnorum Rege *Optar* præ nimia ciborum ingluvie nocte quâdam ſuffocato, Burgundiones ter mille numero hoſtium complures aggreſſi, decem circiter millia interfecere. Ex illo tempore Burgundionum gens Chriſtianam Religionem ſtudioſiſſimè profitetur. Quibus accuratè perpenſis apparet, Germaniæ, non Galliæ Burgundionum inſtitutionem à Socrate narrari, aliâ, cujus meminit Oroſius, poſteriorem. Gallias quidem Burgundiones, non Alani vexabant. Quod verò à Galliæ potius quàm ab aliæ gentis Epiſcopo baptiſmum flagitarint, ea cauſa videtur eſſe, quòd pars ſuorum Galliæ in regionibus ſedem locaverat. Eo igitur ſe contulere, ut fidei ſemina ſibi compararent. Socratis tamen non eſt error diſſimulandus, dum πέραν, *trans Rhenum* Burgundiones ſedere memorat, qui Socratis Conſtantinopolitani reſpectu, cis Rhenum habitabant; fieri tamen potuit, diſcriminis cauſâ, reſpectu ad Galliæ Burgundiones habito, illis qui Germaniam incolebant, Tranſrhenanorum Burgundionum appellationem eſſe impoſitam, quam Socrates & uſurpare potuit.

Socrat. l. 7. c. 30.

Alexander Antiochenus. Extinguit Euſtathianorum diviſionem.

VII. In Oriente arma ſilebant, pietati Theodoſii pacem profundam largiente Deo: Itaque ad res Eccleſiæ convertendus eſt animus. Defuncto Flaviani ſucceſſore Porphyrio Epiſcopatum Antiochenum *Alexander* ſortitur, ad reſarciendam Eccleſiæ tranquillitatem natus. Antequam Antiſtitis munere fungeretur, in Monaſterio diu vixerat, homines tum voce, cùm exemplo ad pietatem inſtituens. Sapientiæ opibus, divitiarum contemptu, eloquentiâ maximè excellebat, atque charitate. Ubi creatus eſt Epiſcopus, operam collocavit ſuam in extinguenda diviſione, quâ Eccleſia Antiochena laborabat. Euſtathianos quippe, qui à Meletio Flavianoque ſegregati, Paulini & Evagrii poteſtati ſubditi fuerant, ad communionem ſociali fœdere ſecum jungendam impulit. Felici porro quâdam audaciâ tantum opus aggreditur. Collectis omnibus tam Clericis, quam Laicis, qui partes ipſius ſequebantur, ad Euſtathianorum cœtum perrexit: *Cumque illos pſallentes aſſumpſiſſet, & unum Pſalmodiæ concentum texuiſſet, à portula, quæ ad occidentem Solem obverſa eſt, uſque ad maximam Eccleſiam totum forum hominibus complevit.* Quo ſpectaculo ilia Arianis Judæiſque rumpebantur, quibus Eccleſiæ diſſenſio voluptati eſt. Feliciſſimæ diſſidentium Antiochenorum reconciliationi currentem annum aſſignamus, Autore Theodorito, qui de flebili diſſidio hæc habet: *Quinque & octoginta annos permanſit uſque ad Epiſcopatum Alexandri, viri omni laude digniſſimi. Qui cùm Antiochenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet, adhibitis omnibus machinis, omnique operâ & ſtudio ad reparandam concordiam collato, diſtracta Eccleſiæ membra reliquo corpori conjunxit.* Anno CCCXXVIII. ejecto Euſtathio diviſio inceperat. Cui tempori ſi *octoginta quinque* anni addantur, quibus labentibus perduraverat diſſidium, anno utique CCCCXIII. extinctum deprehendetur. Alia Baronio Chronologia eſt. Negat annorum LXXXV. diſſidium fuiſſe, quia diviſionis initium ducit ab ordinatione Paulini, cujus fautores à Meletianis *ſeparatos* eſſe ait, *quadraginta quinque jam annis.*

Theodorit. l. 5. c. 35.

Theodorit. l. 3. c. 5.

Error Baronii.

Conjunctionem itaque Antiochenſium cum anno CCCCVIII. copulat, repugnante Theodorito, cui errorem tribuit. Sed illuſtriſſimus Purpuratus egregiè fallitur. Non ab ordinatione quidem Paulini, ſed ab Euſtathii abdicatione diſſidium orditur Theodoritus, ut legentibus manifeſtum. Cum enim Euſtathianis Paulinum impoſuiſſet Lucifer, *Ea res diſſenſionem diuturniorem effecit, quinque enim & octoginta annos permanſit.* Itaque non minimum hic perturbata eſt Baronii Chronologia, qui & Porphyrii mortem, & Alexandri creationem, & finem Antiochenæ diviſionis anno CCCCVIII. cohærere putat. Quo fonte alii quoque errores manant; quod verbi gratiâ & illo ipſo anno ad Alexandrum Antiochenum ſcripſerit Innocentius. Quæ omnia ſunt extra Hiſtoriam eliminanda.

Bar. Ann. 408. n. 31.

Theodorit. l. 3. c. 5.

Alexander Innocentio legationem miſit. Chryſoſtomi memoriam reſtituit.

VIII. Pace Eccleſiæ Antiochenæ conſtitutâ, majus opus movet Alexander, miſſâ ad Innocentium Papam legatione, quâ Antiochenæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ diſſiluerat, communio integraretur. Grato lætoque animo Legatı ſuſcepti; quod & Alexandro literis Innocentius ſuis ſignificavit: *Volui*, inquit, *Compresbyter noſter Caſſianus hanc amicitiarum noſtrarum paginulam per Compresbyterum noſtrum Paulum, Nicolaum Diaconum, & Petrum Subdiaconum, filios noſtros, quaſi primitias pacis noſtræ conſcribi. Saluto itaque & tuam mihi in Chriſto germanitatem, & omnem illam, quæ tecum tam bene ſentit Eccleſiam.* Pacis vero hæ conditiones fuere, quas Bonifacio Presbytero ſuo apud Theodoſium agenti notificavit Innocentius: *Ut & Evagrianos ſuis ordinibus ac locis intemeratâ ordinatione, quam acceperant à Memorato, ſuſciperet* Alexander: *& Joannis ſanctæ memoriæ, vel Clericos, vel Laicos in unum colligeret, atque congregaret.* Nomen etiam *Memorati inter quieſcentes Epiſcopos recitaret.* Quas Diaconus Paulus literas Bonifacio reddidit. Primus igitur omnium Alexander *præſtantiſſimi Joannis nomen Eccleſiaſticis tabulis inſcripſit.* Id gloriæ Antiochenæ Eccleſiæ debebatur, ut & alumni & Presbyteri quondam ſui memoriam, nube quâdam interpoſitâ obſcuratam involutamque, perpetuæ luci prima redderet. Non ſatis erat Alexandro, memoriæ Chryſoſtomi honorem habuiſſe; ut ab aliis quoque recoleretur, omni ratione conatur. Neque labor ſucceſſu caruit: cùm effecerit Pappum & Elpidium Epiſcopos, Chryſoſtomi cauſâ Eccleſiis ſuis pulſos, ad eas revocari. Permovit & Acacium Berœenſem, de Chryſoſtomi inimicis infenſioribus unum, ut Innocentio ſcriberet: *Scripta autem Acacii* (perperàm legitur Attici) *Epiſcopi, quoniam cum veſtris ſunt porrecta, ſuſcepimus, ne per veſtram injuriam ille, qui olim à nobis ſuſpenſus fuerat, repudiaretur.* Quæ Innocentii verba ſunt ad Alexandrum, Epiſtolâ XVII. Acceptis Acacii literis, hæc reſcribit Innocentius: *Adgaudere literis fraternitatem de receptis Paulini & Evagrii Epiſcoporum, Clericis populiſque, & de reſtitutis Elpidio atque Pappo Coëpiſcopis percenſuimus, & vel ſerò recepta pacis gratiam te fovere, poſtpoſitâ omni contentione pervidimus.* Quas Alexandro literas miſit Innocentius, eâ conditione Acacio reddendas, *ut omnis æmulatio, tam de nomine ſancti Joannis mirandi Epiſcopi, quàm de omnibus ejuſdem communionis participibus ab ipſius animoſitate diſcederet.* Communionis hæc integratio Alexandri curæ atque diligentiæ debetur. Quin

Innocent. Ep. 15.

Innocent. Ep. 14.

Theodorit. l. 5. c. 36.

Innocent. Epiſt. 19.

etiam

ANNO DOM. 413.

Nicephor. l. 14. c. 26. etiam nec labori parcens, ea de cauſa Conſtantinopolim migravit, ut exemplum imitari ſuum perſuaderet Attico. Quam rem nos Atticus ipſe monuit in ſua ad Cyrillum Epiſtola: *Cùm verò nonnulli nomen tantùm Beati Joannis myſticis tabulis inſcribi vellent, Beatus Epiſcopus Alexander, Antiochenum iſtum dico, Conſtantinopolim venit, & multa ore confidenti verba fecit, vehementerque excitare populum voluit, ut vel nobis invitis neceſſariò ejus, quem diximus, nomen ita inſcriberetur.* Quam anno circiter CCCCXX. peregrinationem ſuſcepit: quo tempore in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tabulis Chryſoſtomi nomen additum eſt, uti fuſius narrabitur.

Demetrias virginitatem profitetur. IX. Dum in Oriente ex tenebris in lucem Chryſoſtomi gloria, nomenque revocatur, in Occidente virgo nobilis *Demetrias* inclaruit, quæ nos de ſe tacere non patitur. Ac eò magis ipſius memoria recolenda eſt, quòd occaſionem præbuit agnoſcendi Pelagii, qui pietatis ſpecie nonnullâ mortalium oculis hactenus illuſerat. *Olybrio* Conſule, & Senatore, & Julianâ nobili fœminâ Demetrias oriebatur. Felici morte præventus, patriam Alarici potentiâ corruentem non viderat Olybrius. Captâ Româ, virginis mater *Juliana*, & Proba avia cum Demetriade in Africam conceſſerant. Continentia puellæ in votis erat. Noctibus & ſecretò conſciis tantùm Virginibus Dei, quæ in matris & aviæ comitatu erant, in nuda humo cilicíolum pro ſtrato habebat. Nobili viro deſponſata erat; jam nuptiarum dies appropinquabat, futuruſque matrimonio thalamus parabatur, cùm ad alia convertit animum. Quid agis Demetrias? *Neſcis, miſera, neſcis cui virginitatem debeas? Urbs tua quondam orbis caput Romani populi ſepulcrum eſt, & tu in Libyco littore exulem virum exul ipſa accipies?* Ubi ſe obfirmavit, redditis ſcrinio monilibus, vili tunicâ induitur, quam viliori pallio tegit. Eo habitu repentè aviæ genubus provolvitur. Sic ſe virginem profeſſa, non multò pòſt ad imprecationem Pontificis flammeo virginali caput operuit. Multis Demetriadem præceptis inſtituit Hieronymus, quâ ratione virginitatem cuſtodire

Hieron. Ep. 8. debeat. Matri aviæque vult eſſe ſubditam: *Sic debes jejunare, ut non palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, ſed ut fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in Pſalmis, nec in vigiliis ſolito quid minus facias.* Parentibus Demetriadis gratulatus

Auguſt. Ep. 179. eſt & Auguſtinus: *Generoſius quippe elegit Aniciana poſteritas tam illuſtram familiam beare nuptias neſciendo, quam multiplicare pariendo: & in carne jam imitari vitam Angelorum, quam ex carne adhùc numerum augere mortalium.* Erat

Hieron. Ep. 8. Demetrias illuſtris Anicii ſanguinis genus, *In quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit Conſulatum.*

Pelagii ad Demetriadem Epiſtola ipſius aperit errorem. X. Cùm Demetriadis factum auditione, & famâ Pelagius accepiſſet, literis quoque ſuis virginem adiit, virtutis præceptis informandam: *Virginem Chriſti, virginem nobilem, virginem divitem, & quod his majus eſt, ardore fidei nobilitatem divitiaſque calcantem.* Popoſcerat à Pelagio literas Juliana Demetriadis mater, ut ad profeſſionem caſtitatis ornandam erudiretur: *Scribimus*, inquit, *petente ſanctâ matre ejus, imò jubente.* Neque inficias imus, præclare multa in ea Epiſtola contineri. At ſagax ille Pelagius vitare tamen non potuit, quin benè diſſimulatum & celatum errorem indicaret. Sunt in Epiſtola rimæ, quibus virus effluit: *Naturam*, inquit,

ANNO DOM. 413.

Hieron. l. 9. p. 3. *ab hac tantummodò injuria vindicamus, ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum ſine voluntate faciamus, nec malum, & quibus liberum eſt, unum ſemper ex duobus agere, cùm ſemper utrumque poſſimus.* Quibus aperte ſatis & vitium negat originis, & voluntatem ad bonum & malum indifferentem ſtatuit, quod pugnat Scrip-

Rom. 8. turæ. Non ea ſane Paulo Apoſtolo mens eſt, *Semper nos bonum agere poſſe*, ex quo diſcimus, carnem inimicam eſſe Deo, Legi non ſubjici, *imò ne poſſe quidem.* In tota quidem Epiſtola de gratia Dei voluntatem hominis ad obſequium flectente, ne verbum quidem. Imò ſcribentis

Hier. l. 9. p. 4. H. ſententia hæc eſt: *Spirituales verò divitias nullus tibi præter te conferre poterit.* Pelagii hæc Epiſtola cùm Auguſtini & Alypii in manus veniſſet, dum ſimul apud Hipponem conſtituebantur, Julianæ reſcribendum exiſtimarunt. Eò magis quòd Juliana ne vel in eas ſectas, *quæ parvos habere videntur errores*, unquam ſe inclinatam fuiſſe non putabat modò, ſed etiam Auguſtino ſcripſerat. Sic ergo Julianam alloquuntur: *Nec ſanè parvus eſt error illorum, qui putant ex nobis ipſis nos habere, ſi quid juſtitia, continentia, pietatis in nobis eſt.* Et paucis pòſt lineis de Pelagii ſententia hac, *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit*, judicium ſic oſtendunt

Hier. l. 9. p. 11. D. ſuum: *Cernis nempe quanta in his verbis ſit cavenda pernicies.* Cujus verò hæc erat Epiſtola, Au-

Hieron l. 9. p. 11. guſtino Alypioque ignorabatur: *Cum legiſſemus librum, quem ad Sanctam Demetriadem quiſnam ſcripſerit, vel utrum ad vos pervenerit, veſtris potius reſcriptis noſſe volumus.* Ex alia tamen Pelagii Epiſtola conjecturam faciebant, Pelagii eſſe:

Hier l. 9. p. 12. F. *In quadam verò Epiſtola ſua idem Pelagius, ubi & nomen ſuum apertiſſimè ponit, nec nomen ſacræ virginis tacet, dicit, ad eam ſe ſcripſiſſe, & ejuſdem operis ſui teſtimonio probare nititur, ſe gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare aſſeritur, apertiſſimè confiteri.* Quibus apparet, non hoc quidem anno, ſed poſt agnitum jam Pelagium hanc ad Julianam Auguſtini Epiſtolam ſcriptam fuiſſe, licet Baronius innuat currente anno miſſam. Porro niſi errore Epiſtolam Pelagius ſuam contaminaſſet, nobis quidem unum è precioſioribus Antiquitatis monumentis videretur. Gravibus ſanè ſententiis referta eſt, quæ legentibus admirationi fuere: *Veſtis abjectio, cibi vilitas, jejunii laſſitudo extinguere debent, non nutrire ſuperbiam. Quis rem medicina vulnus faciat?* pag. 3. Et paginâ ſequente: *Illuſtre Anicii ſanguinis decus ad animam transferatur. Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam ſervare ſe putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, ab eiſque non ſuperari.* Præclarè quoque utitur clade Romanâ, ut de futuro Dei Judicio cogitationem inſerat: *Recens factum eſt, & quod ipſa audiſti, cum ad ſtridula buccinæ ſonum Gothorumque clamorem, lugubri oppreſſa metu, domina orbis Roma contremuit. Ubi tunc nobilitatis ordo? Ubi certi & diſtincti illius dignitatis gradus? Permiſta omnia, & timore confuſa, omni domus planctu, & æqualis fuit per cunctos pavor. Unum erat ſervus & nobilis. Eadem omnibus imago mortis, niſi quia magis timebant illi, quibus fuerat vita jucundior.*

Hier. l. 9. p. 12. D. Felix Pelagius, ſi tot ſapienter dicta alia ſententiâ condiviſſet, dixiſſetque cum Auguſtino, à Deo vires accipiat voluntas noſtra, *quibus id quod diſcimus, faciamus.*

XI.

ANNO DOM. 413.

Innocentii ad Aurelium de Paſchate Epiſtola.

XI. Hoc anno ſcripta eſt Innocentii ad Aurelium Epiſtola, numero XIV. in qua Carthaginenſi Præſuli de die Paſchatis ſcrupulos exponit ſuos: *Cùm ante XI. Kal. Aprilium penè Luna XVI. colligatur, nam quidpiam minus eſt: itemque cùm ante diem quartum Kalend. earumdem veniat vigeſima tertia, exiſtimavi undecimo memoratarum Kalend. die feſta Paſchalia celebranda.* Cùm porro Innocentius Enneadecateridem haud uſurparit, indicat utique Paſcha anni CCCCXIV. quod XI. Kalendarum Aprilis, ſive Martii XXII. eſt agitatum. Labentem enim eum annum docebant Cyclus Solis 3. D. Luna XVI. Quibus conſequens eſt Chriſti reſurrectionis memoriam eâ die fuiſſe recolendam.

ANNO DOM. 414.

ANNO U.C. 1167. PER. JUL. 5127. JUL. 459. DOM. 414. HONOR. 22. & 20. THEODOSII 13. & 7. *Sol.* 3. D. *Lun.* 16. *Indict.* 12. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 4. *P.* 22. *Mart.*

COSS. *Conſtans & Conſtantius.*

Conſtantius quis? Origo, mores.

I. Conſtantius, qui annum aperuit, *genere Illyrius fuit, e Panaſo urbe*, ut haber Olympiodorus; à quo etiam hæc diſcimus: *Erat Conſtantius, cùm prodiret, ſubtriſti vultu, ac tetrico, ingentibus oculis, ſublatâque cervice, & plano capite, inclinans ſe omninò in equi, quo vehebatur, collum; & ſic hùc illuc obliquè intorquens oculos, ut quod veteri verbo dicitur, imperio dignâ formâ omnibus appareret. In cœnis tamen epuliſque jucundus, adeò urbanuſque fuit, ut cum mimis interdum ad menſam ludentibus contenderit.* Vir erat egregiis moribus præditus: nullâ auri cupiditate flagrabat; multa jam inde à Theodoſii Magni temporibus militiæ munera obierat. Ac ut præclarum viri animum intelligamus, tot dignitates aſſecuto, divitiarum non ſatis erat ad ſumptus ſui Conſulatus faciendos. Accepit igitur dono bona Heracliani perduellis, quæ anno ſuperiore in Fiſcum redacta fuerant: *Auti vis juſta & ſufficiens ad Conſulatus ſumptus tolerandos reperta in Heracliani bonis, qui tyrannidis affectata nomine eſt interemptus, etſi tamen tantum pecuniæ repertum non eſt, quantum ſperatum erat. Auri enim non uſque ad millia duo inventa, immobilium verò poſſidebat ad bis mille libras, quas quidem facultates omnes unâ poſtulatione ab Honorio Conſtantius impetrarit.* Hæc Olympiodorus. Hic eſt ille Conſtantius, quem ſibi imperii Collegam aſciſcet Honorius.

Phot. Bibl. pag. 186.

Ataulfi cum Placidia nuptiæ.

II. Ataulfo amorem inſpiraverat *Placidia*, mulier præſtantis & corporis, & animi. Quam ut retineret, Romæ captam omnibus modis allaborabat, totis nervis contrà contendente Conſtantio, ut fratri redderetur. Tandem cupitas Ataulfus nuptias adipiſcitur, ſtudio & conſilio *Candidiani*. Quibus celebrandis Calend. Januariarum dies dicitur, Narbonæ in domo *Ingenii* cujuſdam, viri primarii ejus urbis. Hæc Olympiodorus, cui de anno, locoque matrimonii prorſus aſſentitur Idacius. Ut à vero aliena ſit Baronii Chronologia, qui Ataulfi cum Placidia nuptias in annum CCCCXI. contulit, triennio antequam celebrarentur. Extra Hiſtoriam quoque eliminetur Pauli narratio Diaconi, qui Alarici poſt obitum & Placidiam captam eſſe memorat, & apud *Forum Cornelii* cum Ataulfo matrimonio conjunctam. Quanto certiores & loci, & temporis harum nuptiarum teſtes, Olympiodorus & Idacius, ævi hujus Scriptores? Idacius præcipuè, cujus magni eſt in ea re momenti autoritas, cùm in Gallœcia, Hiſpaniæ Provincia natus, Lemicæ etiam hujus regionis civitatis Epiſcopum egerit. Anno Honorii vigeſimo *Ataulfus*, inquit, *apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo Prophetia Danielis putatur impleta, qui ait, Filiam Regis Auſtri ſociandam Regi Aquilonis.* Nuptiarum noſcere apparatum non erit injucundum, quem Olympiodorus deſcribit: Narbonæ Ingenii in domo *reſidente Placidiâ, in atrio Romano more adornato, habituque regio aſſedit ipſi & Ataulfus, lanâ indutus, omnique alio amictu Romano. Inter alia nuptiarum munera donat Ataulfus quinquaginta formoſos pueros, ſericâ veſte indutos, ferentibus ſingulis utrâque manu ingentes diſcos binos, quorum alter auri plenus, alter lapillis pretioſis, vel pretii potius haud æſtimabilis, quæ ex urbis Romanæ direptione Gothi deprædati fuerant. Hinc verſus canuntur Epithalamii, Attalo præcinente, dein Ruſticio atque Phœbadio, nuptiiſque finis datus, luſu gaudioque ingenti Barbarorum ſimul, & Romanorum, qui cum illis erant.* Ex Gothi Principis cum Romanis affinitas mentem ipſi benignam immiſit in imperium, quod olim, ne vel ipſius nomini parcens, prorſus extinctum voluit. Hoc nos monuit Oroſius, qui à viro illuſtri, Ataulfo familiariſſimo, hæc ſe audiſſe narrat: *Quòd Ataulfus cùm eſſet animo, viribus, ingenioque nimius, referre ſolitus eſſet, ſe in primis ardenter inhiaſſe, ut obliterato Romano nomine Romanum omne ſolum Gothorum imperium faceret & vocaret, eſſetque, ut vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuiſſet: fieret nunc Ataulfus, quod quondam Cæſar Auguſtus. At ubi multâ experientiâ probaviſſet, neque Gothos ullo modo parere legibus poſſe propter effrenatam barbariem; neque Reipublicæ interdici leges oportere, ſine quibus Reſpublica non eſt Reſpublica, elegiſſe, ſe ſalutem, ut gloriam ſibi de reſtituendo in integrum, augendoque Romano nomine Gothorum viribus quæreret, habereturque apud poſteros Romanæ reſtitutionis autor, poſtquam eſſe non poterat immutator.*

ANNO DOM. 414.

Phot. Bibl. p. 186.

Oroſ. l. 7. *cap.* 43.

Attalus imperium reſumit.

III. Pacis adjuvabat conſilia Ataulfi uxor Placidia. Quibus reſiſtens repugnanſque Conſtantius, conatus omnes de Romanorum Gothorumque concordia fruſtra fuere. Iraque rurſus *Priſcus Attalus* reducitur in ſcenam, qui umbratilem Romanorum Imperatorem præſtaret. Ad Conſtantis Conſtantiique Conſulatum Proſper: *Attalus Gothorum conſilio, & præſidio tyrannidem reſumit in Galliis.* At miſer ille Principatus magis ludius, quàm Princeps imperium momento tenuit, quod anno ſequente unà cum libertate prorſus amittet.

Bar. An. 411. *n.* 2.

Error Baronii.

Paul. lib. 13.

Pulcheria fit Auguſta. ipſius mores.

IV. Dum hæc in Occidente geruntur, Pulcheria, quæ Orientem adminiſtrabat, titulo potitur Auguſtæ, quo ſuis ſanè virtutibus ſe dignam præbuit. Nata erat Pulcheria anno Dom. CCCXCIX. Mallio Theodoro Conſule, Januarii XIX. Virgo hæc nobiliſſima nondum annos quindecim nata, egregiæ ac penè divinæ ſapientiæ ſpecimina præbebat. Ac primùm ſuam Deo virginitatem conſecraverat, ſororibuſque ad eandem dedicandam informatis in palatium, qui vir eſſet, neminem introduci voluerat. Ut monumenta conſecratæ virginitatis relinqueret, ex auro & lapidibus precioſis menſam pulcherrimam in Eccleſia Conſtantinopolitana dicaverat. In menſa verò inſcripſit donarium hoc, & pro

Sozom. l. 9. *c.* 1.

ANNO DOM. 414.

pro virginitate ſua, & pro fratris imperio ſe conſecraſſe. Ut tantæ novus honor fœminæ adjungeretur, *quarto Nonas Julias* Auguſta renuntiatur, quod Conſtante Conſtantioque Coſſ. factum eſſe, Chronicum & Marcellini, & Alexandrinum teſtantur. Nata tum erat Pulcheria annos *ſexdecim*, quorum ultimus à XV. Kalendis Februarii inceperat. Poſtquam novis eſt titulis inſignita, novis & ad gloriam gradibus aſcendit, orbe Romano optimè & decentiſſimè adminiſtrato. Græcè Latinèque eleganter ſcribebat. Rerum, quæ gerebantur, omnium laudes in Theodoſium referebat. Dabat operam, ut diſciplinis ad ætatis captum accommodatis educaretur, ut in proceſſibus graviter, ac pro imperatoria majeſtate ſe gereret: quâ ratione veſtem geſtare, ſedere, incedere, riſum continere, pro tempore mitem eſſe, aut ſeverum, ſupplices audire deberet, fratrem ſoror docebat. Præcipuè ad pietatem illum informabat, ut aſſiduè oraret, Eccleſias adiret, precioſis muneribus ornaret, Epiſcopos, omneſque viros bonos plurimi faceret. Ter quaterque felices Principes; felicisſima quoque regna, quibus tutores Pulcheriæ ſimiles contigere! Quæ de Pulcheriæ inauguratione narravimus, à Baronio non ſatis accuratè cum anno ſequente copulantur. Hoc quoque anno dedicati ſunt tres thoraces, Honorii ſcilicet, Theodoſii, Pulcheriæ, *Ab Aureliano iterum Præfecto Sacrorum Prætoriorum, ac Patricio, tertio Kal. Januarias.*

Sozom. l. 9. c. 1.

Chron. Alex.

Reſcriptum Honorii adverſus Donatiſtas.

V. A rebus imperii ad illas Eccleſiæ pergamus. In ſpem Donatiſtæ venerant, defuncto Marcellino, Carthaginenſis Collationis Cognitore, Acta cum eo extingui poſſe. Contrà verò quam expectabant, gravioribus ſunt Imperatoris Edictis exagitati. Quibus tam in Clericos, quàm in Laicos pœnæ conſtituuntur, exhauſtâ Imperatoris patientiâ, qui anno 412. propoſitâ Lege ad frugem Donatiſtas poſſe revocari ſperaverat. Verùm cùm eorum pertinacia non vinceretur, Reſcripto novo illam contundi placuit. Vix Lex ulla ſeverior eâ, quæ decimo Kal. Julii eſt promulgata: *Donatiſtas, atque Hæreticos, quos patientia clementiæ noſtræ nunc uſque ſervavit, competenti conſtituimus autoritate percelli, quatenus evidenti præceptione ſe agnoſcant & inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicujus hæreditatem ineundi, ſed perpetuâ inuſtos infamiâ, à cœtibus honeſtis & à conventu publico ſegregandos. Ea verò loca, in quibus dira ſuperſtitio nunc uſque ſervata eſt, Catholicæ venerabili Eccleſiæ ſocientur: ita ut Epiſcopi, Presbyteri, omnes Antiſtites, eorum & miniſtri ſpoliati omnibus facultatibus, ad ſingulas quaſque inſulas atque Provincias exulandi gratiâ dirigantur. Quiſquis autem hos fugientes propoſitam ultionem occultandi cauſâ ſuſceperit, ſciat & patrimonium ſuum Fiſci noſtri compendiis aggregandum, & ſe pœnam, quæ his propoſita eſt, ſubiturum.* Hæc in Clericos, in alios verò ea ſanciuntur: *Damna quoque patrimonii, pœnaſque pecuniarias evidenter imponimus viris, mulieribus, perſonis ſingulis, & dignitatibus, pro qualitate ſui, quæ debeant irrogari. Igitur Proconſulari, aut Vicariano, vel Comitivæ primi ordinis, quiſquis fuerit honore ſuccinctus, niſi ad obſervantiam Catholicam mentem propoſitumque converterit, ducentas argenti libras cogetur exolvere, Fiſci noſtri utilitatibus adgregandas. Quoties* ad communionem Donatiſtarum acceſſiſſe quis inventus fuerit, *toties* ei mulcta irrogatur: *Et ſi quinquies conſtiterit, eundem nec damnis poſſe ab errore revocari*, ad ſe Imperator referri jubet, *ut de ſolida ejus ſubſtantia, ac de ſtatu acerbius* judicetur. Tertio quoque Kal. Septembris ad Julianum Africæ Proconſulem ſcripſit, quæ à Marcellino contra Donatiſtas geſta fuerant, perpetuam obtinere firmitatem: *Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides.* Exempla ſuperſunt executionis Honoriani Reſcripti in primo Auguſtini libro contra Epiſtolam Parmeniani: *Nam in quadam cauſa cùm homo nobilis Imperatoribus ſupplicaſſet, quòd ſoror ejus quæ de parte Donati fuerat, cum deſugeretur, neſcio in quos communionis ſuæ, vel maximè in quendam Auguſtinum Epiſcopum eorum plurima contuliſſet, ex illâ generali lege præceptum eſt, ut omnia fratri reſtituerentur.*

Cod. Th. de Hær. l. 54. &c.

VI. Decreti quo vexabantur, executio mandatur *Dulcitio*. Minis tamen non ceſſere, qui inter Donatiſtas majoris erant animi. Concilium ergo celebrant pro ſua afflictione ſatis numeroſum, de quo mentionem fecit Auguſtinus in ſuis libris contra Gaudentium: *In Concilium autem tanta, ut putatis & jactatis, perſecutionis tempore amplius etiam quam triginta convenire potuiſtis, ubi & Petilianus fuit, qui perſecutionis tempore necdum duodecim convenire poſſe clamabat.* Quid in eo conventu decretum fuerit, ex factis Donatiſtarum colligitur. Eccleſias ſcilicet deſerendas non eſſe, imperataque exilia eſſe morte prævertenda. Suorum conſtitutioni obtemperavit *Donatus*, de ea factione Epiſcopus, qui eo furoris delapſus eſt, ut plus ſemel morti occurrere voluerit: à quo funeſtiſſimo ſanè conſilio, nec Chriſtiano homine digno, qui in ferendis doloribus patientiam oſtendere ſuam debet, Donatum Epiſtolâ revocare Auguſtinus voluit: *Quòd*, inquit, *in corpore læſus es, ipſe tibi feciſti, qui jumento tibi mox admoto uti noluiſti, & te in terram graviter colliſiſti.* Et poſt multa, *Modò quòd te in puteum ut morereris miſiſti, utique liberâ voluntate feciſti. Sed quàm crudeles eſſent ſervi Dei, ſi huic malæ tuæ voluntati te permitterent, & non de illa morte liberarent.* Ignavia hæc fuit Donati, factioniſque ſuæ, quæ impoſitis calamitatibus cedens, eas potius perferre fortiter debuit. Certum & *Gaudentio* fuit, Thagmudagenſi Donatiſtarum Epiſcopo, ex ſeptem, qui Collationi interfuerant uno, & ſe, & ſuos cum Eccleſia comburere. Quod temerarium Dulcitio conſilium valde diſplicuit. Tribunus erat & Notarius ab Honorio in Africam miſſus, ut Principis in Donatiſtas Reſcripta exequeretur. Manſuetudinem nomine, quod gerebat, haud indignam, prudentiamque ſuam ad miſerorum ſalutem Dulcitius impertire voluit. Ab incendio literis Gaudentium ſuis revocat; fugam potius cum ſuis arriperet hortatur, quàm nefandis ſe ignibus concremaret. Ad hæc Gaudentius duas Dulcitio reſcribit Epiſtolas, brevem unam feſtinante perlatore; prolixam alteram, quâ plenius diligentiuſque reſpondebat. Quas Tribunus Auguſtino refellendas miſit. Auguſtinum quoque conſulit, Donatiſtarum deſperatione territus, petens quid ſibi agendum eſſet. Utrinque ſcribentem circumvallabant anguſtiæ. Illinc regia mandata, quibus mos geri debuit; hinc furor miſerorum, qui ad communionem cogi nolebant. Reſcripſit Auguſtinus ex nova ſententia ſua: *Procul dubio melius incomparabili numeroſitate pluribus ab illa peſtifera diviſione redintegratis atque collectis, quoſdam ſuis ignibus pereant, quàm*

ANNO DOM. 414.

Deſperatio Donatiſtarum ad Reſcriptum Honorii. Dulcitius.

Aug. cont. Gaud. l. 1. cap. 37.

Auguſt. Ep. 204.

Auguſt. Retr. l. 2. cap. 59.

Auguſt. Ep. 61.

pariter univerſi ſempiternis ignibus gehennarum merita ſacrilega diſſenſionis ardebunt. Quaſi verò qui timore duntaxat Eccleſiam pedibus quidem, non corde ingrediebantur, quos compluſes fuiſſe nobis eſt perſuaſiſſimum, æterno igni evellerentur, tantique fuerit externa conjunctio, ut ejus causâ oolentibus religio injungeretur, à qua ſi profitentis abeſt animus, jam violata eſt, jam nulla. Dulcitio non ſatisfeciſſe videtur Auguſtinus, ſi quidem mitius cum Donatiſtis actum eſt, quorum Epiſcopi complures extra Africam eliminati non fuere, licet Honoriano Decreto cunctis exilium imperaretur: quæ manſuetudo monitis fortè Dulcitii debebatur. Erat ſanè vir juxta diſertus & prudens, cui nil cenſuræ ab Auguſtino iouri debuit, quod honorificis Donatum Epiſcopum verbis compellaſſet. Noo ea vis eſt errori, ut debitam dignitatibus ſive politicis, ſive Eccleſiaſticis reverentiam extinguat.

Oroſius ex Africa in Palæſtinam migrat.

VII. Eruditionis Auguſtini fama tanta fuit, ut ab ejus ore, quaſi ſacro numinis Oraculo ex variis orbis partibus reſponſa peterentur. Celeberrimi igitur Epiſcopi eruditione invitatur Oroſius ex Hiſpania io Africam migrare. Epiſcoporum Legatum egiſſe, *Eutropii* ſcilicet, atque *Pauli*, qui Auguſtinum de erroribus in Hiſpania exortis conſulendum ipſum miſerant, Baronii ſententia eſt. Verùm ad figmenta ea legatio eſt releganda. Sponte ſuâ, non verò Præſulum mandatis obſequens Oroſius in Africam migravit; quod & ipſe teſtatus in ſua ad Auguſtinum Epiſtola: *Ad te*, inquit, *per Deum miſſus ſum, de te per eum ſpero, dum conſidero qualiter actum eſt, quòd huc venirem. Agnoſce cur venerim, ſine voluntate, ſine neceſſitate, ſine conſenſu. De patria egreſſus ſum, occultâ quâdam vi actus, donec in iſtius terræ littus allatus ſum.* Neque Epiſcopalem Auguſtinus legationem ſcivit, qui de Oroſio ſe conſulente hæc ad Evodium ſcribit: *Ad nos ab ultima Hiſpania, id eſt, ab Oceani littore, ſolo Sanctarum Scripturarum ardore inflammatus advenit.* Non igitur, quod imaginatus Baronius, ut Pauli Eutropiique mandata exequeretur. Anno ſuperiore ſuam Oroſius Hiſpaniam reliquiſſe videtur. Baronii quidem, eruditorumque non ſatis accurata ap paret Chronologia, qui eum anno CCCCXIV. Oroſii profectionem conjunxere. Prodiit anno CCCCXVII. Oroſii Hiſtoria, cujus ſcribendæ ab Auguſtino mandatum accepit. Quòd ſi anno duntaxat CCCCXIV. Hipponem ingreſſus eſt, ſolo ferè biennio Hiſtoriæ ſuæ ſeptem libros & inchoaſſet, & abſolviſſet; quod creditu difficillimum. Eſt ergo vero propius, Oroſium anno ſuperiore ex Hiſpania in Africam, præſente verò ex Africa in Palæſtinam migraſſe. Utrâque profectione ſuis temporibus reddita, de Oroſio afferamus nonnulla, quæ noſtris ſint Annalibus ornamento. Tarraconenſis Presbyter erat Oroſius, vir non ſine meritis ab Auguſtino laudatus & commendatus in ſua ad Hieronymum Epiſtola: *Ecce venit ad me religioſus juvenis, Catholicâ pace frater, ætate filius, honore Compresbyter noſter Oroſius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multò infelicius, quàm corpora barbaricus gladius trucidarunt.*

Hier. t. 9. 160.

Viri duo, qui Oroſio populares erant, & ut conjectura fert, Tarraconenſes, quibus *Avitis* nomen erat, aliquid erroris in ſuam patriam attulerant. Quippe alter Hieroſolymam, alter Romam profectus, Origenis, quem mirabantur ambo, Victorinique opinionibus imbuti redierant. Ac Priſcillianum quidem damnabant: de Trinitate quoque rectè ſapiebant: omnia ea Deo conditore bona prodiiſſe profitebantur. Unus eos de anima ſcrupulus malè habebat: *Credere enim perſuaſum erat eſſe animam, non tamen perſuaderi poterat, factam eſſe de nihilo, argumentantes, quia voluntas de nihilo eſſe non poſſit.* Avitis ſe conjunxerat *Baſilius* quidam, *Græcus* homo; hasque opiniones ſuas ex Origenis fontibus hauſerant. Avitorum alter iſne fuerit, ad quem Hieronymus de cavendis erroribus, quibus Origenianus de Principiis liber reſpergebatur, Epiſtolam direxit ſuam, relinquimus in medio. Porro Auguſtinus ut Oroſio faceret ſatis, Commentariolum adverſus Priſcillianiſtas edidit, atque Origeniſtas.

Auguſt. t. 6. 642.

Oſtendit autem, falſiſſimum Avitorum fundamentum eſſe. Quia ſi fecit aliquid Deus, *Non tamen ex ea re fecit, aut facit, quam ipſe non fecerit.* Abſonam eſſe Priſcilliani de anima ſententiam, quam velit *de ipſo Deo, tanquam particulam defluere, & tam deformiter inquinari.* Diaboli ſperandam non eſſe reſtitutionem, *non quia Diabolo, aut Dæmonibus invidemus, ſed quia ultima ſententia ſummi & veraciſſimi Judicis ex noſtra præſumptione nihil addere debemus, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo:* audaciam eſſe dicere, *Non futurum eſſe mundum, id eſt, cælum & terram, niſi propter neceſſitatem purgandorum ſpirituum rationalium.*

Auguſt. t. 6. 643.

Oroſius ad Hieronymum migrat. Qua de cauſa?

VIII. Ubi aliquandiu cum Auguſtino permanſit Oroſius, ipſius monitu ad Hieronymum lubente hoc anno ſe contulit. Qua de re modeſtiſſima ſunt verba Auguſtini: Oroſius *ad nos uſque ab Oceani littore properavit, famâ excitus, quòd à me poſſet de his, quæ ſcire vellet, quidquid vellet, audire. Neque ullum cepit adventus ſui fructum. Primò ne de me multum fama crederet. Deinde docui hominem, quod potui; quod autem non potui, unde diſcere poſſet, admonui, atque ut ad te iret hortatus ſum.* Cùm Oroſium qualem optabat, Auguſtinus inveniſſet, de anima ſolvenda quædam Hieronymo mittit, quæ abeunti Oroſio ferenda tradit: *Quæſtio de anima multos movet, in quibus & me eſſe confiteor.* Quærebat Auguſtinus *de animæ incarnatione, utrum ex illa una, quæ primo homini data eſt, cæteræ propagentur. An ſingulis quibuſque novæ etiam modo fiant: an alicubi jam exiſtentes, vel mittantur divinitus, vel ſponte labantur in corpora.* Ex his opinionibus, *quænam ſit eligenda*, requirebat ab Hieronymo.

Auguſt. Ep. 28.

Eâ onuſtus Epiſtolâ Oroſius ad Hieronymum, cui multum commendabatur, proficiſcitur, *cujus ad pedes*, ut in Apologia ſua loquitur, *ſedit*, quaſi diſcipulus propter magiſtrum. Dum Bethleemæ latitat, in Pelagium incidit, quem docentem audiit, *Hominem poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei facilè cuſtodire.* Baronius hanc Oroſii in Orientem profectionem anno CCCCXV. contigiſſe tradit.

Bar. An. 414. n. 14.

Quæ Chronologia ab ipſo Oroſio refellitur, ſcribente in ſua Apologia: *Cùm primùm Encæniorum dies, ut ſolitus eram, quando aderam, ad obſequium Joannis Epiſcopi conveniſſem.*

Oroſ. Apol. p. 450. B.

Quòd ſi anno duntaxat CCCCXV. in Orientem tranſiiſſet, die Septembris XIV. non ſolitus erat Joannem viſitare, quem tum primùm ineunte Encæniorum feſtivitate conveniſſet. Ea quippe narrat Oroſius, quæ ſibi anno CCCCXII. Hieroſolymis contigere.

Digitized by Google

ANNO DOM. 414.

tigere. Quid porro egerit in Oriente Oroſius, docet ipſemet in ſua Apologia: *Latebam in Bethleem, ignatus, advena, pauper . . . traditus à Patre Auguſtino, ut timorem Domini diſcovem, ſedens ad pedes Hieranymi. Inde Hieruſalem vobis accerſentibus vocatus adveni.* Vocabitur autem anno proximè futuro teſtia eorum, quæ à Pelagio audierat.

Synodo Macedoniæ reſpondet Innocentius; tenor Epiſtolæ.

IX. Dum Bethleemæ unà cum Hieronymo moratur Oroſius, Macedoniæ Epiſcopis Papa reſpondet Inoocentius. In Syoodum convenerant, eorumque para non minima eſt Reſcripto Innocentii ab oblivione viodicata. Quippe nomina quæ gerebant, poſteros docuit, quæ etiamnum extant Epiſtolæ io titulo: *Ruſo, Euſebio, Euſtathia, Claudio, Maximiana, Eugenio, Geroutio, Joanni, Polychronio, Sophranio, Flaviana, Hilario, Macedónio, Callicrati, Zoſimo, Profuturo, Niceta, Hermogeni, Vincentio, Aſiolago, Terentiano, Herodiano, Martiano, & cateris Epiſcopis Macedonibus, & Diaconibus in Domino ſalutem.* Synodi ad Innocentium Epiſtolam *Vitalis* Archidiaconus attulerat. In quibus deprehenſa ſunt, quæ legeno admitationem *ſtuporemve* efficerent. *Idibus* ergo *Decembris, Canſtantio Conſule* Epiſtolam conticit, ſeptem capita complecteotem, quibus Macedonum diſciplina dirigeretur. Capitum ſumma hæc eſt. I. Ut ſi Sacerdos, vel quilibet ex Clero viduam uxorem duxerit, vel ejectam, ſuum perdat officium. II. Ut ſi quis Catechumenus habuerit uxorem, & defunctâ eâ poſt bapoſmum acceperit alteram, Clericus eſſe non poſſit. III. Quòd non admittantur Clerici ab Hæreticis ordinati, quibus *cùm pœnitentia comedium neceſſarium ſit*, ordinationis honor locum habere nequit. IV. Quòd in ordinationibus crimina, vel vitia non benè credantur auferri. V. Quòd qui à Bonoſo Hæretico ordinati fuerant, propereà recepti ſint, ne ſcandalum remaneret Eccleſiæ: minimè verò ut Eccleſiaſticæ Leges obſervarentur, cùm de ſolis Novatianis Nicænæ Synodo placuerit, ut acceptâ manus impoſitione maneant in Clero. VI. Quòd in Eccleſia peccatum populi ſolest remánere. VII. Quòd ſurreptùm fuerit Apoſtolicæ ſedi, quando damoationem Photini reſcidit: quem ad Epiſcopatum promoveri concedit: *Pro veſtra erga apprabatione, fratres chariſſimi, & ſententia ac poſtulatione Epiſcapum Photinum habetato licitum ita conſtituero, ut deprecamini.* Negat verò, quam Macedones flagirabant, Euſtathii Diaconi abdicationem à ſe ſæpius comprobati.

Innocent. Ep. 27.

ANNO DOM. 415.

ANNO U. C. 1168. PER. JUL. 5178. JUL. 460. DOM. 415. HONOR. 23. & 21. THEODOS. 14. & 8. *Sol.* 4. C. *Lun.* 17. *Indict.* 13. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 5. *P.* 11. *April.*

COSS. *Honorius Aug.* X. & *Theodoſius Aug.* VI.

Ataulfus Galliâ pellitur. Theodoſium amittit filiolum.

I. PAcis conſilia, quæ Ataulfus agitabat, Conſtantius omnia diſturbaverat, cujus in Gothum odia maximè accedebant nuptiæ Placidiæ, quam Romanus ardebat. Rivalem ergo ex Galliis ejectum voluit; nec ſine ſucceſſu Conſtaotii præclarum facinus memorat Oioſius: *Anna ab Urbe condita milleſimo centeſimo ſexageſimo octavo Conſtantius Cames, apud Arolatum Galliæ urbem conſiſtons, magnâ rerum gerendarum induſtriâ Gothos Narbonâ expulit, atque abiro in Hiſpaniam coëgit, interdicto præcipuè atque interclusò omni commeatu navium, & peregrinorum uſu commerciorum.* Ex Chronologia quidem Oroſii, qui urbis annos uoitate auget, ſcribi debet anno MCLXIX. Reverà tamen Gothorum hæc ex Gallia ejectio præſenti anno cohæret, ut ex Proſpero novimus: *Hanorio* X. & *Theodoſia* VI. *Coſſ. Attalus à Gothis ad Hiſpanias migrantibus, neglectus, & præſidia carens capitur.* Ex Galliæ igitur ſedibus eo anno expulſi, in Hiſpaniam Gothi conceſſere, ut Baronio nil cauſæ fuerit, cur Gothorum migrationem in annum CCCCXIV. referret. Natus erat Ataulfo ex Placidia filius, qui erga Romanum imperium patris ſui amorem magis accenderat. Infanti *Theodoſii* avi materni nomen genitor impoſuerat. Brevem puerulus lucis uſuram accepit. Quem extinctum vehementer parens uterque luxit, argenteâque capſâ conditum. Juxta Barcinonem in Templo quodam ſepelierunt.

Oroſ. l. 7. cap. 43.

Error Baronii.

Phot. Bibl. pag. 187.

Attalus Conſtantii in manus incidit.

II. Suadentibus Gothis inſelix Attalus diadema ſibi rurſum impoſuerat: At recedentibus *neglectus & præſidio carens capitur, & Conſtantio Patritio vivus offertur.* Larvati Principis caſum fuſius quàm Proſper exequitur Oroſius: *Attalus tanquam inane imperii ſimulacrum, cum Gothis uſque ad Hiſpanias portatus eſt, unde diſcedens navi, incerta moliens, in mari captus ad Conſtantium Comitem deductus*, triumpho Imperatoris decorando ſervatur. In Oriente, propitio Deo, ſapientiâque Pulcheriæ læta erant omnia atque tranquilla. Quin Decennalia Theodoſius celebravit, menſe Audynæo, *tertio Idus* Januarii. Eodem anno Thermantiæ quondam Honorii conjugis mors renuntiatur, *tertia Kal. Auguſti feriâ ſextâ*, ut in Chronico Alexandrino legitur: ut meritò colligamus, *Thermantia* Stilichonis & Serenæ filiæ obitum hoc anno contigiſſe.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Lex Theodoſii in Gamaliclem Judæorum Patriarcham.

III. Manſuetudo, quæ Theodoſii in animo magna habitabat, audaciam Judæorum pectoribus inſtillaverat. Anno CCCCXII. in eorum gratiam id Decreti ſanxerat: *Nullus tanquam Judæus, cùm ſit innocens, obteratur, nec expoſitum eum ad contumeliam religio qualiſcunque perficiat. Nan paſſim eorum Synagoga vel habitacula concrementur, vel perperàm ſine ulla ratione lædantur; cùm aliaquin etiamſi ſit aliquis ſceleribus implicatus, idcircò tamen judiciorum vigor, juriſque tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſe permittero valeat ultionem.* Quin etiam Gamalielem Patriarcham Honorariæ Præfecturæ Codicillis decoraverat. Nec ignobili ſanè ſanguine creatus erat, utpote ex Gamaliele illo, qui conſilium Hieroſolymitanis dederat, ut ab injuria Apoſtolis inferenda abſtinerent. Gamalielis, qui io gratia apud Imperatorem fuit, mentio eſt apud Hieronymum libro de optimo Genere interpretandi ad Pammachium: *Dudum Heſychium virum Conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel graviſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius Princeps capite damnavit, quòd ſollicitata Nataria chartas illius invaſiſſet.* Abuſus autoritate ſuâ Gamaliel, facinora benè multa perpetrarat. Novas Synagogas condiderat. Chriſtianos inter & Judæos Judicem ſe conſtituerat: ut Chriſtianorum nonnulli circumciderentur effecerat: Chriſtiana denique mancipia apud ſe retinuerat. Quæ omnia ulciſcitur Theodoſius, miſſâ ad Aureliam Prætorio Præfectum lege,

Cod. Th. l. 6. p. 238.

Hieron. Ep. 101. pag. 279.

copus dixit: Reliqui libelli legantur. Et recitatum *eſt, quòd infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Uſque in finem libelli memoriæ ſuperius inſerti. Aurelius Epiſcopus dixit: Docuiſti, Cæleſti, aliquando ut dixit Diaconus Paulinus, quòd infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Cæleſtius dixit: Exponat quid dixit ante tranſgreſſionem. Paulinus dixit: Tu nega hoc te docuiſſe. Unum eſt ex duobus, aut neget ſe docuiſſe, aut jam damnet illud. Cæleſtius dixit: Jam dixi, exponat quomodo dixit ante tranſgreſſionem. Paulinus Diaconus dixit: Nega te illa docuiſſe. Aurelius Epiſcopus dixit: Rogo quid collegerim ego, ex hujuſmodi objectione tua, Adam conſtitutus in Paradiſo, quod ante dicatur inexterminabilis factus, poſteà per tranſgreſſionem præcepti factus ſit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline? Paulinus Diaconus dixit: Hoc, Domine. Aurelius Epiſcopus dixit: Status certè infantium hodie baptizandorum, utrum talis ſit, qualis fuit ante tranſgreſſionem Adæ, aut certè de eadem origine peccati, de qua naſcitur, tranſgreſſionis culpam trahat? Hoc vult Paulinus Diaconus audire? Paulinus Diaconus dixit: Utrum docuit hoc, an non, neget? Cæleſtius dixit: Jam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam conſtitutos pluros audivi deſtruere, nec non & alios aſtruere: licet quæſtionis res iſta ſit, non hæreſis. Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari, quid quæris aliud?* Quid poſt tot interrogationes hoc homine factum, doceat Marius Mercator, qui multa nos Baronio, eruditiſque incognita monuit: *De quibus omnibus*

Lab. Conc. t. 2. 1512.

capitulis ſuprà ſcriptis, exemplaribus Synodalium geſtorum Patres, & Epiſcopi regionis illius reſtiterunt Cæleſtio, & juſſerunt ut condemnaret, quæ eſſent hæretici ſenſus. Sed Cæleſtius nullo modo acquieſcens, quia imò reſiſtens Actis iiſdem, quibus frequenter auditus eſt, Eccleſiaſticâ communione privatus eſt. A qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. Quâ mox idem ipſe appellatione neglectâ, Epheſum Aſiæ urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum Presbyteri petere. Erudit qui Marium Mercatorem needum editum legerant, Paulinum Cæleſtii accuſatorem pro *Diacono Carthaginenſi* habuere, quem Mediolanenſem fuiſſe tenemus, illum ſcilicet, qui Ambroſii vitam ſcripto mandavit.

Mors Theophili. Vitæ ipſius breviarium. Scripta.

XI. Exhauſtis rebus Occidentis, Orientis & memorabilia ambitu orationis amplectamur. Incipiamus à Theophilo, mora criterium eſt Socrati Chronologicum, multorum quæ ab oblivione vindicavit: *Theophilus Alexandrinus*

Socr. l. 7. c. 7.

Epiſcopus morbo veterno correptus, extremum diem obiit Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. Idibus Octobris. Abiit igitur è vita *tertiâ feriâ*. Adeptus erat Epiſcopatum anno CCCLXXXV. teſte Socrate:

Socr. l. 5. c. 12.

Arcadio Aug. I. & Bautone Coſſ. mortuo Timotheo Alexandrinæ urbis Epiſcopo, Theophilus Sacerdotii curam ſuſcepit. Sedit annos circiter XXVIII. Vir fuit & mentis acumine, & Canonum peritiâ, & eruditione laudabilis. Famæ quoque non minimum ſibi comparaverat in evertendis Alexandrinorum numinum fanis. At in magnitudinem vitia hominis virtutibus certabant. Aſtutiæ ſuæ cauſa nomen accepit *Colburni*.

Socr. l. 6.

Quæſtui deditus erat, multumque ſtudii in accumulandis opibus collocabat. Origeniſtis primùm adeò favebat, ut Monachos, quibus *Longis* nomen erat, Origenis ſtudioſos ſummâ benevolentiâ proſequeretur, eorumque Eccleſiaſticarum diſpenſationi præficeret. At concepto dein in illos odio, quòd ipſius avaritiam moleſtè ferrent, tam acerbè eum Origeniſtis vexavit, ut ad crudelitatem vix addi poſſet. Seipſum verò ſuperavit furore in laceſſendo Chryſoſtomo, quaſi conjuratione in pietatem ſanctitatemque factâ, utramque exterminari voluiſſet. Horrenda ſunt fragmenta libri, quem in adverſarium edidit: *Dicit illum contaminatum, & in Eccleſia*

Facund. l. 6.

primitiverum impium, peſtilentem, veſanum, & tyrannica mentis inſaniâ furibundum, atque in ſua veſania glorìantem, animam ſuam adulterandam tradidiſſe Diabolo. Hoc addit: *Ariani & Eunomiani contra Chriſtum Joannis blaſphemiis delectantur, Judæi & Idololatræ, juſtificati ſunt tuâ comparatione Gentiles.* Multa ejuſmodi ſpiritus Facundus ab oblivione vindicavit. Extra Hiſtoriæ fines Damaſceni fabulam examinamus, qui ut imaginibus autoritatem afferat, hæc habet de Theophilo, qui Chryſoſtomi nomen in Eccleſia recitari prohibuerat: *Theophilus ob illud peccatum non poterat animam agere donec allata ei fuit*

Damaſc. de imag. l. 3.

imago Chryſoſtomi, quam ille cum adoraſſet, ſpiritum emiſit. Quæ ſi vera ſunt, mirum ſanè, Attico monenti Chryſoſtomi nomen ſanctis eſſe tabulis inſcribendum, Cyrillum Theophili & ſucceſſorem, & conſanguineum obſtitiſſe. Conſtat quidem ex Nicephoro, hæc Attico reſcripſiſſe Cyrillum: *Quomodo namque inter Sacerdotes*

Niceph. l. 14. c. 27.

Dei cenſebitur, illorumve feret ſortem, cui Sacerdotalis dignitas abrogata eſt. Non abludit tamen à vero, morientem hæc dixiſſe Theophilum: *Beatus es, Abba Arſeni, qui ſemper hanc horam ante oculos habuiſti:* quam raró quidem ſibi adduxiſſe, qui hæc loquebatur, ex ipſius monumentis apertè liquet. Honorificus tamen in defunctum Leo Magnus fuit in ſua ad Martianum Auguſtum Epiſtola: *Sed ſanctæ*, inquit, *memoriæ*

Leo Ep. 64.

Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c. Quod nobis quidem admirationem efficit, cùm Chryſoſtomi cauſâ Romanæ & Alexandrinæ Eccleſiæ communio divulſa fuerit. Hinc Carthaginenſium Decretum, anno CCCCVII. conditum: *Placuit, ut de diſſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſiæ ad Sanctum Papam Innocentium ſcribatur, quo utraque Eccleſia inter ſe pacem, quam præcepit Dominus teneat.*

Cod. Ecc. Afr. cap. 101.

Cùm igitur quam Romana colebat, Chryſoſtomi memoriam vivente Theophilo Alexandrina Eccleſia non reſtituerit, utique extra Innocentii communionem Theophilus mortem obiit, qui tamen ſanctæ memoriæ vir Leoni dicitur. *Beati* quoque nomine non ſemel à Facundo Theophilus afficitur. De ipſius pœnitentia ſit Deus arbiter. Scripto nonnulla mandavit Theophilus, quorum meminit Gennadius: *Theophilus Alexandrinæ civitatis Epiſcopus ſcripſit adverſum Origenem unum & grande volumen, in quo omnia pene ejus dicta, & ipſum pariter damnat, ac ſimul edocet, non à ſe eum primum, ſed ab antiquis Patribus, & maximè Heracla fuiſſe, & à Presbytero ejectum, & de Eccleſia pulſum, & de civitate fugatum. Sed & adverſum Anthropomorphitas Hæreticos, qui dicunt, Deum humanâ figurâ & membris conſtare, diſputatione longiſſimâ confutans, & divinarum Scripturarum teſtimoniis arguens & convincens eos, oſtendit, Deum incorruptibilem & incorporeum juxta Patrum fidem credendum. . . . . Paſchalem etiam recurſum, quod magna apud Nicæam Synodus poſt XCV. annos agi in tempore & die, & Luna, ſecundum ſtatum ſuum invenerat, additis quibuſdam*

Anno Dom. 412.

buſdam ipſius feſtivitatis rationibus, & expoſitionibus Theodoſio Princips obtulit. Hujus & operis meminit Leo in ſua ad Martianum Auguſtum Epiſtola. Multa & alia ſcripſit, quorum fragmenta leguntur Veterum io monumentis, de quibus Hiſtoriæ eruditorum literariæ conſulantur, nec non Bibl. Max. Patrum t. v. Extant etiamnum ex verſione Hieronymi Paſchales Epiſtolæ tres, quas ſuis temporibus reſtituimus. Quod opus magnis laudibus affecit Hieronymus in ſua ad Theophilum Epiſtola: *Miratı ſumus*, inquit, *in opere tuo utilitatem omnium Eccleſiarum.* Id in obſervatione ponendum, quòd Profeſtum nativitatis Dominicæ, qui dies erat eſurialis, câ ratione coli Theophilus ſtatuat, cùm primæ feriæ cohærebat, quæ ex Eccleſiæ diſciplina jejunii erat immunis:

B. M. P. t. 5. 860.

Quia ergo accidit, ut Sanctorum Theophaniorum ſit hic profeſtus dies, & à jejunando tamen diſpenſemus, ad utrumque ſtientes procedamus, ut paucos dactylos ſumentes, ſimul & hæreſes vitemus, qua Domini noſtri J. C. reſurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus.

Cyrillus Alex. Theophilo ſuccedit.

XII. Defuncto Theophilo Cyrillus non ſine diſputatione ſubſtituitur, quam Socrates memorat. Ortâ de Epiſcopatu contentione, alii quidem *Timotheum* Archidiaconum, alii verò Cyrillum ſororis Theophili filium in ea ſede collocare ſtudebant,

Socr. l. 7. c. 7.

Cùmque ob id mota eſſet populi ſeditio, Timothei quidem partibus ſavebat Abundantius Dux Militum Ægypti. Quamobrem tertio poſt obitum Theophili die Cyrillus ordinatur. Acceſſerat Octobris xv. feriâ tertiâ. Tertius poſt obitum in Sabbati diem incidit, ut non mirari non poſſimus Capellum ſcribentem, Cyrillum *electum eſſe xx. Octob. feriâ primâ*: quo caſu non *tertio*, ſed quarto Theophili poſt obitum die conſecratus fuiſſet. Ex Cyrilli electione liquet, clavo trabali diebus Dominicis non affixas fuiſſe Epiſcoporum ordinationes. Magnam in Epiſcopatu gerendo Cyrillus poteſtatem adhibuit:

Id. ib.

Ex eo enim tempore Epiſcopi Alexandrini Sacerdotalem gradum atque ordinem ſupergreſſi, Principatum quendam obtinere, & cuncta pro imperio agere ceperunt. Statim igitur Cyrillus, clauſis Novatianorum Eccleſiis quotquot erant Alexandria, primò quidem ſacra earum vaſa atque ornamenta abſtulit. Deinde Epiſcopum illorum Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudavit.

Syneſii de Paſchate ad Petrum Epiſtola.

XIII. Dum in Ægypto verſamur, Syneſii memoria eſt apprehendenda, qui hoc anno ad Petrum Presbyterum de Paſchare Epiſtolam ſcripſit:

Syneſ. Ep. 13.

Solemnium literarum latorem, quibus conſtituta feſtiva celebritati dies indicitur ad xix. Pharmuti, ita ut qua proximè illam antecedit nox, reſurrectionis myſterio conſecrata ſit, hunc & abeuntem & redeuntem omni cum humanitate proſequimini, ac jumentorum mutatione utrinque dimittite. In vertendo graviter Petavius peccavit, *ad decimum nonum Aprilis*, qui feriæ *ſexta* cohærebat, à celebratione Paſchatis alieniſſimæ. Vertere igitur debuit, *Aprilis* xiv. qui reſurrectioni Dominicæ, Paſchatique celebrando dicabatur. *Pharmuti* quippe decimus nonus Aprilis quarto & decimo cohæret, quo Paſcha hujus anni eſt agitatum.

Marcellæ Epitaphium condidit Hieronymus.

XIV. Hoc quoque anno Marcellæ, de qua non ſemel mentionem agitavimus, illuſtris fœminæ Epitaphium condidit Hieronymus. Obierat anno CCCCX. non multò pòſt quàm urbs à Gothis deſolata eſt. Defunctæ mortem ſic narrat Hieronymus: *Poſt aliquot dies ſano, integro, vegetoque corpuſculo obdormivit in Domino, & pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens ſpiritum in tuis oſculis, dum inter lachrymas tuas illa rediret conſcientia vita bona, & præmii futurorum.* Cur verò tam ſerò Principiam Virginem defunctæ filiam ſolatus Hieronymus, hanc ipſe cauſam attulit:

Hier. Ep. 16.

Hucuſque reticerem, & biennium præterirem ſilentio, non fuit diſſimulationis, ut male exiſtimas, ſed triſtitia incredibilis, quæ ita meum oppreſſit animum, ut melius judicarem, tacere impræſentiarum, quam nihil dignum illius laudibus dicere.

Maruthæ Epiſcopi in Perſidem legatio.

XV. Socratem ſecuti, Maruthæ in Perſidem legationem in hoc & anno collocamus, quam ante quadriennium contigiſſe, Baronio placuit. Illam quippe refert in annum Dom. CCCCVIII. quæ Chronologia Socrati pugnat. Etenim injectâ Cyrilli ad Epiſcopatum Alexandrinum evectionis mentione, hæc habet:

Socr. l. 7. c. 8.

Sub idem tempus Chriſtiana Religio in Perſide propagata eſt. Cùm igitur Cyrillus anno duntaxat CCCCXII. Eccleſiæ Præfectus ſit, ad illud quoque tempus Maruthæ eſt referenda legatio. Meſopotamiæ Maruthas Epiſcopum agebat, gentis ſcilicet *Sopharenorum & Sami*, qui in Synodo ad Quercum adverſus Chryſoſtomum congregata *Cyrini* pedem imprudens calcaverat. Negotiorum cauſâ neceſſe Theodoſius Auguſtus habuit, Maruthæ ad Iſdigerdem Perſidis Regem profectionem injungere. Cui ut viro pietate inſigni, Rex honoris multum attulit. Quippe diuturnum capitis dolorem, quo Magi illum liberare haud potuerant, Maruthas ſuis precibus pepulerat. Ea res Magorum offendit animos, quorum apud Iſdigerdem autoritas plurimùm valebat. Veriti ne Princeps Chriſti religionem amplecteretur, ad fraudes ſe convertunt. Eo tempore, quo Rex ignem perpetuum in æde adorare conſueverat, hominem ſub terra abditum exclamare jubent, *Foras exturbandum eſſe Regem, impie agentem, dum Chriſtianorum Epiſcopum Deo carum eſſe putat.* His permotus Iſdigerdes, de dimittendo Marutha cogitat. Ut precum ſubſidio Magorum fraudem novit Antiſtes, conventum Regem ſic compellat: *Noli, ô Rex, amplius deludi, ſed ingreſſus poſtquam vocem audieris effoſſâ humo fraudem deprehendes.* Non ignis, ſed fraudulenti homines loquuntur. Maruthæ monitis cùm Rex paruiſſet, invento clamante, fraus detegitur. Qua de cauſa Magos decimationis addixit ſupplicio. Permiſit & Maruthæ ubicunque vellet, Eccleſias extruere: eâque ratione Religio apud Perſas latius propagatur. Conſtantinopolim Maruthas reverſus, non multò pòſt ad Perſas iterum mittitur. Tum Magi novos excogitare dolos. Machinatione quâdam teterrimum odorem eò loci excitant, quo Rex procedere ſolebat, eumque à Chriſtianis diffuſum eſſe calumniantur. At Rex, qui ſuſpectos jam Magos habebat, ubi novit fœtoris hujus artifices eſſe, meritis eos pœnis affecit. Majorem & Maruthæ honorem habuit, Romanorum quoque amicitiam amplectitur. Parum etiam abfuit, quin & fidem ſuſciperet, novo permotus miraculo.

Id. ib.

Dæmonem quippe, quo filius Regis vexabatur, jejuniis precibuſque ſuis Maruthas, Abdaſque Perſidis Epiſcopus expulerunt.

Chryſanthus Novatianus Conſtantinopolis præficitur. Moreſ ipſius.

XVI. Chryſantho in urbe Conſtantinopoli Novatianorum Epiſcopatum annus attulit. Noſtræ huic Chronologiæ Socrates præſidio eſt:

Chry-

Anno Dom. 412.

Chryſanthus Novatianorum Epiſcopus, cùm per ſeptem annos Eccleſias ſua ditionis gubernaſſet, ex hac vita diſceſſit, Monaxio & Plinthâ Coſſ. die ſeptimo Kal. Septembr. Annus erat Dom. CCCCXIX.

Socr. l. 7. c. 17.

Quòd ſi in anteriora relabimur, ſeptem numeratis à die Auguſti XXVII. ad annum CCCCXII. perveniemus. Filius erat *Marciani*, Novatianorum Epiſcopi, qui *Siſinnio* deceſſerat. Ab ineunte ætate in palatio militaverat. Imperante Theodoſio Seniore, Conſularis Italiæ factus, atque exinde Vicarius Britanniarum conſtitutus, ex utraque adminiſtratione maximam gloriam retulerat. Dum Conſtantinopolitanæ urbis Præfecturam ambit, Epiſcopus à moriente Siſinnio deſignatur. Invitum Novatiani ad Epiſcopatum evehere dum conantur, Chryſanthus ſe fugâ ſubduxit. Quem cùm latitantem in Bithynia deprehendiſſent, vi pertractum ad Antiſtitis honores promovent. Vir fuit prudentiâ & modeſtiâ ſingulari. Primus autem pauperibus ex propria pecunia diſtribuit. Ab Eccleſiis nil accepit præter duos panes Elogiarum ſingulis Dominicis. Iis moribus præditus effecit, ut Novatianorum Eccleſiæ Conſtantinopoli & augerentur, & conſervarentur.

Socr. l. 7. c. 12.

Anno Dom. 413.

Anno U. C. 1166. Olymp. 298. Per. Jul. 5126. Jul. 458. Dom. 413. Honor. 21. & 19. Theodos. 12. & 6. *Sol* 2. E. *Lun.* 15. *Indict.* 11. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

Proſp. Chr.

Coss. Lucius ſolus, in Oriente creatus.

Hujus Collega in Conſulatu Heraclianus fuit, qui novarum in Africa rerum reus, & honorem amiſit, & vitam.

Jovinii & Sebaſtiani tyrannorum interitus.

I. Jovinius vir *Galliarum nobiliſſimus*, ſpreto Honorio, anno ſuperiore tyrannidem occupaverat. Ut *uſurpatum* imperium firmioribus ſibi vinculis conjungeret, fratrem ſuum *Sebaſtianum* imperii Collegam creat. Quod cùm invito Ataulfo feciſſet, in ejus odium incurrit. Itaque Gothus per internuntios capita ſe tyrannorum miſſurum, pacemque initurum Honorio pollicetur: *Hi demum ubi redierunt, & jusjurandum præſtitum eſt. Sebaſtiani mox caput Imperatori mittitur. Jovinus etiam ipſe ab Ataulfo obſeſſus ſe dedit, miſſuſque ad imperatorem, propriâ Dardani Præfecti manu interficitur.* Tyrannorum capita extra Ravennam palis infixa. *Extra Carthaginem* in Olympiodoro legimus, non ſine gravi mendo. Narbonæ obſeſſos fuiſſe tyrannos, ex Idacio colligitur: *Jovinus & Sebaſtianus oppreſſi ab Honorii Ducibus Narbona interfecti ſunt.* Qui continuo ſubjungit, *Gothi Narbonam ingreſſi, vindemia tempore.* Quanquam Olympiodorum inter, & Idacium non ſatis conveniat. Poſſunt tamen utcunque conciliari, admiſſo Honorii Ducibus, Ataulfum adjumento fuiſſe, ejuſque præcipuè operâ tyrannos fratres Imperatores in poteſtatem veniſſe. Plus tamen fidei Olympiodoro habemus, narranti, non Narbonæ, ſed in Italia Jovinium periiſſe. Sic miſeris umbratile imperium nil profuit, niſi ut citius morerentur, de quibus hæc nunciat Oroſius: *Jovinus poſteà vir Galliarum nobiliſſimus, in tyrannidem mox ut aſſurrexit cecidit. Sebaſtianus frater ejuſdem, hoc ſolum, ut tyrannus moreretur elegit.*

Phot. Bibl. 180.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Heracliani rebellio & interitus.

II. Neque rebellionis immunis Africa. Mirum dictu, Heraclianus, qui Honorium tyrannidi Stilichonis exemerat, Africamque, quam ſuo imperio adjungere cupiebat Attalus, legitimo Principi ſervaverat, fidem ſuam ingenii ſcelere violat. Nec Honorii munificentiâ, à quo & Africæ Præfecturam, & Conſulatum hoc anno gerendum obtinuerat, in officio ſuo retineri potuit. Imo dignitatibus ſuis veluti præcipitio utitur, quo ex altiori loco delaberetur. Immanem porro ſe tyrannum præbuit, quem ſuis coloribus pingit Hieronymus in ſua ad Demetriadem Epiſtola: *Quæ de medio mari fumantem viderat patriam, & fragili cymba ſalutem ſuam ſuorumque commiſerat, crudeliora invenit Africa littora. Excipitur enim ab eo, quem neſcias utrùm avarior, an crudelior fuerit. Cui nihil dulce præter vinum & pretium, & qui ſub occaſione partium clementiſſimi Principis ſæviſſimus extitit tyrannorum.* Perduellis hiſtoriam verbis Oroſii narrabimus: *Heraclianus interea Africa Comes miſſus, cùm idem Attalus umbram geſtaret imperii, Africam ſtrenuè adverſum Judices ab eo miſſos tutatus, Conſulatum aſſecutus eſt. Quo elatus ſupercilio, Sabinum domeſticum ſuum, virum ingenio callidum, induſtriáque ſolertem, & ſapientem nominandum, ſi animi vires tranquillis ſtudiis accommodaſſet, generum allegit. Cum quo quorumdam periculorum ſuſpiciones dum patitur, fecit. Atque aliquandiu Africana annona extra ordinem detenta, ipſe tandem cum immenſa, certè temporibus noſtris, & ſatis incredibili claſſe navium Romam contendit. Nam habuiſſe tunc tria millia ſeptingentas naves dicitur. Quem numerum nec apud Xerxem quidem, præclarum illum Perſarum Regem, nec Alexandrum M. vel quenquam alium Regum fuiſſe, hiſtoria ferunt.* Menſe Junio ad Italiæ littora appuliſſe videtur, cùm *tertio Nonas Julii* Reſcriptum ab Honorio Ravennæ ſit promulgatum, quo infauſtæ hoſtis publici cervices reſecari jubentur. Tantæ claſſis ingens Romanorum mentes terror habuit. At magnus ille apparatus in fumi umbram convertitur, ut ambiguum foret, Heraclianine claſſis, an clades major eſſet: Heraclianus *ſimul ut cum agmine militum ad urbem pergens littore egreſſus eſt, occurſu Comitis Marini territus, & in fugam verſus, arreptâ navi ſolus Carthaginem redüt, atque ibi continuò militari manu interfectus eſt.* Ignota Baronio nonnulla narrat Idacius, quibus nobili huic hiſtoriæ luminis aliquid additur: *Heraclianus movens exercitum de Africa adverſus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu ſuperatus effugit in Africam, cæſis in loco ſupradicto quinquaginta millibus armatorum. Ipſe poſt Carthagine in Æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur.* Hanc Heracliani cladem in annum CCCCXIII. Faſti referunt Idacii. Quam minus accuratè Marcellinus cum anno ſequente conjungit. Perduellis Acta omnia ſunt abrogata; nomen è Faſtis eraſum; ſatellites ejus morti deſtinati. *Sabinus* Heracliani gener Conſtantinopolim fugit, unde poſt aliquantum temporis retractus, exilio damnatur.

Hieron. Ep. 7. p. 19.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Mors Marcellini Tribuni.

III. Lucti ficæ cladis aliquid tantæ infixum victoriæ fuit. *Marinus* Comes exterminandis Heracliani fautoribus in Africam migraverat. Is virum optimum Marcellinum Collationis Carthaginenſis Præſidem morti miſit: *Quem Marinus Comes apud Carthaginem, incertum zelo ſtimulatus, an auro corruptus occidit.* Cædis immaniſſimæ cauſam Donatiſtis aſcribit Hieronymus ex ſuſpicione potius, ut opinamur, quàm certa notitia: *Scripſit dudum vir ſanctus & eloquens* Epiſ-

Hieron. l. 3. adv. Pelag. c. 6.

ANNO DOM. 413.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

Epiſcopus Auguſtinus ad Marcellinum, qui poſteà ſub invidia tyrannidis Heraclianæ ab Hæreticis innocens caſus eſt. Honorio diſplicuit injuſta viri probi cædes, cujus & autorem ulciſcitur: Marinus *continuò revocatus ex Africa, ſactuſque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt.* Hoc unum Marino præmium fuit inſignis victoriæ, quâ Africam aſſerebat Imperio. Vita privata, ærumnarumque plena, quam laureis triumphiſque inſignem duxiſſet, ſi à Marcellini ſanguine temperaſſet. Diuturnior vita quidem Marcellino ſperari potuit, at non fama celebrior, quàm illuſtrem ſanè poſteris commendavit, quibus innotuit, tum ex Collatione Carthaginenſi, cui Cognitor interfuit, tum ex Epiſtolis Auguſtini, quas plures ad ſe ſcriptas accipere meruit. Geſta quoque viri pii ipſius vitæ ſupereſſe Imperatori placuit, dato ad Julianum Proconſulem Reſcripto, quod Auguſti xxx. anno eſt inſequente promulgatum: *Notione & ſollicitudine Marcellini ſpectabilis memoriæ viri contra Donatiſtas geſta ſunt ea, quæ tranſlata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Datum* III. *Kal. Sept. Conſtantio & Conſtante Coſſ.*

Cod. Th. de Hær. lib. 55.

Locum Marcellinus invenit in Martyrologio, ubi ipſius memoria recolitur ſexto Aprilis: *Carthagine Sancti Marcellini Martyris, qui ob Catholicæ fidei defenſionem ab Hæreticis occiſus eſt.* Eſt tamen cauſa mortis hujus obſcuriſſima, Oroſio teſte.

Ataulfus Maſſiliâ repellitur. Placidiam retinet.

IV. Pacem cum Honorio ſe initurum Ataulfus pollicitus erat, certiſque pignoribus, miſſo ſcilicet Sebaſtiani capite, promiſſa rata feciſſe videbatur. Diſturbata tamen pax fuit occaſione Placidiæ, quam Ataulfus apud ſe Romæ captam habebat. Studio maximè Conſtantii, qui *Placidiam* amabat, ea repetebatur. Quam fratri poſcenti non reddidit Gothus, quòd promiſſa ſibi annona non ſolveretur. Frumenti argentum ſubinde promittunt, ſi Placidiam reciperent. Simulatio hæc erat, cùm annonæ conferendæ Romanis copia non eſſet. Eâdem & ſimulatione Barbarus utebatur, & pacem bello commutaturus videbatur. Intereà Maſſiliam in ſuam redigere poteſtatem, adhibito dolo conatur: *Sed à Bonifacio nobiliſſimo viro vulneratus, & vix ſalvo capite fugiens, in ſua ſe tentoria recepit, urbe omiſſâ, quæ lætitia plena, laudibus ac bonis ominibus Bonifacium eſt proſecuta.* Porro Ataulfus, qui Placidiæ nuptias ambiebat, Conſtantio eam poſtulanti graviores prætexit poſtulationes, ut ſi compos illarum non fieret, illa juſtè retenta videretur. Artibus tantum effecit ſuis, ut cupitas anno ſequente nuptias adipiſceretur.

Phot. Cod. 80. p. 186.

Qui Burgundiones? Mores eorum.

V. Non ſatis erat, Gallias à Gothis tyranniſque vaſtari. Immittuntur & his regionibus Burgundiones, *qui partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt*, teſte Proſperi Chronico. Germaniæ gens erat bellicoſa, & pubis immenſæ viribus affluens, ideòque finitimis metuendæ, de qua hæc ſcitu jucunda memorat Marcellinus: *Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri poteſtate depoſitâ removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra. . . . Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Siniſtus, & eſt perpetuus obnoxius diſcriminibus nullis, ut Reges.* Eam olim Germaniæ partem habitabant, quæ nunc *le Marquiſat de Brandebourg* nomen habet. Eorum fines terminalibus lapidibus ab Alamannorum limitibus diſtinguebantur. Gloriæ ſibi ducebant, Romanorum progeniem dici: *Jam inde a temporibus priſcis ſobolem ſe eſſe Romanam Burgundii ſciunt.* Quin falſa fuerit jactantia hæc, nulli dubitamus: ut fruſtra omninò ſint eruditorum conjecturæ ad fabulam aſſerendam veritati. Falſa quidem ſunt ea, quæ de gente profert Oroſius: *Burgundionum quoque novorum hoſtium novum nomen, qui plusquam octaginta millia, ut ferunt, armatorum ripæ fluminis inſederunt. Hos quondam ſubactâ interiore Germaniâ, à Druſo & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris per caſtra diſpoſitos, ajunt in magnam coaluiſſe gentem, atque ita nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgò vocant.* Vim Romanorum non experti erant Burgundiones, ut à Tiberio Druſoque in caſtra diſponerentur. Druſus ſanè *Albim* non ſuperarat, qui expeditionum ipſius in Germaniam terminus fuit: *Viſurgim tranſgreſſus, omnia populando ad Albim uſque perrexit. Hunc cum fruſtra conatus eſſet tranſire, trophæis conſtitutis receſſit.* Miſſa ergo obſcuriſſima Burgundionum origine, quorum ſolum ferè nomen Plinio notum fuit, narranti *Vandalorum partem* fuiſſe, ad certiora veniamus.

Marcellin. l. 28. c. 5.

ANNO DOM. 413.

Marcellin. l. 26. c. 5.

Oroſ. l. 7. cap. 32.

Dio l. 55. 548.

Burgundiones Gallias ingrediuntur. Fiunt Christiani.

VI. Fortiſſimæ gentis manus complures hoc anno Gallias ingreſſæ, earum partem ſibi propriam fecere, quæ lapſu temporis poſſidentium nomen obtinuit. Felicibus quidem auſpiciis his locis inſedere, ubi minus quadriennio, quæ ad Chriſti cultum pertinent, didicerunt, quos quaſi prehenſa manu duxit Dominus, ut ſuum ejuratâ ſuperſtitione regnum amplificarent, morumque probitate victis Gallis eſſent exemplo. Audiatur Oroſius: Burgundionum *eſſe prævalidam & perniciaſam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumptâ poſſeſſione conſiſtunt. Quamvis providentiâ Dei omnes Chriſtiani modò facti Catholicâ fide, noſtriſque Clericis, quibus obedirent receptis, blandè, manſuetè, innocenterque vivant, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis.* Quæ ſcripto mandabat Oroſius anno Dom. ccccxvi. quatuor annis poſt immiſſos in Gallias Burgundiones. Hic Baronius malè in Socratem animatus, ipſi falſi dicam impegit, quòd Burgundionum ad fidem inſtitutionem in Valentiniani III. regnum, Honorio jam defuncto contulerit: *Iſta*, inquit, *ſcripſit Oroſius vivente adhùc Honorio.* Præceps tamen videtur eſſe cenſura, cùm de Burgundionibus Gallias incolentibus Oroſius tractet, Socrates verò de Burgundionibus ſcribat, qui in Germania ſedes habent. Ac illi quidem non multò pòſt quàm Gallias ingreſſi, Chriſti religionem ſuſcepere, ut nos Oroſius monuit. Hi verò ſerius ad Servatoris diſciplinam deducti. Dictis Socratis advertamus animum: *Gens eſt barbara, trans flumen Rhenum ſedes habens, eorum qui Burgundiones vocantur. Hi vitam quietam, & à negotiis alienam ducunt.* Quippe omnes ferè fabri lignarii erant, quâ arte ſeipſos alebant. Quorum in regionem aſſiduè irruentes Hunni, multos ex incolis interficiebant. Burgundiones conſilii ad inopiam redacti, Deo cuipiam Servatori ſeſe committere ſtatuunt. Animadverſo verò Romanorum Deum, certiſſimum invocantibus auxilium eſſe, communi conſenſu ad Chriſtianam ſe religionem contulere. Extemplò ad quandam Galliæ civitatem profecti, ab Epiſcopo baptiſmum flagitant. Ille ſeptiduo jejunare juſſos,

Oroſ. l. 7. cap. 32.

Bar. Ann. 413. n. 26.

Anno Dom. 413.

ſos, fideique rudimentis imbutos, octavo poſt die ſacris undis ablutos dimittit. Exinde fidenti animo adverſus Hunnos progrediuntur: nec ſpes eos ſefellit. Hunnorum Rege *Optar* præ nimia ciborum ingluvie nocte quâdam ſuffocato, Burgundiones ter mille numero hoſtium complures aggreſſi, decem circiter millia interfecere. Ex illo tempore Burgundionum gens Chriſtianam Religionem ſtudioſiſſimè profitetur. Quibus accuratè perpenſis apparet, Germaniæ, non Galliæ Burgundionum inſtitutionem à Socrate narrari, illâ, cujus meminit Oroſius, poſteriorem. Gallias quidem Burgundiones, non Alani vexabant. Quod verò à Galliæ potius quàm ab aliæ gentis Epiſcopo baptiſmum flagitarint, ea cauſa videtur eſſe, quòd pars ſuorum Galliæ in regionibus ſedem locaverat. Eo igitur ſe contulere, ut fidei ſemina ſibi compararent. Socratis tamen non eſt error diſſimulandus, dum πέραν, *trans Rhenum* Burgundiones ſedere memorat, qui Socratis Conſtantinopolitani reſpectu, cis Rhenum habitabant; fieri tamen potuit, diſcriminis cauſâ, reſpectu ad Galliæ Burgundiones habito, illis qui Germaniam incolebant, Tranſrhenanorum Burgundionum appellationem eſſe impoſitam, quam Socrates & uſurpare potuit.

Socrat. l. 7. c. 30.

Alexander Antiochenus. Extinguit Euſtathianorum diviſionem.

VII. In Oriente arma ſilebant, pietati Theodoſii pacem profundam largiente Deo: Itaque ad res Eccleſiæ convertendus eſt animus. Defuncto Flaviani ſucceſſore Porphyrio Epiſcopatum Antiochenum *Alexander* ſortitur, ad reſarciendam Eccleſiæ tranquillitatem natus. Antequam Antiſtitis munere fungeretur, in Monaſterio diu vixerat, homines tum voce, cùm exemplo ad pietatem inſtitutos. Sapientiæ opibus, divitiarum contemptu, eloquentiâ maxime excellebat, atque charitate. Ubi creatus eſt Epiſcopus, operam collocavit ſuam in extinguenda diviſione, quâ Eccleſia Antiochena laborabat. Euſtathianos quippe, qui à Meletio Flavianoque ſegregati, Paulini & Evagrii poteſtati ſubditi fuerant, ad communionem ſociali fœdere ſecum jungendam impulit. Felici porro quâdam audaciâ tantum opus aggreditur. Collectis omnibus tam Clericis, quàm Laicis, qui partes ipſius ſequebantur, ad Euſtathianorum cœtum perrexit: *Cumque illos pſallentes aſſumpſiſſet, & unum Pſalmodiæ concentum texuiſſet, à portula, quæ ad occidentem Solem obverſa eſt, uſque ad maximam Eccleſiam totum forum hominibus complevit.* Quo ſpectaculo ilia Arianis Judæiſque rumpebantur, quibus Eccleſiæ diſſenſio voluptati eſt. Feliciſſimæ diſſidentium Antiochenorum reconciliationi currentem annum aſſignamus, Autore Theodorito, qui de flebili diſſidio hæc habet: *Quinque & octoginta annos permanſit uſque ad Epiſcopatum Alexandri, viri omni laude digniſſimi. Qui cùm Antiochenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet, adhibitis omnibus machinis, omnique operâ & ſtudio ad reparandam concordiam collato, diſtracta Eccleſiæ membra reliquo corpori conjunxit.* Anno CCCXXVIII. ejecto Euſtathio diviſio inceperat. Cui tempori ſi *octoginta quinque* anni addantur, quibus labentibus perduraverat diſſidium, anno utique CCCCXIII. extinctum deprehenditur. Alia Baronio Chronologia eſt. Negat annorum LXXXV. diſſidium fuiſſe, quia diviſionis initium ducit ab ordinatione Paulini, cujus fautores à Meletianis *ſeparatos* eſſe ait, *quadraginta quinque jam annis.*

Theodorit. l. 5. c. 35.

Theodorit. l. 3. c. 5.

Error Baronii.

Conjunctionem itaque Antiochenſium cum anno CCCCVIII. copulat, repugnante Theodorito, cui errorem tribuit. Sed illuſtriſſimus Purpuratus egregiè fallitur. Non ab ordinatione quidem Paulini, ſed ab Euſtathii abdicatione diſſidium orditur Theodoritus, ut legentibus manifeſtum. Cum enim Euſtathianis Paulinum inopoſuiſſet Lucifer, *Ea rei diſſenſionem diuturniorem effecit, quinque enim & octoginta annos permanſit.* Itaque non minimum hic perturbata eſt Baronii Chronologia, qui & Porphyrii mortem, & Alexandri creationem, & finem Antiochenæ diviſionis anno CCCCVIII. cohærere putat. Quo fonte alii quoque errores manant; quòd verbi gratiâ & illo ipſo anno ad Alexandrum Antiochenum ſcripſerit Innocentius. Quæ omnia ſunt extra Hiſtoriam eliminanda.

Anno Dom. 413.

Bar. Ann. 408. n. 32.

Theodorit. l. 3. c. 5.

Alexander Innocentio legationem miſit. Chryſoſtomi memoriam reſtituit.

VIII. Pace Eccleſiæ Antiochenæ conſtitutâ, majus opus movet Alexander, miſſâ ad Innocentium Papam legatione, quâ Antiochenæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ diſſiluerat, communio integraretur. Grato lætoque animo Legati ſuſcepti; quod & Alexandro literis Innocentius ſuis ſignificavit: *Volens*, inquit, *Compresbyter noſter Caſſianus hanc amicitiarum noſtrarum paginulam per Compresbyterum noſtrum Paulum, Nicolaum Diaconum, & Petrum Subdiaconum, filios noſtros, quaſi primitias pacis noſtræ conſcribi. Saluto itaque & tuam mihi in Chriſto germanitatem, & omnem illam, quæ tecum tam bene ſentit Eccleſiam.* Pacis vero hæ conditiones fuere, quas Bonifacio Presbytero ſuo apud Theodoſium agenti notificavit Innocentius: *Ut & Evagrianos ſuis ordinibus ac locis intemeratâ ordinatione, quam acceperant à Memorato, ſuſciperet* Alexander: *& Joannis ſanctæ memoriæ, vel Clericos, vel Laicos in unum colligeret, atque congregaret.* Nomen etiam *Memorati inter quieſcentes Epiſcopos recitaret.* Quas Diaconus Paulus literas Bonifacio reddidit. Primus igitur omnium Alexander *præſtantiſſimi Joannis nomen Eccleſiaſticis tabulis inſcripſit.* Id gloriæ Antiochenæ Eccleſiæ debebatur, ut & alumni & Presbyteri quondam ſui memoriam, nube quâdam interpoſitâ obſcuratam involutamque, perpetuæ luci prima redderet. Non ſatis erat Alexandro, memoriæ Chryſoſtomi honorem habuiſſe; ut ab aliis quoque recoleretur, omni ratione conatur. Neque labor ſucceſſu caruit: cùm effecerit Pappum & Elpidium Epiſcopos, Chryſoſtomi cauſâ Eccleſiis ſuis pulſos, ad eas revocari. Permovit & Acacium Berœenſem, de Chryſoſtomi inimicis infenſioribus unum, ut Innocentio ſcriberet: *Scripta autem Acacii* (perperàm legitur Attici) *Epiſcopi, quoniam cum veſtris ſunt porrecta, ſuſcepimus, ne per veſtram injuriam ille, qui olim à nobis ſuſpenſus fuerat, repudiaretur.* Quæ Innocentii verba ſunt ad Alexandrum, Epiſtolâ XVII. Acceptis Acacii literis, hæc reſcribit Innocentius: *Adgaudere literis fraternitatem de receptis Paulini & Evagrii Epiſcoporum, Clericis populiſque, & de reſtitutis Elpidio atque Pappo Coëpiſcopis percenſuimus, & vel ſerò recepta pacis gratiam te fovere, poſtpoſitâ omni contentione pervidimus.* Quas Alexandro literas miſit Innocentius, eâ conditione Acacio reddendas, *ut omnis æmulatio, tam de nomine ſancti Joannis mirandi Epiſcopi, quàm de omnibus ejuſdem communionis participibus ab ipſius animoſitate diſcederet.* Communionis hæc integratio Alexandri curæ atque diligentiæ debetur. Quin etiam

Innocent. Ep. 15.

Innocent. Ep. 14.

Theodorit. l. 5. c. 36.

Innocent. Epiſt. 19.

ANNO DOM. 413.

Nicephor. l. 14. c. 26.

etiam nec labori parcens, ea de cauſa Conſtantinopolim migravit, ut exemplum imitari ſuum perſuaderet Attico. Quam rom nos Atticus ipſe monuit in ſua ad Cyrillum Epiſtola: *Cùm verò nonnulli nomen tantùm Beati Joannis myſticis tabulis inſcribi vellent, Beatus Epiſcopus Alexander, Antiochenum iſtum dico, Conſtantinopolim venit, & multa ore confidenti verba fecit, vehementerque excitare populum voluit, ut vel nobis invitis neceſſariò ejus, quem diximus, nomen ita inſcriberetur.* Quam anno circiter CCCCXX. peregrinationem ſuſcepit: quo tempore in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tabulis Chryſoſtomi nomen additum eſt, uti ſuſius narrabitur.

Demetrias virginitatem profitetur.

IX. Dum in Oriente ex tenebris in lucem Chryſoſtomi gloria, nomenque revocatur, in Occidente virgo nobilis *Demetrias* inclaruit, quæ nos de ſe tacere non patitur. Ac eò magis ipſius memoria recolenda eſt, quòd occaſionem præbuit agnoſcendi Pelagii, qui pietatis ſpecie nonnullâ mortalium oculis hactenus illuſerat. *Olybrio* Conſule, & Senatore, & Julianâ nobili fœminâ Demetrias oriebatur. Felici morte præventus, patriam Alarici potentiâ corruentem non viderat Olybrius. Captâ Româ, virginis mater *Juliana*, & Proba avia cum Demetriade in Africam conceſſerant. Continentia puellæ in votis erat. Noctibus & ſecretò conſciis tantùm Virginibus Dei, quæ in matris & aviæ comitatu erant, in onda humo ciliciolum pro ſtrato habebat. Nobili viro deſponſata erat; jam nuptiarum dies appropinquabat, futuruſque matrimonio thalamus parabatur, cùm ad alia convertit animum. Quid agis Demetrias? *Neſcis, miſera, neſcis cui virginitatem debeas? Urbs tua quondam orbis caput Romani populi ſepulcrum eſt, & tu in Libyco littore exulem virum exul ipſa accipies?* Ubi ſe obfirmavit, redditis ſcrinio monilibus, vili tunicâ induitur, quam viliori pallio tegit. Eo habitu repentè aviæ genubus provolvitur. Sic ſe virginem profeſſa, non multò pòſt ad imprecationem Pontificis flammeo virginali caput operuit. Multis Demetriadem præceptis inſtituit Hieronymus, quâ ratione virginitatem cuſtodire debeat. Matri aviæque vult eſſe ſubditam: *Sic debes jejunare, ut non palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, ſed ut fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in Pſalmis, nec in vigiliis ſolito quid minus facias.* Parentibus Demetriadis gratulatus eſt & Auguſtinus: *Generoſius quippe elegit Aniciana poſteritas tam illuſtram familiam beare nuptias neſciendo, quam multiplicare pariendo: & in carne jam imitari vitam Angelorum, quam ex carne adhùc numerum augere mortalium.* Erat Demetrias illuſtris Anicii ſanguinis genus, *In quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit Conſulatum.*

Hieron. Ep. 8.

Auguſt. Ep. 179.

Hieron. Ep. 8.

Pelagii ad Demetriadem Epiſtola ipſius aperit errorem.

X. Cùm Demetriadis factum auditione, & famâ Pelagius accepiſſet, literis quoque ſuis virginem adiit, virtutis præceptis informandam: *Virginem Chriſti, virginem nobilem, virginem divitem, & quod his majus eſt, ardore fidei nobilitatem divitiaſque calcantem.* Popoſcerat à Pelagio literas Juliana Demetriadis mater, ut ad profeſſionem caſtitatis omnodam erudiretur: *Scribimus*, inquit, *petente ſanctâ matre ejus, imò jubente.* Neque inficias imus, præclara multa in ea Epiſtola contineri. At ſagax ille Pelagius vitare tamen non potuit, quin benè diſſimulatum & celatum errorem indicaret. Sunt in Epiſtola rimæ, quibus virus effluit: *Naturam*, inquit, *ab hac tantummodò injuria vindicamus, ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum ſine voluntate faciamus, nec malum, & quibus liberum eſt, unum ſemper ex duobus agere, cùm ſemper utrumque poſſimus.* Quibus aperte ſatis & vitium negat originis, & voluntatem ad bonum & malum indifferentem ſtatuit, quod pugnat Scripturæ. Non ea ſane Paulo Apoſtolo mens eſt, *Semper nos bonum agere poſſe*, ex quo diſcimus, carnem inimicam eſſe Deo, Legi non ſubjici, *imò ne poſſe quidem.* In tota quidem Epiſtola de gratia Dei voluntatem hominis ad obſequium flectente, ne verbum quidem. Imò ſcribentis ſententia hæc eſt: *Spirituales verò divitias nullus tibi præter te conferre poterit.* Pelagii hæc Epiſtola cùm Auguſtini & Alypii in manus veniſſet, dum ſimul apud Hipponem conſtituebantur, Julianæ reſcribendum exiſtimarunt. Eò magis quòd Juliana ne vel in eas ſectas, *quæ parvos habere videntur errores*, unquam ſe inclinatam fuiſſe non putabat modò, ſed etiam Auguſtino ſcripſerat. Sic ergo Julianam alloquuntur: *Nec ſane parvus eſt error illorum, qui putant ex nobis ipſis nos habere, ſi quid juſtitia, continentia, pietatis in nobis eſt.* Et paucis pòſt lineis de Pelagii ſententia hac, *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit*, judicium ſic oſtendunt ſuum: *Certè nempe quarta in his verbis ſit cavenda pernicies.* Cujus verò hæc erat Epiſtola, Auguſtino Alypioque ignorabatur: *Cum legiſſemus librum, quem ad Sanctam Demetriadem quiſnam ſcripſerit, vel utrùm ad vos pervenerit, veſtris potius reſcriptis noſſe volumus.* Ex alia tamen Pelagii Epiſtola conjecturam faciebant, Pelagii eſſe: *In quadam verò Epiſtola ſua idem Pelagius, ubi & nomen ſuum apertiſſimè ponit, nec nomen ſacræ virginis tacet, dicit, ad eam ſe ſcripſiſſe, & ejuſdem operis ſui teſtimonio probare nititur, ſe gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare aſſeritur, apertiſſimè confiteri.* Quibus apparet, non hoc quidem anno, ſed poſt agnitum jam Pelagium hanc ad Julianam Auguſtini Epiſtolam ſcriptam fuiſſe, licet Baronius innuat currente anno miſſam. Porro niſi errore Epiſtolam Pelagius ſuam contaminaſſet, nobis quidem unum è precioſioribus Antiquitatis monumentis videretur. Gravibus ſanè ſententiis referta eſt, quæ legentibus admirationi fuere: *Veſtis abjectio, cibi vilitas, jejunii laſſitudo extinguere debent, non nutrire ſuperbiam. Quis rem medicina vulnus faciat?* pag. 3. Et paginâ ſequente: *Illuſtre Anicii ſanguinis decus ad animam transferatur. Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam ſervare ſe putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, ab eiſque non ſuperari.* Præclarè quoque utitur clade Romanâ, ut de futuro Dei Judicio cogitationem inſerat: *Recens factum eſt, & quod ipſa audiſti, cum ad ſtridula buccinæ ſonum Gothorumque clamorem, lugubri oppreſſa metu, domina orbis Roma contremuit. Ubi tunc nobilitatis ordo? Ubi certi & diſtincti illius dignitatis gradus? Permiſta omnia, & timore confuſa, omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pavor. Unum erat ſervus & nobilis. Eadem omnibus imago mortis, niſi quia magis timebant illi, quibus fuerat vita jucundior.* Felix Pelagius, ſi tot ſapienter dicta alia ſententiâ condiviſſet, dixiſſetque cum Auguſtino, à Deo *vires accipiat voluntas noſtra, quibus id quod diſcimus, faciamus.*

ANNO DOM. 413.

Hieron. l. 9. p. 3.

Rom. 8.

Hier. l. 9. p. 4. H.

Hier. l. 9. p. 11. D.

Hieron. l. 9. p. 11.

Hier. l. 9. p. 12. F.

Hier. l. 9. p. 12. D.

XI.

ANNO DOM. 413.

Innocentii ad Aurelium de Paſchate Epiſtola.

XI. Hoc anno ſcripta eſt Innocentii ad Aurelium Epiſtola, numero XIV. in qua Carthaginenſi Præſuli de die Paſchatis ſcrupulos exponit ſuos: *Cùm ante XI. Kal. Aprilium penè Luna XVI. colligatur, nam quidpiam minus eſt: itemque cùm ante diem quartum Kalend. earumdem veniat vigeſima tertia, exiſtimavi undecima memoratarum Kalend. die feſta Paſchalia celebranda.* Cùm porro Innocentius Enneadecaeteridem haud uſurparit, indicat utique Paſcha anni CCCCXIV. quod XI. Kalendarum Aprilis, ſive Martii XXII. eſt agitatum. Labentem enim eum annum ducebant Cyclus Solis 3. D. Luna XVI. Quibus conſequens eſt Chriſti reſurrectionis memoriam eâ die fuiſſe recolendam.

ANNO DOM. 414.

ANNO U. C. 1167. PER. JUL. 5127. JUL. 459. DOM. 414. HONOR. 22. & 20. THEODOSII 13. & 7. *Sol.* 3. D. *Lun.* 16. *Indict.* 12. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 4. *P.* 22, *Mart.*

COSS. *Conſtans & Conſtantius.*

Conſtantius quis? Origo, mores.

I. CONſtantius, qui annum aperuit, *genere Illyrius fuit, e Naiſo urbe*, ut habet Olympiodorus; à quo etiam hæc diſcimus: *Erat Conſtantius, cùm prodiret, ſubtriſti vultu, ac tetrico, ingentibus oculis, ſublatâque cervice, & plano capite, inclinans ſe omninò in equi, quo vehebatur, collum; & ſic huc illuc obliquè intorquens oculos, ut quod veteri verbo dicitur, imperia dignâ formâ omnibus appareret. In cœnis tamen epuliſque jucundus, adeò urbanuſque fuit, ut cum mimis interdum ad menſam ludentibus contenderit.* Vir erat egregiis moribus præditus: nullâ auri cupiditate flagrabat; multa jam inde à Theodoſii Magni temporibus militiæ munera obierat. Ac ut præclarum viri animum intelligamus, tot dignitates aſſecuto, divitiarum non ſatis erat ad ſumptus ſui Conſulatus faciendos. Accepit igitur dono bona Heracliani perduellis, quæ anno ſuperiore in Fiſcum redacta fuerant: *Auri vis juſta & ſufficiens ad Conſulatus ſumptus tolerandos reperta in Heracliani bonis, qui tyrannidis affectatæ nomine eſt interemptus, etſi tamen tantum pecuniæ repertum non eſt, quantum ſperatum erat. Auri enim non uſque ad millia ducenta, immobilium verò poſſidebat ad bis mille libras, quas quidem facultates omnes unâ poſtulatione ab Honorio Conſtantius impetravit.* Hæc Olympiodorus. Hic eſt ille Conſtantius, quem ſibi imperii Collegam aſciſcet Honorius.

Phot. Bibl. pag. 186.

Ataulfi cum Placidia nuptiæ.

II. Ataulfo amorem inſpiraverat *Placidia*, mulier præſtantis & corporis, & animi. Quam ut retineret, Romæ captam omnibus modis allaborabat, totis nervis contrà contendente Conſtantio, ut fratri redderetur. Tandem cupitas Ataulfus nuptias adipiſcitur, ſtudio & conſilio *Candidiani*. Quibus celebrandis Calend. Januariarum dies dicitur, Narbonæ in domo *Ingenii* cujuſdam, viri primarii ejus urbis. Hæc Olympiodorus, cui de anno, locoque matrimonii prorſus aſſentitur Idacius. Ut à vero aliena ſit Baronii Chronologia, qui Ataulfi cum Placidia nuptias in annum CCCCXI. contulit, triennio antequam celebrarentur. Extra Hiſtoriam quoque eliminetur Pauli narratio Diaconi, qui Alarici poſt obitum & Placidiam captam eſſe memorat, & apud *Forum Cornelii* cum Ataulfo matrimonio conjunctam. Quanto certiores & loci, & temporis harum nuptiarum teſtes, Olympiodorus & Idacius, ævi hujus Scriptores? Idacius præcipuè, cujus magni eſt in ea re momenti autoritas, cùm in Gallæcia, Hiſpaniæ Provincia natus, Lemicæ etiam hujus regionis civitatis Epiſcopum egerit. Anno Honorii vigeſimo *Ataulfus*, inquit, *apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo Prophetia Danielis putatur impleta, qua ait, Filiam Regis Auſtri ſociandam Regi Aquilonis.* Nuptiarum noſcere apparatum non erit injucundum, quem Olympiodorus deſcribit: Narbonæ Ingenii in domo *reſidente Placidiâ, in atrio Romano more adornato, habituque regio aſſedit ipſi & Ataulfus, lanâ indutus, omnique alio amictu Romano. Inter alia nuptiarum munera donat Ataulfus quinquaginta formoſos pueros, ſericâ veſte indutos, ferentibus ſingulis utrâque manu ingentes diſcos binos, quorum alter auri plenus, alter lapillis pretioſis, vel pretii potius haud æſtimabilis, quæ ex urbis Romanæ direptione Gothi deprædati fuerant. Hinc verſus canuntur Epithalamii, Attalo præcinente, dein Ruſticio atque Phœbadio, nuptiiſque ſimul datus, luſu gaudioque ingenti Barbarorum ſimul, & Romanorum, qui cum illis erant.* Ea Gothi Principis cum Romanis affinitas mentem ipſi benignam immiſit in imperium, quod olim, ne vel ipſius nomini parcens, prorſus extinctum voluit. Hoc nos monuit Oroſius, qui à viro illuſtri, Ataulfo familiariſſimo, hæc ſe audiſſe narrat: *Quòd Ataulfus cùm eſſet animo, viribus, ingenioque nimius, referre ſolitus eſſet, ſe in primis ardenter inhiaſſe, ut obliterato Romano nomine Romanum omne ſolum Gothorum imperium faceret & vocaret, eſſetque, ut vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuiſſet: fieret nunc Ataulfus, quod quondam Cæſar Auguſtus. At ubi multâ experientiâ probaviſſet, neque Gothos ullo modo parere legibus poſſe propter effrenatam barbariem; neque Reipublicæ interdici leges oportere, ſine quibus Reſpublica non eſt Reſpublica, elegiſſe, ſe ſaltem, ut gloriam ſibi de reſtituendo in integrum, augendoque Romano nomine Gothorum viribus quæreret, habereturque apud poſteros Romanæ reſtitutionis autor, poſtquam eſſe non poterat immutator.*

Bar. An. 411. n. 2.

Error Baronii.

Paul. lib. 13.

ANNO DOM. 414.

Phot. Bibl. p. 186.

Oroſ. l. 7. cap. 43.

Attalus imperium reſumit.

III. Pacis adjuvabat conſilia Ataulfi uxor Placidia. Quibus reſiſtens repugnanſque Conſtantius, conatus omnes de Romanorum Gothorumque concordia fruſtra fuere. Itaque rurſus *Priſcus Attalus* reducitur in ſcenam, qui umbratilem Romanorum Imperatorem præſtaret. Ad Conſtantis Conſtantiique Conſulatum Proſper: *Attalus Gothorum conſilio, & præſidio tyrannidem reſumit in Galliis.* At miſer ille Principatus magis ludius, quàm Princeps imperium momento tenuit, quod anno ſequente unà cum libertate prorſus amittet.

Pulcheria fit Auguſta. ipſius mores.

IV. Dum hæc in Occidente geruntur, Pulcheria, quæ Orientem adminiſtrabat, titulo potitur Auguſtæ, quo ſuis ſanè virtutibus ſe dignam præbuit. Nata erat Pulcheria anno Dom. CCCXCIX. Mallio Theodoro Conſule, Januarii XIX. Virgo hæc nobiliſſima nondum annos quindecim nata, egregiæ ac penè divinæ ſapientiæ ſpecimina præbebat. Ac primùm ſuam Deo virginitatem conſecraverat, ſororibuſque ad eandem dedicandam informatis in palatium, qui vir eſſet, neminem introduci voluerat. Ut monumenta conſecratæ virginitatis relinqueret, ex auro & lapidibus pretioſis menſam pulcherrimam in Eccleſia Conſtantinopolitana dicaverat. In menſa verò inſcripſit donarium hoc, &

Sozom. l. 9. c. 1.

pro

ANNO DOM. 414.

pro virginitate ſua, & pro fratris imperio ſe conſecraſſe. Ut tantæ novus honor fœminæ adjungeretur, *quarto Nonas Julias* Auguſta renuntiatur, quod Conſtante Conſtantioque Coſſ. factum eſſe, Chronicum & Marcellini, & Alexandrinum teſtantur. Nata tum erat Pulcheria annos *ſexdecim*, quorum ultimus à xv. Kalendia Februarii inceperat. Poſtquam novis eſt titulis inſignita, novis & ad gloriam gradibus aſcendit, orbe Romano optimè & decentiſſimè adminiſtrato. Græcè Latinèque eleganter ſcribebat. Rerum, quæ gerebantur, omnium laudes in Theodoſium referebat. Dabat operam, ut diſciplinis ad ætatis captum accommodatis educaretur, ut in proceſſibus graviter, ac pro imperatoria majeſtate ſe gereret: quâ ratione veſtem geſtare, ſedere, incedere, riſum continere, pro tempore mitem eſſe, aut ſeverum, ſupplices audire deberet, fratrem ſoror docebat. Præcipuè ad pietatem illum informabat, ut aſſiduè oraret, Eccleſias adiret, pretioſis muneribus ornaret, Epiſcopos, omneſque viros honos plurimi faceret. Ter quaterque felices Principes; feliciſſima quoque regna, quibus tutores Pulcheriæ ſimiles contigere! Quæ de Pulcheriæ inauguratione narravimus, à Baronio non ſatis accuratè cum anno ſequente copulantur. Hoc quoque anno dedicati ſunt tres thoraces, Honorii ſcilicet, Theodoſii, Pulcheriæ, *Ab Aureliano iterum Præfecto Sacrorum Prætoriorum, ac Patricio, tertio Kal. Januarias.*

Sozom. l. 9. c. 1.

Chron. Alex.

Reſcriptum Honorii adverſus Donatiſtas.

V. A rebus imperii ad illas Eccleſiæ pergamus. In ſpem Donatiſtæ venerant, defuncto Marcellino, Carthaginenſis Collationis Cognitore, Acta cum eo extingui poſſe. Contrà verò quam expectabant, gravioribus ſunt Imperatoris Edictis exagitati. Quibus tam in Clericos, quàm in Laicos pœnæ conſtituuntur, exhauſtâ Imperatoris patientiâ, qui anno 412. propoſitâ Lege ad frugem Donatiſtas poſſe revocari ſperaverat. Verùm cùm eorum pertinacia non vinceretur, Reſcripto novo illam contundi placuit. Vix Lex ulla ſeverior eâ, quæ decimo Kal. Julii eſt promulgata: *Donatiſtas, atque Hæreticos, quos patientia clementiæ noſtræ nunc uſque ſervavit, competenti conſtituimus autoritate percelli, quatenus evidenti præceptione ſe agnoſcant & inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicujus hereditatem ineundi, ſed perpetuâ inuſtos infamiâ, à cœtibus honeſtis & à conventu publico ſegregandos. Ea verò loca, in quibus dira ſuperſtitio nunc uſque ſervata eſt, Catholicæ venerabili Eccleſiæ ſocientur: ita ut Epiſcopi, Presbyteri, omnes Antiſtites, eorum & miniſtri ſpoliati omnibus facultatibus, ad ſingulas quaſque inſulas atque Provincias exulandi gratiâ dirigantur. Quiſquis autem hos fugientes propoſitam ultionem occultandi cauſâ ſuſceperit, ſciat & patrimonium ſuum Fiſci noſtri compendiis aggregandum, & ſe pœnam, quæ his propoſita eſt, ſubiturum.* Hæc in Clericos, in alios verò ea ſanciuntur: *Damna quoque patrimonii, pœnaſque pecuniarias evidentes imponimus viris, mulieribus, perſonis ſingulis, & dignitatibus, pro qualitate ſui, quæ debeant irrogari. Igitur Proconſulari, aut Vicariano, vel Comitiva primi ordinis, quiſquis fuerit honore ſuccinctus, niſi ad obſervantiam Catholicam mentem propoſitumque converterit, ducentas argenti libras cogetur exolvere, Fiſci noſtri utilitatibus adgregandas. Quoties* ad communionem Donatiſtarum acceſſiſſe quis inventus fuerit, *toties* ei mulcta irrogatur: *Et ſi quinquies conſtiterit, eundem nec damnis poſſe ab errore revocari*, ad ſe Imperator referri jubet, *ut de ſolida ejus ſubſtantia, ac de ſtatu acerbius* judicetur. Tertio quoque Kal. Septembris ad Julianum Africæ Proconſulem ſcripſit, quæ à Marcellino contra Donatiſtas geſta fuerant, perpetuam obtinere firmitatem: *Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides.* Exempla ſuperſunt executionis Honoriani Reſcripti in primo Auguſtini libro contra Epiſtolam Parmeniani: *Nam in quadam cauſa cùm homo nobilis Imperatoribus ſupplicaſſet, quod ſoror ejus quæ de parte Donati fuerat, cum defungeretur, neſcio in quos communionis ſuæ, vel maximè in quendam Auguſtinum Epiſcopum eorum plurima contuliſſet, ex illâ generali lege præceptum eſt, ut omnia fratri reſtituerentur.*

Cod. Th. de Hær. l. 54. &c.

ANNO DOM. 414.

VI. Decreti quo vexabantur, executio mandatur *Dulcitio.* Minis tamen non ceſſere, qui inter Donatiſtas majoris erant animi. Concilium ergo celebrant pro ſua afflictione ſatis numeroſum, de quo mentionem fecit Auguſtinus in ſuis libris contra Gaudentium: *In Concilium autem tanta, ut putatis & jactatis, perſecutionis tempore amplius etiam quam triginta convenire potuiſtis, ubi & Petilianus fuit, qui perſecutionis tempore necdum duodecim convenire poſſe clamabat.* Quid in eo conventu decretum fuerit, ex factis Donatiſtarum colligitur. Eccleſias ſcilicet deſerendas non eſſe, imperataque exilia eſſe morte præveniendа. Suorum conſtitutioni obtemperavit *Donatus*, de ea factione Epiſcopus, qui eo furoris delapſus eſt, ut plus ſemel morti occurrere voluerit: à quo funeſtiſſimo ſanè conſilio, nec Chriſtiano homine digno, qui in ferendis doloribus patientiam oſtendere ſuam debet, Donatum Epiſtolâ revocare Auguſtinus voluit: *Quòd,* inquit, *in corpore læſus es, ipſe tibi feciſti, qui jumento tibi mox admoto uti noluiſti, & eo in terram graviter colliſiſti.* Ex poſt multa, *Modò quòd te in puteum ut morereris miſiſti, utique liberâ voluntate feciſti. Sed quàm crudeles eſſent ſervi Dei, ſi hunc malæ tuæ voluntati te permitterent, & non de illa morte liberarent.* Ignavia hæc fuit Donati, factioniſque ſuæ, quæ impoſitis calamitatibus cedens, eas potius perferre fortiter debuit. Certum & *Gaudentio* fuit, Thagmadogenſi Donatiſtarum Epiſcopo, ex ſeptem, qui Collationi interfuerant uno, & ſe, & ſuos cum Eccleſia comburere. Quod temerarium Dulcitio conſilium valde diſplicuit. Tribunus erat & Notarius ab Honorio in Africam miſſus, ut Principis in Donatiſtas Reſcripta exequeretur. Manſuetudinem nomine, quod gerebat, haud indignam, prudentiamque ſuam ad miſerorum ſalutem Dulcitius impertire voluit. Ab incendio literis Gaudentium ſuis revocat; fugam potius cum ſuis arriperet hortatur, quàm nefandis ſe ignibus concremaret. Ad hæc Gaudentius duas Dulcitio reſcribit Epiſtolas, brevem unam feſtinante perlatore; prolixam alteram, quâ plenius diligentiuſque reſpondebat. Quas Tribunus Auguſtino refellendas miſit. Auguſtinum quoque conſulit, Donatiſtarum deſperatione territus, petens quid ſibi agendum eſſet. Utrinque ſcribentem circumvallabant anguſtiæ. Illinc regia mandata, quibus mos geri debuit; hinc furor miſerorum, qui ad communionem cogi nolebant. Reſcripſit Auguſtinus ex nova ſententia ſua: *Procul dubio melius incomparabili numeroſitate plurimis ab illa peſtifera diviſione redintegratis atque collectis, quidam ſuis ignibus pereant, quàm*

Deſperatio Donatiſtarum ad Reſcriptum Honorii. Dulcitius.

Aug. cont. Gaud. l. 1. cap. 37.

Auguſt. Ep. 204.

Auguſt. Retr. l. 2. cap. 59.

Auguſt. Ep. 61.

ANNO DOM. 414.

pariter univerſi ſempiternis ignibus gehennarum merita ſacrilegæ diſſenſionis ardebunt. Quaſi verò qui timore duntaxat Eccleſiam pedibus quidem, non corde ingrediebantur, quos complures fuiſſe nobis eſt perſuaſiſſimum, æterno igni evellerentur, tantique fuerit externa conjunctio, ut ejus cauſâ nolentibus religio injungeretur, à qua ſi profitentis abeſt animus, jam violata eſt, jam nulla. Dulcitio non ſatisfeciſſe videtur Auguſtinus, ſi quidem mitius cum Donatiſtis actum eſt, quorum Epiſcopi complures extra Africam eliminari non fuere, licet Honoriano Decreto cunctis exilium imperaretur: quæ manſuetudo monitis fortè Dulcitii debebatur. Erat ſanè vir juxta diſertus & prudens, cui nil cenſuræ ab Auguſtino inuri debuit, quod honorificis Donatum Epiſcopum verbis compellaſſet. Non ea vis eſt errori, ut debitam dignitatibus ſive politicis, ſive Eccleſiaſticis reverentiam extinguat.

Oroſius ex Africa in Palæſtinam migrat.

VII. Eruditionis Auguſtini fama tanta fuit, ut ab ejus ore, quaſi ſacro numinis Oraculo ex variis orbis partibus reſponſa peterentur. Celeberrimi igitur Epiſcopi eruditione invitatur Oroſius ex Hiſpania in Africam migrare. Epiſcoporum Legatum egiſſe, *Eutropii* ſcilicet, atque *Pauli*, qui Auguſtinum de erroribus in Hiſpania exortis conſulendum ipſum miſerant, Baronii ſententia eſt. Verùm ad figmenta ea legatio eſt releganda. Sponte ſuâ, non verò Præſulum mandatis obſequens Oroſius in Africam migravit; quod & ipſe teſtatus in ſua ad Auguſtinum Epiſtola: *Ad te*, inquit, *per Deum miſſus ſum, de te per eum ſpero, dum conſidero qualiter actum eſt, quòd hùc venirem. Agnoſco cur venerim, ſine voluntate, ſine neceſſitate, ſine conſenſu. De patria egreſſus ſum, occultâ quâdam vi actus, donec in iſtius terræ littus allatus ſum.* Neque Epiſcopalem Auguſtinus legationem ſcivit, qui de Oroſio ſe conſulente hæc ad Evodium ſcribit: *Ad nos ab ultima Hiſpania, id eſt, ab Oceani littore, ſolo Sanctarum Scripturarum ardore inflammatus advenit.* Non igitur, quod imaginatus Baronius, ut Pauli Eutropiique mandata exequeretur. Anno ſuperiore ſuam Oroſius Hiſpaniam reliquiſſe videtur. Baronii quidem, eruditorumque non ſatis accurata ut patet Chronologia, qui eum anno CCCCXIV. Oroſii profectionem conjunxere. Prodiit anno CCCCXVII. Oroſii Hiſtoria, cujus ſcribendæ ab Auguſtino mandatum accepit. Quòd ſi anno duntaxat CCCCXIV. Hipponem ingreſſus eſt, ſolo ferè biennio Hiſtoriæ ſuæ ſeptem libros & inchoaſſet, & abſolviſſet; quod creditu difficillimum. Eſt ergo vero propius, Oroſium anno ſuperiore ex Hiſpania in Africam, præſente verò ex Africa in Palæſtinam migraſſe. Utrâque profectione ſuis temporibus reddita, de Oroſio afferamus nonnulla, quæ noſtris ſint Annalibus ornamento. Tarraconenſis Presbyter erat Oroſius, vir non ſine meritis ab Auguſtino laudatus & commendatus in ſua ad Hieronymum Epiſtola: *Ecce venit ad me religioſus juvenis, Catholicâ pace frater, ætate filius, honore Compresbyter noſter Oroſius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multò infelicius, quàm corpora barbaricus gladius trucidarunt.* Viri duo, qui Oroſio populares erant, & ut conjectura fert, Tarraconenſes, quibus *Avitis* nomen erat, aliquid erroris in ſuam patriam attulerant. Quippe

Hier. t. 9. 360.

alter Hieroſolymam, alter Romam profectus, Origenis, quem mirabantur ambo, Victorinique opinionibus imbuti redierant. Ac Priſcillianum quidem damnabant: de Trinitate quoque rectè ſapiebant: omnia ex Deo conditore bona prodiiſſe profitebantur. Unus eos de anima ſcrupulus malè habebat: *Credere enim perſuaſum erat eſſe animam, non tamen perſuaderi poterat, factam eſſe de nihilo, argumentantes, quia voluntas de nihilo eſſe non poſſit.* Avitis ſe conjunxerat *Baſilius* quidam, *Græcus* homo; haſque opiniones ſuas ex Origenis fontibus hauſerant. Avitorum alter iſne fuerit, ad quem Hieronymus de cavendis erroribus, quibus Origenianus de Principiis liber reſpergebatur, Epiſtolam direxit ſuam, relinquimus in medio. Porro Auguſtinus ut Oroſio faceret ſatis, Commentariolum adverſus Priſcillianiſtas edidit, atque Origeniſtas. Oſtendit autem, falſiſſimum Avitorum fundamentum eſſe. Quia ſi fecit aliquid Deus, *Non tamen ex ea re fecit, aut facit, quam ipſe non fecerit.* Abſonam eſſe Priſcilliani de anima ſententiam, quam velit *de ipſo Deo, tanquam particulam defluere, & tam deformiter inquinari.* Diaboli ſperandam non eſſe reſtitutionem, *non quia Diabolo, aut Dæmonibus invidemus, ſed quia ultima ſententia ſummi & veraciſſimi Judicis ex noſtra præſumptione nihil addere debemus, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo:* audaciam eſſe dicere, *Non futurum eſſe mundum, id eſt, cœlum & terram, niſi propter neceſſitatem purgandorum ſpirituum rationalium.*

Auguſt. t. 6. 642.

Auguſt. t. 6. 643.

Oroſius ad Hieronymum migrat. Qua de cauſa?

VIII. Ubi aliquandiu cum Auguſtino permanſit Oroſius, ipſius monitu ad Hieronymum lubente hoc anno ſe contulit. Qua de re modeſtiſſima ſunt verba Auguſtini: *Oroſius ad nos uſque ab Oceani littore properavit, famâ excitus, quòd à me poſſet de his, quæ ſcire vellet, quidquid vellet, audire. Neque ullum cepit adventus ſui fructum. Primò ne de me multum famæ crederet. Deinde docui hominem, quod potui; quod autem non potui, unde diſcere poſſet, admonui, atque ut ad te iret hortatus ſum.* Cùm Oroſium qualem optabat, Auguſtinus inveniſſet, de anima ſolvenda quædam Hieronymo mittit, quæ abeunti Oroſio ferenda tradit: *Quæſtio de anima multos movet, in quibus & me eſſe conſiteor.* Quærebat Auguſtinus *de animæ incarnatione, utrum ex illa una, quæ primo homini data eſt, cæteræ propagentur. An ſingulis quibuſque nova etiam modo fiant: an alicubi jam exiſtentes, vel mittantur divinitus, vel ſponte labantur in corpora.* Ex his opinionibus, *quænam ſit eligenda*, requirebat ab Hieronymo. Eâ onuſtus Epiſtolâ Oroſius ad Hieronymum, cui multum commendabatur, proficiſcitur, *cujus ad pedes*, ut in Apologia ſua loquitur, *ſedit*, quaſi diſcipulus propter magiſtrum. Dum Bethleemæ latitat, in Pelagium incidit, quem docentem audit, *Hominem poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei facilè cuſtodire.* Baronius hanc Oroſii in Orientem profectionem anno CCCCXV. contigiſſe tradit. Quæ Chronologia ab ipſo Oroſio refellitur, ſcribente in ſua Apologia: *Cùm primo Encæniorum die, ut ſolitus eram, quando aderam, ad obſequium Joannis Epiſcopi conveniſſem.* Quòd ſi anno duntaxat CCCCXV. in Orientem tranſmiſit, die Septembris XIV. non ſolitus erat Joannem viſitare, quem tum primùm ineunte Encæniorum feſtivitate conveniſſet. Ea quippe narrat Oroſius, quæ ſibi anno CCCCXII. Hieroſolymis contigere.

ANNO DOM. 414.

Auguſt. Ep. 28.

Bar. An. 414. n. 14.

Oroſ. Apol. p. 450. B.

Anno Dom. 414.

tigere. Quid porro egerit in Oriente Oroſius, docet ipſemet in ſua Apologia: *Latebam in Bethleem, ignotus, advena, pauper . . . traditus à Patre Auguſtino, ut timorem Domini diſcerem, ſedens ad pedes Hieronymi. Inde Hieruſalem vobis accerſentibus vocatus adveni.* Vocabitur autem anno proximè futuro teſtis eorum, quæ à Pelagio audierat.

Synodo Macedoniæ reſpondet Innocentius; tenor Epiſtolæ.

IX. Dum Bethleemæ unà cum Hieronymo moratur Oroſius, Macedoniæ Epiſcopis Papa reſpondet Innocentius. In Synodum convenerant, eorumque pars non minima eſt Reſcripto Innocentii ab oblivione vindicata. Quippe nomina quæ gerebant, poſteros docuit, quæ etiamnum extant Epiſtolæ in titulo: *Ruſo, Euſebio, Euſtathio, Claudio, Maximiano, Eugenio, Gerontio, Joanni, Polychronio, Sophronio, Flaviano, Hilario, Macedonio, Callicrati, Zoſimo, Profuturo, Niceta, Hermogeni, Vincentio, Aſiologo, Terentiano, Herodiano, Martiano, & cæteris Epiſcopis Macedonibus, & Diaconibus in Domino ſalutem.* Synodi ad Innocentium Epiſtolam *Vitalis* Archidiaconus attulerat. In quibus deprehenſa ſunt, quæ legenti admirationem *ſtuporemve* efficerent. *Idibus* ergo *Decembris*, *Conſtantio Conſule* Epiſtolam conficit, ſeptem capita complectentem, quibus Macedonum diſciplina dirigeretur. Capitum ſumma hæc eſt. I. Ut ſi Sacerdos, vel quilibet ex Clero viduam uxorem duxerit, vel ejectam, ſuum perdat officium. II. Ut ſi quis Catechumenus habuerit uxorem, & defunctâ eâ poſt baptiſmum acceperit alteram, Clericus eſſe non poſſit. III. Quòd non admittantur Clerici ab Hæreticis ordinati, quibus *cùm pœnitentia remedium neceſſarium ſit*, ordinationis honor locum habere nequit. IV. Quòd in ordinationibus crimina, vel vitia non benè credantur auferri. V. Quòd qui à Bonoſo Hæretico ordinati fuerant, propterea recepti ſint, ne ſcandalum remaneret Eccleſiæ: minimè verò ut Eccleſiaſticæ Leges obſervarentur, cùm de ſolis Novatianis Nicænæ Synodo placuerit, ut acceptâ manus impoſitione maneant in Clero. VI. Quòd in Eccleſia peccatum populi ſoleat remanere. VII. Quòd ſurreptum fuerit Apoſtolicæ ſedi, quando damnationem Photini reſcidit: quem ad Epiſcopatum promoveri concedit: *Pro veſtra ergo approbatione, fratres chariſſimi, & ſententia ac poſtulatione Epiſcopum Photinum habetote licitum ita conſtituero, ut deprecamini.* Negat verò, quam Macedones flagitabant, Euſtathii Diaconi abdicationem à ſe ſæpius comprobari.

Innocent. Ep. 17.

Anno Dom. 415.

ANNO U. C. 1168. PER. JUL. 5178. JUL. 460. DOM. 415. HONOR. 23. & 21. THEODOS. 14. & 8. *Sol.* 4. C. *Lun.* 17. *Indict.* 13. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *April.*

COSS. *Honorius Aug.* X. *& Theodoſius Aug.* VI.

Ataulfus Galliâ pellitur. Theodoſium amitis filiolum.

Oroſ. l. 7. cap. 43.

I. PAcis conſilia, quæ Ataulfus agitabat, Conſtantius omnia diſturbaverat, cujus in Gothum odia maximè accedebant nuptiæ Placidiæ, quam Romanus ardebat. Rivalem ergo ex Galliis ejectum voluit; nec ſine ſucceſſu Conſtantii præclarum facinus memorat Oroſius: *Anno ab Urbe condita milleſimo centeſimo ſexageſimo octavo Conſtantius Comes, apud Arelatum Galliæ urbem conſiſtens, magnâ rerum gerendarum induſtriâ Gothos Narbonâ expulit, atque abire in Hiſpaniam coëgit, interdicto præcipuè atque intercluſo omni commeatu navium, & peregrinorum uſu commerciorum.* Ex Chronologia quidem Oroſii, qui urbis annos unitate auget, ſcribi debet anno MCLXIX. Reverà tamen Gothorum hæc ex Gallia ejectio præſenti anno cohæret, ut ex Proſpero novimus: *Honorio* X. *& Theodoſio* VI. *Coſſ. Attalus à Gothis ad Hiſpanias migrantibus, neglectus, & præſidio carens capitur.* Ex Galliæ igitur ſedibus eo anno expulſi, in Hiſpaniam Gothi conceſſere, ut Baronio nil cauſæ fuerit, cur Gothorum migrationem in annum CCCCXIV. referret. Natus erat Ataulfo ex Placidia filius, qui erga Romanum imperium patris ſui amorem magis accenderat. Infanti *Theodoſii* avi materni nomen genitor impoſuerat. Brevem puerulus lucis uſuram accepit. Quem extinctum vehementer parens uterque luxit, argenteâque capſâ conditum. Juxta Barcinonem in Templo quodam ſepelierunt.

Error Baronii.

Phot. Bibl. pag. 187.

Attalus Conſtantii in manus incidit.

Oroſ. l. 7. cap. 42.

II. Suadentibus Gothis infelix Attalus diadema ſibi rurſum impoſuerat: At recedentibus *neglectus & præſidio carens capitur, & Conſtantio Patritio vivus offertur.* Larvati Principis caſum fuſius quàm Proſper exequitur Oroſius: *Attalus tanquam inane imperii ſimulacrum, cum Gothis uſque ad Hiſpanias portatus eſt, unde diſcedens navi, incerta moliens, in mari captus ad Conſtantium Comitem deductus*, triumpho Imperatoris decorando ſervatur. In Oriente, propitio Deo, ſapientiâque Pulcheriæ læta erant omnia atque tranquilla. Quin Decennalia Theodoſius celebravit, menſe Audynæo, *tertio Idus* Januarii. Eodem anno Thermantiæ quondam Honorii conjugis mors renuntiatur, *tertio Kal. Auguſti feriâ ſextâ*, ut in Chronico Alexandrino legitur: ut meritò colligamus, *Thermantiæ* Stilichonis & Serenæ filiæ obitum hoc anno contigiſſe.

Lex Theodoſii in Gamalielem Judæorum Patriarcham.

Cod. Th. t. 6. p. 238.

III. Manſuetudo, quæ Theodoſii in animo magna habitabat, audaciam Judæorum pectoribus inſtillaverat. Anno CCCCXII. in eorum gratiam id Decreti ſanxerat: *Nullus tanquam Judæus, cùm ſit innocens, obteratur, nec expoſitum eum ad contumeliam religio qualiſcunque perficiat. Non paſſim eorum Synagogæ vel habitacula concrementur, vel perperàm ſine ulla ratione lædantur; cùm alioquin etiamſi ſit aliquis ſceleribus implicatus, idcircò tamen judiciorum vigor, juriſque tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſe permittere valeat ultionem.* Quin etiam Gamalielem Patriarcham Honorariæ Præfecturæ Codicillis decoraverat. Nec ignobili ſanè ſanguine creatus erat, nepote ex Gamaliele illo, qui conſilium Hieroſolymitanis dederat, ut ab injuria Apoſtolis inferenda abſtinerent. Gamalielis, qui in gratia apud Imperatorem fuit, mentio eſt apud Hieronymum libro de optimo Genere interpretandi ad Pammachium: *Dudum Heſychium virum Conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel graviſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius Princeps capite damnavit, quòd ſollicitato Notario chartas illius invaſiſſet.* Abuſus auctoritate ſuâ Gamaliel, facinora benè multa perpetrarat. Novas Synagogas condiderat. Chriſtianos inter & Judæos Judicem ſe conſtituerat: ut Chriſtianorum nonnulli circumciderentur effecerat: Chriſtiana denique mancipia apud ſe retinuerat. Quæ omnia ulciſcitur Theodoſius, miſſâ ad Aurelium Prætorio Præfectum lege,

Hieron. Ep. 101. pag. 279.

Cod. Th. de Judæis lib. xxii.

quæ xiii. Kal. Novemb. Conſtantinopoli conſcripta eſt. Sic ſonant verba Legis: *Quoniam Gamaliel exiſtimavit, ſe poſſe impune delinquere, quod magis eſt erectus faſtigio dignitatum, illuſtris autoritas tua ſciat, noſtram ſerenitatem ad virum illuſtrem Magiſtrum Officiorum direxiſſe præcepta, ut ab eo Codicilli demantur Honoraria Præfecturæ: Ita ut in eo ſit honore, in quo ante Præfecturam fuerat conſtitutus. At deinceps nullas condi faciat Synagogas. Et ſi quæ ſint in ſolitudine, ſi ſine ſeditione poſſint deponi, perficiat. Et ut Chriſtianos nullam habeat copiam judicandi. Et ſi qua inter eos ac Judæos ſit contentio, à Rectoribus Provinciæ dirimatur. Si Chriſtianum vel cujuſlibet ſectæ hominem ingenuum ſervumve Judaicâ notâ fœdare tentaverit, vel ipſe, vel quiſquam Judæorum Legum ſeveritati ſubdatur. Mancipia quoque Chriſtianæ Sanctitatis, ſi qua apud ſe retinet, ſecundum Conſtantinianam Legem Eccleſiæ mancipentur.* Legem quoque Honorius tertio Kal. Septembris Ravennæ conſcripſit, ut Ludi Sacerdotales, qui per Africam in Metropolitanis urbibus edebantur, ad proprias civitates redirent. Subjungit: *Omnia etiam loca, quæ ſacris error Veterum deputavit, ſecundum Divi Gratiani conſtituta, noſtræ rei jubemus ſociari.* Magna erant Templorum vectigalia, magni reditus. Quia ſacrificiis, epulis, ludis ingentes ſumptus erant neceſſarii, quibus Principis ærarium increvit. Inſignis in eam rem extat Strabonis locus libro xii. 161. Comanenſis civitas *clariſſima eſt, maximamque numine afflatorum, & ſacrorum ſervorum multitudinem habet. Eam latrones incolunt, qui quanquam Regi ſubditi ſunt, parent tamen Sacerdoti, qui fani & ſacrorum ſervorum magna ex parte dominus eſt, qui tempore quo nos peregrinati ſumus, ſupra ſex millia erant, viri ſimul ac mulieres. Fano regio adjacet non parva, cujus fructum & proventum Sacerdos accipit. In honore ſecundus eſt in Cappadocia poſt Regem.* Magnifica etiam epula Numinum in honorem celebrabantur: *Saliis cœnaturis creditor erit neceſſarius: Herculanarum Decimarum & Pollucorum ſumptus tabellarii ſupputabunt, Apaturiis, Dionyſiis, myſteriis Atticis coquorum delectus indicentur.* Calendis Juno epulis honorabatur, teſte contra Symmachum Prudentio lib. 1.

Cod. Th. l. 6. p. 290.

Tert. Apol. cap. 39.

Juno etiam celebri de menſe litatur,
Auſpiciis epuliſque ſacris, quas inveterato
Heu miſeri ſub honore agitant, & gaudia ducunt
Feſta Calendarum!

Eccleſia Conſtantinopolitana inſtauratur.

IV. Tempus eſt Eccleſiæ penetralia adire. Quod anno ccccіv. in cineres & favillas converſum fuerat magnum Conſtantinopolitanæ urbis Templum, de miraculis orbis unum currente inſtauratur. Teſtis in Chronico Marcellinus: *Eccleſia Conſtantinopolitana dudum igni cremata,* Honorio x. & Theodoſio vi. *reſtaurata dedicataque eſt, Attico Epiſcopo eandem regente Eccleſiam.* Dedicatio facta eſt, *menſe Gorpiæo, Idus Octobris, die Dominicâ. Tranſlataque ſunt Conſtantinopolim per ſcalam Chalcedonenſem reliquiæ Joſephi Filii Jacob, & Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ, menſe Gorpiæo vi. Nonas Septembres, die Sabbati, geſtantibus pignora in duabus arculis, Attico Patriarchâ Conſtantinopolitano & Moſe Antaradeno Phœnicis Epiſcopo, ſedentibus ipſis in burrichaliis, quæ in magna Eccleſia depoſuerunt pompam, præcedente Urſo, urbis Præfecto cum univerſo Senatu.* Error tamen in Chronicum irrepſit, ut vel puerulis liquet, non ignorantibus, quatuor duntaxat Septembri Nonas eſſe. Legendum ergo *pridie Nonas*, cui diei Sabbatum cohærebat.

Chron. Alex.

De Stephani reliquiis narratio Luciani.

V. Dum de tranſlatis reliquiis mentionem agitamus, ſcribentibus offerunt ſe Beati Stephani exuviæ, quas Luciano indicatas eſſe Presbytero memorant. Stupendam ſanè narrationem poſteris Lucianus ipſe reliquit, quam ex *Aviti* verſione integram Baronius Annalibus inſeruit. Nos ex Euſtratio Conſtantinopolitano Presbytero fragmenta deligemus, quæ abſque ullo hiſtoriæ detrimento prodigium ſubjicient oculis, facturi interea operæque, temporiſque compendium. Presbyter erat *Lucianus* Eccleſiæ, quæ eſt in villa Caphargamala, Hieroſolymitanæ ditionis: *Dies erat Paraſceves feriâ vi. tertius Nonas Decembris*, cùm vigilanti viſio hæc incidit, quam verbis Euſtratii à Leone Allatio Latinè redditis exhibemus: *Cùm ipſe quieſcerem in domo Photiſterii, die Paraſceve illuceſcente, tertiâ horâ noctis, & adhuc vigilarem, & extra me factus eſſem, vidi hominem aſpectu quidem ſenem, corpore puſillum, ſpecie venerandum, barbatum, albis veſtimentis amictum, qui ſeſe ante me ſilenter monſtrabat. Ego apud me hæſitare quiſnam ille eſſet? An à Deo, vel ab alia virtute? Ille nihil cunctatus, procedit ad me, & baculo, qui illi præ manu erat, pungit, tertium vocans, Luciane, Luciane, Luciane. Reſpondi, Quid eſt Domine? Et dicit, Aſcende, dic Joanni Hieroſolymitano Epiſcopo, quouſque obſeramur, quouſque non aperis nobis? Locus noſter, in quo jacemus, vehementer negligitur: & nunc quidem reliquiæ noſtræ imbre madefiunt, nunc Sole aduruntur. Ego autem humilis Lucianus interrogavi eum, Quis es tu, Domine, & qui unà tecum ſunt. Et ille, Ego ſum Gamaliel, qui Paulum enutrivi, & in urbe Jeruſalem Legem docui. Qui verò unà mecum jacet in Orientali urna, eſt Dominus Stephanus, qui lapidibus à Judæis in eadem Jeruſalem obrutus deceſſit. Secundus eſt Nicodemus, filius fratris mei, qui noctu à Salvatore noſtro Jeſu Chriſto res fidei inſtructus, & à Petro Joanneque diſcipulis baptizatus eſt. Quod cùm audiſſent Principes Sacerdotum, ægrè tulerunt, & denſis ſic eum verberibus mulctarunt, ut poſt paucos dies obdormierit, propriâ ſua quiete, & curavi ut ille ad pedes Sancti Stephani, veluti Chriſti Confeſſor apponeretur. Tertius qui unà mecum jacet, eſt Abibus meus dilectus filius, qui mecum Chriſti prædicationi credidit, cum me patre ſuo uno die à commemoratis diſcipulis eſt baptizatus. Hic cùm ante me dormiiſſet, purus atque incorruptus penes eos in tertia urna repoſitus eſt, in qua & ipſe jaceo.* Monenti primùm Gamalieli non ceſſit Lucianus. Scilicet prudens homo verebatur, ne ſi hæc Joanni Hieroſolymitano nunciaret, pro ſeductore haberetur. Itaque iterum apparet Gamaliel, nonnihil ſubiraſcens, quòd Lucianus mandata neglexerat. Quem ut majore oſtento permoveret Gamaliel, tres calathos aureos attulit, unumque argenteum. Aurei pleni roſis erant, argenteus croco: roſæ Gamalielem, Nicodemum, Stephanum deſignabant; crocus *Abibum*. Cùm adhuc cunctaretur, poſt tres ſeptimanas eâdem horâ venit Gamaliel minitabundus, irarumque plenus. Luciano beneficium exprobrat, quòd illuſtrioribus viris præteritis, ipſum elegiſſet, qui fauſta Joanni nuncia hæc referret. Fractâ tandem pertinaciâ Joannem convenit Lucianus, qui mandante Epiſcopo fodere voluit, ubi reconditas reliquias arbitrabatur. Cùm à vero exuviarum

Euſtrat. cap. 23. B. M. P. t. 27. 378.

loco

Anno Dom. 415.

loco aberraret, ne inutilem operam collocaret, urbanius *Nigetum* de nocte Gamaliel monuit, alium reliquiis locum eſſe. Quid multa? Fodiunt, inveniunt thecas, calathis oſtenſis ſimillimas. Ubi verò ad thecam Stephani ventum, *Eâdem ipſâ horâ terra motus ingens factus eſt, ut Sancti Stephani corpus reſiliret & reviviſceret, odorque immenſus ex urna illius effunderetur. Sanatæque ſunt illo die animæ tres & ſeptuaginta, quæ ibi convenerant, ex variis morbis.* Hæc Euſtratius capite 23. Conſtantinopolitanæ erat Eccleſiæ Presbyter Euſtratius, cujus meminit Photius Codice CLXXI. Apud quem etiam legitur, Euſtratii libro Chryſippi de Gamaliele hiſtoriam conjunctam fuiſſe. In Suriana Luciani editione de Stephani reſurrectione verbum nullum. Stephani porro reliquiæ comitantibus pſalmis in Eccleſiam Sion transferuntur, *Die octavo Kalendas Januarii.* Quâ horâ ingens ſiccitas læta pluviæ deſcenſu pellitur.

Ratio revelatarum Luciano reliquiarum Stephani refellitur.

VI. Negari quidem haud poteſt, quin perantiqua ſit ea de reliquiarum Stephani inventione Luciani Epiſtola; cujus & Faſti, & Gennadius, & Marcellinus meminere. Faſti Idaciani, qui anno Dom. CCCCXXIII. conditi ſunt, de celebri inventione hæc habent. Honorio x. & Theodoſio VI. Coſſ. Sanctus *Stephanus primus Martyr revelatur S. Presbytero Luciano die VI. feriâ, quæ fuit tunc III. Nonas Decembris in Hieroſolymis S. Joanne Epiſcopo præſidente. Et extant ex his geſtis Epiſtola ſuprà dicti Presbyteri, & S. Aviti Presbyteri Bracarenſis, qui tunc in Hieroſolymis degebant.* Celebrat & inventionem Baſilius Seleucenſis, ſermone de Stephano. Quinto ſeculo præcipiti Gennadius etiam de Luciano hæc narrat: *Lucianus Presbyter vir ſanctus, cui revelavit Deus temporibus Honorii & Theodoſii Auguſtorum, locum ſepulchri & reliquiarum corporis S. Stephani Martyris primi. Scripſit ipſam revelationem ad omnium Eccleſiarum perſonas.* Sed & Stephani reliquias in Africa claras miraculis fuiſſe, ex Auguſtino ſcimus, quas *Projectus* Epiſcopus afferebat.

Auguſt. de Civ. l. 22. c. 8.

Gennadius quoque teſtatur, Oroſium reliquias B. Stephani Martyris *nuper inventas*, primùm intuliſſe Occidenti: ut de inventis reliquiis dubitandi locus eſſe non poſſit, quin nutet ſimul fides omnis Hiſtoriæ. Verùm enimverò teſtes innituntur autoritati Luciani, prætereàque in ratione inventarum reliquiarum complures ſunt ſcrupuli, qui nos vellicant. Primùm enim cœleſtium animarum hæc in terram migratio nobis falſo propior eſt. Deinde ea narrat Luciano Gamaliel, quæ dubitationem augent, priſcis ignota ſeculis: de ſe nimirum ad Chriſti diſciplinam perducto, & Nicodemo, adeò crudeliter à Judæis cæſo, ut non multò pòſt abierit è vita. Quæ ſi vera fuiſſent, Euſebius & Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus, & antiquarum traditionum venator acerrimus, ea quidem Hiſtoriæ ſuæ intuliſſet. Prætereà quæ de ſe Chriſtiano dixit Gamaliel, pugnant Scripturis. Nunquam ſanè Paulus purgandi ſui cauſâ palam Judæis locutus fuiſſet, ſe *apud pedes Gamalielis eruditum* eſſe.

Actor. 22. 3.

Nomen quidem hominis, qui à religione Moſaica deſciviſſet, Judæis iram moviſſet, quos tamen certum eſt, attentos hæc concionanti animos præbuiſſe. Inſuper quæ de Stephano Gamaliel Luciano loquitur, Judæos noluiſſe ipſius corpus ſepulchro condi, cum Lege pugnat, mandante ſuſpenſi cadaver ipſo die ſepeliri, ne terra pollueretur. Suſpenſus autem poſt obitum

Deuter. 21. 22.

Stephanus fuerat, utpote nomine blaſphemiæ lapidibus obrutus. Neque ante Lucianum de magnificis à Gamaliele ſolutis Stephano juſtis ullus unquam audierat. Sed & oratione uſus eſt Gamaliel, dum Luciano loquitur, quæ cœleſtes animas dedecet: *Qui mecum in Orientali parte monumenti jacet, ipſe eſt Dominus Stephanus.* Nullus in Cœlo Dominus & eſt, & vocatur, præter Servatorem orbis Chriſtum. Quin etiam falſa prædicat Gamaliel, quod ut nec honorificum, ſic de beata anima prorſus eſt incredibile. De Stephano Protomartyre ſcilicet hæc narrat: *Portarunt corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc eſt, Caphargamala, quod interpretatur, villa Gamalielis.* Quod eſt ſanè abſurdiſſimum: Quippe כפר גמלא *eſt villa cameli*, καμηλοκώμη. Fingine poteſt animo, beatam Gamalielis mentem tam peregrinam vocis hujus fuiſſe, tam imperitam, ut abſona hæc Luciani committeret auribus? Suam ſanè linguam ignorare Gamaliel haud poterat, quâ *Caphargamala* villam non ſonat Gamalielis. Ne verò reſpondeamur, quod fortè dici poſſet, errorem non Gamalielis ipſius fuiſſe, ſed vel Luciani Presbyteri, vel certè *Aviti* interpretis in animum inducere noſtrum non poſſumus, Luciani vera hæc eſſe: *Invenimus altiſſimis literis ſcriptum lapidem obrutum, habentem Celiel, quod interpretatur ſervus Dei, & Apan, Dardan, quod interpretatur Nicodemus & Gamaliel.* Hem barbara hæc vocabula inſcripta monumento: & Apan, Dardan ſignificaret Nicodemus & Gamaliel! Denique ſi ad inventas reliquias tot miracula patrata fuiſſent, quid cauſæ eſt, quòd celebris inventionis non meminerit Socrates, non Sozomenus, quibus nulla hiſtoriæ dignior materia reperiri potuit? Vehemens igitur menti noſtræ inſidet ſuſpicio, hanc & Gamalielis apparitionem, & miracula, quæ aperta thecâ Stephani patrata feruntur, ornamenta eſſe, eo fine excogitata, Ut pretium adderent inventioni reliquiarum. Quomodo Presbyter olim de Paulo & Thecla fabulas vulgavit, quibus Apoſtoli memoria fieret illuſtrior. Addamus opinioni noſtræ clariſſimi Du Pin ſententiam: *Ces relations ſont ſi peu croiables, que ſi elles n'étoient autoriſées du temoignage de Sainct Auguſtin, & de Gennade, nous aurions peine à y ajoûter foi.*

Du Pin N. B. 159.

Gennadius tamen ea memorat, quæ in Luciano deprehendit, cui credulus fuit. Qui verò narranti alicui adhibetur aſſenſus, traditionis naturam mutare nequit, ut ſi falſa eſt, ad verum nihilominus accedat, opinionis noſtræ ſuffragio. Quòd ſi quiſpiam à nobis requirat, quâ ratione factum ſit, excogitatam Luciani revelationem fidem inveniſſe, reſpondemus, plures credulitatis cauſas fuiſſe. Quarum præcipua eſt, populorum impetus in revelationes, miraculaque ejuſmodi ruentium. Secunda Presbyteri ea narrantis autoritas, cujus teſtimonium à figmentis, fucoque puerili alienum eſſe putabant. Tertia denique cauſa in Clericorum connivenţia conſtituitur, ne plebis zelo eſſent offenſioni, toto pectore inventiones miraculaque reliquiarum admittentis. Quæ quidem religionis ſpecies fuit, prudentiæ tamen & rationis expers. His de cauſis multa figmenta autoritatem habuere. Noſtris & rationibus accedat oratio de Sancto Stephano, quæ Baſilio aſcripta Seleucienſi, ſedente quidem Juvenale, Hieroſolymorum Epiſcopo pronuntiata eſt. In ea quippe legitur, Stephanum ſeſe Luciano, nec non Joanni Hieroſoly-

Anno Dom. 415.

mitanorum Præſuli conſpicuum præbuiſſe. Quod Luciani Euſtratiique narrationi pugnat, in qua Gamaliel ipſe Sancti Martyris gloriæ cupidus, indignatus ipſius reliquias ignotas jacere, eas Luciano detegit. Referantur verba Baſilii: *Seipſum vir beatus revelat. . . . Apparet autem viro loci Presbytero, viro pietatis ſtudio longe aſſiduo, plurimáque religione excultio. Sed & ſancta memoria Joanni Hieroſolymorum urbis inclytæ Epiſcopo. . . . Simili quoque ratione Epiſcopis aliis ſe conſpicuum facit.* Quod ſi autoritati libri Quæſtionum ad Antiochum aſſenſum adhibeamus, turpiter mentitus eſt Luciano Gamaliel, cum ſanctarum animarum nulla ſit in terris ſive apparitio, ſive operatio; teſte Quæſtione XXXIII. *Quæ ergo nunc eſt operatio hinc demigrantium animarum?* Reſp. *Anima depoſito corpore, neque bonum aliquid, neque malum operari poteſt.* Non igitur Luciano Gamaliel dicere potuit, *Ego ſum Gamaliel*, neque virgâ, quam gerebat, Luciani latus pulſare. Sunt viri doctiſſimi, qui barbara Stephani tumuli vocabula ad Hebræam revocare linguam conantur. *Chelthe*l nimirum, atque *Naſuam*. Chelhel deducunt à חילל *ſaltare*, *Naſuam* vero à נצח *vincere*, & עם *populus*. At cum ſuo hoc etymo pugnant & Orationi Baſilii, & Hebraicæ linguæ. Verba ſunt Baſilii de Stephani tumulo: *Sed & ſubſcriptionem ferebat aſſinem illi, quæ Cruci Dominicæ fuit appoſita. At ſicut illic ſuperſcriptio erat Hebraice, Græcè, Latine, ita hic quoque. Inſculptum erat Martyris nomen linguâ Hebraicâ Κελιὴλ, quod Stephanum, id eſt, coronam interpretere.* Hebræis igitur *Celiel*, id quod Græcis ςέφανος ſignificare debuit, hoc eſt, *coronam*, ſi Autori fides. Sed & Hebræorum ſtylo alia corona, alia ſaltatio eſt, nec חילל vim nominis Stephani exprimit. Probabilius multò *Celiel* in כתר *Cetor* mutaretur, quod Hebræis coronam deſignat. *Naſuam* verò quod attinet, ea vim vocis Νικόδημος utcunque reddit. Cæterùm exuvias Baſilicis ſuas Stephanus inſerri noluit:

Baſil. pag. 494.

Deponuntur autem viri beati reliquiæ, pro eo ac Stephanus ipſe voluerat, pro Hieroſolymorum mœnibus, quo is loco lapidatus. Itaque juſſa Martyris non executi ſunt, qui reliquiarum ipſius particulas loco lapidationis, ubi quieſcere eas voluit, defoſſas extractaſque in Occidentem ſparſas detulere. Neque, uti vulgò jactatur, ex ſepulchro ſuo in *Eccleſiam Sion* tranſlatæ ſunt. Scriptorum hæc diſſidia multas de narratione inventarum Stephani reliquiarum dubitandi cauſas præbent. Si verum quidem volumus, ſepulchri mutatio cœleſtium animarum quietem non ſollicitat, neque rationis aliquid eſſe videtur, cur Stephano, ſive Gamalieli ea cogitatio incideret, quæ quadringentorum ferè annorum curriculo illorum gaudium non interpellarat. Sapientiſſ quidem condita eſt Cani obſervatio:

Can. l. XI. c. 6. 540.

Negare non poſſumus, viros aliquando graviſſimos in Divorum præſertim prodigiis deſcribendis ſparſos rumores & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe. Quâ in re ut mihi quidem videtur, aut nimium illi ſibi, aut Fidelium certè vulgò indulſerunt, quod vulgus ſentiebant, non tantùm ea facilè miracula credere, ſed impensè etiam flagitare. Quòd ſi non omnem Luciano fidem derrahi placet, exiſtimare poſſumus, non Stephanum ipſum, aut Gamalielem è cœlo delapſos eſſe, ſed vi divinâ Stephani vel Gamalielis imaginem Luciano objectum eſſe, ut Protomartyris fides atque pietas in commendatione foret, Judæoſque Ethnicoſque ad Chriſtum colendum permoveret. Quomodo Paulo Apoſtolo viſum apparuit hominis Macedonis ad ferendum popularibus ſuis auxilium ipſum invitantis.

Geſta Hieroſolymitani Conventus.

VII. Ad debellandos Pelagii errores Stephani reliquias auxilio veniſſe, Baronii fert ſententia: quam conjecturam non magni facimus: aliis ſanè opus armis erat ad triumphandum errorem, de quo nunc eſt tractandum. Miramur, nec immeritò, illuſtriſſimum Purpuratum de Conventu Hieroſolymitano, cui adverſus Pelagium præſentem teſtis interfuit Oroſius, in profundum ſilentium diſcendiſſe, non ſine rerum memoratu digniſſimarum injuria. Cùm Pelagius malè jam olere inciperet, Joannes Hieroſolymitanus Presbyteros cogit ſuos, ut de Pelagii innocentia, vel crimine diſquiſitio inſtitueretur. *Julii trigeſimo*, feriâ ſextâ convenere, diebus quadraginta ſeptem ante primam Encæniorum diem, quæ Septembris XIV. affigebatur. Tempus nos Oroſius docuit in ſua Apologia:

Oroſ. Apolog. pag. 450.

Poſt dies XLVII. *cum primo Encæniorum die, ut ſolitus eram, quando aderam ad obſequium Joannis Epiſcopi convenissem.* Favebat Pelagio plurimum Joannes, cui gravitate morum, eruditioneque illuſerat Hæreticus. Ad conventum vocatus Oroſius, Joanne præcipiente conſedit. Adhibetur interpres, qui in errorem propendens perfidè officium adminiſtrabat ſuum, vel perperàm interpretando, vel ſupprimendo. Quem viri primarii Paſſerinus, Avitus, Vitalis, Presbyteri ſæpiſſimè confutarunt. Geſta conventus ſummatim exhibeamus. Ab univerſis requiritur, ut ſi quid de erroribus, quos Pelagius Cœleſtiuſque ſpargebant, in Africa geſtum cognoſceret, fideliter exponeret. Tum narrat Oroſius, Cœleſtium anno CCCCXII. *apud Carthaginem, plurimis Epiſcopis judicantibus, productum, auditum, convictum, confeſſum, deteſtatumque ab Eccleſia ex Africa profugiſſe.* Pelagii libro de Natura, quam Jacobo miſerat, atque Timaſio, Auguſtinum reſpondere: habere ſe præ manibus ipſius Auguſtini Epiſtolam, *Quam nuper ad Siciliam ordinaſſet, in qua multas quæſtiones Hæreticorum retulit.* Jubente Conventu Epiſtola ab Oroſio legitur. Ea ipſa eſt, quæ ſcribitur Hilario, numero 89. Auditâ Epiſtolâ, Pelagius Joanne præcipiente introducitur. Quærentibus omnibus, *hæc quibus Auguſtinus Epiſcopus reſpondiſſet, ſe docuiſſe cognoſceret*, illicò reſpondit, *Ecquis eſt mihi Auguſtinus?* Commovit univerſos tanti Præſulis contemptio hæc, ut palam clamarent, non à Conventu duntaxat, ſed ab *omni Eccleſia pellendum eſſe* blaſphemum. Nihilominus Joannes Pelagium, etſi Laicum, Presbyterorum in conſeſſu ſedere jubens, Auguſtini perſonam ſibi imponit, *Auguſtinus ego ſum*, inquit, ut aſſumptâ liberius autoritate ejus, qui lædebatur ignoſceret. Cui reſpondit Oroſius: *Si Auguſtini ſententiam ſumis, Auguſtini ſententiam ſequere:* Teſtibus reum coargui opus erat, itaque Oroſius talia fatur: *Pelagius mihi dixit, docere ſe hominem poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei facilè cuſtodire, ſi velit.* Fatebatur Pelagius. Ad hæc Oroſius, hoc ab Africana Synodo, hoc ab Hieronymo nuper in Epiſtola ſua ad Cteſiphontem damnatum eſſe prædicat. Joanni verſabatur in animo ſententia, ut ſe Judice Oroſius Actoris munere fungeretur. Laudabat & Abrahæ pietatem, & Zachariæ Elizabetque ſanctitatem,

qui

Digitized by Google

qui in præceptis Dei inculpatè incedebant, quaſi ad diſputandum Oroſium provocaſſet. Poſt multum diſceptationis, negante Oroſio ſe accuſatorem eſſe, dici à pluribus neceſſarium fuit: *Non poteſt quiſquam idem & Hæreticus eſſe, & Advocatus, & Judex.* Eò tandem res proceſſit, ut Joannes datâ ſecundum Oroſö poſtulationem ſententiâ, ad B. Innocentium Papam & partes, & Epiſtolas mitteret, interim Pelagio ſilentium indiceret. Quæ & gratiarum actione, & omnium aſſenſus, & orationis ſigillo ſententia ſancita eſt. Audiatur Oroſius: *Joannes Epiſcopus noviſſimam ſententiam protulit, confirmans tandem poſtulationem, intentionemque noſtram, ut ad B. Innocentium Papam Romanum fratres & Epiſtolæ mitterentur univerſi, quod ille decerneret ſecuturi. Sed ut Hæreticus Pelagius, impoſito ſibi eatenus ſilentio conticeſceret, & ut noſtris ab inſultatione convicii Joannis confuſique temperarent, univerſi in hanc ſententiam conceſſimus.* Conventus hujus mentionem Auguſtinus agitat, libro de Geſtis Palæſtinis: *Meritò*, inquit, *quod geſta indicant, etiam hoc uſus eſt teſtimonio Sanctus Joannes, Hieroſolymitanæ Antiſtes Eccleſiæ, ſicut interrogatus, quæ apud illum ante judicium geſta fuerant, Coepiſcopis noſtris, qui ſimul in illo judicio præſidebant, ipſe narravit.* Quæ de Dioſpolitana Synodo, ut eruditis placuit nonnullis, non ſunt intelligenda.

Oroſ. Ap. 450.

Auguſt. de Geſt. Pal. c. 14.

Oroſius accuſatur blaſphemiæ.

VIII. Intereà Pelagius cum fautoribus ſuis Joannem Hieroſolymitanum in Oroſium commovet, quem blaſphemiæ poſtularunt. Eòque res perducta eſt, ut ipſius commercio uti nollet. Accuſationem ipſe narret Oroſius: *Poſt dies quadraginta & ſeptem, cùm primo Encæniorum die, ut ſolitus eram, & quando aderam, ad obſequium Joannis Epiſcopi conveniſſem, ſtatim ab eo notam falſi criminis pro gratia ſalutationis accepi. Ait enim mihi, Quare ad me venis, homo qui blaſphemaſti? At ego nihil mihi conſcius, interrogavi, Quando, aut quo audiente, aut cujuſmodi illud eſſe dictum, quod blaſphemiæ poſſit aſcribi. Epiſcopus dixit, Ego te audivi dixiſſe, quia nec cum Dei adjutorio poſſit eſſe homo ſine peccato.* Hanc Oroſius calumniam à ſe depellere conatus eſt editâ Apologiâ. Nil tamen moleſtiæ Joanni exhibitum voluit: *Abſit à me unquam, ut ego pauper peccator Epiſcopum, & præcipuè Hieroſolymæ, audeam ad Epiſcopos provocare.* Sed & Oroſii innocentiæ patrocinatus eſt Auguſtinus, à quo diſcimus, à Joanne multa contra Erotem Lazarumque Epiſcopos, Oroſium Presbyterum, alioſque vulgata eſſe, quæ non mendacio quidem, ſed vel oblivioni, vel fraudi interpretis, vel alienæ linguæ imperitiæ aſcribi jubet.

Oroſ. Apolog. pag. 450.

Auguſt. de Geſt. Pal. c. 16.

Synodus Dioſpolitana. Pelagius ab ea abſolvitur.

IX. Perſonam accuſatoris ſibi indui noluerat Oroſius, dum in Pelagium teſtis excitatus eſt. Verùm Epiſcopi fuere, qui ex Occidente in Orientem migrarunt, ut in Hæreticum accuſationem inſtituerent. Ii fuere Eros Arelatenſis, Lazaruſque Aquarum Sextum Epiſcopus, qui Palæſtinam petiere, ut in frequenti Concilio hominem, qui Servatoris gratiam, quâ una ſtat ſalus mortalium, evertebat, penitùs opprimerent. Eorum alter cùm in morbum incidiſſet, libellum accuſationis ſuæ mittunt Eulogio, Cæſareæ Metropolitano. Abſentibus ergo *Lazaro*, atque *Erote* Concilium Dioſpolitanum celebratur. Urbs eſt Palæſtinæ Dioſpolis, quæ priſco nomine *Lydda* vocabatur. Jam labebatur December, ut Luciani docemur Epiſtolâ, cùm Epiſcopo, *Cùm eſſet in Lydda, quæ eſt Dioſpolis, Synodum agens.* Adfuere Antiſtites numero XIV. quorum nomina extant Auguſtini in libro primo adverſus Julianum, c. 5. *Eulogius* ſcilicet Cæſarienſis, qui Synodo præfuit: *Joannes* Hieroſolymitanus, *Ammonianus*, *Porphyrius* Gazenſis, *Euthonius* Hierichuntinus, *Porphyrius* alter, *Fidus*, *Zoſimus*, *Zebenus* Eleutheropolitanus, Nimphidius, Chromatius, *Jovinus* Aſcalonenſis, *Eleutherius* Sebaſtienſis, Clematius. Lectis Erotis & Lazari, uno contra Pelagium, altero contra Cœleſtium libellis, quibus illorum errores continebantur, Synodum Pelagius ingreditur: Auguſtini ſcriptam ad ſe Epiſtolam ſuæ veluti innocentiæ teſtem profert, atque communionis teſſeram. Objiciuntur multa veteratori capita. I. *Quòd diceret, Adam mortalem factum, qui ſive peccaſſet, ſive non, mortuus eſſet.* II. Quod peccatum ipſius ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. III. Quòd infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. IV. Quòd per mortem & prævaricationem Adæ non omne genus humanum moritur, & quòd non per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. V. Infantes etiamſi non baptizentur, vitam æternam habere poſſunt. VI. Divites baptizatos niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei. VII. Gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus donari, ſed de libero arbitrio eſſe, vel in Lege atque doctrina. VIII. Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. IX. Filios Dei non poſſe vocari, niſi omni modo abſque omni peccato fuerint effecti. X. Non eſſe liberum arbitrium etiamſi divino indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid, vel non facere. XI. Victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio. XII. Quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordiâ. Errores hos anathemate cùm ſcripſiſſet Pelagius, à Dioſpolitanis Patribus innocens judicatur. Synodi ſententiam propriis verbis referre juvat: *Quid ad hæc, quæ lecta ſunt capitula, dicit præſens Pelagius Monachus? Hæc enim reprobat S. Synodus, & S. Dei Catholica Eccleſia. Pelagius reſpondit: Iterum dico, quia hæc etiam ſecundum ipſorum teſtimonium non ſunt mea, pro quibus ut dixi, ſatisfactionem non debeo. Quæ verò mea eſſe confeſſus ſum, hæc vera eſſe affirmo, quæ autem dixi non eſſe mea, ſecundum judicium S. Eccleſiæ reprobo: Anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinis. Ego enim in unius ſubſtantiæ Trinitatem credo, & omnia ſecundum doctrinam S. Catholicæ Eccleſiæ. Si quis verò aliena ab hæc ſapit, anathema ſit.* Ut fraudulentum hoc anathema pronuntiatum eſt, Synodus ſententiam hanc promulgavit: *Nunc quoniam ſatisfactum eſt nobis, proſecutionibus præſentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis conſenſit, contraria verò Eccleſiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis Eccleſiæ eum eſſe Catholicæ confitemur.* Itaque fallitur Calviſius, qui Pelagium à Dioſpolitanis erroris convictum, reſipiſcentiam amplexum eſſe tradit.

Auguſt. de Geſt. Pal. c. 19. & c. Inſpiciantur & Retr. l. 2. cap. 47.

Pelagii doctrina à Dioſpolitanis damnata.

X. Sic meritam Pelagius damnationem fraude ſuâ vitavit: exultanſque ac triumphans de

Synodi

ANNO DOM. 415.

Synodi decreto, anni ſequentis ſub initia opiniones ſuas quatuordecim Epiſcoporum ſuffragio comprobatas eſſe, amico cuidam ſcripſit: Poſſe nimirum *hominem ſine peccato eſſe, & mandata Dei facilè cuſtodire ſi velit.* Eſt tamen certiſſimum, Pelagium dum abſolvitur, eſſe domnatum, quia improbantur à Concilio errores, quos ille diſſimulabat, larvâ veritatis ſibi impoſitâ. Sic cenſet Auguſtinus capite XXI. de Geſtis Pelagii: *Neque hoc dicens, Judicum arguo vel negligentiam, vel conniventiam, vel quod ab eis longe abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam, ſed eorum judicio pro merito approbato atque laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus amplius certiuſque notus eſt, non mihi videtur eſſe purgatus.*

Auguſt. de Geſt. Pel. c. 32.

Hinc Proſper de ingratis:

Proſpectum namque eſt, & divino munere cantum,
Ut licet inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidia ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem.
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Itaque temerè quidem in Dioſpolitanos Hieronymus invehitur, quaſi Pelagii dolos præſtare debuiſſent: *Quidquid enim*, inquit, *in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere confitetur.* Quaſi vero mortalium in pectora penetrare, divino munere concederetur. Quàm Zozimo quidem, tam Orientalibus veterator imponere potuit, & reverà impoſuit adhibitâ homonymia. Damnavit dicentes, Adamum non mortalibus, ſed ſibi ſoli peccato ſuo nocuiſſe; ſubintelligebat verò, *exemplo* duntaxat, non tranſmiſſo vitio nocuiſſe. Eos damnavit, qui affirmabant, in eo ſtatu infantes eſſe, in quo fuerat Adam integer. Id verò ſibi volebat, Adamum, non infantes intelligendi præcepti capacem fuiſſe. Fraudulenti hominis verſutiam pingit Innocentius verbis ejuſmodi: *Objecta partim ille vitando ſuppreſſit, partim multa in ſe verba torquendo totâ obſcuritate confudit: aliqua magis falſis argumentis quàm verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsâ interpretatione vertendo.*

Hieron. Ep. 79.

Auguſt. Epiſt. 96.

XI. Pelagiana quoque monſtra hoc anno elidebat Hieronymus. Non multò ante Conventum Hieroſolymitanum vertente Julio coactum, ad Cteſiphontem ſcripſerat Epiſtolam, de qua Oroſius mentionem injecit: *Hoc*, inquit de viro Pelagiano, *hoc & B. Hieronymus, cujus eloquium univerſus Occidens, ſicut ros in vellus expectat, & in Epiſtola ſua, quam nuper ad Cteſiphontem edidit condemnavit.* Hieronymo ſcripſerat Cteſiphon, cui reſpondet, *Non audacter, ut falsò putas, ſed amanter ſtudioſèque feciſti, ut novam mihi ex vetere mitteres quæſtionem.* Sed & labente Julio menſe totus erat in ſcribendo adverſus Pelagianos Dialogo, cujus Atticus Critobuluſque collocutores agunt: quod & Conventui Hieroſolymitano narravit Oroſius: *Similiter & in libro, quem nunc ſcribit, collatâ in modum Dialogi altercatione conſurgit.* Pelagianorum iram movit ille Dialogus, & calumnias. De illo verba ſunt Juliani apud Auguſtinum Op. Imp. l. 4. c. 87. *Quâ fiduciâ tu cum Hieronymi ſcripta collaudes, dicat in Chriſto non fuiſſe peccatum, cùm ille in Dialogo illo, quem ſub nomine Attici & Critobuli mirâ, & ut talem fidem decebat, venuſtate compoſuit, etiam quinti Evangelii, quod à ſe tranſlatum dicit, teſtimonio nitatur oſtendere*

In Pelagianos ſcribit Hieronymus, qui & ab ipſis vexatur.

Oroſ. Apolog.

Chriſtum non ſolùm naturale, verùm etiam voluntarium habuiſſe peccatum, propter quod ſe cognoverit Joannis baptiſmate diluendum. Sic Pelagianorum in odium venit Hieronymus. Quod ut explerent, poſt judicium Dioſpolitanum perditorum cuneus facinus audax perpetrat: *Ut Dei ſervi & ancillæ ad curam Sancti Hieronymi Presbyteri pertinentes, ſceleratiſſimâ cæde afficerentur; Diaconus occideretur, ædificia Monaſteriorum incenderentur, vix ipſum ab hoc impetu atque incurſu impiorum in Dei miſericordiam turris munitior tueretur, tacendum nobis potius video, & expectandum, quid illic fratres noſtri Epiſcopi de his tantis malis agendum exiſtiment.*

Auguſt. de Geſt. Pelag. c. ult.

XII. Tenemus quid erraverit Pelagius: operæ tamen pretium facturi ſumus, ſi quid ſenſerit, paulò accuratius referamus. Tria præcipuè capita ſunt, quæ rectæ fidei contraria Pelagii diſciplinam conſtituebant. Gratiam videlicet hominum meritis à Deo tribui. Deinde mortales dum corpore vivorum, immunes peccati eſſe poſſe. Denique infantes vitii originalis puros in lucem edi. Quæ omnia indicat Auguſtinus libri de Dono Perſeverantiæ, capite primo: *Tria ſunt, ut ſcitis, quæ maximè adverſus eos Catholica defendit Eccleſia. Quorum unum eſt, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, quoniam Dei dona ſunt, & Dei gratiâ etiam conſequuntur merita univerſa juſtorum. Alterum eſt, in quantacunque juſtitia, ſine qualibuſcunque peccatis, in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur.* Argutioris verò nonnullis juſtorum ἀναμαρτησίαν probabat Pelagius, uti liquet ex Hieronymi Dialogo ad Cteſiphontem, in quo Critobulus ad ravim uſque urget: *Aut poſſibilia Deus mandata dedit, aut impoſſibilia. Si poſſibilia, ne in hoc rei ſumus, ſi non facimus.* Fidenter dicimus, primam mali Pelagiani labem in eo ſitam eſſe, quòd vires liberi arbitrii nimis extulerit. Ea de cauſa docebat Critobulus Attico: *Quomodo in cæteris creaturis conditionis ordo ſervatur, ſic conceſſâ ſemel liberi arbitrii poteſtate, noſtræ voluntati omnia derelicta ſunt.* Att. *Ergo ut dixi, non debes a Deo per ſingula auxilium deprecari, quod ſemel meo datum eſt judicio.* Critob. *Si in omnibus ille cooperator, non eſt meum, ſed ejus qui adjuvat, imò qui in me cooperatur, præſertim cùm abſque eo facere nil poſſim.* Cæterùm gratiam Dei quod attinet, quam ad ſingulos pietatis actus neceſſariam Religio prædicat, ſolemne Pelagio fuit, tria diſtinguere, poſſe, velle, facere, de quibus ſententiam ſic oſtendit ſuam: *Nos ſic tria diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in libero arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id eſt, poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit. Duo verò reliqua, hoc eſt, velle, & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt, imò & hominis & Dei, qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio. Quod verò homo poteſt perficere atque velle, bonum ſolius Dei eſt.* Ac primâ ſpecie ad verum hæc dirigi poſſent, cùm voluntatis actus ab homine editos eſſe, certum exploratumque ſit. Eſt enim homo, qui vult amare Deum,

Quænam de Chriſti gratia Pelagii opinio fuerit?

Hier. adv. Pel. l. 1. c. 8.

Hier. adv. Pel. l. 1. c. 1.

Aug. de lib. Arb. l. 3. c. 4.

vult

Anno Dom. 415.

vult reſipiſcere, vult inhærere Chriſto. Sed & recta ſapere ea videntur, quæ de gratiæ jactat auxilio. Cùm verò quid hoc auxilii quæritur, quidve illud poſſe, quod ſoli Deo aſcribit, tum ſaoè virus quod latebat præclaris involucris, ſubitò incurrit in oculos. Ac multos ſenſim auxilii gradus admiſit, ut ex Auguſtino liquet:

Aug. de Hær. c. 88.

Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda correctioni eorum hactenus ceſſit, ut non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubetur arbitrium, facilius poſſint impleri per gratiam. Dicendo utique ut facilius poſſint, voluit credi, etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa. Primum ergo Pelagius vires arbitrii patrandis bonis operibus idoneas eſſe putabat: quod etiam ex ipſius opinione conficitur, quæ peccatum originis pro nihilo habuit. Sic vires liberi arbitrii morales, non attritæ, non ſauciæ, non exhauſtæ, quibus integris homo utebatur, ut ad bonum, vel malum ſe pro libitu converteret. Aliud auxilii hominibus Pelagius comparavit, quod externum eſt, doctrinam ſcilicet, egregiaque exempla, quibus ad agendum excitamur. Audiatur iterum Auguſtinus:

Aug. de grat. Chr. c. 3.

Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio, aut in Lege atque doctrina: ut videlicet cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo, & faciat bonum, revelando & oſtendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur, non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat. Loca plurima ejuſmodi laudatus liber ſuppeditat. Paulò liberalior factus Pelagius, externis dein auxiliis internum etiam adjunxit, mentis ſcilicet illuſtrationem. Ipſe ſententiam aperiat ſuam:

Aug. de Grat. c. 7.

Adjuvat, inquit, *nos Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat.* Verba hæc, *cordis noſtri oculos aperit*, ſunt inprimis conſideranda. Aliud eſt enim objecti ad mentem appulſus, aliud cordis apertio. Illud antecedit, hoc ſequitur. Evangelium miniſtrat Paulus, Lydiæ Deus *cor aperit*, ut via in dubio poni poſſit, quin internam mentis à Deo illuſtrationem Pelagius admiſerit. Quid ergo peccavit Pelagius? Nimirum potentiſſimam Dei gratiam reſpuebat, quâ voluntas emendatur, atque ad amplectenda vera bona efficaciſſimè movetur. A qua quidem putabat libertatis naturam prorſus everti. Hinc Auguſtino ſcriptum:

Aug. de lib. Arb. l. 3. c. 8.

Apparet hanc eum gratiam confiteri, quâ demonſtrat & revelat Deus, quid agere debeamus, non quâ donat atque adjuvat, ut agamus. Ea verò Pelagii doctrina pugnat Scripturæ atque pietati, utpote quæ, quod præſtantius eſt, aſcribat homini, quod minus Deo. Actus enim voluntatis toto impetu in ſanctitatem ruentis illuminatione mentis longè excellentior eſt, cum ea ad permovendam voluntatem, veluti ad finem ſuum comparatus. Debitas quoque Deo laudes ea ſententia perimit. Fingamus nobis animo duos homines, quorum mentibus parem lucis copiam Deus fœneravit. Unus verò ſalutem reſpuat, alter amplectatur. Eo quidem caſu qui ſalvatur, non majores Deo grates, quàm ille qui damnatur, perſolvere debet.

Anno Dom. 415.

Quin etiam ex ea Pelagii ſententia conficitur, de damnato magis quàm de ſervato Deum eſſe meritum. Quippe ſervatus vi ſuæ libertatis pauciores illuſtrationis gradus in ſalutem verret ſuam, dum damnatus copioſiorem menti inditam à Deo lucem extinguet. Gratum verò affectum animi ex collatis beneficiis meriti debemus. Denique non verè candidèque precari quis poteſt, *Laus tibi ſit, Chriſte*, quòd increduli hominis alicujus, cui par illuſtratio indulta eſt, prorſus diſſimilis fiat, quod cum pietate quàm maxime pugnat.

De Pelagianorum morali.

XIII. Pelagii errores admonent nos, ne de ipſius morali taceamus, quæ à perſonæ vitiis etiam atque etiam diſtingui debet. Articulorum ipſius unus ille fuit,

Lab. Conc. t. 2. 1531.

Quòd oblivio & ignorantia non ſubjaceat peccato, quoniam non eveniant ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem. Quod axioma ignorantiâ *invincibili* verum eſſe exiſtimamus, ſed ad *vincibilem* Pelagius illud accommodaſſe videtur. Eſt enim ignorantia affectata duplicis generis, *poſitiva*, cujus actu ſuo voluntas ipſa cauſa eſt: qualis in multis reperitur, qui ad veritatem erigere mentes animumque detrectant, ne utilitatibus ſuis ſit detrimento. Neque eo inſipientiæ Pelagiani delapſi ſunt, ut ignorantiam ejuſmodi criminis expertem eſſe cenſerent. Eos quippe graviſſimè Job perſtringit, qui dicunt Deo,

Job. 21. 17.

Recede à nobis, nam notitiâ viarum tuarum non delectamur. Iſte quidem contemptus veritatis eſt maximus, quæ fluxis caducisque bonis poſtponitur, quibus tamen præſtat plurimum. Alia verò ignorantia *negativa* eſt, quam voluntatis quidem actus non procreat, manat tamen utcunque à voluntate, quæ diligentiam non adhibet omnem, ut tenebræ mentis diſcutiantur. Quippe feriatur, & otioſa eſt, cùm negotioſa eſſe debet, non ſine vitio ſuo. Atque ignorantiam *negativam* illam eſſe exiſtimamus, quam Pelagius eximebat peccato, ut ex Patribus colligimus. Auguſtinus libro de Natura & Gratia, c. 17. *Tractat etiam iſte*, inquit, *de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem prævigilare debere, ne ignoret. Ideòque culpandam ignorantiam, quia homo id neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet.* Pro ignorantiæ, vel *negativa* peccatis ſacrificis perpetrabantur:

Levit. 5. 2.

Cùm tetigerit quiſpiam rem immundam, aut cadaver feræ immundæ, & ſi abditum fuit ab eo, ipſe tamen immundus eſt, & reus. Cujus diſciplinæ ratio hæc eſt, quòd Dei præceptis mens attendere debeat. Negativam ignorantiam Pelagio peccatum non fuiſſe, eximiè oſtendunt verba Critobuli apud Hieronymum in ſuo adverſus Pelagianos Dialogo l. 1. c. 10. *Rogo, quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei quam neſcio, pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Verba quidem Pelagii, *quoniam non eveniant ſecundum voluntatem*, actum innuunt à voluntate productum, quo ceſſante, *neceſſitatem* eſſe fingebat: tamen cùm debiti actus ex negligentia intermiſſio ad voluntatem quoque referenda ſit. Itaque Hieronymus in primo adverſus Pelagianos Dialogo c. 12. multis probat *ignorantiam peccatum eſſe*, illam ſcilicet, quam *negativam* appellamus, affertque pro argumentis & cladem Uzæ, manum mittentis, *ut ſuſtentaret inclinatam Arcam*; & verba Ezechielis:

Ezech. 46.

Iſte eſt locus, ubi coquere debent Sacerdotes hoſtiam pro peccato, & pro ignorantia.

ANNO DOM. 415.

Inſpiciatur & caput decimum primi Dialogi. Splendente fuco Pelagiana moralis tegebatur, quæ gloriam & veſtium, & divitiarum pro nihilo putabat. Hæc obtrudebant hominibus:

Aug. Ep. 89.

Divitem manentem in divitiis ſuis regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec ei prodeſſe, ſi forte ex ipſis divitiis mandata fecerit. Quâ arte non neſciebantineſcare homines, qui ad ipſos divitiarum ſuarum penum omnem congerebant: qua de re perſtringuntur ab Hieronymo:

Hier. adverſ. Pel. l. 2. c. 4. 538.

Vos de craſtino non cogitatis, & inſtar avium, præſentibus contenti eſtis, quorum Epiſtola biblina volitans trans flumina Æthiopiæ, ut inter ſimias & pavas nova de Ophir Salomonis dona mittantur. Sordebat quoque Pelagianis ſplendor veſtium. Hinc Critobulo ea loquitur Atticus:

Hier. adverſ. Pel. l. 1. c. 9. 532.

Adjungis, gloriam veſtium, & ornamentorum Deo eſſe contrariam. Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuera mundiorem: ſi Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint? Cavete, Clerici; cavete, Monachi, viduæ, & Virgines, periclitamini, niſi ſordidos vos, atque pannoſos vulgus aſpexerit. Fuit & ſententia Pelagii, fœminas & in Eccleſia pſallendum eſſe, quod noſtro judicio Hieronymus improbare non debuit:

Hier. adv. Pel. l. 1. c. 9. 531.

Quis ignorat pſallendum eſſe fœminis in cubiculis ſuis, & abſque virorum frequentia & congregatione turbarum. Verùm tu donas, quod non licet, & quod verecundè facere debeant, & abſque ullo arbitro magiſtri auctoritate proclament. Poſſunt quidem mulieres abſque magiſtri autoritate cantare laudes Deo. Moralis ſuæ delinimentis mortalium animos ſanctitatis ſpecie captos, ad ſe Pelagius alliciebat. Hæc verò utut ſpeciei & pompæ plena, fumus & umbra fuere, utpote intolerandæ ſuperbiæ referta, cùm jactaret hominem ſine peccato eſſe poſſe, virtutumque ſuarum laudem ſibi aſſereret. Qua de re egregia ſunt verba Hieronymi eodem capite: *Tu ipſe, qui Catonianâ nobis inflaris ſuperbiâ, & Milonis humeris intumeſcis, quâ temeritate peccator magiſtri nomen aſſumis? Aut ſi juſtus es, & humilitate ſimulas peccatorem, mirabimur atque gaudebimus habere te ſolum, & poſſidere cum ſociis, quod nec Patriarcharum, nec Apoſtolorum quiſpiam habuit.* Ex Pelagianis complures fuere, qui retentâ ſuâ opinione, dum occaſio dabatur, cum Catholicis Euchariſtiam percipiebant. Teſtis Prædeſtinatus:

Prædeſt. Hær. 88.

Pelagiani, ſeu Cæleſtiani Catholicæ plebi permixti ſunt, quia Eccleſiam aliam non habent: & ideò ubi eis evenerit, communionem non renuunt. Dicunt enim, unius Confeſſionis eſſe in hac parte, in qua Euchariſtia conficitur. De quæſtione enim, aiunt, non de communione diſcernimur. Pro hoc auſu, & à noſtris ſi deprehenduntur, periculis ſubjacent, & à ſuis execrationi habentur. Ignavia quidem mollium Pelagianorum ea fuit. Sed ea Catholicorum diſciplina, qui cum hominibus ejuſmodi & Sacramenta uſurpare, & permiſceri nolebant, eos ſanè improbat, qui in maximis Religionis capitibus diſſidentes, vi adhibitâ ſacris adeſſe cogunt.

Diſſidia Oreſtis & Cyrilli. Judæi Alexandriâ pulſi.

XIV. Relictâ Palæſtinâ, quid rerum in Ægypto geratur, eſt inſpiciendum. *Oreſtes* Præfectum agens Alexandriæ, inviſam habens Epiſcoporum dominationem, quæ de Magiſtratuum poteſtate plurimum decerpebat, non ſatis benevolo erat in Cyrillum pectore actorum ipſius exploratorem. Die Sabbati, quo Judæi otioſo erant animo, ſcenicis ſpectaculis vacabant. Forte contigit eo tempore, Oreſten in theatro, quæ ad ludos & ſpectacula pertinebant, conſtituere. Id ſibi volunt verba Socratis à Baronio non intellecta, πολιτείαν ἐν τῷ θεάτρῳ ποιοῦντος, quod Gallicè diceretur, *regler les affaires de police ſur le theatre.* Solemne quippe Romanis Magiſtratibus, in quibuſcunque locis vellent, jus dicere, & vel in ipſo amphitheatro. Aderant tum Cyrilli fautores, ut quid à Præfecto diſpoſitum eſſet, cognoſcerent. Verſabatur inter eos *Hierax*, humilioris Literaturæ Magiſter, Cyrilli in concionibus plauſus excitare ſolitus. Quem ut conſpexere Judæi, exclamant non alia de cauſa veniſſe, quam ut populum ad ſeditionem excitaret. Correptum ergo Hieracem Oreſtes publicè in theatro tormentis ſubjecit. Quo cognito, Cyrillus acceſſitis Judæorum Primatibus mala minatur, niſi à tumultu in Chriſtianos movendo abſtineant. Nimis exaſperati Judæi, ſigno inter ſe dato, ut unuſquiſque ipſorum annulum ex cortice ſurculi palmici geſtaret, nocturnâ pugnâ Chriſtianos aggredi ſtatuunt. Mittunt viros ad id comparatos, qui per urbis regiones clamarent, Eccleſiam quæ dicitur *Alexandri*, incendio conſumi. Ad quod extinguendum cùm Chriſtiani venirent, impetu in ipſos facto Judæi interficiunt. Ortâ luce ſceleris autores non latuere. Quo commotus Cyrillus, Judæos expulit Alexandriâ, ipſorum facultatibus plebi diripiendis conceſſis. Cyrilli factum Oreſtes quàm moleſtiſſimè tulit, quo nimirum urbs nobilis repentè tot incolis viduaretur. Rem ad Imperatorem refert, ſed & Cyrillus Judæorum ſcelera Principi ſignificat. Intereà à populo Cyrillus compellitur, ut reconciliandæ amicitiæ Legatos ad Oreſtem mitteret. Quos cùm non admitteret, Evangeliorum ipſi Codicem protendit Cyrillus, ejus reverentiâ pudorem ſe incuſſurum ſperans. Neque eâ ratione Oreſtes iram depoſuit, unde inter utrumque bellum implacabile perſeveravit.

Socr. l. 7. c. 13.

Monachorum in Oreſtem ſeditio. Ammonius cruciatur.

XV. Non multò pòſt Nitriæ Monachi, quos in Longos fratres Theophilus armaverat, pro Cyrillo pugnare ſtatuunt. Alexandriam ut venere, quingenti circiter Præfectum in vehiculo procedentem contumeliis afficiunt. Paganum vocant, & immolatorem, ac ſe ab Attico baptizatum clamantem, Monachorum unus Ammonius lapide jactu in capite percutit. Quo ictu cum cruore totus reſpergeretur, apparitores omnes diffugiunt. Verùm populus ſuppetias Oreſti laturus ut venit, Monachos in fugam vertit, Ammoniumque comprehenſum Præfecto ſiſtit. Qui tormentis hominem ſubjectum, eò uſque excruciavit, quoad vitam ei adimeret. Receptum Ammonii corpus, mutato nomine in Thaumaſii Cyrillus Eccleſia condidit. Martyrem etiam vocari juſſit, multis palam laudibus proſecutum, utpote qui pro pietate tantum certamen ſubiiſſet. Quod Cyrilli in Ammonium ſtudium prudentiores non probavere. Quippe temeritatis ſuæ pœnas dederat, abſque fidei certamine. Cyrillus ipſe tandem hujus rei memoriam ſilentio paulatim obliteravit.

Socr. l. 7. c. 14.

Hypatis Philoſopha occiditur.

XVI. Simultatem utriuſque excitavit caſus, prioribus haud abſimilis, qui illuſtrem fœminam nomine *Hypatiam*, Theonis Philoſophi filiam morti miſit. Ad tantam eruditionem pervenerat, ut omnes ſui temporis Philoſophos longo intervallo ſuperaret. In Platonicam ſcholam à *Plotino*, ait Socrates, verius ab *Ammonio* deductam a

tam a

ANNO DOM. 415.

tam, ſucceſſerat. Doctiſſimæ fœminæ auditor fuerat *Syneſius* Ptolemaidis Epiſcopus, cujus ad Hypatiam complures ſunt Epiſtolæ. Ipſius modeſtia omnibus venerationi erat. Mulierem meliore fato dignam inceſſit calumnia, quòd per ipſam ſtaret, quominus Cyrillum inter & Oreſtem, cujus colloquio crebrius utebatur, amicitia conciliaretur. Tum viri ardentioris animi, quorum Dux erat *Petrus* Lector, conſpiratione factâ, Hypatiam è ſella detractam ad Eccleſiam, quæ Cæſareum vocatur, rapiunt, veſtibuſque exutam, teſtis interimunt. Deinde diſcerptæ membratim artus, in locum quem *Cinaronem* dicunt, comportatos comburunt. Facinoris crudelitatem intendit tempus, quo patratum eſt. Menſis erat Martius, cùm jejunia celebrabantur, anno IV. Epiſcopatus Cyrilli, Honorio X. & Theodoſio VI. Coſſ. Quod flagitium & Cyrillo, & Alexandrinæ Eccleſiæ, infamiam attulit.

Socr. l. 7. c. 15.

Extat in Lupi Sylloge, c. 218. Hypatiæ ad Cyrillum Epiſtola. Quærit ab eo, qui dici poſſit Deum non viſum modò, ſed cruci etiam affixum? cùm Joannes ipſe teſtetur, *Deum nemo vidit unquam.* Falſò tamen Epiſtola Hypatiæ vindicatur, utpote quæ Neſtorii exulem agentis meminerit: *Neſtorius igitur, qui modò in exilio conſtitutus eſt, Apoſtolorum prædicationes expoſuit.* Non ante annum Dom. CCCCXXXV. ea Epiſtola concinnata eſt, triginta annis Hypatiæ poſt obitum. Quòd ſi Epiſtolam ſinceram eſſe placet, diverſæ quidem à noſtra Hypatiæ tribuenda eſt.

ANNO DOM. 416.

ANNO U. C. 1169. PER. JUL. 5129. JUL. 461. DOM. 416. HONOR. 24. & 22. THEODOS. 15. & 9. *Sol.* 5. B A. *Lun.* 18. *Indict.* 14. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 2. *April.*

COSS. *Theodoſius Aug.* VII. *&* *Palladius.*

De ſupremo anno Ataulfi. Mors & funus.

I. PRæſente, vel proximo ſanè anno Ataulfum Gothorum Principem mortalitatem exuiſſe, nobis eſt certiſſimum. Hoc, vel illo exceſſerit, difficultatis aliquid habet, ob diſcrepantem Veterum Chronologiam. Proſper quidem Ataulfi obitum in anno CCCCXV. conſignat: *Honorio* X. *&* *Theodoſio* VI. *Ataulſus à quodam ſuorum vulneratus interit, regnumque ejus Vallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, invaſit.* Chronicum quoque Alex. Proſperi deſcendit in ſententiam: Eodem Conſulatu *menſe Septembri* VIII. *Kal. Octobres die Veneris, nuncius allatus eſt de cæde Ataulfi Barbari.* At Idacius, cui magis & aſſentimur, Ataulfi obitum cum anno Honorii XII. copulavit, qui Dionyſianus eſt CCCCXVI. Eſt autem non minimi momenti teſtimonium Scriptoris & Hiſpani, & Ataulfo coævi: *Ataulfus*, inquit, *à Patritio Conſtantio pulſatus, ut relictâ Narbonâ Hiſpanias peteret, per quendam Gothum apud Barcinonem inter familiares fabulas jugulatur.* Idacii Chronologiam veram eſſe, ex Olympiodoro cognoſcitur, qui Conſtantii & Placidiæ nuptias Cal. Januar. anni CCCCXVII. celebratas eſſe memorat. Quibus dies citius dictus fuiſſet, ſi Ataulfus anno CCCCXV. periiſſet, cùm reddita Honorio Placidia fuerit eo ipſo anno, qui Ataulfo mortem attulit, Conſtituto Gothi Principis anno ſupremo, mortis circunſtantias exequatur Olympiodorus: Interficitur Ataulfus, *dum equos ſuos in ſtabulo de more contemplatur, à Gotho quodam ejus domeſtico, Dobbii nomine, cùm hanc veteris odii vindicandi occa-*

Phot. Bibl. p. 187.

ſionem ille captaſſet. Hujus enim prior Dominus Gothicæ partis Rex fuerat ab Ataulfo è medio ſublatus. Exinde Dobbium receptum in ſuam familiam aſciverat, qui in ultionem prioris Domini, alterum hunc injectâ manu violentâ ſuſtulit. Moriens Ataulfus injunxit, Honorio fratri ſuo Placidiam reddi, utque ſi quomodo poſſent, Romana ſibi gentis concordiam amicitiamque Gothi conciliarent. At qui ſucceſſit Sarus frater Singericus, ſtudio potius ac vi, quam ſucceſſione aut lege creatus, Ataulfo è priore conjuge liberos, vi è ſinu Sigeſari Epiſcopi abreptos occidit. Atque ipſam Placidiam Reginam in Ataulfi contumeliam pedibus ante equum, unà cum cæteris captivis ambulare coëgit: idque toto illo ſpatio, quod eſt ab urbe ad duodecimum uſque lapidem. Septem ille dies cùm imperaſſet, interemptus eſt, & Gothorum Dux Vallia conſtituitur. Barcinone corpus Ataulfi conditum Epitaphio fuit inſignitum:

ANNO DOM. 416.

Bellipotens valida natus de gente Gothorum
Hic cum ſex natis, Rex Ataulfe, jaces.
Auſus es Hiſpanas primus deſcendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virûm.
Gens tua tunc natos & te invidioſa peremit,
Quem pòſt amplexa eſt Barcino magna gemens.

Regnabat Vallia, cùm juſta hæc Ataulfo, filiiſque ipſius ſoluta ſunt.

II. Valliam Gothi ad regiam dignitatem evexerant, ut factam cum Romanis pacem infringeret, quam tamen firmavit benigno Deo. Scitu ea de re non injucunda leguntur in Oroſio: *Vallia territus maximè judicio Dei, quia cum magna ſuperiore ab hinc anno, Gothorum manus, inſtructa armis navigiiſque tranſire in Africam moliretur, in duodecim mille paſſuum Gaditani freti tempeſtate correptâ, miſerabili exitu perierat. Memor etiam illius accepta ſub Alarico cladis, cùm Gothi in Siciliam tranſire conati, in conſpectu ſuorum miſerabiliter arrepti & demerſi ſunt, pacem optimam cum Honorio Imperatore, datis lectiſſimis obſidibus pepigit.* Honorius inſtante Conſtantio Placidiam repetebat. *Euplutius* ergo Magiſtrianus ad Valliam mittitur, qui pacis fœdera iniret, Placidiamque reciperet. Honorius miſſâ frumentatione ſexcentorum millium, Placidiam Euplutio traditam accepit. Conſtitutâ pace Vallia *Alanis, Vandalis, Silingis in Luſitania & Bœtica ſedentibus adverſatur.* De pace quoque impetranda Barbari Legatos ad Honorium ſuos miſere, quorum verba refert Oroſius: *Tu cum omnibus pacem habe, omniumque obſides accipe. Nos nobiſcum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus. Immortalis verò quæſtus erit Reipublicæ tuæ ſi utrique pereamus.* Hic prudentia Conſtantii non minus quàm virtus inclaruit: *Fredibalum Regem gentis Vandalorum, ſine ullo certamine ingenioſe captum, ad Imperatorem Honorium deſtinat.* Quæcunque verò cauſa interceſſerit, pax erepta fuit, eòque anno ſequente, qui Honorii eſt XXIII. refert hæc Idacius: *Vallia Rex Gothorum Romani nominis cauſâ intra Hiſpanias cædes magnas efficit Barbarorum.*

Vallia pacem cum Honorio conſtituit. Placidiam reddit.

Oroſ. l. 7. c. 43.

Phot. Bibl. p. 190.

Idac. Chr.

Oroſ. l. 7. c. 43.

Idac.

III. Res Orientalis Imperii diu nos non detinebunt: Conſtantinopoli *ex porphyretica columna, in qua Conſtantinus Magnus Imperator ſtetit, ab inferiore lapide avulſus eſt lapis magnus noctu, menſe Dyſtro, v. Kal. Apriles, illuſcente jam feriâ tertiâ* Sed eodem anno columnæ compages ſevinctæ ſunt, & colligatæ. Urſus Regiæ Urbis Præfectus ob victoriam de Attalo relatam ludos IV. Cal. Julii celebravit, qui eadem

Res Conſtantinopolitanæ.

dem de cauſa Nonis Juliis ſunt repetiti. Oblata & ab Urſo ſunt Imperatori munera, *Theodoſius Junior Heracleâ Conſtantinopolim reverſus, in foro Theodoſiano aureâ coronâ ab Urſo Præfecto urbi, & Senatu, menſe Septembri pridie Kal. Octobr. die Sabbati ornatus eſt.* Hæc nos Faſti Græci monuere.

Synodus Carthaginenſis in Pelagium.

IV. Maximam rerum Eccleſiaſticarum partem hujus anni illa ſibi vindicant, quæ adverſus Pelagium ſunt in Africæ Synodis conſtituta. Incipiamus à Carthaginenſi, quæ Milevitanæ anteceſſit. Ac primum obſervare cogimur, hujus Concilii Hiſtoriam ab N. Alexandro non accuratè ſatis ſcriptam eſſe: *Miſſis*, inquit, *ab Oroſio Erotis & Lazari literis, Aurelius Synodum ſolemni more congregavit Carthagine.* Quæ multum à verbis Carthaginenſium diſcrepant: *Cum ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſolemniter veniremus, atque ex diverſis cauſis congregata ex nobis Synodus haberetur, Compreſbyter noſter Oroſius nobis literas S. fratrum & Conſacerdotum dedit Erotis & Lazari.* Non igitur *miſſa*, ſed *data* ab Oroſio literæ, utpote qui præſens Synodo interfuerit. Sed & oblatæ ſunt, Carthaginenſibus jam congregatis, Erotis & Lazari Epiſtolæ, ne dum in cauſa fuerint, cur unà convenient. Conſtabat Synodus LXVII. Epiſcopis, quorum nomina etiamnum leguntur in Epiſtolæ titulo, de more verò his præerat Aurelius Carthaginenſis. Nomina nobiliſſimi cœtus referre non piget. Aurelius, Numidius, Ruſticanus, Fidentius, Evagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publicanus, Theaſius, Tutus, Pantoninus, Victor, Reſtitutus, alius Reſtitutus, Ruſticus, Fortunatianus, Ampelius, Avitius, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Poſthumianus, Triſpulus, Victor, alius Victor, Leucius, Mecinus, Fructuoſus, Fauſtinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Macarius, Ruſticus, Rufinianus, Proculus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quotvultdeus, Pentadius, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majorinus, Juventius, Candidus, Cypsianus, Æmilianus, Romanus, Africanus & Marcellinus. Periere Acta Synodi. Supereſt duntaxat Epiſtola, quam Innocentio Epiſcopo Rom. ſcripſere. Lectis Erotis Lazarique Epiſtolis, communi conſpiratione omnium hæc ſtatuunt, quæ Innocentio referunt: *Pelagium & Cæleſtium, auctores nefarii prorſus, & anathematizandi ab omnibus nobis erroris advertimus.* Subjiciunt, *licet ante ferme quinquennium*, anno videlicet CCCCXII. damnato Cœleſtio, *excîſum hoc tantum vulnus ab Eccleſia videretur*, erroris tamen auctorea, quamvis & ad Presbyterium Cœleſtius perveniſſe dicatur, *niſi hac apertiſſimè anathematizaverint, ipſos anathematizari oportere*, quod extollendo liberum arbitrium nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus. Optant cum Decreto hoc ſuo, Apoſtolicæ ſedis autoritatem conjungi emendandæ perverſitati. Non eſt id quidem prætereundum, Carthaginenſes appellationis, quam ad Innocentium Cœleſtius inſtituerat, ſecuros, de illo judicium protuliſſe ſuum, quo anathemate percutitur, niſi errores ſuos apertiſſimè damnet. Ex quo etiam intelligitur, ultimam in Pelagium Cœleſtiumque ſententiam pronuntiatam non fuiſſe, ut præciſè à Carthaginenſibus Eccleſiaſticâ communione exſcinderentur: ſed ſub conditione aliqua, niſi errores *anathematizaverint*. Verba ſunt Synodi: *Etiamſi Pelagius Cæleſtiuſque correcti ſunt, vel ſe iſta numquam ſenſiſſe dicunt, & quæcunque ſcripta contra eos prolata fuerint, ſua eſſe negabunt, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur, generaliter tamen quicunque dogmatizat & aſſirmat humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratia Dei, qua Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adverſarius invenitur, anathema ſit.* Acceptâ Carthaginenſium Epiſtolâ, ipſis reſcripſit Innocentius, cujus reſponſio exarata eſt VI. Cal. Februarias anni proximè ſequentis.

N. Alex. Secul. 5. 159.

Aug. Ep. 90.

Milevitana Synodus in Pelagianos.

V. Carthaginenſem Synodum excepit Milevitana, circa finem Octobris coacta. Quin poſterior fuerit, non venit in dubium. Hinc Milevitani in ſua ad Innocentium Epiſtola: *Hac ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta dirigimus, imitantes Carthaginenſem Eccleſiam, & Carthaginenſis Provinciæ Coepiſcopos noſtros.* Sed & Auguſtinus in ſua ad *Valentinum* Epiſtola Milevitano Carthaginenſe Concilium præpoſuit, utpote antiquius. Milevitanis numero ſexaginta caput erat *Silvanus* Zumnenſis, qui ob ſenectutem Primatum obtinebat. Nil anathematis in Pelagium Cœleſtiumve jaculantur, quibus benigna potius adhiberi remedia cupiunt: *Perniciosiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius & Cæleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanari malumus, quam deſperatâ ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat.* Nondum Acta Dioſpolitana Afris innotuerant, cùm celebrata ſunt ea Concilia, ut planum eſt ex Auguſtini ad Paulinum Epiſtola: *Miſſa ſunt ex duobus Conciliis, Carthaginenſi & Milevitano relationes ad Apoſtolicam ſedem, antequam geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos Provinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent.* Milevitani porrò Carthaginenſes imitatione proſecuti, ſcripto Innocentium Papam adeunt, ut ejus autoritate graviora Pelagiani errores vulnera acciperent. Rogant ergo in Apoſtolica ſede collocatum, *ut magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam adhibere dignetur.* Eam hæreſim dicunt graviſſimi eſſe momenti, utpote gratiæ Chriſti inimicam, quæque & orationem Dominicam nobis auferre conetur. Tam Milevitanæ, quàm Carthaginenſis pietatem Synodi, ut nonnulli putant, carminibus Proſper celebravit, dum ſic Africam compellat:

Aug. Ep. 92.

Ibid.

Aug. Ep. 106.

Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Proſp. de Ingr.

Synodi utriuſque literas Innocentio attulit Julianus Epiſcopus, qui & Milevitanis reſpondit, datâ Epiſtolâ ſexto Calend. Februarii Honorio Auguſto & Conſtantio Coſſ. qui annum CCCCXVII. aperuere.

Condideritne Milevitani Canones aliquos in Pelagium?

VI. Hic ſubdifficilis quæſtio exoritur, Canoneſne erroribus Pelagii damnandis Milevitani condiderint. Affirmat Baronius, quem Binnius, Perronius, Cabaſſutius, eruditorumque complures ſequuntur. Verba ſunt illuſtriſſimi Purpurati: *Extant eo argumenta Canones octo, perperàm relati ad aliud Concilium Milevitanum, an eà celebratum ſub Conſulatu Arcadii & Honorii.* Non neſcimus quidem, Conciliorum in editionibus

Bar. An. 416. n. 10.

Anno Dom. 416.

nibus plures aſcribi Milevitano Canones, quorum octo ad fidem contra Pelagianos pertinent, decem verò ad diſciplinam. Baronii quoque ſententiæ probabilitas affertur ex Turonenſi Concilio ſecundo, anno circiter 567. celebrato, qui Milevitanorum Canonum meminit. Verba ſunt Concilii hujus: *Cùm etiam id in antiquis Milevitanis Canonibus fuerit ſtatutum. Item placuit, ut quicunque Epiſcopum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquis etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, ſeu velavit intra* XXV. *annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſtis annorum numero conſtitutum eſt.* Jam verò Canon Milevitanus à Turonenſibus laudatus, Milevitanorum eſt ſextus & vigeſimus. Argumentum tamen, in quo Milevitanorum Canonum patroni ſibi triumphare videntur, eſt nihili, cùm id unum oſtendat, antiquam eſſe Codicum corruptionem & perturbationem, qui Milevitanæ Synodo ſecundæ iſtos Canones aſcripſere.

Turon. 2. c. 20.

Milevitani nullos in Pelagium Canones condidere.

VII. Libentes verò Juſtelli, Garnerii, Schelſtrati, aliorumque ſententiæ nos addemus, qui Canones octo contra Pelagianos negant Milevitanæ Synodi eſſe. Primum nobis argumentum exhibet Codex Eccleſiæ Africanæ, qui octo contra Pelagium Canones, quos Baronius Patribus Milevitanis aſcribit, Carthaginenſi Concilio, anno CCCCXVIII. celebrato vindicat. Codicis verba, quæ extant c. 108. ſuo tempore recitabimus. Quâ obſervatione luce clarius eſt, Collectoris imprudentiâ Canones in Pelagium Carthagini conditos, Milevitanis Patribus perperàm aſcriptos fuiſſe. 2°. Duos duntaxat Pelagii errores perſtringunt Milevitani in ſua ad Innocentium Epiſtola: *Hæc interim duo, quibus omne totum, quòd Chriſtiani ſumus, conantur evertere, quæ fidelia corda ſuſtineant, non eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandum juſtitiam ſit noſter adjutor, & non opitulari parvulis ad conſequendam vitam æternam, Chriſtianæ gratiæ Sacramentum: hæc inſinuantes Apoſtolico pectori tuo, non habemus opus multa dicere.* Eſt autem incredibile, duos duntaxat Pelagianorum errores Milevitanorum in Epiſtola accuſatos fuiſſe, ſi octo ſectæ hujus articulos octo Canonibus damnaſſent in ſua Synodo. 3°. Subditi Milevitanis Patribus Canones variis Pelagianos anathematibus obruunt. Quo liquidò conſtat, Milevitanorum non eſſe, qui hæc in ſua Synodica profitentur: *Pelagium & Cœleſtium quidem in Eccleſia ſanari malumus, quàm deſperatâ ſalute ab Eccleſia reſecari.* Atqui prorſus reſecaſſent, ſi octo Canonum jacula in Pelagium torſiſſent, atque Cœleſtium. Quid eſt enim reſecare ab Eccleſia, niſi Anathemate errantes obruere? 4°. Synodicâ Innocentium ſuâ ſic compellant: *Arbitramur autoritati ſanctitatis tuæ, de claro Scripturarum lumine depromptæ, faciliùs eos, qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros, ut de correptione potius eorum gratulemur, quàm contriſtemur interitu.* Ultima verò pœna à Synodis denuntiatur, cùm anathemata torquent in Hæreticos, de quorum correptione jam deſperatum. 5°. In Epiſtola ſua ad Innocentium Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, Poſſidius hæc dicunt: *Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortaſſe correctus eſt, quod utinam ita ſit.*

Auguſt. Ep. 92.

Quis verò credat, ea de Pelagio ſenſiſſe, ſi paucis antè diebus ipſum Milevitani anathemate feriiſſent? Nùm hominem excommunicaſſent, de cujus emendatione ſpem in aliquam venerant? Denique altiſſimum eſt & Milevitanorum, & Auguſtini de his Canonibus ſilentium, quorum profectò meminiſſent in ſuis Epiſtolis.

Anno Dom. 416.

VIII. Canones quoque ad diſciplinam pertinentes Milevitanis aſcribi placuit. I. Quòd ad communes cauſas Eccleſiæ generale Concilium congregari oporteat; in privatis verò cauſis ſpeciale uniuſcujuſque Provinciæ. II. Ut Epiſtolas ad Concilium evocandum Metropolitanus ſubſcribat & dirigat. III. Ut de Hæreticis & infidelibus quidquid in Concilio conſtituitur, à Principe impetretur. IV. Ut preces & orationes compoſitæ niſi probatæ fuerint, in Concilio non dicantur. V. Ut poſteriores anterioribus Epiſcopis non præferantur, nec inconſultis Primatibus ſuis aliquid agere præſumant. VI. Ut Epiſcopi pro tempore conſecrationis ſuæ literas ab ordinatoribus habeant. VII. Ut ubi primus quis eligitur, ibi permaneat Clericus. VIII. Ut pro cauſis Eccleſiarum executores vel advocati à Principe poſtulentur. IX. Ut neque dimiſſus, neque dimiſſa alteri conjungantur. X. De his, qui in ſua Provincia communicant, ut alibi non communicent. XI. Quicunque ab Imperatore judiciorum publicorum cognitionem petierit, honore proprio privetur; ſecus ſi Epiſcopale judicium ab Imperatore flagitarit. XII. Ut ſine formatis nemo ad comitatum proficiſcatur, & qualiter formatæ fiant. XIII. Epiſcopi, qui quod repetere poterant, prætermiſſâ Synodo invaſerunt, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur. XIV. Presbyteros, Diaconos, inferioreſque Clericos, qui de judiciis Epiſcoporum ſuorum queruntur, vicini audiant Epiſcopi. XV. Qui ab Hæreticis pœnitentiam accepit, ſi convertatur, ab Epiſcopo Catholico Decretum pœnitentiæ, vel reconciliationis tempus ſuſcipiat. XVI. Epiſcopi, qui loca ad ſuam Cathedram pertinentia ad Catholicam unitatem lucrari negligunt, intra ſex menſes à die conventionis nil juris in ea ſibi vindicabunt: ad eum Epiſcopum, qui poterit ea lucrari, pertinebunt. XVII. Eadem ſancit de Epiſcopis, ac Canon proximè ſuperior. XVIII. Virginum, quæ infra XXV. annos neceſſitate cogente velantur, conſecratio rata habetur. XIX. Ne diutius univerſi Epiſcopi tenerentur, terni ab univerſo Concilio Judices de ſingulis Provinciis eliguntur. Hi ſunt XIX. Canones ad diſciplinam ſpectantes; qui cum Canonibus octo de erroribus Pelagianorum conjuncti, illos numero XXVII. conſtituunt, qui Synodo Milevitanæ ſecundæ vindicantur.

Nùm Canones ad diſciplinam ſpectantes Milevitana ſecunda Synodus ſanxerit?

IX. At ſi verum tueri volumus, de Canonibus ad diſciplinam pertinentibus, perinde atque de Canonibus doctrinæ exiſtimabimus, ut neutri Milevitanorum eſſe ſtatuantur. Antequam verò noſtram argumentis aliquot ſententiam firmaverimus, maximam in Canonibus, qui Milevitani dicuntur, ex Collectoris imperitia corruptionem, confuſionemque deprehendi, eſt etiam atque etiam obſervandum: quod vel ex impoſita Concilio præfatione liquet: *Glorioſiſſimis Imperatoribus, Arcadio & Honorio, Auguſtis viris clariſſimis Coſſ.* VI. *Kal. Septemb. in civitate Milevitana, in Secretariis Baſilicæ.* Quid verò tam abſurdum, tam à Chronologia disjunctum, quàm ſecundam Milevitanam in unum Arcadii

Nullos Milevitana ſecunda Canones condidit.

Digitized by Google

ANNO DOM. 416.

de Conſulatibus referre, cùm octennio Arcadius antè obierit, quàm Synodus Milevitana ſecunda cogeretur. Illa ergo Præfatio non ſecundæ quidem, ſed primæ eſt Milevitanæ, anno CCCCII. celebratæ. Eâdem & imperitiâ, vel negligentia, quâ factum eſt, præfationem à Milevitana ſecunda prorſus alienam affigi, comparatum etiam, Canones ab ea minimè conſtitutos illi perperàm aſcribi. Primus Canonum ad diſciplinam ſpectans, qui in Collectione nonus reperitur, Carthaginenſis eſt Synodi, anno CCCCVII. coactæ Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. ut ex Codicis Africani capite 95. apparet & promptum eſt. Canon II. in Collectione decimus pars eſt & Canonis à Carthaginenſibus conditi, ut liquet ex c. 106 Africani Codicis. Abſurdiſſimum eſt quidem in Collectione Milevitana ex his Canonem conſtitui: *Placuit etiam peti, ut omnium Epiſcoporum Epiſtolis omnibus de Concilio dandis Sanctitas tua ſola ſubſcribat*, cùm nullius Epiſcopi nomen præceſſerit. Canon quoque tertius, qui undecimum in Milevitana Collectione locum obtinet, pars eſt Conſtitutionis Carthaginenſis jam memoratæ, de qua mentio eſt in eodem capite Africani Codicis. Similiter Canon quartus ſive XII. ex laudato jam Carthaginenſi petitus eſt, teſte c. 103. Codicis. Canon IX. ſive XVII. totidem verbis legitur in Codicis capite 102. Canon X. ſive XVIII. in c. 105. ejuſdem Codicis reperitur. Canon XI. eſt in Africano Codice centeſimus quartus. Canon XII. ſive XX. eſt etiam Carthaginenſis jam memorati, teſte Codicis c. 106. Canon XIII. ſive XXI. Carthaginenſis eſt Synodi, anno CCCCXVIII. celebratæ, ut ex Codicis c. 120. apertè liquet. Canon XIV. ſive XXII. ejuſdem ipſius Synodi eſt, ut certum ex Codicis c. 125 Canon XVII. ſive XXV. ab eadem Carthaginenſi eſt conſtitutus, ut Codicis c. 123. declaratur. Hinc certè certò demonſtratur, qui Milevitanæ Synodo huic Canones addicuntur, variorum eſſe Conciliorum farraginem. Præterea abſonum eſt, duos in una eademque Synodo Canones eadem ſancientes conditos eſſe: Milevitanorum verò quartus & vigeſimus eadem cum vigeſimo quinto conſtituit. Denique ultimus Pſeudo-Milevitanus argumento eſt, regulas omnes iſtas novemdecim non ad Synodum hanc Milevitanam eſſe referendas: *Placuit ne diutius univerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati ſunt, tenerentur, ab univerſo Concilio ternos Judices de ſingulis Provinciis eligi. Et electi ſunt de Provincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus & Clarus &c. Ab Aurelio petiit univerſum Concilium, ut cunctis ſive geſtis quæ confecta jam ſunt, ſive Epiſtolis ipſe ſubſcribat.* Aurelius vero Carthaginenſis primus ſubſcripſit, ut Synodi Præſes. Jam verò Milevitana neque univerſalis fuit, neque *Aurelium* Carthaginenſem qui aberat, ſed *Silvanum* Principem conventus habuit.

Quinque Africæ Epiſcopi Innocentio ſcribunt in Pelagium.

X. Non à Synodis modò & Carthaginenſi, & Milevitana, ſed à privatis quoque de rebus Pelagii ſcriptum Innocentio. Extat Epiſtola familiaris quinque Epiſcoporum ad ipſum miſſa: *Domino beatiſſimo, meritoque honorandiſſimo, fratri Innocentio Papæ, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius & Poſſidius in Domino ſalutem.* Teſtantur autem ſe, & Carthaginenſis, & Numidiæ Synodi literas ad ipſum dirigere. Dicunt de Pelagio, *audivimus eſſe in urbe Roma, ubi ille diu vixit, nonnullos qui diverſis cauſis ejus faveant.* Rogant, ut ab Innocentio Romam is vocetur, diligenter interrogandus, *quam dicat gratiam*, quâ ad juſtè vivendum homines adjuventur. Subjungunt, ſe ipſius *reverentiæ* miſiſſe librum Pelagii de Natura, quem ſibi dederant *Timaſius* atque *Jacobus*, qui continentes Deo ſerviebant, quos quondam Pelagii veneno affectos curaverant, favente Deo: cui libro ſatisfactum eſt ab Auguſtino. Quòd ſi Pelagius inficias iverit hunc ſuum ipſius librum eſſe, rogant Innocentium, curet igitur obſervata loca ab ipſo damnari.

ANNO DOM. 416.

Lab. Concil. t. 2. 1548.

Stephani reliquias affert Oroſius. Reliquiarum miracula.

XI. Ex Oriente Oroſius Presbyter in Occidentem revertitur, Stephani onuſtus reliquiis, quæ prodigiis compluribus editis ad claritudinem aſcendere. Miracula benè multa memorat Auguſtinus, à ſacris pignoribus patrata. Cœca mulier admotis, quos gerebat ad oculos ſuos, floribus, qui reliquias tetigerant, viſum recepit. Lucillo eas ferente Epiſcopo, repentè ejus fiſtula ſanata eſt, *pia ſarcina vectatione*. Presbyter quidem qui Calamæ habitabat, calculi morbo laborans, Stephani memoriam advehente Poſſidio ſanatus eſt. Prodigia ſuperant hæc omnia, quæ de Sanctimoniali *Caſpilianam* poſſeſſionem habitante, Auguſtino narrantur. Dum laborat mulier, tunicam ferri ſuam Stephani ad memoriam jubet. Antequam revocaretur, mors laborantem occupat. Tunicâ cùm cadaver opertum fuiſſet, *recepto ſpiritu ſalva facta eſt.* Plurima ejuſmodi in Auguſtino miracula legi poſſunt, quibus ab blaſphemiæ infamia, quâ à Judæis Stephani innocentia opprimebatur, ſolemni ratione liberabatur.

Aug. de Civ. l. 22. c. 8.

ANNO U. C. 1170. OLYMP. 299. PER. JUL. 5130. JUL. 462. DOM. 417. HONOR. 25. & 23. THEODOS. 16. & 10. *Sol* 6. G. *Lun.* 19. *Indict.* 15. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 1. *P.* 22. *April.*

ANNO DOM. 417.

COSS. *Honor. Aug.* XI. *&* *Conſtantius* II.

Placidiæ cum Conſtantio nuptiæ.

I. REdditam Honorio Placidiam Conſtantius deperibat, ac ut ſuorum amorum potiretur, lapidem omnem movebat. Nuptias verò Placidia detrectabat: quo factum, ut ipſius famulis Conſtantius indignaretur. Honorio tamen matrimonium conciliante, ipſo die, quo Conſulatum inibat, invitam Conſtantius Placidiam duxit, nuptiæque ſplendidè celebrantur. Hinc nata filia, quam *Honoriam* nominarunt.

Phot. Bibl. p. 192.

De Attalo triumphus Honorii.

II. Captum Attalum Conſtantius Honorio triumphandum tradiderat. Urbem ingreſſus Imperator, currui ſuo præeuntem tyrannum Romanis exhibuit. Actum de Imperii hoſtibus triumphum hunc in annum Proſper retulit: *Honorius Romam triumphans ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Lipara vivere juſſit.* Quam tamen Honorio ignominiam inuſtam voluerat, eâ meritò affectus eſt. Summis quippe dextræ manus digitis truncatus relegatur, ut parvæ inſulæ includeretur, qui iterum Romani imperii amplitudini inhiaverat, ac in vili veluti ea aula ſe jactaret, qui orbis orbis dominæ ſe Principem oſtenderat. In hunc & annum referendum eſſe, quod in Olympiodoro legimus, conjectura eſt: *Poſt Romam à Gothis captam Albinus urbis Præfectus, quòd jam eadem ad priſtinum rediret ſtatum, ſcripſit non ſufficere præbitam populo frumenti partem ob multitudinem jam auctâ civitate, adduque uno die numerum initum eſſe civium quatuordecim millium.*

Phot. Bibl 187.

III.

Anno Dom. 417.

Terræ motus in Oriente.

Chr. Alex.

III. Hæc in Occidente. Oriens unum duntaxat memoratu dignum noſtris Annalibus ſuppeditat. Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. *terra vehementer movit, veſperè die Paraſceves, menſe Aprili XII. Kal. Majas. Accidit hoc ipſo die, quo Dominus noſter J. C. paſſus eſt.* Tenebras die contigiſſe, Cyberumque Aſiæ civitatem, aliquantaque prædia terræ motu demerſa fuiſſe, tradit Marcellini Chronicum.

Error in celebratione Paſchatis.

IV. In rebus Eccleſiaſticis orationi noſtræ vagari permittamus. In celebrando Paſchate ingens error ab Occidentis Eccleſiis admittitur. In Aprilis quidem XXII. ſolemnitas incidebat, quæ pugnantibus Chronologiæ legibus in Martii XXV. revocatur. Hoc nos Paſchaſinus monuit, Lilybitanus Epiſcopus in ſua ad Leonem Papam Epiſtola: *Non ergo nos dies una longius poſita terreat, ne cùm hanc vitamus, incurramus errorem. Sicut evenit tempore piæ recordationis Domini mei prædeceſſoris Apoſtolatus veſtri, Zozimi, anno Conſulatus Honorii Auguſti XI. & Conſtantii bis. Tunc enim cùm declinaretur, ne X. Kalendas Maji Paſcha teneretur, celebratum eſt VIII. die Kal. Aprilis, id eſt, pro Emboliſmo communis eſt annotatus, & error graviſſimus ortus, in tantum ut myſterio certo, quod dono Spiritus S. miniſtratur, hæc veritas probaret.* Hic Paſchaſinus ipſa excitat elementa, teſtes erroris, atque cenſores. De miraculo fides ſit penes Autorem: quod tamen à nobis referri poſtulant leges hiſtoriæ: *In viliſſima poſſeſſione, cui Miltinis nomen, in perparva* Eccleſia ibi conſtituta miraculum contigiſſe prædicat: *Cùm apud Occidentales error exortus fuiſſet, conſuetis lectionibus, nocte ſanctâ decurſis, cùm Presbyter ſecundum morem requireret, uſque ad lucem, aquâ non veniente, non conſecrati qui baptizandi fuerant, receſſerunt. Ut ergo breviter narram, illâ nocte, qua luceſcebat in diem Dominicam, decimo die Kalendarum Majarum fons ſacer horâ competenti repletus eſt.*

Innocentii ad Afros de Pelagio Epiſtolæ.

V. De Pelagio, Cœleſtioque Synodicas Innocentio Epiſtolas miſerant Carthaginenſes atque Mileviтani, quas *Julio* Epiſcopo ferendas tradiderant. Utriſque reſcripſit Innocentius, cujus Epiſtolæ ſexto Cal. Februarii ſunt exaratæ. Ac in Epiſtola ad Carthaginenſes honori Cathedræ ſuæ non minimum ædificatus, hæc narrat: *Antiquæ traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam anteà cùm pronuntiaretis, verâ ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium. Scientes quid Apoſtolicæ ſedi, (cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideramus Apoſtolum,) debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus, & tota autoritas nominis hujus emerſit.* Urget & meritò gratiæ neceſſitatem: *Neceſſe eſt*, inquit, *ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Aug. Ep. 91.

Ibid.

De Pelagio verò & Cœleſtio ſic cenſet: *Si damnant hæc, quæ hucuſque ſenſerunt, & aliquando animum rectis diſputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris ſe ſanandos conſiliis tribuant, atque ſubmittant. Quòd ſi fecerint, erit in poteſtate Pontificum, iſtis aliquatenus ſubvenire, & talibus aliquam curam præſtare vulneribus, quam ſolet lapſis cùm reſipuerint, Eccleſia non negare.* Quam verò ad Milevitanos Epiſtolam direxit Innocentius, ea laudibus ipſos afficit, quo Apoſtolicæ Cathedræ honorem habuere: *Neque enim*, inquit, *hoc veſtram crede latere prudentiam, qui id etiam actione firmaſtis, ſcientes quòd per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coëpiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris autorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe.* De Pelagio vero & Cœleſtio ſic ſtatuit: *Pelagium Cœleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſuerunt parare quæſtiones, Eccleſiaſticâ communione privari, Apoſtolici vigoris autoritate cenſemus, donec reſipiſcant à Diaboli laqueis.* Atque has Epiſtolas Innocentii Decretum eſſe, cujus meminit Gennadius, exiſtimamus: *Innocentius*, inquit, *Urbis Romanæ Epiſcopus ſcripſit Decretum Occidentalium Eccleſiarum & Orientalium adverſus Pelagianos datum, quod poſteà ſucceſſor ejus Papa Zozimus latius promulgavit.* Baronius quidem anno 416. n. 14. ſententiæ eſt ejuſmodi, præter Epiſtolas Afris miſſas Decretum ab Innocentio conditum fuiſſe, quod ad univerſos orbis Epiſcopos direxit Zozimus. Quod nobis non fit veriſimile. Nulla ſi quidem Decreti ejuſmodi mentio extat Auguſtini in Operibus. Neque Pelagium Cœleſtiumque ab Innocentiano Decreto damnatos unquam abſolviſſet Zozimus, quod ab eo factum eſſe tenemus. Decretum igitur Innocentii ab ejus Epiſtolis non eſt Gennadio diverſum.

Aug. Ep. 92.

Gen. de ill. Scr. c. 43.

Mors Innocentii.

VI. Poſt ſcriptas Epiſtolas diu vitam non retinuit Innocentius. Conſtat ſanè, hoc anno ad plures abiiſſe. Proſper quidem in Chronico ipſius obitum in annum ſuperiorem retulit. Immeritò tamen, cùm Januarii XXVII. labentis anni ad Afros Epiſtolas direxerit. Quæ ad Milevitanos ſcripta, eſt temporis notâ afficitur: *Datum ſexta Kal. Februarii, Honorio & Conſtantio Coſſ.* Itaque Innocentii obitum Marcellinus anno CCCCXVII. alligavit: Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. *Romana Eccleſia Zozimus XXXVIII. Epiſcopus ordinatur, vixit annis tribus.* De anno Innocentii ſupremo recta eſt Baronii Chronologià. De menſe autem à vero quàm longiſſimè diſtat, utpote quæ Papæ hujus obitum Julii XXVIII. aſſinerit. Unde ab eo neceſſario peccatur in conſtituendis initiis Zozimi: *Poſt*, inquit, *Innocentii obitum interlapſis diebus XXII. interregni, Zozimus ſubrogatus eſt die XIX. menſis Auguſti.* Verùm Paſchaſini ad Leonem Epiſtolâ docemur, Zozimum Paſchatis ante ſolemnitatem Pontificem egiſſe. Sic enim Leonem Paſchaſinus alloquitur: *Tempore piæ recordationis Domini, prædeceſſoris Apoſtolatus veſtri Zozimi, anno Conſulatus Honorii Auguſti XI. & Conſtantii bis . . . cum declinaretur, ne X. Kal. Maji die Paſcha teneretur, celebratum eſt VIII. die Kal. Aprilis.* Jam ergo Innocentius deceſſerat Zozimo. In Kalendario Roſuedi, quod vetus Romanum Martyrologium appellat, ad IV. Idus Martias legitur: *S.S. Pontificum Gregorii & Innocentii.* Eâdem Adonis Martyrologium Chronologiâ utitur: IV. Idus Martii, *Romæ B. Pontificum, Gregorii Doctoris & Apoſtoli Angelorum, qui ſedit ibi annos XIII. menſes VI. dies X. Et Innocentii, qui rexit Eccleſiam annos XV. menſes II. dies XXI.* Ut vero ſit proximum, XII. Martii die Innocentium vitam cum morte commutaſſe, labente jam XVI. ſui Pontificatus anno.

Error Baronii.

Bar. An. 417. n. 17.

VII.

Zozimus creatur Pontifex.

Zoz. Ep. 5.

VII. Innocentium excepit Zozimus, natione Græcus, ut ferunt, ex patre Abramio. Labente Martio jam ſediſſe Zozimum, teſtatur ipſius ad Galliarum Epiſcopos Epiſtola, quæ *data eſt* XI. *Cal. April. Honorio Auguſto* XI. *& Conſtantio* II. *Coſſ.* Ut falſa prorſus Baronii Chronologia deprehendatur, quæ in Auguſti die XIX. Zozimi conſtituit initia. De diuturnitate Epiſcopatus ipſius ſibi non conſtant Autores. Sedit annum unum, menſes duos, dies XI. ſi Pontificali credimus: ſi verò Marcellino, *vixit annis tribus.* Proſperi ad Chronologiam magis accedimus: *Romana Eccleſia Epiſcopatum triceſimus nonus ſuſcipit Zozimus, anno uno, menſibus novem, diebus novem.* Quo caſu mense Decembri anni CCCCXVIII. naturæ ſatisfecit. Bonifacii quidem Zozimi ſucceſſoris extat Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos, *data ſub die Idus Junias, Monaxio viro clariſſimo Conſule*, qui Domini annus eſt CCCCXIX. Quæ ſedente Zozimo notatu digna ſunt, ſuis temporibus reddentur.

Pelagii Libellus Innocentio miſſus.

VIII. Cùm ſibi erroris infamiam inuri non ignorarent Pelagius atque Cœleſtius, diſſeminataſque ubique locorum eſſe & Innocentii, & Afrorum Epiſtolas, quibus perſtringebantur, maximâ quâ potuere diligentiâ proviſum voluere, ut impreſſa ſibi macula elueretur. Ac Pelagius Libellum fidei ſuæ tranſmiſit ad Innocentium, quem defunctum eſſe neſciebat. Libellum comitabatur Epiſtola, quæ deſideratur. In Libello, qui adhùc extat, totuſque Baronianis Annalibus inſeritur, quæ ad Trinitatis incarnationiſque myſteria ſpectant, nil eſt quod ad pietatem requiri poſſit: Fatetur *Filium ὁμοούσιον eſſe, & per omnia æqualem Patri.* Spiritum S. ait, *verum Deum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantiâ.* De morte, reſurrectione, aſcenſione J. C. ea tradit, quæ ſunt pietati conſentanea. Eos damnat, qui animas antè peccaſſe ſtatuunt, *vel in cœlis converſatas*, quàm in corpora mitterentur. Jovinianum percellit, differentiam meritorum aliquam eſſe negantem. De Libero Arbitrio ſubjungit: *Liberum ſic eſſe confitemur Arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare, uterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus, hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur arbitrii. Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus. In qua ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra Confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit.*

Cœleſtius Conſtantinopoli ejectus Romam petit.

Lab. Concil. t. 2. 1512.

IX. Antequam Pelagii & Libellus, & literæ ad Zozimum pervenirent, à Cœleſtio conventus fuerat, qui purgandi ſui causâ Romam tenderat. Quem Epheſi Presbyteri gradum petierat, illum & Cœleſtius impetrarat, Mario Mercatore teſte: *Inde poſt aliquantos annos ſub ſanctæ memoriæ Attico Epiſcopo urbem Conſtantinopolitanam petiit, ubi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius viri ex prædicta alma urbe detruſus eſt, literis ſuper ejus nomine, & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis.* Verba hæc ſunt Marii Mercatoris, qui deinde ſubjungit: *Prædictus tamen Cœleſtius etiam hinc ejectus, ad urbem Romam ſub ſancta memoria Zozimo totâ feſtinatione perrexit. Ubi Actis, quorum exemplaria habemus, interrogatus, cùm ab illo Cognitore aliquatenus terreretur, crebris reſponſionibus & proſecutionibus ſuis ſpem præſeminavit, condemnare ſe illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accuſatus, promittens. Id enim & inſtantius jubebatur, ab eoque vehementius, ut id faceret, expectabatur. Atque ob hoc ipſum nonnullâ illius ſancti Sacerdotis humanitate dignus eſt habitus.* Quâ ratione in Cœleſtii doctrinam inquiſitum fuerit, ex ipſo audire Zozimo perjucundum. Diſtrahebatur Pontifex multorum negotiorum Eccleſiaſticorum curâ, cùm Cœleſtius ipſi ſe obtulit, ut de iis quibus accuſabatur, ſeſe purgatum iret: *Poſthabitis omnibus die cognitionis, reſedimus in S. Clementis Baſilica, qui imbutus B. Petri Apoſtoli diſciplinis, tali Magiſtro veteres emendaſſet errores, ratoſque profectus habuiſſet, ut fidem quam didicerat, & docuerat, etiam martyrio conſecraret: ſcilicet ut ad ſalutiferam caſtigationem tanti Sacerdotis auctoritas præſenti cognitioni eſſet exemplo . . . Intromiſſo Cœleſtio, Libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti utrùm hæc, quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labiis, ſæpenumerò exploravimus.* In eo Conventu factum, quod non accuratè ſatis Baronius anno proximè futuro tribuit. Præſentem ſcilicet Cœleſtium Zozimus interrogat: *Damnas ergo illa omnia, quæ in Libello Paulini continentur, hoc eſt, de quæſtionibus?* Novis etiam interrogationibus hominem urget: *Nolo nos circuitu ducas. Damnas omnia, quæ tibi objecta à Paulino, ſive per famam jactata ſunt.* Hic ille Paulinus fuit *Diaconus, defenſor, & Procurator Eccleſiæ Mediolanenſis*, ut ab Autore Prædeſtinati vocatur, qui Carthagini accuſationem anno 412. adverſus Cœleſtium inſtituerat. Ad Erotis verò Lazarique accuſationes Cœleſtii defenſio hæc fuit: *Aſſerens nullum ſibi de talibus contentionibus unquam cum antè dictis fuiſſe ſermonem, nec antè ſibi quàm de ſe ſcriberent, viſu fuiſſe compertos. Lazarum ſanè in tranſitu cognitum. Erotem verò etiam ſatisfactione interpoſitâ, quod ſecus de ignoto, & abſente ſenſiſſet, cum gratia receſſiſſe.* His auditis, judicium Zozimus pronuntiavit, quod & Aurelio, Epiſcopiſque per Africam conſtitutis miſit: *In præſenti cauſa nihil præcox, immaturumque conſumimus: ſed innoteſcere ſanctitati veſtræ ſuper abſoluta Cœleſtii fide noſtrum examen. Cui etiam prior Libellus, ab eo intra Africam teſtimonio apud nos eſſe debuiſſet, ne inexploratis famâque jactantibus tam facile crederetur. Quare intra ſecundum menſem aut veniant, qui præſentem redarguant aliter ſentire, quàm Libellis & Confeſſione contexuit, aut nihil poſt hæc tam aperta & manifeſta, quæ protulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat.* Data eſt Zozimi hæc Epiſtola Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ.

Zoz. Ep. 3.

De Zozimi Pelagium & Cœleſtium abſolventis præcipiti judicio.

X. Pelagio quoque, quaſi miſero & innocenti Zozimus attulit abſolutionis auxilium. Ubi Cœleſtius auditus eſt, ecce *Epiſtola Hieroſolymitani Praïlii, qui in locum ſancti Joannis Epiſcopus eſt ordinatus*, qui cauſæ *Pelagii enixius aſtipulator intervenit. Literas quoque ſuas idem Pelagius purgationem continentes, abundantiſſimè miſit, quibus & profeſſionis ſuæ fidem, quid ſequeretur, quidve* damna-

Anno Dom. 417.

damnaret, ſine aliquo fuco, ut ceſſarent totius interpretationis inſidia, cumulavit. Quæ Zozimi verba ſunt ad Afros. De Pelagii Libello mentionem fecimus, ſcripto prius, & miſſo, quàm Cœleſtius audiretur, etſi poſt inſtitutum jam de ipſo judicium acceptus ſit. Libelli literarumque recitatio publica fuit, quæ Zozimum in lætitiam conjecit. Audiatur ipſe de Pelagii Confeſſione exultans atque triumphans: *Utinam ullus veſtrum, dilectiſſimi fratres, recitationi literarum intereſſe potuiſſet? Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidam ſe & lachrymis temperabant. Tales etiam abſoluta fides infamari potuiſſe? Eſtne ullus locus, in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit?* Sic credulus ille Pontifex Aurelium Africanoſque Epiſcopos

Zoz. Ep. 4.

compellabat. Ad illos quoque Pelagii Libellum miſit, atque literas, quibus quin & ad gaudium excitarentur nullus ambigit. A veteratoribus circumventum eſſe Zozimum, fatentur & illi, qui Pontificiam majeſtatem adorant, atque ſapientiam. Pace tamen Zozimi, non cautum ſatis atque providum egit in abſolvendis Cœleſtio atque Pelagio, & ut nihil diſſimulemus, ſive præcipiti judicio, ſive favore perſonarum ſedi ipſius blandientium, jura Eccleſiaſtica nonnihil infleæit. Damnatus fuerat Cœleſtius à Carthaginenſi Synodo, anno CCCCXII. celebrata: *Eccleſiaſticâ communione privatus eſt: à qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. Quâ mox idem ipſe appellatione neglectâ, Epheſum Aſiæ urbem contendit.* Quod monet nos Marii Mercatoris Commonitorium. Pulſus quoque Conſtantinopoli fuerat ab Attico, qui multis in regionibus Cœleſtii errores in notitiam adduxerat. Ut ergo jura inviolata permanerent, judicium cohibere ſuum Zozimus debuit, donec & exploratam habuiſſet Carthaginenſium ſententiam, & Afros monuiſſet, adeſſe Cœleſtium, qui ſedi Apoſtolicæ de iis, quibus accuſabatur, ſe purgatum voluit. Mitterent ergo Legatos, qui documenta accuſationis ſuæ Presbyterio Romano notificarent, ut partibus auditis ſententia promulgaretur. Hæc leviora; majora ſunt, quòd oblatus Zozimo Cœleſtii Libellus erroribus reſperſus erat, quos cùm conſilio & curâ perſpicere debuiſſet bonus ille Pontifex, nullus tamen deprehendit, deficientibus, quod ſanè mirum, Sedis Apoſtolicæ luminibus. Originis peccatum Cœleſtii Libello apertè rejiciebatur. Hoc docent nos Libelli fragmenta, quæ ab oblivione Auguſtinus vindicavit. Aſſerebat, quòd parvulorum neminem obſtringat originale peccatum. Sed verba Cœleſtii referamus, quæ extant apud Auguſtinum, in ſuo de Gratia & Peccato Originali ad Albinum, Pinianum, & Melaniam tractatu: *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non ideò diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico ſenſu alienum eſt, quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, ſed voluntatis eſſe demonſtratur.* Hæc Cœleſtius. Hæc coram Zozimo tecta, quibus verbis expreſſis peccatum originis rejicitur. Neque verò ſemel, aut obiter audax ille Cœleſtius ſententiam ea de re oſtendit ſuam. Ejuſdem libri capite quinto hæc profert Auguſtinus: *Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundum regulam univerſalis Ec-*

Aug. l. 2. de Grat. & Pecc. c. 6.

cleſia, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur, quia Dominus ſtatuit, regnum Cœlorum nonniſi baptizatis poſſe conferri. Non igitur remedium adverſus peccatum originis baptiſmus comparatum fuit, qui tamen, teſte Paulo, *lavacrum eſt regenerationis*, quo conſequitur, corruptam infantium eſſe naturam, quibus opus ſit novâ generatione. Hos tantos errores non obſervabat ſapientia Zozimi. Aliena hæc à pietate oculis veluti clauſis prætcribat, tanquam diſſimulanter illa contueretur: *Intromiſſo*, inquit, *Cœleſtio Libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari. Neque hoc contenti, utrum hæc, quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur an labiis, ſæpenumerò exploravimus.* Opus ergo fuit, Libellum Cœleſtii damnari: impudentiam hominis caſtigari, qui dum ſeſe vult purgatum, ſuas ſancti Clementis in Baſilica ſordes vel ad Pontificis tribunal affert. Quas tamen patienter tulit Zozimus: damnandum Libellum non damnat: Libelli damnationem ab Autore non exigit. Imò *vult innoteſcere* Afrorum ſanctitati ſuum *examen ſuper abſoluta Cœleſtii fide.* Egregiam præclaramque Cœleſtii fidem! Hîc ſanè negligentiam Zozimi non accuſare non poſſumus, qui Hæreticum Libellum *Catholicum* eſſe pronuntiavit, dum docet ex Cathedra. Itaque ab Afris ſapienter & piè flagitatum, ut Cœleſtius apertè damnaret, *quæ in ſuo Libello malè poſuerat*, propterea quod à Sede Apoſtolica *dictum erat, eum Libellum eſſe Catholicum.* Neque culpæ immune eſſe putamus præceps Zozimi de Pelagio judicium. De Libero quidem Arbitrio multa dixerat Pelagius, de Gratia verò verbulum duntaxat unum: *Liberum ſic eſſe confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio.* Ad hæc paucula tamen, *quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidam ſe & lachrymis temperabant.* Lacrymoſos ſanè illos homines eſſe oportet, qui ob paucula verba hæc penè in fletus erumpebant, quaſi verò qualecunque *Dei auxilium* ſatis erat purgando Pelagio. Auxilium eſt Dei in monitis, præceptis, promiſſis, minis, exemplis, quibus ad virtutem excitamur. Id auxilii libenter agnoſcebat Pelagius. Debuit ergo Zozimus, quem non latebat à Gallis, ab Afris, ab Hieronymo, Pelagium, ut in Chriſti gratiam injurioſum perceIli, accuratius expendere quid ſibi vellet hoc auxilii divini, quo Liberum Arbitrium indigere, Pelagius fatebatur. Petierant ab Innocentio Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius & Poſſidius, Pelagium evocari, quod æquiſſimum à Zozimo impleri debuit. Equidem ni fallamur animi, Zozimi hoc de Pelagio Cœleſtioque judicium leniter ſanè nonnihil tamen perſtrinxit Auguſtinus: *Pelagiani ſpe falsâ putaverant, novum & execrabile dogma Pelagianum, vel Cœleſtianum perſuaderi quorundam Romanorum Catholicis mentibus poſſe: quando illa ingenia, quamvis nefando errore perverſa, non tamen contemptibilia, cùm ſtudioſè corrigenda potius, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò lenius quàm ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt.*

Anno Dom. 417.

Zoz. Ep. 3.

Aug. l. 3. ad Bonif. c. 3.

Aug. l. 2. ad Bonif. c. 3.

XI. Neque ſola hæc Zozimi aberratio fuit, cui calumniæ improvidò Pelagius Cœleſtiuſque obrepſere, ut graves Epiſcopos infamaret Erotem Arelatenſem, & Lazarum Aquarum Sextiarum Antiſtitem. Anno Domini CCCCXII. Epiſcopatu ſuo Eros ejectus fuerat, teſte Proſperi Chronico ad Honorii IX. & Theodoſii V.

De Erote & Lazaro Pelagii accuſatoribus. A Zozimo probris afficiuntur.

Conſulatum: *Eodem tempore Eros vir ſanctus, & B. Martini diſcipulus, cùm Arelatenſi oppido Epiſcopus præſideret, à populo ejuſdem civitatis inſons & nullis inſimulationibus noxius pulſus eſt. Inque ejus locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantii Magiſtri Militum, cujus per ipſum gratia quærebatur. Eaque res ſuper Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum materia fuit.* Quid verò cauſæ Arelatenſes Eroti infenſos reddiderit, illud eſſe exiſtimamus. Ubi Conſtantinus, qui Arelato obſidebatur, cognitâ Edovici cæde, purpuram depoſuit, ad Eccleſiam veniens Presbyter abſente civitatis Præſule creatur. Ut igitur pergratum Victori facerent inſontem ſuâ civitate Præſulem ejecerunt. Lazarus verò, qui imperanti Conſtantino faverat, eo victo cæſoque, ſponte Epiſcopatu abiit. Quod nos docet Zozimus Epiſtolâ IV. *Stetit in eo hactenus umbra Sacerdotii, donec tyranno imago ſtaret imperii, quo loco poſt internecionem patroni ſpontè ſe exuit, & propriâ ceſſione damnavit.* Ne quid gravius ab Honorio pateretur. Incidit Lazari hæc abdicatio in annum CCCCXII. poſtquàm Conſtantinus morte miſſus eſt. Cæterùm malè in Erotem & Lazarum animatus Zozimus, atris eos coloribus depingit. Tantus tamen Eroti & Lazaro veritatis amor inerat, ut anno CCCCXV. deditâ in Orientem operâ migrarent, quo apud Dioſpolitanam Synodum Pelagii errores accuſatum irent. Cùm eorum alter in morbum incidiſſet, accuſationis ſuæ Libellum ad Eulogium Cæſareæ Metropolitanum miſere. Ex hoc ſpecimine probabiliſſimâ conjecturâ ducimur ad exiſtimandum, Erotem Lazarumque non minimi eſſe pretii, qui tantæ pietatis cauſâ moleſtias ſponte ſubierunt. Ipſorum quoque fama apud Afros inclaruit. Honorifica ſunt Eroti, Lazaroque verba Auguſtini ad Aurelium Carthaginenſem: *In his, quæ Libello, quem dederunt Sancti fratres, & Coepiſcopi noſtri Galli Eros, & Lazarus, qui propter gravem, ſicut poſteà comperimus, unius eorum ægritudinem præſentes eſſe minimè potuerunt, recitata ſunt objecta Pelagio.* Calumniam tamen non effugere gemini illi Antiſtites, quibus bonis falſa crimina objecta ſunt, à Patroclo ut videtur Arelatenſi, qui ejecti Erotis in locum ſuffectus fuerat. Conſtat quidem Lazarum malè apud Zozimum audiſſe: *Vetus Lazaro conſuetudo eſt, innocentiam criminandi per multa Concilia in S. Britium Coepiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt. A Proculo Maſſilienſi in Synodo Taurini oppidi ſententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit poſt multos annos Sacerdos, tyrannici judicii defenſor civitatis Aquenſium.* Tyrannus ille, quo imperante Aquenſibus Lazarus præficiebatur, is eſt Conſtantinus, qui anno CCCCXI. periit. Neque melius in Erotem animatus Zozimus: *De Erote vero omnia ſimilia. Idem tyrannus, patronus cædis, turba Presbyterorum contradicentium, vincula & cuſtodia, & totius civitatis addictio, ſimilis pœnitentia de abdicatione Sacerdotii.* Quam ergo in Pelagium accuſationem inſtituerunt Eros atque Lazarus, ea pro pura putaque calumnia à Zozimo habita eſt in eadem ad Afros Epiſtola: *Mirum eſſe, ſi iſti laicum virum ad bonam frugem longâ erga Deum ſervitute utentem, falſis literis percellere voluerunt, qui in fratres & Coepiſcopos tanta machinati ſunt, qui tot tempeſtates Eccleſiæ reddiderunt.* Neque Zozimo ſatis fuit, Lazaro Erotique honorem detraxiſſe, ut ipſorum ſpoliis Pelagium ornaret, Antiſtitum quoque officio innocentes exuit, quo ſponte jam abierant: *Patuit hæc in obſervatis ordinationibus, plebe Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas intra Gallias Sacerdotia vindicaſſe, quibus ſe ipſi propriâ abdicavere ſententiâ. Noſque licet & alia, tum eorum de ſe pœnitudinem ſecuti, Sacerdotali eos loco & omni communione ſubmovimus.* Cæteros tamen orbis Epiſcopos non eo adegit Zozimus, ut à ſua quoque communione Lazarum Erotemque pellerent. Et fratres, & Sancti, & Coepiſcopi, Auguſtino, Afriſque habiti ſunt.

Aug. de Geſt. Pelagii. c. 1.

Zoz. Ep. 4.

Zoz. Ep. 3.

XII. Zozimi ad Afros Epiſtolæ Baſiliſco Eccleſiæ Romanæ Subdiacono ferendæ traduntur. Ut Carthaginem appulit, Paulinum Mediolanenſem Diaconum, qui in Cœleſtium anno CCCCXII. accuſationem inſtituerat, monet de adeundo Zozimo. Quod & ipſe teſtatur in ſuo ad ipſum Libello his verbis: *Me ſermone Baſiliſcus Subdiaconus à tua beatitudine cum geſtis ſedis Apoſtolicæ directis, Carthagine convenit IV. Nonas Novembr. die, ut adeſſem ad Apoſtolicam ſedem, & tuo judicio ſanctitatis.* Literas quoque Zozimi Baſiliſcus Carthaginenſi Clero reddidit. Quibus acceptis, Synodum Aurelius coegit menſe circiter Novembri. Obſcura ſuperſunt Concilii hujus veſtigia, quod Binnius Labbeuſque præteriere. Vix tamen aliud in dubium revocari poteſt. Extat ad Concilium Carthaginenſe Zozimi Epiſtola *data* XII. *Kal. Aprilis, Honorio Auguſto* XII. *Conſule*, hoc eſt, anno Dom. CCCCXVIII. Quo certiſſimo diſcrimine à Concilio, quod *Kalendis Majis* in Baſilica Fauſti celebratum eſt, diſtinguitur. Quid verò in Carthaginenſi Conventu anni labentis, hoc eſt, CCCCXVII. geſtum fuerit, Zozimi ex Epiſtola ſubintelligimus. Ac primùm querelas expoſuiſſe ſuas videntur, quòd damnatum à ſe Cœleſtium Zozimus abſolviſſet. Id innuit ipſius reſponſum: *Cùm tantum nobis eſſet autoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil egimus quod non ad veſtram notitiam noſtris ultrò literis referremus, dantes hoc fraternitati, ut in commune conſulentes, non quia quid deberet fieri neſciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret, ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos ſicut ipſi per literas dicitis, fuerit accuſatus.* Accuſationis omnibil portant verba hæc Zozimi, ſecus forent ἀπροσδιόνυσα. Neque mirum, Afros de judicio Romano queſtos eſſe, quòd ipſorum leges evertebat. Porro non unam ea de re Epiſtolam ſcripſere: altera priorem excepit, ut ex verbis Zozimi liquet: *Omnem ejus* (Cœleſtii ſcilicet, qui accuſatores ultrò depoſcebat) *petitionem prioribus literis, quas miſimus, putavimus ac novimus explicatam, ſatiſque illis ſcriptis, quæ ad illa reſcripſeratis, credimus eſſe reſponſum. Sed poſt miſſa per Marcellinum Subdiaconum veſtrum Epiſtola omne volumen evolvimus.* Poſteriore hâc Epiſtolâ de nimia Zozimi facilitate querebantur. Hinc orta Zozimi reſponſio hæc: *Ita totum literarum comprehendiſſis textum, quaſi nos Cœleſtio commodaverimus in omnibus fidem, verbiſque ejus non diſcuſſis, ad omnem, ut ita dicam, Syllabum præbuerimus aſſenſum.* Optant denique, de conſtituto in Pelagium Cœleſtiumque judicio nil à Zozimo immutari. Quod & à ſe conceſſum, petentibus ſignificatum voluit: *Noverit veſtra fraternitas, nihil nos poſt illas, quas vel ſuperius, vel*

Synodus Carthaginenſis. Quid ſcripſit Zozimo.

Zoz. Ep. 10.

Id. ib.

vel nunc literas veſtras accepimus, immutaſſe, ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu, in quo dudum fuerant, cum hoc noſtris literis veſtra indicavimus Sanctitati, ut illa, quæ à vobis ad nos miſſa erat, obteſtatio remaneret. Denique Zozimum monent, non ſatis eſſe, quòd Innocentii Epiſtolis generatim aſſentiatur Cœleſtius, requiri quoque, ut patentes Libelli ſui errores damnaret. Hoc nos Auguſtinus docuit in libris ad Bonifacium: *Romam literæ venerunt ex Africa, id continentes, non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quòd ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire fatebantur, ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo Libello malè poſuerat, ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes, magis in Libello ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata, propterea quòd ab eo dictum erat, eum Libellum eſſe Catholicum; quàm emendata propter illud, quòd ſi Papa Innocentii literis conſentire ipſe reſponderat.* Reſipuit tandem Zozimus, Pelagiique Cœleſtiique errores anno ſequente damnabit. Baronius, quem Carthaginenſis anni CCCCXVII. Synodus latuit, ſibi in mentem induxit, ad Concilium anni CCCCXVIII. Zozimi Epiſtolam eſſe directam. Ex quo præjudicio cogitur, Concilii hujus initia *primo vere* conſtituere. Huic tamen opinioni pugnant Codices omnes, qui *Calendis Maii* Concilium Carthaginenſe alligarunt, quod eſt anno CCCCXVIII. celebratum, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Non obſcurùm quoque utriuſque Synodi diſtinctionem miniſtrant verba Auguſtini ad Valentinum: *Quod Papa Zozimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque Reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus . . . hæc omnia miſimus vobis.* Quæ verba non ſunt ab illuſtriſſimo Purpurato intellecta, in quibus ſe deprehendiſſe putat Concilium *ſub Innocentio Papa* celebratum. Quaſi verò ſuam Zozimus Epiſtolam, quæ eſt numero X, ad Synodum Carthaginenſem ſedente Innocentio coactam, de Cœleſtio ſcripſerit.

Aug. l. 3. ad Bonif. c. 3.

Aug. Ep. 47.

Bar. An. 418. n. 30.

Zozimus novos honores affert Patroclo Arelatenſi. Res Proculi.

XIII. Novam noſtris Annalibus materiam Zozimus præbuit. Vix Pontificatum inierat, cùm *Patroclo*, quem maximâ benevolentiâ complectebatur, novos honores contulit. Conſtituit nempe, ne quis ex Galliis Clericus ſive Romam petat, ſive aliò proficiſcatur, *niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum, quem habet, perdoceat.* Quod *privilegium Formatarum Sancto Patroclo*, inquit, *fratri, & Coepiſcopo noſtro meritorum ejus ſpeciali contemplatione conceſſimus.* Id proprium Patroclo, nec cum ſucceſſoribus communicandum. Sedem verò Arelatenſem novis dignitatibus cumulavit. Quibus conferendis cauſas quærit in Arelatenſis Eccleſiæ fundatoris excellentia: *Quoniam Metropolitanæ Arelatenſium urbi vetus privilegium minimè derogandum eſt, ad quam primum ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte tota Gallia fidei rivulos acceperunt, directus eſt.* Ex eo fundamento jubet, *præcipuam ſicuti ſemper habuit, Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium civitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat autoritatem; Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam Provincias ad Pontificatum ſuum revocet.* Datum eſt Reſcriptum Martii XXII. Si verum placet, plus potentiæ quidem, quàm ſapientiæ elucet hac in conſtitutione Zozimi, quæ in multis de hiſtoriæ veritate delibat. Viennæ quippe, ut Metropoli, Arelatum olim ſubjiciebatur. Dignitate verò Eccleſiaſticæ ad politica urbium privilegia vulgò componebatur. Neque tempore primæ Synodi Arelatenſis anno 314. coactæ, Vienna Arelato ſubjiciebatur. Itaque Synodo Martinus ſubſcripſit, *Martinus Epiſcopus de civitate Arelatenſi, Provinciâ Viennenſi.* Argumento atque indicio Arelatum Viennenſi Provinciæ non fuiſſe caput. Neque verius illud, quod tam ſecurè prædicat Zozimi, *totas Gallias ex Trophimi fonte fidei rivulos accepiſſe.* Seipſum tamen audaciâ ſuperat Zozimus ſcribendo, vetus Arelatenſis Epiſcopi privilegium eſſe jus Metropoliticum, quod per Viennenſem, & Narbonenſem utramque exercebat. Anni quippe amplius XX. prætererant, dum Proculus Maſſilienſis in ſecunda Narbonenſi ordinationes celebrabat. Diſcrepantibuſque inter ſe Epiſcopis, Viennenſi & Arelatenſi, Taurini à Synodo conſtitutum fuerat, *ut qui ex eis approbaverit ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat.* Ubinam igitur vetus illud privilegium à Zozimo laudatum? Qui teſtes? Quæ monumenta privilegio conciliant autoritatem? Ad Decretum Zozimi, quaſi clypeum, quo ſe tegi ſperabant, Proculus Maſſilienſis, & *Simplicius* Viennenſis Synodi Taurinenſis autoritatem objicere. *At telis non ſufficit umbo:* neque venerandæ Synodi autoritatem penſi habuit Zozimus: *Illa præſumptio*, inquit Epiſcopis Viennenſis, & Narbonenſis ſecundæ, *nos admodum movit, quod in Synodo Taurinenſi, cum longe aliud ageretur, in Apoſtolicæ ſedis injuriam ſubripiendum putavit, ut ſibi Concilii illius emendicata obreptio ordinandorum Sacerdotum, veluti Metropolitano in Narbonenſi ſecunda poteſtatem. Et ne ſolus impudenter indebita poſtulando huic ſedi videretur intuliſſe convicium, ſocium ſibi Simplicium Viennenſis civitatis aſcivit, qui non diſſimili impudentiâ poſtularet, ut ſibi quoque in Viennenſium Provinciâ creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium.* Quæ ſcripta ſunt III. Kal. Octob. Quin etiam aſperrimè & in *Tuentium*, *Urſumque* Epiſcopos invehitur, qui à Proculo conſecrati fuerant Patroclo inconſulto. Probos Urſo Tuentioque mores fuiſſe inficiatur. Ait illum perperàm à Proculo ordinatum eſſe, à quo fuerat antè damnatus. Tuentio non tantùm pravos mores eſſe, Antiſtite indignos, ſed Priſcillianam etiam ſuperſtitionem. Conceſſo vel honeſtis moribus Urſum Tuentiumque fuiſſe, *probataque ſuffragia*, at prætermiſſo Patroclo ordinationem non potuiſſe celebrari. Hinc illæ lachrymæ. Scribit ergo Zozimus Epiſcopis per Galliam, Africamque conſtitutis, *Ad ſanctitatem veſtram, & per totum orbem, ubicunque, & in quacunque terrarum ſonus Catholicæ religionis exit, ſcripta direximus, fratres chariſſimi, ne Tuentium, & Urſum in communione Eccleſiæ, à qua in totum anathematizati ſunt, ſuſcipiendos eſſe ducatis.* Quæ Epiſtola data eſt die X. Kal. Octobris. Non ex ſua conſuetudine, cui robur Taurinenſes attulerant, Proculum movere Decreta Zozimi. Uti faciebat olim, in ſecunda Narbonenſi ordinationes celebrare perrexit. Major erat Proculo Synodi autoritas, quàm Epiſcopi unius, licet in urbe ſederet. Ad ſanctiſſimi ergo viri conſtantiam repentè exarſit ira Pontificis, qui anno ſequente

Zoz. Ep. 5.

Taur. c. 2.

Zoz. Ep. 7.

Zoz. Ep. 6.

Anno Dom. 417.

Zoz. Ep. 11.

III. Kal. Mart. Patroclo ſcribit: *Poſt iſtam ecce delegationem ad nos rumor advenit, Proculum quaſi conſuetis ludere, & uti moribus ſuis: junxiſſe ſibi quoſdam idoneos turbationibus homines, & poſt illa, quæ illis interdiximus, ordinaſſe. Sed ſciant, quibus hanc Epiſtolam volumus in notitiam pervenire, ſuſcipi ſe nullatenus poſſe, qui aut contra regulas repentè, aut poſtquam interdiximus, illis ſunt ordinati.* Quin etiam Proculum damnatum dignitate removit, Maſſilienſeſque monitos voluit, ut alium ſibi Epiſcopum crearent: *Non miror, Proculum in conſueta adhùc fronte durare. . . . Cùm ipſe jam non ſit Epiſcopus, Epiſcopos facit, & humanus largitor aliis ſe dici poſſe præſtare, quod datum ſibi aliquando immeritò tenere non potuit.* Quæ Epiſtola data eſt III. Nonas Martias anno CCCCXVIII. Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Fruſtra tamen in Proculum, quem veneratione proſequebantur Maſſilienſes, Zozimus commotum ivit. Invito Zozimo Epiſcopatum retinuit, moreque ſolito ordinationes peregit. Imò Proculus ille perfrictæ frontis, ille ad Laicorum ſubſellia redactus à Zozimo, ille Sedi Apoſtolicæ rebellis longè latèque virtutis ſuæ famam extendit, ut & Epiſcopus, & vir pius Afris, Gallis, Orientalibus eſſet. De illuſtri Proculo etiam atque etiam obſervanda ſunt verba Hieronymi ad Ruſticum: *Habes iſtic ſanctum doctiſſimumque Pontificem Proculum, qui vivâ & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet.*

Zoz. Ep. 6.

Oroſius Hiſtoriam ſuam abſolvit.

XIV. Anno celebritatem attulit Oroſius, qui Hiſtoriarum libros VII. quos jubente Auguſtino condiderat, in lucem miſit. Marcellini quidem Chronicum anno citius uno Hiſtoriam prodiiſſe tradit: Theodoſio VII. & Palladio Coſſ. *Oroſius Presbyter Hiſpanici generis ſeptem libros Hiſtoriarum deſcripſit.* Errare tamen Marcellinum, ex verbis Oroſii deprehendimus, qui de Attalo hæc habet: *Imperatori Honorio exhibitus, truncatâ manu vita relictus eſt.* Quæ labente anno CCCCXVII. pœna Attalo eſt irrogata. Hunc & ipſum annum innuit Oroſius: *Explicui adjuvante Chriſto ſecundum tuum præceptum, beatiſſime pater Auguſtine, ab initio mundi uſque in præſentem diem, hoc eſt, per annos quinque mille ſexcentos, decem & octo.* Cujus Operis non ſine laude meminit Gennadius: *Oroſius Presbyter Hiſpani generis, vir eloquens, & Hiſtoriarum cognitor, ſcripſit adverſum querulos Chriſtiani nominis, qui dicunt defectam Romanam Remp. Chriſti doctrina invectum, libros ſeptem.* Omnibus tamen eruditis in confeſſo eſt, Hiſtoriam non ſatis accuratam eſſe: ſecurumque Chronologiæ animum ad ſcribendum Oroſium attuliſſe. Extat Autoris hujus, & Commonitorium ad Auguſtinum, & ad Palæſtinos Apologia, de quibus ſuo loco mentionem egimus.

Oroſ. l. 7. c. 42.

Oroſ. l. 7. c. 43.

Anno Dom. 418.

ANNO U. C. 1171. PER. JUL. 5131. JUL. 463. DOM. 418. HONOR. 26. & 24. THEODOS. 17. & 11. *Sol.* 7. F. *Lun.* 1. *Indict.* 1. *Epact.* 7. *Epact. Sol* 2. P. 7. *April.*

COSS. *Honorius Aug.* XII. *& Theodoſius Aug.* VII.

Varia prodigia.

I. PRodigiis annus fertilis fuit, elementis veluti futuram Valentiniani nativitatem indignantibus, utpote qui Reipublicæ exitio fuerit. A Chronologis Hiſtoricíſque obſervatur Solis Eclipſis maxima, quæ contigit die Julii XIX. feriâ VI. quam terribilia multa excepere, à Marcellino brevius, à Philoſtorgio fuſius ſcripto prodita: *Die XIX. menſis Julii, circa octavam diei horam Sol tantopere defecit, ut ſtellæ quoque viſæ fuerint: tantaque ſiccitas hunc Solis defectum ſecuta eſt, ut multorum hominum ac brutorum animalium inſueta mortalitas, ubique terrarum graſſata ſit. Porrò eo ipſo tempore, quo Sol defecit, fulgor quidam in Cælo apparuit, conì ſimilitudinem referens, quem nonnulli præ imperitia cometam vocarunt. In iis enim, quæ fulgor ille nobis oſtendit, nihil erat ſimile cometæ. Nam neque in comam deſinebat lux illa, neque ullam omninò ſtellæ ſpeciem præferebat. Sed veluti lampadis cujuſdam ingens flamma per ſe ipſam ſubſiſtens videbatur, nullâ ſubtus ſtellâ ellychnii ſpeciem præferente. Sed & motus ejus longè diverſus fuit à motu cometarum. Mota enim primùm ab ortu Solis æquinoctiali, inde ultimam ſtellam in cauda Urſæ ſitam transgreſſa, paulatim ad Occaſum proceſſit. Poſtquam verò univerſum cælum permenſa eſt, tandem diſparuit, cùm curſus ejus pluſquam quatuor menſes duraſſet. . . . Cœpit autem à media æſtate, & ad exitum fermè autumni perſeveravit.* In mortalium quoque perniciem ſeditiones exortæ, de quibus pauca hæc novimus, Marcellini in Chronicum relata: *Plinta Comes deletus eſt, itemque rebellio apud Palæſtinam Provinciam.*

Anno Dom. 418.

Philoſtor. l. 12. c. 8.

Vandali à Vallia delentur. Gothici in Gallia regni initium.

II. Hæc in Oriente. In Occidente Vallia Rex Gothorum, qui ſocia cum Honorio arma conjunxerat, cladibus benè multis Barbaros Hiſpaniæ inſidentes atterebat. Audiatur Idacius: *Alani, qui Vandalis, & Suevis poteſtabantur, adeò cæſi ſunt à Gothis, ut extincto Atace Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant, abolito regni nomine, de Gunderici Regis Vandalorum, qui in Gallæcia reſederat, ſe patrocinio ſubjugarent.* Novas in Hiſpania de Barbaris victorias Vallia retuliſſet, niſi in Galliam à Conſtantio revocatus fuiſſet, ut ille ipſe Idacius monuit: *Gothi intermiſſo certamine, quod agebat, per Conſtantium ad Gallias revocati, ſedes in Aquitanica à Toloſa uſque ad Oceanum acceperunt.* Quæ cùm ab Idacio & Honorii anno XXIV. & Olympiadis CCXIX. anno ſecundo aſſigantur, miramur Petavium, Autore, ut ſcribit, Idacio hæc in annum Dom. CCCCXIX. referentem. Eſt ergo, ſi qua Idacio fides, Gothici in Gallia regni initium ab anno CCCCXVIII. ducendum. Cujus imperii caput Toloſa fuit. Anno tamen uno de regni Gothici initiis ab Idacio differt Proſper, qui Plintâ & Monaxio Coſſ. hæc narrat: *Conſtantius pacem firmat cum Vallia, datâ eidem ad habitandum ſecundâ Aquitanicâ, & quibuſdam civitatibus confinium Provinciarum.* Utrùm ergo Gothicum in Gallia regnum hoc, vel ſequente anno inceperit, relinquatur in incerto. Ad annum uſque Dom. CCCCXXI. Vallia imperavit, cujus obitus illum Conſtantii propius excepit: *Valliâ Gothorum Præfecto morte extincto, Imperium Theodoricus ſuſcepit.* Hæc apud Photium Olympiodorus. Valliæ ſucceſſori *Theodoris* nomen imponit Idacius.

Pet. Rat. l. 6. c. 12.

Synodus Zellenſis.

III. Ad neceſſaria magis, res videlicet Eccleſiæ, contextus operis noſtri progreditur. Invenitur inter Africæ Concilia hoc anno celebrata Synodus, quæ anguſtiis urget eruditos. A Conciliorum Collectoribus *Teleptenſis* nomen habet: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimi Honorii XI & Conſtantii II. ſexto Kal. Martias congregato in Eccleſia Apoſtolorum Concilio plebis Teleptenſis, beatum*

tus pater primæ ſedis Epiſcopus Donatianus civitatis Teleptenſis cùm reſediſſet, conſidentibus ſecum Januario, &c. De Synodo pauca ſuperſunt. Id unum novimus, Vincentium & Fortunatianum, Legatos Provinciæ Proconſularis ad Byzacenum Concilium directos hæc dixiſſe: *Etiam cùm eſſemus Tuſdrum, ſicut mecum recolit memorialis auditio veſtra, & Epiſtolas ſanctæ memoriæ Siricii Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi dederamus recitandas, ex quibus cum legeret unam ſanctionem frater noſter Epiſcopi Latoni, utraſque nunc nos referre ſuggeſtio indicat, has recitari donate. Epiſcopi dixerunt, Recitentur Epiſtolæ venerabilis memoriæ Siricii, ut noverimus quid earum textus contineat.* Tractoria erat Siricii *data Romæ in Concilio Epiſcoporum* LXXX. *ſub die octavo Idus Januarii, poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis*, hoc eſt, anno Dom. CCCLXXXVI. Quem *Privatus*, qui Notarii officio fungebatur, Epiſtolam Siricii palam & publicè legit. Tantum de ea Synodo. Hinc ab eruditis nonnullis in ſuſpicionem adducta. Illam multis impugnant argumentis Queſnellius & Du Pin, quibus ſolutiones non incommodas Schelſtratus affert. Porro ad illos accedimus, qui non *Telenſe*, non *Telleptenſe*, ſed *Zellenſe* Concilium vocandum eſſe cenſent. Non aptum quidem eſt ſive Tellenſe, ſive *Teleptenſe* vocabulum, quo à Conciliorum Collectoribus Binnio, Labbeoque donatur. Non Tellenſe quidem, quia *Telenſis* civitas erat Provinciæ Proconſularis, cùm tamen in Byzacena Concilium celebratum eſſe dicatur. Sedentibus *cæteris Epiſcopis, nec non etiam Vincentio, & Fortunatiano, Legatis Provinciæ Proconſularis ad Byzacenum Concilium directis.* Neque etiam Teleptenſe vocari debuit. Obſervant enim Chifletus atque Schelſtratus, in Trecenſi Codice *Zellenſem* Synodum nuncupari, & in Collatione Carthaginenſi primæ dici, c. 135. legimus: *Donatiſtianus Epiſcopus plebis Zellenſis, præſente V. C. Tribuno & Notario Marcellino, ſuperius mandavi, & ſubſcripſi Carthagine. Quare è diverſo habeo Natalicum.* Quibus quidem ſua Zellenſi Synodo veritas aſtruitur. Nil etiam pugnæ eſt, quin Provincialis Synodus in Byzacena vigeſimo quarto Februarii coacta ſit, licet Calendis Maiis plenarium Carthagini Concilium indiceretur. Imò Provincialia prius celebrari debuere, ut in plenario tractanda diſponerent. Sed & in Ferrando de *Zellenſi* Synodo mentio eſt frequentiſſima. Verbi gratiâ c. 3. & 4. & 16. Quodque rei caput eſt, c. 6. hæc habentur: *Ut unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinet, exceptâ Eccleſiâ Rom. Concilio Zellenſi ex Epiſtola Papæ Siricii*; quæ etiam Breviationis Ferrandinæ capite quarto laudatur. Siricii conſtitutio hæc eſt capite 2. Epiſtolæ: *Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat, propter arrogantiam.* Verba porro hæc Ferrandi, *exceptâ Eccleſiâ Rom.* videntur tamen eſſe à mala manu, utpote quæ nec in Siricio extent, nec ad Canones Nicænos quadrent, aut Eccleſiæ diſciplinam. His perpenſis nulla invidia eſt, cur Zellenſis Conventus pro legitimo habeatur. Ad res Pelagii convertamus orationem.

Carthaginenſis Synodus plenaria contra Pelagianos. Quando incepit?

IV. Turbas in urbe graves Pelagiani movebant, quibus Zoſimi ſententia patrocinabatur. Ac fingit quidem Baronius, labente hoc anno Cœleſtium fidei Libellum obtuliſſe Zoſimo. Verùm Cœleſtius non eſt iterum à Zoſimo ſubditus examini. Imò ubi novit fraudes patere ſuas, examini ſeſe ſubſtraxit, ut nos Auguſtinus monuit libro ſecundo ad Bonifacium, c. 3. *Tunc ergo*, inquit, *cùm ejus præſentia poſceretur, ut certis ac dilucidis reſponſionibus vel aſtutia hominis, vel correctio diluceſceret, & nulli ambigua remaneret, ſeſe ſubſtraxit, & legavit examini.* Intereà quieſcebat Zoſimus. Acceptâ quippe unâ alterâque Afrorum Epiſtolâ, Aurelio reſcribit XII. Cal. April. *Noverit veſtra fraternitas, nil nos poſt illas, quas ſuperius, vel nunc literas veſtras accepimus immutaſſe, ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu, in quo dudum fuerant, cum hoc noſtris literis veſtræ indicavimus ſanctitati, ut illa, quæ à vobis ad nos miſſa erat, obteſtatio remaneret.* Afris ille Zoſimus, cui inſtrumenta miſerant omnia, quibus Cœleſtii de erroribus inſtrui poſſet, admirationem effecit, accuratum ſeverumque Sedis Apoſtolicæ judicium poſtulantibus. Placuit igitur, ex Africæ Provinciis plenarium celebrari Concilium, quo graſſanti Pelagianorum errori majora impedimenta opponerentur. De numero Epiſcoporum, qui ob id Carthaginem confluxere, variant antiqui Codices. Photius: *Lectus eſt liber*, inquit, *ſeu Synodus, adverſus Pelagium & Cœleſtium Carthagine in ſumma Æde habita, Fauſto Honorio Occidentis Imperii clavum tenente. Præſedit in ea Aurelius Epiſcopus, & Donatianus Ptenteſii primæ ſedis Byzacenæ Provinciæ, quibus adſuerunt variis è Provinciis, Sacerdotio præſtantes viri, numero* CCXXIV. Sed menda ſunt in Photio plurima. *Donatianus Ptenteſii* voces nihili. Legendum *Donatianus Teleptenſis.* Sed & in numerum Epiſcoporum error irrepſit, qui *ducentis quatuor & viginti* pauciores fuere: ut mittamus incongruam Andreæ Schoti verſionem, *Honorio Felice*, quæ Græcis non reſpondet, Φαυςῷ Ὁνωρίῳ, id eſt, *Fauſto Honorio.* Ex Proſpero planum, ducentos & quatuordecim Epiſcopos Carthaginem veniſſe, licet in nonnullis Chronici exemplaribus mendoſè legatur CCXVII. quæ & ex melioris notæ Codicibus, & ex libro Proſperi contra Collatorem purgari debent: *Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus protulerunt, ita Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem B. Zoſimum ſunt allocuti.* Quo potiſſimum anni hujus tempore inceperit Concilium, aliquid quæſtionis habet. *Ipſo primo veris initio eſſe collectum*, Baronii ſententia eſt. Cui præſidium affert ex Zoſimi literis, *ad ipſum datis* v. *Kal. Aprilis*, Vult tamen *ad uſque menſem Maii fuiſſe propagatum.* Hæc tamen illa Baronii ſententia & ex Africano Codice, & ex omnibus Synodi exemplaribus refellitur: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio* XII. *& Theodoſio* VIII. *Coſſ. Kalend. Maias Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti*, &c. Quæ verba abſque dubio initium Synodi deſignant, non continuationem. Quòd ſi jam à menſe Martio incepiſſet, principii quidem hujus monumenta atque veſtigia extarent alicubi, quæ nuſquam apparent gentium. Tenemus quid Baronius erraverit. Noverat Epiſtolam Zoſimi decimam ad *Concilium Carthaginenſe* ſcriptam XII *Kal. Aprilis.* Hinc plenariam Carthaginenſium Synodum *in primo veris initio* ſibi videre viſus eſt, cùm ex eo Zoſimi Reſcripto potius inferre debuerit, ſuperioris anni Concilium indicari, cujus literis, per Marcellinum Subdiaconum allatis, reſponſum dedit.

Zoz. Ep. 10.

Phot. Bibl. cod. 52. pag. 42.

Proſp. cont. Coll. pag. 430.

Bar. Ann. 418. n. 1.

Error Baronii.

Cod. Afr. c. 108.

Canones in Pelagianos conditi, ſuperiorisne ſint, an præſentis Synodi?

V. Sunt viri doctiſſimi, quibus vindicatos Milevitanæ Synodo Canones Carthaginenſi anno CCCCXVII. celebratæ, aſcribere libuit.

Quæ Queſnellii & N. Alex. ſedet animo ſententia. Nos verò Synodi potius eſſe, quæ hoc anno coacta fuit, exiſtimamus. Apertè nobis favet Codex Eccleſiæ Africanæ: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio* XII. *& Theodoſio* VIII. *Coſſ. Kal. Majis Carthagine in Secretario Baſilica. Cum Aurelius Epiſcopus in univerſali Concilio conſediſſet, adſtantibus Diaconis, placuit omnibus Epiſcopis, quorum nomina & ſubſcriptiones indita ſunt in Sancta Synodo Carthaginenſis Eccleſia conſtitutis.* Sequuntur verò Canones, qui vulgò Milevitani dicuntur. Sed & Proſper in Chronico nobis præſidio eſt, in quo ad hunc ipſum Conſulatum legimus: *Concilio apud Carthaginem habito* CCXIV. *Epiſcoporum ad Papam Zozimum Synodalia Decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Noſtrum quidem animum admiratio ſubit, cur Proſper, & Codex Africanus Pelagianorum damnationem non ſuperioris anni Synodo affixerunt, ſi Canones ſunt in ea conſtituti. Unde tanta Codicem Africanum corruptio inceſſit, ut Autoribus non ſuis Canones vindicaret? Profectò longè ſatius eſt, Concilio plenario Canonum Conſtitutionem aſcribere, quàm Provinciali, quale fuiſſe videtur Carthaginenſe ſuperioris anni, de quo in Codice Africano nulla mentio eſt, quam tamen egiſſet, ſi plenariis inſerebatur. Patiantur ergo eruditi, nos à præſente & anno, & Synodo non divellere Canones, quos cum ipſis Antiqui conjunxere.

Canones in Pelagianos Synodi ſunt non Milevitanæ, ſed Carthaginenſis.

VI. Multis ſuo loco demonſtratum eſt, nullos in Pelagium à Milevitanis Canones conſcriptos eſſe. A plenario verò hujus anni Carthaginenſi Concilio editos, documento eſt & Codicis Africani, & Proſperi autoritas, cui etiam graviſſimum accedit argumentum ex libro, cui titulus, *Præteritorum Sedis Apoſtolica Epiſcoporum autoritatis, de Gratia Dei & libero voluntatis Arbitrio.* Verba ſunt capitis VII. *Illud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi Decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolica Sedis Decretum amplectimur, quod ſcilicet Capitulo definitum eſt, ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ juſtificamur, per J. Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, qua jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Eſt ergo certiſſimum, hunc Canonem Carthaginenſium eſſe, Milevitanorum non eſſe, quibus à Baronio, aliiſque compluribus addicitur. Ut nullus de veris Canonum Autoribus locus dubitandi ſuperſit. Hinc Proſpero carmine *de Ingratis* ſcriptum, binis Conciliis Africæ Pelagium oppreſſum eſſe, uno quadringenteſimi decimi leati, altero præſentis anni.

Lab Conc. t. 2. 1616.

Tu cauſam fidei flagrantius, Africa noſtra,
Exequeris.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod Regna ſequantur.

Felicem Africam, quæ

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum

oppreſſit, cœcutienteſque vel Zozimi ad Cœleſtii Libellum oculos illuſtravis! Felices Aurelium & Auguſtinum, illum Synodi Præſidem, hunc verò decus & ornamentum, qui ſapientiâ ſuâ protractos cubilibus ſuis colubros eliſit, non ſine æterna ſui nominis gloria!

VII. Agedum celeberrimæ Synodi Canones nunc proferamus, quorum pars ad doctrinam ſpectat, pars ad diſciplinam. Priorum ſumma hæc eſt. I. Quòd Adam non ſit factus à Deo mortalis. II. Quòd parvuli in peccatorum remiſſionem baptizentur, quo potentiſſimè vitium demonſtratur originis. III. Quòd gratia Dei non ſolùm remiſſionem tribuit peccatorum, ſed etiam præſtat adjutorium, ne peccetur. IV. Quòd gratia Chriſti non ſolùm ſcientiam tribuit, quid agamus, ſed etiam dilectionem nobis inſpirat, ut quod ſcimus, implere valeamus. V. Quòd ſine Dei gratia nihil boni poſſimus implere. VI. Quòd non ſolùm humilia, ſed & verax Sanctorum vox iſta eſt, ſi dixerimus, Quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Quòd in oratione Dominica Sancti pro ſe dicant, Dimitte nobis debita noſtra. VIII. Quòd veraciter à Sanctis dicatur, Dimitte nobis debita noſtra. Nonus Canon adjungendus eſſet, ſi cujus meminit Photius, ille pro legitimo habendus eſſet. Damnat Synodus *eos quoque, qui affirmarent, medio quodam loco Paradiſum inter & inferos, qui baptiſmi expertes ſunt, infantes beatè vivere.* Verùm enimverò cùm Canon ille in Codice Africano deſideretur, quin ſubditus ſit nulli dubitamus. Neque ea de infantibus non ablutis ſententia tanti eſt, ut anathemate obrui debeat. Canones doctrinæ excipiunt illi, qui diſciplinam conſtituunt. I. Donatiſtarum Eccleſiæ ad Epiſcopos pertinent, per quos unitati communicarunt. II. Sancit, qualiter Diœceſes inter ſe dividant qui Epiſcopi tam Catholici, quàm qui ex Donati parte converſi ſunt. III. Si quam Diœceſim Epiſcopus ab hæreſi liberans, triennio poſſederit, nullus eam repetat. IV. Epiſcopi, qui in plebes, quas ad ſe putant pertinere, irruerunt, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur. V. Epiſcopi, qui intra ſex menſes à die conventionis loca ad ſuam Cathedram pertinentia in unitatem non revocant, nil juris in illa ſibi vindicent. Qui potuerit ea lucrari, ad ipſum pertineant. VI. A Judicibus, quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare. VII. Epiſcopus conventus, qui intra ſex menſes Hæreticos ad unitatem Catholicam convertere neglexerit, communione privetur. VIII. Epiſcopi, qui Donatiſtas communicaſſe mentiti fuerant, Epiſcopatum amittant. IX. Presbyteri Clericique non appellent, niſi ad Africana Concilia. Ad tranſmarina qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur. X. Virginibus quæ urgente neceſſitate, ſive à petitore, ſive à periculo mortis intra XXV. annos velatæ ſunt, non obſit, quod de annorum numero conſtitutum eſt. XI. Ne diutius Epiſcopi teneantur in Concilio, ternos ex ſe ſingularum Provinciarum Judices eligant.

Canones Carthaginenſis Synodi.

Phot. Bibl. c. 53. p. 43.

VIII. Externis Africanarum Provinciarum Legatis, qui electi fuerant, nova Synodus conſtituitur, quæ plenariam repreſentaret. Quod ex Africano Codice non obſcurum eſt: *Placuit ne diutius univerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati ſunt tenerentur, ab univerſo Concilio Judices ternos de ſingulis Provinciis eligi. Et electi ſunt de Provincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus & Clarus. De Provincia Numidia Alypius, Auguſtinus & Reſtitutus. De Provincia Byzacena cum ſancto ſene Donatiano Primate, Creſconius, Jucundus, Æmilianus. De Mauritania Sitiphenſi,*

Synodus ex Carthaginenſium Legatis conſtituta.

Cod. Afr. c. 127.

Seve-

Severianus, Aſiaticus & Donatus. De Provincia Tripolitana Plautius, qui ex more Legatus unus eſt miſſus, qui omnes tum ſancto ſene Aurelio univerſa cognoſcant. A quo petiit univerſum Concilium, ut cunctis ſive geſtis, quæ confecta jam ſunt, ſeu Epiſtolis ipſe ſubſcribat. Epiſcopis ccxiv. ea Synodus conſtituebatur, quam Proſpero in mentem veniſſe exiſtimamus: *Erraverunt Africani Epiſcopi ad eundem Papam Zozimum reſcribentes, eumque in ſententiæ hujus celebritate laudantes, cum aiunt: Illud verò cum in literis tuis, quas ad univerſos curaſti eſſe mittendas, poſuiſti, dicens, &c.* Neque cum N. Alexandro fingendam putamus *plenariam totius Africæ Synodum*, autumnali tempore Carthagine celebratam. Ex ſingulis Africæ Provinciis ternos Judices eligi, quid opus erat, ſi quatuor poſt menſes plenaria Synodus altera hoc ipſo anno Carthagine cogi debuit? Quis etiam in mentem facilè ſibi inducat, autumno plenariam totius Africæ Synodum eſſe congregatam, de qua nulla in Africano Codice mentio fuerit injecta? Anno quoque CCCCXIX. Epiſcopis plenariæ quoque Synodo celebrandæ Carthaginem venientibus placuit, *Ut ab omnibus eligerentur de ſingulis quibuſque Provinciis, qui propter alia peragenda reſiderent.* Ad Zozimum nunc eſt redeundum.

Prosp. cont. Collat. c. 10. — N. Alex. p. 178. Sec. V. — Cod. Afr. c. 127.

Cœleſtius Romam relinquit.

IX. Pelagianorum erroribus animum non ſatis adverterat Zozimus, quod & eſt obſervatum à Facundo l. VII. c. 3. *Invenient poſtremo B. quoque Zozimum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem contra Sancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnarit, fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Cæleſtii, quem in Eccleſia Carthaginenſi convictum, atque appellantem Apoſtolicam Sedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & Catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos, quod ab illis Hæreticii crederentur, cùm necdum ipſis Africanis Epiſcopis dolos eorum multò manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium putaret Orthodoxos.* Zozimi igitur aurem vellunt, admonentque Afri, ſcribentes, *Non ſufficere hominibus tardioribus, quòd ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire fatebatur* Cœleſtius, *ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo Libello prava poſuerat.* Quem igitur Catholicum exiſtimarat Pontifex, iterum ad ſuum tribunal revocat. At cùm non ea mens Cœleſtio foret, ut quos errores amplectebatur, damnatum iret, relictâ Româ abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Quid Marius referat Mercator, auribus percipiendum: *Epiſcopis verò ex Africa reſcribentibus, omnemque cauſam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus; miſſis etiam geſtis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatur ad audientiam pleniorem, ut quæ promiſerat, feſtinaret implere, id eſt, ut damnatis prædictis capitulis, ſententia Afrorum Pontificum, quâ fuerat communione privatus, abſolveretur, non ſolùm non adfuit, ſed etiam ex Romana urbe profugit, atque ab hoc à beatæ memoriæ prædicto Zozimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis, vel longiſſimis perdamnatus eſt. In quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur, & omnis cauſa tam de Cœleſtio ſuprà ſcripto, quàm de Pelagio Magiſtro ejus praviore videtur eſſe narrata.* Deſideratur Zozimi tractoria, cujus fragmenta duntaxat extant in Auguſtino, atque Proſpero, in quo legimus: *Erravit ſacroſancta benedictio Sedis Petri, quæ ad univerſum orbem Papa Zozimi ore ſic loquitur: Nos autem tamen inſtinctu Dei, omnia bona enim ad auctorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur, ad fratrum & Coepiſcoporum conſcientiam univerſa retulimus.* Inſpiciatur & Auguſtini ad Optatum Epiſtola 157. & liber 2. de Gratia & Libero Arbitrio, c. 8. 17. 21. Ne id quidem prætereundum eſt, Sixtum Eccleſiæ Rom. Presbyterum, dum in urbe res Pelagii tractantur, primum damnationis tela torſiſſe. Erroris ſui veluti patronum Sixtum Pelagiani infamaverant. Quam ut maculam elueret, primus ingens intonuit anathema. Quod Sixto Auguſtinus gratulatur: *Quod enim fatendum eſt charitati tuæ, triſtes eramus nimis, cum fama jactaret inimicis gratiæ Chriſti, te favere. Sed ut hæc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronuntiaſſe, eadem fama non tacuit.* Sixtus is fuit, qui defuncto Cœleſtino Pontificatum adeptus eſt. Gratiſſima piis omnibus fuit ea Zozimi in Pelagianos ſententia.

Lab. Conc. t. 2. 1513. — Prosp. cont. Collat. p. 430. — August. Ep. 106.

Pelagius in Oriente damnatur. Itidem Hieroſolymis.

X. Placuit maxime *Paulino* Diacono, quem *Baſiliſcus* Subdiaconus anno ſuperiore, *quarto Nonarum Decembrium* convenerat, ut adiret ad Apoſtolicam Sedem. Accuſatorem Cœleſtii vehementem ſe præbuerat, ut pergratum non eſſe non poſſet Zozimi ſuffragium ſuæ ipſius opinioni conſentaneum: Libellum ergo Pontifici ſuum obtulit, *in gratiarum actionem poſt damnatos Apoſtolicâ auctoritate Pelagium atque Cæleſtium.* Quem Libellum Sexto Idus Novembris per Marcellinum Carthaginenſis Eccleſiæ Subdiaconum direxit. Debebatur & illud veritatis triumpho, ut in Oriente, ubi Pelagius à Dioſpolitana Synodo abſolutum ſe jactabat, palam & publicè damnaretur. Nec pietati defuere, qui gratiæ Servatoris hoſtem & damnarent, & ſacris locis, quos præſentiâ ſuâ profanabat, expellerent. Hæc nos Marius Mercator docuit: *Adhùc etiam Hieroſolymis conſtitutus Pelagius, accuſatus fuit apud Synodum* Dioſpolitanam. *Et primo quidem tergiverſando ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens, & proſequens dubia, vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum audientiam deluſiſſe. Sed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus à poſteriore Synodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus, atque dejectus, à ſanctis quoque ac venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus. Ejus denique Sancti Theodoti ad reverendiſſimum urbis Romæ Epiſcopum, & ſanctæ recordationis Praylii Hieroſolymitani Epiſcopi miſſa ſcripta teſtantur.* Quam Pelagii, & Antiochiæ & Hieroſolymis damnationem cum anno præterito, ut nonnullis placet, ſed præſente conjungendam exiſtimamus. Quas enim anno CCCCXVII. literas Zozimo miſerat Praylius, illæ Pelagium non damnabant, ſed commendabant.

Lab. Conc. t. 2. 1515.

Honorii in Pelagianos Reſcriptum.

XI. Non Eccleſiæ Decretis modò, ſed Principum quoque Legibus Pelagiani obteruntur. Intra ſacratiſſimam urbem, aliaque loca ita peſtiferum virus quorumdam impleviſſe pectoribus, ut diſſenſionis materia induceretur, fama Honorii ad aures attulerat. Reſcribit ergo Palladio Præfecto Præt. pellantur ex urbe Cœleſtius atque Pelagius, & ſi qui ſacrilegii ſectatores inveniantur. Datum eſt Reſcriptum Ravennæ pridie Cal. *Maias*: *A quocunque correpti ad competentem Judicem pertrahantur, quos ſive Clericus, ſive Laicus fuerit, deferendi habeant poteſtatem.* Id verò pœnæ juvenis Princeps irrogat: *Hos ergo repertos ubicunque de hoc tam nefando*

ANNO DOM. 418.

do ſcelere conferentes, à quibuſcunque jubemus corripi, deductoſque ad audientiam publicam, promiſcuè ab omnibus accuſari, ita ut probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis. Integrum Baronius Reſcriptum exhibet. Imperatoris Decretum auctoritate firmavit Palladius Præf. Præt. cui miſſum eſt: *Junius Quartus, Palladius, Monaxius & Agricola, iterum Præfecti Prætorio edixerunt. In Pelagium atque Cœleſtium Catholici dogmatis fidem ſævis tractatibus deſtruentes ſententia principalis invaluit, ut venerabili urbe ſubmoti bonorum Concilio mulctarentur. Hos igitur omnes admoneri oportet Edicto, ne quis ſiniſtra perſuaſionis erroribus credulum præſtet aſſenſum. Etſi ſit ille plebeius ac Clericus, qui in caligines hujus obſcena reciderit, à quocunque tractus ad Judicem ſine accuſatoris diſcretione perſona, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exilium.* Hic clariſſimus ille Norisius Baronium meritò vexat, qui Palladianum Edictum anno 420. datum eſſe ſcribit, quod eſt in labentem revocandum, quo Palladius erat Præf. Prætorio Italiæ. Monaxius Præf. Præt. Orientis, Agricola Præf. Præt. Galliarum. Ab illuſtriſſimo quoque Purpurato noſtra variat diſſidetque ſententia. Cenſet Honorii Reſcriptum latum eſſe, ubi Papa Zozimus *cum ſacro Collegio Clericorum* Pelagium damnavit atque Cœleſtium, *& à Zozimo ad univerſos Eccleſiæ Epiſcopos* de damnatione literæ ſcriptæ fuiſſent. At nulla ſive damnationis hujus, ſive literarum ad Epiſcopos à Zozimo miſſarum mentio facta eſt in Honoriano Reſcripto: quam tanti rem momenti non prætermiſiſſet. Exiſtimamus tamen, Cœleſtium Româ prius profugiſſe, quàm eò Decretum perveniſſet. Nil opus ſanè fuiſſet, ut *vocaretur ad audientiam pleniorem*, quod à Zozimo factum, uti ex Auguſtino, & Mario Mercatore didicimus, ſi tum temporis Honorii Reſcriptum innotuiſſet, quo ex urbe Cœleſtius ejiciebatur. Afrorum verò attendiſſe judicia Principem, vero proximum. Eccleſiaſtici quidem judicii Poſſidius meminit, ad quod Honorium reſpexiſſe memorat. Verba ſunt Poſſidii: *Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum judicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens ſuis eos Legibus, damnatos inter Hæreticos haberi debere conſtituit. Unde nonnulli ex eis ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium, unde reſilierant, redierunt, & adhùc alii redeunt, innoteſcente & prævaleſcente adverſus illum deteſtabilem errorem rectæ fidei veritate.* Quòd ſi ordine temporum res adverſus Pelagium Cœleſtiumque geſtas reddere placet, primùm eos perculit Zozimi ſententia, cùm Honorii ad Palladium Reſcriptum nondum Romanis innotuiſſet: Zozimi verò tractoriam Carthaginenſia Decreta excepere, prius tamen condita, quàm in Africam ea perveniſſet. Tot fulminibus ictus Cœleſtius ab urbis ingreſſu temperare debuiſſet. Spretis tamen legibus latibulum in ea quæſivit, quæ cauſa fuit, cur Conſtantius Auguſtus anno 420. Reſcriptis eum ſuis Româ pelleret. Edicti verba ſunt: *His lectis, eximietas tua, omneſque qui Dei invident pietati, diligenter inquiras, & eos facias ſtatim è muris expelli, ita tamen, ut ne intra centeſimum quidem lapidem habeant licentiam conſiſtendi. Cœleſtium quoque magis ac magis ex urbe expelli mandamus. Conſtat enim iiſdem ex medio ſublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem.*

An. 318. n. 20.

Bar. An. 311. n. 19.

Poſſ. Vita Aug. c. 18.

Bar. An. 420.

ANNO DOM. 418.

Auguſtini cum Emerito Collatio. Catervam Cæſareæ pugnam abrogat.

XII. Sic merito ſuo meritiſſimo Principum Eccleſiæque jaculis Pelagiani confoſſi ſunt. Præcipuè Auguſtini curâ atque diligentiâ venit hæc læta victoria. Sanctiſſimo Patri hoc etiam anno ob triumphatos Donatiſtas novi honores obtigere. Quippe cum aliis Epiſcopis in Mauritaniam Cæſarienſem ſe contulerat. Ad profectionem Sedis Apoſtolicæ literis compellebatur, ut rebus Eccleſiaſticis nonnullis finem imponeret. Occaſione uſus, *Emeritum*, quem ſuæ ſectæ præcipuum in Carthaginenſi Collatione defenſorem Donatiſtæ habuerant, cùm nunciatum eſſet adeſſe, videre voluit. Quem & in *platea ſtantem* invenit. Factâ ſalutatione, monet ad Eccleſiam ſecum veniat. Ille roganti ſine ulla recuſatione conſenſit. Tum nobilem adverſarium ad diſputandum provocavit. Jactaverat *Emeritus*, quæ in Collatione proſequi potuerat, ea dicere ſibi non fuiſſe permiſſum. Emeritum itaque hortatur Auguſtinus, præſentibus ipſius civibus, ut ſe communionis ſuæ defenſorem conſtitueret. Opportuna maximè & loca eſſe, & tempora: poteſtatem nullam tum eſſe præſentem, quæ diſputanti ſilentium imponeret, libertatemve loquendi eriperet. Movebatur & ad inſtituendam diſputationem Emeritus & à civibus, & à conſanguineis, qui pollicebantur, *Se ad ejus redituros communionem, etiam cum diſcrimine patrimoniorum, ſalutiſque ſuæ temporalis, ſi modò Catholicam ſuperaret aſſertionem.* Præſentem ſic compellat Auguſtinus: *Collationibus interfuiſti, ſi victus es, quare veniſti? Si autem te victum eſſe non putas, loquere, unde tibi victor eſſe videaris.* Cui Emeritus: *Geſta indicant, ſi victus ſum, aut vici, ſi veritate victus ſum, aut poteſtate oppreſſus.* Inſtanti Auguſtino, *Quare ergo veniſti?* Reſpondit Emeritus, *Ut hoc dicerem quod requiris.* Cùm profundum ſibi ſilentium Emeritus indixiſſet, præſentibus Auguſtinus talia fatur: *Videtis, fratres, diu tacentem moneo, ut optatis reſipiſcentem, obſecro ne ſequamini pereuntem.* Deinde quam Cognitori Marcellino Epiſtolam Orthodoxi Epiſcopi direxerant, legi jubet, quod ab Alypio factum. Collatio hæc habita eſt XII. Calend. Octobr. Cæſareæ in Eccleſia majore, præſentibus Presbyteris, Diaconis, univerſo Clero, ac frequentiſſimâ plebe. Poſt Collationem de habendo ſermone ſuper geſtis cum Emerito Auguſtinus ſuggeſtum conſcendens, hanc ipſius orationem, *Non poſſum nolle quod vultis, ſed poſſum velle, quod volo*, multis modis exagitat. Donatiſtis, neque Emerito Collatio fuit honori, cujus ſucceſſum paucis quidem, ſed ſignificantibus verbis deſcribit Auguſtinus l. 2. contra Gaudentium, c. 6. *Affuit maxima multitudo: nihil pro ſua, ſeu pro veſtra dicere potuit: communicare noluit, dilatus perſeveravit, convictus obmutuit, illæſus abſceſſit.* Quid & jam Cæſareæ geſtum ſit ab Auguſtino, plebi valde conducens, noſtris eſt & Annalibus inſerendum. Civilem pugnam, nomine *Catervam*, quotannis inibant. Propinqui, fratres, parentes ac filii, duas in partes diviſi, certo anni tempore per aliquot dies lapidibus inter ſe dimicabant. Tantus certaminis furor, ut quiſque quem poterat, occideret. Totis viribus quantum valuit Auguſtinus, enixus eſt, tam crudele, tamque inveteratum malum dicendo pellere. Non acclamationibus, ſed ipſorum fletibus ſe aliquid egiſſe putavit: *Acclamationibus quippe ſe doceri & delectari, fletu autem lacrymis indicabant.* Cùm hæc ſcripto manda-

Poſſid. Vit. Aug. c. 14.

Aug. de Geſt. cum Emerito.

vit

Anno Dom. 418.

vit Auguſtinus, anni fuerant octo, vel amplius; *ex quo illic nihil tale tentatum eſt.*

Aug. de Doct. Chr. l. 4. c. 24.

Juliani Pelagiani patria, atque parentes.

Bar. An. 318. n. 25.

Error Baronii.

Bar. An. 430. n. 6.

XIII. Dum armis & Principum, & Epiſcoporum Pelagianus error oppugnatur, viri extitere nonnulli, non ignobiles, qui ruenti voluerunt auxilio eſſe. Quos inter Julianus nomen profitetur ſuum, qui dura labente, ut videtur, anno Pelagianorum de quæſtionibus ad Zozimum Epiſtolas ſcripſit. Non ſatis Baronio Julianus notus fuit, narranti perperàm *Epiſcopum Capuanum* egiſſe. Itaque de celebri Auguſtini adverſario, Pelagiique fautore acerrimo ea ſunt afferenda, quæ noſtris Annalibus erunt ornamento. Patriam Juliano *Attellam*, Campaniæ urbem Baronius aſſignat: *Julianus Epiſcopus Campanus, patriâ Atullenſis.* Quem Auguſtinus errorem illuſtriſſimo Purpurato evellere debuit. Quippe Sanctus ille Pater in Apulia Juliani collocat incunabula: *Neque enim*, inquit, *quia te Apulia genuit, ideò Pœnos vincendos exiſtimas gente, quos non potes mente.* Hoc & innuit Mar. Mercator, Julianum ſic compellans:

Aug. l. 6. oper. imp. c. 18.

Mar. Merc. c. 4. p. 39.

Te veriſſimè Ampſanctina ſcaturiginis conregionalis tua teterrimus fœtor . . . te poſtremò Attabulus Provincia tua peſtifer halitus inflavit, quibus tot modis turgidus & malè ſanus, imò inſanus effectus, hac eructares, hac evomeres, hac exhalares. Attabulus enim ventus eſt Appuliæ peculiaris, unde etiam Apulus appellatur:

Horat. Serm. l. 2. Satyr. 5.

Excipit ex illo montes Appulia notos,
Oſtentare mihi, quos torret Attabulus.

Plin. l. 17. c. 24. 491.

Inter cauſas morbum arboribus afferentes, Plinio numeratur *flatus alicujus regionis proprius, ut eſt in Apulia Attabulus.* Cùm ergo Attabulus ſit Provinciæ Juliani, patria ipſius in Apulia quærenda eſt, cui ventus Attabulus proprius eſt. Julianus parentes *Memorium* habuit, atque *Julianam.* Audiatur iterum Mar. Mercator: *Tune ſancta ac beatæ recordationis Memoris Epiſcopi filius? Tu Juliana primaria fœmina, & quâ nihil honeſtius inter reverendiſſimas matronas invenius, utero editus?* Non ex Mario Mercatore duntaxat, ſed ex Auguſtino quoque diſcimus, Juliani genitori nomen fuiſſe *Memor*: licet nonnunquam & Memorius appelletur, vocabuli ut videtur, delinimento. Ut fruſtra ſit emendatio Baronii, pro *Memore Memorium reddendum* putantis. In Paulini quoque Epithalamio Juliani pater Memor nuncupatur:

Mar. Merc. c. 4.

Bar. An. 419. n. 49.

Cùm Memor Æmilio jungitur unanimo.

Fuit autem Memor Auguſtino amiciſſimus: *Ego certè beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam, colloquio literarum, teque ipſum mihi chariſſimum fecerat.* Nativitatis ejus annus eſt in incerto, licet certum eſſe videatur, non poſt annum CCCLXXXVI. lucem aſpexiſſe. Etenim Epiſcopus ordinatus eſt ab Innocentio, qui fatis conceſſit, anno CCCCXVII. menſe Martio. Antiſtitem verò reſpuebant Canones, tricenis annis minorem. Scripturæ linguarumque tam Græcè, quàm Latinæ peritum fuiſſe, nos monuit Gennadius: *Julianus Epiſcopus, vir acer ingenio, in divinis Scripturis doctus, Græcâ & Latinâ linguâ Scholaſticus.* Cùm ingenio excelleret, & eruditione, percharus quidem Auguſtino fuit. Egregium affectus tenerrimi monumentum extat in verbis Sancti Patris ad Memorem de Juliano: *Quem quidem non audeo dicere plus amo quàm te, quia nec veraciter. Sed tamen audeo dicere, plus deſidero quàm te. Mirum videri poteſt, quemadmodum, quem pariter amo, amplius deſiderem. Sed hoc mihi facit ſpes amplior videndi eum. Puto enim quòd ſi ad nos te jubente, vel mittente venerit, & hoc faciet, quod adoleſcentem decet, maximè quia nondum curis majoribus diſtinetur, & te ipſum mihi expeditius apportabit.*

Aug. l. 1. cont. Julian. c. 4.

Gen. Cat. c. 45.

Aug. Ep. 131.

Juliani uxor. Munus: cujus Eccleſiæ Epiſcopus.

Mar. Merc. c. 4. 40.

XIV. Juliano binæ ſorores fuere, quæ caſtitatis laudem ſibi non compararunt. Hoc & in Mario Mercatore legitur: *Tu meritò duas ſorores tuas talibus diſciplinis tui oris erudiſti. Novimus, novimus quid tibi una earum, cum tu nimis ſeverus in ejus ruinam pudoris inſurgeres, objecerit vel exprobraverit: atque tu mutus illicò non auſus es ulterius cenſura tua ullas doloris ejus inferre moleſtias.* Memorii Julianæque poſt obitum fraternam ſororibus curam Julianus accommodarat. Nondum ad plures abierat Memorius, cùm Lectoris munere filius ejus functus eſt. Eò pertinent Paulini carmina:

Clericus uxorem Chriſto comente decoram
Diligat, & pulchram lumine cordis, amet;
Auxilioque viri divino munere factam
Lector cœleſti diſcat ab hiſtoria.

In eo munere conſtitutus Julianus matrimonium iniit cum virgine Conſulari, *Æmilii* filia, quæ *Ja* nomen gerebat. Titulus eſt Epithalamii Paulit *in Julianum Epiſcopi Memoris filium, & Jam clariſſimam fœminam uxorem ejus.* Ex duobus vocibus perperàm typographi adverbium *etiam* fecere:

Paulin. carm. 14. p. 267.

Ipſe pater vobis benedicat, Epiſcopus ipſe
Præcinat hymniſonis cantica ſancta choris,
Dus, Memor alme, tuos Domino ante altaria natos,
Commendaque, precans ſanctificante manu.

Solutumne ſit hoc matrimonium vitam adhùc retinente Memore, vel morte *Ja*, vel continentiæ voto, ut Julianus *Diaconi* ad officium promoveretur, eſt incompertum. Diaconum porro agebat anno CCCCVIII. quo Epiſtolam ad Memorem Capuenſem, uti creditur, Præſulem Auguſtinus dedit. Tum temporis in celebritate Julianus erat: *Superiores quinque libri vix filio noſtro, & Condiacono Juliano, quoniam & ipſe jam nobiſcum commilitat, cognitione digni videbuntur.* Verba ſunt de ſex libris Muſicæ ad Memorium cum ea Epiſtola miſſis. Sedente Innocentio ad Epiſcopales Julianus honores aſcendit, à quo etiam ordinatus eſt anno circiter CCCCXVI. Obſervabilia ſunt ea de re verba Mar. Mercatoris, quibus & docemur de fide Juliani, qui tum temporis à Pelagii erroribus alienus erat: *Cœleſtius & Pelagius, non tunc primò à ſanctæ memoriæ Zozimo videntur eſſe damnati, ſed ab ejus deceſſore ſanctæ recordationis Innocentio, à quo Julianus fuerat ordinatus, quique poſt illorum damnationem uſque ad prædicti Innocentii exceſſum è vita in ejus communione permanens, & perſeverans in ſincera ſententia, & communicans damnatori prædictorum, ipſe quoque ſine dubio Pelagium Cœleſtiumque damnavit.* Ubi verò locorum ſacris Julianus præfectus fuerit, non ſatis conſtabat, donec Marius Mercator in lucem prodiret. Legitur apud Gennadium: *Julianus Epiſcopus Capuanus, vir acer ingenio.* Quâ Baronius autoritate perſuaſus, Julianum Capuenſibus Antiſtitem impoſuit. Quibus verò Gennadiorum melioris notæ exemplarium copia fuit, deprehenſum eſt, vocem *Capuanus* deſiderari. *Eclanenſem* Eccleſiam à Juliano adminiſtratam eſſe, nunc eruditis in confeſſum venit. Quod etiam disertè à Mario Mercatore traditur, cui Julianus

Aug. Ep. 131.

Mar. Merc. Com. c. 3. 28.

Anno Dom. 418.

nus probè notus erat. Verba ſunt Marii in ſua Theodori Mopſueſteni Symboli refutatione, *Julianum ex Epiſcopo oppidi Eclanenſis Hæreticum Pelagianum Cœleſtianum, hunc ſecutum eſſe Theodorum.* Sed & in emendationibus Proſperiani Chronici editionibus, pag. 195. hæc reperimus: *Julianus Eclanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor.* Eclanum verò urbs olim Epiſcopalis fuit apud Hirpinos, Benevento diſtans viginti milliaribus. *Fringentum* nunc vocatur, Abellinenſi Epiſcopatui contributa.

Mar. Merc. 95.

Julianus in Pelagianiſmum incidit. Scripta ejus ad Zozimum. XV. Hactenus Juliani magna ſatis exiſtimatio erat, eruditione, religionis amore, diligentibuſque Epiſcopatus functionibus comprobata: *Priuſquam impietatem Pelagii in ſe aperiret, clarus in Doctoribus Eccleſiæ fuit.* Anno CCCCXVIII. in errorem apertè inclinaſſe viſus eſt animum, cùm geminis Zozimum Epiſtolis adiit, quarum ipſe meminit in verbis ſuis ab Auguſtino relatis; *Ad Zozimum quondam illius civitatis Epiſcopum ſuper his quæſtionibus duas Epiſtolas deſtinavi, verùm eo tempore, quo adhùc libros exorſus non eram,* quos ſcilicet adverſus librum primum Auguſtini de Nuptiis & Concupiſcentia adornavit. In Epiſtolarum altera negabat, mortem Adamo eſſe neceſſariam. Audiatur Marius Mercator: *In Epiſtola tua, quæ ut memoravimus, ad ſanctæ memoriæ Papam Zozimum miſſa eſt, diſplicet tibi, eumque condemnas, qui ſentit, Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus.* Itaque Pelagianum virus nondum prorſus in ipſius viſceribus inhærebat. Cùm porro Epiſtolâ ſuâ, *quæ Tractoria dicitur*, Zozimus Pelagium Cœleſtiumque damnaſſet, cui per orbem etiam terrarum miſſæ, Epiſcopi penè omnes ſubſcripſerant, eâ pertinaciâ Julianus fuit, ut errorem ſuffragio proſcribi ſuo nollet: *Cui*, inquit Mercator, *Julianus, & reliqui complices ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolum imperialibus Legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti, atque exauctorati, & omni Italiâ deturbati ſunt.* Cur calculum damnationi ſuum addi nollet, rationem dubio procul attulit, ſcribens ad Zozimum: *Ea verò Epiſtola à Juliani fautoribus prius vulgata eſt, quàm ad Pontificem Rom. perveniret. In Epiſtola tua, quam ad Sedem Apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti cum univerſa Eccleſia per totum orbem Pelagium Cœleſtiumque damnare, quæ antequam in manus Sanctæ illius Romanæ Eccleſiæ veniret Antiſtitis, te agente, à nonnullis à te deceptis per totam penè Italiam circumlata.* Paucis pòſt menſibus Libellum fidei concinnavit, quem à XVIII. Epiſcopis damnationis ſententiâ Pelagium ferire detrectantibus, ſubſcriptum Apoſtolicæ Sedi direxit. Partibus quatuor Libellus conſtat. Prima exhibet de Trinitate & Incarnatione, Symbolique articulis Confeſſionem. Secunda tractat de Gratia Dei & Libero Arbitrio: In ea diſertè damnatur originis peccatum: *Renuimus naturale peccatum, vel ſi quo alio vocabulo nuncupatur.* Tertia errores rejicit Hæreticorum. Quarta de Pontificis R. ſententia continet appellationem: *Sin contradici iſtis non poteſt, & tamen aliquis voluerit contra nos ſcandalum concitare, certa ſit Sanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ Synodi provocaſſe.* In tranſcurſu obſervandum, Librariorum vitio errorem hunc in Libellum irrepſiſſe. *Illud, ſancte ac venerabilis frater, & pater Auguſtine, neceſſariò reſpondendum putamus.*

Gen. catal. c. 45.

Aug. l. 1. op. imperf. c. 1.

Mar. Merc. Sub-not. c. 9. 28.

Merc. Com. c. 3. 18.

Merc. Sub-not. c. 6. 46.

Merc. Garn. 323.

Rectè monet Garnerius, legendum *Zozime.* Ad Rufum quoque Theſſalonicenſem magni nominis Epiſcopum Epiſtolam direxit, in qua adverſus Zozimum accuſationes inſtituit: *Papa ipſe Zozimus priſtinam retractavit ſententiam. Cùmque prius Libello Cœleſtii tanquam Catholico approbato, præcepiſſet credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci, aliquorum nunc ſive artibus deluſus, ſive territus minis, contrarium definivit.* Anno CCCCXIX. cùm in librum Auguſtini de Nuptiis & Concupiſcentia incidiſſet, quatuor libris *Turbantio* nuncupatis, tractatum S. Præſulis adortus eſt. Lacerabat tum Eccleſiam Romanam Bonifacii ſchiſma atque Eulalii. Atque ita conſtitutum putavit Julianus, ut opinionis ſuæ damnationem eâ diviſione Chriſtus ulciſceretur. Hinc ſcriptum ab Auguſtino: *Memento ſanè quemadmodum de conſtituendo Epiſcopo diſſenſionem populi Rom. inſultabundus objectas, & eam vocas ultionem Dei.* Italis anno CCCCXXI. Edicto Conſtantii pulſus, in Orientem ſeceſſit, & ſi Mario Mercatori fides, Theodorum Mopſueſtienſem adiit, ut armis Pelagianis elegantius inſtructus, facto ſi poſſet impetu, Auguſtini doctrinam obrueret. Sed de Juliano iterum in ſequentibus.

Anno Dom. 418.

Aug. l. 2. ad Bonif. c. 1.

Aug. l. 6. adv. Jul. c. 4.

Mors Zozimi. XVI. Decembris die XXVI. Zozimus naturæ ſatisfecit, qui brevem Pontificatum geſtibus memorandis illuſtravit. Paulò ante obitum de cauſa Apiarii legationem in Africam miſerat. Cùm porro quid à Legatis geſtum ſit, ad ſequum proximè futurum pertineat, celebrem Zozimi cum Afris diſputationem eo tempore commodius memorabimus. Sedit Zozimus annum unum, menſes novem, dies circiter octo. Bonifacium ſucceſſorem habuit, de cujus creatione mox diſſeremus. Variis eo ſedente miraculis Stephani reliquias in Minorca inſula patratis inclaruiſſe, ut venenis ſuis *ſcorpiones* colubrique exarmarentur, Severi in Epiſtola legitur, quæ multa fidem penè ſuperantia continet. Integram Baronius Epiſtolam Annalibus inſeruit, anni hujus n. 45. &c. Nos ad alia properamus.

Anno Dom. 419.

Anno U. C. 1172. Per. Jul. 5132. Jul. 464. Dom. 419. Honor. 27. & 25. Theodos. 28. & 12. *Sol.* 8. E. *Lun.* 2. *Indict.* 2. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 3. *P.* 30. *Mart.*

Coss. *Monaxius & Plinta.*

Valentinianus III. naſcitur. I. Conſtantium Placidiæ fœcunditas patrem iterum fecit, ſuſcepto filio, cui Valentiniano nomen. Ac Proſper quidem illius nativitatem affigit anno ſuperiori, dum ad Honorii XII. & Theodoſii VIII. Conſulatum hæc habet: *Valentinianus Conſtantii & Placidiæ filius naſcitur VI. Nonas Julias.* Marcellinus verò Valentiniani ortus anno poſteriores eſſe tradit, cujus & Chronologia veroſimilior: *Valentinianus Junior apud Ravennam patre Conſtantio & Placidiâ V. Nonas Julias natus eſt.* Olympiodorus quidem hujus temporis Scriptor Marcellino favet. Quippe narrat apud Photium, Valentinianum *quinque annos agentem* purpuram induiſſe. Erat autem annus Dom. CCCCXXIV. cùm ad Cæſaris dignitatem evectus eſt. Infauſtis avibus natus eſt Valentinianus, qui mollicie, libidinibuſque ſuis nomen memoriæ commendavit. Hic eſt ille Valentinianus, qui defuncto Honorio rerum potitur.

Phot. Biblioth. pag. 198.

II.

Anno Dom. 419.

Ætius Conſtantinopolitanus Præfectus à ſicariis percutitur.

II. Conſtantinopolitanus Præfectus, vir illuſtris, in periculum incidit non indignum memoratu, quo docemur, majoribus vel dignitatibus triſtes ſæpenumerò caſus imminere. Die Dominicâ Ætius Præfectus urbi cum ſolemni cultu in magnam Eccleſiam ingreſſus, menſe Februario VII. Cal. Martias, dum peractis precibus parat abitum, ad Palatium vocatus, à Seniore quodam, cui Dominico nomen, ſicâ in chartam conjectâ, quaſi Libellus ſupplex porrigeretur, ſecundum dextram partem pectoris adeò vehementer ictus eſt, ut per penulam & togam ferrum penetraret.

Chron. Alex.

Terræ motus prodigiaque in Oriente.

III. Terræ motibus Oriens concutitur, qui cum ſuperioribus haud facile conferri poſſint. Simul ignis quoque è cœlo demiſſus omnem ſalutis ſpem præcluſit, abſque ulla tamen mortalium clade. Quippe immiſſus à Deo ventus, fugatum undique ignem in mare tandem projecit. Videri erat novum ſpectaculum, maris ſcilicet fluctus, quaſi ſaltus quoſdam ac ſylvas diuturno tempore conflagrare, donec flamma penitùs in mari extingueretur. Multis in locis cùm terra moviſſet, viſa ſunt ædium culmina magno cum fragore diſrumpi, ut qui intra domos erant, cœlum ipſum oculis ſuis cernerent: ac rurſus ita juncta ſunt, ut nullum divulſionis indicium relinqueretur. Frumenta horreis delapſa, infernos incolas oppreſſere: hiatus ita poſtmodum coaluere, ut ambigeretur, undenam frumentum illud lethale defluxiſſet. Multæ Palæſtinæ civitates villæque eo ſunt terræ motu collapſæ. Subjungit Marcellinus prodigia quædam, quorum eſt difficillima fides, neque à Philoſtorgio in Hiſtoriam relata: *Dominus noſter J. Chriſtus ſemper ubique præſens, & ſuper montem Oliveti Hieroſolymæ vicinum ſeſe de nube manifeſtavit. Multæ tunc utriuſque ſexus vicinarum gentium nationes, tam viſu, quàm auditu perterritæ, atque credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt: omniumque baptizatorum in tunicis crux Chriſti Salvatoris divinitatis motu exemplò impreſſa refulſit.* Faſti quidem Idaciani hæc habent: *Monaxio & Plintâ Coſſ. S. Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus, qui ſupra Epiſtolam dirigit per Eccleſias orbis terrarum, quæ habetur de ſignis terroribuſque divinitùs perpetratis.* Graviter tamen errant, cùm certum exploratumque ſit, ante biennium Joannem è finibus naturæ humanæ exterminatum Praylio deceſſiſſe.

Philoſtorg. L. 1. c. 8.

Chryſanthus Novatianorum Epiſcopus Paulo decedit.

IV. Res Eccleſiaſticæ nunc in conſpicuo ponantur: ac in Oriente verſantibus, quæ ad illum pertinent, nobis ſunt oratione explicanda. Chryſanthus Novatianorum Epiſcopus, qui ipſis ſeptennio præfuerat, die ſeptimo Cal. Septembris ex vita diſceſſit. Defuncto ſucceſſit *Paulus*, qui prius quidem Latinæ eloquentiæ Doctor, abjectis poſtmodum Romanæ linguæ ſtudiis, ad monaſticam, collecto religioſorum hominum cœtu vitam tranſierat, haud abſimilem Monachis in ſolitudine degentibus. Parcè loquebatur, frequenter jejunabat, animalia in cibum non admittebat, vino & oleo rarius utebatur, pauperum captivorumque maximam curam gerebat. De Paulo prodigium narratur, cujus fides ſit penes Socratem. Judæus qui ſeſe Chriſtianum ſimulans, ab omnibus ſectis baptiſmum ſuſceperat, ad Paulum acceſſit. Dum acrius inſtat, ut ſacris undis expietur, Paulus qui longiore morâ urgentem offendere nolebat, candidam Judæo veſtem emit, alveumque baptiſterii aquâ impleri jubet, quæ ſemel iterumque evanuit, quaſi veteratoris impietatem indignaretur. Ad miraculum magno hominum facto concurſu, Judæus à non nemine ille eſſe cognoſcitur, qui jam ab Attico baptiſmum adeptus fuerat.

Socr. L. 7. c. 17.

Nova Eunomianorum factio autore Luciano.

V. Res Eccleſiaſticas tractanti nulla invidia eſt, ſi de Hæreticis quandoque commemoret. De Eunomianis ergo ea proferamus, quæ in Philoſtorgio legimus: *Poſt mortem Eudoxii, qui Conſtantinopoli Eunomianorum ſectæ præfuerat, Lucianus ſororis Eunomii filius in ejus locum ſubſtituitur. Hunc porro aiunt, cum in avaritiam, & cognata vitia prolapſus eſſet, pœnamque ob id metueret, à reliquorum quidem Eunomianorum ſecta ſe abrupiſſe. Propriæque verò factionis Principem extitiſſe, nec contemnendæ multitudini præfuiſſe, cum improbi omnes, & diverſis vitiis implicati ad eum confluxiſſent.*

Philoſtorg. L. 12. c. 11.

Mors Euſtochii Virginis.

VI. Nobiliſſimæ Virgini Juliæ Euſtochio hic annus mortem attulit. Sanctæ mulieris Paulæ filia maternis ſe moribus non indignam præbuerat: *In hujus cubiculo nutrita Euſtochium, virginitatis decus, ut facilis æſtimatio ſit, qualis magiſtra, ubi tales diſcipulæ.* Ex quinque liberis, quos Toxotio Paula genuerat, Bleſilla ſcilicet, Paulina, Euſtochio, Rufina, Toxotio filio, ſola ſe virginitati Euſtochium dicarat. Relictâ Româ, matrem Bethlehem uſque ſecuta, Virginum in Monaſterio vitam tranſegerat. Hæc illa eſt Euſtochium, cui de ſervanda virginitate præcepta dederat Hieronymus Epiſtolâ XXII. Matri ad extremum uſque ſpiritum ſerviens, morientis halitus ore legerat. Ac quod in votis erat, ut genitrici redderetur felici obitu, currente anno adipiſcitur, ætatis circiter quinquageſimo. Gravem Hieronymo dolorem incuſſit mors Sanctæ Virginis, cujus obitum Auguſtino ſignificavit atque Alypio: Sciatis, inquit, *vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ Euſtochii ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos* libros *putarem.*

Hier. Ep. 96. 42.

Hier. Ep. 79.

Eulalii Boniſaciique de Epiſcopatu Rom. diſſidium.

VII. In rebus Occidentis, quæ illuſtriora ſunt, ſtylum nunc noſtrum vagari permittamus. Defuncto Zozimo non minimum Romana concutitur Eccleſia, quæ ob Epiſcopi creationem in partes ſciſſa fuit. Ipſas rerum ſummas attingere ſatis erat, quas ex monumentis Vaticani Codicis à Baronio in Annales ſuos relatis colligimus. Ut de Epiſcopo eligendo para Cleri maxima cogitur, Lateranenſem ingredi Eccleſiam prohibetur, fautoribus Eulalii jam occupatam, quod Presbyteri exponunt Honorio: *Lateranenſem Eccleſiam obſtructis penè omnibus ingreſſibus, Archidiaconus Eulalius, contemptis impiè ſummi Sacerdotis exequiis, Diaconibus ac pauciſſimis Presbyteris ac multitudine turbata plebis, obſederat.* Quid Eulalio cauſæ fuerit, cur Lateranenſi inſideret Eccleſiæ, non eſt in obſcuro. Pontificatum ambiebat, ad quem & à factionis ſuæ hominibus evehitur. Per tres Presbyteros ex multorum autoritate conventus, ne quid ſibi temerè præter conſcientiam Clerici majoris aſſumeret: *Circumventis pauciſſimis Presbyteris, malè acceptis his, ac diverſa cuſtodia mancipatis, qui ad prohibendum cum literis venerant, exhibito etiam cum aliis Oſtienſi Epiſcopo, quem propè mortuum conſtat accitum, in locum ſibi non debitum, incuſtodito religionis ordine perambitum proruit.* Id major pars Cleri quàm moleſtiſſimè tulit. Igitur altero die ad eandem Eccleſiam properant, *participatoque*

Digitized by Google

cum Chriſtiana plebe conſilio, Bonifacium eligunt. Quem virum? *Venerabilem, veterem Presbyterum, in Lege doctiſſimum, ac bonis moribus comprobatum, & quod magis eum ornabat, invitum acclamatione totius populi, ac conſenſu meliorum civitatis, divinæ inſtitutionis ordine conſecratum.* Solemnis ea conſecratio fuit, cui plus minus ſeptuaginta Presbyteri ſubſcripſere, aſtitereque novem diverſarum Provinciarum Epiſcopi. Eulalio maximè favebat Symmachus urbi Præfectus, qui ut legitimum Pontificem eum commendat Honorio. Nec mora: Reſcripto Princeps ſuo Eulalium Epiſcopum dicit: *Conveniens ergo votum & ſtudium noſtrum circa Eulalium, ſacræ Legis Antiſtitem, ſublimitas tua clementiæ noſtræ auctoritate præſenti cognoſcat: cui competens numerus ordinantium legitimus, ſolemnitas temporis, locique qualitas recto venerandum nominis apicem contulerunt.* Bonifacium interdictâ conſeſſum urbe prohibet. Quem ob morem gerens cœleſtibus conſtitutis, ſponte diſcedat, invitum pelli jubet. Neque ad Symmachum hoc Reſcripti modò dirigit, ſed Aphrodiſium etiam V tarium, Tribunum & Notarium mittit Honorius, ut quæ ſtatuerat, celerius implerentur, quieſque urbis nullâ venatione turbaretur. Reſcriptum *datum eſt* III. *Nonas Januarii Ravennæ.*

Eulalium Bonifaciumque Ravennam vocat Honorius.

VII. Ut Principis conſtitutio Symmachi in manus pervenit, miſſo *primiſcrinio* Bonifacium accerſit, qui noſceret ſe à proceſſione, *quam inhibitam dixerat*, prorſus eſſe abſtinendum. Quod adeò ægrè Bonifacius tulit, ut eum, quem Symmachus ipſi miſerat, *daret populo verberandum*. Quod ubi Præfecto nunciatum eſt, habito cum Vicario Tribuno Sereniano tractatu, ad S. Paulum, quo Bonifacius convenerat, & ſacra exempla direxit, & partem officii deſtinavit. Voluit tamen ad urbem cum populo remeare: verùm ſtatim ad portas tam contubernales, quàm apparitores occurrerunt, qui urbem ingredi volentem prohiberent. Quos tamen contemnendos arbitratus violenter ingreſſus, à certa urbis parte pluribus occurrentibus eſt repulſus. Diſperſâ turbâ, extra murum deductus à quatuor contubernalibus & apparitoribus, ſine ulla cuſtodiri injuria jubetur, ne de nocte ad Eccleſiam convolans, rurſus populi ſtudia commoveret. Quid verò Eulalius? *Eo die penè cum omni multitudine ad S. Apoſtoli Petri Baſilicam ſolemnia celebrabat.* Ut verò Honorii Reſcriptum in notitiam Romanis venit, *fuit otium totius civitatis.* Symmachi relatio hæc eſt *data* VI. *Idus Januarii.* His animadverſis, Bonifaciani Imperatorem ſibi Libello adeundum putant. Orant Eulalium, ad comitatum cum ſuis autoribus adduci, Bonifaciumque Papam cum Sacerdotibus affuturum pollicentur. Accepto Libello, Honorius miſſo ad Symmachum Reſcripto, 18. Cal. Febr. partes adeſſe jubet, *intra diem* VI. *Iduum Februarii, Ravennatum civitatem præſentiam ſuam maturare non differant.* Acceptum Principis mandatum Symmachus ſtatim Bonifacio ſignificat, & Eulalio; populumque ſeditionibus agitatum monet, ne in unam Eccleſiam convenirent, ne quod fieri non licebat, inter ſe multitudo confligeret. Ut partes Ravennam acceſſere, litem eam Synodi curâ eſſe dignam, ſapienter exiſtimatum Honorio. Noluit tamen, Judicum officio fungi Epiſcopos, qui Eulalii Bonifaciique ordinationi adfuerant: *Ne*, inquit, *non tam novam prolaturi ſententiam, quàm ſerva-*
turi factum præteritum viderentur. At contagione quâdam diſſidii ipſa Synodus afflicta eſt, ut de legitimâ Eulalii Bonifaciique creatione non minus certarent Epiſcopi, quàm electi inter ſe contendebant. Cùm igitur diſcrepantibus Synodi ſuffragiis lis finiri non poſſet, ad Calendas Maias negotium Honorio differri placuit. Imminentibus porro Paſchatis diebus Bonifacium Eulaliumque urbe abſcedere juſſit, Spoletinoque Epiſcopo *Achillei* in mandatis datum, ut Romæ ſacra conficeret, quod & Romanis peculiari Reſcripto ſignificatur: *Quia de Sacerdote nihil poterat definiri, temporarium elegimus, qui reverenda ſacris diebus myſteria celebraret, ut ibi, Quirites, ad honorem ſacræ urbis præſtò eſſet ſolemnitas Sacerdotis.* Sacrorum dierum cultus, quietamque publicam ſeditione aliquâ perturbari vetat. Datum eſt Reſcriptum Idibus Martii. Deſiderabatur in Synodo Paulinus, Nolanus Epiſcopus, cujus ob pietatem maxima apud Principem gratia erat. Ac ſibi quidem ambitio gratulabatur abſentiam viri modeſtiſſimi, cujus aliena à faſtu omni pietas diſſidium extinguere valuiſſet. Paulinum ergo futuræ Synodo Princeps adeſſe jubet, quaſi ipſius ſapientiæ tanti finis diſſidii reſervaretur. Amiciſſimis verò verbis optimum Præſulem compellat: *Tributum hoc nobis viſitationis tuæ munus indulge, ut poſtpoſitis omnibus quantum temperantia, & his tranquillitas ſuffragantur, Synodo profuturus, ſine intermiſſione etiam deſideriis noſtris, & benedictioni quam cupimus, præſtare digneris.* Africæ quoque Epiſcopos ad Synodum invitat Honorius, ut ſolemnius in ea cauſâ judicium pronuntiaretur: *Quapropter*, inquit, *ſanctitas veſtra, quos vita bonorum & Legis doctrina commendat, intra diem Iduum Juniarum ad Spoletinam civitatem, amputatis excuſationibus properare dignetur.* Placidia quoque Honorii ſoror Aurelio Carthaginenſi, Auguſtino, Alypio, Evodio, illuſtrioribuſque Africæ Epiſcopis literas direxit. Ipſa quidem ea eſt, quæ talia fatur: *Quamvis ſacra Domini germani mei, Auguſti Principis ad Italiæ Synodum evocans autoritas, non negligenda præveniret, ſocianda ſpecialiter etiam ſerenitatis noſtræ ſcripta judicavimus.* Hic totâ Baronius errat viâ, qui earum Epiſtolarum autorem Honorium fuiſſe putat: *Honorius Imperator*, inquit, *Conſtantium intelligit, quem in Collegam Imperii cooptatum, germani habuit loco.* Non advertebat animum, Epiſtolas *datas eſſe* III. *Kal. April. Ravennæ*, quo tempore ab Honorio ſcribi de Conſtantio non potuit, *ſacra Domini germani mei, Auguſti Principis.* Neque Conſtantius tum temporis ad imperium evectus erat, quod biennio poſt factum: neque Honorio germanus erat, utpote alio & paterno, & materno ſanguine procreatus: neque etiam *Dominus* à Principe vocari potuit, ut in his verbis Placidiam ſanè ſcribentem, non Honorium videamus.

Error Baronii.

Bar. An. 419. n. 24.

VIII. Cæterùm ob Eulalii imprudentiam atque temeritatem componendis diſſidiis Synodo nil opus fuit. Quippe *quintodecimo* Kal. Aprilis, urbem meridianis horis ingreditur. Illâ autem ipſâ die Symmacho literæ Spoletini Epiſcopi afferuntur, quibus nuntiabat, injunctam ſibi eſſe Romana in civitate Paſchatis celebrationem. Qui cùm urbem intraſſet, ſeditio prioribus excitatur: *Ab una parte multitudo armata ferro & telis ad forum militari habitu convenit.* Ad hæc convocatis Proceribus, proceſſit Symmachus, ut populum

Eulalius temeritate ſuâ Epiſcopatu Romano ejicitur.

Anno Dom. 419.

pulum compeſceret. Ubi ad forum Veſpaſiani cum Romæ Vicario pervenit, ſubitò armati ſervi telis & ſanis, aliquanti etiam ferro Eulalii fautores, qui inermes convenerant, adoriuntur. Præfectum etiam & Vicarium lapidibus appetunt, qui tamen opem ferente Deo nil vulneris accepere, cùm per *ſecretiorem partem egreſſi*, impetum vitaſſent. Seditioſorum pars major ſervis conſtabat, ex quibus aliquanti comprehenſi ſunt. Hic ille motus Achilleo Spoletino, cujus præſentia expectabatur, impedimento fuit, ne quæ juſſa fuerant, publicaret. Venerat poſt ingreſſum Eulalii tertiâ die, Martii ſcilicet XXI. Magna tum erat cruentam ad ſeditionem inclinatio. Minabantur ſe *populi invicem pugnaturos, dum de Lateranenſi Baſilica alterutrum ſe exiſtimant excludendos*. Quæ cùm Honorio Symmachus ſignificaſſet, Conſtantinus Cancellarium *Vitalum* dirigit ſuum, ut factionum autores detegerentur. Ac Reſcripto dato VIII. Kal. Aprilis, Honorius edicit, belli movendi *caput*, *Eulalium, qui juſſa tranſcendit, cutiſſo, ſecundum ordinem Præceptorum pauliſper abeſſe non paſſum*: ab urbe pellendum eſſe, ne inſolenti populo præſens incitamenta præbeat: *Nihil ex hoc excuſationis habiturum, quòd eo invito à plebe afferat retentari*. Ex Clericis, qui pendente judicio cum Eulalio communicandum cenſuerit, illum ſalutis ſibi diſcrimen accerſiturum: Laicos pœnam proſcriptionis, ſervos verò capitis ſupplicium eſſe ſubituros. Soli Achilleo Spoletino Lateranenſem Eccleſiam ad ſacra celebranda aperiendam eſſe. Ne hìc quidem ceſſit Eulalii contumacia: egreſſum abnuit, imò aliâ die *rurſum per omnem apparitionem etiam nocturnis horis admonitus, collectâ multitudine, Lateranenſem Baſilicam auſa temeritate credidit invadendam*. Sed ab ea Eccleſia fugatus de urbe pellitur. Clerici quoque factionis ejus, qui ſeditionis autores fuerant, capti ſunt. Eâ Eulalius pertinaciâ meritò lite ſuâ cadit. Quippe conſtituerat Synodus Ravennenſis, cujus & Decreto partes conſenſerant, damnatum eſſe illum, *Qui ad incitandum populum urbem fuiſſet ingreſſus*. Ejectione ſuâ & Synodi, & Principis judicium Eulalius ſtatuit. Bonifacius ergo Honorii ſuffragio legitimus urbis Epiſcopus renuntiatur, quod Romanis pergratum fuit, ut ex Symmachi ad Imperatorem relatione palam eſt: *Nam cùm ſtatuta cœleſtia per me eſſent recitata, populis, & Edictis ex more poſitis publicata, tantus fervor & lætitia totius extitit civitatis, ut ſcilicet & religionem redditam, & priſtinam quietis ſecuritatem omnes gratulatione congruâ teſtarentur. Interjecto itaque biduo, urbem ſuprà memoratus venerabilis Epiſcopus, omni occurrente plebe ingreſſus eſt, ſicut ſerenitas veſtra conſtituit.* Finitâ lite, Synodo nil opus fuit, quam Junio menſe apud Spoletinam civitatem Honorius indixerat. Ne verò ad eam vocati Africæ Epiſcopi feſtinarent, Largo Africæ Proconſuli ſcripſit, ipſorum adventu nil opus eſſe: *Eulalius*, inquit, *ſolâ uſurpatione moram credidit occupandam. Quem ſicut decebat, noſtrâ autoritate conſtat expulſum, ac Sanctum Bonifacium Epiſcopum roboratum. Et quoniam conſumptum negotium eſt, incongruum noſtra Clementia judicavit, ſi Epiſcopi navigationis & itineris injuriam paterentur. Unde ſciat ſpectabilitas tua, Synodum fuiſſe ſolutam. Datum ſub die* VII. *Idus Aprilis.*

Error Baronii.

Atque hìc Baronium non mirari non poſſumus atque Binnium, qui Pontificale Damaſi ſecuti, *Ex ducentorum & quinquaginta duorum Epiſcoporum Synodo Eulalium eſſe depoſitum*, Lectoribus perſuaſum voluere.

Bar. Ann. 419. n. 34.

Quod extra modum abſonum eſt. Cui bono Synodus tam numeroſa, conſumpto jam negotio? Ejecto Eulalio? Bonifacio *roborato* Principis autoritate? Ubinam locorum ingens ea Synodus celebrata? Quis Veterum celeberrimi Conventus mentionem egit. Cùm ergo ex Honorii Reſcriptis perſpicuum ſit, quam indixerat Synodum eſſe ſolutam, nullo quidem jure è tenebris Concilium CCLII. Epiſcoporum profertur Eulalio exautorando. Id fortè Baronium malè habet, quòd à Principe Epiſcopatus Bonifacio confirmatus fuerit, & abdicatus Eulalio. Ad utrumque ergo faciendum præſtò eſt Concilii CCLII. Antiſtitum autoritas. Reſcriptis tamen Honorii Symmachique relationibus noſtram non adjungere fidem non poſſumus. Quibus optimis ſanè monumentis magni nefandique ſchiſmatis notitiâ inſtruimur. Quæ ſi Autori Pontificalis comperta fuiſſent, narrationem tot fabulis ſuam non conſperſiſſet. Sic eſt, nobis non obtruſiſſet *diſſenſionem in Clero, menſium* VII. *& dierum* XV. quæ menſium trium ſpatio circumſcripta eſt: non Eulalium & *die proximo Paſchæ* in urbem intrantem, quam ingreſſus eſt XV. Cal. Aprilis, & Paſcha in Baſilica Conſtantiniana celebrantem, quem ante hoc feſti Româ pulſum ex Symmacho novimus: non etiam Bonifacium celebrantem baptiſmum *Paſchæ, in Baſilica S. Agnetis*. Cùm nonniſi adulto jam Aprili Bonifacium Romam veniſſe teneamus; non prius eam ingreſſus quàm ab Honorio facultatem impetraſſet.

IX. Bonifacius natione Romanus, ex patre *Jocundo* Presbytero ortus eſſe perhibetur. Sedente Innocentio legatione functus fuerat apud Theodoſium, Epiſtolamque de Antiochenæ Eccleſiæ cum Romana reconciliatione, Legatos mittente Alexandro acceperat, quæ inter Innocentianas numero eſt XIV. Quam diu ſederit, non conſtat inter Autores: *Poſt annos tres, & menſes octo defunctum eſſe Bonifacium, in Pontificali legitur*. Vixiſſe annis tribus, affirmat Marcellinus. At Proſperi Chronologia longè veriſimilior, qui Bonifacii Pontificatum ad annum uſque Dom. CCCCXXIII. extendit. Mariniano & Aſclepiodoto Coſſ. quo tempore Cœleſtino deceſſit. Quo verò die, eſt in obſcuro. Catalogus Reginæ Sueciæ: *Sepultus eſt*, inquit, *in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis, viâ Salutariâ* (Lege Salariâ) VII. *Kal. Novembris*. Ex quo intelligitur, Octobris XXV. periiſſe, quo die Bonifacii memoria recolitur in Martyrologio Romano. At in Hieronymiano, citius mortem obiiſſe narratur: *Secundo Nonas Septembris, Romæ in Cœmeterio Maximi, viâ Salariâ, depoſitio Bonifacii Epiſcopi*. Menſis ergo dieſque Bonifacii ultimus relinquatur in obſcuro. Ut firmatus ipſi Pontificatus eſt, quæ pacis cupidum antiquior verſavit ſub pectore cura, ea fuit, ut Reſcriptis Honorius ſuis Romanos Antiſtites per ambitum ordinari prohiberet. Cruda ferè, hiulcaque ſibi vulnera videre videbatur, quæ Damaſi Urſicinique ſeditio Eccleſiæ Romanæ inflixerat. Nuperrimè fautores ejus cum Eulalianis penè venerat ad pugnam, non ſine bonorum virorum offenſione. Licet ergo valetudine nonnullâ afficeretur, exaratam *Kalendis Julii* Honorio Epiſtolam mittit, quâ hortabatur, ne in Eccleſiam aliquos pateretur, *Inſidiantium procellarum fluctibus illidi*,

Bonifacius Epiſcopus Romanus: ejus acta ad Annum 419. pertinentia.

Anno Dom. 419.

Anno Dom. 419. *illidi, & quietam faciem tempeſtatis inſolita tumore turbari.* Pergrata fuit Principi ea Bonifacii poſtulatio, cui ſapientia hæc verba reſcripſit: *Beatitudine tuâ prædicante, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus pervenire, ut ſi quid fortè religioni tuæ, quod non optamus, humanâ ſorte contigerit, ſciant omnes, ab ambitionibus eſſe ceſſandum. At ſi duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitùs Sacerdotem, ſed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericatum novâ ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit.* Novo Pontifici gloriam decuſque attulit adhibita ad exautorandum Maximum diligentia Valentinæ civitatis Epiſcopum, qui venena Manichæorum imbiberat. Cujus erroris à Synodis accuſatus fuerat: *Ad ſecularium quoque judicum tribunalia, ſubditum quæſtioni, & homicidii damnandum* aſſerebant, *geſtis prolatis in medium.* Delegatam Epiſcopis cognitionem Maximus ſæpius ſubterfugerat. Ut homo, qui tam malè audiebat, judicaretur, Bonifacius Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Juliano, Caſtorio, Leontio, Conſtantino, Joanni Montano, Marino, Mauricio, & cæteris Epiſcopis per Gallias, & ſeptem Provincias conſtitutis, hæc mandat: *Decrevimus veſtrum* (Bonifac. Ep. 2.) *debere intra Provinciam eſſe judicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Novembrium, ut ſi adeſſe voluerit, præſens ſi confidit, ad objecta reſpondeat, ſi verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententia de abſentia non lucretur. Data ſub die Idus Junias, Monaxio viro clariſſimo Conſule.* Quid verò cauſæ fuit, cur Maximi negotium ad Pontificem R. referretur? Quaſi non ſatis vel autoritatis eſſet in Galliæ Antiſtitibus, vel ſapientiæ, ut coactâ Synodo ea de lite judicarent. Id quidem juris ipſis competebat ex Eccleſiæ diſciplina. Quò pertinent & Nicænus Canon quintus, & Antiochenus quartus. At Baronius, qui (Bar. Ann. 419. n. 107.) occaſionem amplectitur omnem majeſtati Sedis Romanæ velificandi, obſervat accuſationes Epiſcoporum ad Romanum Pontificem deferri ſolere. Peculiaris tamen rationis Valentinæ civitatis Clericis aliquid fuit, cur Bonifacium adirent: Quòd nempe de Metropolitano lis erat, (Sard. c. 3.) & diſceptatio. Neque Bonifacius Maximi negotium tribunali ſuo vindicat, id unum facit, vi & poteſtate à Sardicenſibus Julio Epiſcopo Romano conceſſâ, ut *ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det Judices.*

(Apiarii cauſa. Zozimus Sardicenſem Synodum pro Nicæna obtrudit.) X. Quod Bonifacium adierint Valentini Clerici, tolerandum fuit. At iniquum prorſus nec ferendum, quòd injurioſâ in Afros appellatione Apiarius Presbyter ad Zozimum provocaſſet. Quæ res in Carthaginenſi Synodo octavo Kalendas Junii celebratâ, diligentiſſimè tractatur. Antequam de celeberrimi Concilii Decretis dicere inſtituerimus, de *Apiarii* negotio diſſerere operæ pretium facturi ſumus. *Urbanus* Siccenſis Epiſcopus Apiarium Presbyterum, cujus ordinationem irritam eſſe cenſebat, exautoratum Eccleſiæ communione ejecerat. Ad perditorum dedecus penè fatale fuit, ut ad autoritatem Epiſcoporum Romanorum, interjectâ appellatione confugerent. Hunc & portum ſibi delegit Apiarius, ut ab excommunicationis procella tutus eſſet. Provocantem ambabus ulnis Zozimus amplexus fuerat, cui & communionem impertierat ſuam, miſſiſque in Africam Legatis, *Fauſtino* Eccleſiæ Potentinæ, Provinciæ Piceni Epiſcopo, *Philippo*, & *Azello* Presbyteris reſtitutionem appellantis urgebat. Ut verò factum hoc ſuum, quod Eccleſiæ legibus pugnabat, (Anno Dom. 419.) Zozimus tueretur, autoritate Canonum Nicænorum, qui omnibus erant venerationi, velatum voluit: hoc prætexit nomine culpam. Liceat nobis verba referre *Commonitorii*, quod Legatis ſuis dederat, & Canoni tertio Synodi Carthaginenſis inſertum fuit: *Fratri Fauſtino, & filiis Philippo, & Azello, Presbyteris Zozimus Epiſcopus. Vobis commiſſa negotia non latent. Vos ita ut noſtra, imò quia noſtra ibi in vos præſentia eſt, cuncta peragite: maximè cum & hoc noſtrum poſſitis habere mandatum, verba Canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic Commonitorio inſeruimus. Ita enim dixerunt dilectiſſimi fratres in Concilio Nicæno, cum de Epiſcoporum appellatione decernerent. Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo dejecerint eum, & appellaſſe Epiſcopus videatur, & confugerit ad beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & juſtum putaverit, ut renovetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant*, &c. Luce meridianâ clarius eſt, Canonem à Zozimo laudatum Synodi Sardicenſis ſeptimum eſſe, Nicænæ non eſſe. Cùm autem minutos Sardicenſium Canones autoritate Nicæni vincerent, qui omnibus venerationi erant, ingens Sardicenſibus nomen obtendi Zozimus voluit, ut Afrorum aſſenſum extorqueret. Ignorari quidem in Africa Decreta Sardicenſia, iis ſolis incompertum, qui capti ſunt oculis. De fraude porro vehementer excuſatum Zozimum illi volunt, qui Pontificis Romanis nomen adorant. Nobis verò excuſationes admitti non poſſunt. Quis enim in mentem inducat ſibi, alia Romanorum, alia Conſtantinopolitanorum, Antiochienſium, Alexandrinorum, Nicæni Concilii exemplaria eſſe? Aut eâ Zozimum ignorantiâ laboraſſe, ut Sardicenſium Canonum partem huic Synodo, partem verò Nicænæ aſcribendam putaret? Quæ quidem de minoris loci Clericorum appellationibus ſuo Commonitorio inſeruerat, ea verbis expreſſis Sardicenſi Concilio vindicavit: *De appellationibus autem Cleri-* (Cart. 6. cap. 6.) *corum reſtat ipſius Synodi certa reſponſio, quæ de re quid acturi eſtis, credimus inſerendum, quod taliter dictum eſt ex Sardicenſi Concilio.* Quòd ſi fraudis expers Zozimus fuit, non ſanè ignorantiæ. Eò porro noſtra inclinat propendetque ſententia, voluiſſe Zozimum reviſionum omnium privilegia autoritate Sedis Romanæ decerni, ut doctiſſimo Petro Marca viſum, cujus in opinionem faciles deſcendimus. Implorabantur Reſcripta Principum adverſus Synodorum judicia. Athanaſii Marcellique cauſam in Tyrienſi, & Conſtantinopolitana Synodo damnatorum, permittentibus Conſtantio & Conſtante, Sardicenſes tractaverant. Chryſoſtomus quoque à Synodo ad Quercum damnatus, Arcadium urſerat, ut de rebus ſuis Synodus alia cognoſceret. Reſcriptorum ejuſmodi impetrationem Gratiano abrogari placuerat: *Sit hujuſmodi perſonis tenere præſentis Legis illicitum ſacra noſtra adire ſecreta, & impetrare Reſcripta. Omnia dejectu per culpam Sacerdotii perſonis, quæ impetrata ſunt, infecta permaneant.* Quæ Lex extat ad Appendicem Codicis Theodoſiani. In-

ſpicia-

ANNO DOM. 419.

ſpiciatur Marca de Concordia Sacerdotii l. 7. c. 2. Intermortuum in Occidente *reviſionum* uſum ſuſcitari, Zozimo placuit, quæ autoritate Sedis Romanæ concederentur. Cui juri in Africa obtinendo Sardicenſis Synodi autoritatem, nomine Nicenæ ornatam adhiberi voluit.

Quid de Zozimi Commonitorio, Sardicenſes pro Nicænis Canones laudantis, decretum.

XI. De Synodo nunc eſt tractandum, in qua quæſtio hæc inſignis agitatur. Numeroſus Epiſcoporum conventus fuit, qui ducenti decem & ſeptem adfuere: neque deſiderati Fauſtinus Epiſcopus, Philippuſque & Aſellus Presbyteri, qui omnes Carthagine congregati ſunt, VIII. Kal. Junias in Secretario Baſilicæ Fauſti. Præerat Aurelius Papa cum *Valentino* primæ Sedis Numidiæ. Antequam convenirent cum Legatis Provinciarum Atticæ, nonnulla jam à Fauſtino, Philippo, Aſello agitata fuiſſe, ex verbis Aurelii apertè liquet: *Poſt diem præſtitutam Concilii, ut recordamini, fratres chariſſimi, multa flagitata ſunt, per expectantes fratres noſtros, qui nunc ad præſentem Synodum Legati advenerunt, quæ geſtis neceſſe eſt conſocientur. Geſtorum* quoque *ſuperiorum* Fauſtinus ipſe meminit. Præmiſſâ ab Aurelio de exemplaribus Nicænis proferendis admonitione, ab univerſo Concilio juſſum, Nicænos Canones legi, quos ſubinde Daniel Notarius recitavit. Quibus lectis, Fauſtinus Romanæ Legatus Eccleſiæ flagitat, & regulas Nicænas ſervari, & Commonitorium à Zoſimo ſibi traditum exhiberi, de quo mentionem fecimus. Ut à Daniele lecta ſunt, quæ Nicænæ Synodo vindicabantur. Alypius Tagaſtenſis dixit, omnes quidem ea ſe ſervaturos profiteri, quæ ſunt à Nicænis conſtituta, adhùc tamen ſe moveri, quòd quæ à Fauſtino, ut Nicæna jactabantur, in Græcis Codicibus minimè reperirentur. Petiit ergo à *Sancto Papa Aurelio*, ut ad Alexandriæ, Antiochiæ, Conſtantinopolis Epiſcopos mittat, qui hoc Afris Concilium *cum ſtipulatione literarum ſuarum dirigant, ut omnis poſtmodum ambiguitas auferatur.* Suggerit & Alypius, Bonifacio ſcribendum eſſe, ut ad memoratas Eccleſias aliquos dirigat, qui eadem exemplaria Nicæni Concilii *ſecundum ejus poſſint ſcripta proferre.* Neque Fauſtino offenſionem movit Alypii ea poſtulatio, *dubios Canones eſſe* indicantis: ad Bonifacium, ut Canones inquireret, ſcribendum ipſe cenſuit. Ad ſecundum Zozimiani Commonitorii caput Novatus Legatus Mauritaniæ Sitiphenſis poſtulat recitari, quod in Nicæna Synodo nuſquam invenerat. A Daniele igitur legitur & illud caput, qui Sardicenſis Canon eſt XVII. quem voce Auguſtini ſe quoque ſervaturos profitentur, *Salvâ diligentiore inquiſitione Nicæni Concilii.* Qua de re & Bonifacium literis inſtrui Carthaginenſium, Fauſtinus petiit. Communi verò omnium conſenſu decretum eſt, & exemplaria Nicæna per Cecilianum allata, geſtis Eccleſiaſticis inſeri, & certos ad Conſtantinopolitanam, Antiochenam, & Alexandrinam civitatem homines dirigi, qui exemplaria Nicæni Concilii veriſſima referrent. Quibus decretis, Daniel Notarius Nicænorum & Symbolum, & ſtatuta recitavit. Porro antequam longius noſtra procedat oratio, animo obſervandum eſt, Fauſtinum Epiſcopum, etſi Pontificis Romani Legatum, poſt Aurelium Valendum ſediſſe, nec primas in Carthaginenſium Synodo partes habuiſſe. Neque in Synodis Præſulum Vicarii eum ſibi locum vindicabant, quem Antiſtes occupaſſet, ſi præſens adfuiſſet. Eò pertinet Emeritenſis Concilii Canon V. de Epiſcopi ad Synodum Legato: *Ad ſuam tamen perſonam non aliter niſi aut ſi Archipresbyterum ſuum diriget, aut ſi Archipresbytero impoſſibilitas fuerit, Presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat, a tergo Epiſcoporum inter Presbyteros ſedere.*

Cart. 6. can. 1.

Synod. Cart. 6. c. 4. &c.

De Carthaginenſis Synodi V. ſeſſione ſecunda.

XII. Prior hæc Synodi Seſſio fuit. Poſteriore ea conſtituta ſunt, quæ Conciliorum in Collectionibus ſeptimæ Synodo Carthaginenſi vindicantur. Unius tamen ejuſdemque Concilii eſſe, ſi vera placent, eſt concedendum. Præfatio hæc eſt: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii Auguſtorum III. Kal. Junias Carthagine in Secretario Baſilica Reſtituta, cum Aurelius Epiſcopus, una cum Fauſtino Eccleſia Potentina Provincia Italia Picent, Vincentio Caluſitano*, &c. Eſt autem abſonum, duas fingi Synodos, eodem & anno, & menſe Carthagine coactas, quatuorque duntaxat dierum intervallo diſſitas; quanquam nos lateat, cur prima Seſſio in Baſilica *Fauſti*, poſterior in *Reſtituta* fuerit celebrata. Non neſcimus quidem, in vulgaribus exemplaribus legi, III. *Kal. Julias.* Quam N. Alexander lectionem amplexus eſt, Verùm quin *Junias* ſcribendum ſit nulli dubitamus, & apertè liquet tam ex capite 94. Concilii Africani, quàm ex Canone 127. Africani Codicis, in quibus conſtanter habetur, *tertio Kalendas Junias.* Univerſum adhùc Concilium ſtabat, quod etiam ex verbis Patrum apparet & promptum eſt: *Ac univerſis in Concilio Judicibus delectis, aſtantibus Diaconibus, & quibuſdam peractis, multi Epiſcopi peragendorum moras ſe concurrerentur ſuſtinere non poſſe, & ad proprias Eccleſias feſtinarent, placuit univerſo Concilio, ut ab omnibus eligerentur de ſingulis quibuſque Provinciis, qui propter alia peragenda reſiderent.*

Lab. Concil. t. 2. 1603.

Epiſcopi ad plenariam Synodum mittuntur: Synodi utriuſque diſcrimen.

XIII. Qui verò partes plenarii Concilii, Antiſtibus CCXVII. conſtantis implevere, illi ſunt, quorum ſubjicere nomina ex Codice Africano, utpote ſinceriore, inutile non erit. *Aurelius* Carthaginenſis, *Alypius* Tagaſtenſis, *Auguſtinus* Hipponenſis, *Poſſidius* Calamenſis, *Vincentius* Culuſitanus, *Fortunatianus* Neapolitanus, *Pentadius* Carpetanus, *Rufianus* Mauenſis, *Prætextatus* Sicilibenſis, *Quodvultdeus* Verenſis, *Candidus* Abitinenſis *Germanicianum*, *Gallonius* Uricenſis, *Maximianus* Aquenſis, *Jocundus* Suffetulenſis, *Maximus*, *Hilarianus* Horreocelenſis, *Novatus* Sitiphenſis, *Nivellus* Ruſurianenſis, *Laurentius* Icoſitanus, *Numerianus* Ruſuguritenſis, *Leo* Moitenſis, alius *Leo* Legatus Provinciæ Sitiphenſis. Sic Concilii Legati fuere duo & viginti, ut numeranti palam eſt. Hic gravem in errorem illuſtriſſimus Purpuratus delapſus eſt. Nempe viginti duobus duntaxat Legatis Synodum conſtitiſſe, ſibi in mentem induxit: *Interfuerunt*, inquit, *ex Provinciis Africana Eccleſia delecti Judices, ſive Legati omnes numero viginti duo.* Quæ magni viri magna eſt inconſiderantia. Alii ſanè Provinciarum, alii Synodi Legati. Hos quidem duos & viginti fuiſſe monuimus: illos verò ducentos & ſeptemdecim extitiſſe, certiſſimum eſt, ut Synodi ex Præfatione liquet, quam refellendo Baronio integram exſcribere neceſſarium eſt: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii VIII. Auguſtorum, VIII. Kal. Junii ſcripta hac ſunt Carthagine in Secretario Baſilica Fauſti, cùm Aurelius Papa unà cum Valentino prima Sedis Numidia, & Fauſtino Eccleſia Potentina Provincia Italia*

Bar. Ann. 419. n. 59.

Lab. Conc. t. 2. 1588.

lia Piceni, Legato Eccleſiæ Romanæ, ſed & Legatis diverſarum Provinciarum Africanarum, id eſt, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitiphenſis, & Mauritaniæ Cæſarienſis, ſed & Tripolitanæ, & Vincentio Coloſitano, Fortunatiano, Provinciæ Proconſularis, & cæteris Epiſcopis ducentis decem & ſeptem. Quid diſertius? Ducentis decem & ſeptem Epiſcopis. Quin etiam expreſſa Valentini primæ Sedis Numidiæ mentio eſt, qui de Synodi Legatis unus non fuit. Eſt porro obſervandum, in Præfationem mendum irrepſiſſe, quæ in exemplaribus ſic habet: *Fortunatiano & cæteris Epiſcopis Provinciæ Proconſularis ducentis decem & ſeptem.* Quod eſt abſurdiſſimum, quaſi verò ex Africa Proconſulari tot Epiſcopi convenerint. Eſt ergo locus emendandus eâ ratione, quâ reſtitutum exhibuimus. Notetur in tranſcurſu Perronianus error, qui Concilium Honorio XII. Conſule, id eſt, anno Dom. 418. celebratum exiſtimavit, quaſi *poſt Conſulatum* Honorii XII. idem eſſet ac *ſous le* XII. *Conſulat d'Honorius.*

De Canonibus Carthaginenſis Synodi ſextæ.

XIV. Proferantur nunc Canones quatuordecim, qui ſunt à Carthaginenſibus conditi. Prioris Seſſionis novem numerantur, ab Antiſtitibus numero CCXVII. conſtituti. Capitum ſumma hæc eſt. I. Allocutio Aurelii ad Synodum. II. Reſponſio Fauſtini Epiſcopi Legati Romanæ Eccleſiæ, de his, quæ in Eccleſia, partim Canone, partim conſuetudine ſunt firmata. III. De Commonitorio Romani Papæ citato. IV. Alypii Epiſcopi reſponſio pro veris exemplaribus Nicæni Concilii perquirendis. V. Ubi Fauſtinus Epiſcopus dixit, ut Romano Papæ Synodus pro inquirenda Nicænæ Synodi veritate innoteſcat. VI. De ſententia Sardicenſis Concilii recitata à poſtulante Novato Epiſcopo. VII. Ubi Auguſtinus Epiſcopus cum Synodo Nicænum Concilium ſervare promittit. VIII. Ubi Fauſtinus Epiſcopus pro incerto recitati Capituli Romano Papæ petit ſcribendum. IX. Synodus exemplaria Nicæni Concilii magis ab Orientalibus competenda decrevit. Ubi viginti duo ex CCXVII. Antiſtitibus à Synodo delecti ſunt, Actione ſecundâ quinque Canones ſanxere, qui à Concilio, quod ſeptimum Carthaginenſe perperàm vocatur, ſunt exhibiti, quibus hi tituli apponuntur. I. De Excommunicatis, ut ad Clericorum accuſationem non admittantur. II. De perſonis, quibus Clericorum accuſatio interdicitur, ſervis ſcilicet, libertis, vel omnibus, quos ad accuſandum leges non admittunt. III. De his, qui primùm crimen objectum non probarunt, ut ad cætera non admittantur. IV. De perſonis, quæ adverſus Clericos teſtimonium dicere prohibentur. V. De eo, quem ſolo ſuo teſtimonio præſumpſerit excommunicandum Epiſcopus. Cui alii communicare prohibentur, ut caveat, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non poteſt. Hiſce regulis Legati Synodi omnes, nec non Fauſtinus Philippus, Aſellus ſubſcripſere. Sed & cæteri Epiſcopi CCXVII. poſtmodum illos ſuffragio ſuo ſanxerunt.

De Apiarii negotio. Quâ ratione compoſitum à Carthaginenſibus.

XV. Attento & animo, quæ deinceps à Synodo geſta ſunt, narrentur. Materiam Carthaginenſibus magnam præbuerat Apiarius, qui ad Zozimum provocarat. Quid de eo negotio decretum fuit, doceant Afri in ſua ad Bonifacium Epiſtola: *Apiarius Presbyter, de cujus ordinatione & excommunicatione fuerat exortum, non ſolùm Siccenſis, verùm etiam totius Africanæ Eccleſiæ non leve ſcandalum de omnibus erratis ſuis veniam petens, communioni eſt reſtitutus. Prior autem Epiſcopus noſter Siccenſis Urbanus, quod in eo corrigendum viſum eſt, ſine ulla dubitatione correxit. Quia verò paci & quieti Eccleſiæ non tantùm ad præſens, ſed etiam in poſterum proſpiciendum fuit, quoniam talia multa præceſſerant, ut vel ſimilia, vel etiam graviora præcaveri oporteret, placuit nobis, ut de Siccenſi Eccleſia, retento ſcilicet honore gradus ſui, Presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epiſtolio, ubicunque alibi vellet & poſſet, Presbyteri munere fungeretur. Quod eidem ipſi per literas poſtulanti, ſine difficultate conceſſimus.* Adjumento Fauſtinus Apiario fuit, ut Presbyteri honore frueretur, quod Carthaginenſium ad Cœleſtinum Epiſtolâ monemur: *Per ejus operam*, inquiunt, *Presbyterio anteà redditus fuerat.* Atque hîc errantem Baronium deprehendimus. Quod hîc tantùm, inquit, *Patres attingunt de Confeſſione Apiarii, iidem hæc paulò apertius atque latius ſunt in literis poſteà ad Cœleſtinum proſecuti.* Diverſa tamen eſt accuſatio Apiarii, cujus in Epiſtola ad Cœleſtinum mentio ab illa, de qua in Concilio Carthaginenſi hoc anno tractatur. Quippe iterum accuſatus Apiarius, Romam iterum petiit, ut ſuo loco declarabitur: ut quæ ad poſterius negotium pertinent, ea ad prius Baronius nullo jure retulerit.

Error Baronii.

Bar. An. 419. n. 70.

Carthaginenſium ad Bonifacium Epiſtola. Conſtantinopolitana Nicænorum exemplaria ei mittuntur.

XVI. De Zozimi Commonitorio, cui Apiarii provocatio cauſam præbuerat, Carthaginenſes ſapienter per Romanos Legatos hæc direxere Bonifacio: *Quatuor quidem nobiſcum agenda mandata ſunt. Unum de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem. Alterum, ut ad Comitatum Epiſcopi importunè navigent. Tertium de tractandis Presbyterorum & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos, ſi à ſuis excommunicati perperàm fuerint. Quartum de Urbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, niſi ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret.* De primo autem & tertio teſtantur, ſe jam literis ſuis *priore anno* ad Zozimum datis promiſiſſe, ea ſe ſervaturos, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni. Cujus in exemplaribus, ſi contineantur quæ in Commonitorio Eccleſiæ Romanæ Legati allegaverant, *Nullo*, inquiunt, *modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus adjuvante miſericordiâ Domini Dei noſtri, quod tuâ Sanctitate Romanæ Eccleſiæ præſidente non ſumus jam iſtum typhum paſſuri.* Bonifacium & obſecrant, ad Conſtantinopolitanam, Antiochenſem, Alexandrinam Eccleſiam, *& alias*, ſi placet, ſcribat, ut Nicæni Canones mittantur, cùm exemplaria illa veriſſima ſint, *Quæ de nobilibus Græcis Eccleſiis allata, & comparata concordant.* Epiſtolæ ſubſcripſerunt Epiſcopi CCXVII. Quæ flagitabant, brevi interjecto temporis ſpatio, exemplaria Nicæna ab Attico acceperè, per Marcellum Subdiaconum, quem Conſtantinopolim miſerant, quæ à *Theilone* & *Theariſto* ex Græco in Latinum tranſfuſa ſunt. Ut in Carthaginenſium manus pervenere, abſque mora ea Romam ſunt directa, quod ex Capite CIV. Concilii Africani liquet: *Exemplaria Concilii Nicæni directa ſub die VI. Kal. Decembris poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii Auguſtorum Bonifacio urbis Romæ Epiſcopo.*

XVII.

Anno Dom. 419.

Cyrillus Nicænos Afris Codices mittit.

XVII. Lobente anno Nicæni quoque Canones à Cyrillo Alexandrino mittuntur in Africam, ne quid deeſſet, quo minus fraus Zozimi detegeretur. Cyrilli Epiſtolæ titulus affigitur: *Incipiunt Reſcripta ad Concilium Africanum Cyrilli Alexandrinum per Presbyterum Innocentium, & Marcellum Subdiaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, Sancto Bonifacio Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ ſub die quinto Kal. Decembris* directa. Verùm antequam Cyrillianæ Epiſtolæ meminerimus, opus eſt Chronologicas exire anguſtias, in quas ducimur à Paſchatis criterio. Labeana in Editione legimus: *De Paſcha verò, ut ſcripſiſtis, mandamus vobis*, XVII. *Calendas Maias nos futurâ Indictione celebrare.* Criterium nihili, cùm anno 420. Aprilis XV. feriæ quintæ affigeretur; Paſcha verò in Aprilis 18. incideret. Ac ſcriptum fortè fuit, XIV. *Calendas Maias.* Librariorum verò incuriâ binarius in quinarium mutatus eſt, ut ex XII. fieret V. quod facillimè contingere potuit, conjunctâ linearum extremitate. Cæterùm Labeanus rejici numerus debet, qui Paſchati nullâ accommodari ratione poteſt. Ac poſſet quidem, ſi legeretur, XVIII. *Calendas Maias.* Annus oſtenderetur CCCCXXIII. quo Paſcha Aprilis XIV. celebratur Sol. 12. G. Lun. 6. Eſt autem prorſus incredibile, Carthaginenſium Legatum Innocentium anno CCCCXIX. Alexandriam miſſum, non prius rediiſſe, quàm CCCCXXIII. ad exitum properaret. Tantâne temporis morâ opus fuit, ferendis ad Afros ex Ægypto Nicænorum Codicibus? Diverſam temporis notam exhibet Cyrillianæ Epiſtolæ editio Bucheriana: *De Paſcha verò, ut ſcripſiſtis, mandamus vobis, nono Kal. Maii nos futura Indictione celebrare.* Ex ea Paſchatis nota in abſonam extra modum ſententiam Bucherius deſcendit: *Hæc*, inquit, *ad Synodum Carthaginenſem jam ſub Genſerici jugo gementem, Cyrillus ante Decembrem anni Chriſti vulgaris* CCCCXLIII. Scilicet Nicæna exemplaria ab Afris anno 419. à Cyrillo requiſita poſt viginti quatuor annos ad eos miſſa ſunt? Quo tempore jam Aurelius, jam Auguſtinus, jam Bonifacius Romanorum Epiſcopus cinis & umbra erant. Anno CCCCXLIII. ſedebat Leo M. Carthagoque oppreſſa Genſerici jugo graves, imò de pectore gemitus ducebat. Nunc ad fontes erroris attendamus animum. Paſcha quod Cyrillus indicat, anni eſt CCCCXX. qui Biſſextilis fuit: *Quod optamus*, ait, *chariſſimi fratres, ut ſimul Paſcha celebremus* IX. *Kal. Maii propter rationem emboliſmi anni.* Rectè. Anno CCCCXX. Cyclus Solis erat 9. D. C. Lun. 3. proindeque Paſcha Aprilis XVIII. eſt agitatum. Stylo Alexandrino hic ille dies in XXIII. Pharmuti incidebat. Quod nomen Cyrillus adhibuerat, more Alexandrino, quo modo Cyrilli avunculus Theophilus ſcripſit: *Finiamus jejunia veſpere Sabbati*, XXI. *Pharmuti.* Quæ extant in Epiſtola tertia Paſchali. Et ipſe Cyrillus Hom. 8. *Paſcha verò celebrantes illuceſcente Dominicâ, Pharmuti menſis die* 23. Autor verò, qui Græcam Cyrilli Epiſtolam Latinè vertit, neglecto Alexandrini & Romani ſtyli diſcrimine exiſtimavit, vigeſimum tertium Pharmuti reſpondere Aprilis XXIII. qui Romanis vocatur IX. Kal. Maii. Hinc mali labes, cùm primus Pharmuti à Martii XXVII. inceperit. Ex quo intelligitur, Pharmuti XXIII. Aprilis XVIII. cohærere, quo anno CCCCXX. Paſcha celebrari debuit, & eſt ab Alexandrinis agitatum. Ille verò dies XIV. *Kal. Maias*, non

Lab. Conc. t. 2. 1673.

Buch. Com. p. 74.

nonus appellari debuit. Interpretis incuriâ hoc factum eſt, qui ſtylum Alexandrinum Romanumque permiſcuit. Nunc verba Cyrilli ad Afros referre juvat: *Dominis honorabilibus, ſanctis fratribus Epiſcopis Aurelio & Valentino, ſed & omni ſanctæ Congregationi in Carthaginenſi Synodo congregatæ v. Kal. Decembris Cyrillus ſalutans in Domino charitatem veſtram. Scripta venerationis veſtræ multam habentia quærimoniam, cum omni lætitia per filium noſtrum Innocentium ſuſcepi, à nobis ſperantia, ut de ſcrinio Eccleſiæ noſtræ veriſſima exemplaria ex authentica Synodo apud Nicæam Bithyniæ Metropolim à Sanctis Patribus conſtituta, atque firmata ſub fidei veſtræ profeſſione veſtræ dilectioni porrigamus. Unde, domini honorabiles fratres, ſalute præcuntes, neceſſe habui per horum latorem filium noſtrum Innocentium Presbyterum fideliſſima exemplaria ex authentica Synodo, in Nicæna civitate Metropoli Bithyniæ habita, veſtræ charitati dirigere, quæ & in Eccleſiaſtica hiſtoria requirentes invenietis.* Quibus apertè liquet, titulum qui Cyrillianæ Epiſtolæ affigitur, eſſe ſubditum: *Reſcripta ad Concilium Africanum Cyrilli Alexandrini Sancto Bonifacio Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ ſub die v. Cal. Decemb. directa.* Cum enim à Cyrillo miſſa ſunt Novembris XXVII. illo ipſo die ab Afris Romam tranſmitti non potuere.

XVIII. In ea quoque Synodo recenſitos confirmatoſque Canones Conciliorum, ſedente Aurelio celebratorum, non abludit à vero. Hinc adornatus Codex ille notiſſimus Canonum Africanæ Eccleſiæ. Cujus tanta fama fuit, ut Græcè verteretur. Non levi quidem argumento oſtenditur, in ſexto Carthaginenſi Codicem conſtitutum fuiſſe, qui his verbis incipit: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii* XII. *& Theodoſii* VIII. *Auguſtorum Calendas Junias Carthagine in Baſilica Fauſti, cum Aurelius Papa unà cum Valentino primæ Sedis Numidiæ, Fauſtino Eccleſiæ Potentinæ*, &c. Quæ Carthaginenſis Synodi ſextæ Præfatio ipſa eſt. Sed & ſubſcriptiones Codicis Africani ab illis non diſcrepant, quibus ex Synodus afficitur. Magnam ejuſmodi ſententiæ probabilitatem affert Codicis Africani confirmatio, quæ Carthaginenſi ſexto vindicatur. Eſt tamen fatendum, huic Codici fuiſſe aliquid additum. Quippe caput CXXXV. ex Epiſtola Cyrilli Alexandrini ad Synodum conſtituitur. Epiſtola verò v. Kalend. Decemb. ſcripta eſt, Codici quidem inſeri debuit, cùm jubente Synodo de offerendis exemplaribus Nicænis Alexandriam Innocentius Presbyter contendiſſet. Itaque media forſan ſententia verior erit: nempe Canones Conciliorum ſedente Aurelio celebratorum in ſexta Carthaginenſi firmatos quidem fuiſſe. Codicem verò, quem habemus, non purum ſincerumve eſſe, ſed à Collectore ex variis Synodis conſtitutum. Argumentoque eſt non Cyrilli modò Epiſtola, ſed & illa Concilii ad Papam Cœleſtinum, quæ non ante annum CCCCXXIV. confici potuit. Prætereà Canon ſecundus Codicis, *de Trinitate prædicanda* ex ipſiſſimis verbis Concilii Carthaginenſis II. anno CCCXC. ſub Genethlio celebrati, Can. I. deſumitur: *Ad corroborandas autem fratrum & Coëpiſcoporum*, &c. Similiter Codicis Caput VIII. de Pœnitentium reconciliatione Carthaginenſis eſt ſecundi Canon quartus. Nonnulla Schelſtratus non ſpernenda habet, ad Eccleſiæ Africanæ Diſſertationem ter-

Anno Dom. 419.

Codex Eccleſiæ Africanæ conſtituitur. Num quem habemus, Synodi ſit unius?

Anno Dom. 419.

tertiam, c. 13. quibus ea quoque ſententia illuſtrari poteſt, refellique Juſtelli, Beveregiique opinio, quæ Canones Codicis cxxxiii. uni Concilio vindicat.

Honorii in Pelagianos ad Aurelium Reſcriptum.

Bar. Ann. 419. n. 56.

XIX. Dum in Africa verſamur, Honoriani in Pelagianos Reſcripti memoria eſt apprehendenda. Ad illud impetrandum *eſſe curatam honorificâ publicâque Alypii legatione*, Baronius putat. Quæ quidem ſententia ludibrium eruditis debet. Placidia Honorii ſoror Auguſtino, Alypioque literas in Africam direxerat, *datas tertio Cal. Aprilis, Ravennæ.* Eo igitur tempore Alypius nondum in Italia verſabatur. Prætereà Reſcriptum Principis ad Aurelium de Pelagianis datum eſt v. *Idus Junias Ravennæ Monaxio & Plintâ Coſſ.* Alypium verò Carthaginenſi Concilio adfuiſſe conſtat, nec primæ modò viii. Kal. Junii, ſed ſecundæ quoque tertio Kal. Junias celebratæ. Eſt ergo certiſſimum, Reſcriptum ab Alypio Legato impetratum non fuiſſe. Veroſimili conjecturâ ducimur ad credendum, curâ & diligentiâ Valerii Comitis obtentum fuiſſe, Alypio & Auguſtino ſcribentibus. Reſcriptum autem ſic habet: *Imperatores Honorius, & Theodoſius Auguſti, Aurelio Epiſcopo ſalutem. Dudum quidem fuerat conſtitutum, ut Pelagius & Cœleſtius nefandi dogmatis repertores, ab urbe Roma veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur. . . . Sed quia obſtinati criminis pertinax malum, ut conſtitutio geminaretur coëgit, recenti quoque Sanctione decrevimus, ut ſi quis eos in quacunque Provinciarum parte latitare non neſciens, aut propellere, aut prodere diſtuliſſet, præſcripta pœnæ velut particeps ſubjaceret. Præcipuè tamen ad quorumdam Epiſcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum diſputationes vel tacito conſenſu aſtruunt, vel publicâ oppugnatione non deſtruunt, pater chariſſime atque amantiſſime, ſanctitatis tuæ auctoritatem cavere conveniet, quatenus in abolitione propoſitæ hæreſis omnium devotio Chriſtiana conſentiat.* Qui integri Reſcripti cupidus eſt, Baronium adeat atque Labbeum. Acceptum Aurelius Reſcriptum Epiſcopis Provinciæ Byzacenæ & Arzugitanæ miſit, cum Epiſtola à ſe ſcripta *Calendis Auguſti.*

Annianus Diaconus quis? Ejus ſcripta.

XX. Theodoſii in Pelagianos Edictum *Anniani*, non ignobilis ſectæ hujus defenſoris, memoriam recolere jubet, eò magis quòd ſtemus intra carceres Chronologiæ. Etenim currente anno Hieronymus Alypio & Auguſtino Epiſtolam dedit, in qua fit *Anniani* hujus mentio. Poſtquam ſanctis viris gratulatus eſt, quòd ipſorum ope hæreſis Cœleſtiana jugulata ſit, ſubjungit:

Hieron. Ep. 79.

Quod autem quæritis, utrùm reſcripſerim contra libros Anniani Pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſimè paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret. Porro antequam longius progrediatur oratio, Baronii error nobis eſt auferendus, ſcribentis:

Error Baronii.

Bar. Ann. 417. n. 16.

Mendoſè apud S. Hieronymum loco Valeriani, Annianus legitur. Quænam tam audax mutationem eam permittit criſis? Scilicet Euſebius Cremonenſis Epiſcopus de *Valeriano* Pelagianorum fautore ad Cyrillum ſcripſerat: *Sed ille eſt peſtifer, de quo Sanctitudini tuæ ante annum ſcripſeram, ſignifer & confœderatus eorum Valerianus ventriloquus.* Atqui Valerianum ab Anniano noſtro certiſſimis ſignis ſecernit Euſebius. Non illum liberum putet tua beatitudo:

Bar. Ann. 417. n. 15.

Servus eſt Ariminenſis poſſeſſionis illuſtriſſimi Valeriani Comitis. Quid hæc ad Diaconum, cujus meminit Hieronymus? Imò quia Diaconus Valeriani ſanè Comitis ſervus non fuit. Anniano & Comite, & Adjutore in Dioſpolitana Synodo Pelagius uſus erat, ut indicat Hieronymus:

Hieron. Ep. 79.

Multum egimus, ut dum Epiſtola mea reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus pateſaceret. Quidquid enim in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere confitetur. Pelagius in lingua Latina minus exercitatus, Annianum adhibuiſſe creditur, ut facilius venenum ſuum inſtillaret ob eam, quâ pollebat, Græcæ Latinæque linguæ peritiam. Magnum quoque ſibi delegit adverſarium Annianus ad pugnandum; Hieronymum ſcilicet, cujus ad Cteſiphontem Epiſtolam refellere conatus eſt. Propoſitum erat Hieronymo, audaciam hominis comprimere: *Si*, inquit, *Dominus vitam tribuerit, & Notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus.* Reſponſioni impedimento fuit mors, quam anno ſequente obiit Hieronymus. Labentem errorem Annianus ingenti defendere voluit auxilio. Magna apud omnes erat gloria Chryſoſtomi. Quem ut ſuum eſſe Annianus oſtenderet ipſius, in Latinum è Græco transfudit homilias, quas Pelagianis hominibus inſcripſit. Præfixit hunc titulum homiliis ſeptem de Laudibus Pauli: *Domino Sancto Evangelo Presbytero Annianus ſalutem.* In Epiſtola porro, qua Evangelo verſionem nuncupavit ſuam, hæc habet: *Quantum nobis conſolationis exoritur, cùm cernimus tam erudito, tamque illuſtri Orientis Magiſtro, eam quam in nobis Traducianus oppugnat, aſtrui veritatem?* Auguſtinus *Traducianus* ille eſt, quem ob de transfuſo originis vitio doctrinam eo nomine deſignari volunt. Ad *Orontium* quoque Pelagianum Epiſcopum Epiſtolam direxit, quæ homiliis octo prioribus in Matthæum præponitur. Qui plura de Anniano deſiderat, adeat & Noriſii Hiſt. Pelag. c. xiv. & Garnerii Diſſertationem primam de primis Autoribus & defenſoribus hæreſis Pelagianæ.

Anno U. C. 1173. Per. Jul. 5133. Jul. 465. Dom. 420. Honor. 28. & 26. Theodos. 19. & 13. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 3. *Indict.* 3. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 4. 5. *P.* 18. *April.* — Anno Dom. 420.

Coss. *Theodoſius Auguſt.* ix. *& Conſtantius* iii.

Varanes Iſdigerdis ſucceſſor Chriſtianos in Perſide vexat.

I. Iſdigerdes Perſarum Princeps, qui perpetuum ſe Romanis amicum præbuerat, infauſtis avibus vitæ confecit curriculum: *Iſdigerdes cùm unum & vigeſimum regnaſſet annos, adverſus Romanos bellum nunquam ſuſcepit: neque ullâ hos unquam affecit moleſtiâ? Sed benevolus ſemper erga hos, & pacificus fuit, ſive ita tulerit caſus, ſive quia parcerat puero.* *Agath. l. 4. c. 12.* *Hoc mortuo, Varanes filius cùm præeſſet imperio, in Romanos quidem impetum fecit.* Cujus belli, quod anno ſequente geſtum eſt, cauſæ ſunt nobis exponendæ. Simultatis aliquid Romanis adverſus Perſas intercedebat. Quòd & Perſæ auri foſſores, quos mercede conductos à Romanis acceperant, reſtituere nollent, & merces Romanis mercatoribus abſtuliſſent. *Socr. l. 7. c. 18.* At gravior extitit pacis diſturbandæ cauſa. *Abda* Epiſcopus, virtutibus ſuis clarus, immoderato zelo *Pyreum* deſtruxit, in quo à Perſis, quem Deum putant, Ignis adorabatur. Rex ea de re per Magos certior factus, *Abdam* ad ſe vocatum, primùm leniter reprehen-

ANNO DOM. 420.

hendis, juſſitque deinceps Pyreum reſtitueret. Negante Abdâ, Rex cunctas Eccleſias ſe deſtructurum minatur. Sed & minas ad effectum perduxit. Eccleſias ſolo æquari mandat, Epiſcopo prius interfecto. Hinc exorſa tempeſtas graviſſimos fluctus adverſus pietatis alumnos excitat. Aliorum manus, aliorum terga excoriantur: aliorum capita ad barbam uſque cute nudantur. Foveas diligenter oblitas magnorum murium agminibus implebant, quibus Chriſtianos pedibus manibuſque vinctos, ne animalia abigerent, in pabulum præbebant. Sic urgente fame mures Martyrum carnes paulatim depaſcebantur, non ſine & diuturno, & acerbo cruciatu. Martyrum nonnullorum nomina perpetuæ Theodoritus famæ conſecravit. Hormiſda nobilis apud Perſas, & Achemenidarum ſtirpe, patre ortus Præfecto, Chriſtum ejurare ab ipſo Rege jubetur, cui piè ſimul, ſapienterque reſpondit: Qui Deum contemnere, & negare didicerit, Principem mortalem facilius contemnet: *Quòd ſi extremo ſupplicio dignus eſt, is qui tua ſceptra negaverit, ô Rex; quantò graviora meretur ſupplicia, qui Deum hujus Univerſi Conditorem negat.* Tum fortiſſimum Chriſti militem divitiis honoribuſque ſpoliatum, ſolo tectum ſubligaculo, camelos exercitus trahere præcepit. Multis poſt diebus Rex è camera proſpiciens, videt optimum virum Solis radiis peruſtum, & pulvere oppletum. Quem paternæ nobilitatis memor ad ſe accerſitum, lineam induere tunicam jubet. Tum ſic indutum compellat: *Nunc tandem abjectâ illâ contentione, fabri filium pernega.* Hic Hormiſda tunicam diſcerptam ante Regem projiciens, dixit: *Si hujus causâ à me receſſurum exiſtimas, habe tibi munus tuum cum impietate.* Conſtantiâ hâc animadverſâ, Rex eum, ut erat, nudum ex imperii ſui finibus ejecit. *Suenem* quoque mille ſervorum dominum à Chriſti religione deflectere nolentem, interrogat, Quiſnam ſervorum ipſius eſſet nequiſſimus? Cui toti familiæ præpoſito ſervire jubet, domini quoque uxorem huic ſervo jure matrimonii copulavit: Suenes tamen tot contumeliis religionem & ejuraret, adduci non potuit. Clarum quoque eſt *Benjamini* Diaconi nomen, qui in vincula conjicitur. Cujus liberationem cùm Romanorum Legatus ob quædam negotia miſſus poſtulaſſet, illam impetrat eâ conditione, ne Magorum ulli Religionem nunciaret. Ac Legatus Benjaminum iis, quæ juſſa fuerant pariturum ſpopondit. Cui Benjaminus hæc loquitur: *Facere non poſſum, quin lucem, quam ipſe accepi, aliis impartiar.* Exacto anni ſpatio, cùm Regi nunciaretur, more ſolito à Benjamino Evangelii notitiam Magis miniſtrari, ipſum ad ſe adductum fidem prodere jubet. Tum Regem interrogat: *Quo ſupplicio dignum cenſeret eum, qui relicto ipſius regno, alterius regni domicilium præferret.* Ut reſponſum à Rege, morte dignum eſſe, ſubjecit vir ſapientiſſimus: *Quid ergo non meretur is, qui Conditorem deſerit, unum autem è conſervis ſuis Deum facit.* His exaſperatus Rex, viginti arundines præacutas manuum pedumque ejus unguibus infixit. Sed cùm animadverteret, hunc cruciatum à Benjamino pro ludicro haberi, aliam rurſus acutam arundinem genitali ejus membro infixit, eamque aſſiduè extrahens & inſerens, graviſſimos dolores inferebat. Tandem craſſum ſtipitem cum ramis

Theodorit. l. 5. c. 39.

undique cohærentibus, per ejus ſedem adigit, quo animam exhalavit. Hæc Theodoritus, cui tamen aſſentiendum haud putamus, dum Perſicæ hujus perſecutionis initia in Iſdigerdem refert, qui cum regno *bellum quoque adverſus pietatem, quaſi hereditario jure tranſmiſſum filio tradidit.* Hæc pugnant Socrati, à quo didicimus, Chriſtianis ob Iſdigerde nil perſecutionis illatum. Porro Varanis vexationibus agitati, qui Perſidem incolebant Chriſtiani, ad Romanos confugiunt, orantes ne ipſos funditùs deleri paterentur. Et Atticus ſupplices benignè exceptos Theodoſio commendavit. Exemplò Perſarum

Socrat. l. 7. c. 18.

Rex Legatos miſit, qui fugitivos repeterent: quos Romani nullatenus prodere ſuſtinuerunt, utpote qui mallent bellum cum Perſis gerere, quàm pati, ut Chriſtiani miſerè interirent.

Atticus ſacris tabulis nomen inſerit Chryſoſtomi. Cyrillo ea de re ſcribit.

II. Clarum pietatis exemplum Atticus præbuit in ſuſcipiendis amanter Perſis, qui ob perſecutionem patriam fugerant ſuam. Nec minus ad Eccleſiam utile, quod ſequitur. Quam plurimis pretioſum Chryſoſtomi nomen magni in Oriente diſſidii materiam præbuerat. Quod paucis quidem, ſed ſignificantibus verbis Theodoritus exponit: *Poſt mortem magni Doctoris orbis terrarum Occidentales Epiſcopi, Epiſcoporum Ægypti, & Orientis, & Boſpori ac Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quàm divini illius viri nomen unà cum reliquis fato functis Epiſcopis conſignaſſent. Et Arſacium quidem, qui poſt illum ordinatus eſt, ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum verò Arſacii ſucceſſorem, qui multas ad ipſos legationes miſerat, & pacem cum ipſis habere poſtulaverat, tandem ſuſceperunt, poſtquam is nomen illius in ſacras tabulas retuliſſet.* Quod hoc, vel ſuperiore anno factum exiſtimamus. Non eſt quidem admittenda Baronii ſententia, qui anno

Theodorit. l. 5. c. 34.

Error Baronii.

Bar. Ann. 412. n. 46.

CCCCXII. ad id Atticum perductum fuiſſe putat, *Ut Chryſoſtomi nomen ſacris diptychis magnâ gloriâ redderet.* Qui pluſquam ſexennii prochroniſmus eſt. Illuſtriſſimi ſanè Purpurati Chronologiam refellit Attici ad Cyrillum Alex. Epiſtola, quæ *Theodoti* Antiocheni Epiſcopi meminit. Porro qui Theodoto deceſſit Alexander, non prius Pontificatum adeptus eſt, quàm annus Dom. CCCCXIII. vel certè CCCCXII. laberetur. Neque ſedente Innocentio Papâ, qui anno 417. fato functus eſt, concordiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cum Romana reſtitutam fuiſſe, monere Baronium potuit Innocentii ad Maximianum Epiſcopum Epiſtola XVI, *Miramur prudentiam tuam, ſcripta ad Atticum Conſtantinopolitanum urbis, à nobis, & proſecutione propriâ, & dato Libello, qui ſubter annexus eſt poſtulare, à quo nec miſſas ullas ſaltem Epiſtolas ad nos, vel ad veſtram Synodum utique pertuliſti.* Quæ poſt miſſam Alexandri ad Innocentium legationem ſcripta fuere. Attico cùm valde diſpliceret, Eccleſiam diviſam eſſe, dum ſeparatim Joannitæ collectas celebrant, eò tandem adigitur, ut Chryſoſtomi mentionem in orationibus fieri juberet, perſuaſus eâ ratione multos ad Eccleſiam eſſe rediturus. Quid verò in ea re geſſerit, Cyrillum Alexandrinum docet: *Cùm*

Niceph. l. 14. c. 26.

nonnulli nomen tantùm B. Joannis myſticis tabulis inſcribi vellent, B. Epiſcopus Alexander, Antiochenum iſtum dico, Conſtantinopolim venit, & multa ore confidenti verba fecit: vehementerque excitare populum voluit, ut vel nobis invitis, neceſſariò ejus, quem diximus, nomen ita inſcriberetur. Quam rem accuratè prorſus pietati tuæ Miniſtri Dei, religioſiſſimi Diaconi Petrus & Ædeſius expoſuerunt. Præ-

terit longum tempus, & nos neceſſitate eâ, quæ à populari rerum adminiſtratione provenit, premi incipiebamus: neque tamen quidquam ſchiſmatis & diſſidii reliquias curabamus, cùm ad nos ex Oriente Dei amantiſſimus Epiſcopus Acacius literas dedit, religioſiſſimum Antiſtitem Antiochiæ Theodotum à populo, ut nomen in Faſtos referret, coactum eſſe, ut veniam rei ei, quam neceſſitate ille adductus feciſſet, daremus petens. Et tum bonus ille, qui literas ad nos pertulit Presbyter, cauſam adventus ſui indicans, rem hanc in vulgus magnæ urbis propalavit, & ſententiam datam ad nos Epiſtola populo vulgavit, adeò ut parum abfuerit, quin tumultu plebis univerſa urbs repleta ſit. Ibi verò ego ibi demum perturbatus, & de rebus maximo diſcrimen ſummum veritus, piiſſimum Imperatorem adii, & cum eo de pace, & tranquillo rerum ſtatu egi. Atque ille, nihil eſſe periculi aut incommodi reſpondit, ſi defuncti viri nomen tranquillitatis, pacis & concordiæ gratiâ inſcriberetur. Itaque ego eâ re perſuaſus, ne religionis noſtræ res ex multitudinis arbitrio, exemplo uno permiſſo, penderent, neve urbem ipſam populari adminiſtratione aſſueſaceremus, nomen id in album referri juſſi. Non patienter tulit Cyrillus factum Attici. In Laicorum de duntaxat, non Epiſcoporum Catalogum Chryſoſtomi referri nomen cupiebat. Reſcripſit Attico, inter Sacerdotes non poſſe illum cenſeri, cui ſacerdotalis dignitas abrogata ſit. Plus reſtitutioni huic mali ineſſe, quàm boni. Neminem ex Conſtantinopolitanis eſſe, qui Chryſoſtomi cauſâ Attici conventus vitet. Proceres omnes dictis ipſius obedientes eſſe: Eccleſiæ mœnibus Ægyptum ejici omnem, Libyam etiam & Pentapolim, quæ Chryſoſtomi nomen ſacris tabulis non reddiderant. Servandum honorem Arſacio, ne quid memoriam beati viri explodat. Afferri dolorem Apoſtolorum Choro, ſi Judas proditor in eodem cum illis ordine collocaretur.

Niceph. l. 14. c. 27.

Mors Hieronymi.

III. *Ærumnis vitæ* hujus longo ſenio confectus Hieronymus defungitur. Frigeſcenti ob ſenium corpori pilei remedium comparabat, quem à Paulino acceperat: *Pileolum texturâ breve, charitate latiſſimum ſenilis capitis confovendo libenter accepi, & munere, & muneris autore lætatus.* Caliginem etiam oculorum, ob & longam ætatem, & exantlatos labores ſibi contraxerat. Cùm in levem febrim incidiſſet, corpore ſolutus eſt ultimo Septembris die. Subdita Euſebii ad Damaſum Portuenſem Epiſcopum Epiſtola ea prodit de morte Hieronymi: *Vir Domini glorioſus facìem Domini corpus ſuſcipiens, ad terram ſupinus redit. Deinde manus in modum crucis ſupra pectus tenens, Simeonis Prophetæ vaticinium decantavit. Quo finito, ſubitò cunctis qui aderant cernentibus, tanta in loco quo jacebat, divinitùs lux effulſit, ut inſtar Solis radii, ſplendor quorumlibet viberaret oculos, ne poſſent morientem virum glorioſum aliqualiter intueri. Quidam verò Angelos non viderunt, ſed vocem lapſam cœlitùs audiverunt ſic dicentem, Veni, dilecte mi, tempus eſt enim, ut mercedem accipias pro laboribus, quos mei cauſâ viriliter ſupportaſti.* Nebulonis figmenta hæc eſſe, Scriptoris imperitia teſtatur, quæ tanta fuit, ut Cyrillum Hieroſolymitanum, qui ante complures annos obierat, nobis obtrudat, cernentem Angelos, qui geſtantes manibus cereos Hieronymi animam comitabantur. *Praylio* quidem Hieroſolymis ſedente naturæ ſatisfeciſſe Hieronymum exploratum eſt. Ejuſdem quoque furfuris ſunt & Cyrilli Hieroſolymitani ad Auguſtinum de miraculis Hieronymi, & Auguſtini Hipponenſis ad Cyrillum de *magnificentiis* B. Hieronymi Epiſtolæ. Ut veterator fidem ſuperet omnem impudentiâ ſuâ; qui tamen eo ſeculo floruit, quo mentibus Fidelium benè eſſe credebatur. Annum diemque ſupremum, nec non ætatem Hieronymi retulit Proſper in Chronico: *Theodoſio IX. & Conſtantio III. Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis ſuæ XCI. pridie Kal. Octobris.* Extat tamen clariſſimi Mabillonii in Analectis vita Hieronymi, in qua legimus: *Dormivit autem B. Hieronymus anno imperii Theodoſii Junioris XII. Omnes autem anni vitæ ejus ſic colliguntur. Ordinatus eſt Romæ Presbyter XXVIII. annis; tribus vixit apud Betlehem: in propoſito ſuo annis L. & menſibus VI. Omne vitæ ſuæ tempus implevit annis LXXVIII. & menſibus VI.* Quæ prorſus à Gennadii Catalogo diſſident, in quo legimus: *Nonagenarius ferme, ut perhibent, poſtea in Domino requievit.* Gennadio Proſperoque, qui Hieronymo ſuppares erant, de ipſius ætate magis credimus, quam recentioribus, cùm nil cauſæ ſit, cur cum Mariano Victorio, Baronioque de tam longa ætate fidem detrahamus Veteribus, quam certè multa præſtant: *Uſque ad decrepitam vixit ætatem,* inquit Auguſtinus contra Julianum l. 1. c. 7. Id ipſum teſtatur Marcellinus in Chronico: *Finem vitæ fecit admodum ſenex.* Quin etiam præ ſenio ſibi caligaſſe oculos, ipſe memorat in ſuo ad Euſtochium Prœmio. Dum enim quas promiſerat, explanationum in Ezechielem moram excuſat, talia fatur: *Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quòd caligantibus oculis, ſenectute, & aliquid ſuſtinentibus B Iſaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere, quæ etiam ad Solis dieique fulgorem literarum nobis parvitate cæcantur.* Quæ anno circiter CCCCX. ſcripta ſunt, poſtquam Alaricus urbis potitus eſt. Quòd ſi laudata à nobis loca accuratè ponderentur, ad verum magis accedet noſtra Chronologia, quàm illa Baronii, qui annos duntaxat *octo & ſeptuaginta* aſcribit Hieronymo. Quin ſtupendæ eruditionis fuerit Hieronymus, nullus inficias ire poteſt, quâ factum, ut mundi Magiſter audiret, quod Proſper canit carmine de Ingratis:

Mabil. Anal t. 4. pag. 193.

Anal. t. 2. cap. 43.

Hieron. Pro. in 7. Ezech. 393.

Hebræo ſimul & Graio Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique Magiſter.

Multum lucubrationibus ſuis Eccleſiæ profuit, dum veritati patrocinatur, aut errori concurrit. Neque de laudibus, quibus à Veterum nonnullis ſcripta ipſius cumulantur, detrahimus, quòd ſcilicet *per univerſum mundum, quaſi divinæ lampades rutilent:* licet ſuæ ſint & hiſce lampadibus fuligines. Felix, ſi eruditionis ſuæ theſauris manſuetiorem animum adjunxiſſet. Præcipiti bile adeò abripiebatur, ut ſæpenumerò viris illuſtribus conviciaretur, quod non ſemel noſtris in Annalibus fuit obſervatum. Neque apud Orientalium Epiſcoporum multos celebritatem habuit. Vix in dubio eſt, quin à Theodoro Mopſueſtenſi perſtringatur. In libris enim contra aſſerentes, homines naturâ peccare, non voluntate, Hieronymum *Aram*, חרם hoc eſt, *execrationem* dicit. Ille, inquit, rejectâ Veteris Teſtamenti Verſione, quam LXX. Interpretes ſimul convenientes ediderunt, *Propriam quandam ſuam novamque conficere auſus eſt.* Quibus Hieronymum pingi nemo non videt.

Hieron. Epiſt. 153.

Hieron. t. 9. p. 248.

Phot. B. cap. 177. pag. 395.

IV.

ANNO DOM. 420.

De erroribus Hieronymi.

IV. De moribus Hieronymi, quos placidos mitiſſimoſque non fuiſſe liquet, ſatis ſuperque diximus. De ipſius in doctrina nævis nonnulla ſubjungamus, ut exploratum fiat, formoſiores vultus ſuis & maculis ſpargi. Eò propendiſſe videtur Hieronymus, Chriſtianos, qui integræ fidei erant, licet flagitiis coopertos, æternis tamen ignibus addicendos non eſſe: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & Diabolum & ſatellites ejus, omneſque impies & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Chriſtianos ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.* Veniale peccatum non dicit Hieronymus, ſed *peccatum* impliciter, quo *mortale* potius ſignificatur. Paria geminaque tradit in ultima verba Eſaiæ Hieronymi Commentarius: *Sicut Diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, Non eſt Deus, credimus æterna tormenta; ſic peccatorum atque impiorum & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiâ ſententiam Judicis.* Imò ſarinæ ejuſmodi Chriſtianis judicium imminet, nullâ clementiâ temperatum, ſcribente Jacobo, *Judicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* Quam verò nuptiis iniquus fuerit Hieronymus, demonſtrant verba ejus adverſus Jovinianum: *Oro quale illud bonum eſt, quod orare prohibet? Quod corpus Chriſti accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo continentis.* Hanc Hieronymi lectionem ſuppeditat Marianus Victorius, qui & in Annotationibus teſtatur, ſe meliorum exemplarium autoritate permotum, vocem *Chriſtiani* in illam *continentis* mutaſſe. Vix tamen dubitamus, quin Hieronymus ſcripſerit, *Quamdiu impleo mariti officium, non impleo Chriſtiani.* Cùm enim Chriſtiani ſit officium & orare, & corpus Chriſti accipere, quod utrumque prohibet, utique Chriſtiani, & implere officium prohibet. Admiſſâ etiam Mariana lectione, ſequitur, Abrahamum, Eſaiam, Zachariam continentiæ expertes fuiſſe, quaſi verò ſua non eſſet nuptiis continentia, quæ intemperantiæ ſunt remedio. Quis etiam ferret hæc? *Paulus non dixit, Unuſquiſque propter fornicationes ducat uxorem: alioquin hâc excuſatione libidini frena laxaſſet, ut quotieſcunque uxor moritur, toties ducenda ſit alia, ne fornicemur.* Frena igitur libidini laxaſſet Apoſtolus ſcribens, *Volo juniores viduas nubere.* Neque ſaniora, quæ de vidua vigeſimas ſecundas ineunte nuptias ſcribit ad Ageruchiam: *Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud, quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuiſti maritos, & iſte, à quo ſepelieris, non eſt tuus.* Ex quibus intelligitur, matrimonium ejuſmodi puram putamque fornicationem fuiſſe Hieronymo.

Hier. in Pelag. l. 1. cap. 9. pag. 231.

Hier. in Jov. l. 1. cap. 4.

Hieron. Epiſt. 11.

ANNO DOM. 421.

ANNO U. C. 1174. OLYMP. 300. PER. JUL. 5134. JUL. 466. DOM. 421. HONOR. 29. & 27. THEODOS. 20, & 14. *Sol.* 10. B. *Lun.* 4. *Indict.* 4. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *April.*

COSS. *Euſtathius & Agricola.*

Conſtantius creatur Auguſtus. Mortem obit.

I. MAgna Honorio, Reipublicæque officia Conſtantius perſolverat, qui præclaras de tyrannis Barbariſque victorias retulerat: quem tanta hæc merita Auguſteam in dignitatem vocaverunt. Rem verbis Olympiodori referamus: *Conſtantius ab Honorio aſſumptus Imperii Collega, penè repugnans conſtituitur. Placidia quoque à fratre, & marito, Auguſta dicta eſt. Deinde ad Theodoſium, qui fratre Honorii genitus, Orientis partibus imperabat, de Conſtantii ad imperium evectione nuncius mittitur, minimèque receptus eſt. Hinc morbum Conſtantius contraxit, ſuſcepti pœnitens imperii, quod non jam, ut anteà, eundi redeundique quo, & quando vellet, libertas eſſet, neque ludicris, ut moris ejus erat, operam dare, jam Imperatori permitteretur. Igitur ſeptimo imperii menſe, quemadmodum & inſomnium ſic indicaverat, ſextus abit, ſeptimus inchoatur, pleuritide extinctus eſt. Extinctâ ſimul cum ipſo in Orientem irâ atque expeditione, quam quod ad imperii ſocietatem admiſſus non eſſet, animo agitabat.* Paria quoque tradit Philoſtorgius: à quo ſcimus, & Valentiniano Conſtantii, Placidiæque filio nobiliſſimi dignitatem eſſe contributam, novique Imperatoris imagines, ut moris erat eorum, qui recens ad imperium promoti erant, in Orientem eſſe miſſas. Sex menſes Conſtantini imperio aſſignat Philoſtorgius, qui completos duntaxat intellexiſſe videtur. Breviſſimum imperium, quod eò adeptus videtur Conſtantius, ut in purpura moreretur. Quippe creatus eſt Auguſtus VI. Idus Februarias, ut habet Theophanes, periitque quarto Nonas Septembres. Multâ laude antè quàm Placidiæ nuptiarum potiretur, celebris erat. Uxore ductâ in pecuniæ cupiditatem incidiſſe fertur. Eo mortuo, quos bonis exuerat, illi Ravennam undique confluxere, ea repetituri. Honorii tamen lenitate Placidiæque cum eo familiaritate factum, ut querelæ fruſtra forent. Hic à Proſperi, quem Baronius eruditorumque complures ſequuntur, Chronologia diſcedere cogimur, quæ anno ſuperiore Conſtantium ad Auguſteos honores aſcendiſſe prædicat, Theodoſio IX. & Conſtantio III. Coſſ. At ſi anno Dom. CCCCXX. purpuram induiſſet, Conſtantii quandoque nomen in Legibus eo tempore promulgatis reperiretur, quibus tamen deſideratur. Contrà verò quatuor Conſtitutiones labente anno ſancitæ, trium Imperatorum nomina præferunt. Prior eſt Lex IV. de Repudiis VI. Idus Martii data Ravennæ Euſtathio & Agricola Coſſ. cujus hic eſt titulus: *Imper. Honorius & Theodoſius, & Conſtantius A. A. A. Palladio Pr. P.* Proſperi Baroniique ſententiam, qui hodie ſunt eruditiores, deſerendam eſſe profitentur.

ANNO DOM. 421.

Phot. Bibl. pag. 104.

II. Lætitia non minimum attulit Orienti præcox Conſtantii fatum, quam etiam intenderunt Theodoſii nuptiæ, ingenti pompâ celebratæ. Cælibis vitæ pertæſus Princeps, ſororem Pulcheriam frequentiſſimè interpellabat, ut fratre dignam uxorem quæreret. Pulcheria in circumſpiciendis adoleſcentulis ſanguine patricio procreatis multum operæ collocabat. Cui Theodoſius: *Ego rapio virginem formâ præſtantiſſimam, quæ omnium Conſtantinopolitanorum pulchritudinem exuperat, & ſanguine regio. Quòd ſi tamen illa ex natalibus regiis non ſit emendatiſſimâ, non curo dignitatem, non ſtirpem regiam, non opes, modò laudatiſſimâ ſit formâ, quocunque ſata ſit edita, hanc expecto.* Fratri ut complaceret Pulcheria, in omnes partes Imperii puellam formoſiſſimam quæſitum miſit. Paulinus etiam Comitis cujuſdam domeſticorum filius in regia cum Theodoſio educatus, ipſique chariſſimus, ut in ea re ipſi gratificaretur, laborabat & cir-

Theodoſii cum Athenaide nuptiæ. Athenaidis hiſtoria.

cuncurſabat. Fortè accidit, Athenaidem Græcam virginem, formâ ſingulari & doctrinâ præſtantem, Conſtantinopolim ea de cauſa petere. Pater virginis aliis *Heraclitus*, aliis *Leontius* vocatus, filios duos ſuſceperat, *Valerianum* & *Geneſium*, quos moriturus ex aſſe hæredes ſcripſit. Athenaidi verò centum duntaxat numiſmata teſtamento reliquit, cui ſatis opum eſſe videbatur, in eruditionis formæque excellentia. Aperto Leontii poſt obitum teſtamento, ut ſe præteritam novit Athenais, fratrum pedibus advoluta, rogat ne rationem teſtamenti habere vellent: tertiam ſupplici paternæ hæreditatis partem concederent, neſcire ſe cur moriturus genitor, quem amore teneriimo ſemper coluerat, bonorum ſuorum expertem reliquiſſet. At fratres teſtamenti tenaces, ſororem paternâ domo eliminant. Quam ejectam matertera domum recepit ſuam, poſtmodum verò in urbem regiam ad Leontii ſororem deduxit. Illæ cauſâ exhæredis ſuſceptâ, actionem contra fratres ejus inſtituunt: aditæque Pulcheriæ narrant Valeriani Geneſiique iniquitatem. Pulcheria præſtantem Athenaidis & formam & eruditionem mirata, à cognatis petit, nùm virgo eſſet. Quod ubi intellexit, in regia cum matronis manere juſſit, ſubindeque ad Theodoſium ingreſſa, *Inveni*, inquit, *virginem niveo candore, luminibus magnis, ſingulari gratiâ, comâ criſpâ & flavâ.* Ad hæc Princeps inflammatus, à ſorore petit, ut adductam in cubiculum Athenaidem per velum unà cum Paulino intueretur. Quæ cùm Theodoſio valde placuiſſet, relictâ Ethnicorum ſuperſtitione Chriſtiana facta eſt, ac mutato nomine Eudoxia appellatur. Quod nomen ab Attico, qui ſacris eam undis expiabat, accepit.

Socr. l. 7. c. 21.

Socrati non Heracliti, ſed *Leontii* Athenienſis Sophiſtæ filia dicitur. Ac verius, ut putamus. Eâ in uxorem acceptâ *menſe Daſio, ſeptimo Idus Junias* nuptiæ celebrantur, quarum & in honorem Circenſes ludi & ſcenici in theatro Circi acti ſunt tertio Idus Junias. Ut ſororem ſuam imperare, Eudoxiæ fratres noverunt, perculſi metu in Helladem fugiunt. Quos ſublatâ ſuſpicione omni acceríitos, Theodoſius ad honores promovet. Ac *Geneſium* quidem Præfectum Prætorio creat Illyrici, Valerianum verò Magiſtrum Palatii. Injuriæ ſibi illatæ immemor Eudoxia Achiva, fratribus hæc loquitur: *Niſi vos me malè tractaſſetis, nunquam imperaſſem, imperium vos mihi comparaſtis.* Paulinus nuptiarum conciliator per omnes honorum gradus evectus, demum Palatii Magiſter creatus eſt, eâ poteſtate, ut ei libertas eſſet, & Theodoſium, & Eudoxiam adeundi. Ex eo matrimonio procreata filia, materni ferè nominis Eudoxia, quæ anno ſequente lucem aſpiciet. Non Principis nuptiæ modò, verùm etiam Arcadianæ ſtatuæ erectio Conſtantinopolitanis gaudium attulit. Euſtathio

Chron. Alex.

& Agricolâ Coſſ. *Arcadii ſtatua ſuper columnam cochleatam in foro Arcadii, loco dicto Xenophoro poſita, menſe Panemo, ſexto Idus Julias, die Sabbati dedicata eſt.*

Romana de Perſis victoria.

III. Dum amoris nuptiiſque Theodoſius indulget, ipſius Duces in Perſas bellum inſtruebant, religionis cauſâ ſuſceptum, ne Chriſtiani furenti Varani redderentur. Miſſa à Principe pars exercitus, cui præerat Ardaburius, vaſtandam Azazenem ingreſſa, Narſeo Perſarum Duci occurrit. Commiſſo prœlio Perſa victus aufugit. Poſteà verò per Meſopotamiam Romanorum in Provincias omnibus præſidiis deſtitutas, ex improviſo irruere conſtituit, eoque modo Romanos ulciſci. Verùm id conſilii Ardaburum non latuit, qui Azazenem celerrimè deprædatus, in Meſopotamiam proficiſcitur. Cùm Niſibim veniſſet Narſeus, Ardaburio mandat, diem locumque pugnæ conſtituerent, cui Ardaburius, *Non quando tu volueris, pugnaturi ſunt Imperatores Romani.* Concluſi intra Niſibis muros Perſæ obſidebantur, quorum non pauci dum machinæ admoventur, qui venerant auxilio, interficiuntur. Varanes audito & Azazenem vaſtatam eſſe, & ſuos intra Niſibim concluſos oppugnari, ipſe cum copiis omnibus contra Romanos proficiſcitur. At veritus Romanorum exercitum, Saracenorum, quibus Alamundarus vir fortis præerat, auxilium implorat. Qui adductâ ſecum ingenti Saracenorum multitudine, Perſarum Regem bono jubens eſſe animo: brevi Romanos ei ſe captos exhibiturum, & Antiochiam Syriæ traditurum ſpondet. Hanc ejus pollicitationem deſtituit eventus. Injecto quippe divinitùs terrore, cùm Romanos in ſe irruere exiſtimarent, perturbati, in Euphratem armati ſeſe conjiciunt, ibique centum millia hominum aquis ſubmerſa periere. Vitianus etiam alius Romanorum Dux reliquas Saracenorum copias profligavit. Ardaburius quoque ſeptem nobiles Perſarum Duces inſidiis circunventos occidit. Areobinduſque alter Romanæ Militiæ Magiſter fortiſſimum Perſarum ſingulari certamine interemit. Romani verò, qui Niſibim obſidebant, audito Perſarum Regem plurimos ſecum elephantos adducere, metu perculſi, incenſis machinis in ſuam regio-

Socr. l. 7. c. 18.

nem reverſi ſunt. Præclara de Perſis victoria Theodoſio nunciatur *die octavo Idus Septembris feriâ tertiâ*, ut Chronicum Alex. narrat. Lætum hoc nuntium Palladius curſor attulit, qui felici quodam fato tantum & corporis & animi virium nactus eſt, ut intra tridui ſpatium ad ea loca perveniret, quæ Perſarum & Romanorum regionem diſterminant, ac rurſus totidem diebus Conſtantinopolim rediret. Ex Chronico Alex.

Socr. l. 7. c. 19.

Error Baronii.

liquet, non accuratam eſſe Baronii Chronologiam, qui bellum hoc Perſicum cum anno CCCCXX. conjungit. Quem ab errore evellere Marcellinus debuit, qui ad Euſtathii & Agricolæ Conſulatum hæc habet: *Romani cum Perſis conflixere.*

Conſtantii in Pelagianos Edictum.

IV. Rebus imperii Eccleſiaſticam nunc mentionem ſubnectamus. Ut ſummâ rerum Conſtantius potitus eſt, ſuâ uti poteſtate voluit opprimendis Pelagianis. Reſcripſit igitur ad Voluſianum urbis Præfectum: *His lectis, extinctas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos ſtatim faciat è muris urbis expelli, ita tamen, ut ne intra centeſimum quidem lapidem habeant licentiam conſiſtendi. Cæleſtium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus. . . Sanè deinceps ſi tale quidquam fuerit nunciatum, officium præſtantia tua capitali ſententiâ ſuccidendum eſſe cognoſce. Non enim patimur impunitum eſſe, præcepta noſtra executionis negligentiâ protelari. . . Impleatur quod juſſimus, quia hoc fama tua expedit.* Accepto Reſcripto Voluſianus Edictum propoſuit: *Hactenus Cæleſtium divina fidei & quietis publicæ perturbatorem judicans, anima veri ſecreta ſubduxerunt. Jam Leges etiam & Edicta perſequentur abſentem. Cui quod primum eſt, æterna urbis negatur habitatio: ut ſi vel in proximis fuerit diverſatus, debitum non evadat exitium.*

Digitized by Google

Qui reum occultaverit, ei pœna proſcriptionis imponitur. Edicta hæc in Annales Baronius retulit ſuos, verùm loco indebito, ad annum ſcilicet CCCCXX. quo Conſtantium purpurâ indutum eſſe exiſtimavit. Quam cùm hoc duntaxat anno acceperit, ad illum quoque Edicta ſunt revocanda.

Alypius de rebus Pelagianis in Italiam proficiſcitur. Auguſtinus in Julianum ſcribit.

V. Factâ Pelagianorum mentione, de B. Auguſtini certaminibus cum Juliano, eorum acerrimo defenſore commiſſis, nonnulla nos ſubjicere monet. Quibus ſimul Baronii Chronologia coarguitur. Alypii Tagaſtenſis Epiſcopi in urbem profectionem anno CCCCXIX. affigentis, n. 46. quæ in CCCCXXI. incidit. Quo prochroniſmo perturbationis non minimum induxit Chronologiam rerum Auguſtini, dum quæ per annos complures acta ſunt, ad annum CCCCXIX. congeſſit. Res ſic ſe habet, prælucente nobis eruditiſſimo Noriſio. Ex Africa Alypius Ravennam contenderat, ut Valerio Comite fretus, & de appellationibus ad Epiſcopum Rom. prohibendis Afrorum cauſam Honorio commendaret, & Pelagianos impetus frangeret. Antequam Ravennâ diſcederet, à *Valerio* intellexit, multa in librum Auguſtini de Nuptiis ac Concupiſcentia à Pelagianis torqueri convicia. Ravennâ Romam profectus, honorificè à Bonifacio Papa excipitur. Dum inter ſe colloquuntur, Auguſtini mentio infertur, ut & ipſe teſtatur: *Noveram te quidem famâ celeberrimâ prædicante, & frequentiſſimis atque veraciſſimis nunciis, quantâ eſſes Dei gratiâ plenus, acceperam, beatiſſime atque venerande Papa Bonifaci. Sed poſtquam te etiam præſentiâ corporali frater meus vidit Alypius, acceptuſque à te benigniſſimè ac ſinceriſſimè, mutua miſcuit dictante dilectione colloquia: tecumque convivens & parvulo licet tempore, magno tamen tibi junctus affectu, ſe ſimul & me, refudit animo tuo, teque mihi reportavit in ſuo: tantò major in me tuæ ſanctitatis eſt facta notitia quantò certior amicitia.*

Aug. cont. duas Epiſt. Pelag. c. 1.

Africâ ſuâ repetitâ Alypius, tranſmiſſa à Valerio ex quatuor libris Juliani adverſus Auguſtini de Nuptiis & Concupiſcentia, excerpta quædam, & binas ejuſdem Juliani acceptas à Bonifacio literas ad Auguſtinum defert. Quibus acceptis, in dubio fuit Sanctus ille Præſul, expectandi ne forent integri quatuor Juliani libri, quo accuratiorem refutationem adornaret. Placuit tandem reſponſionem non differri, quod & Valerio Comiti ſignificavit: *Niſi & ego reſponſionem differre noluiſſem, ſicut nec tu tranſmiſſionem ſcriptorum, quibus reſpondendum eſt, diſtuliſti.* Quæ leguntur libro 2. de Nupt. & Concupiſc. c. 2. quem priori libro defenſorem paravit. Similiter animum admovit refellendis duabus Juliani Epiſtolis, quatuor libris adverſus eas editis, quos Bonifacio Pontifici nuncupavit, adhibitâ more ſuo eâ modeſtiâ, quâ omnibus ſanè mortalibus excellebat. Cùm enim eruditione Bonifacio longè præſtaret, ad eum tamen ſcripta ſua miſit, *non tam diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſan aliquid diſplicuerit emendanda.* Alterâ navigatione in Italiam tranſmiſit Alypius, ut quatuor Auguſtini libros contra duas Pelagianorum Epiſtolas editos offerret Bonifacio, hoc nos ipſe Julianus monuit: *In his libris, quos nunc per Alypium, ad Bonifacium miſiſti, dic captivum eſſe arbitrium, quod nos liberum dicimus.* Româ dein Ravennam Alypius contendit, ut alterum Sancti Doctoris de Nuptiis

Julian. l. 1. c. 85. & l. 2. c. 179.

& Concupiſcentia librum Valerio Comiti traderet. Cujus rei teſtem & Julianum habemus, qui *Florum* Pelagianum ſic alloquitur: *Quæ id impendio popoſciſti, imò indixiſti autoritate patriâ, ut libri tractatoris Pœni, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum ejus Alypius nuper detulit, obviarem.* Calumniam non effugit Alypii hoc Ravennam iter, quaſi ſuſceptum fuiſſet, ut corruptis Honorii aulâ duriora in Pelagianos conſtituerentur: *Cur ſumptibus pauperum ſaginaſtis per totam ferè Africam equorum greges, quos proſequente Alypio, Tribunis & Centurionibus deſtinaſtis?* Anno CCCCXXII. cùm Claudii Epiſcopi operâ integri libri quatuor Juliani Auguſtini in manus perveniſſent, comperit, Excerptorum Autorem non omnia poſuiſſe, aut non ita certè, ut in libris legebantur. Collectis ergo viribus grande opus ſex libris diſtinctum concinnavit: opus quidem vel Auguſtino judice, *tantum tamque elaboratum*, ac ut eleganter Noriſius, *in reliquis lucubrationibus haſtam pugnaſſe viſus eſt, in hac verò univerſum triariorum robur emiſit.* Nihil magis in votis erat Auguſtino, quàm Julianum grande quidem, ſed falſo dogmate corruptum ingenium, eundemque ſibi cariſſimum ad Catholica caſtra ex Pelagianorum turmis revocare. Hinc illæ mitiſſimæ cum ſuperbo hoſte voces: *Ego quidem pro dilectione, quæ mihi eſt erga te, quam Deo propitio, quibuslibet conviciis abſit, ut de medullis mei cordis extirpes malitiam, fili Juliane, ut juventute meliore atque formore te vinceres.*

Jul. Op. imperf. l. 1. c. 8.

Jul. Op. imp. l. 3. c. 35.

Nor. H. Pel. l. 1. c. 21. p. 88.

Aug. l. 1. Jul. c. 7.

Illyricum Orientale fruſtra ſibi ſubjici vult Conſtantinopolitanus Epiſcopus.

VI. Ratio ita comparata erat ambitionis Epiſcopalis, ut quantum eniti poterant, ditionem ſuam amplificarent. Itaque Illyricum Orientale Atticus Conſtantinopolitanus ſuam in poteſtatem redigi voluit. Neque à Theodoſio difficile fuit ea de re Reſcriptum impetrari, cujus hæc verba ſunt: *Omni innovatione ceſſante vetuſtatem, & Canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui uſque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias ſervari præcipimus. Tunc ſi quid dubitatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri reverendiſſimi, Sacroſanctæ Legis Antiſtitis urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur, Conventui Sacerdotali ſanctoque judicio reſervari.* Dat. prid. Jul. Euſtathio & Agricolâ Coſſ. Quippe Romæ æmula Conſtantinopolis æquales ſibi jura dari poſtulabat. Nota ſunt Claudiani carmina:

Cod. Theod. l. 45. de Ep.

Cùm ſubitò par Roma mihi diviſaque ſumpſit
Æquales aurora togas.

Eò honoris provectus erat Romanus Antiſtes, ut, etſi ſtatuendi jus & judicium penes Synodum foret, ſententiam tamen expromere ſuam rogaretur. Quem Socrates morem indicat verbis ejuſmodi: *Ne præter ſententiam Romani Pontificis quidquam Eccleſiæ decernant.* Ex majeſtate Regiæ urbis eadem ſibi privilegia Atticus tribui voluit. Ex Theodoſii Lege nil tamen Epiſcopo Conſtantinopolitano juris in Illyricum Orientale acquiſitum eſt. Quippe Honorius ubi conſtitutionis hujus notitiam habuit, Theodoſium rogat, ut antiqua Præſuli Romano jura ſervarentur: *Petit enim*, inquit, *ut hæc privilegia, quæ dudum à Patribus conſtituta uſque ad tempora noſtra ſervata ſunt, inconcuſſa perdurent, in qua parte perſpicit ſerenitas tua, nil vetuſtis decretis, ſi quæ Canonum conſcripta ſunt regulis, penitùs derogandum: nec tot jam ſeculorum reverentiam novellis præjudiciis ſauciandam, Domine.*

Socr. l. 2. c. 17.

Unde

ANNO DOM. 421.

Unde majeſtate tua recenſitis noſtra pietatis affatibus, Chriſtianitatis memor, quam pectoribus noſtris miſericordia cœleſtis inſunditt, univerſis remotis, qua diverſorum Epiſcoporum ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem pracipiat cuſtodiri, ne ſub Principibus Chriſtianis Romana perdat Eccleſia, quod aliis Imperatoribus non amiſit. Honorio oomnie Romanæ Sedis ea petenti annuit Theodoſius, qui priua Reſcriptum *omni innovatione ceſſante*, aliâ conſtitutione reſcidit: *Omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remotâ ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina, & Canones veteres eloquuntur. Super qua re ſecundum formam oraculi perennitatis tua ad viros illuſtres Prafectos Pratorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus antiquum ordinem ſimiliter faciant cuſtodiri, ne venerabilis Eccleſia ſanctiſſima urbis privilegia à Veteribus conſtituta amittat, qua perenne nobis ſui nominis conſecravit Imperium.* Honorii Epiſtola data eſt v. Idus Martias Honorio XIII. & Theodoſio X. Coſſ. Cui eodem anno eſt à Theodoſio reſponſum. Lectæ ſunt eæ ſacræ in Synodo Rom. anno DXXXI. Præſide Bonifacio, Stephani Lariſſæi Metropolitani in cauſa, ut ſuo tempore narrabitur. Inſpiciatur doctiſſimi additio Baluzii ad librum IV. Petri Marca, c. 2. de Concordia Sacerdotii & Imperii. Quam à Sede Rom. autoritatem Illyrici Præſules abſtractam volebant, cùm ea ipſa foret, quam Romanus exercebat Epiſcopus, ſatis intelligitur, eam à poteſtate Patriarchali diſcrepare toto cœlo. Non in omnibus quidem, ſed io *dubiis* Synodus Illyricana gerendorum notitiam ad Pontificem Rom. referre debuit. De provocatione verò, Epiſcoporumque confirmatione ne verbum quidem. Sic in Synodo Carthaginenſi decretum eſt, *ut prima ſedis Epiſcopi ex conſilio Carthaginenſis Epiſcopi conſtituantur, quando fuerit oborta contentio*, cui tamen nil Patriarchici aut Metropolitani juris io primarum ſedium Epiſcopos contribuitur. Illud ergo, quod Romaoo Epiſcopo competebat Illyrici reſpectu, honoris erat, oon poteſtatis, quam tamen labentibus annis impetravit.

ANNO DOM. 422.

ANNO U. C. 1175. PER. JUL. 5135. JUL. 467. DOM. 422. HONOR. 30. & 28. THEODOS. 21. & 15. *Sol.* 11. A. *Lun.* 5. *Indict.* 5. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.*

COSS. *Honorius Aug.* XIII. *& Theodoſ. Aug.* X.

Immortales Perſarum delentur. Pax Varanis cum Theodoſio.

I. QUæ Theodoſio bellum gerenti adverſus Varanem felix fortuna fuerat, proſpera hoc & anno manſit. Optimo Principi, quam de hoſtibus victoriam retulerat, ea tumidos ſpiritus non afferebat, utpote apertiſſimè Dei munere impetrata. Quamvis ergo exercitus ipſius rem feliciter geſſiſſet, pacem oihilominus amplecti voluit, miſſo *Helione*, quem plurimi faciebat, cum mandatis, ut cum Perſis fœdus componeret. Qui ut venit in Meſopotamiam, Legatum de pace facienda præmiſit *Maximinum* quemdam, virum facundiâ pollentem, Ardaburiique Magiſtri Militum aſſeſſorem, qui Varani dixit, ſe componendæ paci à Ducibus duntaxat, noo ab Imperatore Legatum eſſe, belli hujus penitùs ignaro, quodque ſi reſciret, facilè contempturo. Legationem Rex Perſarum libenter amplecti volebat, ob annonæ penuriam, quâ exercitus premebatur. Verum milites fortiſſimi, qui apud Perſas *Immortales* vocantur, pacem non priua admittendam eſſe dixerunt, quàm ipſi Romanos aggrederentur. Quorum conſiliis Rex obſecutus, Oratorem in abdito loco concludi jubet, dum mittuntur *Immortales*, qui Romanis inſidias ſtruerent. Ubi ad deſtinatum locum pervenere, in duas turmas diviſi, quarum quælibet militum millia quinque complectebatur, partem quandam exercitus Rom. circumvenire ſtatuunt. Romani unam tantum Perſarum turmam cernentes, ad eam excipiendam ſe comparabant. Cùm prœlium jamjam committendum eſſet, pars Romani exercitus, cui præerat Procopius Magiſter Militum, ex colle proſpexit. Qui cùm ſocios diſcrimen ſubituros cernerent, Perſas à tergo adoriuntur. Quibus brevi temporis ſpatio ad unum cæſis, Romani ad hoſtes, qui ex inſidiis prorumpebaot, ſeſe transferunt, eoſque univerſos jaculis confixere. Sic Immortales deprehenduntur mortales, Chriſto eas pœnas exigente de his hominibus, qui plurimos numinis ſui cultores interemerant. Varanes ea de clade certior factus, eam ſe neſcire fingens, legationem admittit, Maximinum his verbis allocutus: *Non quòd Romanis cedam, pacem ideircò amplector, ſed ut tibi gratificer, quem omnium Romanorum prudentiſſimum deprehendi.* Sic bellum cum perſecutione, quæ in Perſide adverſus Chriſtianos excitata fuerat, finem accepit. Ne hîc quidem præclaris facinoribus milites duntaxat gloriam ſuam extendere. Acacius Epiſcopus Amidæ pio opere apud omnes inclaruit, ut non ſolâ fortitudine, ſed beneficentiâ quoque Perſæ à Romanis vincerentur. Captivos ſeptem mille, quos dum regio Azazena vaſtatur, fecerant, Romani milites reddere nolebant. Id animum Varania vehementer angebat, quòd fame captivi coosumebantur. Miſerorum libertatem haud quanquam negligendam putavit Acacius. Convocatos ergo Clericos ſic ſuos alloquitur: *Deus noſter nec lancibus indiget, nec poculis, utpote qui nec edat, nec bibat, nec re egeat ullâ. Vaſa igitur aurea & argentea, qua Eccleſia poſſidet, diſtrahi conſentaneum eſt, ut illorum pretio captivos redimamus, eiſque cibos ſubminiſtremus.* Ex conflatis ergo vaſis pro captivis ſingulis pretium militibus ſolvit: liberatos aluit, tandemque viatico inſtructos ad Regem Perſarum remiſit. Quod mirandum Acacii factum cùm Varanem ingenti ſtupore perculiſſet, Acacii præſentiam conſpectumque exoptaſſe ferunt, qui annuente Theodoſio cupienti conceſſus eſt. Huic noſtræ & de fine belli Perſici, & de captivorum liberatione Chronologiæ Socrates præſidio eſt: *Quod quidem*, inquit, *contigit Conſulatu Honorii* XIII. *& Theodoſii* X. *anno quarto Olympiadis trecenteſima.* Eſt tamen error in anno Olympiadis, qui *ſecundus*, non *quartus* fuit, utpote quæ anno ſuperiore inceperat. Ex his patet, non accuratam Baronii Chronologiam eſſe, qui belli finem captivorumque ab Acacio liberationem io anoum CCCCXX. Dom. contulit. Victoriam divinitùs Theodoſio datam viri præſtantes panegyricis celebrarunt. Eudoxia quoque Auguſta heroico verſu poëmata conſcripſit.

Socr. l. 7. c. 20.

Socr. l. 7. c. 20.

Error Baronii.

Socr. l. 7. c. 21.

II. At Deo minus proſpero in Hiſpanias Honorius utitur imprudentiâ Caſtini atque invidiâ. Rem ſummatim Proſper oratione complectitur

Caſtinus à Vandalis victus, fugam capeſſit.

ANNO DOM. 422.

pleƈtitur in Chronico: *Hoc tempore exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cui Caſtinus Dux fuit: qui Bonifacium, virum bellicis artibus præclarum, inepto & injurioſo imperio ab expeditionis ſua ſocietate avertit. Nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientemque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit, idque Reipublica multorum laborum initium fuit.* Nec imperio duntaxat, ſed ſibi quoque ſuâ Caſtinus ſuperbiâ damno fuit, qui graviſſimâ ab hoſtibus clade afficitur, ut nos Idacius monuit: *Caſtinus Magiſter Militum cum magna manu, & auxiliis Gothorum bellum in Bætica Vandalis infert, quos cùm ad inopiam vi obſidionis arƈtaret, adeò ut ſe tradere jam pararent, inconſultè publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconem victus aufugit.* Itaque error eſt Baronio ſcribenti, *Res hoc anno benè geſta eſt, licet diſſenſerint inter ſe Duces.*

Bar. An. 422. n. 2.

Peſſimè quidem rem geſſit Caſtinus, qui ingenti clade acceptâ fugam arripere coaƈtus eſt. Lætitiæ tamen aliquid Honorio fuit ex Tricennalium ſuorum celebratione, in quibus *Maximus tyrannus, & Jovinus ferro vincti, adducti de Hiſpaniis atque interfecti ſunt.* De perduellibus pauca in notitiam venere. Id legimus in Miſcellanea: *Maximus apud Hiſpanias, factione autem Joviani, qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidem aſſumpſit. Nec multò poſt ſeparati utrique, & capti ab exercitu Honorii, eidem cùm apud Ravennam Tricennalia ſua perageret, præſentantur.*

Marcellin. Chr.

Miſc. l. 13.

Patrocli ambitionem contundit Bonifacius. Hilario ſua privilegia vindicat.

III. Tradit ſubinde nobis notabilia ſua Eccleſia commemoranda. Patroclus Arelatenſis, ambitione ardens, contempto Hilario Narbonenſi, qui Metropolitanum agebat, Antiſtitem in Eccleſia *Lutubenſi*, Gallicè *Lodeve*, ordinarat. Quæ res Clero hujus urbis adeò diſplicuit, ut querelis *Bonifacium* ſuis in *Patroclum* incenderet. Patrocli temeritatem à Canonibus Nicænis diſſentaneam perſtrinxit Pontifex, ſcriptâ ad Hilarium Epiſtolâ, *datâ quinto Idus Februarias, Honorio* XIII. *& Theodoſio* X. *Coſſ. Ecce,* inquit, *ut charitas tua recognoſcit, ex ſubditis Lutubenſis Eccleſia Cleri ordo, vel plebis, preces ſuas & lachrymas ad nos quantum datur intelligi, magno cum dolore miſerunt, dicentes Coëpiſcopum noſtrum Patroclum ſuâ petitione ceſſante, in locum decedentis Epiſcopi, neſcio quem, in alia Provincia prætermiſſo Metropolitano, contra Patrum regulas ordinaſſe. Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum Conſtitutionum eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi Conſtitutio Nicæna, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus, Per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas. . . Unde, frater chariſſime, ſi ita res ſunt, & Eccleſiam ſuprà dictam Provinciæ tuæ limes includit, noſtrâ autoritate communitus, quod quidem facere ſpontè deberes, deſideriis ſupplicantium, & voluntate reſpectâ, ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani jure munitus, & præceptionibus noſtris fretus accede.*

Bonif. Ep. 3.

Synodus Carth. 12. Quid de-creverit.

IV. Eo quoque anno Synodus Carthaginenſis, cujus tempus certum ignoratur, videtur eſſe coaƈta, ob duorum Epiſcoporum de Primatu contendentium diſſidia. Occaſione controverſiæ olim obortæ Xantippum inter & Viƈtorinum, qui ſeniores Numidiæ Antiſtites agebant, Concilio Milevitano primo conſtitutum fuerat, ut ab ordinatoribus ſuis Epiſcopi literas acciperent, Conſulem & diem continentes, quibus inſpectis, lis de Primatu, qui conſecrationis Antiquitati cohærebat omnis, facili negotio componeretur. Quarum exempla literarum in matricula uniuſcujuſque Provinciæ, penes primæ ſedis Epiſcopum pro tempore aſſervabantur. Quod apertè liquet ex capite 86. Codicis Africani: *Placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ut matricula & archivus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Conſtantina.* Cùm verò crebriores Carthagine contentiones reperirentur, quàm aut Concilii habendi, aut negotiorum gerendorum causâ frequentabant, præſente Synodo ſtatuitur, ut Primates ex ſingulis Provinciis ordinationum ſuarum Catalogum ad Carthaginenſem Præſulem mitterent. Duo itaque Canones ad eam rem pertinentes, in hoc Concilio, quod Carthaginenſe IX. nuncupatur, ſunt conſtituti. I. *Placuit, ut Primates diverſarum Provinciarum nomina Epiſcoporum, ſive decedentium, ſive in eorum locum ſuccedentium ad Eccleſiam Carthaginenſem mittant.* II. *Ut primæ ſedis Epiſcopi ex conſilio Carthaginenſis Epiſcopi conſtituantur, quando fuerit oborta contentio.*

Lab. Concil. t. 2. 1605.

ANNO U. C. 1176. PER. JUL. 5136. JUL. 468. DOM. 423. HONOR. 31. & 29. THEODOSII 22. & 16. *Sol.* 12. *G. Lun.* 6. *Indict.* 6. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 1. *P. Aprilis* 14.

ANNO DOM. 423.

COSS. *Aſclepiodotus & Marinianus.*

Honorius Placidiam pellit.

I. DEfunƈto Conſtantio, tantâ ſe amicitiâ Honorius cum Placidia conjunxerat, ut amoris turpiſſimi ſuſpicionem injiceret, narrante Olympiodoro: *Honorii erga ſororem inſitus affectus tantus fuit, ex quo Conſtantius ejus maritus vitâ deceſſit, ut perditè nimis amando, & aſſiduè os ejus oſculando turpis apud multos conſuetudinis ſuſpicionem non effugerit.* Sed hic amor in magnum brevi ſe vertit odium, allaborantibus diligenter *Elpidiâ Placidiæ nutrice,* (perperàm noſtro judicio Schotus vertit, *allaborantibus Spaduſâ atque Elpidiâ,* quaſi σπαδαζόντι Spaduſam ſignificaret) iiſque quibus tribuebat plurimum, *adjuvante etiam ipſas Leonteo Curatore, ut & ſeditiones Ravennæ frequenter exiſterent, (adhærebat enim ipſi adhùc Barbarorum turba, cùm ex Ataulfi, tum ex Conſtantii Imperatoris conjugiis) & vulnera inferrentur. Donec tandem ob eas ipſas inimicitias, & priori amori par nunc odium, Conſtantinopolim Placidia, fratre prævalente cum liberis ablegatur.* Culpæ Placidia non immunis fuit, ſi qua Proſpero Tyroni fides, ad annum Honorii XXXI. *Placidia cùm inſidias fratri tenderet, deprehenſa eſt, & Romam exilio relegata.* Legendum *Novam Romam*, ut Proſper vero conſentiat. Hæc fuere fortunæ vices, hæc ludibria, ut Imperatoris & filia, & ſoror, & conjux puerulos miſerè trahens, ſolum vertere cogeretur: *Placidia Auguſta,* inquit Proſper, *à fratre Honorio pulſa, ad Orientem cum Honoria & Valentiniano filiis proficiſcitur.* Benignè amanterque ſuſcipitur à Theodoſio, qui jacentem, ſpoliatamque protexit, & paterno throno reſtituet poſtmodum.

Phot. Bibl. p. 195.

Mors Honorii.

II. Exilio Placidiæ diu non ſuperfuit Honorius, qui hoc ipſo anno mortalitatem exuit, intercutis aquæ morbo correptus. De loco mortis variant Autores: *Rempublicam*, Paulus inquit

Anno Dom. 423.

Diaconus, *ut cupierat pacatam relinquens, apud urbem Romam vita exemptus eſt, corpuſque ejus juxta B. Petri Apoſtoli in Mauſoleo ſepultum eſt.* Paulo Baronius aſſentitur. Utrumque tamen Faſti refellunt Idacii, ad Mariniani & Aſclepiodoti Conſulatum uſque perducti: *His Coſſ. Honorius Auguſtus receſſit Ravenna.* In ea quidem urbe ſedes ſuas fixiſſe videbatur. Nonnullam & Hiſtorici ſupremi diei Honoriani diſcrepantiam habent. Defunctum Imperatorem eſſe *die* XVIII. *Kal. Septembris*, in Socrate legitur atque Theophane, quæ quarta feria fuit. Auguſti verò vigeſimo ſexto periiſſe, teſtatur Olympiodorus: *Honorius aqua intercutis morbo correptus, ante diem ſextum Calendas Septembris vitam finivit.* De die pugnantibus Antiquis, quis verum nobis expediet? Natus erat *Honorius* anno Dom. CCCLXXXIV. quinto Idus Septembris, Clearcho & Richomere Coſſ. Itaque trigeſimum nonum annum non implevit, deficientibus diebus XXIII. ſi cum Socrate in Auguſti XV. mortem ipſius conſtituamus. Quarto Idus Januarii anno CCCXCIII. Auguſtus à patre creatus erat. Ut imperii Honoriani ab eo initio deducti, anni fuerint XXX. menſes ſeptem, dies ſex. Defuncto nil ſobolis fuit. Manſuetudine religioneque parenti Theodoſio non abſimilis, heroicas, Principeque dignas virtutes ignorabat. Ludis & ſpectaculis intentus, in Palatio latebat, dum Barbarorum examina imperii fauces invadebant. Felix tamen, quòd bellis & civilibus & externis confectis, urbem, caput orbis, penè extinctam ad lumen revocatam vidit.

Joannes imperium uſurpat.

III. De morte patrui ſui certior factus Theodoſius, eam prudenti ſilentio preſſit. Clam verò militarem manum miſit Salonas Dalmatiæ civitatem, ut ſi quid rerum novarum in Occidentis partibus moveretur, vindices præſtò eſſent. His ita conſtitutis, tunc demum Honorii mortem palam fecit. Intereà vacuum Occidentis imperium dabatur ambitioni Magnatum prædæ, quorum unus occaſione uſus, illud invadit. Is fuit *Joannes* Primicerius Notariorum Principis, qui dignitatis ſuæ amplitudine minimè contentus, purpuram induit. Hic eſt ille Joannes, quem obſeſſi Romani pacis conciliatorem miſerant Alarico. Rebellioni connivebat *Caſtinus*, qui exercitui Magiſter Militum præerat. Dum Joannes inauguratur, tanquam ab aliquo futuræ rei oraculo jactum eſt, *Cadit, non ſtat.* Quod vulgus dictum invertentes, exclamat, *Stat, non cadit.* Hæc apud Photium Olympiodorus. Vix cum tyrannide Joannes Ravennam occuparat, cùm ad Theodoſium Legatos mittit de impetrando imperii conſortio; verùm ille Legatos cuſtodiæ tradidit, Ardaburiumque, qui tyranno concurreret, deſtinat. Intereà novum Joannes Principatum impotenter adminiſtrabat, ut ex Valentiani Legibus apertè colligitur. Privilegia Eccleſiis invidebat. Clericos Magiſtratuum tribunali ſubjiciebat. Sed Valentinianum ipſum audiamus de geſtis tyranni: *Privilegia Eccleſiarum omnium, quæ ſæculo noſtro tyrannus inviderat, pronâ devotione revocamus. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſeculares Judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus.* Hæc ergo labente ſuâ tyrannide Joannes perpetrarat, quem nec ſine veri ſpecie eruditi Arianis inſerunt. Qui invidiâ perciti conſectaneum ſuum Joannem permovent, ut ſua Catholicis privilegia ereptum iret,

Cod. Theod. l. 46. de Epiſc.

quæ remoto tyranno Valentinianus anno 425. reſtituit.

Anno Dom. 423.

IV. De rebus Orientis paucis. Quam tenerrimo amore Eudoxiam uxorem Theodoſius complectebatur, ad ſummos honores promovere voluit. Theodoſio & Marthiano Coſſ. *Eudocia creata eſt Auguſta, menſe Audynæo v. Nonas Januarii, frequentesque fuere terræ motus die Lunæ horâ decimâ, menſe Xanthico, ſeptima Idus Apriles. Terræ motu ſingum modus ſubſecuta eſt. Philippus & Saluſtius Philoſophi morbo periere.* Ut porro iratum Theodoſius Numen placaret, quæ Ethnicæ ſuperſtitionis pauca ſupererant monumenta extingui juſſit, Lege datâ VI. Idus Junii: *Paganos qui ſuperſunt, ſi quando in execrandis Dæmonum ſacrificiis fuerint comprehenſi, quamvis capitali pœnâ ſubdi debuerint, bonorum proſcriptione & exilio coerceri jubemus.* Sacrificantibus Ethnicis pœna capitis à Conſtantio irrogata fuerat. Quâ Theodoſius abrogatâ, in bonorum proſcriptionem, & exilium eam mutavit.

Theodoſius Eudoxiæ titulum imponit Auguſtæ.

Chr. Alex.

Marcell.

Cod. Th. de Pag. l. 23.

V. Res Eccleſiæ quâ poſſumus diligentiâ nunc referamus. Bonifacius urbis Epiſcopus hoc anno fato functus eſt. Mortis diem Baronius dixit octavum Cal. Novembris. Schelſtratus in ſecundum Non. Septembris obitum refert. Supremus quidem annus certus eſt, dies verò incertiſſimus. Si qua Pontificali fides, petierunt Clerus & Preſbyteri Rom. Eulalium revocari, qui in civitate *Nepeſina* Epiſcopum agebat: *Quod tamen non conſenſit Eulalius, Romam ſcilicet reverti. Qui tandem in eodem loco Campaniæ poſt annum mortis Bonifacii defunctus eſt.* In Bonifacii igitur locum Cœleſtinus ſubſtituitur, *natione Romanus, ex patre Priſco.* Novembris quarto eſſe ordinatum feriâ primâ, non abhorret à vero. Nil diſſenſionis in Pontificis hujus creatione ſubortum, quod & ipſi gratulatur Auguſtinus: *Primùm gratulationem reddo meritis tuis, quòd te in illa ſede Dominus noſter ſine ulla, ſicut audivimus, plebis ſuæ diſciſſione conſtituit.* Novem circiter annos Eccleſiæ præfuit, utpote qui anno Dom. CCCCXXXII. vitam cum Epiſcopatu exuit, *Ætio & Valerio Coſſ.* quod à Proſpero indicatur. Mors ejus à Schelſtrato in ſextum Aprilis, ab aliis in nonum confertur. Neque hic certe accurateque Chronologia expectari poteſt.

Bonifacio ſuccedit Cœleſtinus.

Aug. Ep. 262.

VI. Sub ea tempora Paſcentius Comes Domus Regiæ, religione Arianus, fideique infenſiſſimus Auguſtinum ad diſputandum provocavit. Cujus in ea re temeritatem ſatis mirari haud poſſumus, cùm impar eſſet congreſſus Auguſtino. Auguſtinum verò ſcripto adiit ejuſmodi: *Optaveram te, frater dilectiſſime, priſtini erroris tui conſilium deponere: nunc autem te in ipſo adhùc permanere. . . . Reſcribit mihi ſanctitas tua, Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum S. Deum, ſed unum Deum. Quis à tribus unus Deus? An fortè eſt una perſona triformis, quæ hoc nomine nuncupatur? Tu ſi voluiſſes, & conſideres de profeſſione tua, reſideres mecum, cum Coepiſcopis tuis, puro & pacifico animo & ſpiritu, & conferres de iis, quæ ſunt Dei.* At Paſcentius Arianæ ſectæ infamiam à ſe averti ſtudioſè conabatur: *Anathema*, inquit, *continuò memoratis Ario, & Eunomio dicere non dubitavi.* Quam fidem porro amplectebatur, ea fuit. In Patrem, Filium, & Spiritum S. ſe credere profitebatur, *ſed non unius æqualiſque naturæ.* Diſputatio igitur Paſcentium inter & Auguſtinum, non *Hippone* regio, ut perperàm in titulo ponitur, ſed Carthagini, non ab Excepto-

ribus

Paſcentii Ariani cum Auguſtino Collatio. Maximini cum Auguſtino diſputatio.

Aug. Ep. 176.

Aug. Ep. 178.

ANNO DOM. 423.

ribus ſcripto mandata, ſed vivâ voce inſtituitur. Collationi Laurentius vir clariſſ. præerat. Paſcentium vox Conſubſtantialis malè habebat, quam ſcilicet Scriptura non continebat. Regerebat Auguſtinus, Paſcentium in Prof. fidei ſuæ, *Patrem ingenitum & incapabilem* dixiſſe, quæ voces æquè in Scriptura deſiderantur. Ac Laurentius victoriæ palmam addixit Auguſtino. Paſcentius tamen Auguſtinum à ſe debellatum eſſe, non ferendâ impudentiâ ubique locorum, palamque jactabat. De Collatione ea Poſſidius habet, digna quæ in Annales referantur: *Cùm quodam etiam Paſcentio Comite Domus Regiæ Ariano, qui per autoritatem ſuæ perſonæ Fiſci vehementiſſimus exactor, fidem Catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, & quàm plurimos Sacerdotes Dei ſimpliciori fide viventes, dicacitate ac poteſtate exagitabat & perturbabat, interpoſitis honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, idem S. Auguſtinus coram contulit. Sed idem Hæreticus tabulas atque ſtylum, quòd Magiſter noſter & ante congreſſum, & in congreſſu inſtantiſſimè fieri volebat, ne adeſſent recuſabat. Et dum id pernegaſſet, dicens, quod metu legum publicarum periclitari ſalubris ſcriptis nollet: atque interpoſitis id placere, Auguſtinus Epiſcopus cum ſuis qui aderant Conſacerdotibus videret, ut abſque ulla Scriptura privatim diſputarent, Collationem ſuſcepit, prædicens, ut poſtmodum contigit, quòd poſt ſolutum conventum eſſe poſſet cuiquam liberum Arbitrium, fortè dicere, nullo Scripturæ documento ſe dixiſſe quod fortè non dixerit, vel non dixiſſe quod dixerit.* Finitâ diſputatione ſeparatis partibus Paſcentius ſuam de Auguſtino victoriam mentiendo promulgat. Quæ cùm Auguſtinum non latuiſſent, ad ipſum ſcribit Paſcentium, cui & geſta ſignificat. Quæ ſi negaret, magnam teſtium copiam eſſe, quâ coargui poſſet. Semel reſcripſit Paſcentius, ut potius inferret injuriam, quam fidei ſuæ rationem oſtenderet. Huic & diſputationi aliam adjungamus, quæ cum Maximino Arianorum Epiſcopo ab eodem Auguſtino habita eſt. *Poſſid. Vit. Aug. c. 17.* Cum Gothis in Africam Maximinus migraverat, utpote paſtor cum ſuo grege. Apud Hipponem, quàm plurimis petentibus, inita diſputatio eſt. Neque minimi pretii adverſarius videbatur. Scripturæ loca habebat in promptu. Ac apertè hæc profeſſus eſt: *Si fidem meam poſtulas, ego illam teneo fidem, quæ Arimini à trecentis & triginta Epiſcopis non ſolùm expoſita, ſed etiam ſubſcriptionibus firmata eſt.* Negabat Maximinus venerandum Trinitatis myſterium. Affirmantemque Auguſtinum ſic urgebat: *Dicis de Spiritu Sancto, quòd æqualis ſit Filio.* Id verò ſuâ induſtriâ loquendique facilitate egit, ut *ſuâ noviſſimâ proſecutione multum longiſſimâ* totum, quod remanſerat, diei ſpatium occuparet. Ut ergo Hippone Carthaginem reverſus eſt, de Collatione ſe victorem receſſiſſe jactavit. Quæ Auguſtino cauſa fuit, cur diſputationem tribus libris comprehenſam luci donaret.

ANNO DOM. 424.

ANNO U. C. 1177. PER. JUL. 5137. JUL. 469. DOM. 424. THEODOS. 23. & 17. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 7. *Indict.* 7. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 2. & 3. *P.* 6. *April.*

COSS. *Caſtinus & Victor.*

Ardaburius reſtituendæ Placidiæ miſſus. Joannis in poteſtatem venit.

I. AFflictis Placidiæ amitæ ſuæ rebus adjutorium afferre, & pietate & gloriâ Theodoſius permovebatur. Conſtantinopoli ergo cum liberis eam remittit, Auguſtæ dignitate exornatam. Valentiniano autem titulum imponit *Nobiliſſimi.* Submiſſus quoque exercitus, bellique Imperator utriuſque militiæ Ardaburius cum Aſpare filio, addito & Candidiano. Ut ad Theſſalonicam ventum, Helicon Officiorum Magiſter in ea urbe Valentinianum veſte Cæſaris induit. Ac primùm proſpera Ardaburio fortuna fuit. *Phot. Bibl. 198.* Placidiam & Valentinianum ducens, Salonas vi cepit. Aſpar verò aſſumptis ſecum equeſtribus copiis, & impreſſionis inopinæ celeritate, ſuſpicionem præveniens, Aquileiam urbem maximam occupavit abſque ullo negotio. Placidia & Valentinia ipſum comitantibus, Navalibus copiis contra tyrannum Ardaburius proficiſcebatur, qui mutatâ fortunâ, hoſtis in poteſtatem venit. Quippe ventus quidem aſper exortus Ardaburium unà cum duabus triremibus in manus tyranni detulit. Capto Ardaburio Joannes haud dubiam ſpem concipit, fore ut Theodoſius neceſſitate compulſus, ipſum Imperatorem renuntiaret, ſi Magiſtrum Militiæ ſuæ ſalvum eſſe vellet. *Philoſtorg. l. 12. c. 13.* Anxius quidem tam Imperator, quàm exercitus erat, ne quid mali Ardaburius à tyranno pateretur. *Socr. l. 7. c. 23.* Benignè tamen comiterque ad eo ſuſceptus eſt, ut Joannes amicitiam cum eo copularit, referente Olympiodoro. Intereà Ardaburi filius Aſpar, Placidiaque in maximo luctu verſabantur. Multa Barbarorum millia in auxilium tyranno veniebant. Sed Candidianus pluribus occupatis urbibus, partâque rebus benè geſtis nominis claritate, dolorem levat timentibus, animoſque reddidit.

Bonifacius Comes: vitæ ipſius breviarium.

II. At Joannes, quem non latebat, quantum momenti rebus ſuis afferret Africa, eam totis viribus ſibi conjungere parat. Regioni præerat Bonifacius, qui ſolus ex Occidentibus Comitibus Placidiæ fidem ſervans, pecuniam pro viribus ſubmittebat, ad aliaque ei obſequia præſtò erat. Dignus nomine ſuo Bonifacius, noſtris eſt Annalibus celebrandus. *Phot. Bibl. 191.* Patria ipſi Thracia fuit, teſte ipſius ad Auguſtinum Epiſtolâ: *Fugiens nunc uſque vivo, Thrax natus, vix Scythiam evaſi, duravi, invido ſub Conſule miles.* *Aug. Ep. 10.* Tantæ & pietatis erat & fortitudinis, ut Chriſtiano majorne miles eſſet, ambiguum faceret. De militaribus virtutibus egregium Bonifacio teſtimonium reddit Olympiodorus: *Vir erat heroicus, qui cum multis ſæpè gentibus barbaris ſtrenuè pugnavit, paucis interdum copiis adhibitis, interdum pluribus, nonnunquam verò & ſingulari certamine, & ut verbo dicam, barbaras variaſque gentes Africâ expulit. Idem juſtitiæ vel in primis ſtudioſus & abſtinens, ac pecuniarum contemptor fuit.* *Phot. Bibl. p. 195.* *Ab eo etiam hoc patratum. Ruſticus quidam uxorem præſtanti formâ ſuam cum barbaro quodam è confœderatis milite conſueſcere novit. Rogat itaque Bonifacium, ut domeſticum dedecus deploranti ferret opem. Ille cognito loci intervallo, & agri nomine, ubi adulterium patrabatur, hominem tum quidem dimiſit, in poſterum diem ad ſe redire juſſum. Noctu autem inſciis omnibus in agrum illum ſeptuaginta ſtadiis diſſitum profectus, deprehenſi cum mœcha Barbari caput amputavit, eâdem nocte domum revertit. Redeunti dein ut mandatum fuerat, poſtridie marito Barbari caput obtulit, percontatus an noviſſet. Ille ſpectaculo percuſſus, & quaſi ſenſu motus mox ubi agnovit, multis ob juſtitiam gratiis actis, domum lætus redit.* Cum Caſtino, qui Conſul proceſſit, Bonifacio fuerant inimicitiæ. Caſtinum falſis *Sonia* ſuggeſtionibus

ANNO DOM. 424.

in Bonifacium concitabat. Quæ jurgia non ſine Reipublicæ detrimento anno CCCCXXII. in apertum erupere, cùm vir ille fortiſſimus, relicto in Hiſpanus Caſtino, ab ipſius comitatu divulſus Africam petiit. In ea regione poſito primo cura fuit, ſe Auguſtini in conſuetudinem inſinuare, quæ enutrita auctaque eſt literarum commercio. Præclara eſt Sancti Præſulis de temperantia ſervanda ad Bonifacium admonitio: *Valde turpe eſt, ut quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro.* Mira quidem æquitas Bonifacii fuit, quæ novo etiam exemplo illuſtrari poteſt. *Herpe Virgo ſacro ebriam Gothi mentem & corpus incurrerat.* Reum addicere ſupplicio Bonifacius voluit, & feciſſet, niſi Virginis ultorem Auguſtinus exoraſſet. Eâ præditus indole Bonifacius Placidiæ rebus permagno fuit auxilio; quod & Proſper indicavit, qui ad Caſtini Victoriſque Conſulatum hæc habet: *Joannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt.* Copias in hanc regionem expoſuerat tyrannus ſibi vindicandam. Conſtabant Gothis Hunniſque, qui Chriſti religionem ſuâ hæreſi corrumpebant. Hinc Auguſtino arrepta occaſio ſcribendi ad Bonifacium: *Non dabit Divinitate juvante Catholicus Hæretico terga. Tui cordis intentio dirigatur ad Dominum, non militem timebis, non Gothum, non Hunnum.* Cui reſcripſit Bonifacius, ut precum Sancti Præſulis ſibi compararet auxilia: *Ora*, inquit, *& vincet una Trinitas nobis.* Optimus tamen ille Bonifacius poſtmodum degeneravit.

Aug. Ep. 205.

Aug. App. Ep. 5.

Antonii Fuſſalenſis hiſtoria.

III. Res Eccleſiæ nunc oratione proſequamur. Ut primùm audivit Auguſtinus, Cœleſtinum ſucceſſiſſe Bonifacio, ſcriptis novo Pontifici literis gratulatum voluit: ſed majores adhùc cauſas habuit, cur Cœleſtinum compellaret. Res eſt ſcitu non injucunda. Fuſſala Numidiæ caſtellum eſt, quod ad Hipponenſis Eccleſiæ ditionem pertinebat. Ab ea tamen civitate millibus XL. ſejunctum, atque diſſitum. Pauci primum & rari in Fuſſalenſi regione Catholici reperiebantur. Numeroſam loci hujus multitudinem error habebat. In caſtello quidem Eccleſiæ Catholicæ nemo fuit. Mutatis rerum vicibus, quæ de unitate ineunda Decreta emiſſa fuerant, Donati factionem tandem Eccleſiæ reſtituerant, nec ſine Presbyterorum eo loci conſtitutorum, & labore, & periculo; quos ſpoliatos, debilitatos, imò & occiſos eſſe, teſtatur Auguſtinus. Ut autem non *minaces*, quod olim fuerant, ſed *fugaces* Donatiſtarum reliquiæ colligerentur, optimus ille Præſul, qui ob diſtantiam adhibendæ diligentiæ ſuæ impar erat, quæ ad eas reliquias Eccleſiæ reſtituendas requirebatur, Epiſcopum *Fuſſala* conſtituendum curat. Quod ut aptè fieret, virum quærebat, qui Punicæ linguæ peritus eſſet, & invenerat. Cui ordinando Numidiæ Primatem accerſit. Optimi ſenis impetraverat adventum, cùm Presbyter ille, cui Fuſſalenſis Epiſcopatus deſtinabatur, reſiſtendo Auguſtini conſilia ſubvertit. Ne verò Primatis adventus fruſtra eſſet, *Antonium* quendam obtulit, à nullis Clericatus gradibus, ſed Lectoris duntaxat Officio notum Fuſſalenſibus ille donatur Epiſcopus. At non in actione & adminiſtratione Eccleſiæ floruit. Stupri quidem non à ſubditis ſuis, ſed ab aliis poſtulatus eſt, abſque tamen probatione ulla, quæ foret idonea. Verùm crimina fuere alia, quibus Antonius purgari non potuit. Intolerandæ ambitionis erat, & ditæ homo rapacitatis. Verba ipſa Auguſtini proferemus: *Tam miſerandus factus eſt, & nobis & aliis, ut quid a caſtellanis, & illius regionis hominibus de intolerabili dominatione, de rapinis, & diverſis oppreſſionibus & conſtrictionibus objiciebatur, nequaquam nobis tale videretur, ut propter hoc, vel ſimul cuncta congeſta Epiſcopatu computaremus eſſe privandum, ſed reſtituenda quæ viderentur ablata. Denique ſententias noſtras ſic temperavimus, ut ſalvo Epiſcopatu, non tamen impunita relinquerentur, quæ non deberent, vel eidem ipſi deinceps iterumque facienda, vel cæteris imitanda proponi. Honorem itaque integrum ſervavimus juveni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis præeſſet ulterius, cum quibus ſic egerat, ut dolore juſto eum ſibi præeſſe ferre omninò non poſſent.*

ANNO DOM. 424.

Aug. Ep. 261.

Cœleſtinus Antonium Fuſſalenſem reſtitui jubet.

IV. Judicio primum aſſenſus erat Antonius: *Communione privatus, niſi prius Fuſſalenſibus omnia redderentur*, ſolidos ſepoſuerat poſtmodum, ut communioni reſtitueretur. At verſutus ille homo, qui Numidiæ Primatem eò pellexerat, ut ipſum *velut omninò inculpatum venerando Papæ Bonifacio* commendaret, à Papa literas obtinuit, quibus in integrum reſtituebatur, *ſi ordinem rerum fideliter expoſuiſſet.* Clementiam Afrorum in ſuos uſus Antonius vertebat. Clamabat, *Aut in mea Cathedra ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.* Ut Pontificatum iniit Cœleſtinus, deceſſoris ſui veſtigiis inhærens, Antonium Epiſcopalibus reddi functionibus voluit. Præſtò Legati erant, qui mancum mutilumque Sacerdotium pleno conſummatoque permutarent. Quod dolorem non minimum incuſſit Auguſtino. Cœleſtinum igitur ſcripto adiit, quo res Antonii accuratè fuſèque exponit, à nobis relatas. Quem & rogat, ne faciat, quod conſtituerat faciendum: *Non ſinas iſta fieri, obſecro te, per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominarentur in fratres.* Nec mirum, ad tam humiles Auguſtinum preces deſcendiſſe. In timore Fuſſalenſes verſabantur, ne Antonius Pontificis ſententia ſibi nolentibus redderetur. Hoc & ubique locorum diſpergebatur: *Judicia quippe illis, & publicas poteſtates, & militares impetus, tanquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam, ſive ipſe, ſive rumores crebri comminantur, ut miſeri homines Chriſtiani Catholici graviora formident à Catholico Epiſcopo, quam cùm eſſent Hæretici, à Catholicorum Imperatorum Legibus formidarent.*

Aug. Ep. 261.

V. Baronius, qui in amplificando Pontificis majeſtate totus eſt, hîc temperare non potuit, quin exclamaret: *O mira Dei providentia in rebus Catholicæ Eccleſiæ moderandis! Eo ipſo tempore, quo de Nicæno Canone ea inter Africanos Epiſcopos controverſia agitabatur, caſum contigiſſe voluit, cujus occaſione ipſemet S. Auguſtinus compulſus ſit exempla adducere, quibus demonſtraret Africanorum Epiſcoporum appellationes ad Rom. Eccleſiam, cùm agit de Antonio Epiſcopo Fuſſalenſi.* Exempla verò multa affert illuſtriſſimus Purpuratus, deprompta Auguſtini ex Epiſtola, cujus verba ſunt: *Exiſtunt exempla Sede Apoſtolicâ judicante, aut aliorum judicia firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec Epiſcopatu ſpoliatos, nec relictos omnibus modis impunitos, quæ ut à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus Provinciæ Cæſarienſis Epiſcopus,* aut

Num Epiſtola ad Cœleſtinum ſit Auguſtini? Qua de cauſa ad Epiſcopum Romanum Antonius provocavit.

Bar. An. 419. n. 76.

Aug. Ep. 261.

ANNO DOM. 424.

Aut ad Primatum locus mihi patere debuit, aut Epiſcopatus remanere non debuit. Clamet alius ejuſdem Provinciæ Victor Epiſcopus, Cui relicto in eadem pæna, in qua & Priſcus fuit, nuſquam niſi in Diœceſi ejus, ab alio communicatur Epiſcopo. Clamet, Aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejuſdem Provinciæ Laurentius Epiſcopus, & prorſus hujus vocibus clamet: Aut in Cathedra, cui ordinatus ſum, ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui. Qui ſanè locus apertè ſtatuere videtur, de Africæ Antiſtitibus eſſe à Romana Sede judicatum. Sunt viri eruditiſſimi, quibus ſit in dubio, ſitne Auguſtini ad Cœleſtinum Epiſtola? Quorum rationes offert clariſſ. Du Pin & in Bibliotheca ſua, & in Diſſertationibus Hiſtoricis: *Habetur*, inquit, *tantùm in uno Codice ducentorum circiter annorum, & quidem Vaticano, ac proinde non parum ſuſpecto. In cæteris autem omnibus omittitur, ut obſervarunt ii, qui nuper Epiſtolas Auguſtini mirâ diligentiâ in lucem ediderunt. Deinde hæc Epiſtola videtur elegantior, & rhetoricis figuris ornatior, quàm ſolent eſſe Auguſtiniana.*

B. N. pag. 203.

Du Pin Diſſert. 4. p. 185. Addit in Bibliotheca ſua, Cœleſtium Legatos in Africam ſuos amandare haud potuiſſe, de judiciis ſuis executioni mandandis, perturbatis tum Africæ rebus à tyranno occupatæ. Non nobis tamen firma ſatis argumenta hæc eſſe videntur, ut Epiſtolam abjudicent Auguſtino. Ac ut ab ultima incipiamus, non tantæ Africam turbæ inceſſerant, ut Cœleſtini legationem impedirent, qui ea Fauſtinum de Apiarii cauſa miſit, ut mox Afrorum docebit Epiſtola. Nil juris quidem Joanni tyranno in Africa fuit, quam ab hoſtili invaſione mirâ virtute defendit Bonifacius: & ſcribi Epiſtola prius potuit, quàm Hunni, Gothique, Joanni militantes in oris Africæ exponerentur, imò ſcripta quoque eſſe videtur, utpote quæ exarata eſt, ſimulatque Cœleſtini creatio Africæ Præſulibus innotuit. Ad ſecundam rationem reſpondemus, nil mirum eſſe, ſi in ſcribenda Epiſtola magnos Auguſtinus admoverit affectus, cùm de reſtituendo Antonio Cœleſtini legatio Eccleſiæ pacem diſturbaret, tyrannidem inveheret, diſciplinam everteret. Fuſſalenſes quidem non minus ab Antonio ſibi metuebant, quàm à tyranno. Neque prorſus inſolens eſt Auguſtino, elegantias adhibere aut figuras, cùm opus eſt ad commovendos affectus. Sic in Epiſtola ad Hieronymum de litibus Rufinianis:

Hier. Ep. 93.

Heu mihi, qui vos ſimul alicubi invenire non poſſum. Prociderem ad pedes veſtros, flerem quantum valerem, rogarem quantum amarem. Neque etiam momenti ſatis in eo, quòd Epiſtola in uno duntaxat Codice reperiatur. Sunt & Cypriani Epiſtolæ, quæ in omnibus exemplaribus, præterquam uno deſiderentur. Pauca quidem exemplaria ſunt notæ tam optimæ, ut omnia complectantur. Ac profectò tantum ſinceritatis Epiſtola habet, ut nihil ſupra. Statui etiam rerum Africanarum, temporumque ordini conſentanea eſt. Nec impoſtoris honori, Sedis Rom. velificantis opus eſt. A ſtylo Iſidori Mercatoris, veteratorumque ejuſmodi toto cœlo diſcrepat, & ad temporis ſui Latinitatem maximè quadrat, cui bono etiam hoc figmenti, cùm certo certius ſit, Antonium à Cœleſtino non fuiſſe reſtitutum? Epiſtolam ergo, ut genuinam, admittendam eſſe cenſemus. Quid igitur verbis Auguſtini reſpondendum, qui Epiſcoporum in Africa conſtitutorum cauſas dicit à Sede Rom. eſſe judicatas? Difficultatem clariſſ. Du Pin eâ ratione exiri poſſe putat: verba hæc Epiſtolæ, *ipſâ Sede Apoſtolicâ judicante, vel aliorum judicia firmante*, de Epiſcopis Metropolitano ſubditis intelligit: negat verò dixiſſe Auguſtinum, quòd *Priſcus, Victor, & Laurentius Romam appellarint, ſed tantùm, quòd puniti ſint, licet Epiſcopatu non ſpoliarentur.*

ANNO DOM. 424.

Du Pin Diſſert. 2. 187.

Summa ſolutionis hæc eſt, quæ nobis certè diſplicet. Illud quidem fatemur, exempla ab Auguſtini temporibus remotiſſima, quibus laudandis parcit, de ſubditis Romano Epiſcopo eſſe capienda, cùm Judicis ordinarii partes implevit, ſecus ſi delegati; quo non ſemel officio functus. Verbi gratiâ in cauſa Athanaſii. Recentia verò exempla, quæ memorat Auguſtinus, ſunt profectò judiciorum Romanæ Sedis. In eis igitur Priſci, Victoris, Laurentii negotia collocat, aut nulla ſanè laudavit exempla Sedis Apoſtolicæ, judicantis & aliorum judicia firmantis, quæ tamen proponere debuit, ut conſtitutæ in Antonium ab Afris ſententiæ æquitas deprehenderetur, cui conſona erant Pontificum judicia. Dicente Auguſtino, *Exiſtunt exempla, ipſâ Sede Apoſtolica judicante*, nonne perſpicuum eſt, quæ ſubinde refert, ea his exemplis includi? Secus nil exemplorum induxiſſet. Eſt ergo locus vel de Judice delegato accipiendus, quæ partes Pontificibus Romanis non rarò ſunt contributæ, vel de judiciis, pendente adhùc Canonum Nicænorum inquiſitione ab Eccleſia Rom. pronunciatis. Anno CCCCXVIII. Sardicenſium Conſtitutiones pro Nicænis Zozimus obtruſerat. In Carthaginenſi Synodo anno CCCCXIX. celebrata, Canones Sardicenſes ſe *ſervaturos* profeſſi fuerant, ſalvâ diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni. Labente eo intervallo Priſcum, Victorem, Laurentium Africæ Epiſcopos ad Sedem Rom. confugiſſe quid mali? Ubi verò certè certòque patuit, nil à Nicænis conſtitutum eſſe ejuſmodi, quod ipſorum nomine à Zozimo proferebatur, tum his appellationibus Africani Epiſcopi meritò interceſſere.

Cart. 6. c. 7.

Synodus de cauſa Apiarii.

VI. Hoc quoque anno adverſus *Apiarium*, Africæ facem atque perturbatorem novum damnationis judicium conſtituitur, quod magnum Annalium Conditorem latuit. Fauſtini precibus Apiarius Presbyteri honorem retinuerat, licet ab Eccleſia Siccenſi removeretur. Fauſtini quoque operâ *Tabracenſi* in Eccleſia locum habuit. At mutatione loci perditi animus hominis non mutatur. Novi criminis infamiâ reſperſus, à Tabracenſis accuſatur. Ecce iterum nova ad Pontificem Rom. appellatio. Sic erat in fatis, ut Romanum tribunal perditorum eſſet Clericorum perfugium. Redit ergo in Africam, comite Fauſtino Cœleſtini Legato, cujus autoritate ſe reſtituendum putabat. Quid ad hæc Africani? Concilium cogunt, cui interfuere Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celticius, Theaſius, Vincentius &c. Synodum fuiſſe à Carthaginenſi diverſam, oſtendunt verba Epiſtolæ Synodicæ ad Cœleſtinum: *Adveniente ad nos ſancto fratre, & Coëpiſcopo Fauſtino, Concilium congregavimus.* Neque in alium conjici annum patitur mentio, quàm de miſſis ſibi ab Attico & Cyrillo Nicænæ Synodi exemplaribus agitant. Quid verò in novo Apiarii negotio geſtum ſit, Africani ipſi nobis exponant: *Optaremus ſiquidem, quemadmodum*

dum ſanctitas tua de adventu Apiarii lætatos nos fuiſſe, miſſis per Compreſbyterum noſtrum Leonem litteris intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione, hæc ſcripta cum lætitia mitteremus. Eſſet profectò & noſtra, & veſtra modò alacritas certior, nec feſtinata, nec propera videretur, quæ adhuc tam de audiendo, quàm de audito præceſſerit. Adveniente ſanè ad nos ſancto fratre & Coepiſcopo noſtro Fauſtino, Concilium congregavimus, & credidimus adeò cum illo miſſum, quoniam ſicut per ejus operam Presbyterio antè redditus fuerat, ita nunc poſſet de tantis criminibus a Tabracenis objectis, eo laborante purgari. Cujus tamen ac tam immania flagitia decurſus noſtri examen invenit, ut & memorati patrocinium potius quàm judicium, ac defenſoris magis operam, quàm diſceptatoris juſtitiam ſuperarent. Nam primùm quantum obſtiterit omni congregationi, diverſas injurias ingerendo, quaſi Eccleſiæ Rom. aſſerens privilegia, & volens eum à nobis in communionem ſuſcipi, quem tua ſanctitas credens appellaſſe, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minime tamen licuit, quod etiam geſtorum ex lectione melius cognoſces. Quibus non obſcurè Fauſtinum perſtringunt, modis allaborantem omnibus, ut Apiarius abſolveretur.

Quid in Synodo Carthaginenſi adverſus Apiarium ſit conſtitutum.

VII. Indignus quidem erat *Apiarius* Fauſtini Cœleſtiníque præſidio; quod diſcuſſis tandem tituligatoris nebulis conſpicuum fuit. Pergant Africani Patres: *Triduano tamen laborioſiſſimo agitato judicio, cum diverſa eidem objecta affligiſſimi quæreremus, vel moras Coepiſcopi noſtri Fauſtini, vel tergiverſationes ipſius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus Judex juſtus, fortis & longanimis magno impendio reſecavit. Tetriore quippe ac putidiore obſtinatione compreſſâ, quâ tantum lividum omnium impudentiâ negationis volebat obruere, Deo noſtro ejus conſcientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confeſſionem cunctorum objectorum flagitiorum doloſus inſtator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus ſe ipſo convictus, atque ipſam quoque noſtram ſpem, quâ eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis poſſe purgari, convertit in gemitus: niſi quoniam iſtam noſtram mœſtitiam uno tantùm ſolatio mitigavit, quòd & nos labore diuturnioris quæſtionis abſolvit, & ſuis vulneribus qualemcumque medelam, & ſi invitâ ac ſuâ conſcientiâ reluctante, confeſſione providit, Domine frater.* Ubi lachrymis ſuis atque confeſſione ſe prodidit, reſtabat aliud nihil, niſi ut in reum ſententia promulgaretur. Pro ſuis ipſius ergo nefandis nequitiis de Chriſti Eccleſia Apiarium amovere. Ne verò admiſſis appellationibus Pontifices Romanæ Eccleſiæ Africanæ moleſti forent poſtmodum, hæc etiam atque etiam obſervanda ſubjungunt: *Præfato itaque debito ſalutationis officio impendiò deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes, non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra veletis excipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè advertet venerabilitas tua.* Hanc verò ſuam poſtulationem graviſſimis rationibus muniunt. Juſtum ſcilicet eſſe, *negotia ubi orta ſunt finiri*: cuique Provinciæ gratiam ſpiritus non defuturam: *tranſmarinum judicium ratum eſſe non poſſe, ad quod neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem adduci non poterunt.* Neque miſſis à latere Legatis Romanis rem poſſe peragi, quæ legatio nullâ Patrum Synodo conſtituta reperitur: non id ſanè legi *in veterioribus* Nicænæ Synodi exemplaribus, quæ & ab Attico accepta, & à Cyrillo per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, Bonifacio directa fuerant. *Executores Clericos* Romanos Cœleſtinus mittere nolit, *ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere*: neve patiatur Fauſtinum amplius in Africa reſidere. Quibus accuratè perpenſis, liquidò conſtat, Afrorum mentes id cogitationis non ſubiiſſe, quod Aulicis venit in animum, Concilium ſcilicet *modum proſequendæ appellationis alium inſtituiſſe rogaſſe.* Imò appellationes ad Sedem Romanam omnes prohibuiſſe perſpicuum eſt. Illud ſanè non modum appellandi, ſed appellationem abrogat omnem, quòd negotia ubi exorta ſunt, componi debent: quòd Epiſcopos Metropolitanis commiſere ſuis Nicæni Patres, quòd reo fas ſit, *ſi judicio offenſus fuerit Cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare*: quòd in orbem teſtes adduci non poſſunt: quòd Papæ Legatorum à latere in Africam miſſio nullâ Patrum Synodo introducta ſit. Quanquam ſi officio inferiorum Judicum Carthaginenſes fungebantur, eo modo ad Bonifacium ſcripſiſſe, eſt prorſus indecorum. Lab. Conc. t. 2. 1674.

VIII. Dum in Africa verſamur, de occaſione Auguſtino oblata, ut de Gratia & libero Arbitrio tractatum conficeret ſuum, mentio eſt cogitanda. Labente hoc anno *Florus* Adrumetini Cœnobii Monachus cùm *Uzalam* periiſſet, cui Evodius Antiſtes erat impoſitus, in Epiſtolam, quam Sixto miſerat Auguſtinus, incidit, eamque exſcriptam Adrumetum direxit. Ubi lecta eſt, Monachi, qui Sancti Patris in mentem non ſatis penetrabant, diſſenſionibus agitantur. Eò tandem diſſidia perducta ſunt, ut *Creſconius* & *Felix* ſuſcepto itinere ipſummet Auguſtinum & adire, & conſulere voluerint. Quibus *Valentinus* Cœnobii Præpoſitus peccati cauſâ ſumptus profectioni neceſſarios præbuit. Quis foret cardo diſputationis, quæritur inter eruditos. Liberum Arbitrium ab Adrumetinis eſſe negatum, Baronii ſententia eſt, quam & doctiſſimus ille Sirmondus amplexus eſt. Verba ſunt illuſtriſſimi Purpurati: *Contrarium certamen inibunt, nempe adverſus eos, qui negarent penitùs liberum Arbitrium. Erant hi ex Monaſterio Adrumetino.* At bifariam Baronio hic erratum nobis eſt perſuaſiſſimum: tam in Chronologia ſcilicet, quàm in Hiſtoria. Sexennio pòſt quàm illuſtriſſimo Purpurato exiſtimatum, exortæ ſunt lites Adrumetinæ. Tantum verò abeſt, ut Adrumetini liberum Arbitrium inficias ierint, ut potiùs Semi-Pelagianorum in errorem propenderent, ut certiſſimis à clariſſimo Noriſio rationibus eſt demonſtratum. Id perſpicuè quidem oſtendit ipſemet Auguſtinus, dum in Retractationibus cauſæ meminit, cur de Gratia, & Libero Arbitrio librum ediderit. Loquentem audiamus: *Propter eos, qui cùm defenditur Dei Gratia, putantes negari liberum Arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum Arbitrium, ut negent Dei Gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cujus titulus eſt, de Gratia & Libero Arbitrio. Ad eos autem ſcripſi Monachos Adrumetinos, in quorum Monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio.*

Adrumetini Monachi liberumne negarint Arbitrium. Auguſtinus ad eos ſcribit.

Bar. An. 318. n. 30.

Aug. Retr. l. 2. c. 66.

Anno Dom. 424.

tio. Quòd ſi liberum Arbitrium extinxiſſent Adrumetini, tam hujus utrique erroris meminiſſet, quàm illius, qui Gratiam evertebat, ut liberum Arbitrium tueretur. Utraque ſententia coarguenda erat. Prætereà Creſconius, Felixque Florum Semi-Pelagianiſmi accuſarant, quem Valentinus ſic purgat: *Servi tui Flori hac eſt fides, pater, non ſicut fratres illi ſunt locuti. In præſentiarum audierunt ab eo dictum, non juxta merita noſtra dari donum pietatis, ſed gratiam Redemptoris.* Error ergo Adrumetinus *Semi-Pelagianorum* fuit, *Prædeſtinatianorum* non fuit. 3°. Sic

Aug. Ep. 46.

Adrumetinis ſcribit Auguſtinus: *Librum vel Epiſtolam meam, quam ſecum ad vos ſuprà dicti attulerunt, ſecundum hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei Gratiam, neque liberum Arbitrium ſic defendatis, ut à Dei Gratia ſeparetis, tanquam ſine illa, vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum ullâ ratione poſſimus, quod omninò non poſſumus.* Quòd ſi Adrumetini liberum Arbitrium inficias iviſſent, dixiſſet utique Auguſtinus, *Neque negetis liberum Arbitrium*, non dixit verò, quia ſartum tectumque ab illis ſervabatur. Neque vitium aliquid eſſe putamus in argumento, quod ab Auguſtini verbis ducitur, ut Adrume-

Id. ib.

tini Prædeſtinatianis aſſerantur: *Venerunt ad nos duo juvenes, Creſconius, & Felix, de veſtra congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt, Monaſterium veſtrum nonnullâ diſſenſione turbatum, eò quòd quidam in vobis ſic Gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum Arbitrium.* Iterum dicimus, hæc non nos movent, qui ſcimus, veterem hanc Gratiæ & efficaciæ, & prævenientis defenſoribus infamiam eſſe impoſitam, quòd liberum Arbitrium de medio tollant. Ea fuit & accuſatio Creſconii, Felicis, nonnullorumque Adrumetinorum, qui ex diſcipulorum Auguſtini ſententia id neceſſariò ſequi exiſtimabant. Quos ſua ſanè ratio fallebat. Componendis litibus currente anno Auguſtinus librum de Gratia & Libero Arbitrio editum, Creſconio & Felici dedit Valentino perferendum. Quo factum, ut quies & pax inter Adrumetinos tranquillè regnaret.

Theodoriti hiſtoria. Nativitas ipſius.

IX. Dum hæc in Africa geruntur, Theodoritus Cyri Epiſcopus, fulgidum Eccleſiæ ſidus, ſuam in Oriente lucem diſpergebat, ſacrâ tectus infulâ, quam ante quinquiennium adeptus fuerat. Quis verò fuerit vir ille celebris, paucis eſt aperiendum. Theodoritus Antiochiam Syriæ patriam habuit. Nobilibus eſſe parentibus ortum ea oſtendunt, quæ ipſe de matre ſua protulit. Audierat, Petrum Monachum ob miracula ſua clarum ſibi nomen feciſſe. Ad illum igitur accedit, ut morbo, qui oculorum alteri inſidens, artem Medicorum omnem ſuperabat, remedium

Theodorit. Hiſt. Pat c. 9.

inveniret. Magnificis ea veſtibus tegebatur: *Habebat inaures, catenas & torques, & alia aurea, quæ ſibi induerat, & veſtem variam, ex ſericis filis contextam.* Quæ pauperem vilemque fœminam ornamenta non decent. Omnia hæc monente Petro depoſuit, licet annos duntaxat *tres & viginti* natu eſſet. Tredecimum in matrimonio annum exegerat abſque liberis, prohibente ſterilitate. Quam quidem pia mulier non ægrè ferebat, utpote quæ ad Dei nutum & arbitrium ſeſe componeret. At virum ejus ea ſterilitas malè habebat, liberorum cupidum. Itaque hùc & illùc curſitabat, ſanctos homines rogatum, ut precibus ſuis à Deo filios impetrarent. Inſignis vir pietate fuit *Macedonius*, quem cùm Theodoriti genitor adiiſſet, roganti Macedonius apertè profitetur, natum ab orbis Conditore ſe petiturum, Deumque petitionem illam accepturum pollicetur. Elapſis tribus annis promiſſio necdum implebatur. Convenit ergo rurſus Macedonium, promiſſi munus exigens. Quem Macedonius jubet, ipſius conjugem ad ſe mittere, cui venienti filium pollicetur, quem datori conſecrari opus eſſet. Quarto poſt promiſſionem anno uterum gerit. Quinto à conceptione menſe adeſt abortus periculum. At acerſitus Macedonius, acceptam aquam cùm benedixiſſet, hauriendam ægræ præbuit, quo remedio effugit abortus periculum. Anno ætatis trigeſimo

Theodorit. H. P. c. 13.

Theodoriti mater efficitur, qui id nominis accepit, quòd vel à Deo datus, vel Deo ſanè conſecratus, dicatuſque fuiſſet. At dum vitam largitur filio mater, penè eam amiſit. Deplorata jam erat puerpera, clauſis oculis, febre vehementi laborans, notorumque ſibi omnium ignara. Moribundæ Petrus, qui venerat, fuit auxilio. Ingreſſus vix ſolitam benedictionem impertierat, *Pax tibi filia*, cùm protinùs cilia erexiſſe dicitur. Subinde Petrus cùm juſſiſſet ad preces decurrere, ut finem accepere, morbo quoque finis imponitur. Repentè manat morientis è corpore ſudor, ignis extinguitur, ſigna ſanitatis apparent. Hæc eſt illa Theodoriti nativitas,

Theodorit. H. P. c. 9.

multis referta prodigiis, quæ anno Dom. circiter CCCLXXXVI. contigiſſe videtur. Quod præſens Petri ſenſerat auxilium Theodoriti mater, cum filio communicatum voluit. Itaque ſingulis hebdomadis Theodoritum Petro mittebat, ipſius benedictionem ut acciperet. Quem & genibus impoſitum ſuis, uvis ſæpius aluit, & pa-

Id. ib.

ne. Sed & à Macedonio noniâ pietatis informatus eſt. Cui ſæpius talia ingerebat animis:

Theodorit. H. P. c. 13.

Natus es, ô fili, cum multis laboribus. Multas noctes Deum hoc ſolum perpetuò rogavi, ut tui parentes hoc fierent, quod te edito ſunt nominati. Vide ergo, ut vitam agas dignam laboribus, ut qui antequam naſcereris, promiſſis fueris dedicatus. Deo conſecrata ſordibus non ſunt violanda. Nondum ſeptimum ætatis annum abſolverat, cùm ad S. Euprepii Monaſterium, Antiochiâ non longè diſſitum mittitur, bonis & literis, & moribus imbuendus. Dum in eo verſatur, arctiſſimâ cùm Neſtorio Joanneque Antiocheno amicitiâ copulatur. Præceptores habuit Chryſoſtomum atque Theodorum Mopſueſtenum, à quibus & eloquentiam hauſit, & Scripturæ rectè explicandæ rationem. Juvenem adhùc agebat, cùm à Porphyrio Antiocheno Lector eſt ordinatus: ab Alexandro dein, cui Porphyrius deceſſerat, ad Diaconi officium promovetur. Mortuo Iſidoro, Cyrienſis vacabat Epiſcopatus. Theodoritum in eo conſtitui Antiſtiti Antiocheno placuit. Cyrus urbs fuit Euphrateſiæ Provinciæ, cujus Metropolis Hierapolis, cui deinde primo loco Cyrus ſubjungitur. Procopius libro ſecundo de Ædificiis Juſtiniani narrat, eam urbem à Judæis à Cyro dimiſſis eſſe conditam, qui in grati animi ſignum Liberatoris ſui nomen civitati impoſuere. Octingentas Parrochias habebat, totidemque Eccleſias, quibus Theodoritus præficitur.

Theodoritus Cyri creatur Epiſcopus. Quo anno? mores Sancti Præſulis.

X. Quoto verò anno ad hujus urbis Epiſcopatum Theodoritus evectus eſt, in dubio ponitur. Id anno CCCCXXII. contigiſſe, pro certo Baronius habuit, n. 10. Cujus ſententiæ Theodoritus ipſe favere videtur in ſua ad Leo-

pem

Anno Dom. 424.

nem Epiſtola, poſt Epheſinum Conciliabulum anno CCCCXLIX. ſcripta: *Cùm, inquit, viginti ſex annis mihi ab univerſorum Deo creditam Eccleſiam per veſtras preces texerim, non tempore beatiſſimi Theodoti, Orientis Præſulis, non tempore illorum, qui ei in Sede Antiochena ſucceſſere, quantumvis levem ſubii reprehenſionem.* Deductis ex XLIX. ſex & viginti, ſuperſunt quidem tres & viginti. At doctiſſimus vir Garnerius in aliam prorſus ſententiam deſcendit, firmioribus præſidiis fultam: Theodoritum ſcilicet triennio prius Pontificatum iniiſſe, anno ſcilicet CCCCXX. Ad Nomum Conſulem Theodoriti verba ſunt Epiſtolâ 18. *In Monaſterio tempus, quod Epiſcopatum præceſſit, cum exegiſſem, invitus Epiſcopus ordinatus ſum. Annos XXV. ita vixi, ut neque in jus vocatus ſim a quoquam, neque ipſe quemquam vocaverim.* Ea Epiſtola data eſt anno 445. quo Nomus Conſul proceſſit, quæ cauſa fuit, cur ipſum eo titulo afficeret, cùm non ex præterita, ſed præſenti dignitate viris illuſtribus titulos imponere, Theodorito moris eſſet: *Sic Florentium, qui anno 429. & Senatorem, qui 436. Conſules fuerant, Conſules non vocat, ſed utrumque duntaxat Patricium; ambobus tamen poſt geſtum Conſulatum ſcribebat. Quia verò Zenem atque Avieno miſit literas, quo anno Conſulatum tenerent, ille anno 448. iſte anno 450. utrumque Conſulem nominat.* Conſul igitur Nomus erat, cum ei Theodoritus ſcripſit, ſe in Epiſcopatu annos XXV. vixiſſe, qui ſi ex 445. deducantur, anni ſuperſunt 420. Vel eo igitur ipſo anno, vel proximè ſequente Theodoritus Epiſcopatum iniit, quem à Theodoto Antiocheno Præſule adeptus eſſe putatur. Ita animo & vitâ conſtitutus Theodoritus fuit, ut ratio Epiſcopatus poſtulat. Extat ea de re inſignis locus ipſius ad Nomum Conſulem Epiſtolà: *Prius quàm me conciperent, oblaturos ſe Deo polliciti ſunt parentes, atque ab incunabulis, ut promiſerant, devoverunt, & hoc modo educarunt. In Monaſterio tempus, quod Epiſcopatum præceſſit cùm exegiſſem, invitus Epiſcopus ordinatus ſum. Annos viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus ſum à quoquam, neque ipſe quemquam accuſaverim. Nullus religioſiſſimorum Clericorum, qui ſub me fuerunt, tribunalia tot annis frequentavit. Non obolum, non veſtem à quoquam accepi. Panem unum, vel ovum nullus domeſticorum meorum accepit unquam. Præter panniculos, quibus amictus ſum, nihil volui poſſidere. Publicas porticus ex reditibus Eccleſiaſticis erexi, pontes duos maximos extruxi, balneorum publicorum curam geſſi: cum ex alluente flumine aquam haurientem civitatem nactus eſſem, aquaductum condidi, & carentem aquis civitatem replevi. Atque ut iſta prætermittam, vicos octo Marcionis hæreſi corruptos, unà cum vicinis locis ad veritatem volentes perduxi; vicum alium Eunomianis refertum, & alium Arianis, divinâ cognitionis luce illuſtravi, nullumque apud nos Dei beneficio hæreſis lolium relictum eſt. Neque verò iſta ſine periculis præſtiti, ſed fuſo plerumque ſanguine, lapidatus ab eis perſæpè, & ad ipſas Orci portas impulſus.* Quæ plura ad hiſtoriam Theodoriti pertinent, ſuis temporibus dividentur.

Gar. Diſ. de Lib. Theod. c. 1. 174.

Theodorit. Ep. 81.

Anno Dom. 425.

ANNO U. C. 1178. OLYMP. 301. PER. JUL. 5138. JUL. 470. DOM. 425. THEODOS. 24. & 18. VALENTINIANI 1. *Sol.* 14. D. *Lun.* 8. *Indict.* 8. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

COSS. *Theodoſius Aug. XI. & Valentinianus Cæſar.*

I. JOannes, qui de fœdere ineundo cogitabat, delatum in ſuam poteſtatem Ardaburium humaniter exceperat. Quod capto anſam præbuit deturbandi tyranni. Cùm enim maximâ libertate frueretur, Joannis ductores, qui jam ad defectionem parati erant, contra tyrannum animat. Simul Aſpari filio ſuo per literas ſignificat, ut tanquam ad paratam victoriam adeſſet. Hæc Philoſtorgius. Aſparis adventum miraculo comitatum Socrates narrat, Theodoſii orationibus impetrato: *Angelus enim Dei ſub paſtoris habitu Aſpari, eiſque qui cum illo erant, ducem ſe itineris præbuit, eoſque per paludem Ravennæ adjacentem deduxit*, per quam *nemo unquam iter feciſſe memorant. Cum igitur paludis aquas perinde atque aridum ſolum trajeciſſent, portaſque urbis offendiſſent, tyrannum ipſum capiunt.* Philoſtorgii ut ſimplicior, ſic & veroſimilior narratio eſt: Aſper *cum celeriter adventaſſet, unà cum equeſtribus copiis, conſerto levi prælio captus eſt Joannes, proditione eorum, qui circa ipſum erant; & Aquileiam ad Placidiam & Valentinianum deducitur. Illic dextrâ manu prius amputatâ, poſteà etiam capite truncatus eſt, cùm per unum ac dimidium annum tyrannidem exercuiſſet.* Addit Procopius, Joannem aſino inſidentem cum omni contumelia in hippodromo prius circumductum fuiſſe, quàm morti mitteretur. Laudes etiam Joanni multas contulit: *Erat*, inquit, *vir ingenio mitis, ac virtute præditus, qui annis quinque, quibus præfuit, nec delatoribus aures adhibuit, nec cædem ullam injuſtam, nec denique pecuniæ gratiâ quicquam fecit.* Quæ ut vera ſint, valde dubitamus. Hic quidem accurati muneris Hiſtorici Procopius non fungitur, qui & Joanni imperium quinquennale contribuit, & Ardaburium Aſperi filium dixit. Ut rebellionis reliqua proſequamur: *Ætius unus ex Ducibus Joannis tyranni, tertio poſt ejus obitum die ſupervenit, Barbaros adducens mercede conductos ad ſexaginta ferè hominum millia. Commiſſoque inter ipſum, & Aſparis exercitum prælio, multi ex utraque parte ceciderunt. Poſt hæc Ætius fœdus init cum Placidia & Valentiniano, & Comitis dignitatem accepit. Barbari verò auro accepto, iram & arma depoſuerunt, & obſidibus datis, fideque viciſſim acceptâ, in proprias ſedes reverſi ſunt.* Hunni Joanni auxilio venerant, Ætii operâ patriam ſuam repetiere. Magno Ætio cum Hunnis familiaritas erat, quibus olim obſes datus. Itaque cum ingenti auri pondere ad ipſos ſibi amicitiâ conjunctos Ætius à tyranno miſſus erat, cum mandatis ejuſmodi, ut ex Trigerido novimus: *Cùm primum partes averſæ Italiam ingreſſæ forent, ipſo à tergo adoriretur, ſe à fronte venturum.* Ut finis rebellionis occiſo Joanne Theodoſio narratus eſt, magnum ſuæ pietatis ſpecimen oſtendit. Ludos Circenſes edebat, cùm felix nuncium hoc allatum eſt. Quo audito populum eſſe alloquitur: *Eia, ſi placet, relictis Circi voluptatibus, ad Eccleſiam pergentes, Deo, cujus dextra tyrannum oppreſſit, grates perſolvamus. His dictis, ſtatim ſpectacula finita*

Joannes tyrannus occiditur.

Socr. l. 7. c. 23.

Philoſtorg. l. 12. c. 13.

Proc. de Bell. Vand. l. 1. c. 3.

Philoſtorg. l. 12. c. 14.

Socr. l. 7. c. 23.

nita ſunt & neglecta, & per medium Circum cuncti unà cum Imperatore pſallentes, uno animorum voto cumque conſenſu, & gratias agentes Deo, ad Eccleſiam proceſſerunt, totumque in ea diem permanſerunt.

Valentinianus creatur Auguſtus. Anni ipſius atque mores.

II. Cæſo Joanne, Placidia & Valentinianus Cæſar Ravennam ingrediuntur. Novis autem honoribus patruelem Theodoſius auctum voluit, addito Auguſti titulo. Ea de cauſa in Italiam proficiſci inſtituerat, ut & Valentinianum Auguſtum renunciaret, Italos prudentiæ ſuæ conſiliis coram poſitus erudiret, ne tyrannis facilè obtemperarent. Ut Theſſalonicam venit, morbo ulterius progredi prohibetur. Repetitâ ergo Conſtantinopoli, Helionem miſit patricium, qui diadema afferret conſobrino. Romam verò progreſſus Helion, *eam invaſit, omnibuſque eò confluentibus, Valentinianum jam ſeptennem veſte induit imperatoriâ.* Hæc Olympiodorus, quæ ipſius hiſtoriæ finem imponunt. Die XV. Octobris Valentinianum imperium iniiſſe ſtatuunt eruditi, Sigonius atque Calviſius, quos Chronicum refellit Alex. *Valentinianus Junior à Theodoſio creatus eſt Auguſtus, menſe Hyperberetao, decimo Kal. Novemb.* Quod ex Socrate videtur deſumptum: *Nunciata eſt nuncupatio Auguſta Valentiniani Junioris, die* XXIII. *Octob.* Ex Legibus quidem hoc anno promulgatis, menſis Auguſtus labebatur, cùm ſolo adhuc Cæſaris titulo gauderet, teſte adverſus Manichæos Reſcripto: *Manichæos, Hæreticos, Schiſmaticos, niſi his emendatio matura ſubvenerit &c. Data* VIII. *Idus Auguſti Aquileia D. N. Theodoſio Aug.* XI. *& Valentiniano Cæſare Coſſ.* Quæ Lex eſt LXIV. Die quoque octavo Idus Octobr. adhùc Cæſar erat Valentinianus, ut liquet ex Lege XLVII. Cod. Theodoſ. de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis, data Aquileiæ. Porro Valentinianus anno Dom. CCCCLV. ſe & Anthemio Coſſ. XVI. Kalendis Aprilis interfectus eſt. Imperavit igitur annos XXIX. menſes tres, dies XXIII. emortuali incluſo: vixit annos XXXV. menſes VIII. dies XV. Peſſimi Valentiniano mores fuere, ſanguineque, & Conſtantii patris, & avi materni Theodoſii prorſus indigni. Quorum in notitiam ex hoc ſpecimine Procopiano pervenire licet: *Occidentis imperio inita Valentinianus, quòd à Placidia matre in omni mollitie nutritus, atque illius vitio effeminatus eſſet, ad incantamenta, mathematicaque ſe convertit, atque matronis potiretur alienis, omni ſtudio ac vita infamiâ curavit, quanquam & ipſe uxore longè formoſiſſimâ non carebat. Quapropter eò ob ignaviam venit, ut non ſolùm amiſſa non recuperaret, ſed denuò Africam amitteret.* Ne hîc quidem Baronii error eſt diſſimulandus, qui nummum à ſe exhibitum hoc anno cuſum eſſe arbitratur. Nummi in altera parte Valentinianus Aug. dextrâ volumen Evangelii, ſiniſtrâ ſuper globum geminam crucem margaritis ornatam tenet. In altera parte Galla Placidia jacentem erigit Italiam. Ex inſcriptione tamen apertè liquet, nummum non hoc anno quidem, ſed Valentiniani in Tricennalibus eſſe percuſſum: *Votis* XXX. *multis* XXXX.

Socr. l. 7. c. 24.

Socr. l. 7. c. 25.

Procop. de Bell. Vand. l. 1. c. 3.

Bar. An. 425. n. 4.

Error Baronii.

Caſtinus fugit in Africam.

III. Caſtinus, qui nonnihil Joanni faviſſe videbatur, ſocordiæ pœnas ſuæ ſolvit Valentiniano. Qua de re Proſper audiendus: *Caſtinus in exilium actus eſt, quia videbatur Joannes ſine conniventia ipſius regnum non potuiſſe præſumere.* Ac fugâ ſuâ exilii Decretum prævenisſe viſus eſt, ubi Joannem captum eſſe novit, & in Africam migraſſe. Hanc ex Bonifacii Epiſtola conjecturam ducimus ad Auguſtinum ſcripta: *Caſtinus ille privatus ex Conſule, vita mea ac nominis, ut notum eſt, perſequutor, pejores committens ac fingens factiones, quaſi meorum à me geſtarum immemor donationum, Italiâ fugiens, meis ſe in Africam defenſionibus tradidit committendum. . . . Adoravit ſaracam clavus.* Verebatur Bonifacius, ne ſibi aliquid inſidiarum Caſtinus strueret. Eximendo metui reſcribit Bonifacius Auguſtino: *Vir illuſtriſſimus Caſtinus ſacramento ſe prodidit, quòd ſit ab omni culpa & erroribus alienus.* Hæc in annum proximum ſunt à Baronio relata, non ſine anni unius prochroniſmo, ſi quid noſtri valet acumen judicii. Hoc quoque anno Arelatum à Gothis eſt oppugnatum, qui imminente Ætio cladis aliquid paſſi ſunt.

Aug. App. Ep. 10. & 11.

Theodoſii de tempore ludorum Reſcriptum.

IV. Ad res Eccleſiaſticas nunc ſe convertat oratio. Cùm Theodoſio pietas cordi eſſet, non placebat, dicatos celebrandis ſalutis noſtræ myſteriis dies ludorum agitatione violari atque pollui. Hoc ergo Reſcriptum promulgat: *Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies, & Natale, atque Epiphaniorum Chriſti Paſcha, & in Quinquageſima diebus, quandiu cœleſtis lumen lavacri imitantia, novam ſancti baptiſmi lucem veſtimenta teſtantur, quo tempore & memoratio Apoſtolica paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtra, à cunctis rite celebratur, omni theatrorum atque Circenſium voluptate per univerſas urbes earumdem populis denegatâ, tota Chriſtianorum ac Fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Dat. Kal. Febr. Conſtantinopoli, Theodoſio A.* XI. *& Valent. Cæſare Coſſ.*

Theodoſius à Monacho excommunicatur.

Theodorit. l. 5. c. 38.

V. Pietatis quoque ſuæ aliud Theodoſius exemplum dedit atque humilitatis, quam tamen ſcrupuloſiorem exiſtimamus. Rem Theodoritus exequitur: *Vir quidam, profeſſione Monachus, ſed animo audacior ad Imperatorem acceſſit, ut aliquid ab eo poſtularet. Quod cùm ſæpius fruſtra feciſſet, tandem Imperatori Eccleſiaſticâ communione interdixit, injectoque vinculo diſceſſit. Verùm fideliſſimus Imperator ad palatium reverſus, cum jam tempus inſtaret convivii, & adeſſent convivæ, negavit ſe prius cibum ſumpturum, quam vinculo ſolutus eſſet. Atque idcircò unum ex familiaribus ad Epiſcopum miſit, rogans mandare ei, qui ligaverat, ut vinculum demeret. Cùmque Epiſcopus reſpondiſſet, Non à quovis vinculum accipi oportere, ſolutumque eum eſſe renunciaſſet, ſolutionem non admiſit, donec is, qui ligaverat, non ſine multo labore quæſitus, communionem reſtituiſſet.*

Attici obitus & mores.

VI. Intereà Atticus Conſtantinopolitanus Præſul è vita morbo expellitur. Virum optimum tempus obitus ſui præſciviſſe ferunt. Calliopo dixit Epiſcopo, dum urbe Nicæâ digreditur, *Cura, ut ante autumnum Conſtantinopolim venias, ſi me adhùc vivum videre cupis. Serius enim ſi veneris, ſuperſtitem me non reperies.* Nec à vero aberravit: *Anno quippe Epiſcopatus ſui* XX. *die ſexto Idus Octobris, abiit è vita, Conſulatu Theodoſii* XI. *& Valentiniani Cæſaris primo.* Calculo tamen errat Socrates, cùm annos duntaxat XIX. menſes ſeptem, minus tribus diebus Atticus Præſulem egerit, utpote qui anno Dom. CCCCVI. creatus eſt, Arcadio VI. & Probo Coſſ. ipſo teſte Socrate l. 6. c. 20. Attici funeri Theodoſius non interfuit, ſepulcro pridie conditi, quàm Princeps Theſſalonicâ regiam in urbem reverteretur. Fuit Atticus elegans &

ANNO DOM. 425.

venuſtus in imponendis nominibus. Navale in Oſtio Ponti Euxini ſitum, quod ab ultima vetuſtate Φαρμακεὺς dicebatur, ipſe Θεραπείαν nominavit, ne fortè collectas ibi celebrans, locum illum infami vocabulo appellaret. Locum & è regione *Chryſopoleos*, in capite Boſpori ſitum, gratum imprimis atque amœnum, Argyropolim appellavit. Quod memoriâ dignius, magnam erga pauperes curam adhibuit. Ut enim novit, ſexcentos in urbe Nicæa egenos eſſe, trecentos aureos Calliopio Presbytero diſtribuendos miſit. Cui & hæc notanda ſcripſit: *Velut expendere illis, qui petere erubeſcunt, non ut qui omni vita ſua tempore ventrem ſuum ad quæſtum faciendum propoſuerunt. Porro cùm dabis, nullam religionis in hac parte rationem habeas, id unum ſpectans, ut eſurientes paſcas, non ut eos diſcernas, qui à noſtra religione ſunt alieni.* Erroribus nihilominus infenſus fuit, ut fidem ſartam tectamque ſervaret. Cœleſtium Pelagii diſcipulum urbe regiâ expulerat, ut nos Marius Mercator monuit. Legationem quoque Pelagianorum prorſus rejecit, quo nomine à Proſpero carmine de Ingratis celebratur: — Socr. l. 7. c. 25.

Quid loquar & curam, magna quam geſſit in urbe
Conſtantinopolis, doctò bonus ore Sacerdos
Atticus, antiquâ Legates Hæreticorum
Confutando fide.

Pacis etiam Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus fuit, utpote qui extinguendis Orientalium diſſidiis Chryſoſtomi nomen Diptychis inſeri voluit.

Lex Valentiniani de Privilegiis Eccleſiarum.

VII. Eccleſiarum privilegia, quæ à Joanne tyranno violata erant, eis reſtituit Valentinianus, Reſcripto apud Aquileam VIII. Id. Oct. dato: *Scilicet ut quidquid a divis Principibus conſtitutum eſt, vel quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarant, ſub pœna ſacrilegii jugi ſolidatâ æternitate ſerventur. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares Judices debere deduci, infauſtus Præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus.* Quam verò affert Edicti ſui rationem Valentinianus, ea ſanè non eſt idonea: *Fas enim non eſt, ut divini muneris Miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Quid enim eſt Pauli ſententiam evertere, ſi hoc non eſt? *Omnis anima Poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto.* Quam ſic illuſtrat Chryſoſtomus: *Non ad evertendam Remp. Leges Chriſtus conſcripſit ſuas, oſtendens quod omnibus Sacerdotibus ſcilicet, & Monachis hæc præcipit.* Ut à vero hîc non abludat, Valentiniani puerilem animum, muliebreque Placidiæ ingenium in ſuperſtitionem proclive Clericorum ambitioni morem geſſiſſe. Æquo quidem & bono congruit, cauſas Eccleſiaſticas in Eccleſiæ foro tractari; verùm non minus æquum eſt de re civili ſuos Judices cognoſcere, & divini muneris Miniſtros in negotiis ejuſmodi Poteſtatum ſubdi arbitrio. — Cod. Th. de Epiſc. l. 47. — Rom. 13.

ANNO DOM. 426.

ANNO U. C. 1179. PER. JUL. 5139. JUL. 471. DOM. 426. THEODOS. 25. & 19. VALENTINIANI 1. & 2. *Sol.* 15. C. *Lun.* 9. *Indict.* 9. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *April.*

COSS. *Theodoſius Auguſtus* XII. & *Valentinianus Aug.* II.

Fraude Ætii Bonifacius in ſuſpicionem adducitur.

I. FOrtitudine autoritateque ſuâ Bonifacius Comes Placidiæ rebus perquam utilis erat; neque aut in opera, aut fidelitate ipſius quidquam deſiderabatur, cùm quæ Magnatibus invidia gloriæ alienæ naſcitur, hanc Bonifacii cùm Valentiniano conjunctionem diſturbat ſimul, & Imperii felicitatem. Tantæ cladis calamitatis Procopius meminerit: *Duo Romanorum erant tunc Duces, Ætius & Bonifacius, belli diſciplina nulli ſuorum temporum ſecundi, verum inter ſe in adminiſtratione rerum diſcordes. Præterea animi magnitudine, & reliquis virtutibus ita præſtitere, ut ſi quis ipſorum alterutrum ſummum Romanorum dixerit, non erraverit. Bonifacium itaque Placidia Africa totius Præfectum fecit invito, verum diſſimulante Ætio, quod nondum ei aperta eſſet inimicitia. Poſtquam verò is ad locum pervenerat, Ætius manifeſtò obtrectare laudibus ejus, maléque ad Placidiam referre, inſuper quòd Africa tota per eum ſpoliaretur, accuſare cœpit. Rem facile poſſe deprehendi, ſi juſſus ille minime revertatur. Ubi verò hæc illa accepit, conſilium ſibi placere, ſeque ita facturam dixit. Ætius vero negocium præveniens, Epiſtolam Bonifacio ſcribit, ut caveat: eum Placidia ſuſpectum habere, quærereque delendi occaſionem, & hanc fore conjecturam, quod primum abſque ulla cauſa diſcedere juberetur. Quod ubi ille legit, in ſuo veſtigio, qui eum revocabant, reſpondit, Se nullatenus nec imperatori, nec matri obtemperaturum. Quocircà Placidia Ætium opinata rebus Imperatoris favere, maximèque fidum, illum verò infidum ac ſuſpectum eſſe arbitrabatur. Bonifacius ex altera parte in hoc animi æſtu, nec Imperatori movere bellum, impar viribus eſt auſus, nec Romam ob metum venire; ſed Vandalis tantùm ſe conjungere cogitavit.* Miſſis itaque qui Vandalos ad invadendam Africam excitarent, Barbarorum furori & Rempublicam expoſuit, & Eccleſiam. Vandalicus ingreſſus cum anno proximè futuro copulatur. — Procop. de Bell. Vand. l. 1. c. 3.

Leporii Hiſtoria.

II. Commemoratis rebus Imperii, Eccleſiaſticas referamus. Labente anno Carthagini Libellum Leporius ſuum Afris obtuliſſe videtur, non, ut Baronius putat, anno quadringenteſimo vigeſimo. Quis ille Leporius, doceat Caſſianus: *Leporius tunc Monachus, modò Presbyter, qui ex Pelagii, ut ſupra diximus, inſtitutione, vel potius pravitate deſcendens, apud Gallias aſſertor prædictæ hæreſeos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus. Ita male conceptam perſuaſionem magnificè condemnavit, ut non minus penè admiranda ſit correctio illius, quam illæſa multorum fides. Quia primum eſt, errorem penitùs non incurrere; ſecundum, benè repudiare. Is ergo in ſe reverſus, non ſolum in Africa, ubi tunc erat atque nunc eſt, tam errorem ſuum cum dolore, quàm ſine pudore confeſſus eſt. Sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates flebiles confeſſionis ac planctus ſui literas dedit: ſcilicet ubi deviatio ejus prius cognita erat, illic etiam emendatio noſceretur, & qui teſtes erroris anteà fuerunt, iidem poſteà correctionis eſſent.* Eadem penè habet Gennadius Maſſilienſis, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, c. 59. Gloriæ Auguſtini Leporii emendatio debebatur, quam edito libro teſtatam voluit. Extat liber Leporii doctiſſimi curâ Sirmundi primum luci donatus: *Dominis beatiſſimis & venerandiſſimis Dei Sacerdotibus, & Proculo, & Quillenio, Leporius exiguus. Quid in me primum, ô Domini mei venerandi, & beatiſſimi Sacerdotes, accuſem neſcio, quid in me excuſem, non invenio.* Geminorum errorum veneno mentem infecerat ſuam. Pelagium ſecutus erat, & de Incarnatione Verbi malè ſenſerat: *Dicere*, inquit, — Caſſian. de Incar. l. 1. c. 4.

ANNO DOM. 426.

inquit, *verebamur, de Maria Deum natum.* Ac Gennadii verba ut uſurpemus, *Quod male ſenſerat de Incarnatione Chriſti, corrigens, Catholicam ſententiam tulit, dicens manentibus in Chriſto duabus naturis, unam credi Filii Dei perſonam.* Hunc ergo emendationis ſuæ Libellum, quem Africæ Epiſcopis obtulit, illi manu ſuâ firmarunt majori faciendæ fidei. Subſcribentium nomina hæc fuere: *Aurelius* Carthaginenſis, *Auguſtinus* Hipponenſis, *Florentius* Epiſcopus Hipponenſium Diarrytorum, Secundinus Aquenſis. *Bonus* etiam & Dominus, nullo inſigniti titulo. Librum ſuâ manu corroborant, qui illi ipſi videntur eſſe, de quibus Patres Africani hæc tradidere: *Illi qui cum eo* (Leporio) *venerant ad nos, cum illo correcti atque ſanati ſunt, ſicut eorum ſubſcriptionibus, quæ coram nobis factæ ſunt, tenetur expreſſum.* Leporii quoque emendationem Galliæ Epiſcopis ſignificaverunt: *Dominis & honorabilibus fratribus & Conſacerdotibus Proculo & Cylinnio. Filium noſtrum Leporium apud veſtram ſanctitatem pro ſui erroris præſumptione, meritò idoneèque correptum, cùm ad nos, poſteàquam inde exturbatus eſt, veniſſet, ſalubriter perturbatum corrigendum, ſanandumque ſuſcepimus. Et ſicut in ſuprà dicto filio noſtro miniſterium veſtrum humilitas noſtra laudavit, ſic etiam ſanctitas veſtra noſtro miniſterio gratuletur. Paterno igitur & fraterno corde ſuſcipite, à nobis miſericordi ſeveritate correctum.* Alios & eum Leporio emendatos fuiſſe, Africani teſtantur. Cæterùm in Africa Leporio commorari placuit, cujus ad ſanationem regionis hujus Epiſcopi valuerant plurimum, nec Gallias repetiit, ut à Caſſiano audivimus. Et forsè is eſt, qui cum aliis Presbyteris præſens aderat, cùm Auguſtinus Eradium ſibi ſucceſſorem deſignavit. Duorum Caſſianus *Leporiorum* meminit, unius Magiſtri, alterius diſcipuli, ut verba ipſius ſonant: *Leporius ille enim, ut Leporius diſcipulus ſuus dixit, Dominum noſtrum aſſerebat, Chriſtum factum eſſe per baptiſmum.*

B. M. P. t. 7. p. 4.

Caſſ. de Incarn. l. 7. p. 1291.

Nùm Libellus Leporii fuerit ab Auguſtino conditus?

III. Paſchaſius Queſnellius vir doctiſſimus ejuſmodi ſententiæ eſt, Leporianæ Confeſſionis Auguſtinum autorem fuiſſe, utpote quæ à Leone ſub Sancti Præſulis nomine laudetur, cui etiam aſcribitur, in illo teſtimoniorum delectu, quem habet Actio ſecunda Concilii Chalcedonenſis. Huic tamen opinioni aſſenſus præbere noſtros necdum potuimus. Et Leoni memoriæ aberrationem aſcribere malumus. Hæc verò ſunt ſententiæ noſtræ præſidia. Gennadius qui illis temporibus vixit, quibus Leporianus liber probè notus erat, ſuo Autori illum vindicat libro de Script. ill. c. 59. *Leporius adhùc Monachus poſteà Presbyter, præſumens de puritate vitæ, quam arbitrio tamen, & conatu proprio, non Dei adjutorio obtinuiſſe crediderat, Pelagianum dogma cœperat ſequi, ſed à Gallicanis Doctoribus admonitus, & in Africa per Auguſtinum emendatus, ſcripſit emendationis ſuæ Libellum.* Quid diſertius? Præterea Libello Leporius ſuo hanc ſubſcriptionem addidit: *Ego Leporius Libellum meo ſenſu dictatum, in quo fidem meam, Deo volente, in finem uſque tenebo, medullitùs exprimere volens, coram Sanctis Epiſcopis, in Eccleſia Carthaginenſi relectum ſubſcripſi.* Quòd ſi Leporii Libellus eſt ab Auguſtino conditus, patentiſſimi ſe mendacii Leporius alligabat in ſubſcribendo, quod eſt creditu difficillimum. Libellum enim *pro ſenſu ſuo* non dictavit Leporius illum, qui ab Auguſtino conſcriptus eſſet. Quid opus figmento ejuſmodi? Præterea Afri in ſua ad Gallos Epiſtola Leporii librum eſſe prædicant: *Sicut per præſentiam ſuſceptus eſt à nobis, ſic per ſuam Epiſtolam ſuſcipiatur à vobis: cui quidem Epiſtolæ noſtrâ etiam manu ſubſcribendum putavimus, ipſius eſſe teſtantes.* Quid eſt Libellum aſcribere Leporio, ſi hoc non eſt? *Suam Epiſtolam*: potuitne diſertius dici Leporii eſſe, Auguſtini non eſſe? Nùm rationis aliquid aut Afris fuit, aut Auguſtino, cur mentirentur, ac Leporio addicerent, quod Leporii non eſſe ſciebant. Denique Caſſianus, Gennadius, Facundus, Libellum Leporii eſſe docent. Caſſiani, Gennadiique verba jam ſunt audita: addamus & illa Facundi: *Scripſit Libellum ſatisfactionis Leporius ad Gallos Epiſcopos, quem venerabiles Patres, Aurelius atque Auguſtinus, & cæteri ſic probarunt, ut ad faciendam veritatis fidem etiam ſuas ei ſubſcriptiones adjicerent.* Permagni verò in ea quæſtione ſunt Afrorum Gallorumque teſtimonia. Cauſæ quidem nil erat, cur Libellum ab Auguſtino ſcriberetur, ſi Leporio peritiæ ſatis fuit ad illum conficiendum. Quam detrahere Leporio, Presbyteri ad gradum evecto, non videtur eſſe idoneum.

Fac. l. 1. c. 4.

Auguſtinus Eradium ſibi ſucceſſorem creat.

IV. A Leporio ad Auguſtinum tranſitus eſt opportunus. Vitæ jam ſecundum & ſeptuageſimum, Epiſcopatus verò trigeſimum ſecundum agebat optimus Præſul, cum ſucceſſorem ſibi deligere voluit, ne ſe defuncto in creando Epiſcopo rixæ exorirentur. Solemniſavit diem dixit Septembris XXVI. Quid vero ſit in ea geſtum, docetur Epiſtola CX. *Glorioſiſſimo Theodoſio duodecies, & Valentiniano Auguſto iterum Conſule, ſexto Kal. Octobris, cùm Auguſtinus Epiſcopus unà cum Religiano & Martiano Coepiſcopis ſuis conſediſſet in Eccleſia Pacis Hipponenſium Regiorum, præſentibus Saturnino, Leporio, Barnabâ, Fortunatiano, Ruſtico, Lazaro, & Eradio, Presbyteris, aſtante Clero, & frequenti populo, Auguſtinus Epiſcopus dixit, . . . Omnes in hac vita mortales ſumus, & dies hujus vitæ ultimus omni homini eſt ſemper incertus. Verùm tamen in infantia ſperatur pueritia, & in pueritia ſperatur adoleſcentia, & in adoleſcentia ſperatur juventus, & in juventute ſperatur gravitas, & in gravitate ſperatur ſenectus. Utrum contingat, incertum eſt, eſt tamen quod ſperetur. Senectus autem aliam ætatem quàm ſperet, non habet. Incertum eſt enim ipſa ſenectus quamdiu ſit hominis, illud tamen certum eſt, nullam remanere ætatem, quæ poſſit ſuccedere ſenectuti. Quia voluit Deus ad iſtam civitatem cum vigore ætatis adveni, & tamen juvenis fui, & ſenui. Scio poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos atque contentioſos ſolere Eccleſias perturbari, & quod ſæpè expertus ſum, & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic proſpicere civitati.* Eradium ergo Presbyterum ſibi ſucceſſorem deſignat. Nitebatur exemplo Severi Milevitani Præſulis, qui futurum ſibi Epiſcopum indicaverat, Severo defuncto creatum. Tanto Eradius faſtigio non indignus erat, cujus virtutibus hoc Auguſtinus teſtimonium reddidit: *Non eſt opus me de laudibus ejus aliquid dicere: faveo ſapientiæ & parco verecundiæ. Sufficit quia noſtis eum, & hoc me velle dico, quod vos velle ſcio, & ſi ante neſcirem, hodie probarem.* Quæ pauca Eradio ſunt honorifica. Ut Eradii nomen auditum, à *populo acclamatum eſt, Deo gratias, Chriſto laudes, dictum eſt vicies ter: exaudi, Chriſte, Auguſtino vita, dictum eſt ſexies decies. Te Patrem, te Epiſcopum, dictum eſt octies. . . . Te*

Patrem Eradium Epiſcopum, dictum eſt ſexies. Ubi conticuere, Auguſtinus teſtatur, in Eradio nolle fieri, quod in ſe factum fuerat, qui unà cum Valerio ſederat Epiſcopus, quod Concilio Nicæno prohibebatur. Dixit igitur: Eradius *erit Presbyter ut eſt, quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus. Quidquid eſt, quod a me perferebatur, ad illum perferatur. Ubi neceſſarium habuerit conſilium, meum non negabo auxilium.* Geſta hæc, & celebratione Eucharistiæ, & precibus pro Auguſtino Eradioque firmata ſunt. Mos ille creationibus deſignationibuſve Epiſcoporum acclamandi ſæpius haud illi abſimilis, qui in nuncupandis Imperatoribus adhibebatur. Sic Taciti Imperatoris in electione refert hæc Vopiſcus: *Et Trajanus ad Imperium ſenex venit, dixerunt decies; Et Adrianus ad Imperium ſenex venit, dixerunt decies. . . . Severus dixit, Caput imperare, non pedes, dixerunt tricies; Animum tuum, non corpus eligimus, dixerunt vicies. Tacite Auguſte, Dii te ſervent.* Acclamatum eſt & à populo, *Feliciſſime Tacito Auguſte, Dii te ſervent.*

Vopiſc. Tacit. c. 5.

Chronotaxis librorum, quos à deſignato ſucceſſore ad uſque obitum condidit Auguſtinus.

V. Ut quieti omnoque vacaret, Eradium Auguſtinus ſibi ſucceſſorem deſignari noluit: aliud prorſus in animo volutabat. Non neſcius erat, cujuſvis eſſe hominis errare, nullius niſi inſipientis perſeverare in errore: ac in ſcriptis, quæ confecerat plurimis, non pauca eſſe, quibus emendatione opus erat. Dio ſanè erat, cùm de Retractationibus inſtituendis cogitabat, ut ex ſua ad Marcellinum Epiſtola certum eſt: *Si mihi Deus quod volo, præſtiterit, ut omnium librorum meorum quæcunque mihi rectiſſimè diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto colligam atque demonſtrem, tunc videbunt, quòd non ſim acceptator perſonæ meæ.*

Aug. Ep. 7.

Ex hoc conſilio modeſtum Auguſtini cognoſcimus animum & prudentem, cùm plerique hominum ſint ita comparati, ut quæ temerè dixerint, aut ſcripſerint, defendant pertinacius præ ſtudio vincendi: quaſi redire in viam, aut emendari pudor eſſet. Cùm igitur ex facto ſuo aliquantum otii à negotiis Epiſcopalibus ſibi comparaſſet, Retractationibus ſcribendis animum admovit. Prius tamen abſolvit libros de Civitate Dei, quorum meminit in libro Retractationum ſecundo: *Hoc autem de Civitate Dei grande Opus tandem viginti duobus libris eſt terminatum.*

Aug. Retr. l. 2. c. 43.

Porro ingenti huic Operi anno proximè ſequente colophonem impoſuit, ut ex libro XVIII. colligitur. A Conſulatu quippe Manlii Theodori, qui anno CCCXCIX. geſtus eſt, annos fermè triginta numerat: *Ex quo, inquit, uſque ad hoc tempus per triginta fermè annos, quis non videat, quantum creverit cultus nominis Chriſti.*

Aug. de Civit. l. 18. c. 54.

Cùm igitur quatuor adhùc libri conficiendi ſupereſſent, non incepiſſe quidem Retractationes videtur ſuas, niſi anno CCCCXXVIII. Illud etiam ex Poſſidio colligimus, de Retractationibus ea commemorantem: *Ante proximum verò diem obitus ſui à ſe dictatos & editos recenſuit libros, ſive eos, quos primo tempere converſionis ſuæ adhùc Laicus, ſive quos Presbyter, ſive quos Epiſcopus dictaverat.*

Poſſid. Vit. Aug. c. 28.

Quæ cùm ita ſint, falli Poſſidius videtur, qui Vandalorum in Africam ingreſſum Retractationibus poſteriorem eſſe tradit. Mentione quippe Retractationum injectâ, ſubjungit: *Brevi conſequente tempore divinâ voluntate & poteſtate proveniſt, ut manus ingens diverſis telis armata. . . . Africa influxiſſet.* Cùm enim Vandali anno CCCCXXVII. in Africam penetrarint, conſequens ex Poſſidio foret, opus Retractationum præſente anno abſolutum fuiſſe, quod nec Auguſtino ſatis conſentit, nec Poſſidio. Porro quæ labente quadriennio ad obitum uſque ſuum opera lucubravit Auguſtinus, ordine ſuo recenſere, non erit inutile, eò magis, quòd & hìc multum peccaſſe videatur Baronii Chronologia.

Error Baronii.

Hoc quippe anno & librum de Hæreſibus ad Quodvultdeum, & Hilarii Proſperique ad Auguſtinum Epiſtolas exaratas eſſe cenſet. At profectò fallitur. Honoratus Arelatenſis, Patrocli, quem Barbarus labente anno occidit, ſucceſſor, jam Hilario Arelatenſi deceſſerat, cùm Proſper de Semi-Pelagianis Maſſilienſibus ad Auguſtinum ſcripſit.

Bar. An. 426. n. 19.

Quid his diſertius? *Unum eorum præcipuè autoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua, admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ.*

Aug. t. 7. 1126.

Eſt ergo Auguſtinianorum Operum, quæ à labente hoc anno ad uſque Sancti Epiſcopi ultimum confecta ſunt, Chronotaxis aliâ ratione diſponenda, ac Baronio placuit. Ut ſibi ſucceſſorem Eradium conſtituit, quæ Operi de Civitate Dei deerant, additis libris quatuor, ea prorſus abſolvit. Deinde ad Retractationes ſcribendas animum appulit, quæ anno CCCCXXVIII. ſunt ad umbilicum perductæ. Dum porro Alypius in urbe verſatur, ex octo libris Juliani, quinque à ſe deſcriptos Auguſtino refellendos miſit, qui nobili adverſario iterum concurrit. Dum totus eſt in coarguendo Juliano, alteram *Quodvultdei* accipit Epiſtolam, ut de Hæreſibus tractatum ederet: petentis annuit deſiderio. Cujus libri ætas non obſcura eſt, ex verbis Auguſtinianis ad Quodvultdeum, libro de Hæreſibus præmiſſis: *Duo volumina jam abſolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum neſciebam, eoſque ducentos octoginta duos eſſe cognovi. Reſtabant Epiſtolæ, & tractatus populares, quos Græci homilias vocant, & plurimas Epiſtolarum legeram, ſed adhùc nihil inde dictaveram, cùm me iſti Juliani libri occupare cœperant.* Intereà *Proſper*, *Hilariuſque* ſcribunt Auguſtino de Maſſilienſium ſententia. Quibus ut reſpondeat, anno itidem CCCCXXIX. de *Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Bono Perſeverantiæ* libros fecit: *Studium*, inquit, *fraternamque dilectionem, filii chariſſimi, Proſper & Hilari, quâ eos, qui tales ſunt, ita non vultis errare, ut poſt tot libros de hac re, atque Epiſtolas meas adhùc me deſideretis hinc ſcribere, tantum amo, quantum non poſſum dicere.*

Aug. de Præd. Sanct. c. 14

Retractationes quidem libri & de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono Perſeverantiæ exceperunt, quarum non ſemel etiam meminere. Capite quarto verbi gratiâ de Prædeſtinatione Sanctorum hæc habentur: *De hoc primo duorum illorum libro in ſecundo Retractationum primùm locutus ſum.* Dum verò in refellendo Juliano totus eſt, pugnam cum vita dimittit, anno CCCCXXX. Hinc Proſpero ſcriptum: *Auguſtinus Epiſcopus, per omnia excellentiſſimus, moritur V. Kal. Septemb. libris Juliani, inter impetus obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens.*

Patroclus Arelatenſis occiditur.

VI. Ad nimiam ambitionem Patrocli Arelatenſis mores incubuerant. Quâ factum, ut viros pietate inſignes convitiis pluribus laceraret: *Erotem* & *Lazarum* probos Epiſcopos vexaret: *Proculum* Maſſilienſem de Eccleſia benè meritum, proſcinderet, multaque tantis indigna viris, Zozimo ſuggereret, qui dentatis Epiſtolis

eos

eos appetierat. Turpiſſimam profanus homo Simoniam exercebat, teſte Proſpero Tyrone ad annum Honorii xx. *Patroclus Arelatenſis Epiſcopus infami mercatu Sacerdotia venditare auſus*, Eccleſiæ perturbatori, innocentiæque convitiatori non fauſtus expectandus erat exitus. Juſto igitur numine, qui famam fratrum laceraverat, barbaris manibus diſcerpitur: *Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à Tribuno quodam Barbaro multis vulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam juſſionem Felicis Magiſtri Militum referebatur. Cujus impulſu, ut creditum eſt, etiam Titus Diaconus, vir ſanctus, Romæ pecunias pauperibus diſtribuens, interficitur.* Non ut Titum, ſic Patroclum Sancti titulo Proſper afficit. Titi memoria Diaconi in Martyrologio Rom. die Auguſti xvi. celebratur. Patroclus verò nullum in eo locum invenit. Patroclo ſucceſſit Honoratus, Monaſterii Lirinenſis Abbas, & conditor, uti ex ſermone de Maximo colligitur: *Dignus*, inquit, *cui primus ille fundator gubernacula Lirinenſis navis poſt ſe moderanda committeret.* Brevis fuit Honorati Pontificatus, qui ſolo biennio perduravit. Exceſſit anno CCCCXXIX. die Januarii XVI. quo defuncti memoria recolitur.

Proſp. Chr.

B. M. P. t. 6. p. 655.

Siſinnius Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatur.

VII. Occidente relicto, quid rerum in Oriente geratur, recenſeamus. Attici, qui ſuperiori anno exceſſerat, ſedem complures ambiebant. Cathedræ & magnitudo, & ſplendor non ambitionem Laicorum modò, ſed populorum quoque inflammabat diſſidia, aliis alium poſtulantibus. Quidam *Philippum*, nonnulli *Proclum*, utrumque Presbyterum ſibi cupiebant. Plebs verò univerſa communi conſenſu *Siſinnium* optabat. In ſuburbano Conſtantinopolitano, cui nomen eſt *Elea*, Presbyteri gradum fuerat conſecutus. Situm eſt hoc ſuburbanum ex adverſo urbis regiæ, & illic ex antiqua conſuetudine dies feſtus Aſcenſionis Dominicæ ab univerſo populo celebratur. Siſinnii deſiderio flagrabant Laici omnes, utpote qui celeberrimus eſſet, & pietatis nomine, & curâ pauperum, quibus fovendis ultra vires incumbebat. Prævalente populi ſtudio, pridie Calendas Martii Siſinnius ad Epiſcopatum promovetur, Theodoſio XII. & Valentiniano II. Coſſ. Ad inaugurandum Siſinnium magnum in urbe regia Concilium celebratur, de quo mox pluribus. Brevis Siſinnii Pontificatus fuit, qui biennium non exhauſit. Mortuo Cyzicenorum Epiſcopo, Proclum huic urbi Præſulem imponit. Dum eò profectionem parat, Cyziceni *Dalmatium* Monachum, Epiſcopum ſibi conſtituunt, Legè contemptâ, ne præter ſententiam Conſtantinopolitani Antiſtitis ulla fiat Sacerdotis ordinatio. Quam neglexere Legem, quod privilegium ſoli Attico conceſſum eſſe videretur. Manſit ergo Proclus in Eccleſiis urbis regiæ, ubi concionando magnam gloriam adeptus eſt.

Socr. l. 7. c. 26.

Socr. l. 7. c. 28.

Synodus Conſtantinopolitana conſecrando Siſinnio. Quid in ea geſtum.

Phot. Bibl. n. 52. p. 39.

VIII. Siſinnio conſecrando magnam Synodum diximus eſſe coactam, cujus pauca ſupereſſunt veſtigia, quæ Photio debentur. Concilii meminere Baronius atque Labbeus, non ſuo tamen loco, utpote anno Dom. CCCCXXVII. repugnante Photio, qui nobis Autor eſt, ut cum anno CCCCXXVI. conventum celeberrimum copulemus. Verba Photii referamus, quibus & noſtra firmo talo ſtat Chronologia, & de geſtis Synodi in Meſſalianos monemur: *Siſinnius Conſtantinopolitanus, & Theodotus Antiochenus communem Epiſtolam ad Bermanum & Amphilochium, cæteroſque in Pamphilia Epiſcopos ſcripſere, cujus Epiſtolæ hæc inſcriptio eſt: Deo chariſſimis ſacrorum collegis Bermano, & Amphilochio, omnibuſque adeò in Pamphilia Epiſcopis, Siſinnius atque Theodotus, & univerſa Sancta Synodus, quæ Dei gratiâ in magna urbe Conſtantinopoli coacta eſt, conſecrandi causâ Deo amantiſſimi Epiſcopi Siſinnii, juſſu & autoritate pientiſſimi & Chriſto chari Imperatoris noſtri Theodoſii, ſalutem in Domino.* Hic eſt Synodicæ titulus: pergit Photius narrare, quid Synodus in Meſſalianos decreverit: *In ea ipſa Epiſtola Neon Epiſcopus exclamavit, ut ſi quis poſt anathematiſmum ullo tempore deprehenſus fuerit, re aut verbo in ſuſpicionem mala hujus ſectæ incidiſſe, nunquam poſtea locum teneat, ne ſi millies quidem pœnitentibus conſtitutas pœnas luiturum ſe polliceatur. Pari cum hoc periculo, & eum ſubjicit, qui conſentiat applaudatque ſive Epiſcopus, ſive quis alius ille fuerit.* De Meſſalianis ſuo eſt loco traditum. Cùm porro inaugurando Siſinnio ea Synodus coacta fuerit, appatet, in Baronio aliiſque errorem eſſe, qui anno 427. illam aſſignant, quaſi verò Siſinnius, qui ultimo Februarii anni CCCCXXVI. electus eſt Epiſcopus, anno duntaxat ſequente conſecratus fuiſſet.

Bar. An. 437. n. 23.

Philippus Sidetes.

IX. Siſinnianæ ordinationis Philippus fuit impatientiſſimus, ut & conſecratum & conſecrantes pluribus temerè reprehenderet in ſua, quam conſcripſit, Hiſtoria Chriſtiana. Quis verò fuerit ille Philippus, qui Scriptoribus Eccleſiaſticis inſeritur, dictu non intempeſtivum. *Side* Pamphiliæ urbs eſt, ex qua Philippus originem duxit. Muneri Diaconi gaudens, cum Joanne Chryſoſtomo plurimum verſabatur. In ſtudiis verò literarum multum operæ laboriſque poſuit. At cùm libros ſibi complures collegiſſet, multa elucubravit. Juliani Imperatoris libros confutavit, Chriſtianamque compoſuit Hiſtoriam, libris triginta ſex conſtantem. Singuli verò libri tomos plures continebant: adeò ut ſimul omnes eſſent propemodum mille numero. Variam quidem eruditionem in id opus congeſſerat, ut doctus videretur. Geometriæ, Muſicæ, Aſtrologiæ, Inſularum, arborum, montium mentionem fecerat. Judicium tamen in eo requirebatur; tùm tantâ rerum mole laxum opus atque ſolutum, doctis pariter & indoctis foret inutile. Illi inanem verborum repetitionem damnabant: hi dictionis ornatum non perſpiciebant. Neque ordinis obſervans fuit. Commemoratis enim Theodoſii geſtis, ſtatim ad Athanaſii tempora recurrebat. Socratis cenſuræ ea Photii non abſimilis eſt, qui Hiſtoriæ Philippi tres & viginti libros legerat: *Lectum eſt*, inquit, *Philippi Sidetæ Opus, cujus titulus, Chriſtiana Hiſtoria, ducto inde initio, In principio creavit Deus cœlum & terram. Et perſequitur Moſaica hiſtoriâ quadam ſuccinctè, quadam verboſè, multis ubique verbis uſus. . . . Multum admodum verborum, ſine ulla tamen urbanitate, aut gratia profundit. Quin & ſatietatem affert, aut potius moleſtiam, atque oſtentationis plus habet, quàm utilitatis. Inſeruit & plurima hiſtoriam nil attinentia, ut non tam hiſtoriam eſſe, quàm alienorum negotiorum tractationem, adeò ineptè oſtenditur, dixeris.* Melius fuit Philippi opus, quod in Julianum condidit, ſi qua fides Nicephoro: *Opus magnificum*, inquit, *in quo Juliani contra ſacra Biblia ſcriptum evertit, reliquit.*

Socr. l. 7. c. 27.

Phot. Bibl. c. 35. p. 22

Niceph. l. 14. c. 26.

Marcionitis perſanatis Theodoriti labor.

X. Intereà temporis Theodoritus omni ratione dimicabat, ut Marcionitarum error ex

ANNO DOM. 426.

ſua ditione pelleretur. Ac multa quidem mirabilia refert, quorum fides ſit penes Autorem. Nocte quâdam Dæmonem Syriacè clamantem audivit, *Cur bellum geris cum Marcione?* Mortem & Theodorito ſe jactabat illaturum, niſi Martyrum choro, Jacoboque Monacho cuſtoditus fuiſſet atque munitus. Quid rei eſſet & Martyrum ille chorus, & Jacobi cuſtodia, expoſuit ipſe Theodoritus: vas ſcilicet olei, cui complures benedictionem Martyres infuderant; vetuſque Jacobi indumentum, quod requieſcenti erat cervicali. Maximum Marcionitarum vicum ingreſſurus, aliquem mittit, qui Jacobum interrogaret, num Deus proficiſcenti eſſet auxilio? Percunctanti reſpondet Jacobus, dum hymnos incipit, ſe vidiſſe ſerpentem igneum, qui ab Occidente in Orientem reptabat. Peractis deio tribus orationibus, caudam anguis capiti conjunctam cernit. Fuſis rurſus precibus octo, illum aſpicit duas in partes diſſectum & in fumum reſolutum. Quæ ſigna ruentis erant Marcioniſmi. Ac manè quidem Marcionitæ Theodorito comitibuſque gladios nudos oſtendebant. Horâ diei tertiâ curam ſui duntaxat gerebant: octavâ verò diſperſi, ingreſſum in vicum permiſere: *Statim autem inventum aneum ſerpentem, qui ab ipſis adorabatur.* Theodoriti curâ atque diligentiâ Marcionitæ relictis erroribus, ad frugem venere.

Theodor. H.R. c. 21.

De Templis Ethnicorum Lex Theodoſii.

Cod. Th. de Pag. LXXV.

XI. Non Marcionitarum modò, verùm etiam Ethnicorum rebus calamitas incidit. Placuit Theodoſio Idololatriæ reliquias è ditionis ſuæ finibus exterminare, Lege datâ XIX. Kal. Decembr. *Omnibus ſcelerata mentis Pagana execrandis hoſtiarum immolationibus, damnandiſque ſacrificiis, cateriſque antiquarum Sanctionum autoritate prohibitis interdicimus. Cunctaque eorum Fana, Templa, Delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra, pracepto Magiſtratuum deſtrui, collocationeque veneranda Christiana Religionis ſigni, expiari pracepimus. Scientibus univerſis ſi quem huic Legi apud competentem Judicem idoneis probationibus illuſiſſe conſtiterit, eum morte eſſe mulctandum.* Ethnici, qui Templa deſtrui ſua ægrè ferebant, in alios uſus mutari cupiebant, quod à Chriſtianis factum collocatâ Cruce.

ANNO DOM. 417.

ANNO U. C. 1180. PER. JUL. 5140. JUL. 472. DOM. 427. THEODOS. 26. & 20. VALENTIN. 2. & 3. *Sol.* 16. B. *Lun.* 10. *Indict.* 10. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *April.*

COSS. *Hierius & Ardaburius.*

Bonifacius Vandalos immittit Africæ. Pietate ſuâ labitur.

I. SÆpenumerò obſervatum eſt, fortiſſimos viros in Principum ſuorum indignationem venire, poſtquam fidelitatem in ſuſpicionem adduci ſuam, meritaque in patriam ſperni, & pro nihilo haberi conſpexere, quod & Bonifacio Comiti contigit. Vir erat magnanimus, pietatemque ſe colere præferebat: ſed mutabili ratione labuntur mortalium ingenia; adeòque à priſtina virtute deſcivit Bonifacius, ut affectibus indulgens, ſuis Barbarorum furori Africam, Arianorum & furoribus & venenis Eccleſiam exponeret. Ac primùm antequam perduellem ageret, fulgida ea pietas, quæ Africæ admirationi fuerat, languere cœpit, nec perinde atque debebat, in laudis & gloriæ cupiditate verſata eſt. Mortuâ priore uxore, recentiore adhùc obitu à mundanis rebus adeò abhorruit Bonifacius, ut Auguſtino & Alypio *apud Tubunas* teſtatus ſit, ſe rebus velle publicis omnino renunciare, ut in otium ſe ſanctum conferret, *atque in ea vita viveret, in qua ſervi Dei Monachi vivunt.* Ut dolor amiſſæ conjugis evanuit, in alias ſe nuptias conjecit, ductâ *Pelagiâ*, muliere ditiſſimâ. Qua de re ipſius Auguſtini audire verba jucundum erit: *Navigaſti, uxorem duxiſti: ſed navigaſſe obedientia fuit, quam ſecundum Apoſtolum debebas ſublimioribus poteſtatibus: uxorem autem non duxiſſes, niſi ſuſceptam deſerens continentiam, concupiſcentia victus eſſes. Quod ego cùm comperiſſem, fateor miratus obſtupui. Dolorem autem meum ex aliqua parte conſolabatur, quòd audivi te illam ducere noluiſſe, niſi prius Catholica fuiſſet facta. Et tamen hareſis eorum, qui verum Filium Dei negant, tantum pravaluit in domo tua, ut ab ipſis filia tua baptizaretur. Ipſam quoque uxorem tibi non ſuffeciſſe, ſed concubinarum neſcio quarum commixtione pollutum, loquuntur homines, & forſitan mentiuntur.* Anno ſuperiore & novo ſe alligaſſe conjugio, cùm ab Ætio nondum proditionis Bonifacius accuſaretur, & jubente Placidiâ navigaſſe, conjectura eſt. Sed & dum totus eſt Bonifacius, ut ſe à Valentiniani minis tutum faciat, Africæ ſalutem prodit, quam Auguſtinus negligentiam jure perſtringit: *Quid autem dicam de vaſtatione Africa, quam faciunt Afri barbari, reſiſtente nullo, dum tu talibus neceſſitatibus occuparis, nec aliquid ordinas, unde iſta calamitas avertatur?* Vaſtabant, rapiebant, loca populis referta in ſolitudines mutabant. Se dignius quidem Bonifacius feciſſet, ſi abdicatâ omni poteſtate in privata ſe fortuna collocaſſet. Sic Placidiæ ſuſpiciones evulſiſſet, ſalutique & Africæ, & Eccleſiæ peperciſſet. Sancti monita Auguſtini cùm reſpuiſſet Bonifacius, autoritatem tueri ſuam omni ratione voluit. Geſtorum ſummam brevi Proſper complexus eſt: *Bonifacius, cujus intra Africam potentia gloriaque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire abnuerat, publico nomine illatum eſt, Ducibus Mavortio, & Galbione, & Sinoce, cujus proditione Mavortius & Galbio, dum Bonifacium obſident, interempti ſunt: mox que ab ipſo Bonifacio dolo detectus, occiſus eſt. Exinde gentibus, qua uti navibus neſciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum eſt. Bellique contra Bonifacium cœpti, in Sigiſvultum Comitem cura translata eſt: Gens Vandalorum ab Hiſpanis ad Africam tranſit.*

ANNO DOM. 427.

Aug. Ep. 70.

Tempus Vandalici in Hiſpaniam ingreſſus.

II. Non neſcimus, de Vandalicæ in Africam profectionis tempore non conſtare apud Veteres. Chronicum Alexandrinum cum anno CCCCXXVIII. copulat. Idatii verò Chronicum expeditionem anno ſerius uno contigiſſe tradit, qui fuit Valentiniani quintus, Domini CCCCXXIX. At Proſperi Chronologia eſt vero ſimilior, ut ea ſequentibus patebit. De celeberrima migratione hæc prodit Hiſtoria Miſcellanea: *Bonifacius ſentiens ſe non poſſe tutò Africam tenere, cernenſque ſibi periculum inſtare, in perniciem totius Reipublica efferveſcens, transfretans à Lybia in Hiſpaniam ad Vandalos Alanoſque venit. Cùmque Modigiſclum inveniſſet mortuum, & filios ejus Gunthaerium, & Genſericum, imperium moderantes, hortatus eſt, ut Heſperiam, Libyamque in tres partes dividerent.* Miſcellaneam Baronius ſequitur. Quo factum, ut cum Autore ſuo in errores inciderit, quos Idatiani ope Chronici vitare licet. Obierat Guntherius, cùm

Miſcell. lib. 14.

Bar. Ann. 427. n. 8.

Gai-

Anno Dom. 427.

Gaiſericus in Africam migravit. Neque etiam probabilitatis habet aliquid, quòd relictâ Africâ, Bonifacius ſe in Hiſpaniam ad Vandalos contulerit. Veriſimilior ea eſt Procopii narratio: Bonifacius ad Gaiſericum *ſibi conciliandum mittit*. Neque Baronio in auxilium veniunt Auguſtini verba, *Navigaſti, ſed navigaſſe obedientia fuit, quam ſecundum Apoſtolum debebas ſublimioribus poteſtatibus*, quæ de Vandalis accipi nequeunt, quibus Romani Imperatoris Legatus nil obedientiæ debuit. Sed Idacium audiamus, nos ea docentem, quæ Baronium latuere: Gundericus Rex Vandalorum, captâ Hiſpali, *cùm impiè elatus manus in Eccleſiam civitatis ipſius extendiſſet, mox Dei judicio Dæmone correptus interiit. Cui Gaiſericus frater ſuccedit in regno. Gaiſericus Rex de Bœtica Provincia littore, cum Vandalis omnibus, eorumque familiis, menſe Maio, ad Mauritaniam & Africam relictis, tranſit Hiſpaniis. Qui priuſquam pertranſiret, admonitus, Hermigarium Suevum vicinas in tranſitu ſuo Provincias deprædari, recurſu cum aliquantis ſuis facto, prædantem in Luſitaniam conſequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum S. Martyris Eulaliæ injuria ſpreverat, multis per Gaiſericum cæſis, ex his quos ſecum habebat, arrepto, ut putavit, Euro velocius fugæ ſubſidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quò cæperat, Gaiſericus enavigavit.* Anni tempeſtatem, menſemque Vandalicæ in Hiſpaniam trajectionis Idacius docuit, Maium ſcilicet. Barbarorum nunc numerum Victor moneat Utenſis: *Tranſiens quantitas univerſa calliditate Gaiſerici Ducis, ut famam terribilem ſuæ faceret gentis, illicò ſtatuit omnem multitudinem numerari, uſque ad illam diem, quam huic luci uterus profuderat ventris. Qui reperti ſunt ſenes, juvenes parvuli, ſervi vel domini octoginta millia numero.* Hæc eſt illa Barbarorum cohors, quæ Africam ſanguine, Eccleſiam erroribus inundavit: urbes, agros, populoſque vaſtavit. Tanti caſus levaminis aliquid Valentiniani rebus attulit Pannoniarum recuperatio: *Pannoniæ, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptæ ſunt.* Hæc in Occidente: in Oriente verò *inſtauratæ ſunt Thermæ, olim dictæ Conſtantinianæ, nunc autem Theodoſianæ, perficientibus opus Hierio iterum Præfecto urbi & Conſulibus, quinto Nonas Octobris.*

Idac. Chron.

Vict. de Perſ. Vand. lib. 1.

Marcellin. Chron.

Chr. Alex.

De pingenda cruce edictum Theodoſii.

III. Commemoratione Conſtantinopolitanarum thermarum in Orientem deducti, rerum Eccleſiæ mentionem facere cogimur. Eò propenderat veneratio Crucis, ut ubique locorum pingeretur, atque ſculperetur. Ne verò ex eo more irreverentiæ periculo exponeretur, Imperatorum Legibus præcautum eſt atque proviſum: *Cum ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni Numinis religionem tueri, ſignum Salvatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed quodcunque reperitur, tolli, graviſſimâ pœnâ mulctando eos, qui contrarium ſtatutis noſtris tentaverint, ſpecialiter imperamus. Data* XII. *Kal. Junias Hierio & Ardaburio Coſſ.*

Mors Siſinnii & virtutes.

Socr. l. 7. c. 38.

IV. Siſinnius urbis regiæ Epiſcopus *die nono Kal. Januarii*, mortis debitum ſolvit, poſtquam annum unum, menſes novem, dies viginti quinque ſediſſet. Vir erat ob temperantiam, vitæ ſanctitatem, benignitatem erga pauperes celeberrimus. Moribus verò ſimplex, & à negotiis alienus, quam ob cauſam negotioſis hominibus in opinionem venit ignaviæ. Flebilis omnibus bonis Siſinnius eſſe debuit. Præſul ſuo munere ob virtutes pietatemque digniſſimus, tempore cùm eliuodè Neſtorio deceſſerit, qui inhoneſtis ſanè vulneribus Eccleſiam laceravit.

Anno Dom. 427.

Iſidorus Peluſiota.

V. Dum in Oriente verſamur, Iſidori Peluſiotæ apprehendenda memoria eſt, viri & pietate, & Epiſtolis celeberrimi. Patriâ erat Alexandrinus, ut Ephrem Antiochenus nos docet Epiſcopus in ſua ad Zenobium Scholaſticum Emiſenum Epiſtola, cujus fragmenta Photius habet: *Hoc quidem capite, & Iſidori Monachi clari Alexandrini domo*, καὶ τοῖς ἀρχιερεῦσιν αἰδέσιμος, quæ verba perperàm Schotus vertit, *& inter Præſules illuſtris*, quaſi Epiſcoporum de grege unus fuiſſet Iſidorus, qui ad ſolum Presbyteri gradum evectus eſt. Sic ergo Græca reddi debent, *& Epiſcopis venerandus, Epiſtolas aliquot de multis adducit.* Vitam Iſidorus Aſceticam coluit, in qua adeò excelluit, ut omnibus foret miraculo: *Theodoſii Principatu*, inquit Evagrius, *claruit Iſidorus, cujus latiſſima eſt gloria, & qui cùm ob res geſtas, tum eloquentiæ cauſâ ubique celebratur. Hic uſque adeò corpus ſuum maceraverat, & animum arcanis ac ſublimioribus doctrinis ſaginaverat, ut Angelorum vitam in terris duceret, & ſpirans quædam imago perpetuò eſſet tam vitæ monaſticæ, quàm divinæ contemplationis.* Magni auditor Chryſoſtomi diſcipuluſque fuit. At Magiſtrum tantâ benevolentiâ ſuum proſecutus eſt, ut non modò famam ipſius defenderet, ſed vehementer etiam Arcadium, Theophilum, Cyrillumque perſtringeret. Qua de re multa habet Nicephorus libro XIV. c. 52. Id etiam memorat apud Photium Stephanus Gobarus, p. 902. Præcipuè Epiſtola Iſidori ad Cyrillum eſt obſervanda, quæ libri primi numero eſt 370. *Patris* eum nomine affecerat Cyrillus: quo titulo ſapienter utitur ad reſcribendum, *Si pater ſum, ut ipſe ais, condemnationem Eli pertimeſco, propterea quòd peccantes filios non caſtigavit.* Cùm verò Cyrilli ſe filium Epiſcopi profiteretur, ſe quoque pœnis Jonathæ terreri teſtatur, qui quòd patrem Pythoniſſam quærentem minimè prohibuerat, prior extinctus eſt. Subjungit, *Quamobrem ne & ego condamner, & tu divinum judicium ſubeas, ſimultates ac diſſidia comprime: Nec privata ac domeſtica contumelia ultionem, quâ tanquam ære quodam alieno à mortalibus obſtrictus es, in viventem Eccleſiam deriva.* At Doctoris ſui memoriam in primis defendit ſua ad Symmachum Epiſtola: *Petis à me, ut divini viri Joannis tragœdiam tibi exponam. At eam explicare nequeo: mentem enim res iſtu ſuperat. Si quidem inſano lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro numine habentem Theophilum quatuor ſociis, imò coapoſtatis ſeptum ac munitum, in medium proferens, pium virum, ac divinarum rerum doctrinâ præditum, expugnavit Ægyptus.* Ad Abbatis dignitatem evectus eſt Iſidorus, *In Peluſio monte Monachis præfuit.* Invaluit opinio hæc, Peluſium eam urbem eſſe, quæ Gallis dicitur *Damiete*. Hinc & in Nova Bibliotheca clariſſimi Du Pin legimus, *Iſidore Prêtre de Damiete.* Quem ſic caſtigat errorem Lucas Holſtenius in ſuis ad Stephanum notis: *Tamiathis*, Ταμιαθὶς *habet notitia Provinciarum M S. nunc Damiata. Inepti enim, qui Peluſium ita nunc vocari exiſtimant: Hinc Elpidius Tamiatheos Epiſcopus ſubſcripſit Synodica Gennadii.* Alia ergo Tamiathis, *Damiete*; alia Peluſium. Illa in Delta Nili, hæc extra conſtituebatur. Syris Peluſium סין, quibus סין id

Phot. cap. 228. pag. 778.

Evagr. l. 1. cap. 15.

Iſidor. l. 1. Ep. 152.

Nicephor. l. 14. c. 58.

Anno Dom. 427.

id ipſum eſt, quod Græcis πηλὸς, magno obſervante Bocharto. Presbyteri quoque gradum Iſidorus eſt conſecutus, quo nomine à Facundo Hermianenſi celebratur: *Vir*, inquit, *ſanctiſſimus, & magna in Eccleſia Chriſti gloria, Iſidorus Presbyter Ægyptius Peluſiota.* Pietatem cum magnanimitate conjunctam in Presbyteratu Iſidorus exhibuit, ut jura Eccleſiæ defenderet. Exemplo ſit ipſius ad Cyrillum de *Martiniano* Epiſtola. *Martinianus* obſcuro genere natus, primis vitæ temporibus ſervum egerat. Profugus factus, Peluſium ſe contulit. Ibi monachali veſte indutus, probæ ac temperantis vitæ ſpecie Clerici munus captabat. Ab *Euſebio* Peluſii Epiſcopo tandem Presbyteri munus impetrat: ſimul etiam Eccleſiæ diſpenſator conſtituitur. Quod munus dum gerit, tantis Eccleſiam incommodis afficit, quantis vix à barbarico bello pateretur. Ac ſibi adeò Epiſcopum mancipavit, ut *etiam in Eccleſiaſticarum rationum libro Eccleſiam, quæ injuriâ affecta fuerat, ipſius ære obſtrictam eſſe, ſubſcripſerit.* Cum opibus fretus, quas corraſerat Martinianus, Alexandriam de emendo Epiſcopatu perrexiſſet, quid cuperet, Cyrillum Iſidorus monitum voluit. Narrat eâ profectione Cyrilli famæ atque exiſtimationi labem inferri, quaſi acceptâ pecuniâ Epiſcopatus venderet: hortatur etiam, ut gremio Eccleſiæ Martinianum abdicatum, cogat quæ debet reſtituere. Ingenti Epiſtolarum ſuarum numero famam poſteris ſuam commendavit Iſidorus. Quarum duo millia numerat Facundus: *Vir, ſanctiſſimus, & magna in Eccleſia Chriſti gloria, Iſidorus Presbyter Ægyptius Peluſiota, quem duo millia Epiſtolarum ad ædificationem Eccleſiæ, multi ſcripſiſſe noverunt.* Plures tamen Suidas recenſet, ex emendatione Sirmundi in ſuis notis ad Facundum. Scilicet ad decem millia ſcripſit Iſidorus, atque in his ter mille, quibus Sacra Scriptura exponebatur. De ingenti numero teſtis & Nicephorus: *Multa ab eo ſcripta ſunt, varia utilitatis plena. Potiſſimum autem Epiſtolarum omnis generis, divinâ ſimul & humanâ gratiâ refertarum propè chiliades decem, in quibus ſcripturam omnem clarius exponit, & omnes omnium hominum mores inſtituit.* Meminit ipſe libri ſui adverſus Gentiles, in ſua ad Herminum Comitem Epiſtola: *Quoniam autem recta doctrina, quantum per vires licet, opem ferre oportere cenſes in eo libro, quem adverſus Gentiles edidimus, nos quoque pro virili noſtra parte opem tulimus.* Hermino Comiti orationem de fato à ſe ſcriptam, quæ plurimi fiebat, & miſiſſe teſtatur. Libri Iſidori adverſus Cyrillum Cavius mentionem fecit: verùm ni fallamur animi, erravit vir doctiſſimus, neque Evagrius Nicephoruſque aliud indicant ſcripti, quàm Epiſtolas directas Cyrillo. Audiatur Evagrius: *Scripſit cùm alia plurima multiplici utilitate referta, tum ad celeberrimum Cyrillum nonnulla, ex quibus manifeſtè colligitur, illum iiſdem temporibus, quibus admirandum Cyrillum floruiſſe.* In Epiſtolis librum Chryſoſtomi de Sacerdotio Euſtathio legendum commendat, l. 1. Ep. 56. Neque ſanè immeritò: at Scripturarum lectionem magis adhùc urget in ſua ad *Criſpum* Epiſtola, quas non perfunctoriè, ſed multo labore evolvendas eſſe docuit. Et Paulo dicit Presbytero, *Sacrarum Scripturarum lectionem ſalutis viaticum eſſe*, l. 2. Ep. 73. Brevibus quidem verbis, ſed egregiis referta eſt ſententiis Epiſtola, quam Theodoſio Imperatori ſcripſit: *Potentiam tuam manſuetudine, ac ſuavitate tempera, convenientique diſperſione onus divitiarum leva*, l. 1. Ep. 31. Anno ccccxxxi. vitam etiamnùm Iſidorum retinuiſſe, docet ipſius ad Theodoſium Epiſtola, quem hortatur, iis intereſſe, quæ erant Epheſi decernenda. Epheſinæ quoque Synodo ſuperſtes fuit, teſte ſua ad Cyrillum Epiſtolâ: *Multi ex iis, qui Epheſi coacti ſunt, te traducunt, ut inimicitias tuas perſequentes.*

Fac. l. 2.

Iſidor. l. 2. Ep. 127.

Fac. l. 2. cap. 4.

Niceph. l. 14. c. 53.

Iſidor. l. 2. Ep. 137.

Iſid. l. 3. Ep. 153.

Evagr. l. 1. c. 15.

Iſidor. l. 1. Ep. 311.

Iſidor. l. c. Ep. 310.

ANNO U. C. 1181. PER. JUL. 5141. JUL. 473. DOM. 428. THEODOS. 27. & 21. VALENTIN. 3. & 4. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 11. *Indict.* 11. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 7. & 1. P. 02. *April.*

Anno Dom. 428.

COSS. *Felix & Taurus.*

I. VAndalorum adventu Africa graviſſimas quidem, ſed meritas ſcelerum ſuorum pœnas pendebat. In omnes ſe voluptates, qui Chriſti religionem profitebantur, ſe prorſus effundebant: *Exceptis enim pauciſſimis Dei ſervis, quid fuit totum Africæ territorium, quam domus una vitiorum.* Hæc Salvianus, qui & Africanæ turpitudinis horrendam imaginem pingit: *Nullam, inquit, improbitatem ſcio, quæ illic non redundaverit, cùm utique etiam pagana ac fera gentes, & ſi habeant ſpecialiter mala propria, non ſint tamen in his omnia execratione digna. Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt. Alanorum impudica, ſed minus perfida. Franci mendaces, ſed hoſpitales. Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate mirandi. Omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris penè omnibus neſcio quid non malum. Si accuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt; ſi ebrietas, ebrioſi; ſi falſitas, fallaciſſimi; ſi dolus, fraudulentiſſimi; ſi cupiditas, cupidiſſimi; ſi perfidia, perfidiſſimi.* De Afrorum vitiis multa ſubjungit, quæ legi poſſunt in Autore, qui ſapientiſſimè colligit, *Quòd Vandali ad Africam tranſierunt, non eſt divinæ ſeveritati, ſed Afrorum ſceleri deputandum.* Et paulò ſuprà: *Illa utique cœleſtis manus, quæ eos ad punienda Hiſpanorum flagitia illùc traxerat, etiam ad vaſtandam Africam tranſire cogebat. Ipſi denique fatebantur non ſuum eſſe, quod facerent, agi enim ſe divino juſſu ac perurgeri.* Chriſtiani quidem, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris mortalibus, ſummâ ope niti decet, ne vitam tranſigant, veluti alieni à fidei notitia, quos vitium ventri obedientes, voluptatibuſque ſervientes finxit. Ac ut iterum Salviani verba uſurpemus, *Quid prodeſſe nobis prærogativa illa religioſi nominis poteſt, quod nos Catholicos eſſe dicimus, quòd Fideles eſſe jactamus, quod Gothos & Vandalos Hæretici nominis exprobratione deſpicimus, cùm ipſi hæreticâ pravitate vivamus.*

Afrorum Chriſtianorum corruptio.

Salv. l. 7. 372.

Salv. l. 7.

II. Bonifacii rebellio ſtupori Romanis fuerat, quem fidum imperio, officii ſui tenacem, famæ virtutiſque cupidum noverant. De ipſius amicis nonnulli juſſu Placidiæ Carthaginem delati, eum conveniunt: *Ubi verò Ætii inſidias, ac literas ab eo exhibitas conſpiciunt, ſtatim reverſi, Placidiæ rem omnem deferunt. Bonifacium non ſuâ, ſed alienâ culpâ erraſſe dicunt. Illa animo perculſa, cum Ætium quidem diſſimulavit, nec quidquam eorum, quæ contra Imperatorem geſta erant, probro objecit, quòd exercitum rerumque ſummam in poteſtate haberet, & res in diſcrimine jam eſſet. Verùm Bonifacii amicis omnia communicavit: de Ætii fraude vehementer conqueritur: jurat ſeſe æquam*

Bonifacius Valentiniano reconciliatur.

Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 3.

ANNO DOM. 428.

æquam Bonifacio fore. Hæc ubi ille accepit, facti illicò pœnitens, & initam jam ſocietatem deteſtans, Vandalos multis millibus nummûm tentare cœpit, uti ex eo loco diſcederent, quod cum minimè auſcultarent, quin probris potius inſultare viderentur, neceſſe fuit ad manus venire. Victus Bonifacius Hipponem Regium ſe recepit, civitatem Numidiæ maximam ac munitiſſimam. Hanc Vandali Gaiſerico Duce exercitu admoto obſederunt. Tempore autem longo procedente, cùm neque vi, neque conditione ullâ oppidum expugnare poſſent, fame urgente obſidionem reliquerunt.

Ætius quis? Mores ipſius. & de Francis victoria.

Greg. Tur. H. Fr. l. 2. cap. 8.

III. Quis Ætius ille, Bonifacii æmulus, famæ celebritate poſteris notus, ex *Renato Frigerido* eſt aperiendum: *Gaudentius pater, Scythiæ Provinciæ primoris loci, à domeſtica exorſus militia uſque ad Magiſterii Equitum culmen provectus eſt. Mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Ætius filius à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obſes, dehinc Chunnorum. Poſt hæc Carpilionis gener, ex Comite Domeſticorum, & Joannis curam palatii gerere cœpit. Medii corporis, virilis habitudinis, decenter formatus, ut neque infirmitudini eſſet, neque oneri: animo alacer, membris vegetus, eques promptiſſimus, ſagittarum jactu peritus, conto impiger, belli aptiſſimus, pacis artibus celebris, nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, boni animi præditus, nec impulſoribus quidem pravis ab inſtituto ſuo devians, injuriarum patientiſſimus, laboris appetens, impavidus periculorum, famis ſitiſque, atque vigiliarum tolerantiſſimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quanta potentia fatis deſtinaretur, temporibus locisque ſuis celebrandus.* In Scaligerano Proſperi Chronico legitur: *Ætius Magiſter Militum factus eſt ex agricola.* Qui ex Frigerido error eſt emendandus, monente, clari Ætium generis fuiſſe: non igitur agricola. Itaque in exemplaribus Proſperi, quæ Baronius Labbeuſque laudant, Agricola nomen eſt non commune, ſed proprium, quod cum verſu ſequente conjungitur: *Agricola Pelagianus, Severiani Epiſcopi Pelagiani filius.* Sic ergo Proſper debet emendari: *Ætius Magiſter Militum factus eſt.* Cum Hunnorum ſexaginta millibus Joanni tyranno venerat in auxilium, magnumque cum Aſpare prælium inierat: fœdereque dein cum Placidia facto, Comitis ad dignitatem anno CCCCXXV. evectus fuerat. Non ſe tamen dignum fecit Ætius, qui Bonifacium proditionis inſimulavit, maximo imperii detrimento. Reipublicæ tamen emolumento Ætius fuit ob relatam hoc anno de Francis victoriam, de qua in Proſpero mentio eſt: *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Ætii Comitis armis recepta.* Liceat victoriam illuſtrare carminibus Sidonii Apollinaris, in laudem Majoriani Auguſti dictis, eo tempore Equitem agentis Ætii in exercitu:

Sidon. Carm. v.

Poſt tempore parvo
Pugnaſtis pariter, Francus quà Cloio patentes
Atrebatum terras pervaſerat: hîc coëuntes
Claudebant anguſta vias, arcuque ſubactum
Vicum Helenam, flumenque ſimul ſub tramite longo
Artus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.
- - - - - Fers ripa colle propinque
Barbaricus reſonabat hymen, Scythicisque choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, ſtravit.

Cœleſtini de erroribus Vienenſium & Narbonenſium Epiſtola.

Cœleſt. Ep. 2. c. 1.

IV. Res Eccleſiæ nunc percurramus. Narbonenſis & Viennenſis Eccleſiæ ſtatum novitatis aliquid inceſſit, quo religio eſt deflorata. Quippe Sacerdotes nonnulli, non malo quidem animo, ſed in ſuperſtitionem inclinante, occaſione verborum Chriſti, *Sint lumbi veſtri præcincti*, renibus præcincti, palliatique incedebant. Quam Cœleſtinus ineptiam meritò damnat in ſua ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis Epiſtola, *data VIII. Kal. Auguſtas, Flaviis Felice & Tauro Coſſ. Amicti*, inquit, *pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe Scripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per literam completuros. Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſerventur, cur non ſiunt pariter, quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus, una cum baculo teneantur.* Crudelem & eorum morem improbat, qui morientibus pœnitentiam denegabant. Audierat & Cœleſtinus, Danielem ad Epiſcopatus honores evectum fuiſſe, hominem impurum, qui ſacrum prorſus ordinem infamabat: *Daniel nuper miſſâ relatione ex Orientalibus ad nos partibus, ab omnibus quod tenuerat Virginum Monaſterio, nefariis eſt objectionibus accuſatus.* Miſerat ad Arelatenſem Epiſcopum Fortunati Subdiaconi operâ Cœleſtinus Epiſtolam, ut reus *ad judicium Epiſcopale deſtinaretur.* Ac meritò ſtatuit Epiſcopali dignitate hominis ejuſmodi ordinatorem potius pellendum eſſe, quàm ordinato injungendum. Epiſcopi Maſſilienſis, qui in necem fratris ſui taliter gratulatus, ut huic, qui ejus ſanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, cauſam Epiſcopis delegat.

Theodorus Mopſueſtenus. Quo anno mortuus?

V. Eo anno mortalitatem exuiſſe videtur Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, qui ambiguam de ſe famam reliquit. Syrum fuiſſe conſtat, patriâ verò Antiochenum exiſtimamus. Photius quippe Theodorum dicit *Antiochenum:* in eam quoque urbem reverſum eſſe, ex Sozomeno novimus, ubi relictâ vitâ aſceticâ, ad civilem ſe convertit. Claro ſanguine editus, magnum Chryſoſtomum condiſcipulum habuit. Auditorem egit Libanii Sophiſtæ celeberrimi. Adeò tamen apud Theodorum valuere conſilia Chryſoſtomi, ut ad ſimplicem, alienamque ſtrepitu fori vitam ipſum perduxerint. Monaſticam ergo diſciplinam, Præceptoribus Diodoro & Carterio, amplexus eſt. Non diu tamen durum hoc vitæ genus toleravit. Nondum ætatis annum XIX. evaſerat, cùm fœminæ, cui *Hermione* nomen, in amorem incidit. Theodoro iniquior Baronius cenſet, *luxuria ſordibus ebrutum, ex eo cœno per Chryſoſtomum abſtrahi* non potuiſſe. Quæ ſanè & Theodori, & veritatis injuria eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, homini voluptatibus liqueſcenti, & Presbyteri munus, & Epiſcopi honorem fuiſſe creditum? Neque de Theodori reſipiſcentia dubium faciunt animum alicujus verba Sozomeni: Theodorus quidem, *cùm ſacra Philoſophia Leges primùm didiciſſet, & ſanctorum virorum contubernio uſus eſſet, eam vivendi rationem probavit, civilem autem damnavit. Verùm in eodem propoſito haudquaquam perſeveravit, ſed pœnitentiâ ductus, ad priorem vivendi rationem abripiebatur. Cumque propoſitum ſuum confirmaſſet contrariis argumentis, quæ ex Veterum exemplis deſumpſerat, in urbem reverſus eſt, rectius eſſe judicans, id aſſequi quod cupiebat. Joannes itaque, cùm eum negotiis vacare intellexiſſet, & de uxore ducenda cogitare, Epiſtolam ejuſmodi*

Socr. l. 6. cap. 3.

Bar. Ann. 428. n. 34.

Sozom. l. 8. c. 2.

modi verbis ac ſententiis conſcriptam, quæ humanæ mentis captum excedant, ad eum miſit. Quam ille cùm accepiſſet, pœnitentiâ tactus eſt, rurſuſque relictis facultatibus, & nuptiis renuntians, Joannis conſilio ſervatus, & ad philoſophicam vitam regreſſus eſt. Non ergo in *luxuria ſordibus*, ſic enim nuptias Baronio vocari placuit, hæſit Theodorus, qui matrimonio renunciavit. Baronium & erroris poſtulat Heſychius. Anno circiter 392. Theodorus Mopſueſtiæ, quæ Ciliciæ urbs eſt, Epiſcopus imponitur. Sed Theodoritum audiamus: *Intereà verò ſacratiſſimo Theodoto Antiochenſem Eccleſiam gubernante, Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ, totius Eccleſiæ Doctor, & qui adverſus omnes Hæreticorum catervas ſtrenuè decertaverat, vivendi finem fecit. Hic præſtantiſſimi quidem Diodori auditor, divini autem Joannis ſocius, atque adjutor fuerat. Ambo quippe ex ſpiritalibus Diodori fontibus ſimul hauſerant. Annis porro ſex & triginta Epiſcopatum geſſit, contra phalangem Arii atque Eunomii aſſiduè dimicans, & Apollinaris turmam latronum more inſidiantem profligans, ovibus autem Chriſti optimum pabulum præbens. Ejus quoque frater Polychronius Apamenſem Eccleſiam egregie adminiſtravit, emendatiſſima vita ſplendorem cum ſermonis gratia ac venuſtate conjungens.*

Theodorit. l. 5. c. 40.

Magnæ eruditionis Theodorum eſſe, conſtat inter Veteres: *Vir fuit in Sacris Literis, & reliquis diſciplinis Rhetorum ac Philoſophorum non mediocriter eruditus.* Multos & Theodorus libros edidit, quorum Catalogum exhibent Cavius & Du Pin, ex Antiquis deprompdum. Joannes quidem Antiochenus unà cum Synodo Orientis, ſcribit Proclo, Theodorum *decem mille libros adverſus hæreſes* conſcripſiſſe. De Theodoro quoque ſcitu jucundum recordatur Joannes in ſua ad Neſtorium Epiſtola. Docenti exciderat quiddam, quod & Neſtorio, & auditoribus non ſatis pium, rectumque videbatur: *At non poſt multos dies generoſe in medium progreſſus, id quod à ſe non ſatis commode dictum fuerat, in gratiam Eccleſiæ nil quicquam veritus correxit.* Præter fragmenta Symbolumque periere omnia Autoris hujus Opera, nec mirum, cùm multis audierit Hæreticus. De ipſius ſtylo ſic cenſet Photius: *Lectus Theodori Antiocheni liber eſt cum hac inſcriptione, Interpretatio Geneſeos. Libris ſeptem tomus primus abſolvitur. Stylus illi neque illuſtris, neque perſpicuus. Fugiens verò quantum in ipſo eſt, allegorias, & hiſtoriarum duntaxat expoſitionem tractans., putidè nimis eadem identidem repetit, & ingratus & faſtidioſus legenti eſt. Quin & Neſtorii ſententiam, quamvis illo prior fuerit, tacitè vomit. Hic eſt Theodorus ille Mopſueſtiæ.* Baronius Theodori obitum anno CCCCXXVII. contigiſſe putat. Quæ Chronologia non eſt accurata. Eam ſanè refellit Evagrius ex Theodulo. Quo tempore Neſtorius ad urbis regiæ Epiſcopatum proficiſcebatur, *apud Mopſueſtiam congreſſus cum Theodoro, auditâ illius doctrinâ, à recta pietate deflexit.* Annus CCCCXXVIII. labebatur, cùm Neſtorius Conſtantinopolim petit. Quo currente Theodorus, cujus colloquio uſus eſt, vitam adhuc retinebat.

Sozom. l. 8. c. 2.

Facund. l. 2. c. 2.

Phot. Bibl. c. 38. p. 23.

Bar. Ann. 423. n. 25.

Evagr. l. 1. c. 2.

De Theodori Mopſueſteni doctrina. Nùm duas in Chriſto perſonas noverit?

VII. Graviſſimorum Theodorus errorum infamatus, in Concilio Conſtantinopolitano ſecundo damnatus eſt: *Et poſtquam lecta ſunt blaſphemia Theodori Mopſueſteni, & impium ejus Symbolum, Sancta Synodus exclamavit, Hoc Symbolum Satanas compoſuit. Anathema eſt, qui hoc Symbolum compoſuit.* Patribus Epheſinis Symbolum à Jacobo Presbytero Quartodecumanis oblatum, Chariſius exhibuit. Cujus verò fuerit, nec ipſemet dixit, nec Epheſini teſtati ſunt. Theodori fuiſſe, primus M. Mercator docuit. Cui præter & Chariſii, & Epheſinorum ſilentium Facundum opponimus: *Nec ibi dicitur, vel ab ipſo Chariſio, vel à quoquam illud Symbolum Theodori fuiſſe. Beatus Cyrillus ſcribens Orientalibus dicit, Prolata eſt in Sancta Synodo Epheſina definitio, velut à Theodoro depoſita, ſicut offerentes dicebant. Nec affirmat eam Theodori fuiſſe.* Concedatur tamen Theodori fuiſſe, myſterium Dominicæ Incarnationis quod attinet, id Symboli non nobis quidem Dæmonis opus eſſe videtur. Pia hæc ſunt, *Neque duos dicimus Filios, nec duos Dominos, quoniam unus Filius ſecundum eſſentiam Verbum, Deus unigenitus Filius Patris, cui iſte conjunctus, particeps unigeniti communem habet Filii nuncupationem & honorem. . . . Et proptereà neque duos dicimus Filios, neque Dominos duos, quoniam in manifeſto exiſtente, qui ſecundum eſſentiam Dominus & Filius eſt, inſeparabilem habens ad eum conjunctionem, is qui pro noſtra ſalute adſumptus eſt, confertur tam nuncupationis quàm honoris, & Filii & Domini.* Neſtorianis verò duo ſunt Filii, & duo Domini. Quia alia Verbi perſona, alia Chriſti. Marius tamen Mercator Symbolum Theodori pro *expoſitione pravæ fidei habet.* Fuit & infamatus Theodorus, quod ſacrum Trinitatis myſterium ſuo in Symbolo everteret, quæ nullius momenti accuſatio eſt, cùm verbis expreſſis ſimul & piis venerandum hoc myſterium exponat in ſecunda ad Artemium Alexandrinum Presbyterum Epiſtola, de qua Facundus eſt adeundus. Liberandæ Theodori innocentiæ ſatis ſit pauca hæc ſuppeditare: *Quos oportuit ſcire, quia Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adoramus, in iſtis divinam & æternam & increatam compleri dicentes Trinitatem.* Hæc Theodorus Artemio ſcribit. Quo quid diſertius ad fidem Theodori ab omni circa Trinitatem erroris labe purgandam? Cyrillus ipſe hîc Theodoro quoque patrocinatur, dum teſtatur, *Quoniam Theodorus adverſus Arianorum & Eunomianorum hæreſes viginti & amplius libros irreprehenſibiliter ſcripſit.* In Lateranenſi Concilio Præſide Martino Theodorus Mopſ. impietatis accuſatur ob verba ejuſmodi: *Volo mundare, leproſo dicens Salvator, oſtendit unam eſſe voluntatem, unam operationem ſecundum unam eandemque poteſtatem productam.* Sic Monothelitam egiſſe videtur. Excuſari tamen verba poſſunt, diſtinctione adhibitâ voluntatis unius, per conjunctionem ſcilicet duarum in Chriſto voluntatum, quæ Monothelitarum nonnullis diſtinctio ſolemnis fuit, uti ſuo loco demonſtrabitur. Contrà verò viri celeberrimi innocentiæ Theodori favent. Theodoritum jam audivimus: audiatur & Joannes Antiochenus apud Facundum: *Non ſolùm nos viventes tales calumnias ab his, qui conturbare volunt Eccleſias, continuè ſuſtinemus, ſed & qui benè de vita profectus eſt B. Theodorus, & quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulſit, & omnem hæreſim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab Orthodoxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc diſceſſum, & poſt multa certamina, & poſt decem mille libros adverſus hæreſes conſcriptos, & poſtquam in conſpectu Sacerdotum & Imperatorum, & populorum probatus eſt, periclitatur, quia Hæreticorum ſunt ſui inere, & illis proximus prædicari.* Hæc Joannes cum Synodo Orien-

Fac l. 3. c. 2. 23.

B. M. P. t. 27. 538.

Facund. l. 3. c. 5.

Later. Secr. v. 318.

ANNO DOM. 428.

Facund. l. 2. c. 2.

Orientis Proclo ſcripſit. Theodoſio verò Imperatori hæc ſignificat: *Theodorus enim, quem quando dicimus, virum dicimus in Epiſcopatu clarum finem habentem, & quinquaginta penè annis fortiter repugnantem cunctis hæreſibus, & in expoſitionibus, quas in omnibus Eccleſiis Orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde eſſe comprobatus apparet, à nullo quoquam neque majorum, neque ſimilium judicatus eſt Hæreticus.* Sed & acerrimum ſe Theodori defenſorem Facundus præbuit Hermianus, qui Juſtiniano hæc ſcribit Imperatori:

Id. ibid.

Nam ſi quis Theodorus, ut ajunt, Neſtorii quidem Magiſter fuit, majore autem quàm ille impietate blaſphemavit, & ſi quia omnia Theodori dicta adverſus Chriſtum Diaboli tranſgrediuntur inſaniam, ideò non ſolus ipſe juſtè damnatur, ſed etiam qua illum laudavit Epiſtola. Synodus quoque Chalcedonenſis juſtè damnabitur, quæ non tantùm maximos laudatores ipſius Theodori prædictum Antiochenum, & cæteros Orientis Epiſcopos ſuſcepit, ut Patres, verùm etiam ipſas, quibus eum laudaverunt Epiſtolas, ſecutam ſe fuiſſe, in ſuis definitionibus confitetur. Ac eò ſanè propendemus, ut injuria Theodoro illata ſit, cui occaſionem præbuit, quòd Magiſter fuerit Neſtorio. Neque in ea re diſperſos rumores, adverſariorum accuſationes poſteriorum Synodorum anathemata moramur. Certior probatio peti debet ex libris Theodori. Egregius autem hujus Autoris locus eſt in libro tertio decimo de Incarnatione, quem & Facundus exſcripſit: *Bonum eſt in hoc loco maximè concludere, quid virtutis habeant ea, quæ dicta ſunt, ſive converſari, ſive baptizari, ſive crucifigi, ſive & mori, ſive & ſepeliri, & reſurgere. Non puto alicui hæc coaptantes homini dicimus. Hoc enim in unaquaque dictorum demonſtratione addere non moramur, ut nullam calumniantibus præbeamus male loquendi occaſionem, ſed inhabitato quidem à Deo Verbo ab ipſa in utero matris plaſmatione, inhabitato verò non ſecundum communem inhabitationem, neque juxta eam, quæ in multis intelligitur gratiam, ſed juxta quandam excellentem, ſecundum quam etiam adunari dicimus utraſque naturas, & unam juxta adunationem effectam eſſe perſonam.*

Facund. l. 3. c. 2. pag. 23.

Hæc Theodorus apud Facundum, quo quid magis pium, magis à Neſtorianiſmo alienum dici poſſit, prorſus neſcimus.

Bar. Ann. 435. n. 14.

Verba hæc ſi Baronius attendiſſet, Theodorum *omnium malorum cauſam, qua occaſione Neſtoriana hæreſis in Orientali Eccleſia contigerunt*, non dixiſſet. Immeritò etiam perſtrinxit Liberatum Purpuratus narrantem, *Probata eſſe ſcripta Theodori Mopſueſtem à Joanne Antiocheno.*

Bar. Ann. 335. n. 11.

Liber. Br. cap. 10.

Verba ſunt Liberati: *Joannes Antiochenus Epiſcopus Synodo congregatâ, tres pro Theodoro Mopſueſteno dictavit Epiſtolas. Unam quidem direxit Theodoſio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, laudans in eis Theodorum, & ejus exponens ſapientiam.* Liberati ſanè fidem ab errore liberant ipſiſſima verba Joannis à nobis laudata, quod & doctiſſimus Sirmundus obſervat ad hæc Liberati: Epiſtolæ, inquit, *prima ac tertia verba ſunt, quæ hoc loco recitantur; ſecunda, quæ libro* VII. *c.* 4.

Sirm. N. in Fac. lib. 2.

Excuſari tamen Theodorus non poteſt, dum Peccatum negat originis, quâ opinione imbutum eſſe, liquet ex libris ipſius, contra eos qui aſſerunt, homines naturâ peccare, non voluntate. Erroribus enim, quos refellit, illum etiam inſerit: *Infantes tametſi recens natos, peccati immunes non eſſe, cùm ob Adæ prævaricationem natura in peccatis conſtituta, ad omnes ejus poſteros, peccatrix natura propagetur.*

Phot. cap. 177. pag. 395.

Quî Theodoro error eſt, id ipſum divinum eſt Scripturæ Oraculum. Audiatur iterum Theodorus à Photio laudatus: *Secta verò illius ſumma capita hæc ferè ſunt. Homines naturâ, non voluntate peccare. Naturâ, inquam, non eâ, quâ præditus initio, conditusque eſt Adam, illam enim bonam, & boni Dei opus aſſerunt, ſed eâ, quam poſt peccatum adeptus ſit, quando per prævaricationem atque peccatum malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit. Hâc quippe ratione naturâ quoque improbos effectos, qui anteà naturâ boni fuiſſent, in natura jam, & non in voluntate peccatum ſibi acquiſiviſſe. Alterum deinde caput ex illo deductum: Infantes tametſi recens natos, peccati immunes non eſſe, cùm ob Adæ prævaricationem natura in peccatis conſtituta, ad omnes ejus poſteros peccatrix, ut ipſi loquuntur, natura propagetur. Adſerre autem ipſos & illud ait, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & ſi quæ ſunt generis ejuſdem. Sanctum ad hæc baptiſma ſacrique corporis communionem in peccatorum remiſſionem. Quin etiam ipſis infantibus allata hæc præbere, ad propriæ opinionis confirmationem. Neminem præterea mortalium eſſe juſtum.* Ne vel ipſe Pelagius alia ſcriberet atque doceret. Hieronymo quoque Theodorus inſenſus fuit, quam verbis pingit ejuſmodi: *Hunc etiam quintum Evangelium confinxiſſe, illudque ſe in Euſebii Palæſtini Bibliothecâ reperiſſe ait. Relectâ præterea divini ac V. Teſtamenti Verſione, quam* LXX. *Interpretes ſimul convenientes ediderunt, ut & Symmachi & Aquilæ, alterumque interpretatione, propriam quandam ſuam, novamque conficere auſum.* Sic perſtringit Hieronymum, cujus Dialogus adverſus Pelagianos ipſorum bilem commoverat. Nil igitur dubii relinquitur, quin libri quinque, quibus titulus eſt præfixus, *contra aſſerentes peccare homines naturâ, non voluntate*, à Theodoro pro Pelagianis placitis in Orthodoxos editi fuerit. De Theodoto iterum ſuo loco. Defuncto ſucceſſit Meletius. In tranſcurſu notandum, calumniam Pelagianorum eſſe, quòd quintum Hieronymus Evangelium tranſtulerit, aut commentus fuerit. Verba, quæ accuſationi occaſionem præbuere, ſic ſonant: *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed Hebraicis literis ſcriptum eſt, quo utuntur uſque hodie Nazaræni, ſecundum Apoſtolos, ſive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur Bibliotheca, narrat Hiſtoria: Ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum, eamus & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo?* Non igitur in Latinum Hebræorum illud Evangelium transfudit Hieronymus, ut mentitur Julianus; neque *confixit*, ut Theodoro creditum. Libro veteri uſus eſt, non ad *autoritatem*, ſed ad *antiquitatem*.

Hier. ad Pel. l. 3. cap. 244.

VIII. A Theodoro Mopſueſteno ad Neſtorium ipſius diſcipulum tranſeamus. Neſtorius ex Germaniciorum civitate, quæ in Euphrateſia Provincia ſita eſt, duxit originem. Ac primùm vitam aſceticam in Sancti Euprepii Monaſterio, juxta Antiochenam civitatem extructo profeſſus, Joanne, qui poſteà Præſul Antiochenus creatus eſt, & Theodorito comitibus. Antiochenæ dein Presbyter Eccleſiæ conſtituitur. In eâ dignitate ita ſe comparavit, ut populorum ſibi ſtudia aſciſceret: *Sordidâ quidem veſte indutus,*

Neſtorius: ejus & patria & mores.

ANNO DOM. 428.

datus, mœſtus & triſtis incedens, forenſes tumultus devitans, corporis pallore & macie abſtinentiam ſimulans, libris domi ut plurimum incumbens, & intentus & quiete ſibi vivens, his artibus & ſimulationibus pleroſque alliciebat ad ſui admirationem, teſte ad Sporadium Theodoreto. Sonora Neſtorio vox erat, atque expedita facundia, quâ famæ multum apud populos ſibi collegit. Mortuo Siſinnio die nono Kal. Januarii ſuperioris anni placuit Imperatoribus, neminem ex Eccleſia Conſtantinopolitana ad Epiſcopatum promovere, licet multi *Philippum*, nec pauciores *Proclum* ordinari, ſummo ſtudio contenderent. Peregrinum hominem Antiochiâ evocare viſum eſt. Is erat Neſtorius, qui die quarto Idus Apriles, Felice & Tauro Coſſ. ordinatur. Ita Socrates, quæ dies in IV. feriam incidit. Liberatus verò, c. 4. primam feriam Neſtorii aſſignat conſecrationi: *Ordinatu ergo Neſtorio, die primo menſis Aprilis, Conſulatu Felicis & Tauri.* Primâ concione Neſtorius coram univerſo populo Imperatorem alloquens, ea protulit: *Da mihi, Imperator, terram Hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum retribuam. Mecum Hæreticos debella, ego Perſas tecum debellabo.* Quæ plurium judicio levitatem animi oſtendebant, cum inani gloriæ ſtudio conjunctam. Quinto poſt ordinationem die accenſo gliſcit violentia Neſtorii. Quippe Eccleſiam Arianorum, in qua occultè preces faciebant, ſubvertere aggreſſus, eos ad deſperationem coegit. Nam cùm Eccleſiam ſubverti ſuam cernerent, ipſi injecto igne eam combuſſerunt. Qui ulterius ſerpens contiguas etiam domos abſumpſit. Quæ res tumultum in urbe excitavit. Jamque Ariani ad vindictam ſe parabant, cùm Deus malum ulterius progredi non paſſus eſt. Vexationibus etiam multis Quartodecimanos per Aſiam, Lydiam & Cariam Neſtorius affecit, ut ejus cauſâ complures apud Miletum, & Sardes, ſeditione factâ interierint. Stimulatus in Paulum Novatianorum Epiſcopum invidiâ, ubique locorum ob pietatem

Socrat. l. 7. c. 29.

celebrem, Novatianos vexare tentavit. At Principes impetum illius ſuis admonitionibus repreſſere. Latius adhùc ſe diffudit furor Neſtorii. In Helleſponto Antonius Germæ Epiſcopus Neſtorio adverſus Hæreticos ſævienti morem gerens, Macedonianos acerbè exagitat, obtentu mandati Patriarchæ. Perſecutionem aliquandiu patienter pertulere. Ubi vero Antonius eos vehementius vexavit, ſpe ſalutis abjectâ, ſubmiſſis quibuſdam hominibus, Antonium interficiunt. Ex eo ſcelere Neſtorius occaſionem furoris ſui

Socrat. l. 7. c. 31.

traxit. Suaſit enim Imperatori, ut Eccleſiæ Macedonianis adimerentur. In annum proximè ſequentem Macedonianæ Eccleſiæ extra urbis regiæ muros poſitæ everſionem conſulit Marcellinus. Autor & fuiſſe videtur Neſtorius, ut Imperatores Legem in Hæreticos promulga-

Cod. Th. de Hær. L. 65.

rent: *Hæreticorum ita eſt reprimenda inſania, ut ante omnia quas ab Orthodoxis acceptas tenent ubicunque Eccleſias, ſtatim Catholicæ Eccleſiæ tradendas eſſe non ambigant. . . . Poſt hæc quoniam non omnes eâdem auſteritate plectendi ſunt, Arianis quidem, Macedonianis, Apollinarianis, quorum hoc eſt facinus, quòd nocenti meditatione decepti credunt de veritatis fonte mendacia, intra nullam civitatem Eccleſiam habere liceat. Novatianis autem & Sabbatianis omnis innovationis adimatur licentia, ſi quam fortè tentaverint. Eunomiani verò, Valentiniani, Montaniſtæ, ſeu Priſcillianiſtæ, Phryges, Marcioniſtæ, Borboriani, Meſſaliani, Euchitæ, ſive Enthuſiaſtæ, Donatiſtæ, Audiani, Hydroparaſtatæ, Aſcodrogitæ, Photiniani, Pauliniani, Marcelliani, & qui ad ultimam uſque ſcelerum nequitiam pervenerunt, Manichæi, nuſquam in Romano ſolo conveniendi, orandique habeant facultatem. Data III. Kal. Junii Conſtantinopoli, Felice & Tauro Coſſ.*

ANNO DOM. 428.

IX. Vix Neſtorius ſedebat Epiſcopus, cùm errores diſſeminare ſuos cœpit. Fama eſt, ex Theodori fontibus hauſtos fuiſſe: *Apud Theodorum Mopſueſtiæ degens Neſtorius, auditâ illius doctrinâ, pietatis naufragium fecit.* Similia narrat Cyrillus in ſua ad Acacium Melitenenſem Epiſtola: *Nec enim Theodorus Neſtorii fuit diſcipulus, ſed iſte illius, & velut ex uno loquuntur ore.* Hæc tamen ex eburnea porta prodiiſſe exiſtimamus, cùm nec duos Theodorus Dei Filios admiſerit, quæ aberratio Neſtorio tribuitur, nec originis vitium inficiatus ſit Neſtorius, quod Theodorus negabat. Porro in Felicis quidem, & Tauri Conſulatum Proſper Neſtoriani erroris refert originem: *Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus novum Eccleſiis molitur errorem inducere, prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum, eique Divinitatem collatam eſſe pro merito.* Fuſius Neſtorii errores Marius Mercator proſequitur: *Neſtorius Verbum Dei non ut Paulus ſentit, qui non ſubſtantivum, ſed prolativum potentia Dei efficax Verbum eſſe definit. Confitetur tamen idem Neſtorius in Verbo ſubſtantivo Filium ratù, licet argute. Filium verò illum eſſe, & dici debere aſſerit, qui ex Maria natus eſt, atque ita dividit æternum à temporali: illi tanquam Deo, & Dei Verbo, quæ majeſtatis ſunt, huic vero alteri, quæ humanæ infirmitatis ſunt, deputans. Propter individuam autem atque inſeparabilem connexionem dignum fuiſſe habitum nuncupatione Filii Dei, qui hoc ipſum pro merito ex adoptione habeat, non ex natura. In eo igitur Paulo conjungitur, in quo habitationem & habitaculum pro merito ſeparat, dividens quod unicuique eorum ſit proprium ex diverſitate naturæ, quod quidem illis ambobus cum Ebione, & Photino, & Galata Marcello commune eſt. In quod verò ſubſtantiale Verbum Dei confitetur, & eſſe id ab æterno cum Patre Deum aſſerit, à memoratis rectè diſſentit, & fides recta conjungitur.* Aliam quidem ſententiam Socrates aſcribit Neſtorio, quæ magnam de fide quæſtionem ad λογομαχίαν deducit: *Mihi quidem videtur Neſtorius, nec Paulum Samoſatenſem, nec Photinum imitatus, neque omninò nudum hominem Chriſtum dicere. Sed ſolam Deiparæ vocem velut larvam quandam reformidat.* Neque ab ea prorſus explicatione Neſtorii ſententia diſſidet apud Theodoretum: *Chriſti (verba ſunt Neſtorii) appellatio duas naturas ſignificat, Divinitatem unigeniti, & humanitatem. Vox autem Dei, ſi abſolute dicatur, ſimplicem & incorpoream Dei Verbi ſubſtantiam oſtendit. Hæc autem vox homo, ſolam humanam naturam indicat.* Et paulò infrà: *Non peperit, ô optime, Maria Deum, ſed peperit hominem Divinitatis inſtrumentum. Nulli eſt reprehenſioni affinis Gentilis, qui Diis matrem inducit.* Hinc colligebat Neſtorius eſſe neceſſarium, non Deiparam, ſed Chriſtiparam Virginem confiteri. Id ipſum ſonare videntur verba ipſius ad Cœleſtinum: *Credimus in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei incarnatum, ex Spiritu Sancto & Maria Virgine. Hæc enim vox ſignificat naturam utramque. Id eſt,*

Neſtorii doctrina.

Evag. l. 1. c. 2.

Mar. Merc. B. M. P. t. 07. 140.

Socr. l. 7. c. 33.

Chri-

ANNO DOM. 428.

Chriſtus Deo Patri coëſſentialis eſt, humana verò natura temporum lapſu ex Sancta Virgine fuit procreata, quæ propter Divinitatis conjunctionem ab Angelis & hominibus ſimul colitur. Unum diſertè, non duos dixit Dominos: neque ob puram putam Divinitatis in carne Chriſti, veluti in templo habitationem ab Angelis hominibuſque, natura Chriſti humana adoratione deberet affici. Requiritur etiam, ut ſit ἐνυπόςατ@ perſonæ verbi, cum qua unam, quæ ſimul & Deus eſt & homo, perſonam conſtituit. Quòd ſi ut vulgò creditur, Neſtorius aliam Verbi, aliam Chriſti hominis perſonam eſſe ſtatuit, error eſt ſanè graviſſimus, ex quo conſequitur, neque *Deum redemiſſe Eccleſiam ſuo ſanguine:* neque à Judæis *Dominum gloriæ fuiſſe crucifixum:* quod utrumque Paulus affirmat Apoſtolus.

Neſtorius errores ſuos ſpargit.

X. Ut errores Neſtorius ſuos ſpargeret, Anaſtaſii operâ Presbyteri utitur. Sanæ fidei non erat Anaſtaſius, utpote Judaicorum dogmatum fautor acerrimus, qui Neſtorium ad regiæ urbis Epiſcopatum proficiſcentem fuerat comitatus. Qui dum apud plebem Conſtantinopolitanam concionem habet, palam & apertè dixit: *Mariam nemo Deiparam vocet, nam Maria homo fuit: fieri autem non poteſt, ut ex homine naſcatur Deus.* Quam non modò doctrinam Neſtorius non prohibuit, verum etiam ipſius patrocinium ſuſcepit, ut & palam jactaſſe diceretur: *Ego illum, qui bimeſtris, ac trimeſtris factus eſt, nunquam Deum appellaverim.* Sententiæ quoque ſuæ Neſtorius defenſorem habuit Epiſcopum Marcianopolitanum nomine *Dorotheum*, qui præſente Neſtorio, cùm in Eccleſia ſuggeſtum conſcendiſſet, maximum inclamat: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit.* Quo audito, ingens populi clamor exoritur atque diſſidium. Extat in Lupi Sylloge Neſtorii ſermo, quem auditores adeò miratos eſſe ferunt, ut contradicentes anathemate percuterent. Matthæi verba, *Liber generationis Jeſu Chriſti*, ſic explicatione ſuâ commentatus eſt: *Non ait, Liber generationis Dei Verbi; neque, Liber geneſeos hominis. Si enim dixiſſet, Liber generationis hominis, purum nobis hominem videretur oſtendere; ſi verò dixiſſet, Liber Geneſeos Dei Verbi, Divinitatem nobis ex parte humanitatis induceret. Utraſque igitur naturas in appellatione Domini Chriſti complectitur.* Aliam verò concionem habuit, ex qua ſcandali non minimum exortum eſt: *Habet matrem Deus, ergo excuſabilis Gentilitas, matrem Diis ſubintroducens? Non, vir optime, Maria peperit Deum: peperit hominem Deitatis inſtrumentum.* Cùm indignationem compluribus ea verba moviſſent, *Simplex quidam Monachus ſtatim habitâ concione, cùm fidei ſtudio arderet, in medium Eccleſiæ progreſſus, cum Synaxis celebraretur, impietatis præconem, quòd Hæreticus eſſet, ab ingreſſu prohibere conatus eſt.* At Neſtorius cæſum Præſidibus tradidit, flagriſque denuò diſſectum & publicè cæſum, præcone non abſque clamore præeunte, in exilium expulit. Initia hæc fuere tragœdiæ, quâ totus penè terrarum orbis concuſſus eſt.

Evagr. l. 1. c. 2.

Lup. Syll. cap. 3.

Mar. Mer. Garn. p. 5.

Epheſ. Conc. c. 30.

ANNO U. C. 1182. OLYMP. 302. PER. JUL. 5142. JUL. 474. DOM. 429. THEODOS. 28. & 22. VALENTINIANI 4. & 5. *Sol.* 18. F. *Lun.* 12. *Indict.* 12. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 2. *P.* 7. *April.*

ANNO DOM. 429.

COSS. *Florentius & Dionyſius.*

Romani à Vandalis victi.

I. Afflictis Africæ rebus Theodoſius veniens in auxilium, Aſparem mitit Ardaburii filium. Qua de re legitur in Procopio: *Intereà è Conſtantinopoli Romaque exercitu veniente cum Aſpare Duce, Bonifacius Romanique, qui in Africa erant, ſpiritus aſſumentes, acriter reſiſtere cœperunt. Verum non meliore priore fortunâ ſucceſſit. Victi ad unum omnes, alii aliò fugam arripuere.*

Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 3.

Hilarius qui de Maſſilienſibus ſcripſit Auguſtino, eſt ab Arelatenſi diverſus.

II. Ad res Eccleſiæ cognitu jucundiores veniamus. Honorato Arelatenſi, quem XVI. Januarii die mors abſtulit, defuncto ſucceſſit *Hilarius.* Illum Baronius perperàm cum *Hilario* permiſcet, qui Epiſtolam direxit Auguſtino. Quo tempore jam Epiſcopalis infula Hilarium tegebat Arelatenſem, cujus meminit Proſper in ſua ad Auguſtinum Epiſtola, anno labente ſcripta: *Unum*, inquit, *eorum præcipuæ autoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, S. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ.* Hilarius verò, cujus precibus de Prædeſtinatione Sanctorum liber eſt exaratus, Epiſcopum ſanè non agebat, quem filii nomine Auguſtinus afficit: *Filii*, inquit, *chariſſimi, Proſper, & Hilari.* Quin etiam Auguſtini de doctrina nonnullæ Arelatenſis Epiſcopi querelæ fuerunt, monente Proſpero: *Sciat & de hoc, quod in querelam trahit, jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre.* Hilarius verò Autor Epiſtolæ ad Auguſtinum ipſius doctrinam ambabus ulnis amplectebatur. His accedat Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola, Auguſtini poſt obitum anno CCCCXXXI. confecta: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius ſunt apud nos profecti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* Quibus ſanè verbis Baronii ſententia obruitur, ſcribentis, *Sanctus Proſper cum Collega Hilario Arelatenſi ad Cœleſtinum Romanum Pontificem profectionem inſtituit.* Epiſcopo quidem Arelatenſi Hilario filii nomen Cœleſtinus non impoſuiſſet; fratris eum titulo, utpote Collegam, potius exornaſſet. Denique Arelatenſem Hilarium non obſcurè pingit Hilarius alter in ſua ad Auguſtinum Epiſtola: *Illud tacere non debeo, quòd ſe dicant tuam ſanctitatem, hoc excepto, in dictis & factis omnibus admirari*, quæ Proſperi de Hilario Arelatenſi Epiſcopo verbis prorſus reſpondent. Faceſcat itaque Baronii ſententia, Arelatenſem Epiſcopum Hilarium invenientia, tam in Cœleſtini ad Galliæ Epiſcopos, quàm in Hilarii ad Auguſtinum Epiſtola: ex qua & opinione factum, ut hanc Hilarii Epiſtolam perperàm in an. CCCCXXVI. retulerit.

Error Baronii.

Bar. An. 431. n. 184.

Bar. An. 426. n. 20.

Acta Hilarii Arelatenſis Epiſcopi.

III. Hilarii Arelatenſis factâ mentione, de celeberrimo Epiſcopo noſtris in Annalibus commemorare neceſſarium videtur. Claros Hilario contigiſſe natales, teſtatur Eucherii ad Valerianum Epiſtola: *Hilarius nuper, & in Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima, ut aiunt, mundanæ poteſtatis ſede, unus in Religionis, alter*

 in

Anno Dom. 429.

in Sacerdotii nomen aſcendit. Lerinenſis inſulæ, quæ viris pietatis & eruditionis amantibus florebat, Hilarius incolarum unus fuit. Cum labente anno CCCCXXIX. Honoratus Arelatenſem Epiſcopatum adeptus eſt, abeuntem Hilarius comitatur. Verùm Lerinæ ſuæ non multò pòſt ſe reſtituit. Quæ cauſa eſt, cur ſic eum compellat Eucherius: *Horum tu, mi chariſſime Hilari, redditus inſeſtuſque conſortio, plurimum tibi, plurimum etiam illis contuliſti, qui unus pro reditu tuo alacri exultatione lætantur.* Nondum biennium prætererat, cùm imminentis ſibi mortis conſcius Honoratus, Hilarium accerſit, quos extremos ſpiritus ore lecturum, majora tamen in animo volutare, ac de ſucceſſore forſan providere videbatur. Quod & innuit Hilarius, Orationis de Sancto Honorato c. 28. *Ab inſula, cui me derelictus Epiſcopatus ejus principiis, ſecreti amore reddideram, non audeo dicere, me ſuens fortaſſe præſcius amovere ſatagebat.* Eò pertinent verba Honorati Maſſilienſis, quæ illuſtrandæ prorſus Chronologiæ conducunt: *Emenſo biennio, cùm ad meriti propriis percipiendum ex merito præmium ex vita iſtius ſurſu Beatus Pontifex vocaretur Honoratus, miſſis Epiſtolis, ut extremis ſuis intereſſe deberet, admonuit.* Adfuit Hilarius morienti, atque ſucceſſit. Vir multis ſanè virtutibus clarus, ſed laudibus longè dignior, niſi Caſſiani placitis ſe defenſorem conſtituiſſet, ne prædeſtinatio gratuita exiſtimaretur. Extat ea de re locus inſignis Proſperi in Epiſtola ad Auguſtinum: *Speramus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis atque honoribus claros, caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis & ſpiritualium ſtudiorum, virum ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat Beatitudo tua admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud Sanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre.* Cætera, quæ ad Hilarium ſpectant, ſuis temporibus dividentur.

Vit. Hil. c. 3.

Caſſianus quis? ejus doctrina. Fons Maſſilienſium.

IV. Hoc anno in Gallia Semi-Pelagiani exorti ſunt, de quibus Proſper Hilariuſque ſcriptis Auguſtinum ſuis monuere. Eorum Princeps *Joannes Caſſianus*, vir & pietate, & operibus celebratus, qui tamen ad hujus erroris ſcopulos navem alliſit ſuam. Antequam ergo de Semi-Pelagianis dicere incipiamus, de Joanne Caſſiano nobis eſt diſſerendum. Caſſiani patria eſt in ambiguo: *Caſſianus*, inquit Gennadius, *natione Scytha.* Aliam verò Photius patriam aſſignat Caſſiano: *Lectus Libellus, quo Caſſiani Monachi, patriâ Romani, libri duo continebantur.* Quid ſi potius Gallus ex Provincia fuerit, ut eruditorum fert nonnullorum ſententia? Quæ quidem Caſſiani verbis inniti videtur: *Ad repetendam Provinciam noſtram, atque ad reviſendos parentes quotidianis animi æſtibus urgebamur.* Et paulò infrà: *Tum præterea ipſorum locorum ſitus, in quibus erat majoribus noſtris habita poſſeſſio, ipſarumque amœnitas regionum jucunda, ante oculos pingebatur, quam grata, & congrua ſolitudinis ſpatiis tenderetur, ita ut non ſolùm delectare Monachum poſſint ſecreta ſylvarum, ſed etiam magna victus præbere compendia.* Quæ amœnitates *Provinciæ* ſunt potius, quàm *Scythiæ.* Vitam amplexus monaſticam, Palæſtinæ Ægyptique & deſerta, & Cœnobia peragravit. A *pueritia* inter Monachos conſtitutum fuiſſe, ipſe docuit in ſua ad *Caſtorem*, quem *beatiſſimum Papam vocat*, Præfatione. Unà verò cum Germano Monacho complures annos contrivit in peregrinando: *Expleto*, inquit, *ſeptem annorum numero, ſponſionem noſtram gratanter implevimus.* Sicque ad *Scythioticæ ſolitudinis ſecreta* remeavit. Famâ Chryſoſtomi Conſtantinopolim evocatus, morum integritate, & caſtitate ſuâ id impetravit, ut Diaconi ad officium eveheretur. Chryſoſtomo in exilium pulſo unà cum *Germano* Presbytero, Conſtantinopolitani Cleri literas attulit ad Innocentium, uti Palladii ex Dialogo novimus, p. 27. Presbyteri dignitatem adeptus ab Innocentio, poſt everſam anno CCCCX. ab Alarico Romam, Maſſiliam petiit, ubi Monaſteria duo condidit, virorum unum, & mulierum alterum, teſte Gennadio. Quæ cauſa videtur eſſe, quòd Caſtor Aptenſis Epiſcopus patris eum nomine compellarit: *Scientiarum decore pollenti Patri Caſſiano.* Fons principiumque Semi-Pelagianorum jure merito exiſtimatur, adeò verum eſt, nullum tam pulchrum corpus eſſe, quod nævo careat. Pura puta Semi-Pelagiana hæc ſunt: *In his omnibus & gratia Dei, & libertas noſtri declaratur arbitrii: & quia etiam ſuis interdum motibus homo ad virtutum appetitus poſſit extendi, ſemper verò indigeat adjuvari. Nec enim cùm voluerit, quis ſanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii ſui deſiderio liberatur. Quid autem prodeſt ſanitatis gratiam conſupiſſe, niſi Dominus, qui vitæ ipſius uſum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat. Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen niſi à Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt, Apoſtolus teſtis eſt, dicens, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et capite XI. *Sin verò gratia Dei ſemper inſpirare bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide? quid de illius in Cruce Latronis pietate dicimus, qui deſiderio ſuo vim quandam regnis cœleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita prævenerunt.* Alia quoque docuit, vero non ſatis conſentanea, quòd *mendacio, veluti elleboro* uti liceat. Ut non ſine judicio, prudentiaque ipſius Opera legi debeant. Anno circiter CCCCL. naturæ ſatisfecit, relictâ magnæ pietatis famâ. Gregorius Magnus in ſua ad *Reſpectam* Maſſilienſem Abbatiſſam Epiſtola Monaſterium laudat, *quod in honorem Sancti Caſſiani conſecratum eſt.* Urbanus quoque Papa V. Caſſiani caput argenteâ thecâ incluſum hâc inſcriptione ornari voluit, *caput S. Caſſiani*, ipſiuſque memoria Maſſiliæ colitur ſolemni ritu, die XXIII. Julii, ut N. Alexandro eſt obſervatum. Tanti Photius Caſſiani fecit inſtitutiones, ut hæc ſcripto mandarit: *Utiliſſima, ſi quæ alia hac iis ſunt pronunciata, qui religioſam vitam inire cupiunt. Et verò tanta iis vis ineſt, ac quaſi divinitas, ut & in hunc uſque diem ſi quis Monachorum conventus hac ex forma & hiſce præceptionibus gubernetur, reverà tantiſper floreat, cæteriſque prælucens virtutum eſſe officina cernatur.* Poſt collationes ad ſcribendos de Incarnatione libros hortatu Leonis Diaconi, qui poſteà Pontifex Rom. creatus eſt, animum appulit, ut Præfatione docemur, quam libris præfixit.

Phot. B. c. 197. p. 515.

Caſſ. Coll. 24. c. 1.

Anno Dom. 429.

Caſſ. Coll. 17. c. 31.

Caſſ. Coll. 13. c. 9.

Caſſ. Coll. 17. c. 17.

Greg. l. 6. Epiſt. 12.

Phot. B. c. 197.

De Maſſilienſium Semi-Pelagianorum doctrina.

V. Cùm Caſſiani eruditionis pietatiſque fama multum increbeſceret, quam de naturæ bono, bonarum voluntatum principio opinionem docuit,

ANNO DOM. 429.

docuit, ea per multorum animos pervaſit. Ac eò facilius mortalium mentibus illabebatur, quòd humanæ gloriæ velificatur. Hanc ſanè ſententiam Arelatenſis ſequitur *Hilarius*; amplectuntur & Fauſtus Reienſis, & Vincentius Lirinenſis, ab Auguſtini ſententiâ diſſidentes, & alii complures, quibus Maſſilienſibus nomen eſt impoſitum, quòd erroris hujus & tenaciſſimi fuerint, & veluti incunabula habeantur. Palmaris Maſſilienſium hic error fuit, quòd ſalutis initia gratiæ aſcribi nolebant, ſed voluntatis viribus. Fuere porro in duas claſſes diviſi, quarum altera longius quidem, altera Pelagianis venenis propius aberat. Priorum ſententiam edilſerat Hilarius ad Auguſtinum: *Ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quenquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt. Neque enim alium operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari. Quod enim dicitur, Crede, & ſalvus eris, unum horum exigi aſſerunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde conſequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt: & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari, propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit, cum ſua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum Medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat. Nam illa teſtimonia, ut eſt illud, Sicut unicuique partitus eſt menſuram fidei, & ſimilia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit.* Qui in ea ſententia verſabantur, ſtatuebant, poſſe voluntatem ſuis viribus ſalutem deſiderare, quomodo paralyticus in lectulo recubans ſanitatem cupiebat, licet ad eam in piſcina conſequendam viribus eſſet omnibus impar. Maſſilienſium alii gravius licentiuſque adhùc errabant, de quibus mentionem Proſper egit in ſua ad Auguſtinum Epiſtola: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita humana cogatur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem liberi Arbitrii, & rationalem Gratia Creatoris inſtituat, ut per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus poſſit ſuam dirigere voluntatem. Atque ad hanc gratiam, quâ in Chriſto renaſcimur, pervenire, per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* In utraque verò ſententia gratia mortalium meritis reddebatur: *Quantum ad Deum pertinet*, inquiunt apud Proſperum, *omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrii libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Ex hoc fonte errores plurimi manabant. Sic Dei gratiam humanæ voluntati ſubjiciebant. Audiatur iterum Proſper: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas. Ac ſic cum in hit, qui tempus acceperunt voluntatis, duo ſint, quæ hum anam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe quàm gratiam, ut initium ſalutis ex eo, qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Sic etiam Prædeſtinatio prævîſis meritis innitebatur, ut obſervatum Hilario: *Putant rationem reddi Electorum vel Rejectorum in eo, quòd unicuique meritum propria voluntati adjungitur.* Sic denique quòd aliis miniſtretur Evangelium, aliis negetur, meritorum præſcientiæ aſcribebant, eodem Hilario teſte: *Dicunt id præſcientia eſſe divina, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoſcebatur eſſe credenda.*

Aug. c. 7.

Ibid.

VI. Porro quam Pelagius admittebat interiorem mentis illuſtrationem, Maſſilienſes, quorum de gratia Servatoris fuit opinio tolerabilior, non prorſus reſpuebant. Dixerat Pelagius: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat.* Hæccine negaſſent Caſſianus, Hilarius, Maſſilienſes? Sic eſt, bonas voluntates cogitationeſque nec ſemper gratiæ, nec ſemper homini tribuebant, ut ex Caſſiano palam eſt: *Cavendum eſt nobis*, inquit, *ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil niſi id, quod malum atque perverſum eſt, humanæ aſcribamus naturæ.* Exemplumque affert Davidis de extruendo Templo conſilium, quod inditum à Deo negat, quia etſi laudabile laudatumque, *eidem negatur effectus.* In Paulo verò atque Matthæo fatetur, quia Deus miſeretur, ſequi bonæ voluntatis initium; *Si enim*, inquit, *dixerimus, noſtrum eſſe bonæ principium voluntatis, quid fuit in perſecutore Paulo, quid in Publicano Matthæo, quorum unus cruori ac ſuppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad ſalutem.* Cæterùm affirmabant omnes, vi liberi Arbitrii Gratiam poſſe vel negligi, vel amari: *Conſequens putant*, (verba ſunt Proſperi ad Auguſtinum) *ut quia prævaricator ideò dicitur, non obediſſe, quia noluit, Fidelis quoque non dubitetur ab hoc devotus fuiſſe, quia voluit, & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum.* Id præcipuè cavebant, ne primi voluntatis motus, ſalutiſque deſideria efficaci gratiæ aſcriberentur, ne violaretur libertas arbitrii, in cujus optione conſiſtit, *ut eligat, quem ſequatur.* Ideòque præciſe negabant, credendi voluntatem certò immutabiliterque donari: *Credendi voluntate donatâ, excludi putant omnem prædicandi vigorem.*

Non omnes & cogitationes & voluntates Gratiæ detrahebant Maſſilienſes.

Aug. de Grat. c. 7.

Caſſ. Coll. 13. c. 11.

Caſſ. Coll. 13. c. 11.

Hilar.

VII. Non in Gallias modò, ſed in Britannias quoque virus Pelagianum ſe diffundebat, nec mirum, cùm Britannum Pelagius egerit. Virus ab eo porrectum hauſerat Epiſcopus, nomine Faſtidius, cujus Gennadius meminit in Catalogo de Viris Illuſt. c. 55. *Faſtidius Britanniarum Epiſcopus ſcripſit ad Fatalem quendam de Vita beata librum unum, & alium de Viduitate ſervanda, ſanâ & Deo dignâ doctrinâ.* Quæ verba Gennadii gemino afficiuntur errore; *Fatalem* quippe mulierem viduam in virum mutavit. Neque ſana prorſus doctrina fuit, ut clariſſimo obſervatur Noriſio. Libro enim de Vita Chriſtiana, quem Auguſtino perperàm aſcriptum, parenti ſuo Faſtidio reſtituit Holſtenius, c. 13.

Germanus debellando Pelagianiſmo migrat in Britanniam: tempus profectionis.

Hiſt. Pel. l. 1. c. 19.

hæc

Anno Dom. 429.

hæc de Adamo ſcripſit: *In quo nihil fuiſſe incredulitatis invenio præter ſolam inobedientiam, cujus cauſâ ille damnatus eſt, & omnes ſuo damnantur exemplo.* Qui putus putus Pelagianiſmus eſt. Pelagianiſmum quoque ſonat oratio hæc Faſtidii, c. 11. *Tu noſti Domine, quàm ſancta, quàm innocentes, quàm pura ſunt ab omni fraude, & injuria & rapina, quas ad te expando manus, quàm immaculata labia & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miſerearis, preces fundo.* Quæ verba Pelagii ex libro ad viduam recitans Hieronymus libro 3. Dialogorum, exclamat: *Chriſtiani eſt hæc, an Pharisæi ſuperbientis oratio?* Sed & Agricola *Pelagianus, Severiani Epiſcopi Pelagiani filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed actione Palladii Diaconi Papa Cœleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſuâ mittit, ut deturbatis Hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Hæc Proſper in Chronico. Sed & in libro contra Collatorem expeditionis hujus meminit, poſtquam Cœleſtini mentione factâ, *qui Cœleſtium totius Italiæ finibus juſſit extrudi*, ea ſubjungit: *Proſp. cont. Coll. p. 474.* *Nec verò ſegniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare, Catholicam fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Geminam à Cœleſtino legationem injunctam eſſe, Proſper indicat. Quæ prior eſt ea Germani, quæ poſterior Palladii exiſtimatur, an. Dom. CCCCXXXI. Baſſo & Antiocho Coſſ. *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cœleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.* Proſper ac Beda quidem, & Sigebertus Germani profectionem aſcribunt anno CCCCXLVI. Quorum Chronologiæ accedunt viri doctiſſimi, Sirmundus atque Petavius, argumento ex *Genevoſa* morte ducto, quam *octuagenariam* ultimo Chlodovei anno, qui Dionyſianus eſt DXI. exceſſiſſe, Sigebertus prædicat. Quâ ratione Genevoſæ ortus in annum CCCCXXXI. incidet. Cùm igitur inter proficiſcendum Germanus *Genevoſam* conſecrarit, in Britanniam proficiſci currente anno non potuit, quo Genevoſa lucem nondum aſpexerat. Majoris tamen momenti eſt Proſperi autoritas, qui ſedente Cœleſtino ſcribebat, quàm Sigeberti: ac eò gravius Proſperi teſtimonium, quod quam Germano Cœleſtinus legationem imperavit, Proſper iterum recordetur. Anno verò CCCCXLVI. Cœleſtinus non erat inter mortales. Neque noſtræ Chronologiæ minimum præſidii ex vita Sancti Lupi Trecenſis Epiſcopi, quem in expeditione ſuſcepta ſocium Germanus nactus eſt. Autoris verba refert Lab-

Lab. Conc. t. 2. 1686. beus: *Honorato adhùc Abbate, Lupus Monaſterium Lerinenſe ingreſſus eſt, tùmque annum unum illic egiſſet, ad Trecenſem Epiſcopatum raptus fuit, atque inde exacto biennio, iter Britannicum cum S. Germano ſuſcepit.* Lupus verò anno circiter CCCCXXVIII. Epiſcopus creatus eſt. Ut Germani in Britanniam expeditio vix ab anno CCCCXXIX. divelli poſſe videatur. Porro quam Cœleſtino Proſper Germani legationem aſcribit, ea Galliæ Synodo, & à Conſtantio Presbytero vitæ Germani Scriptore, & à Beda vin-

Bar. An. 439. n. 11. dicatur. Conſtantii verba ſunt: *Eodem tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis Epiſcopis nunciavit, Pelagianam perverſitatem in locis ſuis latè populos occupaſſe, & quàm primum fidei Catholicæ debere ſuccurri. Ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt. Omniumque judicio duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus Apoſtolici Sacerdotes, terram corporibus, cœlum mentibus poſſidentes. Et quantò neceſſitas laborioſior apparebat, tantò eam promptius heroes devotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negotii fidei ſtimulis maturantes.* De Cœleſtino ne verbum quidem: cujus non magis meminit Beda: *Hæreſis Pelagiana per Agricolam il-* *Bed. H. l. 1. c. 17.* *latam, Severiani Epiſcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœdâ peſte commaculaverat. Verum Britanni cum neque ſuſcipere dogma perverſum gratiam Chriſti blaſphemando ullatenus vellent, neque verſutiam nefariæ perſuaſionis refutare, verbis certando ſufficerent, inveniunt ſalubre conſilium, ut à Gallicanis Antiſtitibus auxilium belli ſpiritalis inquirant. Quam ob cauſam collectâ magnâ Synodo, quærebatur in commune, qui illùc ad ſuccurrendum fidei mitti deberent: atque omnium judicio eligebantur Apoſtolici Sacerdotes, Germanus Antiſiodorenſis, & Lupus Trecaſſinæ civitatis Epiſcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœleſtis Britannias venirent.* Nùm ergo Proſper falſus eſt? Cum Conſtantio ad concordiam utcunque adduci poteſt, ſi dixerimus, ubi Germanus à Gallicana Synodo electus eſt, Cœleſtinum, quò legatio nobilior eſſet, ſuam proficiſcenti perſonam impoſuiſſe: idque verba hæc Proſperi ſibi velle, Germanum Cœleſtinus *Epiſcopum vice ſuâ mittit.*

VIII. De celebri profectione pauca ex *Quid Germanus egerit in Britannia?* Conſtantio nunc exſcribamus. Germano Lupoque æquor arantibus, gravis exoritur procella, quam Conſtantius Dæmonum aſſignat invidiæ: *Cœlum diemque nubium nocte ſubducunt, & tenebrarum caliginem maris atque aëris horrore congeminant. Ferebatur navigium oratione, non viribus: & caſu Dux ipſe vel Pontifex, fractus corporis laſſitudine, ſopore reſolutus eſt. Tum verò quaſi repugnatore ceſſante tempeſtas excitata convaluit, & jam navigium perfuſis fluctibus mergebatur. Tunc B. Lupus, omneſque turbati excitant Seniorem elementis furentibus opponendum. Qui periculi immunitate conſtantior, Chriſtum invocat, Oceanum increpat, & procellis ſævientibus cauſam religionis opponit. Statimque aſſumpto oleo, in nomine Trinitatis levi aſpergine fluctus ſævientes oppreſſit; Collegam commonet, hortatur univerſos, oratio uno ore & clamore profunditur. Adeſt Divinitas, fugantur inimici, tranquillitas ſerena ſubſequitur.* Ut Britanniam ingreſſi ſunt Germanus atque Lupus, Dei verbum & in Eccleſiis, & in triviis exponunt: quâ ratione & Catholicorum fides firmatur, & depravatorum error ſanatur. Quid intereà corruptionis autores? Latebant, utique congreſſum cum Germano Lupoque fugientes. Tandem abjecto metu, in arenam deſcendunt: *Procedunt conſpicui divitiis, veſte fulgenti circumdati, aſſentatione multorum, contentioniſque ſubire aleam maluerunt, quam in populo, quem ſubverterant, pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur ſeipſi ſilentio damnaviſſe.* Adeſt populus ſpectator futurus & Judex: *Primo in loco beatiſſimi Sacerdotes, præbuerant adverſariis copiam diſputandi, quæ ſolâ verborum nuditate diu inaniter & aures occupavit, & tempora. Deinde Antiſtites venerandi, torrentes eloquii ſui, cum Apoſtolicis & Evangelicis tonitruis profuderunt: convincitur vanitas, & perfidia confutatur. Populus arbiter vix manus continet, judicium cum clamore teſtatur.*

ANNO DOM. 429.

teſtatur. Additis & miraculis gratiæ victoria illuſtratur. Vit Tribunitiæ Poteſtatis *decem annorum filiam cæcam finibus Sacerdotum ingerit, quam illi offerri adverſariis præceperunt.* Illi verò deterriti, parvulæ curationem à Sacerdotibus precantur. Germanus invocatâ Trinitare, protinùs inhærentem lateri ſuo capſulam cum Sanctorum reliquiis collo avulſam, manibus comprehendit, eamque in conſpectu omnium *puellæ oculis applicavit, quo ſtatim evacuatis tenebris lumine veritatis implevit.* Re benè geſtâ, Germanus Apoſtolorum diverſorumque Martyrum reliquias, quas ſecum habebat, S. Albani Martyris includit tumulo, maſſamque de loco, ubi beati Martyris ſanguis effuſus fuerat, ſecum portaturus abſtulit. Dum redit, in laqueos incidit, quibus irretitus ita labitur, ut pes ipſius contereretur. Ob dolorem recubanti ſubitum minatur incendium, ſed *hoſpitium ſancti viri expaveſcens flamma tranſilivit*, quæ oppoſita ſibi omnia corripuerat. Britannis quoque, quos Picti Saxoneſque bello invadebant, auxilio Germanus fuit. Eoſque fide imbutos, ſacris undis expiat. Emenſâ ſolemnitate Paſchali, pars exercitus arma capit, cui Germanus Ducem ſe prælii profitetur. Appropinquantibus hoſtibus Germanus Britones admonet, ut ipſius voci uno clamore reſpondeant: *Alleluia tertiò repetitum Sacerdotes inclamant, ſequitur una vox omnium.* Tum hoſtile agmen terrore proſternitur, quaſi ſuper ſe machina cœli rueret. In agro *Flintenſi* juxta oppidum, Anglis *Gold* dictum, geſtum bellum memorant, baptiſatis in fluviolo *Aleno* militibus, ut doctiſſimo Uſſerio obſervatum de Britannicarum Eccleſiarum Primordiis, p. 335. Sic victis & Pelagianis, & Saxonibus, Germanus Lupuſque Gallias repetunt, tranquillam nacti navigationem. Quæ brevius nos, fuſius ex Uſſerio Baronius proſequitur.

Cœleſtini ad Apulos Epiſtola.

IX. Hoc quoque anno Apuliæ Calabriæque Epiſcopos Cœleſtinus adiit Epiſtolâ, quæ capita tria complectitur. I. Quòd Sacerdotum nulli liceat Canones ignorare. II. Quòd non oporteat Clericis Eccleſiarum contemptis, de Laicis Epiſcopos ordinare. III. Quòd docendus ſit populus, non ſequendus: *Data eſt XII. Kal. Auguſti Florentio & Dionyſio Coſſ.*

Mors Theodoti Antiocheni: ipſius mores.

Theodorit. l. 5. c. 40.

X. Narratis Occidentis rebus, ad Orientem revocamur. Anno currente mortem obiit *Theodotus* Antiochenſis Epiſcopus. Aliquandiu Theodoro ſuperfuiſſe Mopſueſteno, indicat Theodoritus: *Sacratiſſimo Theodoto Antiochenſem Eccleſiam gubernante, Theodorus vivendi finem fecit.* Theodoti quidem obitum Baronius anno CCCCXXVII. copulavit: at in ea Chronologia biennio peccat, judice vel Theodorito, cujus hiſtoria definit, *Theodori, Theodotique, præſtantiſſimorum virorum in obitu.* Eſt autem Theodoriti hiſtoriæ terminus in anno CCCCXXX. collocandus, de quo nil mentionis egit: ſecus Theodoſii Triennalia recordatus fuiſſet, Januario celebrata. Hanc ſupremo Theodoti anno Chronologiam egregiâ ratione ſtatuit Pagius Acacii ex Epiſtola ad Cyrillum: *Pietatis tuæ Epiſtolam Sanctiſſimo Joanni Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo legi curavi. Quam ille quoque ſummâ attentione, nec parvo doloris ſenſu audivit. Nam licet recens admodum ad Epiſcopatum venerit, eadem tamen vult & ſentit, quæ nos ſenes.* Quòd ſi Theodotus anno CCCCXXVII. naturæ ſatisfecit, ut Baronio creditum, Joannes, qui defuncto ſubinde ſucceſſit, nuper Epiſcopatum adiiſſe dici non poſſet. Hic ille Theodotus multis à Theodorito laudibus celebratur: *Fuit gemma caſtitatis, vir ſingulari manſuetudine & exactâ vivendi ratione conſpicuus. Hic Apollinaris ſectatores reliquo gregi adjunxit, rogatus ut illos Eccleſiæ corpori aggregaret. Multi tamen eorum priſtini erroris haud obſcuram notam retinuerunt.* Illud & Theodoti ad gloriam acceſſit, quòd Chryſoſtomi nomen in Faſtos Eccleſiæ Antiochenæ retulit. Defuncto ſucceſſit Joannes, qui unà cum Neſtorio in S. Euprepii Monaſterio vitam aſceticam egerat.

ANNO DOM. 429.

Theodorit. l. 5. c. 38.

Neſtorii doctrina diſſidia movet: à Proclo rejicitur: quo die ſermo ipſius recitatus?

M. Merc. Gar. p. 8.

XI. Mentio Neſtorii ſubmonet res ipſius tractare, quæ labentem annum attinent. Vix inceperat fluere, cùm in Eccleſia concionem habuit de *Theognoſia*, id eſt, *Dei cognitione.* Sermoni hoc eſt initium: *Non clamoribus probo erga me ſtudium, ſed laudo circa dogmata deſiderium.* Ea verò pronunciavit, quæ notâ omni vacua eſſe debent: *Chriſtus ſecundum quòd eſt Chriſtus, indiviſus eſt, & Filius ſecundum quod eſt Filius, indiviſus eſt. Non enim habemus duos Chriſtos, vel duos Filios. Filium Dei peperit Chriſtipara. Nam quoniam Filius Dei duplex eſt in naturis, peperit quidem Filium Dei, quia peperit hominem, qui eſt Filius Dei propter conjunctum ei Filium Dei.* Nihilominùs cùm male jam Neſtorius audiret, Euſebius, qui patronum cauſarum agebat, poſtmodum Dorylæenſis Epiſcopus creandus, obteſtationem in Neſtorium publicè propoſuit: *Quicunque ſchedam hanc accepturi ſunt, eos per Sanctam Trinitatem adjuro, obteſtorque, ut eamdem Epiſcopis, Diaconis, Lectoribus, necnon & Laicis quoque Conſtantinopoli habitantibus oſtendant, ejuſdemque exemplum ad evidentem Hæretici Neſtorii confuſionem iiſdem impartiantur, ut qui eadem protſus ſentiat, quæ Paulus Samoſatenus, ante CLX. annos à Catholicis Epiſcopis anathemate condemnatus.* Continuò Pauli & Neſtorii doctrinæ comparationem inſtituit, quæ noſtro tamen judicio multum habet diſſimilitudinis. Accenſi eâ obteſtatione nonnulli, clam à Neſtorio deſciſcunt. Presbyteris, qui in Eccleſia *Irenæ maritima* doctrinæ Neſtorii adverſabantur, ſilentium indicitur; ex quo factum, ut de plebe complures clamarent, *Imperatorem habemus, Epiſcopum non habemus.* De Monachorum grege unus in medium Eccleſiæ progreſſus, cùm Synaxis celebraretur, Neſtorium quòd Hæreticus eſſet, ingreſſo prohibere conatur. Vis ea quidem erat, neque ordini conſona. Itaque Monachus à Neſtorio Præſidibus traditur, flagelliſque diſſectus, præcone præeunte in exilium ejicitur. Baſilius verò, de Diaconis unus, Monachis comitatus, Epiſcopalem domum ingreditur, ſciſcitaturus, veræne eſſent, quæ de Neſtorio jactabantur. Qui ſe convenientibus hæc loquitur: *Quæ vultis, ea pauci exponite.* Ubi verò ab eis audivit, quæ docebat ea rectæ fidei conſentanea non eſſe, ſtatim Monachos captos ad tribunal adduci jubet: ibi nudati vapulant, diuque fame vexati, cuſtodiæ traduntur. Dum hiſce diſſidiis magis magiſque exaſperantur animi, Proclus audiente Neſtorio in ampliſſimo cœtu de Deipara orationem habuit: neque adeò linguam repreſſit ſuam, quin diceret: *Clemens Deus ex muliere naſci non erubuit, quod enim agebatur, vita erat:* ingratumque Neſtorio θεοτόκ☉ verbum adhiberet. Procli concioni diem Martii XXV. eruditiſſimus aſſignat Garnerius,

Conc. Eph. p. 1. c. 13.

Conc. Eph. p. 1. c. 30.

quæ *annunciationis* dicitur. Perperàm tamen, ſi quis nos Chronologiæ odor afflavit. Die Dominicâ orationem Procli recitatam fuiſſe, ab Græcis Scriptoribus docemur: Ἐν μιᾷ κυριακῇ, ut narrant Theophanes, atque Cedrenus. Veterem quoque Chronologiam MS. ipſemet Garnerius laudat, ea continentem: Μίαν δὲ κυριακὴν ὥρισεν Νεστόριος τῷ Πρόκλῳ, *unam Dominicam Proclo conſtituit Neſtorius*. Atqui Martii quintus & vigeſimus anno Dom. CCCCXXIX. ſecundæ feriæ cohærebat, ut & literæ Dom. F. & Epactæ Sol. 2. Conjecturam Garnerius ut firmet ſuam, Græca ſic vertit, *Feſto ſolemniore*.

Garn. Præf. p. 20.

Quæ verſio ſi recta eſt, noſtrum ſanè perit argumentum, ex die Dominica petitum, quæ Martii XXV. non affigebatur. Verùm pro ſua eruditione Garnerius exemplis aliquot verſioni ſuæ fidem aſtruere debuit. Nobis vero facillimum eſt demonſtrare, τῇ κυριακῇ Dominicam diem Patribus ſignificari, Joannis ſermonem imitantibus, cui prima feria κυριακὴ dicitur. Clemens Alex. τὴν τε κυριακὴν ἡμέραν, *diem quoque Dominicum in decimo de Repub. ſit divinat.* Canon Apoſtolicus LXVI. *Si quis Clericus deprehendatur, τὴν κυριακὴν, die Dominico jejunans.* Nazianzenus Orat. 42. *Nonne prima κυριακὴ, Dominica Encæniorum erat*, p. 700. Epiphanius Expoſitione fidei Cath. p. 1105. κυριακὰς *Dominicas omnes, feſtas hilareſque Catholicas eſſe ſanxit Eccleſia.* Miſſo ergo Garneriano acumine, Procli ſermonem die ſexto Januarii, qui & Dominicus fuit, & Theophaniæ conſecratus, pronuntiatum eſſe exiſtimamus, quod & ipſe Proclus innuit: *Virginea Panegyris feſtâ hâc luce linguam ad laudem provocat.*

Apoc. 1. v. 10.

Clem. Str. l. 5. 437.

Neſtorii ſermones à Cyrillo refutantur.

XII. Cùm à cuncto conſeſſu plauſus Proclo multiplex datus eſſet, Neſtorius extemporali ratione Procli ſermonem refellit: *Qui Deum*, inquit, *ſimpliciter dicit, de Maria natum, primò omnium nobilitatem gentibus proſtituit dogmatis, atque exponens in medium, vituperandum id ridendumque proponit. . . . Ego natum & mortuum Deum & ſepultum adorare nequeo: aliud eſt autem dicere, quia nato de Maria conjunctus erat Deus ille, qui eſt Verbum Patris.* Tres iterum ea de re ſermones habuit, ex quibus unus eſt omnium prolixiſſimus, in quo teſtatur, illatas ſibi Hæreticorum contumelias, *ſe tanquam ranarum ſtrepitus irridere.* Cæterùm in ſuis orationibus Procli nomini pepercit. Ut porro & labem erroris ſibi inuſtam elueret, & opinionem diſſeminaret ſuam, homiliarum ſuarum aliquas in Ægyptum miſit, quibus mota controverſia eſt, rectène ſentiret, an ſecus. Metuens Cyrillus, ne Neſtorii in ſententiam aliqui deſcenderent, ad Ægyptios Monachos Epiſtolam ſcribit, cujus etiam exemplaria Conſtantinopolitanis nonnulla direxit. Epiſtolæ hujus aculeis Neſtorius pungebatur: *Audio exitiales quoſdam rumores inter vos proſeminatos, & nonnullos oberrare, qui ſinceram veſtram fidem demoliri ſtudeant, & inanium vocularum turbas eructantes, utrùm Deiparam appellare liceat Sacram Virginem, in controverſum vocare audeant. Præſtaret ſanè ejuſmodi quæſtionibus abſtinere . . . Quia vero fit probabile, contentioſos non defuturos, qui venenum, quod ſemel hauſerunt, veluti ſpicula quædam in imbecillorum animos defigere conabantur, operæ precium facturum putavi, ſi pauca quædam iis de rebus ad vos differerem.* Infandi diſſidii tuba hæc fuit. Ac ſi ſincerè loquendum, aliam Cyrillus inire rationem debuit. Fratrem, Coëpiſcopumque in urbe regia veluti in altiſſima ſpecula conſtitutum, datis literis prius monere debuit, quàm aculeatâ Epiſtolâ ad Conſtantinopolitanos miſſa perſtringere. Aliquid ſanè peccati portant Cyrilli verba, factum ſuum excuſantia: *Quandoquidem pietas veſtra ad me ſcribit, religioſiſſimum Neſtorium magnam ex iis literis cæpiſſe moleſtiam, quas ad monaſticam vitam agentes ſcripſi, fateri cogor, hos quidquid eſt ægritudinis, non tam ex me, quàm ex ejus religioſitate ortum eſſe.* Cauſatur quidem ſe, ad ſcribendum eò adductum fuiſſe, quòd anathema in eos detonantem, qui Virgini Deiparæ titulum imponebant, Dorotheum non modò non reprehendiſſet, ſed ad myſticam quoque communionem Neſtorius admiſiſſet. Noſtra tamen judicio charitatis & decentiæ legibus Cyrillus jubebatur, amicas prius Neſtorio querelas exponere ſuas, quàm vulgatis ubique locorum Epiſtolis ipſius famæ detrahere. Ut auditum Neſtorio, ſe Cyrilli literis vexatum eſſe, aliquid ſibi reponendum eſſe exiſtimavit. Quid geſſerit, verbis Cyrilli doceatur: *Ad Buphani Martyrium Diaconum, qui Eccleſiaſticorum negotiorum adminiſtrationi præfectus eſt, duas chartulas miſerunt, alteram à Photio, aut alius ejus fatiâ nomine contra commentarium, quem ad Monachos ſcripſeram compoſitam, alteram formâ quaternionis, cum nova planè & abſurda inſcriptione ad hunc modum: Adverſus eos, qui propter unionem, aut unigeniti Deitatem imminuunt, aut humanitatem deificant.* Neque famæ Cyrilli ſibi parcendum eſſe credidit, quam Alexandrini *homines civitatis feces*, Chæremon, Victor, Sophronas, & Flaviani puerulus deflorabant, & crebro, & tum maximè, quando Magiſtratus cogebantur. Variorum ſcelerum, furti, violentiæ convicti, pœnis Eccleſiaſticis ſubditi fuerant. Ab ejuſmodi hominibus tyrannidis Cyrillus accuſabatur.

Nest. Serm. 4.

Conc. Eph. p. 1. c. 2.

Conc. Eph. p. 1. c. 10.

Ibid.

Conc. Eph. p. 1. c. 12.

Cyrilli ad Neſtorium Epiſtola.

XIII. Miſſi Neſtorii in Ægyptum ſermones, ad Cœleſtinum quoque Romanum Epiſcopum directi ſunt, qui majorem in agendo & prudentiam, & æquitatem, quam Cyrillus adhibuit. Cœleſtinus quippe, necnon Antiſtites, qui ipſi adfuere, inquirendum exiſtimarunt, Neſtoriine chartulæ eſſent, an ab alio profectæ? Cùm porro ad Cyrillum rumor perveniſſet, Neſtorium nullum ipſius lædendi causâ lapidem non movere, ſimulque cognoviſſet Epiſtolam ad Monachos ſcriptam, offenſioni occaſionem præbuiſſe, is ſcripto Neſtorium ſibi eſſe adeundum putat. Quem ſic amicè ſatis compellat: *Ecquid nunc obſecro conſilii capiam? Namque à tua pietate conſilium petere compellor. Cœleſtino religioſiſſimo Rom. Eccleſiæ Epiſcopo, cæteriſque piiſſimis Epiſcopis, qui ipſi adſuere, inquirentibus, chartulæne illæ, quæ illùc ad ſe neſcio quomodo perlata ſunt, à tua pietate, an verò ab alio quopiam profectæ ſint?* Quibus Baronii error detegitur, exiſtimantis poſt Synodum Rom. anno ſequente coactam, eam Epiſtolam exaratam fuiſſe. Quem verba, *cæteris Epiſcopis* fefellere. Atqui Synodus Rom. non ignorabat, ſermones Neſtorii eſſe. In ea quoque Epiſtola miratur Cyrillus, Neſtorium non perpendiſſe animo exorta in fide diſſidia, non propter Epiſtolam ſuam, ſed propter ſermones, cujuſcunque ſint Autoris, excitata fuiſſe. Eò malum ſenſim perveniſſe, ut *Chriſtum nonnulli Deum appellari, ferè non patiantur*, ſed Divinitatis inſtrumentum. Neſtorium ergo hortatur, ut

Bar. An. 430. n. 12.

ANNO DOM. 429.

ut removendo ſcandalo unam hanc vocem *Theotocos* largitur. In urbe, in Oriente, in omnibus ubique gentium locis ob ſermones magna volutari murmura. Acceptis literis Neſtorius per *Lamponem* Presbyterum, clementer ſatis ſcribenti reſpondit: *Quod ad nos ipſas attinet, etſi non pauca à pietate tua deſignata ſint fraterna charitati parum congruentia, ſcribimus animi æquitatem conſervantes, & ſalutationis officium per literas cum charitate implemus.* Quam Epiſtolam cur *arrogantiâ ſummâ, atque tumore refertam*, Baronius dicat, prorſus neſcimus. Quanti ſanè probitatem fecerit, diſertè teſtatur: *Ut quod res eſt fatear, non mediocrem cujuſcunque Chriſtiani probitas timorem afferre ſolet.* De pietate quoque Cyrilli multa jactari prædicat. Hæccine ſunt *arrogantia ſumma plena?*

Conc. Eph. p. 1. c. 6.

Bar. An. 429. n. 32.

Neſtorius de Pelagianis, & Cyrilli fautoribus Cœleſtino ſcribit.

XIV. Cùm Cyrilli ex Epiſtola Neſtorius compertum haberet, ſermones ſuos in urbem miſſos fuiſſe, oblatam ſibi occaſionem amplectitur ſcribendi Cœleſtino, ad quem prima hæc ejus eſt Epiſtola: *Fraternas nobis invicem debemus collocutiones, valut verâ inter nos ſecundum Scripturas obtinente concordiâ, pugnatur in Diabolem, pacis inimicum.* Quem locum reſtituit Garneriana Marii Mercatoris editio. Subjungit, Julianum, Florum, Orontium & Fabium, dicentes, ſe Occidentalium partium Epiſcopos ſæpius Theodoſium adiiſſe, ſuaſque cauſas defleviſſe, tanquam Orthodoxos orthodoxis temporibus perſecutionem paſſos: ſæpius tamen fuiſſe rejectos. Sibi verò opus eſſe de tali cauſa inſtrui, ne Imperator expoſtulantium precibus moleſtiâ afficiatur. Ulterius progreſſus Cœleſtinum monet errorum, quibus Conſtantinopoli nonnulli laborabant: adeò ut *apertè blaſphement Deum Verbum Patri ὁμοούσιον, tanquam originis initium de χριστοτόκῳ Virgine ſumpſiſſet, cum Templo ſuo ædificatum eſſe, & carne ſepultum... Sed & Virginem χριστοτόκον auſi ſunt modò quidam dicere: hanc verò θεότοκον vocantes non perhorreſcunt, quando Sancti illi, & ſupra omnem prædicationem Patres per Nicæam nihil amplius de Sancta Virgine dixiſſe leguntur, niſi quia Dominus noſter J. C. incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine.* Baronius Epiſtolam anno CCCCXXX. aſſignat: perperàm ni fallimur, cùm enim labente hoc anno primam Cyrilli acceperit Epiſtolam, quæ de mota Cœleſtino ob Neſtorii ſermones offenſione mentionem egit, eſt prorſus incredibile, quòd non è veſtigio ad ſcribendum Cœleſtino Neſtorius animam non appulerit.

Mar. Merc. Gar. p. 66.

ANNO DOM. 430.

ANNO U. C. 1183. PER. JUL. 5143. JUL. 475. DOM. 430. THEODOS. 29. & 23. VALENTIN. 5. & 6. *Sol.* 19. E. *Lun.* 13. *Indict.* 13. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Aug.* XIII. *& Valentinianus Aug.* III.

Suevi in Hiſpania vexantur.

I. SUevi, qui in Hiſpania morabantur, furori ſuo perfidiæque fines non ponebant. Barbaris id unum curæ fuit, ut ex prædis ſuis, violato fœdere, pecunias redigerent. Quæ ſcelera non ſunt impune perpetrata: *Suevi ſub Hermerico Rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem, quæ caſtella tutiora retinebat, acta ſuorum partim cæde, partim captivitate, pacem quam reperant, familiarum quas tenebantur, redhibitione reſtaurant.*

Idac. Chr.

ANNO DOM. 430.

II. In Gallia illuſtrabatur magnis in Rempublicam meritis virtus Ætii, qui Gothos non minimâ afficit clade, cujus meminit & Idacius: *Per Ætium Comitem non procul de Arelate quædam Gothorum manus extinguitur. Anaolſo Optimate eorum capto. Juthungi per eum ſimiliter debellantur, & Nori.* At victoriæ ſuæ gloriam ſcelere deturpavit, muliebrique ſanguine. Felice ad patritiam dignitatem evecto, Ætius Magiſter Militum creatus fuerat. Cui Felix vitioſâ æmulatione invidens inſidias ſtruit. Hoc ubi novit Ætius, inimicum prior ferro occupat, quod Proſper memoriæ mandavit: *Ætius Felicem cum uxore ſua Spaduſia, & Grunnitum Diaconum, eos inſidiari ſibi cùm præſenſiſſet, interimit.* Cædis ſcena Ravennæ fuit, Idacio teſte: *Felix, qui dicebatur Patricius, Ravennæ tumultu militari occiditur.*

Ætius occidit Felicem.

III. At in Africa Vandali luctu, ſanguine, lachrymis omnia miſcebant. Nulli ſexui parcebant, ætati nulli, non Sacerdotibus, non Diaconis, non Eccleſiis. Rem lugubrem exequitur Poſſidius, qui de Auguſtino tantarum cladium teſte, hæc habet: *Videbat civitates excidio perditas, pariter cum ædificiis, villarumque habitatores, alios hoſtili nece extinctos, alios effugatos atque diſperſos, Eccleſias Sacerdotibus ac Miniſtris deſtitutas, Virginesque ſacras, & quoſcunque continentes abique diſſipatos, & in his alios defeciſſe tormentis, alios gladio interemptos eſſe, alios in captivitate, perditâ animi & corporis integritate, ac fidei mala more & dura hoſtibus deſervire. Cernebat enim hymnos & laudes de Eccleſiis deperiiſſe, & ædificia Eccleſiarum quàm plurimis in locis ignibus concremata eſſe. Solemnia quoque, quæ Deo debentur, de propriis locis defeciſſe: ſacrificia ac ſacramenta divina non quæri, vel quærenti qui tradat, non facilè reperiri... Vix tres ſuperſtites videbat, ex innumerabilibus Eccleſiis, hoc eſt, Carthaginenſem, Hipponenſem, & Cirtenſem, quæ Dei beneficio exciſæ non ſunt.* Hipponem Regium Vandali obſidione cinxerant, quam fame coacti deſeruerant, ſi Procopio fides. Ecce iterum ſe hujus urbis obſidioni accingunt, Maloque præcipiti oppugnant. Vim Vandalicam menſibus quatuordecim civitas ſuſtinuit. Quibus labentibus, Hipponenſes barbaro ferro dirior hoſtis invadebat, lues ſcilicet acerba, ut ſepeliendis defunctorum corporibus vix aliqui reperirentur. Itaque anno proximè ſequente, cùm urbs Vandalorum in poteſtatem redacta eſt, *incolis deſtituta ab hoſtibus fuit concremata.* Rem exponat Poſſidius, qui teſtis obſidionis oculatus fuit: In urbis hujus *defenſione fuerat conſtitutus Comes quidam Bonifacius, cum Gothorum quondam fœderatus exercitu. Quam urbem ferè quatuordecim menſibus concluſam obſederunt, nam & littus illi marinum interclusione abſtulerunt. Quo etiam nos ipſi de vicino cum aliis noſtris Coëpiſcopis confugeramus, in eademque omni obſidionis tempore fuimus.*

Vandalorum in Africa furor. Hipponem obſident.

Poſſ. de vit. Aug. c. 28.

IV. Ab Hipponenſi obſidione facilis ad res Eccleſiæ tranſitus. Suæ civitatis mœnibus includebatur Auguſtinus, dum Barbarorum exercitu cinguntur. Optimo Præſuli non minimum doloris attulere Hipponenſium calamitates, cui tamen felicitati fuit, quòd prius exceſſerit, quàm maximus miſeriis cumulus accederet. Patienter, & ut virum Chriſtianum decet, illatam Africæ

Mors Auguſtini.

Africæ cladem intuebatur, ac ſe pulchrâ hâc ſententiâ ſolabatur: *Non erit magnum quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales*, cùm Hipponem Vandali cinxere. Fletibus atque precibus cum collegis, qui eo confugerant, cœlum tundebat. Fortè dum menſæ cum eis accumbit, hæc locutus eſt: *Noveritis me hoc tempore noſtræ calamitatis id Deum rogare, ut hanc civitatem ab hoſtibus circumdatam, liberare dignetur, aut ſi aliud ei videtur, ſuos ſervos ad perferendam ſuam voluntatem fortes faciat, aut certè, ut me de hoc ſeculo accipiat.* Neque ſuis Hipponenſibus defuit, apud quos frequenter, *alacriter, fortiter, ſanâ mente* conciones ad extremam uſque ægritudinem habuit. Trimeſtri jam obſidione civitas premebatur, cùm dolore morboque obrutus, corpus impoſuit lecto. Dum febri corripitur, miraculum ab eo patratum, ſcribit Poſſidius. Quidam cum ægroto ad decumbentem accedit, rogans ut manus imponeret, quo ſanaretur. Oranti reſpondit Auguſtinus: *Si aliquid in his poſſet, ſibi hoc utique primitùs præſtitiſſet.* Tum homo ſibi per ſomnium dictum eſſe perhibet: *Vade ad Auguſtinum Epiſcopum, ut ei manum imponat, & ſalvus erit.* Quo facto, ſanitati æger eſt reſtitutus. In ea ſententia Auguſtinus erat, ne vel laudatiſſimos, & Chriſtianos & Sacerdotes abſque pœnitentia debere mortis ſolvere debitum: Itaque *ſibi juſſerat Pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi, de Pœnitentia ſcribi: ipſoſque quaterniones jacens in lecto, contra parietem poſitos, diebus ſuæ infirmitatis intuebatur & legebat, & jugiter ac ubertim flebat. Et ne intentio ejus à quoquam impediretur, antè dies fermè decem, quam exiret de corpore, à nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis, quibus Medici ad inſpiciendum intrarent, vel cùm ei ejus inferretur refectio.* Integris & oculis & auribus, Poſſidio aliiſque Epiſcopis orantibus, animam Deo reddidit. Diem Proſper eximit oblivioni: *Auguſtinus Epiſcopus, per omnia excellentiſſimus, moritur v. Kal. Septembris, libris Juliani inter impetus obſidentium Vandalorum, in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeverans.* De ſupremo Auguſtini anno Proſpero plus eſt habendum fidei, quàm Marcellino, qui ſuperiore anno vitæ curriculum ab Auguſtino confectum eſſe tradit, quod & perperàm *Capellus* ſtatuit. Natus erat Auguſtinus anno Dom. CCCLIV. Idibus Novembris. Vixit ergo annos LXXV. menſes novem, dies XVI. Quæ ad memoriam optimi Præſulis cohoneſtandam pertinent, proſequamur: *Teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Chriſti non habuit. Eccleſiæ Bibliothecam, & omnes Codices diligenter poſteris cuſtodiendos ſemper jubebat. Si quid verò Eccleſia vel in ſumptibus, vel in ornamentis habuit, fideli Presbytero, qui ſub eodem domus Eccleſiæ curam gerebat, dimiſit, nec ſuos conſanguineos, vel extra conſtitutos, in ſua vita & morte more vulgi tractavit. Quibus dum adhùc ſupereſſet, id ſi opus fuit, quod & cæteris erogavit: non ut divitias haberent, ſed ut aut non, aut minus egerent.* More ſolito monumento conditus eſt, *& pro ejus commendanda corporis depoſitione ſacrificium Deo oblatum eſt.* Morte præventus Auguſtinus, Epheſinæ Synodo, ad quam Theodoſii literis invitabatur, intereſſe non potuit. Hæc nos Liberatus monuit: *Scripſit Imperator, & B. Auguſtino per Ebagnium Magiſtrianum, ut ipſi Concilio præſtaret ſuam præſentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo, urbis ipſius Antiſtite, B. Auguſtinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum. Accepiis ab eo ad Imperatorem literis loquentibus de obitu B. Auguſtini, Conſtantinopolim, unde venerat, rediit.* Ex Theodoſii ad Auguſtinum Epiſtola apparet, ubique locorum exiſtimatione & pietatis & eruditionis ipſius floruiſſe Epiſcopatum. Non ſine Dei præſidio, dum barbari ignes Hipponem vaſtant, ſcripta Auguſtini eximuntur incendio, quibus & Eccleſiæ maximè profuit. Eccleſiæ, Patrumque multis Sancti Præſulis memoria venerationi fuit. In uno certè Auguſtini nomine magnus extat laudum cumulus. Felix quòd debellato Pelagianiſmo, victricis gratiæ gloriam imprimis illuſtrarit. Longè tamen felicior, ni in eam deſcendiſſet ſententiam, quòd Principum autoritate homines ad fidem cogi poſſent. Qua & Vandali machinas adverſus Africæ Eccleſias admoverunt, ut ad Religionem ſuam Catholicos perducerent. Auguſtini ad commendationem facit oratio Willelmi Abbatis, in commemoratione S. Auguſtini ante Miſſæ conſecrationem: *Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, & famulæ tuæ, & ſi quid pro anima filii ipſorum, Domini mei Auguſtini dilectiſſimi Confeſſoris tui, mihi miſero peccatori licet, vel intimo cordis affectu deſiderare, utinam non omnimodo inutiliter ipſa tibi mea loquatur voluntas. Scio equidem, Domine, & pro certo agnoſco, eſſe me peccatorem & infeliciſſimum. . . Illum autem fuiſſe in hac præſenti vita ſanctum, juſtum, pium, omnibuſque virtutibus mirabiliter exornatum: nunc autem omni honore & gloriâ in conſpectu tuo mirificè ſublimatum, ubi magis ac magis glorificetur & magnificetur, deſidero, & opto, & in quantum præſumere audeo, exoro.* Eò quoque pertinet Regis Luitprandi de Auguſtini reliquiis cura, quam Warnefridus memorat, in ſua de geſtis Longobardorum Hiſtoria, l. VI. c. 48. *Luitprandus audiens, quòd Saraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem Barbarorum olim tranſlata, & honorificè fuerant condita, fœdarent, miſit eò, & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in urbem Ticinenſem, ibique cum debito tanto Patri honore condidit.*

Poſſid. vit. Aug. c. 31.

Liber. Brev. c. 5.

Mabillon. Anal. t. 1. 182.

V. Auguſtini mortem proximè excepit Aurelii Carthaginenſis obitus, qui in annum CCCCXXXI. differri poſſe non videtur, cùm Ebagnius à Theodoſio ad Auguſtinum miſſus Capreolum jam Carthagini ſedentem invenerit. Eruditorum conſenſu rejicitur Baronii ſententia, qui Genethlium, quem perperàm *Genedium* vocat, Aurelio jam ætate confecto, coadjutorem datum exiſtimat. Epiſcopatum anno circiter CCCXCI. inierat, Auguſtinumque peculiariter foverat. Itaque cùm accepiſſet, Monaſteria & Tagaſte, & Hippone condita ab eo fuiſſe, vocatis Carthaginem Auguſtinianis, agrum ædificando Cœnobio aſſignavit; quamobrem Auguſtinus ei gratias retulit: *Agrum fratribus datum proviſione & liberalitate tuâ didicimus. Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coaleſcere, tantâ tibi prærogativâ obſtrictus eſt, ut locis terrarum tantum disjunctis, ita nobis conſulueris tanquam præſentiſſimus ſpiritu.* Honorem ut Aurelio redderet Auguſtinus, plures ei libros nuncupavit. Volumen ſcilicet de Trinitate, librum de Opere Monachorum, & de Geſtis Palæſtinis. Binas adverſus Pelagianos Provinciales Synodos,

Aurelii Carthaginenſis obitus.

Aug. Ep. 64.

Anno Dom. 430.

nodos, totidemque plenarias coëgit. Propterea laudibus à Proſpero multis affectus fuit:

Prosp. de Ingrat.

Annaleum in finem potuit procedere Sanctum Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat.

Non aſſentimur Schelſtrato, aliiſque eruditis, qui Aurelii obitum anno ccccxxvi. vel ſequentem contulere, Anno quippe ccccxxix. vitam adhùc retinebat, ut Marii Mercatoris ex Commonitorio, Orientis Imperatori anno ccccxxix. oblato colligitur. Cœleſtius Carthaginem venit, *ibique de infrà ſcriptis capitulis apud Aurelium Epiſcopum memoratæ urbis* accuſatur. Quòd ſi tum defunctus fuiſſet, tam de Aurelio, quàm de Attico, Zozimoque dixiſſet utique Mercator, *ſanctæ memoriæ Epiſcopo.* Quos ergo arctiſſimis amor vinculis conjunxerat, Aurelium & Auguſtinum, mors eodem anno obita ſeparare non voluit. Præfuit Africæ Aurelius annos præter propter quadraginta, debellatis Donatiſtis, proſtratis Pelagianis, Ethnicorum Templis Chriſtianæ religioni conſecratis apprime nobilis. Relatis Occidentis rebus, in Orientem migremus.

Theodoritus Hiſtoriam abſolvit ſuam.

VI. Scribenti offert ſe nunc Hiſtoria Theodoriti, quæ ad labentem uſque annum perducitur. Adeſt ipſum Theodoriti teſtimonium: *Ego verò hoc loco ſcribendi finem faciens, ab iis qui hæc lecturi ſunt, poſtulo, ut laborem noſtrum precibus ſuis remunerentur. Quinque autem & centum annorum ſpatium res geſtas hæc Hiſtoria complectitur. Ab Arii quidem veſania ducens exordium, deſinens verò in obitu præſtantiſſimorum virorum Theodori, atque Theodoti,*

Theodorit. l. 5. c. 40.

Error Baronii.

Baronius aliam Chronologiam amplexus, abſolutam anno ccccxxvii. Theodoriti Hiſtoriam ſtatuit. Orditur Hiſtoriam, inquit, *à Licinii exitu, quem occidi vidimus anno Dom. 323. Ab eo anno ſi incipias numerare annorum centum & quinque periodum, ad uſque annum* ccccxxvii. *pervenies.*

Bar. An. 427. n. 35.

Quin falſiſſima ſit Baronii hæc Chronologia, nulli dubitamus. Anno ccccxxviii. Theodorus Mopſueſtenus adhùc erat inter homines, utpote qui à Neſtorio Conſtantinopolim properante viſitatus ſit, referente apud Evagrium Theodulo. Præterea anno cccxxv. Licinius periit, eſt itaque ab eo principio Hiſtoria Theodoriti deducenda: *Euſebius*, inquit, *Palæſtinus à Sanctiſſimorum Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſiis geſtas, uſque ad Deo acceptum Conſtantini Principatum perſcripſit.*

Theodorit. l. 1. c. 1.

Eſt autem extra dubium, Principatum illum intelligi, qui Collegæ expers fuit, cùm ſolus extincto Licinio Conſtantinus rerum potiretur. De imperio quidem, quod anno cccvi. Conſtantinus adiit, Theodoritus accipi nequit. De plena conſummataque Conſtantini monarchia anno cccxxv. inchoata, Theodoritum locutum eſſe, tradit Gennadius: *Sunt & ejus decem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris, quos imitatus Euſebium Cæſarienſem, conſcripſit, incipiens à fine librorum Euſebii, uſque ad ſuum tempus, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini uſque ad imperium Leonis Senioris deduxit.* Rectè in Vicennalibus Conſtantini, anno cccxxv. cohærentibus, Theodoriti Hiſtoriæ collocat initia, Quanquam famâ duntaxat obſcurâ Gennadium hujus Hiſtoriæ in notitiam veniſſe liqueat, quæ nec libris *decem*, ſed *quinque*, continetur, nec ad *Leonis*, ſed ad *Theodoſii* uſque tempora perducta eſt. Conſtituto Hiſtoriæ Theodoriti principio, annus quo abſoluta eſt, facilè reperitur, Annos complectitur centum & viginti, qui ſi annis cccxxv. addantur, in quibus Hiſtoriam Euſebius ſuam abſolvit, ad annum ccccxxx. perveniemus, quo manum ultimam Operi ſuo Theodoritus impoſuit. Præclara quidem habet Theodoriti Hiſtoria. At ſi verum volumus, in Chronologicis non ſatis eſt elaborata. Hanc quoque ſugillat Gregorius Magnus ob laudes, quibus Theodorum Mopſueſtienſem affecit, licet errante calamo *Sozomeni* nomen poſuerit: *In Hiſtoria autem Sozomeni de quodam Eudoxio, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narrantur.* Quæ cum nullo veſtigio in Sozomeno repetiantur, ſed diſertè extent in Theodorito, quin Gregorius memoriæ vitio lapſus ſit, Canus Valeſiuſque nulli dubitant: *Sed ipſam quoque Hiſtoriam Sedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimium laudat, atque uſque diem obitus ſui magnum Doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet.*

Greg. l. 6. Ep. 31.

Memoriâ tamen Gregorium non erraſſe, uti Melchior Canus contendit, Baronius probat: *Multa*, inquit, *Sozomeni in Hiſtoria deſiderantur, quæ exciderunt, & illa ipſa tempora, in quibus de Theodoro Mopſueſteno tractandi ſe ingerebat occaſio.*

Bar. An. 327. n. 30.

Argumento ipſi eſt Sozomeni Præfatio ad Theodoſium, quæ teſtatur, Opus ad uſque Imperatoris Conſulatum xvii. hoc eſt, annum Dom. ccccxxxix. progredi. Hanc tamen illuſtriſſimi Purpurati conjecturam refellit Valeſius: Quippe *Gregorii Magni temporibus Hiſtoria Eccleſiaſtica Sozomeni nihil amplius continebat, quam quod nunc habemus.* *Certè Caſſiodorus, qui diu ante Gregorium vixit, & qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sozomeni Tripartitæ ſuæ intexuit, integriores Sozomeni Codices non habuit.* Porro etſi ad annum uſque ccccxxx. Hiſtoriam Theodoritus ſuam perduxerit, non eſt tamen credendum, tum temporis abſolutam fuiſſe. Ea quippe narrat, quæ octennio pòſt geſta ſunt. Chryſoſtomi ſcilicet reliquiarum tranſlationem, anno Dom. ccccxxxviii. cohærentem, Theodoſio xvi. & Fauſto Coſſ. Cujus ſolemnitatis Theodoritus mentionem fecit libri v. c. 36. Anno quadringenteſimo quinquageſimo Hiſtoriam Theodoriti conditam fuiſſe, ex ipſius verbis colligit Pagius: *Triginta jam elapſis annis permanſit, à Magis tanquam quibuſdam ventis ac turbinibus ſuſcitata tempeſtas.*

Theodorit. l. 5. c. 39.

Firma tamen viri doctiſſimi conjectura non videtur. Quem enim de bello Romanos inter & Perſas orto Theodoriti locum intelligit, is ſanè non ad bellum, ſed ad Chriſtianorum in Perſide perſecutionem à Magis excitatam pertinet. Deinde cùm Theodoritus perſecutionis hujus ab Iſdigerdis regno ducat initium, ex Theodoriti Chronologia triceſimus, cujus ille meminit, annus in quadringenteſimum quinquageſimum non incidet. Periit enim Iſdigerdes anno ccccxx. poſt exortam, ſi Theodorito fides, ob imprudens Abdæ facinus Eccleſiæ Perſidis venationem.

Sanguine Eccleſia Conſtantinopolitana polluitur.

VII. In urbe regia facinus perpetratum eſt, à multis pro malo omine exiſtimatum. Præpotentis viri ſervi, gente Barbari, qui Domini ſui atrocitatem experti, ad Eccleſiam confugerant, ſtrictis gladiis ad ipſum altare proſilierunt. Qui nec precibus, nec ullâ ratione adduci potuere, ut inde abducerentur. Impedimento erant, quominus divinum celebraretur officium, & plurimis diebus evaginatos vibrantes gladios quemvis ad ſe accedentem ferire parati erant.

Anno Dom. 430.

Tandem cùm ex Clericis unum interfeciſſent, alium autem vulneraſſent, ſeipſos interemerunt. Quidam ex iis qui aderant, Templi profanationem nil boni portendere, laudatis veteris Poëtæ carminibus aſſeruit:

Socr. l. 7. c. 33.

Namque hæc malorum ſigna ſunt plurimum,
Cùm ſacra divum Templa pollnit ſcelus.

Hoc facinoris occaſionem Theodoſio præbuit conſcribendi Legem de azylis: *Pateant ſummi Dei Templa timentibus:* quæ x. Cal. April. anno 431. data eſt.

Secunda Cyrilli ad Neſtorium Epiſtola. Quando ſcripta.

VIII. Tempus eſt eorum mentionem fieri, quæ Neſtorii in negotio ſunt adminiſtrata. De doctrina ſua ſilentium egerat in Epiſtola, quam Cyrillo ferendam *Lamponi* dederat. Quod cùm ei admirationem effeciſſet, placuit iterum ſcripto tantum interpellare ſilentium: *Intelligendo quoſdam*, inquit, *mea apud tuam pietatem exiſtimatione detrahere, multaque temere effutire*: quaſi ipſius auribus oblectationis aliquid allaturi. Eorum tamen calumnias Cyrillus ſprevit, ac pro nihilo habuit, perſuaſus maledicos coram omnium Judice cauſam dicturos. Ad res verò majoris momenti converſus, Neſtorium monet, ut prudenter ſincerèque fidei doctrinam proponat: cui præſtando Patrum ſcripta & evolvi opus eſt, & magni fieri. Adhibitâ vero Nicæni Concilii autoritate, oſtendit Dei Filium incarnatum, & hominem factum, paſſum eſſe. Dei Verbum quidem nil vulnerum accepiſſe: ipſius verò corpus

Conc. Eph. p. 1. c. 8.

Verbo conjunctum, plagis acceptis coopertum fuiſſe. Quòd ſi hypoſtaticam conjunctionem reſpuimus, eò prolabimur, ut duos Filios eſſe dicamus. Scripturâ non doceri, Dei Verbum hominis ſibi perſonam, ſed carnem aſciviſſe. Ex hac Epiſtola duos Baronio errores evellimus.

Bar. An. 429. n. 32.

Prior ille eſt, quòd anno ſuperiore confectam Epiſtolam exiſtimet. Atqui in Concilio Chalcedonenſi, Actione primâ legimus, Epiſtolam datam eſſe Indictione XIII. Epiſtolæ

Error Baronii.

ſiquidem titulus ille præfigitur: *Reſcriptum Epiſtolæ religioſiſſimi Cyrilli Alexandriæ Epiſcopi ad Neſtorium, menſe Mechir, Indictione XIII.* Quæ notæ temporis annum non Dom. CCCCXXIX. afficiunt, ſed illum ipſum, qui nunc labitur. Scripta igitur eſt Epiſtola in eo ſpatio, quod à Februarii XXVI. incipiens, Martii XXIV. deſinit. Licentius adhùc Baronius errat, dum Cyrillo impoſitas fingit calumnias ejuſmodi, quòd

Bar. An. 429. n. 41.

ferrum in matrem ſtrinxerit, aurumque alienum abſtulerit. Ex eo præjudicio magnis in miſerum Neſtorium clamoribus invehitur. Ac ut Cyrillum tantâ purget infamiâ, in judicio Epheſino, *Ne unus*, inquit, *auſus eſt de his adverſus Cyrillum Libellum accuſationis offerre.* Nil tamen opus erat, ut Cyrillo ſe defenſorem illuſtriſſimus Purpuratus conſtitueret, cùm ea crimina non Cyrillo quidem, ſed ipſius accuſatoribus objecta

Conc. Eph. p. 1. c. 8.

fuerint, teſte vel ipſo Cyrillo: *Homines nullâ unquam à me injuriâ affecti, ſed ſalubriter tantum convicti. Hic quidem, quòd cæcos egenoſque per injuriam oppreſſiſſet: alius quòd ferrum in matrem ſtrinxerit: alius quòd ancillæ præſidio aurum alienum abſtulerit.* Flagitioſorum edit nomina Cyrillus in ſua ad Conſtantinopolitanos Clericos Epiſtola. Quatuor erant numero, *Chæremon,*

Conc. Eph. p. 1. c. 12.

Victor, Sophronas, & facinoroſi Flaviani puerulus. Sophronæ quoque in nomine Baronius peccat, dum ipſum vocat *Sophronium*, qui Græcè dicitur Σωφρόνας, *Sophronas.* Non Neſtorium modò, ſed Clerum quoque Conſtantinopolitanum compellat Cyrillus, teſtatus ſe comperiſſe, *Anaſtaſium* Presbyterum pacis & amicitiæ ſtudium ſimulaſſe: dixiſſe ſe, eadem quæ Cyrillus docet, ſentire: ſacrum Synodum Nicænam de voce Deiparæ nil mentionis feciſſe. Clericos verò monet, ut Neſtorius cum ſuis interrogetur, *Ubinam Chriſtotocon aut Theodocon ſcriptum comperevint.* Teſtatur & Libellum ſupplicem ob ipſis ſibi miſſum, qui Imperatori porrigendus eſt, accepiſſe & legiſſe, hactenus tamen ſuppreſſiſſe: *Ne*, inquit, *adverſus nos Neſtorius inſurgens, ſe per nos hæreſeos apud Imperatorem delatum cavilletur. Itaque aliis verbis illum dictavimus.* Neſtorii quoque ſtudioſum paciſque amantem monitum ivit, fortunarum ſe omnium jacturam ſubiturum alacriter eſſe, nequid caritate prius habere videretur. Omnia verò eſſe fidei poſtponenda, quia Epiſcopi non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus Fidelibus rationem ſunt reddituri.

Anno Dom. 430.

Conc. Eph. c. 12.

Conc. Eph. c. 99.

Neſtorii & ad Cyrillum reſponſum, & ad Cœleſtinum de Pelagianis Epiſtola.

IX. Acceptâ Cyrilli Epiſtolâ Neſtorius, de doctrina ſua agere ſilentium injurioſum ſibi putavit, quaſi ob falſitatem in occulto fidem relinquere ſuam cogeretur. Viciſſim ergo Cyrillum monet, ut attendat lectioni, quòd nempe Sanctorum Traditiones obiter legens, inſcitiam veniâ dignam hauſerit. Divinum Patrum chorum nunquam docuiſſe, aut patibilem Dei Verbo naturam, aut recens natam eſſe: ſed ea verba adhibuiſſe, quæ naturam utramque ſignificant: Laudat Cyrillum, quòd diſtinctionem quidem naturarum ſecundum divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una perſona conjunctionem prædicet. Sequentia verò non cohærere ait antecedentibus: *Etenim*, inquit, *quem antè, neque patibilem, neque ſecundæ generationis capacem prædicaveras, hunc ipſum rurſum patibilem, nuperque neſcio quomodo productum aſſeveras.* Gratias etiam Cyrillo refert, quòd rerum ſuarum curam habeat: *Verùm à Clericis fortaſſe tuæ pie-*

Conc. Eph. p. 1. c. 9.

tatis, qui quòd Manichæorum hæreſi infecti eſſent, à ſacra Synodo exauterati hìc ſunt, deluſum te ſcias. Nam res Eccleſiaſticæ quotidie creſcunt. Cùm porro de Pelagianis Conſtantinopoli degentibus Neſtorius à Cœleſtino reſponſi nil accepiſſet, ſilentem novâ Epiſtolâ excitare voluit: *Sæpè ſcripſi beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium, & cæteros, qui ſibi uſurpant Epiſcopalem dignitatem. . . Adhùc uſque ſcripta de his à tua veneratione non ſuſcepimus. Condolere eis, ſi verò Hæretici ſunt, crimen eſt; & iterum non condolere, ſi calumniam ſuſtinent, durum & impium eſt.* Addit multum ſibi laboris injunctum eſſe, ut Apollinaris Ariique erroribus Eccleſiam purget, quibus & illi laborant, *qui corporis paſſiones audent ſuperfundere Deitati unigeniti.* Hujus Epiſtolæ lator *Valerius Cubicularius.* Hìc Chronologia noſtra à Garneriana diſſidet, quæ hanc anno 429. Epiſtolam aſſignat. Quippe ſi tum ſcripta fuit, perit utique ratio taciturnitatis, quam Cœleſtinus affert, reſcribens Neſtorio:

Conc. Eph. p. 1. c. 18.

Dudum ſumpſimus Epiſtolas tuas, quibus in anguſto nihil potuimus dare reſponſi, erat enim in Latinum ſermo vertendus, quod cùm licet ſerò facimus, ſancti fratris & Coepiſcopi mei Cyrilli probatiſſimi Sacerdotis per filium meum Poſſidonium Diaconum, talia de te ſcripta ſuſcepimus, quibus his, qui de tua ordinatione retulerant, periiſſe ſuum teſtimonium doleremus. Scriptæ ſunt eæ literæ III. Idus Auguſti, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. Quo caſu ridicula fuiſſet excuſatio moræ, ad vertendam Neſtorii Epiſtolam requiſitæ,

ſe

ANNO DOM. 430.

ſi anno ſuperiore ea in urbem perveniſſet. Deinde dum Latinè vertitur, advenit in urbem cum Cyrilli literis Poſſidonius, qui non antè profectus eſt Alexandriâ, quàm eò afferretur poſterior Neſtorii ad Cyrillum Epiſtola, quâ monita omnia reſpuebat, & Cyrillum erroris arguebat. Teſletur Cyrillus: *Hortatus ſum illum per literas, ut à perverſa illa doctrina reſipiſceret. Sed hactenus nil quidquam promovimus.* Jam verò nobis auditum eſt, monita illa Cyrilli ad Neſtorium data eſſe menſe Mechir, Indictione XIII. labente hoc anno. Secunda ergo Neſtorii ad Cœleſtinum Epiſtola anno non CCCCXXIX. ſed CCCCXXX. ſcripta fuit. Ac ſanè admitti ullâ ratione nequit ſententia Garnerii de Poſſidonii Romam adventu, quem cum anno CCCCXXIX. copulat: quâ Chronologiâ & veritati & ſibi pugnat, dicenti, *Non à Poſſidonio pluſquam duobus menſibus expectatum, donec reſponderetur.* Atqui Cœleſtini data reſponſio eſt Auguſti menſis XI. die, anno Dom. CCCCXXX. Neque momenti eſt alicujus ratio Garneri, quæ ex M. Mercatoris Commonitorio, quod obtulit, Florentio & Dionyſio Coſſ. petitur. Quaſi verò anno CCCCXXIX. præcipiti offerri Theodoſio Commonitorium non potuerit, & menſibus aliquot elapſis Pelagiana cohors urbe regiâ pelli. Quod & anno duntaxat CCCCXXX. factum fuiſſe, ex ſecunda Neſtorii ad Cœleſtinum Epiſtola deprehendimus.

Conc. Eph. p. 1. c. 14.

Garn. Præf. p. 17.

Cyrilli ad Principes Libelli. Poſſidonium ad Cœleſtinum mittit.

X. Neſtorii reſponſione exacerbatus animo Cyrillus, machinas ſibi omnes adhibendas eſſe putat ad opprimendum Neſtorium. Ejus in Epiſtola ea legerat, quibus veluti aculeis pungebatur: *Imperatores propter dogmatis illuſtrationem in ſumma lætitia vitam agunt, & ut verbo concludam, illam de cunctis hæreſibus Deum impugnantibus, rectâque Eccleſiæ doctrinâ vocem apud nos quotidie ad effectum deduci comperias; domus Saul attenuabatur, domus verò Davidis invaleſcebat.* His animadverſis, nil Cyrillo deliberatius fuit, quàm ut laudibus blandimentiſque partibus Theodoſium ſuis conjungeret. Itaque elegantiſſimam ad eum Epiſtolam mittit, quâ narrat, à Deo munus illuſtre ad Imperatorem defluxiſſe, quo ſummæ illius majeſtatis veſtigium, & quaſi ſimulacrum in terris exhiberet: *Cohortes veſtræ*, inquit, *bellicoſiſſimæ militariſque diſciplinæ peritiſſimæ, ac triumphis agendis nunquam non aſſueſactæ, terrarum orbem ſubjugarunt. Vos proinde totus Oriens, vos totus canit Occidens.* Præmiſſis laudibus ad explicandum Incarnationis Dominicæ myſterium accedit. Clariſſ. Du Pin eum Libellum, necnon tractatum ad Reginas menſe *Novembri* editum fuiſſe putat. Nos citius vulgatum exiſtimamus; cùm nil mentionis egerit de Neſtorii à Synodo Rom. damnatione, quam dubio procul non omiſiſſet, utpote idoneam evertendo Neſtorio. Verùm nil opus rationibus, cùm Theodoſii ad Cyrillum Epiſtola, XIX. Novembris ſcripta, noſtram Chronologiam ſtatuat; in ea queritur Imperator ſibi privatim, aliam verò Pulcheriæ, Cyrillum Epiſtolam miſiſſe. Eudoxiam quoque, Pulcheriamque ſibi conciliare Cyrillus conſtituit, miſſâ ad eas altiſſimâ Epiſtolâ, cujus initium eſt: *Sanè vos ſacras, caſtiſſimaſque Chriſti omnium noſtrum Servatoris ſponſas, religioſiſſimæ ac Deo dilectiſſimæ Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, ſanctiſſimarumque Eccleſiarum decus optimo jure quiſquam appellarit.* Hocce libro Lectoribus utilitatis fructum ſeſe ſperat allaturum. Probat autem, illos, qui Virginem Deiparam negant, eò adigi, ut duos Filios conſtituant; cumque titulum Mariæ aſcribendum eſſe oſtendit, adductis Athanaſio, Attico, Antiocho, Amphilochio, Ammonio Adriopolitano, Chryſoſtomo teſtibus. Cœleſtinum quoque de toto ſtatu rerum Neſtorianarum monitum voluit, quem blando patris nomine compellat, præfixo Epiſtolæ ſuæ eo titulo: *Beatiſſimo dilectiſſimoque patri Cœleſtino.* Narratur in Epiſtola, quomodo ſedente Neſtorio Dorotheus Epiſcopus in frequentiſſima concione clamaverit, *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit*: plebem Conſtantinopolim exceptis levibus hominibus, à Synaxi abſtinere: omnia penè Monaſteria, Senatuſque partem maximam à Neſtorio divelli. Se quidem eo animo fuiſſe Synodicis illum literis commonefacere; non poſſe cum homine communionem retineri, qui talia doceret, verum potius ſibi placuiſſe benignam proſtratis manum porrigere: per literas hortotum quidem errantem, ut reſipiſceret; ſuis tamen monitis nil promoviſſe. Mittere ſe homilias ejus, quas pro concione non infrequentes habuit. Subjungit, *Non prius autem illius communionem palam aperteque deſeruimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc ſentias præſcribere, quo liquidò nobis conſtet, communicarene nos cum illo oporteat, an verò libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, piiſſimis Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, necnon totius Orientis Antiſtitibus perſpicue per literas exponi debet.* Diacono Poſſidonio ferendæ literæ traduntur.

Conc. Eph. p. 1. c. 14.

Conc. Eph. p. 1. c. 9.

Conc. Eph. p. 1. c. 3.

Conc. Eph. p. 1. c. 5.

Conc. Eph. p. 1. c. 14.

Commonitorium Cyrilli de doctrina rebuſque Neſtorii.

XI. Commonitorium verò, quod Cœleſtino per Poſſidonium Cyrillus miſit, Neſtorii doctrinam ſic depingebat: *Deus Verbum cùm præviſſet eum, qui ex B. Virgine natus eſt, ſanctum & magnum futurum, ipſum ideircò elegit, fecitque ut ſine viro naſceretur ex Virgine, cui & hanc ei gratiam contulit, ut ſuis nominibus appellaretur, atque ita diceretur Filius, Dominus, & Chriſtus, fecitque ut pro nobis moreretur, mortuumque rurſus excitavit. Propterea verò unigenitus Dei Filius, Verbum dicitur incarnatus, quia ſemper eſt cum homine ille ſancto, quem Virgo peperit. Quemadmodum autem eſt cum Prophetis, ſic eſt cum iſto, ſed majore connexione. . .* Ait inſuper, *Hominem eſſe mortuum, hominemque reſurrexiſſe, non verò ſicut dicimus, Dei Filium pro nobis mortuum eſſe & reſurrexiſſe; Homo, inquit, mortuus eſt, & homo reſurrexit, nihilque ejuſmodi Deus Verbum paſſus eſt.* Et paulò infrà: Neſtorius ait, *Hominis fuiſſe paſſionem, hominiſque reſurrectionem, & quod proponitur in myſteriis, eſſe hominis corpus.* Qui veritati poſtponunt omnia, judicent num candidè ſatis Neſtorii doctrinam Cyrillus expoſuerit. Sed de eo Commonitorio nonnulla adhùc ſuppeditemus. Cùm non ſuſtineret dicere Neſtorius, carnem Verbi ideò vivificatam eſſe, quòd ſit Verbi caro, *fecit ut Cœleſtinus Libellos daret adverſus Presbyterum Philippum, qui ipſum arguerat, nec jam cum ipſo propter hæreſim volebat convenire. In his autem Libellis accuſationis caput erat, quòd Manichæus foret. Deinde vocavit hominem ad Concilium. Venit ille rem agens ſecundum Canones promptus ad ſe defendendum. Quoniam verò Cœleſtinus non habebat, unde probaret objectum crimen, à conſpectu ſe removit, & ad Conciliumnum venit.*

Bal. Conc. c. 1. 378.

Baluz. Concil. t. 1. 379.

Cùm

Cùm non reperiſſet Neſtorius opportunam occaſionem hanc, ad aliam confugit. Dicebat enim Philippo: Aliqua conſilio conventus feciſti, & in tuis ædibus oblationem peregiſti. Cùmque omnis Clerus diceret, Quiſque noſtrum in tempore, & datâ opportunitate efficit, adverſus virum depoſitionis ſententiam tulit.

Romana Synodus adverſus Neſtorium.

XII. Ut Cœleſtino literæ Cyrilli à Poſſidonio Diacono redditæ ſunt, rerum magnitudine commotus Pontifex, Auguſti ſub initia Synodum cogit. Quid in ea geſtum ſit, docet ipſius ad Neſtorium Epiſtola. Teſtatur Neſtorii deceſſores, & pietate, & ſanctitate floruiſſe, Atticum ſcilicet, atque Siſinnium: plurimum quoque famæ ſibi Neſtorium olim collegiſſe, quam nunc erroribus deterat ſuis: *Tantâ antè opinione vixiſti, ut tuis te aliena civitas invideret: tanto nunc horrore vitaris, ut tui in aliis videant, qualiter fuerint liberati.* Subjungit, libros ipſius ab illuſtriſſimo *Antiocho* redditos, lectos fuiſſe, & in his de Dei Verbo aliter quàm fides habet omnium diſputare. Audiri magnam vim ſuſtinere Clericos Catholicos, ut *his etiam civitas interdicta dicatur.* Denique Synodicum judicium profert: *Apertè hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Chriſto Deo noſtro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina, & univerſalis Eccleſia tenet, & hanc perfidam novitatem intra decimum diem à primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum, apertâ & ſcriptâ confeſſione damnaveris, ab univerſalis te Eccleſiæ communione eſſe dejectum.* Vice verò ſuâ ad illa exequenda, quibus in ea re opus erat, Cyrillum conſtituit.

Conc. Eph. p. 1. c. 18.

Data III. Idus Auguſti Theodoſio XIII. & Valentin. III. Coſſ. Plurimi facta eſt Cœleſtini ad Neſtorium Epiſtola, quæ Evagrio *ſacra & admirabilis* nuncupatur. Extat porro fragmentum Synodi Cœleſtini, Arnobii & Serapionis: *In conflictu Cœleſtinus ait in ipſo Concilio: Recordor B. memoriæ Ambroſium, in die Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnem feciſſe populum unâ voce Deo canere: Veni Redemptor Gentium, oſtende partum Virginis; miretur omne ſeculum talis decet partus Deum. Numquid talis partus decet hominem? Et adjecit, Ergo ſenſus fratris noſtri Cyrilli, in hoc, quod dicit θεοτόκον Mariam, valde concordat, talis decet partus Deum, Deum partu ſuo Virgo effudit ipſo potente, qui omnipotentiâ plenus eſt.* Laudavit etiam Cœleſtinus in Rom. Synodo verba & Hilarii & Damaſi. Locus inſpiciatur in Arnobio.

B. M. P. l. 8. p. 222.

Ad Cletum quoque Conſtantinopolitanum literas Cœleſtinus direxit, quibus eum ad vigilantiam excitat, cùm quaſi fluctu oppreſſus videatur, in quo conveniat dicere, *Domine, libera nos, perimus.*

Synodus Alex. in Neſtorium.

XIII. Simulatque Cyrillo Cœleſtini vices demandatæ ſunt, is ſibi novum robur aſſumens, Joanni Antiocheno ſcribit, quem Neſtorio ſciebat eſſe amiciſſimum. Narrat ſe Neſtorio conſuluiſſe, ut perverſis quæſtionibus dimiſſis, Patrum fidem ſectaretur: fraterni moniti, nil illi curæ fuiſſe, imò proliâ Cœleſtinum Epiſtolâ conveniſſe, in qua hæc continentur: *citra horrorem ſacram Virginem Dei genitricem appellant.* Verùm in Romana Synodo ſermones ipſius, quos miſerat, fuiſſe ludibrio: diſertamque ſtatim in illum latam ſententiam, quæ & Rufo Theſſalonicenſi, & Macedoniæ Epiſcopis miſſa eſt, qui ab illius ſententia nunquam diſcedere ſolent.

Conc. Eph. p. 1. c. 28.

Juvenali quoque Hieroſolymitano Epiſtolam dedit, quâ pietatem ipſius excitat: manet & Neſtorio, & Clero Conſtantinopolitano ſcribendum. Quòd ſi ab errore revocari nequeat; tum Imperatori Magiſtratuique literas eſſe mittendas, quibus perſuadeantur, ne pietati ullâ ratione hominem anteferant. His conatibus haud contentus Cyrillus, Synodum cogit Provinciæ ſuæ damnando Neſtorio, quem hortatur Synodicâ ſuâ Epiſtolâ, à ſtolidis opinionibus recedere: *Quod ſanè niſi juxta tempus in literis Cœleſtini ſacratiſſimi reverendiſſimique fratris & Comminiſtri noſtri Romanorum Epiſcopi expreſſum præfinitumque præſtiteris, certò ſcias, nullam tibi deinceps cum Epiſcopis & Sacerdotibus Dei ſortem, nullam tui rationem, nullum denique inter eos locum futurum eſſe.* Cui quidem emendationi eas leges imponit, ut non modò Nicæno Concilio ſubſcribat, ſed etiam, ut *ſcripto & jurejurando* affirmet, ea ſe damnare, quæ ſceleſtè hactenus ſenſit: *Quæ verò*, loquit, *à tua reverentia anathematis execratione condemnari neceſſe eſt, ea noſtra huic Epiſtola in hunc modum ſubjiciuntur.*

Cyrilli Anathematiſmi: ipſius ad Monachos Conſtantinopolitanos Epiſtola.

XIV. Cùm porro non minimum offenſionis multorum animis attulerint Cyrilli hi anathematiſmi, operæ pretium eſt noſtris eos inſerere Annalibus. I. Si quis non confitetur Emanuelem verum Deum eſſe, & ob id Sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa incarnatum Dei Verbum ſecundum carnem, anathema ſit. II. Si quis non confitetur Dei Patris Verbum, carni ſecundum hypoſtaſim unitum, & unum cum ſua carne eſſe Chriſtum, eundem nimirum Deum ſimul & hominem, anathema ſit. III. Si quis in uno Chriſto poſt unionem dividit hypoſtaſes, eâque duntaxat conjunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt ſecundum dignitatem, hoc eſt, autoritatem & poteſtatem, & non ea potius, quæ eſt ſecundum naturalem unionem, anathema ſit. IV. Si quis duabus perſonis voces attribuit, quæ in Scripturis de Chriſto dictæ ſunt, & alias homini ſeorſum, alias ſoli verbo accommodat, anathema ſit. V. Si quis dicere audet, Chriſtum eſſe hominem Deiferum, & non potius Deum verum, utpote unum naturalemque Filium, anathema ſit. VI. Si quis Dei Patris Verbum, Chriſti Deum, vel Dominum eſſe dixerit, neque unum eundemque Deum ſimul hominem eſſe confeſſus fuerit, anathema ſit. VII. Si quis Jeſum Chriſtum hominem à Deo Verbo operante motum fuiſſe dixerit, & unigeniti gloriâ fuiſſe circumdatum, quaſi alterum ab ipſo, anathema ſit. VIII. Si quis hominem aſſumptum unà cum ipſo Dei Verbo adorandum, unà cum illo glorificandum, unà cum illo tanquam alterum in altero exiſtentem, Deum appellandum eſſe, dicere auſus fuerit, & non unâ potius adoratione Emanuelem adorat, anathema ſit. IX. Si quis Dominum Jeſum Chriſtum virtutem, quâ inter homines miracula operaretur, à Spiritu Sancto accepiſſe prædicat, & non proprium illius eſſe ait Spiritum, per quem divina ſigna edidit, anathema ſit. X. Si quis dixerit, Pontificem & Apoſtolum non eſſe conſtitutum ipſum Dei Verbum, poſteaquam caro, & homo nobis ſimilis factum eſt, aut pro ſeipſo, & non potius pro nobis ſolis ſacrificium obtuliſſe affirmaverit, anathema ſit. XI. Si quis Domini carnem vivificam propriam eſſe negaverit, ſed alterius cujuſpiam ipſi Verbo ſecundum dignitatem tantum conjuncti, anathema ſit. XII. Si quis non confitetur, Dei Verbum ſecundum carnem paſſum crucifixumque, anathema ſit. Hæc ſunt celeberrimi Cyrilli anathematiſmi,

qui

Anno Dom. 430.

qui ſi verum volumus, & obſcuri ſunt, & doctrinæ Neſtorii peregrini, qui unum diſertè Filium atque Dominum prædicabat. Eorum & nonnulli quidem primâ ſpecie pietatem non redolent. Verbi gratiâ, ſextus: *Si quis Dei Verbum Chriſti Deum eſſe dixerit, anathema ſit.* Atqui ſi Pater Chriſti Deus eſt, Verbum quoque Chriſti Deum eſſe neceſſe eſt, quia Pater & Verbum unus numero Deus. Jam verò Chriſtus Patrem non ſemel Deum ſuum appellat, *Aſcendo ad Deum meum, & Deum veſtrum.* Neque etiam Scripturæ conſentaneum eſt nonum Anathema, in eum qui prædicat, Chriſtum à Spiritu Sancto vim eam accepiſſe, quâ miracula patrabat, cum certo certius ſit, humanam Chriſti naturam à Spiritu Sancto unctam fuiſſe: ut non ſatis accuratè Cyrillus diſtinxerit, quæ naturarum ſunt, & quæ perſonæ; perſonæ quidem proprius erat Spiritus Sanctus, at non naturæ humanæ, quæ collata ſibi dona Spiritui Sancto retulit. Monachis quoque Conſtantinopolitanis Synodus Alexandrina literas dedit, quibus monebantur, fore ut veniam ſi tamen eam Neſtorius petat, promereatur: ſin recuſet, ab Epiſcoporum cœtu ſe prorſus alienum intelligat. Ex Garnerio diſcimus tempus, quo datæ ſunt Synodicæ Epiſtolæ, in veteri MS. inveniri, *diem tertium Novembris.* In Collectione verò Lupi legitur: *Data menſe Novemb. die* XXX. *Indictione* XIII. cap. 5. Quæ nota temporis non eſt erroris vacua, cùm Decembris VII. Synodica Cyrilli Epiſtola Neſtorio à Legatis fuerit in manus tradita. Eſt autem impoſſibile, Decembris ſeptimo Legatos Cyrilli reddidiſſe Epiſtolam, quæ Alexandriæ octiduo antè confecta fuiſſet. Cùm porro multis indignationem moviſſent Cyrilli Capitula, Andreas Samoſatenus, vir magni nominis, necnon Theodoritus ſcriptis publicis ea confutarunt. Nec paucis Cyrilli poſt obitum annis ab Anatolii ſucceſſore Gennadio Conſtantinopolitano Capitula hæc damnantur: *Væ mihi à malis! heu, heu, unde quiſquam in præſenti, aliunde ſumat exordium. Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri, & quantas blaſphemias audivi?* Nunquam profectò exuere Theodoritus mentem potuit, quin XII. Cyrilli Anathematiſmi errore afficerentur, teſte ipſius ad Joannem Antiochenum Epiſtolâ, quam Cotelerius edidit, Monum. t. 1. p. 48. *Literas Ægyptiacas invenimus conſonare cum illis, quæ à nobis dicta fuerant, atque planè contraria eſſe* XII. *Capitulis, quæ ad præſens uſque tempus tanquam aliena à pietate, impugnare non deſtitimus.*

Joan. 20. 17.

Facund. l. 2. c. 4.

Neſtorius & Monachi Conſtantinopolitani Synodum ab Imperatore petunt.

Liberat. c. 4.

XV. Dum Legati Cyrilli Alexandriâ profecti in urbem regiam navigant, datam in Neſtorium ſententiam allaturi, quid ille in eo ſtatu conſtitutus agebat, eſt inſpiciendum. Comprimendo qui Eccleſiam lacerabat tumultui, Oecumenicâ opus eſſe Synodo ratus Neſtorius, Theodoſium movet, ut de ea convocanda cogitationem inſtituat, ſimulque Cyrillum, ut perturbatorem objurget. Teſtem audiamus Liberatum: *Cognoſcens Neſtorius, quòd Cyrillus non pateretur Eccleſiam ſic eſſe in perturbationibus, & populos in ſcandala, ſubripuit pio Principi Theodoſio, ut ſacram ad eum dirigeret, & à ſua eum perſecutione compeſceret.* Ex altera parte Baſilius Diaconus Archimandrita, necnon Thalaſſius Lector, Monachique complures Libellum offerunt Principi. Querebantur pios viros in Neſtorii violentiam incidere: ſe catenis onuſtos, carceri includi, ad reorum locum à ſatellitibus reductos, ab ea furia in faciem cædi: rogare ſe obnixè, non quidem ut illatas ſibi contumelias vindicet Deus, verùm id in votis eſſe, ut fidei fundamentum ſtet inconcuſſum: *Veſtra pròinde majeſtas efficiet, ut ſacra & Oecumenica Synodus, primo quoque tempore hùc coeat. Illud etiam petimus ne quidquam deinceps in quempiam ille* (Neſtorio) *liceat, niſi primùm Orthodoxæ fidei veritas enucleetur.*

Anno Dom. 430.

Conc. Eph. p. 1. c. 30.

XVI. Ab utraque parte provocatus Imperator, pro ſua autoritate Concilium indicit, miſſis ubique terrarum Reſcriptis ſuis ad Metropolitanos: *Pendet à Religione, quâ Deus colitur, noſtra Reſpub. ſtatus, multaque inter hunc & illam cognatio ac familiaritas intercedit. . . . . Quamobrem ne illa, quæ ad præſentem rerum tantoperè utilem inquiſitionem ſpectant, ſi negligentius curentur, ad pejus incrementa ſumant, id quod à temporum noſtrorum pietate alienum eſt, tua pietas Deo benè propitio operam dabit, ut Sacroſancta proximo Paſchate elapſo, ad ipſam ſacra Pentecoſtes diem ad Epheſiorum Aſiæ civitatem accurrat, nonnullaſque, quos nimirum idoneos judicabit ſanctiſſimos Provinciæ ſuæ Epiſcopos, ſimul eodem ſecum adducat.* Data Conſtantinop. XIII. Cal. Decembr. Theodoſ. XIII. & Valent. III. Coſſ. Aculeatas quoque Cyrillo Theodoſius literas mittit: *Cara nobis erit Eccleſiæ tranquillitas. Scito interim magnam abs te rerum perturbationem eſſe excitatam.* Queritur etiam, injuriam ſibi à Cyrillo illatam fuiſſe: *Nam niſi aliquod inter nos diſſidium eſſe putaſſes, aut certe aliquid ejuſmodi literis tuis oriturum ſperaſſes, cur obſecro alias privatim ad nos, & ad Eudociam religioſiſſimam conjugem meam, alia verò ad Pulcheriam ſororem meam Auguſtam, eandemque pietatis ſtudioſiſſimam perſcripſiſſes?* Denique Cyrillum ad Synodum invitat: *Neque prius noſtram te amicitiam recuperaturum confidas, quam omni turbatione, & animorum ægritudine ſedatâ, ad propoſitarum quæſtionum diſcuſſionem ultrò accurreris.* Motus Auguſtini famâ Theodoſius, eum quoque ſcriptis ad Synodum vocat. Adventum Legati fata ſanctiſſimi Epiſcopi anteceſſere. Eò pertinentia Liberati verba referantur: *Scripſit Imperator & B. Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo per Ebagrium Magiſtrianum, ut ipſo Concilio præſtaret ſuam præſentiam. Qui Ebagrius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo, urbis ipſius Antiſtite, B. Auguſtinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum. Accepta ab eo ad Imperatorem literis loquentibus de obitu B. Auguſtini, Conſtantinopolim, unde venerat, rediit.*

Reſcripta cogendæ Epheſinæ Synodo Theodoſius mittit.

Conc. Eph. p. 1. c. 32.

Conc. Eph. p. 1. c. 31.

Liberat. c. 5.

XVII. Intereà Neſtorio Joannis Antiocheni Epiſtola redditur, quâ nunciabatur, ad ipſum Cœleſtini Cyrillique literas à ſe mitti. Ac licet Cœleſtinus decem tantùm dierum intervallum ad reſipiſcendum dederit, rem tamen ejuſmodi eſſe, ut uno die, imò paucis horis confici poſſe videatur, cùm nil facilius ſit quàm congruo ad ſignificandum incarnationis myſterium nomine uti. Vocis unius causâ Occidentem, Ægyptum, & ipſam fortaſſe Macedoniam de abrumpenda ſocietate cogitationem inſtituere: moneri Theodori Mopſueſteni exemplo, cui exciderat, quod non ſatis accuratè dicebatur. Verùm non poſt multos dies, Theodorum generosè in medium progreſſum dicta correxiſſe ſua, factâque emendatione, omnem mox calumniam adverſus ſe commotam penitùs extinxiſſe: correctionem ipſius eò faciliorem, quòd

Joannis ad Neſtorium Epiſtola. Neſtorii & ad Joannem & ad Cœleſtinum literæ.

is vocem duntaxat, non vocis notionem averſetur, teſteturque, ſi viri Eccleſiaſtici ſibi auctores fuerint, Virginem ſe *Deiparam* vocaturum: Petrum verò neminem nomen *Theotecos* repudiaſſe: Addit: *Hoc noſtrum quaſo Concilium admitte. Nam non ſolus hac dictavi, ſed praſentibus multis Epiſcopis, videlicet Domino meo Archelao, Apringio, Theodorito, Heliade, Meletio, & Macario, qui per Dei gratiam Eccleſia Laodicena praſectus eſt nuperrime.* Baronius, qui integram Joannis Epiſtolam ſuis Annalibus inſeruit, corruptum exemplar nactus, Macarium *Sardicena* præficit Eccleſiæ. Quaſi verò vel Sardenſis civitas, vel Sardicena pars eſſet Antiochenæ Diœceſeos. Amiciſſimis Joannis literis Neſtorius reſponſum dedit. Teſtatur verò ea, quæ & ad ſe, & ad Comitem *Irenaum*, & ad Epiſcopos *Muſaum*, & *Helladium* ſcripſit, quaſi tubam ipſius in ſe benevolentiam prædicare. Vocem θεότοκος ab Hæreticis ut ſuam propriamque aſſumi. Paratum eſſe ſe certaminibus finem imponere. Attendiſſe ſe priuſquam Joannis literas accepiſſet, communi conſenſu vocis hujus intellectum eſſe conſtituendum. Non quidem, *ut vel ad modicum vocis hujus confeſſio differretur, ſed ut nulli permitteretur occaſio, qui qua Dei ſunt, minimè ſapiunt;* Speravi Synodum, in qua quæ ad communem Eccleſiæ utilitatem conducunt, omnia conſtituentur. Porrò Joannis monitis obtemperans Neſtorius, hæc Cœleſtino ſcribit: *Didici honeſtiſſimum Cyrillum Alexandria urbis Epiſcopum, propter Libellos contra eum nobis oblatos exterritum, ac ſibi venantem latebras, ad evitandam ſacram Synodum propter hos ipſos futuram, quaſdam alias intereà cogitationes excogitare verborum, & amplecti verba, qua ſunt θεότοκος & χριστότοκος, quorum alterum admittit, alterum vero modo quidem de Evangeliis eximit, modo vero ſurſus admittit, hoc eſt, χριστότοκος ſecundum quandam, credo prudentia nimietatem. Ego autem & hanc quidem vocem, qua eſt θεότοκος, niſi ſecundum Apollinaris & Arii furorem ad confuſionem naturarum proferatur, volentibus dicere, Non reſiſto, nec tamen ambigo, quin hac vox θεότοκος illi voci cedat, qua eſt χριστότοκος, tanquam prolata ab Angelis, & Evangeliſtis.* Cur autem vocem χριστότοκος alteri præponeret, rationem & hanc attulit: *Quia & blaſphemiam Samoſateni removet, quod eſt dictum de omnium Domino Christo, tanquam puro homine, ſed & Arii & Apollinaris malitiam fugat.* Monet verò Cœleſtinum de indicta ab Imperatore Synodo: *Placuit verò piiſſimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam Synodum inexcuſabiliter totius orbis terrarum indicere, propter inquiſitionem rerum Eccleſiaſticarum.* Hanc Marius Mercator Epiſtolam ab oblivione vindicavit.

XVIII. Poſt dies aliquot Alexandrinæ Synodi Legati Neſtorii damnationem afferentes, Conſtantinopolim advenere. Legatorum nomina hæc ſunt: *Theopemptus, Daniel, Potamon atque Macarius.* Theopemptum *Cabaſorum*, Danielem *Darneſium* Epiſcopum fuiſſe, Baronius fatetur, *reliquos duos Alexandrina Eccleſia Miniſtros* facit. Eſt tamen certiſſimum, Baronium turpiter decipi, teſte Cyrilli ad Theopemptum, Danielem, & Potamonem Epiſtolâ: in qua vocantus συλλειτουργοί, ipſius *Comminiſtri.* Baronium coarguit & titulus Epiſtolæ: *Exemplum Epiſtola à Cyrillo Archiepiſcopo ſcripta ad Theopemptum, Potamonem & Danielem, reverendiſſimos Epiſcopos Conſtantinopoli agentes.* Sed & Petrus Presbyter Alexandrinus, cui dubio procul Cyrilli Legati non incogniti fuere, hæc in Epheſina Synodo locutus eſt: *Neſtorio reddita ſunt ea, qua ſanctiſſimus piiſſimuſque Alexandrina Eccleſia Epiſcopus Cyrillus, & univerſa Ægypti Synodus per Theopemptum & Danielem, & Potamonem & Macarium religioſiſſimos Epiſcopos, ad eundem deſtinaverant.* Quæ verò ab his Legatis Conſtantinopoli acta ſunt, & ipſorum verbis cognoſcimus: *Theopemptus Cabaſorum Epiſcopus dixit, Die Dominico, cùm Synaxis ageretur, ad Epiſcopale Palatium aſcendimus: ibidemque toto praſente Clero, cunctiſque ferè illuſtribus aſtantibus, literas, de quibus hic ſermo eſt, Neſtorio reddidimus. Daniel Darnienſium Epiſcopus dixit: Tunc nobis reſpondit, ut poſtero die veniremus, & privatim illum conveniremus. Porrò nobis redeuntibus aditum interclusit.* Addidit Theopemptus, *Neque etiam ſatisfecit literis, ſed publicè pro concione eadem, qua ante, & his quoque deteriora dogmata propoſuit.* Decembris ſeptimo, qui dies Dominicus fuit, Cyrilli literas Neſtorio redditas eſſe, ex Mario Mercatore ſcimus: *Literas Cæleſtini Romani Epiſcopi, Cyrilli Alexandrini* denuntiationis accepit VII. Idus Decembris Conſulatu Theodoſii XIII. Valentiniani XIII. *Sexto* poſt die, feriâ VII. Decembris XIII. habuit ſermonem, de quo Theopemptus mentionem egit. In Eccleſia S. Sophiæ poſtquam Presbyter de charitate concionem habuit, Neſtorius talia fatur: *Dulcem nobis pracedens Doctor menſam charitatis appoſuit.* Deinde ad Dei charitatem, quâ Deus Gentes inter ſe devinxit, progreſſus, mirandum Verbi Dei ingreditur amorem, ſuſcipientis naturam humanam nunquam deponendam. Tum ad Cyrillum converſus, *Quid*, inquit, *ſermonem in calumniam vocas? Quid me latenter ſagittis aureis jacularis? Experiamur noſtra certamina ... Pius eſt Imperator, Regina Deum amant, eſto in diſputando vir fortis. Quid prohibet in diſputationem venire?* De Chriſto verò hæc animo recondenda profert: *Igitur ut eorum conciones etiam elegantes & ſapidulas ſuperemus, dicamus θεότοκον... Soluta ſit interim hac eis & ablata, rationis ſpeciem habens occaſio: confiteor utrumque, appellans Sanctam Virginem θεότοκον pariter & ἀνθρωποτόκον: tu verò noli eam θεότοκον tantummodò appellare.* Die ſequente, qui Dominicus fuit, XIV. Decembr. aliam Neſtorius & concionem habuit, in qua compendioſe, quia feſſus erat, de ſcientia pietatis tractat: quam dicit rectam eſſe de Trinitate Incarnationiſque myſterii fidem: ac ut ipſius verba ex M. Mercatore reddamus, *perfecta divinitatis & perfecta humanitatis in unum Filium conjunctarum* contemplationem. Hinc liquidò conſtat, Neſtorium vel ante Synodum Epheſinam vocem θεότοκον admiſiſſe.

XIX. Cæterùm Anathematiſmis Cyrilli Neſtorius opponi ſuos voluit, qui cùm Latinè duntaxat ſuperſint, multum ſibi noctis aſſumunt. I. Si quis eum, qui eſt Emmanuel, Deum verum eſſe dixerit, & non potius, Nobiſcum Deum, Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel eſt, Sanctam Virginem nuncupaverit, ipſumque Dei Verbum in carnem verſum eſſe, anathema ſit. II. Si quis in Verbi Dei conjunctione, quæ ad carnem facta eſt, de loco in locum mutationem dixerit eſſe factam, ejuſque divinæ naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni, eundemque ipſum naturâ

Conc. Eph. p. 1. c. 25.

Bar. An. 430. n. 43.

Lup. Syll. c. 3.

Quid à Legatis Cyrilli Conſtantinopoli actum. Neſtorii poſt eorum adventum concio.

Bar. An. 430. n. 50.

Error Baronii.

Lab. Conc. t. 3. p. 771.

Lab. Conc. t. 3. p. 504.

Ibid.

M. Merc. Gar. p. 84.

Neſtorii Anathematiſmi.

Anno Dom. 430.

naturâ & Deum dicat & hominem, anathema ſit. III. Si quis non ſecundum conjunctionem unum diſerit Chriſtum: ex utraque etiam ſubſtantia, tam Dei Verbi, quàm etiam aſſumpti ab eo hominis unam filii connexionem, quam etiam nunc inconfuſè ſervant, minimè confiteatur, anathema ſit. IV. Si quis Scripturæ voces de Chriſto, qui eſt ex utraque, accipiat tanquam de una natura, ipſique Dei Verbo tentat paſſiones tribuere, tam ſecundum carnem, quàm etiam Divinitatem, anathema ſit. V. Si quis poſt aſſumptionem hominis naturaliter Filium, unum eſſe audet dicere, cùm ſit Emmanuel, anathema ſit. VI. Si quis poſt Incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Chriſtum nominaverit, & ſervi formam non ab ipſo creatam & ſuſcitatam confiteatur, anathema ſit. VII. Si quis hominem, qui ex Virgine creatus eſt, hunc eſſe unigenitum diſerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus eſt, & non magis propter unitionem unigeniti appellatione confitetur participem factum, anathema ſit. VIII. Si quis ſervi formam ſecundum propriæ naturæ rationem colendam eſſe dixerit, & non potius per ſocietatem, quâ Domini unigeniti naturæ conjuncta eſt, veneratur, anathema ſit. IX. Si quis formam ſervi Conſubſtantialem eſſe diſerit Spiritui Sancto, & non potius per illius mediationem eam, quæ eſt ad Deum Verbum, conjunctionem, per quam miracula patravit, anathema ſit.

Lab. Conc. t. 3. 473. M. Merc. Gar. 116.

X. Si quis Verbum ſe obtuliſſe pro nobis, & non Emmanuelem dixerit, anathema ſit. XI. Si quis unitam carnem ex naturæ propriæ poſſibilitate vivificatricem eſſe dixerit, ipſo Domino pronuntiante, *Spiritus eſt, qui vivificat, caro nihil prodeſt*, anathema ſit. XII. Si quis confitens paſſiones carnis, eas quoque Verbo Dei tribuit, non diſcernens dignitatem naturarum, anathema ſit. In verſione Latina Neſtorianorum Anathematum, quæ ſola ſupereſt, obſcuritatis multum ineſſe exploratum eſt, quam tamen editio Garneriana nonnihil removit. Ut Cyrillo perſuaſum, duas à Neſtorio Chriſti perſonas induci, ſic unam Servatori naturam à Cyrillo vindicari, creditum Neſtorio. Hinc Orientalium in Cyrilliana Capitula odium. Hinc verba

Lab. Conc. t. 3. 332. Chalc. Syn. Act. 1. Sur. p. 38.

Theodoriti ad Alcſandrum: *Judices ipſi auro tonſiciunt, & contendunt unam eſſe naturam Deitatis & humanitatis.* Diſerat Cyrillus: *Non oportet intelligere duas naturas, ſed unam incarnatam.* Qui primâ ſpecie duriſſimus ſermo fuit, & cui explicatio neceſſaria, ut commodus ſenſus extunderetur. Neque poteſt negari, ex Cyrillianis nonnullos eò progreſſos eſſe, ut doloribus Divinitatem ipſam ſubjicerent. Acacius quidem Melitinenſis *in Commentariis poſuerat, paſſibilem eſſe Deitatem.* Quibus auditis,

Lab. Conc. t. 3. 236.

Theodoſius pallium excuſſerat, & retrorſum ceſſerat, præ blaſphemiæ magnitudine. Inſpiciatur & Acacii ad Cyrillum Epiſtola, ex qua pauca hæc ſubjicimus: *Cogatur unuſquiſque publicè anathematizare Neſtorii & Theodori dogmata, præcipuè hos qui dicunt, duas naturas poſt unitionem, propriè unamquamque operantem.* Ex

Lup. Syll. cap. 83.

Anathematiſmis tam Neſtorii quàm Cyrilli magnum fuit Eccleſiis incendium, quod vix extingui potuit.

Doctrina Neſtorii. Duaſne Chriſto perſonas aſſignarit?

XX. Cæterùm ex Anathematiſmis Neſtorii naſcitur nobis occaſio de doctrina ipſius aliquid iterum ſubjungendi, quod ad eam penitius agnoſcendam non prorſus erit inutile. Vetus eſt Neſtorii doctrinæ infamia, quaſi duas Chriſti perſonas aſſereret, alteram Verbi, alteram hominis: qui ſanè maximus error eſt. Eò tamen non laboraſſe Neſtorium, illi fatebuntur, qui ipſius exploratâ rectè ſententiâ, veritatem Conciliorum Decretis, aut adverſariorum teſtimoniis norunt anteponendam eſſe. Fontem ipſius erroris putamus, quòd *idiomatum*, ut loquuntur, *communicationem* non admiſerit: quam tamen à Scriptura uſurpatam omninò admittere debuit. Scilicet non ſatis intelligebat vocem *Deus*, non in *abſtracto* tantùm, hoc eſt, ipſam & pro *Deitate*, ſed & in *concreto* ſumi pro perſona divina: perſonam verò divinam Verbi bifariam & accipi, nimirum vel ex ſe & ſimpliciter ſpectatam, quo caſu *Verbum* purus duntaxat putuſque Deus eſt, vel humanâ naturâ veſtitum, quâ ratione perſona fit una θεάνθρωπος, humanâ ſimul, divinâque naturâ prædita, quarum perpetua indivulſaque copulatio procurandæ mortalium ſaluti requirebatur. Ex qua arctiſſima conjunctione, ea quæ Dei erant & hominis perſonæ uni, divinæ ſimul & humanæ aſcribebantur. Hinc Paulo dictum, Deum *acquiſiviſſe Eccleſiam ſuo ſanguine.* Judæos *crucifixiſſe Dominum gloriæ.* Deum manifeſtatum in carne, *ſurſum receptum eſſe in gloriam.* Quæ ſi Neſtorius perpendiſſet animo, in uſurpanda voce *Deipara* nil ſcrupuli injectum habuiſſet. Quòd verò unum duntaxat Filium agnoverit, certiſſimis eſt teſtibus exploratum, depromptis ſcilicet locis ex monumentis ipſius. Sic Cyrillo ſcribit: *In eo laudo, quòd diſtinctionem naturarum ſecundum Divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una perſona conjunctionem prædicas*, c. 2. Ex capite ſuperiore ejuſdem Epiſtolæ Paulus *ſubjungit nomen hoc, Chriſtus, quòd utramque naturam, patibilem, inquam, & impatibilem, in unica perſona denotat.* Quin etiam non prorſus reſpuit idiomatum communicationem: ſi quidem in laudata jam Epiſtola: *Rectum*, inquit, *Evangelicæque traditioni conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus Divinitatis Templum eſſe fateamur, illudque nexu uſque adeò ſublimi divinoque & admirabili ipſi conjunctam, ut dicamus divinam naturam ea ſibi vindicare, quæ corporis alioqui ſunt propria*, c. 3. Præterea vocem *Deipara* ſæpius admiſit, ſano ſenſu intellectam. Qua de re hæc Joanni ſcripſit Antiocheno: *Virginem Chriſti vocavimus genitricem, ut hac vox utrumque manifeſtè ſignificaret, id eſt, Deum & hominem. Circa Evangelii voces volentibus conceſſi, ut piè genitricem, vel patricem Dei Virginem nominarent, id eſt, neque circa Apollinaris, neque ſecundum Arii ſenſum, ſed nec tanquam Divinitas unigeniti ex Sancta Virgine ſumpſiſſet initium, ſed propter unitionis rationem, quæ facta eſt ex ipſo Angeli vocum principio, quas de conceptione locutus eſt.* Ex ſermone, qui in eodem capite extat apud Lupi Syllogen: *Exclamamus quoniam Sancta Virgo & Dei genitrix, ideò quia illud Templum, quod in ea ex Spiritu Sancto creatum eſt, Deitati erat unitum: hominis verò genitrix, eò quòd noſtræ naturæ primitias aſſumpſit Deus.* Inſuper priuſquam de Synodo aut Romana, aut Alexandrina, quâ damnabatur, rumore aliquo afflaretur, Cœleſtino ſcripſerat: *θεοτόκος, niſi ſecundum Apollinaris & Arii furorem, ad confuſionem naturarum profeſatur, volentibus* dicere, non reſiſto. Sermone quoque, qui numero XIII. cùm gratiam Im-

Act. 20. 28.
1 Cor. 2. 8.
2 Timoth. 3. v. 16.
Lab. Conc. 3. 324.
Lup. Syll. cap. 3.
M. Merc. Garn. p. 80.

peratoris etiamnum retinens, fauſtum futuræ Synodi exitum ſibi pollicebatur, palam hæc prædicavit: *Sanctæ Virgini, eò quòd eam Chriſti genitricem dicimus, nomen genuinæ appellationis convenienter aptamus, id eſt, θεότοκος, quod eſt, genitrix Dei, & ἀνθρωποτόκος, id eſt, hominis genitrix.* In Lateranenſi Concilio, anno DCXLIX. celebrato, verba Neſtorii lecta ſunt, quæ unam prorſus Chriſti Dei & hominis perſonam prædicant:

Later. Secr. v. 318.

Neſtorii *ex eodem libro, ſermone* IV. *Non alius erat Deus Verbum & alius, in quo factus eſt homo.* Ἓν γὰρ ἦν ἀμφοτέρων τὸ πρόσωπον, *erat enim amborum una perſona dignitate & honore adoranda παρὰ ab omni creatura.* Et in eodem Secretario ex Neſtorii ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſtola: *Duarum naturarum una eſt autoritas, una virtus, una potentia, & una perſona ſecundum unam dignitatem.* Quòd ſi impia ea docuiſſet Neſtorius, quæ ipſi affinguntur, quis credat Joannem Antiochenum Theodoritumque, alioſque complures adeò illi faviſſe, vel eo tempore, quo ſede ſuâ motus exilium tolerabat? Pace Cyrilli cinerum, fidelitatem ejus deſideramus in exponenda Neſtorii doctrina, quam à vero prorſus alienam Poſſidonii operâ Cœleſtino miſit. Neſtorius quidem

Lup. Syll. cap. 6.

ipſe palam & ea de ſe queſtus eſt: *Dum contra Paganos loqueremur, dicentes quòd nos ſubſtantiam Dei creatam noviter ex Virgine prædicemus, non peperit optimi Maria Deitatem, ſed peperit hominem Divinitatis inſeparabile inſtrumentum: at ille vocem Divinitatis immutans fecit, non peperit optimi Maria Deum. Hic verò multum differt dicere Deum, & dicere Deitatem. . . . Vox autem, quâ dicimus Deus, & Templo Divinitatis eſt apta, quod unitate ad divinam ſubſtantiam Dei obtinet dignitatem, non tamen in divinam ſubſtantiam permutatum eſt.* Neque dolus ille Cyrilli Liberato

Liberat. cap 5.

ignotus, eo narranti: *Cyrillus autem deflorationes quaſdam librorum Neſtorii faciebat; eum perturbare volens. Erat enim, ut dicitur, ejus inimicus.* Quæ figmenta non eſſe, liquido docet Neſtorii ad Eunuchum Imperatoris Epiſtola,

Lup. Syll. cap. 15.

in quo legimus: *Admiror amatricem Dei animam tuam, & certè dum firma eſt, & circa fallacias non expanſa, quomodo fabulas approbaverit immundorum, dicentes de nobis, quòd abjuraverimus vocem, quâ Dei genitrix nominatur, quam ſicut noſti, ſæpius diximus. Diximus verò ita, ne aut purum hominem quis ſuſpicaretur Dominum Jeſum Chriſtum, aut Deum humanitate nudum.* Has accuratè perpendis, vana deprehendentur omnia, quibus N. Alexander, aliique complures Neſtorium hæreſeos coarguunt.

Solvuntur N. Alexandri rationes, quibus Neſtorium Hæreticis inſerit.

XXI. More ſuo N. Alexander, qui Hæreticis Neſtorium inſerit, ſyllogiſmis utitur, probandæ ſuæ concluſioni. Summa argumentorum hæc eſt. I. Neſtorium negaſſe Deum natum, paſſum, eumque qui Virginis in utero natus eſt, per ſe eſſe Deum. II. Neſtorium hominem in utero Virginis formatum, alium eſſe effutiiſſe ab Unigenito Dei, & Incarnationem eſſe meram inhabitationem Dei Verbi in homine, velut in ſuo Templo. III. Neſtorium negaſſe

N. Alex. Secr. diſſer. 6. p. 190.

Virginem *Deiparam* eſſe; ex quibus conficit, fuiſſe Hæreticum. Verùm enimverò futilia vanaque hæc omnia eſſe, docuit ipſe Neſtorius, qui non abſolutè negavit Deiparam Virginem eſſe, Deum paſſum eſſe, natum eſſe, ſed ſenſu duntaxat *Apollinaris*, & Arii inficiatus eſt. Fatebatur quidem perſonam divinâ humanâque naturâ præditam, & natam & paſſam eſſe. Allatis jam teſtimoniis unum adhuc addatur, ex ipſius ſermone XIII. petitum, c. 31. *Eſt quidem, ut dixi, vox iſta, id eſt* χριστότοκος, *ſignificativa duarum naturarum, & Deitatis, & humanitatis:*

Mar. Mercat. Garn. 89.

Quando autem cum ſimplicioribus agitur, opus eſt voce manifeſtiore. Quid impedit intellectum χριστοτόκον *dici, &* θεοτόκον, & ἀνθρωποτόκον. Præterea aliud eſt negare, quoad phraſes, aliud quoad rem. Principio enim phraſes quidem Neſtorius reſpuebat ejuſmodi, Deus natus eſt, paſſus, mortuus, quas ſimplicibus exiſtimavit offenſioni eſſe. Ac ſanè vocem *Deus* in abſtracto, ut ajunt, hoc eſt, pro ipſa Deitate accepiſſe,

Lab. Conc. t. 3. 328.

vincunt verba ipſius ad Cyrillum: *Maſſa hic facito ſudorem, famem, ſitim, quæ carni acciderunt. Quòd ſi eadem Divinitati aſcribere lubeat, & falſa erunt.* Inſpiciatur caput primùm Epiſtolæ. Rem tamen ſartam tectamque retinebat, ſcilicet perſonam, quæ ſimul Deus & homo eſt, natam atque mortuam. Eſt autem hæreſis non verborum, ſed rerum. Poſtmodum verò ipſas etiam phraſes adhibuit, ſapienter intellectas, excluſo Hæreticorum ſenſu, qui unam duntaxat naturam agnoſcebant Servatoris. Objicit N. Alexander Neſtorii ipſius Anathematiſmos, *primum & quintum*, ſed ex Labbeana editione petitos, quæ magnâ ſanè laborat obſcuritate. Quòd ſi Garnerianam conſuluiſſet, eâ utique ratiunculâ abſtinuiſſet: *Si quis eum, qui eſt Emmanuel, Deum Verbum eſſe dixerit, & non potius nobiſcum Deum: hoc eſt, inhabitaſſe eam, quæ ſecundum nos eſt, naturam, per id quòd eſt unitus maſſæ noſtræ, quam de Maria Virgine ſuſcepit, anathema ſit.* Quo anathematiſmo duas Chriſto naturas aſſerit, divinam & humanam: illam Ariani, hanc Apollinariſtæ inficiabantur. Quintus verò Anathematiſmus ex Garneriana editione hæc habet: *Si quis poſt aſſumptionem hominis naturaliter Dei Filium unum eſſe audet dicere, cùm ſit Emmanuel, anathema ſit.* Qui ſanè anathematiſmus pius eſt, cùm Filium Dei unum eſſe *natura* neget. Quod verò duas in Chriſto naturas, *nexu duntaxat morali* copulatas, non ſibi finxerit

Lup. Syll. cap. 6.

Neſtorius, habemus ipſum docentem: *Non eandem dicimus habitationem, qualis facta eſt in Prophetas: non talem, qualis in Apoſtolos facta eſt.* Atqui in Apoſtolis conjunctio facta eſt interventu nexus moralis. Sed & in ſua ad Cyrillum Epiſtola: *Obſerva hic quomodo Dominum Jeſum Chriſtum unigenitum & Filium, nomina utique, quæ humanæ divinæque naturæ ex æquo conveniunt.* Ex duabus verò perſonis unus Filius unigenitus non intelligitur. Quid plura? Coram Epheſinis lecta ſunt verba hæc Neſtorii ex quaternione

Lab. Conc. t. 3. 524.

XVII. ſic ſonantia: Filius *poſt carnem aſſumptam ſeorſum per ſe Filii nomina appellari non debet, ne duos Filios videamur inducere. Sed quoniam illi unitus eſt, qui in principio Filius erat, & ipſi conjunctus eſt, non poteſt quod quidem ad filiationis dignitatem attinet, non quoad naturas, propterea etiam diviſionem recipere.* Jactent nunc, duorum & Filiorum, & perſonarum Incarnationis in myſterio Neſtorium fuiſſe aſſertorem. Neque vox *Templi*, quâ Chriſti corpus à Neſtorio afficitur, indicium eſt exiſtimaſſe, Incarnationem puram fuiſſe ſimplicem Dei in homine habitationem. Quidni Dominicas uſurpare phraſes Neſtorius potuit? Nonne Chriſtus Judæis hæc loquebatur? *Deſtruite Templum hoc*, corporis ſcilicet Templum. Quem & ſermonem

Anno Dom. 430.

nem Theodoritus imitatur in ſua ad Joannem Antiochenum Epiſtola, à Cottelerio luci donata: *Et paſſionis quidem ac mutationis expers Deus Verbum, paſſibile verò Templum morti tempore brevi traditum, rurſuſque unitis Dei potentiâ ſuſcitatum.* Itaque quin vel ex præjudicio, vel ex malè intellecta, vel ex afficta ſanè doctrina Neſtorius damnatus fuerit, nulli dubitamus.

Cot. Mon. t. 1. 49.

Julianus & Pelagiani Conſtantinopolitanâ urbe pelluntur.

XXII. Sub Legatorum Alexandrinorum adventum Julianum, Florum, Orontium, & Fabium, Pelagianorum Epiſcopos, Conſtantinopolitanâ urbe pulſos eſſe conjicimus. Ejectionis hujus mentio eſt M. Mercatoris in Commonitorio: *Exemplum Commonitorii, quod ſuper nomine Cœleſtii Græco ſermone à Mercatore datum eſt, non ſolùm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed etiam plurimis religioſiſſimis viris, oblatum quoque piiſſimo Principi Theodoſio ſemper Auguſto. Id ipſum ex Græco in Latinum tranſlatum per eundem Marium Mercatorem, Chriſti ſervum, in Conſulatu Florentii & Dionyſii V. C. Per quod Commonitorium cognito funeſtiſſimo errore, Imperiali præcepto tam Julianus defenſor & ſequax ejus, cum cæteris ſociis & participibus ſuis, quàm poſteà idem Cœleſtinus de Conſtantinopolitana urbe detruſi in Synodo quoque Epheſienſi* CCLXXV. *Epiſcoporum ſententiâ poſtmodum in præſenti damnati ſunt.* Anno præterito Julianum cum ſociis, regio mandato urbe Conſtantinopolitanâ fuiſſe pulſus, ſcifcit Garnerii Chronologia, quæ extra dubium falſa eſt, vel Cœleſtino judice, qui ſcripto ſuo ſic Neſtorium alloquitur: *Legimus quàm benè teneas originale Peccatum. Qualiter ipſam naturam aſſeris debitricem, & eum debitum meritò reddere, qui deſcendit de genere debitoris. Quid totum faciunt, qui ſunt hæc negando damnati? Ejicerentur demque, ſi tibi quoque ſimiliter diſpliceren.* Quibus apertè liquet, tertio Idus Auguſti Pelagianos adhuc egiſſe Conſtantinopoli: id ſaltem Cœleſtino creditum. Quam ſibi perſuaſionem Synodus Romana non induiſſet, ſi anno præterito Pelagiani urbe regiâ ejecti fuiſſent. Denique Neſtorii ad Pontificem Romanum Epiſtola, quæ numero ſecunda eſt, *Sæpè ſcripſi beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium, & cæteros,* indicio eſt, non ea de re Epiſtolas non unius ejuſdemque anni fuiſſe. Porro & ſi ab errore Pelagianorum longiſſimè Neſtorius abeſſet, peculiariter tamen eos fovebat, quòd ſibimet ipſi aſſentirentur. Itaque Cœleſtino reſcripſit, Cyrilli Legatorum poſt adventum: *Honorabili & religioſiſſimo Presbytero Cœleſtino Neſtorius in Domino ſalutem.* Eum autem hortatur ærumnas fortiter perferre, Apoſtolorum exemplo: *Noli igitur à veritate deficiens eam prodere. Si quidem Epiſtola miſſa Epiſcopis à Concilio Occidentis, & ab Alexandrino, multis Reſcriptis manifeſtam nobis noſtram fecere ſententiam, prudentibus ſcilicet ejuſdem orthodoxæ profeſſionis. Forſan enim utile aliquid Eccleſiis recta fides proveniet, Domino cooperante.*

M. Merc. pag. 5.

Conc. Eph. p. 1. c. 18. 362.

M. Merc. 84.

Anno U. C. 1184. Per. Jul. 5144. Jul. 476. Dom. 431. Theodosii 30. & 24. Valentin. 6. & 7. *Sol.* 20. D. *Lun.* 14. *Indict.* 14. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

Anno Dom. 431.

Coss. *Baſſus & Antiochus.*

Suevorum perfidia.

I. AD ingenium Suevi ſuum redeuntes, quam cum Galliciæ populis pacem conſtituerant, inſigni perfidiâ violant. Quid in ea re geſtum ſit, exponit Idacius: *Rurſum Suevi initam cum Gallæcis pacem libatâ ſibi occaſione conturbant. Ob quorum deprædationem Idacius Epiſcopus ad Ætium Ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, ſuſcipit legationem. Vetto, qui de Gothis doloſe ad Gallæciam venerat, ſine aliquo effectu redit ad Gothos.* Novis tum victoriis famam Ætius ſuam extendebat: *Ætius Dux utriuſque Militiæ Noros edomat rebellantes.*

Idat. Chr.

Cœleſtini ad Gallos Epiſtola. Quos perſtringit?

II. Dum armis Barbarorum Galliæ turbantur, harum regionum Eccleſias diſſidium inceſſit. Maſſilienſibus haud probabatur Auguſtini de Prædeſtinatione ſententia, quâ vim liberi extingui Arbitrii, conciones Evangelicas enervari, obtundi caſtigationum aculeos ſibi in animum inducebant. De quæſtionibus ejuſmodi *Tuentius* Epiſcopus dubitationes ſuas expoſuerat Cœleſtino, qui conſulenti eâ ratione reſponderat, quâ lites componi omnes poſſe arbitrabatur. Pacem tamen cùm non attuliſſet ea Cœleſtini Epiſtola, diſceptationis hujuſce cauſa Proſper Hilariuſque, qui Auguſtino literas direxerant, Romam ad Cœleſtinum properant: de quorum adventu Cœleſtini hæc verba ſunt: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* Quos corripi Cœleſtinus jubet in ſua ad *Venerium* Maſſilienſem, Marinum, Leontium Forojulienſem, Auxonium, Arcadium, Sillucium, & cæteros Galliarum Epiſcopos. Conſuluit & Auguſtini famæ, quam ex Maſſilienſibus nonnulli deflorabant: *Auguſtinum*, inquit, *ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam antè à meis deceſſoribus haberetur.* Photium non latuit ea Cœleſtini ad Galliæ Antiſtites Epiſtolæ: *Scripſit ad Galliarum Epiſcopos de fide B. Auguſtini, & contra eos, qui hæreſis licentiâ nimis elati inſoleſcerent.* Laudavit Cœleſtini hanc Epiſtolam Vincentius in Commonitorio. Sed miſerè depravatam detortamque, ut & Semi-Pelagianorum opinionem à Cœleſtino probatam, Auguſtini verò de Prædeſtinatione, Perſeverantia, Gratiâ efficaci ſententiam rejectam eſſe perſuadeat, ut ſuo loco explicabimus. Hîc Baronius totâ errat viâ, qui *Hilarium* Arelatenſem Proſpero comitem fuiſſe putat. Quem nos certiſſimis ab Hilario Auguſtini diſcipulo notis diſcrevimus. Licentius adhùc errat, dum Sulpitium Severum, vitæ Beati Martini Scriptorem, de Presbyteris unum fuiſſe cenſet, *quos Cœleſtinus inſectatur.* Quod & Chronologiæ pugnat, & veritati. Anni circiter undecim effluxerant Severi Sulpitii poſt obi-

Cœleſtin. Ep. 1.

Phot. B. c. 53. p. 43.

Error Baronii.

Bar. Ann. 431. n. 184.

Bar. Ann. 431. n. 198.

tum, qui anno Dom. ccccxx. cohæret. Virus quoque Pelagianum quod hauſerat, egeſſiſſe Sulpitium, Gennadius teſtatur: *In ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret.*

Autoritates de Gratia Dei. Quis eorum Collector?

III. Epiſtolæ Cœleſtini ſubjiciuntur autoritates & Conciliorum, & Pontificum Romanorum de Gratia Dei, & libero Arbitrio. Libellus capita decem complectitur, quorum ſumma hæc eſt. I. Quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi Gratiâ poſſe ſalvari, quod Innocentii ad Carthaginenſe Concilium Epiſtolâ aſtruitur. II. Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus, qui ſolus eſt bonus. III. Quod niſi Gratiâ Dei continuâ juvemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus. IV. Quòd per Chriſtum libero benè utamur Arbitrio. V. Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei, quod demonſtrat Zozimi ad totius orbis Epiſcopos tractoria. VI. Quòd omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit. VII. Quod Gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adjuvet, ne committantur, & præſtet, ut Lex impleatur, non, ſicut ait Pelagius, *facile*, quaſi ſine Gratia Dei difficilius poſſit impleri. VIII. Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti Gratiam reſonant, quâ genus humanum ab æterna damnatione reparatur. IX. Quod Gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi. X. Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitùs aſſerendæ. Quis Libelli hujus Autor, adhùc ignoratur. A Fulgentii quidem ætate Cœleſtino vindicatur, quam & ſententiam amplectitur Binnius, cujus hæc verba ſunt: *Profitetur Cœleſtinus Pontifex, profundiores illas de Prædeſtinatione Sanctorum quæſtiones ab Apoſtolica Sede nequaquam definitas eſſe.* Conſtat tamen, Cœleſtini non eſſe. Quod ex Præfatione Libelli promptum eſt: *Neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerit, judicaverint.* Quæ à Cœleſtino diverſum prorſus Scriptorem indicant. Sed & verba capitis primi, *pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papâ*, Libellum Cœleſtino eximunt, qui ſubinde addidiſſet, *deceſſore noſtro.* Similiter c. 5. *In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zozimi autoritas.* Ex quibus conficitur, tractatum illum Pontificum Romanorum nulli poſſe vindicari. Baronius Proſperi fuiſſe putant, Proſpero tamen à Veterum nemine aſcribitur. Itaque cum Sirmondo Labbeoque præſtat ἐπέχειν.

Lab. Conc. t. 2. 1618.

Bar. Ann. 431. n. 185.

Palladii in Hiberniam legatio.

IV. Cœleſtini Pontificatus gloriam auxit Palladii ad Hibernos legatio: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cœleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.* Neque immeritò ea Palladio provincia mandatur, qui biennio antè, dum Diaconatu fungitur, Cœleſtinum permoverat, ut Germanus Antiſiodorenſis ad Britanniam nigris Pelagii venenis imbutam liberandam mitteretur. Quid in ea legatione geſtum ſit, diſcamus ex vita Patricii Hibernicè ſcripta, cujus verba Latinè magnus nobis fœnerabit Uſſerius: Cœleſtinus *miſit Palladium eximium Diaconum cum XII. aliis ad prædicandum Hibernis, cùmque in Laginiam adveniſſet Palladius, occurrens illi Rex illius gentis Nathi Filius Garchon, inde eum expulit: Paucos tamen eo in loco ſacri baptiſmatis lavacro ille abluit, ibique tres fundavit Eccleſiolas. Primam Celſine, ubi libros ſuos reliquit unà cum ſcriniis & reliquiis quibuſdam Petri & Pauli, nec non tabula, in qua ſcribere conſueverunt. Secundam Tech Romam,* ſive ædem Romanorum. *Tertiam Domna & Arte, quam dicavit Silveſtro & Solonio: & cùm ad ſuos revertere ſtatuiſſet, morbo correptus in terra Pictorum mortuus eſt.* Ea de Palladio narratio, quæ ſimpliciſſima eſt, nec incruſtata miraculis, multum ſibi veriſimilitudinis aſſumit. Porro de tempore Palladianæ legationis Baronium, cui Bedam, utpote à Proſpero diverſum, vexare placuit, perſtringit Uſſerius. Scripſerat Baronius, à Beda Palladii legationem in annum Theodoſii octavum referri. Hoc diſplicuit illuſtriſſimo Purpurato, quia *Pontificatus Cœleſtini ab eo tempore poſt annos octo contigerit.* At Bedæ cum Proſpero optimè convenit, quandoquidem uterque annos Theodoſii ab Honorii morte deducit. Non eſt autem Palladius ille noſter cum Palladio Galata permiſcendus, ut fuſius demonſtratum. Porro & hic evellendus eſt error Baronio, qui multos Palladio noſtro libros aſcribit: *Palladius*, inquit, *Diaconus apud Trithemium numeratur inter Scriptores Eccleſiaſticos. Nam præter vitam Joannis Chryſoſtomi ab ipſo ſcriptam, librum etiam contra Pelagianos, & homiliarum unum, & ad Cœleſtinum Epiſtolarum librum unum, & alia Græco ſermone ab eodem edita, idem tradit.* Baronii hanc hallucinationem Uſſerius vexat, cujus verba ſunt: *Joanni Trithemio ea perperàm tribuit, quæ Joanni Balæo accepta erant referenda.* Neque opus erat illuſtriſſimo Purpurato, ut in irrita vota deſcenderet, ob amiſſum, ſi Diis placet, *librum Palladii Epiſtolarum ad Cœleſtinum*, qui in uno duntaxat Balæi cerebro extitit: Veterum ſanè nullus Palladium Cœleſtini Diaconum Eccleſiaſticis Scriptoribus inſeruit. Gennadius quidem, Palladio penè ſuppar, tantum Autorem non illaudatum prætériiſſet.

Proſp.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. c. 16. 812.

Bar. Ann. 429. n. 7.

Bar. Ann. 329. n. 8.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. c. 16. 811.

Mors Paulini Nolenſis.

V. Ut Palladii legatio lætum, ſic & lugubrem Cœleſtini Pontificatum fecit Paulini Nolenſis mors Epiſcopi. Lethali morbo correptus, jam deploratæ ſalutis erat, cùm Junii decimo nono à duobus Epiſcopis Symmacho, Benedictoque Hydruntino viſitatur, quorum adventu adeò recreatur, ut benignè illos amanterque exciperet. Ac tum *jubet ſibi ante lectulum ſuum ſacra myſteria exhiberi, ſcilicet ut unà cum Sanctis Epiſcopis oblato ſacrificio animam ſuam Domino commendaret. Simul etiam eos, quos pro diſciplina Eccleſiaſtica à communione myſterii extorres eſſe præceperat, ad pacem priſtinam revocaret.* Ut ſacra peracta ſunt, præſentes interrogat, ubinam ipſius fratres erant? Quæ dicta de Epiſcopis, qui tunc aderant, intelligenda eſſe creditum. Ille verò de *Januario* Epiſcopo Neapolitanæ urbis, & Martyre, nec non de *Martino* Turonenſi cogitabat. Tum extenſis ad Cœlum manibus Pſalmum 121. cantat, *Ad montes ſuſtuli oculos.* Finitâ oratione, à *Poſthumiano* Presbytero monitus eſt, pro veſtibus, quæ fuerant pauperibus erogatæ, ſolidos deberi quadraginta: cui Paulinus leniter ſubridens, ait: *Securus eſto, fili, crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum ſolvat.* Non multò pòſt de Lucania Presbyter, vel ab Exuperantio Epiſcopo miſſus, vel à clariſſimo

mo fratre ejus Urſacio affert ſolidos quinquaginta muneri. Ex quibus decem manu ſuâ Presbytero, qui eos attulerat erogat, reliquos verò quadraginta mercatoribus, qui veſtes pauperibus ſuppeditarant, diſtribui jubet. Expleto die, cùm ad mediam uſque noctem quieti ſe reddidiſſet, recrudeſcente lateris dolore excitatus, multiſque Medicorum uſtionibus fatigatus, ad quintam uſque noctis horam laſſum pectus duxit. Adveniente luce, uti ſolebat, *matutinum ex ordine celebravit.* Ortâ die Presbyteris, Diaconis Cleriсiſque exemplo Domini pacem dedit. Veſperâ, *lucernaria devotionis tempus agnoſcens, extenſis manibus, lentâ licet voce, Paravi lucernam Chriſto meo, decantavit Domino. Circa horam quartam noctis omnibus, qui aderant, ſollicitè vigilantibus, ſubitò tam ingenti cellula ejus terra motu concuſſa eſt, ut hi qui lectulo ejus aſſiſtebant, exterriti atque turbati ad orationem ſe jactarent, nihil tamen ſcientibus his, qui præ foribus conſiſtebant: neque enim publicus ille, ſed privatus in cellula fuerat terræ motus. Tum ille Angelicis ſuſceptus manibus, debitum Deo ſpiritum exhalavit.... Obiit Sanctus Paulinus Epiſcopus x. Kal. Julii, Baſſo & Antiocho Coſſ.* Hæc Uranius Presbyter, qui Paulini obitum ſcripto mandavit. Fuit Paulinus generis claritate, opibuſque illuſtris: ſe ipſum tamen pietate, divitiarumque contemptu ſuperavit. Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi laudibus celebratur. At Epiſtolis Poëmatibuſque ſuis ſeſe magis famæ commendavit.

Neſtorius aliique Epiſcopi Epheſum proficiſcuntur.

Socr. l. 7. c. 34.

VI. Ad Synodum Epheſinam nunc convertatur oratio. Concilium indixerat Theodoſius die Pentecoſtes celebrandum, quæ Junii VII. affigebatur. Statim ergo Neſtorius poſt feſtum Paſchæ diem cum ingenti promiſcuæ plebis multitudine Epheſum advenit: multoſque illic congregatos Epiſcopos reperit. Sed & ipſimet Pelagiani Epiſcopi, Julianus, Florus, Orontius, Fabius, aliique proficiſcenti ſe comites addidere, quod nos Cœleſtinus docuit in ſua ad Conſtantinopolitanos Epiſtola: *Adfuerunt inter alios, nec deſeruerunt eum Cœleſtiani iniquitatis operari, quos Hymnidici noſtri perſequitur manifeſta ſententia... Habuit ergo ſecum ſui Magiſtros exilii, habuit hujuſce rei perfectas ipſa Doctores.* Comitabatur & Neſtorium Comes Irenæus, cum eo arctiſſimis amicitiæ vinculis copulatus. Ubi Epheſum pervenere, cum Epiſcopis qui illùc verſabantur, Neſtorius dum miſcet colloquia, dixiſſe fertur, *Deum bimeſtrem aut trimeſtrem appellare, nefas eſſe*, quæ ſuis auribus audita Theodotus retulit Ancyranus. Graviori adhùc accuſatione ab Acacio Melitinenſi oneratur. Quod ex abſurdâ illius interrogatione reſpondentes adigebat, vel unigeniti Deitatem incarnatam inficiari, vel totam Trinitatem incarnatam profiteri. Verùm fide corruptiſſimus erat Acacius ille Melitinenſis, qui coram Theodoſio impiæ huic ſententiæ ſe patronum conſtituit; *Deitas eſt paſſibilis.* Teſtatus etiam eſt Acacius, unum ex Epiſcopis, qui cum Neſtorio verſabatur, alium dixiſſe, Filium, qui mortem obierat, alium Dei Verbum. Ex chariſſimis Cyrillo amicis Acacius ille unus fuit. Dum hæc geruntur Epheſi, circa Pentecoſten adfuit Cyrillus Alexandrinus die Junii primo cum Ægyptiis quinquaginta; Juvenalis verò quinto poſt Pentecoſtem die adventavit. At Joannes Antiochenus ad conſtitutum diem non adfuit. Non ſponte ſuâ quidem, ſed quòd Provinciæ ſuæ Epiſcopos citius colligere non poterat, cùm urbes illi ſubditæ duodecim dierum itinere diſtarent Antiochiâ, à qua Epheſus dierum & triginta itinere diſſidet. Joannis verò Comprovinciales *novam Dominicam*, hoc eſt, quæ diem Paſchatis proximè excipiebat, ſuis in Eccleſiis celebraverant Aprilis XXVI. Paſcha enim labente anno, menſis hujus XIX. cohærebat. Capreolus Carthaginenſis ad Synodum invitatus, præſentiam afferre ſuam non potuit: *Capreolus Archiepiſcopus, propter impetus Vandalorum Africanas regiones obſidentium, univerſale non valens congregare Concilium, Veſſulam Diaconum ſuum miſit Epheſum ad Concilium Legatum.* Candidianus verò Comes Epheſum à Theodoſio mittitur, qui ſacram ejus ferret, gerendiſque in Synodo ordinem conſtitueret. Verba ſunt Imperatoris: *Candidianum præclariſſimum ſacrorum Domeſticorum Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed eâ lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nil quidquam commune habeat. Nefas eſt enim, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo aſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſeſe immiſcere: verùm ut Monachos, & ſeculares, qui hujus ſpectaculi cauſâ vel eò nunc confluxerunt, vel in poſterum confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus ſubmoveat: tum rurſus ut diligenter proſpiciat, ne qua diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta increbreſcat.* Habuit & in mandatis Candidianus, ne Epiſcoporum aliquem abire permitteret, neque controverſiam movere ullam, quæ ad *propoſitam dogmatis conſiderationem* non pertineret.

Evagri l. 1. c. 3.

Liberat. cap. 5.

Conc. Eph. p. 1. c. 35.

Lab. Concil. t. 3. 1080.

Lab. Conc. t. 3. Act. 1. 497.

Socr. l. 7. c. 34.

Epheſinorum Patrum numerus.

VII. De Epiſcoporum numero, qui Synodo interfuere, Veteres non conſpirant. Ducentos numerat Marcellinus: Neſtorius *ducentorum Sanctorum Patrum ſententiâ apud Epheſum damnatus eſt.* Porro qui his temporibus floruit Marius Mercator, in Præfatione ſui Commonitorii ad Theodoſium, *ducentos ſeptuaginta quinque* recenſet Epiſcopos: in ſuo verò tractatu contra hæreſim Pelagii numerum exhibet uno minorem: Pelagiani cum Neſtorio, *in Epheſienſi Concilio à ducentis ſeptuaginta & quatuor Epiſcopis iterum iterumque damnati ſunt.* Cyrillus tamen, cui non minuebantur Epiſcopi, qui in Neſtorium damnationis ſententiam tulerant, hæc Alexandrinis ſcribit ſuis: *Epiſcopi autem qui convenimus, ducenti circiter eramus, plus minus.* Neſcimus ubi Garnerius in ea Epiſtola invenerit, *ferè plus minus trecenti*, quod nec in Græcis extat, nec in Latinis. Liberatus quoque ducentorum duntaxat Epiſcoporum meminit: *Cyrillus evocato Concilio ducentorum Epiſcoporum, Neſtorium vocaverunt.* Non ſunt de nihilo verba, quæ Epiſcopalibus ſubſcriptionibus ſubjiciuntur: *Poſtquam hi omnes Neſtorii depoſitioni ſubſcripſiſſent, acceſſerunt alii Epiſcopi ad Sanctam Synodum, qui & ipſi quoque propoſitæ damnationi ſubſcripſerunt. Epiſcopi itaque, qui ipſum Neſtorium depoſuerunt, plures quàm ducenti extitere: aliqui enim tenuerunt locum aliorum Epiſcoporum, qui ad Epheſiorum Metropolim venire non potuerunt.* Ut liqueat, cùm plures quàm ducenti Epheſini numerantur, illis & jam abſentes includi, qui Procuratorum manu ſubſcripſere. In Synodica ſua ad Imperatores Epiſtola narrant Epheſini, *ſe ducentos & decem extitiſſe.* Creditu ſanè difficillimum, tot adfuiſſe Epiſcopos, quot à M. Mercatore numerantur, cùm & quinquaginta ſeptem

Mar. Merc. Gar. 72.

Lab. Con. t. 3. 574.

Garn. p. 6.

Liberat. cap. 5.

Lab. Conc. t. 3. 548.

Lab. Conc. t. 3. 658.

Digitized by Google

ANNO DOM. 431.

ſeptem Conciliabulo Joannis Epheſino ſubſcripſerint, & Conciliorum in editionibus ſola Epiſcoporum CLX. nomina legantur, qui manu ſuâ Acta Epheſina confirmarunt.

Quis Epheſinam Synodum coegit? Num Cœleſtinus?

VIII. In agitanda quæſtione, quis Concilium coegerit, operam ludere videremur, niſi eò nos adduceret *Lupi*, *Bellarmini*, Aulicorumque Romanorum protervia, qui ut Pontifici ſuo veliſicentur honori, Synodum à Cœleſtino congregatam eſſe, ratiunculis aſtruere nonnullis contenderunt. Quos monumenta Veterum omnia certè refellunt. Ac ut mittamus ſacram Imperatoris, quam exhibuimus, quid verbis Synodi diſertius: *Poſt Conſulatum Dominorum noſtrorum, Flavii quidem Theodoſii* XIII. *Valentiniani verò* III. *Auguſtorum*, X. *Kal. Julii Synodo congregata in Epheſiorum Metropoli, ex Decreto religioſiſſimorum & Chriſtianiſſimorum Imperatorum.* Addidiſſent utique Patres, *& ex mandato Celeſtini.* Synodi quoque ad Imperatores Epiſtola de Cœleſtino ſilet: *Veſtra majeſtas ex omni Metropoli piiſſimos Metropolitanos, qui Epiſcopos adducerent, & aliquos aliarum civitatum Epiſcopos ad diem Pentecoſtes convenire juſſit.* Cœleſtini etiam ad Theodoſium Epiſtola Aulicorum figmenta refellit, utpote quæ ſolis regiis imperiis Synodi congregationem aſſignet: *Huic Synodo, quam eſſe juſſiſtis, noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus.* Dixiſſet utique Pontifex, *quam eſſe juſſimus*, ſi autoritas ejus partem ſibi aliquam in convocanda ea Synodo vindicaſſet. Quibus & verba Legatorum accedant, qui pro viribus mittentis ſedem amplificant, atque dignitatem: *Cœleſtinus Epiſcopus nos ipſius præſentiam ſupplentes, ad hanc Sanctam Synodum miſit: quam quidem Synodum convenire juſſerunt humaniſſimi Chriſtianiſſimique Imperatores.* Quis ſibi ſeriò in mentem inducat, omiſſum à Philippo Presbytero Cœleſtini mandatum, ſi ejus autoritas ad evocandos Epheſum Epiſcopos intervenisſet? Ignotum quoque Hiſtoricis Cœleſtini ea de re Decretum: ignotum Socrati, Evagrio, Liberato, qui regiorum duntaxat præceptorum meminere. Pertinaciam verò omnem expugnant Neſtorii ad Cœleſtinum literæ, quibus apertè liquet, Theodoſium de cogenda Synodo Decretum prius emiſiſſe ſuum, quàm Pontificis Romani in notitiam perveniſſet: *Placuit verò piiſſimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam Synodum inexcuſabiliter totius orbis terrarum indicere, propter inquiſitionem aliarum rerum Eccleſiaſticarum.* Ut admirationem nobis non efficere non poſſit Bellarmini Lupique ſententia, qui repugnante Antiquitate omni Cœleſtinum Patres Epheſinos cogentem videre ſibi viſi ſunt. Porro Cœleſtini Epiſcopis & Presbyteris in Orientem proficiſcentibus, Commonitorium referre juvat, à Baluzio editum: *Cum Deo noſtro, ſicut credimus & ſperamus, autore, ad deſtinata veſtra charitas venerit loca, ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Cyrillum conſilium veſtrum omne convertite, & quidquid in ejus videritis arbitrio facietis. Et auctoritate Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri debere mandamus. Si quidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, ut intereſſe Conventui debeatis, ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire certamen. Quòd ſi tranſactam Synodum & rediiſſe omnes Epiſcopos videritis, requirendum eſt qualiter fuerint res finitæ. Si pro antiqua fide Catholica res geſtæ ſunt, & ſanctum fratrem meum Cyrillum Conſtantinopolim didiceritis profectum, ire vobis illò neceſſe eſt, ut Epiſtolas noſtras Principi porrigatis. Quòd ſi aliter actum eſt, & in diſſenſione res ſunt, ex ipſis rebus conjicere poteritis, quid cum conſilio ſupra dicti noſtri fratris agere debeatis. Data* VIII. *Iduum Maiarum Baſſo & Antiocho Coſſ.*

Lab. Conc. t. 3. 443.

Lab. Conc. t. 3. 567.

Lab. Conc. t. 3. 619.

Lab. Conc. t. 3. 628.

Mar. Merc. p. 282.

Bal. Coll. t. 1. 382.

De Synodi Epheſinæ Præſide. Cœleſtinine vices Cyrillus impleverit?

IX. Major de Synodi Præſide quæſtio exoritur, utrùm ſcilicet Cœleſtinus ei præfuerit, per Cyrillum Alexandrinum, Projectum, Arcadium & Philippum? Conſtat quidem damnando Neſtorio, partes Cœleſtinum ſuas impoſuiſſe Cyrilli, cui anno ſuperiore ſcripſerat: *Noſtrâ Sedis autoritate adſcitâ, noſtrâque vice, & loco cum poteſtate uſus ejuſmodi, non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequeris.* Ac nobis fit quidem vero ſimile, quas Cœleſtinus Cyrillo partes impoſuerat, ab eo in promulganda adverſus Neſtorium ſententia fuiſſe retentas, ut majoris & momenti foret, & ponderis ea damnatio. Primâ ſiquidem Actione Synodi legimus: *Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi ſacratiſſimique Romanæ Archiepiſcopi locum obtinebat.* Actione quoque tertiâ hæc reperimus: *Conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, piiſſimis Deoque dilectiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alexandrino, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi Eccleſiæ Romanæ Archiepiſcopi locum obtinebat.* Ac eò magis in Epheſino Concilio Cœleſtini vices Cyrillus implere potuit, quòd commiſſam ſibi de Neſtorio damnando facultatem à Cœleſtino revocatam non legimus. Convocatione quidem Oecumenicæ Synodi ſuſpenſa fuerat, abrogata non fuerat: ut rebus Neſtorii ad examen revocatis cauſæ nil fuerit, cur conceſſâ ſibi à Pontifice Romano autoritate non uteretur. Cæterùm vi delegatæ poteſtatis hujus Præſidis partes Cyrillo non imponebantur: neque de ea quidquam cogitabat Cœleſtinus, cùm tertio Idus Auguſti anno Domini CCCCXXX. ſcripſit Cyrillo. Etenim non præſagiebat animo, Concilium à Theodoſio Oecumenicum cogendum eſſe, proindeque vices Cyrillo mandatæ, Synodi Epheſinæ Præfecturam non attinebant. Ut ergo Cyrillus Cœleſtini nomine Synodo præeſſet, novis ea Præfectura mandatis ei injungi debuiſſet, quæ nuſquam locorum apparent. Ea quoque fruſtra fuiſſet, conferentibus ſe ad Synodum tribus Sedis Romanæ Legatis, Projecto, Arcadio, Philippo.

Lab. Conc. t. 3. c. 15. 349.

Lab. Conc. t. 3. 445.

Lab. Conc. t. 3. 635.

Utrùm Cyrillus Epheſinæ Synodo nomine Cœleſtini præfuerit? Præfueritne Papæ Legati?

X. Quibus accuratè perpenſis, in eam facilè ſententiam deſcendimus, ut Cyrillus præfuerit quidem Synodo, non tamen vice Cœleſtini, qui ne vel per Legatos præfuit, quam more ſuo opinionem nervoſiſſimis doctiſſimus *Launoius* argumentis ſtatuit, in ſua ad Antonium Faurum Epiſtola. Primum argumentum petitur ex Cœleſtini Epiſtolis, unâ ad Synodum, alterâ ad Theodoſium. Verba ſunt ad Synodum: *Direximus pro noſtra ſollicitudine Sanctos Fratres & Conſacerdotes noſtros unanimes nobis, & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis quæ aguntur interſint, & quæ à nobis anteà ſtatuta ſunt, exequantur.* Theodoſium verò ſic alloquitur: *Hæc, glorioſiſſime & tranquilliſſime Imperator Auguſte, quia in veſtro corde eſſe novimus, Deum illic eſſe non dubii, auguſtis etiam auribus per fratres & Coëpiſcopos Arcadium & Projectum, & Compresbyterum meum Philippum, quos miſimus, intimamus.* Cui probabile fiet, Cœleſtinum Legatos ſuos ne prætermiſſo vel Preſ-

Lab. Conc. t. 3. 618.

Lab. Conc. t. 3. 620.

ANNO DOM. 431.

Presbytero memorantem, eis non inſerturum Cyrillum, qui priore loco nominandus erat, ſi id muneris obiiſſet? Præterea ſi Vicarium Cœleſtini Cyrillus egiſſet, titulum ſibi eum impoſuiſſet in ſubſcribendo, quod eùm non fecerit, eam utique perſonam non geſſit. Subſcripſit

Lab. Conc. t. 3. 634.

Actioni tertiæ his verbis, *Ego Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus opto vos in Domino valere.* Similiter manu ſuâ ſextam Actionem eâ ratione muniit, *Cyrillus Epiſcopus Alexandriæ ſubſcripſi, pronuncians cum Sancta Synodo.* Cæterùm de Præfectura nomine Cœleſtini ne verbum quidem. Quòd ſi Pontificis Romani Legatum præſtabat, cur non & eâ ratione ſubſcripſit, quâ Legatos Cœleſtini ſubſcripſiſſe conſtat, qui legationis ſuæ mentionem egere, v. 9. Verbi gratia, *Arcadius Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus ſubſcripſi.* III. Cyrilli Præſidis meminit Leo Epiſtolâ XLVII. *Prioris*, inquit, *Epheſinæ Synodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus tunc præſedit, contra Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant.* Pontificio verò nomine præfuiſſe non dixit, nec dicere potuit. IV. Aliud eſt intereſſe Synodo, aliud præſidere: neque diſcriminis hujus Leo peregrinus, qui ad Marcianum eo modo ſcribit de Paſchaſino, quem primum ex Legatis ſuis ad Chalcedonenſem Synodum, vel potius Nicænam conſtituerat:

Leo Ep. 49.

Prædictum fratrem, & Coëpiſcopum meum, vice meâ Synodo convenit præſidere. Paria igitur & gemina Cœleſtinus de ſuis ſcribere Legatis debuit: hoc eſt, à Theodoſio flagitare, ut non adeſſent modò, ſed ut Epheſinæ quoque Synodo capita imponerentur. V. Si Cyrillus Cœleſtini nomine præfuit, cum eo gradu deſcendens, ut ſupplicis perſonam quartâ quintâque Actione induit, Projectus quidem Arcadiuſque primas in Synodo obtinuiſſent, ſi ei præfuere. Atqui Juvenalem Hieroſolymitanum Principis conventus munia tum temporis obiiſſe exploratum eſt. Juvenalis eſt, qui & cœtum moderatur, & primus omnium geſtis earum Actionum ſubſcribit. Poſt oblatum à Cyrillo Memnoneque Libellum,

Lab. Conc. t. 3. 635.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit, Libellus à ſacratiſſimis ſanctiſſimiſque Epiſcopis Cyrillo Alexandrino & Memnone Epheſino oblatus recitetur, & inter Acta referatur. Hæc verò ſunt Præſidis officia. Sed & Actione quintâ Juvenalis Cœleſtini Legatis in ſubſcribendo præponitur. Egregio argumento, Arcadium, Projectumque non præfuiſſe:

Lab. Conc. t. 3. 654.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus ſubſcripſi, Arcadius Epiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus ſubſcripſi, Projectus Epiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus ſubſcripſi. Non ignoramus quidem, viginti poſt annis irrepſiſſe opinionem, quæ mentes opplevit, Cœleſtinum ſcilicet, Cyrillumque præfuiſſe Synodo. Ea de re teſtimonia doctiſſimus Launoius multa congeſſit, quæ legi poſſunt in Epiſtola ad *Antonium Faurum.* Verùm enimverò teſtimonia externa inſitis argumentis ſemper poſtponi debent, quibus apparet, nec Cœleſtinum Legati titulum Cyrillo impoſuiſſe, nec Cyrillum in ſubſcribendo eum ſibi aſſumpſiſſe; nec uſquam reperiri gentium Cœleſtini monumentum aliquod, quo ſuus in Epheſino conventu Legatus Cyrillus crearetur. Quæ Cyrillo injuncta à Pontifice Romano provincia fuit, ea duntaxat ſententiæ Romani Concilii executionem ſpectabat, ut Neſtorius, niſi labente decem dierum intervallo doctrinam anathemate ſuam percuteret, ſe ſciret à corpore Eccleſiæ ſegregatum. Hoc verò nil facit vel ad Præfecturam, vel ad legationem in Epheſina Synodo Cœleſtini nomine obeundam. Eſt ergo facti error, *Euphratis* Eleutheropolitanæ Epiſcopi, *Marciani* Imperatoris, *Pulcheriæ* Auguſtæ in teſtimoniis admittendus, dum Cœleſtinum Synodi Præſidem dicunt: in quem facilis ſanè lapſus fuit, cùm legeretur Synodi Epheſinæ in monumentis, Cyrillum Alexandrinum Cœleſtini locum obtinuiſſe. Quod cùm de ſola executione ſententiæ à Romana Synodo latæ intelligendum foret, Præfecturæ tamen & legationi in Epheſino Concilio, à quo & Neſtorius damnatus eſt, fuit accommodatum. Baronius quidem ex Synodica de Romanis Legatis relatione ad Theodoſium per Eutychem Diaconum miſſa, ſacro Patrum conſeſſui Cœleſtinum præfuiſſe probat, adductis verbis ejuſmodi:

Bar. Ann. 431. n. 7.

Cœleſtino ſanctiſſimo piiſſimoque Romanæ urbis Epiſcopo præſente, & præſidente. At Editioni Romanæ Baronius fidem habens, & ſe decipit, & nos. Ad ſuam Labbeus Editionem hæc nos monitos voluit:

Lab. Conc. t. 3. p. 19.

Theodori Peltani S. J. eruditiſſima interpretatio à Romanis Concilii hujus editoribus interpolata, atque ubi fuſior nonnunquam reſtricta. In loco verò, quem Baronius laudat, ubi reſtrictior editio eſt, fuſior utique à Romanis editoribus reddita eſt. Equidem ſacrum illud vocabulum, *Præſidente*, cui Cœleſtini in Synodo Epheſina προεδρία innititur, Græcè Latinèque deſideratur. Græca ſunt: Παρόντος καὶ τῆς μεγάλης Ῥώμης ὁσιωτάτου καὶ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Κελεστίνου: *Cœleſtino ſanctiſſimo piiſſimoque magnæ Romæ Epiſcopo, etiam præſente.*

Lab. Conc. t. 3. p. 630.

Faceſſat ergo Baronii cum ſuo argumento opinio hæc, neque Cœleſtinus caput Synodo Epheſinæ priori magis imponatur, quàm Leo poſteriori. Atque hinc patet, meram fabulam eſſe, quam Balſamon refert in Nomocanone, tit. 8. c. 1. *Hujus quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præſenti Edicto jus habet, ut cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem ſanctus Cyrillus à Romano Papa Cœleſtino, quando fuit Epheſina Synodus adverſus Neſtorium.* Tam donati Phrygii hujus, quàm vicium ſuarum in damnando Neſtorio Cyrillo impoſitarum, Cœleſtinus meminiſſet in ſua Epiſtola. Porro ne hîc quidem Baronii error eſt diſſimulandus, qui *Phrygium pallium* eſſe putat.

Bar. Ann. 430. n. 26.

Phrygium mitra eſt, quâ ex illo tempore Cyrillum à Cœleſtino donatum, fabulatur:

Niceph. l. 14. c. 34.

Fama eſt, mitrâ illum, & Papæ appellationem, atque ut orbis univerſi Judex appellaretur, accepiſſe. Sed & in fabuloſa Conſtantini donatione inter cætera Silveſtro largitur Imperator *Phrygium, id eſt, mitram.* Suam Baronius explicationem à Liberato disertè refelli ſcire potuit, de Præſule Alexandrino ea referente:

Liberat. cap. 20.

Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ, illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo B. Marci pallium, & tunc legitimè ſedere. Cùm Marci pallio uteretur Cyrillus, quid opus erat pallium aliud ei à Cœleſtino mitti?

Cyrillus vult inchoare Synodum. Epiſcopi complures Joannem expectari petunt.

XI. Synodi geſta nunc ingrediamur. Dies ſolemnis Pentecoſtes initiis conſeſſus dicabatur, Epheſumque Epiſcoporum pars longè maxima adventarat. Aberant tamen Joannis Antiocheni Comprovinciales, quem cum ſuis in itinere conſtitutum, ut Epheſini novere, ſeſſionem diebus ſexdecim differendam judicarunt. Deſiderabantur quoque Legati Cœleſtini, qui adverſâ tem-

tempeſtate detenti, non ante Actionem ſecundam Synodum ingredi valuerunt. Junii ſeptimus circiter & decimus labebatur, cùm Joannes ſe Epheſinæ appropinquare urbi Cyrillo ſignificatum voluit: *Poſt multas exantlatas itineris moleſtias Sanctitatis tuæ precibus adjutus, præ foribus ſum. Nam triginta totos dies, tot enim ſpatii interea pedo poſtulat, iter uſque facio, nil quidquam quietis prorſus mihi indulgens, multis interim religioſiſſimis Epiſcopis ob itineris difficultatem graviter afflictis, neque paucis quoque jumentis ob continuum profectionis laborem extinctis. Tu igitur, Domine, Deum preceris obſecro, ut hoſce quinque aut ſex itineris dies ſine moleſtia percurrere, ſacrumque ac ſanctum tuum caput cum gaudio nobis complecti, & exoſculari liceat.* Reſpondit Epiſtolæ Cyrillus, ut à Joanne monemur, hæc Imperatoribus ſcribente: *Ipſe quoque Cyrillus Alexandrinus biduo ante habitum ab ipſis conſeſſum illum ſcripſerat ad me, Antiochenum Epiſcopum, quod univerſa Synodus meum adventum præſtolaretur.*

Eph. Conc. p. 1. c. 36. 445.

Lab. Conc. t. 3. 602.

Neque Joannis figmentum hoc eſſe putamus, cùm incredibile ſit, tam putido mendacio, cujus faciliimè convinci poterat, periculo ſuo maximo Imperatorem deluſum iviſſe: aliundèque Joannis hoc dictum Epiſtolæ, quâ Cyrillum adierat, optime reſpondeat. Scilicet amiciſſimis Joannis literis, quæ illis apta eſſent, non reſcribere Cyrillus non potuit. Porro promiſſi immemor, vigeſimo & ſecundo Junii die conſeſſum celebrari voluit. Intereſſere verò Epiſcopi numero LXVIII. quorum nomina Lupi exhibet Sylloge, qui Epiſtolâ etiam ſuâ Cyrillum adiere: *Sumus*, inquiunt, *penè omnes per divinam gratiam congregati. Deeſt autem præſentia ſanctæ Synodi religioſiſſimus Joannes, Antiochenus Epiſcopus, qui & ipſe jam in januis eſt, juxta ea, quæ nuper ſuis literis intimavit. Et ea, quæ per eos, quos præmiſit Præfectianos, & Magiſtrianos nunciata ſunt. Similiter etiam nonnulli ex Occidentalibus Epiſcopis Synodo adfuturi. Mandarum autem veſtra reverentia, tanquam qui graviter habent, ſuſtineri uſque ad ejus adventum. Hujus gratiâ has ad reverentiam veſtram direximus literas, ut ſuſtineatis Deo amiciſſimorum Comminiſtrorum præſentiam.* Primus omnium ſubſcripſit Tranquillinus, Epiſcopus Antiochiæ Piſidiæ.

Lup. Syll. cap. 7.

Multa ab Epheſinis perturbatè peracta. Candidiani ad eos Edictum.

XII. Hic tumultuoſa Synodus oſtendi cœpit, ut quod cogente veritate gravatim dicimus, affectibus quidem Epheſini ſuis ſervierint, quod & in progreſſu magis patebit. Æqua quidem erat, & paci Eccleſiæ conducens, poſtulatio hæc Epiſcoporum octo & ſexaginta, flagitantium aliquantum moræ prius concedi, quàm de Neſtorio judicium inſtitueretur. Quam præcipuè largiri opus erat Candidiano Comiti, Imperatoris Legato, cujus conteſtationem è tenebris in lucem vocavit Chriſtianus Lupus, quæ nobis eſt proferenda, ut & intus & in cute noſcatur Concilium, quod magnam apud poſteros famam obtinuit, & tam Candidiani, quàm Neſtorii ad Theodoſium de Epheſinorum agendi ratione Epiſtolæ falſi, quo à multis poſtulantur, infamiâ liberentur: *Sanctiſſimo Epiſcopo Metropolis Alexandriæ Cyrillo, & reverendiſſimis Epiſcopis, qui cum eo ſunt congregati, Flavius Candidianus magnificentiſſimus Comes devotiſſimorum Domeſticorum. Quoniam ex quo in Epheſinam civitatem veni, nihil aliud deprecatus ſum communem ſanctamque Synodum veſtram, niſi ut cum pace atque concordia, quæ ad fidem, rectamque glorificationem noſtram pertinent, exponerentur, ſicut & Dominus noſter juſſit, & piiſſimus Imperator, ſcit religioſitas veſtra. Et ſufficit mihi teſtimonium, quod ipſa veritas præbet, quia nihil aliud egerimus præter hoc. Quoniam verò & dum congregandos vos eſſe in ſanctiſſimam Eccleſiam præter aliorum cognoſcerem voluntatem, nondum veniente ſanctiſſimo Epiſcopo Antiochiæ Metropolis Joanne, vel his qui cum ipſo ſunt, non ceſſavi rogans, ut id fieret, quod dixi ſuperius, & unumquemque ſum conteſtatus ob hoc, ne fortè particularis fieri Synodus videretur. Extremo vero nihilominus cùm congregati eſſetis, in ſanctiſſima Eccleſia occurrere feſtinavi, & ea, quæ viſa ſunt Domino noſtro, & piiſſimo Principi, licet videam ex ſuperfluo facere, dum ſemel noſceretis hæc eadem ex literis Divinitatis ejus directis ad vos. Verùm tamen edocui diſpoſitionem ejuſdem Domini noſtri, & piiſſimi Principis hanc eſſe. Velle namque eum dixi fidem noſtram abſque ulla diſcordia ab omnibus idem ſapientibus roborari, & nolle particulares quaſdam Synodos fieri, quòd maximè in hæreſes & ſchiſmata convertere novit religionem noſtram, fidemque orthodoxam. Inſuper dum reverentia veſtra exigeret, ſacram Domini noſtri & piiſſimi Principis, quæ directa eſt ad ſanctam Synodum, relegi, prius quidem id facere non annuebam, nec enim dicere refutabo, eò quòd non adeſſent omnes, qui ad ſanctiſſimam Synodum juſſi fuerant convenire, ſed quia veſtra religioſitas inquit, ignorare ſe, quæ præcepta ſint a Domino noſtro, & optimo Principe, neceſſarium mihi viſum eſt apparere, ut etiam non præſentibus aliis reverendiſſimis Epiſcopis omnibus relegerentur divina atque adorabiles literæ. Nihilominus verò & poſtquam vobis manifeſtavi, quæ ſunt decreta divinitùs, in eadem ſupplicatione permanſi, deprecans reverentiam veſtram, & poſcens nihil novum fieri, prius quàm cuncti ſanctiſſimi Patres atque Epiſcopi ad Synodum convenirent, ſed ſuſtineretis quatuor tantummodò dies ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochenorum Metropoleos, cum aliis, qui pariter ſunt, ut veſtrâ religioſitate pariter congregatâ, & omni ſanctâ Synodo collectâ ſimul in unum, ſi quæ eſſent, quæ forſan in dubitationem venirent, à quibus nos ſumus extranei, cunctis vobis præſentibus judicarentur. Et tunc cum conſenſu omnium veſtrum oſtenderetur, quis pravè & præter regulas Eccleſiaſticas credere videretur: an certè rectè omnes pariter confiteri, ſicut ſanctorum Patrum religio habet. Hæc igitur non ſemel, ſed etiam ſæpius admonens, & ſuppliciter poſtulans, nihil profeci. Verùm quia nihil eorum, quæ à me ſunt dicta, ſervatum eſt, ſed à vobis injurioſè, ac violenter expulſus ſum, neceſſarium duxi, hoc meâ conteſtatione vobis conſtituere manifeſtum, & per hoc Edictum clarè dicere, nullum veſtrum novi aliquid facere, ſed omnium ſanctorum Epiſcoporum ſuſtinere præſentiam, & ſic commune Concilio, quæ ad Catholicam ſanctamque fidem pertinent, judicari. Si quis verò ex propria voluntate ductus, ea quæ immortali & optimo vertice juſſa ſunt, commovere voluerit, ſciat ſe ſibi ipſi reputaturum, quidquid evenerit; præjudicium verò ſe alii non inferre. Non enim pigebit me, hæc eadem denuò iterare. Quoniam verò, ſicut veſtra ſanctitas novit, hoc placuit Domino noſtro & piiſſimo Principi, ut ſub præſentia ſimul omnium ſanctorum Epiſcoporum, qui ab ejus Divinitate ſunt convocati, ea quæ in vocationem veniunt, diſſolvantur: propterea & ſacra, quæ ad ſanctiſſimam Synodum veſtram*

Lup. Syl. c. 9.

directa

directa ſunt, & qua ad me ipſum ab eorum Divinitate ſunt ſcripta, huic Edicto propoſui, ut per omnia cognoſcentes, qua à Domino noſtro & optimo Imperatore pracepta ſunt, à tali praſumptione ceſſetis. Cognoſcite igitur, quod ſcripti hujus exemplar etiam Domino noſtro piiſſimo Imperatori tranſmiſſum eſt. Propoſitum eſt decimo Kalendas Julii in Epheſina civitate. Candidiani narrationem, quâ Joanni Antiocheno nunciavit, & quos Neſtorius miſerat Epiſcopos exactos eſſe, & ſe quoque veluti qui non deberet eorum participem agere, quæ ab Epheſinis gerebantur, expulſum fuiſſe, falſi Labbeus arguit. Quam ſanè ſententiam mutaſſet, ſi vulgatum à Lupo Edictum legiſſet, quod palam publicèque in orbe Epheſina propoſitum eſt. Neque eò impudentiæ progreſſus eſſet Candidianus, ut pura putaque mendacia fingeret, quæ Imperatoribus à Joanne, Conciliabuloque Epheſino nuntiarentur, non ſine fortunæ ſuæ periculo. Lupi Sylloge Epheſina myſteria detegit, ulceraque tangit, quæ diuturnitate temporis, monumentorumque defectu occultabantur. Silentibus ſanè nobis, ipsâ luce clarius eſt, perturbatione rationis, atque ordinis ab Epheſinis peccatum. Quippe Oecumenicam Synodum, quam celebrari Princeps jubebat, in particularem mutabant. Ea quippe Synodus Oecumenica non fuit, cui nec Romani Epiſcopi Legati, nec Antiochenus Archiepiſcopus, nec Orientis aderant Antiſtites. Debitam Reſcripto Principis exuebant venerationem, atque obedientiam narrantis, Candidianum à ſe miſſum, *ut diligenter proſpiciat, ne qua diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta increbreſcat, & ſava tempeſtatis inſtar debacchata, ſanctiſſima Synodi veſtra conſultationem exactioremque veritatis indagationem fortè obturbet, ſed ut iis, qua diſcuntur, ritè perceptis, ſinguli inoffensè quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propoſitum, refutare queant: ut eâ tandem ratione, ubi per ſingulas propoſitiones exceptioneſque inquiſitio citra ullam omninò turbam contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum probatumque erit, communi veſtra ſanctitatis ſententiâ conſtituatur.* Reverendam & regii Legati dignitatem violabant, ſpernebant, pro nihilo habebant. Etenim nec juſtis ipſius precibus, ut expectaretur Orientalium adventus, quibus & ſingulos Primates, & Epiſcopos congregatos adiit, morem geſſere. Impetrare nequivit hoc ab ipſis, *quatriduum* ſaltem ut concederent ſolum, quæ maxima Candidiani fuit injuria, æqua poſtulantis. Ignem faceſque in Eccleſiam etiam immittebant hâc ſuâ feſtinatione præcipiti. Quænam cauſa fuit, cur adeò properarent? Quid detrimenti capiebant res Eccleſiæ, ſi quæ vigeſimâ ſecundâ Junii Neſtorianæ cauſæ cognitio habita eſt, in xxvj. differretur? Aſtutiam porro à Chriſtiana ſimplicitate alienam adhibebant. Cùm enim à Principis Reſcripti lectione Actio prima Synodi eſſet incipienda, Cyrillus Memnonque, ut ſacram Candidianus legeret, flagitarunt, affirmantes ignorare ſe quid ea contineretur, ut imperatâ lectione, quam vitando tumultui Candidianus conceſſit, è veſtigio ad judicium Neſtorii, intercedente vel Auguſteo Legato procederent. Scribunt & Cœleſtino, Joanni non locorum intervallum impedimento fuiſſe, quominus ad diem conſtitutum veniret Epheſum, ſed moram voluntariam; cùm tamen ex Evagrio, nec non ex ſpatio Antiochiam inter & Epheſum interjecto liqueat, dilationem non fuiſſe ſpontaneam. Neque congruum ſatis videbatur, Cyrillum Synodo præeſſe, cùm eorum unus eſſet, qui judicari debuere ob anathematiſmos, qui tam à Neſtorio, quàm ab Orientalibus hæreſeos accuſabantur. Hæc noſtrâ quidem ſententiâ ab iniquitate, ab humanis affectibus defendi non poſſunt, nec ea diſſimulare debuimus, cùm Hiſtorico præcipuè ſit laborandum, ut relegato favore anteponendam omnibus veritatem candidè proferat in lucem veritatis.

Eph. Conc. p. 1. c. 35.

Lab. Conc. t. 3. 675.

Synodi Epheſinæ initium. Actio prima. Ubi & quando habita?

XIII. Eâ ratione ſic animati Epheſini ſpretis Candidiani monitis, primam ſuam Actionem inire ſtatuunt abſente Legato, qui tamen intereſſe debuit. Dies Junii xxii. feriâ ſecundâ conveniunt Epiſcopi in Eccleſiam Mariæ Deiparæ, Sanctumque Evangelium, quod ipſum Chriſtum præſentem monſtrabat in throno, qui medium locum obtinebat, proponunt. Memnon verò Epiſcopis, qui Neſtorio aderant, decem numero, Baſilicæ Joannis aditum præcluſit, quod queſti ſunt in ſua ad Imperatores expoſtulatione: Memnon *ſanctas Eccleſias, ſanctorumque Martyrum Ædes, & ſacroſanctam Apoſtoli Joannis Baſilicam nobis praclusit. His verò magnam Eccleſiam aperuit, idoneamque conſeſſui ſedem ibidem praparavit.* Congregatis Antiſtitibus, Petrus Presbyter Alexandriæ, Primicerius Notariorum monuit, ſe & Epiſtolas expoſitioneſque Neſtorii, & literas Cyrilli ad Cœleſtinum per Poſſidonium miſſas habere præ manibus. Quo loco quin à veritate relinquatur Baronii ſententia, nulli dubitamus, qui Petrum Presbyterum Tribunum vocat atque Notarium: *Idemque Tribunus*, inquit, *atque Notarius.* Quo jure, viderit. Presbyterum magnâ Tribuni dignitate, quæ politica fuit, ornatum eſſe, credere haud poſſumus, & in Synodo Epheſina Primicerius duntaxat Notariorum, non Tribunus appellatur, πριμικήριος νοταρίων, Eccleſiaſticorum ſcilicet Notariorum, minimè verò Politicorum. Audito Petri ſermone, Juvenalis directam ad Metropolitanos Principis ſactam legi jubet. Finitâ lectione, Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus Memnonem interrogat de diebus elapſis, poſt Epiſcoporum in urbem Epheſinam adventum. Cui ut reſponſum, præteriiſſe dies ſexdecim, Cyrillus dixit, ſatis diu expectatum Epiſcoporum adventum: eorum qui in civitate verſabantur, alios morbo laborare, alios etiam exceſſiſſe. Chartas, quæ ad rem præſentem maximè faciunt, recitandas eſſe, eò magis, quòd Imperatorum Decretum per Candidianum Comitem prælectum fuerat. Vera quidem Cyrillus prædicabat: diſſimulabat tamen, non eo fine lectum eſſe Reſcriptum, ut Concilium inciperet; imò Candidianum illud prohibuiſſe, donec Joannes Antiochenus cum Orientalibus præſens adeſſet. Itaque conſeſſui Candidianus non adfuit. Si verum intelligimus, geminâ regii Edicti violatione Synodus eſt inchoata, utpote & abſente Imperatoris Legato, & deſideratis Orientis Epiſcopis celebratâ.

Lab. Conc. t. 3. 567.

Bar. An. 431. n. 52.

Neſtorius citatur. Quid reſponderit Synodi Legatis?

XIV. Suggerente Theodoto Ancyrano, ſchedarum lectione in aliud tempus reſervatâ, opus eſſe, Neſtorium Synodicis Actis adeſſe, *Hermogenes* Rhinocurorum, *Athanaſius* Paraliæ, *Petrus* Parembolorum, *Paulus* Epiſcopus Lampæ teſtantur, pridie Neſtorium à ſemetipſis fuiſſe conventum, atque monitum, ne abeſſet

Anno Dom. 431.

ſit à conſeſſu, reſpondiſſe verò, *Mecum deliberabo, & ſi venire me oportuerit, veniam.* Moniti quoque ſunt, qui unà cum Neſtorio verſabantur Epiſcopi, *Fritilas* Heracleæ, *Helladius* Tarſi, *Dexianus* Seleuciæ Iſauriæ, *Himerius* Nicomediæ, *Alexander* Apameæ, *Eutherius* Thyanorum, *Baſilius* Theſſaliæ, *Maximus* Anabarzi, *Alexander* Hierapolis, *Dorotheus* Marcianopolis, ut in conſeſſum venirent. Auditâ Neſtorii reſponſione, Flavianus Philippenſium Præſul alios ad Neſtorium Epiſcopos mittendos eſſe cenſuit. Synodalis ergo Syngrapha conficitur verbis ejuſmodi: *Quoniam ſanctitas tua in Synodo deſiderata eſt, per Theopemptum, Anderium & Theodulum religioſiſſimos Epiſcopos, & Epaphroditum Lectorem neceſſariò te denuò rogamus, ut te nobis adjungas,* &c. Profecti Legati, circumdatam militibus domum inveniunt. Quibus rogatis, ut Legatorum adventus ſignificaretur, reſponſum, Neſtorium nonnihil quieſcere, ſeque juſſos eſſe, ne quemquam conveniendi ipſius causâ intromitterent. Ingreſſum urgentibus Epiſcopis, datur & à Clericis Neſtorii eadem reſponſio. Dum perſtant Legati, *Florentius* Tribunus eos paulisper expectare jubet. Qui cum Neſtorii Clerico reverſus, expectantes ſic affatus: *Mihi quidem Neſtorium videre non licuit, per alios tamen ſignificavit, cùm omnes Epiſcopi ſimul convenerint, tum ſe quoque affuturum.* Relatâ reſponſione, monente rurſus Flaviano, tertiâ & citatione accerſendum eſſe Neſtorium, ad eum mittuntur *Anyſius* Thebarum, *Domnus* Opuntis, *Joannes* Hephæſtii, *Daniel* Darnenſis Epiſcopus, qui moras nectenti ſignificarent, Synodum ea prolaturam, quæ Canonibus ſancita ſunt. Legati ab inventis militibus, ne ad umbram quidem conſiſtere permiſſi ſunt, juſſis habentibus, ne quem libet è Synodo admitti paterentur. Parata Synodus erat, quartam Neſtorio legationem mittere. Verùm Juvenale dicente, Neſtorii ædes ſatellitibus obſeſſas, eoque manifeſtum fieri, ipſum conſcientiâ convictum, Synodi conſpectum eff[u]gere, ad Nicænæ Synodi lectionem procedunt, ut cum ea conſentiens doctrina confirmaretur, ab ea verò diſſentiens rejiceretur. Ex regulis tamen quartâ hâc citatione opus erat, quia prima Synodi ante initia facta fuerat. Atque hîc tenemus Garnerium & N. Alexandrum in errore verſantes, qui Nicæni Symboli lectionem Reſcripti Auguſtei lectioni præmiſſam eſſe docent. Quæ perturbata narratio ab Actis, & Epiſtola Synodi ad Imperatores diſertè refellitur: *Primò Altarum monumentis religioſas pietatis veſtræ literas ſuo fulgore præfiximus, poſt has ſacra fidei expoſitionem præmiſimus, quæ primò à ſanctis Apoſtolis nobis tradita, poſteà fuit à trecentis decem & octo ſanctiſſimis Patribus in Metropoli Nicæa, à ſanctæ memoriæ Conſtantino congregatis expoſita.*

Lab. Conc. t. 3. 570.

Cyrilli, Neſtorii, Capreoli literæ leguntur.

XV. Quid deinde geſtum ſit, exponamus. Petrus Presbyter monuit Synodum, Epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, ſi placeret, legendam eſſe: Acacio Melitinenſi lectionem peragendam ſtatuente, recitatur Epiſtola, cujus initium eſt, *Intelligo quoſdam mea apud tuam pietatem exiſtimationi detrahere.* Ubi à Cyrillo petitum eſt, reſponderetne Epiſtola Nicænorum doctrinæ, omnium ſuffragio orthodoxa, piaque declaratur. Conſequenter Palladius Amaſeæ Epiſcopus Neſtorii Epiſtolam legi jubet; quæ his verbis incipit: *Admirabilium literarum tuarum*

Lab. Conc. t. 3. 501.

contumelias: quæ omnium conſpiratione damnatur: *Omnes Epiſcopi ſimul exclamaverunt: Quicunque Neſtorium non anathematizat, anathema ſit: hunc recta fides anathematizat, hunc ſancta Synodus anathematizat; quicunque Neſtorio communicat, anathema ſit: omnes Neſtorii Epiſtolam & dogmata anathematizamus.* E veſtigio Cœleſtini Epiſtolam legunt, quam Neſtorio direxerat. Eâ recitatâ, Epiſtola Alexandrinæ Synodi à Petro Presbytero profertur. Quærenti Flaviano, num tam Cœleſtini, quàm Cyrilli literæ redditæ fuiſſent, illiſque à Neſtorio ſatisfactum? Theopemptus Danielque Alexandrinæ Synodi Legati, ſe in concionibus Neſtorii longè pejora iis, quæ literis continebantur, audiviſſe ſe teſtantur. Theodotus quoque Ancyranus, nec non Acacius Melitinenſis multa inter diſputandum impia Neſtorio excidiſſe prædicant, quòd verbi gratiâ Deum *bimeſtrem aut trimeſtrem* dicere vereretur. Imò tantarum blaſphemiarum haud patientem abiiſſe ſe, Acacius aſſeruit. Quæ ſermonibus ſanè Epiſtoliſque Neſtorii, quarum fragmenta exhibuimus, non ſunt conſentanea. Ventum deinde ad lectionem locorum complurium, quos Patribus Cyrillus ſibi collegerat. Recitantur ſubinde excerpta ex Neſtorii ſermonibus plurima: quibus veluti horrendis blaſphemiis aures Epiſcoporum contaminari Flavianus jactavit, Philippenſium Epiſcopus. Itum ergo ad Capreoli Carthaginenſis Epiſtolam, quam per *Beſulam* Diaconum Synodo ſcripſerat. Abſentiam verò ſuam gemina de cauſa excuſabat. Una ex Africæ vaſtatione petebatur, quæ miſeram deſolationis ſpeciem offerebat oculis. Altera ex breviore tempore ducebatur, quòd Imperatoris literæ diebus Paſchæ allatæ fuerant, cùm ad uſque Oecumenicam Synodum *vix duorum menſium ſpatium ſupererat, quod temporis intervallum ad Africanam Synodum cogendam vix ſatis erat.* Si quid autem novarum controverſiarum inciderit, denuò in diſputationem vocari ſinit; non ea verò, quæ jam ſunt dijudicata; cùm eâ ratione fides in dubium adducatur. Jub. ite Synodo Capreoli hæc Epiſtola Actis Synodi illata eſt.

Anno Dom. 431.

Epheſina in Neſtorium ſententia.

Lab. Conc. t. 3. 533.

XVI. Lectis monumentis, quæ damnando Neſtorio idonea videbantur, ſententia hæc in eum promulgatur: *Cùm præter cætera impiiſſimus Neſtorius neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos religioſiſſimoſque Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum, quæ impiè docuit, examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex literis commentariiſque ipſius, partim è ſermonibus, quos nuperrimè in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt, illum impiè ſentire, & prædicare, coacti per ſacros Canones, & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri & Comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lachrymis ſubinde perfuſi ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus. Igitur Dominus noſter J. C. quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per ſanctiſſimam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe definitum.* Veſpertino tempore à lachrymoſa Synodo id judicii latum eſt. Ita uno ſolo die, & bis citatur Neſtorius, & doctrina ejus ad examen revocata damnatur, quæ in re tanti momenti nimia ſanè feſtinatio fuit. Damnationi forſan æqui ſpecies aliqua obtendi poſſet, ſi ob ſolam contumaciam Neſtorius gradu ſuo motus eſſet. Illud verò intole-

Anno Dom. 431.

tolerandum, quòd Hæreticus, & blaſphemus prius pronuncietur quàm audiretur à Synodo, cujus judicium non abnuebat, dum modò Joannes Antiochenus cum ſuis Comprovincialibus adeſſet. Ad Orientalium adventum uſque cognitio doctrinæ, quæ omnes orbis tangebat Eccleſias, differri debuit. Nec laudare eam agendi rationem poſſumus, quòd Neſtorii Sermones Epiſtolæque, quibus Mariæ titulum Deiparæ imponebat, ſunt prorſus ſuppreſſæ. Sed & illud admirationem efficit, quod narrante Acacio Melitinenſi, Epiſcoporum unum, qui Neſtorio aderant, dixiſſe, *Alium Filium eſſe, qui mortem obierat, & alium item Dei Verbum*, patienter hæc Synodus habuerit, nec Epiſcopum illum citari juſſerit: quaſi ad id ſolum congregaretur, ut Neſtorium perditum iret. Quòd ſi tantus Cyrillo veri amor inerat, atque pietatis, quidni de eo Epiſcopo, cujus nomen ſuppreſſit Acacius, inquiri jubebat? Unuſne Neſtorius fidei erat immolandus? Quidni quatriduum ei concedebatur, quod à Synodo flagitabat, ipſo vel fatente Cyrillo? Ab æqui regulis etiam abeſſe putamus, quòd ad Theodoti, & Acacii teſtimonia damnatus ſit Neſtorius, à quo prius exquirendum, velletne infirmare teſtes, ac pro veris ea haberet, quæ objiciebantur. In Synodum Romanam, quæ Joannem Papam XII. abdicavit, eâ ratione invehitur Baronius: *Et cui reorum, quamvis vili homuncioni, non ante ſententiam aliqua data à jure perendina dilatio? Sed nulla Joannis, bis vocatus, ſtatim damnatur, eâdem qua ſecundâ citatus eſt die?* Atqui non vilis homuncio Neſtorius, Regiæ urbis Epiſcopus, uno eodemque die & citatur, & damnatur. Præceps ea quidem Synodi ſententia, & impotentem affectum animi perſonæ odio laborantis præ ſe ferebat, & graviſſimum Joannis Antiocheni, Orientaliumque contemptum. Porro ubi damnatio Neſtorii pronuntiata eſt, cives Epheſini Epiſcopos, Eccleſiam egreſſos, cum facibus & tædis uſque ad diverſorium deduxerunt: *Multa paſſim lætitia, multa etiam luminaria accenſa, ita ut mulieres quoque thuribula geſtantes antecederent nos*; quæ Cyrilli de proſtrato hoſte ſuo exultantis ad Alexandrinos verba ſunt.

Bar. An. 963. n. 32.

Lab. Conc. t. 3. 574.

Abdicatio Neſtorii publicè proponitur. Quid Candidianus egerit?

XVII. Ortâ luce, feriâ tertiâ Junii XXIII. abdicationis ſententia Neſtorio ſignificatur: *Sancta Synodus Dei gratiâ juxta religioſiſſimorum Chriſtianorum Imperatorum noſtrorum ſtatutum, in Epheſiorum Metropoli congregata Neſtorio novo Judæ. Agnoſce, te propter impias prædicationes tuas, & adverſum Canones contumaciam, vigeſimo ſecundo die menſis Junii præſentis juxta Eccleſiaſticarum Sanctionum Decreta, à ſancta Synodo depoſitum, atque ab omni gradu Eccleſiaſtico alienum eſſe.* Ignorabatur Candidiano, quid pridie in Neſtorium conſtitutum fuerat: ubi verò reſcivit, rem omnem in factorum & admirationem, & indignationem convertitur. Quid verò geſſerit, eſt verbis ipſius exponendum: *Refixi Scripturam illam depoſitionis publicè propoſitam, & legi, quam ad piiſſimos Imperatores noſtros miſi paulò poſt, & publicos quoque præcones forum obeuntes, memorataque ſanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii depoſitionem ſolemni pompâ ebuccinantes audio. Cùm igitur hæc reſcivissem, inhibitiones ad illos miſi, ne quidquam omninò præter ea, quæ à religioſiſſimis Imperatoribus noſtris decreta fuerant, molirentur. Effeci quoque, ut ſanctiſſimi Epiſcopi noſtri, qui illorum congregationi non interfuerant, veſtra ſanctitatis adventum præſtolarentur.* Extant adhuc gemina Candidiani Edicta, ubi Neſtorii de abdicatione certior factus eſt. Prius dirigitur Epiſcopis, qui nondum Neſtorii damnationi ſubſcripſerant, quos per Sanctam Trinitatem, & Imperatorum ſalutem obſecrat, ut Synodum generalem expectent. Poſterius ad Synodum miſſum eſt, quo ſe ob ea, quæ geſta fuerant, ſtupore urgeri teſtatur, utpote regulæ pugnantia, quam Imperatores conſtituerant: monere ſe iterum, ut & Orientis, & Occidentis expectentur Epiſcopi.

Lab. Conc. t. 3. 549.

Lab. Conc. t. 3. 591.

Anno Dom. 431.

Lupi Syll. c. 11.

Abdicatio Neſtorii Theodoſio & Clero Conſtantinopolitano ſignificatur. In eum conciones.

XVIII. Quam in Neſtorium promulgaverant ſententiam, ea Principi notificanda erat. Epheſini ergo quid geſtum fuerat, exponunt in ſua ad Imperatores Epiſtola. De Candidiani tamen interceſſione, nec non poſtulatione Epiſcoporum LXVIII. ut non Joannis ante adventum, qui in januis erat, Neſtorii res ingrederentur, altum ſilentium agunt. Narrant ab Alexandro Apamex, nec non Alexandro Hierapolitano ſignificatum fuiſſe, cenſere Joannem, ut rem propoſitam aggrederentur. Dum expectando dies XVI. conterunt, Epiſcoporum nonnullos diem obiiſſe, alios in morbum incidiſſe, itaque Neſtorii cauſam ad examen adduxiſſe, quem & contumaciæ, & hæreſis reum exautorarunt. Subjungunt: *Veſtram ergo Majeſtatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut univerſam illius doctrinam e ſanctiſſimis Eccleſiis ſubmoveri, ejuſdemque libros ubicunque locorum repertos, flammis tradi jubeat.* Clero quoque & populo Conſtantinopolitano ſcribunt, Neſtorium impiæ hæreſeos inſtauratorem, cùm Epheſum perveniſſet, *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Maria, juſtâ Sanctæ Trinitatis ſententiâ, divinoque Patrum judicio condemnatum, & omni Sacerdotali dignitate privatum eſſe.* Cyrillus etiam *Comario*, & *Potamioni* Epiſcopis, & *Dalmatio* Monaſteriorum Archimandritæ literas dedit, quibus de geſtis in Neſtorium eos commonefaciebat. Scriptæ ſunt, ut fert conjectura, biduo poſt exautoratum Neſtorium, utpote quæ de miſſis à Candidiano ad Imperatorem relationibus mentionem faciant. Num ſincerè ſatis hæc referat, judicent, quibus ſtudium eſt litare veritati. *Joannem ſexdecim dies expectavimus, cùm tamen tota Synodus reclamaret, aſſerens illum conſeſſum intereſſe non velle, quòd metueret, ne fortè reverendiſſimus Neſtorius, qui ex illius Eccleſia aſſumptus fuerat, loco ſuo moveretur.* Diſſimulare tamen non potuit, Neſtorium hæc dixiſſe: *Quatuor dierum dilationem petii, donec veniret Epiſcopus Antiochenus, & noluerunt concedere.* Quod verò ſubjungit Cyrillus, *Joannem intereſſe*, id ſanè & experientiæ repugnat & veritati, cùm triduo poſt exaratam Cyrilli hanc Epiſtolam advenerit, & per *Magiſtrianos* adventum ſuum ſignificarit, quæ cauſa fuit, cur ab Epiſcopis LXVIII. judicii dilatio peteretur. Addit: *Quoniam verò, ut intellexi, relationes à magnificentiſſimo Comite Candidiano delatæ ſunt, cauti & vigilantes eſtote, ac docete commentarios rerum in Neſtorii depoſitione geſtarum, nondum perfectè ſcriptos eſſe.* Alexandrinos quoque ſuos, nec non Archimandritas docuit, pro admirabili, quam de Neſtorio victoriam retulerat, gratias Deo agendas eſſe. Rebus pro votis ſuis feliciter geſtis, nil aliud obruendo Neſtorio Epheſinis deerat, quàm ut miſer ille homo publicis concionibus infamiæ exponeretur. *Abegimus* ergo

Lab. Conc. t. 3. 571.

Lab. Conc. t. 3. 563.

ANNO DOM. 432.

ſeſſu expulſum; admonitorium, quod Epiſcopi ad Concilium deſtinaverant, legi non fuiſſe permiſſum, quæ omnia ſunt Imperatori ſignificata. Rogante Joanne ſacra Imperatoris à Candidiano legitur, cujus ad lectionem Epiſcopi omnes conſurrexere: finitâ lectione, quæſitum à Candidiano, núm Neſtorii reſponſionibus auditis, damnatus fuiſſet: negante Candidiano, dixit Joannes, quæ ſe & Comprovincialibus præſentibus geſta fuerant, his eſſe maximè conſentanea: *Cùm enim oportuiſſet, ut illos, qui è tam longinquâ peregrinatione recens advenerant, fraternè complecterentur, pulvereque adhùc aſperſos benignè & comiter exciperent, tumultuario impetu ſtatim ad nos perturbandos irruerunt.* Falſam hanc Joannis expoſtulationem eſſe, eruditis vulgò creditum, Memnonis, quam laudavimus, Epiſtolâ fretis. At ſi verum amamus, eo præcipuè fine à Synodo legatio ad Joannem miſſa eſt, ut & Neſtorii abdicatio ſignificaretur. Itaque illum in via non ſalutant. Milites quidem qui Joannem circundabant, adeò invenuſtos inurbanoſque non exiſtimamus, ut & Synodi Legatis, & Epiſcopis ad Joannem adeundi copiam negaſſent, ſi afferendo duntaxat honori veniſſent. Tam ipſis, quàm Cyrillo facilè fuiſſet ingredientem ſalutare. Itaque quàm primùm Joannem convenere, ipſique mandata Synodi expoſuerunt: hoc eſt, *ut à Neſtorii propter impietatem, quam profeſſus fuerat, à ſancta Synodo depoſiti, colloquio ſe abſtineret, cum commonefacerent.* Quæ ſanè mira honoris ſpecies fuit, & ſi abſque circuitione dicendum, injuria longè maxima, cùm Joannem tam parvi feciſſent, ut ne quatriduum ſolum expectare voluerint, ut adeſſet Neſtorii judicio, licet ea de re à compluribus rogarentur. Sed & Joannem complures Comprovinciales ſequebantur, quibus nil ſalutationis Legati impertierunt.

Lab. Conc. t. 3. 594.

Lab. Conc. t. 3. 762.

Synodus Joannis, Cyrillum abdicat atque Memnonem.

XXII. Ubi Candidianus egreſſus eſt, quærit à ſua Synodo Joannes, quid faciendum videatur. Cui Synodus, cauſata Memnonem Baſilicis præcluſis, ne ſacram quidem Pentecoſten religioſiſſimis Epiſcopis celebrari permiſiſſe; multitudine agreſtium hominum coactâ civitatem turbis repleviſſe, miſſis ad Epiſcoporum diverſoria Clericis, extrema quæque illis, qui confuſo ſe Concilio non adjungerent, minatum eſſe; res Eccleſiaſticas tumultibus impleviſſe; Imperatoris literas parvipendiſſe; Eccleſiæ ritus proculcaſſe: Cyrillum verò pravam doctrinam miſſis ad regiam urbem capitibus, intuliſſe tantorum autores malorum cenſet, pœnis eſſe ſubjiciendos, Joannes itaque firmatam conſpiratione omnium hanc ſententiam protulit: *Tu, Cyrille Alexandrine, & tu Memnon, hujus civitatis Epiſcope, ſcite vos depoſitos, & ab Epiſcopatu alienos, atque ab omni Eccleſiaſtico miniſterio & functione eſſe amotos, ut qui in cauſa fuiſtis, ut Patrum Canones conculcarentur, & Imperatorum Decreta contemnerentur, omniaque confuſione & turbis miſcerentur, ac totius ſceleris autores & duces extitiſtis. At vos reliqui omnes, qui ſeditiosè & iniquè contra Eccleſiaſticas Sanctiones, Regiaque Decreta agentibus conſenſiſtis, excommunicati eſtis, donec agnitâ culpâ veſtrâ reſipiſcatis, fidemque à ſanctis Patribus in Nicæna civitate expoſitam ſuſcipiatis, nihil extraneum aut peregrinum, attexentes; capita præterea hæretica à Cyrillo Alex. expoſita, quæ Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ apertè repugnant, anathematizatis.* Datam ſententiam

Lab. Conc. t. 3. 598.

è veſtigio ſignificant adhibitâ Candidiani operâ, palam etiam & publicè eam proponi jubent, non ſine civitatis & offenſione & murmure. Joannis judicium Epheſini nil penſi habuere. Cùm igitur Joannes noſceret, Cyrillum cum ſuis Collectas celebrare velle, accerſitum ad ſuum cœtum die Dominicâ, Candidianum rogat, núm quæ notificanda petierat, ea fuiſſent Epheſinis nunciata. Cui Candidianus, de petitione ſe nil indicaſſe quidem, quia nec ratio admonendi ulla erat: ſed ad Cyrillum, Memnonem, & cæteros adiiſſe, quos congregatos rogavit, ne ipſimet Synaxes agerent, quia *ſanctam Pentecoſtes & reliquas Collectas uſque ad hanc Dominicam celebrare noluerant*, Clericis ſacra facientibus: expectarent Principum Reſcripta; velle ſe à neutra parte Collectas agitari ſchiſmatis metu: publicè propoſitam Cyrilli & Memnonis abdicationem toti civitati notam eſſe: à Memnone parvi ſanè fieri, talia jactanti, Joanni nil in ſe poteſtatis eſſe, multò minus in tantam Synodum. Quærente Synodo, núm ipſius monitis obtemperaſſent, dixit Candidianus: *Ego in ipſo Sabbato ad veſperam rogavi, & ſequenti die valde diluculo vadens ad reverendiſſimum Epiſcopum Cyrillum, id eſt, Dominico die, non ceſſavi rogare atque precari, ut mea poſtulationi concederet. Illi verò non acquieſcentes, exierunt, Collectamque fecerunt.* Porro Joannis hæc Synodus ſcriptâ ad Imperatorem Epiſtolâ, de geſtis in ſuo conventu, & de cauſa, quæ Antiocheni Præſulis adventum impediverat, certiorem faciunt. Scilicet *quadraginta manſionibus* (legendum *triginta* putamus) Antiochiam Epheſo diſſitam eſſe: detentum ſe quoque fuiſſe calamitatibus Antiochenis, & fame, quæ urbem inceſſit, & pluviis inſolitis, quæ torrentibus inundantibus eam in diſcrimen adduxerunt. Reginis quoque ea ſignificant: *Nobis ſe noſtrum adventum præſtolari cùm ſcripſiſſent, didiciſſentque tridui itinere nos abeſſe, tyrannico conſeſſu conſtituto, res flagitioſas, illegitimas, omnique abſurditate plenas auſi ſunt.* Proindeque ſe Cyrillum & Memnonem Epiſcopali munere amoviſſe. Clero quoque Conſtantinopolitano, Senatui, populo ſuas cuique Epiſtolas de conventus actis dedere. Clero etiam & plebi Hierapolenſi Euphrateſiæ ſcripſerunt, quam Lupus Epiſtolam exhibuit, LIII. Epiſcoporum nominibus vallatam, atque munitam. Atque hîc Baronio error nobis eſt evellendus, qui fraudes & fallacias Neſtorianorum, ut ait, exagitans, negat ad Epheſinos directam Joannis ſententiam fuiſſe: *Cùm ad Synodum Oecumenicam hæc appareant eſſe conſcripta, ad eam tamen nequaquam miſſa fuerant.* Quæ eruditiſſimus Purpuratus non ſcripſiſſet, ſi Candidiani cum Joanne in colloquium incidiſſet; ex quo novimus, Synodicam Orientalium ſententiam & Memnoni notam fuiſſe, & Epheſi palam publicèque propoſitam. Poſtridie ejus diei, quâ abdicationis ſententiam decreverant, ſeptimâ feriâ Joanni quidem rationis nil eſſe potuit, cur abdicationis & Cyrilli & Memnonis judicium abſconderet, eo conſilio promulgatum, ut eos afficeret ignominiâ. Neque verba Cyrilli Memnoniſque Baronio auxilia ſunt. Dicunt quidem, *occultè nulloque noſtrum quid per audaciam moliretur, omninò intelligente.* Ea verò ad ipſum conventum, agendique rationem pertinent, quia nemine Epheſinorum vocato, eâ ipſâ die, quâ ingreſſus eſt civitatem, ſubitarioque judicio Joannes Cyrillum,

Memno-

ANNO DOM. 431.

Lup. Syl. c. 12.

Lab. Conc. t. 3. 607.

Lup. Syl. c. 13.

Bar. An. 431. n. 77.

Anno Dom. 431.

Memnonemque exautoravit. Non negant verò, manifeſtam ſibi abdicationis fuiſſe ſententiam, imò fatentur: *Eos depoſitionis ſententia contumelioſè petit, qui in hodiernum uſque diem prorſus ignorant, quamnam ut id faceret cauſam habuit.*
Lab. Conc. t. 3. 638.
Baronii figmentum Liberatus & refellit, c. 6. *Hanc interlocutionem ſuam Joannes, & qui cum eo erant, adverſus Cyrillum & Memnonem Epheſi publicè proponentes, utrorumque damnationem literis ſuis Imperatori inſinuaverunt.*

Nùm Synodo Orientalium Julianus cum Pelagianis Epiſcopis adfuerit?

XXIII. Eſt porro hìc quæſtio inſignis agitanda, utrùm Joannis conventui Pelagiani Epiſcopi interfuerint, qui Neſtorium comitabantur, Julianus, Florus, Orontius, Fabius. *Adfuiſſe* Pelagianos, perſuaſum Baronio, cujus ſententia viris doctiſſimis placuit, Uſſerio, Voſſio, &c. Verba ſunt Baronii, Joannis in conventum involantis:
Bar. An. 431. n. 73.
Cui, inquit, *Satanas præſedit, ſui adfuerant Pelagiani, & alii ob ſcelera e throno antè ejecti Epiſcopi.* Ac primâ ſpecie Epiſtolæ ad Cyrillum Synodicæ verbis ea inniti ſententia videtur:
Lab. Conc. t. 3. 663.
Collecto collegio hominum circiter triginta numero . . . . ſùm ipſis etiam Pelagiani, & Cœleſtiani, ac nonnulli de iis, qui ex Theſſalia ejecti fuerant. Id quoque firmiter colligi videtur verbis Synodi ad Theodoſium, ubi damnationis in Orientales ſententia pronuntiata eſt:
Lab. Conc. t. 3. 659.
Alii etiam prava Cœleſtini doctrina ſectatores. Similiter & in alia ad Imperatorem Epiſtola:
Lab. Conc. t. 3. 750.
Apud Neſtorium, & reverendiſſimum Joannem Epiſcopum Antiochenum triginta ſeptem paulò plures relicti ſunt . . . alii ex his dogmatum pravitate fœdati, utpote Pelagiani. Verùm enimverò ex ſuſpicione, cui fortè Neſtorii comites occaſionem præbuere, non ex veritate dicta hæc fuiſſe exiſtimamus, prælucente nobis clariſſimo Noriſio. Graviſſimum in communem ſententiam nobis argumentum ſuppeditat Joannis ad Hierapolitanos Epiſtola, cui Epiſcopi tres & quinquaginta ſubſcripſere, quos inter non apparent Julianus, Florus, Orontius, Fabius. Præterea in titulo ad ſuos Canones præfixo, Epheſini Epiſcopos recenſent, quos pro excommunicatis habebant; in quibus Pelagianos non memorant.
Lab. Conc. t. 3. 804.
Neque magis eos reperimus in ſententia poſt Danielis, Commodi, Timothei reditum adverſus Orientales à Synodo pronunciata. In qua xxxv. Epiſcoporum damnatorum nomina legimus. Omiſiſſentne Epheſini Julianum cum ſociis, qui ne vel Theodorito, Alexandroque Hierapolitano, viris magni nominis pepercere?
Lab. Conc. t. 3. 654.
Julianus quem nominant, *Lariſſæ* Epiſcopus fuit, ſed nec eò temeritatis aut imprudentiæ Joannis conventus proceſſiſſet, ut Occidentis Epiſcopos, & à Synodis exautoratos, & nuper à Theodoſio regiâ urbe pulſos, ad ferendum in ſuo Concilio judicium admitterent: quo facto, & Decreta ſua contemptui, & perſonas ſuas furori Imperatoris expoſuiſſent: neque tantam Canonum perturbationem omiſiſſent Epheſini, additis Juliani, Orontii, &c. hominum, qui malè audiebant, nominibus. Denique id non prætermiſſet Marius Mercator ſuo in Commonitorio; ex quo didicimus, Julianum cum ſociis *Conſtantinopolitana urbe detruſos, in Synodo quoque Epheſienſi* CCLXXV. *Epiſcoporum ſententiâ damnatos eſſe.* Ex ſuſpicione quidem Synodum Joannis in id invidiæ adductam fuiſſe, ex Epheſinorum verbis manifeſtò colligitur:
Lab. Conc. t. 3. 804.
Neſtorii & Cœleſtini ſequi ſententias manifeſtè ex eo ſunt deprehenſi, quòd Neſtorium nobiſcum condemnare noluerunt. Quòd ſi ne ipſe quidem Neſtorius Joannis Synodo interfuit, quia à Concilio abdicatus, quod vel illegitimum cenſebat, Pelagianis qui ob errores gradu ſuo à legitimis Synodis moti fuerant, in ſuo conventu locum Orientales dediſſe quis credat? Audiant eruditi, quibus placet, Joannis Concilio Julianum, Orontium, alioſque Pelagianos adfuiſſe: audiant Concilii hujus ad Rufum Epiſtolam de Canone, quem ab Epheſinis violatum dicunt:
Lab. Conc. t. 3. 738.
Habet is hanc perſpicuam ſententiam: Si quis Epiſcopos à Synodo, aut Presbyter, aut Diaconus ab Epiſcopo depoſitus, non expectato Synodi judicio ſacris miniſteriis ſe ingeſſerit, nullus ſe expurgandi locus, ne in alia quidem Synodo huic relictus eſto. Atqui nullum Synodi judicium Julianum ipſiuſque ſocios officio ſuo reddiderat. Joannes igitur non eis contribuit juris aliquid ſententiæ ſuæ in Synodo ferendæ.

Nùm Joannis Synodus Pelagianis faverit?

XXIV. Ex ea quæſtione in aliam longè graviorem incidimus, Joanniſne Concilium Pelagianiſmo faverit? Id viſum Baronio, qui quo jure, quâ injuriâ illud miris modis infamat:
Bar. An. 431. n. 78.
Orientales, inquit, *addentes prævaricationem in gratiam Pelagianorum, qui aderant, Epiſcoporum, reſtituunt, confirmantque Pelagianam hæreſim, ſæpius antè damnatam.* Ea tamen ſententia rejicienda eſt, ac primum à Pelagianorum errore Neſtorium alienum fuiſſe, Marius nos Mercator monuit, ipſi ſi quis alius inſenſiſſimus:
Mar. Merc. Garn. p. 73.
Contra Pelagii & Cœleſtini pravam & impiam definitionem quamvis rectè ſentiret & doceret Neſtorius, &c. Eſtne igitur vero ſimile, Joannis conventum ut pergratum faceret, Neſtorio errorem Pelagianum reſtituiſſe, à quo vel Neſtorius ipſe diſſidebat? Præterea Cyrillus lecto Symbolo, quod ad eum Joannes miſerat, *Orthodoxum* pronunciat. Porro de controverſiis Pelagianis altum eſt Symboli hujus ſilentium. Hoccine exiſtimaſſet dixiſſetve Cyrillus, ſi Synodicâ ſententiâ Joannes Pelagianum errorem ex inferis ad vitam revocaſſet? Nonne priuſquam Joannem pro Orthodoxo haberet, expreſſam Pelagianiſmi, quem, ſi Baronio credimus, nuper reſtituerat, certamque damnationem flagitaſſet? Graviſſimum his argumentum accedat, quòd nempe à Joannis conventu ipſimet Epheſini erroris ſunt Pelagiani poſtulati, dum Ruſo ſcribit:
Lab. Conc. t. 3. 741.
Alios præterea de diverſis etiam hæreſibus accuſatos, eademque ſentientes cum Cœleſtino & Pelagio, (Euchitæ enim ſunt, ſive Enthouſiaſtæ) & ob id à ſuo Diœceſano, vel Metropolitano excommunicatos, Eccleſiaſticâ diſciplinâ contemptâ, communioni reſtituerunt. Quâ fronte verò Pelagianam Epheſinis maculam aſperſiſſent, ſi ipſi Pelagii virus reſtituiſſent? Pugnat Baronius ex autoritate Gregorii Magni, ad Anaſtaſium Antiochenum ſcribentis:
Greg. l. 7. Ep. 48.
Illa enim Synodus, quæ ſub prima Epheſina imagine facta eſt, quædam in ſe oblata capitula aſſeris approbata, quæ ſunt Cœleſtini atque Pelagii prædicamenta. Canonem porro affert ille ipſe Gregorius in ſua ad Eulogium Epiſtola:
Greg. l. 6. Ep. 31.
De Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eò quòd Diabolus in cor hominis non ingrediatur, & ſi quis hoc dixiſſet, anathema eſſet. Huic Noriſius objectioni præclarum reſponſum dedit. Scilicet non ſcripſiſſe Gregorium laudatum proximè Canonem, *Epheſi à Schiſmaticis inſertum*, ſed dixiſſe, *quemdam Pelagianum Acta Synodi ſuis annotationibus correxiſſe, & dictum Catholicum Epheſinæ Synodi expunxiſſe, addito Canone Pelagiano.*
Nor. Hiſt. Pel. c. 9. p. 150.
Quam ſanè reſponſionem veram eſſe, oſten-

ANNO DOM. 431.

Greg. l. 6. e. 31.

oſtendit ipſe Gregorius laudatâ jam ad Eulogium Epiſtolâ, in qua hæc habentur: *Quia erga perſcrutantes Epheſinam Synodum, nihil in ea tale invenimus continens, de Ravennati quoque Eccleſia vetuſtum valde Codicem ejuſdem Synodi ad nos deferri fecimus, & ad Synodum, quam habebamus, eum ita concordare invenimus, ut in nullo diſcreparet: & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobationis, niſi quòd duodecim capitula B. memoriæ Cyrilli reprobant.* Qui locus inſignis Gregorii plurimum valet ad noſtræ ſententiæ confirmationem, Baronianæque confutationem. Cùm enim Canon ille Pelagianus in antiquis Orientalium Epheſinæ Synodi exemplaribus haud contineatur, à mala utique manu Pelagiani alicujus poſtmodum additus eſt. In verbis itaque Gregorii *Synodus* non ſignificat Joannis Antiocheni Conventum, ſed Synodi ſcriptum, quod à mala manu interpolatum fuit. Quamquam ſi Gregorius ex obſcura falſaque fama Joannis Synodo Pelagianum virus tribuiſſet damni aliquid, nil inde veritas contrahere debet.

Theodoſius Epheſinos perſtringit. Orientalium ad eum literæ. Neſtorii ad Eunuchum Epiſtola.

Bar. An. 431. n. 107.

XXV. Ubi Imperatori haud læta nuntia de geſtis Epheſinis relata ſunt, ſubinde Reſcriptum Concilio mittit ſuum. Quo *die* datum fuerit, non eſt in medio, variantibus exemplaribus. Quòd alicubi legitur *tertio Kal.* Auguſti, in XIII. *Kal. Julii* reſtituendum, Baronius exiſtimat. Quam doctiſſimus Du Pin Chronologiam & amplectitur: quæ noſtro eſt judicio falſiſſima, cùm primus Epheſinorum conſeſſus Junii duntaxat XXII. inceperit. Qui fieri poteſt igitur Theodoſium literis ſuis Junii XIX. Epheſinos tumultus accuſaſſe, qui necdum oborti erant? Eſt ergo legendum, *datum tertio Kal. Julias*, ut Labbeana fert editio, licet ad oram habeat *tertia decima*, quæ lectio prorſus eſt expungenda, utpote labentibus adhùc diebus XVI. qui à die Pentecoſtes antè fluxere, quàm conſeſſus ullus celebraretur. Narrat verò Imperator, ſe à Candidiano accepiſſe, quædam in Epheſiorum Metropoli per tumultum, & ſecus quàm conveniat, eſſe tranſacta: Epiſcopos omnes nondum conveniſſe; placere ſibi quæ geſta fuerant: nullius momenti eſſe, *his quæ ineptè ac citra ordinem geſta ſunt, ceſſantibus doctrinam de pietate prius diſcuti, eamque juxta communem totius Synodi ſententiam in poſterum obtinere.* Non permiſſurum ſe Epiſcoporum aliquem Epheſo diſceſſurum, donec quiſpiam de palatio cum Candidiano deſtinatus, de iis quæ geſta ſunt, inquirat, dogmataque fidei ab univerſa Synodo examinentur. Grata hæc fuit Orientalibus Principis Epiſtola. Ad eum ergo ſcribunt, non abſque magna laudum prædicatione pia hæc Decreta ſibi audita fuiſſe: *Orbem terrarum beatum judicavimus, cui talibus ſubeſſe ſceptris, talique gubernari contigerit imperio.* Ne quid tumultus Synodum infeſtet, ipſius rogant majeſtatem, decernat duos duntaxat Epiſcopos adeſſe, cuilibet Metropolitano: non plures à ſe adductos. Quod niſi conſtituatur, vitari confuſio nullâ ratione poterit: ſi quidem *quinquaginta ſunt Ægyptii, ſub Memnone, quadraginta Aſiatici*, duodecim item ex Pamphilia Hæretici, Meſſalianitarum nomine appellati. Subjungunt, poſtquam & regium Reſcriptum lectum eſt, & literæ ſuæ confectæ, ſe profectos eſſe ad Templum Joannis, gratias Deo perſoluturos, & pro Imperatorum ſalute preces fuſuros. Quo conſilio intellecto, Baſilicam ſibi eſſe occluſam: ut foris adoratione ſuâ fungi cogerentur. Revertentibus cum ſilentio erupiſſe complures adverſariorum famulos, qui impetu facto, *Alios quidem*, inquiunt, *noſtrorum detinuerunt, nonnullis jumenta ſua abſtulerunt, quaſdam etiam vulneraverunt, nos autem fuſtibus & lapidibus longo intervallo inſectati ſunt.* Præfectum quoque Conſtantinopolitanum adeunt literis, quibus exponunt, ſe cum extremis periculis luctari, omne Templum modico cœlo frui deſiderantibus ſibi præcluſum eſſe. Per liberos, per ea quæ chariſſima ſunt, enixè rogare ſe, ut Conſtantinopolim acciti, fidei rationem reddant, & adverſariorum coarguant errores. Sed & ad *Chryſoretem* Præpoſitum & Scholaſticum ſcribunt poſt accepta per Palladium regia Decreta, adorare Apoſtoli in Templo fuiſſe prohibitos, lapidibuſque impetitos; precari ſe, ut ſuas Imperatori literas legat, compeſcendæ perturbationi. Quas indicabant literas, illæ rurſus Imperatori ſignificabant, quid malorum paterentur. Cyrillum, quaſi regiâ gubernatione tempora hæc deſtituerentur, in omnem iniquitatem prolabi; nunciare ſe, tam eum, quàm ipſius violentiæ miniſtrum Synodi ſuæ auctoritate gradu pulſos eſſe: flagitare ſe igitur, ut auguſtæ majeſtas quàm primùm impugnatæ religioni ſubſidium ferat. Neque his contenti, Comitem Irenæum cum literis ad Theodoſium amandant, quibus de adverſariorum & violentia, & erroribus expoſtulant. Compulſos eſſe ſe, præmittere Irenæum, qui regiam majeſtatem conveniat, de negotii totius ſerie explicandâ, ſimulque exponat, *plurimos præſentis morbi curandi modos, quibus tranquillitas Eccleſiis Dei reſtitui queat.* Neque ſibi defuit Neſtorius, qui ad Scholaſticum Eunuchum Imperatoris hæc ſcribit: *Admiror amatricem Dei animam tuam, & certè dum firma eſt, & circa fallacias non expanſa, quomodo fabulas approbaverit immunderum, dicentes de nobis, quòd abjuraverimus vocem, quâ Dei genitrix nominatur. Quam, ſicut noſti, ſæpius diximus. . . . Non igitur quaſi ſic facilè factis contra nos accuſationibus credatis. Nos enim vocem, quâ Dei genitrix nominatur, ſi cum voce ponatur illa, quæ eſt hominis genitrix, integerrimum pietatis credimus characterem. . . . Tanquam duarum naturam, id eſt, Divinitatis & humanitatis ſignificativum, Dei genitricis & hominis genitricis protulimus nomen.* His præmiſſis, Epiſcopalem honorem facillimè ſe contempturum profitetur, ſi quæ ad pietatem ſpectant, eorum confirmationem ab Imperatore Magnates impetrent: *Et ne forſitan de hoc me fingere arbitreris, ſi fuerit confirmata religio, & Orthodoxia Eccleſiis reſtituta, exige à me, ut hinc jam vobis per literas valedicam, & ad priſtinam converſationem Monaſterii valenter redeam. Ab hujuſmodi enim quiete nihil eſt divinius, neque beatius apud me.* Eunuchum illum *Chryſoratem* exiſtimamus eſſe, cui Joannis Synodus literas quoque direxit. Ex Scholaſtico ſacri Cubiculi ad Præfecturam pervenerat.

ANNO DOM. 431.

Lab. Conc. t. 3. 710.

Lab. Conc. t. 3. 715.

Lup. Syl. c. 15.

Cœleſtini Legati ingrediuntur Conventum. Quid egerint? Actio ſecunda Synodi Epheſinæ.

XXVI. Redeamus ad Actiones Epheſinas, ex quibus ea decerpemus, quæ cognitu jucundiora ſunt. *Sexto Idus Julii*, ſedente Concilio, quos gravis tempeſtas tarduſque navigationis progreſſus diu detinuerat, ingrediuntur Epiſcopi Memnonis in domo Arcadius, Projectus, Philippuſque Presbyter, Cœleſtini Legati, poſtulantes quas afferebant literas legi. Lectione à

ANNO DOM. 431.

Siricio Eccleſiæ Romanæ Notario Latinè peractâ, Græcè etiam requirentibus Epiſcopis Epiſtolæ recitantur, quia ex Antiſtitibus complures erant, qui Latinè neſciebant. Epiſtolâ rogabatur Synodus, unum licet ore diverſo, quod Spiritus docuit proferre, ad fidem ſpectare, Eccleſiarum quietem defendere. Monebatur & Synodus injunctæ Arcadio, Projecto, Philippo legationis. Data erat VIII. Idus Majii Baſſo & Antiocho Coſſ. Finitâ lectione, acclamatum Cal. Epiſcopis: *Hoc juſtum judicium. Novo Paulo Cœleſtino, novo Paulo-Cyrillo, Cœleſtino cuſtodi fidei, Cœleſtino cum Synodo concordi, Cœleſtino univerſa Synodus gratias agit. Unus Cœleſtinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.* Deinde Firmo Cæſareæ referente, quid in Neſtorium conſtitutum fuerat, petunt Legati ſibi communicari. Quas & ad Imperatorem, & ad Cyrillum Epiſtolas in fine Actionis hujus additas invenimus, non improbabile eſt lectas fuiſſe. Prior *Idibus Majii*, poſterior Nonis Majis data erat. In priore pulchra hæc & animo recondenda leguntur: *Major vobis fidei cauſa debet eſſe, quàm regni, ampliuſque pro pace Eccleſiarum clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quàm pro omnium ſecuritate terrarum. Sequuntur enim omnia proſpera, ſi primitùs quæ ſunt Deo chariora, ſerventur.* In poſteriore id de Neſtorio Cyrillum monet: *Studeo quieti Catholicæ, ſtudeo pereunti ſaluti, ſi tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideò dicimus, ne volenti ſe corrigere forſan deeſſe videamur.*

Lab. Conc. t. 3. 602.

Ubi tertia Actio Synodi peracta? Quid in ea geſtum?

Bar. An. 431. n. 82.

XXVII. Poſtridie Julii XI. Patres rurſus convenere: ubinam verò, quæſtionis eſt. Baronius, quem ſequuntur Garnerius, & N. Alexander hanc Actioni, quæ tertia fuit, *Mariæ Eccleſiam* aſſignant. Nobis autem vero propius eſt, conſeſſum in æde Epiſcopali Memnonis celebratum eſſe. Quippe ſecundæ Actionis verba ſunt: *Sedentibus in religioſiſſimi Epiſcopi Memnonis Epiſcopali ade piiſſimis Epiſcopis.* Cùm igitur quæ ſubinde excepit Actio, hæc habeat, *Poſtero die, eâdem ſanctâ Synodo ad eundem locum conveniente*, Memnonis domus indicatur, de qua proximè mentio agitata fuit, ut ibi de Neſtorii damnatione Acta legerentur, ubi & à Cœleſtini Legatis lectio geſtorum flagitata fuerat. Præterea obſervamus Actiones omnes, quæ Mariæ in Eccleſia ſunt abſolutæ, quàm accuratiſſimè narrari, eo fuiſſe loco confectas: ut de prima, quarta, quinta, & ſeptima exploratum eſt, in quibus diſertè legimus, conſidentibus in Eccleſia, *quæ appellatur Maria*. Quod cùm de tertia Actione non dicatur, eam indubitanter Memnonis penatibus aſſignamus, in quibus ſexta quoque Actio peracta eſt. Conſidentibus ergo æde in Epiſcopali Antiſtitibus, à Cœleſtini Legatis quæris Juvenalis, num Actorum vim perceperint. Reſponſum ab eis, ex Actorum quidem lectione intellexiſſe ſe, *omnia Canonicè & ex Eccleſiaſtica diſciplina eſſe judicata*: petere tamen, eadem ſibi legantur, ut confirmari poſſint. Quod cùm à Memnone conceſſum foret, Petrus Alexandriæ Presbyter ea recitavit. Quo facto, Legati Neſtorium pronunciant ab Eccleſiæ communione prorſus alienum, rogantéque Cyrillo, ſuâ manu damnationi ſubſcribunt. E veſtigio Synodi ad Theodoſium Epiſtola dirigitur, docens, Cœleſtinum, Occidentiſque Epiſcopos iis quæ de Neſtorio ſtatuta fuerant, aſſenſum præbuiſſe: *Nunc noſtram de fide ſententiam magno conſenſu prædicarunt, eoſque, qui diverſa ſentiunt, ab omni prorſus Sacerdotii ſorte graduque alienos eſſe definierunt.* Ad preces deinde decurrunt, ut Epiſcopos à peregrinatione abſolvat, *quorum alii paupertate premuntur, alii morbo detinentur, alii ſenectute gravantur*: item, ne quid moleſtiæ in ſuis regionibus Epiſcopos invadat, & ſibi liceat Conſtantinopolitani Epiſcopi ordinationi incumbere.

Joannes ab Epheſinis citatur.

XXVIII. Quinto poſt die, *Julii* ſcilicet XVI. conſidentibus apud Sanctam Mariam Epiſcopis, monuit Heſychius Juvenalis Diaconus, Libellum à Cyrillo, Memnoneque Synodo oblatum eſſe; ſi placeat, recitandum. Qui legitur jubente Juvenale, tum conſeſſus Principem agente cùm ſupplicis perſonam Cyrillus induebat. Exponebat Epiſcopis Libellus, Neſtorii Canonicè exauctorati autores cœtum collegiſſe, ex quibus nonnulli jam olim abdicati, alii ſolo nomine Epiſcopos agunt, nullum locum obtinentes: conventiculum triginta circiter hominum, vel Hæreticorum, vel de ſceleribus accuſatorum injuſtam ſibi poteſtatem aſſumpſiſſe, & judicandi *majorem ſedem*, & Epiſcopos nec vocatos, nec auditos afficiendi contumeliâ. Nemine quid rerum moliretur, intelligente, abdicationis tuliſſe ſententiam. Rogare ſe Synodum, per Sanctam Trinitatem, *ut Joannem, ejuſque in excitanda hac tragœdia ſocios accerſat, quo temeritatis ſuæ rationem reddant.* Tum Acacius Melitinenſis, declarato prius ſupervacaneam ſupplicum petitionem eſſe, cùm fautoribus Neſtorii nil poteſtatis ineſſet in Oecumenicæ Synodi Præſides; cenſere tamen Archelaum Myndi Cariæ, Paulum Lampæ Cretæ, Petrum Parembolarum Palæſtinæ Epiſcopum ad Joannem mitti, ut de ſuis auſis reſponderet. Profecti Epiſcopi inveniunt januam domus Joannis militibus vallatam, à quibus non ſunt admiſſi. Secundam ergo ad eum legationem mitti placuit, quæ Timotheo Termeſi, Eudociadiſque, Euſtathio Docimii, Eudoxio Chomatis Lyciæ Epiſcopo injungitur, qui inventos rogant Clericos, Joanni nuncient, ad ipſum Synodi mandata deferri. Reverſi Clerici, id ad Legatos reſponſi afferunt: *Nos hominibus per nos depoſitis & excommunicatis, reſponſum nullum damus.* Quærentibus internuntiorum nomen dixere: *Clerici ſumus, non tabelliones.* Hæc ubi relata ſunt Synodo, ſubinde decernunt, in Actis Joannis nil roboris eſſe, ex illis nil præjudicii iis afferri, qui contumeliâ ab eo affecti ſunt: Joannemque tertiò vocandum, & ſi non comparuerit, Concilii ſententiâ feriendum.

Cyrilli in Joannem Libellus. Orientales excommunicantur.

XXIX. Die Julii XVII. in Sancta Maria ſedentibus Epiſcopis, Cyrillus de contumelia ſibi Memnonique illata queſtus eſt, non ſine Canonum injuria ordiniſque perturbatione: Joannem non decenter & modeſtè Synodum nullis militibus vallatam, ut facto opus erat, adiiſſe. Libellum inſcitiâ & arrogantiâ plenum tumultuationi excitandæ propoſuiſſe: viros à teneris unguiculis pietati innutritos, Apollinariſtarum Arianorumque erroribus per calumniam aſperſiſſe: rogare ſe accuſatores coram Synodo ſuo citari, ut vel allegata probent, vel meritæ damnationi ſubjaceant. Annuente Concilio *Daniel* Coloniæ, *Commodus* Tripolis Lydiæ, *Timotheus* Thermæ Helleſponti Epiſcopus cum *Muſonio* Notario Synodicam Joanni ſententiam deferunt: *Quandoquidem ſancta Synodus pacificè ea, quæ Canonum ſunt decernere volens, ſecun-*

Lab. Conc. t. 3. 650.

dâ

ANNO DOM. 431.

dâ citatione reverentiam tuam vocavit, neque tamen obediſti, ut te defenderes ob injurias, quas intuliſti, aut ſaltem correctionem admitteres, propterea ſancta Synodus neque tibi, neque alicui ex iis, qui tecum ſunt, ullam omninò Epiſcopalem functionem ex propria ſententia interea permittit. Quòd ſi tertiâ hâc vice vocatus non parueris, nec veneris, ea in vos decernentur, quæ à Canonibus ſancita ſunt. Profecti Legati, Aſphalium Antiochenæ Presbyterum Eccleſiæ invenerunt, qui Joannis ad ædes propius eos adduxit, Clericos etiam irruentes prohibuit. Iis porro reſponſi per Joannis Archidiaconum redditum eſt: *Neque vos ad nos mittatis, neque nos quidquam ad vos mittemus: ſi quidem poſteaquam Decreta noſtra ſemel ad Imperatorem detulimus, quid opus ſit facto, ut nobis præſcribat, expectamus.* Auditâ reſponſione Orientales, qui triginta quinque numerantur, Synodi ſententiâ ab Eccleſiaſtica communione alieni pronunciantur, niſi confeſtim reſipiſcant. Damnatis quinque viros miſerunt, omiſſâ mentione urbis, in qua ſacris præficiebantur. Danielem ſcilicet, Julianum, Cyrillum, Olympium, Diogenem. Quas verò Eccleſias adminiſtrarint, docuit nos Orientalium ad Hieropolitanos Epiſtola: *Daniel Epiſcopus Fauſtinopoleos ſcribitur. Julianus Epiſcopus, Sardicæ Metropolitanus*, Cyrillus Epiſcopus Adanorum, *Olympius* Epiſcopus Carpaliæ, *Diogenes* Epiſcopus Zonopolis. Eſt & *Julianus* alter, Epiſcopus Lariſſæ: Lariſſæum verò, vel Sardicenſem deſignent, eſt in obſcuro. Lariſſæum potius innui exiſtimamus, Sardicenſi obſcuriorem. Porro Juvenalis, utpote Synodi Præſes, ſententiæ ſubſcripſit Cœleſtini ante Legatos. Judicium hoc ſuum Imperatori ſubinde mittunt, nunciantes, perabſurdum, quòd *ducentorum & decem ſanctorum Epiſcoporum multitudo, & per ipſos reliquus totus terrarum orbis conſentit, triginta tantùm numero ſeſe opponerent.* Cur verò triginta duntaxat memorent, cùm ſua ſententia triginta quinque exhibuerint, prorſus neſcimus. Cœleſtino quoque quid in ea re geſſerant, fuſius exponunt. Cyrillus verò pulvere adhùc aſperſus, & è pugna ſudore diffluens, ſuggeſtu petito, in Joannem aſperius invehitur: *Licet inſurgas terribilis & audax, multoque cum faſtu invadas, & inſtar jactabundi Goliath barbaricis furoribus & inſolentiis intumeſcas, vincet tamen Chriſtus, vincet autem per ſuos milites.* Sic pari ſtudio in ferendis injuriis Cyrillus Joannesque progrediebantur, non ſine Chriſtianorum ea diſſidia lugentium indignatione. Veriſſimè Liberatus: *Igitur Cyrillus cum Memnone volentes ſe ulciſci, Joannem damnaverunt, & omnes qui eò convenerant, & multa mala paci facta, utrique Epheſi pertulerunt.* Ex utraque parte conviciorum faces & ſaxa volabant. Orientales enim Neſtoriani, Pelagiani Epheſinis audibant: viciſſim Epheſini Orientalibus Apollinariſtæ exiſtimabantur. Aures tot conviciis defeſſæ requieſcant.

Lup. Syl. c. 13.

Lab. Conc. t. 3. 658.

Lab Con. t. 3. 670.

Liber. c. 6.

Actio ſexta Epheſinæ Synodi. Chariſii Presbyteri expoſtulatio.

XXX. Ad ſextam Synodi Actionem progredimur, in Epiſcopali Memnonis æde Julii XXII. celebratam. Vehementer Epheſinos incuſabat Joannes depravatæ religionis, quam ut à ſe injuriam averterent, Petrus Presbyter, & Dionyſius Notariorum Primicerius Symbolum Nicænum legunt, cui cùm verbo duntaxat complures aſſentiri ſeſe fingerent, germanum ipſius intellectum ſuffragio Patrum aperiunt, quæ & palam recitata, Synodi monumentis inſerta ſunt. Ventum deinde ad Chariſii negotium. Is erat Eccleſiæ Philadelphenſis & Presbyter, & Oeconomus, qui erroris nomine à ſacrorum miniſterio fuerat ea de cauſa prohibitus. Antonius & Jacobus Conſtantinopoli Presbyteri, Anaſtaſii Photiique Presbyterorum Neſtorio additorum literis commendati, ex Lydia nonnullos Hæreticos in graviorem, ut ait, errorem abduxerant. Ut Philadelphiam Lydiæ urbem Jacobus pervenit, ſpreto Nicæno Symbolo, Clericorum ſimplicioribus perſuaſit, alteri cuidam fidei expoſitione ſubſcribere, in hunc modum: *Hanc orthodoxæ fidei aſſerimur.* Quartodecumanis amplectendum illud Symbolum proponebant, ad Eccleſiam redeuntibus. Jacobo Antonioque cùm obſtitiſſet Chariſius, damnationem ſibi acceſſiverat. Quam dato Libello à Synodo reſcindi petiit, oblatis & ſuâ confeſſione, & Symbolo, quod Jacobus diſſeminabat. Quibus lectis, hoc ſtatuit Synodus, *Alteram fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere præter definitam ſanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui verò auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis ſive ex Gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicunque hæreſi, hos quidem ſi ſunt Epiſcopi, aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit: ſi verò Laici fuerint, anathemati ſubjici.*

XXXI. Prolatam ſententiam Conciliorum in editionibus verba hæc excipiunt: *Si qui inventi fuerint docere ea, quæ continentur in oblata expoſitione à Chariſio Presbytero, de unigeniti Filii Dei incarnatione, ſive ſcelerata & perverſa Neſtorii dogmata, quæ & ſubnexa ſunt, ſubjaceant ſententiæ ſanctæ hujus & univerſalis Synodi.* Quæ ad fuſius ſcribendum materiam nobis aperiunt. Qui ætate Epheſini Concilii florebat Marius Mercator, oblatum à Chariſio Symbolum Theodoro Mopſueſteno tribuit: *Græcus ſermo Theodori eſt, quondam Epiſcopi oppidi Mopſueſteni Provinciæ Ciliciæ. Hunc ego pro facultate, quâ valeo, in Latinum ſermonem verbum de verbo transferre conatus ſum. Pravum ejus de diſpenſatione Dominica & à fide Catholica alienum, ac ſatis extorrem ſenſum, quo Neſtorium Conſtantinopolitanæ urbis quondam Epiſcopum, ſecum malè decepit, Latinis volens auribus inſinuare, cavendum modis omnibus non ſequendum.* Neque ignoramus, ſedente Synodo id rumoris diſperſum, Theodori Symbolum eſſe. Cyrillus quidem in ſua ad Proclum Epiſtola famæ hujus meminit: *Sciat tua ſanctitas, quòd prolata apud ſanctam Synodum expoſitione ab eo compoſita, ſicut dicebant, qui protulerunt, nihil ſanum habente, reprobavit quidem eam ſancta Synodus, utpote perverſis plenam intellectibus, & Neſtorianam impietatem ὑπογυζέσαν, in modum fontis diſtillantem.* Cæterùm qui in hoc Symbolum bacchatur Chariſius, ne verbo quidem ullo innuit fuiſſe Theodori. Obſervabilia ſunt ea de re verba Facundi: *Nec ibi dicitur, vel ab ipſo Chariſio, vel à quoquam illud Symbolum Theodori fuiſſe. Beatus Cyrillus ſcribens Orientalibus dicit, Prolata eſt in ſancta Synodo Epheſina definitio, vel ut à Theodoro depoſita, ſicuti offerentes dicebant. Nec affirmat eam Theodori fuiſſe, verùm neque cum ejus Scriptore, ut iſti confingunt, refert eſſe damnatam.* Quod ergo Theodoro vindicetur, id famæ duntaxat eſt referendum,

Oblatum à Chariſio Symbolum num Theodori Mopſueſteni? Num impium?

Lab. Conc. t. 3. 690.

Marius Merc. p. 2. Garn. p. 250.

Fac. l. 3. c. 2. 33.

dum, quæ vix vero ſavet. Labentibus verò ſeculis magnâ penè omnium conſpiratione Symbolum eſt Theodoro tributum. Id verò admirationem efficit, quod facto compluſes in illud impetu ſummæ impietatis damnant. Marius Mercator: *Nos tibi Catholici dicimus, qui talia ore impuriſſimo, & lingua ſceleratâ protuliſti, inceſſabiliter anathema, & omnibus conſentaneis tuis.* Quinta Synodus *poſtquam lectum eſt impium Symbolum, ſancta Synodus exclamavit: Hoc Symbolum Satanas compoſuit. Anathema ei, qui hoc Symbolum compoſuit. Hoc Symbolum Epheſina prima Synodus una cum autore ejus anathematizavit.* Atqui præ iracundia & odio in Theodorum non erant apud ſe Conſtantinopolitani Patres, ſecus noviſſent, neque in Symboli autorem, neque in Symbolum *anathema* ab Epheſinis fuiſſe pronunciatum, qui id unum ſanxere, ne in eo Symbolo contenta, de Filii Dei Incarnatione doceantur. Garnerius accuratè retulit, quidquid adverſus Symbolum objiceretur. I. Quòd quarta in Trinitate perſona induci videatur. II. Quòd tres in unam perſonas contrahat, quæ accuſatio priori prorſus contraria in Facundo legitur. III. Quòd de Incarnatione Verbi doctrinam proferat, à vero alienam. In eo Pelagianiſmum deprehendiſſe, ſe Garnerius teſtificatur. Quas ex mentis affectibus, non ex rei veritate accuſationes manaſſe habemus, ut & hîc uſurpari queat:

Marius Merc. Garn. 235.

l. 3. c. 5. p. 26.

Lucida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati.

Id unum certè damnarunt Epheſini Patres, quod de Incarnationibus Symbolum habet. Acutiſſimi quidem illi homines nec Sabellianiſmo, nec Pelagianiſmo pepercíſſent, ſi eo reſperſum fuiſſet. De Incarnationis autem myſterio Symbolum ſic ſtatuit: *Oportet noſſe nos, quoniam Deus Verbum hominem ſuſcepit, perfectum ex ſemine Abraham, & David, ſecundum Scripturarum divinarum eloquia, hoc exiſtentem ſecundum naturam, quod erant & illi, quorum erat ex ſemine. Hominem naturâ perfectum, ex anima rationali, & carne humanâ conſtitutum, quemque hominem ſecundum nos naturaliter virtute & potentiâ Spiritus Sancti in Virginis utero ſignatum, inenarrabiliter copulavit ſibi atque conjunxit. . . . Et neque duos dicimus Filios, nec duos Dominos, quoniam unus Filius ſecundum eſſentiam Verbum Deus, unigenitus Filius Patris, cui iſte conjunctus, particeps Deitatis, communem habet Filii nuncupationem & honorem. . . . Unum igitur Deum dicimus, & Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt.* Quid impietatis ſonet ea fides, necdum intelligere potuimus. Hæccine doceri vetant Epheſini, Chriſtum eſſe perfectâ naturâ, & humanâ, & divinâ conſtantem: unum eſſe, & Filium & Dominum, non duos? Id potius reprehendi debuit, quod tamen non eſt reprehenſum, de Spiritu Sancto, *quem neque per Filium exiſtentiam accepiſſe putamus.* Hic quidem error eſt, hæreſis tamen eſſe non poteſt, quæ cauſa fortè fuit, cur illum Epheſini tam negligenter habuerint.

Marius Merc. c. 152.

Actio ſeptima Synodi Epheſinæ. Jus quod Antiochenus Præſulem Cyprum ſibi vindicabat, ab Epheſinis abrogatur.

XXXII. Septimæ ultimæque Actionis memoriam breviter complectamur. *Pridie Kalend. Septembris* Synodus congregata dicitur, manifeſto tamen errore, quia Joannis Comitis ante adventum celebrata eſt, quo veniente Cyrillus Memnonque Jacobo Comiti cuſtodiendi traditi ſunt, approbatâ literis Theodoſii utriuſque abdicatione. Pridie ergo Kal. Auguſti, ſedentibus Mariæ in Templo Patribus, *Rheginus* Eccleſiæ Conſtantienſis apud Cyprum Epiſcopus Libellum obtulit, tam ſuo, quàm Zenonis, Evagriique nomine. Expoſtulatio hæc erat adverſus Joannem Antiochenum, qui Cypri in Eccleſias jus ſibi aſſumebat. Audito quippe, Theodorum Epiſcopum ad plures abiiſſe, à Flavio Dionyſio utriuſque Militiæ Magiſtro literas ad Theodorum Cypri Præſidem impetrarat, quibus monebatur, ne permitteret alium in defuncti locum Antiſtitem ſuffici, abſque ſcripto Epheſinæ Synodi, cujus in ea re conſenſus expectandus erat. Quòd ſi antequam literæ in ipſius manus perveniſſent, Epiſcopus jam conſtitueretur, juberet *juxta cæleſte reſponſum*, ut Epheſum contenderet. Secus auri libra Præſidi, eademque mulcta exercitui inferenda fiſco irrogabatur. Datæ literæ Dionyſii XII. Kal. Junii. Mandatum quoque Dionyſii ad Clerum Conſtantienſem directum fuit, ne prius eligerent Epiſcopum, quàm de creatione ipſius ab Epheſinis conſtitueretur, Rogabant verò Cyprienſes, ne ſui mores violarentur, qui ab adulta antiquitate Præſulum Antiochenorum poteſtate Cyprienſes eximebant, quorum Metropolitanus à Provinciæ Synodo conſtituebatur, Non Troilum Sabini ſucceſſorem, nun Sabinum, cui deceſſerat Epiphanius, ab Antiocheno Pontifice creatos eſſe demonſtrabant, ſed à ſuo proprio Concilio. Nihilominus Troilum ab Antiocheno Clero multa paſſum: *Et pientiſſimus Epiſcopus Theodotus vim non vulgarem pertulit, atque adeò uſque ad plagas, quas nec flagitioſos homines ferre deceat, illicitè, abſurdè, & illegitimè.* Cyprienſium conſuetudine cognitâ, ſic ſtatuunt: *Si non eſt vetus mos, quòd Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro, ſicut Libellis & propriis vocibus docuerunt religioſiſſimi viri, qui ad ſanctam Synodum acceſſerunt, habebunt jus ſuum intactum & inviolatum, qui ſancti in Cypro Eccleſiis præſunt, ſecundum Canones Sanctorum Patrum, & veterem conſuetudinem.* Decreto quoque generali Metropolitanorum omnium privilegia illibata eſſe ſanciunt, *& liberum ſit cuique Metropolitano, Actorum exempla ad ſuam ſecuritatem excipere.* Hanc ſuam conſtitutionem egregiâ ratione muniunt: *Ne ſub Sacerdotii prætextu mundanæ poteſtatis faſtus irreperet, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit ſanguine ſuo Dominus noſter J. C. omnium hominum Liberator.*

Lab. Conc. t. 3. 788.

Lab. Conc. t. 3. 802.

Res Euſtathii Pamphiliæ Metropolitani. Meſſaliani damnantur.

XXXIII. In ea quoque Actione de rebus Euſtathii Pamphiliæ Metropolitani conſtitutum. Legitimè quidem ordinatus fuerat, verùm cùm uſus rerum gerendarum ipſum deficeret, ut tumultuantium fatigationibus ſeſe eriperet, ſuæ abdicationis Libellum obtulerat. Euſtathio Theodorus ſubſtitutus eſt. Cum Theodoro tamen Epheſum ſe contulit Euſtathius, lachrymis gemitibuſque ſuis honorem Epiſcopatus ſibi ſervari flagitans, quod & impetravit à Synodo, eâ lege tamen, ut *neque ordinandi ipſe autoritatem habeat, neque in ulla Eccleſia ex propria ſacrificet autoritate.* Exercendæ quoque poteſtati ſuæ aliam Pamphilia occaſionem Synodo præbuit. In ea Provincia *Meſſaliani*, quibus & *Euchitis* nomen, præcipuè florebant, qui ſedente *Siſinnio* in Conſtantinopolitana Synodo damnati fuerant, cujus exhibita à Valeriano, & Amphilochio de illis Hæreticis Decreta, nec non Acta Alexandrini Concilii

ab

ab Epheſino confirmantur. Ut qui ex ea ſecta fuerint, ſi errorem anathemate ferierint Cleri, maneant; Laici ad communionem admittantur; ſecus illi à Clero, hi à communione excidant: convicti quoque Monaſteria habere non permittantur: quibus peragendis tam Valerianus Amphilochiuſque, quàm cæteri Provinciæ Epiſcopi ſuas jubentur vires intendere. Alia quoque de re tractatum. Libellum obtulere Synodo Euprepius, Byzes, & Arcadiopolis, & Cyrillus Epiſcopus Cœlenſis, quo docebant, priſco more in Provinciis Epiſcopum unum pluribus Eccleſiis præfuiſſe. *Cœlenſem* verbi gratiâ habere Cœlan Callipolim, *Sabſadienſem* adminiſtrare Sabſadiam & Aphrodiſiadem. Se verò in ſuſpicionem conjici, quòd *Fritilas* Heracleæ Metropolitanus Neſtorio addictus, veterem eam conſuetudinem abrogatam velit; proindeque petere, ut illibata permaneat, ne tumultus exoriantur, Eccleſiæque, quibus inſtituendis maximè deſudarant, Epiſcopis ſpolientur ſuis; reſponſum à Patribus: *Nihil innovandum in Europæ civitatibus, ſed juxta veterem conſuetudinem gubernentur ab Epiſcopis.*

Lab. Conc. t. 3. 810.

Ambitionem Juvenalis Palæſtinæ Principatum ſibi vindicantis damnant Epheſini.

Leo Ep. 62.

XXXIV. Ad ambitionem Juvenalis Hieroſolymitani mens Epheſinorum vehementer incubuit, qui nobilitate Eccleſiæ ſuæ fretus, non ſine Metropolitani Cæſarienſis injuria, Palæſtinæ totius Primatum ſibi vindicare voluit. Id quidem ſilent Acta Synodi, quod tamen ex Leonis ad Maximum Antiochenum Epiſtola legimus: *Subripiendi occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob occurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Provinciæ Principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis quid prædictæ cupiditas auſa eſſet indicavit, & ſollicitâ prece multum popoſcit, ut nulla illicita conatibus præberetur aſſenſio. Nam ejus exemplaria Epiſtolæ ad nos direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noveris reperiſſe.* Illud ipſum indicaſſe videntur Orientales in ſua ad Theodoſium Epiſtola, cujus mentem Garnerius non eſt aſſecutus; dum ſibi fingit queſtos eſſe, quòd Juvenalis *conaretur Phœniciam ſecundam, & Arabiam in partes Cyrilli vocare.* Atqui ex Leone compertum habemus, Juvenalem in eas regiones Principatum uſurpaſſe, quod & perſtringunt Orientales: *At ex nobis quidam à pientiſſimo Juvenale, Hieroſolymitanorum Epiſcopo olim ordinati, ſiluimus, quamvis pro Canonibus nobis certandum eſſet, ne videremur noſtra gloria cauſâ dolere. Et nunc quoque illius ſtudia & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam & Arabiam non ignoramus.*

Garn. Præf. 37.

Lab. Conc. t. 3. 728.

Canones Epheſini.

XXXV. His uno tenore recenſitis, ad Canones Epheſinos veniendum. In Collectionibus Joannis Zonaræ, ac Theodori Balſamonis, nec non in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ à Joanne Tilio Epiſcopo Briocenſi, & à Chriſtophoro *Juſtello* editorum extant octo Epheſini Concilii Canones, ſex nimirum, qui Epiſtolæ ad omnes orbis Eccleſias inſerti ſunt, & duo alii, prior ſcilicet de Chariſio Symbolique ab eo oblati reprobatione; poſterior verò de Cypri Epiſcopis, Joannis quam uſurpabat poteſtati exemptis. Qui à Dionyſio Exiguo prætermiſſi ſunt, mirante Labbeo, cauſamque omiſſionis eam fuiſſe putante, quòd *non univerſæ Eccleſiæ Decreta viſa ſunt Latinis, ſed in peculiari, ac privata Neſtorii, ejuſque fautorum cauſa Canones pro re duntaxat nata à Patribus Epheſinis conſtituti.* Sex Canonibus, qui generaliora ſunt, ea continentur. I. Si quis Metropolitanus aut ad Joannis conſeſſum acceſſerit, aut cum Cœleſtino ſenſit, aut ſentiet, ipſe nihil amplius poterit agere adverſus Provinciæ Epiſcopos, utpote qui à Synodo communionis expers ſit factus. II. Epiſcopi qui Joannis conventui adhæſere, aut poſtquam Neſtorii depoſitioni conſenſere, ad illum recurrerunt, Sacerdotio alieni judicantur. III. Clerici qui à Neſtorianis ejecti ſunt, gradum recipient, neque deficientibus à Synodo ullâ ratione ſubjicientur. IV. Qui quæ ſunt Neſtorii, aut Cœleſtini, ſapere auſi fuerint, Clerici deponentur. V. Qui ob turpia geſta à Synodo gradu moti ſunt, ſi reſtituantur à Neſtorianis, depoſiti manebunt. VI. Si quæ de ſingulis per Synodum facta ſint, quis quocunque modo movere velit, ſi Clericus gradu cadat, ſi Laicus excommunicetur. Neſtorianæ Pelagianæque doctrinæ, veluti tumulo Canonibus hiſce ſepultæ, epitaphium inſcripſit Proſper carmine de Ingratis:

Lab. Conc. t. 3. 804.

Neſtoriana lues ſucceſſit Pelagianæ,
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque ſepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit.

De geſtis Epheſinis narratio Irenæi. Joannes Medicus Imperatoris aulam mutat.

Lab. Conc. t. 3. 747.

XXXVI. Dum hæc Epheſi geruntur, de diverſis geſtorum relationibus Conſtantinopoli deliberatio habebatur. Per *Palladium* Magiſtrianum Synodus Principi ſcripſerat, Candidianum res aliter quàm ſe habebant, retuliſſe in gratiam Neſtorii; prohibuiſſe quoque, ne quid geſtum eſſet ſignificarent: itaque rogare ſe, ut & Candidianum accerſat, & quinque è Synodo, qui Acta defenderent. Quod ubi impetratum, Legatos ad Imperatorem miſerat Synodus, qui ipſum de ratione in abdicando Neſtorio ſervata commonefacerent. Triduo poſt Legatorum adventum in regiam civitatem pervenit Comes Irenæus. Jam Legatorum narratione occupati Principum & Magnatum animi, eam ſibi perſuaſionem induerant, legitimè Neſtorium gradu ſuo dejectum eſſe. Scholaſtico Cubiculario id mentis indiderant: *Neſtorium Epheſi ne audita quidem ullo pacto ſuſtinuiſſe Deiparæ vocabulum.* Narratione Irenæi judicia mutantur. Placuit ergo, ut pars utraque præſentibus Principibus Imperatorem adiret, & ab eo audiretur. Allatis utrinque rationibus, perſuaſum Imperatori, *nec recto, congruoque ordine ſervato, Concilium convocatum fuiſſe ab Ægyptio, nec ei judicare licuiſſe, cùm unus eſſet ex iis, qui judicandi erant, neque omninò materiæ tractationem aggredi præter magnificentiſſimi Comitis Candidiani voluntatem potuiſſe.* Ac primum Orientalium judicium probatum eſt: *Ut pius Imperator Ægyptii depoſitionem ad ſanctam Dei Eccleſiam, quam primum tranſmiſerit, tanquam omnia tyrannicè & illegitimè Cyrillus, & qui cum eo ſunt, perpetravit.* Verùm enimverò adventu Joannis, qui *Cyrillo Medicus erat, atque Syncellus*, pars Optimatum major mutatur. Quibuſdam Neſtorii, Cyrilli, Memnonis abdicatio placuit, aliis improbata eſt.

ANNO DOM. 431.

Nonnullis verò viſum, aliquos de Epiſcopis accerſendos eſſe, qui fidei doctrinam ad veritatis amuſſim examinent. Arte quâdam Magnatum animos Joannem ſibi conciliaſſe, indicat Irenæus, nec falſo, ſi veterum perſpicere licet, cùm geſta Epheſina non Joanni Medico magis, quàm Synodi Legatis nota eſſent: quibus auditis, Cyrilli agendi ratio iniqua viſa fuerat, ob propoſitas ab Irenæo rationes, quæ nullius non ſunt momenti. Hîc in tranſcurſu notetur error clariſſimi Du Pin, qui Joannem, Cyrilli Medicum atque Syncellum, vocat, *Medecin de l'Empereur*, pag. 301.

Lab. Conc. t. 3. 718.

Joannes Comes Epheſum à Theodoſio mittitur. Quid egerit?

XXXVII. Magnatum conſiliis in examen adductis, ab Imperatore proviſum, ut Joannes Comes cum Reſcripto proficiſcatur, iis quæ ad pacem conducebant, perficiendis. Epheſinis quoque ſcripſit, approbare ſe *Neſtorii, Cyrilli, & Memnonis exautorationem*. Ut feſtinanter Joannes pervenit Epheſum, è veſtigio ad diverſorium Epiſcopos ſuum accerſit. Primâ luce Joannem Comitem conveniunt Neſtorius, atque Antiochenus Epiſcopus; adſuit non multò pòſt Cyrillus cum Synodo, excepto duntaxat Memnone. Ad primum Neſtorii conſpectum magna perturbatio exoritur, dicentibus Cyrilli fautoribus, neque abdicati Neſtorii vel aſpectum eſſe ferendum, neque lectionem regiæ Epiſtolæ præſentibus Orientis Epiſcopis eſſe faciendum. Viciſſim qui Joannis Antiocheni ſtabant à partibus, coram exautoratis à ſe Epiſcopis ſacram eſſe negabant; in diſceptationibus ejuſmodi maxima diei parte contritâ, Joannes Neſtorio Cyrilloque abſentibus, regiam voluntatem manifeſtandam eſſe decrevit, quod vix eſt à Cyrilli fautoribus impetratum. Quietè modeſtèque ab Orientalibus Theodoſii Epiſtolæ auditæ ſunt, Epheſinis Cyrilli Memnoniſque abdicationem moleſtiſſimè ferentibus. Ne tumultus magis exardeſceret, Neſtorium Candidianus cuſtodiendum ſuſcipit. Cyrillus verò Jacobo Comiti, quartæ Scholæ Præfecto ſervandus traditur. Abſenti verò Memnoni per diſpenſatorem, & lictorem, & Archidiaconum Eccleſiæ Epheſinæ abdicatio ſignificatur. His peractis ad Eccleſiam orationes ſuſurus Joannes Comes pergit, qui cùm noviſſet, Memnonem in Epiſcopali æde agere, Primicerium Nobilium Palatinorum ad eum miſit, ut ſe conveniret. Qui ſine mora obtemperans, quòd manè non veniſſet, ex morbo excuſationem adduxit. Qui mox & Comiti Jacobo cuſtodiendus traditur. Volebat ad concordiam Epiſcoporum animos revocare, ſed immani eorum acerbitate prohibitus eſt. His offenſus ſejunctos Cyrillum & Memnonem aſſervari jubet, teſte Orientalium ad Antiochenos Epiſtolâ: *Joannes in cuſtodia munitiſſima Cyrillum tenet, ac Memnonem ſemotim quemque detrudens, & multitudinem militum præfatis domibus circumſiſtens.*

Lup. Syl. c. 17.

Orientalium ad Imperatorem Epiſtola.

XXXVIII. Cùm eò loci res eſſent, Joannes Comes in regiam urbem revertit non ſine Orientalium literis: *Decretum*, inquiunt, *veſtra pietatis, quod per magnificentiſſimum & glorioſiſſimum Comitem cunctarum largitionum Joannem promulgatum eſt, ſat eſt ad vanas æſtuationes omnium reprimendas, ſi tamen velimus ſobrie agere. . . . Hujus rei gratiâ literis pietatis veſtræ ſuſceptis, intuentes quòd Imperii veſtri intentio recta Patrum fidei conveniret, feſtinavimus illa, quæ nuper expoſita ſunt à Cyrillo Capitula, Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ contraria condemnare. . . . Hæc autem, ſicut veſtrum cognovit Imperium, & Deo amiciſſimus Pater noſter, & Epiſcopus Acacius ſanctam Synodum per literas edocuit, quod Apollinaris impietati conveniunt. Novit verò hæc claræ vir, qui centum decem vitæ annos explevit, omnem verò vitam in Evangelicis certaminibus deſudando tranſegit, & Synodis multis interfuit, & eos qui Apollinaris dogmata ſentiunt, ſemper ſecundum locum proximos habuit.* His fidei ſuæ Symbolum ſubjungunt, *unum Chriſtum, unum Dominum, unum Filium* profitentes. *Secundum hunc inconfuſæ unionis intellectum, confitemur Sanctam Virginem Dei genetricem, propter quòd Deus Verbum incarnatus eſt.* Rogant etiam Imperatorem *decernere, ut Sacerdotes damnent ea, quæ ad inficiendas Eccleſias introducta ſunt contra orthodoxam fidem Capitula. Soli autem Confeſſioni ſubſcribat, quæ ſanctis Patribus in Nicæa congregatis eſt facta.* Antiochenſibus quoque nunciant, ſe Cyrillum & Memnonem damnaſſe, quos & ſeparatim Joannes cuſtodiæ tradidit. Acacium quoque, quem *Sanctiſſimum Patrem* vocant, iſta monent, Epiſtolâ ad eum ſcriptâ.

ANNO DOM. 431.

Lup. Syl. c. 17.

Epheſinorum ad Imperatorem & Clerum Conſtantinopolitanum Epiſtolæ. Reſcriptum Theodoſii.

XXXIX. Viciſſim Epheſini Epiſtolam dant Imperatori, quâ ſignificabant, ab Oecumenica Synodo Cyrillum Memnonemque gradu pulſos non fuiſſe, proinde rogare ſe, ut ſancto Concilio eos reſtitui curet. Quòd ſi ſacræ majeſtati lubeat accuratius cognoſcere, quæ geſta ſunt, Epheſum mittat, quos probaverit. Cyrillus verò Clerum populumque Conſtantinopolitanum monet, quid Joannes Comes egerit de reconciliandis animis. Cui à Synodo reſponſum: *Fieri non poteſt, ut ad hoc veniamus, niſi quod contra legem ab illis factum eſt, diſſolvatur, ac Synodo tanquam qui deliquerint, ſupplices accidant, & Neſtorium illiuſque dogmata ſcripto anathematizent.* Spe hâc ſuâ fruſtratus Comes, aliud rurſum excogitarat, nempe ut fidei expoſitionem ſibi Synodus exhiberet, cui Orientales ſubſcriberent, ut reverſus diceret: *Redegi illos in amicitiam, qui humanis offenſis inter ſe diſſidebant.* Nec hoc quidem benignis auribus auditum. Surgens Synodus dixit, *Nolumus nobis ipſis eam contumeliam irrogare, non enim tanquam Hæretici huc vocati ſumus, ſed venimus ut fidem labentem & exagitatam ſtabiliamus.* Neque animi dolorem Concilium taciturnitate diſſimulavit. Ad Clerum Conſtantinopolitanum ſcripſit, ſe Epheſum perinde ac carcerem incolere: *In qua*, inquiunt, *jam trimeſtre ſpatium uſque adeò arctè incluſi tenemur, ut neque per mare, neque per terras liberè & abſque diſcrimine quempiam omninò vel ad pium comitatum, vel in aliquem aliud locum amandare queamus.* Obſecrant ergo Clerum Conſtantinopolitanum, veluti Oecumenicæ Synodi membrum de moleſtiis, quas in Epheſina civitate patiebantur, certiorem Imperatorem faciant: ſi digni inveniantur *faciem ejus videre*, id fieri mandet, ſecus ſaltem ad Eccleſias reditum ſuas permittat, ne vel morbo, vel triſtitiâ pereant. Suo & Commonitorio hoc inculcant: *Necamur æſtibus, cùm aëres ſint graves, & penè quotidie aliquis ſepelitur. . . . Scire verò veſtra reverentia debet, quia licet in tantum nitantur, ut omnes moriamur, non tamen fiet aliud præter hæc, quæ decreta per nos ſunt à Salvatore noſtro Chriſto.* Hoc eorum in animis adeò infixum erat, ut urgentibus communionem cum Joanne Antiocheno reſponderent: *Ecce corpora,*

Lab. Conc. t. 3. 759.

Lab. Conc. t. 3. 762.

Lab. Conc. t. 3. 770.

ANNO DOM. 431.

ra, *ecce Eccleſias*, *ecce civitates*, ſocietatem tamen niſi propoſitis conditionibus omnem abnuerent. Conſolatione quâdam Epiſcopi nonnulli, qui io regia civitate verſabantur, Eulalius, Eutrechius, Acacius, Chryſaphius, Jeremias, Theodulus, Iſaias afflictos ſuſtentavere. Quin tamen meodum in titulum Epiſtolæ irrepſerit, non exiſtimare nobis non licet: *Exemplum Epiſtolæ, quam Epiſcopi quidam Conſtantinopolitani reperti ad ſanctam Synodum Epheſinam miſerunt*, XX. *menſis Meſori, Indictione* XV. Vigeſima Meſori in XIII. Auguſti incidit, quo labente Iodictio non XV. ſed XIV. numerabatur. Hâc ſuâ Epiſtolâ Epiſcopi teſtantur, ſe afflictionom, quibus Epheſini premebantur, participes fieri. Oportuiſſe quidem noo animis modò, ſed corporibus quoque, viris pro pietate magna certamina ineuntibus, præſentes adeſſe: ſe tamen in urbe regia mutiles non eſſe, utpote qui populum confirment, multorum zelum inflamment, Sacerdotibus operam præſtent. Scribentibus Epheſini reſpondent, multum ſe conſolationis ex ipſorum literis accepiſſe. Longè præſentius ſubſidium illos ſibi Conſtantinopoli allaturos, quàm ſi Epheſum delati obſidionem unà tolerarent. Rogare, de iis quæ in urbe regia contingunt, ſe & certiores faciant, & res ſuas Imperatori notificent. Poſtquam Joannes Conſtantinopolim reverſus, de rebus à ſe geſtis Imperatorem docuit, Reſcriptum Synodo ſubinde paratur, quo ea continebantur. Viſum eſſe neceſſarium, ut & Joannes divinorum Officiorum Magiſter Epheſum mitteretur, & ex Synodo Legati Imperatorem convenirent, ut ſi quâ ratione poſſet, pax Eccleſiis reſtitueretur: *Sed quia permanet adhùc diſſenſio, laborem reputantes veſtram religioſitatem ſufferre ex ipſa neceſſitate Concilii, reverti Epheſo ad propria conceſſimus, univerſes & proprias rurſum Eccleſias obtinere.* Excipiuntur Cyrillus & Memnon, quos Epiſcopis eximit. Hoc tamen Reſcripti ad Epheſinos non miſſum eſt, intercedentibus qui Cyrillo favebant.

Lab. Conc. t. 3. 777.

Lab. Conc. t. 3. 775.

Lup. Syl. c. 29.

Cleri Conſtantinopolitani de Epheſinis ad Theodoſium Libellus.

XL. Cùm Epheſinorum conditionis Cleri Conſtantinopolitani mentes miſeratio ſubiiſſet, Theodoſio Libellum offerunt, quo teſtabantur, ſe cum Cyrillo & Memnone nullum diſcriminis experimentum detrectare, id juſtum ſibi videri, ut à ſacra majeſtate illorum ſententia confirmetur, qui & numero plures ſunt, & ſedium autoritate: dum Præſes Oecumenicæ Synodi Cyrillus indigna patitur, cum eo, cum Memnone, cæteros orbis Epiſcopos abdicationis ſententiæ ſubjacere. Non à Principe committendum, ut regni elementiſſimi piiſſimique tempore Martyrum ſeculum ſpectandum exhibeatur: affectum ergo ſuſcipiat erga ſanctam Synodum, quam modò congregavit, ut gratiarum actiones pro ipſius imperio ipſa purè ſanctèque perſolvat. Eò tandem perducitur Imperator, ut ex utraque parte Legati ad regiam urbem mittantur. Ab Epheſinis amandantur Juvenalis, Arcadius, Flavianus, Firmus, Theodotus, Acacius, Evoptius, Philippus Cœleſtini Legatus, cum his mandatis, ne communionem cum apotactico Joannis conventu ullam admittant. Quòd ſi neceſſitas ab Imperatore afferatur, nil ſocietatis ineant, donec Orientales Neſtoriana dogmata rejecerint, operamque dederint, ut Cyrillus Memnonque Synodo reſtituantur: non prius autem illis communionem ſpondeant, quàm Præſides ſancta Synodus ſuos recipiat. Io ſuo verò ad Imperatores Libello teſtantur, ingentes ipſis habere ſe & referre gratias, quòd ſe per Joannem Comitem hortentur, ut Legatos mittant qui rerum ſtatum exponant. Enixè quoque eos rogant, ne ab Orientalibus perpetrata, virium aliquid obtineant, utque ſanctæ Synodo ſuum caput reſtituatur. Orientalis quoque conventus de ſuis Joannem Antiocheoum, Joannem Damaſcenum, Himerium, Paulum, Apringium, & Theodoritum legat, quibus liberam facit rerum gerendarum facultatem, eâ dicendi libertate & facultate, quæ ipſis ineiat. Si quam Epiſtolam ſibi Synodicam mitti opus ſit, ſubſcriptionem communem pollicentur. Id unum injungunt, ut Cyrilli anathemata *tanquam hæretica, & à Catholica Apoſtolicaque Eccleſia aliena* rejiciantur.

Lab. Conc. t. 3. 778.

ANNO DOM. 431.

Lab. Conc. t. 3. 783.

Lab. Conc. t. 3. 726.

Legati Synodi Orientaliſque Chalcedone conſiſtunt. Neſtorius dimittitur.

XLI. Conſtitutum erat Imperatori, Legatos partis utriuſque Conſtantinopolim acceiſere. Ab eo tamen conſilio illum revocavit Monachorum petulantia quidlibet audentium. Præcipit itaque Legatis, ut Chalcedone conſiſterent, quod ex Theodoriti ſcripto ad Orientales Epheſi commorantes ſcimus atque tenemur: *Conſtantinopolim neque nos, neque adverſarii noſtri, intrare permiſſi ſumus, propter ſeditiones bonorum Monachorum.* Dum iter accelerant, regio mandato Neſtorius Epheſo dimittitur. Ad Eunuchum Imperatoris ſcripſerat ſuo Monaſterio nil eſſe ſibi gratius: hinc arrepta occaſio eum relegandi, dum Epheſinæ ſententiæ judicium in dilatione verſatur. Operæ pretium eſt, Præfectorum Epiſtolam infelici homini directam noſtros in Annales referre, cùm brevitate ſuâ Lectori fatigationi eſſe non poſſit: *Ea, quæ per Synodi viſa ſunt geri judicium, tempore longe diſtulimus: licet nos multi valde culparent, & exiſterent importuni. Quoniam verò literæ nobis tuæ ſanctitatis redditæ ſunt, manifeſtantes faſtidioſum tibi eſſe, quod in Epheſo remoraris, & deſiderabile eſſe de reliquo tuæ religioſitati, ut iter aſſumas; eos qui per omne iter debeant miniſtrare, direximus, ſive navigare, ſeu per aſinam, id eſt, ſi per Ponticam viam proficiſci placuerit, ita ut uſque ad Monaſterium miniſtrent. Et angarias vobis, annonaſque tranſmiſimus, à Domino clementiam poſtulantes, ut incolumis eat Sanctitas tua, & ita degat, ſicut deſiderat ipſa. Conſolationis enim te non credimus indigere, reſpicientes ad animam tuam, quæ ſapiens eſt, & ad multa bona militia, per quæ ſuper alios emines.* Ad Præfectum Prætoriorum Antiochenum reſpondit Neſtorius: *Decreti donum ſumus amplexi. Nihil enim amplius honorabile eſt, quàm pro pietate remotio.* Diſcedens Epheſo dixiſſe videtur, quod ab eo dictum ferunt: *Dicatur, ſi placet, Maria Deipara, & ſimultas omnis conquieſcat.* Hanc Neſtoriani erroris ſummam fuiſſe Socrates ipſe docuit, quòd *ſolam Deiparæ vocem impugnat*, quam tamen non ab eo prorſus rejectam, multis jam argumentis planum fecimus. Equidem

Lab. Conc. t. 3. 731.

Lup. Syll. c. 24.

Lup. Syll. c. 25.

Socr. l. 7. c. 32.

Nihil eſt

Quin malè narrando poſſit depravarier.

Terent. in Phorm.

Hic ille Neſtorii caſus Orientales malè habuit, qui ipſi maximè favebant: *Valde*, inquiunt, *dolemus, quandoquidem verè ea quæ illicitè, & abſque judicio facta ſunt, jam robur habere videntur.* Adeò infeſto inimicoque in Neſtorium animo erat & Imperator, & ſacrum Conſiſtorium, ut ad ipſius nomen penè exhorreſcerent. Hinc verba Theodoriti ad Alexandrum: *De amico autem ſciat tua ſanctitas, quòd ſi quando ejus*

Lab. Conc. t. 3. 730.

ejus faceremus mentionem vel apud pientiſſimum Regem, vel apud illuſtre Conſiſtorium deſectionit vetabamur, tanta ſunt eorum qui intrò ſunt, erga illum inimicitia, & hoc eſt moleſtiſſimum. Pientiſſimus Rex præ omnibus aliis averſatur nomen, manifeſtè dicens, De hoc mihi nullus loquatur. Si qua Suidæ fides, Neſtorii odium habebat Imperator, à Pulcheria inflammatus, quam contumeliâ Neſtorius affecerat: *Pulcheria Neſtorium adeò oderat, ut qui illum amabant, rumorem ſpargerent, ideò Pulcheria Neſtorium exoſum eſſe, quòd Neſtorius Pulcheriam criminatus fuiſſet, ob inceſtum cum fratre ſuo Theodoſio Imperatore commiſſum. Et propterea illa tanto illum odio proſequebatur. Ipſam enim conviciis inſectabatur, & graviter reprehendebat, ob illius temporis Magiſtrum, nomine Paulinum.* Relegatus Neſtorius Euprepii in Monaſterium ſe condidit, graviori poſteà plectendus exilio.

Suid. t. 2. 578.

Orientales concionantur. Imperatorem adeunt.

XLII. Recenſito Neſtorii caſu, ad Legatos Chalcedonem proficiſcentes redeamus. Vertente Auguſto illùc Orientales pervenere. Quartus Septembris illuxerat, cùm amicis ſuis hæc nuntiat Theodoritus: *Expectamus hodie, hoc eſt,* XI. *menſis Gorpai, tranſiturum pientiſſimum noſtrum Regem ad Rufiniana, & illic cauſam auditurum.* Quo loco error Baronii momento nos detinet, ſcribentis Gorpiæi undecimam apud Romanos undecimam Septembris eſſe. Sed non ita eſt, cum Syro-Macedonum Gorpæus incipiat Auguſti XXV. Gorpæi ergo undecimus quarto Septembris cohæret. Eccleſiarum ingreſſus Synodi Legatis conceſſus, Orientalibus negabatur, qui ut pietatem populorum accenderent, conciones habuere: *In aula maxima, & quatuor habente porticus, multitudo congregata fuit, & nos supernè concionabamur è ſuggeſtu propè tectum, Verùm Clerus omnis, cum bonis Monachis valde nobis erat infenſus.* Hæc Theodoritus. Accedente ad Rufiniana Theodoſio, ad eum adeundi Orientalibus copia facta eſt. Quibus ſolis occurrens, dixit, *Novi quòd malè congregamini.* Hîc Theodoritus ab Imperatore quærit, æquumne foret, excommunicatis Eccleſias patere, dum illis clauduntur, qui pro pietate certabant. Ac dicenti, *Quid ego faciam,* reſpondit Theodoritus, præcipiendum Epiſcopo fuiſſe, neutris Eccleſias permitteret, donec regia ſententia omnibus innoteſceret. Reſpondente Theodoſio, *Equidem Epiſcopo imperare non poſſum,* regeſſit Theodoritus, *Igitur neque nobis imperes, & accipiemus Eccleſiam, & congregabimur.* Ubi verò novit, Orientalium in conventibus neque Scripturæ lectionem, neque Euchariſtiæ celebrationem, ſed preces duntaxat peragi pro Auguſtea Majeſtate, & de religione colloquia, cœtus ejuſmodi prohiberi deinceps noluit. Dum ex Rufinianis redibant Orientales, poſt inſtitutum cum Imperatore colloquium in periculum incidunt, factâ lapidatione, quâ Laicis benè multis vulnera ſunt impoſita.

Lab. Conc. t. 3. 731.

Bar. An. 431. n. 156.

Lab. Conc. t. 3. 732.

Ibid.

Orientalium cum Synodi Legatis diſputatio. Expoſitionem fidei ſubſcribendam mittunt.

XLIII. Orientalium animus agitabatur ſpeque metuque, cùm nova colloquia ipſorum cauſæ favorem Principis elicuere. Inſtitutâ cum Legatis Synodi diſputatione, ex ea victores rediere, quo ſucceſſu in lætitiam conjecti ſuis ad ſocios literis eam effuderunt: *Precibus ſanctitatis veſtra datus eſt nobis acceſſus ad pientiſſimum Regem noſtrum, divinaque gratia his, qui diverſa ſentiunt, in certamine ſuperiores facti ſumus, quia omnia quidem noſtra accepta fuere, apud Chriſti amantiſſimum Regem.* Orabant Legati Synodi, ut acceſſiretur Cyrillus, qui accuſationibus ſatisfaceret, ſpretis precibus, id reſponſi tulere, Patrum fidem ſtabiliendam eſſe. Graviſſima quidem Acacio Melitinenſi cenſura inuſta eſt: *Redarguimus & Acacium, qui in Commentariis poſuerat, paſſibilem eſſe Deitatem. Quod uſque adeò gravatim tulit Rex noſter, ut excuteret pallium, & retrorſum cederet præ blaſphemiæ magnitudine. Scimus autem & totum Conſiſtorium nos valde habere acceptos, quòd pro pietate certamus.* Neque Magnatibus duntaxat placebant. Effuſi ex urbe Regia Conſtantinopolitani Chalcedonem migrantes, jugiter ad Orientales accedebant, ut *ſtrenuè pro fide pugnarent,* aſſiduis precibus eos inflammabant, tantoque pietatis amore deflagrabant, ut vix à tumultuatione cohiberentur: *Multum laboramus ad retinendum eos, ne videamus occaſionem dediſſe adverſariis.* Placuerat Imperatori, fidei Confeſſionem ſibi offerri. Ac Nicænæ duntaxat adhærendum, nullâque aliâ opus eſſe, audiit ab Orientalibus, quod & Regiæ Majeſtati placuit. Itaque exemplar expoſitionis Epheſum miſere, cui ſubſcriberetur. Quæ nuncia lætitiæ non minimum Orientalibus attulerunt. Itaque ſubinde Legatis reſcribunt ſuis: *Subſcripſimus in duas uniformes Epiſtolas, quæ à veſtra ſanctitate directa ſunt, pro quibus, ut vos uſque ſanguinem quæſumus opponatis, contra eam, quæ nuper exſurrexit impietatem, pro veritate bellantes.* Neſtorii ex relegatione magnam animis moleſtiam cepiſſe ſe nunciant, cùm incongruum ſit, *ut depoſitio approbetur, & Capitula improbentur.* Epiſtolæ ſuæ ſubjungunt, quam Cyrillus ediderat, Capitulorum expoſitionem, à quibus adeò abhorrebant, ut ne vel propoſitâ morte ad illa admittenda cogi ſe poſſe profiterentur. Epiſtolæ *duo & quadraginta* Epiſcopi ſubſcripſere. Scripto quoque Imperatores adiere, quibus ob ſuſceptos benignè Legatos ſuos grates perſolvunt. Gratulantur etiam, quòd fidei Nicænæ firmiter adhæreant, denique ad has humillimas preces deſcendunt: *Quæſumus ac noſmet ipſos proſternimus veſtigiis veſtris, ut cum patientia nos humillimè ſupplicantes, pietas veſtra ſuſcipiat pro illa perſona, cui præjudicium factum eſt, ab his, qui hæretica Cyrilli Alexandrini Capitula ſuſceperunt.*

Lab. Conc. t. 3. 736.

Lup. Syll. c. 28.

Synodi Legati Conſtantinopolim proficiſcuntur de creando Epiſcopo. Undenam Principis mutatio?

XLIV. Sic velis equiſque, & pro Neſtorio, & in Cyrillum Orientales decertabant, ſpeique non minimum ipſis affulgebat, fore ut Alexandrinus Præſul cum ſuis Capitulis regio Edicto ejiceretur; magnum de Neſtorii relegatione dolori ſuo lenimentum. At momento hominum mutantur animi. Jubentur Synodi Epheſinæ Legati Imperatorem comitari, de ſufficiendo Neſtorii in locum Epiſcopo, Orientalibus interim Chalcedone relictis. Subitaneæ mutationis hujus cauſam fuiſſe corruptum Cyrilli pecuniâ Eunuchum, Acacius reſtatur Berœenſis Epiſcopus in ſua ad Alexandrum Epiſtola: *Diſcuſſione factâ coram piiſſimo, & Deo amiciſſimo Imperatore, cum Orientalibus ſentiret ac diceret, multa pecunia, quam dedit Cyrillus, pro peccatis noſtris obruit veritatem. Nam poſtquam mortuus eſt Scholaſticus Eunuchus, piiſſimus Imperator res ejus inquirens, & aurum quod reliquerat inſinuum, invenit hypomneſticum, continens quòd multas auri libras acceperit à Cyrillo. Et verò aurum tradebatur à Paulo quodam, filio fratris Cyrilli Alexandrini, qui illic Comes erat Conſiſtorianorum.* Memoriæ

Lup. Syll. c. 41.

moriæ

Anno Dom. 431.

moriæ lapſum Acacio impegit Lupus, narranti Cyrillum Paulo patruum fuiſſe. Non nos fugit quidem, Iſidoræ ſororis Cyrilli Paulum filium fuiſſe, Athanaſiique Presbyteri germanum. Hic tamen ille Paulus nec Conſiſtorii Comes erat, nec Conſtantinopolim incolebat, ſed Alexandriam, ex qua per Dioſcorum pulſus eſt. Ut duos diſtingui Paulos neceſſarium videatur: unius avunculus, alterius patruus Cyrillus erat. Porro Acacii de corrupto Eunucho ſi non vera verba ſunt, vero tamen ſunt ſimillima. Non explorata quidem geſtorum Epheſinorum cognitio Theodoſii, Magnatumque vertit animos, cùm poſt auditos jam Synodi Legatos, vel enixè rogantes, ut Cyrillus defendendi ſui cauſâ Principis in conſpectum veniret, petitio hæc rejecta ſit, ſacrumque Orientalibus Conſiſtorium prorſus faveret. Ditiſſimus erat Cyrillus, famæque honoriſque cupidiſſimus, quibus retinendis pecuniâ uſum eſſe ſuâ ad conciliandos ſibi Eunuchorum animos, nil miri. Aliundè & Eunuchos multum opibus inhiaſſe, & Theodoſium ſe turpiter Aulicis regnandum ſuis tradidiſſe, experimentis certum exploratumque eſt, negantemque, vel unus coargueret Chryſaphius, prima latrocinii Epheſini labes. Hoccine igitur à veri ſpecie alienum, & honoris & fortunarum ſe periculo exemiſſe Cyrillum, & dedecus infamiamque ex ejectione ſua manantem, diſpenſatâ pecuniâ propulſaſſe? Id non uni Acacio, ſed Orientalium quoque Legatis perſuaſum, ad ſuos ſcribentibus: *Poterit Ægyptius omnes excæcare muneribus ſuis, ſic ut ille quidem cùm innumera fecerit mala, ad thronum ſuum redeat.* Quòd ſi non ipſemet Cyrillus turpis hujus commercii autor fuerit, quidni conſanguineis ejus aſcribetur, ut ipſum eriperent infamiæ?

Lab. Conc. t. 3. 746.

Orientalium variæ ad Theodoſium Epiſtolæ, dum Chalcedone morantur.

XLV. Ut Epheſinorum Legatorum ad regiam urbem profectione Orientalibus notum, res ſuas retrò ſublapſas referri viſum eſt, ne quid intentatum relinquerent, ſupplice Libello, Chalcedone miſſo Imperatorem adire. Ea petitio eſt, cujus initium, *Orandum erat*, &c. Baronius ejuſmodi ſententiæ eſt, permiſſos ipſos fuiſſe, ut *Chalcedone tranſmitterent Conſtantinopolim*. Quod nobis quidem improbabile eſt. Vigebant adhùc in urbe regia Monachorum odia, quibus Chalcedone Orientales conſiſtere juſſi fuerant, ſed ex illa quoque civitate Libellos Imperatori ſuos direxere. Ipſi ſanè Orientalium Legati Baronium refellunt atque coarguunt: *Nos, qui pro pietate tantum certamen ſuſcepimus, neque ingredi in civitatem juſſi, ut fidei periclitantis negotium ageremus.* Acceſſus quidem ille ad Principem, Collatioque cum Epheſinis, cujus meminere in Rufiniania, igitur eſt inſtituta. In ea vulgò opinione eruditi verſantur, Libellum ab Orientalibus eo tempore miſſum fuiſſe, quo Chalcedonem ingreſſi ſunt. A quo nos errore Lupi Sylloge liberavit, quam clariſſ. *Du Pin* in communem ſententiam abreptum non attendiſſe miramur. Libello præfixus ille titulus eſt, qui Conciliorum in editionibus deſideratur: *Conteſtatio prima Joannis Antiochenæ Sedis Patriarchæ, & reliquorum ſex, quam Theodoſio Imperatori à Chalcedone direxerunt, quando eis illic relictis, intravit Conſtantinopolim, cum his miſſis, qui erant in legatione à B. Cyrillo, & in Synodo, quæ pariter convenit in Epheſum.* Hoc ſuo ſcripto enixè Imperatorem rogant, ut ſi quis Cyrilli Capitulis ſubſcribat, pœnis Eccleſiaſticis ſubjaceat;

Bar. An. 431. n. 162.

Lab. Conc. t. 3. 730.

Lup. Syll. c. 32.

utque *fiant apud ipſius pietatem quæſtiones in ſcriptis, ut peccantium error poſteris innoteſcat.* Obiter Juvenalis ambitione vexatâ, qui in ditionem ſuam Phœniciam ſecundam & Arabiam redigere tentabat, hortantur Principem, ne religionem, quam in Perſidem uſque propagavit, in Regia langueſcere ſua ſinat. Silentem Theodoſium novo & ſcripto excitari placuit. Queruntur homines abdicatos, ab Imperatore juſſos eſſe Conſtantinopolim venire, ut Sacerdotale munus obeuntes ordinationes peragerent. Se verò, qui pro pietate omnes labores tolerarunt, periculaque omnia adierunt, ingreſſu regiæ urbis prohiberi: neque ad propria remeare permiſſos: *Sumus*, inquiunt, *in Chalcedone triſtes & gementes in Eccleſia, quæ exercetur ſchiſmate. Idcircò qui nullum reſponſum obtinemus, neceſſarium duximus, ut præſentibus literis doceremus veſtram pietatem coram Deo, & Chriſto ipſo, ac Spiritu Sancto: quòd ſi quis ordinatus fuerit, antequam diſcutiantur recta dogmata, ab his qui hæretica ſentiunt, neceſſe ſit, ut tota Eccleſia ſcindatur.* Cùm nullo reſponſo Orientalium dolor leniretur, tertiâ Epiſtolâ Imperatoris aures vellunt. Narrant ſe perpetuam regiis Edictis obedientiam præſtitiſſe, ex illo die, quo Epheſum ingreſſi ſunt, ad uſque præſentem ſuam ſibi modeſtiam detrimento fuiſſe. Chalcedone detentos non dimitti, dum Sacerdotio funguntur illi, qui ſeditiones in Eccleſia movent, & quæ expendenda forent in uſus pauperum, *in ſuos ſuſumunt milites.* Non illorum tantùm, ſed ſuum quoque Regem eſſe; *Non enim parva portio regni tui eſt Oriens, in quâ ſemper recta fides refulſit.* Dei timentis judicium docere ſe regiam majeſtatem, *quod ii qui permiſſi ſunt Eccleſias habere, in Eccleſiis docent, quæ Apollinarius, Arius, Eunomius.* Has denique minas adhibent: *Quòd ſi & poſt hanc noſtram obſecrationem, hanc, quæ coram Deo data eſt, doctrinam non ſuſceperit veſtra pietas, nos etiam pulverem pedum excutiemus, & clamabimus cum B. Paulo, Mundi ſumus à ſanguine veſtro.*

Lab. Conc. t. 3. 730.

XLVI. Ne hâc quidem Epiſtolâ Theodoſius ſententiâ dimoveri ſuâ potuit. Ne operam ergo diutius perderent Legati, ad Orientales ſcribunt, ſe nihil profeciſſe, etſi quinquies Imperatorem convenerint, nec ſine juramento, quòd ſibi prorſus impoſſibile ſit cum iis conjungi, qui Cyrilli Capitula amplectuntur, nec poſſe Cyrillum vel ea repudiantem admitti, quòd Dux impietatis fuerit: *De pientiſſimo & ſanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio nunciant*, ſermonis nil inſeri potuiſſe, quod omnes vel ad ipſum nomen hoſtiliter afficiuntur. Ut porro ſibi compertum, Cyrillianos tyrannide, fraudibus, adulatione, donis omnes decepiſſe, rogaviſſe Imperatorem, ut ad Orientem dimitterentur: *Placuit pientiſſimo Regi, poſt multas adhortationes, ut ſinguli ad propria redeamus, ad hoc ut & Ægyptius, & Memnon Epheſius in ſuis locis maneant.* Reſcriptum Auguſteum à viris doctiſſimis Cotelerio, Baluzioque luci donatum eſt. Titulus ſacræ ſic habet: *Divina litera ad Sanctam Synodum Epheſinam, quibus ad ſua remittuntur omnes Epiſcopi, & ſanctiſſimi Cyrillus ac Memnon reſtituuntur propriis Eccleſiis.* Decretum Imperatoris ſubjungimus: *Nos Eccleſiarum pacem omni negotio præferentes, non modò per noſtros Magiſtratus, ſed & per nos ipſos volumus concordiam inter vos conciliare, qui crederemus impium eſſe, ac noſtro Imperio indignum, ut negligentibus nobis, nos omnia*

Orientalibus nil reſpondet Theodoſius: annuit Epiſcopis ut abeant.

Lab. Conc. t. 3. 746.

Baluz. Coll. 655.

quæ fieri poſſunt, agentibus, dividerentur Eccleſiæ. Quia verò nec ad unitatem adduci potuiſtis, nec ad diſſerendum de rebus controverſis convenire voluit veſtra pietas, ſancimus ut Orientales Epiſcopi ad regiones ſuas, & Eccleſias revertantur, ſolvaturque Synodus Epheſi collecta. Cyrillus præterea Alexandriam ingrediatur, & Memnon maneat Epheſi. Tantum enim ſignificamus religioni veſtræ, quod quamdiu victuri ſumus, Orientales non condemnabimus. In nullo enim coram nobis convicti ſunt, nemine volente cum iis diſceptare. Si ergo pro metu pacem habetis, eamque abſque contentione capitis, notum facite nobis: ſin minus ſtatim poſt accepta ſcripta hac de migratione veſtra cogitate. Nos autores non ſumus, sed Deus culpæ affines cognoſcet.

Quid Cyrillus egerit Epheſi? Quâ ratione petit Alexandriam?

XLVII. Quid interim Cyrillus, qui Epheſi cuſtodiâ detinebatur? Explicationem concinnavit ſuam pro duodecim Capitulis adverſus Orientales Epiſcopos, teſtatus nonnullis diſplicere, quod vel anathematiſmorum ſenſum verè non capiant, vel ſanè quòd Neſtoriano errori propugnatores ſeſe comparent: *Quia verò*, inquit, *credibile ſit, non deeſſe quoſdam illorum commentis depravatos, qui non aſſequantur, quomodo aut quâ ratione anathematiſmi illi confecti ſint, operæ precium me facturum putavi, ſi ſingulos breviter exponerem.*

Eph. Conc. p. 3. c. 1.

Ut primùm explicatio hæc Epheſi vulgata eſt, qui in ea civitate morabantur Orientales, vertente, ut conjectura eſt, Septembri illam Legatis ſuis Chalcedone verſantibus direxere, quod ſuâ Epiſtolâ teſtantur: *Direximus autem ſanctitati veſtræ & eam, quæ nuper facta eſt, interpretationem hæreticorum Capitulorum ab Alexandrino Cyrillo, impietatem ſuam etiam per ipſam ſubtilius oſtendente.*

Lup. Syll. c. 28.

Optaverat non modò, ut Legatorum unus eſſet, qui à Synodo ad Comitatum mittebantur, ſed & eorum interventu rogaverat Imperatorem, ut accerſitus coram eo, de ſe rationem redderet. Quo non impetrato, Alexandriam reverſus, eam ingreditur *Athyr tertio*, hoc eſt, Octobris xxx. Redeuntem *ſuſcepit civitas cum multa exultatione & gloria.*

Lab. Conc. t. 3. 1057.

Fugâ ab eo repetitam eſſe Alexandriam, ſcripto prodit Acacius in ſua ad Alexandrum Epiſtola: *Depoſitio Cyrilli & Memnonis fuerat confirmata, & ut prædicaretur quoque convenerat. Et ſic tempus inveniens, dum cuſtodiretur in Epheſo, fugâ eſt uſus.*

Lup. Syll. c. 41.

Exceſſiſſe quidem prius videtur, quàm à Theodoſio conſtitueretur, ut Epiſcopatum retineret. Orientales in expoſtulationibus quidem ſuis, quarum duæ ordinato jam Maximiano octavo Kal. Novembris ſunt exoratæ, confirmatum Cyrillo Epiſcopatum non queruntur. Sed & ultimâ ſuâ ad Orientales Epheſi conſiſtentes Epiſtolâ Legati hæc narrant: *Placuit pientiſſimo Regi, ut ſinguli ad propria redeamus, ad hoc ut & Ægyptius & Memnon Epheſius in ſuis locis maneant.*

Lab. Conc. t. 3. 746.

Quæ currente jam Novembri, ut nova, & incognita Orientalibus nunciata ſunt. Cyrillus verò nondum adulto Octobri, relictâ Epheſo, Alexandriam petere debuit, quam trigeſimo menſis hujus ingreſſus eſt. Itaque non à vero prorſus abhorret Acacii relatio. Ubi Decretum Imperatoris innotuit Cyrillo, qui Eccleſiæ ſuæ reddebatur, Apologeticum ad Theodoſium exaravit ſuum, uti ex his colligimus: *Sufficit ad opem nobis ferendam Salvatoris noſtri gratia, veſtraque pietatis juſtitia. Nam velut ex ardenti camino ereptos, placidiſſimis veſtris nutibus ſervaſtis, ut unà cum aliis, qui per univerſam veſtram Ægyptum ſparſi ſunt, ſanctis Epiſcopis & Monachis continuò pro imperio veſtro, & victoria ac ſtabilitate gratiarum actiones ſanctiſſimo Chriſto offeramus.*

Lab. Conc. t. 3. c. 14. 1057.

Exponit autem cur Imperatori Reginiſque ſcripſerit; nempe ut officii ſui munus perageret, cùm Epiſcopis incumbat, caſtam puramque fidem tueri: quidve in damnando Neſtorio à ſe geſtum fuerit.

Maximianus quis? Conſtantinopolitanus Epiſcopus creatur. Infelix Synodi Epheſinæ exitus.

XLVIII. Dandum nunc eſt aliquid loci *Maximiano*, Neſtorii ſucceſſori. Sede Conſtantinopolitanâ vacante, de eligendo Epiſcopo coibant in lites. Multi *Philippum* Sidenſem, plures *Proclum* optabant. Quorum quidem ſuffragia prævaluiſſent, niſi interceſſiſſent aliqui vi Canonis Eccleſiaſtici, vetantis ne is, qui civitatis alicujus Epiſcopus deſignatus fuerat, ad aliam civitatem transferretur. Cui cùm populus fidem accommodaſſet, deinceps conquievit. Ab ejectio Epheſinorum ſententiâ Neſtorio menſes quatuor penè præterierant, cùm Theodoſius Legatis Epheſinis, quos Chalcedone Conſtantinopolim ſecum migrare juſſerat, præcipit, ut ad Eccleſiam ſe conferentes Epiſcopum creent, qui electum *Maximianum* ſacris præficiunt.

Lab. Conc. t. 3. 1057.

Monaſticam primo vitam ingreſſus, Presbyterorum in ordinem allectus fuerat. Ac clarum ſibi ſanctitatis nomen comparaverat, quòd propriis ſumptibus monumenta conſtruxiſſet, quibus viri religioſi poſt obitum inferrentur. At in ſermone prorſus rudis & imperitus, vitam quietam, & à negotiis alienam optabat. Octavo Calend. Novembris die Dominicâ Pontificatum adiit.

Socr. l. 7. c. 35. 37.

Ubi electus eſt, Synodicam Epiri Epiſcopis Epiſtolam dirigit, cui Juvenalis, Arcadius, Flavianus, Firmus, Theodotus, Acacius, Evoptius, Daniel, Philippus Cœleſtini Legatus ſubſcripſere. Verba ſunt Epiſtolæ: *Æquum judicavimus, ſimulatque ſanctiſſimus, Deoque per omnia chariſſimus dilectiſſimus Maximianus magnæ civitatis Epiſcopus inſtitutus eſt, has literas unà cum eo ad vos tranſmittere... Ut autem ſciatis, quòd non literis tantum noſtris paretis, ſed etiam Decretis Sanctæ Oecumenicæ Synodi Epheſi congregatæ ſubjecimus Synodicas literas, ut vos ex illis certiores reddamini de iis, quæ contra Schiſmaticos, & Neſtorianos decreta ſunt, & qualis item pœna illis conſtituta eſt, qui cum ipſis communicare præſumpſerint.*

Lab. Conc. t. 3. 1060.

Cyrillum quoque de ſua ad Epiſcopatum evectione Maximianus monitum voluit Epiſtolâ, quâ ſuas ipſi moleſtias pro pietate exhauſtas gratulatur. Cœleſtino verò, cum literis Presbyterum miſit atque Diaconum, qui Romam ad diem Natalis pervenere. Legationis hujus Cœleſtinus meminit in ſua ad Theodoſium Epiſtola, anno proximè ſequente ſcripta: *Religioſos filios meos, Joannem Presbyterum, & Epictetum Diaconum tantæ rei nuncios cum totius Eccleſiæ gratulatione ſuſcepimus: & lectis in tota Chriſtiana plebis congregatione apud Beatiſſimum Petrum Apoſtolum veſtræ pietatis apicibus, Deo noſtro pro vobis vota perſolvimus.*

Cœleſt. Ep. 19.

Ubi Orientalium Legatis Chalcedoni verſantibus Maximiani innotuit ordinatio, optaſſent quidem regiam urbem ingredi. Interceſſit verò Maximianus, ut memoriæ prodit Acacius: *Maximianus Orientalibus in Conſtantinopolim non permiſit intrare.*

Lup. Syll. c. 41.

Epiſcopos quoque, qui ipſius communionem abnuebant, adhibitâ Principis autoritate ſedibus pellebat ſuis. Firmus in locum Eutherii Thyanenſis ex aſſeſſoribus unum ordinavit, ut Conſtantinopolitanam ſententiam executioni mandaret. At Thyanenſes

nenſes

Digitized by Google

Anno Dom. 432.

nenſes ingreſſum cum ſuis Firmum apprehenſum civitate ejecerunt. Saturninus quoque Marcianopolis Epiſcopus, in vicem Dorothei ſubſtitutus, à Plintha Militiæ Magiſtro introducitur. Quem ſibi dari Antiſtitem civitas noluit. Infelicem ſanè Synodi Epheſinæ exitum, qui terrarum orbem lachrymis, Eccleſiam tumultuationibus, pectora odiis implevit. Ut & hîc Nazianzeni dicto in ſuâ ad Procopium Epiſtola locus eſſe poſſit, finem Concilii lætum non fuiſſe, quem incrementum potius malorum, quàm depulſio exceperit.

Anno U. C. 1185. Per. Jul. 5145. Jul. 477. Dom. 432. Theodos. 31. & 25. Valentin. 7. & 8. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 15. *Indict.* 15. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 3. *April.*

Coss. *Ætius & Valerius.*

Ætius Bonifacium ex Africa revocatum vincit.

Idac. Chr.

I. PRoſperâ Ætius fortunâ utebatur in debellandis hoſtibus imperii. Arma Franci cœperant, qui clade ſuâ novam victori gloriam pepercere: *Superatis per Ætium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes Legatus mittitur ad Suevos, ſuprà dicto ſecum Idacio redeunte.* Gloria hæc Ætii inflammatâ ambitione, Bonifacii Comitis in exitium ipſum armavit. Revocatus à Valentiniano, in urbem venit novis dignitatibus ornandus, quæ graves æmulo fuere, non ſine magno Reipublicæ detrimento. Audiatur Proſper in Chronico: *Totius orbis pace & conſenſione mirabili Bonifacius ab Africa ad Italiam per urbem venit, acceptâ Magiſtri Militum dignitate, qui cùm reſiſtentem ſibi Ætium prælio ſuperaviſſet, paucos poſt dies morbo extinctus eſt.* Alii tamen Bonifacium ab Ætio victum eſſe memorant. Sic Idacius in Chronico: *Bonifacius in æmulationem Ætii per Placidiam evocatus, in Italiam ad Palatium redit. Qui depulſo Ætio, in locum ejus ſuccedens, paucis pòſt menſibus inito adverſus Ætium conflictu, de vulnere, quo fuerat percuſſus, interiit.* Id ipſum tradit Marcellinus; à quo ſcimus, arte potius quàm Marte Ætium viciſſe: Placidiæ inſtinctu *ingens bellum inter Bonifacium & Ætium Patricios geſtum eſt. Ætius longiore Bonifacii telo pridie ſibimet præparato, Bonifacium congredientem vulneravit illæſus. Tertioque menſe Bonifacius vulnere, quo ſauciatus fuerat, emoritur, Pelagiam uxorem ſuam valde locupletem nulli alteri, niſi Ætio ut nuberet exhortans.* Poſt victoriam ſuam Ætius in privata ſe fortuna conſtituerat. Quid ipſi tum contigerit, Proſper narratione executus eſt: *Ætius cùm depoſitâ poteſtate in agro ſuo degeret, ibique eùm quidam inimicus ejus repentino incurſu opprimere tentaſſet, profugus ad urbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannonias ad Hunnos pervenit. Quorum amicitiâ auxilioque uſus, pacem Principum, & jus interpellatæ poteſtatis obtinuit.*

De rebus Neſtorii: Cœleſtini Epiſtolæ quatuor.

II. Commemoratis imperii rebus, quæ Eccleſiam ſpectant, nunc referamus. Ut Cœleſtino innotuit, Maximianum ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, die octavo Calend. Novembris, Baſſo & Antiocho Coſſ. evectum eſſe, lætitiâ repletus eſt, cujus ſigna haud obſcura dedit in ſua ad *Maximianum* Epiſtola, ſcripta Idibus Martiis. Maximianus de ſuâ electione Cœleſtinum certum fecerat, miſſis Joanne Presbytero Epictetoque Diacono, qui ad diem, quo Chriſti Nativitas celebrabatur, Romam anno ſuperiore pervenerant. Quos cum gaudio ſuſceptos, cum *majore gratulatione* Cœleſtinus remiſit. Maximianum porrò hortatur inhærere veritati, magnis exemplis, quæ imitaretur, propoſitis: *Sequere priorum, à quibus eruditus es & nutritus, exempla Pontificum, beatiſsimi Joannis in prædicando ſcientiam, ſancti Attici in repurgandis hæreſibus vigilantiam, deceſſoris tui Siſinnii, cujus te ſucceſſorem credimus, ſimplicem puritatem. Compreſſo olim per totum orbem Cæleſtiano errori, à tua vigilantia reſiſtatur, ut quicunque hujus dogmatis ſunt ſequaces, ab omni ſocietate hominum repellantur.* Imperatori quoque ob profligatos in Epheſina Synodo errores gratulatus eſt Cœleſtinus Epiſtolâ, decimo quinto Martii ſcriptâ: *Illata quidem fidei bella ſunt, & Regis æterni ſacrilegis verborum jaculis nativitas appetita. Sed vos Chriſte Deo noſtro autore regnantes, hoſtes impios fidei veſtra virtute viciſtis, cæleſtem revocantes triumphum, per quod religioſo munimen in perpetuum præſtetis imperio... Elias etiam Propheta falſa prophetantes non fuit contentus refellere, ſed etiam in eos voluit vindicare, ut eos perſequendo perderet, quos in perditionem witi ſui populi perviderct. Par tibi cum illo gloria. Ille falſa prophetantibus reſtitit, tu falſa docentibus. Ille mentientes in Deum Prophetas perſecutus eſt, tu de Chriſto Deo noſtro prædicantes impia abigis Sacerdotes.* Temperare quoque Cœleſtinus non potuit, quin de Maximiani electione quædam Imperatori ſubjiceret: *Debitum eſt fratris mei Maximiani Epiſcopi gloriæ, ut aliquem illi prælatum fuiſſe in hoc quod ſuſtinuit, civitas pœniteret, & nunc electo eodem illi ſe integritatem fidei debere ſentiret.* Quippe lis & diſceptatio fuerat de Epiſcopatu Conſtantinopolitano. Porro Aſiæ poſſeſſionum, à *Proba* illuſtri fœmina pauperibus Monaſteriiſque alendis relictarum, reditus non ut par erat diſpenſabantur. Rogat igitur Imperatorem, ut *tam Eccleſiæ, quam ſuis Dominis ſit tuta poſſeſſio.* Sed & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ literas Cœleſtinus dedit, cui Neſtorii abdicationem gratulatur, quem cum Juda componit: *Deliberare difficile eſt inter diſcuſſorem nativitatis & mortis autorem. Facti ſui videlicet vacuum ſtatim Judam pœnituit, prævenit exitium oris ſupplicium producere. Ille ſtatim laqueum, peccatum ſuum confeſſus elegit. Hic impietatis pertinaciâ gloriatur.* Teſtatur etiam de Conſtantinopolitana Eccleſia ſe ſollicitum fuiſſe: *Quæ nos de vobis in bello inteſtino poſitis, cura atque ſollicitudo tunc habuit.* Cyrillum quoque Alexandrinum plurimum laudat, *qui nixus eſt labentem revocare collegam.* Subjungit magnum Sedis Apoſtolicæ in Neſtorio curando ſtudium: Cui, inquit, *cum ferre abſtulimus fomentum*, ille verò *mortem deſperatus optavit.* Perſtringit & Cœleſtianos, qui Neſtorio faverant: *Adfuerunt inter alios, nec deſeruerunt eum Cæleſtiniani iniquitatis operarii.* In ea tamen Epiſtola erroris aliquid Cœleſtino incidiſſe videtur, exiſtimanti Neſtorium lue Pelagianâ affectum fuiſſe: *Habuit ergo, inquit, ſecum ſui magiſtros exilii, habuit hujuſce rei perfectos tyro Doctores, nam ſeparare difficile eſt, quos ſcelera junxerunt, quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum.* Atqui Neſtorius à Pelagii ſententia alienus fuit, ut ſuo loco demonſtratum eſt. Quin etiam ipſe Cœleſtinus Neſtorio ſcripſit: *Legimus, quòd de originis vitio rectè ſentias, quòdque naturam ipſam culpa obſtrictam non neges.* Credulum ſe Cyrillo & Epheſinis

Anno Dom. 432.

Cœleſt. Ep. 13.

Anno Dom. 432.

ſinis Cœleſtinus præbuit, qui Neſtorium Pelagianiſmi accuſabant, ut infamatum redderent. Denique Maximianum commendat Epiſcopum. Eodem quoque die encyclicam Epheſinæ Synodi Patribus Epiſtolam direxit, quâ fidem ipſorum laudat. Unâ eâdemque relatione per Joannem Presbyterum, & Epictetum Diaconum dejectionem juſtam, & exaltationem ſe didiciſſe juſtiorem monet. Addit, ſe ſcripſiſſe Imperatori, ut longius Neſtorius pelleretur: *Didicimus namque hunc Antiochiam reverti ſſe, atque ſibi illic, unde venerat, vivendi præſtitam facultatem. Innocentium exitum eſt, illud exilium.* De Epiſcopis qui Neſtorio faverant, hæc cenſet: *Habent ſi reſipiſcunt, copiam revertendi, quod his ſolis non permittitur, quos propriè cum autoribus hæreſeos omnium fratrum conſtat ſubſcriptione damnatos.* De Joanne verò Antiocheno ſubjicit: *Antiochenum verò, ſi habet ſpem correctionis, Epiſcopum à veſtra fraternitate volumus conveniri, ut niſi quæ ſentimus ſenſerit, novellam blaſphemiam eodem exemplo, ſcriptâ ſuâ profeſſione condemnans, intelligat de ſe quoque Eccleſiam, quod fidei noſtræ reſpectus imperat, ordinare.* Cœleſtini quatuor illæ Epiſtolæ eâdem die, *Idibus* ſcilicet *Martii* ſunt conſignatæ, Legatiſque Conſtantinopolitanis Joanni Epictetoque datæ, *Ut*, inquit, *quos diebus Dominicæ Nativitatis accepimus, reſurrectionis Dominicæ tempore redderemus.*

Cœleſt. Ep. 21.

Cœleſtini obitus.

III. Non multò poſt miſſas in Orientem Epiſtolas Cœleſtinus pro mortali conditione vitæ immortalitatem conſequitur Aprili menſe. De die dubitationis aliquid eſt, quem *ſexto* nonnulli, alii autem *nono* affixere. Sedit annos octo, menſes ſex, dies circiter viginti ſex. Veritatis tutelarium egit, utpote qui & Neſtorio, & Pelagianis totis viribus obſtitit. De Cœleſtino hæc habet Gennadius: *Cœleſtinus urbis Romæ Epiſcopus Decretum Synodi adverſus ſuprà dictum Neſtorium habitum, volumine deſcribens, ad Orientis & Occidentis Eccleſias dedit, confirmans duabus in Chriſto manentibus perfectè naturis, unam Filii Dei credendam eſſe perſonam. Huic enim ſententiæ ſuprà ſcriptus Neſtorius oſtenſus eſt eſſe contrarius.* Inter ipſius conſtituta illud in Pontificali legitur, *Ut* CL. *Pſalmi David ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim, quod antè non fiebat, niſi tantùm recitabantur Epiſtola Pauli Apoſtoli, & S. Evangelium, & ſic Miſſæ fiebant.* Dedicaſſe dicitur & *Baſilicam Juliæ, in qua obtulit poſt ignem reticum, patinam argenteam penſantem libras* XV. *ſyphos argenteos duos penſantes libras decem, candelabra argentea duo penſantia ſingula libras* XXX.

Sixtus creatur Pontifex. Quis? Pelagianiſmi accuſatus.

IV. Cœleſtino Sixtus ſuccedit tertius, natione Romanus, ex patre *Xiſto*. Sedit Sixtus, referente Proſpero, annos octo, dies XIX. Tamdiu tamen Epiſcopatum non retinuit, ſi V. Cal. Aprilis vitâ abiit, anno Dom. CCCCXL. Valentiniano Aug. V. & Anatolio Coſſ. Martii XXVIII. Sixti memoria recolitur in Martyrologiis, unde colligitur, eo die naturæ ſatisfeciſſe, quæ concluſio tamen non ſatis firma. Probabile eſt, labente octavo Pontificatus anno mortem inveniſſe. Miſſâ moroſâ hâc diſceptatione, de Sixti perſona diſquiſitionem inſtituere præſtat. Dum ſolâ Presbyteri dignitate florebat, Pelagio Cœleſtinoque amicum ſe præbuit. Quâ conjunctione animorum erroris quoque conſpiratione Pelagianis ſe ſociaſſe creditum. Qui rumor eſt ad Africam uſque diffuſus. Hâc famâ impulſus Auguſtinus, ultrò ad Sixtum ſcripſit: *Quod enim*

Aug. Ep. 105.

fatendum eſt charitati tuæ, triſtes eramus nimis, rùm fama jactaret, inimicis gratiæ Chriſti te favere. Sed ut hæc triſtitia de cordibus noſtris tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo pronuntiaſſe, eadem fama non tacuit. Deinde cum literis Apoſtolicæ Sedis, de illorum damnatione ad Africam miſſis, tuæ quoque literæ ad venerabilem ſenem Aurelium conſecutæ ſunt, quæ tametſi breves erant, tuum tamen vigorem adverſus eorum errorem ſatis indicabant. Sic erroris maculam eluit. Quam & ſuſpicionem ut magis à ſe removeret, longioribus ſe literis purgatum voluit, quarum & Auguſtinus meminit: *Si*, inquit, *breviſſimam Epiſtolam tuam de hac ipſa re ad beatiſſimum ſenem Aurelium per Leonem Acoluthum direxiſti, exultanti alacritate deſcripſimus, & quibus poteramus, magno ſtudio legebamus, ubi nobis expoſuiſti, quid de illo nobis pernicioſiſſimo dogmate, vel quid contrà de gratia Dei, quam puſillis magniſque largitur, cui eſt illud inimiciſſimum, ſentias: quanta nos putas iſta tua prolixiora ſcripta vel exultatione legiſſe, vel curâ ut legantur, quibus valuimus, aliis obtuliſſe, atque adhuc quibus valemus offerre? Quid enim gratius legi, vel audiri poteſt, quàm gratiæ Dei tam pura defenſio adverſus inimicos ejus ex ore ejus, qui eorumdem inimicorum magni momenti patronus antè jactabatur?* Diſplicet ergo nobis Sixti famam à *Garnerio* læſam fuiſſe, qui virum & laudabilem, & laudatum, gratiæque Chriſti defenſorem acerrimum Pelagianis inſerit, à quorum errore monitis Auguſtini evulſus eſt. Quam vaniſſimis ſanè conjecturis *Sixto* calumniam Garnerius impoſuit. Lupos quidem pellibus ovinis indutos geſtavit in ſinu. Suſpicioſus non fuit, cùm veteratores ad diſſimulationem compoſiti erroris ſe affines eſſe negarent. Ut Dioſpolitanos atque Zozimum, ſic & Sixtum decepere. Fallentium hic error fuit, falſi non fuit, qui candidâ mente præditus, perfidos ex ſuis moribus æſtimavit. Quæ quidem abſque labe Pelagianiſmi ulla laudabiliter etiam facere potuit. Ordinationi Sixti Hermogenes Rhinocurorum, & Lampetius Caſſii Epiſcopus, quos Cyrillus Cœleſtino miſerat, interfuere. Neque deſiderabantur Orientis Presbyteri. Tantis ſpectatoribus claruit Sixtinæ conſecrationis ceremonia, ut ordinatus in hæc verba erumperet: *Cunctos habuit fratres præſentes ordinatio noſtra.*

Anno Dom. 432.

Aug. Ep. 104.

V. Inter Sixti literas, quas Pontificatum adeptus ſcripſit, extat Epiſtola omnibus Orientalibus Epiſcopis, quibus gratias egit, quod ab ipſis ſua in perſecutione viſitatus ſit. Quid verò moleſtiæ paſſus ſit, narratur in Epiſtola: *Scitote, me criminari à quodam Baſſo, & injuſtè perſequi. Quod audiens Valentinianus Auguſtus, noſtrâ autoritate Synodum congregari juſſit, & facto Concilio, cum magna examinatione ſatisfaciens omnibus, licet evadere ſatis aliter potuiſſem, ſuſpicionem tamen fugiens, coram omnibus me purgavi, me ſcilicet à ſuſpicione & æmulatione liberans. . . . Condemnatus eſt autem memoratus Baſſus à jam dicta Synodo, ita tamen, ut in ultima die viaticum ei non denegetur, propter humanitatem pietatis Eccleſiæ. Valentinianus quoque antè dictus Imperator ſcriptis eum condemnavit, cum Auguſta matre Placidia, & omnia prædia facultatum ejus, futuris de talibus dans hominibus formam ſatisfaciendi, Eccleſiæ Catholicæ ſociavit. Sæpè dictus ergo Baſſus nutu divino non multò pòſt mortuus. Cujus corpus, licet dignum non eſſet ſepultura, propter miſericordiam tamen ſepelivi id in cubiculo parentum. Data Kal. Aprilis*

Epiſtola Sixti ad Orientales de ſui purgatione ſubdita eſt.

Sixt. Ep. 3.

Anno Dom. 432.

Aprilis Valentiniano & Floriano viris clariſſ. Coſſ. Frontem perfricuiſſe oportet ille, qui Epiſtolam furfuris hujus Sixto viro & erudito, & celebri vindicavit, adeò perabſurda eſt. Haſne phraſes, hos Barbariſmos Sixtus adhibuiſſet? Ex quanam officina prodiit ille *Valentiniani & Floriani* Conſulatus, qui nuſquam gentium in Faſtis reperitur? Sed & Epiſtola Pontificali poſterior eſt, utpote ex eo fabricata, cujuſve verba ipſa uſurpat, *cum magna examinatione.* Quæ vox ſanè Sixtina non eſt: *Facto conventu cum magna examinatione judicio Synodico purgatus à* LVI. *Epiſcopis, & condemnatus Baſſus.* Hæc Pontificale. Denique Synodus poſt annum primum & menſes octo Sixtini Pontificatus ad damnandum Baſſum celebrata, ſubdititia prorſus eſſe videtur, ut anno ſequente declarabitur.

Sixtus hortatur Cyrillum, ut Orientales recipiat.

VI. Ut in Epiſcopali Cathedra Sixtus eſt collocatus, plurimam exercendæ prudentiæ materiam habuit. Cyrillus ad Cœleſtinum duos miſerat Epiſcopos, *Hermogenem atque Lampetium,* qui ſibi Joannem excommunicanti, viciſſimque à Joanne damnato opem ferrent. Jam Sixto locum Cœleſtinus dederat, cùm Legati Alexandrini in urbem pervenere. Eos benignè Sixtus excepit, cujus & ordinationi interfuere. Quæ de Neſtorii damnatione Patres Epheſini ſanxerant, ſuffragio Sixtus ſuo corroboravit. De Joanne verò Orientalibuſque ſtatuit, eos recipiendos eſſe, eâ lege atque omine, ut ſtabilitam ab Epheſino Concilio fidem amplecterentur. Id ex ipſius ad Cyrillum literis à clariſſimo Baluzio editis liquet, ex quibus hæc fœneramus: *Per ſanctos Conſacerdotes noſtros, Hermogenem & Lampetium adſiſtentes noſtræ ordinationi, has literas viſum eſt mittere ad religionem tuam, quales utique ad S. Synodum miſimus de ſectatoribus Neſtorii. Fateor igitur, valde lætati ſumus, quia contigit nobis per unam & eandem opportunitatem, quæ fidei ſunt, quæque ad nos ipſos pertinent, communicare. Cunctos quippe habuit frater præſentes ordinatio noſtra. Cui enim viſum non adeſſe, quando Oriens per ſuos Presbyteros aderat, & ſpectarum unum omnium cor, & unam in cunctis animam agnoverunt, conſonamque divinæ multitudinis vocem? Sic Rom. Eccleſia unum ſuffragium ſervavit in conſtitutione fidei præconis, ut in ipſo fidei præconio unam ſemper ſententiam ſervavit. Quoniam ergo ſufficit per pauca ſignificatam eſſe ordinationem meam, loquendum ſupereſt nobis de iis, quæ ſanctus frater noſter Cyrillus immemor propriæ contumeliæ & laborum poſtulat.* Quid verò flagitarit, his indicatur: *Confeſtim autem in naufragio laborantibus petit aperiri portum, illius ſolius comentum morte, qui viſus eſſe in imperitia Doctor, vindicavit ſibi Dominica religionis gubernacula, ſed perſiſtere in ſede non potuit, docere neſciens. Solus ergo ſit naufragus, quem in tanta caligine propriorum documentorum nihil cernentem impietatis fluctus alliſit ſcopulo depoſitionis. Habuit equidem cunctos una tempeſtas, verùm immerſo qui iſta excogitavit, ſanari vult cæteros.* Encyclica ea fuit Epiſtola. Privatim & Cyrillo Sixtus reſcripſit, teſtatus ſe lætatum eſſe Hermogenis & Lampetii præſentiâ, quos multis & laudibus cumulat. Quorum etiam ad vota Epiſcopis compluribus, *ſuggerente Archidiacono Themiſone,* literas ſe dediſſe ſignificat. De Joanne verò Antiocheno & Orientalibus id ſibi placere dicit: *De Antiocheno autem, & reliquis, qui cum eo ſectatores Neſtorii fieri voluerunt, & de cunctis verò, qui contra Eccleſiaſticam diſciplinam Eccleſias regunt, accipientes, hoc definimus cuſtodiendum, ut ſi reſipuerint, & cum duce ſuo rejecerint omnia, quæcunque S. Synodus nobis confirmantibus rejecit, redeant in Sacerdotum conſeſſum. Sicut enim perſiſtenter prioribus non potuerunt in noſtra eſſe communione, ſic volumus eos propter unitatem ac pacem Eccleſiarum ſatisfacientes, ut diximus, ſuſcipi: ipſi verò in ſeipſos inveniuntur æquam ſententiam protuliſſe, ſi extra manentes oſtenderint ſecum dejecto & expulſo, tantæ impietatis ſocios atque participes.* Hos Cotelerius Epiſtolas Græcè, Latinèque edidit, Eccleſiæ Græcæ Monumentorum T. I.

Baluz. Collec. Conc. t. 1. 659.

Baluz. Coll. Syn. c. 1. 658.

Anno Dom. 430.

Capreoli de Deipara ad Vitalem & Conſtantium Epiſtola.

VII. Sub hæc fortè tempora *Vitalis & Conſtantius* Hiſpani, qui ſibi *peccatorum* nomen impoſuere, Carthaginenſem percontantur Capreolum, dicendumne foret, *Deum natum eſſe?* Epiſtolam *Numiniano* ſuam ferendam dedere. Ex qua pauca hæc obſerventur: *Quæ prima vota ſunt humilitatis noſtræ, plurimum ſalutamus, ſanctam perfectamque & venerabilem beatitudinem tuam, & ſanum atque incolumem ſemper Deo propitio audire deſideramus. Quia etſi in longinquo poſiti ſumus, à Sancto Apoſtolatu veſtro mari terminante, ſed in præſentia veſtri ſumus ſemper in orationibus ſanctitatis veſtræ, Domine Pater.* Epiſtolæ autem ſubſcriptio hæc eſt: *Incolumem venerabilitatem tuam nobis Dominus noſter Jeſus longiorem conſervet, Domine ſancte, ac venerabilis Papa.* Quantum exultaſſet Baronius, atque triumphaſſet, ſi humillimo eo ſcripto Pontificem Romanum adiiſſent. Atqui non à Sixto III. quid de præcipuorum fidei articulorum uno credendum ſit, exquirunt, ſed à Carthaginenſi Epiſcopo. Pietati Vitalis & Conſtantii gratulatus Capreolus, per Numinianum reſcribit: *Adverti Neſtorianam hæreſim, novam infandamque perniciem, ficus quibuſdam locis jam cœperat pullulare, apud vos quoque velle zizania ſua ſemina in peritorum corda jacere.* Multis verò Scripturæ teſtimoniis oſtendit, *Dei Filium, Deum verum, & hominem verum, unius prorſus atque inſeparabilis eſſe perſonæ.*

B. M. P. t. 7. p. 5.

Pſeudo-Moſes Cretenſis Judæos decipit.

VIII. Nunc Eccleſiæ Orientalis actus exequamur. Quas Judæis fraudes impoſtor cogitaverat, illæ animarum multarum in ſalutem ceſſere. Rem ſanè memorandam Socrates ſcripto complectitur. Complures ex Judæis, qui in Creta erant, Chriſtianam fidem amplexi ſunt ob hujuſmodi caſum. Veterator quidam Judæus Moſem ſeſe finxit, ſeque miſſum è Cœlo, ut Judæos Cretam incolentes ſuſciperet, eoſque per mare deduceret. Se enim eſſe ajebat, qui olim Iſraëlitas per Mare Rubrum ducens ſervaſſet. Totam igitur Inſulam, & ſingulas ejus urbes unius anni ſpatio peragravit. Judæos ut ſupellectilem prædiaque deſererent omnia hortabatur, per ſiccum mare in Cananæam regionem à ſe deducendos. Quâ ſpe lactati, quæ poſſidebant ea capiendi licentiam cuivis obvio concedebant. Poſtquam dies ab impoſtore Judæo deſignatus illuxit, ipſe quidem præire cœpit, ſequebantur autem univerſi, cum uxoribus & parvulis. Quos in promontorium imminens mari deductos, ex eo ſe præcipites dare juſſit. Id fecere primi, qui protinùs periere, partim ſcopulis illiſi, partim aquis ſubmerſi. Ac multò plures periiſſent, niſi piſcatores & negotiatores Chriſtiani adfuiſſent, qui nonnullos penè ſuffocatos ſervaverunt, reliquos verò ne ſe in mare dejicerent prohibuere. Cognitâ fraude impoſtorem Judæi perditum voluere, ſed eorum ex oculis evanuerat. Hinc

 ob

ob calamitatem ex Cretenſibus Judæis complures, relicto patrio cultu, ad Chriſti fidem ſe contulere.

Socr. l. 7. c. 38.

Synodus Antiochena Cyrillum abdicat. Synodi Epiſtola.

IX. Orientalium in Syriam reditu, inimicitiarum incendia vires non poſuerant. Ac primùm ubi Tarſum ingrediuntur, Cyrillo Alexandrino, Memnoni, Juvenali Hieroſolymitano, Flaviano Philippenſi, Firmo Cæſareæ, Theodoto Ancyrano, Acacio Melitinenſi, Evoptio Ptolemaidis munus ſuum abdicarunt. Deinde ut Antiochiam rediit Joannes, Synodum cogit, de qua in Socrate mentio eſt: *Joannes Antiochiam reverſus, convocatis pluribus Epiſcopis, Cyrillo qui jam Alexandriam redierat, Epiſcopatum abrogavit.* Eadem penè Liberatus habet, c. 6. *Joannes cum ſuis Antiochiam profectus eſt, ubi colligens plurimos Epiſcopos, damnavit iterum Cyrillum, cùm jam eſſet Alexandriæ.* Extat in *Lupi* Sylloge Epiſtola hujus Synodi, barbarè quidem in Latinum transfuſa, ita tamen, ut horridus ille ſtylus nil officiat veritati. Sic ergo Imperatori ſcribit Synodus:

Lup. Syll. c. 39.

Quia omnes Orientalis Diœceſis Epiſcopi, & Clerici, & Populi celſu ſunt ſalvi dogmatibus, & perſeverant in fide, quæ à beatis Patribus expoſita eſt in Nicæa congregatis. Et eligunt potius omnibus privari corporis membris, quam vel unam recta illius confeſſionis ſyllabam prodere. Propter quod & Cyrilli capitula, tanquam valde contraria, & ſanctorum Apoſtolorum doctrinæ, & ſanctorum Evangeliorum prædicationi, & expoſitioni fidei, quæ in Nicæa facta eſt, execramur univerſi. Et amicam Deo veſtram quæſumus ſummitatem, in nulla Eccleſiarum, quæ ſunt ſub Cœlo, permittere dogma illud impium prædicari. Sed ut nefas & blaſphemiam, ab univerſo mundo fugari præcipere. Nec ſibi defuit Theodoritus erroris infamatus, quòd Neſtorio amico ſuo patronum ſe conſtituiſſet. Quam ergo amplectebatur fidem, Conſtantinopolitanis exponit:

Lup. Syll. c. 40.

Credimus unam eſſe Patris & Filii, & Spiritus S. Divinitatem, unam dominationem, unum regnum & poteſtatem. De diſpenſatione verò credere convenit, quia unigenitus Dei Filius, Deus Verbum, qui ante ſecula eſt, propter noſtram ſalutem incarnatus eſt. Unum quoque Chriſtum, unum Dominum, unum Filium unigenitum prædicat.

Theodoritus adverſus Synodum Epheſ. & Cyrillum quinque libros condit.

Marius Merc. Garn. 2. 267.

X. Adeò malè & in Cyrillum, & in Concilium Epheſinum animabatur Theodoritus, ut temperare non potuerit, quin in utrumque ſcriberet. Vulgatis quinque libris de Verbi Incarnatione, qui temporis injuriâ periere. Extant adhùc fragmenta Operis hujus in Mario Mercatore, qui miris modis illud infamat: *Epiſtola*, inquit, *aliquot Theodoriti Epiſcopi Cyri cum excerptis ex libris quinque, quos adverſus B. Cyrillum Alexandrinæ civitatis Antiſtitem, ſanctumque Concilium Epheſinum, à quo Neſtorius damnatus eſt, Diabolo inſtigante conſcripſit.* Ex Præfatione verò librorum Marius Mercator primum hoc excerptum ſuppeditat: *Priuſquam Conventus apud Epheſum celebraretur, duodecim Capitulis ſtrictum apertèque reſtitimus, ut præſcius horum fieret intellectus etiam rudiorum & rationis expertium. Quia verò ſe manifeſtum, qui iſta protulit, in Concilio declaravit, & plures ex his qui convenerant, imperiti potius, nec ullâ dogmatis imbuti notitiâ pia hæc arbitrati ſunt, opera pretium viſum eſt, iterum contendere, ſermonemque diſtendere, & ſuccinctam blaſphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidentius approbemus, quemadmodum Evangeliis declarantur adverſa, quæ nunc ab iſtis maximè proferuntur.* Eam Theodoritus ſibi perſuaſionem induerat, Cyrillum Apollinariſtis militaſſe. Totis itaque nervis & viribus *permixtionem* Chriſti naturarum, atque *confuſionem* impugnat. Quam infixam animo perſuaſionem ad obitum uſque retinuit. In Epiſtola quidem ſua ad Himerium Nicomedienſem anno CCCCXXXIII. directa, Cyrilli literas Ægypto ſcriptas, Orthodoxas eſſe fatetur, Capitulis verò prorſus contrarias fuiſſe contendit:

Marius Merc. Garn. 2. 275.

Intentionem noſtram certam tuæ facimus ſanctitati, quod lectis ex Ægypto literis deſtinatis, & apud nos ſæpè diſcuſſis, invenimus eas doctrinæ quidem congruentes Eccleſiæ, duodecim verò Capitulis contrarias eſſe probavimus. Neque eò unquam Theodoritus adduci potuit, ut de Cyrillo benè exiſtimaret, licet altum corde odium premeret. Quæ à Theodorito in Cyrillum, & Synodum Epheſinam ſcripta ſunt, quinta Synodus Oecumenica Juſtiniano imperante celebrata damnavit, c. 13. *Si quis defendit impia Theodoriti ſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & XII. ejus Capitula expoſuit, anathema ſit.* Sic Eccleſia in partes miſerè diſtrahebatur.

Orientalium Ægyptiorumque diſſidia: res Rabbulæ.

XI. Quanta diſſidentibus vis diſcordiæ fuerit, exemplis percipi poteſt. *Rabbulas* Edeſſæ Epiſcopus Cyrilli in partes deſcenderat. Eòque proceſſit, ut Joannis in fautores perſecutionem moveret. Theodorum Mopſueſtenum, qui Andreæ Samoſatenſi beatus magnæque gloriæ Magiſter audiebat, anathematibus palam in Eccleſia obrueret, multiſque conviciis oneraret, diris etiam, qui ipſius ſcripta legebant, aut ea ignibus inſerre nollent devoveret, nec magis Orientalium, qui Cyrillo infenſi erant, libris parceret. Accuſabatur etiam, Chriſtum, qui unius naturæ eſſet, prædicare. Quæ cùm Andreæ Samoſatenſi veniſſent in notitiam, quid agendum, Alexandrum ſciſcitatur Hieropolitanum. Quærebant enim, qui à *Rabbula* vim patiebantur, an non liceret ab eo divelli. Quæ à *Rabbula* gerebantur, ut Joanni Antiocheno innotuere, ad Oſrhoënæ Epiſcopos literas dirigit, quibus illos monet, à *Rabbula* multa Apoſtolicæ fidei contraria perpetrari, quæ ſi vera ſint, quid facto opus eſſet præcipit:

Lup. Syll. c. 437.

Immunes, inquit, *vos ab ejus communione ſervetis, donec eum evocantes ad nos, & integrè diſcutientes, quæ ad eum pertinent, aut ignoſcamus ſatisfacienti, aut convictum ſubdamus ſatisfactionibus regulæ.* Certum quoque Orientalibus erat, Maximiani, qui Neſtorio ſuffectus erat, nomen Eccleſiæ tabulis non inſcribere. Helladio Tarſenſi à Maximiano Synodica miſſa erat, ut Dyptichis insereretur, quod conſtantiſſimè recuſavit Helladius. Quamobrem multis à Joanne Antiocheno laudibus afficitur. Ut verò rumor increbuit, pellendum ſuâ ſede Helladium, quòd Maximianum non ſuſcepiſſet, Clero populoque Tarſenſi ſcribit Joannes, ut eorum fortitudinem aleret:

Lup. Syll. c. 49.

Si Confeſſionis eſt tempus, quæſo ut fidem, quæ ſola omnibus præferamus . . . Decet enim, & amicum Deo eſſe, ut omnis, qui apud vos perſtet in ordine ſuo, & ætate, oſtendere fortitudinem pro pietate religionis ad Deum & Sacerdote ſancto, & pro civitate, quæ & magnumque dixerim quoque Paulum protulit. Illum, quem nullum periculum à Chriſti charitate ſejunxit. Neque minor violentia parti adverſæ gliſcebat, ut Theodoriti ad Alexandrum Epiſtolâ didicimus. *Firmus* Cæſareæ Cappadociæ Præſul in

civitate

ANNO DOM. 432.

civitate Thyanenſi quendam ex *aſſeſſoribus* ſuis in locum Eutherii conſecravit Epiſcopum. Comes verò *Longras* Iſauros miſit, qui Eutherio venirent in ſubſidium. Ut Firmi fautores Thyanenſem urbem ingreſſi ſunt, clauſis portis, omnes cum & illo ipſo, quem Firmus ordinarat, à civibus detinentur. Ille verò, qui in Epiſcopum creatus fuerat, negat ſe acquieviſſe ordinationi, induitque ſubinde chlamyde, ſpectatum ludos ad theatrum ſe confert. Quo facto, ſe Epiſcopatum ejurare profitebatur. Ipſius autem comites fugâ Nazianzum petierunt. Neque mitiores Dorotheo Marcianopolitano homines incidere, cujus in locum *Saturninus* ſubſtituitur, quem Plintha Militum Magiſter Marcianopolitanis per vim imponere voluit. Qui Præſuli ſuo omnia poſtponentes, *intus intra ſancta Eccleſia ſepta Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus ſemetipſos armantes, machinamenta adverſariorum omnia, & Saturnini artes telam araneorum oſtenderunt.* Mori ſatius ſibi fore putabant, quàm Epiſcopum ſuſcipere, qui unam duntaxat in Chriſto naturam agnoſcere exiſtimabatur. Hanc Marcianopolitanorum audaciam Conſtantinopolitanis Dorotheus per Martinum Presbyterum ſignificavit.

Lup. Syll. c. 45. 46.

Theodoſius ad Joannem Conſtantinopolitanum de pace dirigit.

XII. Cùm eo loci res eſſent, non ſine cauſa Eccleſiarum Epiſcoporumque conglutinatio prorſus divelli videbatur. Id veritus Theodoſius Maximiani Conſtantinopolitani, aliorumque Epiſcoporum conſilio uſus, Joannem, Cyrillumque Nicomediam venire jubet, negatâ diſcedendi facultate, niſi prius ad concordiam, ſimultate abdicatâ adducerentur. Obeundæ legationi *Ariſtolaus* Tribunus & Notarius deligitur. Verba ſunt Imperatoris ad Joannem: *Prædicti Epiſcopi reſponderunt, Si Neſtorii depoſitioni ſubſcriberes, illiuſque doctrinam anathematizares, fore ut omnis altercationis materia mox è medio tolleretur. Cyrilluſque ſanctiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cum ſuis, tum Cæleſtinus quoque nobiliſſimæ civitatis Romanæ Epiſcopus, tum reliqui tandem omnes quotquot ubique ſunt Orthodoxæ fidei Sacerdotes, cum tua pietate ad communionem redirent.* Joanni verò mandat, ut ſe apud Nicomediam conveniat. Præcepti verba ſunt ex Baluziana editione: *Feſtina itaque venire cum multa celeritate ad Nicomediam civitatem, nullum penitùs Epiſcoporum tecum deducens, niſi paucos Clericos tuæ miniſtrantiam ſanctitati & citra omnem dilationem feſtina, ſciens quoniam & Cyrillum ſanctiſſimum Epiſcopum, ſimiliter illic compelli, & concurrere eodem apparatu, ſacris noſtris præcipimus juſſionibus, hoc declarantes, non aliter eum ad nos venturum, antequam convenientes inter vos ipſos, & alternas inimicitias deponentes, ad confirmandam pacem per propriam unanimitatem, ſtudio omnium concordare poſſitis.* Quæ verba perperàm Liberatus intellexit, c. 8. *Miſſus eſt*, inquit, *Ariſtolaus, ſacram Principis deferens Joanni & Cyrillo, in qua comminatus eſt utriſque Nicomediam exilium, niſi pacem haberent ad invicem.* Ut rumor legationis hujus Joannis tetigit aures, in mentem ſibi induxit, ad regiam urbem ſeſe vocari. Extemplò igitur ſcribit Alexandro Hierapolitano, Qui ſe vocet Conſtantinopolim, Ariſtolaum *jam in januis eſſe*: debilitate ita corpus affici ſuum, ut prorſus itineri ſuſcipiendo ſit impar, poſt Collectam, quæ Cyri fieri ſolebat, rogat ipſum, cum Theodorito, aliiſque quotquot reperire poſſet Epiſcopis, ut ſine mora adventaret.

Eph. Conc. 3. p. c. 24.

Cyrilli Capitula ſpeciem errori aliquam obtendere: qui verò autoritate pollent, illorum proponere damnationem, *qui dicunt duas naturas.* Elias Presbyter Epiſtolæ hujus latorem egit. Hæc nos Lupi Sylloge monuit, c. 50. p. 121. Errabat tamen Joannes in cogitando, ſe in regiam urbem accerſiri, qui jubebatur quantocius Nicomediam migrare. Acacio quoque Berœenſi Theodoſius Epiſtolam direxit, quâ monet cùm nil antiquius habeat, quàm ut rectâ fides ſarta tectaque maneat atque augeatur: id ipſi incumbere, ut reverendiſſimum Joannem Antiochenorum Epiſcopum hortetur, neque contendere, neque inhærere errori: *Decet enim*, inquit, *ut in hac ſenectute, & hoc certamen tua religioſitas exequatur.* Hæc Lupi Sylloge, c. 51. in qua Theodoſii ad Acacium Epiſtola non minimum ab ea diſcrepat, quam ſuis in Annalibus Baronius exhibet, cujus ultima verba hæc ſunt: *Voſque probatos Romanæ religionis Sacerdotes manifeſto argumento declarate.* Quibus qui latè ſplendeat, Pontificique Romano ſit honorificus pannum Baronius hunc aſſuit: *Vox illa Romanæ religionis, propria eſt Orthodoxorum. Nam non communicare Romanæ Eccleſiæ, iſtud ipſum erat conſtituere quempiam Hæreticum.* Quam ex MS. Caſſinenſis Bibliothecæ Codice *Lupus* Theodoſii ad Acacium exhibet Epiſtolam, ea nihil habet, de *probatis Romanæ religionis Sacerdotibus*; neque etiam habere poteſt, cùm non *ad Epiſcopos & Anachoretas*, quod Baronius contendit, ſed ad unum Acacium dirigatur. Simeoni quoque Stylitæ per Ariſtolaum Imperator ſcripſit, ſperare ſe, quòd viri pietate abundantis precibus diſſidia arte dæmonum excitata, brevi extingui poſſint: *Nam ſi Joannes piiſſimus Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus Neſtorii, qui haſce controverſias principio excitavit, depoſitioni ſubſcripſerit, fidemque fecerit, ſe novo dogmati in poſterum non conſenſurum, neque antea conſenſiſſe unquam, divulſorum membrorum conglutinatio denuò ſubſequetur.*

Bar. An. 432. n. 47. 48.

Error Baronii.

XIII. Cognitâ Imperatoris voluntate, Joannes cum ſuis ad ineundam cum Cyrillo concordiam ſe comparavit. Impetratâque ab Ariſtolao facultate, Concilium Antiochiæ cogit, de quo mentio eſt, in Alexandri ad Andream Samoſatenorum Epiſtola: *Meminit ſanctitas tua, quales Epiſtolas olim ſanctiſſimus Epiſcopis deſtinavimus, ab Antiocheno perſuaſi, quando advenientе mirandiſſimo Ariſtolao, ejus literis convocati convenimus, & euntes ad Antiochiam Concilium fecimus, & multa millia pertractantes deliberavimus, ut propter Eccleſiarum perturbationem, mollemque quandam propoſitionem, & habentem vel modicum pietatis veſtigium proponeremus Ægyptio.* Barbaram ſanè verſionem, quâ tamen de geſtis hujus Synodi monemur. Hæc ubi decreta ſunt, paci conſtituendæ Joannes Antiochenus, Alexander Hierapolitanus, Macarius Laodicenſis, Andreas Samoſatenus, Theodoritus Cyrienſis, Acacio Berœenſi injungunt, ea proponere Ariſtolao, quæ Cyrillo ſignificaret, ſe in fide Nicæna permanere, quæ additamento non indiget. Cujus mentem optimè reddidit explicuitque venerandus ille Confeſſor & Epiſcopus Athanaſius in ſua ad Epictetum Corinthium Epiſtola. Quâ conſtitutione Cyrilli Capitula rejiciebantur. Veriſſimam tamen hanc Andreas conjecturam fecit, etſi torquerentur in eos anathemata, qui & purum putum hominem Chriſtum dicunt, & in duos Filios unum dividunt, quòd prætereà Cyrillus

Novâ Synodus Antiochena poſt miſſum Ariſtolaum.

Lup. Syll. c. 58.

Lup. Syll. c. 53.

ANNO DOM. 432.

rillus ab Orientalibus requiſitum iret, ut ſuam abdicationi Neſtorii oſſenſionem adjungerent: *Arbitror*, inquit Theodoritus, *quòd & ſubſcriptionem modis omnibus exigat depoſitionis: aliqui verò & hoc ſorſitan facient. Et arbitror etiam Cyrillum, etſi omnes minimè ſubſcribamus, illorum fore ſubſcriptione contentum.* Neque ſalſus eſt Andreas animi. Accepto Antiochenæ Synodi Decreto, Ariſtolaus pacis cupidus, ſubinde tendit in Ægyptum: conventoque apud Alexandriam Cyrillo, nihil non movit, ut æſtuantes irâ mentes ad concordiam adduceret, quod teſtatur ipſe Cyrillus in ſua ad Acacium Epiſtola: *Intolerabiliter dolentes propter illa, quæ contra me geſta ſunt ab Orientalibus, tam ex Clero Alexandriæ, quam cunctos Ægyptiacæ Diœceſis Epiſcopos religioſiſſimos, ſic mitigavit Dominus meus admirandiſſimus Tribunus Ariſtolaus, ut mihi etiam leviſſimam pacis faciendæ redderet viam, & omnes venirent in hujuſmodi voluntatem.* Oblatæ tamen pacis conditiones prorſus reſpuit, quæ ſibi dedecori forent, pietatique detrimento: *Abſonum extra modum*, inquit, *ſi nos quæ pro recta fide ſcripſimus, quoniam noſtra ſunt, abnegemus, imò potius accuſemus piam fidem. Ergo ſi ſe illa contra Neſtorium rectè non habent, ſive quæ contra perverſa ejus dogmata ſcripta ſunt, ſine cauſa depoſitus eſt. Imò magis & ille quidem forſitan rectè ſapit.* Queritur etiam, Sanctam Oecumenicamque Synodum Epheſinam graviſſimâ ab Orientalibus injuriâ affectam eſſe: qui & immiti dextrâ, & in ſe, & in Memnonem Epheſinum gladium ſtrinxere. Denique urget, placere Imperatori, omnes conſentiant & abdicationi Neſtorii & errorum damnationi. Ut verò omnem à ſe hæreſeos ſuſpicionem Cyrillus removeret, hæc ſubjungit:

Lup. Syll. c. 62.

Non illa, quæ ſunt Apollinarii, ſapui unquam, nec ea, quæ alterius ſunt Hæretici. Neque enim inanimatum dico Chriſti corpus. Confiteor verò, quòd animatum ſit animâ rationali. Et neque confuſionem vel confermentationem, vel refuſionem factam confirmo. Unum verò eundem Chriſtum & Dominum unigenitum Dei Filium, ipſum dico paſſum pro nobis carne.

Lup. Syll. c. 56.

Cyrilli Epiſtola aliis placuit, aliis improbatur.

XIV. Accepto Cyrilli reſponſo *Ariſtolaus*, qui morabatur Alexandriæ, Acacio miſit *nobiliſſimum Magiſtrianum Maximum* cum Cyrilli Epiſtola. Permovebatur novis Theodoſii literis Acacius, ut totis nervis viribuſque ereptam Eccleſiæ tranquillitatem redderet. Hoc ipſum urgebat Romanus Epiſcopus, qui ea de re Acacio Epiſtolam direxerat: ſed & ipſe Cyrillus tribus quatuorve Epiſtolis ipſum adierat. Quam ergo *Maximus* attulerat, eam Alexandro ſignificatum ivit. Quem in explicanda fide ſolertiam Cyrilli atque diligentiam inſpicere jubet. Quòd ſi pedibus adhùc doleat, literis ſaltem conſenſum præbeat iis, quæ reſcribenda erant à Concilio Joannis, Pauli, Epiſcoporumque apud Antiochiam cogendo. Monet etiam Alexandrum, ſe Theodoriti præſentiam flagitaſſe. Cujus adventui ſi Militiæ Magiſter ſit impedimento, definiendis ſaltem aſſentiretur. Alexandro indignationem movit Epiſtola Cyrilli. Reſcribit Acacio, ſe peccatorem quidem eſſe, & in deflendis criminibus ſuis quadraginta ſe annis eſſe verſatum; at fidem à teneris unguiculis rectam, jugiter ſe coluiſſe, ab hæreſibus abhorruiſſe omnibus, proindeque & à Cyrillo, qui Hæreticus audit, utpote Chriſtum unius eſſe naturæ prædicans. Cujus opinionem ſecutus Melitinenſis

Lup. Syll. c. 55.

Acacius, apud Epheſum hæc ſcripto conſignavit: *Mentitus eſt Divinam Scripturam Neſtorius, tanquam nativitatem mortemque non Divinitatis, ſed humanitatis edoceat. Calumniatus eſt & ſanctiſſimum Epiſcopum Cyrillum, tanquam paſſibilem Deum dicentem.* Similis & tenoris fuit & ſpiritus, quam Andreæ Alexander Epiſtolam dixerat. Oraſſe ſe, ut ſibi terra ima dehiſceret, deſertum & petiturum eſſe dicit, ni timoris Dei freno fuiſſet cohibitus, extrema denique potius paſſurum ſe teſtatur, ni Cyrillus apertè confiteatur, Chriſtum & Deum eſſe, & hominem: *Veniant*, inquit, *ardeant, paratus ſum diſcedere cum omni lætitia.* Alexandro aſſenſus eſt & Andreas, Cyrilli in Epiſtola veritatis nomine hæreſim contineri profeſſus. Epiſtolæ verò Theodoritus æquior, Acacio fatetur, *Inveniſſe ea quidem, quæ à Cyrillo dogmaticè dicta ſunt, contraria his, quæ olim ſunt ab eo expoſita, conſona verò magis doctrinæ Patrum.* Diſplicuit verò, quòd expoſito per literas, capitulaque dogmata non rejiceret, exigeretque Neſtorianæ depoſitionis ab Orientalibus confirmationem, qui cauſæ hujus Judices non egerant. Imò Andreæ hæc ſcripſit Theodoritus: *Scit ſanctitas tua, quia indeterminatè anathematizare præfati Deo amiciſſimi & ſanctiſſimi Epiſcopi* Neſtorii *doctrinam, idem eſt anathematizare pietatem.* Lectâ Epiſtolâ Andreas nunciat Alexandro, rectum ſibi videri, conſtituendæ paci *συγκατάβασιν* adhibendam. Impiam Cyrilli propoſitionem fugiendam eſſe: qui & duos Filios dicunt, & Chriſtum purum hominem anathemate feriendos: diſpenſatione tamen nonnullâ amplectendam eſſe concordiam, cùm ſuâ pertinaciâ nil agant, niſi ut Orthodoxi pellantur Eccleſiis, pietaſque pereat funditùs. Pacem ſuadenti ferventer obſtitit Alexander, qui pacem non iſtam eſſe, verùm impiam cenſuit cum Cyrillo ſocietatem.

ANNO DOM. 432.

Lup. Syll. c. 57.

Lup. Syll. c. 58.

Lup. Syll. c. 61.

Lup. Syll. c. 63.

Pauli ad Cyrillum Legatio.

XV. Joannem Antiochenum tot jurgiorum tædebat. Dulce pacis nomen erat, & res ipſa dulcior, quam & firmatam Princeps volebat. Jam mulctæ irrogabantur Epiſcopis, damnatuſque fuerat Archelaus *ad octo millia ſolidorum ab Auguſtino Seleucia.* Itaque Joannes Theodoſio ſcribit: *Propter illa ipſius Capitula fidem meam Cyrillo dirigam, quam ſi ſuſcipiens ſubſcripſerit, communicabo ei, alioqui pacificus cum eo eſſe non potero.* Ut promiſſi munus Joannes impleret, ad Cyrillum legationem mittere voluit. Cui gerendæ provinciæ *Paulum* Emeſenum arbitratur idoneum. Hoc conſilii cum Alexandro communicatum voluit, quem honeſtiſſimis literis adit, licet ille Epiſtolam acerbius perſtrinxiſſet: *Hoc unum*, inquit, *ut placeat quæſo, quia iter Domini mei religioſiſſimi & communis noſtri fratris Pauli Epiſcopi non ſit ſuperfluum, ſed utile & neceſſarium. Veriſimile eſt enim euntem ipſum obtinere aliquid, quod non diſcrepet à noſtra ſententia. Propoſitiones enim meas illas decem, quas communiter compoſuimus, portans receſſit.* Neque labori pepercit Joannes, ut conſilium ſuum fauſtum exitum ſortiretur. Quippe ad conveniendum Acacium, licet non ſatis firmæ valetudinis eſſet, iter ſuſcipere voluit. Quod & ipſi gratulatur Dorotheus Mœſiæ Metropolitanus: *Debili corpore ad Deo amiciſſimum iter aſſumpſiſtis Acacium, & per eum Deo amiciſſimum Comminiſtrum noſtrum Emeſenorum civitatis Epiſcopum Paulum* direxiſti. Gerebat Paulus Joannis ad Cyrillum Epiſtolam, concordiæ notis inſignem: *Diviſio* (verba ſunt Joannis)

Liber. c. 8.

Lup. Syll. c. 77.

Lup. Syll. c. 78.

ANNO DOM. 432.

nis) quæ contra te, amiciſſime frater, in tempore facta eſt, pro veritate magis, non pro re aliqua corporali, nec inimicitiis, vel puſillanimitate provenit. . . . Accepi diſcordiæ cauſam, illorum capitulorum tranſmiſſionem, quæ utinam nunquam fuiſſet effecta. Credere *enim mihi tua à Deo amabilitas debet, quia in tantum nos ſtuporem miſerunt, ut nec putaremus tua hæc eſſe, inter ipſa principia, ſed alicujus eorum, qui non illa, quæ noſtra ſunt, id eſt Eccleſiæ ſapiunt. Et ſpem verò adhuc nobis præſtant perfectæ ſanationis ea, quæ nuper à te, Deo colendiſſime, ſcripta ſunt. Quæ directa quidem ſunt ad Dominum meum Deo amiciſſimum, & communem patrem Acacium.* Subjungit, ea non multo indigere additamento, quod & poſt pacem conſtitutam ipſe pollicitus eſt. Gaudio delibutos Orientales eſſe, quòd Athanaſii ad Epictetum Epiſtolam comprobaverit: exundantibus ubique locorum anathematiſmis finem imponendum eſſe, animoſque in dubio pendentes, quoque ſe vertant ignorantes, conglutinandos eſſe. Joannis hæc Epiſtola Cyrillum malè habuit. Ac principio quidem illam non ſine indignatione recuſabat, quòd qui præteritorum veniam petere debebant, illi novas contumelias facerent. Ut verò Paulus non quo Cyrillum injuriâ affectum vellent, eo ſcripſiſſe, ſed puro ſimplicique pectore ea protuliſſe, jurando affirmavit, concordiæ cauſâ Epiſtolam accepit. Verùm ad ſynaxim non Paulum admiſit, quin dato primùm Libello, & Neſtorii dogmata anathemate feriret, & pro abdicato eum haberet, & Maximiani ordinationi aſſentiretur. Hæc ubi facta ſunt, petiit Paulus, ut quod nomine Orientalium omnium ſubſcripſerat, ratum firmumque haberetur. Hoc verò prorſus renuit Cyrillus, qui miſſo ad Ariſtolaum ſcripto ſignificat, tum demum reddendam Orientalibus communionem eſſe, ſi Joannes ſubſignaret. Quas Orientales moras nectebant, illæ nec Ariſtolao placebant. Inſtabat Paulus, Helladium Tarſenſem, Eutherium Thyanenſem, Himerium Nicomedienſem, Dorotheum Marcianopolitanum reſtituendos eſſe, quæ adverſus eos decreta fuerant abroganda: ad exitum pacem perduci non poſſe, niſi hæc concederentur. Illa verò ſunt à Cyrillo præciſè negata. Hæc Cyrilli ipſius teſtimonio probentur, ad Donatum Nicopolis in V. Epiro Epiſcopum ſcribentis: *Scitat & hoc quoque tua ſanctitas, religioſiſſimum pientiſſimumque Epiſcopum Paulum initio plurimum tuſtitiſſe Helladis, Eutherii, Himerii & Dorothei depoſitorum cauſâ, enixèque rogaſſe, ut quæ contra ipſos decreta erant, abrogarentur. Ego verò reſpondebam, rem ipſum impoſſibilem conari.*

Lup. Syll. c. 80.

Lab. Conc. 2.3. 1153.

Joannis ad Cyrillum Confeſſionem Paulus defert.

XVI. Ut ad exitum optatæ pacis negotium perduceretur, ex Diaconis ſuis duos Cyrillus miſit, cum Ariſtolao Tribuno, & Paulo Emeſeno, afferentes Joanni, Orientalibuſque Confeſſionem, concordiæ leges continentem, quibus ſi ſubſcriberent, communionis litteræ redderentur. Extat ea de re ad Theognoſtum, Charmoſynum Presbyteros, & Leontium Diaconum Cyrilli Epiſtola. Quo & monemur, ab Ariſtolao promiſſum, ſe recto curſu Conſtantinopolim petiturum, ut Theodoſium doceret, paci nil moræ afferri à Cyrillo, ſed per unum Joannem ſtare, quominus concordia reſarciretur. Reſponſionem cùm nonnihil Joannes diſtuliſſet, in metu Cyrillus erat, ne Orientales communicatorias literas prius accepiſſent, quàm de damnando Neſtorio propoſitæ conditioni ſatisfeciſſent. Epiphanius ergo Cyrilli Archidiaconus Maximianum Conſtantinopolitanum literis urget ſuis, ut tanto negotio manus ultima imponeretur, Princepſque Joanni damnandi Neſtorii onus injungeret. Imperatoris tamen mandato nil opus fuit. Quippe Joannes congregatis Epiſcopis, Paulum remittit Cyrillo, cum Epiſtola, cui fidei Confeſſio inſerebatur, *concorditer edita*, quæ ſic habet: *Confitemur, Dominum noſtrum J. Chriſtum unigenitum Dei Filium eſſe, Deum perfectum, & hominem perfectum, ex anima rationis compote, & corpore conſtitutum. Ante ſecula quidem ex Patre ſecundum Divinitatem genitum, poſtremis verò temporibus eundem ipſum propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine, ſecundum humanitatem natum. Eundem Patri Conſubſtantialem, ſecundum Divinitatem, nobis item Coeſſentialem ſecundum humanitatem. Siquidem naturarum facta eſt unio. Quo fit ut, unum Chriſtum, unum Filium, unum Dominum confiteamur, & ſecundum hunc inconfuſæ unitatis intellectum Sanctam Virginem Deiparam eſſe profitemur, propterea quòd Deus Verbum ex ipſa conceptum & incarnatum, & homo factum eſt, Templumque ex illa ſumptum ſibi conjunxerit. Ad Evangelicas porro Apoſtolicaſque de Domino voces quod attinet, ſcimus graves Theologos, alias quidem tanquam ad unam perſonam pertinentes, promiſcuè accipere, alias verò propter naturarum diverſitatem diviſim uſurpare: & alias quidem, utpote illas, quæ in Divinitatem conveniunt, ad Chriſti Divinitatem, alias verò, nempe humiles, ad ejuſdem humanitatem referre ſolere.* Hæc Orientalium fides fuit, quâ teſtantur, quam vocant *idiomatum communicationem*, eam pro reprobabili quidem, non vero neceſſaria ſibi haberi. Satiſque ad pietatem fuiſſe, ſi Chriſtus perſona duabus naturis inconfuſis conſtans crederetur & prædicaretur. Qua de re litem Orientalibus nullam moveri Cyrillus voluit. Expoſitâ fide, Joannes & Neſtorium pro exautorato habuit, & profanas ipſius novitates anathemate feriit. Maximianum quoque legitimum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Pontificem agnovit. Neque Cyrillum duntaxat, ſed Sixtum quoque urbis Epiſcopum Joannes Epiſtolâ adiit, quâ hæc nunciabat: *Placuit & nobis in ſacra Synodi ſententia, qua Neſtorium depoſuit, acquieſcere.* Electioni quoque Maximiani conſenſum præbuit.

Conc. Eph. p. 3. c. 30. Inſtitiatur & Liberati Breviarium c. 8.

Cyrilli cum Joanne Pauli interventu communio reſtituitur. Pauli ſermo.

XVII. Ubi Joannis Epiſtolam legit Cyrillus, nullam tarditatem moramque attulit concordiæ. Quin etiam Natalis Dominici feſto *Paulo* Emeſeno concionandi munus conceſſit. Orationem itaque habuit, cujus eſt exordium: *Opportunè nobis hodie religionem veſtram adhortari datum eſt, ut ſacrum quendam chorum conſtituamus, & cum Sanctis Angelis exclamemus, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nam hodie nobis parvulus natus eſt.* Dum proſequitur orationem, Virginem *Deiparæ* afficit titulo: *Peperit itaque Deipara Emmanuelem.* Hîc populus præ lætitia dicentem obturbat clamoribus: *Ecce fides eadem eſt, donum Dei, Cyrille orthodoxe, hoc audire cupiebamus, qui non ita loquitur, anathema ſit.* Dum Pauli longius procedit oratio, duas in una Chriſti perſona naturas profeſſus, novum & clamorem, & gaudium excitat: *Rectè veniſti, orthodoxe Epiſcope, dignus ad dignum: Chriſtiani dicunt donum Dei, Cyrille orthodoxe.* Cùm autem magna populi frequen-

Lup. Syll. c. 85.

tia veniſſet, imperfectam Paulus orationem relinquere coactus eſt. Quam paucis poſt diebus reſumpſit. Populum ergo ſic alloquitur: *Nuper ad dilectionem veſtram cuxim differentes, propter fratrum noſtrorum frequentiam, locique anguſtiam ante abſolutum ſermonem ſuggeſtum deſerere compulſi ſumus. At quamvis ſemel repulſi, age idem certamen denuò tentemus.* Ubi verò Cyrillo blandiens Paulus, ſibi ornanti illum arridere dixit, nutibus ſuis quæ pronuntiabantur probantem. Hæc patulis avidiſque auribus plebs excipiens, exclamat: *Hoc Dei donum eſt, Cyrille, omnes reddidiſti tui ſimiles, dignus digno conjungitur. Populus tuus dixit, Epiſcoporum Patrem ſerva, Domine; benè veniſti, Epiſcope Orthodoxe, orbis terrarum Paſtor. Qui ſic credit diligitur: magna doctrina, magnus quoque encomiaſtes. Paulus Epiſcopus dixit, Redeamus itaque ad Deiparam Mariam & Emmanuelem.* Cyrillus verò brevi concione, quæ Paulus locutus erat, prorſus comprobavit.

Conc. Eph. p. 3. c. 31.

Concionis hujus fragmentum Facundus exhibet Hermianus: *Beatus Propheta Eſaias prædicans ſuaviloquia futurorum in Chriſto Magiſtrorum, dicit, Haurite aquas cum lætitia de fontibus Salvatoris. Ecce igitur aquam de ſancto fonte, dico autem de Magiſtro prædicante, qui Sancti Spiritus epulis illuſtratus, diſſerit nobis magnum & ſacrum Salvatoris myſterium.* Atque hic Baronium in errore deprehendimus: *Veſpere,* inquit, *ejus diei, rurſus in eodem conventu Eccleſiaſtico Paulus inchoatam mane proſequitur orationem.* Atqui primam Pauli concionem inter & ſecundam, interjectum eſt octiduum. Baronium quidem potentiſſimè refellit titulus ſecundæ Pauli concioni affixus: *Ejuſdem Pauli homilia in magna Alexandria Eccleſia Tibi, ſextâ die.* Hîc porro urgemur anguſtiis. Quippe circiter ſexennio antequam prima concio Pauli haberetur, Natale Domini Januarii VI. aſſigebatur, teſte Caſſiano Collat. 10. c. 2. Itaque Baronio hîc aqua hæret: *Dicendum,* inquit, *vel titulum eſſe mendoſum, vel Ægypti Eccleſiam uſum priſtinum reliquiſſe.* Nos indubitanter aſſirmamus, à priſca conſuetudine Ægyptios deflexiſſe, ut ex titulis Pauli ſermonibus affixis, apertè liquet. Quod etiam conſtat teſtimonio Liberati, Paulinum ſermonem primæ feriæ aſſigentis: *Paulus Dominico die fecit ſermonem in populo, præſente Cyrillo.* Eſt autem certiſſimum, Natali Feſto ſermonem eſſe recitatum: *Hodie puerulus nobis natus eſt.*

Fac. l. 1. c. 3.

Lab. Conc. t. 3. c. 32.

Lab. Conc. t. 3. c. 32. 1097.

Bar. An. 432. n. 75.

Liber. c. 8.

XVIII. Vix Paulus orationem abſolverat, cùm Cyrillus eodem tempore laudatâ plurimum Joannis Epiſtolâ hæc ad verbum ſcripſit: *Lætentur Cæli & exultet terra. Dirutus enim eſt paries intergerinus. Sedata eſt querela, omniſque occaſio diſſidii ſublata. Quippe cum Servator omnium noſtrum Jeſus Chriſtus Eccleſiis ſuis pacem reddiderit, & religioſiſſimi Deoque chariſſimi Imperatores ad idem ipſum nos provocarint. . . . Cum igitur Dominus meus religioſiſſimus frater & Comminiſter Paulus Alexandriam veniſſet, gaudio repleti ſumus, idque jure optimo, quod talis tantuſque nuncius acceſſiſſet, & labores, qui humanas ſuperant vires, ſuâ ſponte ſubire voluiſſet, eo conſilio, ut Diaboli invidiam vinceret & diviſa conjungeret & remotis utrimque offenſionibus, noſtras ſimul ac veſtras Eccleſias concordia & pace coronaret. . . . Iſtam porro Eccleſiæ diſſenſionem inanem prorſus & levi de cauſa ſuſceptam fuiſſe, plane nobis perſuaſum fuit, poſtquam Dominus meus religioſiſſimus Paulus Epiſcopus Epiſtolam attulit, quæ inculpatam fidei confeſſionem continebat, aſſirmans eam cùm à tua ſanctitate, tum religioſiſſimis qui illic ſunt Epiſcopis, conſcriptam fuiſſe. Sic autem habet illa fidei expoſitio.* Quo firmioribus vinculis inſtaurata pax colligaretur, de ſe ſuſpicionem Cyrillum omnem removeri voluit. Quantum verò ab erroribus Apollinariſtarum abeſſet, his oſtenſum ivit: *Si ſanctiſſimum noſtri Salvatoris corpus, non ex Virgine natum, ſed de Cælo allatum aſſerimus, quomodo poterit illa Deipara, quod prædicamus, intelligenda.* Ad calcem verò Epiſtolæ habet obſervatu digna: *Quia verò didicimus, quoſdam orthodoxam præclariſſimi Patris noſtri Athanaſii Epiſtolam, quam ad B. Epictetum ſcripſit, adulteratam depravatamque edidiſſe, multoſque graviter hinc lædi, rati hoc utile, & ſalutare fratribus fore, ex vetuſtis exemplaribus, quæ ſincera & incorrupta apud nos extant, tranſcripta ad ſanctitatem tuam miſimus.* Sic quæ erat excuſſa orbi Chriſtiano concordia, reddita eſt.

Cyrilli de ſua cum Joanne conjunctione Epiſtola.

Evagr. l. 5. c. 6. Imperator & Liberatus c. 8.

Conc. Eph. p. 3. c. 31.

XIX. Conſtituendæ paci cùm quas Theodoſius imploraverat Simeonis Stylitæ preces, illæ auxilio fuerint, de percelebri Aſceta pauca ſubjiciamus. Natus erat Simeon in vico, qui Euphrateſiam inter & Ciliciam ſitus eſt, nomine *Seſan,* vel *Suſan.* Ac primùm paſtoritiam agere vitam à parentibus docebatur. Cùm oves ſuas die quodam coëgiſſet in caulis, ad Eccleſiam ſe contulit. Audita voce Evangelicâ, quæ lugentes beatos prædicat, lætantes verò miſeros, ex iis qui aderant quempiam interrogat, quid ſibi faciendum, ut benè eſſet, propoſitamque felicitatem adipiſceretur. Cui reſponſum, vitam ſolitariam veræ ſapientiæ cumulum eſſe; ac ſummi boni conſequendi viam. Quibus auditis, ſubinde in proximam Martyrum ædem pergit. Ibi diu moratus, dulci ſomno corripitur. Quo dum perfruitur, jucundiſſimo ſomnio uſus eſt. Videre ſibi videbatur, fundamenta fodere: quieſcenti ter quaterque dictum eſt, foſſam facere profundiorem. Ubi mandanti paruit, audit altitudinem ſufficere. Juſſus eſt deinde ædificationem inſtituere, quæ circa laborem fuit. Experrefactus ad vicum *Teledam* pergens, Heliodori in Monaſterio domicilium conſtituit. Ac jejunia mirâ quâdam ratione celebrare ſibi propoſuit. Totam quippe hebdomadam jejunus permanebat, ægrè ferentibus Præſidibus, quòd conſtitutum ordinem violaret. Contextum ex palmis funem pelli admotum, tam arctè ſibi alligavit, ut ulcus naſceretur. Tranſactis diebus plus decem, incrudeſcente vulnere ſanguis manabat. Tum ſocius ejus per vim immiſſâ manu, cruoris cauſam didicit. Re Præfecto nunciatâ, ille objurgato vix vinculum ſolvit. Cui nec perſuadere potuit, ut vulneri remedium adhiberet. Ob hæc pulſus Monaſterio Simeon, in lacum aquâ vacuum ſe demiſit, hymnis Deum jugiter celebrans. In eo ſtatu à duobus Monachis, quos Præfecti pœnitentiâ ducti, ad illum quærendum miſerant, repertus non ſine labore funibus extrahitur. Cùm in eo Monaſterio novem, ut habet Evagrius, vel ut Theodoritus refert, annos decem tranſegiſſet, in vicum Telaneſſum venit, ubi ſe in parva domuncula triennio incluſit. Ac tum ſibi in mentem induxit, Chriſtum jejunantem imitari. Quadraginta ergo dies cibi expertem agebat. Primis diebus ſtando Deum laudabat; deinde fractus inediâ, ſedebat divino officio peragendo, poſtremis diebus ſemi-mortuus jacere cogebatur.

Simeon Stylita: vitæ ejus breviarium.

Domun-

ANNO DOM. 432.

Theodorit. Hiſt. Patrum c. 36.

Domunculâ egreſſus, in ipſo montis vertice ferreâ catenâ viginti cubitos longâ rupi ſe alligavit. Meletio tamen Antiocheno Epiſcopo id ferri ſupervacaneum eſſe monenti paruit, ſolvitque vinculum. Ut & in parvis ad majora ſe exerceret, cimicum, quos facilè interimere poterat, morſus patienter tolerabat. Quadraginta ſeptem annos in Mandra vixit, decem in angiportu, quibus tres jam memorati includi debent, in brevioribus verò columnis ſeptem, triginta autem annos in columna quadraginta cubitorum laborioſo certamine perfunctus eſt. Cujus domicilii ambitus vix duorum erat cubitorum. Solitudinis incolæ adeò quæſitum miſerunt, cur viam jam tritam & Sanctorum veſtigiis impreſſam relinquens, aliam ipſe novam, nullique mortalium adhuc cognitam inivisſet. Simul juſſerunt ut deſcenderet. Tum Simeon confeſtim alterum pedum demiſit, ut præceptis Patrum obtemperaret. Quem tamen inceperat curſum, tenere permiſſus, his verbis: *Fortis eſto, & viriliter age; ſtatio tua à Deo eſt.* Ad hunc *Columellam Domnus* acceſſit Antiochenus: & cùm unà conveniſſent, Euchariſtiæ ſacrificio perpetrato, communionem ſibi mutuò impertierunt. Porro ſi Simeonem ſcripto Theodoſius odit, ut ad extinguendos tumultus Neſtorii cauſâ excitatos preces funderet; viciſſim Simeon occaſionem habuit ſcribendi Theodoſio. Quem Judæis ademeant Chriſtiani Synagogam, Principes reſtitui juſſerat. Qua de re acriter oculeosis literis à Simeone eſt objurgatus. Revocatâ juſſione, Theodoſius cuncta in gratiam Chriſtianorum fecit, & Præfecto Prætorio, qui hæc ipſi ſuggeſſerat, poteſtatem abrogavit, *Petiitque nominatim à ſanctiſſimo atque aerio Martyre, ut pro ipſo Deum precaretur, ſuamque ipſi benedictionem impertiret.* In ſuo exercitatione Simeon ſex & quinquaginta annos vixit, mortalitatemque exuit imperante Leone, qua de re ſuſius ad annum CCCCLXIV. diſſeremus.

ANNO DOM. 433.

ANNO U.C. 1186. OLYMP. 303. PER. JUL. 5146. JUL. 478. DOM. 433. THEODOS. 32. & 26. VALENTIN. 8. & 9. *Sol.* 22. A. *Lun.* 16. *Indict.* 1. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 7. P. 25. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Aug.* XIV. & *Maximus.*

Conſtantinopolitanum incendium.

I. GRavem urbi Conſtantinopolitanæ cladem ignis attulit. Maximo pars regiæ civitatis eo incendio conflagravit, adeò ut horrea etiam maxima, & thermæ, quæ dicuntur Achilleæ, funditùs perierint. Ignis cuncta depaſcens, tandem ad ipſam Novatianorum Eccleſiam, quæ juxta Pelorgum ſita eſt, acceſſit. Quam cùm ipſorum Epiſcopus Paulus periclitari cerneret, ad altare proſiliens, cuſtodiam Eccleſiæ Deo commendavit, continuis precibus, quas & pro urbe, & pro Eccleſia fudit. Neque deſpectui fuere. Ignis enim, quomvis per januas feneſtraſque omnes irrumperet, damni nil intulit. Ipſam Eccleſiam in medio flammarum cernere licebat de incendio triumphantem, dum vicina loca penitùs abſumebantur, nec fumi quidem veſtigium in lignis ejus & parietibus apparebat. Id accidit die XVI. Kal. Septembres. Ex eo tempore Novatiani ſervatæ Eccleſiæ ſuæ memoriam celebrant quotannis, Auguſti die XVII. Duos dies totidemque noctes duravit incendium, tertioque extinctum, ut ex Proſperi Chronico intelligitur: *Maxima regia urbis pars Septentrionalis per tres dies continuos incenſa collapſaque eſt menſe Auguſto.* Hoc ingens incendium incepit à Navali.

Socrat. l. 7. c. 39.

ANNO DOM. 433.

Synodus Antiochena Joannis cum Cyrillo communionem probat.

II. At Orientis Eccleſiæ diviſionis flammâ etiamnum corripiebantur, quam Joannis Cyrillique redintegrata communio non prorſus extinxerat. Iter jam carpſerat Paulus, Ægypto relictâ, cùm accepto nuncio Antiochienſium confeſſionem à Cyrillo comprobatam eſſe, id præcipuè deſtinato Legato Joannes Theodorito ſignificatum voluit. Ut autem ex Ægypto rediit Paulus, Synodum cogit Joannes, teſte Liberato: Aſcendens Antiochiam *Paulus obtulit Joanni Archiepiſcopo, & omni Concilio Epiſtolam Cyrilli. Qui ut cognoverunt eum ſuſcepiſſe fidem à ſe directam, & in ejus ſubſcripſiſſe confirmationem, pacem cum eo, & ejus fecerunt Concilio, damnantes Neſtorium, & ſuſcipientes Maximianum, qui pro illo factus fuerat Epiſcopus, dubitantibus adhuc ex eis aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum erraſſe, & poſteà veritatem agnoviſſe, & culpantibus Joannem cur ab eo non expetierit capitulorum ejus damnationem.* Cùm in portu navigaret Joannes, de facta pace Epiſtolam ad Orientis Epiſcopos omnes direxit: *Concurrimus nos & Dominus meus Deo amiciſſimus Cyrillus, unam & eandem fidem ſecundum veram Evangeliorum regulam conſervantes. Nihil enim medium, neque dubietate dignum in his, quæ ad nos de fide per Epiſtolam ſcripſit, expoſuit, ſed omnia clarè atque apertè, ſecundum noſtras propoſitiones, ſatisfactioni ſuæ, quam nobis direxit, intexuit. Facta eſt igitur propitiante Deo, per hæc una communio & concordia omnium totius orbis Eccleſiarum . . . Quæ enim nos dictavimus, quædam quidem in Epheſo de recta fide componentes, quædam verò hic, id eſt, in Antiochia, tractatu inter nos habito, hæc non ſolùm ſuſcepit Cyrillus ſanctiſſimus, ſed & præveniendo laudavit, voces noſtras ſacratiſſimas nominans.* Teſtatur etiam duas in una Chriſti perſona naturas à Cyrillo prædicari, qui & ab *immundi atque polluti Apollinarii impia* hæreſi, quâ infamatus erat, prorſus alienum ſe præbuit. Theodoſio quoque per Ariſtolaum Joannes ſcripſit, conſtitutam eſſe pacem, damnatum Neſtorium, ratam Maximiani ordinationem, ut verò tam lætæ pacis gaudio orbis impleretur rogat, & Epiſcopis, qui ob has turbas expulſi fuerant, Eccleſias ſuas reddi.

Liber. c. 8.

Lup. Syll. c. 2.

Synodus Anabarzitana damnat & Cyrillum, & eos qui cum eo communicabant.

III. Verùm enimverò qui vel ſuis affectibus inſerviebant, vel Neſtorio injuriam inferri exiſtimabant, hoc Joannis Cyrillique fœdus improbarunt. Quam in ſua ad Cyrillum Epiſtola vocem *Deipara* Joannes adhibuerat, ea Hieropolitano Epiſcopo hæreſeos arx & munimentum videbatur. Quod cùm Theodorito ſignificaſſet, reſpondit Theodoritus, ſe ſententiæ eſſe ejuſmodi, ut vel Hierapolim, vel Zeugma Epiſcopi conveniant, ut de iis, quæ agenda eſſent, deliberatio inſtitueretur. Alexandro Euphrateſiæ Metropolitano ad conventum *Zeugma* eligi placuit, quo ſe contulit Theodoritus, qui ut eò maturet adventum, Alexandrum enixè rogat. Teſtatur etiam, ſe nullis adduci machinis poſſe, ut Neſtorio diceret Anathema: *Anathematizaverunt dogma Domini mei ſanctiſſimi & Deo amiciſſimi Neſtorii. Neque ego his, qui hoc fecerunt, communicabo.* Cilices quoque pacem moleſtiſſimè tulerant. Collegerunt itaque Synodum Anabarzi, cujus hæc ſententia eſt: *Quoniam nunc convenientes in Anabarzo Metropoli propter*

Lup. Syll. c. 99 96.

Lup. Syll. c. 144.

ANNO DOM. 433.

tec Eccleſiaſticas curas agnovimus, quod nonnulli præter illa, quæ tunc in commune placuerunt, non ejecta Cyrilli capitula, ab eoque ea, quæ expoſuit admittentes, in communionem receperunt eundem Cyrillum, placuit convenientibus nobis, ut Cyrillum quidem ſic habeamus, ut habuimus & ante damnatum. Eos verò, qui eum receperunt in communionem, non reſpuentem per propriam communionem, hæretica quæ expoſuit capitula, eſſe nobis à communione alienos, donec ea quæ pridem communiter placuerunt, aſſectum mancipentur, & anathematizet Cyrillus impia capitula ſua, permaneat verò in fide trecentorum & decem & octo, qui Nicææ convenerunt, neque adjiciens ea, neque auferens aliquid. Eutherius quoque Thyanenſis, & Helladius Tarſenſis de Joannis & Cyrilli fœdere aculeatam Sixto Pontifici Epiſtolam ſcripſere. In ea fusè exponunt, quæ in rebus Neſtorii Joannes geſſerit: Cyrillum & Memnonem damnationi ſubjecerit, communi Decreto Epiſcoporum, & XXII. Metropolitanorum. Subjungunt: *Etſi blaſphema illa capitula Cyrillus abjecerit, eum ne tunc quidem ſuſcipere per ſacramenta promiſimus, eò quòd princeps ipſe factus ſit iniquæ hæreſis. . . . Abominamur nos Cyrilli capitula, & quæſumus universos, ut ſe ab inſita illius malignitate cuſtodiant.* Invehuntur in Joannem, quòd & cum Cyrillo communicarit, & Neſtorium damnatione perſtrinxerit. Humillimis denique verbis Sixtum compellant, ut rogantibus manum adjutricem porrigat: *Sanctis*, inquiunt, *tuæ religioſitatis pedibus provolvimur, ut auferat mundi naufragium . . . Concurriſſemus ad ſanctitatem tuam nos, qui è diverſis regionibus ſumus, id eſt, ex Euphrateſia, ex utraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Mœſia, ut fontes effunderemus lachrymarum, deſleremus peregrina & inſueta hujus vitæ mala, niſi detineret nos luporum terror inſidiantium gregibus ad rapinam & errorem, & omnem adverſitatem. Unde coacti ſumus, noſtrâ vice dirigere religioſiſſimos Clericos & Monachos, qui impleant locum noſtrum.*

Lup. Syl. c. 117.

Multis Cyrilli cum Joanne conjunctio diſplicuit.

Liber. c. 8.

VI. Sed nec culpæ notam effugere Cyrillus potuit. Audiatur Liberatus: *Ex altera autem parte quidam de palatio per Eulogium Presbyterum & Apocriſiarium Alexandrinæ Eccleſiæ, culpaverunt Cyrillum, cur ſuſceperit ab Epiſcopis duarum conſenſionem naturarum, quod Neſtorius dixit & docuit. Sed & Valeriano Iconii, & Acacio Melitinenſi Epiſcopo hoc ipſum de Cyrillo videbatur.* Qua de cauſa varias ad vituperatores Epiſtolas ſcripſit. Incidit & Iſidoro Peluſiotæ opinio hæc, quòd à recti tramite deflexiſſet Cyrillus, quem ut ſe virum præſtaret, diligentiſſimè hortatur: *Te oportet, vir admirande, firmum atque conſtantem ſemper manere. Sic nempe ut nec metu cœleſtia prodas, nec tecum ipſe pugnare videaris. Nam ſi ea, quæ nunc abs te ſcripta ſunt, cum ſuperioribus perpendas, aut adulationi obnoxius eſſe videberis, aut levitatis miniſter.* Eccleſiarum tamen pacem adjuvit atque ædificationem ea, quam Cyrillus Capitulis dedit ſuis, explicatio: *Evoptius* (verba ſunt Liberati) *Ptolemaidis Pentapoleos regionis Epiſcopus, accipiens exemplar literarum Theodoriti, quas ſcripſerat contra duodecim capitula Cyrilli, direxit illud Cyrillo, ut reſponderet ad ea, & ſua Capitula exponeret. Quod gratiſſimè ſuſcipiens Cyrillus, fecit expoſitionem Capitulorum ſuorum, & ad interpretationem duodecim addens expoſitiones, quo videretur plenam pro eis reddere rationem. Itaque Cyrillo ſuſcipiente, & defendente fidem Orientalium Epiſcoporum, & ſua Capitula exponente, pax & unitas Eccleſiis reddita eſt.*

Iſid. l. 1. Ep. 324.

Liber. c. 9.

ANNO DOM. 433.

Sixti ad Joannem Cyrillumque Epiſtolæ.

V. Ut de pace conſtituta lætum Sixtus nuncium accepit; literas & Cyrillo, & Joanni direxit XV. *Kal. Octobris.* In illa, quæ ad Cyrillum miſſa eſt, excuſationem Joannis parat innocentiæ: *Non ſe exuli veſtro ſanctus frater noſter Joannes addiderat, non ejus blaſphemâ prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit.* Gaudet etiam, quòd honorificis Joannem titulis Cyrillus affecerit: *Antiochenæ Eccleſiæ Sacerdotem vocari à ſanctitate tua, jam nunc venerabilem virum & Dominum gaudeamus, & meritò vocatur Dominus, qui communem Dominum recognovit, qui Incarnationis ejus vocē Catholicâ nobiſcum myſterium confitetur.* Monet denique Cyrillum, quæ gravia paſſus erat, ipſi in gloriam cedere: *Paſſus eſt falſitatem, ut victricem faceret veritatem, & ideò nunc inſultandum eſt falſitati, quia nullus perire potuit veritati.* Joanni verò teſtatur, univerſam fraternitatem, quæ ad ſui natalis convenerat diem, *qualiter bono humani generis Apoſtolica Sedis ſe Præſide gratulentur.* Neſtorium dicit Luciferum illum eſſe, *de quo ſcriptum, Cecidit Lucifer.* Expertum eſſe Joanneos negotii præſentis adventu, quid ſit ſentire cum Pontificibus Rom. B. Petrum Apoſtolum in ſucceſſoribus ſuis, quod accepit, hoc tradidiſſe.

Romana Synodus de Sixto à Baſſi calumniis abſolvendo ſubdita.

VI. Si Pontificali fides, graviſſimi Sixtus ſceleris accuſatur. Res fuſiſſimè narratur in Actis Romani Concilii, ea de cauſa celebrati, quæ Baronius exhibuit, quorum ſumma hæc eſt. Creſcentius Eccleſiam prædiorum ſuorum hæredem inſtituerat. Ex poſſeſſionibus unum erat in Sicilia Argianum, quod *præſtabat ſolidos ſeptingentos.* Quod cùm ab *Octavio*, Mariniani ſervo laudaretur ob bonitatem, Marinianus ſibi à Sixto concedi voluit, quod à Pontifice negatum, ne pauperibus injuria fieret. Hinc paratus Sixto adverſarius. Sed & Baſſo Exconſuli odii cauſam præbuit. Baſſi in domo nutritus fuerat puer ingenuus, nomine *Epiphanius*, qui conventum Sixtum orat, ut *ingenuitas ejus ſervaretur per Eccleſiam.* Id cùm à Baſſo Sixtus precibus impetratum vellet, exarſit ipſius ira, adeò ut poſtridie homines mitteret, qui Epiphanii prædia invaderent. Tum Marinianus aditum monet Baſſum, ſe à Petro Sixti ſervo audiiſſe, *quòd conſecratam ſtupraſſet.* Cujus criminis Baſſus Marinianuſque poſtulant Sixtum. Teſtes criminis probationemque reus adduci jubet. Quod cùm Valentiniano Auguſto placuiſſet, Senatus urbis, Presbyteri, Monachique in Baſilica Heleniana congregantur. Ibi Princeps *dedit in arbitrio Sixti Epiſcopi, judicare judicium ſuum.* Altâ die facto Concilio, Baſſus Marinianuſque damnantur VI. Kal. Sept. Ut damnationis pœnâ Baſſus liberaretur, prædia ſua, quæ opima erant optimaque, Eccleſiæ reliquit omnia. Marinianus quoque calumniæ ſuæ veniam orat. Qui morte imminente communioni reſtituuntur. Hujus & accuſationis mentio eſt & in Sixti ad Orientales Epiſtola, & in Pontificali. Quin tamen falſiſſima ſint Acta hæc, nulli dubitamus. Lutulenta fluunt atque ſordida: *Valentiniano & Anatolio viris clariſſimis Coſſ.* Datum eſt judicium anno CCCCXL. Auguſti XXVII. quo tempore Sixtus non amplius erat inter homines. Impoſto-

rem

ANNO DOM. 433.

Maximus quis? Reienſis Epiſcopus creatur.

rem & arguit viri clariſſimi titulus, quo Valentinianus Imperator afficitur.

VII. Maximus vir in Gallia percelebris Reienſem Narbonenſi in Gallia Epiſcopatum hoc anno ſortitus eſt. A prima ætate ſpectatæ virtutis erat: Diuque *ſub habitu ſeculi Chriſti militem geſſit*. Hujus vitæ pertæſus, aſceticam amplexus: *Lirinenſis Inſula ſedem, imò latebram petit*. Id & Eucherius docuit in ſua ad Hilarium Epiſtola, c. 42. *Lerinus nunc ſucceſſorem ejus* (Honorati) *tenet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit aſciri*. Honorato, qui ad Arelatenſem Epiſcopatum evectus fuerat, ſucceſſor datus, Lirinenſi Monaſterio præfuit anno CCCCXXVI. quod & ſeptennio adminiſtravit. Sermo Fauſti de Maximo: *Quaſi*, inquit, *annorum hebdomade tranſactâ (nam plenus ſeptem annis ibidem Chriſti gregem pavit,) Rachelem acquiſiturus præfertur inſula, præparatur Eccleſia*. Reienſem igitur Epiſcopatum adiit anno Dom. CCCCXXXIII. Quo inſigni loco portentoſa Baronii Chronologia abruitur, qui anno CCCCLXVI. Maximum Proſpero in Epiſcopatu Reienſi ſucceſſiſſe prædicat: *Poſt deceſſum S. Proſperi datus eſt Epiſcopus Sanctus Maximus, Abbas Monaſterii Lirinenſis*. Qui triginta trium annorum metachroniſmus eſt. Sed & illa Proſperi Epiſcopatus figmentum eſt, Veteribus incognitum, ut inferius declarabitur. Anno CCCCXXXIX. Concilio Reienſi primùm, deinde anno CCCCLXI. Arauſicano Maximus interfuit. Magnæ pietatis fuiſſe, teſtatur Fauſtus, ſermone in ipſius natali pronuntiato: *Aromata ſanctificationum & gratiarum ſuarum ſupra omnem hanc Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus effudit*. Ad annum uſque circiter CCCCLXII. Reienſem adminiſtravit Eccleſiam. Natale ejus Novembris XXVII. celebratur: *S. Maximi Epiſcopi & Confeſſoris, qui à prima ætate omni gratiâ virtutum præditus, primum Lirinenſis Cœnobii Pater, deinde Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſignis & prodigiis inclytus extitit*. Defuncto Fauſtus ſucceſſor ejus ſuo ſermone parentavit. Baronius quidem hanc *Eucherio* homeliam aſcribit notis in Martyrologium ad diem Novembris 27. At Baronii errorem meritò vexat cenſura Noriſii. Eucherius utique *non vixit ſub Maximo, apud Lerinam*: degebat in Leronis inſula. Sermonis verò Autor Maximi ſe diſcipulum profitetur: *Hujus ergo tanti & tam præclari, quæſo, ut nos ei diſcipulos meminerimus & filios*. Non perenni quidem indicio ea io Maximum funebris oratio Fauſto vindicatur: *Meritò*, inquit, *ſe vobis imponet beata illa inſula ex hoc uno, atque unico munere, licet multum erubeſcat ex altero*. Quæ modeſtiæ causâ unus Fauſtus uſurpat, cui & in Præfectura Lirinenſis Monaſterii, & in Epiſcopatu Reienſi Maximus proximè deceſſit.

B. M. P. t. 6. p. 654.

Error Baronii.

Bar. An. 466. n. 14.

B. M. P. t. 6. 655.

ANNO DOM. 434.

ANNO U. C. 1187. PER. JUL. 5147. JUL. 479. DOM. 434. THEODOS. 33. & 27. VALENTIN. 9. & 10. *Sol.* 23. G. *Lun.* 17. *Indict.* 2. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *April.*

COSS. *Ariovindus & Aſpar.*

Honoriæ ſtuprum.

Marcel. Chr.

I. FLagitium turpitudinis plenum & dedecoris, Valentiniani regiæ imprimitur. Quippe Honoria ſoror Imperatoris virtutis dignitatiſque ſuæ oblita, in ſtupro voluntario comperitur. Quæ res & in damnum imperii ceſſit: *Honoria Valentiniani Imperatoris ſoror ab Eugenio Procuratore ſuo ſtuprata concepit, palatioque expulſa, Theodoſio Principi de Italia tranſmiſſa, Attilanem contra Occidentalem Remp. concitabat*.

Frumentum Conſtantinopolitanis aſſignat Theodoſius.

C. Theod. l. 3. de Frum. urb.

II. At in Oriente ſublevandæ pauperum egeſtati Theodoſii pietas allaborabat. Multos ad inopiam redegerat regiæ urbis incendium, quod menſe Auguſto ſuperioris anni partem Conſtantinopolis non exiguam conſumpſerat. Ut penuriæ remedium afferret Imperator, ſexcentas & undecim auri libras annonæ perpetuum inſervituras addixit, geminâ pœnâ iis appoſitâ, qui de ſumma, quavis aut ſpecie, aut prætextu, vellent aliquid imminutum. Data Lex eſt v. Kal. Decembri Conſtantinopoli, *aneiſque tabulis inciſa*. Illud auri *mancipibus mutui nomine datum eſt*, ab iiſdem exceptâ omni conceſſione ſolvendum, hoc eſt, cum incremento poſtea aliquo reddendum.

Mors Maximiani, cui Proclus ſuccedit.

Lup. Syll. c. 150.

III. Res Eccleſiæ nunc expendamus. Maximianus cùm per biennium ac menſes quinque Eccleſiam pacatè adminiſtraſſet, fato functus eſt, pridie Idus Apriles quintâ feriâ, quæ Paſchatis feſtum proximè antecedit. In eligendo Epiſcopo, qui mortuo ſufficeretur, tumultus erat metuendus. Vigebat quippe multorum in pectore amor Neſtorii, quem repetebant. Vix enim vitâ migraverat Maximianus, cùm *coacervata multitudines in multis partibus civitatis Neſtorium publico clamore repoſcebant*. Cui prohibendo Theodoſius prudentiſſimè proſpexit. Itaque nondum depoſito Maximiani corpore, Epiſcopis qui aderant, mandat, ut abſque mora *Proclum* in Epiſcopali ſolio collocarent. In Proclum Conſtantinopolitani maximè propendebant, abdicatoque Neſtorio, ſucceſſor datus fuiſſet, ni Canonis interceſſiſſet autoritas, vetantis, ne is, qui Epiſcopus civitatis alicujus deſignatus fuerat, ad aliam transferretur. Cyzicenæ verò urbis Proclus à Siſinnio Antiſtes creatus, id muneris non adminiſtrarat, quia *Dalmatium* Cyziceni Epiſcopum ſibi conſtituerant. Canoni, qui Proclo opponebatur, nil virium eſſe, Cœleſtinus ipſe cenſuerat, literis Cyrillo Alexandriæ, Joanni Antiochiæ, Rufo Theſſalonicæ Epiſcopo miſſis, quibus docebatur: *Nil obſtare, quominus is, qui alicujus Eccleſiæ nominatus ſit, aut re ipſâ exiſtat Epiſcopus, ad aliam Eccleſiam transferatur*. Non hoc tamen anno, quod Socrates innuere videtur, ſcriptæ Cœleſtini literæ, utpote jam extincti. Eas Pontifex exaraverat, cùm abdicato Neſtorio ſucceſſor dari debuit. Proclus ergo Principi, Clero, populo gratus, ad regiæ urbis Epiſcopatum evehitur: qui ſubinde corpus *Maximiani* ſepulturæ tradit. Quis verò Proclus, eſt exponendum. Ab ineunte ætate Lectoris munus exercuerat: Rhetoricæ quoque dederat operam. Ut virilem eſt ætatem ingreſſus Atticus, quocum aſſiduè verſabatur, eum ſibi Notarium aſciſcit, quem & cùm magnos jam progreſſus feciſſet, ad Diaconi gradum evexit. Exinde Presbyterii ad honorem promotus, à Siſinnio Cyzici Epiſcopus deſignatus fuerat. Vir erat optimis moribus, ſi quiſquam alius præditus, qui educatoris ſui Attici virtutes ſtudioſè omnes imitabatur. Patientiam verò magis etiam quàm Atticus excoluit, qui interdum terribilem Hæreticis ſe præbuerat, cùm Proclus placidus erga omnes foret, dum Hæreticos hâc ratione potius, quàm vi ad rectam fidem adducere ſtuderet. Quod manſuetudinis

Socr. l. 7. c. 19.

 depo-

Anno Dom. 434.

depoſitum Eccleſiæ reſtituit. Gratiſſima Joanni Antiocheno Procli hæc ordinatio fuit, quam ipſi *Taurus* atque *Patricius* notam fecerant. Quibus reſcripſit: *Scitote, magnificentiſſimi Domini, quia non parva viri illius experientia ſit. . . & confidenter dico, quia magna Deus Conſtantinopolitanorum donavit Eccleſiæ per ſtudium veſtrum, & curam Deo amiciſſimi Principis.*

Socr. l. 7. c. 41.

Lup. Syll. c. 123.

Orientalium cum Joanne ob pacem cum Cyrillo factam jurgia.

IV. Cum Maximiano non extincta ſunt, quæ Joannis ſancitum cum Cyrillo fœdus, diſſidia moverat. Euphratesiæ Ciliciæque Epiſcopi Joanni communionem renunciarant, aliique ex aliis regionibus non pauci. Poteſtate quidem Joannes abuſus ſuâ, Eccleſiæ leges perſtringebat. Qua de re in ipſum Theodoriti expoſtulatio eſt, ut ſua ad *Meletium* Neocæſareæ Epiſtolâ: *Vide*, inquit, *vinea Nabuthæ direptionem. Vide transgreſſionem Canonum. Quæ ei concedit regula, ut in aliena parrochia conſecret?* Mariniano & Athanaſio viris indignis Sacerdotium queritur eſſe commiſſum. Subjungit, idcircò *à communione talia præſumentis nos ipſos abſcidimus.*

Lup. Syll. c. 127.

Placuit Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcopis, facta hæc Joannis Syriæ, Ciliciæ, Cappadociæ Antiſtibus ſignificari. Quibus *Helladius* Ciliciæ Metropolitanus cum ſuis Epiſcopis reſcribit, propoſitum ſibi fuiſſe cogere Synodum, id tamen fieri non potuiſſe: *Quòd Paſcha feſtivitas inſtet.* Ac primum exulceratos delinire Joannes ſtudebat. Ut verò cùm ſuis ad concordiam literis eos fruſtra invitaſſet, tandem Principis autoritatem, implorat extinguendæ diviſioni. *Taurum* ergo & *Patricium* rogat, ut quantum eniti poſſent, diviſionem opprimerent: *Sunt enim pauci*, inquit, *quidam effrenati, qui pacem, quam Deus donavit, & quam pius executus eſt Imperator, propriam duxerint læſionem, & præferant non eſſe ſub Principe, ſuper omne, quod expedit tam ſibi, quàm cunctis Eccleſiis, dum certè omninò ſit dignum, ut approbent ordinationem Domini Sanctiſſimi Epiſcopi Procli.* Facta quoque Joannes verbis adjunxiſſe creditus eſt, datâ pecuniâ, ut Theodoſii Reſcriptum impetraret adverſus Epiſcopos à ſua communione diſſidentes. Id certe *Meletius* queritur in ſua ad Epiſcopum Anabarzi *Maximinum* Epiſtola: *Audivimus quòd multum ſategerit Verius, qui pro Joanne Conſtantinopoli latitat, & aurum multum diſtribuerit aliquibus, ut poſſet obtinere ſacram, quæ nos cogeret communicare Joanni, aut exire ab Eccleſiis.* Impetrata à *Verio* Principis conſtitutio *Domitiano* Quæſtori miſſa eſt, quam tamen in notitiam proferri noluit, pro amore, quo cum *Helladio* Tarſenſi conjungebatur. Neque Taurus Præfectus ſacram eam vulgari permiſit, qui ad Imperatorem accedens, *Futuras ex hoc everſiones obteſtatus eſt urbium, & aperte dixit, quòd qualis eſt Thracia, talis & Cilicia erit, quæ penè ſola remanſit ad tributa ſolvenda, ſi hoc impleri permiſerit.* Intereà ut Joanni poteſtate ſuâ abutenti Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcopi obſiſterent, ad Auguſtas ſcripſere, quarum auxilium implorant adverſus Joannis violentiam: *Contra Sanctorum Patrum regulas duos Epiſcopos ordinavit, abominabiles viros, atque perverſos, & totius operatores laſcivia. Pervaſit verò & martyrium ſancti & boni Victoris Sergii Martyris, quod ſub Hierapolitana erat Eccleſia, & noviter illic contra morem ordinavit.* Præcipuè his Alexander offendebatur: *Joannes nonne Militum Magiſtros, & Judices adverſus meam armavit humilitatem? Nonne Martyris Eccleſiam à me abſtulit, in quam ferè trecentas auri libras expendimus.*

Lup. Syll. c. 130.

Lup. Syll. c. 132.

Lup. Syll. c. 124.

Lup. Syll. c. 135.

Lup. Syll. c. 165.

Anno Dom. 434.

Sacra Theodoſii in eos, qui a Joanne Antiocheno diſſidebant.

V. At fruſtra Auguſtas querelis incendere ſuis conati ſunt Alexander, Theodoritus, Abibus, Heliades, Maras, David, Acilinus, Euphrateſiæ Præſules. Joannis in partes deſcendit *Proclus*, quod Euphrateſienſibus *Dorotheus* Mœſiæ Epiſcopus ſignificavit: *Proclus qui in magna illa ordinatus eſt civitate, ſcripſit contra nos literas calumniis plenas, tam ad reverendiſſimum Clerum, quam ad amicum Chriſti orthodoxum populum.* Opem quoque Joanni ſuam tuliſſe, ex Helladii ad Meletium Epiſtola apparet & promptum eſt: *Quia & orthodoxè docet Proclus, & patrocinator eſt, & multam habet fiduciam apud Imperatorem, & miſſurus eſt ad Antiochenum cum Sacris Synodicam ſuam, ut eam ſuſcipi ante omnia præparet, & quam qui non receperint, pellantur Eccleſiis.* Sacram Principis hanc fuiſſe, Comes teſtatur Irenæus: *Eccleſiarum pacem, & hanc procurantium diligenter omnimodum honorem & affectum, cunctorum cauſam bonorum exiſtere, ambiguum non eſt. Quia enim concordia & religionis viam intactam & immaculatam cuſtodiunt, hujus rei gratiâ honore maximo ac præcipuo fruuntur affectu. Si qui autem ſub ſimulatione, religionis putari cuſtodes quærunt, præcipui dogmatis corruptores rerum teſtimonio demonſtrantur.* Sacram abſque mora ſuam executioni mandari Theodoſius voluit. Itaque à Magiſtro Militum Dionyſio ad Comitem & Vicarium *Titum* Epiſtola dirigitur, quâ *quid de Helladio, & Maximino, & Alexandro, & Theodorito reverendiſſimis viris Epiſcopis definiri cenſuerit imperialis clementia* monebatur. Acceptâ Epiſtolâ Titus ad Epiſcopos, quorum nomina Principis Sacra complectebatur, ſcriptis hæc nunciat. Principem probè noſcere quantum recta ſinceraque pietas proſit imperio: *Motus igitur ſanctitate congruâ, dum cognoviſſet beatitudinem tuam, Joanni Antiochenæ civitatis Epiſcopo, non adeſſe in ſanctis, neque communicare in myſteriis adorandis, cæleſte Decretum dare dignatur, quod in his, quæ ſunt priera præfulges, ut aut communices præfato, ac reliquis, qui cum eo conſentiunt, in cæleſtis Divinitatis cultu, aut recedas à civitate, & Sancta Eccleſia, cui præeſſe dignoſceris.* Principis in Reſcripto Theodoriti nomen extabat. Illud igitur ipſi ſignificatur. Quas minas ut acceperit, ex ipſius verbis audire perjucundum. His ergo verbis Epiſtolam texuit, ad Alexandrum miſſam: *Venit admirandiſſimus atque clariſſimus Tribunus Euricianus, cum literis magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Comitis Titi, tam ad ſanctos Monachos ſcriptis, quàm ad Dominum Jacobum, & Dominum Simeonem, & Dominum Baradatum, & ad nos. Quæ literæ minas continebant, ut ſi non acquieſceremus pacificari, mox nobis projectis, ordinarent alios. Et quidem riſi de minis, peſſimè autem me ſancti Monachi afflixerunt, multa pro pace rogantes.* Ac paratus quidem Theodoritus erat relictâ & civitate, & Provinciâ, ad vitam monaſticam confugere. Sed eâ oratione Cyrienſes in dolorem miſſi, & ad Gindarum uſque unà cum eo proficiſci pollicentur, & Joannem convenire, ut eò ſe conferret de inſtituendo ſimul colloquio. Tres ergo Presbyteros Archimandritas & Joanni, & Tito Comiti miſere, qui referrent, injuſtum eſſe, tot viros ſanctos projici. Venire dignaretur ad Gindarum, ubi cum Theodorito Epiſcopo ſe conferrent. Quæ ut Alexandro com-

Lup. Syll. c. 137.

Lup. Syll. c. 144.

Lup. Syll. c. 140.

Lup. Syll. c. 143.

Lup. Syll. c. 146.

comperta fuere, Theodorito ſubinde reſcribit, minarum ſe omnium ſecurum cum impio Cyrillo nunquam communicaturum, falſi præcone: errorem in pejus quotidie proficere, cui probando id in exemplum ſubjicit: *In Antiochia non unus, nec duo, nec decem tantùm de Hierapolitanis adſuerunt in Eccleſia, inter quos erat & Dominus meus amiciſſimus Presbyter Maranas, quando & Macedon in majori hebdomada in Cœmeterio, & Antonius Chalcidis Epiſcopus in Eccleſia Sancti Zachai, apertè Deopaſſianam hæreſim prædicaverunt.* Hic contendere Theodoritus, ut Alexandri feritatem mitiorem faceret. Ab Eutherio Helladioque ſe literis inſtructum fuiſſe, de Procli pietate narrat. Sibi non iniquum videri, ut Joannis pro Eccleſiæ pace conditiones ſuſcipiantur, excluſis iis, quorum ordinatio illegitima eſt atque iniqua. Sibi quidem Joannis in Neſtorium anathema improbari, id tamen ſe habere ſolatii, quòd non dixerit: *Anathematizamus ejus doctrinam, ſed quæcunque ab eo aliené, ſive quocunque modo dicta, vel ſenſa ſunt præter Apoſtolicam doctrinam.* Quid ad hæc Alexander? Semper ſui ſimilis ait ſe non ob Joannis violentiam, ſed ob proditam ab eo fidem ipſius communionem ejuraſſe, utpote cum Cyrillo *Hæretico depoſito quidem prius à ferè ducentis Epiſcopis* fœdere conjuncti. Feroces Alexandri animos nihilominus mollire tentat Theodoritus, monens de pace facienda ſeriò cogitandum eſſe, ne inimici, qui ipſorum thronis inſidiabantur, lupos in paſtorum loca ſufficerent. Alexandro tamen mens intractabilis fuit, quam à propoſito nihil dimovere potuit. Reſcribit Theodorito: *Rogo religioſitatem tuam legere Epiſtolas, quas tibi antè tranſmiſi, & non mihi exiſtere importunum.* Poſſe quidem illum, qui pro Orthodoxo Cyrillum habeat, de pace cogitare: ſe verò non poſſe, cui Cyrillus eſt Hæreticus. Tum Theodoritus cum Joanne concordiam redintegrat, qui poſt inſtitutum colloquium oſtendit, à pietate ſe alienum non eſſe: *Collocutus ſum*, inquit Helladio, *Domino meo Joanni, & inveni eum pro Orthodoxia ſtudioſe certantem, & Eccleſiæ unionem fieri feſtinantem, & depoſitionis ſubſcriptionem minimè exigentem ab eis, qui nollent.*

Lup. Syll. c. 547.

Lup. Syll. c. 148.

Lup. Syll. c. 160.

VI. Tandem plerorumque relangueſcere animi, eorumque pertinacia remitti cœpit, qui Joannis à ſocietate divulſi erant. Pacem pro arbitrio Principis faciendam eſſe ſtatuunt. *Maximus* Anabarzi unà cum ſecundæ Ciliciæ Epiſcopis communicatoriam Joanni Epiſtolam ſcribunt: *Suſcipientes tuæ ſanctitatis literas per Dominum admirandiſſimum Comitem Neoterium, omninò delectati ſumus ſuper expoſitione fidei ſanctitatis tuæ.* Quâ confeſſione Nicæna doctrina comprobabatur, impietas Apollinariſtarum damnabatur. Subjungunt: *Non nos dijudicet religioſitas tua, eò quòd hactenus ad paternas tuas ulnas non percurrimus. Etenim ſemper nos turbaverunt illa Capitula, quæ & tua religioſitas ſæpius, ut prava exiſtentia repulit.* Primæ quoque Ciliciæ Epiſcoporum ſententia inclinavit ad pacem, & fœdus renovandum cum Joanne: quod Alexandro *Helladius* indicavit: *Omnis noſter Deo amiciſſimus Clerus, & ferè cuncti ſanctiſſimi Epiſcopi compellunt nos ad conjunctionem proſpicere . . . . Ego verò remanſi cum duobus Deo amiciſſimis Epiſcopis tantùm, non minor zelo, ut arbitror, pietatis à tua ſanctitate, deliberans unà cum eis, neque præter Domini Chriſti facere voluntatem, neque Eccleſiam Dei & fideliſſimos & amatores Chriſti populos perdere.* Hic Alexander antiquum obtinens, ad omnia toleranda Helladium animat: *Tota ſunt*, inquit, *ab Antiocheno commiſſa. Communio cum Hæretico recta fidei, anathematiſmus, orthodoxi hominis depoſitio. Quid horum quæſo excuſare valebimus? Non habemus pecunias, & munera, & naves plenas oneribus, quæ mittamus. Sed habemus orationes & lachrymas, & gemitus compunctionem, & ad Dominum Vigilias. His namque armatur veritas.* Ciliciibus Iſauri ſe conjungentes, Joannis & communionem amplexi ſunt. At Meletius Mopſueſtenſis ab eo fœdere prorſus abhorruit, qui hæc ſcribit Alexandro: *Ex quo cognovi factam cum impio Cyrillo conjunctionem ab Antiocheno, ſemel tantum per Magiſtrianum literas ejus accepi, quas & in latoris faciem jeci, ita ut nec ipſe præſumeret, à nobis reciprocas poſcere, neque ille nobis ulterius ſcripta tranſmittere.* Porro Helladius, qui de ineunda cum Joanne concordia fluctuaverat animo, Synodicam cum Ciliciæ Epiſcopis Principi direxit, ubi novit venire cum imperiali Decreto *Ariſtolaum*, de ejiciendis, qui Joanni repugnabant Antiſtitibus. Synodicæ verba ſunt: *Juxta divinas præceptiones veſtras communionem cum ſancta Synodo, quæ in Epheſo facta eſt, amplectimur, & Neſtorium, qui quondam fuit feliciſſimæ Conſtantinopolis Epiſcopus, habemus depoſitum, & anathematiſmo ſubjicimus, ſuper omnibus, quæ impiè cum Eccleſia docuit, ſeu in ſcriptis expoſuit, ſeu ſeorſim locutus eſt, ſequentes ſanctos Epiſcopos Sixtum Romæ, & Proclum magni nominis Conſtantinopolis, & Cyrillum Alexandriæ, & Joannem Antiochiæ, & omnes reliquos religioſiſſimos Epiſcopos, in omnibus, quæ piè definiuntur ab eis, coanathematizantes ipſum Neſtorium, & eos qui eadem, quæ ille impiè aſſerunt.*

Plerique Orientalium Joanni reconciliantur. Alexander & Meletius pacem reſpuunt.

Lup. Syll. c. 159.

Lup. Syll. c. 164.

Lup. Syll. c. 165.

Lup. Syll. c. 155.

Lup. Syll. c. 192.

VII. Inimicorum accenſus pertinaciâ Joannes, pellendis qui ſibi reſiſtebant Epiſcopis Principis adhibet autoritatem. Imperatoribus ſupplicem offert Libellum, hæc continentem: *Quia, ô piiſſimi & boni victores Imperatores, eos qui obliterare volunt Patrum doctrinam, alienos à Sacerdotali exiſtere dignitate, poſt nos, quibus Canones de hac re concedunt judicium, decreviſtis, expelli verò à ſanctiſſimis Eccleſiis & urbibus, in quibus videntur exiſtere, & talis ad Orientem Sanctio veſtra pervenit. Hanc promulgavimus magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Præſidi utriuſque militiæ, & Exconſuli Dionyſio. Et conſonans ejus accipientes præceptum, prævalere potuimus malignitati Meletii, qui pridem Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit, ſubjicientes eum depoſitioni. Introduximus & præfecimus ipſi populo è gregibus Chriſti Chromatium, Deo amiciſſimum Epiſcopum.* Rogat etiam Imperatores, ut Meletium ſua in Diœceſi latitantem, officiumque poſt abdicationem adhùc retinentem, Edictis ſuis expellant. Meletii exilium cùm Joannes impetraſſet, Dionyſius Militum Magiſter Judici ſecundæ Ciliciæ ſcribit, placere Theodoſio, ne *in Melitina Armeniæ Provinciæ civitate Meletius degeret.* Cum Alexandro Hierapolitano actum eſt urbanius: quem Titus Comes, & Vicarius blandis compellat verbis, ut ſocietatem cum Antiocheno ineat, quòd nefas ſit, debitam & Oecumenicæ Synodo, & Imperatoris Sanctionibus obedientiam exuere. Dionyſius quoque Magiſter Equitum honorificis titulis, *Deo amiciſſimi & Patris*, ornatum, hortatur Alexandrum ſibi conſulere, initâ cum Joanne communione, ne exilium recuſanti imperetur. At

Joannes implorat Principis auxilium. Meletius & Alexander ejiciuntur.

Lup. Syll. c. 176.

Lup. Syll. c. 179.

non flexibilis, non mollis erat animus Alexandri. Dionyſio, Titoque reſpondet: *Ille qui nunc contra nos quatuor imperiales has literas vehementer obtinuit, & ante Epheſum, & in Epheſo, & poſt Epheſum Hæreticum ſcribat Ægyptium ... Et nunc adverſum nos uſque ad ſanguinem pugnat, eò quòd parati ſimus per virtutem Dei contra Cyrilli hæreſim repugnare uſque in finem. Quando tibi placuerit illam perſecutionis, quæ contra nos lata eſt, formam promulgare, mihi veſtra jubeat magnitudo, ut ſub ſilentio & abſque ſtrepitu abeam, & hoc modo, quæ ſancita ſunt impleam.* Quibus lectis Titus *Libiano* Euphratenſiæ Judici mandat, Alexandrum, ſi in propoſito perſtiterit, loco amovere, cumque in ejus loco ſuſcipere, quem Synodus ordinarit. Quod mandatum *decimo ſeptimo Kalendas Maii*, per Hypatium Libiano redditum eſt. Quibus apertè liquet, hæc ad annum proximè ſequentem eſſe referenda. Alexander verò, cognito mandato, Hierapoli libens exceſſit. Ut quæ ad hanc tragœdiam pertinent, unâ ſerie abſolvamus, ob amiſſum ſuum Epiſcopum animos in luctum Hierapolitani dejecere, quod Libianus Tito ſignificatum ivit, verbis ad commovendos affectus maximè idoneis: *Hierapolis & devotioni ſerviens, & piis deſiderio ſtimulata, divini quidem motui ceſſit, & præcepto magnifico gemens. Nunc verò expetit miſericordiam, quâ diligatur ejus deſiderium, expanſâ ſuper Alexandro ſene, & luctus quidem ſuſcitans, per plateas, inundans autem lacrymis ſolum, & ferè in ipſam jam Divinitatem quid auſa præſumere. Nec enim conſuetas actiones exhibet gratiarum, & receſſit claudens ſanctas Eccleſias, & tale quid agens, quale cui veniam competat impartiri.* Nullus civium erat, quem ob amiſſum Alexandrum vitæ ſuæ non tæderet, mitiſſimum Magiſtrum, cujus pietatem virtutemque mirabantur omnes, quos à pueris fide imbuerat. Eò proceſſit luctus, ut ſibi malum conſciſcere vellent pueri, ſenes, mulieres, virgines, ni ſuus Alexander reſtitueretur. Ea tamen Orientis exponi Comiti noluit. Cæterùm ne officio ſuo *Libianus* deeſſet, & Hierapolitanorum dolorem notificavit Tito, & loca ſacra reſeravit, ut de more ſacra conficerentur. Ut hæc ad Joannem pervenere, Hierapolitanorum dolori nonnihil indulgens, eos adiit ſcripto, quo teſtatur, robur & æs triplex Alexandro circa pectus fuiſſe: ne vel cum Sacerdotibus colloquia miſcere, ad eum flectendum miſſis, unquam ſuſtinuiſſe. Id unum ſe exoptaſſe, ut communionis ſuæ membrum fieret, Hierapolitanaque Eccleſia orbi Chriſtiano jungeretur. Spondere ſe, quòd ſi depoſitâ ſuperbiâ Alexander reſipiſcat, paratum ſe & illum excipere, & ad Hieropolitanos eum gaudio remittere. Vir fuit Alexander magnæ & famæ & eloquentiæ, cujus ſcintillæ micant in horrida Epiſtolarum ipſius verſione. Martyris nomine à Suida ornatus eſt: *Alexander Hierapolis Epiſcopus & Martyr, novem capita conſcripſit, in quibus docet, quid novi Chriſtus in mundum intulerit, quæ oratio ſententiis reconditis & arcanis eſt referta.* Vir ille illuſtris ad Phamarim Ægypti metallum tamdiu relegatus eſt, quamdiu à Joannis communione alienum ſe præberet.

Lup. Syll. c. 182. — *Lup. Syll. c. 184.* — *Lup. Syll. c. 185.* — *Lup. Syll. c. 187.* — *Suid. t. 1. p. 164.*

Voluſianus quis? Fit Chriſtianus.

VIII. Diu ſatis hæc nos detinuere, quia Annalibus Baronianis Hiſtoricíſque prorſus incognita, qui anno 1682. anteceſſere, quo Chriſtiani Lupi Sylloge in lucem edita eſt, quæ nobis ea fœneravit, ſtylo quidem barbaro, cum veritate tamen conjuncto: ad Orientis cætera progrediamur. Voluſiani ad fidem converſione annus claritatem accepit. Nobilitate inter Romanos inſignis erat, matre ortus Chriſtianâ quidem, cujus tamen diſciplinæ inhærere nolebat, Ethnicorum ſuperſtitioni vehementer addictus. Pergratum optimæ mulieri fuiſſet, filium ſuum ut bonorum, ſic & pietatis maternæ hæredem fieri. Scripſit ergo ad Marcellinum Tribunum, & Notarium, ut informando Voluſiano operam adhiberet: quod etiam pro virili Marcellinus peregit, ut nos ipſe monet in ſua ad Auguſtinum Epiſtola: *Eſt nobis cum eodem Voluſiano, quotidiana pro viribus noſtris, & pro ingenii paupertate diſputatio. Sancta ſi quidem matris ejus precatione compulſus, cura mihi eſt, eum frequenter ſalutandi gratiâ convenire, licet vicem in hac parte reddere etiam ipſe dignetur.* Ad illud opus efficiendum majoribus eſſe viribus opus, & Voluſiani mater, & Marcellinus credidere. Auguſtinum ergo hortantur, ut eam ipſe provinciam ſuſcipere vellet: quam ſanè neglectam noluit. Literis ergo ſuis Voluſianum convenit: *De ſalute tua, quam & in hoc ſeculo, & in Chriſto eſſe cupio, ſanctæ matris tuæ votis ſum fortaſſe non impar.* Hortatur, *ut literarum verè certèque ſanctarum ſtudiis* curam non pigeat impendere. Quòd ſi quid oriatur quæſtionis, in quo diſſolvendo videatur neceſſarius, ſcribenti operam pollicetur. Ad hæc verbis honorificis Voluſianus reſpondit Auguſtino, quem *Dominum ſanctum* vocat, *& venerabilem Patrem.* Narrat autem, dum cum amicis colloquium inſtituebat, unum è multis propoſuiſſe, quomodo mundi Rector intemeratæ fœminæ corpus impleverit, pertuleritque decem menſium longa faſtidia mater: & quâ ratione tamdiu à ſedibus ſuis abfuerit ille Regnator. Ad quæſtionum à ſe propoſitarum ſolutionem, ut magis Auguſtini animum excitaret, famæ ipſius, quæ vel apud Ethnicos non minima fuit, aculeos adhibuit: *Intereſt famæ tuæ, ut quæſita noverimus. Utcunque abſque detrimento cultus divini in aliis Sacerdotibus toleratur inſcitia. At enim ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, Legi deeſt, quidquid contigit ignorari.* Propoſitas quæſtiones diſſolvere voluit Auguſtinus, cujus in eo labore ſuſcipiendo magna elucebat benignitas animi, cùm in iis quæſtionibus nil eſſet ardui. Quæ anno circiter CCCCXII. contigere. Nil tamen literis conſiliíſque ſuis profecit Auguſtinus ad hominem inſtruendum, qui & Apollonii Tyanæi, & Apulei ſtudioſiſſimus erat. Et enim Ethnicum adhùc agebat Voluſianus, quo tempore Præfectus eſt urbi impoſitus, anno Dom. CCCCXXI. Hic eſt ille Voluſianus, de quo apud Photium mentio: Conſtantius *Placidiæ vir, Valentiniani Minoris pater, de Cœleſtino Hæretico in exilium pellendo ſcripſit Decretum ad Voluſianum, urbis Præfectum.* Ac omnia tempus habent: majorque de Voluſiani impietate Chriſti victoris fuit, qui in ſuperſtitione obfirmatum hominem, dum morti propior eſt, ſuam in poteſtatem redigit. Verſabatur tum Conſtantinopoli Melania Junior, cui Voluſianus avunculus erat, quo tempore veterem ille ſuperſtitionem ejuravit. Qua de re audiendus Photius, Metaphraſti anteponendus: *Dum Voluſianum mors Legatum Conſtantinopoli agentem invaderet, ad orthodoxam fidem tranſiit, baptizatuſque eſt à B. Proclo Conſtantinopolitano, quando & ſancta huic,* Melaniæ ſcilicet *incidit,*

Aug. Ep. 4. — *Aug. Ep. 8.* — *Phot. Bib. c. 53. p. 43.*

quæ Hieroſolymis in regiam urbem advenerat. Photium ſic vertendum eſſe putamus: non enim Schoti placet interpretatio. Quæ de literis Voluſiani ad Melaniam habet Metaphraſtes, ea fabulis apponimus non magis vera, quàm quæ ſcripto mandavit, eo tempore creatum urbis Præfectum eſſe.

Arabæ puellæ jejunium & ſanatio miraculoſa.

IX. Ut ad res Occidentis ſe convertat oratio, quid illud, quod Autor de promiſſionibus narrat, quàm memorabile: *Aſpare V. C. Conſule Carthagini conſtituto, hoc ſignum Diabolicum monſtroſumque, quod illic accidit, quis illius patriæ civis ignorat. Quædam juvencula Araba natione, ancilla Dei habitum geſtans, cùm in balneo lavans, ſimulacrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret, & ſeipſam, eique ſe conſimilans, domicilium ſe Diabolo præbuit. Statim ille Leo, qui rugiens circuit, quem quærebat invenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum, nullumque potum trajiciens, per ſeptuaginta fermè dies, totidemque noctes jejunium ſibi Diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit.* Quid multa? Puella offertur Epiſcopo, cui quod geſtum fuerat narratur. Prodigio erat, virginem tot jejuniorum labore confectam, nil palloris contraxiſſe. Puellarum in Monaſterio, cui Stephani reliquiæ includebantur, collocatur, ibique cibi potuſque omnis expers, duobus hebdomadis permanſit. Illuceſcente Dominicâ acceſſit Epiſcopus ad Euchariſtiam celebrandam. Araba ad altare adducitur. Peracto ſacrificio, *particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote percepit*, quam ſemihora manſam trajicere non valuit: *Manu faciem ejus ſuſtentante Sacerdote, ne ſanctum projiceret, à quodam Diacono ſuggeſtum eſt, ut calicem ſalutarem gutturi ejus Pontifex applicaret. Quod ut factum eſt, ſtatim ut locum illum, quem Diabolus obſederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum quod ore geſtabat, cum laude Redemptoris tranſglutiiſſe puella clamavit.*

Proſp. de prom. c. 6. 183.

Vincentius Lirinenſis. Quis? Semipelagianuſne fuerit?

Vinc. Com. 1. c. poſtulo.

X. Anno celebritatem addit Vincentii Lirinenſis Commonitorium, & primum & ſecundum, cujus Epocham ipſe docuit: *Exemplum*, inquit, *adhibuimus ſancti Concilii, quod ante triennium fermè in Aſia celebratum eſt, viris clariſſ. Baſſo Antiochoque Coſſ.* Quis verò Vincentius, noſtro eſt more diſquirendum. Gennadii teſtimonio Gallum fuiſſe certum eſt. Tulli Leucorum primæ Belgicæ oppido, ſplendidâ nobilique familiâ ortum, patrem *Parrochium*, fratrem *Lupum* Epiſcopum Trecaſſinum habuiſſe ferunt. Ita quidem Eucherius in ſua ad Hilarium Epiſtola c. 42. Lerinenſis inſulæ præconium faciens: *Hæc reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Beniamin lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentium, internæ gemmam ſplendore perſpicuam.* Ac primùm militiæ navaverat operam, quâ relictâ, vitæ ſe monaſticæ totum addixit, docente ipſo in ſua ad Commonitorium præfatione: *Cùm aliquandiu variis ac triſtibus ſecularis militiæ turbinibus volveremur, tandem nos in portum religionis, cunctis ſemper fidiſſimum, Chriſto aſpirante condidimus.* Ubi ſe primùm in aſcetica vita conſtituit, Lerinenſia fortè deſerta non ingreſſus eſt. Verba ſunt ſuæ in Commonitorium præfationis: *Locum autem quod urbium frequentiam turbaſque vitantes, remotioris villulæ, & in ea ſecretum Monaſterii incolamus habitaculum.* At nulla tum temporis villula apud Lerinam, quam diſperſi ſuis in cellulis Monachi incolebant. Quòd ſi primùm in eam migravit, cùm Monachatum amplexus eſt, eâ quidem egreſſus erat, cùm Commonitorium edidit ſuum. Locorum ſecretiorum cupidus, Lerinam maris mediterranei exiguam, ſed nobilem compluriùm virorum illuſtrium domicilio inſulam petit, eòque Lirinenſis cognomen adeptus eſt. Gennadius: *Vincentius*, inquit, *natione Gallus, apud Monaſterium in Lirinenſi inſula Presbyter.* Bis Lerinam habitatum migraſſe, ex Eucherii de laude Eremi Epiſtola apparet & promptum eſt, c. 42. *Hæc habuit germanum ejus* (Lupi) *Vincentium:* Non igitur *habebat* eo tempore, quo ſuam Eucherius Epiſtolam concinnabat. Quibus accuratè perpenſis, eò ſententia propendet, ut primum Vincentius Lerinam petierit, quâ ad tempus relictâ, dum Commonitorio ſcribendo dat operam, eam repetierit poſtmodum, ubi & morti debitum ſolvit. Vincentii vitæ ſummâ hæc eſt. Abſconſo porro nomine *Peregrini* titulum ſuo Commonitorio indidit, in quo per cuniculos B. Auguſtini de gratia Dei ſententiam totis viribus adoritur. Diverſæ Baronius ſententiæ eſt, qui Vincentianum Commonitorium librum *aureum* vocat: Opuſculum *parvum mole*, inquit Bellarminus, *ſed virtute maximum*, ex quo petuntur Regulæ noſcendæ firmandæque Traditioni, quod in Collatione Ratisbonenſi penè totum ſibi deſcribendum Jeſuitæ exiſtimarunt. Quin tamen liber ille Auguſtini in ſententiam editus fuerit, nulli dubitamus. Quin etiam illum ipſum Vincentium parentem putamus *objectionum Vincentianarum*, quas Proſper diſſolvit. Diverſæ quidem opinionis Baronium eſſe, haud ignoramus, ſcribentem *errare eos, qui Vincentianas objectiones illas Vincentii hujus exiſtimant fuiſſe.* His verò rationibus innititur: Vincentius Lirinenſis, inquit, *Non tantùm non impugnavit defenſores S. Auguſtini, ſed magnoperè laudavit. Capite 43. vehementer commendavit Cæleſtini Romani Pontificis Epiſtolam in defenſione Scriptorum S. Auguſtini.* Certa res quidem eſt, Cœleſtini hanc Epiſtolam à Vincentio Lirinenſi fuiſſe laudatam. Verba hæc ſunt Vincentii: *Sed & Papa Cæleſtinus, pari modo, eâdemque ſententiâ. Ait enim in Epiſtolâ, quam Gallorum Sacerdotibus miſit, arguens eorum conniventiam, quòd antiquam fidem ſilentio deſtituentes, profanas novitates exurgere paterentur: meritò*, inquit, *cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio foveamus errorem.* At in ea ratione nil eſt momenti. Quippe & in alienum ſenſum detortam, & interpolatam Cœleſtini Epiſtolam Vincentius laudibus afficit, ut conſilio in ſuo ſerviret. Contendit enim verba hæc Cœleſtini, *corripiantur hujuſmodi: non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem*, non Galliæ quidem perſtringere Presbyteros, qui quam Auguſtinus olim foverat, Semi-Pelagianorum opinionem tuebantur, ſed illos potius percellere, qui in ſancti Patris de Prædeſtinatione, Perſeverantia, Gratiaque præveniente efficaciſſima, quæ nullis mortalium meritis redderetur, ſententiam deſcenderant. Quod ut vincat Vincentius, verba Cœleſtino ſœnerat, quæ non ſunt Cœleſtini. Scripſerat ad Epiſcopos Galliæ Cœleſtinus: *Deſinat ſi res ita ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbari.* Quæ ſic explicatione ſuâ Vincentius corrumpit: *Deſinat ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, ut apud me quidam urbes & Provincias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam novitatibus conſentire, noxiâ ſimulatione faciatis.* Hæccine Cœleſtinus ſcripſit?

Bar. Martyr. 24. Maii.

Cæleſt. Ep. 1.

Vincent. c. 43.

ANNO DOM. 434.

Vincentio quinam illi ſint, qui apud Cœleſtinum Galliæ & Provincias, & urbes criminabantur, non eſt obſcurum. Ad Proſperum colliſmabat, atque Hilarium, quos Cœleſtinus laudibus affecerat: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt.* Præterea Vincentii commentum hoc eſt, quòd *urbes & Provincias* Proſper & Hilarius vituperârint. Figmentum refellit Cœleſtinus, qui hæc tantùm habet, *neſcio quibus Presbyteris illic licere.* Presbyteros nonnullos in *urbes & Provincias* Vincentius mutare non debuit. Denique triumphatam Auguſtini de Prædeſtinatione & Perſeverantia ſententiam, utpote novam, Vincentius innuit: *Ergo hæc fuit B. Cœleſtini ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem, ſed potius novitas deſineret inceſſere vetuſtatem.* Quæ quomodo Cœleſtini de Auguſtino teſtimonio conſentiant, nulli videmus. Auguſtinianarum quidem præconia hodum petagit Cœleſtini Epiſtola: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus.* Sic Caſſiani conſectanei ſui opinione uſus Vincentius, officioſum ex officina ſua mendacium, velut *elleborum* deprompſit, ut Semi-Pelagianiſmum, quem antiquam Eccleſiæ fidem eſſe ſibi fingebat, corroboraret.

Vincentius Lirinenſis Semi-Pelagianus fuit. De ipſius Commonitorio.

XI. Quòd verò Vincentius Lirinenſis, & Commonitorii, & Objectionum Autor ſit, perſuadent nobis cariſſimorum Voſſiorum, Noriſiorumque argumenta, quibus aperte liquet, Semi-Pelagianorum lue Vincentium afflatum eſſe. I. Quam de Prædeſtinatione, Perſeverantia, Gratia & ſpeciali, & efficace, quæ bonas mortalium omnium cogitationes prævertat, Auguſtinus ſententiam amplexus fuerat, totis viribus Vincentius concutere conatur: *Jam verò*,

Vinc. Com. c. 37.

inquit, *illis quæ ſequuntur promiſſionibus, miro modo incautos homines Hæretici decipere conſueverunt. Audent enim polliceri & docere, quod in Eccleſia ſua, id eſt, in communionis ſuæ conventiculo, magna ac ſpecialis, ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia: adeò ut ullo ſine labore, ſine ullo ſtudio, ſine ulla induſtria, etiamſi nec petant, nec quærant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitùs diſpenſentur, ut Angelicis evecti manibus, id eſt, Angelicâ protectione ſervati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum.* Conviciis ejuſmodi de Prædeſtinatione & Perſeverantia Auguſtini ſententia à Semi-Pelagianis proſcindebatur. II. Cui & mentis oculus eſt integer, & veritas cordi,

Vinc. Com. c. 39.

his Auguſtinum telis peti ille fatebitur: *Quidquid quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas à communis, publicæ & generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit.* III. Non ſemel Pelagianos Vincentius inſectatur, ut ex Commonitorii c. 14. & ultimo promptum eſt. Quòd ſi opinionis Auguſtini fuiſſet, de magnis ipſius in Pelagianos certaminibus, quibus feliciter utitur Eccleſia, nil mentionis ab eo fieri quis credat? Ibat ergo Vincentius Auguſtinum inter atque Pelagium medius, ideòque Semi-Pelagianis militabat. Non enim in quæſtionibus ejuſmodi optio alia dabatur: ex tribus illis opinionibus acceſſus ad unam neceſſarius omninò fuit. Ut ergo Auguſtini ſententiam novitatis accuſaret, Commonitorium edidit ſuum. Duobus libris continebatur; poſterior periit, cujus duntaxat ſupereſt recapitulatio: *Jam tempus eſt, ut ea, quæ duobus in Commonitoriis dicta ſunt, in hujus ſecundi fine recapitulemus.* Com. c. 14. Libri hujus meminit Gennadius: *Vincentius natione Gallus, apud Monaſterium Lirinenſis Inſulæ Presbyter, vir in Scripturis Sanctis doctus, & notitiâ Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad evitanda Hæreticorum collegia nitido ſatis & aperto ſermone validiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo attitulavit, Peregrini adverſus Hæreticos. Cujus Operis, quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem à quibuſdam perditâ recapitulatione reperi, paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegi, & in uno libro edidi.* Vincentii ad debellandas hæreſes axioma nonnulli eſſe uſui, faciles largimur: *Ut* Com. c. 3. *teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Eſt tamen certiſſimum, difficillimum, & immenſi & temporis & laboris eſſe, quærendo inveſtigare, quid ubique, quid ſemper, quid ab omnibus creditum ſit. Ac noſtris ſanè ſeculis longè majorem difficultatem incumbere, quàm ætati Vincentii, in confeſſo eſt. Sed & hanc veri & falſi credendi, & rejiciendi, quam Viocentius conſtituit regulam, ea non ipſius voto feliciter ceſſit, cùm Auguſtinus oſtenderit, Patrum nonnullos ipſius opinioni favere, quibus accedit, quòd de mente Patrum dubitatio ſit, & diſputatio. Longè brevior ſanè & tutior ea via eſt, quam Berœenſes olim ſecuti ſunt percipiendæ veritati: ut Paſtorum doctrina cum Scriptura componatur, cui conſenſus etiam Eccleſiæ inniti debet. Laicorum ſanè vires ſuperat omnes, ne Doctorum dicamus, exploratè cognoſcere, quid ubique, quid ſemper, quid ab omnibus creditum ſit. Porro Commonitorii hujus Autor Vincentius anno circiter CCCCXLIX. mortem obiit, Theodoſio & Valentiniano imperantibus. Quodque admirationem efficit, Semi-Pelagianiſmi fuligine vir ille reſperſus, ſedem habet io Martyrologio Rom. quod ipſius memoriam die Maii XXIV. celebrat, & qui ad Lerinenſe Monaſterium in Gallia celeberrimum divertont, Vincentii reliquias proni venerantur.

XII. Conſtitutâ Vincentii opinione, nil cauſæ videtur eſſe, cur Objectiones à Proſpero diſſolutæ, non ipſi vindicentur. Sunt autem numero ſexdecim, quas noſtris non inutiliter Annalibus inſeremus. I. *Quòd Dominus noſter J. C. non pro omnium hominum ſalute & redemptione ſit paſſus.* II. *Quòd Deus nolit omnes ſalvare, etiamſi omnes ſalvari velint.* III. *Quòd Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.* IV. *Quòd major pars generis humani ad hoc creetur à Deo, ut non Dei, ſed Diaboli faciat voluntatem.* V. *Quòd peccatorum noſtrorum autor ſit Deus, eò quòd malam faciat voluntatem hominum, plaſmet ſubſtantiam, quæ naturali motu non poſſit niſi peccare.* VI. *Quòd Deus tale in hominibus plaſmet arbitrium, quale eſt Dæmonum, quod proprio motu nihil aliud poſſit, vel velit, niſi malum.* VII. *Quòd hæc ſit voluntas Dei, ut magna pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec velit, nec poſſit.* VIII. *Quòd nolit Deus, ut omnes Catholici in fide Catholica perſeverent, ſed velit ut magna exinde pars apoſtatet.* IX. *Quòd velit Deus, ut magna pars Sanctorum à ſanctitatis propoſito ruat.* X. *Quòd adulteria & corruptela Virginum ſacrarum ideò contingant, quia illas Deus*

Vincentius Lirinenſis Vincentianarum Objectionum Autor eſt.

ad

ANNO DOM. 434.

ad hoc prædeſtinavit, ut caderent. XI. *Quòd quando inceſtant patres filias, & matres filios, vel quando ſervi Dominos occidunt, ideò fiat, quia ita Deus prædeſtinavit, ut fieret.* XII. *Quòd Dei Prædeſtinatione efficiantur de Filiis Dei Filii Diaboli & de Templo S. Spiritus Templa Dæmonum, & de membris Chriſti membra meretricis.* XIII. *Quòd omnes illi Fideles & ſancti, qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt, quando ad vomitum ſuum relabuntur, vitio quidem ſuo hoc facere videntur; ſed ipſius vitii cauſa eſt divina Prædeſtinatio, quæ illis latenter ſubſtrahit bonas voluntates.* XIV. *Quòd pars magna illa Chriſtianorum, Catholicorum, Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædeſtinata eſt, etiamſi petat à Deo ſanctitatis perſeverantiam, non impetrabit, eò quòd mutare non poteſt divina Prædeſtinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præcipitavit, ut caderent.* XV. *Quòd omnes illi Fideles & ſancti, qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt, poſteaquam ceciderint, ſic à Deo diſpenſentur, ne poſſint, vel velint per pœnitentiam liberari.* XVI. *Quòd magna pars illa Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad æternam mortem prædeſtinata eſt, quando dicit Deo in oratione Dominica, Fiat voluntas tua, nihil aliud quàm contra ſe petat: id eſt, ut cadant & ruant, quia voluntas Dei hæc eſt, ut æternâ morte pereant.* Quibus quæſtionibus Proſperum labente anno ſatisfeciſſe exiſtimamus. Id innuit ipſius Præfatio contra Collatorem, Joannem ſcilicet Caſſianum: *Gratiam Dei, quâ Chriſtiani ſumus, quidam dicere audent à ſancta memoriæ Auguſtino Epiſcopo, non rectè eſſe defenſam, libroſque ejus contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quieſcunt.* Hæ certè calumniæ in Vincentianis Objectionibus deprehenduntur, quæ ejuſdem cum Commonitorio ætatis eſſe, ſit vero ſimile. Liber autem Proſperi de Gratia Dei contra Collatorem hoc anno conditus eſſe videtur, ut ex verbis ipſius colligimus: *Viginti amplius annis contra inimicos Gratiæ Dei Catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vincit: vincit dico, quia non patitur reſpirare, quod vincit.* Eſt autem pugnæ hujus initium à Carthaginenſi Synodo anno CCCCXII. celebratæ deſumendum.

Proſp. Præf. lib. cont. Coll.

XIII. Proſperi mentio ſubjicit, ut de eo viro referamus. Gente Aquitanum Proſperum fuiſſe, tritum eſt atque vulgatum. Id conſtat ex Gennadio: *Proſper homo Aquitanicæ regionis.* Reienſem civitatem patriam habuit. At Epiſcopus necne fuerit, quæritur inter eruditos. Affirmant cum multis Baronius, atque Bellarminus. Satis ſit audire Baronium, quem refellendum ſuſcepimus. Anno CCCCLXVI. *Sanctus Proſper, Regienſis in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, ex hac vita migravit, cùm ſediſſet annos ſaltem viginti quatuor.* Nos verò eorum magis ſententiæ ſumus, qui *Proſperum* Laicis inſerunt. Quæ ſententia non ſpernendis rationibus fulcitur. Ac primùm Laicum fuiſſe, cùm Epiſtolam de Maſſilienſibus Auguſtino direxit ſuam, ex Auguſtini reſponſione liquet, qui nullo Proſperum Eccleſiaſtico ſive Diaconi, ſive Presbyteri titulo nobilem fecit. Neque magis Clerici dignitatem ſibi aſcivit Proſper in ſua ad Rufinum de libero Arbitrio Epiſtola, cujus titulus hic eſt: *Domino fratri dilectiſſimo in Chriſto, & merito venerabili Rufino, Proſper æternam dicit ſalutem.* Nondum igitur Clericum agebat. Neque ad Eccleſiaſticos honores aſcendiſſe poſtmodum, docent

Proſper Aquitanus. Nùm Epiſcopus fuerit?

Bar. An. 466. n. 14.

Proſp. p. 347.

ANNO DOM. 434.

Veterum teſtimonia. Victorii ad Hilarium Præfatio Paſchalis Feſti hæc habet: *Recenſitis igitur fidelibus hiſtoriis Veterum, B. ſcilicet Euſebii Cæſarienſis Palæſtinæ Epiſcopi, ac perinde his, quæ à ſanctæ memoriæ Hieronymo iiſdem Chronicis ſunt adjecta Presbytero, hiſque etiam, quæ à ſancto & venerabili viro Proſpero.* Proſperum ſanè non minus quàm Euſebium aut Hieronymum Eccleſiaſticâ dignitate *Victorius* induiſſet, ſi Laicorum ordine exemptus fuiſſet. Cur Canonem Victorii *Paſchalem* clariſſimus *Du Pin* vocet, *une Chronique*, prorſus neſcimus: *Victorius dans la Preface de ſa Chronique.* Gennadius quoque pro puro putoque Laico Proſperum habuit: *Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus, & aſſertionibus nervoſus.* Quid ni Epiſcopi titulum impoſuit Proſpero, ſi illum geſſiſſet? Reienſem quidem Epiſcopum non fuiſſe, quod tamen ſecundum Trithemium cenſet Baronius, ex Sidonii Eucharistico ad Fauſtum Reienſem Epiſcopum liquidò conſtat:

Vict. Præf. c. 7.

Fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus, Monachoſque Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis.

Sidon. Car. 16.

Nullus ergo Maximum inter & Fauſtum Epiſcopus Eccleſiæ Reienſi impoſitus eſt. Gemini Proſperi, qui in Gallia munere Presbyteri donati ſunt, à Tyrone Proſpero diſcrepant.

XIV. Nunc vitæ ipſius breviarium oratione complectamur. Anno CCCCXXIX. de Maſſilienſium opinionibus egregiam Auguſtino Epiſtolam ſcripſit. Quæ cauſa fuit, cur ſcribendis & de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono Perſeverantiæ libris animum ſanctus ille Pater admoverit. Anno CCCCXXXI. pietate accenſus ſuâ, cum Hilario Cœleſtinum convenit, ut Presbyterorum, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudebant, audaciam comprimeret. Vigilantiæ itaque & ſtudio Proſperi, ad Galliæ Epiſcopos Cœleſtini debetur Epiſtola, quâ & laudibus ob ſuam *erga Deum ſollicitudinem* ornatus eſt. Redux in Galliam Vincentianas Objectiones eliſit, Caſſianique Collationes, quæ in pretio multis erant, labente hoc anno confutavit. Poſt annum CCCCXL. à Leone Pontifice evocatur, ut illi eſſet ab Epiſtolis, & tumultuantes in Italia Pelagianos opprimeret. Ad annum uſque CCCCLXIII. vitam produxiſſe videtur, in quo de Proſpero hæc Marcellinus habet: *Viviano & Felice Coſſ. Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus & aſſertionibus nervoſus, multa compoſuiſſe dicitur. Epiſtola quoque Papæ Leonis adverſus Eutychem de vera Chriſti Incarnatione data, ab iſto dictata creduntur.* Quæ ex Gennadio deſumpta ſunt. In vita Proſperi à Joanne Antonio Flaminio Immolenſi contexta: *Obiit Proſper VII. Kal. Julii, hoc eſt, quinto ac vigeſimo Junii die, qui Beati Joannis Baptiſtæ nativitatem ſubſequitur, anno ab adventu Chriſti quadringenteſimo ac ſexageſimo ſexto.* Noſtro Proſpero librum de Promiſſionibus & Prædictionibus aſcribit Baronius. Cujus ſententiam refellit Autor, qui non obſcurè Carthaginenſem ſe civem fuiſſe prædicat. Quo enim tempore Aurelius hujus urbis Epiſcopus in loco Cœleſtis Cathedram habuit & ſedet, Autor tum adfuiſſe ſe memorat: *Ipſe tunc aderam cum ſociis & amicis: atque ut ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat, dum curioſi ſingula, quæ pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe ingeſſit aſpectus, titulus æneis, grandiori-*

Proſperi vitæ breviarium.

Bar. An. 334. n. 15.

Proſp. de Prom. c. 38.

dioribuſque literis in frontiſpicio Templi conſcriptus, Aurelius Pontifex dedicavit. Quid eſt ſe Carthaginenſem dicere, ſi hoc non eſt? Proſper verò Gallus fuit. Nec anno labente Carthagine morabatur, cùm miraculum eſt in Araba factum, cujus Autor libri de Promiſſionibus teſtis ipſe fuit. In Gallia verò tum temporis verſabatur. Non diſplicet Natalis Alexandri conjectura, Afro cuidam Proſpero librum eum vindicantis. Quæ verbis Caſſiodori firmari poteſt: *Sanctus quoque Proſper ſedulâ curâ legendus eſt, qui tres libros totius autoritatis divinæ in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit.* Extant hodie tres illi libri, titulo promiſſionum & Prædictionum, qui cùm Caſſiodori teſtimonio ſint Proſperi cujuſdam, nec tamen ejus, qui Gallus erat, viro Carthaginenſi, cui & Proſpero nomen, jure aſcribi poſſunt. De Vita Contemplativa libros non Proſpero, ſed Juliano Pomerio, qui Arelato Rhetoricam docuit, vindicandos eſſe, ex Iſidori Hiſpalenſis autoritate permoti, eruditi fatentur. De vocatione Gentium liber, qui vulgò & Proſpero addicitur, ab eo eſſe abjudicandum, certiſſimè docent ſtylus ab illo Proſperi diverſus, altumque de Auguſtino ſilentium. Sed de hiſce ſatis, quæ ad Hiſtoriæ literariæ Scriptores magis attinent, qui adiri facillimè poſſunt.

Caſſ. Divin. Lect. c. 1.

Sedulius: num Presbyter? Opera ejus Paſchalia.

XV. Viris illuſtribus, qui eâ ætate florebant, addatur *Cælius Sedulius*, Poëta Chriſtianus. Trithemio, recentioribuſque nonnullis Sedulium gente Scotum eſſe placuit. Quam in opinionem hoc ſuo præjudicio ducti ſunt, quòd Sedulio Poëtæ Paulinarum Epiſtolarum collectanea aſcribenda forent, quod Sedulii Scoti, anno circiter DCCCXVIII. florentis, Opus eſſe, nunc eruditi fatentur. Ignoretur ergo patria Sedulii. Munus quod attinet, non defuere qui Epiſcopis Sedulium insererent. Extant duæ Acroſtichides, prior *Liberii* Poëtæ, poſterior *Beliſarii*, quarum primæ ultimæque literæ efficiunt quater, *Sedulius Antiſtes*. Sigeberto diſertè Epiſcopus nuncupatur. Quin etiam Pſeudo-Dexter *Oretanum* in Hiſpania Epiſcopum egiſſe tradit. Iſidoro tamen, qui Hiſpanus erat, Presbyter ſcribitur: *Sedulius Presbyter edidit tres libros dactylo heroico metro compoſitos.* Traditione valeat opinio hæc, quòd Presbyter fuerit; nam ex ſcriptis Sedulianis probari certè non poteſt. Imò colligitur potius, Presbyterum non fuiſſe. Titulus ad quinque libros Paſchalis Operis ſoluta oratione conditos, hæc habet: *Sancto ac beatiſſimo Patri Macedonio Presbytero, Sedulius in Chriſto ſalutem.* Non omittendum Presbyteri titulum ſibi non imponit. Macedonium, quem non tegebat Epiſcopalis infula, *Patris* afficit nomine, non *fratris*, quo Presbyter Presbyterum compellare debuiſſet. Similiter in Epiſtola, quam poëmati ſuo præfixit, de Presbyteratu ſuo ſilet: *Domino Sancto ac Patri beatiſſimo Macedonio Abbati, Cœlius Sedulius in Chriſto ſalutem.* Neque Presbyterum ſonant verba hæc Epiſtolæ: *Nullâ veteris ſcientiæ prærogativâ ſuffultus, tam immenſum Paſchalis pelagus majeſtatis, & viris quoque peritiſſimis formidandum, parvo lintre, tyro cucurrerim.* Denique fatetur, ſe *ſecularibus ſtudiis* fuiſſe occupatum, *luſibuſque infructuoſi operis non Autori* deſerviiſſe. Talia cogitantem Deus aſpexit, *ac fatuum prudentiæ mortalis ingenium cœleſti ſale condivit.* Ne hic quidem Presbyteratus ſui meminit, quem non prætermiſiſſet vir grati erga Deum animi, ut pro tantis in ſe meritis honorem autori rependeret. Velut alterum Apollonium Tyaneum, fugientem ſapientiam toto terrarum orbe perquiſiviſſe Sedulium, Sixtus Senenſis aliique memorant: ſed incertâ & obſcurâ famâ hæ peregrinationes innituntur. De Opere Paſchali libros I V. ſtricta primum, dein lib. V. ſolutâ oratione ſcripſit. Quorum ipſemet Operum ordinem indicat: *Priores libri, quia verſu digeſti ſunt, nomen Paſchalis carminis acceperunt: ſequentes autem in proſa, nullâ curſim varietate converſi, Paſchalis deſignantur Operis vocabulo nuncupati.* Porro noſtram Sedulius Chronologiam interpellare videtur, qui Theodoſio Magno carmen nuncupat ſuum:

> *Hæc relegas ſerveſque diu, tradaſque minori*
> *Arcadio.*

Obſervat tamen Uſſerius, ad Theodoſium Magnum carmen dedicatorium ab antiquiſſimis exemplaribus abeſſe: Sedulii quidem eſſe nequit, qui Macedonio Abbati, non Theodoſio Principi poëma ſuum dicavit. Itaque ſic Macedonium ſibi loquentem inducit: *Cur inquies, affabilis amice, quem gratia puræ dilectionis amplector, dum me profuſius niteris venerari præ cæteris . . . alios tanquam neglectos offendis?* Quod Opus ſi Theodoſio dicatum fuiſſet, non igitur Macedonio *præ cæteris* Sedulius honorem habuiſſet. Neque in ſua Epiſtola ne verbulo quidem de Theodoſio mentionem egit, licet & Urſini & Felicis, & *Syncleticæ Sacræ Virginis* meminerit. His accedat, quòd poëma, cui carmen nuncupatorium Theodoſio fuit præfixum, ab orbis creatione duxerit initium:

> *Hic tibi Mundi*
> *Principium, formamque Poli, hominemque creatum*
> *Expediet limo.*

Mundi verò hominiſque ortum in Opere Paſchali non canit Sedulius. Neque fingendum primum hujus poëmatis librum deſiderari. Quatuor duntaxat non quinque libris carmen conſtabat, ipſo Sedulio teſte: *Quatuor ergo mirabilium divinorum libellos, quos ex pluribus pauca complexus uſque ad paſſionem & reſurrectionem, aſcenſionemque Domini noſtri J. C. quatuor Evangeliſtarum dicta congregans ordinavi: contra omnes æmulos tuæ defenſioni commendo.* Uſſerii conjectura placet, carmen dedicatorium poëmatis vetuſtioris fuiſſe, quo deperdito, propter affinitatem materiæ atque ſimilitudinem titulus ejus poëmati Sedulii præfixus eſt. Cur ei Operis Paſchalis nomen impoſuerit, ratio hæc eſt, *quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Extat & Sedulii breve carmen, cui titulus eſt: *Hymnus Acroſtichis, totam vitam Chriſti continens.* Vox tamen *Acroſtichis* delenda eſt, cùm ex primis verſuum literis nil nominis componi queat; quod clariſſimum Du Pin non obſervaſſe miramur, cui hymnus vocatur, *une hymne Acroſtiche.* Collectanea Sedulii noſtri non eſſe jam monuimus, in quibus Gennadius Conſtantinopolitanus & Gregorius Magnus laudantur.

ANNO DOM. 435.

ANNO U. C. 1188. PER. JUL. 5148. JUL. 480. DOM. 435. THEODOS. 34. & 28. VALENTINIANI 10. & 11. *Sol.* 24. F. *Bun.* 18. *Indict.* 3. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 2. *P.* 31. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Auguſtus* XV. *& Valentinianus Aug.* IV.

Ætii victoriæ.

I. MAgnam Africa calamitatem à Vandalis acceperat. Hiſce cladibus aliquid delinimenti fuit ob conciliatam cum Barbaris pacem, cujus Proſper meminit: *Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per Trigetium, in loco Africa Hippone* III. *Idus Februarii.* At in Galliis imperii dignitatem Ætius uniter ſuſtinebat, quas à calamitate, mirâ & fortitudine, & felicitate defendebat, ut oppreſſos Barbaros ad pacem flagitandam cogeret, quod & nos Proſper docuit: *Eodem tempore Gundicarium Burgundionum Regem, intra Gallias habitantem Ætius bello obtrivit, pacemque ei ſupplicanti dedit, quâ non diu potitus eſt. Si quidem illum Hunni cum populo ſuo ac ſtirpe deleverunt.*

Sebaſtianus Comes.

II. Vulnere, quod ab Ætio acceperat, extinctus Comes Bonifacius, generum ſuum *Sebaſtianum* dignitatis ſuæ hæredem reliquerat. Quem quoque ſuperatum Ætius de palatio pepulerat. Diffidens rebus ſuis Sebaſtianus, ſe in Orientem receperat. Sebaſtianus exul & profugus effectus navigat ad palatium Orientis. *Relictâ ob inſidias Conſtantinopoli Barcinonem petit, ex qua fugatus, ad Vandalos migrat.* Hæc Idacius in Chronico. Quid tandem profugo contigerit, narrat ad hunc annum Marcellinus: *Sebaſtianus Bonifacii quondam patricii gener urbe Auguſtâ fugit, atque in Africa interemptus eſt.* Non eſt tamen exiſtimandum, Sebaſtianum anno labente mortem obiiſſe, quem inflammatâ jam perſecutione Gaiſericus occidit. Ad Arianorum communionem perducere eum Vandalus volebat. At cùm panem ſibi Sebaſtianus mundiſſimum afferri juſſiſſet, urgenti Regi reſpondet: *Iſte panis confringatur in fruſta, madedetur aquâ, & iterum conſpergatur, mittatur in furnum, ſi melior exierit, faciam quod hortaris.* Periit Sebaſtianus anno CCCCXL. ut tum docebimus. Conſtantinopoli *forum Theodoſii Imperatoris in loco, qui Helianu dicitur, ædificatum eſt.*

Vict. Ut. l. 1.

Neſtorius ad Oaſim relegatur: moritur.

III. Attingamus nunc res Eccleſiæ, ac primùm demus aliquid loci Neſtoriano exilio. Permiſſus fuerat Neſtorio poſt abdicationem ſuum ad Monaſterium reditus, quod duobus circiter ſtadiis ab Antiochena urbe diſſitum, Euprepii nomen gerebat. Ibi aliquandiu commoratus, omni honore & reverentiâ affectus fuerat. At Neſtorii inimicis commodiore uti exilio videbatur. Ex ipſius & quippe præſentia, & inſtitutione illi, qui partibus ejus ſtudebant, Joannis Cyrillique à communione magis abhorrebant. Placuit ergo Principi, gravius exilium injungi Neſtorio. Ac primùm *Petram* Arabiæ civitatem relegatur Edicto Theodoſii, quod eruditorum complures latuit. Theodoſiani Reſcripti verba ſunt, ad *Iſidorum* Præf. Præt. & Conſulem: *Tua proinde celebris dominatio hic pragmaticâ Sanctione, ſive peculiari auctoritate oſtenſa, prædictum Neſtorium ob admiſſam in ſe impietatem in perpetuum exilium Petras deportari jubeat, omnaque illius bona Eccleſia Conſtantinopolitana addicat, quæ auguſtiſſimis loco illius opes, cujus ille ſacra myſteria nuper prodidit, auctiores evadant.* Petram Palæſtinæ ſcimus, Oaſim neſcimus. Itaque poſteriori exilio Neſtorius Petrâ Oaſim conceſſit. Porro duas Oaſes eſſe, novimus ex Palladio in vita Chryſoſtomi. Quòd ſi vera de Oaſi prædicavit Olympiodorus, amœnum ſanè Neſtorius domicilium habuit. Narrat tam benignam loci hujus temperiem eſſe, ut qui ſacro morbo laborant, ſanitatem ibi recuperent: *Arbores perpetuò poma ferre, frumentum illic natum omni frumento eſſe præſtantius, niveque candidius: interdum bis quotannis hordeum ibi ſeri, milium autem perpetuò ter; rigare incolas ruſcula ſua, æſtate, tertio quoque die. Nunquam ibi cœlum nubes contrahere.* Hæc verò ſunt prorſus incredibilia, neque veroſimile, loca tam amœna reis deſtinata fuiſſe. Hic miſer ille Neſtorius luctuoſæ captivitati ſubditus, dimiſſus tamen tandem fuit à Blemmyis, quos apud captivum egerat. Narret ipſe, quas paſſus eſt calamitates: *Ob quæſtiones, quæ nuper Epheſi agitata ſunt, de ſanctiſſima religione Imperatoris juſſu Oaſim incolimus, quæ alio nomine Ibis dicitur. Poſtquam Oaſis barbaricâ captivitate, & igni ac ferro funditùs vaſtata eſt, nos verò à Barbaris, repentè neſcio quomodo miſericordiâ erga nos commotis, dimiſſi ſumus, qui minacibus etiam conteſtationibus nos terruerant, ut confeſtim ex noſtra regione excederemus, cùm Mazicos poſt ipſos eam protinùs occupaturi eſſent, venimus in Thebaidem unâ cum reliquiis captivorum, quos Barbari miſeratione adducti, ad nos neſcio quâ de cauſa adduxerunt. Et iſti quidem quo quiſque voluit abire permiſſi ſunt, nos verò palàm Panopolim ingreſſi, noſmet ipſos exhibemus.* Rogat inſuper Thebaidis Præſidem, ut ſuæ captivitatis curam gerat, ne poſteritas proclamet, ſatius ut quis apud Barbaros captivus degat, quàm ut ad Romanum imperium confugiat. Ex Panopoli Elephantinam, quod oppidum eſt in finibus Provinciæ Thebaidis, per barbaros milites abductus erat, cùm majore itineris parte confectâ, jubente Præſide Panopolim redire juſſus eſt. Caſuum acerbitate, & doloris moleſtiâ adhùc cruciabatur, cùm Præſidis mandato ex Panopoli ad quendam locum ei attributum deducitur. Expectabat ibi, quid de ſe Theodoſius ſtatueret, cùm repentè de quarto ipſius exilio Decretum componitur. Hæc addit ad commovendos affectus maximè idonea: *Sufficiat, quæſo, tot exilia contra unum corpuſculum decreviſſe: & poſt relationes, quas ad Principes miſit tua magnificentia, ut à nobis quoque, per quos id fieri decet, invictiſſimis Principibus rei veritas indicetur, humaniter permitte. Hæc noſtra ſunt conſilia, tanquam parentis ad filium. Quòd ſi nunc quoque ſicut anteà indignatus fueris, fac quodcunque tibi placuerit, ſi quidem animus tuus nullâ ratione flecti poteſt?* Ultima exulis fata unâ ſerie cum exilio connectamus. Reliquias vitæ nondum profuderat anno CCCCXXXIX. Quippe Socrates, qui eo tempore Hiſtoriam abſolvit ſuam, Theodoſio Conſulatum XVII. gerente, Neſtorii meminit, adhùc inter homines agentis: *Etiamnum depoſitus*, inquit, *& in exilium miſſus, Oaſim incolit.* Mortis hoc genus fuit, referente Evagrio: *Edicto Theodoſii, qui redire illum decreverat, loca ſubinde mutans, circa fines Thebaidis, & ad terram alliſus, dignum anteactâ vitâ exitum ſortitus eſt. . . . Ego verò Scriptorem quemdam legi, de illius morte ita narrantem. cum linguâ vermibus eroſâ, ad graviora & ſempiterna migraſſe ſupplicia.* Neſtorium

Evagr. l. 1. c. 7.

Lab. Conc. t. 3. 1060.

Phot. Bib. p. 191.

Evagr. l. 1. c. 7.

Socr. l. 7. c. 34.

Evagr. l. 1. c. 7.

ANNO DOM. 435.

ſtorium non linguâ modò, ſed corpore quoque corruptum fuiſſe, prodit Theodorus Lector in Hiſtoria: *Neſtorii corpus putredine conſumptum eſt. Cùmque evocatus eſſet ab Oaſi, ut in alium locum transferretur, evocationem illam fatali morte prævenit.* Quæ de infelici Neſtorii morte memorant, ab inimicis ejus ſparſa eſſe videntur. Baronio Neſtorii exilium in annum CCCCXXXVI. conferri placuit, perperàm ſanè, ni fallamur animi. Cùm enim Lege datâ 3. Non. Aug. Theodoſio XV. Conſule libri Neſtorii flammis addicerentur, incredibile eſt, Neſtorium Euprepii Monaſterium tum temporis incoluiſſe, hominique parcitum, dum in libros ſævitum. Quibus accedat, Neſtorium expreſſis verbis teſtari, *quadriennio ſe illic commoratum.* Quòd ſi anno CCCCXXXVI. in Oaſim eſt relegatus, Monaſterium plus quadriennio ſuum incoluiſſet, quod anno CCCCXXXI. poſt abdicationem ingreſſus eſt. Cœleſtinus quidem in ſua ad Patres Epheſinos encyclica Epiſtola, *data Idibus Martiis, Ætio & Valerio* Coſſ. hæc ſcribit: *Didicimus hunc Antiochiam reverti ſe, atque ſibi illic unde venerat, vivendi præſtitam facultatem.* Cenſetque longius eſſe ablegandum. Quæ cùm XV. Martii anni CCCCXXXII. ſcripta ſint, Neſtorium utique anno ſuperiore jam Euprepium incoluiſſe neceſſe eſt.

Theodor. l. 2.

Cœleſt. Ep. 11.

Libri Neſtorii damnantur.

Cod. Theod. de hæret. Leg. 66.

III. Neſtorii exilium damnatio librorum excepit, Reſcripto quod ad Leontium Præfectum Theodoſius direxit: *Damnato portentoſæ ſuperſtitionis autore Neſtorio, nota congrua nominis, ejus innuatur gregalibus, ne Chriſtianorum appellatione abutantur. Sed quemadmodum Ariani diva memoria Conſtantino, ob ſimilitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur, ſic ubique participes nefandæ ſectæ Neſtorii Simoniani vocentur, ut cujus ſcelus ſunt in deſerendo Deo imitati, ejus vocabulum jure videantur eſſe ſortiti. Nec verò impios libros nefandi ſacrilegii Neſtorii adverſus venerabilem Orthodoxorum ſectam Decretaque ſanctiſſimi cœtus Antiſtitum Epheſi habiti, ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat. Quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernimus. Ita ut nemo in religionis diſputatione aliquam de ſuprà dicto nomine faciat mentionem, aut quibuſdam eorum habendi Concilii gratiâ in ædibus, aut villa, aut ſuburbio ſuo, aut aliquolibet loco conventiculum clam aut apertè præbeat, quos omni conventus celebrandi licentiâ privari ſtatuimus. Scientibus univerſis, violatorem hujus Legis publicatione bonorum eſſe coërcendum. Dat. III. Non. Auguſti Conſtantinopoli,* Theodoſio VI. Conſule. Quæ Lex Græco Latinoque ſermone edita eſt, & ubique locorum promulgata, ut ab omnibus intelligeretur. Multos Neſtorius libros condidit, de quibus Gennadius: *Neſtorius*, inquit, *Hæreſiarches cùm in Antiochena Eccleſia Presbyter inſignis in docendo ex tempore Declamator haberetur, compoſuit infinitos tractatus diverſarum ὑποθέσεων. In quibus jam tunc ſubtili nequitiâ infudit poſteà prodita impietatis venena, quæ moralis interdum occultabat ſuadela. Poſtquam verò eloquentiâ & abſtinentiâ commendante, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pontificatus donatus eſt, apertum ſe Eccleſiæ hoſtem, quem diu celabat oſtendens, ſcripſit librum quaſi de Incarnatione Domini, ſexaginta & duobus divinæ Scripturæ teſtimoniis pravo ſenſu ſuo conſtructum.* Periere illi Neſtorii libri, ſuperſunt adhùc & Literæ ipſius, & fragmenta Sermonum, imò ſermo integer, qui Græcè extat apud Chryſoſtomum, Latine verò apud Marium Mercatorem. De quibus monumentis & Marius Mercator, & Lupi Sylloge legi poſſunt. Lapſu temporis Neſtorii diſcipuli à Doctoris ſui de peccato originis ſententia receſſere. Inſitam à parentibus noſtræ naturæ labem admittebat Neſtorius, qui & ſermonibus ſuis Pelagianos exagitaverat. Neſtoriani verò tranſmiſſum naturæ vitium non agnoſcebant, teſte Photio: *Lectus eſt liber contra Pelagianam & Cœleſtianam hæreſim, cujus hæc inſcriptio: Exemplar Actorum ab Occidentis Epiſcopis adverſus Neſtoriana dogmata. Hic refert eandem eſſe Neſtorianam & Cœleſtianam hæreſim.* De viribus verò liberi Arbitrii hæc addit: *Aſſerunt quandoquidem noſtra Chriſtus naturæ ſit particeps factus, & Deus omnes homines ſimiliter ſalvos fieri volit, unum quemlibet etiam per arbitrii ſui libertatem propitium peccatum corrigere, & Deo dignum ſe facere.* Cur verò Neſtorianis jubente Theodoſio Simonianorum nomen inditum ſit, cauſa hæc eſſe videtur. Fingebat Simon, Helenæ de cœlo lapſæ ſe poſtmodum junxiſſe; Neſtoriani verò cenſebant, Mariam peperiſſe hominem nudum, cujus meritis Deum provocatum in ipſum deſcendiſſe.

ANNO DOM. 435.

Phot. C. 54. 43.

IV. Neſtorii fautores involvit ipſius pœna. Comes Irenæus ad *Petram* Arabiæ cum Photio relegatur. Qua de re Reſcriptum extat in Lupi Sylloge: *Damnato Principe portentuoſæ culturæ Neſtorio, juſtum eſt, ut impiæ ejus culturæ participes ſentiant validiſſimam pœnam. Ab hoc Irenæum, qui maledictum Neſtorii cultum non ſolùm ſecutus eſt, ſed & inſtituit, & ſtuduit, multas cum eo Provincias, eò quòd ipſe tali culturæ præeſſet, evertere, nudatum cunctis dignitatibus, & inſuper ipſâ propriâ facultate, & Photium verò eiſdem impietatibus implicatum, adæquè facultate nudatum, quæ & in publicam proficiet rationem, in Petris exiliari decrevimus, ut paupertate perpetuâ, & locorum ſolitudine crucientur, Iſidore Pater honorandiſſime. Glorioſa igitur atque magnifica autoritas tua huic noſtro Decreto pragmatico competenter obediet, deputato ſufficienti ſolatio, ut ad præfatum exilii tramitem præfati religionis noſtræ violatores abigantur.* Oreſtes Stephanuſque ad Photium Irenæumque in ſuum exilium deducendos deſtinantur. Epiſcopi quoque complures ſolum vertere coacti ſunt. Quorum Catalogum exhibet Irenæus: *Alexander Epiſcopus Hierapolis Euphrateſiæ, qui exiliatus eſt in Phamotim, Ægypti metallum. Abibus Dolichæ, quo ejecto, alter ordinatus eſt à Joanne. Dorotheus Marcianopolitanus, Metropolitanus Mœſiæ. Iſte ejectus, exiliatus eſt in Cæſarea Cappadociæ. Valerianus & Eudoxius Mœſiæ, qui ſub eodem Dorotheo exiſtentes, ultrò ab Eccleſiis receſſerunt. Meletius Mopſueſtenus ſecundæ Ciliciæ. Hic exiliatus, in Melitina Armeniæ civitate defunctus eſt, multa millia paſſus ab Acacio, ejus Eccleſiæ Præſule. Zenobius Epiſcopus Zephyrii primæ Ciliciæ, qui ultrò quidem reliquit Eccleſiam, poſt hæc verò in Tiberiadem relegatus eſt. Sed & inde fugatus, dum ſe hunc ipſum denunciaſſet exiſtere. Eutherius Epiſcopus Thyanenſium, Metropolitanus Cappadociæ ſecundæ, qui ab Eccleſia ejectus, relegatus eſt quidem Scythopolim. Similiter & inde fugatus, in Tyro defunctus eſt. Paulianus Hypatæ, qui & ultrò ceſſit Eccleſia. Baſilius Metropolitanus non acquievit, ut cum reliquis eum, qui non deliquerat, condemnaret. Julianus Metropolitanus Sardicenſis, qui & ipſe ſe inſontem à fraterna punitione ſervans, ad multa millia perten-*

Comes Irenæus Photiuſque Neſtoriani relegantur. Complures Epiſcopi pelluntur.

Lup. Syll. c. 188.

Lup. Syll. c. 190.

lprum

Digitized by Google

ANNO DOM. 435.

torum pervenire prælegit. Theoſebius Epiſcopus Chii, qui erubeſcentibus eum ejicere, in ſua eſt defunctus Eccleſia. Nec tamen Neſtorii depoſitioni conſenſit, nec communicare ulterius pertulit his, qui Cyrillo adjuncti ſunt. Acilinus Barbaliſſi Euphrateſiæ: hic à Caſtris quidem fugatus eſt, dum communicare Antiocheno non acquieſceret, poſt hæc autem communicavit quidem, non tamen & homicidio aſſenſit. Maximinus Demetriadis Theſſaliæ, qui mox ſeipſum poſt factam in Neſtorio iniquitatem ab Eccleſia ſeparavit.

Orientales Neſtorianiſmo favere putantur.

V. Decreto Imperatoria pax reſtituta videbatur. De magnis, quos habuerat ſucceſſibus, Joannes ipſe gloriabatur in ſua ad Proclum Epiſtola. Narrat, illos qui ex ſecunda Phœnicia venerant ordinando Theodoro Epiſcopo, Neſtorii damnationi ſubſcripſiſſe. Cilices *ab anno præterito, his conſona per* Ariſtolaum complevisse, Arabes per Metropolitanum ſuum Antiochum hic acquieviſſe. Meſopotamiam, Oſrhoënam Euphrateſiam, & Syriam ſecundam, quæ à Joanne facta fuerant, comprobaſſe. Arma nunc in Gentiles Judæoſque eſſe convertenda; quòd impii illi recenti, *Archidiaconum mirabilem virum in theatrum deducentes puniverunt.* Non diſſimulat tamen, eſſe adhùc in Cicilia Neſtorianæ factionis homines, qui Chioneo reſiſterent.

Lup. Syll. c. 197.

Cæterùm per animos Reſcripta Principis concordiam non infuderant. Teterrimi adhùc diſſidii ſcintillæ relinquebantur. Neque candidam ſatis ſinceramque Orientalium de damnatione Neſtorii profeſſionem Cyrillus exiſtimabat, ut ex ipſius ad *Lamponem* Presbyterum Epiſtola perſpicuum eſt. Æliæ degebat Cyrillus, cùm Epiſtolam accepit à Clericis, Monachis, Laicisque conſignatam, quâ Orientis perſtringebantur Epiſcopi, qui ſe Neſtorio inimicos fingentes, in Theodori de Incarnatione ſententiam, multò Neſtorii blaſphemiis deteriorem deſcenderant.

Lup. Syll. n. 106.

Sed & Cyrillo *Berenianus* Tyri Epiſcopus ſignificaverat, Principis Decretum Ariſtolao Tribuno miſſum eſſe, quo Neſtorius anathemati ſubjici, ipſiusque error *Simonianus* appellari jubebatur. Tum Cyrillus Ariſtolaum ſuſpicionum plenum ſcripto edit, ut qui Neſtorium damnaverant, Confeſſioni, quam mittebat, ſubſcriberent, ſcilicet Chriſti Deique hominis unam perſonam eſſe. *Quippe qui inconvertibiliter, & inconfuſe incarnatus, eſt unigenitus.* Paria quoque & gemina nunciat Joanni Antiocheno:

Lup. Syll. c. 194. 195.

Dicuntur quidam illic religioſiſſimorum Epiſcoporum impium quidem Neſtorium anathematizare, & dementiſſima dogmata ejus; tentare verò rurſus quaſi ex permutatione ea, quæ ejus ſunt, ſapere & loqui, & diſſolvere conſcientiam fratrum, pro quibus Chriſtus eſt mortuus. Neque calumniam effugit *Theodoritus* Cyri Epiſcopus, à Daniele Presbytero apud Cyrillum accuſatus, quòd Neſtorii è doctrina non receſſiſſet. Qua de re Cyrillus Joanni ſcripſit.

Lup. Syll. c. 110.

Theodorus Mopſueſtenus Neſtorianiſmi apud Proclum accuſatur, atque Cyrillum. Synodus Armeniaca.

VI. Itaque qui Neſtorio infenſi erant, novas fabricant machinas, quibus fautores ipſius obruerentur. Diodorum ergo Tarſenſem, & Theodorum Mopſueſtenum accuſatum eunt, veluti autores Neſtoriani dogmatis, quorum libri non erant ſuſcipiendi. Accuſationis hujus duces, Acacius, atque Rabulas Epiſcopus, quem oculis captum fuiſſe, Theodorus Lector ſcripto prodidit. Quid in ea re geſſerint, doceat Liberatus:

Liber. c. 10.

Ubi hæc agnoverunt Acacius Melitenus in Armenia Epiſcopus, & Rabula Edeſſæ civitatis Epiſcopus, ſcripſerunt Armeniæ Epiſcopis, ne Theodori Mopſueſteni libros ſuſciperent, tanquam Hæretici eſſent, & autores dogmatis Neſtoriani, inſimulantibus Epiſcopis Ciliciæ, Rabulam & Acacium, quòd non ex charitate, ſed ex æmulatione & contentione feciſſent. Congregati ſunt ergo in unum venerabiles Armeniæ Epiſcopi. Ut in pauca rem contrahamus, Armeni duos ad Proclum Conſtantinopolitanum Presbyteros mittunt, *Leontium* & *Aberium*, *cum uno volumine Theodori Mopſueſteni*, ut ſcirent, Theodorine an Rabulæ Acaciique doctrina vera foret. Armeniorum ſuſceptâ legatione, prolixam Proclus ad eos de fide Epiſtolam mittit: *Dei amantiſſimis & venerabilibus Epiſcopis & Presbyteris, & Archimandritis, Orthodoxæ, Sanctæ per totam Armeniam Eccleſiæ, Proclus in Domino ſalutem.* Teſtatur autem, gravi ſe moleſtiâ affectum fuiſſe, ob diſſeminatos ipſorum in Provinciis errores. Gentes in tenebris palantes, virtutis quatuor quidem ſpecies conſtituiſſe; Paulum verò Apoſtolum virtutes Ethnicis ignoratas præcipua in commendatione habuiſſe, fidem ſcilicet, ſpem, & charitatem. Fidem, quæ bonorum caput eſt omnium, puram ſervandam eſſe. De Chriſto autem, quæ cauſa legationis fuit, hæc habet:

B. M. P. c. 6. 613.

Unus eſt Filius, unus eſt Dominus, Trinitatem namque unius eſſentiæ confitemur, quartam nullatenus admittentes in Trinitate perſonam. . . . Non igitur alter eſt Chriſtus, & alter Deus Verbum, quod abſit, duos enim Filios natura divina non novit. . . . . Ut fidem faceret Verbum manens, quod erat, factus eſt caro, id eſt, infans, & homo perfectus. Tanto ſacramento nullâ ratione violato, idem ipſe perficiebat miracula, & injurias ſuſtinebat, per ſigna quidem divina; manſiſſe id, quod erat inſinuans, per paſſionem autem factum, quod formaverat manifeſtans. Procli hanc Epiſtolam Dionyſius Exiguus Latinam fecit, ut *Feliciano Paſtori* obſequeretur. In Græco deeſt annus, quo Epiſtola eſt concinnata; legitur verò in verſione, *data Conſtantinopoli, Conſulatu piiſſimorum Theodoſii Aug.* V. *& Valentiniani* IV. Neque ſolis Armeniis de fide Epiſtolam ſcripſit, aliam cum Libello Joanni miſit Antiocheno, de quibus mentio eſt apud Liberatum. De tomo ſic habet: *In eo poſuit ad interimendum Neſtorianorum verſutias, qui duas in Chriſto inducunt perſonas, unum de Trinitate incarnatum, quem & direxit Joanni Antiocheno per Theodorum Diaconum, continentem ſubter Capitula ab Hæreticis prolata, expetens ab eo pro communi fide ſervanda, ut cum ſuo Concilio eum ſuſciperent, & ſubſcriberent. Joannes autem, & qui cum eo erant congregati Epiſcopi, legentes tomum, & ejus laudantes compoſitionem, ſubſcripſerunt in eo, & Proclo tranſmiſerunt.* Et paucis pòſt lineis:

Liber. c. 10.

Scripſit Proclus Epiſtolam ipſi Joanni, cui & tomum ſuum direxerat, in qua dicit, Dicentes autem paſſibilem Deum, id eſt, Chriſtum, confitemur eum, quia eſt ſecundum quod factum ſit, id eſt, propriâ carne crucifixum. Et ita prædicantes nullo modo fallimur. Quoniam quidem & unum ex Trinitate ſecundum carnem crucifixum fatemur, & Divinitatem paſſibilem minimè blaſphemantes. Quæ quidem Epiſtola ab ea diverſa eſt, cujus initium, *Arbitror cognoſcere*, utpote Ibâ Epiſcopatum defuncto Rabulâ Edeſſenum jam obtinente. Tam tomi, quàm Epiſtolæ ad Joannem à Proclo miſſæ meminit & Cyrillus in ſuis ad Acacium Melitinenſem literis. Veniſſe dicit Orientis

Digitized by Google

tis Epiſcopos Antiochiam, ad quos Proclus tomum direxerat ſuum, excerpta Theodori & Neſtorii continentem, quorum damnationem flagitavit. Quam prorſus rejecere. Scripſerunt & ad Cyrillum, ſi anathemate ſcripta Theodori damnentur, Athanaſium, Baſilium, Gregorium, Theophilum damnationi huic includi, utpote qui ſcripſere quædam Theodoro conſona.

Lup. Syll. c. 221.

Cyrillus apud Imperatorem Theodorum accuſat.

Liber. c. 12.

VII. Non Joanni modò, ſed Cyrillo quoque Procli liber miſſus eſt. Id nos Liberatus docuit: *Baſilius quidam Diaconus ſumens tomum Procli, quem Armenus ſcripſerat, Alexandriam venit, & Armeniorum Libellos ſuo Libello annectens, obtulit Cyrillo, ejuſdem urbis Antiſtiti. Quibus rumoribus, ut ferunt, permotus Cyrillus, quatuor libros ſcripſit. Tres adverſus Diodorum Tarſenſem, & Theodorum Mopſueſtenum, quaſi Neſtoriani dogmatis auteres.* Accepto & Procli, & Armeniorum Libellis, dandam Imperatori Epiſtolam miſit, quâ ſignificabat, qui damnationem in Neſtorium rotferant, illos Diodori Theodorique in opiniones lapſos eſſe. Verba ipſa Cyrilli referamus: *Theodorus quidam fuit, & ante hunc Diodorus Epiſcopus. Hic quidem Tharſi, ille verò Mopſueſtiæ. Hi patres fuerunt Neſtorii blaſphemiæ. Voluit igitur impius Neſtorius ea, quæ illorum ſunt, ad medium deducere. Dum verò anathematizaſſent, quæ ejus ſunt, nonnulli Orientis Epiſcopi, altero modo hæc ipſa inducunt, dum ea, quæ ſunt Theodori, admirantur, & eum rectè ſapere dicunt, & conſonè Patribus noſtris, Athanaſio, Gregorio atque Baſilio.* Nec diſſimilem Acacio Melitinenſi Epiſtolam miſit, in qua & hæc legimus de opinionibus Theodori: *Sic verò eos, qui ab Oriente ſunt, aſſecerunt, ut & exclamationes in Eccleſiis à Populis fierent, Creſcat Theodori fides. Sic credimus, ſicut & Theodorus.* Turbarum fax maxima Diaconus & Archimandrita *Maximus*, qui loca omnia querelis implebat ſuis, quòd Orthodoxis in Oriente nil loci eſſet, Alexandriam migravit Orientales accuſaturus, quòd Nicænam Synodum perperàm interpretarentur. Querelarum Libellos ut Principibus offerrentur, Lamponi Presbytero Cyrillus mandat, in ſpem ſe venire dicens, quòd Theodori fautores Reſcriptis Auguſteis opprimi poſſent. Quod verò Principis Reſcriptum Epiſtolâ Cyrillus ſuâ impetrare tentabat, illud etiam elicuit. Hoc Cyrillo Melitinenſis gratulatur Acacius: *Didici*, inquit, *quòd literæ Deo amantiſſimi, & amatoris Chriſti Imperatoris venerint ad clariſſimum, & per omnia habentem virtutem meum Tribunum Ariſtolaum, jubentes unumquemque Epiſcoporum compelleret in ſua Eccleſia anathematizare polluta Neſtorii, atque Theodori dogmata impietatis.* Cyrillum itaque rogat, ut viros pietate inſignes cum Ariſtolao mittat, qui unumquemque cogant publicum anathema pronunciare Neſtorii & Theodori dogmatibus, eos præcipuè, qui dicunt, poſt conjunctionem quamlibet naturarum in Chriſto, quæ propria ſunt, operari: *Eorum namque, qui in Germanicia ſunt, aliquos experimentatus, inveni quidem duos filios dicere recuſantes, at verò duas naturas dicere non abnuentes. Unde ſi concedatur, ut dicatur atque doceatur ab eis quia unaquæque natura per ſemetipſam operatur, & hæc quidem paſſa eſt, impaſſibilis verò illa permanſit, nihil eſt aliud niſi duos iterum Filios confiteri, & partes induci.* Miram Acacii doctrinam, quæ ab errore graviſſimo liberari nequit. Hîc tamen ſilet Cyrillus, non minis, non monitis peccantem ab hæreſi revocat, imò cum eo arctâ tenerâque amicitiâ conjungitur.

Lup. Syll. c. 198.

Lup. Syll. c. 205.

Lup. Syll. c. 206.

Lup. Syll. c. 83

ANNO U. C. 1189. PER. JUL. 5149. JUL. 481. DOM. 436. THEODOSII 35. & 29. VALENTIN. 11. & 12. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 19. *Indict.* 4. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 3. 4. *P.* 19. *April.*

COSS. *Iſidorus & Senator.*

I. QUi Gallias incolebant Gothi, adverſus Romanos hoſtilia induebant. Ac quod ipſis ſolemne fuit, pacis fœdera perfidioſè, crudeliterque violabant. Audiamus Proſperum: *Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia vicina ſuis ſedibus occupant, Narbonenſi oppido maximè infeſti, quod cum diu obſidione & fame laboraret, per Litorium Comitem ab utroque periculo liberatum eſt. Siquidem per ſingulos equites binis tritici modiis advectis, ſtrenuiſſimè & hoſtes in fugam vertit, & civitatem annonâ implevit.* In Oriente omnia pacata erant, Theodoſianæ pietati otia faciente Deo. Princeps *Cyzicum civitatem navibus petit, multáque eidem civitati munificentiâ præſtitâ, urbem Auguſtam renavigavit.*

Litorius Narbonam ab obſidione Gothica liberat.

Marcell. Chronic.

II. Vacemus nunc Eccleſiæ negotiis. Joanni Antiocheno magnum intolerandumque dolorem inurebat, quod Theodori Mopſueſteni memoriam complures inceſſerent. Ut ſua defuncto fama ſervaretur, Concilium apud Antiochiam cogitur, cujus Liberatus meminit: *Joannes Antiochenus Epiſcopus Synodo congregatâ, tres pro Theodoro Mopſueſteno dictavit Epiſtolas. Unam quidem direxit Theodoſio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, laudans in eis Theodorum, & exponens ejus ſapientiam.* Harum Epiſtolarum fragmenta extant apud Facundum. Imperatorem ſic alloquitur Synodus: *Theodorus, quem quando dicimus, virum dicimus in Epiſcopatu clarum finem habentem, & quinquaginta penè annis fortiter repugnantem cunctis hæreſibus, & in expoſitionibus, quas in omnibus Eccleſiis Orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde eſſe comprobatus apparet, à nullo quoquam, neque majorum, neque ſimilium judicatus eſt Hæreticus. E contrario autem ab omnibus Sacerdotibus propter eam, quæ illi aderat doctrinæ gratiam, in admiratione ſemper eſt habitus, & ſuperiorem honorem gloria poſſedit, & non à Sacerdotibus tantummodò, ſed à ſacratiſſimo veſtro Avo dicimus ter beato, & à Deo imperii ſceptra ſumente, & vobis tranſmittente Theodoſio, qui in deſiderio viſionis viri factus, in Eccleſia ejus doctrinæ fuit auditor magnus ille Imperator: nec arbitratus eſt, alterum ſe talem comperiſſe Doctorem, ſuper admiratus quidem ejus doctrinam, & colloquio delectatus atque obſtupefactus tuus, quem nunc ſpernunt aliqui, tanquam ſortem ſumentes, probandi & reprobandi obeuntium Doctorum, quos volunt. Jam verò & à veſtro imperio, pro ſua reverentia & ſpiritali ſapientia, ei ſæpius atteſtatum eſt, & veſtris literis honoratus eſt.* Et inferius: *Iſte ille eſt Flaviani magni Antiochenſium Sanctæ Dei Eccleſiæ Pontificis amantiſſimus diſcipulus, & B. Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi condiſcipulus, cujus memoriam redivivam feciſtis, maximam hinc gloriam pietatis veſtræ imperio facientes.* Aliud & fragmentum addamus Epiſtolæ

De Theodori Mopſueſteni fama Concilium Antiochenum.

Liber. cap. 10.

Facund. l. 2. c. 2.

hujus:

ANNO DOM. 436.

Facund. l. 8. c. 3. Inficiatur & Facundi liber VIII. cap. 5.

hujus: *Si autem quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis invenire dicat in ejus, vel aliorum literis, hoc retractatione neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in Sacerdotio & miniſterio optimum habuit finem, his præclaram gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui eos atrociter accuſant. Impoſſibile enim eſt, cùm homines ſint, qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de Eccleſiæ Doctoribus dicimus? Quoniam & ipſa Sancta Evangelia multi Hæreticorum ad ſuam vertiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus Eccleſiæ diſcindentes. Hæc in brevi pietatem veſtram nos omnes Epiſcopi, qui in Antiochiam Dei ſumus gratiâ congregati, docemus.*

Synodi Antiochenæ ad Proclum & Cyrillum Epiſtola.

Facund. l. 1. c. 1.

III. Nonnulla quoque Antiochenæ ad Proclum Synodicæ fragmenta exhibeamus: *Tomum, qui ad Armenos factus eſt, à reverendiſſimo noſtro filio Diacono Theodoſio, qui dignus eſt tuis diſpoſitionibus miniſtrare, ob eam, quæ ineſt ei ſuper ætatem diligentiam, & percepimus, & cum omni delectatione ejus fecimus mentionem. Faciebat autem nobis delectationem non pulchritudo compoſitionis ſola, neque argumentationum multitudo, contra utramque partem adverſantium pertractata, quantum ipſa ſacrorum dogmatum cautela, ſimul & pietas. Pietas quidem, quia regalem divinarum Scripturarum, in his, quæ dicebantur Verbum veritatis, recte confitens, pergebas, non ſine teſtimonio Scripturæ præſumens aliquid ex poteſtate propria prædicare. Cautela verò, quia cum divinis Scripturis etiam Patrum dicta ad probandum quæ dicebantur, proponebas.* Et libri octavi c. 5. *Et quid de cætero nominis adſit doctrinis, ſic admirabilibus & famoſiſſimis viris poſt mortem damnatis? Non meum ergo eſt glorioſis eorum, qui præceſſerunt opinionibus inſultare, neque judicare eos, qui honoratè defuncti ſunt, ſed ſolius Judicis vivorum & mortuorum.*

Facund. l. 2. c. 2.

Quibus & hanc addere laciniam liceat: *Non ſolùm nos viventes tales calumnias ab his, qui conturbare volunt Eccleſias, continuè ſuſtinemus; ſed & qui benè de vita profectus eſt B. Theodorus, & quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulſit, & omnem hæreſim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab Orthodoxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc diſceſſum, & poſt multa certamina, & poſt decem mille libros adverſus hæreſes conſcriptos, & poſteaquam in conſpectu Sacerdotum & Imperatorum & populorum probatus eſt, periclitatur quæ Hæreticorum ſunt ſuſtinere, & illis proximus prædicari.* Antiochenſium & ad Cyrillum Synodicæ ſubjiciamus particulam: *Deo amabili & ſanctiſſimo Epiſcopo Cyrillo, Joannes Antiochiæ, & qui cum eo Deo amabiles Epiſcopi.* De Theodori inimicis autem hæc dicunt: *Nunc iidem ipſi velut ex ſomno exurgentes, perrexerunt ad regiam civitatem, & eam perturbantes, Eccleſiaſticam pacem, quantum in ipſis eſt, turbaverunt. Sanctiſſimo enim Epiſcopo Proclo tomum rectè, verè & piè habentem, quem ad Armenios ſcripſit, nobis deſtinante, & noſtrum quærente conſenſum, omnia facta ſunt à nobis, & in nullo minus fecimus. . . . aliud etiam malum eſt in iſtorum feſtinatione manibus extenſis, & alter tomus excerpta quædam habens B. Theodori, qui fuit Mopſueſtiæ Epiſcopus, & ea, quæ ille diverſis libris dixiſſe videtur, volentes eis anathema inferre. Propter hoc petimus, ut mentem tuam nobis applices ſtudioſius, quàm in aliis rebus, & digneris conſiderare malum opus hoc eſſe, niſi communi ſententiâ illud extinguere labores. Dedit enim tibi Deus ſuper velle etiam poſſe, ut in commune omnes juves. Sunt in illo tomo quædam incerta, & aliter quàm dicta ſunt, intelligi valentia, confitemur hoc etiam nos, plurima verò eorum aperta videmus, & ſine aliqua ambiguitate recta. Sed & illa, quæ putantur obſcura, ſimilia multa & à plurimis anterioribus ejus, & glorioſis Patribus dicta invenimus. . . . Excerptis enim iſtis ſimilia quædam invenimus apud ter beatum & nobilem Athanaſium, quædam etiam apud Beatum Baſilium, quædam apud Gregorium utrumque: multa verò & apud Amphilochium ſæpius dicta, non parva verò & apud communem Patrem B. Theophilum. . . . Quædam etiam ab ipſo amabili Deo Proclo, in eodem ipſo tomo, quem ad Armenios miſit, quo multis ſenſibus iſtis decerptis concurrit.* Subjungunt, durum ſibi torquere in defunctos anathemata, *& ſi perſona cum dictis* non damnentur: occaſionem præberi perpetuam, *ut populi turbentur.* Id honorificum Neſtorii defenſoribus, ipſique Neſtorio, *ſi cum iſto & aliis, qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt, ſimul anathematizetur.*

Facund. l. 8. c. 4.

Theodoſii ad Synodum Antiochenam Reſcriptum.

Lup. Syll. c. 219

IV. Non minimum moleſtiæ diſſidia hæc Theodoſio attulerunt. Revocandæ paci Synodi Antiochenæ Patribus Reſcriptum miſit, quod ignotum Baronio, noſtris inſerere Annalibus erit operæ pretium: *Imperatores Cæſares Theodoſius, & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, ſemper colendi, Auguſti, Deo amiciſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo Joanni, & ſanctæ Synodo, quæ cum eo convenit. Perturbationem & tumultum, qui contigit in Oriente, noſtrum cognovit Imperium à religioſiſſimo Patre noſtro, & Epiſcopo Proclo. Et quia univerſorum quietis & pacis providentiam gerimus, maximè autem pro recta fide, quæ nos noſtrumque cuſtodit Imperium, per hanc Epiſtolam ſcripſimus veſtræ Sanctitati, ut patrocinemini paci, & nullius eos momenti deputetis, qui contra ſalutem propriam volunt religionem ſaluberrimam perturbare. Illa eſt enim noſtra Divinitatis intentio, ut cum quiete omnes homines degant. Præcipuè autem Sanctæ Eccleſiæ Dei, per quas & nos ſalvamur, & noſtrum creſcit Imperium. Hâc itaque voce quieti Eccleſiæ providete. Nos enim aliquid de vobis utilius expectamus. Deus vos multis annis conſervet, venerandiſſimi Patres.* Sacræ meminit Imperatoris Liberatus, ab eo tamen Reſcripto multum diverſæ: *Ad hæc Imperator dirigens ſacram Joanni, derogatores illos Theodori contra ſalutem propriam venire judicavit.* De perturbatoribus hoc tantùm ſciſcit Theodoſius, nullo eſſe loco habendos.

Liberat. cap. 10.

Procli ad Joannem de Theodoro Epiſtola Ipſius & ad Maximum literæ.

Facund. l. 8. c. 2.

V. Reſpondit & Joanni Proclus his verbis: *Quando ego ſcripſi tuæ Sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quoſdam, qui pridem defuncti ſunt, anathemati ſubdi, aut nominatim alicujus fieri mentionem? Sed puto, ſicut ipſæ literæ ad tuam Sanctitatem directæ clamant, nihil difficile, vel pravum Epiſtola continet. Sed quia oportet omni ſuſpicione liberari, & detrahentium ora conſuere, ex hoc, quod in tomo directo ſubſcripſi, & illa capitula, quæ ſubjecta ſunt repulit, utpote ſubtilitatem habentia pietatis. Neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam, qui jam defuncti ſunt, ſcripſi tibi, Deo amantiſſime, aut ut anathematizentur, aut abdicentur. Sed neque cariſſimus Theodorus, qui à nobis directus eſt Diaconus, talia mandata percepit.* Maximo tantarum turbarum faci Epiſtolam quoque Proclus direxit: *Memor eſt tua reverentia, quando ad ſanctiſſimum Antiochenum Epiſcopum tibi literas injungebam, quia omnia cum ejus admonitus voluntate fieri oportere, & nihil ad confuſionem,*

Id. ibid.

Digitized by Google

vel tumultum Eccleſiarum pacem habentium agi. Sed tomum quidem ſubſcribo, capitula autem ſubdita ſine nomine, hæc tanquam non habentia ſubtilitatem pietatis averti & abdicari. Quomodo igitur per literas didice, nunc quia Theodori Mopſueſtem, & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt capitulis ad anathematizandum, cùm illi ad Deum jam migraverint, & eos, qui jam vitam reliquerunt, ſupervacuum eſt injuriari poſt mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus. Rogo ergo feſtina ſicut filius exquirere. Sed omnia permittere autoritati ejuſdem reverendiſſimi Conſacerdotis Joannis. Poſt ſubſcriptionem autem tomi, & poſt abjectionem Capitulorum, quæ cujus ſint ignoramus, continuò præpara Diaconum Theodorum venire ad regiam civitatem, quatenus tempeſtate & tumultu non impleantur Eccleſiæ urbis ſanctiſſimæ, & doneris aliquid deſiderio impii Neſtorii, qui ſe putat multos habere ſimilia ſapientes.

Cyrilli de Theodoro ad Joannem Epiſtola.

VI. Joanni quoque de Theodoro Cyrillus ſcripſit, placere ſibi, ut Theodori memoriæ parceretur, dummodò ipſius doctrina damnaretur. Exhibita eſt in Concilio v. Oecumenico, Actione quintâ. In ea verò Epiſtola hæc continentur: *Quòd prolatâ apud Epheſinam Sanctam Synodum expoſitione tanquam à Theodoro expoſita, ſicut dicebant qui protulerunt, nihil ſanum habente, reprobavit quidem eam Sancta Synodus, tanquam perverſis plenam intellectibus: condemnans autem eos, qui ita ſapiunt, diſpenſativè nullam fecit viri mentionem, nec ipſum nominatim anathemati ſubjecit: nec verò alios propter diſpenſationem, ſicut videtur, ne fortè magnam exiſtimationem viri, quâ mortificatur, attendentes Orientales ſeipſos ſeparent à conjunctione univerſalis Eccleſiæ corporis. . . . Ac me nemo inculpet in iſta verba prolatum: ſed cedo exiſtimantibus grave eſſe defunctis inſultare, licet ſeculares ſint, quantò magis etiam eis, qui in Epiſcopatu à vita diſceſſerunt.* Hanc Epiſtolam anno 553. falſi accuſarant Conſtantinopolitani Patres, ſed immeritò, & omnium nunc eruditorum conſpiratione vera exiſtimatur.

Lab. Conc. t. 5. p. 483.

Anno Dom. 437.

Anno U. C. 1190. Olymp. 304. Per. Jul. 5150. Jul. 482. Dom. 437. Theodos. 36. & 30. Valentiniani 12. & 13. *Sol.* 26. C. *Lun.* 1. *Indict.* 5. *Epact.* 7. *Epact. Sol,* 5. P. 11. *April.*

Coss. *Ætius* II. *& Sigiveldus.*

Hunni cum Duce Rhoa divinitùs opprimuntur.

I. DEi in auxilio, magis quàm in Romanorum exercitibus præſidium Theodoſius ſuum collocabat. Quod præſens maximè expertus eſt. Quippe Hunni Duce *Rhoa* ad vaſtandas imperii Provincias ſeſe accingebant. Attilæ ſuâ crudelitate ſuper æthera noti patruus erat, Munzucci frater. Ut Barbarorum conſilium intellexit optimus ille Princeps, more ſuo negotii totius curam commiſit Deo: precibuſque incumbens, brevi quod optabat, conſecutus eſt. Rhoas fulmine percuſſus interiit, ut non minus de Juniore, quàm de Seniore Theodoſio caneretur:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,

Secuta peſtis maximam Hunnorum, qui Rhoæ imperio ſubjiciebantur, partem neci dedit. Sed & ignis è cœlo miſſus, multos ex Barbaris qui ſuperfuerant, abſumpſit. Quæ res metus non minimum Hunnis incuſſit, animadvertentibus, Deum eſſe ſtativum Theodoſio præſidium. De tantæ ſalutis gloria omnes lætantur, ac Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ut juſtiſſimo Liberatori gratias ageret, ſuggeſtum in Eccleſia conſcendens, Ezechielis prophetiam auxilio, quod Deus attulerat, accommodavit. Verba hæc ſunt Prophetæ: *Et tu, fili hominis, propheta ſuper Principem Gog, Rhos, Meſoch, & Tubal.* Quæ alluſio ad Rhoæ nomen ingenti plauſu, & admiratione excepta eſt.

Socr. l. 7. c. 43.

Valentiniani cum Eudoxia nuptiæ.

II. Nova Theodoſius gaudia percepit ob natæ ſuæ cum Valentiniano Auguſto nuptias. Ex conjuge Eudoxia filiam matri cognominem ſuſceperat, quam Occidentis Imperator ſibi uxorem dari flagitat. Meditabantur Imperatores, utriuſque imperii in limitibus nuptias celebrare, conſtitutâ ad ſolemnitatem Theſſalonicâ. At Valentinianus per literas Theodoſio ſignificat, ne ſe fatigaret, libenterque ſe conveniendo ſocero, Conſtantinopolim migraturum. Cùm partibus Occidentis idonea præſidia impoſuiſſet, nuptiarum cauſâ urbem regiam ingreditur. Adventus hujus tempus Chronicum docet Alexandrinum. Ætio II. & Sigivoldo Coſſ. *Valentinianus Junior Aug. menſe Octobri,* XII. *Kal. Novembris ingreſſus Conſtantinopolim, nuptias celebravit, acceptâ in uxorem Eudoxiâ, Theodoſii & Eudoxia Auguſta filia, menſe Octobri* IV. *Kal. Novembris.* Celebratis nuptiis Valentinianus apud *Theſſalonicam, Italiam repetens, hyemavit.* Anno ſuperiore Iſidoro, & Senatore Coſſ. confectas nuptias eſſe, in Socrate legimus, l. 7. c. 44. Quin tamen lapſus in errorem fuerit, haud ambigimus, cùm magnâ conſpiratione Proſper, Marcellinus, Faſti Græcorum currenti anno Valentiniani matrimonium alligarint.

Marcell.

Perſecutio Africana Giſerici. Mores ejus.

III. Lætitiæ hujus ſplendorem extinxit Africanæ calamitas Eccleſiæ, quæ Vandalicum experiri furorem cœpit. Perſecutionis autor *Giſericus,* Rex Vandalorum, à Bonifacio Comite accitus in Africam. Materno ſanguine ignobilis erat, ut docet Sidonii dictus Majoriano Panegyricus, carm. 57. qui Africam loquentem inducit:

Famulâ ſatus olim
Hic prædo, & dominis extinctis, barbara dudum
Sceptra tenet telluro meâ.

Quis verò qualiſve fuerit Giſericus, in Jornande reperimus: *Erat Gizericus ſtaturâ mediocris, & equi caſu claudicans, animo profundus, ſermone rarus, luxuria contemptor, irâ turbidus, habendi cupidus, ad ſollicitandas gentes providentiſſimus, ſemina contentionum jacere, odia miſcere paratus.* Arianæ ſectæ addicebatur, quam factis extendere oppreſſâ pietate voluit. Anno CCCCXXX. dum Hipporegius obſidetur, jam inflammatam perſecutionem fuiſſe, monet Victor Uticenſis, qui Martyrum etiam nonnullorum meminit: *Tunc,* inquit, *noſtræ civitatis venerabilis Papinianus Antiſtes candenti ferri laminis toto aduſtus eſt corpore. Similiter & Manſuetus Uricitanus, in porta incenſus eſt Forcitana.* Creſcente Vandalorum imperio crevit & perſecutio. Illatam hoc anno Orthodoxis cladem Proſper memorat: *In Africa Geiſericus Rex Vandalorum intra habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem Arianâ impietate ſubvertere, quoſdam noſtrorum Epiſcoporum eatenus perſecutus eſt, ut eos privatos jure Baſilicarum ſuarum, etiam civitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet.* Subinde multo Martyrum ſanguine manum Giſericus infecit ſuam. Pergat Proſper:

Jorn. de Reb. Get. cap. 33.

Per

Anno Dom. 437.

Per idem tempus quatuor Hiſpani viri, Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius dudum apud Giſericum merito ſapientia & fidelis obſequii clari habebantur. Quos Rex, ut copulatiores ſibi faceret, in Arianam ſectam tranſire præcepit. At illi facinus conſtantiſſime reſpuentes, & excitato in rapidiſſimam iram Barbaro, primùm proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis cruciati ſuppliciis, ad poſtremum diverſis mortium interempti, illuſtri martyrio miſerabiliter occubuerunt. Puer autem, Paulillus nomine, frater Paſchaſii, & Eutychii, pro elegantia forma atque ingenii admodum Regi acceptus, cùm à profeſſione Catholicæ fidei nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus cæſus, & ad infamem ſervitutem damnatus eſt, ideò ut apparet, non interfectus, ne ſuperata ſævitia impii Regis ætas illa gloriaretur. Arcadio Martyrum uni Antoninus Conſtantinienſis conſolatoriam Epiſtolam ſcripſit. De ſcribentis nomine aliquid eſt dubitationis, quem non Antoninum Gennadius, ſed *Honoratum* vocat: *Honoratus*, inquit, *Conſtantinæ Africæ civitatis Epiſcopus, ſcripſit ad Arcadium quendam, qui pro Confeſſione fidei Catholicæ in partes Africæ exulabat, Epiſtolam, ad labores pro Chriſto ferendos hortatoriam, & exemplis præſentibus, & Scripturarum relationibus roboratam, & quòd confeſſionis fidei perſeverantia non ſolùm præterita purget à crimine peccata, sed & meritum precutit martyrii.* Ac vero ſit ſimile, Conſtantinienſem Antiſtitem, & Antonini geſſiſſe nomen, & Honorati. Non illepida eſt Epiſtola hæc, quæ & in Baronio extat integra, & in Maxima Patrum Bibliotheca, t. 8. p. 665. *Perge, fidelis anima, perge, & Confeſſor unitatis gaude, quia pro nomine Chriſti pati meruiſti contumeliam, ſicut Apoſtoli, cum flagellati ſunt.* Ac fortè Confeſſoris conſtantiam nonnihil uxor ejus frangebat. Metuebat forſan & *Honoratus*, ne laqueos Martyri injicerent divitiæ, quas poſſidebat. Ad hæc itaque ſpernenda hortatur, adducto exemplo Jobi: *Job non attendit uxorem, & ideò vicit, non familias, non divitias, non amicos, & meritò ſuperavit. Adam mulierem ſuam plus ſatis dilexit, & ideò tam lachrymabiliter cecidit. Quid ſi conditione vitæ mortuus eſſes, uxor te aut familia habuit revocare?* Graviſſimis & verbis & exemplis ad pugnam incitat Arcadium: *Et quid tibi prodeſt, ſi Diabolo conſenſeris, & mox corpus amiſeris? Aut neſcis, quia vita corporis tui in poteſtate eſt Dei tui, qui tibi confeſtim auferre poteſt carnem, ſi dereliqueris fidem?* Horum memoria Martyrum Nov. die XIII. recolitur.

Quadraginta Martyrum reliquiarum tranſlatio.

IV. Ab Africæ Martyribus ad reliquiarum in Oriente tranſlationem tranſitus eſt oportunus. Rem Sozomenus narrat, qui & ſolemnitati interfuit, quam hunc in annum conferri nil prohibet, utpote quæ contigerit, Proclo Conſtantinopolitanam Eccleſiam adminiſtrante. Quæ verò Sozomenus prodigia memorat, eorum fides ſit penes Autorem. Celeberrima verò tranſlatio de ſe ſilentium agi non patitur. Rem in pauca contrahamus. *Euſebia* ſectæ Macedonianæ Diaconiſſa reliquias quadraginta Martyrum, qui imperante Licinio *Sebaſte* martyrio functi fuerant, diligenter cuſtodiebat. Moritura ſuæ diſciplinæ Monachis locum reliquit, eâ conditione, ut Martyrum reliquias, unà cum ipſa deponerent, nec ulli rem indicarent. Cæſarius ad Conſulatum & Præfecturam Prætorii evectus, ſibi locum emit, ut propter conjugem ſepeliretur, quæ juxta Euſebiæ loculum, condita fuerat. Hic Cæſarius *Thyrſi* Martyris in honorem Eccleſiam ædificaverat. Ferunt, ter *Pulcheriæ* Auguſtæ Thyrſum apparuiſſe ad indicandas quadraginta Martyrum reliquias, ut pari cultu quo ipſe fruerentur. Ajunt etiam, quadraginta Martyres albis veſtibus indutos, Placidiæ ſe conſpicuos feciſſe. Nullus tamen Clericorum Martyres indicare poterat. Verum Presbyter, nomine *Polychronius*, revocato ſibi in memoriam, Macedonianos Monachos hunc olim locum incoluiſſe, unum ex eis fortè ſuperſtitem rogat, num ſciret ſacras in eo loco reliquias quieſcere. Tergiverſanti ob dictum Euſebiæ juramentum revelationem Auguſtæ factam exponit. Tum ille fatetur, juxta Euſebiæ arcam jacere reliquias. Quo loco non mirari non poſſumus Martyrum de ſuo loco ſilentium. Quòd ſi Thyrſus *Martyres, qui ſub terra latebant*, Pulcheriæ indicaſſet, quidni ſimul oſtendebat & locum, ubi collocabantur precinſæ reliquiæ, quâ manifeſtatione & deſperationem inveniendi quærentibus exemiſſet, & novo lumine miraculum illuſtraſſet. Fatigatur in percontando Polychronius, miſellumque Monachum ad perjurium adigit. Quâ perfidiâ illum vel Thyrſus, vel Martyres ipſi liberaſſent, indicato ſuo ſepulchro, cùm Pulcheriæ apparuerunt. Ad reliquiarum inventionem redeamus. Effoſſo circa ambonem loco, arca conjugis Cæſarii reperitur, & modico intervallo marmorea tabula, ſub qua Euſebiæ loculus deprehenditur. Circa loculum Oratorium erat, albo purpurei marmoris cruſtis eleganter tectum. Loculi operculum inſtar ſacræ menſæ fabrefactum erat. Tum quidam ex Imperatoris palatio, quam manu tenebat, virgam per foramen demiſit. Quam retractam cum naribus admoviſſet, unguenti odorem ſuaviſſimum olfecit. Ut notum, Martyres intus conditos, confeſtim Pulcheria, Proclusque ad Baſilicam Martyris accurrunt. Ac protinùs ferreis vinculis exemptis, operculum extrahitur: *Sub quo magna copia unguentorum, & in his duæ pyxides argenteæ repertæ ſunt, in quibus ſacræ reliquiæ erant reconditæ.* Pulcheria honoratos pretioſâ capſâ Martyres juxta Thyrſum depoſuit, publicâ feſtivitate & ſolemni pompâ cum pſalmodiis celebrata, cui Sozomenus interfuit. Itaque error eſt in Chronico Alexandrino, qui quadraginta Martyrum tranſlationem anno Dom. CCCCL. alligavit, Valentiniano Auguſto VII. & Albino Coſſ.

Sozom. l. 9. c. 2.

Cyrilli Alex. de Paſchate Cyclus.

V. Ut ad cognitu utiliora convertamus animos, Cyrillus Alexandrinus anno CLIII. Diocletiano exorſus, Cyclum de tempore Paſchatis celebrandi per annos XCV. edidit. Quem Bucherius vulgavit, ſed manuſcriptorum inopiâ mendis refertum: *Cùm diſſenſionibus*, inquit, *per univerſum orbem Paſchalis regula turbaretur, Sanctorum totius Orbis Synodi conſenſione decretum eſt, ut quoniam apud Alexandrinam talis eſſet reperta Eccleſia, quæ in hujus ſcientia clareret, quotâ Calendarum vel Iduum, quotâ Lunâ Paſcha deberet celebrari, per ſingulos annos Romana Eccleſia literis intimaret: unde Apoſtolicâ autoritate univerſalis Eccleſia per totum orbem definitum Paſcha diem ſine ulla diſceptatione cognoſceret.* Teſtatur itaque Cyrillus, Theophilum Epiſcopum Alexandrinum à Theodoſio rogatum eſſe, ut de Sacramento Paſchæ diſſereret: ut præceptis imperialibus obtemperaret, *quadringentorum octodecim annorum Circulum Paſchalem* inſtituiſſe, ejuſque clemen-

ANNO DOM. 437.

tiæ à *primo anno Conſulatus ejus uſque ad* centum calculaſſe, *quotâ Calendarum vel Iduum, & quotâ Lunâ Paſcha deberet celebrari.* Cùm annis quinquaginta ſeptem ante editum Cyrilli prologum vulgatus Theophili Circulus vix ad paucos pervenire potuiſſet, Cyrillus avunculi ſui Circulum *in nonaginta quinque annos breviavit.* Perſtringit & methodum Latinorum Paſchalem: *Lunam, quam illi tertiam vel decimam ſextam, vel vigeſimam tertiam impropriè nuncupant, hac ſanctus Theophilus primam vel decimam quartam, vel vigeſimam primam Cælo demonſtrante confirmat. Paſcha autem, quod ultra duodecimum* (undecimum) *Kalendas Maii celebrare formidant, ſanctus Theophilus uſque ſeptimum Kalendas Maii differre non dubitat.*

Buch. Doctr. Temp. pag. 481.

ANNO DOM. 438.

ANNO U. C. 1191. PER. JUL. 5151. JUL. 483. DOM. 438. THEODOS. 37. & 31. VALENTINIANI 13. & 14. *Sol.* 27. B. *Lun.* 2. *Indict.* 6. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 6. *P.* 27. *Mart.*

COSS. *Theodoſius Auguſtus* XVI. *& Fauſtus.*

Res Valentini: piratæ oppreſſi.

I. VAlentinianus, qui in urbe Theſſalonicenſi cum Eudoxia conjuge hyemaverat, Ravennam rediit, ubi domicilium ſuum collocarat. Intereà *Contradis* Inſulas, locaque maritima deprædatur. Ea fuit Valentiniani infelicitas, ut cani ipſo regnante non poſſet:

Omne fretum pelagi metuens pirata reliquit.

Biennium quippe labebatur, cùm navibus onerariis abſque periculo prædonum navigare non liceret. Ætio II. & Sigiſvoldo Coſſ. *piraticam Barbari fœderatorum dejectores exercebant*, & anno currente, quem Theodoſius aperuit, *iidem pirata multas inſulas, ſed præcipue Siciliam vaſtavere.* Rapacitatis ſuæ ſupplicia luere: *Contradis prædo cum piratis, ſuiſque comitibus captus, interfectuſque eſt.* Sed & in Gallia Ætius felicitate annum oneravit, re adverſus Gothos proſperè geſtâ, quorum *octo millia* cæduntur, referente Idacio. Addatur & illud, noſtris Annalibus inſerendum de Suevorum in Hiſpania Rege: *Hermericus Rex morbo oppreſſus, Rechilam filium ſuum ſubſtituit in regnum, qui Andevotum cum ſua, quam habebat manu, ad Singilionem Bætica fluvium aperto Marte proſtravit, magnis ejus auri & argenti opibus occupatis. Diuturno per annos ſeptem morbo afflictus moritur Hermericus.*

Proſp. Chr.

Marcell. Chron.

Idat. Chr.

Codex Theodoſianus promulgatur.

II. Hæc in Occidente. At in Oriente celeberrimus Codex Theodoſianus conditur, auſpice Theodoſio, qui Codicis Gregoriani, & Hermogeniani anteà recepti ad exemplum Conſtitutiones, Edicta, Reſcripta, Epiſtolas Chriſtianorum Principum ab anno Conſtantini Magni ſeptimo ad uſque Theodoſii Junioris XXXI. hoc eſt, ab anno Domino CCCXII. ad uſque CCCCXXXVIII. vindicavit ab interitu. Liber XVI. in Conſtitutionibus, quæ ad res, perſonaſque Eccleſiaſticas pertinent, exhibendis totus eſt. Quorum in condendo Codice conſilia Theodoſius adhibuerit, ipſius Novella indicatur: *Longum eſt memorare, quid in hujus conſummationem negotii contulerit vigiliis ſuis Antiochus, cuncta ſublimis, ex Præfecto, & Conſule. Quid Maximinus, vir illuſtris, ex Quæſtore noſtri Palatii, eminens in omni genere literarum. Quid Martyrius, vir illuſtris, Comes, & Quæſtor, noſtra clementia fido interpres. Quid etiam Sperantius, Apollodorus, Theodorus, viri ſpectabiles, Comites ſacri noſtri Conſiſtorii. Quid Epigenius, vir ſpectabilis, Comes & Magiſter Memoriæ. Quid Procopius, vir ſpectabilis Comes ex Magiſtro Libellorum jure omnibus Veteribus comparandi.* Quonam conſilio hunc Codicem condi voluerit Theodoſius, ipſemet prodit, nempe quod pauci ætate ſuâ extiterint, *qui juris ſcientiâ ditarentur*, ob immenſam librorum copiam: *Quamobrem*, inquit, *detersâ nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ ſunt, compendioſam Divalium Conſtitutionum ſcientiam ex Domini Conſtantini temporibus roboramus, nullâ poſt Kal. Januar. conceſſâ licentiâ ad forum, & quotidianas advocationes jus principale deferre, vel litis inſtrumenta componere, niſi ex his videlicet libris, qui in noſtri nominis vocabulum tranſierunt, & ſacris habentur in ſcriniis.*

ANNO DOM. 438.

Error Baronii.

Baronius communem ſecutus errorem, anno CCCCXXXV. Codicem conditum eſſe putat. Certiſſimis tamen argumentis doctiſſimus Gothofredus nobile hoc Opus anno CCCCXXXVIII. addixit: *Id efficitur*, inquit, *apertiſſimè ex tot Legibus, & quidem XV. numero, quæ per annum* 435. 436. 437. *lata in Codicem Theodoſianum relata, poſteriorem dies & Conſulum notam præferunt. Tertium argumentum ex inſcriptio illa Novella, Florentii P. P. Orientis nomine. Anno enim demum* CCCCXXXVIII. *Florentius Præfecturam Orientis geſſit, quam Iſidorus per annum* 435. *&* 436. *adhuc gerebat. Poſtremo argumentum iſtud habeo, quòd Theodoſius Junior tâ Novellâ Valentinianum filium ſuum vocat.* Verba ſunt Novellæ: *His adjicimus, nullam Conſtitutionem in poſterum velut latam in partibus Occidentis aliove in loco, ab invictiſſimo Principe filio noſtra clementia perpetuo Auguſto, Valentiniano, &c.* Atqui anno duntaxat CCCCXXXVII. Valentiniani cum Eudoxia nuptiæ ſunt celebratæ, quarum cauſâ Theodoſius Valentiniano filii nomen Theodoſius indidit. Eſt itaque mendum in Novella, quod Baronium alioſque decepit: *Dat.* XV. *Kal. Martii Conſtantinopoli, Theodoſio Aug.* XV. *& qui fuerit nuntiatus.* Legendum, Theodoſium Aug. XVI. qui *Fauſtum* in Occidente Collegam habuit, anno Dom. CCCCXXXVIII.

Bar. Ann. 435. *n.* 23.

Gothofr. Proleg. ad Cod. pag. 185.

Oſſa Chryſoſtomi Comanis Conſtantinopolim transferuntur.

III. Rebus Eccleſiaſticis nunc adjiciamus animum. Chryſoſtomi corpus *Comanis* requieſcebat: moleſtèque ferebant illi, quibus ſancti memoria Præſulis venerationi erat, defuncti reliquias ab urbe regia abeſſe, cui Epiſcopus impoſitus erat. *Proclus* ergo, cujus manſuetudo cum prudentia certabat, ſibi in mentem induxit, *Joannitas*, qui ſeſe ab Eccleſiæ communione ſejunxerant, poſſe ad concordiam revocari, ſi ſanctæ exuviæ *Comanis* Conſtantinopolim deferrentur. Tumultuantem Joannis cauſâ populum Proclo perſuaſiſſe, ut apud Principem de revocando Chryſoſtomo legationem obiret, ſcriptum Nicephoro, l. 14. c. 43. Annuente Imperatore defunctus Chryſoſtomus Conſtantinopolim rediit, *anno poſt ipſius abdicationem quinto & trigeſimo*, initio à Dom. CCCCIII. ducto, quo Theophili ad *Quercum* Synodus ipſi munus abrogarat. Solemni pompâ magni Doctoris reliquiæ in urbem regiam tranſlatæ ſunt: Tum *populus mari, præ navigiorum multitudine inſtar continentis effecto, oſtium Boſpori ad Propontidem ſitum facibus obtexit.* Ac Theodoſius oculos & frontem loculo admovens, pro parentibus ſuis ſupplicavit, petens, ut iis, qui per imprudentiam peccaſſent, Deus veniam concederet. Proclus verò defuncti corpus ingenti pom-

Socrat. l. 7. *c.* 45.

Theodorit. l. 5. *c.* 36.

pâ

Anno Dom. 438.

pâ per urbem traductum, Apoſtolorum in Eccleſia collocavit *die ſexto Kalendas Februarias.* Quo prudenti facto pacati illi, qui Joannis causâ conventus ſeorſim agebant, ad Eccleſiæ unitatem rediere. Non à vero prorſus aliena conjectura eſt, Procli de Chryſoſtomi Laudibus ſermonem Januarii vigeſimo ſeptimo pronunciatum eſſe, dum corpus Apoſtolorum in Eccleſia deponebatur. Non nobis quidem Baronii ſententia probatur, exiſtimantis ſermonem prius recitatum fuiſſe, quàm de revocando Chryſoſtomo Proclus Theodoſium adiret. Ac, ni fallamur animi, eam opinionem refellit Proclus: *O Joannes, tua quidem vita anxia, mors autem glorioſa, ſepulchrum verò beatum, merces autem copioſa.* Via glorioſum Chryſoſtomi ſepulchrum dici potuit, dum optimus ille Præſul *Comanis* jacebat, regiâ urbe ejectus, honoriſque expers, qui Sanctis Epiſcopis reddebatur. Glorioſum felixque ſepulchrum fuit, cùm ipſius reliquiæ Eccleſiæ illatæ ſunt, quam vivus adminiſtrarat. Ut eo reduce Procli verba hæc eſſe dicta videantur. Multis in eo ſermone laudibus Chryſoſtomus extollitur: *Nullus dignè laudabit Joannem, dum non ſit alius Joannes.* Extat integer ille ſermo, & in Maxima Patrum Bibliotheca, t. 6. p. 612. & in Annalibus Baronii. Græci recentiores variis coloribus Chryſoſtomi reliquiarum tranſlationem illuſtrarunt. Affert Nicephorus Theodoſii ad Chryſoſtomum defunctum literas, quibus eum Conſtantinopolim revocat. Miraculum & recordatur ejuſmodi. Ortâ tempeſtate ſubitâ, naves, quibus innumeris Boſphorus tegebatur, diſperguntur: ea verò, quæ ſacrum reliquiarum Chryſoſtomi theſaurum vehebat, Imperatoris triremis ad viduæ agrum appellit, ab Eudoxia ademptum. Fabulatorum commenta hæc pellantur hiſtoriâ. De prodigiis ejuſmodi ſilentium non egiſſent Socrates Theodorituſque, qui tempore tranſlationis florebant. Deliros in figmentis narrandis multos eſſe novimus, ſed qui magis deliraret quàm ille, qui Theodoſii ad Chryſoſtomum ante annos triginta defunctum Epiſtolam concinnavit, neminem vidimus.

Socrat. l. 7. c. 45.
Bar. Ann. 438. n. 6.
Niceph. l. 14. c. 43.

Eudoxiæ Hieroſolymam profectio.

IV. Eudoxiæ Auguſtæ in Orientem profectio annum quoque nobilitavit. Illa ſe voto obligaverat de adeunda Hieroſolyma, ſi filiam ſuam nuptam vidiſſet. Quæ promiſſa ut impleret, in Palæſtinam ab Imperatore mittitur. Dum ad Sanctam Urbem pergit, Antiochiam ingreditur: *Ibi cùm publicè verba feciſſet ad populum, orationem ſuam hoc verſu clauſit:*

Et cupio, & lætor, veſtro me ex ſanguine natam.

Colonias ſcilicet ſignificans, quæ illùc deductæ fuerant ex Græcia. Ex curru concionem recitatam fuiſſe, Chronicum nos Alexandrinum monuit: in eo tamen peccans, quòd omiſſâ priore Eudoxiæ Hieroſolymam profectione, orationem, quam apud Antiochiam habuit, ſecundæ peregrinationi vindicarit, anno CCCCXLIV. ſuſceptæ Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ. Hæc verò ſunt verba Chronici: *Cùm Antiochiam magnam veniſſet* Eudoxia, *orationem habuit ad Senatum de laudibus Antiochiæ ex ipſo curru, in quo quantus erat, aureo gemmatoque, & planè regio reſidebat.* Antiochenſes porro æneâ Auguſtam ſtatuâ honorarunt. Ejus quoque hortatu Theodoſius maximam civitati acceſſionem fecit, productis muris uſque ad portam, quæ ducit ad ſuburbanum Daphnenſe. Hîc Baronius in Evagrium cenſuram ſtringit, quaſi id ſibi voluiſſet Eudoxia; *Græcos è Palæſtinis originem ducere, non Palæſtinos è Græcia.* Nervoſiorem ut cenſuram efficiat illuſtriſſimus Purpuratus, affert ex Joſepho Lacedemoniorum Regis ad Oniam Pontificem Epiſtolam. At Chriſtophorſonianâ verſione deceptus, immerentem vexat Evagrium. Quippe vocem ἐνταῦθα de urbe Hieroſolymitana Baronius intellexit, quæ de Antiochena eſt explicanda, ut optimè vidit clariſſimus Valeſius. Antiochiæ ſiquidem Hiſtoriam Evagrius ſuam ſcripſit, ibique fortunarum ſuarum domicilium fiaerat. Neque Ulpianus, Libanius, & reliqui ab Evagrio laudati Scriptores de Hieroſolyma urbe ſcripſerunt.

Evagr. l. 1. c. 20.
Bar. Ann. 338. n. 24.

Error Baronii.

Anno U. C. 1192. Per. Jul. 5152. Jul. 484. Dom. 439. Theodos. 38. & 32. Valentin. 14. & 15. *Sol.* 28. A. *Lun.* 3. *Indict.* 7. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

Anno Dom. 439.

Coss. *Theodoſius Auguſtus* XVII. *& Feſtus.*

Littorius à Gothis victus capitur. Pax cum Valentiniano reſtituitur.

I. Cruentum luctuoſumque imperio annum ingredimur. Multis Ætii virtute cladibus affecti Gothi, perfidiæ temeritatiſque ſuæ pœnas pependerant. Quibus debellandis Romani Hunnorum utebantur auxilio. Ætii gloriæ æmulus Littorius Comes præclaris & facinoribus famam extendere ſuam voluit, commiſſo juxta Toloſam prælio. Quod infeliciter vertit, teſte Proſpero: *Littorius, qui ſecundâ ab Ætio Patritio poteſtate Hunnis auxiliaribus præerat, dum Ætii gloriam ſuperare appetit, dumque aruſpicum reſponſis, & Dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit: fecitque intelligi, quantum illa, quæ cum eodem periit, manus prodeſſe potuerit, ſi potioribus conſiliis, quàm ſuâ temeritate uti maluiſſet; quando tantam ipſe hoſtibus cladem intulit, ut niſi inconſideranter prælians in captivitatem incidiſſet, dubitandum foret, cui potius parti aſcriberetur.* Prælii hujus & in Salviano mentio eſt: *Cùm Gothi metuerent, præſumebamus nos in Hunnis ſpem ponere, illi in Deo: cùm pax ab illis poſceretur, & à nobis negaretur. Illi Epiſcopos mitterent, nos repelleremus. . . . Ille Dux noſtræ partis, qui eandem urbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captivus intravit.* Sic ſuperſtitio hominis unius cum temeritate gloriæque cupiditate conjunctâ, Reipublicæ damno fuit. Contrà verò *Theodoricus* Rex Gothorum, jejunio precibuſque ſuis à Deo exercituum victoriam impetravit: *Ipſe Rex hoſtium uſque ad diem pugnæ ſtratus cilicio, preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione ſurrexit.* Ut in poteſtatem hoſtium Littorius venit, catenis vinctus barbaris, mulieribuſque ludibrio fuit. Hæc ampla ſpolia, hi triumphi infelicis Ducis, qui imprudentiæ ſuæ longa paſſus eſt ſupplicia: *Longo tempore, & diuturnâ in ergaſtulo Barbarorum tabe conſumptus, in hanc miſeriam redactus eſt, ut quod plerumque homines etiam pœnis ipſis gravius atque acerbius putant, in miſerationem hoſtium deveniret.* At Idacius in Chronico Toloſæ à Gothis occiſum eſſe memorat: *Bello Gothico ſub Theodoro Rege apud Toloſam Litorius Romanus Dux inconſultius cum auxiliari manu irruens, cæſis his ipſe vulneratus capitur, & poſt dies paucos occiditur.* Ac tum Gothi ſuos ſucceſſus urgere putabantur. Galliæ Gerica pallebant ab ira:

Salv. l. 7.
Salv. l. 7.

Sidon. car. 7. 300.

Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Ætius, capto terrarum damna patebant
Littorio, in Rhodanum proprios producere fines
Theudorida fixum, nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare Getis.

Proſp.

Pugnâ tamen cum Littorio initâ, fracti debilitatique Gothi ad pacis ſe conſilia convertunt: *Pax cum Gothis facta, cùm eam poſt ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum humilius quam anteà popoſciſſent.*

Carthaginem invadit Geiſericus.

II. At longè majorem Africæ calamitatem infert Vandalica perfidia, quæ doloſæ pacis obtentu Carthaginem ſibi ſubjicit. Neque innocenti urbi pœna hæc irrogata. Sceleribus inundabatur, ac ut olim de imperio, ſic de vitiorum & magnitudine nunc cum Roma certabat. Salviano præbeamus aures: *Illa Romanis arcibus ſemper æmula, armis quondam & fortitudine, poſt ſplendore & dignitate, Carthaginem dico, & urbis Romæ maxime adverſariam, & in Africano orbe quaſi Romam*, quanta ſe in flagitia ingurgitabat: *Video*, inquit, *quaſi ſcaturientem vitiis civitatem, video urbem omnium iniquitatum genere ferventem, plenam quidem turbis, ſed magis turpitudinibus; plenam divitiis, ſed magis vitiis; vincentes ſe invicem homines nequitiâ flagitiorum ſuorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate diſtentos, hos ſertis redimitos, illos unguentis oblitos, cunctos vario luxus marcore perditos, ſed penè omnes unâ errorum morte proſtratos, non omnes quidem violentiâ temulentos, ſed omnes tamen peccatis ebrios.* Quod longè gravius, Carthagine vigebant proſcriptiones orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces, aliaque ejuſmodi multa, quæ Vandalos in Carthaginem armabant. Caſum famoſæ urbis paucis quidem, ſed gravibus ſanè verbis Proſper exponit: *Ætio rebus, quæ in Galliis componebantur intento, Geiſericus, de cujus amicitia nihil metuebatur*, XIV. *Kal. Novembris Carthaginem dolo pacis invadit, omneſque opes ejus, excruciatis diverſo tormentorum genere civibus, in jus ſuum vertit, nec ab Eccleſiarum diſpoliatione abſtinens, quas & ſacris vaſis exinanitas, & Sacerdotum adminiſtratione privatâ, non jam divini cultus loca, ſed ſuorum juſſit eſſe habitacula, in univerſum captivi populi ordinem ſævus, ſed præcipuè nobilitati & religioni infenſus, ut non diſcerneretur, hominibus magis an Deo bellum intuliſſet.* Cladem Victor Carthaginenſem fuſius eſt executus. Senatores in vincula conjecit, propoſitoque decreto, ut quidquid auri, argenti, gemmarum, ſuppellectilium habebat quivis, poſcenti ſtatim offerret, opibus omnes nudavit ſuis. Ut nulla Charybdis tantos exhaurire gurgites poſſet, quantas Geiſericus Carthaginenſium prædas exorbuit: Diviſis

Vict. l. 1.

quoque Provinciis, *ſibi Byzacenam, Abaritanam, atque Getuliam, & partem Numidiæ reſervavit. Exercitui verò Zeugitanam, vel Proconſularem funiculo hæreditatis diviſit.* Carthaginenſia, quæ ob pulchritudinem delectationi erant monumenta, everſa ſunt: *Theatra, ædem memoriæ, & viam, quæ cæleſtis vocabatur, funditùs deleverunt.* De die occupatæ Carthaginis nonnihil Scriptores diſcrepant. Marcellinus non decimo quarto, ſed x. *Kal. Novembris* Geiſerici in poteſtatem Carthaginem cecidiſſe tradit.

Num Petri catenas Hieroſolymis Eudoxia retulerit?

III. Sequuntur nunc res Eccleſiæ memoratu digniores. Implendis votis, quæ anno proximo Hieroſolymam petierat, Eudoxia currente Conſtantinopolim repetit, onuſta reliquiis, quibus ætas hæc maximum pretium poſuit: *Eudoxia uxor Theodoſii Principis ab Hieroſolymis in urbem Regiam remeavit, beatiſſimi Stephani primi Martyris reliquias, quæ in Baſilica Sancti Laurentii poſitæ venerantur, ſecum deferens.* Ferunt & accepiſſe dono Servatoris faſcias, quas Pulcheriæ miſit. De Petri catenis, quibus jubente Herode vinctus fuerat, magna & eſt apud Reliquiarios commendatio: Earum *alteram Romam ad Eudoxiam Auguſtam filiam miſit, alteram Conſtantinopoli in Eccleſia ejuſdem Principis Apoſtolorum aſſervari voluit* uxor Theodoſii. Hæc Baronius, an. 439. n. 4. Non ignoramus quidem, eſſe qui ſeculo ſexto circiter medio, tuenda ac poſſidenda urbi Romanæ Petri vincula hæc tradita fuiſſe crediderint. Hæc quippe canit Arator de Hieroſolymitanis Petri catenis:

Marcell.

Nicephor. l. 14. c. 2.

Arat. l. 2.

Manet omne per ævum
Pignoris hujus apex, & ſideris obtinet inſtar
Corpore, quod Petrus ſacravit, & Angelus ore.
His ſolidata fides, his eſt tibi, Roma, catenis
Perpetuata ſalus, harum circundata nexu
Libera ſemper eris: quid enim non vincula præſtent,
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſolvere? Cujus
Hæc invicta manu vel religioſa triumpho
Mœnia, nonnullo penitùs quatientur ab hoſte.

Græcorum quoque Menologia inſtituti ob reconditam in Baſilica Conſtantinopolitana catenarum Petri alteram Feſti meminere: *Die decimâ ſextâ Januarii apud urbem Conſtantinopolim veneratio pretioſæ illius catenæ, quâ B. Apoſtolus Petrus Chriſti cauſâ Herodis juſſu vinctus eſt.* Verùm enimverò cùm ſolemne ſit in reliquiis, confundere vera falſis, jure merito timemus, ne catenarum ille theſaurus carbones fiant, magnificiſque rebus expectatis nihil niſi fumus reperiatur. Movet nos & Socratis, & Evagrii, & Marcellini de Eudocia Petrinas catenas afferente ſilentium, licet peregrinationis ipſius ad urbem Hieroſolymitanam meminerint. Præcipuè dubitationem hanc noſtram auget Marcellinus, qui ut de Stephani reliquiis, ſic & de Petri catenis ab Eudocia relatis mentionem agitaſſet. De catenis quoque Chronicum ſilet Alexandrinum. Prætereà pulſante Petri latus Angelo, exciderant vincto catenæ è manibus. Quòd ſi remanſerunt in carcere, turpi poſteà miniſterio addictas fuiſſe, quis neget? Quo caſu, quam impreſſam catenis ſanctitatem putant, ea certè ex facinoroſis manibus, quas colligarunt, deleta fuit. Pia quidem hîc latrocinia memorare neceſſe eſt, quòd ſcilicet ex Agrippæ familiaribus in Chriſtum credens unus, tantum ſibi theſaurum vindicarit. Sed ex ſui ſeculi moribus Reliquiarii priſcorum Chriſtianorum animos æſtimant. Scilicet qui crucem clavoſque Chriſti neglectui habuere, Petri catenas abſtuliſſent. Quo ſanè facto furti ſe alligaſſent, utpote qui nil juris haberent in catenas publicas, puniendis ſceleribus deſtinatas. Denique ne falſæ pro veris Petri catenis ſubjicerentur, miraculo ſanè opus fuit faciendo diſcrimini, quale contigiſſe Rufinus tradit, ut ſignum ſalutare Crucis ab illis lignis, quæ ad ſervile ſupplicium ſceleratis inferendum uſui fuerant, diſtingueretur. Quòd verò ex patratis miraculis Petri catenæ diſcrimina dederint, Veterum nullus ſcripſit. Itaque vacillat certè nobis fides traditionis hujus.

Thalaſſius à Proclo Cæſa-ex creatur Epiſcopus;

IV. Hoc & anno miſâ quidem ratione *Proclus* Conſtantinopolitanus Cæſarienſibus Cappadociæ

dociæ Epiſcopum impoſuit. Mortuo *Firmo*, in urbem regiam venere poſtulatum, ut defuncti in locum Antiſtes crearetur. Cùm Proclus diſpiceret, quem ad id muneris obeundum promoveret, fortè accidit, ut ad ipſum ſalutandum cuncti Senatores die Sabbati in Eccleſiam venirent, inter quos erat *Thalaſſius*, qui Provinciarum, & civitatem Illyrici Præfecturam adminiſtrarat. Tum Proclus ei manum injiciens, pro Præfecto Prætorii Epiſcopum illum conſtituit. Rectè obſervatum Valeſio, Nectarium cùm urbis Conſtantinopolitanæ Prætor eſſet, creatum quidem Epiſcopum. Verùm conſenſus Imperatoris prius acceſſerat, cùm motu proprio Proclus Thalaſſio manum injecerit, ad Orientis Præfecturam deſignato. Extat ad Thalaſſium Lex unica, data Conſtantinopoli tertio Idus Auguſti Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. Poſt hunc itaque diem Thalaſſius à Proclo Cæſareæ Epiſcopus conſtitutus eſt.

Socrat. l. 7. cap. 48.

Socrates Hiſtoricus. Núm Novatianus?

Socrat. l. 5. cap. 24.

V. Thalaſſii ordinatione memoratâ, ultimam Hiſtoriæ ſuæ manum Socrates impoſuit, de quo nonnulla ſunt in medium afferenda, utpote inter Scriptores Eccleſiæ claro. Socrates natum in urbe Conſtantinopolitana, & educatum ſe profitetur. Anno circiter CCCLXXIX. lucem aſpexiſſe videtur. Grammaticæ artis præceptis ab Helladio & Ammonio Alexandrinis imbutus eſt, qui contumeliam Deorum ſuorum ægrè ferentes, in urbe regia domicilium collocarant. Conjecturis non prorſus veri diſſimilibus *Troilo* Rhetoricæ Magiſtro uſum fuiſſe Socratem, Valeſius aſtruit. Relictâ Troili ſcholâ ad forum ſe contulit, unde *Scholaſtici* cognomen habuit. Abjectis fori negotiis, ad ſcribendos ſeptem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros animum appulit, non ſine judicio quidem, & diligentia ſingulari, uti oſtendunt & Conſulatus, & Olympiades, quas magni momenti rebus apponit. Stylo ſimplici uſus eſt, quo ab omnibus intelligi poſſet, ſublimi oratione Panegyricis relictâ. Theodoro, quem Epiſcopum fuiſſe exiſtimamus, utpote *ſacrum Dei hominem* vocatum, Hiſtoriam nuncupavit ſuam. Quis porro *Theodorus* ille, eſt in obſcuro. Libris ſeptem res geſtas centum & quadraginta annorum ſpatio complexus eſt: Exoritur *ab anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ, quâ Conſtantinus Imperator renuntiatus eſt*, deſinit autem *anno ſecundo treceenteſimæ quintæ Olympiadis, quo Theodoſius* XVII. *Conſulatum dedit*. Cùm autem Proclo Thalaſſius poſt Auguſti undecimum Epiſcopus creatus fuerit, apertè liquet, poſt hæc Hiſtoriam Socratis abſolutam fuiſſe. De Socrate hoc eſt Photii judicium: *Stylus illi non admodum ſplendidus. Sed nec in dogmatibus valde accuratus eſt.* Baronio, aliiſque compluribus Socrates de Novatianorum ſecta unus cenſetur. His verò de cauſis in eam ſententiam deſcenderunt. Primùm Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum, qui Novatianis præfuere, Socrates ſeriem atque ordinem diligenter memorat. Deinde eorum unumquemque ſummis laudibus effert, Agelium, Siſinnium, Chryſantum ac Paulum, cujus etiam precibus miraculum eſſe patratum ſcribit. Denique cuncta, quæ ad Novatianam ſectam pertinent, tantâ curâ ac diligentiâ perſequitur, ut huic ſectæ addictus eſſe videatur. Graviſſimis tamen argumentis doctiſſimus ille Valeſius Socratem Novatianis eximit. Palmarium illud eſt, quod ex his verbis deducitur:

Socrat. l. 7. cap. 48.

Phot. Bibl. pag. 58.

Congruum arbitror, ea quoque commemorare, quæ apud alios geſta ſunt, Arianos dico, & Novatianos, eoſque qui à Macedonio, aut ab Eunomio cognomentum ſortiti ſunt. Quos omnes cùm Catholicis opponat, quo jure Novatianis inſeri poteſt? Sed & capite ſuperiore diſertè ſcribit, *Novatianos ſe ab Eccleſia ſejunxiſſe*, quæ verba non Novatianum ſonant, qui in Novatianis potius quæſiviſſet Eccleſiam. Favit ergo Novatianis, quòd vel familiaritate iiſdem conjungeretur, vel eorum diſciplinam probaret; vel ægrè pateretur illos pro Hæreticis haberi, ob leviorem de peccatorum venia errorem, quorum remittendorum Eccleſiæ facultatem non concedebant. In cæteris magnam pietatem colebant atque ſanctitatem. Novatianus tamen Socrates non fuit, ſed cum Catholicis conjunctus permanſit. Quòd verò & eos laudarit, & Epiſcoporum, à quibus regebantur, Catalogum texuerit, in eo non Novatiani quidem, ſed diligentis Hiſtorici officio perfunctus eſſe videtur, qui relegatis præjudiciis, ea quæ cognitu jucunda ſunt, omnia includit Hiſtoriæ. Præcipuè cùm de rebus Arianorum, qui urbem regiam incolebant, multa dixerit.

Socr. l. 5. c. 20.

Geiſerici in Africa & Carthaginienſi urbe perſecutio.

VI. Redacta Geiſerici ſub ditionem Carthagine, gravis Eccleſiam hujus urbis inceſſit vexatio. Prodeat Victor Uticenſis, ea quæ gravia paſſa narraturus: *Baſilicam majorem, ubi corpora Sanctorum Martyrum Perpetuæ atque Felicitatis ſepulta ſunt, Celerinæ, vel Scillitanorum, & alias quas non deſtruxerant, ſuæ religioni licentia tyrannica mancipârunt. Præterea præcipere nequaquam cunctatus eſt Vandalis, ut Epiſcopos atque Laicos nobiles de ſuis Eccleſiis & ſedibus nudos penitùs effugarent. Quòd ſi optione propoſitâ, exire tardarent, ſervi perpetuò remanerent. Quod etiam in plurimis factum eſt. Multos enim Epiſcopos & Laicos, claros atque honoratos viros, ſervos eſſe novimus Vandalorum. Tunc verò memoratæ urbis Epiſcopum, id eſt, Carthaginis, Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quodvultdeum, & maximam turbam Clericorum, navibus fractis impoſitam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos Deus miſeratione bonitatis ſuæ proſperâ navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt civitatem. Senatorum atque honoratorum multitudinem primò exilio crudeli contrivit, poſteà transmarinam in partem projecit. Pulſo namque Epiſcopo, cum Clero venerabili, illicò Eccleſiam nomini reſtitutam* (legendum ut opinamur, nomine Reſtitutam) *in qua ſemper Epiſcopi commanebant, ſuæ religioni mancipavit, atque univerſas, quæ intra muros fuerant civitatis, cum ſuis divitiis abſtulit. Sed etiam foris muros, quaſcunque voluit occupavit, & præcipuè duas egregias, & amplas Sancti Martyris Cypriani, unam ubi ſanguinem fudit, aliam ubi ejus ſepultum eſt corpus, qui locus Mappalia vocatur. Quis verò ſuſtineat atque poſſit ſine lachrymis recordari, dum præciperet noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci.* In tam gravi afflictione conſtitutis Epiſcopis, illis quibus aliquid erat fortitudinis, ſupplicandi cauſâ Regem adire placuit. Ad Maſſilitanum littus, *Ligula* vulgi conſuetudine vocatum, exierat. Quem enixè rogant, ut ſaltem habitandi facultas concederetur. Ille per internuncios reſpondiſſe fertur: *Decrevi ego de nomine & genere veſtro nullum dimittere, & vos audetis talia poſtulare.* Quos ſubinde in vicinum mare merſiſſet, *niſi à ſuis, diu ne hoc faceret, rogaretur.* Inter eaſdem celeberrimus fuit Eudæmon,

Vict. l. 1.

mon, quem literis ad Apellionem datis commendavit Theodoritus. Viri nobiliſſimi Eudæmonis filia, nomine *Maria*, cum ancilla ſua à Barbaris empta in Euphrateſiam Provinciam ducitur. Conditionis ſuæ non oblita ancilla, quam poterat dominæ benevolentiam exhibuit, pedes lavando, cubileque ſternendo. Mariam dato mercatoribus pretio, Chriſtiani milites redemere. Quod ubi Theodoritus novit, laudatis militibus majora dedit, Mariamque piiſſimæ Diaconiſſæ credidit. Audito vero Eudæmonem in Occidente Præfecturam gerere, ad illum videndum Maria ſe contulit, poſtquam decem menſibus Diaconiſſæ tecta incoluiſſet. Hæc & præſente, & futuro anno contigere.

Theodorit. Ep. 100.

Julianus Pelagianus à Sixto Eccleſiâ prohibetur.

VII. Julianus Pelagianiſmi defenſor ille acerrimus, toties à Pontificibus Romanis orthodoxiſque exagitatus Epiſcopis, non deſpondebat animos. Sperabat ſe viam inventurum, ut Eccleſiam, quâ pulſus fuerat, ingrederetur. Hæc Proſper narrat: *Julianus Heclanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendi correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidiis Sixtus Papa, Diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit. Et ita omnes Catholicos dejectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncaviſſet.* Aliam Baronius lectionem exhibet: *Julianus Atellanenſis.* Sed perperàm. Eclanum urbs erat Epiſcopalis, Campaniam inter & Apuliam, Benevento viginti circiter milliaribus diſſita. Neque de odio Juliani, Pelagianorumque aliquid remiſit Leo, ubi Pontificatum adeptus eſt. Teſte Autore de Promiſſionibus, qui Proſperi ſub nomine latet: *In Italia nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis, & Apoſtolico honore nominandus Leo Manichæos ſubverteret, & contereret Pelagianos, & maximè Julianum.*

Bar. Ann. 439. n. 45.

Proſp. de Prom. c. 6.

Reienſis Synodus.

VIII. Armentarii Ebrodunenſis Epiſcopi cauſâ Synodo apud Regium congregandæ præbuit occaſionem. Regium Lepidi Italiæ urbem perperàm hîc ſomniat Surius in ſua Conciliorum editione. Etenim tres ſunt urbes hujus nominis. *Regium* Brutiorum in finibus, ad fretum Siculum ſitum, quod à Græco ῥήγνυμι, *frango*, nomen invenit, quòd Veteribus perſuaſum fuerit, maris impetu Siciliam ab Italia avulſam eſſe. Plinius: *Ab hoc*, inquit, *dehiſcendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italiæ ſito.* Cantantur pueris Claudiani carmina:

Plin. l. 3. cap. 8.

Claud. de Rapt. l. 4. 142.

Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit, ſed pontus & æſtus
Mutavere ſitum, rupit confinia Nereus.

Eſt & aliud in Italia oppidum, à Lepido inſtauratum, Parmâ Mutinâque non longè diſſitum, vulgò *Rezo*, cui perperàm Synodus aſſignatur, quæ Galliæ conſtabat Epiſcopis. Eſt denique *Regium* in Narbonenſi ſecunda, cui præerat *Maximus*, de Reienſibus Patribus unus, vulgò que *Ries* appellatur. Armentarius nobili ſanguine ortus, Ebrodunenſi Eccleſiæ Præſul impoſitus fuerat, illaudabili quidem ordinatione, quæ conſecrandorum Epiſcoporum regulas omnes perſtringebat, ut Synodi Præfatione docemur: *Cùm in voluntate Domini apud Regenſem civitatem conveniſſemus, & tranſgreſſionis apud Ebrodunenſem Eccleſiam habitæ, remedium quæreretur, quâ ſacris Eccleſiæ Canonibus, ac reverendis Patrum conſtitutionibus omni parte neglectis, abſque trium Epiſcoporum præſentia abſque Comprovincialium literis, ſine Metropolitani autoritate nullam ordinationis ſpeciem a duobus temerè convenientibus præſumptam eſſe clarebat, non minus doloris de præſumentium lapſu, quàm de Eccleſiæ ipſius convulſione in pectoribus omnium divinâ collatione verſatum eſt.* Interfuere Concilio Epiſcopi XIII. Hilarius Arelat. Synodi Præſes, Severianus, Audentius, Julianus Arcadius, Auſpicius, Severus, Claudius, Valerianus, Nectarius, Theodorus, Maximus, Conſtantinus, per Vincentium Presbyterum, qui vices ejus agebat. Sub die III. Kal. Decembris Synodus eſt celebrata, cujus Decreta octo Canonibus continentur. I. Ut duo, qui ſoli ordinationem præſumpſerant, ab omnibus deinceps ordinationibus & Conciliis abſtineant. II. Ut Ebroduni, remoto eo, qui perperàm fuerat aſſumptus, alia fiat legitima ordinatio. III. Armentario, qui perperàm fuerat ordinatus, pœnâ remiſſâ, & Chorepiſcopi nomen ceteris legibus indultum. IV. Clericos, quos Armentarius creaverat, abdicat; quos verò nullâ præeunte culpâ notatos abjecerat, in integrum reſtituit. V. Presbyteris concedit, per familias, per agros, per privatas domos benedictionem impertiri deſideranti. VI. Vitandis illaudabilibus ordinationibus, prohibet ne quis ad Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidit, niſi viciniæ Eccleſiæ Præſul exequiarum tempore accedat, qui viſitatoris vice eam adminiſtret. VII. De cura viſitatori Epiſcopo mandata ſancit, hæc omnia exequiarum tempore *uſque ad ſeptimam defuncti diem* eſſe peragenda. Exinde ſtatim ei in Eccleſiam ſuam reditus præcipitur, mandatum Metropolitani cum omnibus Epiſcopis expectaturus. VIII. Ut bis quotannis conventus fiant.

De Armentario Reienſe Decretum.

IX. Hæc Reienſes. Cæterùm cùm Synodo celebrandæ præcipua *Armentarius* cauſa fuerit, de eo eſt Paulo fuſius tractandum. Juvenis erat Armentarius, qui *in timore Domini* educatus, viduæ Ebrodunenſi Eccleſiæ, à duobus duntaxat Epiſcopis inſcio Metropolitano Antiſtes fuerat impoſitus. Aſſentatorum turbâ, ambitioniſque titillatione inflammatus, vitioſæ ordinatione aſſenſum præbuerat, cujus tamen non multò pòſt pœnituit. Itaque priuſquam culpæ ſuæ moneretur, munere diſcedens, privatæ ſe domui reddiderat, miſſiſque ad Clerum literis, Eccleſiæ tabulis nomen eradi ſuum flagitaverat, profeſſus irritam eſſe ſuam ipſius ordinationem. Quibus de cauſis Synodo placuit, hominem errores ſuos agnoſcentem, damnationis vacuum abire. Decernit ergo, *Ut cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis conſilia dictaverint, liceat ei unam parrochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut Chorepiſcopi nomine, aut peregrinâ communione foveatur . . . ut hoc in qualibet Provincia, præterquam in Alpina maritima liceat. Quam ſi in aliqua parte acceſſerit, ut malorum incitator, & quietis impatiens, damnationi, quam in ſe provocaverat, ſubjacebit. . . . Additur, ne unquam in Civitatibus, vel ſub Epiſcoporum abſentia, offerre præſumat, nec ordinare, vel ultimum Clericum, nec in ea quidem Eccleſia, quæ illi, cujuſcunque miſericordia fuerit attributa: nec ulli Epiſcoporum vel ſuccedente ætate aſſumpto, in rudimentis ſuis huic in aliquo, quaſi pro ætatis reverentia cedere*

Syn. Reienſ. c. 4. 5.

Anno Dom. 439.

cedere liceat: nec uſquam ipſi quidquam de Epiſcopalibus officiis uſurpare præterquam in Eccleſia, quam cujuſquam miſericordiâ fuerit indeptus, in qua ei ſolum Neophytos confirmare, & ante Presbyteros uſſerre conceditur. . . . In Eccleſia quoque, in qua ordinatus fuerit, conſecrandi Virginem, ſicut confirmandi Neophytum jus habebit. Et per omnia ut ſit multa indulgentia teſtimonium, ſemper ſe inferiorem Epiſcopo, ſuperiorem Presbytero agat. Novis Baronius Decretis Synodum Reienſem exornat. Illuſtriſſimi Purpurati verba audite perjucundum eſt: *Præterea autem, quæ de ordinatione perperam ſacta Epiſcopi Ebrodunenſis in hac tractata ſunt Synodo, de illis etiam actum Epiſcopis, qui ex hæreſi, vel ſchiſmate ad Eccleſiam redirent, qui quo loco habendi eſſent, Patres maturâ conſultatione definierunt. Egerunt & de exequiis defunctorum Epiſcoporum.* Hæc & de redeuntibus ad Eccleſiam Epiſcopis, & de Præſulum exequiis Reienſibus in Actis contineri, Baronio tam confidenter affirmanti, & in magno Annalium Opere referenti, quis fidem detractum iret? Pace tamen illuſtriſſimi Purpurati, noſtris potius oculis quàm ipſi credimus: neque de Antiſtitum exequiis, aut Epiſcoporum, vel ex ſchiſmate, vel ex errore reditu verbulum eſt ullum in Reienſi Concilio.

Bar. Ann. 439. n. 44.

Rabbulas obiit: Ibas ei ſuccedit.

X. Hoc anno lucis uſuram amiſiſſe videtur Rabbula, Edeſſenus Epiſcopus. Quod mirum, cæcus erat, haud tamen mentis luminibus captus. Epheſinæ Synodo cum Orientalibus interfuerat, ac quo erat fervore animi, in Memnonem, Cyrillumque anathemata ſtrinxerat, Ægyptioſque Epiſcopos, ut fidei impuros odio proſequebatur. At tandem odium favore permutavit, ut Neſtorius vix acriorem inimicum perferret. Hoc Andreas Samoſatenus Alexandro Hierapolitano ſignificavit: *Hi qui pro recta fide laborant, ſcripſerunt mihi ab Edeſſa, quia Rabbulas apertiſſimè declinavit à dogmatibus veritatis, & perſequitur rectæ fidei defenſores; ita ut Theodorum quidem beatum, rectæ glorificationis Magiſtrum, præſumeret anathematizare in Eccleſia, & multa mala contra eum diffunderet. Anathematizaret verò & illos, qui ea, quæ illius ſunt, legunt. Inſuper & qui illa, quæ ſcripſimus: & quicunque veniunt, & non portaverint ad combuſtionem Theodori codicem.* Quibus cognitis, Joannes Antiochenus Synodi ſuæ ad Oſrhoënæ Provinciæ Epiſcopos contra Rabbulam id Decreti miſerat: *Si vera ſunt iſta, quæ hìc diffamantur à pluribus, immunes vos ab ejus communione ſervetis, donec eum evocantes ad nos, & integrè diſcutientes, quæ ad eum pertinent, aut ignoſcamus ſatisfacienti, aut convictum ſubdamus ſatisfactionibus regulæ.* Munus tamen retinuit ſuum ad mortem uſque, quam ſub anni hujus initia obiiſſe conjicimus. Rabbulæ ſucceſſit *Ibas*, cujus initia hunc in annum eſſe conferenda, monent verba ipſius ad Samuelem accuſatorem in conventu Berytenſi anno CCCCXLVIII. celebrato: *Communicaſti mihi annis decem.* Vix adierat Pontificatum, cùm Neſtorianiſmi accuſatur. Qui rumor cùm Procli Conſtantinopolitani tetigiſſet aures, ſubinde Joanni Antiocheno Epiſtolam direxit: *Multi reclamant hìc, religioſiſſimum Edeſſenorum Epiſcopum Ibam, non ſolùm quidam Clerici Edeſſeni & Monachi, ſed etiam Primates & clari militiâ, quibus rectæ fidei calidus zelus accenditur, quod tantum diligit Neſtorii inſaniam, ut & quædam capitula, quæ ſuppoſui, ſcripto à nobis ad Armenos tomo, & direxi tuæ reverentiæ, quæ ſunt ſtulta & profana, & omni plena impietate transferret ſtylo Syrorum, & tranſmitteret ubique. . . . Quæ quando per lectionem cognoveris, feſtinare digneris cum omni alacritate eum compellere, tomo quidem ſcripto ad Armenos ſubſcribere.* De Iba plura in ſequentibus.

Lup. Syll. c. 43.

Lup. Syll. cap. 44.

Syn. Chalc. Action. 1.

M. B. P. t. 6. 617.

Anno Dom. 440.

ANNO U. C. 1193. PER. JUL. 5153. JUL. 485. DOM. 440. THEODOS. 39. & 33. VALENTIN. 15. & 16. *Sol.* 1. GF. *Lun.* 4. *Indict.* 8. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 1. 2. *P.* 7. *April.*

COSS. *Valentinianus Aug.* V. *& Anatolius.*

Theodoſii temperantia.

I. RES imperii non deſpiciebat Theodoſii providentia: ac pro benignitate ſua totus erat, ut miſeris lenimenti aliquid afferret. Hoc anno contigiſſe videtur illud memoratu dignum, quod Sozomeni in Præfatione legimus. Heracleam urbem Ponti temporis diuturnitate collapſam, cùm & viſitare & inſtaurare ſtuderet Theodoſius, æſtivo tempore per Bithyniam iter fecit. Sudore diffluenti, pulvereque conſperſo unus de protectoribus phialam obtulit, gratiſſimâ potione impletam, cui frigidam ſuperfudit. Princeps ſumpto calice, propenſum erga ſe protectoris animum collaudavit quidem: at cùm milites univerſi poculo inhiarent, illud offerenti reddidit, jubens ut liquore pro arbitrio ſuo uteretur.

Geiſericus Siciliam vexat. Panormum obſidet.

II. In Occidente verò Valentinianus miſeram fortunam trahebat. Ducum ejus rara concordia erat. Eò progrediebantur *Ætii* Albinique diſſidia, ut iis componendis opus foret *Leonis* operâ, qui tum Diaconi munere in Eccleſia Romana fungebatur, eaque de cauſa in Gallias profectus erat. Intereà Geiſericus jam victor Africæ, Carthaginiſque dominus, ad majora nitebatur. Armatam claſſem deducit in Siciliam, quam graviter afflixit. Panormum diu obſeſſum deſerere coactus ad Hiſpanias appellit: *Accepto nuncio de Sebaſtiano, ab Hiſpania ad Africam tranſit, tum celeriter Carthaginem redit, ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet.* In defendenda Sicilia multum operæ adhibuit *Caſſiodorus*, Aurelii Caſſiodori Scriptoris avus: ut conſtat ex Theodorici Regis ad Senatum Romanum Epiſtola: *Avum Caſſiodorus, illuſtriſſimatus honore cinctum, qui ejus generi non poterat abnegari, à Vandalorum incurſione, Siciliam Brutioſque armorum defenſione liberavit, ut meritò primatum in illis Provinciis haberet, quas à tam ſævo & repentino hoſte defendit.* Non impedire tamen potuit, quin *Paſchaſinus* Lilybetanus Epiſcopus captivitatem pateretur, cujus ipſemet meminit in ſua ad Leonem Epiſtola, quadriennio pòſt exarata: *Apoſtolatus veſtri ſcripta Diacono Panormitanæ Eccleſiæ Silano deferente percepi, quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amariſſimâ captivitate faciente incurri, ſolatium in omnibus atque remedium attulerunt.* Stupendâ Baronius Chronologiâ Paſchaſini captivitatem anno Domini CCCCLIV. aſſignat, n. 22. Quem in errorem eò delapſus eſt, quòd huic & anno Paſchaſini Epiſtolam aſcripſerit. Hinc & eidem anno aſſignat à Vandalis illatas Siciliæ clades, quæ in currentem revocanda ſunt. Inflammatum jam ſatis adverſus Orthodoxos Geiſericum magis accendit Sicula hæc expeditio, ut teſtatur

Proſp.

Caſſiodor. Var. L. 1. Ep. 4.

Leon. Ep. 63.

  Ida-

Idacius: *Geiſericus damnati à Catholicis Epiſcopis Maximini apud Siciliam Arianorum Ducis adverſum Catholicos præcipitatur inſtinctu, ut eos quoque pacto in impietatem cogeret Arianam.*

Sebaſtianus Comes a Geiſerico occiditur.

III. Fatalis & Sebaſtiano Geiſerici reditus fuit. Fidum Vandalo ſe præſtiterat, neque Rex ipſe diffitebatur, qui Sebaſtianum ſic compellaverat: *Sebaſtiane, ſcio quia fideliter nobis adhærere jurâſti, cujus veritatem ſacramenti labores tui vigilantiaque demonſtrant.* Hæc Victor Utenſis, in quo & de Sebaſtiani virtute legimus: *Fuit Comes Sebaſtianus, acer conſilio, ſtrenuus in bello, cujus Geiſericus ſicut conſilia neceſſaria habebat, ita & præſentiam formidabat.* Hæc eſt ſcilicet tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis benevolentiæ poteſt eſſe fiducia. Omnia ſemper ſuſpecta atque ſollicita ſunt. Itaque Geiſericus Sebaſtianum obtentu religionis antehàc voluerat perditum. Trinitatis cultor aſſiduus erat Sebaſtianus, quem ſic alloquitur: *Ut nobis connexa ſemper jugiſque maneat, hoc placuit præſentibus Sacerdotibus noſtris, ut ejus efficiaris cultus religionis, quam & nos, & noſter populus veneratur.* Ad hæc panem ſibi mundum afferri cùm Sebaſtianus juſſiſſet, talia fatus erat:

Vict. de Perſ. Vand. lib. 1.

Hic panis, ut ad tantum decorem veniret, & menſa regia neceſſarius haberetur, diſcuſſa ſpatia furfuris, ex maſſa ſimilaginis conſperſus, per aquam tranſivit & ignem, idcircò & aſpectu clarus, & eſu ſuavis habetur. Ita & ego molâ Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis, ut ſimilâ mundâ purgatus, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & igne ſpiritus coctus. Hâc reſponſione & Geiſerico os occluderat, & fraudes cluſerat. At cùm ſuſpectior Geiſericus, quàm antè fieret, fortiſſimum virum, perfidiæque omnis purum occidit. De ipſius morte pauca hæc apud Proſperum: *Ille amicum ſe magis quàm hoſtem videri volens, diverſa omnia apud barbarum animus quàm præſumpſerat, expertus. Eaque ſpei cauſa illi maxima calamitatis & infeliciſſima mortis fuit.* Serius tamen mors Sebaſtiano contigit, ſi fides Idacio, quam in XXVI. Valentiniani annum contulit, qui Domino eſt 450. *Sebaſtianus exul factus, perniciosam ſibi, ſicut pòſt exitus docuit, Geiſerici confugit poteſtatem, parvo pòſt tempore quàm venerat, per eum jubetur occidi.* At Idacio Proſperum anteponimus.

Sixtus Papa obiitus.

IV. Ad res Eccleſiæ tranſgredimur. Sixtum Pontificem mors aſſequitur quinto Calendas Aprilis, ut communior fert opinio. Ædificiis oblationibuſque nonnullis nomen poſteris commendavit ſuum, ſi Pontificali fides: *Fecit Baſilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab Antiquis Liberii cognominabatur, juxta macellum Libyæ, ubi & obtulit hoc altare argenteum puriſſimum, penſans libras* 300. *patenas argenteas tres, penſantes libras* 60. *Fecit in Baſilica Conſtantiniana ornamentum ſuper fontem, quod antè ibi non erat, id eſt, epiſtilia marmorea, & columnas porphyreticas erexit.* Eo ſedente Petrus Epiſcopus Sanctæ Sabinæ Baſilicam condidiſſe dicitur, ubi & fontem conſtruxit. Sedit ab anno CCCCXXXII. quo Cœleſtino ſucceſſit, ad uſque CCCCXL. quo XXVIII. Martii mors ejus affigitur: *Sepultus eſt in via Tiburtina, in crypta juxta corpus Sancti Laurentii.*

De Leonis Epiſcopatus diuturnitate. Quis Leo?

V. Defuncto Sixto, *quadraginta amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace atque patientiâ præſentiam Diaconi Leonis exſpectans, quem tunc inter Ætium & Albinum amicitia redintegranda Gallia detinebant. Quaſi ideò longius eſſet abductus, ut electi meritum, & eligentium judicium probaretur. Ideò Leo Diaconus legatione publicâ accitus, & gaudenti patria præſentatus, quadragesimus tertius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.* Leo, qui perperàm dicitur Pontificali, *natione Tuſcus*, patre Quintiano ortus eſt. Leoni cùm Caſſiano magna familiaritas fuerat, qui monitis ejus in componendis de Incarnatione Chriſti libris ſeptem invigilavit, teſte Præfatione: *Viciſti propoſitum ac ſententiam meam, laudabili ſtudio & imperioſiſſimo affectu tuo, mi Leo venerande, ac ſuſpicienda charitas mea Romanæ Eccleſiæ, ac divini miniſterii decus.* Jam in gloria Leo erat ob prudentiam, & eruditionem. Itaque electus erat, ut diſſidentes Ætium & Albinum ad concordiam adduceret, quam ſuperiore anno provinciam ceperat. Ex Proſperi calculo Maii circiter ſeptimo Pontificatum ingreſſus eſt, cùm à Martii XXVIII. ad uſque Maii ſeptimum numerentur quadraginta illi dies, quibus Roma Epiſcopi expers fuit.

ANNO DOM. 440.

Proſperi Chron.

Labebatur annus CCCCLXI. cùm Leo naturæ ſatisfecit; qui Pontificatus ejus primus & vigeſimus fuit. Quoto verò menſe obierit, quæritur inter eruditos. Baronius *omnium ſententiam eſſe* dicit, quòd Leo *vitâ functus ſit menſe Aprilis*, diemque aſſignat *tertium Idus*. At ſpretâ communi opinione, doctiſſimus Queſnellus ſupremum Leonis diem in Octobris trigeſimum contigiſſe ſtatuit. Vetus Calendarium, quod ex MS. Corbeienſi deſumptum tomo decimo Spicilegii ſui Dacherius edidit, hæc habet: *Tertio Kal. Novembris depoſitio Sancti Leonis Papæ.* Sed & Hilarius, qui Leoni ſucceſſit, Novembri anni CCCCLXI. Pontificatum adeptus eſt.

Bar. Ann. 461. n. 3.

Non eſt autem probabile, per pacatiſſima illa Eccleſiæ Romanæ tempora deceſſoris poſt obitum diu dilatam eſſe ſucceſſoris electionem. Si verum tamen volumus, in rationibus ejuſmodi præſidii nil ſatis eſt, ut curſim hanc in ſententiam deſcendamus. Vetus quidem Calendarium à Roſweido luci donatum, Jonii XXVIII. mortem Leonis affixit, his verbis: IV. *Kal. Julii Romæ Leonis Papæ.* Plus ſpeciei eſt in argumento ex electione Hilarii petito, qui XII. Novembris Leoni ſucceſſit. Neque tamen ſatis eſt, ut neceſſarium aſſenſum impetret. Pacatiſſima erant Eccleſiæ Romanæ tempora ſedente Julio, qui ex Chronico Damaſi Bucheriano extremum diem confecit *pridie Idus Aprilis, Conſtantio V. & Conſtante Cæſare Coſſ.* hoc eſt, anno Domino CCCLII. Liberius verò, qui Julio proximè ſucceſſit, non ante XI. Cal. Junias in Cathedra Epiſcopali collocatus eſt. In tranquillis ergo Eccleſiæ Romanæ temporibus quæcumque cauſa fuerit, quadraginta dierum Interpontificium agnoſcitur. Quidni & is caſus intervenire potuit, qui Hilarium inter & Leonem Interpontificium ejuſmodi conſtituerit, cujus ratio nobis ignoratur? Itaque non ſatis certa exploratave eſt Queſnelliana Chronologia, quam tamen probabiliorem opinionum eſſe omnium, faciles largiemur. Quæ notabilia in Pontificatu Leo geſſerit, in progreſſu docebimur.

Ex Leonis Epiſtolis tres ab eo abjudicantur.

VI. Complures Leonis ſunt Epiſtolæ, eruditorum ferè omnium conſenſu germanæ. Quibus veriſſimis geminæ inſitæ ſunt, quæ pro nothis haberi debent. Prior eſt LXXXVIII. *Leo Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus, univerſis Germaniarum regionum Epiſcopis* ſalutem.

Hic

ANNO DOM. 440.

Hâc autem Epiſtolâ queritur, *Quòd quidam Germaniarum & Galliarum urbium Epiſcopi frequenter Chorepiſcopos, qui juxta Canones Neocæſarienſes, ſive ſecundum aliorum Decreta Patrum, iidem ſunt, qui & Presbyteri, vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicaſque conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum, id præcepiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros.* Autor Epiſtolæ longam lacinīam aſſuerat ea Leonis Epiſtola 87. quæ à Surio, aliiſque à Leoninis Epiſtolis eſt reſecata. Qui verò hanc de Chorepiſcopis Epiſtolam cum Hiſpalenſis Synodi ſecundæ Canone ſeptimo de Agapio Cordubenſi componet, ſi candidâ ſit mente præditus, illam ex eo Canone deſumptam eſſe fatebitur, vix lac lacti ſimilius, eadem & in Canone, & in Epiſtola verba reperiuntur. Præterea Leonem antiquæ diſciplinæ tam peregrinum fingere non poſſumus, ut Presbyteros Chorepiſcopoſque Patribus eoſdem eſſe, pro certo affirmaret. Quaſi verò Presbyteris conceſſum fuerit, Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas conſtituere, quæ ordinatio Chorepiſcopis permittebatur, imò etiam Presbyterorum, Diaconorumque conſecratio, conſentiente Epiſcopo, ut apparet ex Neocæſarienſi Canone XIII. Antiochenoque Canone X. Ut mirum ſit, Petavium de Chorepiſcopis Epiſtolam addixiſſe Leoni, dum fatetur Chorepiſcopos *amplius quiddam eſſe quàm Presbyteros, & ſi verum quærimus, Epiſcopos fuiſſe.* Neque Epiſtola XXVI. Leoni eſt aſcribenda: *Dominis fratribus merito beatiſſimis, in Chriſto venerabilibus, Samattioni, Chariatoni, Deſiderio Epiſcopis, & Presbyteris omnium Eccleſiarum, quæ ſunt intra Provinciam Thraciam conſtituta, Leo, Victorius, Euſtachius, Epiſcopi.* Cenſent Epiſcopi ex Clero illum abjiciendum eſſe, *Si prætermiſſo Sacerdotum judicio, ſæcularem adierit poteſtatem.* Ac primò conſtat titulum in mendo cubare, legendumque non *intra Provinciam Thraciam*, ſed *intra Provincias Gallicanas.* Quippe Chariato, Leo, Victorius, Euſtachius Epiſcopi Galliarum erant, qui Synodo Andegavenſi anno CCCCLIII. celebratæ interfuerunt. Deinde Leo, ex Autoribus Epiſtolæ unus, non idem eſt cum Pontifice Romano. Quanam de cauſa urbis Epiſcopus cum duobus Galliarum Antiſtitibus nomen conjunxiſſet ſuum, ut ad Galliæ Antiſtites Epiſtolam dirigeret? Neque ſtylus Epiſtolæ Leonis ſimilis eſt. Eſt ergo *Leo* ille Bituricenſis Præſul, ut Blondello noſtro ſapienter obſervatum. Si verum etiam amamus, Epiſtola LXXXV. ad *Septimium Altinum Epiſcopum* Leoni eximi debet. Prohibet Epiſtola, *Ne quiſquam de Pelagianorum & Cæleſtianorum conſortio veniens, in communione Catholica, ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur.* Notham verò arguunt Epiſtolam verba hæc, *Ad Metropolitanum Epiſcopum Provinciæ Venetiæ.* Rectè quidem doctiſſimo Queſnello obſervatum, ſedente Leone nullum Provinciæ Venetiæ Metropolitanum fuiſſe: ſed & *Provincia Venetia*, phraſis eſt ætati Leonis prorſus incognita.

Petav. animad. in Epiph. pag. 279.

Sozomenus: ejus patria. Núm Novatianus? Ipſius Hiſtoria.

VII. Iis temporibus florebat Sozomenus, Eccleſiaſticæ Scriptor Hiſtoriæ. Imperante Juliano cùm ubique locorum Chriſtiani diſpergerentur, Sozomeni avus eorum unus fuit, qui ſe fugæ mandarunt. Ac patre quidem Ethnico natus erat, ipſe tamen cum univerſa domo, omneſque ſimul qui ex ſanguine erant Alaphionis, primi fidem ſuſcepere, *Bethelia* Gazæorum vico, ubi Pantheon erectum. Ad pietatem verò Alaphion ea de cauſa convertitur. Vexabatur à Dæmone, quem nec incantamentis Judæi ſuis, nec Ethnici magicis ſuperſtitionibus expellere valuerant. Illum Dei nomine invocato Hilarion Monachus ejecit. Quo miraculo tam Alaphion, quàm Sozomeni avus perciti, Chriſti religionem amplectuntur. Ac Sozomeni avus eleganti erat ingenio, arithmeticæ, diſciplinarumque non imperitus, & exponendis ſacris Voluminibus idoneus. Ex Alaphionis familia viri ſancti Sozomeni ad ætatem uſque pervenere, quibuſcum adoleſcens verſatus eſt. Eorum unus *Salamanes* dictus, Sozomeno id nominis fœneraſſe videtur. Quippe nomina hæc gerebat, *Salamanes Hermias Sozomenus.* Eſt ſanè falſiſſimum, Sozomenum ex oppido Cypri Salamine hauſiſſe Salaminii appellationem, ut Nicephoro, aliiſque placuit. Etenim Palæſtinus erat Sozomenus, non Cyprius; ut vero proxima ſit eruditiſſimi ſententia Valeſii, à *Salamane* Monacho id nominis Sozomenum accepiſſe. Conjecturam Valeſii veram eſſe, apparet ex Photio: *Lecta eſt Σαλαμάνε, Salamana Hermiæ Sozomeni Scholaſtici Hiſtoria Eccleſiaſtica.* Quæ verba perperàm Schotus reddit, *Hermiæ Sozomeni Salaminii.* Sozomenus Salamanis meminit in Hiſtoria: *Salamanes, Phuſcon, Malchio, & Criſpio fratres degebant juxta Bethelam.* Horum in Monachorum veluti ſinu geſtatus Sozomenus, ardentiſſimum illum vitæ aſceticæ amorem hauſiſſe videtur, quem paſſim oſtendit in Hiſtoria. Relictis Monaſteriis Jus Civile didicit Beryti; inde Conſtantinopolim ſe tranſtulit, ut cauſidicum præſtaret. Meminit quidem Aquilini, *Viri*, inquit, *qui hodie mecum unà verſatur, & in eodem foro cauſidicinam exercet.* In ea arte conſtituto, multum otii ex cauſarum penuria contigiſſe, eò liquet, quòd ad Hiſtoriam ſcribendam ſe converterit. Ac primùm, quæ ab aſcenſu Dominico ad exauctorationem uſque Licinii Eccleſiis contigerat, duobus libris complexus erat, quod Opus nunc deſideratur. Hiſtoriam deinde condidit, libris novem comprehenſam, quod Opus à tertio Conſulatu Criſpi & Conſtantini Cæſarum ad uſque Theodoſii decimum ſeptimum progreditur: hoc eſt, ab anno Domini CCCXXIV. ad uſque CCCCXXXIX. Nonus tamen liber mancus eſt, atque mutilus. Hiſtoriam Theodoſio ſuam nuncupavit, Sanctorum apparitionibus, miraculiſque refertam, quæ credulum ſanè Lectorem flagitant. In ſcribendo præſtantiorem Socrate Sozomenum fuiſſe, cenſet magnus ille Criticus Photius; Sozomenus porro & judicio, & diligentiâ vincitur à Socrate, quem tamen appoſitè ſatis à Sozomeno in nonnullis emendatum eſſe fatemur. Novatianis Sozomenum Baronio inſeri placuit. Eâ ratione fretus, quòd *Novatianis ſua* miracula Sozomenus multa vindicet. Quin tamen injuriam Sozomeno illuſtriſſimus Purpuratus fecerit, nulli dubitamus. Hanc ſanè maculam eluit ipſe Sozomenus, dum de Novatiano, Novatianiſque hæc ſcribit: *Novatus, qui ejus αἱρέσεως, ſectæ autor fuit, Pœnitentes quidem ad communionem minimè admiſit, idque ſolum ab eo innovatum eſt.* Et paucis pòſt lineis de Conſtantinopolis, Nicææ, Nicomediæque Novatianorum Antiſtitibus ſubjungit: Illos *Novatiani, velut arbitros ac moderatores habent eorum, quæ in Eccleſia & ſecta ipſorum geruntur.* Quòd ſi Novatiani de grege unus fuiſſet

ANNO DOM. 440.

Sozom. l. 5. c. 15.

Phot. Bibl. pag. 18.

Sozom. l. 6. c. 32.

Sozom. l. 2. c. 3.

Bar. Ann. 439. n. 39.

Sozom. l. 6. c. 24.

Anno Dom. 440.

fuiſſet Sozomenus, neque novatoris in loco Novatianum habuiſſet, neque odioſum *αἱρέσεως*, *hæreſis*, ſectæve titulum Novatiani diſcipulis impoſuiſſet. Illud quoque de Sozomeno Baronius perſuaſum habuit, cenſuram ipſius Hiſtoriæ à Gregorio Magno actam eſſe. Conſtat quidem, hæc apud Gregorium legi: *Ipſam quoque Sozomeni Hiſtoriam Sedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimium laudat.* Verùm enimverò cùm de Theodori laudibus nil mentionis fiat à Sozomeno, nobis certum eſt, errante memoriâ *Sozomenum* à Gregorio pro *Theodorito* fuiſſe poſitum. Quid in errorem Gregorium duxerit, conjecturâ hâc exponit Valeſius: *Pro certo habeo, Gregorium Magnum non alibi legiſſe Sozomenum, quàm in Hiſtoria Tripartita. Porro in libro x. Hiſt. Tripart. c. 43. ita ſcriptum eſt: Eo autem tempore, quo Theodotus ſacratiſſimus Antiochenam regebat Eccleſiam, Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, ſed totius Doctor Eccleſiæ. Id cum legiſſet olim Gregorius, ex Sozomeno deſumptum eſſe exiſtimavit, eò quòd nullius Scriptoris nomen, nec hujus, nec multorum præcedentium Capitulorum titulo ſit præfixum. Hinc factum eſt, ut memoriæ vitio Sozomenum ſcripſerit pro Theodorito.*

Gregor. lib. 6. Ep. 31.

pefque affectus animi victoriis Barbarorum ancillabantur.

II. Factâ mentione rerum imperii, ad illas Eccleſiæ convertimus animum. Sub hæc tempora Joannes Antiochenus animam effudiſſe videtur. Anno CCCCXXIX. defuncto Theodoto Antiochenæ Eccleſiæ præfectus fuerat. Errat ſanè Baronius, qui biennio citius Joannem ordinatum eſſe putat: quòd repugnante Theodorito Theodoti obitum cum anno CCCCXXVII. copularit. Quam admittere Chronologiam clariſſimus Du Pin non debuit. Ab adoleſcentia Joannes Euprepii in Monaſterio educatus, rebus ſacris admoverat animum, uſus familiariter contubernalibus Neſtorio, atque Theodorito. Itaque cùm de Neſtorio rumor diſpergi cœpit, quaſi abſona docente, ipſum amicis verbis monuerat, ne ob voces quaſdam pacem diſturbaret Eccleſiæ. A Principe ad Synodum Epheſinam venire juſſus, conſtitutæ diei non adfuerat: non morâ quidem ſpontaneâ, ſed quòd Provinciæ ſuæ Epiſcopos citius colligere non potuerat. Itaque Cyrillo Libellum ſuis nominibus conſignatum Epiſcopi ſexaginta octo miſerant, pridie quàm Neſtorius damnaretur, rogantes, ut Joannis, qui vix tridui ſpatio aberat, adventus expectaretur. Quod cum impetratum non fuiſſet, Synodum celebravit Epheſi, Epiſcopis tribus & quinquaginta conſtantem, quæ Cyrillo, Memnoni, aliiſque munus ſuum abdicavit. Ac diu ſatis amicum ſe Neſtorio præbuit, ut redux Antiochiam convocatâ Synodo, iterum & anathematibus Cyrillum ſuis percuteret. Ut verò Reſcriptis Theodoſianis ad pacem cum Cyrillo ineundam invitatus eſt, paulatim manſuefactus, miſſo Alexandriam Paulo Emeſeno, conditiones pacis amplexus eſt: in tantum deinde mutatus, ut & Neſtorio diceret Anathema, & ipſius fautores autoritate & civili, & Eccleſiaſticâ vexaret, uti fusè temporibus ſuis oſtenſum eſt. Superſunt adhùc Joannis Epiſtolæ, & Græco-Latinæ in Labbeana Collectione, & Latinæ Lupi in Sylloge, quarum fragmenta exhibuimus ad illuſtrandam hiſtoriam idonea. Defuncto Joanni *Domnus* ſubſtituitur.

Anno Dom. 441.

Joannes Antiochenus. Mors ejus. Domnus & ſufficitur.

Error Baronii.

Bar. An. 427. n. 25.

Anno Dom. 441.

Anno U. C. 1794. Olymp. 305. Per. Jul. 5154. Jul. 486. Dom. 441. Theodos. 40. & 34. Valentiniani 16. & 17. *Sol.* 2. E. *Lun.* 5. *Indict.* 9. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 3. P. 23. *Maii.*

Cos. *Cyrus.*

Hiſpania à Suevis vaſtata. Genſericus Theodoſio terrori eſt.

Prosp.

I. GEiſericus captâ Carthagine, vaſtatâque Siciliâ, non Occidenti modò, ſed Orienti quoque terrori erat. Vandalicas ergo victorias miſſo exercitu interpellari Theodoſio placuit. Quæ tamen expeditio ex mora Ducum non fuit emolumento: *Theodoſius Imperator bellum contra Vandalos movet, Ariobindo & Anſilâ atque Germano Ducibus cum magna claſſe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quàm præſidio fuere.* Occidentis cladibus non ſufficiebat Vandalus. Hiſpanias Suevi miſerè lacerabant. Neque Legatorum jura, quæ intemerata omnibus eſſe debent, Barbarorum perfidiæ impedimento fuere: *Cenſorius* Comes, inquit Idacius, *qui Legatus miſſus fuerat ad Suevos, reſidens Mirtyli, obſeſſus à Rechila in pace, ſe tradidit.* Belli hoc claſſicum fuit. Hermerico Suevorum Rege, qui per ſeptennium gravi morbo cruciabatur, defuncto, filius ejus *Rechila* Hiſpalim obtinet, Bæticam Carthaginenſemque Provincias in ſuam poteſtatem redigit. Hiſce cladibus nutrimenta dabant Chriſtianorum diſſidia, qui bellis domeſticis Barbarorum ſucceſſibus viam aperiebant. Hiſpali ſcilicet factiones Eccleſiæ jura pervertebant, monente Idacio: *Sabino Epiſcopo de Hiſpali factione depulſo, in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude*, non jure. Graviter Vandalicâ manu animadvertenda ea peccata fuere, quæ non præcavebantur. Neque cladium expers omnium ditio Theodoſii. *Hunni* finibus ſuis egreſſi, Romanorum ſola vaſtant. Quibus repellendis mittuntur *Anatolius & Aſpar, Magiſtri Militiæ, pacemque cum eis unius anni fecerunt. Joannes natione Vandalus, Magiſterque Militiæ Arnegiſili fraude in Thracia interemptus eſt.* Sic privata odia, tur-

Marcellin.

III. Joanni conſanguineus Domnus erat ex ipſius ſorore genitus. Monaſterio quod incolebat, egreſſus, ut à Neſtorii partibus Joannem revocaret, à Sancto Euthymio Abbate hæc audiſſe fertur: *Tolerantia contemptis cogitationibus, temabis à Laura diſcedere. Obtinebis quidem adminiſtrationem, quam tuus habet avunculus, ſed eam tibi rurſus auferent mali homines, & præſtigiatores, cùm ab illis prius fueris ſeductus ignorantiâ.* Hæc Cyrillus Monachus in vita Euthymii, cap. 51. Quòd ſi eam Euthymius vaticinationem fudit, eventui quidem fides non defuit. Ut Domnus Epiſcopatum adiit, amplam fuſamque materiam invenit exercendæ charitati. Inter exules Carthaginenſes eminebat *Cœleſtianus*, qui Senatorem egiſſe videtur. Uxore filiiſque comitatus, errabundus ubique locorum pervagabatur. Ingreſſus Euphrateſiam, in Theodoritum inciderat, cui ob eximiam in tolerandis afflictionibus conſtantiam admirationi erat. Sua tamen calamitas Cœleſtiano lucro fuit: cùm quam profeſſus erat impietatem exueret, theſauriſque fidei ſibi comparatis, fluxas caducaſque mundi opes pro nihilo putarit. Illuſtrem virum *Domno* commendavit Antiocheno Theodoritus: *Tua*, inquit, *ſanctitatis eſt, ut alienam patriam illi ſuam*

Domnus Joanni ſuccedit. Cœleſtianus ei commendatur.

Theodorit. Ep. 32.

patriam

patriam efficias, & horteris illos, qui divitiis abundant, conſolari eos, qui quondam ejuſdem fuere fortuna.

Cyrus Conſul. Quiſ? Vitæ ipſius breviarium.

IV. Dum in Oriente verſamur, Cyri memoria eſt apprehendenda Conſulis, qui ſolus annum aperuit, cujus varia fortuna noſtris erit Annalibus ornamento. Cyrus Poeta fuit Ægyptius, ex urbe Panopoli. Qui cùm Eudoxiæ Auguſtæ carminum ſtudioſiſſimæ pergratus eſſet, ipſius favore ad dignitates promovetur: *Cyrus*, inquit Evagrius, *ad ſupremum Præfectorum culmen pervenit. Fuit etiam Magiſter Militum in Occidente, quo tempore Carthago capta eſt à Vandalis, quibus præerat Genſericus.* Conſulem egit, & Patricium. Ubi verò ex Palatio recedens Eudoxia, in Orientem profecta degit Hieroſolymis, *Cyrus inſidiis appetitus, creatur Epiſcopus ſacrorum, quæ erant in urbe Phrygiæ Cotyæo, & vitam produxit uſque ad Leonem Imperatorem.* Hæc Suidas, pag. 1555. Plura, nec ſcitu injucunda de Cyro Chronicum nos Alexandrinum docuit, ex Priſco Hiſtorico: Cyrus *Præfectus Prætorio, & in ſella Præfecti urbi collocatus, duas enim Præfecturas quatuor totis annis adminiſtrarat, eò quòd ſummâ vir eſſet innocentiâ, curavit inſtaurari lumina in officinis, cùm veſpertina, tum nocturna. Et acclamarunt illi factiones in Circo toto die, Conſtantinus condidit, Cyrus inſtauravit. Iratus illi Imperator ob has acclamationes, ſuffecto altero, boniſque ejus publicatis, Clericum fieri cogit: miſitque Smyrnam, ut Epiſcopum ibi ageret, & in Aſia occideretur. Smyrnenſes enim jam quatuor Epiſcopos interfecerant. Cyrus cùm Smyrnam ipſis Domini noſtri J. Chriſti Natalibus veniſſet, ſuſpicantibus civibus hominem paganum fide ad ſe miſſum eſſe ab Imperatore, petierunt ab eo verba fieri pro concione. Coactus ergo ab illis in concionem aſcendit, cùmque pacem eis imprecatus eſſet, in hanc ſententiam dixit: Fratres, Natalis noſtri Jeſu Chriſti ſilentio colatur, quia ſolo auditu in ſancta Virgine conceptus, erat enim Verbum. Ipſi gloria in ſecula amen. Et cum fauſta concionis acclamatione deſcendit, manſitque ibi uſque ad mortem.* Favore Theodoſii Cyrus excidit, & Smyrnam miſſus eſt, anno Dom. CCCCL. Ex Chronico Alexandrino Suidas emendetur, qui Cyrum Cotyæenſi Eccleſiæ in Prygia Epiſcopum imponit.

Evagr. l. 1. c. 19.

Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus.

V. In Occidente pietate, eruditioneque ſuâ Gallias illuſtrabat Eucherius Lugdunenſis Præſul. Eucherium natalibus clarum fuiſſe, perſpicuè teſtatur ipſius ad Valerianum cognatum Epiſtola: *Quamvis in maximos ſeculi apices, patre ſoceroque clarus, illuſtribus, ex utroque titulis ambiaris, ego tamen longè ſuperioris in te honoris faſtigia concupiſco.* Ex uxore duos filios ſuſcepit, *Veranium* & *Saloninum*, quibus & libros nuncupavit: Veranio *librum Formularum ſpiritalis Intelligentiæ*: Salonino verò duos, priorem de Quæſtionibus difficilioribus Veteris & Novi Teſtamenti; poſteriorem de Hebræorum nominum interpretatione. Amore ſolitudinis captus Eucherius, Lirinenſem Inſulam petiit, piis eruditiſque viris nobilem. Ea de cauſa Lirinum dixit ſuam in Epiſtola ad Hilarium de laude eremi, cap. 42. *Cunctis*, inquit, *eremi locis, quæ piorum illuminantur ſeceſſu reverentiam debeo, præcipuo tamen Lirinum meam honore complectens, quæ procelloſo naufragiis mundi effuſos piiſſimis ulnis receptat venientes.* Maximo, Vincentio, Capraſio uſus familiariter, in vicinam Leronis Inſulam, cui Divæ Margaritæ nomen, conceſſit vitæ ſolitarioris ſtudio. Inde Honorato Arelatenſi, Lirinenſis Monaſterii conditori, Epiſtolam ſcripſit, quæ multis à recipiente laudibus eſt exornata. Hoc nos Hilarius Arelatenſis docuit in vita Honorati: *Splendidus mundo, ſplendidior Chriſto, æmulus virtutis ejus B. Eucherius, cùm ab eremo in tabulis, ut aſſolet, cerâ illitis, in proxima ab ipſo degens inſula literas ſuſcepiſſet, mel*, inquit, *ſuum ceræ reddidiſti.* Amiciſſimo Caſſiano uſus eſt, qui & honorificam de illo mentionem egit ſuis in Collationibus: Collationes, inquit, *ſeptem alias beato Epiſcopo Honorato, ſancto quoque famulo Chriſti Eucherio, dedicavi.* Hæc in Præfatione Collat. XVIII. & paucis pòſt lineis capite primo Collocationis hujus, impulſore Eucherio, ſe ad Collationes ſeptem ſcribendas permotum fuiſſe teſtatur: *Poſt conſpectum atque colloquium trium illorum ſenum, quorum collationes ſancto fratre noſtro Eucherio compellente, utcunque digeſſimus.* Ad Epiſcopatum Lugdunenſem evectus, illum feliciter adminiſtravit. Quoto quidem anno ad plures abierit, non conſtat inter eruditos. Labbeus, Cavius, aliique complures ad annum uſque CCCCLII. Eucherium vitam extendiſſe putant. Quæ nobis Chronologia diſplicet. Vita jam abierat, cùm anno CCCCLII. Herculano & Sporatio Coſſ. ad Epiſcopos Galliæ Leo quinquageſimam ſecundam Epiſtolam direxit. Inter Epiſcopos XLIII. quas Pontifex exhibuit, Eucherius nullus apparet. Quòd ſi fuiſſe adhùc inter homines, Præſulis utique, & ſedis dignitate, & pietate nobilis ſine dubio meminiſſet. In Gennadio legimus: *Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus . . ., moritur Valentiniano & Marciano regnantibus.* Unde colligimus, naturæ ſatisfeciſſe anno Dom. CCCCL. qui Marciano imperium attulit. Non ultra quidem annum CCCCLI. nondum adultum Eucherii mors differri poteſt, cùm laudata à nobis Leonis Epiſtola data ſit Calend. Febr. quo tempore noverat, Eucherium vixiſſe. Famâ apud poſteros non minimum inclaruit. Ad cœlum uſque laudibus à Claudiano Mamerto Viennenſi Eucherius evectus eſt: *Haudquaquam Eucherium præterierim, mihi nunc viventem, doctrinâ & præſentaneis coram diſputationibus cognitum, qui ſcilicet viridis ævi, maturus animi, terra deſpuens, cœli appetens, humilis ſpiritu, ardens merito, ac perinde ingenii ſubtiliſſimus, ſcientia plenus, eloquii profluus, magnorum ſui ſeculi Pontificum longè maximus, edita in rem fidei multivagis variorum Operum voluminibus, ad populum quoque ſuper animæ ſtatu multa nobiliter concionatus eſt.* Scriptorum celebritate Eucherius poſteris innotuit, de quibus Gennadius: *Scripſit ad Valerianum propinquum ſuum de Contemptu mundi, & ſecularis Philoſophiæ Epiſtolam unam, ſcholaſtico ſermone & rationabili. Diſſeruit etiam ad perſonam filiorum, Uranii & Salonii, poſteà Epiſcoporum, obſcura quædam ſanctarum capitula Scripturarum. Sed & Caſſiani quædam opuſcula, lato tenſa ſermone, anguſto verbi reſolvens tramite, in unum volumen coëgit, aliaque tam Eccleſiaſticis quàm monaſticis ſtudiis neceſſaria.* Palmam Operum Eucherianorum omnium ſibi vindicat Epiſtola ad Valerianum elegantiſſima. Quâ docet, primum hominis officium eſſe, ut Conditorem noſcat: Secundum, ut animæ ſalutiſque curam habeat: carnem animis ancillari: quod breve eſt, magnum duci non debere: mortalium vitâ nil calamitoſius

Caſſ. Coll. 18. c. 1.

Mamert. de Stat. Anim. l. 2. c. 9.

eſſe,

ANNO DOM. 441.

eſſe: vitia ex divitiis naſci: aliaque ejuſmodi multa, quæ pietati conducunt. Non accurata eſt eruditorum nonnullorum criſis, *qui Hilaris nomen depravatum ex Valeriano* fuiſſe, apud Iſidorum ſtatuunt, dum mentionem facit unius Opuſculi *de Laude Eremi ad Hilarium Aralatenſem.* Quod quidem Opus ab Epiſtola ad Valerianum prorſus diverſum, munibus omnium teritur. Periere & ex Caſſiano Eucherii Epitome, & Sermones, quorum Mamertus meminit. Qui ex titulo Eucherio vindicantur, libri Commentariorum & in Geneſim, & in libros Regum, eruditorum conſenſu omnium non ſunt Eucherii, ſed Autoris, qui Gregorio Magno recentior eſt, quem ſcilicet laudat: *Lega moralia S.*
B. M. P. t. 6. p. 955. *Papa Gregorii, ubi expoſuit, quomodo Beatus Job maledixit dies ſua.* Alius à noſtro Eucherius eſt Lugdunenſis etiam Epiſcopus, qui ſexto ſeculo floruit, ut ſuo tempore demonſtrabitur. Eucherii memoria Novembris XVI. in Martyrologio Romano recolitur.

Synodus Arauſicana: ipſius Canones. VI. Relatis Eucherii rebus, commodè ſeſe offert Synodus Arauſicana, cui ſanctus ille Epiſcopus interfuit. Congregata eſt in Eccleſia Juſtinianenſi, *ſub die ſexto Idus Novembris.* Conſtabat Epiſcopis XVI. Hilario Arelatenſi, qui & Conſeſſui præfuit, Claudio, Conſtantino, Audentio, Agreſtio, Julio, Auſpicio, Theodoro, Maximo, Eucherio, Nectari, Ingenuo, Ceretio, Juſto Auguſtali, Salonio, Claudio altero, cujus vices agebat Superventor, *qui pro patre & Epiſcopo* ſubſcripſit. Canones triginta ab Arauſicanis conditi ſunt, quorum ſumma hæc eſt. I. Hæreticos moribundos abſente Epiſcopo à Presbyteris cum Chriſmate & benedictione conſignari placuit. II. Qui baptiſandi munus receperit, nuſquam ſine chriſmate abeat: de baptiſatis chriſmate non delibutis in confirmatione Sacerdos moneatur; quia Arauſicanis non iteratur chriſmatis ceremonia. Variæ Canonis hujus Lectiones acerrimæ Aurelium inter & Sirmondum pugnæ occaſionem miniſtrarunt. Legit ex complurium MSS. fide Sirmondus, *ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Nonnulla verò MSS. habent, *ut neceſſaria*, ſuppreſſâ voculâ *non.* Quam tamen retinendam eſſe, ſcopus verbaque Canonis antecedentia declarant, quia non ut Romanis, qui geminam unctionem adhibebant, ſic & Gallis duplex chriſmatio fuit, unâ duntaxat contentis. III. Canon ſancit, morientibus Pœnitentibus ſine reconciliatoria manus impoſitione præbeatur Euchariſtia, eâ lege, ut ſi ſuperſtites fuerint, ſtantes Pœnitentium in ordine, legitimam cum reconciliatoria manus impoſitione communionem recipiant. IV. Deſiderantibus Clericis pœnitentia non negetur. V. Qui ad Eccleſiam confugiunt non tradantur. VI. Mancipia Clericorum, qui pro ſuis ad Eccleſiam confugientibus occupaverit, damnatione feriatur. VII. In Eccleſia manumiſſos vel per teſtamentum Eccleſiæ commendatos, qui in ſervitutem redigere tentaverit, animadverſione Eccleſiaſticâ coërceatur. VIII. Qui alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putaverit, non prius ordinet, quàm & cum ipſo habitaverit, & ejus Epiſcopum conſuluerit. IX. Qui alibi conſiſtentes ordinaverint, à nullo accuſatos, aut ad ſe eos revocent, aut Epiſcoporum, cum quibus habitant, ipſis gratiam impetrent. X. Si quis præmiſſâ ædificandi licentiâ in aliena Diœceſi Eccleſiam ſtatuat Epiſcopus, non ideò præſumat dedicationem, quæ territorii Epiſcopo reſervatur, perinde atque Clericorum in ea miniſtrantium conſtitutio, quorum tamen deſignatio ædificanti permittitur. XI. Epiſcopus ei, quem alius excommunicaverit, non communicet, excommunicationis cognitione ad Synodum reſervatâ. XII. Subitò obmuteſcenti danda pœnitentia, ſi nutibus petat, aut verbis olim petierit. XIII. Amentibus, quæ pietatis ſunt conferantur. XIV. Energumenis baptizatis, qui de purgatione ſua curant, Euchariſtia præbeatur. XV. Energumeni Catechumeni ad baptiſmum admittantur. XVI. Energumeni ad ſacros ordines non promoveantur; qui verò jam conſecrati ſunt, removeantur. XVII. Cum capſa calix offerendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus. XVIII. Catechumenis legantur Evangelia apud omnes Provinciarum Eccleſias. XIX. In baptiſterium Catechumeni non ingrediantur. XX. Catechumeni à Fidelium benedictione etiam inter domeſticas orationes ſegregentur, & ſe ſignandos, & benedicendos ſemotim offerant. XXI. Si Epiſcopi duo Epiſcopum invitum creaverint, autoribus damnatis, eorum alteri, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi dignus eſt. Si voluntarium duo fecerint, & ipſe damnetur. XXII. Deinceps Diaconi conjugati non ordinentur, niſi continentiam profeſſi fuerint. XXIII. Qui poſt acceptam Leviticam benedictionem cum uxore incontinens invenitur, officio removeatur. XXIV. Qui prius ordinati uxoribus utuntur, ad majores ordines non promoveantur. XXV. Probatiores viri geminarum nuptiarum non ultra Subdiaconatum evehantur. XXVI. Diaconiſſæ deinceps non ordinentur; quæ verò conſecratæ ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant. XXVII. Viduitatis profeſſio coram Epiſcopo in Secretario habita, impoſitâ ab Epiſcopo veſte viduali indicetur. Talium raptor damnetur. XXVIII. Profeſſæ caſtitatis deſertores pœnitentiæ ſubjiciantur. XXIX. Synodi Decreta rata eſſe jubentur. Nullus conventus ſine alterius Synodi denuntiatione ſolvatur: ſequente anno, die XV. Calend. Novembr. Luciano Arauſico territorio conventus indicatur. XXX. Epiſcopus, qui aut in mentis hebetudinem inciderit, aut officium oris amiſerit, ea quæ non niſi per Epiſcopos geruntur, agi permittat: ſed Epiſcopum evocet, cui quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat.

ANNO U. C. 1195. PER. JUL. 5155. JUL. 487. DOM. 442. THEODOSII 40. & 35. VALENTIN. 17. & 18. *Sal.* 3. D. *Lun.* 6. *Indict.* 10. *Epact.* 1. *Epact. Sal.* 4. P. 02. *April.* ANNO DOM. 442.

COSS. *Eudoxius & Dioſcorus.*

I. HUnnorum irruptione triſtis imperio annus fuit. Atque hinc contra tempeſtas cum magno fragore, quæ regiones Romanorum denſis calamitatum nimbis operuit. Irruptionis autor *Attila*, qui ingentem crudelitatis famam ſibi collegit. Itaque operæ pretium facturi ſumus, ſi Principem, qui factis ſuis *flagelli Dei* nomen adeptus eſt, Veterum verbis depingamus: *Patta genitor erat Mundzucca, cujus fuere germani, Octar, & Rhoas.* Parente defuncto, Attila quis? In Thraciam & Illyricum impetum facit.

cum

ANNO DOM. 442.

Jornand. de Reb. Get. c. 35.

cum Bleta germano Hunnorum imperio potitur: *Erat ſuperbus inceſſu, hùc atque illùc circumferens oculos, ut elati potentiâ, ipſo quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſiliis validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fide ſemel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens. Qui quamvis hujus eſſet natura, ut ſemper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges ſemper habitus. Quem Priſcus Hiſtoricus tali refert occaſione detectum. Cum paſtor quidam gregis unam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inveniret, ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur, tandemque venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula, incautè calcaverat, effoſſumque protinùs ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur ſe totius mundi Principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum.* Nondum eò ſceleris progreſſus erat, ut Blebæ ſanguinem funderet. Imò junctis viribus fratres in Thraciam impetum faciunt, atque Illyricum, quaſi majoria belli tyrocinium vaſtant. Qua de expeditione Marcellinus: *Hunnorum Reges numeroſis ſuorum cum millibus in Illyricum irruerunt. Naiſſum, Singidunum, aliaſque civitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt.* Obſtitere vaſtantibus Adrianopolis atque Heraclea. Tot cladibus perculſus Theodoſius, quas Ariobindâ, Anſilâ, Germanoque Ducibus in Siciliam copias miſerat, revocare cogitur, Proſpero teſte: *Hunnis Thracias & Illyricum ſævâ populatione vaſtantibus exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defenſionem Orientalium Provinciarum revertit.* Minimum tamen auxilii his in legionibus fuit. Ignominioſam igitur emere pacem Theodoſio opus fuit, ut in Miſ-

Miſc. l. 14.

cellanea proditum: *Cogitur Theodoſius legationem Attilæ mittere, & ſex millia librarum auri pro receſſu præbens, mille librarum annuum tributum perſolvere pollicetur.* Hæccine legatio fuit, quæ Priſco Hiſtorico injuncta eſt, pro certo affirmare non poſſumus. Id unum ſcimus, *Priſcum* à Theodoſio Legatum Attilæ miſſum eſſe, poſt annum CCCCXXIX. Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. ut à vero non abludat, ea de legatione Miſcellaneam eſſe capiendam. Priſci verba re-

Jornand. de Reb. Get. c. 34.

ferre juvat: *Ingentia flumina, id eſt, Tyſiam, Tibiſiamque, & Driccam tranſeuntes, venimus in locum illum, ubi dudum Vidicula Gothorum fortiſſimus Sarmatum dolo occubuit. Indeque non longè ad vicum, in quo Rex Attila morabatur, acceſſimus: vicum, inquam ad inſtar civitatis ampliſſimæ, in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, quarum compago ita ſolidum mentiebatur, ut vix ab intento poſſet junctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore diſtenta, porticuſque in omni decore diſpoſitas. Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipſa regiam aulam oſtenderet. Hæ ſedes erant Attilæ Regis, Barbariam totam tenentes. Hæc captis civitatibus habitacula præponebat.*

Africa cum Geiſerico diviſa. In Vandalum conſpirationes.

II. At in Africa Vandali bello feſſi, in fœdera pacis cum Valentiniano veniunt, cujus meminit Proſper: *Cum Geiſerico ab Auguſto Valentiniano pax confirmata, & certis ſpatiis Africa inter utrumque diviſa eſt.* Geiſericus ex victoria, quæ vulgò inſolens eſt, & ſuperba, lætâque pace, quam de Romanorum Imperatore extorſerat, in arrogantiam præcipitatus; tanto Magnatum odio fuit, ut conſpiratione factâ de medio Regem ſuum tollere cogitarent, quod tamen conjuratis damno fuit. Teſtetur Proſper: *In Geiſericum de ſucceſſu rerum etiam apud ſuos ſuperbientem, quidam Optimates ipſius conſpiraverunt. Sed molitione detectâ, multis ab eo ſuppliciis excruciati atque extincti ſunt. Cùmque idem audendum etiam ab aliis videretur, tam multis Regis ſuſpicio exitio fuit, ut hâc ſui curâ plus virium perderet, quàm ſi bello ſuperaretur.*

ANNO DOM. 442.

Geiſericus Eccleſiam perſequitur.

III. Quantum Geiſerici in ſuos ſævitia gliſcebat, tantum erga Chriſtianos miſeratio arcebatur. Nuſquam orandi, nuſquam ſacrificandi locus gementibus concedebatur. Sed & in vectigalibus Regi Provinciis nefas erat, tyranni alicujus efferre nomen; quia maledictorum telis appeti Geiſericus videbatur, ut à Victore pro-

Vict. l. 1.

ditum: *Diverſa calumnia non deerant quotidie etiam illis Sacerdotibus, qui in his regionibus verſabantur, quæ palatio tributa pendebant. Et ſi forſitan quiſpiam, ut moris eſt, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabucodonoſor, Holofernem, aut aliquem ſimilem nominaſſet, objiciebatur illi, quòd in perſonam Regis iſta dixiſſet, & ſtatim exilio trudebatur. Hoc enim perſecutionis genus agebatur, hic apertè, alibi occultè, ut piorum nomen talibus inſidiis interiret. Qua de re plurimos Sacerdotum tunc novimus relegatos, ſicut Urbanum Girbenſem, Creſcentem Metropolitanum Aquitanæ civitatis, qui centum viginti præerat Epiſcopis, Haberdeum Teudalenſem, Euſtratium Suffetanum, Tripolitanos duos, Viceſabratenum, & Creſconium Oenſem, & Adrumetinæ civitatis Felicem Epiſcopum, ob hoc quòd ſuſcepiſſet quendam Joannem Monachum tranſmarinum, ſed & alios multos, quos longum eſt enarrare. Quibus tamen in exilio poſitis dum obitus adveniſſet, non licebat alios eorum civitatibus ordinari.* Hæc Victor, qui Chronologiæ ſecurus, Confeſſorum benè multorum, quas memorat vexationes, annis ſuis non reddidit.

Petrus Chryſologus quis?

IV. Dum ex Africa in Gallias migramus, de Synodo Vaſenſi, hoc anno coacta, memoriam acturi, Petri Chryſologi, tum Ravennæ florentis, in tranſcurſu debita propoſito noſtro mentio eſt. Petrus apud Forocornelium, vulgò Imola, Cornelio urbis hujus Præſule, ortus eſſe videtur, ut ex ipſius ſermone de *Projecti* Epiſcopi Forocornelienſis conſecratione colligimus: *Cor-*

Pet. Chryſ. Serm. 165.

nelienſi Eccleſiæ inſervire peculiarius, ipſius nominis amore compellor. Cornelius namque memoria beatiſſimæ vitâ clarus, cunctis virtutum titulis ubique fulgens, Operum magnitudine notus, univerſis, Pater mihi fuit. Ipſe me per Evangelium genuit, ipſe pius piiſſimè nutrivit, ipſe ſanctus ſanctâ inſtituit ſervitute, ipſe Pontifex ſacris obtulit & conſecravit altaribus. Et ideò mihi clarum, colendum, mirabile Cornelii nomen. Quæ verba geminæ nativitati, corporeæ ſcilicet, & ſpirituali aptari poſſunt. Prior his indicatur Cornelius, *Pater mihi fuit, pius piiſſimè nutrivit.* Anno circiter CCCCXXXIII. ad Epiſcopalem Petrus dignitatem evehitur. Fabulam verò redolet, quod Eccleſiæ Ravennenſis in monumentis ab Hieronymo Rubeo illuſtratis legitur. In locum defuncti Præſulis ſui alium Ravennatenſes ſubſtituerant. Qui cùm de impetranda electi confirmatione Romam veniſſent, præter ſpem Sixtum Pontificem prorſus renitentem invenere. Cur verò Ravennatibus Sixtus obſiſteret, cau-

ſam

Anno Dom. 442.

ſam hanc fuiſſe ferunt. Per viſum Petrum intuitus erat Apoſtolum, ſancto Apollinare, & ſuo diſcipulo, & primo Ravennatenſium Epiſcopo comitatum, à quo & monitus fuerat, quis Ravennenſi Eccleſiæ Antiſtes imponi debuit. Is Petrus erat, qui ut ad Sixtum viſitandum cum Cornelio Epiſcopo Diaconus acceſſiſſet, Sixtus illum ipſum eſſe novit, quem Petrus Apoſtolus oſtenderat. Ut cœleſti viſioni obtemperaret, monet illum adeſſe, qui Ravennatibus præficiendus erat. Quibus urgentibus, non moris eſſe ex alterius Eccleſiæ Clericis Ravennatenſi Epiſcopum dari, Pontifici maximo cœleſtia juſſo patefacienti, tandem acquievere. Parcant nobis Baroniani cineres, Ravennatenſiaque monumenta, ſi noſtram huic narrationi fidem non aſtringimus. Nulli Veterum teſtimonio traditio hæc innititur: neque talem Petro Apoſtolo laborem eſſe putamus, ut è cœlo delapſus Romam de monendo Sixto veniret, quis Epiſcopus creari debuit Ravennatibus. Inurbana quoque Petri Apoſtoli profectio hæc fuit, quæ ad perfringendas Eccleſiæ leges, rectaſque conſuetudines violandas inſtituta fuit. Itaque Petri Chryſologi in ordinatione nil miraculi contigiſſe putamus. Vir fuit virtutibus, diligentiâque in inſtituendo maximè laudabilis. Quandiu vixerit, non ſatis conſtat. Obiit certè quidem ſedente adhùc Leone, cujus extat ad *Neonem* Epiſtola, Petri Chryſologi ſucceſſorum, quæ in Leoninis ſeptima eſt & trigeſima. Titulus Epiſtolæ ſic habet: *Leo Epiſcopus Neoni Epiſcopo Ravennatenſi ſalutem.* Abhorret itaque prorſus à vero eruditorum nonnullorum ſententia, qui Concilio Romano, quod Symmachi Pontificis & Theodorici Oſtrogothorum Regis juſſu indictum eſt, Petrum Chryſologum interfuiſſe ſtatuunt. Alter à Chryſologo Petrus ille fuit, qui Romanæ Synodo ſubſcripſit. Petri facundia, ipſi Chryſologi nomen peperit, quæ tamen, ſi verum amamus, admirationem non efficit. Sermones CLXXVI, edidit, fideique patrocinium adverſus Eutychetem, Abbatem ſuſcepit, ad quem ſcripſit Epiſtolam, pulcherrima hæc continentem: *Triginta annis humana leges humanas adimunt quæſtiones, & Chriſti generatio, quæ divinâ lege ſcribitur inenarrabilis, poſt tot ſecula diſputatione temerariâ ventilatur.* Exceſſit anno circiter CCCCL. ſecundo Decembris, quo in Martyrologio Romano memoria ejus recolitur. Sepultum fuiſſe ferunt juxta corpus glorioſi Martyris *Caſſiani.*

Bar. An. 433. n. 24.

Synodus Vaſionenſis. Ejus Canones.

V. Ravennâ *Vaſionem* progredimur ad Synodum, hoc ipſo anno in ea urbe celebratam. Baronio placuit atque Binnio, ſecundam dici Vaſionenſem, quæ Sirmondo autore prima vocari debuit. Baroniani erroris cauſas vir ille doctiſſimus aperit in ſuis notis: *Qui pro duobus Conciliis Vaſenſibus tria fuiſſe contendunt, fruſtra ſe torquent. Duo quippe in omnibus antiquis exemplaribus leguntur, ſuis aptè diſtincta Canonibus: hoc primum ſub Leone Papa, & alterum poſt annos ferè XC. ſub Felice IV. Neque in his ulla, quod putant, eſt confuſio. Sed ut tertium his antiquius Vaſenſe Concilium fingerent, impulit falſa opinio, quâ ſibi Concilium Arelatenſe II. in quo Synodi Vaſenſis mentionem fieri videbant, multò ante hæc tempora celebratum perſuaſerant: cùm ex Vaſenſis contra Synodi mentione, atque in Arauſicanis Canonibus, qui in eo inſerti ſunt, poſterius his fuiſſe Arelatenſe, colligi debuerit. Fucum etiam facit Chronici Adoniani locus, qui antiquiorem quandam ſub Nectario Epiſcopo Synodum Vaſenſem exprimere videtur.* Porro uſus obtinuit, ut Vaſenſe Concilium dicatur: quòd ſi originem ſpectemus, Vaſionenſe potius dici debuit, quia Vaſio civitas eſt Vocontiorum. Coactum eſt apud Auſpicium, Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ, ſub die Iduum Novembr. Dioſcoro Conſule. Extant Synodi hujus Canones decem. I. Epiſcopi de Gallicanis Provinciis venientes inter Gallias non diſcutiendi, quia inter circum cohabitantes, ac ſibi penè invicem notos, tanto teſtimonio non opus eſt. II. Pœnitentium, qui ſine communione inopinatâ morte excedunt, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu proſequendam. III. Presbyteri à propriis Epiſcopis per annos ſingulos chriſma per Subdiaconum petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali. IV. Qui oblationes defunctorum Fidelium detinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ut infideles, ſunt ab Eccleſia objiciendi. V. Qui Epiſcopi ſententiæ non acquieſcit, recurrat ad Synodum. VI. Ex Epiſtola Clementis ab iis averti debent, qui ſubſunt, à quibus qui præeſt, averſus eſt. VII. Accuſandi licentia etiam in Epiſcopis reprimenda. VIII. Epiſcopus, qui ſe tantum alieni ſceleris conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat: ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis compunctionibus elaboret. IX. Expoſitos, qui calumniarum metu non colliguntur, pueros, ſi quis collegerit, *Eccleſiam conteſtetur, conteſtationem colligat: nihilominus de altario Dominico die Miniſter annunciet, ut ſciat Eccleſia, expoſitum eſſe collectum, ut infra dies decem ab expoſitionis die expoſitum recipiat, ſi quis ſe comprobaverit agnoviſſe Collectori pro ipſorum decem dierum miſericordia, prout maluerit, aut ad præſens ab homine, aut in perpetuum cum Deo gratia perſolvenda. X. Si quis poſt hanc diligentiſſimam ſanctionem expoſitorum hic ordine collectorum, repetitor vel calumniator extiterit, ut homicida Eccleſiaſticâ diſtrictione feriatur.*

Error Baronii.

Lab. Conc. t. 3. 1499.

Anno U. C. 1196. Per. Jul. 5156. Jul. 488. Dom. 443. Theodos. 42. & 36. Valentiniani 18. & 19. *Sol.* 4. C. *Lun.* 7. *Indict.* 11, *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *April.*

Anno Dom. 443.

Coss. *Maximus II. & Paterius.*

I. HOrrendo frigore annus nobilis fuit, ea de cauſa animantibus hominibuſque fatalis: *Tanta nix cecidit, ut per ſex menſes vix liqueſcere potuerit. Multa hominum millia frigoris rigore confecta perierunt.* Conſtantinopoli dedicatæ ſunt Thermæ Achilleæ tertio Idus Januarii, Theodoſio in Aſiam expeditionem inſtituere placuit, ex qua in urbem Regiam rediit menſe Auguſto VI. Cal. Sept.

Hyems ſæva.

Chron. Alex.

II. Hiſpanias non Vandalica duntaxat clades premebat, à *Bacaudarum* quoque tumultuantium factione vaſtabantur. Quæ calamitas anno ſuperiore exorta fuerat. Cui comprimendæ Aſturio provincia data: *Aſturius Dux utriuſque Militiæ ad Hiſpanias miſſus, Tarraconenſium cædit multitudinem Bacaudarum.* Hæc Idacius, qui ſeditioſis quid mali contigerit, anno Valentiniani XIX. memorat: *Aſturio Magiſtro utriuſque Militiæ, genere ipſius ſucceſſor ipſi mittitur, Merobaudis*

Bacaudæ ab Merobaude deleti.

Chron. Idac.

ANNO DOM. 443.

baudis natu nobilis, & eloquentia merito vel maxime in poematis ſtudio Veteribus comparandus, teſtimonio etiam provehitur ſtatuarum. Brevi tempore poteſtatis ſuæ Arcelitanorum frangit inſolentiam Barandarum. Mox nonnullorum invidiâ perurgente, ad urbem Romam ſacrâ præceptione revocatur.

Leonis ad Campaniæ Epiſcopos Epiſtola.

III. Tempus eſt & eorum mentionem fieri, quæ à viris Eccleſiaſticis ſunt adminiſtrata. Ac primùm ſe ſcribentibus offert Leonis Pontificis Epiſtola ad univerſos per Campaniam, Picenum, &c. conſtitutos. Conſtat Epiſtola capitibus quinque. I. Ut nullus Epiſcopus ſervum alterius ad officium Clericatus promoveat. II. Ut quicunque ad Sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numeroſa conjugia promoti fuerint, ab Eccleſiaſticis officiis arceantur. III. Quòd uſuras non ſolùm Clerici exigere non debeant, ſed nec Laici. IV. Ut Clericus nec ſuo, nec alieno nomine fœnus exerceat. V. Ut ſi quis Sacerdotum contra interdicta fecerit, à ſuo ſubmoveatur officio: *Data eſt ſexto Idus Octobris, Maximo & Paterno viris clariſſ. Coſſ.*

Leo Ep. 2.

Leo Manichæos inquiri jubet. Notæ Manichæorum noſcendorum.

IV. Pulſi ex variis regionibus Manichæi, latibulum, & quaſi perfugium exilii ſui in urbe quæſiverant. Quod ut innotuit Leoni, qui latebant Catholico nomine, maximâ, quâ potuit diligentia, angues inveſtigari curat. Quid eâ perquiſitione factum fuerit, nos Proſper docet: *Hoc tempore plurimos Manichæos intra urbem latere, diligentiâ Papæ Leonis innotuit. Qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudinem & damnare fecit, & prodere, incenſis eorum Codicibus, quorum magna moles fuerant intercepta. Quæ cura viro ſancto divinitùs, ut apparuit, inſpirata, non ſolùm Romanæ urbi, ſed etiam univerſo orbi plurimum profuit. Si quidem confeſſionibus in urbe captorum, qui Doctores eorum, qui Epiſcopi, quive Presbyteri, in quibus Provinciis, vel civitatibus degerent, patefactum eſt. Multique Orientalium partium Sacerdotes induſtriam Rectoris imitati ſunt.* Ut latentes facilius deprehenderentur, populum concionibus monitum ivit, ut in larvatis Chriſtianis detegendis invigilaret. Ac ut plebis curam magis accenderet, eorum errores grandiore quaſi buccinâ prædicat. Quòd ſcilicet *Chriſti nativitatem ſecundum carnem negant, paſſionem & reſurrectionem ejus ſimulatam fuiſſe dicunt, & non veram, baptiſmum regenerationis totius gratiæ virtute diſpoliant.* Romanis hanc præcipuè diligentiam incumbere dicit, quòd Evangelium à Petri Paulique ore didicerant, proinde huic & eleemoſynarum ſacrificio palmam operis hujus eſſe adjungendam. Hæc extant de Collectis ſermone quarto. Ut verò facillimè à Chriſtianis Manichæi dignoſcerentur, qui ſeſe Fidelibus permiſcebant in Eccleſia, ſigna ad eos detegendos hæc eſſe dixit: *Nemo ambigat eſſe Manichæos, qui in honorem Solis ac Lunæ die Dominico, & ſecundâ feriâ deprehenſi fuerint jejunare. Uno enim perverſitatis ſuæ opere bis impii, bis profani ſunt, qui jejunium ſuum. & ad ſyderum cultum & ad reſurrectionis Chriſti inſtituere contemptum.* Cùm verò vel Catholicis in more poſitum eſſet, ſuperactis Petrinæ Baſilicæ gradibus, quibus ad ſuggeſtum ſuperioris aræ aſcenditur, converſo ad naſcentem Solem corpore, curvatis cervicibus, *in honorem ſe ſplendidiſſimi orbis* inclinare, id conſuetudinis, quod Ethnicam ſuperſtitionem redolebat, abjici juſſit. Alias quoque Manichæorum notas Leo exhibere pergit: *Cùm ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in ſacramentorum communione ſeſe temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire declinant.* Quo inſigni ſanè loco apparet atque extat, neque plebi Rom. id moris fuiſſe, ut ſacro Euchariſtiæ calice abſtineret, ſecus eâ notâ Orthodoxus à Manichæo dignoſci non potuiſſet: neque Tranſubſtantiationis articulo crevìſſe, tum Eccleſiæ Romanæ fidem: cùm extinctâ vi conſecrationis vini ſubſtantia, à quo Manichæi prorſus abhorrebant, nil cauſæ ipſis fuiſſet, cur à ſacro calice temperarent.

Leo Serm. 7. in Natal.

ANNO DOM. 443.

Leo Serm. 4. de Quadrag.

Theodoritus calumniam patitur. Diœceſim ſolam curare jubetur.

V. Sub ea quoque tempora Theodoritus Cyri Epiſcopus, qui Antiochiæ verſabatur, gravem calumniam patitur, quod Euſebio Ancyrano ſignificatum voluit. Apud Theodoſium accuſatur, quaſi Chriſtum duos in Filios partiretur. Alia quoque mendacia fingebant. Scilicet à Theodorito frequenter apud Antiochiam Synodos cogi: id permoleſtum nonnullis eſſe. Ipſi non committendum, ut res, quæ ad Diœceſim ejus non pertinebant, tractaret. Ac Theodoriti quidem adverſarii non id effecere, quod optabant, ut ſanctus Præſul damnaretur erroris. Reſcriptum tamen impetrarunt, ut Theodoritus ſorte contentus ſuâ, ſibi commiſſarum duntaxat Eccleſiarum curam ſuſciperet. Quod Principis Decretum Theodorito pergratum fuit. In his verò, quæ hactenus ſcripſerat, erroris, quo poſtulabatur, immunem ſe fuiſſe gloriatur. Librorum hac in Epiſtola ſuorum Catalogum texuit, qui emolumenti aliquid affert Chronologiæ: *Prophetas*, inquit, *omnes expoſui, & Pſalterium, & Apoſtolum; & contra eos, qui Arium ſequuntur; & eos, qui Macedonii morbo laborant; & adverſus Apollinaris impoſturam, & adverſus Marcionis rabiem jam ſcripſimus. Et in ſingulis, quæ edimus Operibus, divinâ ope, Eccleſiæ ſanus ſenſus & mens mihi conſpicitur, & ſplendet. Myſticum etiam ſcripſimus librum, & de Providentia, alia, & ad interrogationes Magorum alia, & de vitis Sanctorum, & præter hæc alia multa, ne ſingula recenſeam.* Quæ omnia nullâ hæreſeos labe contaminata fuiſſe contendit. Epiſtolam hoc anno ſcriptam eſſe teſtatur nota temporis. Eorum enim meminit, quæ ſcripſit, & ante & poſt Epheſinam Synodum, *duodecim ab hinc annis.*

Theodorit. Ep. 82.

ANNO U. C. 1197. PER. JUL. 5157. JUL. 489. DOM. 444. THEODOSII 43. & 37. VALENTIN. 19. & 20. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 8. *Indict.* 12. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 23. *April.*

ANNO DOM. 444.

COSS. *Theodoſius Aug.* XVIII. *& Albinus.*

Eudoxia à Theodoſio ſejuncta migrat Hieroſolymam. Ibi moritur.

I. TRiſtis dictu, memoriâque horrenda Theodoſii in palatio tempeſtas erupit, ex zelotypia Principis orta. Rem fuſius exequitur Chronicum Alex. Epiphaniorum feſto Paulinus Palatii Magiſter, pede æger, prodeuntem ae Templum Imperatorem comitari non poterat. Obtulit intereà pauper quidam Principi pomum Phrygium, inuſitatæ magnitudinis, quam Theodoſius, Senatuſque mirati ſunt. Tum Princeps remunerans doni meritum, ſtatim centum & quinquaginta aureos pauperi ſolvit; pomum verò uxori ſuæ Eudoxiæ miſit, quod ea

ANNO DOM. 444.

ſubinde Paulino largitur. Paulinus, quem latebat, id muneris ab Imperatore ortum eſſe, ipſi è Templo egredienti offerri juſſit. Quod cùm clam Auguſta accepiſſet, eam ſubinde vocatam rogat, malum ubi ſit, quod ipſi dederat. Illa jurejurando cùm affirmaſſet, ſe pomum edidiſſe, nec alteri alicui dono miſſum, extemplò Imperator illud afferri jubet. Secutum inde diſſidium, torique ſeparatio. Baronius Langii verſione deceptus, pomum in ovem mutat. At *μῆλον Φρύγιον*, non *ovem Phrygiam* ſignificat, quam Eudoxia quidem non comediſſet. Vox æquivoca, quæ & ovem, & pomum ſignificat, ex circumſtantiis *pomum* verò debuit. Nec multò pòſt Paulinus, qui formoſus erat juvenis, veluti ſuſpectus obſervatur, tandemque juſſu Principis occiditur. Quod cùm Eudoxiæ in contumeliam redundaret, impetratâ facultate Loca Sancta adeundi, Hieroſolymam proficiſcitur. Ut illuc pervenit, mœnia civitatis inſtaurat, Davidis verba ſibi accommodans, *In bona voluntate tua ædificentur muri Hieruſalem*, quæ ad nomen Eudoxiæ, quod gerebat, alluſio fuit. Monaſteria quoque multa ædificavit. Templum ſplendore ac pulchritudine eximium in honorem Martyris Stephani ſtatuit, uno circiter ſtadio ab urbe diſtans. Cum Monachis frequentia & colloquia miſcuit. Eudoxiæ in Orientem profectionem huic anno alligant Marcellinus atque Chronicum Alex. Quæ ſerius tamen contigiſſe debuit, ſi vera prædicat Nicephorus, Flaviano Conſtantinopolitanam Eccleſiam adminiſtrante, imperii regimine ceſſiſſe Pulcheriam, Eudociæ calumniis appetitam. Accedit alia calamitas exuli, quam Marcellinus memorat: *Severum Presbyterum & Joannem Diaconum Eudoxia Regina apud Æliam urbem miniſtrantes, miſſus ab Imperatore Theodoſio Saturninus Comes Domeſticorum occidit. Eudoxia neſcio quo excita dolore, Saturninum protinùs obtruncavit. Statimque mariti Imperatoris nuta regiis ſpoliata miniſtris, apud Æliam civitatem moritura remanſit.* De ſupremo Eudoxiæ anno fuſius ſuo loco.

Bar. An. 450. n. 13.

Chron. Alex.

Evagr. l. 2. c. 22.

Niceph. l. 14. c. 47.

Marcell. Chr.

Eudoxiæ ſcripta.

II. Non auguſteo duntaxat diademate, ſed ſcriptis quoque ſuis Eudoxia famam poſteris mandavit, quæ doctiſſimi Photii laudes meruere. Octo Scripturæ libros, qui V. Teſtamenti primi ſunt, ſtrictâ oratione illuſtrat. Verba Photii afferamus: *Lecta eſt Metaphraſis Octateuchi, heroico carmine condita, libris octo, pro tranſlatorum ſcilicet numero, ac diviſione librorum. Inſcriptio autem Codicis ab Eudoxia Auguſta elaboratum, hoc carmen affirmabat, quod tum, quia mulieris, & quidem in imperio deliciis affluentis, tum quia præclarum adeò eſt, admiratione ſanè dignum judicatur. Etenim illuſtris eſt hic labor, ut in heroico carmine ſi quis unquam alius. At dum in artis legibus altius immergitur, in hoc uno, maximo tamen ille ad eorum laudem, qui propius libros vertendos cenſent, ab arte deficit.* Dyſtichio ſe carminis hujus Autorem Eudoxia profeſſa eſt:

Scripſit divina deductum hoc lege volumen
Eudoxia, illuſtri Regina è ſtirpe Leontis.

Condidit & Eudoxia metricam in Zachariam, Danielemque Paraphraſim, & in Cyprianum libros tres. Primus res Juſtinæ proſequebatur. Secundus Cypriani, jam inde à pueritia diſcendæ artis magicæ cupiditatem complectebatur. Ut in Ægyptum Indiamque ſe contulerit, ac apud Antiochiam pro Deo habitus fuerit. Tertius exponebat Cypriani, Juſtinæque martyrium, imperante Diocletiano. De qua Eudoxiæ narratione noſtram ſuo loco ſententiam oſtendimus. Eudoxiæ quoque aſcribuntur Homerocentones, quibus Chriſti narratur hiſtoria, initio à lapſu Adami ducto. Sunt & Homerocentones Pelagio Patricio, viro eruditiſſimo vindicati, qui imperante Zenone floruit, à quo, & per cauſam Ethniciſmi extinctus eſt. Pelagii potius eſſe, quàm Eudociæ hoc Operis, creditur eruditis. Auguſtæ vindicatum, quòd condito Epigrammate laudibus illud extulerit. Photius ſanè de Homerocentonibus Eudoxiæ prorſus ſilet. Quòd ſi ab ea laudati ſunt, imperante Theodoſio à Pelagii condi debuere. Hactenus de Eudoxia. Nonnulla & Orienti contigere, memoratu non indigna. Domui Regiæ luctum attulit mors Arcadiæ; nimbi verò nonnullis imperii Provinciis detrimento fuere. Quæ ſummatim Marcellinus exhibet in Chronico: *Theodoſius Princeps nona Quinquennalia dedit. Arcadia ſoror Theodoſii vivendi finem fecit: aliquanta Bithyniæ oppida atque prædia, continuarum vi longâ pluviarum, & fluviorum inundatione creſcentium, ſublapſa diſſolutaque perierunt.*

ANNO DOM. 444.

Phot. Bibl. c. 183. p. 414. &c.

III. Ab Oriente in Occidentem profecti, attingamus nunc monumenta, & quaſi cunabula crudelitatis, ambitionis, atque perfidiæ. Inito cum Theodoſio fœdere, Attila ab externis bellis otioſus, in fratrem rabiem convertit. Quod ſcelus Proſper paucis complectitur: *Attila Rex Hunnorum Bletam fratrem, & conſortem ſuum perimit, ejuſque populos ſibi parere compellit.* Paulò fuſius rem Jornandes eſt executus: *Ut ante expeditionem quam parabat, par foret, augmentum virium parricidio quærit, tendens ad diſcrimen omnium nece ſuorum, . . . Bletâ enim fratre fraudibus perempto, qui magna parti regnabat Hunnorum, univerſum ſibi populum ſubjugavit, aliarumque gentium, quas tunc in ditione tenebat, numeroſitate collectâ primas mundi gentes, Romanos, Viſigothoſque ſubdere peroptabat.* Hoc ſcelere magna Attilæ rebus virium acceſſio facta, quas in imperium Romanum effundet poſtmodum.

Bletam fratrem occidit Attila.

Jorn. de Reb. Goth. c. 35.

IV. De rebus Eccleſiæ ſummatim nunc diſſeramus. Exoritur in Italia impoſtor quidam, nomine *Florus*, qui Martyrum virtute ſibi vindicatâ animas pervertebat. Quod nobis ex Autoris teſtimonio innotuit, qui Proſperi ſub nomine latet, libro de Promiſſionibus: *In Italia nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis & Apoſtolico honore nominandus Papa Leo, Manichæos ſubverteret, & contereret Pelagianos, & maximè Julianum, ambiens tum quidam Florus nomine, Spiritu ſeductionis arreptus, virtutum & meritum ſibi ſancti Soſii Martyris aſſignans, cùm haud procul à Neapolitana civitate in ſubverſionem animarum quædam promitteret, faceretque illicita germano venerabilis Noſtriani Epiſcopi, & Herio Presbytero, ſimul cum Clericis prædictæ Eccleſiæ & conventus, ſic à præfata Provincia liminibus pulſus eſt.*

Florus impoſtor.

Proſp. de Prom. c. 6.

V. Cùm de Paſchate ritè celebrando Leonem cura ſollicitaret, Paſchaſino Lilybitano Epiſtolam ſcripſerat, quam *Diacono Panormitanæ Eccleſiæ Sylvano* referendam dederat. Reſcribit Paſchaſinus ærumnis, quas amariſſimâ captivitate incurrerat, Leonis literas remedium præbuiſſe. Rem quod attinet, id verum deprehendiſſe teſtatur, quod Cyrillus obſervarat: *Nam cùm Romana ſupputatio, qua Cyclo concluditur, cujus ipſo, de quo agitur, erit annus LXIII. qui cœpit à Conſulatu Antonii & Syagrii, nobis dubita-*

Paſchaſini de Paſchate ad Leonem Epiſtola.

Digitized by Google

Anno Dom. 444.

dubietatem afferret, eò quòd VII. *Cal. Aprilis, & die Dominicâ, Lunâ* XXI. *incurreret, & iterum* IX. *Kal. Majarum die, ut rei veritas habet, Dominica dies & Luna* XIX. *obveniret, in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc eſt, legalem ſupputationem nos convertimus, quæ cùm à Romanis ignoratur, facilè errorem incurrant. Cœpit ergo Ogdoas Conſulatu virorum clariſſ. Ætii iterum & Sigiſvuldi, quæ clauditur anno, de quo quæſtio videtur exorta*, hoc eſt, ab anno Dom. CCCCXXXVII. ad uſque CCCCXLIV. Patratorum & miraculorum Paſchaſinus meminit, quibus Occidentalium de tempore Paſchatis error emendaretur. Nempe quòd aquâ more ſolito fontem non explevisſet, ut baptizandi abſque Sacramento receſſerint. Atque hic graviſſimum in errorem incidiſſe Baronius deprehenditur, qui Paſchaſini Epiſtolam anno CCCCLIV. concinnatam eſſe putat: *Extant*, inquit, *ipſæ litera Paſchaſini, quas datas anno ſequenti ex eo poteſt certo cognoſci, dum de ſequentis anni Paſchatis die tradit eſſe dubitatum.* Verùm enimverò cùm à Conſulatu Antonini & Syagrii anno Dom. CCCLXXXII. geſti, Paſchaſinus ipſe numeret annos LXIII. Decennii quidem metachroniſmo peccat Baronii Chronologia. Hoc quoque probat *Ogdoas* Conſulatu Ætii inchoata atque Sigiſvuldi, qui annum Dom. CCCCXXXVII. afficit. Itaque in auctiore Chronico Proſper ad annum CCCCXLIV. hæc habet: *Hoc anno Paſcha Domini* IX. *Kal. Maii celebratum eſt, nec erratum eſt, quia in die* IX. *Kal. Maias dies Paſſionis fuit, ob cujus reverentiam natalis urbis ſine Circenſibus tranſiit.* Qui de ea quæſtione plura ſcire cupit, adeat & eruditum Bucherii in Victorii Canonem Paſchalem Commentarium, & egregiam clariſſimi Noriſii de Paſchali Latinorum Cyclo diſſertationem. Baronius poſito ab eo errore in alium trahitur. Anno quippe 453. n. 22. videre ſibi viſus eſt, Vandalos ex Sicilia prædam agentes, Paſchaſinumque tantarum cladium causâ gemendum cogentes, annorum XIII. metachroniſmo.

Buch. p. 75.

Bar. An. 453. n. 37.

Synodus Romana adverſus Manichæos: eorum flagitia.

VI. At cura longè major Leonis & animos remordebat, nempe ut Manichæos venenis urbem ſuis inficientes opprimeret. Congregatâ Synodo, qui ex ea ſecta reperti fuerant, electos ad confeſſionem provocavit. Quid in eo conventu ſub anni principia geſtum fuerit, docet ipſe Leo de jejunio decimi menſis, ſermone quinto: *Reſidentibus mecum Epiſcopis ac Presbyteris, ac in eundem conſeſſum Chriſtianis viris, ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum juſſimus præſentari. Qui cùm de perverſitate dogmatis ſui, & de feſtivitatum ſuarum conſuetudine multa reſerarent, illud quoque ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt, quod tantâ diligentiâ inveſtigatum eſt, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella ſcilicet ut multum decennis, & duæ mulieres, quæ ipſam nutrierant, & huic ſceleri præparârant. Præſtò erat etiam adoleſcentulus vitiator puellæ, & Epiſcopus ipſorum deteſtandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & una confeſſio, & patefactum eſt execratum, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt.* Scilicet referente Auguſtino, *coguntur electi eorum velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, ut etiam inde, ſicut de aliis cibis, quos accipiunt, ſubſtantia divina purgetur.* Non omnium tamen

Aug. de Hær. de c. 46.

Anno Dom. 444.

Manichæorum fuit impura ceremonia hæc, ſectæ cuidam propria fuit, quæ *Catharistarum* nomen habuit, ex qua orta erat *Margarita Sanctimonialis*, quæ ob infandum myſterium illud & ipſum paſſa fuerat. Quæ in Romano conventu geſta fuerant, Leo Epiſcopis per Italiam conſtitutis ſignificavit; quo majore odio in Manichæos inflammarentur. Verba ſunt Epiſtolæ: *Plurimos impietatis Manichææ ſequaces, & Doctores in urbe inveſtigatio noſtra reperit, vigilantia divulgavit, autoritas & cenſura coercuit. Quos potuimus emendare, correximus, & ut damnarent Manichæum, cum prædicationibus, & diſcipulis ſuis publicâ in Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione compulimus. Et ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos pœnitentiam concedendo levavimus. Aliquanti verò, qui ita ſe demerſerant, ut nullum his poſſet remedium ſubvenire, ſubditi legibus, ſecundum Chriſtianorum Principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſuâ contagione pollueient, per publicos Judices perpetuo ſunt exilio relegati. Et omnia, quæ tam in Scripturis, quàm in occultis traditionibus ſuis habent profana, vel turpia, ut noſſet populus, quid refugeret, aut vitaret, oculis Chriſtianæ plebis certâ manifeſtatione probavimus? Adeò ut ipſe, qui eorum dicebatur Epiſcopus, à nobis tentus, proderet flagitioſa in ſuis myſteriis, quæ tenerent, ſicut geſtorum vos ſeries poteſt edocere.* Per *Acolythum* miſſa eſt Epiſtola, data tertio Calend. Februarii Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ. Leonis & Epiſtola ad Hiſpanos dirigitur, monente Idacio: *Per Epiſcopum Romæ tunc præſidentem, geſta de Manichæis per Provincias diriguntur.* Annoque proximè futuro literæ Hiſpanis innotuere. In Aſturicenſi urbe Gallœciæ quidam Manichæi deteguntur, geſtaque ab Idacio & Turibio, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum directa ſunt.

De tempore Synodi Arelatenſis? Num Provincialis fuerit?

VII. Chronologiæ obſcuritate involutum tempus eſt, Arelatenſis Synodi, cui præfuit Hilarius. Conſtat quidem Surium, Caranzamque falli, qui ſedente Silveſtro Papâ celebratam eſſe putant, Voluſiano & Anianio Coſſ. quaſi verò Hilarii Epiſcopatus Silveſtri Pontificatui coætaneus eſſet, & anno Dom. 314. alligandus. Neque Baronii nobis ſententia probatur ad annum CCCCXLV. ſcribentis, *Sed & Eccleſiaſticis Legibus* Arelate *illud olim conſecuta fuerat dignitatis, ut ad Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopum pertineret Synodum in Provincia congregare.* Ut tantum antiquitatis Arelatenſi Conventui aſcriberetur, feciſſe videntur Canones X. & XI. de iis, qui lapſi in perſecutione ſacrificarunt. Attendi tamen Canon XVII. de Bonoſiacis debuit, quorum nulla mentio eſt ante Siricii Pontificatum. Quin hoc Concilium, & Arauſino anni CCCCXLI. & Vaſenſi anni CCCCXLII. poſterius ſit, vix ambigendum, quorum ex Canonibus Arelatenſes ex parte contexti ſunt, ut rectè doctiſſimus Sirmondus obſervat. Canon quidem XLVII. diſertè conſtitutionis Synodi Vaſenſis meminit. Ægrè tamen patimur, ab eruditis compluribus, qui ſententiam amplectuntur, Sirmondi Concilium hoc in annum CCCCLII. conferri. Eſt enim creditu difficillimum, poſt Epiſtolam Leonis, anno CCCCXLV. Viennenſis Provinciæ Epiſcopis miſſam, Hilarium Synodum æquè numeroſam coëgiſſe, ac Arelatenſis fuit. Obſervatu digna ſunt verba Pontificis Romani: *Suis unaquaque Provincia ſit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat Conventus indicere Synodales.*

Bar. An. 445. n. 12.

Leo Ep. 89. c. 6.

Neque

ANNO DOM. 444.

Marcada Concord. l. 5. c. 32.

Neque forſan aberrat à vero conjectura, quòd Synodus Arelatenſis complurium Provinciarum Epiſcopis conſtans, verbis hiſce Leoninis anſam præbuerit. Quæ & virorum doctiſſimorum Marcæ, Baluziique ſententia eſt. Itaque non incongruè Chronologia noſtra annum CCCCXLIV. aſſignat Arelatenſi Conventui. Ad Concilia Provincialia vulgò relegatur, cùm tamen ad majorem ſanè dignitatem aſſurgat, ut meritò generalibus Galliarum Synodis inſeratur. Hoc innuit Canon XVIII. *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque conventum.* Perabſurdè quidem Provincialis Synodi cogendæ Arelatenſi Epiſcopo autoritas contribueretur, quam ex dignitate ſua Metropolica jam obtinebat. Quam ergo facultatem huic Epiſcopo concedunt Arelatenſes, ea ſpectat generaliores Galliarum Conventus. Tantam ſanè Hilario autoritatem Synodus Provincialis adjicere non potuiſſet. Quid argumentis opus, cùm huic Synodo ex variis Galliæ regionibus Epiſcopi, Metropolitanique complures adfuerint? Porro antequam Canones referamus, de Arelatenſis Epiſcopi autoritate nobis eſt diſſerendum. Quam magnam fuiſſe, eò liquet, quòd ad ipſius arbitrium Synodus Galliarum generalis cogeretur.

Quibus gradibus ad Metropolitani autoritatem Arelatenſis Præſul aſcendit?

VIII. Principio rerum tantâ autoritate Arelatenſis Præſul non potiebatur, cujus civitas nullâ ſive politicâ, ſive Eccleſiaſticâ Metropolitani dignitate fruebatur. Anno CCCXIV. Marinus magno Arelatenſi Concilio ſubſcripſerat: *Marinus Epiſcopus, de Civitate Arelatenſi, Provinciâ Viennenſi*, quibus luce clarius eſt, ad Metropolitanæ urbis honorem nondum aſcendiſſe Arelatum: ac ſi verum quærimus, poſt annum CCCXCVIII. eò dignitatis pervenit. Ambiebat quidem Primatum Eccleſiaſticum, cùm Synodus Taurinenſis eſt celebrata, qua de re lis magna exorta erat. Hinc Taurinenſium Decretum: *Illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de Primatus apud nos honore certabant, à ſancta Synodo definitum eſt, ut qui ex eis approbaverit ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipſe juxta Canonem præceptum ordinationum habeat poteſtatem.* De eo capite quid controverſiæ eſſe potuiſſet, ſi Metropolitanam, vel politicam, vel Eccleſiaſticam dignitatem induiſſet? Id ſanè vel pueris, qui nondum ære lavantur, veniſſet in notitiam. Politicam quidem non ignoraſſent, utpote ſedem Præfecti Prætorio. Neque magis de Eccleſiaſtico Primatu in dubio fuiſſent, quem à Trophimi uſque ætate in Provincia Narbonenſi tam prima, quàm ſecunda Arelatenſes Epiſcopi exercuiſſe dicuntur. Quam obtinendo juri rationem Taurinenſibus Arelatenſis Antiſtes non attulit. Imò *Proculus* Maſſilienſis in ſecunda Narbonenſi ordinationes peragebat. Quid ergo cauſæ fuit, cur Arelatenſis jus ſibi Primatus aſſumebat? Amplificata erat urbis hujus gloria ob celebratum anno CCCXIV. generale Concilium. *Conſtantina* à Conſtantino Magno nomen duxerat: morâ Imperatorum nobilitata erat: Conſtantius anno CCCLIII. magnificos ibi ludos celebrarat: *Arelate hyemem agens Conſtantius, poſt theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo editos apparatu, die VI. Idus Octobres, qui imperii ejus annum XXX. terminabat.*

Marcell. l. 14. c. 5.

Hæ cauſæ fuiſſe videntur, cur anno CCCCXVIII. Primatum Arelatenſis Antiſtes ſibi vindicarit. Biennio circiter poſt Synodum Taurinenſem tranſlatâ ſede Præfecti Prætorio Treveris, Arelatum crevit gloria urbis hujus, quæ ſeptem Provinciis caput imponitur. Itaque Honorii in Reſcripto, anno 418. promulgato ſtatuitur, ut quot annis ſeptem Provinciarum conventus *in Metropolitana, id eſt, in Arelatenſi urbe* fiant. Decretum Honorii ſuo eſt loco à nobis exhibitum. Præcipuè Arelatenſis Epiſcopi gloriam intendit Zozimus Papa, qui Patroclo, homini ambitioſo credulus, hæc ſuâ Decretali conſtituit: *Juſſimus præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium civitatis, in ordinandis Sacerdotibus teneat autoritatem. Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam Provincias ad Pontificatum ſuum revocet.* Ut autem ſpecie aliquâ id juris Arelatenſi tribueretur, adductus eſt Trophimus, *cujus ex fonte tota Gallia fidei rivulos acceperunt.* Hæc fuit credita Patroclo autoritas, quam cùm Honorati poſt obitum Hilarius ſibi vellet tranſcribi, & eam exercuit, non ſine Leonis indignatione, & magnam Synodum ſua in urbe coëgit.

Zozim. Ep. 7.

Canones Arelatenſis.

IX. Synodi Arelatenſis Canones ſex & quinquaginta numerantur. Non levis tamen nos inceſſit ſuſpicio, variorum potius Conciliorum eos eſſe farraginem, quàm unius Synodi conſtitutionem. Conjecturæ favet obſervatio Labbei, poſt Canonem XXV. *In quibuſdam calamo exaratis Codicibus, qui ſequuntur Canones, hoc titulo, à vigeſimo quinto præcedentibus ſecernuntur. Capitula de Synodo, quæ territorio Arauſico celebrata eſt.* Neque opus fuiſſe videtur, ſilentibus perſecutionibus, ut Canonem X. delapſis in perſecutione conderent. Age Canones nunc proferamus. I. Ad Diaconatum Sacerdotiumve Neophytus non ordinetur. II. Ad Sacerdotium non aſſumatur in conjugii vinculo conſtitutus, niſi promiſſa ſit converſio. III. A gradu Diaconatus, qui mulierem præter aviam, matrem, filiam, neptem, vel converſam ſecum ſororem habere præſumpſerit, communione alienus habeatur. IV. Puellæ ad cellarium Clerici non admittantur. V. Epiſcopus ſine Metropolitani Epiſtola, & tribus Comprovincialibus non ordinetur. VI. Qui ſine conſcientia Metropolitani conſtitutus eſt Epiſcopus, officio pellatur. VII. Qui ſe abſcindunt, ad Clerum non perveniant. VIII. Qui alterius excommunicatum receperit, cauſam in Concilio reddet. IX. Novatiani niſi damnato errore, non recipiantur. X. Lapſis in perſecutione tempus pœnitentiæ præſcribit. XI. Qui dolore victi ſacrificarunt, duobus annis inter Catechumenos, triennio inter Pœnitentes habeantur. XII. Pœnitentium nullus communione vacuus excedat: oblatio ejus ſuſcipiatur. XIII. Nullus Clericus ſuam relinquat Eccleſiam, ſi invito Epiſcopo ſuo ſit ordinatus, irrita ſit ordinatio. XIV. Clericus nec fœnus, nec mercaturam exerceat. XV. Diaconus in Secretario inter Presbyteros non ſedeat, nec corpus Chriſti tradere præſente Epiſcopo præſumat. XVI. Photiniani & Paulianiſtæ baptizentur. XVII. Bonoſiaci, qui perinde atque Ariani in Trinitate ſunt baptizati, cùm Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipiantur. XVIII. Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congregetur. XIX. Qui ad Synodum adeſſe neglexerit, aut ante-

Anno Dom. 444.

antequam Synodus diſſolvatur diſceſſerit, communione alienus habeatur. XX. Theatrici, qui ſunt fideles, à communione ſeparentur. XXI. Qui pœnitentiam profeſſi fuerint, ſi nubunt, Eccleſiæ liminibus arceantur. XXII. Pœnitentia conjugatis non niſi ex conſenſu detur. XXIII. Si Infideles, qui aut faculas accendunt, aut arbores, fontes ſaxa, venerantur, Epiſcopus impedire neglexerit, ſacrilegii reus habeatur. XXIV. Quicunque fratribus ſuis capitalia falſò objecerint, non niſi ad exitum communicent. XXV. Qui religionem profeſſam deſerunt, vel poſt pœnitentiam habitum ſecularem ſumunt, nec ſine pœnitentia ad communionem admittantur, neque ad Clericatum promoveantur. XXVI. Hæreticus moriens, qui Catholicus eſſe deſiderat, abſente Epiſcopo à Presbytero cum Chriſmatis benedictione conſignari placet. XXVII. Qui baptizandi officium accepit, ſine Chriſmate non procedat. XXVIII. Pœnitentibus in extremis, ſine reconciliatoria manus impoſitione communio reddatur. Si accepto hoc viatico ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium. XXIX. Pœnitentia deſiderantibus Clericis non negetur. XXX. Qui ad Eccleſiam confugerint, tradi non oportet. Qui exeuntibus pœnam intulerint, Eccleſiæ inimici habeantur. XXXI. Clerici, qui relictâ Synodo ad patrocinia ſecularia confugerint, excommunicentur; Epiſcoporum judicio cauſæ Clericorum terminentur. XXXII. Si quis mancipia Clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus occupet, damnatione feriatur. XXXIII. Si quis manumiſſum ſervitute oppreſſerit, animadverſione Eccleſiaſticâ coërceatur. XXXIV. Si quis in Eccleſia manumiſſum crediderit ingrati titulo revocandum, prius probet reum eſſe. XXXV. Qui alienum Clericum ordinandum putaverit, ne faciat ſine conſultatione Epiſcopi, cujus erat. XXXVI. Eccleſia in Epiſcopi territorio conſtituta, ab eo conſecretur, reſervata ædificatori Epiſcopo hæc gratia, ut quos deſiderat Clerici ordinentur. XXXVII. Quicunque Eccleſiam ædificaverit, & alium magis Epiſcopum, quàm eum, in cujus territorio ædificat, invitandum putaverit, tam is quàm Epiſcopi, qui ad hujuſmodi dedicationem invitantur, Conventu abſtinebunt. XXXVIII. Subitò obmuteſcens baptizari poteſt: amentibus, quæ ſunt pietatis, miniſtrentur. XXXIX. Energumenis baptizatis communio non negetur. XL. Energumenis Catechumenis de baptiſmo conſulendum. XLI. Arreptitii Clero non aſcribantur, qui ordinati ſunt, ab officio repellantur. XLII. Si duo Epiſcopi abſque Metropolitani Epiſtola Epiſcopum creaverint, ordinatus cum ordinatoribus excludatur. XLIII. Diaconi conjugati non ordinentur, niſi profeſſi fuerint caſtitatem. XLIV. Si quis acceptâ benedictione Leviticâ, cum uxore ſua incontinens inveniatur, ab officio ejiciatur. XLV. Clerici, qui in duplicata matrimonia inciderunt, non ultra Subdiaconatum promoveantur. XLVI. Profeſſæ viduæ, quæ raptoribus conſenſerint, cum raptoribus damnentur. LXVII. Secundum conſtitutionem Synodi Vaſenſis, quicunque oblationem Fidelium ſuppreſſerit, aut negaverit, ab Eccleſia, cui fraudem fecit, excludatur. XLVIII. Qui Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, Synodi Legibus audiatur. XLIX. Qui à communione Sacerdotali fuerit autoritate ſuſpenſus, hunc non ſolùm à Clericorum, ſed etiam à totius populi colloquio, atque convivio placuit excludi. L. Qui publicis inter ſe odiis exardeſcunt, ab Eccleſiaſticis conventibus removendi, donec ad pacem recurrant. LI. Expoſitum colligens, conteſtationis ponat Epiſtolam, & ſi intra decem dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat, qui collegit. LII. Puellæ, quæ ſe voverunt Deo, ſi poſt xxv. annos ætatis ad terrenas nuptias ſpontè tranſierint, cum his, quibus ſe alligaverint, communione priventur. LIII. Si quis famulorum ſe percuſſerit, ad Dominum ſceleris alieni non pertinebit invidia. LIV. In ordinatione Epiſcopi tres ab Epiſcopis nominentur, de quibus Clerici & cives erga unum eligendi habeant poteſtatem. LV. Si quis ſecularium ſe ad quemcunque Sacerdotum crediderit conferendum, ipſe ſibi eum vindicabit. LVI. Nihil contra magnam Synodum Metropolitani ſibi æſtiment vindicandum.

Cauſa Celidonii. Fueritne Veſontinenſis Epiſcopus?

X. Sub ea quoque tempora de Celidonii Projectique Epiſcoporum cauſa videtur eſſe tractatum. Alioquin citius Leonis imploraſſent auxilium, quod anno demum ſequente conſecuti ſunt. Ex Leonis ergo ad Viennenſis Provinciæ Epiſcopos colligere licet, non ita pridem *Projectum* Celidoniumque ab Hilario affectos injuriâ fuiſſe: Celidonius accuſabatur, *interuptam ſuo adhibuiſſe conſortio, & ſeculari adminiſtratione perfunctum, capitali aliquos condemnaſſe ſententiâ.* Cujus verò urbis Epiſcopatum geſſerit, non eſt in medio. In fragmento Vitæ S. Romani Abbatis Celidonius *Veſontienſis* Epiſcopus appellatur. At rationibus non ſpernendis doctiſſimus Queſnellus fragmento fidem detrahit: Baroniique deſcendens in ſententiam, Viennenſis Provinciæ Epiſcopis Celidonium apponit. Quippe ſi Celidonius Veſontienſem Præſulem egiſſet, Arelatenſis Epiſcopi ditioni nequicquam ſubjiciebatur. Veſontio enim Provinciæ Sequanorum Metropolis erat, quæ ad Viennenſem Provinciam nil pertinebat. Neque Sequanorum in regionem poteſtatis aliquid Zoſimus vel Patroclo detulerat. Jam verò Hilarii autoritati ſubditum fuiſſe Celidonium, & verbis Leonis apertiſſimè indicatur: *Manſiſſet namque in illum prolata ſententia, ſi objectorum veritas extitiſſet.* Quòd ſi nil in Celidonium juris Hilario fuiſſet, licet vera fuiſſet Celidonii accuſatio, Hilarii quidem reſcindi judicium debuiſſet, utpote à homine, cui nil in reum poteſtatis erat, promulgatum. Ipſamet Hilarianæ vitæ Scriptoris verba audiantur: *Ubi ejus adventus innotuit, flammata ad utrumque nobilium & mediocrium ſtudia convolarunt, aſtruentes Celidonium interuptam ſuo adhibuiſſe conſortio, quod Apoſtolica Sedis autoritas, & Canonum prohibent ſtatuta. Simul ingerentes, ſeculi adminiſtratione perfunctum capitali aliquos condemnaſſe ſententiâ. Tanta rei novitate permoti, teſtes imperant præparari. Conveniunt ex aliis locis probatiſſimi Sacerdotes. Res omni ratione prudentiâque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur. Adhibetur vera ſimplexque definitio, ut quem Scripturarum regula removebant, voluntate propriâ ſe removere deberet. Ille urbem credidit expetendam, ibique ſe in juſto rigore aſtruit condemnatum.*

Leo Ep. 89. c. 3.

Lab. Conc. t. 3. 1462.

Cauſa Projecti Præſulis.

II. Projecti cauſa hæc fuit, narrante Leone. Projecto Epiſcopo ægrotare liberum non fuit, ejus tamen Sacerdotium in alium præter notitiam

tiam tranſlatum eſt, & tanquam in vacuam poſſeſſionem ab Hilario perverſore hæres viventis inductus. In civium, quibus Projectus præerat, literis hæc continebantur: *Inſperatus neſcientibus ſupervenit, & improviſus abſceſſit, curſu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens, & per longinquas Provincias tantâ immaturitate diſcurrens, ut videatur gloriam de ſcurrili velocitate potius, quàm de Sacerdotali moderatione captaſſe. ... Antè abſceſſit, quàm nos veniſſe noſſemus. Non eſt hoc redire, ſed fugere, nec ſalubritatem impendere diligentia paſtoralis, ſed vim inferre latronis & furis.* Quo etiam, ſi Leoni fides, Magiſtratuum autoritate armabatur Hilarius, ut obedientiam extorqueret: *Militaris manus, ut didicimus, per Provincias ſequitur Sacerdotem, & armatis præſumptione ſuffultum, ad invadendas per tumultum, famulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint. Traduntur ordinandi ad hoc officium his, quibus præficiendi ſunt civitatibus ignoti.* Ejectus ſede ſuâ Celidonius Romam petit, ut de illatis ſibi injuriis querelas apud Leonem exponeret, quem ſciebat adultam hanc autoritatem, effuſamque Hilarii potentiam moleſtè ferre. Neque ſibi *Projectus* defuit, qui & Leonem appellavit. Quo ſucceſſu, annus nos proximè ſecuturus docebit. Intereà quid rerum in Oriente geratur, paucis complectatur oratio.

Leo Ep. 89. c. 4. 5.

XII. Vitæ curſum Cyrillus implet Alexandrinus, magnis laboribus in Eccleſia adminiſtranda defunctus. Theophilo ſucceſſerat anno CCCCXII. Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. Triduo poſt deceſſoris obitum Pontificatum adierat, Octobris XVIII. Socratis à Chronologia Baronio diſcedere placuit, qui *undecimo Kal. Novembris* Cyrillum Epiſcopum creatum eſſe contendit. Quibus verò de cauſis antiquo Scriptori, qui Cyrillo coætaneus fuit, illuſtriſſimus Purpuratus pugnet, prorſus neſcimus. Nobis verò in animo eſt, Socratem ſequi, Cyrilli de ordinatione narrantem: *Tertio poſt obitum Theophili die Cyrillus ordinatur.* Exceſſerat autem Theophilus *Idibus Octobris.* Neque accurata quoque eſt clariſſ. Du Pin Chronologia, qui Cyrilli creationem cum Octobris XVI. copulavit, niſi forſan in numeros error irrepſerit. Cyrilli obitum in quintum Idus Junii Græci referunt in ſuo Menologio: *Natalis S. Cyrilli Alexandrinæ civitatis Epiſcopi eruditiſſimi, & Catholicæ fidei propugnatoris egregii*, &c. Quâ ratione ſedit annos XXXI. menſes VII. dies XXIII. Cyrillo tamen annos XXXII. vindicant Liberatus, atque Nicephorus, lib. 14. c. 47. qui de annis ſunt in completis intelligendi. Conſanguineum Theophilo Cyrillum fuiſſe, in confeſſum omnibus venit. Utrùm verò patruum habuerit Theophilum, vel avunculum, eſt in obſcuro, cùm vox ἀδελφιδοῦς, quam Socrates, Theodoritusque adhibuere, tam fratris, quàm ſororis filium ſignificet. Cyrillo patruum fuiſſe Theophilum, prodit Nicephorus: *Cyrillus*, inquit, *Joannem hoſtiliter oderat, quòd ille à Theophilo patruo diſſenſiſſet.* Contrà verò Facundus materni ſanguinis vinculis Cyrillum cum Theophilo conjunctum fuiſſe putat, licet perperàm *conſobrinum* dixerit: *Theophilus conſobrinus ac deceſſor ejus in condemnatione Joannis Conſtantinopolitani hominum gloriam requiſivit.* Eò magis inclinat propenderque ſententia, quòd maternum genus Cyrillum cum Theophilo copularit. Sororem quippe Theophili ſcimus, fratrem neſcimus. Teſtati ſunt Petrus atque Iſidorus, *Sororem Theophili à neſcio quo hæredem ſcriptam fuiſſe.* Hæc Sozomenus. Poſtremum Conſtantinopolitani Cyrillum videre, qui hoc ipſo anno in regiam urbem navigaverat, ex qua cum Proclo literas Domno dedit pro Athanaſio Parenorum Epiſcopo. Si qua Theodorito fides, hanc de accuſando Domno profectionem Cyrillus inſtituerat. Quæ enim Joannis nomen habet, ea ad Domnum Epiſtola ſcripta eſt, Librariorum errore Domno in Joannem mutato. Sic cenſet doctiſſimus ille Norſius, cujus conjectura maximè nobis arridet. De Cyrillo Epiſtolæ verba ſunt: *Somniavit, ſicut dicunt, & regiam perturbare, & tuam ſanctitatem accuſare.* In defunctum concione apud Antiochiam habitâ, Theodoritum inſultaſſe fama eſt, de qua ſententiam noſtram peragemus.

Mors Cyrilli Alex. Fueritne ex ſorore, vel fratre Theophili genitus?

Socr. l. 7. c. 7.

Bar. An. 444. 29.

Socr. l. 7. c. 7.

Niceph. l. 14. c. 25.

Facund. l. 2. c. 4.

Sozom. l. 8. c. 12.

XIII. Multis jam Cyrilli pictura nobis innotuit. Liceat tamen & addere nonnulla, quibus animum ejus in proſpectum Lectorum, quaſi in brevi tabella producamus. Excelſæ mentis Cyrillus fuit, ſed in ambitionem dominandique cupidinem propenſioris, ut poteſtate Theophilum ipſum ſuperavit. Gradum Epiſcopi ſupergreſſus, vix eam dignitatem adeptus erat, cùm Novatianorum Eccleſiis ſacra vaſa, ornamentaque abſtulit: deinde illorum Epiſcopum Theopemptum omnibus facultatibus ſuis nudavit. Vindictæ quoque dabat habenas, qua de re objurgatorem Iſidorum Peluſiotam tulit: *Multi ex iis, qui Epheſi coacti ſunt, te traducunt, ut tuas inimicitias perſequentem.* Multis & Chryſoſtomi memoriam conviciis non ſatis verecundè inſectatus eſt, quem penè pro *Juda* habuit in ſua ad Atticum Epiſtola. Quod adeò *Facundo* diſplicuit, ut maximum exclamarit: *Hæc amariſſima verba, Cyrilli verba, Chriſtianis mentibus averſanda, quæ contra ſuaviſſimum Eccleſiæ Patrem melle Attico dulciorem ſui oblitus Cyrillus effudit.* Neque moderatione pectus ſatis inſtructum oſtendit in Epheſina Synodo adverſus Neſtorium, quem non expectato Joannis adventu, Epheſo propioris, multis vel repugnantibus Epiſcopis damnavit. Neque piis unquam probabitur, quòd Ammonium ſeditioſum illum Monachum, qui *Oreſtem* Alexandriæ præfectum lapide percuſſerat, poſt debitum, quo affectus erat ſupplicium, Martyribus inſeruerit. In ſcriptis Cyrilli fuere nonnulla, quæ non omnibus placerent, quo Joannes Presbyter in ſuo adverſus Eutychianos tractatu refellit, teſte Gennadio: *Impugnat aliquas Cyrilli Alex. Epiſcopi ſententias, docens incautè ab illo adverſum Neſtorium prolatas, quæ nunc ſomentum ſunt, & robur addunt Timotheanis.* Sed Conſtant. Præſulis fuerunt in Cyrilli doctrinam querelæ: *Væ miſero mihi à malis. Heu, heu, unde quiſquam in præſenti aliundè ſumat exordium. Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias audiri.* Cyrilli vitia magna fuere virtutibus redempta: ſcriptiſque compluribus clarum ſibi peperit. Nonnullorum egit Gennadius, quæ deſiderantur: *Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus edidit variarum ὑποθέσεων tractatus. Homilias etiam compoſuit plurimas, quæ ad declamandum à Græciæ Epiſcopis memoriæ commendantur. Præterea libri ejus ſunt de Synagogæ defectu, de Fide adverſum Hæreticos, & peculiari intentione adverſus Neſtorium compoſitus, qui intitulatur ἔλεγχος, in quo omnia Neſtorii occulta panduntur, & prodita confutantur.*

Cyrilli mores. De Cyrilli theſauro: nùm multus?

Socr. l. 7. c. 7.

Iſidor. l. 1. Ep. 310.

Facund. l. 4. c. 1.

Gen. c. 93.

Facund. l. 2. c. 4.

Anno Dom. 444.

tur. Deperditorum Cyrilli librorum Catalogum exhibent Hiſtoriæ literariæ Scriptores. Porro Bellarmino Aulicisque Curiæ Rom. compluribus Cyrilli theſaurus mutilus exiſtimatur, quia Thomas Aquinas multa ex eo protulit, quæ nuſquam apud Cyrillum extant. Exempli gratiâ, hunc locum ex Cyrillo ſuppeditat ad caput XVI. Matthæi. *Secundum autem hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, hæreticaque circumventione manet immaculata, ſuper omnes Præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes Primates Eccleſiarum & populorum in ſuis Pontificibus in fide pleniſſima, & autoritate Petri, & cum aliæ Eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium obturans ora Hæreticorum, & nos neceſſariò ſalutis non decepti ſuperbiâ, neque vino ſuperbiæ inebriati, typum veritatis, & ſanctæ Apoſtolicæ traditionis unà cum ipſa profitemur & prædicamus.* Bellarminus quoque ex libro Theſauri hæc laudat: *Debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ Sedi adhærere.* Quæ ex Thoma deſumpſit atque Gennadio Scholario. Ut autem

Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. c. 15.

loca hæc Cyrillo vindicet: *Conſtat*, inquit, *multos libros Theſauri periiſſe. Nam citatur in ſexta Synodo, Actione decimâ liber XXXII. Theſauri Cyrilli, cùm non extent hoc tempore libri niſi XIV.* Verùm enimverò omiſſâ moroſiſſimâ quæſtione, nùm pars Theſauri Cyrilli aliqua perierit, aſcriptos Cyrillo locos Cyrilli non eſſe contendimus, quod certiſſimis doctiſſimus Launoius argumentis planum fecit in ſua ad Antonium Faurum Epiſtola. Quippe verba, quæ Thomas affert, cum opinione, quæ Cyrilli ætate obtinebat, adversâ fronte pugnant. Nemini tum venerat in mentem, quòd *Eccleſia Apoſtolica Petri inquaſſabiliter ipſa ſola regnet.* Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodoſius religionem eam edicunt amplectandam, quam Damaſus, & Petrus Alex. profitentur. Extat & in Codice, & apud Facundum Imperatorum Reſcriptum, quo jubentur Eccleſiæ tradi iis, qui cum Nectario, Timotheo, Pelagio Laodicenſi, Diodoro Tarſenſi, &c. communione junguntur. Quid Edicto Theodoſiano diſertius?

Cod. Th. de Fid. Cath. l. 3.

Epiſcopis tradi omnes Eccleſias mox jubemus . . . quos conſtabit communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Timothei, nec non intra Ægyptum Alexandrinæ Urbis Epiſcopo eſſe ſociatos. Quos etiam in Orientis partibus, Pelagio Epiſcopo Laodicenſi, & Diodoro Epiſcopo Tarſenſi in Aſia, nec non Proconſulari atque Aſiana Diœceſi, Amphilochio Epiſcopo Iconienſi, & Optimo Epiſcopo Antiocheno, in Pontica Diœceſi Helladio Epiſcopo Cæſarienſi, & Otreio Melitenò, & Gregorio Epiſcopo Nyſſeno, Terentio Epiſcopo Scythiæ, Marmarico Epiſcopo Marcianopoli communicare conſtiterit. Cæterùm de communione cum Pontifice Rom. quaſi totius Eccleſiæ capite verbum nullum. Ubinam igitur id regni, quod ſoli Eccleſiæ Rom. à Pſeudo-Cyrillo contribuitur? Apage nugas! Nolumus tamen falſi crimen Aquinati impingere, quem non fallentem quidem, ſed falſum profitemur. Fruatur per nos candidâ mente, modò concedatur errante. Excuſatio placet N. Alexandri, quâ Thomæ ſuo patrocinatur: *Ex*

N. Alex. Sec. 5. p. 602.

fide aliorum, qui ante ipſum ſcripſerant, ipſa laudavit S. Thomas, cùm fontem ipſum adire non poſſet, quia libros Cyrilli præ manibus non habebat. Tanta enim erat iis temporibus librorum penuria, ut S. Doctor Homilias S. Joannis Chryſoſtomi in Matthæum dono ſibi dari optaret, illudque urbe Pariſienſi pluris æſtimaret munus. Noſtro judicio inter Opera Cyrilli eminent libri decem, quos contra Julianum Imperatorem edidit. De Cyrilli ſtylo cenſeat Photius: *Lectus eſt B. Cyrilli*

Phot. c. 49. p. 38.

Alexandrinæ Epiſcopus adverſus blaſphemias Neſtorii libri quinque. Servat in his quoque ſuum dicendi characterem, & ſermonis proprietatem. Clarior verò eſt quàm ad Hermiam ſcribens, aut in libris de Adoratione in ſpiritu. Sermo illi confictus, & ad propriam dicendi formam contortus, ac veluti ſolutum, numeroſque negligens metrum. D. Cyrilli *theſaurus* inſpiciatur & Photii caput 136. pag. 321. Cæterùm ne illud quidem eſt prætereundum, quod in ſuo Odego refert Anaſtaſius Sinaita ab Alexandrinis ſibi relatum: *Poſt*

Anaſt. Odeg. c. 10.

tempora B. Eulogii Papæ Alex. fuiſſe Præfectum Auguſtalem Severianum, qui ſatis diu XIV. Librarios ejuſdem ſecum ſententiæ habuerit ac aluerit, quibus id negotii dabat, ut Patrum libros falſarent, maxime S. Cyrilli. In cujus Epiſtolam ad Succeſſum cùm incidiſſemus, dictum illud, Duas in Chriſto naturas dicimus, *nonnullis in Alexandrinis ſincerum ac incorruptum invenimus, ſed quidam habebant*, Duas naturas unitas dicimus. *Alii duas naturas conſiderari dicimus. Et cùm in magno mœrore verſaremur, protulit nobis Dominus Iſidorus Bibliothecæ Patriarchæ Præfectus librum, in quo Cyrilli ſententia habebatur incorrupta.* Ex eodem Anaſtaſio liquet, *Severi Sectatores ſcripta Cyrilli ad extremum unguem excutere, ſurſum ac deorſum teſtimonia illius volvere: aliorum verè exiguam rationem ducere.*

Cyrillo ſuccedit Dioſcorus. Mores ejus.

XIV. Cyrillo ſucceſſit Dioſcorus, monſtroſiſſima bellua ad diſſipandam Eccleſiam nata. Splendente fuco, quam in corde malitiam gerebat, adeò involverat, ut tantæ ſedi adminiſtrandæ haberetur idoneus. Vix Pontificatum inierat, cùm Cyrilli conſanguineos miris modis vexat. Verba ſunt Liberati: *Simul ac ad thronum evectus eſt, opprimens Cyrilli hæredes, & per calumnias multas ab eis auferens pecunias, piſtoribus & cauponibus civitatis dedit, ut mundiſſimum panem, & pretioſiſſimum vinum viliori pretio populis exhiberent.* Ac dum his plebeculæ benevolentiam ſibi conciliat, in amicos deceſſoris crudelius invehitur. *Theodorum* Diaconum ejicit Eccleſia, *Iſchyrionem* eodem officio fungentem pellit. Quæ violenter geſſit, paucis, ſed gravibus verbis oſtendit Iſchyrionis Libellus. Aliquorum prædia vaſtata ſunt, excidis arboribus; aliorum domus everſæ; alii in exilium pulſi; aliis mulcta irrogata. Frumentum ab Imperatoribus tam ad conficiendam Euchariſtiam, quàm ad peregrinos pauperes alendos Libycis datum Eccleſiis, tempore famis magno vendidit. Non crudelem modò, ſed ingratum etiam Cyrilli memoriæ ſe præbuit, qua de re eſt Athanaſii Presbyteri adverſus Dioſcorum expoſtulatio. Sororem habuerat Cyrillus, nomine *Iſidoram*, quæ marito filios pepererat duos, Athanaſium, & Paulum. Teſtamento Cyrillus ſuo Legata ſucceſſori, quiſquis foret, multa reliquerat, magnis hortationibus adhibitis, vel per veneranda myſteria, ut ſuos conſanguineos foveret, neque moleſtiæ incommodis eos aſpergeret. Quæ vel initio Epiſcopatus pro nihilo ducens Dioſcorus, Paulo Athanaſioque ſtruit inſidias, mortemque intentans, miſeros relictâ Alexandriâ, ad regiam ſeſe urbem conferre coëgit. Neque

moribus Dioſcori fides laudabilior fuit. Quæ ſunt Origenis ſapiebat, Trinitatique conviciabatur. Qua de re oblatis ad Chalcedonenſes Patres Libellis palam accuſatus eſt: *Qua contra ſanctam & homouſion Trinitatem ab ipſo ſæpè contumelioſè dicta ſunt, omnia nominatiſſimo illius civitatis populo, nec non etiam venerabili Clero, reverendiſſimis quoque Monachis ſunt.* Hæc Iſchyrio.

Chalc. Syn. Act. 3.

ANNO U. C. 1198. OLYMP. 306. PER. JUL. 5158. JUL. 490. DOM. 445. THEODOS. 44. & 38. VALENT. 20. & 21. *Sol.* 6. G. *Lun.* 9. *Indict.* 13. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

COSS. *Valentinianus Auguſtus* VI. *& Nomus.*

Seditio & morbus Conſtantinopoli. I. UT magna, ſic & tumultuoſa Conſtantinopolis minimo momento ad ſeditiones impellebatur, in quas hoc anno incidiſſe, teſtatur Chronicum Marcellini: *Apud Byzantium populari ortâ in Circo ſeditione, multi ſeſe invicem occiderunt, multaque intrinſecus hominum pecudumque morbo corpora perierunt.* Suas & clades patitur Occidentis imperium: *Vandali navibus Turonio in littore Gallæcia repentè advecti, familias capiunt plurimorum.*

Idac.

Hilarius Romam petit. II. Res Eccleſiæ ingreſſuris ab Hilario Arelatenſi faciendum initium. Qui Romam adventarat *Celidonius*, injuſto ſe judicio dejectum eſſe querebatur. Sicque fortunâ & ſpecie ſupplicis Leonem commovebat, qui Hilarii de autoritate deterrendi occaſionem lubens amplectebatur. Hilarius ubi novit Celidonium ad Pontificem Rom. perfugiſſe, mente corporeque inſtitit ad reum ſequendum. At quo apparatu? non ambitioſo quidem comitatu ſeptus, non impedimentis onuſtus, non rhedæ, non equo inſidens, Pedibus duntaxat iter conficit, ut humili eâ ſpecie certum faceret, ſe non gloriæ cupidine ductum, ſed boni rectique cauſâ hanc provinciam ſuſcepiſſe: *Pedibus iter aggrediens, Romam ſine equo, ſine ſagmario ſeſtinus intravit.* Ut primùm Romam pervenit, Apoſtolorum Martyrumque memorias viſitavit, deinde ad Leonem adiit, *cum reverentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, ut Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret: aſtruens aliquos apud Gallias publicam meritè excepiſſe ſententiam, & in urbe ſacris altaribus intereſſe.* Veniſſe ſe non accuſatorem, non ut cauſam diceret, ſed ut doceret legitimam in Celidonium dictam fuiſſe ſententiam: *Rogat atque conſtringit, ut ſi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit, ſecretò jubeat emendari. Se ad officia, non ad cauſam veniſſe, proteſtandi ordine, non accuſandi, quæ ſunt acta ſuggerere; porrò autem ſi aliud velit, non futurum eſſe moleſtum.* Quo Hilarius erat animo, à diſceptationibus prorſus alieno, moræ impatiens, exitum judicii non expectavit, quod Clero Rom. offenſioni fuit.

Lab. Conc. t. 3. 1462.

Synodus Romana adverſus Hilarium Arelatenſem. III. At Leoni ingrata hæc erat Hilarii firmitudo: neque oblatam ſibi occaſionem omitti voluit, & autoritatem ſuam promovendi, & inviſam Hilarii frangendi potentiam. Synodus ergo Romana quidquid *Celidonii*, *Projectique* in cauſa factum fuerit, irritum eſſe jubet: ut Leonis monemur Epiſtolâ. Ac primùm aſperioribus verbis in Hilarium invehitur: *Tramitem ſemper inter majores noſtros, & benè tentum, & ſalubriter conſtitutum Hilarius, Eccleſiarum ſtatum & concordiam Sacerdotum novis præſumptionibus turbaturus exceſſit, ita ſua vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe B. Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in ſuum jus transferens dignitatem. Ipſius quoque beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cùm præ cæteris ſolvendi & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendarum tamen ovium cura ſpecialis mandata eſt.* Scilicet debitam Petro Apoſtolo obedientiam exuit ille, qui excelſo animo Eccleſiæ ſuæ jura ac privilegia defendit. De Celidonii cauſa hæc memorat: *Quæ apud nos in cauſa Celidonii Epiſcopi geſta confecta ſint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præſente ſuprà dicto Epiſcopo audiretur, inditus chartis verum ordo demonſtrat. Ubi poſtquam Hilarius rationabile, quod in ſanctiorum Concilia Sacerdotum poſſet reſpondere non habuit, ad ea ſe occulta cordis ipſius tranſtulerunt, quæ nullus Laicorum dicere, nullus Sacerdotum poſſet audire.* Quam benè cum verbis Honorati hæc conſentiant, judicent illi, quibus veritas cordi eſt. Celidonius ergo ſedi ſuæ reſtituitur: *Abſolutus eſt Celidonius Epiſcopus, quoniam ſe injuſtè Sacerdotio fuiſſe dejectum, manifeſtâ teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente monſtraverat, ita ut quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere, non haberet.* Finitâ Celidonii lite, Synodus Projecti negotium ingreditur, cui ægrotanti ſucceſſorem Hilarius dederat. Concilii verò hæc ſententia fuit, quæ Epiſcopis per Viennenſem Provinciam conſtitutis ſignificata eſt: *Nos quod vobis credimus, Deo Judice placiturum, in commune cunctis fratribus conſulentes, & malè ordinatum ſubmoveri, & Epiſcopum Projectum in ſuo Sacerdotio permanere debere decrevimus, id ſtatuentes, ut quiſquam fratrum noſtrorum in quacunque Provincia deceſſerit, is ſibi ordinationem vindicet Sacerdotis, quem illius Provinciæ Metropolitanum eſſe conſtiterit.* Denique autoritatem, quam Viennenſi in Provincia exercuerat, abdicant Hilario: *Suis unaquaque Provincia ſit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat Conventus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini judicia ſe interſerendo turbare, qui non tantùm noverit ſe ab alieno jure depulſum, ſed etiam Viennenſis Provinciæ, quam malè uſurpaverat, poteſtate privatum.* Ne verò Synodos convocanti Hilario Galliarum Epiſcopi obtemperarent, alius deſignatur, cui ea poteſtas deferretur, non pro Leonis quidem arbitrio, ſed pro Gallorum Antiſtitum conſenſu: *Quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Leontium, probabilem Sacerdotem hâc, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus conſenſum alterius Provinciæ non indicetur à veſtra Sanctitate Concilium, & à vobis omnibus quemadmodum vetuſtas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegii ſui dignitate ſervatâ.* Quia verò veluti ex vaticinatione dixerat Hilarius, nempe omnem hanc nunc autoritatem Leonis hùc redire denique, ut Epiſcoporum ſibi omnium ordinationes vindicaret, quod ut temporum lapſu veriſſimum fuiſſe deprehenditur, huic obviam timori Leo itum voluit: *Non vobis ordinationes veſtrarum Provinciarum defendimus, quòd poteſt forſitan ad depravandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri. Sed vobis per veſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præſumptori locus ultra jam pateat privilegia noſtra caſſandi.* Hic Synodi Romanæ exitus fuit, qua illuſtris ille Præſul magnam capitis diminutionem *Leo Ep. 89.*

ANNO DOM. 445.

tionem paſſus eſt, *ut ſuæ tantum civitatis illi Sacerdotium pro Sedis Apoſtolicæ pietate ſervaretur.* In tranſcurſu obſervetur, Canonem Sardicenſem eo judicio à Leone eſſe violatum: *Si appellaverit, qui dejectus & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri; ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſuâ moverit Epiſcopum Rom. ut de latere ſuo Presbyteros mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit & quid æſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus autoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio.* Hiſce conditionibus nullus ſatisfecit Leo, qui ſibi cauſam reſervat in urbe judicandam.

Sardic. c. 5.

Quid Hilarius geſſerit, ut urbe reverſus eſt? Leonem ſibi conciliare tentat.

IV. Obrutus injuriis, etſi verum volumus, convitiis, quibus ut ſuperbus, violentus, perturbator Eccleſiæ, mendax proſcindebatur, Hilarius ad ſua revertitur. Quid verò poſteà geſſerit, verbis Honorati exponamus: *In civitatem regreſſus licet corporali infirmitate fractus, tamen perfectione ſanctus, & pietate promptiſſimus, totum ſe ad placandum tunc animum S. Leonis inclinatâ humilitate convertit. Miſit primitùs S. Ravennium tunc Presbyterum, poſtmodum proprium ſucceſſorem, deinde S. Nectarium ſanctumque Conſtantium præcipuos Sacerdotes. Et quia quanta in hac cauſa dictaverit, huic operi nullâ poſſum ratione connectere, Auxiliaris tunc Præfecti quæ fuerit ſententia, credidi inſerendam, cujus hæc verba ſunt: Sanctos Nectarium & Conſtantium Sacerdotes de beatitudinis tuæ parte venientes, dignâ admiratione ſuſcepi. Cum his ſæpius ſum locutus de virtute animi atque conſtantia, contemptuque rerum humanarum, qui inter fragilitates noſtras ſemper beatus es. Nam quid poteſt in hac corporea vita eſſe ſecundum, quæ cùm ſit miſera, tamen non poteſt eſſe perpetua. Locutus ſum etiam cum S. Papa Leone. Hoc loco credo aliquantum animo perhorreſceris, ſed cùm propoſiti tui tenax ſis, & ſemper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, ſicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ memini contagione fuſcari. Sed impatienter ferunt homines, ſi ſic loquamur, quomodo nobis conſcii ſumus. Aures præterea Romanorum quâdam teneritudine plus trahuntur, in quam ſi ſe ſanctitas tua dimittat, plurimum tu nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc, & exiguas nubes parva mutationis ſerenitate compeſce.* Hæc ubi Hilarius accepit, *totum ſe orationi, prædicationi, operationi, velut incipiens mancipavit.* Miram intereà animi fortitudinem adhibuit, utpote qui ſecurus Leoninæ potentiæ, Celidonii communionem refugerit. Adducantur ea de re verba Honorati: *Hoc breviter tetigiſſe ſufficiat, quòd ſolus tantos ſuſtinuit, quòd nequaquam minitantes expavit, quòd inquirentes edocuit: quòd altercantes vicit, quòd potentibus non ceſſit, quòd in diſcrimine vitæ poſitus communioni ejus, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit.* Porro in muneris ſui exercitio ſe totum collocavit, donec mors anno CCCCXLIX. ipſius clauderet animam.

Lab. Conc. t. 3. 1462.

Lex Valentiniani in gratiam Leonis Papæ.

V. Dejecto Hilario gradum invenit Leo, quo favore Valentiniani ad majorem poteſtatem aſcenderet. Qua de re extat Imperatoris Reſcriptum Ætio apud Gallias agenti miſſum, quod etiam eſt atque etiam conſiderandum: *Certum eſt nobis, & imperio noſtro unicum eſſe præſidium in ſupernæ Divinitatis favore, ad quem promerendum præcipue Chriſtiana fides, & veneranda nobis religio ſuffragatur. Cum igitur Sedis Apoſtolicæ Primatum, S. Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, ſacra etiam Synodi firmarit autoritas, ne quid præter autoritatem Sedis iſtius illicitum præſumptio attentare nitatur: tunc enim demum Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat univerſitas. Hæc cùm hactenus inviolabiliter fuerint cuſtodita, Hilarius Arelatenſis, ſicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli relatione comperimus, contumaci auſu illicita quædam præſumptione tentavit, & ideò Tranſalpinas Eccleſias abominabilis tumultus invaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum. Hilarius enim, qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ urbis inconſulto Pontifice indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſolâ temeritate uſurpans invaſit. Nam alios incompetenter removens, indecenter alios, invitis & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem quoniam non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem, vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem prædicaturum per bella ducebat. Et talibus contra Imperii majeſtatem & contra reverentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem religioſi viri Urbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his, quos malè ordinaverat, lata ſententia eſt. Et erat ipſa quidem ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis autoritate in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque perceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obviare. Auſibus enim talibus fides & reverentia noſtri violatur imperii. Nec hoc ſolum, quod eſt maximi criminis, ſubmovemus, verùm ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minus religionis diſciplina videatur, hâc perenni Sanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum contra conſuetudinem Veterum liceat, ſine viri venerabilis Papæ Urbis æternæ autoritate tentare, ſed illis omnibuſque pro lege ſit quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis autoritas. Ita ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſervatis, quæ divi parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt Ætii, pater cariſſime Auguſti. Unde illuſtris & præclara magnificentia tua præſentis edictalis Legis autoritate faciet, quæ ſunt ſuperius ſtatuta ſervari, decem librarum mulcta protinus exigenda ab unoquoque Judice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari. Divinitas te ſervet permultos annos, parens cariſſime. Datum VIII. Idus Junii Romæ, Valentiniano Auguſto VI. Conſule.* Pace majeſtatis Valentiniani, multa à vero aliena hoc in Edicto continentur. Quid illud Concilii, cujus autoritate Pontificis Primatus in orbis totius Eccleſias firmatur? Ubinam veſtigia conſuetudinis hujus, ne Epiſcopis Occidentis ſine Papæ autoritate aliquid tentare liceat? Hæc quidem ſine teſtibus affirmantur, ſine probatione idonea, imò repugnante experientiâ, ut ex Marciani, Baſilidis, Apiarii, Antonii Fuſſalen-

ANNO DOM. 445.

Novell. Tit. 24.

ſis Hiſtoria liquet, & ſuo loco demonſtratum eſt. Ex eo deinde Reſcripto conſequitur, auctoritatem Eccleſiæ Rom. à Synodis ortum habuiſſe. Quod etiam docuit Gelaſius Papa in ſua ad Fauſtum Epiſtola: *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerant.* Ex Decreto quidem Leonis in Hilarium formam accepit Lex hæc Valentiniani; quæ vel gravioribus verbis in Hilarium invehitur, quàm fuerunt illa Leonis. Denique inconſultis Imperii Occidentis Epiſcopis, ipſis ſuam auctoritatem eripit, quos à Romano Antiſtite evocatos, Leonis adeſſe tribunali jubet. Cæterùm non juri divino, ſed conſuetudini privilegia hæc Epiſcopi Rom. à Valentiniano vindicantur.

Leonis ad Dioſcorum de ordinationum & Miſſæ celebratione Epiſtola.

VI. Dum res Leonis exequimur, mentio facienda eſt Epiſtolæ, quam ad Dioſcorum direxit Alexandrinum. In annum quidem proximum illam retulit Baroniana Chronologia: nos ad præſentem potius pertinere putamus, utpote quæ data ſit *Kal. Julii*, qua temporis notâ anno ſuperiori eximitur. Cùm enim quinto *Idus Junii* hominum numero ſubſtractus fuerit Cyrillus, impoſſibile prorſus eſt, poſt dies XXI. Cyrilli ab obitu Dioſcoro ſucceſſori ejus Leonem literis eſſe gratulatum. Leo Epiſtolam dedit, duo capita complectentem; alterum, ut ordinationes Presbyterorum, Diaconorumque die Dominicâ celebrentur: alterum, ut ſi Miſſæ celebratio populis non ſuffecerit, nulla ſit dubitatio iterari ſacrificium. Teſtatur autem Dioſcoro, velle ſe *ipſius initia* fundare: nefas eſſe credere, quòd ſanctus diſcipulus Petri Marcus, *qui Alexandrinam primus Eccleſiam gubernavit, aliis regulis traditionum ſuarum Decreta formaverit:* Vult ergo ab Alexandrinis cuſtodiri, *ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati ejus noctis, quæ in primo Sabbati luceſcit, exordia deligantur.* Quodque in tanto Pontifice admirationem efficit, hanc conſuetudinem ex Apoſtolica venire doctrina cenſet, repugnante, ut obſervavimus alibi, experientiâ, quæ vel Pontificum Romanorum ordinationes aliis quàm primæ feriæ diebus aſſignabat. De altero verò capite longè ſapientius docet: *Cùm ſolemnior feſtivitas conventum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit, ſacrificii oblatio indubitanter iteretur. Data Kal. Julii.*

Leo Ep. 81.

De Narbonenſis Ruſtici Inſcriptione, ex qua initium Epiſcopatus ejus oſtenditur.

VII. Claudamus res Occidentis Inſcriptione, quæ eruditorum ingenia exercuit:

Deo & Chriſto miſerante limen hoc collocatum eſt, anno quarto. Conſule Valentiniano VI. tertio Kal. Decembris, XIX. Epiſcopatus Ruſtici.

Ruſticus Epiſcopus, Epiſcopi Bonoſi filius, & Epiſcopi Aratoris de ſorore nepos, Epiſcopi Veneris ſocius in Monaſterio, Compresbyter Eccleſiæ Maſſilienſis anno XV. Epiſcopatus ſui, die anni quintâ, tertio Idus Octobris, cum Urſa Presbytero, Hermete Diacono, & eorum ſequentibus. Cœpit deponere parietem Eccleſiæ dudum exuſtæ. Trigeſimâ ſeptimâ die quadratum in fundamento poni cœpit. Anno ſecundo, VII. Idus Octobris, abſidem poni fecit Montanus Subdiaconus. Marsellus Galliarum Præfectus, Dei cultor prece exegit Epiſcopum hos onus ſuſcipere, impendia neceſſaria promittens, quæ per biennium adminiſtrationis ſuæ præbuit artificibus mercedem ſolidorum ſexcentorum ad operas, & ſolidos mille quingentos -- hinc oblationes S. Epiſcopi Veneris ſolidos C -- Epiſcopi Diantis L. Oreſii -- CC Agroetii I. Deconia -- ſalutis. Extat Inſcriptio hæc Narbonæ Epiſcopali in Palatio, quâ docemur, quo anno Ruſticus Epiſcopatum inierit. Placet enim doctiſſimi Queſnelli explicatio, quartum annum non à ſexto Conſulatu Valentiniani, ſed à jactis Baſilicæ fundamentis numerari. Ruſticus ergo ſignificatum ivit, per quatuor annos Baſilicam Narbonenſem ædificatam eſſe: *Quare Ruſticus anno Dom. CCCXXVII. die nonâ Octobris ordinatus eſt Epiſcopus, annoque CCCCXLI. die decimâ tertiâ præfati menſis, quæ quinta erat anni XV. ejus Epiſcopatus Baſilicæ Narbonenſis fundamenta fecit. Tandemque anno CCCCXLV. Valentiniani ſexto Conſulatu notato, qui quartus erat à jactis fundamentis abſolutus, quintuſque à die XIII. Octobris inchoatus: illius verò Epiſcopatus decimus nonus limen collocatum fuit, tertio Kal. Octobris.* Res Orientalis Eccleſiæ nunc ingredimur.

Pag. Diſſ. Hyp. pag. 322.

Dioſcorus Cyrilli vexat conſanguineos.

VIII. Primus Dioſcori Alexandrini annus nondum expletus erat, cùm quem hactenus occultaverat, crudelem aperuit animum. Maximam ſibi benignitatis famam olim collegerat, ob quam ſunt ad illum Theodoriti laudes in Epiſtola, quâ eum ſalutatum ivit: Ad Chriſtum *tu etiam, Domine, reſpiciens, non intueris ſubditorum numerum, non throni celſitudinem, ſed naturam conſideras humanam, & inſtabiles hujus vitæ mutationes, & divinas ſequeris leges, quarum obſervatio Cœlorum regnum nobis lucratur.* Dioſcorum quoque rogarat, ut ad ſe literas reſcriberet. Quam Theodoriti urbanitatem faſtidioſo ſilentio remuneravit. At longè graviora Cyrilli in hæredes molitur. Paulo & Athanaſio Iſidoræ Cyrilli ſororis filiis mortem minitatus, eos ex urbe Alexandrina pulſos Conſtantinopolim tanquam ad miſerorum aram perfugere coëgit. Porro Dioſcorus Epiſtolis Chryſaphio atque Nomo Conſuli miſſis effecit, ut exules in carcerem conjicerentur: *Illicò*, inquit Athanaſius, *cum in Regiam urbem perveniremus, ſperantes mereri auxilium, ſub cuſtodia diverſis ſumus pœnis ſubjecti, quouſque omnia, quæ in mobilibus habebamus, daremus, ita ut cum tormentis non ſufficeremus, quaſi pro remedio cogeremur cum graviſſimis uſuris multos fœneratores inquirere; ita ut noſter quidem frater clariſſimæ memoriæ Paulus, non ſuſtinens cruciatus & injurias, humanis rebus excederet.* Defuncto ſuperfuere Athanaſius, ipſius matertera, uxor, Paulique filii, quibus ob fœneratorum metum procedere non licebat. Exulum quoque domus in Eccleſias converti voluit, licet in quarto tecto jacens Athanaſii habitatio locum Eccleſiæ non præberet idoneum. Exuit & Sacerdotio Athanaſium, indictâ cauſâ. Miſerrima quidem profugorum conditio fuit, qui anno integro paſſim & ubique locorum errantes in Eccleſiis Monaſteriiſve à Dioſcoro habitare non permittebantur. Ut pervenit Athanaſius ad Alexandriæ ſuburbanum, cui olim Cænopo *Metanœa* nomen fuerat impoſitum, prohibuit Dioſcorus, ei neque publicum balneum exhiberi, neque panem tranſmitti, neque cibi aliquid vendi, ut fame extingueretur. Quantum verò pecuniarum Conſul hujus anni Nomus exegerit, verbis docemur Athanaſii: Pecuniæ *uſque ad mille quadringentas plus minus auri libras extendamur.* Sororibus Cyrilli

Theodorit. Ep. 60.

im-

ANNO DOM. 446.

impoſuit auri pondo octoginta quinque, Paulique defuncti relictam, & filios, auri pondo quadraginta ſolvere coëgit.

Chalced. Syn. Act. 3.

ANNO U. C. 1199. PER. JUL. 5159. JUL. 491. DOM. 446. THEODOS. 45. & 39. VALENTINIANI 21. & 22. *Sol.* 7. F. *Lun.* 10. *Indict.* 14. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

COSS. *Ætius III. & Symmachus.*

Fames Conſtantinopoli.

I. AD ingentem acervum frumenti colligendum vigilabat Principum cura, qui Conſtantinopolis potiebantur. Magna quidem tritici copia Ægypto advehebatur, ex illo tempore, quo Conſtantinus Magnus civitatem ſui nominis condiderat. Oppoſita tamen cibi penuriæ hæc obſtacula non ſuffecere pellendæ fami, quæ in urbe regia regnavit: *Magna fames Conſtantinopolim invaſit, peſtiſque illicò ſubſecuta.* Ab igne quoque damni aliquid patitur: *Templum Regiæ Civitatis igne crematum.*

Marcel. Chron.

A Scotis Pictiſque Britannia miſerè vexatur.

II. In Occidente graviores adhùc calamitates Britanniam vexabant. Scotorum Pictorumque greges, *furciferos magis vultus pilis, quàm corporum pudenda, pudendiſque proxima veſtibus tegentes*, ſuperato muro, præſidiiſque dejectis, omnia vaſtabant. Uncinatis nudorum telis miſerrimi cives de muris tracti, ſolo allidebantur. Relictis itaque urbibus fugam arripiunt, eo neceſſitatis adacti, ut deficientibus alimentis ad latrocinia direptioneſque ſe converterent. Hoc unum miſeris ſolatium erat *ars venatoria*, quâ ærumnoſæ vitæ reliquias tuebantur. Comparando ſibi auxilio ad Ætium ſcribunt: *Ætio ter Conſuli gemitus Britannorum. . . Repellunt nos Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur, nec pro eis quidquam adjutorii habentes. Intereà fames dira ac famoſiſſima vagis ac nutabundis hæret, quæ multos eorum cruentis compulit prædonibus, ſine dilatione victas dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent.* Hæc Gildas de excidio Britanniæ. Quod ab Ætio flagitarant auxilium, non aſſequentur, quem vicini hoſtes detinebant. Adfuit verò divinum, ubi humanum ceſſavit auxilium, quo tamen Britanni ad frugem non rediere: *Quievit parum per inimicorum audacia, nec tamen noſtrorum malitia. Receſſerunt hoſtes à civibus, nec cives à ſuis ſceleribus. Moris namque continui gentis erat, ſicut & nunc eſt, ut infirma eſſet ad retundenda hoſtium tela, & fortis eſſet ad civilia bella, & peccatorum onera ſuſtinenda, infirma inquam ad exequenda pacis & veritatis inſignia, & fortis ad ſcelera & mendacia.* De Britonum pòſt quietem ab hoſte momentaneam verba Bedæ ſunt notatu digniſſima: *Ceſſante autem vaſtatione hoſtili tantis frugum copiis inſula, quantas nulla retrò ætas meminit, affluere cœpit, cum quibus & luxuria creſcere, & hanc continuò omnium lues ſcelerum ac celeravit, crudelitas præcipuè & odium veritatis amorque mendacii. Et non ſolùm hæc ſæculares viri, ſed etiam ipſe Grex Domini ejuſque Paſtores egerunt, ebrietati, animoſitati, litigio, contentioni, invidiæ, cæteriſque hujuſmodi facinoribus ſua colla, abjecto levi jugo Chriſti ſubdentes. Intereà ſubitò corruptæ mentis homines acerba peſtis corripuit, quæ in brevi tantam ejus multitudinem ſtravit, ut ne ſepeliendis quidem mortuis vivi ſufficerent.*

Gildas B. M. P. t. 8. 709.

Bed. Hiſt. Angl. l. 1. c. 14.

ANNO DOM. 446.

De Athanaſio Perrenorum Epiſcopo Antiochena Synodus.

III. Ad res Eccleſiæ nunc ſe convertit oratio. Huic anno Antiochenum de Sabiniani cauſa Concilium alligare, Chronologiæ regulis non prohibemur. Athanaſius Perrenorum in Euphrateſia Provincia Epiſcopus de magnis criminibus fuerat interpellatus, quod ſacra ſuppellectilia, *columnaſque argenteas ſubſtraxerat.* Conventus ea de re Athanaſius, judicio ſe ſiſtere noluerat. Cauſam Panolbio Hieropolitano Domnus delegarat: neque Athanaſio cauſæ fuit aliquid, cur id judicii declinaret, cùm *Panolbio* amiciſſimo uteretur. Ter tamen vocatus, vadimonium deſeruerat. Imò ſcripto teſtatus fuerat, Epiſcopatu relicto, perpetuum in ſilentium ſe deſcenſurum promiſſa ut impleret, Samoſatenâ regione egreſſus, propria prædia incoluerat, ex quibus Samoſatorum iri civitatem reverſus, inde Epiſcopatu repetito, Clericorum ordinationes peregerat. Ne verò adeſſet, tribunali Joannis Hierapolitani Metropolitani, qui Panolbio ſucceſſeras, Conſtantinopolim profectus erat, compoſitâque ad permovendos animos fabulâ, Synodo in regia urbe congregatæ lachrymas excuſſerat. Querebatur, Clericos ſuos eò audaciæ proceſſiſſe, ut immerentem Sacerdotio ejicerent, expulſis rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatoribus, alios ſufficerent, autoritate ſuâ de ſacris Dypti-chis ipſius nomen auferrent. Hæc ubi Proclo expoſita ſunt, ab eo literas ad Domnum impetravit, quibus monebatur, ſuum Athanaſio Metropolitanum ſuſpectum eſſe: conſentaneum igitur, ut Judices præficerentur audiendæ cauſæ, eò magis quòd ſupplicis, civitas magno ab Antiochia ſpatio divideretur. Tenoris & ejuſmodi à Cyrillo Alexandrino Epiſtolam obtinuerat, quâ Domnus rogabatur, ut coram conſtitutis Judicibus Athanaſii inimici ſe ſiſterent, ea perpeſſuri, ſi rei deprehenderentur, quæ in Epiſcopum ſuum perpetrarant, hoc eſt, legitimam abdicationis pœnam. Acceptis literis, Domnus Synodum coëgerat, cujus & ipſe meminit: *Quando ſuſcepi literas Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, Procli & Cyrilli memor ſum, quia & eum hùc evocavi, & Deo amantiſſimos Epiſcopos Provinciæ, ut hæc cauſa potuiſſet examinari.* Neque tamen præſentiam Athanaſius ſuam exhibuerat. Annos circiter tres lis ea perdurarat, cùm ſuſceptis Athanaſii literis Concilium, de quo nunc tractamus, apud Antiochiam Domnus congregavit. Adfuere Theodorus Damaſci, Valerius Anazarbi, Pompeianus Emeſæ, Polychronius Epiphaniæ in ſecunda Cilicia, Damianus Sidonis, Jamblichus Chalcidis, Theoctiſtus Berœæ, Geruntius Seleuciæ, Joſeph Heliopolis, Timotheus Dolychis, Benetius Bybli, Epiphanius Archæ, Paulus Ptolemaidis, Stephanus Epiphaniæ in Syria ſecunda, Phoſphorus Orthoſiadis, Thomas Mopſueſtiæ, Jordanes Abilæ, Paulus Antaradi, Baranes Alexandriæ, Mara Urimorum, Saba Palti, Mara Anazarthæ, Joannes Theodoſiopolis, Daniel Carrenſium, Sophronius Conſtantiæ, Uranius Hymerorum, Marianus Jotapatæ, Epiſcopi numero 28. qui in Secretario Antiochenæ Eccleſiæ coacti ſunt. Quibus congregatis, *Tatianus* Diaconus, Nectariuſque dixerunt, adeſſe, qui Libello offerrent adverſus Athanaſium, Perrenſes Clericos, Iſacium Primicerium Lectorum, Joannemque Subdiaconum. Quibus ingreſſis, qui ad litem ſpectabant, Libelli leguntur, ea continentes, quorum ſummatim facta relatio eſt. Re in delibera-

Synod. Chalced. Act. 14.

tionem

Synod. Chalced. Act. 14.

tionem adductâ, communi conſenſu Athanaſium Epiſcopatu moveri ſtatuunt. Tum collectis ſuffragiis Domnus Synodi Præſes dixit: *Mei quidem voti non fuit, talem adverſus Epiſcopum proferre ſententiam; quia verò Sancto Concilio dignè complacuit, alienum exiſtere Athanaſium, ſecundum Eccleſiaſticas Sanctiones ab Epiſcopatu, tanquam ſæpius quidem, & in multis magniſque criminibus accuſatum; ſemper verò judicium & examinationem negotii fugientem, confirmo hæc etiam ego, & in his, quæ omnibus communiter placuerunt, conſors exiſto, judicans eum alienum eſſe à Pontificatu. Et præcipio Deo amantiſſimo Epiſcopo Joanni, & ipſius Provinciæ religioſiſſimis Epiſcopis, alium pro eo Parentorum Sanctæ Dei Eccleſiæ Epiſcopum ordinare.* Abdicati in locum *Sabinianus* ſufficitur. Quâ ratione pulſo Sabiniano, Athanaſius in Epheſina Synodo, cui Dioſcorus præfuit, ſedem recuperarit ſuam, deinceps narrabitur.

Procli obitus & Opera.

IV. Vitæ curſum hoc anno Proclus implevit Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Quæ Nicephoriani Chronici ſententia eſt, Proclo annos XII. menſes tres vindicantis. Nicephorus quidem in Hiſtoria Procli Epiſcopatum XI. annorum ſpatio terminat: *Divinus Proclus*, inquit, *undecim annis in Conſtantinopolitana Sede claruit*. Nos Chronico magis aſſentimur, cui Græcorum & Menologia favent. Die circiter ſextâ ſanctioris hebdomadæ deſignatus à Theodoſio Epiſcopus fuerat, anno Dom. CCCCXXXIV. Ariovindo & Aſpare Coſſ. Petiit ergo menſe Julio currentis anni. Ejus tamen memoria in Martyrologiis Octobris XXIV. celebratur. Sed & Græci in ſuo Menologio hæc habent: *Commemoratio S. Patris noſtri Procli, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Sacrarum Literarum peritiâ, & probitate morum inſignis, cùm annos XII. & menſes tres Epiſcopatum benè rexiſſet, in pace migravit ad Dominum hâc die XXIV. Octobris.* Hæc tamen Chronologia veritati pugnat, cùm initium Epiſcopatus Procli in ſanctam hebdomadam incidat. Maximiano *pridie Idus Apriles* defuncto, Proclus ſubinde Epiſcopus eligitur, ne turbarum aliquid oriretur. Itaque Maximiani corpus ſepulturæ tradidit. Quòd ſi hominum numero XXIV. Octobris Proclus exemptus eſt, poſt emenſum annorum XII. & menſium trium in Epiſcopatu curriculum, utique menſe Julio præcipiti, Pontificatum adiiſſet. Quod Socrati non conſentit, cujus teſtimonium magni certè ponderis eſt: *Ne rurſus de eligendo Epiſcopo ambigeretur, eaque res in Eccleſia tumultum excitaret, abſque ulla cunctatione nondum depoſito Maximiani corpore, Epiſcopis, qui aderant Theodoſius mandavit, ut Proclum in Epiſcopali ſolio collocarent.* Spectatâ virtute vir fuit, qui mirâ & manſuetudine mores condiebat ſuos. Virtutes quidem Attici imitatione proſequebatur, patientiam verò magis quàm Atticus excoluit: utpote qui *Hæreticos hâc ratione potiùs quàm vi ad veſtram fidem adducere ſtuderet.* Scriptis quoque ſuis nominis memoriam celebravit. Extant Autoris Homiliæ viginti. Multis laudatur de fide ad Armenios Epiſtola, quam rogante *Feliciano Paſtore* in Latinum Dionyſius transfudit Exiguus. Sunt & Procli Epiſtolæ quatuor minoris momenti, necnon tractatus brevis de traditione divinæ Liturgiæ, in quo precibus Euchariſtiam confici docet: *Per preces Spiritus Sancti adventum ſpectabant, ut ejus divina præſentia propoſitum in ſacrificium panem & vinum aquâ permixtum, ipſum illud corpus & ſanguinem Servatoris noſtri J. Chriſti efficiat.* Pietate verò ſe remittente, inquit, homines Liturgiæ prolixitatem pertæſi, vix ac ne vix quidem adduci potuerunt, ut verborum Dominicorum recitationi intereſſent. Cui malo Baſilius ut remedium inveniret, methodum recitandi quàm breviſſimè poſſet, tradidit. Poſteà verò Chryſoſtomus breviorem peragendi modum præſcripſit. Utrùm tamen Procli hoc ſit Opuſculum, in quæſtione ponitur ab eruditis.

Niceph. l. 14. c. 47.

Socr. l. 7. c. 40.

Socr. l. 7. c. 41.

Flavianus Proclo ſuccedit. Volueritne Theodoſius Pulcheriam ab eo Diaconiſſam creari?

V. Proclo *Flavianus* ſucceſſit, vir magnæ virtutis & famæ: *Erat*, inquit Nicephorus, *Sacrorum Donariorum magnæ Eccleſiæ Cuſtos, dignitate Presbyter, vitâ autem cæleſti præclarus.* Creato Flaviano, Chryſaphius Eunuchus, qui plurimum apud Theodoſium pollebat, cùm minus gratam haberet ordinationem ejus, ſuggerit Imperatori, ut Patriarchæ ſignificaret, conſecrationis gratiâ aliquid ſibi muneris daret. Cui cùm puros Flavianus panes miſiſſet, Chryſaphius flagitabat aurum. Ille reſpondit, non ſibi eſſe talium rerum copiam, niſi fortè ad hoc ſacris Templi donariis uteretur: ſatiſque ſcire Chryſaphium, Eccleſiæ vaſa Dei pauperumque eſſe. Quibus verbis offenſus Chryſaphius, Flavianum infenſo habuit animo. Subdit Nicephorus multa, quæ à Chronico Alex. Marcellinoque non minimum diſſident, Chryſaphius cùm nullum non moveret lapidem, ut Flavianum è ſede ſua deturbaret, nec id impetrare poſſet, rerum ſummam adminiſtrante Pulcheriâ, *Eudoxiæ Auguſtæ*, quæ nondum in Palæſtinam reverſa erat, perſuadet, ut Præpoſitum domus Pulcheriæ ſibi aſciſceret. Renuit Theodoſius, ne ſorori Auguſtæ inferret injuriam. Spe fruſtratus ſuâ Chryſaphius, aliam viam aggreditur. Eudoxiæ perſuadet, à Theodoſio obtinere, ut Flavianus Pulcheriam Diaconiſſam creet. Quod cùm ab Imperatore Eudoxia tandem impetraſſet, ille cum Flaviano conſilium communicat ſuum. Ac Flavianus in ea re quidem operam pollicetur ſuam: clam verò Pulcheriam monet, quid ipſi mali conſtitueretur. His auditis, Pulcheria tradito Eudoxiæ domus ſuæ Præpoſito, ad *Septimum* divertit, privatam illic vitam actura. Qua ex re, cùm Theodoſius Eudoxiaque intellexiſſent, ſua conſilia Pulcheriæ veniſſe in notitiam, in Flavianum odia convertunt. Sunt in ea Nicephori narratione nonnulla quidem, quæ dubitationem injiciunt. Ac primùm Marcellinus, Chronicumque Alex. poſteriorem Eudoxiæ in Palæſtinam profectionem cum anno CCCCXLIV. copulant. Quâ Chronologiâ admiſſâ, Nicephori narratio funditùs perit. Flaviani ordinatione prorſus innixa, quæ poſteriorem tamen Eudoxiæ in Palæſtinam profectionem excepit, ſi qua Marcellino fides, atque Chronico Alex. Deinde non ſatis veritatem ſapit, quòd in vitæ Pulcheriæ Auguſtæ munus Diaconiſſæ imponi potuerit. Viri quidem clariſſimi ad Epiſcopatum repugnantes evehebantur. At quod in privatos licebat, id utique in mulierem, & re, & munere Auguſtam non licuit, ut vel invita ad munus Eccleſiaſticum promoveretur. Neque Flaviani pietati ſatis conſonum, quod id flagitanti Theodoſio conſiliis ſaltem, precibuſque non interceſſerit, operamque ſuam ore pollicitus ſit, quam & corde, & re prorſus abnuit. Aliis ergo de cauſis Theodoſii in odium incidit. Quin etiam narrationis Nicephori nullum eſt veſti-

Niceph. l. 14. c. 47.

Anno Dom. 447.

veſtigium Veterum in monumentis, non in Evagrio, non in Marcellino, non in Faſtis Alex. quòd ſcilicet Eudoxiæ ad preces Theodoſius Pulcheriæ Diaconiſſæ munus voluerit injungi, Flavianoque id mandati dederit.

Anno U. C. 1200. Per. Jul. 5160. Jul. 492. Dom. 447. Theodos. 46. & 40. Valentin. 22. & 23. *Sol.* 8. E. *Lun.* 11. *Indict.* 15. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *April.*

Coss. *Ardabures & Calipius.*

Terræ motus ingens; eo Conſtantinopolitana urbs vexatur.

I. Funeſtum annum ingredimur, variis cladibus inſignem. Ac primùm vehementiſſimo concuſſu agitata Conſtantinopolitana regio faciem penè ſuam mutaſſe videtur. Sexto Novembris incepiſſe motum, ex Chronico Alex. colligimus, quo diſcimus, XIII. *Idus Novembris*, ſolemnes quotannis ea de cauſa ſupplicationes eſſe decretas. Sed & totus penè Oriens eo motu ſuccuſſus eſt, narrante Evagrio: *Ingens & graviſſimus, & qui cunctos ſuperiores magnitudine ſuperavit, per univerſum propemodum terrarum orbem factus eſt terræ motus. Adeò ut multæ ex turribus Regiæ urbis collapſæ ſint, & longus murus Cherroneſi ſimul corruerit: terraque hiatu multis in locis facto, complures pagi abſorpti fuerint, multi quoque ac prope innumerabiles caſus terrâ marique contigerint. Nam & fontes aliquot penitùs exaruerunt, & aliis in locis aquarum copia ſubitò erupit, in quibus anteà nulli fuerant fontes. Alibi arbores integræ cum ſuis radicibus in ſublime vibratæ ſunt, multiſque cumulis coacervatis, montes ſubitò extiterunt. Mare verò piſces mortuos ad terram projecit, multæque ejus inſulæ ſuperfuſis aquis inundatæ ſunt. Naves quoque in arido deſtitutæ ſunt, aquis retrocedentibus. Multa porro loca in Bithynia atque Helleſponto, & in utraque Phrygia gravibus damnis affecta ſunt. Hæc clades ſatis diu per orbem terrarum graſſata eſt: non tamen tantâ vehementiâ perſeveravit, quanta cœperat: ſed paulatim minuebatur, donec penitùs deſiit.* Terribilis quoque motus non indignas obſervatu circumſtantias ſubjicit Marcellinus: *Plurimi urbis auguſtæ muri recenti adhùc ædificatione conſtructi, cum LVII. turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum ſuper ſeſe in ædificio poſita, ſtatuæque plurimæ, ſine ullius videlicet læſione collapſa ſunt. Plurimis nihilominus civitatibus collapſis, fames, & aërum peſtifer odor multa millia hominum jumentorumque delevit.* Tantus terror Conſtantinopolitanorum mentes occuparat, ut relictis ædibus ſub dio agentes, dies & noctes precibus & litaniis vacarent. Mirum dictu, mortalium nemo tanto motu extinctus eſt. Qua de cauſa publicæ ſupplicationes indictæ, quæ ad longam ætatem perdurarunt: *Anniverſaria memoria etiam hodie peragitur. Litaniarum in Trichonco VIII. Idus Novembris, pro clementi Dei in genus humanum patientia, cum in tantis minis cœleſtibus neminem tamen morti dederit.* Itaque bini teſtes Baronianam in Chronologiam, motum eum anno ſuperiori aſcribentem, Marcellinus Chronicumque Alexandrinum excitantur, qui in præſentem contulere. Quo tempore tremor ille per viſcera terræ currebat, aiunt puerum ad cœleſtia uſque loca raptum, Angelicum hymnum, quem & Proclo retulit, audiviſſe. Quæ traditio noſtris poſteà ponderibus examinabitur.

Evagr. l. 1. c. 18.

Chronic. Alex.

Error Baronii.

Attila in Daciam impetum facit.

II. Terræ motibus gravius malum acceſſit, *Attilâ* cruentiſſimi belli æſtus commovente, de quo Marcellinus: *Ingens bellum & priore majus per Attilam Regem noſtris inflictum, penè totam Europam, excisis invaſiſque civitatibus atque caſtellis corraſit.* Barbarorum Reges plurimi Hunnorum Principi militabant, *Andericus* Rex Gepidarum, *Walamir* Gothorum, Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi cum ſuis Regulis erant auxilio. Multis igitur Barbarorum copiis comitatus Attila conſtrictum gelu Danubium ſuperat. Magnoque in Dacia Ripenſi prælio commiſſo, *Arnegiſclus Magiſter Militiæ juxta Utum amnem ab Attila Rege, viriliter pugnans, plurimis hoſtium interemptis, occiſus eſt.* Deus tamen ad Romanos victoriam tranſtuliſſe videtur, cùm in Chronico Alex. legatur: *Ardaburio & Alypio Coſſ. Marcianopolis recepta eſt.* Hoccine anno componendæ paci legationem apud Attilam Priſcus obierit Hiſtoricus, an ſuperiore bello, nobis non liquet. Vim ſuam incendia belli poſuerunt, donec anno CCCCL, majore flammâ reviviſcerent.

Marcellin.

De Priſcillianiſtis Turibii Epiſtola, Pervincum ad Leonem mittit.

III. Rebus imperii illas Eccleſiæ ſubnectamus. Totis nervis Leo allaborabat, ut Manichæos in Eccleſia ſpecioſo Chriſtiani nomine latitantes expelleret. Literaſque ea de re in Hiſpanias miſerat. Priſcillianiſtas perſtringebant hæ literæ, *partem Manichæorum de turpitudine.* Ad viſitandas Hiſpaniarum Eccleſias longam *Turibius* Aſturicenſis Epiſcopus peregrinationem ſuſceperat. Ut in patriam reverſus eſt, quos extinctos putabat errores, germinaſſe reperit, quam rem *Idacio*, *Ceponioque* Epiſcopis gravi Epiſtola queritur, à Baronio tota ſuos in Annales relata. Ea fuere Priſcillianiſtarum venena, qui corruptiſſimo judicio libris Canonicis apocryphos anteponebant. Turibii verba hæc etiam atque etiam ſunt obſervanda: *Illud autem ſpecialiter in illis Actibus, qui S. Thomæ dicuntur, præ cæteris notandum, atque execrandum eſt, quòd dicit, eum non baptizare per aquam, ſicut habet Dominica prædicatio, atque traditio, ſed per oleum ſolum, quod quidem iſti noſtri non recipiunt, ſed & Manichæi ſequuntur, quæ hæreſis iiſdem libris utitur, & eadem dogmata & his deteriora ſectatur. Ita execrabilis univerſis per omnes terras ad primam profeſſionis ſuæ confeſſionem, nec diſcuſſa, damnetur oportet, per cujus Autores, vel per maximum Principem Manem, ac diſcipulos ejus libros omnes apocryphos, vel compoſitos, vel infectos eſſe manifeſtum eſt. Specialiter autem Actus illos, qui vocantur S. Andreæ, vel illos, qui dicuntur S. Joannis, quos ſacrilego Leucius ore conſcripſit, vel illos, qui dicuntur S. Thomæ, & his ſimilia, ex quibus Manichæi, & Priſcillianiſtæ, vel quæcunque illis eſt ſecta germana, omnem hæreſim ſuam confirmare nituntur, & maximè ex blaſphemiſſimo illo libro, qui vocatur Memoria Apoſtolorum, in quo ad magnam perverſitatis ſuæ autoritatem doctrinam Domini mentiuntur, qui totam deſtruit Legem Veteris Teſtamenti.* Quorum errorum ad exſtirpationem Hiſpaniarum Epiſcopos hortatur. Neque hiſce monitis contentus, ad Leonem Epiſtolas miſit, quas *Pervincus* attulit, Turibii Diaconus, cujus nomen ignoratum Baronio, nos Idacius docuit. Periere tam Epiſtola, quàm Commonitorium Turibii, de quibus mentio eſt Leonis in Epiſtola: *Epiſtola ſermo & Commonitorii ſeries, & Libelli tui textus demonſtrant, Priſcillianiſtarum fœtidiſſimam apud vos recaluiſſe ſentinam.*

Bar. Ann. 447. n. 6.

 IV.

Leonis de Priſcillianiſtis ad Turibium Epiſtola.

IV. Rogatus ut adverſus nefandum errorem *Leo* auxilii aliquid afferret, graviſſimam Turibio Epiſtolam direxit, XVII. capitibus conſtantem, quorum ſumma hæc eſt. I. Contra Priſcillianiſtas, qui Sanctam Trinitatem non perſonis, ſed tantùm nominibus diſtingunt. II. Adverſus id, quòd Dei Filium poſteriorem credunt quàm Patrem. III. Adverſus id, quòd dicunt, ideò unigenitum dici Chriſtum, quia ſolus de Virgine natus eſt. IV. De Natali Domini, quòd in eo Priſcillianiſtæ jejunia celebrent. V. Adverſus id, quòd aiunt, animam hominis ex divina eſſe ſubſtantia. VI. Contra id, quòd aiunt; Diabolum ex ſe, vel ex Chao eſſe, & propriam habere naturam. VII. Contra illud, quòd nuptias & procreationes filiorum aſtruant eſſe peccatum. VIII. Contra id, quòd corpora humana Diaboli dicunt eſſe figmenta, & à Dæmonibus in utero formari. IX. Contra id, quòd filios repromiſſionis ex Spiritu Sancto dicunt eſſe conceptos. X. Quòd animas in Cœleſtibus peccare dicunt, & ſecundum qualitatem peccati in hoc mundo accipere ſortem, vel bonam, vel malam. XI. Contra id, quòd fatalibus ſtellis dicunt animas hominum obligatas. XII. Contra id, quòd ſub aliis poteſtatibus partes animæ, ſub aliis corporis membra deſcribunt. XIII. & XIV Contra id, quòd duodecim ſigna, quæ Mathematici obſervant, per corpus omne diſtinguant. XV. De Apocryphis eorumdem Priſcillianorum. XVI. De libro Dictynii. XVII. Docet, Chriſti carnem verè mortuam reſurrexiſſe.

Galliciæ adverſus Priſcillianiſtas Synodus.

Leo Ep. 94. c. 17.

V. Quò magis Priſcillianiſtarum errores evellerentur, Synodum in Hiſpania generalem Leoni cogi placuit: *Dedimus literas ad fratres, & Coëpiſcopos noſtras Terraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſollicitudinem pertinebit, ut noſtræ ordinationis autoritas ad prædictarum Provinciarum Epiſcopos deferatur. Si autem aliquid, quod abſit, obſtiterit, quominus poſſit celebrari Concilium Gallicia, ſaltem in uno conveniant Sacerdotes, quibus congregatis, fratres noſtri Idacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quò citius vel Provinciali Conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Pervinco ferenda ad Turibium Epiſtola traditur:

Idac. Chron.

Leonis ſcripta per Epiſcopi Turibii Diaconem Pervincum contra Priſcillianiſtas ad Hiſpanenſes Epiſcopos deferuntur. Inter quæ ad Epiſcopum Turibium de obſervatione Catholicæ fidei, & de hæreſeon blaſphemiis diſputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis ſubdolo probatur arbitrio. Leoni juſſis Hiſpani obtemperarunt, celebrato adverſus Priſcillianiſtas Concilio, de quo mentio eſt in Bracarenſi Synodo, anno tertio Regis Ariamiri, Dom. verò 563. Calendis Maji coacta:

Brac. Syn.

Ea tempore, quo in his regionibus nefandiſſima Priſcilliana ſecta venena ſerpebant, beatiſſ. Papa urbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor extitit, per Turibium Notarium Sedis ſuæ ad Synodum Gallicia contra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepta Tarraconenſes & Carthaginenſes Epiſcopi Luſitaniæ quoque & Bæticæ, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim, cum aliquibus Capitulis conſcribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt. Quærit Baronius, quamobrem Turibio, qui Aſturicanum Epiſcopum agebat, Notarii titulus à Bracarenſibus fuerit impoſitus? Ac eò inclinat, Turibium Apoſtolicæ Sedis Notarium vocari, *quòd curæ illi eſſet, quæ in Hiſpaniarum Eccleſiis gererentur, Romano Pontifici nota facere.* Quæ, ni fallamur animi, vocis hujus ſignificatio prorſus inſolens. Admirationem auget, quòd nobiliorem Epiſcopi titulum *Turibio* non addiderint. Itaque Bracarenſes vel memoriâ erraverunt, vel certè Leoni Notarius fuit, nomine Turibius, ab Epiſcopo diverſus.

Bar. An. 447. n. 12.

Pelagianos renaſcentes opprimit Leo.

VI. Tanta libido Pelagianos debellandi Leonem invaſerat, ut labori non parceret. Quam Marte non poterant, arte fidem proſternere conabantur fraudulenti homines. Photium audiamus: *Cùm temporis progreſſu ſecta hujus homines abſque hæreſis ſuæ abjuratione Eccleſiæ reſtituti eſſent, iterum malum ab illis principium ſumpſit. Verùm Septimius Epiſcopus renaſcentem luem antequam longius ſerperet, coërcuit, datis ad Leonem, Romanæ Eccleſiæ eo tempore Præfectum literis, qui fervente zelo contra impietatem illam pugnavit.* Extat inter Leoninas Epiſtolas una ad Septimium Altinum, in qua teſtatur, ſe ad Metropolitanum Provinciæ Venetiæ ſcripta direxiſſe, *quibus ad ſtatus ſui periculum cognoſceret pertinere, ſi quiſquam de Pelagianorum & Cœleſtianorum conſortio veniens, in communione Catholica ſine profeſſione legitima ſatisfactionis habeatur.* Cæterùm Epiſtolam nobis ſuſpectam eſſe non diſſimulamus, ob actam de *Metropolitano Provinciæ Venetiæ* mentionem. Ab ea ſaltem expungi debent verba hæc, quia Leonis ætate Metropolitanus Provinciæ Venetiæ nullus fuit. At in Epiſtola ad Nicetam Aquileenſem, quæ eſt LXXXVI. de Septimii Epiſcopi literis mentio eſt: *Relatione ſancti fratris & Coëpiſcopi noſtri Septimii, quæ in ſubditis habetur, agnovimus quoſdam Preſbyteros, Diacones, ac diverſi ordinis Clericos, quos Pelagiana, ſive Cœleſtiana hæreſis habuerit implicatos, ita in veſtra Provincia ad communionem Catholicam perveniſſe, ut nulla ab eis damnatio propriis exigeretur erroris.* Cui malo perſanando Leo jubet, ut congregatâ Synodo Sacerdotum, Clerici omnes de Pelagianorum ſecta *damnent apertis profeſſionibus ſuis ſuperbi erroris autores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur.* Photio haud incognita fuit ea Leonis Epiſtola, de qua hæc habet: *Scripſit Leo Rom. Pont. de Pelagianiſtis converſis, oportere ſi jam redeuntes recipi velint, ſcriptis tabulis errorem ſuum deteſtari.* Hinc patet, Baronium in errore verſari, ſcribentem, *Hæc S. Leonis Papæ ſcripta deſiderantur.* Extant adhùc quidem in ſua ad Nicetam Aquileenſem Epiſtola, &, ut compluribus placet, in Epiſtola ad Septimium Altinum. Debellandis Pelagianis operæ non minimum à Proſpero eſt collocatum, quod nec Photium latuit: *Poſt non diu rurſum veluti exiſtere atque enaſci è mala radice impudenter cùm cœpiſſet, Romæ etiam quidam pro hæreſi liberè locuti ſunt, quos Proſper, homo ſanè divinus, Libellis adverſus eos in vulgus editis, facilè diſſipavit, extinxitque, Leone etiamnum Romanam Sedem gubernante.*

Leo Ep. 85.

Leo Ep. 86.

Phot. Bib. c. 53. p. 43.

Bar. An. 444. n. 8.

Baptiſmi celebrationem Paſchæ & Pentecoſtes feriis Leo Siculis imperat.

VII. Non Hiſpaniæ modò, ſed Siciliæ quoque Epiſcopos Leo conſiliis ad Romanam diſciplinam ſuis inſtruxit: *Baptiſmi Sacramentum numeroſius in die Epiphaniæ, quam Paſchali tempore celebrabant.* Id Leonem commovit, quaſi ordinis legitimi perturbatio eſſet, atque confuſio, cùm non minimum diſcriminis ſit *inter dum,*

ANNO DOM. 447.

quo adoratus eſt Chriſtus à Magis, & diem, quo reſurrexit à mortuis. Sancit ergo, regenerandis hominibus illud tempus electum eſſe, in quo per ſimilitudinem, formamque myſterii ea, quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo ſunt capite geſta, congruerent. Subjungit, Petrum die Pentecoſtes baptiſmum pœnitentibus Judæis impertiviſſe. Duo itaque hæc tempora, Paſcha nimirum, & Pentecoſten à Romanis Pontificibus ad Baptiſmum eſſe conſtituta, niſi imminente vel morte, vel perſecutione, quo caſu ſalutare quidem ſacramenti remedium nemini eſt denegandum. Denique jubet, ut de Sicilia ſemper annis ſingulis tres de Epiſcopis ad diem tertium Calendarum Octobrium, fraterno Concilio ſociandi occurrant. Data eſt Epiſtola XII. Calend. Nov. Alipio & Ardabure viris clariſſ. Coſſ. De ea quæſtione legatur & Epiſtola 80.

Leo Ep. 4.

Nùm Paſchæ Pentecoſteſque feriis Apoſtoli baptiſmum alligarint?

VIII. Cæterùm cùm & Siculorum in diſciplinam fuerint Leonis aculei, & bonus ille Pontifex de miniſtrando Paſchæ Pentecoſteſque feriis baptiſmo conſuetudinem ex *Apoſtolica autoritate* deduxerit, liceat nobis in ea quæſtione paululum immorari. Antiquiſſimam diſciplinam eam eſſe, cujus obſervationem urget Leo, nobis eſt exploratiſſimum. Celeberrima ſunt verba Tertulliani: *Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cùm & paſſio Domini, in qua tingimur, adimpleta eſt. Nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quòd cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis diſcipulis ad præparandum, Invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem, Paſcha celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt.* Non inficiamur, id conſuetudinis plurimas Chriſtiani orbis regiones pervaſiſſe. Hinc Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſes Quadrageſimæ temporibus habitæ, quibus ad baptiſma ſuſcipiendum Catechumeni inſtituebantur. Hinc Hieronymus adverſus errores Joannis Hieroſolymitani: *Nos ſcindimus Eccleſiam, qui ante paucos menſes, circa dies Pentecoſtes cùm obſcurato Sole omnis mundus jamjamque venturum Judicem formidaret, quadraginta diverſæ ætatis & ſexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos . . . An non tu potius ſcindis Eccleſiam, qui præcepiſti Bethlehem Presbyteris tuis, ne Competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent?* Hinc Chryſoſtomus in Geneſim Homiliâ XXXII. eorum meminit, qui Paſchalibus feriis *baptiſmi gratiam* acceperunt. Hinc Auguſtinus libro de Cura pro mortuis, c. 12. *Venit Paſcha, dedit nomen inter alios Competentes.* Neque ullum latent Siricii ad Himerium, Leonis ad Siculos, Gelaſii ad Campaniæ Epiſcopos literæ, quibus Paſchatis & Pentecoſtes feſtivitati baptiſmus alligabatur. Itaque in Presbyteros, qui alio tempore baptiſmum miniſtrabant, pœna à Patribus fuit Agathenſibus conſtituta, c. 18. *Non licet abſque Paſchæ ſolemnitate ullo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, & quicumque Presbyter ipſos extra noſtrum permiſſum recipere præſumpſerit, tribus menſibus à communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.* Genitores verò, qui *poſt interdictum* hoc infantes ſuos ad Eccleſias baptizandos deferebant, non recipiebantur *uſque ad ſatisfactionem.* Ea quoque ceremonia Germaniam opplevit, teſte Triburienſis Synodi Canone XII. adeò tot ſibi populos Romanorum Præſulum autoritas ſubjecerat, ne propriis antiquiſque ritibus ſuis Eccleſiæ uterentur. Inſpiciatur etiam & Canon IV. Gerundenſis, & Matiſconenſis ſecundi c. 3. Ac in Theſſalonicenſium medullis & viſceribus adeò hærebat Paſchalis ille baptiſmus, ut ne vel mortalium imminente obitu, ab eo ſe ritu deflecti paterentur. Teſtis Socrates: *Aliam quoque conſuetudinem in Theſſalia vidi. Solis diebus Paſchæ illic baptizant; ex quo fit, ut plerique apud illos abſque baptiſmo moriantur.* Neque, ſi Paſchaſino fides, defuere miracula, quæ baptiſmi Paſchalis conſuetudinem firmarent: *Nocte ſacroſanctâ Paſchali baptizandi horâ, cùm nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omninò vicina, fons ex ſe repletur, paucisque qui fuerint conſecratis, cum deductorium nullum habeat, ut venerat aqua ex ſeſe diſcedit.* Ac decentiam, venuſtatem, atque ordinem in eo ritu oculi patronorum ipſius invenere. Quæ Leonis ratio fuit: *Dum in Baptiſmatio regula & mors intervenit, interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio; & ab aquis elevatio reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro. Ipſa igitur operis qualitas docet, celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt & virtus muneris, & ſpecies actionis.* Commentus & argumenta eſt aliquid Aquinas, quod antiquo ritui foret præſidio. Baptiſmum, inquit, differre uſque ad aliquod tempus *neceſſarium eſt, ad quandam reverentiam ſacramenti, dum in ſolemnitatibus præcipuis, ſcilicet Paſcha & Pentecoſtes, homines ad baptiſmum admittuntur, & ita devotius ſacramentum ſuſcipiunt.*

Tertull. de Bapt. c. 19.

Hieron. Ep. 61. n. 16.

ANNO DOM. 447.

Socr. l. 5. c. 22.

Leo Ep. 4. c. 3.

Thom. Sum. Q. 68. a. 3.

Paſchæ Pentecoſteſque feriis baptiſmus non fuit ab Apoſtolis affixus.

IX. Verùm enimverò hæc tanti non ſunt, ut ex Apoſtolica traditione ritum manaſſe putemus illum, qui clavis veluti trabalibus baptiſmi extra mortis periculum adminiſtrationem Paſchatis Pentecoſteſque feriis affigebat. Ac primùm Catechumenos, nullâ earum ſolemnitatum ratione habitâ ab Apoſtolis baptiſmum conſecutos eſſe, ex Scriptura liquet, utpote qui poſt editam ſuæ fidei profeſſionem ſubinde abluebantur. Exempla ſunt in Scriptura plurima. Sic Eunuchus Candaces, Cornelius Centurio, Simon Magus, Commentarienſis, Lydia, aliique complures extemplò baptizati, nullâ morâ ſacramentum inter & Chriſti confeſſionem interpoſitâ. Solemnia baptiſmi ſuſe ſatis expoſuit Juſtinus ille Martyr, qui feſtivitatum nil meminit. Quòd ſi quiſpiam poſt elapſos Pentecoſtes dies fidem mox adjunxiſſet Evangelio, ad uſque Paſcha proximè futurum ſacramentum dilatum eſſe, non innuit Juſtinus, imò contrarium potius innuit. Editâ fide ſuâ, orare, jejunare docentur, *deinde adducuntur ubi aqua eſt.* Neque Tertullianus Paſchatis Pentecoſteſque baptiſmum inſtitutioni Apoſtolicæ vindicat, congruentius utique laudandæ, quàm quæ allata eſt, ratiunculâ ex homine petitâ, aquam bajulante, dum Paſcha celebrandum fuit. Imò ceremoniæ neceſſitatem, quæ poſtmodum invaluit, & à Pontificibus Rom. quàm maximè urgetur, prorſus elidit: *Cæterùm omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile baptiſmo; ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nil refert.* De moribundis quidem Septimius non mentionem egit. Leoninæ verò diſciplinæ miniſtrando baptiſmo non omne tempus habile, quæ extra neceſſitatem, *hæc duo tempora*, Paſcha ſcilicet, & Pentecoſten *eſſe legitima* ſanciebat, *ut nullos alios dies*, inquit, *huic obſervantiæ miſceatis.* Profectò hæc inter ſe maximè pugnant, quòd *omne tempus baptiſmo habile ſit*, & duo duntaxat, Paſchæ ſcilicet,

Juſt. Apol. 2. 93.

Tert. de Bapt. c. 19.

ſcilicet, & Pentecoſtes tempora legitima ſint. Non ſunt illi dies ſacramento habiles, qui ſunt illegitimi. Illud & memoriâ recondendum, quod ætate Tertulliani totum illud ſpatium, quod à Paſchate ad Pentecoſten uſque currebat, baptiſmo dicebatur, ut ex ejus verbis exploratum eſt: *Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt.* Si Pentecoſte diem illum Dominicum duntaxat ſignificaſſet, qui à reſurrectione quinquageſimus numeratur, latiſſimum ſanè ſpatium dici non poſſet. Nùm Dominica Pentecoſtes eâ Paſchatis latior? Præterea graviſſimus ille Theologus Nazianzenus cenſet, omnia tempus habere, excepto baptiſmo:

Naz. Or. 40. p. 646.

At verò, inquit, *ſalutis tuæ negotium ſemper, atque omne tempus ad Baptiſmi ſuſceptionem tibi certum & definitum eſſe exiſtima.* Siccine Siricius, Leo, Gelaſius? Neque illud prætereundem, quod eadem in oratione legimus de baptiſmi cunctatoribus:

Naz. Or. 40. p. 654.

Hoc & illud cauſaris, atque excuſas excuſationes in peccatis. Luminum diem expecto, Paſchatis feſtum pluris facio, Pentecoſten expectabo. Cum Chriſto baptizari præſtat, cum Chriſto in reſurrectionis die ad vitam redire, Spiritus adventum honorare. Quo inſigni loco luce meridianâ clarius eſt, tria Græcis ſolemnia fuiſſe baptiſmi tempora, Epiphaniæ ſcilicet, Paſchatis, Pentecoſteſque diem. Ut & hîc Apoſtolica Leonis traditio, ſolemnitatem baptiſmi duobus duntaxat feſtivitatibus addicentis, evaneſcat prorſus, atque diffluat. Sed & ex Gregorii teſtimonio apparet & promptum eſt, eum à Pontificum Romanorum abhorrere ſententia, cùm optimus ille Pater ſibi in mentem induxerit, ne vel ad tria ſolemnia tempora baptiſmum eſſe differendum, ſed ſtatim ſuſcipiendum, veluti clypeum, qui igneis Dæmonum telis foret objiciendus, à qua mente prorſus alienus extitiſſet, ſi ſolos dies Paſchatis & Pentecoſtes ab Apoſtolis baptiſmo dicatos eſſe, perſuaſum habuiſſet. Neque Latinarum Eccleſiarum pluribus de ea Apoſtolorum inſtitutione quidquam ſuboluit, à qua ſanè non receſſiſſent, ut aliis feſtivitatibus baptiſmum miniſtrarent, quod tamen fecere. Prodeant in primis Eccleſiæ Siciliæ, quæ aculeatæ Leonis Epiſtolæ anſam præbuere. Epiſcopo autem Siciliæ univerſos ſic alloquitur:

Leo Ep. 4. c. 1.

Cùm mihi de charitatis veſtræ actibus fraternâ affectione ſollicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter Sacramenta Eccleſiæ principale eſt, ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita ut baptiſmi ſacramentum numeroſius in die Epiphaniæ, quàm Paſchali tempore celebretis. In ipſa vel Italia Epiſcopi per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtituti, ſeſe neceſſitati eximebant, ſacramenti diebus duntaxat Paſchatis & Pentecoſtes celebrandi. Quorum conſuetudinem ſic perſtringit Leo:

Leo Ep. 80.

Audent non aliquâ humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſolâ indiſciplinati arbitrii libertate jus baptiſmatis vindicare & in Natalibus Martyrum. In Africa quoque Epiphaniorum diebus baptiſma celebratum eſſe, docuit nos Victor Vitenſis, qui nocte proximâ cæco viſum contigiſſe refert: Vade ad Eugenium,

Vict. de Perſ. Vand. l. 2. p. 683.

& illâ horâ, quâ benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur. In Eccleſia quoque Hieroſolymitana extra Paſchatis Pentecoſteſque ferias baptiſmum celebratum eſſe, docet Sozomenus l. 2. c. 25. die ſcilicet Encæniorum Templi Hieroſolymitani: *Ex eo tempore ſolemnem quotannis feſtivitatem Hieroſolymitana celebrat Eccleſia, adeò ut Baptiſmi ſacramenta eo die tradantur.* In Hiſpania conſtat & Natali, & feſtivitatibus Apoſtolorum diſpenſatum eſſe baptiſmum. Quem Siritius morem vult abrogari in ſua ad Himerium Epiſtola, c. 2. *Solâ temeritate præſumitur, ut paſſim, & liberè Natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis, & Apoſtolorum, ſeu Martyrum feſtivitatibus innumeræ, ut aſſeris, plebes Baptiſmi myſterium conſequantur.* In Gallia quoque ea vel invitis Pontificum Romanorum diſciplina Reſcriptis obtinebat, ut Natali die Catechumeni ſacris undis abluerentur. Quò ſanè tempore Chlodovæus Rex Fidelibus aſcriptus eſt, ut ex Alcimi Aviti Epiſtola ad Clodovæum conſtat, quæ XLI. numero eſt: Chlodovæi *ſplendorem congruè nativitas Domini inchoavit, ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ Cœli Dominum mundus accepit.* Hibernica de ſolemni baptiſmi diſciplina ab illa Leonis & diſcrepabat. Canon XIX. Synodi ſecundæ Sancti Patricii:

Lab. Conc. t. 3. 1484.

Octavo die Catechumeni ſunt, poſteà ſolemnitatibus Domini baptizantur: id eſt, Paſcha & Pentecoſte, & Epiphania. Diu in Galliis mos ille viguit, ut Martyrum Natalibus miniſtraretur. Quam anno 585. conſuetudinem Synodus Matiſconenſis II. abrogatum ivit c. 3. *Relatione quorumdam fratrum comperimus Chriſtianos non obſervantes legitimum diem Baptiſmi, ne per ſingulos dies, ac Natales Martyrum filios ſuos baptizare, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in S. Paſcha, qui per aquam & Spiritum S. regenerentur.* Præcipiunt ergo, ut in Quadrageſima infantes *ſacri olei liquore peruncti*, die Paſchatis baptiſmum adipiſcantur. Qui eo feſto non abluebantur ad Eccleſiaſtica munera non promovebantur, ut ex verbis laudati Canonis colligitur: *Quo poſſint & honoribus, ſi vita comes fuerit, ſacerdotalibus fungi, & ſingularis celebrationis ſolemnitate frui.* Lapſu temporis tandem Eccleſia à ſervitute temporum ſeſe in libertatem aſſeruit, qua de re obſervatu digna ſunt verba Ruperti:

Rupert. de Div. Off. l. 4. c. 18.

Poſtquam Chriſtianitas crevit . . . quia periculoſum erat, tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maximè propter turbam infantum, ex Chriſtianis parentibus ſuccreſcentium, quorum tenera vita perſæpè levi occaſione ſucciditur, viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imò oblata cuncta antevenire pericula, Baptiſmi tamen ſolemnitatem vel in paucis cum Dominica reſurrectione, cui ſimilis eſt, celebrare. Ex Vaſquezio tamen diſcimus, *Romæ ad hæc uſque tempora mos ille perſeverat baptizandi aliquem numerum adultorum quotannis in Sabbato Sancto.*

Vaſq. t. 6. Diſp. 150. p. 361.

Baſſianus à Synodo Conſtantinopolitana Epiſcopatu Epheſino ejicitur: qua de cauſa? ei ſubſtituitur Stephanus.

X. Ad Leonem redeamus, qui hoc ipſo anno Baſſianum Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopum exauctoravit. Quod tamen non eſt ab uno Leone perpetratum, quaſi ſolus regnaret. In Baſſianum ſententiam quoque dixerunt cæteri orbis Chriſtiani Patriarchæ, teſte Stephano ipſius æmulo:

Syn. Chalc. Act. 11.

Expulſus eſt à Sanctis Patribus, & à ſanctiſſimo Regiæ civitatis Romæ Leone, & à beatiſſimo ſanctæ memoriæ Flaviano Conſtantinopolitanæ urbis & ab Alexandrino, & Antiocheno. Quæ verba invitant nos Baſſiani Hiſtoriam noſtros in Annales referre. A juvenili ætate Baſſianus pauperum curâ ſusceptâ, Ptochotrophium condiderat, in quo lectulis ſeptuaginta collocatis, ægrotos ulceribuſque ſcatentes exceptos, benignè fovebat. Quod cùm Memnonem, Epheſinum illum

An-

Anno Dom. 447.

Antiſtitem, qui Neſtorium damnarat, ad invidiam commoviſſet, Baſſianum ab omnibus dilectum ex ea civitate ejicere ſtatuit. Hoc ut honeſtius efficeret, Baſſianum *Evaſorum* Epiſcopum creari voluit. Reluctanti à tertia ad ſextam horam uſque coram altari plagæ imponuntur, ut vel ipſum altare ſanguine reſpergeretur. Quibus ita geſtis, nunquam eam civitatem Baſſianus ingreſſus eſt; nil etiam communionis cum Eccleſia coluit, cui violenter præfectus erat. Defuncto Memnoni Baſilius ſuffectus erat, qui convocatâ Provinciæ Synodo, haud ignarus eorum quæ Baſſianus paſſus erat, & ipſi tam communionem, quàm honorem Epiſcopatus reddidit, & alium Evaſenſibus Antiſtitem impoſuit. Ut vitâ dimiſſus Baſilius eſt, Clerus populuſque Epheſinus non ſine vi quadam Baſſianum in Epiſcopali Cathedra collocant, ſuffragantibus Epiſcopis. Quam Theodoſius ſibi notam, dato Commonitorio ratam ordinationem fecit: *Poſteà direxit ſacram per Euſtathium Silentiarium* firmando Epiſcopatui. Baſſianum quoque Conſtantinopoli verſantem, & benignè Princeps exceperat, & Proclo amicum reddiderat. Itaque cum eo, Epiſcopiſque omnibus, qui tum in urbe regia morabantur, communionem inierat. Quin etiam *Proclus* Synodicam civitati Epheſinæ Epiſcopis, Cleriſque Epiſtolam direxit, quâ pro legitimo Epiſcopo Baſſianus habebatur. In eo ſtatu pacatè quadriennio manens, decem Epiſcopos, Cleriſcoſque non paucos ordinarat. Conſtantinopoli currente anno conventus Epiſcoporum agebatur, cùm Imperatoris afferuntur Epiſtolæ Eccleſiæ pacem gratulantes, quibus lectis omnes in Dei laudes erupere, quòd ſervandæ paci Principes invigilarent. Hoc tranquillitatis tempus fœda tempeſtas excepit: *Craſtinâ die*, inquit Baſſianus, *Miſſas celebravimus omnes ſimul, & poſt Miſſas manus injicientes incluſerunt me, & cum vi abripuerunt pallium Sacerdotii, & omnia bona mea, & ſumentes unum ex ipſis, Stephanum fecerunt eum Epiſcopum.* Tribus totis menſibus incluſus Baſſianus permanſit: neque quæſitam ſibi aquam præbuerunt. Caſſianum quoque unum de Baſſiani Presbyteris in baptiſterium introductum, porrectis Evangeliis ad jurandum adigunt Memnius atque Stephanus, ut ipſorum communioni jungeretur. Quem & multis vulneribus opertum, ſemi-mortuum reduxere domum. Qui ne pejeraret, quadriennio errans, in urbe regia victum ſibi mendicavit. Cur verò Baſſiano Epiſcopatus abdicatus, cauſa hæc fuit. Non ſatis legitima videbatur ipſius electio. In Eccleſiam ingreſſus fuerat *cum gladiis & arenariis*, & ſic in throno Epheſino collocatus fuerat. Neque conſecratio ejus ad regulas Eccleſiæ magis quadrabat. *Olympius* Theodoſiopolis Epiſcopus, Cleri Epheſini literis acceritus in hanc ſe urbem contulerat, ut defuncto Baſilio ſucceſſor conſtitueretur. Poſt triduum ſuo in hoſpitio adventum expectabat Epiſcoporum, qui creando Metropolitano requirebantur. Nemine veniente, ecce *Holoſericus* quidam, plebe multâ comitatus, ad Olympium in hoſpitio agentem, nudo gladio acceſſit; abreptumque eum portant in Eccleſiam: *Et ita*, inquit, *cum ducentis & trecentis hominibus, & me, & ipſum levarunt ad ſedem, & ſic inthronizatio celebrata eſt.* Sed & iniquitatis Baſſianus poſtulabatur: *Miſit ſancta memoria Imperator Theodoſius Euſtathium Primicerium Silentiariorum, ut cognoſceret inter eum, & Clerum, & pauperes; qui ab eo injuſtitiam fuerant paſſi.* Epheſum profectus Euſtathius, tres menſes in cognoſcenda cauſa conſumpſit. His de cauſis Leo ſcripta Epiſtola, Baſſianum Epiſcopatu movit, eum quoque damnant Dioſcorus Alexandrinus, Domnus Antiochenus. Quibus cognitis, Synodus Epiſcopatu Baſſianum ejicit, cui Stephanus ſubſtituitur. Neque ſucceſſoris magis quàm deceſſoris ordinatio legitima. Quatuor annis cum Baſſiano Euchariſtiam Stephanus celebrarat, & ipſâ die, quâ Baſſianus incluſus eſt, cum eo communicaverat. Ac mox dum vi raptus detinetur Baſſianus, ab ipſis, quos ordinaverat Epiſcopis, Stephanus conſecratur. Currente anno & Baſſiani abdicationem, & Stephani creationem contigiſſe, his monemur: *Hodie quatuor anni ſunt, & Romanus Epiſcopus eum depoſuit*, quæ à Stephano Chalcedonenſi in Synodo ſunt pronuntiata. Magnæ hæ lites à Patribus Chalcedonenſibus compoſitæ ſunt, ut videbimus.

Anno Dom. 447.

Syn. Chalc. Act. 11.

Nùm raptus ad cœlum puer ex eo Triſagium attulerit?

XI. In horrendo terræ motu, quo urbs Regia hoc anno concuſſa fuit, inſigne quidem miraculum contigiſſe traditur, quod cùm ad res Eccleſiæ præcipuè pertineat, huic loco à nobis eſt reſervatum. Rem exequatur Damaſcenus, qui anno DCCXXX. floruit: *Cum Conſtantinopoli ſupplicationes faceret populus, ob minas quaſdam divinitùs ſub Proclo Archiepiſcopo factas, aiunt raptum fuiſſe puerum è populo, & ſic didiciſſe Angelico quodam magiſterio, triſagium Hymnum, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis. Et mox reddita puero, quod edoctus fuerat annunciante, omnem multitudinem cantaſſe hymnum, & hoc pacto minas reſediſſe.* Miraculi iterum meminit in ſua ad Jornandem Archimandritam de Triſagio Epiſtola, p. 508. Damaſceno antiquior Felix Papa III. ad Petrum Gnapheum: *Denique cùm terræ motu Conſtantinopolis quateretur, infantulus toto populo ſpectante cum Proclo civitatis Epiſcopo, in cœlum per unam horam raptus eſt, ibique hujuſmodi didicit hymnum.* Prodigium fuſius narrat Nicephorus pro conditione traditionum ejuſmodi, quæ vires acquirunt eundo. Scilicet ubi pueri cœlo reducis de Hymno Angelico narrationem audivit Proclus, *ſtatim ad eum modum populum pſallere juſſit, & terræ motus ſtatim etiam conſtitit, omninòque quievit. Imperator verò Theodoſius, & in fœminis admiratione omnium digna Pulcheria, tanto miraculo perculſi, conſtitutione Imperiali confeſtim, ut per orbem omnem Hymnus divinus iſte concineretur decreverunt. Puer eorum verborum myſterium executus, ſtatim vitâ functus eſt, & in magna Eccleſia, quæ Pacis nomen obtinet, conditus. Locus autem, in quo ille in ſublime actus eſt, poſteà ὑψωμάβολον, id eſt, divina exaltatio vocatus eſt.* Traditionem hanc ambabus ulnis Baronius amplectitur, cui etiam ex complurium Autorum teſtimonio præſidium quærit. Quod magis miramur, Valeſius, qui Baronio naris fuit longè emunctioris, fabulæ etiam fidem adjungit ſuis in Evagrium Annotationibus, p. 99. Nos verò illum pueri raptum, Hymnumque Angelicum, quem puer audierat, Proclo ſignificatum, vetularum commentis apponimus. Primùm omnium traditio hæc Chronologiæ pugnat. Etenim anno Procli poſt obitum uno horrendus ille motus exortus eſt. Proclua

Damaſc. Orth Fid. l. 3. c. 10.

Fel. Ep. v.

Niceph. l. 14. c. 46.

Anno Dom. 447.

clus enim vitâ dimittitur anno cccccxlvi. motus verò Conſtantinopolim inceſſit anno ccccxlvii. Quo argumento ne Baronius obrueretur, Marcellinum teſtem adducit, prædicantem, quòd ingens ea terræ agitatio atque ſucceſſio anno ccccxlvi. contigerit, Proclo adhùc agente inter homines. Atqui & decipit illuſtriſſimus Purpuratus, & decipitur. Marcellinus enim, Faſti que Græci motum illum cum anno ccccxlvii. copulant, quo tempore Proclus non amplius vitâ fruebatur, teſte vel utriuſque Nicephori, atque Menæorum Chronologia. Deinde tam celebre, tam perpetuâ mortalium memoriâ dignum miraculum datumne oblivioni fuiſſet Evagrio, Marcellino, Chronico Alex. à quibus tot horrendæ agitationis circumſtantiæ literis proditæ ſunt? Silentione præteriiſſent cantatiſſimum prodigium, nempe puerum divinâ vi quâdam ad cœlum uſque raptum, Hymnum Angelicum didiciſſe? Eo magis miraculi Chronicum Alex. meminiſſe debuit, quòd *Litaniarum in Tribunco* viii. *Idus Novembris* cantatarum mentionem egerit, quòd in tantis minis cœleſtibus nemo tamen morti miſſus ſit. 3°. Non eo impudentiæ progredi potuiſſet Petrus Fullo, Antiochenus Epiſcopus, ut Triſagio additum vellet, *crucifixus pro nobis*, ſi famâ conſtantiſſimâ notiſſimâque puerilis ille raptus ubique locorum deportabatur. Hoc præcipuè urget Damaſcenus coarguendæ hominis hujus temeritati: *Ridiculum eſt, & verorà ludibrium, Hymnum per Angelos edoctum, & inductarum minarum ceſſatione creditum, & tot Sanctorum Patrum concordiâ roboratum, Gnaphei irrationabili opinione, quaſi conculcatum iri, & demum corrigi, tanquam ipſe Seraphim ſuperexcedat.* Quòd ergo Gnapheus tremori Conſtantinopolitano coævus, Triſagium interpolare, & veluti denuò figere voluerit, certiſſimum indicium eſt, de puero in cœlum rapto nondum emerſiſſe fabulam. Ad commenta quoque relegetur Theodoſii Decretum, ut Hymnus ille divinus ubique locorum cantaretur, unde novum exurgit argumentum. Ipſa enim ratio connexi, ſi concedatur miraculum, cogit & Theodoſii Reſcriptum concedere. Jam verò de divino hymno cantando nullum extat Veterum in memoria veſtigium: nullum in Codice, nullum in Evagrio, nullum in Marcellino: ut facillimè nobis liceat, cum Lege Theodoſii ſubditum miraculum, per jocum irridere. Denique nil cœleſti raptu opus erat, ut Hymnus ejuſmodi conderetur: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, miſerere noſtri.* Sufficiebat animus Sacræ Scripturæ peritus, in qua voces illæ omnes diviſæ reperiuntur, quibus colligendis pius quivis erat idoneus. In iis verò, quæ indubitata ſunt, illud invenimus, quod abſque neceſſitate non ſint fingenda miracula. Cæterùm ſub finem primæ Actionis Legis Theodoſianæ Chalcedonenſis id Triſagii ab Orientis Epiſcopis pronunciatum reperitur. Neque antiquioribus in monumentis fortè deprehenditur. Unde hanc facimus conjecturam, Triſagium ex Antiochena potius quàm Conſtantinopolitana civitate originem accepiſſe.

Damaſc. Orth. Fid. l. 3. c. 10.

Anno U. C. 1201. Per. Jul. 5161. Jul. 493. Dom. 448. Theodos. 47. & 41. Valentin. 23. & 24. *Sol.* 9. D C. *Lun.* 12. *Indict.* 1. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 4. & 5. *P.* 11. *April.*

Anno Dom. 448.

Coss. *Zeno & Poſtumianus.*

I. Rechila Suevorum Rex, qui multis clarus prœliis Bæticam & Carthaginenſem Provincias in poteſtatem redegerat ſuam, fato fungitur, relicto filio Rechiario, regni quidem ſui ſucceſſore, non verò religionis, quam ſuſcepto Chriſtianiſmo Ethnicam repudiavit, ut nos docuit Idacius: *Rechila Rex Suevorum Emerita Gentilis moritur, menſe Auguſto, cui mox filius ſuus Catholicus Rechiarius ſuccedit in regnum: nonnullis quidem ſibi de gente ſua æmulis, ſed latenter, obtento tamen regno, ſine mora ulteriores regiones invadit ad prædam.* Gloria hæc Chriſti fuit, quòd ad ipſius genua Barbari abdicatâ ſuperſtitione caderent, quanquam Suevorum Princeps perfunctoriè ſatis divinæ religionis munus conficeret, quæ quam extinguere debuiſſet, vaſtam ambitionem non abolevit. Itaque tandem amiſſâ libertate in cuſtodiam redactus, Suevorum in Hiſpania regno finem impoſuit, ut ſuo tempore obſervabitur.

Rechilæ Suevorum Regi ſuccedit Rechiarius.

Idat. Chron.

II. Ab imperio defecerant Aremorici, quorum inſolentiâ motus Ætius, Alamannorum operâ utitur ad contundendam ſuperbæ regionis inſolentiam. *Eocharich* ergo ferociſſimo Alamannorum Regi vaſtanda loca permiſit, progrediebatur cum equitatu Barbarus, cum Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus legatione ſuſceptâ occurrit eunti. Quid ab Eocharich impetrarit, Conſtantii verbis exponamus: *Armato Duci inter ſuorum catervas opponitur, medioque interprete primum precem ſupplicem fundit, deinde increpat differentem, ad extremum manu injectâ frænum habenas invadit, atque in eo loco univerſum ſiſtit exercitum. Ad hæc Rex ferociſſimus admirationem pro iracundia, Deo imperante, concepit. Stupet conſtantiam, veneratur reverentiam, auctoritatis pertinaciâ permovetur. . . . Ad ſtationem quietam Rex exercituſque ſe recepit. Petit ſecuritatem fideliſſimam pollicetur, eâ conditione, ut venia, quam ipſe præſtiterat, ab Imperatore, vel ab Ætio peteretur. Intereà per interceſſionem, & meritum Sacerdotis Rex compreſſus eſt, exercitus revocatus, Provincia à vaſtationibus abſoluta.* Pollicitus erat Germanus, ſe apud Valentinianum Auguſtum legationem obiturum, ut conditionum confirmationem ab eo impetraret. Suæ promiſſionis muneri conficiendo Ravennam petit. Aremoriciſque veniam & ſecuritatem obtinuiſſet, *niſi titubationis perfidia mobilem & indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam convocaſſet.* Fuere hæc ultima in terris egregia Germani facinora, qui obitâ legatione in urbe Ravennenſi cœleſtibus additus eſt, ut mox narrabitur. Atque hîc noſtra Chronologia multum à Baroniana diſſidet, quæ Germani mortem cum anno Dom. ccccxxxv. copulat. Quin falſa ſit illuſtriſſimi Purpurati ſententia, nulli dubitamus, cùm ex vita Hilarii liqueat, quo tempore ad Germanum Antiſiodorenſem Hilarius accedebat, Chelidonium Epiſcopum, variorum ſcelerum accuſatum, ab eo damnatum fuiſſe anno ccccxliv. Nondum ergo Germanus naturæ ſatisfecerat,

Aremoricæ rebellio: preces Germani pro reis.

cujus

ANNO DOM. 448.

cujus obitus anno CCCCXLVIII. eſt alligandus.

Irenæus Tyri Epiſcopus deponitur.

III. In res Eccleſiæ ſtylum delabi noſtrum permittamus. Neſtorii fautoribus infenſiſſimus Theodoſius, Decretum promulgat, quo Epiſcopi Clericive ſectæ hujus ea Sanctis Eccleſiis continuò pellantur, Laici verò anathematis vinculo conſtringantur, poteſtaſque cuivis Orthodoxo concedatur, hujuſmodi homines liberè citra ullam cujuſcunque detrimenti formidinem deferendi, publicèque redarguendi. Quæ Cyrilli Alexandrini expoſitioni haud conſentiebant ſcripta, comburi jubebantur. Præcipuè Imperatoris in indignationem incurrebat *Irenæus*, qui poſt ſecundas nuptias Tyriorum Epiſcopus creatus fuerat, is ejectus Epiſcopatu, in patrio ſolo privatam vitam agere permiſſus eſt. Libri quoque à Porphyrio contra Chriſtianam religionem editi quàm primùm incendi jubentur. Acceptum Reſcriptum Provinciarum Præſides palam proponunt. Signa tamen temporis nonnihil corrupta, quæ ſic reſtitui debent: *Lecta ſunt hæc in Eccleſia Solitariorum vigeſimâ tertiâ Pharmuthi, hoc eſt, Aprilis XXIII. Indictione primâ, anno Diocletiani centeſimo ſexageſimo quarto.* Æra hæc Diocletiani, quæ & Martyrum nuncupatur, anno CCLXXXIV. ab Auguſti menſis XXIX. initium duxerat, cui tempori ſi anni CLXIV. addantur, Dominicæ nobis Epochæ annus naſcitur *quadringenteſimus quadrageſimus octavus.* Irenæum Theodoritus ordinarat, virum magnarum virtutum, orthodoxæ fidei, nec refugientis B. Virgini Deiparæ nomen imponere, ut Domno ſignificavit. Non inficiabatur quidem, bigamum eſſe. Majorum verò exemplis in conſecratione hujuſmodi peragenda ſe uſum fuiſſe teſtatur: *Beata enim, & pia memoria Alexander, qui Apoſtolicam hanc Sedem rexit, cum beatiſſimo Acacio Beroenſi Epiſcopo, beatæ memoriæ Diogenem ordinavit bigamum exiſtentem; ſimiliter etiam beatus Praylius Domninum, Cæſareæ Epiſcopum bigamum. Conſuetudinem itaque ſecuti ſumus, & homines inſignes tum doctrinâ, tum vitâ celebres. Multa etiam alia hujuſmodi beatæ memoriæ Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus edoctus, & ipſe ordinationem ſuſcepit & laudavit.*

Lib. c. t. 3. 1216.

Theodorit. Ep. 110.

Eutyches ab Orientalibus accuſatur erroris.

IV. In abdicatione Irenæi non tam amor conſuetudinis, quæ ubique ferè locorum bigamos Epiſcopali dignitate pellebat, quàm ſcintillæ apparebant odii, quo Neſtorii adverſarii Diodorum Tarſenſem, Theodorumque Mopſueſtenum proſequebantur. Veroque proximum eſt, Theodoſium à Chryſaphio impulſum, Irenæum Epiſcopatu moviſſe. Applicarat vero ſeſe Chryſaphius ad Eutychetis Archimandritæ familiaritatem, arctâ cum Dioſcoro amicitiâ conjuncti, unamque agnoſcentis in Chriſto naturam. Anno ſuperiore, ſi *Victori* Tununenſi creditur, errori ſuo januam patefecerat: *Calypio & Ardabure Coſſ. Eutyches Presbyter Archimandrita, cujuſdam Monaſterii Conſtantinopolitani apparuit, qui ſui nominis hæreſim condidit.* Neque à vero abludit Chronologia, cùm hoc ipſo anno ab Orientalibus accuſatus fuerit. Extat ea de re apud Facundum Domni Antiocheni Synodica ad Theodoſium Epiſtola: *Veſtram docere cogimur pietatem, quoniam Apollinaris Hæreſiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renovare pertentat, & Apoſtolicas labefactare doctrinas myſterii incarnationis dogma corrumpens, & Divinitatem Unigeniti, & humanitatem unam naturam vocans, commixtionemque & confuſionem aſſerens, ſanctam & ſalutarem paſſionem ipſi incontaminabili Deitati adnectens & hos, qui columna veritatis, & propugnatores pietatis fuerunt, & adverſus omnem hæreſim clarè virtutem exercuerunt, Diodorum & Theodorum anathematizare præſumit.* Sed & in Concilio Conſtantinopolitano menſe Novembri Euſebius Dorileenſis Epiſcopus adverſus Eutychem accuſationem inſtituit. Ac primùm ut ab errore evelleretur, monitorem Euſebium habuerat. Quod cùm fruſtra factum fuiſſet, palam & publicè interpellatus hæreſeos: *Quem*, inquit Liberatus, *audiens talia docentem & prædicantem, Euſebius, Epiſcopus Dorylenæ civitatis Provinciæ Phrygiæ Salutaris, cùm eſſet Orthodoxus & purus, etiam amicus, prohibuit eum talia ſapere, & docere, ſed pertinatiter Eutyche audire nolente, retulit Euſebius cauſam ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.*

Facund. l. 8. c. 5.

Liberat. cap. 11.

Eutycheſne naturarum in Chriſto confuſionem rejecerit?

V. Antequam de Synodi Conſtantinopolitanæ Actis dicere inſtituerimus, poſtulat ordo rerum, ut quis infelicis Eutychis error fuerit, exponatur. Eutycheti & Presbytero, & Archimandritæ id opinionis inſederat animo, in duos Filios dividi Dei Filium, ſi geminæ in eo naturæ intelligerentur. Hinc hujus hominis ſcitum, *unam ſcio Verbi incarnati naturam.* Quod quâ ratione dixerit, eſt accuratius inſpiciendum. Extitere ſiquidem Scholaſticorum recentiorum de grege Theologi, *Alphonſus de Caſtro*, atque *Vaſqueſius*, qui Eutychetis in opinione eam ſibi mentem viditiſſe videntur, ab ea prorſus diverſam, quam in eo Antiquitas intellexit: *Eutychetem docuiſſe, in Chriſto poſt unionem manſiſſe unam naturam per compoſitionem, ex duabus permanentibus in ipſo, non per converſionem unius in aliam, rectè notavit Alphonſus de Caſtro adverſus hæreſes, verbo Chriſtus, hæreſi quartâ.* Hæc Vaſqueſius. Quæ explicatio ſi vera eſt, hæreſi Eutyches prorſus eſt liberandus. Quippe ut ex duabus naturis affectiones retinentibus ſuas, mente ſcilicet & corpore, una hominis natura conſtituitur, ſic ex Verbi perſona, atque natura humana conjunctus, unus Chriſtus agnoſcitur. Quibus ſeparatis, non magis Chriſtus eſſe poteſt, quàm homo ſuam retinere naturam poteſt, ſi mens, vel corpus ab eo dividatur. Scilicet Jeſus mundi Servator tam *Deus eſt manifeſtatus in carne*, quàm homo definitur, ſubſtantia ſimul extenſa atque cogitans. Alia ergo *compoſitionis* conjunctio eſt, alia *confuſionis.* In illa res copulatæ, ſuas affectiones non exuunt. Mens ratione prædita eſt, immortalis eſt, inviſibilis eſt: corpus verò eſt compoſitum, extenſum, mortale, conſpicuum. Quæ qualitates utriuſque ſubſtantiæ in homine abſque commutatione ulla, aut perturbatione remanent. Quòd ſi Eutyches opinionis fuit hujuſmodi, in uno Chriſto imperturbatas inconfuſaſque permanſiſſe naturas, ut unaquæque, quod ſuum eſt, munus exequeretur, quid ſanè peccaverit, nulli videmus. Flavianus ſanè Conſtantinopolitanus in ſua ad Theodoſium Confeſſione hæc loquitur: *Et unam quidem Dei Verbi naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eò quòd ex ambobus unus atque idem ſit Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Dixerat & hæc Cyrillus, recitante apud Chalcedonem Euſtathio Berytenſi: *Non oportet intelligere duas naturas, ſed unam incarnatam.* In eo igitur erravit, quòd naturam humanam à divina quaſi æſtu quodam gloriæ cœleſtis abſorptam

Vaſq. t. 5. Q. 2. Diſp. 14. pag. 109.

Liberat. Brev. c. 11.

Chalced. Act. 1. pag. 38.

Anno Dom. 448.

tam eſſe voluerit. Hoc rotundè Eraniſtes confitetur in Dialogo, cui apud Theodoritum Inconfuſo nomen: *Ego dico manſiſſe Divinitatem, humanitatem autem ab ipſa abſorptam eſſe, ac devoratam; . . . Ut mare, quod mellis guttam abſumpſit, illa enim gutta ſtatim evaneſcit, aquæ marinæ permixta.* Neque nos movent, quæ Vaſqueſius & Alphonſus à Caſtro explicationi defendendæ afferuntur. Objiciunt Gelaſium de duabus in Chriſto naturis: *Abhinc autem illud adjiciunt, ut ſicut ex duabus rebus conſtat homo, id eſt, ex anima & corpore, quamvis utriuſque rei ſit diverſa natura, uſus tamen loquendi ſingulariter pronuntiet, ſimul utramque complectens, ut humanam dicat naturam, non humanas naturas. Sic potentiam in Chriſti myſterio, & unitionem Divinitatis atque humanitatis unam dici vel debere vel poſſe naturam.* Hæc ita Vaſqueſius, laudata in diſputatione. Cujus & argumentum Eutychianorum apud Facundum verbis intendi poteſt: *Dicunt ſicut ex duabus naturis, id eſt, ex anima & carne una compoſita eſt natura humana, ſic ex Deitate, & humanitate una compoſita eſt Chriſti natura, & ideò ex duabus quidem, ſed non in duabus naturis Chriſtum confitemur.* Verùm enimverò licet ſubtiliores Eutychis diſcipuli adducta corporis cum anima conjunctionis comparatione fucum facerent, humanæ tamen naturæ in divinam converſionem admittebant. Hinc Eraniſtes: *Si impermixta, inquit, manſerunt, quæ ſunt naturarum propria, quomodo anima una cum corpore nutrimentum appetit. . . . Vides eſſe animam, ſitire & eſurire, & quæ ſunt his ſimilia.* Atque maximus hic Eutychetis error fuit, naturam Chriſti humanam in divinam migraſſe, quo quidem fides penè funditùs.

Theodorit. Inconf. — *Fac. l. 1. cap. 5.* — *Theodorit. Inconf.*

Eutyches Chriſtum Conſubſtantialem nobis eſſe negavit. Carnem J. C. ex Virgine faſſus eſt.

VI. Hanc infelici homini opinionem inſediſſe, Veterum ex monumentis certum exploratumque eſt. Theodoritus hæc de Eutyche prædicat: *Ultimam omnium infauſtam Eutychianorum hæreſim invidus Dæmon introduxit, per quam quæ ſunt in univerſo terrarum orbe, Eccleſias afflixit, cùm ſuæ improbitatis capax inſtrumentum miſerum Eutychem inveniſſet. Et quæ jam olim exaruerat, Valentini hæreſim rurſus fecit pullulare. Arius enim ſolum corpus, Apollinaris ſolam animam aſſumptum fatebatur. Hic autem etiam corpus aſſumptum eſſe negabat. Dicebat enim Deum Verbum nihil humanum ex Virgine ſumpſiſſe, ſed ipſum immutabiliter converſum, & carnem factum ſolum per Virginem trajeciſſe.* Leo quoque, qui Eutychianæ opinionis imperitus fingi nequit, illam eo nomine coarguit, quòd & unam in Chriſto naturam ſtatuat, & nil niſi vanam corporis umbram ei relinquat. Hoc autem conſtat ex Epiſtolis, quas ea de re complures ſcripſit. Ad alia feſtinantibus, ſatis ſit hæc pauca proferre. In Epiſtola ad Flavianum ea reperimus: *Cùm autem ad interrogationem examinis veſtri Eutyches reſponderit, dicens, Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem verò unam naturam confiteor.* In Epiſtola verò ad Julianum Coenſem Epiſcopum hæc narrat. *A recto tramite etiam ille deſciſcit, qui unigenitum Dei Filium ſic de utero B. Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit. De quo prodigio falſitatis quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur?* Sed cùm in agnoſcendis hominum ſententiis inſita argumenta pluris ſint facienda, quàm externa teſtimonia, quid monſtri in mente ſua Eutyches aleret, in medium ipſemet proferat. Hæc autem Joanni Presbytero defenſori locutus eſt: *Se poſt nativitatem Jeſu Chriſti unam naturam adorare. . . . Ex duabus autem unius naturis ſecundum ſubſiſtentiam factum fuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, neque didiciſſe in expoſitionibus Sanctorum Patrum, neque ſuſcipere, ſi contigerit ab aliquo ei tale aliquid legi, quia divinæ Scripturæ meliores ſunt Patrum doctrinis.* Quod ſi naturam noſtræ ſimilem, Dei Filio conjunctam permanſiſſe ſtatuiſſet, quid rationis habuit, cur à duarum in Chriſto naturarum confeſſione abhorreret? Sapienter enim Facundus: *Equidem nulla cauſa eſt, cur etiam unuſquiſque homo in duabus negetur eſſe naturis, in carne ſcilicet, atque anima.* Quin etiam ſi abſque confuſione ulla duas naturas in unam coaluiſſe exiſtimaſſet, quâ perſonâ Θεάνθρωπος conſtitueretur, hoccine Euſebius Dorylæenſis, qui Eutychi amicus erat, tam acriter apud Concilium accuſaſſet? *Non ſemel autem, nec ſecundo, inquit, ſed ſæpius eum conveni, & locutus ſum cum eo, & inveni eum non rectè ſapere, & monui & docui; ſed inſtabat, dicens ea, quæ aliena ſunt à noſtra fide.* Denique ubi in prædatoria Synodo Epheſina lecta eſt Euſebii interrogatio hæc, *Confiteris duas naturas, Domine Archimandrita, poſt Incarnationem, & Conſubſtantialem nobis eſſe dices Chriſtum ſecundum carnem, an non?* Epheſini latrones ſubinde voce maximâ acclamant: *Tolle, incende Euſebium, iſte vivus ardeat, iſte in duo fiat; ſicut partitus eſt, partiatur.* Eutychis ergo patronis haud ſapiebat, Chriſtum nobis Conſubſtantialem dici, qui tamen dici debuit, ſi natura humana ſuis induta proprietatibus in eo permanſit. Præcipitem ergo corporis Chriſti exinanitionem ſibi fingebat deluſus homo. Abſque eo foret, imprudenter quidem & falsò Leo Pontifex in ſua ad Julianum Epiſtola, tot abſurdis ipſius ſententiam oneraſſet. Humanæ carnis veritate negatâ, non ſolùm *homo natus denegatur, ſed etiam quòd crucifixus eſt, & mortuus ac ſepultus, quòdque die tertio à mortuis reſurrexit, & quòd ad dexteram Dei Patris ſedens ad judicandos vivos & mortuos in eo corpore ſit venturus, in quo eſt judicatus, ad mortem abnuitur.* Quæ quidem Eutychis ex opinione manare non poſſunt, niſi in Divinitatem humana Chriſti natura reſoluta eſſe fingatur. Aliud erroris Eutychi objiciebatur, quòd nempe carnem ex Virgine ſuſceptam negaverit. Quam ipſi opinionem Veterum affingunt nonnulli. Liberatus: *Eutyches*, inquit, *urgente Satanâ, prædicabat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Conſubſtantialem nobis non eſſe ſecundum carnem, ſed de cælo corpus habuiſſe.* Hunc & errorem Vigilius Tapſenſis huic ſectæ impingit: *In id impietatis prolapſa eſt errore, ut non ſolum Verbi & carnis unam credat eſſe naturam, verùm etiam hanc eandem carnem non de ſacro Mariæ Virginis corpore aſſumptam, ſed de cœlo dicat, juxta infandum Valentini & Marcionitarum errorem fuiſſe deductam.* At quidquid ſit de diſcipulis Eutychis, quorum nonnulli in eam ſententiam delabi potuere, Eutyches ſanè ab eo errore abſolvendus videtur, à quo palam alienum ſe eſſe profeſſus eſt, dum à Joanne Presbytero, Andreaque Diacono ad Concilium invitatur: *Adjiciebat contumelias adverſum ſe ab aliquibus dictas, quaſi dixerit, Verbum carnem ſecum è cœlo detuliſſe; ſe immunem ab ejuſmodi contumelia.*

Theodorit. H. F. l. 4. cap. 13. — *Leo Ep. 10. cap. 6.* — *Leo Ep. 11.* — *Chal. Syn. Act. 1.* — *Fac. l. 1. cap. 4.* — *Syn. Chalc. Act. 1.* — *Leo Ep. 11.* — *Liberat. cap. 11.* — *Vig. l. 3.* — *Syn. Chal. Act. 1.*

melia. Neque hoc erroris Eutychi Flavianus impoſuit, ex quo potius diſcimus, Mariam pro Chriſti genitrice ab eo fuiſſe habitam: *Dicebat, Virginem quidem, quæ eum genuit, ſecundum carnem Conſubſtantialem nobis eſſe; ipſum autem Dominum non ſuſcepiſſe ex ea carnem Conſubſtantialem nobis, & corpus Domini, non eſſe quidem corpus hominis; humanum verò corpus eſſe, quod eſt, ex Virgine.* Hæc Flavianus in priore ſua ad Leonem Epiſtola, c. 3. Eadem quoque leguntur in poſteriore. Denique ipſemet Eutyches in ſua & ad Leonem Epiſtola, & fidei expoſitione anathemate eos ferit, *qui dicunt, carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti è cœlo deſcendiſſe, & non è Spiritu Sancto & Sancta Virgine Maria.* Cùm verò naturam Servatoris humanam evacuaret Eutyches, nil ſanè refert, utrùm ex Cœlo, vel Virginis ex utero eam deduxerit. Hæc ſunt monſtra, quæ in ſui Monaſterii tenebris infelix homo peperit, quibus Eccleſiæ viſcera laniarentur. Ad gravitatem erroris acceſſit, quòd ſeptuagenario longa vetuſtas obſtabat, ne infelicem partum ederet. Hunc ſanè *imperitum ſenem* vocat Leo in ſua ad Theodoſium Epiſtola XII. Eutyches ipſemet de ſua ætate hæc ſcripſit Leoni, ſe *in continentia & omni caſtitate* LXX. *annos vitam peregiſſe.*

Synodus Conſtantinopolitana adverſus Eutychem: ab Euſebio accuſatur. Synodi Actio prima & ſecunda.

VII. Intellecto Eutychis errore, de Conſtantinopolitana Synodo, in qua fuit accuſatus, nunc eſt dicendum. Conventui cauſam præbuerat *Florentius* cum duobus Epiſcopis negotium, quod brevioribus verbis Liberatus expoſuit: *Concilium collectum fuerat pro Florentio, Sardeanorum Metropolita adverſus Epiſcopos ſub eo conſtitutos, Joannem & Coſſinium.* Synodi tempus nos Præfatio docuit: *Coſſ. Flavio Zenone & Poſthumiano, Viris clariſſ. ſub die ſexto Idus Novembris in Chriſtianiſſima & regia urbe Conſtantinopoli,* feriâ ſecundâ. Epiſcopis compluribus conſtitiſſe, eò liquet, quòd *magnæ Synodi* nomen habuit.

Liberat. cap. 11.

Epiſcopale in Secretarium omnes confluxere, quibus Flavianus præfuit. Ac primùm directa à Florentio Sardenſi relatio legitur, præſentibus Clericis, qui & ea de re Libellos attulerant. Quibus confectis, Doryleus legendum Libellum offert Synodo, precibus adhibitis, ut Actis Concilii insereretur. Acceptum Flavianus Libellum, *Aſterio Notario* palam legendum tradit. Cujus Libelli ſumma hæc fuit. Eutychem Presbyterum Archimandritam, Dei oblitum, in mundi Redemptorem Jeſum Chriſtum *blaſphemam linguam movere, & Patres, qui inter Sanctos connumerantur, Hæreticos nominare:* ſe Dorylæum fidei integrum erroriſque purum, Decretorumque & Nicænorum, & Epheſinorum ſectatorem ab Eutyche hæreſeos fuiſſe poſtulatum: itaque obſecrare ſe, ut conventus homo coram Synodo ſe ſiſtat iis reſponſurus, de quibus accuſatur. Quod ut facilius à Patribus impetraret, eos adjurat per Sanctam Trinitatem Chriſtianiſſimorum Imperatorum conſervatricem, reverentiamque Theodoſio & Valentiniano perpetuis Auguſtis debitam. Tum Flavianus Euſebium hortatur prius cum Eutyche convento de fide diſputationem inſtituat: Quòd ſi à religione diſſideat, in Concilium deinceps vocetur. Ad hæc Euſebius regerit, ſe olim Eutychi amiciſſimum, ſæpius eum conveniſſe, neque de retinenda fide monitis unquam ſuis advertiſſe animos; imò ea reſpondiſſe, quæ à pietate eſſent prorſus aliena; quod compluribus, qui præſentes adfuerant, teſtibus oſtendi poſſet. Flaviano cùm metum afferret gratia, quâ apud Chryſaphium, Auliciſque pollebat Eutyches, Euſebium rurſus urget, ut ad illum monendum accedat, ne turbarum aliquid Eccleſiis pacem eripiat. Quod cùm pertinacius abnuiſſet Euſebius, ne fruſtra eâ fatigatione ſuſceptâ novis rurſus odioſas blaſphemias afferret, Synodus *Joannem Presbyterum & defenſorem, Andreamque* Diaconum mittit, qui porrectum ab Euſebio Libellum legerent Eutychi, eumque monerent adeſſe Concilio. Prima hæc Conventus hujus Actio fuit. In ſecunda Actione *pridie Idus Novembris* Euſebius & Cyrilli Epiſtolas legi, & Synodi monumentis inſeri flagitat, unam Neſtorio, alteram Joanni, Antiochenæque Synodo ſcriptam, quibus ea de Dominica Incarnatione continebantur, quæ credendi eſſent regulæ. Quæ roganti à Flaviano conceduntur. Ut Antiſtitum omnium calculo Epiſtolarum doctrina commendata eſt, Euſebius Dorylæi eos commonefacit, Epiſcoporum, qui Conſtantinopoli verſabantur, nonnullos, ſive valetudine, ſive alia de cauſa impeditos, Conventui non adfuiſſe: itaque petere ſe, ut per *Aſterium* Presbyterum & Nothium, Diaconoſque de geſtis abſentes docerentur, ut iis conſenſum quoque præberent, quod eſt à Flaviano decretum.

Conſtantinopolitanæ Synodi Actio tertia. accerſitur Eutyches: quid reſponderit

VIII. Actione tertiâ, *ſecundâ feriâ* XV. *die Novembris* Euſebius dixit, quartum exceſſiſſe diem, ex quo petiit Eutychis præſentiam, ut coram Synodo violatæ fidei argueretur: igitur rogare ſe, quid Legati à Patribus ad eum directi reſponſi afferant. Ingreſſus Joannes Presbyter, refert ſecum Andrea Eutychis ad Monaſterium contuliſſe Libellos, quibus accuſabatur, ei & legiſſe, & tradidiſſe, accuſatoris nomen edidiſſe, ſimulque præcepiſſe, ut in Synodo compareret. Addit, Eutychem adventum negaſſe ſuum, quòd ſibi in animo conſtitutum diceret, Monaſterium nunquam exire, in quo veluti in ſepulchro degebat. Cæterùm Euſebium ſibi infenſiſſimum eſſe, eaque de cauſa hanc calumniam ſibi imponi: paratum eſſe ſe, Nicænis Epheſiniſque Decretis ſubſcribere. Quòd ſi in re quapiam aberraverint, id neque ſe reprehendere, neque ſubſignare: *Solas autem Scripturas ſcrutari, tanquam firmiores Sacrorum Patrum expoſitionibus. Poſt Incarnationem verò Verbi Dei, hoc eſt, poſt nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti unam naturam adorare, & hanc Dei incarnati, & inhumanati.* Ex libro, quem protulerat, hæc ſe legiſſe. Subjungebat, ſe fuiſſe infamatum, quaſi dixerit, *Verbum carnem ſecum è cœlo detuliſſe;* ſe tamen innoxium ab ejuſmodi contumelia. Confiteri tamen, Chriſtum *perfectum Deum eſſe, & perfectum hominem, qui natus eſt de Maria Virgine, non habentem carnem Conſubſtantialem nobis.* Hæc non præſentibus modò Legatis, Joanne & Andreâ, ſed coram etiam *Athanaſio*, Baſilii Seleucenſis Epiſcopi Diacono, locutus eſt. Qui jubente Flaviano, cùm in Synodum intromiſſus fuiſſet, eadem quæ Legati teſtatur. Hìc manſueti viri officio fungitur Euſebius, qui ſupplicibus verbis orat, Eutychem ſecundò vocari. Idcircò Presbyteri duo deſignantur, *Mammas* & *Theophilus*, qui contumacem monerent, juſtam Patribus offenſionem moveri, ob & inuſtam ipſi erroris maculam, & impiam fidei, quam amplectebatur, profeſſionem, audientibus Joanne Presbytero, & Andreâ, Athanaſioque Diaconis.

ANNO DOM. 448.

Eſſe tamen Synodi in benignitate præſidium, ſi ejuratâ impietate in viam redeat, reſipiſcat, rectæque Patrum fidei aſſentiatur. Ut verò ſolemnius reo vadimonium conſtitueretur, ipſius ſiſtendi denuntiatio ſcripto mandatur, quod poſtquam rogante Euſebio lectum eſt, Synodi monumentis inſertur: *Sancta & magna Synodus ſecundum Dei gratiam degens in Chriſtianiſſima, & Regia Conſtantinopoli, nova Roma, reverendo Presbytero & Archimandritæ Eutychi. Et nunc ſecundâ te iſtâ vocatione vocamus per Mammam & Theophilum, reverendos Presbyteros, ut occurras abſque dilatione ad ſatisfaciendum Sancto Concilio, accuſatus à Deo amantiſſimo Epiſcopo Euſebio, ſicut qui aliena à fide ſapuiſti & ſapis, & ad aliquos ex eis locutus es. Veni ergo ad conventum, nihil differens, ne ut ſubterfugiens in faciem convinci, ſubjaceas divinarum regularum ſeveritati.* Congruam hanc negant excuſationem eſſe, quòd Monaſterio ſuo non egredi decreverit. Dum *Mammas* & *Theophilus* Eutychem adeunt, Euſebius Synodum monet, nil intentatum ab eo homine relinqui; utpote qui miſſis ad Monaſteria Libellis ad ſeditionem Monachos excitet. Rogare ſe, ut Martyrii, quod in Septimo extructum eſt, Presbyter, reſtari vellet, an non Eutyches directo voluminii ſubſcriptiones adjungi velit? Ingreſſus *Abrahamus* (id nominis gerebat *Septimi* Presbyter) interrogatus à Flaviano, nùm audiiſſet, quæ Euſebius dixerat, reſpondit, *Etiam per veſtigia tua.* Subjunxit, Emanueli Presbytero & Archimandritæ Eutychem direxiſſe Libellum de fide, cui ſubſcriberet. Ac ab Emanuele Aſterio ſe Presbytero fuiſſe miſſum, qui hæc nunciaret. His auditis, ſapienter eſt ab Euſebio requiſitum, ut ad alia quoque Monaſteria mitterentur, qui ſciſcitarentur, an non & ad ea Libelli ab Eutyche directi ſint, quaſi fides in contemptum veniſſet? Erat æqua quidem illa poſtulatio, cui Flavianus conceſſit: *Pergant*, inquit, *ad Monaſteria civitatis quidem Petrus reverendus Presbyter, & Patricius reverendus Diaconus; Sycas verò, Rhetorius Presbyter, & Eutropius Diaconus Chalcedonem, Paulus & Joannes Presbyter*, qui cognoſcerent, miſiſſetne Eutyches fidei Libellos, quibus ſubſcriberetur. Dum legatio hæc à Flaviano dirigitur, Ætius Diaconus & Notarius reduces nunciat adeſſe Legatos, Theophilum & Mammantem, qui Eutychem convenerant. Ut juſſi ſunt, quæ audierant loqui, Mammas quid geſtum fuerit, Patribus refert. Cùm ad Monaſterium perveniſſent, ſtantes ante januam Monachos ſe reperiſſe, unàque cum eis ingreſſos, adventus cauſam expoſuiſſe. Dicunt Archimandritæ, ſe à Synodo amandatos, cum eo velle loqui. Reſpondentibus Monachis, ſuum Abbatem ægrotantem videri non poſſe, dicerent ergo, quæ nuncianda haberent; Legatos haud aſſenſos, utpote ad illum ipſum directos. Ingreſſos verò in Monaſterium, Monachos adduxiſſe *Eleuſinium* quendam, cui decumbente Eutyche ſuam legationem exponerent. Nec id Legatis placuiſſe, qui Monachos urgent dicere, nùm Archiepiſcopi, Synodique Legatos ſuſcipere velit Eutyches, an non. Monachorum animos cùm hæc oratio turbaſſet, ut hærentibus fiduciæ aliquid incuterent, hæc ſe locutos: *Quid conturbamini, nihil eſt durum: quæ ſcripta ſunt, non ſunt occulta: dicimus & nos, quid Scriptura contineat.* Denuò vocatus ſiſtat ſe coram Synodo, ut de iis, quibus accuſatur, cumulatè ſatisfaciat. Quibus auditis, ab Eutyche ſe ſuſceptos, mandante porrectam ſibi Synodi Epiſtolam legi. Ubi lecta eſt, talia referunt locutum: Mihi certum eſt non exire Monaſterium: novit Sancta Synodus me ſenem eſſe, & effœtum; ſi aliquid agere voluerit, quidquid lubet agat: hoc unum peto, ne tertiâ vice ad me mittant: eſt enim conſtitutum, non egredi Monaſterio. Voluiſſe etiam Eutychem ferendum Concilio Epiſtolam ſibi tradere: ſe tamen eam non ſuſcepiſſe, imò ne ejus lectionem ſuſtinuiſſet. Itaque ſubſcriptam manu ſuâ Epiſtolam ad Synodum ſe miſſurum profeſſum eſſe. Hæc ubi Concilio Mammas Theophiluſque retulere, Euſebius illud hortatur, poteſtatem adhibere ſuam ad ſervandas Eccleſiæ regulas: Eutychemque vel invitum ad veniendum compellere. Synodus verò contumacem tertiò moneri jubet, ut præſentiam exhibeat ſuam. Tum Flavianus *Memnonem* Sacrorum Vaſorum Cuſtodem, *Epiphanium*, & *Germanum* Diaconum Eutychem adire jubet, qui adventum imperarent. Scriptum quoque ei ſignificant, quo monebatur, quid in contumaces Regulæ Eccleſiaſticæ conſtituerent, qui ter vocati non obtemperarent. Quartâ ergo feriâ Novembris XVII. præſentiam exhiberet Synodo.

IX. Ad alias Synodi Actiones progredimur. Decimâ ſextâ Novembris, feriâ tertiâ Diaconus Notariuſque *Aſclepiades* Patribus nunciat, adeſſe Abrahamum Presbyterum & Archimandritam, nec non Monachos ab Eutyche miſſos, *Eleuſinium* ſcilicet, *Conſtantinum*, & *Conſtantium* Monaſterii Diaconos, qui petebant in Conventum intromitti. Quod ubi factum eſt, Abrahamus dixit, ſe ab ægrotante amandatum Eutyche, qui Flaviani ſermonibus vexatus, inſomnem totam noctem gemendo tranſegerat. Quo audito, Flavianus cognitionem cauſæ intermittendam eſſe, donec convaleſceret decrevit. Ad hæc Abrahamus: *Mihi*, inquit, *per veſtigia tua, & alia aliqua mandavit, quæ ſi interrogatus fuero, dico.* Improbatum tamen Flaviano alium pro reo reſpondere: eòque magis Eutychi pro ſe ad ſatisfaciendum incumbere, quòd in Synodum Neſtorio pugnaturus fuerat ingreſſus. Quantò æquius, ut & pro ſe, & pro veritate compareret. Sic prorogatum Eutychis negotium. Poſtquam Patres ſurrexere, Eutychis Legatis Flavianus hæc loquitur: *Cognoſcitis zelum accuſatoris: & monui, & rogavi, dicens, Noli, obſecro, intermitte. Cùm autem immineret, quid eram facturus? Nùmquid ego diſperſionem veſtram volo? Inimicorum eſt diſpergere, Patrum autem conſervare.* Decimâ ſeptimâ Novembris quintam Synodus Actionem ingreditur. Monente Ætio Diacono adeſſe Presbyteros, *Memnonem*, Sacrorum Vaſorum Cuſtodem, atque *Epiphanium*, nec non *Germanum* Diaconum, qui Eutychem tertiâ vice vocandum convenerant: ab eis quæſitum, quid reſponſi dediſſet. Hoc verò ſe ab eo audiviſſe teſtati ſunt. Nempè ſe Abrahamum miſiſſe ad Synodum, qui ſuo nomine iis aſſentiretur, quæ à Patribus Nicænis, Epheſiniſque decreta ſunt. Hic Flavianum Euſebius compellat, ſe non de futuris, ſed de præteritis Eutychem accuſaſſe: fuiſſe forſan aliquos, qui exhibitâ fidei confeſſione ob neceſſitatem ei ſubſcribere compulerint. Interpellanti reſponſum à Flaviano, promiſſam ab Eutyche ſubſcriptionem non detrimento futuram eſſe. Reo, ſi convictus

Conſtantinopolitanæ Synodi Actio quarta & quinta. Eutyches tertiò conventus adventum pollicetur.

fuerit,

Anno Dom. 448.

fuerit, de præteritis eſſe ſatisfaciendum. Brevi hâc interlocutione finitâ, adjecit Memnon, cùm urgeretur Eutyches, ut purgandi ſui cauſâ ad Synodum veniret, pollicitum eſſe, feriâ ſecundâ ſequentis hebdomadæ ſe ad Synodum acceſſurum. Rogare ſe Legatos, ut à Flaviano id ſibi concedi moræ peterent. Finitâ Legatorum narratione, Petrus Presbyter, & Patricius Diaconus, qui ad urbis Monaſteria miſſi fuerant, dicere jubentur quæ didicerant. Audierant, Martinum Presbyterum, & Archimandritam profitentem, die XII. Novembris, feriâ VI. ab Eutyche directum ſibi fuiſſe Libellum miniſterio Conſtantini Diaconi. Subſcriptionem tamen requiſitam repudiaſſe: *Non meum eſt*, inquit, *ſubſcribere, ſed Epiſcoporum.* Similiter *Fauſtus* Presbyter, & Abbas a Conſtantino, & Eleuſio ſubſcribere Libello rogatus eſt. Quod ad faciendum ut permoverent, affirmabant, expoſitionem eſſe fidei tum Nicænæ, cùm Epheſinæ. Ut verò Fauſtus Libelli tractandi copiam petiit, ne additamenti aliquid in eo contineretur, Diaconi ſubinde receſſere, dicentes, *Nos & Eccleſiæ Filii ſumus, & unum Patrem poſt Deum habemus Archiepiſcopum.* Jobo nil Libelli directum, id unum dictum, Noli tomo ſubſcribere, quem Archiepiſcopus tibi miſſurus eſt. Nil Emanueli, nil Abrahamo aut miſſum, aut dictum. Probationum ſatis erat, ut legitimè ſuâ dignitate Eutyches ſpoliaretur, utpote qui & fidem adulteraret, & Eccleſiam in tumultum conjiceret. Placuit expectari, num promiſſum ad diem XXII. Novembris adventum afferret.

Actio ſexta & ſeptima Conſtantinopolitanæ Synodi. Quid dixerit Eutyches? Damnatur.

X. Sequitur nunc Actio VI. in qua Euſebius rogat Synodum, ut *Narſete*, Eutychis & Presbytero, & Sancello, *Maximo* Abbati, *Conſtantino* Diacono & Eutychi à Secretis, *Eleuſio* Diacono dies conſtitueretur: quorum præſentia *opus erat* convincendo reo. Addit & Euſebius, à Mamma & Theophilo, qui partem eorum, quæ Eutychis ex ore audierant, ſilentio diſſimulaverant, omnia propoſitis Evangeliis eſſe profeſenda. Aberat Mammas. Theophilus verò faſſus eſt, voluiſſe Eutychem diſputationem inire. Quam cùm abnueret Mammas, qui non ad diſputandum, ſed ad evocandum reum venerat, Eutyches præſente Narſete, Maximo & Monachis petierat, *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Cui cùm reponeretur, ubinam locorum Conſubſtantialis reperiretur, reſpondiſſetque, non in Scriptura quidem, ſed in Patribus eſſe, ipſius interrogationi ſimili ratione factum eſt ſatis. Ad hæc delirus Abbas falſâ modeſtiâ ea locutus eſt: *Abſit à me dicere, ex duabus naturis eſſe Chriſtum, aut de natura loqui, ſeu diſputare Dei mei.* Exauturent me, ſi velint, mea mens Patrum in fide immota manebit. Quærenti Flaviano, cur ſilentio hæc involverat, reſpondit Theophilus, ſe ad vocandum Eutychem, non ad ea omnia, quæ audierat referenda, fuiſſe directum. Superfluum itaque putaſſe, ea nunciare, de quibus non interrogabatur. Eandem Mammas & excuſationem ubi rediit, ſilentio ſibi ſuo paravit. Illuxit tandem feria ſecunda, quæ Novembris XXII. cohærebat, cui Actio Synodi VII. deſtinabatur. Flavianus per *Philadelphum*, *Cyrillumque* Diaconos, Eutychem quæri jubet: qui non multò pòſt redeuntes, ipſum quæſitum quidem, at non inventum eſſe memorant. Subinde alii Diaconi amandantur, *Criſpinus* & *Diogenianus*, ut ubicunque locorum eſſet, repertum adducerent. Reverſi dixerunt, ſe hominem quidem non inveniſſe, audiviſſe tamen brevi venturum, magnâ militum, Monachorumque catervâ comitatum. Dum hæc loquuntur, *Joannes* Presbyter & defenſor nunciat adeſſe Eutychem, ſtipatum militibus, Monachis, apparitoribus Præfecti Prætorio, qui profitebantur, non permiſſuros ſe, ut in Synodum Eutyches intraret, niſi ipſius reſtitutio promitteretur. Aderat & magnus Imperatoris Silentiarius, qui ut admiſſus eſt, narrat ſe Imperatoris attuliſſe mandatum, coram Patribus legendum, quo ſignificatum ibat; placere ſibi, Decreta & Nicæna, & Epheſina intemerata ſervari: proindeque velle ſe *Patritium Florentium*, virumque cui recta fides laudis plurimum afferebat, intereſſe Synodo. Ad hæc omnium ore dictum: *Multos annos Imperatori: magna fides Imperatorum: cuſtodibus fidei multos annos pio & orthodoxo. pio Imperatori, Pontifici Imperatori: audite, Sancti Patres, gratias agimus orthodoxis Imperatoribus.* Ipſe Eutyches interrogatus, placeretne ſibi Florentium adeſſe, reſpondit: *Quod vult Deus, & Sanctitas veſtra facite.* Ut Florentius à magno Silentiario accerſitus, eſt in Synodum admiſſus, ſtantibus in medio accuſatore, & accuſato, ab Ætio Diacono, quæ negotium attinebant, Acta leguntur. Poſtquam ex Epiſtola Cyrilli ad Orientales ſcripta verba hæc pronuntiavit: *Confitemur Dominum Jeſum Chriſtum Conſubſtantialem Patri ſecundum Divinitatem, & Conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem*, dixit Euſebius, Eutyches *per veſtigia veſtra hoc non confitetur.* Ad hæc Florentius: *Si placet*, inquit, *veſtræ Sanctitati, interrogetur Papa Eutyches, utrùm his conſentiat.* Hîc Euſebio timor injicitur, ne Cyrilli ſententiæ Eutyches doloſè præberet aſſenſum. Patres igitur rogat, paterentur legi omnia: ſibi accuſatori in damnum verti non debere conſenſum ejuſmodi: non latere Epiſcopos, *Melphtongum*, *Jovinum* & *Julianum*, quid erroris Eutyches in mente gereret: ſibi pauperi exilium eſſe metuendum, quod etiam ſuâ fretus & potentiâ, & opibus Eutyches minabatur ad Oaſim relegando. Convicto calumniæ amiſſionem utque Epiſcopatus paratam eſſe. Hunc ſolvere corde metum cùm Flavianus juſſiſſet, pollicitus, ex præſente Eutychis conſenſione nil mali eſſe accuſatori ingerendum, ſic reum urget Euſebius: *Confiteris duas naturas, Domine Archimandrita, poſt Incarnationem, & Conſubſtantialem nobis eſſe Chriſtum dicis ſecundum carnem, an non?* Eâ interrogatione motus Eutyches dixit, ſe non diſputandi quidem, ſed quid ſaperet, aperiendi cauſâ veniſſe: flagitare ſe, quam chartulæ mandaverat fidei ſuæ expoſitionem, palam legi. Juſſus à Flaviano legere, reſpondet, *Non poſſum.* Regerente Flaviano, *Dic per te ipſum, quid opus habes chartâ?* hanc confeſſionem edidit: *Adoro Patrem cum Filio, & Filium cum Patre, & Spiritum Sanctum unà cum Patre & Filio: confiteor incorporatum eum perfectè propter noſtram ſalutem.* Manca mutilaque confeſſio hæc Flavianum malè habuit. Rogat ergo Eutychem, num Patri ſecundum Divinitatem, hominibus ſecundum humanitatem Conſubſtantialem Filium fateretur. Expectationem Iudicum ut eluderet, reſpondit, ſe de glorioſa Trinitate mentem aperuiſſe ſuam; rogare ſe, ut novis Patres interrogationibus parcerent, inſtanti tamen Flaviano, *Nam Chriſtum*

Anno Dom. 448.

ſtum confiteris ex duabus naturis, ingenuè faſſus eſt, ſe Chriſtum nobis Conſubſtantialem nunquam dixiſſe. Tum Baſilius, ſi Chriſti mater, ut ais, Conſubſtantialis eſt nobis, debet & ipſe Conſubſtantialis eſſe. Ad hæc Eutyches, *Quoniam modò dicitis, omnibus conſentio*. Coactam hanc Confeſſionem indignatus Florentius, ait, *Conſubſtantialem, & ex duabus naturis poſt Incarnationem Dominum noſtrum, qui ex Virgine eſt, dicis, an non.* Reſpondet Eutyches, ſe quidem ante conjunctionem Duas naturas, poſt conjunctionem verò unam Chriſti naturam profiteri. Præcipiente Synodo, ut anathemate dogmata percuteret, quæ lectio contraria inveniebantur, non aſſenſus eſt imperitus ille ſenex: *Si anathematizavero, væ mihi, quòd Patres meos anathematizo.* Cùm cantilenam eandem perpetuò caneret, poſt conjunctionem ſcilicet, Patres unam Filii dixiſſe naturam, hancque Athanaſii Cyrillique fuiſſe mentem, Florentius pertinaci damnationem minatur, ni duas poſt copulationem naturas prædicaret. Baſilius quoque ex una poſt conjunctionem natura admiſtionem ſequi, & confuſionem oſtendit. Cùm in tantum errorem extorqueri ab Eutyche non poſſent anathemata, Florentius ſuffragio ſuo contumacem Hæreticum damnatum ivit: *Qui non dicit duas naturas, non credit rectè. Tum ſurgens Synodus exclamat, Quæ ex neceſſitate eſt fides, non eſt. Multi anni Imperatorum Catholicorum: imperatorum multi anni. Florentius vir illuſtris dixit, Fides veſtra ſemper vincit. Synodus dixit, Non conſentit, quid illi perſuades?* Omnium ore & conſpiratione cùm damnaretur Eutyches, Flavianus ſententiam pronuntiat: *Decrevimus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab eo blaſphematum, extraneum eum eſſe ab omni officio ſacerdotali, & à noſtra communione, & Primatu Monaſterii, ſcientibus hoc omnibus, qui poſteà colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipſi pœna excommunicationis.* Synodo ſubſcripſere Epiſcopi XXXII. & Archimandritæ XXIII. Longe tamen ab Abbatum ſubſcriptione illa Epiſcoporum diverſa eſt. Subſcribunt Epiſcopi: *Baſilius Epiſcopus N. judicans ſubſcripſi.* Abbates verò, N. Presbyter & Archim. *Subſcripſi* depoſitioni Eutychis. Abſolutâ Synodo, quid in ea geſtum fuerat, Flavianus Leonem monitum voluit, ne cum damnato Hæretico literarum quiſpiam ſocietate jungeretur. Conſtat Epiſtola capitibus quatuor. I. De ſubdoli hoſtis Diaboli inſidiis. II. De fraudulenta ſubtilitate Hæreticorum. III. De blaſphemiis Eutychetis. IV. De excommunicatione ejus juſtiſſima: *Miſimus*, inquit, *ad beatitudinem veſtram literas, quibus docemus & Presbyterio illum eſſe nudatum, & juſſimus eum cum Monaſteriis nullam habere rationem, & excluſimus eum à communione noſtra, ut Sanctitas veſtra cognoſcens quod circa illum actum eſt, omnibus Epiſcopis ſub beatitate veſtra degentibus manifeſtare dignetur illius impietatem, ne neſcientes aliqui, quid ille ſenſerit, quaſi ad Orthodoxum, vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.* Anno duntaxat ſequente ſcripta hæc fuere, utpote quæ Leonis in notitiam nondum venerant, *Kal. Martii Aſterio & Protogene Coſſ.* teſte Leonis ad Theodoſium Epiſtolâ, quæ numero ſeptima eſt.

Syn. Chal. Act. 1.

Eutyches damnatus Imperatoris implorat auxilium. Leoni mendacia ſcribit.

XI. Acceptâ damnationis ſententiâ Eutyches, terrâ marique conquirit auxilium. Crimenque ſuum, quod lachrymis abſtergere debuit, fraudibus, mendaciis, tumultuque cumulat. Ac primùm fidem, autoritatemque Imperatoris implorat, ut nos Flavianus monuit: *Eutyches paſſus juſtam Canonicam damnationem, cum debuiſſet ſecundis ſalvare priora, & per pœnitentiam perfectam, multaſque lachrymas placare Deum, non ſolum non fecit, ſed etiam per omnia conturbare ſanctam, quæ apud nos eſt Eccleſiam feſtinavit, propoſitiones injuriarum publicè proponens, & maledictionibus plenas, ſuper hæc & preces offerens piiſſimo & Chriſti amantiſſimo noſtro Imperatori, & eaſdem arrogantiâ & petulantiâ plenas per omnia divinas regulas conculcare conatus eſt.* Quam Flavianus Epiſtolam anno CCCCXLIX. Leoni miſit. Pontificem quoque Romanum Eutyches ſibi in auxilium vocat, ſcriptâ Epiſtolâ, quam tenebris ſepultam *Chriſtianus Lupus* in lucem protulit. Queritur, Euſebium Dorylæenſem Flaviano Libellum dediſſe, quo Eccleſiæ perniciem moliebatur: *Vocabar ad reſponſionem accuſationis ab ipſorum ſanctitate, ſeu gravi ægritudine ſuper ipſam ſenectutem retentus, occurri ad purgationem, non ignorans compoſitam factionem contra ſalutem meam. Et quidem Libellis ſtatim ſubſcriptione meâ his addita obtuli ſcripta, oſtendens de ſancta fide profeſſionem meam. Sancto autem Flaviano Archiepiſcopo neque Libellum ſuſcipiente, neque ut legeretur jubente, audiente tamen & reſpondente me, ipſis verbis fidem, quæ Nicææ expoſita eſt à Sancta Synodo, confirmata verò apud Epheſum, expectabat duas naturas fateri, & anathematizare eos, qui hoc negarent. Ego autem metuens definitionem à Synodo, nec adimere, nec addere verbum contra expoſitam fidem à Sancta Synodo Nicæna; ſciens verò ſanctos & beatos Patres noſtros, Julium, Felicem, Athanaſium, Gregorium Sanctos Epiſcopos refutantes duarum naturarum vocabulum, & non audens de natura tractare Dei Verbi, qui in carnem venit ultimis diebus in uterum Sanctæ Virginis Mariæ immutabiliter, quo modo voluit & ſcit, in veritate, non in phantaſmate homo factus, anathematizare ſuprà dictos Patres noſtros, rogabam ut innoteſceret iſta Sanctitati veſtræ, & quod vobis videretur judicaretis, profitens omnibus modis me ſecuturum, quæ probaſſetis. Sed nullo eorum, quæ à me dicebantur audito, abruptâ Synodo, publicaverunt dejectionis ſententiam, quam adverſus me calumniâ factione inſtruebant, ut & ſaluti meæ diſcrimen incumberet, niſi citò operâ Dei, orationibus Sanctitatis tuæ, militaris manus me ab incurſione rapuiſſet. Tunc Duces aliorum Monaſteriorum cogere cœperunt in dejectionem meam ſubſcribere, quod nunquam nec in eos, qui ſe Hæreticos profeſſi ſunt, vel adverſus ipſum Neſtorium factum eſt.* Ut autem & pro orthodoxo ſeſe Leoni venditaret, & emendicatum ipſius favorem in reſtitutionis auxilium ſibi aſciſceret, ſubjungit: *Ad vos igitur, Religionis defenſores, & hujuſmodi factiones execrantes confugio, nihil & nunc novum inducens contra fidem jam inde nobis ab initio traditam, ſed anathematizans Apollinarium, Valentinum, Manem, & Neſtorium, & eos, qui dicunt, carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris è cælo deſcendiſſe, & non è Spiritu Sancto & Sancta Virgine Maria, & omnes hæreſes uſque ad Magum Simonem: & nihilominus tanquam Hæreticus de vita periclitor. Et obſecro nullo mihi præjudicio facto, ex his, quæ per inſidias contra me geſta ſunt, quæ viſa vobis fuerit, ſuper fidem proferre ſententiam, & nullam deinceps permittere à factioſis contra me calumniam procedere, & non exenti & eximi*

Lup. Syll. c. 122.

Anno Dom. 448.

mi de numero Orthodoxorum eum, qui in continentia & omni caſtitate ſeptuaginta annos peregit, ita ut in ipſo exitu vitæ naufragium patiatur. Epiſtolæ addidit & Libellum inſtitutæ ab Euſebio accuſationis, & eum, quem purgandi ſui cauſâ Synodo obtulerat. Fidei verò ſuæ expoſitio hæc habet: *Teſtor vos coram Deo, qui cuncta vivificat, & Chriſto Jeſu, qui ſub Pontio Pilato teſtificatus eſt optimam illam confeſſionem, ne quid ad gratiam faciatis.* Ubi verò ſe conſtitutam à Nicænis Epheſiniſque Patribus fidem amplecti ſignificavit, ſubjungit: *Anathema autem dico Neſtorio, & Apollinari, & omnibus Hæreticis, qui dicunt carnem Domini Jeſu Chriſti è cœlo deſcendiſſe. Ipſe enim, qui eſt Verbum Dei, deſcendit de cœlo ſine carne, & factus eſt caro in utero Sanctæ Virginis, ex ipſa carne Virginis incommutabiliter & inconvertibiliter, ſicut ipſe novit & voluit. Et factus eſt, qui eſt ſemper Deus perfectus ante ſecula, idem & homo perfectus in extremo dierum propter nos & noſtram ſalutem.* Hæc excuſandi ſui cauſâ fecit, ſcripſitque Eutyches, qui ſplendido tamen mendacio veritatem contaminabat, cùm de appellatione ad Leonem ne verbum quidem ullum protulerit in Synodo, ut Flaviani ex Epiſtola exploratum eſt: *Literæ nobis datæ ſunt veſtræ Sanctitatis per admirabilem Comitem Panſophium, per quas ſumus edocti, quia idem Eutyches Libellos direxit vobis, plenos omni fallaciâ, & calliditate; dicens judicii tempore Libellos ſe dediſſe appellationis, & nobis, & huic convenienti ſancto Concilio, & appellaſſe veſtram Sanctitatem, quod nequaquam ab eodem factum eſt. Sed etiam & in hac parte mentitus eſt, tanquam per fallaciam mendacii ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans.* Impetus etiam, quem in ſe factum narrabat Leoni, mendacium fuit. Quam vim Florentii Exconſulis, & Expræfecti præſentia utique inhibuiſſet. Ut omnia hæc fingeret Eutyches, occaſionem ea præbuere, quæ Florentio Patricio locutus erat, diſſolutâ poſt pronuntiatum judicium Synodo. Silenter quippe, & quaſi in ipſius aurem garriens, dixerat appellare ſe Romanum, Ægyptium, & Hieroſolymitanum Concilium. Qua de re Flavianus à Florentio monitus fuerat. Epiſtolam quoque ad Petrum Chryſologum Ravennenſem direxit Eutyches, Flaviani judicium accuſans. Quis verò tam facundus, & tam rerum, & verborum copiâ inſtructus exiſtet? Quæ oratio tantâ affluentiæ ubertate decurrens, ut ea mala meritò deploret, quæ impurus ille homo intulit orbi. Proſtrata religio eſt, Epiſcopi ad errorem firmandum violenter adacti, Flavianus miſerè vexatus, ut ſequentibus declarabitur.

Lup. Syll. c. 223.

Ibas à ſuis Presbyteris accuſatur. Quid in de re Antiocheno in Conventu actum?

XII. Dum in Oriente verſamur, de rebus *Ibæ* mentio eſt agitanda. Ineunte anno à Presbyteris quatuor, quos excommunicatione perculſerat, *Samuele, Cyro, Mara & Eulogio*, Ibas apud Domnum Antiochenum fuerat accuſatus. Acceptis Libellis, Domnus Ibæ præſentiam poſtularat. Verùm cùm dies Quadrageſimæ laberentur, poſt feſtum dilata eſt cauſæ cognitio. Reſcripſit ergo Domnus, ut Presbyteris vincula ſolveret. Ibas lectis literis, rem Metropolitano Antiocheno omnem permiſit, qui propter feſtum excommunicatos abſolvit; eâ tamen conditione, ne Antiochiâ egrederentur, donec cauſæ finis imponeretur. Quòd ſi prius diſcederent, graviori pœnæ ſubjicerentur. Interim Synodus celebratur. Quâ non expectatâ, antequam Antiochiam Ibas perveniret, Samuel & Cyrus relictâ civitate proficiſcuntur ad comitatum. Lectis in Concilio accuſatorum Libellis, duo tantum adeſſe reperiuntur, quibus interrogatis, qua de cauſa, & ubinam Samuel, & Cyrus promiſſione violatâ profecti fuerant, reſponſum eſt, calumniarum metu diſceſſiſſe, ac, ut fama ferebat, Conſtantinopolim migraſſe. Quæ res Domno non minimum admirationis effecit. Calumnias cur metuerent cauſæ nil ſuis hominibus, quos Domnus excommunicatione liberarat, impedimentum non opponente Ibâ, quique eâ lege ſoluti fuerant, ut juſtas violatæ diſciplinæ pœnas penderent, ſi antè abirent quàm controverſiæ finis conſtitueretur. Itaque in Samuelem Cyrumque judicium à Domno pronuntiabatur, veluti & throni Apoſtolici, & excommunicationis contemptores. Sententiæ ſubſcripſerant Domnus, Simeon Amidæ, Stephanus Hierapolitanus, Conſtantinus Boſtræ, Theoctiſtus Berrœæ, Thomas Mopſueſtiæ, Placus Geraſenæ, Evoltius Zeugmatis, Daniel Carrenſium, Dadas Batenorum. Ut redux Antiochiâ Ibas Edeſſam ingreſſus eſt, *omnis civitas ſuſcepit eum cum cereis & lucernis.* Hoc ipſum Eulogius de accuſatoribus ejus unus, Berytenſi Conventui locutus eſt. Hæc ſunt monumenta Conventus Antiocheni.

Syn. Chal. Act. 10.

Judices à Theodoſio dantur Ibæ. Num ea de cauſa binæ hoc anno Synodi coactæ?

XIII. Interpellatus à profugis Imperator, Damaſcio Tribuno & Notario ſcribit, ut unà cum Photio Tyrienſi, Euſtathio Berytenſi, Uranio Himerorum civitatis in Oſrhoëne Epiſcopo cauſæ hujus cognitionem ſuſciperet. Atque hîc in difficilem nodum incidimus. Baronius quippe, cujus in ſententiam Conciliorum editores, Petavius, eruditique ferè omnes deſcendunt, *hoc eodem anno duo habita Concilia in cauſa Ibæ, alterum Tyri, menſe Februarii; Beryti verò alterum, menſe Septembri*, ſibi in mentem induxit. Ac in eam quidem opinionem propendebamus, donec Noriſius eruditione ſuâ magis quàm purpurâ clarior, nos ab eo errore revocaſſet. Primâ ſpecie umbram veri aliquam ſibi aſſumit adverſariorum ſententia, cùm arbitrorum de Iba in urbe Tyrienſi judicium datum legatur: *Peretii die decimâ, ſecundum Romanos autem Februarii* XXV. *Indictione primâ*; quæ annum ſanè CCCCXLVIII. afficit. Verùm enimverò eruditi non adverterunt animum corrupto Indictionis numero, qui ex aliis temporis notis, judiciique circumſtantiis emendari debuit. Si verum igitur amamus, duo non fuere in cauſa Ibæ Concilia, quorum prius currentis anni Februario, poſterius Septembri affigitur. Sed unum idemque Concilium fuit, poſt menſem Septembrem anno CCCCXLVIII. inchoatum, annoque ſequente abſolutum menſe Februario, Quod certiſſimis argumentis demonſtratur. Primùm enim incredibile eſt, Damaſcium, Photium, Euſtathium, Uranium de una eademque cauſa geminum judicium dediſſe, cùm æquitati haud conſonum ſit, parti læſæ illos ipſos Judices iterum contribui, de quibus querelæ ſunt inſtitutæ. Quòd ſi Maras, Eulogius, Cyrus, & Samuel, Damaſcii, Photii, Euſtathii, Uranii ſententiam Tyrienſem accuſarunt, fuiſſetne congruum, ſeptem poſt menſibus illos ipſos rurſus ad litem retractandam arbitros deligi? Alios ſaltem his quatuor Theodoſius addidiſſet. Inſuper verba Tyrienſis judicii Baronianam opinionem refellunt prorſus atque coarguunt: *Poſt Conſulatum Flavii Zenonis, & Poſthumiani, venerandorum*

Bar. An. 448 n. 57.

Error Baronii.

Syn. Chalc. Act. 9.

dorum virorum Conſulum ; ſub die v. *Kal. Martiarum, in Colonia Tyri clariſſima Metropoli Conſulari, anno quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, menſis Peritbii die decimâ, ſecundum Romanos autem Februarii quintâ & viceſimâ, Indictione primâ.* Cùm annum CCCCXLVIII. aperuerint Zeno & Poſthumianus, verbis *poſt Conſulatum Zenonis & Poſthumiani*, aliuſne annus deſignatur, quàm CCCCXLIX. qui Protogenis & Aſterii Conſulatu inſignitur? Quod & oſtenditur Tyriorum Epochâ, clariſſimo obſervante Noriſio: *Annus ibi notatus Tyriorum 574. idem judicium anno Chriſti 449. peractum demonſtrat. Primus annus Epochæ Tyri cœpit per autumnum A. U. Romæ 628. Quare annus Tyriorum 574. die 10. Peritii, ſive Februarii 25. concurrebat cum anno, qui fuit à Parilibus Romæ conditæ 1202. Chriſti verò 449.*

Nor. de Epoch. Syr. Mac. pag. 405.

Ex quo conficitur, legendum non, ut Codices habent, *Indictione primâ*, ſed *Indictione ſecundâ*: cùm longè facilius ſit, numerum Indictionum mutari, quàm & Conſulatum, & Tyrienſem Epocham, quorum auxilio error Indictionis emendari debet. Denique Clerus Edeſſenus Libello ſuo Judices rogat, ut Ibas feſtinanter ſuæ reddatur Eccleſiæ, *maximè ſalutiferâ ſancti diei Paſchatis imminente, in quo & propter Catechiſmos, & propter eos, qui digni ſint ſancto baptiſmate, opus eſt ejus præſentia.* Quid illud Paſchatis eſt? Non ea ſanè feſtivitas, quæ anno CCCCXLVIII. Aprilis eſt undecimo celebrata, judice vel Baronio, quia Clericorum Edeſſenorum Libellus oblatus eſt peractâ eâ ſolemnitate: neque ulli hactenus in mentem venit Berytenſem de Iba Conventum, Martio anni CCCCXLVIII. eſſe affigendum. Clerus igitur Edeſſenus Paſcha illud indicat, quod anno CCCCXLIX. Martii XXVII. eſt agitatum. Quo luce clarius Ibæ judicium eo ipſo anno fuiſſe à Photio, Euſtathio, Uranioque finitum.

Chalc. Syn. Act. 10.

Quid in Conventu Tyrienſi Berytenſique geſtum ſit in Ibæ cauſa?

XIV. Agedum nobilem hiſtoriam è confuſione atque tenebris in lucem ordinis proferamus. Profecti Conſtantinopolim Samuel & Cyrus Ibæ Presbyteri Reſcriptum ab Imperatore impetrant, datum *ſexto Calendas Novembris*, Damaſcioque Tribuno & Notario Prætorianorum directo: *Viſum nobis eſt, ut tu pergas cum Uranio reverendo Epiſcopo Himerorum civitatis ad partes Orientales, & cooperantibus per ſingula loca Judicibus inducas reverendum Ibam Edeſſenæ civitatis Epiſcopum, & Danielem, reverendum Carrhenorum civitatis Epiſcopum, & Joannem reverendum Theodoſiopolitanum Epiſcopum in Phœnicum properare Provinciam, & ibi inquiri, quæ moventur à reverendis prædictarum Clericis civitatum tam apud prædictum religioſiſſimum Uranium, & Photium reverendum Epiſcopum Tyri Metropolis, quam Euſtathium reverendum Berytiorum civitatis adverſus ſuprà memoratos religioſiſſimos Epiſcopos.* Regiis juſſis ut obtemperarent, omnes ſe Tyrum conferunt, anno jam ad exitum properante. Judicibus additus eſt *Eulogius*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus. Ubi verò de cauſa tractari cœptum, Tyrienſibus ex lis offenſioni fuit, accuſatoribus Ibæ palam paſſimque vociferantibus impia verba hæc ab eo fuiſſe prolata: *Non invideo Chriſto facto Deo, in quantum enim ipſe factus eſt, & ego factus ſum.* Placuit ergo Judicibus, Tyro litem transferri Berytum, ut nos Photius docuit, qui hæc Chalcedonenſibus Patribus eſt locutus: *Nos tanquam mediatores, & pro timore blaſphemiarum, & pro importunitate Monachorum, & Presbyterorum juſſimus egredi eos à Tyro. Scandalizabatur enim civitas, quæ nunquam tale aliquid vel intellexerat, vel audierat.*

Chalced. Syn. Act. 10. 169.

Ut Judices Berytum venere, de lite accuratè cognoverunt: *In Colonia Chriſti amica Beryto, conſidentibus Photio, Euſtathio, Uranio, religioſiſſimis Epiſcopis, in novo Epiſcopio Beryti, ſanctiſſima nova Eccleſia, præſidente & Damaſcio, &c.* Chronologiam tamen hanc noſtram turbant verba Actioni Berytenſi præmiſſa: *Poſt Conſulatum Flavii Zenonis & Poſthumiani Vir. clariſſ. ſub die Kal. Septembris, Indictione ſecundâ.* Baronio ea ſic recudi placet, *ſub Conſulatu Zenonis.* Quæ emendatio non eſt uſui, cùm Theodoſianum Edictum, quo Conventus ille Berytenſis celebratur, datum ſit VI. Kal. Novembris. Vera ergo eſt clariſſimi obſervatio Noriſii, notas illas Chronologicas alienâ manu aſſutas eſſe: perperàm hunc annum *Indictione ſecundâ* fuiſſe notatum; cùm tertia à Calendis Septembris jam eſſet in curſu: Actaque legitima his verbis incipere, *in colonia Chriſti amica Beryto.* Ad rem ipſam nunc veniamus. Ubi Judices conſedere, dixit Damaſcius, ſe ab Imperatore delegatum, ut quæ conſtituta forent, ea executioni mandaret. Teſtatus eſt & Eulogius Diaconus, Flaviano placuiſſe, ut cauſam Uranius, Photius, Euſtathius recognoſcerent. Verba Eulogii etiam atque etiam ſunt conſideranda: *Adeuntibus reverendiſſimis Clericis, Samuele, Cyro, Eulogio, Marâ, Ablabio, Joanne, Anatolio, Cajuma & Abibo, Deo amantiſſimum Epiſcopum noſtrum, in ſanctiſſima Eccleſia regia Civitatis Conſtantinopolis, Nova Roma, & accuſantibus Ibam, Joannem & Danielem reverendiſſimos Epiſcopos, approbavit ejus Sanctitas, veſtram religioſitatem audire negotium, & ex hoc literas dedit veſtra Sanctitati.* Quam ampliſſimè Baronius triumphaſſet, ſi Ibæ accuſatores Leonem adiiſſent. Ecce ex ultimis orbis Romani partibus, ex Oſthoëne Clericos, qui ſummi Eccleſiæ Paſtoris implorant auxilium. Hic ille eſt, qui Judices huic negotio præficit, Legatumque mittit ſuum, qui interſit judicio. Præſtat tamen Flavianus hæc omnia, cui nil in Ibam, Joannem, Danielem juris, ut ex perfugiis ejuſmodi Pontificiæ autoritati nil prorſus accreſcat, quâ ad ſummum gradum aſcendat. Sed Berytenſia geſta perſequamur. Ac primùm rogatur Ibas exponere, quid in Antiochena Synodo factum fuerit. Ille verò geſta Notariis legenda tradit, de quibus inſerta mentio. Ventum deinde ad Libellos, ab accuſatoribus oblatos. Qui cùm generalem accuſationem complecterentur, ſuarum accuſationum capita ſigillatim Libellis conſignare jubentur. Objiciunt ab Ibæ fratre, & calicem gemmis ornatum, & ſex ſolidorum millia redimendis captivis deſtinata, fuiſſe intercepta. *Abrahamium* quendam Diaconum Edeſſenum, Joanni malefico amicum, ideòque excommunicatum; fuiſſe tamen ab Iba Epiſcopum abſque ſatisfactione prævia Batenenſibus impoſitum. *Balleum*, qui & pueros inibat & mulieres, creatum Presbyterum; Danielem filium fratris Ibæ, adoleſcentem ſpurciſſimum, qui *Challoam* hominis cujuſdam uxorem palam circunducebat, ad Epiſcopales honores à patruo eſſe promotum. Cruces aureas & argenteas conſanguineis ejus fuiſſe traditas. Dum memoria Martyrum celebrabatur ſacrificio peragendo, nil vini miniſtratum; villum populo diſtributum. Alia ejuſmodi multa Ibæ

Chalc. Syn. Act. 10.

affin-

Anno Dom. 448.

aſſingebantur. Hic Judices rectè monent, quæ à Legibus divinis, & Eccleſiæ regulis prohibebantur, eſſe tractanda. Rectæ fidei eſſe debere eos, qui Sacerdotio funguntur: immuneſque avaritiæ, ut ne vel lucri cauſâ pietatem prodant. Ad Ibæ ergo religionem accuſandam converſus Maras, horrenda hæc objicit, à ſe audita: Dixit, *Non invideo facto Deo, ſi voluero & ipſe, ut ille fieri poſſum.* Rogatus à Judicibus Ibas, hæccine protulitset, reſpondit, *Anathema ei, qui dixit; & ei, qui calumniatur.* Teſtes accuſatorum unus Samuel, tres Diaconos excitat, Davidem, Maram & Sabam, quos Ibas repulit. Maram, quòd poſt Libellos apud Antiochiam porrectos, unà cum eis Conſtantinopolim perrexerat. Samuelem verò refellit, quòd ſecum annis decem communione conjunctus, ab illo die permanſerat, quo ſuis ipſum monitis inſtruxerat, dicentem, *Vita mortua eſt.* Ut Ibam Maras coargueret erroris, ſic eum compellat: *B. Cyrillum non vocaſti Hæreticum?* Id oun prorſus inficiatus eſt quidem, at id à ſe factum dixit, cùm Orientis Concilium in Cyrillum torſit anathema. Urgente Marâ, an non ab eo dictum fuiſſet, Cyrillum non eſſe recipiendum, niſi ſua Capitula damnaſſet. Faſſus eſt Ibas, ſe nil ſocietatis unquam cum Cyrillo initutum, niſi Capitula fuiſſet interpretatus. Quod ubi factum eſt, tantâ ſe cum Cyrillo amicitiâ conjunctum oſtendit, ut & ad illum literas dirigeret, & ab eo viciſſim acciperet. In eo cauſæ cardo ponebatur, nùm Cyrillum defunctum hæreſeos infamaſſet. Quam ut accuſationem dilueret, Epiſtolam legendam præbuit, à ſe ad Marim Perſam ſcriptam, in qua de Joannis cum Cyrillo reconciliatione mentio eſt. Sunt autem verba hæc plurimum obſervanda, utpore quæ ſcribentis innocentiæ patrocinentur: *Communicantibus invicem contentio de medio eſt ablata, & pax in Eccleſia facta eſt.* Epiſtolæ quoque ſuæ, & Joannis ad Cyrillum, & Cyrilli ad Joannem Epiſtolas adjunxit, ut planum fieret, diſſidia omnia eſſe prorſus extincta. Obtulit & Cleri Edeſſeni Libellum, quâ quid calumniæ patiebatur, oſtenſum voluit. Teſtabantur omnes, impia hæc, *Non invideo Chriſto facto Deo*, nunquam ab ore ſui Epiſcopi audita eſſe: diris ſe devovere capita ſua, ſi noverint ſermonem tam impium, tam à fide disjunctum quandoque prolatum eſſe: ultimo ſe addicendos eſſe ſupplicio, ſi homini talia loquenti conjuncti fuiſſent, ipſiuſque ſacrificio miniſtraſſent. Complurium Clericorum ſubſcriptionibus Epiſtola muniebatur, quia florentiſſimus erat numeroſiſſimuſque Edeſſenus Clerus, qui plus minus hominibus *ducentis* conſtabat.

Ibæ cum Presbyteris ſuis diſſidium componitur.

XV. Cùm tres adducti ab Ibæ accuſatoribus teſtes exceptionem paterentur, quia cum Ibæ inimicis habitabant, Photius cum collegis curat, certis conditionibus Ibam inter & Presbyteros pacem componi: *Multis uſi conſiliis, pietatem ubique præponentes, præparavimus religioſiſſimum Ibam Epiſcopum, quod & ipſe amplexus eſt ad ſatisfactionem eorum, qui læſi dicebantur, ex ſcripto dare, quod ſentit, vel ſapit de noſtra fide, quod & fecit.* Promiſit etiam Neſtorio, & iis, qui libris ejus utebantur, anathema ſe dicturum: accuſatores Clericos pro filiis habitos benignè amplexurum: ad reditus item Eccleſiaſticos adminiſtrandos, conſtitutis de Clero œconomis rationem Eccleſiæ Antiochenæ, formamque adhibiturum: ac ſi quas meruerint pœnas Cyrus, Samuel, Maras, Eulogius, eas ſe ex Antiocheni Epiſcopi ſententia perſecuturum. Ut partibus conditiones illæ placuerunt, Judices cum litigantibus Beryto relictâ, Tyrum repetunt, nec ſine cauſa. Cùm enim ea jurgia huic civitati ſcandalo fuiſſent, viſum eſt redintegratâ ibi concordiâ offenſos in lætitiam conjici. Tyri ergo ſcribuntur pacis leges, *ſub die Kalendarum Martiarum quinto*, poſt Conſulatum Zenonis & Poſthumiani, hoc eſt, anno CCCCXLIX. Laudibus afficitur Ibas à Judicibus, quòd qui in ſuſpicionem ipſius doctrinam adduxerant, iis ſatisfactum voluerit: ac ab omni accuſatione liber pronunciatur. Conditionibus, quas ratas habebant, Samuel, Cyrus, Maras, & Eulogius ſubſcripſere. Sed verba Photii audire præſtat: *Venerunt tres quidem cohabitatores ipſis Clericis injuriantibus, & litigantibus, contra eum dicere teſtimonium. Nos diximus, quia non poſſunt cohabitantes inimicis ſuſceptibiles ad teſtimonium comprobari. Fecimus ergo eos amicos, & ſancta munera rurſus in Epiſcopio communicaverunt invicem Presbyteri & ipſe.* Initâ concordiâ Ibas Edeſſam repetit celebrando Paſchati ad diem Martii XXVII. Verùm pax ea ſex poſt menſibus in Epheſino Conciliabulo violata eſt, ubi Ibas abſens damnatur. Paucis triſtia Ibæ fata nos Liberatus docuit: *Ibam Edeſſenum Epiſcopum, ne Synodo adeſſet, per illum filium ſuum, quem ſuperius dixi Chryſaphium, in multas manſiones Eutyches relegarat exilio.*

Chalc. Syn. Act. 9.

Id. ibid.

Liberat. cap. 12.

De inordinata Epicarpii Presbyteri promotione Leonis ad Dorum Epiſtola.

XVI. Anno celebritatem addent geminæ Leonis Epiſtolæ. Prior ad *Dorum* Beneventanum Epiſcopum ea de cauſa ſcripta eſt. Presbyterorum ordinem luxatum turbaverat Beneventanus Præſul, dum juniorem *Epicarpium* antiquioribus præponit. Quæ cùm *Pauli* Presbyteri injuria eſſet, is de ea queſtus eſt, oblato Pontifici Libello: *Libello*, inquit, *Pauli Presbyteri tui, qui in ſubditis habetur, cognovimus apud te novo ambitu, fœdoque colluvio, Presbyterii ordinem fuiſſe turbatum.* Propterea gravi Dorus cenſurâ à Leone vexatur: *Miramur te, quem autoritatum Apoſtolicæ Sedis obſervantiſſimum eſſe conveneras, tam negligenter ac potius inſolenter egiſſe, ut traditarum tibi Legum non cuſtos, ſed tranſgreſſor exiſteres.* Statuit itaque Leo, Presbytero cuique gradum ſuum eſſe ſervandum, illis exceptis, qui cum præpoſito ſibi Epicarpio *indignos ſe honoris ſui ordine ſunt profeſſi, ultimi inter omnes Eccleſiæ Presbyteros habeantur.* Data Idus Martii, Poſthumiano viro clariſſ. Conſule.

Leo Ep. 5.

Leonis ad Eutychem Epiſtola.

XVII. Epiſtolâ poſteriore Leo Eutychem adiit Abbatem, in quem Euſebius ſe nondum accuſatorem intenderat. Incredibili odio in Neſtorii fautores Eutyches inflammabatur. Illiſque, ut videtur, homines includebat, qui Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſueſteni honori velificabantur, quos per cuniculos laceſſebat. Scripſerat ergo Leoni, *quòd Neſtorianæ hæreſis quorumdam rurſum ſtudiis pullularet.* Reſcribit Leo: *Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuiſſe reſcripſimus, quoniam index animi tui eſt ſermo, quem ſumpſimus. Unde non ambigimus, autorem Catholicæ fidei Dominum tibi omnibus affuturum.* Auxilium verò ſuum pollicetur, ubi illi, *quorum hoc improbitate fiat*, ſibi venient in notitiam. *Datum Kal. Juni Poſthumiano & Zenone viris clariſſ. Coſſ.* Falſum tamen Leonis omen eſſe, exitus docuit, cùm poſt ſex menſes impurus ille Eutyches ob fraudes, & hæreſim in

Digitized by Google

Anno Dom. 448

Conſtantinopolitana Synodo gradu ſuo motus fuerit.

Germani Antiſiod. in Britannias profectio: reditus. mors.

XVIII. Suâ in Britannias profectione anno CCCCXXIX. ſuſceptâ, Germanus Antiſiodorenſis lethale Pelagianiſmo vulnus inflixerat. Recuperatis poſt Sancti Præſulis in Gallias reditum viribus, rurſum convaluerat. Germanum igitur iterum adire placuit, ut gliſcenti errori remedium adhiberet. Petitioni Britannorum Germanus annuit, repetitâ inſulâ anno proximo. Quid verò emolumenti fidei rebus expeditio hæc attulerit, Conſtantius Presbyter ediſſerat: *Adjuncto Severo, Epiſcopo totius ſanctitatis viro, qui tunc Treveris ordinatus Epiſcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicabat, Pariſios iterato dum expetit, totius plebis plauſu, ut tantum virum decebat, excipitur.* Ad itineris tranquillitatem conſpirantibus elementis, navem fluctuſque ventique proſequebantur. Ut fama Germani nunciavit adventum, *Elaphius*, cujus filio cruris uſus negabatur, obviam it Præſuli. *Elaphium Provincia tota ſubſequitur. Veniunt Sacerdotes, occurrit inſcia multitudo. Confeſtim benedictio & Sermonis divini doctrina profunditur. Recognoſcit populum in ea, quam reliquerat, credulitate durantem: intelligunt culpam eſſe paucorum, inquirunt autores, inventoſque condemnant.* His peractis, Germanus Elaphii filio dexteram medicam adhibet, *ſalubremque tactum ſanitas feſtina ſubſequitur.* Vix Inſulam reliquerat Germanus, ut in Gallias rediret, cùm ad Eocharich Alamannorum Regem legationem obiit, de qua mentio facta eſt. Nec multò pòſt morte extremum clauſit diem. Ravennam petierat, ut conceſſæ Armoricis pacis conditiones firmarentur, benignèque à Valentiniano exceptus fuerat: *Ad diverſorium Sacerdotis Regina venerabilis, vas argenti ampliſſimum refertum cibis delicatioribus, ſine ulla carnis admixtione tranſmiſit. Quod ſuſceptum eâ ratione diſtribuit, ut cibos miniſtris ſuis traderet, ipſe verò vendicaret argentum, remittens loco muneris patinulam ligneam, panem hordaceum continentem. Quod illa utrumque cum gaudio ingenti complexa eſt, quod argentum ſuum tranſmiſiſſet ad pauperes, & eſcam illam beati viri cum miniſterio abjecti vaſculi ſuſcepiſſet. Nam & lignum poſteà auro ambiit, & panem multis remediis, & virtutibus reſervavit.* In ea civitate Germanus & laborum, & vitæ finem invenit. Dum nocturnus ſopor irrigat artus, videre ſibi viſus eſt Dominum, qui peregrinationis viaticum porrigebat. Peregrinationis cauſam requirenti, reſponſum: *Ne metuas, ad patriam, non ad peregrinationem te dirigo, tu habebis pacem & requiem ſempiternam.* Non multò pòſt morbo afficitur, quo ingraveſcente ad cœlum properabat. Regina Placidia depoſito imperiali ſupercilio, occurrit pauperi, requirit infirmum, tribuens quidquid ab ea beneficii poſtulat. Peculiariter ſanè petit, quod illa invita conceſſit, ut gleba corporis ſui patriæ reddetur. Septimo incommodi die ad cœlum anima felix & beata transfertur. Defuncti bonorum hæredes relicti. Placidia capſulam cum reliquiis accepit; cucullam cum interiori cilicio Petrus habuit Ravennenſis Epiſcopus: ex Antiſtitibus unus pallium, alter cingulum poſſedit, duo tunicam, duo ſagulum diviſerunt: *Acholius corpus aromatum conſtrictione ſolidavit, Regina veſtivit.* Gallia ad corpus ſibi redditum excipiendum magnificentiam adhibuit. Sedit Germanus annos & dies viginti. Sepultus eſt in ſua Eccleſia Kal. Octob. Mors Germani die Julii x. ultimo celebratur in Martyrologio Romano: *Ravennæ tranſitus S. Germani Antiſiodorenſis Epiſcopi, genere, fide, doctrinâ, & miraculorum gloriâ clariſſimi, qui Britanniam à Pelagianorum hæreſibus penitùs liberavit.* Non recto talo ſtat Baronii Chronologia, qui Germani mortem cum anno Dom. CCCCXXXV. copulat. Quem refellit Honoratus Maſſilienſis in vita Hilarii. Luce etiamnum fruebatur Germanus eo tempore, quo Chelidonii cauſa eſt agitata, anno 444. *In excurſibus autem quis ut dignum eſt explicabit, quantum ejus præſentiâ profectum contulerit civitatibus Gallicanis, S. Germanum ſæpius expetendo, cum quo Sacerdotum Miniſtrorumque vitam, nec non profectus exceſſuſque tractabat. Ubi ejus adventus innotuit, flammata ad utrumque nobilium & mediocrium ſtudia convolarunt.* A Præfectura ſeculari ad Sacerdotium raptus erat Germanus anno CCCCXVIII. Quippe deceſſor ejus Amator obierat Kal. Maii, feriâ quartâ, qui character eſt anni CCCCXVIII. jubente Cyclo Sol. 7. F. Defuncto ſuffectus Germanus annis XXX. Antiſiodorenſem Eccleſiam adminiſtravit. Animam ergo reddidit anno Dom. 448. Julii XXXI. feriâ ſeptimâ. Multis Conſtantius miraculis Germani gloriam illuſtravit, quæ *Patienti* Epiſcopo Lugdunenſi, & *Cenſorio*, Germani ſucceſſori ſignificavit. Quibus etiam teſtatus eſt, ſe potius de miraculis ipſius detriviſſe, quàm eorum ſplendorem amplificaſſe. Quin prodigia hæc candido ſinceroque calamo ſcripſerit Conſtantius, nulli dubitamus. Utrùm verò explorata ipſi, diligenterque cognita fuerint, jure in ambiguo ponitur. Conſtitutâ firmatâque ubique locorum Chriſti religione, quid tantis miraculis opus? Sapienter Seneca:

Anno Dom. 448.

Lab. Conc. t. 3. 1462.

Contemne famam, fama vix vero favet. Trag. 4.

Pollicitus erat Severo Presbytero Germanus, ſe Eccleſiam S. Stephani, quam ille pro foribus Viennæ extruebat, poſt reditum conſecraturum. Die dedicationis antequam officia inciperent, Germani corpus, quod efferebatur, tranſeundo in eam Eccleſiam invehitur, ut fide liberatâ, quam vivus non poterat, defunctus conſecraret.

Ado Chron.

ANNO U. C. 1202. OLYMP. 307. PER. JUL. 5162. JUL. 494. DOM. 449. THEODOS. 48. & 42. VALENT. 24. & 25. *Sol.* 10. B. *Lun.* 13. *Indict.* 2. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

Anno Dom. 449.

COSS. *Protegenes & Aſterius.*

Mors Marinæ Principis.

I. Luctum Imperio attulit mors Marinæ, ſororis Theodoſii, quam Latini Græcique Chronologi hunc in annum contulere. Marcellinus: *Marina*, inquit, *Theodoſii Regis ſoror fati munus implevit.* Diem, quem ultimum in terris egit, Chronicum Alex. exemit oblivioni, licet perperàm pro *Valentiniani uxore*, Marinam nobis obtrudat: *Naturæ debitum ſolvit, menſe Loo, tertio Nonas Auguſti.* Annos implevit XLVII. menſes v. dies XXIV. Extructâ *Marinæ* domo, inſignique pietate, quâ virginitatem exornavit ſuam, perpetuæ famæ mulier ea ſe commendavit. Filia natu minor erat Arcadii, qui ex Eudoxia Auguſta eam ſuſceperat, *quarto Idus Februarii*, anno Dom. CCCCIII. Theodoſio & Rumorido Coſſ. Illuſtribus viris annus quoque

Anno Dom. 449.

quoque fatalis fuit: *Ariobinda & Taurus communi vitâ defuncti ſunt.*

Marcell.

Saxonum in Britanniam adventus.

II. Britanniæ rebus maxima labente anno clades incidit, ex Anglorum in inſulam adventu, quæ quos adjutores ſperaverat, oppreſſores habuit. Ad annum Chriſti CCCCXLIX. hæc Beda ſcribit in Epitome: *Angli à Britonibus accerſiti, Britanniam adierunt.* Cujus expeditionis cauſas memorare juvat. Laceſſiti ab Hibernis Pictiſque Britanni, nec ad prædonibus reſiſtendum viribus idoneis inſtructi, cum Rege ſuo *Vortigerio* conſilium ineunt de vocandis ſibi in auxilium Saxonibus, qui graſſantes Scotos, Pictoſque repellerent. Primâ pugnâ Saxones de hoſtibus victoriam referunt: *Quod ubi domi nunciatum eſt, ſimul & Inſulæ fertilitas ac ſegnitia Britonum, mittitur confeſtim illò claſsis prolixior, armatorum ferens manum fortiorem, quæ præmiſſæ adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Svſceperunt ergo qui advenerant, donantibus Britannis locum habitationis inter eos, eâ conditione, ut hi pro patria pace & ſalute contra adverſarios militarent; illi militantibus ſtipendia conſerrent. Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, Vitis. De Vitarum origine ſunt Cantuacii, & Vectuaris: hoc eſt, ea gens, quæ Vectam tenet Inſulam, & ea, quæ uſque hodie in Provincia Occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur, poſita contra ipſam Inſulam Vectam. De Saxonibus, id eſt, eâ Regione, quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porro de Anglis, hoc eſt, de illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore uſque hodie manere deſerta inter Provincias Vitarum, & Saxonum perhibetur, Orientales Angli, Mediterranei Angli, Mercii, tota Nordhumbrerum progenies, id eſt, illarum gentium, quæ ad Boream Tumbri fluminis inhabitant, cæterique Anglorum populi ſunt orti. Duces fuiſſe perhibentur eorum primi, duo fratres, Hengiſtus & Herſus.*

Bed. H. Angl. l. 1. c. 15.

Clades Britannis à Saxonibus immiſſa.

Bed. H. Angl. l. 1. c. 15.

III. Creſcente confluentium Saxonum exercitu, cœperunt indigenis eſſe terrori: *Tum ſubitò inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius jam bellando pepulerant, in ſocios arma vertere incipiunt. Et primùm quidem annonas ſibi eos affluentius miniſtrare cogunt, quærenteſque occaſionem divertii, proteſtantur, niſi profuſior alimentorum copia daretur, ſe cuncta Inſulæ rupto fœdere loca vaſtaturos. Neque aliquando ſegnius minas effectibus proſequuntur. Si quidem, ut breviter dicam, accenſus manibus Paganorum ignis juſtas de ſceleribus populi Dei ultiones expetit, non illius impar, qui quondam à Chaldæis ſuccenſus, Hieroſolymorum mœnia, imò & ædificia cuncta conſumpſit. Hic enim & hic agente impio victore, imò diſponente juſto Judice, proximas quaſque civitates, agroſque depopulans, ab Orientali mari uſque ad Occidentale, nullo prohibente, ſuum continuavit incendium, totamque propè Inſulæ pereuntis ſuperficiem obtexit. Ruebant ædificia publica ſimul & privata: paſſim Sacerdotes inter altaria trucidabantur: Præſules cum populis ſine ullo reſpectu honoris ferro pariter ac flammis abſumebantur; nec erat, qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet.* Longum eſt, nec neceſſarium de Saxonum crudelitate & pugnis afferre plura. Quod verò ad hiſtoriam maximè intelligendam conducit, ſciendum eſt, Anglo-Saxones præter Pictorum Regionem, Britanniam inter ſe partitos eſſe, prout fortiſſimus quiſque partem ſibi aliquam vindicare potuit. Hinc ſeptem in Britannia regna à totidem adminiſtrata Regulis. I. Cantianum, eas regiones complectebatur, quæ Cantuarenſi & Roffenſi Diœceſibus continentur. II. Auſtralium Saxonum fuit, cujus fines illi eſſe putantur, quos Vintonienſes & Ciceſtrienſes Diœceſes complectuntur. III. Orientalium Anglorum erat, eo ſpatio circumſcriptum, quod Nordovicenſi & Elyenſi Diœceſibus continetur. IV. Orientalium Saxonum, per Thameſim à Cantiano ſeparatum, cui Londinenſis Epiſcopatus includitur. V. Merciorum vocabatur, Lincolnienſi, Conventrenſi, Lichfeldienſi, Vigornienſi Diœceſibus terminatum. VI. Northumbrorum dicebatur, Eboracenſi, Carliolenſi, & Dunalmenſi Diœceſibus contentum, ex ea parte, quâ ad Angliam ſpectabat, gaudente nomine *Deira*. Pars verò altera, quæ *Bernicia* nuncupabatur, in Pictorum tractus extendebatur. Septimum denique Regnum, quod Occidentalium Saxonum fuit, Bathonenſem, Vellenſem, Sarisberienſem, & Exonienſem ſibi Diœceſes vindicabat. Horum Regnorum mentio eſt Bedæ in hiſtoria. Theodori in Synodo, anno DCLXXX. congregata, quatuor ex illis Regnis Reguli interfuere: *In nomine Domini J. C. Salvatoris, imperantibus Dominis piiſſimis noſtris, Echfrido Rege Humbronenſium, anno X. Regni ejus ſub die XV. Kal. Oct. Indictione VIII. & Edilredo Rege Mercinenſium anno VI. Regni ejus, & Aldulfo Rege Eſt-Anglorum anno XVII. Regni ejus, & Lodihario Rege Cantuariorum Regni ejus anno VII.* Porro Britannis, qui ex patriæ excidio evaſerant, portio data eſt, quæ *Wallia* nomen habet. Ejus verò incolæ Valli nuncupati, quia Germani *omnes externos, qui aliam habeant linguam, ſermone patrio vocant Walsman, id eſt, peregrinos homines, pro quibus Inſulæ dominatum jam adepti, habebant eos Britannos, qui cædibus ſuperfuerant.*

Anno Dom. 449.

Bed. H. Angl. c. 4. c. 17.

Polyd. H. Angl. l. 3. 82.

Petri Chryſologi ad Eutychem Epiſtola: Cujus lacinia in dubium vocatur.

IV. Ad res Eccleſiæ progreſſuri, in magno motu Epiſcoporum, in converſione ac perturbatione diſciplinæ, pietatiſque verſamur. Tantarum Dux calamitatum Eutyches, peſtilentiſſimus ille Archimandrita, qui cœlum terramque movebat, ut prolatam in ſe Conſtantinopolitanæ Synodi ſententiam abrogaret. Ravennenſi Epiſcopo Petro Chryſologo, nec non Leoni de iniquo, uti vocabat, Flaviani judicio literas ſcripſerat. Querulo, qui ululatibus ſuis implebat orbem, ſapienter reſpondit Petrus ille Chryſologus: *Triſtis legi triſtes literas tuas, & ſcripta mœſta mœrore debito percurri: quia ſicut nos pax Eccleſiarum, Sacerdotum concordia, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio cœleſti, ita nos affligit & dejicit fraterna diſſenſio, præſertim cùm talibus oriatur ex cauſis.* Temerariis de Chriſti generatione diſputationibus improbatis, rectè ſubjungit, ſe plura reſcripturum, ſi ſibi Flavianus ſcripti aliquid ea de cauſa miſiſſet: *Juſtus mediator non eſt, qui ſic unam partem audit, ut nihil alteri parti reſervet.* Suſpicionem vellimus nobis injiciunt, quæ ſequuntur: *In omnibus autem hortamur, te frater honorabilis, ut his, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Deſiderantur hæc in duobus MS. ut à Gerardo Voſſio fuit obſervatum. Non ſatis quadrant ad alia verba Epiſtolæ: *Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longiſſimo conſervare dignetur, cariſſime & honoratiſſime fili.*

B. M. P. t. 7. p. 979.

Hic

Digitized by Google

Hîc filius à Chryſologo dicitur, rectè & appoſitè, utpote Epiſcopo, Presbyterum alloquente. Non ſatis ergo conſonum, ut paulò ſuprà, Eutychem titulo *fratris* afficiat. Denique verba, quibus Romanam Sedem extollit, apertè indicant, celeberrimam Leonis de Eutychetis hæreſi ad Flavianum Epiſtolam Petro Chryſologo jam in notitiam veniſſe. Quo tempore creditu difficillimum, ignoratam Petro Flaviani Epiſtolam, quam de Eutychis & erroribus, & perfidia, una cum geſtis Conſtantinopolitanæ Synodi direxerat. Cui quidem Epiſtolæ ſuæ, quæ numero decima eſt, Leo reſponſum voluit. Quas enim de tumultu, erroreque Eutychiano Flavianus Epiſtolas Leoni miſit, illæ cum Italiæ Epiſcopis erant communicandæ. Acceptæ autem prius fuerant, quàm inſignis de erroribus Eutychis Epiſtola conficeretur. Atqui Petrus Chryſologus ignotum adhuc ſibi fuiſſe Flaviani aliquod de Eutyche Reſcriptum, apertè teſtatur.

De Eutyche Leonis & ad Theodoſium, & ad Flavianum Epiſtola.

V. Quantâ poterant diligentiâ, tam Theodoſius, qui ope Chryſaphii Eutychi favebat, quàm ipſemet Eutyches Epiſtolis Leonem adierant, ut ipſius favorem conſiliis, quæ agitabant, elicerent. De iis ergo, quæ in Eutychem anno ſuperiore geſta fuerant, Leo ignarus atque inſolens, ſcripta ut accepit, Theodoſio reſcribit, atque Flaviano. Ac Principi quidem *non ſolum Regium, ſed etiam Sacerdotalem animum ineſſe* gratulatus, ſubjungit: *Quid autem in Conſtantinopolitana Eccleſia perturbationis acciderit, quòd ita fratrem & Coepiſcopum noſtrum Flavianum potuerit commovere, ut Eutychem Presbyterum communione privaret, nondum potuimus evidenter cognoſcere. Quamvis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apoſtolicam per Libellum doloris ſui querimoniam miſerit, breviter tamen aliqua prælibavit, aſſerens ſe Nicænæ Synodi Conſtituta ſervantem, fruſtra in fidei diverſitate culpatum. Euſebii autem Epiſcopi accuſatoris ejus Libellus, cujus exemplaria ad nos prædictus Presbyter miſit, de objectionis evidentia nihil habebat.*

Leo Ep. 7.

Iratum aliquid Leoni excitavit Flaviani hoc ſilentium, ut temperare non potuerit, quin dolorem ea de re ſuum Principi exponeret: *Ad prædictum*, inquit, *Epiſcopum literas dedi, quibus mihi diſplicere cognoſceret, quòd ea, quæ in tanta cauſa geſta fuerant, etiam nunc ſilentio retineret, cùm ſtudere debuerit primitùs, nobis cuncta reſerare. Data eſt ad Kalend. Martias, Aſterio & Protogene viris clariſſ. Coſſ.* Quam verò Flaviano Epiſtolam miſit, ea ſic habet: *Cùm Chriſtianiſſimus & clementiſſimus Imperator, ſancta & laudabili fidei pro Eccleſiæ Catholicæ pace ſollicitus ad nos ſcripta tranſmiſerit, de his, qui apud vos perturbationis ſtrepitum moverant, miramur fraternitatem tuam, quidquid illud ſcandali fuerit, nobis ſilere potuiſſe, & non potius procuraſſe, ut primitus nos inſinuatio magis tuæ relationis inſtrueret, ne de rerum geſtarum fide poſſet ambigere. Accepimus enim Eutychetis Presbyteri, qui ſe queritur, accuſante Euſebio Epiſcopo immeritò communione privatum, maximè cùm evocatum ſe adfuiſſe teſtatur, nec ſui præſentiam denegaſſe, adeò ut in ipſo judicio Libellum appellationis ſuæ ſe aſſerat obtuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptum, quâ ratione compulſus ſit, ut conteſtatorios Libellos in Conſtantinopolitana urbe proponeret.* Tantarum verò rerum ſe notitiâ inſtrui debere ſignificat, quòd nil poſſit *incognitis rebus in cujuſquam partis præjudicium definire*: flagitet Eccleſiæ tranquillitas, ut amputatis diſſenſionibus fides inviolata ſervetur. Cui nil difficultatis eſſe videtur, cùm Eutyches Libello ſuo profeſſus ſit, *Paratum ſe eſſe ad corrigendum, ſi quid in ſe inventum fuerit, quod reprehenſione ſit dignum.* Huic Epiſtolæ ea temporis nota addita eſt: *Datum duodecimo Kal. Maii*, Aſterio & Protogene Coſſ. Eſt in ea tamen manifeſtiſſimus error, quem Baronianam ſolertiam latuiſſe miramur. Cum enim Epiſtolæ hujus mentio in ea ſit, quam primo Martii die Imperatori Leo direxit, abſonum utique eſt, illam ad Flavianum *Aprilis* duntaxat *vigeſimo* confectam fuiſſe. Unâ ſaltem eâdemque temporis notâ utraque conſignari debuit.

Leo Ep. 8.

Eutyches de corruptis Actis queritur: ejus ea de re Libellus.

VI. At in Oriente longe majores quàm in Occidente fluctus Eutyches movebat. Nil appellationis quidem, ſive judicii tempore, ſive ſedente Synodo Conſtantinopolitanâ, interjecerat. Contendebant tamen ipſius fautores ab eo fuiſſe provocatum. Hinc verba Conſtantini Diaconi ad Synodum Conſtantinopolitanam, labente anno congregatam: *Eutyches dum legeretur damnatio, appellavit ſanctum Concilium Epiſcopi Romani, & Alexandrini, & Hieroſolymitani & Theſſalonicenſis.* Florentii quidem auribus ea de re aliquid ingeſſerat, ut teſtatum apud poſteros ipſe reliquit: *Turbâ factâ, & diſſoluto Conventu, dixit ad me ſilenter, appellans Romanum, Ægyptium, & Hieroſolymitanum Concilium. Et ego videns eſſe, hoc latere ſanctiſſimum & reverendiſſimum Archiepiſcopum Flavianum, abſcedens dixi ei.* Quòd ſi quærat quiſpiam, cur Antiochenum Eutyches Concilium non appellaverit, germana cauſa hæc eſt, quod Domnus adverſus Eutychem anno proximo ſeſe accuſatorem conſtituerat, ſcriptâ ad Theodoſium Epiſtolâ: *Veſtram docere cogimur pietatem, quoniam Apollinaris Hæreſiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renovare tentat.* Theſſalonicenſis verò Epiſcopus è præcipuis Antiſtitibus unus erat, & ſecundum Patriarchas eminebat. Cùm porro hujus appellationis Eutychianæ nil veſtigii eſſet in geſtis Synodi, occaſionem inveniſſe ſe putavit veterator ille, quâ Libello ad Principem dato, damnationis ſuæ Acta reſcinderentur, quæ palam falſi inſimulabat.

Facund. l. 8. c. 5.

Hæc nos ſummatim Liberatus docuit: *Eutyches obtulit preces Imperatori, queſtus de falſitate geſtorum, quaſi aliqua à Notariis ſuperaddita fuiſſent; aliqua verò dicta, nec geſtis inſerta.* Eleuſinius quoque Diaconus, publicè hæc omiſſa queſtus eſt: Eutyches, *ut coactus eſt per ſe confiteri, dixit, Quòd ſtans in conſpectu Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quem adoravi, & adoro, & adoraturus ſum, quia ita ſapio, quemadmodum Sancti Patres trecenti decem & octo ſanxerunt, qui in Nicæa, ſed & ſanctiſſimus Conventus confirmavit in Epheſo, & hæc in geſtis inſerta non ſunt.*

Liberat. c. 11.

His de cauſis veteratori in mentem venit, apud Theodoſium Acta Synodi accuſare, oblato Libello, quem noſtris inſerere Annalibus haud ſuperfluum exiſtimamus: *Piiſſimis & fideliſſimis amicis Chriſti Imperatoribus noſtris Theodoſio & Valentiniano, Patribus Patriæ, Auguſtis, Eutyches Archimandrita. In omnibus mihi poſt Deum & ſalutis & veritatis manifeſtatio facta eſt veſtra pietas, in nulla re prætermittens inquiſitionem facere eorum, quæ vel de fide, vel adverſum me calumnioſè mota ſunt. Geſta enim, quæ ſunt compoſita à reverendiſſimo Archiepiſcopo Flaviano adverſum me, legi heſterno die, & reperi contraria his, quæ acta ſunt, contineri in chartis. Nec enim quæ ipſe ad*

me

ANNO DOM. 449.

me locutus eſt, jacebant in eis, neque quæ ego locutus ſum, inſeruerunt eidem monumento. Supplico igitur veſtræ ſerenitati, conſuetè orthodoxæ fidei patrocinanti, & meæ parvitatis opinioni, ut dignetur præcipere beatiſſimos Epiſcopos, qui in hac cauſa tunc reſederant, & Notarios reverendiſſimi Epiſcopi Flaviani, & reverendos Clericos, qui ad me directi fuerant, vocantes ut occurrerem, & reverendum Diaconum Athanaſium reverendiſſimi Epiſcopi Baſilii convenire in præſentia ſanctiſſimi Epiſcopi Thalaſſii, quatenus interrogati dicant omni cum veritate mandatum ſcriptis quid noverint, ut hoc conſecutus, more ſolito laudans, gratias agam Domino & Deo noſtro Chriſto, & veſtræ ſemper pietati. Supplicis votis facillimè id largitus Princeps, Libello juſſionem hanc ſuam appoſuit: *Deponant apud reverendiſſimos Epiſcopos non ſolùm qui dudum convenerant, verùm etiam & apud reverendum Epiſcopum Thalaſſium, ut omnibus his præſentibus, quos ſupplicatio loquitur, negotii veritas inquiratur.*

Chalc. Syn. Act. 1.

Synodus Conſtantinopolitana: Acta nuperi Concilii exhiberi jubentur.

VII. Concilii Conſtantinopolitani cauſæ hæ fuerant, ad quod Epiſcopi numero triginta confluxere, quibus præfuit Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus. Mutato nomine *Theodoſium* pro *Thalaſſio* Baronius præficit Synodo, repugnante prorſus Liberato. Aderant Euſebius Ancyræ, Conſtantinus Melitinæ, Baſilius Seleuciæ, Saturninus Martianopolis, Marinianus Synnadis, Seleucus Amaſiæ, &c. Convenere omnes in baptiſterio majoris Eccleſiæ, primâ die Aprilis. Florentius Patricius, qui in ſuperiore Conventu Judicis partes obtinuerat, in hoc etiam eas implevit. Præſens erat Mammas Comes, nec non *Macedonius* Tribunus Notarius & Referendarius, qui in Synodo, jubente Theodoſio Inquiſitoris munere fungebatur. Ad cujus proſecutionem præcipiente Florentio, Eutychianarum precum lectio eſt inchoata, quibus eò tendebat verſutus homo, ut Legati ſui audirentur. Exquirente Patrum ſententiam Florentio, Euſebius Doryleenſis talia fatur: *Si per Procuratorem dicit, me jubete recedere.* Neque Eutychis poſtulatio Meliphtongo Juliopolitano arridebat, ſapienter monenti, accuſato præſentiam exhibere ſuam opus eſſe, præcipuè cùm accuſationes ejuſmodi non inſtituantur ſine periculo. Ea de re conſolendum eſſe Principem, cui non placebat, & fidem, quam ex avita traditione colit, violari, & ſanctas Eccleſiæ Leges perfringi. Ut à Macedonio auditum hanc Imperatori voluntatem eſſe, ut Eutychis Legati introducerentur, è veſtigio Eleuſinius Conſtantinus Conſtantinuſque Monachi in Conventum recipiuntur. Quibus ſtantibus, Macedonius prolatis Evangeliis, Epiſcopos rogat, in hæc verba juramentum faciant, veræne forent legendorum monumentorum profeſſiones, ab utraque parte allatæ. Nova & inopinata Epiſcopis petitio hæc fuit, itaque Baſilius Seleucenſis exclamat: *Haſtenus juramentum Epiſcopis neſcimus oblatum.* Stantibus ante altare, Deique timorem præ oculis habentibus, religioni eſſe, quæ recordarentur, candidè exponere. Omiſſo quod requirebatur juramento, quem Eutychius obtulerat Imperatori Libellus, cùm additâ juſſione ſacrâ præcipiente Florentio lectus eſt. Tum dicente Flaviano, *Diaconi & Notarii, Aſterius, Ætius, Nonnus, Aſclepiades, Procopius præſtò ſint,* ſubinde vocantur. Quibus introductis, Ætius omnium nomine hæc loquitur: *Neſcimus per veſtigia veſtra, cur vocati ſumus.* Cauſam adventus mox Florentius docuit, Actorum ſuperioris Synodi exhibitionem. Ad hæc tergiverſari Diaconos, tempus reſpondendi flagitare, ea proferrent necne? Æquam eſſe poſtulationem ſuam: ſibi periculum imminere, quòd falſi crimine apud Imperatorem accuſentur. Juſtum eſſe accuſationes proponi, ut coram Synodo diluerentur. Tum Flavianus ipſe Diaconos hortatur, quæ vera ſunt in lucem proferre, nec ullo ea contaminare mendacio, quod & requirente Ætio à Synodo mandatur.

ANNO DOM. 449.

Geſta Synodi Conſtantinopolitanæ.

VIII. Prolatis ab utraque parte Synodi monumentis, petit Ætius authentica necne forent, quæ à Monachis exhibebantur, cujus manus eſſent, à quo data, num à Notariis edita? Quæ juſtè requiri, ſi prototypa extypis non conſentirent, Florentius edixit. Dum geſta ſuperioris Synodi omnia legebantur, quibus hæc continebantur, *Magnificentiſſimus & glorioſiſſimus Patricius Florentius dixit, Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè.* Florentius negavit, hanc ſe inter locutionem protuliſſe, cujus diſcendæ non erat idoneus. Quibus auditis, Flavianus Notarios monet, id certaminis ipſorum eſſe, ac ea de re diligentius eſſe requirendum. Hìc Notarii, ut ab omni fraudis ſuſpicione liberarentur, reponunt adeſſe Epiſcopos, qui ex ore Florentii verba hæc audierant: lectioni quoque geſtorum magnificentiſſimum Patritium interfuiſſe, qui nil in Notariis reprehendit. Querenti Acta ſibi non eſſe data ad legendum, reſpondit Ætius, à nullo id Notariis mandatum eſſe. Omiſſis aliis accuſationibus, quæ ne vel nauci ſunt, ad graviorem eſt veniendum. Dixit Conſtantinus: *Eutyches dum legeretur damnatio, appellavit ſanctum Concilium Epiſcopi Romani, Alexandrini, Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis, & hæc in geſtis non ſunt inſerta.* At Florentius diſſoluto quidem Conventu, hæc ſibi ſubmiſſâ voce dicta eſſe teſtatur, quam etiam Flavianum ipſum monuerat: neque id inficiatus eſt Epiſcopus, hæc à Florentio ſibi poſt ſolutam Synodum in ſuperiora domus aſcendenti nunciata eſſe. Addidit Baſilius, ſedente adhùc Synodo proponenteque, diceret Eutyches, duas Chriſti naturas admiſtione non fuiſſe confuſas, ſe ſcire ab eo reſponſum: *Si præceperint mihi Patres, Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipſum.* Epiſcopi verò omnes, qui ſeſſioni interfuerant, uno ore atque conſpiratione certum fecere, de provocatione ne verbum quidem ab Eutyche in Conventu eſſe prolatum. Lectis Synodi Conſtantinopolitanæ geſtis Ætius ſic Patres alloquitur: non in reprehenſionem Notarios incurriſſe: verùm cùm jam diu ſit, quòd Aſterius, qui & Presbyteri & Notarii munere fungebatur, chartas omnes abſtulit, atque authentica monumenta conſonum eſſe; ſi de præſente negotio, iterum quid moveatur, ſe liberos eſſe.

Acta Conſtantinopolitana à Monachis falſi poſtulantur.

IX. Artibus ſuis nondum eò proceſſerat Eutyches, ut Acta ſuperioris Synodi infirmarentur. Novos ergo dolos machinaſque ad eam commolitur. Die quinto Kalendarum Maiarum Flavius Arſovindus, Martialis Comes & Magiſter Sacrorum Officiorum, ſacrâ juſſione cognitor litis conſtitutus, in Synodum venit, Caſtorio ſacri Scrinii à Libellis comitatus. Ingreſſis Macedonio Tribuno, magno Silentiario, Conſtantinoque Diacono & Monacho, Conſtantinus rogat, ut oblatæ Principi ab Eutyche preces legerentur.

reotur. Quæ jubente Martiali per Evithium ſacri Scrinii Libellorum Exceptorem ſunt recitatæ. Libelli ſumma hæc fuit: magnum Silentiarium, qui ſupplici cuſtos ab Imperatore datus fuerat, dum ad domum Epiſcopi tendit, ut adventum ipſius in Synodum nunciaret, de damnatione quædam audiviſſe, quæ veritatis in lucem proferri deberent; juberet ergo Princeps, Silentiarium teſtem audiri. Poſtulationi facillimè Theodoſius annuit, cujus & juſſio lecta eſt. Tum magnus Silentiarius teſtationibus ſuis comprehenſa hæc affert. Sæpenumerò ab Imperatore ad Flavianum miſſum eſſe, ut Florentius Synodo intereſſet, in Epiſcopali domo apud Conſtantinopolim celebrandæ. Dilatione tamen uſum eſſe Flavianum, eo prætextu, ne magnificus ille Patricius fatigatione afficeretur: neque ipſius adventu opus eſſe, quòd jam Eutyches damnatus erat, qui vocatus iterum, obtemperare noluerat. Subindeque oblatam ſibi chartam eſſe, quæ damnationem ipſius complectebatur. Magni Silentiarii hæc declaratio Synodi geſtis inſeritur. Inſtante rurſus Conſtantino, ut Macedonius ab Aſterio Presbytero audita referret, dixit, obvium ſibi factum Aſterium, Abrahamium Notariuſque accuſaſſe, quòd in Actis Synodi nonnulla immutaſſent. Id & in Acta relatum.

Chalc. Syn. Act. 1.

Flaviani fidei Confeſſio oblata Theodoſio.

X. His ad Principem relatis, Flaviani pietas in dubio cœpit eſſe. Quam ſuſpicionem ut expurgaret, fidei ſuæ Confeſſionem edere juſſus eſt, quam manu ſuâ & ſcripſit, & ſubſcriptam miſit Imperatori: *Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus amatori Chriſti, Imperatori noſtro Theodoſio, ſalutem. Nihil ita convenit Sacerdoti Dei, & dogmatibus erudito divinis, quàm paratum eſſe ad ſatisfactionem omni petenti rationem de ſpe, quæ in nobis eſt, & gratia. . . . Quia ergo & nos miſericordia Regis omnium Chriſti Dei, Sacerdotium tale ſortiti ſumus, ſapimus rectè, & inculpabiliter ſemper Scripturas divinas, ſequentes expoſitionem Sanctorum Patrum, qui in Nicæa convenerant, & centum quinquaginta, qui hìc congregati ſunt, & qui in Epheſo ſub ſanctæ memoriæ Cyrillo, qui fuit Alexandrinorum Epiſcopus, & prædicamus Dominum noſtrum J. C. ante ſecula quidem ex Deo Patre ſine principio natum ſecundum Divinitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine ſecundum humanitatem. Ex duabus utique naturis confitentes Chriſtum poſt Incarnationem ex Sancta Virgine & humanatum, & in una ſubſiſtentia, & in una perſona, unum J. C. unum Filium, unum Dominum confitemur. Et unam quidem Dei Verbi naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eò quòd ex ambabus unus atque idem ſit Dominus noſter J. C. Eos verò, qui aut duos Filios, aut duas ſubſiſtentias, aut duas perſonas annunciant, & non unum eundemque Dominum noſtrum J. C. Filium Dei vivi prædicant, anathematizamus, & alienos eſſe ab Eccleſia judicamus: & ante omnes Neſtorium impium anathematizamus.* Ac veluti futurorum imagine ſibi præmoneretur, eâ ratione Confeſſioni ſubſcripſit ſuæ: *Domine J. Chriſte adjuva nos.* Et iterum: *Hæc ſcripſi manu meâ ad ſatisfactionem veſtræ poteſtatis, ut confundantur calumniam facientes noſtræ ſimplici converſationi.*

Liberat. Brev. c. 10.

Flavianus Leonis accipit Epiſtolam, cui & reſcribit.

XI. Intereà Flaviano redditur Leonis Epiſtola, in qua nonnullæ cum ipſo expoſtulationes erant, quòd geſta adverſus Eutychem involviſſet ſilentio. Datæ ſunt literæ *per admirabilem Comitem Panſophium*, quibus Flavianus monebatur, quid Eutychetis ſcripto exponebatur, nempè *judicii tempore Libellos ſe dediſſe appellationis Synodo.* Leoni ut ſatisfaceret Conſtantinopolitanus Antiſtes, eam ſcripſit Epiſtolam, cujus initium eſt, *Pietate & rectâ prædicatione Verbi veritatis nihil honorabilius Sacerdotibus*; quæ licet alteri Flaviani poſtponatur in editionibus, antiquitatem tamen ſibi vindicare videtur, teſte capite quarto hujus Epiſtolæ: *Ne multa dicens, longam faciam Epiſtolam, olim quidquid egerimus, miſimus ad beatitudinem veſtram.* Quæ certum reſpectum habent ad Epiſtolam, quæ vulgò poſterior exiſtimatur: Eutychem *occurrentem in ſanctum Concilium, & voce ſuâ ſectam propriam detegentem, alienumque exiſtentem à recta fide damnavimus, ſicut docebant veſtram Sanctitatem omnia, quæ ſuper eo ſunt geſta, quæque direximus cum noſtris literis.* Porro ſuis coloribus Eutychis & doctrinam & mores egregiè pingit Flavianus: *Naturarum*, inquit, *proprietates in unione confundit. Adjecit autem & aliam impietatem, quòd ex Maria ortum eſt corpus Domini, non eſſe noſtræ ſubſtantiæ, neque humanæ materiæ.* Impii verò hominis mores ſic perſtringit: *Conniſus eſt ſanctiſſimam hujuſce loci Eccleſiam conturbare, tabulas publicè proponens contumeliarum & maledictorum plenas, & inſuper hac preces offerens piiſſimo noſtro Imperatori, eaſque arrogantiâ refertas, in omnibus divinos Canones conculcare tentans.* Sed & falſo ad Sedem Apoſtolicam appellationis commento Leonem Eutyches illuſum ivit: *Edocti ſumus, Eutychem Libellos ad vos miſiſſe plenos omni fallaciâ & aſtu, dicentem ſe tempore judicii Libellos appellationis tradidiſſe nobis, & ſanctæ Epiſcoporum tunc præſentium Synodo, atque appellaſſe ad veſtram Sanctitatem, quod nequaquam ab eo factum eſt.* Flavianus igitur compellatum multo honore Leonem ſibi adverſus Eutychis errores in auxilium aſciſcit: *Commotus itaque, ſanctiſſime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea, quæ in nos, & ſanctiſſimam Eccleſiam facta ſunt, atque ſiunt, pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundum quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem cauſam, & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare, confortare autem & piiſſimi, & Chriſto dediti ſſimi noſtri Imperatoris fidem. . . . Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſacratiſſimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur.* Quid hoc Concilii? Epheſinum proximè futurum intelligimus. Vix enim Conſtantinopolitano verba hæc aptari poſſunt. Reſponſio eſt Epiſtolæ Leoninæ, non ante Kalend. Martias Româ ſcriptæ. Quî igitur Pontificis Romani ad Theodoſium literæ, quæ hanc reſponſionem excepere, Conſtantinopolitanæ Synodo, primo Aprilis die celebratæ, impedimentum inferre valuiſſent? Sed & Leonis ad Theodoſium Epiſtola elapſo jam menſe poſt Conventum Conſtantinopolitanum fuit exarata, *octavo* ſcilicet *Kal. Junias.* Acceptis Flaviani literis Leo adverſus Eutychem auxilium pollicetur ſuum, Epiſtolâ per illuſtrem virum *Rhodanum* miſſâ. Imperatorem quoque ſcripto aditum rogat, ut intra Italiam jubeat haberi Concilium: ut perverſum Neſtorii dogma, ſic horum & impieta-

ANNO DOM. 449.

Leo Ep. 9.

pietatem, qui naturam humanam Chriſto abjudicant, damnationis neceſſitate obſtringeret. Meminit & literarum: *Quas*, inquit, *clementiam veſtram jam dudum per famulum veſtrum Epiphanium Tribunum, qui pro hac cauſa miſſus eſt, arbitror vos accepiſſe.* Flaviani verò perſolvit Epiſtolis, toto terrarum orbe celeberrima, notiſſimaque Epiſtola, quâ docuit, Scripturarum ignorantiâ Eutychem in hæreſim incidiſſe, ac in eos invehitur, qui & in duos Filios Chriſtum ſcindere moliuntur, & doloribus Filii Divinitatem ſubjiciunt, & naturarum ipſius mixturam profitentur, & cœleſtem ſubſtantiam affingunt naturæ ipſiua humanæ, & poſt conjunctionem naturam unam comminiſcuntur. Initium hoc eſt Epiſtolæ: *Lectis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuiſſe tam ſeras, & geſtorum Epiſcopalium ordine recenſito, tandem quid apud vos ſcandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuiſſet, agnovimus.* Data eſt *Idibus Junii.* Nùm verò ipſemet Leo inſignem Epiſtolam condiderit, non immeritò in dubium adducitur. Ex Veteribus quidem nonnulli Proſpero, qui Leonis à ſecretis erat, Epiſtolam vindicandam putaverunt. Marcellinus ad annum CCCCLXIII. Viviano & Felice Coſſ. hæc habet: *Epiſtola Papæ Leonis adverſus Eutychem de vera Chriſti Incarnatione data, ab iſto dictata creduntur.* Quæ totidem ferè verbis apud Gennadium leguntur in vita Proſperi.

Theodoſius de rebus Eutychis Synodum cogi ſtatuit.

XII. Dum proſternendo Eutychi Orientis Occidentiſque pietas allaborat, erroris fautores reſcindendæ Conſtantinopolitanæ ſententiæ omnes navare operam, & ſtudium volebant. Chryſaphius Eunuchus, qui idem cum Eutyche ſentiebat, impoſitarum opinione ſuæ contumeliarum impatiens, iram in Flavianum ſuam maximè auxit. Dioſcoro ſcripſerat Alexandrino, ſe illi in rebus, quæ ei placitæ eſſent, gratificaturum omnibus, ſi Eutychi defenſorem ſe conſtitueret. Eunucho facillimum erat, Principem, cujus gratiam ſibi maximam conciliarat, ad ſua conſilia perducere. Addit Nicephorus, à Chryſaphio Eudoxiam Auguſtam excitatam, iis narratis, quæ ei à Pulcheria acerba accidiſſent, quòd Flavianus rem ſecreto ſibi traditam tectam tacitamque non ſervaſſet: *Hi ambo Theodoſium permovent, ut alteram Epheſi Synodum, quæ Eutychis & Flaviani cauſam diſceptaret, celebrari jubeat.* Hanc tamen de Eudoxia Nicephori narrationem admittere oon poſſumus, Hieroſolymis ante Conventum Epheſinum verſante. Neque ullâ etiam ratione cum Leonis Epiſtolis conſentit. Ad Eudoxiam quippe de rebus Eutychis & Flaviani ſcripſiſſet, ſi adhùc in adminiſtratione rerum Conſtantinopoli floruiſſet. Imò ex Leonis ad Pulcheriam literis, quæ *Idibus Junii* datæ ſunt, Nicephori narratio potentibua veluti telis obruitur. Conſigebat enim tum curas ſuas in Reipublicæ ſalute, à cujus adminiſtratione abductam fuiſſe, tradit Nicephorus, ei duntaxat reddita, poſtquam Flavianus ſede ſua à Dioſcoro pulſus eſt. Quæ ſanè ac geminas Leonis ad Pulcheriam literas quadrare non poſſunt, prius ſcriptas, quàm prædatoria Synodus cogeretur. Perſuaſus à Chryſaphio Theodoſiua in congregandi Concilii cogitationibus volutabat animum, mentemque ea de re ſuam jam oſtenderat ante Conſtantinopolitanum Conventum, ut ex Meliphtongi Epiſcopi verbis diſcimus: Princeps *ſi juſſerit in criminali cauſa alterum pro altero decertare, &*

Niceph. l. 14. c. 47.

Synod. Chalc. Act. 1.

hoc ſuſcipimus, præcipuè quia univerſalem præcepit fieri Synodum. Id quoque mentia Theodoſio Dioſcorus indiderat, Eutychis fautor acerrimus, teſte Liberato: *Agebat apud Principem, univerſalem fieri Synodum, ut probaretur judicium Flaviani. Scripſit ergo Dioſcorus Theodoſio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oporteret, & ut fieret, perſuaſit Eutyches. Annuit Imperator.* Reſcriptis ergo ſuis Theodoſius Antiſtites Epheſum venire jubet, ad Synodum Calendis Auguſti celebrandam.

ANNO DOM. 449.

Liberat. c. 12.

Theodoſii ad Dioſcorum de Epheſina Synodo celebranda Epiſtolæ.

XIII. Extat Imperatoris Dioſcorum ad Synodum invitantis Epiſtola: *Imperatores Cæſares Theodoſius & Valentinianus, Victores ac Triumphatores maximi, ſemper venerabiles, Auguſti, Dioſcoro. . . . Imperium divino nutu ſortiti, ſubditis pro pietate & manſuetudine ſimiliter neceſſariò plurimam ſollicitudinem impartimus, quatenus & vera religio, & noſtra Reſpublica cultu Dei puriſſimo, & pietate firmâ præfulgeat.* Sic animato Theodoſio placere ſibi dicit, in unum convenire ſacros Antiſtites de componendis ob religionem diſſidiis, ne ſi tantis malis nil remedii afferretur, ea negligentia Deo contumelias inferre videretur. Subjungit, *Igitur & tua Sanctitas, ſumptis ſecum decem reverendiſſimis Metropol. Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diœceſi, & aliis ſimiliter decem ſanctis Epiſcopis, ſermone & vitâ ornatis, qui in doctrina & ſcientia recta & immaculata fidei præ cunctis apud cunctos eminent, proximis Kalendis Auguſtis Epheſum Metropolim Aſiæ, convenire abſque ulla dilatione feſtinent.* Abnuentibus adventum nil excuſationis apud ſe futurum interminatur. De Theodorito verò, erga quem malè affectus erat, ſic ſtatuit: *Theodoritum ſanè Epiſcopum Cyri civitatis, quem pridem juſſimus ſuæ ſoli vacare Eccleſiæ, ſancimus non prius ad ſanctam Synodum convenire, niſi univerſo ſancto placuerit convenienti Concilio, & ipſum concurrere, & pariter intereſſe.* Data eſt Epiſtola *tertio Kal. Aprilis.* Alteram quoque ad Dioſcorum de *Barſuma* Abbate Epiſtolam texuit, quâ ſignificabat, ad ſuam notitiam perveniſſe, Monachorum plurimos cum Epiſcopis nonnullis Neſtorianâ lue laborantibus de fide certamen iniiſſe, placere ergo ſibi, *religioſiſſimum Presbyterum & Archimandritam Barſumam, puritate vitæ, & Catholicâ fide probatiſſimum, adeſſe Epheſinæ civitati, & tenentem locum cunctorum Orientalium Archimandritarum*, cum Epiſcopis in Synodo conſidere. Data eſt *Idibus Maii.* Ipſum quoque Barſumam per literas monitum voluit, Epheſum pergeret, ut cum Epiſcopia, quæ Deo placerent, conſtitueret. Leonem & Theodoſius invitavit, ut præſens adeſſet, qui hanc ad Pulcheriam excuſationem miſit: *Auguſtiſſimus verò & Chriſtianiſſimus Imperator cupiens quàm celerrimè turbata componi, Epiſcopali Concilio, quod Epheſi vult haberi, nimium breve & anguſtum tempus indixit, diem Kal. Auguſtarum præſtituendo Conventui, cùm à tertio die Iduum Maiarum, quo ſerenitatis ejus ſcripta ſuſcepimus, major pars reliqui ſit temporis abſumenda, ut profectio Sacerdotum, qui negotio ſufficiant, valeat ordinari. Nam, illud quod pietas ejus etiam me credidit debere intereſſe Concilio, etiamſi ſecundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam poſſit impleri: quia rerum præſentium nimis incerta conditio à tanta urbis populis me abeſſe non ſineret, & in deſperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, ſi per occaſionem cauſæ Eccleſiaſticæ viderer*

Leo Ep. 13.

ANNO DOM. 449.

patrium & Sedem Apoſtolicam velle deſerere. Data eſt Epiſtola *Idibus Junii.*

Legatos ad Synodum mittit Leo. Quis Julius? Num à Juliano Coenſi diverſus?

XIV. Ad vicem ipſius, qui propius accederet, Legatos Pontifex miſſum ivit. Qua de re Imperatorem litteris monuit: *Quamvis ad diem Concilii Epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me ulla ratio permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præceſſerint, & temporalis neceſſitas me non patiatur deſerere civitatem, præſertim cùm tam evidens fidei cauſa ſit, ut rationabilibus cauſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinendum: tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum ſtudium commodavi, ut clementia veſtra ſtatutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſa æqualitate ſufficiant, quique præſentia mea impleant vicem.* Data decimo Kalendarum Juliarum. Legatorum verò omiſſa hîc nomina in aliis Epiſtolis non ſemel reperimus, illis ſcilicet, quæ & ad Flavianum, & ad Pulcheriam ſcriptæ ſunt. Verba ſunt ad Pulcheriam: *Ne autem piiſſimi Principis diſpoſitioni, quâ Epiſcopale Concilium voluit congregari, noſtra videretur præſentia defuiſſe, fratres meos, Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, filium meum Hilarium Diaconum miſi, qui vicem præſentiæ meæ implere ſufficerent.* Illa & ipſa nomina edidit in ſua ad Theodoſium Epiſtola XII. At ex melioribus MSS. clariſſimus Queſnellus oſtendit, non *Julianum Coenſem*, ſed *Julium* Puteolanum Epiſcopum à Leone fuiſſe legatum. Quod graviſſimo & argumento patet, Illâ quippe ipſa die, quâ Pulcheriæ ſignificavit, ſe Legatos Epheſum amandaſſe, Juliano Coenſi ſcripſit Epiſtolam, quæ in vulgatis editionibus numero eſt XI. Quis verò ſibi perſuadeat, legationis, quam Juliano Coenſi impoſuiſſe dicitur, in eo ſcripto non meminiſſe? Quod verò nos maximè movet, Julianum Coenſem certum facit, ſe fidei cauſâ jam Legatos amandaſſe: *Licet per noſtros, quos ab urbe pro fidei cauſa direximus, pleniſſimas ad ſanctum Flavianum literas miſerimus contra nimia impietatis errorem.* Nullo ergo numero Coenſis inter Legatos fuit. Eò gravius argumentum, quòd in Epiſtola XIX, quæ ad Coenſem dirigitur, trium Legatorum ſuorum nomina poſuit: *Quia clementiſſimus Imperator pro benevolentia ac pietate animi ſui, de ſtatu hujus, qui antè honorabilis videbatur, diligentius voluit judicari, atque ob hoc incidendum credidit Epiſcopale Concilium, per fratres noſtros Julianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, ſed & filium meum Diaconum Hilarium, & quos ex latere meo vice meâ miſi ad fratrem noſtrum Flavianum.* Non ergo Julianus Coenſis Legatus ille fuit, de quo ſuis in Epiſtolis Leo commemoravit. Synodo quoque partes Leonis implevisse Julium, teſtatur Evagrius. *Adfuit Julius item Epiſcopus, qui Leonis Epiſcopi Romani vices gerebat.* Sed & Mariani in Chronico Legatus ille *Julius* dicitur; ut juſta ſuſpicio ſit, errante calamo à Baronio ſcriptum fuiſſe, apud Marianum Scotum legi in Chronico, *Julianus Epiſcopus Puteolanus.* Nobis autem à Juliano Coenſi diverſus eſt omninò Julius ille, cùm Florentium Lydiæ Epiſcopum interpretem adhibuerit, quo Juliano Coenſi, utpote Græco, nil opus fuiſſet, ſed & abſque ullo interpretis miniſterio proximis, quæ Conſtantinopoli celebrata erant, Conciliis adfuerat. Hîc Baronium inconſtantiæ reum tenemus, qui cùm anno CCCCXLIX. *Julianum Epiſcopum Puteolanum* ſcripſerit, ad annum tamen CCCCLV. n. 78. hæc habet: *Julianus Coenſis Epiſcopus agens & ipſe vices S. Leonis.* Renati Presbyteri ne vel umbra quidem in Synodo. Breviculus hiſtoriæ Eutychianiſtarum tradit: *Presbyter Renatus in Delo Inſula morte præventus eſt.*

Leo Ep. 17.

Leo Ep. 18.

Leo Ep. 12.

Evagr. l. 1. c. 10.

Bar. An. 349. n. 38.

Lab. Conc. t. 4. 1079.

Theodoſius ad viros illuſtres de Synodo Epheſina ſecunda celebranda Epiſtolæ.

XV. Reſcripta quoque ſua ad viros illuſtres Theodoſius miſit, Elpidium ſcilicet, Comitem Sacri Conſiſtorii, Proclumque Aſiæ Proconſulem, qui in acceptis litteris incluſa ea verba reperit: *Quoniam altera iterùm contra divinam fidem excitata eſt dubitatio, ſecundam hanc Epheſi fieri Synodum ſancimus, mali radicem omninò exſcindere cupientes.... Ideò igitur & Elpidium virum ſpectabilem, Comitem ſacri noſtri Conſiſtorii, & Eulogium virum ſpectabilem, Tribunum & Notarium ad hanc cauſam elegimus, ſicut dignos hoc adminiſtrare negotium, & idoneos multorum teſtimonio comprobatos, quibus volumus neceſſarium à te conferri præſidium, per quod omnis ab his, quæ aguntur conturbatio repellatur, & ex noſtra ſerenitatis juſſione nullus tumultus fieri permittatur.* Id porro Elpidio injungit oneris, ne civilis ulla cauſa prius tractetur, quàm de fide conſtitutum ſit. Synodo quoque hæc nunciat. Quandoquidem Flavianus, licet ſæpius à ſe rogatus, ab Eutychianis litibus diſcedere noluerit, neceſſarium duxiſſe, ut Epiſcopi unà confluentes, motis quæſtionibus finem imponant, Neſtorii ſectatores ab Eccleſiis pellant; fidemque Catholicam firmam inconcuſſamque cuſtodiant, quòd ſalus imperii ex ſanctis Antiſtitum & orationibus, & fide pendeat. Ad Dioſcorum verò ſigillatim ſcribit, vetuiſſe ſe Theodoritum Synodo intereſſe, utpote qui olim contraria iis protulerit, quæ de fide Cyrillus tradiderat. Ac ſe ſuſpicione aſſecutum, Neſtorii fautores omnem curam collaturos, ut adeſſet Synodo, neceſſarium ideò duxiſſe, ut Dioſcorus caput Synodo præficeretur: perſuaſum quoque habere ſe, Juvenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſiumque Cæſareæ Epiſcopum ipſi ſanctitate & pietate radianti conſenſuros; eos verò, qui de Nicæna, Epheſinaque Synodo aliquid imminutum detractumque vellent, ſe autoritate omni privare ferendi ſuffragii.

De die, quo Synodus incepit Epheſina. Præſides Synodi. Num Epiſcopus à Leone legatus Dioſcoro conſederit.

Bar. An. 449. n. 77.

Error Baronii.

XVI. Octavo Auguſti die Epheſini Antiſtites in Conventum prodeunt. In vulgatis editionibus legitur, *quarto Idus Auguſti*, cui Baronius etiam Synodi alligat initia. Hunc tamen errorem ſuum, ſimulque communem lectionem, ex ipſa Præfatione emendare debuit, quæ primam Conventus diem *Meſori quintam decimam* aſſignat. Prima autem Meſori in Julii XXV. incidit, proindeque *decima quinta* Auguſti octavæ cohæret. Sic ergo reſtituenda Synodi Præfatio: *Tempore Protogenis & Aſterii, venerabilium Coſſ. ſexto Idus Auguſti, ſecundum Ægyptios Meſori XV. Indictione 2. Synodo congregatâ Epheſi Metropolis, ex præcepto religioſiſſimorum & Chriſtianiſſimorum Deo amiciſſimorum, & amantium Chriſtum Imperatorum, & reſidentibus in ſancta, quæ vocatur Maria, reverendiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Dioſcoro Alexandriæ, & Juliano* (Julio) *Epiſcopo agente vices, & tenente locum ſanctiſſimi, & beatiſſimi Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Leonis, & Juvenale Hieroſolymorum, & Domno Antiochiæ, & Flaviano Conſtantinopolis, Stephano Epheſi, Thalaſſio Cæſarea Cappadociæ primæ*, &c. Interfuere Epiſcopi centum & triginta, qui ex Ægypti, Orientis, Ponti, Aſiæ, Thraciæ Diœceſibus Epheſum

Digitized by Google

ſum confluxerant, ut ad formam, numerum, dignitatem Præſulum nil requireretur, quominus pro Concilio Oecumenico haberetur. Synodo Leonis Legatos adfuiſſe, nec tamen præfuiſſe liquet, Conventus Principem agente, Dioſcoro Alexandrino. *Julius*, ſive *Julianus*, quocunque nomine vocetur, ſecundum duntaxat locum obtinuit, etſi Romani Pontificis vices impleret. Quin etiam *Hilarius* Diaconus Rom. & *Dulcitius* Notarius, quos Leo ad Synodum miſerat, Epiſcopis omnibus poſtponuntur. Renato Presbytero nil loci aſſignatum, quia mortem obierat. Quem in eo Conventu locum obtinuere Legati Romanæ Sedis, Aulicos malè habet. Itaque hoc inficiator N. Alexander, in *conſeſſum admiſſos* fuiſſe, aut *Dioſcoro conſediſſe*. Præſidium opinionis hujus in *Liberato* collocatur: *Sedentibus in Baſilica Dei genitricis Mariæ, illis Epiſcopis, Eccleſiæ Rom. Legati vices habentes Papæ Leonis aſſidere non paſſi ſunt, eò quòd non fuerit data praſeſſio ſanctæ Sedi eorum. Inſuper etiam, quòd non lecta fuerat ad Flavianum Epiſtola, in Eutychis damnatione à Papa Leone ſcripta, & recuſata fuerat Epiſtola per ſupra memoratos Legatos ad ipſam Synodum directa.* Attamen falſum fuiſſe Liberatum, ipſe Leo teſtis eſt. Ac primùm cùm in ſua ad Theodoſium Epiſtola de perturbatione, iniquitateque Synodi graviter expoſtulet, ne verbulo quidem uno queritur, Legatos ſuos ad conſeſſum admiſſos non fuiſſe, etſi Epiſcoporum à Dioſcoro rejectorum meminerit: *Alios*, inquit, *rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſuprà dicti Sacerdotis arbitrio impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederent.* Hoccine igitur involviſſet ſilentio, Julianum atque Hilarum *non conſediſſe, ut Sedis Apoſtolicæ dignitati conſuleretur?* Præterea Legatos ſuos Conventui interfuiſſe, diſertè Leo profitetur verbis proximè ſequentibus: *Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi, adeò impium & Catholicæ fidei contrarium eſſe viderunt, ut ad conſentiendum nullâ potuerint oppreſſione compelli, conſtanterque in eadem Synodo, ut decuit, fuerint proteſtati, nequaquam id, quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam.* Neque de fide adhùc tractatum. Quantò magis de injuria ſuæ dignitati illata, queſti fuiſſent. Denique qui rerum ſpectatores Legati eſſe potuiſſent, ſi ipſi debitus honos non ſervatus fuiſſet, quo violato, Synodum quidem ſubinde deſeruiſſent. Quin ergo aliquandiu ſecundo loco ſederit Julius Leonis Legatus, nulli dubitamus. Illudque etiam ex verbis Orientalium Epiſcoporum, Chalcedone verſantium colligitur, qui *Beroniciano* hæc recitante, *Juliano Epiſcopo agente vices, beatiſſimi Epiſcopi Rom. Eccleſiæ Leonis*, è veſtigio exclamarunt, *Ejectus eſt*, quod non Synodi ſub initia factum eſt, teſte & Legatorum Romanorum memoratâ interceſſione, cùm Dioſcorus ſuſpectos ſibi Epiſcopos excludebat, & Hilarii ad Synodum ſermone, qui Auguſtei Reſcripti lectionem excepit. Animo igitur cuſtodiatur Theodoſium Vicariis Leonis primas in Synodo non detuliſſe. Leonem de ea re apud Imperatorem non queſtum eſſe: Chalcedonenſe Concilium id moleſtè non tuliſſe, licet impatienter audiverit, locum Flaviano ſuum non eſſe contributum. Orientales enim ſubitò exclamarunt, ubi novere, poſt Juvenalem, & Domnum Flavianum ſediſſe, *Flavianus in proprio loco quare non ſedit?* Quidni ſimiliter vociferabantur Julius Leonis Legatus, *In proprio loco quare non ſedit?* Cur Synodi Principem non egit? Nondum quidem eo faſtigiò aſcenderat Pontifex Romanus, ut ipſius Legati Patriarchis omnibus in Synodis Oecumenicis præponerentur. Porro, ſi verum intelligimus, licet à N. Alexandro negatum, extitere quidem multi Præſides Synodi hujus, quæ nullâ ordinis perturbatio fuit, atque confuſio. Primus omnium *Dioſcorus* ex Principis mandato: ſecundus Juvenalis. Sed & ipſe Thalaſſius Cæſarienſis Præſidis munere functus eſt, quod liquet ex Dioſcori interlocutione: *Non mihi ſoli ſacratiſſimus noſter Imperator commiſit judicium, ſed & beatiſſimo Juvenali, & ſanctiſſimo Epiſcopo Thalaſſio auctoritatem Synodi dedit.* Itaque in Chalcedonenſi Synodo tres illi Epiſcopi à Judicibus ſunt interrogati, quanam de cauſa Leonis literæ non ſunt recitatæ? Quibus reſpondit Thalaſſius: *Unum ſcio ego, quia neque prohibui, neque verò tantùm auctoritatis habebam, ut ſolus ego de lectione diſponerem.* Quæ Præfecturæ obſcura non ſunt indicia. Quam etiam in Epiſtola Theodoſii ad Dioſcorum agnoſcimus: *Reverendiſſimus Archiepiſcopus Hieroſolymorum Juvenalis, & beatiſſimus Archiepiſcopus Thalaſſius, & omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxæ fidei conſentanei erunt tuæ beatitudini, radianti per Dei gratiam, honeſtate vitæ & Catholicâ fide. . . .* Num ex tot Præſidum multitudine plus perturbationis oritur in Synodo, quam in ſuprema Curia? Ubi ſervato tamen ordine plures exercere Senatus Principes exploratum eſt. Præcipuè N. Alexandri de uno Præſide ſententiam damnat ipſemet Leo, Epiſtolâ LI. ad Pulcheriam, c. 3. *Penè omnes, qui in conſenſum Præſidentium aut traducti fuerant, aut coacti, reſcindendo quod ſtatutum fuerat ab illis, . . . Apoſtolicæ pacis gratiam ſunt adepti.* Quid Leoni venit in mentem, ſi unus duntaxat Synodi Epheſinæ Præſes fuit, vocem adhibere pluralem *Præſidentium?* Sed plures quoque Synodi Præſides numerantur in Breviculo hiſtoriæ Eutychianiſtarum, quæ de Conciliabulo Epheſino hæc habet: *Adſunt ferè* CXL. *Epiſcopi, Principibus Dioſcoro Alex. Epiſcopo, Juvenali Hieroſolymorum, Thalaſſio Cæſarienſi, Euſtathio Berytenſi, Euſebio Ancyritano, Baſilio Iſauria.*

XVII. Ubi conſedere Præſules, Joannes Presbyter & Primicerius Notariorum dixit, Imperatoribus placuiſſe, ſanctam & magnam Synodum cogi, ut motæ de fide Catholica quæſtiones radicitùs evellerentur, ideòque & Nicæna, & Epheſina Decreta eſſe diligentiſſimè cuſtodienda. Poſtquam jubente *Dioſcoro* Reſcriptum Theodoſii de convocanda Synodo lectum eſt, *Julius*, qui Leonis partes implebat, Florentio Sardenſi Epiſcopo Interprete uſus, Leonem eodem tenore ab Imperatoribus ad Synodum vocatum eſſe, teſtatus eſt. Subjungit Hilarius Diaconus Sedis Rom. Legatus alter, Leonem quidem à Theodoſio invitatum fuiſſe, cujus pietati id placere potuit, ſi eſſent inter exempla Pontificum Romanorum profectiones ejuſmodi. Verùm ex illis neminem unquam Orientalibus Conciliis adfuiſſe, non Nicænæ, non Epheſinæ. Leonem ergo morem conſuetudini gerentem Legatos miſiſſe, qui vice ſuâ fungerentur. In ſuis Legatis præſentem eſſe, quibus exploratè cognita erant omnia, quæ agenda forent, tum fidei defendendæ, cùm debitæ Sancto Petro Apoſtolo reverentiæ ſervandæ. Per

[Margin notes: N. Alex. Sec. 5. 346. — Liber. c. 12. — Leo Ep. 25. — Chalc. Act. 1. — Lab. Conc. t. 4. 1079. — Geſta Synodi Epheſinæ ſecundæ.]

Legatos ergo ſuos reverendiſſimis Præſulibus Epiſtolas direxiſſe, quæ & ſuſcipi debent, & recenſeri. Cur Julio Legato verba hæc clariſſimus du Pin aſcripſerit, prorſus ignoramus: *L'Evêque Legat fit les excuſes de St. Leon, de ce qu'il n'étoit pas venu lui même au Concile.* Atque non à Julio, ſed ab Hilario Diacono Leonis ſunt allatæ excuſationes. Ubi orationem abſolvit ſuam, Dioſcorus dixit: *Suſcipiantur quæ ſcripta ſunt ad hanc ſanctam, & univerſalem Synodum à ſanctiſſimo fratre noſtro, & Coëpiſcopo Leone.* Atque hic N. A. eandem nobis compulſare liceat, negantem Leonis Vicarios Dioſcoro conſediſſe, pari patique mendacii verba hæc accuſantem, *Reſidentibus ſanctiſſimis Epiſcopis, Dioſcoro Alexandriæ, & Juliano Epiſcopo agente vices, & tenente locum ſanctiſſimi & beatiſſimi Epiſcopi Rom. Eccleſiæ Leonis.* Quippe hæc ſi falſa ſunt, conſequens etiam eſt, falſum itidem Julium, Hilariumque & interfuiſſe, dum Theodoſii literæ legebantur, & Hilarium abſentiam excuſaſſe Leonis, ipſiuſque literas Synodo reddidiſſe. Quis enim fingat animo, hæc ab eo dicta fuiſſe, ſi loco non ſuo Julius Epiſcopus poſitus fuiſſet, cùm præcipuè id teſtetur Hilarius, Leonis Legatos ea obtutos, *quæ ad S. Petri Apoſtoli pertinent reverentiam?*

Eutyches Libellum offert Synodo: abſolvitur unà cum ſuis Monachis.

XVIII. Porrectis Leonis literis Joannes ſubmonet, Imperatoris literas Dioſcoro redditas, quarum lectione opus erat. Quæ jubente Juvenale recitantur. Hoc erat mandatum, ut *Barſumas* in Conventum admitteretur. Lectis Epiſtolis, quibus formam Synodus accipiebat ſuam, Thalaſſius Præſulibus ſignificat, Imperatoris in animo id inſidere, ne quidquam prius ageretur, quàm de fide conſtitueretur, quod *Julius* Leonis Legatus benignis auribus auditum comprobavit, qui interprete Florentio dixit, *Neque enim aliud præceptum eſt.* Suffragio quoque ſuo propoſitum hunc ordinem, ut de fide prius ageretur, commendavit Elpidius Comes. Hic Dioſcorus interfatur: Imperatorem de diſſidiis nuper in regia urbe exortis Synodum convocaſſe: fidem à Patribus expoſitam denuò exponendam non eſſe: id unum agitandum, ut nempe quæratur, quæ emerſerunt, Patrum ſtatutis eſſentne conſentanea: *nemo ordinat ordinata*: ad hæc Synodus, *Hæ ſunt voces Sancti Spiritus: cuſtos regularum, per te vivunt Patres, cuſtos fidei.* Quæ tamen dicta unquam fuiſſe, Theodorus Claudiopolitanus Chalcedone inficiatus eſt. Ventum è veſtigio ad res Eutychis, monente Elpidio. Ingreſſus Eutyches, Patres citat fidei ſuæ teſtes, pro qua in priore Epheſino Concilio totis viribus certaret: cujus fidei proferre ſe Libellum ait, palam recitandum, Synodique monumentis inſerendum. Verba Libelli hæc erant: *Gratias ago per omnia Sancto Deo, præſenti die, in qua per vos primas recipit fiduciam, & video veſtram ſanctam Synodum, quæ in me, magis autem contra veſtram fidem commiſſa ſunt. Propoſitum quidem mihi fuerat à pueritia, in ſilentio abſque ullo negotio uſque ad decrepitam ſenectutem degere, & abſque ulla conturbatione conſiſtere. Non ſum autem permiſſus tali frui propoſito, ſed & peſſimis periculis inſidiantium verſandatus ſum, quòd ſecundum definitionem prioris veſtri hic congregati Concilii non acquievi contra eam, quæ in Nicæa à ſanctis Patribus fides eſt expoſita, ſapere.* Quibus Symbolum Nicænum addit, quod à majoribus acceptum, à teneris unguiculis ſe amplexum eſſe tradit. Nihilominus ſe pium, ſe priſcæ fidei tenacem ab Euſebio Dorylæenſi apud Flavianum, Epiſcopoſque complures, qui privatis de cauſis in urbe regia degebant, accuſatum fuiſſe hæreſeos. Ipſis in mentem veniſſe, ſeſe quaſi egredi Monaſterio non auſum, ut contumacem poſſe damnari: Conſtantinopoli verſantem à magno Silentiario audiviſſe, ante negotii ſui diſcuſſionem jam decretam eſſe damnationis ſententiam. Noluiſſe tamen præſentiam ſuam negare; dicenti ſibi placere Nicæna Epheſinaque Decreta, injunctum eſſe alia profiteri, flagitantique, ut futuræ Synodo innoteſcerent, quæ prius ſcriptis mandabatur, ſubitò lectam fuiſſe damnationem ac caniciem ſuam, multaque commiſſa cum Hæreticis prælia Flaviano deſpectui fuiſſe, à quo & abſciſſus ab Eccleſia, & Presbyterio motus, & Monaſterii Præfecturâ ejectus fuit. In diverſis & Oratoriis, & Monaſteriis ſententiam fuiſſe promulgatam: ſe ſollicitis igitur precibus Synodum ambire, ut tantarum calamitatum Duces Eccleſiaſticis regulis ſubdere velit. Ad hæc Flavianus, Euſebium, qui accuſatoris nomen ſuſtinebat, adeſſe jubet. Verùm interceſſit Elpidius Comes, eâ ratione, quòd qui de ea cauſa judicandi provinciam jam obierant, non poſſent iterum Judices exiſtere: ideò Patres conveniſſe, ut de ipſiſmet Eutychis judicibus judicium inſtitueretur. Cùm Epiſcopis omnibus placuiſſet, Conſtantinopolitana de Eutychis abdicatione Acta legi, Dioſcorus ad Julium Leonis Legatum converſus ab eo quærit, placeretne prius quæ in urbe regia facta ſunt, recitari? Julius adhibitâ Florentii Sardenſis ad interpretandum operâ, dixit, *Eâ ratione volumus geſta legi, ut prius Papæ legatur Epiſtola.* Quibus Hilarius, Legatus Leonis alter hæc addidit: *Quoniam & ſanctiſſimus Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, relictu ſibi iſtis monimentis, quorum nunc quæritis lectionem, tranſmiſit Epiſtolam, eam legi jubete.* Priuſquam Synodus poſtulatum perageret, Eutyches interfatur, injectam ſibi de Legatis eſſe ſuſpicionem, utpote qui unà cum Flaviano in conviviis in tecto fuerant, à quo etiam muneribus donati. Dioſcoro viſum eſt, prius Acta legi quàm Leonis Epiſtolam. Impudenter more ſuo Eutyches contendit, Acta Conſtantinopolitana corrupta fuiſſe. Fruſtra fuit Flavianus, qui ut vera eſſe demonſtraret, regerebat acta hæc eſſe, Thalaſſio, Euſebio, magno Silentiario præſentibus, factoque examine, nil falſi inventum eſſe; præſentes, qui adfuerant Epiſcopos, quæ audierant, Deo teſte prædicaſſe. Prævaluit magni Silentiarii falſum teſtimonium. Non eo conſilio Synodus cogebatur, ut veritati litaret. Actis igitur recitatis, Epiſcopi Eutychi quaſi miſero & innocenti, reſtitutionis ſuxilium tulerunt. Dioſcorus addito ſuo ſuffragio, ſancit Eutychem in Presbyteris numerandum, ſuoque ut prius eſſe Monaſterio præficiendum. Sic Eutyches de Flaviano, de Conſtantinopolitana Synodo, de veritate triumphavit, eo prætextu, quòd & Nicænæ, & Epheſinæ doctrinæ aſſentiebatur. Vix ſententia pronuntiata erat, cùm adeſſe Monachi Eutychis cum Libello, cui Monachi XXXVII. ſubſcripſerant, in quibus erant Diaconi XIII. & tres Subdiaconi. Oblatis Epiſcopis Libellus jubente Euſebio Ancyrano ſuſceptus, à Joanne recitatur. Libello hoc ſuo exponebant, Flavianum Abbati ſuo calumnias ingeſſiſſe, quòd non adeſſet cum eo blaſphemias,

Anno Dom. 449.

phemies, præter & Nicænum, & Epheſinum Concilium, Injunctum ſibi per *Theodorum* Presbyterum fuiſſe, ut à ſuo Paſtore recederent: ſecus ſcirent, à ſacrorum communione ſe prohibitos: ea de cauſa ſanctum altare ſex antè menſes, quàm contra Eutychem conjurarent, ab ipſo Flaviano conſecratum, inutile ad ſacrificium remanſiſſe. Eò lachrymantes inveniſſe Natalis Dominici feſtivitatem, atque Epiphaniorum diem: ſuperveniſſe paſſionis tempus, ſacram noctem Paſchæque celebritatem, in qua peccatoribus Eccleſiaſtica vincula ſolvantur, facinoroſique à Principe catenæ eximuntur: nil tamen clementiæ ab Epiſcopo ſuo fuiſſe conſecutos: flagitare ſe ereptam injuſtè ſibi communionem reddi; quod à facili Synodo impetrarunt.

Flavianus damnatur. Vis illata Epiſcopis impetrandæ ipſius abdicationi.

XIX. Præludium hoc fuit atque portentum majoris tragœdiæ. Flavianus enim Chryſaphio, Eutychique victima deſtinabatur, quæ ut non ſine ſpecie rationis aliqua mactaretur, lectâ Epheſinæ Synodi Actione ſextâ Dioſcorus magnus magnorum, & ſcelerum & dolorum machinator dixit, à Nicænis Epheſiniſque Patribus decretum eſſe, ſi quis præter ea, quæ conſtituerant, dixerit, ſapuerit, aut quæſiverit, pœnæ ſubjaceat: itaque rogare ſe Epiſcopos, ſententiæne ſint ejuſmodi. Cùm omnium ore, atque conſpiratione & Nicæna, & Epheſina fides comprobaretur, Hilarius Leonis Legatus interprete Florentio dixit, hanc fidem Apoſtolicæ Sedi venerationi eſſe, quam & literis ſuis inſeruit, *quas ſi juſſeritis recitari, cognoſcetis conſonas eſſe veritati.* Dum Actio Epheſinæ Synodi legeretur, eâ fuit ſagacitate Oneſiphorus Iconii Epiſcopus, ut ſubmiſſâ voce ſibi conſidentibus dixerit, Regula iſta propter nil aliud legitur, niſi ut Flavianus damnetur Epiſcopus. Cui Epiphanius Pergenſis, *Abſit*, inquit, *ſed ſi aliqua fortè indignatio procedat, contra Euſebium utique futura eſt.* Lectis Epheſinis monumentis Dioſcorus confeſtim jubet adeſſe Notarios, qui Flaviani damnationem excalere. Tum Dioſcorus benè diſſimulatam fraudem indicat. Scilicet Flavianum quondam Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, Euſebiumque Dorylei, qui ſanctiſſimis Eccleſiis ſcandalo fuere, *Synodicis olim à ſanctis Patribus definitis damnationibus ſubjacere: unde & nos Flavianum, & Euſebium ab omni Sacerdotali & Epiſcopali dignitate eſſe judicavimus alienos.* Interfatur Flavianus his verbis, *appello à te.* Sic vetus verſio: Græca tamen aliud ſonant: *παραιτοῦμαί σε*, *te recuſo*, non dixit *ἐπικαλοῦμαι*, *appello* ſive Leonem, ſive Concilium. Quia tamen ab injuſta Dioſcori ſententia à Flaviano eſt appellatum, nil pugnamus, quin antiqua verſio retineatur: eò magis, quòd ante ſententiam multa Dioſcorus fecerat, quibus in ſuſpicionem adducebatur. Imò queſtus erat Flavianus, ſibi loqui negatum. Pronunciante judicium Dioſcoro, Hilarius quoque Eccleſiæ Romanæ Diaconus dixit, *Contradicitur.* Oneſiphorus Iconienſis, Marinianus Synnadenſis, Nunnechius Laodicenus, aliique Dioſcori genua amplexi, rogabant eum, ne qui Presbyteros haberet, Presbyteri unius cauſâ damnaret Epiſcopum. At immotâ mente dixit, *Etiamſi lingua mihi præcidatur, aliam vocem non emitto.* Advoluti tamen ſuperbi Præſidis genibus permanebant, ut precibus eum flecterent, cùm hanc vocem emiſit, *Ubi ſunt Comites?* Qui ingreſſi, adducunt *Proclum* Proconſulem, magnâ hominum catervâ cum catenis comitatum. Irruunt milites in Eccleſiam cum armis; inſtant Monachi, Duce *Barſuma*, ſui nominis homine. Quidni enim deduceretur à vocibus Hebraicis בר שוה quæ *filium deſolationis* ſonant? Notarii quoque Dioſcori, furoris Domini ſui participes, indigna perpetrant, teſte Stephano Epheſino, cujus hæc verba ſunt: *Excipiebant Notarii mei Julianus, qui nunc eſt reverendiſſimus Epiſcopus Lebedo, & Criſpinus Diaconus. Et venerunt Notarii reverendiſſimi Epiſcopi Dioſcori, & delerverunt tabulas eorum, & digitos eorum penè fregerunt, volentes tollere & thecas eorum.* Oblata Epiſcopis pura charta eſt, cui ſubſcriberent, teſte Acacio Ariarathiræ Epiſcopo: *Pura charta ſubſcripſimus, compulſi & violenter, & multa mala perpeſſi, & per potentiam oppreſſi.* Eò vis proceſſit, ut ad veſperam uſque Eccleſiæ includerentur Epiſcopi. Languidis exeundi facultas nulla præbebatur: gladiis, fuſtiſque à Monachis militibuſque intentatis, ſubſcriptionem extorquebant. Si qui paulò generoſiores repugnabant, poſtridie mutatis ſubſcripſere, quod nos Stephanus monuit Epheſinus: *Si qui Epiſcoporum non ſcripſerunt, ego eos in fide mea ſuſcepi, & alio die ſubſcripſerunt.* Hilarius ne Leonis Legatus ſubſcribere cogeretur, effugit. Verba ipſius audiantur ad Pulcheriam Auguſtam: Dioſcorus *poſteaquam injuſta ejus voluntati, atque ſententiæ communicare non potui, ad aliud Concilium terroribus atque inſidiis me evocare conatus eſt, quatenus me, quod abſit, aut ſeductionibus faceret conſentire ad condemnandum ſanctiſſimum Flavianum Epiſcopum, aut reſiſtentem teneret, ut mihi non eſſet licentia ad pietatem veſtram Conſtantinopolim percurrere, aut ad Eccleſiam Romanam remeare.* Id periculi tamen effugit Hilarius: *Omnibus derelictis cunctis diſceſſi, per incognita & invia loca Romam veniens, ut reverendiſſimo Papa omnium, quæ in Epheſo geſta ſunt, nunciator exiſterem.*

Ibæ, aliorumque damnatio.

XX. Poſtridie Dioſcorus ſui ſemper ſimilis, inauditum abſentemque Ibam Edeſſenum damnationis obruit ſententiâ. Miris modis Eutychi favebat *Uranius* Himerorum Epiſcopus, qui in ejus gratiam accuſatores adverſus Ibam compararat. Quò faciliùs proſterneretur, Eutyches prohibuit, ne in Conventum admitteretur. Per quadraginta manſiones, per diverſos ſibi ſuccedentes ordines ductum, viginti & amplius carceres Ibam mutare coëgit, quaſi carceribus vacua eſſet Antiochia. Eò pertinent verba Liberati, quibus quæ ſummatim Epheſini prædones in Epiſcopos complures conſtituere, continentur. Itaque noſtris Annalibus ea inſeremus, non minimo Lectorum compendio: *Synodus juſſione Dioſcori Ibam Edeſſenum damnavit, ut abſentem, multis neſcientibus Epiſcopis, quid de illo actum fuiſſet. Et tertiò vocatum, tanquam contemptorem, & non occurrentem ad ſanctum Concilium; damnavit abſentem. Clamabatur autem, quoniam teſtimonium contra eum perhibebatur ab adverſariis, tanquam dixiſſet, Non invideo Chriſto facto Deo, quoniam ſi volo & ego fio: & quaſi dixiſſet, hodie Chriſtus factus eſt Deus, & alia hujuſmodi, & propter Epiſtolam ad Marim ab Iba directam. Iterùm Synodus autore Dioſcoro Theodoritum Epiſcopum Cyri damnavit abſentem, & nec egreſſum de ſua civitate, propter illa, quæ ſcripſit contra duodecim anathemata Cyrilli, & propter Epiſtolam miſſam ab eo Clericis & Monachis & Laicis, contra primam Epheſi Synodum ante Eccleſiæ*

Liberat. c. 12.

Anno Dom. 419.

ANNO DOM. 449.

pacem. Ad hæc damnavit memorata Synodus Euſebium Epiſcopum Doryleı, eò quòd dixerat duarum naturarum perfectarum Chriſtum. Et cum eo damnavit ſimiliter Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quaſi male damnantem Eutychem, & quia dixerit, in duabus naturis cognoſci Chriſtum. . . . *Depoſuit quoque & Sabinianum Epiſcopum Perrenſium. Poſt autem omnes & Domnum Antiochenum, remanentem ab Orthodoxorum diſpoſitione, quia particeps factus Dioſcori in depoſitione Orthodoxorum, & Eutychetis abſolutione. Depoſitus eſt autem dolo Dioſcori ſic. Poſtquam conſenſu in omnibus Dioſcoro, datis in medio ejus Epiſtolis, quas ad ipſum Dioſcorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula ſcripſerat, eo quòd eſſent obſcura, damnavit ægrotum & abſentem illâ die.* Iniqua quidem fuit hæc Dioſcori ſententia: eâ tamen dignum ſe præbuit ignaviâ ſuâ Domnus, cujus audita vox in Epheſino Conventu, ſtolida & propè vecors, dum & Eutychem abſolvit, quem apud Theodoſium erroris ſcripto ipſemet accuſaverat, & Flavianum innocentem damnat. Domno autem Maximus, Ibæ Nonnus, Sabiniano Athanaſius ſufficiuntur. In vicem Theodoriti, & Euſebii nulli, ſi fides Liberato, ſubſtituti ſunt: *Pro Theodorito*, inquit, *& Euſebio nullus ordinatus eſt.* Flaviani locum accepit *Anatolius Diaconus, Apocriſiarius Dioſcori.* Ut in throno Epiſcopali collocatus eſt, Maximi Antiocheni ad ordinationem proceſſit, quod Leoni Papæ diſplicuit: *Poſt illa ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicaſti*, &c. De Anatolio porro non illepida eſt hiſtoria, ex Actione prima ſeptimæ Synodi Oecumenicæ petita. Anatolium Eccleſiæ Alexandrinæ Apocriſiarium, cum Eutyche Miſſas celebrantem Dioſcorus elegerat: *Cui Anatolius facetè dixit, ignorabas enim quid facturus eſſet Dioſcorus, Cuncta, ad quæ veniſti, loca ſanctificaſti. Agebantur autem hæc Conſulatu Protogenis & Aſterii.* Hic Epheſini Conciliabuli exitus fuit, quo Theodoſii memoriæ labis non minimum aſperſum eſt. Flaviani damnatione, quaſi funere veritas elata eſt: Eccleſia, quæ pietatis ara, armatorum militum impetu ſacto violatur: proſtratæ æqui juſtique regulæ, ut abſentes opprimerentur; nec ex tot Epiſcopis unus fuit, qui pietati ſanguinem dare vellet. Ignavi omnes, qui ſemiviri Chryſaphii Eunuchi toti in adulationem compoſiti, quidquid conſcientiæ, fortitudinis, religionis Epiſcopis ineſſe debuit, gratiæ, vel timori immolarunt. Quorum licet mentes vecordes, quaſi furiis agitarentur, nil tamen reſipiſcentiæ oſtenderunt, donec extincto Theodoſio, Marcianus imperaret. Eant nunc, & jactent Oecumenicarum Synodorum ἀναμαρτησίαν.

Liberat. c. 12.

Theodorit. Lect. 580.

Flaviani provocatio. Fueritne ad unum Leonem, vel ad Concilium?

Liberat. c. 12.

XXI. Dolos violentiamque Epheſini Conciliabuli ſcrutati, Flaviani caſibus ſtylum injiciamus. Ut damnationis ſententia à Dioſcoro pronuntiata eſt, è veſtigio Flavianus provocavit. Vocalis appellatio hæc fuit: cui poſteà inſtitit, dato Libello, ut ſcripto mandavit Liberatus: *Flavianus autem contra ſe prolatâ ſententiâ, per ejus Legatos Sedem Apoſtolicam appellavit Libello.* Potentiori adhùc teſtimonio Flaviani hæc appellatio nobis innoteſcit. Valentiniani ſcilicet Auguſti, hæc Theodoſio ſcribentis: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus Flavianus eum* (Leonem) *per Libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta eſt de fide.* Hic ille Libellus Legatis eſt Leonis traditus, ut ipſe Imperatori ſignificavit: *Noſtri fideliter reclamatum, & eiſdem Libellum appellationis Flavianus dedit.* In verbis & Liberati & Valentiniani triumphant Bellarminus, N. Alexander, illique omnes, qui Pontificiæ majeſtati præſidio ſunt. Fruſtra ſunt tamen cum hac ſua ratione. Etenim bifariam Leo ſpectari poteſt: ut Epiſcopus ſcilicet, vel ut pars præcipua Oecumenicæ Synodi. Ac priore illo reſpectu quidem Leonem appellatum non fuiſſe liquet. Epheſina judicia ſententiâ non reſcidit ſuâ, quibus auſis fuiſſet Orientalibus ludibrio: imò ut abrogarentur, totis viribus enixus eſt Synodum Oecumenicam impetrare. Ad Leonem ergo aliâ ratione Flavianus provocavit, ut ad membrum futuræ Synodi præcipuum, cui convocandæ plurimum poterat, ob gratiam, quâ apud Valentinianum, Placidiamque pollebat. Doceat Liberatus, ut exploratum fiat, quid ſibi voluerit Flaviani ad Sedem Apoſtolicam appellatione: *Fortiſſimus Leo audiens Legatorum ſuorum ſuggeſtionem, & Theodoriti querelas ſuſcipiens, literis ſuis Theodoſium Imperatorem & Pulcheriam petit, ut fieret intra Italiam generale Concilium, & aboleretur error fidei, per violentiam Dioſcori factus.* Extant adhùc Leonis ad Theodoſium literæ, in quibus hæc memoriæ cuſtodienda reperimus: *Obſecramus coram unius Deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipſa veſtri ſit cuſtos & auctrix imperii, & coram ſanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Quòd ſi ſatis ſibi autoritatis eſſe Leoni perſuaſum fuit, ut abſque ope Oecumenicæ Synodi Epheſinæ Decreta abrogaret, quid opus erat ad tam humiles preces deſcendere impetrando Concilio? Quidni pro autoritate ſua, quam ſummam fingunt, & Apoſtolicam, jubebat ipſemet, ut omnia *in eo ſtatu manerent*, in quo fuerunt ante Epheſinam ſententiam. Facillimum utique Leoni fuiſſet, in ea Epiſtola, quam Hilarii Legati ſui poſt reditum Flaviano ſcripſit, nunciare à ſe, ipſius damnationem cum tota Epheſina Synodo infringi, ne roboris aliquid haberet. Præterea judicium flagitant Synodi generalis tam Valentinianus, quàm Eudoxia Auguſta. Ille Reſcripto ſuo ad Theodoſium de Leone: *Conjuranti ſalutem noſtram communem annuere non negari, quatenus ad tuam manſuetudinem petitionem meam ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus, intra Italiam omni præjudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollicitâ probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides & ratio veræ Divinitatis expoſtulat.* Hæc Valentinianus. Eudoxia verò patrem ſuum ſic compellat: *Salutans juſta poſco, quatenus his literis curam veſtra tranquillitas præbere dignetur; & quæ malè geſta ſunt, emendari præcipiat donec omnibus, quæ etiam definita ſunt, revocatis ex integro, cauſa fidei & Chriſtianæ religionis, quæ mota eſt in partibus Italiæ, congregato Concilio perquiratur.* Quid plura? *Galla Placidia* Valentiniani mater, flectendo Theodoſio hæc ſignificat, quòd Flavianus *Libellum ad Apoſtolicam Sedem miſerit, & ad omnes Epiſcopos harum partium.* Quo quid clarius dici poſſit demonſtrando, Flavianum non ad ſolum Leonem, ſed & ad Concilium provocaſſe. Atque ea ipſa de cauſa poſt mentio-

Liberat. c. 12.

Leo Ep. 25.

Id. ib.

mentionem appellationis Flaviani Leo Theodoſium rogat, jubeat *generalem Synodum intra Italiam celebrari.* Cùm verò appellatione Flaviani lis ad ſuperiorem Judicem deferretur, non utique ad ſolum Leonem devolvebatur, Synodo Oecumenicâ non majorem. Judicem ergo petiit, quem & ipſe Leo impetratum voluit, *generale* videlicet *Synodum*, cui & cauſæ hujus cognitionem aſſignari flagitavit. Animadvertatur obiter error Launoii, qui in ſua ad *Jacobum Boëtium* Epiſtola cenſet, *Placidiam* Theodoſio matrem fuiſſe, quæ tamen Arcadii Theodoſii Junioris patris ſoror fuit. Doctiſſimum virum verba hæc Placidiæ fefellerunt: *Domine ſacratiſſime fili, venerabilis Imperator.* Quæ tenerum duntaxat, ac veluti maternum mentis indicant affectum, cùm ex hiſtoria certum exploratumque ſit, *Placidiam* Theodoſio amitam fuiſſe, genitricem non fuiſſe. Poſcimus eos, qui Flavianum ad unum Leonem provocaſſe fingunt, cur ſuo ipſa molimine gravis Synodus Oecumenica à Valentiniano, Eudoxiaque deſiderabatur, ſi Leo in ſua Cathedra ſedens ſolus infirmare, & diluere Epheſinum de Flaviano judicium potuit? Cui bono tantum & laboris, & temporis, ut à cunctis Romani orbis Epiſcopis Conventus celebraretur, ſi unus Leo Flavianum reſtituere potuit? Quid Flaviano opus erat, mittere Libellos ad omnes Occidentis Epiſcopos, ſi appellatio ad unum Leonem deferebatur? Novum certè, inauditumque illis temporibus fuit, Concilii Oecumenici, quale Epheſinum fuit, majeſtatem autoritati unius Epiſcopi Romani ſubſidere, ut ſuo nutu duntaxat atque arbitrio illius Decreta refigeret.

Flaviani caſus. Mortemne currente anno obierit?

XXII. Hæc illa Flaviani ad Synodum appellatio provocanti fuit exitio, qui indignis modis à Barſuma Monacho vexatus eſt, quod Stephanus Epiſcopus Cyzici, Chalcedone prædicavit: *Barſumas, qui inter alios intravit, occidit B. Flavianum. Ipſe inſtabat, & dicebat, Occide.* Finierat Stephanus, dictis modò Epiſcopi annuerunt, clamantes, *Omnem Syriam Barſumas evertit, duxit ſuper nos mille Monachos.* Perturbationum omnium ſaci Dioſcoro, veluti cauſæ principi, Flaviani cædes eſt vindicata: hinc *Quintus* Phocenſis Epiſcopus magnâ voce clamavit coram Chalcedonenſibus: *Quando ſanctum virum Flavianum Catholicæ fidei cuſtodem interfecit, neque Canones protulit, neque lecti ſunt, neque aliquo Eccleſiaſtico ordine uſus eſt, ſed propriâ autoritate eum damnavit.* Itaque *novi Caini* titulum perfidus ille Dioſcorus eſt aſſecutus, qui ipſi à *Saba* Epiſcopo Palti inditus eſt. Ad facinoris indignitatem acceſſit, quòd in ipſa Eccleſia, quæ vel ipſis reis perfugium eſſe ſolebat, Flavianus complurium ictuum impetum exceperit; &, quod mirum, ſi Evagrio fides, ab ipſo Dioſcoro. Euſebius Dorylei *aiebat, Flavianum à Dioſcoro pulſum, & calcibus appetitum, miſerabili modo interfectum eſſe.* Quæ tamen jubente, vel autore Dioſcoro perpetrata ſunt, ea ipſi vindicantur, qui Monachorum miniſterium adhibuit. Sic Eccleſiâ per vim ejectus, carceri includitur: *Flavianus quidem & Euſebius cuſtodiæ mancipantur . . . Caſus Flavianus, & multis injuriis affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum.* Difficilis verò quæſtionis eſt, ubi, & quando Flavianus mortalium numero exemptus fuerit? Conſtantinopoli periiſſe, traditum Nicephoro: *Flavianus, vir ſanctiſſimus, poſt ejuſce-modi illegitimam damnationem turbulentis impulſionibus, & cultuum idolum a Dioſcori & Chryſaphii factione è Synodo ejectus, tertio poſt die vitam feliciter finivit: cùm ille ipſe Dioſcorus calcibus in ventrem etiam veritatis ipſius propugnatoris inſiluerit?* Nicephori in opinionem deſcendit Marca, qui Flavianum *poſt triduum à damnatione obiiſſe* memorat. Hæc tamen ad invidiam Dioſcoro movendam tradita exiſtimamus. Proſper in Chronico auctiori Flavianum in exilium pergentem, cœleſtem Deo animam reddidiſſe prodit: *Inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioſe ad Chriſtum ſine tranſivit.* Nobis autem veroſimilius eſt, Flavianum in urbe Lydiæ *Epypa*, ad quam relegabatur, vitam cum morte commutaſſe. Id teſtatur Breviculus cauſæ Eutychianiſtarum: *Ductus in exilium Flavianus, & apud Epypam, quæ eſt Lydiæ civitas, ſeu ſuperveniente, ſeu ingeſtâ morte defunctus eſt.* Conſentit & Marcellinus: *Flavianus in Epypam exulatus eſt.* Menſe Auguſto obitum Flaviani contigiſſe, Baronii ſententia eſt in Notis ad Martyrologium, Februarii XVIII. At, ſi quid noſtra conjectura valet, ea Chronologiæ eſt reſpuenda. Quippe quo tempore Valentiniani, Placidiæ, Eudoxiæ literis reſpondit Theodoſius, nondum vitâ abiiſſe Flavianum, ex verbis Imperatoris colligimus. Ad Valentinianum ſcripſit: *Flaviano remoto, pax & omnis concordia regnat in Eccleſiis.* Ad Placidiam verò, quam *ſacratiſſimam matrem* vocat, *Flavianus*, inquit, *princeps contentionis hujus, ſacrâ ſententiâ ab Eccleſiaſticis rebus expulſus eſt.* Eudoxiæ verò nunciat, *Memoratus Flavianus ſacro judicio ab Eccleſiaſticis rebus ablatus eſt.* Nondum igitur naturæ debitum ſolverat ſanctiſſimus Epiſcopus, ſecus graviſſimam hanc Theodoſius rationem non omiſiſſet, ut & collegæ, generique, & amitæ, filiæque ſuæ oblatas pro Flaviano preces urbanius recuſaret. Jam verò literæ hæ Theodoſii, poſt Octobris XIII. exaratæ, utpote poſteriores Epiſtolis Leonis XXV. quæ hâc ipſâ die Româ cum Valentiniani & Auguſtarum Reſcriptis miſſa eſt, Theodoſius memoratis Epiſtolis reſponſum dedit, labente jam adulto Novembri. Prætereà ipſemet Leo in ſua ad Conſtantinopolitanos Epiſtola, data Idibus Octobris: *Quiſquis*, inquit, *incolumi atque ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro Sacerdotium ejus fuerit auſus invadere, nunquam in communione noſtra habebitur.* Quòd ſi ad fata menſe Auguſto Flavianus veniſſet, ſcripſiſſetne Leo Octobris XV. Flavianum adhùc incolumem eſſe? Placidia quoque Auguſta paucis pòſt XV. Octobris diebus de Flaviano, ut inter homines adhuc agente loquitur. Theodoſium quippe rogat, *ut in ſtatu Sacerdotii illæſus per omnia maneat Flavianus.* Itaque Chronologiæ jura à nobis violari haud putamus, ſi annum uſque ſequentem Flaviani obitum differimus, de quo tum commemorabimus. Ut leviores Flaviano dolores eſſent, Leonis fecit Epiſtola, tertio Calendis Octobris ſcripta. Flavianum verò ſic alloquitur: *Quæ & quanta dilectio tua pro Catholica fidei defenſione patiatur, per Diaconum, qui ab Epheſo furtim eſt lapſus, cognovimus. Et licet magnificemus Deum, qui te gratia ſua virtute confortat, neceſſe eſt tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur.* Quæ ad communem cauſam neceſſaria erat, ſeſe non omiſſurum, & ipſi pollicetur. Ad patientiam deinde optimum pietatis Martyrem hortatur: *Fortiter tuo-*

rum

Chalc. Act. 4. 445.

Chalc. Act. 3.

Evagr. l. 2. c. 2.

Liberat. c. 12.

Niceph. l. 14. c. 47.

Marc. de Concord. l. 4. c. 4. n. 4.

ANNO DOM. 449.

rim dilectio tua toleret, quæ ſibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Data 3. Kal. Octob. Aſterio & Protogene viris clar. Coſſ.

Leo Ep. 27.

Theodoritus Leonis implorat auxilium.

Theodorit. Ep. 116.

XXIII. Perfugio quoque ad Leonem uſus eſt Theodoritus, quem impia Epheſinorum cohors inauditum, abſentemque damnaverat. Ut ſibi Leonis auxilium imploranti faveret, ad Renatum Eccleſiæ Rom. Presbyterum ſic ſcribit: *Ex his, qui poſthac damnati fuere, unus ego ſum, ne illò irem, regiis literis prohibitus; & tamen abſens condemnatus. Poſt ſex enim & viginti Epiſcopatus annos, poſt infinitos labores, poſt ſuſcepta pro pietate certamina, poſt oblatas omnium Salvatori multas Hæreticorum à priſtino abductas errore myriadas, Sacerdotio me ſpoliarunt, ejeceruntque ex civitate, nec ſenectutem veriti, nec canos in pietate nutritos. Quam ob cauſam oro Sanctitatem tuam, ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo perſuadeat, ut Apoſtolicá poteſtate utatur, & ad Concilium veſtrum advolare præcipiat.* Miſerrima tum Theodorito fortuna fuit. Ingratus erat Imperatori: ipſius Metropolitanus Domnus damnationi ejus conſenſerat: ſententia ab Oecumenica Synodo fuerat promulgata. Quid ageret ergo, tot calamitatum quaſi fulminibus proſtratus? Reſtabat aliud nihil, niſi ut tabulam de naufragio arriperet, implorato Leonis auxilio. Ad eum ergo Presbyteros miſit, qui ſupplices literas ferrent. Sed & Anatolium patricium obſecrat, à Theodoſio ſibi in Occidentem iter concedi, ut ſua in Concilio cauſa retractaretur: *Magnitudinem tuam obteſtor, hanc à victore Auguſto gratiam petas, ut in Occidentem veniam, ibique à Deo chariſſimis ac ſanctiſſimis Epiſcopis judicer.* Quod ut impetraret, præcipue favorem Leonis implorat, cujus magna erat in Occidente autoritas. Ubi multis ſedem Leonis laudibus oneravit, ob urbis excellentiam, atque majeſtatem, quæ & imperio florebat, & Petri Paulique ſepulchris, ſubjungit: *Alexandrinorum quippe juſtiſſimus Antiſtes haudquaquam contentus fuit iniquâ hâc & injuſtiſſimâ depoſitione ſanctiſſimi Deoque chariſſimi Conſtantinopolitanorum Epiſcopi Domini Flaviani, neque ipſius animam explevit conſimilis ſtrages aliorum Epiſcoporum: ſed me quoque abſentem calamo ſimiliter jugulavit, nec in jus vocatum, nec præſentem accuſatum, nec interrogatum de Dei ac Salvatoris noſtri Incarnatione, quid ſentiam. Et homicidas quidem, ac ſepulchrorum effractores alienarumque nuptiarum invaſores, non prius condemnant Judices, quàm vel ipſi objecta crimina confeſſione ſuâ firmaverint, vel ab aliis fuerint apertè convicti. Nos autem hîc in divinis Legibus innutritos, triginta manſionibus diſtantes condemnavit, ut voluit. Neque nunc tantùm hoc fecit, ſed anno etiam ſuperiore, cùm eò profecti eſſent duo viri, Apollinaris morbo infecti, & calumnias in nos texuiſſent, conſurgens in Eccleſia nos anathemate confixit, idque cùm ad eum ſcripſiſſem, & quæ ſentirem, per literas expoſuiſſem. Ego verò Eccleſiæ ſanè tempeſtatem defleo, cæterùm quieti ſtudeo . . . At ergò Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam, & oro atque obteſtor Sanctitatem tuam, ut rectum ac juſtum tribunal veſtrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere . . . . Ante omnia ut à vobis doceat oro, an me oporteat in hac injuſta depoſitione acquieſcere, an non; veſtram enim ſententiam expecto. Quòd ſi in judicatis manere me juſſeritis, manebo; neque ulli hominum deinceps moleſtus ero, ſed rectum Dei Salvatoriſque noſtri judicium expectabo. Hæc per reverendiſſimos Presbyteros Hypatium, Abrahamium & Alypium Sanctitati veſtræ ſuggeſſi, quandoquidem ne ad vos contenderem, regiarum literarum vincula retinuerunt.* Theodorito ſedem Leo ſuam reſtituit, non ea quidem ſententia, quæ Decreta Epheſina dilueret, quæ ad uſque Chalcedonenſem Synodum in Oriente obtinuerunt, nil Epiſcopalis muneris intereà peragente Theodorito: ſed eo judicio, ut pro vero Epiſcopo Occidentalibus haberetur, prædonumque Epheſinorum placita contempta eſſent. Itaque ipſa hæc Leonis de Theodorito ſententia à Patribus Chalcedonenſibus eſt retractata, quorum judicio ſua Theodorito Cathedra demum reddita eſt.

Domnus, quis? Num damnationi ſuæ diu ſuperfuerit?

XXIV. De Domno quid actum ſit, eſt in obſcuro. Ignaviæ pœnas dederat, ſubſtituto in ipſius locum Maximo, cujus ordinatio Chalcedonenſibus rata fuit. Unde ſubit animum, jam ad plures abiiſſe Domnum, cùm Synodus Chalcedonenſis eſt celebrata. Si qua Cyrillo, Euthymii vitæ Scriptori fides, Domnus auditâ abdicatione Antiochiam revertitur: *Et cùm illic fuiſſet, omnia quæ ei prædicta fuerant, effectum ſunt ſortita. Ille que poſteà magnâ ductus pœnitentiâ, quòd non obediſſet, ad ipſum* (Euthymium) *revertitur gravi dolore viſceribus cruciatus, & acerbè deplorans.* Quia verò Domnus, monet nos Cyrillus in vita Euthymii. Antiochiâ ortus erat, Joannis illi Præſulis ex ſorore nepos. A Juvenale Hieroſolymitano Diaconus creatus fuerat, anno circiter 429. Ubi compertum eſt, Joannem Antiochenum Neſtorio favere, Domnus rogavit Euthymium, *ut ei permitteretur ire Antiochiam, quo ſupplantatum avunculum reſtitueret, jamque velut jacentem erigeret. Ille autem prævidens non futurum illic tuum adventum, ſed ei potius inutilem, & incommodum, nequaquam, inquit, ô fili, non oportet te à Laura diſcedere. Neque enim ille tuâ opus habet præſentiâ, ſed etſi paulum à ſana fide declinavit, Deus tamen, qui novit cor illius, rectè ſe habere, ipſe convertet ipſum, reducetque ad bonum.* Monenti tamen Domnus non obtemperaverat, verùm ſpreto Euthymii conſilio, cùm ne vel ei valedixiſſet, Antiochiam profectus, Cleri conſenſu civitatis hujus ſacris præficitur. Dioſcori tyrannide Domnum adductum eſſe, ut Flaviani damnationi ſubſcriberet, refert Zonaras: Domnus, *cùm & ipſe in tumultu illo ſubſcripſiſſet, poſteà in Dioſcorum vociferatur, ejuſque ſententiam ut impietate plenam proſcindit.* Num hæc cauſa fuit, cur ejiceretur Epiſcopatu? Porro ſedente Chalcedonenſi Concilio Domnum vitam adhùc retinuiſſe, legitur in veteri monumento: cui hic titulus appoſitus eſt: *Actio de Domno Antiocheno, quæ inventa eſt in Codice Patrum Juliæ membranaceo, tranſcripta ex Codice vetuſto chartaceo, & dicitur ipſa fuiſſe Proculi & Albini Germanorum Scholaſticorum.* Verba ſunt monumenti hujus: *Reſidentibus univerſis ante cancellos ſancti altaris, Maximus reverendus Epiſcopus Antiochiæ dixit, Deprecor magnificentiſſimos & glorioſiſſimos Judices, ſanctam hanc & univerſalem Synodum humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epiſcopus. Dignemini & ſtatuere ei certos ſumptus de Eccleſia, quæ ſub me eſt.* Id poſtulationis conſpiratione omnium probatum eſt, conceſſumque Maximo, ut quantum vellet, pro æquo & bono Domno erogaret. Legatorum & Leonis ſermo hic fuit: *Si quidem memoratus*

Euth. Vit. c. 57.

Euth. Vit. c. 56.

Zon. An. l. 13.

Chalc. Act. 7. 164.

vir

vir Epiſcopus Maximus, ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum, ut ſumptus ei de ſua Eccleſia, miſerationis intuitu, prout æſtimaverit largiatur, ut contentus alimoniis quieſcat in poſterum. At enim id monumenti falſi ſuſpicione non immeritò aſpergitur. Rationi quidem non ſatis conſonum eſſe videtur, quòd Maximus de ſuppeditandis Domno alimentis Oecumenicam Synodum fatigare voluerit, quaſi conſenſus tot Epiſcoporum beneficentiæ huic neceſſarius fuerit. Refellit & narrationem Zonaras, qui libro XII. Annalium hæc habet: *Pro Joanne Domnus electus, annos octo poſteà vixit.* Eâdem & Chronologiâ utitur Nicephorus in Antiochenſium Præſulum Catalogo: *Domnus*, inquit, *qui Epheſinæ ſecundæ prædatrici Synodo interfuit, ſedit annos octo.* Id octennii initium ducit Joannis Domni deceſſoris ab obitu, qui anno Dom. CCCCXLI. contigit. Concilium verò Chalcedonenſe decennio pòſt celebratum eſt, jam extincto Domno, cui proinde Maximi liberalitate nil opus erat.

Leo variis Epiſtolis malis Epheſinis medetur. Synodum Romæ cogit.

XXV. Antequam quas expectabat, res Epheſinæ Leoni afferrentur, ſilentio Flaviani in admirationem conjiciebatur: *Eſitiam* ergo ad ipſum miſit, *Ut*, inquit, *totâ celeritate ad ſcripta noſtra reſpondeas, noſque ſubtade de tuis actibus, noſtrorumque & totius cauſæ abſolutione facias certiores, ut ſollicitudinem, quam nunc pro fidei defenſione gerimus, proſperioribus nunciis molliamus. Data tertio Idus Auguſti.* [Leo Ep. 24.] Serius tamen ſcribi debuit, cùm octavo duntaxat Auguſti Synodus Epheſina inceperit. Quo caſu tribus poſt inchoatum Conventum diebus Leo dicere non potuerit: *Auget ſollicitudinem noſtram taciturnitas tua.* Ubi ipſius ad aures Epheſinæ iniquitatis triſtiſſima nuncia retulit Hilarius, nil antiquius Pontifici fuit, quàm tantis malis remedium afferre. Ut ergo conſolatione aliquâ Flavianus ſuſtentaretur, eam adhibuit Pontifex, ſuaviſſimis literis tertio Cal. Octobr. datis. Quid verò auxilii miſero comparare vellet, non commiſit chartæ: [Leo Ep. 17.] *Perlator ſanè brevis hujus Epiſtolæ fideli ſermone poterit enarrare, quidquid illud eſt, quod adjuvante Domino ſtudio fidei & charitatis intendimus.* Clericos quoque Conſtantinopolitanos literis ſolatus eſt, quos monet, ut pro fidei defenſione perfidorum nequitiæ reſiſtant, nullæque minæ, nulla formido à Sacerdote ſuo divellant: ſuperſtite Flaviano nullum inter Epiſcopos eſſe numerandum, ac ut Neſtorium, ſic & illos, qui in Chriſto veram carnem eſſe negant, pari execratione damnari, ſperare ſe Epheſinos auſus Chriſtiano Imperatori non placituros. [Leo Ep. 22.] Fauſtum etiam, Marianum, Petrum Magnum, & Eliam Presbyteros Archimandritas Conſtantinopolitanos ſcripto adiit, quos hortatur, adhærere firmiter Evangelio. Quæ Epheſi geſta ſunt, *contra juſtitiam, vel Canonum diſciplinam per unius hominis potentiam* à fidei ratione rata eſſe prohiberi. Data eſt Epiſtola VIII. *Idus Octobris.* Ipſum quoque Imperatorem tertio Idus Octobris literis allocutus dicit ad Epheſinum Concilium Legatos tam inſtructos eſſe miſſos, *ut ſi ſcripta, quæ vel ad Sanctam Synodum, vel ad Flavianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporum publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet Antiſtes, ita manifeſtatione puriſſimæ fidei, quam divinitùs inſpiratam & accepimus, & tenemus, omnium concertantium ſtrepitus quieviſſet, ut nec imperitia ultra deſiperet, nec occaſionem ſecundi æmulatio reperiret.* Verùm tam perturbatè, tam iniquè res agitatas eſſe, ut Sedis Apoſtolicæ Legati *ad conſentiendum nullâ potuerint oppreſſione compelli.* Rogare ſe Imperatorem, ut omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas attendat, *quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi Confeſſio veræ Divinitatis, & veræ humanitatis in Chriſto.* Obſecrare ſe, ut omnia in eo ſtatu maneant, in quo fuerunt ante judicium, *donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Ut verò magis Theodoſium permoveret, ſubjungit: [Leo Ep. 21.] *Omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant Sacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem Libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum.* Poſtridie Leo Pulcheriam Auguſtam, cujus magna & pietas erat, & autoritas, ſcripto convenit, *de habendo intra Italiam Concilio, & locus conſtitueretur & tempus, omnibus querelis & præjudiciis partis utriuſque ſuſpenſis.* Eamque verbis ſupplicibus rogat, ut apud Imperatorem preces ſuas adjuvet. Idibus verò Octobris nomine Synodi tum temporis in urbe coactæ, Clero populoque Conſtantinopolitano direxit Epiſtolam, cui titulus eſt: *Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Clero, Honoratis, & plebi conſiſtenti Conſtantinopoli.* Gravi eâ Epiſtolâ Leo teſtatur, mœrorem, quo ob geſta Epheſina affectus fuerat, ſe gaudio diluiſſe, cognitâ ipſorum pietate: ſe per Epiphanium & Dionyſium Eccleſiæ Notarios ipſis olim ſcripſiſſe, ne polluerentur impietate Manichæorum. Arium quoque, Photinum, Apollinarem perſtringit, qui Chriſtum Deum ſimul & hominem, alterâ ſuarum naturarum, vel earum parte aliquâ ſpoliabant. Denique his verbis Epiſtolam claudit ſuam: [Leo Ep. 23.] *Quoniam oportet, vos poſt divinum auxilium etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac ſapienter expoſcite, ut petitioni noſtræ, quâ plenariam indici Synodum poſtulamus, clementiſſimus Imperator dignetur annuere, quò citius adjuvante miſericordiâ Dei, & ſanis fortitudo augeatur, & morbidis, ſi curare acquieſcunt, medicina præſtetur.* In eo ipſo Concilio Synodus Epheſina videtur eſſe rejecta. Hilarius quidem Diaconus in ſua ad Pulcheriam Epiſtola hæc narrat: *Veſtra itaque clementia cognoſcat, à præfato Papa Leone cum omni Occidentali Concilio, reprobari omnia, quæ in Epheſo contra Canones per tumultus & odia ſecularia à Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nullâ ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quia per potentiam prædicti* (Dioſcori) *non ſine læſione fidei, & præjudicio ſanctiſſimi viri innoxiique Flaviani commiſſa ſunt.* Conſtitutum quoque fuit, ut Epiſcopi Valentiniano ſupplicarent, quod & factum, dum Petri Baſilicam ingrediebatur. Quâ ratione id actum ſit, exequamur.

Leo Valentiniani opem implorat adverſus Synodum Epheſ.

XXVI. Injuriâ, quâ Epheſini prædones veritatem inſigneſque Epiſcopos affecerant, commotus Leo, ſe ad Valentinianum contulit, ut tanto deprecatore interpoſito, Synodus Oecumenica à Theodoſio impetraretur. Quo verò Valentiniani affectus magis excitaret, proſtravit ſe, & demiſſo animo ei ſupplicavit. Audiatur Liberatus: [Liberat. cap. 12.] *Valentinianum Imperatorem & Eudoxiam ejus uxorem ad memoriam B. Petri cum mul-*

multis Epiſcoporum gemibus provolutus Romanus Pontifex deprecatus eſt, ut Imperatorem Theodoſium hortarentur alium fieri Synodum ad retractandum illa, quæ à Dioſcoro male acta atque perpetrata fuerant, in damnatione Flaviani Epiſcopi, & Orthodoxorum Epiſcoporum depoſitione. Quo loco doctiſſimi Præſulis Marca obſervationem ſilentio involvere nolumus, Petroniana ſomnia refellentis. Scripſerat Petronius, Synodum Epheſinam à Leone quidem in irritum miſſam, ab eo tamen imploratam eſſe *ſecularem poteſtatem*, quæ neceſſaria videbatur, *ad reſcindendam priorem Legem*, quâ Theodoſius Acta illa Epheſina & Flaviani damnationem confirmaverat. Quid ad hæc Marca? *Non ob eam rationem ſummus Pontifex à Theodoſio Decretum illud ſuſpenſionis poſtulavit, cùm nondum relatione ullâ accepiſſet, Synodum Epheſinam à Principe confirmatam.* Rectè & ſapienter. Imploravit ergo Pontifex Valentiniani auxilium, quia exorandus erat Theodoſius, ſine cujus conſenſu Oecumenica indici Synodus non potuit, quæ neceſſaria ſanè fuit, ut ſervatis Eccleſiæ regulis Decreta Epheſina abrogarentur. Tam humili deprecatione Leo, Valentiniani, & Eudoxiæ literas impetrat, quibus Theodoſium enixè rogant, juberet Synodum indici. Valentiniani verba ſunt: *Cùm advenìſſem in urbem Romam ad Divinitatem placandam, ſequenti die ad Baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi, & illic poſt venerabilem noctem diei Apoſtoli, & à Romano Epiſcopo, & ab aliis cum eo ex diverſis Provinciis congregatis, rogatus ſum ſcribere veſtra manſuetudini de fide, quæ cùm ſit conſervatrix omnium Fidelium animarum, dicitur perturbata . . . Huic itaque poſtulanti ſalutem noſtram continuo annuere non negavi, quatenus ad tuam manſuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus, intra Italiam omni præjudicio ſummoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollertâ probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides & ratio veræ Divinitatis expoſtulat.* Ejuſdem ferè tenoris literas quoque Theodoſio Galla Placidia direxit: *Dum in ipſo ingreſſu civitatis antiquæ hanc curam habuiſſemus, ut cultum B. Petro Apoſtolo redderemus, in ipſo adorando altari Martyrio reverendiſſimus Leo Epiſcopus, paululum ſe poſt orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos deflevit, ipſum ſimiliter ſummum Apoſtolorum, quem nuper adieramus, teſtem objiciens, Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ pro Principatu proprii loci, ſeu dignitate collegit, & verbis permiſcens lachrymas, noſtros quoque gemitus provocavit.* Rogat autem, quandoquidem Flavianus *Libellum ad Apoſtolicam Sedem miſerit, & ad omnes Epiſcopos harum partium, ut in ſtatu Sacerdotii illæſo manente per omnia Flaviano ad Concilii & Apoſtolicæ Sedis judicium tranſmittatur.* Placidiæ quoque viſum eſt, *Pulcheriam* precari, cujus in rerum adminiſtratione autoritas magni momenti erat; cui narrat, gemitibus lachrymiſque, magis quàm verbis Leonem ſignificaſſe, Catholicam fidem eſſe turbatam ab Epheſino Concilio, *in quo nullus ordinem Sacerdotum cuſtodivit.* Laboret itaque, *ut quidquid in illo tumultuoſo miſerrimoque Concilio conſtitutum eſt, omni virtute removeatur.* Ut paternos & affectus evocaret, Licinia Eudoxia Theodoſio ſcripſit de geſtorum Epheſinorum emendatione: *Donec omnibus, quæ etiam definita ſunt, revocatis ex integro, cauſa fidei & Chriſtianæ religionis, quæ mota eſt, in partibus Italiæ congregato Concilio perquiratur.*

Marc. de Concord. l.4.c.4.

XXVII. Vigilans graviſque & veritatis, & Flaviani, quæ Leonem cura tangebat, multis ſanè laudibus eſt cumulanda. Id dolendum, quòd fruſtra fuerit, cùm excellentes tot Epiſtolæ Theodoſium de ſuo Concilio, ſtatuque dimovere non potuerint. Reſcribit Valentiniano, ſe de ipſius incolumi in urbem reditu ipſi gratulari quidem, ſe verò in nulla parte à paterna religione reſiliiſſe. Velle ſe antiqua ſacramenta inviolabiliter cuſtodiri. Epheſi integrâ veritate indignos Sacerdotio remotos eſſe: Flaviano, qui reus inventus eſt, expulſo pacem in Eccleſiis lætam regnare. Placidiæ dicit, in Epheſina Synodo poſteriore nil decretum eſſe, quod à Nicænorum Epheſinorumque Patrum placitis alienum foret. Flavianum contentionis principem, ſacrâ ſententiâ ab Eccleſiaſticis rebus ejectum. Eudoxiæ verò filiæ ſignificat, Flavianum ſacro judicio ab Eccleſiaſticis rebus remotum eſſe, ut ab Eccleſia contentio omnis tolleretur. In Theodoſii verba non accuratè ſatis penetravit Liberatus, qui in illis Flaviani mortem invenit. Reſcripſit, inquit, Theodoſius: *Flavianum laſibilis novitatis reum, dignum mortis debitum ſuſcepiſſe, & ideò omnis pax & concordia in Eccleſia regnaret, principe contentionis ſacro judicio humanis rebus ablato.* Ex quibus ſequeretur à Theodoſio mortem Flaviano eſſe imperatam. Sed non ita eſt, *Eccleſiaſticis* duntaxat rebus, non humanis ablatus eſt. Porro ne deprecatoribus ſpes aliqua mutationis reſtaret, hæc addit Theodoſius: *Nihil ulterius poſt hac definire poſſibile eſt, cùm jam iſta ſemel deciſa ſint.* Ac firmioribus ut repagulis Epheſina ſcita clauderentur, eâ autoritate ſuâ muniri voluit, editâ Lege: *Et nos igitur ejuſdem ſanctæ Synodi Decreta laudamus, atque confirmamus, hanc orthodoxam fidem putantes, atque nominantes, quæ à trecentis decem & octo Patribus expoſita eſt, & firmata in ſanctis Conciliis, quæ Epheſi congregata ſunt . . . omninò autem nullus, qui Neſtorii, & Flaviani, & eorum, qui ejuſdem hæreſis ſententiâ detinentur, ullo modo Epiſcopus ordinetur.* Viguit igitur in Oriente Concilium Epheſinum, donec & Chalcedonenſium Patrum, & Marciani autoritate abrogaretur. In Occidentis verò Provinciis nullius pretii fuit, quod Hilarius Diaconus Pulcheriæ ſignificatum ivit: *Veſtra itaque veneranda clementia cognoſcat, à præfato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheſo contra Canones per tumultus & odia ſecularia à Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nullâ ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quæ per potentiam prædicti non ſine læſione fidei, & præjudicio ſanctiſſimi viri innoxiique commiſſa ſunt.* Quibus apparet, non à Leone ſolo, ſed à Synodo, neque vi poteſtatis alicujus, quæ ſuperioribus in inferiores Judicibus competit, prædatorium Concilium eſſe abrogatum, ſed rejectione atque contemptu: quo factum, ut Epiſcopi à Dioſcoro exautorati Occidentalibus pro veris Antiſtitibus haberentur, licet nullo loco Orientalibus eſſent, donec autoritate Chalcedonenſium ſuis Eccleſiis reſtituerentur. Itaque magna Eccleſiarum diviſio inducta eſt, uti à Liberato ſcripto proditum: *Soluto ergo illo Concilio, & ad ſuas ſedes reverſis Epiſcopis, ſciſſio facta eſt inter eos, qualis antea nunquam contigerat. Ægyptii, Thraces, & Palæſtini Epiſcopi Dioſcorum ſequebantur. Orientales, Pontici,* &

Theodoſius rejectis Valentiniani precibus, Synodum Epheſinam confirmat.

Chalced. Act. 3. p. c. 1.

Digitized by Google

ANNO DOM. 449.

& Aſiani ſanctæ memoriæ Flavianum. Quod ſchiſma permanſit uſque ad obitum Theodoſii Principis. Eò proceſſit Dioſcori impietas, ut Leonem excommunicationis gladio feriret. Id Theodorus queſtus eſt in ſuo ad Chalcedonenſes Libello. Excommunicationi ſubſcripſere Epiſcopi numero decem, quos minis ad Leonis damnationem adegit.

Chalc. Act. 3.

Hilarii Arelatenſis obitus. Fama ejus & libri.

XXVIII. Hoc ipſo anno vitæ curſum implevit Hilarius Arelatenſis, vir magni nominis, quemque ſua cum Leone jurgia famæ commendarunt. Eo defuncto, concepta adverſus illum ira Leonis adeò deferbuit, ut mortuum nonnullis & laudibus affecerit, *ſanctæ memoriæ* virum eum appellans. Magnâ apud Gallos gloriâ fuit Hilarii nomen, de quo Gennadius: *Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, vir in Sanctis Scripturis doctus, paupertatis amator, & erga inopum proviſionem non ſolùm mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſollicitus fuit. Nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus, & longè aliter educatus exercuit. Sed nec in ſpiritualibus neglexit: nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigatum opus prædicationis ingeſſit: ingenio verò immortali, aliqua & parva edidit, quæ eruditæ animæ, & fidelis linguæ indicio ſunt, in quibus præcipua & ad multorum utilitatem neceſſaria opera, vitam S. Honorati deceſſoris ſui compoſuit.* Neque Galliæ modò, ſed Italiæ quoque Hilarii eloquentia admirationi fuit, teſte *Auxilii* Præfecti ad ipſum Epiſtola: *Dictu difficile eſt, quanti mihi pretii fuerint literæ Sanctitatis tuæ, in quibus ita expreſſam facundiam recognovi, ſicut tenes in aliis modeſtiam, morumque operibus Principatum. Ignoſce de te ſtudioſè minora dicenti, quia ſemper in prædicatione ſui virtus erubeſcit, cùm hoc ipſum verecundiæ genus pars magna virtutis ſit.* Quin etiam eò famæ proceſſit, ut eâ laude à *Levio* ejuſdem ætatis Poëta fuerit ornatus: *Si Auguſtinus poſt Hilarium fuiſſet, judicaretur inferior.* Defuncti cineres hoc Epitaphium illuſtravit:

Gemma Sacerdotum, plebiſque orbiſque Magiſter.

Noſtræ Gennadius Chronologiæ pugnat, qui Hilarii obitum cum Martiani imperio conjungit: *Moritur Valentiniano & Martiano Imperatoribus.* Erraſſe tamen Gennadium, certiſſimis ex Leone indiciis conſtat, *Ravennius* quippe, quem Hilarius ſucceſſorem habuit, meminit in ſua ad Arelatenſis Provinciæ Epiſcopos Epiſtola ſcripta XI. Cal. Septemb. Aſterio & Protogene Coſſ. *Quod in Arelatenſium civitate, defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum, fratrem Ravennium, ſecundum deſideria Cleri, honoratorum, & plebis, unanimiter conſecraſtis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus.* Ex Hilarii monumentis ea ſuperſunt. Breviſſima ipſius ad Eucherium Epiſtola, cui titulus eſt: *Domino beatiſſimo merito ſuſpiciendo, & in Chriſto devinctiſſimo Papæ Eucherio, Hilarius.* Eſt & poëma in Geneſim, quod Hilarii Pictavienſis Operibus inſeritur:

Leo Ep. 106.

Dignum opus & juſtum eſt, ſemper tibi dicere grates,

Omnipotens mundi genitor, &c.

B. M. P. t. 7. 1229.

Eſt & vita S. Honorati, qui deceſſit Hilario.

Ravennius Hilario Arelatenſi ſuccedit.

XXIX. Ravennius, qui defuncto Hilario ad Epiſcopatum Arelatenſem evehitur, hujus Eccleſiæ Presbyterum egerat. Ferventibus Epiſcopi ſui cum Leone litibus Romam de pace conſtituenda amandatus Leoni in notitiam venerat. Ut Cleri Populique ſuffragio ad Sacerdotium promotus eſt, ejus electio Pontifici Romano ſignificatur, qui Arelatenſis Provinciæ Epiſcopis, Conſtantio, Audentio, Ruſtico, Auſpicio, Nicetæ, Nectario, Floro, Aſclepio, Juſto, Auguſtali, Hymatio & Chryſaphio reſcribit, juſtam gaudii cauſam afferri, ubi noſcitur à Sacerdotibus ea geri, quæ regulis, & Apoſtolicis inſtitutis congruant. Novo quoque Epiſcopo benè precatus, hæc loquitur: *Utatur Dei munere memoratus Antiſtes, & ſecundum conſonantia omnium ordinum vota, quid ex ipſo devotionis expectetur, intelligat, ut diſpenſationis ſibi creditæ diligens ac temperans executor, veſtro teſtimonio non inferior, & noſtro favore per omnia ſit dignior. Data XI. Kal. Sept. Aſterio & Protogene Coſſ.* Peculiari quoque ſcripto Raveonium Leo adire voluit: *Provectionem dilectionis tuæ, qua ſummi Sacerdotii adepta eſt dignitatem, ita nobis placere cognoſco, ut non ſolum tibi de honoris augmento, ſed etiam Arelatenſi Eccleſiæ, cui te Dominus præpoſuit, reſpondeamus.* Pulcherrimis quoque monitis novum Præſulem inſtruit: *Modeſtia igitur tua non auctoritas conſtantiam, ſed manſuetudo commendet; juſtitiam bonitas temperet; patientia contineat libertatem, & declinata ſuperbia, cui proximum eſt, ut decidat; ametur humilitas, cui ſemper debetur, ut creſcat.* Auguſti *n* XII. ea ſcripta ſunt. Quatriduo pòſt novam Ravennio Epiſtolam direxit, de veteratore quodam, qui pro Leonis Diacono in Gallia ſe venditabat: *Petronianum quendam vagum, & ſemper erroneum certâ nos Clericorum tuorum ſuggeſtione didicimus, per Gallias ſe noſtrum eſſe Diaconum jactaſſe, & ſub hujus honoris obtentu diverſas ejus Provinciæ Eccleſias circuire.* Quem jubet, ne amplius aliquos fallat, ab omnium Eccleſiarum communione expelli. *Data ſub die VII. Kal. Septembr.* Aſterio & Protogene Coſſ.

Leo Ep. 106.

Leo Ep. 90.

Leo Ep. 107.

ANNO U. C. 1203. PER. JUL. 5163. JUL. 495. DOM. 450. VALENTIN. 25. & 26. MARCIANI 1. *Sol.* 11. A. *Lun.* 14. *Indict.* 3. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 7. *P.* 16. *April.*

ANNO DOM. 450.

COSS. *Valentinianus Auguſtus* VII. *& Gennadius Avienus.*

Attila Gothos inter & Romanos vult diſcordiam ſerere: fœdus ineuat.

I. IMperii Romani procella, paciſque tempeſtas, Hunnorum Rex *Attila* ocitia Principum ſibi utendum ratus, nil niſi bellum anhelabat. Cujus mentem jam ſatis ad vaſtandum orbem paratam magis inflammat Geiſericus, qui Africæ potiebatur. Nec ambitione ſolâ Vandalus permovebatur: in metu erat, ne Theodoricus Viſigothorum Princeps illatam filiæ ſuæ injuriam ulciſceretur. Hunnerico Geiſerici filio ea matrimonio jungebatur, quod olim non minimâ Geiſericum lætitiâ affecerat. At ut erat ille vel in ſua pignora truculentus ob ſuſpicionem veneni ab ea parati, naribus privatam, patri in Gallias remiſerat, ut turpe funus miſera ſemper offerret, ac immanis crudelitas, quâ vel alieni movebantur, patris vindictam efficacius impetraret. Id metuens Vandalus, miſſis muneribus propenſum jam ſatis Hunnum ad bella præcipitat. Attilæ ad commoda ſua intelligenda non deerat aſtutia. Legatos ergo ad Valentinianum miſit, qui Romanos inter & Gothos diſcordiam concitarent, ut quos prælio non poterat, mutuis

odiis opprimeret. Honorificis blandiſque ſalutationibus plena erat directa ad Imperatorem Epiſtola, quâ Hunnus reſtabatur, ſibi contra Gothum certamen eſſe. Simili arte Theodoricum ſcripto adit, ut à Romanorum ſocietate diſcederet. Ut fraus Attilæ intellecta, Valentinianus legationem Theodorico mittit, quâ monebatur viro ad orbis perniciem nato concurrendum eſſe; Reipublicæ auxilia præbenda eſſe, cujus partem tenebat. Legatis Valentiniani reſponſum:

Jornand. c. 36.

Habetis, Romani, deſiderium veſtrum: fecistis Attilam, & nobis hoſtem. Sequimur illum quocunque vocaverit, & quamvis inflectur de diverſis ſuperbarum gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum ſuperbis. Nullum bellum dixerim grave, niſi quod cauſa debilitat, quando nihil triſte pavet, cui majeſtas arriſerit. Permagno quidem auxilio Gothi Romanis fuiſſe, ſequens annus declaratum ibit.

Attilæ excurſiones.

II. Porro de Attilæ excurſionibus egregium Priſcus monumentum perhibet in ſuis ſelectarum Legationum hiſtoriis: *Intereà in animo propoſuit Attila in Occiduas regiones bellum inferre: nec ſolum in Italiam, ut Honoriam cum ſuis opibus & juribus nanciſceretur, verùm etiam in Franciam, hoc propoſito, ut Geiſericum demereretur. Praetextus autem, quem obtendebat Francici belli, ex interitu Francorum Regis oriebatur, cujus occaſione liberi, quos ſuperſtites reliquerat, mutuo bello de Regno decertabant, eo quidem, qui natu major erat, ſe Attila adjungente; qui verò minor, cum Ætio belli ſocietatem ac fœdus ineunte . . . Hunc juniorem Romæ conſpeximus, legatione pro Attila fungentem, cui pra juventa nondum lanugo creverat, flavâ cæſarie ſpectabilem, cujus prolixitas humeros ejus obtegerat, eumque Ætius ſibi in filium adoptarat, muneribuſque cumulatum, ad Imperatorem ob negotiandam belli hujus ſocietatem direxerat. Diverſa ex parte Attila ſibi familiaritate junctos ad eundem delegaverat Romanum Principem, ut ab illo Honoriam poſcerent, Attila ipſi nupturam, quæ pridem hujus connubii fidem dederat, ejuſque in pignus annulum tranſmiſerat, quo oſtenſo Valentinianum Legati interpellarent, ut dimidiâ imperii parte cederet, quam ſibi per injuriam ſororis Honoriæ, cui æqua ſucceſſionis paternæ pars debebatur, arrogaverat. Cùmque petitio illa ab Occiduis Romanis rejecta fuiſſet, novo habito militum delectu, bellum adverſus eos apparabat, eidemque propoſitum erat, poſt ſubactam Italiam bellum, indè à ſe denunciatum, in Orientis imperium transferre, hoc jure, quia conventum mutuò inter ſe & Theodoſium, fœdere tributum, minimè perſolverent.* Ex hoc inſigni fragmento, quod doctiſſimo Cabaſſutio debemus, diſcimus *Clodionem*, quem abſque prole defunctum exiſtimant Gallicanæ Scriptores Hiſtoriæ, binos ſibi filios ſuperſtites reliquiſſe, quorum natu minor *Merovæus* Ætio militabat.

Attila penſitationem petit à Theodoſio: Conſtantinopolitanum incendium.

III. De rebus Orientis paucis. Compreſſâ Dacico prælio Hunnorum ſuperbiâ, Attila nonnihil tractabilior evaſerat. Itaque quam ſuperbè ſpreverat, auri penſitationem non rejiciendam eſſe putavit. Legatos ergo miſit, qui à Theodoſio deſpectas olim pecunias flagitaret. Intereà fama Theodoſii ad remotiſſimas Orientis regiones extendebatur. Qua de cauſa *India Theodoſio Principi tigrim domitam pro munere miſit.* Regiæ urbi cladis aliquid ignis intulit:

Chron. Marcel.

Utramque porticum Troadenſem, turreſque portarum utraſque ignis ſubitus exuſſit, quorum ruinâ continuò repurgatâ Antiochus Præfectus Prætorio in priſtinam erexit ſpeciem.

IV. Maximo & Imperii, & Eccleſiæ damno Placidia Auguſta ultimum annum in terris egit: cujus obitum in Conſulatum Protogenis & Aſterii Baronius perperàm confert, unius anni prochroniſmo: Placidiam, inquit, v. *Kal. Decembr. diem obiiſſe, ſepultamque eſſe Ravennæ*, fidem facit Rubeus. Illuſtriſſimi Purpurati ſententiam damnat Idacius, qui annum Valentiniani XXVIII. Placidiæ fatalem fuiſſe tradit. Neque Auguſtæ fœminæ tam maturum contigiſſe obitum, ac Baronio creditum, Veterum ullus tradit. Proſper, qui tum Romæ verſabatur, in auctiori Chronico ſcribit, Placidiam anno Dom. CCCCL. quinto Kal. Decembris mortem obiiſſe. Neque Ravennæ, ſed Romæ vitæ finem invenit: *Valentiniani Imper. mater Placidia moritur apud Romam.* Inſigni & prudentiâ & religione mulier fuit, cujus conſiliis ſtare Valentiniani fortuna videbatur. Pietate exemplisque ſuis optima mater laſcivientem filii, petulantemque animum cohibebat. S. Pauli in Baſilica Gallæ Placidiæ memoriam extare, docent ea carmina:

Mors Placidiæ Auguſtæ.

Bar. An. 449. n. 167.

Idac. Chron.

Placidia pia mens operis decus hoc ſatiebat,
Suadet Pontificis ſtudio ſplendere Leonis.

Bar. An. 449. n. 167.

V. Hæc in Occidente. Sed & Orienti annus funebris fuit morte Theodoſii, quam ingens terræ motus anteceſſit, de quo in Chronico Alex. mentio eſt. *Valentiniano* III. *& Avieno*, quem perperàm Albinum dicit, *Conſtantinopolis magnam labem accepit ex terra motu, menſe Januario, ſexto & vigeſimo die, noctu à Troadeſiis porticibus uſque ad arcum Tetrapylum ſat diu durante, ita ut nemo auderet domi ſua manere, ſed omnes fugerent in campum, dieſque nocteſque continuarent preces. Ipſe Imperator cum Senatu & Populo, Cleroque nudis pedes, multis diebus Deum votis propitiabat. Ingens enim terror, qualis nunquam fuerat, omnes perculerat. Quidam affirmabant, ſe ignes in cœlo vidiſſe. Unde anniverſaria memoria precum celebratur etiam hodie in campo, ad Dei clementiam in genus hominum laudandam. In tanta enim malorum trepidatione nemo extinctus eſt.* Miſſis Nicephori fabulis, qui & Pulcheriam hoc anno rerum adminiſtrationi redditam, & Eudoxiam ad urbem Hieroſolymitanam migrare permiſſam, & Theodoſium Epheſum inſtituiſſe profectionem, ut ſibi Joannis in Templo oranti, quem ſucceſſorem habiturus eſſet, nunciaretur oraculo, aliaque furfuris ejuſmodi narrat, quæ de Theodoſiano obitu certiora videntur, aſſeramus. Ad venationem egreſſus Princeps, cùm in *Leucum* fluvium abreptus eſſet, effuſus equo, vertebram ſpinæ luxavit, lecticâque in urbem regiam illatus, nocte ſequente vitâ obiit quinto Kal. Auguſti, non verò *quarto*, ut Baronio placuit. Natus erat Arcadio & Eudoxiâ anno Dom. CCCCI. Aprilis decimo, Fravitâ & Vincentio Coſſ. Vixit ergo annos XLIX. menſes quatuor, dies XIX. In quibus initio à paterna morte ducto, quæ primo Maii, anno CCCCVIII. contigit, regnavit annos XLII. menſes tres, dies XXVIII. Pietatem coluit, quæ magna erat in animi manſuetudine, temperantia, clementia, tum in religione maxima. Multum gaudebat Ariſtotelis ſyllogiſmis. Decolorationem tamen aliquam virtutibus induxit ſuis ex ſuperſtitione, credulitate, imprudentia. Superſtitionis fuit, quòd cùm

Motus terræ Conſtantinopoli. Mors Theodoſii.

Bar. An. 450. n. 10.

Con-

Conſtantinopoli Epiſcopus Chebronenſis fuiſſet mortuus, ſagum ejus valde ſordidum quæſierit, & eo circumamictus ſit, credens aliquid ſe ex defuncti ſanctitate promereri. Credulitatis, quòd ſe regendum Eunuchis tradiderit, atque Chryſaphio, cujus conſiliis uſus, Flavianum virtutis magnæ Præſulem Sede ſuâ pulſum in exilium ejecerit, impiumque Conciliabulum Epheſinum Edictis ſuis corroborarit. Imprudentiæ verò, quòd Libellis, quos non legebat, de more ſubſcriberet. Quod cùm Pulcheria animadverteret, callidè per cauſam petendi muneris ſcheda oblata flagitabat, ſibi in ſervitutem tradi Eudoxiam ejus conjugem. Theodoſii mortem protinùs excepit Chryſaphii obitus. Variant quidem Hiſtorici de ratione mortis. Sunt qui ſuperſtite Theodoſio ob illatam, cujus pœnitebat, Flaviano injuriam, dignitate excidiſſe memorant, ac ſpoliatum fortunâ, in Inſulam fuiſſe relegatum. Ea tamen Theodoſii reſipiſcentia figmentum nobis eſſe videtur, ut memoriæ ejus honos habeatur. Ac Epheſium ſanè Conciliabulum mordicùs tuebatur, menſe Martio, quo labente & ad Pulcheriam, & ad Martianum, Fauſtumque Presbyteros Epiſtolas direxit Leo, ut Synodus Oecumenica celebraretur. Quin etiam ex Leonis ad Theodoſium Epiſtola XVII. Cal. Auguſti data apparet, nullam confirmati Conciliabuli fuiſſe Principi pœnitentiam. Quòd ſi de ſententia deceſſiſſet, Reſcriptis ſanè ſuis Epheſina Decreta reſcidiſſet, aut propenſum ſaltem ad ea reſigenda animum oſtendiſſet, quod prudentiſſimum ſanè conſilium Marcianus Pulcheriaque non involviſſent ſilentio. Itaque nullum ex Epheſino Conventu dolorem Theodoſius accepit, ut ea de cauſa in Chryſaphium indignationem ſuam effunderet. Sequimur ergo Chronicum Alex. Chryſaphii de interitu: *Eodem anno interfectus eſt Chryſaphius, Spatharius ad portam Melantiadis.* Itaque Theodoſii obitum verba hæc excipiunt in Chronico. Sed & Marcellinus Chryſaphii mortem aſcribit Pulcheriæ: *Chryſaphius Eunuchus, Pulcheria Theodoſii ſororis nutu ſua cum avaritia interemptus eſt.*

Paul. Diac. l. 14.

Niceph. l. 14. c. 49.

Leo Ep. 33.

Marcianus Imperator creatur. quo die? Anni ejus, moreſque.

VI. Theodoſiani imperii ſucceſſor, & hæres *Marcianus*, fuit vir ſuis virtutibus purpuræ ornamento, conſpirationeque omnium atque ſuffragio eligitur, ut ipſemet teſtatur in ſua ad Leonem Epiſtola: *Ad hoc maximum Imperium venimus Dei providentiâ, & electione Senatus excellentiſſimi, cunctaque militia.* Ex Thracia oriebatur, patre militari. Qui cùm paternam ſequi vitam cuperet, Philippopolim perrexit, ut militaribus numeris aſcriberetur. Faciendo iter apparet recens cæſi hominis cadaver, cujus caſum miſeratus, diu illùc ſubſtitit, ut defuncto juſta perſolveret. Quod cùm Magiſtratui Philippopoleos nunciaretur, comprehenſum Marcianum de cæde interrogant. Cùmque indicia plus quàm veritas, aut lingua cædem pernegantis valuiſſent, jam Marcianus homicidii pœnas daturus erat, niſi repentè Deus cædis autorem prodidiſſet. Ex tanto ſervatum periculo milites libentiſſimè ſuſceperunt, neque poſtremo loco, ſed in gradu nuper defuncti, cui nomen *Auguſtus*, aſcripſerunt albo ſuo. Ut jam appellatione futuram dignitatem portenderet, privatuſque nuncupationem acciperet, quam cum purpura Imperatores induunt. Alio & omine Marcianum imperio deſtinatum eſſe conjecerunt. Sub Aſpare in Africa militabat, cum Romanis ingenti prælio victis, captus offertur Geiſerico, qui captivorum multitudinem ſpectare geſtiebat. Fortè ſole ſubardenti Marcianus humi procumbens, ſomnos carpebat, cùm aquila volatu Solis radiis oppoſito, inſtar cujuſdam nubis quieſcenti umbram attulit. Quo prodigio obſtupefactus Geiſericus, quid futurum eſſet conjiciens, accitum ad ſe Marcianum, libertate donavit, gravibus prius ſacramentis eſtrictum, ut poſtquam imperium adeptus eſſet, fidem ſervaret Vandalis, nec adverſus eos expeditionem moveret. Tribuni munus agebat, cùm à moriente Theodoſio coram Aſpare & Senatu accitus eſſe fertur, cui Theodoſius: *Divinitùs mihi ſignificatum eſt, te mihi in imperio ſucceſſurum.* At in Miſcellanea legitur: *Pulcheria nondum cuiquam fratris morte Theodoſii Imperatoris compertâ, Marciano accerſito, in religione ac pudicitia converſante, ſene videlicet, & idoneo viro, dicit ei: Quoniam Imperator mortuus eſt, & ego te elegi tanquam benèplacentem ex omni Senatu, da mihi verbum, quòd cuſtodias virginitatem meam, quam Deo commiſi, & pronunciabo te Imperatorem. Quod illo ſacramento pollicente, accerſito Patriarchâ Anatolio, pariter & Senatu, pronunciavit eum Imperatorem Romanorum.* Quacunque ratione creatus ſit, Marcianum Theodoſio ſucceſſiſſe conſtat. Diem imperii natalem Chronicum Alex. exemit oblivioni: *Martianus in Hebdomo ab exercitu menſe Auguſto VIII. Kal. Sept. die Jovis imperare juſſus eſt.* Errat tamen in die, qui non *Jovis*, ſed *Veneris* fuit. Itaque ſuis initiis Marciani imperium non reddit Baronius, qui *biduo vel triduo* ante Calend. Auguſti electum Marcianum eſſe tradit, menſis fere unius errore. Baronium in hanc ſententiam impulit Lex de Apoſtatis ſexta, quæ data dicitur *Kal. Auguſti.* Quin tamen falſa ſit ea temporis nota, nulli dubitamus, permoti autoritate Faſtorum Græcorum, quibus fides in ea re immerito detraheretur. Neque adverſus Eutychem lata videtur à Marciano damnationis ſententia, antequam Conſtantinopolitana poſt Leonis Legatorum adventum Synodus cogeretur, quæ primo Auguſti certè poſterior eſt, cùm Romæ adhùc verſarentur Julii XX. Breve nimis fuit imperium Marciani. Pridie Calendas Februarias anno Dom. CCCCLVII. Conſtantino & Ruſo Coſſ. Marcianus mortis debitum ſolvit. Imperavit ergo annos ſex, menſes quinque, dies ſeptem. Itaque de ſexto menſe incompleto Marcellinus eſt intelligendus: *Imperavit annos VI. menſes VI.* Probi Marciano mores fuere, ut imperium ipſius virtuti præmium acceſſiſſe videretur: *Fuit erga Deum pius, in ſubditos autem juſtiſſimus. Divitias veras exiſtimans, non eas, quæ recondita ſunt, aut quæ ex tributis colliguntur, ſed eas ſolùm, quæ indigentium penuriam ſublevare poſſunt, & locupletibus tutas ac ſecuras opes ſuas præſtare. Formidabilis non tam propterea quòd puniret, quàm quòd metuebatur, ne puniturus eſſet.* Uxorem Pulcheriam duxit, quam tamen pro ſorore habuit, promiſſi ſui memor, ſe virginitatem ipſius nunquam violaturum. Stetit & pactis, quæ cum Geiſerico fecerat, qui modis omnibus & Imperium lacerabat, & Eccleſiam. Auſpicatò vir ille optimus rerum potitus eſt, ut à Conciliabulo Epheſino illata Religioni mala ſuâ & autoritate, & pietate averteret.

Evagr. lib. 2. c. 1.

Chr. Alex.

Miſcell. l. 14.

Bar. An. 450. n. 19.

Evagr. l. 2. cap. 1.

Flaviani obitus Honores defuncto redditi.

VII. Rebus Eccleſiæ nunc ſtylum injiciamus. Ac Conſtantinopoli verſantibus offert ſe nobis

ANNO DOM. 450. hujus urbis Epiſcopus Flavianus, qui vi prædonum ſuâ ſede pulſus exceſſit Epipæ, Februarii xviii. quo memoria ejus in Eccleſiæ monumentis recolitur. Numerum auxit Martyrum optimus ille Præſul, qui defendendæ veritati vitam dedit errori: non tortorum manibus, ſed Monachorum; non Edictis Ethnicorum Principum ex ſuperſtitione inſanientium, ſed Chriſtiani mandatus Imperatoris, ſuperbæ Eunuchi potentiæ obnoxii: non Sacerdotum idolis deditorum conſilio, ſed Epiſcoporum Domini altaribus miniſtrantium ſuaſione atque impulſu. Ærumnis oppreſſo, ictoque plagis more acceſſit, quæ miſeræ, quam trahebat, vitæ reliquias exhauſit. Quam diu Theodoſius imperavit, Flaviani memoria contemptu & oblivione ſepulta jacuit, nec nomen ejus diptychis illatum, nec reliquiæ in urbem regiam tranſlatæ. Id pietati Marciani debebatur, ut defunctus Flavianus locum in Eccleſia recuperaret, ex qua vivus ejectus fuerat. Honorificè ergo exuviæ ipſius flagitantibus Conſtantinopolitanis annuenteque Marciano urbi regiæ redditæ ſunt. Id Pulcheria Papæ Leoni teſtatum voluit: *Conſtantinopoli ſanctæ memoriæ Flaviani corpus allatum eſt, & in Baſilica Apoſtolorum, in qua conſueverunt prædeceſſores Epiſcopi ſepeliri, competenter eſt poſitum.* Quo utique nuntio Leo in lætitiam conjectus eſt, qui & ea de cauſa Marcianum laudibus cumulavit, Epiſtolâ datâ quinto Idus Junii, Adelphio Conſule, qui annus eſt Dom. cccclI.

Leo Ep. 41. *Ut reliquiis beatæ memoriæ Flaviani digno honore ſuſceptis, impietatem ſuam condemnator ejus agnoſceret; veſtræ virtutis titulus, veſtræ pietatis eſſe fructus.* Ipſemet quoque Marcianus in ſuo de infirmandis iis, quæ contra ſanctæ memoriæ Flavianum ſunt injuſtè prolata, magnis laudibus veluti maximâ hoſtiâ defuncto parentare, pietati eſſe adjunctum putavit: *Cùm falſâ invi-*

Syn Chal. Act. 3. 135. *diâ & improbè concinnatâ calumniâ religioſæ ac venerabilis recordationis Flavianus, hujus almæ urbis Epiſcopatu fuiſſet pulſus, (quamvis hoc ſuit plenius retinere Sacerdotium, fidem, quam acceperat conſervare; is enim ſolus eſt, qui eſſe meretur Epiſcopus) tamen ita ejus reliquias & expetiit hæc ſacratiſſima civitas, & recepit, ut beatior omni viventi videretur, & exitus ille, qui putatur acerbus, optandus credatur fuiſſe, quo illam immortalem mercatus eſt laudem.* Quæ Conſtitutio data eſt, anno cccclII, Sporatio & Herculano Coſſ. Eſt &

Cod. l. 1. Tit. 3. l. 23. in Codice Juſtiniani Lex ejuſmodi, *Flaviani venerabilis recordatio volvetur.* Extant Flaviani geminæ ad Leonem Epiſtolæ, nec non fidei Confeſſio, de quibus ſuo loco mentio acta eſt.

Anatolius Conſtantinopolitanus, quibus conditionibus à Leone recipitur. VIII. Flaviano ſucceſſorem Anatolium dederant Epheſini latrones: Theodoſio charum, & ab eo Leoni commendatum, ut Veteris Novæque Romæ Epiſcopi firmis concordiæ vinculis copularentur. Leoni tamen non ſatis arridebat ordinatio hæc, quæ magnum Epheſinæ violentiæ erat indicium. Ac diligentiâ curâque, quantâ poterat maximâ, ſubruere Conciliabulum conabatur, cujus ruinis Anatolius obrueretur. Ea de cauſa Pulcheriæ Auguſtæ miſit Epiſtolam, xvII. Kal. Aprilis datam, quâ docebat, religionis fundamenta convelli, ſi Chriſtus negetur de Virginis utero veram carnem ſumpſiſſe; ruſumque inſtabat, ut coactâ Synodo Oecumenicâ Epheſina Decreta abolerentur. Ut verò urgenti eum Anatolio communionem Theodoſio faceret ſatis, ſub certis conditionibus concordiam componi voluit, miſſis Legatis, qui eas proponerent: *De ordinatione ejus, qui Conſtantinopolitanæ cœpit Eccleſiæ præſidere, nihil interim in alterutram tibi partem temerè reſcribendum putavi, non dilectionem negans, ſed manifeſtationem Catholicæ veritatis expectans .... Agat clementia veſtra devotiſſima fidei, ut quàm primum ad nos Conſtantinopolitani Epiſcopi qualia debent, probati & Catholici Sacerdotis ſcripta perveniant, apertè & ſcilicet dilucidè proteſtantia, quòd ſi quis de Incarnatione Verbi aliquid credat, aut aſſerat, quam Catholicorum omnium, & mea profeſſio proteſtatur, hunc à ſua communione ſecernat, ut ei fraternam in Chriſto charitatem meritò poſſimus impendere. Ut autem ſalubribus curis velocior pleniorque auxiliante Domino per veſtram clementiam fidem præſtetur effectus, ad pietatem veſtram fratres & Coepiſcopos noſtros Abundium & Aſterium, ſed & Baſilium & Senatorem Presbyteros, quorum mihi devotio eſt probata, direxi, per quos, quæ noſtra forma ſit fidei, manifeſtatis inſtructionibus, quas miſimus, poſſitis dignanter agnoſcere, ut ſi Conſtantinopolitanus Antiſtes in eandem Confeſſionem toto corde conſenſerit, ſecuri, ut dignum eſt, de Eccleſiaſtica pace lætemur.* Preces quoque & ſuas & Synodi Rom. ingerit, ut *Concilium univerſale intra Italiam* cogatur. *Data xvII. Kal. Auguſti, Valentiniano vII. & Avieno Coſſ.* Anatolius quoque de ſua electione Leonem certum fecerat, nullâ fidei ſuæ injectâ mentione, quod Pontificem malè habuit, ut ex ipſius Epiſtola ad complures Archimandritas ſcripta nobis innotuit: *Cùm clementiſſimus Imperator talia ad nos ſcripta direxerit, quibus ſollicitudinem ſuam pro pace univerſalis Eccleſiæ demonſtraret, ipſe Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & hi, qui eum conſecrarunt, præter id, quod ad ordinationem novi Antiſtitis pertinebat, nihil nobis de compreſſis, vel abdicatis erroribus indicarunt, quaſi in illa Eccleſia nullum ſcandalum, nulla extitiſſet offenſio, aut non hinc præcipuè fuerit ordinati meritum demonſtrandum, ſi aliena à ſe, quæ Catholicorum ſenſibus ſunt adverſa, docuiſſet.* Fauſtum ergo, Martianum, Petrum, Manuelem, alios denique Presbyteros Archimandritas rogat, ſuâ diligentiâ Legatos à ſe Conſtantinopolim miſſos adjuvent, ut extinctis erroribus læta pax ubique floreat. *Data* Leo Ep. 34.

xvI. *Kal Auguſti, Valentiniano Auguſto* vII. *& Avieno* Coſſ. Ejuſdem ferè tenoris Epiſtolâ Pulcheriam adiit Auguſtam, cui de Legatis à ſe miſſis mentionem inſerit, ut quid fidei Conſtantinopolitanus amplecteretur Epiſcopus, quem nunquam nomine ſuo nominat, ſciri poſſet. Petit etiam, ut univerſale Concilium haberi intra Italiam jubeat. Data xIII. Kal. Auguſti. Leo Ep. 35.

IX. Teneris affectibus Leonis Legati à Conſtantinopolitanis excipiuntur, nec mirum, cùm paulò ante ipſorum adventum Theodoſius naturæ ſatisfeciſſet. Imperabat Marcianus, vir ſi quis alius erroris purus, pietatique deditus. Anatolii quidem rationibus non conducebat, Dioſcori adhærere communioni, licet Apocriſiarium ejus, Diaconumque egiſſet, & ab eo in Conſtantinopolitana Cathedra fuiſſet collocatus. Itaque ut integritati fidei ſuæ teſtimonium redderet, unàque Leoni pergratum faceret, ex Epiſcopis, qui tum in urbe regia verſabantur, Synodum cogi placuit, cui adeſſent Pontificis Romani Legati. Extat Synodi hujus fragmentum, à Baronio donatum luci: *Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Novæ Romæ, acceptâ Epiſtolâ* Bar. An. 450. n. 29.

Anatolius convocatâ Synodo Eutychem damnat. Leoni ſcribit.

S. Leo-

Anno Dom. 450.

S. Leonis Papæ, de confirmatione Catholicæ fidei contra veſaniam Hæreticorum congregavit Concilium omnium Epiſcoporum, Archimandritarum, Presbyterorum, Diaconorum, & ante conſpectum omnium recitata eſt Epiſtola S. Leonis Papæ, quam beatus Abundius coram omnibus præſentavit. Concordantibus teſtimoniis Romanorum Patrum ac Græcorum, Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus huic Epiſtolæ S. Leonis, continenti Catholicæ fidei veritatem, concordantibus etiam teſtimoniis Patrum ab eadem Apoſtolica Sede decretorum plenâ devotione conſenſit, & ſubſcripſit, anathema dicens Eutycheti, & Neſtorio, & ipſorum dogmati, cum ſectatoribus eorum. Id ipſum fecere omnes, qui aderant Epiſcopi, Presbyteri, Archimandritæ & Diaconi. Mox ſanctus Abundius, Aſterius Epiſcopus, Baſilius & Senator Presbyteri, dixerunt Omnipotenti Deo gratias. Anathema quoque dictum Eutychi. Alia quoque in eo Conventu decreta eſſe, Leonis ad Anatolium ex Epiſtola ſcimus, de meticuloſis illis Epiſcopis, qui & damnationi Flaviani, & erroris receptioni aſſenſum præbuerant: *Illud quidem*, inquit, *quod præſentibus & agentibus noſtris conſtitutum eſt, approbamus, ut ſuarum interim Eccleſiarum eſſent communione contenti.* Inſuper Leonis Legati flagitarunt, ut Ec-

Leo Ep. 44. cleſiæ tabulis *Dioſcori Juvenaliſque nomina expungerentur. De nominibus autem Dioſcori, Juvenalis, & Euſtachii, ad ſacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet cuſtodire, quod noſtri ibidem conſtituti faciendum eſſe dixerint.* Fidem quoque Anatolius ſuam Leoni ſignificatum ivit. Quod & Pulcheria ei teſtatum voluit: *Sanctiſſimus glorioſæ Conſtantinopoli Epiſcopus Anatolius in eadem fide permanſit atque religione, & tuarum literarum Apoſtolicam Confeſſionem complectitur, illo errore ſublato, qui ab aliquibus nunc ortus eſt, ſicut ex ejus quoque literis clarius tua Sanctitas agnoſcere poterit. Et Epiſtolæ ſimiliter Catholicæ fidei, quam ad ſanctæ memoriæ Flavianum Epiſcopum tua beatitudo direxit, ſine aliqua dilatione ſubſcripſit.* Quam tamen Epiſtolam anno duntaxat ſequente exaratam eſſe putamus.

Marcianus Eutychem damnat. Synodum generalem Leoni pollicetur.

X. Sic Conciliabuli Epheſini impetus, qui

Ut rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,

ſubinde exaruit, operâ non Eccleſiæ duntaxat, ſed Principum etiam auctoritate. Synodi Conſtantinopolitanæ de damnatione Eutychis Conſtitutionem excepit Marciani Reſcriptum: *Eos qui Catholicarum Eccleſiarum Clerici, vel orthodoxæ fidei Monachi, relicto verò orthodoxæ religionis cultu, Apollinaris, vel Eutychetis hæreſim, & dogmata abominanda ſecuti fuerint, omnibus pœnis, quæ prioribus Legibus adverſus Hæreticos conſtituta ſunt, jubemus teneri.* Non probamus tamen, quòd Reſcriptum Kalendis Auguſti conſignetur, quo tempore necdum Marcianus imperabat. Cùm autem unumquodque eo modo, quo colligatum eſt, diſſolvi etiam debeat, quem Eutychis errorem Conciliabulum Epheſinum probarat, is priùs à Synodo damnari debuit, quàm regiis Edictis tantæ impietatis fautores opprimerentur. Suis quoque Marcianus Reſcriptis cavit, exules fidei cauſâ Præſules eſſe revocandos, uti legitur Pulcheriæ ad Leonem Epiſtolâ: *Hos ſimiliter Epiſcopos, qui propter eandem cauſam, quoniam cum ſanctiſſimo Flaviano ad concordiam fidei Catholicæ concurrerant, exilio deportati ſunt, reverti debere, robore pragmatici ſui præcepit.* Ut verò Œcumenicæ Synodi clypeus, quo ſeſe Hæretici tegebant, eriperetur, Leonis precibus de alio generali Concilio congregando annuere Marciano placuit. Hæc ergo Leoni ſcribit: *Tuam Sanctitatem Principatum in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem, ſacris Literis in principio juſtum credimus alloquendam, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate, & ſtatu noſtri imperii æternam Divinitatem tua Sanctitas deprecetur, ut & tale propoſitum atque deſiderium habeamus, quatenus omni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni ſcelere pura & incontaminata conſiſtens. Actum Conſtantinopoli, Conſulatu Domini Valentiniani perpetui Auguſti.* Extant Epiſtolæ in Synodi Chalcedonenſis præludia.

Mors Petri Chryſologi.

XI. Germano Antiſſiodorenſi non diu ſuperſtes fuit Petrus Chryſologus, Ravennenſis Epiſcopus, de quo multa jam diximus. Dum brevis eſſe laborat, obſcurus quidem non fit: in eo tamen deſiderantur, quæ Chryſologi titulo digna ſunt, abundant nimirum ſonantibus verbis, uberibuſque ſententiis eloquentiâ. Jejuna eſt macilentaque ejus explicatio, quæ Theologica duntaxat delibat, in ea verò non penetrat. Verbi gratiâ de fremitu Servatoris Lazarum à mortuis revocantis, *Fremit Chriſtus*, inquit, *de-* Petr. Chryſ. Ser. 65. *bellans mortem, quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Tam juſtos, quàm injuſtos Chriſti ante adventum inferis in- Chryſ. Serm. 66. cluſos eſſe putat, *& diſcretos locis tantùm, non regionibus.* Lepidis tamen ſententiis quandoque ſermones aſpergebat ſuos. Non ingrata ſunt, quæ habet de Oratione Dominica: *Chriſtus bre-* Chryſol. Serm. 67. *viter orare docuit, qui citò vult poſtulata præſtare: aut quid precantibus ſe non dabit, qui ſeipſum non petentibus dedit.* Defuncto ſucceſſit *Neo*, quem anno ſequente Leo Epiſtola compellabit, ut prorſus abſona ſit eorum ſententia, qui Petri Chryſologi vitam extendunt Symmachi ad Pontificatum uſque.

De Arelatenſis & Viennenſis Epiſcopi lite Leonis judicium.

XII. Conſervandæ pietati ſtudium Leonis Pontificis Romani vigilabat ſine fine. Celeberrimam ergo, quam Flaviano olim miſerat, de Domini Incarnatione Epiſtolam, in Galliis quoque legi voluit, quam idcircò *Ravennio* Arelatenſi reddi curavit: *Diu*, inquit, *filios noſtros Petronium Presbyterum, & Regulum Diaconum in urbe tenuimus. . . . . Voluimus enim vos intereſſe tractatui, & univerſa cognoſcere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum & Conſacerdotum noſtrorum notitiam pervenire, chariſſimæ hoc dilectioni tuæ ſpecialiter delegantes, ut ſollicitudine vigilantiæ tuæ Epiſtola noſtra, quam ad Orientem pro fidei defenſione direximus, vel ſanctæ memoriæ Cyrilli, quæ noſtris ſenſibus tota concordat, univerſis fratribus innoteſcat. Data III. Nonas Maii*, Valentiniano VII. & Avieno Coſſ. Eodem quoque tempore Comprovincialibus Ravennii, Conſtantino, Armentario, Audentio, Severiano, Valeriano, Urſo, &c. mentem ſignificavit ſuam de mota Arelatenſes inter & Viennenſem quæſtione. Quam ſibi Leonis gratiam Ravennius conciliaverat, ea cauſam præbuit Comprovincialibus ejus, ut antiqua Eccleſiæ Arelatenſi jura reſtitui, vehementer deſiderarunt. Præmiſſis igitur officiis, quæ Leonis *Apoſtolatui* jure deberi cenſent, quæ *ad privilegia dignitatis antiqua pro tempore diminuta* recuperanda, momenti alicujus eſſe poterant, Pontifici viribus ingerunt. Aiunt, quòd prima intra Gallias Arela-

ANNO DOM. 450.

Arelatenſis civitas, miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo Sanctum *Trophimum*, *habere meruit* Sacerdotem. Epiſcopalem prius urbem fuiſſe, quàm Viennam, quæ *nunc impudenter Primatus expoſcit indebitos*: civitatem à glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honoratam, *præter proprium nomen, quo Arelas vocitatur, Conſtantina nomen* accepiſſe. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianum & Honorium Principes, *matris Galliarum* appellatione decoraſſe: hanc, ſublimiſſimam Præfecturam; hanc reliquæ Poteſtates velut communem omnium patriam ſemper incoluiſſe: *Unde factum, ut non ſolum Provincia Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium Provinciarum contemplatione Sancti Trophimi, Arelatenſis Eccleſia Sacerdos ad ſollicitudinem ſemper ſuam, curamque revocavit. Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, ut non tantum has Provincias poteſtate propriâ gubernaret, verùm etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolica Sedis vice mandata ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.* Per nomen ergo Domini petunt, ut ſua Arelatenſi Eccleſiæ jura reddi præcipiat. Ut voti ſui compotes forent, officii cauſa adituros ſe Leonem teſtantur, niſi aliis infirmitas, aliis anni penuria fuiſſet impedimento. Legatos ergo miſere *Petronium* Presbyterum, *Regulumque* Diaconum, qui ſuam Pontifici petitionem offerrent. Rerum quoque ſuarum ſatagebat Viennenſis Epiſcopus, qui miſſis Legatis Arelatenſem Vaſatenſis Præſulis ordinationem ſibi vindicaſſe querebatur. Magna hæc lis Judice Leone ſic ſecatur: *Viennenſem civitatem, quantum ad Eccleſiaſticam juſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cùm de receptione privilegii, autoritate jam noſtra diſpoſitionis utatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Vienneaſi Epiſcopo credimus deputandam. Qui ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit. Id eſt, Valentia, Tharentaſia, & Geneva, & Gratianopoli, ut cum eis ipſa Vienna ſit conjuncta, ad cujus Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertinebit. Reliqua verò civitates ejuſdem Provincia ſub Arelatenſis Antiſtitis autoritate, & ordinatione conſiſtant. Data 3. Non. Maji* Valentio. Auguſt. VII. & Avieno Coſſ. *Leo Ep. 109.*

Marius Mercator.

XIII. Cujus ſæpius à nobis mentio facta eſt, Marius Mercator hoc fortè anno naturæ ſatisfecit. Obſcuritate involutus diu latuerat hic Autor, cùm velut umbra prodiit è pulvere Bibliothecarum, curâ præcipuè Garnerii, è Societate Jeſu, eruditiſſimi Presbyteri. Non ignotus tamen Auguſtino Marius Mercator, qui ab egregio Doctore literas accipere meruit. De Latinis unum fuiſſe, ipſemet docuit ſua Præfatione in varios ſermones Neſtorii, his verbis: *Scripta ex Græco in Latinum ſermonem fervore Catholicæ fidei incitatus, curavi transferre à fidelibus lingua mea fratribus, cognoſcenda atque vitanda.* Cujus verò regionis fuerit, eſt dictu difficillimum. Romam quidem incolebat. Hoc ipſemet Mercator innuit Subnotationum capite VII. *Meministis enim*, inquit, *eo tempore, quo præſens in urbe Roma, cum Principibus hujus amentiſſimi erroris tui in nonnullis ſimplicioribus Eccleſiam ventilabas, qualiter interrogabas.* Quæ verba ſunt hominis auribus ſuis Juliani interrogationes excipientis. Non ex eo tamen conſequitur, vel Romæ, vel in Italia lucem aſpexiſſe Mercatorem, cùm ex diverſis imperii Provinciis complures in urbem migrarent: rudis certè & durus Autoris ſtylus non ſonat Italum. Clericorum in ordinem non allectum fuiſſe, indicant verba ejus ad *Pientium* de Subnotationibus ſuis in ſcripta Juliani: Quoniam *Subnotationes in unum corpus redigere me debere, tu quoque, venerande Presbyter Pienti, juſſiſti parui imperatis.* Laicum igitur agebat, linguæ tamen Græcæ peritus doctiſſimis Epiſcopis utebatur. Præcipuè in urbis Pelagianis Auguſtinum conſuluit. Epiſtolæ ad ipſum ſcriptæ ſanctus ille Pater meminit, in ſuo de octo Quæſtionibus ad Dulcitium Libello: *De illis autem, qui rapientur in nubibus, in quadam Epiſtola, quam ſcripſi ad filium meum Mercatorem*, &c. Anno CCCCXVIII. liber ille conditus eſt, quo tempore jam ſibi nomen Mercator pepererat. Acerrimum porro ſe fidei adverſus Pelagianos patronum conſtituit. Itaque anno CCCCXXIX. non Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ modò, ſed Theodoſio quoque Commonitorium de Cœleſtio ſuum obtulit, quo & impetravit, ut Julianus, ejuſque ſocii regiâ urbe ejicerentur. Anno CCCCXXXI. nondum damnato à Patribus Epheſinis errore Pelagiano, librum Subnotationum in verba Juliani conſcripſit. Neque lata adhùc erat adverſus Neſtorium damnationis ſententia, cùm refellendis Neſtorii in Cyrillum Anathematiſmis operam collocavit. Indicioque eſt altum de Neſtorii abdicatione ſilentium, quo apparet abdicationem eo ſcripto poſteriorem fuiſſe: ſaltem Mercatoris in notitiam necdum perveniſſe. Optimum factu ratus, in Neſtoriano bello fortunam pugnæ tentare, cum Theodoro Mopſueſteni nobili adverſario confligere ſtatuit, ejus Symbolo confutato. Sed & Theodoritum adortus eſt, in quem tela verborum amariſſima torſit, cauſatus ipſum adverſus Concilium Epheſinum *Diabolo inſtigante* ſcripſiſſe. Quod Opus prius editum eſt, quàm Theodoritus erroris à Chalcedonenſibus Patribus abſolutus, Eccleſiæ ſuæ redderetur: ſecus ab ejuſmodi convicils abſtinuiſſet, ne injuria magnæ Synodo fieret. Placet itaque cum Garnerio anno CCCCL. in arenam deſcendiſſe, ut Theodorito concurreret. Exinde vocalis eſſe deſiit, ut liceat opinari, viro in Hæreticos pugnaci mortem indixiſſe ſilentium. Abundabat Mercator amore veritatis. Non ſatis extructam tamen atque fundatam diſciplinæ Theologicæ notitiam habuit; ut nervoſè ſuos adverſarios refelleret: nil etiam elegantiæ ſtylus ejus præ ſe fert. In hiſtoricis quoque labitur. Verbi gratiâ, cùm Juliani libros poſteriores, *ſingulis reſponſionibus ſuis ad ſingula capitula ſubjectis*, Auguſtinum confutaſſe tradit. Multa de Pelagianis nobis ignorata reſeravit.

M. Merc. p. 3.

M. Merc. p. 31.

Aug. ad Dulcit. Q. 3.

ANNO U. C. 1204. PER. JUL. 5164. JUL. 496. DOM. 451. VALENTIN. 26. & 27. MARCIANI 1. & 2. *Sol.* 12. G. *Lun.* 15. *Indict.* 4. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.* — ANNO DOM. 451.

COSS. *Marcianus Aug. & Adelphius.*

I. INfeſta Dei providentia Attilam cœleſti cuſtodiâ liberatum, velut fulmen aliquod injicit Galliæ. Tanta ſuperbo regi erat audacia, ut inſolenter Valentiniano per Legatos nunciaret: *Imperat tibi per me Dominus meus, & Dominus tuus Attila, ut ſibi palatium Romæ adornes.* Superbi Regis animos excitabat *Sangibanus* Rex Ala-

Attilæ ſuperbia. Aurelianum obſidet.

Chr. Alex.

ANNO DOM. 451.

Alanorum, qui tanto apparatu perterritus, *Attilæ ſe tradere pollicetur, & Aurelianam civitatem, ubi tunc conſiſtebat, in ejus jura tranſducere.* Aurelianenſi Eccleſiæ tum præerat *Anianus*, qui adventum Hunnorum veritus, Arelatum profectus erat, Ætii imploraturus auxilia. Erat Anianus *Lupo par, Germano non impar*, qui ubi reverſus eſt, vaticinatione quâdam civitatem in Hunnorum poteſtatem non venturam cecinerat. Obſidionem admoverat Attila, dignamque memoratu hiſtoriam ſcriptis mandare Sidonius Apollinaris inceperat. Quem inchoati Operis pœnituit. Id ergo ſummatim ſcribit in ſua ad Proſperum Epiſtola: *Exegeras mihi, ut promitterem tibi Attilæ bellum ſtylo me poſteris intimaturum. Quo videlicet Aurelianenſis urbis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœlitùs Sacerdotis vaticinatio continebatur.* Quid id vaticinii, Gregorius Turonenſis innuit. Incluſos cives monet *in oratione proſterni, & cum lacrymis præſens ſemper in neceſſitatibus Domini auxilium implorare. Denique his, ut præceperat, deprecantibus, ait Sacerdos, Aſpicite de muro civitatis, ſi Dei miſeratio jam ſuccurrat. Suſpicabantur enim per Domini miſericordiam Ætium advenire . . . Aſpicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille, Orate, inquit, fideliter, Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus autem illis, ait, Aſpicite iterùm, & cùm aſpexiſſent, neminem viderunt, qui ferret auxilium. Ait eis tertiò, Si fideliter petitis, Dominus velociter adeſt. At illi cum fletu & ejulatu magno Domini miſericordiam implorabant. Exactâ quoque oratione, tertiò juxta ſenis imperium aſpicientes de muro, viderunt à longè quaſi nebulam de terra conſurgere. Quod renunciantes, ait Sacerdos, Domini auxilium eſt.* Graviſſimo tum metu cives concutiebantur. Effractis portis, ſtratiſve ariete muris, hoſtis jam urbem habebat, quam veniente Ætio nullâ direptione læſam deſerere cogitur.

Jorn. c. 37.

Sidon. l. 8. c. 15.

Greg. Hiſt. l. 2. c. 15.

Ætii cum Attilæ prælium Catalaunicum.

II. Adfuit pugnæ memorabilis dies. Ætio militabat cum Gothis ſuis Theodoricus, qui quatuor filiis domi relictis, Friderico, Turico, Rotemero, & Himmeric, Thoriſmondum & Theodoricum natu majores ſecum adductos, participes ſui laboris eſſe voluerat. Diffidens rebus ſuis Attila, conſultos haruſpices de pugnæ exitu interrogat. Qui inſpectis victimarum fibris, Hunnis infeſta denunciant: *Hoc tamen quantulum prædixere ſolatii, quòd ſummus hoſtium Ductor de parte adverſa occumberet, relictâque victoriâ ſuâ morte triumphum fœdaret.* Conſiſtebant exercitus in campis Catalaunicis, qui & *Mauricii* nominantur: *centum leugas in longum tenentibus, & LXX. in latum.* Locus erat declivi tumore, collis in modum excreſcens, qui cùm utilis primo occupanti foret, ab utroque exercitu cupiebatur. Dextram Hunni, ſiniſtram Romani tenebant. De jugo certamen initur. Suos mittit Attila, qui cacumen invaderent. At præventi ab Ætio & Thoriſmondo facilè deturbantur. Circa nonam diei horam commiſſa pugna, primus in hoſtes telum Attila torquet: nunquam pertinacius certatum ferunt: *Si ſenioribus credere fas eſt, rivulus memorati campi humili ripâ prolabens, peremptorum vulneribus ſanguine multo provectus, non auctus imbribus, ut ſolebat, ſed liquore concitatus inſolito, torrens factus eſt, cruoris augmento.* Theodoricus Rex excuſſus equo, dum excitandum diſcurrit exercitum, pedibus ſuorum conculcatus, vitam maturâ, ſimulque glorioſâ ſenectute claudit: *Alii dicunt interfectum telo Andagis de parte Oſtrogothorum, qui* Attilam ſequebantur. Viſigothi impetu in Hunnos facto, penè Attilam occidiſſent, niſi arreptâ fugâ plauſtrorum munimentum inſequentibus oppoſuiſſet. Thoriſmondus agmina ſua ſubire putans, *noctu cæcâ ad hoſtium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantem quidam capite vulneratum, equo dejecit.* Sed à ſuis periculo eximitur. Ætius verò, qui inter medios hoſtes vagabatur, *tandem ad ſocia caſtra perveniens, reliquum noctis ſcutorum defenſione tranſegit.* Luce ortâ, cùm ſtratos cadaveribus campos Romani cernerent, nec audere Hunnos erumpere, victoriam veluti ſuam amplectuntur. In ea celeberrima pugna *ab utriſque partibus CLXII. millia cæſa feruntur.* Intereà quid cum debellato Attila agendum deliberant. Quem annonæ copiâ laborantem obſidione fatigari placuit. Quippe ſagittarii intra caſtrorum ſepta locati, telorum nimbo vetabant acceſſum, ut invadentibus periculum maximum immineret. Cæterùm Theodoricus ubique locorum quærebatur. Gothi reperto inter denſiſſima funera Regis ſui corpore, *cantibus honoratum, inimicis ſpectantibus abstulerunt.* Ut defuncto juſta ſolverent, armis ſonantibus eum efferunt, patris exequias Thoriſmondo proſequente. Quibus peractis, cupidus Hunnorum reliquias parentis ſui manibus immolare, Ætium rogat, quid agendum. Is veritus, ne Hunnis funditùs peremptis, Gothi Romanum imperium laceſſerent, Thoriſmondo ſuadet, paterna regna repetere, ne à fratribus occuparentur. Quod & ſibi utile conſilium ſecutus, relictis Hunnis Toloſam repetit. Diſceſſu fœderatorum Attila gravi metu liberatur, quem deploratis in rebus aiunt *equinis ſellis conſtruxiſſe pyram*, ut ſi Romani irrumperent, ſeſe flammis injiceret, ne Rex potentiſſimus hoſtium in manus veniret, aut eorum armis inflicto vulnere violaretur. Hæc ex Jornandis hiſtoria ſummatim deſcripſimus. Quæ verò à Gregorio Turonenſi fabulas prorſus redolentia narrantur, de Stephano Protomartyre, qui viſus cum Petro & Paulo miſcere colloquia, necnon de ſenibus ebrio homini, ubi crapulam edormivit, Petri in Baſilica conſpicuis, quorum major de Ætio hæc loquebatur, *Obtinui immenſam pietatem pro vita illius*, nec moramur, nec memoramus. Hæc ſunt hiſtoriæ non ornamenta, ſed ludibria, quibus pace Baronii etiam inſerimus, de guttis *chryſtallo clarioribus* Templi camerâ cadentibus, quæ infirmis ſanitatem afferebant, Sigeberti traditionem. Quod miraculum contigiſſe refert, poſtquam urbs Vaſatenſis ab Hunnica obſidione fuiſſet liberata: *Porro Hunni cum Rege ſuo Attila, relictis Galliis poſt certamen Italiam petunt.* Hæc Idacius in Chronico, qui juxta Metim prælium contigiſſe tradit, in quo tria fermè millia hominum cecidere. Nos Jornandi potius aſſentimur.

Jorn. c. 37.

Synodus Mediolanenſis Leonis probat Epiſtolam.

III. Ad rerum Eccleſiaſticarum memoriam nos trahit hiſtoria. In omni honore atque integritate incolumem haberi fidem, Leo maximè cupiebat: in eo ergo caſu, quo à perfidis Eutychianis violabatur, per ubique locorum Epiſcopos ſartam conſervari voluit, miſſâ ad eos inſigni de Incarnatione Epiſtola, cui ſubſcriberent. Itaque coactâ Provinciæ ſuæ Synodo Euſebius Mediolanenſis, viginti Epiſcopis conſtante,

ANNO DOM. 451.

Leo Ep. 53.

te, Leoni gratulatur egregios Legatorum ſucceſſus, qui Conſtantinopoli reverſi erant. Præmiſſæ gratulationi ſubjungit: *Admonitis ergo fratribus, & Coëpiſcopis meis, habitoque Conventu, veſtrarum formam tenuimus literarum. Nam recenſens Epiſtolam beatitudinis veſtræ in Sacerdotum Domini Concilio, quam ſanctus frater & Coëpiſcopus Abundantius, & Compresbyter meus Senator detulerant, agnitâque eorum narratione, ſicut ſcripta veſtra ſignaverant, rerum geſtarum ordine continuò requiſita, recitataque Epiſtola, quam fidei aſſertione plenè digeſtam ad Orientem dudum Sanctitas veſtra tranſmiſerat, quæ ad nos ex veſtra admonitione ſancto fratre & Coëpiſcopo noſtro Cyriaco mutuante pervenit, claruit, eam plenam fidei ſimplicitate fulgere, Prophetarum etiam aſſertionibus, Evangelicis autoritatibus, & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis nitore quodam lucis ad veritatis ſplendorem radicare, omnibuſque ſenſibus convenire, quos B. Ambroſius de Incarnationis Dominicæ myſterio ſuis libris Spiritu Sancto excitatus inſeruit.* Epiſtolæ ſubſcripſere Epiſcopi viginti numero, qui & Leonem rogant, ut autoritate ſuâ Dominicæ Incarnationis violatores perſequatur.

Leonis de cuſtodienda fide variæ Epiſtolæ. Epiſtola ad Neonam.

IV. Variis quoque, quas in Orientem miſit Epiſtolis, Leo gaudium, quo exultabat, teſtatus eſt, ob fidem Catholicam, *ab inſidiis inimicorum ſuorum defenſam.* Qua de re extat ad Martianum Auguſtum Epiſtola, data Idibus Aprilis. Pulcheriæ quoque Auguſtæ præconium tribuit, quæ & diligentiâ, & pietate ſuâ Eutychis obſiſtebat errori, ut & olim Neſtorio repugnarat: *Secunda ergo hæc vobis de perempto Eutychetis errore victoria eſt, quem ſi quid ſani cordis habuiſſet, dudum in autoribus ſuis perculſum, olimque proſtratum facilè potuerat declinare, ne de ſepultis cineribus tentaret incendia commovere.* Auguſtam quoque rogat, ut & Juliano Epiſcopo, & Clericis Conſtantinopolitanis qui B. Flaviano

Leo Ep. 39.

faverant, benevolentiam omnem præſtaret. Data eſt Epiſtola Idus Aprilis. Eâdem & ipſâ die ſcripto Anatolium adit Conſtantinopolitanum Antiſtitem, quatuor capita complectente. I. De ipſius fide, quam Epiſtolis teſtatam claramque maximè probat. II. Ut hi, qui metu in hæreſim lapſi ſunt, converſi recipiantur. III. Negat, Dioſcori Alexandrini, Juvenalis Hieroſolymitani, Euſtathii Berytenſis nomina ad ſacrum altare eſſe recitanda. IV. Julianum, Clericoſque Conſtantinopolitanos, qui Flaviano adhæſere, commendat Anatolio, quem &

Leo Ep. 41.

monet, Euſebium & *ſecum demorari, & in ſua communione nunc perſiſtere: cujus*, inquit, *Eccleſiam tuâ ſollicitudine volumus eſſe defenſam.* Eodem & tempore literas Juliano direxit, quem ob exantlatos pro fide labores multis laudibus afficit: dolentibus ignaviam ſuam reddi communionem jubet; contumacibus verò meritas

Ibid.

pœnas irrogari. Antequam alias Leonis memoremus Epiſtolas, quæ ad Synodum Chalcedonenſem reſpectum habent, de ipſius ad Neonam mentio eſt agitanda, ne dicendorum ordo interrumpatur. Ad eruditiſſimi Queſnelli ſententiam accedere haud poſſumus, qui anno CCCCLVIII. hanc Epiſtolam aſſignat. Cui Chronologiæ repugnat aſſixa Epiſtolæ nota, *data nono Kalendas Novembris, Conſulatu Marciani Auguſti.* Quem nullo jure in *Majoranum* mutat. Rectè, ſiquidem à Pagio obſervatur, Leonem *in temporariis*

Pag. Diſſert. Hyp. p. 321.

notis exprimendis ſæpè ſtylum mutaſſe. Decem Epiſtolas Ætii, & Studii Conſulatu, qui in annum CCCCLIV. *cadit, notavit, & tamen undecima eodem anno data, hanc formulam poſt Conſulatum Opilionis anno ſuperiore* CCCCLIII. *Conſulis præfert, rurſumque duæ ſequentes, quæ ordine ſunt,* CX. *&* CXI. *Ætii & Studii Conſulatu notantur.* Quid igitur miri, ſi Leo unius Conſulis, qui Auguſtus erat, nomine tempora conſignarit, cùm ex ipſo Marciano exemplum habuerit, quod ſequeretur, qui quam anno ſuperiore ad Leonem ſcripſerat Epiſtolam, eâ ratione clauſit: *Actum Conſtantinopoli Conſulatu Domini Valentiniani perpetui Auguſti*, omiſſo Avieno, qui Valentiniano Collega fuit. Conſtituto Epiſtolæ anno, de ea paucis: *Nuper in Synodo novum & inauditum anteà genus conſultationis exortum eſſe* teſtatur, videlicet captivorum aliquos *ad ſedes ſuas, libertatemque redeuntes* in ignorantia verſari, cùm baptiſmi compotes, quia *in captivitatem illa ætate pervenerint, quâ nullius rei firmam poterant habere memoriam.* Conſulta Synodus diligens examen adhibuit: *In Synodali Cœtu*, inquit, *formam hujuſcemodi conſultationis accepimus, quam diligentius diſcuti, & pro uniuſcujuſque ſenſu ſollicitâ volumus ratione tractari, quo ad veritatem adhibitâ cognitione multorum certius pervenire poſſemus.* In eo caſu ſapienter conſtitutum eſt, adminiſtrandum eſſe baptiſmum, quia *nihil eſt, in quo peccatum poſſit obrepere, cùm in hac parte conſcientia nec ille reus ſit, qui conſecratur, nec qui conſecrat.* Proinde, qui *ſolâ maniter ſuſpicione* prohibetur, *accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cujus in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium.* Ejus verò, quem ab Hæreticis baptizatum eſſe conſtiterit, baptiſmus nullâ ratione iteretur, ſolâ duntaxat Epiſcopalis manus impoſitione ille virtutem Sancti Spiritus conſequatur.

Leo Marciano, ad Synodum ipſum vocanti, reſpondet.

V. Ad celeberrimi Concilii Chalcedonenſis hiſtoriam nunc progrediamur. Scripſerat Leoni Marcianus: *Si placuerit tuæ beatitudini, in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni, quæ utilia ſunt, decernet. Si verò hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias: hoc ipſum nobis propriis literis tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, ut ad quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum religioni atque Catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiverit, ſuâ diſpoſitione declarent.* Similis penè tenoris Placidia Leoni direxit Epiſtolam, in qua etiam mentio eſt & Flaviani corporis, Apoſtolorum in Baſilica conditi, & revocatorum Epiſcoporum, qui in exilium deportati fuerant. Epiſtolas anno ſuperiori aſſignandas eſſe, creditum Baronio, n. 23. Cujus à Chronologia diſſidemus, non incerti ratione freti, quòd Marciano non ante diem Aprilis tertium & decimum Pontifex reſponderit. Eſt autem creditu difficillimum, Leonem, qui eâ, quâ debebat veneratione, Marcianum proſequebatur, tamdiu reſponſionem diſtuliſſe ſuam, ſi Auguſtorum Epiſtolæ anno ſuperiore ad eum miſſæ fuiſſent. Acceptis per Tatianum urbis Præfectum Marciani Epiſtolis, ipſi reſcribit breviter primùm per Anatolii Clericos ſignificans, ſe gratias agere maximas *clementiæ* Auguſteæ ob beneficia, quæ Eccleſiæ contulit: pleniora verò, quæ ad Eccleſiæ concordiam faciant, per Legatos dirigere.

ANNO DOM. 451.

gere. Data eſt Epiſtola *Idib. Aprilis.* Brevi poſtmodum nova ſequitur Epiſtola, *data* IX. *Kal.* Maji, quâ teſtatur, compleri ſe gaudio ob ipſius erga pacem Eccleſiæ ſtudium. Paucorum pertinacia atque *inſipientia* prorſus iniquum eſſe, ad nova bella Epiſcopos provocari, *tanquam reparatâ diſceptatione tractandum ſit, utrùm Eutyches impiè ſenſerit, & utrùm impiè Dioſcorus judicarit.* Sic verò ſuam claudit Epiſtolam: *Piiſſimæ ſollicitudini veſtræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confeſtim ad clementiam veſtram Deo annuente perveniet, quidquid ad cauſæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius ſuggeretur.* Hanc Epiſtolam è veſtigio excipit alia *ſexto Kal. Junii.* Popoſcerat, Synodum, quam ad reparandam Eccleſiæ pacem Marcianus neceſſariam judicaverat, *ut liberioribus ab omni perturbatione animis hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus detinet, convenirent.* Ubi verò agnovit, humanis negotiis divina à Marciano præponi, voluntati ejus obtemperans, rogat, ne fidem antiquam patiatur quaſi dubiam redivivis conatibus retractari. Placere quoque ſibi teſtatur per Legatos adeſſe Concilio: *Cum in his fratribus,* inquit, *quos direxi,* id eſt, *Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio, & Baſilio Presbyteris, ſed & in fratre meo Juliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda præſentia.* Cæterùm cùm non ſatis Leoni placeret ea Synodi convocatio, quam Orientis in partibus futuram eſſe noverat, aliâ Marcianum Epiſtolâ convenit, ſeptimo Idus Junii ſcriptâ. Rurſuſque innuit Imperatori, Synodo quam ab eo popoſcerat, Sacerdotes Provinciarum omnium prohiberi, ob bellum, quod Attila gerebat, ab Eccleſiis abſcedere ſuis vetitos. Quam opportuniori tempori reſervari cupit, cùm ſecuritas erit reſtituta. Biduo pòſt Anatolio ſcribit, ſe *Lucentium* direxiſſe Epiſcopum, *Baſiliumque* Preſbyterum, quibuſcum cœpit ipſum ſocietate conjungi, *ut nihil in his, quæ ad univerſalis Eccleſiæ ſtatum pertinent, aut dubiè agatur, aut ſegniter.* Idibus verò Junii *Pulcheriam* literis ſuis compellat Auguſtam, ut ſicut Neſtoriana impietas, ita & Eutychiana blaſphemia ab omnium conſortio eliminetur, quod ut facilius impetret, de fonte impietatis hujus hæc orat Auguſtam: *De Eutyche autem totius ſcandali & pravitatis autore hoc clementia veſtra præcipiat, ut ab eo loco, qui Conſtantinopolitanæ urbi nimis vicinus eſt, longius transferatur, ne frequentioribus ſolatiis eorum, quos ad impietatem ſuam traxit, utatur. Monaſterio quoque ipſius, cui pernicioſè indignèque præſedit, Catholicum Abbatem jubete præponi, qui illam ſervorum Dei congregationem, & à pravo dogmate liberare, & inſtitutis veritatis poſſit imbuere.*

Leo Ep. 43.

Leo Ep. 46.

Leo Ep. 45.

Marcianus Nicææ Synodum indicit. Leo Legatos à ſe ad eam mitti ſignificat.

VI. Infixus in Religionis amore Marcianus, cùm à congregandæ Synodi ſententia dimoveri non poſſet, Reſcriptum Epiſcopis miſit ſuum, ut Nicæam properarent: *Imperatores Cæſares Valentinianus, & Marcianus, Victores, & Triumphatores maximi ſemper Auguſti, ad omnes ubique reverendiſſimos Epiſcopos . . . Quia dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ ſunt, ſicut indicant & literæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi feliciſſimæ Romæ Leonis, placuit nobis, ſanctum Concilium fieri in Nicæa Bithyniæ civitate, quatenus cunctis concordantibus, veritate examinatâ, & vacante omnium ſtudio, quo quidem jam abuſi, Religionem turbaverunt orthodoxam, vera ac ſaluberrima fides ſic omni mundo manifeſtetur, ut de cætero omnis quæſtio, & dubitatio auferatur. Unde tua Sanctitas cum quantis approbaveris reverendiſſimis Epiſcopis ſub ſuo Sacerdotio conſtitutis Sanctarum Eccleſiarum . . . ad memoratam Nicænam civitatem proximis Kalend. Septembris advenire feſtinet.* Sacræ quoque ad Anatolium literæ miſſæ ſunt, tenoris ejuſmodi, *datæ decimo Kal. Junuarum.* Bonis ominibus Synodo Nicæa conſtitui videbatur, cujus nomen à *victoria* ductum, de erroribus triumphum innuebat, ut quam olim eò loci veritas de Ario victoriam erat adepta, eam quoque de Eutyche referret. Acceptis de loco temporeque Synodi Marciani literis, Leo hæc ipſi reſcribit: *Quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluiſtis, ne devota obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiſcopum meum Paſchaſinum de ea Provincia, quæ videtur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentiæ meæ poſſit implere, direxi, Bonifacio fratre noſtro, & Compresbytero ſociato, & his, quos antea miſeramus, adjunctis, conſortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Epiſcopum.* Rerum quoque ſuarum Leo ſatageos, hæc addit: *Quia verò quidam de fratribus, quod ſine dolore non dicimus, contra turbines falſitatis non valuere Catholicam tenere conſtantiam, prædictum fratrem & Coepiſcopum meum vice meâ Synodo convenit præſidere.* Scripta eſt Epiſtola VI. Cal. Julii. Pridie verò futuro Concilio literis nunciat, ſe ab Imperatore eſſe invitatum, ut venerabili Synodo præſentiam præberet, quod cùm neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo permittat, in Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, *Me,* inquit, *Synodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere, nec ſejunctam à vobis præſentiam meam confidat, qui nunc in Vicariis meis adſum.* Vult autem & ad ſuam de Incarnationis myſterio Epiſtolam Epiſcoporum fidem dirigi, & pulſis Epiſcopis ſedes ſuas reſtitui, & ſtatuta à Cyrillo Decreta adverſus Neſtorium firma & inconcuſſa manere. Proficiſcentibus Legatis ſuis, Leo *decimo quarto Calendas Auguſti* Marcianum ſcripto ſic compellat: *Sanctum clementiæ veſtræ ſtudium, quo ad reparationem pacis Eccleſiaſticæ Synodum habere voluiſtis, adeò libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam popoſciſſem, & aptius expectari tempus optaſſem, quo ſcilicet plurimi poſſent Epiſcopi etiam de longinquis Provinciis evocari, mox tamen, ut pietatis veſtræ ſcripta ſunt tradita, & Bonifacium de Compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Epiſcopis fratrem meum Paſchaſinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam ſufficienter implerent.* Poſtridie, Julii ſcilicet vigeſimo, Pulcheriam adiit Auguſtam, cui penè paria ſcribit, Epheſini non judicii, ſed *latrocinii* vim queſtus, reſipiſcentibus veniam concedendam eſſe cenſet, ut etſi nonnihil deflorato quidem, Epiſcopatus tamen ſui honore potiantur. Porro irrepſit in Epiſtolam vox *Chaldonenſem,* quæ eſt expungenda: *Quòd ergo Synodum Chalcedonenſem haberi clementia veſtra præcepit.* Quippe decimo tertio Cal. Auguſti nemini adhùc in mentem venerat indictum primo Septembris apud Nicæam Concilium, Chalcedonem eſſe transferendum. Imò Epiſcopi diu ſatis Nicææ verſati ſunt, expectantes Imperatoris præſentiam. Teſtatur & Evagrius, Leonem de Legatis, quos ad Concilium miſerat ſcribentem, literas inſcripſiſſe ſuas: *Ad Epiſcopos, qui Nicæa convenerant.*

ANNO DOM. 451.

Leo Ep. 49.

Leo Ep. 47.

Leo Ep. 50.

Leo Ep. 51.

Evagr. l. 2. c. 2.

Anno Dom. 451.

Epiſcopi Nicæam veniunt. Monachi tumultum minantur. Synodus Chalcedonem migrat.

VII. Regiis juſſis obtemperantes Epiſcopi, Nicæam die conſtituto convenerant. Poſtquam verò aliquandiu Marcianum expectarunt, qui præſentiæ ſuæ ſpem ipſis injecerat, redduntur ſacræ Literæ, quibus abſentiam Imperator ſuam excuſabat: *Quia voluimus intereſſe Sancto Concilio, retinent verò nos publica & neceſſariæ utilitates, in expeditione dignetur veſtra religio, non arbitrari grave noſtræ tranquillitatis abſentiam ſuſtinere: ſed orare quatenus ea, quæ inter manus habemus, Deo auxiliante, bene diſponentes, illùc venire poſſimus, ut noſtrâ pietate præſente determinentur, quæ omnem diſcordiam quæſtionemque ſubmoveant.* Intereà Monachorum genus, inquies atque indomitum, Clericique nonnulli & Laici, qui Eutychi favebant, Nicæam petentes, tantos tumultus excitant, ut terroris non minimum Patribus exoriretur. Ubi tumultuoſum Imperatoris ad aures nuncium pervenit, Monachos infeſtis animis ad oppugnandam Synodum veniſſe, confeſtim ad Proconſulem Bithyniæ *Strategium* literas mittit, quibus jubebatur, obviam ire perturbationibus. Verba Legis audiamus: *Quia ſecundum noſtram Sanctionem reverendiſſimi quidem Epiſcopi convenerunt, expectantes poteſtatis noſtræ præſentiam, quæ non poſt multum Deo cooperante aderit. Quidam autem ſicut agnovimus, cùm ſint ſoliti conturbare & confundere Deo placitam diſciplinam, ſupervenientes in Nicæa Clerici, ac Monachi, atque Laici, tumultus facere tentant, contendentes abſque his, quæ nobis placuerunt. Neceſſarias has pias literas ad tuam direximus claritatem, quatenus cum omni virtute eos, ſi præter noſtram evocationem, aut permiſſionem ſuorum Epiſcoporum ibidem commorantur... Clericos... vel Monachos, atque Laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat, omni modo debeas de civitate, & ipſis locis expellere.* Tumultuoſis quoque certam Imperator pœnam minatur. Quam pollicitus erat præſentiam, cùm Marcianus rebus publicis detentus afferre non poſſet, vel tædio moræ, vel morbo affecti Epiſcopi, Principem rogant, ut Concilii celebratio iniretur. Reſpondit Marcianus, Leonis Legatos flagitaſſe, ut Auguſteâ præſentiâ Synodus decoraretur, ſecus non venturos ad Conventum. Itaque licet curæ rerum ſibi venire cupienti moras injiceret, omni tamen ſe feſtinatione ad Synodum properare: moneri itaque Patres, ut quàm citò Nicæâ Chalcedonem migraret: *Illic enim*, inquit, *præcurremus, licet hic nos publica cauſa retineant.* Cùm ne vel regiis literis adventus ſui cunctationem Synodus abjiceret, placuit Imperatori, novis Concilium literis Chalcedonem transferri: *Quæ in Illyrico*, inquit, *contigerunt, & ad veſtras aures perveniſſe confidimus, quæ licet Dei voluntate competenti vindictâ contigerint, tamen publicarum rerum utilitas augebat ad Illyricum noſtræ tranquillitatis profectionem.* Cùm autem res imperii fidei conſervationi poſtponeret, hortatur Epiſcopos, ut dilatione omni remotâ, Chalcedonem petant. Ingrata ipſis ea civitas erat, Eutychianæ factionis metu. Quem ut eximeret, ea timentibus nunciat: *Quoniam Attico Diacono Regiæ civitatis ſanctiſſimæ, & Catholicæ Eccleſiæ referente noſtræ tranquillitati, cognovimus veſtram Sanctitatem formidare, ne forte Eutychetis ſectatores, aut alter aliquis ſeditiones, aut tumultus aliquos præparare pertentent, quâ gratia ſignificamus vobis, ut prædictam cauſam nullatenus formidantes adveniatis in Chalcedonenſium civitatem. Datum decimo Kal. Octobris, Heraclea.* Acceptis literis, timore depoſito Synodus regia mandata accelerans, Chalcedonem proficiſcitur.

Anno Dom. 451.

De tempore, locoque Chalcedonenſis Synodi. Num in choro Eccleſiæ congregata?

VIII. Emenſis celeberrimi Concilii præludiis, debitum ſupereſt opus, ut geſta cognitu digniora noſtros in Annales referamus. Ac primùm de tempore, loco, Præſide, autore Conventus, more noſtro ad hiſtoriam illuſtrandam eſt diſſerendum. Tempus Synodi Præfatione docetur: *Conſulatu Flavii Marciani perpetuò Auguſti, ſub die octavo Idus Octobris, Indictione IV.* Ut mira ſit de tempore Synodi hujus Bellarmini fluctuatio, qui Chriſti anno vel 454. juxta Palmerium, & Holoandrum, vel 452. juxta Marianum Scotum, vel 451. juxta Onuphrium illam aſſignat. Atqui particulæ disjunctivæ *vel* nullus hic locus eſſe debet, cùm ſolus Onuphrius ſit audiendus. Incepit enim Synodus octavo Octobris, feriâ ſecundâ anno CCCCLI. Verùm nota hæc temporis errorem indicat, qui irrepſit in Indictionem, quem ſagaciſſimus ille Baronius non deprehendit. Quippe Indictio *quinta* jam in curſu erat, ſive Conſtantinopolitana, quæ à Calendis Septembris; ſive Cæſarea, quæ ab VIII. Calend. Octobris incipiebat. Locus Synodi fuit in Baſilica Euphemiæ Martyris, ſita in loco amœno, & molliter acclivi, & ſtadiis geminis à Boſphoro diſtante. Ut de ea re conſtat inter omnes, ſic de ſpeciali loco, quo Synodus ſedebat, difficultatis aliquid exoritur. Baronius hic Eccleſiæ *Secretarium* ſibi videre viſus eſt; *Moris*, inquit, *namque fuit, ut in Baſilicarum Secretariis Concilia Epiſcoporum celebrarentur.* Id quidem faciles illuſtriſſimo Purpurato largimur, Synodos Eccleſiarum in Secretariis complures coactas fuiſſe; illud verò præciſè negamus, quòd Euphemiæ in Secretario Chalcedonenſes ſederint. Quippe ante cancellos ſanctiſſimi altaris non intra quidem, ſed extra locum illum auguſtiorem, ubi Euchariſtia conſecrabatur, Patres cum Judicibus conſedere. Hic verò Eccleſiæ Secretaria nec debent quæri, nec poſſunt. Ædificia Templorum erant, in quibus ſacra miniſteria recondebantur: hine cantata Paulini carmina:

Bellarm. de Conc. l. 1. c. 5.

Bar. An. 451. n. 61.

Hic locus eſt, veneranda penus, quâ conditur, & quâ
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Ampla quidem Secretaria fuiſſe tenemus: vehemens tamen nos inceſſit ſuſpicio, Secretarium Euphemiæ non ejus amplitudinis fuiſſe, ut Synodus Chalcedonenſis, Epiſcopis amplius ſexcentis conſtans, unà cum Judicibus, Notariiſque eo commodè contineretur. Denique loco, quem occupavit Concilium, Secretarii nomen inditum fuiſſe, credat Baronius, non nos: *Reſidentibus magnificentiſſimis & glorioſiſſimis Judicibus, & ampliſſimo Senatu in medio ante cancellos ſanctiſſimi altaris.* Erant ergo non intra Sacrarium, ſed extra collocati, cancellis & conſeſſum, & altare ſeparantibus, utpote inter utrumque mediis. Concedatur ergo, chorum Eccleſiæ, ſive Sanctuarium quandoque *Secretarium* dici, Synodus tamen non eo loci ſedebat, quia Judicibus, utpote Laicis, in choro ſedere non dabatur. Extra chorum quidem Synodum ſediſſe, patet ex Evagrio. Condendo quippe fidei Symbolo rogati ſunt Judices ab Epiſcopis, *ut intrarent in Oratorium Sanctæ Martyris Euphemiæ.* Id quoque juſſerat Imperator, ut eò convenirent. Quid rei verò eſt illud Oratorium, niſi chorus, ubi

Evagr. l. 2. c. 18. 327.

ſtabat

ſtabat altare, ſacræque Euphemiæ reliquiæ requieſcebant? Neque virium eſt aliquid in rationibus Baronii. Liberati verbis innititur: *Adveniens Marcianus Imperator ad Secretarium cum Judicibus.* Quo Liberati exemplari uſus fuerit illuſtriſſimus Purpuratus neſcimus, in germanis quidem Liberati exemplaribus ex non legi, ſcimus atque tenemus. Verba hæc ſunt genuina:

Liber. c. 13. *Sexto autem Secretario adveniens Marcianus Imperator ad Concilium.* In Concilium dixit, non in *Secretarium.* Neque magis Baronianâ conjecturâ movemur, quòd *Liberatus* è loco mutuatus nomen, *ſingulas ſeſſiones ibidem habitas Secretaria*

Bar. An. 451. n. 61. *nominavit.* Alluſum potius putamus ad Judicum ſeſſiones, quæ in ſecreto fiebant, hoc eſt, foro judiciali, quod Græcis ἀπόῤῥητον δικαστήριον nuncupatur. Petrus Valvomeres, *tanquam in judi-*

Marcell. l. 15. c. 7. *ciali ſecreto exaratis lateribus, ad Picenum ejiceretur.* De officio Rectoris Provinciæ Conſtantinus Magnus: *Non ſit venale Judicis velum, non*

C. Th. l. 1. Tit. 7. p. 39. *infame licitationibus Secretarium.* Placuit ergo Liberato, Chalcedonenſium ſeſſionibus *Secretarii* nomen imponi, licet extra Eccleſiæ Secretarium habitis, utpote ea complectentibus, quæ à Judicibus Synodoque fuerant conſtituta.

A Marciano, non à Leone Synodus Chalcedonenſis coacta.

IX. Ad Synodi veniamus autorem. Quâ ratione hoc abſurdum aliquorum in mentem inciderit, juſſis Leonis Chalcedonenſes conveniſſe, prorſus ignoramus. Id verò falſiſſimum eſſe ſcimus. Leoni Auguſto ſic ſcribunt ſecundæ Mœſiæ Epiſcopi: *In Chalcedonenſium civitate multi Epiſcopi convenerunt per juſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.* Ejus quoque autoritati magni Concilii deberi convocationem, Gelaſius ſomniavit in pace ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtola: *Apoſtolica Sedes pro veritate, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decrevit.* Hæc ſunt Aulicorum, Bellarminique argumenta, quibus hanc ſuam ſententiam pro-

Bellarm. de Concil. l. 1. c. 12. bant, *eſſe reverà Pontificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem.* Ea tamen ſententia à veri veſtigiis abeſt quàm longiſſimè. Citentur Chalcedonenſes, clariſſimi teſtes Conventus, quem Regiæ aſcribunt autoritati, non ſemel, non obiter, ſed in tribus primis Synodi Actionibus: *Conveniente ſacro & univerſali Concilio ſecundum ſacram præceptionem.* Id Leoni ipſi in confeſſo fuit, qui Marcianum ſic alloquitur:

Leo Ep. 50. *Sanctum clementiæ veſtræ ſtudium, quo ad reparationem pacis Eccleſiaſticæ Synodum habere voluiſtis, adeò libenter accepi, &c.* Et ſequente ad Pulcheriam Epiſtolâ: *Quòd ergo Synodum haberi veſtra Clementia præcepit, cùm à me ut in Italia haberetur, manſuetudo veſtra retineat poſtulatum, ut omnes noſtrarum partium convocati Antiſtites, ſi ſecuritas temporis ſuppeteret, convenirent, adeò tamen non aſpernanter accepi, ut binos de Coëpiſcopis meis, & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere ſufficerent.* Quid diſertius? Non dixit Leo, *Synodum habere volui, præcepi*; imò non ſcripſit, *voluimus, præcepimus,* quaſi regiæ poteſtati conjuncta Pontificia autoritas acceſſiſſet ad Conventum efficiendum. Scripſit *voluiſtis*, ut indicaret, Synodum Imperatoris nutu & arbitrio coactam eſſe. Sabinianus quoque Parrænorum Epiſcopus, in ſuo ad Chalcedonenſes Libello verbis expreſſis dicit, Deum

Syn. Chalc. Act. 14. *congregaſſe Angelicum Concilium per piiſſimos Imperatores*, nullâ Leonis mentione factâ. Quid multa? Audiatur Marciani Valentinianique Reſcriptum ad Epiſcopos: *Quia dubitationes quædam circa Orthodoxam fidem motæ ſunt, ſicut indicant & literæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Romæ Leonis, placuit nobis propterè Sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithyniæ civitate.* Quòd ſi Leonis ob autoritate accepiſſet originem, dixiſſent utique Imperatores, placuit & nobis, & Leoni, Concilium apud Nicæam celebrari. Probè quidem noverat Pontifex, ſuæ poteſtatis non eſſe, Synodum Oecumenicam indicere, qui Valentiniano ad genua cadens, verbis lachrymiſque impetravit Reſcriptum ad Theodoſium, quo rogabatur, in Italia Concilium fieri. Quid tantis ad eum exorandum machinis opus, ſi unius diplomatis ſui juſſu Leo Oecumenicam cogere Synodum potuit, quâ Epheſina latrocinia abrogarentur? Profectò ſi Pontificis arbitrio ſtetiſſet convocatio ejuſmodi, & literas ubique locorum Epiſcopis ſuas miſiſſet; &, quod maximè cupiebat, eos in Italia congregaſſet, & Synodum in aliud tempus diſtuliſſet, quam *aliquantiſper* differri à Marciano poſtulatum ivit. Argumenta verò Bellarmini nullo loco ducimus, utpote quæ experientiæ repugnent, atque veritati. Falsò Mœſiæ Epiſcopi, falsò Gelaſius *juſſionem* Leonis crepant, & *Sedem Apoſtolicam*, ut Chalcedoni Synodus cogeretur.

Synodi Chalcedonenſis Præſides Laici. Cur Leonis Legati ſiniſtri ſedebant?

X. Ne Præſidum quidem Synodi memoria à nobis eſt prætereunda, qui duplicis generis fuere; politici ſcilicet, atque Eccleſiaſtici. Politici Præſides illi fuere, qui quæ ordinis erant, in Synodo conſtituebant: ſilentium imponebant tumultuoſis: quæ decentiæ erant conſentanea, proponebant: neque ſuperfluum erit ipſorum & nomina edere, & dignitates:

Syn. Chalc. Act. 1. *Congregatis in Eccleſia ſancta ac Triumphatricis Martyris Euphemia, glorioſiſſimis Judicibus, id eſt, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Magiſtro Militum, & Exconſule ordinario ac Patricio Anatolio, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Præfecto ſacrorum Prætoriorum Palladio: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Præfecto urbis Tatiano: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Magiſtro ſacrorum Officiorum Vincomalo: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Exmagiſtro Martiali: & magnificentiſſimo Comite devotiſſimorum Domeſticorum Sporatio: & magnificentiſſimo Comite, rerum privatarum Genethlio. Appoſitis etiam ex glorioſo & ampliſſimo Senatu, id eſt, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Exconſule ordinario ac Patricio Florentio: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Exconſule & Patricio Senatore: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Exmagiſtro Officiorum & Exconſule ordinario, ac Patricio Nonio, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto & Exconſule ordinario ac Patricio Protogene: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto urbis Theodoro: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto urbis Apollonio: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto ſacri Cubiculi Romano: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto Illyrici Theodoro, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræpoſito ſacri Cubiculi Artaxerxe: & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Expræfecto Illyrici Eulogio.* Judicibus, qui Auguſtam majeſtatem referebant, locus eſt honoratior aſſignatus:

Syn. Chalc. Act. 1. p. 14. *Reſidentibus magnificentiſſimis & glorioſiſſimis Judicibus, & ampliſſimo Senatu in medio ante cancellos ſanctiſſimi altaris, & ex læva quidem parte ſedentibus ſanctiſſimis & reverendiſſimis Epiſcopis, & Vicariis Deo amiciſſimis, ſanctiſſimi & reverendiſſimi Leonis Antiſtitis priſcæ urbis Romæ, & Anatolio religioſiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolitanæ regiæ civitatis,*

Anno Dom. 45¹.

vitatis, & Maximo religioſiſſimo Epiſcopo Antiochiæ, & Thalaſſio religioſiſſimo Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, & Stephano religioſiſſimo Epiſcopo Epheſi, & cæteris religioſiſſimis Epiſcopis Orientis & Ponti, & Aſianæ & Thraciæ regionum, exceptis Palæſtinis. Ex dextera verò parte ſimiliter conſidentibus Dioſcoro religioſiſſimo Archiepiſcopo Alexandriæ, & Juvenali religioſiſſimo Epiſcopo Hieroſolymorum, & Quintilio religioſiſſimo Epiſcopo Heracleæ primæ Macedoniæ, & agente vices Anaſtaſii religioſiſſimi Epiſcopi Theſſalonicenſis, & Petro religioſiſſimo Epiſcopo Corinthi, & reliquis Ægyptiacæ Diœceſis & Illyrici, inſuper etiam & Palæſtinis religioſiſſimis Epiſcopis, antepoſitis in medio ſacroſanctis & venerabilibus Evangeliis. Ex ea deſcriptione apertè liquet, Judices in honoratiore fuiſſe loco, utpote qui verſarentur inter Epiſcopos medii, ab utroque latere ab eis tecti. In medio conſeſſu Evangelia collocabantur, Chriſti veluti imaginem in ſublimiori ſolio ſedentis exhibentia, Patreſque docentia, ex ſacris Codicibus fidei oracula eſſe petenda, Dominumque iis adeſſe, qui in ipſius nomine congregantur. Cæterùm difficilis exoritur quæſtio, cur Leonis Legati, Anatoliuſque, qui primas in Synodo habuere, Judicum dextræ, quæ gentium penè omnium conſenſu honoratior eſt, non aſſiderent: ſed lævam occuparent. Eruditis aſſentiri nonnullis, *Edmondoque Richerio* non poſſumus, Græcia lævam fuiſſe dexterâ honoratiorem: neque placet nobis Baronii ſententia, in Eccleſiaſticis ſiniſtrum nobiliorem extitiſſe. Annos ſiquidem DXXV. Philoxeno & Probo Coſſ. Joannes Papa, qui Conſtantinopolim venerat, *dexter dextrum Eccleſiæ inſedit ſolium, diemque Domini noſtri Reſurrectionis plenâ voce Romanis precibus celebravit.*

Marcell. Chron.

Exiſtimamus ergo, Paſchaſinum Anatoliumque ſiniſtros Judicibus aſſediſſe, quia ſacræ menſæ propinquiores erant, qui locus honoratior fuit: verùm de ea quæſtione fusè tractatum eſt anno XXXIII. Dexteræ in honorem addamus ex abundanti verba Hermæ, Autoris antiquiſſimi:

Herm. Viſ. 3.

Cùm vellem ſedere ad dexteram partem, anus non eſt paſſa, ſed annuebat mihi manu, ut ad ſiniſtram partem ſederem. Cogitante autem me, & mæſto exiſtente, quòd non ſivit me ad dexteram partem ſedere, ait mihi, Quid mæſtus es, Hermas? Locus, qui eſt ad dexteram, illorum eſt, qui jam meruerunt Deum. Et in Conſtantinopolitana Synodo Præſide Mennâ, *à dextera quidem parte* conſederunt Sabinus Canuſii, Epiphanius Eſculanorum Epiſcopus, Theodorus Pelagiuſque Diaconi, Sedis Romanæ Legati.

Legati Leonis Chalcedonenſi Synodo præfuere. Actioni tamen XII. Anatolius præfuit.

XI. Non immemores propoſiti noſtri hæc nos fecere, Eccleſiaſticos quoque Præſides Synodo fuiſſe impoſitos, jam monuimus: qui verò fuerint illi, nunc expendamus. Suenius noſter primas Anatolio vindicavit, verbis Legatorum Leonis fretus: *Paſchaſinus reverendiſſimus Epiſcopus dixit, Ecce nos Deo volente, Dominum Anatolium primum habemus. Hi quintum poſuerunt beatum Flavianum.*

Chalc. Act. 1. Sur. 20.

At erudito viro obſervandum erat, verba hæc Synodi non fuiſſe, ſed Paſchaſini, qui ſibi quidem Anatolium non præponebat, ſed cæteris Synodi Epiſcopis. Itaque cum doctiſſimo Launoio diſtinguendum putamus, Actioni ſi quidem duodecimæ non Leonis ſanè Legatos, ſed Anatolium præfuiſſe, nobis eſt exploratum. Quærentibus Judicibus de Baſſiani, Stephanique litibus, num hic, aut ille pro Epiſcopo Epheſino eſſet habendus, primus ſententiam Anatolius dixit: *Mihi placet, ſi etiam ſancto Concilio videtur, neutrum horum illius eſſe civitatis Epiſcopum.* Finierat Anatolius, cùm Paſchaſinus judicium protulit ſuum, quod Lucentii deinde, poſteà verò Juliani Coënſis excepit ſententia. Ubi verò moxita hæc prolato in medium Evangelio Judices ingeſſere, quæ decentia ſunt, *Eccleſiæque utilia*, à Synodo eſſe ſtatuenda, Anatolius iterum de Baſſiano, Stephanoque excludendis ante Paſchaſinum ſuffragium tulit. Denique in eo diſſidio Judices Anatolium præponunt Paſchaſino: *Quoniam*, inquiunt, *placuit univerſis interlocutio Dei amantiſſimi Archiepiſcopi regiæ Conſtantinopolis Anatolii, & reverendiſſimi Epiſcopi Paſchaſini, obtinentis locum Leonis, &c.* Cur verò Actioni huic ſingulari potius præfuerit Anatolius, quàm Leonis Legati, non eſt in medio. Diſciplinam Anatolio quàm Paſchaſino notiorem fuiſſe, Nat. Alexandri ſententia eſt. Launoius verò cenſet, diſſidii causâ, quod Baſſianum inter & Stephanum movebatur, Concilium indictum non fuiſſe: *Diſciplina res eſt, quam Nicæna Synodus ſuis regulis aſſeruit, & Chalcedonenſis Concilii Patres, ac Sedis Apoſtolicæ Legati eam ob cauſam Anatolio reſervatam eſſe crediderunt.*

Laun. Ep. 6. 725.

Quantum conjecturâ intelligimus, conſentaneum fuit, huic Anatolium Actioni præeſſe, quia Epheſus ad ipſius Diœceſim pertinebat. Chryſoſtomus quidem Epheſi congregatâ LXX. Epiſcoporum Synodo, huic urbi Epiſcopum præfecerat, & Metropolitam Epheſini conſecrationem Anatolio Chalcedonenſes ſuo Decreto confirmant. Incongruum ergo fuiſſet, Legatos Leonis in Conſtantinopolitani Præſulis jura involare: neque eò Chalcedonem miſſi fuerant, ut Eccleſiæ conſuetudines perſtringerent, ſed ut peſſimè in Conciliabulo Epheſino ſancita reſcinderent. Baſſiani igitur & Stephani de Epheſino Epiſcopatu contendentium in cauſa primas tenere ipſorum Archiepiſcopum Anatolium, non Paſchaſinum, rationi conſentaneum fuit. Atque eo videtur cauſa fuiſſe, cur Sardiana Synodus in ſua ad Leonem Auguſtum Epiſtola duos Concilii hujus Præſides agnoverit: Concilio Chalcedone collecto, inquit, *regulariter præſederunt, & maximæ Romæ ſanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus Leo, per venerabiles Epiſcopos directos & Clericos, necnon & regiæ Conſtantinopolis ſanctiſſimus, & venerabilis Archiepiſcopus Anatolius.*

Chalc. p. 3. c. 43.

Exceptâ Actione XII. cæteris Actionibus Leonis Legati præfuere.

XII. Reliquas Synodi Actiones quod attinet, illis libentiſſimè Leonis Legatos præficimus. Etenim Concilii Principatum Leo literis à Marciano ſuis petierat, de Paſchaſino ſcribens: *Prædictum fratrem, & Coepiſcopum meum meâ vice Synodo convenit præſidere.* Quod & ab eo impetratum eſt. Hinc in ſua ad Synodum Epiſtola legitur: *In his fratribus, Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio, & Baſilio Presbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas æſtimet præſidere.*

Leo Ep. 49.

Leo Ep. 47.

Præterea Legatorum nomina omnibus Epiſcoporum nominibus præponuntur, Synodi in actionibus. Sed & Actione ſextâ, cui Marcianus interfuit Auguſtus, Paſchaſinus fidei definitioni his verbis ſubſcripſit: *Paſchaſinus Epiſcopus Vicarius Domini mei, atque univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, urbis Romæ Leonis, Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi.* Propterea Leo Chalcedonenſis Synodi *autor* dicitur Facundo l. 5. c. 5. quâ voce Præſes eſt intelligendus. Evagrius quoque, ut Anatolium Dioſcoro, ſic Leonis Legatos præponit

Anno Dom. 451.

ponit Anatolio: cujus ordinis nulla fingi ratio poteſt, quàm quòd Synodi Principes egerint. Aliquid etiam cauſæ fuit, cur Leonis Vicariis Præſidum munus concedi debuit. Dioſcorus Alexandrinus reum agebat. Retractanda erat Conſtantinopolitana Synodus, cui Flavianus præfuerat, Anatolii deceſſor. Maximus Antiochenus à prædonibus Epheſinis creatus fuerat, quorum geſta malè audiebant. Itaque & Conſtantinopolitanum & Antiochenum Epiſcopum, qui alioquin præfuiſſent, jure ſuo cedere conſentaneum fuit.

Chalcedonenſium numerus.

XIII. Magnam Epiſcoporum multitudinem Chalcedonem confluxiſſe, cuique tritum eſt atque obvium. Variant tamen de numero Scriptores. Pauciores ſexcentis fuiſſe, in ipſo Leone reperimus, qui hæc ad Gallos ſcribit: *Sexcentorum ferè fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum Synodus congregata*, nullum eloquium diſſerendi, contra fundamentum fidei permiſit. Auxere numerum Liberatus, atque Marcellinus in Chronico, cujus hæc verba ſunt: *Leone Pontifice, Sedem B. Petri regente*, DCXXX. *Patrum ſancta & univerſalis Synodus contra Entychem nefandiſſimorum Præſulem Monachorum apud Chalcedonam in Baſilica S. Euphemiæ firmata eſt.* Neque ingens ille numerus ſufficit Nicephoro: Marcianus, inquit, cum Conſtantino Magno *de gloria certans, ſacrum illum Conventum duplicavit pro trecentis decem & octo, ſexcentis triginta ſex Patribus coactis.* Actis tamen trecenti & quinquaginta circiter ſubſcripſere, credituque difficillimum eſt, pluſquam ſexcentos ex Oriente Epiſcopos interfuiſſe. Nugatur Zacharias Rhetor, Neſtorium ad illud Concilium evocatum fuiſſe. Fabulam optimè refellit Evagrius, ex Euſtathii Berytenſis Epiſtola, quæ de geſtis Synodi hæc habet: *Occurrentes denuò ii, qui Neſtorii reliquias poſtulabant, contra Synodum vociferati ſunt. Qua de cauſa viri ſancti anathemate damnantur? Adeò ut Imperator indignatione commotus, Protectoribus ſuis mandaverit, ut eos procul expellerent.*

Leo Ep. 52.

Niceph. l. 15. c. 2.

Evagr. l. 2. c. 2.

De Actionum Synodi ordine. Fueritne Dioſcorus in ſecunda abdicatus?

XIV. Sexdecim Actiones Chalcedonenſium vulgò numerantur; de aliquarum tamen ordine lis eſt, atque diſceptatio. Quippe Evagrius, qui antiquiſſimis exemplaribus utebatur, pro ſecunda Actione illam habet, quæ tertia noſtris in Codicibus nuncupatur. Narratis enim Actionis primæ geſtis, è veſtigio ſubjungit: *Hunc in modum finitâ hâc Actione, cùm religioſiſſimi Epiſcopi ad alteram Actionem ſoli conveniſſent, Euſebius Epiſcopus Dorylai Libellos porrexit pro ſe, & pro Flaviano, quibus Dioſcorum accuſabat, quòd eadem cum Eutyche ſentiret.* Itaque Evagrio ea Actio, quæ nunc tertia eſt, proximè cum prima conjungitur. Affert & clariſſimus Valeſius rationes, quibus exemplariorum Evagrii ordo quaſi legitimus conſtituitur. Prima ab Antiquitate petitur, quam adultiſſimam ſanè obtinent exemplaria Evagriana. Addere potuit & exemplaria, quæ Facundi Evagrio antiquioris in manus pervenere. Secunda ex ſerie rerum ducitur. Facto cauſæ Dioſcori examine, Judices Actione primâ deponendum illum eſſe pronuntiaverant, nil igitur aliud reſtabat, niſi ut Dioſcorus Canonico ab Epiſcopis judicio damnaretur: *Proinde Actio, in qua Dioſcorus ab Epiſcopis Synodali ſententiâ depoſitus eſt, primam Actionem ſequi debet.* Meritò tamen Valeſius perpenſis omnibus, ſtat pro noſtro ordine, qui tertiæ, non ſecundæ Actioni aſcribit Dioſcori damnationem. Neque infirmum eſt, quod in eam rem adhibet argumentum, nempe quòd in fine Actionis ſecundæ *Illyriciani* clamaverint Epiſcopi: *Omnes peccavimus, omnibus indulgete, Dioſcorum in Synodo, Dioſcorum in Eccleſiis.* Quod poſt exautoratum Dioſcorum, cujus abdicationi ſubſcripſerant, proferre nunquam auſi fuiſſent. Noſtram quoque ſententiam ſtatuunt Judices, qui in prima Actione ea protulere: *De recta quidem, & Catholica fide perfectius ſequenti die.* Quo quid clarius ad demonſtrandum, non tertiâ quidem, ut in antiquis & Facundi, & Evagrii exemplaribus habetur, ſed ſecundâ Actione de fide eſſe deliberatum. Pugnamus & nos autoritate Facundi, disertè teſtantis, ordinem legitimum in Codicibus eſſe mutatum: *In ſecunda quoque, inquit, Actione, quæ in Codicibus quidem poſt tertiam ſcribitur . . . fuit autem eodem Conſulatu . . . ſexto Idus Octobris. . . .* Et paulo inferà: *In Actione verò tertia, in qua Dioſcorus eſt damnatus, quæ fuit eodem Conſulatu, tertio Idus Octobris, quæ etiam abſque Judicibus & Senatu celebrata eſt, & primæ conjuncta in Codicibus invenitur, propterea, ſicut exiſtimo, quia in Actione prima judicatus erat idem Dioſcorus Epiſcopatus honore privandus, ut ejus condemnatio proxima ſequeretur.* Quæ Facundi verba etiam atque etiam ſunt obſervanda, utpote quibus docemur & de genuino Actionum ordine, quo tertia Actio ſuo loco legitimè ſervatur, & de cauſis interrupti ordinis, ut judicium ſcilicet condemnatio Dioſcori continuò exciperet. Actio quidem Octobris decimo celebrata, eâ prior eſſe debet, quæ in XIII. incidit. Jam verò quæ noſtris in exemplaribus ſecunda eſt, Octobris decimo, quæ tertia verò Octobris XIII. ab ipſo Facundo aſſignatur. Facundi verba ſi ſuis ponderibus doctiſſimus *Du Pin* examinaſſet, eum utique autorem illis non inſeruiſſet, qui ſecundæ Actioni Dioſcori damnationem inferunt. Denique Liberatus noſtræ penitùs ſententiæ favet: *Secundo Conventu ſoluto, tertio quoque Secretario, Libellos obtulit Euſebius Dorylei Epiſcopus adverſus Dioſcorum.* Ut vix poni poſſit in dubio, quin reverà tertia hæc Actio ſit, quæ vel in antiquis Codicibus ſecunda collocata fuit.

Evagr. l. 2. c. 18. pag. 354.

Facund. l. 5. c. 3.

Du Pin Sec. 5. pag. 347.

Liber. c. 13.

Geſta Actionis primæ Chalcedonenſis. Theodoritus Synodum ingreditur. Dicta Dioſcori.

XV. Ad explicanda primæ Actionis geſta nunc ingredimur. Vix altaris ante Cancellos Epiſcopi, ordine quem recenſuimus, conſederant, cùm Leonis Legati, ægrè ferentes Dioſcorum in Judicibus numerari, dixerunt, ab Epiſcopo Romano ſibi mandatum, ne Dioſcorus unà cum Epiſcopis in Concilio ſederet, alioquin ſe protinùs Conventu exceſſuros. Quæ Latinè dicta, Beronicianus Sacri Conſiſtorii à ſecretis Græcè eſt interpretatus. Quærentibus Judicibus, quid peccaſſet Dioſcorus, Lucentius dixit, judicii ſui neceſſe eſſe, eum dare rationem, qui abſque Sedis Apoſtolicæ autoritate auſus eſt Synodum facere: neque ſe paſſuros unquam, tantum injuriæ & ſibi, & Concilio inferri, ut is ſedeat, qui judicandus venit. Ad hæc prudenter Judices reponunt, qui Judicis partes tenet, tum accuſatoris officio fungi prohiberi. Quibus dictis, cùm Dioſcorus in medium proceſſiſſet, Euſebius Dorylenſis talia fatur, *Per ſanctam Trinitatem vos adjuro, quæ caſtos eſt Principum, quam colitis, & in qua baptizati eſtis, & cujus invocatione ſalvamini, jubete preces meas legi. Clementiſſimi Judices, per ſalutem vos adjuro Imperatorum. Flavianus iniquè occiſus eſt; Clemen-*

mentiſſimi Judices miſeremini, & adeſtote fidei, quæ violata eſt à Dioſcoro. Precibus Euſebii cùm Judices annuiſſent, Beronicianus Libellum legere cœpit, quo docebatur, & pietatem à Dioſcoro Eutychis fautore violatam, & turbam ſeditioſorum incompoſitam collectam eſſe: itaque opus eſſe lectione Epheſinorum monumentorum, quibus tantorum ſcelerum arguebatur. Poſtquam à Judicibus mandatum juxta tam Dioſcori, quàm Euſebii petitionem geſtorum Epheſinorum lectionem iniri, Dioſcorus orat, quæ fidem attinebant, prius tractari, cui reſponſum, de inſtituta in ipſum accuſatione agendum eſſe, ideòque Actorum ad lectionem, quam & ipſe poſtulaverat, procedendum. Dum Acta Epheſina leguntur, recitatâ Theodoſii Epiſtolâ, quâ Theodoritus adeſſe Conciliabulo vetabatur, niſi Epiſcopis placuiſſet, ſubinde Judices ipſum adeſſe jubent: *Ingrediatur & reverendiſſimus Epiſcopus Theodoritus, ut ſit particeps Synodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo, & ſacratiſſimus & piiſſimus Imperator ſanxit, eum adeſſe Synodo.* Ubi Theodoritus ingreſſus eſt, ſubinde Ægyptii, Palæſtini, Illyriciani Epiſcopi exclamant: *Miſeremini, fides perit: iſtum Canones ejiciunt, hunc foras mittite, Magiſtrum Neſtorii foras mittite.* Ut clamores, quibus Templum reſonabat, compeſcerentur, Judices Theodoritum nomine accuſatoris ingreſſum eſſe dicunt: ejus præſentiam præjudicio futuram eſſe nemini, cùm ſemper locus eſſet accuſationibus: Theodorito pietatis à Maximo Antiocheno teſtimonium reddi. Poſtquam in medio ſedit, exclamant Orientales, *Dignus, dignus.* Contrà verò Ægyptii, *Non eſt Epiſcopus, impugnatorem Dei mittite, Judæum foras mittite. Cyrillum iſte anathematiſavit, Cyrillum Theodoritus accuſavit. Cyrillum ejicimus, ſi Theodoritum acceperimus.* Cùm odioſi quidem & moleſti his clamoribus forent, Judices ſilentium prudentiâ ſuâ indixere: *Acclamationes,* inquiunt, *iſtæ populares neque Epiſcopos decent, neque partes juvant. Patimini ergo univerſorum fieri lectionem.* Repugnarunt tamen Ægyptii, vociferantes, *Unum ejicite, & omnes audimus, pro pietate clamamus.* Imperato iterum à Judicibus ſilentio, tandem acquievere, Conſtantinuſque agens in rebus, Codicis Epheſini lectionem continuavit. Quæ dum peragitur, ſæpius eſt obturbatum, Epiſcopis inſtantibus, nec recitatam eſſe Leonis de Incarnatione Dominica Epiſtolam, cujus tamen adhibito juramento, Dioſcorus lectionem promiſerat, nec Acta ſincera eſſe, cùm puræ chartæ ſubſcribere Epiſcopi vi adhibitâ adacti fuiſſent. Dum Eutychis Confeſſio recitabatur, quâ Servatoris carnem de cœlo deſcendiſſe negabatur, Baſilius Seleucenſis interfatur: Rogavimus Eutychem, inquit, *ſicut memorat Dominus Euſebius, & Sozon Philippenſis, ut diceret Incarnationis modum,* ea tamen proſecutio rejecta eſt. Queſtus & eſt Euſebius, qui ut Eutychis accuſator, in Conventum admitti Epheſinum debuit, ſe tamen ingreſſu fuiſſe prohibitum, fruſtra repugnante Flaviano. Quod cùm juri æquitatique pugnaret, rogatus à Judicibus Dioſcorus, quâ ratione Euſebius non admittebatur, reſpondit, teſtatum Elpidium fuiſſe, quòd ab Imperatore è Cœtu excludebatur. Quæ excuſatio Judicibus non fuit idonea, ſapienter dicentibus: *In judicio fidei non eſt iſta defenſio.* Atque hîc Dioſcorus verſutiæ non immemor ſuæ, violata à Judicibus jura eſſe contendit: *Quæ cuſtodiuntur,* inquit, *regula, cùm Theodoritus ingreſſus eſt?* Aderat tamen ut accuſator, & inter Epiſcopos tam ſedere debuit, quàm Dioſcorus, qui accuſabatur. Cùm ad Cyrilli Epiſtolam eſt proceſſum, lectione finitâ, exclamant Illyriciani, *Cyrilli æterna memoria.* Ipſe Theodoritus aſſenſum præbens Epiſtolæ, illi dixit anathema, qui duos Filios prædicat. Ad hæc Orientales: *Flavianus ſic credebat, pro his Flavianus damnatus eſt, Euſebius Neſtorium depoſuit, Dioſcorus fidem corrumpit.* Quin etiam Judices, Senatus, Epiſcopi exclamant, *Imperator ſic ſapit, Auguſta ſic ſapit, omnes ſic ſapimus.* Ne id quidem eſt prætereundum, dum Euſtathii Berytenſis prolata Epheſo verba legerentur, *Non oportet igitur intelligere duas naturas, ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam,* ex Orientalibus hanc vocem erupiſſe, *Iſta Eutyches dixit, hæc Dioſcorus dicit.* Qui ſubinde interfatus, inquit, *anathema dicenti, aut confuſionem, aut converſionem, aut commixtionem.* Quærentibus verò Judicibus, num Epiſtolæ Cyrilli dictum Euſtathii foret conſentaneum, Euſtathius in medium cum Cyrilli libro procedens, exclamat: *Si malè dixi, ecce Codex, liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizer.* Et lectis, quæ ſunt laudata verbis, hæc addidit: *Qui dicit, unam naturam ad negationem carnis Chriſti, quæ Conſubſtantialis eſt nobis, anathema ſit, & qui dicit, duas naturas ad diviſionem Filii Dei, anathema ſit.* Quam & doctrinam ſuffragio Flavianus ſuo comprobarat in ſua Confeſſione, juſſu Theodoſii edita. Hic Euſtathium Judices interpellant: *Cur ergo Flavianum reverendæ memoriæ depoſuiſti?* Tum erraſſe ſe Euſtathius ingenuè profitetur. Quærentibus à Synodo Judicibus, num Flavianus peccaſſet in fide? Ubi à Leonis Vicariis Anatolio, Maximo Antiocheno, aliiſque probata Flaviani doctrina, regeſſit Dioſcorus, reliqua verba ipſius eſſe legenda, in ſequentibus non conſtare ſibi duas poſt conjunctionem dicenti naturas; idcircò Flavianum damnatum eſſe: habere ſe præ manibus Athanaſii, Gregorii, Cyrilli teſtimonia, quibus demonſtraretur, factâ naturarum conjunctione, non duas, ſed unam Dei incarnati naturam eſſe dicendam. Quæ Dioſcori doctrina adeò Chalcedonenſibus diſplicuit, ut vel ipſi Ægyptii vociferarentur, *Iſta Pharaonis ſunt; anathema, qui iſta dixerunt.* Lectis monumentis Epheſinis, quibus Acta Conſtantinopolitanæ Synodi includebantur, ſuam Judices ſententiam protulere. Quandoquidem conſtat, neque à Flaviano, neque ab Euſebio Dorylæenſi in fide peccatum, proindeque injuſtam ipſorum eſſe abdicationem æquum videri, ſi placuerit Imperatori, *eidem pœnæ Dioſcorum Reverendiſſimum Epiſcopum Alexandriæ, & Juvenalem Reverendiſſimum Epiſcopum Hieroſolymorum, & Thalaſſium Reverendiſſimum Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, & Euſebium Reverendiſſimum Epiſcopum Ancyræ, & Euſtathium Reverendiſſimum Epiſcopum Beryti, & Baſilium Reverendiſſimum Epiſcopum Seleuciæ Iſauriæ, qui poteſtatem & Principatum tunc Synodi tenuerunt, ſubjacere, & à ſancto Concilio ſecundum regulas ab Epiſcopali dignitate fieri alienos, omnibus, quæ conſequenter acta ſunt, ad ſacrum apicem referendis.* Placuit maximè ea Orientalibus ſententia, qui ſubinde exclamarunt: *Hoc juſtum judicium, multos annos Senatui. Sanctus Deus, ſanctus fortis,*

Chalced. Act. 1. Sur. p. 38.

Anno Dom. 451.

tis, ſanctus immortalis, miſerere nobis, multos annos Imperatoribus: empius ſemper fugit. Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Illyriciani verò dixerunt, *Omnes erravimus, omnes veniam meremur.* Deinde Judices jubent Epiſcoporum unumquemque, ſcriptis ſine metu exponere, quid fidei amplectantur: ac perſuaſum habere, Imperatorem Decretis & Nicænis, & Epheſinis, Expoſitionibuſque Patrum Gregorii, Baſilii, Hilarii, Athanaſii, Ambroſii & Cyrilli prorſus adhærere, exiſtimareque Leonis ad Flavianum de Incarnatione Epiſtolam Catholicæ doctrinæ eſſe conſentaneam.

Geſta Actionis ſecundæ. Lecta Leonis Epiſtola ſcrupulum injicit.

XVI. Actione ſecundâ, quæ ſexto Idus Octobris eſt celebrata, Judicibus Epiſcopiſque ſolito loco ſedentibus, illis duntaxat excluſis, qui ſuperiore Cœtu munere ſuo indigni pronuntiati fuerant, dixere Judices, priore quidem Conventu Flavianum Euſebiumque crudeliter & injuſtè damnatos, multis eſſe documentis oſtenſum: de fide nunc quærendum. Præſulibus cogitandum, & pro ſe, & pro Laicis omnibus rationem Deo eſſe reddendam: placeat Patribus, ut Patriarchæ ex qualibet Provincia vel unum, vel duos Epiſcopos eligerent, ut quæ arriderent omnibus, manifeſtò conſtituerentur, ambiguitati omni eximendæ. Id negatum ab Epiſcopis clamantibus: *In ſcriptis expoſitionem non facimus. Regula vult, aliam expoſitionem non fieri.* Florentius Sardenſis docuit, tam ſubitò fidei Confeſſionem edi haud poſſe, temporeque ad eam rem opus eſſe. Subjungit *Cecropius* Sebaſtopolitanus, à Patribus Nicænis rectè fidem conſtitutam eſſe, & ab Athanaſio, Cyrillo, Cœleſtino, Hilario, &c. corroboratam. Rogare ſe, ut & Symbolum Nicænum, & Leonis Epiſtola recitetur. Hæc ubi recitata, *ad reſolvendum conditionis noſtra debitum natura inviolabilis natura eſt unita paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus idemque Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero*, dubii aliquid & Illyricianis, & Palæſtinis Epiſcopis motum. Sed qui de variis Epiſtolæ Leoninæ locis ſcrupuli injiciebantur, eos Ætius adductis Cyrilli verbis exemit. Ipſe Theodoritus ex Cyrilli loco Leonis doctrinæ præſidium attulit: *Et factum hominem non mutantem quod proprium eſt.* Ad ea Judices dixere, *Poſt hæc omnia adhùc quis dubitat?* Epiſcopi clamarunt, *Nemo dubitat.* Cùm porro hæſitaſent adhùc nonnulli, Atticus Nicopolitanus petiit temporis aliquantum concedi, ut tam Leonis, quàm Cyrilli ad Neſtorium Epiſtolam Antiſtites legendo ſcrutarentur, ut paratiores forent ad diſceptandum. Ad quintum ergo diem Actio relegatur, intereàque Anatolius jubetur adiri, ut quidquid dubitationis mentibus inſidebat, evelleretur. Anatolio quoque permiſſum, ex iis, qui Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerant, aliquos eligere, qui dubitantibus facerent ſatis. Conceſſam à Judicibus quinque dierum dilationem perperàm N. Alexander Actioni quartæ vindicat. Eo videtur fuiſſe deceptus, quòd ſecundæ Actionis geſta in quarta relecta ſunt. Cæterùm nonnullorum de ſua Epiſtola dubitationem ingenioſè admodum in gloriam Leo ſuam vertit, anno CCCCLIII. Theodorito ſcribens: *Ne aliarum ſedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentationis videretur, aut alia qualibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt, qui de*

Leo Ep. 63.

judiciis noſtris ambigerent. Poſtquam quæ evellendis dubitationum aculeis neceſſaria videbantur, conſtituta ſunt, viſum nonnullis remotos, qui Leonis ſententiæ erant, Epiſcopos debere reſtitui. Clamant itaque, *Patres Synodo reddito conſentaneos Leoni. Has voces Imperatori, has preces Catholico, has preces Auguſtæ. Omnes peccavimus, omnibus indulgeatur.* Orientales autem vociferabantur, Ægyptium in exilio, Clerici quoque Conſtantinopolitani ingeminabant, *Dioſcorum in exilio, Dioſcorum Chriſtus damnavit.* Illyriciani verò, *Omnes peccavimus, omnibus indulgeto, Dioſcorum in Synodo, Dioſcorum in Eccleſiis.*

Anno Dom. 451.

Tertia Actio. Dioſcorus tertiò acerſitus præſentiam negat: ejus tergiverſatio.

XVII. Ad tertiam eſt Actionem perventum, Tertio Idus Octobris Epiſcopi Euphemiæ Baſilicam ingreſſi, abſentibus Judicibus & Senatu Dioſcori cauſam recognovere, monente Ætio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archidiacono, Notariorumque Primicerio, Libellumque Euſebii Dorylenſis legente, accuſationis ea capita complectentem. Dioſcorum ſcilicet à pietate deficientem, Eutychis ad errores lapſum eſſe: pecuniâ ſuâ ſeditioſos collegiſſe, quorum operâ bonos Antiſtites ejecit Sacerdotio: quæ in Conventu Epheſino nunquam dicta ſunt, ea monumentis inſeruiſſe, in puris chartis Epiſcopos adhibitâ vi ad ſcribendum coëgiſſe. Patribus ergo placeat, quæ à Dioſcoro tam iniqua geſta ſunt, irrita fieri; Epiſcopos nullo jure abdicatos dignitati ſuæ reſtitui; ſceleratum Eutychis dogma damnari; pietatem corroborari; debitas ſonti pœnas irrogari, ut omnibus ſit exemplo, qui ipſius Acta imitari conantur. Lecto Libello, Euſebius rogat Dioſcorum vocari. Tum Ætius narrat, *Domninum*, & *Cyriacum* Diaconos conveniſſe tam Dioſcorum, quàm damnatos Epiſcopos: reſpondiſſe verò Dioſcorum, ſibi quidem libitum præſentiam afferre Concilio ſuam, verùm à cuſtodibus detineri. His auditis, Epiphanius, Elpidiuſque Presbyteri facto circa Baſilicam circuitu, Dioſcorum quærere jubentur. Quæſitum cùm non inveniſſent, proponente Anatolio Synodus Conſtantinum Boſtrenſem Metropolitanum, Acacium Ariarathirenſem, Atticum Zelienſem ad Dioſcorum mittit, qui ei præciperent adeſſe Concilio. Ubi ad Alexandrinum acceſſere, ultrò citròque habitos ſermones chartis illevit Himerius, Lector & Diaconus, quorum ſumma hæc eſt. Monitum Dioſcorum, ut in Synodum veniret, reſpondiſſe, paratum quidem eſſe ſe, ut eò ſe conferret, ſed cuſtoditum à *Magiſtrianis & Scholaribus* egreſſu prohiberi. Deſcendenobus cum Himerio Epiſcopis, Eleuſinium glorioſiſſimi Magiſtri ſacrorum Officiorum Adjutorem occurriſſe: tum ſibi fuiſſe conſilium, ut ad Dioſcorum reverſi ipſum de adeunda Synodo commonefacerent. Quam ſi vellet ingredi, ab Eleuſinio permitti. Reſpondiſſe verò, rogare ſe ut Judices, Senatuſque, qui primæ cognitioni adfuerant, ſecundæ etiam præſentes eſſent, quo ipſis conſciis integra cauſa tractaretur: audiviſſe ſe à Legatis Synodi, quòd adverſus ſemet ipſum Euſebius Libellos porrexerat: itaque flagitare ſe iterum, præſentibus Judicibus accuſationes probari: adventum quidem ſi à cuſtodibus permitteretur, ſuum promiſiſſe, quia putabat, Judices adeſſe Synodo: at nunc ſcire ſe, eos deſiderari. Rogante Euſebio Dioſcori reſponſio hæc Concilii monumentis inſeritur.

Poſteà

Poſteà Maximo Antiocheno conſulente, nova iterum à Patribus Dioſcoro legatio dirigitur, quam Pergamius Antiochenus, Cecropius Sebaſtopolitanus & Rufinus Samoſatenus obiere. Quas verò Synodi literas Dioſcoro reddidere, illæ ſic habebant. Cauſam ipſius præſentibus Judicibus, jam à Synodo diſcuſſam fuiſſe: neque placere ea, quæ ventilata erant, rurſus tractari: verùm de inſtituta nunc ab Euſebio accuſatione examen faciendum eſſe: proinde cilatione omni remotâ veniat ad Conſeſſum. Hic Dioſcorus morbum ſibi eſſe cauſatur, qui amplius invaluerit: præterea poſcere ſe, atque urgere, ut judicio Senatus adeſſet. Inſtanti Rufino, ea ſaltem præſens Synodo diceret, quærit, veneritne ad Concilium Juvenalis, Thalaſſius, Euſebius, Baſilius, Euſtathius? Cui Pergamius negat, mandatum Legatis eſſe, tali interrogationi reſponſum ut darent: non eſſe porro juſtam ei cauſam, cur vellet & Judices, & accuſatos Epiſcopos adeſſe, cùm ipſum unum criminis poſtulet Euſebius. Juſſis Synodi obtemperandum, ut res ſecundum regulas agitetur. A pertinacia tamen ſua Dioſcorus dimoveri non potuit; itaque Legatis reſpondit: *Semel dixi, quæ dixi, & ultra hæc compendioſius quid dicam, non habeo.* Hæc ubi ab Hypatio lecta ſunt, Euſebius Doryleenſis teſtatus, ſe adverſus unum Dioſcorum intendere accuſatorem, rogat, tertiò ad veniendum compelli. Intereà Ætius moner Archidiaconus, adeſſe ex urbe Alexandrina & Clericos, & Laicos cum Libellis adverſus Dioſcorum; qui obſecrabant per Sanctam Trinitatem, Imperatorumque ſalutem ingreſſum ſibi concedi.

Accuſationes Theodori, Athanaſii, Sophronii in Dioſcorum.

XVIII. Admiſſi Alexandrini, *Athanaſius* Presbyter, Iſchyrion, Theodoruſque Diaconi Libellos offerunt, quibus titulus ejuſmodi præfigebatur: *Sanctiſſimo & Deo amantiſſimo, & univerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ, Leoni, & ſanctæ & univerſali Chalcedonenſi Synodo.* Quæ expoſtulatio prima legitur, ea Theodori fuit. Querebatur, ſe annos plus minus viginti duos Magiſtrianorum in ſchola abſque reprehenſione ulla verſatum, à Cyrillo, cui in Epheſina Synodo miniſtrarat, Diaconi munus impetraſſe: inter Clericos egiſſe annos quindecim abſque labe ulla; nihilominus à Dioſcoro nullâ vel ſcripto, vel ſermone accuſatione inſtitutâ, gradu ſuo motum eſſe. Nullas tantæ iniquitatis cauſas afferri poſſe, quàm ingens illud odium Cyrilli in conſanguineos, affineſque conceptum. Cæterùm Dioſcorum blaſphemiarum in auguſtiſſimam Trinitatem expertem non eſſe, non homicidii, non furti, non violentiæ, quâ arbores exſcindebat, incendia faciebat, domos deſtruebat; non luxuriæ: gladium excommunicationis in Leonem ſtrinxiſſe. Teſtes tantorum flagitiorum laudari, Agoraſtum, Dorotheum, Euſebium, Joannem Notarium cuſtodiendos, donec ea omnia proferrent in lucem veritatis. Ventum deinde ad Iſchyrionis Libellum, quo nunciabatur, triticum, quod propter ariditatem in Libya non naſcitur, ab Imperatoribus, & celebrando Euchariſtiæ ſacrificio, & alendis pauperibus huic Provinciæ conceſſum, fame regnante à Dioſcoro immani pretio fuiſſe venditum. *Periſteriam* fœminam clariſſimam, quæ teſtamento ſuo pecuniæ multum Xenodochiis, Ægyptique pauperibus reliquerat, voti ſui compotem non fuiſſe, Dioſcoro ſcortis, ſcenicisque, nomine eleemoſynæ eas opes profundente: luxuriam Præſule indignam toti Ægypto non ignorari, non verſantes in Epiſcopali domo, & in balneis impudicas fœminas, non celeberrimam *Panſophiam, quæ cognominatur Orini,* Dioſcori delicias. A Cyrillo quidem ob magna in ipſum merita ad Diaconi munus ſe olim evectum, graviſſimâ tamen injuriâ à Dioſcoro affectum eſſe, qui immiſſis Monachis, flammis domum ſuam aboleverit, prædiaque incendit, ut mendicando alimenta ſibi quærere cogeretur: neque hæc ſufficiſſe furori: deſtinatam & in ſe Clericorum fuiſſe catervam Ducibus *Mennâ* Presbytero, *Petroque Harpocrationeque* Diaconis, ut morti miſſus, vel inimici coram oculis adduceretur. Diebus Paſchalibus raptum ſe per *Harpocrationem*, ſcelerum ejus miniſtrum, & Xenodochio infirmorum incluſum eſſe à ſatellitibus, quos eò amandaverat occidendum, niſi Xenodochii incolæ periclitanti fuiſſent auxilio. Rogare ſe ergo, tot indigna paſſum, ut & probationibus accuſationis locus daretur, & officio ſuo reſtitueretur. Finitâ Iſchyrionis Libelli lectione, ad expoſtulationis Athanaſii Presbyteri recitationem itur: neque levior accuſatio hæc fuit: ſe ſcilicet ex Cyrilli ſorore natum, unà cum germano fratre *Paulo*, Alexandriâ pulſum, ad regiam civitatem tendiſſe de reperiendo ſubſidio. Carceres tamen inveniſſe Chryſaphii, Nomique juſſis, ad quos Dioſcorus ſcripſerat, non defuturam tanto officio gratiam: libertatem magno conſtitiſſe ſibi: domum ſuam in Eccleſiam mutatam eſſe; pulſum eſſe Presbyterio, nullâ prius accuſatione appoſitâ; errare ſe jam ſeptennio, creditores fugientem: à ſe, ſuiſque mille quadringentas plus minus auri libras Nomo ſolutas eſſe: precari ergo, ut Patres veniant auxilio, pecuniamque Nomo datam, fœneratoribus reddendam recipiat. Non Clerici modò, ſed Laici quoque de Dioſcoro queſti ſunt. Aderat *Sophronius*, qui in ſuo Libello *Chriſtiani* ſibi titulum impoſuit, cujus accuſatio ab *Aſclepiade* Diacono lecta eſt. Narrabatur Sophronii uxorem *Theodotem*, ex qua liberos ſuſceperat, à Macario Alexandriæ Curiali, raptam & retentam fuiſſe. Acceptam in ſe magnam contumeliam ut elueret, Conſtantinopolim properaſſe, impetratiſque Præfectorum Decretis, & eorum executore *Theodoro*, ex ampliſſimo officio Alexandriam repetiiſſe. Quod ubi Dioſcoro notum, Iſidorum Diaconum cum ruſticis in ſe immiſiſſe, quem ex hominum numero evellerent, ſimulque Theodorum abigerent. Neque eâ contentum injuriâ, Dioſcorum, Iſidori miniſterio ſuas, quas in navibus, aliiſque rebus poſſidebat, facultates abſtuliſſe. Itaque rogare ſe Patres, Agoraſtum Dioſcori Syncellum, de miniſtris furoris ejus unum adduci jubeant, ut allegata probentur.

Dioſcorus tertiâ vice vocatur: quid reſponderit?

XIX. Accuſationibus auditis, conſtitutum à Patribus, ut Dioſcorus tertiâ vice vocaretur. Leguntur ea de re Francion Philippipoleos Metropolitanus, Lucianus Byzeranus Thraciæ, & Joannes Germaniciæ cum Palladio Diacono, & Notario, Epiſtolâ Synodicâ, cujus latores erant, ea Dioſcoro ſignificabat. Ipſum in reſponſionibus varium eſſe: affirmare ſe modò à Magiſtrianis teneri: aliquando neceſſarium Judicum eſſe præſentiam: tum morbo affici: ſubinde ab Imperatore petiiſſe, ut Juvenalis, Thalaſſius, Euſebius, Baſilius, & Euſtathius adſint

Con-

ANNO DOM. 451.

Conſeſſui. Quæ cùm veritati rationique minimè ſint conſentanea, opus eſſe, ut omni dilatione dimiſſâ, adventum maturet ſuum, reſponſuros & Euſebii Dorylenſis accuſationibus, & Alexandrinorum Libellis. Quòd ſi tertiâ hâc vocatione contemptâ præſentiam neget, ſciat ſe pœnam contra pertinaces conſtitutam luiturum. Hæc ubi Dioſcoro innotuere, ſuperbè reſpondit: *Quæ dixi, dixi, quibus addere non poſſum.* Hîc pertinacem prudentibus ſanè verbis alloquitur Joannes, Legatorum unus. Judices pronuntiaſſe abdicationis ſententiam, ſi placeret Synodo: datum tamen reo tempus, itaque ſi purâ conſcientiâ utatur, magno Concilio reſpondere dignetur. Ne hîc quidem Ægyptii contumacia flecti potuit. Urgente Joanne, prudenterque hæc monente, *Delicta Sacerdotum communis eſt turpitudo. Si igitur ſcit tua Sanctitas, calumniam ſe ab aliquibus pati, non eſt longè ſancta Synodus: fatigare, ut convincas mendacium*, nil aliud Dioſcori ex ore audimr, *Quæ dixi, dixi, & hæc mihi ſufficiunt.* Quæ à Legatis Concilio referuntur.

Synodi in Dioſcorum ſententia.

XX. Cùm Synodi ad monita rebellaret Dioſcori inſolentia, Paſchaſinus ad Patres converſus talia fatur: *Iterum rogamus veſtram beatitudinem. Ecce tertiò à ſanctis fratribus, & Coëpiſcopis noſtris vocatus, & contemnens, & non veniens, quo dignus eſt? Quid placeat veſtræ Sanctitati, volumus diſcere? Lucianus Epiſcopus dixit, A beatiſſimo Patre noſtro & Epiſcopo Cyrillo in ſancta Epheſina Synodo contra Neſtorium quædam acta ſunt. Ipſam inſpicientes formam, quæ placuerit, date. Paſchaſinus Epiſcopus dixit, Jubet religioſitas veſtra, ut ultione Eccleſiaſticâ contra eum utamur? Conſentitis? Sancta Synodus dixit, Omnes conſentimus, quæ regulis ſunt placita in eo fieri. Paſchaſinus Epiſcopus dixit, Jubet religioſitas veſtra, ut Eccleſiaſticâ ſententiâ adverſus eum utamur? Sancta Synodus dixit, Etiam conſentimus.* Ut communi omnium ore, ſuffragioque Dioſcorum damnari placuit, à Legatis Leonis ſententia pronuntiatur, quam elegantibus Valeſii verbis reddemus: *Quæ*

Evagr. l. 2. c. 4.

Dioſcorus antehac Epiſcopus magnæ civitatis Alexandriæ, contra ordinem Canonum, & contra diſciplinam Eccleſiaſticam attentavit, manifeſta ſunt, tam ex his, quæ examinata ſunt in primo Conſeſſu, quàm ex his, quæ hodie ſunt geſta. Hic enim, ut plurima alia prætermittamus, Eutychem eadem cum ipſo ſentientem, regulariter à proprio depoſitum Epiſcopo, ſanctiſſimo ſcilicet Patre noſtro, & Epiſcopo Flaviano, propriâ auctoritate contra Sacros Canones in communionem ſuſcepit, priuſquam Epheſi conſediſſet, unà cum reliquis Deo cariſſimis Epiſcopis. Sed iſtis quidem Apoſtolica Sedes veniam conceſſit, ob ea, quæ illic ab iiſdem non ſponte geſta erant. Qui quidem hactenus permanſerunt ſanctiſſimo Archiepiſcopo Leoni, & ſanctæ univerſali Synodo obſequentes. Qua de cauſa eos, utpote ejuſdem cum ipſo fidei aſſertores, in communionem ſuam recepit. . . . Præterea Epiſtolam beati Papæ Leonis, quam ille ad ſanctæ memoriæ Flavianum ſcripſerat, legi minimè permiſit. Idque quamvis ſæpius rogatus eſſet ab iis, qui Epiſtolam attulerant, & quamvis ipſe adjecto jurejurando pollicitus eſſet, ſe eam recitari juſſurum. Quâ minimè perlectâ, ſanctiſſimas per univerſum orbem terrarum Eccleſias ſcandalis & detrimentis complevit. Sed tamen quamvis tot ac tanta ab eo præſumpta ſint, propoſitum nobis erat, ob prius ejus impium facinus clementer eum ac benignè tractare, ſicut & reliquos Deo dilectos Epiſcopos, licet ii non eandem ac ille judicandi poteſtatem habuiſſent. Sed quoniam priorem injuſtitiam poſterioribus factis longè ſuperavit: auſus quippe eſt excommunicationem dictare adverſus ſanctiſſimum ac religioſiſſimum magnæ Romæ Archiepiſcopum Leonem. Præterea cùm Libelli pleni criminum & flagitiorum ſancto & magno Concilio contra illum oblati eſſent, ſemel, iterum, ac tertiò vocatus, juxta Canonum præſcripta per Deo amantiſſimos Epiſcopos, minimè obtemperavit, propriâ videlicet conſcientiâ ipſum pungente. Eos denique, qui à diverſis Synodis juſtè depoſiti fuerant, illegitimè in communionem ſuſcepit; contra ſemetipſum ſententiam protulit, Eccleſiaſticis Legibus ſæpius proculcatis. Idcircò ſanctiſſimus & beatiſſimus Magnæ & Senioris Romæ Archiepiſcopus Leo per nos, & per præſentem Synodum unà cum beatiſſimo & omni laude digniſſimo Petro Apoſtolo, qui petra & baſis eſt Eccleſiæ Catholicæ, rectæque fidei fundamentum, Epiſcopali eum dignitate exuit, & ab omni ſacerdotali officio alienum cenſuit. Sancta igitur & magna hæc Synodus ea, quæ Canonibus placita ſunt, ſuper memorato Dioſcoro decernat. Hæc Vicariorum Leonis ſententia fuit, quâ apertiſſimè liquet, Pontificis Romani Decreta Edicta non eſſe Prætoria, quæ cœcam obedientiam injungant, ſed Synodi ſuffragiis opus habere, ut firma ſint. Cum porro æquiſſima eſſet ea Legatorum ſententia, in eam à Patribus pedibus itum: *Anatolius Archiepiſcopus Regiæ Conſtantinopolis Novæ Romæ dixit: hæc eadem Apoſtolicæ Sedis per omnia ſapiens, concors efficior ſententiæ ſuper damnatione Dioſcori.* Una & cæteris Præſulibus mens eademque fuit. Omnibus ſolemniter peractis, quæ ejiciendo Dioſcoro neceſſaria erant, Synodus ſuum Imperatoribus judicium Epiſtolâ notificat, cujus eſt exordium, *Magnæ ægritudines & medicamine fortis, & Medico indigent ſapiente.* Pulcheriæ quoque literas dedit, quarum hoc eſt initium: *Multa tibi bona præſtentur, quæ donante digna ſunt Salvatore, quæ amas Chriſtum, filia Auguſta.* Damnationis quoque ſententia in urbe Chalcedonenſi publicè proponitur. Quia Dioſcorus olim Alexandriæ Epiſcopus vulgat, ſe *rurſus Sacerdotium recepturum*, ſancta Synodus edicit, abdicato nullam reſtare ſpem reſtitutionis, cùm *eo projecto, unà quievit & ſcandalum.* Dioſcoro etiam ſua damnatio ſignificatur: *Scias te ob deſpectum ſacrorum Canonum, & ob contumaciam, quâ uſus es erga hanc ſanctam & univerſalem Synodum, eò*

Evagr. l. 2. c. 18.

quòd præter alia crimina, de quibus convictus es, tertiò vocatus, ab hoc ſancto & univerſali Concilio juxta ſacros Canones, ut accuſationibus reſponderes, minimè occurriſti, Octobris menſis præſentis die tertio decimo à ſancta & univerſali Synodo depoſitum eſſe, & ab Epiſcopatu, omnique Eccleſiaſtico munere ſubmotum. Sic ſuperbus ille Ægyptius, qui multa in Deum, multa & in homines nefaria fecerat, meritis pœnis affectus, in urbem Paphlagoniæ Gangram relegatur, ut Flaviani, quem injuriâ pulſum Epipam amandarat, manes aliquâ ratione placarentur: *Explete magno & venerabili Chalcedonenſi Concilio in XII. Secretariis, & ſexdecim Actionibus, Dioſcorus quidem exulare in Gangrana civitate præceptus eſt.*

Liberat. cap. 14.

Epiſcopi qui ob malè acta in Epheſina ſecunda ejecti fuerant, reſtituuntur.

XXI. Ad quartam Synodi veniamus Actionem, quæ eodem loco, Octobris die XVII. eſt celebrata. Lectis ſecundæ Actionis, cui Judices interfuerant, geſtis, quærunt à Concilio, quid de fide ſtatuendum doceatur. Reſponſum dedere Legati Leonis, hanc fidei ſuæ regulam eſſe, quæ & à Nicænis, & à Conſtantinopoli-

politanis Patribus fuit conſtituta. Leonis quoque Epiſtola, quæ credenda forent, exhiberi. His verò nil addendum. Quæ Legatorum profeſſio, ubi à *Beroniciano* Græce reddita eſt, unâ voce clamatum, *Omnes ſic credimus.* Inſtantibus Judicibus, concordare conſenſu Nicæna, Conſtantinopolitanaque Synodus, & Leonis Epiſtola conjungeretur? id conſtanter à Patribus affirmatum. Ex quibus nonnulli quoque teſtati ſunt, dubitationes, quas ſibi moverat Leonis Epiſtola, & à Legatis, & ab Anatolio remotas eſſe, atque quæ anathemate eos feriret, qui naturam Chriſti humanam à divina divellebant. Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerant Juvenalis Hieroſolymitanus, Thalaſſius Cæſareæ, Euſtathius Beryti, Euſebius Ancyræ, Baſilius Seleuciæ: quos loco reddi ſuo Synodus flagitat. Ad hæc Legati referunt, ſe Imperatoris reſponſionem expectare de Dioſcoro, quem & Principe, & Judicibus ignorantibus abdicarant, nec non de quinque Epiſcopis, quos precibus commendarant ſuis. Tum acclamatum ab omnibus, *Dioſcorum Deus depoſuit.* Allatâ Imperatoris reſponſione, quâ Synodi poteſtati & arbitrio quinque Epiſcopi depoſiti permittebantur, ſubinde Concilii vox audita: *Ut illi ingrediantur rogamus, qui idem ſentiunt, Synodo reddantur.* Qui mox conſenſu Judicum in Cœtum admittuntur. Quam benignitatem acclamationes excepere: *Unus Deus, qui hæc fecit, multi anni Imperatorum, multi anni Senatus.*

Ægyptii Epiſcopi nolunt Leonis Epiſtolæ ſubſcribere, donec haberent Metropolitanum.

Evagr. l. 2. c. 18.

XXII. Octobris die XVI. Ægyptiaci Epiſcopi Marciano Libellum obtulerant, in quo inter alia hæc legebantur: *Sentimus quemadmodum* CCCXVIII. *Patres Nicæa expoſuerunt, & B. Athanaſius, & ſanctæ memoriæ Cyrillus anathemate damnantes omnem hæreſim, Ærii ſcilicet atque Eunomii, Manetis item ac Neſtorii, & eorum, qui dicunt, carnem Domini noſtri è cœlo eſſe, non autem ex Sancta Deipara, & ſemper Virgine Maria.* Supplicum hæc fuere nomina, Hieracus Oaſſorum, Sabinus Tuccitorum, Apollonius Taneorum, Patrinus, Januarius, Eulogius, Joannes, Iſaac, Iron, Stephanus, Theophilus, Iſidorus. Agnitâ ſubſcriptione, lectoque Libello, *Patres clamaverunt omnes, Cur Eutychis etiam dogma iſti minime damnarunt? Epiſtola Leonis ſubſcribant.* Ægyptii ore Hieracis dixerunt, qui præter Confeſſionis ſuæ contenta ſaperet, ſive Eutyches, ſive quiſquis alius, eum anathema eſſe. Antequam verò Leonis Epiſtolæ ſubſcriberent, expectandam ſibi dicunt Archiepiſcopi ſui ſententiam, quam in omnibus ſequebantur, Nicænâ Synodo jubente, ne quidquam abſque eo gereretur. Quam nonnulli excuſationem falſi poſtularunt, cæteri verò pro nihilo habuerunt: ut Paſchaſinus palam Latinè diceret: *Tot annorum Epiſcopi in Eccleſiis ſeneſcentes uſque ad hoc tempus fidem rectam & Catholicam ignorant, & expectant adhuc alienam ſententiam.* Tum enixius Ægyptii rogant, ut Patres ſenectutis miſereantur ſuæ; ac ut eorum affectus magis permoverent, ſeſe humi ad pedes Synodi proſtravere, dicentes, *Eſtote clementes, miſeremini noſtri.* Nam ſi ante electionem Archiepiſcopi ſui quidquam egerint, cunctos Ægyptiacæ Diœceſis incolas impetum in ſe facturos: tollant ſedes ſuas illi, quibus gratum eſt, id unum ſe petere, ne morti opponerentur. Pertinacius contendente Synodo, ut & Leonis Epiſtolæ, & Dioſcori damnationi ſubſcriberent, Judicibus placuit, miſericordiæ aliquid ſupplicibus oſtendi, atque iis dilatio concederetur, quo ad uſque Alexandrinis Epiſcopus imponeretur, eâ lege tamen, ut oblatis fidejuſſoribus, vel dato juramento futuri Præſulis Ægypti expectarent ordinationem. Ex Ægyptiis Epiſcopis quatuor poſteà, & Dioſcori Eutychiſque damnationi, & Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerunt, Athanaſius Buſiri, Neſtorius Paphlagoncos, Antonius Sebennitanus, Macarius Cabaſennenſis, quibus huiuſce Synodo injunctum à Marciano, ut repetitâ Ægypto Præſulem Alexandriæ imponerent.

Liberat. cap. 14.

Caroſus & Dorotheus petunt reſtitutionem Dioſcori.

XXIII. Finito Ægyptiacorum Epiſcoporum negotio, res Caroſi, Dorothei, ſociorumque Monachorum Synodus ingreditur. Marciano Libellum obtulerant, quo poſtulabant, ereptam Eccleſiæ pacem reſtitui, fidem ſartam tectamque ſervari. Id tanti Principis gloriæ deberi, ut diſceptationes ipſius autoritate omnes componantur. Rogare ſe, Synodum Oecumenicam cogi, neque à Monaſteriis, à Martyris Baſilica, ab Eccleſiis ejici quempiam, donec juſtum Synodi hujus judicium promulgaretur. Ut jubente Senatu Monachi ingreſſi ſunt, Gerontio & Calepodio Eunucho comitati, Presbyteri munere fungentibus, antequam recitarentur petitiones, Anatolius ſuggeſſit, damnatis olim Calepodio, & Gerontio Presbyteris ingreſſum conceſſum non eſſe. Itaque dixit Ætius, ad Calepodium accedens, *Exi ut Hæreticus.* Subjiciente tamen Calepodio, ut ſua, ſociorumque petitio legeretur, id à Judicibus imperatum. Lecto, cujus ſummam retulimus, Libello, alium Caroſus Dorotheuſque obtulerunt. At Patribus moleſtum erat, adeſſe *Barſumam*, ſacrilegum illum, incendiariumque Monachum. Dixit quidem Diogenes Cyzici Epiſcopus, Barſumam occidiſſe *Flavianum: illum clamaſſe, occide.* Contra fas ingreſſum eſſe hominem, cujus nomen in Libello non reperiretur. Poſt hæc ab univerſis Epiſcopis acclamatum eſt: *Syriam omnem Barſumas devaſtavit: mille Monachos contra nos immiſit.* Caroſo Dorotheoque rogantibus, ut oblatus à ſe Libellus recitaretur, Synodus ingeminat: *Homicidam Barſumam foras, anathema Barſumæ, Barſumam in exilium.* Silentium impoſuit Judicum de Libellis Archimandritarum recitandis mandatum, in quibus inter cætera continebatur, ut Dioſcorus, & qui cum illo erant Epiſcopi, Concilio intereſſent. Quibus auditis, exclamarunt omnes Epiſcopi: *Anathema Dioſcoro. Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Iſtos foras projice: tolle injuriam Concilii, tolle violentiam Concilii, has voces Imperatori.* Contrà verò Monachi inclamarunt, *Tolle injuriam Monaſteriorum.* Imperata reliquorum Libellorum recitatio clamorem ſuſtulit. Qui quidem ſuggerebant, Dioſcori depoſitionem non rectè, neque ordine factam eſſe, & propoſitâ fide, eum ad Conſeſſum admitti oportere: *Quod niſi ita fieret, excuſſuros ſe veſtimenta ſua, & à communione Epiſcoporum, qui congregati erant, receſſuros.* Addebatur & Symbolum, & Decretum Epheſinum in Neſtorium, quo probatum volebant, à fide ſe non alienos eſſe. His recitatis, Ætius Canonem legit de iis, qui ſemetipſos ab Epiſcoporum conſortio ſeparant, & ſeditiones commovent, à Magiſtratu corripiendos. Rogantibus Judicibus, velleutne Synodi doctrinæ aſſentiri, Nicæna quidem, Epheſinaque Decreta comprobarunt; urgente verò Ætio, ut Eutychem damnarent, Caroſus id reſponſi

Anno Dom. 451.

ſponſi dedit, ſcriptum eſſe, *Non judices, ne judiceris: Epiſcopi ſedent, & tu cur loqueris?* Ad hæc Ætius nomine Synodi, aſſentiris Oecumenicæ Synodo, an non? Cui Caroſus, *Si non credit Eutyches, ſicut credit univerſa Eccleſia, anathema ſit.* Ventum poſteà ad lectionem precum Fauſti, Catholicorumque Archimandritarum, quibus petebant ab Imperatore, ne amplius ſuſciperentur Monachi, qui rectis dogmatibus paulò antè fuerant adverſati. Hîc Dorotheus Monachus, *Orthodoxus*, inquit, *eſt Eutyches, ei calumnia imponitur.* Quo loco rejicienda eſt doctiſſimi verſio Valeſii, *Eutychem Orthodoxum appellaverat.* Imò *appellavit* ..., quia hæc à Dorotheo in Conſeſſu dicta poſt lectum Fauſti, Martini, Petrique Libellum. Hîc Judices interfati ſunt, negare Eutychem, corpus Dominicum naturæ noſtræ eſſe, *tu verò quale confiteris?* Quibus rotundè Dorotheus profitetur, ſe Leonis Epiſtolæ non ſubſcripturum. Ad deliberandum cùm triduum pertinaci Monacho conceſſiſſent, reſpondit, ſe ne vel ad latum unguem ab Epheſinis, Nicænisque Decretis receſſurum. Caroſus verò triduo opus ſibi non eſſe prædicavit, quidquid vellent, ſubinde facerent.

Caroſus fruſtra Libellum offert Marciano. Dies triginta dantur Monachis ad pœnitendum.

XXIV. In Græcis editionibus Actio reperitur, quæ & in antiqua Chalcedonenſis Concilii verſione, & in Evagrio, Liberatoque deſideratur, qui *quintus* Conſeſſus meritò appellari debet, utpote XIII. Kal. Novembris celebratus. In eo de *Caroſi*, nec non de *Photii* Tyrienſis Epiſcopi negotio tractatum: quæ brevi ſunt oratione percurrenda. Tanta eruditionis ſuæ Eutychianos Archimandritas fiducia tenuit, ut Libellum Marciano offerrent petentem, vel coram ipſo cum Catholicis de fide diſputationem habere permitterentur. Quid reſponſi Marcianus dederit, per Alexandrum Presbyterum, Eccleſiarumque viſitatorem, & Joannem Decurionem ſignificari voluit. Notabilia ſunt verba Imperatoris, & noſtris ſanè Annalibus digniſſima: *Si voluiſſem ego ſedere inter vos, atque alios Monachos, & audire inter utroſque vos, non hîc ſanctam & univerſalem Synodum fatigaſſem. Sed cùm ipſi convenissent, & vos de vobis certiores fecissent, deus ut vos adeſſetis, & ea, quæ neſcitis, cognoſceretis, & interrogando ea, quæ non noſtis, addiſceretis ab eis. Juſtum igitur decrevimus, vos ad Concilium abire. Nam ut ſciatis, quæcunque definierit ſanctum & univerſale Concilium, ac mihi in ſcriptis dederit, ea ſequor: his contentus ſum, his fidem habeo. Hoc habete, nec à me aliud reſponſum accipietis.* Synodus cum plauſu verbis pulcherrimis acclamavit, multoſque annos optavit Imperatori. Rogante Senatu conceſſæ Caroſo, Dorotheo, Barſumæ, pertinacibuſque Monachis triginta dierum induciæ, quibus elapſis ad eos Clerici mitterentur, monituri reſiderent Oecumenicæ Synodi placitis; quos ſtatuebant errores, deſtructum irent, ſecus dignitate ſuâ, & communione ejiciendos. Solitâ verò tergiverſatione utentibus certam pœnam à Principe irrogandam eſſe, contumacibus debitam.

Lis Euſtathii cum Photio: poteſtas Metropolitani Euſtathio abdicatur.

Cod. Juſt. lib. XI. Tit. 21.

XXV. Eâdem die, quæ Octobris vigeſima fuit, feriâ VII. magnæ Photii cum Euſtathio lites dirimuntur, quibus cauſam præbuit Berytenſis ambitio Præſulis, qui per ſubreptionem à Theodoſio Metropolitani dignitatem impetravit. Extat ejus Reſcriptum in Juſtinianeo Codice: *Propter multas juſtaſque cauſas Metropolitano nomine, & dignitate civitatem Berytum decrevimus exornandam, jam ſuis virtutibus coronatam. Igitur hæc quoque Metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de jure ſuo derogetur. Sit illa mater Provinciæ majorum noſtrorum beneficio, hæc noſtro.* Regio hoc Decreto munitus Euſtathius, invaſione in Tyrienſis Metropolitani ditionem factâ, evulſas ſex civitates poteſtati ſuæ ſubdiderat, Byblum, Botrim, Tripolim, Orthoſiada, Arias, & Antaradum. Quo loco non ſatis accurata eſt Baronii narratio, qui ex pragmatica Imperatoris Sanctione eas urbes ditioni Berytenſis Epiſcopi ſubditas eſſe putat. Quem ſanè refellit laudatum Theodoſii Reſcriptum. Quippe ſi ex regia Phœniciæ diviſione ſex memoratæ urbes Euſtathii in jus conceſſiſſent, utique non dixiſſet Theodoſius: *Tyro nihil de ſuo jure derogetur.* Uſurpatione igitur, non Principis donatione eas urbes obtinuit Euſtathius. Sibi fautorem Euſtathius Anatolium invenerat. In urbe regia Maximus Antiochenus verſabatur, cùm Anatolii Concilium celebratum eſt: cui tamen non interfuit, allatæ verò ſibi chartæ ſubſcripſit. Photius more ſolito ordinationes in ſua Diœceſi peregerat: *Atque inde*, inquit, *primum miſſa eſt mihi excommunicatio, ac manſi excommunicatus centum viginti duos dies: ac duos rurſum ordinavi Epiſcopos. Eos depoſuit, Presbyteroſque fecit.* Latam excommunicationis ſententiam miſerat Conſtantinopolitana Synodus, fatente Anatolio, cujus verba ſunt: *Quædam egit nullo more, atque ordine. Hic indignata Synodus, & juxta regulas commota, excommunicationem ei miſit.* Quærentibus Judicibus, licuiſſetne Anatolio, mittere abſenti Photio excommunicationem, Eccleſiaſque nonnullas ejus poteſtati eximere, & an Synodum appellare oporteat Conventum illum Epiſcoporum, qui in regia urbe diverſantur, ſubinde à Concilio acclamatum, *Nemo abſentem condemnat.* Purgandi ſui causâ Anatolius oſtendit, dudum viguiſſe morem, ut pro re nata Epiſcopi, qui Conſtantinopoli morabantur, de rebus Eccleſiaſticis cogerentur, ad quæſita Epiſcoporum reſponderent, ac ſingula definirent. Id quidem rectè defenderat, excuſare tamen non potuit, quòd & Photium abſentem damnaſſet, & permiſſas ditioni ipſius civitates diſtraxiſſet. Placuerunt Judicibus, non Auguſtorum Reſcriptorum, ſed Canonum præſcriptione litem dirimi, quorum & lectionem juſſerant: *Omni ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, Canones de hoc Capitulo edicti legantur.* Subinde ad Patres converſi, *Dicat Sancta Synodus, utrùm ei placeat, ex regulis Patrum hujus cauſæ quæſtionem examinari, an ex ſacris pragmaticis.* Reſpondit Synodus, *Non licet hoc, eſt præter regulas.* Photius ergo requiſitis Patribus, petit, Acta Conſtantinopolitanæ Synodi, cui præfuerat Anatolius, irrita fieri, utpote & regulis pugnantia, & adverſus abſentem conſtituta: quod & impetravit, fruſtra excuſante ſe Euſtathio. Rurſus Epiſcoporum à ſe ordinatorum, ab Euſtathio verò in ordinem redactorum reſtitutionem Photius flagitavit. Lecto Canone Nicæno IV. ut Provinciæ unius Metropolitanus unus eſſet, Euſtathii exceptio, *hoc licere Imperatori, jubere quod vellet*, parvi eſt exiſtimata. Requirentibus enim Judicibus, quid cenſeret Concilium: *Verùm placeat, ſecundum Canonem CCCXVIII. Patrum, unum Metropolitanum Epiſcopum eſſe, qui in ordinationibus reverendiſſimorum in unaquaque Provincia civitate*

Anno Dom. 451.

Error Baronii.

Bar. Ann. 451. n. 98.

Epiſcoporum poteſtatem habeat, an duos, ita ut liceat ſeparatim in civitatibus ordinationes facere: ſancta Synodus dixit, unum juxta regulas Sanctorum Patrum poſtulamus eſſe Metropolitam. Quibus auditis, ea n Judices ſententiam tulere: Juxta regulas CCCXVIII. & juxta ſententiam totius ſanctæ Synodi, Photius reverendiſſimus Epiſcopus totius Tyriorum Metropolis omnem poteſtatem ordinandi in univerſis civitatibus primæ Phœnices Provinciæ habebit. Euſtathius reverendiſſimus Epiſcopus à ſacro pragmatico typo nihil amplius ſibi vindicet, quàm reliqui Epiſcopi ejuſdem Provinciæ. At an his conſentiat ſancta Synodus, doceat? Sancta Synodus exclamavit, Hoc juſtum judicium, hæc juſta ſententia; multos annos Imperatoribus, multos annos Auguſtæ, multos annos Judicibus. E veſtigio Cecropius Sebaſtopolis Epiſcopus rationem ſervandi juris poſtmodum ſuggeſſit, ut nempe ubique locorum Reſcriptum Theodoſianum, quo de regulis non minimum delibatum, cederet Canonibus. Hoc ubi Patribus placuit, pronuntiatur à Judicibus: Ex ſententia ſanctæ Synodi, in aliis quoque omnibus Provinciis regulæ teneant. Neque vim conſtitutionis hujus infregit inditus Euſtathio titulus, Octobris XXV. dum Actione VI. Berytiorum Metropoleos Epiſcopus ſcribitur. Erat enim nomine duntaxat, non re Metropolitanus. Quomodo & contemplatione Synodi apud Chalcedonem celebratæ, eam Marcianus civitatem ad honores Metropolitanos evexit: Chalcedonenſium civitatem, in qua ſanctæ fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis privilegia habere ſancimus, nomine tantùm. Salva videlicet Nicomedienſium civitati propriâ dignitate.

Syn. Chalc. Act. 7.

Confeſſio fidei proponitur. Multa ex ea jurgia nata componuntur.

XXVI. Die Octobris XXII. habetur Conſeſſus, qui vulgò quintus dicitur, meliore quidem nomine ſextus appellandus. Petentibus Judicibus, quæ de fide decreta erant, palam prædicari, Aſclepiades Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus definitionem recitavit. Pridie condita definitio omnibus quidem placuerat, ea tamen accuratius perpenſa, Leonis Legatis, Orientaliumque nonnullis poſtridie non arriſit. Joannes Germaniciæ Epiſcopus definitionem primus omnium reſpuit his verbis: Non benè habet definitio, ſed debet integrè fieri. Hic Baronius in Anatolium invehitur, veluti fraudis architectum, necdum Dioſcori ſui, cujus fuerat Apocriſiarius, oblitum. Pace tamen illuſtriſſimi Purpurati, hoc ipſius judicium à temeritate defendi nequit; cùm pauciſſimis exceptis, toti Synodo ea fidei Confeſſio placuerit, pro qua veluti pro aris & focis pertinaciter etiam pugnavit: Omnes reverendiſſimi Epiſcopi præter Romanos, & aliquos Orientales clamaverunt, Definitio omnibus placet, hæc fides Patrum; qui præter iſta ſapit, Hæreticus eſt. Fitne vero ſimile, tot Epiſcopos vel naris adeò obeſæ fuiſſe, ut fraudes, ſi quæ eſſent, Anatolii non intelligerent, vel omnes conjuraſſe, ut in fidem eâ viâ graſſarentur? Altius adhùc dormitat Baronius ſcribendo, Anatolius temerè eam effutire ſententiam non eſt veritus, Dioſcorum non propter fidem damnatum eſſe. Ea quidem Anatolio temeritas non fuit, cùm lata in Dioſcorum Concilii ſententia non hæreſeos, ſed contumaciæ, ſacrorum Canonum contemptionis, variorumque duntaxat criminum meminerit. Ubi Patres ferè omnes ingeminarunt, Definitio omnibus placuit; aliter non credimus; definitio Deo placuit; iſta fides Orthodoxorum; Sancta Maria Theotocos ſcribatur. Contrà verò Leonis Legati profitentur, ſi Epiſtolæ conſenſus negaretur, relictis omnibus, ſe in Occidentem profecturos ad celebrandum Concilium. Revocandis ad concordiam animis proponunt Legati, Epiſtolam ſanctiſſimi Leonis ſuſcipitis? Affirmantibus Epiſcopis, ſuggeſſere Judices, Ergo quæ in ea inſeruntur, inſerantur definitioni. Quo dicto adeò Patres commoventur, ut ſuis hiſce clamoribus aër reſonaret: Altera definitio non fit, nihil deeſt definitioni, Epiſtolam definitio firmavit. Ipſe Euſebius Dorileenſis Dioſcoro infenſiſſimus, pro retinenda definitione pugnavit. Confeſſionis rejectionem cùm patienter Synodus non audiret, viſum Judicibus clamores Marciano ſignificari per Beronicianum, qui paulò pòſt reverſus, nunciat placere ſacræ Majeſtati, ſex Orientis Epiſcopos, tres à Pontica, tres ab Aſiana, tres à Thraciæ, tres ab Illyrici Diœceſi, præſentibus & Anatolio, & Legatis Leonis Sanctæ Euphemiæ in Oratorium convenire de fidei Confeſſione conſtituenda, quæ nil dubii relinqueret: vel ſi minus placeret, ſinguli ſaltem per ſuum Metropolitanum profeſſionem conderent, quâ diſcordia omnis extinguatur, ſecus in Occidente Synodus congregaretur. Id Confeſſionis patronis maximè placuit, quòd Marcianus præcipiebat, ut plurimos ipſi annos precarentur. Quin etiam ab Illyrici Epiſcopis dictum: Qui contradicunt, Neſtoriani ſunt: qui contradicunt, Romam ambulent. Hic Judicum prudentia viam invenit, quâ fluctus animorum componerentur. Patribus proponunt, quem ſequerentur, Leonem, an Dioſcorum? Affirmantibus verò omnibus, Eutychianos eſſe, qui à Leone diſſentirent, id dant conſilii: Ergo addito definitioni ſecundum judicium ſanctiſſimi Patris Leonis, duas eſſe naturas unitas in Chriſto, inconvertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe. Quod cùm Synodo mirè placuiſſet, rogantur Judices, cum Epiſcopis, quibus adornandæ Confeſſionis provincia imponebatur, Euphemiæ in ſacellum ſe conferre. Conſtitutâ Confeſſione ad Synodum redeuntes, jubent adeſſe Patres cum ſilentio, dum definitio legeretur. Approbatione Nicæni, Conſtantinopolitanique Symboli, nec non Epiſtolarum, tam Leonis, quàm Cyrilli ad Neſtorium & ad Orientales præmiſſa, hæc ſubjiciunt.

Bar. Ann. 451. n. 104.

Error Baronii.

Confeſſio Chalcedonenſis Euphemiæ in choro conſtituta.

XXVII. Sequentes igitur ſanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſtanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate. Deum verum & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, Conſubſtantialem Patri, ſecundum humanitatem per omnia nobis ſimilem abſque peccato. Ante ſecula quidem Patri genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundum humanitatem: unum eundemque Chriſtum Filium Dominum unigenitum, duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum; nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrentis. Non in duas perſonas partitum atque diviſum: ſed unum eundemque Filium unigenitum Deum Verbum, Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut antè Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit. Aliam porro condi, proferri, doceri

fidei

ANNO DOM. 451.

fidei Confeſſionem ſeveriſſimè prohibent Clericis abdicatione, Laicis verò Monachiſque excommunicatione propoſitâ. Illuſtri miraculo hoc de fide judicium hæreticâ pravitate rejectâ, à Sanctâ Euphemia corroboratum fuiſſe, in Nicephoro legimus. Sacro Martyris corpori, veluti incorrupto veritatis teſti, tam Catholici, quàm Eutychiani fidei ſuæ arbitrium committentes, utrique ſeorſum fidei formulam in Libellum ſuum relatam, & chartam utramque clauſulis atque ſigillis obfirmatam ad Martyris pedes depoſuere. Et noctu proximâ precationibus conſumptâ, poſtridie venerunt, & monumenti operculo remoto, Orthodoxorum Libellus perquam tenaciter Martyris manibus continebatur: alter autem tanquam res nullius pretii, *ad pedes illius projectus jacebat.* Hanc nos narrationem fabulis apponimus, de qua profundiſſimum eſt & in Evagrio, & in Liberato ſilentium. Neque ullam Eutychianorum cum Synodo diſputationem excitatam eſſe, ex laudata jam à nobis Eutychianorum ad Libellum Marciani reſponſione palam eſt. Ea tamen diſceptatio fundamentum eſt, in quo fictum miraculum collocatur.

Nicephor. l. 15. c. 5.

Septima Actio. Marcianus & Pulcheria Synodum ingrediuntur.

XXVIII. Octobris XXV. feriâ quintâ, ſextam, quæ ſeptima potius eſt nuncupanda, Concilii Actionem præſentiâ Marcianus ſuâ nobilitavit. Celebritati decus & lumen addidit dies, Euphemiæ ſacer, cujus in Baſilica Concilium ſedebat: *Adveniens in eadem ſanctiſſima Eccleſia diviniſſimus & piiſſimus Dominus noſter Marcianus, perpetuus Auguſtus, ſub die ſanctiſſimorum Martyrum Sancti Callinici & Euphemiæ, præſente ex divino zelo & fervore fidei, etiam piiſſima & Chriſtianiſſima Regina, Auguſta Pulcheria.* Atque hîc Baronius notâ affici debet, qui Imperatorem Actioni primæ præſentem & Patres alloquentem ſibi videre viſus eſt. Quo caſu bis Concilium fuiſſet ingreſſus. Neque negamus, id Surians in editione legi, quæ Bellarminum quoque decepit. Illuſtriſſimi tamen Purpurati pro ſua ſagacitate Chalcedonenſium monumentorum perturbationem hic olfacere debuiſſent. Evagrius, *Sexto,* inquit, *Conſeſſu Marcianus Imperator ad Concilium venit.* Quòd ſi primo quoque interfuiſſet, id ſanè nunquam Evagrius præteriiſſet. Baronii quoque ſententiam refellit Liberatus: *Sexto autem Secretario adveniens Martianus Imperator ad Concilium, cum Judicibus & ſacro Senatu, allocutionis verba facit in Concilio.* Quòd primo *Secretario* Concilium ingreſſus Marcianus, illud allocutus ſit, prorſus ſilet Liberatus. Quid verò rationis habuit, cur in ſexto potius quàm in primo *Secretario* præſentem exhiberet Imperatorem, ſi utrique interfuit? Quòd igitur unius duntaxat Marciani ingreſſus meminerit Liberatus, cauſa hæc eſt, quòd non primæ quidem, ſed ſoli Actioni ſeptimæ adfuerit. Præcipuè id nos docent geſta Synodi. Quis enim ſibi finget animo, Imperatorem eandem orationem habuiſſe & in primo, & in ſexto Conſeſſu? Adeòne ruſticus, bardus imperitus Marcianus, ut ſibi opus eſſet, unam numero concionem Patrum in aures bis infundere? Quod eſt admittendum, ſi gemino ingreſſu ad Chalcedonenſes adierit. Cœtum quoque moderatus fuiſſet Marcianus, ut eo jubente, & ſilentium imponeretur, & Libelli legerentur, quod & jam ab eo in ſexta Actione factum. Atqui primo Conſeſſu partes illæ à judicibus im-

Bar. An. 451. n. 70.

Evagr. l. 2. c. 18.

Liberat. cap. 13.

plebantur. Num in prima Actione mutus, elinguiſve Marcianus, qui in ſexta frequenter vocalis fuit? Cur in illa ſiluiſſet, qui in hac crebrò loquitur? Denique finis Actionis primæ perſpicuè docet, ab ea Marcianum prorſus abfuiſſe, dum de Dioſcori abdicatione, & Synodi geſtis Imperatori ſignificandis Judices Patribus hæc loquuntur: *Videtur nobis juſtum eſſe, ſi placuerit diviniſſimo & piiſſimo Domino noſtro, eidem pœnæ Dioſcorum, Juvenalem, &c. ſubjacere, & à ſancto Concilio ſecundum regulas ab Epiſcopali dignitate fieri alienos, omnibus, quæ acta ſunt, ad ſacrum apicem referendis.* Eâ verò relatione nil opus erat, ſi teſtis geſtorum Marcianus adfuiſſet.

Syn. Chalc. Act. 1.

Oratio Marciani ad Chalcedonenſes.

XXIX. Semel ergo Synodum ingreſſus Imperator, hæc verba facit: ubi primùm rerum potitus eſt, ſibi nil antiquius, quàm ut vera intemerataque fides omnium animis inſideret. Ea de cauſa Synodum indictam eſſe, ut errorum omnium nube deterſâ, veritatis luce religio ſplenderet. Remotis ergo ſtudiis, affectibus, avaritiâ, cunctis veritas innoteſcat. Pulcherrima verò hæc verba ſunt: *Nos ad fidem confirmandum, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, ne vel ulterius Populi pravis perſuaſionibus ſeparentur. Facilè enim ſimplicitas quorumdam hactenus nonnullorum ingeniis atque ſuperflua verboſitate decepta eſt, & conſtat diverſorum pravis inſinuationibus diſſenſiones & hæreſes natas. Studium autem noſtrum eſt, ut omnis populus per veram & ſanctam doctrinam unum ſentiens, in eandem religionem redeat, & veram fidem Catholicam colat. . . . Erit autem divinæ majeſtatis id, quod ſancto animo deſideramus, in æternum firmiter cuſtodire.* Regiæ huic orationi magnus plauſus datus eſt, quam Latinè, poſtmodumque Græcè habuit. Finitâ oratione ad Imperatorem converſus *Ætius*, dixit Oecumenicam Synodum Principe jubente congregatam, nec diligentiæ parcentem, nec tempori fidei Confeſſionem ab omni errore alienam, Scripturarumque autoritate munitam, ad perpetuam imperii ipſius gloriam, regentiumque inſtitutionem prædicaſſe, ſi placeat ſacræ majeſtati recitandam. Ubi dictum ab Imperatore, *Legi* confeſſionis à nobis relatæ lectionem, Ætius ingreditur. Eâ peractâ, quærit Princeps, communine omnium conſenſu definitio facta fuiſſet? Reſponſum à Synodo, *Omnes ſic credimus; hæc fides orbem terræ ſalvavit. Martiano novo Conſtantino, novo Paulo, novo David multos annos . . . Pulcheria, nova Helena,* &c. Acclamationes excepit ſermo Principis: *Licet laborem veſtræ reverentiæ, faſtigationemque fecerimus, tamen maximas gratias agimus omnium Salvatori Deo, qui multorum errantium circa fidem, amputatâ diſcordiâ, in unam eandemque religionem omnes nunc unâ voluntate convenimus, ſperantes celerrimam veſtris ad Divinitatem precibus pacem nobis à Deo donari.* Hic novæ Patrum acclamationes toto Conſeſſu percrebuere. Mox edixit Imperator perturbatoribus, cujuſcunque conditionis ſint, ſive privatæ, ſive Clericalis, pœnam certè certòque eſſe irrogandam, Laicos urbe regiâ pellendos, Clericos ſuo gradu movendos. Quod Marciani dictum univerſi fauſtis acclamationibus proſequuntur.

Regulæ tres ſtatuendæ Chalcedonenſibus à Marciano proponuntur.

XXX. Modeſti Principis atque pii officio fungens Imperator, exin Capitula propoſuit, quæ à Synodi potius autoritate, quàm à ſua conſtitui

ſtitui voluit. Tria numero erant, quorum lectio Beroniciano Conſiſtorii à ſecretis mandatur. I. Nullum Monaſterium ædificetur præter voluntatem Epiſcopi civitatis, neque in fundo collocetur ullo abſque conſenſu Domini, cujus fundus eſt. Subjiciantur Monachi omnes Epiſcopo; attendant animum orationi, atque jejuniis, neque rebus ſe Eccleſiaſticis immiſceant, niſi juſſi ab Epiſcopo: poteſtatem non habeant ſuſcipere ſervos in Monaſterium præter Dominorum voluntatem. II. Clerici, qui vel prædiorum conductores, aut ſecularium Procuratores agunt, ab eo temperare officio debent, niſi permittente Epiſcopo Eccleſiaſticarum poſſeſſionum curam ſuſcipiant. III. Alicujus Eccleſiæ Clerici in aliam non migrent, exceptis duntaxat illis, qui amiſſis Provinciis, ex neceſſitate ad aliam ſe Eccleſiam tranſtulere. Qui conſtitutionem deinceps violabit, tam ſuſcipiens, quàm ſuſceptus excommunicationi ſubjacebit. Ad hæc multis Synodus benedictis Imperatorem cumulavit: *Eccleſias tu erexiſti, victor bellorum, Doctor fidei.* Quò verò plus honoris Concilio haberetur, ad Metropolitanam dignitatem Chalcedonem evehi voluit: *Ad honorem Sanctæ Martyris Euphemiæ, & veſtra pariter Sanctitatis Chalcedonenſium civitatem, in qua ſancta fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis privilegia habere ſancimus, nomine tantum. Salva videlicet Nicomedienſium civitati propriâ dignitate.* Dignum Sanctâ Martyre Imperatoris judicium ut profeſſi ſunt Epiſcopi, rogant, ſubinde dimitterentur quiſque in Eccleſiam ſuam. At Imperator eos juſſit ad quatriduum manere, donec omnia perficerentur, & unuſquiſque, quod vellet, id proponeret coram Judicibus.

Conſenſus Maximi & Juvenalis de tribus Palæſtinis Hieroſolymitano ſubjiciendis firmatur.

XXXI. Ad octavum, qui ſeptimus vulgò dicitur, Synodi Conſeſſum tranſgrediamur, in quo feriâ VI. tres cauſæ ſunt agitatæ, quarum ſummam brevi Liberatus complexus eſt: *Septimo Secretario tres actæ ſunt cauſæ, propter quòd tres ejus computantur Actiones. Prima eſt, quâ firmata ſunt, quæ convenerunt inter Maximum Antiochenum, & Juvenalem Hieroſolymitanum Epiſcopum, ut duæ Phœnices, & Arabia dependerent Sedi Antiochenæ, Hieroſolymitanæ verò tres Palæſtinæ Provinciæ. Alia quoque celebrata eſt Actio, in qua Theodoritus Epiſcopus Cyri, quem Dioſcorus expulerat, Orthodoxus judicatus eſt, & dignus ſede ſua. Tertia verò Actio, ubi cauſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, qui ſimiliter fuit per violentiam Dioſcori ab Epiſcopatu depoſitus, legitur eſſe diſcuſſa, in alterum diem finali dilata ſententiâ.*

Liberat. cap. 13.

Ex his cauſis, licet uno eodemque die tractatis, tot exoriuntur Actiones, quas paulò quàm Liberatus fuſiore oratione complectemur. Octobris XXVI. feriâ ſextâ, primâ Actione moleſtiſſimæ Antiochenum inter & Hieroſolymitanum Epiſcopum controverſiæ dirimuntur. Pereitus ambitione *Juvenalis*, tres ſibi ſubjicere Palæſtinas attentaverat. Lite tamen ſuâ in Epheſino Concilio ceciderat. Diſertiſſima ſunt verba Leonis ad Maximum Antiochenum: *In Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Provinciæ Principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare.* Feſſi tot diſceptationibus litigantes, tandem ad concordiam adducti fuerant eâ conditione, quam Chalcedonenſibus Maximus exhibet: *Placuit mihi, & reverendiſſimo Epiſcopo Juvenali, ut ſedes quidem Antiochenſium maxima civitatis B. Petri habeat duas Phœnicias, & Arabiam; ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas.* Hanc ſuam conventionem ſuffragio Synodi corroborari cùm petiiſſent, id faciles impetravere.

Leo Ep. 61.

Theodorito ſua ſedes reſtituitur.

XXXII. Eâdem ipſâ die, ſed aliâ quidem Actione de Theodoriti negotio tractatur. Ab eo requirebatur, ut Neſtorium anathemate percuteret; illi verò in optatis erat, ut ſuæ fidei Confeſſio legeretur, quod conſtanter Patres rejecere: *Nil relegi volumus, modò anathematiſa Neſtorium.* Urgebat ille, poſcebat, flagitabat, ut de fide Patribus faceret ſatis. Dicebat ſe de civitate, de honoribus nullam cogitationem ſuſcepiſſe, ut Chalcedonem veniret. Eò ſe contuliſſe, ut impoſitam ſibi calumniam elueret; Orthodoxumque ſe præberet. Omnes Hæreticos, Neſtoriumque Eutychemque, & quemvis duos Filios dicentem ſe libenter damnare. Talia loquentem Synodus interpellat: *Dic apertè anathema Neſtorio, & illis, qui ea, quæ ejus ſunt, ſapiunt.* Ad hæc Theodoritus: *Ego niſi expoſuero quomodo credo, non dico, credo autem.* . . . Hic obturbant Epiſcopi, clamantes, *Iſte Hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt, Hæreticum foras mitte.* Tum ſine mora Theodoritus: *Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos Filios partitur unum Filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni ſubſcripſi, & Epiſtola ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archiepiſcopi Domini Leonis, & ſic ſapio. Salvete.* His auditis, Judices ſuggerunt, de Theodorito nullum dubitandi locum eſſe relictum. Neſtorium coram Synodo damnavit, à Leone ſuſceptus eſt, & Synodi definitioni, & Leonis ſubſcripſit Epiſtolæ. Reſtabat igitur aliud nihil, niſi ut Eccleſiam ſuam recuperaret. Judicum in ſententiam abſque mora à Concilio pedibus itum. Tum Judices promulgarunt: *Secundum Decretum ſancti Concilii, Theodoritus ſanctiſſimus Epiſcopus Eccleſiam civitatis Cyri recipiet.* Suam Theodorito reſtitutionem gratulatus eſt Leo, *Epiſtolâ datâ IV. Idus Junii, Opilione Conſule. Benedictus Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te ſecundum Sedis Apoſtolicæ judicia demonſtravit.* . . . *Nam quòd Deus omnium calumnioſorum fallacias ſolvit, maximam beatiſſimi Petri curam pro nobis cunctis agnoſcimus, qui poſtquam ſuæ Sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujuſquam veſtrûm, qui nobiſcum pro Catholica fide laboratis, perſonam quidquam reprobum videri permiſit.*

Leo Ep. 63.

Synodus negotium Ibæ ingreditur.

XXXIII. Actione decimâ, die VII. Kal. Novembris, Ibas Edeſſenus de facta ſibi ab Eutyche injuria expoſtulat. Pſeudo-Synodo Epheſinâ quadraginta manſionibus ille aberat, cùm in abſentem data eſt damnationis ſententia. Implorato igitur Concilii auxilio rogat, advertatur, quid ſit à Clericis nonnullis calumniæ paſſus? Quibus Eutychis in gratiam ab Uranio injuriis affectus? Quæ abſente ſe à Dioſcoro illegitimè ſunt perpetrata reſcindantur, Eccleſiaque ſua ſibi cum Epiſcopatu reddatur, à nefaria impietate, cujus accuſatur, alieniſſimo. Mandato Judicum ea proferuntur, quæ in Berytenſi, Tyrienſique Conventu ad annum CCCCLIX. acta ſunt, Præſide Damaſcio, quæ loco ſuo fuſè ſunt expoſita.

Ibas reſtituitur. Neſtorium damnat.

XXXIV. Poſtridie Octobris XXVII. feriâ ſeptimâ, Actione undecimâ ſuggerit Ibas, falſis ſe Eutychis accuſationibus petitum, ingreſſu

Synodi

Anno Dom. 451.

Synodi Pſeudo-Epheſinæ prohibitum, viginti amplius carceres mutaſſe, quaſi carcer non eſſet Antiochiæ. Poteſtatis eſſe Concilii, injuſtam ſententiam penitùs infringere. Ad hæc vociferantur omnes, *Maleſecerunt, qui eum præter Canones dudum damnaverunt.* Quin etiam *Patricius* Tyanenſis Epiſcopus, nec non Orientales reddendum Ibæ Epiſcopatum cenſebant, cùm à nonnullis eſt interceſſum. Foris aderant accuſatores, qui intromitti cupiebant. Theophilo Diacono, Euphraſio, Abrahamio & Antiocho introductis, dixit Theophilus, teſtes accuſationibus quidem non adeſſe, præſtò tamen monumenta eſſe geſtorum & in Berytenſi, & in Chalcedonenſi Conventu; intereſſe quoque præſentes Thalaſſium Cæſareæ, Euſebium Ancyræ Epiſcopum. Obſecrante Theophilo, *Conſtantinus* Magiſtrianus juſſus à Judicibus, Tyrienſium, Berytenſiumque de Iba geſtorum lectionem ingreditur; quâ abſolutâ Judices talia fantur: *Ea quidem, quæ relicta ſunt, clarent: ut autem nihil deſit juſtè judicare debentibus, relegantur, quæ in Epheſo de Iba geſta ſunt.* Obſtitere verò Leonis Legati omnes, Paſchaſini ore teſtati, ſuperfluam eſſe lectionem Actorum nefandæ Synodi: adeundum eſſe Principem, ut lege prohibeat, ne vel Concilium ejuſmodi nominetur. Addit Anatolius, reſciſſa eſſe Pſeudo-Synodi Decreta, exceptâ Maximi Antiocheni ordinatione, cui Leo conſenſit. Subjunxit *Cecropius* Sebaſtopolitanus: *Illud Concilium dicere non debemus, quia nec Apoſtolicâ autoritate coactum eſt, nec ritè peractum.* Rejectâ Conciliabuli Epheſini lectione, Ibæ negotium à Synodo perficitur. Ac primùm Legatorum Leonis judicio innocens pronunciatur: *Relectis chartis, agnovimus ex ſententia reverendiſſimorum Epiſcoporum, Ibam reverendiſſimum innoxium approbari. Relictâ enim ejus Epiſtolâ, agnovimus eum eſſe Orthodoxum: & ob hoc decernimus ei honorem Epiſcopatus reſtituendum.* In eam & ſententiam eſt ab omnibus itum, câ lege tamen, ut in Neſtorium, Eutychemque torqueret anathema. Quod adeò lubenter ab Iba factum, ut dixerit, Anathematizo Neſtorium decies millies. *Anathema & Neſtorio, & Eutychi, & unam dicenti naturam.* Synodi Decreto calculum Judices ſuum addidere. Reſtabat adhùc una de *Nonno* difficultas, qui ejecto Ibâ ſacris Edeſſenis præfectus fuerat. Viſum Patribus, ut negotium Maximo Antiocheno permitteretur, cujus ad Diœceſim pertinebat: ut cum ſuis Comprovincialibus de Nonni ordinatione, legitima necne foret, conſtitueretur. Additur huic Actioni de Domno Maximi deceſſore negotium, ut abdicato etiamnum ſuperſtiti de propriis reditibus Maximus alimenta ſuppeditaret. Subleſtæ tamen eſſe fidei hoc monumenti, utut vetuſtate conditi, cum eruditis nonnullis exiſtimamus. Quantum conjecturâ poſſumus aſſequi, Domnus naturæ prius ſatisfecerat, quàm Synodus Chalcedoni celebraretur.

Baſſiani Stephanique judicium: expelluntur Epheſino Epiſcopatu.

Liberat. c. 13.

XXXV. Venimus nunc ad duodecimam Actionem, quarto Cal. Novembris ſecundæ feriæ cohærentem. Negotio Baſſiano Stephanique ex deſtinatur, cujus ſummam ex Liberato proferri haud inutile: *Nono Secretario alia eſt Actio, ubi Baſſianus, qui ad civitatem Evazentium Epiſcopus ordinatus eſt, & Eccleſia incubuerat Epheſina, & Stephanus, qui & ipſe malè ordinatus, prædictum Baſſianum de Epheſo expulerat, judicati ſunt ambo removendi, & ut alius ipſi Eccleſia ordinaretur. Sed quia fuit aliquorum diverſa ſententia, cauſa terminus in ſequentem dilatus eſt Actionem.* Baſſiani hiſtoriam fuſè ſatis anno CCCCXLVII. ſcripſimus, quid in eo ſit negotio à Chalcedonenſibus decretum, nunc caponamus. Comitatus Caſſiano Presbytero ſuo Baſſianus in Concilium intromiſſus, ſacras Imperatoris literas legendas offert Beroniciano, quæ cùm breves ſint, expedit noſtros in Annales referri: *Imperatores Cæſares Valentinianus & Marcianus, Victores & Triumphatores maximi, ſemper colendi Auguſti, ſancto Concilio, quod ſacro noſtro Decreto Calcedone collectum eſt. Baſſianus reverendiſſimus, multa incongrua paſſus, quæ precibus ejus, in noſtris divinis Literis ſubdita continentur, petit à veſtra Sanctitate hæc diſcuti. Feſtinet igitur veſtra reverentia, has noſtras ſuſcipiens literas, cauſam diſcutere, & formam, quæ vobis fuerit viſa, proferre.* Lectus eſt & Libellus ſupplex Baſſiani, de illata ſibi injuriâ capoſtulantis, & gravia, quæ à Stephano paſſus erat, caponentis. Cauſæ ſuæ ſummam Stephanus in eo collocabat, quòd Baſſianus à Memnone Epiſcopus Evazotum creatus, adminiſtrandæ Eccleſiæ ſuæ, non præſentiam, non laborem contulerat. Erat verò Canonibus definitum, Epiſcopum, qui abſque perfecta Synodo vacantem Sedem occupaſſet, ab ea expellendum. Cui Canoni alius ſubjiciebatur, numero XVII. Epiſcopum, qui ad Eccleſiam ſibi creditam non proficiſcitur, donec acquieverit, excommunicandum eſſe. Itaque jactanti Baſſiano, ſe quadriennio pacatè Epheſinum Epiſcopatum obtinuiſſe, regeſſit Stephanus, *ut tyrannum, non ut Epiſcopum.* Deliberatione factâ, clamant Epiſcopi: *Juſtitia Baſſianum vocat, regula valeant.* Judicibus aliter viſum, ſcilicet neque Baſſianum dignum Epiſcopatu Epheſino, *quoniam ex invaſione violenta Epiſcopatum ſibimet vindicavit, neque Stephanum, qui per conjunctiones Epiſcopatum ſibimet acquiſivit. Juſtum eſſe, ut eligatur alter, qui & fidem integrè ſciat, & vitâ noſcatur ornatus.* Acclamationibus ſuis Judicum in ſententiam Concilium deſcendit. Huic Decreto Aſiani Præſules interloquentes, proſtrati ſupplicesque orant, ut ſuorum filiorum Synodus miſereretur: ſi Chalcedone Baſſiano ſucceſſorem dari contingat, de Epheſina civitate eſſe actum funditùs. Aſianorum expoſtulatio hæc Judices permovet ad quærendum, ubinam locorum Canones mandabant Epiſcopum Epheſinum ordinari? Aſiani contendebant, in Epheſina civitate conſecrationem eſſe peragendam. Ac à Timotheo ad uſque diem præſentem viginti ſeptem Epiſcopos in urbe Epheſina creatos. Conſtantinopolitani verò Clerici, Philippus Presbyter, Ætiuſque Diaconus reponebant, *Caſinum* Chalcedone eſſe ordinatum: Heraclidem *cum voluntate Archiepiſcopi* Conſtantinopolitani inauguratum, Baſilum à Proclo conſecratum: petere ſe igitur, ne conceſſa à CL. Patribus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegia perirent, ordinatioque de more à ſuo Archiepiſcopo perficiatur. Ea quæſtio digna Judicibus viſa eſt, quæ in deliberationem poſtridie adduceretur.

Judicium de Stephano Baſſianoque firmatur.

XXXVI. Actione igitur XII. Octobris trigeſimo, feriâ tertiâ, Baſſiani negotio ad examen revocato, Judices teſtati, ſe diu à Reipublicæ curis abduci non poſſe, quærunt à Synodo, deliberaveritne de Epheſina Eccleſia, utrùm alius ei Epiſcopus imponi, an verò ſuum Baſſianus,

aut Stephanus Epiſcopatum recuperare debeat? Patrum omnium ſententia conſtituit, ejectis Baſſiano, & Stephano, præter Canones ſibi Epiſcopatum aſſerentibus, alium Epiſcopum ordinandum eſſe. Dignitate tamen Præſulis ſervatâ, ex facultatibus Eccleſiæ ipſis alimenta eſſe præbenda. Judices auditis Patrum ſuffragiis edicunt, Ex reditibus Epheſinæ Eccleſiæ *nutrimenti gratiâ & conſolationis annis ſingulis ſolidos ducentenos accipiant:* novique Epiſcopi ad ordinationem procedatur. Quæ verò Baſſiano ablata fuerant, ei reſtitui jubentur. Hic Evagrius fœdè corruptus, tradit Baſſiani in locum Stephanum eſſe ſubſtitutum: Ἐξωσχῆναι αὐτὸν, καὶ Στέφανον ἀντεισαχθῆναι. Locum verò optimè reſtituit doctiſſimus ille Valeſius, Ἐξωσθῆναι αὐτὸν καὶ Στέφανον, ἕτερον δὲ ἀντεισαχθῆναι: *Statutum eſt, ut tam ille, quàm Stephanus deponerentur, & alius in eorum locum ſubſtitueretur.*

Evagr. l. 2. c. 18.

Eunomii Nicomedienſis, & Anaſtaſii Nicæni diſſidium. Metropolitani poteſtas Eunomio ſervata.

XXXVII. Eàdem ipſâ die Actio XIII. celebratur, cui *Eunomius* Nicomedienſis materiam præbuit. Obtulerat Imperatori Libellum, ut Nicomediæ privilegia Metropolitana ſarta tectaque remanerent. Eunomii quippe in jura Anaſtaſius Nicænus illa invaſerat, titulo Metropolitani gaudens, quam huic civitati Valentinianus, & Valens indiderant, Reſcripto ſuo Nicænis miſſo: *Permaneat in perpetuum veſtra iſta conſuetudo, ut civitas veſtra ſit Metropolitana, conſuetudine tamen in proceſſu Bithyniæ Judicis permanente. Nullus enim aufert aliquid alterum. Ergo voluntate Dei veſtræ civitatis dignitas augeatur.* Sed & à Juliano Imperatore privilegii aliquid obtinuerat Baſilinopolis, à *Baſiliano* Juliani matre nomen ſuum adepta: *Imperator quidem Julianus* (verba ſunt Anaſtaſii) *fecit eam civitatem, & ſumens ex Nicæa Curiales, ibi conſtituit, & conſuetudo ex tunc hactenùs obſervatur. Et ſi fortè defuerit in Baſilinopoli Curialis, de Nicæa mittitur.* Itaque ſemel iterumque ea in civitate ordinationes Nicænus peregerat. Nitebatur & Chryſoſtomi literis ad Proclum Nicænum datis, quibus monebatur, Baſilinopolim profectus, *emendaret Eccleſiam, tanquam ſibimet competentem.* Cùm ſuæ ditionis eſſe Baſilinopolim contenderet Anaſtaſius, Clericos Baſilinopolitanos excommunicationis pœnâ mulctaverat. Hinc illæ lachrymæ, quòd ex antiquo more ſubditam ſuæ poteſtati Baſilinopolim haberet Eunomius. Neque damno ſibi eſſe referebat, vel quòd ſurreptione quâdam fortè contigerit, unum aut alterum Epiſcopum à Nicæno Eccleſiæ Baſilinopolitanæ eſſe impoſitum: vel quòd Antiſtite tum viduata erat Nicomedia. Quæ nec Nicomedienſis quidem minuere, nec Nicæna augere jura ullâ ratione poterant. Dirimendæ liti jubentibus Judicibus Nicænus Canon, qui numero quartus eſt, recitatur à Beroniciano, quo ordinandi facultas in ſingulis Provinciis Metropolitano aſſerebatur. At ſibi Canonem contrarium non eſſe, ajebat Anaſtaſius, utpote ad Metropolitani dignitatem evectus, Valentiniani Valentiſque Reſcripto, cujus & lectio à Conſtantino Magiſtriano peragitur. Cui Conſtitutioni aliam eorumdem Principum opponit Eunomius, quam Beroniciano legendam præbuit. Epiſtola fuit Nicomedienſibus miſſa: *Circa privilegia civitatis veſtræ, quæ olim fuerunt, priſca conſuetudo ſervabitur. Neque enim honoris adjectio Nicænorum civitatis jus veſtrum lædere poterit, dum quando augeatur dignitas Nicomedienſium civitatis, ſecundum quòd illa ſecundo loco exiſtat, Metropolis nomine conſtituta.* Secundum tabulas Nicomedienſis Præſulis judicium datur, ut ad ipſum Provinciæ ſuæ Epiſcoporum ordinationes pertinerent.

Athanaſii & Sabiniani cauſa.

XXXVIII. Ultimo die Octobris, feriâ IV. *Sabinianus* Perrenorum in Euphrateſia Epiſcopus ab Epheſinis latronibus Sede ſuâ anno CCCCXLIX. pulſus, quem Marciano obtulerat Libellum, Concilio exhibuit, qui à *Conſtantino* legitur. Eo exponebatur, Marcianum Numinis favore Imperium terrarum adeptum eſſe, ut obſcuratam ab impiis fidem nitori reſtitueret ſuo, ſeditioneſque ubique locorum in Eccleſiis excitatas comprimeret. Rogare ſe igitur, cauſam ſuam examine ſubjici præciperet. Monachum ſe, & de Epiſcopatu nil cogitantem, à Provinciæ ſuæ Metropolitano creatum Antiſtitem in locum Athanaſii, gravibus de cauſis ejecti, Perrenenſi Eccleſiæ fuiſſe impoſitum: eâ tamen à Dioſcoro Alexandrino nullo jure eſſe expulſum poſtmodum. Pro ſua igitur innocentia ſupplicare ſe ſacræ Majeſtati, ut eâ præſente id negotii ad diſquiſitionem vocaretur. Alium & Sabiniani Libellum Concilio datum, Beronicianus legit, referentem injurias, quibus Dioſcori tyrannis, expoſtulantem affecerat, ſe Eccleſiæ lachrymis illatam Epiſcopo ſuo vim lugentis madentem, fluctibuſque dolorum oppreſſum ad Synodi autoritatem, quaſi ad tranquilliſſimum portum confugere, ut reſciſſo iniqui judicii Decreto, Epiſcopatui redderetur. Quid ad hæc reſponderet Athanaſius, à Judicibus interrogatus, dixit dudum eſſe, quòd ea cauſa agitaretur, Cyrillo, Procloque olim innotuiſſe, quid perſecutionis in ſe motum eſſet: ea de re Domno Antiocheno literas direxiſſe: qui ſpretis tantorum Epiſcoporum monitis, ſe vocatum ad Synodum ſede ſuâ deturbarat. Lectis & Cyrilli, & Procli Epiſtolis, nec non Antiocheni Concilii Decreto, de quibus anno CCCCXLVI. mentionem egimus. Quærunt ab Athanaſio Judices, cur ter ab Antiocheno Concilio vocatus non obtemperaſſet, id unum reſpondit, Domnum Synodi Præſidem ſibi inimicum fuiſſe. Quibus auditis, Judicibus viſum, legitimam Sabiniani ordinationem eſſe, neque detrimento illi eſſe debere, quòd nec vocatus, nec auditus à Dioſcoro exauctoratus eſſet. Itaque quieſcendum Athanaſio: intentatam verò ei litem *intra octo menſes à præſente die numerandos*, à Maximi Antiocheni Concilio diſcutiendam eſſe, eâ conditione, ut ſi Athanaſius impoſitorum ſibi criminum reus deprehenderetur, non à Sacerdotio duntaxat ejiceretur, ſed publicis quoque legibus ſubjiceretur. Quòd ſi intra tempus conſtitutum coargui non poſſet, Sedi ſuæ à Maximo reſtitueretur: Sabinianus verò dignitatem Epiſcopalem retinens, Perrenorum Eccleſiæ ſumptibus aleretur. Judicum conſilio lubens aſſenſum Synodus præbuit: *Nihil juſtius, nihil integrius: hæc juſta ſententia. Quæ diſpoſita ſunt, effectui mancipentur, quia cum Deo vos judicatis.* Tum Judices verbis ejuſmodi Actionem abſolvunt: *Ea, quæ à nobis approbata ſunt, diſpoſita verò à ſancto Concilio, firma conſiſtant.*

Ætius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegia cuſtodiri petit.

XXXIX. Actionem Synodi decimam quintam ingredimur, in qua ultimo Octobr. Canones ſunt conſtituti. Egreſſis Judicibus, quorum conſtituendis Canonibus præſentia non requirebatur, eò minus, quòd ex iis, quæ jam aut placuerant, aut propoſita fuerant, deſumebantur,

Ætius

Anno Dom. 451.

Ætius Archidiaconus talia fatur: *Conſitendum eſt, quia formam ea, qua de fide ſunt coagruam ſuſceperunt. Conſuetudo autem eſt in Synodis, poſtquam ea, qua ſunt omnium pracipua, fuerint definita, & alia quadam neceſſaria exerceri atque formari. Habuimus, hoc eſt, Conſtantinopolitana ſanctiſſima Eccleſia certa quadam, qua agere deberemus. Rogavimus Dominos Epiſcopos de Roma, ut communicarent iis geſtis: recuſaverunt, dicentes, non, ſed alia ſe ſuſcepiſſe mandata.* Quid rei in animis Conſtantinopolitani Clerici agitarent, Leonis Legatos non latebat. Baſſiani & Stephani in negotio Conſtantinopolitani Clerici Actione XI. clamaverant. Ea, quæ Sanctorum Patrum CL. ſunt, teneant, privilegia Conſtantinopolis ne depereant. Sed & Actione XIII. hæc conſtituerant Judices: *Quacunque Sedi Conſtantinopolitana ſanctiſſima Eccleſia de ordinationibus Provincia competunt, hac per ordinem proprium coram ſancto Concilio examinabuntur.* Pro ſua itaque prudentia Paſchaſinus Lucentiuſque facillimè Ætii mentem intelligebant, manibuſque pedibuſque conantis, ut ad ampliores dignitatis gradus ſua Eccleſia veheretur. Noluerunt igitur præſentiam huic Actioni ſuam conferri. Quo loco verba Liberati ſunt etiam atque

Liberat. c. 13.

etiam in obſervatione ponenda: *Et aliâ* (Actione) *in qua poſt diſceſſum Judicum, & Senatorum, & Legatorum Apoſtolica Sedis regula conſtituta ſunt Eccleſiaſtica, & quadam privilegia deputata Conſtantinopolitana Eccleſia, uſurpante ſibi hoc Anatolio, ejuſdem urbis Epiſcopo, occaſione acceptâ ex Dioſcori damnatione.* Quibus palam apertèque

Error Baronii.

Baronius erroris inſimulatur, qui Chalcedonenſes Canones *clanculò ſcriptos* eſſe prodit. Sci-

Bar. An. 451. n. 134.

licet ea clanculò geſta ſunt, quæ à ſexcentis penè Epiſcopis ſunt conſtituta! *Clandeſtinè & doloſè* tractata ſunt, quæ abſentibus ſolis tribus Leonis Legatis à Conventu omnium Synodorum florentiſſimo, & numeroſiſſimo decreta ſunt.

Canones Chalcedonenſes.

XL. Referamus nunc Canones, qui à Latinis editionibus octo & viginti duntaxat, à Græcis verò triginta numerantur. Primus anteriorum Synodorum Canones ſtatuit. II. Epiſcopus, qui acceptâ pecuniâ Epiſcopum, Chorepiſcopum, vel Clericum ordinarit, vel Oeconomum promoverit, gradu moveatur: eidem pœnæ ordinatus ſubjicitur. III. Clericis prohibet Monachiſque, vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſeſe ingerere. Qui fecerit, ei pœnæ Eccleſiaſticæ irrogantur. IV. Qui verè vitam monaſticam colunt, honore afficiantur. Nullus abſque voluntate Epiſcopi Monaſterium extruat, aut ſacellum. V. Clerici, qui de civitate in civitatem migrant, Canonibus pœnas ſolvant. VI. Nullus abſolutè ordinetur, ſecus invalida erit ordinatio. VII. Nullus ſive Clericus, ſive Monachus ad dignitatem, ſive politicam, ſive militarem veniat. VIII. Clerici Ptochotrophiorum & Monaſteriorum, Epiſcoporum ſub poteſtate permaneant. IX. Clericus, qui cum Clerico negotium habet, relicto Epiſcopali judicio, ad ſeculare non excurrat, ſecus pœnis Eccleſiaſticis obnoxius eſto. Clericus litem habens cum Metropolitano, vel Diœceſis Exarchum adeat, vel Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum. X. Clericus eodem tempore in duarum Eccleſiarum Catalogum non referatur, qui hoc faciunt, illi Eccleſiæ reſtituantur, in qua ab initio fuerant ordinati. Qui ad majorem Eccleſiam tranſlati ſunt, nihil in prioris Eccleſiæ rebus communicent: ſecus gradu ſuo excident. XI. Pauperibus literæ duntaxat pacificæ præbeantur, non commendatitiæ, quæ ſolis ſuſpectis dantur. XII. Ne per ſacra Reſcripta duo eadem in Provincia Metropolitani creentur, quæ per literas Imperatoris civitates Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur. XIII. Clerici in aliena civitate ſine proprii Epiſcopi literis nullo modo miniſtrent. XIV. Non licet cum Hæreticis aut Judæis matrimonio conjungi, liberi ex eo ſuſcepti in Eccleſia Catholica baptizentur & inſtituantur. XV. Diaconiſſa ante annum XL. non ordinetur: quæ poſt ordinationem matrimonio ſe tradiderit, unà cum illo, qui ei conjunctus eſt, anathematizetur. XVI. Deo dicata Virgo, nec Monachus nubant. XVII. Parrochiæ eorum ſint Epiſcoporum, qui triginta annis eas ſine vi adminiſtrarunt: quòd ſi intra id temporis fuerit de iis controverſia, lis apud Synodum Provinciæ moveatur. Si quis verò injuriâ afficiatur à Metropolitano, apud Exarchum Diœceſis, vel Conſtantinopolitanam Sedem litiget. Si Civitas Imperatoria autoritate innovata eſt, civiles formas, Eccleſiaſticarum quoque parrochiarum ordo conſequatur. XVIII. Clerici, Monachive, qui ſeditiones adverſus Epiſcopos conſtant, gradu excidant. XIX. Bis in Provinciis quotannis fiat. XX. Qui alium Clericum ut ſuum ſuſcipit, à communione ejiciatur. XXI. Eorum, qui accuſant Clericos, accuſatio non admittatur, niſi eorum exiſtimatio prius examinata ſit. XXII. Clericis non liceat defuncti res rapere, ſecus de proprio gradu in periculum venient. XXIII. Clerici Monachique, qui abſque ſui Epiſcopi mandato in regiam urbem ſe conferunt, à defenſore Eccleſiæ moneantur, ut ad propria loca redeant; ſi impudenter remaneant, ab eo pellantur. XXIV. Monaſteria non fiant ſecularia domicilia: qui id fieri permittunt, Canonicis pœnis ſubjiciantur. XXV. Epiſcoporum ordinationes intra tres menſes peragantur: viduæ verò Eccleſiæ reditus ab Oeconomo intereà cuſtodiatur. XXVI. Epiſcopalis Eccleſia quælibet ex proprio Clero Oeconomum habeat. XXVII. Qui nomine conjugii mulieres rapiunt, vel raptoribus auxilium præbent; ſi Clerici gradu, excidant; ſi Laici, excommunicentur. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eadem privilegia atque Romanæ vindicantur. XXIX. Epiſcopus in Presbyteri gradum non deducatur, utpote qui juſtè remotus, ne Presbyteri quidem loco dignus ſit. XXX. Ægyptiaci Epiſcopi in regia urbe remaneant, donec ordinatus fuerit Archiepiſcopus Alexandrinus. Cæterùm, non eſt hîc prætereundum, Dionyſium Exiguum ſeptem & viginti duntaxat Canones Latinitate donaſſe, quem & numerum Theodorus Lector exhibet: *Expoſiti ſunt Canones* XXVII. Octavum vigeſimum quidem expunxiſſe Græci videntur, ut Latinis pergratum facerent. Duos verò ſequentes Canones quod attinet, probabile eſt, non à Patribus in Seſſione XV. conditos eſſe, ſed ex aliis Synodi Actionibus hauſtos, additos fuiſſe poſtmodum. Quæ

Num excepto Canone XXVIII. Leo Chalcedonenſia Decreta probaverit.

cauſa eſt, cur & Dionyſio Exiguo & Theodoro ignorentur.

XLI. Inter eruditos controverſia eſt, Chalcedonenſium ſcita hæc fuerintne Leonis conſenſu firmata? Ea de quæſtione ſic cenſet Baronius:

Bar. An. 451. n. 134.

Leo Ep. 61.

nius: *Nihil præter fidei definitionem eſſe firmatum*, *Leo poſteà teſtatus eſt in Epiſtola data ad Epiſcopos Synodi Chalcedonenſis.* Eadem Bellarmino ſententia fuit, l. 2. de Rom. Pont. c. 22. Nituntur vero Leonis ad Epiſcopos Chalcedonenſes verbis, quæ primâ ſpecie veriſimilitudinis aliquid huic opinioni conciliant: *Fraterna univerſitas, & omnium Fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium propriam vobiſcum juniſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa, quod ſæpe dicendum eſt, propter quam generale Concilium ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari.* Nos vero perſuaſiſſimum habemus, Canones Chalcedonenſium omnes, vigeſimo octavo duntaxat excepto, Leonis aſſenſum impetraſſe. Quod vel ex laudata Leoni Epiſtola apparet & promptum eſt. Primùm enim id unum Leonem urebat, quòd *jura Eccleſiarum, ſicut ab illis 318. Patribus divinitus inſpirata fuerant*, à Chalcedonenſibus violata putaret. Quæcunque igitur cum Nicænis Decretis non pugnabant, ea Leo facilis admiſit, nec cauſam habuit ullam, cur rejiceret. Deinde ſic Epiſcopos alloquitur: *Quantumlibet extortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Canonibus diſcreparit.* Firmos igitur ratoſque Chalcedonenſium Canones habuit, qui adjunctam Nicænis concordiam ſervabant. Hoc ipſum docet Epiſtola ad Maximum Antiochenum de Nicænis Decretis: *Quod ab illorum regulis conſtitutioneque diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam obtinebit conſenſum.* Illis ergo Canonibus aſſenſum præbuit, qui Nicænis concordes, aut minimè repugnantes reperiebantur. Quibus accedat, quòd ſi ſolum Chalcedonenſium de fide Decretum à Leone probatum fingamus, fatendum eſt, neque aſſenſum præbuiſſe cæteris Synodi geſtis; non Ibæ abſolutioni, non Theodoriti in integrum reſtitutioni, cui tamen gratulatus eſt Epiſtolâ ſexageſimâ tertiâ. Leonis in mentem optimè penetravit Facundus, quam explicatione ſuâ ſic aperuit: *Ita etiam beatiſſimus Leo ſcribens, non ſententiam ſuper Epiſtolam Ibæ prolatam, neque Epiſcopatum prædicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonenſi de quibuſdam perſonis decreta ſunt: neque Canones ſalubriter illic à ſanctis Patribus conſtitutos attendit, cùm diceret, ut ſanctam Synodum ad extinguendam ſolam hæreſim, & ad confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & his ſimilia; ſed ſuperbam potius elationem Conſtantinopolitani Epiſcopi, ſicut ipſa verba ejus indicant. Nam nec aliud invenitur in eiſdem ſuis Epiſtolis arguiſſe.* Egregiâ ratione Facundus hanc ſuam explicationem ſtatuit: *Sic nobis intelligenda ſunt verba Romani Leonis . . . ſi nolumus omnes Canones utiliter à ſanctis Patribus in eadem Synodo conſtitutos, & cætera, quæ in ſpecialibus quorumcunque cauſis ibi firmata ſunt, in majorem, quàm nunc patimur, conturbationem Eccleſiæ commovere.* Quæ igitur à Chalcedonenſibus de fide concepta erant, Leo conceptis verbis quidem, Canones verò, excepto octavo & vigeſimo, tacito conſenſu ſilentioque corroboravit.

Leo Ep. 62.

Fac. l. 5. c. 4. p. 42.

Canoni XXVIII. fruſtra intercesſere Legati Leonis, quibus invitis obtinuit.

XLII. Canon XXVIII. de quo immenſæ exoriuntur quæſtiones, oculis eſt ſubjiciendus: *Sanctorum Patrum Decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de privilegiis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Novæ Romæ. Etenim Antiquæ Romæ throno, quòd illa urbs imperaret jure, Patres privilegia tribuere. Et eâdem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo Novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuere: rectè judicantes, urbem, quæ & imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis non ſecus ac illam extolli & magni fieri, ſecundam poſt illam exiſtentem: ut & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, præterea Epiſcopi prædictarum Diœceſeon, quæ ſunt inter Barbaros, à prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: unoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Provinciæ Epiſcopis, Provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum divinis Canonibus eſt traditum. Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, convenientibus de more factis electionibus ad illum relatis.* Actione XVI. non quinto Calendis Novembris, ut perperàm in vulgatis editionibus legitur, ſed *prima Novembris*, feriâ v. Paſchaſinus & Lucentius Judices ita compellant: *Heſternâ die, poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſecuta eſt, quædam geſta facta dicuntur, quæ nos, & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta. Poſcimus ergo, ut veſtra magnificentia relegi hæc præcipiat, ut omnis fraternitas inſpiciat, utrum juſta, an injuſta ſint ea, quæ geſta ſunt.* Jubentibus Judicibus Beronicianus laudati Canonis lectionem peregit. Quâ factâ, Lucentius queritur, Epiſcopos ad ſcribendum eſſe coactos. Ad hæc Synodus clamat, *Nemo coactus eſt.* Aliâ ratione huic Canoni Paſchaſinus concurſum voluit: *Accedit ad cumulum, quòd trecentorum decem & octo Conſtitutionibus poſtpoſitis centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcuntur, quæ dicunt, ante octoginta penè annos conſtituta fuiſſe. Si nunquam uſi ſunt, quare requirunt?* Prolatum eſt & à Bonifacio Presbytero mandatum Leonis, quod exhiberi Judices poſtulaverant: *Sanctorum quoque Patrum Conſtitutionem nullâ patiamini temeritate violari. . . Ac ſi qui fortè civitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc, quâ dignum eſt conſtantiâ, retundatis.* Propoſitis ex utraque parte Canonibus, Paſchaſinus ex Codice ſuo Nicænorum Canonem VI. his verbis profert: *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Quæ tamen videntur Paſchaſini potius eſſe quæſtionem ponentis, quàm Codicis, quo utebatur. Conſtantinus quoque ex Codice ab Ætio ſibi miniſtrato eundem Canonem legat abſque Primatus Eccleſiæ Rom. mentione ulla. Conſtantinopolitanæ Synodi Decretum & attulerunt, quod regiæ urbis privilegia amplificabat. Tum à Ponti Aſiæque Antiſtitibus Judices requirunt, libenterne, vel impoſitâ ſibi neceſſitate ſubſcripſiſſent. Qui uno ore reſponderunt, nil coactionis interveniſſe, quâ ad ſubſcribendum inviti impellerentur. Imò teſtatus eſt Petrus Gangrorum Epiſcopus, ſe quartum eſſe, qui à Conſtantinopolitanis Antiſtitibus ordinatus erat: *Ante me tres ſunt ordinati à Sede regia civitatis, & ego poſt tan-*

tos

Chalc. c. 28.

Anno Dom. 451.

tos ſimiliter. Quæ tamen non ſatis erant vero conſentanea. Euſebius enim Ancyranus Petri deceſſores ab Ancyranis Epiſcopis conſecratos eſſe demonſtravit. Privilegii tamen ordinandi ſecurus, cæteris aſſenſus eſt. Nullo non numero eſt Euſebii Dorylenſis teſtimonium: *Sponte ſubſcripſi, quoniam & hanc regulam ſanctiſſimo Papæ in urbe Roma ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepit.* Ut extra dubium ſit, Conſtantinopolitanum Canonem ne vel Eccleſiæ Rom. incognitum fuiſſe. In metu quidem Leo verſabatur, ne Conſtantinopolitanæ Sedis honores augerentur, ut ex laudatis ipſius verbis exploratum eſt. Agnitâ conſpiratione Ponti Aſiæque Præſulum, atque conſenſu, ut Metropolitani à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo ordinarentur, Judices perſpicuè Synodo proponunt, placeretne rata hæc eſſe. Extemplò acclamatum, *Hæc juſta ſententia, hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent, hoc juſtum Decretum. Quæ conſtituta ſunt, valeant.* Hîc à Lucentio, Leonis Legato eſt interceſſum, dicente, Sedem Apoſtolicam præſentibus Vicariis ejus non eſſe proculcandam: quæ heſternâ die abſentibus contra Canones acta fuerant, irrita eſſe debere: ſin minus, interceſſionem hanc ſuam Actis eſſe inſerendam, ut ad Leonem referant, *& ipſe de ſua Sedis injuria, aut de Canonum everſione poſſit ferre ſententiam.* Nullius tamen momenti hæc interceſſio fuit; neque à ſua ſententia Patres dimoveri potuere. Itaque pronunciatum à Judicibus, *Quod interlocuti ſumus, tota Synodus approbavit.* Decretum Synodi executioni mandatum, fruſtra tumultuante, fugienteque Leone. Qua de re notabilia ſunt verba Liberati: Legatis *requirentibus à Concilio, quid pridie fuerit ordinatum, lectis geſtis, cognoverunt, quid Anatolius conſentiente Concilio egerat, & obtinuerat. Quibus ejus præſumptioni contradicentibus, à Judicibus & Epiſcopis omnibus illa contradictio ſuſcepta non eſt. Et licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

Liberat. c. 13.

En Canone aſcenſum eſt in Capitolium, & niſi ſtrepant anſeres, actum de re Romana. Vertit ſe in omnes partes Baronius, ut Canonem evertat. Conſtantinopolitanum Decretum falſi inſimulat: *Negat prærogativam Sedium ex dignitate civitatum eſſe ſancitam.* Stricto tamen gladio verberas umbras. Patrum CL. Conſtantinopolitanorum Canonem genuinum eſſe, ſuo eſt loco demonſtratum. Illius ſanè meminere, & Socrates l. v. c. 8. & Sozomenus, l. VII. c. 9. Neque argutiolis efficient ſuis Aulici Curiæ Romanæ, quin id opinionis Chalcedonenſium in animis inſederit, quòd dignitas Sedis Romanæ ex urbis majeſtate ortum habuerit. Eccleſiæ ergo Catholicæ, quam Synodus Chalcedonenſis repræſentabat, ſententia hæc fuit, Epiſcopi Romani ſplendorem ex dignitate Veteris Romæ manaſſe, quæ cauſa fuit, cur & Novæ Romæ eadem privilegia contribuerit. Ac licet Leo, Gelaſiuſque Decreto pugnarint, à poſterioribus ſaltem Pontificibus ei conſenſum eſt, teſte Innocentii tertii in Concilio Lateranenſi Conſtitutione, ut inde conſtet, Leonem non aliorum jura, quod fingebat, tueri, ſed ambitioni ſuæ metuere.

Bar. An. 351. n. 141.

Synodus Leoni ſcribit. Marcianum alloquitur.

XLIII. Decretorum geſtorumque ſuorum Leonem Synodus participem eſſe voluit, ſcriptâ ad eum Epiſtolâ, cui titulus ille præfigitur: *Sancta & magna & univerſalis Synodus, quæ per Dei gratiam, & Sanctionem piiſſimorum, & amatorum Chriſti Imperatorum noſtrorum collecta eſt in Chalcedonenſium Metropoli, Provinciæ Bithyniæ, ſanctiſſimo & beatiſſimo Romanorum Archiepiſcopo Leoni. Repletum eſt gaudio os noſtrum.* Narrant verò, quibus de cauſis Dioſcorum Epiſcopatu ejecerint. Exinde ſubjungunt, quænam de diſciplina ſanxierint, pro Eccleſiarum quiete, quæ ipſi quidem pergrata fore, compertum habent: *Eam namque conſuetudinem, quæ ex longo jam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum tam Aſianæ, quàm Ponticæ, vel Thraciæ, & nunc Synodali Decreto, non tantùm firmavimus, ſed aliquid Conſtantinopolitanæ præſtantes, quantum Metropolitanis urbibus ad quietem congruere viſum eſt, eò quòd frequenter Epiſcopis vitam finientibus multa turba naſcuntur, abſque Rectore Clericis & populis remanentibus. . . . Confirmavimus autem & CL. ſanctorum Patrum, qui in Conſtantinopoli congregati ſunt, regulam ſub pia memoria majore Theodoſio, quæ præcipit, poſt veſtram ſanctiſſimam Sedem honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ ſecunda eſt ordinata. . . . Rogamus igitur & tuis Decretis, noſtrum honorari judicium; & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis quod decet, adimpleat.* Marcianum quoque Patres allocuti, quid in ſuo Conventu geſtum fuiſſe memorant. Ac laudatâ ipſius pietate, quæ imperii ſui initia erroribus debellatis decoravit, quid de ſancto Incarnationis myſterio credendum exponunt, hinc Neſtorium vexantes, qui Virgini *Deiparæ* titulum invidebat, illinc Eutychem damnantes, qui impietate armatus, doloribus nulli mutationi obnoxiam Divinitatem, & affectibus ſubjiciebat. Hanc verò ſuam fidei profeſſionem Athanaſii, Baſilii, Nazianzeni, Ambroſii, &c. teſtimoniis vallant ad demonſtrandum, Chriſtum ſecundum carnem *Conſubſtantialem* nobis eſſe. Synodi hic finis fuit, quæ magnum ubique locorum apud pios viros autoritatem habuit. Græcorum tamen Codicem fidem infirmare Pontifices Romani conati ſunt. Queritur ſanè Gregorius Magnus in ſua ad Narſem Comitem Epiſtola, Synodum à Græcis eſſe corruptam: *Exiſtimamus, quia ſicut Chalcedonenſis Synodus in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic aliquid in Epheſina factum eſt. . . . Romani autem Codices multò veriores ſunt, quàm Græci, quia noſtri ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent.*

Greg. l. 5. Ep. 14.

Dioſcorusne naturarum in Chriſto confuſionem admiſerit? Ac Synodi ſententiâ hæreſeos damnatus ſit?

XLIV. Porro Dioſcorus Alexandrinus Eccleſiæ perturbator, tantarumque fax calamitatum, nequitiæ pœnas ſuo exilio pendere juſſus eſt: *Expleto ergo magno & venerabili Chalcedonenſi Concilio in duodecim Secretariis, & ſexdecim Actionibus, Dioſcorus quidem exulare in Gangrena civitate præceptus eſt.* Ea fuit urbs Paphlagoniæ. Divinæ humanæque naturæ mixturam, confuſionemve admiſerit Dioſcorus, non ſatis ſcimus, nec audacter affirmare valemus. Ea illius ætatis infelicitas fuit, ut ille, qui duas in Chriſto naturas prædicaret, pro Neſtoriano haberetur, qui verò unam Dei Verbi incarnati naturam diceret, ſubinde Eutychianiſmi damnaretur. Alienum quidem à confuſione naturarum animum ſe gerere, palam apertèque coram Chalcedonenſibus Dioſcorus profeſſus eſt: *Neque*, inquit, *confuſionem dicimus, neque diviſionem,*

Liberat. cap. 14.

Anno Dom. 451.

ANNO DOM. 451.

ſionem, neque converſionem, aut commixtionem. Neque hinc Confeſſioni pugnant, ut eruditi opinantur, quæ hâc ſuâ interlocutione protulit: *Manifeſtè ideò damnatus eſt Flavianus, quoniam poſt adunationem duas dixit naturas. Ego autem teſtimonia habeo ſanctorum Patrum, Athanaſii, Gregorii, Cyrilli multis in locis, quia non oportet dicere, duas naturas, ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus ejicior, ego defendo Patrum dogmata.* Id ſibi volebant, qui hanc phraſim adhibuere, ex duabus naturis, divina & humana, abſque confuſione tamen ulla unam conſtitui Servatoris naturam; quomodo ex mente & corpore conjunctis, abſque converſione ulla una hominis natura exoritur. Phraſim admiſerat Cyrillus, admiſerat & Flavianus in ſua ad Theodoſium Confeſſione. Porro cujuſcunque opinionis fuerit Dioſcorus, eruditis non aſſentimur, qui *Hæreſeos* nomine à Chalcedonenſibus damnatum eſſe putant. Etenim licet à Patribus Dioſcorus Hæreticis apponeretur, ut tamen eo reſpectu *Canonicè* damnaretur, ejus opinio prius in diſquiſitionem venire debuit, quæ Chalcedonenſi in Concilio non fuit inſtituta. Sapienter noſtro judicio Leontius libro de Sectis: *Reſpondemus, ſi veritatem quis conſideraverit, non propter fidem abdicatum eſſe Dioſcorum, nec illam fuiſſe depoſitionis ipſius cauſam. Quippe nec adiit propterea Synodum, ut hoc nomine de ipſo judicaretur. Sed quoniam reapſe tertio vocatus, venire recuſavit. Si tamen veniſſet, etiam propter fidem fuiſſet abdicatus.* Concedamus, falſam non fuiſſe hæreſeos accuſationem, ut ſaltem damnatio temeraria non eſſet, audiri utique Dioſcorus, rogarique debuit, utròm orthodoxæ fidei ſubſcribere, aut vellet, aut recuſaret. Itaque Anatolius, qui pars magna Synodi Chalcedonenſis fuit, palam apertèque dixit, nemine vel contradicente, vel loquentem accuſante, *Dioſcorum non ob fidem depoſitum fuiſſe, ſed quia Leonem excommunicaverat, & ter vocatus ad Concilium non venerat.* Rectè & veriſſimè, quia in damnando culpam erroris pro ratione non attulerunt. Quòd ſi hæreſeos cauſâ ejectionis pœnam Chalcedonenſibus dediſſet, id contineri debuit in lata adverſus reum ſententia. Abſonum enim fuiſſet, præcipuam damnationis cauſam ſilentio prætermitti, neque reo ſignificari. Atqui de hæreſi Dioſcori nil mentionis in judicio; *Scias te ob deſpretum ſacrorum Canonum, & ob contumaciam, quâ uſus es, erga hanc ſanctam & univerſalem Synodum, eò quòd præter alia crimina, de quibus convictus es, tertiò vocatus, ab hoc ſancto & univerſali Concilio juxta ſacros Canones, ut accuſationibus reſponderes, minimè occurriſti, ab univerſali Synodo depoſitum eſſe.* De hæreſi quidem nondum convictus erat. Anno circiter CCCCLIV. ſua Dioſcorus fata implevit in exilio. De cujus obitu Julianus Coenſis certum Leonem fecit.

Chalc. Syn. Act. 1. 4.

Leont. de Sect. Act. 6.

Evagr. l. 2. c. 18. 327.

Evagr. l. 2. c. 18.

ANNO DOM. 452.

ANNO U. C. 1205. PER. JUL. 1565. JUL. 497. DOM. 452. VALENTINIANI 27. & 28. MARCIAN. 2. & 3. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 16. *Indict.* 5. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 23. *Mart.*

COSS. *Herculanus & Speratius.*

Attila Aquileiam expugnat. Italiam vaſtat.

I. Dirum Europæ fatum Attila in campis Catalaunicis anno ſuperiore ab Ætio fuſus, præter ſpem ingenti periculo liberatus, reſumptis animis cruentus adhùc Italiam petit. Ruenti primùm obſtitit Aquileia civitas munitiſſima, *cujus ab Oriente muros Natiſſa amnis, fluens à monte Piccis, elambit.* Quid Hunnus egerit in obſidendo, Jornandis verbis exequamur: *Cùm diu multoque tempore obſidens, nihil penitùs prævaleret, fortiſſimis intrinſecus Romanorum militibus reſiſtentibus, exercitu jam murmurante, & diſcedere cupiente, Attila deambulans circa muros, dum utrùm ſolveret caſtra, an adhuc moraretur deliberat, animadvertit candidas aves, id eſt, ciconias, quæ in faſtigio domorum nidificant, de civitate fœtus ſuos trahere, atque contra morem per rura foriſecus comportare. Et ut hoc, ſicut erat ſagaciſſimus inquiſitor, perſenſit, ad ſuos, inquit, reſpicite aves futurarum rerum providas, perituram relinquere civitatem, caſuraſque arces periculo imminente deſerere.* Quibus dictis cùm militum in præcordia virtus rediiſſet, adhibitis ſine mora tormentis, invadunt civitatem, ſpoliant, vaſtant, ut vix obſcura quædam urbis veſtigia relinquerent: *Et hinc jam audaciores, & necdum Romanorum ſanguine ſatiati, per reliquas Venetum civitates Hunni bacchabantur. Mediolanum quoque Liguriæ Metropolim, & quondam regiam urbem pari tenore devaſtant: nec non & Ticinum æquali ſorte dejiciunt, viciniaque loca ſævientes allidunt, demoliunturque penè totam Italiam.* Non injucundum Attilæ factum Mediolanenſi in civitate verſantis Suidas ſcripto prodidit: *Cùm in pictura vidiſſet Romanorum quidem Reges in aureis thronis ſedentes, Scythas verò cæſos & jacentes ante pedes ipſorum, pictorem à ſe quæſitum, juſſit ſe pingere, ſedentem aureo in ſolio. Romanorum verò Reges ferentes ſaccos in humeris, & ante ſuos pedes aurum fundentes.*

Jorn. de reb. Get. c. 42.

Suid. s. u. 115.

II. Victoris Attilæ obverſabatur animo Romanæ urbis expugnatio, quâ nominis ſui amplitudinem poſteris commendaret. Talia agitantis mentem retardant Hunni, non eo quidem conſilio, ut Romæ, cui infenſi erant, parcitum; verùm Alarici objicientes exemplum, qui cladi Romanæ diu non ſuperfuerat. Itaque Principis ſui fortunam veriti, eum ab urbis obſidione deterrent. Dum regius animus eſt in dubio, Leo Pontifex Legatus Imperatoris acceſſit ad Attilam, *ubi Mincius amnis commeantium frequentatione tranſitur.* Legationis mentio eſt in Caſſiodori Chronico: *Herculano & Speratio Coſſ. Attila redintegratis viribus Aquileiam magnâ vi dimicans introivit, cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus, pacem fecit.* Leonis in comitatu erant viri nobiles, quos inter eminebant *Carpilio* Ætii filius, Caſſiodoruſque, Caſſiodori Scriptoris pater, qui ad fœdera pacis conſtituenda non minimum contulit: *Erigebat conſtantia ſua partes timentes, nec imbelles ſunt crediti, qui Legatis talibus videbantur armati. Pacem retulit deſperatam. Cujus legatio quid profecerit, datur intelligi, quæ tantum eſt gratanter excepta, quantum & videbatur optata.* Quæ Theodorici Regis verba ſunt ad Senatum Romanum. Eâ legatione ad manſuetudinem Hunnus redactus, *depoſito exercitus furore, & rediens quà venerat, id eſt, ultra Danubium, promiſſâ pace diſceſſit.* Certis tamen legibus Attila hoc in fœdus deſcendit: *Illud præ omnibus denuncians, atque interminando diſcernens, graviora ſe in Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam Valentiniani Principis germanam filiam Placidiæ Auguſtæ, cum portione ſibi regalium opum debita mitteret. Ferebatur* enim,

Leo Attilam de pace convenit. Fœdus cum Hunnis pangitur.

Caſſiod. Var. l. 1. c. 4.

Jorn. de reb. Get. c. 42.

ANNO DOM. 452.

enim, quia hæc Honoria, dum propter aulæ decus, ac caſtitatem coneretur, metu fratris incluſa, clandeſtino Eunucho miſſo Attilam invitaſſet, ut contra fratris potentiam ejus patrocinio uteretur. Prorſus indignum facinus, ut licentiam libidinis, malo publico compararet. Tantis natalibus indigna Honoria *ab Eugenio Procuratore* ſuo fuerat ſtupro polluta tranſmiſſaque ad Theodoſium contra Occidentis Imperium Attilam concitabat, ut Marcellinus ſcripto prodidit. Dum Occidentem Attila vaſtat, expenſas à Conſulatus candidatis factas prudenter Marcianus inhibuit: *Marcianus Auguſtus ſuis ſtatuit Decretis, ut hi, qui Conſules fieri cupiebant, nihil æris in populum ſpargerent, ſed ſtatutam pecuniam ad reparandum urbis aquæductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides è cælo in Thracia ceciderunt.*

Marcellin.

III. Debitum nunc rebus Eccleſiaſticis locum reddamus, quibus non immeritò Valentiniani Novellam apponimus *de Epiſcopali judicio.* Principis hujus memoriam Baronius infamiâ reſperſit ob promulgatam Legem ejuſmodi: *Indignam planè*, inquit, *Chriſtiano Principe Sanctionem.* Scilicet germani verique Principis munus ille non implet, qui Reſcriptis ſuis Epiſcoporum ambitionem frenat, in Magiſtratuum jura involantium. Sed Valentiniani verba repræſentemus, ut de cenſura Baroniana æquum judicium feramus: *Imperator Valentinianus A. Firmino P. F. P. & Patricio. De Epiſcopali judicio diverſorum ſæpè cauſatio eſt. Ne ulterius querela procedat, neceſſe eſt præſenti Lege ſanciri. Itaque cùm inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromiſſi, quod & de Laicis, ſi conſentiant, autoritas noſtra permittit. Aliter eos Judices eſſe non patimur, niſi voluntas jurgantium, interpoſitâ, ſicut dictum eſt, conditione præcedat. Quoniam conſtat Epiſcopos, & Presbyteros forum Legibus non habere: nec de aliis cauſis, ſecundum Arcadii & Honorii Divalia conſtituta quæ Theodoſianum corpus oſtendit, præter religionem poſſe cognoſcere. Si ambo ejuſdem officii litigatores nolint, vel alteruter agant publicis Legibus, & jure communi. Sin verò petitor Laicus, ſeu in civili, ſeu criminali cauſa cujuslibet loci Clericum adverſarium ſuum id magis eligat, per autoritatem legitimam in publico judicio reſpondere compellat. Quam formam etiam circa Epiſcoporum perſonam obſervari cenſemus. Data XVII. Kal. Maii Romæ Herculano V. C. Conſ.* Politicum ſanè tribunal Magiſtratibus, non Epiſcopis Chriſtus aſſignat, quibus opus eſt, non civilibus, ſed Eccleſiaſticis negotiis animum attendere; ut æquitate prudentiâque Valentiniani Lex ea condiatur.

Valentiniani Lex de Epiſcopali judicio, num iniqua?

Bar. Ann. 452. n. 52.

Cod. Th. t. 6. Nov. tit. 12. p. 26.

IV. Ut collatis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegiis Leonis aſſenſus impetraretur, legatio injuncta fuerat Epiſcopo *Luciano*, *Baſilioque* Diacono, qui Anatolii, Marciani, & Pulcheriæ literas Romam afferrent. Leonis indignationem commovit ea legatio: Chalcedonenſiumque Decretum nil penſi habuit. Anatolium ſuâ perſtringit Epiſtolâ, datâ XI. Kal. *Junii*: *Deceſſore*, inquit, *tuo beatæ memoriæ Flaviano propter defenſionem Catholicæ veritatis ejecto, non immeritò credebatur, quòd ordinatores tui contra ſanctorum Canonum conſtituta, viderentur ſui ſimilem conſecraſſe. . . . Poſt illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum Canonum Conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perderet, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amitteret, ut his locis juri tuo ſubditis omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priventur.* Eadem penè Pontifex Rom. Marciano ingeſſit Imperatori: *Illis, propter quæ tanta facta eſt congregatio Sacerdotum bono & optabili fine compoſitis timeo & doleo, quòd pacem univerſalis Eccleſiæ divinitùs reformatam ambitionis rurſus ſpiritus inquietet. . . . Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana civitas gloriam ſuam, ac protegente dexterâ Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia divinarum, nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit ulla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit, quòd prædicto veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem.* Scripta eſt Epiſtola XXII. Maii. Uno tenore in ſcribendo ad Pulcheriam fluxit Leonis iracundia. Quin etiam tantum fiduciæ & ſpiritus modeſto benignoque Pontifici acceſſit, ut in magnifica verba hæc eruperit: *Conſenſiones verò Epiſcoporum, ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per autoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Nil ergo ſuâ legatione promovit Anatolius, nil Marcianus, nil Pulcheria, ut Chalcedonenſia de conceſſis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegiis Decreta à Leoni rata haberentur: *Frater autem & Coëpiſcopus noſter Lucianus, & filius noſter Baſilius Diaconus, quantum in ipſis fuit, ſtudiosè his, quæ eis injunxeras, adhæra, ſed abſoni eorum juſtitia negavit effectum.* Neque temperare Leo potuit, quin amiciſſimum ſibi Julianum Coenſem corrigueret, qui datis Luciano literis conceſſos Conſtantinopolitanæ Sedi honores firmari petierat: *Miror talia, te per fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Lucianum dirigere ſcripta potuiſſe. . . . Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, ut me in excidium Eccleſiaſtici ſtatus, vel ſuadendo impellas, vel ſupplicando traducas.* Data XI. Kal. Junii.

Nullis adduci literis potería Leo, ut Canoni XXVIII. Chalcedonenſi aſſentiretur.

Leo Ep. 53.

Leo Ep. 54.

Leo Ep. 55.

Leo Ep. 53.

Leo Ep. 105.

V. Egregiam pulchramque rationem recuſationi huic ſuæ obtendere Leo videbatur. Veneranda ſcilicet Nicænorum Patrum Decreta; dignitatem Alexandrinæ Sedis, *quam per S. Marcum Evangeliſtam beati Petri diſcipulum meruit*; Antiochenæ ſplendorem Eccleſiæ, *in qua primùm prædicante B. Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen exortum eſt*; jura Metropolitanorum, quæ paci retinendæ inviolata eſſe debent, perpetuò crepabat. Egregiam verò Leonis curam, & in æquitate tranquillitateque cuſtodienda diligentiam! Atqui Antiocheni Alexandrinique Præſules, quos præcipuè Chalcedonenſia Decreta tangebant, non perinde atque Leo commovebantur. Imò ne conatu vel minimo ea convellere tentabant. Si verum volumus, adhibito autoritatis Nicænæ velo, Leo res ſuas agebat. Sacri Concilii hujus ſecurus fuerat, cùm Valentiniani Reſcriptum anno CCCCLXV. impetravit, quo tam Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum Epiſcopis prohibetur, ne quid liceat ſine

Nullus idoneis rationibus Leo Canoni XXVII. Chalcedonenſium interceſſit.

ſine viri venerabilis Papa urbis æternæ autoritate tentare; mandaturque, ut *ad judicium Romani Antiſtitis evocati veniant.* Quæ Nicænis quidem Decretis non erant conſentanea. Ut apparet Can. 4. & 5. Quòd ſi & Romano throno Conſtantinopolitanum Marcianus ſubjici voluiſſet, ut Anatolius pro lege haberet quidquid Leo ſanxiſſet, Anatolíique ſucceſſores ab urbis æternæ Epiſcopis conſecrarentur, ſiluiſſent ſine dubio Canones Nicæni, ac pro ſua modeſtia regiis Edictis Leo tacitus obtemperaſſet. Neque Nicænis Canonibus congruum erat, quòd tres Palæſtinæ ditioni Hieroſolymitanæ ſubderentur, cui Conſtitutioni ſuffragium Leonis Legati ſuum tribuere. Quam etiam ſacræ Synodi laudabat Conſtitutionem, ea ad ſpeciem duntaxat, non ad rem ſanè faciebat. Intemerata quidem, quæ fidem attinent Nicænorum Decreta, venerandaque omnibus eſſe debent. Quæ verò Eccleſiæ diſciplinam ſpectant, ea, ſi bonum æquumque requirat, mutationem admittunt: nec eò autoritatis proceſſit Nicæna Synodus, ut Conciliis Oecumenicis poteſtatem eriperet refigendi leges, quæ mutatis rerum vicibus non cedunt amplius in bonum Eccleſiæ. Quòd ſi Conſtantinopolitana civitas ætate Patrum Nicænorum ad Novæ Romæ dignitatem aſcendiſſet, utique ſecundum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ gradum faciles conceſſiſſent, ex conſuetudine poſita, ut Eccleſiarum honores urbium majeſtatem ſequerentur; quâ unâ ratione Antiochena Eccleſia Alexandrina poſtpoſita eſt: quia urbs Alexandrina dignitate Antiochenam ſuperabat. Ex ea ergo diſciplina conſentaneum erat, Novæ Romæ primatum honoris concedi, quem & à Conſtantinopolitanis Patribus ea de cauſa impetraverat, abſque ulla ſive Antiocheni, ſive Alexandrini Præſulis interceſſione. Jus verò, quod in Ponticam, Aſiaticamque Diœceſim eſt conceſſum, ut earum regionum Metropolitani à Conſtantinopolitano conſecrarentur, argumentis idoneis innitebatur, ratione moris obtinentis habitâ: *Eò quòd*, inquiunt Chalcedonenſes, *frequenter Epiſcopis vitam finientibus multa turba naſcantur: abſque Rectore Clericis ac populis remanentibus, qui per eaſdem ſunt civitates, & Eccleſiaſticum confundentes ordinem, quod nec veſtram latuit Sanctitatem, quam maximè propter Epheſios, unde quidam vobis ſæpius importuni fuerunt.* Neque ulla ulli fiebat injuria, cùm collatis Conſtantinopolitanæ Sedi honoribus Præſules, quorum intererat, lubentes conſenſerint. *Nunechius* quidem Laodiceæ Phrygiæ Epiſcopus palam hæc in Concilio locutus erat: *Gloria Sedis Conſtantinopolitanæ gloria noſtra eſt. Hujus enim honoris nos ſumus quoque participes, quoniam ſollicitudines noſtras ſuſcepit.* Neque honores ante annos LXX. Sedi Conſtantinopolitanæ collati, Leoni ignorabantur. Euſebius quidem Dorylæenſis, quem mendacii inſimulare religio nobis eſt, id Chalcedonenſibus teſtatus eſt: *Hanc regulam*, Patrum ſcilicet CL. Conſtantinopoli congregatorum, *ſanctiſſimo Papa in urbe Roma ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis.* Sed & Pontifices Romani ſuos in urbe Regia *Apocriſiarios* habuere, à quibus non moneri non potuere, quid autoritatis Conſtantinopolitanus Præſul exerceret. Quid ergo Leonem impulit, ut tantos fluctus moveret Decreti Chalcedonenſis cauſâ, quâ de Alexandrini Antiochenique Præſulis poteſtate nil delibatum?

Synod. Chalc. Act. c. 6.

Vera hæc ratio fuit, Leoni ſuſpecta Anatolii dignitas: nec ille ferebat parem, nec hic ſuperiorem, tanquam duos tantæ autoritatis fortuna non caperet. Cupiebat Leo Valentiniani Legem, ut in Occidente, ſic & in Oriente ſervari: & gliſcenti ambitioni contributa Novæ Romæ Præſuli autoritas erat impedimento. Plus tamen valuit Chalcedonenſe Decretum, quàm interceſſio Leonis: ſibique conceſſis honoribus Conſtantinopolitanus uſus eſt. Hoc ipſo anno Ruſtico, Ravennio, Venerio, cæteriſque Galliarum Epiſcopis Epiſtolam Leo direxit: *Fratres mei, qui vice meâ Orientali Synodo præſederunt, quæ vota retulere ſignifico, confirmata Catholicâ fide, & glorificata Apoſtolica prædicationis triumpho.* Dum in Occidente verſamur, de Synodo Hibernica mentio nobis eſt agitanda.

Leo Ep. 94.

Patricius Hiberniæ Epiſcopus. Vitæ ejus breviarium.

VI. In Hibernia incerti & loci, & temporis Synodus à *Patricio* celebratur, quam in hunc annum referre licet. Antequam verò Conventus hujus Decreta exhibere inſtituamus, quis ille *Patricius*, paucis expediendum. Natale Patricii ſolum inter caſtrum Dunbritannicum, & civitatem Glaſcuenſem in Britannia conſtituitur. Itaque à Patricio, *Kirk Patrick* nomen habuit. Urbi *Nemther* natales ejus aſſignant illi, quibus res Patricii ſunt accuratius cognitæ. Itaque Baronio non *Scotus*, ſed Britannus dici debuit. Clericali ſanguine ortus, patrem habuit Calpurnium Diaconum, Potiti Presbyteri filium. Patricio mater *Conceſſa*, quæ Baronio, nonnulliſque Martini celeberrimi Turonenſium Epiſcopi ſoror Jocelino verò ſororis filia rectius fuiſſe traditur. Anno circiter CCCLXXI. Patricius lucem aſpexit. In baptiſmo *Succat* nomen accepit, quod linguâ Britannicâ *Deum belli*, vel *fortem bello* ſignificari ferunt. Anno CCCLXXXVIII. cum duabus ſororibus ſuis, *Lupait*, & *Tigris*, Scoticis piratis captus in Hibernia venditur. Ipſe verò in poteſtatem Regis venit, nomine *Milue*, à quo miſſus eſt paſcendo pecori. Quo in opere dum verſatur, labitur ſexennium. Eâ captivitate liberatus, in aliam poſt annos complures incidit, ſed breviſſimam, utpote bimeſtrem. Quâ ſolutus, in Gallias profectus ad avunculum ſuum B. Martinum accedit, ut magno pietatis Magiſtro uteretur. Hîc avido hauſtu diſciplinam aſceticam traxit. Inde Galliâ Italiâque peragratâ, Romam adventavit, ubi & diu commoratus, exquiſitiorem Sacræ Scripturæ notitiam ſibi comparavit. Conſumpto in peregrinatione ſeptennio à Tyrrhenicis inſulis, & continente Italiæ, ad Gallicas oras, Patricium pertraxit fama Germani Antiſiodorenſis, à quo & Presbyteri munus accepiſſe nonnullis placuit. Ab *Amatore* Epiſcopo ad Pontificatum evectus eſſe dicitur. Quo loco Uſſeriana cenſura Baronium non immeritò vexat, exiſtimantem, Amatorem illum eſſe, de quo Conſtantius mentionem egit in vita Germani. Unus quidem idemque Amator eſſe non poteſt cum illo Amatore, cujus in vita Patricii Probus meminit. Quippe Patricius ante Germanum Magiſtrum ſuum Epiſcopus creatus eſſet, cùm Amator Germano deceſſerit. Auditâ morte Palladii Epiſcopi, quem apud Scotos Martyrio conceſſiſſe ferunt XVIII. Kal. Januarii, Patricius à Cœleſtino Papa, Germanoque Antiſiodorenſi, anno CCCCXXXII. in Hiberniam amandatur. Addunt fabulatores monita & Angeli, cui *Victori* nomen. Quod hactenùs geſſerat, relicto nomine *Succat*, Patricius

Bar. An. 431. n. 191.

Error Baronii.

Bar. Martyr. Mai. 1.

tricibus appellatur, indito ut memorant, ab ipſo Pontifice vocabuln, felici quodam omine, quòd *civium Pater* evaderet, quam Glaſtonienſis Monachus etymologiam his carminibus luſit:

Sonat Patricius jam Pater civium,
Multorum civium & Pater plebium,
Hibernenſium & Glaſtonenſium
Sortitus meritò tale vocabulum.

Novâ appellatione inſignitus in Britanniam invehitur, *Auxilio* Presbytero, & *Iſerumo* Diacono comitibus. Cùm paucis diebus concionibus vacaſſet, faventibus ventis relictâ Britanniâ, Hiberniam ingreſſus difficultates ſupervadere omnes, feritatem etiam Scotorum, atque ſuperſtitionem vincere, præceptis ſuis aggreditur. Concionanti potentiſſimum cœleſtis gratiæ auxilium adfuit. Ponunt ferocia Hiberni corda volente Deo, ut anno circiter CCCCLXI. vel ut aliis placet, CCCCLVI. Concilium coëgerit, cui titulus: *Presbyteris & Diaconibus, & omni Clero, Patricius, Auxilius, & Iſſernius Epiſcopi, ſalutem.* Quæ de Patricio ſummatim exhibuimus, ea nobis fœneravit doctiſſimus Uſſerius, qui res Patricii quàm fuſiſſimè tractat de Britannicarum Eccleſiarum Primordiis, c. XVII.

Canones Hibernicæ Synodi.

VII. De Hibernica Synodo nunc eſt agendum. Canonibus conſtat XXXIV. quorum nonnulli temporis injuriâ mutili ſunt. I. De capivo in quæſtionem, qui mancus eſt. II. Itidem mancus de Lectoribus. III. Clericus non ſit vagus in plebe. IV. Si quis permiſſionem acceperit, & collectum ſit precium, non plus exigat, quàm quod neceſſitas poſcit. V. Si quid ſupra manſerit, ponat ſuper altare Pontificis, ut detur alii indigenti. VI. Quicunque Clericus ab Oſtiario uſque ad Sacerdotem ſine tunica viſus fuerit, atque turpitudinem ventris, & nuditatem non tegat, & ſi non more Romano capilli ejus tonſi ſunt, & uxor ejus, ſi non velato capite ambulaverit, pariter à Laicis contemnentur, & ab Eccleſia ſeparentur. VII. Clericus, qui ad Collectas manè, vel veſpere non occurrerit, alienus habeatur, niſi fortè jugo ſervitutis ſit detentus. VIII. Clericus, qui Gentilia fidejuſſor eſt, ſi ab eo fallatur, ſolvat debitum, *nam ſi armis compugnaverit cum illo, meritò extra Eccleſiam computetur.* IX. Monachus & Virgo in uno hoſpitio non commaneant, nec in uno curru à villa in villam diſcurrant. X. Qui pſallendi officium intermiſit, & comam habet, ab Eccleſia excludendus, niſi ſe priori officio reddiderit. XI. Qui Clericum ab alio excommunicatum ſuſceperit, coæquali pœnitentiâ utantur. XII. *Quicunque Chriſtianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemoſyna recipiatur.* XIII. Eleemoſyna Gentilium in Eccleſia non recipiatur. XIV. *Chriſtianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more Gentilium ad aruſpicem meaverit, per ſingula crimina annum pœnitentiæ agat: impleto cum teſtibus veniat anno pœnitentiæ, & poſteà reſolvetur à Sacerdote.* XV. Qui *furtum fecerit dimidium, pœniteat viginti diebus cum pane,* & repræſentatis ſi poteſt raptis in Eccleſiam revertatur. XVI. Chriſtianus, qui crediderit *eſſe Lamia in ſpeculo,* anathematizandus. XVII. Virgo, quæ ſe voverit Deo, ſi matrimonium contrahat, excommunicetur, donec convertatur: dimiſſo adultero, ne vel in una villa cum eo habitet. XVIII. Excommunicatus *nec noctè Paſcharum* Eccleſiam ingrediatur, donec pœnitentiam recipiat. XIX. Mulier, quæ relicto viro ſuo, adultero ſe matrimonio junxerit, excommunicetur. XX. Qui fraudat debitum, excommunicetur, donec ſolvat debitum. XXI. Qui Chriſtianum provocat in judicium, & *non in Eccleſiam, ut ibi examinetur cauſa, alienus ſit.* XXII. Pater filiæ ſuæ nuptæ in amore illicito conſentiens, Eccleſiâ excludatur. XXIII. Presbyter, qui Eccleſiam ædificavit, *non offerat antequam adducat ſuum Pontificem, ut eam conſecret, quia ſic decet.* XXIV. Advena non antè baptizet, offerat, conſecret, Eccleſiam ædificet, quàm permiſſionem accipiat ab Epiſcopo. XXV. Religioſorum dona diebus illis, quibus Pontifex in ſingulis habitaverit Eccleſiis, ab eo adminiſtrabuntur. XXVI. Clericus, qui dona invadere deprehenſus fuerit, ab Eccleſia ſequeſtretur. XXVII. Clerico novo Epiſcopi ingreſſore baptizare & offerre non licet. XXVIII. Clericus excommunicatus ſolus orationem faciat, ſi in domo, vel cum fratribus oret, aut offerat, dupliciter vindicetur. XXIX. *Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non ante baptizetur, quàm ut quadrageſimum agat.* XXX. *Epiſcopus quilibet, qui de ſua in alteram progreditur parrochiam, nec ordinare præſumat, niſi permiſſionem acceperit ab eo, qui in ſuo Principatu eſt, die Dominicâ offerat tantùm ſuſceptione, & obſequi hic contentus ſit.* XXXI. Clericus, qui ad interficiendum hoſtem Clericidam conducit, alienus ſit. XXXII. Clericus non furto, ſed ſuo precio captivam liberet. XXXIII. Clerico, qui de Britannia venit abſque Epiſtola, miniſtrare non liceat. XXXIV. Diacono, qui inconſulto Abbate ſuo, ſine literis aliò ſe confert, *nec cibum miniſtrare decet,* per pœnitentiam vindicetur.

Alia Hiberniæ Synodus.

VIII. Connexione & rerum & locorum, memoratæ Synodo altera adhæreat, anno incerto à ſancto quoque Patricio celebrata. Conſtat Canonibus XXXI. ad diſciplinam ſpectantibus. I. Cum fratribus peccatoribus non eſt habitandum. II. Oblationes peccatorum rejiciantur. III. Poſt ruinas lugubri cum veſte ſub cuſtodia, pœnitentia, ſive brevis, ſive longa remittatur *cum temperamentis.* IV. Excommunicatum à communione, & menſa, & Miſſa, & pace, & ſi Hæreticus eſt, poſt unam correptionem de vita. V. De ſuſpectis cauſis. VI. De vindictis Eccleſiæ. VII. De baptiſmis incertis. Lapſi à fide per impoſitionem duntaxat manuum recipiantur. VIII. Perſuadendum Judicibus, ut ſpirituali morte occidant, qui ad Eccleſiam confugiunt. IX. Clericus, qui peccavit, contentus ſolo nomine, amittat miniſterium. X. *Deſideratur: vel erraverunt Amanuenſes in numero Canonum aſſignando.* XI. De ſeparatione ſexuum poſt lapſum. XII. Pro defunctis excommunicatis non eſt orandum. XIII. In nocte Paſchæ ſacrificium foras non feratur, ſed Fidelibus deferatur. XIV. Chriſti adventum nullas ratas leges inventas jejunii. XV. Patria prius per exemplum doceatur; deſeratur, ſi non proficiat. XVI. Epiſcopus illegitimè creatus gradu dejiciatur. XVII. Monachi à viginti annis conſtringi debent ad votum perficiendum. XVIII. Centeſimum Epiſcopi, ſexageſimum Clerici & viduæ continentes, triceſimum Laici, qui perfectè Trinitatem credunt; ferunt in meſſe Domini: Monachi centeſimis junguntur. XIX. *Octavo die Catechumeni ſunt poſteà ſolemnitatibus*

Domini baptizantur, id eſt, Paſcha, & Pentecoſte, & Epiphania. XX. De Parrochiis. XXI. De retinendis vel dimittendis Monachis. XXII. Euchariſtia poſt *examinationem carceris ſumenda eſt, maximè autem in nocte Paſcha, in qua, qui non communicat, Fidelis non eſt.* XXIII. De juramento. XXIV. De contentione duorum abſque teſtibus, *ut per quatuor Sancta Evangelia antequam communicet, teſtatur quid probatur, & deinde ſub Judice, fama relinquatur.* XXV. Fratris defuncti uxor in matrimonium à fratre non accipiatur. XXVI. *Non licet viro dimittere uxorem, niſi ob cauſam fornicationis; ac ſi dicat, ob hanc cauſam, unde ſi ducat alteram, velut poſt mortem prioris, non vetant.* XXVII. Voluntas Virginis requiratur à patre in nuptiis contrahendis. XXVIII. Eâdem ratione prima vota, & prima conjugia obſervarentur. XXIX. De conſanguinitate in conjugio intelligatur *quid Lex loquatur, non minus, nec plus.* XXX. Mancus eſt. Titulus habet, de vindicandis aſſuetis. XXXI. Remittuntur quidem omnium peccata in Baptiſmo, ſed qui cum fideli conſcientia in fidelem tempor . . . vixit: *ut fidelis, peccator judicandus eſt.*

Lab. Conc. t. 3. 1481.

Chalcedonenſe Concilium à Marciano firmatur.

IX. Res Orientis noſtra nunc complectatur oratio. Ut regiâ autoritate Chalcedonenſis Synodus coacta fuerat, ſic Edictis Marcianus ſuis ejus Decreta confirmatum ivit, ut pœnis & Eccleſiaſticis, & civilibus illi ſubjicerentur, qui temeritate non ferendâ debitam ſanctis præſcriptionibus obedientiam exuerent. Extat Imperatoris Reſcriptum in Juſtinianeo Codice, alieno tamen Conſulatu obſignatum. *Datum Conſtantinop. Patricio Conſule, & Richomere.* Qui annus eſt Dom. CCCCLI. quo tempore Marcianus exceſſerat. Eſt ergo reſtituendus Conſulatus, Datum VII. *Kal. Febr. Sporatio viro clariſſ. & qui fuerit nunciatus Coſſ.* ut Actione tertiâ Chalc. Synodi legitur, in qua integrum extat Edictum, cujus partem Juſtinianeus Codex exhibuit: *Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publicè turbis coadunatis, & audientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidia occaſionem requirens. Nam & injuriam facit judicio reverendiſſima Synodi, ſi quis ſemel judicata, ac rectè diſpoſita revolvere & publicè diſputare contenderit, cum ea, qua nunc de Chriſtiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per noſtra præcepta ſtatuta ſunt, juxta Apoſtolicas Expoſitiones, & Inſtituta ſanctorum Patrum CCCXVIII. in Nicæa, & CL. in hac Regia urbe definita eſſe, noſcantur.* Varias autem tumultuantibus pœnas imponit. Clericis abdicationem, militibus cinguli ſpoliationem, liberis hominibus è regia urbe ejectionem, ſervis ſupplicia. Tanta Eutychianorum pertinacia fuit, ut eo Edicto morem geſtum nollent. Opus ergo Imperatori fuit, novo Reſcripto tumultuantium comprimere contumaciam: *Eutyches*, inquit, *qui plura affirmabat illicita, cum ſua aſſertione dejectus eſt, ne decipiendorum ulterius ei hominum præberetur facultas.* Clementiâ, quam in coërcendis peccatis maximam adhibuit, uſus, *pœnam nocentium differendam* putat, eâ lege, *ut in futurum à prohibitis omnes abſtineant.* Datum 3. Idus Martii. Edicti hujus exemplar *Palladio* Prætori Orientis, *Valentiniano* Prætori Illyrici, *Tatiano* Præfecto urbis, *Vincomalo* Magiſtro Officiorum & Conſuli deſignato miſſum, ut immorigeri meritis pœnis afficerentur.

Cod. Juſt. l. 4. de ſum. Trin.

Synod. Chalc. Act. 3.

Theodoſius Monachus. Adverſatur Chalcedonenſi Synodo: Ejus violentia.

X. Importuna Monachorum compluribus veritas, Chalcedonenſibus vallata Decretis, eorum mentibus graviſſima odia inſeverat. Eminebat inter eos *Theodoſius*, nefarius homo, tantoque nomine indignus, qui cum ſociis Chalcedonem venerat excitandæ ſeditioni. Antiquum perditus ille obtinebat. Quippe à proprio Epiſcopo, in maleficiis deprehenſus, Monaſterio expulſus fuerat. Cùmque Alexandriam veniſſet, Dioſcorum adortus, in debitam ſeditioſis pœnam incurrerat. Multis quippe conciſus verberibus, & camelo impoſitus, per univerſam urbem, inſtar malefici traductus fuerat. Majorum tragœdiarum hæc fuere tyrocinia. Seditionibus, quas Eutyches in gratiam Theodoſius Chalcedoni commotas voluit, iverat obviam Marciani prudentia. Decreto Patrum accenſus nebulo, in furias, ignemque ruit: ac ſe dignis ſceleratis comitatus, in Palæſtinam reverſus, fidem proditam queſtus, ſatellitium Monachorum omne commovet. Egregiis coloribus Theodoſium pingit Euthymii vita, c. 73. Theodoſius *habitu quidem Monachus, moribus verò præſtigiator exitioſiſſimus, & mente corruptus veniens in Palæſtinam præter expectationem, & hæc ſimiliaque improbè de Synodo commentus, quòd everteret quidem recta fidei dogma, introduceret autem potius atque revocaret Neſtorii ſententiam, cepiſſet Auguſtam Eudoxiam, quæ tunc in Palæſtina verſabatur, & per eam omnem induxiſſet Monachorum ordinem.* Seditioni ergo vires addidit Eudoxiæ Auguſtæ Theodoſii relictæ autoritas, quam impurus ille Theodoſius deceptam ſuas in partes pertraxerat. Furentium ea prima cura fuit, ut Juvenalis, qui recuperatâ Sede Hieroſolymam Chalcedone conceſſerat, latam in Eutychianos Patrum ſententiam reſcinderet. Recuſanti ultima minantur. Hieroſolymam hoſtili impetu ingreſſi, venerandum Diaconum morti mittunt. Eòque proceſſit furoris impietas, ut defuncti corpus communi ſepulturâ privatum, publicè tractum injuriis ſubderetur. Civitatis portæ clauduntur, ignis domibus admovetur, carceres violenter aperiuntur, & veluti re benè geſtâ, ſeditioſa Monachorum cohors quaſi propriis legibus civitatis muros cuſtodit. Alia perditorum facinora verbis regiis referamus: *Proficientibus ad pejora, poſtremis minora fuiſſe præcedentes demonſtrantes, Juvenalem ſanctiſſimum, & alios reverendiſſimos Sacerdotes per quendam ad hos deſtinatum interficere voluiſtis. Cùm verò iis, qui miſſus fuerat, fuiſſet ſuâ ſpe deceptus, ſine effectu ſuam veſaniam, & eorum, à quibus miſſus fuerat, eſſe non ſinens, Severianum ſanctæ memoriæ Epiſcopum gladio percutiens, neque his, qui cum eo erant, pepercit.* Epiſcopus erat Scythopolitanus ille Severianus, Theodoſii furoris victima, quem cùm ipſius impietati ſuffragari nollet, oppido exactum interemit. Perſecutionem quoque Hieroſolymis movit: *Quoſdam tormentis excruciavit, aliquibus opes ademit, aliorum ædibus ignem injecit, ut à Barbaris urbs capta videretur.* Fortiſſimi conſtantia Martyris, cujus obiter meminimus, fuſiori eſt oratione prædicanda. Anaſtaſii nomen gerebat, & ſcelera patrante Theodoſio, vocem illam præclaram emiſit: *Deſine, Theodoſi, tantam cædem committere, deſine Chriſto bellum inferre, & gregem ejus in prædonum morem è divino ovili ejicere, & aliquando tandem benevolentiam erga verum, germanumque Paſtorem noſtrum cognoſce.* Monitorum præmium mortem cruentam retulit. Vi

Evagr. l. 2. c. 5.

Synod. Chalc. p. 3. Sur. 220.

ex

ANNO DOM. 452.

Niceph. l. 15. c. 9.

ex Eccleſia tractus, flagris multis cæditur; poſtremò ferro vitam amiſit. Corpus canibus eſca projicitur. Juvenalis arreptâ fugâ, vitæ ſuæ conſuluit: magnis itineribus Conſtantinopolim contendit, acceptarumque injuriarum immemor, eò clementiæ proceſſit, ut obortis lachrymis Imperatoris & indulgentiam Monachis, & Reſcripta impetravit.

Theodoſius per nefas Epiſcopatum Hieroſolymitanum invadit. Marciani ad Monachos literæ.

XI. Quid interea Theodoſius? Ambitionis œſtro percitus, projectis Sanctorum cadaveribus, quaſi gradibus utitur, ut Epiſcopatus ad honorem aſcenderet, Eudoxiæ Monachorumque favore prædonis more thronum Hieroſolymitanum occupat. Qui Chalcedonenſi Concilio adverſabantur, furenti Monachi lubentes erant auxilio. Ornatum Archiepiſcopi dignitate Theodoſium, multi ex urbibus trium Palæſtinarum convenientes, Epiſcopos ab eo ſibi ordinari curant. Inter quos fuit *Petrus* quidam, oriundus ex Iberia, cui Majumæ Epiſcopatus commiſſus eſt. Mirum dictu, doctrinæ à Patribus conſtitutæ contradicentes, unam duntaxat Chriſto naturam eſſe contendebant; ſimul tamen Eutychem impietatis hujus patronum anathemate feriebant. Quaſi Theodoſius, cujus diſciplinæ ſe tradiderant, meliora ſaperet, & cum deliro illo ſene Valentinianiorum, Apollinariſtarumque erroribus ob fidem everſam triumphum non decerneret. Quam prudenter Marcianus contradictionem ipſis objecit. Cùm Eudoxiam ſibi conciliaſſent, aditum quoque ad Pulcheriam ſibi facilem putant: ad eam igitur mittunt Epiſtolam, ut regios animos corrumperent, ſimulque docerent, ſe tumultuum, incendiorum, homicidiorum autores non fuiſſe, id mali à Hieroſolymitanis civibus, peregriniſque ortum duxiſſe: Samaritaſque *adverſus ſanctas Eccleſias crudelia & nefanda commiſiſſe.* At pietate pectus Auguſtæ inſtructius erat, quàm ut pugnantes rectæ fidei errores admitteret. Eò perſuaſionis venerant Monachi, quòd duos Chriſtos, duoſque Dei Filios ſuis Conſtitutionibus Chalcedonenſes proponerent. Hinc verba Pulcheriæ ad Palæſtinos, & Monachos, &

Evagr. l. 2. c. 5.

Synod. Chalc. p. 3. Sur. 222.

Archimandritas: *Veſtras animas falſa percuſſit opinio, quia ſancta Chalcedonenſis Synodus congregata docuerit, aut tranquillitas noſtra crediderit, duos Filios, aut duos Chriſtos per duas naturas intelligendos, ſed non ita veritas habet.* Ex falſa hac opinione orti immanes illi furores, quibus Palæſtinenſes Eccleſiæ vaſtabantur. Quas brevibus quidem, ſed tragicis verbis exponit Euthymii vita. Cùm Sedem Theodoſius Hieroſolymitanam invaſiſſet, *bellum gerit adverſus divinos Canones, & Leges. Inde homines quidem probi atque moderati à ſedibus & ſacris expellebantur. Fuerunt & qui ab eo occiſi ſunt, nec non manus ſceleratus ille Pontificum heu! ſanguine polluit. Malefici autem & præſtigiatores & peſtes, potiuſque digni carceribus quàm Sedibus Sacrorum Interpretes, & Sacerdotes creabantur.* Ut verò magno ſectam ſuam præſidio cingeret, Euthymium, qui communionem ejus, ut piaculum adverſabatur, ſibi jungere voluit. Quem non unâ quidem, ſed repetitâ legatione conventum acceſſit. Mittit Euthymin *Elpidium & Gerontium, quorum ille quidem magni Paſſarionis, hic verò beata Melania erat ſucceſſor, ut ſi ad ipſum venire nollet, convenirent tamen ambo in locum aliquem, & de iis, qua uterque haberet, differerent inter ſe. Ille verò ad hac graviter lamentatus, Abſit, inquit, ut aut in*

Euth. Vit. c. 74.

injuſtè fuſo ſanguine Sacerdotum, aut in hæreſi communicem cum Theodoſio. Illi autem, Sed neceſſe eſt, inquiunt, ut communices Neſtorii Sectatoribus, quoniam & is duas tuetur naturas; quod ne in hodiernum quidem ab aliquo accepimus: atque ut adhaſit Chalcedonenſis Synodus. Dum in peſſimum eum locum res deducuntur, *Juvenalis*, qui in urbem regiam venerat, boni Paſtoris partes implet. Etenim injuriarum ſibi illatarum immemor, apud Marcianum pro Monachis deprecatorem agit, ut & Imperatoris, & Auguſtæ literas impetrarit. Scripſit Marcianus, indignum eſſe, Monachos, qui vacare quieti debent, Epiſcopiſque docentibus morigeros ſe præbere, intolerandâ audaciâ Magiſtrorum ſibi munus vindicaſſe, quibus omnes attendere debeant. Errores ſuos cumulaſſe mendaciis, dum perpetrata à ſe incendia & ſcelera, peregrinis, civibuſque Hieroſolymitanis aſcribunt. Congregato prædonum ſatellitio pacem eripuiſſe Palæſtinis: ab inſtitutis Apoſtolorum non modò, ſed à moribus quoque deſciviſſe, dum per cædes & facinora animos erudiri volebant. Immeritò ad duarum naturarum voces inductâ novitate turbari: naturarum quidem in Symbolo Nicæno mentionem non haberi, quia id quæſtionis non movebatur; Chalcedonenſe Concilium ab Conſtitutionibus Epheſinis nil ſanxiſſe disjunctum atque contrarium; imò Neſtorium damnaviſſe. Subjungit hæc memoratu digniſſima, Principibuſque omnibus imitanda: *Noſtra clementia nulli penitùs neceſſitatem præcepit imponi, quatenus aut ſubſcribat, aut conſentiat, ſi noluerit. Non enim terrore, aut violentiâ aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* Contrà verò vi illatâ multos ab ipſis coactos, ut & errori ſubſcriberent, Synodumque, Leonemque anathemate proſternerent. Porro præcepiſſe ſe Comiti Dorotheo, ut accuratâ diſquiſitione inſtitutâ, quæ direpta ſunt, & Eccleſiis, & hominibus, qui ea perdiderant, reſtituerentur, tantorumque autores malorum meritis pœnis ſubjicerentur. Præcipuè Theodoſio omnium pejori debitas tam à Chriſto, quam à Principe ſupplicia expectanda eſſe. Denique ipſos monet, ne à recta fide diſcedant, orationi ſuis in Monaſteriis vacent, neque Collectas Canonibus contrarias celebrent. Clementiam à ſe nullam pœnitentibus negari; ſancire quoque, ut ipſorum Monaſteria equis militibuſque referta, qui Hieroſolymitanæ urbi venerant auxilio, eâ moleſtiâ liberarentur. Egregiam Marciani Epiſtolam, qui ſimul & Patris, & Doctoris, & Principis oſtendebat animos. Monachis quoque Pulcheria reſponſum dedit, quo eadem penè, quæ nunciarat Imperator continentur. Tragœdiæ Palæſtinenſis finem annus ſecuturus docebit.

ANNO DOM. 452.

Synod. Chalc. Act. 3. Sur. 222.

Decreta Marciani in Eutychianos. Flaviani memoria honore afficitur.

XII. Ut Eutychianiſmus omnibus modis extingueretur, Marcianus Lege ſanxit, qui eo errore decipiebantur, illos *nullum Epiſcopum, nullum creare Presbyterum, nullos habere, vel appellare Clericos, ipſumque Eutychetem nomine Presbyteri, quo & indignus & ſpoliatus eſt, in totum carere.* Qui regiæ Conſtitutioni immorigeros ſe præbebant, honorum jacturâ perculſi, exilio perpetuo damnantur. Condendi Monaſteria facultas eis eripitur. Ac ut de Eutyche Flavianus vel poſt obitum ſuum triumpharet, mors ſancti Præſulis glorioſa prædicatur, Theodoſianaque Conſtitutio, quâ ipſius memoriæ ignominiâ inurebatur, prorſus abrogatur: *Quoniam venerabilis*

Synod. Chalc. Act. 3.

rabilis recordationis Flavianus tanto ac tali decoratus eſt teſtimonio, ut Eutyches, qui contra ſenſerat, cum ſceleratis dictis ſuis ab omnibus uno ore damnaretur, aboleatur illa Conſtitutio, qua ſubſcriptione ſceleratorum poſt obitum ſanctæ memoriæ Flaviani adverſus eum lata cognoſcitur. . . . Expulſâ itaque illâ Sanctione, retineat vita gloriaque, quam meretur, perpetuam laudem, cæteris conſtantiæ erga fidem futurus exemplum. Porro in Codicem Juſtinianeum oculos Baronius depoſuiſſe non videtur: *Quæ*, inquit, *poſt hæc ſequuntur, relata etiam habentur in Juſtinianeum Codicem.* At in Lege *Quoniam* nulla quidem ſive Euſebii Dorylenſis, ſive Theodoriti mentio eſt, ut illuſtriſſimo Purpurato creditum. Ut Flaviano contributæ laudes, ſic & vituperio Eutyches afficitur: *Aboleatur quidem Eutycheus damnoſa memoria, Flaviani autem laudabilis recordatio relevetur.* Flaviani exemplo ſe ſolentur, qui pietatis integri ſceleriſque puri, hæreſeos nomine crudeliter vexati ſunt, atque proſcripti. Erit, erit profectò illud tempus, & illuceſcet aliquando illa dies, quæ miſeros innocentiæ ſuæ honorique reſtituet.

Bar. An. 452. n. 47.

Juſt. Cod. l. 1. tit. 3. l. 23.

Proterius Epiſcopus creatur Alexandrinus. Seditio ob ejus electionem.

XIII. Quid rerum Alexandriæ poſt Ægyptiorum Epiſcoporum reditum ageretur, nunc eſt videndum. Hiſtoriæ ſummam Liberatus perſpicuis verbis complectitur, qui ea de cauſa nobis eſt exſcribendus: *Reverſi ſunt Alexandriam, qui cum eo venerunt Epiſcopi, & Clerici. Athanaſius Buſirios Epiſcopus, & Neſtorius Paphlagoneos, & Auxonius Sebennitenſis, & Macarius Chabaſenenſis, qui conſiderant in Chalcedona, & anathematizaverunt Eutychem, & ejus dogma cum Dioſcori damnatione Epiſtolæ Papæ Leonis ſubſcribentes, ut cum omnium civium voluntate eligerent ordinandum Epiſcopum, ſacris ob hoc literis præcedentibus ad Theodorum tunc Auguſtalem. Collecti ſunt ergo nobiles civitatis, ut eum, qui eſſet vitâ & ſermone Pontificatu dignus, eligerent. Hoc enim & Imperialibus Sanctionibus jubebatur. Cùmque ſuper hoc multa dubitatio præceſſiſſet, volentibus civibus neminem penitùs ordinare, ne adulteri viderentur, Dioſcoro quippe vivente, noviſſimè in Proterium univerſorum ſententia declinavit, utique cui & Dioſcorus commendarit Eccleſiam, qui & eum Archi-Presbyterum fecerat. Ordinatus ergo Proterius, præſentibus ſuprà memoratis Epiſcopis, qui in Synodo ſubſcripſerant, inthronizatur.* Ordinationi Proterii alios etiam Ægypti Antiſtites interfuiſſe, ex verbis Evagrii colligitur: *Proterius communi totius Synodi ſuffragio Alexandrinum Epiſcopatum ſortitur.* Anno CCCCLIII. Proterii ordinationem aſſignat Victor Tununenſis: *Opilione & Vincomalo Coſſ. Dioſcoro Gangrâ exilio relegato, Proterius Alexandrinæ Eccleſiæ ſuſcipit Præſulatum.* Ex ſerie tamen hiſtoriæ probabilior noſtra Chronologia, quam ſtatuis & Nicephori Chronographia: *Proterius Orthodoxus, qui in divina piſcina occiſus eſt, ſedit annos ſex.* Pernicioſâ ſeditione furere cœpit Alexandria, ubi Proterium vidit, in Epiſcopali ſede collocatum, aliis Dioſcorum requirentibus, aliis verò Proterium defendentibus. Eò tumultus proceſſit, ut Priſco Rhetore teſte oculato, plebs in ipſos Magiſtratus impetum faceret: milites ſeditionem inhibere volentes, lapidibus petitos in fugam verteret, perfugiumque, Serapidis quod olim fuerat in Templo, quærentes, vivos concremaſſet.

Liberat. c. 14.

Evagr. l. 2. c. 5.

Evagr. l. 2. c. 5.

Comprimendæ ſeditioni Marcianus milites mittit: à Floro extinguitur.

XIV. Proterio periculi non minimum ex ea ſeditione creabatur, ut militari cuſtodiâ egeret, quâ ab injuriis tutus foret. Triſti hoc nuncio ad Imperatorem perlato, duo millia militum, qui recens conſcripti erant, Alexandriam miſſi ſunt, qui ſecundo vento uſi, adeo proſperè navigarunt, ut ſextâ poſt die in eam urbem appulerint. Et cùm milites petulantius illuderent uxoribus & filiabus Alexandrinorum, multò graviora quàm antehac ſunt perpetrata. In annum uſque ſequentem prorogata ſeditio, cùm Theodorus Auguſtalis, qui Alexandriam adminiſtrabat, eo tempore, quo Proterius inauguratus eſt, Floro deceſſit. Ut tumultum ulciſceretur Florus, qui & rei militaris Ducem, & Præfectum Alexandrinum agebat, annonam, quæ Imperatorum munificentiâ civibus erogabatur, ademit. Dudum erat, quòd Alexandrinis frumenta Cæſares erogarant, cujus annonæ Dionyſius meminit Alexandrinus, imperante Gallieno ſcribens, Hieraci adſcriptos eſſe *ad annonam ex publico accipiendam*, annos XIV. natos uſque ad octogenarios. Pro liberalitate Imperatorum creſcebat annona: *Diurnos centum & decem modios alimonis Alexandrinæ civitatis addi*, decreverat Theodoſius, anno CCCCXXXVI. Iſidoro & Senatore Coſſ. Irrogatâ à Floro pœna ferociam Alexandrinam domuit. Itaque anno CCCCLIII. populus in Circo congregatus, Florum rogat, ut ablatam ſibi annonam reſtituat, balnea, ſpectacula, & quæcunque adempta fuerant ob tumultus concitatos. Id ſe facturum *Priſci* conſilio Florus pollicitus, ſeditionem paulatim diſſolvit. Alia quoque remedia tantis vulneribus Marcianus adhibuit, miſſo ad Alexandrinos Joanne Decurione, qui & Chalcedonenſi Concilio adfuerat, & explicandæ fidei peritus erat. Laicum agebat, ſed eò gratior Alexandrinis fuit, quibus in ſuſpicionem adulteratæ pietatis Epiſcopi adducebantur. Literis quas afferebat Marcianus, Chalcedonenſem Synodum purgabat, quæ *circa Apoſtolicam fidem nil penitùs innovavit*. Eutychis blaſphemias, Apollinariſtarum doctrinam ſapientis, Neſtoriumque damnavit; necnon Symbolum Nicænum ſtabilivit. Porro Proterius non tranquillam placidamque vitam in Epiſcopatu ſuo traduxit: & anno CCCCLVII. ubi mors Marciani eſt Alexandriæ cognita, gratiſſima inimicis victima ſanguine ſuo nefarium ipſorum odium ſaturavit.

Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 21.

Evagr. l. 2. c. 5.

ANNO U. C. 1206. OLYMP. 308. PER. JUL. 5166. JUL. 498. DOM. 453. VALENT. 28. & 29. MARCIAN. 3. & 4. *Sol.* 14. D. *Lun.* 17. *Indict.* 6. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 4. P. 12. *April.*

ANNO DOM. 453.

COSS. *Vincomalus & Opilio.*

Mors & laudes Pulcheriæ.

I. TRiſtia & Imperii, & Eccleſiæ fata Pulcheriam Auguſtam labente anno merſerunt. Id Chronologis conſtat, de ſuprema verò illuſtris fœminæ die non minimum diſſidunt. Baronius, cujus autoritate decipiuntur complures, *undecimam* Septembris Pulcheriæ ultimam putat. Quæ ſententia ab illa Veterum variat atque diſſidet, Pulcheriam citius mortis ſolviſſe debita exiſtimantium. Chronicum Alexandrinum: *Vincomalo & Opilione Conſulibus natura ſatisfecit Pulcheria Auguſta, imperantibus Valentiniano & Marciano Auguſtis, menſe Februario, XII. Kal. Martias, mediâ Quadrageſimæ hebdomade.* Labente Julio ad plures abiiſſe Pulcheriam,

Bar. An. 453. n. 20.

riam, in Idacio legimus: *Tertio regni anno Principis Marciani Regina moritur Pulcheria, menſe Julio.* Rejiciatur ergo Baronii Chronologia, quamvis in dubio ſit animus, Idaciumne ſequamur, an Chronicum Alex. licet magis in Idacium propendeamus, cùm Martii decimo Leo Pulcheriam ſcripto adierit. Lucem aſpexerat Pulcheria Januarii XVIII. anno Dom. CCCXCIX. Manlio Theodoro, & Eutropio Coſſ. Itaque ad annos LV. vitam extendit. Illuſtris fœmina fuit, omni laudum beata cumulo, pietate, liberalitate, caſtitate, prudentiâque in adminiſtranda R. publica incredibili. Ingenioſiſſimam artem adhibuit, ut inconſideratam Theodoſii ſocordiam emendaret, qui non lectis Libellis ſubſcribebat. Quo animadverſo, per ſuum Libellum Imperatori oblatum, Eudoxiam ejus uxorem in ſervitutem ſibi dono datam accepit. Pietatem ejus redolet teſtamentum, quo cuncta bona ſua moriens pauperibus reliquit, quod Marcianus memoriæ ipſius cultor infirmari nolens, ad perficienda cuncta, quæ illi mandaverat, libenter ſumptus ſubminiſtravit. Eccleſias plures ædificavit, ſuæ pietatis indicia. Eam ſcilicet, quæ in Blachernis; aliam, quæ eſt in Chalcopratiis; tertiam, quæ dicitur *Hodegorum*. Cujus appellationis rationem Baronius non eſt aſſecutus, quam ſic explicat, *via Ducum*. Cui credulus Sucurius vertit, *La rüe des Ducs*. Verius etymon ex Codino affert doctiſſimus ille Valeſius: *Dicta porro eſt hæc Baſilica Hodegorum, eò quòd cæci meritis beatæ Virginis, cujus illic imago erat depoſita, viſum recuperarent, nec amplius ὁδηγῷ, id eſt, ductore opus haberent.* Ratio hæc appellationis fuit, etſi quæ miracula ob merita Virginis ibi patrata dicuntur, nos præſtare nolimus. Hoc in Templo Pulcheria, *ut quarta quoque hebdomadis die pervigilium & ſupplicatio ad lucernas & lampades fieret, conſtituit, quam & ipſa pedes frequentare ſolita erat.* Erexit quoque Martyris Laurentii delubrum, adventarumque ſepulchra conſtituit. Quod verò in *Chalcopratio*, hoc eſt, *fabrorum foro*, veluti *theſaurum Deiparæ zonam depoſitam* eſſe, tradit Nicephorus, à fabularum amatoribus quidem, non à nobis ſanè fidem impetret. Magnum quoque ſui monumentum reliquit Pulcheria in ſua ad *Baſſulam*, Virginum Monaſterio in Palæſtina Præfectam Epiſtola, de qua mox mentio eſt agitanda. Porro tot vallata virtutibus fœmina Princeps, ne vel invidos famæ dentes effugere potuit; accuſata ſcilicet inceſtus conſuetudine cum Theodoſio fratre, cenſurâque Neſtorii vexata ob *Magiſtrum Paulinum*, quam fuiſſe cauſam prædicant, cur tanto Neſtorium odio proſequeretur. Locum invenit in Martyrologio Pulcheria, die tamen ab ultimo ſuo longè diverſo, decimo ſcilicet Septemb. in quo legitur: *Conſtantinopoli ſanctæ Pulcheriæ Auguſtæ Virginis, religione, & pietate inſignis.*

Theodorit. Lect. l. 1.

Bar. An. 453. n. 22.

Niceph. l. 15. c. 14.

Suid.

Attila in Gallia à Thoriſmundo debellatur.

II. Dum Pulcheriam Marcianus luget, adventant Attilæ Legati, qui teſtabantur, factam à ſuo Principe Provinciarum vaſtationem contigiſſe, quòd promiſſa à Theodoſio minimè perſolveret. Hæc tamen agens, ut erat verſutus & callidus, alibi minatus, alibi arma ſua commovit. Alanorum ergo partem trans Ligerim conſidentem, aggredi ſtatuit. Quid eâ expeditione factum, dicat Jornandes: *Ab Dacia, & Pannonia Provinciis, in quibus tunc Hunni cum diverſis ſubditis nationibus inſidebant, egrediens Attila, in Alanos movit procinctum. Sed Thoriſmundus Rex Viſigothorum fraudem Attilæ non impari ſubtilitate perſentiens, ad Alanos totâ ſubtilitate prius advenit, ibique ſupervenientis jam Attilæ motibus præparatus occurrit: conſertoque prælio, penè ſimili eum tenore, ut prius in campis Catalaunicis, à ſpe removit victoriæ, fugatumque à participibus ſuis, ſine triumpho remittens, in ſedes proprias fugere compulit.* Sic Rex ille ſuperbus, qui tot laboribus ſuſceptis, tot periculis aditis, mercedem rerum geſtarum gloriam deſiderabat, amiſſo quod ſperabat præmio, inglorius receſſit, vitam anno ſequente ſua cum ambitione relicturus.

Jorn. de reb. Get. c. 43.

Ætius Archidiaconus remotus ab Anatolio, officio ſuo reſtituitur.

III. Hactenus de Imperio, rebus Eccleſiæ nunc attendamus animum. Offenſo ob conceſſa Anatolio privilegia Leoni acuendis iræ aculeis nova materia ſuppeditatur. Ætium Archidiaconum, qui Chalcedonenſi Conventu in debellandis Eutychianis multum deſudarat, atque laboraverat, gradu ſuo removens Anatolius, Andream ipſius in locum ſuffecerat, hominem, qui Eutychis factioni fuerat olim patrocinatus. Ætianæ ſummam hiſtoriæ complectitur Leonis ad Marcianum Epiſtola: *Quæ cauſa, aut occaſionis emerſerit, ut virum Catholicæ fidei, & Neſtorianis atque Eutychianis Hæreticis conſtanter etiam adverſum Archidiaconum ſub honoris ſpecie degradaret, & diſpenſationem totius cauſæ, & curæ Eccleſiaſticæ in Andream Eutychianiſtem repentè transferret, adeò nimiâ commotione turbatus, ut conſecrationem, quam pro injuria dabat, ſextâ Sabbati traditionis Apoſtolicæ, aut neſcius, aut oblitus inferret. Quaſi non ad Epiſcopum magis quàm ad Presbyterum ordinationis illius vitium pertineret. Qui non inveniens, quod argueret in fide, quod improbaret in moribus dejectionem innocentis, per ſpeciem provectionis implevit, addens ſententiæ illud injuriæ, ut eum cœmeterio deputando condemnaret exilio.* Propterea Marcianum rogat, ut Anatolium increpare dignetur, qui *Andream*, magnâ licet ſatisfactione purgatum, Catholicis tamen præponere non debuit. Significat & Marciano, ſe vices Juliano Coenſi ſuas delegaſſe contra Hæreticos. Scripta eſt Epiſtola decimo Martii. Illo ipſo die Pulcheriam ea de re literis convenit. Poſtridie eadem ingerit Juliano Coenſi: *Dum Ætius*, inquit, *ab officio Archidiaconatus per ſpeciem provectionis amovetur, & in locum ejus Andreas, qui ob Hæreticorum ſocietatem fuerat abjectus, aſſumitur, dum beatæ memoriæ Flaviani accuſatoribus honor redditur, & piiſſimi Confeſſoris participes, aut diſcipuli conteruntur, nimis apertè quid Epiſcopo Eccleſiæ ipſius placeat, demonſtratur.* Anno ſequente rediit Ætius in gratiam cum Anatolio, qui id & Leoni ſignificatum voluit. Pergratum hoc Pontifici nuncium fuit, ut ſuâ Epiſtolâ, IV. Kal. Junii Ætio & Studio Coſſ. ſcripta, teſtatus eſt: *Quod in Conſtantinopolitana Eccleſia quædam in officiis Clericorum correcta ſignificas, ut & Ætium Presbyterum in gratiam tuam, affectionemque revocaveris, & Andream Archidiaconi actione ſubmoveris, nobis placuiſſe reſcribo, quia exiſtimationem tuam, ut optabam, plurimum erigit, & commendat.*

Leo Ep. 57.

Leo Ep. 71.

Leo teſtatur ſe fidei Chalcedonenſium aſſentiri. An ſibi conceſſa jura Anatolius repudiarit?

IV. Percrebuerat in Oriente fama, Leonem Chalcedonenſi Concilio aſſenſum non præbuiſſe, ex eo ut videtur orta, quòd Conſtitutioni de honoribus Sedi Conſtantinopolitanæ collatis, totis viribus pugnabat. Quam ſibi labem rumor aſperſerat, eam datis ad Epiſcopos, qui Synodo interfuerant, literis Leo deterſam voluit. Id qui-

Anno Dom. 453.

quidem ex Epiſtolis, quas poſt Legatorum ſuorum reditum ad Anatolium miſerat, ſciri potuiſſe teſtatur, ſi reſponſionem Sedis Apoſtolicæ manifeſtari voluiſſet. Ut verò malignis interpretibus eat obviam, affirmat ſe in ſola fidei cauſa geſtis Synodalibus calculum addere. Velle

Leo Ep. 61.

ſe tamen, ut jura Eccleſiarum, *ſicut ab illis* CCCXVIII. *Patribus divinitus inſpirata ſunt, ordinata permaneat.* Sed & Marciano ſignificat, utroque ſe pollice certum facere, miris ſibi modis placere, quæ de fide Chalcedone decreta ſunt, quod per *Lucianum* Epiſcopum, directis ad ipſius majeſtatem ſcriptis oſtenderat. Eadem ferè habet Epiſtola ad Pulcheriam, quæ necdum defuncta erat. Datæ ſunt Epiſtolæ XII. Kal. Aprilis. Cæterùm ex verbis Leonis ad Marcianum nobis cum Baronio lis eſt. Scripſerat

Leo Ep. 59.

Imperatori: *Mihi multum fiducia, Deo per vos operante, collatum eſt, quod probaſſe vos obſervantiam meam de cuſtodia Canonum paternorum pietatis veſtræ affectibus indicaſtis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religioſiſſimè placere cognoſco, ut & fides Nicæna ſuam teneat firmitatem, & privilegia Eccleſiarum illibata permaneant.*

Bar. An. 453. n. 5.

Quid ad hæc Baronius? *Gratulatur Imperatori, quòd irrita prorſus voluerit, quæ in favorem Sedis Conſtantinopolitanæ Anatolius ab Epiſcopis extorſiſſet.* Itaque ſibi in mentem illuſtriſſimus Purpuratus induxit, data conſenſu omnium Sedi Conſtantinopolitanæ privilegia ab Anatolio eſſe repudiata:

Bar. An. 454. n. 14.

Quod ad illam de Primatu cauſam pertinet, ab ea infamia reſipuiſſe Anatolium, laudat. Quam hanc ſuam opinionem verbis Leonis fulſit, Anatolio ſcribentis:

Leo Ep. 71.

Abjiciatur penitùs inconceſſi juris, qui diſſenſionem fecerat, appetitus. Quæ ovans Baronius legit, eo majore cum gaudio, quo propè metum fuerat, ne conceſſis Anatolius privilegiis uteretur. Itaque exultans exclamat:

Bar. An. 454. n. 15.

Leo *ſalus triſtium reddit, quod Concilium ſexcentorum Patrum ſententias comprobaſſet.* Atqui hæc dormiens Baronius per ſomnium ſibi videre viſus eſt. Nolumus quidem prorſus inficias ire, Leonem hanc ſibi fortè perſuaſionem induiſſe, quòd Anatolius pro pacis amore conceſſos ſibi honores tandem repudiarit. Id ſibi velle videtur, ſcribendo ad Anatolium:

Leo Ep. 17.

Gratum mihi, frater chariſſime, eſt, quòd dilectio tua id profitetur, ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Non id tamen mentis Anatolio fuit, ut conceſſos ſibi ab Oecumenico Concilio honores repudiaret, neque repudiaſſe unquam, certiſſimum eſt. Imò Orientalibus maximè diſplicebat in rejiciendo ipſorum Canone pertinacia Leonis, cujus rugitibus non movebantur. Hoc cùm non neſciret Julianus Coenſis, Epiſcopis apud Conſtantinopolim agentibus verba Leonis, quibus Canoni XXVIII. Chalcedonenſium intercedebat, legere noluit, ne forent offenſioni. Non lecta quidem fuiſſe, verbis expreſſis ipſemet Leo docuit: *Miratus ſum, quòd reliqua, quæ ſecuta fuerant, non pariter in notitiam eorum, quibus ſunt lecta, prolata ſunt. Cùm maximè omnibus innoteſcere debuiſſet, improbum a vobis ambitum notatum fuiſſe, ne novis uſurpationibus conſtituta, inviolata, ut ſemper ſcripſimus, ſervarentur.* Ex eadem etiam Epiſtola conſtat, Anatolium juri

Leo Ep. 68.

ſuo nunquam ceſſiſſe: Marcianus, inquit, *aliam quoque ad nos Epiſtolam dedit, interveniens pro Anatolio Epiſcopo, ut noſtri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem ejus promittit, & in omnibus ſe ſatisfacturum eſſe, quæ ad fidei obſervantiam pertinent.* De repudiatis honoribus ne verbum quidem: nec in ea re ſatisfactum Leoni. Id omnium teſtatus eſt Anatolius, Canonem XXVIII. Chalcedonenſium abſque ſua vel inductione, vel impulſione eſſe conditum, ſeque ab honorum cupiditate ſemper alieniſſimum extitiſſe. Baſiliſcus quidem Imperator, licet timore perculſus, encyclicis tamen literis ſuis Chalcedonenſem Canonem corroboravit:

Evagr. l. 3. c. 7.

Provincias, quarum ordinationem Sedes hujus regiæ, & glorioſæ urbis habuerat, reverendiſſimo ac ſanctiſſimo Patriarchæ, & Archiepiſcopo Acacio reſtitui jubemus. Jus ergo in Aſiam Pontumque Conſtantinopolitanus exercebat Acacius ante Baſiliſci conſtitutionem, quâ Synodi Chalcedonenſi autoritas abrogabatur. Itaque *Epheſinæ Eccleſiæ jus Patriarchicum, quod illi ademptum fuerat, à Chalcedonenſi Synodo*, à Timotheo Alex. eſſe redditum, teſtatur ille ipſemet Evagrius, lib. 3. c. 6. Quid multa? privilegia vel invitis Epiſcopis Romanis ſua retinuiſſe Conſtantinopolitanos Antiſtites, monuit nos Alcimus Avitus, in ſua ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſtola, quam Sigiſmundus Legatus attulit. Joannem verò ſic alloquitur, præmiſſo *Papæ* nomine:

Avit. Ep. 7. B. M. P. c. 9. 570.

Adjecit vir illuſtris Laurentius honorem veſtri, animis noſtris indicans, apicibus ſuis omne nubilum, quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuſcaverat, redintegratæ pacis ſerenitate deterſum: & eam tum Romano Antiſtite vos habere concordiam, quam velut geminos Apoſtolorum Principes mundo aſſignare convenias. Potuitne clarius indicari, inter orbis Epiſcopos, & Romanum, & Conſtantinopolitanum eminere, ut cæterorum Principes, quibus Alexandrinus Antiochenuſque aſſurgerent?

De Paſchate anni 455. Leo Marcianum conſulit.

V. Dum in rebus Anatolii Leo defixus eſt, cogitanti aliud objicitur animo. Non ita committendum putabat, ut Paſcha alio in Orientis, alio in Occidentis partibus tempore celebraretur. Schiſma quoddam in Eccleſia pertimeſcebat, non ignarus Victorianorum cum Aſianis de Paſchali ſolemnitate diſſidiorum. Pro ſua ergo ſagacitate periculo maturè occurrendum exiſtimat. Anno CCCCLV. Alexandrinis, Lunæ Cyclus XIX. Litera Dominicalis B. numerabatur. Quâ regulâ terminus Paſchalis Aprilis XVII. cohærebat: proindeque feſtum Reſurrectionis Aprilis XXIV. celebrari debuit. Latinia verò, qui alio Cyclo utebantur, Paſchalis ſolemnitas Aprilis XVII. agitanda fuit, octidui diſcrimine. Quaſi cardo religionis in ea re verteretur, viſum eſt Leoni, Marcianum Auguſtum conſulere, cujus in conſervanda Eccleſiæ diſciplina maxima ſemper cura fuit. Eum itaque ſic compellat: *Non improbè cupio Clementiæ veſtræ ſtudiis adjuvari, ut in ea obſervantia, quæ certâ ſemper ratione variatur, nil poſſit erroris incurri. Paſchale etenim feſtum, quo ſacramentum ſalutis humanæ maximè continetur, quamvis in primo ſemper menſe celebrandum ſit. Ita tamen eſt Lunaris curſus conditione mutabilis, ut plerumque ſacratiſſimi dies ambigua currat electio: & ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non ſimul omnis Eccleſia, quod niſi unum eſſe oportet, obſervet.* His præmiſſis, Leo ad difficultatem progreditur, præmiſſâ mandati à Patribus Alexandrino Epiſcopo dati mentione, ut Aſtronomiæ ſuæ peritiâ erroris omnis occaſionem auferret: *Sed ſanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cùm hujus obſervationis annos centum numero colle-*

legiſ-

ANNO DOM. 453.

legiſſet, ſeptuageſimo ſexto Paſchale feſtum longè aliter quàm alii decreverant, tenendum eſſe conſtituit, à primo Auguſtæ memoriæ Theodoſii Conſulatu ſuccedentes ſibi ſacra obſervantia ordines ponens, ut longioris temporis ratio ejus literis teneretur aſcripta, cujus complexionis ſeptuageſimus & quartus eſt annus, in quo pridie Idus Aprilis ſanctum Paſcha celebravimus. Sequenti verò anno, pridie Nonas Aprilis, eadem propitio Deo erit habenda feſtivitas, ſicut regulariter centenaria annorum ratiocinii ordo declarat. Sed in anno, qui erit LXXVI. *Paſcha dies invenietur aſcriptus, quem à Paſſione Domini nullius exempli, nullius conſtitutionis admittit auctoritas. Nam diem octavum Kal. Majarum ab eo cognoſcimus præfinitum, qui anni limitem antiquitùs conſtitutum excedit, cùm alii quintum decimum Kal. Majarum hunc feſtivitatis deputaverint diem.* Hæc ergo difficultas Leonis ante oculos cum obverſaretur, Marcianum rogat, Leo Ep. 64. *Ægypti, vel ſi qui ſunt alii, qui certam hujus ſupputationis videntur habere notitiam, ſcrupulum hujus definitionis abſolvant. Data* XVI. *Cal. Julii.* Scripſit & Eudoxiæ Auguſtæ, religioſiſſimo Leo Ep. 65. Principi ſuggerere dignetur, ut *indiſſimulanter jubeat Ægyptios admoneri, ne in ſumma feſtivitatis die, aut diſſenſione aliquâ, aut tranſgreſſione peccetur.* Non tantum ſibi juris aſſumit Leo, ut Epiſcopo Alex. imperaret. Cauſas porro difficultatis, quæ Leonis quietem ſollicitabant, anno 455. exponemus. Leonis precibus conceſſit Marcianus, *ut Neſtorium agentem in rebus Alexandriam mitteret*, qui Clerum de mota difficultate conſuleret. Conſulenti reſpondit *Proterius*, cujus Epiſtolam anno ſequente exhibebimus.

Leonis ad Proterium Epiſtola. VI. Leoni lætitiæ non minimum dedit Proterii legatio Alexandrini, cujus literas attulit *Neſtorius*, Phragonenſis Epiſcopus. Reſcripſit Proterio Pontifex pietatem ei gratulatus. Extat nunc doctiſſimi Queſnellii curâ atque diligentiâ integra Leonis hæc ad Proterium Epiſtola, cujus fragmentum duntaxat in Beda legebatur: *Lætificaverunt me literæ dilectionis tuæ, quas frater & Coëpiſcopus noſter Neſtorius pio adportavit officio; oportebat enim, ut ab Alexandrinæ Præſule Eccleſiæ talia ſcripta ad Sedem Apoſtolicam mitterentur, quæ oſtenderent, Magiſterio Beati Petri Apoſtoli hoc ab initio per Beatum Marcum ejus diſcipulum didiciſſe Ægyptios, quod conſtat credidiſſe Romanos.*

Synodus Andegavenſis. VII. Dum in Occidente verſamur, Andegavenſi Synodo tradendus eſt animus. Synodo occaſionem præbuit ordinatio *Thalaſſii*, ut nos Præfatio monet: *Cùm ad ordinandum Epiſcopum in Civitate Andegavorum convenissent, & Thalaſſius eſſet Epiſcopus ordinatus, omnibus pariter reſidentibus, Leone, Euſtochio, Charitatone, Rumorido, Vincentio, Victorio, & Thalaſſio Epiſcopis, pari conſilio atque tractatu deciſionem, quam verbo decreverant, etiam ſcriptura mandare voluerunt, ut hâc die, hoc eſt,* IV. *Nonas Octobris, Opilione V. clar. Conſule hæ regulæ ſervarentur, quæ à Senioribus juxta auctoritatem Scripturarum jam fuerant conſtituta.* Ea Præfatio Synodi & membra, & locum & tempus nos docuit; quid in ea conſtitutum ſit, nunc videamus. Extant Canones numero XII. I. Non liceat Clericis inconſultis Sacerdotibus ſæcularium judicia expetere, nec ſine commendatitiis Sacerdotum ſuorum literis aliò commeare. II. Ut Diaconi Presbyteris noverint, omni humilitate deferendum eſſe. III. Ut à violentia & crimine abſtineant. IV. Familiaritatem extranearum fœminarum Clerici vitent. Qui poſt interdictum ab eis ſe revocare noluerit, gradu altiori non donabitur, etſi jam ordinatus, non miniſtrabit. V. Ne vel conviviorum participes erunt, qui acceptâ pœnitentiâ reſiliunt, aut Virginitatis profeſſione excidunt. VI. Qui alienis uxoribus, ſuperſtitibus maritis conjugii nomine utuntur, alieni communione habeantur. VII. Clerici, qui ad ſecularium militiam ſe contulerint, ab Eccleſia, quam reliquerunt, removeantur. VIII. Monachi, qui per regiones vagantur, ſi ſe non emendaverint, ad communionem non recipiantur. IX. Aliorum Clericis gradum augere Epiſcopis non liceat. X. *Quicunque autem vel de Laicis, vel de Clero Miniſtri fuerint ordinati, & obſervare noluerint: ſi Laicus, communicare nec liceat, niſi fortè reprobaverint commiſſos.* Quæ tantâ obſcuritate ſunt involuta, ut vix Oedipus ab ea ſe expedire valeat. XI. Non niſi unius uxoris, quæ & virgo fuerit, vir Clericus ordinetur. XII. Pœnitentiæ locus omnibus pateat, quibus perſpectâ qualitate peccati, ſecundum æſtimationem Epiſcopi erit venia largienda.

VIII. Tempus eſt eorum quoque mentionem fieri, quæ ſpectant ad Orientem. Scelestus ille *Theodoſius*, qui Hieroſolymitanum Epiſcopatum arripuerat, vaſtatorem magis, quàm Paſtorem agebat. Præſtabat viris bonis mori, quàm hunc pati latronem in ſe graſſari. Afflictorum auxilio ſubiit Dorotheus Comes. In *Moabitide* regione bello adverſus Barbaros detinebatur, cum ut audiit, quæ Hieroſolymis gerebantur, ſummâ celeritate cum exercitu rebus præſentibus conſulturus accurrit. At Theodoſii Eudoxiæque ſatellites, clauſis portis, non prius eum admiſere, quàm pollicitus eſſet, Monachorum exemplo ſe quoque ad eorum partes defecturum. Juſſis Marciani ut obtemperaret Dorotheus, diligentiam adhibuit omnem, ut Theodoſium ſuam in poteſtatem redigeret. Id tamen fieri non potuit, quia impius ille, gnarus quid ſupplicii mereretur, Synæum in montem profugit, poſtquam viginti menſes tyrannidem in Sede Hieroſolymitana exercuit. Qui partibus ejus faverant, tam plebei, quàm Monachi tormentis ſubditi ſunt. Agnitâ Theodoſii fugâ, Juvenalis in thronum ſuum reſtitutus, omnibus, quos ille conſecrarat, dignitatem ademit. Poſt adventum Juvenalis multa triſtia atque acerba contigerunt, cùm ex utraque parte fierent, quæcunque furor ipſis ſuggerebat. Duæ voculæ faces præbuerunt turbarum incendio. Voculæ *in* & *ex*, in, & ex, quæ unâ literulâ inter ſe diſtant. Catholici quidem Chriſtum in duabus naturis confitebantur. Hæretici verò ex duabus naturis eum conſtare prædicabant, ſed quæ in unum coaluiſſent. Has tamen voces adeò disjunctas & ſeparatas arbitrabantur, ut quodvis mortis genus ſubire mallent, quàm veritati conſenſum accommodare.

Theodoſius Monachus fugam arripit. Juvenalis reſtituitur.

Niceph. l. 15. c. 9.

Evagr. l. 2. c. 5.

Leo ſcribit Monachis & Eudoxiæ, ut ſeditiones extinguerentur.

IX. Tanta mala mollibus primùm remediis curanda eſſe, viſum Leoni. Audierat à Juliano Coenſi, cui vices apud Marcianum ſuas demandarat, quantum turbarum Monachi in Palæſtina moverent. Varias igitur adornat Epiſtolas, ut morbi contagio hæc ſanaretur. Monachos benignis literis adit. Ipſorum offenſionem Interpretum aſcribit aut malitiæ, aut imperitiæ, qui non valuerunt in Græcum eloquium, aptè & propriè Latina transferre: *Quod tamen*, inquit,

Digitized by Google

quit, *adeò apud me profecit, ut dum ea, quæ Catholica fides reſpuit, improbatis, intelligamus vos veris amiciores eſſe, quàm falſis, & id meritò refutare, quod ex antiqua inſtitutione doctrinæ etiam ipſe deteſtor.* Deinde variis argumentis oſtendit, tam Neſtorium, quàm Eutychem jure damnatos eſſe, quibus propoſitis, ſubjungit: *Doleo, vos Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ, ut audio, reſultare, exagitando ſeditionibus civitates, conturbando Eccleſias, nec ſolum injurias, ſed etiam cædes Presbyteris, atque Epiſcopis inferendo, ut præ furore & ſævitia propoſiti veſtri, & profeſſionis ſitis immemores.* Quibus emendari debet Epiſtolæ titulus, *Leo Epiſcopus univerſis Epiſcopis per Palæſtinos conſtitutis.* Legendum *Monachis,* cum nec in hæreſim Epiſcopi Palæſtini incidiſſent, nec vim aliis Antiſtitibus ullam inferrent, ſed à Monachis paterentur. Amantiſſimis quoque literis Eudoxiam adortus eſt, cujus autoritas permagni momenti erat Monachis commovendis: *Obſecro Dominum, ut me tuam incolumitatem in cauſa fidei, in qua quorumdam intra Provinciam Palæſtinam Monachorum fuerant corda turbata, magis magiſque faciat adjuvare, ut tantum quod pietatis ſtudio fieri poteſt, hæreticæ perverſitatis omnis fiducia ſubſtrahatur.* Data VII. Cal. Jul. Dulcibus hiſce literis Eudoxiam & Auguſtam, & doctiſſimam fœminam à tumultu revocat, ut & voce, & exemplo, quibus plurimum apud Monachos valebat, eos ad frugem reduceret. Jam monachalis ille furor à Pontifice literas elicuerat ad Imperatorem, datas XII. Cal. April. *Per fratrem meum Julianum Epiſcopum innotuiſſe ſignifico, quàm pro dignitas fueritis reſponſo imperitorum Monachorum animos cohibere pariter & docere, ut ſi illos non penitus deſeruit divina miſericordia, ſentiant ſe & didiciſſe quod credant, & agnoviſſe quod timeant.* Eâdem ipſâ die Pulcheriæ gratulatur ob literas ad Monachos ſcriptas: *Quibus,* ait, *inſanam imperitiam Monachorum dignati eſtis parcendo plectere, & docendo punire, ut ſi eos ad pœnitentiam miſeratio divina converterit, multis lachrymis, & a nefandis cædibus, & ab Hæreticorum blaſphemiis diluantur.* Porro in Imperatoris cura ad ſanandos Monachos, tumultuſque comprimendos multum emolumenti fuit, ne dirumperetur ea, quæ maximè ſecundum religionem Chriſtianorum eſt, ſocietas. In eoque exultavit ipſe Leo in ſua ad Julianum Epiſtola, quinto Idus Januarii anno ſequente concinnata: Marciani *poſt Deum beneficiis hoc debetur, quòd Hieroſolymitanus Epiſcopus eſt receptus, & Monachos, quos perfidia hæretica falſitatis invaſerat, ad ſanitatem Auguſta autoritas revocavit.* Neque non ad eam rem conduxit Epiſtola Pulcheriæ ad *Baſſam,* Ælienſi Monaſterio Præfectam, quam monuit calumniarum impuri Theodoſii, & Simonis, ut eum vocat, imitatoris, & Antichriſti præcurſoris, qui eo impudentiæ proceſſit, ut Chalcedonenſes accuſaret proditæ pietatis; quaſi repudiato Symbolo Nicæno, duos Filios, duoſque Chriſtos adorandos eſſe ſanxiſſent. Quas calumnias ut potentius refelleret, de Domini perſona brevem Confeſſionem addidit: ſcilicet Chriſtum *de Spiritu Sancto & Maria Deipara natum eſſe: unum & eundem Filium, Deum perfectum, & hominem perfectum eundem, nullo modo diviſum, aut ſeparatum, aut converſum.* Ultima hæc fuit Epiſtola, quam præſtantiſſima Auguſta mulier ſcripſit inter homines agens, cùm non multò pòſt luteum diadema cum immarceſſibili gloriæ corona commutarit. Cæterùm ſeditiones Monachorum extinguere regia autoritas potuit; mentes erroribus purgare ſuis, & perſonare omnes non potuit. Eudoxia quidem Auguſta nonniſi poſt aliquot annos errores Eutychianorum ejuravit.

Leo Ep. 83. c. 8.

Leo Ep. 66.

Leo Ep. 59.

Leo Ep. 60.

Leo Ep. 68.

X. Gloriam anno addidiſſe perhibetur capitis Joannis Baptiſtæ inventio. Verùm ne quid diſſimulemus, de ea traditione multis dubitationum pungimur aculeis, uti jam monuimus ad annum CCCXCI. Quaſi Joannes Baptiſta biceps fuerit, de tranſlato ipſius capite hæc narrat Marcellini Chronicum: *Joannes præcurſor Domini Baptiſta caput ſuum, quod olim Herodias impiâ nefandâque poſtulatione ab humeris amputatum, & in diſco poſitum accepit, proculque a truncato ejus corpore ſepelivit, duobus Orientalibus Monachis ob adorandam apud Hieroſolymam Chriſti Domini Reſurrectionem introeuntibus revelavit, ut ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes admonitu requirerent, fideliterque humo extollerent.* Ut paulò longiorem Marcellini narrationem in pauca contrahamus, *Emiſenæ figulus civitatis* noctu à Joanne monitus, ſacras, quas geſtabat exuvias, arreptâ fugâ furatur, quæ deinceps in *Euſtochii* Ariani Presbyteri poteſtatem venere. Tanti theſauri poſſeſſor indignus, quæ beneficia Joannis miniſterio Chriſtus infirmæ plebi largiebatur, ſuis meritis vindicabat. Improbitate detectâ, Euſtochius *Emiſenâ civitate expellitur.* Volventibus annis eum antrum, in quo ſacrum caput collocatum fuerat, Monachi incoluiſſent, Marcellus Monaſterii Præſul cœleſtibus monitis tanti theſauri fit hæres: *Hoc igitur venerabile caput ſub Uranio memoratæ Epiſcopo civitatis per præfatum Marcellum Presbyterum conſtat inventum, Vincomale & Opilione Coſſ. menſe Februario, die* XXIV. *mediâ jejuniorum Paſchalium ſeptimanâ, Imperatoribus verò Valentiniano & Marciano regnantibus.* Expendant illi, quibus verum placet, quâ ratione illud Marcellini *conſtat* conſtare queat, cùm inventionem capitis Joannis Baptiſtæ in Theodoſii Magni imperium referat Sozomenus, l. 7. c. 21. Si germanum Joannis Baptiſtæ caput *in ſuburbano urbis Conſtantinopolitanæ, quod Septimum vocatur,* à Theodoſio depoſitum eſt, falſum utique Joannis Baptiſtæ caput illud eſt, quod labente anno CCCCLIII. à Marcello Presbytero inventum eſſe traditur. Concilient hæc pro viribus, qui reliquiis delectantur. In Marcellini narratione nonnulla quoque ſunt, quæ fidem non impetrant. Ac primùm quî fieri poſſit, Joannis caput Hieroſolymis Herodis in palatio ſepultum eſſe? Si à Regibus diſceſſerimus, nulla defunctorum corpora, nullæ cadaverum partes in Urbe ſancta ſepeliebantur. Sub Chriſti quidem tempora ne vel ipſi Judæorum Reges in Palatio ſuo Hieroſolymis condebantur. Non ſanè Herodes Magnus, pater Antipæ, à quo Joannes Baptiſta morti miſſus eſt. Herodio-Caſtro ſepultum eſſe, Joſephus docuit. Deinde quis ſibi fingat animo, Herodiadem, quæ aſperrimo adverſus Joannem odio flagrabat, voluiſſe in mariti ſui regia Hieroſolymitana defuncti, quem occiderat, caput honorificè recondi? Hoccine paſſi quoque fuiſſent Sacerdotes Hieroſolymitani? Inſuper quæ cauſa fuit, cur caput Joannis apud Machærontem decuſſum, in civitatem longè Herodis à ditione remotam atque diſſitam transferretur. Quòd ſi Joannis caput Hieroſolymis ſepultum

De capitis Joannis inventione.

Marcellini Chron.

ANNO DOM. 455.

ſepultum non fuit, perit funditùs de tranſlato Joannis capite traditio. Cur etiam Joannes tamdiu caput ſuum in obſcuro latere voluit? Quidni potius Helenæ, Sanctiſve peregrinis, qui imperante Conſtantino Hieroſolymam ingrediebantur, quàm ignotis Monachis caput ſuum revelaſſet? Prodeunt exuviæ illis temporibus, quibus inſano reliquiarum amore homines capiebantur, quo vel uno nomine Joannis capitis revelatio in dubium adducitur. His accedat, (Ruf. l. 2. c. 28.) Rufini ætate Hiſtorici creditum, Joannis Baptiſtæ ſepulchrum apud *Sebaſten* Palæſtinæ urbem jacere. Neque alibi truncum, alibi caput ſepultum eſſe, Rufinus indicat. Quòd ſi caput Joannis Sebaſte requieſcebat, de narratione tam Sozomeni, quàm Marcellini actum eſt omninò. Inſuper ſi venerabile Joannis caput à Marcello inventum eſt, quis in antro, ubi jacebat, relictum fuiſſe, ſibi inducat in animum? Pro more hujus ætatis ſacrum caput ex ſpelunca ſua in Templum tranſlatum fuiſſet plaudentibus populis. Atqui anno duntaxat 760. id honoris accepit, ut in Theophane legitur: (Miſcel. l. 22.) *Anno* XX. *Conſtantini Imperatoris tranſlatum eſt caput Sancti Joannis à Monaſterio Spelei in Templum ſuum Emeſa ſitum, quòd eſſet illuſtre.* Denique tempora inventi capitis ad Chronologiæ regulas non quadrant. Chronici Alex. verba ſunt: *Vincomala & Opilione Coſſ. regnante Valentiniano & Marciana Auguſtis, menſe Peritio* XII. *Kal. Martias, mediâ hebdomade jejuniorum, anno Syro-Macedanum* DCCLXIII. *Antiochenorum* DI. & CCCCXXV. *in quo Joannes Baptiſta capite truncatus fuerat, ſacrum ejus caput in Emeſena urbe repertum eſt.* Si Chronico Alex. fides, Joannis caput *Februarii* 18. inventum eſt; ſi Marcellino credimus, Februarii die XXIV. revelatum eſt. En Scriptorum concordiam! Quibus accedat, quòd tam in Marcellini Chronico, quàm in Alexandrino repertum fuiſſe Joannis caput dicatur *mediâ Quadrageſima hebdomade.* Nil aliud quidam ſonant verba hæc, *mediâ hebdomade jejuniorum*, & Marcellinus ipſe habet, *mediâ jejuniorum Paſchalium ſeptimanâ.* Eſt autem illud abſurdiſſimum. Anno CCCCLIII. Paſcha Aprilis XII. celebratum eſt. Itaque Quadrageſima ſi ſeptem hebdomadibus conſtabat, Februarii XIII. inceperat, aderat ergo dies jejuniorum Paſchalium ſecunda, non verò pars media; vel ſi Quadrageſima ſolas ſex hebdomadas complectebatur, ea nondum inceperat. De inventi capitis Joannis traditione Decreti, quod Gelaſianum nuncupatur, verba ſunt in obſervatione ponenda: *Scripta de inventione Crucis Dominica, & alia ſcripta de inventione capitis Joannis Baptiſta, novella quadam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cùm hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli pracedat ſententia, Omnia probate.* Mirum eſt, viros eruditos, Canginm, Leonem, Allatium, alioſque oleum operamque poſuiſſe in aſſerenda de invento Joannis capite traditione. Ad alia nos ſcitu utiliora properamus.

ANNO U. C. 1207. PER JUL. 5167. JUL. 499. DOM. 454. VALENTIN. 29. & 30. MARCIAN. 4. & 5. *Sal.* 15. *C. Lun.* 18. *Indict.* 7. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *April.*

ANNO DOM. 454.

COSS. *Ætius & Studius.*

I. QUem cæcum fortunæ ſuæ magnitudo fecerat Hunnorum Regem Attilam, is (Mors Attila.) miſerrimâ morte extinguitur, ut tanto exemplo Principes abdicatâ ſuperbiâ ad modeſtiam erudirentur. Magni Regis lamentabilem caſum Jornandes enequatur: *Extinctionis ſua tempora puellam, Ildico nomine, decoram valde, ſibi in matrimonium poſt innumerabiles uxores, ut mos erat gentis illius, ſocians: ejuſque in nuptiis magnâ hilaritate reſolutus, vino ſomnoque gravatus, reſupinus jacebat, redundanſque ſanguis, qui ei ſollicitè de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali faucibus illapſus, eum extinxit. Ita glorioſa per bella Regi temulentia pudendum exitum dedit. Sequenti verò luce, cùm magna pars diei fuiſſet exempta, Miniſtri Regii triſte aliquid ſuſpicantes, poſt clamores maximos fores effringunt: inveniuntque Attila ſine vulnere necem, ſanguinis effuſione peractam, puellamque demiſſo vultu, ſub velamine lachrymantem. Tunc ut illius gentis mos eſt, crinium parte truncatâ, informes facies cavis turpavere vulneribus, ut praliator eximius non fœmineis lamentationibus & lachrymis, ſed ſanguine lugeretur virili.* Cruentâ morte ad ſepulchrum Attilam deſcendiſſe, ſunt & qui referant: *Attila noctu mulieris manu,* (Marcellin.) *cultroque confoditur.* Præ cæteris nobis Jornandes audiendus, qui *Priſci*, Autoris Attilæ coætanei Hiſtoriam legerat. Mulieris facinus Ætio vindicari, ex Marcellino Baronius tradit, n. 23. At verba hæc *Ætii hortatu*, in melioris notæ exemplaribus deſiderantur. Quàm populis ſuis charus Attila fuerit, mœrore ſplendoreque funeris indicatum eſt. Lectiſſimi de tota gente equites circa cadaver, facto circuitu, præclara ejus facinora cecinere: *Pracipuus Hunnorum Rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortiſſimarum gentium Dominus, qui inauditâ ante ſe potentiâ ſolus Scythica & Germanica regna poſſedit, necnon utraque Romana urbis imperia, captis civitatibus terruit, & ne prada reliqua ſubderent, placatus precibus, annuum vectigal accepit. Cùmque hac omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hoſtium, non fraude ſuorum, ſed gente incolumi, inter gaudia latus, ſine ſenſu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus aſtimat vindicandum?* Exinde comeſſationibus celebratis, noctu cadaver terrâ ſecretò condunt: *Cujus fercula primùm auro, ſecundò argento, tertiò ferri rigore communiunt, addunt arma, hoſtium cadibus acquiſita, phaleras varia gemmarum fulgore pretioſas, & diverſi generis inſignia.* Ut verò tantis divitiis avaras manus arcerent, qui ſepeliendo Regi operam collocarant, *deteſtabili mercede trucidant.* (Jorn. de Reb. Get. c. 49.)

Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Attila
Neſcio quid, parvum quod non benè compleat urnam. (Metam. l. 12.)

Maximis imperiis adeò terribilis fuerat, ut mors ejus loco muneris divini haberetur. Eodem penè funere regnum ipſius elatum eſt. Inter ſucceſſores Attilæ de imperio contentio exoritur, & dum inconſultè imperare cupiunt cuncti,

Anno Dom. 454.

omnes ſimul Imperium perdidere: *Filii Attilæ, quorum per licentiam libidinis penè populus fuit, gentes ſibi dividi, æquâ ſorte poſcebant.* At Gepidarum Rex Ardaricus moleſtè ferens, tot gentes quaſi viliſſima mancipia tractari, contra filios Attilæ primus inſurgit. Anno CCCCLV. prœlium in Pannonia committitur, juxta flumen, cui nomen *Netad.* Poſt multos graveſque conflictus *favit Gepidis inopinata victoria. Nam triginta ferè millia tam Hunnorum, quam aliarum gentium, quæ Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius conſpiratorumque peremit. In quo prælio filius Attilæ major natu, nomine Ellac occiditur, quem tantum pater ſuper cæteros amaſſe perhibebatur, ut eum cunctis diverſiſque filiis ſuis in regno præferret.* Eo occiſo, fratres ejus fugantur juxta littus Pontici maris. Populi verò, qui inviti Alanorum imperio ſerviebant, miſſis ad Marcianum Legatis gratiſſimè ſuſcepti, ſedes, quas incolerent, accepere. Gepidæ Daciæ potiti, *à Romano Imperio niſi pacem & annua ſolemnia* postulavere. Gothi verò, qui ab Imperatoribus terras petierant, Pannoniam accepere.

Jorn. de Reb. Get. c. 50.

Mors Ætii.

II. Attilæ metu liberatus Valentinianus, ad perdendum Ætium, Imperii fortunam atque præſidium, convertit animas. Cur verò fortiſſimo viro, & de Republica benè merito mortem moliretur, *Maximus* in cauſa fuit, ut faciliore vindictâ illatam ſibi à Valentiniano injuriam ulciſceretur. Maximus Maximi tyranni, quem de medio Theodoſius ſuſtulerat, ſanguine editus, uxorem egregiâ formâ præditam duxerat, cujus cum pulchritudine caſtitas certabat, atque prudentia. Mulieris ut potiretur Valentinianus, ejus amore inflammatus, fraudes cogitat: *Maximum juſſit ad ſe in palatium venire, quo cum talis colludens, auro certo propoſito, annulum ejus victor nactus eſt. Hunc clam ad uxorem mittit, viri nomine, ut quàm primum ſigno perſpecto, in palatium ſalutatum Eudoxiam Auguſtam veniat. Illa ſubitò paret, quam certi, quibus res nota & mandata erat, protinùs in aula excipientes, longè in gynæceum duxerunt, ubi Valentinianus occurrens vim ei attulit. Illa poſt hac mœſta domum regreſſa, calamitatem fatumque ſuum flere, virumque magnoperè deteſtari cœpit, ut qui occaſionem huic rei dediſſet. Maximus verò dolore ingenti perculſus, de inſidiis contra Imperatorem ſecum meditatur.* Ut verò conſiliis ſuis proſperos ſucceſſus daret, Ætium Valentiniani columen in ſuſpicionem adducit: geſtorum omnium ipſius laudes obſcurat atque merita; corruptorum Eunuchorum ope perſuadet Imperatori, ſtudere novis rebus Ætium; potuiſſe ab eo facillimè Attilam opprimi. Quibus credulus Valentinianus, mortem imperat Ætio. Ab eo quidem conſilio Principem Romanorum unus revocare conatur, dum interroganti, utiliſne foret mors Ætii, reſpondiſſe fertur, hoc ipſe videret, benè, an malè: *Se tantùm ſcire, quòd ſibi dexteram alterâ manu incideret.* Quæ de illuſtris viri obitu à Proſpero narrantur, audire non injucundum: *Inter Valentinianum Aug. & Ætium Patricium poſt promiſſa invicem fidei ſacramenta, poſt pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt: & unde fuit gratia charitatis augenda, inde exarſit fomes odiorum incentore, ut creditum eſt, Heraclio ſpadone, qui ita ſibi Imperatoris animum in ſincero famulatu aſtrinxerat, ut eum facilè in quæ vellet impelleret. Cum ergo Ætius placita inſtantius repetit, & cauſam filii commentus agit, Imperatoris manu & circumſtantium gladiis crudeliter confectus eſt, Boetio Præfecto Prætorii ſimul peremptо, qui ei multâ amicitiâ copulabatur.* Horrendum, quòd ipſemet Valentinianus percuſſorem egerit: ſic enim Sidonius Apollinaris in Majoriani Panegyrico:

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 4.

Anno Dom. 454.

Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauſerat Ætius.

Sidon. car. 5. 305.

Cum Ætio Heſperium concidit Imperium, nec amplius erigi potuit. Præmia hæc ſervati Imperii Duci Romanorum omnium fortiſſimo inſanus Valentiniani furor detulit. Sic proprio ſanguine ſecures, faſceſque ſuos imbuit miſer ille, quo intelligi debuit, cœleſte Numen pugione Valentiniani injuriarum Bonifacii pœnas ab inſidiatore repetere: ſeraque licet, ſontibus tamen tandem extare ſupplicia. Filium reliquit, nomine *Gaudentium*, qui anno proximè futuro à Geiſerico Carthaginem ducitur. Gaudentii & mentio eſt in Sidonii Panegyrico, quem Majoriano nuncupavit:

Idat. Chron.

Parvus ſuper hoc Gaudentius hujus
Calcatur fatis.

Sidon. car. 5. 205.

III. Suis quoque cladibus, gravibus ſanè Oriens afficitur. Cùm ingens ſiccitas utrique Phrygiæ, Galatiæ, Cappadociæ, & Ciliciæ incubuiſſet, penuriâ adiguntur homines ad noxios cibos, quos peſtis excepit. Ex alimentorum mutatione in morbum delapſi, corporibus ob nimiam inflammationem tumeſcentibus oculos amittebant, ſimulque tuſſi vexati, tertio die moriebantur. Ac nullum quidem contra vim peſtis remedium inveniri potuit. Auxilium verò contra famem Dei providentia ſuppeditavit. Manna quippe, ſi fides Evagrio, è cœlo depluit, non ſecus atque olim Iſraelitis. Inſequente autem anno tellus ſuâ ſponte maturos fructus protulit. Palæſtinam quoque, & alias regiones ea calamitas depaſta eſt.

Fame & peſte Oriens laborat.

Evagr. l. 2. c. 6.

IV. Nos ad lætiora tranſgrediamur, ea recenſentes, quæ ſunt Eccleſiæ. In Oriente verò verſantibus offert ſe Synodus Alexandrina, Præſide *Proterio*. Concilii hujus mentio eſt in Epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum, & Cleri Alexandrini ad Leonem Imperatorem Timotheus indignus tanto nomine, Presbyter Alexandrinus, Dioſcoroque amiciſſimus, totis viribus Chalcedonenſium ſcitis obluctatus, ea deſtrui cupiebat. Itaque vix ad Epiſcopatum conſcenderat *Proterius*, cùm infelix ille *Timotheus* Clero Alexandrino ſocietatem renunciat. De eo ſchiſmate Liberatus: *Timotheus quidem, cognomento Ælurus, & Petrus Moggus Diaconus, qui de ordinatione fuerunt Dioſcori, ab Alexandrina Eccleſia ſe ſeparaverunt, nolentes communicare Proterio.* Sed Ægypti Epiſcopos res ſuas narrantes, audire præſtat: *Dum tranquilla pax orthodoxæ plebis tum apud nos, tum in urbe Alexandria eſſet, rurſus turbæ excitatæ ſunt, cum Timotheus ſtatim poſt ſanctum Chalcedonenſe Concilium, quo tempore duntaxat Presbyter erat, ab Eccleſia Catholica communione, & pace ſeparaſſet ſe, & præcidiſſet, unà cum quatuor, aut quinque quondam Epiſcopis, & paucis Monachis, qui peſtifero Apollinaris & Eutychis errore, perinde ac ipſi implicati tenebantur. Quam ob cauſam tunc Canonicè depoſiti, à beatæ memoriæ Proterio & ab univerſo Concilio Epiſcoporum Ægypti, imperialem quoque merito vindictam exilio experti ſunt.* Nondum Alexandrina ea Synodus Leoni

Proterii adverſus Timotheum Synodus.

Liberat. c. 15.

Evagr. l. 2. c. 8.

ANNO DOM. 454.

Leoni Pontifici inootuerat, cùm quinto Idus Martii de pietate & virtutibus Proterii ſcripſit ad Marcianum. Diſſidiorum tamen Alexandrinorum rumor Romam afflaverat. Quæ cauſa Leoni fuit, cur Marcianum rogaret, ut ſua de Incarnationis myſterio Epiſtola Græcè ab hominibus linguæ hujus peritis redderetur, Alexandrinis mittenda. Recitentur ipſamet verba Leonis:

Leo Ep. 69. *Obſecro venerabilem Clementiam veſtram, ut eandem Epiſtolam per fratrem meum Julianum Epiſcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus Pietas veſtra delegerit, in Graecum ſermonem jubeatis integrè diligenterque tranſlatam, per idoneum latorem ſub veſtri ſignaculi impreſſione deferri, tradendam Judicibus Alexandrinis, qui eam Clero, & Plebi ipſius Civitatis cum prædictorum Epiſcoporum prædicationibus*, (Athanaſii ſcilicet, Theophili, Cyrilli,) *qui & meo ſcripto conſentiunt, faciat recitari.*

Proterius ſuam de die Paſchatis opinionem firmat in ſua ad Leonem Epiſtola.

V. Celebrem quoque de Paſchate *Proterius* Leoni Epiſtolam miſit, ex qua excerpta quædam intelligendæ quæſtioni neceſſaria ſunt proferenda. Difficultatis erat, nùm Paſcha Aprilis vel vigeſimo quarto, vel ſeptimo & decimo celebranda foret, anno proximè ſecuturo, qui Dom. eſt CCCCLV. Prius affirmabant Alexandrini, poſterius Latini. Hærebat Leo, & vix quò ſe verteret, non habebat. Anno præterito ad Marcianum, & ad Eudoxiam ea de quæſtione ſcripſerat. Dubius adhùc animi anno labente, *quinto Idus Januarii* Juliano Coenſi hæc literis ſignificarat:

Leo Ep. 68. *De præſentis anni Paſcha nulla dubitatio eſſe nobis potuit, ſed de futuro, quod Theophilus Alexandrinæ urbis Epiſcopus IX. Kal. Maiarum die, quod nunquam ita à tempore Dominicæ Reſurrectionis celebratum eſt, credidit aſcribendum. Unde ſollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occaſio tollatur erroris.* Martiano quoque gratulatur Epiſtolâ, datâ VII. Cal. Martii, quòd *con-*

Leo Ep. 70. *feſtim Nectarium agentem in rebus, Alexandriam mitteret de errore removendo, quem ſanctæ memoriæ Theophili Conſtitutio videtur inferre.* Dum ita fluctuatur Leonis animus, conſultus ea de quæſtione Proterius ſic dubitanti reſpondet: *Piiſſimus & fideliſſimus Imperator noſter Marcianus literis ad nos nuper venerabilibus uſus eſt, quibus aſſeruit, æſtimare quoſdam, non diligenter aſcriptam diem feſti Paſchalis, quæ per octavam Indictionem futuram, Domino præſtante celebranda eſt. Verùm tamen non velut à ſe commotus hoc indicavit, ſed quia ſcripta tua Sanctitatis acceperit.* Status hic eſt quæſtionis, quo monemur, anno non CCCCLV. ut Cavius putat, ſed currente quidem Epiſtolam confectam eſſe, labente adhùc Indictione VII. Alexandrinorum verò diſciplinam his *Proterius* argumentis aſtruit: *Dominus plenitudo Legis exiſtens, quando dignatus eſt homo fieri, V. feriâ, decimâ quartâ Lunâ menſis primi in Cœnaculo cum diſcipulis Paſcha manducans, paulò pòſt à Juda traditur, & ſequenti die XV. Lunâ crucifigitur, id eſt, ſextâ feriâ: & ad inferos deſcendens, ac diſpenſationes ſalutis noſtræ perficiens veſpere Sabbati luceſcente Dominico, reſurrexit à mortuis, in quo die Lunam XVII. primi menſis juxta Hebræos extitiſſe manifeſtum eſt. Nos ergo Chriſtiani non ſolùm XIV. Lunam in Paſcha requirimus, hoc enim Judæi facientes, ſine feſtivitate ſunt, ſed etiam Reſurrectionis diem Redemptoris noſtri, qui eſt XVII. Lunâ præfati menſis novorum, ſollicitius obſervamus. . . Quia verò Lunæ curſus ad Solis curſum inæqualis eſt, & XIV. Luna Paſchalis in die Dominico ſæpè contingit, non eſt autem poſſibile, tunc feſtum celebrare, ſed nec pridie Sabbati Luna XIII. jejunium ſolvere, in ſeptimanam ſequentem differendum eſt, maximè cùm habeamus intra eam Lunam XV. quando ſcripſit Apoſtolus, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. . . Quia ergo in ſolemnitate futura Paſchali per octavam Indictionem XXII. die Dominico Pharmuthi, menſis novorum, qui eſt XV. Kal. Maji, occurrit XIV. Lunâ die Dominico, in ſeptimanam convenit differre ſequentem.* Exemplis quoque Alexandrinorum diſciplinam Proterius firmat. Anno Diocletianeo LXXVII. qui Dionyſianus eſt CCCLXXIII. cum XIV. Luna Paſchalis XXVIII. *die Phamenot*, id eſt, XXIV. Martii primæ feriæ cohæſiſſet, in ſequentem hebdomadem tranſlata feſtivitas, Martii eſt XXXI. celebrata. Anno & Diocletiani XCIII. Domini CCCLXXVII. cùm XIV. Luna Paſchalis, *Pharmuti die* XIV. hoc eſt, Aprilis IX. primâ feriâ contigiſſet, Paſcha in XXI. Pharmuti, ſive XVI. Aprilis tranſlatum eſt. Hinc colligit Proterius, anno CCCCLV. Luna XIV. incidente in diem Aprilis decimum octavum, Paſcha eſſe Aprilis XXIV. agitandum. Neque ex eo conſequens eſt, Paſcha in ſecundum menſem transferri, quia tum temporis Luna erit XXI. Hujus verò diſciplinæ regulam affert, *Decemnovenna-*

Bucher. Com. p. 82. *lem computum*, cujus inſtitutionem aſcribit Spiritui Sancto. Acceptis Proterii literis, Leo Orientalium, & Imperatoris ſententiam amplexus, Paſcha proximè futurum in VIII. Cal. Maias indixit. Extat ejus Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, Hiſpaniarumque ſcripta, V. Cal. Auguſtas poſt Conſulatum Opilionis, hoc eſt, anno Dom. CCCCLIV. Marciano *reſcribente*,

Leo Ep. 95. inquit, VIII. *Kal. Maias definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio unitatis & pacis, malui Orientalium definitioni acquieſcere, quàm in tanta feſtivitatis obſervantia diſſidere, noverit fraternitas veſtra, die* VIII. *Kal. Maias ab omnibus Reſurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipſum per vos aliis fratribus eſſe intimandum: ut divina pacis conſortio, ſicut unâ fide jungimur, ita unâ ſolemnitate feriemur.*

Deogratias Epiſcopus Carthagini imponitur.

VI. Alexandriam egreſſi, Carthaginem petamus, cui denſa inter nubila radius lucis illuxit. Anno Dom. CCCCXXXIX. Theodoſio XVIII. & Feſto Coſſ. cùm fraudulentâ pace uſus Geiſericus Carthaginem occupaſſet, *Quodvultdeum* civitatis hujus Epiſcopum expulerat. Miſerrima tum exuli fortuna fuit, cui unum in Numine auxilium collocabatur. Verba ſunt Victoris de

Vict. l. 1. Sancto Præſule: *Memorata urbis Epiſcopum, Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quodvultdeus, & maximam turbam Clericorum navibus fractis impoſitam, nudos atque expoliatos expelli præcepit, quos Dominus miſeratione bonitatis ſuæ proſperâ navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt.* Tribus circiter luſtris Antiſtite urbs viduata permanſerat. Labente anno Dei munere Epiſ-

Vict. de Perſ. Vand. l. 1. 677. copum accepit. Verba Victoris referemus: *Poſt hæc factum eſt, ſupplicante Valentiniano Auguſto, Carthaginenſi Eccleſiæ poſt longum ſilentium deſolationis Epiſcopum ordinari, nomine Deogratias. Cujus ſi nitatur quiſquam, quæ per illum Dominus fecerit, paulatim excutere, antè incipient verba deficere, quàm ille aliquid valeat explicare.* Carthaginenſibus Deogratias tantum fata oſtendere, qui annis duntaxat tribus Sacerdotio functus eſt. At quæritur inter eruditos, triennii hujus

ANNO DOM. 454.

unde ducendum ſit initium. Ac Baronius ab anno CCCCLII. repetendum eſſe putat. Ea tamen Chronologia non ſatis reſpondet Victori Utenſi, indicanti quidem, non multò poſt *Deogratias* ordinationem direptam à Geiſerico urbem Romanam fuiſſe, quæ clades in annum CCCCLV. incidit. Sed & Romæ funeribus ad annum ſaltem ſuperfuiſſe Deogratias, ex Victore colligitur. Multis enim erga captivos officiis, & urbicorum benevolentiam, & Arianorum odia ſibi comparavit: *Pergebat excurrens per ſingulos lectos, ſciſcitans qualiter quiſque haberet. Quo livore Ariani accenſi, dolis eum quàm plurimis voluerunt enecare.* Quòd ſi anno CCCCLII. Deogratias Epiſcopatum adeptus eſt, jam fato functus erat, cùm Geiſericus Romanos Carthaginem captivos duxit. Pridie Idus Junias anno CCCCLV. *Maximus* periit: *Tertiâ die poſtquam* occiſus eſt, *Geiſericus Romanam urbem ingreditur, & per* XIV. *dies cuncta opibus nudat, ſecumque inde Valentiniani filias & uxorem, & captivorum multa millia tollit.* Vix ergo ante *Julium* menſem adultum Carthaginem ingreſſi ſunt, qui triennali Deo gratias Epiſcopatui includi nequit, ſi initium ejus anno CCCCLII. affigitur, nedum Præſul optimus in miſeria jacentibus captivis tanta beneficia conferret.

Bar. An. 452. n. 66. *Vict. Ut. l. 1.* *Vict. Tun.*

Leonis ad Mauritaniæ Epiſcopos Epiſtola.

VII. Ad Eccleſiarum curas animum, oculos, manum Leo in alta ſpecula conſtitutus, attendebat, ut ne vel Mauritania expers monitorum eſſet ipſius. Dum igitur in Africa verſamur, Epiſtolæ ad Epiſcopos Africanos per Mauritaniam Cæſarienſem conſtitutos miſſæ mentio eſt agitanda. Vices *Potentio* Epiſcopo ſuas in Cæſarienſi Mauritania commiſerat, à quo didicerat, *per occaſionem temporis impacati, aut ambientium præſumptionem, aut tumultum valuiſſe popularem, ut indignis quibuſque, & longè extra Sacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, & gubernatio Eccleſiæ crederetur.* Scilicet non ſolùm *Laici, ſed etiam ſecundarum uxorum viri, aut viduarum mariti* ad officium paſtorale provecti fuerant. Laicis verò munus retinere ſuum permittit, alios verò gradu movendos eſſe ſtatuit. Capite ſecundo Epiſtolæ decernit, *Epiſcopalia gubernacula* non in quibuſlibet aut locis, aut caſtellis, ſed in frequentioribus civitatibus imponantur, ne tantum munus numeroſitate vileſcat. Hoc & à Reſtituto flagitatum teſtatur, ut defunctis Epiſcopis *loca ipſa ad jus Antiſtitis redigantur, cujus fuerant antè priora.* De *Lupicino* autem Epiſcopo, cui ad ſe provocanti communionem reddiderat, cauſam in Mauritania audiri jubet. Tertio capite *Donatum* Salicinenſem ex Novationis cum ſua plebe converſum, vult gregi ſuo præſidere, eâ lege, ut ad ſe Libellum Catholicæ fidei mittat: neque repellit Epiſcopatu de grege Donatiſtarum *Maximum*, qui ex Laico creatus Præſul fuerat, vult tamen ut Libello ſuo ſe Catholicum præbeat. Capite quarto *Aggarum*, & *Tiberianum* ex Laicis ordinatos, Epiſcoporum judicio committit. Ultimo capite cenſet Dei famulas, quæ oppreſſione barbaricâ *integritatem pudoris* perdidere, laudabiliores fore *in humilitate atque verecundiâ, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus*, quamvis peccatum voluntatis ſit, non corporis. Data eſt Epiſtola IV. *Idus Auguſti.* Conſulum quidem nomina deſiderantur, illibatâ tamen Chronologiâ anno labenti Epiſtola jungi poteſt.

VIII. Catholici, ne fide ſuâ ab Eutychianis ſpoliarentur, ſuis & literis, & conſiliis ſuis Leo diligentiſſimè providerat. Cùm autem in metu eſſet, ne Eutyches complurium perverteret animos, Eccleſiæ commodis profuturum putavit, ſi delirus ille Hæreticus in remotiora loca pelleretur. His de cauſis Marciano ſcribit, cognoviſſe ſe ex Juliano Epiſcopo, *Eutychem impium pro ſuis quidem meritis exulare. Sed in ipſo ſuæ damnationis loco multa adverſus integritatem Catholicam blaſphemiarum deſperatus venena profundere: & quod in illo totus mundus horruit, atque damnavit, impudentiâ majore, ut innocentes decipere poſſit evomere. Plenum itaque rationis æſtimo, ut veſtra clementia ad longinquiora loca eum jubeat, & ſecretiora transferri. Monaſterio verò ejus Conſtantinopoli conſtituto, in quo habitatores ipſius Monachi Evangelicâ, Apoſtolicâque doctrinâ crebrius ſunt & plenius roborandi, ſalubriter, ut arbitror, fiet, ſi is, qui ipſi Monaſterio præpoſitus eſſe dicitur, à ſocietate venerationis veſtri Juliani Epiſcopi, quem in ſpeculis propter fidem illic eſſe conſtitui, non recedat: cujus aſſiduâ viſitatione profectus ſervorum Dei illic habitantium poſſit augeri. Data* XVII. *Kal. Martias.* Miram Eutychis pertinaciam, quam nec innumera Scripturæ oracula, nec Eccleſiæ conſenſus, nec Oecumenicæ Synodi Decreta expugnare valuerunt:

ANNO DOM. 454. Eutychi longius exilium imperari Leo curat. *Leo Ep. 70.*

Longo caput extulit antro
Cæruleus ſerpens, horrendaque ſibila mittit.

Metam. l. 3. f. 1.

Quid de Eutyche poſtmodum actum fuerit, jacet in oblivione atque ſilentio. Agebat annum LXXVI. ut credibile ſit, exilio, dolore, annisque confectum non multò pòſt abiiſſe vitâ.

ANNO U. C. 1208. PER. JUL. 5168. JUL. 500. DOM. 455. MARCIAN. 5. & 6. *Sol.* 16. B. *Lun.* 19. *Indict.* 8. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 6. P. 24. *April.*

ANNO DOM. 455.

COSS. *Valentinianus Aug.* VIII. *& Anthemius.*

Valentinianus occiditur.

I. QUi Valentiniani amorem vultu ſimulabat Maximus, dolorem graviſſimum ob illatam uxori ſuæ contumeliam corde gerebat. Ut ſibi ad vindictam, quam meditabatur, viam aperiret, *Ætium*, Reipublicæ decus & ornamentum, de medio ſuis conſiliis ſuſtulerat. Eâ cæde perpetratâ, Principem contumeliæ ſuæ autorem adortus, ad facinus perpetrandum ſatellitibus Ætii utitur, vindicandæ ſui Domini morti promptis atque paratis. Marcellinum audiamus: *Valentinianus Princeps dolo Maximi Patricii, cujus etiam fraude Ætius perierat, in campo Martio per Optilam & Thrauſtilam, Ætii ſatellites, jam percuſſo Heraclio Spadone, truncatus eſt.* De miſeri Principis obitu extant & in Proſpero ſcitu non injucunda: *Magna quidem imprudentia Ætii amicos ſibi ſociarat: Qui concepti facinoris opportunitatem diſſimulanter aucupantes, egreſſum extra urbem Principem, & ludo geſtationis intentum, inopinatis ictibus confoderunt; Heraclio ſimul, ut erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad ultionem tanti ſceleris accenſo.* Martii XVII. vitam cum ſanguine fudit. Ea libidinis ſuæ merces fuit, Maximi conjuge per vim conſtupratâ, quam maritus injuriam ſolo fontis ſanguine elui poſſe credidit. Natus erat Valentinianus V. Non. Julias, anno Dom. CCCCXIX. Monaxio & Plinthâ Coſſ. Periit XVI. Cal. Aprilis. Vixit igitur annos XXXV. menſes VIII. dies XV. Imperavit annos XXIX. menſes tres, dies XXIII. qui à doctiſ-

ANNO DOM. 455.

Bar. An. 455. n. 3.

doctiſſimo omitti Noriſio non debuere in annis Valentiniani Auguſteis. Non ergo accurata ſatis Baronii Chronologia, Valentiniani imperio *annos* XXX. *minus menſibus ſeptem & diebus ſex vindicantis.* Peſſimè moratus ille Princeps Reipublicæ dedecori fuit; nullis pugnis, aut Auguſto dignis virtutibus redemptus, ut jam obſervatum. Brevi quidem, ſed egregiâ tabellâ Valentinianum depingit Sidonius Apollinaris carmine hoc ſuo:

Ætium Placidus mactavit ſemivir amens,

Placidus Valentiniano cognomen fuit.

Maximus creatur Imperator.

II. Defuncto Valentiniano, è veſtigio imperium arripit *Petronius Maximus*, Maximi, quem Theodoſius Magnus v. Calend. Auguſt. anno CCCLXXXVIII. debellaverat, ſanguine cretus. Vir erat geſtis dignitatibus nobilis, utpote *qui in arcem Præfectoriam, Patriciam, Conſularemque intrepidus aſcenderat, eoſque, quos geſſerat Magiſtratus, ceu recurrentibus orbitis inexpletus iteraverat.* Vix ad ſummam poteſtatem aſcenderat, cùm ſuſcepti faſtigii eum pœnituit, ut eleganter narrat Sidonius Apollinaris in ſua ad Serranum Epiſtola:

Sidon. l. 2. Epiſt. 13.

Ille, cujus anterius epulæ, mores, pecuniæ, pompa, literæ, faſces, patrimonia, patrocinia florebant: cujus ipſa ſic denique ſpatia vitæ cuſtodiebantur, ut per horarum diſpoſitas clepſydras explicarentur, is nuncupatus Auguſtus, ac ſub hac ſpecie Palatinis liminibus incluſus, ante crepuſculum ingemuit, quòd ad vota pervenerat. Ut diadema, ſic & Valentiniani uxorem Eudoxiam poſſidere voluit, quam invitam ſibi nubere coëgit, extinctâ antehàc conjuge ſuâ, cui Valentinianus vitium obtulerat. Indecora ſanè hæc Principatus initia, cùm Imperatoris ſui relictæ, illuſtrique Theodoſii ſanguine ortæ, funeſtum mariti ſui exitum lugere non permitteret. Celebratis nuptiis, *filio ſuo ex priore conjuge Palladio, quem Cæſarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidit*, ſi creditur Idacio; matrimonio tamen conſummatio defuiſſe videtur.

Maximus Avitum creat Militiæ Magiſtrum.

III. Magni cum motus timebantur Imperio, cui Barbari undique minabantur, ut Sidonius canit Apollinaris in Aviti Panegyrico:

Sidon. car. 7. 360.

Vixque tuo impoſitum capiti diadema, Petroni,
Illicò barbaries, necnon ſibi capta videri
Roma Getis.
Quin & Armoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus.

Quid ageret Maximus, & furiarum facibus, & magnorum, quos verebatur, motuum perturbationibus agitatus? Virum nobilem, cui Avito nomen, Magiſtrum Militum creat, artis bellicæ non imperitum:

Sidon. car. 7. 375.

Perdita cernens
Terrarum ſpatia, Princeps jam Maximus unum
Quod fuit in rebus, Peditum Equitumque Magiſtrum
Te ſibi, Avite, legit.

Bar. An. 455. n. 5.

Atque hic, ni fallamur animi, Baronium in errore verſantem deprehendimus: *Avito*, inquit, *injunxit Maximus legationem ad Barbarorum Reges, ad fœdera cum illis paciſcenda.* Apud Gothos quidem Gallicis Regionibus inſidentes, Avitus Legatum egit; Alamanni verò ultrò legationem miſere, Aviti famâ, gloriâque perculſi:

Sidon. car. 7. 388.

Ut primum ingeſti pondus ſuſcepit honoris
Legas, qui veniam poſcant, Alamanne, furoris.

Maximus occiditur.

IV. Dum Toloſæ de pace cum Gothis tractanda moratur *Avitus*, momentaneo Maximus excidit imperio. Novæ conjugis vacabat amoribus, cùm imprudentiâ non ferendâ patratum in Valentiniano crimen fatetur ipſius poſſidendæ causâ. Exacerbata jam mulier ad vindicandum facinus magis accenditur: *Ubi illuxit, Carthaginem mittit, rogatum Geiſericum, ut viri necem ab impio tyranno interfecti, ulciſci velit, ipſam indigne ab eodem pati. Imperium occupatum omnia perditum iri. Aſſiduo auxilium ferat, cum in amicitia ſocietateque Valentiniani eſſet.* Geiſericus avaritiâ permotus ingenti claſſe in Italiam navigat. Vandalici adventus ut rumor diſperſus eſt, Maximus cunctis ſecedere volentibus licentiam tribuit: ipſe verò de fuga capeſſenda cogitat. Conſilia hæc prævenit populi furor:

Vict. Tun.

Priuſquam fugam aſſumeret, occiſus, membratimque conciſus, in Tiberim fluvium projectus eſt. Percuſſus primùm fuit à Romano milite, cujus nomen Jornandes ab oblivione vindicavit:

Jorn. de Reb. Get. c. 45.

Maximus verò fugiens, à quodam Urſo, milite Romano interemptus eſt. Pridie Idus Junias vitâ ſimul & Imperio ſpoliatur. At Victor Tununenſis, *Maximus*, inquit, *ex Conſule, & Patritio ſumit imperium diebus* LXVII. Qui certè error eſt vel Autoris, vel Librariorum, cùm diebus LXXXVIII. regnaverit, à Martii ſcilicet XVII. ad uſque Junii XII. Hinc Sidonius Apollinaris in eleganti ad *Serranum* Epiſtola:

Sidon. l. 2. Ep. 13.

Require in ſuprà dicto vita priori gratiam, potentiam, diuturnitatem, èque diverſo Principatus pauló ampliùs quàm bimeſtris, originem, turbinem, finem; profectò invenies, hominem beatiorem prius fuiſſe, quàm beatiſſimus nominaretur. . . Namque cùm cæteros aulicos honores tranquilliſſimè percurriſſet, ipſam aulam turbulentiſſimè rexit, inter tumultus militum, popularium, fœderatorum, quod & exitus prodidit, novus, celer, acerbus, quem cruentavit fortuna diu lenocinantis, perfidus finis, quæ virum, ut ſcorpius, ultimâ ſui parte percuſſit.

Geiſericus Romam vaſtat. Eudoxiam captivam ducit. Degratias Romæis opitulatur.

V. *Tertiâ die poſtquam* Maximus occiſus eſt, Junii XV. feriâ IV. *Geiſericus Vandalorum Rex Romanam urbem ingreditur, & per* XIV. *dies cunctis opibus nudat: ſecumque inde Valentiniani filias, & uxorem, ac captivorum multa millia tollit. Ut autem ab incendio, tormentis, & gladio abſtineret, Papæ Leonis intercesſio facit.* Itaque errat Evagrius, qui urbem à Geiſerico incenſam eſſe tradit. Flammis pepercit Barbarus, contentus ingenti prædâ, quod & eleganter luſit Sidonius in laudato carmine:

Vict. Tun.

Sidon. car. 7. 447.

Monteſque Quirini
Marmarici preſſere pedes, rurſuſque revexit
Quæ captiva dedit, quondam ſtipendia Barce.

Sed & Hiſtoria Miſcellanea exarmatum Leonis precibus Geiſericum narrat:

Paul. Diac. l. 15.

Geiſericus continuò vacuam præſidio civitatem capit, & occurſu Leonis Papæ mitigatus, ab incendio, cædibus atque ſupplicio urbem immunem ſervavit. Triſte tamen ſpectaculum, quo furor ſuus Eudoxiæ odio eſſe debuit, quæ ut vindictæ inſerviret, ſeſe familiam regiam, patriamque vinculis Barbarorum immiſit:

Exilium Patrum, Plebis mala, Principe cæſo,
Captivum Imperium.

Præmium vindictæ ſuæ furens fœmina tulit. Gaza imperatoria, ac ſi quid erat Romæ decorum, dimidia Jovis Capitolini, tegularum ex ære auratarum pars navibus Carthaginem ferenda immittitur. Regia quoque ornamenta in Africam ſunt abducta, unàque cum iis periit Imperii majeſtas, cujus Roma ſedes fuerat. Quid au-

ANNO DOM. 455.

auguſteis inſignibus opus erat urbi, quâ Imperium orbis exceſſerat? Umbram enim, & cadaver duntaxat Imperii Roma poſtmodum habuit. Remanſiſſe urbi *integra vaſa à Conſtantino majoribus Baſilicis donata*, ex Pontificalis Rom. libro Baronius ſibi in mentem induxit. Contrarium verò patet ex emendatioribus MSS. Libri ejus à clariſſimo Luca Holſtenio prolatis: Leo *renovavit poſt cladem Vandalicam omnia miniſteria ſacrata argentea, per omnes titulos conflata. Hydrias ſex, duas Baſilicæ Conſtantinianæ, duas Baſilicæ B. Petri Apoſtoli, duas Baſilicæ B. Pauli Apoſtoli, quas Conſtantinus Auguſtus obtulerat, quæ penſaverunt ſingulæ libras centum, quæ omnia vaſa renovavit ſacrata.* Quid eâ renovatione opus erat, ſi vaſa integra remanſiſſent? Unam ex navibus, ubi ſtatuæ fuerunt, tempeſtate periiſſe dicunt, cæteris ſalvis. Ut captivi ad littus Africanum appulere, calamitati novus dolor acceſſit, dum mariti ab uxoribus, & liberi à parentibus ſeparantur. Carthagine *Deo gratias* Epiſcopus, cujus in nomine magnum ſolatii miſeris præbendi omen extabat, ſeipſum ſuperavit liberalitate: quaſi ad eam beneficentiam flebili tempore Sacerdotium poſt longum Interpontificium fuiſſet adeptus. Miniſterii vaſa aurea & argentea diſtraxit, *ut conjugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderentur.* Nulla loca ſufficiebant continendis captivis: *Baſilicas Fauſti, & Novarum cum lectulis & ſtraminibus deputavit.* Ægrotos, quorum ingens numerus *cum Medicis circuibat, ſequentibus cibis, ut inſpectâ venâ, quid cui opus eſſet, illo præſente daretur.* Nocturnis horis pergebat *per ſingulos lectos, ſciſcitans, qualiter quiſque haberet*, nil defeſſis membris parcens, *carioſaque ſenectute.*

Bar. An. 455. n. 13. — *Pontif.* — *Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 5.* — *Vict. de Perſ. Vand. l. 1.*

Legatio Aviti ad Gothos: pacem ab eis impetrat: creatur Imperator.

VI. Intereà Legatus apud Gothos *Avitus* agebat:

Poſthinc germano Regis, hinc Rege retento
Palladiam implicitis manibus, ſubiere Toloſam,

cùm nuncii, & literæ de morte Maximi, illataque urbi clade afferuntur. Eo tempore Thoriſmundi frater *Theodoricus* Gothis imperabat, quem oratione ad ciendos affectus per quam idoneâ *Avitus* ad pacem impellit:

Sidon. car. 7. 435. — *Sidon. car. 7. 482.*

Hæ flentem tenuere manus, ſi forſitan altrix
Te mihi cùm nolles, lactandum ſolleret: ecce
Advenio, & priſci ſopito modò pignus amoris.
Si tibi nulla fides, nulla eſt reverentia patris,
I durus, pacemque nega.

Finitâ concione Theodoricus Avitum ad capeſſendum Imperium hortatur, eâque conditione auxilium ſuum pollicetur:

Sidon. car. 7. 511.

Roma ſum, Duce te, amicus;
Principe te, miles; regnum non præripis ulli.

Captivitatis LXXV. *die* Imperium ab Avito ſumptum eſſe in Victore Tunonenſi legimus, citius tamen ad rerum ſummam evectum eſſe, docet vetus Chronicum à Cuſpiniano primùm editum: *Levatus eſt Imperator in Galliis Avitus ſexto Idus Julias*, poſt Interregnum dierum XXVIII. Toloſæ primùm creatus Imperator, pacem cum Gothis firmat. Ubi Tholoſâ diſceſſit, *Ugerni* congregati Optimates reluctantem adhùc, auro, quidem pauperem, ſed meritis divitem, vocant ad purpuram:

Fragor atria complet,
Ugerni, quo forte loci pia turba Senatus
Detulerat vim, vota, preces. Locus hora, dieſque
Dicitur Imperio felix.

Tertiâ pòſt luce, aggere compoſito, mœſto Principi *donant inſignia regni.* Avitum Arelato Auguſti titulum adeptum eſſe, in Idacio legitur: *In Galliis Avitus, Gallus civis ab exercitu Gallicano, & ab Honoratis primum Toloſæ, dehinc apud Arelatum Auguſtus appellatus, Romam pergit, & ſuſcipitur.* *Arvernus* erat Avitus, ac de Romanis Senatoribus unus. Vir *totius ſimplicitatis* à Victore Tunonenſi nuncupatur. Magnis dignitatibus ornatus erat:

ANNO DOM. 455.

Idac. Chron.

Sidon. car. 7. 461.

Emeritam fateor ſemper ſerviſſe quietem,
Ex quo militia poſt munia trina ſuperbum
Præfecturæ apicem quarto jam culmine rexit.

Sed fata interitum Imperii partibus in Occiduis urgebant: neque gratus Romanis *Avitus* odio Maximi, à quo Militum Magiſter fuerat creatus. Itaque anno ſequente abibit Imperio.

VII. Rebus Eccleſiaſticis nunc ſtylum injiciamus. Pugnantibus & Alexandrinorum, & Latinorum Canonibus, nihilominus magnâ conſpiratione Paſcha Aprilis XXIV. celebratur, quod tamen Proſpero diſplicuit, antiquæ Latinorum conſuetudinis tenaci, quæ XV. *Calendas Maias* huic feſto dicabat, variantibus Alexandrinis; qui Paſchati Aprilis quartum & vigeſimum aſſignabant, quorum in diſciplinam & ab ipſis Latinis itum. Unde verò Orientalis Occidentaliſque ea de re diſſidium exoriretur, paucis eſt aperiendum. Unà cum ſeculis, ætateque hominum inveteravit opinio hæc, componendæ de Paſchali feſto diſcordiæ à Patribus Nicænis frenum Dominicis Paſchalibus injectum eſſe, quem Cyclum *Novemdecennalem* putant. Ejuſmodi quidem ſententiæ fuit Ambroſius Mediolanenſis in ſua ad Æmiliæ Epiſcopos Epiſtola: *Non mediocris eſſe ſapientiæ diem celebritatis definire Paſchalis, & Scriptura divina nos inſtruit, & traditio Majorum: qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei, ut vera, ita admiranda Decreta, etiam ſuper celebritate memoratâ, congregatis peritiſſimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem: & quaſi quendam conſtituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncupaverunt.* Nil his quidem verbis clarius afferri poteſt. Ambroſio aſſentitur Dionyſius Exiguus: *Paſchalis feſti rationem explicare curavimus, ſequentes per omnia venerabilium* CCCXVIII. *Pontificum, qui apud Nicæam Bithyniæ contra veſaniam Arrii convenerunt; etiam res hujus abſolutam, veramque ſententiam, qui quartas decimas Lunas Paſchalis obſervantiæ per novemdecim annorum redeuntem ſemper in ſe circulum, ſtabiles immotaſque fecerunt.* Vano tamen Nicænæ diſciplinæ nomine eluſum Dionyſium, eluſum Ambroſium, eluſos omnes, qui eam opinionem amplexi ſunt, multis eſt argumentis anno 325. jam comprobatum. At quò magis ſententiæ hujus falſitas deprehendatur, ſimulque diverſæ in agitando Paſchate conſuetudinis cauſæ aperiantur, oſtendamus brevi, non Enneadecateridem ad regenda tempora, ſed alium Cyclum eſſe à Latinis adhibitum. Quo graviſſimo ſanè argumento compertum habemus, de Enneadecateride nil à Nicænis eſſe conſtitutum, ſecus Cyclum eum Latini maximâ veneratione ſuſceptum retinuiſſent. Quis enim fingat, eos tam projectæ audaciæ fuiſſe, ut Enneadecateridem ad legitimum Paſchæ diem inveniendum maximè idoneam reſpuerent, ſi magnâ Nicænorum autoritate armaretur. Atqui ad annum uſque Dom. CCCCLVII. Novemdecennalem Cyclum Latinis

De hujus anni Paſchate Ad illud obſervandum Latini non Enneadecateride utebantur.

Ambroſ. Ep. 83.

Dionyſ. Ep. 1.

ANNO DOM. 455.

nis in uſu non fuiſſe, certis rationibus demonſtratur. Ac primùm Proſper in ſuo Chronico Labbeano apertiſſimè ſignificat, ingratum ſibi fuiſſe, quòd Alexandrinæ diſciplinæ de labentis anni Paſchate Leo aſſenſus ſuos præbuiſſet:

Proſp. Chr.

Eodem anno Paſcha Dominicum VIII. *Kalendas Maias celebratum eſt, pertinaci intentione Alexandrini Epiſcopi, cui omnes Orientales conſentiendum putarunt, cùm Sanctus Papa Leo* XV. *Kalendas Maias potius obſervandum proteſtaretur. In quo nec in ratione plenilunii, nec in primi menſis limite fuiſſet erratum. Extant ejuſdem Papæ Epiſtolæ, ad clementiſſimum Principem Martianum datæ: ex quibus Eccleſia Catholica inſtrui poteſt, quòd hæc perſuaſio ſtudio unitatis, & pacis tolerata ſit potius quàm probata, nunquam deinceps imitanda, ut quæ exitialem attulit offenſionem, omnem in perpetuum prodit auſteritatem.* Quòd ſi Novemdecennalis Cyclus Leoni fuiſſet uſurpatus. Non Aprilis quidem XVII. ſed cum Alexandrinis Paſcha Aprilis XXIV. affixiſſet, neque diſſidii aliquid Latinos inter & Orientales obortum fuiſſet. Id unâ de cauſa motum, quòd varios Cyclos Paſchalibus curriculis regendis adhibuerint. Aliud argumenti nobis Leo ſuppeditat in ſua ad Galliæ Hiſpaniæque Epiſcopos Epiſtola:

Leo Ep. 64.

Cùm autem in quibuſdam aſcriptionibus Patrum futurum proximè Paſcha Domini ab aliis in diem XV. *Cal. Maias, ab aliis in diem* VIII. *Cal. eaſdem inveniretur adſcriptum, tantum me diverſitas iſta permovit, ut clementiſſimo Principi Marciano curam hac de re animi mei panderem.* Cùm itaque aliâ Oriens, aliâ Occidens regulâ uteretur, nullus Nicænis Cyclus eſt aſcribendus, quem conſtanter, communique conſenſione Eccleſiæ retinuiſſent, quibus maxima erga Nicænos obſervantia erat. Atqui Alexandrini Enneadecateridem adhibebant; non igitur eam admittebant Latini, quibus fatente Leone alia regula uſurpabatur, quæ ſeptiduo citius Paſchæ ſolemnitatem imperabat. His accedat Paſchaſini ad Leonem Epiſtola: *Nam cùm Romana ſupputatio, quæ Cyclo concluditur, cujus ipſe, de quo agitur, erit annus* LXIII. *qui cœpit à Conſulatu Antonini & Syagrii, nobis dubitatem afferret, eò quòd* VII. *Kal. Aprilis, & die Dominicâ, Luna* XXI. *incurreret, & iterum* IX. *Kal. Maiarum die, ut rei veritas habet, Dominica dies, & Luna* XIX. *obveniret, in hoc ambigno fluctuantes, ad Hebræorum, hoc eſt, legalem ſupputationem nos convertimus, quæ cùm à Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt.* Hinc certè certòque colligitur, peculiarem Latinis & Cyclum, & ſupputationem fuiſſe, quæ idcircò *Romana* dicebatur, quia illis propria fuit, Abſonum quidem fuiſſet, Alexandrinam ſupputationem *Romanam* vocari. Neque admiſſâ Enneadecateride in dubium Latini incidiſſent, quo Leo non ſemel agitatus eſt. Nunquam profectò ulla Alexandrinis de Paſchate dubitatio mota, ex quo Cyclum Novemdecennalem admiſere. Quid argumentis opus, cùm demonſtratorem hujus rei Faſtos Conſulares habeamus, à doctiſſimo Noriſio editos, cum Feriis, ac ætate Lunæ Calendis Januariis, annis etiam Biſſextilibus deſignatis, juxta methodum Cycli annorum LXXXIV. Incipiunt Faſti ab anno U. C. CCXLVI. ad uſque MCVII. Conſtantio VII. & Conſtantio Gallo III. Coſſ. anno Dom. CCCLIV. Exhibent verò Cyclos *decem*, quorum novem completi ſunt, ultimus verè incompletus, quos pro ſua eruditione clariſſimus Noriſius doctiſſimis Diſſertationibus illuſtrans, Latinis non Enneadecateridem, ſed Cyclum *Ogdoecontateſſaracteridem* aſſeruit.

ANNO DOM. 455.

Cur Paſcha hujus anni tot Leoni ſcrupulos moverit?

VIII. Elucet nunc, quid cauſæ fuerit, cur Paſcha labentis anni biennio antè tot ſcrupulos Leoni injecerit, ut propterea Marcianum ſibi adeundum eſſe putarit. Germana ratio hæc eſt, quòd diverſis Cyclis ad Paſchales curriculos adminiſtrandos Chriſtiani uterentur. Ac primùm Latinis inſerviebat Cyclus Hippolyti annorum XVI. qui anno Dom. CCXXII. conditus eſt, Heliogabalo & Severo Alex. Coſſ. Verùm paucos intra annos hic ille Canon à cœleſtibus Lunæ motibus diverſus apparuit. Cùm porro juxta Nicænum Decretum Paſcha ante vernum Æquinoctium agitari non debuerit, annorum LXXXIV. Cyclus inventus eſt, ad cujus regulam Paſchata Latini ſua direxere. Hinc Alexandrinorum, Latinorumque diſſidia. Latinis Neomenias Paſchales à die quinto Martii ad diem uſque Aprilis ſecundum, viginti novem dierum ſpatio extendi placuit, ut Victorio obſervatum:

Victor. Praf. c. 4.

Latini à tertio Nonas Martii uſque in tertium Nonas Aprilis, diebus ſcilicet XXIX. *obſervandum maximè cenſuerunt, ut quocunque eorum die Luna fuerat, nata efficiat primi menſis initium.* Alexandrini verò citimam Neomeniam ab octavo die Martii auſpicabantur, tardiſſimam verò in diem quintum Aprilis extendebant. Ex diverſa hac utriuſque Eccleſiæ regula factum, ut Latinis Lunæ quatuordecim Paſchales à die XVIII. Martii ad diem XV. Aprilis, ſpatio menſis Lunaris cavi diffunderentur. Contrà verò Alexandrini, qui triduo tardius citimam Neomeniam ſciſcebant, Lunas quatuordecim Paſchales à die XXI. Martii ad XVIII. Aprilis, pari cum Latinis numero dierum XXIX. ſervato protrahebant. Præterea Latinis religio erat, & Dominicam Paſſionem ante Lunam XIV. inchoare, & Lunâ XV. Reſurrectionis ſolemnitatem agitare: cujus diſciplinæ ratio hæc eſt, quòd Lunâ XIV. Chriſti in ſepulchro jacentis memoria celebranda fuiſſet, ſimulque Lunâ XIII. Paſſio Dominica recolenda: quod præpoſterum putabant, cùm eâ Lunâ cruci donatus non fuerit, vitam retinebat adhùc Lunâ XIV. quâ Paſcha cum diſcipulis ſuis celebravit. Victorium rurſus audiamus Præfationis in Canonem cap. 4. *Nec minus ejuſdem Dominicæ Reſurrectionis peragendo myſterio deſtinarunt, quàm decimam ſextam, nec amplius quàm vigeſimam ſecundam Lunam aliquando recipiunt, eligentes potius in Lunam* XXII. *diem Paſchalis feſti extendi, quàm Dominicam Paſſionem ante Lunam* XIV. *ullatenus inchoari.* Alexandrini verò etiam Lunâ XV. Paſcha peragebant, nec illud ultra Lunam XXI. tranſmittebant. Denique poſt Æquinoxium vernum à Nicænis XXI. Martii affixum, Latini Dominicas Paſchales intra diem XXII. Martii ac XXI. Aprilis claudebant, ut triginta dierum ſpatio Lunaris menſis ratio ſervaretur. Verùm Alexandrini Dominicas Paſchales quatriduo ultra Latinos extendebant, à die ſcilicet Martii XXII. ad diem XXV. Aprilis, laxiori XXXIV. dierum ſpatio, quia in Neomeniis, ac variis Lunæ XIV. diebus deſignandis Lunaris menſis terminos nequaquam tranſgrediebantur. Variæ hoc in Paſchali menſe dirigendo regulæ, varia Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam diſſidia non parere non potuerunt. Imò ne ipſi quidem Latini ſecum de feſto Paſchali conſentiebant: ſive quòd Alexan-

drinos

Anno Dom. 455.

drinos Canones ſequerentur, quos utique Mediolanenſia amplectebatur Eccleſia, ut conſtat Ambroſii ad Æmiliæ Epiſcopos Epiſtolâ, ſive quòd peculiares Cyclos admitterent. In Synodo quidem Carthaginenſi anno CCCXLVII. Cæſario & Attico Coſſ. primo Canone ſancitur: *Placuit in principio, propter errorem, qui ſæpè ſolet oboriri, ut omnes Africana Provincia Epiſcopi obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere.* Hinc de Paſchate dubia quietem turbarunt animorum, annis & CCCLXXXVII. & CCCCXIV. & CCCCXLIV. & maxime CCCCLV. qui nunc labitur, & CCCCLVII. anno. De ea quæſtione ſatis. Legantur, ſi placet, virorum doctiſſimorum Bucherii, Noriſiique ea de re lucubrationes, quæ facem nobis prætulere.

Julianus Ecclanenſis: ejus obitus.

IX. Dum in orbe Latinorum verſamur, Juliani Ecclanenſis Epiſcopi memoria eſt apprehendenda, quem paulò Valentiniani ante obitum exceſſiſſe putamus. Noſtræque Chronologiæ Gennadius eſt præſidio: *Julianus moritur Valentiniano Conſtantii filio imperante.* Pulſus Occidente Julianus, in Orientem migraverat, famâque Theodori Mopſueſteni permotus, ad eum audiendum in Ciliciam tenderat, ſi nos non fallit Marius Mercator: Admoneo, inquit, *Julianum ex Epiſcopo oppidi Ecclanenſis, Hæreticum Pelagianum, ſeu Cæleſtianum, hunc ſecutum eſſe Theodorum, ad quem peragratis terris, & exarato mari, atque Oriente luſtrato, cum ſociis, & participibus & συμπλανήταις ſuis magno niſu tanquam ad Chriſtianorum dogmatum prædicatum Magiſtrum tetendit, ut de hæreſi Pelagiana, ſeu Cæleſtiana, quam defendendam, & ſequendam ſuſcepit, ab ipſo confirmaretur, atque inde velut inſtructior, octo contra fidem Catholicam potius, quàm contra ſanctæ memoriæ Auguſtinum volumina illa, ut putat, prudentiſſima conderet.* In concinnandis hiſce libris operæ multum temporiſque poſuit. Eorum exemplaria Romæ anno duntaxat CCCCXXVII. ab Alipio reperta, ad Auguſtinum refutanda miſſa ſunt. Horum librorum Marius Mercator mentionem egit. Floro de Pelagianorum grege Epiſcopo nuncupabantur. Hic contumeliarum plauſtris Auguſtinum Autor oneravit, quem Philoſophaſtrum, piſtillo obtuſiorem, vituperatorem Sanctorum, Pattonum aſinorum appellat. Libris reſpondit Auguſtinus, &, ſi Mario Mercatori creditur, octo omnes confutavit: *Sanctum ſæpè dictus Epiſcopus Auguſtinus ſex ſuis libris quatuor priores illius evertit: octo quoque poſteriores ſingulis reſponſionibus ſuis ad ſingula capitula ſubjectis, ſic vanos & plumbeos pugiones malleo Catholicæ veritatis obtudit, imò confregit.* Poſſidio non ſatis hæc conſentiunt, neque Proſpero. Reſtabant adhùc Juliani libri Auguſtino refutandi, cùm ſcribentem mors occupat. Itaque in Indiculo Poſſidii Opus contra Julianum *imperfectum* dicitur. Sed ex Proſpero quoque novimus, periiſſe Auguſtinum inter Vandalorum impetus, dum libris Juliani reſpondebat. Cùm libri Juliani Marii Mercatoris in manus perveniſſent, ſummam tanti laboris in eo poſitam advertit, ut conficeretur, *Adæ videlicet, & Evæ tranſgreſſionem eos non feciſſe mortales, nec noxam eorum ad poſteros originaria ſucceſſione tranſiiſſe; ſolâ autem imitatione illorum, qui divina mandata contempſerit, effici reum.* Hinc huic Autori arrepta occaſio, poſt Auguſtini tubam *palearem fiſtulam* aſſumendi ſuam, ut Julianum refelleret. Subnotationes autem ſuas rogante *Presbytero Pientio* in unum corpus redegit convitiorum Juliani ſecurus. Conſtantinopoli anno CCCCXXX. verſatus Julianus, Neſtorii amicitiam ſibi comparavit, quem & Epheſum comitatus eſt. Obrutus & Epheſini Concilii, & Cæleſtini, quæ in Pelagianos torſerant, fulminibus, anno CCCCXXXIX. in Eccleſiam irrepere conatus eſt: *Dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido agitabat* hominem, verum hortante *Leone*, qui tum Sixti Diaconum agebat, *ingreſſu Eccleſiæ prohibitus eſt.* In Sicilia mortalitatem exuiſſe creditur in ignobili vico apud Pelagianos, ex Epiſcopo Ludimagiſter. Defuncto tumulum poſuerunt cum hac inſcriptione: *Hic in pace quieſcit Julianus Epiſcopus Catholicus.* Vir fuit excellentis ingenii, quod malè ſana doctrina corrupit: magnâ & pauperum curâ tangebatur, quâ plurimos in errorem impulit, teſte Gennadio: *Julianus eleemoſynis tempore famis, & anguſtiæ indigentibus omnibus ſuis prerogatis, multos miſerationis ſpecie nobilium præcipuè religioſorum illiciens, hæreſi ſociavit.*

Marius Merc. Symb. Theodor. p. 95.

Marius Merc. Commonit. p. 31.

Anno Dom. 455.

Concilium Arelatenſe tertium in cauſa Theodori & Fauſti.

X. Hoc circiter anno, Octobris XXX. dirimendæ Fauſti Lirinenſis Abbatis, & *Theodori* Forojulienſis Epiſcopi controverſiæ Synodus apud Arelatum congregatur. Epiſtolam Epiſcopis miſerat *Ravennius*, quâ monebantur, cauſam, *quæ inter Sanctum Epiſcopum Theodorum, & Sanctum Valerianum, vel Sanctum Maximum Epiſcopos, atque Abbatem Fauſtum*, necnon & reliquos fratres Inſulæ Lerinenſis non poſſe differri: *Ad hoc itaque remediandum ſcandalum orationibus veſtris tertium Cal. Januarias audientiæ dies eſt conſtitutus.* Arelatum confluxere Ruſticus, Nectarius, Florus, Conſtantius, Aſclepius, Maximus, Juſtus, Salonius, Ingenuus, Inantius, Zoticus, Chryſanthus, ut cum Ravennio de diſtrahenda controverſia cogitarent. Ubi in Secretario Arelatenſis Eccleſiæ ſederunt, Theodorum rogant, ut Fauſto culpæ veniam indulgeat, injuriarumque immemor, ut *antiquus Abba, & Epiſcopus*, ei ſolatia neceſſaria miniſtret. Has verò concordiæ leges ſcribunt, litigantibus obſervandas: *Hoc tamen ſibi tantummodò vindicaturus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius Epiſcopus vindicaverat, id eſt, ut Clerici atque altaris Miniſtri à nullo niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur: peregrini Clerici, abſque ipſius præcepto in communionem, vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterii verò omnis Laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea ſibi Epiſcopus quidquam vendicet, aut aliquem ex illa Clericum, niſi Abbate petente præſumat.*

Lab. Concil. t. 4. 1024.

Anno U. C. 1209. Per. Jul. 5169. Jul. 501. Dom. 456. Marciani 6. & 7. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 1. *Indict.* 9. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 15. *April.*

Anno Dom. 456.

Coss. *Varanes & Joannes.*

Avitus Conſul proceſſit: à Romanis ſuſcipitur.

I. SÆpenumerò moris erat illis, qui ad Imperii dignitatem evehebantur, annum proximè ſequentem aperire, ſumpto Conſulatu. Ab hujus conſuetudinis curriculo non deflexit Avitus, licet in Faſtis deſideretur. Quid Sidonii Apollinaris Panegyrico, qui Avito Auguſto dictus eſt, diſertius?

Felix tempus nevere ſorores,
Imperiis, Auguſte, tuis, & Conſulis anno
Fulva volubilibus duxerunt ſæcula penſis.

Sidon. car. 7. v. 605.

Et

Anno Dom. 456.

Et initio ferè carminis Roma:

Modò Principe ſurges
Conſule. Nempe Patres collatos cernere faſces
Vos juvat, & ſociam ſceptris mandaſſe curulem.

Defuit tamen promiſſis fides, cum hoc ipſo anno purpurâ Avitus abierit. Miſeri Principis hiſtoriam paucis percurrat oratio. Ubi apud Arelatum Auguſtus eſt appellatus, in urbem profectus à Patribus ſuſcipitur. Negat id quidem

Error Baronii.

Baronius: *Romano populo, Senatuique perinſenſus redditus, haud ab eo receptus eſt Imperator.*

Bar. An. 456. n. 3.

Errantem tamen refellit Idacius in Chronico: *Avitus Romam pergit, & ſuſcipitur.* Repudiatum primò non fuiſſe, argumento eſt Sidonii Panegyricus, Romæ Aviti in honorem, & ut vero proximum, Calendis Januar. dictus. Quin etiam in Idaciano Chronico legitur: *Per Avitum, qui à Romanis & evocatus, & ſuſceptus fuerat Imperator, Legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur Imperii.* Prima deinde Avito Imperatori cura fuit, ut ad Regem Suevorum Legatos mitteret. Audiatur iterum Idacius: *Per Auguſtum Avitum Fronto Comes Legatus mittitur ad Suevos.* At antiquum obtinentes Barbari, violatis juris regulis Tarraconenſem regionem, Romanis ſervientem invadunt, quam Gothi perfidiam è veſtigio ulciſcuntur, ut mox declaratum ibimus. Porrò cùm dolos Avito moliretur Richomer, Vandali, qui ipſius impulſu Carthagine cum LX. navibus in Gallias, Italiamve moverant, Aviti virtute debellantur.

Idac.

Avitus ejicitur Imperio: moritur.

II. Involuta nomine amicitiæ Romanorum erant in Avitum odia. Nullis quidem meritis eam ſibi indignationem contraxerat. Moribus erat probis, honeſtiſque: neque bellicæ virtutis expers, vir multorum ſtipendiorum, quique ad magnos militiæ honores aſcenderat. Id unum Romanis diſplicebat, quòd percharus Maximo, cujus nomen infame erat, ob illatam à Vandalis urbi cladem, cujus cauſam defuncto referebant. Ad Avitum igitur regno pellendum utuntur operâ Richomeri, qui Patritius, & Comes erat. Auxiliares Gothos ſibi futuros ſperabat Avitus, quod & promiſerant, promiſſa tamen non implevere. Itaque reſiſtendo Richomero impar, ipſius in poteſtatem venit. Avito partitum, *ad occiſus eſt Meſſianus Patritius ejus, XVI. Cal. Junias.* Quantum ex Victore Tunnenſi colligere fas eſt, ventum ad pugnam, quæ Richomero victoriam attulit. Victoris verba ſunt: *Richomerus Patritius Avitum ſuperat, cujus innocentiæ parcens, Placentiæ civitatis Epiſcopum facit.* In ea civitate captus à Duce Romanorum, purpuram, quam invitus ſumpſerat, lubens exuit, ne ingratum ſibi Imperium ſanguine, belliſque retineret: *Luxurioſè agere volentem à Senatoribus ejectum*, Gregorius Turonenſis ſcripto prodidit, *l. 2. c. 11.* Aviti tamen hæc eſt injuria, quem vitæ integrum Veteres prædicant. Neque, qui pellendum monum fuiſſet, hominem Placentiæ ſacris impoſuiſſent: ordinationive ipſius Leo Pontifex aſſenſum præbuiſſet. Menſe circiter Martio purpurâ ſpoliatus eſt, quod & indicat Evagrius: *Poſt Maximum Avitus Romæ imperavit menſes octo.* Creatus fuerat anno ſuperiore, ſexto Idus Julias. Diutius tamen imperaſſe, Idacio traditum, cujus verba ſibi non conſtant. Legitur enim in MS. teſte Valeſio: *Tertio anno Avitus ſeptimo menſe, poſteaquam à Gallis, & à Gothis factus fuerat Imperator, caret Imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vitâ.*

Evagr. l. 2. c. 7.

Idacii ad Chronologiam reſpectu habito, expungi quidem debet, *ſeptimo menſe.* Cùm & eumdem annum tam & Marciano, quàm Avito fatalem, & poſt XV. Cal. Novembris rerum adhuc potitum Avitum fuiſſe tradat. Vix tamen dubitandum, quin anno CCCCLVI. abdicatum ſit Imperium Avito, quod apparet extatque Evagrii, Caſſiodori, Victoris Tununenſis, Anonymique teſtimonio. Placentinum Epiſcopatum Avitus diu non retinuit, peſte, quâ extinctus eſt, & vitâ, & munere ſuo pulſus. Obitum ſic narrat Gregorius Turonenſis: *Apud Placentiam urbem Epiſcopus ordinatur. Comperto autem, quòd adhuc indignans Senatus vitâ eum privare vellet, Baſilicam Sancti Juliani Arverni Martyris cum multis muneribus expetivit. Sed impleto in itinere vitæ curſu obiit, delatuſque ad Brivatenſem vicum, ad pedes dicti Martyris eſt ſepultus.* Brevi Avitiana fata Idacius memorat: *Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vitâ*, omiſſa mentione Epiſcopatus, quem adminiſtraſſe ferunt. Magnis antequam purpuram indueret, honoribus Avitus functus erat. Etenim ſic ipſum loquentem Sidonius inducit:

Greg. Tur Hiſt. l. 2. c. 11.

Emeritam fateor ſemper ſoviſſe quietem,
Ex quo militia poſt munia trina ſuperbum
Præfecturæ apicem, quarto jam culmine rexi.

Sidon. car. 7. v. 461.

Aviti ad famam acceſſit, quod *Papianillâ* filiâ in matrimonium collocatâ, Sidonium Apollinarem, virum nobilitate, virtutibus, Epiſcopatu clarum pro genero habuerit.

III. Celebritatem anno attulit & Suevorum clades, quâ ipſorum Imperium extinctum eſt. Frontoni Comiti, qui Aviti apud Suevos Legatum agebat, Theodoricus Romano ſidus imperio ſuos junxerat, ut tam Gothis quàm Romanis *jurati fœderis promiſſa ſervarent.* Hoc eò faciliùs impetrari poſſe, Theodoricus putabat, quòd cum Suevorum Principe Rechiario cognatione copulabatur. Remiſſis utriuſque partis Legatis, *atque omni juris ratione violatâ, Suevi Tarraconenſem Provinciam, quæ Romano Imperio deſerviebat, invadunt.* Rurſum novi à Gotho Legati ad Suevos mittuntur, quorum poſt adventum *Rechiarius* impetu in Tarraconenſem regionem facto, prædæ multum, captivorumque in Gallæciam abegit. Quin etiam, ut Jornandes narrat, Theodorici Legatis Domino ſuo nunciare jubet: *Si hic murmuras, & me venire cauſaris, Toloſam, ubi tu ſedes, veniam; ibi, ſi vales reſiſte.* Quibus commotus Theodoricus, Burgundionum Regibus, Gundiaco, & Hilperico uſus auxiliaribus, in Suevos arma movet. Eventus belli ſatis ex ſententia Theodorici proceſſere, quos Idacianis verbis memorabimus: *Theodorico cum multitudine Suevorum Rex Rechiarius occurrens, duodecimo de Aſturicenſi urbe milliario ad fluvium, nomine Urbicum, tertio Nonas Octobris die, ſextâ feriâ, inito mox certamine ſuperatur, cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe ad extremas ſedes Gallæciæ plagatus, vix evadit, ac profugus. Theodorico Rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto Cal. Novemb. die Dominico, etſi incruenta, fit tamen ſatis mœſta & lacrymabilis ejuſdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum. Sanctorum Baſilicæ effractæ, altaria ſublata atque confracta; Virgines Dei exin quidem abductæ, ſed integritate ſervatâ, Clerus uſque ad nuditatem pudoris exutus, promiſcui ſexus cum parvulis de locis refugii ſanctis,*

Rechiarius Suevorum Rex à Gothis debellatur.

Idac.

Idac. Chron.

populus omnis abſtractus. Jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus ſacer impletus. Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus Regi Theodorico captivus adducitur. Quo in cuſtodiam redacto, cæteris, qui de priore certamine ſuperſuerant, tradentibus ſe Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum deſtructum & finitum eſt Suevorum. Occiſo Rechiario, menſe Decembri, Rex Theodoricus de Gallacia ad Luſitaniam ſuccedit. Anno Dom. CCCCIX. Hiſpanias ingreſſi Suevi, Rege Hermerico, Rechiarii avo, annos duntaxat XLVII. in Hiſpania imperium tenuere. Catholicam fidem profitente Principe id imperii extinctum eſt, perfidiæ genti innatæ pœnas expetente Chriſto. Suevicæ reliquiæ *Maſſilia filium, nomine Maldram, ſibi Regem conſtituunt.*

Geiſericus Eudoxiam Conſtantinopolim mittit. Acta Marciani.

IV. Hiſpanias egreſſi, Carthaginem petamus. Direptis Romanis opibus, anno ſuperiore Geiſericus Eudoxiam cum filiabus in Africam abduxerat. Quæ illata regio ſanguini contumelia Marcianum ad indignationem provocarat. Ut Imperatoris iram placaret Geiſericus, Placidiam matre Eudoxiâ comitatam, cum regio cultu & ſatellitio Conſtantinopolim miſit. Major natu Eudoxia Hunnerico Geiſerici filio in matrimonium collocata eſt, Placidia verò juſſu Marciani nupſit Olybrio, qui inter Senatores Romanos nobiliſſimus, captâ urbe Conſtantinopolim ſe receperat. Dum Eudoxiam ſecuti Conſtantinopoli verſamur, de geſtis Marciani mentio facienda ex Alex. Chronico: *Marcianus Imperator ſtudioſiſſimus erat Venetæ factionis, non ſolùm Conſtantinopoli, ſed ubique terrarum, unde à Praſina factione tumultus excitatus eſt, cujus causâ Imperator ſanctiſſimè edixit, ut Praſini intra triennium & à civilibus honoribus, & à militia ad triennium excluderentur.* Cæterùm peccatis mortalium infenſus Deus eos ulciſcitur. Quippe Phrygiam preſſit importuna locuſtarum clades, referente Marcellino: *Varano & Joanne Coſſ. innumera locuſtarum agmina fructum Phrygia vaſtaverunt.*

Evagr. l. 2. c. 7.

Eudoxia Eutychianiſmum ejurat, à Monachis edocta.

V. A rebus Imperii ad illas Eccleſiæ pergamus. Eudoxiæ Auguſtæ Palæſtinam incolenti profuit Eudoxiæ filiæ calamitas. Corrupta Theodoſii venenis, Chalcedonenſia Decreta reſpuebat. Errantem reduxit in viam Valentiniani generi caſus, familiæque calamitas, quâ cœleſti manu adhibitas ſibi virgas arbitrabatur. Accendebatur & Baſſæ monitis, quæ Virginum Præfecta Monaſterio pietatem colebat. Decrevit ergo ſanctorum Patrum admittere inſtitutiones. Accito Chorepiſcopo Anaſtaſio Simeoni Stylitæ per illum ſcribit, complexuram ſe, quod ille decreviſſet. Conſulenti in hæc verba reſcribit: *Scito, filiola, quòd Diabolus virtutum tuarum divitias cernens, te expetivit, ut cribraret ſicut triticum. Et exitioſus ille Theodoſius vas & inſtrumentum illius mali factus, Dei amanti animæ tuæ tenebras offudit, eamque conturbavit. Sed confide, non enim deficiet fides tua. Ego quidem illud valde admiratus ſum, quòd cùm fontem apud teipſam haberes, eumque ignorans, longius aquam peteres. Habes igitur divinum virum Euthymium, hujus doctrinam & præcepta ſequere, & ſalva eris.* Lectis Epiſtolis, ubi novit Eudoxia Euthymio vetitum ad civitatem aliquam accedere, turrim ædificat, ut nullo prohibente Euthymii colloquio frueretur. Ad eum verò quærendum *Coſmam Crucis cuſtodem*, Anaſtaſiumque mittit, qui Euthymium tandem perſuaſum ad turrim adducunt. Provolutæ ad ejus genua, ut benedictionem impertiit, diligentius rebus divinis attendere jubet. Ideò tot tantaſque ipſi moleſtias accidiſſe; quòd cum impuro Theodoſio communionem inierit. Relegatâ contentione omni, Decretis Nicænis contra Arium, Conſtantinopolitanis contra Macedonium, Epheſinis contra Neſtorium acquieſcendum eſſe: ſuſceptoque Chalcedonenſi Concilio, rejecto Dioſcoro ad Juvenalem accedendum. Hæc ubi dicta dedit Euthymius, fuſis pro Eudoxia precibus in Mandram revertitur. Eudoxia verò, petitâ Hieroſolymâ, in Eccleſia pietatis munere fungitur. Quo exemplo complures provocati ex plebejis Monachiſque, qui Theodoſii errorem ſecuti fuerant, ſacram communionem percepere. Qui verò exemplum ejus imitari noluerunt, ob amorem, quo eos proſequebatur, non verò propter fidei ſocietatem ſolita adhùc Eudoxiæ munera receperunt.

Niceph. l. 15. c. 13.

Deogratias fato fungitur.

VI. Hæc in Palæſtina. At in Africa Carthagini vitæ finem implet optimus ille Præſul Deogratias, poſtquam *triennio* in adminiſtranda Eccleſia vacaſſet. Ordinatorem ejus Epiſcopum eſſe, nomine *Thomam*, Baronius ſcriptum reliquit. Victoris tamen verba, quibus innititur, in accuratioribus editionibus non apparent, in quibus legimus, *ordinatur quidam in Sacerdotium, nomine Thomas.* Quæ multum à Baroniana lectione diſcrepant: *Ordinator quidam memorati Sacerdotis, nomine Thomas.* Magna in fovendis captivis Deogratias diligentia Arianis indignationem moverat, ut ſæpius ei mortem molirentur. Verſantem in medio turbine lethi Chriſtus felici obitu ereptum voluit. Doloris multum triſtis ille caſus Romanis attulit: Deogratias *exitum ita urbici captivi planxerunt, ut tunc ſe putarent magis tradi manibus Barbarorum, quando ille perrexit ad Cœlum. Functus eſt autem Sacerdotio annis tribus. Cujus amore & deſiderio populus attentius potuerat membra digni corporis capere, niſi conſilio prudenti dum mora vacaret, neſciente multitudine ſepeliretur.* Defuncti Natale Martii XXII. in Martyrologio Rom. celebratur. Ex quo Baronius intelligere potuit ſuam de initiis, fineque Epiſcopatus Deogratias Chronologiam accuratam non eſſe, cùm anno ſuperiore, quem Deogratias ultimum fuiſſe putat, Geiſericus menſe, non *Martio*, ſed *Junio* urbem ingreſſus vaſtaverit.

Vict. de Perſ. Vand. l. 1 B. M. p. 677.

Bar. An. 455. n. 17.

Vict. Vit. l. 1. 677.

Perſecutio Africana imperante Geiſerico recrudeſcit:

VII. Exundantem Geiſerici furorem vi precum ſuarum Deogratias cohibuerat. Eo defuncto manſuetudinis clementiæque omnis repagula perfregit, ut Africanas Eccleſias opprimeret. Perſecutioni occaſionem Thomas ſubminiſtravit Epiſcopus: *Qui dum variis ab eis inſidiis ſæpius attentaretur, quodam tempore venerabilem ſenem in publica facie catomis ceciderunt.* Catomus virgæ genus eſt, ut ex veteri Juvenalis interprete ad Satyr. 3. colligitur: *Quia aut catomis cædebantur, aut quia manibus vapulant cuncti per civitatem.* Victoris & phraſis inſtrumentum quoddam innuit, dolori inferendo idoneum; perinde atque phraſis, virgis cædi. Minus placet eruditorum ſententia, quòd Thomas in cervice plumbatis cæſus fuerit, ut *catomus* locum plagarum deſignet: in humeros eum potius quàm in cervicem feriiſſent. Thomas inuſta ſibi verbera *non ad opprobrium, ſed ad mercedem computans gloriæ ſuæ, in Domino lætabatur: unde factum eſt, ut poſt obitum Epiſcopi Carthaginis Zeugitana & Proconſularis Provinciæ Epiſcopos interdiceret ordinan-*

Anno Dom. 456.

dinandos, quorum erat numerus centum ſexaginta quatuor. Sed etiam martyria quàm plurima eſſe probantur, Confeſſorum autem ingens & plurima multitudo. Vandalo cuidam ſerviebant *Martinianus*, Saturianus, duoque ipſorum germani, necnon virgo quædam *Maxima*, quam Dominus ejus Martiniano nuptum collocari voluit. Ubi ventum ad ſecreta cubiculi ſilentia, jura matrimonii exercere cùm Martinianus voluiſſet; dixit *Maxima*, corpus ſe ſuum Deo dicaſſe, tantumque ſuis conſiliis effecit, ut monaſticam ingredi vitam & Martiniano perſuaderet: qui eam quoque fratribus ſuis mentem indidit. Sic animatis placuit relicto Domino ſuo, de nocte Andreæ Monaſterium ingredi. Maxima verò Virginum Cœnobium incoluit. Factum celari non potuit. Servos itaque ſuos repetit Vandalus, quos non ad nuptias modò, ſed ad novum quoque baptiſmum cogi voluit. Ipſe Geiſericus nullum cruciatibus modum imponi juſſit, donec præcipienti Monachi obtemperarent. Miracula hìc multa narrat Victor, quorum fides ſit penes Autorem: Confeſſorum *dum ſanguis efflueret, & diſſipatis carnibus viſcera nudarentur, ſequenti die, Chriſto medente ſemper incolumes reddebantur.* Lignorum ingentium, quibus alligabatur Maxima, *putreſcens ſoluta eſt fortitudo.* Nondum quidem nobis Victor perſuaſit, Monachos voto ſuo legitimi ſe Domini ſui poteſtati exemiſſe, vel quòd *Chriſti mancipia eſſent*, eò non amplius eſſent Vandali. Subjungit Victor: Geiſericus *mittit Proculum in Provinciam Zeugitanam, qui arctaret ad tradendum miniſteria divina vel libros cunctos, Domini Sacerdotes ut primò armis nudaret, & ita facilius inermes hoſtis callidus captivaret.* Negata ab Epiſcopis violentes Proculus rapuit, *& de palliis altaris camiſias ſibi, & femoralia fecit. Valerianus* Abenſis civitatis Epiſcopus, qui ne ſacramenta traderet, fortiter dimicarat, *in ſtrata publica multo tempore nudus jacuit ſub aëre*, prohibente Geiſerico, ne quis in agrum, domumve ſenem reciperet. Paſchali celebritate Eccleſiam ſibi clauſam Catholici cùm aperuiſſent, *Andiot* Arianorum Presbyter, impetu facto hominibus ſuæ factionis comitatus, multos occidit. Lector, qui de pulpito *alleluiaticum melos canebat*, ſagittâ percuſſus, cadente de manibus Codice mortuus procubuit. Sic ſanguine infecta, cadaveribuſque referta Eccleſia triſte ſpectaculum exhibuit, eòque miſerabilius, quòd vel ipſis nocentibus erat azylo. Alia & alibi flagitia perpetrantur. Thunazudæ, Galibus, aliiſque in locis *corpus Chriſti, & ſanguinem pavimento ſparſerunt, & illud pollutis pedibus culcaverunt.* Armogaſtem Theodoricus Regis filius diris cruciatibus vexatum, capite plecti juſſerat. Supplicium tamen prohibuit *Jocundus* Presbyter, ne gloriam Martyris Armogaſtes adipiſceretur: *Poteris*, inquit, *eum diverſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladio peremeris, incipient eum Romani Martyrem prædicare.* Ad fodiendas ergo ſcrobes in Byzacenam à Theodorico relegatur. (*Vict. de Perſ. Vand. l. 1.*) Multas Confeſſorum pugnas ejuſmodi Victor memorat Utenſis: ſed opus eſt, ſcibendi facere compendium; nec quæ de ea perſecutione tradita ſunt, anni hujus ſpatio circumſcribi debent.

Anno Dom. 457.

Anno U. C. 1210. Olymp. 309. Per. Jul. 5170. Jul. 502. Dom. 457. Leonis I. *Sol.* 18. F. *Lun.* 2. *Indict.* 10. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

Coss. *Conſtantinus & Rufus.*

I. Glorioſam Marciani vitam pia mors exornavit. (Mors & mores Marciani.) Ad ſupplicationes, quæ XXVI. Januarii in *Campo* fiebant, proceſſerat, ac quinto pòſt die Januarii ultimo mortalitatem exuit. Quem optimo Principi ſupremum fuiſſe, ex Theophane rectè colligitur. Etenim cùm in ipſius Chronico legatur, Marcianum obiiſſe *pridie Kalendas Maias*, apparet locum ſic eſſe reſtituendum, *pridie Kalendas Februarias*, cùm paulò pòſt ſcripſerit, menſe *Februario* Leonem Marciano fuiſſe ſubſtitutum. Natus erat Marcianus annos LXV, ut Chronicum habet Alexandrinum. Ad imperium evectus fuerat Auguſti XXV. anno Dom. CCCCL. Regnavit ergo annos ſex, menſes quinque, dies ſeptem: itaque ſextus Marcellino menſis incompletus eſt, ſcribenti: Marcianus *imperavit annos ſex, menſes ſex.* Non eſt igitur accurata Baronio Chronologia, (*Bar. An. 457. n. 1.*) qui annos *ſex, menſes ſex, & dies duos* Marciano vindicat, unius penè menſis errore. Non immeritas optimo Principi laudes Marcellinus dedit ſcribendo, Marcianum *bonis Principibus* eſſe comparandum: in eo ſcilicet pietas, juſtitiaque viribus æquis certabant. Religionis ſimul & modeſtiæ ſpecimen exhibuit, à Theodoro Lectore non prætermiſſum: (*Theodor. lib. 1.*) *Marcianus ad ſupplicationes, quæ fiebant in campo, pedes extra civitatem progreſſus, multas pecunias pauperibus erogavit. Anatolium verò urbis Epiſcopum hortatus eſt, ut juxta morem Epiſcoporum urbis Regiæ à Tauro uſque ad Campum lecticâ vectus, ad ſupplicationem procederet. Verùm ille cùm Marcianum pedibus incedentem vidiſſet, ipſe quoque pedes proceſſit.* Porro clariſſimo aſſentiri Valeſio nobis non licet, qui ultimam Marciani ad Campum proceſſionem illam eſſe putat, quæ celebrabatur ob ingentem telluris motum, Theodoſio imperante, anno CCCCXLVII. exortum, Ardaburio & Alipio Coſſ. quem & inſtituendo Triſagio occaſionem præbuiſſe ferunt. Contigit ille motus *octavo Idus Novembris*, non *Januario* menſe, quo ſe Campo Marcianus intulit, quinque diebus ante ipſius obitum.

II. Vacuum Leo replevit imperium, ad illud evectus *ſeptimo* Februarii, feriâ V. (Leo Marciano ſuccedit. Quis? Ejus anni.) *Creatus eſt ab exercitu Imperator Leo Magnus, menſe Peritio, ſeptimo Idus Februarii.* Hæc Chronicum habet Alexandrinum. Ex Thracia ortus erat, dignitate Tribunus. Candidus verò Hiſtoricus apud Photium de Leone ſic ſcribit: (*Phot. c. 79. p. 174.*) *E Dacia Illyrica oriundus, cùm militari agmini, Selymbrianſque cohortibus præeſſet, Aſparis ſtudio imperium adeptus eſt.* Neque in privata fortuna conſtitutum deſerebat afflictorum miſeratio, ſi vera prædicat Nicephorus, cujus in narratione multa ſunt, quæ fidem noſtram non impetrant. Deambulabat ſolus, cùm in hominem cæcum totâ viâ errantem incidit: ejuſque calamitatem miſeratus, oculi ei vicem præſtans, titubantis greſſus per loca plana direxit. Itinere aliquantò confecto, cæcus ſiti plurimum conficiebatur. Ducem ergo ſuum rogat, ut ſiti mederetur, & viæ laborem in umbra quapiam aliquantulum recrearet. Hoc quidem credi poteſt, & quòd poſt mul-

ANNO DOM. 457.

multam fatigationem denſâ ſylvâ perluſtratâ, præbendam ſitienti tandem aquam invenerit. Quòd verò B. Virgo Leoni compellato, Imperium promiſerit, mandaveritque & limoſum cœnum accipere ad cæci ungendos oculos, quo luci reſtituerentur, & ſibi loquenti Templum excitare, in quo ſuaviter deambulans, illud adeuntibus optata præſtaret omnia, ſuave Nicephori ſomnium eſſe putamus. Cæterùm magna conſpiratione, & Senatus, & exercitus Imperator ſalutatus, ab Anatolio diademate coronatur. Obiit Leo anno Dom. CCCCLXXIV. menſe Januario, Leone Juniore Conſule. Imperavit ergo annos ſexdecim, menſes XI. dieſque inſuper aliquot, qua de cauſa Theodoro ſcriptum: *Fiunt anni ejus imperii ſeptemdecim.* Quot annos Leo natus eſſet, cùm purpuram ſumpſit, Baronio numerari placet: *Imperator*, inquit, *creatus eſt anno ſuæ ætatis* LIV. Rectè quidem ex Chriſtophorſiana verſione, quæ telluris motum Antiochenum contigiſſe dicit, *regnante Leone, ſexto & quinquageſimo anno.* At Græca aliter habent: Ἕκτῳ καὶ πεντηκοστῷ, *ſextum & quinquageſimum.* Phraſis quidem Evagrii, narrationiſque ſeries non patiuntur, Leonis annos intelligi, qui Æræ potius Antiochenæ ſignificantur.

Niceph. l. 15. c. 25.

Theodorit. l. 2. 568.

Bar. An. 458. n. 28.

Mores Leonis.

III. Erant egregiæ Leoni virtutes. Rectæ fidei favebat; pulcherrimis Legibus pietatem adjuvabat eruditis; ſtipendia libenter erogabat. Qua de re nobile dictum ejus celebratur. *Eulogio* Philoſopho ſtipendium dari juſſerat. Quo audito, Eunuchorum unus teſtatus eſt, hanc pecuniam in milites impendendam eſſe. Ad hæc Leo, *Utinam ætate meâ contingat, ut ſtipendia militum in Doctores conferantur.* Fortitudine ſuâ Barbaris & timori erat, ad quos ipſius fama pervenit, ut omnium Imperatorum, qui ante ipſum fuerunt, feliciſſimus videretur. Non mediocribus tamen vitiis tenebatur. Ardebat amore pecuniæ, quæ cauſa fuit, ut ſubditorum fortunas diripiens, & ſycophantas mercede conducens, quod ex univerſo terrarum orbe aurum colligebat, ſibi reponeret. Sic urbes ſpoliatæ vix ſolvendis tributis pares erant. Malchus in Byzantina ſua Hiſtoria affirmabat, *Leonem omnis improbitatis diverſorium fuiſſe, qui & Hyperechium Grammaticum in exilium egerit.*

Suid. t. 2. 23.

Majorianus fit Imperator. Quis? Anni ejus.

IV. Ne Occidentis imperium funditùs periret, diſtractis laceriſque ejus reliquiis conſenſu Leonis Julius Valerius Majorianus imponitur. Creatur Auguſtus *Kalendis Aprilis*, accedente omnium conſpiratione:

Sidon. carm. 5. 387.

Ordo omnis regnum dederat, plebs, Curia, miles,
Et Collega ſimul.

Lugdunenſem Majorianum fuiſſe, monuit nos Sidonii Panegyricus:

Id. verſ. 576.

Lugdunumque tuam dum præteris, aſpice victor.

Avum maternum, nomine *Majorianum* habuit, utriuſque Militiæ imperante Theodoſio Magno Magiſtrum:

Sidon. carm. 5. 109.

Nam Theodoſius, quo tempore Sirmi
Auguſtum ſumpſit nomen, per utramque Magiſtrum
Militiam, ad partes regni venturus Eoas
Majorianum habuit.
Hunc ſocerum pater hujus habet, vir clarus, & uno
Culmine militiæ ſemper contentus.

Cùm uxor Ætii Majoriano noſtro invideret, eò tandem maritum perduxit, ut militiâ illum ſolveret:

Rare jubet patrio ſuetus mutare labores,
Ne ſolam militis artem
Ferret ad imperium.

ANNO DOM. 457.

Id verſ. 294.

Marcellin.

Ravennæ purpuram ſumpſit: *Leonis voluntate apud Ravennam Cæſar eſt ordinatus.* Præclaris optimiſque virtutibus ornatus, ad imperium promotus eſt, quod exangue jam atque exanime reſtituere potuiſſet, niſi *Richomeri* fraude prohiberetur. Anno quippe CCCCLXI. ejectus eſt imperio Auguſti menſis decimo, Severino & Dagalaipho Coſſ. ut ab Anonymo Cuſpiniani ſcripto proditum: *Depoſitus eſt Imperator Majorianus à Patricio Richomere, Dertonæ IV. Nonas Auguſti.* Regnavit ergo annos quatuor, menſes totidem, dieſque decem. Prima imperii ſui initia ſanguine Vandalico Majorianus nobilitavit. Sororis Geiſerici maritus cum claſſe ad Campaniam prædis agendis appulerat, qui à Principe fuſus eſt:

Sidon. carm. 5. 435.

Clamant hoc vulnera primi
Prædonum tum fortè Ducis, cui Regis avari
Narratur nupſiſſe ſoror.

Leo Papa ad Leonem Auguſtum ſcribit.

V. Ad ſe nunc nos vocant res Eccleſiæ. Leoni Auguſto à Leone Pontifice honores reddendi erant. Dum literis novo Principi ſuis gratulatur, ut attentos animos ad Eccleſiæ conſervationem teneret, eum obſecrat enixius: *Officiis, quæ ad gratulationem Imperii veſtri pertinent perſolutis, etiam hanc paginam neceſſariæ ſupplicationis adjeci, quâ Catholicæ fidei divinitus præparatum favoris veſtri poſco præſidium. Nam talia in Alexandrina Eccleſia perpetrata fratris mei Anatolii relatione cognovi, ut omnis Chriſtiana Religio ſentiat, ſe impeti, atque violari, niſi univerſalis fidei veſtra devotione proſpiciatur, & memoratæ Eccleſiæ, quæ anteà Catholicis fuit clara Doctoribus, reddatur Chriſtiana libertas, ut ceſſantibus Hæreticorum impugnationibus, Evangelica doctrina, quæ illic ante Dioſcorum viguit, unà cum totius Eccleſiæ pace reparetur.* Ut verò ſplendori ſuo Alexandrina reſtitueretur Eccleſia, Leoni Auguſto id conſilii miniſtrat, quod eſt in obſervatione ponendum: *Per Catholicos Sacerdotes talem provideri jubete Pontificem, in quo, & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil poſſit reprehenſibile reperiri.* Tantum poteſtatis ſibi non aſſumit Leo Papa, ut Alexandrinis Pontificem imponeret. Data eſt Epiſtola *quinto Idus* Junii.

Timotheus Ælurus creatus Epiſcopus.

VI. Cæterùm non abs re quidem ad eas preces Leo deſcendebat. Tulerat Alexandrina Eccleſia tragici ſceleris exemplum, ut tædio & furoris, & erroris maturius veniret auxilium. Præ cæteris populis Alexandrini obſcurâ, promiſcuâque hominum fece abundantes, & præcipitis audaciæ abrepti impetu, eo tempore, quo *Dionyſius* Dux rei militaris in ſuperiore Ægypto morabatur, Timotheum, cognomento Ælurum, ſchiſmaticum illum Presbyterum, quem anno CCCCLIV. Synodus Alexandrina exauctorarat, ad Epiſcopatum evehunt. Sacerdotii cupiditate flagrans, equis veliſque conabatur, ut ejecto *Proterio*, locum ejus occuparet. Verſipellem ergo ſe faciens, Angelicam ſibi perſonam aptabat, ut Monachorum ad ſe converteret animos. Jucunda ea de re Theodori narratio eſt: *Timotheus Ælurus, antequam Proterius occideretur, præſtigiis quibuſdam ac machinamentis uſus, noctu cellas Monachorum circuibat, ſingulos Monachos nominatim appellans. Cùmque is, qui nominatus erat, reſpondiſſet, ipſe unum ex Angelis ſe eſſe dicebat, ad hoc miſſum, ut ſingulis denunciaret, ne*

Theodor. l. 1. 552.

Pro-

ANNO DOM. 457.

Proterio communicarent, ſed ut Timotheum Æluꝛum Epiſcopum eligerent. Timotheum *fuligine, nigroque colore oblitum, noctu circa Monachorum cellas obambulaſſe, ſingulosque nominatim appellaſſe per calamum ſcirpeum excavatum*, legitur in Nicephoro, l. 15. c. 16. Sapienter tamen & rectè Valeſius monet, fuliginem nigrumque colorem Angelis non convenire, quorum unum Timotheus ſeſe fingebat. Itaque Græcum μελανία, quod in Theodoro, quem Nicephorus exſcripſit, reperitur, Valeſius mutat in μαγγανεία, ut legitur in Chronico Theophanis. Eâ de cauſa Timotheus *Æluri* cognomen ſibi comparaſſe viſus eſt, quòd felis inſtar noctu ambulare ſolitus eſſet. Hactenus ludificatio Timothei, quæ riſum movet. Sequitur nunc tragœdia, digniſſima lachrymis. Auditâ morte Marciani, *impiis vocibus ac maledictis nomen illius impudenter inceſſens, tanquam nullis legibus ſubjectum, ſanctum præterea & univerſale Concilium perfrictâ fronte anathematizans, multitudinem hominum venalium, ac ſeditioſorum poſt ſe trahens, quos contra divinas regulas, & Eccleſiaſticam Diſciplinam, contra Leges, & Rempublicam armaverat, in Sanctam Dei Eccleſiam irrupit, quæ Paſtorem & Doctorem tunc temporis habebat, Archiepiſcopum Proterium, qui tum ſolemnes Collectas celebrabat.* Unico die elapſo, cùm Proterius in Epiſcopali domo moraretur, Timotheus aſſumptis Clericis, qui exilio damnati fuerant, nec non *Euſebio* Peluſii, & Petra Epiſcopo Majumæ, qui exauctorati fuerant, ad majorem Eccleſiam, quæ *Cæſaris* dicitur, tendit, ibique ordinatur. Violatio hæc Canonum fuit, juriſque Eccleſiaſtici perturbatio, cùm Præſul Alexandrinus à duobus duntaxat Epiſcopis conſtitui non poſſet.

Evagr. l. 2. c. 8.

Proterius mactatur. Vis ejus illata cadaveri.

VII. Animo Proterii tempeſtas formidoloſiſſima cùm offerretur, ad baptiſterium confugit, ut eorum, qui ad cædem faciendam irruebant, impetum declinaret. Immaculata ſepta tamen aſylum fugienti non præbuere. Quippe nec loci, nec diei ſanctitatem veriti ſcelerati homines, inſontem Proterium occidunt, cumque eo ſex alios crudeliter mactant. Negat Petri vitæ Scriptor, Proterium ab effrenata plebe occiſum eſſe. Cædis autor miles quidam, quem Timotheus occupatâ jam Sede ſubmiſerat. Quiſquis percuſſor fuerit, conſtat, optimum Præſulem Timothei ambitioni ſanguinem dediſſe. Dies ille nefaſtus *feſtum Paſcha ſalutaris* dicitur Ægyptiorum Epiſcoporum in Epiſtola ad Leonem Auguſtum. Paſcha autem intelligunt non ἀναςάσιμον, quo Domini Reſurrectio celebratur, ſed θανάσιμον, quo diviniſſimus Dei agnus immolatus eſt. Qui *Paſcha* dies à Tertulliano vocatur, hunc in diem cecidiſſe Proterium, teſtatur & Victor Tununenſis, licet mendoſè *ſextus* Kalendarum Aprilium dicatur, quartus certè certòque potius appellandus: *Proterium populus Dioſcoritanus ſeditione factâ, Timotheo autore, cognomento Æluro interfecit IV. Kal. Aprilis, ſextâ feriâ ultimæ jejuniorum hebdomadæ die, quâ noſter Salvator & Dominus à Judæis eſt crucifixus. Tunc enim Paſcha Dominicum quarta eſt Kal. Aprilis celebratum.* At feriâ quintâ Martii octavo & vigeſimo Proterium occiſum eſſe, tradit Liberatus: *Ante triduum Paſcha, quo Cœna Domini celebratur, ab ipſis turbis concluditur in Eccleſia ſanctæ memoriæ Proterius, quo ſe timore contulerat. Ibique eâdem die in baptiſterio occiditur.* Cedere tamen Liberatus debet Ægyptiacis Epiſcopis, qui labente anno Epiſtolam Leoni ſuam direxere, in qua disertè affirmant, Proterium *feſto Paſcha ſalutari* interemptum fuiſſe: qui cùm de die Dominica Reſurrectioni Servatoris celebrandæ dicata capi nequeat, utique ad Paſcha θανάσιμον referri debet, quod feriæ ſextæ alligabatur, Martii vigeſimo nono. Glorioſum Proterio fuit, Timothei Eutychianorumque furori ſe præberi victimam, illâ ipſâmet die, quâ Chriſtus à Judæis eſt immolatus: ut ſervus coronam martyrii geſtaret, cùm Dominus ſceleratâ inimicorum manu ſpinis coronatus eſt. Ad cædis indignitatem acceſſit, quòd Proterii *cadaver undequaque vulneratum, circumducentes per cuncta ferè civitatis loca raptant, atrociter miſerandum in modum ei inſultantes, & corpus ſenſus omnis expers abſque ulla miſericordia verberantes, ac membratim ſecantes. Ac ne quidem veriti ſunt, ferarum more viſcera illius degustare, quem paulò antè inter Deum atque homines interpretem & ſequeſtrum habere videbantur. Poſtremò quod reliquum erat corporis, cùm in rogum conjeciſſent, cinerem in ventos ſparſerunt.* Locus, in quo defuncti corpus fune ligatum, & ſuſpenſum illudendo cunctis oſtentabant, *Tetrapylum* vocabatur. Hîc quaſi ampla ſpolia retuliſſent, vociferabantur, *Proterium eſſe eum, qui occiſus fuiſſet.*

Evagr. l. 2. c. 8.

Violentia Timothei. Ægyptiaci Epiſcopi confugiunt ad Leonem.

VIII. Ut honorem viro, cui vitam abſtulerat, ereptum iret Timotheus, ſacris Dyptichis expungit Proterii nomen, cujus in locum ſuum ſubſtituit. Inſeruit & illud Dioſcori à Chalcedonenſibus damnati. Clericos, quibus & Proterii memoria chara, & Decreta Chalcedonenſia venerationi erant, expulit Eccleſiæ communione. Theophilus, Cyrilluſque unà cum Proterio anathemate feriebantur. Qui ab Orthodoxis ordinati erant Clerici ejiciebantur, ut Hæreticis locum darent. Aderant Timotheo quinque Epiſcopi, qui impietatis ipſius miniſtri per urbes Ægypti fidei cultores perſequebantur. Ut tantis offerretur malis remedium, ejecti Epiſcopi ad regiam urbem iter convertunt. Summatim quidem, perſpicuè tamen rem Liberatus exponit: Ad Leonem *tanti facinoris querela pervenit, aſcendentibus ad Imperialem Civitatem cum Clericis aliquantis Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopis, qui erant à Timotheo Sedibus ſuis pulſi.* Oblato Libello ea fuſiſſimè exponunt, quæ ſunt à nobis relata. Libelli autem initium ſic habet: *Pio & Chriſti amantiſſimo, & à Deo deſignato Victori ac Triumphatori & Auguſto Leoni preces oblatæ ab univerſis Epiſcopis Ægyptiacæ Diœceſis veſtræ, & à Clericis maximæ & ſanctiſſimæ Eccleſiæ Alexandrinorum veſtrorum. Cum cœleſti gratiâ tanquam eximium quoddam munus orbi terrarum conceſſus fueris, jure merito quotidie poſt Deum Reipublicæ providere non ceſſas, omnium Imperator ſanctiſſime Auguſte.* Rogant verò Principem, ſcribat Epiſcopis Romæ, Antiochiæ, Hieroſolymæ, Theſſalonicæ, quid mali ſit à Timotheo perpetratum: ut ab eis diſcat, quid à Canonibus in flagitia ejuſmodi decernatur: pellat tyrannum Præſulem Sede Alexandrinâ: jubeat ſecundum regulas B. Proterio Epiſcopum ſuffici: Synodum, ſi opus eſt, indicet, non fidei quidem cauſa, de qua non dubitant, ſed propter impia Timothei facinora: Timotheum ſacerdotalibus functionibus prorſus arceat; jubeat Eccleſiaſticorum bonorum, quæ ad Eccleſiam Alexandrinam pertinent, adminiſtrationem, ipſius

Liberat. cap. 15.

Evagr. l. 2. c. 8.

Conc. Chalc. p. 3. c. 32.

Clero tribui. Clericos à Timotheo ſuis Eccleſiis pulſos, ad eas redire mandet. Libello ſubſcripſere & Epiſcopi quatuordecim, quorum primus *Neſtor*, Flagonitorum Epiſcopus, & Ammonius, & Timotheus, Presbyteri Oeconomique Alexandrinæ Eccleſiæ. Libelli verò verba ſunt: multo itineris labore ſuſcepto, ſe leporibus ac ranis formidoloſiorem agere vitam propter Timothei calumnias, & tanquam ad ſereniſſimum portum ad Imperatoria accedere veſtigia. Scripſerunt & Anatolio Conſtantinopolitano, quid à Timotheo perpetratum: cujus eò furor proceſſit, ut Pontificales Sedes, in quibus *Proterius* ſederat, fractas igni traderet, aquâque marinâ ſacra altario elueret, affines ejus vexaret, facultates ipſius vaſtaret. Obſecrant ergo, & pietati, & afflictis Eccleſiis auxilio eſſe dignetur. Profugos Ægypti Epiſcopos literis Leo Papa ſuis ſolatus eſt, ut ipſe monet in ſua ad Anatolium Epiſtola, pridie Idus Octobris data:

Leo Ep. 76.

Opportunum credidi, ut ad ipſos quoque ſcripta dirigerem, quæ illos poſſint in communis fidei propoſito roborare, & quid pro patientia ſua supernâ remuneratione mereantur, agnoſcant. Perſtringit & Anatolium, quòd ex ipſius Clericis nonnulli *adverſariorum connivere pravitati* dicerentur.

Libellus Timothei. Reſcriptum Imperatoris ad Epiſcopos de litibus Timothei.

IX. Ex parte quoque Timothei Æluri miſſæ ſunt ad Imperatorem Epiſtolæ, quibus ei gratias referunt, quòd Alexandrina & civitas, & Eccleſia, Monaſteriaque pace utentia feliciter gubernentur. Quam verò profitebantur fidem, hanc Leoni ſignificant; ſcilicet Nicæno ſe Symbolo adhærere, abſque immutatione ulla, ſive addendo, ſive detrahendo. Communicare ſe Epheſinis Conciliis, tam ei ſcilicet, cui Cyrillus præfuit, anno CCCCXXXI. quàm Conciliabulo, cujus Dioſcorus caput agebat. Chalcedonenſem verò Synodum à ſe prorſus reſpui: *Synodum Chalcedonenſem Eccleſia maxima civitatis Alexandrina non ſuſcipit.* Populum verò Alexandrinum, Magiſtratum, cives, naviumque gubernatores Timotheum ſibi Antiſtitem petere profitentur. Acceptis Libellis Leo Auguſtus ſcribit Anatolio, ſibi ſemper in votis fuiſſe, ut & urbes Imperii, & Eccleſiæ altiſſimâ pace fruerentur. Nec quidquam intercederet, quo turbaretur. Graviſſimo tamen motu Alexandriam concuſſam eſſe: cujus cauſas ut cognoſcat, à ſe ad eum mitti exemplaria Libellorum, quos & Epiſcopi Ægyptiaci, & Timothei internuncii ſibi obtulere: *Itaque*, inquit, *pietas tua Orthodoxos omnes, & ſanctos Epiſcopos, qui nunc in hac regia civitate degunt, & religioſiſſimos Clericos confeſtim ad ſe convocet, & rebus omnibus, cum cura, & fide tractatis, & deliberatis, quandoquidem hoc tempore Alexandrina civitas turbulenta, & ſtatus ejus, tranquillitaſque nobis maximè cura eſt, nobis ſententiam ſuam de Timotheo ipſo, & Concilio Chalcedonenſi, timore humano omni, gratiâ, etiam & odio ſemoto, ſolum omnipotentis Dei metum ob oculos ponens ſignificet.* Ad hunc modum Imperator ad omnes ubique Epiſcopos ſcripſit. In eandem quoque ſententiam literas dedit ad illuſtriores Monachos, Simeonem Stylitem, Varadatum, Jacobum Niſibenum, quem perperàm Nicephorus illum eſſe putat, cujus mentio eſt Theodoriti in Philotheo. Ubi miſſos ſibi, & Epiſcoporum Orthodoxorum, & Timothei internunciorum Libellos Leo legendo percurrit, Imperatori ſubinde ſcribit, Principis curâ & vigilantiâ dignum eſſe, ut Chalcedonenſia Decreta autoritate ſuâ muniat, nec patiatur ullâ ratione perſtringi: *Debes*, inquit, *incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.* Rectè & Imperatorem monet, in precibus, *quæ Catholicorum ſunt deplorantium, ſubſcriptionem contineri, quâ dignitas ſui honoris aperitur.* In illis verò Hæreticorum certum nomen retrahi, *ne non ſolum paucitas perſonarum, ſed etiam meritum detegatur.* Queritur etiam per Timothei ſævitiam apud Alexandriam omne cœleſtium ſacramentorum lumen extinctum:

Nicaph. l. 15. c. 18.

Intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. Nec ullo modo ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit, qui poſt nefanda ſacrilegia poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, & concremati corporis cinerem in contumeliam aëris cœlique diſperſum, audent ſibi jus perſuaſa dignitatis expetere, & Apoſtolica Doctrina inviolabilem fidem ad Concilia provocare. Leo Ep. 75.

Subjungit, ornamento futurum ipſius diademati, ſi à tyranno Alexandrino Eccleſiam liberet. Data eſt Epiſtola Calend. Decemb. Leonis hæc Epiſtola ab Imperatore ad Timotheum Alexandrinum mittitur per *Diomedem* Silentiarium, regalium bajulum Præceptorum. Sed & ſingularum Eccleſiarum Epiſcopis ſcripſit Leo: *Quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis Synodi Chalcedonenſis, & direxit per totum Orientem, Magiſtrianos. Mittit & Anatolius Epiſcopus Aſclepiadem Diaconum ſuum, per quos omnes illi Epiſcopi, qui Chalcedone fuerant congregati, quid Alexandria geſtum fuit, agnoſcerent.* Liberat. cap. 15.

Reſcripſit Imperatori Timotheus, Chalcedonenſem Synodum, & Leonis Epiſtolam reprehendens: *Aliarum verò civitatum Epiſcopi Decretis Chalcedonenſis Synodi firmiter adhæſerunt, & ordinationem Timothei uno conſenſu omnes condemnarunt. Solus Amphilochius Epiſcopus Sidæ in Epiſtola, quam ſcripſit ad Imperatorem, Timothei quidem ordinationem graviter reprehendit, Chalcedonenſem autem Synodum non admiſit.* Extant Metropolitanorum Epiſtolæ XXXVII. Leoni Auguſto redditæ, quibus album ſe Chalcedonenſi Concilio calculum addere teſtantur, quarum pars labente quidem, pars verò anno proximè futuro eſt concinnata. Evagr. l. 2. c. 10.

Victorius Paſchalem Cyclum condidit.

X. Ad gloriam decuſque hujus anni Victorius Canonem ſuum edidit, cujus ad regulam Paſchalia Latinorum curricula dirigerentur. Anno CCCCLV. Alexandrinæ de Paſchate celebrando diſciplinæ Leo Pontifex ſuam accommodarat. Ne quid verò in poſterum ſimile contingeret, juxta Latinorum regulas Canonem novum edere conſtituit, illi, quem Theophilus condiderat, opponendum. Id oneris Victori humeris impoſuit Hilarus, Leonis tum Archidiaconus, & in Epiſcopatu ſucceſſor poſtmodum. Brevi Victorium Epiſtolâ adiit Hilarus his verbis: *Dilectiſſimo & honorabili ſancto fratri Victorio Hilarus Archidiaconus urbis Romæ, cùm pleràque de ratione Paſchali, tam de Græco tranſlata, quàm à Latinis condita recenſerem, diſcrepare inter ſe utrorumque ſententias, atque ſibi invicem reſultare perſpexi, ut neutra pars dum impugnatur ab altera, putetur evidenter aſtruere hujus obſervantia diſciplinam.* Petit igitur à Victorio, ut de tantæ diverſitatis cauſa per otium diligenter inquirat. Atque hic potentis erroris damnandus eſt Baronius, qui jam ſedente poſt defunctum Bar. Ann. 463. n. 2.

ANNO DOM. 457.

ctum Leonem Hilaro, anno CCCCLXIII. Victorii Cyclum conditum eſſe putat. Quem refellunt & laudatæ à nobis Epiſtolæ, quæ titulo duntaxat *Archidiaconi* Hilarum ornant, & verba hæc Victorii: *Ex tempore Dominicæ Paſſionis, diebus Kal. Jan. & nominibus Conſulum, à duobus Geminis, Ruſo ſcilicet, & Rubellio uſque ad Conſulatum Conſtantini & Ruſi diligenti annotatione collectis, per* CCCCXXX. *annos, cum Lunis atque temporibus, ac deinceps ſine Coſſ. per annos centum, & duos futuros: ut* DXXXII. *annis omnis ſumma conſiſtat, patefacere properavi.* Conſtantini & Ruti, non ſequentium Conſulum Victorius mentionem egit, quia nondum deſignati erant, cùm Periodum edidit ſuam. Itaque non mandato Hilari Papæ, non anno 463. ut Baronius ſomniat, ſed precibus Hilari Archidiaconi anno 457. prodiit Cyclus ille Victorii. Aquitanus Lemovix *Victorius* erat, &, ut fert conjectura, de Eccleſiæ Romanæ Clericis unus. Quin ſacris ordinibus ornatus fuerit, in dubium non adducitur, cùm Hilarium ſic compellat: *Domino verò ſancto ac venerabili in Chriſto fratri, Hilaro Archidiacono Victorius.* Muneris tamen quod geſſit, nil mentionis Veteres agitarunt, quos apud non minimum famæ conſecutus eſt: *Victorius, homo natione Aquitanus, Calculator ſcrupuloſus, invitatus à Sancto Hilaro Urbis Romæ Epiſcopo, compoſuit Paſchalem recurſum indagatione cautiſſimâ, poſt quatuor priores, qui compoſuerunt: id eſt, Hippolytum, Euſebium, Theophilum, & Proſperum, & protendit annorum ſeriem uſque ad annum* CCCCCXXII. *Ita ut quingenteſimo triceſimo tertio anno Paſchalis reincipiat ſolemnitas, eodem menſe & die, eâdemque Lunâ, qua primum Paſſionis ac Reſurrectionis Dominicæ anno facta eſt.* Ut autem Cyclum, quàm poſſet, accuratiſſimum conderet, Enneadecaterідem ad Latinorum Canones partim inflexam per XXVIII. Solis Cyclos circunductam, in Periodum annorum convertit: effecitque, ne Latina Eccleſia uno prius menſe, quàm Orientales Paſcha celebraret. Multiplicatis enim & XIX. Cyclis Lunaribus per XXVIII. Solares, & XXVIII. Solaribus per XIX. Lunares, varietates Lunæ XIV. omnes, feriarumque in diverſos dies incidentium, utroque Cyclo invicem multiplicato, eodem ordine reſtaurari poſſe putabat. Extincta quidem eo Cyclo fuit, quæ de menſe Paſchali Latinos inter & Alexandrinos movebatur diſcordia, veteres tamen de die Paſchali contentiones reliquit. Cùm enim juxta Latinorum Canones Lunam XV. à Paſchali celebritate excluſerit, quoties diei Dominicæ in ſuo Cyclo cohærebat, Paſcha unâ hebdomade tardius, quàm Alexandrini deſignavit. Rurſus cùm metam Neomeniis Paſchalibus in die tertio Aprilis, biduo citra Alexandrinos poſuerit, Paſcha quandoque citius Alexandrinis indicit: ut in toto Cyclo bis ac trecies, diverſo ab Alexandrino Cyclo die, Paſcha denuntiet. Verùm de hiſce ſatis, qui plurimum cupidus eſt, legat Diſſertationem ſecundam Illuſtriſſimi Norisii de Paſchali Latinorum Cyclo, p. 134. Bucheriique Commentarium, c. 8. Victorii Canonem ſibi ad Paſchata celebranda conſtituere Patres Aurelianenſes anno DXLI. *Placuit Deo propitio, ut Sanctum Paſcha ſecundum Laterculum Victorii ab omnibus Sacerdotibus uno ore celebretur. Quæ feſtivitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuntietur.* Diſplicuit tamen ille Cyclus Columbano, teſte ipſius Epiſtolâ: *Plus credo Traditioni Patriæ meæ, juxta Domin. & calculum* LXXXIV. *annorum, & Anatolium ab Euſebio Eccleſiæ Hiſtoriæ autore, Epiſcopo, & Sancto Catalogi Scriptore Hieronymo laudatum, Paſcha celebrare, quam juxta Victorium nuper dubiè ſcribentem.*

Victor. Præf. c. 10.

Gennadius de Viris illuſtribus cap. 88.

Aurel. 4. cap. 1.

Columb. Ep. 2.

Gothi Gallœciæ vaſtant Eccleſias.

XI. Magnis Gallœcianæ Eccleſiæ cladibus Gothorum impetu turbantur. Theodoricus debellato Rechiario nobilis, dum Gallias repetit, perfidiâ gloriam deflorat ſuam. Facinus exponat Idacius, cujus tamen diem quod attinet, Chronicum in mendo cubat: *Poſt dies Paſchæ, quod fuit quinto Kal. Aprilis.* Quæ verba de Paſcha Σταυρώσιμον ſunt intelligenda, quomodo & in Victore Tununenſi, narrante ad hunc annum: *Paſcha eſt* IV. *Kal. Aprilis celebratum.* Quibus & illuſtratur, & emendatur Idacius, in quo legendum, quarto Kal. Aprilis, quo Dominicæ Paſſionis memoria celebrabatur. Quid ſub ea tempora factum ſit, dicat Idacius: *Theudericus adverſis ſibi nunciis territus, mox poſt dies Paſchæ, quod fuit quarto Kal. Aprilis, de Emerita egreditur, & Gallias repetens, partem ex ea, quam habebat, multitudine variæ nationis, cum Ducibus ſuis ad campos Gallæciæ dirigit, qui dolis & perjuriis inſtructi, ſicut eis fuerat imperatum, Aſturicam, quam jam prædones ipſius ſub ſpecie Romanæ ordinationis intraverant, mentientes ad Suevos, qui remanſerant, juſſam ſibi expeditionem ingrediuntur pace fucatâ, ſolitâ arte perfidiæ. Nec mora, promiſcui generis reperta illic cæditur multitudo: ſancta effringuntur Eccleſiæ, altaribus ereptis & demolitis, ſacer omnis ornatus, & uſus auferetur. Duo illic Epiſcopi inventi, cum omni Clero abducuntur in captivitatem. Invalidior promiſcui ſexus agitur miſeranda captivitas, reſiduis & vacuis civitatis domibus datis incendio, camporum loca vaſtantur. Palentina civitas ſimili, quo Aſturica per Gothos, perit exitio. Unum Coviacenſe caſtrum, triceſimo de Aſturica milliario à Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei hoſtibus & obſiſtit & prævalet. Quàm plurimis ex eorum manu interfectis reliqui, revertuntur ad Gallias.*

Chron. Idac.

Juvenalis obitus: ejus mores, vitæque breviarium. Anaſtaſius ei ſuccedit.

XII. In majoribus Orientis Epiſcopis vita morabatur, donec Chalcedonenſi Concilio confirmato veritati litarent, barbaramque Timothei ordinationem reſcinderent. Quo facto, morti ſolvere debitum. Juvenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus illorum unus fuit, qui naturæ ſatisfecere, teſte Cyrillo: Sabas *venit Hieroſolymam, decimum octavum ætatis annum agens, ſub finem regni Marciani, pii Imperatoris & Pontificatus Juvenalis Hieroſolymis.* Multas Juvenali laudes contulit Baſilius Seleucenſis in ſua de Protomartyre Stephano oratione: *Nunc glorioſum ac ſpectabilem Jacobi thronum Juvenalis Epiſcopus ornat, vir, in quo doctrina, mores, vita, puritas, claritas ac pietas Jacobi ſunt ſuperſtites, ut qui illius religionis imago accurata exiſtat, qui & glorioſam, & ſalutarem Domini Nativitatem celebrare cœpit.* Nos in vita Juvenalis nil reperimus, quamobrem laudetur tantoperè. Abreptus ambitione, per fas & nefas Antiocheni Epiſcopi inditionem involarat. Quam anno CCCCXXXI. injuriam Orientales queſti ſunt in ſua ad Theodoſium Auguſtum Epiſtola: *Nos verò olim quidem, dum quædam præſumpta ſunt, à reverendiſſimo quondam Hieroſolymitanorum Juvenali quievimus, dum certè quæ debeamus debellare pro regulis videremus, tunc quaſdam æſtimationes, & fantaſias ejus hujuſmodi contra utramque Phœniciam, &*

Vit. Sab. cap. 8.

B. M. P. t. 8. 494.

Lup. Syll. cap. 30.

Ara-

Anno Dom. 457.

Arabiam minimè ignoramus. In eo homine fraus cum ſuperbia certabat, teſtemque Leonem damus in ſua ad Maximum Antiochenum Epiſtola: *Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare.* Iiſdem furiis agitatus Juvenalis, in Conciliabulo Epheſino adverſus Sanctum *Flavianum* militavit Dioſcoro, ut furta ſua Ægyptii ope retineret, Domnuſque Antiochenus, qui ambobus odio erat, Sede ſuâ ejiceretur. Qua de cauſa à Chalcedonenſibus gradu ſuo motus eſt. Impetratâ veniâ, tandem conſentiente *Maximo* Antiocheno, cui inhiabat, prædæ partem abſtulit, redactis in ſuam ditionem tribus Palæſtinis, quod conſtituendæ paci à Patribus Actione octavâ ſancitum eſt. Denique quæſtuoſiſſimam figmentorum officinam egit. Pulcheriæ de B. Virginis corpore quæſtionem moventi, reſpondit, ex antiquis, veriſque traditionibus conſtare, imminente Virginis obitu ſublimes in aëre Apoſtolos Hieroſolymam veniſſe; hymnos Angelorum auditos ad tertium uſque diem; juxta monumentum voci haud parentes ſtetiſſe ſpiritus cœleſtes: recluſo tumulo, ſacrum corpus repertum non fuiſſe. Hic tamen ille Juvenalis *magnus, divinoque afflatus numine vir* audit Nicephoro, l. 1. c. 23. Pulſus à Theodoſio Monacho, poſtquam Chalcedone Hieroſolymam rediit, ad regiam urbem ſe recepit, Marciani imploraturus auxilium. Quo impetrato, fugam arripiente Theodoſio, Eccleſiæ ſuæ redditus, vitam cum morte commutavit anno vertente CCCCLVII. Leoni anno 454. Epiſtolam ſcripſit, quam *Andreæ* Presbytero, & *Petro* Diacono ferendam dedit. Periit temporis injuriâ. Extat Latinè duntaxat Epiſtola Synodica ad Presbyteros Archimandritas, Palæſtinæque Monachos, quâ & ſuo, & Epiſcoporum ſuorum nomine, Chalcedonenſia Decreta ſtatuit. Brevis eſt, eaque monentur, ne vel ad latum unguem à Decretis & Nicænis & Chalcedonenſibus diſcedant. Trium Palæſtinarum Epiſcopi Epiſtolæ ſubſcripſere. Extant duntaxat nomina *Juvenalis* Hieroſolymitani, *Irenæi* Cæſarienſis, *Pauli* Paralienſis. Ex Nicephori Chronologia Juvenalis vixit in Epiſcopatu annos XXXVIII. ex Cyrillo tamen invita Euthymii, c. 96. diſcimus, quòd *Juvenalis Patriarcha quarto & quadrageſimo ſacri Principatus ex hac vita abiit.* Defuncto ſuccedit *Anaſtaſius*, qui XLVIII. Præſul Hieroſolymitanus numeratur. Chorepiſcopum & ſacrorum Vaſorum Cuſtodem agebat, cùm famâ Euthymii permotus, ad eum in ipſius Monaſterio videndum profectus eſſe fertur. Ingredientem veluti Hieroſolymorum Patriarcham ſuſcipit Euthymius. Quod miratus Chryſippus, hæc auribus Euthymii ingerit: *Non eſt apud nos Patriarcha, ô venerande Pater. Hic autem eſt Sacrorum Vaſorum Cuſtos Anaſtaſius, vides quiſnam ſit ejus veſtitus, oſtendens ejus veſtes, ea autem erant ſplendida, & ſerica, quæ quidem, inquit, non eſt fas Hieroſolymitanum Patriarcham induere.* Chryſippo reſpondit Euthymius: *Mihi crede, fili, hunc vidi huncque candidâ veſte amictum, & quaſi ſuperindui decet Patriarcham.* Evectus ad Epiſcopatum Anaſtaſius deſiderio Euthymium videndi flagrans, ad eum proficiſcitur. Accedentem ad Monaſterium rogat Euthymius, parcere ingreſſui, ne ſi eum reciperet, alios amplius repellere non poſſet.

Leo Ep. 62. cap. 4. — *Nicephor. l. 15. c. 14.* — *Leo Ep. 72.* — *Lab. Conc. t. 4. 889.* — *Euthym. Vit. c. 61.* — *Euthym. Vit. c. 96.*

Anno U. C. 1211. Per. Jul. 5171. Jul. 503. Dom. 458. Leonis 1. & 2. Majoriani 1. & 2. *Sol.* 19. E. *Lun.* 3. *Indict.* 11. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *April.*

Anno Dom. 458.

Coss. *Leo Aug. & Majorianus Aug.*

I. Majoriani laudes egregio Panegyrico Sidonius incunte anno celebrat:

Concipe prateritos, Reſpublica, mente triumphos,
Imperium jam Conſul habet, quem purpura non plus,
Quàm lorica operit.

Imperator tum temporis Ravennæ verſabatur, unde egregiam Senatui Romanorum Epiſtolam ſcripſit de ſito regni ſui, quod non ſponte, ſed obſequio ſuſceperat, ne aut ſibi ſoli viveret, aut ingratus eſſet Reipublicæ: *Dicatis quoque Jano Kalendis, ſuſcepti feliciter Conſulatus erexinus faſces, ut præſens annus naſcentis Imperii noſtri incrementa ſuſcipiens, noſtro etiam nomine ſignaretur. Favete nunc Principes, quem feciſtis, & tractandarum rerum curam participate nobiſcum, ut Imperium, quod vobis adnitentibus datum eſt, ſtudiis communibus augeatur. Data Idib. Januarii Ravennæ.* Pulcherrimas quoque Leges complures promulgavit: de defenſoribus civitatum, qui bonis moribus eſſe debent, VIII. Idus Martii. De indulgentiis reliquorum tributorum, quæ feſſæ Provincialium fortunæ ſolvere non poterant, data VII. Idus Martii. Inter cæteras, quæ legi poſſunt, illa eminet, quæ Sanctimonialibus & viduis, & de ſucceſſionibus earum eſt conſtituta. Vetat autem, *Ne anté ſuſcepto honorato capitis velamine conſecrari, quàm XL. annos ætatis emenſa talibus inſulis inoffenſâ meruerint obſervatione decorari.* Qui ante definitum temporis ſpatium Sanctimonialem velari permiſerit, *tertiâ bonorum parte mulctetur.* Data Ravennæ VII. Kal. Nov.

Majoriani Leges optimæ. — *Sidon. carm. 5.* — *Novel. Maj. t. 3.* — *Novel. Maj. t. 8.*

II. Cùm magnæ virtutis Majorianus eſſet, ægrè quidem ferebat, Vandalos Africâ potiri; claſſibus immiſſis, de Italia prædas agere; inſulas vaſtare. Itaque Geiſerico bellum inferre ſtatuit. Expeditionem hunc in annum confert Caſſiodori Chronicum: *Leone Aug. & Majoriano Coſſ. Majorianus in Africam movit procinctum.* Ut verò propriis oculis Vandalica conſilia, vireſque deprehenderet, incredibile quidem facinus aggreditur. Legati ſpeciem induens, vultu nomineque mutato, crines ſibi flavo colore infecit. Eo habitu ad Geiſericum profectus, amanter à Vandalo ſuſcipitur, ductuſque in penitiora tecta, arma, theſauroſque luſtrat oculis. Exploratis quæ volebat, ad exercitum in Liguria collocatum redit. Proditorum fraude ſucceſſu expeditio caruit, de qua ſic Idacius: *Menſe Majo Majorianus Hiſpanias ingreditur Imperator. Quo Carthaginenſem Provinciam petendente, aliquantas naves, quas ſibi ad tranſitum adverſum Vandalos præparabat, de littore Carthaginenſi commoniti Vandali per proditores abripiunt. Majorianus ita à ſua ordinatione fruſtratus, ad Italiam revertitur.* In CCCCLX. tamen annum eam Majoriani expeditionem contulit Idacius: quæ ob Autoris antiquitatem Majoriano coætanei, Chronologiæ illi Caſſiodori fortè eſt anteponenda. Nonnihil expeditione hâc ſuâ Reipublicæ Majorianus profecit: *Geiſericus Rex à Majoriano Imperatore per Legatos poſtulat pacem.*

Majorianus in Africam migrare volens, fraude ſuorum ab eo conſilio revocatus. — *Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 7.* — *Idat. Chron.* — *Id. ibid.*

III.

ANNO DOM. 458.

De tempore Antiochenæ ſuccuſſionis. Evagrii Characteres examinantur.

III. Hæc in Occidente. At in Oriente triſtiſſima clades incidit Antiochiæ: qua de calamitate priuſquam dixerimus, deſignata ab Evagrio cladis hujus tempora accuratè ſunt examinanda: *Accidit*, inquit, *ingens ille terra motus anno ſecundo Imperii Leonis, quingenteſimo ſexto à conditu urbis Antiochia, circa horam noctis quartam, die quartodecimo menſis Gorpiai, quem Romani Septembrem vocant, imminente die Dominico, Indictione* XI. Si verum retinere ſententia eſt, pugnant inter ſe Evagriana hæc criteria. Si annus Leonis Auguſti ſecundus labebatur, falſiſſimum eſt, motum telluris Antiochenum die decimo quarto Septembris incidiſſe, Indictione XI. Leo creatus eſt Auguſtus ſeptimo Februarii anno CCCCLVII. ſecundus ergo Leonis annus incepit ſeptimo Februarii anno 458. cui ſanè laudati characteres accommodari haud poſſunt, licet doctiſſimi viri Valeſius, Petavius, Scaliger, &c. eos obtorto ad illum collo trahant. Septembris XIV. qui Dominico diei imminet, in ſeptimam feriam incidit. Ea verò eſt anni CCCCLVII. quem ducebat Litera Dominicalis F. Cyclus Sol. 18. Proindeque anno CCCCLVIII. Septembris quartus & vigeſimus diei non Sabbati, ſed Domini cohærebat. Prætereà Indictio XI. Kalendis Septembris incipiens, annum & deſignat quadringenteſimum quinquageſimum ſeptimum. Id initii Ambroſius oſtendit in ſua ad Epiſcopos Æmiliæ Paſchali Epiſtola: *Hic autem menſis & primus eſt, ſecundum Ægyptiorum proventum, & ſecundum Legem, & octavus, ſecundum conſuetudinem noſtram. Indictio enim Septembri menſe incipit: octavo igitur menſe Kalenda Aprilis ſunt.* Quòd ſi ab XXIV. Septembris Indictionum duci deberet initium, octavus menſis paucis diebus exceptis, *Maio* quidem, non Aprili aſcriberetur. Anno igitur CCCCLVIII. labente XIV. Septembris duodecima currebat Indictio. Fatendum itaque, ex Evagrianis temporum notis ſuccuſſionem Antiochenam cum anno CCCCLVII. eſſe copulandam, ad quem & pertinere, clariſſimo Pagio creditum. Atqui annus Leonis ſecundus nondum numerabatur. Quem ſolvere nodum Pagius non potuit, ſtricto gladio facillimè ſecuit: *Loco*, inquit, *anno ſecundo Imperii Leonis, legendum anno primo Imperii Leonis.* Verùm enimverò quin rectè ſcriptum ſit anno Leonis *ſecundo*, nulli dubitamus, ut correctio Pagiana corruptio ſit Evagrii, non emendatio. Mittamus nullo exemplari hanc Evagrii mutationem inniti. Ex Nicephoriano Chronico ſcimus Baſilium Antiochenum præſulem jam Acacio deceſſiſſe, cùm ſuccuſſio terræ exorta eſt: XLI. *Baſilius annis duobus*: XLII. *Acacius, quo præſidente urbs corruit.* Atqui nondum texerat Acacium infula, dum currebat Septemb er anni CCCCLVII. Denique Encyclicis Leonis literis reſpondiſſe Baſilium Antiochenum, ad quem Imperator ſcripſerat, certum exploratumque eſt. Extat Epiſcopi hujus Epiſtola inter illuſtrium virorum literas pro Chalcedonenſi Concilio: *Sacratiſſimo & piiſſimo amatori Chriſti, Auguſto Imperatori Leoni, Baſilius, Maximus,* &c. Quòd ſi terræ motus Antiochenus anno CCCCLVII. contigit, eo quidem poſteriores fuere Baſilii literæ, quæ ante XIV. Septembris adornari non potuerunt. Leonis Papæ Epiſtolà Encyclicis Imperatoris reſponſoria data eſt *Kal. Decembris.* Laudatæ autem Baſilii literæ citius confici non potuere. Jam verò quòd Epiſcoporum reſponſiones terræ motus Antiochenus exceperit, apertè indicat Evagrius, qui eas motui præmiſit, ſecurus temporum ſeriem. Cùm igitur *ἀσυγχλώτω* compoſuerit Evagrius, magis placet in annum reverà ſecundum Leonis Auguſti, Chriſtique 458. cladem Antiochenam incidiſſe, falſaſque notas *Dominica imminentis*, & Indictionis *undecima* de ſuo Evagrium addidiſſe, quæ clariſſimi Noriſii ſententia eſt. Conjecturæ robur incutit, quòd alios prorſus characteres Antiochenæ ſuccuſſioni appoſuit Joannes Malela: *Imperante autem Leone divina ira viciſſitudinem quartam paſſa eſt Antiochia magna, Septembris* XIII. *illuceſcente die Dominicâ, anno Æra ejuſdem Antiochena quingenteſimo ſexto, ſub Conſulatu Patricii.* Si Evagrio fides, die XIV. Septembris, horâ noctis quartâ contigit; ſi Malelæ credimus, accidit Septembris XIII. ſub auroram. Conveniunt autem in duobus, nempe quòd & in annum Æræ Antiochenæ CCCCCVI. & in menſem Septembrem horrenda clades inciderit. In eo verò peccarunt, quòd annum à conditu urbis Antiochiæ DVI. dicunt, qui DVII. dici debuit.

Evagr. l. 2. c. 12.

Marcellin. Chron.

Ambroſ. Ep. 83.

Pag. de Per. Græc. n. 86.

Chalced. Syn. 3. p. ſur. 237.

Motu terræ Antiochia vaſtatur.

IV. Succuſſionis vidimus tempus, nunc ſuccuſſionem ipſam videamus: *Hic terra motus univerſas propemodum Ædes ſubvertit urbis nova, qua quidem incolarum multitudine abundabat, nec ullam partem habebat vacuam aut neglectam, ſed magnoperè exculta erat atque ornata, ob ſuperiorum Imperatorum magnificentiam, qui ſe invicem ea in re ſuperare contenderant. Pala ii quoque prima & ſecunda ædes corruit. Reliqua verò incolumes manſere unà cum vicino balneo, quod cùm anteà inutile fuiſſet, hujus calamitatis tempore ablaenda civitati neceſſario inſervii. Ob ruinam videlicet reliquorum balneorum. Everſa ſunt etiam porticus, qua erant ante palatium, & quod poſt illas erat Tetrapilum. Ceciderunt etiam turres Circi, qua erant juxta portus, & quadam porticus, qua ad turres illas ducebant. In veteri autem urbe domus quidem & porticus ruina prorſus expertes fuerunt. Balneorum verò Trajani, Severi, Adriani exigua pars concuſſa & everſa eſt.* Urbi reſtituendæ mille auri talenta ab Imperatore civitati remiſſa ſunt, remiſſæ quoque civibus penſiones ædium, quæ terræ motu proſtratæ fuerant. Publicorum reficiendorum curam Imperator ſuſcepit.

Evagr. l. 2. c. 12.

Nùm Leo Encyclicas hoc anno ſuas ad Monachos miſerit? Baradati & Simeonis Epiſtolæ.

V. Ad res Eccleſiæ nunc accedimus. Encyclicas Imperator literas ad Epiſcopos, Monachoſque celebriores anno ſuperiore miſerat. Miramur itaque clariſſimum Noriſium ſcribentem: *Imperator Leo pro tomo Chalcedonenſi Encyclicas ad omnes Metropolitas miſit, ſemet & Majoriano Auguſtis Coſſ.* Conſtat enim Encyclicis à Leone Papa reſponſum eſſe, Kal. *Decembris* anni præteriti. Neque Baronio etiam aſſentimur, hoc demum anno ad Anachoretas celebriores, Simeonem Stylitem verbi gratiâ, alioſque notiſſimæ famæ Monachos à Leone ſcriptum eſſe. Quam Evagrius opinionem refellit, dum ea narrat de Imperatoris Encyclica: *Et hac quidem Epiſtola miſſa eſt ad Anatolium. Similia verò Imperator ſcripſit, tum ad reliquos Epiſcopos, tum ad celeberrimum quemque eorum, qui tum temporis vitam à materia remotam, omnique apparatu deſtitutam agebant: ex quorum numero fuit Simeones, qui primus ſtationem in columna excogitavit. Inter illos fuerunt etiam Baradatus, & Jacobus Syri.* Leonis quidem in Encyclica poſt Epiſcoporum nomina reperimus, *Simeoni Monacho,*

Nor. de Epoch. Syr. 215.

Bar. Ann. 458. n. 47.

Chalc. p. 3. n. 24.

ANNO DOM. 458.

nacho, Baradato Monacho. Neque geminæ legationis hujus ulla in Veteribus vola eſt, veſtigium ullum. Eam prætermittit Liberatus. Longè que vero ſimilius eſt, Magiſtrianos, quos Epiſcopis Leo miſerat, ſimul & Monachis Imperatoris Encyclicam reddidiſſe. Incumbebat igitur Epiſcopis & Monachis, reſponſum dare Imperatori. Ab eorum nonnullis quidem ſuperiore, ab aliis verò labente anno ſcriptum, quid de Timothei ordinatione, Chalcedonenſique Synodo ſtatuerint. Epiſtolarum verò pars maxima præſente anno exarata eſt: quæ cauſa fuit, cur in Marcellino legamus ad Conſulatum Leonis, & Majoriani: *Leo horum omnium Epiſcoporum ita conſpirantes ſuſcepit Epiſtolas, ut eas putares uno tempore unius viri eloquio fuiſſe dictatas.* Immani quidem lapſu Victor Tuonenſis eas reſponſiones, in annum CCCCLXVIII. confert. Aotheniio II. Conſule, Baradato Imperatoris literas *Eutropius Magiſtrianus* reddiderat. Reſcribens verò Imperatori, eam ſalutationem impertit: *Terræ mariſque, & totius generis humani Domino, orbis terrarum Victori, & piiſſimo Auguſto Leoni Imperatori, pauper Baradatus in Domino ſalutem.* Eſt tamen in ſubſcriptione mendum: *Hæc cum tremore ſcripſi veſtræ pietatis imperio, ſeptimâ & viceſimâ die Auguſti menſis, anno ſecundo Imperii, Indictione decimâ.* Indictio quidem XI. jam erat in curſu: neque dubitamus, quin citius Baradatus Imperatori reſponderit.

Syn. Chalc. 3. c. 61. p. 976.

Cujus Epiſtolæ meminit Simeon Stylites, ad Baſilium Antiochenum ſcribens. Eſt autem creditu difficillimum, Simeonem, qui iiſdem ferè temporibus atque Baradatus reſpondit Imperatori, nonniſi labente Auguſto menſe Baſilium ſcripto adiiſſe. Quo caſu Acacii, cùm deceſſit, Pontificatui nil foret loci relictum; cùm in Antiochena ſucceſſione periit Acacius, Septembris XIV. Porro Baradati Epiſtola eſt quidem orthodoxa, ſed ſtylo monachali condita, perpetuò ludens in voce *Leonis*, quo nomine Princeps appellabatur: *Amice Leo, rugies, ſiaſque eis valde terribilis.* Scripſit & Imperatori Simeon Stylites, cujus Epiſtola deſideratur. De illa mentionem faciunt literæ, quibus & Antiochenum Baſilium adiit: *Ego humilis, & exiguus abortus Monachorum, animi mei ſententiam imperiali ejus Majeſtati ſignificavi, de fide ſexcentorum triginta Sanctorum Patrum, qui Chalcedone congregati ſunt, perſiſtens & fundatus in ea fide, quæ à Sancto Spiritu revelata eſt. Etenim ſi Servator noſter, ubi duo treſve in nomine ipſius congregati ſunt, Adeſt in medio illorum, quomodo fieri poſſet, inter tot ac tantos Sanctos Patres, ut Spiritus Sanctus cum illis non eſſet.*

Evagr. l. 2. c. 11.

Res Attici Presbyteri: de illo Leonis ad Anatolium Epiſtola.

VI. Non immeritò ad extinguendum Eutychianiſmi incendium tam Princeps, quàm Epiſcopi junctis ſuffragiis allaborabant. Erroris ſcintillæ ubique locorum micabant, quibus majore impetu flamma reviviſcere poterat. Conſtantinopoli Atticus Presbyter malè audiebat, quòd Hæreticis faveret. Cujus rei rumor cùm Leonis Papæ aures tetigiſſet, negligentiæ Anatolium accuſaverat, quam ille cenſuram ægrè tulit, directis ad Pontificem Romanum literis per *Patritium* Diaconum. Sobiratum ut Anatolium placaret, ei reſcribit Leo, ſe amore famæ ejus hiſce monitis uſum fuiſſe, ne exiſtimatio ipſius læderetur. Quòd ſi Atticus Chalcedonenſi Symbolo ſubſcriptionem non addat ſuam, quæ vel in Eccleſia *Chriſtiano Populo præſente* recitetur, ſententiam Synodi recepturus eſt. Data XV. Kal. *Aprilis.* In illa ipſa urbe regia ſuperbè agentes Eutychis Dioſcorique diſcipuli, petebant, ut cum eo, quem Apoſtolica Sedes direxerit; *diligentior, tanquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, & quod totius mundi Catholici Sacerdotes in Sancta Chalcedonenſi Synodo probant, gaudentque firmatum, in injuriam etiam ſacratiſſimi Concilii Niceni efficiatur infirmum.* His auditis, Leo per Philonem agentem in rebus Imperatori hæc ſibi ſcribendum putat XI. Kal. Aprilis: *Quamvis multum per omnia de pietatis veſtræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis Spiritum Dei ſatis vos inſtructum eſſe perſpiciam, ne fidei veſtræ ullus poſſit error illudere, præceptioni tamen veſtræ in eo admitar obedire, ut aliquos de fratribus meis, dirigam; qui apud vos præſentiæ meæ inſtar exhibeant, & quæ ſit Apoſtolica fidei regula, licet ut dixi, vobis benè ſit nota, demonſtrent.* Negat quidem, Legatos, quos miſſurus erat, in diſputationem cum Hæreticis venturos; infirmis tamen auxilio futuros pollicetur. Rogat & Imperatorem, ne Alexandrinam Eccleſiam ſub tyrannide *prædonis, & parricidæ* Timothei diutius gemere patiatur. Non eſt alienum à vero, promiſſos Leonis Legatos ad Imperatorem detuliſſe egregiam Epiſtolam, quâ & ex ſacris Codicibus, & è Patrum monumentis, Hilarii, Athanaſii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, &c. probat, Chriſtum perſonam unam eſſe, duabus naturis conſtantem. Dum de Leone ſermo eſt, de alia & ipſius Epiſtola hoc anno condita, mentio agitetur.

Leo Ep. 77.

Leo Ep. 97.

Leonis ad Nicetam Epiſtola.

VII. Pridie quàm Imperatori ſcriberet Pontifex, à *Niceta* Aquilenſi Epiſcopo per *Adeodatum* Romanæ Eccleſiæ Diaconum de variis capitibus conſultus, ad ea reſpondit. I. Debent fœminæ, quæ captis viris nupſerant aliis, regreſſis de captivitate, viris prioribus copulari, ut quod ſuum eſt, unuſquiſque recipiat. II. Non probatur eſſe culpabilis, qui uxorem captivi in matrimonium videtur eſſe ſortitus. III. Ut ſi viri de captivitate regreſſi, intemperantiâ uxoris offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem. IV. Si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ Eccleſiæ communione privandæ ſint. V. Captivis aut terrore, aut veneratione cibos immolatitios edere compulſis, pœnitentia concedenda eſt. VI. Qui ad iterandum baptiſmum, vel metu, vel errore traducti ſunt, in Eccleſiam recipiantur, per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus. VII. Catechumeni, qui ab Hæreticis baptizati ſunt, ſolâ invocatione Spiritus Sancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt. Data XII. Kal. Aprilis.

Leo Ep. 79.

Anatolii Conſtantinopolitani obitus. Gennadius ei ſuccedit.

VIII. Labente anno naturæ ſatisfecit Baſilius Antiochenus, cui Acacius ſucceſſor datur. Nuſquam tamen Acacii mentio eſt, niſi in Nicephoriano Chronico. Victor Tununenſis ad annum CCCCLXXI. Leone VI. & Probiano Coſſ. hæc habet: *Antiochena Eccleſia poſt Alexandrum Martyrius.* Non igitur Baſilio proximè ſucceſſit Martyrius, ut vero ſimillimum ſit, Nicephori Acacium Victoris Alexandrum eſſe. Obſcura Acacii memoria, quia ad breve tempus Epiſcopatum tenuit extinctus Antiochenâ ſucceſſione. Vitæ quoque curriculum confecit Anatolius Conſtantinopolitanus, cui Gennadius ſufficitur, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Pres-

Anno Dom. 458.

Presbyter. Nonnullorum ſuffragiis & ornatus eſt Acacius, Orphanotrophii Præpoſitus. Gennadius tamen primas tulit, vir, qui pietatis ſuæ cauſâ in ore erat Conſtantinopolitano populo: *Porro Gennadius Oeconomum Eccleſiæ conſtituit Marcianum, qui ex Catharorum ſecta ad Eccleſiam Catholicam tranſierat. Hic ſimul atque Oeconomus factus eſt, decrevit, ut quæ in unaquaque Eccleſia offerebantur, Clerici ejuſdem Eccleſiæ acciperent, cùm ad id tempus magna Eccleſia univerſa accipere ſoleret.* Multum Gennadius ſibi laudis comparavit in adminiſtrando Epiſcopatu: *Neminem ordinabat, qui Pſalterium non ferret memoriter.* Avaritia quidem fidem, pietatem, diſciplinam, bonas artes ſubvertebat, ac pro his Simoniam, ſuperbiam, Chriſtum negligere, omnia venalia habere edocuerat. Quæ quantum nisi potuit, Gennadius emendavit. Multa Gennadio tribuuntur miracula. Pictoris cujuſdam manus exaruerat, qui Chriſtum Jovis ſpecie depingere auſus fuerat: *Sed Gennadius Pictorem precibus ſuis mox ſanavit.* Hæc Theodorus Lector, l. 1. Sed plura de Gennadio in ſequentibus.

Mors Theodoriti. Varia ejus fortuna.

IX. Sub ea tempora Theodoritus Cyri Epiſcopus vitam reliquit, vir multis magniſque laboribus defunctus. Ac Marcellinus quidem in Chronico Theodoriti vitam ad annum uſque CCCCLXVI. extendit, dum narrat: *Leone VI. Conſule Theodoritus Epiſcopus Cyri civitatis ſcripſit de Incarnatione Domini adverſus Eutychem Presbyterum, & Dioſcorum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum, qui humanam in Chriſto carnem fuiſſe denegabant.* Verùm cùm citius ſuum *Eraniſtem* condiderit, refellendo Eutychi nil ſanè virium eſt, in eo Marcellini loco ad ætatem Theodoriti inveniendam. Jacobo Monacho, jam ſenio confecto, quo cum tenerrimâ amicitiâ copulabatur, ſepulchrum paraverat. Verùm Jacobum ſibi ſuperſtitem reliquit, teſte Theodoro Lectore:

Theodor. lib. 1.

Theodoritus arcam magno Jacobo ad ſepulturam paraverat. At Theodoritus ante Jacobum exceſſit. Solutâ Synodo Chalcedonenſi, docto ſe otio tradiderat: ac ut morem gereret *Sporatio*, qui de illuſtriſſimis Concilii Judicibus unus erat, à quo diſcedens rogatus erat, ut de Hæreticis Fabulis tractatum ederet, manum admoverat operi. Quantum ſolitudine delectaretur, vincunt verba ipſius ad Joannem Oeconomum, Epiſtolâ 147. *Mihi grata eſt quies, & vita curis libera. Propterea ſanè & Monaſterii atrienſem januam obſtruxi, & amicorum congreſſus devito.* In eo ſeceſſu à Leone Papa Epiſtolam accepit, cujus meminimus. Grande quoque Opus in ſuo otio movit, uti Garnerio obſervatum in Hiſtoria Theodoriti. Operis in Photio mentio eſt:

Phot. Cod. 214.

Scripſit Explanationem in Octateuchum, quæ inſcriptionem nacta eſt Operi congruentem, in obſcura, & abſtruſa Scripturæ loca. In quibus ſunt & ad libros Regum, & in Paralipomena. Utiliſſimum autem in primis hoc Opus. Annos circiter LXXIS. natus, animam Deo reddidit. In paucis & pium, & eruditum Theodoritum exiſtimamus, de quo

Phot. Cod. 203. p. 526.

Photii hoc eſt judicium: *Theodoritus vir ſanè doctus, non Hippolyto modò, verùm etiam aliis multis Propheticorum Sermonum interpretatione, atque explanatione longè antecellit. Dictio ejus commentationis, ſi cujuſquam alius, aptiſſima... vocum item ejus delectus, atque ipſa compoſitio ab Attica elegantia origine non refugit,* &c. Qui vivens variam fortunam expertus erat, non diſſimili defunctus uſus eſt, quaſi inſpicere tanquam in ſpeculum in ſancti viri, & vitam, & fatum juberemur, atque ex iis ſumeremus exempla, & ſolatia nobis. Anno DXX. Theodoriti imago in curru collocata, ſpecie triumphi quâdam Cyrienſi civitati invehitur. Rem narratur Collatione VII. quintæ Synodi: *Priuſquam Sergius reverendiſſimus Cyreſtenam civitatem accederet, quidam, id eſt, Andronicus Presbyter, & defenſor, & Georgius Diaconus, accipientes imaginem Theodoriti, qui undique culpatur propter fidei errorem, in currum eam impoſuerunt, & in Cyreſtanam civitatem introduxerunt, pſallentes & oſtendentes, quòd ejuſdem illi ſectæ ſunt.* Hæc cùm Eutychianos, quibus Theodoritus odio erat, graviter commoviſſent, rem ad Præſidem deferunt. Exinde ea & Imperatori Juſtino nunciatur, qui de eo facto ſubinde inquiri jubet, Præfecto Orientis hæc ſcribens: *Ne quid autem ex his, quæ à nobis lecta ſunt, tuam magnitudinem lateat, juſſimus eadem geſta, quæ Cyri confecta ſunt, & ad nos relata, nec non Reſcripta eorum, quæ Antiochiæ confecta ſunt, tibi tranſmitti, ut poſt confecta omnia, quæ juſſimus, iterum nobis remittantur ipſa, quæ in Cyro confecta ſunt. Pro hac etenim cauſa deſtinavimus Thomam devotiſſimum agentem in rebus, & ſubadjuvam. Datum VII. Idus Auguſti Conſtantinopoli, Ruſtico V. C. Conſule.* Quid in eo negotio factum ſit, prorſus ignoratur. Porro de fama Theodoriti vehementius imperante Juſtiniano diſputatum, qui autoritate tandem perfecit ſuâ, ut in quinta Synodo Theodoriti famæ labes inureretur, dum ſcripta ejus adverſus Cyrillum anathemate damnantur, ut ſuo loco explicatum ibimus, quæ graviſſima piæ viri de Eccleſia bene meriti memoriæ injuria fuit.

Anno Dom. 459.

ANNO U. C. 1212. PER. JUL. 5172. JUL. 504. DOM. 459. LEONIS 2. & 3. MAJORIANI 2. & 3. *Sol.* 20. D. *Lun.* 4. *Indict.* 12. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 4. P. 7. *April.*

COSS. *Patricius & Richomer.*

Theodoſius urbis Præfectus condit Auguſteum.

I. DE rebus Imperii in Oriente altum eſt in hiſtoriis ſilentium. Referemus quid ad hunc annum in Chronico Alexandrino legitur: *Creatus eſt Præfectus urbi Theodoſius, qui ad latus Eccleſiæ magnæ condidit Auguſteum. Eodem anno cœpit Aſpar Præfectus Militiæ fodere Ciſternam maximam, juxta antiquum murum urbis.*

Synodus Conſtantinopolitana in Simoniam.

II. Res Eccleſiaſticas ingreſſuris offert ſe Concilium Conſtantinopolitanum. Simoniaca lues miſerè depaſcebat Eccleſiam, quod malum divinis Eccleſiaſticiſque Legibus, & prohibebitur perpetuò, & honorum cupiditate perpetuò retinebitur. Decreto Chalcedonenſium ad perſanandum hoc vitium optimè proviſum erat; verùm Gennadio novis & remediis gliſcenti morbo occurrere placuit. Epiſcopis *tribus & ſeptuaginta* conſtitiſſe, creditum Baronio. Nos verò à clariſſimo Baluzio monemur, Præſules Conventui *octoginta duos* interfuiſſe, quorum extant ſubſcriptiones. Titulus Epiſtolæ Synodicæ ita habet: *Religioſiſſimo & ſanctiſſimo in ſacris Comminiſtro N. Gennadius, & quæ in Chriſti amante regia civitate Conſtantinopoli coacta eſt Sancta Synodus.* Præmiſſis verò & Scripturæ Oraculis, & ſecundo Canone Chalcedonenſi in Simoniam condito, hæc addunt: *Pulcherrima, & valde pia ſunt hujus Canonis Sanctorum Patrum præcepta, qui omnem invaſionem Satanicam, Diabolicumque conatum,*

Lab. Conc. t. 4. 1025.

natum, qui in donum ſpirituale intenditur, repellit & reſcindit. Nullo enim modo vult ordinationis promotionem pecuniis aut fieri, aut ſuſcipi, nec ab eo, qui illam exercet, nec ab eo, qui ordinis promotionem accipit. Sed nec ante tempus ordinationis, nec poſt dari pecunias concedit. Omnium enim in hac quoque re eſſe ſordes, munerumque corruptionem pronunciat. Quoniam tamen ut ita aperte prohibitis, quidam ſunt in Galatarum Eccleſia deprehenſi, propter turpe luxum & avaritiam hac ſalutaria & humana præcepta negligere, & tranſgredi, ea quoque ipſa nobis renovare viſum eſt, cum hac Sancta Synodo, quæ in hac regnante Nova Roma nunc agit.

Acta Gennadii Conſtantinopolitani.

III. Ut in pellenda Simonia, ſic & in cuſtodienda diſciplina Gennadius multum operæ conferebat. Eo pertinet vetus narratio quædam, cujus famam Scriptores obtinet. Cæterùm fides ejus rei penes Autores erit. Chariſius, qui Eleutherii Martyris in Baſilica Lectorem agebat, vitam Clerico indignam ingreſſus, magiæ, cædibuſque vacabat. Quorum flagitiorum rumor cùm Gennadii aures tetigiſſet, accerſitum ad ſe Chariſium, ad viam reducere tentat. Cùm objurgationibus nil ſuis proficeret, contumacem excommunicatione ferit. Cùm ne vel eo remedio emendaretur, quid agit Gennadius? Eleutherio Martyri ſcripſit in hunc modum: *Miles tuus diſciplinam non ſervat. Tu igitur aut emenda illum, aut dele. Statimque mortuus eſt Clericus, impotens qui malis moribus eſſet præditus.* Hæc Moſchus in Prato ſpirituali, c. 115. Theodoruſque Lector, l. 1. Narrationis fides ſit penes Autores.

Baradatus Monachus.

IV. Anno ſuperiore Baradati mentionem egimus, qui ſcriptâ ad Leonem Auguſtum Epiſtolâ album Chalcedonenſi Concilio calculum addiderat. Itaque non intempeſtivum erit, de viro celeberrimo nonnulla noſtris Annalibus intexere, ex Theodorito petita. *Baradatus* Syrus erat, qui novas exercendæ tolerantiæ rationes excogitavit. Ut rerum divinarum contemplatione frueretur, primum domunculæ ſemet incluſit, occupatâ deinde rupe, parvulam arcam, ne juſtâ quidem proportione corpori reſpondentem, ex lignis extruit. In ea vitam degens, pronus curvuſque terram ſpectare cogebatur. Cùm aſſeribus compago nulla foret, nec à pluviæ impetu, nec à radiis Solis tutus erat. Ac diu importunum domicilium incoluit, donec juſſu Theodoti, cui Epiſcopatus Antiochenus obtigerat, illud egrederetur. Stabat aſſiduè manus in cœlum extendens, pelliceam tunicam indutus, quæ circa os, naſumque modicum aëri ingreſſum permittebat, ut illum reſpirando acciperet. Hic eſt ille Baradatus, qui anno ſuperiore Leoni ſcripſit Auguſto. Perpetuis Epiſtola metaphoris ſcatet. Adducta leonis hiſtoria, qui Prophetam occiderat, infert: *Decet nomen pietatis veſtræ, terribilia ferre præcepta in omni terra contra omnes, qui præſumunt divina mandata corrumpere. Iſti enim ſunt filii Timothei, qui latenter egit iniquè, necavit hominem, & tulit ejus uxorem.* Concilium Baradatus Chalcedonenſe firmavit.

Theodor. Hiſt. Patr. cap. 27.

Phalc. Syn. p. 3. 239.

Jacobus Monachus.

V. Baradato comes addatur Jacobus, qui & Imperatori conſultus reſponderat. Particeps nominis Jacobi Niſibeni Epiſcopi, ipſius & virtutum expers eſſe noluit. Ac primùm domunculâ utebatur. Ubi verò ſe aliquandiu exercuit, ædibus tabernaculiſque valere juſſis, pro tecto cœlum habuit: æſtus frigoriſque patiens, modò glacie conſtringebatur, modò Solis flammâ adurebatur, quaſi in alieno corpore vitam degeret, naturamque ipſam corporis ſuâ alacritate ſuperaret. Collum & lumbos ferreæ catenæ vinciebant. Duæ aliæ ex circulo circa collum antè pendebant, duæ itidem ponè, quæ literæ x. figuram reddentes, ante & pone duos circulos colligabant. Manus quoque circa cubitos habebant vincula ejuſmodi. Coctis in cibum lentibus utebatur, ſolo eo alimento contentus. Tres ſæpè dies, & totidem noctes nive delapſâ ita fuit obrutus, dum pronus jacens Deum orat, ut ne parum quidem ex ipſius indumento videretur. Celebrantur viri hujus miracula. Aqua, quæ illius dexterâ benedicebatur, fiebat ſalutare pharmacum. Pater, qui plures filios immaturo funere amiſerat, natorum ultimum Deo dicat, ſi vita ei ſuppeteret. Exactis annis quatuor, moritur puer. Cujus corpus à patre Jacobi ante pedes ponitur. Qui flexis genibus Deum orans, defunctum ad vitam revocavit: qui editâ voce patrem appellavit. Hæc Theodoritus, qui Jacobo, quem maximè diligebat, arcam ad ſepulturam paraverat. Verùm Theodoritus ante Jacobum è vivis exceſſit. Nihilominus tamen in ea arca poſitus eſt.

Theodorit. Philoth. cap. 21.

Theodor. Lect. l. 1.

Leonis de temporibus baptiſmi, Confeſſioneque publica Decreta.

VI. Hæc in Oriente. In urbe verò Romana Leo ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum, conſtitutos de Baptiſmi tempore, & Confeſſione peccatorum à Pœnitentibus publicè peracta Epiſtolam dirigit, *pridie* Nonas Martii: *Magnâ indignatione commoveor, & multo dolore contriſtor, quòd quoſdam ex vobis comperi ita eſſe Apoſtolica traditionis oblitos, & ſtudiis ſui erroris intentos, ut præter Paſcha feſtum, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeant ſibimet non aliqua humana infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſolâ indiſciplinatæ arbitrii libertate, jus Baptiſmatis vindicare, & in Natalibus Martyrum, . . regenerationis celebrare myſteria.* Grande ſcelus quidem, ad quod totus cohorreſcere Leo debuit! Admonet ergo reos tanti flagitii, ne baptiſmus non niſi Paſchatis, Pentecoſteſque ſolemnibus adminiſtretur, ſecus loco ſuo movendi erant. Prohibet & eadem Epiſtola morem inverecundum, qui irrepſerat, *Ut de ſingulorum peccatorum genere Libellis ſcripta profeſſio publicè recitaretur: Sufficit*, inquit, *illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia peccatoris.*

Leo Ep. 80.

Salvianus, Maſſilienſis fueritne Epiſcopus?

VII. Commemoratione Leonis in Europam deducti, viri celeberrimi, qui tum temporis florebat, præconium facere jubemur. Is *Salvianus* fuit. Coloniæ Aggrippinæ ortum duxiſſe *Salvianum*, non veri ſpecie caret. Verba ſunt Epiſtolæ primæ, cujus initium deſideratur: *Adoleſcens, quem ad vos miſi, Agrippinæ cum ſuis captus eſt, quondam inter ſuos non parvi nominis . . . & de quo aliquid fortaſſe amplius dicerem, niſi propinquus meus eſſet.* Sororem habuit, nomine *Catturam*, ad quam & Epiſtolam dedit. De dignitate Salviani non conſtat inter eruditos. Baronius anno CCCCVI. n. 54. Bellarminuſque in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis *Salvianum* Epiſcopis inſerunt. In Præfatione quidem Salviani ad libros octo de Gubernatione Dei legitur: *Sancto Epiſcopo Salonio Salvianus Epiſcopus ſalu-*

Salv. Ep. 1. 377.

Anno Dom. 459.

ſalutem in Domino. Nobis verò perſuaſiſſimum eſt, mendoſum eſſe titulum, ac Presbyteri duntaxat honore Salvianum ornatum fuiſſe. Documento ſit Gennadius, cui Salvianus notiſſimus fuit: *Salvianus*, inquit, *Maſſilienſis Presbyter, divinâ & humanâ literaturâ inſtructus.* Neque alio titulo decoratur ab Hilario Arelatenſi in Sermone de Sancto Honorato: *Egregius, & in Chriſto beatiſſimus vir Salvianus Presbyter.* Similiter Ado in Chronico: *Salvianus Presbyter apud Maſſiliam.* Neque alios ſibi titulos impoſuit in ſuis & ad Eucherium, & ad Salonium Epiſcopum literis. Poſterioris hujus Epiſtolæ titulus eſt obſervatu digniſſimus: *Domino ac beatiſſimo diſcipulo, filio, & patri: per inſtitutionem diſcipulo, per amorem filio, per honorem patri: Salonio Epiſcopo Salvianus.* Vir fuit ætate ſuâ eloquentiſſimus, vitiorumque, quibus Chriſtiani religionem deturpabant ſuam, cenſor acerrimus. Ad exitum ferè ſeculi hujus vitam produxiſſe videtur, cùm anno CCCCXCV. Gennadius de eo ſcripſerit: *Vivit uſque hodie in ſenectute bona.* Scriptis ſuis Eccleſiæ profuit, quorum Catalogum docebit Gennadius: *Salvianus Maſſilienſis Presbyter, divinâ & humanâ literaturâ inſtructus, & ut abſque invidia loquar, Epiſcoporum Magiſter, ſcripſit Scholaſtico, & aperto ſermone multa, ex quibus iſta legi: De Virginitatis Bono ad Marcellum Presbyterum libros tres. Adverſum Avaritiam libros quatuor. De Præſenti Judicio libros quinque, & pro eorum Merito Satisfactionis ad Salonium Epiſcopum librum unum: & Expoſitionis extremæ partis Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem librum unum, Epiſtolarum librum unum. Et in Moſem de principio Geneſis uſque ad conditionem hominis compoſuit verſu, quaſi Hexameron librum unum. Homilias ad Epiſcopos factas multas. Sacramentorum verò quantas nec recordor.* Nonnullis in exemplaribus legitur, *Homilias Epiſcopus factas multas.* Sed perperàm, ut ex ipſo Gennadio liquet, qui nomine Presbyteri eum affecit initio capituli hujus. Quem titulum quidem haud ipſi indidiſſet, ſi Epiſcopum egiſſet. Qui hodie extant de Gubernatione Dei libri octo, non ſine probabilitatis ſpecie illi eſſe putantur, quos *Salonio* ſcriptos Gennadius perhibet. Libri quatuor, qui *Timotheus* inſcribuntur, putant eruditorum nonnulli, *quatuor eſſe adverſum Avaritiam.* Primus quidem de Avaritia tractat, neque ab ea prorſus materia cæteri diſſident. Superſunt & nonnullæ Salviani Epiſtolæ. Pulcherrima Salviani ſententia hæc eſt, ex libro ſecundo Timothei ad Eccleſiam: *Quidquidlibet homo pro Deo perferat, ſolvi omninò non poteſt, quod Deus pro homine perpeſſus eſt.* Chriſtum Virginei uteri clauſtra naſcendo reſeraſſe, non obſcurè docet eodem libro: *In carne proceſſit humiliatus uſque ad humani exordii pudorem, & pannorum illuviem.*

B. M. P. t. 8. 386.

Anno Dom. 460.

ANNO U. C. 1213. PER. JUL. 5173. JUL. 505. DOM. 460. LEONIS 3. & 4. MAJORIANI 3. & 4. *Sol.* 21. C B. *Lun.* 5. *Indict.* 13. *Epact.* 22. *Epact. Sc.* 6. P. 27. *Mart.*

COSS. *Apollonius & Magnus.*

Clericos invitos creari Majorianus vetat.

I. IMprobitate Chriſtianorum, contemptuque diſciplinæ id moris inveteraverat, ut homines vel inviti ad Clericale munus eveherentur. Hanc religionis labem, libertatiſque mortalibus infeſtæ everſionem Lege pulcherrimâ Majorianus deletam voluit. Verſatur Arelato Imperator, cùm id Reſcripti Richomero utriuſque Militiæ Magiſtro miſit: *Ad ſuſcipiendum Clericatus officium unicuique nos optionem dediſſe, non legem, quia quamlibet ſanctum onus, ut volentibus patiamur imponi, ita ab invitis jubemur arceri. Ei, qui vim pertulit, decem libras auri Archidiaconus cogatur inferre, dehinc ſi ille deſiſtit, accuſatorie cenſibus, & civitatis ordini profuturas. Illo ſuæ reddito voluntati, qui coactus non potuit conſecrari. Et quia ab hujuſmodi auſu nec Epiſcopum à verecundia eſſe convenit alienum, ad Apoſtolicæ Sedis devocetur Antiſtitem. In illa reverendiſſima Sede notam illicitæ præſumptionis incurrat. Sane quia non injuſta ſuſpicio eſt, huic operi parentum colludia plerumque miſceri, dum liberis aliis amore nimio gratificantur, & alios injuſtâ ſententiâ perſequuntur, æquè patres & matres, ſi comprobati fuerint, invitos filios præfato oneri ſubdidiſſe, bonorum ſuorum tertiam jubemus adſtrigi, ipſius filii cenſibus profuturam.* Coactam tamen Epiſcoporum ordinationem non reſcindit: *Si qui ſane Epiſcopus invitus fuerit ordinatus, hanc conſecrationem nullâ violari accuſatione permittimus. Data V. Kal. Aprilis Arelato, Magno & Apollonio Coſſ.* Cur porro Arelato moraretur Majorianus, bellum Gothicum cauſa fuit, ut ex Idacio colligitur: *Legati à Nepotiano Magiſtro Militiæ, & à Sunierico Comite miſſi, veniunt ad Gallæcos, nunciantes, Majorianum Auguſtum, & Theodericum Regem firmiſſima inter ſe pacis jura ſanxiſſe, Gothis in quodam certamine ſuperatis.* Inde Menſe Maio Hiſpanias ingreſſus, Vandalis bellum moliebatur, cum captis per proditores navibus per Gallias in Italiam iter convertit.

Anno Dom. 460.

II. Deſtructum in Hiſpania à Gothis Suevorum Imperium *Maldras* excitare tentaverat. Hiſtoriam ſcitu non injucundam ab origine repetemus, Idacium ſecuti. Anno ſuperiore *Aiulfus* Suevici regni cupidus, *menſe Junio* fata impleverat. Diviſi in partes Suevi varios ſibi Principes impoſuere: pars *Frontanem*, pars *Maldram* Regem dixerat: *Jubente Maldrâ Suevi in ſolitam perfidiam verſi, regionem Gallæciæ adhærentem fluminis Durio deprædantur. Quinto Idus Junias die, quartâ feriâ, ab hora quarta in horam ſextam ad ſpeciem Lunæ quintæ, vel ſextæ, Sol de lumine orbis ſui minoratus apparuit.* Anni CCCCLIX. nota hæc eſt, teſte, quæ illum regebat, literâ Dominicali D. & Cyclo Solis 20. Ambitione percitus *Maldras*, naturæ jura perfringens, *germanum ſuum fratrem interficit, & Portucale caſtrum idem hoſtis invaſit.* Defuncto diu homicida non ſuperfuit, qui anno inſequente manibus fratris ſanguine ſuo litavit: *Maldras in fine menſis Februarii jugulatus, meritò periit interitu.* Itaque Calviſii eruditorumque nonnullorum Chronologia non eſt accurata, qui menſi Maio labentis anni Maldræ obitum affixere. Cum Maldræ perfidia Suevorum ſeditio non extinguitur. Audiatur iterum Idacius: *Per Suevos, Luco habitantes, in diebus Paſchæ Romani aliquanti cum Rectore ſuo honeſto natu, repentino ſecuri de reverentia dierum occiduntur incurſu.* Graſſantibus Suevis id facinoris non ſuffecit: *Frumarius cum manu Suevorum, quam habebat impulſus, capto Idacio Epiſcopo VII. Kalend. Auguſti in Aquaflavienſi Eccleſia, eundem Conventum grandi evertit excidio.* Idacius tribus menſibus captivitatis impletis, menſe Novembri redit ad Flavias.

Maldras Suevicum arripit Imperium: ejus ſcelera.

Idat. Chron.

ANNO DOM. 460.

Mors Eudoxiæ Auguſtæ. Templa multa condidit.

III. In Oriente graviſſimâ clade Cyzicus urbs nobilis vaſtatur, narrante Marcellino: *Cyzicus civitas terræ motu concuſſa, murorumque ſuorum ambitu interrupto, ſeſe ſuoſque diu deplanxit.* Mors Eudoxiæ Auguſtæ, Theodoſii relictæ anno celebritatis & aliquid addidit. Templa multa ædificaverat, nec non Gerontochomia, Ptochotrophiaque innumera, quæ famam ejus poſteris commendavere. Inter Baſilicas eminebant, Petri & Apoſtoli cum ciſterna ad uſus Eccleſiæ neceſſaria, & Stephani Protomartyris Templum, quod ſtadio diſtabat Hieroſolymis, in eo loco conditum, ubi à perſecutoribus ille lapidibus obrutus ferebatur. Miſſo Gabriellio rogaverat Euthymium celeberrimum Monachum, ut ſibi ad eum accedere permitteretur, quo ejus & doctrinâ, & ſermone frueretur: cujus & lauræ redditus aſſignare alendis Monachis habebat in animo. Narrant Euthymium talia cogitanti mandaſſe, ut ſibi potius pararet, quæ proximo funeri erant neceſſaria. Hæc poſt ubi audivit, peritâ Hieroſolymâ Anaſtaſium accerſit Epiſcopum, cui narrat quæ prædixerat Euthymius: *Et primum quidem Stephani Protomartyris Chriſti Templum, quod nondum erat plane conſtructum, dedicat quinto decimo menſis Januarii. Deinde cùm ei etiam multum tribuiſſet redituum, & ejus curam dediſſet Gabriellio, neque alias quoque neglexit Eccleſias. Cùm quatuor autem menſes jam præteriiſſent poſt dedicationem, ipſa quoque humanâ vitâ relictâ, excedit ad Dominum.* Hæc Cyrillus in vita Euthymii, c. 99. Moritura verò Eudoxia, *juravit ſe extra crimen eſſe, de quo Paulini cauſâ accuſata fuerat.* Stephani in Templo depoſita eſt. Anno Leonis Auguſti quarto Eudoxiam, annos LXVII. natam, periiſſe tradit Nicephorus. Fortuna hæc fuit Eudoxiæ, quæ humili genere orta, pulchritudine ſuâ, ingeniique dotibus ad ſummam dignitatem gradum ſibi fecerat. De Eudoxiæ ſcriptis actum eſt ad annum Dom. CCCCXLIV.

Chron. Alex.

Niceph. l. 14. c. 59.

Timotheus Ælurus libellum offert Imperatori ad decipiendum. Ejicitur ſua ſede.

Gennad. Catalog. de vir. ill.

IV. Res nunc videamus. Dum ſummâ conſpiratione orbis Epiſcopi ferè omnes, miſſis ad Leonem Auguſtum Epiſtolis, ordinationem Timothei, & doctrinam damnant, ſibi non deerat aſtutus, juxta ac nefarius homo, qui dato ad Imperatorem Libello, Proterii fautores malis Neſtorii venenis imbutos eſſe jactabat. Qua de re Gennadii verba referre operæ pretium eſt: *Timotheus, ne contra legem factus merito abjiceretur, ad gratiam plebis, quæ Proterium exoſum habuerat, omnes quibus ille communicaverat, Neſtorianos eſſe pronuntiavit: & maculam conſcientiæ temeritate abluendam præſumens, ſcripſit ad Leonem Imperatorem Libellum valde ſuaſorium, quem pravo ſenſu Patrum teſtimoniis in tantum roborare conatus eſt, ut ad decipiendum Imperatorem, & ſuam hæreſim confortandam penè Leonem urbis Romæ Epiſcopum, & Chalcedonenſem Synodum, ac totos Orientalium Epiſcopos illorum adminiculo Neſtorianos oſtenderet. Sed favente Deo à Chalcedonenſi Concilio hoſtis Eccleſiæ convictus eſt, & confutatus. Hunc ipſum Libellum cognoſcendi gratiâ ego rogatus à fratribus, in Latinum tranſtuli, & cavendum prætitulavi.* Non ab iis tamen, quæ vera, claraque erant, per ſacros Codices, Epiſcoporumque literas Timothei præſtigiis & captionibus Leo depulſus eſt. Itaque Sedis Alexandrinæ invaſori exilium mandat, quod in hunc annum contigiſſe, Victor Tununenſis oſtendit: *Magno, & Apollonio Coſſ. Timotheus Epiſcopus, interfector Proterii Epiſcopi, Leonis Principis præcepto, vi à Sede Alexandrina raptus Eccleſiæ, Cherſona exilio relegatur.* Stila Dux Alexandriæ omnibus Timotheum modis pellere Epiſcopatu jubetur. Non ſtatim tamen eſt *Cherſonam* relegatus. Urgentibus, qui ei favebant, in regiam urbem venire permittitur, ſpecie ſuæ hæreſeos ejurandæ. Id conſtat ex Leonis ad Gennadium Epiſtola, data XV. Kalend. Julias: *Dilectionis tuæ literis, & fratrum Coepiſcoporumque noſtrorum Domitiani & Geminiani ſermone agnovi, Timotheum poſtquam Eccleſia Alexandrinæ civitatis expulſus eſt, Conſtantinopoli (nonnullis hoc fidei adverſariis agentibus) venire permiſſum, ut quantum datur intelligi, quia univerſorum Domini Sacerdotum ſententiis coarctatus, invitus ſaltem ad Catholicum ſe dogma convertat: ut tanquam propter hanc tantummodò culpam videatur ejectus, hæreticæ perverſitatis errore damnato, doctrina Apoſtolica, ut ad Alexandrinam redeat Eccleſiam, acquieſcat. Cùm illi etiam ſi Catholicus probaretur, hoc vehementer obſiſtat, quòd vivente Epiſcopo tantæ Sedis invaſor eſt, autor apparuit inauditæ crudelitatis admiſſæ.* Gennadium itaque monet ſedulò, *ne cum tam nefario homine ſermo aliquis privatim, vel publicè miſceatur,* omnibuſque enitatur, ut ſpes Timothei ſuffragatoribus adimatur, *& Alexandrinis ex Clero ſuo Catholicus Epiſcopus ſecundum morem veterem per Orthodoxos Epiſcopos conſecretur.* Per Philoponem agentem in rebus ea Epiſtola miſſa eſt. Eodem & latore uſus Pontifex, XV. Cal. Juliarum literas Leoni Imperatori dirigit, quibus ei ob pulſum Timotheum gratulatur: *Sciat clementia veſtra, omnes Eccleſias Dei cum laude veſtra exultare pariter, & lætari, quòd ab Alexandrina Eccleſia jugo improbus parricida depulſus eſt, & populus Dei, cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, poteſt jam in ſalutis viam fidelium Sacerdotum prædicatione revocari, cùm videat omne ſeminarium venenatum in ipſo autore projectum. Nunc ergo, quia hoc conſtanti propoſito, & magnâ mente peregiſtis, conſummata operi fidei illud adjungite, ut de Catholicæ civitatis illius Præſule, quod Deo placeat, decernatis, qui nullâ damnata toties impietatis ſit infectus aſpergine.* Leonis literis accenſus Imperator, Timotheum relegat: *In Gangrenſium civitate perinde atque Dioſcorus juſſus eſt degere.* Hæc Evagrius, l. 2. c. 11. cui conſentit Nicephorus. At Timothei exilio Liberatus locum aſſignat: *In exilio relegatur Timotheus Ælurus Cherſona arctâ cuſtodiâ, & cum eo Petrus Hæreticus.* Utrumque veriſſimum: Gangram primum ejicitur, quæ urbs eſt Paphlagoniæ, aliam enim Stephanus *Gangram* in Arabia Felice collocat, deinde *Cherſonam.* In Breviculo Hiſtoriæ Eutychianæ ea reperimus: *Mittitur in exilium Timotheus Cherſona, qui locus eſt in Ponto abditus.* Quibus verbis docemur, quis locus *Cherſona*, nobilioribus Geographis ignotus. Cherſonæ meminit & Miſcellanea LXIX. ſub finem: *Educunt Juſtinianum in Hippodromum, naſoque illius & linguâ reſciſſâ, exulem faciunt apud Cherſonam.* Exulem Timotheus egit, dum Leo ſceptrum cum vita retinuit.

ANNO DOM. 460.

Leo Ep. 100.

Leo Ep. 99.

Liber. c. 15.

Lab. c. 4. Concil. 1081.

Timotheus Albus Æluro ſufficitur.

Evagr. l. 2. c. 11.

V. Ejecto Timotheo alius ejuſdem nominis, at fidei longè diverſæ Alexandrinis Præſul imponitur: *Alexandrini alterum Timotheum Proterii ſucceſſorem elegerunt, quem alii quidem Baſilicum, alii verò Salophaciolum nominabant.* Id & cognominis Timotheus habet in Liberato:

Pro

Anno Dom. 460.

pro Proterio Timotheus, cognomento Salophaciolus, ſive Albus Epiſcopus conſtituitur. Poſtquam Timothei Albi electio Leoni Pontifici innotuit, ad eum ſcribit xv. Cal. Septembr. *Deo, quidem, ſinceritas fidei in fraternitatem tuam, Cleri & plebis, atque omnium Fidelium egit electio, univerſam mecum Eccleſiam Domini gaudere reſcribo, utque hoc benignitas divina pietatis multiplicatâ gratiâ confirmet exopto.* Deinde illum hortatur, ut benignitate, precibuſque ſuis, qui veritati reſiſtere, illos ſibi conjungat, bonum imitatus Paſtorem, qui errantem, non flagellis ovem coërcuit, ſed ad ovile ſuis humeris reportavit, *neque vel Neſtoriani dogmatis, vel Eutychiani erroris ullum in Dei populo poſſit veſtigium reperiri.* Presbyteris quoque & Diaconis Eccleſiæ Alexandrinæ literas dedit, *ut quos cujuslibet ordinis Chriſtianos impia Hæreticorum conturbarent mendacia,* leniter corripiant, *ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem.* Eâdem ipſâ die ad Theophilum, Joannem, Athanaſium, Abrahamum, Danielem, Joſbum, Paphnutium, Muſeum, Papulvium, & Petrum, Epiſcopos Ægyptios Epiſtolam miſit, quâ & benignitatem in reducendis ad viam, qui erraverant, commendat, & fidei integritatem, *ſine qua nullæ poſſent prodeſſe virtutes.* Timotheus illis inſtructus animi dotibus erat, quæ germano ſunt Epiſcopo conſentanea, *probitate morum, & integritate Catholicæ fidei.* Tranquillè & placidè in adminiſtranda Eccleſia vitam traduxit Timotheus, donec Baſiliſcus occupato Imperio Zenonem ad fugiendum compelleret: *Timotheus Catholicorum Epiſcopus vixit quidem ſine ſeditione quietè in Alexandrina Eccleſia, omni tempore Leonis, & omni tempore Zenonis, donec Baſiliſcus arriperet tyrannidem, Zenone in Iſauriam fugiente.*

Liberat. c. 16.

Leo Ep. 101.

Leo Ep. 103.

Liberat. c. 16.

Anno Dom. 461.

Anno U. C. 1214. Olymp. 310. Per. Jul. 5174. Jul. 506. Dom. 461. Leonis 4. & 5. *Sol.* 22. *A. Lun.* 6. *Indict.* 14. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 7. *P.* 16. *April.*

Coss. *Severinus & Dagalaiſus.*

Richomer quis? Majorianum occidit. Defuncti mores.

I. Si quæ fata aſpera rupiſſet Majorianus, Sueverus quidem imperii reſtitutor fuiſſet. Verum cùm haud addicentibus avibus Richomerum ad utriuſque Militiæ Magiſtri dignitatem evexiſſet, perfidiâ ejus morti miſſus eſt Princeps optimus, qui quem ſibi fidiſſimum putabat, crudeliſſimum proditorem habuit. Getico ſanguine ortus erat *Richomer*, ut nos ſocer ejus Anthemius docet Auguſtus, qui Epiſcopum Ticinenſem *Epiphanium*, ſic alloquitur: *Quis hoc namque veterum retrò Principum fecit unquam, ut inter munera, quæ Pelliti Getæ dare neceſſe erat, pro quiete communi filia poneretur.* Patre Suevo tamen editum Richomerum canit Sidonius, & Valliæ Regi conſanguineum, ideòque Geiſerico odio habitum:

Sidon. car. n. 361.

Nam Patre Suevus

A genitrice Gethes, ſimul & reminiſcitur illud,
Quod Tarteſſiacis, avus hujus, Vallia terris
Vandalicas turmas, & juncti Martis Alanos
Stravit.

Cùm materno magis quàm paterno genere clarior eſſet, pro Gotho ſeſe vendicabat: eò magis quòd Gothorum, quàm Suevorum nobilius Imperium erat. Militari virtute Richomer magnum ſibi nomen emerat. Magnâ erat vi & animi, & corporis. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris: ſupra quam cuiquam credibile eſt, animus audax, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator ac diſſimulator, immoderata, nimis alta ſemper appetens, imperare volebat, relictis duntaxat legitimo Principi Imperii & titulis, & inſignibus. Richomeris mores depingat jam laudatus Anthemius: *Quotiens à nobis majoribus donis cumulatus eſt Richomer, toties gravior inimicus apparuit? Quanta contra Rempublicam bella præparavit? Quantus externarum gentium per illum vires furor accepit? Poſtremò etiam ubi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta ſuggeſſit.* Armatus his vitiis Richomer ad extinguendum optimum Imperatorem ſeſe comparat. Majorianus amiſſis, quas in Vandalos parabat navibus, Hiſpaniâ relictâ in Gallias conceſſerat, ubi Sidonius Apollinaris Epigramma offert Imperatori, ut ſuis ruinis exonerata Lugduno vitam redderet:

Ennod. Vit. Epiph. B. M. P. t. 9. 386.

Sidon. car. 31.

Hoc te Sidonius tuus precatur,
Sic te Sidonio, recocta fuco,
Multos purpura veſtiat per annos,
Sic luſtro Imperii peremnis acta,
Quinquennalia faſcibus dicentur.

Ingreſſus eſt quidem quintum annum imperii, & menſis quintus jam labebatur, cum mediatione perpetrat Richomer, de quo Idacius in Chronica: *Majorianum de Galliis Romam redeuntem, Richomer livore percitus, & invidorum conſilio fultus, fraude interficit circumventum.* Funeſtum diem memoriæ commendavit Autor Chronici Cuſpiniani: *Depoſitus eſt Imperator Majorianus à Patricio Richomere Dertona, quarto Nonas Auguſti, & occiſus eſt ad flumen Hyram ſeptimo Idus Auguſti.* Regnavit annos IV. menſes totidem, dieſque duos: quinque diebus poſt abdicationem inter homines verſatus eſt: Hiſtoria fallitur Miſcellanea, cujus verba ſunt: *Majorianus apud Dertonam Hiſpaniæ civitatem occiditur.* Nulla quidem in Hiſpania Dertona, quæ urbs eſt Inſubrii, & *Colonia*, docente Plinio. Dertoſam ſimilitudine vocis cum Dertona Autor permiſcuiſſe videtur. Vili ſepulchro Majorianus conditus eſt, quod obſcurum, tantoque Principe dignum nobilitavit Ennodius Epigrammate 135.

Paul. Diac. l. 15.

Cùm perſtat gravior luſtum fortuna petitum
Contulit exuvii, Majoriane, tuis.
Nunc indignus pyramidem ſors proſpice moles,
Vilia Principibus lingue ſepulchra piis.

Cum optimo Principe concidit Imperium, quod lacertos jam movere cœperat. Virtutibus, pietate, Legibuſque pulcherrimis famæ mandavit nomen ſuum. Inter eas extat Reſcriptum de Adulteriis, *datum XV. Kal. Maji Arelate, Richomere & Clearcho viris clariſſ. Coſſ.* Quos inter ordinarios Conſules nulli reperimus: ſuffectum ergo Conſulatum geſſiſſe intelliguntur. Directa ea Lex eſt *Rogatiano Conſulari* Tuſciæ ſuburbicariæ. Convictum confeſſumque Ambroſium in nefario crimine, relegatione dignum cenſuerat: exilii tamen locum reus deſugerat: qua de re conſultus Majorianus, deportatione adjectâ continuò, & bonis ejus omnibus fiſci utilitatibus vindicatis, eum à congreſſu totius Italiæ ſubmovet.

Major. Nov. t. 9.

Severus Majoriano ſuccedit: ejus anni.

II. Extincto Majoriano purpuram ſumpſit Severus, natione Lucanus. Quem ad Imperium promovit Majoriani percuſſor, cujus vaſta potentia

tentia erat: Romanorum XLV. *Severus Romæ Auguſtus appellatur.* Locum ubi Auguſtus nuncupatus eſt, Caſſiodorus monuit: *Majorianus immiſſione Richomeri extinguitur, cui Severum natione Lucanum, Ravennæ ſuccedere fecit in regnum.* Diem verò novimus ex Anonymo Cuſpiniani: *Levatus eſt Imperator Dominus Severus* XIII. *Kal. Decembris.* Fuit igitur menſium trium, dierumque ſeptemdecim Interregnum, quo elapſo nomen Imperii potius, quàm Imperium *Severus* ingreditur. Regni umbram tenuit annos tres, menſes novem, & dies XXVII. à decimo nono ſcilicet Novembris labentis anni ad uſque Sept. XIV. anni CCCCLXV. Baſiliſco & Hermenerico Coſſ. Richomeri, quem extulerat, perfidia ſuſtulit. Pauca ſui monumenta reliquit Severus. Extant in Novellis promulgatæ ab eo Leges, de quibus ſuo tempore mentionem inſeremus.

Leonis Papæ obitus.

III. Res Eccleſiæ Leonis ab obitu incipimus, qui funeſtum annum reddidit. Vitâ abiiſſe tertio Idus Aprilis, communis vulgataque ſententia eſt, in quam Baronius, Onuphriuſque deſcenderunt. Quam ſpecioſis tamen argumentis refellit Paſchaſius Queſnellius, quorum præcipuum ex Hilari ſucceſſoris conſecratione Novembri peractâ deſumitur, cùm incredibile penè videatur, in pacatis Eccleſiæ temporibus Leonem inter, & Hilarum menſium ſeptem Interpontificium interjectum fuiſſe. Conſtat verò, menſe Novembri Hilarum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum eſſe impoſitum, ut mox probatum ibimus. Non igitur abhorret à vero, *trigeſima Octobris* Leonem ad plures abiiſſe. Cui & Chronologiæ præſidium affert Calendarium vetus Dacherianum, in quo legitur: *Tertia Kal. Novembris depoſitio Sancti Leonis Papæ.* Sed difficillimâ de ſupremo Leonis die quæſtione relegatâ, hoc ſaltem extra dubium ponimus, quòd Pontifex ille annos XXI. ſederit: ab anno ſcilicet CCCCXL. ad uſque CCCCLXI. quo mortis ſolvit debitum. Non inficias imus, quin de pietate optimè ſit meritus, dum Manichæos, Eutychianos, Neſtorianos, Pelagianoſque profligat. Diſſimulari tamen non poteſt, quin vitium, quod propius virtuti eſt, ambitio animum ipſius exercuerit. Gloriam, honorem, majeſtatem Sedis ſuæ vehementius exoptans, à Valentiniano Legem impetravit, quâ Occidentis Epiſcopi omnes ſibi ſubjiciebantur. Egregia ejus facinora benè multa paucis complectitur Pontificalis, cujus verba ſubjiciemus: *Hic renovavit poſt cladem Vandalicam omnia miniſteria ſacrata argentea, per omnes titulos conflata. . . . Hic fecit cameram Baſilicæ Conſtantinianæ, & aliam cameram Baſilicæ B. Petri ornavit, & Baſilicam B. Pauli renovavit. Fecit autem & Baſilicam B. Cornelio Epiſcopo, & Martyri juxta cœmeterium Calixti, viâ Appiâ. Hic propter nomen Romanum ſuſcipiens legationem, ambulavit ad Regem Hunnorum, nomine Attilam, & liberavit totam Italiam à periculo hoſtium. Hic conſtituit Monaſterium apud B. Petrum Apoſtolum, quod appellatur Sanctorum Joannis, & Pauli. Hic conſtituit, ut intra actionem ſacrificii diceretur, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Quæ de Leone narrant, & brandeum allatis forficibus incidente, *ut ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit*, & Petri Apoſtoli utente præſentiâ, dicentis, *Oravi pro te, & dimiſſa ſunt tibi peccata omnia*, fabularum amantibus relinquimus. Qui bellularum narrationum hujuſmodi cupidus eſt, adeat Gregorium, libro 3. Epiſtolâ 30. Pratumque Spirituale, c. 149.

Pont. Holſten. ſ. 473.

Hilarus Pontifex creatur. Quis? Ejus anni.

IV. Leoni ſuccedit Hilarus, *natione Sardus, ex patre Criſpino.* Archidiaconum agens ad Synodum Epheſinam, Præſide Dioſcoro celebratam, à Leone Legatus fuerat. Ne verò à prædonibus B. damnare Flavianum cogeretur, Epheſo diſcedens, per incognita, & invia loca Romam conceſſerat. Quæ res impedimento fuit, ne Pulcheriam Auguſtam ſalutaret, ut ipſi literis ſuis anno CCCCXLIX. datis, ſignificatum ivit. Anno CCCCLVII. cùm ob diverſum Paſchatis celebrandi morem variis aculeis pungeretur, Victorio ſcripſerat Aquitano, ut dubia animi ſui removeret. Poſt ubi moribus ſuis dignus viſus eſt, qui Leoni ſuccederet, menſe Novembri ordinatur, repugnante quantumvis Onuphrio, qui Hilari conſecrationem XIII. Calend. Maiarum affigit. De die porro difficilis quæſtio eſt. Baronius, quem Schelſtratus & Alexander ſequuntur, Novembris XII. aſſignant Hilarianæ conſecrationi. Quam Chronologiam firmare videtur dies Dominica, quæ tum labebatur. Sed & Marianus Scotus pridie *Idus Novembris* ſactam Hilari ordinationem, ſcripto prodidit. Verùm enimverò die XVI. *Kal. Decembris* conſecrationem eam potius peractam eſſe, ex Lupi Sylloge colligi videtur. Hilari quippe Epiſtolâ monemur, illâ ipſâ die, quâ ordinatus eſt, Synodum in urbe fuiſſe coactam. Sic enim ſcribit Aſcanio: *Lectis ergo in Conventu fratrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat, literis veſtris.* Eſt autem ea Synodus Novembris decimo ſexto celebrata, ut ex ejus titulo apparet & promptum eſt: *Incipiunt regula Papæ Hilari, Flavio Baſiliſco, & Hermenerica, viris clariſſimis, ſub die* XVI. *Calendas Decembris, reſidente viro venerabili Papâ Hilaro in Baſilica ſanctæ Mariæ.* Quod ad monumentum ſi loquamur, Hilari conſecratio non *prima* quidem feriæ, ſed *quinta* cohærebit. Quò conſequens foret, trabali clavo necdum diei Dominicæ affixas Epiſcoporum Romanorum ordinationes. In vulgatis Concilii hujus Codicibus die ſerius uno celebratum dicitur, ſcilicet XV. Cal. Decembrium feriâ VI. Autoritate Concilii hujus freti Du Pin, atque Queſnellius, Hilari ordinationem aſſignant Decembris XVII. Verùm enimverò creditu difficillimum eſt, Hilari natale in feriam à prima diverſam incidiſſe, cùm mos jam obtineret, ut Pontificum Romanorum ordinationes diei Dominicæ aſſigerentur. Quod adeò verum eſt, ut Queſnellius incuriâ tanto viro indignâ, XV. Cal. Decembris feriæ primæ aſſignarit: *Si quidem*, inquit, *litera F. eo anno Dominicam deſignabat.* Atqui vel pueri ſciunt, literam Dom. A. labentem annum duxiſſe. Itaque ſi Hilarus XVII. Decembris ordinatus eſt, inauguratio ejus feriæ ſextæ cohæreret. Magis ergo *Mariani* ſententiæ ſumus, ut XII. Novemb. qui in diem Dominicum incidit, Hilarus ordinatus ſit. Neque unus idemque dies, ut perperàm Queſnellius arbitratur, & Natali Hilari, & initiis Synodi Romanæ aſſignatus eſt. Incepit Synodus XVI. Novembris feriâ V. quatriduo poſt Hilariani Natalis celebrationem feriâ primâ agitatam, ut fuſius ſuo loco explicabimus. Sexennio Epiſcopatum Romanum Hilarus tenuit ad annum uſque CCCCLXVII. Puſæo & Joanne Coſſ. Loquatur Idacius: *Hilaro defuncto, ſex Sacerdotii ſui annis expletis*, XLV. *Romana Eccleſia Simplicius Epiſcopus ordinatur.*

Lup. Syll. 2. 227.

Sed

ANNO DOM. 461.

Synodus Turonenſis. Canones ejus.

Sed & Marcellinus Hilarum *vixiſſe annos ſex*, ſcriptum reliquit.

V. Anno celebritatem addidit Turonenſis Synodus. Præſide *Perpetuo*, cui interfuere Victurius Cenomanenſis, Leo Bituricenſis, Euſebius Nannetenſis, Amandus Catalaunicæ civitatis, Germanus Rhotomagenſis, Artemius Rhedonenſis, Manſuetus Britannorum Antiſtes, Jocundinus Presbyter. Congregati ſunt die XIV. Calend. Decembris, cùm *ad ſacratiſſimam feſtivitatem, quâ Domini Martini receptio celebratur*, conveniſſent. Peragebatur eâ die Martini reliquiarum tranſlatio, cujus occaſione Epiſcopi Turonenſium ad civitatem ſe contulere. Quibus ſimul placuit, de rebus Eccleſiaſticis tractari. Tredecim ad ergo diſciplinam pertinentes regulas poſuere. I. Sacerdotibus Diaconiſque continentiam imperat, ut Fidelibus ſint exemplo, & omni momento parati ſint ad ſacrificium Euchariſtiæ offerendum, baptiſmaque miniſtrandum. II. Patrum Conſtitutionem mollit, quæ Sacerdotes, Diaconoſque liberis operam dantes, *communione Dominicâ abſtinebat*: negat tamen ipſis altiorem gradum, & Sacramentorum celebrandorum facultatem. III. Clerici cum mulieribus extraneis non habitent. IV. Clericus, cui datur nubendi licentia, nuptam non accipiat. V. Clericus, qui ordine ſuo relicto, laicam vitam ingreditur, excommunicatur. VI. Qui ſacris ſe Virginibus miſcuerit, vel propoſitum profeſſæ religionis dereliquerit, communione ſit alienus. VII. Homicidis penitùs non communicandum, donec per Confeſſionem pœnitentiæ ipſorum crimina deleantur. VIII. Qui poſt acceptam pœnitentiam ad ſeculares illecebras fuerit reverſus, à communione Eccleſiæ, & convivio Fidelium habeatur alienus. IX. Epiſcopus, qui Diœceſes alienas invadit, aut Clericus, Sanctimonialeſve promovere præſumit, *à* Conſacerdotum communione alienus efficiatur. X. Ordinationes illicitas irritas eſſe denunciat. XI. Clericus, qui abſque Epiſcopi ſui permiſſu Eccleſiam relinquit ſuam, communione habetur alienus. XII. Clerici abſque Epiſcoporum commendatione ad alias civitates non tendant. XIII. Clericus uſuras non accipiat. Hactenus de Canonibus, de anno Turonenſis Synodi nunc eſt agendum.

Epocha Turonenſis Synodi: ob reliquiarum Martini tranſlationem celebrata.

Bar. An. 482. n. 47.

VI. A Baronii, Binniique Chronologia multum noſtra diſſidet. Annum aſſignant Conventui Turonenſi illum, qui Chriſti numeratur CCCCLXXXII. Faſtos quidem tum reſeravit *Severinus*, Collegâ *Trocondo*. Non poteſt tamen Synodus in hoc tempus differri, cùm Venetico Concilio adfuerit Nunechius, cui Euſebius Namneticæ civitatis Epiſcopus deceſſerat. Turonenſi verò Conventui interfuit Euſebius. Huic porrò Concilio præbuit occaſionem Martini reliquiarum tranſlatio in elegantiorem Baſilicam, quam Perpetuus extruebat. Templi hujus Gregorius meminit: Perpetuus *cùm virtutes aſſiduas ad ſepulchrum ejus fieri cerneret, cellulam, quæ ſuper eum fabricata fuerat, videns parvulam, indignam talibus miraculis judicavit. Quâ ſubmotâ magnam ibi Baſilicam, quæ uſque hodie permanet, fabricavit: quæ habetur à civitate paſſus* DL. *Habet in longum pedes* CLX. *in latum ſexaginta: habet in altum uſque ad cameram pedes quadraginta quinque. Feneſtras in altario triginta duas, in capſa viginti: columnas quadraginta unas: in toto ædificio feneſtras* 52. *columnas* 120. *oſtia octo, tria*

Gregor. hiſt. l. 2. c. 14.

in altario, quinque in capſo. Quid porrò *capſum*, non omninò promptum eſt. Capſum definiente Baronio, *erat ea Baſilica pars amplior, incipiens à cancellis primarii altaris uſque ad januas, quibus Fideles ingrediuntur in Eccleſiam.* Hæc tamen explicatio ad Gregorii deſcriptionem non quadrat, quæ *capſum* exhibet *altario* minus, ut ea feneſtris liquet: *Feneſtras*, inquit, *in altaria triginta duas, in capſa viginti.* Eſt autem Eccleſiæ *navis* longior altario. Vero ſimilior eſt doctiſſimi explicatio Cangii: *Capſum intelligi debet de ea Ædis ſacræ parte, quæ retrò altare eſt, & editior alio erat.* Explicationem adjuvant verba Gregorii de Numatio Avernorum Epiſcopo, qui Eccleſiam *fabricavit, habentem in longum pedes* CL. *in latum pedes* LX. *in altum infra capſum uſque cameram pedes* L. Verba hæc, *infra capſum*, etiam atque etiam ſunt obſervanda: quibus liquidò conſtat, capſum editius in Eccleſia fuiſſe, quod de navi dici nequit. Perpetui Baſilicam & ſtrictâ & ſolutâ oratione Sidonius memoriæ commendavit: *Baſilicam ſancti Pontificis, Confeſſoriſque Martini Perpetuus Epiſcopus, digniſſimus tanto prædeceſſore ſucceſſor, multum priori, quæ hactenùs fuit, capaciorem novavit. Magnum eſt, ut ferunt, opus, nominandumque, quòd in honorem talis viri factum talis vir feciſſe debuerit. Hujus me parietibus inſcribere ſuprà dictus Sacerdos hoc epigramma compellit.* Epigramma verò, quod & Lucontio miſit, ſic ſonat:

ANNO DOM. 461.

Bar. An. 482. n. 49.

Gregor. Tur. hiſt. l. 2. c. 15.

Sidon Ep. l. 4. 18.

Martini corpus totis venerabile terris,
In quo poſt vitæ tempora vivit honor,
Texerat hic primùm plebeja machina cultu,
Quæ Confeſſori non erat æqua ſuo;
Nec deſiſtebat cives honorare pudore
Gloria magna viri, gratia parva loci;
Antiſtes ſed, qui numeratur ſextus ab ipſo,
Longam Perpetuus ſuſtulit invidiam,
Internum removens modici penetrale ſacelli,
Amplaque tecta levans interiore domo, &c.

Ad tranſlationis Martini ſolemnitatem, feriâ ſeptimâ, Novembris XVIII. coacti Epiſcopi Concilium celebrarunt. Hìc verò Gregorius non nihil turbat: *Solemnitas ipſius Baſilicæ triplici virtute pollet, id eſt, dedicatione Templi tranſlatione corporis ſancti, ordinatione ejus Epiſcopatus. Hanc enim quarto Nonas Julias obſervabis, depoſitionem verò ejus tertia Idus Novembris eſſe cognoſces.* Atqui Turonenſes non tertio Idus Novembris, ſed XIV. Cal. Decembris Martini receptionem celebrarunt. At enim geminæ tranſlationes Martini ſunt diſtinguendæ. Ac prior illa quidem anno CCCCLXI. Novembris XVIII. facta eſt, cùm Eccleſiæ fundamenta ponerentur, eaque ſemel celebrata: poſterior verò contigit, ubi Baſilica conſummata eſt. Gemina hæc tranſlatio in verbis Gregorianis deprehenditur: Perpetuus *ſummotâ Baſilicâ, quam prius Bricius Epiſcopus ædificaverat, ſuper ſanctum Martinum ædificavit aliam ampliorem, miro opere, in cujus abſida beatum corpus ipſius venerabilis Sancti tranſtulit.* Dum Bricci Baſilica removetur, opus erat, ſacras Martini exuvias transferri. Perfectâ verò Perpetui Baſilicâ, alia iterum Martini reliquiarum tranſlatio, & in abſida collocarentur. Poſterior verò iſta tranſlatio *tertio Idus Novembris* peracta eſt.

Gregor. Hiſt. l. 2. c. 16.

Gregor. Hiſt. l. 10. c. 31.

ANNO DOM. 462.

ANNO U. C. 1215. PER. JUL. 5175. JUL. 507. DOM. 462. LEONIS IMP. 5. & 6. SEVERI 1. & 2. *Sol.* 23. G. *Lun.* 7. *Indict.* 15. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *April.*

COSS. *Leo Aug.* II. & *Severus Aug.*

Num Collegam Conſulatus Leo habuerit?

I. FAſtos hujus anni unum reſeraſſe Leonem, perperàm & ſibi, & poſteris perſuaſit Marcellinus, præmiſſo titulo: *Leone Auguſto* II. *ſolo Coſ.* Severum Conſulatus Collegam Leo Imperator habuit. Extant geminæ Hilari Pontificis Epiſtolæ, eo Conſulatu ſignatæ: prior, quæ v. numero eſt, data VIII. Cal. Februarias D. N. Severo Conſule: poſterior, quæ octava numeratur, *data tertio Nonas Decembris Gl. P. Severo Conſule.* Sed & in Faſtis tam Anonymi Cuſpiniani, quàm Caſſiodori legitur: *Leo Auguſtus* II. *& Severus Auguſtus.* Neque error eſt Alexandrini Chronici, dum Conſules proponit *Leonem* II. *& Serpentinum.* Quia unus idemque *Severus* & *Serpentinus.* Severus nomine, Serpentinus cognomine. Theophanes in Chronico: *Levatus eſt Severus, qui & Serpentinus.*

Leo ægrotat: Jacobus Medicus eum curat.

Marcellin. Chron.

II. Cum morbum concepiſſet Leo Auguſtus, ad ſe ſanandum peritiſſimum Medicum vocat, de quo jucundiſſimam ex Marcellino hiſtoriam audire voluptati eſt: *Jacobus, natione Ashivus, religione Paganus, Medicinæ artis peritiâ tam ingenio, quàm literaturâ perclarus. Hic ob medendum Leonem Auguſtum, febre defatigatum, ſacrum Palatii Cubiculum vocatus intravit. Statimque in ſella juxta torum imperialem poſita, ſine ullo Auguſti nutu conſedit, ſicque medicas adhibuit manus. Porro meridie ad eundem ſacrum pulvinar reverſus, ſublatam ſibi propter ſolium, in quo matutinus reſederat, protinùs intellexit, ſpondamque thori regiam intrepidus ſuperſedit, veterumque ſtudii ſui repertorum præceptionibus monitum, id ſe geſſiſſe, non temere præſumpſiſſe ægrotantem docuit Principem.*

Gothi ab Ægidio Comite debellati.

III. De rebus Occidentis paucis. Oſtentorum ferax Gallicia fuit, ſi creditur Idacio: *In Provincia Gallæcia prodigiorum cidentur ſigna diverſa. Æra quingenteſimâ, ſexto Nonas Martias pullorum cantu, ab occaſu Solis Luna in ſanguinem plena convertitur. Idem dies ſexta feria fuit.* In Gallia Gothi promiſſorum fœderum haud tenaces, totis viribus nitentes Romanæ ditionis urbes ſuam in poteſtatem redigere, privatas inimicitias in ſua commoda vertebant: quo factum, ut Narbonæ potirentur. Summatim rem refert Idacius: *Agrippinus Gallus & Comes, & civis Ægidio Comiti, viro inſigni inimicus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico.* Narbonæ jacturam ingens in Armorica Gothorum clades compenſat. Audiatur adhùc Idacius: *Adverſus Ægidium Comitem, utriuſque Militiæ virum, ut fama commendat, Deo bonis operibus complacentem, in Armoricana Provincia Fredericus frater Theuderici Regis inſurgens, cum his, cum quibus fuerat, ſuperatus occiditur.*

Hilari ad Leontium, & Leontii ad Hilarum Epiſtolæ.

IV. Res Eccleſiæ nunc ingrediamur. Ab Hilaro Pontifice initium, qui Novembris ſuperioris anni Epiſcopatum adierat. Januarii XXV. encyclicis literis conſecrationem Epiſcopis ſuam ſignificatum ivit Epiſtolâ, quæ numero quinta eſt, tertia potius dicenda, utpote cui nulla Pontificalis anteceſſerit. Leontium Arelatenſem ſic compellat: Sacerdotes *cùm volumus de noſtra ordinationis primordiis gratulari, opera quæ in nos divina pietatis dignatio oſtendit, Sanctitati tuæ duximus indicanda, ut ipſe præmium pro eo, quem nobis invicem ſemper impendimus, præſtante Domino lateris affectu. Deinde ut diſpoſitione tua fraternitatis omnibus per univerſam Provinciam fratribus, & Conſacerdotibus innoteſcat, quòd humilitatem meam dextera Domini viſitare dignata ſit, & mihi Apoſtolica Sedis regimen non pro merito, ſed pro ſua gratia abundantiſſima largitate commiſerit.* Hanc ſuam inaugurationem vult à Leontio Antiſtitum in notitiam deferri. Hanc Hilari Epiſtolam Leontii Literæ prævenerant. Concordius Arelatenſis Eccleſiæ Diaconus in urbe præſens erat, cùm ad honoris culmen Hilarus evectus eſt. Quod nuncium cùm accepiſſet Leontius, Hilaro Pontificatum gratulatur, rogatque, ut Arelatenſia tueri jura velit: *Quod Leonem ſanctiſſimum prædeceſſorem tuum mori abſtulerit, contra hæreſes invigilantem, & lolium in agro Domini hen unus ſentiens eradicantem decemus: quòd de tua Sanctitate ſeparaveras, gratulamur. Nam gaudet filius de honore matris, & cum Eccleſia Romana ſit omnium mater, ſatis nobis gaudendum, quòd in tantâ conſternatione rerum, & infirmitate ſeculorum ſuper eam te erexerit, ut judices populos in æquitate.* Neque ſui oblitus eſt Leontius, qui hac ſuâ gratulatione Hilari ſibi conciliari favorem voluit, ut novis honoribus, quam tenebat Sedes fulgeret: *Cæterùm cùm Eccleſia noſtra Arelatenſis ſemper ab Apoſtolica Sede amplis favoribus, & privilegiis fuerit decorata, rogamus Sanctitatem tuam, ut per eam nihil nobis decedat, ſed potius augeatur, ut & collaborare tecum in vinea Domini Sabbaot valeamus, & invidorum conatus infringere. . . . Data Severo Conſule.* Reſpondet Epiſtolæ Hilarus: *Dilectioni meæ, quæ circa Eccleſias Gallicanas, omneſque in eis Domini Sacerdotes, etiam in inferiori gradu poſitos abundat, multum accedit augmenti, quòd per virum ſpectabilem Pappolum, filium noſtrum ſermonis tui ad me ſunt delata principia. Ex quo tamen conjicio, paginam meam, quam dudum de Epiſcopatus primordiis miſi, needum tibi traditam fuiſſe cùm ſcriberes, de qua utique non ſiluiſſes, niſi perlatorem aliqua cauſa tardaſſet. Unde quod & conſuetudo poſcebat, & caritas, jam pridem me executum fuiſſe ſignifico.* Spondet verò ſe illaboraturum, ut & Canones ſerventur, & Sacerdotes omnes concordiâ conjuncti, quæ ſunt Chriſti; ea obtinere ſtudeant.

Lab. Conc. t. 4. 1039.

Lab. Conc. t. 4. 1838.

Lab. Conc. t. 4. 1040.

Leontius quis? Num Æonio deceſſerit? Arelatenſis eſt, cui Fauſtus libros ſuos inſcripſit.

V. Ex Hilari, Leontiique Epiſtolis intelligimus, Ravennium Arelatenſem, qui anno CCCCXLII. Pontificatum inierat, ſatisfeciſſe naturæ. Defuncto proximè ſucceſſerat Leontius ſub annum CCCCLX. Hinc eripi Baronius errori debet, qui Leontium debito ſibi ordine pepulit: *Nec ſtatim*, inquit, *poſt Hilarum ſedit Cæſarius, ſed Ravennius, & poſt Ravennium Æonius, & poſt eum Leontius, cui tandem eſt ſubrogatus Cæſarius.* Atqui Leontium Æonio deceſſiſſe, non Æonium Leontio, pro certo habendum. Teſtis Ruricii ad ipſum Æonium Epiſtola: *Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono, Æonio Epiſcopo Ruricius. Agnito tranſitu ſancto & venerabilis apud me recordationis Domini mei deceſſoris veſtri Leontii, animo & mente confuſus, diu multumque triſtatus ſum.* Et ſub finem Epiſtolæ: *Peculiari prece depoſco, eo mecum agere tanto habeatis affectu, ut Dominum Leontium præmiſiſſe, & commutaſſe potius, quàm perdidiſſe* cogno-

Error Baronii.

Bar. An. 441. n. 13.

Rur. Ep. l. 1. 15. B. M. P. t. 8. 563.

cognoverim. Ex falſa ſua de initiis Leontii Chronologia Baronius in alium errorem delapſus eſt. Quippe Leontium Forojulienſem in Leontio Arelatenſi quærit: *Leontius Epiſcopus Forojulienſis, ad quem etiam Fauſtus libros illos ſuos inſcripſit.* Atqui Leontius ille non *Forojulienſis* eſt, cui geminas labente hoc anno Hilarus literas miſit. Stupendus ille error ut coarguatur, in obſervatione ponendum, Leontium Forojulienſem illum eſſe, cui Caſſianus decem priores Collationum libros nuncupavit: *Has interim decem Collationes ſummorum Patrum, id eſt, Anachoretarum, qui in Eremo Scythia morabantur, quas ille incomparabili flagrans ſtudio ſanctitatis ſimili ſibi juſſerat ſermone conſcribi, non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas cervices pondere prægravaret, vobis potiſſimum, ô beatiſſime Papa Leonti, & ſancte frater Helladi, credidi conſecrandas.* Præterea Leontius Forojulienſis anno CCCCXLV. à Leone Metropolitani poteſtate fuerat indutus, quia magnâ ſenectute provectus: *Coëpiſcopum noſtrum Leontium Sacerdotem hâc, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus conſenſum alterius Provinciæ non indicatur à veſtra Sanctitate Concilium, & à vobis, quemadmodum vetuſtas ejus & probitas exigit, honoretur.* Hinc colligitur, Leontium illum, ad quem Fauſtus profeſſionem ſuæ fidei direxit, à Leontio Forojulienſi alterum eſſe: Arelatenſem ſcilicet, qui tum temporis florebat. Eſt quidem incredibile, Forojulienſem ad annum uſque CCCCLXXVI. vitam extendiſſe, quo ea Fauſti profeſſio edita eſt, quæ Concilii & Arelatenſis, & Lugdunenſis mentionem egit. Verba hæc igitur Fauſti, *Domino beatiſſimo ac amantiſſimo Leontio Papæ Fauſtus*, non Forojulienſi, qui anno circiter CCCCX. Epiſcopus creatus eſt, ſed Arelatenſi diriguntur. Quod Baronii ſolertiam effugiſſe mirum, qui Hilari Papæ ad Leontium Arelatenſem Epiſtolas ſuos in Annales retulit.

Bar. An. 490. n. 30.

Præf. in Collat.

Leo Ep. 89. Caſſian.

De Hermete Narbonenſi Decretum Synodi Romanæ, Epiſtolæque Hilari.

VI. Cui literis Hilarus ſuis amanter blanditus erat, Leontium ipſum nonnihil perſtringit, Epiſtolâ datâ tertio Nonas Novembris. Cenſuræ præbuit occaſionem *Hermetis* temeritas. Quæ qualis, quantaque fuerit, exponit Hilarus: *Et rumore cognovimus, & quantum diligenter à Diacono Joanne, qui à magnifica viro, filio noſtro Fretherico literis ſuis nobis inſinuatum eſt, requiſivimus, quòd iniquiſſimâ uſurpatione quidam Hermes Epiſcopatum civitatis Narbonenſis execrabili temeritate præſumpſerit. Quam rem decuerat Sanctitatem tuam, ut nobis in veſtigio indicares. Qua de re, frater cariſſime, monemus, ut ſi fides adhibeatur aſſertis, ſepoſitâ excuſatione, ad nos tam tuæ dilectionis, quàm fratrum noſtrorum, aut per portitorem literarum, aut per quem ipſi elegeritis, ſubſcriptam manuum veſtrarum relationem tranſmittatis, ut quod definire poſſimus, recurrente paginâ poſitis agnoſcere.* Diſtracta ea controverſia fuit in numeroſa Synodo Romana, Novembris circiter decimo ſexto celebrata. A partibus legatio utrinque directa fuerat. Contendebat *Hermes*, ſe à Narbonenſi Eccleſia jure ſuſcipi, quia indignè à Biterrenſibus, quibus ordinatus eſt, dicebat excludi. Non tamen probatos ſatis mores induerat, aut ad Canones ſuum in Narbonenſem Eccleſiam ingreſſum direxerat. Quantum Hilari ex Epiſtola conjecturam facere conceditur, Hermetis æmulus Biterrenſem Epiſcopatum invaſerat. Quo temerario uti exemplo, Hermes licitum ſibi putaverat, ut in Narbonenſem Cathedram involaret. Hilari quidem verba id prorſus innuunt: *Hermes erubeſcat ſibi anni, quòd in altera laudabiliter improbavit.* De ſua Synodo Hilarum ipſum loquentem audiamus: *Præſidente fratrum numeroſo Concilio, & ex diverſis Provinciis ad diem Natalis noſtri in honorem B. Petri Apoſtoli, per Dei gratiam congregato, Præſidentibus fratribus, & Coëpiſcopis Fauſto, & Auxanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem reſpiciunt, auctoritatemque judicii, id a nobis pacis amore eſt conſtitutum, ut in ſententia, quam ſub adverſione utriuſque legationis inde directa, Chriſto Domino noſtro inſpirante protulimus, neque charitas Evangelica indulgentiæ, neque Apoſtolica virga defuerit diſciplinæ. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.* Clementiæ id fuit, quòd Hermes Narbonenſibus ſacris præfici permitteretur; ſeveritatis, quòd conſecrandorum Antiſtitum facultatis expers pronuntiaretur. Sententiam ipſemet Hilarus dicat: *Et qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum ob hæc, quæ prave facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem. Quam ita ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Conſtantium, Ucetiæ Eccleſiæ Antiſtitem, qui ævo honoris Primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus, ut ſi ſuperſtite Epiſcopo defunctus fuerit, illum hæc cura reſpiciat, quem repererit Epiſcopalis ordinatio Primatem. Hermete autem Epiſcopo deficiente, faciendorum mox Antiſtitum Narbonenſi mox reddatur Eccleſia, quam non civitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit.* Ut diſciplinæ perturbationes vitarentur, jubet Epiſtola, per annos ſingulos Concilium cogi, *ita ut oportunis locis atque temporibus ſecundum diſpoſitionem fratris & Coëpiſcopi noſtri Leontii, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur.* In dirimendis verò gravioribus cauſis, quæ in Provinciis terminari non poterunt, Apoſtolicæ Sedis ſententia conſulatur. Inſuper de parochiis Eccleſiæ Arelatenſis, quas repetebat Leontius, Provinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, Alpium Penninarum Epiſcopis judicium remittit. Denique ſtatuit, ne prædia Eccleſiaſtica alienentur, niſi apud Concilium alienationis cauſa prius doceatur: *Data III. Nonas Decembris glorioſo Principe Severo Conſule.*

Hilar. Ep. 7.

VII. Fauſti commemoratio, qui Synodo huic Romanæ interfuit, ſubmonet, res ejus ad diſquiſitionem vocare. Repellatur primùm Baronii ſententia, qui Fauſti ordinationem confert in annum Dom. CCCCLXXII. *Ad Fauſtum*, inquit, *nuper creatum Regienſem Epiſcopum ſcribens Sidonius, ipſum valde laudavit.* Indignam ſanè tanto Chronologiam, qui Hilari Epiſtolam & manibus trivit, & oculis perluſtravit ſuis, in qua Fauſti Epiſcopi mentio eſt. Cavius tamen errantem Baronium ſecutus, Fauſtum Abbatis munere functum eſſe ad annum uſque CCCCLXXII. in ſua hiſtoria literaria tradit. Gallum fuiſſe Fauſtum, ex Facundi contra Mocianum Scholaſticum tractatu cuipiam videri poteſt: *Aliquando etiam Fauſtus Gallus in quæſtione liberi Arbitrii, malè intellectis, & incongruè adhibitis, ipſius B. Auguſtini ſententiis fallebat.* Verba tamen Facundi de patria *habitationis*, non *originis* ſunt explicanda, cùm ex Sidonio Apollinari, cui Fauſtus & amiciſſimus fuit, & notiſſimus, Britannum fuiſſe ſciamus:

Fauſtus Reienſis. Quis? Patria: quando Præſul ordinatus? Semi-Pelagianus fuit.

Bar. An. 472. n. 15.

B. M. P. ſ. 10. 109.

ANNO DOM. 462.

ſciamus: *Legi volumina tua, quæ Riochatus Antiſtes ac Monachus, atque iſtius mundi bis peregrinus, Britannis tuis pro te reportat.* Vocem tuis de patria accipiendam eſſe, apertè quidem demonſtrant verba Epiſtolæ hujus: *Sidon Ep. l. 9. 9.* *Seculo prædicatas tuæ, deſiderandas aliena, utráque laudabilis actione decedas, te relicturus externis, tua proximis.* Galliæ ergo, quæ defuncti corpus poſſeſſura erat, *Fauſtus* externus erat. Suæ quoque relegationis Fauſtus ipſe meminit in ſua ad Felicem Epiſtola: *B. M. P. t. 8. 551.* *In hac relegatione noſtra artifex Dei noſtri miſericordia gemina exercet officia.* Et in alia Epiſtola ad Ruricium: *B. M. P. t. 8. 556.* *Gratias ad vos dum vobis de patria ſcribimus, qui nobis patriam in peregrinatione feciſtis, qui indeſeſſâ liberalitate patriæ deſideria temperaſtis.* Quibus de gemina Fauſti patria monemur; originis ſcilicet, atque habitationis. Quam & diſtinctionem Alcimus adhibet Avitus in ſua ad Gundobaudum Regem Epiſtola, quæ numero quarta eſt: *B. M. P. t. 9. 568.* Fauſtum, *quem etiam gloria veſtra noverat, ortu Britannum, habitaculo Regienſem.* Philoſophiæ primùm, deinde foro animum Fauſtus appellit, ut Sidonius indicat: *Sidon. Ep. l. 9. 9.* Philoſophia *ab annis veſtra jam dudum pediſſequa primoribus: hæc tuo lateri comes inſeparabilis, ſive Palæſtris exerceveris urbanis, ſive in abſtruſis maceraere ſolitudinibus.* Maximo ſucceſſor datus, Lirinenſi Monaſterio Præfectus impoſitus eſt anno CCCCXXXIII. Quâ provinciâ ita functus, ut admirationi omnibus eſſet, atque pietatis exemplo. Huic tamen homini provido, ſagaci, rerum caducarum contemptori, cœleſtium amatori, quæ omnibus inſita eſt, vis ambitionis perſuaſit, ut cum Theodoro Forojulienſi Epiſcopo litigaret, cui ſubditus eſſe debuit. In ea controverſia non extra omnem culpam ſeſe poſuit Fauſtus. Itaque Arelatenſes, qui componendæ liti unà convenerant anno CCCCLV. Theodorum rogant, ut Fauſto culpæ veniam indulgeat. Anno labente CCCCLXII. ad Reienſem Epiſcopatum è Lirinenſi Præfectura evehitur: ut rarâ quidem ſorte bis Maximo ſuccederet, in Monaſterii ſcilicet, & in Eccleſiæ regimine, quod non injucundè cecinit Sidonius Apollinaris:

Quæ gratia patrum
Manſit Honoratum: fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus, Monachoſque, Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis.

Quod carmen Euchariſticum labente anno conditum videtur, cùm Epiſcopatum Fauſtus ingreſſus eſt. Hinc vota Sidonii:

Vens nunc, Spiritus, oro,
Pontificem dicture tuum.

Elegantibus verò verſibus Sidonianum carmen clauditur:

Sidon. carm. 16.

Quidquid agis, quæcunque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

Quæ ad nomina tam propria, quàm adjectiva lepida alluſio eſt. Vix in Epiſcopali Cathedra Fauſtus collocatus erat, cùm Gallorum nomine ad Synodum, quæ in urbe honorandis Hilari natalibus celebranda fuit, cum *Auxanio* miſſus eſt. Dignus & inventus eſt, qui in graviſſima Leontii cum Mamerto lite anno proximè ſecuturo arbiter decerneretur. Durum illud, ſimplexque vitæ genus, quod in Monaſterio tenuerat, Epiſcopalis non mutavit infula, ut Aſcetam & exhiberet in Præſule: qua de re multis à Sidonio ſuo laudibus eſt celebratus: *Sidon. l. 9. Ep. 3.* *Animam malè ſibi conſciam, & per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiſcentem, frequentiſſimis tuis illis, & valentiſſimis orationum munerare ſuffragiis, precum peritus inſulanarum, quas de Palæſtra congregationis eremitidis, & de Senatu Lirinenſium cellulanorum in urbem quoque, cujus Eccleſiæ ſacra ſuperinſpicis, tranſtuliſti, nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem. Quippe cùm nova dignitatis obtentu rigorem veteris diſciplinæ non relaxaveris.* Ut virtutibus ſuis admirationem ſpectatoribus movebat, ſic dulcedine concionum aures menteſque oblectabat. Teſtis ille ipſe Sidonius, qui ſæpius è ſuggeſtu dicentem audivit: *Sidon. l 9. Ep. 8.* *Licet prædicationes tuas nunc repentinas, nunc ratio cùm popoſciſſet, elucubratas, raucus plauſor audierim, tunc præcipuè cùm in Lugdunenſis Eccleſiæ dedicata feſtis hebdomalibus Collegarum ſacroſanctorum rogatu exoraveris, ut perorares.* Neque concionibus, quibus ſæpè vim incutit vox Oratoris canora, grataque ſpecies, ſed ſcriptis quoque ſuis Fauſtus alliciebat animos. Hinc ſcriptum Sidonio e Fauſtus, *qui non ſeneſcit, quique viventibus non defuturus, poſt ſepulturam ſiet per ipſa, quæ ſcripſit, ſibi ſuperſtes.* Librum Britannis Fauſti popularibus ferebat *Riochatus.* Hoc ubi cognovit Sidonius, pernicibus equis abeuntem inſecutus, ſarcinas ſolvit, quæſitum volumen invenit, producit, lectitat, excerpit, *magna ex magnis capita defruſtans.* Quis liber ille fuerit, non eſt in medio. Baronius non dubitat, quin tractatus *de Gratia Dei, & humana Mentis libero Arbitrio* ſit intelligendus: *Bar. An. 490. n. 15.* *Nemo jure,* inquit, *inficias ire poſſit, alium aliquem à Sidonio Fauſti exprimi Commentarium, quàm qui duobus libris partitus de Gratia Dei, & humana Mentis Arbitrio inſcriptus habetur.* Sententia tamen noſtra ab illa Baronii diffidet, & jure inficiamur, *Error Baronii.* Sidonium de iis libris eſſe ccipiendum: *Sidon. Ep. l. 9. 9.* *Legimus Opus operoſiſſimum, multiplex, acre, ſublime, digeſtum titulis, exemplisque congeſtum, bipartitum ſub dialogi ſchemate, ſub cauſarum themate quadripartitum.* Dialogi verò nil eſt in tractatu *de Gratia Dei, & humana Mentis libero Arbitrio*: neque etiam cauſarum themate *quadripartitus* eſt, ſed potius bipartitus. Quanti à Gallis fieret Fauſtus, indicio ſunt Ruricii ad ipſum Epiſtolæ. In prima legitur: *B. M. P. t. 8. 559.* *Adhæſit, Doctor eximie, anima mea poſt te.* Poſterioris verò verba ſunt: *Habes, Pater optime, Paſtor egregie, meam culpa mea ſpontaneam confeſſionem.* Porrò etſi magnam in gloriam aſſurgat Fauſti fama, illam nonnihil deflorat propenſus Semi-Pelagianorum in opiniones ipſius animus. Sectæ huic acerrimum ſe defenſorem, & quaſi caput præbuit, librumque ſuum de Gratia Dei, & humanæ Mentis libero Arbitrio edidit, ut tam Auguſtinum quàm Pelagium refelleret. Auguſtinus quidem his Fauſti verbis vapulat: *Fauſt. de lib. Arbit. l. 1. c. 4.* *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut aſſerant, deputatus eſt, ſicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi naſcimur, ſed judicati.* Verùm de ea quæſtione fuſius in ſequentibus. Satis erit nunc, Adoniani Chronici verba referre: *Fauſtus ex Abbate Lirinenſis Monaſterii apud Rhegium Galliæ Epiſcopus factus, Pelagianum dogma deſtruere conatus in errorem labitur, unde qui ejus ſenſus in hac parte prædicant, ſicut Gennadius de illuſtribus Viris ſcribens; omninò errant. Ita enim liberum Arbitrium tam Auguſtinus, quàm cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & ſalus illi à Chriſto per Chriſtum, & cum Chriſto: Fauſtus verò iſte ita liberum Chriſtianum Arbitrium docere conatur,*

ANNO DOM. 462.

Anno Dom. 462.

natur, ut illuminatio ejus virtus, & ſalus non à Chriſto, ſed natura ſit.

Studius Joannis Baptiſtæ Templum extruit: alia ipſius opera.

VIII. A rebus Occidentis ad illas Orientis pergamus. Labente hoc anno extructum eſt Conſtantinopoli Divi Joannis Templum, ſi Theophani ſides: *Hoc anno præcurſoris Templum Studius extruxit, & traductos ex Acoemetarum Monaſterio Monachos in eo poſuit.* Ædificii hujus extructionem non ſatis accuratè in annum CCCCLIX. Baronio referri placuit. Nobilis ædificii meminit Theodorus Lector: *Gennadii temporibus Studius Eccleſiam ſancti Joannis extruxit, & Monachos ex Acoemitenſibus in ea collocavit. Gratiſſimus verò Præpoſitus ſacri Cubiculi extruxit Eccleſiam ſancti Cyriaci, in qua etiam Monachi veſtem aſſumpſit, ſimulque Præpoſiti munus implere non deſtitit.* Ædificatorem Studium illum ipſum eſſe, qui anno 454. Conſul cum Ætio proceſſerat, eſt vero ſimile. Neque hoc uno ædificio nomen ejus inclaruit. Alterum jam prius extruxerat, quàm faſces erigeret. Id nos Suidas docuit, qui non apto ſatis titulo *Dynaſtam* Studium vocat: *Studius Dynaſta ædem Archiſtrategi, ſive ſummi Prætoris Nacoliæ condidit, in qua ſunt & verſus heroici:*

Theodor. Lect. l. 1.

Studius illuſtrem ædem condidit, celeriter verò
Suorum laborum præmium invenit, adeptus Conſularem Faſcem.

Conſummatâ perfectâque *Archiſtrategi* Æde, ad extruendum Præcurſoris Templum ſe convertit: *Studius Dynaſta, qui celeberrimum illud Monaſterium condidit. Studitarum Monaſterium olim fuit Eccleſia Catholica, poſteà verò mutatum eſt in Monaſterium.* Acoemetarum Monaſterium Marcellus conſtruxerat, quod prius incolebant, quàm ſancti Joannis in Templo collocarentur. Cur verò *Acœmetæ*, ſive *inſomnes* dicerentur, cauſas Nicephorus aperit. Quia in eo Monaſterio *perpetuis carminibus nunquam non hymni Deo canerentur, ... ſodalitate Monachorum eam ob rem in tres cœtus diviſâ.* Itaque pars cantando vigilabat, parte aliâ quieſcente, ut hymnis Templum perpetuò reſonaret.

Suid. t. 2. 808.

Niceph. l. 15. c. 23.

Templum Anaſtaſiæ, num à Marciano Presbytero conditum?

IX. Hunc in annum celeberrimæ Eccleſiæ, cui *Anaſtaſia* nomen, dedicationem contulit Pagius, quam anno CCCCLIX. Baronius alligarat. Admiſſo quidem Marcianum, qui ex Novatiano Catholicus, Eccleſiæ Oeconomus à Gennadio Conſtantinopolitano creatus fuerat. Anaſtaſiæ Templum excitaſſe, à vero prorſus abhorret Baronii Chronologia. Anno quippe CCCCLVIII. cùm Gennadio deceſſerit Anatolius, incredibile eſt, Marcianum nuper ex Novatiano Catholicum tam citò Templum magnificum extruxiſſe, ut anno inſequente conſecraretur. Cæterùm quæ de Anaſtaſia Acta Sanctorum memorant, ea falſi ſcrupulos benè multos injiciunt; quos Lectoribus exponemus. Ferunt, Anaſtaſiæ Templum in Martyris hujus nominis honorem eſſe conditum. Duæ verò Anaſtaſiæ in Martyrologiis celebrantur. Prior Romæ mortem obiiſſe dicitur, imperante Valeriano, ejuſque memoria Octobris XXVIII. celebratur. Poſterior furente Diocletiano morti miſſa eſt, ejuſque natale Decembris XXV. recolitur. Geminæ illæ Anaſtaſiæ Nicephorum non latuere. Meminit Anaſtaſiæ, *quæ Romæ membris eſt mutilata; alteriuſque ei cognominis, quam poſt ſupplicia alia tolerata ignis tandem conſumpſit.* Prior illa Anaſtaſia, apud Conſtantinopolitanos multum celebritatis habuit. Hujus verò reliquias ſedente Gennadio, regiæ urbi illatas eſſe prædicant: *Gennadio Eccleſiam Conſtantinopolitanam curante, reliquiæ etiam ſanctæ Anaſtaſiæ incantatricis ex Sirmio allatæ, in martyrio ejus ſunt repoſitæ.* Annus erat mundi ſecundum Alexandrinos 5950. qui Calendis Septembris anni Dionyſiani CCCCLVII. incipit, cùm ſi Theophano ſides, ſanctæ Anaſtaſiæ corpus delatum in ejus Templo deponitur. Quæ verò in Encæniis Templi hujus à Marciano, ut ajunt, poſiti contigere, multa mirantium oculis prodigia obtrudunt. Confluentibus ad Encænia Principibus, Senatu, civitate, pauper fame laborans ad Marcianum accedit remedium quærens. Cùm vir ſanctus nil haberet, quod erogaret, in abdita loca receſſit. Unicamque, quâ tegebatur, tunicam exuens, dat eam egeno: reſtitit igitur in veſte duntaxat Sacerdotali, atque penula. Sacrificium juſſus dum celebrat, mira ſpecies offertur oculis. Marcianum vident *indutum eximiâ quâdam veſte regiâ, & auro nitenti intertexta.* Ad Gennadium accedunt invidi gloriæ Marciani, quæ eum ſcire maximè volebant, ei nunciant: deinde ſacrificanti & veſtem detrahere conantur. Finito ſacrificio, Marcianum Gennadius reprehendit, quòd veſtibus uteretur, quæ Imperatores potius, quàm Sacerdotes decerent. Negabat factum Marcianus, dicens deceptos fuiſſe oculos. Poſtquam veſtem relaxavit Patriarcha, aurea, quæ antè videbatur tunica, nuſquam erat; nudus apparet Marcianus, exceptis ſacerdotalibus indumentis.

Niceph. l. 14. c. 10.

Gennadio ſedente Anaſtaſia nec condita, nec conſecrata fuit.

X. Baronii Monachorumque animis prodigiorum horum credulitas irrepat, ab ea quàm longiſſimè nos abeſſe profitemur. Neque vel relegatis fabulis placet, quòd & imperante Leone à Marciano Presbytero Templum Anaſtaſiæ conditum & dedicatum fuerit, aut Anaſtaſiæ Martyris in honorem poſitum. Fabulam telis ſuis configit Sozomenus, licet pleno ore affanias non ſorbeat ſolùm, ſed etiam concoquat. De Anaſtaſiæ Templo hæc ſcripto prodidit: *Præ cæteris Regiæ urbis Eccleſiis illuſtris hæc fuit eſt: & nunc quoque non ſolùm ob ſtructuræ elegantiam, atque amplitudinem, verùm etiam ob aſſiduas, quæ ex divini Numinis præſentia illic percipiuntur utilitates. Etenim divina vis tam vigilantibus, quàm in ſomnis manifeſtam ibi ſe exhibens, multis ſæpenumerò, qui vel morbo, vel diverſis caſibus premebantur, ſuppetias tulit.* Quo tempore hæc chartis mandabat Sozomenus, Anaſtaſia jam quidem conſecrata, jam in gloria erat, imò & diu ſatis fuerat, ut abundè ea verba teſtantur: *Eccleſia illuſtris hæc fuit, & nunc quoque eſt.* Quòd ſi, uti volunt, Gennadio ſedente Anaſtaſia extructa eſt, vel dedicata, annus ſaltem Domini labebatur CCCCLVIII. quia eo tempore Gennadius Pontificatum adiit. Concedamus ergo, Decembri ejus anni Anaſtaſiam conſecratam eſſe, ab eo quidem tempore decennium, ut minimum labi debuiſſet, ut ſcriberet Sozomenus *præ cæteris regiæ urbis Eccleſiis illuſtris hæc fuit, & nunc quoque eſt.* Hæc quippe antiquitatis aliquid huic vindicant Eccleſiæ. Quo conceſſo, ut neceſſariò concedi debet, conficitur, ſeptimum Sozomeni librum anno 468. ſcriptum fuiſſe. Quod eſt ſanè abſurdiſſimum, cùm ſuam Theodoſio Juniori Hiſtoriam nuncupaverit, Theodoſius verò anno CCCCL. perierit. Neque Pagii opinionem nobis admittere licet: *Templum illud quando Sozomenus Hiſtoriam ſuam publica-*

Soz. l. 7. c. 5.

ANNO DOM. 462.

blicavit, ædificatum quidem fuit, at nondum dedicatum. Exiſtimat autem, Sozomenum Hiſtoriam in lucem dediſſe circa annum CCCCXLIX. Miracula ſanè, quæ in Anaſtaſia Sozomenus patrata memorat, ſplendorque ille, quo cæteras regiæ urbis obſcurabat Eccleſias, certiſſima ſunt factæ jam dedicationis indicia. In Eccleſia nondum conſecrata *Sacra Virgo Maria*, quam exhibuiſſe credebatur, præſentiam ſæpenumerò ſuam non attuliſſet. Ante dedicationem locus communis erat, in quo pietatis ſacra confici non poterant: ante dedicationem igitur eam obtinere celebritatem non potuit Anaſtaſia, quâ cæteras Eccleſias eminebat. Novum in vulgatam traditionem argumentum nobis Sozomenus ſuppeditat. Etenim ſi in honorem Martyris Anaſtaſiæ Templum à Marciano fuit extructum, ab ea quidem nomen ſuum ducere debuit. Dicta eſt Anaſtaſia, quia & memoriæ Divæ hujus dicabatur, & reliquias ipſius continebat. Atqui Sozomenus, cui probè nota erat Eccleſia hæc, quam ſortiebatur appellationem, non quærit in Martyre Anaſtaſia. Aliam prorſus nominis rationem affert: *Hanc*, inquit, *Eccleſiam Anaſtaſiam nominant, ob id, meâ quidem ſententiâ, quòd Nicænæ Synodi doctrina per potentiam Hæreticorum oppreſſa, jam, utque ita dicam, intermortua, Gregorii concionibus in eo loco ſuſcitata revixerit. Sive ut ex aliis audivi, qui ſe verum dicere aſſeverabant, eò quòd dum populus Collectas ibi celebraret, mulier quædam prægnans ex ſuperiori porticu delapſa, illicò expiravit. Factâ autem ab omnibus oratione ſuper ejus funere, confeſtim revixit, & unà cum fœtu ſervata eſt.* Non igitur Anaſtaſia vocabatur, quòd à Marciano Anaſtaſiæ Martyris in honorem condita ſit, quod Sozomenum Anaſtaſiæ coætaneum latere non potuiſſet. His accedat, quòd pugnantia connectunt traditionis hujus Scriptores: ſcilicet Leone imperante, Gennadioque Conſtantinopoli ſedente Anaſtaſiam conſecratam fuiſſe, & Martyris tamen reliquias anno CCCCV. huic Templo illatas eſſe. Quin vel conſecrata jam foret, vel ſanè conſecraretur Anaſtaſia, dum corpus Martyris Anaſtaſiæ in ea Eccleſia ponitur, in dubium revocari nequit. Jam verò labentibus annis CCCCLV. & CCCCLVI. Marcianus imperabat, Anatoliuſque ſedebat. Nullus adhùc Leo Auguſtus, nullus Gennadius Pontifex: ut traditio de Marciano Presbytero Anaſtaſiæ Martyris in honorem Eccleſiam Anaſtaſiam excitante undique diffluat. Ut noſtra fert conjectura, vox *Anaſtaſia* commento occaſionem præbuit. In morem perducebatur, ut Martyrum nomina Eccleſiis imponerentur. Cùm itaque Martyr Anaſtaſia famæ multum ſibi collegiſſet, fabulatoribus creditum, ob illuſtri ea fœmina Eccleſiam Anaſtaſiam ſuum nomen accepiſſe. Ornando figmento ſanctum Marcianum exhibuerunt, & Templum Divæ Anaſtaſiæ ponentem, & die conſecrationis aureâ tunicâ, cùm nudus eſſet, ſpectatorum oculis illudentem. Porrò non à Martyre Anaſtaſia Templum appellationem habuit. Dictum eſt *Anaſtaſia*, quòd quæ Arianorum furore cooperta vulneribus pietas penè extincta jacebat in eo loco, curâ & diligentiâ Gregorii Nazianzeni è ſepulchro fuiſſet ad vitam revocata.

Soz. l. 7. c. 5.

ANNO U. C. 1216. PER. JUL. 5176. JUL. 508. DOM. 463. LEONIS 6. & 7. SEVERI 2. & 3. *Sol.* 24. F. *Lun.* 8. *Indict.* 10. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 2. P. 21. *Mart.*

ANNO DOM. 463.

COSS. *Vivianus, & Baſilius.*

I. TUrbavit Faſtos minus accurata Marcellini Chronologia, quæ Vivianum, & Felicem Conſules profert. Marcellini *veſtigia* ſecutus erat Pagius in ſua diſſertatione Hypathica. Ab ea tamen ſententia meritò ſe revocavit in Præfatione ad Diſſertationem. Faſti quidem omnes adverſantur Marcellino. *Vivianum & Baſilium* exhibent Caſſiodorus, Autor Chronici Alex. Cuſpiniani Anonymus, & quod majus eſt, Baſilii Conſulatu Epiſtolas Hilarus Papa ſuas conſignat. Quam labente anno ad Leontium direxit, ea data eſt VI. *Idus Octobris, Baſilio viro clariſſimo Conſule.* Quam verò anno proximè futuro miſit, illa notam exhibet ejuſmodi: *Data ſexto Kal. Martias poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi.* Baſilius quidem haud omitti debuit. Vir erat virtutibus ſuis ſpectatiſſimus, cui præconia Sidonius multa contribuit: *Servatâ pace reliquorum, duo faſtigatiſſimi Conſulares, Gennadius, Avienus, & Cæcina Baſilius præ cæteris conſpiciebantur. Hi in ampliſſimo ordine, ſepoſitâ prærogativâ, partis armatæ facilè poſt purpuratum Principem Principes erant.* Ad munus ampliſſimum *Baſilius virtute pervenerat.*

Quis Viviano Collega? Felixne an Baſilius? Baſilius quis?

Hilar. Ep. 9.

Hilar. Ep. 11.

Sidon. Ep. l. 1. 9.

II. Urbi Regiæ diriſſima fames mœſtitiam attulit. Tanta fuit tritici penuria, ut panis unus trecentis denariis Romanis, hoc eſt, præter propter Gallicis libris ſexaginta conſtiterit: Coſſ. *Bibiano & Baſilio defecit in urbe res frumentaria, adeò ut unicus panis tribus follibus venderetur.*

Fames dira Conſtantinopoli.

Chr. Alex.

III. Ad res Eccleſiæ convertamus animum. Concilio, quod apud urbem Arelatenſem celebratur, occaſionem præbuit *Mamertus*, Viennenſis Epiſcopus, qui duce virtute ſuâ maximam in Gallia famam erat conſecutus. Dienſibus invita Mamertus Epiſcopum præfecerat, quæ res Hilarum ad indignationem adduxit. Leontio igitur Arelatenſi ſexto Idus Octobr. Epiſtolam ſcripſit, cujus aculeis Mamertus pungebatur, quaſi ſacerdotalem modeſtiam exceſſiſſet: *Quantum filii noſtri, viri illuſtris Magiſtri Militum Gundici ſermone eſt indicatum, prædictus Epiſcopus invitis Dienſibus, & qui ad Eccleſiarum ejus numerum, quem ei Apoſtolicæ Sedis deputavit autoritas, ſicut in ſcriniis noſtris legimus, minimè pertinebant, hoſtili more, ut dicitur, occupans civitatem, Epiſcopum conſecrare præſumpſit.* Eſt quidem in confeſſo, Dieam non urbibus includi, quas Epiſcopo Viennenſi Leo Pontifex anno CCCCL. aſſignarat. Quatuor duntaxat fuere numero, Valentia, Tharentaſia, Geneva & Gratianopolis. Itaque commotus Hilarus hæc præcipit Leontio: *In Conventu Synodali, qui ſecundùm ſtatuta noſtra, annis ſingulis te ſibi præſidente eſt congregandus, diſcutere quæ ſunt acta debebis, & à prædicto rationem facti ſui, ſub univerſo Cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium literis noſtræ intimare notitiæ, ut quod Sancto Spiritu dictante eſt faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus.* Acceptis Pontificis literis, Leontius Synodum cogit Epiſcoporum viginti, quorum hæc ſunt nomina: Victurus, Ingenuus, Idacius, Euſtaſius,

De ordinatione Deenſis Epiſcopi Synodus Arelatenſis.

Hilar. Ep. 9.

Leo Epiſt. 109.

Hilar. Ep. 9.

ANNO DOM. 463.

ſtaſius, Fonteius, Viventius, Euſebius, Veranus, Fauſtus, Anzanius, Proculus, Auſonius, Paulus, Memorialis, Cœleſtius, Projectus, Eutropius, Avitianus, Urſus, & Leontius. Ut hinc liqueat, non ex Arelatenſi Viennenſique Provinciis duntaxat, in quibus tot Epiſcopi non reperiebantur, ſed ex Lugdunenſi quoque, & Narbonenſi prima & ſecunda, & Alpibus Penninis, Synodum conſtitiſſe. Cujus hic ille exitus fuit, ut conſecrati à Mamerto, Deenſis Epiſcopi confirmatio Arelatenſi Præſuli relinqueretur: *Illius autem confirmationem, quam Viennenſis Epiſcopus alienam, & ad ſe minime pertinentem, graviter ordinare præſumpſit, fratris & Coepiſcopi noſtri relinquimus voluntati, quem confidimus, non præter humanitatem penſare quæ juſta ſunt.* Per *Antonium* Epiſcopum ſcripta hæc Synodo direxit Hilarus, cui præcipit, ut annuæ congregationes admonitis Metropolitanis ordinante Leontio celebrentur. Ut quæ Mamerti ad rem pertinent, unâ ſerie abſolvamus, Synodus ferendas Pontifici literas Antonio dedit, & clementes ſatis, ut acerbos Arelatenſes Viennenſis Epiſcopus non habuerit. Leontio quidem commotiorem in ea re ſe Hilarus præbuit, qui ſuperbiæ Mamertum inſimulavit. Poſt ubi iram omnem in illum evomuit, dum indignatio recens erat, hæc Arelatenſibus ſcribit anno 464. redeuntibus de Mamerto querelis futurum, ut Viennenſis Eccleſiæ privilegia ad Arelatenſem transferrentur, quod & ipſi per Veranum Epiſcopum ſignificatum voluit: *Neceſſe eſt autem, ſi nullum correctionis ejus indicium ſumpſerimus (quod illâ eſt profeſſione retinendum, quâ definitionem Sedis Apoſtolicæ periculo ordinis ſui ſemper conſervandam, ſine ulla deinceps transgreſſione teſtetur) ad Arelatenſem Eccleſiam eaſdem quatuor civitates, quarum non ſuit, aut non fuerit Mamertus Epiſcopus ordinatione contentus, eſſe revocandas.* De Epiſcopo verò Deenſi à Mamerto conſecrato ſic cenſet, ut Sacerdotium ejus *Leontii confirmetur arbitrio, à quo ritè debuit conſecrari. Data VI. Kal. Martias, poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi.*

Hilar. Ep. 61.

Mamertus Viennenſis. Rogationes inſtituit. Quamobrem?

IV. Non juvat abire à Mamerto donec viri, qui ob pietatem in ore erat Gallis omnibus, præcipua, quæ nobis innotuere, facta retulerimus. Conſtat, ab eo *Rogationes* inſtitutas eſſe, occaſionem præbente Numinis irâ, quæ horribilia Viennenſibus minabatur. Rogationes autem tridui jejunium eſt, ante feſtum Aſcenſionis unà cum Litaniis celebratum. Venerat Vienna everſionis in periculum, quod Sidonii verbis referri placet: *Non latet noſtram ſciſcitationem, primis temporibus harumce ſupplicationum inſtitutarum civitas tibi cœlitùs credita, per ejuſmodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Non modò ſcena mœniorum publicorum crebris terræ motibus concutiebantur: nunc ignes ſæpè flammati, caducas culminum criſtas, ſuperjecto favillarum monte tumulabant: nunc ſtupenda foro cubilia collocabat audacium pavenda manſuetudo cervorum: cùm tu inter diſceſſu Primorum, popularium que ſtatu urbis exinanito, ad nova celer veterum Ninivitarum exempla decurriſti, ne divinæ admonitioni tua quoque deſperatio convitiaretur.* De hiſce prodigiis paulò aliter Alcimus loquitur Avitus in ſua de Rogationibus Homilia: *Quis videns certè videre ſe putans, pavidos naturaliter cervos per anguſta portarum uſque ad fori lata penetrantes, non imminentem ſolitudinis ſententiam formidaret?* In dubio relinquit

Sidon. Ep. l. 7. 1.

Avitus, *domeſtica ſylveſtrium ferarum ſpecies obverſaretur, an indiſcreis oculis, an adducta portentis?* Pergit Avitus de temporc calamitatis docere: *Tracta ſunt hæc inter timores publicos, & rumores privatos uſque ad imminentem ſolemnium vigiliarum noctem, quâ celebrare feſtum Dominicæ Reſurrectionis annua conſuetudo depoſcebat.* Neque ſacra nox, quod expectabatur, remedium attulit: *Ædes namque publica flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit.* Perſtitit altaribus Mamertus, qui *fluminis lachrymarum permiſſam ignibus poteſtatem incendio aſſumente compeſcuit.* Tum conceptis animo Rogationibus elegit triduum: *quod inter Aſcenſionis ſacra cultum, diemque Dominicam eſt interjectum: Ad Baſilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat extra muros, orationem primæ proceſſionis indicat.* Hinc liquet, temeritate multa Binnio negatum, Rogationum inſtitutionem deberi Mamerto, etſi annus, quo primum conſtitutæ ſunt, in obſcuro jaceat. Labbeus invento huic annum CCCCLXXIV. aſſignavit. Diſerta ſatis Aviti verba, ſed longè diſertiora Sidonii, Rogationum inſtitutionem Mamerto vindicantis: *Quidquid illud eſt, quod vel ocio, vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocaberis. Quarum nobis ſolemnitatem primus Mamertus Pater, & Pontifex, reverendiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit. Erant quidem prius, quòd ſalvâ fidei pace ſit dictum, vagæ, tepentes, infrequenteſque, utque ſic dixerim, oſcitabunda ſupplicationes, quæ ſæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut ſerenitatem deprecaturæ: et quas, ut nihil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire. In his autem, quas ſuperfatus Sacerdos & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur.* Id ergo conſtituit Mamertus, ut ſtatis certiſque diebus ſupplicationes fierent, pſalmis jejuniiſque comitantibus, quod novum ſanè fuit eo tempore, quo celebrabantur. Erat quippe in more poſitum, inſtitutoque Majorum, ut dies, qui à Paſchate ad Pentecoſten uſque labebantur, jejuniis eximerentur. Epiphanius in Expoſitione fidei Catholicæ: *Quinquaginta diebus Pentecoſtes neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur.* Ipſi vel Monachi eo labente ſpatio jejunia prorſus ſolvebant. Hinc mota quæſtio ab Abbate Theona apud Caſſianum: *Cùm diebus Quinquageſimæ nos in noſtra cellula viſitaſſet, veſpertinâ orationum ſolemnitate tranſactâ, humi paululum conſidentes, cœpimus diligentius percontari, cur apud eos tantâ obſervantiâ caveretur, ne quis penitùs totis Quinquageſimæ diebus vel genua in oratione curvaret, vel uſque ad horam nonam jejunare præſumeret.* Nempe hoc temporis ſpatium lætitiis delibutum cum mœſtitia, cujus jejunium indicium eſt, copulari ritè non potuit. Gaudio Chriſtiani cumulabantur, qui excitati è mortuis, cum ſuo capite Chriſto exultantes ac triumphantes adventum Sancti Spiritus expectabant. Quæ ratio quidem ingruentibus calamitatibus cedere debuit, ut penè jam vibrata fulmina Dei manibus, vi jejuniorum, lachrymarumque extorquerentur. At Periodicum Rogationum inſtitui jejunium non debuit, ut orbe confecto quotannis celebraretur, quod non niſi defloratâ veteris Eccleſiæ diſciplinâ fieri potuit. Suis ſanè temporibus jejunia ſunt aptè dividenda, ne amara dolorum lætitiam diluant.

ANNO DOM. 463.

Sidon. Ep. l. 5. 14.

Epiph. Expoſ. n. 22. 1105.

Caſſian. Col. 21. c. 11.

V.

Rogationum jejunium multi imitantur.

V. Mamerti hanc inſtitutionem imitatione dignam Galliæ putaverunt, quam Avernenſes primi ſunt amplexi. Quod adverſus Gothorum incurſiones remedium adhibuere, ut Mameerto diſciplinæ hujus inventori Sidonius declaratum ivit: *Solo invectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio. Quibus inchoandis, inſtituendiſque Populus Arvernus, etſi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfuſis, nec dum dat terga terroribus.* Lapſu temporis de Galliarum Eccleſiis aliæ eam & diſciplinam toluere, ut nos Avitus monuit: *Secuta ſunt ſuccidno tempore quadam Eccleſia Galliarum, rem tam probabilis exempli: ſic tamen, quod hoc ipſum non apud omnes iiſdem diebus, quibus nos inſtitutum fuerat, celebraretur... Tamen cum dilectione Rogationum creſcente concordiâ, ad unum tempus, id eſt, ad præſentes dies univerſalis obſervantia cura conceſſit.* Addantur & verba Gregorii Turonenſis, quæ vir antiquitatis peritiſſimus Mathæus Larroquanus perperàm aſcribit Avito: *Ceſſantibus exinde terroribus per cunctas Provincias diſperſa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide, quæ uſque nunc in Christi nomine per omnes Eccleſias in compunctione cordis, & contritione ſpiritus celebratur.* Quæ libera ad annum uſque DXI. Rogationum celebratio fuerat, ex Aurelianenſium Patrum Decreto neceſſitatem contraxit: *Rogationes, id eſt, Litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari: ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominica Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur. Per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis utantur.* Quin etiam Alpes tranſgreſſa ceremonia hæc, Eccleſiæ Romanæ ritus pervaſit, nomine *Litaniæ minoris: Tres dies Rogationum, qui celebrantur ante Aſcenſionem Domini, juxta morem Gallicana Eccleſia conſtituit ſanctus Mamertus Viennenſis Epiſcopus, ob incurſionem ſcilicet malarum beſtiarum, quæ tum temporis graviſſimè affiiciebant Populum Domini. Quæ conſuetudo apud nos uſque hodie pro diverſis calamitatibus diverſè revolitur. Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa induatur, quia in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & comeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat. Sed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros, ſed omnes in commune Kyrie eleiſon decantent.* Gallicarum tamen Eccleſiarum nonnullæ Rogationum obſervandarum immunitatem ſibi dedere. Obſervat ex Dacherio clariſſimus Larroquanus, Metenſem Diœceſim Rogationum Legi aſtrictam non fuiſſe. Crodegandus hujus urbis Epiſcopus Canonicis ſuis *bis in die ſe reficere ſivit, niſi Pœnitentes, ac præter quartam, ſextamque feriam.* In Ebrodunenſium, Acquenſiumque Eccleſiis Rogationum dies non erant eſuriales: ſolis proceſſionibus, Litaniiſque nobiles. Si verum intelligimus, Periodica Rogationum diſciplina veteris Eccleſiæ ritus evertebat, atque perfringebat.

Sidon. Ep. l. 7. 1.

B. M. P. t. 9. p. 591.

Lar. Adverſ. pag. 178.

Greg. Tur. l. 2. c. 34.

Aurel. 1. c. 27.

Ord Rom. p. 89.

Mamerti Viennenſis pietas. Ferreoli & Juliani reliquias reperit. Annus ipſius ultimus.

VI. De Mamerto Rogationum inventore verbum adhùc unum addamus. Tantæ fuit pietatis, ut ad ipſius preces vires ſuas deponerent incendia. Hoc miraculi extat Sidonii ad Mamertum Epiſtolâ: *Cùm vice quâdam civitas conflagrare cœpiſſet, fides tua in illo ardore plus caluit, & tùm in conſpectu pavidæ plebis objectu ſolo corporis tui ignis recuſſus in tergum fugitivis flexibus ſinuaretur, miraculo terribili, novo, inuſitato affuit flamma cedere per reverentiam, cui ſentire defuit per naturam.* Sacras Ferreoli Julianique Martyrum exuvias à ſe repertas Mamertus tranſtulit: *Quia tibi ſoli conceſſa eſt poſt avorum memoriam, vel Confeſſorem Ambroſium, duorum Martyrum repertorem, in partibus orbis Occidui, Martyris Ferreoli ſolida tranſlatio, adjecto noſtri capite Juliani, quod iſtinc turbulento quondam perſecutori manus rotalis cruenta carnificis; non injurium eſt, quod pro compenſatione depoſcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc redit pars patroni.* Quâ verò ratione inventæ ſint Martyrum reliquiæ, ſcriptum reliquit Gregorius Turonenſis. Rhodano imminebat Baſilica Ferreoli, cujus porticus cùm rapidiſſimi amnis fluctibus tunderetur, veritus *Mamertus*, ne rueret, aliam eleganti opere Baſilicam extruit, in quam Martyris corpus transferret. Ad celebritatem Abbatum Monachorumque multitudo confluxit. Poſtquam fodêre, tria oculis ſepulchra offeruntur, quibus viſis, ſpectatores ſtupor inceſſit, dubitantes quis foret Ferreolus. Dubia eorum unus ſolvit, nunciane auditione, famâque accepiſſe ſe, *caput Juliani Confeſſoris in ſepulchro retineri Martyris.* Factâ oratione, ubi tertius tumulus apertus eſt, Mamertus *invenit in eo virum jacentem, illæſo corpore, integro veſtimento, qui deciſo capite, caput amplexus aliud, brachio retinebat. Tunc Antiſtes gaudio magno repletus, ait, hoc eſſe cadaver Ferreoli, hoc caput eſſe Juliani Martyris, dubium non habetur. Tunc cum magno pſalterio, plaudente populo, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente perducitur.* Inſcripti verſiculi locum reliquiarum poſteros docuere:

Heroas Christi geminos hæc continet aula,
Julianum capite; corpore Ferreolum.

Greg. Tur. Mir. l. 2. c. 2.

Hic eſt ille Mamertus, cui ſe durum Hilarus præbuit, quaſi illuſtrium Gallorum fata hæc eſſent, ut Pontificum Romanorum crudelibus flagris immerentes vexarentur. Leonis ab exemplo Hilarus recedere noluit, ac ut ille Hilarium Arelatenſem, ſic & hic Mamertum Viennenſem ſeveriſſimè tractavit. Injuriam patientiâ leviorem Mamertus fecit, qui pietatis ſuæ id præmii tulit, ut Cœlitibus adderetur. Quo tempore fata ſua impleverit, nobis eſt in obſcuro. Epiſcopatum prius obtinuit Sidonius, quàm Mamertus naturæ ſatisfaceret, ut liquet ex ipſius Epiſtola, non ſemel à nobis laudata, cujus titulus eſt, *Sidonius Domino Papa S.* Quam Epiſcopali manu ſcriptam eſſe, verba hæc oſtendunt: *Primùm igitur, & iis paucis noſtri ordinis viris indicis jejunia.* Annus porro CCCCLXXIII. labebatur, cùm Sidonius ad Sacerdotium evectus eſt. Mamertus ergo exceſſit poſtmodum: ejus memoria in Martyrologio Romano Maii XI. recolitur. De cenſura portò, quam Mamerto irrogavit Hilarus, animo recondenda ſunt verba Baronii: *Quis neſciat ſæpè accidere, ut falſis accuſationibus, & ſubreptionibus aures Pontificum repleantur, & cùm putant agere quod juſtum, exagitent innocentem.* Egregium verò tribunal, cujus autoritati mortales velint omnes ſubjici! Tribunal, in quo *ſæpè* calumniis innocentia obruitur.

Bar. Ann. 464. n. 8.

Claudianus Mamertus Presbyter. ejus ſcripta.

VII. A Mamerto Præſule ad *Claudianum Mamertum* venire lubet, pietate magis, quàm ſanguine illi conjunctum. Mamerti Epiſcopi frater erat, & in ipſius Eccleſia Presbyteri mu-

nere

ANNO DOM. 463.

nere fungebatur. Quo nomine à Sidonio carminibus celebratur:

Sidon. Ep. l. 4. 11.

Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans Epiſcopali,
Nam de Pontificis tenore ſummi
Ille inſignia ſumpſit, hic laborem.

Sidonio erat amiciſſimus, ut documento eſt Epiſtola ad eum ſcripta, in quo ſilenti lepidè minatur:

Sidon. Ep. l. 4. c. 2.

Si peccaris ultra reticendo, ego protinus ulciſcar ſcribendo. Sed & Sidonio de Statu Animæ libros nuncupavit ſuos, quos in Fauſtum Reienſem Epiſcopum adornavit. Libellum ſcripſerat Fauſtus adverſus & Arianos, & Macedonianos, & illos, qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum, quam ſoli Deo gloriam aſcribebat. Operi nomen ſuum Autor non addiderat. Hinc Mamertus:

Mamert. de Stat. An. l. 1. c. 2.

Percunctor de nomine, nec reſponſo, nec ſcripto proditur. Cùm offendiſſet Claudianus quoſdam, qui librum eum *ſtudioſè lectitabant*, non abnuit ille in chartulam oculos deponere. Legentem commovere verba hæc: *Deus nil ſenſit patientis ſenſu, ſed ſicut compatientis affectu.* Tres ergo libros de Statu Animæ condidit, Sidonio ſuo dicandos, quorum initium eſt: *Magnum in genere humano, Solli Sidoni, frater amantiſſime, multorum vitium eſt arrogans imperitia.* Quibus liquet, ad Epiſcopatum necdum aſcendiſſe Sidonium, ſecus non *fratris* quidem, ſed Patris eum nomine affeciſſet. Ante igitur annum CCCCLXXIII. libri illi exarati ſunt, diu tamen prius quàm Sidonius infulâ tegeretur, in lucem prodiere, cùm in reſponſoria ſua ad Claudianum Epiſtola tractatus hujus meminerit. Perſolvebat verò Claudiani Epiſtolæ, cui titulus eſt: *Claudianus Sidonio Papæ ſalutem*, excuſabatque ſe, quòd *à ſtylo & pugillaribus diu temperaſſet*, quæ prima Sidonii Epiſtola fuit, ex quo librum de Statu Animæ ſibi dicatum accepit. Multis verò librum laudibus extulit Sidonius:

Sidon. Ep. l. 4.

In quo, inquit, dum ad meum nomen præmiaris, hoc munus potiſſimum cæpi, ut mea fama perſona, quam opera pretium non erat, librorum ſuorum titulis inclareſceret, tuorum beneficio perpetuaretur. At quod, Deus magne, quantumque Opus illud eſt: materiâ clauſum, declamatione conſpicuum, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum, & quanquam propter hamata Syllogiſmorum puncta tribuloſum, vernantis tamen eloquii flore mollitum. Sunt tamen in eo Opere nonnulla, quæ ſenſum non commodum ſatis, aut pietati aptum fundunt: videlicet, quòd Deus à Chriſto moriente diſceſſerit:

Mamert. de Stat. An. l. 3. c. 4.

Sicut ergo illocalitas Deo non adimitur, quòd hominem Chriſtum diſcedendo deſeruit, ſic anima illocalitatis privilegium non amittit, cum corpore moriente diſcedit. Non ſolutâ duntaxat, ſed ſtrictâ etiam oratione ſeſe poſteris Mamertus commendavit. Extat carmen ejus contra Poëtas vanos ad Collegam, quem monet, ſanctiorem chelym tendere, caſtioribus litare Camœnis:

B. M. P. t. 6. 1074.

In quibus & linguam exercens, mentem quoque ſanctam
Erudiens, laudem ſimul vitamque capeſſes.

Hymnum quoque condidit à ſuo Sidonio laudatum:

Sidon. Ep. 4. 3.

Jam verò de hymno tuo, ſi percunctero quid ſentiam, commaticus eſt, copioſus, dulcis elatus, & quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poëticâ & hiſtoricâ veritate ſupereminet. Hymnum enim nonnulli eum eſſe putant, qui tempore Paſſionis canitur:

Pange lingua glorioſi prælium certaminis.

Gennadio unus Mamerti ex Operibus tractatus de Statu Animæ in notitiam venit:

Gen. Catal.

Claudianus Viennenſis Eccleſiæ Presbyter, vir ad loquendum artifex, & ad diſputandum ſubtilis, compoſuit tres de Statu, vel de Subſtantia Animæ libros, in quibus agit intentionem, quatenus oſtendat aliquid incorporeum præter Deum. Quo uſque vitam Claudianus extenderit ſuam, compertum non habemus. Id unum ſcimus, inter homines adhùc fuiſſe, anno CCCCLXXIII. Sidonio jam Pontifice qui & defuncto parentavit, datâ ad Protejum, cui Claudianus avunculus erat, Epiſtolâ. Vir fuit providus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi ſui ingenioſiſſimus: quique indeſinenter ſalvâ religione philoſopharetur: *& licet crinem, barbamque non paſceret; pallium & clavam nunc irrideret, nunc etiam execraretur, à collegio tamen Complatonicorum ſolo habitu, ac fide diſſociabatur.* Morienti non adfuit Sidonius, oſſa tamen defuncti non lachrymis conſperſit modo, ſed Epitaphio quoque decoravit:

Sidon. Ep. l. 4. 11.

Germani decus & dolor, Mamerti
Mirantum unica pompa Epiſcoporum,
Hoc dat ceſpite membra Claudianus,
Triplex bibliotheca, quo Magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit.

Quo carmine diſcimus, Mamertum Epiſcopum, etſi majorem natu, Claudiano fratri ſuperſtitem fuiſſe.

Veneticum Concilium.

VIII. In Gallia verſantibus Venetici Concilii memoria eſt apprehendenda. Tempus celebrationis, licet non accuratè noſcatur, non invitâ tamen Chronologiâ hunc in annum referri poteſt, cùm non diu poſt Turonenſe coactum ſit, teſte Veneticorum ad *Victurum* Cenomanenſem, & *Thalaſium* Andegavenſem Epiſtolâ, qui Turonenſibus Decretis ſubſcripſerunt. Non defuere, qui Venetiis celeberrimæ in Italia urbi Conventum aſſignarent. Quos inter Surius nomen profitetur ſuum Conciliorum in editione. Quæ ſententia ex Epiſcopis, qui Synodo interfuere, Gallicanas Eccleſias adminiſtrantibus perſpicuè refellitur. Eſt ergo *Venetia* tractus Aremorici intelligenda, Gallicè *Vennes*. In Lugdunenſi quidem Gallia Plinius *Venetos* collocat, lib. 4. c. 18. Celebrem in Commentariis Cæſaris urbem:

Cæſ. de Bel. Gal. l. 3. c. 2.

Naves, inquit, in Venetiam, ubi Cæſarem primùm bellum geſturum eſſe conſtabat ... quam plurimas poſſunt, cogunt. Sex Synodo Antiſtites adfuere: *Perpetuus* Turonenſis Conventus Præſes, *Paternus* Albinus, *Athenius* Rhedonenſis, *Nunechius* Nannetenſis, & *Liberalis*. Cur Venetiam ſe contulerint, cauſa fuit Præſulis huic Eccleſiæ imponendi conſecratio. Datâ verò occaſione de diſciplina tractarunt, ut ipſi teſtantur ſua in Epiſtola: *Quoniam nos in Eccleſia Venetica cauſa ordinandi Epiſcopi congregavit, rectum eſſe credidimus, de regula Eccleſiaſtica, ... ſtatutis celeberrimis ſanciremus.* Canones ſexdecim condidere.

Veneticæ Synodi Canones.

IX. Primus, Homicidæ & falſi teſtes communione Eccleſiaſticâ ſubmoveantur, niſi pœnitentiâ crimina diluerint. II. Qui relictis uxoribus ſuis, ſine adulterii probatione alias duxerint, communione arceantur. III. Qui deſertâ, quam ſuſceperant, pœnitentiâ, vitæ ſe ſeculari reddiderint, & à communione Sacramentorum, & à conviviis Chriſtianorum arceantur. IV. Virgines profeſſæ, & quæ benedictionem per manus impoſitionem fuerunt conſecutæ, in adulterio deprehenſæ, cum adulteris

Anno Dom. 463.

teris communione arceantur. V. Clerici ſine commendatitiis Epiſtolis non vagentur, ſecus à communione habeamur alieni. VI. Monachi ſine commendatitiis literis non vagentur, quos ſi verborum increpatio non emendaverit, verberibus coërceantur. VII. Monachi ſine licentia Abbatis ſolitarias cellas non petant. VIII. Uni Abbati plura Monaſteria habere non liceat. IX. Clerici niſi permittentibus Epiſcopis, ſecularia judicia non adeant. X. Epiſcopi alienos Clericos non promoveant. XI. Clerici, quibus ducendi uxores licentia non eſt, nuptiarum convivia vitent. XII. Clerici Judæorum convivia vitent, nec eos ad convivium quiſquam accipiat. XIII. Clerici ebrietatem fugiant. Ignorantia ex ebrietate contracta non poteſt non ſubjacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. XIV. Clericus, qui à matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis defuerit, ſeptem diebus à communione alienus habeatur. XV. Idem ordo ſacrorum, & pſallendi obſervetur intra Provinciam. XVI. Clericus, qui quas vocant ſortes, detectus fuerit, vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus.

Anno Dom. 464.

ANNO U. C. 1217. PER. JUL. 5177. JUL. 509. DOM. 464. LEONIS 7. & 8. SEVERI 3. & 4. *Sal.* 25. E. D. *Lun.* 9. *Indict.* 2. *Epact.* 6. *Epact. Sal.* 3. 4. *P.* 11. *April.*

COSS. *Ruſticus, & Olybrius.*

Suevorum res in Gallœcia.

I. SUevis ad perniciem Hiſpaniæ natis non ſatis inter ſe conveniebat. Pars *Remiſmondum*, pars *Frumarium* Regem volebat, quæ diſſidia memorat Idacius anno CCCCLX. *Inter Frumarium & Remiſmundum oritur de regni poteſtate diſſenſio.* Primas tamen Remiſmondus obtinebat, qui ad Theodoricum Gothorum Regem anno ſuperiore Legatos miſerat. Qui cùm in Cyrilam ad Gallœciam venientem incidiſſent, eum in Lucenſi urbe ſuſceperant. Colloquentibus inter ſe pax Gallœciæ ſtabilita videbatur. Verùm perfidiam Suevi ſuam exuere non poterant. Cyrilæ poſt egreſſum, mox immemores *promiſſionum ſuarum, ut ſemper fallaces, & perfidi, diverſa loca infelicis Gallæciæ ſolita deprædantur.* Dum his fluctibus jactatur, mors Frumarium occupat, anni labentis initio. Frumarii obitum pacis excipit umbra, *Frumario mortuo, Remiſmondus omnibus Suevis in ſuam ditionem regali jure revocatis, pacem reformat elapſam.* E veſtigio Legatos ad Theodoricum dirigit, *qui ſimiliter ſuos ad Remiſmundum remiſit, cum armorum adjectione, vel munerum, directâ & conjuge, quam haberet.* Intereà Suevi *Conimbricam doloſe ingreſſi familiam nobilem Cantabri ſpoliant, & captivam abducunt matrem cum filiis.*

Idac. Chron.

Ægidii Comitis mors. Quis Ægidius?

II. Erat in Gallia Gothicæ ambitioni propugnaculum, oppoſitum atque objectum Comes Ægidius, qui morte ſuâ viam pandit Gothis, ut de Imperio multa decerperent: *Ægidius moritur, alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus. Quo deſiſtente mox Gothi regiones invadunt, quas Romano nomini tuebatur.* Hæc inſigni criterio deſignavit Idacius, additâ Solis defectione: *Decimo tertio Cal. Auguſti die, ſecundâ feriâ, in ſpectatu Lunæ quinta, Sol de lumine ſuo ab hora tertia in horam ſextam cernitur minoratus.* Labente anno Julii die xx. ſecundæ feriæ cohærebat, vi literæ Dominicalis D. Hic eſt ille Ægidius, quem Regi ſuo Childerico Franci ſuffecerant. Immoderatè intemperanterque autoritate uſus ſuâ Childericus, ne à nobiliſſimis quidem matronarum corporibus abſtinuerat. Quâ licentiâ brevi ſe inviſum ſuis reddiderat. Veritus ne ſibi vitam cum regno eriperent, ad Thoringos profugerat, *Winomado*, cui plurimum fidebat, domi relicto, qui exaſperatos abſenti Francorum animos reconciliaret. Quod & arte ſuâ perfecit. Ejecto Rege, Franci Ægidium ſibi Principem impoſuerant. Eligendo plurimum Winomadus auxilii attulerat, eoque beneficio devinctum Ægidium facile adduxit, ut nobiliores gentis, quos à Childerico maximè abhorrere noverat, quaſi ſuſpectos occideret. Octennio imperarat, cùm Franci cædium harum cauſâ à novo Principe alienatis, ſuadente Winomado Childericum ab exilio revocant. Ægidium ab eo ſuperatum, & in oppidum Sueſſonum compulſum eſſe ferunt. Fata hæc Ægidii fuere, meliore fortunâ digni, cujus virtutem pietatemque fulgore ſuo ad uſque Hiſpanias relucentem, commendavit Idacius.

Idac. Chron.

Anno Dom. 464.

Alani à Richomere delentur.

III. Alani quietis impatientes, ſuperatis Alpium jugis, Italiam ingreſſi, ſedes in ea occupandas ſibi quærebant; Duce *Beorgore*, qui tum temporis imperium in eos habuit. Conatibus Barbarorum obſtitit Richomer Patricius, vir bellicis virtutibus clarus, ut pro terris, quas cupiebant, in Tranſpadana Italia ſepulchrum invenirent. Alanicam ſummatim cladem refert Caſſiodorus: *Ruſtico & Olymbrio Coſſ. Rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à Patritio Richomere peremptus eſt.* De Richomeri victoria paulò fuſius Jornandes de rebus Geticis, cap. 45. Anthemius *veniens illicò Richomerem generum ſuum contra Alanos direxit, virum egregium, & penè tunc in Italia ad exercitum ſingularem. Qui multitudinem Alanorum & Regem eorum Beorgum, primo ſtatim certamine ſuperatos, internecione proſtravit.* Eſt tamen in his verbis Jornandis error, cùm nondum purpuram Anthemius induiſſet.

Lupus Trecenſis. Vitæ ipſius breviarium.

IV. Hactenus de Imperio: ad res Eccleſiæ paulò celebriores veniamus. Sub ea fortè tempora ſcripta eſt de ſolemnitatibus, & de bigamis Clericis Lupi Tricaſſini ad Thalaſſium Andegavenſem Epiſtola, cujus annus certus eſt in obſcuro. Verùm antequam quæ obſervatu digniora habet, retulerimus, quis ille *Lupus*, cujus gloria maximè inclaruit, prius memoremus. Tulli Leucorum ſplendidâ familiâ natus, patrem *Epirochium* habuit, fratrem Vincentium Lirinenſem, quem ſuum *adverſus profanas omnium Hæreticorum novitates* Commonitorium illuſtrem reddidit. Nuptiali fœdere Hilarii Arelatenſis ſororem, nomine *Pimeniolam*, ſibi junxerat, cùm exacto ſeptennio ruptis continentiæ amore, conjunctionis vinculis venerem ſibi omnem abdicavit. Allectus Lirinenſium Monachorum famâ, ad eam Inſulam greſſus convertit, quam & aliquandiu præſentiâ ſuâ decoravit. Hinc Eucherii verba ad Hilarum in ſua de Laude Eremi Epiſtola, cap. 42. Lerina *habuit reverendi nominis Lupum, qui illum nobis ex tribu Benjamin Lupum retulit.* Vix Lerinam incoluerat, cùm poſt annum ad Trecenſem Epiſcopatum rapitur, quo tempore, non ſatis claret eruditis. Pervulgata ſententia eſt, quam & Baronius amplectitur, Lupum ad Epiſcopales honores

Bar. Ann. 472. n. 14.

res anno 427. promotum eſſe. Cui Pagius intercesſit, contendens, anno ſerius uno Lupum ſedere cœpiſſe, hoc eſt, CCCCXXVIII. Hanc verò verbis Sidonii Chronologiam probari ſuam exiſtimat: *Cùm poſt deſudatas militia Lirinenſis excubias, & in Apoſtolica Sede novem jam decurſa quinquennia, utriuſque Sanctorum ordinis quendam te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritalia caſtra venerentur.* Obſervat præter morem, Epiſcopatus Lupi annos per *quinquiennia* hîc à Sidonio numerari: quam & ſcribendi rationem retinet alia in Epiſtola: *Cùm ſatis tibi, & quidem meritò, (quid enim ſimile) in omnibus cedam, quippe qui in alio genere virtutum, jam per quinquennia decem non æquævis Sacerdotibus tantùm, verùm & antiquis quoties collatus antelatuſque ſis.* Quid verò cauſæ fuit Sidonio, ut decurſa Epiſcopatus Lupi ſpatia per quinquiennia numeraret? Eam eſſe conjicit Pagius, quòd Cæſarei imperii Valentiniani in quinquiennalia, anno CCCCXXVIII. celebrata, initium Epiſcopatus Lupi inciderit. Neque in ea ſanè conjectura aliquid abſoni. Quæ ſi admittatur, Eucherii ad Hilarium de Laude Eremi Epiſtola non ante annum CCCCXXVIII. exarata eſt, deſiderato jam à Lirinenſibus Lupo, qui relictâ Inſulâ Tricaſſenſibus ſacris Præfectus fuerat. Biennium exegerat in Epiſcopatu Lupus, cùm ad magnam obeundam Provinciam eligitur. Ad Trecenſem Epiſcopatum raptus, *exinde biennio exacto*, Germanum Antiſiodorenſem comitatur in expeditione Britannica, quæ anno CCCCXXIX. ſuſcepta eſt. Verba hæc *biennio exacto*, quæ ſunt Autoris vitæ Lupi, in cauſa videntur eſſe, cur Epiſcopatus ejus initium anno CCCCXXVII. alligetur. Verùm enimverò Græcis ſolemne eſt atque Latinis, tempus labens pro exacto habere, eâ figurâ, quæ in completum ſive annum, ſive diem pro completo numerat. Sic Phariſæi apud Matthæum referunt, Chriſtum dixiſſe, *Tertio pòſt die ſuſcitabor.* LXX. Interpretes, *μετὰ ἑπτὰ ἔτη*, poſt *ſeptennium* dicunt, quæ labente eo ſiteptennio facta. Homerus Odyſſ. X. ſcripſit, *μετὰ δαῖτα*, quod Latini dicerent, *inter prandendum.* Et Juriſconſultis, *poſt diem decimum Kalend. Aprilium* idem ſonat atque *ante decimum*: quia phraſis ante decimum Martii XXIII, completum innuit, *poſt decimum* verò incompletum ſignificat: unum itaque diem, ſed variâ ratione intellectum, phraſis hæc, utut contraria videatur, maximè deſignat: itaque locutioni de Lupo uſurpatæ, *exactu biennio* nil repugnat quidem, quòd Lupus & anno CCCCXXVIII. creatus ſit Epiſcopus, & inſequente Comes Germano additus, ad Pelagianos debellandos in Britanniam migrarit. Suſceptâ feliciter eâ expeditione victor, & de errore triumphans ad ſuos Trecenſes revertitur. Anno CCCCLI. Gallias vaſtante flagello Dei *Attilâ*, Lupi virtus ſupra modum eminuit, quaſi Hunni eò ſe contuliſſent, ut novâ ſanctum Præſulem gloriâ veſtirent: *Hunni erumpentes & per totam Galliam diffuſi, partim ſimulatæ pacis arte tenebant urbes, partim vi expugnabant. Ubi ad Trecenſem infeſto agmine venere civitatem, patentibus campis ſitam, nec armis munitam, nec muris, ſollicitus pius Antiſtes ad uſitata ſe recipiens præſidia, ſolùs ad Deum fuſis precibus, ſuperna opis auxilio eam defendit. At immanis ille & ferus Attila fidem ſancti viri, & altiori ſenſu ſuſcipiens, pro ſua exercituſque ſui ſalute, & incolumitate ſecum eum vult proficiſci ad Rhenum uſque, pollicens ei ubi* 31 *eo ventum ſit, ſeipſum dimiſſurum. Mox copia offertur ab eo loco revertendi, non negatur reditus, iter quoque indicatur. Orat tyrannus obnixe ſanctum virum, ut velit pro ipſo Dominum deprecari, interprete uſus Hunigaſio. Reverſus autem vir Dei, ut vidit ſe deſperatione ſuorum turbatum, ad montis perſugium Latiſconem cæteris ſolertior feſtinavit, ut ex eo transferret plebem, quam orationum ſuarum ſuffragiis diſcriminis ſubjacentem, inter excidia publica & arma defenderat. Illud perſugium diſtat ab urbe miliaribus quinque & XL. Manens verò illic biennii ſpatio, offenſus raritate ſuorum eò venientium, Matiſconem ſibi cenſuit expetendum.* Quantum ſibi famæ Lupus collegerit, abundè teſtantur Sidonii Apollinaris, viri ſanctitate, eruditione, natalibus illuſtris ad ipſum Epiſtolæ. Audiatur præcipuè, quæ libri ſexti numero prima eſt: *Benedictus Spiritus Sanctus, & Pater Dei omnipotentis, quòd tu Pater Patrum, & Epiſcopus Epiſcoporum, & alter ſeculi tui Jacobus de quadam ſpecula charitatis, nec de inferiore Jeruſalem tota Eccleſiæ Dei noſtri membra ſuperinſpicis, dignus qui omnes conſuleris infirmos, quique meritò ab omnibus conſularis.* Ac tanti quidem Lupum faciebat Sidonius, cùm *Amanum* Aurelianenſem efferre laudibus ſummis vellet, paucis de ipſo multa magnaque hæc dixerit, fuiſſe nimirum *Lupo parem, Germanoque non imparem.* Quinquaginta annos Lupum in Epiſcopatu vixiſſe, cùm laudatam jam Epiſtolam ad eum Sidonius ſcripſit, ſcimus atque tenemus. Annus erat Chriſti CCCCLXXVIII. Biennio pòſt ad plures abiiſſe, docuit nos Adonis Martyrologium ad Julii nonum & decimum: *Eodem die depoſitio ſancti Lupi Epiſcopi de Trecas. Qui cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duobus annis Sacerdotio functus eſt.* Exceſſit itaque anno CCCCLXXX. quarto Kalendas Auguſti, flebilis omnibus bonis, Sidonio præcipuè venerationi fuit, cui Epiſcopatus ejus dicitur *eminens Apoſtolatus.* Multis nominibus celebratus eſt, ſed præcipuè magnâ pietate ſuâ, quâ omnibus exemplo fuit, atque admirationi. Autor vitæ ipſius apud Surium, *Erat*, inquit, *pollens ingenio, clarus eloquio, ſanctitate præcipuus.* Patratâ ad ipſius tumulum miracula refert Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum, cap. 67. &c. quorum fides ſit penes Autorem.

Sidon. l. 6. Epiſt. 1. — *Sidon. Ep. l. 9. 11.* — *Matth. 27. 63.* — *Deut. 31. 10.* — *Vit. Lup. Sur. Jul. 29.* — *Sidon. Ep. l. 8. 15.* — *Sidon. Ep. l. 6. 4.*

Lupi ad Thalaſſium Epiſtola.

V. Præmiſſâ Lupi hiſtoriâ, ipſius Epiſtolam ingredimur, cujus titulus eſt: *Epiſtola Sanctorum Epiſcoporum, Lupi Tricaſſini, & Euphronii Auguſtodunenſis* ad Talaſſium, Epiſcopum Andegavenſem. Miſſo Thalaſſius Archontio Subdiacono conſilium à Lupo, Euphronioque petierat, cujus reſpondent interrogatis. Primum erat de Vigiliis: *Vigiliæ Natalis Domini longè alio more quàm Paſchæ vigiliæ celebrandæ, quia hic Nativitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem Paſſionis. Epiphaniæ quoque ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maximè aut perpete nocte, aut certè in matutinum vergente curandæ ſunt, Paſchalis autem vigilia à veſpere tardò in matutinum uſque perducitur. Deinde in vigilia Paſchæ diverſorum librorum lectiones ſunt recenſendæ, quæ tota habeant aliquid de præfiguratione, aut vaticinio Paſſionis. Antedictæ autem vigiliæ, prout viſum fuerit, inter pſallendum & legendum, ſive de Prophetis, ſive de N. Teſtamento, quod quiſque voluerit, non legali, ſed voluntariâ lectione præſumet.* Quæſtionis caput alterum fuit de Clericorum nuptiis, cui ſic perſolvunt: *De Clericis biga-*

bigamis uſque ad Oſtiarios Eccleſiæ permittit & patitur, & quam quis Sacerdotum regulam pro diſtrictione ſua aſſumpſerit, jure cuſtodiet. Exorciſtas verò, aut Subdiaconos à ſecundis nuptiis penitùs excludit. Generationem verò filiorum ab his, quos conjugatos aſſumimus, melius eſſet, ſi fieri poſſit, arceri. Subdiaconis concedunt, ad pacem inter ſe in Sacrario accedere, & in altario, dum porrigunt pallas Diacono, ad pacem autem nequaquam eis permiſſum. Extat & Lupi ad Sidonium Apollinarem Epiſtola apud Dacherii Spicilegium, T. v.

Lab. Concil. t. 4. 1048.

Simeonis Stylitæ obitus. Templum ipſius nomini conſecratum.

VI. In Oriente multorum ore celebratus Simeon Stylita hoc anno naturæ ſatisfecit: *Ruſtico & Olybrio Coſſ. migravit è vita S. Simeon Stylita, cum eſſet Artaburius Comes Orientis, filius Aſparis Præfecti Militiæ. Clamantibuſque & petentibus Antiochenis corpus illius juſſit miſit Artaburius, Gothicum præſidium, & ſacrum pignus Simeonis detulit magnam Antiochiam, & conditum eſt illi magnificum Templum.* Hæc Chronicum Alexandrinum. Quibus Baroniana emendari Chronologia debet, quæ Simeonis obitum in annum CCCCLX. confert. Verba Chronici Alex, titubantem & Cavii Chronologiam firmaſſent, ſi ad ea advertiſſet animum. Obiit Simeon, inquit, *inter annos, ut videtur,* 460. & 467. Ad uſque CCCCLXIV. duntaxat Simeon vitam extendit. In ſua exercitatione Simeon annos LVI. vixit: ex quibus in brevioribus columnis ſeptem, triginta autem in columna quadraginta cubitorum laborioſo certamine perfunctus eſt. Antiochenum Martyrius Epiſcopatum adminiſtrabat, cùm corpus mortui in eam civitatem tranſlatum eſt. Milite opus fuit, ne à finitimis civitatibus ſubriperetur. Ferunt miracula ab eo patrata fuiſſe multa, cùm efferretur. Petierat Leo Auguſtus, ſacrum corpus ſibi concedi. Interceſſere Antiochenſes, miſſo ad Principem ſupplice Libello: *Quoniam noſtra civitas muros non habet, corruerunt enim ob indignationem divini Numinis, ſanctiſſimum corpus huc importavimus, ut nobis pro muro, munimentoque eſſet.* Rogantium precibus ceſſit Imperator. Adjacebat capiti catena ferrea, quam Simeon collo geſtaverat. Templum, cui ipſius nomen inditum, ſitum erat in montis vertice, Antiochiâque diſtabat ſtadiis circiter trecentis. Templi fabrica formam crucis referebat, ex quatuor lateribus porticibus ornata. Atrii in medio ſtabat columna XL. pedum, in qua vitam egerat, cujus ad latus ſiniſtrum ruſtici ſaltabant. Ac viri quidem locum liberè cum ſuis jumentis ingreſſi, columnam ſæpius circumeunt. Cavetur autem diligentiſſimè, ne mulieres in Templo veſtigia ponant. Diebus feſtis, quibus Simeonis memoria quotannis recolitur, ſtella videbatur immenſæ magnitudinis, in feneſtrâ diſcurrens & radians, crebrò evaneſcens, ac ſubitò apparens; cujus prodigii teſtem oculatum Evagrius ſeſe profitetur. Tanti reliquiæ Simeonis fiebant, ut per vim cadaveri dentes evellerentur, quorum poſſeſſione veluti theſauro gloriarentur. Multis nobilem virtutibus Simeonem fatemur. Quid verò ad pietatem afferrent emolumenti, & columna pro domicilio, & graviſſimi ponderis catena, pedum alteri ſubnexa, & immoderati jejunii affectatio, aliaque ejuſmodi benè multa, quæ à Christo Apoſtoliſve nec obſervata ſunt, nec imperata, prorſus neſcimus. Sanctitatemne defloraſſet ſuam, ſi ulceri, quod ex ſtatione contraxerat, fomenti aliquid adhibuiſſet? Epiſtolis nonnullis famam poſteris ſuam commendavit. Primam ad Theodoſium ſcripſit, qui ablatam ab Antiochenſibus Chriſtianis Judæorum Synagogam reſtitui voluit. Eâ Epiſtolâ tam acriter Imperatorem objurgavit, ut juſſa ſua revocaverit. Anno circiter CCCCLVI. ad Eudoxiam Epiſtolam direxit, ut ad Eutychianos errores propendentem ad pietatem revocaret. Leonem quoque Auguſtum anno CCCCLVIII. ſcripto adiit, quo Chalcedonenſia de fide Decreta potentiſſimè confirmavit. Literas etiam Baſilio Antiocheno ea de quæſtione direxit. Patrum in Bibliotheca extat brevis de Morte ſermo, cujus initium eſt: *Animadvertite, fratres mei, quem metum, quod certamen, quam neceſſitatem habeamus, ſuſtinere in hora exitus noſtri ex hac vita.* Simeoni Stylitæ Bellarminus cum nonnullis aſcribendum ſermonem eſſe putat. Alteri tamen Simeoni, qui ſenioris & vitam exprimere voluit, potius vindicandum exiſtimamus.

Error Baronii.

Bar. An. 460. n. 17.

Evagr. l. 1. c. 13.

B. M. P. t. 7. 1228.

Anno U. C. 1218. Olymp. 311. Per. Jul. 5178. Jul. 510. Dom. 465. Leonis 8. & 9. *Sol.* 26. C. *Lun.* 10. *Indict.* 3. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

Anno Dom. 465.

Coss. *Baſiliſcus & Hermenericus.*

Mors Severi Imperatoris. Leges ab eo latæ.

I. Severus Auguſtus, cujus obſcura vita eſt, nec regio ſatis nomine digna, Annales illuſtravit editâ Lege, quâ capita Legis Majoriani nonnulla abrogavit: de Sanctimonialibus ſcilicet, de viduis, de hæreditatis tertia, &c. Ex ea verò Lege retinuit, *ut poſt viri obitum ſponſalia in uſumfructum tantum mater habeat, & à filiis alienare non poſſit, ſive in alias nuptias venerit, ſive non venerit. Data x. Kal. Martii Romæ.* Aliam quoque Legem tulit, *Si qui, vel quæ ex corporibus publicis, vel ex corporatis urbis Romæ ſervis, vel colonis ſe crediderint copulandos, agnationem eorum ad eos Dominos pertinere, quorum inquilinus vel colonus fuiſſe conſtiterit.* Hæc Lex ea fuit, quam ultimam in terris promulgavit: quippe, *ut dicitur, Richomeris fraude Severus Romæ in palatio veneno peremptus eſt.* Chronologis certus eſt ultimus annus Severi, de die non conſtat. Lex quippe *de corporatis* hanc ſubſcriptionem habet: *Data* VII. *Cal. Octobris, Hermenerico, & Baſiliſco Coſſ.* Anonymus verò Cuſpinianeus Severi mortem menſe Auguſto contigiſſe memorat: *Defunctus eſt Imperator Severus Romæ,* XVIII. *Cal. Sept.* dierum XL. diſcrimine. In Anonymi tamen Chronologiam magis inclinat animus, cùm Severi ætate floreret, & ſæpenumerò mendoſæ reperiantur Legum Auguſtearum ſubſcriptiones. Severi obitum excepit Interregnum, ad uſque XII. April. anni CCCCLXVII. quo Anthemius Occidentis Imperio impoſitus eſt. Regnavit Severus annos tres, menſes octo, dies XXVIII.

Genſerici excurſus. Piratam agit, à Richomere pellitur.

II. Dum Imperii umbram etiamnum Severus tenet, Genſericus Archipiratam potius, quàm Regem exercebat. Anno ſuperiore Siciliam adortus, cladis non minimum acceperat, de qua mentio eſt in Idaciano Chronico: *Vandali per Marcellinum in Sicilia cæſi, effugantur ex ea.* De navalibus Genſerici incurſionibus obſervabilia ſunt verba Procopii: *Poſt mortem Valentiniani, aliquot annos veris initio continuo lon-*

gas

Anno Dom. 465.

gas fecit prædando, ac populando excurſiones, nunc in Siciliam, nunc in Italiam, civitates inſuper partim diripiendo, partim ſolo æquando. Ubi verò omnia delevit, ad Orientem converſus Imperium, Illyricum omne ſimul, & Peloponeſum, iiſque adjacentes Inſulas cum reliqua Græcia invidit. Ad Italiam rurſus Siciliamque revertens, ſi quid erat reliqui, diripuit. Ferunt quondam, cùm à Carthaginis portu velis paſſis ſolutum eſſet. Interrogatus à nauclero, quò tendere populabundus vellet, reſpondiſſe, *Quò Deus impulerit*, adeò ex nulla cauſa in obvios quoſque hoſtiliter ferebatur. Repulſum à Richomero Genſericum, cecinit Sidonius in Panegyrico, quem Anthemio nuncupavit:

Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 5.

Sidon. carm. 2. v. 348.

Hinc Vandalus hoſtis
Urget, & in noſtrum numeroſâ clade quotannis
Militat excidium, converſoque ordine fati,
Torrida Caucaſeos infert mihi Byrſa furores:
Præterea invictus Richomer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum, qui prælia vitans
Victorem fugitivus agit.

Incendium Conſtantinopolis.

III. Dum Roma flet Severum, clades ſuas Conſtantinopolis lugere cogitur. Calamitati occaſionem præbuit injuſta Menæ cædes, Præfecti Vigilum, qui ſceleris in Circo poſtulatus, dum à Senatu interrogatur, puer illum in faciem abjecit. Quem cùm populus cœpiſſet trahere, Præſides metu correpti recedunt. Menam verò plebs ad domum uſque *Studii* pertraxit, ubi Gothus quidam impacto ad aures lapide eum occidit. Neque morte miſeri plebis extinctus furor, quæ cadaver in mare projecit: *Poſt dies triginta ex vindicta Numinis conflagrarunt in urbe octo regiones, menſe Gorpiæo, ſecundâ Septembris, die Mercurii Indictione 3. cùm celebraretur memoria S. Mamantis.* Ita Chronicum Alex. In die tamen error eſt, qui primus, non ſecundus Septembris dici debuit. September enim incepit à IV. feria ob literam Domin. C. Horrendum quidem incendium eſt à paupere muliercula ortum: quæ cùm lucernam ad forum rerum venalium detuliſſet, tanquam ſalſamenta ſibi emptura eſſet, depoſitâ ibi lucernâ, protinùs abſceſſit. Cùm ignis ſtuppam corripuiſſet, momento tota domus comburitur. Victor ignis ſubinde alia ædificia corripuit, nec ullâ ratione extingui potuit, cùm in quartum uſque diem perſeveraſſet: *Totum civitatis meditullium à ſeptentrionali latere ad meridianam partem, longitudine quidem ſtadiorum quinque, quatuordecim verò latitudine ita conſumptum eſt, ut tam ex publicis, quàm ex privatis ædibus nihil omninò remanſerit, non columna, non lapidei fornices, ſed pradura omnis materia, perinde ac ſtipula concremata ſit. Porro hæc clades in ſeptentrionali quidem parte, in qua ſunt urbis navalia, graſſata eſt, à Boſphoro uſque ad vetus Apollinis Templum. In meridiana autem regione à portu Juliani uſque ad domos, quæ haud procul abſunt ab Eccleſia, quæ dicitur Homonœa. In media autem urbis parte à Conſtantini fere uſque ad forum Tauri, miſerabile & horrendum cunctis ſpectaculum reliquit. Nam quæcunque ornamenta urbis eminebant, aut incomparabili quâdam magnificentiâ exculta, aut publicis, privatiſve uſibus accommodata, in montes coacervata ſunt, ac tumulos inacceſſos, atque impervios, omnique materia genere refertos, ac priorem urbis ſpeciem deformantes.* Ferunt Marcianum Presbyterum, cùm ignis Anaſtaſiam corriperet, ſacris acceptis Evangeliis in ſummum tectum aſcendiſſe, ſtantemque ad preces nobilem Eccleſiam exemiſſe incendio. Ingentem ſanè fiduciam ac miraculi magnitudini prorſus æquandam. In eo tamen & facto, & miraculo fides noſtra nutat. Illud quidem omiſit Evagrius, qui rem admirandam ſilentio nunquam prætermiſſet. Sed & pietate ſuâ Marcianus prohibebatur, ſeſe in flammas immittere. Valeant ergo Acta Marciani, quæ pace Baronii, referta commentis eſſe putamus. Incendii meminit Lex Zenonis Adamantio Præfecto Urbis. Ut verò ab igne domus tutiores forent, edixit, *duodecim pedes oportere relinqui ab eo, qui ædificaturus eſt, inter propriam & vicini domum.*

Evagr. l. 2. c. 13.

Niceph. l. 15. c. 22.

C. Juſt. l. 8. tit. 10. l. 12.

Synodus Romana Hilari. Quo die eſt celebrata?

IV. Res Eccleſiæ nunc exequamur. Ac primùm ſcribentibus offert ſe Synodus Romana, Præſide Hilaro: cui occaſionem præbuit Hilariani Natalis celebratio. Quot Epiſcopi interfuerint, non ſatis liquet. In editione Lupi, extant XLV. quos inter deſideratur *Probus Epiſcopus*, qui tamen in Synodo ſententiam dixit. Labbeana verò Collectio addit *Palladium* Salpinatem, *Romanum* Albanenſem, *Servumdei* Nomentanum. Baronio XLVIII. Conventus Antiſtites numerantur. Ex Africa venerant *Reſtitutus & Octavius*. Inter Antiſtites verò eminebat Maximus Taurinenſis, qui & ſecundum Hilarum primas tenens, principem ſententiam dixit. Recolebatur memoria conſecrationis Hilari die Novembris XII. qui ſextæ feriæ cohærebat. Quem perinde atque biduum ſequens cultui divino dicant. Eſurialis quippe dies erat XIII. Novembris ex Romana diſciplina: prima verò feria ſacris eſt conficiendis deſtinata. Itaque à ſecunda feria Synodus initium duxiſſe videtur, triduo poſt peracta natalitiorum Hilarianorum ſolemnia, quæ nec in XVI. nec in XV. Cal. Decemb. cecidere. Anno quippe CCCCLXI. quo Hilarus ſucceſſit Leoni, Novembris XVI. feriæ quintæ, decimus ſeptimus verò feriæ ſextæ cohærebat. Quarum neutra Pontificali erat ordinationi idonea, quæ eo ſeculo Dominicæ diei affigebatur. Quòd verò pridie XVI. Cal. Decembr. Romana Synodus inceperit, ex verbis Hilari colligitur: *Quoniam religioſus S. Spiritu congregante Conventus hortatur, ut quæcunque pro diſciplina Eccleſiaſtica ſunt, curâ diligentiore tractemus.* Quæ cum dicta ſint Novembris XVI. apparet jam antè de his rebus fuiſſe deliberatum, quæ nunc ad accuratius examen revocantur. Quibus obſervatis liquidò conſtat, Synodi tempus non idoneum viris clariſſimis *Queſnellio* & *Du Pin* argumentum fuiſſe, cur Hilari ordinationem Novembris XVII. addicerent. Editio Labbeana Concilium Romanum XV. Cal. Decembr. affigit, quod diei ſuperiori Lupi Sylloge alligavit. Baronius verò XVIII. *Calendas Decembris* Synodum habitam eſſe putat. Eſt tamen creditu difficillimum, quòd primâ feriâ celebrata ſit, & erratum in numeris vero ſimilius, ut legi debeat, XVII. *Cal.*

Bar. An. 465. n. 17.

Geſta in Synodo Romana Hilari.

V. Quid in eo Conventu actum ſit, nunc proferamus. Princeps Synodi Hilarus Epiſcopos ſic alloquitur: *Cavendum in primis, ne ad ſacratos gradus, quod geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quiſque qui uxorem non virginem duxit, aſpiret. Repellendi etiam quique in ſecunda uxoris nuptias contra Apoſtolica præcepta convenerint. Inſcii literarum, necnon & aliqua membrorum damna perpeſſi: & hi, qui ex Pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines aſpirare non audeant. Quiſquis ta-*

 lium

lium conſecrator extiterit, factum ſuum ipſe diſſolvet. Ab univerſis Epiſcopis & Presbyterio acclamatum: *Exaudi, Chriſte, Hilaro vita, dictum ſexties: hæc confirmamus, hæc docemus, dictum octies: hæc tenenda ſunt, hæc ſervanda ſunt, dictum quinquies: doctrinæ veſtræ gratias agimus, dictum decies*, &c. Facto ſilentio, quantum perturbationis Eccleſiaſticam Hiſpaniæ diſciplinam inceſſiſſet, Hilarus monuit. Quod ut Patribus innoteſceret, Hiſpanorum literas legere Paulum Notarium jubet. Prioris titulus erat: *Beatiſſimo & Apoſtolicâ reverentiâ à nobis in Chriſto colendo Papæ Hilaro Aſcanius, & univerſi Epiſcopi Tarraconenſis Provinciæ.* Scopus ſcribentium erat, ut *Irenæus* Nundinario ſubſtitueretur. Loquentes audiamus: *Epiſcopus Barcinonenſium civitatis ſanctus Nundinarius ſortem explevit conditionis humanæ. Hic Epiſcopo venerabili fratri noſtro Irenæo, quem ipſe anteà in Diœceſi ſua nobis volentibus conſtituerat, derelinquens ei, quod potuit habere paupertas, ſupremæ voluntatis arbitrio in locum ſuum ut ſubſtitueretur, optavit. Sed defuncti judicium in ejus meritum non vacillat.* Legentem interpellat *Probus* Epiſcopus, qui è conſeſſu ſurgens, dixit: *Illud licuit, hoc non licuit. Succeſſores Deus dat: autoritate veſtrâ reſiſtite huic rei per Apoſtolatum veſtrum.* Jubente Hilaro, quæ cœperat Notarius literas percurrere pergit: quibus Pontifex rogabatur, Irenæo Barcinonenſem Epiſcopatum tribuere, eâ præcipuè ratione, quòd Eccleſia, in qua ordinatus fuerat, ad Barcinonenſis Eccleſiæ Diœceſim pertineret: *Ergo*, inquiunt, *ſuppliciter deprecamur Apoſtolatum veſtrum, ut humilitatis noſtræ Decretum, quod juſtè à nobis videtur factum, veſtrâ autoritate firmetis.*

De Silvani negotio. Hilari ad Tarraconenſes Epiſtola.

VI. De Silvano Calagorritano Antiſtite dudum & Hilaro ſcripſerant, qui cùm nil reſpondiſſet, iterum ea de re ad Pontificem literas direxere. Querelæ cauſa hæc fuit: *Silvanus quidam Epiſcopus Calagorræ in ultima parte Provinciæ noſtræ conſtitutus, divinationes ſibi indebitas uſurpando humilitatem noſtram ad hoc uſque perduxit, ut contra ejus vanam ſuperſtitionem Sedis veſtræ unicum remedium flagitemus. Hic namque jam ante ſeptem aut octo amplius annos, poſtponens Patrum regulas, & veſtra inſtituta deſpiciens, nullis petentibus populis Epiſcopum ordinavit.* Licentiùs adhuc *Silvanus* peccaverat: quippe alterius Epiſcopi Presbyterum, vel invitum Præſulem creaverat. Quam temeritatem ut emendaret Cæſarauguſtanus Epiſcopus, operam adhibuerat omnem, ne ſe Schiſmatico adjungerent. His auditis, ſexies ab Epiſcopis Presbyteriſque acclamatum, *Ut hæc emendentur rogamus.* Epiſtolam ergo ad Tarraconenſes Hilarus miſit, datam *tertio Kal. Januarii*, ea capita complectentem. I. Ut nullus ſine conſenſu Epiſcopi Metropolitani ordinetur. II. Ut nullus Epiſcoporum relictâ propriâ Eccleſiâ ad aliam tranſeat. III. Ut Irenæus remotus à Barcinonenſi Eccleſia ad propriam revertatur. IV. De removendis Epiſcopis, qui illicitè ordinati ſunt, & ne in una Eccleſia duo Epiſcopi habeantur. V. De damnatione Irenæi, ſi ad ſuam Eccleſiam non revertatur.

De Natali Epiſcoporum: ejus initium & celebrandi ratio.

VII. Cùm ad Hilari natalitia celebranda Romanum hoc Concilium congregaretur, operæ pretium facturi ſumus, ſi ea de ceremonia, quæ rerum Eccleſiaſticarum pars non eſt minima, perſcripſerimus. Inveteraverat conſuetudo, Auguſtorum πανηγύρεσιν multâ ſolemnitate celebrari, quaſi melior ex fortunæ quidem, quàm ex vitæ ſuæ natali dies affulſiſſet. Natalitia quoque Martyrum, qui caducam, mutabilemque conditionem cœleſti mutarant, ſeculi tertii ſub initia agitabantur. Placuit & Epiſcopis, diem quo ſummum Sacerdotium conſecuti erant, gratâ quotannis memoriâ recoli. Ni fallamur animi, moris hujus inventor Damaſus, Romanus Pontifex, qui anno CCCLXVI. ſedere cœpit. Extat luculentum ritus ejuſmodi teſtimonium in Præfatione ad Libellum Fauſtini & Marcellini, ubi de Italiæ Epiſcopis ea leguntur: *Quos etiam cùm ad natale ſuum ſolemniter invitaſſet, & nonnulli conveniſſent ex eis, precibus apud eos molitur & pretio, ut ſententiam in ſanctum Urſinum ferant.* Ex illo tempore mos introductus à Damaſi ſucceſſoribus arctè cuſtoditus fuit: Anaſtaſius quidem amantiſſimis Paulinum Nolenſem literis ad eam ſolemnitatem vocavit: *Interpoſito tempore etiam ad natalem ſuum, quod Conſacerdotibus ſuis tantum deferre ſolet, invitare dignatus eſt: nec offenſus eſt excuſatione noſtrâ, ſed officium ſermonis noſtri, quod invicem præſentia reddideramus, acceptans, animo nos paterno, & abſentes recepit.* Sunt & inter ſermones Leonis nonnulli *in anniverſario die Aſſumptionis* ſuæ recitati, qui ſecundum & tertium locum obtinent. Quid plura? Hilarus noſter ad Epiſcopos Terraconenſis Diœceſis hæc habet: *Lectis ergo in Conventu fratrum, quos natalis mei feſtivitas congregarat, literis veſtris.* Romanorum Antiſtitum exemplum alii Præſules & imitati, natali ſuo honorem haberi voluerunt. Ambroſius ad Felicem Comenſem Epiſcopum: *Natalem tuum proſequamur noſtris orationibus, & tu noſtri in tuis votis ne obliviſcaris.* Æmula Romæ Carthago ordinationis Epiſcoporum ſuorum dies feſtivitate nobilitari voluit, teſte B. Auguſtini ſermone apud Carthaginem habito: *Quod novit charitas veſtra ſuggerimus, dies anniverſarius Domini ſenis Aurelii craſtinus illuceſcit. Rogat & admonet per humilitatem meam charitatem veſtram, ut ad Baſilicam Fauſti devotiſſimè venire dignemini.* Verba, quibus Epiſcopi ad eam ſolemnitatem à Pontifice Romano vocabantur, à Libro Diurno Pontificum Romanorum per Joannem Garnerium edito, apponere juvat: *Dei noſtri miſericordiâ favente ille dies, in quo Epiſcopatus mei eſt natalis, adproperat, ad quem ex more miſſis à me literis invitaris. Decet enim, frater chariſſime, ut ejuſdem particeps feſtivitatis exiſtas, & fraternæ congregationis præſentiam tuæ dilectionis accommodes, ut ea internos, quæ mos Eccleſiaſticus exigit, confirmemus.* Eo cultu Epiſcoporum natalitia eniteſcebant, quo feſtivitatis illuſtrabantur. Conciones habebantur, Sacra Scriptura legebatur; Dei laudes cantabantur. In tranſcurſu obſervandum, duorum generum Epiſcopos ad natalitia vocatos eſſe, illos ſcilicet, qui Eccleſias ſuburbicarias adminiſtrantes, Antiſtiti Romano ſubjacebant, quos jure ſuo accerſebat; alios verò, qui Metropolitanis ſuberant, privilegio vocabat. Ex Africa quidem celebrando natali Hilariano in urbem migrarunt Reſtitutus atque Octavius. Quòd ſi quis Epiſcopus invitatus, morbo cauſâque legitimâ adeſſe prohibebatur, excuſatoriæ ad ipſum literæ à Pontifice mittebantur, quæ in Diurno jam laudato titul. 13. continentur: *Scripta fraternitatis tuæ, quæ tranſmiſiſti, oblata nobis relegimus, veniamque imbecillitati, ac ſenectuti fraternitatis tuæ, quam expetiiſti,*

B. M. P. t. 5. 652.

Paulin. Ep. 16.

Hilar. Ep. 2.

Ambroſ. l. 1. Ep. 5.

Aug. de Verb. Dom. Serm. 32.

Lib. Diurn. Rom. Pont. tit. 6. 111.

Anno Dom. 465.

tiſti, ob id, quòd venire non potuit, conceſſimus: cognoſcentes, quia non ſtudio excuſationis peractum eſt, ut ad nos minimè fraternitas tua perveniſſet. Conſulatur doctiſſimus *Tentzelius*, qui perquàm cumulatè fuſèque de ea ceremonia diſſeruit.

Maximus Taurinenſis: ejus ſcripta.

VIII. Synodo ad Hilariana natalitia coactæ adfuerat *Maximus* Taurinenſis, qui rumore claro eſt apud poſteros. In Arauſicano Concilio, quod anno CCCCLXI. celebratum fuit, reperitur Maximus, qui à Taurinenſi non videtur diverſus. Euſebii Mediolanenſis Conventui anno CCCCLI. interfuerat, & anathema iis dixerat, qui de *Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt*. In Epiſcopatu ſenuit, quæ cauſa fuit, cur poſt Hilarum primas in Synodo Romana obtinuerit. Itaque gravis eſt Bellarmini, eruditorumque nonnullorum error, qui Honorio & Theodoſio imperantibus Maximum obiiſſe putant, cùm ad uſque Leonis Auguſti ætatem annos ſuos extenderit. Quos ſanè decepit mendum, Librariorum culpâ Gennadio illatum: *Moritur Maximus Honorio & Theodoſio Juniore regnantibus.* Legendum *floruit*, cùm certo ſit certius, Maximum anno CCCCLXV. in Romano Conventu ſententiam dixiſſe. Non multò pòſt vitam reliquit, & fortè anno inſequente, Junii XXV. quo memoria ipſius in Martyrologio Romano celebratur: *Taurini Natalis ſancti Maximi Epiſcopi, & Confeſſoris, doctrinâ & ſanctitate celeberrimi.* Adjungamus defuncto laudes ex Gennadio: *Maximus Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir in divinis Scripturis ſatis intentus, & ad docendam ex tempore plebem ſufficiens. Compoſuit in laudem Apoſtolorum tractatus, & in Joannis Baptiſtæ, & generalem omnium Martyrum homiliam. Sed & de capitulis Evangeliorum, & Actuum Apoſtolorum multa ſapienter expoſuit. Fecit & duos de ſancti Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris vita tractatus, & de ſancti Cypriani ſpeciale. De baptiſmi Gratia librum edidit. Scripſit de Avaritia, de Hoſpitalitate, de Defectu Lunæ, de Eleemoſynis, de eo, quod ſcriptum eſt in Eſaia, Caupones tui miſcent vino aquam, de Paſſione Domini, de Jejunio ſervorum Dei generali, de Jejunio ſpeciali Quadrageſimæ, & quòd non ſit in eo jocandum. De Juda traditore, de Cruce Domini, de Sepulchro ejus, de Reſurrectione ipſius, de accuſato & judicato Domino apud Pilatum, de Calendis Januariis. Scripſit etiam homilias de Natali Domini, homilias de Theophania & de Paſcha, & Pentecoſte multas, de Hoſtibus carnalibus non timendis, de Gratiis poſt cibum Deo agendis, de Pœnitentia Ninivitarum, & multas alias ejus homilias de diverſis cauſis habitas legi, quæ nec retineo.* Breviſſimæ ſunt Maximi orationes, ob pietatem plurimi faciendæ: cur verò *elegantes* N. Alexandro dicantur, nulli videmus, cùm ſive ſtyli, ſive eruditionis ratio habeatur, nil eſt cur laudentur tantoperè. Sunt tamen in Maximo non illepida quandoque nonnulla. Verbi gratiâ Homilia de Natali tertia: Chriſtus *benè in præſepio ponitur, ut ad pabula perennis vitæ ſpiritualium ovium greges Agni cæleſtis balatus invitet.* Laudem & habet ejus obſervatio homiliâ ſequente de mirandis Nativitatibus: *Prima eſt quidem, quòd Adam figuratus ex limo eſt; ſecunda, quòd mulier formata eſt de maſculo; tertia, quæ & cæleſtis eſt, quòd Chriſtus proceſſit ex Virgine.* Ejuſmodi Maximus ſententiæ eſt, Chriſtum jejunio ſuo nobis *venerabilem Quadrageſimam dedicaſſe.*

Max. Hom. 3. de Quadr.

Anno U. C. 1219. Per. Jul. 5179. Jul. 511. Dom. 466. Leonis 9. & 10. *Sol.* 27. B. *Lun.* 11. *Indict.* 4. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

Anno Dom. 466.

Coss. *Leo Auguſtus* III. *& Tatianus.*

Num Leo ſolus Conſul proceſſerit?

I. CHronographos benè multos Tatiani Conſulatus latuit. Omittitur à Caſſiodoro & Victore Tunonenſi: imò & Marcellinus, & Alexandrinum Chronicum diſertè habent: *Leone Auguſto* III. *ſolo Conſule.* Itaque ampliſſimo Magiſtratu *Tatianum* Baronio ejici placuit, vexarique præſtantiſſimum Chronologum Onuphrium, qui Faſtis Fabium Tatianum ſuis incluſit. Fallitur tamen Baronius ſcribendo, *ſine teſte*, aut *conjecturâ veroſimili* Tatianum proponi. Quippe nec Anonymo Cuſpiniani, nec Mario Aventicenſi Tatianus ignoratur.

Error Baronii.

Gothorum error Hiſpanias afficit.

II. Inter cætera mala, quæ Gothi in Gallias invexerant, illud non minimum fuit, quòd Arianus error caput efferret. Quæ peſtis gravem & Hiſpaniæ luem ſparſit, Remiſmondi Suevorum Regis patrocinio. Tanti cauſa mali nefarius homo, *Ajax* nomine, qui ejuratâ fide, patulis faucibus errorem hauſit, ut ſcripto prodit Idacius: *Ajax, natione Galata, effectus apoſtata, & Senior Arrianus, inter Suevos Regis ſui auxilio hoſtis Catholicæ fidei, & divinæ Trinitatis emergit. De Gallicana Gothorum habitatione hoc peſtiferum inimici hominis virus advectum.*

Idac. Chron.

De azylis in Eccleſia Lex Leonis.

III. Confugis, qui in Eccleſiis præſidia quærebant, Leo Auguſtus azyli privilegia Lege ſuâ ad *Erythrium* Præf. Præt. miſſâ, ſervati voluit. Neque auxilii hujus expertes debitores publici. Quod etiam primâ ſpecie æquum videbatur, locum dari clarigationi, aut repreſalliis ullum noluit. Referantur verba Legis: *Præſenti Lege per omnia loca valitura, exceptâ hâc urbe regiâ, in qua nos Divinitate propitiâ degentes, quoties uſus exegerit, invocati, ſingulis cauſis, atque perſonis præſentanea Conſtituta præſtamus, nullis penitùs cujuſcunque conditionis ſint, de ſacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas, nec pro iis venerabiles Epiſcopos, vel religioſos Oeconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur: his, qui hoc moliri, aut facere, aut nudâ ſaltem cogitatione, atque contrectatione auſi fuerint tentare, capitali, & ultimi ſupplicii animadverſione plectendis, &c. Data pridie Cal. Mart. Leone Auguſto* III. *Conſ.* Quâ Conſtitutione Lex Theodoſii Magni anno 392. promulgata, Arcadio II. & Rufino Coſſ. abrogabatur: *Publicos debitores, ſi ad confugiendum ad Eccleſias crediderint, aut illicò extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probentur, Epiſcopos exigi.*

Cod. Juſt. l. 1. Tit. 12. l. 6.

Cod. Th. l. 9. t. 45. l. 1. p. 358.

Num azyla probanda?

IV. Porro datâ occaſione, non inutiliter quæſtio agitabitur de aſylorum jure, quod plenè cumulatèque laudatâ Lege eſt à Leone ſtabilitum. Ab ipſo Numine ortum aſyla duxiſſe ſuum, ſcita Moſaica ſatis ſuperque teſtantur, à quibus ſex perfugis urbes aſſignabantur, tres cis, & tres ultra Jordanem. Quod privilegii & altari conceſſum ob loci majeſtatem atque ſanctitatem. Verba ſunt Moſis: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Quibus conſequens eſt, innocenti homicidæ, qui nec volens, nec lubens aliquem interfecerat, altare fuiſſe auxilio. Neque novum aut inauditum ſibi præſidium comparabant Adonija, Joabque, qui

Exod. XXI. 14.

altare

ANNO DOM. 466.

altare Salomonis iræ opponendum eſſe putarunt. Mos iſte & in Ethnicos eſt derivatus, qui Templa ſua miſeris aſyla conſtituere. Tale celeberrimum Junonis templum, de quo Pauſanias in Corinthiacis: *Apud Philiaſior hinc Dea cùm alii honores tribuuntur, tum potiſſimum quoad domeſticos attinet. Impunitatem enim concedunt iis, qui huc ſupplices confugerint. Quique liberati è vinculis fuerint, ad eas arbores, quæ in loco ſunt, catenas ſuſpendunt.* In Peloponeſo quoque Templum Minervæ aſylum univerſæ regioni præbuit & qui in illud ſe recepiſſent, ne poſtulatum quidem eſt, ut dederentur. Quem latent Maronis carmina?

Pauſ. l. 2. 402.

Junonis aſylo
Cuſtodes lecti, Phœnix & dirus Ulyſſes
Prædam aſſervabant.

Virg. Æn. l. 2.

Neque Simulacra Deorum duntaxat, ſed & Principum ſtatuæ verſa ſunt in aſylum: *Servis ad ſtatuam licet confugere, cum in ſervum omnia liceant.* Sed & domus Flaminis Dialis erat aſylo: *Vinctum, ſi ædes ejus introierit, ſolvi neceſſum eſt, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam demitti.* Chriſtianorum & Eccleſias fecit religio. Opulenta vidua, quam Judicis aſſeſſor invitam ad nuptias pertrahebat, ad ſacram menſam confugit: ſupplicem Judex depoſcebat: Baſilius verò magnus ille Cæſareæ Epiſcopus omni vi retinebat. Similiter uxor filiaque Rufini, ne cum illo perirent, ad Eccleſiam perfugerunt. Vandalis tam ſacra fuerunt Eccleſiarum azyla, ut Hunnericus, monſtrum ſanguine conflatum, ne violare quidem auderet: *Gamut, qui ad Eccleſiam eorum confugerat, occidere non potuit.* Quin etiam in Gregorio Magno legimus, *Equitii* ſepulchrum azylum factum eſſe. Ac Theodoſio Juniori Legibus ſuis azylorum ſpatia circumſcribi placuit: *Uſque*, inquit, *ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus.* Præcipit & Clericis, ut ſpatia deſignent, quæ confugis *in Eccleſiaſticis ſeptis eorum tuitioni ſufficiant*: abducentibus capitali pœnâ propoſitâ. Neque nobis quidem diſplicet, in ſacris locis miſeris portum eſſe atque præſidium: ut divinæ Menſæ honor habeatur: neve infelicitati accedat ad cumulum, quòd in gremio Eccleſiæ ſaluti afflictorum nil tutelæ reperiatur. At non arridet ſanè, quòd jura Eccleſiaſticorum azylorum adeò invaluerint, ut publicis debitoribus, reis flagitiorum eſſent præſidio. Quos Clerici ſpecie quidem pietatis, ſi verum tamen volumus, everſione juris omnis totis viribus defendebant, non facto duntaxat, ſed editis quoque Conſtitutionibus. Arelatenſium Sanctio hæc eſt: *Eos, qui ad Eccleſiam confugerint, tradi non oportet: ſed eos Domini ſui promiſſâ interceſſione, exire perſuadeant. Quòd ſi ab Eccleſia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, ut Eccleſiæ inimici habeantur excommunes.* Inſpiciantur & Toletanæ xi 1. c. 10. & Ilerdenſe c. 8. Periclitantibus quidem, non autem injuſtè agentibus aræ præſidio ſunt: quæ cauſa fuit, cur Deus, cujus exemplum eſt imitandum, altari ſuo homicidas evelli præceperit. Non liceat Eccleſiæ, quod nec Romulo licuit, dum ejus urbi incolæ deſunt: *Erat in proxima lucus, hunc azylum facit, & ſtatim mira vis hominum.* At quod azylum? Infame quidem vel ipſis Ethnicis Judicibus. Juvenalis ſanè Romanorum in ſuperbiam ſic invehitur:

Senec. l. 1. de Clem. c. 18.

Nat. Or. 20. 353.

Vict. Vit. de Perſecut. Afr. l. 2.

Greg. Dial. l. 1. c. 4.

C. Th. l. 9. t. 45. l. 4 363.

Arel. 3. c. 20.

Flor. l. 1. c. 1.

Ab infami gentem deducis azylo.
Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Juv. Satyr. 8.

Cedro digna eſt C. Ceſtii Senatoris oratio: *Principes quidem inſtar Deorum eſſe. Sed neque à Diis, niſi juſtas ſupplicum preces audiri: neque quemquam in Capitolium, aliave urbis Templa perfugere, ut eo ſubſidio ad flagitia utatur. Abolitas leges, & funditus verſas, ubi in foro, in limine Curiæ, ab Annia Ruſilla, quam fraudis ſub Judice damnaviſſet, probra ſibi, & minæ intendantur: neque ipſe audeat jus experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam.* Itaque prudentiſſimis Principum Legibus azylorum jura meritò circumſcripta ſunt. De Tiberio Suetonius, cap. 37. *Abolevit & jus, moremque azylorum, quæ uſquam erant.* Quæ verba tamen ſunt limitanda, ut ſignificent, modum huic rei adhibitum, non jus omne penitùs ſublatum. Narrat quidem Tacitus: *Conſules ſuper eas civitates, quas memoravi, apud Pergamum, Æſculapii compertum azylum retulerunt, cæteros obſcuris ob vetuſtatem initiis niti.* Lex Honorii, data VI. Kal. Aug. anno CCCXCVIII. jubet, *Ut Œconomi Eccleſiæ ad eam debiti vel publici, vel privati redhibitionem amotâ dilatione cogantur, in qua eos obnoxios eſſe conſtiterit, quos Clerici defenſando receperint, nec mox crediderint exhibendos.* Cui Legi ut fieret ſatis B. Auguſtinus, *Faſtium*, qui ad Eccleſiam confugerat, ne à creditoribus aliquid injuriæ pateretur, mutuâ acceptâ pecuniâ liberavit. Neque peccarunt Judices, qui facinoroſos abſtraxerunt Eccleſiis, ut debitas ipſis pœnas irrogarent, quod *Apronianum* feciſſe novimus. Secretiora quædam Legibus interdicta docendum filium ſuum Hilarinus Auriga venefico tradiderat: *Qui latitus retinente carnifice, ſubitò lapſus, confugit ad ritus Chriſtiani ſacrarium: abſtractuſque exinde, illicò abſciſſâ cervice conſumptus eſt.* Quin etiam Arcadius, capto à Salomone exemplo, Gainæ perfidos milites, qui ſaluti ſuæ tuendæ azylum in Eccleſia quæſiverant, tecto diruto, lignis accenſis opprimi juſſit. Pulcherrima ſunt doctiſſimi Maſii de azylis verba in caput XX. Joſuæ, Quæſt. 10. *Et haberent quidem fortaſſis iſta tam frequentia azyla majoris miſericordiæ ſpeciem, ſi innoxiorum hominum ſalutis gratiâ inſtituta eſſent. Verùm quòd homines cuivis flagitio obnoxios, imò omnibus ſceleribus coopertos tueantur, id mihi certè videtur longè indigniſſimum, & Romuli inſtituto, quàm Dei Legibus iſtis magis conſentaneum.* Rectè & ſapienter. Sint ergo miſerorum, non ſceleratorum azyla, quæ Uliari haſtato meritò conceſſa ſunt. Dum in avem telum dirigit, Joannem retrò in colle conſiſtentem ferit. Quo vulnere mortuus eſt. Uliares mœſtus in Templum confugit.

Tacit. An. l. 3.

Tacit. An. l. 3. c. 12.

C. Th. lib. 9. t. 45. l. 3. p. 361.

Aug. Ep. 215.

Marcellin. l. 26. c. 3.

Zozim. l. 5. c. 19.

Procop. de Bel. Vand. l. 2. c. 3.

ANNO U. C. 1220. PER. JUL. 5180. JUL. 512. DOM. 467. LEONII 10. & 11. ANTHEMII 1. *Sol.* 28. A. *Lun.* 12. *Indict.* 5. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 5. *April.*

ANNO DOM. 467.

COSS. *Puſæus & Joannes.*

I. EXtinctum Severum Interregnum exceperat: nullus labente anno ſuperiore Princeps partes Occidentis rexerat, neque hoc ſine Reipublicæ incommodo. Anthemium ergo virum illuſtrem ſibi Imperatorem dari, Roma cupiebat, quod & à Leone Auguſto impetravit. Ete-

Anthemius fit Imperator. Quis? quo die creatur?

ANNO DOM. 467.

Etenim Sidonius Romam ſic loquentem inducit:

Sidon. carm. 2. v. 477.

Sed ſi fortè placet, veteres ſopire querelas,
Anthemium concede mihi, ſit partibus iſtis
Auguſtus, longum Leo mea jura gubernet,
Quem petii.

Clarus erat natalibus Anthemius, patre *Procopio* genitus, viro, cui licet juveni,

Reparato credita pacis
Aſſyria.
Suſcepit binis reducem duplicati culmen honoris
Patricius, nec non Peditum Equitumque Magiſter
Præficitur caſtris.

Anthemii filiam duxerat, viri & Conſulatu, & Præfecti Prætorio dignitate nobilis, quam imperante Arcadio exercuerat,

Huic ſocer Anthemius, Præfectus, Conſul & idem.

Anno nimirum CCCCV. cum Stilicone faſces erexerat. Itaque non *paternum*, ut Baronius indicare videtur, ſed maternum Anthemii Auguſti avum ſenior Anthemium egit. Neque à paterna avitaque virtute degenerabat Junior Anthemius, qui præclaris in Dacia factis, obſidione Sardicenſi, præliiſque cum *Hormiſda*, Scytharum Duce geſtis, famæ multum ſibi pepererat. Conſul anno CCCCLV. proceſſerat, virtutibuſque ſuis dignus inventus fuerat, cui Marcianus Auguſtus unigenitam filiam nuptum collocaret:

Sidon. carm. 2. v. 194.

Princeps, cui mundus ab Euro
Ad Zephyrum tunc ſceptra dabat, cui nubilis atque
Unica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum.

Tot nominibus clarus Anthemius, Leoni Imperatori Collega aſcitus eſt. Quis novo Principi natalis dies contigerit, ponitur in ſententiis. Idacius, qui eâ ætate Chronicum ſcribebat ſuum, *De Conſtantinopoli*, inquit, *à Leone Auguſto Anthemius frater Procopii* (legendum potius *filius*) *cum Marcellino, aliiſque Comitibus, viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copioſi ad Italiam Deo ordinante directus aſcendit. Romanorum* XLVI. *Anthemius octavo milliarie de Roma Auguſtus appellatur, anno Leonis imperii octavo, menſe Auguſto.* At Aprili Anthemium purpurâ indutum fuiſſe, tradit Cuſpiniani Anonymus: *Levatus eſt Imperator Dominus Anthemius Romæ, pridie Idus Aprilis.* Quæ & Chronologia Idacio anteponenda videtur, cùm natalis Anthemiani diem ab oblivione vindicarit Autor, quo diligentem accuratumque ſe præbuit. Anthemium dum Lupercalia agebantur, quæ Februario XIV. cohærebant, in urbem veniſſe, docuit nos Gelaſius. Quo & Anonymi Cuſpinianei ſententia firmatur. Vix enim veriſimile, non niſi ſexto poſt ſuum in urbem adventum menſe Anthemium Imperatorem eſſe nuncupatum. Regnavit annos quinque, menſes tres, ad annum ſcilicet CCCCLXXII. quo Julii XI. à Richomero genero occiſus eſt. Locus, ubi ſuſcepit Imperium, Caſſiodoro *Brontotus* vocatur, tertio ab urbem milliario, non octavo, uti Idacius habet. Egregii novo Principi mores fuere, quibus ſanè paucis præconii multum Sidonius præbuit: *Cumulus accedit laudibus Imperatoris, quòd amare palam licet & capite damnatos.*

Sidon. Ep. l. 1. c. 7.

Infelix Anthemii in regnum ingreſſus.

II. Cæterùm non addicentibus avibus Anthemius Imperium ſortitus eſt. Ejus adventum graviſſima peſtis ſubſequitur, teſte Gelaſio in ſuo adverſus *Andromachum* Senatorem tractatu: *Quando Anthemius Imperator Romam venit, Lupercalia utique gerebantur, & tamen peſtilentia tanta ſubrepſit, ut toleranda vix fuerit. Numquid per Campaniam Lupercalia gerebantur, quæ ſublata morbos illic, & peſtilentiam procrearent.* More antiquo Anthemius imagines ſuas laureatas Conſtantinopolim miſit, *quæ per Pherentium Præfectum urbi illata ſunt.*

Lab. Conc. t. 4. 1236.

Chr. Alex.

Nichomeri cum Anthemii filiâ nuptiæ.

III. Neque fauſtior Anthemii cum Richomero affinitas. Conſtitutum erat, ut Euphemiam Imperatoris filiam duceret, quo firmiſſimis nuptiarum iſtarum ope vinculis ſocer generque jungerentur. Hymenæum carmine celebravit Sidonius:

Sid. car. 2. 481.

Patrio veſtiri murice natam
Gaudeat Euphemiam, ſidus divale parentis:
Adjice prætereà privatum ad publica fœdus;
Sit ſocer Auguſtus genero Richomere beatus.

Nuptiis interfuit Sidonius Apollinaris, ut *Herenio* ſuo ſignificatum ivit. Dum Romam petit, febrim contrahit, *ſeu Calaber Atabulus, ſeu peſtilens regio Tuſcorum ſpiritu aëris venenatis flatibus inebriato* corpus infeciſſet. Priuſquam urbis pomeria contingeret, *triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, Omnem*, inquit, *protinùs ſenſi membris malè fortibus exploſum eſſe languorem.* Paucis dein additis ſubjungit: *Interveni nuptiis Patricii Richomeris, cui filia perennis Auguſti in ſpem publicæ ſecuritatis copulabatur.* Quæ lætæ ſpes iſtæ omnibus affulſerant, perfidiâ ambitioneque Richomeri evanuerunt: ut ex nuptiis non generum, ſed parricidam Anthemius invenerit:

Sidon. Ep. l. 1. 5.

Metam. l. 6. f. 7.

Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adeſt, non illi Gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides ſtravere torum.

Theodoricus à fratre occiditur. mores Theodorici.

IV. Non unius Richomeri ex animo extirpata humanitas. Diriſſimo crimine *Euricus*, Theodorici Gothorum Regis frater teſtatur, flagrantibus ambitione fruſtra opponi ſanguinis, atque naturæ jura. Paucis & crimen Eurici, & Theodorici fata nos Idacius docuit: *Per Theudericum Salla Legatus mittitur ad Remiſmondum Regem Suevorum, qui reverſus ad Gallias, eum à fratre ſuo Eurico reperit interfectum, Euricus pari ſcelere, quo frater, ſuccedit in regnum, qui honore provectus, & crimine, Legatos ad Regem dirigit Suevorum, quibus ſine mora remiſſis ejuſdem Regis Legati ad Imperatorem, alii ad Vandalos, alii diriguntur ad Gothos.* Imperator ille Anthemius eſt, cujus inaugurationem proximè memoraverat. Quod nobis Baronianum errorem retegit, Theodorici mortem cum anno CCCCLXIV. copulantis, triennii prochroniſmo. Cùm in aſſignandis *Eurici* initiis peccaſſet illuſtriſſimus Purpuratus, nil miri, ſi *viginti annos* imperio ipſius aſſignet, qui ſeptemdecim duntaxat numerari debent, anno 484. completi, quibus menſes aliquot addi poſſunt, quibus labentibus multum Euricus & ſanguinis fudit, & prædæ egit: *Euricus ſtatim bello deſævit, parteſque Luſitaniæ deprædatur: qui primùm captâ Pampilonâ, Cæſarauguſtam invadit: totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit. Tarraconenſem etiam nobilitatem, quæ ei repugnaverat, exercitus irruptione peremit. In Gallias autem regreſſus, Arelatum & Maſſiliam urbes capit, ſuoque regno utramque ſubjecit.* Porrò Theodorico virtute Euricus longè inferior fuit, etſi par in ſcelere, atque felicitate. Ferali ambitione Theodoricus Thoriſmundum fratrem jugula-

Idac. Chron.

Error Baronii.

Bar. Ann. 464. n. 1.

Iſidor. Chr. Got.

ANNO DOM. 467.

gularat. Vitia tamen hæc ſua multis virtutibus redimebat, quas fuſè Sidonius exequitur in ſua ad *Agricolam* Epiſtola: *Vir eſt, & illis dignus agnoſci, qui eum minus familiariter intuentur, ita perſonam ſuam Deus arbiter & ratio naturæ conſummata felicitatis dote ſociata cumulaverunt. Mores autem hujuſcemodi, ut laudibus eorum nihil ne Regni quidem defraudet invidia.* Dein longâ deſcriptione progreditur, regii ad corporis formam, & animi indolem depingendam. Ex ea ſatis ſit nonnulla referre, quibus Theodoricus innoteſcet:

Sidon. l. 1. Ep. 2.

Antelucanos Sacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi ſedulitate veneratur: quanquam ſi ſermo ſecretus poſſit animadvertere, quod ſervet iſtam pro conſuetudine potius, quàm pro religione reverentiam. Reliquum mane regni adminiſtrandi ſibi cura deputat. Circumſiſtit ſellam armiger, pelliticorum turba ſatellitum ne abſit admittitur, ne obſtrepat eliminatur, ſicque pro foribus immurmurat, excluſa velis, incluſa cancellis. Inter hæc intromiſſis gentium legationibus audit plurima, pauca reſpondet: ſi quid tractabitur, differt; ſi quid expeditur, accelerat. Hora eſt ſecunda, ſurgit è ſolio, aut theſauris inſpiciendis vacaturus, aut ſtabulis... Si in convivium venitur, quod quidem diebus profeſtis ſimile privato eſt, non ibi impolitam congeriem liventis argenti, menſis cedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit. Maximum tunc pondus in verbis eſt; quippe cum illic aut nulla narrantur, aut ſeria... Cibi arte, non pretio placent; fercula nitore, non pondere, &c. Vixit Rex tantus, cinis, & manes, & fabula factus, magnumque poſteris exemplum præbens, ne immenſa coronæ cupido æqui jura reſolvat: cùm quod ad regnandum, extincto germano ſcelus perpetrarat, fratris quoque ſui Eurici pari crimine fuerit vindicatum.

Mors Hilari Papæ: ejus in reſiſtendo Macedonianis conſtantia.

Gelaſ. Ep. 13. 1208.

V. Res Eccleſiaſticas ingredi jam tempus eſt. Pietate, fortitudineque ſuâ ultima vitæ ſuæ tempora nobilitavit Hilarus, dum Macedonianorum conatibus, in urbe Conventicula agitare volentium, impedimentum oppoſuit. Rem ſcitu non injucundam memoriæ commendavit Gelaſius in ſua ad Epiſcopos Dardaniæ Epiſtola: *Sanctæ memoriæ quoque Papa Hilarus Anthemium Imperatorem, cùm Philotheus Macedonianus, ejus familiaritate ſuffultus, diverſarum Conciliabula nova ſectarum in urbem vellet inducere, apud B. Petrum Apoſtolum palam ne id fieret, clarâ voce conſtrinxit in tantum, ut non ea facienda cum interpoſitione ſacramenti, idem promitteret Imperator.* Hâc ſuâ gloriâ ſepelitur Hilarus, qui non multò pòſt rogatum juramento Principem naturæ ſatisfecit Pontificatus anno ſexto, ut nos monet Idacius: *Hilaro defuncto ſex Sacerdotii ſui annis expletis,* XLV. *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.* Simplicius, quem tamen obitum non accuratè ſatis cum Anthemii anno ſecundo copulat, qui Dom. eſt CCCCLXVIII. Baronio ſupremus Hilari dies *quarto Idus Septembris* affigitur; nullo teſte idoneo: cùm ne vel acta Pontificalia hic ſibi conſtent. Antiqui verò, qui ſex Hilaro annos aſcribunt, Idacius atque Marcellinus dies menſeſque Pontificatus omiſerint. Ignoretur ergo ultima Hilari dies. Multa huic Pontifici opera vindicantur, de quibus mentio eſt in Actis Romanorum Epiſcoporum: *Fecit Oratoria tria in Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ. S. Joannis Baptiſtæ, & Joannis Evangeliſtæ, & ſanctæ Crucis, omnia ex argento & lapidibus pretioſis. Confeſſionem S. Joannis Baptiſtæ fecit ex argento, quæ penſabat libras centum. Et Crucem auream, & Confeſſionem S. Joannis Evangeliſtæ fecit ex argento, quæ penſabat libras centum; & crucem auream; & in ambobus Oratoriis januas æreas & argento cluſas,* &c. Sed & Oratorium S. Stephani in Baptiſterio Lateranenſi, & Bibliothecas duas in eodem loco feciſſe dicitur.

ANNO DOM. 467.

Simplicius Papa creatur.

VI. Simplicius, natione Tiburtinus, ex patre *Caſtino*, ſuccedit Hilaro. Diu Pontificatum tenuit, ad uſque ſcilicet annum CCCCLXXXIII. labente Epiſcopatus decimo ſexto: primus tamen ultimuſque ipſius & menſis, & dies habetur in incerto. Ut Leoni innotuit Auguſto, *Simplicium* ad Pontificales honores promotum eſſe, ſummâ operâ niſus eſt, ut dignitas Conſtantinopolitano Præſuli à Chalcedonenſibus conceſſa, aſſenſu Pontificis firmaretur. Qui Leonis veſtigiis incedens, ſuffragium abnuit ſuum eo obtentu, ne de ſacris Nicænorum Conſtitutionibus aliquid decerperetur. Hoc Gelaſius teſtatur in ſua ad Epiſcopos Dardaniæ Epiſtola: *Eaque nihilominus etiam ſub ſancta memoria Papa Simplicio Legatum Sedis Apoſtolicæ, ſanctæ memoriæ Probum, Canuſinæ urbis Epiſcopum Leone Principe tunc petente præſente, docuiſſe, nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus præbuiſſe conſenſum: atque ideò non ad civitatis cujuſlibet reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paternâ traditione firmatum, convenienter obſervent.*

Lab. Conc. t. 4. 1207.

ANNO U. C. 1221. PER. JUL. 5181. JUL. 513. DOM. 468. LEONIS 11. & 12. ANTHEMII 1. & 2. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 13. *Indict.* 6. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

ANNO DOM. 468.

COSS. *Anthemius ſolus.*

Sidonius Panegyricum Anthemio dicit.

I. ANthemii Conſulatum, Auguſteâ purpurâ jam nobilem, clariorem adhùc fecit Apollinaris Muſa Sidonii. Romam venerat Sidonius, Arvernorum Legatus, ut popularibus ſuis aliquid à Principe impetraret. Utebatur quàm familiariter Cæcinâ Baſilio, viro Conſulari, cujus laudes in ſua ad *Heronium* Epiſtola fuſiſſimè exequitur: Intereà imminebant *Calendæ Januariæ, quæ Auguſti Conſulis mox futuri, repetendum Faſtis nomen operiebantur.* Sidonium igitur Baſilius hortatur, *ut in obſequium novi Conſulis veterem Muſam exerceret: Præbebo,* inquit, *admittendo aditum, recitaturoque ſolatium, recitantique ſuffragium.* Jubenti Sidonius paruit, edito Panegyrico, cujus initium eſt:

Sidon. carm. 2.

Auſpicio & numero faſces, Auguſte, ſecundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum, Conſul vetus, ac ſine faſtu
Scribere bis faſtis.

Egregium carminis præmium tulit Sidonius, juvante Baſilio: *Favorem ille non ſubſtraxit injunctis, & impoſitæ devotionis aſtipulator invictus egit cum Conſule meo, ut me Præfectum faceret Senatus ſui.*

Sidon. Ep. l. 1. 9.

Arvandi rebellio: in exilium ejicitur.

II. Læta hæc Sidonii amaris temperavit caſus *Arvandi*, ſibi olim amiciſſimi. Infelicis hominis hiſtoriam ſummatim referemus. Geminam in Gallia Præfecturam Arvandus *per quinquennium, repetitis faſcibus rexerat.* Primam gubernarat *cum magna popularitate, conſequentemque cum maxima populatione.* Oppreſſus ære alieno, metu creditorum *ſucceſſuros ſibi Optimates æmulabatur.* Ad Regem quoque Gothorum ſcripſerat, ne cum Græco Imperatore pacem

face-

faceret: *Britannos ſupra Ligerim ſitos impugnari, cum Burgundionibus jure gentium Gallias dividi debere*: *Odii publici mole vallatus, & prius cinctus cuſtodiâ, quam poteſtate diſcinctus*, Arvandus captivus Romam ducitur. Cuſtodiebatur in Capitolio à *Flavio Aſello*, Comite ſacrarum Largitionum, dum Legati Galliæ *Tonantius Ferreolus* Præfectorius, Afranii Syagrii Conſulis ex filia nepos, *Thaumaſtus* quoque, & *Petronius* reum publ co nomine accuſaturi ſequuntur. Sidonius cum Auxanio ad Arvandum accedens, ſuadet, *nil quaſi leve fatendum*. Tum in convicia erumpens, *Abite degeneres*, inquit, *& Præfectorus Patribus indigni, cum hac ſuperforanea trepidatione. Mihi quia nihil intelligitis, hanc negotii partem ſinite curandam. Satis Arvando ſua conſcientia ſufficit, vix illud dignabor admittere, ut advocati mihi in actionibus repetundarum patrocinentur*. Temerariam hominis confidentiam non multò pòſt pœna corripit, cujus ſecurus ignaruſque, gemmas, precioſaque trapezitarum involucra quaſi mercaturus inſpiciebat. Adveniente judicii die *Curiam paulò antè detonſus, pumicatuſque* ingreſſus, mediis propè Judicum ſinibus ingeritur. Prolatâ, cujus meminimus Epiſtolâ, Arvandus nec dum interrogatus, ſe dictaſſe proclamat. Subinde publico carceri addicitur, *Miſer, nec miſerabilis*, quia *ſub atratis accuſatoribus exornatum, politumque* ſe Judicibus intulerat, delibutum mox latomiis, aut ergaſtulo includendum: *Judicio vix per hebdomadem duplicem comperendinato, capite multatus, in Inſulam conjectus eſt ſerpentis Epidauri*. Trigiota dierum vitam poſt ſententiam trahens, uncum & gemonias ſingulis horis expectabat. Crimine tamen major fuit Auguſti clementia, quæ publicatis bonis in exilium damnavit *Arvandum*, anno CCCCLXIX. Caſſiodoro teſte: *Marciano & Zenone Coſſ. Arabundus* (lege *Arvandus*,) Imperium tentans, juſſu Anthemii deportatur.

Sidon. Ep. l. 1. 7.

Aſpar cum Ardaburio à Leone occiditur.

III. Hæc in Occidente. Orientem verò magni motus inceſſebant. Aſpar, genere *Alanus*, à pueritia militiam ſecutus, Reipublicæ fuerat emolumento. Hic eſt ille Aſpar, filius Ardaburi, qui Theodoſiano exercitui præfectus Joannis tyranni in poteſtatem venerat. Magna Aſparis erat in Imperio autoritas, cui Auguſteam Leo purpuram præcipuè debuit. Complures Aſpari filii erant, Ardaburius, Patricius, Hermenericus, ab eo fortè non diverſus, qui anno CCCCXLV. Conſul proceſſerat. Ternis eos conjugiis pater cum duabus filiabus ſuſceperat, ut nos apud Photium *Candidus* docuit. Et ſuâ, & filiorum virtute ſubnixus Aſpar, rerum penè potiebatur, quod Leoni, qui ab ipſis regebatur, dolori erat. Itaque non ſemel inter ſe altercati fuerunt, ut ſtrictim ex Candido retulit Photius: *Narrat*, inquit, *Aſparis, liberorumque ejus potentiam, & Leonis per Aſparem electionem. De urbis conflagratione exorta, quæque hic ab Aſpare Reip. commodo geſta ſint. De Titiano & Viviano, atque de illis Aſpar cum Imperatore contenderit, & quæ, & qualia inter eos tum verba jacta fuerint. Imperatorem ea de cauſa cum Iſaurorum gente ſocietatem iniiſſe, per Taraſicodiſſam Ruſumbladeoti filium, quem etiam Zenonem mutato nomine vocatum, generum ſibi aſcivit, cùm is priorem conjugem mortalium lege amiſiſſet. Ardaburium item, quo Imperatori adverſaretur, Iſauros æquè ſuarum partium facere conſtituiſſe, atque Martinum quemdam Ardaburis familiarem Taraſicodiſſa indicaſſe, quæcumque in Imperatorem machinarentur*. Exinde aſperius indies creſcentibus mutuis ſuſpicionibus, difficillimum fuit, quin diſſidiorum, odiorumque maturitas in cladem erumperet. Cui latius ſeſe aperiendæ Vandalicum bellum, quod Leo moliebatur, occaſionem præbuit. Aſpar cum filiis religione Arianus erat, quæ Conſtantinopolitanis maximum odium movebat. Arii diſciplinam cùm coleret & Genſericus, palam aſpertèque Aſpar prædicabat, Vandalo ſuperatum iri Leonem, cujus Religio Deo ingrata erat, quod & Nicænæ, & Chalcedonenſis Synodi partes ſibi tuendas ſuſcepiſſet: *Atque ut vera dicere viderentur, clam cum Baſiliſco congreſſi, ſceptrum ei ſe daturos pollicentur, ſi Genſerico victoriam concederet*. Porrò ſive arte aulicâ, ut Aſparem cum familia facilius perditum iret, ſive ut benevolentiam ejus ſibi conciliaret Leo, *Patricium* de Aſparis filiis unum Cæſarem creatum, deſponſatâ ei, quam ex Verina Auguſta ſuſceperat, Ariadne filiâ, ſibi generum facit. Fama eſt, nihilominus dolos Principi machinatum. Quod ubi Conſtantinopolitani noverunt, conviciis tam Aſparem, quàm filios ejus aſperius in Hippodromo proſcinduut. Illi plebem metuentes, Chalcedone exercitu omni eos conſequente petitâ in Templum Euphemiæ Martyris confugerunt. Imperator Patriarchâ ad eos miſſo, ſe fidem eis ſervaturum eſſe, ſi ex Eccleſia diſcederent, pollicetur: *Ipſi verò ſe loco eo exceſſuros, niſi Imperator ipſe adeſſet negaverunt. Proinde Leo eò conceſſit, & viros eos præter rationem ad ſe attraxit, & ad menſam ſuam adhibuit. Alia ex parte Zenoni Iſauro, qui fidus ei maximè videbatur, ut is illis per balneas in regiam venientibus ſubito impetu capita reſecaret, præcepit. Zeno Ardaburio primùm caput amputavit. Quod ubi Aſpar vidit, indoluit, magnâ voce exclamans, Dignum, inquit, fert exitium ſenex canus, qui fruſtra gloriatus eſt, neque unquam admonitioni meæ audiens fuit. Perſæpè enim dixi: Prius leonem devoremus, quàm ille nos ſibi in prandio apponat. Hæc ubi dixit, & ipſe ferro cæſus, vitam amiſit*. Patricius Cæſar acceptâ plagâ ſalvus evaſit. Alius item ex Aſpari filiis Hermenericus, quòd abeſſet tum fortè à patre, cædem effugit. Ardaburi Aſpariſque corpora in fruſta conciſa ſunt, ſi Chronici Alex. Scriptori fides, qui hoc etiam addit, Gothos ob eam cædem tumultuantes, motum in urbe regia concitaſſe, Oſtrumque Comitem de amicis Aſparis unum, in palatium cum aliis Gothis irrupiſſe, initoque certamine multos occidiſſe, & cùm ſe victum animadverteret, arreptâ Aſparis pellice Gothâ, elegantis formæ muliere, in Thraciam fugiſſe, cujus agros populatus eſt. Hinc jactatum Conſtantinopolitanis: *Nemo amicus morienti, niſi ſolus Oſtrus*. Factum hoc Leonis nobis probari non poteſt, flagitii ſcilicet plenum, & dedecoris. Zeno Ariadnem uxorem pro ſceleris præmio habuit, depoſitoque priori nomine, exercitus Orientis Dux creatus eſt. Noſtræ Chronologiæ Baronius adverſatur, qui Aſparis obitum cum anno CCCCLXX. copulavit. Huic verò ſententiæ fuæ in auxilium Marcellinum vocat, à cujus tamen Chronico diſcedit, quod in annum CCCCLXXI. Aſparis obitum refert, Leone III. & Probiano Coſſ. Quorum in Conſulatu legitur: *Aſpar primus Patriciorum, cum Ardaburio & Patriciolo filiis, illo quidem olim Patricio, hoc autem Cæſare, generoque Leonis Principis appellato, Arianus cum Aria-*

Phot. Bibl. c. 78. p. 174.

Niceph. l. 15. c. 27.

Phot. c. 18 274.

ANNO DOM. 468.

na prole ſpadonum enſibus in palatio vulneratus interiit. Marcellino aſſentitur & Caſſiodorus, quorum ab errore nos revocat Idacius. Quippe in ultimo ſui Chronici anno, qui Dionyſianus eſt CCCCLXVIII. de triſti infelicis Aſparis caſu mentionem egit: *Legati, qui ad Imperatorem miſſi fuerant, redeunt nuntiantes, Aſparum degradatum ad privatam vitam, filium ejus occiſum adverſum Romanum Imperium, ſicut detecti ſunt, Vandalis conſulentes.*

Idac. Chron.

Leonis in Genſericum magna ſimul infelixque expeditio.

IV. Dum ea tragœdia Conſtantinopoli peragitur, *Baſiliſcus* Verinæ Auguſtæ frater cum ſua claſſe Carthaginem petebat. Leoni indignationem moverat Genſerici audacia, qui archipiratam agens navibus ſuis maria inſulaſque infeſtabat. Ac ſuperiore anno Vandalum adoriri, Leo ſibi conſtituerat in animo: quod tamen conſilium fruſtra fuerat, Idacio teſte: *Expeditio ad Africam adverſus Vandalos ordinata, metabolarum commutatione, & navigationis inopportunitate revocatur.* Dilata in labentem annum videbatur, ut majoribus quidem viribus collectis Genſericus prorſus obrueretur. Spem lætæ victoriæ alebant omnia. *Marcellinum* Patricium ſibi Leo aſciverat. Vir erat Ethnicus, ſed magnæ exploratæque virtutis, qui Ætio interfecto in Dalmatiam conceſſerat: neque ullâ ratione ad Valentinianum redire voluerat. Aëres novas excitando tantæ potentiæ fuit, ut nemo ei reſiſteret. Quem Leo ſibi conciliavit, ut ejus operâ in Barbaros uteretur. Romanæ claſſi mille & centum naves erant, quibus non pœnitendæ copiæ imponebantur: *In eam claſſem mille & ducenta centenaria auri pondera Leo impendiſſe, eidemque ſupra ſeptem millia remigum attribuiſſe dicitur.* Expeditionis hujus ſumptus accuratius memorat Candidus: *Per Præfectos quidem Prætorio impenſa ſunt auri librarum XLVII. millia, per Comitem verò Largitionum impenſa ſunt auri librarum ſeptemdecim millia, & argenti librarum ſeptingenta millia, cùm ſumptus abunde ſuppeterent, partim ex bonis proſcriptorum, partim ex Ærario Imperatoris Anthemii.* Gemebant ſub tot navium pondere maris fluctus, credebaturque non immeritò Africa in Romanam ditionem iterum reditura. Sed partim Baſiliſci ſocordiâ, partim ipſorummet Romanorum perfidiâ ingens ille apparatus in fumi umbram vertitur. Ac primùm à Marcellino res in Sardinia feliciter geſta, quæ Vandalicâ tyrannide faciliimè liberatur: at enim virum fortiſſimum tela non hoſtilia quidem, ſed fœderata ingenti proditione peremerunt. Ubinam locorum perierit Marcellinus, dubium Scriptores fecere, qui multa variant. Caſſiodori Chronicum: *Anthemio Auguſto II. Conſule in Sicilia Marcellinus occiditur.* Contrà verò Chronicum Marcellini ipſum in Africa periiſſe tradit, quod eſt & vero ſimilius: *Marcellinus Occidentis Patricius, idemque Paganus, dum Romanis contra Vandalos apud Carthaginem pugnantibus, opem auxiliumque fert, ab iiſdem dolo confoditur, pro quibus venerat pugnaturus.* Baſiliſcus verò cum tota claſſe ad parvum oppidum à Carthagine non minus CCLXXX. ſtadiis diſtans, applicuit, ubi Mercurii templum antiquitùs conditum fuit. Quòd ſi minimè cunctatus indè è veſtigio Carthaginem advolaſſet, ipſam procul dubio cepiſſet. Victoriæ, quam penè amplectebatur, occaſionem amiſit Ducis ſive tarditas, ſive ignavia, ſeu etiam proditio. Cùm Baſiliſci moras animadverteret Genſericus, *in primis ſubditos omnes velociter cum navibus, quibus poteſt, armat, partim viris vacuas mittit, ut repente adnavigantes cum inſtrumentis ac munitionibus ſint preſtò parati: interimque Legatos ad Baſiliſcum mittit, rogatum ut quinque dierum ſpatio prælium ſuperſedeat, donec quidnam facturus ſit, tempus habeat deliberandi, an Imperatori obtemperet.* Dum ſomno milites capiuntur, Genſericus claſſem incendit, & cum vehementior ventus flammam in ſublime tolleret, naves aliæ ab aliis ignem concipiunt. Si qui milites ignem evadebant, Vandali ſubinde contra eos perimebant. Ex tanta claſſe vix ac ne vix quidem navis una ſuperſtes fuit. Baſiliſcus cum paucis ægrè arreptâ fugâ Conſtantinopolim ingreſſus, ad magnam Eccleſiam confugit. Soror Verina cum periculo liberatum, in Perinthum Thraciæ, ut ibi degeret, miſit.

Procop. l. 1.

Niceph. l. 51. c. 27.

Procop. de Bel. Vandal. l. 1. c. 6.

Niceph. l. 15. c. 27.

Idacius Lucenſis: ejus Chronicum.

V. Res Eccleſiæ non diu nos detinebunt. Labente anno non CCCCLXX. ut Suevo creditum, ſed CCCCLXVIII. Idacii Chronicum terminatur: *Provincia Gallicia natus in Lemica civitate*, ad Epiſcopatum promotus fuerat. Vulgò popularibus ſocsis impoſitus eſſe creditur: itaque Sigeberto, aliiſque *Lemica* ſcribitur Epiſcopus. Covio autem *Aquaflavienſis* Præſul dicitur. Quæ ſententia in verbis Idacii collocata videtur: *Frumarius cum manu Suevorum, quam habebat impulſus, capto Idacio Epiſcopo, VII. Kal. Auguſti, in Aquaflavienſi Eccleſia, eundem Conventum grandi evertit excidio.* Reverà tamen his in verbis nil eſt præſidii, cùm Aquæflavia urbs non eſſet Epiſcopalis. Præficiatur ergo *Lucenſi* civitati, cujus meminit Plinius. Famâ utcunque clarus erat Idacius, quem in ſua ad Turibium Epiſtola Leo in commendatione habet: *Si autem aliquid, quod abſit, obſtiterit, quo minus poſſit celebrari generale Concilium, Gallæcia ſaltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregatis, fratres noſtri Hydatius & Ceponius imminebunt.* Ardens pietatis amore Manichæos in Aſturicenſi urbe Gallœciæ latentes detexerat, ac quæ in ipſis interrogandis geſta fuerant, *Antonio* Emeritenſi direxerat. Captus in Aquæflavienſi Eccleſia Vandalicam, trium menſium captivitatem paſſus, ob ea liberatus fuerat. Chronicum condidit ab anno primo Theodoſii, qui Dom. eſt CCCLXXIX. ad uſque ſecundum Anthemii, qui in CCCCLXVIII. incidit. Quorum teſtis fuit, illa quidem Chronologiæ uſui ſunt, quæ verò ex aliorum monumentis, vel fama accepit, multis ſunt erroribus reſperſa. Prodigia autem varia narrat, quorum fides difficillima. Exemplo ſint ea, quibus Chronicum abſolvit: *Prodigia in locis Gallæcia pervidentur. In flumine Minio de municipio Lais capiuntur piſces quatuor, novi viſu, & ſpecie, ſicut retulere qui ceperant Chriſtiani, & religioſi, Hebrais & Græcis literis, Latinis autem Ærarum numeris inſigniti, ita CCCLXV. anni circulum continentes, pari menſium intervallo. Haud procul de ſuprà dicto municipio in ſpeciem lenticula viridiſſimorum, ut herba quadam, formâ granorum, plena amaritudine, defluxit è Cœlo, & multa alia oſtenta, quæ memorare prolixum eſt.*

Chr. Idac. pag. 27.

Leo Ep. 93.

ANNO

ANNO DOM. 469.

ANNO U. C. 1222. OLYMP. 312. PER. JUL. 5182. JUL. 514. DOM. 469. LEONIS 12. & 13. ANTHEM. 2. & 3. *Sol.* 2. E. *Lun.* 14. *Indict.* 7. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.*

COSS. *Zeno & Marcianus.*

Incendium & calamitates urbis Conſtantinopolitanæ.

Chron. Alex.

Evagr. l. 2. c. 14.

I. LEonis in perſidiam, qui ſpretâ ſacramenti religione Aſparem Ardaburiumque morti miſerat, vehementer eſt vindicatum regiæ urbis incendio. Tantum exitit, quantum anteà nunquam: *Arſit enim civitas a mari ad mare. Territus ergo Leo Imperator, contulit ſe Peram ad S. Mamantem, fecitque portum, & porticum, qui locus ita vocatur hodie, Nova Porticos.* Pro imbre ciuis depluit, & quatuor digitos altus tegulas inſedit, adeò ut omnes perculſi ſe in preces darent. Quod Novembris die xi. contigit. Cinerea pluvia hæc ex terræ motu ortum duxiſſe videtur, quo Thracia & Helleſpontus concuſſæ ſunt: *Ionia quoque, & Inſulæ Cyclades eandem calamitatem ſunt expertæ, ita ut in Cnido & Co Inſulis pleraque ædificia corruerint.*

Alani Thraciam invadunt. Filius Attilæ occiditur.

Jorn. c. 53.

II. Leonis in Vandalos expeditio, innumeris & navibus & militibus conſtans, inermem nudamque Thraciam barbaricis excurſionibus expoſuiſſe videbatur. Commodam ergo *Hunni* occaſionem amplectuntur, Orientis Imperium laceſſendi. Belli autor Attilæ filius *Dengiſicus*, qui laceræ paterni regni partis potiebatur. Ac neſcimus, an non ſit ille ipſe *Dinzio*, de quo Jornandis in Geticis mentio eſt: quod nomen non multum differt à *Dinzic*, quâ appellatione Thraciæ invaſor Attilæ filius à Marcellino donatur. Sed & mores locaque congruunt. Contra *Satages*, qui interiorem Pannoniam poſſidebant, Gothi arma moverant: *Quod ubi Rex Hunnorum Dinzig, filius Attilæ, cognoviſſet, collectis ſecum, qui adhùc videbantur, quamvis pauci, ejus tamen ſub imperio remanſiſſe, Ulzingures, Angiſciros, Bittugores, Berdores, veniens ad Baſſianam Pannoniæ civitatem, eamque circumvallans, fines ejus cœpit prædari. Quo comperto Gothi, ubi erant, expeditionemque ſolventes, quam contra Satagas collegerant, in Hunnos convertunt, & ſic eos ſuis à finibus ingloriós pepulerunt, ut jam ex illo tempore qui remanſerant Hunni, & uſque hactenùs Gothorum arma formident.* Quòd ſi Denſic à Dizio diverſus eſt, prior ille impetu in Thraciam facto miſerè periit. Quâ ratione obierit, in Chronico Alex. legitur: *Attila filius ab Anagaſto Magiſtro Militum in Thracia caſus eſt, cujus caput delatum Conſtantinopolim, dum Circenſes agerentur, per medium Circum geſtatum eſt, & portatum ad Xylocercum palo ſuſpenditur. Cujus ſpectandi cauſâ multis diebus univerſa civitas egreſſa eſt.* Grande quidem, triſteque ſimul ſpectaculum, ut potentiſſimi Regis, qui Imperium penè Romanum concuſſerat, filius latronis inſtar mortalium eſſet ludibrio, nec capiti ſuo terræ tantillum haberet ad ſepeliendum. Ut in mentem recurrat Horatius:

Horat. Od. l. 1. 35.

Fortuna ſævo læta negotio,
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores.

In annum proximum Dinſicis mortem Chronicum confert Alexandrinum: in præſentem Marcellinus, quod & nobis vero ſimilius: *Zenone & Marciano Coſſ. caput Denſicis Hunnorum Regis, Attilæ filii, Conſtantinopolim allatum eſt.* Hoc bellum eſt Scythicum contra Orientales Romanos, cujus meminit Evagrius.

Lex pulcherrima Leonis de Epiſcoporum electione.

Cod. Juſt. l. 1. tit. 3. l. 31.

III. Pulcherrimâ Lege annum Leo nobilitavit de electione Epiſcopi: *Si quemquam vel in hac regia urbe, vel in cæteris Provinciis, quæ toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi Deo autore contigerit, puris hominum mentibus, nudâ electionis conſcientiâ, ſincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur. Quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Profectò enim, quis locus tutus, & quæ cauſa eſſe poterit excuſata, ſi veneranda Dei Templa expugnentur? . . . Itaque caſtus, & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut quocunque locorum pervenerit, omnia vita propria integritate purificet. Nec pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola ſibi ſuffragetur neceſſitas excuſandi,* &c. Data eſt VIII. Idus Mart. Conſtantinopoli, *Armaſioque*, ſive Armato Præf. Præt. miſſa.

ANNO DOM. 470.

ANNO U. C. 1223. PER. JUL. 5183. JUL. 515. DOM. 470. LEONIS 13. & 14. ANTHEMII 3. & 4. *Sol.* 3. D. *Lun.* 15. *Indict.* 8. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 4. *P.* 5. *April.*

COSS. *Jordanes & Severus.*

Heraclii in Vandalos expeditio.

Procop. de Bell. Vand. l. 1. c. 6.

I. ROmanæ claſſi à Genſerico immiſſæ clades Vandalum extulerant, ambitionique jam ſatis magnæ arduos ſpiritus attulerant. Leo verò pudore ſuffuſus, res amiſſas omnibus artibus modiſque reparare conabatur. Novæ ergo expeditioni Heraclium præficit, atque Marſum: nec prorſus ſine ſucceſſu. Heraclius Byzantio cum claſſe profectus in Africam, *apud Tripolim Vandalos vicit, navibuſque dimiſſis, cum exercitu pedeſtri adverſus Carthaginem tendit.* Perperàm poſteriorem hanc expeditionem cum priore permiſcet Procopius. Diverſas quidem fuiſſe Theophanis nos Chronicum monuit. In Occidente ita comparatum fuit Anthemii regimen, ut amorem obedientiamque ſubditis potius ſuis imperaret, quàm odium atque rebellionem. Verùm cum mortalium ingenia facillimè in ambitionem, honorumque cupidinem delabantur, è Patriciis unus ſeditionem agitare cœpit, quæ perduellis ſanguine mox extinguitur, quod paucis nos Caſſiodori Chronicum monuit: *Romanus Patricius affectans Imperium capitaliter punitur.*

Commentariis ſcribendis vacat Gennadius.

Gen. Cat. c. 89.

II. Detur aliquid loci rebus Eccleſiaſticis. *Gennadius*, qui pietate ſuâ Conſtantinopolitanis erat admirationi, ſcribendis in Scripturas Commentariis operam dabat, de quibus ad labentem annum hæc Marcellinus habet: *Gennadius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pontifex Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus eſt, & homilias multas compoſuit, & Pauli Epiſtolas omnes expoſuit.* Commentarii in Danielem nec ſine laude meminit Gennadius in illuſtrium Virorum Catalogo: *Gennadius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pontifex, ut linguâ nitidus, & ingenio acer, tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas compoſuit.*

Timocles Synodum Chalced. damnat.

III. Eutychianum incendium, quantis viribus poterant, Præſules addicti pietati extinguere conabantur, ne qua ſcintilla teterrimi erroris relin-

Anno Dom. 471.

giſter Militum, qui ductâ Ariadne Leoni Auguſto gener erat, Antiochiam proficiſcitur, ejus in comitatu verſabatur Petrus. Tum Antiochenæ Sedis cupiditate captus, perſuadet Zenoni, ut conatus ipſius adjuvet: *Conductis igitur quibuſdam ex Apollinaris ſecta, contra fidem, & contra Martyrium Epiſcopum plurimos tumultus excitavit, anathemati ſubjiciens eos, qui non dicerent Deum crucifixum. Quam ob cauſam populum quoque inter ſe diſſidere fecit. Addiderat enim Triſagio hæc verba, Qui crucifixus es pro nobis.* Martyrius ſopiendo tumultui Conſtantinopolim pergit. Nactus Gennadium adjutorem, hanc ab Imperatore Legem impetrat, quâ Petrus non obſcurè perſtringitur: *Qui in Monaſteriis degunt, poteſtatem inde exeundi non habento, vel in Antiochenſi civitate, ſeu aliis quibuſcunque civitatibus converſandi, exceptis duntaxat Apocriſiariis.* Quid verò Martyrio poſtmodum contigerit, dicat Theodorus Lector: Cùm *ad Imperatorem veniſſet, honorificè dimiſſus eſt, ſtudio atque hortatu Gennadii. Reverſus Antiochiam, cùm Antiochenſes turbis ac ſeditionibus delectari, & Zenonem iis favere animadverteret, Epiſcopatui renunciavit, coram univerſa Eccleſia his verbis uſus: Clero contumaci, & populo immorigero, & Eccleſia contaminata renuncio, ſervatâ mihi Sacerdotii dignitate.* Vacuam recedente Martyrio Antiochiæ Sedem è veſtigio Petrus inſilit. Quæ cùm Leoni nunciarentur, meritò ejus indignationem commovere: calcante & Principis, & Eccleſiæ Leges Petri impudentiâ. Imperat ergo Synodum apud Antiochiam cogi, quâ Petrus damnatur. Id patet ex Liberato, c. 18. Petrus cùm pulſo Martyrio *per viliſſimum populum Hæreticum Sedem illius occupaſſet, continuòque damnatum ab Epiſcopis, & Leonis Imperio Samum* (lege *Oaſim*) *deportatum eſſe.* Adjungamus verba geſtorum de nomine Acacii, quibus & Liberatus emendatur: *Continuò damnatum à Leone tunc Principe ad Oaſitanum exilium eſſe directum. De quo lapſum Conſtantinopolim rediiſſe, ac dediſſe fidem, quòd nullas ulterius turbas facere prorſus auderet.* Sed fallax audaxque homo perfidum juramentum dixit, quod imperante Baſilico anno CCCCLXXVI. violavit. Eò enim pertinent, quæ decepeus à Theodoro Lectore Baronius uno tenore narravit.

Cod. Juſt. l. 1. t. 3. l. 29.

Theodor. l. 1.

Lab. Conc. 4. 1082.

Gennadii Conſtantinopolitani mors.

IV. Labente anno Gennadius Conſtantinopolitanus vitæ curricula confecit. Paulò antequam mortem obiret, narrant objectum ei ſpectrum, cujus rei fides ſit apud Autores. Fama autem, quæ pleroſque obtinet, ea eſt: *Gennadius cùm noctu orandi gratiâ ad altare deſcendiſſet, Dæmoniacum quoddam ſpectrum vidit. Quod cùm objurgaſſet, audivit illud exclamans in hæc verba, Se quidem ipſo ſuperſtite quieſcere, poſteà verò Eccleſiam penitùs vaſtaturum. Quod metuens Gennadius, cùm Deum ardentiſſimè precatus eſſet, paulò pòſt è vita diſceſſit.* Magnam de ſe poſteris opinionem Gennadius reliquit. Literæ ipſius Synodicæ, necnon Commentariorum ſuo loco mentionem egimus. Cyrillo Alexandrino adverſarius fuit, cujus in Anathematiſmos tractatum edidit, monente Facundo, qui Excerpta ex eo Opere nonnulla libris ſuis intulit: *Væ mihi à malis, heu heu! unde enim quiſquam in præſenti aliundè ſumat exordium. Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri, & quantas blaſphemias audivi,* &c. Anno CCCCLVIII. Anatolio ſuffectus erat, annisque XIII. Regiæ urbis Epiſcopatum tenuit. Defuncto ſucceſſit Acacius, qui Orphanorum hoſpitio præfectus fuerat.

Theodor. l. 1.

Facund. l. 2. c. 4.

Anno Dom. 472.

Anno U. C. 1225. Per. Jul. 5185. Jul. 527. Dom. 472. Leonis 15. & 16. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 17. *Indict.* 10. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 16. *April.*

Evagr. l. 2. c. 11.

Coss. *Marcianus & Feſtus.*

I. Euricus Rex Gothorum Romanas ſeditiones in commodum vertens, de Imperio partem aliquam in Gallia decerpere conabatur. Nec vires Eurico, nec audacia, nec arma defuere. Jornandem audiamus: Euricus *Gallias ſuo jure niſus eſt occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator, protinùs ſolatia Britonum poſtulavit. Quorum Rex Riothimus cum XII. millibus veniens, in Biturigas civitatem Oceano è navibus egreſſus, ſuſceptus eſt. Ad quos Rex Viſigothorum Euricus innumerum ductans exercitum, advenit diuque pugnans, Riothimum Britonum Regem, antequam Romani in ejus ſocietate conjungerentur, ſuperavit: qui ampla parte exercitus amiſſâ, cum quibus potuit, fugiens ad Burgundionum gentem vicinam Romanis in eo tempore fœderatam advenit.*

Euricus Britonum Regem debellat.

Jorn. de Reb. Get. c. 45.

II. Dum Rempublicam armis tuetur Anthemius, & moribus ornat, innatâ Richomer abreptus perfidiâ, ſocero & Principi ſuo moliri mortem audet. Bellum ſpecie pacis ab Epiphanio conſtitutæ, Gothus iovolvens ad urbem accedit: neque incruenta pugna decertatur. Tanta ſtrages fuit, ut Roma penè ſanguine inundaretur. Teſtis Gelaſius ſuo in Lupercalia tractatu: *Et nuper cum Anthemius & Richomerus civili furore ſubverſa eſt, ubi ſunt Lupercalia? Cur iſta minimè profuerunt.* Nec ſatis erat Richomero, Anthemium Imperio, quod daret Olybrio, ejicere, niſi & vitâ pelleret. Tempus impii facinoris extat in Anonymo Cuſpiniani: *Bellum civile geſtum eſt Romæ inter Anthemium Imperatorem, & Richomerum Patricium. Et levatus eſt Romæ Imperator Olybrius, occiſus verò Imperator Anthemius V. Idus Julias.* Injuſtæ cædis miſerationem cum egregia fama poſteris reliquit Anthemius. Extant etiamnum ejus Edicta ad calcem Theodoſiani Codicis. *Julia* quædam preces fundens altaribus, adſtruxerat ſe cum viro, qui morum claritate libertatem meruerat, matrimonium contraxiſſe. Decernit igitur Imperator, ut quæ ad ſecundum ipſius Conſulatum matrimonia ejuſmodi facta ſunt, *legitimâ firmitate non careant.* A Conſulatu verò ſuo ſecundo, anno CCCCLXVIII. geſto, *Cum ſervis*, inquit, *& libertis Dominas & Patronas ineundi matrimonia facultatem habere prohibemus.* Data eſt X. Cal. Mart. Romæ Anthemio iterum Conſule. Qua itidem anno Leonis & Leges confirmavit. Id in maximam laudem Anthemio ceſſit, quòd Leonem Auguſtum in dubiis veluti parentem conſuluerit, memori quòd ab eo accepiſſet Imperium. Recitentur ipſa verba Leonis: *Pius ac Triumphator ſemper Auguſtus, filius noſter Anthemius, licet divina Majeſtas, & noſtra creatio pietati ejus plenam imperii commiſerit poteſtatem, tamen prudenti, & cautâ, quâ pollet æquitate, per ſacros adfatus nos credidit conſulendos.* Eâ conſultatione ortum Edictum, quòd vacantium bonorum donationes firmæ ſint: qui verò oſtenderit, ad ſe devoluta eſſe ex legitima ſucceſſione, communi Legum fruatur auxilio: *Et nihil bonis licere Principibus, niſi quod liceat privatis.*

Anthemius à Richomero extinguitur: mores Anthemii.

Lab. Conc. t. 4. 1038. Leg. Nov. p. 39.

Leg. Nov. p. 39.

Aurea

Digitized by Google

Aurea ſanè verba, ac digna prorſus, quæ non Annalibus duntaxat, ſed Principum omnium mentibus inſcribantur. Imperium Anthemius tenuit quinquennio, tribuſque menſibus, à XII. ſcilicet Aprilis anni CCCCLXVII. ad uſque Julii XI. anni labentis. Filios reliquit ſuperſtites, *Marcianum*, Leonis Imperatoris ex filia natu minore generum; Romulum, atque Procopium. Antecedentem porrò ſceleſtum Richomerum non pede claudo, ſed citiſſimo quidem pœna aſſequitur, teſte laudato Anonymo: *Defunctus eſt Richomer XV. Cal. Septembris*, octo & triginta duntaxat poſt Anthemium diebus. Barbaricâ autoritate Sanctæ Agathæ Eccleſiam ad radices Quirinalis montis ſitam, uſurparat Richomer, parvam quidem, ſed Salvatoris & Apoſtolorum imaginibus ornatam, cum ea Inſcriptione:

Fl. Richomer, vir illuſtris, Magiſter utriuſque Militiæ, Patricius & Exconſul Ord. pro voto ſuo adornavit.

Quæ Eccleſia Gregorio Magno ſedente Orthodoxis reddita eſt. Inſpiciatur Baronius, cui hanc obſervationem debemus. Neque diu tenuit Imperium Olybrius, quem Richomer Anthemio ſubſtituerat: *Defunctus eſt Imperator Olybrius Romæ decimo Cal. Novembris.* Umbram igitur imperii tenuit menſes tres, dies XIII. eo ſolo clarus, quòd in purpura mortem obierit.

Veſuvii magnum incendium.

III. Non Imperatorum duntaxat funeribus, ſed Veſuviano quoque incendio annus funeſtus fuit. Incendium horrendum, quod Chronico dignum ſuo Marcellinus arbitratur: *Veſuvius mons Campaniæ torridus, inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta evomuit viſcera, nocturniſque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annuè celebrant, octavo Idus Novembris.* At tam late diſpergi Veſuvii viſcera, eſt creditu quidem difficillimum: cùm ne vel totus fortè Veſuvius in cineres redactus, par eſſet tanto ſpatio tegendo. Prohibet certè & ſpatii longitudo, & motus aëris corpuſcula cinerea in tenuitatem inviſibilem ſolventis, ne Conſtantinopolis eo pulvere tegeretur. Chronicum quidem Alexandrinum de ea celebritate nil mentionis egit: indicto Marcellini narrationem falſo propius abeſſe. Anno quidem CCCCLXIX. Conſtantinopoli cineribus pluiſſe legitur, qui quatuor digitos alti tegulis inſederunt, Novembris die VI. Et à vero non abludit, precibus diem eam perpetuò dicatam eſſe, quod & Chronicum Alex. ſubinnuiſſe videtur. Quod Marcellino anſam fortè dedit, cur Veſuviano incendio eos cineres aſcriberet: qui tamen ad illud referri nequeunt, utpote quadriennio antè exorti, quo tempore quidem exuſta viſcera Veſuvius ſua non vomuit. Itaque in Marcellini auxilium *Baronium* fruſtra veniſſe putamus: licet non nobis ignoretur, Veſuvianis incendiis cineres pumicibus mixtos, longè latèque diſpergi. Quò pertinet & Plinii ad Tacitum Epiſtola, quæ libri VI. numero eſt 16. & Theodorici ad Fauſtum Reſcriptum apud Caſſiodorum, l. IV. ep. 50. *Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis, tranſmarinas quoque Provincias pulvereis guttis complùit.* Quæ tamen ſi ad Africam referantur, in dubium revocantur, & coaggerationem ſonant. Noſtris quidem temporibus nil ſimile auditum eſt. Fruatur quiſque ſuo judicio. Cæterùm

Error Baronii.

Baronius ne hic quidem erroris immunis eſt, qui ex Marcellini, uti putat, autoritate Veſuvianum incendium anno ſuperiori vindicat, Leone IV. & Probiano Coſſ. quod tamen Marciani & Feſti Conſulatui Chronicum alligavit.

Acacius à Simplicio Chalcedonenſis Synodi confirmationem impetrare nequit.

IV. De rebus Eccleſiæ pauca ſunt nobis inſpicienda. Sedi Conſtantinopolitanæ conceſſa in Provinciales jura retinere non modò, ſed conſenſu Romanorum quoque Pontificum confirmari regiæ urbis Epiſcopis pergratum erat. At enim, quò plus id ambiebant, eò magis & Romani Antiſtites intercedebant. Simplicii tentavit animos novus Pontifex Acacius, nullo tamen ſucceſſu, ut monemur Gelaſii ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtolâ: *Ea*, inquit, *nihilominus etiam ſub ſanctæ memoriæ Papa Simplicio Legatum Sedis Apoſtolicæ, ſanctæ memoriæ Probum Canuſinæ urbis Epiſcopum, Leone Principe tunc petente præſente docuiſſe, nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus præbuiſſe conſenſum: atque ideò non ad civitatis cujuſlibet reſpiciant qualitatem: ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paternâ traditione firmatum convenienter obſervent.* Si verum intelligimus, non tam antiquæ conſuetudinis, quàm rerum ſuarum Simplicius ſatagebat. Antiqua ſanè jura Maximi Antiocheni, & Juvenalis Hieroſolymitani conventio violabat, quâ *tres Palæſtinæ* Hieroſolymitanæ Sedi aſſignabantur. Quod pactum eſt à Paſchaſino Lucentioque firmatum, nil repugnante Leone.

Gelaſ. Ep. 13.

Chalc. Act. 7.

Euthymius quis? ejus obitus.

V. Labente anno extremum diem clauſit Euthymius, Abbas ille perceleberis. Natus erat anno CCCLXXVII. Gratiano IV. & Merobaude Coſſ. Patriam Melitenem urbem habuit, parentes verò *Paulum*, & *Dionyſiam*, quæ cùm ſterilis eſſet, unà cum viro Polyeucti Martyris Templum ingreditur, ut fuſis precibus Dionyſiæ ſterilitas pelleretur. Fama tenet, cœleſtia verba orantium aures tetigiſſe: *Eſtote bono animo: ecce enim Deus dat vobis Filium, qui ab εὐθυμίᾳ, hoc eſt, bono & tranquillo animo nomen meritò accipiet.* Annos tres natus, cùm patrem amiſiſſet, à Dionyſia Melitinenſi Præſuli Otreio offertur, qui prius baptizatum totondit, & in gradum Lectorum cooptat. Dionyſiam verò in Diaconiſſarum ordinem allegit. Cùm pueritiam exceſſiſſet Euthymius, Otreius *Acacio* & *Synodio* informandum ipſum tradit. Ubi adolevit, à Melitinenſi Præſule Otreii ſucceſſore ad Presbyteratum invitus evectus, civitatis Monaſteriis præponitur. Moleſta quietis & ſolitudinis amanti ea cura erat. Itaque *clam ex urbe egreſſus, anno ætatis ſuæ* XXIX. Hieroſolymam proficiſcitur. Hinc ad Lauram Pharan ſex milliaribus eâ civitate diſtantem pervenit: inventamque extra Lauram cellam incolens, ex ramis palmarum, quos texebat, ſibi & pauperibus alimenta comparabat. Elapſo quinquennio cum *Theoctiſto*, quem ſibi amicitiâ conjunxerat, relictâ Pharan, ſolitudinem ingreditur, uſus pro domo magnâ ſpeluncâ. Volventibus temporum curriculis, cùm magnam ſibi famam collegiſſet, ſpeluncam in Eccleſiam mutat, & Cœnobium in præcipitii aditu ſtruit. Tanta porrò ipſius concionibus efficacia inerat, ut Agarenorum multos ad fidem perduceret, quæ cauſa fuit, ut à Juvenale Hieroſolymitano Antiſtite Præſulem ipſius creari requireret, qui Petrum primum Caſtrorum Epiſcopum in Palæſtina conſecrat, c. 39. Cùm à *Synodio*, quo Præceptore uſus erat, adiiſſet Synodum Epheſinam adverſus Neſtorium cogi, Petro Sarracenorum Epiſcopo mandat, ut ad Cyrillum Alex. ſeſe adjungeret. Annum 75. agebat Euthymius,

Euth. Vit. c. 2.

cùm

Anno Dom. 472.

cùm Chalcedonenſe Concilium celebratum, cujus doctrinæ mordicùs adhærebat, ad eamque Monachos omnes facillimè perduxiſſet, niſi Theodoſius perfidus ille nebulo Eudoxiæ perſuaſiſſet Auguſtæ Neſtorianiſmum revocari, mulierisque hujus autoritate atque ope ordinem monaſticum ad rebellionem concitaſſet. Impuro Theodoſio ut communionem jungeret, nullis Euthymius machinis adduci potuit. Ne verò Theodoſii fatigationibus objiceretur, in aliam ſolitudinem conceſſit. Ejecto autem Theodoſio, in ſuam Lauram rediit. Miraculis, quæ Euthymio tribuuntur, illud anteponimus, quod quos ipſius Lauræ Eudoxia Auguſta miſſo Gabriele reditus aſſignare voluit, conſtanter his verbis repudiarit: *Noſtri ne memineris, quantum ad reditus illos, aut pecunias, ſed recordare carum communem Dominum, ubi ſanè te potius noſtri meminiſſe poſtulamus*, c. 99. Ad optimi ſenis mortem venire feſtinaris jubet oratio: *Sabbato noctu dormivit in pace, viceſimâ die menſis Januarii*, nonageſimo & nono ætatis ſuæ, *decimo autem ſexto imperii Leonis*, c. 109. Criteria hæc Chronologica in mendo cubant, quod à Cotelerio deprehenſum non fuiſſe, mirum eſt. Januarius, qui anno Leonis xvi. includitur, anni eſt 472. quia Leo Martiano ſucceſſit anno 457. ſeptimo Idus Febr. Atqui anno 472. Januarii viceſimus feriæ cohæret, non ſeptimæ. Quin etiam ſi annos 99. vixit Euthymius, periit imperante Zenone. Cùm autem die Sabbati exceſſerit, verba Cyrilli ſic emendanda eſſe putamus: Obiit Euthymius Sabbato die Januar. 22. ætatis 96. quæ ad Leonis decimum ſextum quadrant. Sic omnia nitidè fluent.

Anno Dom. 473.

ANNO U. C. 1226. OLYMP. 313. PER. JUL. 5186. JUL. 518. DOM. 473. LEONIS 16. & 17. *Sol.* 6. G. *Lun.* 18. *Indict.* 11. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *April.*

C. 9. *Leo Auguſtus ſolus.*

Leo junior coronatur. Quot annos natus erat?

I. EX Ariadne Leonis Auguſti filia Leonem Zeno Juniorem ſuſceperat. Cùm porrò prole maſculâ non floreret Imperator, generum ad ſummam poteſtatem evehere ſuum ſtatuerat. Votis ejus non annuere Conſtantinopolitani. Purpurâ ergo Leonem nepotem ſuum induit, nec invitis Optimatibus. Hiſtoriam narret Candidus: *Leo multa volens moliensque, quo Zenonem generum, Imperatorem renunciaret, plebe repugnante minime id quidem efficere potuit. Sed paulò ante obitum, nepotem ex Ariadna & Zenone natum creavit.* De Leonis Junioris anno natali hæret animus, & quò ſe vertat non habet. Baronius Marcellino, ut ait, & Caſſiodoro Autoribus labente anno Leonem ex Ariadna natum eſſe prodit. Id tamen nullo veſtigio in laudatis ab illuſtriſſimo Purpurato Autoribus reperitur. In Chronico Alexandrino legitur Leo: *Vixit annos* xvii. quò ſequeretur, Leonem Juniorem anno cccclvii. lucem aſpexiſſe. Id verò falſiſſimum, cùm non ante annum cccc.lxviii. Ariadnes, Zenoniſque nuptiæ fuerint celebratæ. Ac in promptu erat, corrupta facili emendatione Græca poſſe perſanari, voce ἐτῶν in μηνῶν mutatâ, *vixit menſes* xvii. Emendationi tamen ſeries hiſtoriæ prorſus repugnat. Etenim teſtatur *Candidus* à Leone filio patrem Zenonem diademate fuiſſe coronatum. Quod à puerulo menſium duntaxat octo fieri non potuit.

Phot. Cod. 79. 174.

Bar. An. 473. n. 10.

Anno Dom. 473.

Quam ſanè ætatem non exceſſerat Leo, ſi menſe imperii xvii. periit. Neque narrata à Chronico Alex. hiſtoria patitur, Leonem ætatis tam infantilis fuiſſe, cùm Imperium adiit. Monitum ſcilicet à matre Ariadne, ut à Zenone avo pro Imperatore ſoli curaret: quæ puerulo nondum unius anni dici non poterant. Quibus & Baronii ſententia refellitur, Leonis nativitatem huic anno alligantis. His obſervatis Leo quinquiennium circiter ingreſſus erat, cùm Imperator ab avo ſuo dictus eſt. Anno demum ſequente Imperii faſtigia Leonem ſuſcepiſſe, in Marcellino legitur. Quin tamen labente anno coronatus fuerit, non cadit in dubium, argumentoque eſt Conſulatus, quem geret anno cccclxxiv. Hinc Anonymo Cuſpiniano ſcriptum: *Domino Leone Juniore, Auguſto Conſule.* Ex quo intelligitur, purpuræ Auguſteæ Conſularem additam eſſe. Denique Caſſiodorus ad quintum Leonis Conſulatum hæc habet: *Eodem anno Leo nepotem ſuum Leonem conſortem facit Imperii.* Ab avo Cæſar primum, deinde Auguſtus nuncupatus dicitur Nicephoro: *Leo magnus Imperator, Zenonis & Ariadnæ natu filium, Leonem minorem Cæſarem primum, deinde etiam Imperatorem Romanorum renunciavit, manibuſque ipſe ſuis imperii inſignia ei contulit.* Leonem quidem ab avo ſuo Cæſarem conſtitutum fuiſſe, Marcellinus Theodoruſque ſcripto prodidere. Non læta ſunt hujus Imperatoris initia, quæ ſanguine reſperſa fuere, triſti velut omine regni breviſſimi, quod morte mutatum eſt poſt aliquot menſes. Seditionis labente anno motæ meminit Marcellinus: *Conſtantinopoli ſeditione in Circo ortâ, multi Iſaurorum à populo interempti ſunt.*

Niceph. l. 15. c. 29.

Glycerius Imperator. Gothos ex Italia muneribus in Gallias mittit.

II. Non in Oriente duntaxat, ſed & in Occidente brevis ævi Imperator exoritur Glycerius, qui *Gundibalo hortante Ravennæ ſumpſit imperium*, ut nos Caſſiodorus monuit. Suffragiis tamen ſcitiſque multitudinis Glycerii creatio non probabatur: *Glycerius*, inquit Marcellinus, *apud Ravennam plus præſumptione, quàm electione Cæſar factus eſt.* Inaugurationis tempus Cuſpiniani Anonymus indicavit: *Levatus eſt Imperator Glycerius Ravennæ, 3. Nonas Martias.* Imperium verò tenuit ad uſque Junium menſem anni proximè ſecuturi. Neque ſine turbis momentaneum Glycerii regnum agitatur. Gothi, quibus bellum alimenta ſuppeditabat, deficientibus & cibis, & veſtibus, pacem ſibi funeſtam ſenſere. Concurſu igitur ad Theodemirum Regem ſuum facto, eum rogant, ut quò vellet, exercitum duceret. Theodemir accito fratre Vindemiro, eum hortatur, ut partem Italiæ, quam Glycerius tenebat, adoriretur. Quid germani ſui monitis obtemperans Videmir egerit, Jornandes exponet: *Mox Videmir Italiæ terras intravit, & extremum fati munus reddens, exceſſit rebus humanis, ſucceſſorem relinquens regni, Videmir filium ſuum. Quem Glycerius Imperator muneribus datis, de Italia ad Gallias tranſtulit, quæ à diverſis circum circa gentibus premebantur, aſſerens vicinos ſibi Viſigothas eorum parentes regnare. Quid multa? Videmir acceptis muneribus, ſimulque mandatis à Glycerio Imperatore, Gallias tendit, ſeſeque cum parentibus jungens Viſigothis, unum corpus efficitur, & ſic Gallias, Hiſpaniaſque tenentes, ſuo jure defendunt, ut nullus ſibi alius prævaleret.* Quid verò à Theodemire geſtum fuerit, paucis narretur. Superato Savo, quieſcentibus tanti Regis metu Sarmatis, Naiſſum urbem invadit: dein miſſis

Comi-

ANNO DOM. 473.

Comitibus Ulpianam villam cum opibus in deditionem accipit: Heracleæ, Lariſſæque Theſſaliæ urbium potitur. Mox relictâ Naiſſo ipſe Theſſalonicam petit, ubi *Clarianus* Patricius cum exercitu morabatur. Qui reſiſtendi impar, miſſis ad Theodemitum muneribus, ab urbis obſidione revocat. Inito fœdere Ceropellas, Europam, Medianam, Petinam, Bereum, Siam Gothis incolendas tradit, qui poſitis armis quievere. Non multò pôſt Theodomir in civitate Cerras morbo correptus, Theodorico ſui regni hærede dicto, rebus humanis exceſſit.

Jorn. de Reb. Get. c. 56.

Sidonius Apollinaris quis?

III. Res Eccleſiæ ingreſſuros ad ſe nos vocat Sidonius Apollinaris, vir inſignis, in quo pietas, nobilitas, eruditio æquis penè viribus certavere. Lugdunum inſignis Galliæ civitas filium alumnumque ſibi Sidonium dixit, ut apertè liquet ex ipſius ad Candidianum Epiſtola: *Ais, gaudere te, quòd aliquando neceſſarium tuus videam Solem, quem utique raro bibitor Araricus inſpexerim: nebulas enim meorum Lugdunenſium exprobras.* Anno circiter CCCCXXXI. editus, Caii Sollii Apollinaris Sidonii nomen accepit. Patrem habuit Prætorio Præfecti dignitate fulgentem, uti nos monet ad Nammatium Epiſtola: Nicetium, inquit, *audivi adoleſcens, cum pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præſideret.* Nobilitatis etiam ſuæ meminit in ſua ad *Papianillam* Epiſtola: Votis in commune depoſco, *ut ſicut nos utramque familiam noſtram præfectoriam nacti, etiam patriciam divino favore reddamus*, &c. Optimam educationem nactus, quæ & corporis & animi vires aleret, Hoenio in Poëtica, Euſebio in Philoſophia Magiſtris uſus eſt, tantoſque progreſſus fecit, ut inter paucos clarus Poeta haberetur. Uxorem & ſanguine & virtutibus marito non imparem *Papianillam*, Aviti, qui poſt Maximum Imperator creatus eſt, filiam duxit, ex qua liberos complures ſuſcepit. Gratulatus enim ipſi, quòd frater Edicius ad patricium honorem aſcenderat, ſubjungit: *Concordiam patrem noſtri, ſuiſque liberis exopto.* Tres fuiſſe vulgò creditur, filium ſcilicet, duaſque filias, quarum una *Roſcia* vocabatur. Avito ſocero ſuo, poſt ubi Imperator dictus eſt, Panegyricum dicavit. Aviti partibus cùm adhæſiſſet adverſus Majorianum, Lugdunum defendendum ſuſcepit. Majoriani tamen viribus impar urbem obſidenti reddere coactus eſt:

Sidon. l. 1. ep. 8.

Sidon. l. 8. ep. 6.

Sidon. ep. l. 5. 16.

Ibid.

Fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet:

Neque quòd Lugdunum Sidonius defendiſſet, eò provocavit Principis indignationem, qui eum benignè excepit, ubi victor civitatem obtinuit, ut Panegyrico Majoriani laudes an. CCCCLVIII. celebrarit. Quo tempore ſtatuam inter Poëtas meruit in fori Trajani Bibliotheca. Cujus quidem honoris meminit in ſua ad Firminum Epiſtola:

Sidon. ep. l. 9. c. 16.

Siſtimus portu, geminæ potiti
Fronde coronæ,
Quam mihi indulſit populus Quirini
Blattifer, vel quam tribuis Senatus,
Quam peritorum dedit ordo conſors
Judiciorum.
Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter autores utrinſque fixam
Bibliotheca.

Non bonum duntaxat Poëtam, ſed & amicum ſe præbuit. *Turpio*, vir Tribunitius pecuniam à Maximo acceperat fœnori. Tempus modum ſortis ad duplum adduxerat. Decumbentis Turpionis precibus permotus Sidonius, Toloſam properat, ut à *Maximo* aliquid indulſurum impetraret. Qui cùm ſimplici reſtitutione contentus uſuram condonaſſet, eleganti ad Maronis carmen alluſione, quod obtinuerat, Turno Turpionis filio ſignificatum ivit Sidonius:

ANNO DOM. 473.

Turno, quod optanti Divum promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.

Sidon. l. 4. ep. 24.

Joculare quod ſequitur. Dum Majorianus Arelato agebat, à *Paonio* Sidonius accuſatur, quòd ſatyras ſcriberet. Ad quem Princeps converſus, *audio, ait, Comes Sidoni, quòd ſatyram ſcribas.* Cui reſpondit: *Et ego hoc audio, Domine Princeps. Tunc ille, ſed ridens, parce vel nobis.* Ut accuſationem diſſolveret, rogat Sidonius, ut accuſator vel objecta probaret, vel ſibi concederetur in illum ſcribere quæ vellet: quod & Majorianus conceſſit, ſi è veſtigio verſibus peteretur. Tum in promptu Sidonius:

Scribere me Satyram qui culpat, maxime Princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat.

Sidon. ep. l. 1. 11.

Porro carminum amore à pauperum charitate non revocabatur. Cujus inſigne exemplum Gregorius Turonenſis exhibet: *Plerumque neſciente conjuge vaſa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cum cognoſceret, ſcandalizabatur in eum. Sed tamen dato egenis pretio, ſpecies domi reſtituebat.* Romam negotiorum cauſâ anno 467. profectus, Cæcinæ Baſilio in familiaritatem venit, cujus monitis obſequens, in Anthemii laudem carmen condidit, de quo ſuo loco mentio facta eſt. Quo Panegyrico cùm Imperatoris ſibi favorem conciliaſſet, *Præfectus Senatui* ipſius factus eſt.

Greg. Tur. Hiſt. l. 2. c. 22.

Sidon. ep. l. 1. 9.

Sidonius Epiſcopus Arvernus creatur.

IV. Hactenus de nobili viro civilibus honoribus inſignito: reliqua ut de Epiſcopo narranda ſunt. Arvernæ civitatis Epiſcopo *Eparchio* defuncto *Sidonius ex Præfecto ſubſtituitur, vir ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus, & de primis Galliarum Senatoribus.* Baronius, qui eruditis quàm plurimis ſe ducem præbuit, Sidoniani Epiſcopatus initia anno CCCCLXXII. conjunxerat, non inerti, uti primâ ſpecie videtur, argumento ex prima libri ſexti ad Lupum Epiſtola: *Cùm primò poſt deſudatas militia Lirinenſis excubias, & in Apoſtolica Sede novem jam decurſa quinquennia, utriuſque ſanctorum ordinis quendam te conclamatiſſimum principatum ſpiritualia caſtra venerentur.* Annos igitur XLV. in Epiſcopatu Lupus tranſegerat, cùm Sidonius eâ dignitate potitus eſt. Id certiſſimum. Dum verò Lupino Sacerdotio quæruntur initia, viſum eſt, ab anno CCCCXXVII. eſſe ducenda, quia *exacto biennio* poſtquam ad Trecenſem Epiſcopatum evectus eſt, Britannicæ expeditionis an. CCCCXXIX. Comes Germano Autiſiodorenſi datus eſt. Quòd ſi anni XLV. ab anno XXVII. numerentur, in annum CCCCLXXII. pervenimus. At enim Pagius ſtatuit, anno ſubeunti potius Sidoniani Epiſcopatus initia aſcribenda eſſe, quòd Epiſcopatum per Olympiades ſuum numeret. Verba hæc ſunt ipſius ad Oreſium: *Inſuper deſidia noſtra verecundia comes ad hoc ſententiam inclinat, ut me poſtquam in ſilentio decurri tres Olympiadas, tam pudeat novum poëma conficere, quam pigeat.* Nil autem probabilis cauſæ afferri poteſt, cur per Olympiadas Epiſcopatum Sidonius ſuum numeret, niſi quia ab Olympiadum aliqua initium accepit. Anno autem CCCCLXXII.

Greg. Tur. Hiſt. l. 2. c. 22.

Sidon. l. 9. ep. 12.

nulla

ANNO DOM. 473.

nulla incepit Olympias, ſed CCCCLXXIII. ea principium habuit, quæ CCCXIII. numeratur. Nil igitur prohibet, quominus Sidonii Pontificatum anno labenti aſſignemus. In eo porro ita ſe geſſit, ut excellentiſſimum Præſulem decet. Abjectè de ſe ſentiebat. Teſtis ad Apollinarium Epiſtola, primo ſui Epiſcopatus anno ſcripta: *Ego infelicis conſcientiæ mole depreſſus, vi febrium nuper extremum ſalutis acceſſi, utpote cui indigniſſimo tanta profeſſionis pondus impactum eſt. Qui miſer antè compulſus docere, quàm diſcere, & antè præſumens bonum prædicare quàm facere, tanquam ſterilis arbor, cùm non habeam opera pro pomis, ſpargo verba pro foliis.* Facundiâ ſuâ incredibili modo ſuos auditores afficiebat. Documento ſit, quod à Gregorio Turonenſi traditum legimus: *Ad feſtivitatem Baſilicæ Monaſterii Cyriaci invitatus acceſſerat. Ablato ſibi nequiter Libello, per quem ſacroſancta ſolemnia agere conſueverat, ita paratus à tempore cunctum feſtivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur.*

Sidon. ep. l. 5. 3.

Greg. Tur. l. 2. c. 22.

Bituricenſis Synodus inaugurando Simplicio.

V. Volvente anni hujus curriculo, novo adhùc Epiſcopatu Sidonii Bituricenſis Synodus cogitur ad eligendum Simplicium. Conventus Præſidem Sidonius egit. Deficiente Epiſcoporum numero, qui creando in munus ſacerdotale *Simplicio* requirebatur, Agrœcium Senonenſem Metropolitanum Sidonius invitat: *Bituricas decreto civium petitus adveni. Cauſa fuit evocationis titubans Eccleſiæ ſtatus, quæ nuper ſummo viduata Pontifice, utriuſque profeſſionis ordinibus quoddam claſſicum cecinit.* Diviſa quidem Senonenſis Provincia ab illa Aquitanorum. Sed Aquitanicæ primæ ſolum oppidum Arvernum, Romanis reliquum partibus bella fecerant. Euphronium Auguſtodunenſem ad eam electionem invitavit, non ſine laude Simplicii, quem ſibi populus *Biturix* poſtulabat: *Animum adverti exactiſſimum virum poſſe cenſeri, de quo civis malus loqui, bonus tacere non poteſt.* Porro Eucherius & Pannychius illuſtres viri habebantur ſuperiores, & in ipſos multorum animi inclinaſſe videbantur, ſed Canone repellebantur, *quia ambo ad ſecundas nuptias tranſierant.* Bituricenſi in Eccleſia concionem Sidonius habuit, quâ multis Simplicium nominibus commendat. In laudibus poſuit, quòd unà cum uxore, quæ de Palladiorum ſtirpe deſcendebat, communes filios benè & prudenter inſtituerit; quòd ingenium certaret doctrinâ; quòd non ſemel ſteterit ante pellitos Reges, vel Principes purpuratos, quòd parentes ipſius aut Cathedris, aut tribunalibus præſederunt: Quibus recitatis, *In nomine Patris,* inquit, *& Filii, & Spiritus Sancti Simplicius eſt, quem Provincia noſtra Metropolitanum civitati veſtræ ſummum Sacerdotem fieri debere pronuntio.* Iſtam hanc ſuam concionem Perpetuo Turonenſi, ut poſtulatis ipſius ſatisfaceret, cum Epiſtola direxit.

Sidon. l. 7. ep. 5.

Sidon. ep. l. 7. c. 9.

ANNO DOM. 474.

ANNO U. C. 1127. PER. JUL. 5187. JUL. 519. DOM. 474. ZENONIS 1. *Sol.* 7. F. *Lun.* 19. *Indict.* 12. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 2. *P.* 21. *April.*

COS. *Leo Junior Auguſtus ſolus.*

Mors Leonis Auguſti, & mores.

I. LEonis imperio mors finem impoſuit labente Januario. Princeps fuit magnarum & virtutum, & vitiorum. Perfidè Aſparem occidit, ſpretâ juramenti religione, unde cognomen *Macelli* ſibi comparavit. Urbes opibus ſpoliavit, populis ſuis terrori fuit. Mirantibus ipſius felicitatem rectè hæc Malchus ingeſſit: *Ego verò felicitatem non exiſtimo, ſi quis populorum imperio ſuo parentum fortunas diripiens, & ad hoc ſycophantas ſemper mercede conducens & ſubornans, & ipſe eos accuſans, cùm alios non invenit, qui hoc faciant, & aurum ex univerſo terrarum orbe colligens, ſibi ſoli reponit, & recondit.* Vitia tamen hæc ſua virtutibus temperavit: *Honorem Clerus habuit, atque primæ feriæ Leo Imperator Lege latâ conſtituit, ut die Dominico cuncti feriarentur: iſque dies ab omni opere vacuus eſſet, ac venerabilis. Conſtituit etiam, ut Clerici apud ſolum Præfectum Prætorio convenirentur.* Magnificum Virgini Templum erexit, quod *ad Fontem* vocavit, quia ſupra fontem extructum fuit. Tantum ædificii ſub terra latebat, quantum ſuper eam eminebat. Viginti quinque gradus marmorei ad fontem deſcenſum præbebant, additis cancellis marmoreis, qui & pulchritudinem operi afferrent, & deſcendentes, ne lubrico humoris laberentur, manuducerent: tholi tanta erat pulchritudo, ut cœlo relucenti igni ardenti ſimilis videretur. Templum accuratiſſimè deſcripſit Nicephorus, l. 15. c. 26. Rotundum & Virgini Templum conſtruxit. Quæ verò narrat Nicephorus de veſte genitricis, quam furtu *Candidus* & *Galbius* ſibi compararant, ibi collocatâ, fulgenteque miraculis, ad figmenta relegamus. Harum ſanè reliquiarum tranſlatio Veterum nemini nota fuit. Ut mirum ſit, Pagio cauſam hanc afferri, cur Leo anno CCCCLXXIII. Conſulatum ſuſceperit. Filias Leo ſibi ſuperſtites duas reliquit, Ariadnem, quam ex *Verina* privatus adhùc ſuſceperat, quæ Zenoni nupſit, & *Leontiam*, quæ Marciano, Anthemii Auguſti Filio fuit collocata. Hinc magni motus in Imperio, qui loco ſuo referentur. Imperavit Leo annos XVI. menſes undecim, dieſque aliquot, cùm anno CCCCLVII. Februarii ſeptimo purpuram induerit.

Suid. t. 2. 23.

Theodor. l. 1. 553.

Niceph. l. 15. c. 24.

Theodor. l. 1. 557.

Leo Junior patrem ſuum Zenonem Imperatorem fecit.

II. Extincto Leone Magno ad Leonem Juniorem rerum ſumma venit, qui cùm per ætatem tanto foret impar oneri, patrem Zenonem ſibi Collegam fecit. Non conſentaneum videbatur, filium regnare, patre ſubdito. Quâ ratione ad Imperium Zenonem evexerit Leo, in Chronico Alex. legitur: *Leo à ſuamet matre illuſtriſſima Ariadne monitus, ut curaret ſe à Zenone avo, Magiſtro Militiæ pro Imperatore coli, impoſuit diadema regium capiti Zenonis, & imperavit Zenon Codiſeus Iſaurus cum ſuo Leone exiguo tempore.* Vix dubitamus, quin Græca error invaſerit, & pro πάππος, *avus*, legendum ſit πάπας, *pater*. Id vincit Zenoni tributa dignitas Magiſtri Militiæ, quæ Zenoni Leonis genero collata fuerat. Neque pater Zenonis Auguſti id nominis gerebat, qui *Ruſumbladeotas* vocabatur, teſte Candido. In Septimo à Leone *contra conſuetudinem* Leonem coronatum eſſe, Victor Tununenſis prodit. Qui ſanè fallitur, cùm non inſuetum eſſet in *Septimo* Imperatores coronari. Theodoſius quidem, & Marcianus ſucceſſor ejus in *Hebdomo* Auguſti creati fuerant, referente Chronico Alex. Imò à Valentis temporibus in eo loco Imperatores dicebantur. Itaque emendandus Victor, *In Circo contra conſuetudinem coronatur* Zeno, quod inſolens fuit. Primus Zeno quidem in Hippodromo purpuram ſumpſit. Verba ſunt Theodori Lectoris: *Leo Junior Zenonem patrem ſuum in Circo Imperatorem renuntiavit.* Ibi tribunal erat à Conſtantino conſtructum,

ANNO DOM. 474.

B. M. P. t. 9. 386.

cerit. Rem brevi narrat Ennodius in vita Epiphanii: *Supplicante ſancto viro illatam matri à ditionis ſuæ hominibus conceſſit injuriam.* Ejectus regno, non vitâ, Glycerius diadema in infulam mutat. Cuinam verò Eccleſiæ præfuerit, non convenit inter Scriptores. Ac primâ ſpecie *Portuenſem* Epiſcopatum adminiſtraſſe, ex Marcellino colligi poteſt: *Glycerius Cæſar Romæ Imperium tenens, à Nepote, Marcellini quondam Patricii, ſororis filio, Imperio expulſus, in portu urbis Romæ ex Cæſare Epiſcopus ordinatus eſt, & obiit.* Rectè tamen Valeſius monuit, in Marcellino mutandam eſſe diſtinctionem in hunc modum: *Imperio expulſus portu urbis Romæ, ex Cæſare Epiſcopus ordinatus eſt.* Quam ſanè diſtinctionem firmat laudatus Anonymus. Non igitur Portuenſibus, ſed Salonitanis ſacris Glycerius præfectus eſt. Teſtatur & Evagrius, cujus in textum error tamen irrepſit: Nepos *Glycerium Epiſcopum Romanorum apud Salonas Dalmatiæ ordinavit.* Vox Ῥωμαίων, quæ vocabulo ἐπίσκοπον poſtponitur, præmitti deber, ut *Romanorum*, Nepotis ad Imperium quidem, non Glycerii ad Epiſcopatum pertineat. Glycerius ſanè nunquam urbis Epiſcopum egit. Urbe ergo Imperatorem Nepos expulſit, non Antiſtitem. Ne verò ſpem imperii aliquam Glycerius retineret, Dalmatiæ Præſulibus apponitur. Hoc & nos Jornandes monuit: *Nepos regno potitus legitimo, Glycerium, qui ſibi tyrannico more regnum impoſuiſſet, ab Imperio expellens, in Salona Dalmatia Epiſcopum fecit.* Quibus ſi Baronius advertiſſet animum, ab errore quidem ſeſe liberaſſet: Glycerium, inquit, *in Portu Romano ordinatum Epiſcopum, alii Jornande Autore ferunt.* Hoccine Jornandes dixit, qui verbis expreſſis Glycerium *Salonæ* Antiſtitem creatum eſſe memorat. Expulſo Glycerio, rerum potitur Nepos Julio xxv.

Evagr. l. 2. c. 16.

Jorn. de Reg. Suc.

Error Baronii.

Bar. An. 474. n. 11.

ANNO DOM. 475.

ANNO U. C. 1228. PER. JUL. 5188. JUL. 520. DOM. 475. ZENONIS 1. & 2. *Sol.* 8. E. *Lun.* 1. *Indict.* 13. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 3. *P.* 6. *April.*

COS. *Zeno Auguſtus* II. *ſolus.*

Epiphanius Ticinenſis. A Nepote ad Euricum Legatus mittitur.

I. IN hoc communi, & quaſi fatali Imperatorum Occidentis mutatione conſolabatur ſe Julius Nepos, quòd non uſurpatam, ut *Glycerius*, ſed legitimam poteſtatem induiſſet, aſſenſum præbente Leone Auguſto, à quo Cæſarem dictum fuiſſe, apud Jornandem de Regnorum Succeſſione reperimus: *Nepotem filium Nepotiani, copulatâ nepte ſuâ in matrimonio, apud Ravennam per Domitianum clientem ſuum Cæſarem ordinavit.* Nepoti virtutes inerant imperio non indignæ, quibus Sidonius laudes tribuit, paucis quidem, ſed multa, magnaque continentibus: *Julius Nepos armis pariter ſummus Auguſtus, ac moribus.* Anno ſuperiore *levatus erat*, VIII. *Kal. Julias*, ut ſcripto prodit Anonymus Cuſpinianeus. Clavem Imperii tenenti otioſo non eſſe licuit, belli materiam præbente Eurico, Gothorum Rege, qui reliquiis Imperii Rom. in Galliis inhiabat: *Inter eum* (verba ſunt Ennodii) *& Toloſæ alumnos, quos ferreâ Euricus Rex dominatione gubernabat, orta diſſenſio eſt, dum Italici fines Imperii, quos trans Gallicanas Alpes porrexerat, novitatem ſpernentes, non deſinerent incoſſere. . . Nepotis animum ſummovendæ diſſenſionis amor infudit, ut repulſa ſimultatis veneno ſervaret inter Reges charitas, quod tueri arma vix poterant.* Legatio injungitur Epiphanio, Ticinenſi Præſuli, qui urbe ſuâ profectus, dum iter ad Euricum conficit, quantum per jumentorum fatigationem licebat, eligebat ſeceſſum, nemoroſâ fronde concluſum, ubi fletibus terram rigabat. Ingreſſus Toloſam, Legationis ſuæ munus conficit, teſtatus Nepotem, *licet certamina non formidet, concordiam prius exoptare.* Oratoris officium Leoni, viro eruditione virtutibuſque ſuis nobili, mandarat Euricus, qui Principis nomine reſponder Epiphanio: *Facio, venerande Papa, quæ poſcis, quia grandior eſt apud me Legati perſona, quàm potentia deſtinantis. Accipe nunc fidem, & pro Nepote pollicere, quòd ſervet intemeratam concordiam, quando te promiſiſſe juraſſe eſt.* Sic votis compos ſuis Epiphanius, perendie revertitur in Italiam, repudiatâ prece, ut regiis epulis intereſſe vellet.

B. M. P. t. 9. 387.

Nepos ab Oreſte in fugam vertitur. Quàm diu imperavit? Auguſtulus fit Imperator.

II. Eſt inter facta Nepotis, Edicii, Aviti, qui Imperium rexerat, filii ad honores Patricios evectio. Qua de cauſa Sidonius uxori *Papianillæ*, cui frater Edicius erat, gratulatur: *Hoc ſanctè Julius Nepos, armis pariter ſummus Auguſtus ac moribus, quod deceſſoris Anthemii fidem fraternis tui ſudoribus obligatam, quò citerior, hoc laudabilior abſolvit, ſi quidem iſte complevit, quod ille ſæpiſſimè pollicebatur.* Ex hoc ſpecimine facillimè credi poteſt, Nepotem Reipublicæ profuturum, niſi Imperio ab Oreſte ejectus fuiſſet. Magiſter Militum à *Nepote* creatus erat, quod beneficium Oreſtes in injuriam ſui Principis vertit. Suſcepto quippe exercitu, eo perfidè utitur ad detrudendum regno virum, quem totis defendere viribus debuit. Ravennæ tum temporis agebat Nepos, qui ubi compertum habuit, quid rerum Oreſtes moliretur, vitam navali fugæ ſuam commiſit. Lamentabilem optimi Principis caſum breviter exequitur Cuſpiniani Anonymus: *Intravit Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias* v. *Kal. Septembris.* Petitâ Salonâ, ibi quinquennio moratur: erat tum urbs es duorum Auguſtorum domicilium, Glycerii ſcilicet, qui pulſus Imperio, Eccleſiæ præficiebatur, atque Nepotis, qui vitam Glycerio ſervarat, neſcius ipſum non multò pòſt calamitatibus ſuis futurum ſolatio. Imperium tamen Nepos ad mortem uſque retinuit, ſi umbra hæc imperii imperium dici potuit. Hinc ſcriptum Evagrio: *Nepos quinque annis Imperium obtinuit Romanorum.* Periit an. CCCCLXXX. Baſilio Juniore Conſule, teſte Marcellino: *His Coſſ. Nepos, quem dudum Oreſtes Imperio abdicaverat, Viatoris & Ovida, Comitum ſuorum inſidiis, haud longè à Salonis ſua in villa occiſus eſt.* Inſidiarum autor Glycerius, acceptæ memor injuriæ, ſi Malco creditur. Nepos à Glycerio *inſidiis petitus periit.* Dum conſcenſâ nave Nepos Salonam fugâ petit, Oreſtes filio ſuo, *qui ante regnum Romulus à parentibus vocabatur*, Imperium parat, quod & adiit Octobris XXXI. Audiatur Cuſpiniani Anonymus: *Eo anno levatus eſt Auguſtulus Imperator Ravennæ, à Patricio Oreſte patre ſuo, pridie Kal. Novembris.* Fructu tamen perfidiæ ſuæ non diu Oreſtes potitur, quem ab Odoacro occiſum annus proximè ſequens exhibebit.

Sidon. l. 5. ep. 16.

Evagr. l. 2. c. 16.

Phot. p. 171.

Edicius Aviti filius: ejus virtutes.

III. Factâ Nepotis mentione, qui ad patricios honores Edicium evexerat, viri pietate magis, quàm & natalibus & dignitatibus illuſtris, non eſt opprimenda memoria. Ab optimo genitore Avito, qui *Maximo* in Imperio ſucceſſit,

Sidon. l. ep. 5. 16.

ANNO DOM. 475.

ceſſit, conſtat Edicium procreatum eſſe. Patriam *Arverniam* habuit. Hinc Sidonius in Epiſtola ſue ad Edicium, imperante Anthemio ſcripta, *Duo nunc*, inquit, *pariter mala ſuſtinent Arverni tui.* Et in alia ad eundem Epiſtola, quâ Arvernorum erge ipſum charitatem memorat: *Seculo tuo ſolus fermè mortalium es, qui patria non minus deſiderii naſciturus, quàm gaudii natus feceris.* Fortitudine militari nominis multum ſibi peperit. Egregium ipſius facinus laudibus ſuis eâ & Epiſtolâ Sidonius proſequitur: *Non poteſt unquam civicis pectoribus elabi, quem te, quantumque nuper omnis ætas, ordo, ſexus è ſemirutis murorum aggeribus conſpirabatur, cùm interjectis æquoribus in adverſum perambulatis, & vix duodeviginti equitum ſodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum non minus die, quàm campo medio (quod difficile ſit poſteritas creditura) tranſiſti*: multiſque Gothorum cæſis, nemine ſuorum deſiderato, ovans in urbem reverſus eſt. Cùm virtute ſuâ Anthemium ſibi Auguſtum conciliaſſet, ab eo Patricii dignitatem ſperare juſſus eſt. Fato præventus implere promiſſa haud potuit. Nepos is fuit, qui deceſſoris fidem liberavit; cujus munere Edicii titulis honor patricius accedit. Magna eſt de Edicio commendatio liberalitatis, magna pecuniarum contemptus memoria, cùm *privatis viribus publici exercitus ſpeciem* collegerit. Cum aliis virtutibus pietas Ediciane certabat, erogatis quippe pecuniis, ingentem pauperum numerum aluit dominante fame. Nobilis facti memoriam ſilentio non obruit Gregorius Turonenſis: *Magna Burgundiam fames oppreſſit. Cùmque populi per diverſas regiones diſpergerentur, nec eſſet alius, qui pauperibus alimoniam largiretur, Edicius quidam ex Senatoribus, magnam tunc rem in Deo confiſus feciſſe perhibetur. Nam invaleſcente fame, miſit pueros ſuos cum equis, & plauſtris per vicinas ſibi civitates, ut eos, qui inopiâ vexabantur, ſibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot invenire potuerunt, adduxere ad domos ejus, ibique eos per omne tempus ſterilitatis paſcens, ab interitu famis exemit. Fueréque, ut multi aiunt, amplius quàm IV. millia promiſcui ſexus. Adveniente autem ubertate ordinatâ iterum evectione, unumquemque in locum ſuum reſtituit.* Uxorem tamen habebat atque liberos, de quibus Sidonius mentionem egit in ſua ad Pepianillam Epiſtola, habente anno ſcripta: Concordiam *parem noſtris, ſuiſque liberis in poſterum exopto.* Votis quoque ſuis petit, ut ipſi, quam ſuſcipiunt patritiam, familiam conſularem faciant.

Sidon. l. 2. ep. 1.

Sidon. ep. 3. l. 3.

Greg. Tur. Hiſt. l. 2. c. 24.

De Prædeſtinatianis. Qui fuerint? Nùm Hæretici.

IV. Ex rebus Imperii ad illas Eccleſiæ vocamur, quæ ſunt aliquo in momento ponendæ. Sub hæc tempora celebratum videtur Arelatenſe Concilium, cui *Lucidus* Presbyter mox recitandam obtulit Epiſtolam. Ad eum literas ſcripſerat Fauſtus Reienſis, ex *Prædeſtinatorum* ſecte revocandum. Ut verò res melius intelligatur, quid ea Prædeſtinatorum ſecta nobis eſt exponendum. In Proſperi Tyronis Chronico ad annum Honorii XXIII. qui Dionyſiano CCCCXVII. reſpondet, legimus: *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris malè intellectis, accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa eſt.* Ita quidem libri editi. Obſervat tamen Uſſerius ὁ πάνυ, *in duobus optimæ notæ MSS. exemplaribus, altero Bibliothecæ Regiæ, altero Benedictini apud Cantabrigenſes Collegii*, aliter legi: *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.* Fatetur & doctiſſimus Sirmondus in *Prædeſtinato*, quem edidit, Proſperi Chronico in Bibliotheca Sancti Victoris hæc ipſa contineri, quæ ex Uſſerio deſcripſimus. Scilicet honoris Auguſtini hâc ſuâ corruptione interpolatores conſultum voluere, mutatis vocibus *ab Auguſtino*, quæ ſunt Manuſcriptorum, in illa, quæ à libris editis obtruduntur, *ab Auguſtini libris malè intellectis*. Quod etiam atque etiam eſt obſervandum. Ex illo tempore *Prædeſtinatorum* ſecta Gallorum in ſcriptis increbuit. *Fauſtus* Reienſis in ſua ad Leontium Arelatenſem præfatione, libris de Gratia Dei, & humanæ Mentis libero Arbitrio præfixa: *Quòd pro ſollicitudine paſtorali, beate Papa Leonti, in condemnando Prædeſtinationis errore, Concilium ſummorum Antiſtitum congregaſti, univerſis Galliarum Eccleſiis præſtitutis.* Gennadius in Catalogi Hieronymiani de Hæreſibus Appendice Prædeſtinatianos quoque perſtringit, quorum ſex articulos memorat:

B. M. P. c. 8. 206.

Uſſer. Got. Hiſt. c. 2. c. 17.

ANNO DOM. 475.

B. M. P. c. 8. p. 523.

Primus. *Prædeſtinatiani ſunt, qui dicunt, quòd Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes ſalventur, ſed ut multitudine hominum ornetur mundus.*

Secundus. *Quòd etſi generali prædicatione dicat, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut omnes ſequantur vocantem.*

Tertius. *Sed nec omnes, qui ipſo inſpirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perſeverantiam: ſed poſt multos labores & juſtitiæ fructus, ſi non ſint de ſalvandorum numero, ſubſtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono.*

Quartus. *Et è contrario illos, qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, etiamſi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occaſionem, quâ & credant in Deum, & ſecundum Dei præceptum vivant, ut poſſideant ſocietatem juſtorum.*

Quintus. *Tali definitione id docere ſtudent, quòd Deus perſonas hominum accipiat.*

Sextus. *Quòd alios etiam invitos poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem, alios poſt bona opera rejiciat, & compellat in malum; quo pereant in æternum.*

De illa, ſi Diis placet, hæreſi audiatur & Flodoardus Hiſtoriæ cap. XIV, de Gotheſcalco: *Si autem veſtra Catholica ſapientia vult ſcire, quæ contra Catholicam fidem ex veteri hæreſi Prædeſtinatiana, quæ primùm in Africa, poſteà in Galliis per idem tempus, quando & Neſtoriana hæreſis eſt exorta, & tempore Cæleſtini Papæ ipſius autoritate, & inſtantia Sancti Proſperi eſt revicta, dicere videatur, de multis pauca vobis numero, ſed non pondere capitulatim ſignificamus.* Sigebertus Gemblacenſis, ſic Prædeſtinatianorum errorem deſcribit ad annum CCCCXV. *Prædeſtinatorum Hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere: qui ideò Prædeſtinati vocantur, quia de Prædeſtinatione, & divina Gratia diſputantes aſſerebant, quòd nec piè viventibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint: nec impiis obſit, quòd improbè vivant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio & bonos à bonis evocabat, & malos ad mala provocabat.* Prædeſtinatus à Sirmundo editus, eos & Prædeſtinatis errores fœnerat, alioſque nonnullos, qui ex certa determinataque mortalium Prædeſtinatione opinionis hujus adverſariis manaſſe videbantur: *Nonageſima hæreſis, quam in Præfatione noſtra diximus de*

nomine

ANNO DOM. 475.

nomine Auguſtini Epiſcopi eſſe mentitam, Prædeſtinatorum nomen accepit. Hi electionem bonorum & recuſationem malorum Deo decernente definiunt, non homine vel ſtudente, vel negligente. Legatur hæreſis XC. Ex ea Prædeſtinatorum ſecta fuiſſe *Lucidum* Presbyterum vulgò exiſtimant. De quo Baronius noſter: *Lucidum*, inquit, *magni nominis virum ad pœnitentiam perduxit Fauſtus.*

Bar. An. 490. n. 30.

Prædeſtinatorum hæreſis commentum eſt, ex Auguſtini doctrina ductum.

V. Verùm enimverò *Lucidum* potius habemus pro transfuga, qui deſertis B. Auguſtini caſtris, in quibus hactenus militaverat, impulſore Fauſto ad Semi-Pelagianorum partes defecit. Quos enim *Prædeſtinatos* memorant Hæreticos, illi forſan cum ſaltantibus ſatyris ad commenta relegandi. Neque prorſus movent doctiſſimi argumenta Sirmondi, quibus Prædeſtinatum armavit ſuum: *Hic igitur cùm in hæreſeon Catalogo, quem deſcribit, Sedem ſuam Prædeſtinatis adſignet, Prædeſtinatorumque placita, quæ ipſi videlicet tanquam ab Auguſtino profecta, ex conficto ſub ejus nomine libro clam furtimque inſinuabant, aliena eſſe ab Auguſtino, eique adverſa, & ſuâ ipſius ſententiâ, & Cœleſtini Papæ præjudicio confirmet, atque hæc omnis nondum exorto Eutyche, hoc eſt, ante Gennadium ſcribat, quid certius, vel apertius falli eos, qui Prædeſtinatorum propriam hæreſim nullam fuiſſe contendunt?* Quæ rationes ut ſolvantur, diſtinguenda eſt ab opinione veritas. Faciles quidem Sirmondo largiemur, homines fuiſſe, qui pro Prædeſtinatis haberentur ex affictitiis ipſorum ſententiæ erroribus, quaſi ex illa pullulaſſent. Quòd verò labente ſeculo quinto inter Chriſtianos floruerint, qui & imbibiſſent animo, & palam impia dogmata defenderent, quæ Prædeſtinatorum eſſe dicuntur, id quidem nondum credere potuimus. Quis mortalium unquam tam abſonum, tamque impium dogma expreſſis verbis profeſſus eſt? *Dicunt, etiamſi voluerit bonum facere, qui ad malum prædeſtinatus eſt, ad bonum pervenire non poterit: nam qui ad bonum prædeſtinatus eſt, etiamſi negligat, ad bonum perducetur invitus.* Quis abſurda hæc in animum, atque religionem admiſit ſuam? *Adam, ajunt, quod nocuit, ita manet, ut hoc nec paſſio Chriſti, nec baptiſmatis ſanctificatio poſſit auferre.* Hæc ſunt tamen, quæ Prædeſtinatis aſcribit Autor Prædeſtinati, hæreſi XC. Quò magis ea abſona ſunt, eò ſanè minus credere eſt, illis venenis animos aliquorum perfuſos eſſe, fideique ſuæ articulis appoſita. Ipſâ quidem experientiâ docemur, mentiſque noſtræ conſcientiâ, neminem ad bonum faciendum invitum perduci, cùm bonum facere non poſſimus, niſi mente volente, ſecus malum erit, bonum non erit. Itaque Prædeſtinati non impia hæc quidem affirmabant, ſed adverſarii, veluti conſectarium ipſorum opinionibus imputabant. More quidem poſitum eſt, quo jure, quâ injuriâ contrariam conſequentibus ridiculis onerare ſententiam, ac non ſecus, ac in Neronis perſecutione, viris probis addere ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interearit. In hos ergo homines Prædeſtinati Autor incidit, qui opinionis ejuſmodi erant, quæ partu ſuo eos fundere articulos credebantur, quos tamen mente, oreque rejiciebant. Atque ut intelligatur, non vanis quidem, ſed rectis nos conjecturis ea prædicare, animo recondatur Prædeſtinati Autorem Semi-Pelagianâ lue afflatum eſſe: *Dicunt, ita antecedit Gratia liberum Arbitrium, ut antè accipiat homo, quàm petat; antè inveniat quàm quærat, antè ei aperiatur, quàm pulſet.* Ea porro & Auguſtini, & Scripturæ doctrina eſt. Prædeſtinatus Eſaias: *Expoſitus ſum eis, qui non interrogabant, inventus ſum ab eis, qui non quærebant me.* Prædeſtinatus & Divus Paulus, qui non ſemel teſtatus eſt, ſe prius accepiſſe quàm peteret, utpote qui, dum fremebat in Chriſtum ore cruento, miris modis ad eum perductus ſit. Sed & in libro ſuo, quo Prædeſtinatos refellit Prædeſtinati Autor: *Si jam ſunt vaſa miſericordiæ aptata ad vitam, ut vivant, fundamus nos omnes Prædeſtinationis imperio, & legem cum ſuis prædicatoribus expellamus*, p. 561. Quid eſt Prædeſtinationis myſterium abrogere, ſi hoc non eſt? Horrendum ſanè, quod de Paulo Eccleſiam vexante habet: *Pergens Damaſcum . . . pro fide Dei & veritate currebat*, p. 564. Unde bellam hanc concluſionem ducit: *Vides ergo, quia ubi ignorantia eſt, invidia non eſt.* Cùm igitur apertum, profeſſumque Semi-Pelagianum ſe præbeat Autor Prædeſtinati, quis non videat, quos odioſo & Hæreticorum, & Prædeſtinatorum nomine afficit, illos ipſos Auguſtini diſcipulos eſſe, quibus haud minus Semi-Pelagiani infenſi erant, quàm *Cœleſtiani*. Rotundè quidem & abſque circuitione ulla Proſper Tyro ſcribit, Prædeſtinatorum hæreſim *ab Auguſtino* initia accepiſſe ſue: perhiberi Prædeſtinatus ait, Auguſtini nomine involutam eſſe, Flodoardus verò erroris hujus incunabula quærit in Africa, ut vix in dubio poni queat, quin & Prædeſtinati, & Auguſtinus, hoc eſt, cum Doctore ſuo diſcipuli in eadem cymba navigarint.

Praed. Hiſt. 90.

Eſ. 65. 1.

Rationes Prædeſtinatorum hæreſim aſtruentes ſolvuntur.

VI. Plus forſan in ſolvendo difficultatis, quod extat in Prædeſtinati Præfatione de ſubdititio Auguſtini libro: *Volentes ergo inimicum fidei noſtræ inter fratres dogma inducere, Catholicum ſupraliminare, libri ſui titulum poſuerunt. Qui liber velut ſepulchrum ſatens, à foris quidem Auguſtini nomine dealbatur, intus verò ſcaturit vermibus mortuorum. Hunc librum aliquando ſibi oblatum, beatiſſimæ memoriæ ſummus Pontifex Cœleſtinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuò juberet, damnari ſilentio.* Cœleſtinus autem ab anno CCCCXXIV. ad uſque CCCCXXXII. Pontificatum tenuit. In eo porro libro, quem ſuo de hæreſibus tractatui Prædeſtinati Autor aſſuit, ea totidem verbis leguntur: *Prædeſtinaſſe Deum homines, ſive ad juſtitiam, ſive ad peccatum, ne videretur ipſe ſibi, quaſi non providè facere homines, qui facerent quod nolebat. . . . Unde colligimus apud animum, quos Deus ſemel prædeſtinavit ad vitam, etiamſi negligant, etiamſi peccent, etiamſi nolint, ad vitam perducentur inviti. Quos autem prædeſtinavit ad mortem, etiamſi currant, etiamſi feſtinent, ſine cauſa laborant.* Erant ergo Cœleſtini ætate Prædeſtinati Hæretici, in quos eorum & incunabula Proſper collocavit. Sed & ipſe Autor Prædeſtinati, qui librum, ex quo particulam deſcripſimus, confutavit, ante Eutychis damnationem in Chalcedonenſi Synodo anno CCCCLI. peractam, tractatum edidit ſuum, cùm de notiſſima non minus quàm impia ea hæreſi nil mentionis egerit. Quam utique non præteriiſſet, ſi poſt annum CCCCLI. librum ſuum concinnaſſet. Specioſo tamen huic argumento ſunt, quæ reponantur. Primùm pro commentis habemus, quòd de oblato Pontifici Cœleſtino, & ab eo damnato ſectæ Prædeſtinatæ libro ab Autore Prædeſtinati traditur. Eo ſanè fulmine Fauſtus, Gennadiuſque adverſarios

B. M. P. t. 27. 558.

ANNO DOM. 475.

rios ſuos obruiſſent. Neque de ea damnatione Proſper in ſilentium deſcendiſſet, cui Prædeſtinati odio erant. Quod nos maxime movet, ſi librum, quem Autor Prædeſtinati refellit, Cœleſtinus damnaſſet, id Arauſicanos Patres latuiſſe, quis credat? Cùm moris eſſet Pontificibus, latam à ſe in hæreſes ſententiam, ſuæ ditionis Eccleſiis ſignificare. Gallos igitur Epiſcopos Cœleſtinus monuiſſet, Prædeſtinatorum ſe Hæreticorum dogmata execrationi habuiſſe: ea vitanda, damnandaque, eò magis quòd uſurpato magno Auguſtini nomine, quod Sedi Romanæ venerationi fuit, ſanctum Epiſcopum infamiâ reſpergerent. Atqui adeò Arauſicanis Prædeſtinatorum Hæreticorum libri damnatio ignorabatur, ut fuerintne homines erroribus, qui Prædeſtinatis aſcribuntur, imbuti, ponant in dubio. Extat ea de re locus inſignis in Canone XXV. Arauſicanæ Synodi: *Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione anathema dicimus.* Quibus quoque verbis apparet & promptum eſt, Prædeſtinatos Hæreticos in rerum natura nullos fuiſſe, quos utique Arauſicani Patres non neſciviſſent. Deinde quem Autor Prædeſtinati longâ refutatione adoritur librum, interpolatum eſſe exiſtimamus: ut ad ipſum conſectaria doctrinæ Auguſtinianæ, quæ ab adverſariis ex ea deducebantur, addita ſint. Quod non obſcurè verba hæc innuunt: *Unde colligimus, quos Deus ſemel prædeſtinavit ad vitam, etiamſi peccent, etiamſi nolint, ad vitam perducentur inviti.* Nullus quidem abſque ſanctitate beatus eſſe, & Deum videre poteſt: neque ſanctitas ulla eſt, quæ voluntaria non fuerit, utpote voluntatis actus. Hæc mentibus mortalium innata, hæc inſcripta ſunt ab Autore naturæ; ut impoſſibile videatur, tantum eſſe deleta, ut quæ iis contraria ſunt, publicæ aliquorum religioni insererentur. Gennadium quod attinet, quos nobis depingit Prædeſtinatorum errores, illa ipſa Gallorum capitula ſunt, objecta Auguſtino, quibus Proſper reſpondit. Componantur & primus Gennadii articulus cum 13. Gallorum objectione, & 2. cum 5. & 3. cum 12. & 4. cum C. 15. Auguſtini de Bono Perſeverantiæ, & 5. cum 4. Gallorum objectione, & 6. cum 1. Adeò verum eſt, Auguſtini diſcipulos in Prædeſtinatis eſſe quærendos, ſed nigris coloribus reſperſos, ut infamiæ exponerentur. Porrò etſi vero ſimillimum fiat, Semi-Pelagianorum invidiâ Prædeſtinatianos prodiiſſe, præciſè tamen inficiari nolumus, quia rudes aliqui, quibus peritiæ non ſatis fuit, ut gratiam Dei cum libertate hominis ad concordiam redigerent, eò proceſſerint, ut liberum noſtræ mentis Arbitrium extinctum irent. Qua in ſententia nonnullos verſatos eſſe, Fulgentius teſtatur libro 2. de veritate Præd. *Verùm tamen*, inquit, *quia pleroſque novimus in quæſtione gratiæ Dei & humani arbitrii non tenere diſcretionem, ſed ita unum aſſerere, ut alterum nitantur auferre, cum gratia pietatis neutrum negari ſinat.* Poſſet & forſan aliquis Prædeſtinatianis Moninum inſerere, quaſi exiſtimantem, ad peccandum divinâ poteſtate homines prædeſtinari. De cujus opinione hæc Fulgentius ſcribit, L. 1. in Moninum, c. 3. *Hæc dicta Sancti Auguſtini determinans, & ad tuæ intentionem tuarum dirigens literarum dicis ſentire me jam, cur iterum hæc inculces, ſcilicet quòd recolente te mihi prædeſtinationem non tantum in bono dici, ſed etiam in malo, dum in malo prædeſtinationem te relegiſſe diceres. Ipſe docens, ajebam, ad pœnam debitam, non ad malum faciendum poſſe dici aliam prædeſtinationem, quod etiam tu, ſicut ſcripſiſti, confirmas. Scire tamen aſſeris, quid & hic reſpondeam, ut teneat ſententiam meam, hoc eſt, interitum non dici niſi mortem. Et adjungis interitum legiſſe te hoc, & aſſeveraſſe etiam prædeſtinatum populum ad interitum.* Eſt in dubio tamen, num Moninus ſenſerit, peccatores *ad hoc quod malè operantur*, prædeſtinari, vel hanc Auguſtini fuiſſe mentem exiſtimarit, cùm *fili chariſſime* nomine eum amplectatur. Fulgentius verâ & charitate & pietate imbuti, à qua prorſus alienus eſt ille, qui ad peccata homines à Deo prædeſtinari ſtatuit. Quam ſi Moninus ſententiam amplexus eſt, non pugnamus, quin Prædeſtinatus Hæreticus fuerit. Ac libenter homines ſententiæ ejuſmodi, quæ Deo Numinis ſui & ſanctitatem & æquitatem eripit, fulminibus anathematum obruimus. Quid enim turpius, quàm exiſtimare, Deum autorem eſſe ſcelerum, quæ impellente juſtitiâ ulciſci tenetur?

VII. Ad *Lucidum* veniamus Presbyterum, cujus cauſa, quæ ſuprà tetigimus, præmitti debuere. *Fauſtus* Reienſis Semi-Pelagianorum Coriphæus, in colloquium cum *Lucido* venire cùm non potuiſſet, literis ſibi adeundum eum eſſe putavit, quem ab errore revocaret, ut *eum*, inquit, *qui Prædeſtinationem, excluſo labore hominis aſſerit, cum Pelagii dogmate deteſteris.* Quod ni fecerit, excommunicationis pœnam non occultè minatur. Quos verò reſpuendos ei articulos mittit, illi ſunt. — Lucido damnandos Fauſtus articulos mittit. Lucidus fit Semi-Pelagianus.

Primus. Anathema illi, qui hominem cum fideli Confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem Catholicam fidem, & poſtmodum per diverſa hujus mundi oblectamenta prolapſum, in Adam & originale peccatum periiſſe aſſeruerit.

Secundus. Anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit.

Tertius. Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepiſſe, ut ſalvus eſſe poſſet, id eſt, de baptizato, vel de illius ætatis Pagano, qui credere potuit, & noluit.

Quartus. Item anathema illis, qui dixerit, quòd vas contumeliæ non poſſit aſſurgere, ut ſit vas in honorem.

Quintus. Anathema illi, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit.

His porro articulis per latus Lucidi B. Auguſtinum percuti, immutamque & Prædeſtinationis firmitudinem, & Gratiæ victricis & neceſſitatem, & potentiam extingui, nemo non videt. Neque ullum tergiverſandi locum, vel cunctandi moram Fauſtus Lucido relictum ivit. *Hujus autem Epiſtolæ exemplar*, inquit, *memor teneo in Conventu Sanctorum Antiſtitum, ſi me neceſſe fuerit, proferendum. Quam ſi ſuſcipiendam putaverit fraternitas tua, aut ſubſcriptam manu propriâ, mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe improbaſſe reſpondeat. Quòd ſi ſubſcriptam, ut dixi, tranſmittere nolueris, apertè adhuc tuo errore perſiſtere ipſo ſilentio comprobabis; ac proinde jam neceſſitatem mihi facias, ad perſonam tuam publicis Conventibus exponendam.* Minæ Fauſti, quæ Lucido proponebantur, ipſum haud mediocriter angebant. — B. M. P. t. 8. 524.

gebat. Presbyter erat ditionis Fauſti, qui alius Epiſcopi Clericum non eo modo tractaſſet, ſed proprio potius Epiſcopo emendandum denuntiaſſet. Quid ageret miſer? Fauſti timebat minas, infamiam, excommunicationem. Ceſſit igitur, ac vel ſedulò, vel ſimulatè, volitantibus ſanè vexillis ejuratâ Auguſtini doctrinâ, Semi-Pelagianorum caſtra ingreditur, ut ex ejus anathematiſmis apertè liquet.

Anathematiſmi Lucidi, Gallorum objecta ſunt.

VIII. *Damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum. Qui dicit, poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. Qui dicit, quòd Chriſtus, & Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit. Qui dicit, quòd præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt. Qui dicit, quòd poſt acceptum legitimè baptiſmum in Adam moriatur quicunque deliquerit. Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos. Qui dicit, ab Adam uſque ad Chriſtum nullos ex Gentibus per primam gratiam, id eſt, per Legem naturæ in adventum Chriſti non fuiſſe ſalvatos, eò quòd liberum Arbitrium in primo parente perdiderint. Qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel ſummos quoſque Sanctorum etiam ante Redemptionis tempora intra Paradiſum degiſſe. Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegiis repleta condemno.* A Lucido quidem illi damnari non potuere, qui dicunt, *alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos*, quin Auguſtinus obrueretur, qui hoc dixerat. Eoque damnationis tela Sancti Patris jugulum peti, docet ipſe Fauſtus in ſuo libro de Gratia Dei, & humanæ Mentis libero

Fauſt. l. 1. cap. 4.

Arbitrio: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut aſſerunt, deputatus eſt, ſicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi naſcimur, ſed judicati.* Quis ille Sanctorum, niſi B. Auguſtinus? Qui proinde à Lucido damnatur, ut certo certius ſit, eâ damnatione Sancto Patri nuntium remiſiſſe, ut Semi-Pelagianis militaret. Quin etiam damnatarum à Lucido propoſitionum nulla eſt, cui ſenſus aptari pius non poſſit, ſi pauca hæc eximamus, *Præſcientia Dei violenter compellit ad mortem.* Quoquo verò modo ex mente Pelagianorum intelligantur, nulla eſt, quæ ipſis abſurda non pariat. Cùm indiſcriminatim, ergo nullâque diſtinctione adhibitâ Lucidus, ut Fauſto & Arelatenſibus pergratum faceret, eos damnarit, conſequens eſt, & veritatem ejuraſſe, Lucidum & errorem imbibiſſe: ſecus nonniſi explicatione propoſitâ, damnationem articulorum injunxiſſent, ne uno eodemque ictu veritas cum errore procumberet. Denique uti à doctiſſimis viris, Uſſerio, Noriſio, aliiſque jam obſervatum, Lucidi articuli illa ipſamet objecta ſunt, quibus Maſſilienſes Auguſtinianam de gratuita Prædeſtinatione ſententiam infamabant, ut ex articulorum, objectionumque collatione palam eſt. Secundus *Lucidi* articulus, qui damnatur, hic eſt: *Poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Gallorum verò ſexta objectio hæc fuit: *Quòd liberum Arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum, ſive ad malum Prædeſtinatio Dei in hominibus operetur.* Tertius Lucidi articulus rejectus: *Quòd Chriſtus mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit.* Ipſiſſima eſt nona Gallorum objectio: *Quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus.* Quartus articulus, *Præſcientia Dei hominem violenter compellit ad mortem: quòd Dei pereunt voluntate*, qui pereunt. Audiatur objectio prima Gallorum: *Ex Prædeſtinatione Dei, velut fatali neceſſitate homines compulſi coguntur in mortem.* Quintus Lucidi: *Poſt acceptum legitimè baptiſmum, in Adam moritur quicunque deliquerit.* Ex ipſa objectio eſt ſecunda Gallorum: *Quod ab eis, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum.* Cùm itaque eadem & Lucido, & Auguſtino objecta proponerentur, quis meritò non exiſtimet, eandem utrique ſententiam fuiſſe, ex qua Lucidus diſceſſit, ut Semi-Pelagianorum opiniones amplecteretur. Quid multa? Non neſciebat Fauſtus, non Lucidus, non latebat Arelatenſes, Proſperum nonæ Gallorum objectioni, quòd pro omnibus Chriſtus morti non miſſus fuerit, ſatisfeciſſe. Reſponderat: *Cùm rectiſſimè dicatur, Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram naturæ humanæ ſuſceptionem . . . poteſt tamen dici, pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Cùm igitur neglectâ Proſperi explicatione, eam anathemati propoſitionem ſubjiciat, *Chriſtus non pro omnibus mortuus eſt*, certo certius ſit, propoſitionem vel ſenſu Proſperi Lucido Fauſtoque pro falſa habitam eſſe: ac ut iterum dicamus, Lucidum Auguſtino valedixiſſe, ut Semi-Pelagianorum ſeſe diſciplinæ traderet. Ex quo conficitur, de Prædeſtinatorum ſectæ unum non fuiſſe: Prædeſtinatoſque nullos fuiſſe, niſi Auguſtini diſcipulos, qui pro Hæreticis odioſo Prædeſtinatorum nomine à Semi-Pelagianis damnabantur. Hinc apertè liquet, à vero longiſſimè abeſſe Baronii dictum, quòd Fauſtus Lucidum ad frugem revocarit.

Quot vicibus Lucidus articulos ſibi propoſitos damnavit. An in Synodo duntaxat Arelatenſi.

IX. Perſpiciamus nunc quando, & quot vicibus memoratos Lucidus damnavit articulos. Poſtquam Fauſtus Lucidum eò impulit, ut vel ejuraret, vel ejuraſſe ſe fingeret, quam olim ſententiam tuebatur, quin Epiſtolæ ſibi miſſæ ſubſcripſerit, vix dubitamus. Etenim & præceperat Fauſtus, ut manu propriâ ſubſcriptam remitteret. Quæ cauſa eſt, cur exemplaria reperiantur, in quibus extat Lucidi duntaxat ſubſcriptio. Cæterùm ut nobiliorem de Lucido triumphum ageret, Fauſtus in Synodo retractationem ejus fieri voluit. Fauſti igitur Epiſtolæ complures Epiſcopi, quaſi teſtes, unà cum Lucido ſubſcripſere. Auxanius, Fauſtus, Paulus, Eutropius, Pragmatius, Patiens Lugdunenſis, Eufronius, Megetius, Claudius, Leucadius, Julianus. Quænam verò Synodus illa fuerit, in dubium cadit. Ac Baronio quidem *Arelatenſis* eſſe videtur. Quæ ſententia admitti nequit, cùm in illis Epiſcopis Leontius deſideretur, qui certè Arelatenſi Conventui interfuiſſet, utpote & Eccleſiæ hujus Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis per univerſam Galliam Legatus ab Hilaro conſtitutus. Sed & longè quidem numeroſior Synodus Arelatenſis en Conventu, cujus Epiſcopi Epiſtolæ Fauſti cum Lucido ſubſcripſere: ille Epiſcoporum XXX, hic undecim duntaxat Præſulum fuit. Eſt ergo veroſimilius, ab Arelatenſi Concilio Conventum fuiſſe diverſum, ſive dedicandæ Baſilicæ, ſive privata de cauſa coactum. Denique ſententiam adhùc ſuam damnavit Lucidus in Arelatenſi Synodo, circa annum CCCCLXXV. celebrata. Abſona quidem Binii ſententia eſt, quæ Concilium illud anno CCCCXXIV. affigit, quo tempore Leontius Synodi Præſes, Mamertus Viennenſis, Patiens Lugdunenſis non amplius inter homines erant.

Error Baronii.

Bar. Ann. 490. n. 17.

ANNO DOM. 475.

Baronio ad annum CCCCXC. illud referri placuit, quâ Chronologiâ à ſe prorſus diſſidet, utpote qui ſentiat, Fauſti de Gratia & Libero Arbitrio libros illos ipſos eſſe, quos laudibus extulit Sidonius in ſua ad Fauſtum Epiſtola, l. 9. Perierat verò Sidonius ante annum CCCCXC. Placet ergo magis Sirmondi ſententia, labenti anno Arelatenſem Conventum vindicantis. Huic interfuere triginta Epiſcopi, quibus Libellum Lucidus ſuum obtulit: *Dominis beatiſſimis, & in Chriſto reverendiſſimis Patribus, Leontio, Euphronio, Fonteio, Viventio, Mamerto, Patienti, Verano, Auxanio, Fauſto, Paulo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Baſilio, Claudio, Urſino, Prætextato, Pragmatio, Theoplaſto, Leocadio, Viventio, Juliano, Amicali, Joanni, Opilioni & Licinio Epiſcopis, Lucidus Presbyter. Correptio veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Unde & ego ſummum remedium duco, ut præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutiferâ Confeſſione me diluam. Proinde juxta prædicanda recentia ſtatuta Concilii damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum, &c.* Captatoria vero propoſitio hæc fuit, quæ ſenſo Auguſtiniano veriſſima ſanè, Pelagiano autem falſiſſima fuit. Fauſtus enim, & qui ipſi adhærebant, humanum laborem intelligebant, quo liberi Arbitrii viribus quærebant, petebant, pulſabant, ut Gratiam acciperent. Quo caſu vitari haud potuit, quin gratia merentibus tribueretur, quæ indignis prorſus erogatur. Auguſtinus vero eum laborem intelligebat, qui Gratiam excipit, quam Deus quidem non indulget, ut homines ſocordiâ torpeant: ſed ut fulgore divinæ lucis illuſtrati, gemant, ſuſpirent, ſollicite quærant peccatorum veniam oblatam reſipiſcentibus. At his involucris fucus faciendus, & pietatis obtentu pietas exterminanda fuit. Sic ampla de Auguſtino ſpolia ſub Prædeſtinatorum larva Synodus Arelatenſis retulit, Gratiaque victrix in triumphum ducta eſt, qua de re Fauſtus gloriatur in ſua ad *Leontium* Epiſtola, libris de Gratia, & Libero Arbitrio præfixa: *Domino beatiſſimo, ac reverendiſſimo Leontio Papæ Fauſtus. Quod pro ſollicitudine paſtorali, beato Papa Leonti, in condemnando Prædeſtinationis errore Concilium ſummorum Antiſtitum congregaſtis, univerſis Galliarum Eccleſiis præſtitiſtis.* Paulò pòſt Arelatenſe Concilium Lugdunenſe cogitur. Quid in eo actum ſit, ignoratur. Id unum ex Fauſti Epiſtola colligitur, ipſi mandatum eſſe, ut ſuo de Gratia & Libero Arbitrio tractatui aliquid adjiceret: *In quo quidem opuſculo,* inquit, *poſt Arelatenſis Concilii ſubſcriptionem novis erroribus deprehenſis, adjici aliqua Synodus Lugdunenſis exegit.* Quod Opus etſi Semi-Pelagianiſmum ſpiret, plurium tamen Synodorum ſuffragio ornatum fuit.

Lab. Conc. t. 4. 1044.

B. M. P. t. 8. 524.

Simplicius Gaudentium damnat Epiſcopum. Cur?

X. Annalibus noſtris Simplicius Papa aliquid etiam ſuppeditabit. *Gaudentius* Aufinienſis Epiſcopus contra ſtatuta Canonum ordinationes illicitas fecerat. Scribit ergo Pontifex ad Florentium, Equitium & Severum Epiſcopos, ut Severus eo fungatur officio, quo Gaudentius abuſus eſt: *Ita ut hi, qui illicite ab eodem ſunt provecti, ab Eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti. Simul etiam de reditibus Eccleſiæ, vel oblatione Fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat, ſed ſola ex iis una portio retineatur. Duæ Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ à Bonagro Presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur, ultima inter ſe Clericis pro ſingulorum meritis dividatur.* Jubetur & Gaudentius, *tres illas portiones, quas per triennium ſibi vindicarat,* prorſus reſtituere, eoſque, qui Eccleſiæ miniſteria poſſidebant, ad ea reddenda compellere.

ANNO DOM. 476.

Simpl. Ep. 3.

ANNO U. C. 1229. PER. JUL. 5189. JUL. 521. DOM. 476. ZENONIS 2. & 3. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 2. *Indict.* 14. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 28. *Mart.*

COSS. *Baſiliſcus* II. & *Armatus.*

Oreſtes ab Odoacro occiditur. Auguſtulo Imperium abdicatur. Odoacer Rex creatur.

I. ORestes proditor ille perduellis, qui ut filium ſuum *Romulum* ad Imperium eveheret, abdicatâ, quam Julio Nepoti, Principi ſuo debebat obedientiâ, eum anno præterito fugarat, Pannoniâ ortus erat. Quis fuerit, docent nos Excerpta Valeſiana de Theodorico: *Oreſtes Pannotos* (lege *Pannonius*) *qui eo tempore, quando Attila ad Italiam venit, ſe illi junxit, & ejus Notarius factus fuerat, unde profecit, & uſque ad Patriciatus dignitatem pervenit,* artibuſque ſuis tantum invaluit, ut *pridie Calendas Novembris* anno præterito filium purpura indueret. Prudentiâ inſigni clarus erat Oreſtes in gubernando. Itaque Procopio *ſapientiſſimus* dicitur. Sed prudentiſſimos dum ſuperbiunt, & perfidè agunt, Deus it perditum, prudentiâque hâc ſuâ Oreſtes cum filio in altum ſublatus eſt, ut mox lapſu graviore rueret. Quod qua ratione factum eſt exponendum. *Ædico*, qui, ut videtur, ille ipſe eſt Legatus Attilæ, filium genuit *Odoacrum*, de quo hæc refert Vita B. Severini: *Quidam Barbari, cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu perrexerunt, inter quos & Odoacer, qui poſteà regnavit Italiæ, viliſſimo habitu juvenis, ſtaturâ procerus advenerat. Qui dum humillimum tectum cellulæ ejus ſuo vertice contingeret, inclinans ſe, à viro Dei gloriosum ſe fore cognovit. Cui etiam valedicenti, Vade inquit, ad Italiam, vade viliſſimis nunc pellibus coopertus, ſed multis citò plura largiturus. Interim ut Dei famulus ei prædixerat, mox in Italiam ingreſſus eſt, regnum accepit.* Erat Odoacer *Turcilingorum* Rex, qui comitibus Scyris, Heruliſque Italiam ingreditur. Oreſtes congreſſus impar Ticinum fiduciâ munitionis petit; quod urbi in cladem ceſſit. Victores Barbari populantur omnia. Soror Epiphanii Præſulis captiva ducitur: *Eccleſia flammis hoſtilibus concremantur, tota civitas quaſi unus rogus, effulgurat.* Reliquiis urbis ſaluti fuit mors Oreſtis, quo extincto, *deprædationis impetus conquievit*, teſte in Vita Epiphanii Ennodio. Oreſtis, Auguſtulique fata docent Excerpta de Theodorico: *Superveniente Odoacre cum gente Scyrorum occidit Oreſtem Patricium in Placentia, & fratrem ejus Paulum ad Pineta foris claſſem Ravennæ. Ingrediens autem Ravennam, depoſuit Auguſtulum de regno, cujus infantiæ miſertus, conceſſit ei ſanguinem, & quia pulcher erat, tamen donavit ei reditum, ſex millia ſolidos, & miſit eum intra Campaniam cum parentibus ſuis libere vivere.* Locus, ad quem relegatus eſt, Marcellino *Lucullanum caſtrum* vocatur. Tantorum caſuum diem nos ignorare non patitur Cuſpiniani Anonymus: *Levatus eſt Odoacer Rex x. Kal. Septembr. & etiam eo anno occiſus eſt Oreſtes Patricius, Placentiæ v. Kal. Septembr.* De Oreſtis Auguſtulique fato legatur

Excerp. de Theodor.

Paulus

Digitized by Google

ANNO DOM. 476.

Paulus Diſc. lib. XVI. In ea ſe mirandum, quòd Romanorum regnum, ut in Romulo urbis conditore inceperat, ſic & in Romulo finierit. Obſervat & jam Marcellinus: *Heſperium Romanæ gentis Imperium, quod ſeptingenteſimo nono urbis conditæ anno primus Auguſtorum Octavius Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit, anno deceſſorum regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc Regibus Romam tenentibus:* Quæ tamen non ſunt accurata, cùm nec primus Imperatorum Auguſtus, nec Octavius regnare cœperit anno urbis 709. quo tempore Julius Cæſar vitam retinens, belli civilis reliquias in Hiſpanis perſequebatur. A quo ſi Imperatorum ducitur initium, ad ejectum Auguſtulum uſque anni ſunt DXXIII. Principatus quippe Cæſaris à morte Pompeji incepit U. C. anno DCCVI. Julio Cæſare II. & P. Servilio Coſſ. Auguſtulus verò relegatus eſt anno U. C. MCCXXIX. Deductis 706. de 1229. reſtant DXXIII. Imperatorum Romanorum ſucceſſionibus vindicandi. A vero longius receſſit Evagrius: *Romulus, cognomento Auguſtulus, poſtremus Romæ factus eſt Imperator, mille & trecentis ac tribus annis elapſis à regno Romuli.* Cæterùm Romulus Auguſtus vero nomine vocabatur, ſed ob infantilem ætatem vulgò Auguſtulus blandè dicebatur, ut obſervatum Procopio: *Zenone Byzantii imperante Auguſtus Occidentis tenebat Imperium, quem & Auguſtulum idcircò vocitabant Romani, quia puer admodum regnum ſuſceperat.* Extat Valeſii in notis ad Excerpta Theodorici nummus, cum hac Inſcriptione: *Imp. C. Romulus Auguſtus P. P. Auguſtus.* Petavius aliique eum vocant *Momyllum*, ſed uti Valeſius obſervat, *gravi errore.*

Evagr. l. 2. c. 16.

Procop. de Bell. Goth.

Quid Rex creatus egerit Odoacer?

Caſſiod.

II. Pulſo Romulo, Odoacer rerum potitur. Sed Imperatoris repudiato titulo, *nomen Regis adſumpſit, cùm tamen nec purpura, nec regalibus uteretur inſignibus.* Vix Imperium adierat, cùm Sancti Severini oſculum mentem ipſius ſubiiſſe ferunt, itaque ad illum ſubinde miſit, pollicitus multa ſe in gratiam ejus facturum. Referantur verba Excerptorum de Odoacro: *Eodem tempore Odoacer Rex memor factus, quòd à viro ſancto prædictum audierat, ſtatim familiariter literas ad eum dirigens, ſi qua ſperanda duceret, dabat ſuppliciter optionem. Ergo vir Dei tantis itaque ejus alloquiis per literas invitatus, Ambroſium quendam exulantem rogat abſolvi, cujus Odoacer gratulabundus paruit imperatis.* Annos XIV. regnavit, quod & à Severino prædictum ferunt. Paulus Diaconus lib. XVI. *Dejecto ab Auguſtali dignitate Auguſtulo, urbem Odoacer ingreſſus, totius Italiæ adeptus eſt regnum, quod cùm annis XIV. nullo inquietante tenuiſſet, ab Orientis nunc partibus veniens Gothorum Rex Theodoricus Italiam poſſeſſurus intravit.* Marcellini in monumentis legitur, anno ſequente Bracilam ab Odoacro mulctatum fuiſſe: *Bracilam Comitem apud Ravennam occidit.* Perieritne hoſtis, an perduellis, prorſus neſcimus.

Baſiliſcus Imperium arripit. Zeno fugâ petit Iſauriam.

III. Ingens & mutatio Orientis inceſſit Imperium. Verinæ frater Baſiliſcus ob res malè geſtas in Africa Perinthum relegatus, non multò pòſt reſtitutus in integrum, Oſtryn Aſparis Protectorem, & Theodoricum Triarii filium, cujus Aſpar ſororem duxerat, à Conſtantinopolitana obſidione cum Zenone junctum anno CCCCLXXII. depulerat: ſuperiore verò inſurgit Zenoni. Seditionis fons & principium Verina ſpe adjungendi ſibi Patricium *Magiſtrum*, qui cum ea ſtupri conſuetudinem habebat, referente Candido. Nec difficile fuit, multos ad conjurationis ſocietatem convocare, cum vel propinquis Zeno ſuis ob vitam turpiſſimam inviſus eſſet. Cognitis inſidiis Zeno fugam maturat, veritusque ne opprimeretur, Chalcedonem migrat, indeque veredis uſus, ſolum natale ingreditur, Imperio citra pugnam cedens Baſiliſco, qui ſubinde purpuram induit. Paucis quidem, ſed perſpicuis totam tragœdiam verbis exponunt Excerpta de Theodorico: Zenoni *inſidiabatur Baſiliſcus ipſe primus Senatoe: quo cognito, Zeno aliquamdiu dives petit Iſauriam. At ubi ille egreſſus eſt, mox Baſiliſcus, qui ei inſidiabatur, arripit Imperium.* Spem mente amplectebatur Verina, fore ut Magiſter, quem diligebat, rerum potiretur: verùm Optimates ſuffragiis Baſiliſcum ſuis ad Imperium provexere. Ex Iſaurica gente, qui fidi erant, fugitivo Principi incredibili ſtrage in urbe regia ſternuntur. Ariadne verò maritum omnibus anteponens, relictâ matre Iſauriam petit, hybernæ navigationis periculis major fuit conjugalis amor. Quippe Zenonem *Ariadne Auguſta ſub hyemis diſcrimine navali itinere ſubſecuta eſt.* Ut Baſiliſcus in Campo Imperator renuntiatus eſt, è veſtigio Marcum filium ſuum Cæſarem nuncupat, & Zenonidem conjugem ſuam Auguſtam. Ac deinde ad opprimendum in Iſauria Zenonem vires animumque convertit. Porro de Baſiliſci initiis Scriptores variant, quæ anno ſuperiori à Marcellino, & Victore Tun. inſequenti verò à Chronico Alexandrino alligantur. Quæ Chronologia ſine dubio falſa eſt. Extat enim in Codice Juſtinianeo Lex *de muliere, minore viginti quinque annis,* miſſa à Zenone Æliano Præfecto Prætorii, data Kal. Januar. Baſilio II. & Armatio Coſſ. Legendum, Baſiliſco II. & Armato. Imperium adhùc tenebat Zeno Februarii XX. quo Legem *de Legitimatione per ſubſequens matrimonium* Sebaſtiano Præfecto Prætorii direxit, datam X. Cal. Martii Baſiliſco II. & Armato Coſſ. Ut verè, & accuratè ſimul à Pagio obſervatur. Sed & Simplicius Pontifex rogavit Zenonem, ut Timotheum Ælurum, qui Alexandrinam Eccleſiam iterum occupare, & clam Conſtantinopoli hæreſes diſſeminare ſuas conabatur, regiâ poteſtate cohiberet. Data verò eſt Epiſtola quarto Idus Januar. Baſiliſco Armatoque Coſſ. ut de Baſiliſci initiis non ſit amplius dubitandum. Ut fratri ſuo Imperium gratulata Verina, in ejus honorem columnam extruxit, inſigne odii, quo in generum flagrabat, monumentum:

Vict. Tun.

Theodor. lib. 1.

Cod. l. 5. tit. 22. lib. 28.

C. Juſt. lib. 5. tit. 27. l. 5.

Nec diverſa trahunt unum duo nomina pectus.

Verinæ magni Leonis uxoris duæ columnæ fuerunt. Una quidem maximè Septentrionalis prope Sanctum Agathonicum, poſt aſcenſum graduum: altera verò in ea parte, ubi eſt Sancta Barbara. Atque illa quidem Sancti Agathonici adhùc vivente Leone fuit. Altera verò poſt ipſius obitum cùm Baſiliſcum fratrem ſuum coronavit, Zenone ipſius genero exulante.

Metam. lib. 8.

Suid. t. 2. pag. 551.

Timotheus Ælurus turbat Eccleſiam.

IV. Rerum nunc Eccleſiaſticarum debita propoſito noſtro relatio eſt. Timotheus Ælurus, quem à *Stila* Duce *Cherſonam* imperante Leone relegatum vidimus, totus in otio ſe collocans, nil turbarum in Eccleſia moverat. At ſcelesto audaciam attulerat mors Leonis, mutatoque Imperatore fortunam quoque ſuam mutari poſſe

ANNO DOM. 476.

poſſe exiſtimarat. Itaque reverſus Alexandriam, anno ſuperiore fautorum ope ſuorum turbas excitarat: ac quaſi furori ſuo incendia hæc non ſufficerent, eodem igne regiam urbem, in quam clanculario ingreſſu penetrarat, corripi voluerat. Timothei facinora hæc miſſo ab Archimandritis Conſtantinopolitanis *Epiphanio* Diacono, Pontifici Romano nunciata ſunt. De quibus docemur Simplicii Epiſtolâ ad Zenonem, datâ *quarto Idus Januarias* labentis anni: *Sicut in meam notitiam ferventium pro fide Catholica detulerunt ſcripta Monachorum, comperi Timotheum parricidam, qui Ægyptiacæ pridem vaſtator Eccleſiæ, in morem Cain, ut lectio divina teſtatur, ejectus à facie Dei, hoc eſt, ab Eccleſia dignitate ſecluſus, & jam per deſerta vagus, ſceleratæ conſcientiæ diu tormenta paſſurus, in exilium propriis æterni conſcientiâ abductus eſt, reſumptis priſtini furoris incendiis, conflaſſe nihilominus agmina perditorum, & Alexandrinæ urbis Eccleſiam, quam Sacerdotali prius ſanguine cruentavit, ipſam denuò nunc cruentum depulſione legitimi pervaſiſſe Pontificis. Ut cui illa relegationis humilitas injicere debuerit ex iis, quæ impiè geſſerat, aculeum pœnitendi, nutriendi potius otia tribuiſſe videatur atrocioris infamiæ. Nec eo tamen ſcelerum fine contentus, Conſtantinopolitanam inſuper urbem, recti ſemper dogmatis amore flagrantem, ne quid intemeratum populator humanæ ſalutis omitteret, fortius audacter ingreſſus, & à ſuæ conſortibus pravitatis libenter audiſſe, ſoli Chriſto debitam vocem, quò planè non in nomine Domini venire benedictus, ſed divini culminis uſurpator evidenter eſt monſtratus Antichriſtus. Qui cùm etiam à communione Catholica tam laudabiliter eſſet excluſus, per quorumdam privatas domos reſperſis humano ſanguine manibus, non divina ſacrificia, ſed ſacrilegia celebraſſe memoratur.* Zenonem ergo obnixè rogat, ut Timotheum, *gladiatorem* potius, quàm Paſtorem regiâ poteſtate cohibeat. Quò Imperatorem magis permoveret Simplicius, literas dedit Acacio urbis regiæ Præſuli, quibus auxilium ejus petebat, ne Concilium Oecumenicum, quod Timotheus petebat, celebraretur: *Quia*, inquit, *ſanctæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum extante doctrinâ, contra quam nefas eſt diſputare, quiſquis rectè ſapere videtur, novis aſſertionibus non indiget doceri, ſed plana atque perfecta ſunt omnia, quibus poteſt vel deceptus ab Hæreticis erudiri, vel in vinea Domini plantandus inſtitui, imploratâ fide clementiſſimi Principis, vocem faciendæ Synodi fac reſpui, nec ſit apud aures Imperatoris Chriſtiani pigra ſuggeſtio. . . . Integritati ſuæ Alexandrinam reddi præſtet Eccleſiam, & B. Marci Evangeliſtæ Sede hoſtem, parricidamque propellat.* Harum literarum mentio eſt ea in Epiſtola, quæ ad Zenonem à Pontifice Romano miſſa eſt, pridieque quàm ad Imperatorem ſcriberet, ſunt exaratæ. Sed & Clericos Monachoſque Conſtantinopolitanos ſcripto adiit Simplicius, quo ipſorum conſtantiam commendet, quòd Timotheum ad communionem non admiſerint: oſtenditque Hæreticum illum ſæpè damnatum non audiendum eſſe. Data eſt Epiſtola III, Idus Januarii. Pòſt ubi auditum eſt, Acacium perfido Timotheo fortiter reſtitiſſe, ut ne vel ullam Conſtantinopoli Eccleſiam ille intrare permitteretur, hanc conſtantiam ſibi laudibus extollendam Simplicius arbitratur. Uſus ergo legatione publicâ, novam adhùc Acacio Epiſtolam ſcribit, quâ eum commendat, quòd Æluro nulla in urbe regia patuerit Eccleſia, ſimulque hortatur, Imperatorem moneat, ne Chalcedonenſis Concilii Decreta violari ſinat: *Cum filii noſtri illuſtris vir, Latinus, Patricius, & ſpectabilis Maduſius pro legatione publica mittantur, negligere non potuimus, quod omni intentione curamus.* Legationem Odoacris eſſe ad Zenonem, ſibi in mentem induxit Binnius; ſed perperàm, cùm Odoacer non ante decimum Cal. Septembris regnum in Italia ſuſceperit, quo tempore Baſiliſcus imperabat. Simplicii verò Epiſtola concinnata eſt Zenone adhùc rerum Domino: *Tam Chriſtianiſſimo Principi, quàm dilectioni tuæ ſcripſimus, ut modis omnibus reſiſtatur, ne quid Hæreticorum contra Chalcedonenſe Concilium moliatur audacia.* Ea igitur legatio Auguſtuli potius eſt, quàm Odoacri. Ex literis Simplicii tam *Evagrii*, quàm *Liberati* error eſt emendandus. Ille: *At primùm*, inquit, *miſſi ad Baſiliſcum legatione quorumdam urbis Alexandrinæ Timotheum Ælurum ab exilio revocavit.* Hic verò: *Timotheus*, ait, *Catholicorum Epiſcopus vixit quidem quietè in Alexandrina Eccleſia omni tempore Zenonis, donec Baſiliſcus arriperet tyrannidem.* Quæ prorſus abhorrent à vero, cùm anno ſuperiore, quo nondum Zeno ceſſerat Imperio, Timotheus Ælurus & Alexandriæ & Conſtantinopoli turbas moverit. Edicto quidem Timotheum Zeno non liberavit. Vix tamen negari poteſt, quin regiâ conceſſione vincula ſoluta ſint exuli.

Simpl. Ep. 4. — *Simpl. Ep. 5.* — *Simpl. Ep. 6.* — *Id. ibid.* — *Evagr. l. 3. c. 4.* — *Liberat. cap. 16.*

Baſiliſcus Chalcedonenſia Decreta reſcindit.

V. At ubi Baſiliſcus rerum potitus eſt, clariora Timotheus ſibila dedit. Eutychianorum partibus favebat Zenonis Auguſta, cujus impulſibus pietati vir ejus bellum indixit, ut nos Theodorus monuit: *Statim bellum adverſus fidem movere cœpit, Zenonide maximè contra Orthodoxos eum incitante.* Cujus potentiâ fretus Ælurus, qui ab anno ſuperiore Conſtantinopoli morabatur, perſuaſit Baſiliſco, ut Encyclicas ad omnes ubique Epiſcopos literas mitteret, & ea, quæ Chalcedone geſta fuerant, Leoniſque librum anathemati ſubjiceret. Ex ipſius Epiſtola ea referamus, quæ ad intelligendam Hiſtoriæ ſeriem ſunt neceſſaria: *Imperator Cæſar Baſiliſcus, Pius, Victor, Triumphator, Maximus ſemper Auguſtus, & Marcus nobiliſſimus Cæſar, Timotheo reverendiſſimo, & Dei amantiſſimo Archiepiſcopo magnæ urbis Alexandrinorum.* Pòſt ubi Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum autoritate ſuâ corroboravit, ſubjungit: *Ea verò, quæ ſanctarum Dei Eccleſiarum conſenſum & tranquillitatem, & totius orbis pacem diſruperunt, tomum ſcilicet Leonis, & cuncta, quæ Chalcedone in definitione fidei, aut expoſitione Symbolorum docendi, vel interpretandi, vel diſputandi causâ ad innovationem ſupra memorati ſacri Symboli CCCXVIII. Sanctorum Patrum dicta & geſta ſunt; hic & ubique per ſingulas Eccleſias ab univerſis ſanctiſſimis Epiſcopis anathematizari decernimus, & ubicumque reperta fuerint, flammis abſumi. . . . Qui verò poſt hæſce noſtros divinos apices, quos ex Dei ſententia promulgatos à nobis eſſe confidimus, quippe qui optatam ab omnibus unitatem ſanctiſſimis Dei Eccleſiis conciliant, novitatem, quæ adverſus fidem Chalcedone facta eſt, aut inter diſputandum, aut inter docendum, aut in ſcriptis ſuis, quocunque demum tempore, & modo, ac loco proferre unquam, aut omninò nominare tentaverint, eos tanquam tumultus ac ſeditionum ſanctis Dei Eccleſiis, & univerſis, qui noſtro Imperio parent, autores,*

Theodor. lib. 5. — *Evagr. l. 3. c. 4.*

ANNO DOM. 476.

autores, Deique, ac noſtræ ſalutis hoſtes . . . ſi quidem Epiſcopi ſunt, aut Clerici, deponi præcipimus. Si verò Monachi, aut Laici, exilio & bonorum omnium publicationi, & extremis pœnis ſubjacere.

Geſta Timothei Æluri, imperante Baſiliſco.

Theodor. lib. 1.

VI. Qui Chalcedonenſibus Decretis reſiſtebant, eorum audaciam acuit ea tuba impietatis. Ut verò Timotheus ſuis exemplum daret, collectâ ſeditioſâ, & incompoſitâ Alexandrinorum turbâ, *unà cum illis ex ædibus Baſiliſci ſupplicans, ad Eccleſiam proceſſit, aſino vectus. Cumque ad locum, qui Octogonus dicitur, perveniſſet, gravior prolapſus eſt, & fracto pede cum ingenti ignominia receſſit.* Hæc erant triumphantis quidem, ſed mox ruituræ impietatis ſigna. Ubi per valetudinem licuit, Conſtantinopoli egreditur cum Imperiali diplomate, quo Hæretici ſuis Sedibus reſtituerentur. Ac primùm Epheſum veniens, *Paulum* in Archiepiſcopali Sede collocat, quâ exciderat. Reddidit etiam Epheſinæ Eccleſiæ jus Patriarchicum, à Chalcedonenſibus ademptum. Illinc profectus Alexandrinam venit anno CCCCLXXVII. & à cunctis eum adeuntibus, ut Chalcedonenſem Synodum anathemate ferirent, exigere perſeveravit; ab eo tamen receſſere complures, licet factionis ejuſdem, quorum è præcipuis Theodotus Epiſcopus Joppæ. Porro adventante Alexandriam Æluro, *fugit Timotheus Catholicus in Canopi caſtellum, & in Monaſterio latuit.* Petrus verò Mongus, qui cum Æluro damnationis ſententiam acceperat, ei ſe iterum conjunxit. Breviſſima ea ſocietas fuit, cujus vincula morte Æluri anno CCCCLXXVII. ſoluta ſunt.

Evagr. l. 3. c. 5.

Liberat. cap. 16.

Petrus Fullo Antiochenâ Eccleſiâ iterum potitur.

VII. Non unus regio Baſiliſci Edicto ſubſcripſit Timotheus: alii complures & aſſenſi ſunt, ſive pœnæ metu, ſive in Eutychis errorem propendentibus animis. Quingenti circiter numero Antiſtites fuere, qui *Encyclicis* literis ſubſcribentes, Leonis Epiſtolam, & Synodum Chalcedonenſem damnaverunt, quorum unus fuit Anaſtaſius Hieroſolymitanus. Calculum quoque ſuum ipſis addidit Petrus Fullo. Metu correptus, Acoemetarum in Monaſterio latibulum quæſiverat, quo egreſſus, ad regendam Antiochenam Eccleſiam revertitur. Ut novit Julianus Antiochenus, quid rerum moviſſet Baſiliſcus, ingenti dolore correptus, vitâ ſolvitur. Viduâ Eccleſiâ iterum Petrus potitur. Quid verò tum egerit, ex Geſtis de nomine Acacii inſtruimur: *Baſiliſci temporibus à Timotheo illo damnato, qui Conſtantinopolim venerat, ad Antiochiam remiſſum fuiſſe, ut iterum illic Epiſcopatum teneret. Quo facto, idem Petrus Joannem quendam Presbyterum ordinat, Apamenis Epiſcopum, à quibus non receptus venit Antiochiam, & Petrum Epiſcopatus ſui pellit autorem, & invadit ejus Eccleſiam.* Quibus error Baronii à Theodoro Lectore decepti emendari debet, qui hæc anno CCCCLXXI. quo adhùc Leo imperabat, facta fuiſſe tradit. Ut ſpe Epiſcopatum recuperandi Joannes Petrum ejiceret, coactâ Synodo eum ex ſua Sede deturbat. Annus jam labebatur CCCCLXXVII. ſed prædâ, quam rapuerat Joannes, diu non potitus eſt, cùm poſt trimeſtre ſpatium communi Orientalium Antiſtitum ſuffragio, quam uſurparat, Cathedrâ pellitur.

Lab. Conc. t. 4. p. 1082.

Baſiliſci perſecutio. Mors Platonis.

VIII. Non inutiles Edicto effundi ſuo minas Baſiliſcus voluit: ad perſecutionem uſque proceſſit, teſte Hiſtoriæ Eutychianiſtarum breviculo: *Cùm Baſiliſcus occupaſſet Imperium, damnare cœpit Chalcedonenſem Synodum, & Catholicos perſequi.* Neque pugna prorſus incruenta fuit, ſi qua Suidæ fides, qui Platonem morti miſſum tradit: *In Æde ſancti Procopii magni Martyris, in teſtudine cujuſdam Eunuchi ſtatua ſtat, in cujus pectore ſcriptum eſt, qui tranſtulerit, locoque moverit res hic ſitas, laqueo tradatur, ac ſtranguletur. Hæc autem ſtatua fuit Platonis Cubicularii, qui temporibus Baſiliſci crematus fuit. Cum autem ejus parentes poſtulaſſent ab Imperatore, ut monumenti cauſâ adverſus eos, qui Imperatori adverſabantur, Eunuchus ille Plato ſtatuâ donaretur, quæ ſupra columnam collocaretur, Imperator hoc non impedivit, ſed ipſis conceſſit. Cum verò magni Martyris Ædes renovaretur, hæc ſtatua in Circum equeſtrem tranſlata eſt.*

Lab. Conc. t. 4. p. 1082.

Suid. t. 2. p. 603.

Acacius Baſiliſco Chalcedonenſem Synodum abroganti reſiſtit.

Theodor. lib. 1.

IX. Cùm in orbe Romano magna Conſtantinopoli Præſulis eſſet autoritas, Baſiliſcus omnibus Acacium modis flectere tentat, ut Encyclicis ſubſcribendi foret exemplo. Non injucundam Theodorus narrat hiſtoriam: Baſiliſcus *generali Sanctione Chalcedonenſem Synodum rejici juſſit. Operam autem dabat, ut idem quoque faceret Acacius. Verum id perficere nullo modo potuit, cùm univerſa civitas unà cum mulieribus & parvulis in Eccleſiam conveniens, Baſiliſco obſtitiſſet. Quin etiam Acacius ſemetipſum, & Cathedram, atque altare nigris veſtibus obtexit. Magnus autem Daniel zelo fidei ſuccenſus, è columna deſcendit, & unà cum plebe, & Acacio Conventus Eccleſiaſticos frequentavit. Baſiliſcus furorem populi metuens, ex urbe regia diſceſſit, cùm interdixiſſet Senatoribus, ne cum Acacio colloquerentur. Minabatur autem populus, ſe urbem incenſurum. Daniel verò Monachus, & quibuſdam ex populo ſecum aſſumptis, perrexit ad locum, in quo erat Baſiliſcus. Et Olympius Monachus magna cum libertate Baſiliſcum allocutus eſt.* Quid Acacii ea animi firmitudo ſucceſſus habuerit, commodius anno ſequente narrabitur.

ANNO U. C. 1230. OLYMP. 314. PER. JUL. 5190. JUL. 522. DOM. 477. ZENONIS 3. & 4. *Sol.* 10. B. *Lun.* 3. *Indict.* 15. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

ANNO DOM. 477.

COSS. *Baſiliſcus* II. *& Armatus, ſive poſt Conſulatum Baſiliſci & Armati.*

Zeno ad recuperandum Imperium auxilia reperit.

Theo. c. 79. pag. 175.

I. QUæ ad ejiciendum regio ſolio Zenonem Verina auxilio fuerat, ad illum Imperio reſtituendum multum operæ contulit. Mutandi animi cauſas Candidus exponit: *Patricius Magiſter, qui cum Verina conſuetudinem habebat, indignante ipſo Baſiliſco periit. Ea propter in fratrem Verina odio concepto, ac Zenonem opibus ad recuperandum Imperium adjuvans, extrema quaque à fratre periculis, ac niſi à Templo, Armatus eam clam ſubduxiſſet, fortè & ipſa è medio ſublata fuiſſet.*

Duri magno, ſed amore dolores
Polluto, notumque furens quid fœmina poſſit.

Virgil. Æn. l. 5. v. 5.

Opibus ergo adjutus ſocrus ſuæ, Zeno relictâ Iſauriâ, magnis itineribus ad regiam urbem properat. Si Excerptis de Theodorico fidem adjungimus, Rex ille Gothorum à Zenone ſibi in auxilium vocatur: *Zeno confortans Iſauros intra Provinciam, deinde miſit ad civitatem Novam, in qua erat Theodoricus Dux Gothorum, filius Walameris, & eum invitans in ſolatium ſibi adverſus* Ba-

Baſiliſcum objectans militem. Theodorici quoque auxilium his Liberatus pingere videtur, c. 18. *Illus conjunctus Leontio in Antiochia, expugnatur à Valameriacis.* Theodorico *Walamer* cognomen fuit, teſte Marcellino.

Armatus quis? Baſiliſcum prodit.

II. Ubi de Zenonis reditu nuncium Baſiliſci tetigit aures, Armato quos omnes habebat exercitus commiſit, qui redeunti æmulo obſiſterent. Cæterùm de eo homine, qui nobilis hiſtoriæ pars eſt non minima, pauca prius explananda ſunt, quàm Baſiliſci caſus narraverimus. Armatus ille ipſe eſt, qui anno ſuperiore Conſul proceſſerat, cujus hiſtoriam ſummatim refert Suidas:

Suid. t. 1. p. 437.

Quoniam Baſiliſcus Imperator Armato, ut cognato liberum aditum ad uxorem Zenonidem permittebat, cum illa conſuetudo diutius duraret, & utriuſque forma non vulgaris eſſet, ambo mutuo amore vehementer ardere cœperunt. Oculos igitur in ſe viciſſim conjiciebant. Hinc autem dolor ex amore natus, vultu tegebatur. Cùm autem ſuum morbum Danieli Eunucho & Mariæ obſtetrici declaraſſent, & hunc ipſa coitus medicina vix ſanaſſent, Zenonis Baſiliſco blandiri cœpit, ut amator principem in urbe locum teneret. . . . Armatus verò cum propter pecuniarum affluentiam, tum ob honoris amplitudinem inflatus, neminem fortitudine ſe præſtantiorem fore putabat. Atque hic ipſius error, & falſa opinio, quam de ſe conceperat, in eo tantum obtinuit, ut Achillis habitum & cultum aſſumeret, & equo vectus, per urbem ita circumiret. Adulterio Zenonidis ampliſſimo ſibi honore Armatum emiſſe, teſtatur & Candidus:

Phot. pag. 175.

Cum Baſiliſci uxore Armatus adulterio perpetrato, ad ſummam pervenit potentiam, adeò ut tandem et bellum, quod adverſus Zenonem gerebatur, creditum fuerit. Porro quò magis operam Armati, atque fidelitatem Baſiliſcus ſibi certam faceret, ſacramento ſancti baptiſmatis eum adigit, ne ſe proderet. Armatus acceptis innumeris copiis, freto ſuperato Zenoni occurrit. Quod ubi Zeno intellexit, miſſâ ad eum legatione, multa pollicetur. Ad corrumpendum ipſius animum præcipuè Illi adhibuit operam. Defectionis conditiones erant, ut Armato perpetua Militiæ Præfectura, Armati filio Cæſaris dignitas tribueretur. Quibus promiſſis allectus Armatus, res Baſiliſci prodit. Venienti

Chron. Alexand.

quippe Zenoni non occurrit, cùm aliam ingredi viam ſibi placuiſſet.

Mors Baſiliſci, & familiæ ipſius. Quandiu imperavit?

III. At Zeno cum exercitu per Iſauriam profectus, ubi locum, *Poreas* dictum trajecit, ingreſſus Conſtantinopolim & palatium ab exercitibus, Senatuque recipitur. Ut novit Baſiliſcus, Zenonem ab omnibus, ipſaque Verina ſuſceptum, aſſumptis uxore & liberis ad magnam Eccleſiam fugit, Imperialique diademate in ſacra menſa poſito, Baptiſterium ingreditur. E veſtigio Zeno certos, qui Baſiliſco Zenonidi, Marcoque Cæſari Principatus inſignia eriperent. Uſuſque Armati operâ, fraudibus miſeros azylo ſuo obſtrahit. Captum ab Acacio Baſiliſcum Zenoni fuiſſe traditum, legitur in Procopio de Bel. Vand. l. 1. c. 7. Quod non ſit veroſimile, & Candido pugnat. Quâ morte perierint, eſt in obſcuro, variantibus Hiſtoricis. Auctor eſt Malchus, patrem, matrem, liberoſque iniquo mandato, gladio fuiſſe ſubditos. Candidus quoque, cui aſſentitur & Evagrius, in Cappadociam relegatos, ibique interfectos eſſe, tradit. Cædis hujus locus *Acuſus* dicitur Evagrio. Chronicum verò Alexandrinum de Baſiliſci fato hæc habet: *Amandavit illum Zeno cum ſuis in Cappadociam ad Lemnarum caſtrum, ubi conjecti ſunt in turrim quandam, cujus portam inſtauravit. Cuſtoditumque eſt caſtrum, & turris à præſidio militari, & magnâ manu Iſaurorum, fameque interiit Baſiliſcus, & uxor ejus, & liberi, ibidemque in Lemnarum turri ſepulti.* Longâ morte periiſſe Baſiliſcum indicant Theodorus Lector, Victorque Tununenſis, licet de loco diſſideant, qui illi *Buſama*, huic *Saſemis* vocetur. Frigore extinctos eſſe, reperimus in Excerptis de Theodorico: Baſiliſco *Zeno dato ſacramento, ſecurum eſſe de ſanguine, exiens, incluſus cum uxore & filiis intra ciſterna ſicca, ibidem frigore defecerunt.* Violatæ religionis pœnas Baſiliſcus pependit, quo facto Senatorum animos, Deique favorem à ſe alienavit. Perfidè tamen Zeno ſuâ felicitate uſus eſt, qui ſpreto juramento, quo vitam Baſiliſco, ipſiuſque familiæ pollicebatur, violentâ omnes morte peremit. *Pagius* aliique eruditi, freti Procopio, viginti menſes Baſiliſci imperio tribuunt:

Procop. de Bel. Vand. l. 1. c. 7.

Baſiliſcus cùm octo menſes ſupra annum tyrannidem exercuiſſet, omnibuſque ob ejus avaritiam, & aulicis, & militibus infeſtus eſſet, à Zenonis tandem exercitu petitus eſt. Brevius tamen imperium ejus fuiſſe, pro certo habemus. Septembris ſub initia Zenoni Baſiliſcus traditus eſt: ut Simplicii ad Zenonem ex Epiſtola colligitur, qui reſtituto in integrum gratulatur *Octobris octavo.* Rerum adhùc potiebatur Zeno, decimo Kal. Mart. anni ſuperioris, quo Legem *de legitimatione per ſubſequens matrimonium* condidit. Non igitur anni elapſi initio tyrannidem Baſiliſcus arripuerat, ut contendit Pagius: neque *ſub hyemis diſcrimine navali itinere virum ſuum* Ariadne ſecuta fuiſſet, ſi ineunte anno ſummam Baſiliſcus poteſtatem adiiſſet, citius utique fugam maturaſſet. Quibus obſervatis, brevius quàm Procopius memorat, Baſiliſci regnum fuiſſe liquet. Quot ergo menſes imperando condiderit, ignoratur. *Biennium* regnaſſe, ſcripto prodit Evagrius, quod incompletum eſſe in confeſſum venit.

Zeno Conſtantinopolim redit. Literas accipit à Simplicio.

IV. Expoſitis iis, quæ ad Baſiliſci fata pertinent, de Zenonis reſtitutione paucis videamus. Anno ſuperiore inſidiarum metu in fugam converſus, animos in Iſauria ſua reſumpſerat: redeunteque in præcordia virtute, obſidionem diutiſſimè ſuſtinuerat. Intereà ferunt, in ſomnis vidiſſe Theclam, quæ Imperii reſtitutionem pollicebatur: cùmque eos, à quibus obſidebatur, pretio corrupiſſet, opibus Verinæ adjutus, cum exercitu Conſtantinopolim petit. Ubi ob Armati defectionem regiæ urbis potitus eſt, ante omnia Eccleſiam ingreſſus, Deo gratias egit, deinde in palatium pergit: ac ut triſtia lætis mutarentur, velo ad uſum Circi dato, conſcendens hippodromum, Circenſes ludos ſpectavit. Nec multò poſt reditum Simplicio literas ſcripſit, quibus patrocinium Religioni ſuum pollicebatur, quod nos Pontificis hujus Epiſtola monuit: *Ego quidem literis, quas veſtra clementia deſtinavit, pignus immenſum venerandæ religioſitatis accipiens, & ingenti gratulatione reſpiro, & omninò non ambigo, mentem veſtram in rebus divinis geſturam longè potiora quàm cupio.* Conſentaneum erat, ut regiis acceptis literis de recuperato Imperio Pontifex Zenoni gratularetur. Quo & officio functus eſt Epiſtolâ, quæ egregiis ſanè præceptis Zenonem imbuit: *Lætare, venerabilis Imperator, eos fuiſſe tuos hoſtes, qui extiterant Divi-*

nitatis

Google

nitatis inimici: atque gaude cum Eccleſia laboraſſe, & cum fides Catholica libertate imperium reſtitutum: atque ut in omnibus doceas cauſam tibi cum Deo eſſe communem, cujus ope viriliter fretus inſiſte, ut per quem publicos incubatores ſubegit, Eccleſia quoque depellat tyrannos. Propoſitiſque exemplis Auguſtorum, Marciani atque Leonis, ſubjungit: *Debes, glorioſe & clementiſſime fili Imperator, auguſta memoria tantorum virorum talíumque reverentiam: debes vicem muneribus Dei. Ille te ad iſtorum redaxit imperium: tu Deo iſtis ſimilem redde famulatum.* Precatur etiam, ut Alexandrinam Eccleſiam ab Hæretico pervaſore liberatam, Catholico reſtituat Antiſtiti, ac ut Rempublicam tyrannis purgavit, ſic Eccleſiam Hæreticis eximat. Data VIII. Idus Octobris.

Mors Genſerici. Epocha ipſius imperii.

V. Antequam res Eccleſiæ referamus, de Genſerici Vandalorum Regis obitu commemoratio facienda eſt. Vandalici in Africa imperii initium ex illo die enumeratur, quo violatâ pace Carthaginis potitus eſt; is erat XV. Cal. Novembris anni CCCCXXXIX. feria IV. Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. Epocha Victoris ea eſt in ſuo de Perſecutione Africana libro. Hinc regulam habemus, quâ Regis ſuis & victoriis, & Eccleſiæ vexationibus nobilis, ſupremum diem intelligamus, quem non ſatis accuratè Baronius in anno ſuperiori collocavit. De Genſerici Imperio verba ſunt Victoris Utenſis: *Duravit autem in regno annis XXXVII. & menſibus tribus.* Quo conſequens eſt, Regis hujus obitum in labentis anni Januarium incidiſſe. De die haud ſatis liquet, cùm nobile fragmentum in Appendice Chronici Proſperi ex MS. Auguſtano hæc habeat: *Genſericus rexit eandem Africam civitatem annis XXXVII. menſibus tribus, diebus ſex.* Qui dies à Victore prætermittuntur. Quòd ſi Chronico potius, quàm Victori aſſentiri lubet, periit Genſericus Januarii XXIII. feriâ primâ. Quantum calamitatis & Imperio invexerit, & Eccleſiæ, noſtri Annales fuſe ſatis docuere. Quibus & addimus verba Victoris:

Error Baronii.

Bar. Ann. 467. n. 69.

Vict. l. 1.

Id. ibid.

Poſt hæc Genſericus Eccleſiam Carthaginis claudi præcepit, diſſipatis atque diſperſis per diverſa exiliorum loca, quia Epiſcopus non fuerat, Presbyteris & Miniſtris. Quæ vix reſerata eſt, Zenone Principe ſupplicante per Patricium Severum, & ſic univerſi ab exilio redierunt. Quæ verò in Hiſpania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epiro veteri, vel Hellada geſſerit, melius ibi, qui paſſi ſunt, miſerabiliter lugenda narrabunt. Sed jam perſecutionis noſtræ à Genſerico quantò ſublimiter, tantò crudeliter geſtæ iſte ſit finis.

Hunnericus Genſerico ſuccedit: mores ejus.

VI. Quem & regni, & in Trinitatis myſterium odii ſui ſucceſſorem reliquit Genſericus ex eodem Victore diſcamus: *Mortuo igitur Genſerico, Hunnericus major filius patri ſuccedit. Qui primordio regni, ut habet ſubtilitas Barbarorum, cœpit mitius & moderatius agere, & maximè circa religionem noſtram: ut etiam ubi antea ſub Rege Genſerico præjudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent Conventus, Conventicula concurrerent populorum. Et ut ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſollicitius requirendos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit navibus tranſmarinis, quos penè omnes Manichæos ſuæ religionis invenit, & præcipuè Presbyteros & Diaconos Arianæ hæreſeos. Unde magis erubeſcens, amplius in illos exarſit. De quibus repertus eſt unus, nomine Clementianus, Monachus illorum, ſcriptum habens in femore, Manichæus diſcipulus Chriſti Jeſu. Propter quod magis laudabilior memoratus tyrannus videbatur, in uno diſplicens, quia cupiditati inſatiabili vehementius inhiabat, & Provincias regni ſui variis calumniis atque indictionibus onerabat, ut de illo præcipuè diceretur, Rex egens magnus eſt calumniator.* Imperavit annos ſeptem, menſes decem, dies XVIII. & crudelitate ſuâ paternum furorem adeò ſuperavit, ut defuncti deſiderium moveret:

Vict. Vit. lib. 2.

Triſtius haud illo monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.

Ut in progreſſu patebit.

Baſiliſci palinodia, & Antencyclicæ literæ.

VII. Reddenda eſt nunc Eccleſiæ rebus debita commemoratio. Perſecutione Baſiliſci dolore perculſus Acacius, regiæ urbis Antiſtes, Monachos populumque adverſus tyrannum hæreticum commoverat. Urbi minabantur incendium, ſi vim in Acacium adhiberet; quæ cauſa fuit, ut Baſiliſcus Conſtantinopolim egrederetur. Tum miſer ille in metu poni: quibus vires incuſſit diſperſus rumor, Zenonem ex Iſauria recuperando Imperio expeditionem moliri. Serâ itaque factorum pœnitentiâ ductus, *aſſumptâ uxore ſuâ Zenonide, in Eccleſiam profectus, excuſavit ſe Acacio, Clero, & Monachis. Sedi quoque Conſtantinopolitanæ jura ſua reſtituit, alio Edicto abrogans ea, quæ prius conſtituerat.* Literæ verò Antencyclicæ Baſiliſci ſunt ejuſmodi: *Imperatores Cæſares Baſiliſcus, & Marcus. Apoſtolicam & Orthodoxam fidem, quæ ab initio in Catholicis Eccleſiis viguit, & quæ ad noſtrum uſque Imperium obtinuit, & quæ nunc ſub Imperio noſtro obtinet, & in perpetuum deinceps prævalitura eſt, in quam nos & baptizati ſumus, & credimus, ſolam illæſam & inconcuſſam prævalere, & omnibus Catholicis atque Apoſtolicis Orthodoxorum Eccleſiis perpetuò manere decernimus, nec quidquam aliud præterea requiriri. Hanc igitur ob cauſam cuncta, quæ fidei vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ cauſa ſub Principatu noſtro facta ſunt, ſive encyclicas, ſive alias Epiſtolas, ſive aliud quodlibet, irrita & caſſa eſſe præcipimus, Neſtorio ſimul, & Eutyche, & cunctis aliis hæreſibus, nec non & iis, qui idem cum illis ſentiunt, anathemate damnatis. Ac de hoc argumento nec Synodum fieri, nec amplius quæſtionem illam moveri volumus; ſed ea firma & inconcuſſa remanere. Provincias quoque, quarum ordinationem Sedes hujus regiæ & glorioſæ urbis habuerat, reverendiſſimo & ſanctiſſimo Patriarchæ, & Archiepiſcopo Acacio reſtitui jubemus; manentibus ſcilicet in ſuis Sedibus, his qui nunc ſunt Deo amantiſſimis Epiſcopis, ita ut poſt illorum obitum, nullum ex ea re præjudicium fiat, juri ordinationis, quod competit Sedi regiæ, atque inclytæ civitatis.*

Theodor. lib. 1.

Evagr. l. 3. c. 7.

Synodus Eutychianorum Epheſina: rogat Baſiliſcum, ne Encyclicas revocet.

VIII. Ubi Aſiæ Præſules, qui Chalcedonenſi Concilio adverſabantur, novere, Decretum Encyclicas Baſiliſco ſuas abrogare, ut ab eo incepto eum revocarent, Epheſum migrant, coactâque Synodo Acacium abdicant, ipſiuſque fautores damnant. Synodi Præſidem agebat Timotheus Ælurus, ut non obſcurè innuit Evagrius: *Zacharias ait, Timotheum Conſtantinopoli digreſſum, in Epheſiorum urbem veniſſe, atque Paulum in Archiepiſcopali Sede collocaſſe. Reddidit etiam Timotheus Epheſinæ Eccleſiæ jus patriarchicum, quod illi ademptum fuerat à Chalcedonenſi Synodo.* Concilio quidem, nec peremtoriè opus erat, ut & Chalcedonenſia Decreta reſcinderentur, & Acacius, qui Patriarchæ dignitate ful-

Evagr. l. 3. c. 6.

fulgebat, Epiſcopatu ejiceretur. Ad illud peragendum Patriarchæ & opera requirebatur. Synodi hæc Acta fuere, quorum & veſtigia extant in Libello, quem Baſiliſco obtulere, ne ſuis Encyclicis robur adimeret. Libelli hujus partem retulit Evagrius: *Piiſſimis & per omnia amantiſſimis Dominis noſtris, Baſiliſco & Marco, perpetuis Victoribus Auguſtis. . . . Perpetuò viſi eſtis Imperatores piiſſimi omnino, Chriſtique amantiſſimi, unà cum fide, quæ odio habetur, & oppugnabatur, diverſis modis oppugnari. . . . Terribilis quædam expectatio judicii, & divini ignis ardor, & ſerenitatis veſtræ juſta indignatio adverſarios brevi corripiet, qui propoſitum Deum, & imperium veſtrum rectâ fide roboratum ſuperbâ quâdam dementiâ, quaſi jaculis impetere conantur, nec tenuitati noſtræ ullo modo parcunt; ſed calumniis & mendaciis aſſiduè nos inſectantur, quaſi vi quadam & neceſſitate compulſi, ſacris veſtris & Apoſtolicis literis ſubſcripſerimus, quibus tamen cum omni gaudio, & alacritate animi ſubſcripſimus. . . . Nihil igitur præter Encyclicas literas propoſitum ſtatuitis, pro certo habentes, univerſum orbem rurſus everſum iri, & quòd mala, quæ à Synodo Chalcedonenſi importata ſunt, levia eſſe videbuntur, quæ tamen innumerabiles cædes pepererunt, & Orthodoxorum ſanguinem injuſtè, & illegitimè effuderunt.* Teſtantur & hæc ſuâ Epiſtolâ, Baſiliſcum juſtæ & Canonicæ damnationis immunem eſſe, quæ & Chalcedonenſis Concilii defenſoribus, & Acacio irrogata eſt, *deprehenſo regiæ urbis Epiſcopatum, non ritè adminiſtrare.* His tamen precibus non ceſſit Baſiliſcus, qui Antencyclicas ubique locorum literas diſperſit. Libelli, qui à Conciliabulo Epheſino editus eſt, partem ex Zacharia Rhetore decerpſit Evagrius.

Evagr. l. 3. c. 5.

Cujus Libelli ope geminum Baronio errorem detrahimus. Ac primùm repugnante ſerie rerum, atque ordine Eutychianorum hoc Concilium in annum CCCCLXXVI. retulit. Non enim antè coactum eſt, quàm noverint conſtitutum Baſiliſco, ſuas Encyclicas revocare, neque in eo conſilio animum ille volutavit, donec audiret ad ſe deturbandum cum exercitu Zenonem adventare, quod labente anno contigit.

Error Baronii.

Alterum, quem in Baronio damnamus errorem, is eſt, quòd Zachariam Rhetorem pro *Eutychiano* habeat. Quæ quidem Zachariæ injuria eſt, quam ſibi impoſitam verbis ipſemet ſuis eluit: *Simul atque editæ ſunt Encyclicæ Imperatoris literæ, ii qui Eutychis phantaſiam in urbe regia ſectabantur, celeri curſu ad Timotheum ſe contulerunt.* Hoccine ab Eutychiano ſcribi potuit? Doctoriſne ſui opinionem pro *Phantaſia* Zacharias habuiſſet?

Bar. Ann. 476. n. 42.

Evagr. l. 3. c. 5.

IX. At Zeno regio ſolio redditus, quæ à Baſiliſco, & in Republica, & in Eccleſia perperàm geſta fuerant, Decretis ſuis reſcindit: *Zeno autem Lege latâ, cuncta quæ à Baſiliſco tyranno in Encyclicis literis conſtituta fuerant, abrogavit.* Hæc Evagrius, l. 3. c. 8. Legem eam eſſe putamus, quæ etiamnum extat in Codice Juſtinianeo: *Decernimus ut antiquetis, ac infirmatis funditus his, quæ contra ipſum orthodoxæ religionis Deum quodam modo facta ſunt in integrum reſtituantur univerſa, & ad ſuum ordinem revocentur, quæ ante profeſſionem noſtræ manſuetudinis de orthodoxæ religionis fide, & ſanctiſſimarum Eccleſiarum & Martyriorum ſtatu firmiter obtinebant: his, quæ contra hoc tempore tyrannidis innovata ſunt, tam contra venerabiles Eccleſias, quarum Sacerdotium gerit beatiſſimus ac religioſiſſimus Epiſcopus, Patriarcha noſtræ pietatis Pater Acacius, quam contra cæteras, quæ per diverſas Provincias collocatæ ſunt, nec non & reverendiſſimos earum Antiſtites, ſeu de jure ſacerdotalium creationum, ſeu de expulſione cujuſquam Epiſcopi, à quolibet his temporibus facta ſeu de prærogativa in Epiſcoporum Concilio, vel extra Concilium ante alios reſidendi, vel de privilegio Metropolitano, vel Patriarchico ſub iiſdem impiis temporibus penitus antiquandis. Ut caſſatis & reſciſſis quæ per hujuſmodi ſceleratas juſſiones, aut pragmaticas Sanctiones, aut conſtitutiones impias, ſive formas ſubſecuta ſunt, quæ à divæ recordationis retrò Principibus ante noſtrum Imperium, & deinceps à noſtra manſuetudine indulta, vel conſtituta ſunt, ſuper ſanctis Eccleſiis, & Martyriis, & religioſis Epiſcopis, aut Monachis inviolata ſerventur. Sacroſanctam quoque hujus religioſiſſimæ civitatis Eccleſiam, & matrem noſtræ pietatis, & Chriſtianorum orthodoxæ religionis omnium, & ejuſdem Regiæ urbis ſanctiſſimam Sedem, privilegia & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus, & jure ante alios reſidendi, & cætera omnia, quæ ante noſtrum Imperium, vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus, & ſancimus. Datum XVI. Kal. Januarii, Armato Conſ.* Fidenter dicimus, Baronium Legis hujus in mentem non penetraſſe, qui ad annum CCCCLXXII. eam retulit, quo tempore nec Zeno, cui aſcribitur, imperabat, nec Armatus Conſulem agebat. Bacchatur in Acacium illuſtriſſimus Purpuratus: *Hæc Leo*, inquit, *ſed Acacii faſtu tumentis procul dubio verbis concepta, & ſtylo ſuperbiæ exarata.* Scilicet Leo Legem conſcripſit, quæ *Sebaſtiano* Præfecto Prætorii miſſa eſt. Atqui eo munere Sebaſtianus fungebatur imperante Zenone, ut diſcimus ex Lege *de legitimatione per ſubſequens matrimonium*, data X. Kal. Martii anni proximè elapſi. Sed & verba hæc, *tempore tyrannidis innovata ſunt*, Baſiliſci Encyclicas indicant, quibus Concilium Chalcedonenſe reſciſſum fuit: nullâ verò ratione Leonis temporibus aptari poſſunt. Abrogat ergo Zeno Epheſini, cujus meminimus, Conciliabuli Statuta, quibus & Acacius Epiſcopatu abdicatus erat, & dignitas Sedi Conſtantinopolitanæ à Chalcedonenſibus conceſſa, revocata fuerat. Paulo Epheſino ad Archiepiſcopales honores evecto, autoritas Chalcedonenſis Synodi prorſus extincta jacebat. Cæterùm non accuratè ſatis Dionyſius Gothofredus laudatam Legem aſcribit anno CCCCLXXVI. Quo tempore Zeno Iſauriæ rupibus includebatur. Sed & innovatio illa contra venerabiles Eccleſias, quarum curam Patriarcha gerebat Acacius, quam Zeno percellit, Epheſini Conciliabuli Conſtitutio fuit, non elapſo quidem, ſed labente anno coacti. Non advertit Gothofredus, Armati Conſulatu, & ſuperiorem & præſentem annum conſignatum fuiſſe.

Lex Zenonis, quâ Baſiliſci acta abrogantur.

C. Juſt. lib. 1. Tit. 2. lib. 16.

Error Baronii.

Bar. Ann. 472. n. 4.

X. Ad hoc Reſcripti impetrandum Simplicius operam collocavit ſuam, ut ex ejus Epiſtola Holſtenii curis edita colligimus. Sic Acacium alloquitur Pontifex: *Clementiſſimi Imperatoris auxilium duximus implorandum . . . ut ii, qui ſibi crediderunt ſacerdotale miniſterium damnati hominis præſumptione conferri, promulgatâ imperiali Conſtitutione, etiam à Conventu hominum ſegregandi jubeantur excludi.* Aderant tum temporis complures regia in urbe Epiſcopi, qui eò venerant,

Litera Simplicii Holſteniana Quando ſcripta.

ANNO DOM. 477.

rant, ut & Imperatori gratularentur, & ſuas injurias exonerent. Quorum precibus permotus Acacius, à Simplicio petiit, ut Principis ad reſcindenda tyrannorum geſta auxilium imploraret. Nulla temporis nota Epiſtolæ huic affigitur, ut hic Chronologicus labor eruditis incumbat. Clariſſimus Du Pin eam anno CCCCLXXVI. aſſignat, ſed certè immeritò, cùm ſcripta ſit Zenone jam in integrum reſtituto, cujus & opem implorat ut abrogetur, quod *ſub occaſione tyrannicæ dominationis, & per abſentiam Chriſtianiſſimi Principis invaſor Alexandrinæ Eccleſiæ lapſus exiliis irrogavit.* Hinc optat, *ut Timotheum cùm ſequacibus ſuis ad irremeabile dirigatur exilium*, ne illo, ut *Cherſonâ* egrediatur. Eſt ergo Epiſtola labente anno exarata, cùm & vita adhùc *Æluro* maneret, & Zeno rerum potiretur. Neque ſatis erat Simplicio, exilium Timotheo perpetuum imperari. Optat etiam, factionis hujus ſocios ſedibus expelli, Paulo non excepto, qui in Epheſino Conciliabulo Archiepiſcopus creatus fuerat. Pontificis verba referantur, quibus hiſtoria luce nonnullâ reſpergitur: *Cum quo* (Æluro) *Paulus de Epheſina Eccleſia, & Petrus ab Antiochena civitate depulſus, atque omnes, qui ab eo ſe vel his, quos illicitè fecerat, æſtimant Epiſcopos ordinatos eâdem debent Lege percelli. De Antonio autem, qui eorum, quos contra Eccleſiam tyrannos miſerat, anteſignanus exiſtens, ſicut ſcriptum eſt, Inimicus & defenſor apparuit. De Joanne quondam Conſtantinopolitano, qui ab Hæreticis Apamenum Sacerdotium, quod ei, qui Presbyter aliundè fuerat, vel à Catholicis ſumere non licebat, ſe Hæreticum publicavit: & quod in ſe perperàm factum eſt, improperium retorſit in auctorem, expellens ab Antiochia Petrum pervaſorem ipſius, eandem Eccleſiam ipſe pervaſit, ſub Anathemate à Chriſtianorum conſortio, vel ipſâ appellatione removemus: nec unquam his ſatisfactionis pateſaciendus eſt locus.* Cæterùm prudenter Acacium Pontifex id monuit: *Diu autem fratres & Coëpiſcopos noſtros apud Conſtantinopolim non convenit demorari, nunc præcipuè, cùm propter concuſſionem perſecutionis, quæ mota fuerat, ſollicitæ atque attonitæ ſunt in ſuprà ſcriptis Eccleſiis civitates.*

Simpl. Ep. Lab. Conc. t. 4. 1039.

Epiſcopi qui Baſiliſci Encyclicis ſubſcripſerant, veniam ab Acacio petunt.

XI. Summæ poteſtatis ea vis eſt, ut hùc vel illùc mortalium impellat animos. Imperante Baſiliſco certatim Epiſcopi Encyclicis tyranni ſubſcripſerant, negabantque, ſe ad id faciendum ullâ neceſſitate compulſos. Quingenti circiter numero adverſus Concilium Chalcedonenſe conjurarant. At reſtituto Zenone, ſubinde quaſi contrario flatu complurium mutantur animi, ut qui Acacium Sede ſuâ expulerant, veniam vel ab offenſo peterent. Teſtis Evagrius: *Epiſcopi Aſiæ, ut Acacium placarent, excuſatione apud eum uſi ſunt, veniamque petierunt, miſſis ad illum pœnitentiæ Libellis, quibus aſſeverabant ſe neceſſitate adactos, non autem ſuâ ſponte Encyclicis literis ſubſcripſiſſe, jurabantque rem ita ſe habere, nec ſe aliter, quàm juxta Chalcedonenſis Synodi formulam credere nunc, nec anteà credidiſſe.* Mens ea eſt literarum, quas ad eum direxere, quibus ablatam ipſi Patriarchalem dignitatem reſtituunt. Epiſtolæ ſuæ ad Acacium titulus hic eſt: *Acacio ſanctiſſimo ac religioſiſſimo Patriarchæ, ſanctiſſimæ Eccleſiæ regiæ urbis Conſtantinopoleos, Novæ Romæ.*

Evagr. l. 3. c. 9.

Æluri mors. Mongus ei ſufficitur.

XII. Cum Baſiliſci rebus Timothei Æluri poteſtas concidit omnis, nec non animus. In mente quidem habebat Zeno, Timotheum Alexandriâ expellere, ſed cùm à quibuſdam moneretur, jam grandævum propediem fatali ſorte periturum, ſententiâ deceſſit. Eo loco conſtitutus Timotheus, ærumnoſæ vitæ reliquias trahens, amiſſæque dignitatis impatiens, mortem ſibi optat. Inerant huic homini non ſpernendæ dotes animi. Suo loco mentionem inſeruimus *Libelli valde ſuaſorii*, quem Leoni obtulerat Auguſto, in quo adductis Patrum teſtimoniis, Leonem Pontificem, Chalcedonenſeque Concilium, Neſtorianis partibus addicere conabatur. Agente adhùc apud Cherſonam exule, ipſius librum rogantibus fratribus in Latinum Gennadius transfudit. Cæterùm ut veritati ſuus honor reddatur, etſi acerrimum ſe in hoſtem Chalcedonenſe Concilium Timotheus intenderit, à naturarum tamen in Chriſto confuſione prorſus alienus erat, ſi qua Zachariæ Rhetori fides, cujus autoritati non videtur temerè detrahendum: *Simul atque edita ſunt Encyclica Imperatoris Literæ, eos qui Eutychis phantaſiam in urbe Regia ſectabantur, & monaſticum vitæ genus profitebantur, cùm inſperatum quoddam lucrum ſibi obveniſſe in Timotheo, & per Encyclicas literas maximam ſe utilitatem percepturos eſſe ſperarent, celeri curſu ad Timotheum ſe contuliſſe. Cùmque à Timotheo convicti eſſent, Verbum Dei nobis quidem Conſubſtantiale eſſe ſecundum carnem, Patri verò Conſubſtantialem quoad Divinitatem.* Ut fortè ad λογομαχίαν ingens illa diſputatio rediiſſe videatur, quaſi duarum confeſſio naturarum duas & Servatoris perſonas conſtitueret. Dioſcorus ſanè, cui Timotheus maximè conjunctus erat, à confuſione naturarum ſe prorſus abhorrere, audientibus Patribus Chalcedonenſibus teſtatus erat. Addatur ex Liberato noſtris Annalibus miſeri fatum hominis: *Poſtquam Imperator Zenon reverſus eſt ad Imperium, Timotheus Ælurus, metuens zelum, quem habebat circa Chalcedonenſe Concilium, optavit ſibi mortem. Et iſtud perſeveranter orans, ab humana vita hauſto veneno ſolutus eſt. Dicunt verò, ſequaces ejus præſciſſe eum diem mortis ſuæ. Et reverà, quia ſe veneno parabat interficere, ſciebat.* Sic juſto Numine ille, qui præſens & diſcordiæ & erroris virus animis comparaverat, veneno ſibi mortem conſcivit. Diſcipulos reliquit, quibus *Timotheanis* nomen fuit, quos Samuel Edeſſenæ Presbyter Eccleſiæ ſermone Syriaco confutavit. Oſtendit *Timotheanis, ita Verbum carnem factum, ut manente Verbo in ſua ſubſtantia; & homine in ſua natura, ſocietate, non immixtione unam Filii reddidiſſe perſonam.* Hæc de Samuele Gennadius, c. 81. Florebat Samuel anno 467. & deinceps, teſte Gennadio: *Vivere adhùc*, inquit, *apud Conſtantinopolim dicitur. Nam initio collati Anthemio imperii, & ſcripta ejus, & eſſe eum in carne cognovi.*

Evagr. l. 3. c. 11.

Gen. Cat. cap. 70.

Evagr. l. 3. c. 5.

Liberat. cap. 16.

Mongus creatur Epiſcopus.

XIII. Defuncto Timotheo non extinguitur diviſionis incendium. Cui inhiabat Epiſcopatum, ſubinde arripit Petrus Mongus Archidiaconus, violatis prorſus Eccleſiæ regulis. Profanam impuri hominis conſecrationem Simplicio ſignificatum ivit Acacius Epiſtolâ, vertente anno ſcriptâ: *Petrus noctis exiſtens filius, & operum Dei lucentium alienus apparens, omninò tenebras ad latrocinium peragendum congruas, earum cooperator inveniens, mediâ nocte adhùc jacente cadavere illius, qui paternos Canones ſubverterat, inſepulto, ſubrepſit in Sedem, ſicut ipſe arbitratus eſt,*

Lab. Conc. t. 4. 1080.

ANNO DOM. 477.

eſt, uno & ſolo præſente, & eo, qui conſors illius ſuſſiſtebat inſaniæ, ita ut propter hoc majoribus ſupplicus ſubderetur. Omnis & decentiæ, & ordinis perturbatio fuit, quòd & nondum ſepulto Timotheo Æluro, & ab uno Præſule conſecraretur. Quod & factum eſſe narrat Gelaſius, vel quiſquis Autor eſt Geſtorum de nomine Acacii:

Lab. Conc. t. 4. 1081.

Timotheo damnato, morte prævento, Petrus conſors ipſius ab uno Hæretico Alexandrinis Epiſcopus ordinatur. Tam inſolens, tamque inordinata ordinatio valere non poterat. Ex laudatis de Petri inauguratione locis corrigatur Evagrius, qui errore, ut videtur, Librariorum in mendo cubat:

Evagr. l. 3. c. 10.

Cùm Timotheus naturæ debitum perſolviſſet, Epiſcopi Alexandrinæ Sedis ſubjecti Petrum quemdam, cognomento Mongum, ſuâ ſibi autoritate Epiſcopum eligunt. Rectè monet Valeſius, legi debere, καὶ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπισκόπου, non verò ἐπισκοποὶ, quod de Alexandrini Antiſtitis ſuffraganeis dici nequit. Neque à pluribus, ſed ab uno duntaxat Epiſcopo Petrus Mongus eſt conſecratus. Sunt tamen, qui tradant, Petrum à duobus Antiſtitibus eſſe creatum. Ipſi quidem Ægyptii hoc disertè fatentur apud Evagrium:

Evagr. l. 3. c. 20.

Petrus à duobus ſolum Epiſcopis, eandem cum illo hæreſim profitentibus creatus eſt.

Timotheus Salophaciolus redditur Eccleſiæ Alexandrinæ.

XIV. Latebat interea Timotheus Salophaciolus, qui turbas Æluro movente, arreptâ anno 475. fugâ, Canopi Caſtellum petens, latebras in Monaſterio quæſiverat. Viro & vexationibus ſuis, & fide integra de Eccleſia benè merito reddendus thronus erat. Quod & mandante Zenone factum eſt. Hiſtoriam reditus Timothei ſic narrat Liberatus:

Liberat. cap. 16.

Morabatur tunc Timotheus Catholicus, in Canopo Caſtello. Et cognoſcens Imperator Zenon calliditatem Hæreticorum, ſcripſit Anthemio Auguſtali, ut Petrum quidem Sacerdotio privaret, Timotheum verò in Epiſcopatum reduceret, & autores inthronizati Petri puniret. Anthemius verò acceptâ Imperiali juſſione, expulit Sacerdotio Petrum, tanquam adulterum & contra Leges Eccleſiæ Catholicæ factum, & in Epiſcopalem Sedem Timotheum Salophaciolum revocavit. Qui Epiſcopatu recepto, miſit quoſdam Clericos, gratias agens Imperatori.

Evagr. l. 3. c. 11.

Petri ordinatione ad indignationem adeò Zeno permotus eſt, ut illum morte mulctandum cenſuerit. Iratum tamen ſententia vertit, vitaque Mongo relicta eſt. Narrant Petavius & N. Alexander, ab Evagrio tradi, Mongum à Zenone occiſum eſſe. Hoccine dixit Evagrius, qui disertè narrat, ejecto Talaiæ Mongum Zenonis conſenſu ſuffectum, Henotico ſubſcripſiſſe? Stetit ergo intra minas ira Principis. Ut lætus Timothei Salophacioli reditus Acacio innotuit, gratum Simplicio nuncium ſignificaturus ivit: *Timotheus Paternorum Canonum cuſtos, qui Davidicæ manſuetudinis exempla ſubdiuit, & uſque in finem patiens, atque poteſtati propriæ reſtitutus à Chriſto, propriæ Sedis honore lætatur. Attentius igitur oret veſtra beatitudo, & pro Chriſtianiſſimo honore, & pro nobis.* Acacio reſcripſit Simplicius, lætari ſe quidem de Timothei felicitate: opus tamen eſſe, ut Acacii monitis ad conſtantiam tanto Præſule dignam Timotheus, cui non ſatis firmitudinis erat, animaretur:

Simpl. Ep. 9.

Sicut in reditu fratris, & Coëpiſcopi noſtri Timothei gratulamur, ita eum commonente dilectione tuâ cupimus irreprehenſibilem reperiri, quia meminiſtis hoc, eum jam dudum fidelis Præſulis non habuiſſe conſtantiam, quando eo, ut damnati Dioſcori nomen inter altaria recitaretur, extortum eſt. Data tertio Idus Martii, Illo viro clariſſimo Conſule. Ex Simplicii hac Epiſtola intelligitur, labente anno Timotheum Eccleſiam recuperaſſe ſuam, nec iis aſſenſum eſſe præbendum, qui ipſius reſtitutionem anno ſequenti aſſignant.

ANNO DOM. 478.

ANNO U. C. 1231. PER. JUL. 5191. JUL. 523. DOM. 478. ZENONIS 4. & 5. *Sol.* 11. A. *Lun.* 4. *Indict.* 1. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 7. P. 9. *April.*

COS. *Illus ſolus.*

Mors Anaſtaſii.

I. ANaſtaſio Hieroſolymorum Epiſcopo mortem hic annus attulit, quam Chronologiam nos Cyrillus docuit. Principio quadrageſimi Sabæ anni Anaſtaſius quidem,

Saba Vit. c. 13.

poſt impletos XI. *in Patriarchatu annos vivendi finem fecit, Martyrio in ſucceſſorem relicto.* Periit ineunte Januario, ut in vita Euthymii legitur, c. 113.

Timothei Salophacioli ad Simplicium legatio. Quid ab eo petiit?

II. Redditus Sedi ſuæ Timotheus Salophaciolus, Simplicium & legatione & literis ſibi adeundum exiſtimat. Cujus memoriam Pontifex celebrat in ſua ad Acacium Epiſtola:

Simpl. Ep. 12.

Frater & Coëpiſcopus noſter Timotheus, perſecutione probabilior factus, priſtini non immemor inſtituti, per fratrem, & Coëpiſcopum Eſaiam, & filios noſtros, Nilum Presbyterum, & Martyrium Diaconum Alexandrinæ Eccleſiæ ſolemnia ſcripta direxit, quibus & illud, quod ante perterritus de Dioſcori nomine fecerat, ſe deſtruxiſſe memoravit, & remiſſionem ipſius erroris expetiit, noſque de quiete ſecit Eccleſiæ gratulari. Direxit & Timotheus exemplar Libelli eorum, quos Ælurus, & Petrus Mongus injecto damnationis terrore à pietate abduxerant, qui veniam ſui criminis petebant. Sed & Timotheus Pontificem rogabat, ut adverſus Mongum Alexandrinæ pacem Eccleſiæ ſubiret auxilio. Id legitur in Geſtis de nomine Acacii:

Lab. Conc. t. 4. 1081.

Scripſit ad Papam Simplicium Timotheus, dicens, Petrum olim in *Diaconio eſſe damnatum, nunc etiam Chriſtianâ ſocietate ſemotum, mandans per Eſaiam Epiſcopum, rogans ut ſcriberetur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate, & inſidiabatur Eccleſiæ, ut ad longinquum deportaretur exilium.* Naucratenæ civitatis Epiſcopum agebat *Eſaias*, qui quod petebat, impetrat à Simplicio.

Timotheus Saloph. Legatos ad Zenonem mittit.

III. Redditus Eccleſiæ ſuæ Timotheus maximè allaboravit, ut quos Timotheus Ælurus ejecerat, ad Sedes ſuas revocarentur. Eorum unus Gennadius, majoris Hermopolis Epiſcopus, qui Alexandrino Præſuli affinitate conjungebatur. Caput ille fuit legationis, quam de gratiis Zenoni referendis Conſtantinopolim miſerat, de qua Liberatum audire juvat: *Epiſcopatu recepto, miſit quoſdam Clericos, gratias agens Imperatori. Cum quibus erat Joannes ex Oeconomo Presbyter factus Tabenneſiotis, cognomento Talaia, & Gennadius Epiſcopus inferioris* (lege majoris) *Hermopolis, ſanguine proximus Salophacioli, quem expulerat quidem Epiſcopatu Ælurus, reſtituit verò Salophaciolus. Cùmque hi, qui fuerant miſſi, gratias egiſſent Imperatori, Gennadius quidem ibi remanſit, ut cum aliis faceret reſponſa Archiepiſcopo.* Dum Joannes Talaia in urbe regia moratur, ad *Illi*, viri in regia potentiſſimi accedit amicitiam: quæ res magnis in Eccleſia motibus occaſionem præbuit. Prima mali hujus ea labes fuit:

Liberat. cap. 16.

Porro Joannes ex Oeconomo ami-

ANNO DOM. 478.

amicus factus eſt Ello Magiſtro, qui cum reliquis deſcendit Alexandriam. Factuſque eſt iterum Oeconomus, habens cauſas omnium Eccleſiarum. Qui multa & precioſa xenia direxit Ello Magiſtro, deſpiciens Gennadium parentem Archiepiſcopi, & Præſulem Acacium Conſtantinopolitanum. Scintilla hæc eſt, quâ non multò poſt magno Eccleſiæ orbis inflammantur incendio.

Simplicius Mongum pellere conatur.

IV. Intereà Petrus Mongus Principis iram veritus, in populoſa Alexandrinorum civitate latebat. Nec quieſcebat homo impatiens otii, equis veliſque conatus, turbas ciere. Quod ubi Simplicio innotuit, *Acacium* litteris adiit, datis XVI. Calend. Novembris, quem rogat omni ratione efficiat, ut Eccleſiæ perturbator Alexandrinâ civitate pellatur. Pontificia verba ſunt:

Simpl. Ep. 13.

Hortor, frater cariſſime, ut rebus per clementiſſimum, & Chriſtianiſſimum Principem, Deo auctore compoſitis, diligentia ſollicitudo non deſit. Sed Petrus ab indebito ſibi honore dejectus, in Alexandrina regione non ſinatur habitare, ſed procul extra terminos patria, ſicut etiam nos popoſcimus, frequenti eum peſtiles ſuggeſtione relegari; ne quos Imperatorum pravitatis ſua perſuaſione ſeducat, & à Catholica tramite veritatis avocat. Ea ipſa de cauſa Simplicius Principem literis conventum voluit, datis *decimo Kalendas Novemb. Illo Conſule.* Commendato Timotheo, qui pro pietate certarat, ſubjungit:

Simpl. Ep. 12.

Decernatis piiſſimis conſtitutis, Petrum Sedis ipſius pervaſorem, cui nec in Diaconatu ſuus potuit ordo conſtare, longius à tam præclara civitate relegari, ne infirmiores fidei aliquos fortè ſeducat, & in eadem Eccleſia, quod abſit, quæ ſopitis ſcandala, rurſus exagitet.

Petrus Gnapheus Joanneſque Sede Antiochenâ pelluntur. Stephanus eligitur.

V. De Joanne Conſtantinopolitano Presbytero, qui Petro Gnapheo ejecto, Sedem Antiochenam invaſerat, hanc Simplicius ſententiam tulerat, ut vel ab ipſa Chriſtianorum appellatione removeretur. Cùm ne Presbyteri quidem nomine dignus eſſet, Epiſcopatu tribus duntaxat menſibus tenuit, teſte Nicephori Chronographiâ. Nil cauſæ Evagrio fuit, cur Joanne prætermiſſo Petro Gnapheo Stephanum ſufficeret:

Evagr. l. 3. c. 10.

Ejecto autem Petro, Stephanus Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopatum ſortitus eſt. Non Petro igitur, ſed Joanni proximè ſucceſſit Stephanus labente anno. Qui è veſtigio inaugurationem Acacio ſuam ſignificat, ſimulque Petri Fullonis, Joanniſque damnationem. Quod ubi compertum Acacius habuit, convocatis ſubinde qui Conſtantinopoli verſabantur Epiſcopis, Petrumque, Joannemque damnationis fulmine obruit. Quo facto, ad Simplicium ſcribit, ut nullum damnatis in Sede Apoſtolica perfugium pateret. Acacii petitio hæc extat in nomine de Geſtis Acacii:

Lab. Conc. t. 3. 1082.

Quos iterum damnatos dicit Acacius, petens ab Apoſtolica Sede, ut ſi fortè ad eam confugerent, nec viſu dignos haberet, etſi jam aliquam indulgentiam fortè impetraſſent, irritam eſſe debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam. Gemina ferè leguntur in *Liberato.* Brevis Stephani Pontificatus fuit, qui ad id muneris evectus eſſe videtur, ut eo quaſi gloriæ gradu ad martyrii lauream aſcenderet, quam anno inſequente conſequutur.

ANNO U. C. 1232. PER. JUL. 5192. JUL. 524. DOM. 479. ZENONIS 5. & 6. *Sol.* 12. G. *Lun.* 5. *Indict.* 2. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 1. *P.* 15. *Mart.*

ANNO DOM. 479.

COS. *Zeno Auguſtus III. ſolus.*

Sabinianus.

I. ORientalis Imperii rebus vir magni nominis Sabinianus erat auxilio, ut vel ſolam nominis ſui gloriam, veluti clypeum Romanorum hoſtibus objiceret. Marcellini relatione vir illuſtris nobis innotuit, ad hunc Conſulatum ſcribentis: *Sabinianus magnus Illyriciana utriuſque Militia Ductor creatur, Curiam fragilem, conlapſumque juſtum Reipublica cenſum, vel præparentem fovit, vel dependentem tuitus eſt. Diſciplina prætereà militaris, ita optimus inſtitutor coercitorque fuit, ut priſcis Romanorum Ductoribus compareiur. Theodoricum idem Sabinianus Regem, apud Græciam debacchantem, ingenio magis, quàm virtute deterruit.*

Odoacri Acta.

II. Qui Italiæ dominabatur Odoacer, mores Barbarorum non induerat: neque Arianâ religione, quam colebat, à Sacerdotum Orthodoxorum veneratione prohibebatur. Multa Epiphanio Ticinenſi roganti conceſſit, noſtris Annalibus non indigna:

Ennod. Vit. Epiph. 387.

Directâ legatione ad Odoacrem, quinquennis vacationem fiſcalium tributorum impetravit. . . . Dum hæc tamen geruntur in perniciem Liguriæ poſſeſſorum, Pelagii, qui eâ tempeſtate Prætorio Præfectus erat, repente malitia ardor efferbuit. Nam coëmptionum enormitate graviſſima tributa duplicabat, ut utraque onus geminum, quod ſimplex ſuſtinere non poterat. Unde mox ad ſanctum virum oppreſſorum turba confluxit; qui latus ſuccurrendi occaſiones amplectitur, & pro cunctorum neceſſitate alacer ambulavit, popoſcit, obtinuit. Quorum tempus licet ignoremus, non repugnante Chronologiâ hunc in annum retulimus.

Stephanus Antiochenus occiditur.

III. Ad res transgrediamur Eccleſiæ. Qui anno ſuperiore Pontificatum inierat Antiochenum Stephanus, adverſariorum invidiâ crudeli morte perimitur. Egregium quippe virum Antiochenſium pueri calamis inſtar telorum præacutis interfecere. In ipſo Eccleſiæ Sacrario confoſſum, Stephanum indicat Simplicii ad Zenonem Epiſtola:

Evagr. l. 3. c. 10.

Simpl. Ep. 14.

Actum eſt, ut quemadmodum perhibetis inter altaria non jam plebs perſuaſionibus eorum, ſed ipſi quoque Præſules, & prædicatores fidei perirent funeſtis gladiis Sacerdotes. Ne verò furori deeſſet aliquid, cruentum Stephani cadaver in Orontem, qui urbem eam præterfluit, conjecere. Sancti memoria Martyris Aprilis XXV. recolitur in Martyrologio Romano: *Antiochiæ Sancti Stephani Epiſcopi & Martyris, qui ab Hæreticis Synodum Chalcedonenſem impugnantibus, multa paſſus, in Orontem fluvium præcipitatus eſt, tempore Zenonis.* Tres Stephano Pontificatus annos vindicat Baronii Chronologia: neque nos latet, id ipſum à Nicephoro tradi in ſua Chronographia. Quin errent tamen, non ponendum in dubio. Anno elapſo Epiſcopatum Stephanus ſortitus erat. Labente ſiquidem anno CCCCLXXVII. Petrus Fullo, & eo ejecto Joannes Cathedram Antiochenam tenuerant. Vix ergo tredecim menſes Stephanus Antiochenis præfuit, cùm mors ipſius Simplicio nota fuerit Junii XXII. quo literas Zenoni dedit, de ſucceſſore Stephani mentionem agentes.

Error Baronii.

Petrus Fullo Pityunta relegatur.

IV. In facinus Antiochenſium, qui ſanguine

 Poo-

Anno Dom. 479.

Pontificali incruentas Chriſti aras reſperſerant, juſtâ commotus indignatione Princeps, meritis pœnis ſontes afficit, qua de cauſa Simplicius vindici laudes tribuit: *De Eccleſia Antiochena venerandos mihi ſemper veſtræ pietatis apices gavisus accepi, quibus ingenito vobis ſtudio, Catholicæ religionis poſt defenſionem fides, quæ vos ſervat ac cuſtodit, impietatis audaciam & facinora apud Antiochiam perpetrata, coërcita reperimus. Exultantes vobis meiſſe animum fideliſſimi Sacerdotis, & Principis, ut Imperialis autoritas & juncta Chriſtiana devotioni acceptabilior Deo fieret, & appareret integritas, cùm hi, qui in Epiſcoporum necem ſacrilegâ cæde verſati ſunt, dignis jubentur perire ſuppliciis.* Hinc occaſionem amplectitur urgendi Imperatorem; quod Acacio ſcripſerat, executioni mandaretur, ut ſcilicet & *cæteri, qui per occaſionem tyrannicæ dominationis invaſerant Eccleſias Dei, extra metas veſtri pellerentur Imperii, ne peſtiferis ſenſibus quibuſque ſimplicioribus virus infunderent.* Simplicii conſilus morem gerens Imperator, Petrum Fullonem Pityunta triſtem in Ponto locum miſit exulem.

Simpl. Ep. 14.

Stephanus Junior Antiochiæ creatur Epiſcopus.

V. Defuncto Stephano alius ejuſdem nominis ſuccedit Antiſtes, vir eo munere digniſſimus: Ordinatur eâ ratione, quæ regulis non conſentiebat, abſque ulla tamen Canonum injuria, cùm ea inauguratio neceſſitati deberetur. Contendebant inter ſe Antiochenſes, nec fumans adhùc Eccleſia ſanguine Stephani idoneus locus erat, ut neceſſarium inaugurando Stephano Concilium Antiochiæ cogeretur. Vitandæ ergo confuſioni Stephanus Junior ab Acacio in urbe regia conſecratur, qui ſi profitenti credendum, non ſine hæſitatione ad id functionis proceſſit; & ſi auguſteis mandatis ad illud impelleretur. Id apparet atque extat verbis Simplicii: *Juſſu ejus* (Zenonis) & *ſtudio quietis Antiochenſibus non tuâ uſurpatione Antiſtitem conſecraſti. In quo tua dilectionis non irrationabilem cognoſcimus fuiſſe famulatum: quia Eccleſiarum jura reſpiciens, diu te immeritò ſuſpendiſſe teſtaris, ne videreris ambire, quod tanto Principi, & in tam gravi cauſa non poteras abnegare.* Imperatori verò hæc ſcribit: *Quoniam ſeditiones Antiochenas religioſiſſimo propoſito ſedandas non aliter exiſtimaſtis, niſi præter præjudicium venerandi illius Concilii Nicæni apud Conſtantinopolim iiſdem petentibus ordinaretur Antiſtes, quod in ejus tantummodò perſona ſic memoraſtis aſſumptum: ut deinceps ſecundùm definitiones Patrum, Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reſervetur. . . . Tenet hanc pietatis veſtræ beatus Petrus Apoſtolus ſponſionem, & Chriſtianiſſimi fideliſſimique Principis mentem, in hæc verba juraſſe, quod poſt hac in Antiochena urbe veteri more ſervato, à Comprovincialibus ſuis Epiſcopis ordinetur: ne quod nunc frater, & Coëpiſcopus meus Acacius vobis eſt jubentibus executus, in uſum poſteritatis veniat, & ſtatuta Patrum, quæ præcipuè præſtaſtis illæſa confundat. Data x. Kal. Julias, poſt Conſulatum Illi viri clariſſimi.*

Simpl. Ep. 14.

Anno Dom. 480.

Anno U. C. 1233. Per. Jul. 5193. Jul. 525. Dom. 480. Zenonis 6. & 7. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 6. *Indict.* 3. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 13. *April.*

Cos. *Baſilius Junior ſolus.*

Terræ motu Conſtantinopolis agitatur.

I. Magno telluris motu Conſtantinopolim labente anno concuſſam fuiſſe, Marcellini in Chronico legitur: *Urbs regia per xl. continuos dies aſſiduo terræ motu quaſſata, magnoperè ſeſe afflicta deplanxit. Ambæ Troadenſes porticus corruerunt, aliquantæ Eccleſiæ vel ſciſſæ ſunt, vel collapſæ. Statua Theodoſii Magni in foro Tauri ſuper Cochlidem columnam poſita corruit, duobus fornicibus ejuſdem collapſis, hunc formidoloſum diem Byzantii celebrant* viii. *Kal. Octobr.* Sunt tamen, qui ingentem eam terræ ſuccuſſionem anno cccclxxvii. referunt.

Anno Dom. 480.

Eugenius permittente Hunnerico creatur Carthaginis Epiſcopus.

II. Carthaginenſi Eccleſiæ coruſcus jucundâ luce hic annus fuit. Viginti quatuor annis vidua *Deogratias* Epiſcopum lugebat ſuum. Nec defuncto ſuffectus adhùc ullus, qui mœrentis lachrymas abſtergeret. Mortuo Geiſerico, *Hunnericus* labente anno Carthaginenſibus Antiſtitem creandi facultatem conceſſit. Itaque poſt longum Interpontificium, ab anno ſcilicet cccclvii. quo Deogratias cœleſtem ſpiritum Chriſto reddiderat, ad præſentem uſque, tandem Eugenius Carthaginenſium ſacris præficitur. Non nos quidem latet, Eugenii Pontificatum à Victore Tunnenſi cum anno cccclxiii. copulari: *Viviano V. C. & Baſilio Coſſ. Carthaginenſis Eccleſiæ poſt Capreolum Quodvultdeus, Eugenius Epiſcopus ordinatur.* Quin tamen graviſſimus error Chronicum invaſerit, non eſt ambigendum. Cùm exploratum ſit eruditis, non Quodvultdeo, ſed Deogratias Eugenium proximè ſucceſſiſſe, defuncto jam Geiſerico, qui labente anno Dom. cccclxiii. vitam etiamnum retinebat. Fatendum ergo, multò ſerius Eugenium datum eſſe Carthaginenſibus Epiſcopum. Quâ ratione id factum fuerit, *Victoris* verbis memoremus: *Dedit licentiam, Zenone Imperatore, atque Placidiâ relictâ Olybrii, rogantibus, ut Carthaginenſis Eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaret, quæ jam per* xxiv. *annos tali ornamento fuerat deſtituta. Mittit ergo tunc ad Eccleſiam Alexandrum illuſtrem hujuſmodi legationem ferentem, ut præſentiâ ejus Catholicus populus dignum ſibi peteret Sacerdotem, deſtinans quoque per Notarium ſuum, nomine Witared, Edictum, quod publicè legeretur, hunc continens modum: Juſſit vobis Dominus noſter dici, quia Imperator Zenon, & nobiliſſima Placidia per Alexandrum virum illuſtrem ſcripſerunt, petentes, ut Eccleſia Carthaginis religionis veſtræ proprium Epiſcopum habeat. Hoc fieri præcepit, atque eis reſcripſit, vel Legatis ab eis directis dici juſſit, ut ſicut petierunt, vobis Epiſcopum quem volueritis ordinetis: eo ſub tenore, ut noſtræ religionis Epiſcopi, qui apud Conſtantinopolim ſunt, & per alias Provincias Orientis, ex ejus præcepto liberum arbitrium habeant, in Eccleſiis ſuis, quibus voluerint linguis populo tractare, & Legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos hîc vel in aliis Eccleſiis, quæ in Provinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in Eccleſiis veſtris Miſſas agere, vel tractare, & quæ Legis ſunt, quemadmodum vultis facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit obſervatum, tam Epiſcopus, qui ordinatus fuerit, vel Clerici, ſed & alii Epiſcopi cum Clericis ſuis, qui in Africanis Provinciis ſunt, jubebuntur inter Mauros mitti.* Lectum eſt Edictum xiv. Kal. Juliarum, feriâ iv. Quod Clericis dolorem movit, probè intelligentibus, eâ ſibi conſtitutione dolos parari. Itaque Legato dixerunt, *Interpoſitis his conditionibus periculoſis, hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere.* Vicit tamen populi deſiderium, Epiſcopum ſibi maximè cupientis, nec à clamoribus temperavit, donec poſtulatis ejus ſatisfieret.

III.

ANNO DOM. 480.

Eugenius Carthaginenſis: vitæ ipſius breviarium.

III. Eligitur ergo *Eugenius*, lætantibus ſexus utriuſque adoleſcentibus, qui Epiſcopum in throno ſedentem hactenùs non viderant. Gaudium accendebant viri merita, apud omnes gratioſi, adeò ut ipſius annos de ſuis augeri quiſquis libentiſſimè vellet. Multis Eugenium laudibus Victor ornat. Tot tantaſque egentibus eleemoſynas erogabat, ut ſupra fidem eſſent, cùm dominantibus Barbaris, Eccleſia ne vel unius duntaxat nummi facultatem habere videretur:

Vict. Ut. de Perſ. l. 2.

Humilitatem in illo, charitatem, pietatem divinitus condonatam ſi quiſquam incipiat laudare, non poterit explicare. Pecuniam apud eum nunquam manſiſſe probatur, niſi fortè tali horâ offerretur; quando jam Sol dies explicans curſum, nocturnis tenebris daret ordinem, & locum. Tantum ſibi reſervabat, quantum diei ſufficeret, non quantum cupiditas expetiſſet. Tanta pietatis ſuæ famâ *Eugenius* Arianis invidiam movit, ut omni ratione, quâ poſſent, perditum eum vellent. Præcipuè *Cyrila* Ariani Epiſcopi calumniis appetebatur, qui ut fictis religionem ſuam miraculis ſtabilitum iret, id fraudis excogitaſſe ferunt: *Cirola Arianus Epiſcopus in Africa adverſus Eugenium Carthaginenſem Archiepiſcopum, alioſque Catholicos miraculis claros, zelo ductus, quendam è ſuis pecuniâ corruptum, cæcitatem ſimulare juſſit, ut eum coram Rege ſe invocantem, quaſi per fidem ſuam illuminaret. Cui cùm coram omnibus manus impoſuiſſet, verâ mox divinitùs cæcitate percuſſus, dolum aperuit, converſuſque à ſanctis Epiſcopis Eugenio, Vindemiale, & Longwino, rurſum illuminari promeruit.* Hæc Hermannus Contractus in Chronico, & Gregor. Turonenſis, quorum fides ſit penes Autores. Anno CCCCLXXXIV. accenſâ crudelius perſecutione, ab Hunnerico Eugenius in exilium pellitur. Teſtis Gennadius, qui iis temporibus floruit:

Gen. Cat. c. 93.

Eugenius Carthaginenſis Africæ civitatis Epiſcopus, & Confeſſor publicus, admonitus à Hunnerico Vandalorum Rege Catholicæ fidei expoſitionem, & maximè Verbi homouſion proprietatem diſſerere, cum conſenſu omnium Africæ, & Mauritaniæ, & Sardiniæ, atque Corſicæ Epiſcoporum & Confeſſorum, qui in Catholica permanſerunt, compoſuit librum fidei, ſolum Scripturarum ſententiis communitum, & per Collegas Confeſſionis ſuæ porrexit. Jam verò aſportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium; Epiſtolas velut commonitorias fidei, & unius ſacri, & conſervandi baptiſmatis ovibus ſuis, quaſi Paſtor ſollicitus dereliquit. Altercationes quoque, quas cum Arianorum Præſulibus per internuncios habuit, conſcripſit & Regi legendas, per majorem domus ejus tranſmiſit. Similiter & preces pro quiete Chriſtianorum, eidem velut apologias obtulit. Vivere adhùc ad confirmationem Eccleſiæ dicitur. Anno CCCCXCII. benigniorem cùm in Catholicos mentem Gunthamundus accepiſſet, ab eo Eugenius reditum exulibus Epiſcopis impetravit, ut in Sigeberto legitur: *Gunthamundus Rex in Africa Eccleſias aperuit, & omnes Sacerdotes petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo ab exilio revocavit.* Pacis tamen hæc umbra fuit cum anno Dom. CCCCXCV. furenti adhùc perſecutioni Eugenius reſiſteret. Quo nomine magnis à Gelaſio in ſua ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtola laudibus celebratur:

Lab. Conc. ſ. 4. 1208.

Ecce nuper Honerico Regi Vandalicæ nationis, vir magnus, & egregius Sacerdos Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, multique cum eodem Catholici Sacerdotes reſiſterent ſævienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque perſecutoribus reſiſtere non omittunt. Perſecutores verò Arianorum Antiſtites intelligimus, non Vandalorum Regem *Gunthamundum*, qui in Catholicos benigno fuit animo, ut ſuo loco declaratum ibimus. Narrat Gregorius Turonenſis, ab Hunnerico mandatum, Eugenio caput decuti, eâ lege tamen, ut ſi conſtanter Arianam fidem reſpueret, in exilium mitteretur. Vincente gladii minas Confeſſoris fortitudine ad Gallias amandatur:

ANNO DOM. 480.

Gregor. Hiſt. l. 2. c. 3.

Suſpenſo gladio, apud Albigenſem Galliarum urbem exilio deputatus eſt, ubi & finem vitæ præſentis fecit. Hæc tamen non *Hunnerico*, ſed Thraſimondo regnante contigerunt. Anno circiter CCCCXCVI. mortali vitâ egreſſum, ad cœleſtem migraſſe Eugenium, Schelſtratus opinatur. Quem Victor Tunnenſis refellit, dum ad Theodori Conſulatum, anno Dom. quingenteſimo quinto geſtum, hæc ſcribit: *Theodoro V. C. Coſſ. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, Confeſſor moritur.*

Mors Lupi Trecenſis.

IV. Fato tandem conceſſit vir pietate, virtutibuſque ſuis maximi faciendus, *Lupus* Trecenſis Epiſcopus, cùm in Pontificatu annos LII. tranſegiſſet. Cujus gloriæ id ſplendoris acceſſit, quòd dignos Doctore ſuo diſcipulos reliquit: *Multos autem habuit vir beatiſſimus, præclarâ virtute diſcipulos, inſigni miraculorum gloriâ illuſtres.* Hos inter eminent Polychronius Virdunenſis, Severus Treverenſis, Albinus Catalaunenſis:

Sur. t. 4. 19. Aug.

Succeſſit autem ei dignus illo honore Sacerdos Camelianus, ejus morum imitator. Jam annis quinquaginta duobus ſanctus Lupusglorioſæ memoriæ Antiſtes Sacerdotio functus erat, cùm vitæ præſentis debitum perſolvens, ſpiritum miſit ad ſuperos, dignis in terra laudibus celebrandus.

ANNO U. C. 1234. OLYMP. 315. PER. JUL. 5194. JUL. 526. DOM. 481. ZENON. 7. & 8. *Sol.* 14. B. *Lun.* 7. *Indict.* 4. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 4. P. 6, *April.*

ANNO DOM. 481.

COS. *Placidus ſolus.*

Marciani in Zenonem rebellio. Presbyter creatus relegatur.

I. SUperſtites ſibi filios Anthemius Imperator reliquerat *Marcianum*, Romulum, atque Procopium, quorum major natu Marcianus *Leontiam* Leonis Auguſti filiam duxerat. Quæ ambitioni magna nutrimenta dabant. Pudebat Imperatoris & filium, & generum in privata vita conſtitui. Conjurationis prætextum arripuit Marcianus, quòd *Leontia* ipſius uxor Leone Imperium adepto nata erat: *Ariadne* verò, Zenonis conjux, Leontiæ ſoror Leone privato ortum ducebat. Fratrum igitur auxilio Marcianus Zenonem ſolio deturbare aggreditur. Commiſſâ gravi circa palatium pugnâ, pluribus ex utraque parte cæſis, Marcianus adverſarios in fugam vertit. Eodemque impetu palatium occupaſſet, niſi re in craſtinum dilatâ, opportunitatem amiſiſſet. Vincere ſciebat, uti victoriâ neſciebat. Poſtridie à ſuis proditus, confugit ad Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum. Unde per vim extractus, Cæſaream Cappadociæ relegatur. Ibi cùm ſe Monachis quibuſdam aggregaſſet, poſteà fugam meditari deprehenſus eſt. Quam ob cauſam ab Imperatore Tarſum Ciliciæ deportatus, detonſâ comâ Presbyter ordinatur.

Evagr. l. 3. c. 37.

Nulli tamen Eccleſiæ, ut ſacra conficeret, Marcianus addicitur. In caſtellum *Papyrii* adducitur, captivitati perpetuæ deſtinatus. At carcere dilapſus ſuo, circa Ancyram Galatiæ turbas movit, donec captus in Iſauriam amandaretur.

Phot. c. 79.

ANNO DOM. 481.

Procopius & Romulus, cùm Zeuxippi balneo lavarent caput, elapſi fugâ in Occidentem ſe receperunt. Procopius teſte *Candido*, Theodoricum in Thracia agentem adiit. In eo tumultu Zenonis rebus *Illus* maximo fuit auxilio, qui ſeditionem oppreſſit. Hinc emendanda Baronii Chronologia, qui Marciani rebellionem anno CCCCLXXXII. alligavit, quo tempore vel fatente ipſo, Theodoricus perierat; de cujus caſu nunc eſt commemorandum.

Theodoricus Triarii filius Conſtantinopolim aggreditur. Quâ morte periérit?

II. Erat Theodoricus *Triarii* filius, teſte non Marcellino duntaxat, ſed etiam Jornande, quem utique Baronius immerentem cenſurâ vexat: *Jornandem*, inquit, *redarguas, dum non Theodoricum Triarii filium fuiſſe narrat.* Hem Jornandes Theodoricum Triarii filium non dixit! Arqui bis Jornandes dixit: *Theodoricus Triarii filius, cognomento Strabo*, quæ leguntur in libro de Regnorum Succeſſione. Eodem tradit in ſuo tractatu de Rebus Geticis, capite 52. Hic ille Theodoricus *de genere Gothico erat, aliâ tamen ſtirpe, non Amalâ procreatus*, amicitiâ cum Romanis conjunctus fuerat. Sed fragilior vitro Gothorum fides. Iraque Italiam ingreſſus erat: *Theodoricus Triarii filius, cognomento Strabo, Rex Gothorum à Sciris ſuis uſque ad Apulum quarto urbis milliario armatus advenit, nulli tamen Romanorum noxius, continuò eſt reverſus.* Labente anno ubi novit Conſtantinopolim Marciani motibus agitatam, ſpecie quidem Zenoni ſubeundi auxilio, reverà tamen ad urbem occupandam ingentes in Thracia copias contraxerat. Quid in ea expeditione geſſerit, recitet Evagrius: *Cùm cuncta, quæ obvia erant, uſque ad fauces Ponti latè vaſtaſſet, parum abfuit, quin ipſam regiam urbem caperet. Cepiſſetque omninò, niſi quidam ex ejus familiaribus, donis corrupti, ipſum interficere moliti eſſent. Itaque ille cognitâ ſuorum malevolentiâ, retrò abſceſſit.* Non multò pòſt ingenti metu liberavit Imperium, cùm triſti caſu vitam morte commutaſſet, quam cum *Placidi* Conſulatu copulat Marcellinus in Chronico. Mortis genus ita ſe habuit: *Haſta amentata ante illius tabernaculum ſuſpenſa erat, more barbarico. Fortè igitur cùm corpus exercere vellet, equum ſibi adduci juſſit. Cùmque ſtratoris auxilio haudquaquam uti ſoleret, ipſe in equum inſilit. Equus verò, utpote indomitus & ferox, cùm Theodoricus ipſum ambabus tibiis nondum amplexus fuiſſet, anterioribus pedibus in ſublime elatis, poſterioribus duntaxat inſiſtere atque ingredi cœpit. Adeò ut Theodoricus cum equo ſuo certans, ac neque illum freno retrahere auſus, ne retractus ſupra ipſum caderet, haſta cuſpidem impelleret. Quæ in eum obliquè impacta, latus ejus vulneravit. Inde igitur in lectum delatus, cùm paucos dies ſupervixiſſet, ex eo vulnere deceſſit.* Suâ morte Theodoricus *Reipublicæ diem feſtum donavit*, ut non invenuſtè Jornandes ſcribit. Exultantem compreſſit lætitiam obitus illuſtris viri, qui Imperii fuit propugnaculum: *Sabinianum magnum mors, quæ huic peccanti mundo meritò imminet, antè eum ademit, quàm integrum defatigatæ Reipublicæ ſubſidium foret.*

Error Baronii.

Bar. An. 461. n. 2.

Jorn. de Succ.

Evagr. l. 3. c. 25.

Marcellin.

Ambroſius Britanniam adverſus Saxones tuetur.

III. Hæc in Oriente. Quid in Occidentis partibus rerum gereretur, nunc eſt videndum. Quam à Saxonibus Britannia calamitatem acceperat, ea lenimenti aliquid habuit. Miſerrima infelicis Inſulæ calamitas erat, cujus magnitudinem pauca hæc Gildæ ſatis ſuperque depingunt: *In medio platearum ima cardine avulſo, murorumque celſorum ſaxa, ſacra altaria, cadaverum fruſta, cruſtis purpurei cruoris tecta, velut in quodam horrendo torculari miſta viderentur, & nulla eſſet omnimodis præter domorum ruinas, beſtiarum, volucrumque ventres in medio ſepultura.* Poſt ubi Saxones repetitâ domo receſſere, triſtes Britonum reliquiæ vires capeſſunt, *Duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, qui ſolus fortè Romanæ gentis, tantæ tempeſtatis colliſione, occiſis in eadem parentibus, purpurâ nimirum indutus ſuperfuerat, cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnoperè avitâ bonitate degeneraverit.* Ut certamen cum victoribus ventum eſt, Britannis ex voto victoria ceſſit. Labente anno Aurelianum purpuram ſumpſiſſe, ut Anglo-Saxonibus Britanniam ereptum iret, ex Friſiacis Annalibus obſervatum *Calviſio*. Itaque non accurata ſatis eſt Baronii Chronologia, qui Ambroſii Aureliani ad purpuram evectionem in annum CCCCLXXVII. refert.

ANNO DOM. 481.

Gild. de Exc. Brit. 711.

Evaricus Arverna potitur: captivitatem civitatis Sidonius luget.

IV. Egreſſi Britanniâ in Gallias migremus. Arvernæ Rex Gothorum Evaricus, cupidiſſimè inhiabat: nec virtute ſuâ obſeſſum non ſemel oppidum unquam ditioni ſuæ ſubjicere potuerat. Quod arte non valebat, indecoræ pacis legibus impetravit. Quoto anno Gothorum in ditionem reducta ſit Arverna, definire haud poſſumus. Anno Imperii Evarici XIV. Præfectum huic civitati Victorium fuiſſe in Gregorio legimus. Quòd verò tum inceperit ejus potiri Evaricus, non dixit Gregorius, cujus calculo ſi adhæremus, ab anno CCCCLXXI. Gothica fuiſſet Arverna: *Evaricus Gothorum Rex Victorium Ducem ſuper ſeptem civitates præpoſuit anno* XIV. *regni ſui. Qui protinùs Arvernos adveniens, civitatem addere voluit.* Baronius, qui anno CCCCLXXX. Arvernam Gothis ſubjicit, non ſanè ſibi conſtat, utpote qui ab anno CCCCLXIV. Evarici regni deducit initia: quo caſu, ſi Arvernam anno Imperii ſui XIV. ſibi ſubdidit Evaricus, eâ jam potiebatur currente anno CCCCLXXVIII. Neque etiam præſidium in Gregorio ullum invenit, ut anno 481. Arvernam Evarico aſſignaret, imò ſibi reſiſtentem Gregorium invenit. Cæterùm cùm in annis Evarici Regis erraverit Gregorius, & aliundè multa narret, quæ ad Imperii Evarici diuturnitatem non quadrant, cui XXVII. quidem anni concedendi forent, ſi poſtquam Arvernis Victorius novennio præfuit, Evaricus quadriennio adhùc imperaſſet, ſatius eſt, tempus quo Arvernenſis deditio facta eſt, ignorantiæ mandari. Quàm incertus ſervitutis Arvernenſis annus, tam urbis hujus miſeria, quam verbis tragicis Sidonius luget Epiſcopus, qui cum *Græco* Maſſilienſis urbis Antiſtite de conditionibus tam probroſæ pacis expoſtulat: *Propter hujus inclytæ pacis expectationem avulſas muralibus rimis herbas in cibum traximus, crebrò per ignorantiam venenatis graminibus infecti. . . . Pro his tot tantiſque devotionis experimentis noſtri, quantum audio, facta jactura eſt. . . . Parum in commune conſulitis, & cùm in Concilium convenitis, non tam cura eſt, publicis mederi periculis, quàm privatis ſtudere fortunis.* Cùm impendentia ex hac deditione civitati ſuæ mala præſentiret Sidonius, humillimas unàque triſtiſſimas preces deſcendit: *Si medicari noſtris ultimis non valetis, ſaltem hoc efficite, prece ſedula, ut ſanguis vivat, quorum eſt moritura libertas. Parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis.*

Gregor. Hiſt. l. 2. c. 20.

Sidon. l. 7. Ep. 7.

V.

ANNO DOM. 481.

Hunnerici in ſuos crudelitas. Perſecutionis initia ponit.

V. Relictis Galliis, petenda nunc eſt Africa, ut quid rerum gereret Hunnericus, percipiamus animo. Qui hactenùs imperando manſuetus fuerat, ſubitò multum mutatus, mortalium feriſſimus apparuit. Fons crudelitatis paternum filiis ſuis Imperium relinquendi cupido. Qua de cauſa & *Theodorici*, & *Gentonis* fratris filios crudeliter vexare cœpit: *Primò ſciens uxorem Theodorici fratris aſtutam, credo ne fortè maritum, aut majorem filium (quia prudens & ſapiens videbatur) conſiliis aſtutioribus adverſus tyrannum armaret, crimine appoſito eam interfici jubet. Poſt occiditur & ille filius, magnis literis inſtitutus, cui ſecundum Conſtitutionem Geiſerici, eò quòd major omnibus eſſet, regnum inter nepotes potiſſimum debebatur.* Filio & matre interfectis, Theodorico imperat exilium. Gentonis majorem filium cum uxore relegat, ne conceſſo quidem auxilio ſervuli. Falſis criminibus Comites occidit. Quos pater moriens ſacramento interpoſito commendaverat, immemor fidei datæ variis pœnis morti demiſit. Præpoſitum regni *Heldicam*, veteranum & annoſum capite plectit. Fratrem ejus *Gamut*, quem in Eccleſia azylum quærentem occidere non potuerat, diu latrinis incluſit. Heldicæ uxorem cum alia fœmina, nomine *Teucaria*, in media civitate comburi juſſit. Eò proceſſit crudeliſſimi furor Principis, ut ne vel Epiſcopis parceret ſuis. *Jocundum*, quem Patriarcham vocabant, flammis comburendum tradit, quòd Theodorico fratri ſuo gratiſſimus foret. Morte tot miſerorum irritabatur potius quàm ſedabatur ſitis hauriendi ſanguinis: & juſta timendi cauſa fuit, ne qui Arianorum ſuorum vitæ non parcebat, in Orthodoxos magis ſæviret. Ac initia quidem perſecutionis atque ſemina; permittente Deo, furori regio conceſſa ſunt. Eugenio præcipitur, ut *quoſcumque maſcu*... *nos, vel fœminas in habitu barbaro incedentes, in Eccleſia conſpiceret, prohiberet.* Reſpondit ille, *Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere.* Erant Catholicorum complures Vandalico ritu veſtiti, qui regiæ miniſtrabant. Auditâ ergo Eugenii reſponſione, Hunnericus ſtatuit, in portis Eccleſiæ collocari tortores, *qui videntes fœminam, vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantes, illicò palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis, ac vehementius ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant.* Prælu-dia hæc fuere graviſſimæ perſecutionis, quæ anno CCCCLXXXIV. Africanas Eccleſias corripuit, ac monitis ſigniſque quibuſdam, veluti claſſico denuntiata. Quæ licet fermè biennio vexationi anteceſſerint, connectendæ rerum ſeriei commodius temporibus illis reſervabuntur.

Vict. Ut. l. 2.

Talaiæ ad Zenonem legatio de ſucceſſore Timothei deſignando.

Evagr. l. 3. c. 12.

VI. Ad res Eccleſiæ præcipuè ſe convertit oratio. Annis provectus Timotheus Solophaciolus, moribundo ſuccedendi multis deſiderium inflammabat. Præcipuè Joannes, qui apud *Illum* plurimum poterat, Pontificatui Alexandrino inhiabat. Conſilio igitur amicorum legationem apud Imperatorem obiit, cujus meminit Evagrius: *Joannes Presbyter, & Oeconomus venerabilis Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ, conſilio quodam Alexandrinorum Legatus miſſus eſt Conſtantinopolim, petiturus à Principe, ut ſi fortè Epiſcopus ipſorum è vivis abiiſſet, liceret civibus Alexandrinis eum, quem vellent Epiſcopum eligere. Hic tamen, ſicuti Zacharias ſcribit, Epiſcopatum ſibimet ipſi ambire ab Imperatore deprehenſus eſt. Cùm-que ſe jurejurando obſtrinxiſſet, nunquam ſe Alexandrinam Sedem affectaturum eſſe, in patriam reverſus eſt. Imperator verò Lege latâ ſanxit, ut poſt mortem Timothei is eſſet Epiſcopus, quem Clerus & populus ſuffragiis ſuis elegiſſent.* Joannis & legationem memorant Geſta de nomine Acacii; in quibus reperiuntur nonnulla, quæ in Evagrio deſiderantur. A Timotheo ſcilicet Joannem eſſe miſſum, rogante, *ut ſi quid humanitus ſibi fore contingeret, juberet pietas ejus, Catholicum à Catholicis ordinari. Ad cujus petita reſponſum eſt, & tam ipſi, quam Clericis ſcriptum, atque in eiſdem ſacris Joannes Oeconomicus multis laudibus prædicatur, ut jam pene omnibus Alexandrinis Epiſcopalis putaretur officii candidatus.* Spretor promiſſi ſui, mentiſque ſuperbæ Joannes Præſulem ſe Alexandrinum creari curat, ubi Timotheus fato conceſſit.

ANNO DOM. 481.

Lab. Conc. t. 4. 1061.

Mors Timothei Salofacioli. Quandiu ſederit? Mores ipſius.

VII. Vitæ finem labente anno implevit *Salofaciolus.* Quæ Victoris Tunnunenſis Chronologia eſt, dum ad Conſulatum, qui proximè illum Trocundii anno CCCCLXXXII. geſſit, hæc refert: *Poſt Conſulatum Zenonis 110. Timotheus, cognomento Salofaciatus, Synodi Chalcedonenſis defenſor moritur, & pro eo Alexandrinæ Eccleſiæ Joannes Tabennenſiota Presbyter & Oeconomus, Synodi Chalcedonenſis defenſor, Epiſcopus ordinatur.* Hic verò turbat Liberatus, quem Baronius, & N. Alexander ſequuntur. Liberati verba ſunt: *Poſt breve vero tempus moritur Timotheus Salophaciolus, anno Epiſcopatus ſui XXIII. menſe ſexto.* Quæ ſi vera ſunt, anno quidem CCCCLVIII. Pontificatum adiiſſet: quod à veri veſtigiis alienum eſt, cum gratulatoria Leonis ad ipſum Epiſtola XV. Kal. Septembr. anno CCCCLX. ſcripta fuerit, Magno & Apollonio Coſſ. *Deo, quòd inſtinctu fidei in fraternitatem tuam Cleri & plebis, atque omnium fidelium egit electio, univerſam mecum Eccleſiam Domini gaudere reſcribo.* Quòd ſi anno CCCCLVIII. Timotheus ad Pontificatum evectus fuiſſet, ab eo tempore electionem ſuam Leoni ſignificatum iviſſet, cui ſemper & fide, & amicitiâ conjunctus fuit, citiuſque Epiſtolis ipſius Leo reſponſum dediſſet, non expectato integro biennio. Neque Baronius ipſe Timothei Pontificatus initia ab anno CCCCLX. divellenda putavit: quo caſu pugnantia conjungit, ut Timotheus annos viginti tres, menſeſque ſex ſederit, & tamen anno CCCCLXXXII. vitam exierit. Annis ergo XXII. Epiſcopatum Timotheus tenuit. Rectæ fidei obſervantiſſimus fuit, cui etiam perſecutionibus ſuis album calculum addidit. Mores in eo laudabantur mitiſſimi, cujus cauſa non omnem vituperationem effugit. Audiantur verba Liberati: *Quoniam Timotheus ſic mitiſſimus erat in Epiſcopatu, ut etiam à ſuis communicatoribus accuſaretur Imperatori, tanquam nimis remiſſus, & circa Hæreticos placidus, ita ut et ſcriberet Imperator, ut neque Collectas, neque baptiſmata ſineret Hæreticos celebrare, ille tamen manſuetè agebat. Dum ergo tali modo gubernaret Epiſcopatum, amabant eum Alexandrini, & clamabant ei in plateis, & in Eccleſiis: Vel ſi non tibi communicamus, tamen amamus te.* Non benignitatem animi culpamus quidem, in qua plus ad alliciendos animos momenti eſt, quàm in ſævitia poſitum. Eſt tamen cavendum, ne manſuetudo in timiditatem degeneret, ut Timotheo contigit, qui Chriſti in altaribus Dioſcori diriſſimi Eccleſiæ vaſtatoris nomen, formidine ductus palam, publicèque recitavit.

Liberat. c. 16.

Leo Ep. 101.

Liberat. c. 16.

VIII.

ANNO DOM. 481.

Joannes Talaia Alexandrinis Epiſcopus imponitur. Quis? Simplicio ſcribit.

VIII. Timotheo Joannes ſucceſſit, cognomento *Talaia*: quod vocabulum Valeſio, aliiſque eruditis corruptum, non immeritò videtur *Thladia*, hoc eſt, *Eunuchus*. Electionem ipſius impediebat juramentum Imperatori datum, ſe Pontificatum Alexandrinum nunquam ambiturum. Neque Joannis promiſſio hæc pro figmento haberi debet. Scripſit Imperator *Apollonio Auguſtali, & Duci Pergamio, ut Joannem ab Alexandrina Sede, quaſi eam contra ſuum jusjurandum, quod in regia civitate dedit, arripuiſſet*, expelleret.

Liberat. c. 17.

Id ipſum à Zenone ſcribitur Simplicio, qui ſacris permotus literis, à confirmando Joannis Epiſcopatu ſemet ipſum cohibuit. Aliis quoque de cauſis ab Epiſcopatu repellebatur.

Id. ib.

Objiciebatur, quòd *vivente Timotheo Catholice tractaverit exire de Eccleſia, & ab ipſo ſuaderetur idem Timotheus, ſuſcipere Dioſcorum in Diptychis poſt mortem.* Neque falſa videtur accuſatio, cùm Dioſcori nomen certe certòque ſit in ſacra Menſa recitatum à Timotheo, apud quem magna Joannis fuit autoritas. Teſtatur & Zacharias Rhetor, datâ pecuniâ, quâ tantæ Eccleſiæ Oeconomus abundabat, Antiſtitem fuiſſe conſtitutum. Cætera Talaia orthodoxæ fidei patrocinabatur. Eaque de cauſa complures ſui fautores invenit. Teſtatur ſanè Simplicius in ſua ad Acacium Epiſtola XVII. ſe *ab Ægyptia Synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ eſſet communione ſuffulta, atque ab ipſo omni propemodum Clero Alexandrinæ Sedis* ſe relationem accepiſſe, quòd *conſona Fidelium voluntate* Joannes Timotheo ſuffectus eſſet. De ea

Id. ib.

& ordinatione Liberatum audiamus: *Ordinatur à communicatoribus ejus, Epiſcopis, & Clericis, & Monachis, qui ejus noverant fidem & gubernationem, Joannes, ex cognomento Talaia. Verùm Joannes Talaia de ordinatione ſua neglexit per ſuos Synodicas literas Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano deſtinare. Habens enim amicum Illum ſuprà dictum Magiſtrum, ei de ſua quidem ordinatione ſcripſit. . . . Cumque Magiſtrianus, qui fuerat à Joanne miſſus, non inveniſſet Illum Magiſtrum, neque Acacio, neque Imperatori literas obtulit, ſed perrexit Antiochiam. Poſt hæc Acacius audiens de ordinatione Joannis, & contriſtatus, quia Synodicas Epiſtolas non direxiſſet, & una faciens cum Gennadio Epiſcopo, parente beati Timothei, volentes ei nocere trahebant apud Zenonem, & accuſabant eum, habentes adjutores patronos Petri Mongi, quaſi opportunus Epiſcopatus non eſſet Joannes.* Sic Joannis ſuperbia, qui regiæ urbis Epiſcopum pro nihilo habuit, graviſſimis ſanè malis cauſam præbuit. Acacius enim, qui ſe videbat contemni, illudi, deſpici, pulſo *Talaiâ*, *Mongum* in Sedem Alexandrinam introducere manibus pedibuſque conatur. At Joanne erga Simplicium obſervantia non defuit, quem honeſtâ legatione convenit, ut Geſta de nomine Acacii tradidere:

Lab. Conc. t. 4. 1081.

Cùm de conſuetudine majorum ad Apoſtolicam Sedem Synodica per Iſidorum Presbyterum, & Petrum Diaconum ſcripta miſiſſet, ſuperveniente Uranio Subadjuva, & contra Joannem jam Epiſcopum, ſacra Principis deferente, ab Epiſcopatus illius confirmatione ſuſpenſus eſt. Quæ partim ad labentem, partim ad ſequentem annum pertinentia unâ ſerie recitavimus, ne hiſtoriæ de Talaiæ ordinatione ſeries divelleretur.

ANNO U. C. 1235. PER. JUL. 5195. JUL. 527. DOM. 482. ZENON. 8. & 9. *Sol.* 15. C. *Lun.* 8. *Indict.* 5. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 5. P. 25. *April.*

ANNO DOM. 482.

COSS. *Trocundus & Severinus.*

Verinæ, & Zenonis conſpiratio adverſus Illum.

I. VErina magno *Illum* odio proſequebatur, quod adeo inflammatum eſt, ut miſſo percuſſore vitæ ipſius inſidiaretur. Conſpiratio tamen Verinæ in damnum ceſſit, referente Candido: *Alanus quidam occidere Illum conatus, cùm eum percuſſiſſet, ab Epinicio, qui erat Verinæ domeſticus, ſubornatum ſe ad cædem ait. Itaque traditus Hillo Epinicus eſt, qui datâ fide & oblivionis, & præmiorum, ordine cuncta enarravit, quæ in Hillum Verina molitetur. Quare Zeno Verinam Hillo tradidit, qui eam in Cilicia caſtellum ablegavit, atque ita tutum ſe reddidit.*

Phot. c. 79. 175.

Leve vulnus *Illus* accepit, quo ipſius auricula amputata eſt. Ab Ariadne Auguſta ſtructas *Illo* inſidias, quòd ſibi inſenſum Zenonem reddiderat, in Jornande legimus, cujus narratio ad fabulam accedit. Græcis, & Jornande antiquioribus, & rerum ſuarum peritioribus plus fidei habemus. Neque à Verina duntaxat, ſed à Zenone quoque *Illus* appetitus eſt. De quibus inſidiis hæc Euſtathius narrat: *Zeno eum, quem ad interficiendum Illum ſubmiſerat, Illo necandum tradidit, capitis amputationem mercedis loco ei rependens, quòd conatu excidiſſet.* Ut inſidias illuſtri viro comparatas magis occultaret, Magiſtrum Orientalis Militiæ ipſum renunciat. Porrò injuriæ memor *Illus*, tradita ſibi autoritate uſus eſt, ut *Leontium* ad purpuram eveheret, uti anno ſequente narrabitur.

Evagr. l. 3. c. 27.

Zenonis Henoticum. Cur conditum?

II. Res Eccleſiæ fuſiore ſtylo proſequamur. Qui pacis Eccleſiaſticæ Zenoni amor inerat, ipſum permovit, ut rationem quæreret, quâ orbi Chriſtiano tranquillitatem redderet. Quam inveniſſe ſe putavit, conſtituto celeberrimo Decreto, cui *Henotico* nomen, quod & ab Evagrio, & à Liberato, cap. 18. eſt ab oblivione vindicatum. Coſcribendi verò Henotici cauſa hæc fuit: *Occurrerunt quidam à Petro, volentes quaſi fieri unitatem, quos jucundiſſime ſuſcepit Acacius.* Qui *auxilio patronorum Petri perſuaſit Zenoni, ut fieret Henoticon, ad cujus perlationem, ſeu profeſſionem ſuſcipit communicantes ſibi Clericos Petri, Hæreticos, & Laicos inventos Conſtantinopoli.* Celeberrimi verò Henotici titulus eſt: *Imperator Cæſar Flavius Zeno, Pius, Victor, Triumphator, maximus ſemper Auguſtus, reverendiſſimis Epiſcopis, & Clericis, & Monachis, & Populis per Alexandriam, & per Ægyptum, & Libyam, ac Pentapolim conſtitutis.* Exponit verò, preces ſibi à religioſiſſimis Archimandritis, & Eremitis, & aliis reverendis hominibus, qui cum lachrymis ſupplicabant, oblatas eſſe, ut conjunctio fieret Eccleſiarum, quâ ceſſante, tot abſque ſacramentis exceſſerant, multæque cædes patratæ fuerant: *Quapropter*, inquit, *ſcire vos volumus, nec nos, nec eas, quæ ubique ſunt Eccleſias, aliud Symbolum, aut Mathema, aliamve definitionem fidei, aut fidem, præter ſuprà memoratum ſanctum Symbolum CCCXVIII. ſanctorum Patrum, quod à CL. ſanctis Patribus confirmatum eſt, habuiſſe, habere, vel habituros eſſe, nec ſcire quoſquam qui habeant. Quòd ſi quis habeat, hunc extraneum eſſe judicamus.* Neſtorium verò ſimul cum Eutyche Anathemate feriens, Cyrilli capi-

Anno Dom. 482.

capitula XII, ſuſcipit. Subjungit verò: *Confitemur unigenitum Dei Filium, & vere hominem factum, Dominum noſtrum J. C. Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, eundemque nobis Conſubſtantialem, quoad humanitatem. Qui deſcendit & incarnatus eſt, ex Spiritu Sancto de Maria Virgine, ac Dei genitrice unum eſſe, non duos. . . . Eos verò, qui dividunt, aut phantaſiam introducunt, nullatenus ſuſcipimus.* Declaratâ fide ad communionem ineundam diſſidentes hortatur: *Sanctiſſima mater noſtra Eccleſia vos tanquam proprios filios expectat, ut amplectatur, & poſt diuturnum tempus ſuavem vocis veſtræ concentum audire deſiderat. Feſtinate igitur concito curſu. Quod ſi feceritis, tum Domini & Servatoris, ac Dei noſtri J. C. benevolentiam vobis conciliabitis, tum à noſtra majeſtate maximam laudem referetis.* His perlectis, Alexandrini Eccleſiæ ſe Catholicæ conjunxerunt.

Evagr. l. 3. c. 14.

Improbandumne Zenonis Henoticum? Affirmantium rationes ſolvuntur.

III. Diſplicuit nonnullis Zenonis *Henoticum*, non illud admiſit Simplicius, & in id quidem aſperè Facundus invehitur: *Ea verò, quæ poſteà Zeno Imperator, calcatâ reverentiâ ordinis Dei, pro ſuo arbitrio ac poteſtate decrevit, quis accipiat, quis attendat? In quibus poteſtas inconſiderata, non quod expediret, ſed ſibi liceret attendit. Nec intellexit, quòd non confuſio faciat unitatem. Nam ſi unitas non Hæreticorum converſione, ſed contagio & commixtione facienda eſt, cur Acephali tantum, & non omnes Hæretici admitterentur in Eccleſiam, ſuis erroribus non antè damnatis.* Hæc verò ſunt, quæ reprehenduntur in Henotico. I. Zeno, quem diadema Laicorum numero non eximebat, de fide ſtatuit, quod eſt Laico illicitum. II. Quod per cuniculos evertat Synodum Chalcedonenſem his verbis: *Quicunque verò aliter ſentit, aut ſenſit, vel nunc, vel quandocunque alias, ſive Chalcedone, ſive in alia qualibet Synodo, eum anathematizamus.* III. Quòd Leonis Epiſtolam Chalcedonenſium ornatum ſuffragio, ſilentio premat. IV. Quòd voces Leonis, *ex duabus*, & *in duabus naturis*, quibus Eutychiana hæreſis jugulabatur, oblivione obruat. Quòd non ejuratis erroribus Hæreticos in communionem ſuſcipiat. Hæc Zenonis in Henotico damnanda eſſe, cenſet N. Alexander, Facundus verò illud eo nomine reſpuit, quòd *Acephalos* vocet Orthodoxos. Hoc verò ex Henotici titulo colligit, quòd *Orthodoxis* dirigitur, quos tamen monet, Eccleſiæ matri conjungi. Nos verò quid Zeno peccarit, necdum intelleximus. Sive res enim ſpectetur, concordia ſcilicet animorum, Eccleſiæque tranquillitas; ſive ratio pacem conciliandi per Reſcriptum, ſive cauſa, quæ ad conjunctionem animos invitabat, nil eſt, quod jure reprehendi poſſe videatur. Zeno quidem non fidei regulam conſtituebat ſuo Henotico, ſed illam ipſam, quam & ſacra Oracula, & Patres ſtatuerant, inculcabat & commendabat: *Hæc*, inquit, *ſcripſimus vobis, non innovantes fidem, ſed ut vobis ſatisfaciamus.* Neque Henoticum proponendo ſuum juſtum Principis officium transgrediebatur, cujus eſt, & pietatem Edictis ſuis mentibus indere, & concordiam fovere. Itaque ſi nil novum, nil fidei contrarium Henotico continetur, terminos ſanè ſibi præfixos Zeno non exceſſiſſe videtur. Neque doctrinam Synodi Chalcedonenſis evertit, aut Leonis, quam verbis expreſſis corroboravit, damnato Eutyche, definitoque, Chriſtum & Patri Conſubſtantialem, & nobis eſſe. Quin etiam nec Hæreticos errorem retinentes ſuum ſuſcepit, cùm omnes diſertè damnet, qui Chriſtum & verum Deum, & verum hominem inficiabantur. Quicunque igitur in diverſum olim affecti Henotico ſuſcribebant, profeſſione hâc ſuâ hæreſim & damnabant & ejurabant. Neque culpandus Zeno, ſi voces Leonis, quæ nonnullis indignationem movebant, habitâ ratione concordiæ omiſerit, dummodò rem ipſam in ſuo Henotico retineret; quam retinuiſſe perſpicuum eſt. Imò & à prudentia quidem, & à charitate receſſiſſet, ſi voculæ unius causâ odia permanere, gliſcereque permiſiſſet. Denique momenti nil eſt in Facundi rationibus. Primum enim falſum eſt, *Acephalos* titulo Henotici ad communionem Eccleſiæ fuiſſe invitatos, cùm eo tempore nulli adhùc extarent Acephali, qui poſt latum quidem Henoticum exorti ſunt, non verò anteceſſere Henotico, ut mox declaratum ibimus. Deinde Zeno *Orthodoxos* non immeritò illos nuncupat, quos ad amplectendum Henoticum invitat, utpote qui ſubſcribendo Confeſſioni Catholicæ Orthodoxos ſe profitebantur: cùm qui diverſæ ſententiæ forent, ſubjacerent damnationi.

Facund. l. 12. c. 4.

Anno Dom. 482.

Talaia fugit Alexandriâ, illum petit & Calendionem.

IV. Magnas Alexandrinorum in Eccleſia mutationes Henoticum Zenonis attulit. Petri Mongi fautores, præcipuèque Acacius, atque Gennadius Imperatoria auribus perpetuò ingerebant, *Petrum amabilem in populo, & poſſe eum in communionem populum congregare*: Joannem verò, ut perfidum Epiſcopatu pellendum; quod tandem Zenoni placuit. Quod quâ ratione geſtum ſit, ſcripto mandat Liberatus: *Imperator putans, quòd Joannes Epiſcopus non ſanè ſaperet de Concilio Chalcedonenſi, ſed omnia ſimulatè ageret, conſilio Acacii ſcripſit literas Pergamio Duci, & Apollonio Auguſtali, ut pellerent quidem Joannem Talaiam, inthronizarent autem Petrum, ſuſcipientem Henoticum.* Evagrius verò Henoticum Pergamio traditum memorat, cujus ante adventum Joannes fugâ ſibi conſulendum eſſe putavit. Elapſus Alexandriâ Antiochiam proficiſcitur, ut *Illum* ſibi amicum, qui tum temporis in Oriente agebat, ſalutaret: *Cui cùm narraſſet, quæ ſibi evenerant, ejus conſilio ingreſſus eſt ad Calandionem, Antiochenum Patriarcham, & ſumptis ab eo interceſſionis Synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellavit, ſicut & beatus fecit Athanaſius, & ſuaſit ſcribere pro ſe Acacio Conſtantinopolitano.* Intereà dum permotus Ægyptiacæ Synodi literis Simplicius, aſſenſum electioni Talaiæ præbere ſuum cogitat, ſacris Zenonis Reſcriptis ne faceret prohibetur: *Ecce*, inquit, *mihi talia diſponenti tranquilliſſimi Principis ſcripta ſunt reddita, quibus memoratum tanquam perjurii reum, quod fraternitati tuæ non eſſe diceretur, incognitum, Sacerdotio perhiberet indignum. Illicò retraxi pedem, & meam revocavi ſuper confirmatione ſententiam, ne quid contra tantum, ac tale teſtimonium præproperè feciſſe judicarer.* Simplicio verò reſcribit Acacius, ſe Epiſcopum Talaiam neſcire. Dum res ſunt eo loci, Talaia Romam ingreſſus, benignè à Simplicio excipitur. Tum cauſis ſui doloris expoſitis, queritur ſe, & Leonis, & Chalcedonenſis Synodi defenſorem acerrimum, Sede deturbatum ſuâ; ſceleratum verò hominem, pietatis everſorem ſibi fuiſſe ſubſtitutum.

Liberat. c. 18.

Liberat. c. 15.

Simpl. Ep. 17.

Evagr. l. 3. c. 15.

Nùm ad Simplicium Talaia provocarit?

V. Cæterùm agitata inter eruditos quæſtio nos momento detinet, nùm Joannes Talaia ad Simplicium provocarit? Affirmant Petrus Marca,

ANNO DOM. 482.

cæ, N. Alexander, Chriſtianus Lupus, &c. Quorum ſanè ſententia rectè in Liberati teſtimonio videtur extructa, perhibentis, *Joannem Romanum Pontificem Simplicium appellaſſe*. Canonicæ tamen appellationis neque vola hîc eſt, neque veſtigium. Primùm appellationi nil loci erat, cùm Joannes à Synodo non damnaretur, ſed à Principe quidem perjurii cauſâ ejiceretur. Novum verò & inauditum, ut Epiſcopis ob crimen cùm ortum, civiliſque poteſtatis legibus pœnam damnatis, ad Pontificem provocandi licentia concedatur, quæ ſi admittatur, quid ſupereſt, niſi Romani Epiſcopi ſuper erectos Reges vecti carpento, ad ſummum Imperium aſcendant: ac rerum ut Eccleſiaſticarum, ſic & politicarum arbitri, dominique conſtituantur? Canonicam itaque appellationem hîc fingere non licet, quæ vi Sardicenſis Synodi ad Pontificem, quo jure, quâ injuriâ devolvi poſſet renovando judicio. Neque Gelaſius ipſe in ſuo de geſtis Acacii Libello Talaiæ provocationem ſibi videre viſus eſt: *Supervenit*, inquit, *ſanctus Joannes Epiſcopus, qui ſicut decebat, ab Apoſtolica Sede ſuſceptus eſt. Nam & priores ejus, ſimiliter Romanæ Eccleſiæ tempore perſecutionis ſuffragium popoſcerunt.* Talaiæ ergo perfugium ad Simplicium fuit, provocatio non fuit. Quid tacendum miſcuerit id perfugiô, ſequentibus docebimus.

VI. Quâ ratione pulſo Talaiâ Mongus in Alexandrina Sede fuerit collocatus, nunc eſt narrandum. Suis Zenonem conſiliis Acacius eò permoverat, ut Petrum Epiſcopatui redderet, eâ lege, ut Henoticum ſuo calculo comprobaret: *Perſuaſit Imperatori cooperaretur Petro Mongo, ut remaneret in Sede. Neque tamen prius hoc faceret, niſi ſuſciperet Henoticum Principis, & Synodicas deſtinaret Epiſtolas Conſtantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & cæteris Archiepiſcopis. Acacius verò promittente facere unitatem, nec adhuc implente legitimè, nomen ejus in Diptychis recitari permiſit, tanquam jam Alexandrini Præſulis in Sede Catholica poſiti.* Ut res executioni mandaretur, migrant Alexandriam, *Abbas Ammon, & qui cum illo erant, pro Petro deferentes apices imperiales: & quidem Petrus ſuſceptus est ab omnibus.* Suadente quoque Pergamio & Henotico ſubſcripſit, & eos, qui à ſe diſſidebant, illud ſuſcepturum pollicetur: *Nec multò poſt cùm publica feſtivitas ageretur Alexandriæ, & Zenonis Henoticum omnes communi conſenſu amplecterentur, Petrus Proterianos quoque in communionem recepit.* Ut ſue Petro dignitas firmior eſſet, Imperator ſacris Simplicii ſuffragiis ſuis petiit. Quæ admirationis Pontifici non minimum effecere, ut Epiſtolâ *Idibus Julii* ad Acacium datâ teſtatus eſt, quâ queritur, nullas ab ipſo literas accepiſſe, quæ ſacris Zenonis adjungerentur, & Principem Petro Hæretico Alexandrinum Epiſcopatum petere. Loquenti præbeantur aures: *Illud me non mediocriter fecit attonitum, quòd iiſdem literis ſuis Petrum, qui Hæreticorum ſocius dudum extitiſſe probatur, & Princeps . . . ad præfata Eccleſiæ regimen exiſtimet provehendum. Cùmque promittat recta fidei definitionibus convenire, à cujus utique conſortio tam diu extraneus, quàm ab ejus communione diſcretus eſt, ad quam ſi nunc redire contendit, niſi per ſatisfactionem Chriſtianis regulis competentem non poteſt introire, ac proinde non ad faſtigium ſacerdotalis dignitatis accedere.* Deniquè Acacium rogat, moneat Imperatorem, ne Hæretico jam damnato favere velit. Simplicio reſcripſit Acacius, cujus Epiſtola deſideratur. Quid ea contineretur, ſummatim retulit Liberatus: Reſcripſit, inquit, *Quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum; Petrum verò Mongum ſuſcepiſſet ad communionem ex Zenonis Principis nutu, & quòd hoc citra ejus geſſiſſet ſententiam propter unitatem Eccleſiarum Principis juſſione.* Doloris non minimum Simplicio attulit ea Acacii Epiſtola. Sentiebat ſe neglectum, atque contemptum: ac in metu verſabatur, ne grex Alexandrinus lupo committeretur. Itaque temperare nequivit, quin animi ſui triſtitiam crederet Acacio. Deſideratur nunc Epiſtola, cujus ſummam à temporis injuria Liberatus vindicavit: *Simplicius ſuſcipiens hujuſmodi literas, contriſtatur adverſus Acacium, eique reſcribit, quod non benè fecerit, contra ſententiam Apoſtolicæ Sedis ad communionem hæreticum hominem ſuſcipiens. Oportebat enim communem Doctorem damnatum tanquam adulterum, communi Concilio à damnatione liberari. Ad hæc autem, quia non ſufficeret Petro conſitenti communicatorem ſe eſſe Eccleſiæ Catholicæ ſecundum Edictum, ſed oporteret eum ſecundum terminum Chalcedonenſis Concilii, & ſecundum Epiſtolam Papæ Leonis, Eccleſiæ amplecti communionem. Unum enim duorum neceſſario agere debet, aut ſuadere Petro purè ſuſcipere terminum Synodi, aut ſe removere ab ejus communione.* Cæterùm ne vel Imperatoris obſervantia Simplicius adigi potuit, ut ſuffragio ſuo Epiſcopatum Mongo firmaret; quâ pertinaciâ indignationem Principi movit, uti nos monent geſta de nomine Acacii: *Et quia in iiſdem ſacris de reſtitutione Petri, quem ipſe damnavit, fecerat mentionem, hæc pars omnino eſt abnegata: unde videtur clementiſſimus Imperator offenſus.*

VII. Quomodò in adminiſtrando Epiſcopatu ſe geſſerit, nunc exponamus. Mirus ſimulandi artifex ille fortunæ & temporibus, animum, religionemque ſuam accommodabat. De grege Eutychianorum nonnullos arcebat, quòd anathemate Chalcedonenſem Synodum non percelleret: itaque ab ipſius communione disjunxere. Quos ut placaret, facinus audax, & primâ ſpecie incredibile aggreditur. Rem paucis expedit Victor Tunnunenſis, licet extra locum ſuum, nempe anno ſuperiore poſt Conſulatum Zenonis III. *Petrus confeſtim favore Zenonis Principis Synodum Chalcedonenſem de pulpito coram populis damnat: nomina Proterii, & Saloſaranii (lege Saloſacioli) de Eccleſiaſticis Diptychis tollit, & Dioſcori, & Æluri, qui Proterium interfecit, ſcribit, corpuſque præfati Timothei Saloſacioli de Eccleſia ejiciens, in loco deſerto foris civitatem projecit.* Horrendum ſanè dictu, quòd Epiſcopus, qui Chalcedonenſem Synodum amplexus erat, eò crudelitatis proceſſerit, ut deceſſoris ſui corpus tam impiè tractaret, neglectâ Principis irâ. Id quidem à Timotheo perpetratum narrat & Liberatus: *Timothei Catholici corpus de terra levavit, & foras projecit, qui inter Epiſcopos Catholicos ſepultus fuerat.* Quæ ex Felicis ad Acacium Epiſtola deſumpta videntur. Ea quippe Felix objicit Petro: *Petrum violantem ſanctæ memoriæ Timothei ſepulturam, ſicut ad nos certiores nunc quoque nuncii detulerunt per Miſenum & Vitalem, credideris excuſandum.* Facinus tamen tam impium inficiatur Mongus, ac conviciis, calumniiſque apponit: Aiunt, *quòd ſancti Patris noſtri Archiepiſcopi B. Timothei reliquias alium in locum tranſtulerimus. Quod quidem factum nec Deo acceptum,*

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Mongus Alexandriæ præficitur.

Liberat. c. 17. 18.

Evagr. l. 3. c. 13.

Liberat. c. 18.

Acta Mongi. Chalcedonenſem Synodum damnaſſe dicitur.

Fel. Ep. 6.

Evagr. l. 3. c. 17.

ANNO DOM. 482.

ceptum, nec Legibus conſentaneum. Qui verò Chalcedonenſem Synodum impudenter negavit à ſe damnatam, potuit & eâdem audaciâ impium ſcelus à ſe perpetratum inficiari. Quibus verò de cauſis ad damnandum Synodum Chalcedonenſem Mongus fuerit impulſus, ex fama narrat Liberatus: *Petrus Mongus ab Abbate Ammono, & Joanne Epiſcopo Magileos, & ab Abbatibus Monachorum inferioris Ægypti bella paſſus, & ſeditione et in Cæſarea Baſilica, ut dicitur, factâ, anathematizavit Synodum Chalcedonenſem, & tomum Leonis.* Ubi narratum Acacio, Petrum eò inſolentiæ progreſſum, ut publicè Synodum Chalcedonenſem rejiceret, eo nuntio non minimum turbatur. Quoſdam igitur mittit Alexandriam, qui rei veritatem inquirerent: *Quibus cum Petrus perſuadere vellet, nihil ejuſmodi a ſe factum eſſe, Acta confici curavit, in quibus quidam teſtati ſunt, nihil ejuſmodi, quod quidem ſcirent, à Petro factum fuiſſe.* Ex partibus Timothei teſtes illi fuere, quos vel corruptos neceſſe eſt, vel ignoraſſe, quòd ſancti corpus Præſulis effoſſum eſſet, & Concilium Chalcedonenſe damnatum. Epiſtolâ quoque Petrus Acacio ſe purgatum voluit, quam refert Evagrius: *Deus altiſſimus Sanctitati tuæ mercedem rependet pro tantis laboribus ac moleſtiis, quas per tot annorum curricula ſuſtinuiſti, Sanctorum Patrum fidem conſervans, quam quidem aſſiduè prædicans confirmaſti.* Synodum Chalcedonenſem venerationi ſibi eſſe teſtatus, ſubjungit: Certiſſimis argumentis nobis perſuaſiſti, *nihil contra hæc actum eſſe in ſanctiſſima, & univerſali Synodo, quæ Chalcedone congregata eſt, utpote quæ cum ſanctis Patribus, olim Nicææ collectis, conſentiat.* Crimina, quorum poſtulabatur, quod & Timothei reliquias aliò tranſtulerit, & Synodum Chalcedonenſem damnarit, eâ ratione diluit, quòd prius Legibus pugnet, poſterius verò, quòd Synodum veneretur: *Quo enim modo ſanctam Chalcedonenſem Synodum anathematizare potuimus, cui credimus, & quam confirmavimus.* Denique convicia hæc levitati & populorum, & Monachorum, novis rebus ſtudentium aſcribit. Innocentiæ verò ſuæ teſtes adhibet illos, qui ſecum Conventus celebrabant: *Ut perſuaderemus, & ſatisfaceremus ſimplicioribus, curavimus ut idem diceretur ab iis, qui unà Conventus agunt.* Legatorum ſuorum inquiſitione, literiſque Mongi de ipſius innocentia Acacium perſuaſum eſſe, nil miri, cùm & eo loci nos ponant, ut de Petri crimine incertiores ſimus multò, quàm dudum. Cùm vel artibus ejuſmodi penè impoſſibile ſit, quin ſcelera, quibus accuſabatur, venirent in notitiam & Imperatori, & Orientis Epiſcopis. Ab Orthodoxis ſanè omnibus, qui Alexandriæ degebant, *Mongus* deſertus fuiſſet, non patienter laturis, quòd & damnatione Chalcedonenſia Decreta obruerentur, & Timothei, qui vel ab Heterodoxis amatus fuerat, corpus tam indignis modis tractaretur. Neque ſive Ægyptiacorum Præſulum, ſive Clericorum Alexandrinorum ullus communionem cum eo colere voluiſſet. In ſolitudinem Eccleſia mutata fuiſſet: neque vitari unquam potuiſſet, quin tantæ perturbationis fama ad Principis aures volaret, qui ſubinde Petrum perpetuo damnaſſet exilio. Itaque hîc nobis aqua hæret, etſi celebratam Hiſtoricis hiſtoriam negatam nolimus. Cæterùm Zenonis Henotico Alexandrina diſſidia non prorſus extincta ſunt. Quæ tanta fuere, ut ſuo ſtrepitu Simplicio innoteſcerent. His motus ſcripſit Acacio per Reſtitutum: *Mirum eſt, dilectionem tuam tot emenſis temporibus, & tot opportunitatibus inde venientibus, nihil nos de Eccleſia Alexandrina, quæ tam graviter quatet quatitur, inſtruere voluiſſe, cùm moneret te nec increpatio noſtra deſiſteret.* Eum obnixius hortatur, ab Imperatore impetret, ut Alexandrinæ Eccleſiæ pax optata reddatur. Data eſt Epiſtola *octavo Idus Novembris.*

Liberat. c. 18.

Evagr. l. 3. c. 16.

Evagr. l. 3. c. 17.

Simpl. Ep. 18.

VIII. Tranquillè Petrus & placidè vitam non traducebat apud Alexandrinos ſuos, qui Chalcedonenſibus infenſiores erant: moleſtè quidem ferebant, Synodum à Mongo firmatam eſſe. Igitur ab ipſius communione ſeſe abjunxerunt. Hinc ea ſecta ortum duxit, cui *Acephalorum* nomen eſt impoſitum. Quorum originem verbis Leontii exponere lubet: *Conjunctione per Henoticum factâ, Petrus apud Alexandrinos in honore præcipuo erat, probatoque Henotici ſcripto ſolio potitur Alexandrino, nec jam amplius occultè, ſed palam erat Epiſcopus. Quidam tamen nimio contra Synodum Chalcedonenſem odio impulſi, ſeceſſionem à Petro faciunt, nec cum illo communicabant, ob eam cauſam, quòd Henotico probato, Synodum anathemate manifeſto non fuiſſet execratus. Atque hi vocantur Acephali, (id eſt, capite carentes,) quòd Patriarcham ſuum minimè ſecuti ſeorſum communicarent. Hinc Petrus, qui populum multipliciter ſcindi videret, tandem palam Synodum anathematizare cogitur, quò fiebat, ut pariter & Henoticum ſuſciperet, & palam anathemati Synodum ſubjiceret. Verùm ne ſic quidem Acephali cum eo communicabant, quia ab initio Henoticum approbaſſet, non anathematizatâ Synodo.* Quibus liquidò conſtat, Facundum in errore eſſe, qui Acephalos ante Henoticum exortos fuiſſe tradit, qui ſanè poſtquam à Petro probatum eſt, lucem aſpexere. Ad ſectæ notitiam confert, quod in Nicephoro legitur: *Epiſcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis, neque baptiſmus juxta ſolemnem & receptum Eccleſiæ morem apud eos adminiſtratur, neque oblatio, aut res divina facta, myſteriumve Eccleſiaſticum, ſicuti mos eſt, celebratur. Communionem verò illi à plurimo tempore aſſervatam habentes, feriis Paſchalibus in minutiſſimas inciſam partes præbent convenientibus ad ſe hominibus. Quo tempore quam quiſque voluiſſet, placitam ſibi ſumebat poteſtatem.* Hinc magna poſtmodum hæreſeum ſeges, Tritheitarum, Agnoetarum, Theopaſchitarum, Jacobitarum, Armeniorum, Severitarum, Aphartodocitarum. In ea ſecta præcipuè eminuit *Severus* Antiochenus, qui unam Verbi & carnis naturam prædicabat. Cæterùm eò loci error eſt eripiendus Baronio, qui Acephalos cum Hæſitantibus permiſcet: *Hæſitantes*, inquit, *qui & ipſi, quòd capite carerent, Acephali dicti eſſe reperiuntur.* Quippe teſte Leontio, Acephali Synodum Chalcedonenſem non modò non recipiebant, ſed etiam palam apertèque damnabant. Imò ne vel cum Athanaſio Mongi ſucceſſore communicabant, quod de Hæſitantibus dici nequit. Neque Zenonis Henoticum admittebant Acephali, quod tamen Anaſtaſius ſuſcipiebat Auguſtus, quem Baronius Hæſitantibus apponit.

ANNO DOM. 482.

Acephali ex facto Mongi orti.

Leont. de ſect. Act. 5.

Niceph. l. 18. c. 45.

Bar. Ann. 492. n. 45.

IX. Stephano Juniore Sancto Præſule, qui anno CCCCLXXIX Antiochenſibus præfectus erat, defuncto, Calendion eligitur. Cujus tamen in creatione regulas non tenuerunt, quæ erant in more majorum, ut ſcilicet ab Orientis Synodo conſtitueretur. Etenim Conſtantinopoli

Calendion Præſul Antiochenus eligitur.

ANNO DOM. 482.

poli creatus, Antiochiam mittitur. Hoc nos Candidus monet in ſecundo Hiſtoriæ ſuæ libro. Errante calamo doctiſſimus ille Valeſius *tertium* dixit illum, in quo apud Photium hæc invenimus: *Cùm Petrus ille impius*, Gnapheus ſcilicet, *Orientis turbaret Eccleſias, miſit Zeno Imperator Calendionem, ut Epiſcopus eſſet Antiochiæ.* Neque ea res in dubio, cùm Gelaſius id ipſum diſertè teſtetur in ſuo de Geſtis nomine Acacii Libello. Inter Acacii facinora numerat, *quòd Petrum Antiochenum ejecto Catholico Calendione, quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit Eccleſiam.* Cur autem neglectâ conſuetudine ab Acacio Calendion in urbe regia conſecratus fuerit, neceſſitati tribuendum ob perturbatum Petri Gnaphei artibus Eccleſiæ Antiochenæ ſtatum. Id fanè innuit Simplicii ad Acacium Epiſtola: *Miramur, nihil nos de ſtatu Antiochenæ Eccleſiæ te inſtruente, didiciſſe, quem nunc ita habere ſe comperimus, ut improbi per occaſionem obitus ſanctæ memoriæ Timothei eandem Eccleſiam tonentur habere captivam.* Hinc concedens neceſſitati Simplicius, pro legitima Calendionis ordinationem habuit: *Faciles excuſationis, quam neceſſitas fecit, exiſtimus, quia quod voluntarium non eſt, vocari non poteſt in reatum.* Ubi Antiochiam pervenit Calendion, congregato mox Concilio, Epiſtolâ Synodicâ ſuam Simplicio ordinationem ſignificari curavit: *Antiocheni exordium Sacerdotii quâ ratione fuerit ſerius indicatum, quamvis minime nos latere non potuerit, tamen & ipſe, vel Synodus ipſius indicavit.* Data eſt Epiſtola *Idibus Julii.* Cum Joanne Talaia communione conjunctus Calendio, literas ejus ſuſcepit, ut ſcriptum à Liberato: *Epiſcopus quidem Antiochenus ſuſcepit Synodicam Joannis Talaiæ, quam per Magiſtrianum miſerat.* Confugientem quoque ad Simplicii tribunal *interceſſionis Synodicis literis* auxilio fuit, quæ res Calendioni in damnum eſſet, utpote qui cauſa ſocietatis, quam cum *Talaia* retinebat, anno 484. Oaſim fuerit relegatus. Antequam porrò Calendionis electio Antiochenis innoteſceret, coactâ Synodo, defuncto Stephano ſucceſſorem ſubſtituunt, nomine *Joannem Codonatum.* Id Victoris in Chronico legitur, licet loco non ſuo, ad annum ſcilicet CCCCLXXXVIII. *poſt Conſulatum II. Longini.* Calendionis ordinationem *Orientales Epiſcopi tanquam neſcientes, Joannem cognomento Codonatum, eidem Antiochenæ Eccleſiæ conſecrant Epiſcopum.* Quæ ob miſſum à Zenone Calendionem ordinatio nullo loco fuit.

Phot. Bibl. p. 175.

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Simpl. Ep. 16.

Id. ib.

X. Rebus Orientis fuſè narratis, illis & Occidentis debita narratio eſt. Pontificiæ cenſuræ præbuit occaſionem Joannis Ravennatis Epiſcopi temeritas, qui adhibitâ vi *Gregorium* creaeat Epiſcopum. Quam æqui bonique perturbationem meritò Simplicius perſtringit: *Ubi iſta didiciſti, quæ in fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Gregorium non electione, ſed invidiâ perpetraſti, quem inexcuſabili violentiâ pertrahi ad te paſſus es, atque vexari, ut ei honorem tantum non per animi tranquillitatem, ſed per amentiam, ſicut dicendum eſt, irrogares.* Ad Mutinenſem Gregorius Epiſcopatum provectus erat. Injuriæ verò ob eam promotionem ſibi illatæ memor, à Pontifice Romano hæc impetravit, ut nullam cum Joanne *cauſam habiturus*, Mutinenſem gubernet Eccleſiam: *Cui ſi quid negotii forſitan emerſerit, noſtrum ab eo, vel contra eum petatur examen.* Ob neceſſitates etiam, quas vi Joannis ſuſtinere compulſus eſt, poſſeſſio in Bononienſi triginta ſolidorum Gregorio conceditur, quæ poſt ipſius obitum ad Ravennenſem Eccleſiam redibit. Quòd ſi poſtmodum Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum Joannes invitum creaverit, ordinationes Ravennatenſis Eccleſiæ, vel Æmilienſis ſibi noverit auferendas. Data *tertio Kalend. Junii.*

Joannes Ravennenſis ob violentam Gregorii Epiſcopi creationem vexatur.

Simpl. Ep. 9.

XI. Labente anno extremum diem clauſit vir magni, & ſuâ, & futurâ ætate nominis *Severinus*, Noricorum Apoſtolus. *Batavis* eſt oppidum Rhenum inter & Danubium conſtitutum, ubi Severinus cellulam paucis Monachis ſolito more fundaverat. Dum mors imminet, Rugorum Regem *Feban* cum uxore ipſius *Giſa* crudeliſſima fœmina acceſſit. Febam verò monet, ut ita cum ſubditis agat, ut pro ſtatu regni ſui rationem Deo redditurus. Ad *Giſam* verò converſus, ab ea quærit, pluriſne maritum, an aurum faceret? Reſpondenti Giſæ ſe maritum cunctis opibus anteponere: *Ergo*, inquit, *deſine innocentes opprimere, ne illorum afflictio veſtram magis diſſipet poteſtatem.* Quæ propius ad Severini obitum ſpectant referamus: *Nonis Januarii cœpit leniter lateris dolore pulſari. Quo durante per triduum medio noctis tempore fratres adeſſe præcepit.* Ubi eos paternis monitis informavit, deque corpore ſuo præcepta dedit, *cunctos per ordinem ad oſculum ſuum juſſit accedere, & ſacramento communionis percepto, fleri ſe penitùs prohibet, totumque corpus ſigno crucis tentâ manu conſignans, ut pſallerent imperavit. Quibus mœroris ſuffuſione cunctantibus, ipſe Pſalmum protulit ad canendum, Laudate Dominum in ſanctis ejus: & dicto, Omnis Spiritus laudet Dominum, ſexto Iduum Januariarum die in hoc verſiculo noſtris vix reſpondentibus, quievit in Domino.* Defuncti corpus loculo ligneo conditum eſt. Hæc Eugippus. Mortui reliquiæ in Lucullanum prope Neapolim poſtmodum tranſlatæ ſunt. Dies ejus natalis in Martyrologio octavo Januarii recolitur: *Apud Noricos ſancti Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium propagavit, & Noricorum dictus eſt Apoſtolus.* Corpus ad Lucullanum delatum, inde poſteà ad Monaſterium ſancti Severini tranſlatum eſt.

Severini Abbatis obitus.

XII. Sub ea fortè tempora, ſedente quidem adhùc Simplicio, nomine Regis Odoacris Decretum conſtituitur, quod ſecutis temporibus, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis non minimum diſplicuit. Quid eo continebatur, eſt referendum: *Cum in unum apud B. Petrum Apoſtolum reſediſſent, ſublimis & eminentiſſimus vir, Præfectus Prætorio, atque patricius, agens etiam vices Præcellentiſſimi Regis Odoacris, Baſilius dixit: Quanquam ſtudii noſtri, & religionis interſit, ut in Epiſcopatus electione concordia principaliter ſervetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis ſtatus civitatis vocetur in dubium, tamen admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri Simplicii, quam ante oculos ſemper habere debemus, hoc nobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio. . . . Quare ſi amplitudini veſtræ, vel Sanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antiſtitis electionem reſpiciunt, religioſâ veneratione ſervemus, hanc Legem ſpecialiter proferentes, quam nobis, hæredibuſque noſtris Chriſtianæ mentis devotione ſancimus.* Sequuntur alia Conſtitutionis capita. I. *Ne unquam*

De non alienandis bonis Eccleſiæ Odoacri Conſtitutio.

Lab. Conc. t. 4. 1334.

Digitized by Google

ANNO DOM. 482.

quam prædium, ſeu ruſticum, ſeu urbanum, vel ornamenta, aut miniſteria Eccleſiarum, quæ nunc ſunt . . . ab eo, qui nunc Antiſtes ſub electione communi fuerat ordinandus, & illis, qui futuris ſeculis ſequentur, quocunque titulo atque commento alienentur. Si quis verò aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur, ſitque facienti, vel conſentienti, vel accipienti anathema. II. *Et is, qui prædium ruſticum, vel urbanum, juris Eccleſiaſtici fuerit conſecutus, noverit, ſe nullâ Legis præſcriptione munitum. Sed ſive is, qui alienaverit, ſive is, qui conſequenter voluntate contrariâ prædium hujuſmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus reſtituat, qui illud fuerit conſecutus.* III. *Planè quæcunque in gemmis, vel auro atque argento, nec non & veſtibus, minus apta uſibus, vel ornatus videbuntur Eccleſiæ, quæ ſervari ac diu manere non poſſunt, ſub juſta æſtimatione vendantur, & erogationi religioſa proficiant.* Lex ea anno DII. *Flaviano Avieno Conſule* in Romana Synodo Symmachi eſt abrogata. Mortuo Simplicio, in eo Interpontificio, quòd Felicis creationi anteceſſit, illam Legem conditam fuiſſe, Baronio creditum: ex his, ut videtur, *quæ ad futuri Antiſtitis electionem reſpiciunt*, in eam opinionem adductos: *Tempore*, inquit, *Sedis Simplicii vacantis, quæ præſumpta ſint, per Baſilium in medium adducamus.* Attendere tamen debuit, Legem futuro tempori inſerviendam conſcriptam quidem fuiſſe, ſed vivente adhuc Simplicio, ut ex his liquet: *Si eum de hac luce tranſire contigerit.* Neque defunctum adhuc fuiſſe, ex his perſpicuum: *Admonitione beatiſſimi Papæ noſtri Simplicii.* Dixiſſet Baſilius, Simplicii *beatæ memoriæ*: neque etiam pronomen *noſtri* mortuo Papæ convenit.

Error Baronii.

Bar. An. 483. n. 10.

ANNO DOM. 483.

ANNO U. C. 1236. PER. JUL. 5196. JUB. 528. DOM. 483. ZENON. 9. & 10. *Sol.* 16. B. *Lun.* 9. *Indict.* 6. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

COS. *Fauſtus ſolus.*

Illi rebellio: autori ſuo fatalis.

I. QUas *Illo* Imperator ſtruxerat inſidias, ad rebellionem virum illuſtrem adegerunt. A Scriptoribus *Illus* multis laudibus celebratus: *Multa Illus Romanæ Reipublicæ contulit, cum militiæ rebus fortiter geſtis, tum domi honeſtis ſtudiis, ac juſtitiæ cultu.* Hæc Candidus. Armatum, cui ſuos exercitus Baſiliſcus tyrannus crediderat, Zenoni conciliaverat, Marciani ſeditionem oppreſſerat. Quorum Zeno meritorum oblitus, *Illum* impulit fraudibus ſuis, ut vindictæ conſiliis obſequeretur. Ac Marſi operâ *Pamprepio*, homini impio, factus carus, de rebellione cogitat, cui movendæ Zeno imprudens occaſionem ſubminiſtravit, creditâ *Illo*, quem læſerat, Orientis militiâ. Is adſcito ſibi in ſocietatem Leontio, & Marſo viro egregio, ac Pamprepio, anno ſuperiore Antiochiam perrexerat. Labente verò palam apertèque defectione factâ, cùm Tarſum veniſſet, Verinam Auguſtam è Caſtello Pagyrio, in quo detinebatur, liberatam permovet, ut Leontium Conſulem ad Imperium eveheret, Tarſi Leontius Auguſtus creatur. Quo facto remiſſâ Papyrium Verinâ, ipſi Antiochiam proficiſcuntur. Non addicentibus tamen avibus purpuram Leontius induit. Theodoricus Gothorum Princeps cum exercitu à Zenone in rebelles miſſus, eos debellat: *Poſt multa prælia Illus atque Leontius per quatuor continuos annos intra caſtellum Papyrium clauſi, tandem proditione fratris uxoris Trocundi, quem Zeno ex urbe Regia ad id ſubmiſerat, capti ſunt, & capite truncati.* Suo ſanguine annum CCCCLXXXVIII. reſperſerunt; cui miſerorum & ſupplicium Marcellinus alligat: *Dinamio & Sifidio Coſſ. Leontius interea Rex, & Illus tyrannus in Papyrio Iſauriæ caſtello capti detollati ſunt. Capita eorum Conſtantinopolim allata præfixa haſtilibus tabuere.* Quod Zenonem in invidiam adduxit, dum crudelem mortem iis pro mercede rependit, qui multâ ipſum benevolentiâ complexi fuerant. At præmia ſua fortitudinis tulit Theodoricus, qui anno CCCCLXXXIV. Faſtos volente Zenone reſerabit.

Theodor. l. 2.

Evagr. l. 3. c. 27.

Theodoricus Rex Gothorum quis.

II. Cæterùm Theodorici mentio ſubmonet, virum illuſtrem, noſtriſque Annalibus ornamento futurum verbis depingere. Rege Gothorum editum eſſe, conſtat inter Autores: quid verò nominis geſſerit pater, variantibus Scriptoribus non adeò liquet. *Theodemirus* Jornandi perpetuò vocatur. Excerpta verò de Theodorico hæc habent: Theodorici *pater Walamir dictus Rex Gothorum, naturalis tamen ejus fuit. Mater Erevliva dicta Gothica Catholica quidem erat, quæ in baptiſmo Euſebia dicta eſt.* Jornandi, utpote antiquiori, de patris Theodorici nomine magis aſſentimur. Filium verò ſuum Leoni obſidem Imperatori miſerat, à quo ſemiſlum, cum magnis muneribus grato recepit animo. Erant in adoleſcente magna virtutis ſemina. Annum XVIII. ingreſſus, conjunctis ſibi viris ſex mille, inſcio patre, *Babai* Sarmatarum Regem aggreditur, eoque occiſo, ſpoliis onuſtus ad patrem revertitur, ereptamque Sarmatis Singedonenſem urbem, quam Romanis exemerant, ſuæ ditionis fecit. Ut ad fata venit Theodemir, in oppido Certas Theodoricum regni hæredem reliquit, quod in Pannonia tenebat. Cùm armis & rumore clarus eſſet, à Zenone in auxilium ſibi vocatum eſſe; ſunt qui memorent: *Zeno miſit ad Civitatem Novam, in qua erat Theodoricus Dux Gothorum filius Valameris, & eum invitavit in ſolatium ſibi adverſus Baſiliſcum.* Excerpt. de Theod. Poſteà verò, ſive innatâ Gothis levitate, ſive quòd promiſſa fortè munera non ſolverentur, ſi qua Marcellino fides, Zenoni infenſus, anno CCCCLXXXII. impetum in ipſius Provincias fecit: *Trocundo & Severino Coſſ. Theodoricus; cognomento Valamer, utramque Macedoniam, Theſſaliamque depopulatus eſt, Lariſſam quoque Metropolim deprædatus.* Quem non ſpernendum & amicum, & hoſtem Zeno fuerat expertus, muneribus ſibi conjungendum utile duxit. Hinc verba Marcellini: *Idem Theodoricus Rex Gothorum, Zenonis Auguſti munificentiis penè pacatus, Magiſterque præſentis Militiæ factus, Conſul quoque deſignatus creditam ſibi Ripenſis Daciæ partem, Mœſiaque inferioris cum ſuis ſatellitibus pro tempore tenuit.* Zenoni exercitibus præfectus Leontium, Hillumque fuiſe. Ad hunc & annum pertinere videtur, quod Jornandis memoriæ prodit: *Theodoricum verò genti ſuæ Regem audiens ordinatum Imperator Zeno, gratum ſuſcepit, eique evocatoria deſtinata ad ſe in urbem venire præcepit, dignoque ſuſcipiens honore, inter Proceres ſui Palatii collocavit. Et poſt aliquod tempus ad ampliandum honorem ejus in arma, ſibi eum filium adoptavit, de ſuiſque ſtipendiis triumphum in urbe donavit, factuſque eſt Conſul ordinarius . . . nec tantum hoc, ſed etiam*

Jorn. de Reb. Get. c. 57.

equeſtrem ſtatuam ad ſamam tanti viri ante regiam palatu collocavit.

Mors Simplicii.

III. De rebus Eccleſiæ loquamur. Labente Martio Simplicius vitæ finem implevit. Qui ab anno CCCCLXVIII. eoque jam adulto ad uſque præſentem ſedit, Pontificatus decimum ſextum ingreſſus. Noo Marcellino credimus, qui Simplicii obitum anno ſuperiori alligavit. Sepultus eſt in Baſilica Petri, VI. *Nonas Martii.* Quid geſſerit in Epiſcopatu memoriâ dignum, fuſè ſatis expoſuimus: addantur ex Pontificali oonnolla: *Simplicius dedicavit Baſilicam S. Stephani in Cœlio monte in neve Roma, & Baſilicam B. Andrea Apoſtoli juxta Baſilicam B. Maria, & aliam Baſilicam S. Stephani juxta Baſilicam S. Laurentii, & aliam Baſilicam intra urbem juxta Palatium Licinianum, B. Martyris Bibiana, ubi corpus ejus requieſcit. Hic conſtituit ad S. Petrum Apoſtolum, & ad S. Paulum Apoſtolum, & ad S. Laurentium Martyrem hebdomadam, ut Presbyteri manerent ibi, propter Pœnitentes & Baptiſmum,* &c. Andreæ io Baſilica carmina hæc muſivo opere legiſſe ſe Platina teſtatur:

Hac tibi mens valide decrevit pradia, Chriſte,
Cui teſtator opes detulit ille ſuas.
Simpliciuſque Papa ſacris cœleſtibus aptans
Effecit verè muneris eſſe tui,
Ne quod Apoſtolice deeſſent lumina nobis,
Martyris Andrea nomine compoſuit, &c.

Felix Epiſcopus Romanus creatur.

IV. Defunctô Simplicio ſucceſſit Cœlius Felix III. *natione Romanus, ex patra Felice Presbytero, de titula Faſciola.* Felicis conſecrationi *ſeptimum Idus Martii* doctiſſimus aſſignat Onuphrius, ſed immeritò, cùm ætate Felicis Pontificales ordinationes diei Dominicæ aſſignarentur. Nonnus verò Martii quartæ feriæ cohærebat. Paululum ab Onuphriana Chronologia recedens Baronius, *die octavâ Martii* Felicem Pontificem creatum eſſe ſtatuit. Cujus ſententia eâdem ratione, quâ & illa Onuphrii obruitur. Dies ſcilicet octava Martii anno labente in tertiam feriam incidit, quâ Felicem ordinatum eſſe, non ſit vero ſimile. Longè ſatius eſſet, Martii ſexto affigere Felicis inaugurationem, quod ex Pontificali, Holſtenii curis emendato, colligi poteſt: Simplicius *ſepultus eſt in Baſilica Petri Apoſtoli ſexto Nonas Martii, & ceſſavit Epiſcopatus dies ſex;* à primo ſcilicet Martii, quo diem obiit, ad ſextum uſque, quo vacua Sedes à Felice repletur. Ut primus, ſic ultimus Felicis dies Chronologiæ obſcuris involvitur. *Felix* III. *ſedit annos octo, menſes* XI. *dies* XXIII. Hæc emendatum Holſtenii Pontificale. Quâ Chronologiâ Februarii XXVIII. anni CCCCXCII. obiiſſet. Sed ſupremus Felicis dies, quem Baronius cum Onuphrio *quintum Kalendarum Martiarum* putat, relinquatur in incerto. Ad utiliora, cognituque jucundiora accedimus.

Bar. An. 483. n. 16.

Epiſtolæ Græcæ Felicis ſunt ſubditæ.

V. Extant Epiſtolæ complures, nomine Felicis ornatæ, quæ benè multis eruditorum, Baronio ſcilicet, Binio, Labbeo, Cavio, &c. omnes legitimæ videntur. Neque diſſimulandum antiquitatis multum eas ſibi vindicare, cùm in quinta Synodo Oecumenica imperante Juſtiniano celebrata recitentur. Valeſius verò à Felice tres abjudicat, quæ Græcè Latinèque Collectores Conciliorum exhibuere. Prima, quæ tertia numeratur, ex Synodo Romana ad Petrum Fullonem dirigitur, eo titulo inſignita: *Felix Epiſcopus Petro Epiſcopo Antiochia.* Summa Epiſtolæ hæc eſt. Petrum Fullonem non ſolùm in Valentiniani, Manichæi, Arii, Sabellii, Apollinaris, & Eutychetis hæreſes, verùm etiam in errores Ethnicorum, utpote plures Deos aſſerentem incidiſſe. Deinde monet, ut reſipiſcat, neque addat in Triſagio, *Crucifixus propter nos.* Secunda Epiſcopatum abdicat Petro: *Quoniam importabilibus verbis impie garrulaſti, & non judicaſti cedere pradictis ſanctis Patribus, qui ornarunt Sedem beata memoria multum triumphantis Ignatii Martyris . . . propter hac Deus deſtruet te in finem . . . & firma ſit hac tua depoſitio, à me . . . & ab Acacio, Conſtantinopolitana Eccleſia Paſtore.* Tertia, quæ quinta numero, ad Zenonem ſcripta eſt. Quem monet de Synodica Petri Fullonis damnatione, ut & ab ipſius communione abſtineat, & depoſitum Antiochenâ expellat Eccleſiâ. Quarum ſanè Epiſtolarum falſitas multis argumentis deprehenditur. Mittamus ſtylum barbarum, & à Felice prorſus alienum, quia regeri poſſet, ex Græca verſione in Latinum Epiſtolas eſſe transfuſas. Abſona quidem hæc ſunt, & amore Pontificum Romanorum in ſcribendis Epiſtolis uſurpato prorſus aliena: *Sit in te hac fixa damnatio à me, & ab his, qui ſub me ſanctiſſimi, Epiſcopales Sedes gubernare noſcuntur.* Atqui Epiſcoporum in Concilio ſuo ſedentium Pontifices Romani mentionem ſuis in Epiſtolis non agitabant. Hoc ipſe Felix teſtatur in Epiſtola ad Clericos, & Monachos Orientales Synodica: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas, præcipuè fidei colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum Sedis Apoſtolica, ex perſona cunctorum totius Italia Sacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat.* Argumento hoc Valeſiano noſtrum & addimus. Literis, quibus Patriarcham Felix damnabat, Conſulatum, quo latæ ſunt, apponebat, ut damnatio certior evaderet. Teſtis Epiſtola, quâ & munere Sacerdotali, & Fidelium communione Acacium ejicit: Quæ *data eſt* V. *Kal. Auguſti, Venantio viro clariſſimo Conſule.* Similiter de damnatione Petri Gnaphei Epiſtolam Felix Conſulari notâ inſignem feciſſet. Præterea veris pugnat, quòd anno CCCCLXXXIII. in Romana Synodo Petrum Fullonem Felix fulmine damnationis percuſſerit; quo tempore Calendion ſedebat Antiochiæ, qui anno duntaxat 484. expulſus eſt. Neque verius, quod ea Epiſtola iodicatur, quo tempore Gnapheus à Felice damnabatur, eo & ab Acacio abdicatum eſſe: *Firma ſit hac tua depoſitio à me, & ab his, qui unà mecum Apoſtolicum thronum regunt, & ab Acacio Conſtantinopolitana Eccleſia Paſtore, & à venerabilibus Epiſcopis ſibi ſubjectis.* Refellant hæc Geſta de nomine Acacii: *Acacii audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto Catholico Calendione, quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit Eccleſiam.* Denique à vero diſſidet, quòd Felix ſuis fulminibus Petrum Fullonem fuerit jaculatus, quia in Triſagio addidit, *Crucifixus pro nobis.* Quam ſanè clauſulam à Felice damnatam, nunquam probaſſet Alcimus Avitus: à quo tamen laudatam eſſe, conſtat io ſua ad Regem *Gundobadum* Epiſtola: *Quis Fidelium non jure moveretur, audiens, Crucifixe pro nobis, ut miſereatur, minimè ſupplicandum?*

Lab. Conc. t. 4. 1067.

Lab. Conc. t. 4. 1126.

Fel. Ep. 6. 1074.

Lab. Conc. t. 4. 1067.

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Avit. Ep. 2.

VI. Exterminatis è finibus veritatis tribus illis, quæ Felici aſcribuntur Epiſtolis, ad geſta ipſius procedat oratio. Talaiâ vitam adhùc retinente

Talaia Libellum offert Felici, qui legationem mittit Conſtantinopolim.

tinente Simplicio, Romam veluti ſalutis ſuæ portum ingreſſus, perſuaſerat Pontifici ad Acacium ſcribere, quod & lubenter fecerat: *Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit.* Ut mirum ſit, nonnullis in mentem veniſſe, quòd ſedente jam Felice Talaia in urbem adventarit. Expoſtulationis ſuæ Libellum Simplicio offerendum paraverat. Id conſilii ne executioni mandaretur, Simplicii mors prohibuit: deceſſori ergo deſtinatus, ſucceſſori Libellus offertur. Id conſtat ex Acacii citatione, in qua ſic Felix loquitur: *Superveniens frater & Coëpiſcopus noſter Joannes fugatus ab Hæreticis, pervaſoribus Sedis Alexandrinæ, Libellum nobis, quem ſanctæ memoriæ deceſſori paraverat, porrigendum, quantum ex ſubjectis agnoſces ingeſſit. Quem morem majoris ſui beatæ memoriæ exemplo, & priorum noſtrorum non potuimus refutare.* Quid Joannis Talaiæ Libello contineretur, etſi perierit, judicatu facillimum eſt. Nempe ſe innocentem, rectæque fidei tenacem pulſum eſſe, ut ſibi impius Legum everſor, & Chalcedonenſis Synodi contemptor ſubſtitueretur. Stomachabatur etiam, & moleſtè ferebat, quòd Joannes Antiochenæ invaſor Eccleſiæ ab Acacio Tyrienſibus ſacris fuiſſet impoſitus, uti in Geſtis de nomine Acacii legitur: *Joannes Alexandrinus tacere non potuit, quod illum Joannem, quem damnaverat cum Petro, & ſine remedio pœnitentiæ fecit ab Apoſtolicâ Sede damnari, poſt tot damnationes Tyriorum miſerit Eccleſiæ præſidere.* Hinc gravi Baronius errori eximitur. Cenſet enim, poſt celebratam anno CCCCLXXXIV. Romæ Synodum Joannem Tyrienſibus eſſe præfectum. Quo facto Acacii pertinaciam exaggerat. Atqui in ſuo Libello, anno labente Felici oblato, Talaia queritur, Joannem Tyrienſibus præſidere, quibus anno 482. imponi debuit, ut id accuſaret Epiſcopatus Felicis ſub initia. Lecto Talaiæ Libello, viſum Felici miſſâ legatione, tam ad Imperatorem, quàm ad Acacium Epiſtolas dirigi. Epiſcopi deliguntur *Vitalis* Truentinus, & *Miſenus* Cumanus, quibus Felix defenſor additus eſt, quod & ſignificatum Acacio: *De Collegio noſtro fratres, & Coëpiſcopos noſtros, Vitalem, & Miſenum, cum quibus illum à latere noſtro fideliſſimum noſtrum Felicem defenſorem, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ ordinatione direximus.* Acacium verò vexat, & de affectato diu ſilentio, & de ſuperbia, & de tacita cum Hæreticis conſpiratione: *Atque ideò*, inquit, *cùm ita ſit, moneo, hortor, & ſuadeo, ut quæ commiſſa ſunt, corrigas, & ſequentibus ſtudiis de te facias meliora ſentire.* Graviſſimis quoque verbis Zenonem rogat Auguſtum, ut Eccleſiæ Alexandrinæ miſereatur, *ne Sedes B. Evangeliſtæ Marci à doctrinâ Magiſtri ſui vel communione ſepararetur.* Petri Confeſſio, inquit, voce maternâ inſtans exclamat: *Chriſtiane Princeps, cur me à curriculo caritatis, quo Eccleſia univerſalis aſtringitur, permittis incidi? Cur in me rumpis totius orbis aſſenſum?* Et paulò infrà: *Unicum in te ſupereſt Priſci nomen Imperatoris. Ne quæſo, nobis ſalutem tuam, pie Imperator, invideas, ne fiduciam pro te minuas ſupplicandi.* Ut verò id Mongum dejiciendum impelleret Imperatorem, ſubjicit: *An non ipſe eſt, per triginta annos Catholicæ deſertor Eccleſiæ, inimicorumque ejus Sectator, & Doctor, & ad fundendum ſanguinem ſemper velox fuit & promptus?*

Liberat. c. 18.

Lab. Conc. t. 4. 1096.

Error Baronii.

Bar. Ann. 384. n. 15.

Lab. Conc. t. 4. 1097.

Felic. Ep. 1.

Felic. Ep. 2.

Citationis Libelli à Felice ad Acacium miſſi, germani ſunt.

VII. Epiſtolas comitabantur Libelli duo, unus citationis per Legatos Acacio tranſmittendus, alter de Decreto Concilii Imperatori dirigendus. Utrumque ad ſubdita Felici ſcripta relegare, clariſſimo Du Pin placuit in ſua Bibliotheca, pag. 260. eâ duntaxat ratione freto, quod Felicis & ad Zenonem, & ad Acacium in Epiſtolis neque vola ſit Libellorum, neque veſtigium: *Quand Felix envoya Vital, & Miſene, il n'avoit aucun deſſein de faire venir Acace à Rome.* Nobis verò pulcherrima hæc antiquitatis monumenta falſi incuſare, religio eſt. Primùm teſtatur Evagrius, à Felice Vitalem & Miſenum ad Zenonem legatos eſſe, *ut Petrus tanquam Hæreticus expelleretur, utque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum, quæ Joannes ei objiciebat.* Inſuper & materia, & ſtylus, & geſtorum ſeries ſuam Libellis firmitudinem aſſerunt ac veritatem, in quibus exponitur, quid Joannis ad expoſtulationem ſit actum à Felice, quoſve Legatos miſerit. Libellis & fidem aſtruunt geſta de nomine Acacii: Felix *electis Vitale Epiſcopo Truentinate, ex Picena regione, & Miſeno Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopo ex regione Campania, ſub hac inſtructione direxit, ut Petrus de Alexandrina pelleretur Eccleſia, & ut Libello Sancti Joannis Epiſcopi Alexandrini reſponderet Acacius, atque ipſi denuntiaretur Acacio, ut anathema diceret Petro.* Neque mirum, quòd in Epiſtola de citando Acacio Felix mentionis nil inſeruerit: cùm ad eam rem Libellus evocationis ſufficeret. Teſtatur hæc quidem ipſe Felix in ſua ad Acacium Epiſtola: *Quia non opus fuit literis univerſa congerere.* Citationis verba fuere: *In Conventu fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum reſpondere feſtina, ut in alterutram partem, quod juſtitia paraverit, ordinantes, amotis ſcandalis Eccleſiarum, quas ſcindi videmus, reparatâ concordiâ, & ſervatâ integritate fidei, puris mentibus acceptiſſimas faciamus placationis hoſtias, quas pro omni populo Chriſtiano, & ſalute glorioſiſſimi Imperatoris offerimus.* In ſuo verò ad Zenonem Libello narrat, conceptam de obtruto tyranno lætitiam, qui literis ſuis Chalcedonenſis Concilii autoritatem everterat, mœrore mutatam eſſe, quòd Petrus Alexandrinæ præficeretur Eccleſiæ; *Quod fratrem, & Coëpiſcopum meum Conſtantinopolitanum reſpicit Sacerdotem, adverſus quem in Conventu mihi ab eo, cujus Sedem præfatus fertur tenere, Libellus oblatus eſt, quem deplorationibus meæ humilitatis annexui, ut idem frater, & Coëpiſcopus Acacius, ſicut Eccleſiaſticis neceſſe eſt, & veſtris Legibus fieri decet, ad hæc, quæ de ſe pervidet intimari, apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum diluere, obedienter procuret, nec ullo modo exiſtimet differendum.*

Evagr. l. 3. c. 18.

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Lab. Conc. t. 4. 1097.

Lab. Conc. t. 4. 1098.

VIII. Dum in urbem regiam Vitalis Miſenuſque proficiſcuntur, *Cyrillus* Acoemetenſium Præpoſitus quoſdam cum literis Felici miſit, de ejus cunctatione expoſtulans, cùm tam gravia adverſus fidem committerentur. Quibus lectis, Felix Legatis ſcribit ſuis, ne quidquam agerent, donec cum Cyrillo collocuti, quid faciendum eſſet diſcerent. Literis quoque Zenonem adiit, quibus & de Chalcedonenſi Synodo, & de perſecutione Hunnerici monebatur. Reſpondit Zeno, fruſtra verbis Joannis Talaiæ Felicem perturbari, qui neglecto de non ambienda Sede Alexandrina juramento, nullum non ſacrilegii genus admiſiſſet: Petrum non ſine diligenti examine promotum fuiſſe: *Pro certo*, inquit, *habere debes, & pietatem noſtram, & ſuprà memoratum ſanctiſſimum Petrum, & univerſas ſacroſanctas Eccleſias ſanctiſſimum Chalcedonenſe Concilium*

Legati Felicis carceri includuntur.

Evagr. l. 3. c. 19. 20.

ANNO DOM. 483.

hum amplecti, atque venerari, quod cum fide Concilii Nicæni prorſus conſentit. Ad Legatos redeamus, qui ubi Abydum venere, ab Imperatoris ſatellitibus capti, carceri mancipantur. Heracleæ ad defectionem invitatos eſſe prodit Anaſtaſius: *Dum introiſſent in civitatem Heracleam corrupti ſunt pecuniâ.* Anaſtaſio Theophanem anteponimus. Neque carcere ad impetrandum aſſenſum opus erat, quem pretio ſollicitati jam præbuiſſent. Capſis chartæ auferuntur, *ne Catholicis, quibus ſcriptum fuerat, redderentur.* Quid egreſſi cuſtodiam egerint, anno ſequente docebimur.

Liberat. cap. 18.

Synodus Conſtantinopolitana in Gnapheum ab Acacio coacta, ſubdita eſt.

X. Invenitur inter Concilia Synodus Conſtantinopoli hoc anno adverſus Petrum Gnapheum celebrata, quòd Triſagio, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis hoc blaſphemiæ addidiſſet, *qui paſſus es pro nobis*, quaſi crucis doloribus divina Trinitas fuiſſet obnoxia. Ajunt etiam, cùm poſt ejectum Calendionem Gnapheus Antiochenæ Sedi redditus fuiſſet, refertamque blaſphemiis Epiſtolam Acacio reſcripſiſſet, Acacium tantæ impietatis horrore perculſum Concilium cogiſſe ſuum, ut Petrum anathematum telis obrueret. Addit Baronius: *Tanta blaſphemia tonitrus, qui Orientem ferîendo concuſſit, non ſine horrore in Occidente auditus eſt.* Invigilavit ergo Felicis diligentia, ut ſuis quoque fulminibus Gnapheum feriret, coacta Synodo, de qua mentio eſt in Epiſtola ad Petrum: *Hæc tibi ſcripſi unà cum præſente Synodo, conveniens te coram Deo & Sanctis Angelis, ut ea doceat, ea nobiſcum ſentias, ut illibata fides noſtra permaneat in Dei gloriam.* At jam Felicis ad Petrum Epiſtolis, quibus ea Synodus innititur, fidem detraximus, quarum ruinis Romana ea in Gnapheum Synodus obruitur. Nihilo certior eſt, quæ ab Acacio in urbe Conſtantinopolitana coacta perhibetur, quam cum eruditiſſimo Valeſio figmentis apponimus, unà cum literis compluribus à diverſis Præſulibus ad Petrum directis. Prima eſt *Acacii*, ſecunda *Antheonis* Epiſcopi Arſinoes, tertia *Fauſti* Apolloniadis, quarta *Pamphili* Abydarum, quinta *Aſclepiadis* Trallium, ſexta *Quintiani*, ſeptima *Juſtini Epiſcopi in Sicilia*, octava *Flacciani* Rhodonenſis. Aſclepiadis Epiſtolæ adjunguntur octo anathemata cum articulo, in quo legitur: *Cognoſce, & abſcinde, in quibus iniquè locutus es.* Quintiani verò Epiſtola duodecim damnationes in Petrum torquet. At enim, quæ Felicis ad Petrum Epiſtolis fidem rationes abrogant, illæ ipſæ & Conſtantinopolitanam Synodum, & Epiſtolas octo variorum Præſulum ad Petrum datas falſi coarguunt. Anno ſanè CCCCLXXXIII. nondum expulſione ſuâ Calendio Petro locum dederat. Neque opus erat ob additum Triſagio, *qui crucifixus es pro nobis*, Concilium anno 483. ab Acacio cogi, cum anno CCCCLXXI. ea ipſa de cauſa & damnatus Petrus fuiſſet, & in exilium pulſus. Literas quod attinet, illæ dicuntur Pontificum, qui nullius ſanè ſunt in hiſtoria nominis, nullius Autoris teſtimonio commendatorum. Abſurdiſſimus quidem eſt Epiſtolæ Juſtini titulus: *Epiſtola Juſtini, Epiſcopi in Sicilia ad Petrum Fullonem.* Denique ab Eccleſiæ, quod tum temporis obtinebat, inſtituto abhorret, modicarum urbium Epiſcopos ab Antiochena Diœceſi valde diſſitos, adverſus Petrum damnatorias literas concinnaſſe, anathematiſmis munitas. Id officii Metropolitanis incubuit. Dixerat Baronius, quæ in *Flacciani* Rhodonenſis Epiſtola reperiuntur: *Olim ſcripta ab ipſo Petro ad Acacium, cum ſe ſimularet Catholicum eſſe.* Verba ſunt Epiſtolæ: *Quis eſt igitur, qui procellas excitavit hæreſeum, niſi tu, qui ſollicitaſti aures Principis innocentis, & falſis literis tot Pontificis erexiſti, id eſt, Acacii, ut ad communionem te ſuſciperet, dicendo, non mihi ſuſ ulterius crucem apponere Trinitati, prædicando tantum Chriſtum crucifixum.* Illuſtriſſimum vero Purpuratum perſtringit Valeſius, demonſtrando ex verbis Gelaſii nil cum Gnapheo communionis Acacio fuiſſe: *Quâ Synodo Calendionem idem expelli fecit Acacius. Nihilominus eidem Petrum, tam manifeſtum Hæreticum, ut eidem palam nec ſe communicare prætenderet, ſuâ paſſus eſt diſpoſitione ſubſiſtere.* Falſa ergo prædicat ſubditus ille Flaccianus in Epiſtola ad Gnapheum.

Lab. Conc. t. 4. 1066.

Lab. Conc. t. 4. 1098.

Bar. Ann. 483 n. 63.

Lab. Conc. t. 4. 1107.

Gelaſ. Epiſt. 13. Lab. 1205.

ANNO U. C. 1237. PER. JUL. 5197. JUL. 529. DOM. 484. ZENON. 10. & 11. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 10. *Indict.* 7. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 7. I. P. I. *April.*

ANNO DOM. 484.

COSS. *Theodoricus & Venantius.*

I. INſigni perfidiæ magnum Zeno crudelitatis facinus addidit, occiſo Armato, à quo multis beneficiis afficiebatur. Ut ſceleri vires incuteret, *Baſiliſcum* Armati filium Cæſarem creat, ſederuntque ſimul Imperator, & Cæſar. Baſiliſci hæc inauguratio in urbe Nicæa peragitur. Quid verò ad cædem eam perpetrandam Zenonem impulerit, Chronicum aperit Alexandrinum. Revocato in memoriam Armatum, Baſiliſco tyranno juraſſe, ſe Zenoni eum non eſſe traditurum, quem neglectâ tamen ſacramenti religione occidendum dedit, his in cogitationibus animum ſubinde volutat: *Quomodo fidem Imperio meo ſervabit? Paulò poſt etiam ubi adoleverit filius ejus Cæſar, omninò in me perfidus exiſtet.* Miniſter cædis *Onulphus* eligitur, ut undique perfidia triumpharet, ingratique vitium animi. Quippe Onulphum, & pauperem, & à Barbaris nuper venientem humaniter ſuſceptum, primùm quidem Comitem Armatus fecerat, deinde verò Præfectum Illyriorum, & ad convivia multum pecuniæ præbuerat. Ille verò barbaricam ſanguinariâ manu perfidiam benevolo pro gratia retulit. Hæc Suidas, qui Armatum perperàm *Armatium* vocat, quaſi ab Armato diverſum. Ubi verò interfectus eſt, Chronicum narrat Alex. *Palatii in gradibus occiditur* Armatus, *uti exploratum eſt, cùm ad ludum equeſtrem ſpectandum proficiſceretur.* Sic Græca vertenda exiſtimamus, cùm non placeat verſio *Raderi*: *In ſpeciem, quòd Armatus circumſpectandi cauſâ aſcenderit.* Sic ſanguine ſuo regiam reſperſit miſer, ut Zenonis ante oculos ſui ſceleris imago perpetuò obverſaretur. Defuncti & in cadaver ſævitum, quod in fruſta diſcerpitur, narrante Candido. Sic Armati crudelitas, perjuriumque geminis ſceleribus vindicantur. Quippe imperante Leone *quoſcunque de Thracibus, qui ſeditionem moverant cepiſſet, eos manibus amputatis dimiſerat.* Magnis dignitatibus fulgebat, utpote & Conſularis, & Militiæ Magiſter, & pater Cæſaris, & Verinæ cognatus. Conſtantinopolitanis mors ejus lætitiam attulit, quibus ob ſuperbiam, & adulteria odio erat. Filius Armati *ex Cæſare inter Lectores in Blachernis profiteri cœpit*, uti nos Candidus docuit. Addit Chronicum Alex. Baſiliſcum Cæſarem, quòd

Baſiliſcus Armati filius, Cæſar creatur. Armatus occiditur.

Evagr. l. 3. c. 24.

Suid.

ANNO DOM. 484.

regiam adhùc purpuram geſtaret, *Cyzico Helleſponti Metropolis Epiſcopam à Zenone præfectum eſſe.* Armati bona omnia in fiſcum rediguntur.

Juſtuſæ Samaritani rebellio & mors.

II. Zenonis crimen ulciſcuntur Samaritani defectione ſuâ. Rebelles Ducem latronum, nomine *Juſtaſam* ſibi Principem imponunt, qui Cæſaream ingreſſus ludos ſpectavit. Dum Palæſtinæ imperat, multos interficit. Templum ſancti *Probi* incendit, Timotheo Antiſtite Cæſareenſem Eccleſiam adminiſtrante. E veſtigio Palæſtinæ Dux *Aſclepiades*, ut prædonum inſectator, venit cum ſatellitio ſuo: adeſt & Cæſareæ Præfectus cum *Arcadiacis*, prælioque facto *Juſtaſa* capite plectitur, quod cum diademate ad Zenonem mittitur. Qui quàm primùm Synagogam illorum *Gargaridam* in formam & uſum Templi ingentis, Deiparæ Virgini Mariæ convertit. Inſtauravit & Procopii Templum: edixit etiam, ne Samaritæ militarent, bonis potentiorum omnibus proſcriptis, unde ingenti metu exorto pax conficitur.

Chr. Alex.

Regis Evarici mors. Quis? Eccleſiæ perſecutor.

III. Hæc in Oriente. In Occidente verò annus *Evarici* Gothorum Regis obitu eſt inſignitus. Quam Chronologiam aſtruit Concilium Agathenſe, *Meſſalâ* Conſule, & Alarici Regis, cui Avaricus deceſſit, anno ſecundo & vigeſimo celebratum. Quòd ſi ab anno Dom. DVI. auferantur XXII. ſuperſunt CCCCLXXXIV. Evarici regno annos *viginti* Baronius tribuit, ab *anno* CCCCLXIV. imperii hujus ducens initia. Verùm enimverò Idacius, qui ætate Evarici floruit, Theodoricum, cui Euricus ſucceſſit, anno CCCCLXVII. fraternâ manu periiſſe ſcribit. Annos ergo XVIII. imperando condidit, quorum primus ultimuſque pro completis habentur. Qui porrò germani ſui ſanguine regni conſecrarat initia, bonis quidem omnibus metuendus fuit: neque immeritò, cùm fidei inimicus graviſſimam Orthodoxis perſecutionem moverit. Id verebatur Sidonius, ut ex ipſius ad Baſilium Epiſtola intelligimus: *Quod fatendum eſt, præfatum Regem Gothorum, quanquam ſit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quàm Legibus Chriſtianis inſidiaturum paveſco. Tantum ut ferunt ori, tantum pectori ſuo Catholici nominis acet, ut ambigas, amplius ne ſuæ gentis, an ſuæ ſectæ teneat Principatum. Ad hoc armis potens acer animi, alacer annis, hunc ſolum patitur errorem, quòd putat ſibi tractatuum conſiliorumque ſucceſſum tribui pro religione legitima, quem prorſus aſſequitur pro felicitate terrenâ.* Gloriæ ſibi ducebat, ut Romanorum in Galliis Imperium, ſic & fidem evertere. Defunctis Catholicis Antiſtitibus alios ſubſtitui negabat. Hinc illæ Sidonii lachrymæ: *Burdegala Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Eluſani, Vazates, Convenæ, Auſcenſes, multòque jam major numerus civitatum ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur, latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit.* Ad inficiendos Arianâ lue animos *Modabarius* operam Regi commodabat ſuam. Tandem res ad ſanguinem venit, teſte Gregorio Turonenſi: *Evarix Rex Gothorum gravem in Galliis ſuper Chriſtianos intulit perſecutionem. Truncabat paſſim perverſitati ſuæ non conſentientes. Clericos carceribus ſubigebat; Sacerdotes verò alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipſos ſacrorum Templorum aditus ſpinis juſſerat obſerari, ſcilicet ut raritas ingrediendi obli-*

Bar. An. 484. n. 130.

Sidon. Ep. l. 7. 6.

Id. ibid.

Greg. l. 2. c. 25.

vionem faceret fidei. Hæc Evarici paulò ante obitum geſta ad annum uſque proximum continuata videntur. Etenim addit Gregorius: *Sed perſecutor non poſt multum tempus ultione divinâ percuſſus interiit.*

ANNO DOM. 485.

Euſtathii reliquiæ Antiochiam inferuntur.

IV. Rerum Eccleſiæ nunc mentio introducatur. Euſtathii imperante Conſtantino Magno Antiochenſium Epiſcopi reliquiæ in Macedonia quieſcebant, quæ Eccleſiæ olim ſuæ ex introducto more debebantur. Quas permittente Zenone Calendion urbi Antiochenæ intulit. Quando tranſlatio contigerit, habetur in incerto. A Victore Tununenſi in annum CCCCXC. refertur. Biennio citius Pagius factam eſſe putat, *Dynamio & Siſidio* Coſſ. ob Zenonis ſcilicet Quindecennalia, quæ Chronologicam, ut ait, *litem dirimunt.* Hoc tamen admiſſo, conſequens eſt, anno CCCCLXXXVIII. nondum Antiochiâ expulſum Calendionem fuiſſe, quod non ſit vero ſimile, etſi Theophani probatum, huic tempori tranſlationem aſſignanti. Sed Calendionis, quem annos quatuor ſediſſe exiſtimat, initia malè collocavit, quæ cum anno CCCCLXXXII. conjungi debent, teſte Simplicii ad Acacium Epiſtola XVI. Ut mirum ſit, Theophanis autoritatem à Pagio fuiſſe adhibitam, quo Dynamii Conſulatui Euſtathianarum reliquiarum evectionem aſſignet. Exulem tum temporis apud Oaſim agens Calendion, transferendis ſanè Euſtathii reliquiis non erat idoneus. Hoc igitur, vel ſuperiore anno exuviarum evectionem aſcribemus. Audiantur Scriptores, qui hujus meminere: *Calendio, cùm id ab Imperatore poſtulaſſet, Euſtathii reliquias à Philippis urbe Macedoniæ, in quam olim relegatus, & in qua mortuus erat Euſtathius, Antiochiam deportavit. Eas Antiocheni maximo cum honore exceperunt, omniſque propemodum ætas extra urbem effuſa, ad octavum decimum milliarium obviam eis proceſſit.* Sic gratâ rerum vice vir, qui anno CCCXXVIII. turpiter Antiochiâ expulſus fuerat, abhinc annis CLIV. ovans poſt obitum ſuam civitatem ingreditur.

Theodorit. l. 2.

Calendion Epiſcopatu pellitur. Cur? Quamdiu ſederit?

V. Qui Euſtathium defunctum ſuæ reddiderat Eccleſiæ, Calendion Antiochiâ ejicitur. Moleſtè quidem ferebat, Mongum Alexandrinis præeſſe. Itaque & ad Zenonem, & ad Acacium literas miſit, quibus Petrum *adulterum* vocabat, & Chalcedonenſis Concilii hoſtem, ab eo palam publicèque apud Alexandriam anathematibus percuſſi. Non multò poſt Epiſcopatu pellitur. Ac Illi, Leontii, Pamprepii partibus faviſſe putabatur, quæ cauſa quidem cur exilium ipſi imperaretur, fuiſſet idonea. Quin ſeditioſis patrocinaretur, Gelaſius prorſus non ivit inficias: *Eſto*, inquit, *Calendion Imperatoris nomen abſtulerit.* At enim ſpecioſâ hâc ratione germana relegationis cauſa involvebatur, quam Liberatus aperit: *Calendion Archiepiſcopus Antiochenus deponitur. Accuſatus in aperto, tanquam ſcelerates, Principi mittens Populum in rebellionem cum Illo. Latenter autem, quia ſe non ſuſpenderet, & à Felicis Papa, & à Joannis communione.* In exilium ergo pellitur ad locum jam multorum virorum illuſtrium relegatione nobilem, Oaſim ſcilicet Ægyptiacam. Hinc agitata inter eruditos quæſtio facillimè deciditur. Quàm diu nimirum Calendion Antiochenis præfuerit? Conſtat anno CCCCLXXXII. Pontificatum iniiſſe. Verba ſunt Simplicii ad Acacium: *Neceſſariò fratris & Coepiſcopi noſtri Calendionis Sacerdotium gremio Apoſtolicæ Sedis amplexi, in conſortium noſtrum per*

Gelaſ. Ep. 13. 1209.

Liberat. c. 18.

Evagr. l. 3. c. 16.

Simplic. Ep. 16

gratiam Chriſti Dei noſtri tanta urbis Antiſtitem Collegii unione numeramus. Data eſt Epiſtola Idibus Julii, *Severino Conſule.* Anno verò labente Calendion, qui ferventibus Acacium inter & Felicem odiis, Joannis Talaiæ, Pontificiſque Romani communionem retinebat, loco ſuo motus eſt. Itaque poſt memoratam Vitalis & Meſeni ab officio ejectionem breviculus hiſtoriæ Eutychianiſtarum ſtatim ſubjungit: *Acacii audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto Catholico Calendione, quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit Eccleſiam.* Ut ſibi non conſtet Valeſius, qui *bienni ſpatio* Calendionem Sacerdotio perfunctum eſſe tradit, dum ejus & initia anno cccclxxxi. & finem anno labente jam adulto collocat.

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Gnapheus Antiochenæ Sedi redditur. Num Autore Acacio?

VI. Petrus, quem Antiochenâ ſede bis pulſum vidimus, & à Leone Auguſto Oaſim relegatum, infauſtis avibus Epiſcopatum recuperat. Magnâ olim Zenoni conjunctus amicitia fuerat, cujus ope pulſo Martyrio ipſius Eccleſiam invaſerat. Placuit ergo Zenoni, Sacerdotium huic homini reddi, qui ſine mora & Henotico ſubſcripſit, & Synodicas ad Petrum Alexandrinum literas dedit. Si geſtis de nomine Acacii credimus, ab ipſo *Acacio* Gnapheus Antiocheno eſt Epiſcopatui reſtitutus. Id etiam ſcriptum reperimus in Epiſtola Synodica Concilii Romani ad Presbyteros Conſtantinopolis & Bithyniæ: *Calendione Epiſcopo ſancto, quemadmodum cognovimus, nuper ejecto, Petrum toties, & à ſe antè damnatum in ejus immiſit Eccleſiam.* Exaggeratam tamen orationem eſſe putamus, quod reſtitutioni Petri Acacius impedimenti nil oppoſuerit, ut Principis voluntati aliquo modo morem geſtum iret. Cur ſic exiſtimemus, Autor eſt ipſe Gelaſius in ſua ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtola, quâ excuſationes Acacianas refellit: *Sed*, inquiunt, *Acacius Principi obviare non potuit, Cur Baſiliſco, quia voluit, obviavit. Cur ipſe Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fecerit, communicare videretur, non commodavit aſſenſum.* Quæ verba certè certòque teſtantur, Acacium autorem non fuiſſe, cur Petrus Antiochenis Præſul imponeretur: *Principi obviare non potuit*, hoc eſt, reſtitutioni non interceſſit. Quod & alio nobis argumento indicatur. Etenim ſi *Gnapheum* ad Antiochenam Eccleſiam miſiſſet Acacius, publicam cum eo communionem foviſſet, quod tamen facere noluit: *Nihilominus eidem Petrum tam manifeſtum Hæreticum, ut eidem palam nec ſe communicare prætenderet, ſuâ paſſus eſt diſpoſitione ſubſtitui.* Sic eſt, aulicus homo noluit Principis indignationem repugnando commovere: ac eò facilius, quòd in Gnapheo ſciebat, ſe Romani Pontificis conſiliis adverſarium inveniſſe. Diſplicuere hæc Felici, qui fulmineo calamo ea prorſus diſſipare tentavit.

Evagr. l. 3. c. 16.

Lab. Conc. t. 4. 1126.

Lab. Conc. t. 4. 1210.

Gelaſ. Ep. 13. 1205.

Miſenus & Vitalis Mongo communicant.

VII. Verùm antequam quid Petri in cauſa Romæ factum fuerit, expoſuerimus, de legatione Vitalis, & Miſeni tractandum. Ignaviæ exemplum præbuere, cui vix comparari poſſit aliud. Tædio ſui carceris, vel promiſſis muneribuſque corrupti, Acacio ad Eccleſiam proficiſcenti ſeſe comites addunt. Variis & Acacii artibus illuſos eſſe, Gelaſius tradit in ſua ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtola: *Legationem Sedis Apoſtolicæ blandimentis, præmiis, perjuriiſque deceptam, quibus ei cum Imperatore promiſit, integram Præſulis Apoſtolici cauſam de omnibus eſſe ſervandam; Petri communione pollutam redire perfecit.* Quippe ipſis præſentibus Mongi, veluti Catholici nomen palam, altâque voce recitatur. *Quos*, inquit Liberatus, *iterum Acacius poſt hæc de cuſtodia ejiciens, ſecum fecit procedere, ut quaſi confirmato Petri Sacerdotio, dimitterentur.* Quo facto Mongus, quem Epiſcopali Sede dejectum ibant, ampliſſimè honeſtiſſiméque triumphat. Etenim Legatorum ante adventum nomen ejus in Diptychis occultè recitabatur, exinde verò palam proferri cœpit, cùm Miſenus Vitaliſque ei communicaſſent. Hinc de plebe perſuaſi complures, Mongum à Felice in communionem eſſe ſuſceptum. Noluerunt etiam Legati cum eorum ullo, qui Petro obſiſtebant, miſcere colloquia. Ignaviam hanc Legatorum accuſant geſta de nomine Acacii: *Qui quamvis hoſtili more detruſi in cuſtodiam, chartas amiſerint, tamen perfidiæ Hæreticis, atque damnatis, accommodare non debuerant, quæ ſola negari potuit voluntatem. Non ſolum ergo Hæreticis communicaverunt, confirmationem Petri Epiſcopatus, ad quem pellendum miſſi fuerant, deſerentes, atque contumelias in Epiſcopum Joannem Acacio dirigente portantes.* Interea Felix defenſor regiam urbem ingreditur. Majore quidem animi firmitudine præditus erat. Sed accedendi ſui copiâ illum prohibuit Acacius, ut in ipſum ſunt querelæ Felicis: *Felicem defenſorem fideliſſimum nobis, neceſſitate faciente ſerius ſubſequutum indignum tuis cenſuiſti oculis.* Quin etiam ut Eccleſiaſticæ pacis perturbator, Principis mandato in carcere conditur: *Felix defenſor Eccleſiæ, qui cum Legatis directus fuerat, impediente infirmitate, cum ipſis pergere non potuit. Sed poſtquam Vitalis & Meſenus, à cuſtodia Conſtantinopoli ſunt regreſſi, perrexit cum chartis Eccleſiaſticis Conſtantinopolim, paſſuſque eſt & ipſe graviſſimam cuſtodiam.*

Evagr. l. 3. c. 20.

Lab. Conc. t. 4. 1082.

Lab. Conc. t. 4. 1034.

Liberat. cap. 18.

Vitalis & Miſenus in Romana Synodo damnantur.

VIII. Infamiâ onuſti, ob malè adminiſtratum munus ſuum Legati, compluribus in contemptum venere. Regerebant qui fidem proculcatam exiſtimabant, pietatis injuriam hanc eſſe. Itaque eò progrediuntur, ut proteſtatione ſibi utendum conſtituerent. Tres ea de cauſa Libelli parantur: primum funiculo ad hamum alligatum, Legatorum uni ſuſpendunt; ſecundum Codici immiſerunt; tertium olerum cophino inſitum Legatis miſere. Sic regiâ urbe egreſſi, Italiam repetunt. Verùm redeuntes ignaviæ ſuæ rumor anteceſſerat. Acœmetenſes quippe Monachi maximâ, quâ poterant, celeritate feſtinantes, quid geſtum fuerat, exponunt Felici, qui ſocordiâ Vitalis & Miſeni commotus, hæc ſcribit Acacio: *Peccaſti, ne adjicias, & de prioribus ſupplica.* Quæ monita cùm nil penſi haberet, congregatâ Synodo Felix ad judicium tam de Legatis, quàm de Acacio ſeſe accingit. Aderant incluſo Felice, qui Conventus Principem agebat, Epiſcopi lxvii. qui Petri in Baſilica coguntur, Julii xxviii. feriâ ſeptimâ, ut ex damnatione Acacii colligitur: *Data v. Kal. Auguſti Venantio viro clariſ. Conſule. Simul lxvii. Epiſcopi aliſque Papa ſubſcripſerunt.* Intromiſſi Vitalis & Miſenus, ut Legationis rationem exponerent, ignaviæ ſuæ excuſationes parant: *Ipſi coram vobis inter altaria veneranda non ſolùm Acacio, quod vetitum, ſuis contraria perpetrantes, ſed iiſdem ipſis ad quos directi fuerant evitandos, ſe neſcientes communicaſſe dixerunt: nec Catholicis Epiſcopis, & Clericis, quos perſequebatur Acacius, callidâ ſeductione tranſlatis, ſubvenire voluerunt.*

Liberat. c. 18.

Felic. Ep. 6.

Ep. Syn. ad Cleric. Ori. Lab. Conc. t. 4. 1125.

Et

Anno Dom. 484.

Et cùm ſe univerſa, ſicut illis mandata ſunt, mentirentur egiſſe, lectis Acacii literis, quas ipſi detulerant, manifeſtum eſt, eos ſine excuſatione vidiſſe, unum atque idem Petrum, Acaciumque ſentire. Coarguendis Legatis Simeon Monachus Acoemetenſis Romam à Cyrillo miſſus introducitur, qui demonſtrat, utrumque cum Hæreticis communicaſſe, Petri nomine in ſacris Diptychis publicè recitato. Inductus eſt & *Sylvanus* Presbyter, qui unà cum Miſeno & Vitale verſatus fuerat Conſtantinopoli, qui quæ narravimus de Legatorum prævaricatione, ſuo teſtimonio confirmavit. Lecta eſt & in Synodo Acacii ad Simplicium Epiſtola, quâ narrabatur, Petrum jampridem depoſitum, & filium noctis eſſe. His de cauſis Miſenus ac Vitalis Sacerdotio pulſi, & à myſtica communione remoti ſunt. Difertè

Evagr. l. 3. c. 21.

verò in Mongum hæc pronuntiantur: *Petrum Hæreticum, qui olim ſacra Sedis Decreto damnatus, excommunicatus & anathematizatus eſt, Eccleſia Romana non recipit. Cui etiam ſi nihil aliud objiceretur, vel hoc unum ſufficeret, quòd ab Hæreticis ordinatus, Orthodoxis præeſſe non potuit.* Acacii verò damnationem præterit Evagrius, utpote Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ignominioſam. Hîc Baronius duas Synodi ſeſſiones comminiſcitur. Ac in priore quidem Legatos, in poſte-

Bar. An. 484. n. 13.

riore Acacium damnatum tradit: *Aliâ*, inquit, *Seſſione cognita eſt Acacii cauſa.* At duabus ad utramque damnationem Seſſionibus nil opus erat. Et liquet ex Evagrio, lectam prius Acacii

Evagr. l. 3. c. 21.

ad Simplicium Epiſtolam, quàm Vitalis & Miſenus gradu ſuo moverentur, nedum eâ damnatione peractâ, Acacii cauſam Synodus ingrederetur. Figmentum & Baronii refellit Synodi ad Presbyteros Conſtantinopolis & Bithyniæ Epi-

Lab. Conc. t. 4. 1125.

ſtola: *Vitalem atque Miſenum à Sacerdotali collegio, & ſacroſanctâ communione ſuſpendimus. Acacium quoque . . . inter Epiſcopos ſanctos, atque inter Chriſtianos judicavimus non haberi.* Quæ verba unâ ſerie recitantur. Hinc novus & error Baronii eripitur fingenti, poſt latum de Acacio ju-

Bar. Ann. 484. n. 13.

dicium *eum rurſum literis Synodalibus admonitum eſſe, ut reſipiſceret.* Imò poſt primam, quam in Acacium Julii 28. damnationem torſerant, alteram primâ Auguſti die jaculantur. Neque verba Liberati, quibus utitur Baronius, *peccaſti*, &c. probant Acacium jam damnatum eſſe. Ea quippe ſcripta ſunt ante Legatorum adventum.

Acacius bis à Felice damnatur.

IX. Prolatam damnationis ſententiam Felix ſubinde ad Acacium mitti noluit. Ardua res erat, regiæ urbis Epiſcopum Imperatoris autoritate fultum, anathematis pœnæ ſubjicere. In ſpem & fortè venerat, damnationis metu Acacium Mongo communionem renuntiaturum. Dum ea in expectatione verſatur, triſtia nuncia afferuntur, de Calendionis expulſione, ut ejecti in locum Gnapheus ſubſtitueretur. Tum Pontifex qui in urbe verſabantur Epiſcopos, numero duos & quadraginta Petri in Baſilica colligit: iteratâque damnatione ferit Acacium. Secunda hæc damnatio, cujus ætate Baronii monumenta adhùc latebant, illuſtriſſimo Purpurato ignorabatur. Sunt & eruditi, qui poſt edita à clariſſimo Sirmondo geſta in cauſa Acacii, unam ipſius duntaxat damnationem fuiſſe ſibi perſuadeant, quos inter *Du Pin* in ſua Bibliotheca nomen profitetur ſuum. Idcircò Synodicam rejicit Epiſto-

Du Pin N. B. 5. Sec. 261.

lam, ut ſubditiriam, cujus titulus eſt: *Sancta Synodus apud B. Petrum Apoſtolum congregata univerſis Presbyteris, & Archimandritis Orthodoxis, Conſtantinopoli & Bithyniæ conſiſtentibus.* Saltem, inquit, pars hujus Epiſtolæ poſterior pro notha habenda eſt. Hanc verò ſententiæ ſuæ rationem affert, *Il n'eſt parlé en aucun autre endroit de ces deux condamnations.* Quæ viro doctiſſimo, & Veterum in ſcriptis verſatiſſimo excidiſſe mirum eſt, cùm gemina Acacii damnatio Felicis ad *Vetranionem* in Epiſtola, quam vel ipſe pro germana habet, totidem verbis legatur; ut obſer-

Felic. Ep. 15. 1093.

vatum Valeſio: *Meritò prædictus Acacius Apoſtolica Sedis, quæ nunc executrix utique ſæpè dicti Chalcedonenſis Concilii pro fide Catholica tunc probati non defuit, iteratâ excommunicatione depulſus eſt, ne per eum, quod abſit, nos quoque reddamus complices perditorum.* Quid clarius? Nobis igitur de gemina Acacii damnatione non videtur dubitandum, duabus & in Synodis prolata. Priore Epiſcoporum LXVIII. Julii XXVIII. poſteriore Antiſtitum XLII. Calendis Auguſti celebrata, ut nona Felicis ad Zenonem Epiſtola indicatur, data primâ Auguſti die, Venantio Conſule. In fine quippe Synodi hujus Epiſtolæ

Lab. Conc. t. 4. p. 1127.

ſcriptum legitur: *Candidus Tiburtinæ civitatis Epiſcopus Petro Alexandrinæ Eccleſiæ pervaſori, & Acacio quondam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, necnon etiam Petro Antiocheno, ab Epiſcopatus & Chriſtianorum numero, olim jure, & merito ſegregatis, omnibuſque ſequacibus eorum, ſequens autoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſecundum noſtrum juxta Eccleſiæ ſtatum Catholicâ deliberatione prolatam, anathema dicens, ſubſcripſi.* Quæ non obſcura dant diſcrimina geminæ & damnationis Acacianæ, & Synodi Romanæ: cùm in priore nullum Gnapheo anathematis telum fuerit infixum. Denique Synodi in Epiſtola apparent certa iteratæ Acacii damnationis veſtigia. Priorem his referunt: Acacium *jam nunc è corpore Eccleſiaſtico, ut partem putridam anathematizamus, ſententiâ memoratâ abſciſſum.* Quæ prioris ſunt Concilii. Sequitur deinde poſterior, ut verba

Lab. Conc. t. 4. 1125.

hæc indicant: *Poſt illam ſententiam, quæ in Acacium perturbatorem totius Orientis Eccleſiæ dicta eſt, his quoque nunc congregatis addicimus literis.* Ac non multò pòſt hæc ſciſcunt: *Sic autem Acacius impietatem peſtiferæ damnationis tetendit, ut etiam dejectus inſultet, ut ſciſſus ſævire non deſinat. Et cùm omninò extra corpus habeatur, ejus tamen membra dilaceret . . . . Condemnationem ſecundæ mortis incurrit, qui Calendione Epiſcopo ſancto, quemadmodum cognovimus, nuper ejecto, Petrum toties & à ſe damnatum, in ejus immiſit Eccleſiam.*

Felix damnationis ſententiam Acacio mittit. Tuiniam Nolenſi præficit Eccleſiæ.

X. His conſtitutis Felix temperare non potuit, quin fulmen mitteret, damnationem ſcilicet, quinto Calendis Auguſti, Epiſcoporum LXVIII. ſubſcriptionibus munitam: *Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ urbis Romæ Acacio. Multarum tranſgreſſionum repertus obnoxius, & in venerabilis Concilii Nicæni contumeliâ ſæpè verſatus, alienarum tibi Provinciarum jura temerè vindicaſti, Hæreticos pervaſores, atque ab Hæreticis ordinatos, & quos ipſe damnaveras, atque ab Apoſtolicâ petiſti Sede damnari, non modò communioni tuæ recipiendos putâſti, verùm etiam aliis Eccleſiis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præſidere feciſti.* Quæ exemplis firmat. Videlicet Joannem à Catholicis Apameæ non receptum, *pulſumque de Antiochia*, Tyriis præfecit Acacius. *Humerium* & Diaconi officio, & Chriſtiani nominis appellatione privatum, ad Presbyteri munus promovit. Mongum & Chalcedonenſia Decreta

dam-

damnantem, & Timothei ſepulchrum violantem multis præconiis extulit: ad proceſſionem protractos præmiis Legatos corrupit. Quibus recenſitis ſubdit: *Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex ſententia præſenti, quam per tua tibi direximus Eccleſiæ defenſorem. Sacerdotali honore & communione Catholicâ, necnon etiam à Fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen, & munus miniſterii Sacerdotalis agnoſce, Sancti Spiritus judicio, & Apoſtolicâ auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus. Cælius Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ urbis Romæ ſubſcripſi.* Ni verò conjectura aberret, verba hæc, *per tua tibi direximus Eccleſiæ defenſorem*, in mendo cubant. Literas quidem ejuſmodi non accepiſſet Conſtantinopolitanæ defenſor Eccleſiæ, quæ ſuo Præſuli dedecus imprimebant. Neque *Tuto* Eccleſiæ Romanæ defenſore opus fuiſſet ad notificandas literas, quæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ defenſori traditæ fuiſſent, *Tuto* potius in Orientem naviganti credendas. Itaque pronomen *tua*, nobis in proprium nomen *Tutum* videtur mutandum. Quinque poſt diebus, Kalendis ſcilicet, Auguſti Felix Zenoni dirigit Epiſtolam, quâ de vi Apoſtolicæ Legationi illata queritur, ad communicandum cum Apocriſiariis Petri de cuſtodia productæ. Legatorum libertatem, quæ jure gentium intemerata eſſe debuit, à Chriſtiano Principe inviolatam fuiſſe ſervandam. Ita ſeſe comparaſſe Eccleſiam Romanam, ut Mongo nil communionis unquam præbuerit, aut ſit præbitura. Imò per *Tutum Romanæ Eccleſiæ defenſorem* Acacium à communione Apoſtolica *legitimâ ſeveritate ſeparaſſe*. Imperatori profuturum, ſi Eccleſiæ, quæ ipſi regnum reſtituit, Legibus uti ſuis permittat. Data Kal. Auguſti. Sub ipſa quoque tempora Clero & plebi Orthodoxæ Conſtantinopolitanæ Felix ſcriptum mittit, quo monebantur, Vitalis & Miſeni prævaricatione non turbari, qui *nullâ conteſtatione præmiſſâ* Petro *Hæretico, & parricidarum ſocio* communicarunt. Acacium vitent, Petri Eutychianiſtæ damnationis participem: *Salomoni Presbytero, quem Acacius, ut placeret Hæreticis*, inquit, *privare putavit gradu, gradum proprium ſententia veſtra conſervet, vel omnes, qui forte à memorato propulſi, in locis ſuis, & in noſtra communione manere pronunciet*. Epiſtolâ quoque Orientalis Imperii Antiſtites omnes adiit, ut excommunicatorum à ſe ſocietatem vitarent. Deſideratur quidem Epiſtola: ejus tamen mentionem Victor Tununenſis egit: *Felix Romanæ Eccleſiæ Præſul Monachis & Clericis per Orientem, Ægyptum & Bithyniam commorantibus ſcribit, ut Petrum Alexandrinum Epiſcopum, Chalcedonenſis Synodi obtrectatorem, & ejus communicatores tanquam Hæreticos vitent.* Dum verò de ejiciendis Patriarchis Felix cogitat, de alio Epiſcopatu Joanni Talaiæ, præcipuæ tantorum motuum cauſæ pro ſua liberalitate providet: *Joannes verò Talaia habens Epiſcopi dignitatem, remanſit Romæ, cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam, quæ eſt in Campaniæ regione, in qua plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt.* Non ipſius tamen cupiditati ea ſufficiebat Eccleſia. Inhiabat ſemper Alexandrinæ Cathedræ. Itaque Felicis poſt obitum Anaſtaſium Imperatorem, quocum olim amicitiâ conjunctus fuerat, anno 494. convenit, ut Alexandrino Epiſcopatui redderetur: *Aſterio & Præſidio Coſſ. Joannes Epiſcopus Alexandrinus à Romana Eccleſia veniens, Anaſtaſio Imperatori ſupplicat, ut eum throno ſuo pro antiqua amicitia reddat. Sed hoc pro defenſione Chalcedonenſis Synodi dum non impetrat, Romam furtim, unde venerat, remeavit.*

Felic. Ep. 6.

Felic. Ep. 9.

Felic. Ep. 10.

Liberat. c. 18.

Vict. Tun. 1125.

XL. Veſtigia nunc *Tuti* ſequamur, Eccleſiæ Romanæ defenſoris in Orientem migrantis, ut Acacio damnationis ſententiam ſignificatum iret. Periculorum plena erat legatio, cùm in urbe regia Edictum Felicis palam & publicè foret proponendum. Id porrò Edictum inter & ſententiam intereſt, quòd reo ſententia, *Edictum* verò plebi notificaretur, ut ſciret, cujus à conſortio divelli debuit. Edictum ſic ſe habet: *Acacius, qui ſecundò à nobis admonitus, ſtatutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contemptor, meque in mei credidit carcerizandum, hunc Deus cœlitùs prolatâ ſententiâ, de Sacerdotio fecit externum. Ergo ſi quis Epiſcopus, Clericus, Monachus, Laicus poſt hanc denunciationem eidem communicaverit, anathema ſit, Sancto Spiritu exequente.* Cæterùm non minime nos difficultas circumcludit, quî *ſecundò* Acacius à Felici admonitus fuerit, uti ſuo in Edicto prædicat? Ac doctiſſimus ille Valeſius priorem Felicis ad Acacium in Epiſtola, poſteriorem in citatione admonitionem quærit. Solutio tamen minus placet, cùm à Legatis & Epiſtola, & citatio, ſimul eodemque tempore reddita videantur. Ut pro una eademque admonitione haberi debeant. Probabilius literæ Felicis intelliguntur, quas Legatorum ante reditum miſit Acacio, ubi à Monachis novit, quid Conſtantinopoli geſtum fuiſſet: *Peccaſti, ne adjicias, & de prioribus ſupplica.* Neque in mentem inducere valemus, quod Valeſio creditum, Liberatum hîc in hallucinationem incidiſſe: cùm propria Felicis verba repræſentet. Porrò quomodo in munere ſuo adminiſtrando *Tutus* ſe geſſerit, nunc eſt audiendum ex Liberato: *Tutus datis Acacio* Felicis *literis, eas non ſuſcepit, patrocinio fultus Imperatoris, ita ut cogerentur, qui eas detulerunt, per quendam ignotum Monachum Acoemetenſem ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in ejus pallio, & diſcedere.* Complures Monachos ad id operam collocaſſe ſuam, Victor narrat Tununenſis: *Acacius Conſtantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus Epiſcopi, Chalcedonenſis Synodi inimici, à Felice Romanæ Eccleſiæ Præſule & Synodo in Italia facta damnantur, & ipſa damnatio Acacio Conſtantinopolim Legatis miſſis per Monachos Monaſteriorum Acoemetenſium, Baſiani atque Dii ingeritur.* Tragœdiæ ſcena ſanguine reſpergenda erat, ut nihil calamitati deeſſet. Neque ſanè incruentam fuiſſe, ex Baſilio Cilice novimus. Poſt ſignificatam Acacio in ſanctiore Sacrario abdicationis ſententiam, ope Monachorum, qui Dii Monaſterium incolebant, Acacii fautores ex Monachis multos occiderunt, alios vulneribus operuerunt, nonnullos incluſere carceri. Securus damnationis hujus Acacius Felicis nomen ſacro albo eximit. Sic lamentabili diviſione Orientis Eccleſiæ ab illis Occidentis divelluntur. Martyrio Epiſcopo Hieroſolymitano, Petro Antiocheno, Acacio Conſtantinopolitano Synodicas ad Petrum Alexandrinum Epiſtolas mittentibus. Quid Tutus intereà? Promiſſis expugnatus Acacii ipſi pollicetur, ſe quæcunque adverſus eum Romæ gerebantur, nunciaturum, quòd cùm Felicis in notitiam veniſſet, proditorem officio ſuo removit. Id liquet

Quid Tutus in ſua Legatione egerit? Corrumpitur ab Acacio.

Lab. Conc. t. 4. 1083.

Liberat. cap. 18.

Niceph. l. 16. c. 17.

ANNO DOM. 484.

Felic. Ep. 11. 1085.

quet Felicis ex Epiſtola ad Rufinum, & Thalaſſium Archimandritas: *Tutus ſe quâdam dementiâ, imò ardore pecuniæ, poſtquam noſtris ſatisfactum eſt Conſtitutis, inimicis fidei vendidiſſe, convictus eſt, atque confeſſus. Lecta ſunt enim literæ ipſius in conventu fratrum, qualiter pacto interpoſito, per ſenem Maronam condemnaſſe ei, cui ſententiam portarat, inhæſiſſe creditur, quas propreas eſſe cognoſcens, non potuit diffiteri. Unde eum fidei & Sedis Apoſtolicæ proditorem officio defenſoris, quod ei ad tempus dederamus, exuimus, eumque ſacroſancti myſterii communione privatum præcepimus.*

Quid Acacii in cauſa Talaia peccarit?

XII. Judicio arbitrioque noſtro, ſi Talaiæ, Acacii, Felicis lites decidantur, hæc erit ſententia:

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Talaia quidem perjurii purus non videtur. Id quidem & Simplicio, & Felici ſcripſit Imperator, quem talia non ſemel diſertis verbis affirmantem, mendacii poſtulare, nobis religio eſt, tantique hanc accuſationem Simplicius fecit, ut Talaiæ Epiſcopatum confirmatum nollet, quo tempore jam ſeſe parabat ad confirmandum:

Simplic. Ep. 17.

Ecce ſecundum conſuetudinem mihi talia diſponenti, tranquilliſſimi Principis ſcripta ſunt reddita, quibus memoratum, tanquam perjurii reum, quod fraternitati quoque tuæ non eſſe diceretur incognitum, Sacerdotio perhiberet indignum. Illicò retraxi pedem, & meam revocavi ſuper ejus confirmatione ſententiam, ne quid contra tantum & tale teſtimonium præproperè feciſſe judicarer. Tales quidem tantique Talaiæ de perjurio teſtes, Romanus ſcilicet Imperator & Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus non facilè ſublevantur, & credibilius eſt, illum fuiſſe reum, quàm hos eſſe mentitos. Neque Talaiam perjurii Gelaſius abſolvit, qui crimen patitur in dubio eſſe: *Eſto*, inquit, *Calendion Imperatoris nomen abſtulerit. Joannes Principi mentitus fuiſſe jactetur.* Præterea & perturbatione Canonum, & inſigni in Acacium contemptu Talaia peccabat. Regulis moreque Eccleſiæ invaluerat, ut de ſua electione quiſquis Patriarcharum creabatur, Collegas ſuos commonefaceret. Idque eò magis à Talaia peragi debuit, quòd Decretis & Conſtantinopolitanis & Chalcedonenſibus aſſentiebatur, quibus Sedes Conſtantinopolitana, utpote regia in civitate collocata, ad ſecundum gradum evecta fuerat, non repugnante Alexandrinâ. Intolerandâ verò ſuperbiâ de ſua ad Pontificatum evectione Acacio nil literarum miſit, licet ex de re *Illo* homini Laico Epiſtolam direxiſſet. Affirmat quidem N. Alexander, Joannem literas Acacio Synodicas de ſua ordinatione ſcripſiſſe, quas ipſi reddendas Illo miſerat. Quo tamen Autore hæc tradiderit, prorſus ignoramus: non ſanè Liberato, cui omninò repugnant: *Joannes Talaia de ordinatione ſua neglexit per ſuos Synodicas literas Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano deſtinare. Habens enim amicum Illum, ei de ſua ordinatione ſcripſit. Scribens etiam Principi, quatenus per Illum Magiſtrum omnis ejus cauſa diſponeretur, putans eum Conſtantinopoli permanere.* En literæ & Imperatori, & *Illo* directæ; nullæ verò apparent Acacio ſcriptæ, quas ad eum ſi dediſſet, *Illi* vel manibus reddendas, non dixiſſet Liberatus: *Joannes neglexit Synodicas literas Acacio deſtinare.* Porro quòd adeò ſollicitè *Illi* favorem Joannes ambiebat, ut Epiſcopatus Alexandrini potiretur, eſt quidem indicio, *Illi* potentiâ

Gelaſ. Ep. 13. 1209.

N. Alex. Sec. 8. Diſſert. 19. 416.

Liberat. cap. 18.

ſibi opus fuiſſe, ne perjurium ſuæ cupiditati eſſet impedimento. Pulſus Epiſcopatu Talaia, non rectà Pontificis Romani tribunal confugit, *Illum* petit, jam defectionem molientem, atque *Calendionem*, Præſulem Antiochenum, cujus conſilio Romam petit, auxilio Simplicii implorando. Si quid ergo noſtra ſententia valet, nec perjurii, nec ſuperbiæ, nec violatorum Canonum crimine Talaia abſolvi poteſt.

Acacius non fuit Hæreticus ſive opinione, ſive communione.

XIII. Multæ in Acacium cauſæ congeruntur. Ac primùm hæreſis ei imponitur. Bacchatur in eum Hormiſdas Pontifex, ut Eutychianum: *Nonne ille eſt Acacius, qui arno Petri, & Eutychis dogmate, & communione pollutus, cum copularetur, immerſus eſt . . . Ab illo per Orientales Eccleſias fermentum nefandi erroris inolevit.* Omnibus modis Acacius Hormiſdæ eſt Hæreticus: non initâ duntaxat cum Heterodoxis ſocietate, quam fidei integer vitare debet, verùm etiam erroris conſenſu, quo mens ipſius corrumpebatur. Eodem & in Acacium modo Liberatus eſt animatus: *Ubi ergo ad plenum detectus eſt Acacius Hæreticus, Papa Felix*, &c. Nobis verò perſuaſiſſimum, Acacium nullâ hæreſis contagione fuiſſe pollutum. Quod ſi certis argumentis probatum dederimus, quin præceps temeratiaque fuerit Felicis in Acacium damnationis ſententia, nulli dubitandum. Acacium & *dogmate*, & *communione* pro Hæretico habuit Hormiſdas. Utroque modo nos Hæreticis eximimus. Concilii quidem Chalcedonenſis adeo tenax erat, ut illud evertenti Baſiliſco tyranno palam publicèque obſtiterit, ac *ſemetipſum, & Cathedram, atque altare nigris veſtibus obtexerit*, uti nos Theodorus monuit Anagnoſtes. Sic ſuo habitu funus Synodi Chalcedonenſis lugebat. Hæccine facta ſunt hominis afflati Eutychiano dogmate? Candidas potius veſtes lætitiæ ſuæ teſtes ob proculcatum à Baſiliſco Chalcedonenſe Concilium induiſſet. Itaque Euphemio dicenti Acacium Hæreticum non fuiſſe, reſpondet Gelaſius: *Sed Acacius, inquit, nihil contra fidem, ſicut Eutyches, & ſucceſſor ejus legitur ubicumque dixiſſe. Quaſi non ſit deterius, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe veritatis inimicis.* Quibus perſpicuum fit, fateri Gelaſium, veri notitiâ Acacium imbutum, in hæreſim delapſum non fuiſſe, cùm hæreſis omnis veritatis notitiæ contraria ſit. Ac faciles quidem *Felicis* patroni fatebuntur, Acacium *dogmate* quidem non fuiſſe Hæreticum, *communione* verò talem exiſtimabunt. Hoc ſanè, non illud accuſat Felix in ſua damnationis Acacianæ ſententia: *Hæreticos pervaſores, atque ab Apoſtolica petiiſti Sede damnari, non modò communione tua recipiendos putaſti, verùm etiam aliis Eccleſiis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præſidere feciſti.* Verùm enimverò ne ſic quidem Hæreticus appellari Acacius poteſt. Quod ut intelligatur, obſervandum Hæreticorum alios *occultos* eſſe, alios *manifeſtos*. Illi corde, hi opere errores tuentur, damnatâ veritate. Fuerint, ſi placet, & Mongus, & Gnapheus intus Hæretici, lupique rapaces ovinâ pelle tecti; id Acacium non attinet, cui non dabatur cordis arcana penetrare; ſoli Deo ſapienti, atque omniſcio ſubdita. Ad *manifeſtos* igitur Hæreticos eſt veniendum. Atqui tales fuiſſe Gnapheum, & Mongum, reſpectu ſaltem ad Acacium habito, negamus & pernegamus. Cum illis quidem communionem iniit, qui ejuratis erroribus Eutychem damnarunt, qui Zenonis Henotico ſubſcri-

ANNO DOM. 484.

Hormiſ. Ep. 11. 1449.

Liberat. c. 18.

Gelaſ. Ep. 1. 1159.

Felic. Ep. 6. 1073.

ὀρθοδοξοτάτῳ ſubſcripſere, qui Chalcedonenſe Concilium venerati ſunt. Itaque cùm rumor Acacii ad aures perveniſſet, Concilium palam publicèque à Mongo fuiſſe damnatum, gravi perturbatione commotus, ſubinde certos Alexandriam miſit de inquirenda veritate, qui accuſationem falſam eſſe retulerunt: Actis exhibitis, quæ teſtabantur, nil ejuſmodi à Mongo factum eſſe. Quin etiam manu ſuâ purgatum ſe Mongus voluit, certum faciendo ſe Chalcedonenſium placitorum cuſtodem eſſe: *Evagr. l. 3. c. 17.* *Quo enim modo ſanctam Chalcedonenſem Synodum anathematizare potuimus, cui credidimus, & quam confirmavimus.* Illud ipſum teſtatur Liberatus verbis ejuſmodi: *Liber. c. 18.* Mongus *permanſit in Epiſcopatu, ſcribens Acacio, quia eſſet Synodi communicator.* His accedit, quòd Zeno Auguſtus Felici ſcripſit, Petrum Mongum *Evagr. l. 3. c. 20.* *ſanctiſſimum Chalcedonenſe Concilium amplecti, atque venerari.* Qui verò Actis publicis, voce, manu, palam publicèque teſtatur, Chalcedonenſia ſe ſcita amplecti, ille quidem, reſpectu ad homines habito, Eutychianus audire non poteſt, cùm extrinſecus Orthodoxus videatur. Porrò cum homine ejuſmodi ſocietate conjungebatur, Acacius igitur ne vel *communione* fuit Eutychianus. Mongum ſanè Hæreticum neſciebat, neque ignorantia ea fuit affectata, cùm diligentiam adhibuerit omnem, ut de Mongi fide veri notitiam ſibi compararet. Quem niſi poſitâ omni charitate, prudentiâ, ratione, poſt tot teſtimonia publica contemptorem Chalcedonenſium exiſtimare non licuit. Neque Mongum pro Hæretico habuit Euphemius, vir fidei puræ ſervantiſſimus. Id patet Gelaſii ad ipſum Epiſtolâ: *Gelaſ. Ep. 8. 1160.* *An Petrum dicitis fuiſſe purgatum, cui communicavit Acacius. Veris aſſertionibus edocete, hoc oſtendite.*

Acacius ad Felicis citationem Romam petere non debuit.

XIV. Neque etiam culpandus Acacius, quòd ſe accerſenti Felici non obtemperarit. Urget quidem Gelaſius in ſua ad Dardaniæ Epiſcopos Epiſtola: *Hoc ipſo ſatis oſtendit, reum ſe eſſe confeſſum, qui ad legitimum judicium poſtulatus, adeſſe contempſit.* Crepat & Felix, Reſcripta *Gelaſ. Ep. 13. 1201.* Principum, atque Canones, quorum vi Acacius tenebatur, citationi parere, Romamque petere, ut ab accuſationibus Talaiæ purgaretur. *Lab. Conc. t. 4. 1098.* *Libellum*, inquit, *niſi, ut frater & Coepiſcopus meus Acacius, ſicut Eccleſiaſticis neceſſe eſt, & veſtris Legibus fieri decet, ad hæc, quæ de ſe pervidet intimari apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum, diluere obedienter procuret, nec ullo modo exiſtimet differendum.* Quas verò Leges dicis? Sardicenſes ſanè, atque Valentiniani, ſuo loco redditas. Atqui his Legibus non tenebatur Acacius, cùm Sardicenſe Concilium, Valentinianique Reſcriptum, qui Occidenti duntaxat imperabat, in Oriente non ſuſciperentur. Neque Canonis vel Sardicenſis exercendi locus ullus fuit, utpote de Epiſcopis conditus, qui ſunt à Concilio judicati: quo caſu Sardicenſes ſciſcunt, ut *ſcribatur Julio Romano Epiſcopo, etſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det Judices.* Nullo autem Synodi judicio Talaia damnatus erat. Quia perfidum dixerat juramentum Imperator, regiâ poteſtate hominem ejecerat. Neque etiam Sardicenſes Canones jubebant, *apud Petrum Apoſtolum* in urbe Epiſcopos cauſam dicere. Id Antiſtiti Romano duntaxat permittebant, ut ſcriberet *Sard. c. 5.* his Epiſcopis, *qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut juxta fidem veritatis definiant.* Nullis ergo Legibus jubebatur Acacius adeſſe Felicis tribunali: imò Canone XXVIII. Chalcedonenſi prohibebatur, qui æqualia Conſtantinopolitanæ Sedi cum Romano throno tribuerat. Ut nil Felici eſſet juris ad citandum Acacium, quem eâ ratione de dignitate ſua dejiciebat. Ad gloriam ſanè ſuam extollendam Felix non minimum conducere exiſtimabat, quòd regiæ urbis Epiſcopus coram ſuo tribunali accuſationes, quibus petebatur, diſſolveret. Neque etiam culpandus videtur Acacius, quòd ad incendia Alexandrina extinguenda Mongum errores ſuos ejurantem ad Pontificatum promoveri permiſerit. Obverſabantur ipſius ante oculos altaria ſanguine reſperſa, fumantes Eccleſias, bella inter Chriſtianos pluſquam civilia. Quibus removendis Mongus Alexandrinorum benè multis pergratus, videbatur maximè idoneus, ac eò magis quò ſuſcepto Concilio Chalcedonenſi, quod olim infamaverat, glorioſè de erroribus, & ampliſſimè veritas triumpharet. Nolumus tamen Acacium ab omni parte integrum eſſe. Diſplicet quòd privatis injuriis indulgens contemptum magis ſuum, quàm Talaiæ perjurium ulciſci voluerit. Gravius & illud, quòd inconſulto Epiſcopo Romano Mongum Alexandrino præficiendum eſſe curaverit, non ſine Canonum injuria. Vera quidem prædicat Felix in ſua ad Fravitam Acacii ſucceſſorem Epiſtola: *Abſolvi autem Petrus nullâ ratione potuit ſine Apoſtolicæ Sedis aſſenſu, quâ fuerat mandante ſecluſus, ſicut de recipiendis talibus forma Veterum teſtatur Antiſtitum.* *Felix. Ep. 13. 1090. Videatur & Simplicii Ep. 17. & Gelaſii 13.* Id tamen tanti non fuit, ut Felix, tanquam in Hæreticum detonaret, latâque excommunicationis ſententiâ terrarum orbem turbaret, corpus Eccleſiæ laceraret, & ad fundendum cruorem materiam furori præberet. Quæ unâ duntaxat ratione excuſari poſſent, ſi Acacius vel dogmate, vel ſocietate fuiſſet Hæreticus. Quo crimine cùm ipſius liberaverimus innocentiam, apparet non ſatis æquam Felicis fuiſſe ſententiam, qui hæreſeos exterminandæ obtentu illatam ſibi injuriam ultus eſt, occaſionemque quæſivit poteſtatem ſuam amplificandi, dum regiæ urbis Antiſtes conſtituto vadimonio, Romani Pontificis ante tribunal diſcendæ cauſæ velato quaſi capite exhibetur. Equidem cùm Felici ſcripſiſſet Imperator, & aliundè noſcere poſſet, Mongum ſpecie ſaltem Chalcedonenſem fidem profiteri, ſuis parcere fulminibus debuit, donec miſſis Alexandriam uſque inquiſitoribus, quid rerum ab Petro Mongo gereretur, perſpicuè exploratèque noſceret. Ea Vitali, Miſenoque provincia potius injungenda fuit, quàm legatio ad citandum Acacium, quæ non ingrata Imperatori non eſſe potuit.

Tumultus ob Zenonis Henoticum.

XV. Intereà magno in motu temporum, atque converſione rerum Oriens verſabatur. Complures quidem Zenonis Henotico Epiſcopi ſubſcripſerant. In illud tamen nonnulli ſe adverſarios intendebant. Qui ea de cauſa ejectionis ab Epiſcopatu pœnam ſuſtinuerunt. Rem ſic exponit Evagrius. Invaleſcente ſchiſmate Alexandriæ, Petrus cùm Leonis Epiſtolam, & Acta Chalcedonenſis Concilii, eoſque, qui Dioſcori ac Timothei ſcripta minimè ſuſciperent, iterum ſub anathemate damnaviſſet, Epiſcopis quibuſdam, & Archimandritis perſuaſit, ut ſibi communicarent, & quoniam aliis idem perſuadere non potuerat, plurimos Monaſteriis ſuis exegit. Quas ob cauſas *Nephalius* ad urbem regiam profectus, rem Zenoni omnem nunciavit.

ANNO DOM. 484.

Evagr. l. 3. c. 22. *Liberat. c. 18.*

vit. Abbatem Nephalium agebat, de quo & mentio eſt in Liberato: *Scandalizabat autem Imperatorem & illos, qui a parte Nephalii Abbatis erant, & qui circa Joannem Epiſcopum Egumenum, Monaſterii Diolsbon, & agens contra ipſum Joannem, Præpoſituram ei abſtulit, & eam tradidit Monaſterio Abbatis Amonis.* Nunciis Nephalii graviter commotus Imperator, *Coſmam* unum ex Protectoribus, miſit Alexandriam, qui minas Petro intentaret, quòd aſperitate ſuâ diſſenſionem excitaſſet. Coſmæ tamen nil ex voto ſucceſſit: itaque Monachis, qui expulſi fuerant, in ſua domicilia reſtitutis, Conſtantinopolim revertitur. Rurſus Imperator *Arſenium* mittit, quem Præfectum Ægypti, & Ducem rei militaris ſimul promoverat, qui unà cum Nephalio verba fecit de concordia. Quam cùm reſarcire non poſſet, nonnullos Conſtantinopolim miſit, qui multa coram Zenone de Concilio Chalcedonenſi diſputarunt abſque ſucceſſu. Hæc à nobis minus intelligi profitemur. Ecce iterum Mongum, qui Chalcedonenſia Decreta reſcindit. Qui nuncius ut affertur Imperatori, geminam legationem mittit, quæ de rebus inquirat. Neque Mongus expellitur, quod ſanè mirum eſt, ſi Hæreticus Eutychianus deprehenditur, palam publicèque Chalcedonenſem Synodum proculcans. Quo facto Zenonis indignationem in ſe provocaſſet. Hæc ſanè ſibi non conſtant, cùm id Concilii Zenoni venerationi eſſet, teſte ipſius ad Felicem Epiſtolâ, à qua *Sanctiſſimum* Concilium vocatur. Neque ab illo diſſentiebat *Henoticum*. Qui ergo fieri potuit, Zenonem patienter toleraſſe Mongum, ſi nobis naturâ humanâ Conſubſtantialem Chriſtum inficiabatur? Quo caſu & Henotico, quod Imperatori cordi erat, & Concilio Chalcedonenſi, adverſatus fuiſſet. Iterum dicimus, multa hic narrantur, quorum eſt fides difficillima. Neque ſatis capimus, qui Evagrius ſcribere potuerit, *Zeno Chalcedonenſi Concilio minimè aſſentiebatur*, cùm capite XX. Zenonis Epiſtolæ partem retulerit, memorantes, Petrum ſanctiſſimum, Chalcedonenſe Concilium amplecti, atque venerari. Una fortè contraria hæc conciliandi ratio eſt, ſi dixerimus, fuiſſe ex Orthodoxis nonnullos, quibus perſuaſum erat, Synodum Chalcedonenſem autoritate ab Henotico, cujus obſervationem Mongus cùm urgeret, propoſito diſſentientibus anathemate, à veſtigio ingeminabant, Chalcedonenſe Concilium eſſe damnatum. Noſtram Liberatus conjecturam firmat:

Liberat. c. 18.

Mongus *permanſit in Epiſcopatu, ſcribens Acacio, quia eſſet Synodo communicator, & fallens Alexandrinos, quia non communicaret Synodo: ita ut quidam communicatorum ejus Clerici, Monachi, & Laici cognoſcentes ejus fallaciam, ſepararent ſe ab ejus communione.* Atqui non *quidam* duntaxat, ſed omnes omninò Orthodoxi communionem utique Mongo renunciaſſent, ſi palam & publicè anathema Chalcedonenſi Synodo dixiſſet. Rigidiorum ergo Orthodoxorum ex opinione, non ex rei veritate Synodum anathemate feriebat. Quæ ut magis illuſtrentur, animo recondenda ſunt verba Libelli, quam Dioſcorus, & Chæremon Alexandrinæ Eccleſiæ Apocriſiarii *Feſto* Senatori, & Legatis Anaſtaſii Papæ II. Germano, & Creſconio obtulere. Accuſabantur Eutychianiſmi Dioſcorus, Ælurus, atque Mongus: *Veſtra reverentia illud etiam aſſerebat, hanc fidem Dioſcorum, Timotheum, Petrumque ſenſiſſe,*

Lab. Conc. t. 4. 1285.

noſtræ quidem civitatis Archiepiſcopos, nec debere in Diptychis eorum nomina recenſeri. Nos contra popoſcimus, aut produci adverſus eos, qui aſtruant, taleſque demonſtrent, aut ſi non reperientur, qui eos convincere potuiſſent, nobis pro eorum perſona ſatisfacientibus, acquieſcant: demonſtrantibus, & approbantibus, quod hanc fidem tenuerint, docuerint, cunctiſque, quos informaverunt, tradiderint, præfati parentes noſtri, & Archiepiſcopi, Timotheus, Dioſcorus & Petrus. Teſtantur & Dioſcorus & Chæremoni errores, qui in Græca Leonis Epiſtolæ verſione continebantur, cauſam præbuiſſe diviſioni utriuſque Eccleſiæ, Alexandrinæ ſcilicet, & Romanæ.

Crudelitas Hunnerici in Orthodoxos.

XVI. Digna quidem lachrymis ea diſſidia: at lamentabiliora funera edit in Africa doloſa rabies Hunnerici, qui perſecutioni ſuæ colophonem impoſuit. Quæ anno ſuperiore lentis caloribus urebat Eccleſiam, ea grandioribus incendiis languentem corripuit, ut in cineres penè tota redigeretur. Malum ſigna multa portendiſſe ferunt: Antè fermè *biennium*, quàm perſecutionis vis incumberet, *vidit quidam Fauſti Eccleſiam in ornatu fulgentem, cereis quoque fulgentibus, palliorumque velamine, ac lampadibus rutilantem. Et dum lætaretur candore tanti fulgoris, ſubitò, ait, luminis illius concupiſcibilis extinctus eſt fulgor, ac tenebris ſuccedentibus adverſarius naribus natus eſt fœtor, omniſque illa beatorum turba, expellentibus quibuſdam Æthiopibus minata eſt foras.* Alius eandem Baſilicam porcis capriſque refertam ſibi videre viſus eſt. Anno ſuperiore multa Hunnericus adverſus Orthodoxos iniqua conſtituerat. Ut nemo ſcilicet in palatio militaret, aut publicas cauſas ageret, niſi ſe Arianum profiteretur. Defunctorum Epiſcoporum opes fiſco addicebantur. Ut defunctorum alicui ſuccederetur, Regio quingenti ſolidi fiſco dari jubebantur. Sacras Virgines ab obſtetricibus, Vandaliſque inſpici juſſerat, quarum & mammillis candentes ferri laminas apponebant, jubentes, *Dicite quoniam Epiſcopi vobiſcum concumbunt, & Clerici.* Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, alioſque de Eccleſia quatuor mille, & 961. numero in exilium ejecerat. Crudelitatem ſuperat omnem, quòd qui ob ſenium, debilitatem, laſſitudinem amplius progredi non poſſent, *ligatis pedibus, ut cadaver animalis mortui* per aſpera petrarum traherentur. Sed parcendum orationi. Inſpiciatur Victor Vitenſis libro ſecundo.

Hunnerici mandato Epiſcopi Carthaginem vocantur.

XVII. Ut propius ad labentis anni perſecutionem veniamus, Hunnerici Decretum eſt referendum, quo Epiſcopi Africæ omnes Carthaginem confluere jubentur. Die Aſcenſionis Domini anni CCCCLXXXIII. *Regino* Leonis Imperatoris Legato præſente, Hunnericus legendum Eugenio Reſcriptum mittit, quod & *veredis currentibus* ad univerſam Africam dirigitur: *Rex Hunnericus Vandalorum & Alanorum, univerſis Epiſcopis Homouſianis. Non ſemel, ſed ſæpius conſtat eſſe prohibitum, ut in ſortibus Vandalorum Sacerdotes veſtri Conventus minimè celebrarent, ne ſuâ ſeductione animas ſubverterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes pluriṃi, nunc reperti ſunt contra interdictum, Miſſas in ſortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in Provinciis à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, ideò Dei providentia, cum conſenſu Sanctorum Epiſcoporum noſtrorum, hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, ut ad diem*

Vict. de Perſ. Afr. l. 2.

Calen-

Calendarum Februariarum proximè futurarum, omiſſa omni excuſatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, ut de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conflictum, & de fide Homouſianorum, quam defenditis, de divinis Scripturis propriè approbetis, quò poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis. Hujus autem Edicti tenorem univerſis Epiſcopis tuis, per univerſam Africam conſtitutis direximus. Data ſub die XIII. *Kal. Junias, anno* VII. *Regis Hunnerici.*

Epiſcopi Catholici Carthaginem veniunt. Eorum numerus.

XVIII. Latè ſtrepens ille tonitrus orthodoxa pectora timoribus implet, neque dubitabant, quin certa ſibi ruina impenderet. Quid tanta in perturbatione conſilii capiunt Præſules? Eugenio dant Libellum Hunnerico offerendum, ut ad Collationem de communi fidei cauſa habendam transmarini quoque Epiſcopi vocarentur. Sapiens erat poſtulatio hæc. Non deerant quidem Africæ Epiſcopi, qui eruditione ſuâ Religionem defenſum irent. At & majorem animis fiduciam indidiſſent Epiſcopi ex Principum ditionibus coacti, & certi teſtes fuiſſent calamitatum atque calumniarum, quibus Eccleſiæ Africanæ opprimebantur. Conditionem reſpuit Vandalus, in quo aſtutia & crudelitas æquis viribus certabant. Hæc ergo per *Obadum*, Regni ſui Præpoſitum Eugenio mandat: *Subde mihi univerſum orbem terrarum, & facio, Eugeni, quod dicis.* Appropinquante Collationis die adſunt Epiſcopi, & Africæ, & Inſularum, quæ Hunnerici ſub ditionem venerant, numero trecenti & quadraginta, octo ex quibus CCCII. per Africæ Provincias diſperſi terram colebant; quadraginta verò ſex in Corſica inſula ligna cædebant. Hinc cognoſcere licet, quantum mali intulerit Africæ Vandalorum ingreſſus. Anno CCCCXI. Carthaginenſi in Collatione, DLXX. Cathedræ Epiſcopales numerabantur. At anno labente incluſis vel Sardinienſibus, octo extabant duntaxat CCCCLXVI. additis ſcilicet eorum multitudini, qui Carthaginem venerant, & octoginta octo, qui ante Collationem naturæ ſatisfecerant, & viginti octo, qui fugæ ſe mandarant, & Confeſſorem unum, & Martyrem. Labentibus igitur annis circiter LV. imperante Vandalo Sedes Epiſcopales defecerant *centum & quatuor.* Quæ lamentabilis ſanè ruina fuit. Nomina porrò Epiſcoporum, qui Collationi interfuere, exhibet Notitia Provinciarum, & Eccleſiarum Africæ, anno MDCXXX. à Sirmondo edita, & libro IV. *Victoris* addita, Patrum in Bibliotheca Maxima. Nomina eorum, qui adfuere, vel in exilium miſſi ſunt, ex Provincia Proconſulari LII. ex Numidia CXXIII. ex Byzacena CVII. omiſſis ſex, quæ Epiſcopos non habuerunt: ex Mauritania Cæſarienſi CXX. prætermiſſis ſex, quæ Præſulibus caruerunt: ex Sitifenſi XLIV. ex Tripolitana quinque, ex Sardinia octo: *Et ſic*, inquit Notitia, *ſunt omnes Epiſcopi diverſarum Provinciarum numero* CCCCLXVI. *Ex quibus perierunt numero* LXXXVIII.

Collatio Carthaginenſis Arianorum cum Catholicis. Edictum Hunnerici.

XIX. Cruenta Collationis fuere præludia. De grege Doctorum unus, nomine *Lætus*, poſt diuturnos carceris labores igni traditur, ut cæteris metus incuterentur. Tandem ad diſputationem itur, in eo ipſo loco, quem Ariani conſtituerant. De Orthodoxis electi decem numero, qui pro omnibus reſponderent: *Collocat ſibi Cyrila cum ſuis ſatellitibus in loco excelſo ſuperbiſſimum thronum, aſtantibus noſtris.* Cyrilæ Vandali Patriarchæ nomen indiderant, quæ cauſa fuit, cur *Eugenius*, uti videtur, (nam exemplaria mutila ſunt) quæreret: *Legatur nobis, quo concedente iſtud ſibi nomen Cyrila aſſumpſit.* Hic adverſarii calumniari, tumultuari, adeò ut Laici Orthodoxi, qui aderant, juberentur *centum fuſtibus tundi.* Ad hæc Eugenius clamat, vim eam eſſe, atque perſecutionem. Subinde Epiſcopi ad Cyrilam converſi, *Propone*, inquiunt, *quod diſponis.* Hic verò Latinæ linguæ imperitum ſe profiteri, diverſis & tergiverſationibus, & cavillis uti. Quo viſo, quem antè paraverant Libellum, de ſua fide offerunt, *Die Kal. Majarum* XVII. *per Januarium Zattarenſem, Villaticum de caſis Medianis, Epiſcopos Numidiæ, & Boniſacium Foratinenſem, & Boniſacium Gratianenſem, Epiſcopos Provinciæ Byzacenæ.* Libelli Autor Eugenius, teſte Gennadio, c. 93. Eugenius *compoſuit librum fidei, ſolum Scripturarum teſtimoniis communitum, & per Collegas Confeſſionis ſuæ porrexit.* Dum Hunnerico legitur liber, quo variis Scripturæ teſtimoniis unius ejuſdem eſſentiæ Trinitas demonſtratur, furentes Ariani ſuo Regi ſuggerunt, Collationem Catholicorum ſtrepitu interpellatam fuiſſe: qui abſque mora, quod jam in animo conſtituerat, mandat executioni. Miſſis occultè per diverſas Provincias hominibus Decreto ſuo, *unâ die univerſa Africa Eccleſias clauſit, univerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum & Eccleſiarum ſuis Epiſcopis munere condonavit.* Datum Edictum ſub die VI. Kal Martias, quo exponebatur, Orthodoxis propoſitum, ut *Homouſion* ex divinis Scripturis probarent, aut illum Ariminenſium exemplo damnarent. Neutrum verò ab ipſis factum, qui ſuis potius clamoribus populos ad ſeditionem inflammarunt. Idcòque Imperatorum ſuorum Reſcripta in ſemetipſos vertenda: ſcilicet ne ullas ſive in urbibus, ſive in vicis Eccleſias haberent: facultates Eccleſiæ Arianorum Epiſcopis nullâ baptiſmi miniſtrandi, ordinandive autoritate Epiſcopi pollerent, &c. Pœnis & omnes ſubjicit, qui *intra diem Kal. Juniarum* Vandalicam religionem non amplexi fuerint. Ubi promulgatum eſt Edictum, congregatos Carthagine Epiſcopos ſpoliari, ſpoliatoſque extra muros propelli jubet: *Non animal, non ſervus, non mutanda quæ ſerebant veſtimenta, penitùs dimittuntur.* Exotis miſerationis aliquid exhiberi prohibebat, hoſpitium, alimenta, propoſitâ non obtemperantibus incendii pœnâ. Extra Carthaginis muros dum ſub Jove frigido jacent, Hunnericus ad piſcinas ambulatum præceſſit. Ad quem dum accedunt, quæſitum quibus de cauſis tectis, opibus ſpoliati, fame nuditateque extingui juberentur, ille nondum loquentes torvis oculis aſpiciens, præcipit ſuper eos *cum ſeſſoribus equos dimitti*, ut pedibus proculcarentur. Quo impetu multi conteruntur. Poſthæc jubentur ad *ædes Memoriæ* cogi: congregatiſque Eccleſiarum domorumque ſuarum reſtitutio promittitur, eâ lege, ut jurarent, ſe quod chartula continebatur, fideliter præſtituros. Omnium nomine reſpondentibus *Hortulano* & *Florentiniano* Epiſcopis, chartulam ſe neſcire, temerarium juramentum imperari, quid peteretur, miniſtri Regis aperiunt: *Jurate, ſi poſt obitum Domini noſtri Regis ejus filium Hildericum deſideratis eſſe Regem: vel ſi nullus veſtrum ad regiones transmarinas Epiſtolas diriget, quia ſi ſacramentum hujus rei dederitis, reſtituet vos Eccleſiis veſtris.* Hic Antiſtites fluctuare: pars jurandum cenſebat, ne populi quærerentur, vitio Sacerdotum Eccle-

Vict. de Perſ. l. 3.

ſias

Anno Dom. 484.

ſias non fuiſſe reſtitutas. Prudentiores fraude intellectâ juramentum abnuunt, dicentes ſibi prohibitum Evangelicâ autoritate, *Ne jurate omninò.* Tum qui jurare volebant, mandato Miniſtrorum ſe cedentibus, ubi à Notariis quid quis diceret, & ex qua civitate exceptum eſt, idemque ſimiliter factum de iis, qui jurare nolebant, pars utraque cuſtodiæ mancipatur. Jurantibus dicitur, *quare contra præceptum Evangelii jurare voluiſtis?* Jubet Rex, *ut relegati colonatus jure ad excolendum agros accipiatis*, eâ lege, ne pſallatis, oretis, ſacramenta miniſtretis. Non

Vict. de Perſ. l. 4. jurantibus verò dictum: *Quia regnum filii Domini noſtri non optatis, idcircò jurare noluiſtis. Ob quam cauſam juſſi eſtis in Corſicam Inſulam relegari, ut ligna profutura navibus Dominicis incidatis.* In Notitia Eccleſiarum Africæ ea leguntur, hiſtoriæ illuſtrandæ perquàm idonea: *Fiunt omnes Epiſcopi diverſarum Provinciarum numero* CCCCLXXXVI. *Ex quibus perierunt numero* LXXXVIII, *id eſt, de Proconſulari numero* IV. *de Provincia Numidia numero* XXXIV. *de Provincia Byzacena numero* II. *de Provincia Mauritania Cæſarea numero* XXXII. *de Provincia Mauritania Sitifenſis numero* VIII. *Permanſerunt numero* 378. *Corſica relegati* XLVI. *hic relegati numero* CCCII. *fugerunt numero* XXVIII. *paſſus numero* I. *Confeſſor numero* I. Quibus addi poſſunt de ea perſecutione verba Marcellini: *Exulatis diffugatiſque plus quàm* CCCXXXIV. *Orthodoxorum Epiſcopis, Eccleſiiſque eorum clauſis, plebs Fidelium variis ſubacta ſuppliciis, beatum conſummavit agonem.*

Eugenii ad gregem ſuum Epiſtola. Relegatur.

XX. Ne hîc quidem prætereunda eſt Eugenii Carthaginenſis ad gregem ſuum Epiſtola, dum exulatum proficiſcebatur, cujus meminit

Gennad. Catal. c. 93. Gennadius: *Aſportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium, Epiſtolas velut commonitorias fidei, unius ſacri, & conſervandi baptiſmatis ovibus ſuis, quaſi Paſtor ſollicitus dereliquit.* Epiſtolam Gregorius Turonenſis exemit oblivioni: *Dilectiſſimis & in Chriſti amore dulciſſimis filiis, & filiabus Eccleſiæ mihi à Deo commiſſa Eugenius Epiſcopus.* Omnes verò hortatur, *per Dei majeſtatem, & per tremendam judicii diem*, ut firmiter teneant Catholicam fidem, *aſſerentes Filium Patri eſſe æqualem, & Spiritum Sanctum eandem habere cum Patre & Filio Deitatem.* Unius baptiſmi gratiam retineant, & *Chriſmatis unctionem*: & ab-

Greg. Tur. l. 2. c. 3. ſentiæ ſuæ mœrorem ſolentur: *Ego*, inquit, *vos nec longinquitate aliquâ obliviſcor, nec morte à vobis divellor. Scitote, quia quocunque me fecerint dividi agonem, mecum eſt palma. Si ad exilium abiero, beati Joannis Evangeliſtæ exemplum: ſi ad mortis exitum, vivere mihi Chriſtus eſt, & mori lucrum: ſi rediero, fratres, implebit Deus deſiderium veſtrum. Attamen ſufficit modo, quod vobis non tacui, monui, inſtruxi, quomodo potui, ideòque immunis ſum à ſanguine omnium pereuntium, & ſcio quia adverſus eos legentur literæ iſtæ, ante tribunal Chriſti, cùm venerit reddere unicuique ſecundum opera ſua. Si reverſus fuero, fratres, videbo vos in hac vita: ſi non reverſus fuero, videbo vos in futura. Dico tamen vobis, valete, orate pro nobis, & jejunate*, &c. Sanctus ille Eugenius Tamallunenſem civitatem in confinio Tripolitanæ ſitam relegatur. Ibi crudeliſſimus homo, *Antonius* nomine, Arianorum Epiſcopum agebat: cujus ſævitia cùm Hunnerico probè nota eſſet, in ipſius eremi partibus exulem Eugenium collocat. Quem cùm cuſtodiendum accepiſſet Antonius, nullt ad ipſum concedere aditum vo-

Anno Dom. 484.

luit. Structis & compluribus inſidiis, morti eum mittere conatus eſt. Dum aſpero cilicio indutus Eugenius, in nuda humo cubilia ſua collocat, paralyſim ſibi contrahit. Tum Antonius eum tollere cogitat, quem ſupereſſe nolebat. Ac nolentibus ſenis optimi faucibus acerrimum acetum ingerit. Cujus aſperitate morbi vis invaluit.

Vict. de Perſ. l. 5. 695. Alus tamen præliis reſervatus Eugenius, Deo favente in integram valetudinem reſtituitur.

Crudelis Hunnerici perſecutio.

XXI. Pulſis Epiſcopis, quâ ratione Hunnericus manus Fidelium ſanguine ſuas cruentarit, paucis narremus. Nondum Præſules in exilium dirigebantur, cùm Orthodoxos carnificibus deſtinat. Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus necabant: mulieres præcipuè nobiles oculis nudas exponebant. Eminet inter eas *Dionyſia*, quam celſiori loco veſtimentis exutam conſtituunt. Quæ cùm filium unicum teneræ adhùc ætatis, metu ſuppliciorum correptum videret, oculorum nutibus increpatum ita animavit, ut matre multò fortior redderetur: *Cùm mater crudelia verbera conſtitute*, ita dicebat: *Memento, fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati ſumus.* Glorioſam quoque victoriam retulit mulier ſui nominis *Victoria*. Quam dum pendebatur, ſic perditus ipſius ſponſus alloquebatur: *Quid pateris, conjux? Si me deſpicis, vel horum miſerere, quos genuiſti, impia, parvulorum . . . Reſpice, quæſo, filios ac maritum, & regiæ juſſionis implere feſtina præceptum, ut & immunentia adhuc tormenta lucreris, ſimul & mihi doneris, & liberis noſtris.* Mentem immotam flectere non potuit condita veneno dulcis hæc oratio: itaque tam crudeliter cruciatur, ut pro exanimata relinqueretur: mox tamen Dei ope reſtituitur. Ut in *Victoriano* ſimile nomen, ſic & ſimilis ſortiendo fuit, *Victoria* non impar magnanimitati. Divitiis abundabat, fideliſſimumque ſemper Hunnerico ſe præſtiterat. Quem cùm magnitudine promiſſionum Rex expugnare vellet, admiranda hæc reſpondet: *Subigat ignibus, adigat beſtiis, excruciet generibus omnium tormentorum: ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus.* Nec prælii incerto eaitu ad Martyris lauream feſtinat. Mirabilior ſequentis caſus narratio. Urbis Typſaſenſis, quæ in majore Mauritania ſita eſt, cives audientes Cyrilam Arianum, ex Notario Epiſcopum ſibi deſtinari, navali fugâ Hiſpaniam petunt, relictis pauciſſimis, quos Arianus Præſul blandimentis primùm, deinde minis compellere cœpit, ut errorem amplecterentur. Qui minarum ſecuti publicè myſteria divina in una domo congregati celebrarunt. Miſſâ relatione, cùm hoc Regi innotuiſſet, Comitem dirigit cum præceptis, ut congregata in foro Provincia *linguas eis*,

Vict. l. 5. *& manus dexteras radicitùs abſcinderet*: quo facto *Spiritu Sancto præſtante ita locuti ſunt & loquuntur, quo modo anteà loquebantur. Sed ſi quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis Subdiaconum Reparatum, ſine ulla offenſione loquentem.* Ea de cauſa & Zenoni, & Auguſtæ venerationi erat. Miraculi hujus ſe ſpectatorem narrat Marcellinus: *Ex hoc Fidelium contubernio aliquantos ego religioſiſſimos viros, præciſis linguis, manibus truncatis apud Byzantium integrâ voce conſpexi loquentes.* Crudelitatem Regiam, etſi magnam, Clericorum

Vict. de Perſ. l. 5. tamen ſævitia ſuperavit: *Illo tempore crudelius Arianorum Epiſcopi, Presbyteri, & Clerici, quàm Rex & Vandali ſæviebant. Nam ad perſequendum*

ANNO DOM. 484.

ipſi cum ſuis Clericis ubique gladiis accincti curre-baut, ſicut quidam Epiſcopus inter illos cæteris cru-delior, Antonius nomine. Sermo nos longius de-tineret, ſi de cæteris Martyribus mentionem agitaremus. Hæc ſufficiant ad Africanorum Martyrum gloriam prædicandam &, Vandalicam crudelitatem demonſtrandam.

Hunnericus crudeli morte extinguitur: quot annos regnarit?

XXII. Dum diris cruciatibus Eccleſiam Africanam laceraret Hunnericus, ſenſit non mor-talibus, ſed Chriſto injuriam ſe feciſſe, elemen-tis ipſis primùm ad pœnas impio irrogandas fe-ſtinantibus. Pluviâ negatâ, remanſit lurida ter-ræ facies: nullis arbores frondibus, nullis ſegeri-bus tellus cooperiebatur. Lues gravem animali-bus, & hominibus cladem immittebat. Juve-num, ſenum, adoleſcentium, adoleſcentularum, puerorum agmina ſimul & funera paſſim dif-fundebantur. Catervatim Carthaginem con-fluebant animata cadavera. Miſeros ea urbe pelli Rex è veſtigio jubet, *ne contagio deficientium com-mune pararet etiam exercitui ejus ſepulchrum.* Neque multò pòſt regio corpori horrenda pœna irroga-tur, quam Victoris verbis referemus: *Tenuit ſce-leratiſſimus Hunnericus dominationem regni, annis ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mor-tem conſummans. Nam putrefactum & ebulliens vermibus non corpus, ſed partes corporis ejus viden-tur eſſe ſepulta.* Itaque graviter errat Calviſius, qui & Carthaginenſem Arianorum cum Ortho-doxis Collationem, & Hunnerici tam perſecu-tionem, quàm obitum anno 485. alligavit. Mul-ta de ſuo, vel ex falſo rumore petita, tragicæ Hunnerici morti addidit Gregorius Turonenſis: *Honoricus poſt tantum facinus arreptus à Dæmone, qui diu de Sanctorum ſanguine paſtus erat, propriis ſe morſibus laniabat. In quo etiam cruciatu vitam indignam juſtâ morte finivit.* Porrò Hunnerici regno *dies* XVIII. addit fragmentum in Ap-pendice Chronici Proſperi. Ab anno igitur CCCCLXXVII. Januarii die XXV. ad uſque la-bentis anni Decembris XII. Imperio potitus eſt. Dirum magni Regis ſupplicium ubique locorum clamat

Vict. de Perſ. l. 5.

Gregor. Hiſt. l. 2. c. 3.

Diſcite juſtitiam moniti, nec temnite Chriſtum.

ANNO DOM. 485.

ANNO U. C. 1238. OLYMP. 316. PER. JUL. 5198. JUL. 530. DOM. 485. ZENON. 11. & 12. *Sol.* 18. F. *Lun.* 11. *Indict.* 8. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 2. P. 21. *April.*

COS. *Symmachus ſolus.*

Eclipſis Gregoriana, num labentis anni fuerit?

Greg. Tur. l. 2. c. 3.

I. Eclipſi nobilis annus fuit, quam pro Solis, Africanæ Eccleſiæ clades lugentis, quaſi dolore Gregorius Turonenſis habuit: *Tunc & Sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret. Credo namque pro tantis ſceleribus, & effuſione ſanguinis innocentis.* Eclipſis obſervante Calviſio *contigit hoc anno, die* XXIX. *Maii, feriâ quartâ, horâ 7. poſt meridiem Lutetiæ.* Quæ cauſa fuit, cur vir ille doctiſſimus Collationem Carthaginenſem, cruentamque Hunnerici per-ſecutionem anno labenti affigeret. De Eclipſi tam vera eſt obſervatio Calviſii, quàm falſa de Collatione Arianorum, & Catholicorum Chro-nologia. Eclipſim quod attinet, ejuſmodi opi-nionis clariſſimus Noriſius olim fuerat, Calvi-ſium in errore verſari, illamque non ſecus ac perſecutionem in annum CCCCLXXXIV. retu-lerat, Hiſtoriæ Pelagianæ l. 2. c. 21. Verùm enimverò in addendis Calviſio cumulatè ſatisfe-cit, cujus & ſententiam amplectitur. Itaque hîc & à Baronio peccatum, qui Gregorii Eclip-ſim cum anno ſuperiore conjungit. Fuit tamen ſua & huic anno Eclipſis, ſed à Gregoriana pror-ſus diverſa: *Apparuerunt autem ante finem anni prodigia, veluti Solis defectus adeò perſpicuus, ut nocte atque interdiu perduraverit. Obſcuritas enim profunda ingruit, & Stellæ conſpectæ ſunt. De-fectus autem contigit in Capricorno, plagam verſus Orientalem.* Hæc Marinus Philoſophus, de quo mentio eſt Photii in Bibliotheca, c. 242.

ANNO DOM. 485.

Sidonii ad Oreſium Epiſtola. Sancti Præſulis obitus.

II. Non in Galliis hærebat fama Sidonii: ad Hiſpanias uſque volabat, unde ad eum ſcripſit *Oreſius*, ſibi petens Sidoniana carmina. Oreſium Hiſpanis addicimus, ductâ ex his conjecturâ: *Venit in noſtras à te profecta pagina manus, quæ trahit multam ſimilitudinem de ſale Hiſpano in jugis caſo Tarraconenſibus.* Nova roganti poemata Si-donius abnuit: *Poſtquam*, inquit, *in ſilentio de-curri tres Olympiadas, tam pudeat novum poëma conficere, quàm pigeat. Tenebimus igitur quippiam medium, & ſicut epigrammata recentia modo nulla dictabo, ita literas ſi quæ jacebunt verſu referta, ſcilicet ante præſentis officii neceſſitatem mittam tibi.* Annus labebatur duodecimus ab eo tempore, quo Sidonius Epiſcopatum adierat, ineunte Olympiade 313. anno Dom. 473. Quæ proba-bilis videtur eſſe ratio, cur Olympiadum curri-culis Epiſcopales annos numeret ſuos. Per in-vidiam tamen inimicorum viro ſancto quietam tranquillamque vitam degere non licuit. Hiſto-riam narrat Gregorius: Sidonius *cum ad officium Dominicum fuiſſet mancipatus, & ſanctam ageret in ſeculo vitam, ſurrexere contra eum duo Presby-teri, & ablatâ ei omni poteſtate à rebus Eccleſiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad ſum-mam eum contumeliam redegere.* Sidonii gloriæ ea injuria profuit. Presbyterorum unus, *ſignum ad matutinas audiens eſſe commotum*, ſurgit, ha-bens in animo ea, quæ decreverat efficere. Ut vero latrinas ingreſſus eſt, Arii more, egeſtis in receſſum viſceribus fato fungitur. Ferunt & conjurationis ſocium paucis diebus ſuperfuiſſe Si-donio, cujus throno inhiabat. Dum convivio accumbit, *elapſo de manu calice reddidit ſpiritum.* Sidonii portò obitum ſic Gregorius narrat: *Bea-tus Sacerdos uno adhùc manente nihilominus inimi-co, ſua reſtituitur poteſtati. Factum eſt autem poſt hæc, ut accedente febrè ægrotare cœpiſſet, qui rogat ſuos, ut eum in Eccleſiam ferrent. Cùmque illùc illatus fuiſſet, conveniebat ad eum multitudo viro-rum ac mulierum, ſimulque etiam infantium plan-gentium atque dicentium, Cur nos deſeris, Paſtor bone, vel cui nos, quaſi orphanos derelinquis?* Flen-tibus reſpondiſſe fertur: *Nolite timere, ô populi, ecce frater meus Aprunculus vivit, & ipſe erit Sa-cerdos veſter.* Animam Cœlo reddidit die Au-guſti XXI. qui exinde anniverſariæ ipſius me-moriæ apud Arvernos dicatus eſt. Liberos ex Papianilla reliquit, *Apollinarem* filium, & filias duas, *Roſciam* & *Severianam*. De ſupremo Sidonii anno non ſatis liquet: cùm verò extre-mum munus ipſius in Epiſtola ad Oreſium, la-bente anno ſcripta reperiatur, conjectura eſt, diu inter homines Sidonium non egiſſe poſtmo-dum. Vir fuit pietate, eruditioneque non mi-nus, quàm origine nobilis, ut hoc experimento conſtet, viros illuſtres, qui ſacris præficiuntur, cæteros animi & firmitudine, & modeſtiâ longè ut plurimum ſuperare.

Sidon. l. 9. Ep. 12.

Greg. Hiſt. l. 2. c. 23.

Sidonii laudes, & fama. Epitaphium.

III. Scripta, quæ ab omnibus magni fie-bant, Autori contemptui erant. Ipſe unus de ſe

modicè

ANNO DOM. 485.

medicè ſentire, ac parum ſibi ſatisfacere videbatur. Quæ cauſa fuit, cur multa ſupprimeret, & quædam adorſus, ut Attilæ bellum operis pertæſus abjiceret. Hiſtoriam ſui temporis ut ſcriberet, hortante Eurici Regis à conſiliis *Leone* eâ ratione detrectavit, quòd ſcribendæ hiſtoriæ munus Clerico non conveniret. Si verum tamen amamus, ſcripta Sidonii obſcuritate laborant, quod fatetur & Ruricius Lemovicenſis Præſul in ſua ad Apollinarem Epiſtola: Sidonii *lectio*, inquit, *ſicut mihi antiquum, ita pro obſcuritate dictorum non accendit ingenium.* Sidonii memoria die Auguſti 23. in Martyrologio Romano recolitur: *Arvernis ſancti Sidonii Epiſcopi, doctrinâ & ſanctitate conſpicui.* Sidonianum natale tamen in XII. Kal. Sept. potius conſignari debuit, quo die & Arvernis colitur: *Religioſè aſſervantur ſacra ejus oſſa in Baſilica Geneſiana, quo jam olim ex vetere S. Saturnini ædicula, in qua primùm conditus fuerat, tranſlata commemorant.* Hæc Sirmondus, qui Sidonii quoque Epitaphium nobis fœneravit, carminum XVIII. quorum ultima ſic ſonant:

Ruric. Ep. l. 2. 21.

Quiſque hic dum lacbrymis Deum rogabis,
Dextram funde preces ſuper ſepulchrum:
Nulli incognitus & legendus orbi
Illic Sidonius tibi invocetur.

XII. *Kal. Septemb. Zenone Imperatore.*

Cum laude C. Sollii Sidonii Gennadius meminit in ſuo de Viris Illuſtribus Catalogo, c. 92. *Sidonius Arvernorum Epiſcopus ſcripſit varia & grata volumina, & ſana doctrina. Homo ſiquidem tam divinis, quàm humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio, ſcripſit ad diverſos diverſo metro, vel proſâ compoſitum inſigne volumen, in quo quid in litteris poſſet oſtendit. Verùm in Chriſtiano vigore pollens, etiam inter barbara ferocitatis duriciem, quæ eo tempore Gallos oppreſſerat, Catholicus Pater & Doctor habetur inſignis. Floruit eâ tempeſtate, quâ Leo & Zeno Romanis imperabant.*

ANNO DOM. 486.

ANNO U. C. 1239. PER. JUL. 5199. JUL. 531. DOM. 486. ZENONIS 12. & 13. *Sol.* 19. E. *Lun.* 12. *Indict.* .9 *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

COSS. *Longinus & Decius.*

Longinus quis?

I. ABſque Collega Longinum ampliſſimo Magiſtratu functum eſſe, Marcellini in Chronico reperimus. Fallitur tamen, cùm Longino Decius in Conſulatu ſocius fuerit, quem etiam agnoſcunt & Faſti Græcorum, & Caſſiodori Chronicum. Erat autem Longinus Zenonis frater, de quo ad annum ſuperiorem Marcellinus: *Longinus Zenonis frater Auguſti poſt decennalem cuſtodiam, quam eidem Illus apud Iſauriam infixerat, ad germanum ſuum Conſtantinopolim advenit.* Sordes carceris ſui Conſulari purpurâ deterſit.

Zeno Imperatoris filius moritur.

II. Erat Zenoni Imperatori filius, quem ad ſpem Imperii nutriebat. Sed improbum juvenem peſſimis moribus imbutum Deus acerbo funere merſit. Suidam audiamus: *Zeno Romanorum Imperator, qui Zenonem filium admodum adoleſcentem Imperii ſucceſſorem relinquere cupiens, per varias dignitates provehebat, & corpus exercere jubebat ad incrementum ſtaturæ. Sed Imperatori Proceres nacti poteſtatem fiſci abundè exhauriendi, operam dabant, ut adoleſcens ille Sybaritico more, crapulæ & fœdis voluptatibus indulgeret, & ſuis lenociniis conciliantes ipſi ejuſdem ætatis puberes,*

Suid. t. 1. 1128.

quibuſcum verſabatur, ipſum turpiter inſtituerunt, ut in maſculorum amores furore correptus ferretur. Cùm igitur vitam geret in voluptate & ſuperbiâ traduceretur, ab omnibus ſtudiis honeſtis remotus, & ſuccenſum arrogantiam ob Imperii expectationem è vultu eliceretem præ ſe ferens, ſummis pedum digitis incedere, & ſublimem cervicem erigere, & cum omnibus hominibus, ut cum ſervis agere cœpit. Sed ille rerum omnium inſpector, naturalem & edoctam ipſius improbitatem contemplatus, ipſum juſtè puniverit. Ita ut ventris profluvio, & ſine ſenſu per dies multos in lecto alvum exonerans, immaturâ ætate ex humanis rebus excederet.

ANNO DOM. 485.

Joannes Presbyter Eutychianos refellit.

III. Eo anno florebat Joannes, Eutychianorum inimicus, quos ſcriptis ſuis confutavit, Marcellino teſte: *Joannes Antiochena Parrucie, ex Grammatico Presbyter, ſcripſit adverſus eos, qui in una tantùm ſubſtantia adorandum aſſerunt Chriſtum: nec acquieſcunt duas in Chriſto confitendas eſſe naturas.* Ad Gallias uſque Joannis hujus fama pervenit, de quo mentio eſt in Gennadio, qui ſua Marcellino verba fœneravit, quibus hæc addit: *Docens ſecundum relationem Scripturarum unam in illo Dei, & hominis eſſe perſonam, non unam carnis, & Verbi naturam. Simul & impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Epiſcopi ſententias, docens incautè ab illo adverſum Neſtorium prolatas, quæ nunc fomentum ſunt, & robur addunt Timotheanis, quod valde mirum dico. Vivere adhùc dicitur, & ex tempore declamare.*

Gennad. c. 90.

Vigilius Tapſenſis.

IV. Non unus ſub ea tempora Joannes Presbyter in Eutychianos arma convertebat. Impugnabantur & à Vigilio, Tapſenſi Epiſcopo, de quo aliquid eſt commemorandum. Byzacenæ Provinciæ urbs Tapſenſis erat, cui Vigilius Præſul eſt impoſitus. Anno CCCCLXXXIV. ne debitam Regi ſuo obedientiam exueret, ad imperatam Arianorum & Orthodoxorum Collationem Carthaginem migrarat. Provinciæ ſuæ Antiſtitum junior erat, utpote qui in Notitia Eccleſiarum Africæ Byzacenorum ultimus recenſeatur. *Vigilius Tapſitanus* cum Collegis ſuis in exilium ejectus eſt. Ipſius ætate Neſtoriani, Eutychianique Orientem, Ariani verò Africam cruentis manibus lacerabant. Viſum itaque Vigilio exultantes hæreſes comprimere. Caſſander, aliique ſeculi Scriptores editos contra Eutychem quinque libros Vigilio Tridentino aſcripſerant: omninò perperàm, cùm extet etiamnum Vigilii Tridentini ad Simplicianum Epiſtula de Siſinii, Martyrii, & Alexandri martyrio, anno CCCCXCVII. ſcripta. Ideòque diu ante exortum Eutychem Vigilius Tridentinus exceſſerat. Non igitur Chalcedonenſis ſe Concilii, Epiſtolæque Leonis defenſorem conſtituere potuit, quod à Vigilio librorum quinque adverſus Eutychem Autore factum eſſe novimus ex fine libri tertii: *Nunc ad defenſionem Leonis Epiſtolæ, & Concilii Chalcedonenſis convertamus affectum.* Tractatus complures Vigilius edidit. Eſt enim & Autor Dialogi contra Arianos, Athanaſio, Ario, & Probo Judice interlocutoribus, duobus libris comprehenſi. Se quoque Autorem profitetur adverſus Arianos, Photinianos, Sabellianos Dialogi, in quo & Athanaſium, Probumque loquentes inducit. Verba ſunt Præfationis: *Ne ſingulorum proſecutiones in dubium nullo examinante venirent, arbitrum quendam, nomine Probum, autoritate judiciariâ functum, intereſſe feci. . . . Sabellium ergo, Photinum, Arium, atque ad noſtras partes Athanaſium introduxi, ut veritas ſummo*

B. M. P. t. 8. 753.

ANNO DOM. 486.

conſligentium certamine eliquata, ad omnium notitiam perveniret. Tres libros complectitur ille Dialogus. Quòd verò Athanaſio vindicari nequeant, capite quinquageſimo libri ſecundi oſtenditur: *De his*, inquit, *omnium quæſtionum capitulis latius & plenius beatus noſter diſputavit Ambroſius.* Autor igitur & Latinus fuit, & Ambroſio Junior, quod de Athanaſio prædicari nequit. Sunt & Athanaſii nomine Vigilii de Trinitate libri XII. Liber contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis, qui inter Auguſtini Opera reperitur, Vigilio quoque noſtro vindicatur; perinde atque contra *Varimadum* Arianum Diaconum tractatus, qui tribus libris abſolvitur, Autore Iſidoro Claro. *Varimadus* anagramma eſt nominis *Marivadus*, qui Diaconus erat, Hunnerico percharus. Quem Vigilius tractatum edidit, dum *Neapoli* verſabatur, ut ipſemet teſtatur in ſua ad hunc librum Præfatione. Quacunque porrò de cauſa Vigilius alienas ſuis tractatibus perſonas induxerit, ſive ut plus autoritatis ſcriptis conciliaret ſuis, ſive ut expanſo veluti velo melius lateret, nobis quidem probari haud poteſt, quòd primo contra Arium Dialogo *ſacram* Conſtantini commentus ſit, Probo Judici directam, *Conſtantinopoli* datam XII. *Cal. Januar.* quâ præcipit, *ut inter Arium venerabilem Presbyterum, & Athanaſium ejuſdem erroris Epiſcopum hujus negotii examen faciat agitari.* Sed pro noſtro inſtituto de Vigilio ſatis. Inſpiciantur Chifleti Vindiciæ Operum Vigilii, & Hiſtoriæ literariæ Scriptores.

ANNO DOM. 487.

ANNO U. C. 1140. PER. JUL. 5200. JUL. 531. DOM. 487. ZENONIS 13. & 14. *Sol.* 20. D. *Lun.* 13. *Indict.* 10. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

COS, *Anicius Manlius Severinus Boëtius.*

Clades Conſtantinopolitanorum: eis minatur Theodoricus.

I. QUam terræ motibus vim Numinis jam experta fuerat urbs regia, labente quoque anno ſenſit. Cladis Chronicum meminit Alexandrinum: *Hoc anno rurſum Conſtantinopoli irato Numine ingentem labem accepit à terra motu, & hoc jam ſecundum, Gorpiæo menſe* XXVI. *Septembris, brevi intervallo ad Taurum uſque.* Acceſſere calamitati, ſi Marcellino fides, Theodorici Gothorum Principis minæ, quas Conſtantinopolitanis intendit. Ac primâ ſpecie non facilè fidem impetrat, quòd Theodoricus, qui & tantis à Zenone beneficiis affectus erat, & ei in Leontium, Illumque fideliter militarat, tam perfidè egerit, neque ſatis Marcellini narratio cum Jornande conſentit. Cæterùm cùm honorum inſatiabilis animus quieſcat nunquam, & aliundè ea memoret Marcellinus, quæ ſuâ ætate contigerunt, non eſt ei temerè detrahenda fides: *Theodoricus Rex Gothorum Zenonis Auguſti nunquam beneficiis ſatiatus, magnâ ſuorum manu uſque ad Regiam civitatem, & Melentiadam oppidum infeſtus acceſſit, plurimiſque locis igne crematis, ad Novenſem Mœſiæ civitatem, unde advenerat, remeavit.*

Odoacri de Rugis victoria.

II. Inſignem Odoacro victoriam de Rugorum Principe annus attulit, quâ & Chronicum Caſſiodorus ſuum nobilitavit: *Boëthio Conſule Odoacer Phœbâ Rege Rugorum victo, captoque potitus eſt.* Odoacri quoque in manus venit Phœbæ uxor, nomine *Giſa*, impotentiſſima ſanè mulier, in qua crudelitas & ſuperbia ambiguum fecere utra emineret. Perfidiæ Arianæ addicta, baptiſmo Catholicos ablui ſuo nonnullos voluerat: *Sed ob ſancti reverentiam Severini, non conſentiente viro à ſacrilega quantocius intentione defecit.* Cladis hujus ſuæ ab eodem Severino, dum mors imminebat, monitam fuiſſe ferunt. Aderant Phœba Giſaque, quibus hæc locutus eſt: *Huc uſque regnum veſtrum auctore Domino proſperatum eſt, jam ex hoc vos videritis.* Futuri eventus minæ erant, quo regia dignitas captivitate mutatur. Phœbæ filius *Fredericus*, qui defuncto Severino relictas pauperibus veſtes, calicem argenteum, cæteraque altaris miniſteria abſtulerat, in turpiſſimam fugam patre debellato vertitur. Hæc Eugippus. Inſignem adeptus victoriam Odoacer, Romam reverſus, die Novembris XIV. de victis triumphum egit.

Victor Utenſis ſuam edit Hiſtoriam.

III. Labente anno Victor Utenſis Hiſtoriam de Perſecutione Africana ſuam edidit. Uticenſibus ſacris præfectum fuiſſe, olim exiſtimabatur, eoque titulo à *Bellarmino* eſt inſignitus. Quam opinionem falſam eſſe, nos docent Provinciarum Eccleſiarumque Africæ notitia. Sita erat *Utica* in Proconſulari Provincia; urbiſque hujus Epiſcopum præſtabat *Florentinus* eo tempore, quo Collatio Carthaginenſis præcipiente Hunnerico eſt inſtituta. Etenim in Notitia legitur, *Florentinus Uticenſis Corſica.* Vitenſis verò civitas Byzacenæ Provinciæ eſt. Huic igitur urbi Victor Antiſtes impoſitus eſt, neque cum Collegis Carthaginem migravit, ut Collationi intereſſet. Verba ſunt Notitiæ: *Victor Vitenſis non occurrit.* Præſagâ fortè mente quid Hunnericus moliebatur ſenſerat. Diræ procellæ

Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Fugæ ſeſe commendarat, Dei conſilio reſervatus, ut cruentæ perſecutionis Hiſtoriam poſteris legendam traderet, quæ Martyribus, qui & fraude & ſævitiâ Hunnericos olim invenirent, foret ſolatio. Cæterùm labente anno prodiiſſe Victoris Hiſtoriam, planum fit ex ipſius initio: *Sexageſimus nunc, ut clarum eſt, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac ſævus Vandalicæ gentis Africæ miſerabilis attigit fines.* Vandalorum verò ingreſſus in Africam contigit, labente Æræ Dionyſianæ anno CCCCXXVII. *Hiero, & Ardaburie Coſſ.* teſte Proſpero, qui ad hunc Conſulatum ſcribit: *Exinde gentibus, quæ uti navibus ne ſciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum eſt.* Libris quinque Victoris Hiſtoria continetur, ex quibus multa noſtros in Annales tranſtulimus. Anonymo nuncupatur B. Diadochi Pontificis diſcipulo, cujus ſapientiam multis laudibus effert. Illud porrò non eſt ſilentio prætereundum, quòd fine libri quinti, dum Victor ruentibus Eccleſiæ Africanæ rebus Cœlitum implorat auxilia, de Sancta Virgine ne verbulum ullum proferat: *Adeſtote*, inquit, *Angeli, deprecamini Sanctiſſimi Patriarchæ, orate Sancti Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores ejus.* Petrum, Paulum, Andream, diſertè memorat, non Mariam Chriſti matrem. Ubi verò Hiſtoriam Victor ſuam exararit, non ſatis ſcimus. Conſtantinopoli conſtitutum ſcripſiſſe Victorem, Cavina ſecundum Chiffletum exiſtimat. Quæ conjectura admitti haud poteſt, ſi in exilium à Hunnerico ejectus ſit, qui in loca duntaxat ditionis ſuæ ſubditos relegare potuit. Neque adhùc Veterum in monumentis reperimus, Victorem fuiſſe ab Hunnerico extra Africam relegatum, ut in Veteri Epiro Hiſtoriam adornaret ſuam, ut Cotelerio exiſtimatum. Non

prorſus

Anno Dom. 488.

Vict. l. 3. p. 682.

prorſus à veri ſpecie abeſt, Victorem in Africa ſcripſiſſe, in qua verſabatur, cùm *die* XIII. *Kal. Januar annos* VII. *regni Hunnerici* ferale de Collatione apud Carthaginem inſtituenda Edictum promulgatur: *Cognoſcentes igitur*, inquit, *qui aderamus, ſimulque legentes contrita ſunt exemplò corda noſtra*. Eugenii Profeſſioni fidei Catholicæ Victorem *ſubſcripſiſſe*, Cavio traditum. Qua de re non levis nos inceſſit dubitatio, cùm in Africanorum Epiſcoporum Notitia, qui Carthaginem venere, verbis expreſſis legatur, *Victor Vitenſis non occurrit*.

Anno U. C. 1241. Per. Jul. 5201. Jul. 533. Dom. 488. Zenon. 14. & 15. *Sol.* 20. C. B. *Lun.* 14. *Indict.* 11. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 17. *April.*

Coss. *Dynamius & Sifidius.*

Fridericus Rogorum Princeps debellatur Odoacri militibus.

I. GLoriam Odoacer ſuam novis ſucceſſibus auxit. Fridericus Phœbæ filius, qui debellato patre fugæ ſalutem commiſerat ſuam, paterna regna labente anno repetierat. Quod ubi auditum Odoacro, *Onulfum* fratrem mittit, qui redeuntem debellaret. Neque ingloria Onulfi expeditio hæc, teſte Eugippo: *Poſt audiens idem Odoacer, Fridericum ad propria reverſiſſe, ſtatim fratrem ſuum miſit cum multis exercitibus Onulphum. Antequam denuò fugiens Fridericus ad Theodoricum Regem, qui tunc ad Novam civitatem Provinciæ Mœſiæ morabatur, profectus eſt. Onulphus verò præcepto fratris admonitus, univerſos juſſit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ tanquam de domo ſervitutis Ægyptiæ, ita de quotidiana barbarica frequentiſſima deprædationibus educti, Sancti Severini oracula cognoverunt.*

Theodoricus de occupanda Italia cogitat.

II. At Friderici fugâ ad occupandam Italiam Theodoricus fortè commovetur, quam Odoacro ereptam ſibi ſervaret. Hic Jornandes, Pauluſque Diaconus ea memorant, quæ cum Theodorici Zenonis in Imperium anni ſuperioris excurſibus ad concordiam redigere difficile reperitur. Paulina verba recitentur, utpote illis Jornandis elegantiora: *At verò dum hujuſcemodi Theodoricus deliciis apud Conſtantinopolim afflueret, gens illius, id eſt, Oſtrogotha, dum eis per fidei ſanctionem prædas agere more ſolito non liceret, nec tamen ab Imperatore oblata ſtipendia ſufficere poſſent, cœpera non minimam egeſtatis penuriam pati. Execrantur fœdus compoſitum: vituperant inutilem pactionem, mittuntque continuò ad Theodoricum, qui dicerent, quod cùm ipſe Græcorum epulis ſuperflueret, illi inopia miſerias ſuſtinerent. Hortantur, ut ſi ſuis, ſibique conſulere velit, citius redeat, ne cuncta gens peſſundetur, & novas ad habitandam ſedes exquirant. His Theodoricus cognitis, ad Auguſtum Zenonem confeſtim accedit; queſtus inſuper penuriamque ſuorum exponit. Italiam ſibi poſtulat; abſolutionem efflagitat, adjiciens, quòd ſi ſuperare Odoacrem poſſet, Italiamque obtinere, ad ejus redundaret gloriam, à quo directus fuiſſet. Si in bello ſuperatus foret, nihilominus lucris accreſceret, quandoquidem quotidianorum ſtipendiorum exactoribus careret... Talia Zeno audiens, contriſtatus quidem eſt, eò quòd nollet eum dimittere. Attamen deliberato conſilio, Reipublicæ utilitati proſpiciens, ejus petitionibus annuit, Italiamque ei per Pragmaticum tribuens, ſacri etiam velaminis dono confirmavit. Senatumque illi, populumque Rom. commendans, abire permiſit.* Fretus autoritate Marcellini, Baronius pro commento habet, Zenonem Theodorico Italiam conceſſiſſe *ab Erulis vindicandam*. Ipſius tamen ſententiam Gothi refellunt in ſua ad Beliſarium Oratione: *Zeno*, inquiunt, *Theodorico facilè ſuadet, etſi obſtiturus is Byzantium erat, ut depoſitis erga ſe odiis, ex Odoacre pœnas ob injuriam Auguſtulo Imperatori illatam exigeret*. Comperta igitur ipſis ea fuere, quæ Marcellinus narrat: *Theodoricus uſque ad regiam civitatem infeſtus acceſſit*. Conſilio tamen & rationibus Zenonis perſuaſus, ferocia corda poſuit, volente Deo, ut Odoacrum deturbaret. Itaque nil pugnat, quominus Imperator occupandam Gothis Italiam conceſſerit. Eſt tamen in confeſſo, in *Jornandis* Paulique narratione multa reperiri, quæ à vero diſſident. Quod ſcilicet verſantem Zenonis in aula Theodoricum, Imperator Italiæ cupidum ægrè dimiſerit.

Bar. An. 487. n 7.

Proc. de Bel. Goth. l. 2. c. 5.

Theodoricus in Italiam proficiſcitur.

III. Ambitione ſuâ permotus Theodoricus, ac pro diplomate, jureque gladium habens, ſuum collectis viribus Italiam verſus, iter dirigit, quam anno ſequente ingredietur. Dynamio & Sifidio Coſſ. inquit Marcellinus, *Theodoricus Rex omnium ſuorum multitudine aſſumptâ Gothorum, in Italiam tendit*. Dum proficiſcitur, plurimos ſibi adverſantes vincit victoriæ majoris tyrocinio: *Attamen prius quàm ad Italiam adveniret, Traſiliam Gepidarum Regem inſidias ſibi molientem, bello ſuperans extinxit. Buſamque Bulgarorum Regem magnâ cum ſuis agminibus cæde proſtravit. Egreſſus itaque Myſiâ, cum omni Oſtrogothorum multitudine, univerſâque ſuppellectili per Sirmium Pannoniaſque iter faciens, ad Italiam venit.*

Paul Diac. l. 16.

Synodus Romana Præſide Felice.

IV. Relatis Reipublicæ caſibus, legentibus ſeſe offerunt res Eccleſiæ. Eſt inter Concilia Synodus Romana, quæ, ſi Conſulatui fides, anno ſuperiore celebrari debuit: *Flavio Boëthio v. clariſſimo Conſule, ſub die tertio Iduum Martiarum in Baſilica Conſtantiana, reſidente venerabili viro Papâ Felice, unà cum Candido Tiburtino*, &c. Vehemens tamen nos ſuſpicio inceſſit, in ea verba mendum irrepſiſſe, cùm in hoc Concilio lecta ſit Epiſtola, quæ ad Epiſcopos in Sicilia conſtitutos dirigitur, cujus initium eſt, *Qualiter in Africanis regionibus*, &c. Jam verò data eſt *Idibus Martii Dynamio & Siphidio viris clariſſ. Coſſ.* Incredibile verò ſit omninò, Epiſtolam, ubi in Synodo & lecta eſt & approbata, anno integro Romæ fuiſſe detentam. Cur eam tamdiu retinuiſſet Felix? Quo conſilio, cui bono? Deerantne curſores, qui Epiſtolam ferrent, quâ præceptis ejus illi quidem informarentur, ad quos dirigebatur? Ut legendum videatur non *Flavio Boëthio Conſule, ſed poſt Flavii Boëthii Conſulatum v. clar.* Quod Concilium *tertio Idus Martias* labentis anni congregatum congruenter ſanè dabit Epiſtolam, Idibus Martii, *Dynamio & Siphidio v. cl. Coſſ.* Adfuere Synodo Epiſcopi XLIV. quos inter Afri quatuor, Victor ſcilicet, Donatus, Ruſticus, Pardalius Antiſtites numerabantur. Presbyteri LXXVI. & præſentes erant cum aſtantibus Diaconis. Quibus Felix Synodi Princeps hæc locutus eſt: *Communis dolor, & generalis eſt gemitus, quòd intra Africam rebaptizatos etiam Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque cognovimus, de quo quid obſervari debeat, ordinare nos convenit.* Tantus quidem furor Arianorum fuerat, ut non volentes duntaxat, ſed invitos etiam baptizarent. *Antonius* Tamallunenſis Antiſtes, fax ac turbo Hunnerici violentiæ longè maximus, Epiſcopum, nomine *Habetdeum pedibus* mani-

Lab. Conc. t. 4. 1149.

Vict. de Perſ. l. 5.

ANNO DOM. 488.

manibuſque ligatis, vinculis ingentibus arctatas, oreque obturato, ne lingua clamaret, aquam corpori rebaptizationis ſparſerat.

Felicis Papæ ad Siculos Epiſtola.

V. Statuendum ergo fuit, quâ ratione, qui ſpontè Ariano baptiſmo Catholicum à ſe ſuſceptum polluerant, ad Eccleſiam admitterentur. Porrò Epiſtolæ titulus non unus idemque eſt in exemplaribus. In multis habetur: *Dilectiſſimis in Chriſto Jeſu fratribus, univerſis Epiſcopis per diverſas Provincias conſtitutis.* At in Codice Juſtelli legitur duntaxat, *per Siciliam*, qui titulus videtur anteponendus. Provincias quidem Felix deſignaſſet, ad quas ſcribebat, neque vago, confuſoque nomine ſignificaſſet. Sauciorum autem vulneribus ea mandat adhiberi remedia. Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis rebaptizatis, ſeu optantibus, ſeu coactis, ad vitæ finem uſque agenda eſt pœnitentia, quibus *communio tantùm Laica in morte reddenda eſt. Nec orationi non modò Fidelium, ſed ne Catechumenorum omnimodis intereſſe conceditur.* De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus ſervari præcipit Nicænam de lapſis regulam, ut *tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem autem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantùmmodò popularibus in oratione ſocientur. Pueris autem, quibus quod adhùc imberbes à pubertate vocabulum eſt, ſeu Clericis, ſive Laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis, reddenda communio eſt.* Catechumenis verò, qui ab Arianis baptizati ſunt, Regula Nicæna ſervanda præſcribitur, ut *tribus annis ſint inter Audientes.* Qui verò extra Eccleſiam aut baptizati ſunt, aut rebaptizati, ad Clerici munus promoveri non permittuntur. Neque conceditur Pœnitentibus, ab aliis quàm à ſuis Epiſcopis Presbyteriſve ſuſcipi.

De inventis S. Barnabæ reliquiis.

VI. Famâ celebratur Sancti Barnabæ reliquiarum inventio: quem verò ad annum pertineat, controverſia eſt inter eruditos. Baronio, quem multi ſequuntur, anno CCCCLXXXV. eam inventionem addici placuit. Quæ Chronologia quidem à Victore Tununenſi damnatur: *Poſt Conſulatum II. Longini v.c. corpus Sancti Barnabæ Apoſtoli in Cypro; & Evangelium ſecundum Matthæum, ejus manu ſcriptum ipſo eodem revelante inventum eſt.* Annum CCCCLXXXVI. Longinus aperuerat: qui ſecundus igitur ab illo numeratur, in CCCCLXXXVIII. incidit, quo Dynamius, Sifidiuſque Coſſ. proceſſere. Silentio eam traditionem non obruit Theodorus Lector: *Barnabæ Apoſtoli reliquiæ in Cypro ſub arbore ſiliqua repertæ ſunt, ſuper cujus pectore erat Evangelium Matthæi, ipſius Barnabæ manu deſcriptum. Id Evangelium Zeno depoſuit in palatio, ἐν τῷ ἁγίῳ Στεφάνῳ.* Quæ verba cùm in mendo jaceant, eruditis aſſentimur legentibus, ἐν τῷ ἁγίῳ Στεφάνῳ, *in æde S. Stephani*, quæ erat in palatio Conſtantinopolitano: niſi magis placeat doctiſſimi Le Moine correctio ἐν ναῷ. Narrat Alexander Monachus, Anthemium, Salaminenſis Eccleſiæ Præſulem de nocte à Barnaba monitum, fodere ſub arbore ſiliquæ, arcam illic eſſe, cui corpus ſuum includebatur, cum Evangelio, quod à Matthæo ipſo exceptum propriis manibus ſcripſerat. Cœleſtibus viſis obſequentem Anthemium multo apparatu, & Cruce prælatâ ad eum locum contendiſſe, inventas reliquias eſſe, gratiſſimum odorem ſpirantes: quibus ſupra pectus Matthæi Evangelium imponebatur, quod allatum Conſtantinopolim Imperatori oblatum eſt. Gratum id muneris Zenoni fuit: *Evangelium illud Imperator in manibus ſumpſit, & deoſculatus, auroque multo exornatum, in palatio ſuo repoſuit, ubi ad hodiernum uſque diem ſervatur: & in magna quinta Paſchæ feria quotannis in palatii Oratorio Evangelium ex eo libro recitatur. Epiſcopum verò Anthemium magnis honoribus proſecutum, pecuniis multis donatum ad inſulam Cyprum remiſiſſe, eique mandaſſe, ut Sancto Apoſtolo Barnabæ Templum in eo loco erigeret, ubi veneranda ipſius reliquiæ inventæ fuerant.* Anthemius extructo Templo, reliquias cum arca ſua *in dextera ſacra aræ parte collocavit, qui locus multo argento, & marmoreis columnis ornatus erat.* Junii XI. Feſtum Barnabæ celebratur. Cæterùm de Theodori Alexandrique Monachi, de inventis Barnabæ reliquiis traditionem anno Dom. quinquageſimo excuſſimus. Quam piis Reliquiariorum fraudibus non apponere non poſſumus. Quod Barnabas quidem lucidâ veſte indutus, ter Anthemio de nocte conſpicuus factus ſit, eique ut ambitionem Epiſcopi Antiocheni contunderet, hæc locutus fuerit, *& mea Sedes Apoſtolica eſt, nam & Apoſtolum habeo in patria mea*, credulis quidem perſuadeatur, non nobis. Neque traditioni Veterum ſatis illa conſentit, quibus credimus, Evangelium Matthæi Hebraicè fuiſſe conditum, cùm tamen Græcum illud fuerit, quod Barnabæ in ſinu requieſcebat, ut apertè Alexander indicat, ex quo ſcilicet quinta Paſchæ feria Evangelium quotannis in Palatii Oratorio legebatur. Græcè verò, non Hebraicè legebatur. Non inficias tamen imus, quin corpus aliquod inventum ſit, cujus in manu inerat Evangelium Matthæi. Alexandro Monacho Barnabam ſe conſpicuum reddidiſſe, ut cadaver ſuum cum Evangelio ſepultum manifeſtaret, id nobis eſt creditu difficillimum.

Nùm in Conſtantinopolitana Synodo Anthemius cum Gnapheo diſputarit. Mors Gnaphei.

VII. Eſt & in Alexandri Monachi Barnabæ Encomio, Petrum Fullonem eò impietatis ſimul & ambitionis progreſſum, ut in Provincias, quæ ad illum minimè pertinebant, manus injiceret: ſicque animatum, *Cyprios vellà ſententias, omnimodò vexare cogitaſſe*, licet haud ignoraret, quid de Cypri Eccleſiis Epheſini Patres Cyrillo Præſide decreviſſent. Juſſus Anthemius Salaminenſis Epiſcopus ad regiam urbem ſe conferre, coram Patriarchis cauſam dicturus, metu conſtringebatur, Gnaphei inſidias ſuſpectas habens. Dum tantarum curarum æſtu fluctuat Anthemius, de nocte adeſt Barnabas, auxilium gementi pollicitus. Eo promiſſo factus audacior, Conſtantinopolim petit. Coactâ Synodo Petrus Fullo, Anthemiuſque coëunt in lites. Antiochena Eccleſia, quòd Patriarchalis eſſet, ſibi Cyprum vindicat. Regerit Anthemius, Sedem quoque ſuam Apoſtolicam eſſe, cùm habeat Apoſtolum, integro corpore conſtantem. Hæc Alexander, quæ iis nobis ſanè ſcrupulos injicit, Epheſinum quippe Concilium Eutychianis venerationi erat, & Zeno in ſuo Henotico, cui Gnapheus ſubſcripſerat, illud autoritate ſuâ muniverat. Decretum autem eſt Canone VIII. ne Antiocheni Præſulis ditioni Cyprus ſubderetur, cujus & Epiſcopis tribuitur, ut per ſemetipſos ordinationes peragant. Fingamus, Gnapheum ambitione cæcum Epheſina Decreta nil penſi habuiſſe. At Conſtantinopolitana Synodus, quam de ea lite coactam dicunt, Epheſinæ honorem

ANNO DOM. 488.

norem habuit, cujus Decreta de jure Cypriorum Præſulum ignorare non potuit. Si verò Alexandrinæ narrationi creditur, Petrus Fullo, vel illi, qui ejus vices implebant, Epiſcopis, qui Concilio Conſtantinopolitano aderant, rationi conſentanea dicere videbantur, donec Anthemius ſibi corpus Barnabæ aſſereret: quo audito, Judices Anthemio victoriam addixere, licet de Epheſinorum Conſtitutionibus ne verbum ullum protuliſſet, quod ſanè mirum eſt, cùm magnum in illis inveniret ſuæ cauſæ præſidium. Itaque lis ea Gnaphei & Anthemii ficta nobis videtur, ut reliquiarum Barnabæ inventioni autoritas triberetur. Cæterùm lucro nobis eſt ea narratio ad coarguendam Baronii Chronologiam, qui Gnaphei obitum cum anno 486. n. 3. copulavit. Cùm enim vivente etiamnum Petro Fullone Barnabæ corpus inventum prædicetur: apparet non ante ann. CCCCLXXXVIII. Gnapheum mortem obiiſſe, quo tempore Barnabæ repertas eſſe reliquias, ex Victore Tununnenſi ſcimus atque tenemus. Hic eſt ille ipſe annus, in quem & Petri Fullonis mors incidit, eodem Victore teſte: *Poſt Conſulatum ſecundum Longini Petrus Antiochenus ſub damnatione moritur.* Gravis ſanè eſt Theophanis & Cedreni error, fingentium Gnapheum ſuperfuiſſe Mongo, quem Gelaſius evellit in ſua ad Orientales Epiſtola: *Docete igitur Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri unquam communione deſiiſſe, & non uſque ad diem, cùm Antiochenus Petrus in has luca verſatus eſt, individuum utriſque fuiſſe conſortium.* Porrò Theodoro Lectore referente, Petrus Fullo *inſtituit, ut ſacrum chriſma in Eccleſia coram populo conſecraretur, utque invocatio ſuper aquas die Feſto Theophaniorum fieret ſub veſperam. Item ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur. Denique, ut in ſingulis Collectis Symbolum recitaretur.* Defuncto ſucceſſit Palladius.

Error Baronii.

Gelaſ. ep. 15. 1220.

Theodor. l. 2.

ANNO DOM. 489.

ANNO U. C. 1242. OLYMP. 317. PER. JUL. 5202. JUL. 534. DOM. 489. ZENONIS 15. & 16. *Sol.* 22. A. *Lun.* 15. *Indict.* 12. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 7. P. . . .

COSS. *Euſebius & Probinus.*

Theodoricus Odoacrum vincit.

I. FElicibus auſpiciis Theodoricus, qui anno ſuperiore in Italiam tenderat, labente regiones ejus ingreditur. Teſtis Caſſiodorus: *Probino & Euſebio Coſſ. feliciſſimus atque fortiſſimus Dominus Rex Theodoricus intravit Italiam. Cui Odoacer ad Iſontium pugnam parans, victus cum tota gente fugatus eſt. Eodem anno repetito conflictu Verona vincitur Odoacer.* Quæ fuſiore ſtylo ſunt recitanda. Paulum audiamus Diaconum: *Ac primùm* Theodoricus *juxta Iſontium flumen, quod non longè ab Aquileia labitur, caſtra componens, dum uberrimis quæ eo loco habentur paſcuis, fatigata aliquantulum ex itineris longitudine jumenta reficeret, ibi mox ei cum grandi ſuorum exercitu totius Odoacer Italiæ viribus occurrit. Quem Theodoricus alacriter excipiens, magno ſuperatum prælio, poſtremò in fugam convertit.* Victus Odoacer Veronam abiit, *& fixit foſſatum in campo minore Veronenſe, quinto Kal. Octobris,* ut in Excerptis Valeſianis legitur, quibus de prælii ad Iſontium commiſſi tempore monemur, Septembri jam præcipiti pugnatum. Fugientem Odoacrum Theodoricus inſequitur: *Exinde Theodoricus movens, cùm Veronam veniſſet, iterum adverſus eum Odoacer non minori quàm prius belli ſe apparatu opponit. Contra quem Theodoricus haud procul Veronenſi urbe confligens, nimiâ ejus exercitum cæde contrivit, ipſumque pariter, & omnem illius multitudinem dare terga coëgit. Qui dum fuga metu ſe præcipites in Atheſim fluvium mergunt, ex magna parte rapidiſſimis ejus gurgitibus implicititi ſuffocantur. Theodoricus verò, dum ipſo impetu ſubſequitur fugientes, Veronam illicò pavore civibus conſternatis invadit.* Pugnæ hujus tempus Valeſianis in Excerptis indicatur: *Superatus Odoacer fugit Ravennam, pridie Cal. Octobris.* Non rectà tamen Ravennam petit, ſed Romam: *Odoacer autem cum iis, qui evaſerant fugiens, Romam contendit. Sed obſeratis continuò portis excluſus eſt, qui cùm ſibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio, flammiſque conſumpſit. Inde quoque egrediens, Ravennam ingreſſus eſt.*

Paul. Diac. l. 16.

Ibid.

II. At Theodoricus Veronâ egreſſus, Mediolanum venit, ubi dum conſiſtit, magna ad eum multitudo militum pluresque Italiæ populi convenere. Pars Odoacri exercitus in caſtra Theodorici conceſſerat. Quod & ipſi in damnum ceſſit. Excerptis Valeſianis præbeamus aures: *Tradiderunt ſe illi maxima pars exercitus Odoacris, necnon & Tufa, Magiſter Militum, quem ordinaverat Odoacer cum Optimatibus ſuis, Cal. Aprilis. Eo anno miſſus eſt Tufa, Magiſter Militum à Theodorico contra Odoacrem Ravennam. Veniens Faventia Tufa, obſedit Odoacrem cum exercitu, cum quo directus fuerat. Et exiit Odoacer de Ravenna, & venit Faventiam, & Tufa tradidit Odoacri Comites Patricii Theodorici, & miſſi ſunt in ferro, & adducti Ravennam.* Ea res Theodoricum in tantum perterruit, ut ſe, ſuumque exercitum apud Ticinenſem urbem muniret. Civitatis autem Epiſcopus Epiphanius Gothis vallatus, ita ſe geſſit, ut *inter diſſentientes Principes ſolus eſſet, qui pace frueretur amborum. Supplicationibus illius pretio reddebantur ſui, quos auri redimere non potuiſſet effuſio.* Quas Epiphanio laudes tribuit Ennodius.

Proditus Theodoricus Ticinum conceſſit.

III. Dum funeſti belli incendio corripitur Italia, Acacius Conſtantinopolitanus Antiſtes mortalitatem exuit. Ejus obitum in annum ſuperiorem congerit Baronius, cujus Chronologia à Victore Tununnenſi refellitur: *Euſebio V. C. Conſule Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſub damnatione moritur.* Nec à veri limitibus abeſſe Victorem, teſtis eſt Felicis Papæ ad *Thalaſium* Epiſtola, Cal. Maiis anni CCCCXC. Longino & Fauſto Coſſ. in Interpontificio Conſtantinopolitano exarata: *Non prius tua dilectio, vel congregatio, quàm gubernas Conſtantinopolitana Eccleſia, vel quicunque ejus futurus eſt Pontifex communicandum eſſe decernat, quam ad notitiam Sedis Apoſtolicæ cuncta referantur, vel ipſius literis qui fuerit creatus Epiſcopus, vel tuæ dilectionis alloquiis.* Quid autem hoc Interpontificii, niſi illud, quod Fravitam inter & Euphemium interjicitur. Paucis verò menſibus, tribus ſcilicet, vel quatuor, Flavita Epiſcopatum tenuit. Porrò etſi Acacius ob magnam Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ diſſociationem Latinis, Baronioque impius audiat, in eo tamen fuere virtutes non ſpernendæ, quibus ſua etiam præconia reddita ſunt. Suidam ea de re teſtem excitabimus: *Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus vir fuit, ſi quiſquam alius venerandus. Cum enim pupillorum educator, & curator*

Acacii Conſtantinopolitani obitus.

Error Baronii.

Felic. ep. 14. 1092.

fuiſſet

fuiſſet, & pupillorum res rectè adminiſtraſſet, omnibus gratus fuit. Qui etiam familiaritate cum Leone Imperatore contractâ ſupra modum ipſi placebat. Et cum hoc primo ſemper omnia & privata, & publica negotia communicabat, eumque primum de his conſulebat. Et quando Senatum convocabat, hunc etiam ſimul accerſebat, & omnis conſultationis initium ab ipſo faciebat. Cùm verò magna laudum cupidine Leo vinceretur, ejus animum ſibi conciliavit Acacius, facta regia cum admiratione prædicans: *Quamobrem ipſum dicto audientem, ac ſibi obtemperantem facilè habebat, & ipſius iram facilè comprimebat, & multis, qui Principem offenderant, & quibus Imperator ob aliquam offenſam indignabatur, ſalutem accuratè procurabat, & illos, qui perpetuum exilium ſuſtinebant, quo fuerant damnati, in patriam revocabat.* Magnam Eccleſiarum curam geſſit, quæ ipſius poteſtati ſubjiciebantur, qua de cauſa picturas ejus in Templis collocarunt. Hinc à pluribus exiſtimatum, ut ſuæ ambitioni litaret, hanc ſibi imaginum dedicationem imperaſſe. Ac cùm in Templo ad navale ſito, quod Gennadius perfecerat, in inſigni loco ejus ſpeciem calculis effinxiſſent, & hunc inter & alios ibi pictos ipſum Servatorem collocarunt, Gennadio dicentem: *Solvito Templum hoc & in eo, poſt te excitabo Acacium.* Ob hujuſmodi imagines Acacius,

Suid.

quamvis eſſet liberalis, beneficus, ad ſua bona aliis impertienda promptus, & officioſus, ad afflictos ſuo patrocinio protegendos, ſemper paratus, tamen inſana gloriæ cupiditate flagrare viſus eſt. Negatum quidem nolumus, quin hoc vitio laboraverit. In eo tamen faſtigio, quod conſecutus erat, difficillimum ſanè fuit, laudis amore non inflammari. Annos XVIII. Epiſcopatum Acacius tenuit, à CCCCLXXI. ſcilicet ad uſque labentem, quo menſe circiter Septembri ad fata venit.

Flavita ſuccedit Acacio. Num chartæ puræ ab Angelo ſcribi ſucceſſoris nomen optarat Zeno?

IV. Defuncto Acacio ſuccedit *Flavita*, quem Victor Tunonenſis, & Liberatus *Flavianum* vocant: *In his igitur Eccleſiâ conſtitutâ, moritur Acacius, & ordinatur poſt eum Flavianus Presbyter, qui fuit à Sancta Thecla.* Rumore ſanctitatis Flavita inclaruerat, ut ex Felicis ad ipſum Epiſtola mox recitanda diſcimus. De ipſius electione rem prorſus incredibilem prodit Nicephorus, ex fabulatorum, ut videtur, officina exortam:

Liberat. c. 18.

Zeno chartam puram in ſacro depoſuit altari, atque in charta alia per ſcriptum Deo ſupplicavit, ut per Angeli manum, quæ in hominum conſpectum non veniret, nomen ejus aſcriberet, quem cœleſti calculo Conſtantinopolitana Eccleſia Pontificem præfectum vellet. Impetrando miraculo dierum XL. jejunium indixit. Hoc ubi Flavita novit, Templi cuſtodem auro corrumpit, ut chartæ puræ ipſius nomen inſcriberet, quam rurſus & Imperatoris ſigillo obſignaret. Reſignatâ chartâ, cœleſti quaſi gloriâ fulgens Flavita ob divinam electionem in throno Pontificali collocatur. Qui cùm ob breve Sacerdotium ne dimidiam quidem pecuniæ partem, quâ Epiſcopatum ſibi emerat, corradere potuiſſet, fœneratores hæredibus defuncti inſtare, datamque pecuniam repetere. Qui cùm ſolvendo non eſſent, arcanum Zenoni produnt: cuſtodem muneribus corruptum, pretiumque revelatæ fraudis petunt à moleſtis creditoribus liberationem.

Niceph. l. 16. c. 18.

Tum Zeno attonitus, pecuniam Flavitæ creditam jubet cuſtodem ære ſuo diſſolvere fœneratoribus. Jucundam ſanè fabulam, quæ credulo

Bar. An. 384. n. 8.

Baronio placet, in miſerum Flavitam invehenti, quòd malis ipſe artibus Epiſcopatum ſibi comparavit. Commentum tamen arguit altum Evagrii, Victoris, Liberati ſilentium: neque eo inſaniæ Zeno progreſſus eſſet, ut haud promiſſa à Deo miracula in deſignando Pontifice expectaret. Eò minùs in eam ſpem adduci potuit, quòd in geminum peccatum hoc ſuo facto delapſus fuiſſet. Etenim & poſtulato, quo opus non erat, miraculo Deum tentaſſet, & leges de Epiſcoporum creatione ab Apoſtolis conſtitutas, prorſus evertiſſet, quæ Eccleſiæ quidem, non Angelis aſcribunt Paſtorum electionem. Quòd ſi tam ſtultum, tamque impium facinus Zeno fuiſſet aggreſſus, ei ſine dubio Clerus interceſſiſſet Conſtantinopolitanus, ut Principem inſanientem, Eccleſiæque regulas perfringentem ad viam reducerent. Equidem ſi Felicis ad Flavitam illuſtriſſimus Purpuratus Epiſtolam legiſſet, fabulæ Nicephori non præbuiſſet aſſenſum:

Felix ep. 13.

Inter hæc munera tuæ caritati Dominus quoque Filius noſter glorioſiſſimus Princeps, votum contulit, & favorem. Quod ſi Zeno petiit, ut per Angeli manum ſucceſſor daretur Acacio, & arte Flavitæ deluſus id factum eſſe credidit, nil favoris utique, nil voti Flavitæ ad electionem contulit. Ubi Flavita conſecratus eſt, Legatos cum Epiſtola ad Felicem mittit. Ac periit quidem Epiſtola; quid verò complecteretur, ex Pontificis Romani ad Flavitam reſponſione intelligimus:

Felix ep. 13. 1089.

Multa ſunt, quæ nobis præbeant de tuæ dilectionis ordinatione lætitiam, & ſperare divino beneficio cohortentur Eccleſiaſticæ pacis effectum. Primùm quidem, quod talem te gratia cœleſtis elegerit, cujus à puero vita probabilis aſſeratur, & Catholica fides, quod ante omnia cupimus, prædicetur intenta. Deinde quia inter hæc munera tua caritati, Dominus quoque filius noſter, glorioſiſſimi Principis votum contulit & favorem, quatenus poteſtatis fultus, Deo præſtante, ſubſidio facilius valeas expetere, quæ ſecundum veritatem ſapienter intenderis. Poſtremò quòd omnia propemodum, quæ tui ſequuntur honoris exordium, tam benevolentiam nobis clementia principalis oſtendunt, quam tuæ produnt ſpeciem voluntatis. Dum ſcilicet ad Apoſtolicam Sedem regulariter deſtinatur, per quam largiente Chriſto omnium ſolidatur dignitas Sacerdotum... Quod denique ut amplius eſſe unanimes valeamus, nobiſcum dilectionem tuam orthodoxæ fidei habere, velle teſtantur aſſenſum. Petrum quoque Mongum adiit Epiſtolâ Synodicâ ſuâ Flavita. Cui reſcripſit Mongus. Sed ad fata prius ille venerat, quàm reſponſionem acciperet. Hæc narrat Evagrius:

Evagr. l. 3. c. 23.

Flavita cùm Synodicas ad Petrum ſuas miſiſſet; reſcripſit ei viciſſim Petrus. Euphemius verò accepit Synodicas Epiſtolas, quas Petrus ad Flavitam ſcripſerat, cùmque in illis anathematizari geſta Chalcedonenſis Synodi deprehendiſſet, magnoperè conturbatus eſt.

Flavitæ ad Felicem legatio. Quid prohibuit, quo minus pax fieret?

V. Flavitæ legatione Oriens cum Occidente ad concordiam quàm facillimè redigi poſſe videbatur. Non ſucceſſit tamen ea pacis conciliandæ ratio, cujus cauſas aperit laudata jam Epiſtola: *Nihil ſupereſſe perſpeximus, niſi ut hi, qui dilectionis tuæ Synodica bajulabant, communionis Apoſtolicæ participatione fruerentur. Sed dum cum ipſis ſollicitius ageretur, ut ſi mallent B. Petri Apoſtoli communionem fideli corde ſuſcipere, reſponderent, vel ſe, vel dilectionem tuam ab Alexandrini Petri, Acaciique deinceps recitatione futuram, modis omnibus alienam; illi nihil ſibi tale mandatum fuiſſe perhibentes, oblata ſalubriter gratia*

noſtra

ANNO DOM. 489.

noſtra conſentire noluerant, quâ eorum cunctatione permoti, cum literæ venientes, vel ipſa rerum diſpoſitio aliud promittere videretur, & relatio prædictorum longè aliter quàm ſperabatur eſſerret, communionem quidem noſtram contriſtari diluimus, (legendum videtur, *contriſtati diſtulimus*) *quam temetis dubietatibus ſperabamus plenam Catholica fidei, & hoc, quod circa orthodoxam fidem conſenſum nobiſcum ſe habere promiſit, arbitramur eſſe venturam. Alioqui nihil nobis poterit imputari, ſi complectentibus fœdera caritatis, Beati Apoſtoli conſortis Alexandrini Petri ſocietas præferatur.* His præmiſſis Flavitam monet, ut *ſortem infelicis Acacii perhorreſcens*, Catholicorum regiæ urbis imitatorem ſe præbeat, Principem, conjugemque ejus exoret, ut preces rogantis admittant: *Nomen igitur Petri & Acacii tollatur è medio, nec*

Felix ep. 13.

Apocriſiariis damnati Petri miſceamur, aut literis. Nobis Deo inſpirante proviſuris rationabiliter, ut ſcripſimus, ſi cuncta convenerint, ut eorum, quos ordinavit, vel baptizavit Acacius, ſalvâ Confeſſione Catholicâ pro caritatis Eccleſiæ redintegratione nihil pereat. Felicis hanc Epiſtolam Flavita non accepit, morte præventus. Hinc Liberatus:

Liberat. c. 18.

Flavita, inquit, *non conſenſit, ſine Romano Pontifice inthronizari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Felici. Qui modico vivens tempore moritur, non accipiens Epiſtolam ipſius.*

Error Baronii.

Porrò ex Felicis ad Flavitam Epiſtola error Baronio eripitur, quem ex Nicephoro hauſtum ſuis Annalibus intulit. Scilicet Flavitam, dum ad Felicem ſcribit, *ſe illius communionis eſſe, Petri autem conjunctionem averſari ſignificaſſe.*

Bar. An. 488. n. 5.

Quæ & Theophanis aberratio fuit, quam à doctiſſimo Valeſio, qui Felicis ad Flavitam Epiſtolam legerat, non vexatam eſſe mirum eſt. Quid verbis Felicis potentius? *Reſponderent dilectionem tuam ab Alexandrini Petri, Acaciique deinceps recitatione futuram, modis omnibus alienam.* Id ergo Flavitæ Epiſtola non continebatur, quod à Petri Mongi conjunctione abhorreret. Imò eò ſuſpenſa Felicis cum Flavita communio, quòd Pontifici Romano ea proponenti Legati Flavitæ aſſenſum non præbuerint. Neque in Evagrio legimus, quod in eo ſe deprehendiſſe Baronius teſtatur, nempe

Bar. An. 488.

Flavitam repertam eſſe hoſtem Concilii Chalcedonenſis. Quæ nullo veſtigio extant in capite 23. libri 3. Evagrii. Fidem ſanè Flavitæ Felix prædicat.

Error Baronii.

Dixit Evagrius, Petri ad Flavitam in Epiſtola damnari Concilium Chalcedonenſe: de Flavitæ ad Petrum literis nil teſtatur ejuſmodi.

Felicis de Flavita ad Zenonem Epiſtola.

VI. Non ad Flavitam modò, ſed ad Imperatorem quoque literas direxit Felix, quibus ei gratulabatur in pietatem ſtudium, poſtulabatque, ut Acacii, Petrique nominum damnationi aſſentiretur. De *Euphemio* ſcriptam eſſe Labbeus exiſtimat, cujus in ſententiam deſcendere non poſſumus, adeò reſpondet ea Epiſtola illi, quam Flavitæ miſerat. In utraque Pontificem Conſtantinopolitanum magnis ob pietatem laudibus onerat. In utraque Sanctorum Monachorum meminit, qui legationem obierunt. In utraque narrat, à ſe monitos fuiſſe, ut à *conſortio damnatorum* retraherentur: in utraque teſtatur, ſe communionem diſtuliſſe. Denique ſi poſt Euphemii legationem ad ſe miſſam hanc Felix Epiſtolam exaraſſet, utique mentionis aliquid de priori legatione feciſſet, quæ ob repudiatam cum Acacio, & Mongo diſſociationem Pontificiam communionem non fuiſſet adepta. Apparet ergo in Felicis ad Zenonem Epiſtola, ad legationem reſpectum haberi, quæ Acacii obitum proximè excepit. Ea autem Flavitæ fuit, Euphemii non fuit. Dignas potiò Deo gratias ſe referre teſtatur, quòd egregium Conſtantinopolitanis Pontificem impoſiti Zeno curaverit: *Ut ſcilicet firmare Catholicæ fidei cupientes unitatem, Eccleſiarumque pacem magnoperè cohortari, talem ſtuderetis præfici Conſtantinopolitanis Antiſtitem, qui ſuperno munere proſequente & morum probitate fulgeret, & pia omnibus orthodoxa veritatis polleret affectu.* Deinde oſtendit, Mongum legitimè non eſſe purgatum: *Qui Petrus tamen ſi verè receptus eſſet, veniam petere debuit, non honorem, qui à damnatis atque Hæreticis falſum Sacerdotii nomen accipiens, Catholicæ non poterat Eccleſiæ præſidere.* Elegantia verò hæc ſunt, & ad commovendos affectus idonea: *Poſtulationes certè gentium barbararum, venerabilis Imperator, pro quiete mundani regni publicè benignus exaudis. Quantò præſtamus, quæſo te, preces Apoſtolicæ Sedis pro ſacrarum tranquillitate rerum placatus admittis? Hoc enim, hoc expedit, ut ſi utraque Roma pro mutuo pignore nuncupatur, fiat utraque una fides illa Romanorum, quam per univerſum mundum prædicari, Beatus Paulus teſtatur Apoſtolus. . . Putaſne me, venerabilis Imperator, non cum lachrymis iſta profundere, & velut præſentem ad tuæ pietatis veſtigia?* Rogat etiam, ut Alexandrina Eccleſia *à peſtiferi Rectoris retrahatur inſidiis.* Hæc tamen monita caruere ſucceſſu, cùm Acacii, Mongique nomina Diptychis retinerentur.

Felix ep. 12.

ANNO U. C. 1243. PER. JUL. 5203. JUL. 535. DOM. 490. ZENON. 16. & 17. *Sol.* 23. G. *Lun.* 16. *Indict.* 13. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 1. *P.* 25. *Mart.*

ANNO DOM. 490.

COSS. *Longinus II. & Avienus Fauſtus.*

Pelagius à Zenone interficitur.

I. VAticinationibus addictus Zeno Auguſtus, ſe ſanguine innoxio, famamque ignominiâ reſperſit. Ferunt, de ſucceſſore ſollicitum Comitem rogaſſe *Maurianum*, virum ſapientem, qui Principi multa jam prædixerat, quem Imperii ſucceſſorem eſſet habiturus. Ubi intellexit, & regnum, & uxorem accepturum quendam Pelagium, qui & primum Silentiariorum gradum aſcenderat, & ad Patriciorum dignitatem pervenerat, apprehendi jubet, proſcriptumque cuſtodiri, faucibuſque eliſis, vitâ dimitti, ne rerum potiretur. Hæc Chronicum Alex. Loci verò, ubi ad mortem Pelagius mittitur, nomen Marcellinus ab oblivione vindicavit: *Zeno Imperator gulam in Inſula, quæ Panormum dicitur, laqueo frangi præcepit.* Crudele facinus viris bonis diſplicuit: neque Præfectus Prætorio Arcadius ſibi imperare non potuit, quominus ob id convitia Imperatori multa ingereret. Quibus commotus, juſſit ſimul ac Regiam ingrederetur, Arcadium occidi. Qui cùm ſe ab Imperatore accerſiri intelligeret, velle ſe preces fundere ſimulans, magnam Eccleſiam ingreditur, ibique manens, acerbâ morte liberatur.

Chron. Alex.

Odoacer à Theodorico debellatur.

II. Intereà Italia cruento bello agitabatur. Defectione *Tufæ* Theodoricus incluſum Ticino exercitum retinuerat. Odoacer verò Cremonâ egreſſus, Mediolanum venit. Impar viribus Theodoricus erat, ſed Viſigothi venerunt auxilio. Itaque relictis Ticino, matre, ſororibus, univerſâque vulgi multitudine, nihil planè dubius de Epiphanii viri ſanctiſſimi fide, cum expeditis

Excerpt. Val.

pediris armatorum cuneis occurrit Odoacro. Commiſſo ad *Addum* prœlio, ab utraque parte multi ceciderunt: *Occiſus eſt Pierius Comes Domeſticorum tertio Idus Auguſtas, & fugit Odoacer Ravennam.* Fugientem ſubinde Theodoricus inſequitur: dumque in eo loco, cui Pinetum nomen eſt, non procul ab urbe, caſtra potuiſſet, biennio ferè, Odoacrum obſedit. Tantaque fames civitatem inceſſit, ut *ſex ſolidis* modius tritici diſtraheretur. Sic fuſum à Severino, ut aiunt, oraculum implerur: *Dum memoratum Regem* (Odoacrum) *multi nobiles coram ſancto viro humanâ, ut fieri ſolet, adulatione laudarent, interrogat, quem Regem tantis præconiis prætuliſſent, reſpondentibus illis, Odoacrem, inquit, vir Dei Odoacer integer erit, inter tredecim, & quatuordecim annos videlicet, regnum integrum ſignificans.* Creatus erat Odoacer x. Cal. Sept. anno CCCCLXXVI. cujus imperiô decimus quartus cùm anno labente currit, quo Ravennæ velut carceri incluſus, non cum hoſtibus modò, ſed cum fame pugnans, vix regium nomen retinebat, quod anno ſequente exuet, cùm ſe Theodorico tradere coactus eſt.

Prior Epocha regni Theodorici.

III. Debellato Odoacro, Theodoricus priorem in Italia regni ſui Epocham ingreditur. Ab anno quidem ſuperiore eam Pagio deduci placuit, Prolegomenis ad Diſſertationem Hypaticam. Cujus ad ſententiam accedere non poſſumus. Etenim in Excerptis Valeſianis anno ſuperiore Patricius duntaxat vocabatur, neque ante Fauſti, Longinique Conſulatum, præſente anno geſtum, Theodoricus ad Zenonem legationem miſit de purpura ſibi comparanda. Valeſianorum Excerptorum verba ſunt: *Et mittens legationem Theodoricus, Feſtum caput Senati ad Zenonem Imperatorem, & ab eodem ſperans, veſtem ſe induere regiam.* Ab eo igitur tempore ducenda ſunt regia Theodorici initia. Miſerrima tam Italiæ condicio, quæ dum armis Odoacri, & Theodorici undique laceratur, novæ calamitati ſubjicitur: *Talium rerum varietates Burgundionum Rex Gandobadus aſpiciens, Liguriam cum ingenti exercitu ingreſſus, cuncta quæ reperire poterat, pro voluntate diripiens, infinitam ſecum ad Gallias captivorum multitudinem adduxit.*

Paul. Diac. l. 16.

Theodorici magna & ignorantia, & prudentia.

IV. Victor Odoacri Theodoricus magnis ſanè virtutibus eminebat, etſi craſſâ ignorantiâ laboraret. Mirum dictu, quod Valeſianis in Excerptis reperitur: Rex *Theodoricus illiteratus erat, & ſic obruto ſenſu, ut in decem annos Regni ſui quatuor literas ſubſcriptionis Edicti ſui diſcere nullatenus potuiſſet. De qua re laminam auream jussit interraſilem fieri, quatuor literas Regis habentem, ut ſi ſubſcribere voluiſſet, poſitâ laminâ ſuper chartam, per eam pennam duceret, & ſubſcriptio ejus tantum videretur.* Tantæ tamen ſapientiæ fuit, ut Edicta conſtitueret, quæ pro oraculis haberentur. Prudentiæ exempla videamus, Salomoniticæ ſimillima. Puerulus matrem neſciens, amiſſo patre in aliam Provinciam ductus ibi educatur. Ad genitricem poſteà reverſus, eam invenit alteri viro ſponſam. Ac primùm maternâ charitate venientem amplectitur. Ubi verò ſponſus ingreſſus, novit mulieris filium eſſe, tunc repetito arrhabone dixit, *Aut nega filium tuum eſſe, aut verò abſcedo hinc.* Tum mulier ſponſi magis quàm filii amore tacta, *Vade*, inquit, *juvenis de domo mea, quia peregrinum te ſuſcepi.* Repudiatus filius Theodoricum imploratur. Illa perpetuò negare filium, peregrinum fateri. Cui Rex: *Quæ eſt facultas tua, mulier?* *Quæ reſpondit, uſque ad mille ſolidos. Et tum, aliud ſe Rex non eſſe facturum; ſub juſjurando eam pollicitus eſt, niſi ipſum alium non acciperet maritum.* Tum pudore victa mulier, filium agnovit. Feruntur & non illepidæ Theodorici ſententiæ: *Aurum*, inquit, *aut Dæmonem qui habet, non eum poteſt abſcondere.* De Gothis divitibus Romaniſque pauperibus: *Romanus miſer imitatur Gothum, & utilis Gothus imitatur Romanum.*

Exc. Val. 720.

Excerpt. Val. 719.

Mors Flavitæ.

V. Res Eccleſiæ nunc referamus. Flavita, qui Acacio Conſtantinopolitano Præſuli ſucceſſor datus fuerat, poſt ubi Pontificatum tribus menſibus tenuit, quartum ingreſſus, ad plures abiit. Quæ & Evagrii, & Nicephori Hiſtorici Chronologia eſt. Sed & in Nicephori Chronographia legitur: *Flavita Presbyter Sancta Theſſa, menſes tres, dies* XVII. Tertio promotionis ſuæ menſe diem ultimum obiiſſe narrant Victor Tunnenſis & Theophanes. Nicephori nobis eſt ſententia veroſimilior. Ubi notum Felici, Eccleſiam Conſtantinopolitanam viduam eſſe, ab eo literæ Thalaſſio diriguntur, viro qui communione cum Eccleſia Rom. conjungebatur, ne eorum electioni aſſentiatur, qui Acacii memoriæ favebant: *Caritatem tuam duximus admonendam, ut etiam ſi præſtante Deo noſtro nomina damnatorum, id eſt, Alexandrini Petri, & infelicis Acacii fuerint de Eccleſiaſtica recitatione ſublata; ut ſimiles perditionis eorum Sacerdotii non permittantur præſumere dignitatem, non prius tua dilectio, vel congregatio, quam gubernat, Conſtantinopolitana Eccleſia, vel quicunque ejus futurus eſt Pontifex communicandam eſſe decernat, quam ad notitiam Sedis Apoſtolicæ cuncta referantur, vel ipſius literis, qui fuerit creatus Epiſcopus, vel tua dilectionis alloquiis. Qui ſicut per profeſſionem Catholicam Sedis Apoſtolicæ formam ſecutus es, ut te à damnata communione ſuſpenderes, ita Beati Petri ſequi debetis exemplum. . . Expectet ergo dilectio tua Sedis Apoſtolicæ juſſionem, & ſic Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſacræ ſe communione conjungat, ſi in participatione B. Petri & Catholicæ caritatis deſiderat permanere. Data Cal. Maias, Probo, & Fauſto V. V. C. C. Coſſ. Indictione* XIII. Sed non accurata eſt ea Conſularis conſignatio: in locum Probi ſubſtituendus eſt *Longinus*. Ex ea Felicis Epiſtola diſcimus, nondum Euphemium ad Pontificatum evectum eſſe, qui Flavitæ loco ordinatus eſt: nec rectam Baronii Chronologiam ſtare, qui Euphemii inaugurationem in annum CCCCLXXXIX. retulit.

Error Baronii.

Petri Mongi nomen expungit Euphemius, & illud Felicis Diptychis inſerit.

VI. Ubi Euphemius in Sede Conſtantinopolitana collocatus eſt, accepit literas Mongi Synodicas, quas ad Flavitam ſcripſerat: *Cùmque in illis anathematizari geſta Chalcedonenſis Synodi deprehendiſſet, magnoperè conturbatus eſt, ſeque à Petri communione ſejunxit.* Ut porro majore Petrum ignominiâ afficeret, propriis quidem manibus de Diptychis ipſius nomen delet, uti nos Nicephorus monuit: *Euphemius ſimul atque Epiſcopatum iniit, nihil moratus ſuis ipſe manibus de ſacris tabulis Petri Mongi nomen expunxit, & Felicis appellationem repoſuit: atque in ſacro ſuggeſtu conſidens, Synodales, more recepto, Epiſtolas Romam ad Felicem dedit. Porrò Papa ſcripta quidem illius recepit, & Euphemio veluti Orthodoxo favit. Sed illum in Epiſcopalem communionem non admiſit, quòd Acacii quoque, & Flavitæ nomen de ſacro libro non deduxiſſet.* Illatâ ergo ſibi contumeliâ Petrus ad indignationem com-

Evagr. l. 3. c. 23.

Niceph. l. 16. c. 19.

Anno Dom. 490.

commotus, ultionem parabat non ſine gravi Eccleſiæ calamitate, novis iſtis diſſidiis miſerè lanianda. Quod malum Mongi fata prævenere: *Cùm igitur Euphemius, ac Petrus adverſus ſe invicem contenderent, & Synodos alter contra alterum convocare jam pararent, Petrus fatali morte præripitur, eique ſuccedit Athanaſius.* Mortalibus ereptum labente anno Mongum, teſtatur Victoris Chronicum: *Poſt III. Conſulatum Longini, Petrus Alexandrinæ incubator Eccleſiæ ſub damnatione moritur.* Qui Conſulatus illum Euſebii proximè excepit, non eſt tamen in Victore accurata Conſulatus hujus deſignatio, cùm non ter, ſed bis ampliſſimo Magiſtratu Longinus fungeretur. Cæterùm Euphemius ortus erat Alexandriâ. Quæ cauſa videbatur idonea, cur cum Petro communione conjungeretur. Vincula tamen omnia pietati poſtpoſuit: *Factus eſt Euphemius Epiſcopus, genere Alexandrinus, qui & ſuſcepit à Papa Romano ſcripta.*

Evagr. l. 3. c. 23.

Liberat. c. 18.

Diptycha quæ? eorum uſus.

VII. Diptycha, quibus Euphemius Mongi nomen exemit, monent nos de inſtrumentis in Hiſtoria Eccleſiaſtica celeberrimis aliquid afferre, quo ipſorum notitiâ mens nonnihil informetur. Quid ſint *πτυχία*, notum filiis Grammaticorum, quæ Latinis *tabellæ* dicuntur, quarum meminit Juvenalis Satyrâ IX.

Et blandæ, aſſiduæ, denſæque tabellæ
Sollicitent.

Inde igitur τὸ δίπτυχον idem, quod δίδυμα, *Diptycha: duplex amiculum habentia, ita ut alterum quidem ſit ſubſtratum, alterum verò ſuper injectum*, deſcribente Suidâ. Erant autem vel profana, vel ſacra. Profanorum mentio eſt in Lege Theodoſii Magni, data anno CCCLXXXIV. Richomere & Clearcho Coſſ. *Exceptis Conſulibus ordinariis, nulli prorſus alteri auream ſportulam Diptycha ex ebore dandi facultas ſit.* De Diptychis Conſularibus eburneis egregia ſunt Claudiani de laudibus Stiliconis carmina, l. 3. prope finem:

Cod. Th. l. 15. Tit. 8. l. 9. 381.

Dentes
Qui ſecti ferro, in tabulas, auroque micantes,
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen
Per Proceres & vulgus eant, ſuper omnibus Indis
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Ac quia hiſce Diptychis Conſulis nomen inſcribebatur, hinc & Faſtorum ſibi appellationem peperere, quâ à Sidonio donantur in ſua ad *Nammatium* Epiſtola: *Ut primum brevi peracta, nec brevis ſportula, datique Faſti.* Ex utraque parte tabella Conſulis imaginem exhibebat. Hinc verò Catalogi Epiſcoporum nomen Diptychorum ſumpſere, quodque primum Conſulare fuit, ſacrum dein evaſit. Neque tamen, ut appellationem, ſic & Conſularium Diptychorum ſubinde materiam Eccleſiaſtica ſibi vindicarunt: etſi creſcente quàm ſolitò magis magno luxu, Diptychis eburneis ſuus in Eccleſia locus fuerit, ut omni penè ratione ſplendorem Conſulum imitaretur. Quò pertinent Fortunati de B. Martini Natali die carmina:

Sidon. l. 8. ep. 6.

Nomina veſtra legat Patriarchis atque Prophetis,
Cui hodie in Templo Diptychus edit ebur.

Fort. l. 10. carm. 7.

At primùm Diptycha ſacra membranis conſtabant. In Actis Mopſueſtenæ Synodi, quæ in urbe Conſtantinopolitana imperante Juſtiniano recitantur, Joannes Presbyter & Cimeliarcha hæc loquitur: *Secundum Juſſionem veſtræ Sanctitatis inter ſacra vaſa, quæ à me ſervantur, habenter Diptycha, iſta protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo autem & alios duos membraneos quaterniones, vetuſtiores iſtis, quæ nunc & recitantur, quos & ipſos protuli, ſicut videtis.* Diptycha ex Ambone à Diacono legebantur, ut ex Actione prima Synodi v. Oecumenicæ liquet. Dum enim Amboni Joannes Patriarcha appropinquabat, à populo clamatum: *Diptycha Amboni, Diptycha modò porta.* Et ubi dimiſſi ſunt Catechumeni, *Januis clauſis, ac ſanctâ lectione juxta conſuetudinem lectâ, tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo, cum magno ſilentio circumcirca altare, & audiebant: & cum ſolum lectæ fuiſſent à Diacono appellationes prædictarum Sanctarum quatuor Synodorum, & ſanctæ memoriæ Archiepiſcoporum Euphemii, & Macedonii, & Leonis, voce magnâ clamaverunt, Gloria tibi, Domine.* Diptychis thura adoleta fuiſſe, ex Chryſoſtomi Liturgia colligit Noriſius: *Diaconus circumiens ſuffit ſacram menſam & Diptycha.* Non ſatis accuratè tamen verba hæc expendit vir ille doctiſſimus; cùm ſubinde legatur, τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων, *& defunctorum ac vivorum Diptycha, ut illi lubet, percurrit.* Itaque menſam duntaxat thurificat, Diptycha verò legendo percurrit.

Syn. v. Coll. v.

Nor. Diſſert. de Syn. v. p. 24.

VIII. Diverſi generis ſacra Diptycha celebrantur: vivorum ſcilicet, & mortuorum, qui variis ſanè libris inſcribebantur, ut palam eſt ex Attici ad Cyrillum Alexandrinum Epiſtola: *Magna eſt*, inquit, *inter defunctos, & ſuperſtites differentia, ita ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conſervatur, ſtatum diſcreti ſunt.* Paginis compluribus conſtabant utriuſque generis Diptycha, in quibus ſive defunctorum, ſive vivorum nomina non confuſâ ratione ordinabantur. In una pagina Epiſcopi, in alia Presbyteri, in diverſa Diaconi, in aliis Laici ponebantur. Qui ſanctitate ſuâ Epiſcopi inclaruerant, ita Diptychos poſt obitum inferebantur, ut ſpecies veluti *Canonizationis* eſſet, quâ in Cœlites allegebantur: quod verbis Pſeudo-Areopagitæ Dionyſii eximiè declaratur, licet verba ejus non ad ſolos Pontifices pertineant: *Sacrarum porrò tabularum, quæ poſt pacem adhibetur recitatio, deprædicat eos, qui ſanctè vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerunt, nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum, quietemque Deiformem adhortando, ac manu ducendo; illos verò, ſeu viventes celebrando, quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam tranſlatos.* Itaque qui hæreſi, aut impietate ſuâ Cœlo indigni habebantur Epiſcopi, Diptychis delebantur. Sic ſacro albo & Acacii, & Theodori Mopſueſteni nomen eraſum. Sic magna extitere jurgia de Chryſoſtomi nomine in ſacras tabulas referendo, cui totis viribus Cyrillus reſiſtebat. Similiter qui Epiſcopatui idonei non æxiſtimabantur, viventium tabulis eximebantur, quibus & Felicis Acacius, & Mongi nomen Euphemius pepulit. Ex illis porrò Diptychis, qui inter cæteros eminebant, eorum nomina intra ſacra Euchariſtiæ ſolemnia diſertè recitabantur, obſcuriorum factâ duntaxat generaliori mentione. Extat apud Jacobum Goar formula commemorationis vivorum, quam oculis ſubjicere tædio non erit: *Memento mei, & cunctorum, & cunctarum; Joſeph ſanctiſſimi & univerſalis Patriarchæ; Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hieroſolymorum, & pro offerente Domino Deo Sancta dona N. honorando Sacerdote Sacerdotum etiam adſtantium,*

Diverſa vivorum & mortuorum Diptycha.

Niceph. l. 14. c. 26.

Dionyſ. Hier. c. 3. n. 9.

Goar in var. Lect. Litur. Chryſ. p. 97.

tium, venerandi Presbyterii, miniſterii in Chriſto, & omnis ſacri ordinis cœtus. Pro ſalute, victoria, permanentia devotiſſimorum, & Chriſtum diligentium Imperatorum noſtrorum. Devotiſſima, & Chriſtum amantis Domina noſtra, Hypomenes, Monialis: devotiſſima, & Chriſtum amantis Domina noſtra Eugenia Monialis: devotiſſimorum, & Chriſtum diligentium Imperatorum noſtrorum, Joannis, & Mariæ. Pro pace & conſiſtentia totius mundi, & Sanctarum Dei Eccleſiarum: pro redemptione fratrum noſtrorum captivorum: proſperitate & firmitate Chriſtum diligentis exercitus: reſiduo populi ſalute, & cunctorum & cunctarum. Silentio prætermittimus ea Diptycha, in quibus baptizandorum nomina ponebantur. Qui de ſacris Diptychis plura volet, Bonam adeat, Noriſium, Cangium, qui fuſè ſimul & eruditè eam materiam tractarunt.

Anno U. C. 1244. Per. Jul. 5204. Jul. 536. Dom. 491. Anastasii I. *Sol.* 24. F. *Lun.* 17. *Indict.* 14. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

Cos. *Olybrius ſolus.*

Mors Zenonis Imperatoris: homo fuit libidinoſus.

I. ZEno, qui Pelagium, virum bonis artibus, ac virtutibus nobilem, anno elapſo morti miſerat, defuncto diu non ſuperfuit. Correptus comitiali morbo, obſque liberis extinguitur. Dyſenteriâ affectum od plures abiiſſe, Joanni Malelæ placuit, & Chronico Alex. Probabile quòd utroque morbo loboranti mors inciderit. Ferunt conſcientiæ morſibus agitatum, identidem Pelagii nomen eppellantem è vite exceſſiſſe. Morbus tamen, quo defunctus eſt, vocalem eum eſſe non ſinebat. Minus adhùc credibile, quod Cedrenus ſcripto prodidit, cùm putaretur mortuus, ſepulchro conditum eſſe, & à ſatellitibus per duas noctes auditum, talia proferentem, *Miſeremini, & aperite mihi.* Cùm illi dicerent, alium jam imperare, reſpondiſſe, *Nil curo, in Monaſterium me adducite*; aliquantò poſt monumentum fuiſſe recluſum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame ſuos & lacertos, & caligas ederat. Figmenta hæc ſunt Græculorum, Victori Tununenſi, Evagrio, Mercellino prorſus ignota, nec rationi ſanè conſentanea, cùm in ſepulchro obſtructo, nec diu vite retineri poſſit, nec vox loquentis audiri.

Error Baronii.

Bar. An. 491. n. 1.

Menſem diemque Zenonis ſupremum ab Antiquis non fuiſſe proditum, ſcripſit Baronius. Quod illi condonandum, qui Chronicum Alexandrinum, Joannemque Malelam nondum editum ignorabat. De menſe Chronicum: *9 Aprili Zeno correptus dyſenteriâ, diem ſuum obiit, natus annos* LXV. *dies* IX. Diem verò recordatur Malela, qui tamen de diuturnitate vitæ Zenonis à Chronico diſſidet: *Imperator Zeno dyſenteriâ correptus, fatis conceſſit, annos natus* LX. *& menſes* IX. *die nono menſis Xanthici, anno Antiochiæ* DXXXIX. *Indictione* XIV. Periit ergo nono Aprilis, feriâ tertiâ, cùm annos XVII. menſes duos, & dies aliquot imperaſſet. Princeps fuit libidinoſus, qui & pigmentis faciem fucabat, qua de cauſa *Leontio* Monacho dedit ludibrium, qui cùm in Clementis Alexandrini locum incidiſſet, quo viros deridet, qui faciem meretricio more pingunt, Monachis ſuis dixit: *An verò eſt aliquis præter Imperatorem, qui capillos pingat, & faciem fucet?* Quam vel ipſi Ethnici mollitiem viris indignam arbitrabantur. Philippus Alexandri Magni pater Antipatrum quendam de ſuis amicis, quem in Judicum numerum retulerat, cùm vidiſſet tingere, & fucare barbam & comam, à judicio removit, dicens, *In capillis infidum, in rebus gerendis fide dignum eſſe ne puta.* Miniſtris quoque ſuis Zeno obnoxius erat, præcipuè *Sebaſtiano*, qui ſuo illum arbitratu, quovis impellebat, nec quicquam in aula, ſine precio confici ſinebat. Omnes itaque dignitates vendebat, quorum pretium partim ſibi reſervabat, partim cum Principe communicabat. Mortuo *Illo*, diſſimulatam metu improbitatem patefecit.

Suid. t. 2. 32.

Zenoni ſuccedit Anaſtaſius: ejus anni.

II. Zenoni ſufficitur Anaſtaſius. Defuncti frater *Longinus*, qui ad magnam potentiam pervenerat, in ſpem quidem adducebatur, Imperium facillimè à ſe occupandum eſſe. Sed voti compos non fuit, Anaſtaſio quippe diadema impoſuit *Ariadne*, viro in Senatores nondum allecto, quique adhùc in Silentiariorum in ſchola militabat, Epidamno, quæ & Dyrrachium dicitur, Albaniæ od mare Adriaticum civitate ortus, favore Ariadnes Auguſtæ ad Imperium evehitur, Aprilis XI. Id liquet ex Chronico Alexandrino, quod perperàm vertit Raderus: *Anaſtaſius Dicorus ex nova Epiro Provincia oriundus, è ſchola Silentiariorum, Olybrio Conſule Areovindi filio inauguratus eſt, menſe Xantico, ſive quinto Aprilis, Hebdomade majore.* Hinc Pagius cenſuræ ſuæ gladio Chronicum verberat: *Errat*, inquit, *nam ea feria hoc anno in* XVIII. *Aprilis diem incidit.* At Roderiani erroris pœnas Chronicum dare non debuit, cujus Græca ſunt, τῇ ε' τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, *quinto die majoris Hebdomadæ*: alius verò quintus Aprilis, alius quintus majoris Hebdomadis. Quintus Aprilis feriæ ſextæ cohærebat, vi & literæ Domin. F. & Epactæ Solaris 2. quintus verò majoris hebdomadæ od diem Jovis pertinebat. Admirationem quoque nobis efficit Pagii incuria, qui cùm Faſtos & tempora regat, quintam majoris hebdomadæ diem in XVIII. Aprilis tranſtulit, quatuor ſanè diebus poſt Paſchatis celebrationem XIV. Aprilis alligatam, ut tam ex termino Paſchali, quàm ex Epacta à nobis repræſentata opparet & promptum eſt. Coronatur igitur Anaſtaſius XI. Aprilis. Imperavit onnos XXVII. menſes duos, dies XXIX. Obiit quippe anno DXVIII. die Julii nonâ, feriâ ſecundâ.

Pag. Diſſ. Hyp. p. 295.

Anaſtaſii mores.

III. Hæreticos in lætitiam conjecit Anaſtaſii ad ſummum faſtigium evectio: *Manichæi & Ariani ob Anaſtaſii promotionem ſibi gratulabantur. Manichæi quidem eò quòd mater illius ſectæ ipſorum cultrix eſſet ſtudioſiſſima. Ariani verò propterea quòd Clearchum Avunculum Anaſtaſii idem cum ipſis ſentientem haberet.* Quæ fortè cauſa fuit, cur totis viribus ipſius creationi obſiſteret Euphemius Pontifex Conſtantinopolitanus: *Hæreticum illum vocans, & indignum, qui Chriſtianis imperaret. Ariadne tamen, & Senatores vim inferentes, Euphemium aſſentire coëgerunt. Ille non aliâ conditione id ſe facturam promiſit, quàm ſi Confeſſionem ſcripto comprehenſam ab eo ſuſcepiſſet, quo profiteretur, ſe pro definitione fidei amplecti ea, quæ in Chalcedonenſi Synodo decreta fuerant. Quod quidem Anaſtaſius præſtitit.* Suſceptum Euphemius *chirographum in Archivo Eccleſiæ repoſuit.* Dum privatam Anaſtaſius vitam egit, moribus ſuis honeſtatis multum prætendit: adeò ut laus ipſius in omnium ore verſaretur. Ac Romam uſque manarat, tantæ ſpecies virtutis, quod teſtatur Papa Gelaſius in ſua ad ipſum Epiſtola:

Theodor. l. 5.

Theodor. Lect. l. 2.

Vict. Tun.

Nec

ANNO DOM. 491.

Gelaſ. ep. 8. 1083.

Nec me latet, Imperator Auguſte, quòd pietatis tuæ ſtudium fuerit in privata vita. Optaſti ſemper fieri particeps promiſſionis æternæ. Fama tenet, quòd ante galli cantum Templum adire ſolebat, dimiſſâ concione ſtabat adhùc, ut preces funderet; frequenter jejunabat; bona ſua pauperibus erogabat. Itaque ubi regiâ veſte indutus, primùm in Circo ſedit, populus maximum clamavit, *Sicut vixiſti, ita etiam impera, Domine.* Eutychianorum tamen in opinionem propendere putabatur eo tempore, quo inter Silentiarios militabat. Quò pertinet Suidæ narratio: *Anaſtaſius Silentiarius, qui poſteà creatus eſt Imperator, ſub Euphemio Patriarcha Conſtantinopolitano, Cathedrâ ſibi conſtitutâ, cum quibuſdam cœtus agitabat; Euphemius verò cum minis ei dicit, ut vel Eccleſiam frequentet cum ea conſentiens, vel ne prorſus in eam ingrediatur ad pervertendum imperitiores. Sin ſecus, inquit, feceris, reſecto tuo capillo apud populos te circunducam in triumpho.*

Suid. t. 2. 1055.

Error Baronii.

Quæ verba graviſſimum in errorem Baronium Græcorum ſecurum induxerunt. Quippe verſione deceptus, hæc Anaſtaſio jam ad Imperium evecto ab Euphemio dicta fuiſſe putat. Hinc nata verba ea magnifica, quibus Pontificum autoritati velificatur: *Vidiſti quantâ ſibi autoritate Sacerdotii ſumat Euphemius, ut abrogationem Imperii magnâ animi celſitudine intrepidus publicè comminatus fuerit Imperatori.* Scilicet Pontificibus id juris erit, ut comâ Principibus ablatâ, eos ad Monachatum redigant. Id tamen privilegii in Suida certè haud innititur, cujus verba ad Anaſtaſium nondum Imperatorem quidem, ſed ad privatum adhùc pertinent: quod Græcis perſpicuè indicatur, *ὁ μεθύστερον βασιλεύσας, qui imperavit poſtmodum.* Hæc ergo Silentiario locutus eſt Euphemius, non Imperatori: nec ſi privatum ideò & Principem Monaſterio includere potuit. Cæterùm liberalitatem Anaſtaſii ſumma dignitas obruit, ſi Suidæ fides: *Anaſtaſius in deterius mutatus, univerſum imperium in Ariſtocratiam mutavit, omnes Magiſtratus vendens, delinquentibus ignoſcens, inexplebili pecuniæ parandæ cupiditate flagrans.* Chryſoteliam excogitavit, & militarem ſumptum graviſſimo pretio taxavit in damnum Provinciarum. Laudes tamen ſibi comparavit, dum Chryſargyrum ſuſtulit. Sed Anaſtaſii & virtutes & vitia, quæ in progreſſu dicentur, accuratiſſimè repræſentabunt.

Bar. An. 491.

Evagr. l. 3. c. 42.

Seditio Conſtantinopoli.

IV. Porrò ubi Anaſtaſius creatus eſt Auguſtus, Imperium ſimul, & uxorem Zenonis Ariadnem accepit. Sanguine verò reſperguntur regni ipſius initia ob ſeditionem Conſtantinopoli exortam, cujus Marcellinus meminit: *Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parſque urbis plurima atque Circi igne combuſta.* Cui fortè ſeditioni occaſionem præbuerunt Iſauri, qui Longino Zenonis fratri favebant. Id & innuit Evagrius: *Ac primùm quidem Longinum Zenonis fratrem, qui Magiſtri dignitatem gerebat, quem Antiqui Præfectum Officiorum Palatii appellabant, in patriam amandavit. Multis item aliis Iſauris, qui id ab ipſo petierant, ad ſuos redeundi copiam fecit.* Longinus quidem anno ſequente palam factâ defectione rebellabit.

Evagr. l. 3. c. 29.

Odoacer à Theodorico victus. Ravennæ ſe includit.

V. Hæc in Oriente. At in Italia Odoacer, qui Ravennæ obſeſſus tenebatur, regni ſui cadaver omni quâ poterat ratione tuebatur: *Odoacer,* inquit Caſſiodorus, *cum Erulis egreſſus Ravennam, nocturnis horis ad pontem Candidum, à Domino noſtro Theodorico Rege memorabili certamine ſuperatur.* Victus tamen à Gothis fortiter reſiſtentibus, Ravennam repetere cogitur. Pugna hæc Valeſianis in Excerptis fuſiore ſtylo narrata reperitur: *Olybrio Conſule exiit Odoacer Rex de Ravenna, nocte cum Erulis ingreſſus in Pineta, in foſſate Patricii Theodorici, & ceciderunt ab utraque parte exercitus, & fugiens Levila, Magiſter Militum Odoacris, occiſus eſt in fluvio Veronte, & victus Odoacer fugit Ravennam Idibus Juliis. Igitur coactus Odoacer, dedit filium ſuum Thelane obſidem Theodorico, acceptâ fide, ſecurum ſe eſſe de ſanguine.* Ea tamen Odoacri deditio non contigit Olybrio Conſule. Ipſemet Excerptorum Autor narrat obſeſſam eſſe *triennio* Ravennam. Corrigendus igitur eſt ex Caſſiodoro, qui Albino Conſule, hoc eſt anno CCCCXCIII. Theodorici Ravennam ingreſſum memorat. Victoriâ porrò ſuâ Theodoricus multum inclaruit, cujus & fama Vandalos ita terruit, ut ad humillimas de impetranda pace preces deſcenderent: *Vandalis pace ſuppliciter poſtulatâ, à Sicilia ſolita deprædatione ceſſarunt.* Sed & Gothi Principis ſui mirati virtutem, non expectato Imperatoris aſſenſu, ipſius in Italia regnum calculo ſuo firmatum voluere: *Theodoricus in legationem direxerat Fauſtum Nigrum ad Zenonem. At ubi cognitâ morte ejus, antequam legatio reverteretur, ut ingreſſus eſt Ravennam, Gothi ſibi confirmaverunt Theodoricum Regem, non expectantes juſſionem novi Principis.* Tum ſuæ gentis veſte depoſitâ, *inſigne regii amictus, quaſi jam Gothorum Romanorumque regnator aſſumit.*

Caſſiodor.

Excerpt. Valeſ.

Jorn. de Reb. Get. c. 57.

Perpetui Turonenſis obitus: Eccleſiaſtica ipſius inſtituta.

VI. A rebus Imperii ad illas Eccleſiæ pergamus. *Perpetuo* Turonenſi Epiſcopo annus mortem attulit. Senatus à Gratiano numerabatur, vir & opum ditiſſimus, & ſanguine Senatorio ortus, ut perhibetur. Amicitiâ cum *Sidonio* conjungebatur, qui ad ipſum ſuam & Orationem apud Bituricenſes habitam, cùm Simplicium eis præficeret Epiſcopum, & Epiſtolam miſerat. Præfuerat & Perpetuus Turonicæ Synodo, anno circiter CCCCLXI. coactæ. Ex Gregorii Turonenſis Chronologia labente anno naturæ conceſſit: *Sedit* quippe, *annos triginta, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Martini.* Quid memoriâ dignum fecerit, ex Gregorio diſcamus: *Inſtituit jejunia, vigiliaſque, qualiter per circulum anni obſervarentur, quod hodieque apud nos tenetur ſcriptum, quorum ordo hic eſt, de jejuniis poſt Quinquageſimam quarta & ſexta feria uſque ad Natale S. Joannis. De Calend. Septembris uſque Calend. Octobris bina in ſeptimana jejunia: à depoſitione Domini Martini uſque Natale Domini terna in ſeptimana jejunia: de Natali S. Hilarii uſque medium Februarium bina in ſeptimana jejunia.* Vigiliis quoque auxit Eccleſiæ diſciplinam: *De Vigiliis Natali Domini in Eccleſia: Epiphania in Eccleſia,* majore ſcilicet, ubi ſedebat Epiſcopus: *Natali Sancti Joannis ad Baſilicam Domini Martini: Natali S. Petri Epiſcopatus ad ipſius Baſilicam. Sexto Cal. April. in Reſurrectione Domini noſtri ad Baſilicam Domini Martini: Paſcha in Eccleſia: die Aſcenſionis in Baſilica S. Martini die quinquageſimâ in Eccleſia: paſſione Sancti Joannis ad Baſilicam in Baptiſterio: Natali Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad ipſam Baſilicam. Natali S. Martini ad ejus Baſilicam: Natali S. Symphoriani ad Baſilicam Domini Martini: Natali S. Lidorii ad ejus Baſilicam: Natali S. Hilarii ad Domini Martini Baſilicam.* Præter Martini Baſilicam,

ANNO DOM. 491.

de quo ad annum CCCCLXI. mentionem fecimus, alias etiam ædificavit, S. Petri ſcilicet, & S. Laurentii, &c. Quod tot Eccleſiarum extructioni anteponimus, facultates Eccleſiis ſuas teſtamento reliquit: *Condidit teſtamentum, & deputavit per ſingulas civitates quod poſſidebat, inter ipſis ſcilicet Eccleſiis non modicam & Turonica tribuens facultatem.* Defuncto ſuccedit *Voloſianus.*

Greg. Tur. Hiſt. l. 10. c. 31.

Ruricius Lemovicenſis Præſul.

VII. Dum in Gallia verſ[illegible]tur, illuſtris Epiſcopi, qui eo tempore florebat, memoria apprehendatur. Is *Ruricius* eſt, Lemovicenſis Antiſtes, quem clari generis fuiſſe ſatis teſtatur Epithalamium ipſi, *Iberiæque* conjugi à Sidonio Apollinari nuncupatum, quò eleganti fictione Cupidinem ſuæ matri hæc loquentem exhibet:

Nova gaudia porta
Felicis prædæ genitrix; calet ille ſuperbus
Ruricius noſtris facibus, dulcique veneno
Tactus votivum ſuſpirat corde dolorem.

Pulchritudine ſuâ *Iberia* multum à Sidonio laudatur, qui Veneri id carminis ſecerat:

Sidon. carm. 11.

Me quoque Rhœtea damnaſſet paſtor in Ida,
Vincere vel ſi optas, iſtam da, malo, puellam.

Quanti verò Ruricii eloquentiam fecerit Sidonius, datâ ad ipſum Epiſtolâ teſtatur: orationi tamen vitam virtutibus fulgentem longè anteponit: *Cùm tibi ſermone pulchra vita ſit pulchrior, plus mihi indulges, ſi mei cauſâ orare potius velis, quàm perorare.* Hic ille Ruricius ſacris Lemovicenſibus præficitur, ſive mortuâ jam Iberiâ, ſive facto ad ineundum Sacerdotium divortio. Anno DVI. ad Concilium Agathenſe à Cæſario Arelatenſi vocatus, valetudine infirmâ adeſſe prohibitus, abſentiam excuſavit ſuam, datâ *Capillato* Presbytero Epiſtolâ, in quâ teſtatur, ſe *hyeme*, quàm aliis anni tempeſtatibus eſſe robuſtiorem: *Æſtivis diebus etiam in hoſpitio meo, & locis frigidis ipſam conſuetudinariam infirmitatem ſuſtentare vix valeo.* Scripſit ad diverſos complures Epiſtolas, quæ duobus libris continentur. Sidonium faciebat plurimi, & ejus Opera ſtudioſè legebat, fatebatur tamen, nec immeritò, illa obſcuritatis nebulis involvi: *Cujus*, inquit, *lectio ſicut mihi antiquam reſtaurat affectum, ita præ obſcuritate dictorum non accendit ingenium.* Diſtinguendi cauſâ Ruricius Senior vocatur, quia nepotem habuit & nomine Ruricium, qui Lemovicenſibus Epiſcopus dein impoſitus eſt.

Sidon. l. 8. ep. 10.

Rur. ep. l. 2. 52.

Rur. l. 2. ep. 25.

ANNO DOM. 492.

ANNO U. C. 1245. PER. JUL. 5205. JUL. 537. DOM. 492. ANASTASII I. & 2. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 18. *Indict.* 15. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 5. *April.*

COSS. *Anaſtaſius & Rufus.*

Longini in Anaſtaſium rebellio.

I. LOngino Imperatoris Zenonis fratri, multiſque dignitatibus nobili, moleſtum erat, & ad privatam fortunam redigi, & Anaſtaſio ſubjici, viro nec genere, nec muneribus geſtis inſigni. Ubi in patriam, quò relegabatur, pervenit, factâ conjuratione Imperium invadere molitur. Populari ſuo favebant Iſauri, quibus & odium moverat Anaſtaſius, quòd *illis tyrannus ille adjecerat donativum, & Zenon reconciliationis gratiâ invitus largitus eſt, ab iſto fraudantur*, uti Jornandes memorat. Ex offenſis ergo collecto quindecim millium militum exercitu, aperto Marte cum Anaſtaſio dimicare ſtatuit. Longini in caſtris verſabatur *Conon*, Apameæ in Syria olim Epiſcopus, qui pedum paſtorale in gladium verterat. Caruit tamen ſucceſſu ea Longini rebellio, autori ſuo fatalis: ac primo congreſſu infelicis quidem exitus omen habuit: *Dum bellum paratur Iſauricum, dumque Iſauri Imperium ſibi vindicare nituntur, in Phrygia juxta Cotiæum civitatem undique confluunt, ibique Lilingis ſegnis quidem pedes, ſed eques in bello acerrimus, à Romanis primus in prælio trucidatur, omneſque ſimul Iſauri fugæ dediti, per montana aſperaque loca Iſauriam repetunt. Hoc bellum Iſauricum per ſex annos tractum eſt.* Anaſtaſii exercitibus præerant *Joannes Scytha*, & *Joannes Gibbo.*

Evagr. l. 3. c. 35.

Marcellin.

Diſſidia Eccleſiæ ob Chalcedonenſe Concilium.

II. Non Orientis Eccleſia fuit, quàm Reſpublica tranquillior. Anaſtaſio decretum quidem erat, ut cuncti, qui ipſius imperio parebant, altiſſimâ pace fruerentur, omni contentione ab Eccleſiis amandatâ; ſed res ex voto non ſucceſſit, cujus cauſa & aperienda. Non eâdem ratione omnes in Synodum Chalcedonenſem animabantur. Præſulum nonnulli ipſius Decretis mordicùs adhærentes, in illis ne vel unius ſyllabæ, aut literulæ mutationem admittere ſuſtinebant. Alii Chalcedonenſia Decreta Leoniſque Epiſtolam anathematibus obruebant. Multi verò Zenonis *Henotico* contemplatione pacis inhærebant. Itaque palam Synodum nec rejiciebant, nec admittebant. Qui his argumentis permoti, Chalcedonenſia Decreta non recipiebant. Primum, quòd Synodo homines ſibimet ipſis diſſimiles interfuerint. II. Quòd Dioſcorus rectè de fide ſentiens, perperàm loco motus ſuo fuerit. III. Quòd Theodoritum & Ibam recepiſſet, ne vel poſtulato, ut prior ea ſcripta damnaret, quæ adverſus XII. B. Cyrilli Capitula condiderat. Hæc ſummatim ex Leontio de Sectis, Actione ſextâ colligimus. Hæſitantibus Anaſtaſium Auguſtum Leontius inſeruit. Conſtat quidem, Henotico deceſſoris mordicùs adhæſiſſe, quò pertinet Liberati narratio: *Poſt Mongum ordinatur Athanaſius, qui & ipſe in Edicto Conſtantinopolitana & Antiochena & Hieroſolymitana communicavit Eccleſia. Cùmque ſcandalizarentur in eo populi, eò quòd nomen Petri haberet in Diptychis, aſcenderunt quidam, & adverſantium & communicantium ei, ad Imperatorem Anaſtaſium. Et dum haberent contra Principem contentionem, aliis quidem proponentibus anathematizari Synodum, & ita communicare; aliis verò petentibus, in unitivo Edicto adjici ea, quæ ſatisfacerent, his qui communicaverant Petro, conſiderans Imperator, quòd ſi adjectionem Edicto faceret, tumultum moveret Eccleſia, & anathematizari Synodum eſſet impoſſibile, perſuaſit eis ſufficere unitivum Edictum, ut communicarent ad invicem ſibi, ſicut & cæteri Eccleſiarum Epiſcopi. Et cùm non obedirent hoc agere, nihil impetrantes diſceſſit.* Hinc diſſidiis Eccleſiæ divellebantur. Quod malum ſanè graviſſimum, nec ſatis deplorandum ſcripto prodit Evagrius. Totius orbis Eccleſiis diviſis, ne Antiſtites quidem ipſi ſibi mutuò communicabant: *Hinc multa diſſidia in Orientis & Occidentis partibus, & per Africam extiterunt: cùm nec Orientales Epiſcopi Occidentalibus, & Afris ſociarentur, nec iſti viciſſim coirent cum Orientalibus. Quin etiam ad majorem abſurditatem res progreſſa eſt. Nam nec Orientales Antiſtites inter ſe ipſi communicabant.*

Liberat. c. 18.

Evagr. l. 3. c. 30.

Felicis Papæ obitus: num ipſius anima Tarſillæ conſpicua fuerit?

III. Felix anno Pontificatus ſui nono, menſe Februario mortalem vitam cœleſti mutavit. Februarii XXV. ejus Natale dicatur, quo die terras & reliquiſſe creditur. Sic ſciſcit Romanum

num Martyrologium: *Romæ natalis S. Felicis Papæ tertii, qui S. Gregorii Magni atavus fuit.* De ſupremo tamen die Felicis ſilet vetus Roſſedi Calendarium. Victori Tunnunenſi magis aſſentimur, qui in annum labentem Felicis confert obitum, quàm Marcellino, qui anno proximè futuro ipſum alligat. In Baſilica Pauli Apoſtoli ſepelitur. Gregorii Magni atavus fuit, de quo joculatorem ſanè fabulam narrat ipſe in ſuis Dialogis. Gregorii patri tres ſorores fuere, Traſilla, Gordiana, Æmiliana; Traſillæ verò atavus Felix conſpicuus fuit. Teſtes miraculi ſi quærantur, ea ipſa eſt Traſilla, quæ viſionem retulit: *Per viſionem* (verba ſunt Pontificis) *atavus meus Felix, hujus Romanæ Eccleſiæ Antiſtes apparuit, eique manſionem perpetuæ claritatis oſtendit, dicens, Veni, quia in hac te lucis manſione ſuſcipio. Quæ ſubſequenti mox febri correpta, ad diem pervenit extremum.* Patiatur Gregorius, narrationibus ejuſmodi à nobis fidem detrahi. Neque cœleſtium animæ gloriâ ſuâ deſcendunt viſitandis mortalibus, neque viſibiles ſunt, ut ſui ſenſum faciant, utpote nec colore, nec figurâ præditæ. Tarſillæ ergo ſomnium fuit, nec vel ſatis Scripturæ conſonum, cùm Chriſti cœlo imperantis partes ſint, Fidelium animas in æterna luce ſuſcipere, quod & Stephanus Protomartyr perſuaſum habuit, qui hæc moriens loquebatur, *Domine Jeſu, ſpiritum meum ſuſcipe,* quod cum Felice munus communicatum ignoramus, ut ſuæ nepti diceret, *In hac te lucis manſione ſuſcipio.* Ex fabula id ad nos lucri redit, quòd flammas expiatorias Tarſilla non ſubierit.

Gregor. Dial. l. 4. cap. 16.

IV. Gelaſius defuncto ſucceſſor datur: quo verò die conſecratus ſit, jacet in obſcuro. *Die ſecundâ Martii* Gelaſium creatum eſſe, Baronio placuit. In diem verò ſequentem Gelaſianam ordinationem refert Onufrius. Neuter tamen ad verum accedit, cùm ſecunda Martii diei Lunæ, tertia verò diei Martis cohæreret. Quibus ſanè feriis Gelaſii ætate Pontificum Romanorum ordinationes non peragebantur. Teſtis Leonis ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſtola 81. Ex Pontificali colligimus potius, Kalendis Martii Gelaſium inauguratum fuiſſe. Defuncto Felice *ceſſavit Epiſcopatus dies quinque:* quorum primus & ultimus pro incompletis habendi, quia parte labente ſui aliquâ Interpontificium fuit. Quòd ſi completi exiſtimentur, ut Gelaſii creationem inter & Felicis obitum dies quinque numerentur, abhorret utique à diſciplina Romanus calculus; Gelaſiique inauguratio in Martii octavum differenda, ut in diem Dominicum incidat. Sed Natale Gelaſianum ignorari præſtat, quod certis hiſtoriæ monumentis non exhibetur. Gelaſium porrò *Afrum* dicunt ex patre *Valerio.* Qua de re non immeritò dubitatur, vel autore Gelaſio, qui ad Anaſtaſium Auguſtum ſcribit: *Glorioſe fili, te ſicut Romanus natus, Romanum Principem amo, colo, ſuſcipio.* Sunt, qui ſcribant *Romæ,* quæ ſanè lectio concinnior eſt. Pontificatus annum quartum ingreſſus eſt, quem cum vita exuit anno CCCCXCVI. Magnam Gelaſius modeſtiam præ ſe tulit, utpote qui de ſe hæc loquatur: *Ego quidem ſum omnium hominum minimus, ſatis immeritus ad tantæ Sedis officium, niſi quòd ſuperna gratia ſemper operatur magna de parvis. Quid enim de me ſentiam, cùm hoc ipſe de ſe Magiſter Gentium teſtetur, qui ſe ultimum, & non dignum vocari Apoſtolum profitetur.*

Gelaſius Papa creatur. Aſtene fuerit?

Bar. An. 492. n. 6.

Gelaſ. Ep. 8. p. 1182.

Gelaſ. Ep. 9. p. 1158.

V. Ubi in urbe regia innotuit Pontificatum adiiſſe Gelaſium, magna Euphemium cupido inceſſit, medicas manus adhibere ad vulnera, quibus Eccleſia operiebatur. Reſarciendæ igitur Veteris Novæque Romæ conjunctioni, Gelaſium adit Epiſtolâ per *Sincletum Diaconum* miſſâ, quam tempus edax rerum nobis invidit. Ex reſponſione Gelaſiana colligimus queſtum eſſe, quòd nil communicatoriæ Epiſtolæ acceperit, cum more Eccleſiaſtico ad Pontificatum evecti promotionem Collegis ſuam ſignificatum irent. Deinde omnes adhibuiſſe machinas, ut Epiſcopum Romanum ad concordiam adduceret. Cui reſpondet Gelaſius, neminem ad Sedis Apoſtolicæ communionem ſe poſſe admittere, qui Acacii nomen non damnaverit: *Quomodo,* inquit, *diſpoſitionis Apoſtolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis extranea? Quemadmodum vobis ordinationem renuntiatura eſt, cui veſtro etiam teſtimonio Hæreticos damnatos præponitis?* Affirmabat etiam Euphemius, ſe Eutychem damnationis telis obruere. Regerit Gelaſius, *Hoc ſi verum eſt, aut eos, qui communicaverunt Eutychetis ſucceſſoribus pariter abdicate, aut aliorum quoque Hæreticorum ſucceſſoribus communicantes admittite. Sed Acacius, inquit, nihil contra fidem, ſicut Eutyches, & ſucceſſor ejus legitur ubicunque dixiſſe: quaſi non ſit deterius, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe veritatis inimicis. Itaque ille veſter Acacius, qui Eutychianis Hæreticis deteſtabili communione factus eſt particeps, ab eadem Synodo ſine dubitatione damnatus eſt, quæ Eutychen Dioſcorumque cum ſucceſſoribus eorum, hiſce communicantes Synodico tenore proſtravit.* Denique urgebat Euphemius, *populum Conſtantinopolitanum non permittere ſubmoveri nomen Acacii:* rogare ſe, ut ab Eccleſia Romana dirigantur, qui plebem *eam valeant mitigare.* Quibus opponit Gelaſius, & ſe, & Euphemium ad pavendum Chriſti tribunal venturos: *Ibi certè dilucidabitur, utrùm ego, ſicut putatis, acerbus, aſper, & nimis durus difficiliſque ſim vobis.* Id quidem judicabit ſapientiſſimus ille omnium Judex Chriſtus: interea noſtra ſic fert ſententia, immitem nimis ſe præbuiſſe Gelaſium, qui Eccleſiam ſcindi mallet, quàm Acacii nomen Diptychis relinqui, qui nec Hæreticus fuerat, nec cum manifeſto Hæretico communionem coluerat.

Scribentem de Eccleſiæ concordia Euphemium repudiat Gelaſius.

Gelaſ. Ep. 1.

VI. Alias & labente anno Gelaſius Epiſtolas exaravit. Ad Laurentium de *Lignido* Confeſſionem fidei mittit, quam omnes ſequantur in Macedonia. Cui teſtatur etiam, ipſius literis in lætitiam ſe conjectum eſſe, quòd ad lectionem Epiſtolæ Felicis omnes Acacio dixerint anathema. Gelaſio Dardaniæ Epiſcopi ſcripſerant, ipſius præcepta ſe per Tryphonem accepiſſe, & antequam in ſuas manus venirent, *Petri Acaciique conſortium, velut quædam peſtifera contagia vitaſſe.* Titulus Epiſtolæ hic eſt: *Domino ſancto Apoſtolo, & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio, Papæ urbis Romæ, humiles Epiſcopi Dardaniæ.* Simili titulo ſecundi, tertiique ſeculi Epiſcopi Pontificibus Romanis honorem non habuere; utpote qui ad eam dignitatem necdum aſcenderant, quam Lege Valentiniani ſunt conſecuti. Dardaniæ Epiſcopis reſpondet Gelaſius per *Urſicinum* Epiſcopum, literarum latorem, quibus ipſos monet, ſe in Apoſtolica Sede eſſe collocatum: Catholicæ fidei Libellum ipſis à ſe tranſmitti. Quos & hortatur, ut & cum Eutychia-

Aliæ Gelaſii Epiſtolæ.

Gelaſ. Ep. 2.

Gelaſ. Ep. 3.

Anno Dom. 493.

tychionis ne communicent, & muneri ſuo invigilent.

Anno U. C. 1246. Olymp. 318. Per. Jul. 5206. Jul. 538. Dom. 493. Anastas. 2. & 3. Theodoric. 1. *Sol.* 26. C. *Lun.* 19. *Indict.* 1. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

Coss. *Euſebius* II. & *Albinus.*

Odoacer occiditur. Num Theodorico ſtruxerit inſidias?

Excerpt. Val.

Procop. de Bel. Goth. l. 1. c. 1.

Jorn. de Reb. Get. cap. 57.

Procop. de Bel. Got. l. 1. c. 1.

Paul. Diac. lib.

I. Equis vetiſque tuens regnum ſuſtinere ſuum Odoacer conabatur. Triennio Ravennæ obſidium toleraverat, cum famè, hoſtibuſque pugnans. Ubi tandem neceſſitatis ad deditionem impulſus, *Thelane* filium Theodorico obſidem tradit, *accepta fide ſecurum ſe eſſe de ſanguine.* Alia prædicat fœdera Procopius: Conventum ſcilicet Ravennæ, Antiſtitis interventu, *Theodoricus Odoacerque ſiquâ, ac amici forte ea in urbe, ut viverent, pariterque potirentur imperio.* Ea tamen narratio nil probabilitatis habet, cùm ad incitas Odoacer redigeretur, Italiæque totius jam Theodoricus potiretur. Ignoto quoque pactio hæc Latinis Autoribus, qui de rebus Theodorici Procopio ſunt anteponendi. De Odoacro Jornandes: *Tantum ille ſolus cum paucis ſatellitibus, & Romanis, qui aderant, & ſame & bello quotidie intra Ravennam laborabat. Quod dum nihil proficeret, miſſa legatione veniam ſupplicat.* Procopio tamen Baronius aſſenſum præbet. Victor Theodoricus Ravennam ingreditur, nec multo pòſt Odoacrum occidi jubet. Innocens, reuſne perierit, eſt in ambiguo. Procopius: *Theodoricus*, inquit, *per cauſam, quòd ſibi machinabatur inſidias, Odoacrum ad epulas fraudulenter vocatum* occidit. Neque conjurationis Odoacri meminit: & notum ſurens, quid ambitio poſſit, quæ vel ob exarmatis hoſtibus ſibi metuit. Paulus quidem Diaconus aperte Theodorici perfidiam incuſat: Odoacer *in fide ſuſceptus* à Theodorico *truculente peremptus* eſt. At Caſſiodorus Scriptor illorum temporum proditionis Odoacrum poſtulat: *Dominus Rex Theodoricus Ravennam ingreſſus, Odoacrem molientem ſibi inſidias interemit.* Eo quidem propendet ultio, ut graviſſimas vindicet injurias, & Odoacro monere potuit altè mente repoſtum, adempta ſibi regna eſſe, quæ quovis modo repetita volebat. Inſidiarum & Excerpta Valeſianæ meminere, quæ à Procopio non minimum diſſident: *Poſt aliquot dies, dum Theodorico Odoacer inſidiaretur, detectus cautè ab eo, præventus in Palatio, manu ſuâ Theodoricus eum in Lauretum præveniente gladio interemit. Cujus exercitus in eadem die juſſu Theodorici omnes interfecti ſunt, qui ubi potuit reperire cum omni ſtirpe ſua.* Cùm magnæ Theodorico virtutes eſſent, ægrè nobis perſuaderetur, tantam Erulorum ſtragem ediſſe, niſi conjurationis reos deprehendiſſet. Itaque vel repugnante Baronio, Odoacrum potius perfidum egiſſe, quàm Theodoricum exiſtimamus. Magni ſanè ponderis eſt Caſſiodori viri & Patricii, & Odoacro coætanei teſtimonium, qui verbis expreſſis Odoacri inſidias memorat. Utut res ſeſe habeat, cruentâ morte periit Odoacer *tertio nonas Martias*, ut in Cuſpiniani Anonymo legitur.

Poſterior Odoacri Epocha. Theodorici æquitas.

II. Occiſo Erulorum Rege poſterior Theodorico naſcitur Epocha, cùm abſque rivali totius Italiæ potitus ſit. Ac diu ſatis ſempiternæ gloriæ ſeſe commendavit, juſtitiâ non minus, quàm fortitudine clarus: *Præclarus & bonæ voluntatis in omnibus regnavit annos* XXXIII. *cujus temporibus felicitas eſt ſecuta Italiam per annos* XXX. *ita ut etiam pax pergentibus eſſet. Nihil enim perperè geſſit. Sic gubernavit duas gentes in uno, Romanorum & Gothorum, dum ipſe quidem Ariana ſecta eſſet, tamen militia Romanis, ſicut ſub Principes eſſe præcepit. Dona & annonas largitur quanquam Ærarium publicum ex toto fœneum inveniſſet, ſuo labore recuperavit, & opulentum fecit, nihil contra religionem Catholicam tentans: exhibens ludos Circenſium, & Amphitheatrum, ut etiam à Romanis Trajanus, vel Valentinianus, quorum tempora ſectatus eſt, appellaretur, & à Gothis ſecundum Edictum ſuum, quem eis conſtituit, Rex fortiſſimus in omnibus judicaretur.* Ipſius æquitatis adjungamus exemplum, quod perperàm Chronicum Alex. anno CCCCLXXXVI. affigit, Symmacho Conſule. Patricia fœmina, nomine *Juvenalia*, Theodoricum docuit, ſe jam triennio cum Senatore *Firmo* in litibus verſari: Rex accerſitis Judicibus, *At niſi*, inquit, *craſtino die litem finieritis, vos capite plectam.* Biduo in cauſa cognoſcenda conſumpto, ex Legum norma Judices ſententiam ferentes, litigantes dimittunt. *Juvenalia* accenſis cereis Regi gratias egit, quòd lis ſua componeretur. Tum indignatus vocatis ad ſe judicibus, ea loquitur: *Quare quod uno biduo feciſtis, in triennium protraxiſtis?* Ac ſubinde utrumque Judicem ſecuri percuſſit: quâ ſeveritate timor in alios manavit. Porrò ultimo regni ſui triennio multum Theodoricus degeneravit, ut ſuo loco videbimus.

Anno Dom. 493.

Excerpt. Valeſ. 719.

Theodorici ad Anaſtaſium legatio.

Caſſiodor. Ep. l. 1. 1.

Caſſiodor. lib. 8. Epiſt. 1.

Proc. de Bel. Goth. l. 2. c. 5.

Seditio Conſtantinopoli.

III. Ubi ſine æmulo Italiæ Theodoricus potitus eſt, ad Anaſtaſium Imperatorem Legatos mittit, *Fauſtum*, & *Irenæum*: quorum nomina nos Gelaſius monuit in ſua ad *Anaſtaſium* Epiſtola: *Famuli veſtræ pietatis filii mei, Fauſtus Magiſter, & Irenæus, viri illuſtres, atque eorum comites publicâ legatione fungentes, ad urbem reverſi*, &c. Extat apud Caſſiodorum Theodorici Epiſtola, quâ multum honoris Anaſtaſio ſe habere profitetur: *Oportet nos, clementiſſime Imperator, pacem quærere, qui cauſas iracundiæ noſcimur non habere . . . & ideò, piiſſime Principum, potentiæ veſtræ convenit & honori, ut concordiam veſtram quærere debeamus, cujus adhùc amore proficimus. Vos enim eſtis regnorum omnium pulcherrimum decus, vos totius orbis ſalutare præſidium, quod cæteri dominantes jure ſuſpiciunt, quia in vobis ſingulare aliquid ineſſe cognoſcitur: nos maximè, qui divino auxilio in Republica veſtra curam didicimus, quemadmodum Romanis æquabiliter imperare poſſimus . . . Hortamini me frequenter, ut diligam Senatum, Leges Principum gratanter amplectar, ut cuncta Italiæ membra componam.* Gothorum Principum pectoribus tam altè infixa Imperatorum veneratio, ut ab ipſis Conſules petere, Romanis permitterent. Athalaricus quidem Juſtiniano gratulatur, quòd pater ejus *Eutharicus* à Juſtino Auguſto purpuram Conſularem accepiſſet: *Vos genitorem meum in Italia palmatâ claritate decoraſtis.* Sed & diu ſatis muneribus urbis publicis non Gothi ſanè, ſed Romani præficiebantur, teſte Procopio: *Omnibus præterea urbanis antehàc Magiſtratibus Romani perfungebantur, Gothus vir nemo eorum particeps factus.*

IV. Non ſi extincto Odoacro pax Italiæ infundebatur, ea & Orienti dominabatur. Inteſtino

teſtino

ANNO DOM. 493.

teſtino bello Conſtantinopolis inflammabatur, ut conjectura fert, autoribus, qui Longino favebant. Summatim ſeditionis caſus retulit Marcellinus, cujus verba repræſentabimus: *Bella civilia adverſus Anaſtaſii regnum apud Conſtantinopolim geſta ſunt: ſtatuaque Regis Reginaque funibus ligata, atque per urbem tracta. Julianus Magiſter Militia nocturno prælio pugnans, Scythico ferro in Thracia confoſſus interiit.*

Gelaſii ad Anaſtaſium Epiſtola.

V. Ad res Eccleſiæ progredimur. Quos Anaſtaſio Legatos Theodoricus miſerat, Fauſtus & Irenæus, ubi Romam reverſi ſunt, Gelaſium monuere, diſplicere Imperatori, quòd nullas ad ipſum Epiſtolas direxerat. Silentium hoc ſuum Gelaſio excuſari placuit: *Clementiam veſtram quæſiſſe dixerunt, cur ad vos mea ſalutationis ſcripta non miſerim. Non meo fateor inſtituto, ſed cum directi dudum de partibus Orientis, vel videndi me licentiam, ſibi veſtris præceptionibus abnegatam, totâ urbe diſperſerint, à literis credidi temperandum, ne oneroſus potius quam officioſus exiſterem.* Præmiſſâ excuſatione expatiatur in Sedis ſuæ privilegiis: *Si cunctis generaliter Sacerdotibus, rectè divina tractantibus, Fidelium convenit corda ſubmitti, quantò potius Sedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & Divinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens Eccleſiæ generalis jugiter pietas celebravit?* Eò etiam proceſſit Gelaſius, ut Sedi ſuæ conceſſam divinitùs non errandi facultatem indicare videatur: *Hoc eſt, quod Sedes Apoſtolica magnoperè cavet, ut quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa Confeſſio, nulla rima pravitatis, nullâ prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus avertat, quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam reſiſtere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus poſceremus?* In ſummo itaque autoritatis faſtigio, in quo ſe collocatum putabat, ad reſtituendam Orientis & Occidentis communionem Acacii nomen Diptychis eradi jubet: *Tollatur ergo nomen è medio, quod Eccleſiarum diſcretionem procul à Catholica communione operatur, ut ſincera pax fidei communionisque reparetur, & unitas.*

Gelaſ. Ep. 8.

Seneca Pelagianiſmum renovat. Quis? damnatur à Gelaſio.

VI. Qui & Imperatorum Edictis & Patrum ſcriptis Pelagianorum error extinctus videbatur, ſcintillas & in Dalmatia, & in Piceno diſperſit. Huic ſe opinioni defenſorem præbuit victus deliruſque *Seneca*, quem Gelaſius hiſce coloribus pingit: *Oblatus eſt nobis miſerabilis ſenex, Seneca nomine, qui non modò totius eſt eruditionis alienus, ſed ipſius quoque intelligentia communis prorſus extraneus, in Pelagiana voraginis cœno, ſicut de quibuſdam in Apocalypſi legimus, velut una ranarum impudenter immerſus, inque illa face horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere poſſet inveniens.* Impar tamen erat ferendo Pelagianis auxilio: *Reverà enim ſic ejus ſtolidus & obtuſus eſt animus, ut de his veniens, quæ malè hauſit, & vomuit, nullam rationem vel accipere valeat omninò, vel reddere.* Ac Epiſcopum egiſſe videtur, utpote qui Presbytero communione interdixerit: *Quis audiat, quis ferat, paſſos eſſe Pontifices, ut cadaver neſcio quod indignum, Presbyterum ſibi non acquieſcentem audire, communione privaret?* Hinc quidem apparet, Presbyteris fuiſſe præpoſitum, ut Abbatem ſanè, ſi non ut Antiſtitem. Dederat & Leges, *ut ſervi Dei cum puellis ſacris congregatione dedecoriſſimâ miſcerentur.* Eòque & petulantiæ progreſſus fuerat, ut *B. memoria Hieronymum, atque Auguſtinum,*

Gelaſ. Ep. 7.

Eccleſiaſticorum lumina Magiſtrorum, lacerare contenderet, vel ſub conſpectu Sacerdotum. His accenſa Gelaſii diligentia malo emergenti intercedendum putat, ne ignis aſſumptis viribus majora daret incendia. Ad Honorium ergo Dalmatiæ Epiſcopum literas dirigit, datas v. Kal. Auguſti, quibus de ſuſcitatis erroribus dolorem pandit ſuum: *Nuntiatum nobis eſt, in regionibus Dalmatiarum quoſdam recidiva Pelagiana peſtis zizania ſeminaſſe, tantumque illic eorum prævalere blaſphemiam, ut ſimplices quoſque mortiferi furoris inſinuatione decipiant.* Honorium ergo monet, hortetur Epiſcopos, ut totis viribus gliſcenti ſe errori opponant, quem à tot tantiſque Pontificibus damnatum, revocari nullâ eſt ratione permittendum: *An fortaſſe neſcitis, hanc hæreſim, de qua loquimur, & ab Apoſtolica dudum Sede per B. memoria Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœleſtinum, Sixtum, Leonem continuis & incoſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam? Nec tamen Eccleſia Catholica Legibus, ſed Principum quoque Romanorum ac tenore damnatam, ut nec uſquam terrarum vivendi locum ſectatores ejus habere ſinerentur. Data v. Kal. Auguſti Fauſte V. C. Conſule* perhibetur. Mendoſa tamen eſt nota hæc Conſularis, cùm ſedente Gelaſio nullus annum *Fauſtus* aperuerit. Anno quidem CCCCXC. Fauſtus Conſul proceſſerat, ſed Felix eo tempore Romanam adminiſtrabat Eccleſiam. Legatur ergo *Albino V. C. Conſule.*

Gelaſ. Ep. 5.

Gelaſius Pelagianos refellit.

VII. Sed & ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos Gelaſius dirigit Epiſtolam, quâ Pelagianorum errores refellit. Scilicet & parvulos ſine peccato naſci, & hos pro ſolo Peccato originali non damnari; & Gratiam non eſſe neceſſariam, & ſecundum merita mortalium dari. De infantibus, qui baptiſmi expertes mortem obeunt, obſervatu digna ſunt Gelaſii verba hæc: *Nihil eſt, quod dicant* Pelagiani, *quòd non renati infantes tantummodò in regnum Cœlorum ire non valeant, non autem perpetuâ damnatione puniantur, dum ſine baptiſmo corpus & ſanguinem Chriſti nec edere valeant, nec potare. Sine autem hoc vitam in ſeipſis habere non poſſent; ſine vita verò, non niſi mortui ſunt futuri. Tollant ergo de medio neſcio quem ipſi tertium, quem decipiendis parvulis faciant, locum.* Porrò non errores modò, verùm etiam inordinatam Senecæ diſciplinam Gelaſius emendat, irrogatâ & delinquenti excommunicatione: qui verò ab ejus ſocietate non diſcedunt, *ab Eccleſiaſtico remoti ſervitio, devotâ ultione plectantur.* Virorum verò mulierumque contubernia prohibet: *Diſcreta ſuis habitationibus virorum atque fœminarum, ſicut ſanctum propoſitum decet, exerceatur circumſpecta devotio.* Data eſt Epiſtola *Kal. Novembris,* Albino Conſule.

Gelaſ. Ep. 7.

ANNO U. C. 1247. PER. JUL. 5207. JUL. 539. DOM. 494. ANASTAS. 3. & 4. THEODORIC. 2. *Sol.* 27. B. *Lun.* 1. *Indict.* 2. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 6. *P.* 10. *April.*

ANNO DOM. 494.

COSS. *Præſidius & Aſterius.*

Terræ motus.

Marcellin.

I. TErræ motibus annus nobilitatur; quibus complures Orientis civitates everſæ: *Laodicea, Hierapolis, & Tripolis, atque Agathicum uno tempore, unoque terra motu collapſa ſunt.*

Epiphanii Ticinenſis legatio ad Theodoricum atque Gundobadum.

II. Extincto Odoacro, nec dum cauſæ irarum ſævique dolores Theodorici exciderant animo. Qui Erulorum Regi militarant, eorum uſur-

Digitized by Google

uſurpabat cum indignatione memoriam. Decretum ergo promulgat, quo in mœſtitiam Italia conjicitur, ſcilicet, *Ut illis tantùm Romanæ libertatis jus tribueret, quos partibus ipſius fides examinata junxiſſet. Illos verò, quos aliqua neceſſitas diviſerat, ab omni juſſit & teſtandi, & ordinationum ſuarum, ac voluntatum licentia ſubmoveri.* Ad præſidium commune miſerorum feſtinant illi, quos tangebat Edictum, ad Epiphanium ſcilicet, quem rogant, ut ſuſceptâ ad Regem legatione, afflictis ſit ſolatio. Poſtulatur & auxilium *Laurentii* Mediolanenſis. Epiſcopi ſimul profecti Ravennam veniunt: orandi munere fungitur Epiphanius in legationibus, quas complures obierat, exercitatiſſimus, qui ſapienter Theodoricum monet, ſe ibi ſervorum ipſius cauſas agere, *ubi ſolebat inimicus hujus ſolis poſſeſſione gaudere*: *Habes*, inquit, *plurimum Chriſto Redemptori noſtro, quod debeas; pro quibus rogamus, ipſe largitus eſt.* Epiphanii oratione ad clementiam incitatus Theodoricus, *virum illuſtriſſimum Urbicum, qui Ciceronem eloquentiâ, Catonem æquitate præceſſerat*, accerſitum jubet, ut ſcripto Edicto omnibus indulgentiam promulget. Quo ſubinde facto, Rex vocato clam Epiphanio, de redimendis captivis apud Gundobadum legationis onus injungit. Quam impoſitam ſibi provinciam lubens ſuſcipit Ticinenſis Antiſtes, eâ conditione, ut Victor Taurinenſis Epiſcopus comes itineris adjungeretur. Acceptâ redemptionis pecuniâ, menſe Martio, *qui glaciales fluminibus frenos imponebat*, Alpium juga ſuperat. Lugdunum venienti trans Rhodanum occurrit *Ruſticus*, urbis hujus Præſul, qui artes Regis aulicas ipſum docuit. Conſtituto die Epiphanius cum Gundobado ſermonem inſtituens, *Certate*, inquit, *Duces invictiſſimi, & alterutrum vos exequendo præcepta myſtica ſuperate . . . Redimere cupit ille captivos, tu ſine pretio redde genitalibus glebis.* Ubi peroravit Epiphanius, Gundobadus vocato *Laconio*, quem & *avorum curules*, & virtutes propriæ ad magnas dignitates promoverant, imperat, Italos omnes, qui ſponte, ſive captivitatis metu, ſive famis neceſſitate Burgundionum in ditionem conceſſerant, gratuito reddi: qui verò à militibus facto impetu capti fuerant, ſoluto pretio dimitti, *ne qui diſcrimina ſuſtinuerint, lucra non ſentiant.* Fuere in Gallia Nobiles, qui de ſuis theſauris ad liberandos Ligures pecuniam ſuppeditarent: quos inter multis laudibus celebrantur *Avitus* Viennenſis Epiſcopus, illuſtriſque matrona *Syagria*, quæ Ennodio *theſaurus Eccleſiæ* vocatur: *Auro illorum ex maxima parte actum eſt, ne Galliæ diutius ſervitium pubes Ligurum duceretur.* Genevam quoque properat Epiphanius, quam frater Gundobadi *Godigiſelus* incolebat, qui fraternum exemplum imitatus, Ligures libertati ſuæ reſtituit. Sic *pluſquam ſex millia animarum terris propriis redduntur.* Conſtat, *quadringentos homines die unâ de ſola Lugdunenſi civitate ad Italiam fuiſſe dimiſſos.* Spectaculum oculis pulcherrimum, liberatorum agmina redeuntem Epiphanium ſequebantur, ut glorioſiſſimi triumphi ſpeciem ſpectantibus ingererent. Cum ejuſmodi trophæo Ticinum revertitur Epiphanius, qui ne quaſi ſui laboris præmium à Theodorico præſentiâ flagitare ſuâ videretur, quæ à ſe geſta fuerant, Epiſtolæ commiſit. (*Ennod. Vit. Epiph. 389.*)

(Gelaſii Conſtitutiones.) III. Res Eccleſiæ nunc nobis ſunt referendæ. Belli furores, quibus miſera lacerabatur Italia, Canonibus ſilentium indixerant: Eccleſias complures miniſtri deficiebant: ac triſtis rerum facies mentes horrore ſimul & dolore perfundebat. Quam rem à Joanne Ravennenſi monitus Gelaſius, pro tempore de regulis nonnihil relaxare ſtatuit. Conſtitutionem ergo promulgat quinto Idus Martias, quam Lucaniæ, Brutiæ, Siciliæque Epiſcopis mittit, capita XXVIII. complectentem, quorum ſumma hæc eſt. I. De conſtitutis Eccleſiaſticis pro temporis conditione moderandis. II. Monachus ad Clericatum promoveatur, ſi vitæ integer, ſi *ſecundam non habuit uxorem*, nec à marito relictam, ſi pœnitentiam publicam non geſſit, nec ullâ parte corporis vitiatus apparet; ſi ſervili conditioni non eſt obnoxius, ſi aſſecutus eſt literas, ſine quibus vix Oſtiarii poſſit implere miniſterium. His fultus Lector, vel Notarius, aut certè defenſor factus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus, ſexto menſe Subdiaconi nomen accipiat, nono menſe Diaconus, completoque anno ſit Presbyter. III. Ut ſi qui de Laicis eliguntur ad Clericum, multò ſollicitius in his ea, quæ de Monachis dicta ſunt, inquirantur: *Quorum & promotionibus*, inquit, *ſuper anni metas ſex menſes nihilominus ſubrogamus, quoniam diſtare conveniet inter perſonam divino cultui dedicatam, & de Laicorum converſatione venientem.* IV. Baſilicas noviter inſtitutas niſi petitis ex more præceptionibus dedicare non audeant. V. Nulla de baptizandis, conſignandiſque Fidelibus pretia exigantur. VI. Ut Presbyteri modum debitum ſervent: non Chriſma conficiant, non conſignent: nec præſente quolibet Epiſcopo, niſi jubeantur ab ipſo, vel orare, vel ſedere præſumant, nec Acolythum, vel Subdiaconum faciant. VII. Ut Diaconi menſuram propriam juxta Patrum Decreta cuſtodiant: abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi neceſſitas extrema compellat. VIII. Diaconi in Presbyterio reſidere non poſſint, nec ſacri corporis prærogationem præſentibus debeant uſurpare Presbyteris. IX. Quod Apoſtolicæ Sedes paternos Canones pio ſtudio devotoque cuſtodiat. X. Ut præter Paſchale tempus, & Pentecoſten nemo baptizare præſumat, niſi eos tantùm, quos ægritudo extrema compulerit. XI. Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac medianâ Quadrageſimæ die Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas. XII. Devotis Deo Virginibus, niſi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum Natalitiis ſacrum minimè velamen imponant. XIII. Viduas velare Pontificum nullus attentet. XIV. Nullus Præſul, vel Eccleſiæ, vel Monaſterii ſervum, aut originarium nolentibus Dominis ſub nomine religioſo defendat.

IV. XV. Clerici nulla negotia inhoneſta, nec turpia lucra ſectentur. XVI. Nemo literas neſciens, vel aliquâ parte corporis minutus provehatur ad Clerum. XVII. Qui ſeipſos abſcindunt, Clero excludantur. XVIII. Ad Clerum criminoſi nequeunt promoveri, & in Clero poſiti, ſi in flagitiis inventi fuerint, officio arceantur. XIX. Dæmoniacis, ſimilibuſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non licet. XX. Qui ſe ſacris Virginibus ſociant, communicare non poſſunt, niſi actâ pœniten- (Aliæ Gelaſii Conſtitutiones.)

Anno Dom. 494.

nitentiâ publicâ. XXI. Viduæ, ſi profeſſam continentiam calcaverint, pro ſe rationem Deo ſunt redditura. XXII. Secunda conjugia ſæcularibus non negantur, quibus ad Clerum venire non conceditur. XXIII. Qui ſuſceperit Eccleſiæ propriæ deſertorem, & in aliquam dignitatem provexerit, utrique pœnis ſubjaceant. XXIV. Si qui ex Monachis, aut Laicis abſque neceſſitate ad Clerum eligitur, antiqua inſtituta ſerventur, ſi ſacrum pretio dignitatem emerint, deponantur. XXV. Abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ nemo Eccleſias, vel Oratoria ſacrare præſumat: nulla Baſilica ſub defunctorum conſtructa nomine dedicetur. XXVI. Nefas ſit, fœminas ſacris altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt officiis deputata præſumere. XXVII. In unaquaque Eccleſia, cui Epiſcopus præeſt, tam de redditibus, quàm de Fidelium oblationibus quatuor debeant fieri portiones, ut una ſit Epiſcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, quarta Eccleſiæ fabricis applicetur. XXVIII. Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus à quocunque Clerico veraciter accuſatus, quòd adverſus hæc Conſtituta fecerit, poteſt ſine dubitatione percelli, ſui etiam honoris periculum Epiſcopus ſubiturus, ſi hæc omnia Eccleſiæ noſcenda tacuerit.

Variæ Gelaſii Epiſtolæ.

V. Sunt & aliæ Gelaſii Epiſtolæ labente anno confectæ. Prima data *Idibus Mai*, ad Epiſcopos Siciliæ ſcripta mandat, Eccleſiæ facultates ab Epiſcopis, Clericis, & pauperibus eſſe diſtribuendas. Bona Eccleſiæ, quæ annis xxx. Epiſcoporum in poſſeſſione fuerunt, non eis eſſe eximenda. Secunda ad Dardaniæ Epiſcopos dirigitur, per Cyprianum & Macarium, Diaconos lata, quâ ipſorum pietatem laudibus onerat, quos & monet, ne cum Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio ullâ communione jungantur. Præterea ipſis notum facit, Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui favebat Acacio, Eccleſiæ Romanæ communione prorſus excidiſſe: *Noverit veſtra fraternitas, Eccleſiæ Theſſalonicenſis Antiſtitem, noſtris adhortationibus ſæpius incitatum, contagia communionis externa nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii vel cæterorum ſimilium perfidorum, hiſce communicantium, congruâ profeſſione damnaſſe.* Acacium defunctum excommunicatione ſolvi non poſſe profitetur. Data eſt Epiſtola *tertio Nonas* Auguſti. *Æonium* quoque Arelatenſem ſcripto adiit, miniſterio *Euphronii* Presbyteri, & Reſtituti viri religioſi, qui Italiam petierant: *Omni voto*, inquit, *dilectionem tuam duximus admonendam, quatenus & vigere apud nos alterna viſcera gratia, fratres & Coepiſcopi noſtri per Gallias conſtituti, caritate tuâ vulgante cognoſcerent.* Data eſt x. Cal. Sept. Errorem in Epiſtolæ titulum irrepſiſſe, ſibi perſuaſit Baronius, *ejuſque loco reſtituendum eſſe Cæſarium.* Scilicet Felicis ad Cæſarium Epiſtolam ad annum ccccLxxxviii. exhibitam, Felicis eſſe, qui Gelaſio deceſſit, exiſtimabat. Sed ſuus Epiſtolæ titulus relinqui debet, *Ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum*, cùm Felicis ad Cæſarium Epiſtola illius ſit, qui ſexto ſeculo Joanni Papæ ſucceſſit, ut meliore imbutus Chronologiâ fatetur illuſtriſſimus Purpuratus, in tomi x. Recognitionibus.

Gelaſ. Ep. 12.

Bar. Ann. 494. n. 26.

Gennadius Maſſilienſis. Nùm Epiſcopus?

VI. In Provincia verſantibus *Gennadio* Maſſilienſi ſuus honos eſt reddendus, qui labente circiter anno ſuum de Viris illuſtribus Catalogum obtulit Gelaſio. Ejuſmodi ſententiæ Baronius fuit, Gennadium ex Semi-Pelagiano Catholicum redditum, Maſſilienſibus Antiſtitem datum eſſe. Hanc verò ſuam opinionem probat Adriani Papæ ad Carolum Magnum Epiſtolâ: *Sanctiſſimorum Pontificum hæc oblata ſunt teſtimonia, id eſt, Sancti Gennadii Maſſilienſis Epiſcopi, qualiter veneranda ſunt corpora & reliquiæ Sanctorum, capite* xl. Verùm non ut Apotheoſi defunctos donare, ſic & Epiſcopalibus eos honoribus ornare Adriano licuit. Itaque Gennadius ſolâ Presbyteri dignitate fulſit. Quo tempore quidem Catalogum edidit ſuum, ſedente, cujus meminit, Gelaſio *Honoratus* Maſſilienſem adminiſtrabat Eccleſiam: *Honoratus*, inquit, *Maſſilienſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir eloquens*, quo teſtimonio ſuo Catalogo colophonem impoſuit. Neque titulus *Sancti*, quo ab Adriano decoratur Gennadius, argumentum eſt, quæ fingitur, emendationis, cum Fauſtus Reienſis in Divos relatus, etiamnum à popularibus colatur, quem tamen Semi-Pelagianorum erroribus addictiſſimum fuiſſe liquet. Quos & ſpirant, & ubique diffundunt ſcripta Gennadii. Caſſianum quidem Semi-Pelagianorum Principem Sanctis opponit, licet in nonnullis exemplaribus vox ea deſideretur. De Eucherio: *Sed & S. Caſſiani quædam Opuſcula, lato tenſa eloquio . . . in uno coëgit volumine.* Sed & palam in Auguſtinum invehitur, c. 38. *Multa loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus. Ex multiloquio non effugies peccatum.* Quo ſanè convicio Auguſtini de Prædeſtinatione, Gratiaque, & præveniente & efficaci opinionem reſpertit. Quòd ſi *Gelaſii præcepto*, ut ſibi in animum Baronius inducit, Gennadius ſcripta Semi-Pelagianorum erroribus ſua purgaſſet, utique & Auguſtini, & Proſperi longè honorificentiorem mentionem feciſſet; ea ſaltem deleviſſet, quæ Auguſtini cultoribus offenſioni non eſſe non poterant. Expunxiſſet & laudes, quas Fauſti Reienſis libro contulit: *Edidit quoque Opus egregium de Gratia Dei.* Quos porrò libros condiderit Gennadius, ipſe doceat: *Ego Gennadius Maſſiliæ Presbyter ſcripſi adverſus omnes hæreſes libros octo, adverſus Neſtorium libros ſex, adverſus Pelagium libros tres, & tractatus de mille annis, & Opus de fide mea miſi ad Beatum Gelaſium urbis Romæ Epiſcopum.* Tabulæ de naufragio duntaxat ſuperſunt, Catalogus illuſtrium virorum, nec non liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus, cui nomen, Auguſtinique perſona perperàm impoſita eſt. Cur verò labenti anno Gennadii Catologum aſſignemus, nos movet ipſe Gennadius, qui de Theodulo mentionem agens, hæc habet: *Moritur hic Scriptor ante triennium, regnante Zenone.* Periit autem Zeno anno ccccxci. Ex quo intelligitur, poſt annum ccccxiv. hoc Operis lucem non aſpexiſſe, ſecus triennio majus eſſet ſpatium, quod memorat. Aliundè jam ſedebat Gelaſius, & in gloria erat, cùm ad eum Opus de fide ſuum Gennadius miſit. Gelaſius autem Pontificatum iniit anno ccccxcii. labente. Ut certum ſit, in eo ſpatio, quod annis ccccxcii. & ccccxciv. includitur, Catalogum prodiiſſe. Quo tempore vitâ Gennadius abierit, juxta ſcimus cum ignariſſimis.

Anno Dom. 494.

Semi-Pelagianiſmum ne exuerit Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis edit.

Bar. An. 490 n. 4

Gen. Cat. cap. 63.

Cat. c. 8

Honoratus Maſſilienſis.

Gennad. Cat. c. 9

VII. Gennadii mentio laborem nobis injungit, de *Honorato* commemorandi, qui Catalogo Virorum illuſtrium finem imponit: *Honoratus Maſſilienſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir eloquens*, &

& abſque ullo impedimento ex tempore in Eccleſia declamator, & quia à pueritia in timore Dei creſcens, etiam in negotiis Eccleſiaſticis exercitatus eſt, os ſuum quaſi armarium Scripturarum aperit, & in Homiliarum modum ad utilitatem legentium multa compoſuit, maximeque ad colendam fidei rationem, & revincendam Hæreticorum perverſitatem. In cujus libera prædicandi conſtantia non ſolùm vicinarum civitatum Sacerdotes, & Populi delectantur; ſed & longè poſiti, cùm ad eos neceſſariò pergit, ſummam ei docendi in ſuis Eccleſiis rogantes injungunt. Sanctus quoque Papa Gelaſius Romanæ urbis Pontifex per Scripturam agnoſcens, ejus fidei integritatem Reſcripto ſuo probatam indicavit. Sanctorum Patrum vitas ad ædificationem poſterorum coaptat ipſe legendas, præcipuè nutritoris ſui Hilarii Arelatenſis Epiſcopi. Letanias ad ſupplicandum Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit. Exceptâ vitâ Hilarii Opera hæc omnia deſiderantur. Cæterùm Auguſtini diſcipulum tantis quidem laudibus Gennadius non cumulaſſet. De grege ergo Semi-Pelagianorum *Honoratus* fuit. Et in capitibus puriſſimæ doctrinæ malè audiiſſe, ſatis innuit Gennadius, à quo diſcimus, ſui purgandi causâ Honoratum fidei, quam amplectebatur, Confeſſionem ad Gelaſium miſiſſe.

Gundabundus Rex Vandalorum. Num Eccleſiæ perſecutor?

VIII. Africanas Eccleſias noctis calamitatum immerſas Deus gratiſſimâ luce complevit. Hunnericus Decembri anni CCCCLXXXIV. Gundabundo Vandalorum Regi deceſſerat, qui in Chriſtianos perſecutione diſperſos, atque palantes, benignam Deo volente mentem accepit. Gundabundum & ſceptri, & odii in Eccleſiam Hunnerici ſucceſſorem nobis Procopius pingit: *Honorico extincto, Gundabundus Genſonis fratris filius ſucceſſit, qui propior genere Genſericum attingebat. Cum Aphris pluribus decertavit præliis. Chriſtianos mutatione ſuorum, ſuppliciis etiam majoribus afflixit.*

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 8.

Eccleſiæ quoque perſecutoribus Gundabundum Baronius appoſuit, cujus verba ſunt: *Abripuit Deus è vita hominem, cùm intermiſſam aliquandiu perſecutionem inſtaurat.*

Bar. An. 495. n. 19.

Contrà verò ex vetuſtiſſimo Codice Appendicis Proſperiani Chronici clariſſimus Noriſius verba refert, quibus Baronius poſtulatur erroris, utpote quæ Gundabundum perſecutorum numero eximant: *Gundabundus tertio anno regni, cœmeterium S. Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dari præcepit, Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo jam de exilio revocato. Decimo autem anno regni ſui Eccleſias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo de exilio revocavit.*

Error Baronii.

Labente anno id beneficii in Chriſtianos collatum eſſe, eodem Codice monemur: *Ex die VII. Idus Februarias uſque ad decimum annum Gundabundi in diem IV. Idus Auguſti completi ſunt anni decem, menſes ſex. . . . Qui memoratus Gundabundus Rex poſtmodum vixit annos duos, menſem unum.* Codicis autoritatem firmat Hermannus Contractus, *Gundabundus Rex Vandalorum, perſuadente Eugenio Epiſcopo, tandem poſt decem annos omnes Catholicos Epiſcopos de exilio revocavit, & diu clauſas Eccleſias pace redditâ aperuit.*

Nor. Hiſt. Pelag. l. 2. c. 21. 206.

Et ad annum, quem Dom. CCCCXCVI. vocat: *Gundabundo Rege defuncto Thraſimondus XXVI. paulò plus annis regnat pro eo. Qui item Catholicis infeſtus, Eccleſias poſt aliquot annos clauſit.* Quòd ſi à Thraſimondo clauſæ ſunt Eccleſiæ, conſequens eſt, apertas etiamnum fuiſſe, cùm fata Gundabundus implevit: ac quæ de ipſius perſecutione prædicant, commentum eſſe purum, quo optimi Principis fama læditur. Eo beneficio Chriſtiani mœrorem gaudio mutarunt, quibus loca patebant, ut Deo ſuo laudes canerent, ſacraque religionis conficerent. Nihilominus infenſos ſibi Arianos reperiebant, qui pietatis odio Orthodoxos Regia ad arbitrium non ſeſe componentes laceſſebant. Atque ſic intelligenda eſſe verba Gelaſii, nobis perſuaſiſſimum: *Ecce nuper Honorico Regi Vandalicæ nationis, vir magnus & egregius Sacerdos Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, multique cum eodem Catholici Sacerdotes conſtanter reſiſterent ſævienti, cunctaque extrema tolerantes hodieque perſecutoribus reſiſtere non omittunt.*

Herm. Chron.

Gelaſ. Ep. 13. c. 1207.

Cur ut Hunnerici, ſic & Gundabundi ſi perſecutorem egit, Gelaſius non meminit? Scilicet non erat inter perſecutores: imò clauſa Templa pandi permiſerat. Epiſcopi verò, Magiſtratus, plebſque furori ſuo ſervientes, Orthodoxis ſæpenumerò moleſti eſſe pergebant:

Uſque adeò nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Met. l. 7. fab. 8.

Imperante ergo non Gundabundo, ſed Thraſimondo Eugenius ſolum ſecunda vice vertet.

IX. Labente hoc anno fato fungitur *Saluſtius* Præſul Hieroſolymitanus, ut nos Cyrillus monet Scythopolitanus: *Poſtquam Archiepiſcopus Saluſtius obtentâ Sede Hieroſolymorum per octo annos, menſeſque tres in Chriſto dormiſſet, menſe Julio XXIII. die, Indictione ſecundâ, Elias in Patriarchatu ſucceſſit LVI. Beati Saba ætatis anno.*

Sab. Vit. cap. 31.

Anno U. C. 1248. Per. Jul. 5208. Jul. 540. Dom. 495. Anastas 4. & 5. Theodoric. 3. *Sol.* 28. A. *Lun.* 2. *Indict.* 3. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.*

Cos. *Viator ſolus.*

Euphemius Conſtantinopolitanus in Anaſtaſii odium incidit. Cur?

I. ANaſtaſio Auguſto inviſus erat Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Chalcedonenſem Synodum apertè venerabatur; quam & jam congregato ſuo Concilio, anno CCCCXCII. corroborarat, Anaſtaſio & Rufo Coſſ. ut à Victore Tununenſi memoriæ proditum: *Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Anaſtaſii Imperatoris calliditate prævisâ, Synodum congregat. Synodi Chalcedonenſis Decreta confirmat.* At graviores indignationis acceſſere cauſæ. Iſauricum bellum fervebat adhùc, non ſine tædio Imperatoris, qui pacis cupidus arcanum Euphemio ſuum credit. Quid deinde geſtum ſit, Theodorus exponet Lector: *Anaſtaſius belli pertæſus, arcanum ſuum aperuit Euphemio Conſtantinopoleos Epiſcopo, ſe minimùm pacem optare, juſſitque, ut Epiſcopos, qui in urbe regia morabantur, colligeret, & pro Iſauris apud Imperatorem ſupplicaret. Euphemius verò verba Anaſtaſii retulit Joanni Patricio, qui ſocer erat Athenodori, unius ex Principibus Iſaurorum. Ille confeſtim accurrens, cuncta Imperatori nuntiavit. Et ea res Anaſtaſium Euphemio infenſum reddit.* Itaque cùm de clade Iſaurorum nuncium accepiſſet Imperator, miſſo Euſebio Officiorum Magiſtro, hæc Euphemio ſignificavit: *Preces tuæ, ô magne vir, amicos tuos fuligine impleverunt.*

Theodor. lib. 2.

Euphemius poſt abdicationem relegatur: quandonam obiit?

II. Qui Principis ad nutum atque arbitrium ſeſe fingebant, Euphemio inſidias parant. Itaque percuſſorem ſubornant, qui Euphemium feriret è regione metatorii, hoc eſt, Secretarii, è quo Patriarcha procedebat ad altare, & ad illud redi-

Digitized by Google

Anno Dom. 495.

redibat officio peracto. Percuſſor ſtricto gladio Euphemio infligit ictum. At Paulus defenſor Eccleſiæ, qui procero corpore erat, vulnus pro Euphemio excipiens, mortis periculum ſubit. Eum verò, qui gladium diſtrinxerat, vir quidem de Clericorum grege, acceptâ ſerâ interficit. Porrò cùm Iſaurorum motus Imperator aſcriberet Euphemio, congregat Epiſcopos, qui Conſtantinopoli morabantur, ut illum Epiſcopatu ejicerent. Qui ut Anaſtaſio pergratum facerent, abdicationis ſententiam in Euphemium ferunt. Cùm plebem moleſtè haberet ea Patriarchæ damnatio, gravem ſeditionem excitat, ut quaſi metu tumultus Anaſtaſium de ſententia deduceret. Ubi verò vidit, eâ ratione nil impetrari, ad preces decurrit, Principe ad Circum convento: verùm nec ſupplicantibus ea via profuit, vincente Anaſtaſii pertinaciâ. Itaque *Euchaita* relegari Euphemium jubet. Qui fidem ſibi dari per Macedonium poſtulat, ſe abſque inſidiis in eum locum abductum iri. Cùmque permitteret Imperator, ut Macedonius ſecuritatem daret roganti, rem laude dignam geſſit. Pallio Epiſcopali induebatur, quod ſibi auferri Diacono mandat: ſicque ad Euphemium Eccleſiæ in Baptiſterio adhùc commorantem accedit. Quo facto Macedonius indicabat Euphemio, adhùc intra Eccleſiam conſiſtente nolle ſe pro Epiſcopo haberi, cujus inſignia præſente deceſſore deponebat. Labente anno hæc contigiſſe, docuit nos Marcellinus in Chronico: *Euphemius Auguſta civitatis Antiſtes falsò ab Anaſtaſio Principe accuſatus, atque damnatus, in exilium ductus eſt. Locum Euphemii Macedonius tenuit.* Euphemii expulſione creverunt Eccleſiæ diſſidia. Quippe Elias Epiſcopus Hieroſolymitanus iis, qui Euphemium Sede ſuâ expulerant, aſſentiri noluit, quem præter regulas ejecerant. Obiit Euphemius anno DXV, teſte Victoris Chronico: Anthemio & Florentio Coſſ. *Eo tempore Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus apud Ancyram Galatia de hac vita tranſiit.*

Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus creatur.

III. Macedonius, ut perhibetur, Gennadio Conſtantinopolitano Pontifici erat ex ſorore nepos, ejuſque curâ educatus, maximam & temperantiam, & pietatem præ ſe ferebat. Eunuchum quidem fuiſſe conſtat, quo argumento conflatas in ſe incontinentiæ accuſationes diluit. Sacrorum Vaſorum Cuſtodem agebat, atque Presbyterum, quem ejecto Euphemio, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Anaſtaſius præfici voluit. Ut verò Imperatoris benevolentiam ſibi conciliaret, Zenonis Henotico ſubſcripſit. Id quidem negat Baronius, fretus Cyrilli Monachi autoritate. Sed Baronium redarguit Evagrius, à quo diſcimus, Xenaiæ ſatellites à Macedonio fidei Confeſſionem poſtulaſſe, *qui affirmavit, ſe trecentorum & octodecim Sanctorum Patrum, & centum & quinquaginta fidem ſolam noſſe, Neſtorium verò & Eutychem anathemati ſubjiciens, eoſque, qui duos Filios, & duos Chriſtos aſſerant, aut qui naturas dividant, nullâ tamen mentione factâ nec Epheſina Synodi, qua Neſtorium depoſuit, nec Chalcedonenſis, in qua depoſitus eſt Eutyches.* Itaque non pugnat quidem, quòd Macedonius & *Henotico* aſſentiretur, & rectæ fidei patrocinaretur. Baronium quoque Liberatus refellit, qui de Joanne Niceota Alexandrino Epiſcopo hæc loquitur: *Cùm ei Imperator ſcripſiſſet, ut uniretur Conſtantinopolitano Epiſcopo, hoc reſcripſit, quia non ſufficeret ei ad perfectam unitatem, eò quòd non anathematizaret Synodum.* Excidit & Macedonius gratiâ Imperatoris, à quo ſuâ Sede pulſus eſt anno DXI. Felice & Secundino Coſſ. uti narrabitur.

Theodor. lib. 2.

Error Baronii.

Bar. Ann. 495. n. 14.

Evagr. l. 3. c. 31.

Liberat. cap. 18.

Gelaſii Sedem Romanam extollentis, & Conſtantinopolitanam deprimentis Epiſtola.

IV. Multis diſplicebat Felicis ſeveritas, qui magno Eccleſiæ malo Acacium communione ejecerat. Jactabant *ideò Acacium non jure damnatum, quòd non ſpeciali Synodo videatur fuiſſe dejectus, præcipuè Pontificem Regiæ civitatis.* Quæ cùm Gelaſii ad aures perveniſſent, fusiore Epiſtolâ Dardaniæ Epiſcopos alit, quâ Sedis Apoſtolicæ judicio Acacium rectè damnatum eſſe contendit. Laudat ille Sedis ſuæ privilegia, *Quæ & unamquamque Synodum pro autoritate ſua confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet Principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſiâ nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.* Deinde longius progreſſus Epiſcoporum neminem ſuo tribunali eximit: *Licet Synodus iteranda non eſſet, tamen congrueret, ut cujuſlibet civitatis Epiſcopus primæ Sedis judicium non vitaret.* Hinc Acacium reum fuiſſe colligit, qui ad legitimum judicium vocatus adeſſe contempſit. Quin etiam id facultatis Sedi ſuæ tribuit, ut damnet abſolvatve, ſive poſt, ſive ante Synodi alicujus judicium: *Sed nec illa prætermittimus, quòd Apoſtolica Sedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſine ulla Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Quod adductis, & Athanaſii, & Chryſoſtomi exemplis probat. Imò ſi ipſi creditur, *pro veritate, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Epheſino, veniam poſcentibus, ſola conceſſit.* Ne verò magnus regiæ civitatis Epiſcopi titulus prædicaretur, Conſtantinopolitanam Sedem quantum poteſt deprimit: *Si certè de dignitate agitur civitatum, ſecunda Sedis & tertia major eſt dignitas Sacerdotum, quàm ejus civitatis, quæ non ſolum inter Sedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum jura cenſetur.* Denique eos flammis æternis addicit, qui ab Acacii communione recedere nolunt: *Neceſſe eſt velint nolint, tam de fidei, communioniſque Catholicæ ſinceritate neglecta, quàm de paternis Canonibus evidenter irruptis recipiant, quod merentur, niſi dum hîc tempus admittit, hac damnationis æterna pericula, correctis mentibus ſtudeant declinare, ut poſſint non tales permanere, quibus inſolubilis eſt lata ſententia.* Datum Cal. Februarii *Viatore* V. Cl. Coſ.

Gelaſ. Ep. 13.

Synodus Romana Miſenum abſolvit.

V. Eodem anno Synodus Romana de abſolutione Miſeni celebratur. Cogitur *tertio Idus Maii.* Aderant, ſi titulo fides, Epiſcopi LV. Attamen trium & quadraginta duntaxat nomina referuntur. Presbyteri etiam interfuere LVIII. nec non Diaconi, qui ſolito more ſtabant. Libellum obtulerat Miſenus Cumanus Antiſtes, qui ad citandum Acacium à Felice miſſus fuerat, talia complectentem: *Datum à famulo veſtro Miſeno, die Octavo Iduum Martiarum, Viatore V. Cl. Coſ. Quantum ad me pertinet infelicitatis, errori meo quâlibet ratione contracto, definio non eſſe parcendum.* Pontificis tamen in clementia ſibi rogat eſſe præſidium: *Duo ſunt, quæ me ad hoc ſuppliciter implorandum venire conſtringunt; ne vel ego deſperatione magis perpetuis cruciatibus ſim dignus addas, Juda prævaricatoris exemplo, & quia tanta eſt ineffabilis illa clementia, quæ Apoſto-*

Anno Dom. 495.

licâ poteſtate univerſum facinus poſsit abſolvere. Hanc igitur ſolam meo negotio, Papa venerabilis, vocem miſerandus effundo: parce proſtrato, porrige manum jacenti. Ubi Libellus ab Anaſtaſio Diacono lectus eſt, Miſenum Gelaſius adeſſe jubet. Poſtquam ingreſſus eſt, *proſtratus in terram*, aliud petitorium obtulit, datum IV. Idus Martias, quod & ab Anaſtaſio legitur, in quo verba hæc continebantur: *Toto corde, atque ore proteſtor ſub divinæ contemplationis intuitu, me omnes quidem hæreſes, & quidquid inimicum eſt Catholicæ & Apoſtolicæ fidei, communionisque ſinceræ propriâ mente refutare, tum præcipue Eutychianam hæreſim, cum ſuo ſcilicet auctore Eutychete, & ejus ſectatore Dioſcoro, vel ſucceſſoribus ejus, atque communicatoribus, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Conſtantinopolitano, Petro Antiocheno, cunctiſque eorum complicibus & communicatoribus reſpuere, damnare, & anathematizare perpetuò.* Lecto Libello, dixit Gelaſius: *Quid videtur fraternitati veſtræ ſtatuendum, veſtri quoque conſilii participatione deſideramus agnoſcere. Tum levaverunt ſe omnes Epiſcopi & Presbyteri, rogantes & dicentes, Exaudi Chriſte, Gelaſio vita, dictum vicies. Quod vobis Deus dedit in poteſtate, præſtate, dictum duodecies*, &c. Abſolutionis ergo ſententiam pronunciat Pontifex: *Profeſſus ergo Miſenus regulariter ſe omnes hæreſes, Eutychianam præcipuè cum Eutychete, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Conſtantinopolitano, Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum ſucceſſoribus, ſectatoribus & communicatoribus deteſtari, eoſque Anathemate ferire perpetuo, communionis Apoſtolicæ & Sacerdotalis gratiam, quam Catholicâ traditione percepit, recipiet dignitatis.* Sententiâ pronunciatâ, omnes Epiſcopi & Presbyteri clamaverunt: *Exaudi Chriſte, Gelaſio vita, dictum quindecies; Domine Petre, tu illum ſerva, dictum duodecies; cujus Sedem & annos, dictum ſepties. Vicarium Chriſti te videmus, dictum ſexies; cujus Sedem & annos, dictum ſepties trigeſies.* Si quæratur, cur eâdem indulgentiâ Vitalem Gelaſius non fuerit proſecutus: ratio hæc eſt; naturæ ſatisfecerat, teſte Gelaſii ad Synodum oratione: *Tulerit Vitalis ſortem divini judicii, cui etiam eum magnoperè vellemus, non potuit ſubvenire: huic ſaltem proſint, dum copia viventis admittat, in remediis aſſequendis, alterius experimenta repentè ſubſtracti.* Lab. Conc. t. 4. 1269.

Anno Dom. 496.

ANNO U. C. 1249. PER. JUL. 5209. JUL. 541. DOM. 496. ANASTASII 5. & 6. THEODORIC. 4. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 3. *Indict.* 4. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 14. *April.*

COS. *Paulus, Anaſtaſii frater.*

Donativum Anaſtaſii militibus.

I. Largitionibus publicis & annum, & germani ſui Conſulatum illuſtrari Anaſtaſius voluit Auguſtus. Quod donativum Marcellino *Auguſtaticum* vocatur: *Auguſtatico ſuo dudum Anaſtaſius militibus præſtita, donativum quoque hoc fratre Conſule tribuit. India Anaſtaſio Principi elephantem, quem Plautus Poëta noſter Lucabum nomine dicit, duaſque Camelopardalas pro munere miſit.* Marcell.

De Francorum origine, & moribus.

II. At Chlodovæi Francorum Regis baptiſmo majorem annus celebritatem induit, quam ceremoniam antequam tractaverimus, de nobiliſſimæ Monarchiæ initiis in tranſcurſu eſt diſſerendum. Illorum ſententiæ accedimus, qui Francorum nomen non unius gentis eſſe volunt, ſed populorum complurium, qui communi conſenſu ad libertatem aſpirantes, Romanorum jugum exuerunt. Qua de cauſa Francorum ſibi nomen peperere. Hos eſſe putant Bructeros, Chamavos, Chattos, Uſipios & Teucteros, illos denique populos, qui regiones eas incolebant, ubi nunc Weſtfalia, Friſia, Saxonia, Turingia, Haſſia, Miſnia, & Franconia, quæ à Francis nomen habuit. Ac rectè quidem ad mentem Hieronymi, qui de Conſtantii Imperatoris candidato quodam, quem Dæmone liberavit Hilarion, ea ſcripto prodit: *Inter Saxones, & Alamanos gens ejus non tam lata, quam valida apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Hier. Vit. Hilar. pag. 95. Cladibus ſuis Aureliani ante Imperium Franci Hiſtoricis innotuere. Nondum purpuram ſumpſerat, cùm in ipſius laudem, quos regebat, milites cantilenam condidere: *Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus.* Egregium Aureliani facinus narrat Vopiſcus: *Aurelianus apud Moguntiacum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis ſub corona vendiderit.* Vopiſ. Aurel. c. 7. 433. Inter gentes, quas in triumpho ſuo duxit Aurelianus, numerantur & *Franci*. Excurſibus ſuis, qui eis Rhenum habitabant, ſæpenumerò fuere moleſti, teſte Eumenii Panegyrico. Fortitudine ſuâ, quàm fide clariores evaſere. Quod vitium ipſis Vopiſcus exprobat, Proclum hoſti ſuo perfidè prodentibus: Probus Proculum *cupientem in Francorum auxilium venire, à quibus originem ſe trahere ipſe dicebat, ipſis prodentibus Francis, quibus familiare eſt, ridendo fidem frangere, vicit & interemit.* Vopiſ. p. 762. Perfidiam tamen hanc ſuam virtutibus nonnullis redimebant, teſte Salviano: *Franci mendaces, ſed hoſpitales.* Salu. l. 7. 3722. Lapſu temporis à vitiis ad honeſtatem ſe converterunt, ut paucos æquales habuerint, ſuperiorem certè neminem. Neque patriæ olim noſtræ amor falſas nobis laudes extorquet. Audiatur Agathias: *Et ſane hi mihi, & ſi cætera Barbari, moribus tamen videntur quàm optimè præditi, & maximum in modum civiles, nec quicquam habere, quod à nobis faciat alienos, præter veſtitus barbariem, & vocis innatæ ſonum linguaque. Quos equidem cùm ob eorum virtutes, tum ob in cæteros æquitatem, interſeque concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus proſequor, & magni facio.* Agath. l. 1. c. 4. Egregiam veterum Francorum deſcriptionem habemus Majoriani in Panegyrico:

Hic quoque monſtra domat, rutili quibus arce cerebri Sidon. carm. 5. v. 239.
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauca
Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis,
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictius aſſuta veſtes procera coërcent
Membra virum; patet his altato tegmine poples
Latus, & anguſtam ſuſpendit balteus alvum.
Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rotare,
Ludus.

De primis Francorum Regibus.

III. Regeſne Francis olim fuerint, eſt in obſcuro. Sulpitius quidem Alexander, qui de eis multa commemoravit, Regibus omiſſis, Ducum duntaxat meminit, quibus regebantur anno CCCLXXXVIII. cùm Maximus in Aquileenſi urbe obſidebatur. Verba Sulpitii extant apud Gregorium Turonenſem: *Ea tempore Genobal-* Greg. Tur. l. 2. c. 9.

Anno Dom. 496.

nobaldo, Marcomere, & Summone Ducibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite irrupto caſis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinenſi etiam Coloniæ metum incuſſere. Quod ubi Treveros perlatum eſt, Nannius & Quintinus militares Magiſtri, quibus infantiam filii & defenſionem Galliarum Maximus commiſerat, collecto exercitu, apud Agrippinam convenere, &c. Francorum hiſce Ducibus nomen Subregulorum à Sulpitio imponitur. Fama tenet, in Thoringia Francos juxta pagos, vel civitates duos Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe, de prima nobiliori ſuorum familia. Primus in Regum ſerie & appellatione Pharamondus Francorum Annalibus collocatur, cujus Proſper in Pithœana editione imperium cum Honorii anno XXVI. copulat, Æræ Dionyſianæ CCCCXX. Pharamundus regnat in Francia. Alii triennio ante Pharamondi initia cœpiſſe putant, qui occupata Treveri poſteris nomen commendavit ſuum. Anno circiter 428. Succeſſorem ſuæ poteſtatis Clodionem reliquit, de quo hæc paucis Gregorius: Ferunt etiam tunc Chlogionem, utilem ac nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat. Qui dilatandi regni cupidus Gallias ingreſſus, earum partem ſibi aliquam occupat. Virtute tamen Ætii repreſſus, quod uſurparat amiſit. Ad Felicis & Tauri Conſulatum hæc Proſper habet: Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Ætii Comitis armis recepta. Poſt annos circiter XVIII. ad Atrebatum regiones uſque regnum propagavit. Quo tempore & à Majoriano non minimum cladis accepit, quam in Panegyrico Sidonius memorat:

Poſt tempore parvo
Pugnaſtis pariter, Francus quà Cloio patentes
Atribatum terras pervaſerat.

Dum convivia Franci agitant nuptiarum occaſione, cæduntur à Romanis:

Sidon. carm. 5. 210.

Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito,
Hos ergo ut perhibent ſtravit.

Nihilominus, ſi Gregorio fides, Chlogio miſſis exploratoribus ad urbem Cameracum perluſtrat omnia. Ipſe ſecutus Romanos proterit, civitatem apprehendit, in qua paucum tempus reſidens uſque Sumnam fluvium occupavit. His defunctus laboribus, cùm Francis annos XX. imperaſſet, Meroveo ſceptrum reliquit affini ſuo. Merovei initia cum Theodoſii anno XXV. ab Honorii morte ducto, à Proſpero copulantur: Meroveus regnat in Francia. Annus erat Dionyſianus 448. qui exiguis regni ſui limitibus haud contentus, avulſa Galliarum parte, illud amplificavit, quo ſpectare videntur Sidonii carmina in Panegyricen, quem Avito nuncupavit:

Sidon. carm. 7. 372.

Francus Germanum primum, Belgamque ſecundum
Sternebat.

Ad annum uſque decimum Meroveus imperium tenuit, quo labente fato fungitur, relicto filio Childerico ſuæ poteſtatis hærede, qui regiâ poteſtate ad licentiam abuſus, ſubditorum ſibi odia comparavit. Diffluens quippe libidinibus, ne à nobiliſſimis quidem matronarum corporibus abſtinebat. Ob ea flagitia regno ejectum, cùm interficere vellent, ad Thoringos fugit, Winomado, cui multum fidebat, domi relicto, qui abſenti Francorum reconciliaret animos. Ac diviſi aurei partem amico dederat, partem verò ſecum abſtulerat. Convenerat, ut miſſâ ſibi alterâ parte, regnum reperiret ſuum. Poſtquam conſilio Winomadi Ægidius Comes, quem Franci ejecto ſubſtituerant, Optimates, qui à Childerico magis abhorrebant, ut ſuſpectos morti miſit, à novo Principe abalienatis perſuaſit, uti Childericum ab exilio revocarent. Sic regno ſuo reſtituitur. Intereà Regis hoſpitis uxor Baſina, relicto ſuo viro ad Childericum adit. Cui quærenti, cur relictâ patria ſe conveniſſet reſpondiſſe fertur: Novi utilitatem tuam, quòd ſis valde ſtrenuus, idèoque veni ut habitem tecum. Nam noveris, ſi in tranſmarinis partibus aliquem cognoviſſem utiliorem te, expetiiſſem utique cohabitationem ejus. Inito matrimonio, ex ea Chlodovæum ſuſcepit. Porrò vitia Childericus ſua non reduxit in patriam, qui ex molli & diſſoluto Principe in virum illuſtrem mutatus, præclaris facinoribus gloriam famæ ſuam commendavit, regno ab Ambianenſi civitate ad Andegavum uſque propagato. Obiit anno CCCCLXXXI. Ethnicoque ritu ſepelitur.

Anno Dom. 496.

Greg. Tur. l. 2. c. 12.

IV. Defuncto ſucceſſit Chlodoveus; qui paternæ & ſuperſtitionis, & poteſtatis hæres relinquitur. Hactenus horrenda Francorum erat Idololatria: Non prorſus agnovere Deum: ſibique ſilvarum atque aquarum, avium beſtiarumque, & aliorum quoque elementorum finxere formas, ipſaſque ut Deum colere, eiſque ſacrificia delibare conſueti. Avitæ Idololatriæ Chlodoveus immergebatur. Childerico natus erat anno 466. ætatiſque circiter quintum & decimum ingreſſus erat, cùm paterni regni hæres factus eſt. Quinquiennio Francis imperaverat, cum Syagrium Ægidii filium, qui Auguſtam Sueſſonum tenebat, adoritur. Commiſſâ Syagrius pugnâ oppreſſum cernens exercitum, arreptâ Tholoſam verſus fugâ, ad Alaricum pervenit. Qui victricia ferocis juvenis arma veritus, bellum minitantis, ni Syagrius poſcenti daretur, vinctum Legatis tradit. Quem receptum cuſtodiæ mancipat, & poſt acceptum ipſius Principatum gladio clam percuti juſſit. Ac Eccleſiarum ſpoliis non temperabant milites, Ethnicâ ſuperſtitione polluti. Epiſcopus ad Chlodoveum Legatos mittit orantium, ut ſaltem Eccleſiæ ſuæ urceum reciperet. Vaſculum Remigii Remenſis Epiſcopi fuiſſe memorant. Legatos ſequi ſe Sueſſionas jubet, ubi præda dividenda erat, ac poſtulatis Præſulis tunc ſatisfacturum pollicetur. Poſitâ in medium prædâ, ſuos rogat, ut extra debitam ſibi partem vas concederetur. Annuentibus qui prudentiâ pollebant omnibus, petulans unus alto bipenni urceum percutiens, ait: Nihil hinc accipies, niſi quæ tibi ſors vera largitur. Acceptum Rex urceolum Legato reddit, ſervans tamen abditum ſub pectore vulnus. Elapſo anno militibus imperat in campum Martium deſcendere, oſtendendo armorum nitori. Ubi ad urcei percuſſorem venit, ſecurim ejus, utpote rubiginoſam, in terram projecit: tum ad colligendam eam inclinato ictum validum impingens, ſic ait, Tu apud Sueſſionas in urceo illo feciſti. Anno CCCCXCI. qui regni Chlodovei decimus erat, bello Thoringis illato eos Francis vectigales fecit. Intereà nuptias Chrotildis adipiſci conatur. Gundeuchio Burgundionum Regi, qui Athanarico Eccleſiæ perſecutori ortus erat, quatuor filii fuerant, Gundobaldus, Godegiſilus, Chilpericus, & Godomar. Natu major Gundobaldus Chilpericum interfecerat, & ad majorem crudelitatem provectus, uxorem ejus ligato ad collum lapide

Chlodovei vitæ breviarium ad ipſius baptiſmum uſque.

Greg. Tur. l. 2. c. 10.

de

Digitized by Google

de aquis immerſerat : defunctæ verò filias in exilium ejecit, quarum ſenior *Mucurruna*, junior *Chrotildis* vocabatur. Quæ cùm in conſpectum veniſſet Legarorum, ſæpenumerò à Chlodoveo ad Gundobaldum miſſorum, illi Regi ſuo Chrotildis & ſapientiam nunciant, & pulchritudinem. Extemplò legatio proficiſcitur, quæ uxorem Chlodoveo quæreret, quam Gundobaldus petitam recuſare noluit. Ex eo matrimonio naſcitur filius, quem ſacris undis expieri mater cupiebat. Eccleſiam ergo velis ornari atque cortinis jubet, ut myſteriorum pompâ Rex ad credendum adduceretur. Puerulo *Ignemeri* nomen imponitur, *qui in ipſis, ſicut regeneratus fuerat, albis obiit*. Quâ morte ingenti Chlodoveus dolore percutitur, exiſtimans in vita Ignomerum fuiſſe permanſurum, ſi ſuis numinibus dicaretur. Alterum poſteà Chrotildis filium ſuſcipit, quem luſtralibus aquis ablutum, Chlodomerem vocat. Qui cùm ægrotare cœpiſſet, triſtitiâ correptus Rex : Neceſſe eſt, inquit, ut & is *baptizatus in nomine Chriſti veſtri protinùs moriatur*. Orante tamen matre infans convaleſcit.

Gregor. Tur. 62. cap. 29.

Chlodoveus fit Chriſtianus.

V. Porrò nullum tempus Chrotildis, curas nullas intermittebat, ut Chlodoveus ejuratâ ſuperſtitione fidem amplecteretur. Fruſtra omninò, cùm teneræ conjugis precibus non flecteretur. Advenit tandem occaſio, quâ Chriſti & favorem expertus, & potentiam de pertinacia demum deceſſit. Ad Tolbiacum in Ubiis cum Alamannis bellum gerebat. Inclinatus regius exercitus internecioni jam propior erat, cum ſuffuſos lachrymis oculos ad cœlum tollens : *Te nunc*, inquit, Chriſte *invoco, & tibi credere deſidero, tantùm ut eruar ab adverſariis meis*. Cum hæc oraret, hoſtes terga vertunt, interlectoque Rege ſuo, Chlodovei ditioni ſeſe ſubjiciunt. Domum reverſus, Reginæ narrat, quam invocato Chriſto victoriam fuerit adeptus. Tum Chrotildis clam Remigium jubet accerſi, qui pietatis notitia Regem informaret. Quem Sacerdos accerſitum monet, ut relictis & numinibus, & lapidibus, quos venerabatur, Orbis Conditorem adoraret. Monenti rectè facilem Rex aſſenſum præbuit, reſtabat tamen adhùc una difficultas ſuperanda, ut nempe Francis ſuperſtitionis ſuæ tenacibus, Dei religio infunderetur. Ad eos ergo Rex accedit, quos dictis flecteret ſuis. At regiam orationem victrix Dei gratia præverterat. Unâ & voce, & mente clamant, *Mortales Deos abigimus, pie Rex, & Deum, quem Remigius prædicat Immortalem, ſequi parati ſumus*. Grata hæc nunciantur Antiſtiti, qui ſubinde *lavacrum* parari mandat : *Velis depictis adumbrantur plateæ, Eccleſia, cortinis albentibus adornantur, Baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque Templum, Baptiſterii divino reſpergitur ab odore*. Ubi Rex baptiſmum flagitavit, ingreſſo dixit Pontifex : *Mitis depone colla, Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adoraſti*. Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, delibutuſque *ſacro Chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti*. Tria quoque millia de ipſius exercitu baptiſmo potiuntur. Abluitur & Regis ſoror *Albofledis* : *Lanthildis* verò de ſororibus ipſius una Arianorum in errores delapſa, poſtquam trium divinarum perſonarum prædicavit æqualitatem, ſacro Chriſmate perfunditur. Repentina illa Francorum ad fidem accedentium mutatio paternæ avitæque ſuperſtitionis vincula non exuit. Evangelio per annos circiter XLIV. innutriti fuerant, nihilominus ſi Procopio fides, vetere inſtituto hoſtiis utebantur humanis ; ſtudebant vaticiniis ; occiſorum & mulierum & liberorum corpora, ceu belli primitias in flumen jaciebant, Samaritanorum ſimiles, qui & Iſraëlis vero Deo, & Numinibus ſuis unà ſerviebant. Neque falſa Procopius prædicaſſe videtur, cùm Gregorius Papa anno 597. ad *Brunichildem* ſcripſerit de Francis det operam, *ut Idola non immolent, cultores arborum non exiſtant*.

Greg. Tur. Hiſt. l. 2. cap. 32.

Procop. Goth. l. 2. cap. 20.

Greg. l. 7. Ep. 5.

De tempore baptiſmi Chlodovei.

VI. Remenſis Eccleſiæ gloria hæc fuit, quòd Rex potentiſſimus in ejus ſinu renatus, longam Principum ſeriem Chriſtiano nomini primus conſecraret. In Occidente quidem hæreſis ubique locorum, Principum in ſolio ſedens potentiſſimè dominabatur. Gundobaldus in Burgundia, Alaricus in Aquitania, Theodoricus in Italia, Guntabundus in Africâ, Suevorum Principes in Hiſpania Arii diſciplinæ addicebantur. De die, quo baptiſmum adeptus eſt, variant Scriptores. Anno DCCCLXIX. id opinionis invaluiſſe novimus, ſacro Sabbato Chlodoveum cœleſtibus undis ablutum eſſe, quòd eâ quidem ætate ex more Eccleſiæ Romanæ Paſchatis, Pentecoſteſque vigiliâ ſolemni baptiſmo dicaretur. Hinc in Capitularibus Caroli Calvi legimus : *Dominus Ludovicus Pius, Imperator Auguſtus, ex progenie Ludovici, Regis Francorum inclyti, per B. Remigii Francorum Apoſtoli Catholicam prædicationem, cum integra gente converſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis, & mulieribus, vigiliâ Sancti Paſcha in Remenſi Metropoli baptizati, & cælitus ſumpto Chriſmate, unde adhuc habemus, peruncti, & in Regem ſacrati*, &c. Verba hæc ſunt Hincmari Metenſi in Eccleſia publicè pronuntiata, cùm Carolus coronaretur, anno 869. Quibus duo extra dubium Hincmarus ponit, ſcilicet, Paſchatis vigiliâ, Aprilis XIII. Chlodoveum & baptiſmo conſecratum eſſe, & allato divinitùs Chriſmate delibutum. Utrùmque verò in falſis habendum eſſe contendimus. Primum quod attinet, non Paſchali quidem vigiliâ, ſed Natali die, feriâ quartâ Chlodoveum ablutum eſſe, Alcimus nos Avitus docuit in ſua ad Regem Epiſtola : *Cujus*, inquit, *ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit, ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ Cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo, in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecratis*. Ex ea Aviti Epiſtola novimus quoque, complures Epiſcopos baptiſmo Chlodovei interfuiſſe, quo ſolemnior redderetur : *Conferebamus, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus Pontificum manus ſancti ambitione ſervitii, membra regia undis vitalibus confoveret*. Ac ad ceremoniam præſentiâ ſuâ illuſtrandam ſe etiam invitatum fuiſſe, Avitus indicare videtur : *Cujus miſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecit, ut ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſima humilitatis nuntius perveniret*. Baronius Chlodovei baptiſmum anno CCCCXCIX. alligavit. Cujus Chronologiam eruditi meritò reſpuunt. Anno ſi quidem regni ſui XV. Chlodoveus baptiſmum

Cap. Reg. Franc. t. 2. pag. 220.

Avit. Ep. 41.

adeptus

Anno Dom. 496.

adeptus eſt. Francis verò præfectus fuit anno CCCCLXXXII. qui Childerici ſupremus. Potentiore adhùc argumento Baronii Chronologiam refellit Anaſtaſii Papæ ad Chlodoveum Epiſtola: *Tuam, glorioſe fili, in Chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe gratulamur.* Quibus ſanè verbis unum eundemque annum, & Pontificatum ſibi, & baptiſma Chlodoveo attuliſſe teſtatur. Anaſtaſius porrò labente anno CCCCXCIV. Chlodoveo ſcribere non potuit, cùm 498. naturæ ſatisfecerit. Francorum Regi baptiſmum gratulatus eſt ſuum Anaſtaſius Epiſtolâ anno inſequente ſcriptâ.

Lab. Conc. t. 4. 1282.

Nùm ampullam columba attulerit ad ungendum Chlodoveum?

VII. Novis coloribus regium Chlodovei baptiſmum Hincmaro illuſtrari placuit. Sedente & Rege, & Reginâ, *repente lux copioſa totam replevit Eccleſiam, ut claritatem Solis evinceret, & cum luce vox pariter audita, Pax vobis, ego ſum, nolite timere, manete in dilectione mea. Et poſt hæc verba lux, quæ advenerat receſſit, & incredibilis ſuavitatis odor in eadem domo remanſit, ut patenter oſtenderetur, illùc autorem lucis & pacis, atque civitatis veniſſe.* Acceſſit aliud miraculum, quod Baronio videtur *Apoſtolorum temporibus dignum*, nempe *ampullam Chriſmatis columba ore cælitùs advenientis allatam, quâ tam fons ipſe more ſolito, tametiam Rex Chlodoveus ſacratus eſt.* Non inficiamur quidem, quin Hincmarus portenta hæc poſteris narraverit. Quæ à credula plebe patulis & auribus, & animis excepta ſunt: ut ſancta ampulla, quâ Galliarum Reges inaugurantur, etiamnum quaſi cœleſte donum ſit venerationi. Quibus verò ſtadium eſt, omnia veritati poſtponere, illa ſanè Hincmari traditiones pro fabula habebuntur. Et enim cui credibile fiet, Gregorium Turonenſem, qui & ſeculo Chlodovei floruit, & Gallus in Gallia ſcripſit, tot tantaque prodigia prætermiſſurum, ſi facta fuiſſent, cùm alias exploratum ſit, Gregorium talium utique commentorum conquiſitorem eſſe diligentiſſimum? Neque ſilentio duntaxat hoc ſuo, ſed narratione quoque Hincmarum refellit: *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti.* Sacrum illud Chriſma confirmationis eſt myſterium, cujus materia Pontificali benedictione conſecratur, non verò cœlo ſanctificata delabitur. Eodem igitur unguento & *Lantilda*, quæ *chriſmata* eſt, & Chlodoveus perfunduntur: hoc eſt, liquore à Pontificibus ſanctificato, ut baptiſati de more perficerentur. Prætereà cùm niſi inſtante neceſſitate fiant miracula, quid columbâ opus fuit cum ampulla cœlo delapſa, ut ea Rex ungeretur? Nùm deficiebat Chriſma Eccleſiæ celeberrimæ? Erat quidem in Baptiſterio, quod novus ille Conſtantinus Chlodoveus ingreſſus eſt, Remigius cum omni ea ſuppellectile, quæ renovando Regi neceſſaria fuit, ſacris nimirum undis, & Chriſmate. Ne comminiſcantur *Clericum, qui ampullam ferebat, in qua Chriſma continebatur, populi multitudine interclusum* occaſionem præbuiſſe miraculo. Tam Diaconus, quàm Antiſtes ad Baptiſterium viam invenire potuit. Neque ponendum in dubio, quin vitandæ in Eccleſia confuſioni regiis mandatis cautum fuerit atque proviſum. Ac cùm ex Avito conſtet, complures Chlodovei baptiſmo Antiſtites adfuiſſe, cui cordato probabitur lepidum ſanctæ ampullæ patronorum inventum, quod interclu-

Greg. Hiſt. l. 2. c. 31.

ſo ob plebis multitudinem, qui *Chriſma* ferebat Diacono, ad cœleſte unguentum miniſtrandum columbæ cum ampulla deſcenſus fuerit neceſſarius? Quin etiam terreno, non cœleſti unguento reſperſum eſſe Baptiſterium, tradit Gregorius: *Baptiſterium componitur, balſama diffunduntur*, ut ſacrâ ampullâ nil opus eſſet fonti parando. His accedat, Chlodovei unctionem non eo conſilio factam fuiſſe, ut Rex crearetur; quâ dignitate ab hinc tribus luſtris jam potiebatur; verùm ut Chriſtianus evaderet, cui peragendo inutile proſſus ſacræ auxilium ampullæ, abundante, quod in Eccleſiis perpetuum erat, confirmationis Chriſmate. Neque inaugurandis Chriſtianis Regibus unctio tum temporis erat uſui. Soceri ſui Aviti ad imperium evectionem cecinit Sidonius Apollinaris, abſque ulla unctionis mentione. Quem

Aggere compoſito, ſtatuunt, ac torque coronant
Caſtrenſi mæſtum, donantque inſignia regni.

Sidon. carm. 7. 577.

Ne vel labente quidem anno 573. Francorum Reges unctione inaugurabantur. De Sigeberto Gregorius: *Veniente autem illo ad villam, cui nomen eſt Victoriacum, collectus eſt ad eum omnis exercitus, impoſitoque ſuper clypeo ſibi Regem ſtatuunt.* Gregorii & ſilentio, & narratione ſacræ deſcenſus ampullæ potentèr refellitur: at longè potentius adhùc Aviti Epiſtola ad ipſum Chlodoveum ſcripta obruitur. Notitia rerum, quæ in Francorum Principis baptiſmo geſta fuerant, inſtruebatur Avitus, ex quo uno diſcimus, quando fuerit adminiſtratus. Hæccine ergo diſſimulaſſe prodigia, & Chriſtum luce coruſcum, Regi & Reginæ dicentem, *Pax vobis*; & columbam niveam roſtro ſuo ferentem ampullam adungendum? Hæccine prætermiſiſſe in ipſiſmet literis, quibus baptiſma Chlodoveo ſuum gratulabatur? *Quid jam*, inquit, *de glorioſiſſima regenerationis ſolemnitate dicatur?* Verbulo ſaltem uno de miraculis commemoraſſet, ut & laudes Deo caneret, & Regem ad pietatem tanto beneficio magis accenderet. Multum ſanè Gallia Græciam ſuperaſſet, utpote quæ Principem non Chriſtianum modò, ſed tot etiam prodigiis Chriſto dicatum habuiſſet. Neque prætereundum, celebritatem Chlodoveani baptiſmi ab Avito maximè commendari, quod Natali Domini die contigerit: *Cujus ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Nativitas illuſtravit.* Quantò magis gloriam Chlodovei intendiſſet ex miraculoſo columbæ deſcenſu, ſacrum Chriſma afferentis? Quo Chriſti ad ſimilitudinem propius accedebat, cui dum baptizaretur, Spiritus Sanctus ſpecie columbæ inſidens, cœleſte gratiarum omnium oleum inſtillarat. Hæc nullâ quidem oblivione delenda prædicaſſet Avitus. De quibus cùm in profundum ſilentium deſcenderit, luce clarius eſt, figmenta hæc eſſe omnia. Neque magis Hincmarianorum miraculorum veſtigia agnoſcuntur Anaſtaſii Pontificis in Epiſtola, quam Chlodoveo per *Eumerium* miſit Presbyterum, ubi Romæ auditum eſt, Regem factum eſſe, ſuſcepto baptiſmate Chriſtianum. Sanctam ampullam ab Anaſtaſio prætermiſſam, quis credat, ut tanto Regem miraculo ad pietatem magis inflammaret. Equidem ſi verâ certâque traditione hæc accepiſſet Hincmarus, non tam turpiter erraſſet in conſtituendo baptiſmi Chlodovei die. Ut ab eodem fonte hauſerit baptiſmi & tempus, & miracula: ea fabuloſa ſcilicet commentorum officina.

Greg. l. 4. cap. 51.

ANNO DOM. 496.

Mors Gelaſii.

VIII. Qui Chlodoveum Eccleſiæ, Gelaſium Cœlo donavit annus. Gelaſii obitus in XI. Kalend. Decembr, transfertur, non pugnante Chronologiâ. At citius extingui debuit, ſi vera prædicat Pontificale, quòd eo die ſepultus ſit, aut ſanè ſepultura ejus in XXIe. Novembris eſt differenda, cùm eodem die & mortuus non non videatur, & ſepultus. Eo ſedente ioventam Eccleſiam S. Angeli in monte Gargano fabulantur. Vero propius, quod de eo commemorant, repertos in urbe Manichæos deportari præcepiſſe, eorum Codices ante fores Baſilicæ S. Mariæ incendio cremaviſſe: amatorem fuiſſe pauperum, liberaſſe à periculo famis civitatem Romanam. Quæ in Pontificali leguntur. Complurium Baſilicarum dedicatione nomen & illuſtravit ſuum: *Dedicavit Baſilicam S. Euphemiæ Martyris in civitate Tiburtina, milliario vigeſimo ab urbe Roma. Dedicavit & Baſilicam SS. Nicandri, & Eleutherii, via Lavicana in villa Pertuſa, & aliam Sanctæ Mariæ via Laurentina in fundum Criſpini, milliario ab urbe Roma vigeſimo.* Labente quarto ſui Pontificatus anno ad fata venit. Sepultus eſt in Baſilica S. Petri Apoſtoli, XI. Cal. Dec. Benigniorem Gelaſio mentem erga memoriam Acacii non optare non poſſumus, cùm hâc ſuâ ſeveritate Euphemio Eccleſiæ concordiam quærenti, conjungi noluerit. Nobis & aſſentitur Du Pin, in ſua Bibliotheca: *Gelaſe temoigna beaucoup de fermeté dans l'affaire d'Acace, qu'il ſouſtint contre ce qu'on lui pût oppoſer, ſans vouloir ſe relacher en aucune maniere pour le bien de la paix, qu'il eût procuré facilement à l'Egliſe, en n'exigeant pas ſi ſeverement la condamnation d'Acace. En quoy il ſemble qu'il y ait eu un peu trop de fermeté de la part des Papes.* De ſcriptis Gelaſianis nunc dicamus.

Bibl. t. 5. 270.

Nùm Decretum Gelaſianum de Apocryphis hoc anno conditum ſit?

IX. Hiſtoriæ monumentis celebratur Concilium Romanum, *quo à ſeptuaginta Epiſcopis Libri Sacri, & Authentici ab Apocryphis ſunt diſcreti, ſub Gelaſio anno Dom.* CCCCXCIV. *Aſterio atque Præſidio Coſſ.* Sacris Veteris Teſtamenti libris apponit Sapientiæ librum, Eccleſiaſticum, Tobiam, Judith, *Maccabæorum librum unum.* In eo Decreto miris modis Romana Sedes extollitur: *Quamvis univerſa per orbem Catholica Eccleſia unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Catholica & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini, & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis.* Quatuor Oecumenicas Synodos ſuſcipit, *& ſi qua ſunt Concilia à ſanctis Patribus inſtituta.* Apocryphis inſerit *Revelationem, quæ appellatur Stephani.* Canonibus Apoſtolorum perpetuum vulnus inurit: *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus.* De reliquiarum inventione conſilium eſt Decreti prudentiſſimum: *Scripta de Inventione Crucis Dominicæ, & alia ſcripta de Inventione capitis Joannis Baptiſtæ novellæ quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli præcedat ſententia, Omnia probate.* Cæterùm de ejuſmodi Decreto geminam in quæſtionem incidimur. Quarum prior eſt, admiſſo Decretum Gelaſii eſſe, fueritne anno CCCCXCIV. conſtitutum? Poſterior verò, utrùm reverà ſit Gelaſii? Priorem quod attinet, Baronius quidem, Conciliorumque editores Decretum in annum CCCCXCIV. retulere. Obſervant tamen eruditi, quibus tractandorum Decreti hujus exemplarium benè multorum copia fuit, nullum quidem eſſe, quod annum exhibeat. Vulgatus ſanè titulus hic eſt: *Ordo librorum Veteris Teſtamenti, quem S. & Catholica Romana ſuſcipit & veneratur Eccleſia, digeſtus a Beato Gelaſio Papa Primo cum LXX. Epiſcopis.* Obſervat & Lubbæus, in vetuſtiſſimo Conciliorum MS. Codice hæc reperiri: *Notitia Sacrarum Scripturarum, ſeu librorum Canonicorum, cum deſcriptione vel adnotatione Gelaſii Papæ.* Præterea Baroniana hæc Chronologia, quam editores Conciliorum amplectuntur, gravi & argumento refellitur. Scriptis quæ Romana ſuſcipit Eccleſia, Sedulii carmen apponitur: *Venerabilis viri Sedulii Paſchale Opus, quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude præferimus.* Erat ergo in laude, & in notitia mortalium Sedulii hoc Opus, cùm Decretum conditum eſt. Atqui jacebat in ſitu & tenebris labente anno CCCCXCIV. cum ab Aſterio Exconſule, qui Faſtos tum reſeravit, fuerit luci donatum, ut pridem viri magni obſervarunt Uſſerius atque Sirmondus. In MS. Thoanienſis & Remenſis Bibliothecæ hæc adnotatio præfigitur: *Hoc Opus Sedulius inter Chartulas diſperſum reliquit. Quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum eſt à Turcio Rufio Aſterio V. C. Conſule ordinario, atque Patricio.* Quibus ſanè nominibus diſtinguitur ab illo Aſterio, qui unà cum Protogene annum CCCCXLIX. aperuit. Sed & in Remenſi Codice poſt Sedulii ad Macedonium Epiſtolam hoc Epigramma ſubjicitur:

Sume ſacer meritis, veracia dicta Poëta,
Quæ ſine figmenti condita ſunt vitio.
Quæ caret alma fides, quo ſancti gratia Chriſti,
Per quam juſtus ait talia Sedulius,
Aſteriique tui ſemper meminiſſe jubeto,
Cujus ope & curâ edita ſunt populis,
Quem quamvis ſummi celebrent per ſecula Faſti,
Plus tamen ad meritum eſt, ſi viget ore tuo.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. cap. 16. 775.

Denique Synodi Romanæ anno CCCCXCIV. coactæ Veterum in monumentis neque vola eſt, neque veſtigium. Non etiam anno CCCCXCV. Gelaſianum de libris Canonicis & Apocryphis Decretum factum fuit. Celebratur quidem Synodus, tertio Idus Maii ad *Miſenum* abſolvendum, verùm Epiſcopis non ſeptuaginta, ſed *quinquaginta quinque* duntaxat ea conſtabat, teſte titulo *Concilium Romanum II. quo à Gelaſio, & Epiſcopis LV. Miſenus abſolvitur.* Ac dici forſan poſſet errorem in numeros irrepſiſſe. Ea tamen conjectura prolatis exemplaribus firmari debuit. Neque vel minimum in ea Synodo indicium eſt, conſtitutum temporis à Gelaſio de libris Canonicis, & Apocryphis Decreti. Itaque ſi hujus Autor eſt Gelaſius, in labentem annum CCCCXCVI. conferri debet, quo tempore Sedulii & carmen à Turcio Aſterio vulgatum, celebritatis aliquid habere potuit. Obſtat tamen, quòd & nullâ temporis notâ Decretum conſignetur, contra Synodorum ætate Gelaſii celebratarum morem, & nullum ſit labente hoc anno Concilii in urbe coacti veſtigium.

Nùm de libris Apocryphis Decretum fuerit Gelaſii?

X. Porrò controverſia etiam eſt inter eruditos, Gelaſiine fuerit illud Decreti. Primus, ut noſtra memoria eſt, vir magnæ eruditionis inficiatus eſt Joannes Pearſon in ſuis Vindiciis Ignatianis, quas dum inter ſuæ Britanniæ Presbyteros adhùc agebat, plaudentibus Doctorum omnium manibus in lucem edidit. Pearſonio aſſentitur & vir celeberrimus Guillelmus Cavius.

Pace

ANNO DOM. 496.

Pace tamen tantorum virorum, illis argumentis pugnarunt, quæ uno forſan excepto facillimè diſſolvi poſſunt. Plurimi quidem facienda ratio eſſet ex ſcriptia de inventione capitis Joannis Baptiſtæ petita, ſi conſtaret, iis verbis perſtringi *tractatam de Revelatione capitis B. Joannis Baptiſta.* Autor quippe tractatus Marcellini Chronicum laudat, quòd non paucis poſt Gelaſium defunctum annis editum eſt: *Si quis omnia plenius valuerit ſcire, Chronicum Marcellini Principis legat.* At eum in Gelaſiano Decreto tractatum indicare, quâ tandem ratione nobis demonſtratum ibunt? De capitis Joannis inventione multi ſcripſerunt. Quin *Marcellus* Lucianum imitatus Presbyterum, qui de repertis Stephani reliquiis Epiſtolam exararat, de invento à ſe Baptiſtæ capite ſcripti & aliquid condiderit, nulli dubitamus: id apertè ſatis indicat Marcellinus ad annum CCCCLIII. *Hoc igitur venerabile caput ſub Uranio memorata Epiſcopo civitatis, per præfatum Marcellum Presbyterum conſtat inventam, Vincomala & Opilione Coſſ.* & liber etiam rerum in natura reperitur. Nonne Sozomenus etiam, qui imperante Theodoſio Juniore Hiſtoriam vulgavit ſuam, tranſlati à Theodoſio M. Baptiſtæ capitis meminit, quam Chronicum Alex. ceremoniam anno CCCXCI. alligat, Tatiano & Symmacho Coſſ. Non igitur aut neceſſe eſt, aut etiam vero ſimile Decreto Gelaſiano illum vexari tractatum de revelatione capitis B. Joannis, cujus partem protulimus. Scriptorum ſanè à Gelaſiano Decreto laudatorum titulus ab illo diverſus eſt, qui tractatui præfigitur. In Decreto legimus *ſcripta de inventiona capitis Joannis Baptiſta.* At tractatus hoc titulo gaudet, *de Revelatione capitis B. Joannis Baptiſta*: & illud ab Autore eſt editum, qui non ante nonum ſeculum floruit, cùm Pipini Regia Aquitaniæ mentionem egerit: *Nuntiatum eſt Pipino Regi Aquitaaorum, quòd gens Vandala regnum ejus invaderet.* Hoccine ergo probabile, de eo tractatu Gelaſianum Decretum commemoraſſe? In hujua argumenti ſolutione nonnihil immorari libuit, quod doctiſſimi viri Pearſonius, Caviuſque maximè urgent, ut Gelaſio Decretum abjudiceot. Cæterùm duo ſunt præcipuè, quæ movent ad cohibendum aſſenſum. Primùm quòd in vetuſtis exemplaribus non Gelaſio, ſed Hormiſdæ id Decreti vindicetur, quæ Baluſius & Chifletius manibus oculiſque triverunt. Quòd ſi in Concilio Romano, & cui Gelaſius præfuiſſet, Decretum conditum eſt, difficillima ſanè fuit, Veteribus io Manuſcriptis titulum mutari, quia Præſidis Synodi nomen habuiſſet. Quod ergo in autographo repertum erat, in exemplaria quoque migraſſet, ideòque Gelaſii nomen & in apographis retentum fuiſſet. Prætereà Gelaſius Scriptorum Honorati Maſſilienſis mentionem Decreto inſeruiſſet. Id ſaoè fieri debuit, cùm ioſamatæ rumoribus ſuæ fidei Confeſſionem ad Gelaſium miſerit: *Sanctus quoque Papa Gelaſius Romana urbis Pontifex per Scripturam agnoſcaut ejus fidei integritatem, Reſcripta ſuo probatam indicavit.* Quibus & accedat, nullo loco in Decreto Gennadium reperiri, à quo tamen diſcimus, ſua ad Gelaſium ſcripta fuiſſe directa: *Opus de fide mea miſi ad B. Gelaſium urbis Roma Epiſcopum.* Denique eximiè Fauſtum laudat Gennadius atque Caſſianum, quorum ſcripta Decretum Gelaſianum vexat: *Opaſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum Apocrypha, Opaſcula Fauſti Regienſis Apocrypha.* Neque fingi poteſt, Gennadiana ſcripta Decreto poſteriora fuiſſe: & enim frontia tam perfrictæ non fuiſſet Gennadius, ut magnis laudibus extolleret libros, quos Romanus Pontifex cum ſua Synodo atro carbone notaſſet. Sed & aliundè liquet, Gennadii Catalogum anno CCCCXCIV. poſteriorem non fuiſſe, ut ſuo loco vicimus. Oſtendimus verò ex honorifica Seduliani carminis mentione, à Turcio Aſterio Exconſule editi, poſt aooum quidem CCCCXCIV. Decretum Gelaſianum eſſe promulgatum. Ediſſerant ergo illi, qui pro germano illud habent, quid cauſæ fuerit, cur ne verbulo quidem Gennadiana Opera memoravit? Quid multa? Creditu ſanè difficillimum, Fauſtum à Reienſibus in Divos fuiſſe relatum, ſi Gelaſius ipſius ſcripta ad Apocrypha relegaſſet. Quibus perpenſis, de Autore Decreti pendemus animi. Neque unius ejuſdem hominis videtur eſſe, cùm pugnantia loquatur: *Hiſtoria Euſebii Pamphili Apocrypha.* Quid diſertius? At pauiò ſuprà: *Chronica Euſebii Caſarienſis, & ejuſdem Eccleſiaſtica Hiſtoria libros, quamvis in primo narrationis ſua libra tepuerit, & poſteà in laudibus atque excuſatione Origenis Schiſmatici unum conſcripſerit libram, propter rerum tamen notitiam ſingularem, qua ad inſtructionam pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.* Contraria hæc ſunt Euſebii de Hiſtoria judicia. Si Apocrypha eſt, non eſt ſuſcipienda. Si *uſquequaque* recipienda; Apocryphis ergo, *qua noa recipiuntur*, haud eſt inſerenda: potuitne unus Autor in uno eodemque Opuſculo tam diverſam proferre de uno eodemque libro ſententiam?

XI. Extat inter Opera Gelaſii Romani Epiſcopi *liber de duabus Naturis in Chriſto adverſus Eutychen, & Neſtorium*, de quo magna inter eruditos controverſia, ſitne Gelaſio tribuendus. Ac Bellarminus *Gennadii eſſe, vel Gelaſii Cæſarienſis Epiſcopi, cujus meminit Hieronymus, circa finem Catalogi Scriptorum Eccleſiaſticorum* expreſſis verbis docet. Baronius verò adductis conjecturis nonnullis, Gelaſio Cyziceno Opus vindicat, ac quaſi hoc egregiè demonſtraſſet, *Lector*, inquit, *exultes, germanam Operum Autorem inventum.* Baronii in ſententiam deſcenderunt Perronius, Natalis Alexander, & alii, qui librum eum Gelaſio Papæ abjudicant: ſed immeritò, cùm Autores Gelaſio & coætanei, & ſuppares illum laudent, nomine Gelaſii Papæ, quod argumenti in rebus ejuſmodi eſt longè potentiſſimum, utpote in antiqua & conſtante ſama ſubnixum. Locuples teſtis eſt doctiſſimus Sirmondus, in melioris notæ MS. inter certas Gelaſii Epiſtolas deſcriptum inveniri. Deinde à Fulgentio Ruſpenſi, qui duodecimo Gelaſii poſt obitum anno Epiſcopus creatus eſt, disertè Gelaſio Pontifici vindicatur in ſuo de quinque Quæſtionibus ad Ferrandum tractatu, Q. 18. *Hos etiam beata memoria Papa Gelaſius, . . duas Naturas in Chriſto inconfuſas atque inſeparabiles eſſe confirmat.* Ac ſubinde quatuor affert loca, quæ libro Gelaſiano totidem verbis continentur. Reſpondent Fulgentium nominis æquivocatione fuiſſe deceptum. Scilicet ſagaciores erunt Fulgentio Baronius atque N. Alexander, in judicando de monumentis antiquis! Eſto. At quâ ratione fieri potuit, ut Gelaſii Cyziceni Opus, quod in Eutychianos conditum eſſe ferunt, Gelaſio Pontifici tribueretur? Græcus erat Cyziceni liber, Pontificis Latinus. Neque in Ne-

Cyp. p. 408.

Gennad. Catal. c. 96.

Nùm de duobus Naturis liber ſit Gelaſii Papæ?

Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 10.

Bar. An. 496. n. 8.

B. M. P. t. 9. 187.

Anno Dom. 496.

ſtorianos gladium ſtrinxit Cyzicenus. Quem verò tractatum Gelaſii Papæ laudat Fulgentius, is tam Neſtorianos, quàm Eutychianos refellit, teſtibus & titulo & verbis Opuſculi: *Has eaſdem neceſſarium eſt proferre ſub una eademque perſona, ſic indiſcretas, atque inſeparabiles, aliâ unitione conſtare, ut permaneant eſſe, quod ſunt.* Denique cui attento animo cogitanti probabile fiet, Gelaſii Cyziceni, obſcuri hominis, in Oriente degentis Opus, Fulgentio Africano notius eſſe, quàm illud Pontificis Romani? Neque unus Fulgentius librum de duabus Naturis in Chriſto Gelaſio Pontifici tribuit; aſcribit & Joannes Papa ſecundus Epiſtolâ ſuâ ad Senatores, quæ tertia numero eſt:

Lab. Conc. t. 4. p. 1753.

Gelaſius ex libro adverſus Neſtorium, & Eutychem. Propterea quòd ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei: ex te naſcetur ait, ut proprietatem de matre ſumendam noſtra conditionis exprimeret. His igitur evidenter oſtenſum eſt illuſtres & magnifici Filii, quid ſperaverit Imperator, quid Romana ſequatur, & colat Eccleſia. Dicentne ut Fulgentium, ſic & Joannem fuiſſe deceptum. At *Joannes*, inquiunt, *Gelaſium quidem appellat hujus libri Autorem, ſed Romanum Epiſcopum, aut deceſſorem ſuum non vocat.* Siccine verò. Atqui nec Leonem, quem laudat, aut Epiſcopum Romanum deceſſorem ſuum dixit. Cur potius talibus Gelaſium titulis affeciſſet? Ex circumſtantiis verò Gelaſium pingi Papam, liquidò conſtat. Quaſi vero Joannes Papa Cyzicenum Gelaſium, quem atrum albumve neſciebat, potius laudaſſet, quam deceſſoris ſui librum, qui anno DXXXIV. Eccleſiæ Romanæ in ſcriniis recondebatur, & diu ſervatus eſt, ſi qua Pontificali fides: Gelaſius *fecit libros adverſus Eutychem & Neſtorium, qui hodie in Bibliotheca & Eccleſia Archivo reconditi tenentur.* Denique in Baroniana ſententia multa ſunt poſtulata, nulla probabilitatis colore reſperſa, primùm Gelaſii Cyziceni Opus adverſus Neſtorianos fuiſſe conditum: deinde tantâ celebritate floruiſſe, ut in Latinum transfunderetur: ad hæc verſionem per Africam, Italiam, Gallias diſcurriſſe, exemptamque temporis injuriæ in noſtras tandem manus perveniſſe, dum Gelaſii Pontificis liber, quem Gennadius ſanè legerat, & cum laude memorat, profundâ oblivione deletus eſt. Hæc Baronio, hæc Perronio, atque N. Alexandro prius probanda, quàm librum de duabus Naturis in Chriſto Gelaſio Cyziceno addicant.

Reſpondetur eorum rationibus, qui de duobus naturis librum evellunt Papæ Gelaſio.

XII. Afferunt tamen conjecturas opinionis ſuæ. Gennadius de Viris illuſtribus de libro Gelaſii hæc habet: *Scripſit adverſus Eutychem grande & præclarum Volumen.* Qui verò extat in Bibliotheca Patrum, non eſt ejuſmodi. 2°. Teſtatur ſe *Catholicorum ſubjecta teſtimonia* recenſere, in quibus Euſebium Cæſarienſem numerat, cujus Opera Gelaſius ad Apocrypha relegat in ſuo de Autoribus Eccleſiaſticis Decreto. 3°. Autor præter Ambroſium & Damaſum Latinorum neminem, ſed Græcos duntaxat profert. 4°. Hippolytum Epiſcopum, & Martyrem vocat, *Epiſcopum Metropolis Arabiæ*, qui tamen Portuenſis Antiſtes fuit. Ita ſecundum Perronium N. Alexander, Sec. 5. p. 458. inſpiciatur & Bellarminus libro IV. de Rom. Pont. c. 10. Hæc verò momenti non ſunt alicujus, ut librum evellant Gelaſio Pontifici. Gennadio grande & præclarum Volumen fuit ratione non molis, ſed excellentiæ, quia fidem egregiè, & ratione, & autoritate Veterum aſtruebat, ac optimis adverſarios argumentis obruebat. Iiſdem & laudibus Gelaſii opus affecit Facundus contra Mocianum: *Scripſit B. Gelaſius Romanus Epiſcopus adverſus Acephalos magnum Opus.*

Anno Dom. 496.

B. M P. t. 10. p. 109.

Quod objiciunt in libro de duabus Naturis Euſebium laudari, quem Gelaſianum Decretum inſerit Apocryphis, non difficulter ſolvitur. Quippe utrum Decretum de Eccleſiaſticis Autoribus ſit Gelaſii, necne, ponitur in dubio: vix ſaltem negari poteſt, quin ei multa ſint addita, quale illud eſt, *Hiſtoria Euſebii Pamphili Apocrypha*, cùm in ſuperioribus eam non rejecerit. *Chronica Euſebii Cæſarienſis, & ejuſdem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros uſquequaque non dicimus renuendas.* Præterea quos Gelaſius Euſebii libros laudat, Expoſitionem Pſalmi XVII. & Evangelicæ Præparationis librum ſeptimum, illi Apocryphis ab Autore Decreti non inſeruntur. Qui cùm rectam de duabus in Chriſto Naturis ſententiam contineant, nil cauſæ fuit, cur eis Gelaſius non uteretur, eò magis, quòd magna in Oriente Euſebii gloria ſint. Ad tertium dicimus, Gelaſium paucis adductis Latinorum teſtimoniis ſapienter verbis Græcorum Patrum uſum eſſe, ut errores, qui Græcam lacerabant Eccleſiam, exterminaret. Denique nil miri, Gelaſium ignoraſſe, Hyppolytum Portuenſem Epiſcopum egiſſe, cùm id latuerit & Hieronymum, & antiquiorem Gelaſio, & doctiorem: *Hippolytus*, inquit, *cujuſdam Eccleſiæ Epiſcopus, nomen quippe urbis ſcire non potui.*

Hier. Catal.

Neque prorſus deceptus eſt Gelaſius, cùm in Arabia primùm, & in Italia poſtmodum Sacerdotio Hippolytus fungi potuerit. Porrò cujuſcunque Autoris Gelaſianus ille liber exiſtimetur, Joannis Papæ II. & Fulgentii Ruſpenſis autoritate ipſius de Euchariſtia opinio comprobatur, quæ materiam conſecrationi ſtatuit eſſe ſuperſtitem. Inſignis ille locus referatur:

B. M. P. t. 8. p. 703.

Certè ſacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis, & vini. Et certè imago & ſimilitudo corporis, & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus, ut ſicut in hanc, ſcilicet in divinam tranſeant, Sancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, permanente tamen in ſuæ proprietate naturæ; ſic illud myſterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat propriè permanentibus unum Chriſtum, quia integrum, verumque permanere demonſtrant. Hæccine oratio eſt hominis, qui perſuaſum habet, vini paniſque ſubſtantiam, abiiſſe in nihilum? Quis hodie ſuſtineret Doctorem palam publicèque in urbe Romana prædicantem, *eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini*: ac quæ ſacramento incidit, mutationem eſſe ejuſmodi, ut *natura tamen proprietas permaneat?* Quòd ſi Euchariſtiæ materiam in nihilum recidiſſe putaſſet Gelaſius, Eutychianis, quos adoriebatur, arma miniſtraſſet, qui ſubinde regeſſiſſent, ut in ſacramento natura panis evanuit, ſic & in myſterio Incarnationis, hominis ſubſtantia prorſus diffluxit. Extant Gelaſii tractatus de Anathematis Vinculo: de Lupercalibus non revocandis adverſus Andromachum; de Pelagianorum hæreſi, adverſus quos demonſtrat, hominem *non*

vivere

ANNO DOM. 496.

vivere ſine peccato. Quos cùm Gelaſii eſſe omnibus in confeſſum veniat, in eis non immorabimur. Feciſſe dicitur *tractatus & hymnos* ad imitationem Ambroſii.

Anaſtaſius Pontifex creatur.

Error Baronii.

Bar. An. 496. n. 55.

XVIII. Gelaſio ſufficitur Anaſtaſius II. *natione Romanus, & patre Petro, de regione quinta, caput Tauri.* Porrò Anaſtaſii initia io *vigeſima octava Novembris* collocat Baronius. Errat tamen illuſtriſſimus Purpuratus, cùm dies hæc in quintam feriam inciderit. More verò tenebatur Eccleſiæ Romanæ, ut eo ſeculo Epiſcoporum ordinationes die Dominicâ, aut feſto ſolemni fierent. Neque accuratior Onuphrii Chronologia, quæ Anaſtaſii creationem quinto Cal. Decembris alligat. Eò potius inclinat animus, ut XXV. Decembris Pontificatum adierit, quæ Natali Chriſti celebrando dicabatur. Id innuunt verba ipſius ad Chlodoveum: *Tuum, glorioſe fili, in Chriſtiana fide, cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe gratulamur.* Chriſtianum verò Chlodovei Natale cum Decembris XXV. copulabatur, quæ dies ob adjunctam Dominicæ Nativitatis feſtivitatem ordinationi Pontificali fuit idonea. Brevis fuit Anaſtaſii Epiſcopatus, quem anno CCCCXCVIII. cum vita exuet.

Anaſt. Ep. 2. 1182.

Epiphanii obitus. Vitæ ipſius breviarium.

XIX. Dum in Italia verſamur, Epiphanio Ticioenſi Epiſcopo, viro & pietate, & legationibus inſigni, honorificâ commemoratione nobis eſt parentandum. Nondum exacto poſt reditum ex legatione Burgundica biennio novam adhuc ſuſcipere cogitur: *Infirmis Ligurum, & labantibus humeris vix ferenda tributorum ſarcina mandabatur.* Adeunt igitur Epiphanium, ut levando oneri ſupplex interveniret. Qui Theodorici ad colloquium admiſſus, quod petebat facillimè impetrat: *Duas præſentis Indictionis fiſcalis calculi partes celemus, tertiam tantummodò ſuſcepturi, ne aut ærarii noſtri anguſtia Romanis pariat majora diſpendia, aut ſupplicatio tua expectata patria gaudia non reportet.* Hæc oranti Theodoricus. *Ninguido aëre* Ravennâ egreſſus Epiphanius, ut Parmam venit, *catarrho* afficitur. Ingreſſus Ticinum, *ægrum ſe ipſâ die ſignificat, alterâ graviorem.* Creſcens in dies morbus, vires novas acquirit Medicorum imperitiâ. Septimo die valetudinis accelerante morte, ſereno vultu Davidis carmina repetebat: Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. In generatione & progenie pronuntiabo veritatem tuam in ore meo. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum: *Ut hymnis & canticis, & in morte reſonans ad Sedem ſuam cœleſtis anima remearet.* Obiit anno ætatis LVIII. ex quibus triginta tranſegit in Sacerdotio: natus erat anno CCCCXXXVIII. Patre *Mauro*, matre *Focaria.* Sub *Criſpino* Pontifice ipſius deceſſore annorum fermè octo *Lectoris Eccleſiaſtici ſuſcipit officium.* Octavo & decimo ad Subdiaconi munus evehitur. Dum eo fungitur, ad jurgium dirimendum, quod diu perdurarat, eligitur. De ægro, cui *Summias* nomen, *Burco* quidam cum Clericis diffidebat. Inter colloquia *Burco* Epiphanium *ita fuſte percutit, ut ſanguis protinùs ebulliret.* Ne vel dolore, injuriâque commotus optimus juvenis, *attonitum percuſſorem blandiſſimo delinibat affectu.* Anno vigeſimo ad Diaconi *evehitur inſulas:* octennio pòſt defuncto Criſpino Epiſcopus ſufficitur. Summa hæc eſt vitæ Epiphanii, qui tertio poſt obitum die ſepelitur, cujus ſanctæ reliquiæ tanto, ut aiunt, lumine atque decore veſtitæ apparuerunt, ut ſplendorem vitæ vultus defuncti ſignificaret. Epiphanii memoria Januarii XXI. celebratur.

Ennod. 392.

Mors Regis Gundabundi.

Error Baronii.

XX. Dum virorum illuſtrium recenſemus obitum, attingamus breviter *Gundabundi*, Vandalorum Regis, quam Baronius in annum ſuperiorem retulit. Oſtendit tamen doctiſſimus Noriſius, eam cum labente eſſe conjungendam ex veteri Manuſcripto, cujus verba ſunt: *Ex die* VII. *Idus Februarias uſque ad decimum annum Gundabundi, in diem* IV. *Idus Auguſti completi ſunt anni decem, menſes ſex. . . . Qui memoratus Gundabundus Rex poſtmodum vixit annos duos, menſem unum.* Obiit XXIV. Septembris, cùm annos regnaſſet XI. menſes 11. dies XI. Mitiſſimum Orthodoxis Gundabundi regnum fuit, quibus Eccleſias aperuit, revocatis ad Eugenii Carthaginenſis preces, exilio ſuo Antiſtitibus, quos etiam Sedibus reſtituit ſuis. Ut non ſine veritatis injuria perſecutoribus apponatur. Thraſimundus defuncto ſucceſſit, qui ſopitos perſecutionis ignes maximâ violentiâ ſuſcitavit.

Nor. Hiſt. Pel. l. 2. c. 11. 106.

ANNO U. C. 1250. OLYMP. 319. PER. JUL. 5210. JUL. 542. DOM. 497. ANASTAS. 6. & 7. THEODORIC. 5. *Sal.* 2. E. *Lun.* 4. *Indict.* 5. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 3. F. 6. *April.*

ANNO DOM. 497.

COS. *Anaſtaſius* II. *ſolus.*

De Iſauris Anaſtaſii victoria.

Evagr. l. 3. c. 35.

I. QUod ſexennio protractum fuerat cum Iſauris bellum, labente anno finitum eſt, neque ſine magno malo rebellium. Rem ſic exequitur Evagrius: *Iſauri, qui unà cum Longino militaverant, omnes ad internecionem caſi. Longini verò ac Theodori capita ab Joanne Scytha Conſtantinopolim miſſa ſunt. Quæ Imperator contis ſuffixa circumferri, & in ſuburbano Sycenſi, quod ex adverſo Byzantii ſuſpendi juſſit. Quod ſpectaculum Conſtantinopolitanis gratiſſimum fuit ob mala, quæ à Zenone, & Iſauris perpeſſi fuerant. Alter verò Longinus, cognomento Selinuntius, præcipuum robur tyrannicæ factionis, & cum illo Indes, ab Joanne, cognomento Gibbo, vivi capti ſunt, & ad Imperatorem Anaſtaſium miſſi. Quæ res & Imperatorem, & populum Conſtantinopolitanum magnoperè recreavit, cùm Longinus, & Indes tanquam in triumphali pompa per vicos urbis, & in Circo traducerentur, catenas ferreas collo ac manibus circumjectas geſtantes.* Iſauricam cladem io Conſulatum Anaſtaſii ſecundum retulit Marcellinus. Athenodori tamen caput non in ſuburbano Sycenſi, ſed in Cicilia ſuſpenſum eſſe memorat: *Athenodorus Iſaurorum primus in Iſauria captus, decollatuſque eſt. Caput ejus Tarſum civitatem allatum, pro portis haſtili fixum extabuit.* Longinus verò Selinuntius anno ſequente captus eſt: *Joanne Scythâ & Paulino Coſſ. Longinus Iſaurus, cognomento Selinuntius apud Antiochiam, Iſauriæ civitatem à Priſco Comite captus, Conſtantinopolim miſſus eſt. Catenatuſque per Agentem circumductus, Anaſtaſio Principi & populo ingens ſpectaculum fuit, variiſque deinde cruciatibus, apud Nicæam Bithyniæ civitatem expenſus eſt.* Imperatoris ærarium ea victoria ſublevat: *Ex eo tempore munera, quæ vocabantur Iſaurica, in Principis ærarium inferri cœpere. Id erat aurum, quod Barbaris quotannis pendebatur, librarum ſcilicet quinque millia.*

Marcel. Chron.

Evagr. l. 3. c. 35.

Theodorici ad Clodoveum Epiſtola.

Caſſiod. Var. l. 2. 41.

II. Ut relatæ à Chlodoveo de Alamannis victoriæ rumor Theodoricum afflavit, officii ſui putavit eſſe, Epiſtolâ Regi gratulari, quem *Luduin* vocat: *Glorioſa quidem veſtra virtutis affinitate*

nitate gratulamur, quod gentem Francorum priſcâ ætate reſidentem, feliciter in nova prælia concitaſtis, & Alamannicos populos cauſis fortioribus inclinatos victrici dexterâ ſubdidiſtis. . . . Veſtra ſiquidem ſalus noſtra gloria eſt, & toties regnum Italiæ proficere judicamus, quoties de vobis læta cognoſcimus. Citharœdum etiam arte ſuâ doctum pariter deſtinavimus expetitum, qui ore, manibuſque cantando gloriam veſtræ poteſtatis oblectet. Magni Principis ad magnum Regem Epiſtolam noſtris in Annalibus omitti nefas duximus.

Xenaias quis? ejus doctrina.

III. Ad res Eccleſiaſticas tranſire cupientibus nobis occurrit Conſtantinopolitana Synodus à *Macedonio* coacta, cui motus à *Xenaia* excitati occaſionem præbuiſſe videntur. Involuta obſcuritate Chronologiæ hiſtoria eſt, quam pro viribus noſtris illuſtrare conabimur. Incipiamus à *Xenaia*, turbarum autore. Xenaias genere Perſa erat, & fortunâ ſervus, qui ſub Calendionis Epiſcopatu cùm ab hero ſuo fugiſſet, ad Eccleſiam acceſſit, pro Clerico ſe venditans, licet divino regenerationis lavacro nondum initiaretur. At Calendio, qui malitiæ ſigna in eo multa deprehenderat, illum ab Eccleſia expulerat. Ex Theodoro novimus, *Xenaiam* Eccleſiaſtica dogmata adulterantem, & vicos evertentem, non Eccleſiâ modò, ſed regione etiam ejectum eſſe. Ubi pulſo Calendioni Petrus ſucceſſit Gnapheus, receptum Xenaiam, necdum ſacris undis purgatum Hierapolis Epiſcopum creat, mutato in *Philoxenum* ipſius nomine. Gnapheus verò, ubi intellexit baptiſmi expertem Philoxenum eſſe, dixiſſe fertur, *Sufficere ei pro baptiſmo conſecrationem.* Anno circiter 485. Philoxenus Hierapolitanæ Eccleſiæ præfectus eſt. Erat imaginibus, non imaginum quidem cultu necdum exorto, Philoxenus inſenſiſſimus. Quod quaſi venenatum crimen in illum jecit Joannes Diacremonius in Nicæna Synodo ſecunda. Indecorum exiſtimabat, Angelos incorporeos effigie corporeâ ſimulare. Chriſtum aiebat pingendum non eſſe, ſed mente duntaxat, & ſpiritu adorandum: puerile eſſe, Spiritum Sanctum columbæ imaginibus adumbrare. Itaque & Angelorum imagines projecit, & illas Servatoris omnes, quas colligere poterat, in uno loco recondit. Qua de cauſa odio eſt picturarum cultoribus. Nos alia in Philoxeno potius culpanda reperimus. Flavianum quippe Antiochenum Præſulem ob ſuſceptas ignotâ cauſâ inimicitias, tanquam Neſtorianum calumniis appetit. Inſidiæ tamen non ſucceſſere detractori.

Niceph. l. 16. c. 27.

Xenaiæ in Flavianum accuſationes: turbat ob Synodum Chalcedonenſem.

IV. Etenim cùm *Flavianus* & Neſtorium, & ejus opinionem anathemate damnaſſet, *Xenaias* relicto Neſtorio ad Theodorum, Theodoritum, Ibam, Cyrum, Eleutherium, Joannem transgreſſus: *Hos*, inquit, *omnes Neſtoriani dogmatis aſſertores niſi anathematizaveris, Neſtorianus es, licet Neſtorium millies cum doctrina ipſius anathemate ferias.* Scriptis etiam ad fautores Dioſcori & Eutychis literis ſuaſit, ut ſibi adverſus Flavianum auxilio eſſent, exigerentque ab eo, non quidem, ut ipſam Synodum Chalcedonenſem, ſed nominatos viros damnarent. Diu multumque reſtitit Flavianus: poſt ubi in ſe *Eleuſinius* Cappadociæ ſecundæ Epiſcopus, *Niciaſ* Laodiceæ Syriæ, & ex aliis locis alii inſurrexere, ille contentioni ceſſit, quieturos arbitratus, ſcriptoque in præfatos Epiſcopos anathema torquens, Libellum Imperatori ſuum miſit. Neque eâ re contentus *Xenaias*, iterum à Flaviano flagitat, ut & Synodum ipſam, & eos, qui duas in Chriſto naturas prædicaverant, alteram carnis, alteram Deitatis, anathemati ſubjiceret. Quod cùm facere recuſaſſet, rurſus ut Neſtorianum Flavianus accuſatur. Qui multis ultrò citròque agitatis, cùm expoſitionem fidei edidiſſet, in qua Synodum Chalcedonenſem, Neſtorii & Eutychis abdicationem quod attinet, ſuſcipere ſe profitebatur; minimè verò quantum ad fidei doctrinam, rurſum illum tanquam Neſtoriano dogmati occultè faventem inſimularent, niſi ipſam quoque Synodum anathematibus obrueret. Iſauros præterea multiplici verborum fraude deceptos, in ſententiam ſuam pertraxerunt, damnatâ Synodo Chalcedonenſi. Fidei & Confeſſionem ab Epiſcopo Hieroſolymitano flagitant, quam acceptam corrumpunt. Quippe nulla Hieroſolymitanus Antiſtes damnationis fulmina in Synodum miſerat. Quam verò ipſius Confeſſionem Xenaiæ ſatellites & miſerunt Imperatori, & proferebant, anathemata quidem continebat eorum, qui duas in Chriſto naturas prædicabant. Neque id mirum, cùm ſolemne iſtis hominibus eſſet, Patrum ſcripta corrumpere, Hæreticorumque ſcripta Orthodoxis vindicare: multos ſiquidem *Apollinaris libros Athanaſio, & Gregorio Thaumaturgo, & Julio falſò aſcripſerunt.* Sed & à Macedonio Chirographum fidei ſuæ poſtularunt: *Qui quidem eam expoſuit, affirmans ſe trecentorum & octodecim Sanctorum Patrum, & centum & quinquaginta fidem ſolam noſſe. Neſtorium verò & Eutychem anathemati ſubjiciens, eoſque, qui duos Filios, & duos Chriſtos aſſerunt, aut qui duas naturas dividunt, nullâ tamen mentione factâ nec Epheſinæ Synodi, quæ Neſtorium depoſuit, nec Chalcedonenſis, in qua depoſitus eſt Eutyches.* Hæc in annum DXII. contulit Baronius, cujus Chronologia non placet. Quippe iſta in Victore Tununenſi legimus: *Anaſtaſio Aug. Conſule Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Synodo factâ condemnat eos, qui Chalcedonenſis Decreta Synodi ſuſcipiunt, & eos, qui Neſtorii & Eutychis defendunt.* Quæ ad Macedonianam fidei expoſitionem, petentibus Xenaiæ fautoribus editam, reſpectum habent. Cæterùm non iis Macedonii artibus pax eſt conciliata. Ægrè tulerunt Monaſteria circa Conſtantinopolim, neque de Epheſina, neque de Chalcedonenſi Synodo à Macedonio mentionis aliquid agitatum eſſe: itaque ab ejus communione deſciverunt. Ex altera parte Iſauri, & qui Xenaiæ adhærebant, *Flaviani quidem, & Macedonii communione ſeſe abrumpunt: cum aliis verò, qui Libello ſuo ſubſcripſiſſent, fœderis ſocietatem ineunt.* Triſtiſſima tum facies Eccleſiæ, quam concordia reliquerat:

Evagr. l. 3. c. 31.

Error Baronii.

Evagr. l. 3. c. 31.

Nunc quoque ne laſſum teneat privata ſenectus,
Bella nefanda parat.

Lucan. l. 2. 324.

De damnando Acacio Anaſtaſii Papæ ad Imperatorem Epiſtola.

V. Vulnera hæc Eccleſiæ, ut reſtitutâ Orientem inter & Occidentem pace ſanarentur, Anaſtaſius Pontifex *Creſconium* Epiſcopum Tudertinum, Germanumque Capuanum Antiſtitem ad Anaſtaſium Auguſtum Legatos mittit. Quam ferebant Epiſtolam, ea ſic habet: *Exordium Pontificatus mei, primitùs oblatâ populis pace pronuncians, & conſequenter pro fide Catholica humilis pietatis tuæ precator occurro.* Rogat enixè, obſecratque, *ne propter unum mortuum diutius illa tunica Salvatoris deſuper contexta per totum mala ſortis patiatur incertum.* Epiſtolæ octo capita numerantur, quorum ſumma hæc eſt.

I. Quòd

ANNO DOM. 497.

I. Quòd pro Chriſto fungatur legatione, dum pro pace precetur Eccleſiæ. II. Quòd non ſit temerè judicandum de his, qui ad Dominum migraverunt. III. Ut ſpecialiter in Eccleſia nomen taceatur Acacii. IV. Quòd magnoperè contentio ſit cavenda. V. Ut Alexandrinos Imperator admoneat, ad fidem ſinceram, & ad pacem redire Catholicam. VI. Monetur Imperator, ut Conſtitutis Apoſtolicæ Sedis obtemperet. VII. Quòd eos, quos poſt damnationem ſuam vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla portio læſionis attingat. VIII. Quòd mali bona miniſtrando ſibi tantummodò noceant, nec Eccleſiæ Sacramenta commaculent. Impetrare tamen non potuerunt, ut Acacii nomen Diptychis deleretur. Quin etiam quas Macedonius Synodicas Anaſtaſio literas mittere decreverat, Imperator ne dirigerentur prohibuit, ſi Theodoro creditur. Sic legatio ſucceſſu caruit.

Feſtum Petri & Pauli Conſtantinopoli ſplendidius celebratur, rogante Feſto.

VI. Intereà advenit *Feſtus*, Romanæ urbis Senator, ob civilia quædam negotia ad Imperatorem miſſus. Quem & hortatur, ut Principis Apoſtolorum Petri, ac Pauli memoriam magno cum honore, cultuque celebraret. Poſt Feſti petitionem longè majori ſplendore ea feſtivitas peracta eſt. Ut verò ob conceſſa ſibi poſtulata gratiæ aliquid Feſtus Imperatori rependeret, ei pollicetur, ſe Romano Pontifici, uti aiunt, perſuaſorum, ut Zenonis Henotico ſubſcriberet. Quæ res ingentibus malis occaſionem præbuit.

Theodor. l. 2. 560.

Alexandrini Romanæ Eccleſiæ communionem petunt, cur ab ea ſeparati?

VII. Dum Feſtus unà cum Legatis Anaſtaſii Papæ regia in urbe moratur, Dioſcorus Presbyter, & Chæremon Lector, Alexandrinæ Eccleſiæ Apocriſiarii Libellum offerunt ſuum *glorioſiſſimo atque excellentiſſimo Patricio Feſto, & venerabilibus Epiſcopis Creſconio, & Germano*, quo referebant, Romanos Præſules cum Alexandrinis & fidei, & charitatis concordiâ ſemper fuiſſe conjunctos. Eutychis verò temporibus Leonis Epiſtolam ad Concilium Chalcedonenſe directam, ab iis in Græcum fuiſſe transfuſam, qui cum Theodorito Neſtorianam hæreſim ſectabantur. Pugnante verò cum Niceno Symbolo eâ verſione, Alexandrinos tantum indignationis ex Epiſtola concepiſſe, ut ab Eccleſia Romana divortio disjungi vellent. Parte aliâ Romanum Antiſtitem, qui putabat Alexandrinos adverſus Apoſtolicam fidem conſpiraſſe, ipſis renunciaſſe communionem. Fuiſſe in urbe Alexandrinum quendam, à recta fide alienum, qui ne Legati Alexandrini ſuſciperentur effecerit, qui nec *ad faciem uſque ſalutationis admiſſi* ſunt. Verùm Photinum Diaconum ab Andrea, Theſſalonicenſis Eccleſiæ Præſule, ad Anaſtaſium Pontificem miſſum affirmaſſe, de his, quæ Alexandrinos offendebant, in tranſlatione Epiſtolæ ſibi fuiſſe ſatisfactum, quòd in ea comprobarentur errores. Voluiſſe igitur ab ipſis Legatis ſe edoceri, veræne forent, quæ *Photinus* retulerat: oſtenſum verò ſibi errores verſionis eſſe, non Epiſtolæ: itaque rogare ſe, fidei ſuæ Confeſſionem ſumerent, ut ſublatis ſcandalis, ſciſſa Eccleſia ad concordiam rediret. Profiteri ſe Chriſtum Conſubſtantialem eſſe Patri ſecundum Divinitatem, & Conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem. Dioſcorum, Timotheum, Petrumque hanc ipſam fidem tenuiſſe. Proindeque petere ſe, pòſtquam Romam Legati reverſi fuerint, chartulam nomine Eccleſiæ Alexandrinæ oblatam, Anaſtaſio ſuam præbeant. Fruſtra tamen communionem Eccleſiæ Romanæ Alexandrini ambierunt, dum in Diptychis & Patriarcharum ſuorum, & Acacii nomina retinebant.

Lab. Conc. l. 4. 1253.

Anaſtaſii gratulatoria ad Ch[lo]doveum Epiſtola.

Lab. Conc. l. 4. 1282.

VIII. In Eccleſiæ Romanæ gloriam redundabat Chlodovei baptiſmus, Natali ſuperioris anni feſto celebratus. Itaque potentiſſimo Regi Anaſtaſius gratulator Epiſtola, ad eum labente anno ſcriptâ: *Sedes Petri in tanta occaſione non poteſt non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere. . . . Quod ſerenitati tuæ inſinuare volumus per Eumerium Presbyterum, ut cum audiveris lætitiam patris in bonis operibus, impleas gaudium noſtrum, & ſis corona noſtra, gaudeatque mater Eccleſia de tanti Regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, glorioſe & illuſtris fili, matrem tuam, & eſto illi in columnam ferream*, &c.

Athanaſii Alexandrini mors. Joannes ei ſuccedit.

Evagr. l. 3. c. 25.

Liberat. c. 18.

IX. Sub ea circiter tempora exceſſit Athanaſius Alexandrinus Præſul, de cujus geſtis pauca in notitiam venerunt: *Athanaſius cum diu multumque laboraſſet, ut eos, qui inter ſe diſſidebant, reconciliaret, id tamen perficere non potuit, partibus in varias ſententias diviſis. Poſt è vita Athanaſius, cum Synodicas literas mitteret ad Palladium Antiochenſem Epiſcopum, qui Petro ſucceſſerat, de Chalcedonenſi Synodo idem fecit quod Petrus.* Quos ſucceſſores habuerit, diſcamus ex Liberato: *Athanaſio Heretico tempus Epiſcopatus ſui complente, poſt eum ordinatur Alexandrinus Epiſcopus, Joannes, cognomento Mala, qui & ipſe ſecutus Petrum, & Athanaſium præceſſores in Edicto unitivo communicavit aliis Sedibus, id eſt, Conſtantinopolitanæ, & Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ. In cujus Præſulatu dum Alexandrina Eccleſia diviſionem habuiſſet Dioſcoritarum, propter Petrum Mongum, quaſi communicaſſet Synodo, etiam ipſe defunctus eſt tempore Macedonii Conſtantinopolitani Epiſcopi. Poſt quem ordinatus eſt Joannes Niciota.* Deceſſit Dioſcoro Joannes anno LXVII. Anaſtaſio & Agapyto Coſſ. ut nos Victor Tununenſis monuit. Quo tempore Joannis vitæ breviarium exhibebitur.

ANNO U. C. 1251. PER. JUL. 5211. JUL. 543. DOM. 498. ANASTAS. 7. & 8. THEODORIC. 6. *Sol.* 3. D. *Lun.* 5. *Indict.* 6. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

ANNO DOM. 498.

COSS. *Joannes Scytha & Paulinus.*

Seditio in Anaſtaſium Conſtantinopoli.

I. LEvi de cauſa pernicioſa ſeditio Conſtantinopolitanam plebem inceſſit. Detinebantur in carcere *Lithoboli*, factioſi illi homines, qui à lapidibus, quos jaciebant, id nominis ſortiebantur. Dum in Circo ludi agitantur Praſinorum, cohors Imperatorem rogat, ut è vinculis mitterentur, in quibus à Præfecto urbis detinebantur. Populus autem ne dum Imperatorem exoraret, ipſum ad iram concitat. Militibus ergo in plebem immiſſis, ingens tumultus excitatur. Quippè ſeditioſi ad ſedem uſque Imperatoris cùm acceſſiſſent, in ipſum ſaxa conjiciunt. Quos inter Maurus quidam lapidem mittit, quo Anaſtaſius occiſus fuiſſet, niſi ictum declinaſſet. Tum regii excubitores ſpectatâ Mauri audaciâ, impetu in illum facto, membratim eum conciderunt. Plebs ad anguſtias redacta, in Hippodromi æream domum ignem conjicit, ex quo ambitus univerſus uſque ad Imperatoris thronum conflagravit. Quin & publica porticus ad Hexippium,

xippium,

Chr. Alex.

xaippium, & forum Conſtantini tota in cineres procubuit. Cædibus ubique factis, multiſque qui comprehenſi fuerant, affectis ſupplicio, rumultus conquievit.

Theodori Regis æquitas in religionem.

II. At in Occidente Theodoricus magna juſtitiæ ſuæ ſpecimina cunctis præbebat. Is licet Arianæ diſciplinæ addictus, non eos probabat, qui rerum humanarum contemplatione fide relictâ, ipſius religionem amplectebantur. Qua de re non illepida apud Theodorum extat hiſtoria. Theodoricus Diaconum quemdam Orthodoxum habuit, quem unicè diligebat, ac fovebat. Hic rem gratam Theodorico facturum ſe arbitratus, à Conſubſtantialis fide diſcedens, Arii dogma amplexus eſt. Quod ubi comperit Theodoricus, ſtatim quem tantoperè diligebat, caput amputavit, his verbis uſus: *Si Deo fidem non ſervaſti, quonam pacto ſinceram conſcientiam homini ſervaturus es.* Hiſtoriam memorat & Nicephorus, cujus verba Langius perperàm vertit: *Miniſtrum is quendam, ſaniorem fidem ſectantem, effictim amore inſano proſequebatur, & ad voluptatem eo abutebatur.* Quæ magna eſt injuria Theodorici, ab præpoſtera venere alieniſſimi. Gothi quidem caſtitate & temperantiâ Orthodoxos eminebant, teſte Salviano. Longè melius Nicephori mentem Valeſius aſſecutus eſt: *Miniſtrum quendam Catholicæ fidei ſectatorem Theodoricus Afer mirum in modum adamabat, & cuncta, quæ illi jucunda eſſent, promptiſſimè tribuebat.*

Theodor. l. 2. 560.

Niceph. l. 16. c. 35.

Anaſtaſius Acacium Diptychis revocare voluit.

III. Eccleſiæ rebus advertamus animum. In Clero Romano ſeditionis aliquid oboritur, cui factum Anaſtaſii Pontificis occaſionem præbuit. Rem narrat Pontificalis: *Eodem tempore multi Presbyteri & Clerici ſe à communione ipſius erexerunt, eò quòd communicaſſet ſine Concilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit.* Curiæ Romanæ Aulicos commovit narratio hæc. Bellarminus, *Illud verò de Photino*, inquit, *fortè eſt mendacium, ſicut de revocatione Acacii.* Baronius verò, & qui vix ab eo recedit Binius illum de Anaſtaſio rumorem à Schiſmaticis exortum eſſe prædicant: *Hæc ſcias contra Anaſtaſium ſparſa eſſe à Schiſmaticis Laurentianis.* Egregiam illuſtriſſimi Purpurati ſolertiam! Atqui Laurentiani Schiſmatici famæ Anaſtaſii favebant, nedum ad eum infamandum id excogitarint. Feſtus quippe Anaſtaſio amiciſſimus, *multis pecuniâ corruptis effecit, ut præter receptum morem Romanus quidam Laurentius Epiſcopus eligeretur.* Hæc Theodorus Lector, l. 2. 560. Deinde cui bono id Laurentiani confinxiſſent Anaſtaſii poſt obitum, quos vivus nec læſerit, nec injuriâ affecerat? Cæterum narrationem Pontificalis veroſimillimam eſſe multa demonſtrant. Conſtat ex Gelaſio, Acacianorum partium fuiſſe Andream, Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, uti monemur Epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ: *Noveris autem veſtra fraternitas, Eccleſiæ Theſſalonicenſis Antiſtitem noſtris adhortationibus ſæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum ſimilium perfidorum, hiſque communicantium, congruâ profeſſione damnaſſe.* Neque minus certum, Photini cum Anaſtaſio fuiſſe conjunctionem, teſte Ægyptiorum Libello, Germano & Creſcentio, Anaſtaſii Legatis oblato, cujus hæc verba ſunt: *Quia verò non ante multum temporis Photinus religioſus Diaconus Sanctæ Theſſalonicenſis Eccleſiæ, nobiſcum de pace Eccleſiarum verbo conſeruit, dixitque ſe ante ſpatium parvi temporis deſtinatum à ſanctiſſimo Archiepiſcopo Andrea Theſſalonicenſis Eccleſiæ ad Romanum Pontificem Anaſtaſium: & affirmabat de his, quæ nos vehementer offendunt, in tranſlatione Epiſtolæ ſibi ſatisfactum fuiſſe à ſuprà dicto Præſule Romanæ Eccleſiæ, quòd ſcilicet in Epiſtola tranſlatione comprobarentur errores.* Ut de Anaſtaſii cum Photino communione Bellarmino ſuum *forte* ſit expungendum, quæ non pro mendacio quidem, ſed pro re certa habenda eſt. Denique ex Theodoro Lectore liquet, Feſtum Anaſtaſio Imperatori promiſiſſe, effecturum ſe, ut Anaſtaſius Pontifex Henotico ſubſcriberet, quod fieri non potuit, niſi revocato in Diptycha Romana Acacio, quibus fuerat expunctus, & pedibus manibuſque allaboraſſe, ut promiſſi munus conficeret. Quibus accuratè perpenſis, quid eſt, cur de narratione Pontificalis amplius dubitetur? Neque tamen ea de cauſa ulla Anaſtaſio Papæ hæreſeos labes ſubeunda. Imò manſuetudo ejus multis eſt nominibus prædicanda, qui reſtituendæ paci Eccleſiæ Acacium nullo erroris vitio laborantem, Diptychis reponi voluerit; quod cùm Clericis Romanis, qui durioris erant inclementiориſque ingenii, diſpliceret, ſchiſma à Pontificali narratum, conflatum eſt.

Bellar. de Rom. Pont. l. 4. c. 18.

Bar. An. 497. n. 27.

Gelaſ. ep. 8. 1197.

Lab. Conc. 4. 1284.

Mors Papæ Anaſtaſii. Schiſma Laurentium inter & Symmachum.

IV. Conſiliis, quæ volutabat in animo, diu non ſuperfuit Anaſtaſius, quem *divino nutu percuſſum*, per fabulas, ut videtur, ſparſit Pontificalis: *Sepultus eſt in Baſilica B. Petri* XIII. *Kal. Decemb.* In celebrioribus ipſius facinoribus ponitur, quòd *fecit Confeſſionem S. Laurentii Martyris ex argento, quæ penſabat libras centum.* Eo defuncto pax Romanam prorſus Eccleſiam deſeruit, quæ graviſſimo ſchiſmate concutitur. *Feſtus* Senator, cùm ex urbe Regia Romam veniſſet, Anaſtaſium ad plures abiiſſe reperit. Operam ergo dedit, ut ad Pontificatum promovendus Henotico ſubſcriberet. Multis igitur pecuniâ corruptis effecit, ut Romanus quidam *Laurentius* urbis Epiſcopus crearetur. A majori tamen parte ex Diaconis unus, nomine Symmachus eligitur. Hinc malorum incubuit cohors, cujus ſummam Paulus refert Diaconus: *Tanta propter Symmachi & Laurentii electionem Romæ diſſenſio facta eſt, ut Fauſtus Senatorum nobiliſſimus & Exconſul, & alius Exconſul Probinus Laurentii partibus faventes, adverſus Fauſtum Exconſulem, cæteroſque qui Symmacho adhærebant, Pontifici bellum inferrent, multaſque cædes & homicidia in medio urbis facientes, pleroſque ex ſacerdotali numero, multos etiam Clericorum, perplures civium Romanorum extinguerent.* Quæ contigere poſtmodum, uti narrabitur. Neque pars Laurentii Clericis magni nominis deſtituebatur: cui favebat Paſchaſius Diaconus, vir ſuis & virtutibus, & eleemoſynis percelebris, qui ad extremum uſque ſpiritum Laurentio addictus fuit. Hic eſt ille *Paſchaſius*, de quo lepidam Gregorius Papa Primus fabulam prodit. Quòd cùm Germanus Capuanus Antiſtes lavandi cauſa thermas *Angulanas* ingreſſus fuiſſet, *Paſchaſium Diaconum ſtantem, & obſequentem in caloribus invenit.* Miratus cur vir tantus ibi loci ageret, reſpondit Paſchaſius: *Pro nulla alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentii contra Symmachum ſenſi.* Quæ utut abſona, indicio ſunt tamen, Paſchaſium in gloria fuiſſe. Cæterùm cuinam

Theodor. l. 2.

Paul. Diac. l. 17.

Gregor. Dial. l. 4. c. 40.

ANNO DOM. 498.

ruinam de Epiſcopatu contendentium infula addicenda foret, vic erat in medio. Laurentius, Symmachuſque eâdem die creati fuerant, ac fautorum numero, & dignitate æquis penè viribus certabant. Audiatur Pontificalis Autor, qui vera executus eſſe videtur: *Symmachus ſub contentione ordinatus eſt, uno die cum Laurentio. Symmachus in Baſilica Conſtantiniana, Laurentius verò in Baſilica B. Mariæ. Ex qua cauſa ſeparatus eſt Clerus, & diviſus eſt & Senatus: alii cum Symmacho, alii verò cum Laurentio. Et factâ contentione, hoc conſtituerunt partes, ut ambo ad Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici, qui dum ambo introiſſent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenit, ut qui primò ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur favere, ipſe ſederet in Sede Apoſtolica. Quòd tandem æquitas in Symmacho invenit cognitionem veritatis, & factus eſt Præſul Symmachus.*

Symmachus quis?

V. Pro Romano ergo Pontifice Symmachum habeamus. Cœlius *Symmachus, natione Romanus, ex patre Fortunato*, de Eccleſiæ Romanæ Diaconis unus erat. Ethnicorum ſuperſtitionem olim coluerat, quâ ejuratâ, Chriſti religionem ſuſceperat, uti nos ipſe docuit in ſua adverſus Anaſtaſium Auguſtum Apologia: *Roma mihi teſtis eſt, & ſcrinia teſtimonium perhibent, utrùm à fide Catholica, quam in Sede B. Petri Apoſtoli veniens ex Paganitate ſuſcepi, aliqua ex parte deviarim.*

Sym. Ep. 6. p. 1297.

Creatus eſt, ut vulgò perhibetur, decimo Kal. Decembris, qui dies Dominicus erat. Ad annum uſque DXIV. ſedit, Caſſiodoro Senatore Conſule. Itaque anno Pontificatus XVI. labente fato functus eſt. Quid memoratu dignum geſſerit, ſequentibus narrabitur.

Julianus Pomerius: quis? Ejus ſcripta.

VI. Florebat adhùc eo tempore Julianus *Pomerius*, de quo mentionem fecit ſuo in Catalogo Gennadius. Adducamus ipſius verba, ut viri apud eruditos celebris informatione quâdam imbuamur: *Pomerius, natione Maurus, in Gallia Presbyter ordinatus, interrogantibus & rogantibus Juliano Epiſcopo, & Vero Presbytero, Dialogorum more reſpondens, arte dialecticâ, & ſermone ingenio apto, compoſuit de Natura Animæ, & qualitate ejus, & reſurrectionis ejus ſpecialitate in hac vita Fidelium, & generali omnium hominum libros octo. Quorum primus continet, quid ſit anima, vel qualiter ad imaginem Dei credatur facta. Secundus, utrùm anima incorporea, an corporea debeat credi. Tertius, unde ſit anima primo homine facta. Quartus, utrùm anima, quæ naſcituro corpori infundenda eſt, nova fiat ſine peccato? An ex ſubſtantia animæ primi hominis, velut propago è radice producta, etiam peccatum primæ animæ ſecum originaliter retrahat. Quintus, Recapitulationem libri quarti, Diſputationes & Definitiones, & quæ ſit facultas animæ, id eſt, poſſibilitas, & quod eam ex ſingulari voluntate obtineat. Sextus, unde ſit juxta Apoſtoli dictum adverſitas carnis & ſpiritus. Septimus de Differentia vitarum mortium, reſurrectionum carnis & animæ. Octavus, de his, quæ in fine mundi futura prædicta ſunt, & abſolutiones quæſtionum, quæ de reſurrectione proponi ſolent. Memini me legiſſe olim ejus dictatum ad quendam, nomine Principium, de Contemptu Mundi, ac rerum tranſiturarum hortatorium, & alium de virtutibus & vitiis prætitulatum. Scripſiſſe & alia dicitur, & adhùc ſcribere, quæ ad meam notitiam non venerunt. Vivit uſque hodie converſatione Deo dignâ, aptâ profeſſioni & gradui.* Qui vulgò Proſpero aſcribebantur de Vita contemplativa libri tres; noſtri eſſe Pomerii non immeritò exiſtimantur, quos edidit ſuadente *Juliano* Epiſcopo, quem unum eundemque cum Juliano Gennadii arbitramur. Verba ſunt Prologi: *Diu multumque renifus ſum voluntati tuæ, Domine ſtudioſiſſime Pontificum Juliane.* Quid contemplativam inter & activam vitam interſit, his verbis explicat: *Habet Activa profectum, contemplativa faſtigium: hæc facit hominem ſanctum, illa perfectum: hujus vita eſt nulli prorſus injurias irrogare, illius irrogatas æquanimiter ſuſtinere.* Ejuſmodi ſententiæ eſt, quòd in futura gloria *corporales oculos nihil viſibilis creaturæ latebit, quia incorruptibilium corporum viſus uſque incorruptibilis erit.* Quæ corpora *ſine temporis mora, aut impedimento ponderis ſint, ubi eſſe voluerint.* Quæ noſtro judicio pro certis & exploratis non ſunt habenda.

Gen. Catal. c. 95.

L. 1. c. 12.

L. 1. c. 15.

Olympii Ariani blaſphemiæ cœlitùs caſtigatæ.

VII. Blaſphemiæ horrendùm Deus ſupplicium conſtituit, quod labente anno ipſius juſtitiam nobilitavit. *Olympius*, ſectæ Arianæ addictiſſimus, in Balneis *Helianis* Conſtantinopolitanis cùm ex illis, qui lavabantur, Orthodoxos quoſdam videret, qui vocem *Conſubſtantialis* Filio accommodari maximè probabant, verbis ejuſmodi eos compellat: *Quid eſt Trinitas, & quo non in pariete inſcripta eſt? Membriſque corporis neceſſariis apprehenſis, ecce, inquit & ego, Trinitatem habeo. Quare qui illic aderant commoti, illum erant interfecturi, ſed in valli ambitu prohibiti ſunt à quodam magno Sanctorum Apoſtolorum Presbytero, qui ſic eos eſt allocutus: Juſtitia non latet oculum, cuncta ſpectantis & punientis.* Nec mora, calidis lotus Olympius ad frigidas, ut vulgò fit, egreditur, in quas cùm deſcendiſſet, confeſtim egreditur clamans, Miſeremini. Et carnem ſuam unguibus dilanians, oſſibus divellebat. Hunc illum, qui aderant, comprehenſum linteo involvunt, & præ frigore animo deficientem reclinant. Rogantibus quidnam illi contigiſſet, reſpondet miſer: *Hominem vidi candidis indutum veſtibus, qui ſuper Nerophorum incedens, tres mihi calidæ ſiclas infudit, dicens, Ne blaſphemes.* Ubi balneo, quod Arianorum hærebat Eccleſiæ illatus eſt, cùm ex linteo vellent illum eximere, omnes illius carnes dilacerarunt: atque ita moriens animam efflavit. Terribilis pœnæ hujus fama Africam opplevit diu antequam à Damaſceno narraretur. Etenim ſupplicii Olympio irrogati meminit Victor Tununenſis, qui ſimul errorem evellit Baronio, illam ipſam hiſtoriam in annum CCCCXCIV. conferenti, quæ labente contigit, Victore teſte: Joanne Scythâ, & Paulo Coſſ. *Olympius quidam Arianus in balneis, quæ Heliana vocantur, ad Regiam urbem, Sanctam & Conſubſtantialem Trinitatem blaſphemans, tribus ignis ictu Angelo miniſtrante, inviſibiliter in piſcina frigida aqua perfuſus, vitam impiè ſimulque prodigiosè finivit.*

Damaſ. de Imag. Or. 3. 798.

Error Baronii.

Bar. An. 494. n. 62.

Vict. Tun.

ANNO U. C. 1252. PER. JUL. 5212. JUL. 544. DOM. 499. ANASTAS 8. & 9. THEODORIC. 7. *Sol.* 4. C. *Lun.* 6. *Indict.* 7. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 5. *P.* 11. *April.*

ANNO DOM. 499.

COS. *Joannes Gibbus ſolus*

Chryſargyrum abrogat Anaſtaſius.

I. REm ad decus & gloriam inſignem patravit Anaſtaſius, remoto infami tributo, quod *Chryſargyrum* vocabatur. Impoſitum erat & iis, qui ſtipe collatitiâ victitabant, & mulierculis,

ANNO DOM. 499.

lis, quæ corpore quæſtum faciebant; & maſculis, qui muliebria paſſi, & naturam ipſam, & Rempublicam ignominiâ afficiebant. Quâ Collatione licitum cuivis erat, inceſtam libidinem perpetrare. Neque novum illud penſitationis genus, cùm imperante Caligulâ ſolveretur: *Ex capturis proſtitutarum quantum quaque uno concubitu mereret, additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & qua meretricium, & qui lenocinium feciſſent.* Pendebatur & illud vectigal regnante Alexandro Severo, quod tamen ærario ſuo optimus Princeps inferri noluit: *Lenonum vectigal, & meretricum & exoletorum in ſacrum ararium inferri vetuit: ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationem theatri, amphitheatri, & ærarii deputavit.* Impium quæſtum exactores qui colligebant, quinto quoque anno ineunte ad Præfectum Prætorio deferebant, qui propria ſcrinia habebat, & numerarios, qui vectigalibus ejuſmodi præeſſent. Tributum terrori ſolventibus erat, ut ex inſigni Libanii loco in Oratione contra Florentium obſervat Valeſius: *Jam verò dicamus etiam malum illud, quod reliqua cuncta ſuperat. Id autem eſt tributum intolerabile, Chryſargyrum ſcilicet, quo fit, ut ſingula luſtra, quoties jam propinqua ſunt, terrorem animis injiciant. Et nomen quidem huic Collationi ſpecioſum eſt ex mercatoribus. Sed cùm iſti mari utantur ad merces ſuas divendendas, ii quibus manus ægrè panem ſuppeditant, funditùs pereunt. Nec immunis ab hoc malo ſutor: quos quidem ego ſæpius vidi, ſcalpro ad cælum ſublato, jurantes in eo ſua omnia repoſita eſſe.* Ac lenonum quidem vectigal jam ſuſtulerat Theodoſius anno CCCCXXXIX. Florentius, inquit, *ſuggeſſit ad injuriam noſtrorum temporum pertinere, ſi aut lenones in hac liceret urbe verſari, aut eorum turpiſſimo quaſi in ærarium videretur augeri. Ac licet nos illud averteret execrari, etiam ceſſante vicaria oblatione vectigalis, tamen ne ullum ad ærarium incommodum perveniret, propriam poſſeſſionem obtulit, ex cujus redditibus poſſit accedere, quod prædictum peſſimum genus conſueverat penſitare. Data VIII. Idus Decembr. Conſtantinopoli, Theodoſio A. XVII. & Feſto V. C. Coſſ.* Hoc tamen Reſcripti in urbe duntaxat Regia videtur, ut ex pœna Legi addita colligitur: *Graviſſimè verberatus, hujus urbis finibus, in qua vetitum nefas crediderit exercendum, ad exemplum omnium emendationemque pellatur.* Anaſtaſius verò infame vectigal ubique locorum extinguere, inſtrumentaque omnia ad illud colligendum neceſſaria, ut gratum Deo holocauſtum immolare decrevit. Cui perficiendo prudentiæ non minimum adhibuit. Ac primùm dolere ſe ſimulat, quòd non ſine detrimento Reipublicæ tantum vectigal à majoribus inſtitutum, & tam diuturni temporis ſpatio confirmatum, temerè & inconſideratè ſuſtuliſſet: velle ſe igitur tam neceſſarium tributum reſtituere: at neſcire ſe quid agendum, chartis omnibus, ex quibus vectigalis notitia percipi poterat, igne conſumptis. Conſtituto itaque præmio, exactores qui abrogatum vectigal querebantur, mittit ad conquirendas chartas. Quibus reverſis, rogat num ex hujuſmodi monumentis quidquam ſupereſſet. Illis verò per Principem jurantibus, nullam in toto Imperio chartam ſupereſſe, ex qua vectigalis hujus notitia percipi poſſet, acccenſo igne ſchedas omnes in eum conjectas flammis abolet, cineresque mergi juſſit, ut ne favilla quidem, vel tenue combuſtarum chartarum monumentum relinqueretur. Pompeji & Avieni Conſulatu, qui annum DI. inſignivit, abrogatum eſſe Chryſargyrum, Theophanes docet in Chronico: *Hoc anno Chryſargyrum tributum, & venationes, ſive pugnas cum beſtiis publicas Anaſtaſius abolevit, & Magiſtratus qui antea venales erant, gratis contulit.* Cujus Chronologiam Pagius amplectitur, Diſſert. Hypath. p. 297. At Sabas, qui Anaſtaſii ætate floruit, anno DXII. Anaſtaſio hæc locutus eſt: *Univerſa Romanorum Reſpublica veſtra ſerenitati gratias agit, quòd jam ante tredecim hoſce annos ab iniquiſſimo Chryſargyri vectigali liberata fuerit.* Tanto teſtimonio innixa noſtra firmiſſimo talo ſtat Chronologia, eaque Theophanis, & Pagii refellitur.

Suet. Cal. c. 40.

Lampr. Alex. cap. 24.

Novel. Tit. 18.

Evagr. l. 3. c. 39.

Vit. Saba, c. 54. 303.

Bulgares Thraciam vaſtant.

II. Cladibus Imperio lugendis tractus Illyricianus vaſtatur. Rem brevi Marcellinus exequitur: *Ariſtus Illyriciana Ductor Militia, cum XV. millibus armatorum, & cum DXX. plauſtris ad præliandum neceſſariis oneratis, contra Bulgares Thraciam devaſtantes profectus eſt. Bellum juxta Zurtam fluvium conſertum, ubi pluſquam quatuor millia noſtrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis interempta ſunt, ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio, & Aquilino Comitibus interfectis.* Calamitates quoque ſuas regio Pontica patitur. Joanne Gibbo Conſule *ingens terræ motus Ponticam concuſſit Provinciam.*

Marcellin.

Synodus Romana contra Simoniam Præſide Symmacho.

III. Veniant nunc in manus res Eccleſiæ. Theodorici ſententiâ Symmacho, cui complures favebant, Epiſcopatus Romanus adductus fuerat. Quod ubi factum eſt, Synodum Pontifex cogit ſuam, ut Epiſcoporum ſuffragio legitimus urbis Antiſtes agnoſceretur. Tempus locuſque Synodi præfatione docetur: *Poſt Conſulatum Paulini viri clariſſimi Calendis Martii in Baſilica B. Petri Apoſtoli, Synodo præſidente beatiſſimo Papâ Symmacho.* Patres numero LXXII. Presbyteri verò LXVII. aderant, qui poſtquam conſedere, Fulgentius Archidiaconus Symmachum ſic compellat: *Beatitudo veſtra directis antehàc per Provincias autoritatibus frequentem Italiæ Sacerdotum Synodum convocavit, quorum præſentia in veſtris videtur oculis conſtituta. Nunc beatitudo veſtra, quæ ad Eccleſiaſticas indemnitates, vel ad pacem totius Eccleſiæ pertinent, ſive concordiam, dignetur tractabiliter ordinare. Acclamatum eſt ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris: Exaudi, Chriſte, Symmacho vita.* Tum Symmachus Synodum ſic alloquitur: *Concilium dilectionis veſtræ, neglectâ hyemis aſperitate, ſollicitudo noſtra pro Eccleſiaſtica indemnitate ſpecialiter congregavit, ut Epiſcopalem ambitum, & confuſionis incertum, vel popularem tumultum, quem per ſubreptionem Diaboli uſurpatione aliquorum, tempore ordinationis meæ conſtat exortum, communicato pariter tractatu in futurum poſſimus robuſtè ac vivaciter amputare.* Rogat ergo Patres, ut ſecum unà tractent, *quid circa Romani Epiſcopi ordinationem debeat cuſtodiri.* Symmachi orationem acclamationes ſubinde exceperunt, *Æmilianuſque* Notarius Synodi Decreta promulgat, ſcilicet, *ut ſi Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, & eo inconſulto aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pittacia promittere, aut ſacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certè ſuffragium polliceri, loci ſui dignitate, atque communione privetur, pari ſeveritate feriendo eum, qui hoc, vivo Pontifice quolibet modo fuerit ambiiſſe convictus.* Additur deinde, ut ſi Papa præventus morte, non potuerit antè de ſui ſucceſſoris electio-

ANNO DOM. 499.

electione decernere, is ordinetur Antiſtes, quem cunctus Clerus, aut certè pars major elegerit. Ut verò rei ambitus hujus facilius detegerentur, ſancit Synodus, ſi quis ambientium prodiderit, non ſolùm purgatus videatur eſſe, ſi fuerit particeps, verùm etiam remuneratione digniſſimus æſtimetur. Hiſce Decretis ſubſcripſere Epiſcopi omnes, atque Presbyteri, quos inter reperitur *Cœlius Laurentius*, Archipresbyter tituli Sanctæ Praxedis: *His*, inquit, *ſubſcripſi, & conſenſi Synodalibus Conſtitutis, atque in hac me profiteor manere ſententia.* Erat Laurentius ille Symmachi rivalis.

Lab. Conc. 4. 1312.

De litibus Viennenſis, & Arelatenſis Epiſcopi Symmachi Epiſtola.

IV. Ubi Symmacho Pontificatus firmatus eſt, tollendis Diœceſis diſſidiis admovit animum. Curæ huic atque diligentiæ, materiam præbuere *Æonii* Arelatenſis cum Viennenſi Præſule lites. Ab Anaſtaſio Symmachi deceſſore in Galliarum diſciplina fuerat innovatum, Æonius illatam Sedi ſuæ injuriam queſtus, Epiſtolam à Pontifice accipere meruit, tertio Calend. Novembris datam, cujus verba ſunt: *Movit equidem nos, quod dilectionis tua relatio declaravit: nempè contra regulas Eccleſiaſtici Conſtituti, & adverſus reverendorum Canonum tractatum per ſubreptionem, Viennenſis Eccleſiæ Pontificem de Apoſtolica, præſidente predeceſſore noſtro, Sede, culpabiliter aliqua meruiſſe.* Componendæ liti jubet ut tam *Æonius*, quàm *Avitus* certos in urbem homines mittant, qui de diſceptationis cauſa inſtructi, Sedi Apoſtolicæ alleganda ſuggerant: *Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcepimus, ut fratrem & Coepiſcopum noſtrum, Viennenſis urbis Antiſtitem, miſſo nuntio, & Scripturâ commoneat, ut conſtitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter inſinuet, ut depromptis ab utraque parte ſuggeſtionibus, ſecurius quæ in perpetuum ſervanda ſint diſpanantur.* Quid à Symmacho in ea lite decretum, anno proximè futuro dicetur. Labente quoque anno Symmachus Liberio Patricio dirigit Epiſtolam, de electione Aquileenſis Epiſcopi ſibi ſignificatam; cui & ſuffragium ſuum addit: *Jungo & ego, ampliſſime, partibus veſtris pro modulo exiguitatis propriæ, vobis corde obſequente conſenſum.* Cæterùm Symmachi ſit necne, in dubio poni poteſt, cùm Ennodii in Epiſtolis reperiatur, libri quinti prima numero: nec Pontificis Romani majeſtatem ſonent ejuſmodi, *pro modulo exiguitatis propriæ.* Cujuſcunque ſit, ſive Ennodii, ſive Symmachi Baronius quidem anno CCCCC. Epiſtolam ad *Liberium* vindicare non debuit: Patritio & Hypatio Coſſ. inquit, *Indictione octavâ, data legitur Epiſtola Symmachi ad Liberium.* Atqui ex temporis nota colligere debuit, anno labente ſcriptam fuiſſe: *Data* XVIII. *Kal. Novembr. die, Indictione* VIII. A Septembri Indictiones initium ducebant ſuum.

Sym. Ep. 2. 1292.

Error Baronii.

Bar. An. 500. n. 13.

Lab. Conc. 4. 1293.

Aviti cum Arianis Collatio.

V. Ne hîc quidem prætereunda eſt Aviti Viennenſis Epiſcopi cum Arrianis Collatio. Heterodoxorum, Catholicorumque diſſidiis hiantia Eccleſiæ vulnera conglutinari complures cupiebant: hoc ut conſequerentur, ad rectam viam errantes erant reducendi: *Quod ut melius fieret, videreturque id non conſilio accidiſſe, ſed occaſione, Dominus Stephanus ſcripſit ad Epiſcopos multos, & invitavit illos ad feſtivitatem S. Juſti, quæ inſtabat. . . . Venerant itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia Apollinaris, de Maſſilia . . . & plures alii omnes Catholicæ profeſſionis.* Incidit S. Juſti Epiſcopi Lugdunenſis anniverſaria ſolemnitas in IV. Nonas Septembres. Ad ipſius ſepulchrum libenter conveniebant, teſte Sidonii ad Eriphium Epiſtolâ: *Conveneramus ad S. Juſti ſepulchrum, ſed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adeſſes. Proceſſio fuerat antelucana: ſolemnitas anniverſaria; populus ingens ſexu ex utroque, quem capaciſſima Baſilica non caperet.* Epiſcopi verò omnes *Sarbiniacum*, ubi tum agebat, ſalutando Regi Gundobaldo proficiſcuntur. Cui Avitus non ætate quidem, non dignitate, ſed ſapientiâ & eruditione major, nunciat paratum ſe cum ſociis eſſe, perſpicuè demonſtrare, quam colebant fidem eſſe rectiſſimam. Jubeat ergo de Arianis aliquos extare, qui Collationem inſtituant. Quibus Rex ea refert: *Si veſtra fides eſt vera, quare Epiſcopi veſtri non impediunt Regem Francorum, qui mihi bellum indixit, & ſe cum inimicis meis ſociavit, ut me deſtruerent.* Inſtanti Avito, ſolutâ religione ſæpenumerò Reges everſi ſolio, proindeque Burgundionibus fidem amplectendam eſſe, regeris Gundobaldus: *Nonne Legem Dei profiteor? Sed quia nolo tres Deos, dicitis, quia non profiteor Legem Dei.* Tum Avitus exponens auguſtum Trinitatis myſterium, oſtendit non pugnare quidem, quin Deus naturâ unus, trinus ſit perſonis. Quo facto Regi ad genua cadens, eaque amplexus, lachrymis rigabat. Procubuerunt ſimul & Epiſcopi omnes, quibus Rex inflexus, ſupplicibus reſponſum pollicetur. Craſtinâ die, ut per Sagonam Lugdunum venit, *Stephanum* accerſit atque Avitum, quibus ſignificat, Sacerdotes ejus paratos eſſe ad demonſtrandum, *quòd nullus poteſt eſſe coæternus & Conſubſtantialis Deo.* Seſſio indicitur ad feſtum S. Juſti, cujus ad ſepulchrum Epiſcopi pernoctarunt, *ut illo intercedente, obtinerent à Domino petitiones cordis.* Die conſtitutâ Epiſcopi Presbyteris, Diaconiſque, nec non Placido, & Lucano, *qui erant de præcipuis militia Regis* comitati, Regiam ſubeunt. Trinitatis myſterio Scripturæ teſtimoniis autoritatem afferens Avitus, *Bonifacium* Arianorum Oratorem adeò oppreſſit, ut ne vel hiſcere poſſet. Unum erat ad convitia perfugium, quibus Catholicos, ut complurium Deorum cultores proſcindebat. Itaque Rex in futuram lucem Bonifacii reſponſionem pollicitus, Conventum ſolvit. Craſtinâ die Catholici Regiam ingreſſi, *Aredium* inveniunt, qui Collationem multis inhibere conatur, utpote nullius uſus, niſi fortè ad commovendos animos. Spretis Aredii monitis, qui ſpecie Orthodoxus clam Arianis favebat, ubi ſedere omnes, Avitus Bonifacii convicia tam perſpicuè diluit, ut reſponſioni nil loci ſupereſſet. More ſolito Bonifacius contumeliis pugnabat, adeò ut Rex vultu indignationem ei oſtenderet. Silentibus Arianis, Avitus audacioribus verbis uſus, ad miracula provocat: *Si rationes noſtra non poſſunt illos convincere, non dubito, quin Deus fidem noſtram miraculo confirmet. Jubeat ſublimitas veſtra, ut tam illi, quàm nos eamus ad ſepulchrum hominis Dei juſſi, & interrogemus illum de noſtra fide ſimiliter, & Bonifacius de ſua, & Dominus pronunciabit per os ſervi ſui, in quibus complaceat.* Annuere Rex videbatur, ſed Ariani obſtitere: dicentes ſibi ſufficere Scripturam, præſtigiis omnibus potentiorem, Tum Rex Stephanum Avitumque ſuum ad cubiculum deductos amplexus, rogat ut pro ſe orent. Ac Religionem quidem retinuit ſuam, Arianorum tamen complures ſuſceptâ pœnitentiâ, ſacris undis expiantur. Qui inſigne hoc antiquitatis monu-

ANNO DOM. 499.

Sidon. l. 5. Ep. 17.

Lab. Conc. 4. 1319.

monumentum edidere Dacherius, atque Labbeus, Collationis annum expiſcari non conati ſunt. Quem nos deprehendiſſe exiſtimamus ex verbis Collationis cum Marii Aventicenſis Chronico comparatis: *Rex medius inter Dominum Stephanum, & Dominum Avitum adhuc multa locutus eſt contra Francorum Regem, quem dicebat ſollicitare fratrem ſuum contra ſe.* Marius verò Aventicenſis nos docuit, bella Chlodoveum inter & Gundobaldum, anno D. exorta eſſe, Patricio & Hypatio Coſſ. ut non immeritò huic tempori Aviti Collatio hæc affigatur, quo Godeſilus Gundobaldi frater ob rebellionem morti necdum miſſus erat, neque Chlodovei in partes migraverat.

Anno Dom. 500.

Anno U. C. 1253. Per. Jul. 5213. Jul. 545. Dom. 500. Anastas. 9. & 10. Theodoric. 8. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 7. *Indict.* 8. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 2. *Apri.*

Coss. *Patricius & Hypatius.*

Triumphalis Theodorici Romam ingreſſus.

I. THeodoricus Ravennam incolens, hactenùs pedem in urbe non poſuerat. Quod olim orbis, nunc regni ſui caput labente anno ingredi voluit. Ac pace conſtitutâ Symmachum inter & Laurentium, Nuceriæ creatum Antiſtitem, invitabatur ad veniendum, ut Romanorum lætitiam præſentiâ ſuâ magis accenderet. Triumphi ſpeciem exhibuit excellentiſſimi Principis adventus, de quo ſummatim hæc refert Caſſiodorus: *Hoc anno Dominus Rex Theodoricus cunctorum votis expetitus advenit. Et Senatum mirâ affabilitate tractans, Romanæ plebi donavit annonas, atque admirandis mœnibus, deputatâ per annos ſingulos maximâ pecuniæ quantitate ſubvenit. Sub cujus felici imperio plurimæ renovantur urbes; munitiſſima caſtella conduntur; conſurgunt admiranda palatia, magniſque ejus operibus antiqua miracula ſuperantur.* Ingreſſus pompam ſuſius exequuntur Excerpta Valeſiana: *Factâ pace in urbe, Eccleſiæ ambulavit Rex Theodoricus Romam, & occurrit B. Petro devotiſſimus, ac ſi Catholicus. Cui Papa Symmachus, & cunctus Senatus, vel populus Romanus cum omni gaudio extra urbem occurrentes; deinde veniens ingreſſus urbem, venit ad Senatum, & ad Palmam populo allocutus, ſe omnia Deo juvante, quod retro Principes Romani ordinaverunt, inviolabiliter ſervaturum promittit. Per Tricennalem* (lege *Decennalem*) *triumphans populo ingreſſus palatium, exhibens Romanis ludos Circenſium. Donavitque populo Romano & pauperibus annonas ſingulis annis, centum viginti millia modios, & ad reſtaurationem palatii, ſeu ad recuperationem mœnia civitatis ſingulis annis libras ducentas de arca vinaria dari præcepit. . . . Verba promiſſionis ejus, quæ populo fuerat allocutus, rogante populo in tabula ænea juſſit ſcribi, & in publico poni.*

Excerpt. Val. 720.

Amalafridæ cum Thraſimundo nuptiæ.

II. Dum Romæ Theodoricus moratur, ipſi Theodorus ea de cauſa ſtruit inſidias: *Liberium Præfectum Prætorii, quem fecerat in initio regni ſui, fecit Patricium, & dedit ei ſucceſſorem in adminiſtratione Præfecturæ. Itaque Theodorus filius Baſilii Odoin Comes ejus inſidiabatur ei. Dum hæc cognoviſſet, in palatio, quod appellatur Seſſorium, caput ejus amputari præcepit.* Sub ea quoque tempora *Amalafridam* Thraſimundo nuptum collocavit, teſte Autore Excerptorum de Theodorico: *Amalafrida germana ſua in matrimonium tradens Regi Vandalorum Thraſimundo.* Qua de re extat ad eum Theodorici Epiſtola: *Quamvis à diverſis Regibus expetiti, pro ſolidanda concordia, aut neptes dedimus, aut filias, Deo nobis inſpirante conjunximus, nulli tamen æſtimamus nos aliquid ſimile contuliſſe, quàm quod germanam noſtram, generis Amali ſingulare præconium veſtram fecimus eſſe conjugium.* Sunt tamen Theodorici in Thraſimundum querelæ, quòd *Gaſalecum* inimicis ejus faventem & ſuſceperit, & opibus juvarit: petitque, ut expoſtulanti affini ſatisfaciat, ne pax, quam firmam eſſe cupit, perturbetur. Meminit & earum nuptiarum Jornandes: *Amalafridam germanam ſuam, matrem Theodati, qui poſtrà Rex fuit, Africæ Regi, Vandalorumque, conjugem dirigit Thraſimundo.*

Caſſiod. Var. l. 5. 43.

Jorn. de Reb. Get. c. 58.

Amalbergæ cum Turingorum Rege nuptiæ.

III. Relictâ urbe Theodoricus *ſexto menſe revertens Ravennam*, Amalabergam *neptem ſuam Turingorum Regi conſociat Hermenſredo.* Perperàm quidem Excerptorum Autori *Amalaberga* Theodorici *germana* dicitur. Amalabergam multis afficit laudibus Theodoricus in ſua ad *Herminafredum* Epiſtola: *Habet Felix Thoringia, quod nutrivit Italia, literis doctam, moribus eruditam, decoram non ſolùm genere, quantùm & fœmineâ dignitate.* Amalafridæ filia erat Amalaberga, referente Jornande: indicio Amalafridam ex priore viro liberos antè ſuſcepiſſe, quàm Thraſimundo jungeretur: *Equos argenteo colore veſtitos, quales decuit eſſe nuptiales,* à Hermenfredo ad ſe miſſos magni fecit Theodoricus.

Caſſiod. Var. l. 4. Ep. 1.

Miraculum ad impium Barbæ Ariani baptiſmum.

IV. Quantâ poſſumus curâ res Eccleſiæ nunc referamus. Hiſtoriæ monumentis celebratur miraculum, quod Ariana impietas elicuit. Verba Victoris Tununenſis memorantis afferamus: *Patricio & Hypatio Coſſ. Barbas, quidam Arianæ ſectæ Epiſcopus, dum præſumit contra regulam ſupra baptizandum dicere, baptizat te Barbas, in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto, præterìs aqua, ex qua futurus erat baptizare hominem, nuſquam comparuit, vas verò ipſum, in quo aqua erat, confractum eſt. Quod conſiderans, qui baptizandus erat, protinùs ad Catholicam currit, & baptiſmum regulariter ſumit.* Verba baptiſmi ſolemnia à *Barba* alio fuiſſe modo pronuntiata, Pauli Diaconi hiſtoria legimus: *Baptizo te ego Barbas in nomine Patris majoris, & Filii minoris, in Spiritu Sancto.* Porrò Autore Victore Tununenſi Baronianos Annales errore purgemus, in quibus Barbæ hæc impietas miraculumque, quo confutata eſt, ad annum Domini DVI. refertur quinquiennii metachroniſmo.

Paul. Diac. l. 17.

Error Baronii.

Bar. An. 506. n. 14.

Lis Arelatenſem inter & Viennenſem Eccleſiam terminatur.

V. Anno ſuperiore Æonii ad expoſtulationem Symmachus mandatum dederat ſuum, ut partes diſſidentes certos homines Romam mitterent, quo lis ea componi poſſet. Labente anno illa, quæ Anaſtaſius Papa in Viennenſi controverſia innovarat, à Symmacho reſciſſa novimus. Extat ea de ipſius ad Æonium Arelatenſem Epiſtola: *Dilectionis tuæ literas mandataque filio noſtro Creſcentio Presbytero internuntio deferente ſuſcepimus, quibus conſtat, inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſiam aliquod de ordinandis Epiſcopis in vicinis civitatibus ortum luctamen. Illâ ſe videlicet faciente, quòd deceſſor noſter ſanctæ recordationis Anaſtaſius tractans confuſionem Provinciæ, aliqua contra veterem conſuetudinem juſſerit obſervari, deceſſorum ſuorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, ſub qualibet neceſſitate tranſgrediens.* Negat autem jura antiqua violanda eſſe, ratione geminâ. Prior hæc eſt, quòd *ad Trini-*

tatis

ſtatis inſtar, cujus una eſt, atque indiviſa poteſtas, unum ſit per diverſos Antiſtites Sacerdotium: poſterior verò, quòd debita Vicariis beatiſſimi Petri reverentia deſlorabitur, *ſi qua in Sacerdotio præcipiunt, eiſdem tranſeuntibus, diſſolvantur.* Quibus permotus hæc præcipit Symmachus: *Dilectionem tuam enixiſſimè commonemus, ut in ordinandis per ſingulas urbes Sacerdotibus, ſana ac reverenda ſervetur antiquitas, nec novella conſtitutio vetuſtæ Sanctionis robur imminuat.* Symmachi hanc ad Æonium Epiſtolam anno elapſo alligari Baronio placuit. Cujus Chronologiam Epiſtolæ Conſularis nota refellit: *Data III. Kal. Octobr. iterum poſt Conſulatum Paulini Junioris.* Anno CCCCXCVIII. *Paulinus* Faſtos reſerarat: biennio pòſt igitur ea Epiſtola exarata eſt, cujus & titulum illuſtriſſimus Purpuratus perperàm emendat, ſubſtituto in Æonium *Cæſario.*

Sym. Ep. t. 1291.

VI. Dum in Italia verſamur, Fulgentii viri illuſtris meminiſſe juvat, qui labente anno Romam ingreſſus, triumphalis Theodorici pompæ ſpectator adfuit. Fulgentius, quem anno DVIII. Ruſpenſi Eccleſiæ Antiſtitem præfectum videbimus, *parentes habuit ex numero Carthaginenſium Senatorum. Gordianus* avus ipſius Geiſerico Carthaginem invadente in exilium lubens proficiſcitur, ne amiſſis facultatibus libertatem quoque perderet. Eo defuncto duo ex filiis ejus ſpe hæreditatis paternæ recuperandæ Africam anno 477. repetunt. Carthaginem tamen incolere non licuit, quòd ipſorum domus Arianis Sacerdotibus dono data in poteſtatem veniſſet. Facultatibus ex parte per Regiam autoritatem repetitis, Byzaciam pergunt. Eorum unus, nomine *Claudianus*, ex conjuge *Mariana*, honeſtaque fœmina, in Telleptenſi civitate Fulgentium ſuſcepit. Annus erat Dom. 468. cùm editus eſt, ut ex Autore vitæ ipſius colligitur, c. 30. *Beatum ſpiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum ſui Epiſcopatus agens* XXV. *vita autem totius* LXV. Obiit verò, ut ſuo loco probabitur, anno DXXXIII. A puero Fulgentium *Mariana* ſuum nobiliter inſtitui curavit: *Quem religioſa mater moriente celeriter patre, Græcis literis imbuendum primitùs tradidit. Et quamdiu totum ſimul Homerum memoriter reddidiſſet, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permiſit literis edoceri.* Grammaticæ operam dabat, cùm neceſſitate actus, paternæ domus gubernationem ſuſcipit. Quam provinciam tam ſapienter adminiſtravit, ut creſcente indies famâ ejus, poteſtatibus gratus evaſerit, à quibus & *Procurator* creatus eſt. Dum in exigendis pecuniis crudelitatem adhibere jubetur, cepit eum vitæ hujus tædium, cognitiſque Monachorum moribus, eorum diſciplinam amplecti voluit, quam & privatim colere inſtituit. Verùm B. Auguſtini in Pſalm. XXXVI. diſputatione commonitus tandem, *publicare ſtatuit ſuum votum.* Ad Fauſtum igitur Epiſcopum, qui ab Hunnerico relegatus, Monaſterium ſibi conſtruxerat, acceſſit, quid ſecum agitabat in animo expoſiturus: repudiantem ſe rogat, ut ipſius veſtigiis inhærere ſibi permitteret, quòd & impetrat. Audiit Mariana filium vitæ aſceticæ conſortem, familiæ regendæ curam abjeciſſe. Eo turbata nuncio ad Monaſterium properans, Fauſto convitia facit: *Redde filium matri, redde Dominum ſervis:* at ne vel filii ſui videndi à Fauſto licentiam impetrare potuit: *Tum illa magnis ante januam Monaſterii clamoribus ejulabat,* Fulgentium inclamans, qui maternum deſpiciens dolorem lugentem convenire noluit. Porrò ſic parcè tenuiterque vitam tolerabat, ut præ inediæ magnitudine diverſa cuti ulcera induceret: delicati & corporis pulchritudinem impetigo fœdabat, nec ea tamen moleſtia conſtantem animi juvenem de regulis aſceticis deflectere valuit. Ut verò fratris junioris Claudiani ſuperbiam comprimeret, quas facultates habuit, matri ſuæ dono reliquit, ut *qui nolebat eſſe humilis propter pietatem, deſereret propter hæreditatem.* Exortâ Thraſimundi perſecutione, in ſuo Monaſterio ſecurè agere Fauſto haud licuit, qui *per diverſas latebras commigrare* cogitur.

Fulgentii vitæ breviarium ad labentem annum uſque: fit Monachus.

Fulg. Vit. c. 1.

Fulg. Vit. c. 4.

Fulg. Vit. c. 5. 6 7.

VII. Veritus ergo illuc remanere Fulgentius, *conſulto prius Epiſcopo Fauſto, vicinum Monaſterium petit,* cui *Felix* præerat. Felici non ignorabantur Fulgentii virtutes: cui ideò & Abbatia munus deferre voluit. Quod cùm repudiaſſet Fulgentius, poſt *multa certamina pietatis* Felicis Collega fieri aſſenſus eſt. Dum eo fungitur officio, ſubitâ Barbarorum excurſione fugam arripere coguntur ac & regionis fertilitate, & Chriſtianorum benignitate invitati, in regione Siccenſi ſuas Sedes ſtatuunt. Erat in fundo *Gabardilla* Presbyter quidam Arianus, *Felix* nomine, re verò ipſâ infelix, qui poſtquam comperit inclareſcere Fulgentii nomen, qui quos Ariana lues infecerat, perſanabat, non Monachum eum, ſed Sacerdotem veſte monachali indutum arbitratur. Ambulabant unà Felix Abbas atque Fulgentius, cùm diſtributi à Felice Ariano cuſtodes incautos invadunt, junctos dividunt, diviſos ligant, ad barbaram Presbyterum adducendos. Felix Abbas paucos ſolidos, *unde fratrum ſuſtentabatur inopia*, metu correptus projicit, eos divinæ curæ committens. Parantur virgæ ad viros cædendos: tum Felix, Parcite, ait, *Fulgentio, qui non poteſt tormenta perferre. Convertatur in me crudelitas, ego ſcio quid confitear.* Tum Presbyter removeri paulisper Fulgentium jubet, atque Felicem gravius cædi, qui verberibus gaudens ſubditur, quòd Fulgentium illis eximi putaret. Sed Fulgentio etiam virgæ admoventur poſtmodum, qui doloris acerbitatem cùm ægrè ferret, peregrinationis ſuæ hiſtoriam Presbytero narrat, qui dicentem crudelius flagris cædi mandat. Quo facto *deformiter decalvatos, ablatis etiam omnibus veſtimentis, ex domo ſua nudos projecit.* Hoc ignominiæ & Fulgentio in gloriam ceſſit, & demonſtrandæ clementiæ ſuæ occaſionem miniſtravit. Quippe Arianorum apud Carthaginem Epiſcopus mactatum tali carnificinâ Fulgentium dolet, quòd & parentes ipſius noverat, & Fulgentium Laicum dilexerat. Suadebant multi vexato, ut de injuria expoſtularet, qui chriſtianiſſimè ſimul & benigniſſimè reſpondit: *Novit Dominus, quomodo ſervorum ſuorum defendat injurias. Iſte Presbyter, ſi graviſſimi ſceleris inter homines me agente receperit ultionem, patientia nos apud Deum perdimus retributionem; maximè quia multos parvulos ſcandalizare poterit, ſi Epiſcopi Ariani judicium, qualiſcunque peccator, tamen Catholicus & Monachus quæram.*

Fulgentius fit Collega Abbatis Felicis. ab Arianis vexatur.

Fulg. Vit. c. 10. 11.

VIII. Injuriâ ab Ariano furore affectis, placuit Mauros potius habere vicinos. Igitur juxta civitatem *Ididi* extruunt Monaſterium. Parvâ temporis morâ interjectâ, Fulgentius Ægyptiorum Monachorum inſtitutis in admirationem raptus, in eas regiones navigare ſtatuit. Petitâ

Fulgentius ex Africa in Siciliam, dein in urbem ſe confert.

Anno Dom. 500.

Carthagine, ad navem Alexandrinam *Redempto* ſocio comitatus aſcendit, ventiſque proſperis uſus Syracuſam appellit, cujus Eccleſiam adminiſtrabat *Eulalius*, cui quærenti, cur ex Africa veniſſet, *Parentes*, inquit, *meos requiro*, *quos illis in partibus vivere peregrinos audivi*. At eâ profectione ab Eulalio prohibetur, quòd ab Eccleſiæ Romanæ communione Ægyptus ſepararetur. Conſilio igitur depoſito, apud Syracuſam paucis menſibus degit, victum & hoſpitium præbente Eulalio. Annus tum Dom. CCCCXCIX. labebatur. Tranſactâ hyeme ad *Ruſinianum* Epiſcopum, qui perſecutionem fugiens Africanam, in brevi Inſulâ morabatur, accedit, à quo & monetur, ut omiſſâ peregrinatione Ægyptiacâ ad Monaſterium potius ſuum redeat. Quod tamen non antè repetere voluit, quàm in Urbe Apoſtolorum Memoriam ingrederetur: *Poſtquam ſacra Martyrum loca venerabiliter circuivit, omneſque ſervos Dei, quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obſequio ſalutavit, in loco, qui Palma aurea dicitur, Theodorico Rege concionem faciente, Romanæ Curiæ nobilitatem, decus, ordinemque diſtinctis decoratum gradibus aſpectaret. . . .* Nugis illis ſeculi ſpretis præſentes fratres hæc monuit: *Quàm ſpecioſa poteſt eſſe Jeruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris.* Urbis ſplendore ad repetendum Monaſterium magis accenſus, in Africam velociter per Sardiniam navigavit. Ubi & quando creatus eſt Epiſcopus, ſuo loco narrabitur.

Fulg. Vit. c. 13.

Concilium Romanum quod labente anno conductum dicit Anaſtaſius, ſubditum eſt.

IX. Anno labente Concilium Romæ celebratum eſſe, in Pontificali legitur: *Beatus Symmachus congregavit Epiſcopos* CXV. *& factâ Synodo purgatur à crimine falſo, & damnatur Petrus Altinus invaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui a vivo Epiſcopo Symmacho pervaſerunt Sedem ejus. Tunc ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero, vel plebe redintegratur Sedi Apoſtolicæ B. Symmachus, ut cum gloria apud B. Petrum ſederet Præſul.* Autoritate Pontificalis freti editores Conciliorum, atque Baronius, Concilium hoc numeroſiſſimum anno CCCCC. alligarunt. Quin tamen ad commenta ſit relegandum, nulli dubitamus. Ejus ſanè meminiſſet Ennodius, ut defenſionem pararet Symmacho. Neque etiam in Autoribus Symmacho, ſive coætaneis, ſive ſuo paribus ulla extant hujus Synodi monumenta. Quæ enim affert ex Ennodio Baronius, ea quidem ad Concilium pertinent anni proximè futuri.

Anno Dom. 500.

Talmud Babylonicum editur.

X. Sub hæc tempora integrum Judæorum Talmud abſolvitur, quod Dei ipſius ore manaſſe putant. Fingunt quippe, dum Moſes per dies XL. Dei colloquio utebatur, primùm Legem ſcriptam eſſe traditam, quæ toto deinde illo temporis ſpatio Numinis ipſius voce expoſita eſt. Sic ſanctus Hebræorum Legiſlator myſteriis cauſiſque præceptorum inſtructus omnium, תורה שבעל פה *Legem oralem* tradidit Joſuæ, & LXXII. Senioribus, à quibus perpetuæ incorruptæque Traditionis viâ ad Zachariam & Malachiam Prophetarum noviſſimos pervenit. Poſt vaſtatum Templum Hieroſolymitanum anno Dionyſiano LXX. dum nulla ſalutis ſpes Judæis affulget, imperante, ut aiunt, Antonino, Rabbi *Juda*, qui Hakkadoſch, id eſt, Sancti cognomen adeptus eſt, ne Lex oralis ex hominum animis deleretur, eam ſcripto mandari voluit. Cui Commentario משנה *Miſchna*, ſive *ſecunda Legis* nomen indidit. Abſolutus eſt liber, & ab univerſa Synagoga receptus anno Dom. 219. Poſtmodum exoritur Rabbi *Jochanan*, qui Hieroſolymis per 80. annos Rector Academiæ fuerat. Hic Miſchnam, quæ in ſex partes generaliores dividebatur, non minimum auxit, anno, uti putant 230. Hinc confectus liber Talmudi Hieroſolymitani. Verùm quia Miſchnajot, licet linguâ Hebræâ purâ, omnibuſque obviâ ſcriberentur, ſermonis brevis conciſique cauſa non ab omnibus intelligebantur, incepit Rabbi *Aſſe* illas exponere. Ac profeſſionis quidem ſuæ curriculo bis Miſchnarum expoſitionem abſolvit, tractatus tamen duntaxat *triginta quinque* poſteris reliquit. Profeſſionem verò ſuam inchoaverat anno Dom. 367. Defuncto ſucceſſit anno 427. *Maremar*, cujus Collega *Mar* filius Rabbi Aſſe; qui opus ſuum ſimul exorſi ſunt, ubi Aſſe ſubſtiterat. Cùmque rem ad umbilicum perduxiſſent, Miſchnis ultima tandem manus impoſita. Quod verò ad Miſchnas acceſſerat, *Gemara*, ſeu *complementum* eſt nuncupatum. Itaque ex Miſchnis, Gemaraque corpus Talmudicum conſtituitur, quod *Talmudis Babylonici* nomen eſt conſecutum. In condenda Gemara Maremar, & Mar 73. annorum labore perfuncti, anno Dom. 500. integrum conſummatumque Talmud vulgarunt; cujus præceptis univerſa Judæorum gens in rebus & ſacris & politicis hactenùs regitur. Hic arcana Legis, quæ per duo annorum millia apud Hebræos latuerant, in lucem, ſi Diis placet, prodidere. *Buxtorf. Syn. c. 3.*

ANNA-

ANNALES
POLITICO-ECCLESIASTICI

Amorum DCXLV. à Cæſare Auguſto ad Phocam uſque.

In quibus res Imperii Eccleſiæque obſervatu digniores ſubjiciuntur oculis, erroreſque evelluntur Baronio.

SECULUM SEXTUM.

ANNO DOM. 501. — ANNO U.C. 1254. OLYMP. 320. PER. JUL. 5214. JULIANO 546. DOM. 501. ANASTAS. 10. & 11. THEODORIC. 9. *Sol.* 6. F. *Lunæ* 8. *Indict.* 9. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 1. *P.* 22. *April.* — ANNO DOM. 501.

COSS. *Pompejus & Avienus.*

Seditio Conſtantinopoli.

I. LEvi de cauſa Regiam gravis calamitas urbem inceſſit, quam Marcellini verbis repræſentabimus: *Conſtantie Præfecte urbis ludos theatrales meridiano tempore ſpectante, pars in eedem ſpectaculo Cerealis parti diverſa cærulea occultas præparavit inſidias. Nam enſes, ſaxaque in vaſis incluſa fictilibus, eademque arma diverſis pomis deſuper cumulata, ſub theatri porticu ritu vendentium ſtatuit. Dum reſidente Conſtantie ex more civium concrepant voces, antè viſa, quàm audita arma excutiuntur, ſaxaque in incautos cives inſtar imbrium jaciuntur, enſeſque vibrantes in amicorum, inque vicinorum ſanguine obliti, ſuis cum percuſſoribus debacchantur. Nutat & congemiſcit Theatri cavea, & refugientium hùc atque illùc ſuorum pedibus conculcata, occiſorumque fœdata cruore deplangit. Plus enim quàm tria millia civium ſaxis, gladiiſque compreſſionibus & aquis proſcenis amiſſot, urbs auguſta deflevit.*

Chlodovei cum Gundobado bellum hortante Godegeſilo.

II. Quid in Galliis gereretur, paucia referamus. Superiore anoo grave bellum Chlodoveum inter & Gundobadum exortum fuerat. Gundobadi frater *Godegeſilus*, more ingenii humani, quò plura habebat, eò ampliora cupiens, pietatis oblitus germano molitur inſidias: *Gundobaldus, & Godegeſilus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Maſſilienſi Provincia retinebant: . . Cùmque ſe invicem impugnarent, audiens Godegeſilus Chlodovei Regis victorias, miſit ad eum legationem occultè, dicens: Si mihi ad perſequendam fratrem meum præbueris auxilium, ut eum bello interficere, aut de regno ejicere poſſim, tributum tibi quale tu ipſe velis injungere, annis ſingulis diſſolvam.* Godegeſili promiſſis accenſus Francorum Princeps, Gundobado bellum infert. Suſtinendo Chlodovei impetui Burgundus fratris implorat auxilium, quod infeliciter vertit. Prælium ad *Oſcaram* fluvium committitur, cujua eventum fuſius Gregorius Turonenſis, brevius Marius Aventicenſis exequitur: Patricio, ioquit, & Hypatio Coſſ. *pugna facta eſt Divione, inter Francos & Burgundiones, Godegeſelo hoc doloſè contra fratrem ſuum Gundobagandum machinante. In ce prælio Godegeſelus cum ſuis adverſus fratrem ſuum cum Francis dimicavit: & fugatum fratrem ſuum Gundobadum, regnum ipſius pauliſper obtinuit: & Gundobagandus Avenione latebram dedit.* Victoriâ potitus & regno fraterno Godegeſilus, exultans triumphanſque Viennam ingreditur: Chlodoveus verò auctis viribus, occidendum Gundobadum inſequitur. Cui timore percito *Ardius*, vir ſtrenuus juxta ac prudens perſuadet, ut ſe transfugæ titulo Francum adire ſinat: hanc unam rationem eſſe, quâ graſſanti Chlodoveo Burgundia poſſit evelli. Nec mora ioterpoſita: conventum Chlodoveum Aradius, ſapientiâ ſibi ſuâ conciliat. Gundobadum Avenione incluſum Chlodoveus obſidebat, cui Aradius: *Cur*, inquit, *retines exercitum, cùm loco firmiſſimo tuus reſideat inimicus? Depopularis agros, prata depaſcis, vineas diſſipas, olivetа ſuccidis, omneſque regionis fructus evertis . . . Mitte potius legationem, & tributum, quod tibi annis ſingulis diſſolvat impone, ut & regio ſalva ſit, & tu tributa diſſolventi perpetuè domineris, quòd ſi noluerit, tunc quod libuerit facies.* Regi cùm id conſilii placuiſſet, miſſâ legatione Gundobado tributum imponit, quod is & in præſenti ſolvit, & deinceps ſe ſoluturum eſſe pollicetur. Poſt hæc reſumptis viribus, neque promiſſa Franco implet, neque fratrem diutius imperare patitur: quem Viennæ agentem obſidet. Deficientibus alimentis, Godegeſilus viliores plebis ejicit civitate. Pellitur inter cæteros artifex, qui aquæductus

ductus curam gerebat. Qui ejectionem indignatus ſuam, Gundobado rationem oſtendit, quâ Viennæ potiretur. Artifice duce immiſſis per aquæductum copiis, clangente buccinâ obſidentibus portæ aperiuntur: *Cùmque inter duas has acies populus urbis ab utroque exercitu caderetur, Gadegeſilus ad Eccleſiam Hæreticorum confugit, ibique cum Epiſcopo Ariano interfectus eſt.* Franci à Godegeſilo militantibus, qui in turrium unam confluxerant, parcitum quidem, comprehenſi tamen Alarico Tholoſam mittuntur.

Greg. Tur. Hiſt. l. 2. c. 33.

Burgundiones verò, qui partes Godegeſili ſequebantur, multis exquiſitiſque tormentis Gundobadus exterminari jubet. Hanc Godegeſili cladem anno ſuperiore alligat Marius in Chronico. Vix tamen patitur rerum ſeries, ut tot tantaque geſta ſint Patricio & Hypatio Coſſ. Itaque pars tanti belli in præſentem Conſulatum conferenda videtur: *Regnumque quod perdiderat, cum eo, quod Gadegeſilus habuerat, receptum, uſque in diem mortis ſuæ feliciter gubernavit* Gundobadus. Tum genti ſuæ Leges conſtituit, quas *Avieni* Conſulatu notatas promulgavit.

Marc. Chr.

Ad Avitum de judicio Papæ querentem Symmachi Epiſtola.

III. Imperii rebus ſuccedant Eccleſiaſticæ. Quæ in Æonii Arelatenſis gratiam Symmachus Papa conſtituerat, *Avito*, qui læſum ſe putabat, dolorem commoverant. Neque temperare potuit, quin Pontifici datis literis indignationem ſuam oſtenderet. Querenti reſpondet Symmachus Epiſtolâ *datâ* III. *Idus Octobres*: *Non debuit caritatem tuam offendere, quòd ad fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Æonium nuper reſcripſimus. Non enim juri tuo, dilectiſſime frater, præjudicatum fuit, cùm nos inauditâ parte, & abſque competenti inſtructione non poſſe judicare reſpondimus. Unde fraternitati tuæ ſalvum eſt, allegare quod putaverit allegandum . . . Nam licet confuſionem Provinciæ à prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Anaſtaſio Epiſcopo præter Eccleſiæ conſuetudinem, & antiqua prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta factam eſſe diximus, & non eſſe tolerandam; attamen ſi ea quæ facit, rationabiliter feciſſe fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil eſſe ab eo contra Canones attentatum, quia quod fit præter regulam, modò fit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia, & antiquitatis contemptus lædit*, &c.

Sym. Ep. 12.

De Symmacho, qui adulterii poſtulabatur, Synodus Romæ cogitur.

IV. At querelæ longè majores, quàm illæ Aviti fuere, in Symmachum exoriuntur. Variorum quippe criminum ab adverſariis poſtulabatur: præcipuè adulterii, ut ex accuſatorum apud Ennodium verbis indicatur: *Dicitis impugnatores ſummi Pontificis non auditos, qui cœleſtis mandati memores, partem ſuam à conſortio adulteri ſubduxerunt.* Quæ cauſa fuit, cur Theodoricus Synodum ex variis Provinciis in urbe cogendam indiceret. At Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarumque Epiſcopi, quibus conſulendi Regem neceſſitas incubuit, ab eo quærunt, quid cauſæ habuit, cur voluiſſet *ætate fractos, debilitate corporis invalidos congregari.* Quærentibus reſpondet, *plura ad ſe de Papa Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata, & in Synodo oportere, ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, judicatione conſtare.* Hîc Epiſcopi queri ordinis perturbationem: Pontificiæ facultatis eſſe, Concilium convocare, *quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum vel Principatus, deinde ſecutâ Juſſione Domini, Conciliorum venerandorum autoritas ei ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio.* Tum Theodoricus

Ennod. Apolog.

regerit, non invito Symmacho imperatum eſſe Concilium: *Potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe ſignificavit*, quia & Epiſcopis oſtendit. Acta hæc ſunt Ravennæ, quâ egreſſi Præſules Romam petunt, menſe Julio. Quid in prima ſua Seſſione fecerint, non ſatis liquet. Extat Theodorici Præceptio, miſſa per *Germanum* & *Caroſum* Præſules, cunctis Epiſcopis in urbe reſidentibus, dataque V. *Idus Auguſti*, quâ monet, Concilium non Ravennam, uti ſperabant, eſſe revocandum: Imò, inquit, *rurſum ad Kalend. Septembris diem eundem conſueriimus Sacerdotum numerum convenire, qui dudum fuerat convocatus.* Sexto Kal. Septemb. novo Synodum Reſcripto adiit, quo Patrum in mentem revocat, *matrem confuſionis eſſe diſcordiam*: Itaque velle ſe, ne vel minima turbationis ſcintilla in urbe remaneat: comprimendis ergo factionibus, *Gudilam*, ait, *& Bedulphum ſublimes viros, majores Domus noſtræ, quos de præſenti miſimus, cum Cantatricerno.* Qui Legati jubente Rege juramentum præſtitere, *ut vocatus ad Concilium citra urbem & moleſtia metu ſecurus occurrat.* Accepto eo Reſcripto Synodus magnas Principi gratias refert per *illuſtrem virum Agerium*, ſimulque nunciat, Symmachum penè mactatum nolle amplius ſe ſiſtere judicio. Reſcripſit Theodoricus ſub die Kal. Octobris, *ut pax Senatui, Populoque Romano ſubmotâ omni confuſione reddatur.* Demum ultima Seſſio Octobris XXIII. celebratur, in qua quæ Symmachi in negotio facta ſunt, referuntur, cujus ex monumentis hæc ſubjicimus, ſuis, ut monuimus, temporibus dividenda. Menſe Julio Symmachus primâ vice Synodum ingreſſus, *Juſſi in Baſilica coactam, & de evocatione Synodali clementiſſimo Regi gratias retulit, & rem deſiderii ſui eveniſſe teſtatus eſt.* Verùm Petro Altinati Præſuli, quem ut ſeditionibus occurreret, viſitatorem Eccleſiæ Romanæ Theodoricus aſſignarat, Judicum ex ordine recedendum eſſe contendit: æquum etiam, omnia quæ per inimicorum ſuggeſtiones amiſerat, à Concilio ſibi reddi, eâque lege ſe accuſatorum objectis reſponſurum pollicetur. Id rationi conſentaneum Patribus videbatur: abſque regia notitia tamen ſententiam proferre ſuam non audent. Synodi votis non reſpondit Theodorici Decretum: *Juſſus eſt Regiis Præceptionibus Papa Symmachus ante patrimonia, vel Eccleſiarum quas amiſerat, receptionem, cum impugnatoribus ſuis in diſceptatione confligere.* Cognitâ Principis voluntate, *dum eſſet Synodus in Jeruſalem Baſilica Seſſoriani palatii conſtituta*, placuit Patrum nonnullis, ut accuſatorum Libellus à Synodo ſuſciperetur. Quo lecto, ea continere deprehenditur, quæ & veritati inimica eſſent, & Canonibus. Quippe in eo referebatur, crimina Symmachi *apud regiam conſtitiſſe notitiam*, quod falſum eſſe claruit, cùm eo caſu Princeps judicium Synodo prorſus non commiſiſſet. Neque magis Eccleſiaſticis conſona regulis accuſatorum petitio, ut propria Symmachus mancipia traderet, quæ adverſus dominum ſuum teſtimonium dicerent: *Quæ res & Canonibus, & ipſis publicis erat Legibus inimica, cùm Patrum ſtatuta ſanxiſſent, ut quos ad accuſationem leges ſeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione, vel accuſandi aliquid denegata eſſet licentia.* Intereà ea res accidit, quæ ad cauſam dicendam primâ die Septembris Symmachum impellit: *Qui ab ir-*

tuen-

ANNO DOM. 501.

ruentibus turbis amulorum ſuorum ita tractatus eſt, ut multis Presbyteris, qui cum ipſo erant, per eadem ipſam mortis fuiſſet occaſio, quod probant recentium adhuc veſtigia vulnerum, niſi illuſtris vir Comes Aligernas, & ſublimes viri Gudila, & Vedeniſus, majores domus Regia proſpexiſſent: quos ſecum unde egreſſus fuerat, ad B. Petri Apoſtoli ſepta convexerat. Ortâ confuſione viſum Epiſcopis, Theodoricum legatione eſſe adeundum, quæ Symmachi conſilium exponeret. Scilicet de Pontificis faſtigio deſcendiſſe ſe purgandi ſui ſtudio: at dum judicium petit, penè ab inimicia oppreſſum: *Dominum Regem habere quod vellet jus faciendi, ſed interim juſtitia renitentem ſtatutis Canonibus non poſſe compelli.* Ad hæc Theodoricus reſpondet, *In Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe prater reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere, committens etiam poteſtati Pontificum, ut ſive propoſitum vellent audire negotium, ſive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodò venerandi proviſione Concilii, pax in civitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur.* Agnitâ voluntate Principis, *Ruſo Magno Fauſto Avieno, viro clariſſimo Conſule*, quæ Juſtelliani Codicis lectio omnibus eſt anteponenda, *ſub die decimo Kal. Novembris*, Synodus monito prius Senatu, *cauſas Dei ipſius judicio eſſe committendas, qui valet corpus occidere, & animam mittere in Gehennam* ſtatuit, ut *Symmachus Papa Sedis Apoſtolica Præſul ab hujuſmodi propoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit, (quia totum cauſis obſiſtentibus ſuperius deſignatis, conſtat arbitrio divino fuiſſe dimiſſum) ſit immunis, & liber, & Chriſtiana plebi ſine aliqua de objectis ablatione in omnibus Eccleſiis ſuis ad jus Sedis ſua pertinentibus, tradat divina myſteria, quia eum ob impugnatorum ſuorum impetitionem propter ſuperius deſignatas cauſas obligari non potuiſſe cognovimus. Unde ſecundum principalia præcepta, qua noſtra hoc tribuunt poteſtati, ei quidquid Eccleſiaſtici intra ſacram urbem Romam, vel foris juris eſt, reformamus, totamque cauſam Dei judicio reſervantes, univerſos hortamur, ut ſacram communionem, ſicut res poſtulat, ab eo percipiant, & Dei & animarum ſuarum meminerint, quia ipſe & amator pacis eſt, & ipſe pax eſt.* Sententiæ *Laurentius* Mediolanenſis, qui Synodo præerat, cum Epiſcopis LXXV. ſubſcripſit. Romanam hanc de Symmachi abſolutione

Lab. Conc. t. 4. 1323.

Synodum in annum DII. Baronio conferri placet: temerè quidem, ut ex Avieni Conſulis prænomine apertè liquet. Reſcriptum quippe Theodorici Synodo miſſum eſt *Feſto Avieno* Conſule. Avienus verò Junior, qui annum DII. aperuit, *Flavianus Avitus* nuncupabatur. Porrò multis improbata fuit Concilii ſententia: quæ ſcripto Libello impugnata eſt, *cui titulus, Adverſus Synodum abſolutionis incongrua.* Hæc eſt illa Synodus, cui *Palmari* nomen. Quod cur acceperit, eſt in obſcuro. Baronius aliique eruditi id appellationis ſortitam eſſe putant, quòd in portico Baſilicæ Petri coacta fuerit. Porticus autem illa Palmaria nuncupabatur, teſte Anaſtaſio in vita Honorii: *In Porticu B. Petri Apoſtoli, qua appellatur ad Palmaria.* At ſi inde Synodus nomen hauſit, *Palmaria* quidem, non *Palmaris* dici debuit. Eſt etiam in incerto, quòd Apoſtoli Petri in porticu Concilium coactum ſit: & longè veriſimilius, Eccleſiæ in Secretario fuiſſe congregatum. An non potius Palmaris, quia palmâ digna ob reſtitutum Sedi ſuæ atque dignitati Symmachum? Sic *palmaris* ſententia, *palmaris* ſtatua, *palmare* facinus eleganter Latinis uſurpatur. Cæterùm abſolutio hæc Symmachi multo ſanguine conſtitit: *Eodem tempore Feſtus, caput Senatus, Exconſul, & Probinus Exconſul cœperunt intra urbem Romam pugnare cum aliis Senatoribus, & maximè cum Fauſto Exconſule, & cædes & homicidia in Clero ex invidia fiebant. Qui verò communicabant B. Symmacho juſto, publicè qui inventi fuiſſent intra urbem, gladio occidebantur. Etiam & ſanctimoniales mulieres, & virgines deponentes de Monaſteriis, vel de habitaculis ſuis denudantes ſexum fœmineum, cædibus plagarum afflictas vulnerabant, & omni die pugnas contra Eccleſiam in medio civitatis gerebant. Etiam multos Sacerdotes occiderunt, inter quos digniſſimum Gordianum Presbyterum ad Vincula S. Petri Apoſtoli, & ad Sanctos Joannem & Paulum, quos fuſtibus & gladio interfecerunt, & multos alios Chriſtianos, ita ut nulla eſſet ſecuritas, die vel nocte de Clero in civitate ambulare.*

Pontif.

IV. Anno quoque celebritatem attulit Eccleſiæ Deiparæ conſecratio, quam à Saba conditam Elias Hieroſolymorum Præſul dedicavit. Rem ſic narrat Cyrillus Scythopolitanus: Sabas *primò quidem conſtruxit in Laura piſtrinum cum Noſocomio, atque deſuper ædificavit magnam Eccleſiam celebratiſſimæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, quòd illa à Deo condita Eccleſia congregationem amplificatam coarctaret, multiplicatique eſſent Armenii, & in parvo Oratorio anguſtarentur. In medio autem ambarum Eccleſiarum atrium fecit, ubi prius columna ignis ab eo viſa eſt. Fecit etiam receptacula magna in torrente aquarum ergò. Magnâ itaque Eccleſiâ ædificatâ, omnique ornatu decoratâ, in Lauram deſcendit prædictus Elias Archiepiſcopus, tum eam dedicavit, tum in eadem ſanctificatum defixit altare, menſe Julio, primo die, nonâ Indictione, agente magno Sabâ annum ætatis* LXIII. Dedicata igitur Eccleſia fuit feriâ *ſeptimâ*, quæ Julium labentem duxit.

Templum B. Mariæ a Saba conditum Elias dedicat.

Sab. Vit. c. 32.

ANNO U. C. 1255. PER. JUL. 5215. JUL. 547. DOM. 502. ANASTAS. 11. & 12. THEODORICI 10. *Sol.* 7. F. *Lun.* 9. *Indict.* 10. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 2. P. 17. *April.*

ANNO DOM. 502.

COSS. *Flavianus Junior, & Probus.*

I. CAvadis Perſarum Regis ambitione pax Romanum inter & Perſicum Imperium conſtituta violatur. Non ab eo fidem Anaſtaſius expectare debuit, qui debitam & patruo, & Principi ſuo obedientiam nefariâ rebellione exuerat. Quippe cùm *Baſſum* patruum excæcaſſet, regnum Perſicum occupaverat. Partum iniquitate regnum injuſtitiâ ac tyrannide amiſerat, conſtitutâ lege, ut uxores inter Perſas communes forent. Quam honeſtati pugnantem cùm ferre non poſſent, conditore legis pulſo, *Bleſem* ſibi Principem conſtituerant. Dum in vinculis habetur Cabades, uxor ejus quæ inſigni pulchritudine fulgebat, Commentarienſem in amorem conjecit. Quod ubi Cavadi compertum, uxorem amanti ſuo morem gerere juſſit, ut quovis tempore, nemine prohibente ipſa ad maritum accederet. Qui ſumptis uxoriis veſtibus, dum pro fugiente in carcere remanet, ad Hunnos velociſſimo curſu pervenit, quorum ope & viribus regnum recuperavit ſuum. In ſuam dignitatem reſtituto, ab Anaſtaſio Imperatore pecuniam

Cavades Imperium vaſtat: Amidam capit.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 7.

cuniam flagitare placuit. Petenti reſponſum eſt, *Si mutuam accipere vellet, cautionem ſcriberet. Sin minus, nihil ſe daturum eſſe.* Hinc belli cauſæ. Rupto igitur fœdere, Perſæ relictis propriis ſedibus, primum quidem in Armeniam cum exercitu invaſerunt. Cùmque oppidulum Theodoſiopolim cepiſſent, *Amidam* verſus, quæ urbs Meſopotamiæ eſt, iter fecere. Labente anno Amidam expugnatam eſſe, nos Marcellinus monuit; Probo & Avieno Coſſ. *Amidam opulentiſſimam civitatem, Monachorum ejus aſtu proditam, Cavadis Rex Perſarum, quinto menſe, quam expugnare eam cœperat, irrupit, proditoreſque ejus Monachos obtruncavit.* Obſidionem fuſè narrat Procopius. Amideni arte non minus, quàm marte urbem defendentes ſuam, ſubter mœnia cuniculos fecerant. Qui militum ad mœnia properantium ponderi cedentes, ruinis eos ſuis ſepeliunt. Pereuntium caſu perterritus Cabades, obſidionem relinquere ſtatuerat, cùm Amideni metu ſoluti Perſas probris inceſſunt. Quin & meretrices quædam ſublatâ veſte pudenda Cabadi propè aſtanti in contumeliam oſtenderunt. Quâ injuriâ accenſus, inſtat obſidioni. Fortè Monachi feſtum annuum celebrantes, largioribus ſe poculis invitarant. Dum in crapula conſtituti alto ſomno corripiuntur, Perſæ per tugurii ingreſſum brevi tegmine coopertum, in turrim aſcendentes, Monachos, quibus loci hujus cuſtodia credebatur, vino ſomnoque ſepultos interficiunt. Non ideò tamen Amideni deſpondent animos. Scalis dejectis, interfectiſque Perſarum compluribus, ſuperiores jam videbantur, niſi Cabades ſtricto gladio ad ſcalas accurrens, recedentibus mortis propoſuiſſet ſupplicia. Ab irruentibus urbs capitur, non ſine magna civium ſtrage, cui Sacerdos quidam adhibitâ audaciâ finem impoſuit. Feſtinans enim Cavadis ad occurſum per plateas adequitantis, exclamat, *O quam regium captos interficere.* Cui Cabades, *Cur mihi reſiſtere auſi eſtis.* Hic ſtatim excipiens, *Quoniam,* inquit, *Deus non noſtrâ voluntate, ſed tuâ virtute Amidam tibi tradere voluit.*

Theodor. l. 2.

Evagr. l. 3. c. 37.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 5.

Aquam Theodoricus Ravennam perducit.

II. In Occidente pauca ſunt memoratu digna. Referantur quæ Avieni Junioris, & Probi ad Conſulatum Caſſiodorus narrat: *Dominus Rex Theodoricus aquam Ravennam perduxit: cujus formam ſumptu proprio inſtauravit, quæ longis antè fuerat ad ſolum redacta temporibus.*

Libello adverſus Synodum, quæ Symmachum abſolvit, Ennodius reſcribit.

III. Res Eccleſiaſticas ingreſſuris offert ſe. Libellus adverſus Synodum abſolutionis incongruæ, quo Symmachi abſolutio perſtringebatur. Has verò rationes aſſerebat impugnandæ ſententiæ, ut Ennodii in Apologetico legitur: *Non omnes,* inquiunt, *Sacerdotes Regis ad Concilium aſcivit auctoritas.* 2°. *Poſt hæc aſſerunt, adverſarios Papæ Romani dici non debuiſſe, qui prædictum prolatis petitionibus accuſabant.* 3°. *Teſtis eſt Romana civitas, ſi omnes Epiſcopi ſenes, & debiles convenerunt.* 4°. *Quis Regi debuit dicere, Papam Synodum oportuiſſe convocare.* 5°. *Cur,* inquiunt, *ad Principem convenistis, ſi audiri non licebat impetitum.* 6°. *Aiunt, ſi vera eſt Epiſcoporum aſſertio, Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubjacuiſſe ſententiæ, cur ad judicium diſtrictâ conventione productus eſt?* 7°. *Dominum & Redemptorem ſervorum ſubiiſſe judicia, hoc etiam B. Petrum, hoc Paulum Apoſtolum non horruiſſe narratis.* 8°. *Quare Papa ſine exempli inſtituto præcedentis Synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognoſceret?* 9°. *Arguitur ſtylo ſolendidiſſimo Papa Symmachus, quare conventionem prævenient, cum populorum cœtibus examen intravit, & poſteà judicia cum evocatus quater fuiſſet, ſprevit.* 10°. Addebant, *Ergo Concilia Sacerdotum Eccleſiaſticis Legibus quotannis decreta per Provincias, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt.* 11°. *Viſitatores,* inquiunt, *& aliis Epiſcopis ipſe dedit, & juſtum eſt, ut facti ſui lege teneatur.* Argumenta accuſatorum verbis ſuis, ut extant Ennodii in Apologetico, referri voluimus. Quid ad hæc Ennodius? Ait, Papæ *arbitrium eſſe Collectionem Synodalem.* Expreſſa eſſe Canonum verba, *quicunque Clericorum ab Epiſcopo ſuo ante ſententiæ tempus pro dubia ſuſpicione diſceſſerit, manifeſtam in eum remanere cenſuram.* Lubenter non quidem, at neceſſariò Athanaſii ad exemplum, qui ſe Tyrinenſibus tradiderat, ſic & Symmachum ſemet judicandum Romanæ obtuliſſe Synodo: *Judicia & iſte voluit, attraxit, ingreſſus eſt, & quod poſſet Fidelium corda doloris juſti aculeis excitare, venerando Concilio auctoritatem etiam contra ſe, ſi mereretur, indulſit.* Majora ſi quidem negotia Sardicenſi Canone tertio Sedis Apoſtolicæ arbitrio reſervata fuiſſe: *Si quis Epiſcoporum judicio provinciali depoſitus fuerit, Romanum Papam, ſi placet, rurſus appellet, & ipſe, ſi videtur, reparet judicia in opitulatione damnati.* Denique tantus amor majeſtatis Pontificiæ Ennodio innatus erat, ut pro libero, & ab omnibus Eccleſiæ Legibus ſoluto Papam habeat, qui uni Deo pœnas dare debeat; *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluerit per homines terminare. Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervabit arbitrio.* Miram ſanè diſciplinam! Ut ſi Pontifex totus flagitiis cooperiatur, Eccleſiæque ſit ſcandalo, nullis legum humanarum repagulis cohiberi, nullâ Concilii auctoritate ſolio deturbari queat:

Profundat, perdat, pereat, nil ad nos attinet. Adelph.

Pace Ennodii, ſi Symmachus adulterii convictus fuiſſet, quin jure loco moveri ſuo debuiſſet, nulli dubitamus, cùm Paulina lex ea ſit, oportere Epiſcopum quemvis inculpatum eſſe, ſecus munere excidit ſuo. Nolumus tamen, *Laurentium* & *Petrum* Altinatem peccati prorſus expertes eſſe, dum à Symmachi communione ſeſe prius ſegregarunt, quàm legitimo judicio convictus damnaretur, cùm in ſuſpicione nil ſatis rationis eſſe videatur, cur ſchiſma inferatur Eccleſiæ. Non unus Symmacho patrocinatus eſt Ennodius. Ipſius & defenſionem ſuſcepit Alcimus Avitus in ſua ad Fauſtum, & Symmachum, urbis Senatores Epiſtola, quâ nonnihil & Synodum perſtringit; quod de Pontifice Romano judicium inſtituiſſet. Loquentem audiamus: *Perlata eſt ſollicitudini noſtræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis formula Decreti, quam de Papa Symmacho apud urbem collecti Italiæ Antiſtites ediderunt. Quam Conſtitutionem, licet obſervabilem, numeroſi, reverendique Concilii reddat aſſenſus, intelligimus tamen, ſanctum Symmachum Papam, ſi ſeculo primum fuerat accuſatus, Conſacerdotum ſuorum ſolatium potius quam recipere debuiſſe judicium: quia ſicut ſubditos nos eſſe terrenis poteſtatibus jubet Arbiter Cœli, ſtaturos nos ante Reges & Principes in quacunque accuſatione prædicens, ita non facilè datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cùm celebri præcepto Apoſtolus clamet, accuſationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum generalis Eccleſiæ criminationibus licere conſendum*

ANNO DOM. 502.

dum eſt? Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili Conſtitutione proſpiciens, cauſam quam, quod ſalvâ ejus reverentiâ dictum ſit, penè temere ſuſceperat inquirendam, divino tutius ſervavit examini. Aſſerit & Eccleſiæ Gallicanæ ſtatum nutare, in laceſſito vertice, & ſi *Papa urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare.* Monet itaque, ut ſoluta concordia reſtituatur, cujus nuntium expectat per *Symmachum* Presbyterum, quem eo conſilio Romam miſerat.

Lab. Conc. t. 4. 1361.

Odoacri Lex abrogatur à Synodo Romana: alienationes prohibentur.

IV. Complurium ſuffragio redditus Cathedræ Symmachus, Synodum cogit ſub die nono, vel *octavo Iduum Novembris*, in Baſilica Petri Apoſtoli, quæ Epiſcopis LXV. conſtabat, quos inter *Laurentius* Mediolanenſis, *Petrus* Ravennenſis, poſt Symmachum Concilii Præſidem eminebant. Sedebant & in Conventu Presbyteri XXXVI. adſtantibus Diaconis IV. Conſilium erat, Regis Odoacris Conſtitutionem Eccleſiaſticæ libertati pugnantem abrogare. Sic ergo Patres alloquitur Symmachus: Schiſmaticis *miſericordiam, quam Deus mandat univerſis, impendi non negaſtis, ſi duritia cordis eorum non ſibi acquirat pœnam, dum contemnit oblata remedia, quorum exceſſus enarrare difficile eſt. Unum tamen quod occurrit, venerande ordini veſtro intimare non differe. Dixerunt inter alia, Scripturam quandam illuſtris memoriæ Baſilium, quaſi pro Eccleſiaſtica amore ſubſtantia conſcripſiſſe, in qua nullus Romanæ Eccleſiæ nec interfuit, nec ſubſcripſit Antiſtes, per quem potuiſſet ſortiri legitimam firmitatem.* Abrogatâ, cujus ſuo loco mentionem agitavimus, Odoacris Lege, ne ab iis hominibus, qui prædæ inhiabant, honeſtatis repagula repudiarentur, Decretum eſt à Synodo conſtitutum: *Sancimus, ut nulli Apoſtolicæ Sedis Præſuli à præſenti die, donec diſponente Domino Catholicæ fidei manſerit doctrina ſalutaris, liceat prædium ruſticum quantaecunque fuerit magnitudinis vel exiguitatis, ſub perpetuâ alienatione, vel commutatione ad cujuſlibet jura transferre.* Domus in urbibus conſtitutæ, quarum ſtatus non modicis expenſis ſuſtentantur, conduci permittuntur. Pari lege ac Pontifex, qui ſunt per urbis titulos, Presbyteri aſtringuntur. Subjungunt etiam, *qui petierit, aut acceperit, vel qui Presbyterorum, aut Diaconorum, ſeu defenſorum danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur.* Neque id modò, ſed facultas quoque conceditur Eccleſiaſticis, *cum fructibus alienata* repoſcendi.

Lab. Conc. t. 4. 1333.

Anaſtaſium Symmachus excommunicat: num diſertè? Vis hujus excommunicationis.

V. Sub ea fortè tempora Apologeticum Symmachus ſcripſit ſuum adverſus Anaſtaſii Imperatoris Libellum, quo Pontificem ob latam in ſe excommunicationis ſententiam proſcindebat. Aſperè quidem in Symmachum invehebatur, qui eum pro Manichæo habebat. Dicis eſſe me Manichæum: *Numquid ego Eutychianus ſum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maximè Manichæorum ſuffragatur errori?* Conſentiente Senatu Romano fulmen Symmachus in Auguſtum Principem torſerat, hoc cùm damnatus quereretur, factum quidem non negat Symmachus: *Dicis quòd mecum conſpirante Senatu excommunicaverim te. Iſta quidem ego, ſed rationabiliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. Dicis quòd male te Romanus tractet Senatus. Si nos te malè tractamus, ſuadentes, ut diſcedas ab Hæreticis, tu nos benè tractas, quos vis ſociare præcipitanter Hæreticis.* Utrùm verò Imperator nominatim excommunicatione ictus fuerit, non ſatis ſcimus. Dubitationis ſanè aliquid injiciunt verba Symmachi: *Nos non te excommunicavimus, Imperator, ſed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis.* Quibus Pontifex innuit, Anaſtaſium ideo excommunicatum eſſe, quòd Acacii fautores gladio excommunicationis omnes ferierat. Utut ſeſe res habeat, jus Symmachus ſuum tuetur, oſtenſo Pontificiam dignitatem Imperatorum vel majeſtatem æquare: *Tu, Imperator, à Pontifice Baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremò tu humana adminiſtras, ille tibi divina diſpenſat. Itaque ut non dicam ſuperior, certè æqualis honor eſt.* Porrò, quod eſt memoriâ digniſſimum, ob latam excommunicationis ſententiam Symmachus Anaſtaſium diademate ſpoliatum, ad privatam rediſſe fortunam haud exiſtimabat. Regiam adhùc in excommunicato dignitatem venerabatur: *Quid facies, Imperator, in divino judicio? An quia imperator es, nullum Dei putas eſſe judicium?* Porrò poſt annum DI. Epiſtolam ſcriptam eſſe, certè poſt Synodum, à qua Symmachus eſt ſuæ Sedi reſtitutus, apertè his demonſtratur: *Inter imbres lapidum totus evaſi.*

Sym. Ep. 6.

ANNO U. C. 1256. PER. JUL. 5216. JUL. 548. DOM. 503. ANASTAS. 12. & 13. THEODORIC. 11. *Sol.* 8. E. *Lun.* 10. *Indict.* 11. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.*

ANNO DOM. 503.

COSS. *Dexicrates & Veluſianus.*

Infelix Romanorum in Perſas expeditio. Amida recipitur.

I. POſtquam novit Anaſtaſius, Amidam à Perſis oppugnari, maximâ quâ potuit diligentiâ exercitum impediendæ urbis expugnationi idoneum miſit, cui Duces quatuor præficiebantur: *Ariobindus* ſcilicet, Olybrii olim Auguſti filius, qui Orientis Prætorem agebat; *Celer*, Ordinum in Palatio Præfectus; *Patritius* ex Phrygia ortus; nec non *Hypatius*, cui Anaſtaſius Imperator patruus erat. Additi his Juſtinus, Anaſtaſii ſucceſſor, & Patriciolus cum Vitaliano filio, *Phareſmanas*, Colchus genere, vir belli præſtans; Godidaſclus & Meſſas, Gothi, claro ſanguine orti, artiſque militaris peritiſſimi. Univerſi exercitus diſpenſator *Appion* Ægyptius, vir inter Patritios illuſtris, & in rebus agendis ſolertiſſimus, cui ſumptuum erogandorum facultas data erat. A tanto exercitu, cui tot clari Ductores imperabant, ſperabatur nil niſi boni Reipublicæ. At cùm procederet gradu lento, quaſi gravis ſarcinis Perſas non invenit, qui poſt victoriam loca populati omnia, cum ingenti præda domos redierant. Quæ obſidendæ Amidæ requirebantur, Romanis non erant in promptu. Placuit igitur ſeparatim, uti procedebant, hoſtium in regionem impetum facere. Quod ubi Cavades, qui non longè aberat, didicit, Romanis celeriter fit obviam. Caſtris poſuerat Ariobindus apud oppidum *Arzamorum*, qui poſtquam audivit Cavadem, cum omnibus copiis adverſus ſe contendere, arreptâ fugâ Conſtantinam curſu pervenit. Nudatorum caſtrorum facillimè compotes Perſæ, ad alium Romanorum exercitum è veſtigio properant, quem Patritius, Hypatiuſque ducebant. Barbarorum copiis DCCC. *Euthaliſa* antecedunt, quos omnes cùm Romani internecione deleviſſent, veluti victores ſecuri arma deponunt: cætera ad prandium aſſant, imò quaſi in maximo otio agerent, nonnulli proje-

ANNO DOM. 503.

ctis veſtibus, pleni ſudoris ac pulveris in præfrigidam rivi aquam ſe projiciunt. Nec Romanorum quiſquam erat, qui Cavadis ſentiret adventum. Rex ex aqua turbida hoſtes imparatos eſſe conjiciens, inermes citato curſu aggreditur. Patritius, & Hypatius irruptionis ab initio fugam capiunt. Milites partim interfecti, partim è monte, quem petierant, præcipites acti. Revocatus Byzantium Ariobindus, qui Romanorum ex exercitu ſupererant, Duce *Patritio* ad obſidendam Amidam ſe convertunt. Ruſticus, qui aves, fructuſque clam urbi inferebat, *Glonem Toparcham* cum Perſis Patritio ſe traditurum recepit, ſi qua ex eo ſpes muneris eſſet. Promiſſo munere ruſticus flenti ſimilis, Gloni narrat, à prædonibus, alimenta ſe plurima afferentem ſpoliatum eſſe. Multum prædæ abduci poſſe, ſi ipſe venatum iret, prædonibus quinis, & quaternis euntibus, ut pluribus in locis graſſarentur. Credita res. Cum ducentis equitibus Glones ad aſſequendos prædones proficiſcitur, qui in inſidias, quos Patricius monente ruſtico paraverat, incidens, à Romanis, qui numero ſuperiores erant, cum ſuis occiditur. Paternâ clade Glonis filius ad iram provocatus, ut defuncti manibus utcunque parentaret, ſancti Simeonis Templum, ubi genitor perierat, flammis abolet: & acceptis mille auri libris Romanis Amidam reſtituit. Dexicratis & Voluſiani Conſulatu geſta hæc eſſe, nos Marcellinus monuit: *Tres Romanorum Ductores, Patritius, Hypatius & Areobinda, qui cum XV. millibus armatorum olim in Perſas miſſi fuerant pugnaturi, juxta Syficum caſtellum cum iiſdem Perſis ſine audacia conflixerunt, multis tunc millibus ductoribus deprædo fugientibus caſis. Immenſo dehinc auri pondere hoſtibus dato, captam rebuſque vacuam Amidam civitatem iidem noſtri redemere ductores. Celere Magiſtro Officiorum ſibi cum duobus millibus bellatorum in ſubſidium deſtinato.*

Procop. de Bel. Perſ. l. 1. c. 6.

Marcellin. Chr.

Synodus Romana Ennodii Apologeticum probat.

II. Rebus Imperii egreſſo occurrit Synodus Romana, quæ Ennodii pro Concilio Symmachum abſolvente Apologeticum calculo ſuo comprobavit: *Poſt Conſulatum Avieni, cùm in unum annuente Domino ante Confeſſionem B. Petri Apoſtolorum Principis reſediſſemus, ſancta Synodus dixit, Libellus, qui Synodali autoritate contra eos, qui adverſus quartam noſtram Synodum, qua habita eſt Romæ Palmaris, multa præſumpſerunt, ab Ennodio conſcriptus eſt, coram omnibus deferatur, & in præſentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus conſonâ voce comprobato, ſancta Synodus dixit, Hæc futuris temporibus reſerventur, atque ab omnibus teneantur, atque inter quarta & quinta Synodorum noſtrorum Actiones interponantur, & ita ſicut harum Synodorum Decreta habeantur, quia Synodali autoritate conſcriptus eſt & roboretur. Ad quæ ter beatiſſimus Papa reſpondit, juxta veſtram omnium fiat voluntatem, & ut judicatis, Apoſtolicâ habeatur autoritate, & inter apoſtolica, quod dicitis, interponatur Decreta, & ſicut cætera Apoſtolica ab omnibus teneatur, ad quæ omnes ter unâ voce reſponderunt, dicentes, Ut fiat rogamus. Poſtque clamatum eſt ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris, Illi, qui Papam Symmachum accuſaverunt, & damnationem ei inferre tentaverunt; & illi, qui eum judicaverunt, aut contra noſtram Synodum garrire, aut ſcribere præſumpſerunt, ut damnentur rogamus.* Hic interlocutus Symmachus, dixit erga accuſatores mitius agendum; nil neceſſe eſſe nova cudere, ſed vetera retinere: *Eſt enim à multis antecefforibus noſtris Synodis decretum atque firmatum, ut oves, quæ Paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum nec reprehendere, niſi a recta fide exorbitaverit, præſumant, nec ullatenùs pro quacumque re alia, niſi pro ſua injuſtitia accuſare audeant.* Monente Papâ ſancitum etiam eſt, nullos *Epiſcopos ſuis rebus exſpoliatos, vel a Sedibus vi aut dolo, aut quocunque ingenio pulſos, ſicut & vos de nobis judicaſtis, aut ad Synodum tam provincialem, quàm generalem poſſe convocari, aut in aliquo judicari, antequam cuncta, quæ eis ablata ſunt, Legibus poteſtati eorum pacificè per omnia redintegrentur.* Ex his liquet, Synodum *palmarem* eam eſſe, in qua Symmachus anno DI. abſolutus eſt; Ennodiique Apologeticum hanc Synodum inter & ſubſequentem, quæ Flaviano Avieno Juniore Coſ. habita eſt, eſſe collocandum.

ANNO DOM. 503.

Cæſarius Arelatenſibus Præſul imponitur.

III. Labente anno Æonius Arelatenſis Præſul conceſſit ad ſuperos, Auguſti die tertio, cui *Cæſarius*, quem moriens commendarat, ſuffectus eſt. Ut à vero prorſus aberret tam Chronologia Baronii, qui Cæſarium anno CCCCLIII. Arelatenſi Synodo in Annalibus prælucerat, quàm Bellarmini, qui Cæſarium ad annum uſque 499. perveniſſe tradit, quo tempore necdum Epiſcopatum induerat. Ut de Cæſarii annis accuratior Chronologia conſtituatur, *Meſſanii*, qui ipſius Notarius fuit, verba etiam atque etiam ſunt obſervanda: *Cùm ſemianimem ipſum redderet compoſſibus noſtris infirmitas, & inter hæc LXXIII. gereret totius vitæ tranſitis annum, è quibus quadrageſimum in Pontificatu verteret circulus gyrum, & animadverteret per ſpiritum imminere ſibi tranſitus diem*, &c. Obiit verò anno DXLIII. his verbis conſignato, *iterum poſt Conſulatum Baſilii.* Hinc natalis tam vitæ, quàm dignitatis Cæſarii annus eruitur. Natus eſt anno CCCCLXX. Epiſcopatum ingreſſus eſt anno DIII. mortuus eſt anno DXLIII. Unum eſt, quod objiciatur. Extare ſcilicet Symmachi ad Cæſarium Arelatenſem Epiſtolam, quæ numero ſexta eſt, *datum Idus Novembris, Probo viro clariſſimo Conſule.* Obſervant autem Conciliorum editores, Probi Conſulatum in annum DII. incidiſſe: quæ communis & ſententia eſt. Errant tamen quicunque in eam deſcendere. Probus ille, cujus meminit Epiſtola, annum aperuit DXIII. *Clementino* Collegâ. Etenim omiſſo Occidentis Conſule, illo Orientis Symmachum Epiſtolam conſignaſſe ſuam quis credat? Anno autem DII. Probus in Oriente Faſtos aperuerat, Collegâ Avieno Juniore, cujus & Conſulatu Romana Synodus eſt notata. Avieni igitur potiùs quàm *Probi* nomen deſignandis Epiſtolæ ſuæ temporibus Symmachus uſurpaſſet. Cæſarius, gente Gallus, Cabillone ad Ararim ortus, erogatis in pauperes, quas ſibi licuit, nobilium parentum facultatibus, à Silveſtro Cabillonenſi Epiſcopo Clericis allegi voluit. Amore ſeverioris diſciplinæ in Lerinenſe Monaſterium conceſſit, cui Porcharius præerat, ut tanto pietatis Doctore informatus, ad majores ſapientiæ gradus aſcenderet. Quo jubente relictâ Lerino Arelatum petiit, ut à *Juliano Pomerio* Rhetoricâ imbueretur. Cùm Æonio Præſuli in familiaritatem veniſſet, in ipſius domo excipitur: ab eoque poſtmodum Cœnobio, quod Arelati in vicinia ſtabat, præficitur, Æonio defuncto Arelatenſibus ſacris imponitur. Audiantur verba Cypriani, qui Cæſarii diſcipulus fuit: *Æonius capit ergo juvenem*

Cæſa-

ANNO DOM. 504.

Sur. 27. Auguſti, c. 3.

Ceſarium, non jam ut peregrinum, vel extraneum, ſed attentiori obtutu intimis cordis oculis contemplati, mox que ab Abbate Porchario illum expetunt, & licet ab invito etiam impetravit. Illicò primùm Diaconus, deinde Presbyter ordinatur ... Defuncto autem in ſuburbana Civitatis inſula Abbate, ab Epiſcopo Æonio ad Cæſarium mittitur, ut Monaſterium Rectore deſtitutum, ipſe in eodem reverentiæ auctoritate ſuccedens, monaſticâ diſciplinâ informaret. Itaque in ſuburbano Monaſterio libens eam complectitur vitæ rationem.

ANNO U. C. 1257. PER. JUL. 5217. JUL. 549. DOM. 504. ANASTASII 13. & 14. THEODORIC. 12. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 11. *Indict.* 12. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 19. *April.*

COS. *Cethegus ſolus.*

Romanorum in Perſidem impetus.

I. QUominus Romani Amidam recuperarent, Cavades impedimento eſſe non poterat. In regnum ejus Hunnis invadentibus, reverti coactus, diuturnum cum ea gente bellum in Septentrione gerebat. Hinc facilius Anaſtaſii Ducibus impetum in Perſidem facere. Audiamus Marcellinum:

Marcellin. Chr.

Interea Celer Magiſter Officiorum per Callinicum Meſopotamiæ civitatem armatum ducens militem, ad devaſtanda Perſarum rura diſcurrit. Plurimos agreſtes veſtitos inventos laboribus more pecudum trucidat. Paſtores diverſorum pecorum cum numeroſis jumentis abducit. Caſtella latere lutoque conſtructa invadit uſque ad Pontem ferreum, ſic nomine dictum, cuncta vaſtando progreditur: omnique prædâ potitus, ad communia caſtra dictato itinere remeat. Aliquanta dehinc ad percutiendum fœdus cum Perſis deliberat, miſſo ad ſe pro pangendo fœdere Armonio à ſecretis.

Sirmium à Theodoſico capta.

II. In Occidente armis famam Theodoricus ſuam extendebat. Evulſum Romanorum ditioni Sirmium ſibi ſubjicit, quam Caſſiodorus victoriam celebrat in Chronico: *Cethego Conſule virtute Domini noſtri Regis Theoderici, victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.* Theodorici victoria fuſius narratur Jornandi:

Jorn. de Reb. Get. c. 58.

Petzam in ſuum Comitem inter primos electum, ad obtinendam Sirmienſem dirigit civitatem. Quam ille expulſo Rege ejus Transſerico, filio Traſtilæ, retentâ ejus matre obtinuit. In ea civitate recuperanda non minimum profuit virtus Tolonici, quem Athalaricus Rex multis exornat laudibus in ſua ad Senatum Romanum Epiſtola:

Caſſiodor. Var. Lect. 8. Epiſt. 10.

Tolonici, inquit, *ut cœpit ætas adoleſcere, tenerique anni in robuſtam gentis audaciam tonderari, ad expeditionem directus eſt Sirmienſem, ut quod ab illo Martio viro didicerat verbis, in campo ritu liberiùs monſtraret. Egit de Romanis inter alios triumphum, & emeritam laudem primis congreſſibus auſpicatus, vicit dedit Bulgares, toto orbe terribiles.* Italiæ in commodum ceſſit ea Theodorici victoria, quam & Ennodius multum celebrat in ſuo Panegyrico:

Ennod. Paneg. 374.

Sirmienſium civitas olim limes Italiæ fuit, in qua ſeniores Dominum excubabant, ne coacervata illinc finitimarum vulnera gentium in Romanum corpus excurrerent. Hæc poſteà per regentium negligentiam in Gepidarum jura conceſſit: hinc quotidiana inſultatio, & incompoſita legationum frequentia mittebatur. Verebant animum Principis doloſi blandimenta commenti: & circa alios Gepidas, quorum Ductor eſt Gunderic, intempeſtiva Traſerici familiaritas.

Theodoricus Magos pœnis ſubjicit. Baſilius Magus.

III. Gloriam magis ſuam amplificavit Theodoricus, dum Magiam, cujus amore viri illuſtres tenebantur, legibus exterminari ſuis voluit. Sceleris hujus accuſabantur *Baſilius*, atque *Prætextatus* apud *Argolicum* Præfectum Urbi. Cui hæc mandat Theodoricus:

Caſſiodor. Var. l. 4. Ep. 22.

Decernimus, ut quinque Senatoribus, id eſt, magnificis, & Patriciis viris Symmacho, Decio, Voluſiano, atque Cethego, nec non illuſtri viro Maximiano hanc cauſam legitimâ examinatione penſetis. Arigerno quoque Comiti ſcripſit Theodoricus, ut Baſilium, atque Prætextatum *ubicunque repertos, ad judicium Quinquevirale ducat.* Erant Baſilius & Patritius de Senatorum grege: judicandis ergo reis viri Patritii eligi debuere. Baſilii cujuſdam Magi in Dialogis meminit Gregorius, qui Monachi habitu Valeriam fugâ petiit, quem *Equitio* Abbati ſanandum commendavit Amiternenſis Antiſtes. Cui Abbas: *Pater, ego non video eum Monachum eſſe, ſed Diabolum.* Cùm virginum ſpecioſiſſima Baſilii præſentiam flagitaret impenſius, uti remedium ſibi ſanitati conducens, Magus ſubinde Monaſterio pellitur: qui non diu pòſt Romæ *exardeſcente zelo Chriſtiani Populi, igne crematus eſt.*

Greg. Dial. l. 1. c. 14.

Miſſa Gregorii traditione, quæ in multis fide laborat, Baſilius ille Magus cum Baſilio Senatore unus fuerit necne, eſt in ambiguo.

Synodus Romana in rerum Eccleſiaſticarum invaſores.

IV. Nunc rebus Eccleſiæ detineamur. Adverſus invaſores rerum Eccleſiaſticarum à Symmacho Romæ Petri in Baſilica Concilium cogitur, quod ſic Pontifex alloquitur: *Communis dolor, & generalis eſt gemitus, quod intra Eccleſiam noſtris, & retrò actis temporibus de invaſione rerum Eccleſiaſticarum, & vexatione Sacerdotum cognovimus, quæ res non nos ſolos, ſed omnes Dominum tangit Sacerdotes.* Placuit ergo Patribus, *ut oblationes Fidelium à nomine præſumantur abſque conſenſu & voluntate Epiſcopi, in cujus dignoſcuntur eſſe parrochia & poteſtate.* Sed & anathemate feriunt, qui res Eccleſiæ detinuerint, ubi à Pontifice fuerunt admoniti. Synodi Actis Epiſcopi CIV. ſubſcripſiſſe leguntur. Eſt tamen creditu difficillimum, tot Præſules adfuiſſe, quos inter *Theodoſium Nazianzenum*, & *Dorotheum Neocæſarienſem* reperimus. Quin igitur ſubſcriptiones corruptio inceſſerit, vix dubitandum. Sic cenſet & Labbeus:

Lab. Conc. t. 4. 1378.

Ut fatear, inquit, *quod res eſt, & Epiſcoporum, & Eccleſiarum nomina adeò corrupta videntur, ut vix ſanari poſſint.*

Perſecutio Thraſimundi.

V. In Africa calliditate Thraſimundi Vandalorum Regis Eccleſia lento igne conſumebatur, pluſque valebant ad corrumpendos animos ſubdola ipſius munera, quàm accenſi rogi. Qua de re notanda ſunt verba Procopii:

Proc. de Be. Vand. l. 1. c. 8.

Chriſtianos non pœnis corporeis, aut ſuppliciis, velut alii, ſed præmiis ac honoribus omnibus ad deſerendam fidem invitavit: non auſcultantes verò minimè plectebat. Si quos magnis criminibus obnoxios vidiſſet, ſeu fortuitò, ſeu voluntate, hos non dare præteritorum pœnas, ſed præmiis muneribuſque meliorem inducere mentem cogebat. Intereà non Principis quidem juſſis, ſed Magiſtratuum, Epiſcoporumque Arianorum furore ad violentiam ventum eſt. Teſtis Autor vitæ Fulgentii, qui præmiſſâ Hunnerici perſecutione, hæc addit:

Fulg. Vit. c. 8.

Naſcitur rurſus talis perſecutio fidei, quæ ſanctæ memoriæ Fauſtum Epiſcopum cogeret, per diverſas latebras commigrare. Eſt illud & in confeſſo, eò proceſſiſſe Thraſimundum, ut Eccleſiis Epiſcopos præfici vetuerit:

Fulg. Vit. c. 16.

Sed quia tunc regalis autoritas Epiſcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus providere Paſtores licebat. Neque exules Epiſcopos Thraſimundus

ANNO DOM. 505.

mundus revocavit: amiſſâ patriâ, *Eugenius* Carthaginenſis Epiſcopus in Gallia verſabatur.

ANNO U. C. 1258. OLYMP. 321. PER. JUL. 5218. JUL. 550. DOM. 505. ANASTAS. 14. & 15. THEODOR. 13. *Sol.* 10. B. *Lun.* 12. *Indict.* 13. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

COSS. *Sabinianus & Theodorus.*

Defenſores Eccleſiarum ex Chriſtianis inſtitui jubet Anaſtaſius.

I. MOre ab Epiſcopis Africanis inſtituto, Eccleſiis defenſores inſtituti erant, quibus & ingredi Judicum Secretaria facultas conceſſa erat. Huic officio homines à Chriſtiana orthodoxaque Religione alienos præponi erat incongruum. Quod & Lege ſuâ firmum eſſe, Anaſtaſius voluit Auguſtus. Hæc ergo ſcribit Euſtachio Præfecto Prætorii: *Jubemus eos tantummodò ad Defenſorum curam peragendam ordinari, qui à ſacroſanctis orthodoxæ religionis imbuti myſteriis, hoc in primis ſub geſtorum teſtificatione, præſente quoque religioſiſſimo fidei orthodoxæ Antiſtite, per depoſitiones cum ſacramentis religione celebrandas patefecerint. Ita enim eos præcipimus ordinari, ut reverendiſſimorum Epiſcoporum, nec non Clericorum, & Honoratorum, ac poſſeſſorum, & Curialium Decreto conſtituantur. Datum Kal. Mai.* Quin etiam qui Chriſtiani non erant, eos militiâ excluſit Imperator: *Nemo militet, qui non apud Acta teſtificatus cum tribus ſit, propoſitis ſacroſanctis Evangeliis, ſe eſſe Orthodoxum. Fiantque Acta ad eum Magiſtratum, ſub quo militaturus eſt, & duo tantùm aures pro ea re præbeantur.*

Cod. de Epiſc. Aud. l. 1. c. 4. l. 19.

Getæ gravem Romanis cladem inferunt.

II. Imperio cladis non minimum intulit Romanorum Ducum temeritas. Res ſic narratur à Marcellino: *Sabinianus, Sabiniani Magni filius, Ductorque Militiæ delegatus contra Mundonem Getam, arma conſtruxit: decem millia armatorum ſibimet aſcitorum, plauſtraque armis atque commeatibus onerata ſecum trahens, pugnaturus acceſſit: commiſſoque ad Horreum Magnum prælio, multis ſuorum militibus in hoc conflictu perditis, & in Margo flumine enecatis, amiſſis præterea plauſtris, in caſtellum, quod Nato dicitur, cum paucis fugit. Tanta in hoc lamentabili bello ſpes militum cecidit, ut quantum apud mortales nunquam potuerit reparari.*

Marcellin.

ANNO DOM. 506.

ANNO U. C. 1259. PER. JUL. 5219. JUL. 551. DOM. 506. ANASTAS. 15. & 16. THEODORIC. 14. *Sol.* 11. A. *Lun.* 13. *Indict.* 14. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.*

COSS. *Ariobinda & Meſſala.*

Statuam Anaſtaſius ſuam collocat.

I. STatuarum ope Imperator ſui nominis memoriam conſecrari voluit, nec tamen ſine nonnulla Theodoſii Magni injuria. Quippe ubi celeberrimus ille Princeps ſtatuam olim ſuam erexerat, ibi Anaſtaſius ſuam jubet collocari. Hæc Marcellinus ſcripta reliquit, quæ errante memoriâ Pagius Autori Chronici Alexandrini vindicat: *Anaſtaſii Principis ſtatua in eodem loco, quo dudum Theodoſii Magni ſteterat, ſuper immanem columnam in foro Tauri ſtatuta eſt.*

Alaricus in unum volumen Codicis Theodoſiani Leges colligit.

II. In Gallia Alaricus majus opus movebat. Contractas explanataſque Codicis Theodoſiani Leges in unum volumen compegit, *ut omnis Legum Romanarum antiqui juris obſcuritas, adhibitis Sacerdotibus, ac nobilibus viris in lucem intelligentiæ melioris deducta reſplendeat, & nihil habeatur ambiguum, unde ſe diuturna, aut diverſa jurgantium impugnet objectio.* Ordinante viro illuſtri *Goiarico Comite* id Operis ab *Aniano* editum eſt: *Anianus vir ſpectabilis, & præceptione Domini noſtri glorioſiſſimi Alarici Regis, hunc Codicem de Theodoſianis Legibus, atque ſententiis juris, vel diverſis libris electum, Aduris anno XXII. eo regnante edidi atque ſubſcripſi. Recognovimus. Dat. ſub die IV. Non. Febr. anno XXII. Alarici Regis, Toloſæ.* Liber ille ex theſauris Regiis Timotheo, V. S. Comiti, *pro diſtringendis negotiis* deſtinatur. Annus Alarici XXII. in Meſſalæ Conſulatum incidit.

ANNO DOM. 506.

Cod. Theodoſ. t. 1.

Synodus Agathenſis. Quot Canones ediderit?

III. Eodem anno permittente Alarico, Synodus Agathenſis celebratur. Urbs erat Narbonenſis Provinciæ, veteribus Geographis Straboni, Ptolemeo, Plinio non ignota: *Agatha quondam Maſſilienſium.* Timoſthenes apud Stephanum in dimenſione terræ per ſtadia eam *bonam fortunam* appellat. Agatha quidem reſpondet Græco ἀγαθή. Congregatum eſt Concilium quarto, vel tertio Idus Septembris in *ſancti Andreæ Baſilica.* Conſtabat Epiſcopis XXXV. quibus præfuit *Cæſarius* Arelatenſis, qui primus & omnium ſubſcripſit. Poſt Cæſarium eminebant *Cyprianus* Burdegalenſis, *Clarus* Epiſcopus Eluſenſis, *Tetradius* Bituricenſis, Metropolitanâ dignitate illuſtres; *Heraclianus* Toloſenſis, *Sophronius* Agathenſis, &c. Memoriâ recondenda ſunt verba Agathenſium Patrum, Alarico Regi ſuo, licet Ariano fauſta precantium: *Cùm in nomine Domini ex permiſſu Domini noſtri glorioſiſſimi, magnificentiſſimique Regis in civitate Agathenſi ſancta Synodus conveniſſet. Ibique flexis in terram genibus, pro regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaretur, ut qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem, regnum ejus Dominus felicitate extenderet, juſtitiâ gubernaret, virtute protegeret.* In vulgaris editionibus Canones Agathenſium LXXI. vulgò numerantur. Obſervatum tamen Sirmondo, antiquis in exemplaribus extare duntaxat XLVIII. *Ut dubium minime videatur, non plures hoc numero conditos primum à Synodo ipſa fuiſſe; reliquos verò XXV. qui ſupra hunc numerum excurrunt, aliundè poſteà, ſed ex Epaonenſi potiſſimum Synodo depromptos, atque in hanc Synodi cujuſpiam alterius autoritate inſertos eſſe.*

Plin. l. 4. c. 4.

Sirm. Adm.

Reliqui Agathenſes Canones.

IV. Quibus obſervatis, nunc ſummam Canonum referamus. I. Bigami aut internuptarum mariti, quanquam aliud Patrum ſtatuta decreverint, ut qui hùcuſque ordinati ſunt, habitâ miſeratione Presbyterii, vel Diaconatus nomen tantum obtineant. II. Contumaces Clerici ab Epiſcopis corrigantur, etſi ſuperbiâ communionem contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, peregrina eis communio tribuatur. Ita ut cùm eos pœnitentia correxerit, in matricula gradum ſuum recipiant. III. Epiſcopi, qui innocentes, aut minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes, recipere fortaſſe noluerint, à vicinis Epiſcopis moneantur. Et ſi parere noluerint, communio illis uſque ad tempus Synodi à reliquis Epiſcopis non negetur, ne excommunicati fortè obitu excommunicantis peccatum augeatur. IV. Clerici, vel ſeculares, qui donationes parentum retinuerint, velut necatores pauperum, quouſque reddant, Eccleſiis excludantur. V. Clericus, qui furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. VI. Quæ ab extraneis donan-

Anno Dom. 506.

donantur Pontificibus, inter facultates Eccleſiæ computantur, quia hoc ille qui donat, pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis probatur off.:tre. Quidquid tamen nomine fideicommiſſi donatur, Pontificibus in proprium cedit. VII. Caſellas, mancipiolave Eccleſiæ Epiſcopi niſi urgente neceſſitate non diſtrahant, quæ apud duos, vel tres Comprovinciales prius probata, eorum ſubſcriptione roboretur. Quos tamen ſervos manumiſerit Præſul, illi libertatem conceſſam retinebunt cum datis munuſculis: modò viginti ſolidorum in terrula non excedant. VIII. Clericus, qui ad ſecularem Judicem confugerit, & is defenſionem impendit, tam hic, quàm ille pellatur Eccleſiâ. IX. De Presbyteris & Diaconis ad tormina uxorum redeuntibus, Innocentii Siriciique Conſtitutio ſervetur, ſcilicet, *ut omni Eccleſiaſtico honore priventur*. X. Nullus Clericorum cum extranea muliere familiaritate jungatur. XI. Ancillæ & libertæ cum Clericis non maneant. XII. Omnes Eccleſiæ filii in Quadrageſima die Sabbati jejunent. XIII. Symbolum ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis publicè in Eccleſia Competentibus tradatur. XIV. Altaria non ſolùm unctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrentur. XV. Pœnitentes, quo tempore pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput conſequantur: ſi comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur. Viaticum omnibus in morte poſitis non negandum. XVI. Epiſcopus Diaconum xxv. annis minorem non ordinet. Si conjugati juvenes conſenſerint ordinari, uxorum voluntas requiratur. XVII. Presbyter non xxx. annos natus haud ordinatur. XVIII. Secularis, qui Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur. XIX. Sanctimoniales ante annum ætatis ſuæ xl. non velentur. XX. Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono inviti detondeantur; veſtimentis & calceis utantur, quæ religionem deceant. XXI. Oratoria in agris vitandæ familiarum fatigationi permittuntur. Paſcha tamen, Natale, Epiphania, Aſcenſionem Domini, Pentecoſtem, Natale S. Joannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Feſtivitatibus habentur, in civitatibus, aut parrochiis celebrent. Clerici, qui feſtis diebus in Oratoriis niſi permittente Epiſcopo Miſſas celebrarint, à communione pellantur. XXII. Diœceſani Presbyteri res Eccleſiæ vendere, aut donare non præſumant, ſecus de facultatibus, ſi quas habent proprias, indemnem Eccleſiam reddant. XXIII. Epiſcopus poſteriorem priori non anteponat, niſi elatus ſuperbiâ, quòd pro neceſſitate Eccleſiæ Epiſcopus juſſerit, implere contemnat. Si qui ſenior eſt, officium Archidiaconatus implere nequeat, ille ordinationi Eccleſiæ, quem elegerit, Epiſcopus præponatur. XXIV. De pueris expoſitis Vaſenſis Synodi Canon ix. obſervatur.

Reliqui Agathenſes Canones.

V. Ad alios Canones pergamus. XXV. Seculares, qui prius uxores quam judicio damnentur, abjecerint, à communione Eccleſiæ excludantur. XXVI. Si quis Clericorum documenta Eccleſiæ ſupprimat, vel adverſariis tradat, quidquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. XXVII. Monaſterium niſi Epiſcopo permittente nullus fundare præſumat. Monachi vagantes, niſi eis teſtimonium Abbas ſuus reddiderit, non ordinentur. Monachorum nullus niſi Abbate ſuo permittente retineatur, aut ordinetur. XXVIII. Monaſteria puellarum longius à Monaſteriis Monachorum collocentur. XXIX. Libertos Eccleſia tueatur, quos ſi quis ante ſudictitiam expoliare præſumpſerit, ab Eccleſia repellatur. XXX. Ubique locorum poſt Antiphonas Collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur: & hymni matutini, vel veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt hymnos capitella de Pſalmis dicantur: & plebs collecta in oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur. XXXI. Qui poſt vetus odium à Sacerdotibus moniti ad pacem non redeunt, excommunicatione feriantur. XXXII. Clericus inconſulto Epiſcopo neminem apud Judicem ſecularem pulſet. Si pulſatus fuerit, reſpondeat. Si quis Laicorum per calumniam Clericum fatigans, victus eſt, niſi reſipuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur. XXXIII. Epiſcopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium quàm Eccleſiam reliquit hæredem, ſi aliquid de Eccleſia abſque neceſſitate diſtraxit, irritum habeatur. Qui filios habet, de bonis, quæ reliquit, ab hæredibus ejus indemnitatibus Eccleſiæ conſolatur. XXXIV. Judæi, qui fidem amplecti voluerint, octo menſibus inter Catechumenos verſentur. Quòd ſi intra præſcriptum tempus infirmitatis in periculum inciderint, baptizentur. XXXV. Epiſcopi, qui ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum à Metropolitano invitantur, ad conſtitutam diem adeſſe non differant, ſecus Eccleſiæ communione priventur ad proximam uſque Synodum. XXXVI. Clerici Stipendia ſanctis laboribus debita à Sacerdotibus conſequantur. XXXVII. Homicidæ & falſi teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmoveantur, niſi pœnitentiâ crimina diluerint. XXXVIII. Clerici abſque commendatitiis Epiſcopi ſui literis non vagentur: in Monachis par ſententia ſervetur: quibus & privatæ cellulæ negantur, niſi fortè probatis poſt emeritos labores. Abbatibus quoque diverſas cellulas, aut plura Monaſteria habere non liceat. XXXIX. Presbyteri Clericique, quibus ducendi uxores licentia non eſt, nuptiarum evitent convivia, ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur. XL. Clerici, Laicique Judæorum convivia vitent. XLI. Clericis vitetur ebrietas: quem ebrium fuiſſe conſtiterit, triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. XLII. Qui ſtudent auguriis, & per eas, quas Sanctorum ſortes vocant, divinationis ſcientiam profitentur, ab Eccleſia habeantur alieni. XLIII. De Pœnitentibus nullus Clericus ordinetur. Quod ſi ex illis per ignorantiam conſecratur quiſpiam, non miniſtrare, ſi Diaconus; non altare conſecrare, ſi Presbyter, præſumat. XLIV. Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut Pœnitentem in Eccleſia benedicere, Presbytero penitùs non liceat. XLV. Ternulas exiguas, aut longè poſitas Epiſcopus ſine conſilio fratrum, ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi, habeat poteſtatem.

Anno Dom. 506.

XLVI.

ANNO DOM. 506.

XLVI. Fugitivi ſervi, qui ne vel revocati teneri poſſunt, ab Epiſcopo, ſi voluerit, diſtrahuntur. XLVII. Ante Miſſam expletam, Sacerdotiſque benedictionem egredi populus non præſumat. Qui ſic fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur. Hactenùs Canones Agathenſes, qui dehinc ſequuntur uſque ad Canonem LXX. etſi pro Agathenſibus agniti ſunt à Gratiano, & ab aliis in antiquiſſimis tamen exemplaribus non extant: adjectique poſteà huic Synodo videntur ex Canonibus maximè Concilii Epaonenſis. Itaque ab iis exſcribendis ſuperſedemus.

Joannes Diaconus, qui Laurentio adhæſerat, à Symmacho ſuſcipitur.

Collect. Baluz. t. 2. 1464.

VI. Clementiam erga illos, qui *Laurentio* adhæſerant, adhibendam eſſe ſtatuerat Symmachus in Synodo Rom. anni DIII. Quo beneficio uſus Joannes Diaconus, Pontifici Libellum obtulit, quem ex editione clariſſimi Baluzii, quæ Labbeana longè eſt emendatior, ſuppeditamus: *Cælius Joannes Diaconus Eccleſiæ Romanæ. Quia me ad tempus ab Eccleſia ſeparavi, agnoſcens errorem meum; ſpero miſericordiam beatitudinis veſtræ, & redintegrari me unitati conſentiens, quæ veneranda Synodus judicavit, atque conſtituit. Anathematizans Petrum Altinatem, & Laurentium Romanæ Eccleſiæ Pervaſorem, & Schiſmaticum. Quòd ſi aliquando ſimilia attentavero, in ea cauſa, de qua veniam ab Apoſtolatu veſtro merui, tunc Eccleſiaſticæ ſubjaceam ultioni. Quod manu meâ ſcriptum obtuli ſub die* XIIII. *Kal. Octobrium, Meſſalâ viro clariſſimo Conſule.* Quænam verò fata Laurentii fuerint Symmacho æmulis, paucis nos docuit Theodorus Lector. Theodoricus, qui Symmacho Epiſcopatum confirmarat, Laurentium cujuſdam urbis, quæ Nuceria dicitur, Epiſcopum conſtituit: *Laurentius tamen haudquaquam quievit, ſed Epiſcopatum urbis Romæ adhuc ambire non deſtitit. Quam ob cauſam eum deponi, & in exilium mitti curavit Symmachus. Atque hoc modo ſeditio conſopita eſt.*

Theodor. l. 2. 560.

ANNO DOM. 507.

ANNO U. C. 1260. PER. JUL. 5220. JUL. 552. DOM. 507. ANASTAS. 16. & 17. THEODORIC. 15. *Sol* 12. G. *Lun.* 14. *Indict.* 15. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 2. P. 15. *April.*

COSS. *Anaſtaſius Aug.* III. *& Venantius.*

Seditio Conſtantinopoli. Longus murus ab Anaſtaſio conſtituitur.

I. SEditionum ferax Imperium Anaſtaſii magnos in urbe Regia labente anno motus attulit. Quos breviter tangit Marcellinus: *Seditio popularis in Circo facta eſt: miles & armatus obſtitit. Gradus Circi ſeptentrionalis, ſua cum fornice incenſi collapſique ſunt, Anaſtaſio Cæſare in proceſſibus commorante.* De ſeditione plura nos docet Chronicum Alexandrinum, licet tenebras ei lacuna induxerit: *Fugit Ariovindus Peram, ſaluſque poſteà Anaſtaſius aſcendit in Regiam ſellam Circi ſine diademate. Quod ubi populus novit, totus in Hippodromum properavit, & per compellationem totam ſibi urbem conciliavit.* Longi muri, qui Anaſtaſianus vocatus eſt, ædificatione Imperator famæ nomen mandavit ſuum. Nobile ædificium deſcribit Evagrius. Extructum erat in Thracia: *Diſtat Conſtantinopoli ſtadiis plus minus ducentis octoginta: utrumque complectitur mare, ac 425. ſtadia inſtar freti cujuſdam excurrens, & urbem Regiam ex peninſula ferè inſulam efficiens, eaſque qui trajicere voluerint, à Ponto ad Propontidem, & ad mare Thracium commodiſſimè tranſportans. Barbaros quoque, qui ex Ponto Euxino, & ex Colchide ac Mæotide palude ex locis ſupra Caucaſum ſitis excurſiones faciunt; eos item, qui ex Europa effundi ſolent, objectu ſuo repellit.*

Evagr. l. 3. c. 38.

ANNO DOM. 507.

Chlodoveus intendit bellum in Alaricum.

II. In Gallia Chlodoveus immenſâ honorum ambitioniſque cupiditate inflammatus, Alarico Gothorum Regi abſque cauſa idonea bellum inferre ſtatuit. Victoriis Francorum ſibi metuens Alaricus, Legatos ad Chlodoveum de faciendo fœdere miſerat: *Si frater meus velit, inſederat animo, ut nos Deo propitio pariter viveremus.* Votis annuens Chlodoveus ad Alaricum acceſſerat, ac Ligeris in Inſula *juxta vicum Ambacienſem territorii urbis Turonicæ*, inſtituto ſimul & convivio, & colloquio, conglutinatâ amicitiâ ad ſua receſſerat. Sanctè hoc fœderis coluerat Alaricus, cùm Chlodoveus Gothico regno inhians, ſuos ſic alloquitur: *Valde moleſtè fero, quòd hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, & ſuperatis, redigamus terram in ditionem noſtram.* Ad bellum ſe accingenti literas Remigius dirigit Rhemenſis Epiſcopus: *Rumor ad nos pervenit, adminiſtrationem vos ſecundam rei bellicæ ſuſcepiſſe. Non eſt novum, ut cœperis eſſe, ſicut parentes tui ſemper fuerunt.* Plena eſt Epiſtola conſiliorum, quæ magno ſint Principibus uſui: *Conſiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam poſſint ornare. . . Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri, ut omnes te ament, & timeant. . . Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde triſtis accedat. Paternas quaſcumque opes poſſides, captivos exinde liberabis, & à jugo ſervitutis abſolves. Si quis in conſpectu veſtro venerit, peregrinum ſe eſſe non ſentiat. Cum juvenibus jocare, cum ſenibus tracta, ſi vis regnare, nobilis judicari.* Ubi Theodorici pervenit in notitiam, quid rerum Chlodoveus moliretur, ad eum literas ſcripſit, quibus à bello revocabat: *A parentibus, quod quæritur, electis Judicibus expectatur. Abſit ille conflictus, ubi unus ex vobis deleri poterit inclinatus. Abjicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. Jure patris vobis interminor, & amantis. Ille nos & amicos noſtros patietur adverſos, qui talia monita, quod non opinamur, crediderit eſſe temnenda.*

Greg. Tur. l. 2. c. 37.

Lab. Conc. t. 4. 1402.

Caſſiod. Var. l. 3. ep. 4.

Alaricus à Chlodoveo debellatur.

III. Cùm Francis ſui Regis conſilium valde placuiſſet, ad Pictavienſem civitatem, ubi tum Alaricus morabatur, iter convertunt. Ut ſummam, quâ B. Martinum colebat, obſervantiam Chlodoveus oſtenderet, ſeveriſſimè prohibet, ne quis de Turonenſi ditione quidquam acciperet, præter herbam & aquam. Fortè ruſtici fœnum quaſi herba foret, miles vi adhibitâ abſtulerat. Quod ubi Rex audivit, nudato ſubinde gladio militem necat, *Et ubi erit ſpes victoriæ*, inquit, *ſi B. Martinus offenditur.* Egregiam ſanè Principis religionem, qui ruſticum fœno privari ſuo nolebat, dum immeritum Regem, ſibique fœdere conjunctum coronâ ſuâ ſpoliandum aggreditur. Intereà ſuperſtitione ductus, bellum ſine auſpiciis incipi noluit. Miſſis ergo ad Martini Baſilicam muneribus, qui ea ferebant ingreſſi, Primicerium audiunt, qui Antiphonam incipiebat: *Præcinxiſti me virtute ad bellum. Supplantaſti inſurgentes in me ſubtùs me, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.* Læti hoc oraculo miniſtri ad Dominum ſuum redeunt, clariſſimæ veluti omen victoriæ portantes. Cùm ad flumen Vigennam perveniſſet, quod extra modum intumuerat, Rex hærebat, ignarus vadi. Ortâ luce cerva miræ magnitudinis fluvium ingreſſa, ductricem exercitui

ſe

ANNO DOM. 507.

ſe præbuit, oſtenſo loco, quo tranſiturus erat. In Vocladenſi campo decimo ab urbe Pictavienſi milliario prœlio Gothos inter Francoſque commiſſo, Chlodoveus victoriam adipiſcitur: *Rex cùm fugatis Gothis Alaricum Regem interfeciſſet, duo ex adverſo ſubitò advenientes, cum contis utraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam lorica quàm veloces equi, ne periret exemptus eſt.* Periere Arverni complures, Senatoreſque, qui cum Apollinare Regem ſuum ſecuti erant. Obiit Alaricus labente regni ſui anno XXIII. Ipſius morte pars regni maxima Francorum poteſtati ſubditur. Chlodoveus verò Burdegalenſi in civitate hyemans, reconditos Tholoſæ Alarici theſauros ſibi comparavit. De ea pugna diverſè prorſus Procopius narrat. Francia, quos *Germanos* vocat, Carcaſionem obſidentibus occurriſſe Alaricum, cujus cunctationem cùm milites accuſarent, coactum ſuorum importunitate in aciem prodiere. Gregorium tamen Procopio faciles anteponimus, Gallicorum rerum haud ſatis perito, multaque à vero aliena referenti. Ut porrò clementiæ laudes cum fortitudine Rex jungeret, de captivis & Clericis, & Laicis Epiſcoporum arbitrio relaxandis Antiſtitibus ſcripſit: *Dominis ſanctis, & Apoſtolicâ Sede digniſſimis Chlodoveus Rex. Enuntiante famâ quid actum fuerit, vel præceptum omni exercitui noſtro, priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem veſtram prætereire non potuit. In primo quoque de miniſterio Eccleſiarum omnium præcepimus, ut nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur, neque de Sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini devotæ eſſe probarentur. Similis conditione & de Clericis, vel filiis ſuprà dictorum, tam Clericorum quàm viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſervis Eccleſiarum, quos de Eccleſiis tractos per Epiſcoporum ſacramenta conſtiterit, præceptum eſt obſervare, ut nullus ex ipſis aliquam violentiam, vel damnum pateretur.* Captivos ex Laicis, qui extra pacem in vinculo inciderant, Epiſcopali concedit arbitrio, qui verò in pace tam Clerici, quàm Laici ſubrepti fuerint: *Si veraciter*, inquit, *agnoſcitis veſtras Epiſtolas de annulo veſtro intra ſignatas, ſic ad nos omnimodis dirigatis, & parte noſtrâ præceptionem latam noveritis eſſe firmandam.* Epiſtolam ad Aurelianenſe Concilium ſcriptam fuiſſe, Baronius cum multis opinatur. Egregiè tamen fallitur, ut jam à doctiſſimo Sirmondo eſt obſervatum. Etenim huic Epiſtolæ cum Synodo commune nil eſſe, facilè deprehenditur, tùm poſt expeditionem Gothicam, quadriennio ante Concilium Aurelianenſe ſuſceptam edita ſit. Neque ad Synodum, ſed ad univerſos generatim Epiſcopos de captivis miſſa fuit.

Gr. Tur. Hiſt. l. 2. c. 37.

Proc. de Bello Goth. l. 1. c. 12.

Lab. Conc. t. 4. 1402.

Error Baronii.

Bar. An. 407. n. 14.

Cæſarius ab Alarico in exilium mittitur.

IV. Eccleſiæ rebus, quæ ſunt aliquo in momento ponendæ, admoveamus animos. Scribentibus primùm occurrit Cæſarii Arelatenſis exilium, quod Alaricus agens adhùc inter homines illi imperavit. *Licumanus* Cæſarii Notarius, homo nequam, ipſum proditionis apud Regem accuſat. Interpoſitâ enim illorum ope, qui Alarico erant à ſecretis, ſuggerit *beatiſſimum Cæſarium, è Galliis genus ducentem, totis in id viribus incumbere, ut deditionem faciat, & urbem Arelatenſem Burgundionibus prodat, cùm ille Paſtor præſtantiſſimus flexis genibus pacem gentium, urbium tranquillitatem diebus ac noctibus à Domino precaretur.* Nec mora: pulſus Arelato Cæſarius, Burdegalam in exilium mittitur. Tum ſpecie miraculi accuſato Deus teſtimonium innocentiæ præbuiſſe ferunt. Correptâ igne vehementiori civitate, periculum erat ne prorſus vaſtata abiret in cineres. Accurrunt conſternati metu cives ad Cæſarium clamantes, *S. Cæſari, precibus tuis extinguas ignem ſævientem*, qui ſubinde ad preces converſus igneos globos abigit. Cùm ille degeret, Regibus juſta præcipientibus ſubditos morigeros eſſe monebat: *Sed in Ariana Principe contemnere dogmatis pravitatem.* Ubi Alarico ſancti oculis innocentia comperta eſt, rogat, ut Eccleſiæ ſuæ præſentiam exhiberet. Cujus reditus poſtquam Arelatenſibus innotuit, *omnes utriuſque ſexus cum crucibus & cereis proceſſere obviam, pſallentes, & ingreſſum ejus operientes.* Reduce optimo Præſule pluvia, quæ nubibus exceſſiſſe videbatur, orentes longâ ſiccitate terras perfudit. Cæterùm Cæſarii accuſatorem *Licumanum* Alaricus lapidibus opprimi juſſit. Ad ſaxa currente populo, regium Cæſario mandatum perfertur: *Properat illicò, & ſuâ interceſſione maluit accuſatorem ſuum ſervari pro agenda pœnitentia, quam juſtâ admonitione puniri.*

Tom. III.

ANNO DOM. 507.

Vit. Cæſ.

Quintianus Rutenorum Epiſcopus mittitur in exilium.

V. Sub ea quoque tempora Quintianus Rutenorum Epiſcopus in civium ſuorum odium incidit. Multorum in votis erat, apud Gallias Francorum Regi, qui rectam fidem colebat, in poteſtatem venire. Quibus favere Quintianus putabatur. Quem ea de cauſa Gothi gladio occidere conſtituerunt. Quod cùm ei nuntiaretur, nocte cum fideliſſimis miniſtris ſuis civitatem egreſſus, Arvernos petit. Cui *Euphraſius* urbis hujus Antiſtes benignè ſuſcepto & retento, domos, agros, vineaſque largitur: *Sufficit*, inquit, *hujus facultas Eccleſiæ, ut utrumque ſuſtineat. Tantum charitas, quam B. Apoſtolus prædicat, permaneat inter Sacerdotes Dei.*

Gr. Tur. l. 2. c. 36.

ANNO U. C. 1261. PER. JUL. 5221. JUL. 553. DOM. 508. ANASTAS. 17. & 18. THEODORIC. 16. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 15. *Indict.* 1. *Epact.* IX. *Epact. Sol.* 2. 3. F. 6. *April.*

ANNO DOM. 508.

COSS. *Celer & Venantius.*

Anaſtaſii claſſis Italiæ litora vexat.

I. THeodorici gloriam torvis Anaſtaſius oculis intuebatur, Romanum Imperatorem male habebat, quòd ex gente Gothica Barbarus urbi, quæ caput orbis olim fuerat, Italiæque dominaretur. Quem juſto bello deturbare non poterat, eum prædatoriis excurſionibus piratâ potius quàm Imperatore dignis laceſſere ſtatuit. Rem ſic Marcellinus narrat: *Romanus Comes Domeſticorum, & Ruſinus Comes Scholariorum cum centum armatis navibus, totidemque dromonibus, octo millia militum armatorum ſecum ferentibus; ad devaſtanda Italiæ littora proceſſerunt, & uſque ad Tarentum antiquiſſimam civitatem aggreſſi ſunt, remenſoque mari, inhoneſtam victoriam, quam piratico auſu Romani ex Romanis rapuerunt, Anaſtaſio Cæſari reportarunt.*

Marcell. Chron.

Daras urbs conditur.

II. Dignius ſe quidem opus moliebatur Anaſtaſius, dum *Daras* urbem extruit, ut Perſarum excurſibus impedimentum objiceret. Fundatæ civitatis annus non ſatis exploratè cognoſcitur. Finito jam bello Perſico condi cœpiſſe, diſcimus ex Evagrio, ut immanis certè ſit Chronici error Alexandrini, dum Daræ ædificationem anno CCCCXCVIII. alligat, Joanne Scythâ & Paulino Coſſ. Anno DIIII. Cethego Conſule miſſus à Perſis Armonius de faciendo fœ-

dere,

dere, poſtmodum igitur Daras ædificata eſt: *Anaſtaſius locum quendam Meſopotamiæ, Daras dictum, ſitum in finibus Imperii Romani, ac veluti confinium Romanæ ac Perſicæ ditionis, ex agro urbem fecit, cùm & firmiſſimis mœnibus eum communiſſet, & variis ædificiis mira venuſtatis exornaſſet, Eccleſiarum ſcilicet, & aliarum ædium ſacrarum, porticuum item & publicarum balnearum, reliquorum deinceps operum, quibus illuſtriores urbes gloriari ſolent. Porrò aiunt nonnulli, locum iſtum Daras ideircò eſſe nominatum, quòd Alexander Macedo Philippi filius illic Darium funditùs devicerit.* Extollendæ urbi addunt fabulatores miracula: *Dara ædificata Bartholomæum Apoſtolum in ſomnis vidit, ſuſcepiſſe ſe urbis cuſtodiam. Quare Anaſtaſius Bartholomæi reliquias illùc miſit, & in ea urbe deponi præcepit.* Traditionis hujus ignarus eſt Evagrius, neque promiſſum Bartholomæi præſidium obſtitit, quo minus Choſroïs in ditionem Daras dein veniret, cujus cives crudeliter mactati ſunt.

Evagr. l. 3. 37.

Theodor. l. 2. 567.

Chlodoveus Turonos regreſſus, ab Anaſtaſio Conſul creatur.

III. Hæc in Oriente. At in Gallia Chlodoveus victo Alarico ſuperbus, relictâ, ubi hyemaverat, Burdegalâ, Gothicis theſauris onuſtus, Engoliſmam properat. Ejus adventu quaſi lapides victorem venerarentur, muri urbis ſponte corruunt. Pulſis Gothis civitas in Francorum poteſtatem redigitur. Turonos regreſſus, multa Martini Baſilicæ munera offert. Hîc Anaſtaſii Imperatoris relatæ de Gothis victoriæ gratulationem accipit: *Ab Anaſtaſio Imperatore Codicillos de Conſulatu accepit, & in Baſilica S. Martini tunicâ blatteâ indutus eſt, & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equo, aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii, & Eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis manu propriâ ſpargens, voluntate benigniſſimâ erogavit, & ab ea die tanquam Conſul, & Auguſtus eſt vocitatus. Egreſſus autem à Turonis Pariſios venit, ibique Cathedram regni conſtituit.* Conſularem dignitatem à Chlodoveo repudiatam eſſe, Baronius ſtatuit, repugnante Gregorio: *Cùm de Chlodoveo, qui literis Anaſtaſii fuerat deſignatus, nuſquam mentio, planè opinari licet reſpuiſſe Chlodoveum oblatos ab Anaſtaſio hæretico Imperatore Codicillos, quos miſerat Conſulatus.* At quænam Chlodoveo cauſa fuiſſet, cur Codicillos potius quàm Anaſtaſii munera repudiaret? Quæ ſibi mittebantur, vel tota accepit, vel tota recuſavit. Itaque lubentes fatemur, non ordinario quidem, ſed honorario & Conſulis & Auguſti titulo Chlodoveum inſignitum eſſe. Gregorium ſanè, ſeculi hujus Autorem latere vix potuit, utrùm Chlodoveus Auguſtus diceretur, necne. Ab eo geſtatum *diadema* fuiſſe, tam expreſſis verbis Gregorius prædicat, ut hoc extra dubium ponendum videatur. Moris erat, Codicillorum miſſione dignitatem conferri. Evagrius Hiſtoricus à Tiberio Auguſto *Codicillos Præfecturæ* nactus eſt. Conſtantini Magni Lex eſt de Codicillis honorariis ad Severum: *Si quis judicio noſtro ſe adeptum Codicillos aſtruxerit, & idem vel ſuperna Codicillorum impreſſio, vel ſcriptura adſtipuletur interior, &c.* Quippe Codicilli, vel imagines dignitatum Provinciarum, tituloſque exterius inſcriptos habebant, vel nudi exhibebantur. Erant verò aut eburnei, aut aurei, quos ideò σφυρήλατους vocat in *Sophiſta* Themiſtius, à quo diſcimus, Philoſophiæ Profeſſoribus Codicillos etiam miſſos eſſe: *Audet tamen aliquis falſos illos eſſe Codicillos dicere.*

Gr. Tur. Hiſt. l. 2. c. 38.

Bar. An. 508. n. 1.

C. Theod. l. 6. Tit. 22.

Themiſt. Or. 31. 352.

IV. Porrò Chlodovei de Alarico victoria Theodorico, qui defuncti ſocer erat, non minimum indignationis moverat. Fortiſſimum Regem pudebat, Gothos, qui potentiam Romanorum non ſemel fregerant, à Francis eſſe ſuperatos. Exercitum ergo parat mittendum in Gallias. Cui Edicto publico diem & expeditionis conſtituit: *Per Nandium Sajonem noſtrum admonendum curavimus, ut ad expeditionem in Dei nomine, more ſolito, armis, equis, rebuſque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructi, VIII. die Kal. Juliarum proximè venienti, modis omnibus, Deo favente moveatis.* Quo ſucceſſu, teſtetur Caſſiodorus: *Venantio & Celere Coſſ. contra Francos à Domino noſtro deſtinantur exercitus: qui Gallias Francorum deprædatione confuſas, victis hoſtibus ac fugatis, ſuo acquiſivit imperio.* Ductor exercitus *Hibba* Comes erat, non ipſe Theodoricus, ut ſcriptum Procopio. Si Jornandi fides, commiſſo prælio Francorum *triginta millia* cecidere. Quos varia prœlia vitæ exemere, in unum forte contulit. Narrat Procopius, Gothorum veniente exercitu, Carcaſionis obſidionem Francos præcipitanter ſolviſſe. Conſtat quidem, bellum penè deploratum à Theodorico penè reſtitutum. Neque tamen minus verum eſt, Aquitaniam Francis ceſſiſſe. Itaque Gallia in partes diviſa, quarum una Chlodoveo, altera Theodorico obtemperabat. Multum noctis aſſumit ſibi Gothici belli cum Francis hiſtoria. Itaque ad res Eccleſiæ veniendum.

Theodorici in Gallias expeditio.

Caſſ. Var. l. 1. ep. 24.

V. Labente forſan anno Concilium Toloſanum celebratur. Superiore quidem via cogi potuit, cùm totis Galliæ viribus in bellum conſurgeret Francis, Gothiſque & Imperio, & victoriæ pari cupiditate inhiantibus. Itaque hîc à Labbeana Chronologia diſcedere cogimur. Toloſanum verò Concilium facilè eo intervallo celebrari potuit, quo ante exercitus Theodorici adventum Gallicanæ regiones ab armorum ſtrepitu feriabantur. Scripſit Cæſarius ad Ruricium: *Indicat pietati veſtræ, quia filius veſter Eudomius, ſi potuerit hoc laborare, deſiderat, ut ſuperveniente anno Toloſa Synodum Chriſto propitio habeamus, ubi etiam ſi potuerit, Hiſpanos vult Epiſcopos convenire.* Ad quæ reſcripſit Ruricius, ſe æſtivis diebus ſuam vix poſſe valetudinem ſuſtinere: ſi igitur deſideretur adventus ſuus, ſibi hoc ſignificetur: *Etſi non ad tempus aliud, quod intimatis, ſi Deus vitam contulerit, venire valeis, nobis per hominem veſtrum ſaciatis indicetis.*

Toloſana Synodus.

Baluz. Collect. 1465.

VI. Fulgentius, qui fulgore famæ longiſſimè reſplendet, ſuſcepto Epiſcopatu decus addidit anno. Noſtra verò Chronologia ex Fulgentii vita probatur: *Die Calendarum Januariarum poſt peractam veſperam beatum ſpiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum ſui Epiſcopatus agens XXV.* Annus erat DXXXII. ut ex *Feliciani*, cui Fulgentius deceſſerat, conſecratione liquet: *Dum ei ſucceſſor idoneus quæreretur, diſcordantibus Laicis, & Clericis annum prope integrum prolixitas contentionis exegit, & illo die ſanctitas tua ſuper Cathedram ejus ſedit, quo ipſe defunctus eſt.* Cùm in Africa Epiſcoporum ordinationes eo ſeculo die Dominicâ peragerentur, Felicianus Epiſcopatum ingreſſus eſt anno DXXXIV. quo Calendæ Januariæ feriæ primæ cohærebant, Cyclo Solis XI. A. Ex quo intelligitur, Fulgentium cœleſtem animam Deo reddidiſſe anno DXXXIII. Calendis Januar. Cyclo Sol. X. Erat annorum XXV. Epiſcopus, cùm

Fulgentius creatur Præſul Ruſpenſis.

Fulg. Vit. c. 30.

Digitized by Google

Anno Dom. 508.

Error Baronii.

cùm mortem obiit, qui ſi ab DXXIII. removeantur, ſuperſunt DVIII. quorum ultimo Ruſpenſi Eccleſiæ præfectus eſt, *ut quadriennii* prochroniſmo laboret Baronii Chronologia, qui anno 504. ornatum Antiſtitis infulâ Fulgentium nobis obtrudit. Conſtituto Fulgentianæ ordinationis tempore, quâ ratione Pontificales ad honores aſcenderit, paucis expediamus.

Quâ ratione Fulgentius electus eſt in Epiſcopum?

VII. Thraſimundus, ut ſenſim Religionem in Africa perditum iret, Epiſcopos ullos ordinari prohibuerat. Intellecto periculo Pontifices, qui remanſerant, communicato inter ſe conſilio, ubique locorum ordinationes celebrare decreverunt: id in animo cogitantes futurum, ut vel Regis furor mitigaretur, vel ut Chriſti victimæ coronarentur. Tum certatim Diaconi, Preſbyterique properavere ad conſecrationem, *ne in tali ſtudio tardus, aut noviſſimus inveniretur.* Unus Fulgentius fugiendo eligentium vota præveniens, latebris incertis abſcondebatur: *Repleta jam fuerat Provincia Byzacena novis Sacerdotibus, & penè vix paucarum plebium Cathedra remanſerant deſtitutæ. Regis quoque commota ſævitia, cunctos jam decreverat exilio mancipandos, in ipſum primitùs ordinatorem, id eſt, Primatem, nomine Victorem, procedente ſententiâ, qui jam à ſervis Regis exeuntibus captus ad Carthaginem ducebatur.* Fulgentius, qui ordinationem evaſiſſe ſe putabat, latebris egreſſus ſuis, ad Monaſterium revertitur: *Erat adhùc Ruſpe, nobile oppidum, clariſſimis habitatoribus pariſum illuſtre, cui nullus fuerat Epiſcopus ordinatus: quia Diaconus quidam, Felix nomine, qui ambire voluerat honorem Pontificii, repudiatus, in illo loco nec ipſe merebatur, nec alterum recipere patiebatur.* Ipſius quippe ambitioni vires miniſtrabat fratris favor, quo pollebat apud Procuratorem. At ubi auditum, Fulgentium adhùc Preſbyterorum in numero collocari, Ruſpenſes Primatem Victorem in itinere adeunt, ut vicinis Epiſcopis Fulgentium ordinandi licentiam concederet: *Repentè B. Fulgentius dolens oculos, in cella propria reperitur. Invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitur. Inde ad Epiſcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi conſtituitur Pater.* Tum Felix Diaconus ſævire, viamque quâ Fulgentius veniebat obſidere. At ſpiritu quaſi duce alteram viam populus, qui Fulgentium antecedebat ingreſſus, eum in Cathedra collocat. Celebratiſque Sacramentis, Fulgentii de manibus populus Euchariſtiam lætus accepit. Felicem verò revertentem tam clementer Fulgentius excepit, ut poſteà Preſbyterum ordinaret. Is tamen intra annum moritur: Procurator autem qui ipſi patrocinabatur, ad penuriam redigitur. Porrò Fulgentii mores, diſciplinamque non mutavit Pontificalis apex. Sui ſemper ſimilis, non precioſa veſtimenta quæſivit: non quotidiana jejunia prætermiſit: non orario, ſicut Epiſcopi utebantur: non zonâ precioſâ, ſed pelliceo cingulo cingebatur. Carnibus perpetuò abſtinuit, & vino, quo modico urgente duntaxat valetudine utebatur. Vix tantùm Ruſpenſis Eccleſiæ Præſulem ſalutaverat, cùm mandatis regiis ex ejus amplexibus ſinuque divellitur. Comitantibus & Clericis, & Laicis Carthaginem ducitur, nuduſque corpore navem aſcendens, in Sardiniam pellitur: *Sexaginta & eo amplius Epiſcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua, & ingenium beatus Fulgentius Epiſcopus fuit.* Hinc liquet, accuratam Baronii

Fulg. Vit. c. 16. &c.

Error Baronii.

Chronologiam non eſſe, qui Fulgentii exilium in annum DIV. contulit.

Anno Dom. 509.

ANNO U. C. 1262. OLYMP. 322. PER. JUL. 5222. JUL. 554. DOM. 509. ANASTAS. 18. & 19. THEODORIC. 17. *Sol.* 14. D. *Lun.* 16. *Indict.* 2. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 4. *P.* 00. *Mart.*

Cos. *Importunus.*

Incendium Conſtantinopoli.

I. INcendia Regiam urbem frequentiſſima depaſcebant, quorum & vices labente anno experitur: *Orto Auguſtâ urbe incendio, utramque porticum à foro Conſtantini uſque ad Perdica tenuiſſimam ſtatuam ignis in pulverem redegit. Portus Juliani undis ſunt, totalibus machinis prius exhauſtus, cænoque effuſo purgatus eſt.*

Marcellin.

Alamundari in Palæſtinam impetus.

II. Alamundarus Sicices accepto in Saracenos Imperio, impetum cum ſuis in Palæſtinam fecit. Eâ excurſione Monachis non minima clades illata, quam in vita Euthymii Cyrillus narrat: *Barbari incurſione factâ, & magnâ ſolitudinis parte depopulatâ & vaſtatâ, everterunt ipſa quoque Agarenorum tabernacula, quæ non ita pridem eis magnus fixerat Euthymius. Deinde horum inſigniores alia ſibi excitant circa Monaſterium Martyrii Monachi, & Templa erigunt. At Barbari ſecundâ in eos iterum uſi expeditione, alios quidem interimunt, alios verò abducunt captivos, aliquos autem in alia oppida compellunt, nempe eos, qui ex inopinato ſuperiore hoc periculo evaſere, cùm magna & admodum gravis illic fuiſſet hæc Barbarorum incurſio.*

Eut. Vit. c. 125. 307.

Arelatum Franci obſident. Cæſarius in carcerem conjicitur.

III. At in Occidente Gallia Francorum armis atque Gothorum, inter ſe certantium miſerè lacerabatur: *Mammo Dux Gothorum partem Galliæ deprædavit*, teſte Mario Aventicenſi. Ex altera parte Arelatum Franci expugnare conabantur. Protracta eſt in annum uſque ſequentem obſidio, quâ perdurante virtus Cæſarii calumniæ telis exponitur. Rem ſic exequitur Cyprianus Tolonenſis: *Francis & Burgundionibus urbem Arelatenſem obſidentibus, Alarico Rege à fortiſſimo Chlodoveo in conflictu perempto, Theodoricus Italiæ Rex miſſis Ducibus ſuis in eam Provinciam ingreſſus erat. In hac ergo obſidione Monaſterium, quod ſorori ejus S. Cæſaria, & cæteris virginibus conſtruebatur, magna ex parte deſtructum eſt, tabulis, & cænaculo Barbarorum ferocitate direptis & everſis. Cùm autem vir Dei laborem, quem ipſe accelerari juſſiſſet, ſuâque manu, & ſudore promoviſſet, ſubrui videret, gemino quodam dolore correptus eſt. Tunc enim Clericus quidam, civis & cognatus ejus ſe captum iri metuens, juvenili levitate permotus, funiculo ſeſe noctu è muro ſubmiſit, & proximâ luce ultrò ſe dedit hoſtibus urbem obſidione prementibus. Quod ubi Gothi, qui erant intra oppidum, compererunt, incurrunt in ſanctum virum. Populus, & in primis Judæi impotenter inſultant: motâque ſeditione vociferantur, Antiſtitem urbis prodendæ causâ concivem ſuum ad hoſtes noctu ablegaſſe. Itaque ex Eccleſiæ domo extrahitur Antiſtes, atque in Palatio arctiſſima cuſtodia traditur, ut noctu in Rhodanum demergatur, aut certè in caſtro Ugernenſi detineatur, donec exilio mulctatus, prolixiores det pœnas.* Tantis in periculis conſtituto Chriſti numen affert auxilium. Judæorum unus, qui civitatis in muro excubias agebat, ligatam ſaxo Epiſtolam in hoſtium caſtra conjicere conatur. Expreſſo & nomine & religione ſuâ, illos hortatur, ut noctu eo loco, quo ipſi

ipſi excubarent, ſcalas admoverent, eâ conditione, ut pro tanto beneficio id redderent Judæi, ne quiſquam eorum aut caperetur, aut rerum ſuarum jacturam faceret. Inventa ab obſeſſis Epiſtola palam publicèque profertur. Judæus proditionis manifeſtæ convictus, meritas dat ſanguine pœnas: præſentique ſupplicio Cæſarius liberatur.

ANNO U. C. 1263. PER. JUL. 5223. JUL. 555. DOM. 510. ANASTASII 19. & 20. THEODORIC. 18. *Sol.* 15. *C. Lun.* 17. *Indict.* 3. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 5. *P.* 21. *April.*

COS. *Anitius Manlius Severinus Boetius, & Eutharicus.*

Incendium Conſtantinopoli.

I. IN urbe Regia ignis, quaſi factis à ſe tot incendiis ſuperbus, vires adhùc exercuit ſuas. Flammis correpta ſtatuarum una, quæ ornamento erat, partibus ſuis mutilatur. Eaſcribamus Marcellinum, qui notabiliora Orientis ſummatim refert: *Simulacrum æneum in foro Strategii, ſuper fornicem reſidens, & rerum copia Fortuna reſidens, incendio proflammatum eſt, combuſtumque amiſit brachium, quod tamen ſtatuarii continuò ſolidarunt. Apum Patricius exulatus eſt. Conſtantinus olim Magiſter Militia, Epiſcopus Laodicea ordinatus.*

Epocha Theodorici in Hiſpania.

II. Labente anno incepit Epocha Theodorici in Hiſpania regni, quam nonnulla Concilia adhibuere. Tarraconenſis Synodus *habita eſt anno ſexto Theodorici Regis*, Conſule Petro, qui anno DXVI. aperuit. Anno ſequente Gerundenſis celebrata eſt *anno VII. Theodorici Regis*, Agapeto Conſule.

Regulorum Principatus invadit Chlodoveus.

III. Clodoveus, qui in rebus celebratiſſimis ore omnium verſabatur, creſcente Imperio ſuam & ambitionem creſcere unà ſentiebat. Vicinos habebat Regulos, quorum & Principatus ſuo adjungi voluit. Ambianenſes regebat *Chararicus*, qui pugnante adverſus Syagrium Chlodoveo evocatus ad auxilium, neutri favens, rerum expectarat eventus. Cum altâ mente repoſita maneret injuria hæc, patrem filiumque dolis captos, vinctoſque totondit, *Chararico* inter Preſbyteros, filioque ejus inter Diaconos allecto. Dum ſortem pater ſuam luget, generoſiori animo filius mœrentem ſic genitorem ſolatur: *In viridi ligno hæ frondes ſuccifa ſunt, nec omninò areſcunt, ſed velociter emergent, ut creſcere queant. Utinam tam velociter, qui hæc fecit intereat.* Quæ Chlodovæi ad aures ut pervenere, juſſit utrumque capite plecti: ac ſubinde defunctorum & regna, & theſauros ſibi comparavit. Eâ prædâ Chlodovæi ambitio irritata, Regnacarii, qui Cameraco imperabat, regno inhiat. Farronem effrenis luxuriæ hominem, qui ipſius erat à conſiliis, Regnacarius adeò ordebat, ut ſi quid ſibi vel muneris, vel cibi offerretur, ſolens diceret, *Hoc ſibi, ſuoque Farroni ſufficere.* Quo Magnates offenſi, acceptis à Francorum Rege armillis æreis, quæ aureâ ſuperficie tegebantur, Principi ſuo moliuntur inſidias. In Chlodoveum ſuos Regnacarius exercitus tranſtulerat, cùm ad eorum cladem fugæ ſe mandat. At comprehenſus ab exercitu, ligatis poſt tergum manibus, cum Richario fratre ad Chlodovæum adducitur. Cui ille: *Cur humiliaſti genus noſtrum, ut te vinciri permitteres? melius enim tibi fuerat mori.* *Et elevatam ſecurim capiti ejus defixit.* Subinde ad Richarium converſus: *Si tu*, inquit, *auxilium fratri tribuiſſes, alligatus utique non fuiſſet.* Quem & ſimiliter ſecuri percuſſit. Quibus defunctis proditores demum intelligunt, aurum, quod à Rege acceperant, adulteratum eſſe. Quomobrem cùm deceptos ſe fuiſſe quererentur, id reſponſi tulerunt: *Meritò tale aurum accepit, qui Dominum ſuum ad mortem propriâ voluntate deducit.* Defunctorum frater *Rignomeris*, qui Cenomanenſi urbi dominabatur, clementiore Chlodoveo non utitur, cujus & mandato occiſus eſt. Sic affinium ſuorum ſanguine reſperſus, eorum theſauris regniſque potitur.

Greg. Tur. l. 2. c. 42.

Inſidiæ ſtruuntur Macedonio: tumultus à Monachis Conſtantinopoli excitatur.

IV. Ad ſe nunc nos vocant res Eccleſiaſticæ. Macedonius Conſtantinopolitanus Præſul, dum Sacrorum Vaſorum Cuſtodem agebat, commendatam ſibi ab Euphemio deceſſore chartam ſervaverat, quâ Anaſtaſius pollicebatur, illibatam ſe fidem retenturum, nec novi quidquam in Eccleſiam invecturum, ſi imperii compos fieret. Poſtquam Epiſcopatum adiit Macedonius, cautionem Anaſtaſius ſibi ſuam reddi voluit, ne Imperio contumelia fieret, ſi ſcriptum ejuſmodi in ſcriniis Eccleſiæ reconderetur. Anaſtaſii petitionibus ſtrenuè reſiſtenti Macedonio parantur inſidiæ. Ferunt Anaſtaſium ab eo flagitaſſe, ut Chalcedonenſem in Synodum anathemata torqueret. Joannes quippe Præſul Alexandrinus auri libras duo mille ſe Imperatori ſoluturum ſpoponderat, eâ conditione, ut Chalcedonenſem Synodum damnaret. Anaſtaſius inſtans Macedonium urgebat, ut Jozoni communicaret, qui Synodum nec reſpuebat, nec probabat. Cui totis viribus Macedonium obſtitiſſe dicunt, profeſſum nemini ſe communionem impartiturum ſuam, qui pro Magiſtro Concilium Chalcedonenſe non haberet. Fortè duccoti cum Severo Monachi regiam urbem ingrediuntur: *Quos cùm honorificè Imperator excepiſſet, incipiunt illi turbas movere. Ergo Schiſmatici cum perditorum turba mercede conductâ, die Dominico ingreſſi ſunt in ædem Archangeli, quæ eſt in palatio. Cùmque Pſalta hymnum Ter ſanctum canerent, ipſi cum appendice illa, Qui cruciſixus es pro nobis, reſpondentes cecinerunt. Sequente idem Dominicâ in magna Eccleſia idem fecere, cum baculis ingreſſi. Populus verò zelo ſuccenſus, primò quidem voce tenus clamantibus reclamare, & conviciantibus convicia regerere cœpit. Poſteà verò plagis eos ac verberibus affecit. Poſt hæc Imperator apertè Macedonium impugnant, nunc Schiſmaticis Monachis, nunc Magiſtratibus autor fuit, ut turpibus conviciis inclamantes, Epiſcopum appeterent.* Ac plebs cum liberis & uxoribus, adjunctis etiam ſibi Orthodoxorum Monachorum Præfectis, per vicos urbis conclamabat: *Chriſtiani, tempus adeſt martyrii, nemo Patrem deſerat.* Conviciabantur Imperatori, Manichæum illum vocantes. Tunc Imperator metu perculſus, portas Palatii undique occluſit, & navigia palatio admoveri juſſit ad fugam capeſſendam. In eo metu conſtitutus, ſecurus juramenti, ſe nunquam in conſpectum Macedonium admiſſurum eſſe, miſſis ex palatio nonnullis eum hortatur, ut ad ſe ſalutandum accederet. Proficiſcentem clamoribus ſuis populus proſequebatur: *Patrem noſtrum nobiſcum habemus.* Milites prætereà Scholarum Palatii, per quos tranſibat Macedonius, cum fauſtis acclamationibus exceperunt. Tandem verò cùm ad Anaſtaſium veniſſet, eum tanquam hoſtem Eccleſiæ coarguit. Atque ille objurgationi acquieſcere

Theodor. l. 2. 562.

quieſcere viſus, placabiliorem ſe præbens, cum Eccleſia, Macedonioque communionem habuit. Simulatio hæc erat, cujus exitus anno proximè ſecuturo docebitur.

Anno U. C. 1264. Per. Jul. 5224. Jul. 556. Dom. 511. Anastas. 20. & 21. Theodoric. 19. *Sol.* 16. B. *Lun.* 18. *Indict.* 4. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 6. *P.* 4. *April.*

Coss. *Felix & Secundinus.*

Felix Conſul. Quis?

I. Qui annum aperuit Felix, vir erat multis virtutibus inſignis, quas veluti tranſmiſſam, à parentibus hæreditatem habebat. Anno ſuperiore cùm deſignabatur Conſul, Anaſtaſio Imperatori à Theodorico fuerat commendatus: *Felix à Conſule ſumat annus auſpicium*; quæ ad Conſulis nomen alluſio non eſt illepida: *Dignus planè largitatibus noſtris, qui in ipſa pueritia flore maturis moribus lubricam frenavit ætatem. Amborum judicio dignus eſt eligi, qui tantis faſcibus mereretur augeri.* Felicem quoque & ſuis, & avitis meritis inſignem fuiſſe, Senatui teſtatus eſt. Ex Gallia porrò *Felix* ortum ducebat. Hinc Theodoricus ad Anaſtaſium: *Agnoſcat Curia Tranſalpini ſanguinis decus.* Matrem habuit, nomine *Attisam*, religioſam mulierem, quæ in Eccleſia S. Laurentii aliquid operis conſtruxerat, additis carminibus:

Caſſiod. Var. l. 2. ep. 1.

Attica Felicis Magni clariſſima conjux
Sumptibus hoc propriis ædificavit opus.

Filius erat *Magni Felicis* maximâ charitate cum Sidonio Apollinare conjuncti, cujus ad ipſum eſt excuſatorium, ne, quod petebatur, carmina ſua in unius libri formam redigeret:

Sidon. carm. 9.

Dic, dic, quod peto, Magne, dic amabo,
Felix nomine, mente, honore, famâ,
Natis, conjuge, fratribus, parente.

Error Baronii.

Magnus Felix Conſulis pater Patricium egerat, & Prætorio Præfectum. Purpuram tamen Conſularem nunquam induit, quod perperàm perſuaſum Baronio ex verbis Theodorici ad Senatum: *In ore rumoris eſt, quondam Felicis adhùc vivere Conſulatum.* Atqui Magnus Felix priuſquàm ad Conſulatum perveniret, pater ejus religioſam vitam amplexus erat. Hinc de Fauſto Gennadius: *Scripſit ad Felicem Præfectum Prætorio, & Patriciæ dignitatis virum, filium Magni Conſulis, jam religioſum, Epiſtolam ad Domini timorem hortatoriam.* Ampliſſimi quidem Magiſtratus meminiſſet Gennadius, ſi Magnus Felix eo functus fuiſſet. Avitum ergo Conſulatum innuit Theodoricus verbis laudatis, ut ex ſequentibus apparet: *Cujus ut antiquam proſapiam, ſatiati veterum copiâ tranſeamus, eſt adhùc in oculis omnium candidati nobiliſſimus pater.*

Bar. An. 511. n. 1.

Caſſiod. Var. l. 2. ep. 3.

Theodorici conceſſa Arelatenſibus indulgentia.

II. Conceſſâ Arelatenſibus indulgentiâ, Theodoricus liberalitatem oſtendit ſuam. Biennio Francorum, Burgundionumque obſidionem pertulerant: quâ ſolutâ, fortiſſimis civibus, qui in defendendis mœniis ſuis deſudarant atque allaboraverant, tributa remiſit: *Arelatenſibus*, inquit, *qui noſtris partibus perdurantem glorioſæ obſidionis penuriam pertulerunt per Indictionem quartam, noſtra relaxat humanitas, ita ut futuro tempore ad ſolitam redeant functionem. Injuſtum eſt, ut viles pecunias exigamus ab illis, qui glorioſas conſcientias obtulerunt.*

Caſſiod. Var. l. 3. ep. 32.

Mors Chlodovei.

III. Tot regnorum helluo Chlodoveus necdum ſatiatus videbatur. De illorum fortunis, qui fortè defunctorum mortem lugebant, novos extruere theſauros cogitabat. Mirus ergo ſimulandi artifex de conſanguineis, quos interfecerat, dixiſſe perhibetur: *Mihi, qui tanquam peregrinus inter extraneos remanſi, væ, & non habeo de parentibus, qui mihi, ſi venerit adverſitas, poſſit aliquid adjuvare.* Quæ doloſè proferebat, ut ſi quem adhùc vivum reperiret, interficeret. Intereà pietati inſerviebat, imperato Turonenſi Concilio, cujus Canones mox referemus. Nondum annus elapſus erat, cùm vitæ morbo eripitur: *His ita tranſactis, apud Pariſios obiit, ſepultuſque in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat. Migravit autem poſt Vocladenſe bellum anno quinto. Fueruntque omnes dies regni ejus triginta anni. Ætas tota quadraginta quinque anni.* Obiit igitur vel labente, vel inſequente anno. Neutram ſanè Chronologiam Gregoriana verba reſpuunt, cùm Vncladienſis pugnæ annus, ut pars quinquiennii numerari queat. Menſe Julio vitam adhùc retinebat, ut ex Synodica Aurelianenſium Epiſtola colligitur. Probabile eſt admodum, Chlodoveum labentis anni Novembris die XXVII. ad fata veniſſe, quo etiamnum anniverſariæ pro defuncto preces Lutetiæ in Cœnobio S. Genovefæ, ubi is ſepultus eſt, celebrantur. Baronius ſupremum Chlodovei annum illum putat, qui Chriſti eſt DXIV. Quæ Chronologia cum Gregoriana militat. Anno DVII. Anaſtaſio III. & Venantio Coſſ. Vocladienſis pugna commiſſa eſt. Quòd ſi ad annum uſque DXIV. vitam retinuiſſet Chlodoveus, anno non quinto, ſed *ſeptimo* poſt prælium Vocladenſe occubuiſſet. Sed & Chronicum Sancti Vincentii Metenſis præſenti anno Chlodovei mortem affigit, obſervante clariſſimo Sirmondo. Neque ratione Baronianâ movemur, ex ultimo B. Martini anno petitâ, qui ſupremum Chlodovei diem annis CXII. anteceſſiſſe dicitur, cùm hoc argumenti in falſo fundamento nitatur, quòd nempè Martinus anno CCCCII. exceſſerit. Obiit ſanctus ille Turonum Antiſtes anno CCCXCVII. Ut Gregorianos numeros biennii in mendo cubare ſit concedendum. Neque ſibi conſtat Baronius, qui Gregorii autoritate utitur ad probandam Chronologiam ſuam: *Cùm anno quinto ab occubitu Alarici, Regis Gothorum, Chlodoveum ex humanis deſiiſſe teſtetur Gregorius Turonenſis, qui totidem annos numerat à prælio Vocladenſi, nullum relinquitur dubium*, anno DXIV. *Chlodoveum eſſe defunctum.* Scilicet pugnam Vocladienſem Baronius ipſe in anno DVII. collocavit. Quo admiſſo, ante annum DXIII. Chlodoveus concedere debuit. Gloriæ multum fortitudine ſuâ Rex ille ſibi comparavit. Hinc Dagoberti in Epitaphio apud Fortunatum:

Greg. Tur. l. 2. c. 40.

Error Baronii.

Bar. An. 514. n. 21.

Belligeri veniens Chlodovei gente potentis.

Ambitione tamen ſplendorem virtutum ſuarum non minimum defloravit. Defuncti uxor *Chrotildis Regina poſt mortem viri ſui Turones venit. Ibique ad Baſilicam S. Martini deſerviens, cum ſumma pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata eſt omnibus diebus vitæ ſuæ, rarò Pariſios viſitans.*

Greg. Tur. l. 2.

Synodus Aurelianenſis.

IV. A Chlodoveo tempeſtivus ad Synodum Aurelianenſem tranſitus videtur. Jubente Rege *ſexto Idus Julias*, Felice Conſule celebratur. Interfuere Epiſcopi duo & triginta, quibus præerat *Cyprianus* Burdegalenſis. Eminebant *Tetradius* Bituricenſis, *Licinius* Turonenſis, *Leontius*

Eluſanus, *Gildaredus* Rothomagenſis, qui Metropolitani erant. Baronius anno DVII. Concilium aſſignat, quadriennii prochroniſmo, quem Felicis Conſulatus refellit, qui multis in Codicibus ab antiquitate non deſtitutis Præſulum ſubſcriptionibus præfigitur. Concilii præfatio hæc eſt: *Cùm autore Deo ex evocatione glorioſiſſimi Regis Chlodovei in Aurelianenſi urbe fuiſſet Concilium ſummorum Antiſtitum congregatum, communi omnibus collatione complacuit, ut hoc, quod verbo ſtatuerant, etiam Scripturæ teſtimonio roborarent.* Canones XXXI. condidere.

Error Baronii.

Canones Aurelianenſes.

V. Primus, Homicidas, adulteros, fures ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi abſtrahi non liceat, nec aliter conſignari, niſi ad Evangelia dictis ſacramentis, de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri. Qui juramentum violarit, a communione Eccleſiæ non ſolum, ſed etiam à Catholicorum convivio ſeparetur. Si reus timore ab Eccleſia diſceſſerit, à Clericis non quæratur. II. Si raptor cum rapta ad Eccleſiam confugerit, & vim fœmina paſſa ſit, ſtatim de poteſtate raptoris liberetur; raptor verò ſerviendi conditioni ſubjectus ſit, aut redimendi ſe habeat facultatem. Si quæ rapta patrem habens conſenſerit, patri excuſata reddatur, & raptor ſatisfactioni ſit obnoxius. III. Servus, qui pro culpa qualibet ad Eccleſiam confugerit, Domino reddatur, eâ conditione, ut juramento pœnæ eximatur. Quam ſi Dominus ei impoſuerit poſtmodum, communione & convivio Catholicorum extraneus habeatur. IV. Nullus ſæcularium ad Clericatus officium promoveatur, niſi cum Regis juſſione, aut Judicis voluntate. V. Oblationes & agri à Rege Eccleſiis conceſſi, reſarciendis Eccleſiis, alendis Clericis, & pauperibus, & redimendis captivis impendantur. Antiſtes, qui officii hujus ſecurus fuerit, publicè à Comprovincialibus confundatur. VI. Si quis ab Epiſcopo, vel de Eccleſia, vel de proprio jure crediderit aliquid repetendum, ſi nihil criminis objecerit, eum pro ſola conventione à communione Eccleſiæ non liceat ſubmoveri. VII. Abbatum, Clericorumve nulli ſine commendatione Epiſcoporum ad Principem venire non liceat, ſecus loci ſui honore, & communione ille careat, donec per pœnitentiam ſatisfecerit. VIII. Servus, ſi neſciente Domino Presbyter, aut Diaconus ordinetur, Epiſcopus, qui conditionem ordinati novit, geminum Domino pretium ſolvet, ſi ſervum neſciverit, qui conſecrationem ejus petierunt, mulctæ hujus erunt obnoxii. IX. Presbyter aut Diaconus, qui crimen capitale commiſerit, & officio, & communione pellatur. X. De Hæreticis Clericis, qui convertunt officium, quo eos Epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, cùm impoſitæ manus benedictione ſuſcipiant, Gothorumque Eccleſiæ eo modo, quo Catholicæ innovari ſolent, conſecrentur. XI. Quicunque ſuſceptâ pœnitentiâ ad ſecularia relabuntur, placuit eos tam à communione, quàm à Catholicorum convivio ſuſpendi. XII. Si Diaconus, aut Presbyter ab altaris communione ſub Pœnitentis profeſſione ſeſe ſubmoverit, exortâ neceſſitatis cauſâ poſcenti baptiſmum miniſtret. XIII. Presbyteri, vel Diaconi *relicta*, quæ ſe cuicunque matrimonio junxerit, niſi à viro ſeparetur, excommunicatione plectatur. XIV. Eorum, quæ in altario Fidelium oblatione conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vindicet, & medietatem diſpenſandam ſibi ſecundum gradus Clerus accipiat, prædiis Epiſcoporum in poteſtate permanentibus. XV. De his, quæ Parochiis, in terris, vineis, mancipiis Fideles offerunt, omnia Epiſcopi in poteſtate conſiſtant. De his, quæ in altario acceſſerint, tertia Epiſcopis pars deferatur. XVI. Epiſcopus pauperibus & infirmis pro facultate ſua victum, & veſtitum largiatur. XVII. Baſilicæ in ejus Epiſcopi, cujus in territorio ſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant. XVIII. Ne frater torum defuncti fratris aſcendat, neve ſe uxoris ſorori audeat ſociare. Si fecerint, Eccleſiaſticâ diſtrictione feriantur. XIX. Abbates in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſemel in anno in loco, ubi Epiſcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant. Reum Abbas ſe futurum eſſe ſciat, qui vagantem Monachum non caſtigaverit, aut alienum ſuſceperit. XX. Monacho uti Orario in Monaſterio, vel *tſangas* habere non liceat. XXI. Monachus, qui poſt acceptum pallium uxori ſociatus, officium Eccleſiaſticum nunquam ſuſcipiat. XXII. Nullus Monachus, relicto Monaſterio, cellulam niſi permittente tam Epiſcopo, quàm Abbate conſtruat. XXIII. Si Epiſcopus vineolas, vel terrulas Clericis, vel Monachis præſtiterit excolendas, nullum Eccleſia præjudicium patiatur, *nec ſecularis Legis præſcriptio, qua Eccleſia aliquid impediat, opponatur.* XXIV. Ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur. XXV. Ut nulli civium Paſchæ, Natalis, vel Quinquageſimæ ſolemnitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe. XXVI. Populus non antè diſcedat, quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. XXVII. Rogationes, id eſt, litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari, ita ut præmiſſum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur. Per quod triduum ſervi, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes carnibus abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis utantur. XXVIII. Clerici, qui ad hoc opus ſanctum adeſſe contempſerint, ſecundum arbitrium Epiſcopi Eccleſiæ ſuſcipiant diſciplinam. XXIX. De extraneis mulieribus Epiſcopi Clericique Canones cuſtodiant. XXX. Quicunque auguria crediderit obſervanda, vel ſortes, quas mentiuntur eſſe Sanctorum, quibuſcunque putaverint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Eccleſiæ communione pellantur. XXXI. Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ, cui proximus fuerit, die Dominico non abſit.

Synodi ad Chlodoveum Epiſtola.

Lab. Conc. 4. 1404.

VI. His conſtitutis, Concilium Regi dirigit Epiſtolam: *Domino ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio Chlodoveo, glorioſiſſimo Regi omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire juſſiſti. Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos, in unum colligi juſſeritis, ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos, quos dediſtis, eâ, quæ nobis viſum eſt definitione reſpondimus. Ita ut ſi ea, quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe judicio comprobentur, tanti conſenſus Regis ac Domini, majori autoritate ſervandam, tantorum firmet ſententiam Sacerdotum.*

Macedonius Epiſ.

VII. At in Oriente Eccleſia Conſtantinopolitana

politana

ANNO DOM. 511.

copatu Conſtantinopolitano ejectus relegatur. Ubi, & quando mortuus eſt.

Evagr. l. 3. c. 32.

Niceph. l. 16. 26.

Theodor. l. 2. 563.

Marcellin. Chron.

Niceph. l. 16. c. 26.

Liberat. c. 19.

Lab. Conc. t. 4. 1413.

politana illorum, qui Macedonio indigoabantur, tragœdiis perturbabatur. *Aſcholium* excitant, qui Præſulem diſtricto gladio impeteret. Quæ injuria læſo clementiæ patefaciendæ occaſionem præbuit, cùm vel inſidiatori munera dari juſſerit. Cæterùm Anaſtaſius, qui periculi metu cum Macedonio gratiæ reconciliationem ſimularat, poſtmodum accuſatores in eum mercede conduxit: *Inducuntur in judicium pueri calumniatores, qui tum ſe, tum Macedonium turpis flagitii accuſarent. Verùm ubi deprehenſum eſt, Macedonio abſciſſa eſſe genitalia, ad alias artes converſi ſunt.* Tunicâ ſubductâ calumniam Macedonius repuliſſe dicitur. Aliud ergo conſilium capit Anaſtaſius. Per Celerem Aulæ Præfectum Libellum confici jubet, in quo omiſſis & Epheſinâ, & Chalcedonenſi Synodo, Nicæna duntaxat, atque Conſtantinopolitana Concilia continebantur, quæ ſe recipere profitetur. Quod cùm Macedonio probaretur, reprehenſione non caruit. Porrò veritus Imperator, ne ſi Macedonium judicaretur, ut innocens à plebe defenderetur: *Noctu violenter eum abduxit Chalcedonem, atque inde Euchaita illum deduci jubet.* Iram Anaſtaſii inflammavit Macedonii conſtantia, qui authenticum Chalcedonenſis Synodi exemplar petenti dare noluit: *Macedonius Auguſtæ urbis Epiſcopus, licet olim Anaſtaſii Imperatoris dolis fallaciiſque circumventus, pravorum teſtimoniis eidem accuſatus, quoniam tomum Sanctorum Patrum apud Chalcedonem ſanctâ dudum ſubſcriptione roboratum, eidem Principi dare diſtulit, ab eodem Euchaita in exilium deputatus eſt.* E veſtigio Acta Chalcedonenſia, quæ paulò ante diſceſſum Macedonius in ſanctiore ara depoſuerat, per hominem, *Calepodium* nomine, furtim ſublata, conciſaque Imperator igni tradit, abductoque damnationis ſententiam miſit. Quantum aſſequi conjecturis datur, exul Neſtorianiſmi poſtulabatur. Rem ſic tradit Liberatus: *Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ab Imperatore Anaſtaſio dicitur expulſus, tanquam Evangelia falſaſſet, & maximè illud Apoſtoli dictum, Quia apparuit in carne, juſtificatum eſt in Spiritu. Hunc enim mutaſſe, ubi habet ὅς, hoc eſt, qui, monoſyllabum Græcum literâ mutatâ, o in ω vertiſſe, & feciſſe ὡς, id eſt, ut eſſet Deus, apparuit per carnem, tanquam Neſtorianus ergo culpatus, expellitur per Severum Monachum.* Hormiſdæ quidem Legatis, Ennodio & Fortunato id in mandatis datum: *Si dixerit Imperator, De Macedonio dicitis, intelligo ſubtilitatem veſtram, Hæreticus eſt, nullâ ratione revocari poteſt, reſpondetis, Domine Imperator, nullum perſonaliter indicamus.* Synodum in urbe regia à Timotheo coactam eſſe, ad Macedonium exauctorandum innuit Libellus Synodicus, quod & vero proximum. Sententiæ latores cùm interrogaſſet, Macedonius an illi, qui ſe damnaſſent, Chalcedonenſem Synodum recepiſſent. Id ubi inficiati ſunt, ſic illos alloquitur: *Si Ariani, aut Macedoniani condemnationis Libellum ad me miſerunt, num recipere eum poſſum?* Quâ ratione fato conceſſerit, eſt ſubjungendum. Hunnis, qui *Saberi* vocantur, per Caſpias anguſtias irrumpentibus, correptus metu Macedonius *Gangram* receſſit. Quod ubi movit Anaſtaſius, miſſis perſecutoribus eum trucidavit. Defuncti corpus in Templo *Callinici* Martyris reconditum eſt, & ſi credere fas eſt, multis miraculis inclaruit. Macedonii fautores gravis perſecutio vexavit. Quidam exilio, nonnulli relegatione, aliqui accuſationibus iniquis, alii bonorum afflictione afflicti ſunt. Multi etiam, qui fugâ ſibi conſuluerunt, Romam pervenere. Obiit Macedonius anno DXV. quo Hunni Caſpias portas ingreſſi, Cappadociam & Pontum vaſtavere, Anthemio & Florentio Coſſ. De Macedonii obitu hæc Libellus Synodicus habet: *Anaſtaſius Macedonium, & Euphemium, quòd ad Gothos confugiſſent, & ipſos invaſiſſent Patriarchas, gladio punivit.*

ANNO DOM. 511.

Niceph. l. 16. c. 26.

Timotheus Macedonio ſuccedit.

VIII. Ejecto Macedonio Timotheum ſufficit Anaſtaſius. Presbyterum & Vaſorum Cuſtodem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ob flagitia ſua turpia ſibi cognomina compararat: *Quippe vulgo Litrobulbus, & Celon vocabatur, ob facta quadam his nominibus reſpondentia.* Die illâ, quæ Macedonii excepit exilium, Timotheus ab Anaſtaſio deſignatus, meridiano tempore ordinatur Antiſtes. Tanto deceſſoris memoriam odio proſequebatur, ut quamcunque Eccleſiam ingrederetur, nunquam Miſſarum ſolemnia celebrarit, niſi prius Macedonii imagines detraherentur. Quin etiam Symbolum Nicænum in ſingulis Collectis recitari præcepit in Macedonii injuriam, quaſi ab eo fuiſſet alienus. Id Symboli anteà quotannis ſemel recitabatur die Dominicæ Paſſionis, dum Epiſcopus baptizandos catechiſmo informabat. Mutationis & aliud attulit ceremoniis Eccleſiæ, quas auxit, pietatis obtentu: excogitatis ſupplicationibus, quæ die Paraſceves fierent in Eccleſia Deiparæ, quæ eſt in Chalcopratiis. Erat tamen inſignis veterator, qui flexile in omnes partes ingenium verſabatur. Exemplo ſit, quod ab eo factum eſt, dum defuncti in locum *Studitarum* Monaſterio præfectum ſubſtituit. Qui ordinandus erat, ingenuè Timotheo faſſus eſt, ordinationem ſe ſuſcipere non poſſe ab homine, qui Synodum Chalcedonenſem anathemate feriebat. His auditis, ſubinde Timotheus, Anathema, inquit, omnibus, qui illam averſantur. Hoc modo, qui conſecrandus erat, ordinationem ſuſcipit. Tum Joannes Archidiaconus, qui Manichæus audiebat, convitiatus Timotheo, quæ dixerat, nunciat Imperatori, qui accerſitum ad ſe Timotheum gravi ignominiâ afficit. At ille dictum negans, exclamat, *Anathema omnibus, qui Chalcedonenſem Synodum ſuſcipiunt.* Quas in Palæſtinam literas miſit, illæ ab Elia Epiſcopo Hieroſolymitano ſuſceptæ ſunt: Macedonii tamen ejectio repudiata fuit. Labente Epiſcopatus ſui ſeptennio Timotheus fato conceſſit, anno ſcilicet DXVII. Anaſtaſio IV. & Agapito Coſſ. Quippe literæ Monachorum Palæſtinenſium, quæ vertente eo anno, vel ineunte DXVIII. ſcriptæ ſunt, Conſtantinopolim pervenere Joanne, regiæ urbis Epiſcopatum adminiſtrante, ut ex vita Sabæ diſcimus: *Exemplar harum precum Patres noſtri miſerunt ad Joannem, qui eo tempore Epiſcopus Conſtantinopoleos, mortuo Timotheo ordinatus fuerat.*

Theodor. l. 2. 563.

Evagr. l. 3. c. 33.

Vit. Sab. c. 57. 320.

Anaſtaſius Archiepiſcopis Orientis iraſcitur. Sabæ ad Imperatorem legatio.

IX. Cùm Synodicis Timothei aſſenſum præbuiſſent Flavianus Antiochenus, necnon Elias Hieroſolymitanus Antiſtes, nec tamen Macedonii depoſitioni aſſentirentur, commoto vehementer Imperatore, magna in utramque Eccleſiam tempeſtas ingruebat. Accerſitum ergo Sabam Elias rogat, ut in urbem regiam proficiſceretur conſervandæ Eccleſiis ſuæ tranquillitati. Septuaginta trium Sabas annorum erat, cum eam legationem ſuſcepit. Eliæ Epiſtola, quâ Imperatorem adiit, erat ejuſmodi: *Selectos Dei ſervos, bonos ac fideles, totiuſque Eremi Principes,*

atque

Anno Dom. 511.

atque in iis Dominum Saban, ſolitudinis noſtræ frequentatorem, gubernatorem & patronum, totiuſque Palæſtinæ luminare miſi ad placandum Imperium veſtrum. Ubi Sabas cum Patribus unà miſſis ad Regiam urbem pervenit, adventu ſuo indicato jubetur ingredi. Omnibus ad locum, qui dicitur Silentiarium progreſſis, qui oſtio præponebantur, omnes admittunt, excepto Sabâ, quem ut mendicum viliſſimum, utpote ſordidis, multarumque ſuturarum centonibus indutum repulere. Intereà Sabam quærebat Imperator, quem Silentiarii inventum in angulo, & apud ſe Davidis Pſalmos recitantem, introduxerunt intra velum. Ubi jubente Anaſtaſio Abbates omnes conſedere, quæſitum à Saba, quare is, qui nil cupiebat, tantum moleſtiæ in itinere conficiendo ſuſcepiſſet. Cui Sabas: *Huc veni ad adoranda pietatis veſtræ veſtigia, dum adhuc ſum in hocce corpore: deinverò, ut exorem vos pro ſancta Dei Urbe Hieruſalem, ſanctiſſimoque ipſius Archiepiſcopo, quo ſanctis regionis noſtræ Eccleſiis pacem donetis, Sacerdoteſque earum abſque turbatione maneant. Nam per pacem Eccleſiarum dum in quiete degimus, in qua virtutes excoli ſolent, noctu, dieque pro veſtra ſerenitate preces ſundemus, ut veſtris acquieſcentes legibus.* Ad hæc Imperator juſſit mille nummos afferri, quos Sabæ offerens, dixit: *Accipe hos, Pater, & pro nobis ora.* Cùm porro Sabæ placuiſſet, in urbe Regia hyemem transigere, id ei lubenter conceſſum. Non accurata eſt Baronii Chronologia, qui Sabæ in Regiam urbem adventum anno inſequenti alligat. Natus erat Sabas menſe Januario, Theodoſio XVII. Conſule, Dom. CCCCXXXIX. proindeque Sabæ LXXIII. cum Dionyſiano DXI. æquis penè paſſibus graditur.

Vit. Sab. c. 50. & c. 199.

Synodus Sidonenſis.

X. Intereà Orientis Epiſcopi juſſu Imperatoris Sidone Concilium celebrant. Quippe Anaſtaſius per *Eutropium* Tribunum Flaviano, & Eliæ mandaverat, ut apud Sidonem coactâ Synodo, *anathematiſmis Chalcedonenſem ſubjicerent.* Pauca ſunt, verùm triſtia Conventus hujus monumenta, de quo Marcellinus in Chronico: *Redintegratâ Anaſtaſius pravitate, infamem & irridendam Synodum apud Sidonem civitatem, cujus de nomine in ridiculis nomina præponuntur, octoginta fermè perfidorum Epiſcopis adverſum Orthodoxorum Epiſcopum fieri imperavit.* Prudentiâ Flaviani atque Eliæ, quæ in fidem fabricata erat, machina diſſolvitur: *Cùm Flavianus, & Elias Patriarcha Sidonem veniſſent, literaſque blandas, ac diſpenſatorias ad Imperatorem miſiſſent, Synodumque Sidoniam, quæ contra rectam fidem congregata fuerat, diſſolviſſent, ad proprias Sedes revertuntur.* Anaſtaſio ſcribunt, in Synodo hæreſes omnes novi aliquid adverſus fidem inducentes, rejectas eſſe. Nec admiſſa quoque geſta Chalcedonenſia, propter exorta inde ſcandala. Sic eluſa Hæreticorum conſilia. Viderit ergo Baronius, ubi legerit, *Flavianum Sidone ab impiis fuiſſe damnatum.* Id ſanè Imperator non prætermiſſet in ſuo cum Saba colloquio. Neque in Synodico Libello vola eſt aliqua latæ à Sidonio Conventu Flavianæ damnationis: Synodum, inquit, *Elias re infectâ dimiſit. Quapropter Patriarchis vehementer Imperator ſuccenſuit.*

Lab. Conc. t. 4. 1414.

Vit. Sab. c. 56.

Bar. An. 512. n. 29.

Anno U. C. 1265. Per. Jul. 5225 Jul. 557. Dom. 512. Anastas. 21. & 22. Theodoric. 20. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 19. *Indict.* 5. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 22. *April.*

Anno Dom. 512.

Coss. *Paulus & Mucianus.*

Synodum Sidonenſem ſolvit Anaſtaſius. Eliæ Hieroſolymitano iraſcitur: placatur à Saba.

I. DUm Sabas Conſtantinopoli commoratur, ad ſe accerſitum eum ſic Imperator alloquitur. Elias Archiepiſcopus propugnatorem ſe Chalcedonenſis Synodi conſtituit, quæ nefariam Neſtorii opinionem ſuffragio firmavit ſuo. Neque id ſolum, ſed Flavianum quoque Antiochenum ſuam in ſententiam perduxit. Quæ doctrina cùm à Concilio Sidonenſi anathemate percutienda foret, ſolus ipſe prohibuit, re cum Flaviano compoſitâ. Sed & ſibi illuſum quæritur Anaſtaſius ab Eliæ Epiſtola: *Omnem hæreſim, quæ adverſus rectam fidem novi quidpiam inducit, rejicimus, nec admittimus etiam, quæ Chalcedone geſta ſunt, propter ſcandala inde exorta.* Quibus cum deceptum ſe fateretur Anaſtaſius, Synodum infecto negotio dirimi juſſit. Subjungit autem: *Verùm non latuit nos, neque nunc, neque prius, quando Decreta, per quæ Euphemius, & Macedonius Neſtoriani depoſiti ſunt, aſſentiri recuſavit, quòd Chalcedonenſis Concilii, totiuſque Neſtorianæ hæreſeos propugnator ſit. Quocirca eum nos rides, decernimus Epiſcopatu expelli, hominemque orthodoxum, ſanctâque illâ & Apoſtolicâ Sede dignum promoveri, ne venerabilia illa quæque Deum ſuſceperunt loca, dogmatibus Neſtorii inquinentur.* Tum Sabas Archiepiſcopi ſui innocentiæ patrocinatus, profeſſus eſt, ipſum Cyrilli Alexandrini dogmata ſpirare, iis inimicos anathemate percutere: ac tum Neſtorii diviſionem, tum Eutychis confuſionem ex æquo rejicere. Itaque Imperatorem rogat enixius, ne Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſtatus perturbetur, expulſo Præſule. Quibus ſedatus Imperator, contemplatione Sabæ nil adverſus Eliam conſtitutum iri pollicetur. Egreſſus ab Imperatore ſenex ad Auguſtam Ariadnem adiit, quam poſt impertitam benedictionem hortatur, ut patris ſui Leonis Auguſti fidem intemeratam retineat, atque tueatur. Cui illa, *Rectè mones, bone ſenex, ſi eſſet qui audiret.* Fugiendo urbis tumultum Sabas Rufini in Suburbio apud *Demoſtratum* migrat habitatum. Poſt aliquot dies iterum accerſitus ab Imperatore pro Hieroſolyma ſupplicat. Qui Palæſtinæ tributa colligebant publicani, auri libras centum, quæ ab egenis ſolvi non poterant, in Hieroſolymitanos rejecerant: quo factum, ut ſancta reſurrectio, venerabiles loci, eorumque incolæ deſeriberentur. Hoc oneroſum vectigal ſupprimi Sabas cùm petiiſſet, precibus ejus ceſſit Anaſtaſius. *Zoticum* Præfectum Prætorio vocatum jubet, tributum auferre è Palæſtinæ ſcrinio, & Sanctæ Urbi eam indulgentiam concedere. Eo impetrato Sabas rogat, ut in Palæſtinam dimitteretur: *Acceptiſque de manu Imperatoris aliis mille nummis, ad Palæſtinam enavigavit, menſe Maio, VI. indictionis.*

Vit. Sab. c. 52. p. 301.

Seditio in Flavianum Antiochenum. Relegatur Petrus.

II. Cùm Eutychianorum ſpes Flaviani, Eliæque literis concidiſſet omnis, in furorem excitantur. Factionis Ductores *Sotericus*, & *Philoxenus* Hierapolitanus ad iram movent Imperatorem, quaſi Patriarcharum fraude deceptus fuiſſet: *Unde acceptâ quam volebant poteſtate, multum auri Antiochenæ plebi tribuendo, variis modis Flavianum affligunt.* Tragœdiam lachrymis dignam

Vit. Sab.

fuſius

ANNO DOM. 512.

ſuſiuo exequitur Evagrius, Philoxenus Monachos regionis, quæ Cynegica dicitur, & quotquot in prima Syriarum Provincia Sedes habebant, ad ſeditionem cùm excitaſſet, illi ſubitò Antiochiam irrumpunt cum maximo tumultu, ut Chalcedonenſem Synodum & Leonis Epiſtolam anathemate damnaret: *Quod cùm Flavianus agrè admodum ferret, & Monachi maximo impetu inſtarent, plebs inſurgens adverſus Monachos, plurimos eorum interfecit, adeò ut ingens eorum numerus Orontem fluvium pro tumulo ſortitus ſit. Accidit & aliud quidpiam, priore illo nequaquam levius. Monachi enim Syria Cœles, qua nunc ſecunda Syria appellatur, cùm impenſè faverent Flaviano, propterea quòd is in Monaſterio quodam, quod ſitum erat in agro, qui Telmognus dicitur, monaſticam egiſſet vitam, ſubitò Antiochiam advolarunt, ut Flavianum defenderent: ita ut tum quoque non exigua evenerint mala.* Tanti tumultus in Flaviani caput cecidere. Sede ſuâ pulſus, *Petras* oppidum in finibus Palæſtinæ ſitum relegatur. Exilii ſui comitem habuit Joannem Paltenſium Antiſtitem: *Flavianus Antiochia Catholicus Patriarcha, & Joannes Paltenſium oppidi Pontifex, quoniam hunc cœtum ſacrilegum refellerant, in caſtellum, quod Petra dicitur, exules miſſi ſunt. Ibi Flavianus Confeſſor Chriſti in Domino requievit.* Ejecto Flaviano, Severus ſub menſem Novembrem anni labentis ſufficitur, de quo poſtmodum tractabimus, ut unâ ſerie ſceleſti hominis res exhibeantur.

Evagr. l. 3. 34.

Marcellin. Chron.

III. Dum bonorum virorum in gemitu lætantur Eutychiani, atque triumphant, defectione *Mama* ipſorum gaudio luctu miſcentur. Erat *Mamas* Monachorum *Apoſchiſtarum* circa Eleutheropolim Archimandrita, qui unà cum Severo Conſtantinopolim adverſus fidem anno circiter DX. profectus erat. Quem cum eodem Severo acerbius contendentem hortatur Sabas, ut relicto Acephalorum errore, cum Eccleſia ſeſe copularet. Monitis ejuſmodi compluribus adhibitis Sabas illum adducit ad Eliam Hieroſolymitanum: tantumque ſuis perſuaſionibus valuit, ut admiſſô Synodo Chalcedonenſi, communionem Eccleſiæ amplecteretur: *Eutychem ac Dioſcorum anathemate percuteret, multoſque ſuo exemplo ad idem faciendum perduceret. Quod non mediocriter Imperatorem in Eliam concitavit.*

Mamas ad fidem convertitur.

Vit. Sab. c. 55.

IV. Intereà nullum furori ſuo modum Anaſtaſius ponebat, qui regiam urbem dolore luctibuſque implebat. Quartâ Novembris, feriâ primâ hymno Trinitatis cùm verba malè ſana addita fuiſſent, in ſeditionem itur, quam verbis Marcellini referemus: *Die Dominico, dum jubente Anaſtaſio Caſare per Marinum, perque Platonem in Eccleſia pulpito conſiſtentes, in hymnum Trinitatis Deipaſſianorum quaternitas additur. Multi Orthodoxorum priſtinâ voce pſallentes, perfidoſque præcones clamoribus objurgantes, in ejuſdem Eccleſia gremio caſi ſunt, ductique in carcere perierunt. Alterâ nihilominus die in atrio ſancti Theodori, majori cæde Catholici pro fide unica perculſi ſunt. Quapropter commota Orthodoxorum agmina die ſequenti, id eſt, VIII. Idus Novembr. in quo die memoria cineris, dudum totam Europam tegentis, apud Byzantios celebratur, in forum Conſtantini undique confluunt. Quorum alii quidem, cæteris die noctuque hymnum Trinitatis Chriſto Deoque pſallentibus, totam peragrant civitatem, & Anaſtaſii Caſaris monaſtico habitu aſſentatores ferro flammiſque interimunt. Alii claves portarum, omniaque ſigna militaria ad forum, quo religionis caſtrametati fuerant, deferunt, ibique Anaſtaſio Caſare in proceſſibus degente, Areobindam ſibi Imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde, ſtatuiſque Anaſtaſii in terram dejectis, Celerem & Patricium Senatores ad ſe ſupplicandi ſibi, vel ſatisfaciendi gratiâ miſſos, jactu pluvia inſtar lapidibus repulerunt, domibus Marini, & Pompeji ſuccenſis. In Circum ad Anaſtaſium venientes, & ante ſuum ſolium conſiſtentes, hymnum Trinitatis juxta morem Catholicorum concinentes, coruſcanſque Evangelium, Crucemque Chriſti ferentes, è ſere plurimi convenerunt; Marinum Platonemque, pravitatis ejus autores, feris ſubjici, conclamantes: Hos cives idem Anaſtaſius Caſar ſolitis perjuriis, ſimulatiſque vocibus, ſeſe facturum cuncta promittens, tertio die quàm in forum advenerant, ſine ullo rerum effectu ad ſua fecit habitacula repedare.* Fallitur tamen Autor Chronici, qui Conventum Sidonienſem ſeditioni poſteriorem eſſe tradit; cujus finem Anaſtaſius Sabam prius docuerat, quàm labente Maio Palæſtinam repeteret. Seditionis hujus meminit etiam Evagrius. Tanto plebs furore agitabatur, ut reperto ruſtico, qui in ædibus Marini Syri monaſticam vitam excolebat, caput amputat, quaſi ejus conſilio Triſagium fuiſſet immutatum; cruentum verò caput conto præfixum circumferens, illudendo clamabat, *Hoſtem Trinitatis illum eſſe.* Quin etiam Imperator, neceſſitate compulſus abſque diademate ad certamen, quod in Circo edendum erat, acceſſit, præconeſque ad populum miſit, qui proclamarent, ſe quidem Imperio libentiſſimè cedere, verùm fieri non poſſe, ut omnes imperarent. Quibus auditis, repentè populus conſilio mutato, hortatur Anaſtaſium, ut coronam capiti imponeret, pollicitus ſe deinceps quieturum.

Conſtantinopolitana ſeditio ob addita verba Symbolo.

Marcellin. Chron.

Evagr. l. 3. c. 44.

V. Cùm multa gravia Eccleſiæ Orientis paterentur, officii eſſe ſui Symmachus exiſtimavit afflictis admonitionis aliquid adhibere. Efficit igitur ad Orientales Epiſtolam, ex qua hæc illuſtrandæ hiſtoriæ idonea ſuppeditamus: *Nullus ſtupeat, ſervatum hactenùs nos nunc ſolviſſe ſilentium, cùm prudentiſſimi Salomonis iſta vox perſonet, Tempus loquendi, & tempus tacendi, quia taciturnitatem præſens tempus expugnat. Nam inter cætera, qua accidunt, nunc ſilere, nec fidei ſtimulis excitari, magni conſtat eſſe faſtidii.* Propoſitis deinde Neſtorii, Eutychis, Timothei, Acacii, &c. nominibus, nullo ait majora fidei documenta eſſe, quàm ubi temporis ratio ſuadet, vicem ſubdere paſſioni: *Unuſquiſque ergo exilia, & peregrinationes tanquam domum, patriamque reſpiciat, ne deſideriis retentus humanis, Chriſti ſocietate privetur.* Auxilium tamen ſuum negare ſe profitetur vel illis fidei Confeſſoribus, qui in Anaſtaſium pro Chalcedonenſi Concilio pugnantes, cum Acacio communionem retinebant, ſervato in Diptychis ſuis ipſius nomine: *Sicut illos, qui ſe à ſuprà ſcriptorum, hoc eſt, Eutychetis, Dioſcori, Timothei, Petri, & Acacii veneno diſſociant, libenter amplectimur, ita circa iſtorum ſectatores cura & ſollicitudo noſtra, ne ſubrepere poſſint, ſemper invigilat. Data octavo Idus Octobris poſt Conſulatum Felicis viri clariſſimi.*

Symmachus Orientales ſolatur: illis tamen negat auxilium Acacii cauſâ.

Lib. Sym. epiſt. 8.

VI. Aliundè Orientales afflictionum ſub pondere ſuarum gementes, Symmachum rogant, ut ſibi laborantibus in ſubſidium veniat, ſeque in communionem recipiat. Quem ut ad miſericordiam adducant, monent, Cathedram Petri tenen-

Orientales Symmachi implorant auxilium.

ANNO DOM. 512.

tenentem, *debere totum propè plagarum habitabilis mundi* dolore tangi. Paulique ad Macedonum periclitantium ſalutem properantis exemplum imitari: *Tu autem aſſectu ſis in filiis pater non viſione, ſed in veritate ſpiritualibus cernens oculis pereuntes in prævaricatione Patris noſtri Acacii, noli remorari... Si propter Alexandrinorum, aut magis Eutychianorum amicitiam qui averſantur, & anathematizant ſanctiſſimum & beatiſſimum Papam Leonem, vel in Chalcedone Synodum habitam anathematizatus eſt Acacius, quare nos a vobis æſtimamur Hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur ſolam illam Epiſtolam, & quæ dicta ſunt in ſancta Synodo?* Auxilium verò quaſi ſibi debitum petunt: *Feſtina juvare Orientem, ex quo vobis duo grandia dies lumina, Petrum & Paulum, ad illuminationem totius mundi Salvator direxerit.* Proponunt etiam Leonis exemplum, *qui ad barbarum Attilam per ſe currere non duxit indignum.* Symmacho autem magis adhuc feſtinandum eſſe, ut bello occurrat, quod non corpora quidem, ſed animas vaſtat: Epiſtolam denique claudunt ſuam, editâ fidei Confeſſione Catholicâ, quâ auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium, duaſque in una Chriſti perſona naturas profitentur. Nil tamen Orientalium gemitus à Symmacho auxilii impetrarunt, quòd ſuis Acacium tabulis non delerent, quam ferream pectoris duritiem laudare non poſſumus.

ANNO DOM. 513.

ANNO U. C. 1266. OLYMP. 323. PER. JUL. 5226. JUL. 558. DOM. 513. ANASTAS. 22. & 25. THEODOR. 21. *Sol.* 18. F. *Lun.* 1. *Indict.* 6. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *April.*

COSS. *Clementinus & Probus.*

Severus Antiochenus, quis?

I. PUlſo ex Antiochena Sede Flaviano *Severus* Monachus ſufficitur. Patriam habuit *Sozopolim*, unam ex urbibus Piſidiæ. Ac primùm *Beryti* foro operam dederat. Relicto verò juris ſtudio, in B. Leontii venerandi Martyris Eccleſia, quæ in urbe Tripolitana extructa erat, baptiſmum conſecutus eſt. E veſtigio monaſticam vitam amplexus, Cœnobium ingreditur, quod *Gazam* inter & *Majumam* poſitum eſt. Eo relicto in Ægyptum concedens, Monaſterium incoluit, cui præerat *Nephalius*. Ac partibus Eutychianis primùm addictus, in eorum dein caſtra tranſierat, qui Chalcedonenſi Concilio favebant. Fortè quodam die diſputatione habitâ, congreſſus cum Nephalio Severus, Monaſterio ejicitur. Qui mox ad Regiam urbem perrexit, tam pro ſe, quàm pro illis, qui unà expulſi fuerant, legationem obiturus. Hoc modo Anaſtaſii Imperatoris ad notitiam pervenit. Hæc Evagrius ex vita Severi ab Anonymo conſcripta. Diverſa verò Liberatus tradit: *Severus enim ſederat prius in Monaſterio, non ſuſcipiebat Zenonis Edictum, nec Petrum Mongum. Deinde ſedens in Abbatis Romani, & Mammæ, qui poſt eum præfuit, Monaſterio, exinde miſſus eſt permanere Conſtantinopoli Apocriſiarius, & ſit inter eos, qui Petri Mongi erant. Dumque objiceretur ei, quomodo prius anathematizabas Petrum? dicebat, Quia Petrum anathematizavi Apamenum. Hic Severus apud Conſtantinopolim Synodo derogabat, & affirmabat, quia eâ anathematizatâ, omnes communicarent, ita ut ob hoc ſcriberet & ipſi Flaviano, ſicut ejus ſignificantur Epiſtolis, & ad Maronem Lectorem & Eleuſinum & Entbrecium Epiſcopos, & ad Oecumenium ſcho-*

Evagr. l. 3. c. 33.

Liberat. c. 19.

ANNO DOM. 513.

laſticum Iſauriæ. Hæc tamen cum Evagrio forſitan componi poſſunt, ſi poſt expulſum à Nephalio Severum concipiſſe dicamus, Ægypto profectum, in regiam urbem contendere, ut tam ſuam, quàm ſociorum, qui ſecum expulſi fuerant, res ageret. Quibus peractis; alia Monaſteria ingreditur. Anno quidem DX. cum ducentis Monachis in urbe Regia ab Anaſtaſio honorificè ſuſceptus eſt. Ut liqueat, plures apud Imperatorem legationes à Severo obitas fuiſſe. Quarum in ultima conſectaneorum ſibi Orientis Monachorum Apocriſiarium egit. Aſtuto ſimul & ambitioſo homini inerant pravi mores, quos ab adoleſcentia excultos, nec ſacra baptiſmi unda, nec aſcetices diſciplinæ auſteritas extinxerunt. Queſti ſunt Patres in Synodo Conſtantinopolitana, *Severum* in veneficiis deprehenſum fuiſſe, & in civitate Berytenſi Dæmonum cultu profeſſorum.

Severus Antiochenus Præſul creatur.

II. Ejuſmodi indolis hominem, qui Principis ad arbitrium ſeſe fingere paratus erat, Anaſtaſius et aſſuit idoneum, qui nobiliſſimæ Antiochenſium Eccleſiæ præficeretur. Eſt tamen ab eo cautum atque proviſum, ne Severus Concilium Chalcedonenſe anathematibus perimeret. Itaque juramentum ſcripto comprehenſum à Severo accipit, quòd ſi ad Epiſcopatum Antiochenum aſcenderet, Synodum damnationi non ſubjiceret. Juramenti tamen immemor, ipſo ordinationis ſuæ die, conſcenſo pulpito, fautoribus ejus requirentibus, Synodum anathemate ferit. Hic porrò in graviſſimam de menſe Severianæ ordinationis difficultatem incidimus, quam non attenderunt, ne dum ſolverunt viri doctiſſimi: non Baronius, non Valeſius, non Cotelerius, rerum antiquarum peritiſſimi. Novembri Severum ordinatum fuiſſe, legitur in Evagrio: *Ejecto igitur Flaviano, Severus ad Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ promotus eſt, anno urbis Antiochiæ quingenteſimo ſexageſimo primo, menſe Dio, Indictione ſexta currente tunc temporis.* Cyrillus verò in vita Sabæ Severum habente Maio jam Epiſcopatui induit: *Severus exeunte Synodicas ſuas menſe Maio, ſextæ Indictionis miſit Hieroſolymam.* Quòd ſi poſteriores Synodicæ Severi ad Eliam directæ ſunt, Maio habente ſatis intelligitur, Severum, dum Aprilis currebat, jam Antiſtitem egiſſe. Non igitur, uti narrat Evagrius Epiſcopatum ingreſſus eſt, menſe Novembri. Itaque quod pro ſua ſolertia probè clariſſimus intellexit Noriſius, Severi ordinatio anno Dom. non DXIII. ſed DXII. eſt aſſignanda, ſecus pugna Evagrium inter, & Cyrillum maxima foret. Ideo errore verba Evagrii afficeremur, qui VI. Indictionem cum anni DXIII. Novembri copulare non potuiſſet, currente jam ſeptimâ. Annus Epochæ Antiochenæ DLXI. incepit, ante Novembrem anni DXII. ſextâ jam Indictione ſignatum. Quo tempore Pontificatum Antiochenum Severus induit. Quod & Malela teſtatur, qui *menſe Novembri, die ſextâ, anno juxta Antiochenos* DLXI. Severianam ordinationem contigiſſe tradit. Maximi verò ſunt in ea re ponderis, & Evagrii Antiochiæ inquilini, & Malelæ urbis hujus civis teſtimonia, & Marcellino anteponenda, qui Severi ordinationem cum Clementini, & Probi Conſulatu copulat. Denique cùm anno ſuperiore Flavianus Cathedrâ ſuâ pulſus, *Petram* relegatus ſit, non ſatis veriſimile, Anaſtaſium expectaſſe Novembrem anni præſentis, ut Severum Eccleſiæ Antiochenæ Præſulem imponeret.

Theodor. l. 2. 563.

Vit. Sab. c. 56.

III. An-

ANNO DOM. 513.

Severi vis in patronos Synodi Chalcedonenſis. A Coſma excommunicatur.

III. Audiamus nunc Cyrillum, ea quæ proximè Severi conſecrationem excepere, ſcripto mandantem: *Severus arrepto Patriarchatu, multa quidem mala iis, qui nollent cum eo communicare, intulit. Miſſit verò Synodicas ad Archiepiſcopum Eliam, nec admiſſus ad communionem, ad iram commovet Imperatorem. Iterumque eaſdem Synodicas ſuas menſe Maio ſexta Indictionis miſit Hieroſolymam, cum quibuſdam Clericis & Imperatoris copiis. Eâque recognitâ, Sanctus pater noſter Sabas in Sanctam Civitatem aſcendens, unà cum aliis Eremi Hegumenis, tum eos, qui venerant cum Synodicis Severi, à ſacra civitate expulit, tum multitudine Monachorum undique collectâ, ante Sanctam Calvariam cum Hieroſolymitanis clamabant, dicentes anathema Severo, iiſque, qui cum eo communicant, cùm præſentes adhùc eſſent, & audirent Magiſtriani, Duces atque milites, quos miſerat Imperator.* Quantum verò malorum à Severo, ſui nominis viro ſit perpetratum, ut impotenti ſuæ tyrannidi Epiſcopos renitentes ſubjiceret, Monachorum in Epiſtola ad *Alciſonem* Nicopolitanum reperimus. Marinus Beryti Epiſcopus in fraudem inducitur. Alii neceſſitate compulſi, aſſentiuntur Severi Synodicis, quibus Anathema dicebatur & Synodo Chalcedonenſi, & iis, qui duas in Chriſto naturas profitebantur. Nonnulli aſſenſum conſtantiſſimè negant, quorum ex numero *Julianus* Epiſcopus Boſtræ, & *Epiphanius* Tyri, quibus fortitudinis pietatiſque ſuæ cauſa, expreſſâ nominis mentione, debitus honos reddi debuit. Præſulum quoque nonnulli, quorum nomen latet, veritati fidem præſtitere. Quidam ex iis, qui Severo ſubjiciebantur, Epiſcopi & Clerici, relictis propriis Eccleſiis aufugerunt, ex quibus *Julianus* Epiſcopus Boſtræ, & *Petrus* Damaſci, qui Palæſtinorum in Monaſteriis latibula quæſiverunt. Fuere & nonnulli adhùc audaciores, qui ſpreto Severi faſtu, atque faſtigio abdicationis dicam ei ſcripſere. *Coſmas* Epiphaniæ, *Severianuſ*que Arethuſiæ Epiſcopus Synodicis Severi literis commoti, cùm ab ejus communione ſeſe abrupiſſent, Libellum, quo exautorabatur, per *Aurelianum* Epiphanienſis Eccleſiæ Archidiaconum ad ipſum mittunt. Severi potentiam cùm reformidaret Aurelianus, arte officium exequi ſuum voluit. Simul atque Antiochiam venit, amictus muliebri veſte, laſciviendo ad Severum acceſſit. Demiſſoque ad pedes uſque capitis velo, altum gemens, ſpecie Libelli ſupplicis procedenti abdicationem tradit. Arreptâque mox fugâ, ſalutem quærit, priuſquam Severus ſcripta Libelli legendo cognoviſſet. Quæ ubi in ejus notitiam pervenere, ea ſpernens, Epiſcopatum retinuit. Ludicra hæc, nec gravitati Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſatis apta, aut conditioni fidei laborantis idonea. Cæterum ubi Imperatoris ad notitiam pervenit, quid Severo accidiſſet, ſubinde mandat *Aſiatico*, Duci Phœnices, ut *Coſmam* & *Severianum* Sedibus ſuis expelleret, qui abdicationis Libellum Antiocheno Præſuli miſerant. Qui cùm multos Coſmæ & Severiani doctrinæ fautores inveniſſet, urbeſque ſciret pro ſuis Epiſcopis pugnare paratas, retulit ad Anaſtaſium, abſque cæde Epiſcopos pelli non poſſe. Cui cedro digna ea reſcripſit Anaſtaſius: *Nolle ſe quidquam ad exitum perduci, quamvis magnum atque eximium, ſi vel gutta ſanguinis effundenda eſſet.* Errantium tamen monitis extimulatus Imperator, exilium abdicationemque Epiſcopis ſibi obſiſtentibus minabatur. Qui-

Vit. Sab. c. 56. 308.

Evagr. l. 3. c. 33.

Evagr. l. 3. c. 34.

Ibid.

ANNO DOM. 513.

Marcellin. Chronicon.

bus malis Dorotheum optimum Præſulem opportunus eripit obitus: *Dorotheus Ancyræ civitatis venerandus Antiſtes Anaſtaſio Principi propter unicam Orthodoxorum fidem jugiter adverſarius finem vivendi, quem ſibi miſſo contra ſe à Cæſare Magiſtriano ipſe prædixerat, in dicto tempore fecit.*

Severi doctrina.

Vit. Sab. c. 56. 309.

IV. Monſtra benè multa alebat Severi doctrina, quam Cyrilli Scythopolitani verbis referre lubet: *Impiiſſimam, latrociniique maximam Synodum ſecundam Epheſinam recipit, paremque aſſirmat priori, quæ Epheſi congregata fuit, tum æquales in Doctoribus eſſe aſſirmat Dioſcorum, ſeu divinum Cyrillum, Alexandrinorum Epiſcopum ac Dioſcorum, qui ad communionem admiſit Eutychem Hæreticum, ut ejuſdem ſecum ſententiæ. . . Atque ita impietate progreſſus idem Severus in blaſphemiam Dei exacuit linguam ſuam, & in ſuis ſermonibus ac libris unam indiviſamque in Trinitate Divinitatem diviſit. Nam aſſirmans eſſe hypoſtaſim naturam, naturam hypoſtaſim, nullamque differentiam in his nominibus agnoſcens, ſanctam, adorandam, & Conſubſtantialem divinarum hypoſtaſeon Trinitatem naturarum, Divinitatum ac Deorum Trinitatem dicere auſus eſt.* Extant in Severi ſcriptis, quorum fragmenta leguntur Agathonis in Epiſtola, veſtigia doctrinæ ejus: *Severus Hæreticus in proſphonetico ſermone facto in Daphne in Martyrio Sanctæ Euphemiæ ſic ait, Anathematiſamus autem Synodum Chalcedonenſem, ſed & tomum Leonis Præſulis Romanæ Eccleſiæ, & eos, qui dicunt, vel dixerunt in duabus naturis unum Dominum noſtrum J. C. poſt ineffabilem & incomprehenſibilem unitionem, & ſequenter earum duas operationes aut proprietates. Item ejuſdem Severi ad Sergium Grammaticum, ubi ait: Quoniam igitur unus eſt operans, unus eſt ejus operatio & motio operatoria.* Sed & in Lateranenſi Concilio, Secretario v. laudantur verba Severi ex Epiſtola ad Eleuſinium: *Anathematizamus ergo eos, qui in duabus naturis definierunt unum Chriſtum, & ſingularum naturarum opera propria profitentur.* Non eſt tamen diſſimulandum, Severum nil confuſionis in naturis & proprietatibus Chriſti induxiſſe. Quod & fatetur Anaſtaſius Sinaïta, qui Severi verba hæc retulit: *Quemadmodum unius in homine naturæ alia pars eſt anima, alia corpus, ſic & in Chriſto, ejuſque una natura, unam partem eſſe Divinitatem, alteram corpus.* Severo nobiliſſimus Antiochiæ Epiſcopatus committitur, quem quinquiennio adminiſtravit, donec imperante Juſtino eo pelleretur, uti ſuo loco narrabitur. Tantorum errorum fautori Severo Iſauri patrocinabantur. Verùm ad ſanam tandem mentem reverſi, repudiatâ hæreſi Severum cum ſectatoribus ſuis damnaverunt.

Anaſt. Odeg. c. 18. Inſpiciatur & c. 23.

Alamundarus Arabum Dux fidem amplectitur. Severianos rejicit.

V. Dum rebus aſperis Oriens perturbatur, Severique violentia Præſules de gradu dejiciuntur, vertuntur in fugam, aut ad ipſius jugum adiguntur, ecce doloris delinimenta quædam objiciuntur animis. *Alamundarus* Saracenorum Princeps, qui ſuis excurſibus Palæſtinæ Monachos olim vexaverat, Chriſti ad diſciplinam adducitur, quaſi illata ab Eutychianis damna additis fidei novis cultoribus Servatoris gratia reſarciret. Nolebat Severus, tantam ſibi prædam eripi. Duos igitur ad illum Epiſcopos miſit, qui erroris labe eum inficerent. Deo tamen providente factum eſt, ut à Concilii Chalcedonenſis fautoribus Alamundarus ſacris undis ablueretur. Poſtquam igitur Severi Legati doctrinam pietati contrariam ipſius animo inſtillare conati

ANNO DOM. 513.

ſunt, commento non illepido errorem confutavit. Finxit ſe literas accepiſſe, quibus nunciabatur, Michaëlem Archangelum fato functum eſſe. Reſpondentibus id eſſe prorſus impoſſibile, ſubinde regerit, *quonam igitur modo Chriſtus Deus tantùm exiſtens, crucis mortem ſuſtinuit, ſi duas naturas non habuit, cum ne Angelus quidem pati, vel mori poſſit.* Quo dicto Severiani pudore ſuffuſi, inſalutato Alamundaro receſſere.

Theodor. l. 2. 565.

Cæſaria ſoror Cæſarii Monaſterio præficitur. Fratris ad ipſam Epiſtola.

VI. Sequuntur nunc res Occidentis. Erat Cæſario Arelatenſi ſoror, tanto viro digna, quæ ut nomen, ſic & pietatem ejus referebat, *Cæſaria* nuncupata. Cujus tanta apud poſteros fama fuit, ut Fortunati carminibus celebraretur, de *Virginitate* poëmate;

Venant. l. 8. v. 4.

Has inter comites conjuncta Cæſaria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus,
Cæſarii monitis luci ſociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.

Chariſſimæ ſorori Cæſarius Monaſterium extruere cœperat, anno DIX, quod à Burgundionibus, Franciſque, Arelatum obſidentibus everſum fuerat. Ubi Pacis aura captata eſt, renovatum labente anno Monaſterium dedicatur; uti Cypriani verbis colligitur: *Erant conſtitutionis Monaſterii ipſius eo tempore anni pleni triginta, ſexto Kal. Septembrium, & poſt diem dedicationis Monaſterii ſui beatam animam lætus emiſit ad Chriſtum.* Exceſſit Cæſarius anno DXLIII. Dedicatum igitur eſt menſis Auguſti die XXVI. anni præſentis, qui Dom. eſt DXIII. Extant geminæ Cæſarii ad ſororem ſuam Epiſtolæ, poſtquam Monaſterio præfecta eſt. Quarum tempus nos fugit. Prior ſic incipit: *Coegiſti me, famula Dei, ac venerabilis in Chriſto ſoror, de crebris petitionibus extorſiſti potius quàm rogaſti, ut qualemcunque ſermonem exhortatorium tibi ſcribere deberem, non quod ad ſcientiam vel ad perfectionem tibi quidquam conferre poſſim, ſed in quo magis providentiam meam facilè deprehendere queas.* Teſtatur Cæſarius, Cæſariam divinis Voluminibus aſſiduâ meditatione vacare. Itaque optimis pudicum ipſius animum præceptis informat. Præcipuè monet, fictam humilitatem fugere: *Umbram enim hujus virtutis multi, veritatem autem ſequuntur pauci.* Poſterioris Epiſtolæ titulus hic eſt: *Cæſarius Epiſcopus, minimus omnium ſervorum Dei famulus, Cæſariæ ſanctæ ſorori, Abbatiſſæ, vel omni Congregationi ſuæ in Chriſto æternam ſalutem.* Præceptis abundat ad pietatem conducentibus. Pulcherrima ſententia hæc eſt: *Omnia crimina, vel peccata citò ad nos revertuntur, ſi non quotidie bonis operibus expugnantur.* Et paulò infrà: *Veſtes ſæculares deponere, & religioſas aſſumere, hujus horæ momento poſſumus: mores verò bonos jugiter retinere, vel contra maledulces voluptates ſæculi hujus, quamdiu vivimus, Chriſto adjutore laborare debemus.* Contemplatione Monaſterii hujus Regulam Tetrâdecaſſe dicitur, Sanctimonialibus mittendam. Verba hæc ſunt Præfationis: *Sanctis, & plurimùm in Chriſto venerandis ſororibus, in Monaſterio, quod Deo inſpirante, & juvante condidimus, conſiſtentibus, Cæſarius Epiſcopus. Quia nobis Dominus pro ſua miſericordia inſpirare, & adjuvare dignatus eſt, ut vobis Monaſterium conderemus, quomodo in ipſo Monaſterio vivere debeatis, ſecundùm ſtatuta antiquorum Patrum, monita ſpiritualia ac ſancta condidimus, quæ Deo adjuvante cuſtodire poſſitis.* Sequuntur Regulæ præcepta, numero quadraginta tria, quæ Patrum in Bibliotheca Maxima

B. M. P. t. 27. 347.

legi poſſunt. Hæc enim referre noſtri negotii eſt, nec inſtituti.

ANNO DOM. 513.

Symmachi ad Cæſarium Epiſtolæ, quo anno ſcriptæ?

VII. Non Monaſteria duntaxat regere, ſed ex veterum quoque Canonum præſcriptione Epiſcopatum adminiſtrare ſuum Cæſarius cogitabat. Symmachum ergo conſuluit de capitibus nonnullis, quæ Eccleſiæ diſciplinam attinebant atque ſpectabant. Interroganti reſpondet Symmachus, Epiſtolâ *datâ, octavo Idus Novembris, Probo viro clariſſimo Conſule.* Quam Baronius Epiſtolam anno DII. conditam eſſe putat. Ea Binnio Chronologia placuit, Labbeoque in Conciliorum editione. Innituntur verò *Probi* Conſulatu, qui cum *Avieno* Juniore Conſul proceſſit anno DII. Verùm enimverò non perpenderunt animis, Cæſarium nondum Epiſcopatum iniiſſe, ad quem anno duntaxat DIII. promotus eſt. Prætereà moris non erat Pontificibus Romanis Conſule Occidentis prætermiſſo, illum Orientis adhibere conſignandis Epiſtolis ſuis. Sic quæ ad Æonium à Symmacho anno eſt CCCCXCIX. directa, Conſulatu *Paulini*, qui annum 498. cum Joanne Scytha aperuerat, inſignitur. Sic etiam Epiſtola anno DXII. ad Orientales ſcripta, Occidentali Conſulatu notatur, *poſt Conſulatum Felicis.* Similiter, quas Symmachus ad Cæſarium literas anno DXIV. miſit, illæ ſubſcriptionem habent ejuſmodi: *Data III. Idus Junias, Flavio Senatore, viro clariſſimo Conſule.* Ex quo intelligitur, *Probum*, cujus nomen geminis Symmachus Epiſtolis appoſuit, Occidentis quidem, non Orientis Conſulem egiſſe, conſequenterque *Probum* illum eſſe, qui cum Clementino Conſularibus Faſtis inſcriptus eſt, Epiſtolamque, de qua mentio fit, anno non DII. ſed DXIII. eſſe tribuendam. Conſtitutâ noſtrâ de duabus Symmachi Epiſtolis Chronologiâ, ipſarum tenorem ſummatim exhibeamus. Prioris, quæ *ſexta Novembris* eſt exarata, capita ſex numerantur. I. Ut res Eccleſiaſticæ non alienentur, niſi neceſſitas ſuaſerit, ſic tamen, ut non perpetuò, ſed ad tempus poſſeſſores quoad vixerint, perfruantur. II. Ut Clericorum nemo honorem præmio accipiat. III. Ut Laici per gradus ad Sacerdotium promoveantur. IV. Ut raptores viduarum, vel virginum ab Eccleſiæ communione pellantur. V. Ut viduæ, vel virgines continentiam profeſſæ non nubant, *quas annis plurimis in Monaſteriis ætatem peregiſſe contigerit.* VI. Ut nullus per ambitum ad Epiſcopatum accedat. Symmachi Epiſtola poſterior Galliæ ad Antiſtites dirigitur, de Leonis Conſtitutione firmanda Arelatenſem inter atque Viennenſem Epiſcopum: *Valentiam, Tarantaſiam, Genevam, atque Gratianopolim oppida Viennenſis Antiſtes juri ſuo vindicat: nec quidquam amplius, ab his, quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi Sede conceſſa ſunt, aſtimat præſumendum. Alias verò Parrochias vel Diœceſes cunctas privilegio & honore ſuo Arelatenſis Epiſcopus ſub temporum continuatione defendat. Data Idibus Novembr. Probo viro clariſſimo Conſule.*

Erro Baronii.

Symm. Ep. 5.

Symm. Ep. 8.

ANNO U. C. 1267. PER. JUL. 5227. JUL. 559. DOM. 514. ANASTAS. 21. & 24. THEODORIC. 22. *Soli* 19. *E. Lun.* 2. *Indict.* 7. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 3. *P.* 30. *Mart.*

ANNO DOM. 514.

COS. *Aurelius Caſſiodorus Senator.*

I. Mbitio, quæ crebrò nimis pietatis ſibi larvam imponit, ſpecie Religionis magnos

Vitaliani rebellio.

Anno Dom. 514.

gnis in Oriente motus excitat. Aſſuta Triſagio lacinia hæc, *Qui crucifixus eſt pro nobis*, populos extra modum inflammarat: neque rectè utrarumque partium quidem placebat, Chalcedonenſe Concilium, cui venerationem habebant, reverentiam non peperiſſe Anaſtaſii in animo. *Vitalianus* ergo, quem *Scytham* Marcellini Chronicum, *Thracem* verò dicit Evagrius, magno exercitu comitatus ad Regiam urbem properat, cauſatus laboranti ſe pietati in auxilium venire. Audiamus

Marcellin. Marcellinum: *Vitalianus Scytha, aſſumptis Romanorum equitum peditumque plusquam LX. millibus armatorum in triduo congregatorum, auxilio in locum, qui Septimus dicitur, advenit, ibique caſtrametatus eſt, diſpoſitiſque à mari in mare ſuorum ordinibus, ipſe ad uſque portam, quæ Aurea dicitur, ſine ullius acceſſit diſpendio. Scilicet pro Orthodoxorum ſe fide, proque Macedonio urbis Epiſcopo incaſſum ab Anaſtaſio Principe exulato Conſtantinopolim acceſſiſſe aſſerens. Porrò Anaſtaſii ſimulationibus, atque perjuriis per Theodorum interveniens illuſus, atque illuſus, octavo die, quàm urbem acceſſerat, remeavit. Hinc Odiſſum (lege Odeſſum) Myſiæ civitatem Vitalianus perveniens, eſſe ingreſſus eſt. Cyrillum demum magis quàm ſtrenuum militiæ Ductorem, inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem: eumque abſtractum, mox cultro Getico jugulavit, inſtantemque ſe Anaſtaſio Cæſari palam apertèque exhibuit.* Quæ cauſa fuit, cur ad *Hormiſdam* Symmachi ſucceſſorem Anaſtaſius Epiſtolam ſuo loco recitandam direxerit.

Cæſarius Ægidium Romam mittit, ut ſua ſibi privilegia ſerventur.

II. Hormiſdæ mentio monet nos, ut ultima Symmachi Papæ geſta referamus. Cæſarius Arelatenſis ſervandis Eccleſiæ ſuæ privilegiis cùm diligenter incumberet, *Ægidium* Abbatem, nec non *Meſſianum* Notarium in urbem miſit, qui Pontifici Libellum offerrent. Legationi occaſionem præbuit Aquenſis Epiſcopi pertinacia, qui literis Cæſarii, quibus & ad Synodum, & ad ordinationes faciendas vocabatur, detrectabat obſequium. Ut igitur ſarta tectaque remaneret Arelatenſis Antiſtitis autoritas, Symmacho Cæſarii nomine Libellus ejuſmodi porrigitur: *Quantum in omnibus Eccleſiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffuſa ſunt, Apoſtolica Sedes ſibimet vindicat Principatum, & Synodalibus Decretis ſemper ejus præcellit autoritas; tantùm poteſtatis ſuæ proviſione dudum à ſeſe conceſſa, debet inconcuſſa ſervare, quatenus Arelatenſis Eccleſia fruatur privilegiis ſuis, quæ nunc per Antiſtitem Cæſarium ſeriem ſuæ petitionis inſinuat, & quam hactenùs habuit poteſtatem, veſtrâ depoſcit autoritate firmari, ut quod veneranda Sedes quondam perenni Sanctitate cuſtodiri præcepit, & pragmaticis ſpecialiter Decretis ſunt conſtituta, beatitudinis veſtræ præceptis ſuis etiam nunc confirmet autoritas. Aquenſis etiam civitatis Epiſcopum Sanctitatis veſtræ moneri præcipuè conſtitutis, ut dum à Metropolitano Antiſtite Eccleſiæ Arelatenſis, ad Synodale Concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis cauſa eum ſibi poſtulet religio divina neceſſarium, minimè venire fruſtretur.*

Symmachus Cæſarii ditionem amplificat.

III. Petitioni annuit Symmachus, qui Cæſarii quoque ditionem amplificavit, conceſſa ei in Hiſpanias autoritate: *Rationabile eſt, ut ſancta Arelatenſis Eccleſia propriis privilegiis perfruatur, & quod vetuſtas præſtitit, & Patrum autoritas roboravit, nova non debet violare præſumptio. Sit tamen, ut cæterarum Eccleſiarum privilegia temporibus acquiſita non tueamur, quia nec poteſt firmum eſſe, quod generalitati ingerit injuriam. Mandantibus ſiquidem his, quæ Patrum Conſtituta ſingulis Eccleſiis contulerunt, decernimus, ut circa ea, quæ tam in Gallia, quàm in Hiſpania Provinciis de cauſa religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis invigilet. . . . Etſi tam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxta Canonum definitionem vocatus, obtemperare noluerit, noverit ſubdendum ſe, quod non optamus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Et in hac parte magnoperè te volumus eſſe ſollicitum, ut ſi quis de Gallicana, vel Hiſpana regionibus Eccleſiaſtici ordinis, atque officii ad nos venire compulſus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat. . . . Data tertio Idus Junias, Flavio Senatore, viro clariſſimo Conſule.*

Spm. Ep. 10.

Mors Symmachi.

IV. Ultimæ hæ ſunt Symmachi literæ, cujus mors à recentioribus Chronologis, præeunte Pontificali, Julii XIX. affigitur, feriâ ſextâ. Variat Marcellini Chronicum, Hormiſdæ ordinationem in annum DXV. conferentis. Marcellinum tamen refellit Anaſtaſii Imperatoris ad Hormiſdam Epiſtola, *data V. Kal. Januarii, Senatore V. C. Conſule*. Ad eundem quoque Pontificem literas direxit, datas pridie Idus Januarii, Anthemio & Florentio Coſſ. ut in dubium revocari nequeat, quin anno DXIV. Symmachus exceſſerit, licet ſupremus ejus dies ſit in incerto, diffidentibus Catalogis. Catalogus Reginæ Sueciæ, ad exemplar Bibliothecæ Colbertinæ emendatus narrat, Symmachum ſepultum eſſe XIV. Cal. Auguſti, quem Pontificalis aſſignat morti. Labente anno ſui Epiſcopatus XVI. Symmachus ad plures obiit, qui multis ſanè meritorum famæ ſuam commendavit. Manichæorum & ſimulacra omnia, & Codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ cremavit, ipſoſque mulctavit exilio. Baſilicam B. Petro in fundo Paciano dedicavit: *Conſtituit, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum hymnus diceretur Angelicus, id eſt; Gloria in excelſis Deo.* Quod multò pluris faciendum, Epiſcopis Africæ exulibus, ut egentibus miſſâ pecuniâ auxilio fuit: *Omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Epiſcopos, qui in exilio erant retruſi, pecuniam, & veſtes miniſtrabat.* Petri in Baſilica ſepelitur. Ea fuit Epiſcopatûs ejus infelicitas, ut tentata ſæpius reconciliatio Laurentiani diſſidii ad exitum non perduceretur. *Pontif.*

Hormiſda Pontifex creatur.

V. Symmacho Romanus Clerus Hormiſdam ſufficit, *natione Campanum, ex patre Juſto, de civitate Friſione*. Diaconum agebat, cùm Pontificatûs apicem adeptus eſt. Eâ electione populus Clerúſque Romanus ad priſtinam concordiam revocatur, quæ Laurentii tumultu deflorata fuerat. Hanc & ſuo Conſulatui felicitatem Caſſiodorus gratulatur, & Theodorico: *Me Conſule in veſtrorum laude temporum, adunato Clero & populo, Romana Eccleſia tedit optata concordia.* Hormiſdæ inaugurationis diem Baronius *Julii vigeſimum ſextum* eſſe putat. Id quidem tradit Anaſtaſius: *Symmachi*, inquit, *ceſſavit Epiſcopatus dies ſeptem*, quam illuſtriſſimus Purpuratus Chronologiam amplexus, hæc habet: *Clerus Romanus ſeptimo Calendas Auguſti Pontificem creavit Hormiſdam.* Profectò tamen decipitur, cùm Julii XXVI. ſextæ feriæ cohæreret, quæ ex diſciplina hujus ævi Pontificum ordinationibus non erat idonea, utpote die Dominico celebratis. Quòd ſi Julio menſi Hormiſdæ conſecratio eſt aſſignanda, in XXVIII. potius conferri debet. At ordinationis hujus menſis perinde atque dies *Bar. Ann. 514. n. 13.*

 eſt

Anno Dom. 514.

eſt in incerto. Panvinius quidem ei Auguſti XVII. aſſignat. Perperàm utique diem quod attinet, qui Mercurii dicebatur. Satius eſt itaque, & menſem, & diem Hormiſdæ Pontificatus natalem in obſcuro relinqui. Sedit Hormiſda ad Conſulatum uſque *Anicii* Maximi, quo annus Dom. DXXIII. inſignitur: idcòque periit nono ſui Pontificatus anno. Vetus eſt traditio, quam ex Pontificali, & Hincmaro hauſtam, Baronius Binniuſque Lectoribus propinant, ſedente Hormiſdâ veniſſe *regnum cum gemmis precioſis à Rege Francorum Chlodoveo Chriſtiano donum B. Petro Apoſtolo*, coronam ſcilicet auream, gemmis ornatam. Quam ſanè traditionem ad fabulas lubentes relegamus. Id regii muneris, quo Hormiſdam Chlodoveus feriiſſe dicitur, Gregorio Turonenſi ignorabatur: neque ab eo Rege quidem mitti potuit, qui integro triennio prius mortem obiit, quàm infulâ Pontificali Hormiſda tegeretur. Sedente adhùc Symmacho Chlodoveum exceſſiſſe, teſtatur Hermannus Contractus, cujus Chronologiam multa, quæ jam propoſita ſunt, argumenta demonſtrant. Neque doni hujus vel minimum eſt veſtigium Hormiſdæ in Epiſtola ad Remigium, quam impoſtor fabricavit. Argumento Hincmari traditionem necdum extuliſſe caput, cùm ea Epiſtola eſt exarata.

Bar. Ann. 514. n. 14.

Hormiſdæ ad Remigium Epiſtola falſa eſt.

VI. Hormiſdæ literæ complures ſunt, de quibus commemoratio ſuis temporibus eſt inſtituenda. Quæ verò ad Remigium prima numeratur, à nobis nullo loco habetur, & ſi germana, ſinceraque Baronio exiſtimetur, qui integram ſuis Annalibus illam inſeruit, quaſi ornamento futuram. Baronio aſſenſum præbens clariſſimus du Pin, Epiſtolam ad Remigium Hormiſdæ tribuit. Verùm falſitatem adeò ſpirat, ut mirum ſit, emunctas Baronii nares eam non olfeciſſe, Chronologiæque ſuæ labenti anno Chlodovei mortem addicentis Epiſtolam pro fundamento collocaſſe. Epiſtolæ ſumma hæc eſt, quòd Remigio ob præclaram meritorum excellentiam, & nobiliſſimæ Sedis prærogativam vicariam Sedis Apoſtolicæ Præfecturam in Gallia Hormiſda delegarit: *Vices itaque noſtras, per omne regnum dilecti, & ſpiritualis filii noſtri Ludovici, quem nuper adminiculante ſupernâ gratiâ, plurimis, & Apoſtolorum temporibus æquiparandis ſignorum miraculis prædicationem ſalutiferam comitantibus, cum gente integra converiſti, & ſacro dono baptiſmatis conſecraſti, ſalvis privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit antiquitas, præſenti autoritate committimus.* Si Epiſtolæ fides, tum temporis in Chlodoveo vita manebat, quem Hormiſdas *ſpiritualis filii* titulo afficit, qui vivi ſanè, non mortui Principis eſt. Exceſſerat autem Chlodoveus anno vel DXI, præcipiti, vel DXII. ineunte. Prætereà quis ſibi finget, Hormiſdam, qui Chlodoveo coætaneus fuit, Chronologiæ tam hoſpitem, ut anno DXIV. ad Remigium ſcriberet, *Chlodoveum nuper* cum Francorum gente fuiſſe converſum? Chlodoveum, qui anno CCCCXCVI. hoc eſt, Hormiſdæ ante Pontificatum annis XVIII. baptiſmo ablutus fuerat. Tertiò, ſubditam arguit Epiſtolam vox *Ludovici*, quâ Hormiſdæ ævo Chlodoveus non afficiebatur, quem utique Gregorius Turonenſis conſtanter *Chlodoveum* vocat, quo nomine etiam à Remigio, Avitoque deſignatur, & qui Theodorico Regi *Luduin*, non *Ludovicus* appellabatur. *Ludovici* quidem nomen non decet ætatem

Horm. Ep. 1.

Chlodovei. Denique tertio *Idus Junii* Conſule *Senatore* Symmachus Galliæ, Hiſpaniæque Provinciis Cæſarium Arelatenſem præfecerat: Symmachi verba ſunt: *Decernimus, ut circa ea, quæ tam in Gallia, quàm in Hiſpania Provinciis de cauſa religionis emerſerint, ſolertia tua fraternitatis invigilet.* Quis ergo credat, Hormiſdam eodem ipſo anno *per omne regnum* Chlodovei vices Remigio ſuas commiſiſſe, non ſine gravi tam Symmachi, quàm Cæſarii injoria?

Sym. Ep. x.

Hormiſdam ad Heracleenſe Concilium vocat Anaſtaſius.

VII. Ut Conſtantinopoli nuntium auditur, extincto Symmacho Hormiſdam ſucceſſiſſe, ſubinde miſſâ Epiſtolâ Anaſtaſius Imperator eum invitat, ut Synodo Heracleenſi, de qua ad componendas in Scythia fidei quæſtiones congreganda cogitabat, præſentiam fœneret ſuam: *Omnibus negotiis divina res præponenda ſunt. Deo etenim omnipotente propitio Rempublicam & conſervandam & meliorandam eſſe confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de orthodoxa Religione in Scythiæ partibus videntur eſſe commotæ, id ſpecialiter Clementiæ noſtræ placuit, ut venerabilis Synodus in Heracleotana civitate Provinciæ Europæ celebretur. Quapropter Sanctitas tua, cum quibus placuerit, reverendiſſimis Epiſcopis, quos de Eccleſiis ſub ſui Sacerdotii curâ conſtitutis, idoneos & inſtructos erga orthodoxam Religionem eſſe probaverit, ad præfatam Heracleotanam civitatem, intra diem Kalend. Juliarum venire dignetur. Data v. Kal. Januarii Conſtantinopoli, Senatore V. C. Conſule.*

Lab. Conc. t. 4. 1425.

Anno U. C. 1268. Per. Jul. 5228. Jul. 560. Dom. 515. Anastas. 24. & 25. Theodoric. 23. *Sol.* 20. *D. Lun.* 3. *Indict.* 8. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 4. *P.* 19. *April.*

Anno Dom. 515.

Coss. *Anthemius, & Florentius.*

Amalaſuntha cum Eutharico nuptiæ.

I. Amalaſunthæ Theodorici Regis filiæ nuptiis annus celebris evaſit: *His Coſſ. Dominus noſter Rex Theodoricus filiam ſuam, Dominam Amalaſuntam, glorioſi viri Domini Eutharici matrimonio, Deo auſpice, copulavit.* Hæc Caſſiodorus, quæ Jornandis narratione ſunt illuſtranda: *Theodoricus comperit, Eutharicum Wetterichi filium, Beremundi & Thoreſmundi nepotem, Amalorum de ſtirpe deſcendentem, in Hiſpania degere, juvenili ætate, prudentiâ, & virtute, corporiſque integritate pollentem, ad ſe eum facit venire, eique Amalaſuntham filiam ſuam in matrimonium jungit.* Hic eſt ille Eutharicus, qui anno DXIX. Faſtos reſerabit.

Jorn. de Reb. Get. cap. 58.

Vitaliani cum Anaſtaſianis pugnæ. Pax conſtituitur.

II. At Oriens tripudiante Italiâ lugubria induebat, ambitionem novis ignibus ſuam excitante Vitaliano, qui poſt occiſum in Odeſſa civitate Cyrillum, ferro flammiſque cuncta devaſtans, ad Sycas uſque pervenerat. Liceat Marcellini verba referre: *Vitalianus Anaſtaſio Imperatori immanior factus eſt inimicus. Præmiſſis quippe ſuorum equitibus, armatiſque naviculis ſiniſtro ſibi littore decurrentibus, ipſe peditum armis ſtipatus, Syſthenſe prædium ingreſſus eſt, totiuſque loci palatium habuit manſionem.* Ingenti pugnâ dimicatum fuiſſe, Autor eſt Evagrius. Sycas cùm Vitalianus tabernaculum ſuum fixiſſet, *Marinus* Syrus Præfectus Prætorio cum claſſe ab Imperatore mittitur, cum eo pugnaturus. Stabant ambo exercitus ſibi oppoſiti: alter à tergo Sycas habebat, alter Conſtantinopolim: *Poſt aliquot excurſus, & miſſilium utrinque jactus navali prælio acriter commiſſo, circa loca, quæ dicuntur Bytharia,*

Evagr. l. 3. c. 43.

Anno Dom. 515.

rio, Vitalianus converſâ puppi fugam arripuit, cum multo è ſuo exercitu amiſiſſet. Idem factum eſt aliis, qui partes illius ſequebantur tanta cum celeritate, ut poſtridie nemo ex hoſtibus circa Anaplum, aut ad ipſam urbem Regiam repertus ſit. Ad victoriam Anaſtaſianorum non minimum conduxit Procli egregii Mathematici induſtria, quem ex ære ſpecula fabricaſſe ferunt, eaque de muro, è regione hoſtilium navium ſuſpendiſſe. In quæ cùm Solis radii impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem naves hoſtium combuſſiſſe. Eſt tamen creditu difficillimum, vim ſpeculorum ad tanta diffundi ſpatia poſſe. Pugnam pacis fœdus excepit, cujus mentio eſt apud Marcellinum: *Miſſi ſunt ad Vitalianum à Cæſare Senatores, qui pacem cum eo leges compoſuerunt, nongenta auri pondo, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tamen accepit Hypatii. Joannes mille centum auri libris cum Uranio captivo ſibi à ſuis in Sozopoli oblatos. Magiſter Militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium, quem captivum catenatumque apud Acres caſtellum tenebat, reverſus ſuo remiſit avunculo.* Poſt hæc Vitalianus aliquanto temporis ſpatio in Anchialo Ciliciæ civitate commoratus, quiete ſe continuit. Quam Magiſtri Militum dignitatem Vitalianus induerat, diu non retinuit, quâ anno ſequente ſpoliabitur: *Mutatâ fide Anaſtaſius Imperator Vitaliano ſuccedit, eidemque Rufinum deſtinat ſucceſſorem.*

Zonar. l. 14. c. 55.

Marcellin. Chronic.

Evagr. l. 3. c. 43.

Chronic. Marcellin.

Hunni vaſtant Orientem. Portæ Caſpiæ.

III. Eo pacis fœdere Oriens needum quieti redditus eſt, Hunnis, qui per Portas Caſpias tranſgreſſi erant, Provincias Imperii vaſtantibus. Caucaſus mons in multas regiones protenſus, anguſtiis, quibus Portis Caſpiis nomen, dividitur, quas egregiè deſcribit Procopius: *Aſcendenti Iberorum montes ſemita quadam in anguſtias multa, ſtadiis ſupra quinquaginta producitur. Ea ſi quidem via in abrupto quodam, ac penitùs invio loco deſinit. Exitus autem nuſquam apparet, præterquam porta quadam à natura inventa.* Quem locum, ut Barbarorum excurſibus impedimenta opponeret Alexander Magnus, præſidio munierat. Hinc campi ſunt, equis paſcendis apti, æquiſque multis abſque arte referti, quos Hunni incolunt, qui Portarum Caſpiarum, præſidiique ibi extructi potentes, Romanorum & Perſarum in fines quotieſcunque libuit, exibant, uſi equis perniciſſimis. Ea loca, nec non Hunnicos excurſus memorat Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Ecce ſubitò diſcurrentibus nuntiis, Oriens totus intremuit: ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupiſſe Hunnorum examina.* Imperante Anaſtaſio *Aribanares* Hunnis præerat, qui labente anno Imperii in regiones exundant. Graviſſimus Barbarorum impetus ille fuit: *Bis eumpoſitum Hunni Armeniâ tranſmiſſâ, totam Cappadociam depopulantes, uſque Lycaoniam pervenerunt.* Addit & Victor Tunnenſis, *Galatiam, Pontumque* graviter vexatum.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 7.

Hieron. Ep. 30. c. 3.

Marcellin. Chron.

Mors Ariadnes Auguſtæ. Num affecta hæreſi?

IV. In novo luctu Oriens fuit Ariadnes Auguſtæ Imperatricis obitu, quæ in regia urbe annum communem amiſit: *Ariadne Auguſta, ſexaginta annis in palatio exacto, vitâ deceſſit.* Defunctæ memoriam multis Baronius labefacit, cui *nequiſſima fœmina eſt, malorum omnium conciliatrix, in detrimentum Eccleſiarum omnium.* Cur Auguſtæ honori tantum labis inferat, jure ſcimus cum ignariſſimis. Ariadnem rectæ fidei potius quàm errori faviſſe, ex vita Sabæ colligimus: *Egreſſus ab Imperatore ſenex ad Auguſtam Ariadnam introiit, eamque poſt benedictionem impertitam hortatus eſt, ut fidem Sancti Patris ipſius, Leonis Magni Imperatoris tuendam ſuſciperet. At illa dixit ei, Bene mones, bone ſenex, ſi eſſet qui audiret.* Si malorum, quibus Orientis Eccleſia vaſtabatur, Ariadne fons omnium fuiſſet, neque impertitâ prius benedictione, Sabas ad patrocinium fidei ſuſcipiendum illam hortatus fuiſſet, neque ea reſpondiſſet, quibus aulæ pertinaciam ſe dolere teſtabatur. Obiere quoque tum Euphemius *Ancyræ*, & Macedonius *Gangræ*. Sic qui & Epiſcopatum Conſtantinopolitanum adminiſtrarant, & exilio è regia urbe ab Anaſtaſio Imperatore, ejecti fuerant, majore adhuc caſuum ſimilitudine eodem quoque anno mortem invenerunt. Quæ de Alexandrinis & pueris, & mulieribus, dum à Dæmonibus vapulant, latratum edentibus, Græci recentiores memorant, fabulis propiora videntur. Qui narrationum ejuſmodi, quas patulis faucibus Baronius ſorbet, cupidus eſt, Miſcellaneam adeat Hiſtoriam, l. 16. atque Cedrenum.

Marcellin. Chron.

Bar. Ann. 515. n. 48.

Anno Dom. 515.

Vit. Sab. c. 53. 301.

V. Eccleſiæ res ingrediamur. Anno præterito ad componenda religionis diſſidia Hormiſdæ Anaſtaſius ſcripſerat Auguſtus, ut ad Heracleotanam civitatem, quos vellet Epiſcopos mitteret, qui Synodo ad menſem Julium congregandæ intereſſent. Placuit Imperatori, ea ipſa de cauſa literas iterum dirigere, *pridie Idus Januarii* confectas. Ac primùm cùm rupto ſilentio Pontificem adeat exponens, ſubjungit: *Ante hoc ſi quidem duritia earum, quibus Epiſcopatus, quem nunc geritis, erat ſollicitudo commiſſa, temperaremus à tranſmittendis facichat Epiſtolis. Nunc autem currens de vobis ſuavis opinio ad memoriam noſtram, bonitatem paternæ affectionis adducit, ut illa requiramus, quæ Deus & Salvator noſter Sanctus Apoſtolos divino ſermone docuit, ac maximè B. Petrum, in quo fortitudinem Eccleſiæ ſuæ conſtituit. Hoc igitur præfatis initiis hortamus, ut ad ea quæ de Scythiæ partibus mota ſunt, unde & Concilium fieri convenire perſpeximus, mediatorem ſe Apoſtolatus noſter faciat, ut contentionibus amputatis unitas ſanctæ reſtituatur Eccleſiæ.* Miſſa per Patricium Epiſtola v. Kal. Aprilis ſuſcipitur. Reſponſum dedit Hormiſdas pridie Nonas Aprilis, lætari ſe de proſperitate Imperatoris, confidereque ad integratam unitatem Eccleſiam revocari poſſe: hanc quidem perpetuam deceſſorum ſuorum orationem fuiſſe; de Concilio congregando mentem ſibi ab Imperatore expoſitum eſſe; *De qua re, inquit, tunc planiſſimum poterimus præbere reſponſum, cùm cauſam Congregationis vos volueris evidenter cognoſcere.* Acceptis Pontificis Epiſtolis, reſcribit Imperator, Reipublicæ in commodum cedere, *ſi negotiis omnibus orthodoxæ fidei cauſa præponatur.* Deſideratur quidem Epiſtola; quam verò ei reſponſionem dedit Hormiſdas, ea extat inter ipſius Epiſtolas: *De his verò* (Pontificia verba ſunt) *quæ pro Synodali Congregatione præcepiſtis, quid fieri oporteat, per fratres, & Coepiſcopos meos, qui properè ſubſequuntur, gloriæ veſtræ inſinuanda mandavi. Data VIII. Idus Julii.* Hormiſdæ quoque ſcripſerat Vitalianus, religionis amorem præ ſe ferens, cui ferendam Legatis quoque ſuis Epiſtolam dedit.

Mediatorem rebus Scythiæ Hormiſdam conſtituit Anaſtaſius.

Hormiſd. Ep. 2.

Hormiſd. Ep. 4.

VI. Qui Conſtantinopolim mittebantur, illi quinque numero fuere. Ennodius Ticinenſis, Fortunatus Tudertinus Epiſcopi, Venantius Presbyter,

Legatis Hormiſdæ data mandata.

ANNO DOM. 515.

byter, *Vitalis* Diaconus, & *Hilarus* Notarius, quibus de ratione agendi cum Imperatore Monitorium, quod ad amuſſim ſequerentur, creditum eſt. Scilicet ut Græcorum Epiſcopos, qui vellent Legatis occurrere, quâ decet veneratione ſuſciperent: cùm invitantibus tamen ad convivia non accumberent, ea reſponſuri: *Orate, ut primùm myſticam illam menſam mereamur habere communem, & tunc nobis erit iſta jucundior.* Victualia ſi quæ offerant, ne ſuſcipiant. Poſtquam Conſtantinopolim pervenerint, ſecedant ubi ordinaverit Imperator: quem prius ſalutant, quàm ulli dent ad ſe veniendi licentiam, *præter quos pietas ejus miſerit.* Intra palatium admiſſi ſic Anaſtaſium ſalutando compellant: *Salutat vos Pater veſter, Deum quotidie rogans, & interceſſionibus Sanctorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli veſtrum regnum commendans, ut Deus, qui vobis tale deſiderium dedit, ut pro cauſa Eccleſiæ mitti, & conſulere ipſius beatitudinem diligeritis, ipſe & perfectionem tribuat voluntatis.* Poſt lectas ab Imperatore literas, dicant ſe ad Vitalianum literas Pontificis habere, quas ſi petierit Imperator, id ſibi à Papa inhibitum eſſe teſtentur. Nil in eis contineri, niſi preces Anaſtaſii *ad pietatem directas*, ut accommodet *animum pro unitate Eccleſiæ*, poſſe ſecum jungi *perſonam, quâ præſente tradita ſibi litera relegantur.* Quærenti, *Hoc tantùm eſt, quod in literis continetur?* Reſpondeant: *Simplex eſt S. Papæ legatio, & omnibus nota ipſa ejus petitio, ipſa preces, ut Conſtituta Patrum non corrumpantur, ut Hæretici de Eccleſiis removeantur, præter iſta legatio noſtra nil continet.* Urgeant præcipuè, ut Chalcedonenſe Concilium admittatur cum Leonis Epiſtola: *His adjicite preces, & lachrymas, rogantes, Domine Imperator, conſiderate Deum, ponite ante oculos futurum ejus judicium.* Neque rerum ſuarum negligens Hormiſda; qui præcautum in Commonitorio atque proviſum ivit, ut Epiſcopi Romani autoritas amplificaretur: *Si Imperator dixerit, Sine Epiſcopo debet eſſe civitas mea? Hoc vobis placet, ut ubi ego maneo, Epiſcopus non ſit? Reſpondendum, Prædiximus duarum perſonarum intentionem eſſe in civitate. . . . Multa ſunt remedia, multa inventa, per quæ pietas veſtra ſine communione eſſe non poſſit. Si dixerit, Quæ ſunt iſta remedia? Reſpondebitis, Suſpenſa cauſa de aliis Epiſcopis, perſona quæ conſentit Confeſſioni pietatis veſtræ, & Conſtitutis Sedis Apoſtolicæ: interim uſque ad eventum cognitionis teneat locum Conſtantinopolitani Sacerdotis, ſi cum Dei adjutorio voluerint ſe accommodare Sedi Apoſtolicæ.* Hâc arte Conſtantinopolitani Pontifices ex nutu, & autoritate Papæ pendebant, dum ille dignitate ſuâ excideret, qui cum Hormiſda communione non conjungeretur, aut placitis ipſius negaret aſſenſum. Ne verò, quia moris erat, à Conſtantinopolitano Præſule ad Imperatorem Epiſcopos adduci, à Timotheo Legati introducerentur, dicere jubentur: *Mandata talia nobis dedit, & præcepta, pater pietatis veſtræ, ut ſine aliquo Epiſcoporum clementiam veſtram videamus:* quòd ſi inopinatè *Timotheus* colloquio adfuerit, apertè dicant, ſuggeſtionibus ipſorum præſentem eſſe non poſſe.

Epiſtola Hormiſdæ ad Anaſtaſium.

VII. Habebant & Legati literas Anaſtaſio reddendas, quarum ſumma hæc fuit. Novum eſſe, Pontificem ab Imperatore ad Concilium vocari; ſe tamen iturum, ſi Chalcedonenſis Concilii Decreta in dubium non revocentur: *Licet in his nullum ſeculi præcedentis exiſtat exemplum, neque ſenioris facti qualitas, aut commiſſa libris, aut memoriis inſerta teneatur, nihil ad nos, quibus dulce eſt beneficio Dei, Pietate veſtrâ invitante, inchoare meliora, & hoc, quod non accepimus à parentibus tam clari operis inſtitutum, nobis ipſis imponere, quia totum pro redintegratione fidei, & Eccleſiarum pace facere libenter amplectimur, ſi tamen majorum noſtrorum definitio, & Sanctorum Patrum in ſuis radicibus inconcuſſa permaneat.* Hanc etiam conditionem proponebat, ut Dioſcori, Eutychii, Timothei, Petri, Acacii memoria deleretur. Data eſt Epiſtola III. Idus Auguſti.

ANNO DOM. 515.

Hormiſd. Ep. 5.

Hormiſdæ Capitula Græcis oblata.

VIII. Subſcribenda Orientalibus Capitula hæc Legati obtulerunt. I. Ut Synodus Chalcedonenſis, & Epiſtolæ Leonis Papæ ſerventur. II. Conſentientes etiam Epiſcopi in Eccleſia, præſente plebe Chriſtianâ prædicent, Amplecti ſe ſanctam Chalcedonenſium fidem, & Epiſtolas S. Leonis Papæ, quas ſcripſit contra Hæreticos, Neſtorium, & Eutychem, & Dioſcorum, vel etiam contra ſequaces eorum, Timotheum Ælurum, Petrum, vel contra eos, qui in ipſa cauſa tenentur obnoxii, ſimul etiam & Acacium, qui quondam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus; Petrum etiam Antiochenum anathematizent propriâ manu. III. In exilium pro cauſa Eccleſiaſtica deportatos, ad audientiam Sedis Apoſtolicæ revocent, ut judicium de his haberi poſſit. IV. Si qui ſacræ Sedi Apoſtolicæ communicantes, fidem prædicantes, fugati ſunt, vel in exilio detinentur, ante omnia revocentur. V. Ut ſi contigerit Libellos porrigi adverſus Epiſcopos, qui perſecuti ſunt Catholicos, de his judicium Sedi Apoſtolicæ reſervetur. Sic Eccleſiæ Orientalis ruinis quaſi gradibus ad ſplendorem autoritatis Romana Sedes aſcendebat.

Lab. Conc. t. 4. 1419.

Acaunenſis Monaſterii dedicatio.

IX. Labente anno Gundobadi, Burgundionum Regis inditione dedicando *Acaunenſi* Monaſterio Synodus celebratur. In dubium quidem Synodus revocari nequit, cùm & more teneretur conſecrandis Eccleſiis, Monaſteriiſque Præſules cogi; & ſuperſunt etiamnum fragmenta concionis, quam in Acaunenſis Monaſterii dedicatione Alcimus habuit Avitus, Viennenſis Epiſcopus. Concionis hic eſt titulus: *Dicta in Baſilica Sanctorum Acaunenſium, in innovatione Monaſterii ipſius, vel paſſione Martyrum.* In fragmentis verò legitur: *Multa ſunt, piiſſime Præſul, in tribunali, aliquibus junior, in altario, omnium prior; multa ſunt, inquam, in operibus tuis, quibus nos hactenùs gratias debuiſſe dicamus. Dicati donis pauperes verbis percepimus magna, pauca perſolvimus. Ornaſti Eccleſias tuas gazarum cumulo, numero populorum: ſtruxiſti ſumptibus, quæ muneribus cumulares altaria. Nunquam quidem contulimus verba virtuti: ſed cùm ad præſens Pſalmiſonum ſolemne perventum eſt, parum puto, ſi dicam, verba noſtra viciſti hodie inſuper, & opera tua.* Cætera in loco laudato inſpiciantur. Tempus verò dedicationis hujus Marius Aventicenſis ignorari haud patitur, dum tradit in ſuo Chronico: *Florentio & Anthemio Coſſ. Monaſterium Acauno, à Rege Sigiſmundo conſtructum eſt.* Itaque gravis eſt Baronianis in Annalibus error, in quibus Acaunenſe Monaſterium anno DXVI. fundatum eſſe dicitur, decennii & eo amplius metachroniſmo. Concilio adfuiſſe Epiſcopos LX. in monumentis legitur: *Domino noſtro Sigiſ-*

B. M. P. t. 9. 594.

Error Baronii.

Bar. Ann. 516. n. 44.

mundo

Anno Dom. 515.

Lab. Conc. t. 4. 1561.

mundo Pio ſub die pridie Calendis Maii à L X. *Epiſcopis, totque Comitibus habito Concilio in Dei nomine Agaum. Maximus* Genevenſis, *Victor* Gratianopolitanus, *Viventiolus* Lugdunenſis, *Umbdemarus* Comes, aliique Aulici monumentis ſubſcripſere, ſub die Idus Maii. Quod tamen mirandum præteritus Avitus, qui & Archiepiſcopus erat, & concione in ea dedicatione habitâ plurimum eminebat.

Chronicum S. Benigni de Acaunenſi Monaſterio.

Lab. Conc. t. 4. 1828.

X. Cur à Sigiſmundo hoc Monaſterii fuerit extructum, narrat Chronicom S. Benigni Divionenſis, cujus verba referre juvat: *Sigiſmundus filium, nomine Sigericum, quem ex priore conjuge habebat, noverca inſidiis juſſit interfici, unde poſteà pœnitentiam agens, Monaſterium Sanctorum Acaunenſium miri operis conſtruxit. Cùmque ibi in orationibus perſiſteret, jejuniis & eleemoſynis intentus, revelatum eſt ei ab Angelo, ut ad inſtar cœleſtis militiæ pſallendi choros inſtitueret. Quo divinitùs accepto conſilio, Epiſcopos & alios religioſos viros conſuluit, utrum ſalubriter cogitaret. Quâ interrogatione Sanctis Antiſtites inter ſe ventilatâ, licet inuſitatum opus, tamen Domino annuente unanimiter corroboraverunt.* Condendi Monaſterii cauſas has fuiſſe prædicant. Synodi verò monumenta Theodorum Sedunenſem Epiſcopum talia dicentem inducunt: *Inſtantia cordis mei eſt, ut proferat ſermonem veſtris ſalubribus conſiliis, quid agendum ſit, de Beatorum Martyrum corporibus, id eſt, Mauritii, cum ſuis commilitonibus, qui pro Deo à Maximiano perempti ſunt, & inhumati jacent. Neſcio quis ſit homo, qui prævaleat, ſecundum merita eorum, ſingulis fabricare Eccleſias?* Tum Rex Sigiſmundus in fletus erumpens, ac illuſtris certaminis gloriam coronæ ſuæ anteponens, ſic Antiſtites alloquitur: *Auxiliante Deo videte, quo modo honorificè accipiant ſepulturam.* Qui communi conſilio Regem ſic alloquuntur: *Viſum eſt nobis bonum eſſe, ut hi tantùm, quorum nomina comperta ſunt, id eſt, Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, infra ambitum Baſilicæ, quam clementia Regis ad hoc opus ornare juſſit; reliqua verò corpora congerantur, in tutiſſimo loco atque aptiſſimo, in uno condantur loco, & ſub eximia cuſtodia ſanctiſſimi cuſtodes deputentur, ne fortè, quod abſit, falſato ex eis furentur; & conſtituatur officium pſallendi, die noctuque indeſinenter.* Monaſterio verò præficiunt *Hymnemondum*, qui cum Acino, Ambroſio, Proto, & ſanctis viris, qui de *Monaſterio Granenſi venerant*, officium & pſallendi, & ſacras exuvias cuſtodiendi ſuſcepere. Quæ ad victum veſtitumque Monachorum requirebantur propter aëris inclementiam, Abbatis creduntur arbitrio. Multa ſancti Mauritii Monaſterio prædia Sigiſmundus dono dediſſe dicitur.

De Acaunenſi Monaſterio Chronicum ſubditum eſt.

X I. Ut de Acaunenſi Monaſterio noſtram nunc ſententiam oſtendamus, Florentio quidem & Anthemio Coſſ. & conditum, & Synodum eo dedicando coactam eſſe, perſuaſum habemus, Autoribus & Alcimo Avito, & Mario Aventicenſi. Quas verò ſtatuendi Monaſterii hujus cauſas memorat S. Benigni Chronicum, cædem Sigerici à genitore ſuo Sigiſmundo patratam, nec non Angelica monita, homicidam ad id operis ſuſcipiendum permoventia, fabulatorum ad nugas relegamus, poſterorum credulitati miſerè illudentium. Profectò ſomnia hæc argumento potentiſſimo prorſus diſcutit Marius Aventicenſis, atque diſſolvit, qui anno D X X I I. ſeptennio poſt extructum Acaunenſe Monaſterium Sigerici mortem alligat: *Symmacho & Boëthio Coſſ. Sigericus filius Sigiſmundi Regis, juſſu patris ſui injuſtè occiſus eſt.* Quî igitur mors Sigerici pœnitenti Sigiſmundo excitandi Acaunenſis Monaſterii præbere occaſionem potuit, Sigerici ante obitum diu conditi? Commentum delet & Gregorius Turonenſis, licet non ſatis accuratè Monaſterii Acaunenſis natale memoret: Sigiſmundus *ad ſanctos Acaunenſes abiens, per multos dies in fletu & jejuniis durans precabatur.* Monaſterii igitur extructionem excepit mors Sigerici. Neque melioris notæ ſunt Synodi monumenta. Quis credat, ſi germana forent, Alcimum Avitum, qui huic Concilio & interfuit, & præfuit, & ſuggeſtum conſcendit, ab illis fuiſſe prætermiſſum? Illa quidem oblivio novitatem ſpirat. Præterea verba ſunt Sigiſmundi in Synodo præſentis: *Ego Sigiſmondus gratiâ Dei Rex Burgundionum, Chriſto auſpice conſideravi unà cum ſuprà dictis* L X. *Epiſcopis & Comitibus de jam dicto Monaſterio, quod vocatur Acaunum, quod nunc Domino adjuvante infra regnum noſtrum Burgundionum conſtruximus.* Quibus luce clarius eſt, Actorum conditori inſitum animo fuiſſe, patrem Sigiſmundi Gundobadum filio jam ſuo deceſſiſſe eo tempore, quo Acaunenſe Monaſterium fundatum eſt. Celebrata quoque Synodus dicitur regnante non *Gundobado*, ſed *Domino noſtro Sigiſmundo Pio.* De Gundobado ſanè ne *μυ* quidem, utpote quem veterator ille, qui Synodi monumenta cudit, jam mortuum putabat. Atqui anno D X V. quo *Monaſterium Acauno* Sigiſmundus ſtatuit, Gundobadus adhuc erat inter homines, nec niſi *Conſule Petro*, anno D X V I. è vita abiit. Neque Sigiſmundus Rex creatur, niſi poſt parentis obitum, ut nos Marius docuit Aventicenſis: *Petro Conſule Rex Gundobadus obiit, & levatus eſt filius ejus Sigiſmundus Rex.* His accedat, quòd incredibilia narret Synodi monumentum. Scilicet Martyrum Thebeorum, quos à Maximiano interemptos dicunt, corpora *inhumata jacere*, nondum donata ſepulchro. Conceſſo Thebeam legionem pro Chriſto ſanguinem fudiſſe ſuum, eone & negligentiæ, & feritatis labente ducentorum, & eo amplius ſpatio Chriſtiani proceſſiſſent, ut ſacris debitam exuviis ſepulturam inviderent?

Anno Dom. 515.

Greg. Hiſt. l. 3. c. 5.

Lab. Conc. t. 4. 1560.

De Illyricana Synodo.

Baluz. Coll. Conc. t. 1. 1466.

X I I. Illyriciano Concilio annum floruiſſe, clariſſimi eſt ſententia Baluzii in nova ſua Conciliorum Collectione: *Conſtat*, inquit, *Synodum eo anno habitam fuiſſe, quo mortua eſt Ariadna Auguſta.* Quid vero geſtum in ea fuerit, nobis ex Anaſtaſio fœnerat: *Sanè Theſſalonicenſi Epiſcopo, communicante ob metum Imperatoris, Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo quadraginta Epiſcopi Illyrici, & Græciæ convenientes in unum, per profeſſionem in ſcriptis factam, ut à proprio Metropolitano diſceſſerunt ab eo, & Romam mittentes, Romano communicare in ſcriptis profeſſi ſunt.* Verùm enimvero cùm in uno *Theophane* Concilii Illyriciani fundamenta collocentur, Autore, res antiquas quod attinet nullius ferè pretii, ſcrupulos ſanè nobis ea Synodus injicit, quam penè pro ſubdita habemus. Quippe extat Epiſtola *Dorothei* Theſſalonicenſis Epiſcopi ad Hormiſdam, data die v. Cal. Aprilis, & per *Patricium* miſſa, quâ Pontificem eximiè laudat, quòd ſervandæ Eccleſiæ unitati invigilet, ſeque cupere ait, ut Hæreticis damnatis, honos Romanæ Eccleſiæ debitus ſervetur. Amantiſſimis ſanè verbis Hormiſdam compellat: *Scribo & alloquor beatum veſtræ Sanctitatis caput, ſignificans* col-

Anno Dom. 515.

collatari nos beata Sedi ſacratiſſimi Petri Apoſtoli, quod tali regitur manu, qua ſuſcepit, non qui bonorem raperet, ſed qui raperetur ab eo, & ſicut ſerme multiplex tradit, & nos ita ſe habere credimus, nutritorem pacis, & rectæ fidei curatorem, & humanitate mentis & caritate, qua circa cunctos eſt, tanquam pretioſis lapidibus coronatum. . . . Scribe igitur, in cunctis beate, tanquam unanimis & optanti animam quoque offerre pro fide orthodoxa, & Eccleſiarum pace ſanctarum, & ut cuſtodiantur veneranda Sedi in omnibus beati Petri convenientia. Dorotheo reſcripſit Hormiſda, ipſius ut pietatem laudaret, atque ſtudium in Romanam Sedem. Fitne igitur veriſimile, à Dorotheo ſic in Hormiſdam animato, Epiſcopos Illyrici convocatâ Synodo diſceſſiſſe, & Romam miſiſſe, ut ſe prorſus ipſius Pontifici adhærere profiterentur? Neque fingi poteſt, poſt ſcriptas literas ſuas *Dorotheum* correptum metu, Timotheo communicaſſe. Quippe timendi minus cauſæ ſuberat poſt ſcriptas literas cum blandiſſima Epiſtola, Hormiſdam ad Synodum de pace conſtituenda invitaret. Præterea *Alcyſoni* Nicopolitano ſuffectus Joannes anno DXVI. hæc ſcribit Hormiſdæ: *Votum autem mihi eſt, veſtram ſequi doctrinam, ſicut inter Sanctos prædeceſſor meus Alcyſon extiterat. Rogo autem plenius atque perfectius, quæ ſervari oportet commonere, & à quibus abſtinere debeam, veſtris cuſtodibus literis intimare.* Hoccine ignorare potuiſſet, ſi anno ſuperiore Illyricanæ Synodi Præſules, repudiato ſuo Metropolitano, Romano ſe Pontifici jungi teſtati fuiſſent? Quin etiam de Illyriciano Concilio altum in Synodica Epiri ad Hormiſdam Epiſtola, profundumque ſilentium. Eſt autem anno DXVI. miſſa. Quid plura? Hormiſdæ ad Synodum Epiri literæ Illyricanam confingunt: *Benedictus Deus, qui maligno inſtigante diviſos ſub eadem, quâ olim fuerunt, facit ſoliditate conjunctos.* Argumento, nil Synodicæ conjunctionis Illyricanis cum Hormiſda fuiſſe, donec Epiri Concilium eam anno DXVI. expeteret, miſſo Rufino Diacono. Laborat ſanè fides, ut Illyricianum Concilium fuiſſe credamus.

Horm. Ep. 3.

Lab. Conc. t. 4. 1438.

Horm. Ep. 8.

Anno Dom. 516.

ANNO U. C. 1269. PER. JUL. 5229. JUL. 561. DOM. 516. ANASTASII 25. & 26. THEODORIC. 24. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 4. *Indict.* 9. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 5. 6. *P.* 3. *April.*

COS. *Petrus ſolus.*

Gundobadi mors. Vitæ ipſius breviarium. Sigiſmundus ei ſuccedit. Scribit Anaſtaſio.

I. GUndobado Burgundionum Regi finem lucis annus attulit. *Gundoves* filius erat, regiis virtutibus non ignobilis. Ereptum ſibi fraternâ proditione regnum recuperarat, Abieno & Pompeio Coſſ. qui in Dionyſianum annum DI. incidit: & ab eo tempore feliciter imperarat, teſte Mario Aventicenſi, ut omninò fabuloſa ſit de Burgundionibus hiſtoria Procopii, nempè Gothos inter & Francos inita eſſe fœdera, ut everſo Burgundionum regno, illud ſibi ſubjicerent. Pacta ut implerent, Franci hoſtibus occurrunt. Tum Theodoricus verbis quidem ad expeditionem ſe parare, de induſtria tamen tempus in belli eventum extrahere futuram fortunam opperiens. Prælio commiſſo, tandem Burgundis fugam maturantibus, Gothi præſentiam ſui faciunt: moram excuſant ex locorum difficultate, pactam pro pœna victoribus pecuniam ſolvunt, terras Burgundionum, uti conventum fuerat, cum Francis dividunt. Hæc Procopius, quæ Petavius anno DVIII. alligat: nos ad commenta relegamus, Autore Mario Aventicenſi, cujus in ea re autoritas illi Procopii procul dubio præponderat: Patricio & Hypatio Coſſ. Gundobadus regnum, *quod perdiderat, cum eo, quod Godegiſelus habuerat, receptum, uſque in diem mortis ſuæ feliciter gubernavit.* Potuitne Procopiana de partito Francos inter & Gothos Burgundionum regno fabula diſertius refelli. Gloriâ ergo ſuâ Gundobadus anno labente ſepelitur. Marium rurſus audiamus: *Petro Conſule Rex Gundobadus obiit, & levatus eſt filius ejus Sigiſmundus Rex.* Fluctuaverat animo Gundobadus, incertus fideine Catholicæ, aut Arii erroribus adhæreret. Cor ipſius perculerat Alcimi Aviti cum Arianorum Antiſtibus Collatio: paternæ tamen religionis tenax, ad extremum uſque ſpiritum Arianiſmum ſpecie ſaltem retinuerat. At Sigiſmundus melior factus, genitoris in ſolio ſecum pietatem collocavit. Hoc teſtatur Ado Viennenſis in Chronico: *Avitus Sigiſmundum Regem in fide pietatis erudivit, quo agente ille poſtmodum Monaſterium Sanctorum Martyrum Agaunenſium, Mauritii ſociorumque ejus conſtruxit.* Ad Sigiſmundi in pietate rudis inſtructionem Avito docente, pertinent verba Agobardi ad Ludovicum Pium: *Avitus ipſo Gundobado in ſua perfidia perdito, ſucceſſorem ejus Sigiſmundum Regem ad fidem Catholicam convertit: in cujus converſione revitavit homiliam, in Populo ſenſuum ſuavitate pleniſſimam, & verborum compoſitione dulciſſimam.* Septennii prochroniſmo Gundobadi obitum, Sigiſmundique ad regnum evectionem Baronius in annum DIX. contulit. Quâ Chronologiâ maximum Annalibus damnum intulit. Sic Epaunenſe Concilium cum anno DIX. copulavit: ſic Acaunenſis Monaſterii extructionem in DXXVI. conjecit. De duello, ut ex latebris veritas prodiret in lucem, conſcripſit Legem Gundobadus, quam in ſuo ad Ludovicum Pium Libello multis Agobardus argumentis refellit. Bellicoſi Principis verba ſunt ad Avitum, certamina ejuſmodi improbantem: *Quid eſt, quod inter Regna & Gentes, vel etiam inter perſonas ſæpè ſingulas, dirimenda præliis cauſa, divino judicio committuntur, & ei maximè parti, cui juſtitia competit, victoria ſuccedit?* Ubi porrò regni paterni compos Sigiſmundus factus, ſubinde Anaſtaſio Imperatori Epiſtolam miſit, quæ eſt ab Avito condita: *Poſt obitum devotiſſimi fideliſſimique vobis patris mei, Proceris veſtri, cui ad feliciſſimos integrâ proſperitate ſucceſſus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam florentemque Rempublicam vobis orbem regentibus ſerret, voſque dominos nationum placide receptus ſine derelinqueret. Ad hæc intimanda, vobiſque commendanda, quin etiam militiæ meæ rudimenta, quæ genitore quidem meo ſuperſtite miniſtris, ſed magis magiſque poſt eum cumulo ſacræ dignationis augebitis, ſicut debebam, vel optare par fuerat, unum de Conſiliariis meis, qui quantum ad ignorantiam Gallicanam cæteros præter literis æſtimatur, venerandi comitatus veſtri auribus offerebam, ſpecialius ſecuritate conceptâ, quòd Rector Italiæ de pace veſtra publicè plauderet, & rumore diſperſo redditam ſibi Orientis gratiam coloraret. Interclusum eſt ergo, atque prohibitum, relationibus deſtinatis, iter arreptum,* &c.

Procop. de Bello Goth. l. 1. c. 12.

Mar. Chron.

B. M. P. t. 14. c. 13. p. 266.

Error Baronii.

Bar. Ann. 509. n. 12.

B. M. P. t. 14. 266.

Avit. Ep. 84.

II. Anaſtaſius, cui Sigiſmundus tantum honoris habebat, pacis ſtudioſiſſimum ut ſe præberet,

Anaſtaſius Confeſſionem fidei mittit Hormiſdæ. Concordiæ impedimentum.

Anno Dom. 516.

beret, fidei Confeſſionem Hormiſdæ Catholicam miſit: *Cum omnibus*, inquit, *Orthodoxis impiiſſimos Neſtorium atque Eutychetem vitamus pariter & horremus. Eorum condemnantes, & anathematizantes & perſonas, & dogmata, deteſtabilibus ſacrilegiis comparanda.* Chalcedonenſe verò Concilium à ſe maximè probari profitetur: *Miramur autem quamobrem de beatiſſimis Patribus, qui in Chalcedone convenerunt, aliqua nobis ſcribere voluiſtis, dum ea, quæ ab his fuerant conſtituta, prædeceſſorum noſtrorum multiplicibus Decretis confirmata monſtrantur. Et cùm nec alia Synodus facta fuerit, per quam quæ ab illa diſpoſita ſunt, redderentur infirma, nec lex à nobis proceſſerit, cujus novitate ſtatuta præfati Epiſcopalis Concilii ſolverentur: maximè cùm ipſa Synodus dixerit, anathema eſſe debere, quicunque aliam fidem, quàm apud Nicæam* CCCXVIII. *venerabiles Patres conſtituerunt, docere vel immutare voluerit: ad hoc etiam eos, quos ſuperius comprehendimus, id eſt, Neſtorium & Eutychem damnaverunt, quos nos quoque damnamus.* Unum ergo duntaxat oppoſitum erat reconciliationi impedimentum. Acacii & damnari memoriam, & Diptychis expungi nomen Hormiſda cupiebat. Flagitanti obſtitit Anaſtaſius: *De Capitulo verò, quod ſolum videtur eſſe reſiduum, noſtra voluntas petitioni veſtra fortaſſe propter unitatem Eccleſiarum conveneſat, niſi aliæ venerabilibus Eccleſiis ex hoc removeri* (legendum videtur moveri) *ſcandala crederemus. Nunc univerſa quæ ſunt facienda perpendite, quia grave eſſe clementia noſtra judicat, de Eccleſia venerabili propter mortuos vivos expelli, nec ſine multa effuſione humani ſanguinis ſcimus poſſe ea, quæ ſuper hoc ſcribitis, ordinari.*

Lab. Conc. t. 4. 1431.

Legatio Anaſtaſii ad Hormiſdam.

III. Per Ennodium Fortunatumque ea Epiſtola mittitur. Quo verò pacis ſe deſiderio moveri Anaſtaſius, Eccleſiæque concordia nil ſibi antiquius eſſe magis oſtenderet, Theopompum *virum illuſtrem, Comitem Domeſticorum, agentem ſacri Palatii Scholam*, & *Severianum virum clariſſimum, Comitem ſacri Conſiſtorii* ad Hormiſdam dirigit cum Epiſtola, data XVIII. Cal. Auguſtas, Conſtantinopoli. Verba ſunt Epiſtolæ: *Agnoſcentes, quod ejus primam nobis gratiam condonavit, ut miſſa ad nos legatio ad beatitudinem tuam feliciter remearet, ad ſecundam proceſſimus, ut dirigeretur à nobis promiſſa legatio, per quam & commemoratio fieret eorum, quæ cum ſanctiſſimis viris longâ deliberatione contulimus, & inde Deo auſpice, tam noſtra petitionis, quàm veſtra gratia ad integrum lux ſerena reſplendeat, & toti orbi gaudia expectata donentur.* Conſilio tam ſalubri Legatorum dignitas pondus addere videbatur. Ut verò quam toto pectore concordiam exquirebat, facilius obtineret, ſuum quoque Senatui Romano deſiderium ſignificatum ivit verbis ejuſmodi: *Oportet ſanctiſſimum cœtum veſtrum ſolerti ſtudio, ac provido labore contendere, tam apud excelſum Regem, cui regendi vos poteſtas, & ſollicitudo commiſſa eſt, quàm apud venerabilem Papam, cui intercedendi apud Deum facultas eſt præſtita, ut in ea parte animi ſui bonitatem dignentur impendere, in qua utriuſque Reipublica membra ſperatâ ſanitate ſolventur. Data quinto Kal. Auguſti Chalcedone.*

Hormiſdæ & Senatus ad Anaſtaſium reſponſio.

Hormiſd. Ep. 6.

IV. Neque honorificâ legatione, neque regiis literis Hormiſdæ flecti animus potuit, ut retento in Diptychis Acacii nomine pax iniretur. Reſcribit Pontifex: *Conſequens eſt, ut qui eorum deteſtatur Principes, oderit Sectatores. Execrabile habetur in flore, quod damnatur in ſemine. Offerte hoc munus Deo, pro veſtris precor, offerte temporibus. Jam diu hanc à vobis hoſtiam, pro tantis, quæ vobis contulit Chriſtus, beneficiis expectat. Quid opus eſt apud illum preces adhibere, qui ſupplicat? Vos Senatus urbis Romæ, ut me ad pacem hortetur, injungitis. Ego non ſolùm cum his ad vos ſupplicationis verba converto, ſed veſtigiis veſtris pro univerſali advolvor Eccleſia. Audite me, pro Chriſto legatione fungentem. Non patiamini ab improbis canibus Chriſti membra diſcerpi. Quæ inſanabilia videtis, abſcindite, & quæ ægra curate.* Senatus quoque Romanus Imperatori reſponſum dedit: *Indubitanter agnoſces ſacra Juſſionis oracula, quantâ Senatûs veſtri fuerint gratulatione ſuſcepta, maximè cùm ad hoc & animus Domini noſtri inviciſſimi Regis Theoderici filii veſtri, mandatorum veſtrorum obedientiam præcipientis accederet, & ſciamus ſuper omnia beneficia veſtra, tunc magis nos erigi, cùm dignos creditis, quibus debeat imperari. Mox igitur ſacra ſtudio Juſſionis implenda, beatiſſimum Papam Hormiſdam credidimus deprecandum.* Obſtitit ſemper nomen Acacii, ne redintegratione amicitiæ Eccleſiæ vulnera ſanarentur. Hinc verba Senatus: *Quid eſt, quod retinet Catholico ardore feſtinos. Quid eſt, quod delinquentis Acacii impedit Chriſtum videre perſona?*

Lab. Conc. t. 4. 1437.

Illyricani Epiſcopi Conſtantinopolim evocantur. Quamobrem?

Lab. Conc. t. 4. 1440.

V. In bello illo Eccleſiaſtico partes Illyricanorum Epiſcoporum non deſiderabantur, quorum multi ſe communioni Hormiſdæ conjunxerant, ejuſque Legatos Conſtantinopoli convenerant. Hoc nos monet Epiri Epiſcoporum Epiſtola: *Plurimi ex nobis in regnante fuere Conſtantinopoli, cùm veſtri ſanctiſſimi Vicarii, Ennodius, & Fortunatus Epiſcopi, Venantius Presbyter, Vitalis Diaconus, & Hilarus Notarius degerant pietatis agonem. Nobiſcum autem fuit noſter Sanctus factus Pater atque Archiepiſcopus Alcyſon, qui cum omni præſumptione ſupplicibus utens Libellis, apud veſtram beatitudinem dignus effectus eſt Apoſtolica Sedi veſtra communicare volentem.* Illyricani juſſis regiis evocati male excipiuntur, uti in Marcellino legimus: *Petro ſolo Conſule Anaſtaſius Laurentium Lychnidenſem, Domnionem Sardicenſem, Alciſum Neopolitanum* (lege Nicopolitanum) *Gaianum Naiſſitanum, & Evangelum Pantalienſem, Catholicos Illyrici Sacerdotes ſuæ Anaſtaſius præſentari juſſit obtentibus. Alciſus & Gaianus Epiſcopi apud Byzantium vitâ defuncti ſunt, unoque ſepulchro reconditi. Domnione & Evangelo ad ſedes proprias ob metum Illyricani Catholici militis extemplò remiſſis, ſolus Laurentius Anaſtaſium Imperatorem in palatio pro fide Catholica ſæpè convincens, apud Conſtantinopolim, ac ſi in exilio relegatus, retentus eſt: multiſque deinde corpore, quàm Conſtantinopolim advenerat, affectus. Nam ſeptimo infirmitatis ſua anno idem Laurentius fide ſuâ, ſed Chriſti gratia in atrio Coſmæ & Damiani ſanatus eſt: pedibuſque ſiſtere propriis, greſſibuſque meruit confirmari, ſuaque dein patria incolumis reddi, ubi major octogenario requieſcit.*

Marcellin. Chron.

Epiri Synodus de creando Joanne Metropolitano.

VI. *Alcyſon*, quem Marcellinus non ſatis accuratè *Alciſum* vocat, vir erat magni nominis. Fama ejus Orientem repleverat. Hic eſt ille *Alcyſon*, ad quem de Macedonio ac Flaviano Palæſtinæ Monachi literas dederant, quarum partem hiſtoriæ ſuæ Evagrius inſeruit. Defuncto Joannes ſuffectus Nicopoli, Epiri Metropoli Antiſtes imponitur. Eo munere dignum ſe virtutibus oſtendebat ſuis, quas Synodus Epiri prædicat

Anno Dom. 516.

dicat in ſua ad Hormiſdam Epiſtola: *Qui conſolatur humiles, conſolatus eſt etiam nos per veſtras orationes, demonſtrans Nicopolitanæ civitati in cunctis ſanctiſſimum Joannem, qui à pueritia in Eccleſia ſine culpa nutritus, imò laudabiliter in ea degens, ita ut neque eum in his quiſquam temporibus antecellat: zelo autem circa orthodoxa, juxta Apoſtolicas admonitiones nulli omninò cedens.* Egregiis hiſce dotibus ornatus ab Epiri veteris Synodo Eccleſiæ Nicopolitanæ præficitur. Faciendæ ordinationi ſeptem adfuere Præſules, *Mathaus* Epiſcopus Buthroti, *Conſtantinus* Hadrianopolitanus, *Chriſtophorus* Anciaſmii, *Hilarius* Photices, *Philippus* Photicenſis, *Julianus* Dodones, *Chryſippus* Cicines. Qui omnes cum Joanne Metropolitano ſuo Hormiſdam Epiſtolâ adiêrunt: *Hunc ergo*, inquiunt, *Dei providentiâ ordinavimus Præſulem Nicopolitanorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ: & rogamus, ut juxta antiquam conſuetudinem hunc quoque complectamini paternis viſceribus veſtris, nobiſque, aut ipſi Dei gratiâ efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus veſtris, atque doctrinis.* Ferenda *Rufino* Diacono Epiſtola traditur, cui ſuâ manu eo modo Joannes ſubſcripſit: *Incolumem me ora in Domino, ſanctiſſime ac beatiſſime Pater Patrum.* Privatam quoque Joannes Hormiſdæ dirigit Epiſtolam, eo titulo inſignitam: *Domino meo per cuncta ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Patri Patrum, Comminiſtro ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Joannes in Domino ſalutem.* Cujus Epiſtolæ hæc ſunt obſervatu digna. Epiſcopum Romanum Eccleſiarum habere curam omnium profitetur: *Ego . . . decenter ad veſtras orationes concurro, ut juxta conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis veſtræ, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignamini, ſecundum antiquam ſpiritualem diſpoſitionem veſtram. . . . Votum autem mihi eſt veſtram ſequi doctrinam, ſicut inter Sanctos prædeceſſor meus Alcyſon extiterat: & anathematizo Dioſcorum, ac Timotheum, appellatione Ælurum, & Petrum horum ſucceſſorem, & Petri communione cum his permixtum Acacium, & Petrum, qui Antiochenam perturbavit Eccleſiam, ſequens in omnibus Synodicas & Apoſtolicas Epiſtolas ſcriptas à vero Præſule Romanæ Eccleſiæ Leone.* Rogat etiam Hormiſdam, ut ſe dignetur erudire, ut melius inſtructus Hæreticorum machinis obſiſtat. Joannis hæc agendi ratio à veteribus inſtitutis prorſus abhorrebat, quibus de ordinatione ſua ad Dorotheum *relationem ſecundum priſca exempla* mittere tenebatur. Quo neglecto in calamitates incidit. Porrò tam Epiri Synodo, quàm Joanni Pontifex reſponſum dedit. Ac in ſua ad Synodum Epiſtola multis laudibus effert *Eugenium*, qui eo tempore, quo Proterius, Timothei Æluri factione peremptus eſt, perutilem pietati & operam, & fidelitatem præbuerat: *Tunc beatus Eugenius, Parœcia veſtra obtinens Principatum, cum ſubjecta ſibi ſancta Synodo, zelum quendam qualis fide eſſet, Deo commendans oſtendit.* Deinde Eutychianos inſectatus, ſubjungit: *Timotheus & Petrus horum ſequaces, homines mente corrupti, & peſtis quædam nominis deteſtanda Catholici, quorum communionem in Petro complexus Acacius, ſimiliter quoque meruit ſubire ſententiam, qui tantum malum quaſi parvi æſtimans, & propoſitum nunquam ad meliora convertens, ne ab illis quidem ſe, quæ in Antiochia deteſtamur, abſtinuit. Ibi quoque tranſgreſſori Petro communione connexus, in Apameam nihilominus hoſtiliter verſatus, Eccleſiam Tyriam quoque non eâ, quâ decuit integritate diſponens.* Data eſt Epiſtola XIII. Cal. Decembr. Illâ ipſâ quoque die Pontifex Joanni Nicopolitano ſcribit, per *Polionem* Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum ſe Libellum mittere, cui Comprovincialibus ejus ſubſcribendum erat: *Pro noſtra ſollicitudine, & illorum integra nobiſcum conjunctione Libellum direximus, in quo eos oportet ſubſcribere, quia & omnes Sacerdotes veſtrarum partium, qui ad Sedis Apoſtolicæ communionem reverſi ſunt, in eadem profeſſione ſubſcripſerunt.* Summa Libelli hujus hæc eſt: *Quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper ſervata religio, ab hac ergo ſpe & fide ſeparari minimè cupientes, & Patrum ſequentes in omnibus Conſtituta, anathematizamus omnes Hæreticos, præcipuè Neſtorium,* Eutychem, Dioſcorum, Timotheum, Petrum, *Acacium, qui in eorum communione permanſit.* Probantur & Leonis Epiſtolæ omnes, *quas de religione Chriſtiana conſcripſit.* Quibus dein ſubjungitur: *Non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria.* Polioni verò, quid in Nicopolitana Eccleſia eſſet agendum, indiculo præcipitur. Scilicet ut Epiſcopis Parrœciæ ſuæ convocatis, Joannes Nicopolitanus jubeat omnes ſubſcribere Libello: *Si tamen dixerit prædictus Epiſcopus, eſſe laborioſum Epiſcopos colligere, dirigat ſuarum perſonas per ſingulos Epiſcopos, ut te præſente ſubſcribant prædictum Libellum.* Hormiſdæ Epiſtolæ palam publicèque legantur. Quòd ſi nolint Epiſcopi, præſentibus ſaltem Clericis recitentur. Scriptaque tam Joannis, quàm Præſulum à *Polione* ad Pontificem referantur.

Horm. Ep. 17.

Horm. Ep. 8.

Lab. Conc. t. 4. 1444.

VII. Hactenùs Epiri de Synodo, iiſque legationibus, quæ illam excepere. Ad aliam Synodum nos convertimus, in Hiſpania celebratam. *Colonia Tarraco, Scipionum opus*, Hiſpaniæ urbs eſt, cujus nobilitatem auxit Concilium, ab ea civitate Tarraconenſe nominatum. Congregatum eſt *Conſulatu Petri, ſub die octavo Idus Novembris*, Annus erat ſextus *Theodorici*, in Hiſpania regnantis, ab eo tempore ductus, quo Amalarico, ſuo ex filia nepoti, Alaricique nato tutorem ſe præbuit. Synodo interfuere Præſules decem; *Joannes* Tarraconenſis, Synodi Præſes; *Paulus* Impuritanæ civitatis, *Hector* Carthaginenſis, *Frontinianus* Gerundenſis, *Agritius* Barcinonenſis, *Urſus* Dertoſanus, *Orontius* Elberitanus, *Vincentius* Cæſarauguſtanus, *Canudius* Auſonitanus, *Nebridius* Bigerrenſis. Canones XIII. edidere. I. Clerici, Monachique conſanguineis quæ ſunt neceſſaria præbeant. Poſt ſalutationem verò ipſis impertitam diu ibi non maneant: ad eos viſitandos non pergant, *ni ætate probatum adhibeant ſecum.* Qui hæc contempſerit Clericus, *loci ſui dignitate privetur:* Monachus verò in Monaſterii cella recluſus, panis & aquæ duntaxat alimenta ab Abbate percipiat. II. Clericus *emendi vilius, vel vendendi carius ſtudio non utatur:* gradu ſuo excidat, qui id negotii exercuerit. III. Clericus, qui pecuniam mutuò dedit, de vino, vel frumento eam accipiat: *Si ſpeciem non habuerit neceſſariam, ipſum quod dedit, ſine ullo augmento recipiat.* IV. Clericorum nullus diebus Dominicis cauſis judicandis vacet, aliis verò diebus, *exceptis criminalibus negotiis*, judicia exercere poteſt. V. Epiſcopus, qui à Metropolitano ſuo non fuerit ordinatus, poſt duos ab ordinatione menſes coram eo ſe ſiſtat, ut ſui officii moneatur. VI. Epiſ-

Synodus Tarraconenſis.

ANNO DOM. 516.

Epiſcopus, qui à Metropolitano eſt ad Synodum invitatus, ſi venire ſpreverit, cæterorum Epiſcoporum communione privatur, ad Synodum uſque proximè futuram. VII. In Diœceſanis Eccleſiis Presbyteri, Diaconique ſuâ quiſque hebdomadâ officium divinum alternis celebrent, eâ lege, ut Sabbato Clerus omnis de celebranda Dominica ad veſperam conveniat. VIII. Annuis vicibus Eccleſiæ Diœceſanæ ab Epiſcopo ſuo viſitentur. Quæ Baſilica deſtituta reperitur, reparetur. IX. Qui vel Lectorum, vel Oſtiariorum adulteræ miſcetur, eam relinquat, aut à Clero alienus habeatur. X. Nullus Clericorum pro impenſo patrocinio munera accipiat, niſi in Eccleſia gratuitò, & impellente pietate offerantur, ſecus pro fœneratore damnabitur. XI. Monachi extra Monaſterium officio Eccleſiaſtico non fungantur, niſi permittente Abbate. Aut forenſia procurent negotia, niſi poſcente Monaſterii utilitate. XII. Poſt obitum Epiſcopi, qui inteſtatus exceſſit, rerum ipſius breve à Presbyteris, & Diaconis fideliter conficiatur. Qui ex iis aliquid occultè tuliſſe convictus fuerit, reſtituat univerſa. XIII. Metropolitani literæ non Presbyteros Cathedralium duntaxat, aut Diœceſis ad Concilium vocent, ſed aliquos etiam de ſecularibus, qui interſint Synodo.

ANNO DOM. 517.

ANNO U. C. 1270. OLYMP. 324. PER. JUL. 5230. JUL. 562. DOM. 517. ANASTAS. 26. & 27. THEODORIC. 25. *Sol.* 22. A. *Lun.* 5. *Indict.* 10. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.*

COSS. *Anaſtaſius Aug.* IV. *& Agapitus.*

Gothorum in Macedonias excurſus.

Marcellin. Chron.

I. IMperii Provincias Gothorum equitatus incurſans, maximis eas cladibus afficit: *Dua Macedonia, Theſſaliaque vaſtata eſt, & uſque Termopylas, veteremque Epirum Geta equites deprædati ſunt. Mille tunc librarum auri denarios per Paulum Anaſtaſius Imperator pro redimendis Romanorum captivis Joanni Præfecto Illyrici miſit. Deficiente pretio, vel incluſi ſui cum domunculis captivi Romani cremati ſunt, vel pro muris clauſarum urbium trucidati.*

Avitus de Ennodii legatione Hormiſdæ ſcribit. Pontificis reſponſio.

II. Illud eâ calamitate gravius, quòd duræ hominum mentes tot tantiſque malis ad reſipiſcentiam non adducerentur, neque Eccleſiæ diſſidia componerentur. Parabat Hormiſda legationem alteram, quæ Avito Vienneſi occaſionem præbuit, cur Epiſtolam per *Alexium* Presbyterum & *Venantium* Diaconum ſcriberet, quæ III. Kal. Februarii Romam pervenit. Pontificalibus literis per Arelatenſis Eccleſiæ Clericos redditis, anno ſuperiore monitus fuerat Avitus, Dardaniæ, Illyrici, Thraciæ Provincias Eccleſiæ Romanæ communionem iniiſſe: *Sed*, inquit, *illud nos modò ſuſpenſos multum redigit, & anxios, quòd cum pendere nos ad effectum legationis ſecundò Conſtantinopolin deſtinata, omni expectationis ſtudio juſſeritis, nec quid ſilius veſter, ſanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrùm ſecura redierit indicaſtis, & promiſſionem veſtram tantâ ſilentii diuturnitate ſuſpenditis, ut non minus modò prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quàm anteà fecerat legationis morâ ſuſpectos.* Dum ergo

Avit. Ep. 87.

eâ ſollicitudine urgetur Avitus, *totius Viennenſis Provinciæ nomine Alexium* mittit, & *Venantium*, qui referrent, *utrùm fervor ſchiſmatum, qui intra Conſtantinopolim urbem vitio perniciosa obſtinationis exarſerat*, quique Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſiam corripuerat, reſtinctus foret. Quo loco res eſſent, reſponſione ſuâ Pontifex Avito, Viennenſibuſque Antiſtitibus ſignificatum ivit. Ait, *Græcos ore potius præferre pacis vota, quàm pectore. Nam unde eſt, quòd cùm per Ennodium fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Sacerdotales viros ad confirmanda ea, quæ Sedes Apoſtolica popoſcerat, directuros ſe eſſe promiſiſſent, multa quoque, quæ ad correctionem pravitatis ſuæ à nobis quæſita fuerant, pollicentes, non ſolum non religioſos viros, penes quos cauſæ illius plena eſſe poſſet inſtructio, ſecundum conſtituta propria non miſerunt, verùm etiam quaſi res prava gereretur, Laicos, & alienos ab Eccleſiaſtico corpore deſtinantes, non ſe ſtuduerunt de cœno, quo immerſi tenentur, evolvere, verùm etiam Catholicæ fidei claritatem fulgentem, ſuâ, quod abſit, ſe poſſe crediderunt obſcuritate fuſcare.* Theopompum ſcilicet & Severianum, quaſi injunctæ legationi impares perſtringit. Itaque cognitâ perverſitate, *Græcos à Thracibus, Dardanis, Illyricis* prorſus deſertos eſſe, nuperque Metropolitanum Epiri *Joannem* cum Synodo ſui *ſegregatum ab impiis*, ad Apoſtolicam ſe communionem contuliſſe. Nihilominus officii ſui memorem, illos ſe repetitâ legatione convenire. Data V. Cal. Martias.

Horm. Ep. 10.

De concordia Anaſtaſio & Timotheo Hormiſda ſcribit. Anaſtaſii reſponſio.

III. Quam Pontifex legationem ad Anaſtaſium Imperatorem parat, ea Ennodio Ticinenſi, & Peregrino Miſenati imponitur, comite Epiſtola, in qua hæc veniunt conſideranda: *Primus innocentiæ gradus eſt, odiſſe culpanda; ſed veritatis intereſt, Domine fili, & Catholicæ diſciplinæ, ut ſectatores etiam eorum atque participes oderitis, quorum execrandos Principes judicatis. Non in damnandis ſola, id eſt, certa nomina, ſed in his etiam, qui damnatos ſequuntur, ſunt crimina perſequenda. Hoc ideò ne facile putet veſtra clementia, Acacii prætereundam eſſe perſonam. Nonne ille eſt Acacius, qui cœno Petri, Dioſcori, & Eutychetis dogmate, & communione pollutus, dum copulatur, immerſus eſt?* Urget ergo, inſtatque Pontifex, Diptychis deleatur Acacius, ut concordia reſtituatur, quaſi in ea re prora puppiſque religionis conſiſteret: *Ad hæc noſtris lacrymis, noſtris precibus alleganda, Ennodium, atque Peregrinum fratres & Coepiſcopos noſtros vice noſtrâ pro exhibenda etiam honorificâ ſalutatione direximus.* Data eſt Epiſtola III. Nonas Aprilis. Neque Timotheum Conſtantinopolitanum Hormiſda prætermiſſum voluit, utpote ad redintegrandam communionem plurimum valentem: quem ſic alloquitur: *Non mirabitur dilectio tua rationem præteriti ſilentii mei, ſi quæ præceſſerint, univerſa conſideret: non mirabitur præſens alloquium, ſi quæ ſit vis caritatis, expendat. Sed quem optem reducem, cur differam vocare tardantem? Movere Patrum monitis, & inſiſtens fidelibus ſine lapſu, aut errore veſtigiis, præcedentia dilue per futura. Adjacet tibi modò ad juſta populos incitando, modò pro fide principalibus veſtigiis ſupplicando, dirigere quod devium eſt, ſolidare quod dubium.* Aprilis tertio Commonitorium Hormiſda ſuum Orientis ad Epiſcopos miſit: *Recordemur*, inquit, *quâ Catholicorum frequentiâ Sacerdotum illa, quibus nitimur, celebrata didicerimus eſſe Concilia: quantos nec debilitas impedivit, nec ſenectus onerosa tardavit . . . . Diligite & vindicate ſententias probatas piis, infidelibus inimicas.* Sic Hæreticos Antiſtites compellabat: hæc verò dirigebat

Horm. Ep. 11.

Horm. Ep. 12.

Horm. Ep. 13.

gebat ad Orthodoxos, quorum conſtantiam, pietatemque multis laudibus effert: *Repetitâ vice Ennodium atque Peregrinum, fratres & Coepiſcopos noſtros mandatâ legatione direximus, rationem, adhortationem, preces, lachrymas ingeventes, ut ab impiorum contagione ſeparati, ad veram fidem iiſdem, quibus vos modis, & Apoſtolica ſcit Sedes, ſe conferant, aut certè non nos defuiſſe prædicationi, ſed illos propria ſaluti mundus agnoſcat.* Africæ Epiſcopum *Poſſeſſorem*, qui pro fide in urbe regia exulem agebat, literis hortatus eſt, ut in fide prædicanda perſeveret: *Libellum dilectionis tuæ de Confeſſione rectæ fidei per Legatos noſtros remeantes accepimus, & in eo ſinceritatem tuæ fraternitatis agnovimus, quæ quod rectè credit, ſub atteſtatione publica prædicare non diſtulit. Data tertio Nonas Aprilis.* Illâ ipſâ die Populum Monachoſque regiæ urbis de vitandis Hæreticis monitum ivit: *Recordamini, cariſſimi, quæ fuerunt Baſiliſco Palatinæ aulæ incubante tentata, & temporum illorum acta, vel viſa, vel audita recolite. Quàm ſceleſta tunc fuerit Timothei, cognomento Æluri, quam imprudens & monſtruoſa præſumptio: quantus etiam per univerſum orbem fidei ſe fervor oſtenderit.* Ea Ennodii Peregrinique legatio ſucceſſu caruit. Hormiſdæ duritiem improbante Anaſtaſio, qui ſcribenti reſpondit, miſericordiæ Chriſtum omnibus exemplum ſeſe præbuiſſe, cujus à clementia alienum Pontifex animum oſtendebat: *Nos autem*, inquit, *non eâ credimus ratione, ut immiſericordes eſſe patemus, qui miſericordiam didicerunt: ſed poſtulationem noſtram à præſenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile judicantes, illis precum adhibere bonitatem, qui rogari ſe nolunt, contumaciter reſpuentes. Injuriari enim & annullari ſuſtinere poſſumus; juberi non poſſumus. Data v. Idus Julii Conſtantinopoli, Anaſtaſio Aug. IV. & Agapito viro clariſſimo Coſſ.*

Horm. Ep. 14.

Horm. Ep. 15.

Horm. Ep. 16.

Joannes Nicopolitanus ab Anaſtaſio vexatur.

IV. Cùm rigidiore mente reconciliationem negaſſet Hormiſda, iram Imperatoris non minimum exaſperarat. Itaque ſeveritatis adhibuit aculeos in Joannem Nicopolitanum, Epiri Metropolitanum, qui cum ſua Synodo Pontificis Romani ad ſocietatem acceſſerat. *Dorotheus* Theſſalonicenſis, cui Joannes Nicopolitanus odio erat, quòd miſsâ Synodicâ Eccleſiæ Romanæ communionem ſe, ut conjectura eſt, inconſultò expetiiſſet, in ipſum Anaſtaſii mentem inſtigarat. Vexationibus itaque oppreſſus Nicopolitanus, Diaconum, qui & Ennodio, Peregrinoque Conſtantinopolim properantibus in itinere occurrerat, miſit Hormiſdæ. Cur ita Joannes affligeretur, cauſam Hormiſda memorat in ſua ad Ennodium & Peregrinum Epiſtola: *Obtulit nobis Epiſtolam Joannis Epiſcopi ſui, & aliam Synodi ſibi ſubjacentis, Eccleſiæ Nicopolitanæ, quâ queruntur ab Epiſcopo Theſſalonicenſi excitatas adverſum ſe tam principales, quàm judiciarias poteſtates: concuſſionibus & diſpendiis ſe vehementer affligi, propter hoc, quia de ordinatione ſua ad Epiſcopum relationem ſecundum priſca exempla non miſerit.* Id verò ab Hormiſda concedi ſibi Joannes poſtulabat, ut pro more ad Dorotheum relationem deſtinaret. Id petenti præciſè negatum, *ne per alium, ſi ab eo, qui à communione noſtra alienus eſt, confirmationem petiiſſet, noſtra quoque communio contagium ſuſtineret. Data pridie Idus Aprilis.* Ut porrò vexationibus Hormiſda Joannem eximeret, quid agendum Ennodio Peregrinoque præſcribit: *Ubi Theſſalonicam Deo juvante veneritis, Epiſtolas noſtras, quas in hac cauſa miſimus, Epiſcopo Theſſalonicenſi tradite, illum quidem ordinem in ejus ſalutatione ſervantes, quem ſcitis à nobis eſſe mandatum circa eos, qui cum Sede Apoſtolica, hoc eſt, Eccleſia Catholica non communicant. Traditis autem Epiſtolis, inſtanter agere debetis, ut ſe ab ejus Eccleſiæ concuſſione ſuſpendat, quia non poterit reverſus ad communionem & corpus Eccleſiæ, cum illis, qui necdum reverſi ſunt, quidquam habere conjunctum. Nos non ſolvere à prædeceſſoribus noſtris conceſſa privilegia, ſi ipſe Eccleſiaſtica inſtituta non deſerat.* Quòd ſi à Legatis res componi nequeat, apud Imperatorem cauſam ſic agant, dicentes: *Alyſon Epiſcopus Nicopolitanus ſatisfecit Eccleſiæ Catholicæ, ſuſceptus eſt, & ad communionem reductus. Hujus ſucceſſor Joannes Epiſcopus, & Deum ante oculos habens, & de ſalute ſua cogitans, & prædeceſſoris ſui bonum exemplum ſequens, condemnatis Hæreticis, vel tranſgreſſoribus, ad Sedem B. Petri miſit, & ſuſceptus eſt. Huic nunc Epiſcopus Theſſalonicenſis inſidiatur, & eum concutit.* Ut meliore Imperatoris patrocinio Joannes uteretur, Anaſtaſio ipſum Pontifex commendat, rationibus adhibitis ejuſmodi, quâ Legatis ſuis expoſuerat. Conſolationibus Joannis & patientiam ſuſtentavit, quem monet, moleſtiam ipſius diuturnam eſſe haud poſſe. Allaborandum ei, ut Comprovinciales hortationibus firmet. Pro virili verò ſe effecturum, ut benignis Epirenſium eos Præſulum oculis reſpiciat Anaſtaſius: *Cogitamus, ut ad Imperatorem clementiſſimum pro generalitatis quiete preces noſtræ perveniant.* Data v. Nonas Martias. Synodo quoque, cui Joannes præerat, literas miſit, datas *pridie Idus Aprilis.* A Pontifice petierant, ſibi liceret ſcriptis adire Dorotheum, ut placabilem ſe præberet. Id ab Hormiſda negatum: *Sanè hoc me fateor fuiſſe miratum, quòd inter allegationes religioſæ prudentiæ veſtræ hæc potuit causa ſubrepere, ut à me ſub conſolationis colore diriguntur ad Theſſalonicenſem Epiſcopum ſolidas literas licentia poſceretur. Egone hujus rei auctor exiſterem, quam, ſi inſcio me cognoſcerem factam eſſe, culparem.* Id verò pollicetur, ſe per Legatos Dorotheum admonuiſſe, ut ab eorum infeſtatione ceſſaret. Neque Dorotheum Hormiſda prætermiſſum voluit, ad quem ſcripſit Aprilis XII. Joannem affligi diſpendiis, *quod à tranſgreſſorum ſocietate diviſus, poſtquam communionem Sedis Apoſtolicæ emeruit, ad Theſſalonicenſem Eccleſiam ordinationis ſuæ initia non direxit.* Culpabilem quidem Joannem fateretur, ni fidei jura Dorotheus violaſſet: *Non igitur conſuetudo eſt neglecta, ſed vitata contagia.* Pergit, *Quo pudore rogo, privilegia circa te, illorum manere deſideras, quorum mandata non ſervas, & reverentiam, quam non exhibes fidei, cupis tibi Eccleſiaſticâ poteſtate deferri.*

Horm. Ep. 17.

Horm. Ep. 18.

Horm. Ep. 20.

Horm. Ep. 21.

Horm. Ep. 22.

Elias Hieroſolymitanus Ailam relegatur.

V. At in Palæſtina tumultus longè majores, quàm in Epiro exoriuntur. Pedibus manibuſque conabatur Imperator, ut Severus Antiochenus ab Elia Hieroſolymitano in communionem reciperetur. Detrectante Eliâ accenſus irâ Anaſtaſius, *Olympium* Palæſtinæ Præfectum miſit, ſimul Epiſtolam Sidone ſcriptam, quâ profeſſus erat Elias, Synodum Chalcedonenſem haud admittendam eſſe. Imperatoris militibus comitatus Olympius, *multiſque modis, atque artibus & machinis uſus, Eliam quidem ab Epiſcopatu expulit, & in Ailam relegavit.* Eſt autem *Aila* urbs Arabiæ non longè à Mari Rubro diſſita, monente

Vit. Sab. c. 56. 310.

Philo-

ANNO DOM. 517.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 15.

Error Baronii.

Bar. An. 513. n. 9.

Philoſtorgio, lib. 3. c. 6. Cujus & urbis mentio eſt Procopii in Perſicis: *Civitas Aiala* propè Maris Rubri littus, *ubi deſinens, fretum quoddam valde anguſtum fit.* Atque hic, ni fallamur animi, Baronium in errore verſantem deprehendimus, qui Eliæ relegationem cum anno DXIII. copulavit. Quod ſimplex non eſt peccatum, cùm ex ſua Chronologia illuſtriſſimus Purpuratus in eundem quoque annum conferat & *Joannis*, qui ſucceſſit exuli, ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum evectionem; & initium quinquennalis famis, quâ Palæſtina laboravit: hæc enim eodem ſimul anno contigiſſe, in conſeſſum venit. Atqui à Cyrillo Scythopolitano monemur, Joannem ab Olympio creatum Epiſcopum eſſe, *tertio Septembris menſis, initio undecima Indictionis*. Cujus Indictionis initium eſt ducendum à primo die Septemb. anni DXVII. At anno DXIII. quo Eliæ exilium Baronius alligat, Indictio VII. ineunte Septembri currebat. Eſt igitur in Annalibus quadriennii prochroniſmus. Exilii moleſtias diu non toleravit Elias, qui anno proximè futuro naturæ concedet.

Vit. Sab. c. 56. 310.

Joannes Eliæ ſuccedit: à Saba communionem cum Severo inire prohibetur.

VI. Eliæ ſufficitur *Joannes*, Marciani filius, qui & Chalcedonenſe Concilium ſe damnaturum, & Severum in communionem admiſſurum pollicebatur. Sacris ergo Hieroſolymitanis præficitur tertio Septembris, qui diei Dominico cohærebat, ſic jubente Literâ Dom. A. Epactâque Solari F. Ubi Joannis promiſſa Sabæ in notitiam venere, ipſe cum Monachis ad eum accedens, obſecrat, ne Severum ad communionem recipiat: adeat potius pro Synodo Chalcedonenſi periculum, ut qui cunctos ſibi ſocios, & auxiliatores haberet. Sic quæ Joannes promiſerat, Monachorum reverentia non implevit. Quod ubi comperit Anaſtaſius, in furorem verſus, amoto *Olympio*, Pamphili filium *Anaſtaſium* Palæſtinæ præficit, ut Joannes vel Severum ad communionem ſuſciperet, Synodumque Chalcedonenſem anathemate proſequeretur, vel gradu ſuo pelleretur. Præfectus Archiepiſcopum de improviſo adortus, in publicum carcerem conjicit, quod Hieroſolymitanis pergratum fuit, Eliæ cauſâ, cujus proditor fuerat. At Zacharias, qui Cæſarienſium Magiſtratum exercebat, clam in cuſtodiam ingreſſus, captivo conſilium dat, ut ſe paratum cum Severo communionem inire ſimulet: *Sed ne*, inquit, *quidam dicant, me per neceſſitatem ac vi feciſſe, educat hinc, & poſt duos dies, proximâ Dominicâ, qua jubetis alacriter peragam: quo ſermone perſuaſus Dux, Joannem reſtituit Eccleſia.* Dimiſſus Archiepiſcopus Monachos omnes undique collectos, circiter decem mille numero noctu Hieroſolymam convocat. Cùm tantæ multitudini continendæ Eccleſia foret impar, ſancti Stephani in Templum tot hominibus recipiendis idoneum, die Dominico confluunt. Adfuit & Anaſtaſius Præfectus, & Zacharias Conſularis, quibus præſentibus Joannes ambonem conſcendit, Theodoſio, & Sabâ comitatus. Tum uno ore populus per multas horas clamat: *Hæreticos anathemati ſubjice, Synodum confirma. Statim igitur ex conſenſu, unâque voce, tres illi anathematizant Neſtorium, Eutychem, Severum, Soterichum Cæſarea Cappadocia, omnemque qui Synodum Chalcedonenenſem non reciperet.* Quo facto cùm ex ambone deſcendiſſent, reverſus Abbas Theodoſius, hanc ad populum vocem emiſit: *Si quis quatuor Synodos non admittit, ſicut quatuor Evangelia, anathema ſit.* Multitudine Monachorum territus Dux Anaſtaſius, fugâ Cæſaream petit. Aderat præſens Hypatius, Imperatoris ex ſorore nepos, quem accepto pretio Vitalianus avunculo remiſerat, qui juramento id perſuaſit Monachorum Patribus: *Huc veni, non quod cum Severo communicem, ſed properavi, ut veſtra communione dignus habear. Tum auri centum libras obtulit ſanctæ Reſurrectioni, & ſanctæ Calvariæ, ac venerabili Cruci ſingulis ſingulas: Atque Theodoſio, & Sabæ totidem alias, ut in regione Monachis partirentur.* Intereà Palæſtinæ Monachi illatarum ſibi ab Eutychianis afflictionum pondere preſſi Epiſtolam ad Imperatorem dirigunt, cui Abbates numero XXV. Presbyteri verò & Diaconi ſimul centum ſeptuaginta ſubſcripſere, quorum preces cum ab Anaſtaſio ſpernerentur, Hormiſdam ut communem parentem interpellant. De Monachorum Epiſtola, quæ anno ſequente Pontificis in manus perveniet, Hormiſdæque ad eam reſponſione ſimul mentionem agitabimus.

Vit. Sab. c. 56. 311.

Joannes Præſul Alexandrinus obit Dioſcorus ei ſuccedit.

Bar. An. 516. n. 40.

Liber. c. 18.

VII. Dum in Oriente verſamur, migrandum nobis eſt Alexandriam, ut Dioſcori Præſulis interſimus ordinationi, quæ Joannis Patriarchæ excepit obitum. Noſtræ verò Chronologiæ Victor Tunnunenſis præſidio eſt, qui illam quoque Baronii conjungit, dum non ſatis accuratè, & Joannis exceſſum, & Dioſcori conſecrationem cum anno ſuperiore copulat. De Joanne pauca nobis innotuere. Cognomento aliis *Machiota*, aliis *Niciota* dicebatur: de quo hæc in Liberato legimus: Joannis Malelæ poſt obitum *ordinatus eſt Alexandria Joannes Machiota, qui etiam ipſe ſuos priores ſecutus eſt, ſuſcipiens quidem unitivum Zenonis Edictum, non autem Chalcedonenſe Concilium, & Epiſtolam Papa Leonis, tanquam non communicaret Flaviano Antiocheno, & Elia Hieroſolymorum Epiſcopis, & Timotheo Conſtantinopolitano... Dicebat enim imperfecte Edictum ſe habere, nec ad unitatem ſufficere, quòd non in anathemate Synodi fuiſſet factum. Denique cùm ei Imperator Anaſtaſius ſcripſiſſet, ut uniretur Conſtantinopolitano Epiſcopo, hac reſcripſit, quia non ſufficeret ei ad perfectam unitatem, eò quòd non anathematizaret Synodum. Et tamen etiam ita ſapiens, ſeparatos habuit Dioſcoritas, non ſuſcipientes Petrum Mongum.* Labente anno Epiſcopatus ſui undecimo Joannes Sedem Dioſcoro vacuam reliquit: *Agapito Conſule Joannes Alexandrinus Epiſcopus moritur, & pro eo Dioſcorus ordinatur.* Erat Dioſcorus Timotheo Æluro conſanguineus, virorumque principum autoritate ad Pontificatum evectus eſt.

Vict. Tun.

Dioſcorus Alexandrinus. Turbæ in ipſius ordinatione.

Liberat. c. 18.

VIII. Morte Joannis Dioſcoritarum quidem extinguuntur tumultus, quibus hactenùs Eccleſia Alexandrina lacerabatur. Eâ tamen ordinatione turbarum multum illatum eſt civitati: quæ ſummatim à Liberato referuntur: *Mortuo Joanne Alexandria ordinatur Dioſcorus Junior, ſub quo interfectus eſt à populo Theodoſius Auguſtalis, filius Calliopi. Hic enim Dioſcorus proponente Ipſocrate Scholaſtico Acta facere ante defenſorem, in electione Synodo Henoticum ſuſcipere in damnationem Synodi, unitivum ſuſcepit Edictum, ſicut ipſa oſtendunt geſta, quæ apud defenſorem civitatis coram eo confecta ſunt. In quibus teſtatus eſt in expulſione Synodi, ſe ſuſcipere Edictum. Unde tum ſatisfactum fuiſſet his, qui propter Petrum Mongum extra illam Eccleſiam communicabant, uniti ſunt ei. Nam uſque ad iſtum Dioſcorum in diviſione erat Alexandrina Eccleſia.* De Dioſcori ordinatione nonnulla

nulla leguntur in Anaſtaſio, obſervatu digniſſima, quod nempè à ruſticis ſit ei interceſſum: ut extinguendo tumultui novâ Dioſcoro conſecratione opus fuerit. Anaſtaſii verba audiantur: *Cùm Dioſcorus manus impoſitionem accepiſſet, defuncto Joanne Epiſcopo Alexandrino Hæretico (hic Dioſcorus fuit conſobrinus Æluri Timothei) receſſere à Dioſcoro multitudines populorum, dicentes, quod niſi ſecundum quod Sanctorum Apoſtolorum continent Canones, fiat, non recipiatur Epiſcopus. Principes enim inthronizaverant eum. Dioſcorus autem venit ad Sanctum Marcum, & venientes Clerici induere eum ſecundo, & iterum conſecravere, & ita veniens ad Sanctum Joannem, perfecit Collectam. Cùm autem eſſet illic Theodoſius, filius Calliopis Auguſtalis, & Acacius Magiſter Militum turba turbata cœperunt injuriis afficere Auguſtales. Cùm ergo jurgium motum fuiſſet, inſurgentes quidam à ſede depoſuerunt filium Auguſtalis, & interemere eum. At verò Acacius Magiſter Militum, quotquot capere potuit, interfecit, & audiens Imperator, iratus eſt adverſus eos. Porrò Dioſcorus interveniens, mitigavit eum.* Verba hæc Anaſtaſii refert Anſelmus Lucenſis libro 2. Perperàm tamen tumultus ille Alexandrinus anno Anaſtaſii Imperatoris vigeſimo aſſignatur ab Anaſtaſio Bibliothecario: ſextus & vigeſimus jam labebatur, ut ex Tununenſi Chronologia jam auditum eſt.

Mors Timothei Conſtantinopolitani. Joannes ei ſuccedit.

IX. Fatalis & Timotheo Conſtantinopolitano hic annus fuit. Pontificatum ſexennio tenuit: quo labente prius vivendi confecit curriculum, quàm Hormiſdæ literas ſuſciperet. Quippe obiit *Nonis Aprilis*, biduo poſt miſſam ad ipſum Pontificis Romani Epiſtolam. Timothei obitum refert Victor Tununenſis verbis ejuſmodi:

Vict. Tun.

Timotheus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, obtrectator Synodi Chalcedonenſis, quinto die menſis Aprilis occubuit. Verſatilis erat ingenii, qui facilè animum ad ea, quæ hominibus placita erant, convertebat. Joanni Cappadoci Presbytero, defunctique Syncello Pontificia dignitas traditur:

Id. ibid.

Hunc Anaſtaſius ante ordinationem ſuam, ut Synodum Chalcedonenſem prædamnaret coëgit. Brevis ævi fuit Timothei ſucceſſor: referente Nicephoro, anno duntaxat *uno*, menſibuſque *decem* Epiſcopalis dignitatis potitur. Fallitur tamen, cùm anni DXX. Januario inter homines adhùc

Lab. Conc. t. 4. 1521.

verſaretur, utpote qui XIV. *Kalendas Februarii* Hormiſdæ Epiſtolam ſcripſerit.

Joannes Tarraconenſis Legatus Hormiſdæ fit in Hiſpania.

X. Hæc Orientis in Eccleſiis; quid in Occidente gereretur, nunc videamus. Joannes Tarraconenſis Antiſtes Italiam ingreſſus, de adventu ſuo per Diaconum ſuum *Caſſianum* Hormiſdam monitum voluit. Adventum ſcribenti gratulatus Pontifex, plenius Joannis & præſentiâ, & colloquio gaudium ſibi acceſſurum fuiſſe teſtatur. Petierat *Joannes*, ut quæ negligentius, & irreligioſius in diſciplina perpetrabantur, inſtitutione & autoritate Pontificis emendarentur. Hæc deſideranti reſcribit Papa Epiſtolâ, *datâ* IV. *Nonas Aprilis: Salutantes caritatem, quâ jungimur, per Caſſianum Diaconum tuum ſignificamus, nos direxiſſe generalia Conſtituta, quibus vel ea, quæ juxta Canones ſervari debeant, competenter ediximus, vel circa eos, qui ex Clero Græcorum veniunt, quam habere oporteat cautionem, ſufficienter inſtruximus.* Urbanitatis ſimulque pietatis ſuæ præmium Joannes retulit, cui vices in Hiſpania ſuas Hormiſda commiſit:

Horm. Ep. 24.

Et quia per inſinuationem dilectionis tuæ hujus nobis eſt via patefacta providentia, remuneramus ſollicitudinem tuam, & ſervatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apoſtolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inſpectis iſtis, ſive ea, quæ ad Canones pertinent, ſive ea, quæ à nobis ſunt nuper mandata, ſerventur, ſive ea, quæ de Eccleſiaſticis cauſis tuæ revelationi contigerint, ſub tua nobis inſinuatione pandantur. Quam ad univerſos Hiſpaniæ Epiſcopos de ſervandis Canonibus Epiſtolam miſit, ea capitula tria complectitur. I. Sacerdotii gradus ſaltu quodam paſſim Laicis transferantur. II. Ne pro Epiſcopatu præmium accipiatur. III. De Concilio per annos ſingulos celebrando.

Horm. Ep. 25.

Synodus Gerundenſis.

XI. Ubi *Joannes* Tarraconenſis relictâ Italiâ in Hiſpaniam reverſus eſt, Concilium apud *Gerundam* Cataloniæ urbem cogit, ſeptimo Junii Æræ Anno DLV. qui Dionyſianus eſt DXVII. Synodo interfuere Epiſcopi numero ſeptem. *Joannes* Synodi Princeps, Frontinianus, Paulus, Agritius, Cinicllus, Nebridius, Orontius, qui Canones decem condidere. Primo conſtituitur, ut in omni Tarraconenſi Provincia Miſſæ pſallendi, miniſtrandi conſuetudo ſervetur, quæ in Metropolitana fuerit. II. Statuit ut expletâ ſolemnitate Pentecoſtes, ſequenti ſeptimanâ à quinta feria uſque in Sabbatum per hoc triduum abſtinentia celebretur. III. Edicit, ut ſecundæ litaniæ fiunt Kal. Novembris, eâ conditione, quòd ſi eo die Dominica interceſſerit, à quinta ſequentis hebdomadæ feria incipiant, Sabbati veſpere Miſſa factâ finienda. IV. Jubet, Catechumenos in Paſchæ & Pentecoſtes ſolemnitate baptizari, niſi infirmitate laborent, quibus quocunque tempore baptiſmus non eſt negandus. V. Pueruli, qui lac maternum non appetunt, eâdem die, quâ nati ſunt, ſi oblati fuerint, baptizentur. VI. Qui à Pontifice ad Subdiaconum uſque ex conjunctis matrimonio fuerint ordinati, ſine conjuge habitent. Quòd ſi ſimul habitare velint, fratris utantur auxilio, qui continentiæ teſtimonium reddat. VII. Qui cælebs ordinatur, mulieres extraneas in domo non habeat, ſed matrem duntaxat atque ſororem. VIII. Laicus, qui uxore defunctâ mulierem cognoverit, in Clero nullatenus admittatur. IX. *Qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſtmodum reconvaleſcens, caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.* X. Omnibus diebus poſt matutinas, & veſpertinas Oratio Dominica à Sacerdote proferatur. Synodus *habita eſt Gerundæ, anno* VII. *Theodorici* VI. *Idus Junias, Agapeto viro clariſſimo Conſule.*

Synodus Epaonenſis.

XII. Hiſpaniam egreſſi, Galliæ petendæ ſunt, ut rerum in Epaonenſi Synodo geſtarum ſpectatores adſimus. Ac primùm refellatur Baronii de eo Concilio Chronologia, illud cum anno DX. copulantis, ſeptennii prochroniſmo.

Bar. Ann. 509. n. 13.

Certum genuinumque celebrationis tempus exhibet Aviti, qui Synodo præfuit, ſubſcriptio: *Avitus Epiſcopus Conſtitutiones noſtras, id eſt, Sacerdotum Provinciæ Viennenſis relegi, & ſubſcripſi die* XVII. *Kalendas menſis octavi, Agapito viro clariſſimo Conſule.* Quæ ſubſcriptio in Codice Corbeienſi, Lugdunenſi, Tiliano, Foſſatenſi, & aliis reperitur, obſervante Sirmundo. Concilii locus eſt in obſcuro. Eruditis aſſentimur, quibus ille vocatur *Eponſe*, non longè diſtans Agauno, Gallicè *ſaint Maurice*. Celebratum eſt XVII. Kalendas Octobris ab Epiſcopis XXV.

quo-

Anno Dom. 517.

quorum nomina hæc ſunt: *Alcimus Avitus* Vienneńſis, Conventus Præſes, *Ventrolius* Lugdunenſis, *Silveſter* Cabillonenſis, *Gemellus* Vaſenſis, *Apollinaris* Valentinus, *Valerius* Segeſtericæ, *Victurius* Gratianopolitanus, *Claudius* Veſontionenſis, *Pragmatius* Auguſtodunenſis, *Conſtantius* Octodurenſis, *Catulinus* Ebredunenſis, *Sanctus* Tarantaſienſis, *Maximus* Genavenſis, *Bubulcus* Vindoniſſæ, *Secularius* Deenſis, *Julianus* Carpentorenſis, *Conſtantius* Vappincenſis, *Florentius* Arauſicanus, *Florentius* Tricaſtinenſis, *Philagrius* Cabellicenſis, *Venantius* Vivarienſis, ſive civitatis Albenſium, *Prætextatus* Aptenſis, *Tauricianus* Nivernenſis, *Peladius* Presbyter, *Salutaris* Aventicenſis Legatus. Hi ſimul a L. Canones Epaonenſi in Eccleſia condidere. I. Epiſcopi ad Concilium, vel ordinationem à Metropolitano vocati veniant. II. Ne digami Presbyteri, aut Diaconi ordinentur. III. Pœnitentes Clerici non fiant. IV. Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis canes ad venandum, vel accipitres habere non liceat. V. Ne Presbyter inſcio Epiſcopo ſuo in aliena Eccleſia conſtituatur. VI. Presbytero, vel Diacono, ſine Antiſtitis ſui literis ambulanti communionem nullus impendat. VII. Patrochiarum Presbyteris alienare nihil liceat. VIII. *Presbyter dum Diœceſim tenet*, hoc eſt, parrochiæ Præfectum agit, de his, quæ emit, ſcribi curet inſtrumenta Eccleſiæ nomine, aut ejus adminiſtratione excidat. Mancipia Monachis donata ab Abbate non manu mittantur. IX. Abbas uni tantum Monaſterio præſit. X. Nova Monaſteria ſine Epiſcopi notitia non fiant. XI. Clerici ſecularia judicia abſque licentia Epiſcopi non adeant, pulſati reſpondeant. XII. Epiſcopus res Eccleſiæ ſine Metropolitano vendere non poteſt, commutare poteſt. XIII. Clericus falſi teſtimonii convictus, reus capitalis criminis cenſeatur. XIV. Si Clericus in alia civitate Epiſcopus fuerit ordinatus, Eccleſia donum ipſi præſtitum recipiat. XV. *Si ſuperioris loci Clericus Hæretici cujuſcunque Clerici convivio interfuerit, anni ſpatio pacem Eccleſiæ non habebit. Quod juniores Clerici, ſi præſumpſerint, vapulabunt.* Judæorum epulis Laico accombere non licet. XVI. Presbyteri decumbentibus Hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, Chriſmate ſubveniant, quod ſani ab Epiſcopo noverint expetendum. XVII. Teſtamenta Epiſcoporum, qui de bonis Eccleſiæ legaverunt, abrogat, niſi damnum ex propriis facultatibus reſarciverint. XVIII. Clerici Eccleſiæ præjudicium diuturnitate poſſeſſionis non faciant, licet bona abſque precatoriis poſſederint, ex remuneratione Eccleſiæ cum autoritate Principis. XIX. Abbas ſi in culpa reperiatur, & innocentem ſe aſſerens, ab Epiſcopo ſuo noluerit accipere ſucceſſorem, ad Metropolitani judicium res deducatur. XX. Clericis horis meridianis, vel veſpertinis ad fœminas prohibetur acceſſus. Si cauſa fuerit, Clericorum teſtimonium adhibeatur. XXI. Diaconiſſarum conſecratio abrogatur, ſola eis pœnitentiæ benedictione, ſi converti ambiunt, imponenda. XXII. Presbyter aut Diaconus, qui crimen capitale commiſit, detrudatur in Monaſterium, ſolâ communione quamdiu vixerit conceſſâ. XXIII. Qui ſuſceptam pœnitentiam deſerunt, excommunicantur. XXIV. Laicus Clerico verum crimen objicere non vetatur. XXV. Sanctorum reliquiæ villarum in Oratoriis non ponantur; niſi Clerici vicinæ parrochiæ, *ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.* Proprii non antè ordinentur, quàm eis competens victus & veſtitus deputetur. XXVI. Altaria niſi lapides chriſmatis unctione non ſacrentur. XXVII. Officium Metropolitani Comprovinciales obſervent. XXVIII. Ab Epiſcopo damnatos ſucceſſori licet abſolvere. XXIX. Lapſis, qui in hæreſim tranſierunt, biennii pœnitentia imponitur, ut tertiâ die ſine relaxatione jejunent. Eccleſiam ſtudeant frequentare, in Pœnitentum loco ſtent, & orent, cum Catechumenis abſcedant. Quæ ſi obſervaverint, admittantur ad Euchariſtiam: ſi nolint, ſtatuta Canonum complebunt. XXX. Inceſtis nil veniæ conceditur, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanatum fuerit. Pro inceſto habetur, qui *relictam fratris, quæ penè prius ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit; ſi quis frater germanam uxoris ſuæ accipiat. Si quis novercam duxerit;* ſi relictam avunculi vel patrui, ſi privignam, ſi conſobrinam. XXXI. Homicidæ, qui ſeculi leges evaſere, ſecundum Ancyranos Canones imminente morte Euchariſtiam accipiant. XXXII. Relicta Presbyteri, & Diaconi, quæ nupſerit, ab Eccleſia pellatur, donec à conjunctione illicita ſeparetur. XXXIII. Baſilicæ Hæreticorum à ſacris uſibus removeantur. Quas abſtulerunt, illæ revocari poſſunt. XXXIV. Qui ſervum ſine conſcientia Judicis ſuum occiderit, biennio excommunicetur. XXXV. *Cives ſuperiorum natalium* nocte Paſchæ, & Natalis Domini Epiſcopos adeant ad benedictionem accipiendam. XXXVI. Pœnitentibus morte ingruente, conſtituta pœnitentiæ tempora relaxentur: eâ conditione, ut ſi ægrotus *accepto viatico* convaleſcat, ſtatuti temporis obſervet ſpatia. XXXVII. Laicus niſi præmiſſâ religione non ordinetur. XXXVIII. Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ, & ætatis provectæ Clerici ingrediantur. Qui ad celebrandas Miſſas ingreſſi fuerint, exeant ſtatim, peracto miniſterio. XXXIX. Servus atrocis flagitii reus, qui ad Eccleſiam confugerit, corporali duntaxat ſupplicio liberetur: *De capillis verò, vel quocunque opere placuit à Dominis juramenta non exigi.* XL. Si quis Antiſtitum ſtatuta Synodi violaverit, reum ſe futurum agnoſcat.

XIII. Non multò pòſt Lugduni Concilium celebratur, à *Ventivolio* congregatum, cui XI. Epiſcopi interfuere, qui ſuam & Epaonenſi præſentiam attulerant: *Ventivolius* Synodi Princeps, *Julianus*, *Sylveſter*, Apollinaris, Victurius, Claudius, Gregorius, Maximus, Secularius, Florentius, Philagrius. Occaſionem Conventui præbuit vir, nomine *Stephanus*, qui cum *Palladia* inceſtis ſe nuptiis polluerat. Sigiſmundus Rex, cui Stephani damnatio diſplicebat, à Sacerdotum ſe communione ſuſpenderat. Nihilominus Epiſcopi facto Conventu, Decreto ſuo firmitudinem incutiunt, conditis ſex Canonibus, quorum ſumma hæc eſt. I. Quòd, quæ de Stephano Palladiaque decreta fuerant, *inviolabiliter ſervarentur.* II. Si quis Antiſtitum ea de cauſa in moleſtiam incurrat, reliqui ejus calamitate afficiantur animo. III. Si Rex ſe ab Eccleſia, & Sacerdotum communione *ultra ſuſpenderit*, Antiſtites ſe in Monaſteriis abſque dilatione recipiant, donec pacem integram Rex pro ſua pietate reſtituat. Nec ullus de Monaſterio diſcedat, quam cunctis pax fuerit promiſſa,

Lugdunenſe Concilium.

Anno Dom. 517.

ANNO DOM. 517.

vel reddita. IV. Epiſcopos alienas Diœceſes, aut ordinationum jura uſurpantes, à communione Sacerdotali removet. V. Nullus in viventis Epiſcopi locum ſubeat, ſecus tam ordinatus, quàm Antiſtites, qui ipſius ordinationi interfuere, perpetuæ excommunicationis ſententiâ feriuntur. VI. Qui regulas eas violaverit, ſciat ſe Concilio reum eſſe. Domini quoque glorioſiſſimi Regis ſententiam ſecuti, id temperamenti præſtant, ut Stephano, atque Palladiæ uſque ad orationem plebis, quæ poſt Evangelia legitur, orandi in locis ſanctis ſpatium conceditur.

Lab. Conc. t. 4. 1582.

ANNO DOM. 518.

ANNO U. C. 1271. PER. JUL. 5031. JUL. 563. DOM. 518. JUSTINI I. THEODORIC. 66. *Sol.* 23. G. *Lun.* 6. *Indict.* 11. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *April.*

COSS. *Magnus, & Florentius.*

Terræ motus urbes evertunt. Gravis fames in Palæſtina.

I. CUm pleriſque Imperii in partibus Chriſtiani ruerent in vetitum nefas, ac pro pietate ſuperſtitio, pro charitate, concordia, virtute, audacia, ambitio, vitia vigerent, dedere ocius pœnas, quas meruere pati. Ac primùm urbes cum incolis telluris hiatus exorbent, ut à Marcellino traditum: *In Provincia Dardania aſſiduo terra motu, XXIV. caſtella uno momento collapſa ſunt. Quorum duo ſuis cum habitatoribus demerſa, quatuor dimidia ædificiorum ſuorum, hominumque amiſſa parte deſtructa: undecim tertiâ domorum, totidemque populi clade dejecta: ſeptem quartâ tectorum ſuorum, tantaque plebis parte depreſſa vicina verò mein ruinarum deſpecta ſunt. Scupus namque Metropolis, licet ſine civium ſuorum hoſtem fugientium clade, funditus tamen corruit. Uno in caſtello regionis Cauſa, quod Sarnunto dicitur, rupta tunc terra venis, & ad inſtar torrida fornacis exæſtuans, diutinum altrinſecus ferventemque imbrem evomit. Plurimi ſociat Provinciæ montes hoc terra motu ſciſſi ſunt, ſaxaque ſuis evulſa compagibus, devolutaque arborum crepido, per triginta paſſuum millia patens, & in XII. pedum latitudinem dehiſcens, profundam aliquantis voraginum, civibus, caſtellorum ſaxorumque ruinas, vel adhuc hoſtium incurſiones fugientibus juſſa paravit.* Cæleſtibus quaſi buccinis Deus homines à peccatis revocatos, ad reſipiſcentiam invitabat. Neque graviſſimorum expers malorum Palæſtina, cui dira fames incubuit, de qua mentio eſt in vita Sabæ: *Simul ac in exilium miſſus fuit Archiepiſcopus Elias, clauſum eſt cælum, ut quinque annis non plueret. Et præter ſiccitatem, etiam locuſtarum ingens multitudo extitit: tum bruchus ſine numero, atque omnem terræ ſuperficiem deleuit.* Anno ſuperiore ea calamitas inceperat, quo Elias ſolum vertere juſſus eſt. Præſente verò, qui famis dominantis ſecundus eſt, *ingruit alia locuſta, aërem texit, omniaque ligna agri depaſta eſt, ortaque eſt valida fames, & crebra mors: adeò ut dicerent Hieroſolymitæ, propter peccatum, quod commiſſum fuerat in Archiepiſcopum Eliam, hæc mala ſupervenisse.* In tantis anguſtiis eò penuriæ Monaſteria Palæſtinæ redigebantur, ut maximæ Lauræ Oeconomus Sabæ dixerit: *Non poſſum, Pater, hoc Sabbatu, vel Dominico die* ξύλου *pulſationem ſigni, ad ſynaxim facere, quia nihil habemus, ne vel dilutum, pro Patribus qui conveniunt.* De divino tamen auxilio Sabæ fiduciam Providentia numinis non deſtituit. Juſſerat Abbas, precioſius vendi ſuppellectile, emendis

Marcellin. Chr.

quibus opus erat, dum ipſe cum ſuis Monachis ad Liturgiam recitandam ſe componit die Paraſceves, ecce caupones Hieroſolymitani cum *equis triginta afferunt vinum multum, panes, frumentum, oleum, mel, caſeum ac reliqua.* Cyrillo pugnat Scythopolitano Baronii Chronologia, qui atrociſſimæ famis initia cum anno DXII. copulavit, quinquiennii prochroniſmo.

ANNO DOM. 518.

Vit. Sab. c. 58 321.

Error Baronii.

II. Ut quæ ad Imperium attinent, una ſerie referamus, ad Anaſtaſii fata venio odum. Infelix ille Princeps multorum ſibi odio collegerat. Furorem populi Conſtantinopolitani plus ſemel expertus, inimicos metuebat. Dum in iis cogitationibus verſatur, inſidiarum rumore tangitur. Quibus nunciatis, multos comprehendit, atque unà cum eis Juſtinum, & Juſtinianum, qui poſteà rerum potiti ſunt. Dum vinculis detinentur, ac de ipſorum ſupplicio cogitat, ab ea mente ſomnio revocatum eſſe ferunt: *Cùm vir terribilis ei aſtitiſſe viſus eſſet, ac dicere: Juſtino, & Juſtiniano ne quid mali feceris, nam uterque ſuo tempore Deo inſerviet.* Quam ad ſomnii narrationem relegari per nos licet. Commenti eſt ejuſdem, quod in Chronico Alexandrino legitur. Videre ſibi viſum, virum quemdam eximium, ſplendidâ veſte indutum, è regione ſtantem, *qui Codicem ſcriptum ferebat, Codiciſque paginas quinque volvebat. Lectoque Imperatoris nomine, dixit, En propter tuam inexplebilem avaritiam deleo XIV. annos, & ſuo digito delevit.* Territus ſomnio Anaſtaſius, Amantio viſum exponit, qui & Imperatori faſſus eſt, eâdem ipſâ nocte pone ſe vidiſſe porcum ingentem, qui roſtro trahebat oram clamydis ipſius. A quo & in terram projectus, miſerè laceratus, voratus eſt. Somniorum interpretationem cùm à *Proclo* inſigni & Philoſopho, & Mathematico expetiiſſent, reſpondit quærentibus, velox fatum imminere, quod talibus ſomniis portendebatur. Ad fabulas amandentur vaticinationes ejuſmodi. Quæ ſi vel à Proclo editæ fuiſſent, tutis auribus creditæ, in vulgus utique non manaſſent. Neque coætanei Anaſtaſio Autores, Marcellinus, Cyrillus Scythopolitanus, Evagrius verbulo ullo horum ſomniorum meminere, quæ ex Græculorum officinis, mendaciorum fœcunda prodiere.

Bar. An. 513 n. 33.

De Anaſtaſio Græculorum fabulæ.

Zonar. l. 14. c. 57.

III. Quàm Chronologis, Hiſtoriciſque exploratus eſt ſupremus annus Anaſtaſii, tam & fatalis dies, & genus mortis ignoratur. De ipſius fato hæc Marcellinus habet: *Anaſtaſius Imperator ſubitâ morte præventus, major octogenario periit.* Ictu fulminis exceſſiſſe non dixit: neque id memorat Evagrius, cujus verba ſunt: *Ad alteram vitam migravit.* At complures fulmine percuſſum obiiſſe tradunt. Quin etiam, ſi Zonaræ fides, aruſpicum reſponſa id cecinerant: *Quia fatale ſibi eſſe ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholorum ædificium conſtruxit, in eoque degit, ſed fruſtra. Nam cùm aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipſe perterritus, è cœnaculo in cenaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, in quodam regio cubiculo mortuus eſt inventus.* De morte Anaſtaſii paria geminaque Cyrillus tradit in vita Sabæ. Fulmine ictum Anaſtaſium in Magnauræ palatio, clamantem, Ἀπὸ μεγάλης αὔρας ἀπόλλυμαι: hincque Magnauræ nomen palatio inditum ſcribit Codinus, utpote quod in ſuperiore regiæ urbis parte conditum fuit. Quantum conjecturâ aſſequi poſſumus, aut horrido tonitruum fragore exanimatus, aut vehemen-

De ſupremo Anaſtaſii die mortiſque genere. Mores defuncti.

Zonar. An. l. 14. 57.

hementiori aëris agitatione reſpirandi vim prohibente percuſſus animam, Anaſtaſius exhalavit. Quippe ſi fulgurum jaculo petitus fuiſſet, in cineres abiiſſet, non ſecus ac Tullus Hoſtilius Rex Romanorum tertius, *qui fulmine ictus cum regia conflagravit*. Teſtatur tamen Victor Tununenſis, illis accedens, qui *coruſcationis jaculo* Anaſtaſium periiſſe narrant, quod *defuncti corpus ſepulchro conditum fuerit: Cum ignominia abſque conſuetis exequiis ad tumulum ducitur.*

Vict. Tun.

De ſupremo quoque defuncti die non minimum variant. Petavius, Theophanem ſecutus, cenſet Anaſtaſium *Aprilis* XI. *die, feriâ* V. mortem obiiſſe. Cui Chronologiæ favere videntur & Evagrius, & Chronicum Alexandrinum, à quibus Juſtini Imperium *Julii nono* alligatur, quem Cyrillus in vita Sabæ, Marcellinuſque pro Anaſtaſii ſupremo habent. Eſt autem creditu difficillimum, unum eundemque diem & *Anaſtaſio* exitum, & *Juſtino* Imperium attuliſſe, cum defuncto Anaſtaſio Amantius Sacri Cubiculi Præpoſitus magnam pecuniæ vim Juſtino diſtribuendam dederit, ut Theocrito purpuram emeret, quam ſibi conciliavit, redemptâ & populi, & excubitorum benevolentiâ. Quæ omnia decem horarum ſpatio peragi vix potuere. Porrò cùm ſupremum Anaſtaſii diem Julii *nonum* dicunt Cyrillus atque Marcellinus, qui tum temporis florebant, in eorum potius Chronologiam propendemus.

Marcellin. Chr.

Anaſtaſius *regnavit annos* XVII. *menſes* II. *dies* XXIX. Cujus imperii initia ab XI. Aprilis, feriâ V. majoris Hebdomadis, anni Dom. CCCCXCI. ſunt deducenda, cùm eo tempore Anaſtaſius creatus ſit Auguſtus. Menſes itaque duo, & dies viginti novem, quas de labente imperii ſui XXVIII. delibavit Anaſtaſius, Julii nono terminantur. Non moramur quidem Eliæ viſiones, quas Cyrillus chartis mandavit. Nihilominus rebus Chronologicis illæ ſunt uſui: Elias *non à menſis Julii die, egreſſus circa horam ſextam noctis dixit collacrymans, hâc horâ migravit è vita Anaſtaſius Imperator . . . Beatus Sabas, notate die, reverſus Hieroſolymam, agnovit nocte decima diei Julii menſis Imperatorem Anaſtaſium fuiſſe proſtratum occiſumque.*

Vit. Sab. c. 60. 315.

Cùm igitur optimè ſibi conſentiant Cyrillus atque Marcellinus, eorum Chronologiam aliis omnibus anteponimus. Periit ergo Anaſtaſius eâ nocte, quæ nonum Julii inter & decimum media eſt: quæque pro vario putandi more, vel ad primam feriam pertinet, vel ad ſecundam. Major erat octogenario, utpote qui annos natus LXXXVIII. exceſſerit, teſte Victore Tununenſi: *Ad tumulum ducitur, anno vitæ ſuæ octuageſimo octavo.* De Anaſtaſii fama judicium eſt difficillimum, cùm plures nactus ſit adverſarios, qui honori ipſius labem intulere. Egregiis ſanè virtutibus præditum oſtendunt tum ejus ad Atticum Epiſtola, quâ ne magnam quidem tranquillitatem ſubditorum cruore emi voluit, cùm abrogatio Chryſargiri. Neque mirum, ſi quandoque exarſit ipſius iracundia, cùm miſerè laceraretur, veluti hoſtis Concilii Chalcedonenſis infenſiſſimus, cujus tamen doctrinam venerationi ſibi eſſe prædicabat. Audiatur Evagrius: Anaſtaſium *nonnulli tùm Synodi Chalcedonenſis inimicum eſſe judicaſſent, nomen ejus ex ſacris tabulis expunxerunt. Hieroſolymis verò etiam vivus & ſpirans, anathematizatus eſt.* Defuncti de ſalute benè tamen ſperavit Evagrius, qui ſcribit: *Anaſtaſium ex hac luce ad meliorem ſortem eſſe tranſlatum.* Nolumus tamen

Evagr. l. 3. c. 34.

Evagr. l. 4. c. 1.

inficiari, quin ſæpenumerò lapſus ſit credulitate ſuâ, Aulicorumque potentiâ. Neque prudentiam ejus laudaremus, ſi quod Procopius refert, oblatas ſibi ab *Arthazate* Hunnorum Principe Portas Caſpias repudiaſſet. In dubium tamen narrationem adducimus utpote quæ, cùm Hunnorum in regiones Orientis excurſibus non ſatis aptè cohæreat.

Proc. Perſ. l. 1. c. 7.

IV. Poſt Anaſtaſium Juſtinus rerum potitur, cujus patria non ſatis agnoſcitur. *Thracem* egiſſe, ſecundum Evagrium complures tradidere Procopius verò Illyricenſem ex oppido *Bederiana* Juſtinum dixit. Parentibus ortus erat ignobilibus, & obſcuris, ut ipſemet agricolam ſubulcumve quandoque exercuerit, ſi Zonaræ fides: *Ipſe principio agricola fuit, aut armentarius, & porcarius.* Animo ad artem militarem adjecto, primum Tribunus, deinde excubitorum Comes creatur. Erant Anaſtaſio conſanguinei, quibus Imperium deſtinabatur, ut ſcripto proditum legimus in Excerptis Valeſianis de Theodorico: *Habebat Anaſtaſius Imperator tres nepotes, id eſt, Pompeium, Probum, & Hypatium. Cogitans quem de ipſis faceret poſt ſe Imperatorem, quâdam die juſſit eos ſecum prandere, & intra palatium poſt prandium meridiare, & ſingula lecta eis ſterni, & in uno lecto juſſit à capite regnum poni, & quis de ipſis in eodem lecto elegiſſet dormire, in hoc ſe debere cognoſcere, cui regnum poſteà traderet.* Cùm nullus in lecto, cui diadema recondebatur, ſe collocaſſet, conjecturam duxit, ex conſanguineis ſibi ſucceſſurum neminem. Imò Excubitorum Comiti Imperium deſtinari ſubintellexit, cui cùm feſtinanter juxta Anaſtaſium tranſiret, calcanti chlamydem ejus dixit, *quid feſtinas?* Id minus quidem conſtat: illud tamen eſt certiſſimum, contra omnium expectationem ad ſumma rerum faſtigia, Juſtinum evectum, licet Anaſtaſii in propinquis viri nobiles, nec purpurâ indigni reperirentur. Artibus verò ſuis Juſtinus Imperium ſibi conciliat. Amantius Sacri Cubiculi Præfectus, vir erat ſummæ potentiæ. Ipſum tamen, utpote eunuchum ſua conditio ab Imperio repellebat. Theocrito igitur, quem ſibi fidiſſimum exiſtimabat, diadema imponi voluit. Ac Juſtino accerſito, multum pecuniæ tradit, illis diſtribuendæ, qui Theocrito ad Imperium obtinendum auxilio eſſe poterant. Verùm Juſtinus ſibi magis, quàm alteri Imperium tradi maluit. Redemptâque ex Amantii opibus, & populi, & excubitorum benevolentiâ, creatur Imperator. Nono Julii die purpuram induiſſe, in Evagrio, Chronicoque Alexandrino legitur. Verùm tam à Marcellino, quàm à Cyrillo monemur, non ante VII. Iduum Julii Anaſtaſium ad plures abiiſſe. Itaque labente duntaxat decimo Julii, feriâ ſecundâ, Juſtinus ad imperium evehitur, quod ad uſque Calendas Auguſtas anni DXVII. tenuit. Itaque imperavit annos novem, dieſque tres & viginti.

Juſtinus creatur Auguſtus. ejus origo. & anni.

Zon. An. l. 14. c. 5.

Excerpt. p. 721.

V. *Juſtinus à Senatu electus, Imperator continuò ordinatus eſt.* Neque id in dubium vocari poteſt, cùm *Julii die* XV. qui Dominicus erat, populus in magna regiæ Urbis Eccleſia fauſta & Imperatori & Auguſtæ precatus ſit: *Vincit fides Imperatoris, vincit fides Auguſtæ; novo Conſtantino multi ſint anni, nova Helena multi anni . . . Juſtine Auguſte, tu vincis.* Vix imperium ingreſſus erat, cùm uxori ſuæ nomen mutavit, ut in ejus regeneratione digniore quidem appellatione ornaretur: *Uxorem Lupicinam, mutato ejus nomine*

Juſtinus uxorem creat Auguſtam. Amantium opprimit.

Marcel. Chr.

Syn. 5. Act. 5.

Zonar. An. l. 14. §8.

Anno Dom. 518.

nam in Ephemiam, diademate ornavit, & Auguſtam appellavit. Id à Conſtantinopolitanis factum, minus rectè tradit Victor Tunnenſis, à quo diſcimus, Ephemiam Juſtiniani amitam fuiſſe. Novum porrò Principis diadema ſanguine reſpergitur. *Amantius* Palatii Præpoſitus populo in odium venerat. Julii XVI. labebatur, cùm magnis in Eccleſia clamoribus Amantium palatio pelli petiit: *Novum Tſumam ejice foras, Novus Tſumas Amantius eſt. Nugatorem ejice de palatio.* Erat & Amantius Juſtino infenſiſſimus, quòd ægrè ferret, ab eo ſe turpiter eſſe deluſum, converſâ in proprios uſus pecuniâ, quam ad emendam Theocrito purpuram largiſſimè præbuerat. Hinc illæ lachrymæ, & ſimul conjuratio in Juſtinum, quæ tamen inſidiatoribus in damnum ceſſit. Miſerorum crimen, unàque ſupplicium narret Marcellinus: *Amantius Palatii Præpoſitus, Andreas, Miſaël, & Ardabur Cubicularii, Manichæorum fautores, & Juſtini deprehenſi ſunt proditores. Quorum duo, Amantius, & Andreas ferro trucidati ſunt. Miſaël & Ardabur Sardicam in exilium miſſi. Theocritus Amantii ſatelles, quem idem Amantius Præpoſitus ad regnandum clam præparaverat, comprehenſus, & in carcere ſaxis contuſus ingentibus periit, ſalſoque in gurgite jactus, ſepulturâ quoque cum Imperio, cui inhiarat, caruit.* Nocentes ſupplicium quidem luiſſe Juſtino & Eutharico Coſſ. Marcellinus prædicat. Eſt tamen vero longè ſimilius, ſuo crimini ſanguinem dediſſe anno labente; cùm plebeios involaſſet animos cupido Amantiani ſupplicii ſex duntaxat diebus, poſtquam Juſtinus Imperio potitus eſt. Refert & Evagrius, Juſtinum ſubinde Amantium, & Theocritum cum aliis nonnullis è medio ſuſtuliſſe. Non multò poſt Julii XVI. Amantium periiſſe, ex Joannis Patriarchæ Synodica ad Metropolitanum Tyri, Epiſcoporum miſſa colligitur, quæ lecta eſt *anno Tyriorum* 643. *die* XVI. *Septembris. Indictione* XII. hoc eſt, anno Dom. DXVIII. Etenim in acclamationibus hæc prædicat populus: *Mortuus eſt Amantius rebellis Trinitatis.* Revocavit & Juſtinus Patricium Apionem, & Diogenianum Magiſtrum Militiæ, & Philoxenum: *Atque Apionem creavit Præfectum Prætorio, Diogenianum Magiſtrum Militiæ Orientis.* Placuit & Imperatori, Chalcedonenſium Decretorum tenaci. *Vitalianum*, qui pro iis certaverat, virum artis bellicæ peritiſſimum, exercitibus imponere: *Vitalianus Scytha Juſtini Principis pietate ad Rempublicam revocatus, Conſtantinopolim ingreſſus eſt, ſeptimoque receptionis ſuæ die Magiſter Militiæ ordinatus.*

Syn. Conſtantinopol. Act. 5.

Chron. Alex.

Marcellin. Chron.

VI. Non patiuntur nos gravioris momenti res Eccleſiæ illis Imperii diutius inſiſtere. Anno ſuperiore ſecundæ Syriæ Archimandritæ, & Monachi Imperatori expoſuerant, quæ ab Eutychianis pro fide patiebantur. Cùm repulſam tuliſſent, Hormiſdam ſibi adeundum ſtatuunt, oblatâ relatione, quæ ipſius in manus pervenit anno ineunte, ut Pontificia ex reſponſione liquet. Viginti quinque Abbatum, Presbyterorum verò, & Diaconorum centum & ſeptuaginta ſubſcriptionibus Libellus munitus eſt. Eminebant præcipuè *Alexander*, *ſancti Maronis* Archimandrita, qui & primus ſubſcripſit, Simeon & Procopius. Cruentæ ſeditionis facta accuſant Severum Antiochenum, Petrumque Apameenſem: *Qui autem ſint iſti, & quibus hæc adverſus nos armaverunt, audiſti utique, beatiſſime. Severus ille, & Petrus, qui nunquam in Chriſtiano numero* *reputati ſunt, qui per ſingulos dies ſanctam Chalcedonenſem Synodum, ſanctiſſimum Patrem noſtrum Leonem publico anathemate impetunt.* Nefariorum Præſulum cohortationibus incitati furoris miniſtri, injectis plagis Monachos adigebant, ut Chalcedonenſis Decreta pedibus proculcarent, ex illiſque complures interfecere: *Euntibus namque nobis ad Mandram Domini Simeonis, pro cauſa Eccleſiæ inſidias ſunt nobis in itinere, prædicti comparati, & ſupervenientes, occiderunt ex nobis* CCCL. *viros, quoſdam autem vulneraverunt: alios verò, qui potuerunt, ad colenda altaria confugere, ibidem peremerunt, & altaria incenderunt, per noctem mittentes multitudinem iniquitorum hominum. . . . Ad ſingula autem dolata ad veſtram beatitudinem inſtruent charta, a venerabilibus fratribus Joanne & Sergio, quos miſeramus Conſtantinopolim, ſperantes vindictam fieri de his, quæ commiſſa ſunt. Sed eos nec verbo dignatus eſt Imperator, ſed etiam cum gravi contumelia expulit, comminatus eis, qui iſta porrigerent.* Rogant ergo Hormiſdam, utpote *omnium caput*, fidem contemptam, Canones miſere conculcatos, Patres contumeliâ affectos tueatur. Quod ut facilius impetrent, Neſtorium, Eutychem, Petrum Mongum, Petrum Fullonem, & Acacium anathemate feriunt. Lecto Libello reſponſum Hormiſda ſuum dedit V. *Idus Februarii*. Gravis ea eſt ad patientiam exhortatio, propoſitis Scripturæ oraculis, atque exemplis, præcipuè Maccabæorum, qui in decus & gloriam martyrii pro pietate certaverant. Monet non illos modò, quos damnaverant, ſed Xenaiam Hieropolitanum, Cyrum Helladenſem, Petrum Apameenſem non jam *pro ſua tantum, ſed pro aliorum quoque damnatione damnatos.* Perſtringit & Imperatorem, etſi ipſius nomini parcat: *Sed numquid ideò negligenda eſt juſtitia tua, quod errores ſuos diligit cum obſtinatione perfidia?*

Lab. Conc. t. 4. 1461.

Hormiſd. Ep. 13.

VIII. Olympius Palæſtinæ Dux, audito Joannem Hieroſolymitanum, Abbatibus Theodoſio, & Sabâ comitatum, Anathematis tela in Severum, Sotericumque ex ambone conjeciſſe, fugam in Cæſarienſem civitatem anno elapſo arripuerat. Quæ cùm Imperatoris ad notitiam perveniſſent, inflammatus irâ, Joannem, Theodoſium, & Sabam in exilium mittere voluit. Re cognitâ, Theodoſius & Sabas congregatis Monachis, unâ mente atque animo preces ſuas chartis mandatas mittunt Anaſtaſio: Epiſtolæ titulus hic eſt: *Imperatori religioſiſſimo, & piiſſimo, Dei gratiâ Auguſto, & Dominatori, Flavio Anaſtaſio, Chriſti ſtudioſo, preces a Theodoſio, & Sabâ Archimandritis, cæteriſque Monaſteriorum Præpoſitis, atque omnibus Monachis, qui in Sancta Dei urbe, totaque circa eam ſolitudine, & ad Jordanem habitant.* Adeò verum eſt, ne vel mutatâ fide regium characterem eripi Principibus. Narrant verò, mirari ſe, quòd in urbe Hieroſolymitana tantus tumultus extiterit, *ut omnium Eccleſiarum mater, & ſancta Dei, Servatoriſque noſtri Reſurrectio refugium & aſylum omnium ex toto mundo injuriâ affectorum, ac ſalutis indigentium evaſerit in publicum forum, locumque communem.* Qui precandi cauſâ ad ſancta Loca adeunt, pro pietatis, quod ſperabant, emolumento, ſcandalis repleti, ſuam in patriam remeare. Doctrinam, quæ Hieroſolymitanorum fidei inducitur, per venerabilia loca veritatem palpantium, Antichriſti doctrinam eſſe. Tantarum calamitatum auctorem, opificemque eſſe

Monachorum Palæſtinæ Epiſtola ad Anaſtaſium.

Palæſtinorum de ſuis vexationibus ad Hormiſdam Epiſtola. Pontificis reſponſio.

Anno Dom. 518.

Severum ab initio, & *Acephalum*, & *Apoſchiſtam*, Deo ob mortalium peccata permittente, ad Epiſcopatum Antiochiæ promotum. Quatuor Synodos ſummâ ſe & veneratione, & amore amplecti, quarum à doctrina, ne vel tormentis, morteque propoſitâ, ſe divelli unquam ſuſtinebunt: nunquam ſe cum *Apoſchiſtis* communionem inituros: *Prius omnium noſtrum ſanguinem ſponte effuſum iri, cunctaque ſancta Loca igni eſſe conſumenda, quàm hujuſmodi quidpiam in ſancta hac urbe committatur.* Mittitur Epiſtola hæc Monachorum ad Joannem Conſtantinopolitanum ſucceſſorem Timothei: *Libellum ſupplicem ubi Anaſtaſius Imperator accepiſſet, detentus à Vitaliani barbaricis motibus, conſilium cepit in ea re quietem & ſilentium tenendi. Atque hoc modo Joannes à Sede Hieroſolymitana dejectus non fuit.*

Vit. Sab. c. 57. 316.

Eliæ Hieroſolymitani mors, vitæque breviarium.

VIII. Hieroſolymitani illi tumultus nobis in Palæſtina verſantibus in memoriam revocant Eliam Patriarcham, qui anno ſuperiore Sede ſuâ pulſus, *Ailam* exul conceſſerat. Monachorum in animis ipſius laudes nomenque manebant. Placuit ergo Sabæ, Præſulem quondam ſuum viſitatum ſalutare: neque tempeſtatis æſtu ab eo quidem conſilio deflexit: *Octogeſimo ætatis anno circa æſtivum ſolſtitium, Indictione XI.* Ailam ad Archiepiſcopum proficiſcitur, Stephano Monaſterii Euthymii Præfecto & Euthalio, qui Lauram, quæ Eliæ fuit, regebat, comitatus. Peregrinos cum lætitia ſuſcepeos, Elias apud ſe diebus aliquot tenuit: *A dimiſſione quidem lucernarii uſque ad horam nonam ipſis non ſe reddebat conſpicuum. Circa horam autem nonam egrediebatur, & cum illis communicabat atque reficiebatur, poſt lucernarium recedebat. Dum ergo ita ageret, contigit, ut nonâ menſis Julii die pro ſolito non exiret. Illis autem expectantibus, & neque communicantibus, neque quidquam guſtantibus, egreſſus circa horam ſextam noctis, dixit, Vos cibum ſumite, non eſt enim mihi otium. Cùmque S. Sabas teneret eum, & quodam modo cogeret ad dicendum, quid haberet, collachrymans reſpondit, hâc horâ migravit è vita Anaſtaſius Imperator, oportet me prorſus poſt decem undecim excedere, & cum eo diſputare, ac judicari . . . Octo diebus poſt viſum ſuperſtes, ſolâ communione, & miſto liquore contentus, ægrotavit paru mper. Cum autem Sabas, & qui cum eo erant, non diſceſſiſſent ab ipſo per tres dies, vigeſimo menſis Julii poſt communionem, & preces, dictoque Amen, in pace dormivit, & requievit totius vitæ annis octoginta octo decurſis.* Ortus Cappadociâ Elias, ex monte Nitriæ profectus ad celeberrimum illum Euthymium, ei ſeſe excolendum tradiderat. Quo dein relicto, juxta Hiericuntinam urbem, ubi cellam ædificarat, quæ lapſu temporis in Monaſterium mutata eſt. Ab Anaſtaſio Hieroſolymitano Patriarcha Presbyter creatus erat, ſub annum Dom. CCCCXC. habente Leonis Auguſti XVI. Hæc Cyrillus Scythopolitanus in vita Euthymii, cap. 94. & 12. Hiericuntinorum Monaſteriorum Præfectus erat Elias, cùm ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum evectus eſt, relicto ſucceſſore *Euthalio*, cui poſt obitum Neſtabum, & Zachariam ſuo quemque tempore ſubſtitui voluit. Hieroſolymitanæ Sedi anno CCCCXCIV. impoſitus eſt, menſe circiter Auguſto, quam annis XXIII. adminiſtravit, uno fortè, alteroque menſe excepto. Non ſatis Sidonenſi in Conventu ſe magnanimum præbuit, datis ad Anaſtaſium Epiſtolis, quibus teſtabatur, ſe Chalcedonenſia geſta non admittere, *propter ſcandala inde exorta*, quæ labem famæ ipſius aliquam intulere. Maculam hanc eluit poſtmodum factus pietatis Confeſſor, pro qua Epiſcopatu, ſpoliatus in exilium ejectus eſt. Inter laudabilia ipſius opera nova Deiparæ Eccleſia numeratur, quam ab eo fundatam, Juſtinianus rogante Sabâ perfecit, & exornavit. Inſignis quoque temperantiæ cultor fuit, de qua Moſchus in Prato ſpirituali, quod Cotelerius edidit, capite XXV. hoc ſcriptum reliquit: *Dicebat Abbas Polychronius, de Abbate Elia, Archiepiſcopo Hieroſolymorum, quòd unum non biberit Monachus cùm eſſet, nec poſtquam factus eſt Patriarcha, ſed eamdem ſervaverit regulam.*

Anno Dom. 512.

Vit. Sab. c. 27.

Severus inſtante plebe à Joanne Conſtantinopolitano damnatur.

IX. At Conſtantinopoli quinque diebus Eliæ ante obitum, cùm populus non neſciret, Chalcedonenſe Concilium Imperatori venerationi eſſe, Julii XV. die Dominico magnam ingreſſus Eccleſiam, coram Joanne Patriarcha, totoque Clero, repetitis clamoribus, & Synodi confirmationem, & Severi damnationem flagitat: *Multi anni Imperatoris: Juſtine Auguſte, tu vincas. Synodum Chalcedonenſem modò prædica. Juſtinus regnat, quem times? Severum Manichæum foras ejice. Synodum Chalcedonenſem modò prædica. Qui non anathematizat Severum, Manichæus eſt. Ejice foras Severum: novum Judam ejice foras.* Hæc, multaque ejuſmodi cùm vociferarentur, Joannes Patriarcha regerit: *Hæc patienter ſuſtinete, fratres, ut prius adoremus ſanctum altare, & poſt hoc do vobis reſponſionem.* Poſtquam Clerici ingreſſi ſunt ad altare, populus clamores ingeminat ſuos: *Hic obteſtor, non exibis, niſi anathematizes Severum: anathema Severo apertè dic: hoc refera.* Tum Joannes ambonem conſcendens, altâ voce prædicat: *Scitis labores meos, dilectiſſimi, quos & in antiquitate exiſtens ſubivi, & nunc ſuſtinui pro fide, & ſuſtineo uſque ad mortem. Non opus erga eſt turbatione, aut tumultu.* Ac uno tenore Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, Chalcedonenſem Synodum ſuffragio ſuo comprobavit. Avido Severianæ damnationis populo ea non ſuffecere. Hoc igitur addidit, *Non deſcendes, niſi anathematizes.* Prædicationem ſimul & Concilii Chalcedonenſis petit: *Niſi reſponſionem accepero, uſque ſerò hic ſum.* Itaque *Samuel* Diaconus die proximè ſequente, feriâ ſecundâ in eodem loco Conventum indicit de corroboranda Synodo. Cum perſtaret incepto, conſtans animi populus dicens, Severum *aut anathematiza, aut nihil*, conſenſu Epiſcoporum qui aderant, Joannes altâ voce pronunciat, Severum ab Eccleſia ſeparavit: *Sequentes itaque*, inquit, *& nos divinos Canones, ac ſanctos Patres, alienum ipſum putamus, & à divinis Canonibus per ſuam blaſphemiam condemnatum, anathematizamus & nos.*

Lab. Conc. t. 5.

Inſtante plebe Joannes Conſtantinopolitanus Synodum Chalcedonenſem, & Leonem Dipthychis inſerit.

X. Die Lunæ, qui Julii XVI. numerabatur, cùm Epiſcopi, populuſque in Eccleſiam conveniſſent, ac amboni Patriarcha appropinquaret, clamoſis iterum vocibus plebs inſiſtit: *Reliquias Macedonii Eccleſiæ reſtitue. Juſtine Auguſte, tu vincis; Euphemia Auguſta, tu vincas. Eos, qui ſunt in exilio propter fidem, Eccleſiæ reſtitue. Exhumentur oſſa Neſtorianorum: exhumentur oſſa Eutychianiſtarum. Manichæos ejice foras . . . Severum Judam ejice foras . . . Novum Thomam ejice foras. Novus Thomas Amantius eſt: nugatorem ejice de palatio . . . Quatuor Synodos Diptychis; Leonem Epiſcopum Romanum Diptychis. Sancta Maria Dei genitrix eſt.* Ut clamoribus finis imponeretur,

tur, populo ſignificatur; adhæreſcendum eſſe Symbolo, in quo omnes baptizati ſunt, cuique calculum album addidere Chalcedonenſes. Neque ob ea ſilentium populus egit, cui in clamoribus permanenti à Patriarcha reſponſum eſt: *Quoniam omnia Canonicè, & bono ordine fieri oportet, permittite nos congregare Deo amantiſſimos Epiſcopos, ut ſecundum divinos Canones omnia proveniant, conſilioque & juſſu piiſſimi Imperatoris noſtri. Omnes enim acclamationes veſtras ipſius ſerenitati aperiemus.* Eò proceſſit incondita populi religio, ut Antiſtibus clauderent Eccleſiæ portas, ne prius quàm rogantibus cumulatè ſatis fieret, Templo egrederentur. Itaque Joannes quatuor Oecumenicas Synodos, nominaque Leonis, Euphemii & Macedonii in Diptychis collocari juſſit. Tum uno ore populus clamavit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem populo ſuo.* Deinde ubi cantatum eſt Triſagium, pſallentibus benignas aures præbuit. Tempore verò, quo poſt dimiſſos Catechumenos Diptycha legebantur, feſtinanter cum magno ſilentio altari ſe circumfudit: *Et cùm ſolum lecta fuiſſent à Diacono appellationes prædictarum ſanctarum quatuor Synodorum, & ſanctæ memoriæ Archiepiſcoporum, Euphemii Macedonii, & Leonis voce magnâ univerſi clamaverunt, Gloria tibi, Domine.* Deinceps modeſtè ſe geſſit, dum ſacra myſteria celebrantur. Vitandus eſt Latini interpretis error, qui proclamationem Synodorum expletâ Miſſâ factam eſſe tradit. Sed non ita eſt: cùm enim lecto Evangelio januæ clauderentur, poſt recitatum de more Symbolum Diptychorum lectio incipiebat.

Conſt. Syn. 1. Act. 5.

Synodus Conſtantinopolitana. Libellus Monachorum ei oblatus in Severum.

XI. Progreſſus longè majoris ſpem omnibus injiciebant læta hæc initia. Julii viceſimo, feriâ ſextâ Concilium in urbe regiâ cogitur, Epiſcoporum XLIII. cui Archimandritæ, Monachique Conſtantinopolitani Libellum offerunt, multa à Patribus flagitantem. Prima petitio hæc fuit, ut reſciſſis omnibus, quæ adverſus Euphemium patrata fuerant, ipſius nomen Diptychis insereretur. Ubi Patres diligenter examinarunt, quibus de cauſis ejectus fuerat Euphemius, nec idoneæ viderentur, cùm perfectus expletuſque numeris & partibus, quæ Epiſcopo ſunt requiſitæ, reperiretur, ſacris eum Diptychis reſtituerunt. Secundâ petitione ſuâ volebant, omnes prorſus, qui Euphemii cauſâ in exilium pulſi fuerant, revocari: quibus & ſuppetias, ut ab Imperatore reſtituerentur, ferendas eſſe conſtituunt. Denique tertiâ ſuâ petitione Monachi urgebant, ut quatuor Oecumenica Concilia ſtabilirentur: quod facilè à Synodo eſt impetratum, cujus Decreto ſacris Diptychis appoſita ſunt. Quartum Libelli Capitulum hoc fuit, ut Leonis nomen ſacris Libris insereretur, utpote qui non minus quàm Cyrillus Alexandrinus pro fide egregiè certarat. Quinta Monachorum petitio fuit, ut illata Synodo Chalcedonenſi injuria damnaretur. Multa quippe *Severus* Antiochenus Anathemata in Concilium torſerat, quæ recitata ſunt: *Quæ à Synodo eo tempore in Chalcedone congregatâ, formata fuerant & ſtabilita, & eos, qui pro ipſa pugnant, anathematizamus.* Quæ injuria in ipſius Severi caput tandem recidit, Patribus ea ſancientibus: *Non ſolùm tanquam blaſphemum, ſed & tanquam calumniatorem, & omnibus ſanctis Synodum injuriantem, prædictum Severum, omni honore deſtitutum eſſe ſtatuentes, anathemati ſubjicimus.* Sic de pietate cum populo Conſtantinopolitano Monachis certantibus, pax Eccleſiæ intermortua revocatur. His decretis, Joannes Conſtantinopolitanus Joanni Hieroſolymitano ſcribit, quæ in Synodo geſta fuerant, ut aſſenſum eis ſuum præberet. Ejuſdem planè argumenti Epiſtolam direxit *Epiphanio*, Tyrienſi Metropolitano. Obſervetur in tranſcurſu Libellus ſupplex Clericorum, & Monachorum Antiochenſium, qui Joanni Conſtantinopolitano inſignem *Oecumenici* titulum indidere, qui Pelagio, Gregorioque Pontificibus Romanis iras movit: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo, Oecumenico Patriarchæ Joanni, & ſanctæ Synodo congregatæ ſupplicatio.* Non id tamen Græcis mentis fuit, orbis totius Epiſcopos Conſtantinopolitani Patriarchæ autoritati ſubditos eſſe. Quid eo titulo ſibi voluerint, narrarunt Anaſtaſio Bibliothecario, qui illum, utpote ſuperbum improbabat. Audiatur Anaſtaſius: *Cùm apud Conſtantinopolim poſitus, frequenter Græcos hoc vocabulo reprehenderem, & faſtus, vel arrogantiæ redarguerem, aſſerebant quòd non ideò Oecumenicum, quem multi univerſalem interpretati ſunt, dicerent Patriarcham, quòd univerſi orbis teneat Præſulatum, ſed quòd cuidam parti præſit orbis, quæ à Chriſtianis inhabitatur.* Verum de eo titulo fuſius ſuo loco.

Bar. Ann. 787. n. 6.

Synodus Palæſtinæ adverſus Severum.

XII. Officio Archiepiſcopus Hieroſolymitanus ſuo non defuit. Juſtini ſacram prius acceperat, quàm Joannis Synodicam. Auguſti VI. quo feſtum Transfigurationis recolitur, Reſcriptum Imperatoris Hieroſolymæ publicatur, de Concilio Chalcedonenſi Diptychis inferendo. Poſt hæc trium Palæſtinarum Synodus à Joanne cogitur, cui Sabas interfuit. Quid in ea geſtum fuerit, Joannis ad Conſtantinopolitanum Præſulem Epiſtola declaratur: *Abominationem illam deſolationis monſtrum peſtiferum Severum dicimus, qui iniquitatem in altum locutus eſt per ſua verba blaſphema contra ſanctam, magnam, & Oecumenicam Chalcedonenſem Synodum dicta. Cujus neque principium cognitum eſt nobis, neque quis ſit: qui Antiochenam fidem iniquè ac tyrannicè, ac contra Eccleſiaſticos Canones ſubripuit, & qui, ſecundum illum Ægyptium in Actibus concitavit, & induxit in eremum ſicarios, anathemati ſubjecit, & alienum fecit ab omni Sacerdotali collegio, & dignitate & honore.* Joannem quoque rogat, ut ſecum B. Virginis imploret auxilium, quo pro pace Eccleſiarum, Imperatoriſque victoria ſupplicare dignetur.

Synodus Tyrienſis adverſus Severum.

XIII. Tyri quoque Synodus celebratur *anno Tyriorum* DCXLIII. *die* XVI. *Septembris Indict.* XII. Variorum ſcelerum Severum poſtulat Ephanius in ſua ad Joannem Conſtantinopolitanum Synodica. Quòd ligatis ab aliis Præſulibus excommunicationis vinculo Clericis, Eccleſiaſtico fungi miniſterio permiſerit: Presbyteros Diaconorum in ordinem redegerit: in alienis Diœceſibus Epiſcopos ordinarit: miniſterio Stephani Orthoſienſis Epiſcopi uſus fuerit, ut in Antaradienſi Diœceſi, ſuperſtite adhùc Theodoſio Canones violaret, uſurpatâ poteſtate, quæ proprii Epiſcopi fuit: ſacram Eccleſiæ Antiochenæ theſaurum diſſiparit: ſeditiones ubique locorum concitarit in Eccleſiis, in Monaſteriis, adhibitâ illorum operâ, qui *ex proviſionibus utuntur.* Addebat, quòd Joannes, Tyrienſis Eccleſiæ *Paramonarius*, Severo addictus, in eam graſſatus, Crucem lapidarit. Quid & Antiochenæ Eccleſiæ Severus cladis intulerit, queſti ſunt

Cle-

ANNO DOM. 518.

Clerici, datis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum literis: *Columbas aureas, atque argenteas ſuper divina lavacra, & altaria appenſas*, Severus in proprium uſum convertit: cædem Monachorum imperavit, ex quibus amplius trecenti nudi & inſepulti canibus & avibus laceràndi projecti fuerant. Rogant ergo Patres, ut qui pietatis cauſâ ejecti ſunt, eos ſui & civitatibus, & ordinibus reſtitui curent Decretis Synodi Conſtantinopolitani, quaſi vaſto clangore omnes penè Orientis regiones in Severum excitantur, atque Petrum Apameæ Epiſcopum, prædonem potius vocandum, Severique ſatellitem. Tantus Synodi Chalcedonenſis fautorum numerus exortus eſt, ut Ruſticus Diaconus in ſua adverſus Acephalos diſputatione ea ſcripto mandarit: *Licet ſufficeret tibi unita autoritas Synodi univerſalis, quæ numero ſuperat univerſas, quæ toties cunctarum Eccleſiarum conſona ſententia confirmata eſt, tam per Encyclicas, regnante Leone, quàm per Libellos Sacerdotum ſorſam duorum millium & quingentorum, imperante Juſtino, poſt ſchiſma Petri Alexandrini & Acacii Conſtantinopolitani.*

B. M. P. t. 10. 382.

Petrus Apamcenſis: ejus vitia & mores.

XIV. Petri mentio Apamcenſis, cum Severo impietate conjuncti monet nos, ut de nefario homine nonnulla proferamus. Monſtrum fuit, impudicitiâ, blaſphemiâque conflatum, ſi vera ſunt omnia, quæ Clerus Apameenſis prædicat in Libello, quem Epiſcopis ſecundæ Syriæ obtulit. Petri impudicitiam accuſant: *Productâ Stephanâ, nuncupatâ Pterovolâ, ſcenicâ muliere, & in Monaſterium introductâ privatim, & nullo alio præſente, permagnam partem cujuſlibet diei circa illius indecentem adulationem, & blanditias conſumſit.* In Oratorio domus Deiparæ ſæpius *Mariam* ſcenicam in ſanctum baptiſterium introduxit, privatimque cum ea loquebatur: Quin etiam ut ipſius colloquio ſolus frueretur, Presbyter Diacono dixit, *Tolle communionem, & diſtribue in Diaconico, quoniam magnus alloqui vult hic Mariam Emiſſenam.* Dum Euchariſtiam celebrans, mulieres intuetur, *ſputo conſperſit venerabilis altaris pannum rubeum.* Superbiæ in domicilio collocabatur: quæ cauſa fuit, cur indueret ſtolam albam, *tanquam eſſet in ordine Apoſtolorum.* In voces blaſphemas erumpebat crebrò. Lectoribus majorem gradum appetentibus vocem hanc emiſit: *Niſi tacebitis, in Subdiaconos vos ordinabo; & ipſe qui crucifixus eſt, deſcendens non liberabit vos à manibus meis.* Quæ dicta ſunt anno 518. *ſecundo Paſchate*, *Indict.* XI. Chalcedonenſi Synodo erat infenſiſſimus. Itaque in Eccleſiæ parietibus pinxit Dioſcorum & Timotheum, Epiſcoporum verò complurium, quibus ea Synodus venerationi erat, nomina Diptychis eraſit. Diaconum, nomine *Julianum*, loco movit, quòd in Chalcedonenſis Concilii inimicos anathema torſiſſet. Ab Eccleſia Romana, necnon Synodo, quæ Præſide Joanne in urbe regia congregata eſt, Petrus Severi fautor, & ſocius damnatur: graviore adhuc anathemate anno DXXXVI. feriendus à Conſtantinopolitano Conventu, cui Mennas præfuit.

Lab. Conc. t. 5. 218.

Juſtini in Eutychianos Decreta. Hieroſolymæ prædicantur.

XV. Dum Anathematibus Eutychianos eliſit Eccleſia, Edictis Juſtinus ſuis eos etiam obruit, ut undique opprimerentur. Ineunte imperio Conſtitutiones miſit ſuas pro recipienda Chalcedonenſi Synodo, revocandiſque Orthodoxis, quos fidei cauſâ Anaſtaſius in exilium ejecerat. Latæ ſunt quidem poſt Julii XVI. quo plebs cupidiſſimè flagitans, ut Chalcedonenſis Synodus Diptychis inſereretur, hoc à Joanne Patriarcha reſponſi tulit, Imperatorem conſulendum, ut ex ejus imperio ritè omnia peragerentur. Ubi verò Juſtinus Chalcedonenſe Concilium Diptychis inſertum eſſe novit, ſubinde feriâ fortè *tertiâ*, Julii XVII. Reſcripta ubique locorum ſua diſpeſit, de recipienda Synodo. Itaque à Baronio peccatum eſt, qui poſt lectum Libellum Clericorum, & Hieroſolymitanorum, *pro ipſorum voto primum* Juſtini *Edictum* promulgatum eſſe cenſet. Ante Synodi Conſtantinopolitanæ celebrationem Reſcriptum quidem vulgatum eſt, utpote *ſexto* Auguſti menſis, feriâ ſecundâ Hieroſolymis recitatum, teſte Cyrillo: *Defuncto Anaſtaſio, ſtatim Juſtinus Imperium aſſumpſit, Leges tulit, quibus jubebatur, ut omnes ab Anaſtaſio in exilium pulſi revocarentur, item Synodus Chalcedonenſis ſacris Diptychis inſereretur. Quæ Juſtini juſſa, poſtquam Hieroſolymam delata fuiſſent, infinita multitudo Monachorum, & Laicorum congregata eſt. Concurrit quoque ſanctus Sabas, & Epiſcoporum Concilium. Celebratoque feſto ſexta Auguſti menſis, promulgata ſunt divina Juſſiones, & quatuor Synodi in ſacris Diptychis repoſita ſunt.* Rogante Hieroſolymitano Præſule Sabas cum Archimandritis onus accipit proficiſcendi Cæſaream, atque Scythopolim, ut & ſacras Imperatoris patefaceret, & Concilia quatuor Occumenica Diptychis inſererentur. Ingredientibus Cæſaream occurrit Pontifex urbis hujus, Joannes Chuzibita: expletis quæ injuncta fuerant, Scythopolim tendunt. Quibus cives obviam procedunt cum Metropolita Theodoſio. Egreſſi ſancti Thomæ Templum, ad quod prodierant, Synaxim vetere in Eccleſia celebrarunt, ubi & ſacræ Literæ prædicantur, quatuorque Synodi in Diptycha referuntur.

Bar. Ann. 518. n. 55.

Vit. Sab. c. 60.

Vit. Sab. c. 61.

In Severum accuſationem inſtruit Vitalianus. Severus apprehendi jubetur.

XVI. Quid intereà Severus, tot calamitatum architectus? Hactenùs ſuis erroribus, furoreque ſæviebat, animas ut perderet. Chalcedonenſem Synodum anathematum aculeis quotidie configebat, præcipuè in Epiſtolis *enthroniſticis*, hoc eſt, quas Epiſcopatus ſui exordio viciſſim Præſules ſibi mittebant, & in reſponſionibus, quas ad Patriarchas dirigebat. Neque Imperatoris metu à ſua petulantia eſt revocatus: imò ſolens more ſuo Synodum Chalcedonenſem infamans, debitum Juſtini ſacris negat obſequium. Ac ſæpenumerò in Vitalianum bacchatus fuerat. Qui cùm gratiâ apud Imperatorem plurimum pollere videretur, Severi linguam ab eo popoſciſſe dicitur, quòd in concionibus multis ab eo conviciis appeteretur. Quacunque porrò de cauſa impulſus fuerit, ſive ut pietati litaret, aut propriæ contumeliæ, Vitalianus quidem adverſus Severum ſeſe accuſatorem appenit. Rem narret Liberatus: *Juſtino facto Imperatore Severus à Vitaliano Magiſtro Militum, viro religioſo, & orthodoxo accuſatur, quòd deſpiceret Imperatoris Juſſionem, & Synodum non ſuſciperet. Juſtinus Imperator miſit Magiſtrianum, ut Severus Conſtantinopolim adduceretur, & redderet cauſam tractatuum ſuorum, quos fecerat contra Synodum. Jam enim ab ipſo-ipſo Imperatore Julianus Halicarnaſſaeus Epiſcopus pro eadem ſancta Synodo, eò quòd eam non reciperet, pulſus fuerat Sede.* Comprehendendi Severum mandatum datur Irenæo Orientis Comiti, qui Antiochiæ morabatur. Principis juſſa ut exequeretur Irenæus, vias diligenti cuſtodiâ omnes interſepſit, ne Severo fuga panderetur. Periculo intellecto, Severus

Liberat. cap. 10.

Evagr. l. 4 c. 4.

gnarus

Librat. c. 19.

Evagr. l. 4. c. 4.

gnarus quid ſibi immineret, *clam nocte deſcendit Seleuciam, & navim conſcendens, fugit Alexandriam, ad quam civitatem & Julianus fugerat.* Fugæ comitem Severus petulantiam habuit ſuam, utpote qui in literis, quas ad cives Antiochenos ſcripſit, fugæ modum exponens, multis Irenæum probris inceſſit.

Quo tempore fuga Severi contigerit?

XVII. Quòd Severi fugam in annum Dom. DXVIII. contulerimus, compluribus quidem pro Chronologico errore habebitur. Nobis utique adverſantur Valeſius, atque Baronius, qui fugæ Severianæ annum proximè futurum aſſignant. Ac primâ fortè ſpecie id innuit Evagrius:

Evagr. l. 4. c. 4.

Ex Antiochena Sede fugit Severus menſe Gorpæo, quem Romani Septembrem vocant, anno urbis Antiochiæ DLXVII.

Error Baronii.

Hinc Baronius Chronologiam ſtatuit ſuam: *Ac proinde*, inquit, Evagrius *ubi dicit id primo Juſtini anno factum, conſtat ipſum quidem exactum numeraſſe annum, cùm ipſius ſententia liqueat, id accidiſſe ſecundo ipſius Principis anno.*

Bar. An. 519.

Quæ mira eſt Evagrii explicatio. Imò Evagrius verbis expreſſis Severi fugam in primum Juſtini annum confert:

Evagr. l. 4. c. 4.

Primo autem imperii ſui anno Severum comprehendi juſſit Juſtinus, & linguæ abſciſſione plecti. Cùm itaque *Julii nono* ſecundum Evagrium Juſtinus Imperium adierit, ſi Sept. anni DXIX. Severi fugam affigit Evagrius, primo quidem Juſtini imperii anno illam aſſignare non potuit. Præterea Germani, & Joannis Epiſcoporum in Epiſtola ad Hormiſdam legimus:

Lab. Conc. t. 4. 1488.

Orate ut Antiochenam quoque ſimilis felicitas illuſtret Eccleſiam, de cujus Antiſtite adhuc tractatus nutare conſpicitur, quoniam inter diverſa vota populorum de perſona electione non conſtat. Quæ Legatorum Pontificis Romani verba ſcripta ſunt, labente Martio anni DXIX. teſte eâdem Epiſtolâ: *Quintâ feriâ, hoc eſt, in Cœna Domini ad Palatium in generali Conventu venit Epiſcopus: & perfecto Libello conſentiens, cum ſumma devotione ſubſcripſit.* Eo verò tempore Severus non amplius verſabatur Antiochiæ. Menſis igitur September, quo in fugam ſe conjecit, ille quidem eſſe nequit, qui partem anni DXIX. aliquam conſtituit. Denique inſtitutâ rectè Antiochenorum Epochâ, luce clarius eſt, labente anno Severum in Ægyptum fugam maturaſſe. Quippe cùm anni Antiocheni à Septembri initium ducant, ille, qui numero eſt DLXVII. incipit labente anno, primo Juſtini cohærens, qui, quod non obſervavit Baronius, duobus duntaxat menſibus, cum anno Antiochenſium DLXVI. copulatur, à nono Julii ſcilicet ad uſque primum Sept. Pars verò reliqua anni primi Juſtini, quæ major eſt, octavo Julii anni Antiochenſium DLXVII. terminatur, labente anno Dom. DXIX. Hæc doctiſſimè more ſuo Noriſius explicuit, qui nobis facem prætulit, ut Severi fugam cum Magni, Florentiique Conſulatu conjungeremus.

Juſtinus Hormiſdæ ſcribit. Confirmationem Imperii à Pontifice non petit.

XVIII. Juſtino non ſatis erat, Legibus ſuis Eutychianiſmum in Orientis regionibus exterminare: ejectam & Eccleſiæ finibus pacem, exulemque revocare voluit, redintegratâ Orientis cum Occidente concordiâ. Ut primus Auguſti dies illuxit, creatum ſe Imperatorem, literis Hormiſdæ ſuis ſignificatum ivit: *Sanctitati veſtræ per has declaramus Epiſtolas, quòd primùm quidem inſeparabilis Trinitatis favore, deinde ampliſſimorum ſacri noſtri Palatii & ſanctiſſimi Senatus, nec non electione firmiſſimi exercitus ad Imperium nos, licet nolentes, ac recuſantes, electos fuiſſe atque firmatos. Precamur proinde, ut ſanctis orationibus veſtris divina Potentia ſupplicetis, quatenus initia noſtri roborentur imperii.* Data Kal. Auguſti Conſtantinopoli Magno, V. C. Conſule. Non eo tamen conſilio ſcripſit Pontifici, ut ab eo electionis conſecrationiſque ſuæ confirmationem obtineret. Quod ineptè fingit Binnius, repugnante quidem Epiſtolâ, quæ de ea petitione ne verbulum quidem unum habet. Neque electi conſecratio, & confirmatio magis apparet Hormiſdæ in Epiſtola ad Juſtinum, cui ſignificat, ſperare ſe, ut illo imperante pax reſtituatur Eccleſiæ:

Horm. Ep. 27.

Debitas, inquit, *B. Petro Apoſtolo Imperii veſtri primitias reddidiſtis, quas hâc ratione devoti ſuſcipimus, quia Eccleſiarum per vos proximè futuram credimus ſine dubitatione concordiam. . . . Supereſt, ut ab eo electi, ſicut & credimus, Eccleſiæ, quam laborare cernitis, manus veſtra ſolatia porrigatis.* Viro clariſſimo Alexandro ferendam Hormiſda Epiſtolam tradit.

Joannis Conſtantinopolitani ad Hormiſdam de concordia literæ. Pontificis reſponſio.

XIX. Benè in Eccleſiæ concordiam, atque tranquillitatem animato Juſtino faces admovent Conſtantinopolitanæ Synodi Patres, ut miſſâ legatione pacem requireret, quam ſuâ quoque ad Hormiſdam Epiſtolâ flagitabant. Joannes Patriarcha ſuæ Synodi nomine, miſſis cum fidei Confeſſione per Gratum Comitem literis, Papæ notificat, & ſe nomen ipſius in Diptychis deſcriptum eſſe: *Saluto veſtram Sanctitatem, charisſime in Chriſto frater: & ſalutans prædico, quoniam recta fides ſalva eſt, & caritas fraternitatis firmata eſt. . . . Scribere igitur Apoſtolicè, & Reſcripta ſuſcipere fraternè Dei amore dignemini.* Addit ſe fidei à Nicænis, Conſtantinopolitanis, Epheſinis, Chalcedonenſibus Patribus ſtabilitæ aſſentiri: Leonis & Hormiſdæ nomen, *in ſacris Diptychis tempore conſecrationis propter concordiam aſſcripſiſſe:* rogare ſe, ut Pontifex Legatos Apoſtolicâ Sede dignos mittat, quo pax Eccleſiæ conſtituatur. Data eſt Epiſtola VII. Idus Sept.

Lab. Conc. t. 4. 1472.

Joannis hanc Epiſtolam regio Juſtinus Reſcripto commendavit, quo declaratum ivit, ſe ad petitionem Concilii Conſtantinopolitani per *Gratum Comitem* flagitare, ut Pontifex reſtituendæ paci legationem decernat, quæ ad Comitatum veniat: *Joannes, vir beatiſſimus, hujus regiæ urbis Antiſtes, & cæteri viri religioſi Epiſcopi, de diverſis locis, & civitatibus hic reperti noſtram ſerenitatem docuerunt, pro concordia veram & orthodoxam fidem colentium, proque unitate venerabilium ejus Eccleſiarum, literas tuæ ſanctitati offerendas confeciſſe: ac magnoperè poſtularunt, noſtras etiam Epiſtolares paginas ſuper hoc ad eam emanare.* His de cauſis docet Gratum ſe legaſſe, *ſacri Conſiſtorii Comitem, & Magiſtrum Scrinii & Memoriæ.* Imperatoriis, nec non Patriarchæ literas Juſtinianus, qui tum Comitis dignitate ornabatur, ſuis & comitari voluit, quibus Hormiſdam rogabat, ut ſi minus ſe Conſtantinopolim velit conferre, Legatos ſaltem dirigat:

Lab. Conc. t. 4. 1475.

Abſque quadam dilatione veſtrum expectamus adventum, quem ſi qua tarditas, quod fieri non debet, forſitan retinuerit, interim vel Sacerdotes idoneos deſtinare feſtinet, quia totus mundus partium noſtrarum converſus ad unitatem moras non patitur. Acceptis literis Hormiſda commendat Juſtini de concilianda pace ſollicitudinem: *Hæc ſunt valida Imperii veſtri fundamenta, quæ in ipſo naſcentis regni principio divinam univerſis præferunt ſanctâ diſpoſitione culturam.* Hortatur pergere, ut incœpit, *Epiſcoporumque vota, preceſque ſibi effuſas gratanter* amplecti teſtatur. Ad Joannem verò reſcribit,

Anno Dom. 518.

ſcribit, ſe ipſius affectum commendare quidem, lætari etiam, quòd & Concilium Chalcedonenſe, & Leonis Epiſtolas veneratione complectatur: majorem Principi de hac pace, quàm de quibuſlibet prælis triumphum parari. Unum tamen adhùc requiri ad reconciliationem neceſſarium, ut ſcilicet expungatur nomen Acacii: *Quia recipere Chalcedonenſe Concilium, & ſequi Sancti Leonis Epiſtolas, & adhùc nomen Acacii defendere, hoc eſt, inter ſe diſcrepantia vindicare. Quis Diaſcorum, & Eutychetem condemnans, innocentem oſtendere poſſit Acacium? Quis Timotheum, & Petrum Alexandrinum, & alium Petrum Antiochenum, & ſequaces eorum declinans, ſicut diximus, non abominetur Acacium, qui eorum communionem ſecutus eſt.*

Horm. Ep. 29.

Illyrici Antiſtites cum Hormiſda communionem ineunt.

XX. Quod haberet iſtius concordiæ initium, & lætabilius, & glorioſius Dardaniæ, & Illyrici Antiſtites cum Sede Romana redintegratione communionis, animorum vulnera ſanaverunt. Cujus gaudii Cæſarium Arelatenſem Hormiſda participem eſſe voluit: *Juſtum eſt, ut qui Catholicâ communione lætamini, nobiſcum de Eccleſiæ, ſi qua proveniunt, gaudeatis. . . . Ergo Epiſcopi tam Dardaniæ, quàm Illyrici penè omnes, ne ſint errore condemnandi præterito, petentes Beati Petri Apoſtolorum Principis communionem, & ſcriptis & legationibus deſtinatis, ſe Apoſtolicæ Sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, ſoli quorum fides fervet, intelligunt.* Petri Mongi, Timothei Æluri, Petri Gnaphei, Eutychianorum denique omnium, nec non Neſtorianorum damnatione Hormiſdæ communionem redemerunt. Teſtatur quoque, in Orientem Legatos à ſe miſſos eſſe, ut Chriſtus, *qui pro pietate ſua proſperum donavit initium, ſimilem concedere dignetur effectum.* Urbano Sedis Apoſtolicæ defenſori ea Epiſtola ad Cæſarium reddenda traditur, ſexto Idus Septemb. Florentio V. C. Conſule.

Horm. Ep. 30.

Anno Dom. 519.

Anno U. C. 1272. Per. Jul. 5232. Jul. 564. Dom. 519. Justini 2. Theodoric. 27. *Sol.* 24. F. *Lun.* 7. *Indict.* 12. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

Coss. *Juſtinus & Eutharicus.*

Magnificentia Eutharici ad honorandum ſuum Conſulatum.

I. Qui Faſtos reſeravit Eutharicus, Theodorici gener, ad ampliſſimum munus Juſtini favore promotus eſt, quod & *Athalaricus* Eutharici filius profitetur in ſua ad Juſtinum Epiſtola: *Vos genitorem meum palmatâ claritate decoraſtis.* Illuſtrando Conſulatui varii ludi exhibiti, de quibus Caſſiodori in Chronico mentio eſt: *Eo anno multa vidit Roma miracula: editionibus ſingulis ſtupente etiam Symmacho Orientis Legato, divitias Gothis, Romanis donatas dignitates. Diverſi generis feras, quas præſens ætas pro novitate miratur, exhibuit. . . . Cunctis itaque eximiâ laude completis, tanto amore civibus Romanis inſedebat, ut ejus præſentiam deſiderantibus, Ravennam ad glorioſi patris remearet aſpectus, ubi iteratis editionibus, tanta Gothis Romaniſque dona largitus eſt, ut ſolus potuerit ſuperare, quem Roma celebraverit Conſulatum.* In Eutharici Conſulatu Chronico Caſſiodorus ſuo finem impoſuit. Prudenter ſatis, cùm primos glorioſi regni ſui annos poſtmodum defloraverit Theodoricus, qui ſui diſſimilis, ex optimo Principe in tyrannum mutatus eſt.

Caſſ. Var. 68. Ep. 1.

Caſſiodor. Chr.

Eutharicus malè in Orthodoxos animatus. Lis Judæos inter & Chriſtianos.

II. In Orthodoxos malè animatus erat Eutharicus, ſi Excerptorum Autori de Theodorico creditur: *Eutharicus nimis aſper fuit, & contra fidem Catholicam inimicus. Poſt hæc Theodorico Veronæ conſiſtente, propter metum gentium facta eſt lis inter Chriſtianos & Judæos Ravennæ. Quia Judæos baptizatos nolentes, dum ludunt, frequenter oblatam in aqua fluminis jactaverunt. Dehinc accenſus eſt populus, non reſervantes neque Regi, neque Eutharico, aut Petro, qui tunc Epiſcopus erat, conſurgentes ad Synagogas, mox eas incenderunt, quod & in cæna eadem ſimiliter contigit. Mox Judæi currentes Veronam, ubi Rex erat, currente Triwane Præpoſito Cubiculi, & ipſe Hæreticus favens Judæis, inſinuans Regi factum adverſus Chriſtianos, qui mox juſſit propter præſumptionem incendii, ut omnis populus Romanus Ravennenſes Synagogas, quas incendio crematverant, datâ pecuniâ reſtituerent. Qui verò non habuiſſent, unde dare, fuſtati per publicum ſub voce præconis ducerentur. Data præcepta ad Eutharicum Ciligam, & Petrum Epiſcopum: ſecundum hoc tenore præcepit, & ita adimpletum eſt.*

Excerpt. Val. 722.

Hormiſda pacem reſpuit, ni Acacii nomen Diptychis deleatur.

III. Pacem, quam Juſtinus obtulerat Auguſtus, quam Orientis Epiſcopi cupiebant, non admittebat Hormiſda, niſi Diptychis *Acacii* nomen expungeretur; quod Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in dedecus vergebat. Itaque Legatis ſuis Germano Capuenſi & Joanni Ariminenſis, nec non *Blando* Presbytero, Felici, & Dioſcoro Diaconis Epiſtolam Juſtino ferendam dat, quâ Acacii damnationem flagitabat: *Tantæ magnanimitati gratias agentes, quantâ poſſumus petitione deprecamur, ut Acacii nomen cum ſequacibus ſuis, quod plenæ unitatis Eccleſiarum impedit gaudium, damnationis ordine ſit remotum.* Acceperant & indiculum Legati, quem de agendi cum Græcis ratione ſequerentur: ſcilicet ut Epiſcopis, qui Libello Hormiſdæ ſubſcriberent, præberent *ſanctæ communionis conſortium*: ſecus non ſit cum illis menſa communis, hoſpitalitatem duntaxat, & ſubvectionem accipiant. Conſtantinopoli ſecedant in domicilium, quod Imperator ipſis aſſignarit: ne Conſtantinopolitanum Patriarcham videant, niſi anathemate prius Acacium percuſſerit, prædeceſſorumque nomina Diptychis eraſerit. Libellum curent præſente populo legi: hoc ſi fieri non potuerit, ſaltem in Secretario præſentibus Clericis, & Archimandritis. Juſtinum Imperatorem longiore Epiſtolâ adiit, quem laudibus effert multis, & monet, ut illos, qui admiſſis Concilii Chalcedonenſis Decretis, Acacium tamen damnare nolebant, prorſus vitet, & rogat, ut Legatos benignè ſuos excipiat. Eò ad Imperium Juſtinum dicit, ut tandem Eccleſia pace floreret: *Hoc religioni, hoc fides, hoc ſerenitati veſtræ ſpecialiter mandatur officium.* Urget præcipuè Acacii damnationem, ne approbatio Synodi Chalcedonenſis ſimulata videatur: *Quis non intelligat, ſimulatè dici, Sanctorum Patrum ſequimur dogmata, ſed non diligimus facta? Quæ à ſancta Synodo Chalcedonenſi conſtituta ſunt, & quæ B. Leonis Epiſtola continet, fovemus, veneramur, amplectimur, ſed Acacio, qui damnatorum communionem ſecutus eſt, impendimus vota.* Euphemiæ quoque Auguſtæ Epiſtolam miſit, quâ ad reſtituendam pacem eam hortabatur. Quo facto Helenæ gloriam ſuperabit: *Magna veſtræ ſexui parata eſt laudis occaſio, ſi vobis inſtantibus Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, quæ diviſa fuerant membra conjungat. Nec ejus major eſt gloria, quæ humanæ ſalutis lignum ſcrutata eſt,* &

Horm. Ep. 31.

Horm. Ep. 33.

& ſola crucem, quam omnis veneratur mundus, invenit. Ut Joannes Pontificiæ communionis particeps fieret, quid agendum foret eum, monitum voluit. Scilicet ut damnato Acacio, fidei ſuæ profeſſionem Legatis tradat: *Si nobiſcum univerſa prædicas, cur nobiſcum non univerſa condemnas.* Juſtiniano quoque Domeſticorum tunc Comiti ſcriptum dirigit, teſtatus ſe in ſpem venire, quod ejus operâ pacem adipiſcatur Eccleſia: *Munus veſtrum veneranda Sacraria ſuſceperunt: quod amplius B. Petro facietis acceptas, ſi per vos optatam Eccleſiæ receperint unitatem.* Ut quantum enim poſſit, concordiam Hormiſda reſtitueret, varias & Epiſtolas contexit, illis mittendas, qui ad proficiendum quod moliebatur opus, auxilio eſſe poterant; *Theodoſio* Archidiacono Conſtantinopolitano, *Celeri & Patricio*, clariſſimis Aulicis, quos rogat, ut in cauſa pacis ſubſidium Legatis ferant: *Anaſtaſiæ* item, & *Palmatiæ*, fœminis Senatoriis, quæ tempore Anaſtaſii Imperatoris pro fide Catholica inconcuſſæ ſteterant.

Horm. Ep. 34.

Horm. Ep. 37.

Horm. Ep. 40.

Quid à Legatis factum ſit in ſua Conſtantinopolim profectione. Diptychis deletur Acacius.

IV. Onuſti hiſce literis Legati, iter in regiam urbem convertunt. Aulonitanam civitatem ingreſſi, ab Epiſcopo amanter excepti ſunt, qui *& hæc promiſit, ut cum Metropolitano ſuo facerent Libellum.* Periit Legatorum relatio, quâ hæc continebantur. Ubi verò *Scampum* pervenere, *Troius* hujus urbis Epiſcopus, cum ſuo Clero, & plebe venientibus occurrit: *Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos ſuſceperunt.* Præſentibus Legatis Libellum Clero ſuo, & nobilibus civitatis Troius ſubſcriptum porrexit, qui à *Petro* Eccleſiæ Romanæ Notario relectus eſt in Baſilica Petri, in qua *Germanus* Miſſam celebravit. Dum *Scampæ* verſantur, horâ cœnatoriâ venere *Stephanus*, Vitaliano Militiæ Magiſtro conſanguineus, & *Leontius*, quibus Imperator in mandatis dederat, ut in Italiam uſque Legatis irent obviam. Scampo profecti *Lignidum* pervenere, cujus Epiſcopus *Theodoritus* Libellum ſimiliter dedit, qui & in Eccleſia legitur. Data eſt Epiſtola hæc *die Nonarum Martiarum.* Relictâ Lignido *Theſſalonicam* adventant. Quid verò cum Epiſcopo urbis hujus actum ſit, per *Pollionem* Subdiaconum Dioſcorus Legatorum unus Hormiſdam docuit: *Poſt multa certamina præfatus Epiſcopus ratione convictus, Libellum ſubſcribere voluit. Sed quia Epiſcopi, qui ſub ejus ſunt ordinatione conſtituti, omnes aderant, in præſenti hoc convenit, hoc promiſit, ut poſt dies ſanctos, quo ex nobis à Sede Conſtantinopolitana urbis directo, Epiſcopis congregatis, qui in ejus ſunt Diœceſi conſtituti, Libellum ſubſcriberent, quod cum Dei adjutorio credimus eſſe complendum.* Quanto porro honore in urbe regia Legati ſuſcepti ſunt, narrat ille ipſe Dioſcorus: *Veſtris orationibus commendati, ad Conſtantinopolitanam pervenimus civitatem, feriâ ſecundâ hebdomadæ authenticæ. Decimo ab urbe prædicta milliario, ſublimes & magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos ſunt Magiſter Militum Vitalianus, Pompejus, & Juſtinianus, & alii Senatores, multique Catholicæ fidei ardore ac deſiderio redintegrandæ pacis ardebant. Aliâ die, quæ eſt tertia, piiſſimi Principis præſentamur aſpectibus. Cunctus illic aderat Senatus: in quo Conventu erant & Epiſcopi quatuor, quos Epiſcopus Conſtantinopolitanus pro ſua perſona direxerat.* Hortanti Imperatori Legatos, ut Joannem Patriarcham ſalutatum irent, quo de omnibus pacifico ordine ratio redderetur, reſponſi hoc dedere: Se non ad certamen veniſſe; præ manibus habere Libellum, ſi Princeps jubeat, legendum, cui reconciliationis amantes ſubſcribere debeant. Lecto Libello interrogati Epiſcopi quatuor, qui Senatui intererant, *Si hæc, quæ in Libello leguntur, geſtis Eccleſiaſticis minimè continerentur?* Reſponderunt, *Omnia vera eſſe.* Quibus Imperator: *Et ſi vera ſunt, quare non facitis.* Quintâ feriâ ad palatium in generali Conventu venit Joannes Conſtantinopolitanus: *In primis quaſi tentavit Epiſtolam potius facere, quàm Libellum. Sed non poſt multa certamina hoc convenit, præmium modicum facere, & ſubjungere meum Libellum, quemadmodum veſtra beatitudo dictavit. Poſt factum Libellum nomen Acacii de Diptychis eſt deletum, ſimiliter & Phravitæ, Euphemii, Macedonii, & Timothei. Similiter deleta ſunt de Diptychis Zenonis, Anaſtaſii nomina. Epiſcopi diverſarum civitatum, quanti inventi ſunt, Libellum ſimiliter obtulerunt. . . . Pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt: apud quos Archimandritas & certamina nos habuiſſe ſuggerimus: dicentibus illis, Sufficit, quia Archiepiſcopus noſter fecit, nos factum ejus ſequamur. Quid amplius? Poſt multa certamina ipſi quoque ratione convicti, Libellos omnibus modis obtulerunt. Poſt hæc omnia Deo juvante in Eccleſiam proceſſimus.* Præſentibus Legatis Acacius Diptychis deletus eſt, Zenonis ſimiliter & Anaſtaſii nomina ab altaris recitatione remota: mirum, abſque tumultu, qui timebatur, omnia facta ſunt: *Nihil eſt ſubſecutum ſecundum vota inimicorum, non ſeditio, non effuſio ſanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicebant.* Itaque Paſcha cum omni lætitia agitatum eſt Conſtantinopoli, ultimo Martii.

Lab. Conc. t. 4. 1489.

Joannis Conſtantinopolitani ad Hormiſdam de pace facta literæ.

V. Illo ipſo die, quo Joannes regiæ urbis Præſul Libello ſubſcripſit, qui in XXVIII. Martii feriam V. incidebat, mittendam Hormiſdæ Epiſtolam adornat, quâ refert, per *Gratum*, clariſſimum Comitem, nunc verò per *Germanum*, & *Joannem* Pontificis literas ſibi prius redditas eſſe: *Illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ civitatis unam eſſe*, definire ſe; aſſentiri quoque Synodis Oecumenicis; anathemate proſequi Eutychetem, & Dioſcorum, Timotheum Ælurum parricidam, Petrum Alexandrinum, *ſimiliter Acacium, quondam Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, complicem eorum, & ſequacem factum.* Amplecti ſe quoque Leonis omnes, quas de fide Epiſtolas ſcripſit: *Quòd ſi*, inquit, *in aliquo à profeſſione mea dubitare tentavero, his quos condemnavi, per condemnationem propriam conſortem me eſſe profiteor.* Aprilis labente vigeſimo ſecundo iterum Joannes Hormiſdæ ſcribit, nuncians Eccleſiæ pacem initam eſſe: lætantibus animis exoptatam felicitatem accipiendam eſſe: gratias verò ſe ipſi maximas agere, quòd tales Clericos miſerit, *pacificos viros, & Sede Apoſtolicâ dignos.* Juſtinus quoque Auguſtus ex concordia triumphans, ſacris Hormiſdam ſuis adeundum ſibi putavit, quem monuit, fidem à Joanne Catholicam ſuſcipi, expunctumque nomen Acacii: *Negatum eſt inter divina myſteria, memoriam in poſterum fieri Acacii, prævaricatoris quondam urbis hujus Epiſcopi, nec non aliorum Sacerdotum, qui vel primi contra Conſtituta venerunt Apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, nullâ uſque ultimum diem ſuum pœnitentiâ correcti.* Subjungit verò, ſe in omnibus Imperii ſui partibus Reſcripta miſiſſe, ut quod Conſtantinopoli factum erat, Eccleſiæ omnes imitatione proſequerentur:

ANNO DOM. 519.

Lab. Conc. t. 4. 1491.

rentur: *Ut exemplum imitentur civitatis Regiæ, deſtinanda ubique principalia Decreta duximus.* Componendæ ubique locorum diſcordiæ Reſcriptis quidem Auguſteis opus erat. Complures iovolutam nomine pacis inimicitiam gerebant, quorum ex mentibus non ita facilè quàm ex Diptychis Acacii memoria expungi potuit. Quod de novi Epiri Synodo *Andeaas* Præyalitanus Epiſcopus teſtatum reliquit in ſua ad Hormiſdam Epiſtola: *Commendans me humillimè veſtigiis veſtris piiſſimis, indico propter Synodum Epiri novi, quoniam finxerunt anathematizare intra ſemetipſos aliquas perſonas. Hoc tantummodè ingenio uſi ſunt, ut nos in ſua malitia caperent, quibus reſtitit divina Trinitas, per veſtras ſanctas preces. Et cùm deprehenſi fuiſſent in ſua malitia, nunquam potuimus Archiepiſcopo ſuadere, ut ad viam veritatis, & ad veſtra præcepta verteretur.*

Lab. Conc. t. 4. 1485.

Variorum de pace inita ad Hormiſdam Epiſtolæ.

V I. Complures viri illuſtres ob initam concordiam gratulabundi Hormiſdæ ſcripſerunt. Extat Juſtiniani Epiſtola, hoc ornata titulo: *Domino meo ſanctiſſimo Hormiſda, primo Archipontifici, & Papa urbis Romæ, Juſtinianus Comes ſalutem.* Brevis Epiſtolæ ſumma hæc eſt, cùm Eccleſia pace fruatur, pro Imperatore ad Deum preces fundendas eſſe. Condidit & Epiſtolam *Pompejus*, eo titulo inſignitam: *Domino meo beatiſſimo, & Apoſtolico Patri Hormiſda, Archiepiſcopo univerſalis Eccleſiæ, Pompejus.* De proſtrata perfidia, paceque Orientalis Eccleſiæ conſtituta Pontifici gratulatur. Juliana quoque Anicia, mulier inſignis ſeſe gaudentibus appoſuit: quod & Hormiſdæ ſignificatum voluit. Summatim eâ Epiſtolâ hæc continentur. Legatorum præſentiâ diſſidia compoſita eſſe omnia: quibus non niſi firmatâ prorſus pace reditus non eſt permittendus. Scribentibus addidit ſe *Anaſtaſia*, nobilis mulier, quæ Hormiſdam rogat, pro piiſſimi Imperatoris ſalute precetur, ut egregium quod inchoavit opus, ad exitum perductum, conſummatum reddatur. At obſequio omnes ſuperavit, & blandimentis *Theodoritus* Lignidenſis, qui gratulatoriæ ad Hormiſdam Epiſtolæ ſuæ ea verba præfixit: *Domino ſancto, beato, prædicabili, & adorando Apoſtolico Patri Hormiſda, Papa urbis Romæ, humilis ſamulus tuus Theodoritus.* Apta eſt Epiſtola titulo, quâ teſtatur, *parvulis & exigui chartis* Hormiſdæ *prædicandis & adorandis* ſeſe *præſentare veſtigiis*, quem & rogat, ut in ipſius & memoria, & orationibus vigeat. Ex ea pace magna triumphandi naſcebatur Eccleſiæ Romanæ materia, nec omninò ſine regiæ urbis injuria, cujus multi Præſules diris devovebantur: ut uſurpare potuerit,

Metam. l. 6. fab. 5.

Per funera quinque
Efferor, exulta, victrixque inimica triumpha.

Quinque Pontificum nomina è ſacris tabulis eraſa ſunt, Acacii, Phravitæ, Euphemii, Macedonii, Timothei. Quòd ſi fortè ad ulciſcendum Acacium, qui Felici Papæ dixerat Anathema, ſimili pœnâ ipſum Hormiſda affici voluit, quid meruere Euphemius, & Macedonius, qui fidei cauſâ in exilium pulſi, Timotheo Æluro communione conjuncti non fuerant? Cæterùm longæ diviſioni reconciliatio hæc finem attulit, paxque ex tenebris in lucem eſt revocata. De ingenti eo diſſidio Facundus in ſuo contra *Mocianum* libro hæc habet: *Quia ſuprà dictus Zeno Sedis Apoſtolica Decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, & omnes Eccleſias in ſui regni finibus conſtitutas idem facere compellabat, Anaſtaſio*

D. M. P. t. 10. p. 109.

deinde in Imperium & in præſumptionem ſimilem ſuccedente, omnis Oriens, præter admodum paucos, qui in illa multitudine occulti latebant, à communione Sedis Apoſtolicæ per X L I X. *fermè annos uſque ad tempora Juſtini permanſit.* Quòd ſi annos ſchiſmatis hujus accuratius putemus, annos XXXVI. ad anno ſcilicet Dom. CCCCLXXXIV. ad uſque DXIX. perduravit.

Hormiſdæ ad Legatos ſuos Epiſtola mendo afficitur.

V I I. Dum ſanctâ Hebdomade, quæ concordiæ redintegrationi maximè idonea fuit, erepta Eccleſiæ pax reſtituitur, Hormiſda incertus, quid rerum ageretur, Legatis ſcribit ſuis, de ipſorum & valetudine & negotiis ſollicitus: *Ut de omnibus, quæ geſta ſunt, noſtram plenius poſſitis inſtruere notionem, à quibus perſonis, vel in quibus locis benè, ſicut credimus, ſuſcepti fueritis, vel ubi, aut ſub qua feſtivitate Reſurrectionis Dominicæ caritas veſtra tenuerit diem: & quid deinceps egeritis, per omnia Reſcriptis currentibus declarate. Data* V I I. *Kal. Maias.* Iterum ad eos ſcribit, *ante diem Aſcenſionis Dominicæ* ipſorum literas ſe expectaſſe, deſiderare inſtrui rerum, quæ gerebantur, notitiâ. Paulinum porrò, Eccleſiæ Romanæ defenſorem ſe legaſſe, cum literis tam Principi quàm ſingulis quibus oportuit, reddendis. *Data dicitur Epiſtola* I I I. *Kal. Maias*, quæ ſubſcriptio ab errore defendi nequit, cùm pugnet Epiſtolæ: *Ante diem Aſcenſionis Dominicæ literas veſtras credebamus nos poſſe ſuſcipere.* Quibus liquet, jam Aſcenſionis feſtum præteriiſſe, cùm Epiſtola exarata eſt. Quòd ſi data eſt Aprilis X X I X. cauſæ nil fuit, cur ſpem depoſuiſſet literarum à Legatis ſuis accipiendarum ante Aſcenſionis ſolemnitatem, quæ non niſi poſt decem dies erat agitanda, Maii ſcilicet *nono*, qui à Reſurrectione quadrageſimus erat. Itaque non ante Aſcenſionis diem Epiſtola condi debuit. Errorem, quo ſubſcriptio Epiſtolæ afficitur, ab eruditis deprehenſum non eſſe miramur: non à Baronio, non à Binnio, non à Labbeo. Eodem tempore per Symmachi Magiſtrianum Legatis literas ſuis direxit, nuncians velle ſe moneri de iis, quæ agebantur. Stephanum negotiatorem, qui ſuarum ſemper partium fuit, ipſis commendat.

Horm. Ep. 41.

Horm. Ep. 42.

Horm. Ep. 43.

Hormiſdæ ad Imperatorem & Joannem Epiſtolæ de pace gratulatoriæ.

V I I I. Ubi per Legatorum literas Pontifex certior factus eſt, quid Acacii in cauſa Conſtantinopoli factum fuiſſet, lætus ſcribit Imperatori, cui gratulatur, quòd ejus operâ pax in regia urbe vigeat: hortaturque, ut id ipſum Antiochiæ & Alexandriæ faciendum curet: *Hæc prima ſunt veſtri fundamenta Principatus, Deum placaſſe juſtitiâ, & aſcriviſſe vobis excellentiſſima majeſtatis auxilia, dum adverſarios ejus velut proprios comprimitis inimicos. Quid ſupereſt adhuc vobis Alexandrinæ, atque Antiochenæ, & aliarum Eccleſiarum nullomodo negligenda correctio: in qua ſi ſuam curam clementia veſtra immiſerit, ſpes eſt, quo autore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore completi.* Data V I I. Idus Julii, Eutharico viro clariſſ. Conſule. Eo ipſo die ſcripto Joannem adiit Patriarcham, quem magnis laudibus afficit, quòd ad Eccleſiæ redierit unitatem. Rogat, hortetur Juſtinum, *ea perficere, quæ regalibus literis dignatus eſt polliceri, ut miſſis ad eos Edictis, quos ab Eccleſia matris uberibus etiam nunc devius error abducit, diabolicam fraudem & autoritate religionis, & moderatâ poteſtate compeſcat Imperii.* Commendat & Legatos, quos ad ſe vult remitti, *ut plenam referre queant de reſtituta univerſis Eccleſiis pace lætitiam.* Juſtiniano quoque literas dirigit, quibus eum

Horm. Ep. 44.

Horm. Ep. 45.

ANNO DOM. 519.

laudat, quòd in pace reddenda Juſtino adjumento fuerit: *Habebis glorioſus Imperator de hac cauſa triumphorum titulos, non quibus oblivio ſe mortalitatis interſerat, ſed quos Divinitatis gratia ſuper perpetuitate conſumet: & vobis quoque cœleſtis remunerationis non deerit præmium, qui adjuviſtis boni Principis inſtitutum.* Perſolvit & illuſtribus Epiſtolis, Pompeji, Juliæ, Aniciæ, Anaſtaſiæ: quas laudat, quòd paci ſe ſtudioſas oſtenderint, ſimulque hortatur ad operam navandam, ut perfecta tranquillitas Eccleſiæ addatur. Hiſpaniæ quoque Epiſcopis Joannis Conſtantinopolitani fidei Profeſſionem miſit, propter Orientis Epiſcopos, qui eorum communionem deſiderabant.

Horm. Ep. 51.

Multis diſplicuit illata Conſtantinopolitanis Antiſtitibus injuria. Epiſcopis, qui ſe Hormiſdæ junxerant, lis intenditur.

IX. Cæterùm non ubique locorum Eccleſiæ pax explorata habebatur. Moleſtum nonnullis erat, tot Præſulum Conſtantinopolitanorum, quorum vel aliqui Confeſſorum titulis inſignes erant, nomina Eccleſiæ tabulis eſſe deleta, ut Pontificis Romani gloriæ immolarentur. Itaque criminis intendantur Thomæ, Eliæ & Nicoſtrato Epiſcopis, qui primi ſe Hormiſdæ communioni dederant. Hoc queritur Pontifex in ſua ad Germanum Epiſt. la: *Præcipuè Eliæ, Thomæ, atque Nicoſtrati, fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum cauſa nos commovet, qui primi mundo neceſſariam ſecuti concordiam, Eccleſiarum ſuarum privatione periculi, cum venerabilium quoque Canonum contumelia deprimuntur, ſicque illis propria reconciliationis gloria cauſa diſſidii, quaſi ipſi magis pertinaci mente reſtiterint, & alii ad Sedis Apoſtolicæ redeuntibus unitatem, ipſi Eccleſiæ membra diſperſerint.* Neque Conſtantinopoli honori aſſecti fuerant. Non ſolum enim loca ipſis debita amiſerant, ſed & à communione ſuſpenſi fuerant. Id negotii ſibi negligendum Pontifex eſſe noluit. Scribit ergo Thomæ, & Nicoſtrato, ſe de eorum rebus eſſe ſollicitum, cùm à *Mena* Eccleſiæ ſuæ Notari didicerit, ipſos *adhuc obſervationum moleſtias ſuſtinere.* Dioſcoro Diacono Legatorum uni cauſam pulſorum Sedibus ſuis Antiſtitum commendat. Juſtinum rogat Auguſtum, ut Eccleſiis Eliam, Thomam, Nicoſtratum ſuis reſtituendos curet: *Clementiam veſtram mixta etiam precibus fletu depoſcimus, ne gaudia veſtra, quæ de Hæreticorum quotidie converſione præſtatis præſatorum, abjectio intoleranda conturbet.* Obſecrat Euphemiam Auguſtam, *ut tandem de venerabilibus fratribus & Coepiſcopis noſtris Elia, Thomæ, atque Nicoſtrato, quod ſacratiſſimorum Canonum docet auctoritas, vobis decernentibus impleatur.* Ne quid intentatum relinqueret, Juſtinianum, & Germanum Comitem, qui magnâ apud Imperatorem gratiâ erant, rogat commendatis Epiſcopis faverent. Ut intereà dolores Nicoſtrati, Thomæ, Eliæ leviores efficeret, quid ageret, ut mœrentibus ſolatii aliquid afferret, ipſos monitos voluit. Quibus ſignificat, ſe & Imperatori, & viris illuſtribus de illorum cauſa ſcripſiſſe. Afflictis non multum profuit Hormiſdæ auxilium, cùm in Epiſtola ſua ad Legatos tertio Decembris ſcripta, Nicoſtrati, Eliæ Thomæque cauſam Legatis commendet ſuis, *Non leviter*, inquit, *nos res iſta contriſtat, ſi ab iis, qui Sedis Apoſtolicæ prædicationem ſequuntur, negligantur, qui in ejus fide, & conſenſu recepti ſunt.* Seriem hiſtoriæ hujus annus ſequens docebit.

Horm. Ep. 69.

Horm. Ep. 56.

Horm. Ep. 57.

Horm. Ep. 58.

Horm. Ep. 61.

Horm. Ep. 63.

Tumultus Theſſalonicæ Joannes vulnus accipit. Quis ille Joannes?

X. Levia hæc fuere præ iis, quæ Theſſalonicæ contigerunt, ubi ſanguine pax Eccleſiæ polluta eſt. Conſtitutum fuerat Hormiſdæ Legatos inter atque Dorotheum Theſſalonicenſem Epiſcopum, ut rebus in urbe regia compoſitis, ex Legatis unus ad eum mitteretur, poſt ſuſceptos Libellos cum illo Miſſas celebraret. Quod etſi tardius, tamen factum eſt. Amandant igitur Joannem Epiſcopum, *Epiphaniumque Presbyterum*: *Germanus venerabilis & illuſtris Epiſcopus erat cum eis, & Licinius Comes Scholæ ex ordinatione clementiſſimi Imperatoris.* Audito legationis rumore biduos prius quàm Theſſalonicam pervenirent, duo hominum millia Dorotheus baptizavit: *Sacramenta ſancta erogavit in populo, quæ poſſent ipſis ad tempora ſufficere, ſignificans plebi, quia recta fides mutatur.* Ubi civitatem ingreſſi, Dorotheo nunciatur per *Licinium*, Legatos adeſſe, qui ſubinde duos cum Ariſtide Presbytero Epiſcopos miſit. Concordiæ conditionibus cùm maximè adverſarentur, de Libellis cum Legatis Romanis in certamen venire cupiunt, dicentes, *Sunt Capitula, quæ debent emendari.* Ad hæc reſponſum: non poſſe hæc fieri. Cùm Dorotheo Legati receſſiſſent, *ad aliam diem convenere*, emendationem Libelli iterum proponentes. Hac gravis populi ſeditio ſequitur, quæ Joanni Præſuli penè vitam eripuit: *Subitò populus inſanus irruit ſuper ipſum, & duos pueros occiderunt Epiſcopi, caput etiam fregerunt Epiſcopo in duabus partibus, & renes ejus diſſipaverunt, & niſi miſericordia Dei, & defenſio Sancti Marci Baſilica eruiſſet eos de manibus eorum, ibi perierant. Poſt hoc Dorotheus ipſum Libellum, quem fecerat cum Epiſcopis, ante populum ſcidit, dicens, Ego iſtud uſque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus conſentio.* Eò proceſſit plebeius ille furor, ut virum & orthodoxum, *Joannem* nomine peremerit: *Occiderunt & Joannem venerabilem Catholicum, qui nos venientes ſuſceperat in domo ſua.* Joannem & Stephanum, qui latibulum in Baptiſterio quæſiverant, ſpecie eos liberandi *in navi mittere voluerunt, ut hâc occaſione in mari præcipites darentur.* Aliâ quoque die nova à plebe ſeditio movetur. Legatorum Romanorum ſuggeſtionem anteceſſerat fama, quæ Hormiſdæ ſeditionem Theſſalonicenſem nunciarat, quâ factum, *ut extinctò primùm eo, qui hoſpitium venientibus præbuerat, ipſe quoque non diſſimili cæde mactatus, & vix ſacri fontis reverentiâ vindicatus evaſerit.* Eâ tragœdiâ commotus Hormiſda, Legatis ſcribit ſuis, curent ut Dorotheus, & Ariſtides Romam mittantur: *Suggeſtione veſtra ſupplicationis peragite, ut Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui ſub interrogationis obtentu Eccleſiaſticam pacem protractò in longum nititur diſſipare negotio, quoniam à vobis ſuſcipere noluit, à Principe ad urbem directus, ab Apoſtolica percipiat Sede doctrinam: & quidquid ſibi dubium putet, hìc veniens præſente à nobis inquiſitione condiſcat.* Poſtquam verò geſtorum Theſſalonicenſium ab ipſis Legatis nuncium accepit, ipſis reſcribit, ne Dorotheo, qui juſſu Principis Conſtantinopolim evocatus fuerat, Theſſalonicam redeundi facultatem impertret: ſed ejectus Epiſcopatu, *ab eodem loco ac Eccleſia longius relegetur, vel certè hìc ad urbem ſub proſecutione congrua dirigatur. Provideant etiam, ut in locum ejus Ariſtides, totius mali incentor & conſcius, quibuſlibet ſubreptionibus ordinetur. Data III. Nonas Decembres.* Purus tamen ſeditionis Dorotheus eſſe videbatur, qui vel pro Joannis ſalute ſeſe periculis objecit. Itaque ſuæ Sedi reſtitutus eſt, uti narrabitur. Quis porrò Joannes ille, qui à furentibus Theſſaloni-

Lab. Conc. t. 4. 1510.

Lab. Conc. t. 4. 1523.

Horm. Ep. 62.

Id. ibid.

Horm. Ep. 63.

Anno Dom. 519.

ſalonicenſibus mactatus eſt, paulò diligentius examinandum. Clariſſimi *Du Pin* ſententia hæc eſt, Patriarcham Conſtantinopolitanum ab eo Joanne non eſſe diverſum: Dorothée *pouſſa ſon reſſentiment ſi loin contre Jean de Conſtantinople, qu'il excita le peuple de Theſſalonique, qui ſe jetta ſur lui, & le bleſſa ſi grievement qu'il en mourut.*

Nouv. Bibl. 56. 18.

Quæ viro rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimo opinio prorſus eſt indigna. Quippe Joannes Patriarcha ad Theſſalonicenſem Epiſcopum directus non fuerat, neque labente anno obiit, cùm XIV. Kal. Februarii anni ſecuturi de Dominicæ Reſurrectionis die ad Hormiſdam ſcripſerit, Vitaliano & Ruſtico Coſſ. Vir ille, qui peremptus eſt, *Joannes* quidem vocabatur. Verùm aut Epiſcopus non erat, aut certè Conſtantinopolitanus non erat, teſte Hormiſdâ: *Graviter nos Joannis Catholici affligit interitus, quem Hæreticis Dorothei veſaniâ perhibetis extinctum.* Joannem *Catholicum* nuncupat non Epiſcopum, quo utique titulo eum affeciſſet, ſi Præſulis dignitate ornatus fuiſſet. Joannem Epiſcopum, qui Theſſalonicæ vulnus accepit, *fuiſſe unum ex Apoſtolicæ Sedis Legatis*, ſtatuit Baronius. Id quidem primâ ſpecie colligi videtur ex Dorothei Epiſtola ad Hormiſdam ſcribentis: *Pro Joanne viro reverendiſſimo, qui paulò antè à veſtra venerabili corona directus eſt, prædeſtinavi me periculis, & mortem feſtinavi, & meam pro ejus ſcio me objeciſſe animam.* Sunt tamen argumenta, quæ ſubdubitationis aliquid injiciant. Verba ſunt Legatorum: *Erat conſtitutum poſt ordinationem ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, unum ex nobis ad ipſum* (Dorotheum) *dirigere, quia hoc ſperabat prædictus, ut unus ex nobis poſt ſuſceptos Libellos cum ipſo Miſſas celebraret. Etſi tardè, factum eſt tamen.* Jam verò non unus, ſed gemini Sedis Apoſtolicæ Legati miſſi fuiſſent, ſi Joannes eorum unus fuit, quia Germanus Theſſalonicam profectus, Hormiſdæ Legatorum primus fuit. Sed & Pontifex illatam ſuo Legato, cui cruentum vulnus impreſſiſſent, injuriam accuſaſſet, quâ jus gentium Eccleſiæque prorſus violabatur: neque multum probabilitatis habet, quod ex Græcis Præſulibus ad conſtituendam, quæ promittebatur Theſſalonicæ, pacem nullus amandatus fuerit cum Epiphanio Presbytero, ſolique Sedis Apoſtolicæ Legati interfuerint. Aliud prorſus innuunt ipſorum verba: *Venerabilem Joannem Epiſcopum ad ipſum* (Dorotheum) *dirigentes.* Qui ſunt illi *dirigentes*, niſi Epiſcopi, qui cum Joanne Patriarcha in urbe regia verſabantur? Quibus in Legatos Hormiſdæ nil juris fuit, ut eos dirigerent: itaque *Germanus*, qui unà cum Joanne & Epiphanio Theſſalonicam profectus eſt, amandatus non fuiſſe perhibetur. Cæterùm qui ſeditionis accuſabantur, pecuniâ onerati maximâ Conſtantinopolim profecti ſunt, quod Joannem Epiſcopum, & Epiphanium in terrorem conjecit: *Tantas*, inquiunt, *pecunias ſecum detulerunt, ut non homines, ſed poſſint Angelos excæcare.* Suo petunt indiculo, ut in *conſpectu Senatus* ſibi liceat, reis hæreſeos crimen intendere: duobus ante Legatorum adventum hebdomadis Theſſalonicenſe Concilium ſtatuiſſe, *ne quis Miſſas foras civitatem teneret.* Tanta Sacramenta confeciſſe, *ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente, ſicut dicebant perſecutione, communicare non poſſent:* Propterea à *Candido* Vicario Magiſtri Militum Prætorianorum facinoris fuiſſe poſtulatos.

Bar. An. 519. n. 127.

Lab. Conc. t. 4. 1538.

Herm. Ep. 63.

Lab. Conc. t. 4. 1509.

Lab. Conc. t. 4. 1523.

Dorotheus Theſſalonicenſis Heracleam accuſatus deducitur.

XI. Quem exitum habuerint res Dorothei, qui Theſſalonicenſis *inventor* ſeditionis exiſtimabatur, paucis videamus. Juſſis regiis Conſtantinopolim fuerat accitus, facti ſui redditurus rationem. Inſtabant, urgebant Hormiſdæ Legati, ut reus pœnis ſubderetur: *Secuta eſt vindicta promiſſio, adeò ut Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus ad Heracleam deduceretur civitatem, donec cauſa terminum reperiret.* Quantum enim poterant, pro mandatis, quæ acceperant, contendebant Dorotheum Romam mitti cum *Ariſtide*, ut *doctrinam Catholicæ puritatis* perciperent. Hoc ab Imperatore negatum: *Qui reſpondit, cauſam non eſſe, pro qua Romam delegarentur audiendi, ubi ſine accuſatorum controverſia ſeſe poſſent liberius excuſare. Sed repentè dum hæc geruntur, ab Heracleenſi, quantum agnovimus, in qua tenebatur, dimiſſus eſt civitate: quam ob cauſam, vel quâ ratione, aut conditione, vel quibus agentibus ignoramus.* Petitione hâc ſuâ Hormiſda mitis artibus poteſtatem extendebat ſuam: quaſi verò opus fuiſſet Imperatoris ſubditos pietate informandos in urbem mitti: nec Conſtantinopoli, aut in Oriente eſſent Orthodoxi, qui errantem Dorotheum ad viam veritatis revocarent.

Lab. Conc. t. 4. 1522.

XII. Quæ Chriſtianum orbem laceraverant diſſidia, penè extincta videbantur ob reſtitutam Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali concordiam, cùm novi motus regiam urbem inceſſunt. Scythicorum Monachorum Præfectum agebat *Joannes*, cognomento *Maxentius*. Cujas, quibusve parentibus ortus fuerit, juxta ſcimus cum ignariſſimis. Quin etiam Dioſcorus Diaconus Hormiſdæ Legatus *Maxentium* quaſi pro fungo recèns exorto habuit: *Maxentius, qui ſub Abbatis vocabulo dicit, ſe congregationem habere, ſi interrogetur, aut cum quibus Monachis vixit, aut in quo Monaſterio, aut ſub quo Abbate Monachus factus eſt, dicere non poteſt.* Quæ tamen nobis non exaggerata videri non poſſunt. In *Tomitana* Diœceſi Monaſterium Maxentii fuiſſe conſtitutum, indicant ipſius cum *Paterno* Tomitanæ civitatis Antiſtite diſſidia. Neque dubitamus, quin magnus ille Uſſerius in errorem lapſus ſit, qui Adonis Chronicum ſecutus, Maxentium Antiochiæ Presbyterum dixit. Verba hæc Confeſſionis Maxentii, *Flavianus* hujus urbis Epiſcopus, regiam indicant. Utrùm verò unus & idem homo fuerit cum Joanne Scythopolitano, de quo in *Sophronio* mentio eſt, Cavius in incerto reliquit. Nobis verò exploratum, ab eo diverſum eſſe, Autore Photio: *Acephalorum ſententiam refellit & B. Joannes, Epiſcopus Scythopolitanus, qui doctè, & piè de Synodo Chalcedonenſi ſcripſit.* Jam verò inauditum eſt, Joannem Maxentium ad Epiſcopatum fuiſſe promotum. Dum porrò Monachis præ ſuis eſt, quæſtio de phraſi quadam vehementiſſima contentione animorum agitatur. Erat inter Monachos vir, nomine *Leontius*, Vitaliano conſanguineus, ut nos Dioſcorus Diaconus docuit in ſua ad Hormiſdam Epiſtola: *Iſti Monachi, inter quos eſt Leontius, qui ſe dicit eſſe parentem Magiſtri Militum.* Is ſententiam hanc inculcabat, *unus de Trinitate pro nobis paſſus eſt carne.* Maxentius cum ſuis huic phraſi patronum ſe præbuit. Cui fortiter repugnabat *Victor* Diaconus, ac plerique alii, quibus nova phraſis ſcandalum movebat. Scythiæ tamen Monachis plurimum Vitalianus favebat: *Vitaliano magnifico viro ſubreptferunt* (Legatorum verba ſunt) *ut & talia vindicare pro talibus rebus, & contra nos quæcunque poſſunt, impedimenta*

Joannes Maxentius qui? Profeſſio Monachorum Scythiæ. Adverſarios habent Hormiſdæ Legatos.

Lab. Conc. t. 4. 1519.

Phot. Bibl. c. 231. p. 890.

Lab. Conc. t. 4. 1513.

dimentis aſſerret, cujus immutationem amnis nobiſcum deflet Eccleſia. Tanto quidem favore eos Vitalianus proſequebatur, ut ipſorum cauſâ cum *Paterno* Tomitano Epiſcopo in jurgia deſcenderit. Contrà verò adverſabatur Juſtinianus. In regiam ſe civitatem contulerant ex Monachis complures cum Maxentio, qui cùm fidei ſuæ infamiam imponi intelligerent, Hormiſdæ Libellum offerunt. Legatos ipſos audiamus, Pontifici ſuo ea loquentes: *Iſti de ſua Provincia Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Paternus, Tomitanæ civitatis Antiſtes. Petitiones abtulerunt, & coacti piiſſimi Principis, & Domini Vitaliani Magiſtri Militum juſſione, frequenter ad audientiam cauſa convenimus. . . . Et quia nobis diu laborantibus, & illis nullam ſuſcipientibus rationem nihil proficiebat in eo, quo tendebamus, clementiſſimus Imperator in Conventu publico, ubi & nos interſumus, Paternum prædictum Epiſcopum, & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam: accuſatores quoque ejus ſuo præcepit Epiſcopo ſupplicare. Monachi verò cùm ſimiliter ad concordiam quærerentur, fugâ lapſi, maluerunt de civitate diſcedere, quàm ad concordiam pervenire.* Extat Profeſſio fidei Monachorum, cui titulus præfigitur: *Dominis viris beatiſſimis, Germano & Joanni Epiſcopis, Felici & Dioſcoro Diaconis, Blando Presbytero, & univerſæ legationi Sedis Apoſtolicæ, ab exiguo Maxentio, & omnibus, qui mecum ſunt, ſalutem.* Diluunt crimina, quæ ſibi imponebantur, quaſi adderent nova fidei, aut Chalcedonenſis Synodi Decreta everterent: *Tunc*, inquiunt, *adjectio verborum vitanda eſt, quando non explanationem, ſed corruptionem, aut contrarietatem fidei operatur.* Addunt, explicationibus S. Cyrillum ad deſtruendam Neſtorii ſententiam Symboli mentem perſpicuam feciſſe. Multa eſſe, quæ neque à Scriptura, neque à Synodo dicebantur, quæ cùm ratio poſtulaverit, proferantur, qualia ſunt & *Trinitatis* & *ingeniti* vocabula. Confeſſio hæc Antiochiâ non eſt à Maxentio miſſa, ut placuit Uſſerio, cui verba Confeſſionis non ſunt præſidio: *B. Flavianus hujus urbis Epiſcopus.* Etenim Flavianus ille Conſtantinopolis Antiſtes fuit, ubi Maxentius verſabatur, cùm Libellum Sedis Apoſtolicæ Legatis ſuum obtulit. Cæterùm Legatos Eccleſiæ Romanæ adverſarios patiebantur Monachi, quorum phraſis, ut nova, & ſcandalis movendis apta, à Dioſcoro Diacono maximè improbabatur. Qua de re ſententiam Hormiſdæ ſic ſuam oſtendit: *Eſt in ipſis inter cætera, ubi volunt dicere, unum de Trinitate crucifixum, quod eſt nec in ſanctis Synodis dictum, nec in Epiſtolis S. Papæ Leonis, nec in conſuetudine Eccleſiaſtica. Quòd ſi permittitur fieri, mihi videtur diſſenſiones & ſcandala non mediocria naſci inter Eccleſias. Iſtud Anaſtaſius Imperator magnoperè Catholicis imponere feſtinavit.* Illud & *Eutychis diſcipuli in Synodo Chalcedonenſi propoſuerunt.* Cæterùm non accuratè ſatis quacunque de cauſa impelleretur, Dioſcorus Monachorum ſententiam retulit Hormiſdæ. Profectò non ſimpliciter affirmabant, *unum de Trinitate crucifixum.* Vaga confuſaque propoſitio hæc eſt, quæ non magis ſecundam, quàm primam, tertiamve Trinitatis perſonam deſignat: & divinam quoque naturam affectibus, pœniſque ſubjicere videtur. Alia mens Monachorum, alia & phraſis erat, ut ex Joannis Maxentii fidei Confeſſione liquidò conſtat: *Non ſecundum id, quòd unus eſt Deus, & una Divinitas Trinitatis, ſed ſecundam, id quòd tres ſunt, id eſt, Pater, & Chriſtus, & Spiritus Sanctus unus Deus, Chriſtus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis paſſus eſt carne.* Quod quid magis pium, exploratum, perſpicuumve dici poſſet, nulli videmus. Eâ Confeſſione ambigua removebantur omnia, quia ſecunda Trinitatis perſona in natura humana, quam induerat, crucis ſupplicio affectu fuerat. Sed de Maxentii Monachorumque fide commodius ſuiuſque anno ſequente diſſeremus. Cum in Legatorum judicio nullum ſibi fore præſidium Scythici Monachi intellexiſſent, Hormiſdam conventum volunt. In urbem ergo tendunt Achilles, Joannes, Leontius atque *Mauritius*, experturi quid de ſua Confeſſione à Pontifice ſtatueretur. *Mauritium* Baronius in *Maxentium* mutat, abſque legitima ratione, cùm Maxentium Conſtantinopoli remanſerit. Menſe Junio profecti ſunt, ut ex Legatorum ad Hormiſdam ſuggeſtione intelligimus, data XII. Cal. Julias. Diſcedentibus Monachis infenſus Juſtinianus, ſubinde ſcribit Hormiſdæ, ut Româ ejiciantur: *Quoniam comperimus quoſdam, nomine Monachos, quibus magis diſcordia in ſtudio eſt, quam charitas & pax Dei, cupientes quadam turbare, ad Angelum veſtrum hinc diſcedentes iter arripuiſſe, quos beatitudo veſtra præſentibus ſcriptis, cauſam livoris eorum cognoſcens, ita ut meretur ſuſcipere, & à ſe longe pellere dignetur. . . . Sunt autem nomina eorum, Achilles, Joannes, Leontius, & Mauritius.*

Lab. Conc. t. 4. 1524.

B. M. P. t. 9. 534.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. cap. 14. 481.

Lab. Conc. t. 4. 1513.

B. M. P. t. 9. 536.

Bar. An. 519. n. 96.

Lab. Conc. t. 4. 1516.

De cauſa Monachorum Juſtiniani ad Hormiſdam Epiſtolæ. Hormiſdæ reſponſio.

XIII. De ea ſeveritate animi Juſtinianus nonnihil remiſiſſe videtur. Mollius ſanè ſpirabant Epiſtolæ, quas de Monachis ſubinde ad Pontificem Romanum direxit, quibus petiit, ut expedito ipſorum negotio, Joannem & Leontium ad ſe remittat. Vitalianus quoque per *Paulinum* Eccleſiæ Romanæ defenſorem Hormiſdæ ſcripſit, ut ea perficeret, quæ pacem concedant Eccleſiis. Non multò pòſt iterum Juſtinianus Pontificem ſcripto adiit, ut ſtatuat, dicendumne ſit, unum de Trinitate carne eſſe cruci ſuffixum? *Poſt ſemel divinâ miſericordiâ donatam Eccleſiæ Catholicæ unitatem, quidam aſſerunt, Chriſtum Filium Dei pro noſtra ſalute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari. Quod ſi ſuſcipiendum ſit, paternâ proviſione reverentia veſtra cautiſſima ſua Reſcripta, quid ſequi, quidve ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur, quoniam verba videntur facere diſſenſionem: nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Eulogio agenti in rebus Epiſtola ferenda traditur. Reſcripſit Hormiſda: *Monachos, quos veniſſe Romam ſignificaſtis, literis veſtris ad propria mox voluimus reverti. . . . Sed quia ſub teſtificatione potentiæ divinæ dicebant, per inſidias in itinere paratas vitæ ſuſtinere ſe poſſe diſcrimen, volentes redire Conſtantinopolim, paſſi non ſumus violenter expelli. Quapropter neceſſe habuimus, venientibus Legatis noſtris inquirere, quâ reverà faciente cauſâ inter eos fuerit commota diſcordia.* Data IV. Nonas Septembris. Acceptis, quas *Eulogius* deferebat, literis, Hormiſda rurſus Juſtiniano ſcribit: *Significamus Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos relinquere indiſcuſſa non poſſumus. Sed Legatorum noſtrorum, Deo juvante, feſtinemus adventum: pro qua re eos in urbe credimus retinendos, à qua nec ipſi ordinatione diſſentiunt.* Teſtatur etiam, ipſos vehementes ſeſe accuſatores appoſuiſſe in Victorem Diaconum. Per *quatuordecim penè menſes* Monachi in urbe reman-

Lab. Conc. t. 4. 1517.

Horm. Ep. 65.

Horm. Ep. 67.

ANNO DOM. 519.

Collatio Monachorum cum Joanne Conſtantinopolitano.

remanſerunt, Hormiſdæ communione utentes, quibus elapſis, repulſam paſſi Romam exierunt.

XIV. Achillis, Joannis, Leontii, Mauritii diſceſſu Conſtantinopolitani motus non ſedabantur. Legatis per *Eulogium* ſcripſit Hormiſda, placere ſibi Monachorum cauſam Conſtantinopolitano Patriarchæ delegari, *ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetantur, audiret*: conteſtationem à ſupplicibus datam eſſe, ne Dioſcoro Hæretici jungerentur. Conveniunt Judices in domum Epiſcopi Conſtantinopolitani, quibus Maxentius cum ſuis Libellum offert contra Victorem Diaconum, quo cum vehementem acremque contentionem habuerant *de uno ex Trinitate in carne crucifixo*, de Chriſto compoſito, aliiſque Capitulis. Joannes Conſtantinopolitanus lectis Chalcedonenſibus Decretis, inquit: *Præter iſta nihil mihi aliud dicatur. Qui ſequitur iſta, poteſt inter Catholicos eſſe.* Tum Victor Sacramento adhibito teſtatus eſt, ſe ſimiliter & Leonis, & Cyrilli Synodales Epiſtolas ſuſcipere, ac præter iſta nil prædicare. Urgebant Scythæ, addendum, *& unus de Trinitate.* Cui Judices: *Quod non eſt in quatuor Conciliis definitum, nec in Epiſtolis B. Papæ Leonis, nos nec dicere poſſumus, nec addere.* Inſtabant Scythæ, Neſtorianis damnandis Chalcedonenſe Concilium haud ſufficere, cujus mens eo exponi modo debuit, ac explicabant: neque negandum ſanè, phraſi Monachorum, *unus de Trinitate pro nobis paſſus eſt carne*, obrui eorum ſententiam, qui aliam Verbi, aliam Chriſti perſonam eſſe contendunt. Octobri Collationem eam inſtitutam eſſe, ex nota ſuggeſtionis Dioſcori colligimus: *Data Idibus Octobris Euthārico, Conſule.* Hæc Conſtantinopoli: res Antiochiæ paucis videamus.

Lab. Conc. t. 4. 1519.

Paulus Severo Antiocheno ſufficitur. Ubi ordinatus?

XV. Severus, qui anno præterito fugâ dilapſus Alexandriam petierat, viduam Eccleſiæ Antiochenæ Sedem reliquerat. Aderat feſtum Reſurrectionis, neque adhuc de Epiſcopo nobili Eccleſiæ proviſum. Junio menſe tandem laboranti Præſul imponitur, nomine *Paulus*, quod Legati Hormiſdæ ſignificatum eunt, Epiſtolâ XII. *Kal. Junias* datâ. Ex qua conficitur, Severi fugam Septembri menſe initam, in præſentem annum conjici non poſſe. Quâ ratione Paulus electus fuerit, Legatorum verbis exponemus: *Poſt multas afflictiones, & penè in tres menſes à Patribus protracta certamina, piiſſimus Imperator ſuâ autoritate, Paulum nomine, Presbyterum de Eccleſia Conſtantinopolitana elegit Epiſcopum fieri in Eccleſia Antiochena, dicens inter alia & hoc teſtimonium de ipſo, quia duobus annis in Antiochia poſitus, non mediocriter reſiſtebat Severo Hæretico: ſimilia & omnes Catholici conſonabant.* Id mentibus Græcorum Præſulum fixum ſedebat, ut Paulus Conſtantinopoli ordinaretur. Cui conſilio vehementer interceſſere Legati, ne Patriarchæ regiæ urbis gloriæ decus adderetur, exemplīſque ejuſmodi jus ordinationum Antiochenarum ei tribueretur. Verba ſunt Dioſcori: *Paulum huic honori aptiſſimum, Imperatoris teſtimonio comprobatum voluerunt, & tentaverunt hîc ordinare. Ego juſſionis veſtræ non immemor, contradixi, dicens, Juſſit Dominus noſter beatiſſimus Papa, ſecundum antiquam conſuetudinem ibi eum Epiſcopum ordinari: hoc obtinuit, quod præcepiſtis.* Paulo datum in mandatis, Chalcedonenſe Concilium prædicare. Biennio circiter Eccleſiam Antiochenam adminiſtravit, quo labente ita ſe geſſit, ut omnibus odium moveret. Cum ob flagitia judicium metueret, victus conſcientiæ morſibus, ſponte abiit Epiſcopatu anno DXXI. Juſtiniano & Valerio Coſſ.

Lab. Conc. t. 4. 1514.

Lab. Conc. t. 4. 1513.

Lab. Conc. t. 4. 1555.

Juſtinianus à Papa petit Apoſtolorum reliquias.

XVI. Dum hæc in urbe regia geruntur, in reliquiarum cultum ruebant animi. Juſtinianus in Sanctorum exuvias adeò propendebat, ut magnum veluti theſaurum, miſſo Romam Eulogio Apoſtolorum petierit reliquias. Apoſtolorum Baſilicam tum temporis Juſtinus extruebat, cujus Procopius meminit: *Principio Divis Petro & Paulo Templum extruit, juxta regiam aulam ab Hormiſda olim agnominatam, ubi priuſquam imperaret, domicilium fovebat.* Eas Juſtinianus reliquias tanti faciebat, ut Hormiſdæ ſcriberet: *Nullum nobis majus beneficium, nec munus præſtare poteſtis, Domine beatiſſime Pater, quàm ſi hanc noſtram petitionem adimpleveritis.* Legatorum & operam adhibuit, ut voti ſui compos fieret. Precibus Juſtiniani annuentes Legati, ipſius deſiderium Papæ ſignificant, laudatâ petentis pietate, quâ merebatur *quidquid à Sede Apoſtolica depopoſcerit* impetrare: *Si & beatitudini veſtræ videretur, Sanctuaria beatorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, ſecundum morem ei largiri præcipite; & ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa Sanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare. Petit & de catenis Sanctorum Apoſtolorum, ſi poſſibile eſt, & de craticula B. Laurentii Martyris.* Eſt verò *cataracta* cancellus ferreus, in modum clathræ compactus, quo Petri ſacellum muniebatur. Erat autem cataracta gemina, ut ex verbis Legatorum intelligitur: prior exterius, poſterior interius monumentum ambiebat. Petri Paulique reliquias enixè cupienti conceſſit Hormiſda: *Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli Sanctuaria, ſicut religioſiſſimo quæſitis affectu, per harum portitorem ſub omni veneratione tranſmiſimus, optantes orationibus eorum, ut mentis veſtræ oblatio & deſideria gratia ſint Divinitatis accepta.* Data eſt Epiſtola IV. Nonas Septembr. Baronius in mentem ſibi induxit, *Eccleſiam illam titulo Hormiſdæ fuiſſe nominatam.* Sed error eſt, cui ſanè Procopius non patrocinatur, niſi fortè ex prava verſione Latina. Incredibile quidem prorſus eſt, Juſtinianum Apoſtolorum Baſilicæ impoſuiſſe Hormiſdæ titulum. Itaque non *Eccleſia* quidem, ſed *aula*, quam incolebat Juſtinianus, Hormiſdæ nomine vocabatur, uti ex Collatione Conſtantinopolitana anno DXXXIII. cum Severianis habita ſcimus atque tenemus: *Evocavit ſanctiſſimum Archiepiſcopum tranquilliſſimus Imperator in venerabili palatio ſuo, quod vocatur Hormiſda.*

Procop. de Ædific. Juſtin. l. 1. 674.

Lab. Conc. t. 4. 1516.

Lab. Conc. t. 4. 1515.

Horm. Ep. 66.

Error Baronii.

Bar. An. 519. n. 97.

Lab. Conc. t. 4. 1763.

ANNO U. C. 1273. PER. JUL. 5233. JUL. 565. DOM. 520. JUSTINI 3. THEODORIC. 28. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 8. *Indict.* 13. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 19. *April.*

ANNO DOM. 520.

COSS. *Vitalianus & Ruſticus.*

Vitalianus occiditur.

I. CONſularem, quam Vitalianus purpuram induerat, omen erat cruentæ mortis, quâ Juſtino, qui fortitudinem ipſius metuebat, eſt immolatus. Multis eum Imperator honoribus affecerat, ut ſecurum, ac velut oſcitantem facilius perditum iret, uti nos Evagrius monuit. In Thracia degentem Conſtantinopolim evocarat, potentiam ejus, periciam rei militaris,

litaris, pervulgatam apud omner nominis ejus famam, & adipiſcendi Imperii cupiditatem reformidans. Magiſtrum Militiæ Conſulem quoque crearat, quo ſpecie favoris perdendum deciperet: *Vitalianus igitur Conſul factus cùm in palatium veniſſet, ad quandam interiorem januam fraudulenter caſus occubuit, malorum, quibus Imperium Romanum per ſummam contumeliam affecerat, has pœnas perſolvens.* Defuncti mortem acceleraſſe Juſtinianus creditur, ut narrat Victor Tununenſis, licet loco non ſuo. Sub Conſulatu non Symmachi, ut clariſſimus tradit Noriſius, ſed *Maximi*, qui annum DXXIII. reſeravit, *Vitalianus Conſtantinopoli intra palatium loco, quem Delphicum Græco vocabulo dicunt, Juſtiniani Patritii factione dicitur interfectus fuiſſe.* Verebatur ne ſibi ad conſequendum Imperium foret impedimento. Quippe Vitalianus erat in ore omnibus Chriſtianis, & in Apameenſi Synodo acclamatum fuerat: *Vitaliani Stratelatis multi ſint anni, Vitalianus dignus imperatore.* Imperii rivalem, & veluti candidatum vitâ pellendum eſſe, Juſtinianus è re putat ſua. Julio menſe ambitioni inimicorum mactatur, teſte Marcellino: *Vitalianus Conſul ſeptimo menſe Conſulatus ſui, ſexdecim vulneribus confoſſus in Palatio, cum Celeriano, & Paulo ſatellitibus ſuis interemptus eſt.* Facinus indignum, cùm in Juſtinum nil rebellionis Vitalianus moveret: cujus cruentum cadaver XVI. vulneribus, quaſi tot oribus Dei juſtitiam implorabat:

Evagr. l. 4. c. 3.

Marcellin. Chr.

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

II. De celebrandæ Paſchalis ſolemnitatis die magna Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cum Romana conſpiratio fuit, quod Hormiſdam Legati Sedis Apoſtolicæ monuerunt: *De Paſchali die veſtra beatitudo cognoſcat, concordare Orientalium cum Apoſtolica Sede ſententiam, ut XIII. Kalendarum Maiorum die feſtivitas celebranda ſperetur, ſicut Joannis quoque Conſtantinopolitani Antiſtitis relatione clarebit.* Legatorum Epiſtolam anno ſuperiore conditam eſſe, Baronio creditum. Cujus opinionem verba Legatorum refellunt, qui de Joannis Patriarchæ Epiſtola mentionem fecere, quæ non elapſo quidem, ſed labente anno exarata fuit: *Inſtantis autem Dominicæ Paſſionis numerum, qui veſtris continetur literis, ex repoſitis apud nos dies Paſchalis Annalibus rectè habere ſignificamus, & antè quidem ſcienses, & nunc ſcrupuloſius requirentes ſine dubitatione mundi, Feſtivitatem incolumes nos celebrare XIII. Kal. Maiarum die optamus, qui eſt propriè nonus decimus dies futuri menſis Aprilis.* Data eſt autem Epiſtola XIV. *Kal. Febr.* Vitaliano & Ruſtico Coſſ.

De die Paſchatis Græcorum, & Latinorum concordia.

Lab. Conc. t. 4. 1522.

Error Baronii.

Bar. An. 519. n. 141.

Lab. Conc. t. 4. 1501.

III. Ultimum Joannis hoc ſcriptum fuit, qui non multò pòſt naturæ ſatisfecit. Legatorum quidem Epiſtola, quæ defuncto Epiphanium ſucceſſiſſe tradit, Romæ accepta eſt, VII. *Idus Aprilis.* Pontificatus ſui triennium ingreſſus erat, quem adierat labente anno DXVII. defuncto Timotheo, qui XVI. Aprilis exceſſerat. Glorioſam poſteris famam reliquit, ut Sophronii Hieroſolymitani Præſulis Epiſtolâ Synodicâ legimus: *Joannes Conſtantinopolitanus, genere, & cognomine Cappadox, homo verè virtutis domicilium.* Pontificatum ipſius illuſtravit Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali reconciliatio.

Mors Joannis Conſtantinopolitani: virtutes ejus.

Phot Cod. 231. pag. 890.

IV. *Epiphanius* Conſtantinopolitanus Presbyter defuncto ſufficitur. Ac fortè à vero non aberrabit, qui ab Epiphanio cum Joanne Præſule, anno ſuperiore Theſſalonicam amandato, diverſum eum non eſſe exiſtimabit. Joannis Syncellus erat, & regiæ urbi probitate morum gratiſſimus. A Synodo Epiſcoporum viginti ordinatur Epiphanius, quos inter eminebant, *Theophilus* Heracleenſis Metropolitanus, qui & Synodo præfuit, *Baſiliſcuſque* Zicinitentium Metropolitanus, & *Stephanus* Nicomedienſis. Ubi Epiphanius electus eſt, Concilium de ipſius ordinatione Hormiſdam monitum ivit Epiſtolâ Synodicâ, cujus titulus eſt: *Domino noſtro, ſancto ac beatiſſimo Patri Patrum, Archiepiſcopo, & Patriarchæ Hormiſdæ, Theophilus, Baſiliſcus, Iſaias, Anaſtaſius, Paternus, Martianus, & cætera Synodus, quæ in Conſtantinopolitana eſt civitate congregata.* *Iſaias* Rhodiæ civitatis, *Anaſtaſius* Nicæenſium, *Paternus* Tomitanæ urbis, *Martianus* Chalcedonenſis Metropolitanus erat. Multis verò laudibus onerant Epiphanium, ut ſuo munere dignum: *Poſt obitum ſanctæ recordationis quondam Archiepiſcopi, & Patriarchæ Joannis Conſtantinopolitanæ civitatis, Deus, qui propriam Eccleſiam in petra recta fidei incorrupta fundavit, & portas inferni non prævalere ei decrevit, dedit nobis ſanctum Paſtorem & Patriarcham Epiphanium, virtutibus, correctionibus, & meditationibus divinarum florentem Scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, & orbatorum paternam regentem ſollicitudinem.* Præmiſſis Epiphanii laudibus, eâ ſe impleri ſpe teſtantur, ut firmiſſimis cum Hormiſda charitatis vinculis conjungantur. Synodi verba hæc perpendenda ſunt accuratius: *Commune lucrum exiſtimantes, quod per vos, & veſtrum germanum, & comminiſtratorem, noſtrum autem Dominum, & Patriarcham pacem totius orbis Eccleſiarum eſſe proviſam.* Ex Imperatoris, Auguſtæ, Procerumque ſententia Epiphanius in Sede Conſtantinopolitana collocatur. Ipſius ordinationem Eccleſiæ Romanæ Legati Hormiſdæ nunciarunt, nec ſine laude: Joannis *in locum Epiphanius quidem Presbyter, quondam Syncellus ejus ſucceſſit, cujus initia bona videntur: nam rationabilia loquitur, & promittit Patrum ſe regulas ſervaturum, pacem unitatemque ordinatam non diſſipare, ſed magis augere.* Quos literas *quartû poſt ordinationem* Epiphanii *die*, repertâ occaſione, Romam tranſmiſere. Addunt, *Necdum cum eo communicavimus, non quaſi reſiſtentes, ſed quia adhùc ab eo non ſumus invitati.*

Epiphanius Joanni ſuccedit conſenſu omnium. De ipſius ordinatione literæ ad Hormiſdam.

Lab. Conc. t. 4. 1542.

Lab. Conc. t. 4. 1523.

V. More invaluerat, ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad dignitatem evectus ſuam, Legatos Romam mitteret. Quam labente magno ſatis temporis ſpatio conſuetudinem cùm non obſervaret Epiphanius, id miratus Hormiſda, ad munus hujus officii perſolvendum negligentem provocavit: *Decuerat*, inquit, *frater chariſſime, te Legatos ad Apoſtolicam Sedem inter ipſa tui Pontificatus initia deſtinaſſe, ut quem tibi debemus affectum, benè cognoſceres, & vetuſtæ conſuetudinis formam ritè compleres.* Nihilominus Hormiſda privatæ amicitiæ officia Epiphanio ſolvere voluit. Cur verò legationem expectaret, eam rationem reddit, quæ Pontificiam majeſtatem non ſpectat: *Legationem autem tuam, & ea, quæ dudum gratia ſuſtinemus, & fulti veteribus Conſtitutis exigimus, ut quantum gaudii fructum vel de tui Pontificatus honore capiamus, vel quas tibi gratias referri conveniat, pro impenſis in negotio propagandæ unitatis officiis evidentius exprimamus.*

Hormiſda queritur ſibi Epiphanium non ſcripſiſſe. Cur?

Horm. Ep. 71.

VI. Amicitiæ conſuetudinique non defuit Epiphanius, qui rupto ſilentio Epiſtolam Hormiſdæ

Epiphanii ad Hormiſdam literæ & legatio. Juſtinus à Papa petit, ut nominibus fautorum Acacii parcatur.

ANNO DOM. 520.

miſdæ mittit, quæ de ſua electione, & fide ipſum doceret. Teſtatur ergo, Joannis ſe poſt obitum, *ſententiâ & electione Chriſtianiſſimi, & juſtiſſimi Principis Juſtini, & piiſſimæ Reginæ in* Conſtantinopolitana Cathedra eſſe collocatum. Synodos Oecumenicas, nec non Leonis *Epiſtolas pro recta fide conſcriptas* ſuſcipere ſe atque amplecti; maximâ quoque ſe unà cum Hormiſda benevolentiâ conjungi: *Quantus enim circa veſtram venerabilem fraternitatem in omnibus ſit amor, jubeto perpendere, quia quos veſtra Apoſtolica Sedes condemnans in ſacris Diptychis, non recitare juſſit, eos nec ego inter ſacra facio nominari myſteria.* Quod & Sedis Romanæ Legatis erat obvium. Priore hâc non contentus, poſteriorem Præſuli Romano Epiſtolam mittit, quâ ſignificat, ipſius Legatos ſi redeant incolumes, indicaturos, nil à ſe prætermitti, quod conducat ad concordiam: *Annuntient igitur vobis, quia non pauci nobis ſubjecti Sacerdotes, nec rurſus ſub eorum ordinatione Epiſcoporum, parva eſt ſubdita multitudo, quæ bonum hujus cœptæ unitatis amplectitur.* Erant tamen complures, qui nullâ ratione adigi poterant, ut ſacris tabulis eorum, quibus Acacius deceſſerat, nomina delerent, quod Hormiſdæ *Juſtinianus* declaratum voluit:

Lab. Conc. t. 4. 1536.

Pars Orientalium non exilio, nec ferro, flammiſque compelli poteſt, ut Epiſcoporum nomina poſt Acacium defunctorum condemnet: quæ difficultas generali concordiæ moras nectit. Sanctitas itaque veſtra, cœlitùs inſpirata temporum, rerumque qualitatem conſideret, & condemnatis hujus erroris auctoribus, id eſt, Acacio Conſtantinopolitano, Petro, & Timotheo Æluro, & Dioſcoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno, finire dignetur inveteratum certamen, de cæterorum nominibus quæſtione ſopitâ. Ejuſmodi quoque tenoris literæ ab Imperatore adornantur, qui & *Gratum* miſit Hormiſdæ, ut pertinacem in rejiciendis Acacii ſucceſſoribus animum flecteret, ne Eccleſiis pax rurſus pelleretur: *Veniam itaque nominum poſtulamus, non Acacii, non utriuſque Petri, non Dioſcori, non Timothei, quorum vocabula ad nos data tuæ ſanctitatis Epiſtola continebant, ſed quos in aliis celebravit civitatibus Epiſcopalis reverentia, & hos exceptis urbibus, ubi veſtræ beatitudinis Libellus jam in plenum admiſſus eſt, niſi hanc quoque partem benevolentia ſtatuerit veſtra mitius corrigendam.* Quod ut facilius impetraret, exemplum attulit Anaſtaſii Papæ, qui Imperatori Anaſtaſio ſcripſerat,

Lab. Conc. t. 4. 1542.

Satis eſſe pacem affectantibus, ſi nomen tantum reticeant Acacii. Data eſt Epiſtola *Idibus Septembr. Chalcedone.* Paria quoque & gemina Hormiſdæ nunciat Epiphanius. Ac Ponti, Aſiæ, maximéque Orientis Præſules paratos eſſe omne potius ſubire periculum, quàm dum myſteria celebrantur, Sacerdotum ſuorum tacere nomina. Porrò quam exoptarat legationem Pontifex, ea ſibi ab Epiphanio mittitur. Tres numero Legati erant, quibus mandatum, ut Epiſcoporum in retinendis defunctorum nominibus conſtantiam indicarent: *De his autem omnibus ſummo vobis ſupplicantur affectu, Joannes ſanctiſſimus Epiſcopus multos nobiſcum ſudores in præſenti deponens certamine, & Heraclianus reverendiſſimus Presbyter ſanctæ noſtræ majoris Eccleſiæ, & cohabitator noſter, & Conſtantinus reverendiſſimus Diaconus, ejuſdem majoris Eccleſiæ, per quos & noſtra Synodalia ſecundum Eccleſiaſticas veſtræ beatitudinis deſtinavimus Leges.* Muneribus etiam, quæ ſuæ in Hormiſdam amicitiæ pignora certa forent ferendis Legatos onerare voluit: *Indicia autem noſtra ſecundum Chriſtum Dominum charitatis, per viros reverendiſſimos deſtinavimus ad adminiſtrationem divinæ culturæ, & Sanctæ Apoſtolicæ veſtræ Eccleſiæ calicem aureum, gemmis circundatum, patenam auream, & alium calicem argenteum, vela ſerica duo, quæ ſuſcipere veſtram beatitudinem ſupplicamus cum illa charitate, quam vos habere ſecundum Deum non dubitamus.*

Lab. Conc. t. 4. 1538.

De Eliæ, Thomæ, Nicoſtrati cauſa Juſtiniani ad Hormiſdam literæ.

VII. Tempus eſt redire ad Thomam, Eliam, Nicoſtratum Epiſcopos, qui ſuis pulſi Sedibus machinas adhibebant omnes, ut reſtituerentur. Cæſarienſibus remoto Eliâ alius Epiſcopus præfectus erat, qui benevolentiam ſibi conciliarat omnium, à quibus abſque ingenti tumultu evelli non poterat, quod Juſtinianus Comes, miſſâ VII. *Idus Junias* Epiſtolâ indicavit Hormiſdæ: *In præſenti Pontificem Cæſarienſium, urbis favor tutatur omnium, quem ob inſtituta pulcherrima; non ſolum incolæ validiſſimè retinendum arbitrantur, ſed prope cunctus Oriens, ſine dubio veneratur: & qui prior in eodem fuit Sacerdotio, injuriâ eſſe remotum queritur. Viſum eſt itaque convenire, ut nec faciamus impetum contra inſinuatum vota multitudinum, aut homo integritate nobilis Sede dejiciatur, quâ ſe dignum exhibet, nec alter orbi ſpem prorſus adimi patiatur, repetendi locum denuò, quo ſe ſpoliatum ſine cauſa confirmat.* Ubi mortis debitum ſolverit, qui Cæſarienſem adminiſtrabat Eccleſiam, tum ad Sedem Elias ſuam redibit. De Thoma verò & Nicoſtrato nunciat, pace firmatâ ipſos Eccleſiis ſuis eſſe reſtituendos. *Data* VII. *Idus Junias.*

Lab. Conc. t. 4. 1526.

Dorotheus Theſſalonicenſis ſcribit Hormiſdæ: Sedi reſtituitur.

VIII. Interea Dorotheus ſeditionis in urbe Theſſalonicenſi motæ incentor exiſtimatus, Heracleam miſſus, criminis, quo poſtulabatur, ſeſe purgatum voluit, itaque Sedi ſuæ reſtitutus innocentiam Hormiſdæ ſuam teſtificatum ivit: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo Patri, ac Comminiſtratori Hormiſdæ Dorotheus in Domino ſalutem. Propoſiti noſtri, & orationis eſt ſummum ſtudium, per omnia beatiſſime & ter beate Pater, & ſcribere frequenter ad vos ſanctiſſimos, & mutua mereri colloquia, & nullo tempore extorrem me ab hujuſmodi lætitia eſſe concedere.* Cauſas verò tumultus in adverſarios conjicit, *Qui,* inquit, *nihil à nobis læſi ſunt, ſed ſine cauſa, & ſuperfluè adverſum nos armati ſunt. Deo tamen & veſtræ ſatisfacio ſanctitati, quia pro Joanne viro reverendiſſimo Epiſcopo, qui paulò antè à veſtra venerabili corona directus eſt, prædeſtinavi me periculis, & mortem ſuſtinui, & meam pro ejus ſitu me objeciſſe animam: & hoc oſtenditur geſtis, & ex his, qui quanquam per meam abſentiam, acerrimè videantur eſſe diſcuſſi.* Affirmat etiam, de ergà Hormiſdam obſervantia ſe cum omnibus omninò certaſſe, cujus Epiſcopatum *commune gaudium totius mundi eſſe* judicavit: neque ab eo tempore ſe prætermiſiſſe quidquam, quod ad Sedis Apoſtolicæ honorem redundaret.

Lab. Conc. t. 4. 1539.

Reſcripſit Pontifex, ſe de correctionis Dorothei mora ingemiſcere: qui ipſius innocentiam neſciunt, cum à *Chriſtianitatis ſimul credant tramite* deviaſſe: in votis eſſe, *ut Epiſcopos ad pacem redeuntes Catholicam, à crudelitate & criminibus contingat ſemper innoxios comprobari. Expectamus igitur, ſi non deſunt fraternitati tuæ veritatis Deo nota præſidia, ut & tanti ſceleris à te repellas invidiam, & in reconciliatione fidei tandem eorum, qui reverſi ſunt, ſequaris exempla. Data* IV. *Kal. Novembr.* Quis huic negotio finis impoſitus fuerit, docet nos Hormiſdæ ad Epiphanium Epiſtola,

Horm. Ep. 73.

Anno Dom. 520.

ſtola, VII. Kal. Aprilis, anno DXXI. ſcripta, Valerio Conſule: *De Theſſalonicenſibus, quorum ad nos Legati ſub clementiſſimi & fideliſſimi Principis filii noſtri ordinatione venerunt, ne quid omiſiſſe credamus, noſſe nos volumus ſecundum hoc, quod Domino noſtro J. C. inſpirante placuerit, cauſam omnem noſtri diſpoſitione eſſe tractandam, & ſi quod oportet impleverint, ordinanda hæc per fratrem noſtrum, & Coëpiſcopum venerabilem virum Joannem, ſed & filios noſtros, Heraclianum Presbyterum, & Conſtantinum Diaconum, Eccleſiaſtico honore digniſſimos.* Ad Maxentium Scythiæque Monachos redeat oratio.

Horm. Ep. 90.

Poſſeſſor Epiſcopus de libro Fauſti Hormiſdam conſulit.

IX. Fauſtus ille Reienſis Epiſcopus, gente Britannus, habitatione Gallus, magnus Semi-Pelagianorum patronus, librum ediderat, qui veris gratiæ cultoribus erat offenſioni. In regiam civitatem uſque perveniens, Fauſti hoc opus effecit, ut diſcordiarum vulnus, quod obductum cicatrice putabatur, recrudeſceret, aliis Fauſtum damnantibus, aliis defendentibus. Qua de cauſa Poſſeſſor, Africanorum Antiſtitum exulum unus, qui Conſtantinopoli morabatur, à contendentibus conſulitur, Auguſtini diſciplinæ meritò Maxentius cum ſuis adhærebat, aliis diſſentientibus. Loquentem audiamus *Poſſeſſorem*, qui Fauſti de gente non ſatis inſtructus, Gallum fuiſſe tradit: *Cùm quorumdam fratrum animus de Codice Fauſti cujuſdam, natione Galli, Regina civitatis Epiſcopi, qui de diverſis rebus, & frequentius de gratia Dei diſertè viſus eſt diſputare, in ſcandalum moveretur, aliis ut ſe habent humana ſtudia, in contrarium renitentibus, me crediderunt conſulendum.* Quod ſolvendæ quæſtioni conduceret, nil eſt a *Poſſeſſore* reſponſi datum. Dixit tantùm, *ea quæ a tractatoribus pro captu proprii ingenii diſputantur, non ut Canonica recipi, aut ad ſynodalium vicem pro Lege ſervari.* Ea verò certa eſſe, quæ *veteri Lege, & novâ conſcripta, & generalibus Patrum ſunt Decreta judiciis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem.* Cum hæc non ſatisfacerent, at quæſtionis explicationem tam Vitalianus, quàm Juſtinianus expeterent, viſum Poſſeſſori, Hormiſdam miſſo Juſtino Diacono, conſulere; *Accepta eſt Epiſtola V. Kal. Auguſti.* Conſulenti hæc reſpondit Hormiſda: *Hi, quos vos de Fauſti cujuſdam Galli Antiſtitis dictis conſuluiſſe literis indicaſtis, id ſibi reſponſum habeant. Neque illum recipi, neque quemquam, quos in autoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præjudicium comparare.* De libertate verò mentis humanæ Eccleſiam Romanam Auguſtini ſententiæ prorſus adhærere teſtatur. Obſervabilia ſunt verba Pontificis: *De Arbitrio tamen libero, & Gratia Dei, quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum poſſit cognoſci; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa Capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus. Quanquam qui diligenter Apoſtoli dicta conſiderat, quid ſequi debeat, evidenter cognoſcat. Data Idibus Auguſti.* Poſſeſſorem Fauſto favisſe tradit Maxentius, ſententiæ Auguſtini defenſor acerrimus: *Evidenter*, inquit, *clareat, libros Fauſti eſſe hæreticos: ſicque confundantur omnes, qui eos hactenùs defendunt Catholicos. Quorum Princeps & Autor eſt Poſſeſſor, Africanus Epiſcopus.* Quam Maxentius Epiſtolam labente anno condidit, ut victricem Dei gratiam meritis ſanè laudibus cumularet...

Lab. Conc. t. 4. 1530.

Horm. Ep. 70.

Anno Dom. 523.

B. M. P. t. 9. 543.

Maxentii Scythicorumque Monachorum Confeſſio Orthodoxa fuit.

X. Majores adhùc motus exardeſcebant de quæſtione à Scythis motâ, dicendumne foret, *unum de Trinitate in carne paſſum eſſe.* Non fideliter ſatis Dioſcorus, Legatorum unus, Monachorum ſententiam verbaque expreſſerat, quæ in ea mutaverit, *unum de Trinitate crucifixum.* Baronius, Binnius, aliique nonnulli aſperè in Maxentium, Monachoſque invehuntur, quos pro larvatis Hæreticis habent. Credulus Legatis Baronius, Monachorum verba hæc fuiſſe, *unum de Trinitate crucifixum* exiſtimans, pluribus oſtendit, *panem eſſe veneno corruptum.* Scilicet Anaſtaſium Chalcedonenſi Concilio inimicum id ipſum conatum, ut diceretur, *unus de Trinitate paſſus.* Addit Ferrandi rationes Carthaginenſis Diaconi, prima, *ne alia eſſet Trinitas, & alius, qui unus eſſet de Trinitate.* Secunda, *ne divina ſubſtantia fieri paſſibilis videatur.* Tertia, *ſi unus eſt Filius de Trinitate, vel unus eſt Trinitatis, Filiorum eſt Trinitas, & Trinitatis eſt Filius.* Argutiis ejuſmodi fidei Maxentii dedecus imprimit. At fruſtra ſtricto mucrone vir illuſtriſſimus verberat umbras, cùm certo certius ſit, Scytharum ea verba non fuiſſe, quæ fuiſſe dicuntur. Neque congruum eſt Dioſcoro magis, quàm ipſi Monachorum aſſentiri Libello, in quem ſi vigilantes Baronius oculos conjeciſſet, Monachorum utique famæ pepercisſet, & ſe errore liberaſſet. Libelli hæc verba ſunt: *Si ſecundum ipſos, quicunque dixerit unum ex Trinitate Chriſtum, qui pro nobis eſt carne paſſus, diviſionem facere deprehenditur Trinitatis, ergo quicunque Deum ex Deo dicit, diviſionem efficit Trinitatis. Quòd ſi Deum ex Deo dicere, diviſionem non facit Divinitatis; multò magis unum ex Trinitate dicere, diviſionem non facit Trinitatis: quia non ſecundum id, quòd unus eſt Deus, & una Divinitas Trinitatis, ſed ſecundum id, quòd tres ſunt, id eſt, Pater, & Chriſtus, & Spiritus Sanctus, unus Deus, Chriſtus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis paſſus eſt carne.* Eſt inter errores Baronii, quòd deſideratam in Confeſſione, quam Monachi, & Conſtantinopoli, & Romæ exhibuerunt, vocem *Verbum* in ſua ad Antiſtites in Sardiniâ exules Epiſtola illam appoſuerint. Quod illuſtriſſimus Purpuratus Scytharum aſſignat *aſtutiæ*. Quibus nos magis ac magis perſuademur, Libellum à Maxentio in urbe regia Legatis oblatum, nictantibus oculis à Baronio lectum fuiſſe. Quid enim his Maxentii diſertius? *Reſtat, ut unus de Trinitate ſit Verbum, qui de Virgine ſecundum carnem natus eſt, & homo factus, paſſus eſt carne pro nobis.* Quæ non ſemel in Confeſſione leguntur. Falſum ergo, in Libello Sedis Apoſtolicæ Legatis oblato, Monachos *ſimpliciter* ſcripſiſſe, *unum de Trinitate eſſe paſſum in carne.* Falſum ſimiliter, in eo Libello vocem *Verbum* deſiderari, quo ſanè vocabulo, quænam Trinitatis perſona cruci ſuffixa fuerit, certè certòque indicatur, confuſione omni remotâ.

Bar. An. 519. n. 103.

Error Baronii.

B. M. P. t. 9. 535.

Bar. An. 519. n. 113.

B. M. P. t. 9. 536.

Juſtinianus Monachorum, & Maxentii Confeſſionem probat. Ur. ejiciuntur.

XI. Maxentii in ſententiam deſcenderant Orientis Antiſtites. Imò Juſtinianus ipſe, qui pro perturbatoribus Eccleſiæ Scythis olim habuerat, quos & ab urbe pellendos Hormiſdæ ſcripſerat, in eorum tandem opinionem conceſſerat. Quod utrumque in ipſius ad Pontificem Romanum Epiſtola reperimus: *Ut præter illud etiam magis magiſque depoſcimus, ut tua Sanctitas conceptâ gratiâ cœleſti, quæ prætendunt Orien-*

tales

ANNO DOM. 520. *tales Epiſcopi tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere conſenſum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi, Dominus noſter J. C. ex Virgine Maria natus, quem prædicat ſummus Apoſtolorum carne paſſum, rectè dicitur unus in Trinitate, cum Patre, Spirituque Sancto regnare.* Rogat ergo Pontificem, quæſtionem ſolvat, *ne quid dubitationis relinquatur in poſterum.* Imò compoſitis eiſdem duobus Capitulis, videlicet tam de retinendis fautorum Acacii nominibus, quàm

Lab. Conc. t. 4. 1536. de phraſi, *unus de Trinitate paſſus eſt carne*; *univerſos*, inquit, *Sacerdotes iſtius Reip. libenter amplecti veſtram communionem novit. Accepta XV. Kal. Octobris.* Verùm de Decreto Pontificio nil ſpei reſtabat, cùm exacerbatus in Monachos Hormiſda, eos ut Hæreticos urbe ejeciſſet. Suam ipſi queruntur injuriam Maxentii calamo:

B. M. P. t. 9. 543. *Poſtquam à loco, quemadmodum acceperant, pro mandato ejuſdem Romani Epiſcopi fuerant expulſi, in publico conſiſtentes, ubi caſu Regum imagines fuerant, quòd petitioni ſua audientia denegaretur, populo conteſtati ſunt.* Nigris porrò coloribus Monachos Hormiſda depingit in ſua ad Poſſeſſorem Epiſtola: *Ubi non varia tentationis aculei? Quales per hunc ferè jugem annum quorumdam Scytharum, qui Monachos præ ſe ferebant, ſpecie, non veritate, profeſſione, non opere, ſubtilis tectas calliditate verſutias, & ſub religionis obtentu, famulantia odiis ſuis venena pertulimus, ſindentes eos ab interno vulnere medicabili patientia.* Eorum ſuperbiam accuſat, quaſi ſoli regnare vellent, omnibuſque credendi regulam imponere: *Contemptores*, inquit, *autoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum ſolam putantes ſcientia rectam viam, quâlibet conceptâ facilitate ſententiam: eò uſque tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque urbis putent inclinandum eſſe judicium: nec in numero Fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſua viderint cedere nolle ſententia: docti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſia corpus odiiſſe, ſeditiones inſtruere, invidiam concitare, & pro obedientia, quæ in Cænobiis Principatum regularis obtinet diſciplina, obſtinationem pertinacis amare ſuperbiæ.* Turbas & ab ipſis in urbe concitatas queritur: *In publicum uſque prodiere Conventum ad concuſſionem quietis, circa Regum etiam ſtatuas inclamantes: & niſi fidelis populi conſtantia reſtitiſſet, per Diabolica ſemina nefanda zizania apud illos diſſenſionem & diſcordiam commoviſſent, per quos adjutorio Dei de religione eorum eſt pulſa diſſenſio.* In tranſcurſu obſervetur, tam in Baronianâ, quàm in Labbeana Hormiſdæ Epiſtolæ Editione legi: *concurſionem quietis.* Quæ lectio eſt abſona: ſcribendum, *concuſſionem pacis*, ut habet Epiſtola Maxentii. Porrò Monachorum moribus & factis Hormiſda *Poſſeſſorem* inſtrui voluit, ne ſi fortè urbem regiam repeterent, verborum ſimulatione aliquos deciperent. Mona-

Horm. Ep. 70. chis quoque inſurrexit Presbyter, nomine *Triſolius.* Fauſtus, quem Præfectum Prætorio egiſſe eruditi putant, de Scytharum Monachorum ſententia, *Triſolium* conſuluerat. Quærenti reſpondet Triſolius: *Mandare mihi dignatus es, Monachos Scythas à Conſtantinopoli adveniſſe, qui unum de Trinitate prædicant crucifixum, ſperans à parvitate mea, ſi tale aliquid in doctrina Patrum repererim. Iſta doctrina de fonte Arii prodivit, & eſt conveniens omnibus hæreſibus.* Lepido verò Triſolius utitur argumento, ut vincat, Monachorum ſententiam non eſſe ferendam: *Si unus de Trinitate paſſus eſt in carne, ergo manſit impaſſibilis. Qui unum de Trinitate Filium dicunt paſſum, duos, aut tres Filios colunt, ex quibus unus paſſus eſt, duo manent impaſſibiles.* Objicientibus Procli autoritatem, ſcribentis, *unus de Trinitate paſſus eſt*, reſpondet, *Si Epiſtolas Patrum, Athanaſii, Cyrilli, & Leonis, quæ per univerſales ſanctas Synodos recepta & confirmata ſunt, Hæretici fraudaverunt, quantò magis Epiſtolas Procli, quæ nec in unius Synodi definitione poſita eſt?* His, aliiſque multis ejuſmodi præmiſſis, decretoriam tandem ſenten-

ANNO DOM. 519.

Lab. Conc. t. 4. 1596. tiam profert: *Sedes Apoſtolica Romana ſuper fidem Synodi Chalcedonenſis nunquam permiſit unam ſyllabam, aut unum apicem addi, aut minui.* Miſeram veritatis ſortem, quæ mortalium expoſita præjudiciis, erroris ſpecie involuta damnatur. Mirum ni Triſolius eam quoque ſententiam atro lapillo notaſſet, *Deus Eccleſiam acquiſivit ſuo ſanguine.* Quæ Triſolianis ſanè telis non minus petitur, quàm phraſis Maxentii.

Maxentius in Hormiſdam ſcribit. XII. Illatam Monachis injuriam ſilentio ferre Maxentius non potuit. Primùm Hormiſdæ moras accuſat, *quòd Monachis reſponſum quærentibus, Romanus Epiſcopus dare omninò diſtulerit, eoſdemque poſt multa maris pericula, longique itineris vexationem, nec non etiam afflictionem prolixi temporis, quo eos apud ſe detinuit, vacuos, & ſine ullo effectu ad has partes venire compulerit.* Ubi verò Hormiſdæ in Epiſtolam conjecit oculos, ſubinde & innocentiæ, & pietati fratrum ſuorum defenſionem parat. Ac primùm in dubium revocat, quòd talis Epiſtola fuerit ab Hormiſda condita: *Non eſt facilè credendum, hanc eſſe Epiſtolam, cujus fertur nomine titulata, præſertim cùm in ea nihil, ut diximus, rationis, aut conſequentia reperiatur, ſed tota criminationibus, obtrectationibuſque vanis, quæ ſolent ex rancore adverſantis procedere animi, videtur referta.* Epiſtolæ Autorem labe hæreſeos pollutum eſſe contendit. Verba hæc erant Hormiſdæ: *Proficiemus inter adverſantes propriis bonis, ſi erroribus non involvamur alienis.* Quæ Maxentio odium commovere, qui Autorem ſic compellat: *Te ſplendore ſuo detegit Catholica veritas, & juxta cætera mala etiam ſuperbiſſima Pelagiana perfidia involutum erroribus, cunctorum oculis anteponit, qui inter adverſarios, non Dei munere, ſed propriis bonis proficere poſſe, tumidâ elatione confidis.* Eò tandem proceſſit Maxentius, ut ipſi Hormiſdæ erroris notam imprimeret: *Verùm tamen ſive ab hoc, ſive à quolibet alio hæc ſit ſcripta Epiſtola, non eſt dubium, Autorem ejus eſſe Hæreticum, qui contentionem verborum, ſubverſionemque audientium, judicat Chriſtum Filium Dei vivi unum fateri ex Trinitate.* Denique multis argumentis victricis gratiæ vires, neceſſitatemque demonſtrat. Quibus expoſitis, his Epiſtolam claudit ſuam: *Certas ſententias, tam ex Præfatione errorum Fauſti,* Ep. Max.
quàm etiam ex Capitulis primi, & ſeptimi prioris libri inſerere, hoc loco neceſſarium conſideravi. Quia ſe idem Poſſeſſor ita ſolet callidè excuſare, quòd non amplius niſi octo Capitula libri primi legerit, ut ſic ſaltem confuſus aliquando reſipiſcat, ea quæ proprio ore legiſſe ſe aſſerit, Catholica nefariò auſus pronuntiare. Hic eſt ille Maxentius, quem Labbeus Eutychianâ fuligine tinctum exiſtimat; quo jure, viderit: niſi pro Hæretico forſan eum habuerit, quòd & Semi-Pelagianis adverſatus fuerit, & Pontificem Romanum hæreſim docere crediderit. Non inficiamur tamen; quin pio ſenſu ab Hormiſda ſcriptum fuerit, *proficiemus inter adver-*

ANNO DOM. 520.

adverſantes propriis bonis: quia quæ Deus vel nobis largitur, ea propria ſunt, neque planè à B. Paulo repudiatur, magno Dei gratiæ præcone: *Unuſquiſque*, inquit, *mercedem accipiet, ſecundum ſuum proprium laborem*.

1 Cor. 3. 8.

Scythæ Afros Antiſtites in Sardinia conveniunt. Eorum Libellus eſt orthodoxus.

XIII. Ut expoſitam ſibi calumniam Scythæ penitus eluerent, Africæ Antiſtites, qui exilium in Sardinia tolerabant, ſibi adeundos putant, quos centum linguis ſuam ſuis celebrabat. Inter Legatos Petrus eminebat Diaconus, qui oblato Libello primus ſubſcripſit. Libelli verò titulus hic eſt: *Dominis ſanctiſſimis, & cum omni veneratione nominandis, Datiano, Fortunato, Albano, Orontio, Boetho, Fulgentio, Januario, & cæteris Epiſcopis, & in Chriſti Confeſſione decoratis, exigui, Petrus Diaconus, Joannes Leontius, Joannes, & cæteri fratres in cauſa fidei Romá directi.* Quo fine vero Libellum hunc ſuum obtulerint, his declarant: *Supplices petimus, & obſecramus beatitudinem veſtram, quatenus diligenti examinatione ea, quæ inferius continentur, diſcutientes, ut decet veriſſimos, & integros Chriſti prædicatores, ſeriptis ſententiam veſtram nobis patefacere jubeatis; ut, ſi Deo præſtante Catholicæ fidei convenient, & Apoſtolicis traditionibus noſtra apud vos, ſicut nos diſpicimus, fuerit aſpectu comprobata, & facile cunctorum rectorum probatiſſimorumque Sacerdotum auctoritate muniti, utique linguentium ora obſtruere valeamus: & in fide S. Patrum perſeverantes, Deo, qui nos ſanctiſſimam ſui Confeſſione glorificavit, gratias referamus Domino ſanctiſſimo & Deo dignoſcimus.* Capitula octo continet Monachorum ille liber. II. Chriſtum in duabus naturis unitis, & inconfuſis perſonam unam eſſe continentur. III. Dicunt, Mariam proprie & ſecundum veritatem eſſe Theotocon, quod peperit verè & propriè Deum incarnatum. IV. Narrant, Trinitatis myſterium illo incarnationis non evelli, quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne, unus eſt ex Trinitate. V. Duas Chriſti nativitates fatentur, idcòque Deus factus eſt Chriſtus, non autem Chriſtus factus eſt Deus. VI. Explicant qualis Adam ſit factus, & quâ ratione per peccatum mutatus ſit, qui amiſſa libertate propriâ, ſub peccati ſervitio mancipatur. VII. Affirmant ex una maſſa perditionis, alios ſalvari gratiâ Dei, alios juſto occulto judicio derelinqui. VIII. Statuunt, omnem bonorum cogitationum originem, earumque confeſſionem, & voluntatem ex Deo, & per Deum eſſe. Summa hæc eſt Libelli Africanis Antiſtitibus oblati. Porro

B. M. P. t. 9. 196.

Scythiæ Monachi pro circulatoribus, Hæreticis impoſtoribus habentur Baronio, qui elogantibus hiſce titulis eos ornavit. Quam utique maculam delent Confeſſione ſuâ, omni ex parte orthodoxâ, & Præſulum etiam Africanorum calculo comprobatâ: Reſponſionis ſanè titulus iniquum de Monachorum fide Baronii judicium prorſus reſcindit: *Dilectiſſimis, & in Chriſto fide ac gratiâ plurimum amplectendis, ſanctis fratribus, Petro Diacono, Joanni, Leontio, & alii Joanni, cæteriſque fratribus*, &c. Hiſne titulis Hæreticos, impoſtores, circulatores affeciſſent Africani Confeſſores? Eoſne ut ſanctos fratres amplexi fuiſſent? Aliud adhuc peccat Baronius, qui ſuo in Monachos odio turbatus, ait ipſos ea dixiſſe, quæ nuſquam dixerunt: *Conſidera*, inquit, *conſuetam Hæreticorum arrogantiam, dum pauci Scythæ Monachi totius Orientalis Eccleſiæ pro ſe ferunt eſſe Legatos.* Ubinam locorum hæc præ ſe tulerunt? Nil aliud affirmant, quàm in

Error Baronii.

Bar. Ann. 519 n. 113.

cauſa fidei, ad Afros Româ ſuiſſe directos. Pro Orientalis Eccleſiæ Legatis ſeſe nunquam, nuſquamve venditarunt. Nomine porrò Epiſcoporum omnium, ut Monachis reſponderetur, inſignem Fulgentius tractatum edidit, *de Incarnatione, & Gratia Domini noſtri J. C. ad Petrum Diaconum, & alios, qui ex Oriente in cauſa fidei Romam miſſi ſunt.* Conſtat capitibus XXXI. quibus materia hæc non minimum illuſtratur. Capitibus Epilogus additus eſt: *Habetis dilectiſſimi fratres, tam de Incarnatione Domini noſtri J. C. quàm de gratia paucis expreſſam fidei noſtræ, Confeſſioniſque ſententiam.*

ANNO DOM. 520.

B. M. P. t. 9. p. 199.

ANNO U. C. 1274. OLYMP. 325. PER. JUL. 5234. JUL. 566. DOM. 521. JUSTINIAN. 4. THEODORIC. 29. *Sol.* 26. C. *Lun.* 9. *Indict.* 14. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 5. P. 12. *April.*

ANNO DOM. 521.

COSS. *Juſtinianus & Fl. Valerius.*

Liberalitate Conſulatum Juſtinianus ſuum illuſtrat.

I. SPlendorem Conſulatus ſui editis magnificè muneribus Juſtinianus nobilitavit. Quam Marcellinus pompam depingit: *Famoſiſſimum hunc Conſulatum Juſtinianus Conſul, omnium Orientalium Conſulatu profectò magnificentior, his liberalitatibus edidit. Nam ducenta octoginta octo millia ſolidorum in populum, inque ſpectacula, ſive in ſpectaculorum machinam diſtributa, XX. leones, triginta pardos, exceptis aliis feris exhibuit. Numeroſos præterea, phaleratoſque in Circo caballos, jam donatis quoque impertivit aurigis, una duntaxat ultimaque mappa inſanienti populo denegata.* Corrupto exemplari uſus Baronius, legit 288. *ſolidorum ſeſtertia*, nullo ſenſu.

Hormiſda & ad Synodum Conſtantinopolitanam, & ad Epiphanium Epiſtola.

II. Omnium ſuffragio ornati ad Pontificatum Epiphanii evectionem, miſſis *Joanne* Epiſcopo, *Heracliano* Presbytero, *Conſtantino* Diacono, Hormiſdæ Conſtantinopolitana Synodus notificarat. Ne officio igitur ſuo deeſſet Romanus Epiſcopus literis Concilio gratulatur ob electum Epiphanium: *Tantò majus pro auctoritate nominis naſcitur gaudium, quantò non eſt, quod de teſtimonio diſputetur. . . . Quapropter fecitis ſanctè, fecitis religioſè, fecitis piè, quòd veritati teſtimonium impenditis, quòd præmium benè meritis non negatis.* Data eſt Epiſtola VII. *Kal. Aprilis.* Illo ipſo die literis & Epiphanium adiit, quem laudat, quòd ad *Sacerdotium dignè pervenerit.* Sibi gratum & fuiſſe teſtatur, quòd miſſâ legatione ipſius promotio ſibi nunciata fuerit. Suâ verò manu hæc addit: *Suſcepimus calicem aureum, patenam argenteam, & alium calicem argenteum, & vela duo, miniſterio Baſilicæ B. Petri Apoſtoli profutura, à caritate tua directa.*

Hormiſd. Ep. 76.

Judicium de phraſi Orientalium differt Hormiſda.

III. Quos Epiphanius Romam Legatos miſerat, illi diutius ab Hormiſda detinebantur. Pedibus manibuſque conabantur, ut læta pax ubique locorum adeſſet, quod impetrari non poterat, ſi Præſulum, pietate fideque de Eccleſia benè meritorum nomina Diptychis hac una de cauſa delerentur, quòd cum Acacio communionis Eccleſiaſticæ vinculo jungerentur. Concordiam quoque turbabat damnatio ſententiæ hujus, *quòd unus de Trinitate in carne paſſus fuerat.* Cùm moras nectens Hormiſda, judicium interponere ſuum cunctaretur, Juſtinianus ad eum ſcribit, petens, ut Legatos rebus benè geſtis redire quàm primum curet: ſe pro virili ea feciſſe, quæ ad promovendam religionem conducerent:

Anno Dom. 521.

Lab. Conc. t. 4. 1548.

acerent: *Sed ignoramus, inquit, qua diſſenſione proveniat, ut nomina ſuſpirentur habeantur ea, qua videntur eſſe leviſſima. Salutantes ergo veſtram reverentiam, petimus, ut nulla præbeatur occaſio, qua de tua quiſquam poſſit ambigere voluntate.*

Hormiſda petit a Juſtino, ut ſeveritatem adhibeat in Orientales.

IV. Non mentis erat ejuſmodi Papa Romanus, ut clementiam erga eos adhiberet, qui cum Acacii ſucceſſoribus conjuncti fuerant. Anno elapſo ſcripſerat ad Hormiſdam Imperator: *Priora veſtra Sedis Conſtituta ſequimur, qui non omnes memorias mortuorum judicas contemnendas, ut indignum habeatur, & incongruum, ſi non placidius omnibus non ſolum defunctis, ſed etiam ſuperſtitibus veſtra divulgetur in omni ſine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitaveramus ita gratioſum vobis futurum, ut pacifica ſtatim reſponſo lætior mundus redderetur.* Quæ pridie Kal. Decembris Pontificis in manus Epiſtola pervenerat.

Lab. Conc. t. 4. 1542.

Præſentis anni vigeſimus ſextus Martii labebatur, cùm Epiſtolam Juſtino ſuam Hormiſda direxit. In ea quidem multis Imperatorem laudibus afficit: *Salve, Ezechias præſentis ætatis. Nam etſi fuerunt ante eum Reges Juda, boni qui fuerunt, nullus tamen eorum diſſipavit excelſa. Tu quoque ſchiſmatum & ſuperbia diſſipator, & cultus veteris reſtitutor, præſume tibi ſimilitudine illius annorum augenda curricula, qui operum ejus imitaris exempla.* Petitioni tamen Auguſtæ non reſpondit, quam potius eludit. Imò Juſtinum accendit, ut potentiam adhibeat ſuam iis coercendis, qui fautorum Acacii nomina expuncta nollent: *Durum eſt, ut efficacior ſit eorum pertinacia, qui dividunt pacem, quàm qui afferunt unitatem. . . . An non æquum eſt, ut religioſi Principis ſubdantur imperio, qui non moventur exemplo? Fortè inter iniqua locus eſſe poteſt unitati: malè, ſicut notum eſt, per acceſſus præcedentium temporum, errorum augmenta creverunt.* Tandem ſeſe ita comparaſſe innuit, ut miſericordiæ aliquid exhiberet:

Hormiſd. Ep. 78.

Quanquam his urgemur anguſtiis, tamen propter manſuetudinis tua conſiderationem, & venerabilium Legatorum Joannis Epiſcopi, Heracliani Preſbyteri & Conſtantini Diaconi allegatio nos non inhumana permovit, qui innocentibus, aut ignaris cauſa remedia credidit eſſe poſcenda, ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Epiphanium ſcripta tranſmiſimus, ut memor fidei, memor religionis, quos dignos ſuſceptione eſſe crediderit, & alienos à communione, quam reſpuimus, ſicut aſſeritur, innocentes eos ad ſocietatem ſua communionis admittat. Libelli tamen, qui à nobis interpoſitus eſt, tenore ſervato. Data VII. Kal. April. Poſtulat rerum ſeries atque ordo, ut quid Epiphanio fuerit ſcriptum, uno tenore exponamus:

Hormiſd. Ep. 80.

Habet & Eccleſiarum ordo regularum, & ipſius forma juſtitia, ut medicina rationabilis benignè & fideliter ſperantibus non negetur. Nec quiſquam ita eſt ab humanitate diſcretus, quem non à rigore diſcretionis inclinet incauta ſimplicitas. Sed ut cautè hoc citra querelam, aut erroris alicujus nævum valeat expediri, dilectiſſime frater, perſonam meam & in hoc oportet inducere, ſcientem & in hujuſmodi cauſis, ſicut prædictum eſt, quid faciendum ſit, quid cavendum: ita omnia providenda, ut non ambigas rationem diſpenſationis hujus Deo eſſe reddendam: ita tamen, ut eos, qui fuerint vobis communione ſociati, vel per eos Sedi Apoſtolicæ veſtra nobis ſcripta declarent, quibus etiam continentia librorum, quos obtulerint, inſeratur: Sic enim & Severi, vel complicum ejus, vel ſimilium abſolvemus errores, nec eorum, qui ſanari potuerint, diſpendia patiemur. Objectis hiſce nebulis, non ſatis exploratum habemus, iſne contigerit, quem de Epiſcopis, qui cum Acacio communicaverant, exitum optaverat Imperator, ut eorum ſcilicet, qui Orthodoxi fuerant, nomina in Diptychis retinerentur. Illo ipſo die, quo ad Epiphanium Hormiſda ſcripſit, gravem ſanè de Trinitatis, & Incarnationis myſterio direxit Epiſtolam, datam VII. Kal. April.

Anno Dom. 521.

Paulus Epiſcopatu Antiocheno abit Cur? Euphraſius ei ſuccedit.

V. Stylum ad res Antiochiæ delabi noſtrum nunc permittamus. Paulus, qui ejecto Severo ſucceſſerat, exoſam pene vitam ſuo in Epiſcopatu degebat. Scelerum Præſule indignorum accuſabatur, quod regiis Juſtini verbis exponere non erit injucundum: Paulus *Sacerdotio prædictus Antiochenæ civitatis, ita verſatus eſſe dicitur in multis cauſis, qua religioſis aliena ſunt Epiſcopis, ut Clericorum ſuorum proditione, habitatorum etiam dicta civitatis, aliorum inſuper frequentium incuſaretur, non tantùm Legatis veſtra Sanctitudinis in hac regia poſitis urbe, verùm poſt eorum receſſum.* Hæc Juſtinus nunciat Hormiſdæ, Kalendis Majis. Eò res proceſſit, ut *multis ipſius urbis habitatoribus, ſicut dixerunt aliqui, à Catholica ſeſe ſeparantibus, & aſſiduas interpellationes tranquilliſſimo & fideliſſimo Principi ingerentibus,* de accuſationibus inquiſitionem fieri poſtularent. Pondere ergo conſcientiæ oppreſſus Paulus, diſceſſionem ab Epiſcopatu petit. Qua de re verba ſunt Epiphanii: *Amabilis Deo Paulus prodeſſe ſibi hoc exiſtimans, per Libellos proprios deſignata civitatis deſertionem & Epiſcopatus elegit, & univerſalem quietem, & à cauſis alienationem ſe præferre monſtravit.* Quod tam à Juſtino, quàm ab Epiphanio eſt Hormiſdæ ſignificatum.

Lab. Conc. t. 4. 1598.

Diſcedenti ſucceſſor datus Euphraſius, de civitate Hieroſolymitana Clericus, ut nos Evagrius monuit:

Evagr. l. 4. c. 4.

Paulus quidem cùm ſuâ ſponte Antiochiâ diſceſſiſſet, tandem peracto vitæ ſuæ curſu, fatali morte interiit. Euphraſius verò poſt illum ex urbe Hieroſolymitana veniens, Epiſcopatum obtinuit.

Quandonam Dioſcoro Timotheus Alexandrinus ſuffectus eſt?

VI. Antiochiâ profecti Alexandriam petamus. Dioſcoro Juniori ſucceſſiſſe Timotheum, omnibus eſt in confeſſo. Quo verò tempore Timotheo deceſſorit Dioſcorus, jacet in obſcuro. Si qua fides Evagrio, jam ſedebat Timotheus, dum Severus Antiochenam Eccleſiam adhùc adminiſtrabat: Severi, inquit,

Evagr. l. 4. c. 4.

Epiſtola ſuſcepta ſunt dumtaxat à Joanne, qui priori Joanni ſucceſſerat, & à Dioſcoro, ac Timotheo, & ad noſtram uſque ætatem ſervata ſunt. Quibus non Conſtantinopolitanum quidem, ſed Alexandrinum Timotheum pingi, luce clarius eſt. Hinc conficitur, Timotheum Eccleſiæ Alexandrinæ præfectum prius fuiſſe, quàm anno DXVIII. Severus fugâ ſibi conſuleret. Ut ergo Severi communicatorias Timotheus Epiſtolas ſuſciperet, eo quidem tempore Pontificatum adire debuit, quo Severus dignitatem etiamnum ſuam retinebat. Itaque non eſt accurata Baronii Chronologia, qui Timotheum anno DXIX. Dioſcoro ſuffectum eſſe tradit. Victor verò Tunnenſis cum labente anno mortem Dioſcori copulat: *Valerio & Juſtiniano Coſſ. Alexandrina Eccleſia Dioſcoro Epiſcopo mortuo Timotheus ſuccedit.* Placet nobis Evagrii Chronologia, quam & Liberatus aſtruit: ut prius ſederit Timotheus, quàm relictâ Antiochiâ Severus Alexandriam migraret habitatum, anno DXVIII. Cæterùm anno labente, ut conjectura eſt, turbæ in Alexandrina civitate à Severo, Juliano-

Anno Dom. 521.

Liberat. cap. 19.

que moventur, dum de qualitatibus corporis Chriſti diſſident: *Sub iſto Timotheo de corruptibili & incorruptibili apud ipſam Eccleſiam mota eſt, hoc modo. Requiſivit quidam Monachus Severum, quid oporteret dicere, corpus Domini noſtri J. C. corruptibile an incorruptibile? Ille reſpondit ei, Sanctos Patres illud corruptibile dixiſſe. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cùm requiſiſſent Julianum in alio loco ſedentem, quid & ipſe diceret de eadem quæſtione? Ille dixit, Sanctos Patres contraria dicere. Horum itaque ſinguli ſtatuere reſponſum proprium volentes, ſcripſerunt libros adverſus alterutrum. Qui venientes in multitudinem civitatis, Eccleſiam illam diviſerunt. Et alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari, verum incorruptibilitatis aſſertores, Phantaſiaſtas. Timotheus verò magis ſententiam Severi ſecutus eſt. Cui cum diceret Themiſtius Diaconus ejus, ſi corpus Chriſti corruptibile eſt, debemus eum dicere aliqua ignoraſſe, ſicut de Lazaro. Hoc Timotheus negavit dicendum. A cujus communione Themiſtius deſciſcens, ſchiſma fecit. Et ab ipſo dicti ſunt in Ægypto Themiſtiani.* Miſerum Eccleſiæ hujus ſtatum! cujus viſcera cruentis complurium manibus lacerabantur:

Sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Nùm Aſterius Epiſcopus Alexandrinorum. Acta Arethæ ſubdita.

Bar. Ann. 521. c. 40.

Bar. Ann. 521. n. 66.

VII. Sedente impio Timotheo Juſtinus, ſi Baronio creditur, non ita ſibi committendum putat, ut florentem Eccleſiam eſurienti lupo vaſtandam permitteret: *Hoc*, inquit, *anno juſſu Juſtini imperatoris datus eſt Catholicis Alexandrinæ Eccleſiæ Catholicus Antiſtes, Aſterius nomine.* Id autem, probat ex Arethæ Martyria Actis, quorum ſumma hæc eſt. Rex Homeritarum *Dunaan*, Hebræus Apoſtata, Chriſtianis erat infenſus. Urbs *Nagran*, quæ in ipſius ditione fuit, fidem ætate Conſtantini Magni ſuſceperat. Quam dolo expugnatam miſeris modis vaſtat: Chriſtianorum ſanguinem fundit. Præcipuè Arethas nobili certamine ea naturæ humanæ finibus exterminatur. Neque tot innocentium victimarum cruore ſatiabatur Rex impius. Scripſit etiam Perſarum Principi & Alamundaro, ut ſubditos ſibi Chriſtianos ſimili modo perditum irent. Quod cùm Juſtini veniſſet in notitiam, *ille ſine mora ſcripſit ad Aſterium, Alexandriæ Epiſcopum, ut incitaret Regem Æthiopum ad movendum arma adverſus Homeritas.* Ex ea Baronius officina Aſterium Alexandriæ Præſulem fabricavit. Ac Garnerius in ſua de v. Synodo Diſſertatione *Aſterium* Timothei cognomen eſſe putat, quem *Timotheum Aſterium* vocat. Neminem tamen invenimus Veterum, qui eo Timotheum cognomento affecerit, & in Arethæ Actis Aſterius non cognomen, ſed nomen potius hominis eſſe videtur. Itaque nos Acta Arethæ, cum Aſterio Alexandrino Antiſtite ad Græculorum fabulas relegamus. Quæ malùm incuria fuiſſet Scriptorum, qui Alexandrinorum Antiſtitum Catalogum texuerunt, Epiſcopum prætermittere Orthodoxum, dum ne vel Hæreticos tradunt oblivioni? Nullum autem nobis obtrudunt *Aſterium* Catholicis Præfectum; ſedente Timotheo. Ac Chronicum Nicephori *intercîſum* eſſe contendit Baronius, ſuum ut Aſterium tueatur. Quid verò Liberato reſpondebit, Alexandrinorum Præſulum, qui imperantibus Zenone, Anaſtaſio, Juſtino, Juſtiniano floruerunt, res accuratè ſatis narranti, cui tamen ignotus Aſterius ille. Alexandrinorum Epiſcoporum Indiculum extat apud Leontium, qui Timothei ſeculo vixit. De Aſterio verò ne verbum quidem habet: Petro Mongo *ſucceſſit Athanaſius, qui ſcripto unioni ſuſcepto, Anathemati Synodum ſubjiciebat, poſt Athanaſium Joannes fit Epiſcopus, & rurſus Joannes alter, inde Dioſcorus, & tandem Timotheus.* Nùm etiam mutilus Leontii Indiculus, qui de Aſterio ſilet? Alio quoque argumento Arethæ Acta veris pellimus. Narrant, *Dunaam* Homeritarum Regem ſcripſiſſe Alamundaro, ut ſuæ ditionis Chriſtianos opprimeret. Atqui prius quàm Juſtinus rerum potiretur, Anaſtaſio imperante Alamundarus Chriſti Religionem ſuſceperat, teſte Theodoro Lectore. *Severus*, qui Antiochenam adminiſtrabat Eccleſiam, duos Alamundaro miſerat Epiſcopos, qui erroris labe eum inficerent. Sed jam à patronis Synodi Chalcedonenſis Alamundarus baptiſmum erat conſecutus. Eſt autem prorſus ridiculum & impoſſibile, Dunaam Alamundaro & Chriſtiano, & Orthodoxo literas dediſſe, ut Chriſtianos perditum iret. Denique in ſexti ſeculi Scriptoribus nullum eſt narrationis, quam Arethæ Acta exhibent, omninò veſtigium, licet ſcriptione magnoperè dignæ. In Nonnoſi Hiſtoria apud Photium Cod. 3. mentio eſt & Arethæ, cujus nepos *Kaiſus* Præfectus erat Saracenorum, & *Abraams* ad Alamundarum Oratoris. At nec ille Martyr, nec hic Presbyter vocatur.

Leont. de Sect. Act. 5.

Theodor. l. 2. 561.

Fulgentii de Fide liber.

VIII. Sub ea tempora Fulgentius librum de Fide ad Petrum confecit. Fulgentio direxerat Epiſtolam Petrus Diaconus, ut de vera pietate inſtrueretur. Cui reſpondit optimus ille Præſul: *Epiſtolam, fili Petre, tuæ charitatis accepi, in qua te ſignificaſti, velle Hieroſolymam pergere, & poſtulaſti te literis noſtris inſtrui, quam debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere, ut nullus tibi poſſit ſenſus hæretica ſubrepere falſitatis.* Conſilium Petri maximè probavit Fulgentius, quia fides bonorum eſt omnium fundamentum. Conſtat liber capitibus XLV. quorum XL. veræ fidei regulam ſtatuunt, de qua hæc ſancit: *Hæc interim XL. Capitula ad regulam veræ fidei firmiſſimè pertinentia, fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende.* Dignus per plura ſecula liber ille viſus eſt, qui B. Auguſtino aſcriberetur. Illud tamen Fulgentii in articulis durum, quòd infantes, qui baptiſmi expertes ad fata veniunt, ſupplicio æterno addixerit: *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, parvulos, qui ſine Sacramento Sancti baptiſmi, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc ſeculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.*

Fulg. de Fid. ad Petr. c. 44.

Fulg. de Fide, c. 27.

Fulgentius à Thraſimundo acerſitur. Ipſius objectiones ſolvit.

IX. Labente fortè anno *Fulgentius* à *Thraſimundo* Carthaginem Sardiniâ accerſitur. Specie decipiendi vulgi Rex cupidinem oſtendebat noſcendæ religionis: *Proponebat multarum ineptarum tendicula quæſtionum: & quis ei reſpondere voluiſſet, aut deſpiciebat, aut repellebat, imò quaſi patienter audiens, ſatis ſibi non poſſe fieri jactabat.* Requirenti diutius nunciatur, inter exules Epiſcopos Fulgentium eſſe, in quo cum virtutibus ſcientia de laude certabat. Protinùs Rex ex Miniſtris unum mittit, qui Fulgentium adduceret: nec mora, Carthaginem ſubinde pervenit: *Ibi in hoſpitiolo proprio venientes ad ſe Catholicos Orthodoxos diligenter docere cœpit. Alios jam rebaptizatos errorem ſuum plangere docebat, & reconciliabat: alios autem, ne ſuas animas pro terrenis commodis perderent admonebat.* Dum his incum-

ANNO DOM. 521.

incumbit, objectiones decem ſolvendas ei mittit Thraſimundus, *reſponſionem ſibi flagitans reddi.* Fulgentius mandato obſecutus, eam petenti dirigit, qui quidem *laudat ſapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem*, veri tamen notitiam haud aſſequitur. Ne verò fingeretur, aut noluiſſe Fulgentium, aut non potuiſſe regiis quæſtionibus ſatisfacere, libros tres ad Thraſimundum condit. Quibus os diſputanti Principi adeò compreſſum eſt, ut interrogationes quidem omnes omiſerit. Unus ex Antiſtitibus ejus, nomine *Pinta*, *quaſi reſpondere conatus*, *tacere potius noluit, quàm reſpondere aliquid potuit.* Pintæ ſcriptum illicò Fulgentius confutavit: *De Spiritu Sancto interroganti Presbytero Abragila* oſtendit, Spiritum cum Patre, Filioque Deum eſſe. Cupienti Thraſimundo diutius Fulgentium Carthagini retinere, obſiſtunt Ariani, ſuggerentes adeò doctrinâ ſuâ illum valere, ut vel de *regiis Sacerdotibus jam aliquos reconciliaſſet.* Itaque cùm novum Fulgentio exilium Thraſimundus imperaſſet, *intempeſtâ nocte* ad navim, populo ignorante perducitur: *Sed reſiſtentibus ventis, ſuper littus tantas paſſus eſt moras, ut per dies plurimos omnis penè illuc civitas conveniret, & de manu ejus vale faciens, communicaret: Juliateo* autem, viro pio, diſceſſum ipſius acerbius lugenti, clam dixit, *Flere noli, citò revertemur ad vos.* Favente tandem aëris tranquillitate, relatus in Sardiniam exulibus Coëpiſcopis lætitiam reddidit.

Fulg. Vit. c. 21. &c.

ANNO DOM. 522.

ANNO U. C. 1275. PER. JUL. 5235. JUL. 567. DOM. 522. JUSTINI 5. THEODORIC. 30. *Sol.* 27. B. *Lun.* 10. *Indict.* 15. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *April.*

COSS. *Symmachus & Boëthius.*

Boëthius Symmachi Collega: quis?

I. SUnt eruditi, qui Symmachi Collegam Boëthium, celeberrimi Boëthii, cui jubente Theodorico vita erepta eſt, filium fuiſſe putent. Cur ſic cenſeant, argumentum inveniunt in verbis Boëthii libro 2. de Conſolatione Philoſophiæ, cap. 4. *Quid dicam liberos Conſulares, quorum jam ut in id ætatis pueris, vel paternis vel aviti ſpecimen elucet ingenii?* Hinc clariſſ. Du Pin ſcriptum in Nova ſua Bibliotheca: *Boëce eut la joye de voir ſes deux enfans élevez à cette dignité, en l'année* DXXII. Eſt tamen incredibile, *pueris* ampliſſimam dignitatem eſſe contributam. Neque gemini Boëthii annum DXXII. reſerarunt Unus Boëthius Collegâ Symmacho Conſul proceſſit. Boëthium igitur illum eſſe exiſtimamus; qui Symmacho gener erat. Liberi verò Boëthii *Conſulares* appellantur, quia parente Conſule procreati fuerant.

Tſathius Lazorum Princeps fit Chriſtianus.

II. Gratiſſimo ſpectaculo regia urbs in lætitiam conjicitur. *Tſathius Zamnaxi* Lazorum Regis filius, defuncto genitore illicò Conſtantinopolim proficiſcitur, Juſtinum rogaturus, ut Chriſtianum factum ſe Regem renunciaret; ne à *Cavade* Perſarum Principe, cui parebat, inauguratus; more gentis ſacrificia perpetrare cogeretur. Receptus à Juſtino *Tſathius*, ſacro fonte luſtratus, Valeriam duxit uxorem, *Onini* Patricii, & Curopalatæ filiam. Lazorum Rex à Juſtino creatus, geſtavit diadema Romanum, chlamydem albam, holoſericam, pallamque auream, imagine Imperatoris inſignitam, ſonamque margaritis diſtinctam, ſoccoſque more Perſico gemmis ornatos. Multiſque muneribus onuſtus, in regnum cum uxore ſuum reverſus eſt. Græcorum ſecutus Baronius corruptum à Miſcellanea Lazorum Regi nomen impoſuit, quem *Zatum* vocat, qui Zonaræ, quem legere potuit, Τζάθιος, & à Chronico Alexandrino Τζάθιος, non Ζάτος nuncupatur. Porrò *Lazi* Iberorum Caſpias Portas incolentium vicini populi ſunt, quibus Tſathius præerat. Religionis rudes lucos & ſylvas pro Diis habebant. Eos ad pietatem Juſtinianus traduxit, miſſis viris ſacris, qui Barbaros religione imbuerent: *Extructâque præclarâ æde Deiparæ, & Sacerdotibus in ea collocatis à vita plane barbarica ad mores Chriſtianorum convertit.*

ANNO DOM. 522.

Zon. l. 15. cap. 100.

Cavades Hunnos ſibi jungit: pacem cum Juſtino firmat.

III. Cavades Tſathii de inauguratione certior factus, Juſtino hæc nunciat: Tu amicitiâ & pace inter nos factâ, hoſtilia tamen moliris: *En Lazorum Regem mihi ſubditum inaugurasti, cùm ſub Romanorum Rege fuerit nunquam, ſemper autem ſub Perſarum.* Ad hæc Juſtinus reſpondet, ſe ſubditorum ipſius neminem ad defectionem impuliſſe; aut *Tſathium* hortatum, ut ſuâ manu diadema acciperet. Indecorum tamen fuiſſe, Principem numinum ſuperſtitionem, impiaque ſacra ejurantem impediri: Chriſtianis ſacris purgatum in ſuam regionem eſſe remiſſum. Hinc Romanos inter & Perſas odium recruduit: quo percitus Cavades, Hunnorum Regem, nomine *Zilgim*, ſive *Zeliobem* impulit, ut Romanis bellum inferret. Perſis itaque cum viginti mille militibus venit auxilio. Quod ubi Juſtinus audiit, triſtitiæ ſe tradit, ob perfida Hunni verba, quem miſſis muneribus, iſtoque fœdere prior ſibi conciliarat. Amandatis igitur Legatis Hunnicam Cavadæ proditionem ſignificat, Zeliobem acceptâ à Romanis pecuniâ de prodendis Perſis datâ occaſione cogitare: ac pollicitum dato ſigno, ſe Romanorum ad partes protinùs acceſſurum. Tutius eſſe atque decentius, ut redintegratâ potius priore amicitiâ, à communi proditore ſibi non illudi patiantur. Tum Cavades Hunnum percontatus, num ad bellum in Perſas gerendum à Romanis invitatus, munera accepiſſet, non inficias quidem euntem occidit: immiſſiſque per noctem ſuorum copiis, multos de *Zeliobis* exercitu peremit, cæteris fugâ ſibi conſulentibus. Quo facto Cavades miſſo *Brio* Legato, fœdus cum Juſtino renovat. Hæc Chronicum habet Alexandrinum ad Conſulatum Symmachi atque Boëthii. Sic Juſtinus prudentiâ ſuâ imminentem belli crudeliſſimi procellam diſſipavit.

Vandali à Cabaone delentur.

IV. Oriente relicto, nobis eſt in Africam migrandum. Thraſimundus, qui Chriſto bellum indixerat, ſeras quidem, ſed debitas tamen, juſtaſque perſecutionis ſuæ pœnas pendere cœpit. Tripolitanum Præfectum, nomine *Cabaon*, belli peritum, animoque vafrum Rex Vandalorum bello petebat. Quod ubi Cabaon intellexit, ſubditos jubet ſuos, ab omni injuria cibis lautioribus, mulierumque uſu abſtinere. Tum gemino vallo conſtituto in altero ſe cum exercitu ſuo, in altero mulieres concluſit omnes, pœnâ mortis propoſitâ, ſi quis ad eas accederet. Poſt hæc certos miſit exploratores, cum mandatis, ſi Chriſtianorum Templum Vandali aliquod profanaverint, contrarium prorſus agant: ac ubi ſtatim diſceſſerint, illud ſuis ſordibus purgent. Etenim, inquit, ſi quem Chriſtiani Deum colunt, *bonus eſt, par eſt, ut iniquos, ac ei contumeliam inferentes plectat, famulantibus verò præſto ſit.* Exploratores humili habitu, & ſpecie Vandali-

ANNO DOM. 522.

dalicum, qui Tripolim petebat, exercitum ſecuti, vident multa indigna ab eo patrari. Quippe milites cum equis ſuis Chriſtianorum in Templis ſeſe collocant, Sacerdotes, Æditüoſque colaphis percuſſos, vilium ſervorum more ſibi miniſtrare cogunt. Tum ubi diſceſſere, Cabaonis exploratores Templa purgant, relicta ſtercora egerunt, odores incendunt, Sacerdotibus honorem exhibent, pauperibus, qui juxta Templa mendici ſedebant, pecuniam largiuntur. His quaſi machinis Cabaon protenit hoſtes. Etenim exercitu Vandalorum in occurſum ducto camelos pro munimento circa vallum conſtituit, cum fortiſſimis quibuſque militibus, qui ſcutis armabantur. In medio exercitus imbellem puerorum & mulierum turbam cum theſauris collocat. Vandalis nulli pedites erant, tela nulla: haſtis duntaxat & gladiis armabantur, quibus cominùs adverſariis nocere non poterant: neque equi camelorum aſpectu territi, progredi audebant. Itaque obruti telorum nimbo Vandali, pluribus ſuorum amiſſis, cum dedecore recedunt. Quam Thraſimundus cladem accepit non multo ante obitum ſuum, qui anno proximè futuro contigit.

Procop. de Bell. Vand. l. 1. c. 8. Evagr. l. 4. c. 15.

Sigiſmundus Segericum filium occidit.

V. Triſtiſſimus ille caſus, in quem ſuâ credulitate incidit Burgundionum Rex, bonus cætera Princeps, de ſe ſilentium agi non patitur. Amiſſâ priore conjuge, Theodorico Italiæ Rege natâ, ex qua filium *Segericum* ſuſceperat, alteram duxerat, quæ novercarum more, genitoris in filium odia ſuſcitabat. Die ſolemni cùm defunctæ veſtibus noverca tegeretur, temperare juvenis non potuit, quin exclamaret: *Non eras digna, ut hæc indumenta tua terga contingerent, quæ domina tuæ, id eſt, matris meæ fuiſſe noſcuntur.* Illa furore accenſa, Segericum perduellionis apud Sigiſmundum accuſat, ut paterni regni cupidum, qui illatâ genitori morte ad coronam aſcenderet, ac junctis & Sigiſmundi, & Theodorici regnis ditionem ſuam amplificaret. His incitatus, grande ſcelus molitur, quo natura ipſa caringuebatur: *Sopitum vino dormire poſt meridiem filium jubet: cui dormienti orarium ſub collo poſitum, ac ſub mente ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris, ſuffocatus eſt.* Paternum animum ſubiit ſera pœnitentia. Cadaver amplexans exanime lachrymis rigat: ad quem ſenex dixiſſe fertur: *Te plange modò, qui per conſilium nequam factus es parricida ſæviſſimus: nam hunc, qui innocens jugulatus eſt, neceſſarium non eſt plangi:*

Metam. l. 2. fab. 9.

Pœnitet heu ſerò pœna crudelis amantem,
Seque quod audierit, quod ſic exarſerit, odit.

Profectus ad Sanctos Agaunenſes per multos dies in fletu & jejuniis vitam ducens, *veniam precabatur, pſallentium ibi aſſiduum inſtituens. Lugduno regreſſus eſt, ultione divinâ eum proſequente. Hujus filiam Rex Theodoricus accepit.* Segerici mortem labenti anno affigendam, Marii Chronico docemur: *Symmacho & Boëthio Coſſ. Segericus filius Sigiſmundi Regis, juſſu patris ſui injuſte occiſus eſt.* Hinc apparet, abſonam extra modum eſſe Baronii Chronologiam, qui lamentabilem Segerici caſum in annum DXXVI. retulit, triennio Sigiſmundi poſt obitum. Periit enim Sigiſmundus Conſule Maximo, Indictione primâ, qui Dom. annus eſt DXXIII. Neque etiam admittenda Baronii Chronologia, exiſtimantis, Acaunenſe Monaſterium anno DXXVI. à Sigiſmundo extructum eſſe, quod utique anno DXV. Florentio & Anthemio Coſſ. conditum fuiſſe, à Mario Aventicenſi audivimus.

Greg. Tur. Hiſt. l. 3. cap. 5.

Error Baronii.

Bar. An. 526. n. 45.

ANNO DOM. 522.

Quid Fulgentius iterum in Sardiniam relegatus, egerit?

VI. De rebus Eccleſiæ pauca nos annus ſuppeditat. Fulgentius in Sardiniam à Thraſimundo iterum amandatus, de Monaſterio ædificando cogitat, juxta Baſilicam Sancti Martyris Saturnini, impetratâ prius à *Brumaſio* Calaritanæ civitatis Antiſtite facultate. Neque ordinandis duntaxat lapidibus incumbebat, multas quoque dignas lectione Epiſtolas conficiebat; ad *Gallam* ſcilicet, ad *Theodorum* Senatorem, ad *Probam*, aliaque opuſcula ejuſmodi. Grandius tamen opus movit, occaſione datâ ex offenſione, quam compluribus meritò dederant libri Fauſti Reienſis, *quos contra Gratiam ſubdolo ſermone compoſuit, favens occultè Pelagianis.* Qui cùm nonnullis Catholicus videretur, *Conſtantinopoli offenſi à plurimis fratribus ad B. Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus ne occultum ſerperet virus, ſeptem libris ipſe reſpondit, plus laborans exponere, quam convincere.* Legatos agebant, *Joannes* Presbyter & Archimandrita, & *Venerius* Diaconus, qui magnum iter emenſi, Africanos, quos Fulgentius eminebat, Antiſtites, quaſi oraculum ſibi conſulendum putaverunt. Qui porrò anno labente inceptus eſt egregius ille tractatus, ſequente abſolvitur. Audiamus Fulgentii vitæ Auctorem: *Magnus planè hujus operis labor mercedem debitam citò ſuſcepit. Mox enim, ut eſt dictatio ipſius finita, protinus eſt longiſſima captivitatis catena diſrupta. Mortuo enim Thraſimundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Eccleſia Catholica per Africam conſtanter libertatem reſtituens, Carthaginenſi plebi proprium donavit Antiſtitem.*

Vit. Fulg. c. 28.

ANNO U. C. 1276. PER. JUL. 5236. JUL. 568. DOM. 523. JUSTINI 6. THEODORIC. 31. *Sol.* 28. A. *Lun.* 11. *Indict.* 1. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

ANNO DOM. 523.

COS. *Maximus.*

Scelerati ſupplicio affecti Conſtantinopoli. Pœna mortis in Manichæos ſtatuitur.

I. CONſtantinopoli in ſceleratis magnum gaudente populo exemplum conſtituitur, quod Marcellinus in Chronicum retulit ſuum: *Plerique lapidatorum, percuſſorum, urbiſque depopulatorum ſua ob ſcelera deprehenſi, ferro, igni, ſuſpendioque expenſi ſunt, gratum bonis civibus ſpectaculum exhibentes.* Mortis quoque pœnas Manichæis Juſtinus irrogari voluit, cæteri verò Hæretici, Arianis duntaxat exceptis, publicis muneribus prohibentur: *Manichæi undique expelluntur, & capite plectuntur. Reliqui autem Hæretici (Hæreticus eſt omnis non Orthodoxus) & Græci, ſeu Pagani, & Judæi, & Samaritæ prohibentur Magiſtratum gerere, & dignitatem habere, aut jus dicere, aut defenſores, aut Patres civitatum fieri, ne habeant licentiam, vexare aut judicare Chriſtianos aut Epiſcopos; item militare quoque prohibentur, præterquam ſi ex genere Cohortalinorum ſunt. Hi enim manent, onera quidem ſuſtinentes, non offendentes autem, neque in Orthodoxos quid exequentes in publicis vel privatis cauſis. Qui autem tentaverit quid horum facere, præterquam quod factum pro infecto erit, dabit etiam viginti libras, & qui publicis ipſos deſcriptionibus inſerere conati fuerint, etiam viginti; & Præſides quinquaginta, & omnes hæ privatis rebus inferuntur. Excipiuntur Gothi, qui ſunt fœderati, & aliter prout viſum Imperatori fuerit honorantur.*

Marcellin.

Cod. l. 1. tit. 5. l. 12.

ANNO DOM. 523.

Manichæi in Perſide vexati. Cur?

Zonar. l. 14. p. 60.

II. Ad perniciem Manichæorum annus fatalis fuit, cùm non minus in Perſico, quàm in Romano Imperio extinguerentur. Paucis eorum caſus Zonaras exequitur: *Cavades Manichaos ſua ditionis omnes occidit, eorumque Epiſcopum & libros combuſſit, quòd unum ex filiis ſuis in deteſtandam illam hæreſim pellexiſſent.* Miſerorum cladem fuſiore ſtylo Miſcellanea proſequitur. Ipſorum Epiſcopus, nomine *Indagarus*, cum multis ſectæ ſuæ millibus uno die ea de cauſa perimitur. Cavadi filius erat, qui *Phatuarſau* vocabatur. Quem cùm à puero inſtituiſſent, regnum ipſi pollicebantur, fratri à patre deſtinatum: *Poſſumus*, inquiunt, *per orationes noſtras ſuadere patri tuo, abrenunciare Imperio, & te promovere, ut ubique confirmes dogmata Manichaorum.* Ab ambitioſo juvene quod cupiebant, quàm facillimè impetrant: eâ ergo lege Manichæorum diſciplinam amplexurum ſe pollicetur, modò regnum deſideranti concilient. Pactum ubi novit Cavades, Conventum fieri jubet, ſpecie *Phatuarſau* creandi Regem. Præcipit & Manichæis, ut unà cum Epiſcopo ſuo *Indagaro*, mulieribus atque liberis adeſſent Conventui. Similiter & *Principem Magorum Glonazem, & Chriſtianorum Epiſcopum Boazanem*, ob medicinæ peritiam Cavadi dilectiſſimum. Tum Manichæos Cavades allocutus, filium ſuum Phatuarſan, utpote ipſis conſectaneum, libenter ſe traditurum pollicetur: à turba igitur ſegregent ſe, ad eum recipiendum. Cui præcepto læti cùm obtemperaſſent, Rex vocato ſatellite omnes ad unum interfecit.

Miſcellan. lib. 15.

Sigiſmundi triſtis obitus, Chlodomiro interfectori fatalis.

III. Illuſtres viros annus demiſit ſepulchro. Perpetrati ſceleris morſus maximum *Sigiſmundo* dolorem incuſſerat, ac ſi vera prædicat Gregorius, Agauno proſtratus, coram Legionis Thebeæ ſepulchris precabatur, *ut quacunque deliquerat, in hoc ei ſeculo divina ultio retribueret.* Neque vota Principis cecidere, cùm à Burgundionibus ſuis traditus Francorum Principibus, miſerè perierit. Lamentabilem Regis hujus caſum in Gregorio Turonenſi legimus. Superſtites quatuor filios Chlodovcus Rex ſibi reliquerat, Theodoricum, Chlodomerem, Childebertum, atque Chlotarium, quos Chrotildis, Chlodovei relicta, vindictæ indulgens ſuæ, ſic alloquitur: *Non me pœniteat, chariſſimi, vos dulciter nutriſſe: indignamini quaſo injuriam meam, & patris matriſque mea mortem ſagaci ſtudio vindicate.* Talibus dictis accenſus, cum ambitione filiorum Chrotildis furor Sigiſmundo, & Gundomaro fratribus bellum inferunt. Inclinatâ Burgundionum acie, Gondomarus terga vertit: *Sigiſmundus verò, dum ad ſaltus Agaunos fugere nititur, à Chlodomere captus, cum uxore & filiis captivus abducitur, atque intra terminum Aurelianenſis urbis in cuſtodia poſitus detinetur.* Godomarus reſumptis animis atque viribus regnum recuperat. Cui dum Chlodomirus concurrere ſtatuit, Sigiſmundum morti deſtinat. Talia cogitantem Avitus Nutiacenſis Abbas, vir magni tunc nominis, à neſario conſilio Regem avertere tentat, propoſitis ſimul & pœnis, & præmiis. Nempè ſi Sigiſmundo parcat, præclaram quidem de hoſtibus ſuis victoriam; ſecus, malè conſulto infelix exitium portendit. Optimi conſilii ſecurus Chlodomirus, non tutum ſibi fore ratus, ſi hoſtem à fronte habens, alterum à tergo relinqueret, è veſtigio Sigiſmundum cum uxore & filiis *apud Columnam Aurelianenſis urbis vicum*, interfectum, in puteum mitti præcipit. Quam tulit annus tragicam Sigiſmundi hiſtoriam, Baronius cum anno DXXVI. copulavit, non ſine magna labe Chronologiæ. Noſtram verò Marius ſtatuit Aventicenſis: *Maximo Conſule Sigiſmundus Rex Burgundionum, a Burgundionibus Francis traditus eſt, & in Francia in habitu monachali perductus, ibique cum uxore & filiis in puteo eſt projectus.* Miſerandum Sigiſmundi caſum multis Avitus lachrymis proſecutus eſt: *Sigiſmundum captum à Francis occiſum vehementiſſimè doluit.* Hæc Adonis Chronicum. Defuncti corpus jubente Chlodomire Acaunenſi Monaſterio illatum eſt, teſte Gregorio: *Captus ab Chlodomere Rege cum filiis, interfectuſque ejus juſſu ad eundem locum delatus, ſepultura mandatus eſt: quem in conſortium Sanctorum adſcitum, ipſa res, qua geritur manifeſtat. Nam ſi qui nunc Frigoritici in ejus honore Miſſas devotè celebrent, ejuſque pro requie Deo offerant oblationem, ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtina reſtaurantur.* De patratis à Sigiſmundo miraculis fides ſit penes Autorem. Defuncto frater Godomarus anno ſecuturo ſufficietur.

ANNO DOM. 523.

Error Baronii.

Gregor. Tur. Gl. 4. Mir. l. 1. c. 75.

De Thraſimundi mortis tempore.

IV. Qui in Galliis Sigiſmundo, in Africa quoque annus Thraſimundo funeſtus fuit. Teſtem damus Victorem Tununenſem: *Maximo V. C. Conſule Traſimundus Vandalorum Rex Carthagine moritur, cujus uxor Amalafrida fugiens ad Barbaros, congreſſione factâ Capſæ juxta Eremum capitur, & in cuſtodia moritur.* Quoto verò menſe perierit Thraſimundus, non adeò liquet. Victor Tununenſis, nec non Iſidorus Thraſimundum de regni ſui vigeſimo octavo menſes aliquot delibaſſe tradunt. Ad Conſulatum Anaſtaſii ſecundum, anno CCCCXXVII. geſtum hæc Victor habet: *Thraſimundus regnat annos XXVII. menſes IV.* Ea tamen Chronologia Bonifacii Carthaginenſis Epiſcopi Epiſtolâ potentiſſimè refellitur, imperante jam ſucceſſore Thraſimundi Hilderico ſcriptâ. Verba ſunt Bonifacii ad Juncenſis Synodi Epiſcopos: *Intimamus Reſurrectionis Dominica Sacramentum, ſeptimo Iduum Aprilium die adfuturum fore. . . . Data die XVII. Kal. Januarias anno primo*, regnantis ſcilicet Hilderici. Scripta igitur à Bonifacio Epiſtola decimo ſexto Decembris labentis anni, quia Paſcha indicatum anni eſt DXXIV. Aprilis ſeptimo celebratum jubente Cyclo Solis I. G. F. Lunæ XII. Quo tempore regnaſſet adhùc Thraſimundus, ſi menſes quatuor ultra XXVII. annum imperavit, quia Gundabundus, qui Thraſimundo deceſſit, anno CCCCXCVI. die Septembris XXIV. naturæ ſatisfecit. Ex fragmento Auguſtano M S. clariſſimus Noriſius Thraſimundo annos XXVI. menſes octo, dies quatuor vindicat, ut exceſſerit *die vigeſimo octavo Maii* labentis. Verùm graviſſimâ difficultate ea Chronologia premitur. Etenim Epiſtola Africanorum Epiſcoporum Synodica Joanni & Venerio miſſa, Hormiſdæ poſt obitum ſcripta eſt, uti liquidò conſtat ex capite XXVII. Auguſtini librorum *mentionem beata memoria Hormiſda, Sedis Apoſtolica glorioſus Antiſtes in Epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri, Conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno praconio Catholica laudis inſeruit.* Mors autem Hormiſdæ in Auguſtum menſem vulgò confertur. Jam verò ſi Thraſimundus, Maio menſe ad plures abiit, ſoluti fuiſſent exilio, cùm ſuam Hormiſdæ poſt obitum Epiſtolam confecere. Quip-

Lab. Conc. t. 4. 1645.

Nor. Hiſt. Pel. l. 2. c. 21.

pe defuncto Thraſimundo priuſquam regnaret, Hildericus exules Epiſcopos Sardinia revocavit. Exule manu tamen ad Joannem & Venerium Afrorum Epiſtola exarata eſt, teſte capite ſecundo: *Accepimus veſtræ caritatis Epiſtolam, quæ noſtrum ex parte relevavit, ex parte mæſtificavit exilium.* Unum eſt, quod dici fortè poſſet cum doctiſſimo Noriſio, Scytharum quidem Epiſtolam in exilio acceptam fuiſſe. Reſponſionem verò Præſulum adornatam, poſtquam liberati ſunt exilio. Nihilominus ſolutioni aqua hæret. Cur exilii ſui jam in Africam revocati meminiſſent? Cur ſaltem liberationem præteriiſſent ſuam, de qua ne verbum quidem in Epiſtola? Denique ſi à reverſis in Africam Epiſtola condita eſt, præteritum utique non perfectum, ſed imperfectum uſurpaſſent: dixiſſentque *mæſtificaverat exilium*, non *mæſtificavit*. Ex quibus intelligitur, prius Hormiſdæ, quàm Thraſimundi obitum Afris veniſſe in notitiam; proindeque diu poſt Majum Vandalorum Regem mortis ſolviſſe debitum. Itaque donec obſcurus Thraſimundi ſupremus dies magis innoteſcat, tutius illum in obſcuro relinquere exiſtimamus. Hildericus, quem ex Valentiniani filia *Eudoxia* Hunnericus Geiſerici natus ſuſceperat, Thraſimundo ſuccedit. Verùm non ut ſceptri, ſic & in Chriſtianos odii hæres fuit, quos ab exilio in Africam revocavit, ut mox declaraturi ibimus. Thraſimundi mortem anno DXXII. affigit Baronius, non ſine injuria Chronologiæ. Sic Afri exules anno ſuperiore ex Sardinia à Hilderico in patriam revocati. Sic Hormiſdæ Thraſimundoque non unus idemque annus fatalis fuit. Quos ſanè errores purgant & Victoris Tunnenſis Chronicum, & Bonifacii ad Juncenſes Epiſtola, cujus verba exhibuimus. Quibus & additur ipſius Bonifacii ad *Meſſorium* Epiſtola, *data VI. Idus Januarias, anno ſecundo*: regni videlicet Hilderici. Annus erat Dom. DXXV. ut ex Paſchate, quod Bonifacius notificat, certum exploratumque eſt: *Tempus ſanè Dominicæ Paſſionis, tertio Kal. Apriles die anniverſariâ ſolemnitate celebrandum, ſecundum priſcam conſuetudinem nunciamus.* Anno DXXV. Paſcha Martii XXX. alligabatur, quia Cyclus Solis currebat 3. D. Lun. 14. Quòd ſi Hildericus defuncto Thraſimundo ſucceſſit, anno Dom. DXXII. utique non *ſecundus*, ſed *tertius* Hilderici jam numerabatur, labente Januario anni DXXV.

Bar. An. 591. n. 9.

Lab. Conc. t. 4. 1631.

Lab. Conc. t. 4. 1592.

Mors Hormiſdæ & Acta.

V. Ex Thraſimundi funere ad illud Hormiſdæ procedamus, qui nono ſui Pontificatus anno lucem amiſit. Maximo quidem, non Symmacho Conſule Hormiſdam exceſſiſſe, docet manca mutilaque Inſcriptio, quam doctiſſimus exhibet Norſius:

Nor. Hiſt. Pel. l. 2. c. 21.

ſl. Maximo V. C. Con. conceſſum locum Pe . . .
Roma ex Trib. . . Volup. . . & conjugi
ejus Joan. Papa Hormiſda & Tra. . .
Præpſt. Baſ. Beati. Petri.

Octavo Idus Auguſti Hormiſdam ad fata veniſſe vulgò creditur. Vir fuit excelſi animi, qui quantum eniti potuit, Sedi ſuæ decus & lumen attulit. Eò felicitatis proceſſit, ut graviſſimum ſchiſma illud, quo Chriſtianus orbis concutiebatur, oppreſſum extinctumque viderit. Epiſtolis octoginta ad varios ſcriptis famam poſteris commendavit ſuam. Facta ipſius plurima celebrat Anaſtaſius: *Invenit Manichæos, quos etiam diſcuſſos cum examinatione plagarum exilio deportavit, quorum Codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremavit.* Multa à Juſtino Imperatore dona ad Hormiſdam miſſa memorat, quorum veſtigium non eſt ullum Hormiſdæ in Epiſtolis, quæ de muneribus duntaxat Epiphanii mentionem egere. Narrat & Anaſtaſius, quòd Petro Apoſtolo Theodoricus Rex obtulerit *cereoſtata argentea duo, penſantia libras XXX.* Ne verò dum ab aliis ornantur Eccleſiæ, Hormiſda nil ſymbolæ offerret, feciſſe dicitur *in Baſilica Conſtantiniana arcum argenteum ante altare, qui penſabat libras XX. Canthara argentea 16. penſantia ſingula libras XV. Item ad Paulum fecit arcus argenteos duos, penſantes ſingulos libras XX. Canthara argentea XV. penſantia ſingula libras XV. Amas argenteas tres, penſantes ſingulos libras X. Scyphos argenteos ſtationales ſex, cum ducibus, penſantes ſingulos libras VI.* Petri in Baſilica ſepultus eſt.

Hormiſdæ Joannes ſuccedit.

VI. Hormiſdam Joannes excepit, *natione Tuſcus, ex patre Conſtantio*, qui Pontificatum menſe Auguſto adiit. Quo die, non ſatis liquet. De Joanne Primo Holſtenius hæc habet apud Schelſtratum in diſſertatione ſecunda, cui titulus, Antiquitas Eccleſiæ: *Joannes I. cœpit die XII. Auguſti, ſedit annos II. menſes IX. dies VII. uſque ad diem obitus; uſque ad diem depoſitionis dies XVII.* Quæ Chronologia, Joannis initia quod attinet, non eſt accurata: cùm more, quem Romana tum temporis Eccleſia tenebat, Pontificum ordinationes die Dominicâ peragerentur. Dies verò Auguſti XII. ſeptimæ feriæ cohærebat, quia anni hujus litera Dominicalis erat A. Epacta Solaris VI. Rectius quidem cum Vaticano Codice Joannis conſecratio Idibus Auguſti affigeretur: Hormiſda *ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli VIII. Idus Auguſti Conſulatu Maximi, & ceſſavit Epiſcopatus dies VI.* Vulgati Codices habent, *dies VII.* quæ lectio in errore cubat, cùm Joannis conſecratio in ſecundam feriam incidiſſet. Admiſſâ verò MS. lectione, *dies ſex* Joannis ordinatio diei Dominicæ cohærebit. Quid labente Joannis Pontificatu memoratu dignum contigerit, ſuis temporibus dividetur.

Afrorum Epiſtola.

VII. Conſtantinopolitanis, quorum nomine Joannes Presbyter & Venerius Diaconus legationem apud Afros in Sardinia exules obierant, Epiſtolâ Synodicâ reſponſum eſt. Titulo contenta Præſulum nomina reperiuntur, Datianus, Fortunatus, Boëthius, Victor, Scholaſticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus deſiderator, Fulgentius. Conſtat capitibus XXXI. quibus quæſtiones ad Prædeſtinationem, Peccatum originis, liberum Arbitrium pertinentes, admodum piè explicantur. Verba capitis XXIV. obſervanda veniunt: *Quæſtionem animarum aut tacitam debemus relinquere, aut ſine contentione tractare, quia ſive ex propagine veniant, ſive novæ ſingulis corporibus fiant, quod Sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeſto pronuntiat, cum cautela debet inquiri: maximè quod ſine fidei detrimento poteſt à Fidelibus ignorari.*

Hildericus Epiſcopos revocat in Africam: lætus ipſorum reditus.

VIII. Thraſimundi funus Africanam Eccleſiam luce gaudioque complevit. Exortu quippe Hilderici illuminata, Antiſtites longo damnatos exilio ſuos recipit. Errori ſuo mordicùs adhærens Thraſimundus, omni quâ poterat ratione providerat, ne pietas reſtitueretur. Audiatur Victoris Chronicum: Hildericus *ſacramento*

ANNO DOM. 523.

mento à deceſſore ſuo Thraſimundo obſtrictus, ne Catholicis in regno ſuo aut Eccleſias aperiret, aut privilegia reſtitueret, priuſquam regnaret, ne ſacramenti terminos præteriret, præcepit & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, & Eccleſias aperire: & Bonifacium cum dogmatibus divinis ſatis ſtrenuum, ad poſtulationem totius urbis, Carthaginenſis Eccleſia Epiſcopum conſecravit. Bonifacii ordinandi munus Januario Maſculitanæ Provinciæ Antiſtiti injungitur, ut Miſſoris ad Bonifacium Epiſtolâ colligitur. Miram rerum converſionem, gementibus Aſiis fortè prorſus deſperatam! Verùm

Metam. l. 8. fab. 7.

> *Immenſa eſt, finemque potentia Cæli,*
> *Non habet: & quidquid Superi voluere, peractum eſt.*

Magni operis, quod in Gratiæ Divinæ defenſionem moliebatur Fulgentius, merces hæc fuit, ut patrono ſuo Chriſti favor illuceret: *Mox enim ut eſt dictatio ipſius finita, protinùs eſt longiſſima captivitatis catena diſrupta. Mors enim Thraſimundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Eccleſia Catholica per Africam conſtituta libertatem reſtituens, Carthaginenſi plebi proprium donavit Antiſtitem, cunctiſque in locis ordinationes Pontificum fieri, clementiſſimâ autoritate mandavit. Beatus itaque Fulgentius, poſtquam ſapienter expugnaſſet Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos.* Triumphi ſpeciem exhibuit gratiſſimus exulum Antiſtitum reditus. Diſpoſiti per littus populi reduces toto pectore expectabant, præcipuè *Fulgentium*, cujus imago ipſorum in mentibus inhærebat: *Sic univerſus populus expectabat ardenter, quem viderat in conſpectu ſuo pugnaſſe viriliter, ut aliis Epiſcopis ante ipſum deſcendentibus, ſilens multitudo ſuper littus ſtaret, oculis & mentibus inter omnes Epiſcopos B. Fulgentium, quem familiariter noverat, quærens, & eum à cunctis navibus expetens. Ubi verò facies ejus apparuit, immenſus naſcitur clamor, altercantibus omnibus, quis primus ſalutaret agnoſcendum, quis caput benedicenti ſupponeret, quis extremis vel ſaltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul ſtantem. Reſonabat enim divina laus ex omnibus linguis. Ad ſancti quippe Agilei Baſilicam ſequens populus, & præcedens Confeſſorum beatorum triumphum nobilem celebrabat.* Dum Eccleſiam petunt, copioſus imber procedentes inundat. Neminem tamen pluvia hæc immenſa terruit, quam potius pro cœleſti benedictionis rore habuerunt, materieque pietatis manifeſtandæ; *Ut planetis ſuis ſuper B. Fulgentium gratanter expanſis repellerent imbres, & novum tabernaculi genus artificioſâ charitate componerent. . . . Vix ergo appropinquante veſpere ſancta memoria Bonifacio Epiſcopo repræſentati, benedixerunt omnes, & laudaverunt communiter Deum.*

Vit. Fulg. cap. 28.

Fulg. Vit. c. 29.

Virtutes Fulgentii Epiſcopales.

IX. Debitum Fulgentii pietati teſtimonium reddatur, qui ex oblata gloria humilius de ſe ſentiebat. Carthagine egreſſus, reperit in occurſum ſuum populos venientes, *cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Per Eccleſias tanquam proprius Epiſcopus ſuſcipiebatur. De ejus reditu Byzacena Provincia, velut plebs una gaudebat.* Fulgentium gloriæ hujus non extulit magnitudo, quem ad majoris potius humilitatis ſtudium provocavit. Poſtquam in Cathedra ſedit, inter Monachos adhùc habitare voluit, dominatione relegatâ, ne Felicem Abbatem in mœrorem fortè conjectum iret: *Ut exhibens ſupervenientibus hoſpitalitatem, ſi quando vel multiplicari panem, vel aliquid amplius exhiberi neceſſitas expetiſſet, Abbatis primò Felicis conſilium requiſiviſſet.* Ne id quidem prætereatur, quod eſt miraculis omnibus anteponendum. In Juncenſi Concilio Fulgentius Epiſcopo, nomine Quodvultdeo prælatus eſt. Tacuit quidem, ne autoritatem Synodi minuere videretur. Ubi verò poſt Concilium dolere ſenſit Epiſcopum, in Suphetano Conventu *precem ſupplicem coram omnibus fudit, ut ſibi rurſum ſe volente, Quodvultdeus Epiſcopus præferretur, ut nomine ſuo poſterius recitato, lætus deinceps viveret, Conſacerdotis animo reconciliato.* Felices Epiſcopi, ſi de humilitate potius quàm dignitatibus, honoribuſve certarent, Dominique ſui actus imitarentur, qui regio Filii Dei titulo ornatus, peccatoribus ſimul & piſcatoribus, ſervi inſtar miniſtrare voluit. At pauci ſunt, & ferè nulli in orbe Chriſtiano Fulgentii.

ANNO DOM. 523.

Fulg. Vit. c. 29.

Juncenſis Synodus. Quo anno celebrata?

X. Juncenſe, cujus meminimus, Concilium, quod egregio Fulgentii facinori occaſionem præbuit, labente anno celebratur. Doctiſſimo quidem Labbeo aliter viſum, qui in annum DXXIV. illud retulit: ſed perperàm, ut apertè liquet ex Epiſtola Bonifacii: *Dilectiſſimis & deſiderabilibus ſanctis fratribus & Conſacerdotibus, ſeni Liberato, & cæteris, qui in Concilio Juncenſi adfuiſtis, Bonifacius.* Epiſtola verò data eſt *die* XVII. *Kal. Januarias, anno primo* imperii Hilderici. Sed & Paſcha quod indicat, anni eſt DXXIV. *Intimamus Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum* VII. *Iduum Aprilium fore.* Anno DXXIV. Paſchalis ſolemnitas ſeptimo Aprilis eſt agitata, jubente Cyclo Solis 1. G F. Lunæ XII. Decembris igitur XVI. quo Bonifacii ad Juncenſes Epiſcopos Epiſtola data eſt, ad annum DXXIII. neceſſariò pertinet. Canones edidit Juncenſe Concilium, qui omnes periere, uno duntaxat excepto, cujus mentio eſt Ferrandi in Breviario, c. XXVI. *Ut in plebe aliena nullus ſibi audeat Epiſcopus vindicare.* Extat & Synodica *Liberati*, Primatis Byzaceni Epiſtola, Juncenſium nomine ad Bonifacium ſcripta: *Ea*, inquit, *quæ merito Maximianenſium tua Sanctitas ſcribere dignata eſt, advertimus. Quæſo autem, ut quæ ſanctis fratribus & Coepiſcopis noſtris, Pontiano, & Reſtituto Sanctitati tuæ mandavimus allegandа, & clementer audire & ſapienter ordinare tua beatitudo dignetur.* Id porrò Legati in mandatis habebant: *De Saſifenſe plebe Umbrianenſe, & Vilaminorenſe. Et ut Vincentius Epiſcopus Girvitanus, Provinciæ Tripolitanæ plebes, quas Tamallumenſibus invaſiſſe videtur, admoneatur ut reſtituat. Et ut in Proœmio Epiſtolarum aliquid honorificentiæ addatur, & de Monaſterio Petri Abbatis.* Ac fortè in Juncenſi Concilio eâ excommunicatione Petri Monaſterium à Liberato percuſſum eſt, de qua ſunt in eum querelæ, anno DXXV. oblatæ Carthaginenſi Synodo. Acceptæ Idibus Decembris Epiſtolæ reſponſum dedit Bonifacius XVII. Kal. Januar. A Juncenſium Legatis rogabatur, ut ſtatuta quædam reſcinderentur. Quod verbis eſt honeſtis à Bonifacio negatum: *Illud autem, dilectiſſimi & deſiderabiles ſancti fratres, quod ſinceritas veſtra per memoratos Coëpiſcopos noſtros verbo mandare dignata eſt, fateor valde mihi difficillimum. Neque enim poterimus ſtatuta mutare, quæ per tot Sacerdotes inſtinctu divino ſervata noſcuntur.* Diem quoque Paſchatis proximè futurum Juncenſes docuit ex Africanæ Eccleſiæ diſci-

Lab. Conc. t. 4. 1645.

Lab. Conc. t. 4. 1627.

Lab. Conc. t. 4. 1644.

ANNO DOM. 523.

diſciplina, quâ conſtitutum, *ut à ſancta Carthaginenſi Sede diverſis Provinciis Africanis petentibus, Paſcha dies intimetur.* Ad Legatorum verò mandata reſpondet, de Saſiſenſe plebe, Umbrianenſe, & Villaminorenſe extare documenta, quæ ſuo tempore oſtendantur neceſſe eſt. Vincentii Girvitani res ex Patrum Conſtitutione eſſe terminandas: de Procemio ea eſſe facienda, quæ literis ſignificata ſunt. De Monaſterio Petri Abbatis juſtum eſſe, ut à Juncenſibus ordinatio fieret. Deliberationem hanc Carthaginenſis Synodi fuiſſe anno DXXV. coactæ, clariſſ. du Pin creditum: *On delibera dans le Concile ſur ces quatre affaires.* Sed non ita eſt: reſponſio hæc Concilio Carthaginenſi anteceſſit, ut ex ipſius verbis liquet: Redemptiolus *item recitavit. Quæ autem per memoratos Epiſcopos remandata ſunt, ſequentia monſtrant,* ea ſcilicet, quæ memoravimus. Sed & poſt factam mandatorum mentionem, quæ Legatis Juncenſibus data erant, verba hæc leguntur: *Ad quæ omnia ſic reſcriptum eſt.* Sequuntur proximè eam Bonifacii ad Liberatum Epiſtola, quàm data mandatis reſponſio. Ea ſcilicet recitabat Redemptiolus, quæ ſcripta erant ante Carthaginenſe Concilium.

Lab. Conc. t. 4. 1645.

Id. ibid.

N. B. Soc. 6. 168.

ANNO DOM. 524.

ANNO U. C. 1277. PER. JUL. 5237. JUL. 569. DOM. 524. JUSTINI 7. THEODORICI 32. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 12. *Indict.* 2. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 0. 2. P. 7. *April.*

COSS. *Juſtinus Auguſtus* II. *& Opilio.*

Mors Chlodomeris.

I. RElatâ de Sigiſmundo victoriâ exultans Chlodomir, defuncti regno inhians, verum pro corona cruentam miſer mortem invenit. Noſtræ porro Chronologiæ præſidio eſt Marii Chronicum Aventicenſe: *Juſtino & Opilione Coſſ. Godomarus frater Sigiſmundi, Rex Burgundionum ordinatus eſt. Eo anno contra Chlodomerem Regem Francorum Viſerunta præliavit, ubique interfectus eſt Chlodomeres.* Quibus Marii verbis Baroniana Chronologia purgatur, quæ poſt annum Dom. DXXVI. Chlodomirem morti miſſum prædicat. Superbi Regis caſum fuſiore ſtylo proſequamur. Ut Burgundionum ditionem Imperio facilius adderet ſuo, Chlodomir Theodoricum fratrem temerè ſibi auxiliarem poſcit. Sigiſmundi quippe ſoceri ſui caſum indignatus Theodoricus, Burgundiam petenti fraudulentum ſe comitem addit. Collato apud Viſeruntiam prælio, Gondomarus Francorum impetus impar, fugam arripit. Quem inſecutus Chlodomirus, dum ſuos inter & ſeſe ſpatii non minimum relinquit, Burgundi uſurpatâ hoſtium teſſerâ, clamant, *Hùc huc convertere, tui enim ſumus.* Dictis fidem Rex adhibens, in medios hoſtes irruit, qui amputatum ipſius caput in altum tollunt, affixum conto. Uxorem defuncti *Gunteucham* Chlotharius ſine mora duxit. Superſtites Chlodomiri filios, Theodovaldum, Guntharium, Chlodovaldum Chrotildis avia ad ſe recepit, infelicem vindictæ ſuæ ſortita fructum, quem nati ſui ſanguine emit. At Franci reparatis viribus, debellati Gundomari regnum ſibi ſubjiciunt.

Error Baronii.

Greg. Tur. l. 2. c. 6.

A virtute degenerat Theodoricus. Boethium carceri includit.

II. Theodoricus Rex Italiæ ad Conſulatum uſque Juſtini & Eutharici Princeps inter paucos illuſtris, ab anno, qui Dom. DXIX. numerabatur, ſui diſſimilis multum, à perenni & conteſtata virtute degeneravit. Ac primùm nonnullas Orthodoxorum Eccleſias ſubvertit, ut Valeſianis in Excerptis legitur. *Invenit Diabolus locum, quemadmodum hominem bene Rempublicam ſine querela gubernantem ſubreperet. Nam mox juſſit ad fonticulos... in proaſtio civitatis Veronenſis, Oratorium Sancti Stephani, ibidem ſitum altarium ſubverti. Item, ut nullus Romanus arma uſque ad cultellum uteretur, vetuit.* Anno ut videtur DXXIII. Theodoricus convertit ſe in Romanorum indignationem. Audiantur rurſus Excerpta: *Poſt hæc cœpit adverſus Romanos Rex ſubinde fremere inventâ occaſione. Cyprianus, qui tunc referendarius erat, poſteà Comes Sacrarum & Magiſter, actus cupiditate, inſinuans de Albino Patricio, eò quod literas adverſus regnum ejus Imperatori Juſtino miſiſſet. Quod factum dum revocatus negaret, tunc Boëthius Patricius, qui Magiſter Officiorum erat, in conſpectu Regis dixit, Falſa eſt inſinuatio Cypriani. Sed ſi Albinus fecit, & ego, & cunctus Senatus uno conſilio fecimus. Falſum eſt, Domine Rex. Tunc Cyprianus hæſitans, non ſolum adverſus Albinum, ſed & adverſus Boëthium ejus defenſorem deducit falſos teſtes. Sed Rex dolum Romanis tendebat, & quærebat, quomodo eos interficeret, plus credidit falſis teſtibus, quam Senatoribus.* Porrò cùm omnia ſint veritati poſtponenda, licet Boëthii caſum lugeamus, meliore forte digni, Cypriani accuſatio nobis non prorſus falſa videtur. Boëthium quidem Ariani Principis tyrannidem moleſtè ferentem, clanculariis Græcis literas miſiſſe, atque urbem & Senatum ex impiis Theodorici manibus eripere, Juſtinique patrocinio ſubdere conatum, docet nos antiquus Prologus à clariſſimo Mabillonio editus, Itinerario Italico, p. 221. *Quintus Fabius Conſul fecit hunc Prologum, vel Boëthius ipſe, vel quidam Scotigena, id eſt, diſcipulus Boëthii. Tempore Teutrici Regis inſignis Autor Boëthius claruit, qui virtute ſuâ Conſul in urbe fuit. Cùm verò Teutricus Rex voluit tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quoſque in Senatu neci dare, Boëthius ejus dolos effugere geſtiens, quippe qui bonis omnibus necem parabat, videlicet clam literis ad Græcos miſſis nitebantur, urbem & Senatum ex ejus manibus impiis eruere, & eorum ſubdere defenſioni. Sed poſtquam à Rege reus majeſtatis convictus eſt, juſſus eſt retrudi in carcerem, in quo repoſitus, hos libros per Satyram edidit, imitatus videlicet Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de Nuptiis Philologiæ & Mercurii eâdem ſpecie Poëmatis conſcripſerat. Sed iſte nobiliore materiâ & facundiâ præcellit, quippe qui nec Tullio impar ſit, nec Virgilio in metro inferior claruit.*

Excerpta Val. 723.

III. His de cauſis Boëthius crudeli morte interficitur, labente anno. Verùm antequam viri illuſtris fata retulerimus, quis fuerit prius memorandum. Flavius Anicius Manlius Torquatus Severious Boëthius, cum Romanis omnibus de nobilitate certabat. Aniciorum quidem, de quorum ſanguine procreatum fuiſſe docet quod gerebat nomen, antiqua nobilitas fuit æque claritas, teſte Hieronymi ad Demetriadem Epiſtolâ: *Nunc mihi Proborum, & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, & illuſtris Anicii ſanguinis genus: in quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit Conſulatum.* Tres in Faſtis reperimus Boëthios ab anno CCCCLXXXVII. ad uſque DXXII. Primus annum CCCCLXXXVII. ſecundus annum DX. tertius annum DXXII. aperuit. Utrùm verò diverſi Boëthii, unuſne fuerit, in dubitationem cadit. *Cavim* uni eidemque

Quis Boëthius? Virtutes ejus.

Hieron. Ep. 8, 18.

Digitized by Google

ANNO DOM. 524.

que viro tres illos Conſulatus aſſignat: cui ſententiæ pugnat expreſſus abſque nota numerali Conſulatus in Faſtis quotquot legimus, quæ dubio procul omiſſa non fuiſſet. Itaque probabilius nobis eſt, Boëthium illum, qui annum CCCCLXXXVII. reſeravit, noſtro Boëthio patrem fuiſſe. Boëthius, qui iræ Theodorici ſanguinem dedit, puer adhuc bonis diſciplinis informandus Athenas mittitur, ubi annos octodecim commoratus, non ſpernendum ſibi eruditionis theſaurum comparavit: ut complures Autores Græcos in Latinum transfuſos, Romanis ſuis legendos traderet, quod ei gratulatur Theodoricus: *Quaſcunque diſciplinas vel artes fœcunda Græcia per ſingulos viros edidit, te uno Autore patrio ſermone Roma ſuſcepit. Quos tantâ verborum luculentiâ reddidiſti claros, tantâ linguæ proprietate conſpicuos, ut potuiſſent & illi opus tuum præferre, ſi utrumque didiciſſent. Tu artem prædictam ex diſciplinis nobilibus datam, per quadrifarias matheſis januas intraviſti. Tu illam in naturæ penetralibus conſidentem, autorum libris invitantibus, cordis lumine cognoviſti.* Symmachi viri Conſularis filiam, nomine *Ruſticianam* duxit, ex qua *Patricium & Hypatium* filios ſuſcepit. Vir erat æqui ſervantiſſimus, qui dignitate ſuâ inſontes calumniis oppreſſos tegebat. Id de ſe quidem profitetur in ſuo libro de Conſolatione Philoſophiæ: *Quoties ergo Congiaſtum in imbecillis cujuſque fortunas impetum facientem obvius excepi? Quoties Trigullam Regiæ Præpoſitum domus, ab incepta & perpetrata jam prorſus injuria dejeci? Quoties miſeros, quos infinitis calumniis impunita Barbarorum ſemper avaritia vexabat, objectâ periculis autoritate protexi. Nunquam me à jure ad injuriam quiſquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus peſſumdari, non aliter quàm qui patiebantur, indolui.*

Caſſiod. Var. l. 1. Ep. 45.

Boëth. de Conſol. l. 1. c. 4.

A quibus Boëthius accuſatus? Quâ morte periit? Uxor & liberi.

IV. Quâ ratione vir illuſtris perierit, nunc eſt ordine narrandum. In eum proditionis accuſationem inſtituunt, non *Trigilla & Congiaſtus*, uti cenſet Cavius, ſed Baſilius, Opilio, & Gaudentius, ut reus ipſe monuit: *Ne Albinum Conſularem virum præjudicatæ accuſationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris oppoſui. Satiſne in me magnas videor exacerbaſſe diſcordias? . . . Quibus autem deferentibus percuſſi ſumus? Quorum Baſilius olim regio miniſterio depulſus, in delationem noſtri nominis, alieni æris neceſſitate compulſus eſt? Opilionem verò, atque Gaudentium, cùm ob innumeras atque multiplices fraudes in exilium Regia cenſura decreviſſet, cùmque illi parere nolentes, ſacrarum ſeſe Ædium defenſione tuerentur, compertumque id Regi foret, edixit, ut niſi intra præſcriptum diem à Ravenna urbe diſcederent, notas inſigniti frontibus pellerentur. Quid huic ſeveritati poſſe aſtrui videretur? Atqui eodem die deferentibus eiſdem, nominis noſtri delatio ſuſcepta eſt. Quid igitur? noſtræne artes ita meruerunt? An illos accuſatores juſtos fecit præmiſſa damnatio?* Accuſatur, quòd *delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum læſæ Majeſtatis reum faceret*, impediverat: *Tunc Albinus & Boëthius ducti in cuſtodia ad Baptiſterium Eccleſiæ.* Relegatus Ticinum, anno DXXII. mulctatus dein bonis omnibus, in vinculis biennio circiter detinetur. Intereà operam dabat ſcribendis libris, quos omnes eminet ille de Conſolatione Philoſophiæ: *Nunc*, inquit, *quingentis paſſuum millibus procul moti atque indefenſi, ob ſtudium propenſius in Senatum mortis, proſcriptionique damnamur.* Hoc ergo crimen objectum reo, quòd Senatum priſtinæ autoritati reſtitui voluerit. Cui probando fictas Boëthii ad Juſtinum tabellas prolatas eſſe ferunt. Decuſſum Boëthio caput traditio memorat; unde nata, quam ambabus ulnis Baronius amplectitur, lepida ſanè fabula: *Cum Regius ſpeculator lethale vulnus intuliſſet, utrâque manu divulſum caput ſuſtinuiſſe. Interrogatumque à quonam ſe percuſſum exiſtimaret? Ab impiis, reſpondiſſe; atque ita cùm in vicinum Templum veniſſet, & flexu genibus ante altare percepiſſet, poſt paululum expiraſſe.* Hic Baronius ſummam Dei potentiam miratus atque ſapientiam, hæc narrat: *Qui peritiâ literarum Dionyſio, magno illi Areopagitæ Athenienſi, jure fuit abſque invidiâ comparandus Boëthius, & illud à Deo accepit, ut & genere mortis, inſuper & inſignis operatione miraculi, eidem fuerit exæquandus.* Subtiliter quidem & lepidè: nùm etiam verè? Nil minus, cùm eo mortis genere Boëthius non perierit, quo Pariſinum Dionyſium obiiſſe ferunt. Quo vel uno quidem argumento potentiſſimè fabula refellitur. Sic eſt, gladio non occiditur Boëthius, ſed *fuſtibus*, ut nos Valeſiana de Theodorico Excerpta monent: *Rex verò vocavit Euſebium Præfectum urbis Ticini, & inaudito Boëthio protulit in eum ſententiam. Qui mox in agro Calventiano, ubi in cuſtodia habebatur, miſit Rex, & fecit occidi. Qui acceptâ chordâ, in fronte diutiſſimè tortus, ita ut oculi ejus creparent, ſic ſub tormentis ad ultimum cum fuſte occiditur.* Faceſſat ergo commentum in fabuloſa recentiorum officina cuſum. In Miſcellanea quidem, necnon vita Joannis Papæ ab Anaſtaſio ſcripta legitur, Boëthium gladio periiſſe, nil tamen de lepida Baronii narratione mentionis agunt. Porrò lamentabile Boëthii exitium hunc in annum conferimus, prælucente Mario Aventicenſi: *Juſtino II. & Opilione Coſſ. interfectus eſt Boëthius Patricius in territorio Mediolanenſi.* Quâ obſervatione error evellitur Baronio, qui Boëthii mortem cum anno DXXVI. copulavit biennii metachroniſmo. Uxorem, duoſque ſibi ſuperſtites filios reliquit Boëthius, quorum meminit in ſuo de Conſolatione Philoſophiæ libro 2. c. 4. *Vivit uxor ingenio modeſta, pudicitia pudore præcellens, & ut omnes ejus dotes breviter concludam, patri ſimilis. Vivit, inquam, tibique tantum, vitæ hujus exoſa, ſpiritum ſervat, quo uno felicitatem minui tuam vel ipſa conceſſerim, tui deſiderio lachrymis atque dolore tabeſcit. Quid dicam liberos Conſulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel avui ſpecimen elucet ingenii.*

ANNO DOM. 524.

Bar: An. 516. n. 17.

Error Baronii

V. In Oriente mors Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani celebritatis aliquid anno addit: *Dum Pater noſter Sabas annum agit ætatis octogeſimum ſextum, Joannes Archiepiſcopus poſt peractos in Patriarchatu ſeptem annos cum novem menſibus, obiit, reliquitque in Epiſcopatu ſucceſſorem beatiſſimum Petrum, genere Eleutheropolitanum.* Quibus Baronianus error coarguitur, qui Joannis obitum cum anno DXXV. copulat, unius anni metachroniſmo. Ineunte quippe anni hujus Januario ſextus & octuageſimus Sabæ labebatur. Petrus verò Joannis ſucceſſor viginti annos Epiſcopatum Hieroſolymitanum adminiſtravit.

Joannis Hieroſolymitani mors.

Vit. Sab. c. 68.

VI. Compluribus Synodis annus decoratur. Incipiamus ab Arelatenſi quarta, quæ *octavo Idus*

Synodus Arelatenſis IV. ejus Canones.

Digitized by Google

Junias celebratur. Ac olim Binnius Concilium cum anno CCCCLIII. copulandum cenſuerat, motus nomine *Opilionis*, qui tum unà cum Vincomalo Conſulem egerat. Monitus verò à doctiſſimo Jacobo Sirmundo, meritò errorem exuit, ſuiſque temporibus Concilium accommodavit, Juſtino & Opilione Coſſ. Ut mirum ſit, Spondanum noſtrum, cum anno DXXVI. illud Concilium junxiſſe, quo tempore nullus Opilio Conſul proceſſit. Conventui occaſionem præbuit Sanctæ Mariæ Baſilicæ dedicatio, uti nos Concilii Præfatio monuit: *Cum in voluntate Dei ad Baſilicæ Sanctæ Mariæ in Atelatenſi civitate Sacerdotes Domini conveniſſent*. Decens & ipſis viſum eſt, de Eccleſiæ diſciplina Canones condere. Aderant Epiſcopi XIII. *Cæſarius* ſcilicet, qui Synodo præfuit, Contumelioſus, Philagrius, Prætextatus, Maximus, Julianus, Florentius, Florentius alter, Cyprianus, Montanus, Cœleſtinus, Porcianus, Lucherius. Interfuere Preſbyteri quatuor, qui ſuorum Antiſtitum abſentium partes implebant, *Catafbronius* ab Agrœcio, & Severo Epiſcopis directus, *Deſiderius* Joannis Legatus, Leontius à *Conſtantio* miſſus, Emeritus vices Gallicani gerebat. Canones quatuor condidere. I. Ne Diaconus ante viginti annos ordinetur. Epiſcopatum verò Laicorum ſortiatur nemo, vel Presbyterii honorem ante & *præmiſſam converſionem*, & annos ætatis triginta. II. Ne ex Laicis ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi munus promoveatur ullus, niſi anno integro præmiſſa fuerit converſio. III. Pœnitentes & Digami non ordinentur. Qui deinceps Clericos inſtruerit, anno integro Miſſas facere non præſumat. Quòd ſi eas celebrare auſus fuerit, ab Epiſcoporum communione alienus habeatur. IV. Qui alienum Epiſcopum ſuſceperit, communione privetur.

Lab. Conc. 1621.

Ilerdenſe Concilium: ejus Canones.

VII. Galliis egreſſi, Pyreneos montes ſuperemus, ut Ilerdenſi adſimus Conventui. Ilerda Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs eſt, quam fluvius Sicoris alluit. Octavo Idus Auguſti ibi Epiſcopi novem per ſe, vel per Legatos interfuere, quorum hæc ſunt nomina, *Sergius*, qui & Concilii Principem egit; Juſtus, Caſonius, Joannes, Paternus, Maurelio, Taurus, Februarius Ilerdenſis Antiſtes, Gratus Presbyter, Staphili Legatus Epiſcopi. Annus erat Theodorici XV. cùm ſexto Auguſti Sanctæ Eulaliæ in Baſilicam confluxere, ut Canones XVI. ſancirent. I. Clerici, qui Chriſti corpus & ſanguinem tradunt, ſacraque vaſa contrectant, ab omni humano ſanguine, etiam hoſtili abſtineant. Qui in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quàm communione priventur. II. Qui conceptos ex adulterio fœtus occidunt, illis poſt ſeptem annos communio tribuatur. Ita tamen, ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus inſiſtant. Clerici officium amittant ſuum, in choro tamen pſallentium à tempore receptæ communionis interſint. III. Monachi Abbate conſentiente, ordinentur: oblatæ Monaſteriis facultates ab Epiſcopis non contingantur. IV. Inceſti uſque ad Miſſam duntaxat Catechumenorum in Eccleſia admittantur, neque cibum cum illis Chriſtianorum ullus ſumat. V. Clerici, qui in flenda carnis fragilitate corruerint, ſi feriò reſipiſcant, diu ſacris non arceantur ab Epiſcopo: ad majores tamen gradus non promoveantur. VI. Qui viduæ pœnitenti, vel virgini ſacræ vim intulerit, Chriſtianorum à communione ſegregetur, ſi ab ea divelli noluerit. VII. Qui interpoſito juramento, ne ad pacem redeat, ſeſe obligavit, pro perjurio anno uno Euchariſtiâ abſtineat. VIII. Nullus Clericorum ſervum, aut diſcipulum ſuum, qui Eccleſiam confugit, extrahat. Quod ſi fecerit, donec pœniteat, à loco, cui honorem non habuit, ſegregetur. IX. Qui rebaptizati ſunt, ſeptem annis inter Catechumenos orent, duobus inter Catholicos, clementiâ dein Epiſcopi Euchariſtiam participent. X. Qui poſt admiſſam culpam Eccleſiâ egredi contempſerit, tardius ad veniam recipiatur. XI. Clerici, qui in mutuam cædem prorumpunt, habitâ dignitatis ratione, à Pontifice graviori pœnâ afficiantur. XII. Qui contra Canones ordinati ſunt, deponantur. XIII. Catholicorum, qui filios Hæreticis baptizandos obtulerint, oblatio in Eccleſia non recipiatur. XIV. Cum rebaptizatis Fideles cibum non ſumant. XV. Qui cum extraneis mulieribus habitant, ſi contemptâ geminâ admonitione perſeverent, removeantur officio, ſi reſipiſcant, miniſterio reſtituantur. XVI. Ne Pontificis defuncti domum quiſquam irruat ad diripiendum. Qui exequiarum tempore Sacerdos adeſt, diligenter omnia muniat. Cui domus commiſſa eſt, is ad tempus Antiſtitis conſtituendi omnia accuratè conſervet, conſueto Clericis alimento miniſtrato.

Lab. Conc. t. 4. 1611.

Valentina Synodus: ejus Canones.

VIII. Eodem anno, die ſecundo Nonas Decembris, Valentinum in Hiſpania Concilium celebratur, quod perperàm Binnius in Symmachi tempora retulit, cùm Epiſcopi, qui ei interfuere, dicant, *anno* XV. *Theodorici* ſe Valentiæ fuiſſe congregatos. Eſt autem Hiſpaniæ civitas, de qua Plinius: *Valentia, Colonia* III. *mille paſſibus à Mari Mediterraneo remota.* Interfuere Conventui Epiſcopi ſex, unà cum Marcellini Antiſtitis Archidiacono: *Celſinus* Synodi Præſes, Juſtinus, Reparatus, Setabius, Benagius, Ampelius, Saluſtius Archidiaconus, à quibus ſex Canones conditi. I. Sacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum poſt Apoſtolum legantur. II. Defuncto Epiſcopo res vel ipſius, vel Eccleſiæ nemo uſurpare præſumat. III. Propinqui morientis Epiſcopi de facultatibus ejus nihil uſurpent, ſine Metropolitani, & Comprovincialium conſcientia. IV. Ægrotantem Epiſcopum viſitet Antiſtes, ut de ordinandis rebus ſuis ipſum admoneat, ac mortuum, poſt oblatum in ejus commendatione ſacrificium mox ſepulturæ tradat. Quòd ſi ſubitaneâ morte Præſul exceſſerit, nec Epiſcopi ob locorum diſtantiam adeſſe potuerint, uno die tantùm cum nocte corpus Sacerdotis maneat exanimatum, ac non ſine pſallentium excubatione ſervetur à Presbyteris, nec ſtatim humo condatur, ut invitato undecunque Pontifice ſolemnes defuncto exequiæ perſolvantur. V. Vagi Clerici, qui Epiſcopi, à quo ordinati fuere, præcepto non obtemperarint, ut in ſua Eccleſia officio fungantur, quoad reſipiſcant, communione, & honore priventur. VI. Nullus alienum Clericum ſine Epiſcopi ſui conſenſu audeat ordinare.

Plin. l. 3. c. 3.

Lab. Conc. t. 4. 1617.

Anno

ANNO DOM. 525.

ANNO U. C. 1278. OLYMP. 326. PER. JUL. 5238. JUL. 570. DOM. 525. JUSTINI 8. THEODORIC. 33. *Sol.* 2. E. *Lun.* 13. *Indict.* 3. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 3. *P.* 30. *Mart.*

COSS. *Probus & Philoxenus.*

Symmachum Theodoricus interficit.

I. ANnum ſanguine ſuo infecit vir illuſtris, Patricius & Conſularis Symmachus, cui Boëthius gener erat. Id ſolatii in carcere morti jam proximus habuerat Boëthius, quòd ſibi ſuperſtitem relinquebat ſocerum, qui & Senatui ornamento, & filiis ſuis foret præſidio: *Viget incolumis illud præſtantiſſimum humani generis decus Symmachus ſocer, & quod vitæ pretio non ſegnis emeres, vir totus ex ſapientia, & virtutibus factus, ſuarum ſecurus, tuis ingemiſcit injuriis.* At Symmachi cum Boëthio affinitas occaſionem Theodorico præbuit, cur generi cineres ſoceri cruore reſpergi vellet: *Symmachus caput Senati, cujus Boëthius filiam habuit uxorem, deducitur de Roma Ravennam. Metuens verò Rex, ne dolore generi aliquid adverſus regnum ejus tractaret, objecto crimine juſſit interfici.* Labente anno periiſſe Symmachum, disertè docet Marius Aventicenſis: *Probo Juniore, & Philoxeno Coſſ. occiſus eſt Symmachus Patricius, Ravenna.* Morti quoque miſſum fuiſſe, dum Joannes Papa apud Juſtinum Auguſtum legatione fungitur, ex Excerptis de Theodorico apertè colligitur: *Dum hæc aguntur*, Symmachus occiditur. Errat ergo Baronii Chronologia, quæ Symmachi mortem ad annum uſque DXXVI. diſtulit. Refellitur etiam cantata à Gregorio Magno, & Miſcellaneæ fabula, cui ſe Baronius credulum præbuit. Quòd Theodorici anima Joannem Papam inter & Symmachum in ollam Vulcani deducta fuerit, cùm integro anno ante Theodoricum, & Joannem Symmachus perierit. Quo labente temporis ſpatio Symmachi anima Theodorici Regis obitum in terris non expectabat, ut miſerum Regem in Vulcani ollam deturbandum deduceret. Sed de ea fabula pluribus ſuo loco. Fama fert, Theodoricum tardi doloris aculeis confixum, Symmachi mortem doluiſſe:

Boëth. de Conſ. l. 2. c. 4.

Excerpt. Val. pag. 714.

Error Baronii.

Gemitus alto de corde petitos
Edidit, haud aliter quàm cùm ſpectante juvencâ
Lactentis vituli, dextra libratus ab aure
Tempora diſcuſſit claro cava malleus ictu.

Procop. de Bello Goth. l. 5. c. 2.

Procopium audiamus: Theodoricus *paucis poſt diebus cœnanti ſibi cùm miræ magnitudinis piſcis miniſtri decoctum caput appoſuiſſent, Symmachi nuper occiſi caput illi viſum eſt, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & torvè intuentibus oculis, furibundè ſibi & acerbius communicari: unde monſtri novitate territus, membriſque præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum ſtatim citato gradu ſeceſſit, identidemque jubendo, togarum ut ſibi magnam vim ingererent, lecto decubuit, & parum perquievit. Elpidio deinde Medico omnibus quemadmodum accidiſſent, diligentius explicatis, in Symmachum Boëthiumque patratum à ſe ſcelus deflebat.* In ipſa quidem conſcientia perperàm factorum magnam vim eſſe ſcimus ad permovendos animos. Dubitationis tamen aliquid injicit Procopii narratio, quæ Chronologiæ non aptè connectitur. Scelere in Boëthium & Symmachum deplorato Theodoricus *ex accepta calamitate dolore ingenti affectum, haud longè pòſt moritur.* Atqui Boëthio per biennium, Symmacho per annum Theodoricus ſuperfuit. Magnorum virtutum fuit Symmachus, & ad ornandam urbem natus, ut ex Theodorici ad ipſum Epiſtola liquet: *Cum privatis fabricis ita ſtudueris, ut in laribus propriis quadam mœnia feciſſe videaris, dignum eſt, ut Romam, quam domuum, ædificiis ſtudio decoraſti, in ſuis miraculis continere noſcaris. Fundator egregius fabricarum, earumque compoſitor eximius, quia utrumq. e de prudentia venit, & aptè diſponere, & extanta competenter ornare.*

Caſſiod. Var. l. 4. ep. 51.

II. Ea eſt ſuperſtitionis erroriſque indoles, ut quò magis vergunt in ſenium mortales, eò potentius dominetur animis. Ut Arianis Theodoricus ſuis eſſet auxilio, Joanni Pontifici legationem injungit apud Juſtinum. Anaſtaſius in vita Joannis narrat, Imperatorem religionis amore Eccleſias Arianis ſuas ereptum iviſſe: *Joannes vocatus eſt à Rege Theodorico Ravennam, quem ipſe Rex rogans, miſit in legationem Conſtantinopolim ad Juſtinum Imperatorem Orthodoxum, quia eodem tempore vir religioſus, ſummo ardoris amore religionis Chriſtianæ voluit Hæreticos extricare. Nam ſummo fervore Chriſtianitatis hoc conſilio uſus eſt, ut Eccleſias Arianorum Catholicas conſecraret. Pro hac cauſa Hæreticus Rex Theodoricus audiens hæc, exarſit, & voluit totam Italiam gladio extinguere.* Verùm enimverò vix credimus, Juſtinum eò proceſſiſſe, ut Arianos Eccleſiis ſuis expelleret. Gothos quidem ſibi fœderatos honore afficiebat, uti apparet ex ipſius Decreto, quod eſt anno DXXIII. exhibitum. Aliam ſanè legationis cauſam afferunt Excerpta de Theodorico, & Marcellinus. Excerptorum verba ſunt: *Rediens Rex Ravennam, tractans non ut Dei amicus, ſed Legi ejus inimicus, immemor factus omnis ejus beneficii & gratiæ, quam ei dederat, confidens in brachio ſuo, item credens, quòd eum pertimeſceret Juſtinus Imperator, mittens & evocans Ravennam Joannem, Sedis Apoſtolicæ Præſulem, dicit ad eum: Ambula Conſtantinopolim ad Juſtinum Imperatorem, & dic ei inter alia, ut reconciliatos Hæreticos in Catholica reſtituat religione. Cui Papa Joannes ita reſpondit: Quod facturus es, Rex, facito citius. Ecce in conſpectu tuo adſto, hoc tibi ego non promitto me facturum, nec illi dicturus ſum. Nam in aliis cauſis, quibus mihi injunxeris, obtinere ab eodem annuente Deo, potero.* Id ergo flagitabat Theodoricus, ut, illi qui Orthodoxorum, quos pro Hæreticis habebat, gregi ſeſe ex Arianis inſeruiſſent, ſectæ quam deſeruerant, redderentur. Catholica religio hæc eſt Theodorico, qui ut piam ſanctamque Arii fidem amplectebatur. Similiter Marcellinus: *Joannes Romanæ Eccleſiæ Papa LI. Theodorico Rege pro Arianorum ſuorum ceremoniis reparandis laborante, ſolus duntaxat Romanorum ſibi deceſſorum, urbe digreſſus, Conſtantinopolim venit.* De reſtituendis Arianorum Eccleſiis ne verbum quidem ullum Marcellinus habet. Concedamus tamen ſuas Arianis Baſilicas ereptas eſſe, ne Autoribus benè multis id affirmantibus concurtamus.

Joannes Papa à Theodorico ad Juſtinum mittitur. Quamobrem?

Anaſtaſ.

III. Joanni haud ſatis arridebat Legati munus ſibi à Theodorico impoſitum. Integrum tamen non erat, debitum potentiſſimo Regi exuere obſequium. Cum comitibus ergo navem conſcendit, Conſtantinopolim profecturus. Quinam verò ſimul cum Joanne legationis munus obiere, in Excerptis de Theodorico legimus: *Jubet Rex iratus navem præparari, & ſuperimpoſitum eum cum aliis Epiſcopis, id eſt, Eccleſium Ravennatem, & Euſebium Fanoſtrem, Sabinum Campanum, & alios.*

Joannis Papæ Conſtantinopolitana legatio.

ANNO DOM. 525.

alios duos ſimul, & Senatores Theodorum, Importunum, Agapitum, & alium Agapitum. Sed Deus, qui fideles cultores ſuos non deſerit, cum proſperitate perduxit. Variis legationem miraculis illuſtrare Gregorio Magno placuit, mortalium ferè omnium credulisſimo. Primum in equo patratum eſt: quid ni, cùm aſina Balaami ſeſſorem objurgarit ſuum? An non & æquum fuit, ut equus, cui ſummus Pontifex inſidebat, tanto onere ſuperbus, ſeſſores quoſvis alios faſtidiret atque reſpueret? In Corinthi partes venerat Joannes, cùm vir nobilis *equum, quem præ magna conſuetudine ejus conjux ſedere conſuevit*, iteri expedienti obtulit. Ubi alium Joannes equum reperit, illum, quo uſus fuerat, ad dominum ſuum remiſit. Equus verò, cum nobilis viri uxor more ſolito conſcendere voluiſſet, flatibus, fremitu, motibus ſuis oſtendit, ſe poſt Pontificem ferre mulierem non poſſe. Itaque ad Joannem ſubinde equus remittitur, quem ſedendo Pontifex ſibi proprium dicarat. Quòd ſi cantherii omnes, quibus vectus eſt, eo modo affecti fuere, Joannes utique magnâ equorum comitante catervâ in urbem ex ſua legatione reduſſet. Quod ſequitur longè mirabilius, nam & manſuetioribus equis ſua nonnunquam bilis ineſt, mutabiliſque natura, ut equo Gregoriano non opus ſit, ſive intelligentiam, quâ Pontificem agnoſcebat, ſive miraculum aſcribere. At ubi ad Conſtantinopolitanam portam, quæ Aurea vocatur, Joannes accedit, *in conſpectu omnium roganti cæco lumen reddidit*. De hiſce miraculis ſilent Marcellinus, Anaſtaſius, Excerptorum de Theodorico Autor, ut ad commenta faciliùs amandari poſſint.

Gregor. Dial. l. 3. c. 2.

Ibid.

Honos Joanni Papæ Conſtantinopoli redditus.

IV. Venienti Joanni multum honoris Juſtinus habuit: Joannes *urbe digreſſus, Conſtantinopolim venit, miro honore ſuſceptus eſt. Dexter dextrum Eccleſiæ reſedit ſolium, diemque Domini noſtri Reſurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit.* Hæc ſummatim Marcellinus in Chronico. At pompam ingreſſionis fuſiore ſtylo Anaſtaſius proſequitur: *Occurrerunt B. Joanni milliario XII. omnis civitas, cum cereis & crucibus in honorem Beatorum Apoſtolorum, Petri & Pauli. . . . Tunc Juſtinus Auguſtus dans honorem Deo, humiliavit ſe pronus, & adoravit beatiſſimum Joannem.* Quæ de procedente cum cereis & crucibus civitate narrat Anaſtaſius, faciles quidem admittimus, delatæ verò à Juſtino Joanni adorationi fidem prorſus detrahimus, cùm nondum id moris invaluiſſet, ut adorationis honos Pontifici Romanis ab Imperatoribus exhiberetur. De immoderata hac veneratione altum in Marcellino, altum in Excerptis de Theodorico, altum in Paulo Diacono ſilentium. Neque Joannes id adorationis ſibi deferri pati debuiſſet, Petri memor Apoſtoli, Cornelio ad genua ipſius cadenti, hæc loquentis, *Surge, homo ſum.* Quid in legatione ſua Joannes egerit, narret Autor Excerptorum: Joanni *Juſtinus Imperator venienti ita occurrit, ac ſi B. Petro: cui datâ legatione omnia repromiſit facturum, præter reconciliatos, qui ſe fidei Catholicæ dederunt, Arianis reſtitui nullatenus poſſe.* Quibus addantur verba Pauli Diaconi: Legati *pervenientes ad Auguſtum, cùm ab eo dignè, ut competebat, ſuſcepti eſſent, magnis eum de ſua, ſuorumque ſalute ſolliciti, fletibus poſtulans, ut ſua legationis ſeriem, quanquam eſſet injuſta, libenter exciperet, Italiæque periturâ conſuleret. Quorum fletibus Juſtinus permotus, eis, quod petebatur, conceſſit, Arianoſque ſuo juri reliquit.* Dum in Oriente verſatur Joannes, in conſecrandis Arianorum Eccleſiis operam collocaſſe ſuam, creditum Baronio. Neque inficias imur, id ipſum Joannis in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ reperiri. Verba ſunt Epiſtolæ: *Quando ſuimus Conſtantinopoli, tam pro religione Catholica, quàm & pro Regis Theodorici cauſa & negotiis ſuadente atque hortante, Arianoſque exſtirpante piiſſimo atque Chriſtianiſſimo Juſtino, Orthodoxo Imperatore, quaſcunque illic in partibus Eccleſias reperire potuimus, Catholicas eas Domino opem ferente, conſecravimus.* At licet nil argumentorum ſuppeteret, refellendæ larvati Joannis Epiſtolæ, illud ſanè ſufficeret, ut eam à Pontifice abjudicaremus. Sed de Joannis Epiſtolis anno ſequente commodius tractabitur.

Paul. Diac. l. 17.

Joan. ep. 2.

Synodus Carthaginenſis ſub Bonifacio.

V. Dum Theodorici Legati in urbe regia verſantur, *Bonifacius* Carthagini Synodum celebrat, *anno ſecundo Regis Hilderici, Nonis Februariis, in Secretario Baſilicæ Sancti Martyris Agilei.* Interfuere Epiſcopi ſexaginta incluſo Synodi Præſide Bonifacio. Qui florentiſſimus ſanè Conventus ſplendidum Jubar ſpargebat in Africa, poſt recentem perſecutionem, quæ obſcurâ nocte Eccleſiam involverat. Ac primùm ubi Deo benedixit Bonifacius, lecta eſt ipſius ad *Miſſorem* Epiſtola, quâ rogabatur, ad Concilium mittere *Firmum* Tipaſitenſem, *Mactanum* Tullienſem, *Felicem* Zactarenſem Calend. Febr. Monebatur etiam, Paſcha *tertio Cal. Apriles die anniverſariâ ſolemnitate celebrandum.* Data erat IV. Idus Januar. anno ſecundo imperantis Hilderici. Peractâ hujus Epiſtolæ lectione, Miſſoris reſponſionem, rogante Bonifacio Notarius Redemptiolus legit, quâ narrabatur, *rebelles* Antiſtites nonnullos reperiri, qui *calcatis Canonum ſtatutis,* honori Bonifacii *contumeliam* intulerant, prioribuſque ſeſe anteponere voluerant. Quàm Bonifacius injuriam patienter tulerat, licet multa Carthaginenſi Eccleſiæ privilegia conceſſa fuiſſent. Nunciat etiam præter Epiſcopos, quorum præſentiam requirebat Bonifacius, ſe inſuper miſiſſe *Florentianum*, plebis Vicopacatenſis Præſulem, Provinciæ Numidiæ, ut quæ ad ordinem Eccleſiæ conducunt, peragantur: *Age ergo,* inquit, *nunc noſtri decus honoris, ut Eccleſiaſtici ordines erigantur, qui variis oppreſſionibus longâ intercapedine temporum jacuerunt. Tuis itaque privilegiis vindica quod debetur, & redde cæteris, quod te debere non neſcis.* Miſſor Numidiæ Primas erat. Poſteà *Redemptiolus* Miſſam Proconſularis & Tripolitanæ Provinciæ Antiſtitibus Epiſtolam legere ingreditur, quâ ad Concilium vocabantur: *Date operam, dilectiſſimi fratres, ut VIII. Cal. Februarii die, matris veſtræ Secretario præſentati, generali feſtinetis adeſſe tractatui, quidquid emendare volumus, piâ nobiſcum ſollicitudine diligentius audituri.* Data III. Cal. Januar. anno ſecundo. Lectione literarum peractâ, ad Felicis Numidiæ Legati proſecutionem ſancitus à Canonibus Provinciarum ordo legitur. Primum Proconſularis locum, ſecundum Numidia, tertium Byzacena, quartum Mauritania Sitifenſis, quintum Tripolitana obtinebat. Hinc ortum Bonifacii Decretum: *Quiſquis perturbare ſtatutum ordinem quandocunque tentaverit, honoris ſui judicabitur pati jacturam.* E veſtigio proponente Bonifacio, Symbolum Nicænum recitari jubetur, quod Græcè ab Attico per Innocentium Presbyterum miſſum, Latinè redditum fuerat.

Lab. Conc. t. 4. 1631.

Lectio-

ANNO DOM. 525.

Lectionem peregit *Agileim* Diaconus. Actis Symbolum inſeritur, Antiſtitumque omnium ſubſcriptionibus firmatur. Ventum dein ad Canonum Africanorum lectionem, quorum multi Eccleſiæ Carthaginenſi Primatum aſſerebant. Exemptâ diei parte majore, cætera in craſtinum relegantur.

Petri Abbatis adverſus Liberatum Epiſcopum expoſtulatio. Vult Carthaginenſi Præſuli ſuum Monaſterium ſubdi.

VI. Die nonâ Idus Februarii in Secretario Agilei ſedentibus Epiſcopis, Petrus Abbas cum Monachis nonnullis introductus, Libellum offert, in quo adverſus Liberatum, Byzacenæ Primatem gravis expoſtulatio continebatur, dolore vincente patientiam. Illud Petrus querebatur: *Sanctus Liberatus Epiſcopus primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ congregationibus Sacerdotum ſæpè collectis, in perniciem noſtram multa & multipliciter machinatur, dum in nobis quaſi quandam materiam ſuæ aſſumptionis inveniens, poſt audientiæ præfixum diem, poſt pacifica diſputationis facultatem datam, atque conceſſam, Monaſterium noſtrum gravi excommunicatione percutere voluiſſet. . . . Succurrite igitur tandem aliquando, & à noſtris cervicibus jugum, quod neque nobis, neque patribus noſtris quiſquam ſuperponere aliquando tentavit, excutite.* Præcepo temerariaque fuit Liberati hæc excommunicatio, cùm Monachi nil contra fidem, nil contra bonos mores, nil contra Canones admiſiſſent. Contendebat Liberatus, *quòd à proprio Subdiacono Monaſterium eſſet fundatum.* Regerebant verò Monachi: *Etſi forſitan alicui Epiſcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen Monachus fuit, nec nos hæredes honoris Eccleſiaſtici, quem eum habuiſſe noſcimus, ſed ſanctiſſimæ profeſſionis extitimus.* Diſplicuit Bonifacio cæteriſque Epiſcopis, quòd Monaſteriorum ſilentia Liberatus turbaſſet. Ut verò jurgia extinguerentur omnia, cauſam ſibi ante oculos omnem poni jubent. Petitio Petri ſuorumque hæc fuit, ut Monaſterium Carthaginenſis Epiſcopi ditioni ſubjiceretur: *Tui Apoſtolatus orationibus nos commendantes, poſcimus ut noſtrum Monaſterium facias tuæ beatitudinis regiminis ſubjacere. In abſentia enim Sacerdotis Carthaginenſis Eccleſiæ de proximo Bonifacium Gratianenſem Sanctum Epiſcopum primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ petimus, ut quam diu huic ſanctæ Eccleſiæ Carthaginenſi Rectorem Dominus conceſſiſſet, nobis, qui divina miniſteria celebrarent, ordinaret.* Defuncti tamen Primatis ſucceſſor poteſtatis hujus non erat. Lectis & Juncenſis Synodi ad Bonifacium literis, & Legatorum, cujus meminimus mandato, & Bonifacii ad Liberatum reſponſione, datâ anno DXXIII. *decimo ſeptimo Cal. Januar.* Redemptiolus Petri petitionem legendo ſignificat. Motam ſcilicet à Liberato de Monachis ad Bonifacium querelam in notitiam veniſſe, quaſi conditione Byzacenæ Provinciæ tenerentur obſtricti. Conſtare tamen, ſe *de diverſis locis Africanis*, vel de tranſmarinis ad hunc ſuum locum confluxiſſe. Addunt, *Monaſterium, in quo Domino protegente eſſe videmur, ſumptu parentum noſtrorum, vel aliorum religioſorum fundatum eſſe firmamus, à Sancto Reparato Epiſcopo Puppianenſi, Provinciæ Proconſularis dedicatum eſſe non ſilemus.* Referunt *Monaſterium de Praetſu*, prætermiſſo Leptiminienſis Eccleſiæ Epiſcopo, qui vicinus erat, ab Aterleoſis Eccleſiæ Præſule, qui in *longinquo poſitus eſt, conſolationem habere.* Baccenſe Monaſterium Maximianeoſi Eccleſiæ vicinum ad Byzacenam ſe Provinciam conferre. Adrumetinum Monaſterium, prætermiſſo Epiſcopo de tranſmarinis partibus ſibi ſemper Presbyteros ordinaſſe, Valentinum, Epiphanium, Victorianum, Paulinum. Bonifacium Bagalienſem primæ Sedis Epiſcopum Virginibus ſcripſiſſe: *Per hanc vos autoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis, unde volueritis ſpiritalem ſumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes.* Quæ Epiſtola ſcripta eſt anno XXI. Thraſimundi, Dom. DXVII. Afferunt & Arelatenſia monumenta in cauſa Inſulæ Lerinenſis, cui Fauſtus Abbas præerat. Quid à Charthaginenſibus decretum fuerit, ignoratur, quia manca mutilaque ſunt MS. quibus Holſtenius utebatur. Extat vetuſtiſſimus Bibliothecæ Vaticanæ Codex, qui Concilio Carthaginenſi id Decreti aſcribit: *Erunt igitur omnia omninò Monaſteria ſicut ſemper fuerant, à conditione Clericorum modis omnibus libera, ſibi tantum & Deo placentia.* Perſuadere tamen nobis poterit nemo, Carthaginenſes hæc ſanxiſſe, quæ pugnant Synodo Chalcedonenſi, Marciani Capitula corroboranti, quorum primum hoc fuit: *Monachos, qui per ſingulas civitates ſunt atque Provincias, ſubjici Epiſcopo.* Neque Petro Abbati ea conceſſit Bonifacius, quæ non flagitabat. Nolebat ſanè Epiſcoporum eximi omnium poteſtati. Imò Carthaginenſis Epiſcopi regimini ſubjici voluit: *Congregationem, inquiunt, noſtram, ſicut credimus, & ſperamus, fovere & conſolari digneris, ut tantæ Sedis, quæ Primatum totius Africanæ Eccleſiæ tenere cognoſcitur, defenſione muniti, Creatori noſtro Domino laudes debitas referamus.*

Lab. Conc. t. 4. 1649.

Chalc. Act. 6. 629.

Lab. Conc. t. 4 1644.

ANNO U. C. 1279. PER. JUL. 5239. JUL. 571. DOM. 526. JUSTINI 9. *Sol.* 3. D. *Lun.* 14. *Indict.* 4. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 4. *P.* 19. *April.*

ANNO DOM. 526.

COS. *Olybrius ſolus.*

Tempus vaſtatæ à terræ motu Antiochiæ.

I. ANtiochenæ civitatis ſchiſmatibus, hæreſibus, pallentibus moribus corruptæ, tandem Dei juſtitia conſurgit in pœnam, ut domus ipſæ quaſi tantâ contagione corruptæ, flammis abolerentur. Verùm antequam lamentabilem caſum retulerimus, tempus cladis eſt accuratè conſtituendum, quod ab Evagrio ſic indicatur: *Anno imperii Juſtini ſeptimo, menſe decimo, menſis Artemiſii, quem Maium Romani vocant, die nono ac vigeſimo, feriâ ſextâ Hebdomadis, æſtu meridiei ferventiſſimo, ſuccuſſio & terræ motus urbi ſupervenientes, pene univerſam proſtraverunt.* Quæ criteria ſimul pugnant. Etenim anno Juſtini ſeptimo, Maji viceſimus nonus *ſexta feria* non cohærebat. Litera Dominicalis fuit E. Cyclus Solis II. Epactæ Solaris III. quia Juſtini ſeptimus eſt Domini DXXIV. decimo Julii ſcilicet currens, ad uſque nonum anni DXXV. Initium ergo Maius duxit à die Jovis, proindeque in ſimilem diem incidit menſis hujus nonus & viceſimus. Aſſignata igitur ab Evagrio Criteria non elapſum ſane, ſed labentem annum afficiunt, inſignitum Cyclo Sol. III. D. Epacta Solari IV. quibus Maji & primus, & XXIX. feriæ ſextæ aſſignantur. Itaque mendum eſt in Evagrio, qui quem Juſtini *ſeptimum* vocat, *octavum* dicere debuit. Deceptus ab Evagrio Baronius cladem Antiochenam in annum DXXV. retulit. Annus ille quidem Juſtini fuit ſeptimus, ſed inchoatus, cujus terminis Maius, qui ad annum Juſtini ſeptimum pertinet, includi nequit. Itaque Chronologici characteres apertè Baronium arguunt erroris. Nullis ſanè fidibus, aut machi-

Evagr. l. 4. c. 5.

Bar. An. 525. n. 13.

Error Baronii.

ANNO DOM. 526.

machinis anno Domini DXXV. Maji viceſimus nonus in ſextam feriam duci poterit. Marcellinus quoque Baronianam Chronologiam refellit, noſtramque firmat, qui ad Conſulatum non Philoxeni, & Probi, ſed Olybrii cladem Antiochenam memorat: *Olybrio Conſule totam Antiochiam Syriæ civitatem repens, inter prandendum terræ motus invaſit.*

Gravis Antiochiæ calamitas.
Evagr. l. 4. c. 5.
Marcellin. Chron.

II. Ingens ea clades fuit, cujus magnitudine urbs inſignis, totiuſque caput Orientis penè in cineres abiit. Terræ motum ſecutus eſt ignis, quaſi calamitatem cum illo partitus eſſet. Quæcunque enim loca à ſuccuſſione, & terræ motu ſubverſa non fuerant, ignis depaſcens, in cinerem & favillas redegit: *Occiduam urbis, magnamque ejus partem ſiniſtris mox ventis undique flantibus, flammaſque coquinarum pro tempore æſtuantes ruentia in ædificia miſcentibus, duplex tarridumque exitium importavit.* Sic coinſurgebant in miſeræ urbis everſionem elementa omnia. Trecenta hominum millia eo motu periere, ſi Procopio fides. Quodque magis dolendum, periit *Euphraſius* Patriarcha ruinâ oppreſſus, quo funere aucta calamitas, cùm nemo ſupereſſet, qui res neceſſarias provideret. Qua ratione periit Euphraſius, tradit in Chronico Marcellinus: *Euphraſium quoque totius urbis Epiſcopum, adempto ejus capite, combuſta ſimul obruit ſepulchro, obeliſco Circi inverſo, & humi defoſſa.* Prodigium de Zozima narrat Evagrius, cujus fides ſit penes Autorem. Quo tempore ſubvertebatur Antiochia, *repente mutato vultu ingemiſcens, atque altum ſuſpirans, tantam lacrymarum copiam effudit, ut ſolum madefaceret. Simul thuribulum popoſcit, perque univerſum locum, in quo ſtabant, thus adoleviſſet, humi ſe proſtravit, precibus ac ſupplicationibus Deum placaturus.* Sciſcitanti Arcelao, viro virtutibus magis ſuis, quàm geſtis muneribus inſigni, quidnam eſſet, quòd adeò turbaretur, reſpondit, *Fragorem ruentis Antiochiæ auribus ſuis modò inſonuiſſe.* Funera Antiochena gravi luctu Juſtinus Imperator proſecutus eſt. Diademate poſito, & pullâ veſte ſumptâ, luctui ſe dedit. Urbs regia Principem ſuum imitata, nigris induta veſtibus, ingentem & calamitatem luxit. Juſtini dolorem fuſius narrat Miſcellanea: *Iſta de clade Antiochena cùm Juſtinus Imperator accepiſſet, præ dolore ſacco induitur, aſpergiturque cinere: exutus purpurâ, & diademate, multos dies in lecto ſedens, ſolitarius tranſegit, etiamſi dies feſti adeſſent, quibus ſolitus eſſet cum ſplendore procedere ad Eccleſiam, poſteà verò magnâ vi auri miſeris præſtò fuit.* Euphræmii Comitis Orientis diligentiâ proviſum eſt, ne ſemimortuæ urbi ex rebus neceſſariis quidquam deeſſet. Dum Ephræmius in reparandis ædificiis diligentiam adhibet ſuam, viſum ei contigiſſe dicitur, quod fabulæ propius debet tamen referri: *Videt Epiſcopum dormientem, & ab ea ad Cœlum uſque pertingentem columnam ignis ipſi ſuperpoſitam.* Ignorabat Ephræmius, unum ex operariis, qui architectis miniſtrabat, *Epiſcopum* eſſe. Inerat ei *coma ſqualida, ſordida veſtis*, quaſi homini ad ultimam prorſus paupertatem redacto. Quærenti quiſnam eſſet, reſpondit Epiſcopus: *Unus ego ſum iſtius civitatis pauperum, nec habens unde me alam, in operas incumbo.* Cùm his credulus non eſſet Ephræmius, dato ſilentii juramento, à Præſule tandem verum extorquet: *Ego Epiſcopus ſum, & propter Deum relinquens Epiſcopatum meum, huc veni, ut ad ignotum locum. Verùm tu, quantum potes adjice ad eleemoſynam. Hiſce enim diebus Deus attollet te ad Apoſtolicum thronum hujus Theopolitarum Eccleſiæ, ut paſcas populum ſuum.* His auditis, exclamat Ephræmius: *Quantos occultos ſervos habet Deus, qui ipſi ſoli noti ſunt.* Hiſtoriæ fides ſit penes Autorem. Conſtat verò, Ephræmium anno labente ad Antiochenſem Epiſcopatum evectum eſſe.

Evagr. l. 4. c. 5.
Niceph. l. 17. c. 3.
Miſcell. l. 18.
Moſchus Cœl. c. 27.

ANNO DOM. 526.

Aliarum civitatum clades.

III. Calamitates Orientalis Imperii auxit nobilium quoque civitatum ruina: *Dyrrachium, quæ olim Epidamnus dicebatur, terræ motu ſubverſa eſt. Similiter & Corinthus, quæ ſita eſt in Achaia. Anabarzus quoque metropolis ſecundæ Ciliciæ, quartò id genus calamitatis experta. Edeſſa civitas Oſrhoena, maxima & opulentiſſima Scirti torrentis, qui eam præterfluit, inundatione ſubmerſa eſt, adeò ut plurima ædificia, & innumerabilis hominum multitudo aquarum vi abrepta, funditus interierint.* Eas Juſtinus urbes magnâ pecuniarum vi erogatâ inſtauravit, mutatoque Anabarzi & Edeſſæ nomine, ex ſuo deinceps Juſtinopolim eas vocari juſſit.

Evagr. l. 4. c. 8.

Mors Theodorici: ejus virtutes & vitia.

IV. Occidentalis Imperii nunc res attingamus. Extremum vitæ diem Theodorico Italiæ Regi annus attulit. Cujus obitus circumſtantias multis ignoratas Excerpta nos Valeſiana docuere, ad reſtituendam ſanè Chronologiam perquàm idoneas. Gliſcente quàm ſolitò magis magno erroris amore, Theodoricus facultatem Arianis concedit ſuis Orthodoxorum Baſilicas invadendi. Excerptorum audiamus Autorem: *Igitur Symmachus Scholaſticus Judæus jubente non Rege, ſed tyranno, dictavit præcepta die quartâ, feriâ ſeptimo Kal. Septembris, Indictione quartâ, Olybrio Conſule, ut die Dominico advenientè Ariani Baſilicas invaderent. Sed qui non patitur fideles cultores ſuos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum ſententiam Arii, autoris religionis ejus, fluxum ventris incurrit, & dum intra triduo evacuatus fuiſſet, eodem die, quo ſe gaudebat Eccleſias invadere, ſimul regnum & animam amiſit.* Periit Ravennæ Theodoricus die triceſimâ Auguſti, feriâ primâ. Emendetur ergo Baronius, qui Theodoricum ſecundâ Septembris exceſſiſſe tradit. Anaſtaſii quoque Chronologia rejicitur, qui Auguſti XXIV. Theodoricum ad fata veniſſe narrat. Verba ſunt Anaſtaſii: *Joannes defunctus eſt Ravennæ in cuſtodia XV. Kalend. Junii, Martyr. Poſt hoc factum nutu Dei omnipotentis nonageſimo octavo die, poſtquam defunctus eſt beatiſſimus Joannes in cuſtodia Theodoricus Rex ſubitò interiit.* Maji XVIII. Joannis quoque mortem alligat Reginæ Sueciæ Pontificum Catalogus, verùm defuncto Theodoricum dies duntaxat XLVIII. ſuperſtitem fuiſſe refert, quo caſu IV. Julii naturæ ſatisfecit. Cùm de ſupremo Joannis die ſibi non conſtent Hiſtorici, incerta prorſus regula eſt ad conſtituendum obitum Theodorici, quem ex Valeſianis Excerptis didicimus. Famâ populari deceptus Gregorius Tur. percuſſores à Theodorico in Italiæ regiones directos eſſe prodit: *Joannes cùm ad Epiſcopatum veniſſet, ſumma ſtudio Hæreticos execrans, Eccleſias eorum in Catholicas dedicavit. Quod cùm Theodoricus Rex comperiſſet, furore ſuccenſus, quia eſſet ſectæ Arianæ deditus, juſſit gladiatores per Italiam dirigi, qui univerſum quotquot inveniſſent, Catholicum populum jugularent.* Commentum hoc delent Excerpta Valeſiana: neque in Anaſtaſio, aut Miſcellanea ullum eſt hujus cruentæ perſecutionis veſtigium. Cæterùm inſigne, dum vitæ potiebatur,

Error Baronii.
Bar. An. 526. n. 10.
Greg. de Glor. Mart. c. 40.

ANNO DOM. 526.

tur, monumentum ſibi Theodoricus conſtruxerat, de quo mentio eſt in Excerptis: *Se autem vivo fecit ſibi monumentum ex lapide quadrato, miræ magnitudinis opus, & ſaxum ingentem, quem ſuperponeret inquiſivit.* Defuncto Odacro imperavit tres & triginta annos, tantâ felicitate, ſi tres ultimi removeantur, ut pax eſſet in Italiam pergentibus, cujus ad gloriam natus eſſe videbatur. Multis enim ornamentis eam decoravit. Extant adhùc glorioſiſſimi Principis optimæ Leges. Ut res Eccleſiæ tueretur, *Adila* Comiti ſcribit: *Beatiſſimi viri Euſtorgii Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel hominibus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis, tuitionem ſtudeas ſalvâ civilitate præſtare.* Neque excellens Reſcriptum eſt prætereundum, quo vectigalibus eximebantur illi, qui pauperibus miniſtrabant. Mediolanenſis Eccleſiæ defenſores unum ex negotiatoribus ſuis, qui emptoris officio fungeretur, publicis liberari oneribus flagitabant. *Fauſte* igitur Præpoſito hæc mandat: *Illuſtris & præcelſa magnificentia tua unum ex iis, quem ſibi viſi fuerint eligere deputabit, qui ita commercium negotiationis exerceat, quatenus nec monopolii, nec ſiliquatici, nec auraria aliquid penſionis impendat, vel quodlibet gravamen ex permiſſa nundinatione ſuſtineat.* Illud dolendum, quòd Princeps inter paucos numerandus, ſive moralium, ſive politicarum, ſive bellicarum ratio virtutum habeatur, Arianorum diſciplinæ adhæreret, quâ ſenſim in tyrannum mutatus eſt.

Caſſiod. Var. L. 2. ep. 29.

Caſſiod. Var. L. 2. ep. 30.

De Theodorico à Joanne Papa & Symmacho in ollam Vulcani jactato fabula refellitur.

V. Lætitiæ non minimum Orthodoxis attulit mors Theodorici, quæ perquàm opportunè accidit, ne Baſilicæ Catholicæ Arianis prædæ forent. Verùm non placent fabulæ, quibus Gregorius Magnus Dialogos ſuos contaminavit. Autorem bonus ille Pontifex laudat *Julianum*, Eccleſiæ Romanæ ſecundum defenſorem, à quo lepida hæc, & digna, quæ aniculis infantibuſque placeant, accepiſſe ſe memorat: *Theoderici Regis temporibus pater ſoceri mei in Sicilia exactionem Canonis egerat: & jam ad Italiam redibat, cùm navis appulſa eſt ad Inſulam, quæ Liparis appellatur. Et quia illic vir quidam Solitarius magnæ virtutis habitabat, dum nautæ navis armamenta repararent, viſum eſt prædicto patri ſoceri mei ad eundem virum Dei pergere, ſeque ejus orationibus commendare. Quos vir Domini cùm vidiſſet, eis inter alia colloquens, dixit: Scitis quia Rex Theodericus mortuus eſt? Cui illi protinùs reſponderunt: Abſit, nos eum viventem dimiſimus, & nil tale ad nos de eo nunc uſque perlatum eſt. Quibus Dei famulus addidit, dicens, Etiam mortuus eſt. Nam heſterna die, horâ nonâ inter Joannem Papam, & Symmachum Patricium diſcinctus & diſcalceatus, & vinctis manibus deductus in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus eſt. Quod illi audientes, ſollicitè conſcripſerunt diem, atque in Italiam reverſi, eodem die Theodericum Regem invenerunt fuiſſe mortuum, quod de ejus exitu atque ſupplicio Dei famulo fuerat oſtenſum.* Feſtivam Gregorii narrationem admittunt Baronius atque Petavius, quam nos rationis funera, pietatiſque ludibria eſſe putamus. Unus anonymus rei tam gravis momenti teſtis teverà Solitarius adducitur, qui ne vel in lite pecuniaria eſſet idoneus, divinis, humaniſque Legibus geminos ad fidem faciendam teſtes requirentibus. Neque Juliano, aut Gregorio id curæ fuit, ut diem nos docerent, quo Monachus de morte Theodorici affini Juliani nuncium attulit. Aſtutè, ne ſcilicet ex hiſtoriæ monumentis refelleretur. Verùm unde novit Monachus ille Liparienſis, reum, quem Joannes & Symmachus deducebant, Theodoricum eſſe, quem, ut vero ſit ſimillimum, de facie non noverat: indecorum quippe fuiſſet, *hominem diſcinctum & diſcalceatum* regiis adhùc inſignibus, ſceptro fulgere, purpurâ, atque coronâ. Fingamus tamen benè notos, & Joannis Papæ, & Symmachi Patricii, & Theodorici vultus Liparienſis Solitarii animo infixos eſſe. Quid cauſæ fuit, cur miſer ille Vulcani ad ollam deduceretur? Hoccine os inferorum, ut eo præcipitandus Theodoricus traheretur? Annon alia patebat, eaque compendioſior via, ut in Avernos lacus deturbaretur. In fabulis quidem Poëtarum legimus, certum locum eſſe, antrum ſcilicet horrendum, quo in Stygii Regis Imperia tendebatur:

Ceſſiod. Gregor. Dial. l. 4. c. 36.

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.

Æneid. l. 6. v. 237.

Hoc antro Sibylla furens ſe immiſit aperto, quam illicò ſecutus eſt Æneas:

Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.

Hic potius Theodoricus à Symmacho, Joanneque duci debuit, qui à ſuo Virgilio didicerant, ibi eſſe viam Erebi, quàm bonus ille Liparienſis Aſcera, Maronis ut videtur, ignarus, prorſus neſciebat. Nos, qui novimus, ex omnibus terræ partibus patentem ad inferos aditum eſſe, credere non poſſumus, jaciendum in flammas tartareas Theodoricum in ollam Vulcani raptum fuiſſe. Cùm vel in ipſa urbe Ravenna, ubi Theodoricus obiit, domus Ditis defuncto aperiretur. Itaque longis moroſiſque excurſibus opus nil fuit, ut in Liparenſem Inſulam tenderet. Ridemus forſan credulitati illudentes. Nunc ſuperſtitionem lugeamus, quæ de ſanctitate ſacrorum Codicum delibat. Nempe pietati non ſatis conſonum, quòd ſubinde poſt obitum Theodoricus ad vitam revocatus, ante ultimum judicium corpore in æternos ignes miſſus fuerit. Quod tamen prorſus admittendum, ſi Gregoriana narratio vera eſt. Quippe Theodorici non anima ſed ipſummet corpus ſolitarii ad oculos appulit: *Diſcinctus & diſcalceatus & vinctis manibus* Theodoricus deducebatur. Qui ſolutæ vinculis corporeis animæ ſtatus non fuit, quam diſcalceatam & vinctam manibus fingere delirium eſt. Corpore ergo & mente, ſi Gregorio credimus, Theodoricus æternis ſuppliciis addicitur. Quæ & Scripturæ, & veritatis injuria eſt. Denique in eo fabula innititur, quòd Symmachus eodem, quo Theodoricus anno mortuus eſt. Etenim ſi anno integro Theodorici obitum ille Symmachi antevertit, inſanum prorſus eſt, Symmachi animam expectaſſe tamdiu in terris, ut excederet Theodoricus; neque probabilius, illam ipſam animam Cœlo delapſam, ut ad deducendum Theodoricum lictoris officio fungeretur. Ut Gregorio ſuo patrocinetur Baronius, inquit Solitarii *viſum* fuiſſe: *Exiſtimare licet*, inquit, *oſtenſos in viſu illos* (Joannem ſcilicet, & Symmachum) *noviſſimè à* Theodorico *injuſtè damnatos.* Verùm enimverò viſum reſpuunt verba Gregorii, *Horâ nonâ inter Joannem Papam & Symmachum Patricium* Theodoricus *diſcinctus & diſcalceatus, & vinctis manibus deductus in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus eſt.* Viſi non meminit alicujus, aut ſomnii; rem geſtam narrat verbis expreſſis, & ſignificantibus. Neque mentali viſioni *Vulcani olla* neceſſaria fuit: *Horâ nonâ* Theodoricus

Bar. An. 526. n. 28.

Anno Dom. 526.

in Vulcani ollam jactatus eſt. Quid eſt factum narrare & affirmare, ſi hoc non eſt? De Dagoberto Francorum Rege ea narrantur, quæ Gregorianæ de Theodorico traditioni ſunt ſimillima: Nempè Joanni Monacho *apparuiſſe haud procul in pelago teterrimos ſpiritus, vinctum Regem Dagobertum in lembo per ſpatium maris agitantes, atque ad Vulcania loca inflictis deſuper vulneribus trahentes.* De eo viſo Natalis Alexander judicium protulit ſuum: *Viſio commentum exiſtimatur à viris eruditis ſtatis ſilentio Fredegarii, qui ſuum Chronicum ſcripſit poſt annos viginti à morte Dagoberti, aliiſque non infirmis momentis.* Quæ viſio ſi falſa eſt, cauſæ nil eſt, cur illa Gregorii de Theodorico verior credatur.

Du Cheſ. Geſt. Dag. p. 587.

N. Alex. H. ſec. 7. p. 198.

Athalaricus ab avo Rex dictus Theodorico ſuccedit. Cura Amalaſunthæ in filio inſtituendo.

VI. Morti proximus Theodoricus, Athalarico ſuo ex filia Amalaſuntha nepoti regnum reliquit: *Antequam exhalaret, nepotem ſuum Athalaricum in regnum conſtituit.* Fuſius rem Jornandes proſequitur: Theodoricus *convocans Gothos Comites, gentiſque ſuæ Primates, Athalaricum infantulum adhuc, vix decennem filium, filiæ ſuæ Amalaſunthæ, qui Eutharico patre orbatus erat, Regem conſtituit, eiſque in mandatis dedit, quaſi teſtamentali voce denuntians, ut Regem colerent, Senatum populumque Romanum amarent, Principemque Orientalem placatum ſemper, propitiumque haberent.* Annos duntaxat octo Athalarico aſcribit Procopius. Ea Principi necdum ephebis egreſſo felicitas contigit, ut matrem excelſi animi inſigniſque prudentiæ haberet auxilio: *Quamdiu hac imperio præfuit Romanorum, neminem vel corporis pœna affecit, vel rerum jactura. Quin etiam Gothos ipſos, etſi laceſſendorum Romanorum cupidos, his nullo pacto injuriam permittebat inferre, quin potius Symmachi & Boetii liberis paterna bona reſtituit. Animo præterea deſtinarat, Romanorum ex inſtitutis, ac Principum more vitam de cætero, ut filius duceret. Jamque ad literarium ludum hunc ut ventitaret, coëgerat, tribus Gothorum è Senioribus lectis, qui ſapientiâ cæteris & humanitate præſtarent, juſſiſque Athalarico continenter aſſidere, & una victitare.* Maternos affectus juſtâ prudentique ſeveritate Amalaſuntha temperabat. Itaque delinquentem in cubiculo puerum, frenandi & caſtigandi gratiâ manu quandoque percutiebat. Quod Gothis diſplicuit, qui ad ſe venientem & lachrymantem Athalaricum conſpicati, tam adeò moleſtè tulerunt, ut Amalaſunthæ licentius conviciarentur. Dicebant perveſſe hunc puerum perditum ire, ut mox ipſa alteri viro nubat, cum eoque Gothis ſimul, & Italiæ imperet. Miſſis ergo ad Amalaſuntham viris, qui facundiâ pollebant, queruntur, *nec rectè ſibi Regem, nec decenter erudiri.* Eruditionem longiſſimo intervallo à fortitudine, & magnanimitate abeſſe: ſcientiiſque animum effeminari potius, & ad timiditatem traduci. Principem, qui ad gloriam aditum ſibi quærit, Præceptoris jugo debere eximi, ut armis ſtudeat. Theodoricum, cujus omnes prudentiam mirabantur, exiſtimaſſe nunquam, Gothorum pueros Ludimagiſtris eſſe mittendos, quòd quos ferulæ metus jam invaſiſſet illi, gladios parvifacerent. Amandatis Pædagogis, pares ætate Athalarico dandos eſſe, qui eum ad virtutem, arteſque Principe dignas impellant. Hæc quantumvis ſibi moleſta, voluptati tamen eſſe, verita Barbarorum inſidias Amalaſuntha ſimulando profitetur, filiumque ſuum Gothorum arbitrio permiſit. Quæ res malè vertit. Quippe poſtquam pubertatem Athalaricus ingreſſus eſt, ſcortationibus temulentiâque mores adeò corrupit ſuos, ut vel matri contumacem ſe præberet.

Excerpt. Jorn. de Reb. Get. c. 59.

Proc. Goth. l. 1. c. 2.

Procop. de Bello Goth. l. 1. c. 2.

Variis Epiſtolis ſuam multis dignitatem Athalaricus ſignificat.

VII. Ubi avitum ſolium conſcendit Athalaricus, ſubditos de ſuâ dignitate ſuos monitum ivit. Literas ergo Senatui Romano direxit, quarum initium eſt: *Pleniſſimum gaudium conſtat eſſe P. C. cognoſcere dominantis exortum.* Ad eos direxit Cognomento *ſmarem* nobis Comitem, qui juraret ipſius nomine Legibus obſequium: *Quæ*, inquit, *inviolabiliter ſervare cupimus, quod publicâ autoritate promittimus.* Ad populum quoque Romanum ſcripſit: *Si vos externus hæres imperii ſuſcepiſſet, dubitare forſitan poteratis, ne quos prior dilexerat, invidendo ſubſequens non amaret.* Nunciat etiam, ſuum Principatum tanto gaudio ſuſceptum fuiſſe, ut Theodoricus fatali ſorte ſubſtractus non videretur. Similis penè tenoris ſcripta Romanis per Dalmatias, Italiamque conſtitutis dirigit. Suos quoque Gothos adit Epiſtolâ: *Avus noſter nos hæredes regni ſui Deo ſibi imperante ſubſtituit, ut ſucceſſione ſanguinis ſui, beneficia vobis a ſe collata faceret eſſe perpetua. . . Cujus ordinationi adhuc eo ſuperſtite in Regia civitate, ita ſacramenti interpoſitione cunctorum vota ſociata ſunt, ut unum crederes promittere, quod generalitas videbatur optare.* Liberio quoque Galliarum Præfecto Prætorio mandat, ut qui in Gallis ſuæ ditioni ſubjiciebantur, Gothorum, Romanorumque exemplo ſe novo Principi fidos pollicerentur. Sed Provincialibus per Gallias conſtitutis hæc mandat: *Ut Gothi Romanis præbeant jusjurandum, & Romani Gothis ſacramento confirment, ſe unanimiter regno noſtro eſſe devotos.* Quid plura? Victori Epiſcopo ſcripſit Epiſcopo, Theodoricum adhuc in ſucceſſore, nepoteque vivere: *Favete nunc orationibus ſacris, noſtris libenter auſpiciis, ut Rex cæleſtis humana nobis regna confirmet, gentes externas atterat, peccata abſolvat, conſolidet & conſervet propitius, quod parentibus noſtris dignatus eſt præſtare glorioſus.* Juſtini quoque requiſivit amicitiam. Extat quidem Athalarici Epiſtola ornata Juſtiniani nomine. At in veteribus ſchedis legi nomen Juſtini, ab eruditis monemur. Et vero propius eſt, Theodorici nepotem avitorum conſiliorum memorem, ubi regium ſolium conſcendit, miſſâ Conſtantinopolim legatione Juſtini ſibi favorem conciliaſſe: *Perpendite*, inquit, *quid à vobis mereatur ſucceſſor bonorum. Vos avum noſtrum in veſtra civitate celſis curulibus extuliſtis. Vos genitorem meum in Italia palmatâ claritate decoraſtis. Deſiderio quoque concordiæ factus eſt per arma filius.*

Caſſiod. Var. L. 8. ep. 2.

Caſſiod. L. 8. ep. 3.

Caſſiod. L. 8. ep. 8.

Caſſiod. Var. L. 8. ep. 1.

Ephræmius Antiochiæ Epiſcopus creatur.

VIII. Rebus Eccleſiæ nunc tradamus animum. Ruinis obrutus Antiochenis *Euphraſius* Patriarcha, vacuam ſucceſſori Cathedram reliquerat. Miſerrima erat Eccleſiæ conditio, quæ orba ſuo Paſtore manum non inveniebat, quæ manantes ex oculis lachrymæ abſtergerentur, miſeriſque præberentur ſolatia. Clementiâ Chriſtus ſuis afflictis ſuccurrit, excitato *Ephræmio*, Orientis Comite, qui cùm omni curâ & diligentiâ providiſſet, ne ex rebus neceſſariis quidquam civitati deeſſet, cunctorum in ſe oculos animoſque convertit. Ipſum ergo mirati, Epiſcopum communi ſuffragio conſtituunt: *Igitur Ephræmius Apoſtolicam Sedem tanquam præmium & mercedem ſuæ erga urbem illam providentiæ ſortitus eſt.* In ea dignitate conſtitutus, propagandæ pietatis amore abundavit. Qua de re mira, & ferè mira in Moſchi legitur Hiſtoria, cujus veri-

Evagr. l. 4. c. 6.

veritatem præſtare nolumus. Audivit Ephræmius Stylitam eſſe de Severianorum grege, in Hieropolitana regione commorantem. Quem conventum rogat cum Orthodoxis communionem inire. Reſpondet Stylita: *Ego Synodo non communicabo temerè.* Rogat pertinacem Ephræmius, quâ via ſibi oſtendi vellet, Eccleſiam ſordibus erroris eſſe liberam? Tum Stylita: *Accendamus ignem, Domine Patriarcha, & ingrediamur ego atque tu, quique illæſus exierit, is Orthodoxus eſt, eumque ſequi debemus.* Præſuli condimo placuit. Dixit igitur aſtantibus: *Benedictus Dominus, afferte huc ligna.* Quæ cùm ante columnam accenſa eſſent, Stylitam ad deſcenſum invitat, ut juxta decretum ambo in ignem ingrederentur. Repugnante Monacho, quod geſtabat humeris omophorum, Patriarcha in medium ignem projicit, additis precibus, ut veritatem oſtendere Deus dignaretur. Cumque ignis trihorio circiter permanſiſſet, omophorium ex igne ſalvum recipitur.

Moſc. Concil. c. 28.

Joannes Papa in carcerem ducitur: ibi moritur.

IX. Peractâ apud Imperatorem legatione ſuâ, Joannes Romanus Antiſtes in Italiam revertitur, regiis donis à Juſtino onuſtus, de quibus hoc habet Anaſtaſius: *Juſtinus Imperator obtulit patenam auream cum gemmis, penſantem libras viginti, calicem aureum cum gemmis, penſantem libras* v. *Scyphos argenteos quinque, pallia auro texta quindecim, quæ ipſe Joannes detulit Apoſtolis beatiſſimo Petro & Paulo, & ad S. Mariam & ad S. Laurentium.* Cæterùm benigno Theodorico Joannes reverſus non excipitur. Quâ ratione exceptus ſit, Excerpta monemur: *Revertens igitur Joannes Papa à Juſtino, quem Theodoricus cum dolo ſuſcepit, & in offenſa ſua eum eſſe jubet: qui poſt paucos dies defunctus eſt.* In carcerem ductum fuiſſe Joannem, non tradit Autor iſte, Joanni ſuppar, quod tamen in aliis Autoribus ſcriptum legitur: *Rex Theodoricus Hæreticus cum grandi dolo, & odio ſuſcepit Papam Joannem, & Senatores, quos etiam gladio voluit interficere, ſed metuebat indignationem Juſtini Auguſti, quos tamen in cuſtodiam omnes afflictos tradidit, ita ut beatiſſimus Joannes Epiſcopus primæ Sedis Papa in cuſtodia afflictus deficiens moreretur.* In carcere etiam Joannem obiiſſe, prædicat tam Adonis Uſuardique, quàm Romanum Martyrologium. Quod de vitæ ſpatio à Joanne poſt reditum acto, Excerptis de Theodorico non ſatis conſentit: *Natalis S. Joannis Papæ, & Martyris, qui à Theodorico Rege Ariano Ravennâ evocatus, ibique propter orthodoxam fidem in carcere diu maceratus, vitam finivit.* Excerpta verò memorant, quòd *poſt paucos dies* Joannes defunctus eſt. Cæterùm de ſupremo Joannis die variant Autores. Roſvedi vetus Calendarium Joannis obitum alligat Maji XXVIII. *Quinto Kalendas Junii Joannis Papæ.* Quem ipſius quoque morti diem aſſignat Adonis Martyrologium: *Quinto Kal. Junii, Natalis S. Joannis Papæ,* Martyrologium verò Romanum ſecundum Uſuardum, pridie Joannem ad fata veniſſe tradit, ſexto ſcilicet Cal. Junias. Citius naturæ ſatisfeciſſe, in Anaſtaſio legitur: *Joannes defunctus eſt Ravennæ in cuſtodia* XV. *Cal. Junii.* De die conſentit & Catalogus Reginæ Sueciæ, ut difficillimum ſit, certam de ſupremo Joannis die notitiam ſibi comparare. Sufficiat ergo de menſe ultimo nos inſtrui, quem prælucentibus Scriptoribus *Maium* dicimus, quo ad plures abiit Joannes, labente tertio ſui Pontificatus anno. Cùm corpus ipſius efferretur, miraculum

Anaſtaſ.

Martyr. Rom. 27. Maji.

contigiſſe ferunt, cujus fides ſit penes Autorem: *Euntes populi ante corpuſculum ejus, ſubitò unus de turba arreptus Dæmonio cecidit. Et dum perveniſſet cum lectulo, ubi lectus erat uſque ad hominem, ſubitò ſanus ſurrexit, & præcedebat in exequias. Quod videntes populi & Senatores, cœperunt reliquias de ejus veſte tollere. Sic cum ſummo gaudio populi deductum eſt corpus ejus foris civitatem.* Quæ tradita ab Excerptorum Autore prætermittere noluimus. Romæ ſepultum Maji vigeſimo ſeptimo monuit Anaſtaſius, quæ forte cauſa fuit, cur Joannis obitus dies huic aſſignaretur: *Joannis corpus tranſlatum eſt de Ravenna, & ſepultum eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli ſub die ſexto Kal. Junii Olybrio Conſule.* De Joanne gravis error videtur clariſſimi du Pin, aſſerentis, Joannem Primum cognomento *Catelinum* fuiſſe: *Jean, ſurnommé Catelin, ſi l'on en croit Evagre.* Atqui Joannes Catelinus ille eſt, qui poſt Vigilium ſedit: teſtemque damus Evagrium: *Joanne igitur, qui & Catelinus dictus eſt, poſt mortem Vigilii Epiſcopatum Romanæ urbis adminiſtrante.*

N. Bibl. p. 45.

Evagr. l. 4. c. 39.

Cur Joannes Papa vexatus à Theodorico?

X. Quænam cauſa Theodoricum impulerit, cur Joannem ex ſua legatione redeuntem tam aſperè tractaverit, in quæſtione ponitur. Quam ſic Baronius ſolvit. Quod Italiæ Epiſcopos hortatus ſit Joannes, *adverſus Arianos fidem defendere, Eccleſiaſque ab eis uſurpatas, ſacro ritu Catholicas reddere.* Neque enim inficias id totidem verbis in Epiſtola legi, quæ Joanni tribuitur. Nos verò, qui pro ſpuria Epiſtolam habemus, uti mox probatum ibimus, huic acquieſcere rationi non poſſumus: neque eam & attulit ſive Adonis Martyrologium, ſive Miſcellanea: *Natalis S. Joannis Papæ, quem quia Orthodoxus erat, & à Juſtino Imperatore Orthodoxo Conſtantinopolim veniens, glorioſè ſuſceptus fuerat, Theodoricus Rex Arianus revertentem in Ravennam, in cuſtodia tenens, ad mortem uſque cum aliis æque Catholicis viris perduxit.* Similia tradit Miſcellanea: *Theodoricus malitiâ commotus, quòd cum Juſtinus Catholicæ pietatis defenſor honorificè ſuſcepiſſet, eum ſimul cum ſociis carceris afflictione peremit.* De indignatione Theodorici in Joannem ob ſcriptas Italiæ Epiſcopis literas Veterum quidem nulli ſuboluit. Regi ergo iram eò commotam fuiſſe putamus, quòd verebatur, ne Joannes ob Imperatore honorificè exceptus, ad eum deficeret, modiſque omnibus tentaret urbem Imperio Romano reſtituere, uti Boëthius cogitarat. Gratum id fortè Joanni videbatur, ne Sedes Petri, orbiſque olim caput Ariano, Barbaroque Principi ſervire cogeretur. Joannis opera numerantur multa, quæ Eccleſiæ fuere commodo: *Fecit cœmeterium B. Martyrum Nerei & Achillei, via Ardeatinâ. Item renovavit cœmeterium Felicis & Adaucti, item renovavit cœmeterium Priſcillæ, viâ Salariâ.*

Bar. An. 526. n. 4.

Adon. Martyr. 28. Maji.

Miſc. l. 16.

Anaſtaſ.

Joannis Papæ Epiſtolæ ſubdititiæ ſunt.

XI. Extant geminæ Epiſtolæ, Joannis ornatæ nomine, quæ Baronio, Petavio, N. Alexandro germanæ ſunt: nobis verò notæ putantur. Prior Zachariæ Archiepiſcopo dirigitur, de non accuſandis Epiſcopis, quia *oves, quæ Paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, debent, & nullatenus accuſare poſſunt.* Data eſt XV *Cal. Novembris, Maximo & Olybrio, viris clariſſ. Coſſ.* Quæ omnia mercium Mercatoris odorem ſpirant. Neſcire quidem Joannes non potuit, Olybrium anno labente Collegæ expertem fuiſſe, & cum Maximo, qui annum DXXIII. aperuit, Oly-

Q q q q 3 brium

ANNO DOM. 526.

brium non poſſe conjungi, cùm Maximus Faſtos ſolus reſerarit. Denique conſtat Epiſtola laciniis Zachariæ Papæ Primi, Innocentii, Proſperi, Synodique Romanæ, ſedente Symmacho celebratæ. Poſterior, quæ dicitur Joannis Epiſtola ad Italiæ Epiſcopos, monitum eſt de fide Catholica adverſus Arianos defendenda, deque Eccleſiis eorum ſacro ritu conſecrandis: *Eccleſias Arianorum ubicùnque inveneritis, Catholicas eas divinis precibus, & operibus abſque ulla mora conſecrate, quia & nos quando fuimus Conſtantinopoli tam pro religione Catholica, quàm & pro Regis Theodorici cauſa, & negotiis, ſuadente atque hortante, Arianoſque extirpante, piiſſimo atque Chriſtianiſſimo Juſtino Orthodoxo Imperatore, quaſcunque illis in partibus eorum Eccleſias reperire potuimus Catholicas, eas Domino opem ferente conſecravimus.* Data eſt *tertio Idus Junii, Maximo & Olybrio, viris clariſſimis Coſſ.* Egregiis hiſce monumentis innixus Baronius, Joannis adverſus Arianos pugnas comminiſcitur: mirum etiam ni fabulantes nobis exhibeant, Epiſcopos Italiæ, ut ſuo Pontifici morem geſtum irent, Arianorum Eccleſias ſibi aſſerentes. Hæc verò pura pura ſomnia ſunt, quæ à veritate & hiſtoriæ, & Chronologiæ relinquuntur. Monuimus jam, Conſularem notam eſſe falſiſſimam, nullumque annum reperiri, quem ſimul Maximus & Olybrius reſerarint. Ridiculum etiam, quòd Joannes poſt ſuum ex Oriente reditum *tertio Idus Junii* Epiſtolam condiderit, utpote qui labente Maio vitæ curriculum morte confecerit. Eſt & illud falſiſſimum, quòd Arianos *extirparit* Juſtinus, dum Joannes Conſtantinopoli verſabatur. Longè diverſa narrat Miſcellanea, quæ temerè rejiciuntur, cùm legationi Joannis ſint prorſus conſentanea: Legatorum *fletibus permotus, eis quod petebant conceſſit, Arianoſque ſui juris reliquit.* Miſcellaneæ aſſentitur & Anaſtaſius: *Papa Joannes, & Senatores religioſi omnia meruerant, & liberata eſt Italia à Rege Theodorico.* Falſum ergo, quòd Joannes in Oriente Eccleſias Arianorum conſecrarit. Quo fungi quidem officio non potuiſſet abſque fraude atque perfidia, cùm ratione legationis, quam ſuſceperat, pacem Arianis impetrare teneretur, ut promiſſis ſuis ſtaret. Denique ſimili Epiſtolâ Joannes Italiæ Epiſcopos ad ſeditionem inflammaſſet. Furentis quidem non Paſtoris hæc verba ſunt: *Eccleſias Arianorum abſque mora conſecrate*: cùm nec ratio, nec prudentia ſinat, Baſilicas, quæ regiâ autoritate muniuntur, & defenduntur, ſuis poſſeſſoribus eripi. Neque eò proceſſit inſaniæ Joannes, cui vis & potentia Theodorici probè nota fuit, ut ad invadendas Arianorum Eccleſias Italiæ Epiſcopos impelleret, quo præpoſtero ſanè mandato graviſſimæ in Orthodoxos perſecutioni anſam præbuiſſet. Sic non Arianorum Baſilicas Epiſcopi ſuæ ditioni comparaſſent, qui ſuas potius amiſiſſent.

Miſcell. l. 15.

Interpontificium Joanne mortuo. Felix Papa ei ſucceſſit.

XII. Extincto Joanne, Interpontificium fuit, cujus diuturnitas non ſatis eſt explorata. In MS. Reginæ Sueciæ legitur: *Ceſſavit Epiſcopatus dies decem.* Eſt tamen Anaſtaſii Chronologia veroſimilior: *Ceſſavit Epiſcopatus dies* LVIII. ſed & diutius regnaſſe Interpontificium, probabilius exiſtimamus. Conſtat enim, magnos de eligendo novo Pontifice motus in Eccleſia Romana exortos eſſe, qui Theodorici autoritate componi debuere, qui ſuffragio ſuo Felicem creavit. Hoc nos Athalarici monuit ad Senatum Epiſtola: *Gratiſſimum noſtro profitemur animo, quòd glorioſi Domini avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem viſus eſt Pontificem delegiſſe, ut nulli meritò debeat diſplicere, ut agnoſcatis illum hoc optaſſe præcipuè, quatenus bonis Sacerdotibus Eccleſiarum omnium religio pullularet. Recepiſtis itaque virum, & divinâ gratiâ probabiliter inſtitutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc priſtinâ contentione teneatur.* Legatum Athalarico *Publianum*, virum illuſtrem miſere, qui ſignificaret, ſe aſſenſos eſſe regiæ voluntati, Felicemque ad Pontificatum electum eſſe. Natione Felix *Samnius erat, ex patre Caſtorio.* Quo die Pontificatum adierit, nobis non liquet. Baronianæ quidem Chronologiæ calculum album addere non poſſumus, qui Julii XXIV. pro Natali Felicis habet. Quippe dies ille feriæ *ſexta* cohærebat, cum Pontificum Romanorum ordinationes die Dominico, non Veneris de more peragerentur. Neque poſtridie ejus diei octavo Cal. Auguſti, ut vult Onuphrius, Felix inauguratur, quia hæc ordinatio ſeptimæ feriæ cohæſiſſet, vi literæ Dominicalis D. quæ annum regebat. Nec recipienda Anaſtaſii Chronologia, Felicis conſecrationem Julii XV. aſſignantis, quæ feria quarta fuit. Julii XII. Pontificatum induiſſe Felicem Schelſtratus exiſtimat, non repugnante die, qui ad primam feriam pertinebat. Si noſtram proponere ſententiam licet, menſe Auguſto jam adulto Felicem inauguratum eſſe, eò conjecturam facimus, quòd Senatus legatio de Felicis ordinatione ſignificanda, defuncto jam Theodorico Ravennam pervenerit, ut Athalarici literis liquet. Obiit autem Theodoricus Auguſti trigeſimo. Quòd ſi Felix menſe Julio ordinatus fuiſſet, diu ſatis Theodorici ante obitum *Publianus* Ravennam perveniſſet. Labente quarto Pontificatus anno Felix exceſſit.

Caſſiodor. Var. l. 8. ep. 15.

Bar. An. 526. n. 22.

ANNO DOM. 527.

ANNO U. C. 1280. PER. JUL. 5240. JUL. 572. DOM. 527. JUSTINIAN. 1. ATHALARICI 1. & 2. *Sol.* 4. *C. Lun.* 15. *Indict.* 5. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *April.*

COS. *Mavortius ſolus.*

I. DEſuncto Vitaliano, vaſta ipſius potentia ad Juſtinianum Comitem redierat, cujus regimen Aulicis erat gratiſſimum. Aditum ergo Imperatorem rogant, ut Juſtinianum ſibi Collegam aſciſceret. Rem Zonaras refert: *Juſtiniano poſt Vitaliani cædem Magiſtro Militum creato, rerum omnium adminiſtratio ei incumbebat. Cùm autem Principes aliquando Imperatorem orarent, ut Magiſtrum Militum Collegam aſciſceret, purpurâ prehenſâ vobis, inquit, optandum eſt, ne hanc junior aliquis induat. Ac tum quidem preces eorum ſic eluſit. Illi verò parvo tempore interjecto, nobiliſſimi titulum Juſtiniano decreverunt, & ab Imperatore impetrarunt, ut id Decretum ſuis literis comprobaret. Neque multò pòſt in valetudinem incidit ex vulnere cruris, morboque in ſpe vitæ dubia invaleſcente, Patriachâ Epiphanio, & Primoribus advocatis, Juſtinianum nepotem Imperatorem decernit, & ſuis manibus ejus capiti diadema imponit.* Calendis Aprilis labentis anni Juſtinianus Imperator creatus eſt, cùm Juſtinus, ſi accuratè putemus, annos octo, menſes totidem,

Juſtinianus Juſtiniani Collega aſſumitur. Cur? Mors Juſtini. Quamdiu vixit?

Zonar An. l. 14. 60.

dies

dies tres & viginti in adminiſtranda Republica condidiſſet. Purpuram quippe ſumpſerat Julii non *nono*, ut Evagrius Chronicumque Alexandrinum habent, ſed *decimo*, cùm Anaſtaſius non exceſſerit ante ſeptimum Idus Julias, ut ex Cyrillo Scythopolitano, Marcellinoque audivimus. Aprilis igitur primus, quo Juſtinus Collegam aſſumpſit, ab ineunte ipſius imperio, annos octo, menſes totidem, dieſque tres & viginti exhibet: ut errori Evagrius eripi nequeat, dum ſcribit: *Cùm Juſtinus annum imperii octavum tranſegiſſet, ac præterea menſes novem, & dies tres Juſtinianus ſororis ejus filius unà cum illo imperavit, Auguſtus nuncupatus Kal. Aprilis.* Fruſtra quidem Pagius Evagrio auxiliaris adeſt. Concedamus, ſi lubet, *primum* Juſtini *menſem, qui nono Julii cæpit, incompletum numerandum eſſe.* Dies tres nullo ſanè veſtigio reperiri poſſunt, quos Evagrius ad uſque primum Aprilis numerat. Poſt aſſumptum ſibi Collegam Juſtinus diu terras non incoluit, cùm primo Auguſti fata impleverit, miſeræ vitæ reliquias trahens. Quod Chronicum refert Alexandrinum: *Intereà accidit, ut Imperator Juſtinus ex ulcere pedis, quod ex ictu ſagittæ in bello natum eſt, extingueretur, Auguſti die primo ſub horam diei tertiam.* Cyrillus quoque in vita Sabæ hæc habet: Juſtinus *Juſtinianum Imperatorem promovet,* ϗ τεσσάρων μηνῶν διελθόντων, *ac elapſis menſibus quatuor vivendi finem fecit.* Emendetur ex Græcis error verſionis, ortus Librariorum incuriâ: *ac poſt tres menſes.* De quadrimeſtri regno, quod cum Juſtiniano Juſtinus tenuit Alexandrino, conſentit Marcelli Chronicum: Juſtinus *Juſtinianum ex ſorore ſua nepotem, jam dudum à ſe nobiliſſimum deſignatum, participem quoque regni ſui, ſucceſſoremque creavit Kal. Aprilis, ipſe verò ab hac vita diſceſſit anno imperii* IX. *menſe* II. Fallitur tamen Marcellinus, qui putat, Juſtinum de anno regni ſui decimo menſes duos delibaſſe. Ad verum propius accedit Evagrius: *Juſtinus ex hoc regno ad cæleſte Imperium migravit, fatali morte defunctus, primo die menſis Loi, id eſt, Cal. Auguſti, cùm imperaſſet unà quidem cum Juſtiniano menſes quatuor; in univerſum verò tam ſolus quàm cum Collega, per annos novem ac dies tres Imperium obtinuiſſet.* Quanquam in eo quoque calculo error deprehendatur. Dies quippe viginti ſummæ huic addi debuere. Itaque regnando annos novem, dieſque tres & viginti Juſtinus exhauſit, incluſo Auguſti primo, qui ei mortem attulit. Natus erat anno CCCCL. ut ex Chronico Alexandrino colligitur, dum Juſtino annos 77. vindicat.

Evagr. l. 4. c. 9. — *Vita Sab. c. 68.* — *Evagr. l. 4. c. 9.*

Juſtini mores. Fuit analphabetus.

II. Juſtinus Princeps quidem magnarum virtutum fuit; eas tamen imperandi cupiditate detrivit, quâ Vitalianum ambitioni ſuæ immolavit: creditiſque ſibi ab Amantio pecuniis, ut ad Imperium *Theocritus* promoveretur, ſuffragia Aulicorum empta in res ſuas vertit. Cæterùm ea horum temporum fata fuere, ut Principes ævi hujus illuſtriores, Theodoricus Italiæ Rex, & Juſtinus Orientis Imperator, literarum prorſus expertes, audirent analphabeti. De Theodorico id ex Valeſianis Excerptis jam eſt à nobis obſervatum. De Juſtino quidem id novum & inauditum videbatur: donec Procopii Anecdota in lucem prodirent, in quibus legimus: Juſtinus, *quod antehàc Romanis non evenit, adeò literarum expers, & quod dicitur analphabetus,* ut perpolitæ tabulæ primis quatuor ſui nominis literis inciſis, eâdemque tabellâ Libello ſuperpoſitâ, calamus atramento imperatorio tinctus, Juſtino in manum tradebatur, quem alii prænhenſantes, & per tabellæ inciſuras circumagentes, paginas ſubſignabant. Eandem quoque Juſtini ignorantiam accuſat Suidas, qui à Librariis corruptus, *Juſtinianum* pro *Juſtino* habet: *Juſtinianus Romanorum Imperator, rectiſſimè ſentiens de religione. Fuit autem omnium literarum imperitus, & quod vulgò dicitur, analphabetus.* Hæc in vulgatis editionibus. Verùm clariſſimus nos monet Noriſius, in Codice Vaticano pro Juſtiniano haberi Ἰουστῖνος, *Juſtinus*: ac veriſſimam lectionem eſſe, ex ipſo Suida colligitur. Indignus quippe eâ laude Juſtinianus, quòd *de religione rectè ſenſerit*, utpote qui Edictum condiderit, in quo Chriſti corpus ante Reſurrectionem eo modo affectum fuiſſe prædicat, ac fuit, cùm ad vitam eſt revocatum. Neque magis ſequentia Suidæ verba *Juſtinianum* attinent: *Hic & aureum triclinium in palatio condidit, & S. Paulum, quod eſt Orphanotrophium.* Quod opus in illis Juſtiniani non numeratur. Ædificium Juſtini Junioris hoc fuit, quem perperàm cum Juſtiniani deceſſore Suidas permiſcuit. Hinc tamen liquet, ea non Juſtiniano, ſed Juſtino à Suida eſſe vindicata. Cæterùm expertem eruditionis Juſtinum nativa quædam ſagacitas atque prudentia non deficiebat, quâ luce multâ Imperium eſperſit ſuum.

Procop. Anecd. p. 28.

Juſtinianus quis? Quos annos imperavit?

III. Illuſtre nunc Imperium ingredimur, quod multis egregiiſque facinoribus Juſtinianus nobilitavit. Gente Illyricus, *Sabbatium* patrem, *Biglenizam* Juſtini Auguſti ſororem, matrem habuit. Taureſii in Dardania lucem aſpexit; quo tempore non ſatis liquet. Annos natum XLV. Imperatorem ab avunculo dictum fuiſſe, in Zonara legimus. Juniorem Procopius innuit, dum tradit admodum juvenem ad gerendam Rempublicam acceſſiſſe. Ac omnes ferè militiæ gradus prius obiit quàm ad Magiſtri Militum dignitatem promoveretur, quod & Fortunatus cecinit:

De tyrone Duces veniunt, de milite Principes;
Ut reliquos taceam, Juſtinianus erat.

Fort. l. 10. carm. 25.

Sub annum DXIX. militibus præficitur. Cùm liberis careret ipſius avunculus, veluti ad ſpem Imperii alebatur. Cupienti obſtat Vitalianus, vir magnæ in Republica & potentiæ & dignitatis, omnium ferè votis ſummæ rerum jam præpoſitus. Id metuens Juſtinianus, autor fuit, ut ad ampliſſimum Magiſtratum Vitalianus eveheretur, ut graviore lapſu ruens, faſces ſanguine reſpergeret. Quò facilius incautum deciperet, promiſſâ ipſi & fide & amicitiâ, ad ſacram menſam ſanguinem, corpuſque Domini ſumpſit, quaſi hiſce pignoribus firma perpetuaque in fœdera veniiſſet. Religionis & juramenti ludibria hæc fuere, ambitionique Juſtiniani Vitalianus mactatur. Annum proximè ſequentem, Dionyſianum ſcilicet DXXI. Juſtinianus aperuit, eâque ratione variis honorum gradibus ad Imperium aſcendit. Erat enim Patricius Magiſter Militiæ, Conſularis, ac currente anno Dom. DXXVII. purpuram, cui inhiabat, primo Aprilis induit. Juſtinus in ſpe vitæ dubia conſtitutus, *Patriarchâ Epiphanio, & Primoribus advocatis, Juſtinianum nepotem Imperatorem decernit, & ſuis manibus ejus capiti diadema imponit. Cùmque populus in equeſtre theatrum conveniſſet, Juſtinianus coronatus ingreditur, & ab omnibus fauſtis acclamationibus exceptus, in regiam revertitur.* Calendis Aprilis Natale ſuum Juſtinianus affixit, Novellâ

Zonar. An. l. 14. p. 64.

ANNO DOM. 527.

vellâ 47. quæ ſanxit, ut Imperatoris nomen publicis inſtrumentis præponeretur. Ipſius verba ſunt: *Ex primo vero die ineuntis menſis Aprilis, quo Deus Romanorum nos Reipublicæ præfecit, duodecimum ſcribent.* Illum quoque diem, ut Juſtiniano Natalem, in Chronico conſignavit Marcellinus: Juſtinus *Juſtinianum regni ſui ſucceſſorem creavit Kal. Aprilis.* Cui conſentit in arcana Hiſtoriæ Procopius: *Suſcepere Principatum Juſtinianus ac Theodora, tertio ante feſtum Paſchatis die, quando ſcilicet nulli dicere ſalutem, vel pacem fas eſt.* Ut certe certòque lapſus ſit Theophanes, qui Juſtiniani inaugurationem in feſtum Paſchatis tranſtulit Aprilis IV. Neque explicatio Pagii videtur admittenda, alium ſcilicet coronationis, alium creationis fuiſſe diem, cùm referente Zonarâ, Juſtinianus ſimul & creatus, & coronatus fuerit. Neque duobus diebus utramque ceremoniam dividit Theophanes, qui introductam ab ipſo Juſtiniano Epocham deſerere non debuit. Imperium tenuit ad uſque Novembris diem XIII. labente anno DLXV. ut ſuo loco probatum ibimus. Itaque regnavit annos XXXVIII. menſes VII. dies XIII.

Juſtiniani mores.

Zonar. An. l. 14. p. 62.

IV. Juſtinianus variis Princeps moribus fuit, atque ex vitiis, virtutibuſque conflatus. Eò pertinent verba Zonaræ: *Fuit hic Imperator aditu facillimus, ad pœnam irrogandam æque promptus atque ad accuſationes audiendas: pecuniam & temerè profudit, & per fas ac nefas comparavit: aliam in ædificia, aliam ad exequenda conſilia ſua, aliam in rem bellicam, & conſumtiones eorum, qui voluntati ipſius averſabantur, inſumendo. Ita factum ut cum pecuniâ ſemper egeret, eam rationibus parum honeſtis compararet, ac gratiam haberet iis, qui colligendi argenti vias oſtenderent.* Ac ſi tamen ad pietatem impetus habere videbatur, quod innumeris Edictis teſtatum reliquit, quibus Eccleſiæ, & fidei, & diſciplinæ conſuluit. Quin etiam cultor religionis adeo vehemens fuit, ut ea jejuniis & vigiliis ſuis morbos & valetudinem ſibi contraheret: *Omnibus illis diebus, qui Paſchalem ſolemnitatem præcedunt, jejunio addictus, duram quandam vitam egit. Per duos dies cibis abſtinebat. Summo mane identidem è lecto ſurgens, Reipublicæ invigilavit, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus impendit. Nam in ſeram noctem lectum petens, mox ſurrexit, quaſi plumarum pertæſus. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abeſſe voluit. Agreſtes duntaxat herbas, longo tempore, ſale & aceto maceratas edebat. Potus aqua erat ſola, neque iis ad ſaturitatem utebatur.*

Procop. de Ædif. Juſtin. l. 1. p. 677.

Theodora Auguſta nuncupatur: ejus mores.

V. Ubi Juſtinianus rerum potitus eſt, illicò uxor ejus *Theodora* Auguſta appellatur. Ortu Cypria erat, quam à ſcenicis artibus & meretricio queſtu ad legitimas nuptias ob formæ excellentiam abductam, ad tantam dein potentiam evexit, ut ambitioſæ fœminæ miniſter potius, quàm Imperator videretur. De Theodoræ natalibus hæc in arcana Procopii Hiſtoria reperimus: *Acacius*, munere *Urſarius*, tres ſuperſtites ſibi filias reliquit, *Comitonam*, *Theodoram*, & *Anaſtaſiam*. Quas Veneti beſtiarum altoris officio præficiunt. Poſtquam Theodora ad maturitatem pervenit, ſcenæ deſtinatur, ſtatimque in proſtibulis, quas Antiqui *Planipedes* vocabant, collocatur. Cùm Hecebolio Pentapolis Præfecto placuiſſet, cum eo in eam regionem migrat, ac dein ab eo ob offenſionem exturbata, Alexandriam primùm, & Oriente dein peragrato, Byzantium ſe poſtmodum contulit. Ibi formæ ejus excellentiâ Juſtinianus capitur: *Erat Theodora venuſtâ facie, & alioqui pergrata, ſtaturâ brevi, pallore ſuffuſa modica ac temperato, acribus oculis.* A Juſtiniano in amoris præmium Patritiam dignitatem accipit, ac quoad vixit Euphemia Auguſta, quæ nuptiis reſiſtebat, ut amaſia Juſtiniano copulabatur. Defuncta Euphemiâ, eò Juſtinum Juſtinianus impellit, ut abrogatâ lege, uxorem ducendi meretricem licentia haberetur. Porrò Theodoræ mores corruptiſſimi erant. Cùm maritum potentiâ ſuperaret, novos varioſque queſtus ſolertiſſimè cogitabat. Alii ut perperàm de religione ſentientes mulctabantur, alii ut immodeſte petulanterque viventes, facultatibus ſpoliabantur: nonnulli ob contentiones inter ſeſe, pecuniæ emungebantur, eâque ratione non uni, ſed geminis inexplebilis avaritiæ Dominis Imperium ſerviebat.

ANNO DOM. 527.

Fueritne Juſtinianus Analphabetus?

Bar. An. 528. n. 2.

VI. Cæterùm antequam facta Juſtiniani Auguſtea recenſeamus, agitanda quæſtio eſt, num analphabetus, aut indoctus fuerit. Cui ſic perſolvit Baronius: *Cùm Juſtinianus homo fuerit prorsùs illiteratus, adeò ut nec alphabetum aliquando didiciſſet, cujus rei gratiâ, ut inquit Suidas, dictus eſt analphabetus, par eſt credere, omnes Eccleſiaſticas Juſtiniani Conſtitutiones Epiphanii fuiſſe Conſtantinopoli Epiſcopi*, &c. Re tamen accuratius penſitatâ, illuſtriſſimus Purpuratus paulò plus peritiæ Juſtiniano concedit, quem *non ſolùm legiſſe, ſed etiam ſuis literis ſubſcribere conſueviſſe* fatetur. Tantæ tamen liberalitatis pertæſus, ob quam maximas ei gratias Juſtinianus retuliſſet, analphabetis eximitus, rurſum craſſæ ignorantiæ maculam honori Juſtinianeo imprimit. Invectus enim aſperè in *Theodorum* Cappadocem, *Fecit*, inquit, *analphabetum Imperatorem, palliatum repente apparere Theologum.* Itaque Juſtinianus, qui ſuis ſaltem literis ſubſcribere poterat, quia ſic Baronio parum ſui memori placuit, *nunquam legere ſcivit, vel ipſum foris inſcriptum ſacrorum titulum Librorum.* Quam nos maximam & veritatis, & Juſtiniani injuriam eſſe putamus. Teſtimonium Suidæ, cui Baronius innititur, jam eſt à nobis explicatum, oſtenſo ad Juſtinum prorſus pertinere, Juſtiniani & avunculum, & deceſſorem. Quod Juſtiniani in ſacris peritiam maximè ſpectat, Baronium utique refellunt tam Juſtiniani ipſius, quàm *Poſſeſſoris* Afri Epiſcopi literæ. Cùm Scythiæ Monachi diſſidia ob eam quæſtionem moviſſent, unuſne de Trinitate in carne paſſus dici debuit, hiſce litibus Juſtinianus ſeſe immiſcuit, ſcriptâ ad Hormiſdam Epiſtolâ: *Verba videntur facere diſſenſionem: nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Sed & Fauſti Regienſis doctrinam Juſtinianus ſcrutatus eſt, Poſſeſſore rogato, ut de ea Hormiſdæ ſcriberet. Quem Poſſeſſor conſulit, quod *filii quoque Magiſtri Militum, Vitalianus, & Juſtinianus præcipue ſuper hac re Reſcripta beatitudinis veſtræ ſimiliter informari deſiderant.* Cui credibile fiet, hominem, qui ne vel ipſum foris inſcriptum ſacrorum Librorum titulum legere potuiſſet, in has arduas ſanè quæſtiones penitùs deſcendiſſe ad Pontificem Romanum literas ea de re miſiſſe, *Poſſeſſorem*que conſuluiſſe? Præthereà ut ad rebellionem Artabanum Arſaces potentius moveret, hæc de Juſtiniano ingerebat: Juſtinianus *& incautus ſemper, & ſine cuſtodibus, nugando & fabulando* ad

Bar. An. 528. n. 3.

Bar. An. 551. n. 4.

Lab. Conc. t. 4. 1517.

Lab. Conc. t. 4. 1530.

Procop. de Bell. Goth. l. 3. c. 16.

Digitized by Google

ANNO DOM. 527.

ad multam noctem ſedet, circumſtantibus ſacratis quibuſdam, & effœta ætatis viris, Chriſtianorum ſcriptis miro ſtudio revolvendis intentus. Cùm in maximis occupationibus Juſtinianus nunquam intermitteret ſtudia Theologica, eâne craſſâ ignorantiâ laborabat, ut ne vel ſacrorum Librorum titulos legere poſſet? Quin etiam cò peritiæ provectus eſt Juſtinianus, ut libros conderet. Teſtis Liberatus, qui eo imperante floruit. Petentibus Theodori, Ibæ, Theodoriti damnationem Juſtinianus annuit: *Et relinquens operis ſui ſtudium, unum in damnationem trium Capitulorum cudidit librum, pro delictis noſtris, novis omnibus notiſſimum.* Quis unquam homini analphabeto librum aſcripſit? De Juſtiniani eruditione audiatur & Victor Tununenſis, qui cum illo de religione diſputavit: *Anno* XXVIII. *Imperatoris ejuſdem. Muſicus, Brumaſius, Donatus & Chryſonius Epiſcopi de Africa, & Victor ac Theodorus Epiſcopus, ſimiliter ex Ægypto ad urbem regiam imperiali præcepto evocantur. Qui dum eidem Juſtiniano Principi præſentes præſenti, & poſtea Regiæ urbis Epiſcopo altercantur, novæ ſuperſtitioni reſiſtunt, ab invicem ſegregati, per Monaſteria ejuſdem urbis cuſtodiæ mittuntur.* Quis unquam analphabetum cum Theologis diſputantem audivit. Agapetus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus egregia Juſtiniano monita ſuggerit, quorum XVII. hæc habet: *Noſtris temporibus oſtenſum eſt proſpera vitæ tempus, quod prædixit quidam ex Veteribus futurum, cùm vel Philoſophi regnabunt, vel Reges philoſophabuntur. Nam tum philoſophando digni habiti regno eſtis, tum verò regnando à Philoſophia non deſciviſtis.* Egregium verò Philoſophum, qui eſſet analphabetus! Laudibus quidem ejuſmodi Juſtiniano Agapetus illuſiſſet. Satiſne teſtium? Addatur & ipſe Juſtinianus in ſuo contra Capitula Edicto: *Et hæc quidem ſufficiebant ſupra memoratas, & aliis noſtris libris inſertas probationes, quas protulimus, oſtendentes, quòd oportet etiam poſt mortem Hæreticos condemnari.*

Liberat. cap. 24.

B. M. P. t. 9. 792.

Chlodomiris filii à patruis occiduntur.

VII. Oriente relicto, Gallias petamus, Anno vel elapſo, vel labente *Clotarius* pupillorum Chlodomeris fratris filiorum ditioni inhians, initis cum Childeberto conſiliis, innocentes crudeliter occidit. Horrendam lectu hiſtoriam poſteris mandavit Gregorius Turonenſis, quam ſummatim referemus. Nepotes ſuos Chrotildis, Chlodovei relicta, amore tenerrimo proſequebatur. Veritus ergo Childebertus, ne tanto patrocinio ad regnum promoverentur, nuncios ad Chlotarium clancularios mittit, qui eum invitarent, ut Luteriam veniret, conſilium capturus, quid de Chlodomeris filiis fieret. Chlotarius abſque mora Luteriam advolat. Rumorem ſpargi Childebertus juſſerat, convenire fratres, de filiis Chlodomiris ad regiam dignitatem evehendis. Chrotildi confeſtim certi mittuntur, nunciaturi, pueri dirigerentur, ad ſummam rerum promovendi. Falſâ lætitiâ tum correpta Chrotildis, filium, quem lugebat, è morte atque tenebris, ad lucem revocatum videre ſibi videbatur, ſubſtitutis in defuncti parentis locum nepotibus ſuis. Ubi patruorum in manus pueri pervenere, illicò ad Reginam cum gladio, & forcipe legatur Arcadius, qui triſtem ei optionem daret: *Voluntatem tuam, ò glorioſiſſima Regina, filii tui, domini noſtri expetunt, quid de pueris agendum cenſeas, utrùm inciſis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari.* Illa nuncio exterrita, confeſtim exclamat, mortuos malle ſe, quàm tonſos. Quæ regibus poſtquam relata ſunt, Chlotarius furore accenſus, *Theobaldum* decennem, natuque majorem, humi proſtratum, immiſſo crudeliter in axillam gladio interficit. Guntharius junior Childeberti ad genua cadens, flendo vociferabatur: *Succurre, piiſſime pater, ne & ego peream, ſicut frater meus.* Cujus tam immitem animum ſeptennis pueri vox ea ad miſericordiam non adduxiſſet? Childeberti ex oculis jam manabant lachrymæ, puero vitam concedi flagitantes. Additæ preces, promiſſa etiam pro pueri ſalute munera. At barbari Chlotarii mens immota manet: id unum loquitur, Mitte puerum, *aut pro eo morere.* Cur, rei inceptor à fide reſilis? Repulſus ergo Guntharius, adacto in latus gladio transfigitur: educatores etiam cum regiis pueris morte mactantur. Tertius erat Chlodomiris filius, nomine *Chlodovaldus*, qui à viris fortibus percuſſorum manu eripitur, qui amputatis ſibi capillis, Presbyter poſtquam adolevit creatus eſt, non ſine laude ſanctitatis. Tanti ſceleris ſecurus Chlotarius, quaſi re benè geſtâ, carnificis auctus titulo, conſcenſis equis diſceſſit. Corpora nepotum ſuorum feretro compoſita, immenſo luctu ad Petri Baſilicam uſque Chrotildis proſequitur. Chlodomeris regnum fratres inter ſe æquâ lance diviſerunt. Id conſilium agitabant, propoſitâ regiorum puerorum tonſurâ, ut ad privatam fortunam redirent amotâ Principatus notâ, ut ea Agathia colligitur: *Nefas erat Francorum Imperatoribus, comam tondere, ſed à pueris intonſi manent: atque adeo ut à tergo his defluant crines, nam à fronte diſcriminati utrinque feruntur. Nec ſanè Turcarum more, aut Barbarorum, impexi & ſqualidi ſordidiveſque capilli his ſunt . . . ſed varia his ſuper infundunt unguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idque perinde præcipuum & regium decus conſtitutum eſt, ſolis ut Regibus permittatur. Nam ſubditi circumtonſi ſunt omnes, nec prolixior his coma conceditur.* Non igitur de pueris inter Monachos collocandis Chlotarius Childebertuſque cogitabant. Id unum flagitabant, ut comâ depoſitâ ad privatos relegarentur.

ANNO DOM. 527.

Gregor. Tur. l. 3. cap. 18.

Agath. l. 1. c. 5.

Carpentoractenſis Synodus.

VIII. In Gallia verſantibus res Eccleſiaſticæ à *Carpenteractenſi* Concilio nobis ſunt tractandæ. A Cæſario Arelatenſi congregatur VIII. *Idus Novembr.* Mavortio Conſule. Epiſcopis XVI. conſtabat, quorum hæc ſunt nomina: *Cæſarius*, qui Synodo præfuit; Contumelioſus, Eucherius, Lupercianus, Conſtantius, Alethius, Julianus, Proſper Vindemialis, Porcianus, Heraclius, Philagrius, Uranius, Cyprianus, Gallicanus, Principius, qui modeſtiæ cauſâ aſſumunt plerique Peccatoris titulum. Unicus ab eo Conventu Canon eſt conſtitutus, de eo ſcilicet, quod Parrochiis eſt à Chriſtianis collatum. Canonis verba hæc ſunt: *Quia Carpenteracte convenientes, hujuſmodi ad nos querela pervenit, quod ea, quæ à quibuſcumque Fidelibus parrochiis conferuntur, ita ab aliquibus Epiſcopis præſumantur, ut aut parum, aut prope nihil Eccleſiis, quibus collata fuerant, relinquatur, hoc nobis juſtum & rationabile viſum eſt, ut ſi Eccleſia civitatis ejus, cui Epiſcopus præeſt, ita eſt idonea, ut Chriſti propitio nihil indigeat, quidquid parrochiis fuerit derelictum, Clericis, qui ipſis parrochiis deſerviunt, vel reparationibus Eccleſiarum rationabiliter diſpenſetur.* Quòd ſi parrochiarum lar-

ANNO DOM. 527.

gjores facultates ſunt, quod Clericis, reparationibuſque ſufficiat, reſiduum Epiſcopo, cui expenſæ multæ ſunt faciendæ, reſervetur. Sequente anno *in vico Vaſenſi, octavo Idus Novembr.* Synodum indicunt. Epiſtolâ quoque *Agræcium* Epiſcopum Antipolitanum adeunt, cujus abſentiam cenſurâ vexant nonnullâ, cùm adeſſe debuiſſet, ut ordinationis, quam feciſſe dicebatur, rationem redderet: *Quapropter hoc communi in Chriſto deliberatione ſancimus, ut quia filium noſtrum Protadium ſtatuta Canonum per vos inſerta, & vos ſimul ſententiâ conſtringunt, uſque emenſo anno Miſſas facere non præſumat.*

Lab. Conc. t. 4. 1663.

IX. Superatis Alpium jugis, quid rerum in Italia gereretur, paucis inſpiciamus. De Clero Romano Diaconus à *Sajo* in carcerem ductus fuerat: Presbyter quoque hujus Eccleſiæ pro levibus, ut dicebant cauſis, *criminaliter impetebatur.* Quæ res Eccleſiam urbis male habuit. Inveteraverat mos quidam, Principum Chriſtianorum favore introductus, *ut ſi quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervientem, aliquâ crederet actione pulſandum, ad ſupra dictæ civitatis Antiſtitem negotium ſuum dicturus occurreret, ne Clerus forenſibus litibus profanatus, negotiis potius ſecularibus occupetur.* Illatam ergo & conſuetudini, & Clero Romano injuriam queſti, Libellum ſupplicem ſuum offerunt Athalarico, qui Legem promulgat: *Conſiderantes Apoſtolicæ Sedis honorem, & conſulentes deſideriis ſupplicantium, præſenti auctoritate moderato ordine definimus, ut ſi quiſpiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſſimi Papæ judicium prius conveniat audiendus. Ut aut ipſe inter utroſque more ſuæ ſanctitatis agnoſcat, aut cauſam delegat, æquitatis ſtudio terminandam. Et ſi fortè, quod credi nefas, competens deſiderium fuerit petitoris eluſum, tunc ad ſecularia fora jurgaturus occurrat, quando ſuas petitiones probaverit, à ſuprà dictæ Sedis Præſule fuiſſe contemptas.* Hinc luce clarius eſt, Pontificio Romani tribunal ſummum non fuiſſe, cùm ab ipſius judicio ad Judices Regios provocatio permitteretur.

De litibus Clericorum Lex Athalarici. A judicio Papæ provocaſſe.

Caſſiod. Epiſt. l. 8. 42.

ANNO DOM. 528.

ANNO U. C. 1281. PER. JUL. 5241. JUL. 573. DOM. 528. JUSTINIANI 1. & 2. ATHALAR. 2. & 3. *Sol.* 7. B. A. *Lun.* 16. *Indict.* 6. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 26. *Mart.*

COS. *Juſtinianus Auguſtus II.*

I. IMperii ſui initia & munificentiæ, & regiæ urbi ornandæ Juſtinianus conſecrari voluit; Calendis Januariis *tantam vim pecuniæ ſparſit in populum, quantam nullus unquam ante Imperator in Conſulatu ſparſerat.* Quid verò labente anno decoris Conſtantinopoli additum fuerit, prodit Marcellinus: *Regium veſtibulum, priſcumque in eo ſolium, ob aſpicienda probandaque in Circo certamina ſtructum, Victor Juſtinianus Princeps eminentius, clariuſque quam fuerat, & utramque Senatorum ex more ſpectantium porticum, ſolitâ magnanimitate redintegravit, bonis quidem agitatoribus præmium, ignavis autem ſeveritatem inſinuans.* Regiæ urbis annus numerabatur CXCVIII. Nova quoque magnificentiæ ſuæ ſpecimina edidit. Suburbium è regione Conſtantinopolis, Sycas prius appellatum, inſtauravit, addito jure civitatis, nominoque *Juſtinianopolis.* Excitavit de pontem, per quem Sycis Conſtantinopolim pedibus iri poſſet. Abſolvit & publicum balneum, quod Anaſtaſius Imperator in Dagiſthæis cœperat. Candidæ & Meticolum, Baſilica *Illy*ciſt. *maam magnam*, in quam Arcadianum aquæductum valuit immittere.

Juſtinianus Circum magnificentiorem facit.

Chr. Alex.

Marcellin.

ANNO DOM. 528.

Chr. Alex.

II. Intentum ædificiis Juſtinianum exciet *cruento Bellonæ flagello.* Cavadem urebat, Tſathii Colchorum Principis factum, qui anno DXXII. Symmacho & Boethio Coſſ. coronam Juſtini manibus ſuſcipere voluerat, quæ ex antiquo more à Perſarum Rege imponi debuit. Aliis Cavades diſtractus bellis, indignationi ſatis facere ſuæ necdum potuerat. Labente anno occaſionem nactus, Tſathium bello adoritur, ut nos Chronicum Alexandrinum monet: Juſtiniano II. Conſule, *Perſæ Tſathio Lazorum Regi bellum intulere, quòd ad Romanos ſe contuliſſet. Quare Tſathius miſſo Legato, ſupplex rogavit Juſtinianum auxilio. Miſit ergo imperator exercitum cum tribus Ducibus, Beliſario, Cyrice, & Irenæo Pentadiæ. Commiſſo prælio, magna pars Romani exercitus caditur. Indignatus Juſtinianus contra Duces, quòd per æmulationem ſeſe mutuò prodidiſſent, & alter alterius conſilia Perſarum Regi prodidiſſet, exauctoratis ſubſtituit Petrum Ducem, ex Imperatoris notum, qui accepto exercitu, aggreſſus cum Lazis Perſas, magnum eorum numerum interfecit.* Iniqua igitur videtur Baronii in Cedrenum cenſura, eadem cum Alexandrino Chronico referentem. Neque illuſtriſſimo Purpurato Procopius præſidio eſt, qui belli hujus non meminit, ſed illius, quod in Iberos Cavades intendit imperante Juſtino. Cùm impar reſiſtendo eſſet *Gurgenes*, Iberorum Princeps cum uxore, filiis, fratribus, Optimatibuſque Lazorum in fines confugerat, quibus regionem cuſtodire ſuam nolentibus præſidium Juſtinus miſerat. Cui cùm vix initio neceſſaria miniſtraſſent, deincepſque prorſus negaſſent, revocato præſidio Lazorum regionem Perſæ nullo negotio receperant. Hæc Procopius. Quæ non ad Juſtiniani regnum pertinent, cujus initia Cholchicum bellum nobilitavit. Verè ut dicamus, Baronii de bello Perſico Chronologia omninò perturbata eſt, quòd anno DXXVII. affixit, Mavortio Conſule, biennii prochroniſmo, Marcellino teſte, qui Conſule Decio, anno DXXIX. narrat, Parthis bella moventibus Romanos exercitus arma paraſſe.

Juſtinianus Tſathio Lazorum Regi fert ſuppetias: belli eventus.

Chr. Alex.

Bar. An. 527. n. 55.

Error Baronii.

Procop. de Bell. Perſ. l. 1. c. 8.

III. Faciles ad excidium urbis Antiochenæ terræ motus novam veteri cladem addidere. Ephræmii curâ è tenebris ad lucem revocari incœperat, cùm biennio ſexque menſibus poſt horrendam, quam imperante Juſtino ſucceſſionem paſſa fuerat, Novembris XXIX. iterum concutitur. Cladis meminit Evagrius: *Elapſis triginta menſibus terræ motibus* Antiochia *denuò quaſſatur.* Perduravit concuſſio horam integram cum incredibili mugitu. Corruerunt ædificia noviter extructa: periere homines 4870. Unum ſiſtendæ cladi reperitur remedium, cùm vir pius hæc verba foribus inſcribere præcepiſſet: *Chriſtus nobiſcum, ſtate.* Hinc partum novum civitati nomen, quæ *Theopolis* eſt appellata. Reſarciendæ omni curâ & diligentiâ Juſtinianus proſpexit.

Antiochia terræ motu concutitur: Theopolis nomen accipit.

Evagr. l. 4. c. 6.

Niceph. l. 17. c. 3.

IV. Nec minorem Juſtinianus diligentiam adhibuit, ut graſſantes hæreſes opprimeret. Itaque promulgat Edictum, quo & veram fidem firmaret, & Hæreticos pœnis afficeret. Adhærens

Juſtinianus fidem Edicto firmat.

ANNO DOM. 528.

Cod. l. 1. Tit. 1. l. 5.

rens ergo Apoſtolorum, Eccleſiæque traditioni, hæc ſtatuit: *Credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unam eſſentiam in tribus hypoſtaſibus, ſeu ſubſiſtentibus perſonis adoramus unam Deitatem, unam poteſtatem, Trinitatem Conſubſtantialem. In ultimis autem diebus confitemur unigenitum Dei Filium, Deum de Deo, Filium ex Deo ante ſecula, & ſine tempore, ex Patre natum, coæternum Patri, ex quo omnia, & per quem omnia, deſcendiſſe de Cœlis, incarnatum eſſe, &c. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, anathematizamus omnem hæreſim, præſertim verò Neſtorium Anthropolatram, dividentem unum Dominum noſtrum J. C. Filium Dei, & Deum noſtrum . . . . Neque verò Neſtorium ſolùm, & Eutychem mente captum, phantaſiam inducentem, negantem autem veram ex ſancta ſemper Virgine & Deipara Maria Incarnationem . . . Simili modo & Apollinarem animicidam, ſeu Pſychophtoron . . . ſed & omnes, qui idem cum eis ſentiunt. Si enim aliqui poſt hanc noſtram præmonitionem, certò & liquidò id cognoſcentibus & comperientibus locorum Epiſcopis Deo amantiſſimis, inventi fuerint poſthàc in contraria his opinione eſſe, nullam indulgentiam expectent veniam. Jubemus enim tales, tanquam confeſſos Hæreticos, competenti animadverſioni ſubjugari.* Hanc Juſtiniani Conſtitutionem cum anno ſuperiore Baronius copulat. Quæ noſtro judicio Chronologia non eſt accurata. Longè ſatius eſt, id Edicti anno labenti vindicare, ut ex Victore Tununenſi colligimus: *Juſtiniano Aug. Conſule, Orientales Eccleſiæ ejuſdem Principis Juſſione, quatuor Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam & Chalcedonenſem, præſentibus ſacrificiis, publicâ voce ſuſcipiunt.*

Epiſcopi abſque neceſſitate ad regiam urbem non accedant. Leges Juſtiniani.

V. Alias & Juſtinianus leges rogavit, ad diſciplinam Eccleſiæ cuſtodiendam idoneas. Dulce videbatur Epiſcopis, Eccleſiis ſuis relictis in regiam ſeſe urbem conferre. Quod ut ordini, decentiæque repugnans, auctoritate ſuâ impediendum eſſe, Juſtinianus exiſtimat. Reſcriptum ergo ſuum Epiphanio Archiepiſcopo miſit, datum II. Cal. Martias Conſtantinopoli: *Non decet aliquem ipſorum, vel qui in aliis Provinciarum civitatibus ſub Metropolitano ordinati ſunt, Epiſcoporum, ſecundum propriam voluntatem, abſque divina noſtra ſpeciali juſſione, relinquere quidem gubernatam à ſe ſanctiſſimam Eccleſiam, in hanc verò felicem commeare civitatem, qualiſcunque emergat res. Sed mittere huc oportet unum aut duos, ex ſibi ſubjecto pio Clero, & facere manifeſta noſtra pietati ea, quibus opus habent.* Qui violaverit Edictum, ſi Metropolitanus eſt, ab Epiphanio Patriarcha: ſi Epiſcopus, à Metropolitano excommunicatione ferietur. Mulctæ nil irrogatur

Cod. l. 1. Tit. 3. l. 43.

delinquenti, ne Eccleſiæ onerentur. Calendis Martii aliam tulit Legem, quam *Atarbio* Prætorio miſit, de Epiſcopis, ut illi ordinentur, quibus *nec liberi ſint, nec nepotes*, ut omnem cogitationem circa divinam Liturgiam Præſules conſumant. Neve de rebus ſuis teſtandi, vel donandi facultatem habeant, exceptis duntaxat his, quæ antè Epiſcopatum habuerunt. Defunctis Epiſcopis Eccleſiarum Oeconomi rationes reddant earum, quæ illis relictæ ſunt rerum. Noſocomiorum, Brephotrophiorum, Ptochotrophiorum Curatores licentiâ careant de acquiſitis rebus, poſt ſuſceptas hujuſmodi curationes quidquam in alios transferendi, exceptis quæ prius habuerant. Vetat etiam, ne quis Clericus per largitionem ordinetur. Sancit quoque, ut omnes Clerici per ſeipſos pſallant, nocturnâ, matutinâ, veſpertinâ, ne ex ſolo rerum Eccleſiaſticarum conſumptione Clerici appareant. Secus extra Clerum erunt conſtituendi.

ANNO DOM. 528.

Cod. l. 1. Tit. 3. l. 42.

Felicis Papæ ad Cæſarium Epiſtola.

VI. Dum in ordinandæ Eccleſiæ diſciplina Conſtantinopoli Juſtinianus invigilat, Romæ Felix IV. Pontifex literis providet ſuis, ne Laicorum aliquis ante probationem ad Eccleſiæ munia evehatur. Extat ea de re ipſius ad Cæſarium Arelatenſem Epiſtola: *Legi quod inter fraternitatem veſtram eſt conſtitutum, non licere ex Laica converſatione ad officium Sacerdotale ante probationem temerè promoveri: de qua re etiam ad nos pervenit opinio, aliquos poſt ordinationem ad vitæ ſecularis mores fuiſſe transgreſſos.* Allatis impediendo huic malo variis & rationibus, & Scripturæ lo-

Lab. Conc. t. 4. 1657.

cis, Felix ſummatim hæc præcipit: *Quapropter communi conſenſu, ſub obſervatione venerabilium Canonum ordinandum eligite Sacerdotem, ut de noſtra ſalute ſimus ſolliciti, & illorum utilitatibus conſulamus, qui fuerint ad hunc ordinem diligenter aſciti . . . . Data tertio Nonas Februarias poſt Conſulatum Mavortis, viri clariſſimi.* Baronius ex

Error Baronii.

mendoſa Conſulari nota deceptus, Felici tertio aſcripſit Epiſtolam, quam anno CCCCLXXXVIII. editam eſſe exiſtimavit. In Codice ſiquidem ad ſe tranſmiſſo legebatur: *Poſt Conſulatum Manlii Severini Boëthii.* Atqui non ante annum DIII. Arelatenſi Eccleſiæ Cæſarius Antiſtes impoſitus fuit: quo tempore Symmachus Romanam adminiſtrabat Eccleſiam. Reſtitutâ ope clariſſimi Sirmundi ex Codice Arelatenſi verâ lectione, diſcuſſæ ſunt tenebræ, errores fugati, germanoque parenti ſuo Epiſtola redditur Felici quarto, qui Juſtiniano iterum Conſule, anno DXXVIII. Epiſtolam confecit. Agebat tum Cæſarius annum Sacerdotii ſui XXV.

Duæ Felicis Epiſtolæ ſubditæ.

VII. Ex germana Felicis IV. Epiſtola naſcitur nobis occaſio, in duas inquirendi Epiſtolas, quæ huic Pontifici vulgò aſſignantur. Quas indubitanter ſubditis apponimus. Prior ad omnes Epiſcopos ſcripta conſtat binis capitibus. Primum, quòd Miſſarum celebratio alibi quàm in Deo dicatis locis non debeat fieri, niſi magna compulerit neceſſitas. II. Quid agendum cùm de Eccleſiæ conſecratione dubitatur. Data eſt Kalendis Martii, Lampadio & Oreſte Coſſ. Poſterior ad *Sabinam* directa eſt, in eaque laudat ſtudium ipſius in Eccleſiam, quòdque ſtirpis honores, vanamque pompam religioni poſthabeat. *Data eſt XII. Kal. Nov. Lampadio & Oreſte Coſſ.* Neutra germana eſt. Prior conſtat ex variis locis Epiſtolarum Leonis, ut certum exploratumque fiet, ſi in Epiſtolam & LIV. & XCII. conjiciantur oculi. Poſterior verò à Felice exarata eo tempore dicitur, quo Bonifacio jam deceſſerat. Exeunte quippe Octobri ſedebat non *Felix*, ſed *Bonifacius*.

ANNO U. C. 1282. OLYMP. 327. PER. JUL. 5240. JUL. 574. DOM. 529. JUSTINIANI 2. & 3. ATHALARIC. 3. & 4. *Sol.* 6. G. *Lun.* 17. *Indict.* 7. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *April.*

ANNO DOM. 529.

COS. *Decius ſolus.*

Cavades bellum Romanis infert.

I. GRave Perſarum cum Romanis bellum hunc in annum erupit. Odii jam præbuerant materiam res Tſathii, quod novus adhùc caſus inflammat. Cabades, qui filiorum natu minimo regnum tradere ſuum cupiebat, à

ANNO DOM. 529.

à Juſtiniano poſtulat, ut eum ſibi filium adoptaret, tutus eâ ratione firmius Choſroï regnum eſſe parandum. Suadente *Proclo*, qui Juſtiniano Quæſtor aſſidebat, repulſam paſſus Cavades, longè majus in Romanos odium concipit. Quod ut ſatiaret, infeſta arma movet. Tum Imperator infenſiſſimo hoſti obſiſtere ſtatuit. Atrox bellum verbo uno retulit Marcellinus, quo tamen ipſius initia nos docuit: *Decio ſolo Conſule, Parthis bella moventibus, arma Romanus paravit exercitus, fineſque ſuos rebellans tutatus eſt. Hæc expeditio noſtrorum penè per quinquennium tenuit.* Hinc apertè liquet, belli Perſici initium à Baronio perperàm in anno DXXVII. fuiſſe collocatum, biennii prochroniſmo. Perſis adjumento erat Alamundarus, Saracenorum Regulus, qui in primam Syriam impetu facto, ad locum uſque, qui *Litargus* nuncupatur, eam populatus complures morti miſit. Quod ubi Romanorum Optimatibus in notitiam venit, hoſtibus ſubinde obviam eunt. Quo comperto, Perſæ, Saracenique cum ſua præda mox ſeſe fugæ mandarunt. Contigit irruptio hæc XII. *Kal. Aprilium ſeptima Indictionis*, ut libro XVI. Miſcellaneæ legitur. Ut porrò Perſarum impetus cohiberentur, Juſtinianus ante omnia Beliſſario mandat, urbem apud *Mindonem* munire, locum, qui Niſibim euntibus ſiniſter eſt. Beliſſarius omni ſtudio & diligentiâ Imperatoria mandata executus, turrim multis fabris adhibitis inexpugnabilem conſtituit. Perſæ non verbis modò, ſed re etiam minitantur, ſe ædificationi interceſſuros. Beliſſario cùm copiarum non ſatis foret, ut Perſas inde amoveret, eò Cutzen, & Buzen, exercituum apud Libanum Præfectos Princeps tendere juſſit. Fratres erant ambo juvenes, nec ad pugnandum imbelles. Hoſtibus utrinque armatis ad ædificium conſiſtentibus, ad manus ventum. Perſæ victoriam adepti, Romanorum complures occidunt, alios capiunt, quorum unus Buzes fuit, perpetuis ſpeluncis includendos, turrimque ſolo exæquant. Tum Beliſarium Orientis Ducem conſtitutum, Juſtinianus ulterius progredi jubet. Additur ei Hermogenes, dignitate Magiſter, qui quondam Vitaliano adverſus Anaſtaſium rebellanti aſſeſſor fuerat. Rufinus Conſtantinopoli miſſus jubetur Hierapoli apud Euphratem ſe continere, donec quid agendum ab Imperatore moneretur. De pace tamen utrinque ſermones ferebantur, cùm Beliſario & Hermogeni ſubitò nunciatur, hoſtes parare ſe ad invadendam Romanorum ditionem, Daramque civitatem exſcindendam. Eò ſuperbiæ proceſſit *Peroſes*, Perſicorum Præfectus exercituum, ut miſſo Mirrhane nunciaret Beliſario, uti balneum ſibi pararet, in quo poſtridie ſeſe lavaret. Perſæ id fiduciæ indiderant militum, quibus abundabant, copiæ: quadraginta enim millia numerabantur, cùm ſoli viginti quinque mille ſtarent à partibus Romanorum. Victoriæ præludium fuit egregium Andreæ facinus, dum ſingulari certamine duos ex hoſtibus, qui Romanos ad duellum ordine provocabant, proſtratos occidit. Repetita Andreæ victoria Perſis metum incuſſerat, cùm milites mille, qui ſupplemento venerant, plus animi timentibus addidere. In pacem verò inclinatus Beliſarius, ad Mirrhanem ea de re literas mittit, quibus belli calamitates referebat. Pacis dulce nomen eſſe, rem ipſam ſalutarem. Contrà verò ſuperbâ nimis reſponſione Mirrhanes pacem repudiat: *Tuis literis perſuaſus profectò obtemperaſſem, niſi Romanorum Epiſtolæ fuiſſent, quibus promittere promptum eſt: promiſſis autem quanquam juramento firmatis, nunquam ſtare.* Poſterioribus etiam literis inſolenter admodum in urbe Dara, & balneum ſibi & prandium parari jubet. Pugnâ commiſſâ, ventus Barbaris adverſus, ſagittarum, quos torquebant, impetum frangebat. Laborantes ſiniſtro cornu Romani, ubi ad manus ventum eſt, Cadiſenis magnâ vi in eos invadentibus, fugam arripiunt. At qui cum Sunica & Agia erant Eruli, adorti Cadiſenos, eos diſſipant. Sequitur dein magna Barbarorum ſtrages, quorum in dextro cornu tria millia ceciderunt. Immortalium quos vocant Ducem *Barſemanem*, Sunicas interficit. Quo viſo, ſuperbus ille Immortalium titulus fugam ſiſtere non potuit, quos inſecuti Romani ad quinque millia interfecere. In eo tumultu hoſtium pedites projectis ſcutis, nullo ordine capti ac interfecti ſunt. Superbiæ verò ſuæ pœnas Mirrhanes anno DXXXI. dedit. Pluribus ſuorum apud Daras amiſſis, victus cùm ad Perſas ſe recepiſſet, maximâ à Cavade ignominiâ affectus. Ornatu ſuo, auro, margaritiſque inſigni, quo crines redimere ſolebat, privatur. Nullus verò apud Perſas annulum aureum monileve geſtare poteſt, niſi Rex conceſſerit. Hæc pro noſtro inſtituto de bello Perſico ſatis, ad utiliora cognitu tunc gradiamur.

Evagr. l. 7. c. 12.

Marcellin.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 10.

Juſtinianus Codicem inſtituit.

II. Dum armis Juſtinianus ſuis fines Imperii contra Perſas tuetur, jus civile, quo res forenſes dirigebantur, excoli voluit. Regium ipſius animum ea cogitatio ſubierat anno proximè elapſo, quo ad Senatum Conſtantinopolitanum ſcripſerat: *Hæc, quæ neceſſariò corrigenda eſſe, multis retrò Principibus viſa ſunt, intereà tamen nullus eorum ad effectum ducere auſus eſt: in præſenti rebus donare communibus auxilio Dei omnipotentis cenſuimus, & prolixitatem litium amputare, multitudine quidem Conſtitutionum, quæ tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, atque Theodoſiano continebantur.* Mentem hanc ſuam Idibus Februarii ſe iterum Conſule, Patribus Conſcriptis aperuerat. Gregorianus Codex Reſcripta Cæſarum ab Adriano ad Valerianum, Hermogenianus Conſtituta à Claudio ad Diocletianum, Theodoſianus latas à Conſtantino ad Theodoſium Juniorem uſque Leges continebat. Uno autem Codice tam memoratorum trium Codicum, quàm Novellas ſuo nomine Juſtinianus componi voluit. Operi condendo viros prudentiâ & dignitate inſignes præfecerat: *Joannem* virum excellentiſſimum, ex Quæſtore Palatii Conſulatem atque Patricium; *Phocam* virum eminentiſſimum, Magiſtrum Militum, Conſularem atque Patricium; *Baſilidem*, virum excellentiſſimum, ex Præfecto Prætorio Orientis, atque Patricium; *Thomam* virum glorioſiſſimum, Quæſtorem ſacri Palatii Exconſulem; *Tribonianum* virum magnificum, Magiſteriâ dignitate inter agentes decoratum; *Conſtantinum*, virum illuſtrem, Comitem ſacrarum Largitionum; *Theophilum* Comitem ſacri Conſiſtorii, juriſque in urbe Regia Doctorem; *Dioſcorum* & *Præſentinum*, diſertiſſimos togatos, fori ampliſſimi Prætoriani. His decem viris tantorum laborum faſtigium commiſſum eſt. Ex quibus nonnulli moribus ſuis poſteritati innotuere. *Joannes* Cappadociâ ortus, diſciplinæ omnis expers fuit, utpote qui ab initio malas literas, & has malè ſcribere didicerat, ſi Procopio fides; improbus, peſſi-

peſſimus, quem nec Dei, nec hominum obſervantia in officio retinebat. Urbes fortunaſque mortalium evertere ei curæ fuit, ex quo multas brevi opes conſecutus eſt. Ebrietati gulæque vomitibus occurrebat. Naturæ vi tamen omnium vehementiſſimus erat, ac noſſe oportuna idoneus. De *Triboniano* ambigua fama. Eum multis Procopius laudibus afficit. Vir erat moribus, & omnium artium diſciplinâ nulli ſecundus. Singulis diebus Leges aliquas aut antiquabat, aut condebat, ut ex uſu eſſe videbatur. Cæteras tamen virtutes avaritiæ nubeculâ obſcurabat. Alio Suidas penicillo Tribonianum pingit: *Tribonianus Macedoniani filius à Diagoris Hypatobis. Iſte Tribonianus fuit Græcus, & impius, à Chriſtianorum fide prorſus alienus, adulator & impoſtor, qui conabatur perſuadere Juſtiniano, eum non moriturum, ſed cum carne in Cœlos aſſumptum iri. Fuit autem Juſtiniani Quæſtor. Hic & ingenii facultate utebatur, & ad ſummam eruditionem pervenerat, nemine ſuæ ætatis inferior. Pecuniæ verò mirum in modum erat ſtudioſus, & quæſtûs causâ jus vendebat. Facundus cætera, & ſuavis erat, & avaritiæ morbum eruditionis amplitudine occultare aptiſſimè norat.* Phocas vir erat prudentiſſimus & ſervantiſſimus æqui, quem Præfectum Prætorio Juſtinianus poſtmodum conſtituit. *Baſilides* manſuetudine & æquitate inter Patricios clarus erat.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 19. & 21.

Suid. t. 2. 940.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 19.

Codex Juſtiniani.

III. Codicem, multâ curâ & ſtudio collectum, decem viri Imperatori labente anno obtulerunt, qui referente Chronico Alexandrino, Decio Conſule abſolutus, *publicâ autoritate probatur* XVI. *Kal. Apriles*: dein Mennæ Præfecto Prætorio dirigitur. Verba ſunt Principis: *Omnia quæ eis mandavimus, cum ſedula & pervigili induſtria, moderataque digeſtione, cum Dei auxilio ad proſperum tulerant terminum, & eundem novum Juſtinianeum Codicem nobis obtulerunt, ita compoſitum, ut & rebus profuturus eſſet communibus, & noſtro conveniſſet Imperio.* Aliis uti Codicibus in cognitionalibus certaminibus prohibet, *falſi criminis ſubdendis iis, qui contra hoc facere auſi fuerint.* Denique Mennæ præcipit, ut Codicem in omnes Imperii Provincias mittat, *ut eo modo ad omnium notitiam ejuſdem noſtri Codicis Conſtitutiones valeant pervenire, & ut extantibus feſtis diebus, id eſt, ex die* XVI. *Kalend. Maii præſentis, ſeptimæ Indictionis, Conſulatu Decii viri clariſſimi recitationes Conſtitutionum ex eodem noſtro Codice fiant. Datum* VII. *Idus Apriles Conſtantinopoli, Decio viro clariſſimo Conſ.* Hinc Chronologicus error Marcellino eximendus, qui ad annum Dom. DXXXI. hæc habet: *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis Codex Juſtinianus orbi promulgatus eſt*: biennii ſanè metachroniſmo. Porrò Codici Juſtinianeo novâ emendatione opus fuit. Itaque anno Dom. DXXXIV. Juſtiniano IV. & Theodoro Paulino Coſſ. ſecunda ipſius editio adornata eſt. Conſtat Codex libris XII. in quibus præclaræ Leges multæ, juris ſcientiam, Eccleſiæque diſciplinam ſpectantes continentur.

Cod. Juſt.

Samaritæ in Chriſtianos perſecutionem excitant.

IV. A rebus politicis ad Eccleſiaſticas tranſeamus. Graviſſimam in Palæſtina ſeditionem Samaritani adverſus Chriſtianos concitarunt. Gens odio ſuo indulgens, non ſemel piorum ſe ſanguine polluerat. Imperante Zenone tumultu ſubitaneo in Neapolitanam civitatem irruentes, multos Chriſtianorum, Pentecoſtes ſolemnitatem agitantium, in Eccleſia trucidarant, & Epiſcopum, *Terebinthum* nomine, ſacra obeuntem, gladio vulnerarant, reſectis manuum digitis. Qui Conſtantinopolim profectus, à Zenone impetrarat, ut pulſis Samaritanis, mons Garizim Chriſtianis reſtitueretur. Anaſtaſio rerum Domino, Samaritanorum nonnulli à muliercula perſuaſi, conſcenſo montis vertice, Templum ingreſſi, cuſtodes interfecerant. Fruſtra tamen ſuos in auxilium ſibi vocaverant, veritos ne tantum nefas meritis pœnis afficeretur. At malè diſſimulata rabies in Juſtiniani tempora gravius erupit. De perſecutionis hujus anno variant Autores. Chronicum Alexandrinum eam anno proximè futuro alligavit, quæ & Baronii Chronologia eſt. Peccat tamen unius anni metachroniſmo, ut ex vita Sabæ exploratum habemus, quæ notas & veſtigia temporis certa reliquit Samaritanæ perſecutionis hujus: *Ineunte anno, ætatis Patris noſtri Saba nonageſimo primo, ſanctus Abbas Theodoſius ſuum vita ſortitus eſt, menſe Januario, die undecimâ, ſenex ac plenus dierum. Quarto igitur poſt Theodoſii obitum menſe, Palæſtina Samaritani, gens tota, bello aggreſſi Chriſtianos, multa nefaria perpetrarunt, dum incidentes Eccleſias deprædantur, ignique tradunt, incurrentes Chriſtianos variis ſuppliciis crudeliter necant, integras villas incendunt, maximè in locis, quæ Neapolim cingunt, ubi tyrannide aſſumptâ Regem ſibi coronaverant Julianum quendam, ſuæ gentis hominem. Tunc certè Epiſcopum quidem Neapoleos Ammonam jugulavere, quoſdam verò Presbyteros comprehenſos, atque conciſos, unà cum reliquiis Sanctorum Martyrum frixerant, multaque hujuſmodi atrocitatis perpetrarunt, adeò ut via, quæ Regia vocatur, inacceſſa, ac impervia Chriſtianis fierent.* Natus eſt Saba anno Dom. CCCCXXXIX. menſe Januario: primus igitur & nonageſimus ipſius annus in labentem DXXIX. incidit, cui rebellio Samaritana eſt alliganda, quæ Maii undecimo exorta eſt. Baronius perturbatè admodum eam hiſtoriam tractat, utpote qui & rebellionis initia, & Juliani cladem, & Sabæ in urbem Regiam profectionem in unum annum conferat; quæ tamen ſunt duobus annis dividenda. Exortus rebellionis, morſque & Ammonis Præſulis, & Presbyterorum crudeliter mactatorum, ad labentem annum pertinet: mors verò Juliani tyranni, Sabæque Conſtantinopolitana peregrinatio anno DXXX. cohærent, qui VIII. Indictione regebatur. De Samaritanorum clade dicamus, ut uno tenore crimen, ſuppliciumque memoremus, reſervatâ ſuo tempori Sabæ ad Juſtinianum legatione, quæ fuſam ad ſcribendum materiam nobis ſuppeditabit.

Procop. de Ædif. Juſt. Or. 5. 329.

Error Baronii.

Vit. Sab. c. 70.

Julianus Samaritanorum Dux occiditur.

V. Ad Lampadii Oreſtiſque Conſulatum anno Dom. DXXX. geſtum, hæc apud Chronicum Alexandrinum legimus: *Hoc anno Samaritanis tumultuantibus, ſibique Regem, & Cæſarem creantibus, Irenæus Pentadius Dux exercitus miſſus eſt, qui multos interfecit. Quidam ex illis ſibi metuentes, urgente neceſſitate ſe ad Chriſtianam Religionem contulerunt, qui recepti ſacro fonte tincti ſunt, hodieque utramque religionem conſectantur. In ſpeciem quidem propter ſeveritatem Præſidum, ſe ſubdolè & perfidè Chriſtianos mentiuntur: nacti verò Magiſtratus avaros, & in Religione remiſſos, Samaritæ ſunt: peſſimèque oderunt Chriſtianos: itaque vivunt ac ſi Chriſtum neſcirent, & Provinciarum Procuratores pecuniâ corrumpunt, ut Samaritanis faveant.* Cæterùm non Irenæo Pentadiæ creditum Samaritanos ulciſcendi munus, ſed

Theodoro, & Joanni, ſi fides Cyrillo: cujus & narratio vero ſimilior: niſi forte in concordiam veniant Cyrillus, & Chronicum, ut Joannis Theodorique Legatum egerit Irenæus. Cyrillum audiamus, geſtorum teſtem penè oculatum. Quæ à Samaritis perpetrata fuerant, ubi Imperatoris ad aures pervenere, *Juſſi ſunt Theodorus, & Joannes, viri clariſſimi, exercitum cogere, & contra Samaritanos bellum gerere. Conflictu igitur facto, occiſus eſt Julianus, pariterque cum eo ingens Samaritanorum numerus. Tunc ſanè Silvanus, quaſi tempore pacis, Scythopolim abſque Imperatoris mandato ingreſſus, per Chriſtianos arripitur, atque in medio urbis comburitur. Et completa eſt erga illum ſancti Patris noſtri Sabæ Prophetia, quam in Epiſcopali æde ad Joannem Expellenti protulerat. Quidam porrò Arſenius, inenſi Silvani filius, qui illuſtris dignitatem obtinebat, tuncque Conſtantinopoli commorabatur, multumque neſcio unde aditum habebat, apud noſitum à Deo Protectum Imperatorem, & Theodoram Imperatricem, utriuſque pietatem falſis relationibus circumventam, in iram adverſus Chriſtianos Palæſtinæ habitatores concitavit.* Sic magnus ille tumultus Samaritanus, qui torrentis inſtar, magno fluentis impetu Palæſtinam inundaverat, anno poſtquam incœpit, ſedatus eſt.

Vit. Sab. c. 70.

Mors Abbatis Theodoſii. Quis? Error Baronii.

VI. Theodoſius Abbas, cujus mors perſecutionis Samaritanæ ortum nos docuit, ſilentio non eſt prætereundus, tum ob viri pietatem, tum ad reſtituendam Baronii Chronologiam, ſeptennii metachroniſmo laborantem. In Eccleſia *Cathiſmatis*, ſeu ſeſſionis aliquandiu verſatus, ſub Marino Monaſterii Photini conditore, & Loca Metopino, quos celebris ille Euthymius pietate informarat, ad perfectionem Monacho convenientem, provectus fuerat. Triginta ſtadiis locum à Laura diſſitum incoluit, ubi Cœnobium illuſtriſſimum extruxit. Itaque nomen ſibi adeptus eſt, Principis & autoris Cœnobiorum eremi, teſte Cyrillo in vita Euthymii, cap. 14. Non vitæ aſceticæ auſteritas, non incultorum locorum ſolitudo, non promiſſa barba, ſordidæque veſtes nativam ejus comitatem, hilaritatemque efferaverant. Cujus ſpecimen exhibet annus DXVIII. poſtquam revocatis à Juſtino Imperatore exulibus, Chalcedonenſis Synodus Diptychis inſerta eſt. Convivium inſtruxerat Joannes, Hieroſolymitanus Patriarcha, cui Theodoſius unà cum Saba accumbebat. Tunc Theodoſius ad Joannem & Antonium Aſcalonis Præſulem lepidè dixit: *Dominus Sabas adeò eſurit, ut ambo vos, qui poſt Deum Palæſtinam in hac potiſſimum fame paſcitis, magno labore contenderitis ad ſubminiſtrandum illi cibum.* Ludicra hæc: at anno DXVII. egregium facinus patravit, Anaſtaſio obſiſtens, qui ſpurciſſimum Hæreticum *Severum*, Antiochiæ Præſulem pro Orthodoxo exiſtimari volebat. Quippe præſente *Anaſtaſio*, Imperatoris Legato, ambonem cum Archiepiſcopo conſcendens Theodoſius, anathema Severo intonat. Poſtquam verò ex ambone ad populum reverſus eſt, hanc vocem emiſit: *Si quis quatuor Synodos non admittit, ſicut quatuor Evangelia, anathema ſit.* Ferunt, magnam illam ſuccuſſionem, quâ anno DXXVI. penè everſa eſt Antiochia, Theodoſio fuiſſe prænunciatam. Eò inclaruit ejus pietas, ut Cyriacus ipſius cilicium, veluti ſolidiſſimam loricam telis omnibus impenetrabilem induerit, ad bellum contra Perſas gerendum profectus. Theodoſii Abbatis obitum inſigni errore Baronius cum anno DXXXVI. copulat, ſeptennii metachroniſmo: *Vivebat adhuc quidem Theodoſius ipſe*, &c. Illuſtriſſimi Purpurati Chronologiam verbis expreſſis refellit Cyrillus: *Ineunte anno ætatis ſancti Patris noſtri Sabæ nonageſimo primo, ſanctus Abbas Theodoſius finem vitæ ſortitus eſt, menſe Januario, die undecimâ, ſenex ac plenus dierum.* Natus erat Sabas anno CCCCXXXIX. Theodoſio Auguſto XVII. & Feſto Coſſ. Primus igitur & nonageſimus Sabæ incepit menſe Januario anni DXXIX. qui Theodoſio mortem attulit.

Vit. Sab. cap. 09.

Vita Sabæ, cap. 64.

Vita Sab. c. 56.

Bar. An. 536. n. 51.

Vit. Sab.

Theodoræ perſecutio.

VII. Theodora Auguſta mulier impotens, Eutychianis erroribus imbuta, autoritatem adhibuit ſuam, ut ubique locorum phraſis ea, *unus de Trinitate paſſus eſt*, ſimpliciter reciperetur. Quod turbas movit in Eccleſia, id nos Victor Tununenſis monuit: *Decio V. C. Conſule, Theodora Auguſta factione unum de Trinitate paſſum non aſſerens, ſecundum quid, ſed abſolute ſuſcipiendum, cunctis generali lege imponit: & à Clericis atque Monachis ſubſcriptiones violenter exegit. Qua de cauſa plurimi ſe ab Eccleſia ſubſtraxerunt, & Monachi à propriis Monaſteriis receſſerunt, aſſerentes ſibi ſufficere fidem eorum, qui in præfatas ſanctas IV. Synodos convenerunt.* Sic muliebris ille novandi pruritus multis ob phraſim unam damnis affecit Eccleſiam.

Nicetius Trevirenſis Epiſcopus creatur. Ejus virtutes.

VIII. Dum hæc moventur in Oriente, in Occidente Eccleſia non ignobili Præſule ornata eſt. Is eſt *Nicetius*, quem Treverenſibus ſociis præfecit Theodoricus, Clodovei filius. Nicetii vitam conſcripſit Gregorius Turonenſis, ex quo hæc Annalibus inſerimus, non imperatâ in omnibus Lectorum fide: *Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore Clericus deſignatus eſt. Nam cùm partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis nudum cernebatur: in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam. Exinde à ſtudioſiſſimis enutritus parentibus, literis inſtitutus, Abbati cuidam in Monaſterio commendatur, in quo loco ita ſe devotum Deo exhibuit, ut migrante Abbate ipſe ſuccederet.* Theodorico percharus erat ob cauſam, quæ Principum potius excitat odia. Monitis quippe ſuis atque cenſuris Theodorici vitiis, quantum potuit, occurrebat, ut ad diſciplinam laudabiliorem, & Principe Chriſtiano digniorem dirigeretur. Defuncto Trevirenſi Epiſcopo ſucceſſorem Nicetium dicit, qui *dato conſenſu populi*, à viris honoratis adducitur. Dum occidente ſole Treveris appropinquant, nobiles illi laxatos equos confeſtim pauperum per ſegetes dimittunt. Quod indignatus Nicetius, jubet quantocius equos removeri, propoſitâ excommunicationis pœnâ. Cui nobiles: Necdum *Epiſcopalem apicem es adeptus, & jam excommunicationem minaris?* Ille verò, citato curſu profectus, equos à ſegetibus abigit, & ſic pietatem ipſius cum fortitudine conjunctam mirati, ad civitatem deducunt. Cathedræ impoſitus, dùm lectionibus aures præbet, *ſenſit neſcio quid grave ſuper cervicem ſuam. Cùmque bis aut ter manum clam ad tentandum injeciſſet, nullius rei cauſam invenire potuit, quæ hoc pondus inferret, divertenſque caput ad dexteram & lævam, odoratus eſt odorem ſuavitatis: intellexit quoque hoc onus eſſe Sacerdotii ipſius dignitatem.* Præclaris initiis reſpondit curſus Epiſcopatus, quem tantâ gravitate, firmitudineque adminiſtravit, ut iniquè agentem Theodebertum,

Gregor. Vit. Patr. c. 17.

ANNO DOM. 529.

tum, Theodorici filium cenſuris perſtringeret, probè intelligens, de potentium non minus quàm de pauperum ſalute ſe rationem eſſe Deo redditurum.

Liberius Præfectus Prætorio. Virtutes ejus. Synodum Arauſicanam II. cogit.

IX. Dum in Galliis verſamur, ſcribentibus ſeſe offert nobilis materia, Annalibuſque noſtris digniſſima, Arauſicana videlicet Synodus II. cujus telis cecidit Semi-Pelagianiſmus, ut victricem Chriſti Gratiam veneraretur & ſuſciperet. Verùm antequam ipſius Canones proferamus, de Concilii hujus & anno, & occaſione prius eſt diſſerendum. Baronio, Bellarmino, Vaſquezio hoc Concilii temporibus Leonis vindicari placuerat, anno CCCCXLIII. Secundis verò curis Baronius in errorem ſe delapſum eſſe probè novit. Itaque ſuo tempori Synodum reddidit, quod ex Cæſarii ſubſcriptione compertum habetur: *Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, Conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi. Not. ſub die V. Nonas Julias, Decio Juniore V. C. Conſule.* Conſulatus ille annum Dom. DXXIX. afficit, quo Concilium Arauſicanum ſecundum Julii tertio celebratur. Synodo occaſionem præbuit Eccleſiæ dedicatio, quam Petrus Marcellinus Felix Liberius, vir clariſſimus & illuſtris, Præfectus Prætorii Galliarum, atque Patricius extruxerat. Vir erat virtutibus ſuis, quàm dignitate longè major, quibus ſanè egregium Caſſiodorus præconium tribuit in ſua ad Senatum urbis Epiſtola: *Reſpicite Patricium Liberium Præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratiſſimum, meritis clarum, formâ conſpicuum, ſed vulneribus pulchriorem laborum ſuorum munera conſecutum, ut nec Præfecturam, quam benè geſſit amitteret, & eximium virum honor geminatus ornaret.* Hic eſt ille Liberius, cui anno DXXVI.

Caſſiod. l. 11. Ep. 1.

Theodorici poſt obitum Athalaricus ſcripſit, ut qui Gothorum regno in Gallia devoti erant, ad ſervandam fidem inducerentur. Extat Liberii Inſcriptio ſepulchralis Arimini poſita, quam Baronius integram retulit. Hæc obſervaſſe ſufficiat:

Caſſiod. l. 8. Ep. 6.

Auſoniis populis Gentiles ritè cohortes
Diſpoſuit, ſancit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente pater, toto venerabilis ævo,
Ter denis luſtris, proximus occubuit.

Hic ille Liberius, ut teſtatam omnibus pietatem faceret, extruxerat Eccleſiam, cui dedicandæ Epiſcopos anno labente in Arauſicana civitate coëgit, uti narrant in ſuæ Synodi Præfatione: *Cùm ad dedicationem Baſilicæ, quam illuſtriſſimus Præfectus, & Patricius, filius noſter Liberius in Arauſicâ civitate fideliſſimâ devotione conſtruxit, Deo propitiante, & ipſo invitante conveniſſemus, & de rebus, quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos ſpiritualis fuiſſet & oborta Collatio, pervenit ad nos eſſe aliquot, qui de Gratia & libero Arbitrio per ſimplicitatem minus cautè, & non ſecundum fidei Catholicæ regulam ſentiri velint. Unde id nobis ſecundum admonitionem, & autoritatem Sedis Apoſtolicæ juſtum ac rationabile viſum, ut pauca Capitula ab Apoſtolica Sede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de Sanctarum Scripturarum voluminibus, in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet, ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus.* Interfuere Synodo Præſules XIII. Cæſarius Synodi Præſes, Julianus, Conſtantius, Cyprianus, Eucherius, Heraclius, Principius, Philagrius, Maximus, Prætextatus, Alethius, Lupercianus, Vindemialis. Subſcripſere & viri illuſtres Liberius, Syagrius, Opilio, Pantagathus, Deodatus, Cariatto, Marcellus, Namatius.

Canones Auriacis Patribus Româ miſſi.

X. Canones octo à Sede Apoſtolica miſſi fuerant. I. Qui per peccatum Adæ non ſecundum corpus & animam dicit hominem commutatum, ſed illæsâ animæ libertate corpus tantum corruptioni obnoxium, Pelagii errore decipitur. II. Qui per peccatum Adæ mortem tantum corporis, quæ pœna peccati eſt, non peccatum quod mors eſt animæ, in poſteros tranſiiſſe ſtatuit, injuſtitiam Deo dat. III. Gratia Dei non ad invocationem datur, ſed ipſa facit ut invocetur. IV. Ut à peccato purgemur, Deus voluntatem noſtram non expectat, ſed præparat *per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem.* V. Et augmentum, & initium fidei, & credulitatis affectus per inſpirationem Spiritus quæ corrigit voluntatem, oritur. VI. Sine Gratia Dei credentibus & petentibus miſericordia non confertur, cùm Gratia ipſa faciat, ut credamus, & petamus: ut hæc omnia ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri fatendum eſt. Ut obedientes & humiles ſimus, ipſius Gratiæ donum eſt. VII. Per naturæ vigorem bonum aliquid ſalutare cogitare, aut eligere non poſſumus, abſque illuminante Spiritu. VIII. Si quis alios miſericordiâ, alios verò per liberum Arbitrium ad baptiſmum venire poſſe contendit: aut ita læſum arbitrium, ut quidam valeant ſine revelatione Dei ſalutem per ſemetipſos poſſe conquirere, Scripturæ pugnat.

Sententiæ Patrum de Gratia ad Arauſicanos miſſæ.

XI. Quæ ſequuntur; non propriè Canones ſunt, ſed ſententiæ ex Patribus excerptæ, quæ cùm momenti ſint ad gratiam Servatoris illuſtrandam maximi, ſummatim eas referemus. IX. Divini muneris eſt, quòd benè & cogitemus, & agamus. X. Adjutorium Dei ſemper renatis eſt implorandum. XI. Nemo quidquam Domino rectè voverit, niſi ab ipſo acceperit. XII. Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono. XIII. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per Gratiam poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. XIV. Nullus de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordiâ prævenitur. XV. Adam in pejus mutatus eſt per iniquitatem ſuam, Fidelis in melius mutatur per Gratiam. XVI. Ex eo, quod habemus, non eſt gloriandum, cùm ex Deo ſit. XVII. Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei caritas facit. XVIII. Gratia quæ non debetur, præcedit merita. XIX. Integritatem ſuam niſi Deo adjuvante homo non ſervaſſet: itaque nemo ſine Gratia ſalutem, quam accepit, conſervare poteſt; aut reparare, quod perdidit. XX. Multa Deus in homine bona facit, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat, ut faciat homo. XXI. Si per naturam juſtitia eſt, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. XXII. Nemo habet de ſuo niſi peccatum, ſi quid habet veritatis atque juſtitiæ, à Deo eſt. XXIII. Suam homines voluntatem faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet. Cùm ei ſerviunt, illius voluntas eſt, à quo & præparatur, & jubetur, quod volunt. XXIV. Palmites viti nil conferunt, ſed inde accipiunt unde vivant, mane-

re

Digitized by Google

re io Chriſto, diſcipulis prodeſt, non Chriſto. XXV. Donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. His & ſententiis, & Canonibus à Sede Apoſtolicâ directis, aſſenſum Arauſicani præbuere. Itaque conſequenter ſanciunt Capitula quatuor.

Synodi Decretum.

XII. *Sic ſecundum ſuprà ſcriptas Sacrarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere.* I. Quòd per peccatum hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum Arbitrium, ut nullus poſteà, aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, oiſi cum gratia miſericordiæ divinæ prævcoerit. II. Quòd acceptâ per baptiſmum Gratiâ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſiot & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. III. Aliquos ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, pro impio dogmate habendum, cui cum omni deteſtatione dicunt anathema. IV. In omni booo opere non nos incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adjuvamur. Sed ipſe nobia nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat. Itaque, & Latronis, quem Dominus ad Paradiſum revocavit, & Cornelii, & Zachei fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum. Quæ Arauſicanorum definitio, non Epiſcoporum duntaxat, ſed virorum etiam illuſtrium ſubſcriptione corroborata fuit.

Decreti ſui confirmationem Arauſicani à Papa flagitant.

XIII. Hoc ſuum Decretum Arauſicani, Felicis Papæ ſuffragio muniri volunt. Eò quidem id magis neceſſarium videbatur, quòd Sacerdos quidam Gallus, Semi-Pelagianiſmi odore afflatus, Epiſtolam Cæſario tranſmiſerat. Cæſarius ergo, qui Bonifacii, Clerici Romani ad amicitiam ſeſe aggregarat, ad eum, tam Semi-Pelagiani Antiſtitis, quàm ſcriptam à ſe Epiſtolam per *Armenium* dirigit, ut doctrinæ Catholicæ aſſenſum Pontificis impetraret, atque confirmationem. Neſciebat adhùc Cæſarius, Felicem ad fata veniſſe. Itaque ſucceſſori ipſius Bonifacio II. Cæſarii Epiſtola reddita eſt. Ex Bonifacii ad Cæſarium reſponſione de ea legatione monemur: *Per filium noſtrum Armenium Presbyterum, & Abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet, inſcius adhùc Sacerdotii mihi commiſſi, ſub ea, quâ tenemur in Deo caritate, direxeras, quibus credideras poſtulandum, ut id, quod à beatæ recordationis deceſſore noſtro Papa Felice pro Catholica fide popoſceras firmitate, mea explicaretur inſtantia.*

Lab. Conc. t. 4. 1687.

Vaſenſis Synodus.

XIV. Arauſicanum Concilium excepit Vaſenſis Synodus *ſecunda*, Nonis Novembris labente anno celebrata, ut Cæſarii ex ſubſcriptione liquet: *Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus chartulam hanc definitionis noſtræ relegi, & ſubſcripſi. Not. ſub die Nonas Novembris, Decio Juniore V. C. Conſule.* Interfuere Epiſcopi XI. Cæſarius Synodi Præſes, Contumelioſus, Conſtantius, Cyprianus, Maximus, Porcianus, Heraclius, Eucherius, Gallicanus, Proſper, Vindemialis, ex quibus octo poſtremi Peccatoris ſibi titulum indidere. Anno DXXVII. Mavortio Conſule io Carpentoractenſi Conventu, ad annum proximè futurum, in vico Vaſenſi, *octavo Idus Novembris* Synodus indicta fuerat. Cujus Conventus nullum prorſus extat veſtigium. In eo fortè conſtitutum eſt, ut labente anno in eum locum Patres *quinto Novembris* convenirent. Hoc ubi factum, maximas Deo gratias referunt, quòd de relectis Veterum regulis nullus delibaſſet, ut impellente duntaxat charitate, *tantùm pro deſiderio ſe videndi ad Synodum convenirent.* Ne verò ſine *aliqua definitione diſcederent*, Canones quinque condunt. I. Ut more Italiæ, juniores Lectores quam diu conjugii expertes erunt, à Presbyteris in Parrochiis conſtitutis alantur, ut divinis lectionibus inſtituantur. II. Ut Presbyteris per Parrochias prædicare liceat, ac his infirmitate præpeditis, ſanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur. III. Quia in ſede Apoſtolica, Orientis, Italiæque Eccleſiis, Kyrie eleiſon dicitur, placuit, ut ſancta ea conſuetudo & ad matutinum, & ad Miſſas, & ad veſperam intromittatur, & in omnibus Miſſis Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quomodo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat. IV. Nomen Domini Papæ in Eccleſiis recitetur. V. Quia in Sede Apoſtolica, Oriente, Africa, Italia propter Hæreticos, qui Filium ſemper cum Patre fuiſſe negaot, in omnibus clauſulis *poſt gloria, ſicut erat in principio* dicitur, in ſuis & Eccleſiis dicendum ſtatuunt.

Lab. Conc. t. 4. 1679.

Felicis Papæ obitus.

XV. Finem lucis hujus ad quartum circiter Idus Octobris, labente anno, Felix invenit. Communis Chronologia eſt ex Anaſtaſio hauſta, Felicem periiſſe Lampadio & Oreſte Coſſ. qui annum Dom. DXXX. aperuere: neque ab ea diſſidet Baronius. In ea tamen opinione errorem eſſe, apertè liquet. Etenim poſt celebratum tertio Julii Conventum Arauſicanum, Armenius Presbyter à Cæſario ad Bonifacium mittitur, ignaro adhùc mortis Felicis. Quis verò ſibi inducat io animum, poſt annum integrum ad Eccleſiam Romanam ſcripſiſſe Cæſarium; ſe in Arauſiaca civitate Syoodum coëgiſſe? Præterea Bonifacii ad Cæſarium reſponſio data eſt *octavo Kalend. Februarias, Lampadio & Oreſte Coſſ.* Jam ergo Bonifacius ſedebat labente Januario anni DXXX. Felix igitur aut exceſſit Octobri menſe, aut certè Decio Coofule naturæ ſatisfecit. Brevem Epiſcopatum illuſtravit Baſilicarum extructione: *Fecit Baſilicam Sanctorum Coſmæ & Damiani in loco, qui appellatur Via Sacra. Hujus temporibus conſumpta eſt incendio Baſilica S. Martyris Saturnini, Viâ Salariâ, quam à ſolo refecit.* Sepultus eſt in Petri Baſilica. Una duntaxat ad Cæſarium Epiſtola ſcriptis memoriam commendavit. Duas, quæ ipſius nomine ornantur, & ad omnes Epiſcopos, & ad Sabinam Epiſtolas, falſi prorſus coarguit Conſulatus Oreſtis & Lampadii, qui defuncto jam Felice ampliſſimum Magiſtratum adierunt.

Error Baronii.

Anaſtaſ.

Bonifacius II. Felici ſuccedit. Dioſcorus Antipapa creatur.

XVI. Felici ſucceſſit Bonifacius II. *natione Romanus, ex patre Sigisbuldo*, cujus nomen Gothum ſonat, ut vero ſimile ſit, Bonifacii majores Gothici fuiſſe ſanguinis. Tumultu noo caruit electio Bonifacii. Rivalem Cathedræ, *Dioſcorum* habuit, illum fortè Diaconum, qui *Hormiſdæ* Legatum egerat. Schiſma verbis expreſſis memorat Anaſtaſius: *Bonifacius cum Dioſcoro ordinatur contentione. Qui Dioſcorus ordinatur in Baſilica Conſtantiniana; Bonifacius verò in Baſilica Julii, & fuit diſſenſio in Clero, & Senatu dies XXIX. Eodem tempore defunctus eſt Dioſcorus.* Malis artibus ſuffragia Cleri plurima ſibi emiſſe Dioſcorum, innuit Athalarici ad Joannem Papam Reſcriptum: *Sanctitas veſtra ſtatuiſſe nos præſenti definitione cognoſcat, quod etiam ad univerſos*

Anaſtaſ.

Caſſiod. l. 9. Ep. 15.

ANNO DOM. 529.

verſos Patriarchas, atque Metropolitanas Eccleſias volumus pertinere, ut à tempore ſanctiſſimi Papæ Bonifacii, cùm de talibus prohibendis ſuffragiis, Patres Conſcripti ſenatuſconſulta nobilitatis ſuæ memores condiderunt, quicunque in Epiſcopatu obtinendo, ſive per ſe, ſive per aliam quamcunque perſonam aliquid promiſiſſe declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus effuetetur. Morte Dioſcori ſchiſma non prorſus extinctum videtur. In defuncti memoriam aſperè invectus Bonifacius, ipſum Simoniæ damnavit, non ſine Dioſcorianorum invidia. Tragœdiam narret Anaſtaſius: *Ipſis diebus Bonifacius zelo & dolo ductus, cum grandi amaritudine ſub vinculo anathematis & chirographi reconciliavit. Clerum, quem chirographum Eccleſiæ Archivis reclusit, quaſi damnans Dioſcorum, & congregavit Clerum, cui tamen in Epiſcopatu nullus ſubſcripſit, dum plurima multitudo fuiſſet cum Dioſcoro.* Ad uſque Decembrem anni DXXXI. Cathedram tenuit Bonifacius, qui de tertio Epiſcopatus ſui anno aliquid delibavit.

ANNO DOM. 530.

ANNO U. C. 1283. PER. JUL. 5243. JUL. 575. DOM. 530. JUSTINIAN. 3. & 4. ATHALARIC. 4. & 5. *Sol.* 7. F. *Lun.* 18. *Indict.* 8. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

COSS. *Lampadius & Oreſtes.*

Getæ à Mundone debellati.

I. GEtæ prædis aſſueti, more ſuo in Illyricum impetum facientes, clade afficiuntur, Mundonis virtute, qui in illis regionibus militibus imperabat. Quod ab oblivione Marcellinus vindicavit: *Mundo Illyriciana utriuſque Militiæ Ductor, dudum Getis Illyricum diſcurſantibus, primus omnium Romanorum Ducum incubuit: eoſque haud paucis ipſorum interemptis fugavit. His autem deinde Coſſ. idem Dux, audacia ſua ſecundus in Thraciam quoque advolans, prædantes eam Bulgares feliciore pugnâ cecidit, quingentis eorum in prælio trucidatis.*

Marcellin. Chronicon.

Romani Perſas delent. Fruſtra Juſtinianus Legatos de pace mittit.

II. Intereà bellum Perſicum ducebatur. Reparandis cladibus ſuis Cavades in Armeniam exercitum ex Perſarmeniis & *Sunitis*, gente Alanorum vicinâ conſtantem miſit, cum quo Hunnorum, quibus *Iſadenis* nomen, tria millia militabant. Exercitui *Mermeroes* Perſa præficiebatur. Armeniam adminiſtrabat Dorotheus, vir artis bellicæ peritus, inſigniſque prudentiæ. Armeniarum verò copiarum Sittas Ductor erat. Ubi Perſæ Armeniam ingreſſi ſunt, Sittas, Dorotheuſque duos equites exploratum miſere, qui hoſtilia caſtra ſubeuntes, omnia contemplantur. Dum redeunt, eorum alter, *Dagaris* nomine, vivus capitur, alter maturatâ fugâ ad Romanos revertitur. Quibus cùm ea, quæ viderat nunciaſſet, protinùs Barbaros odoriuntur, quorum complures occidunt, caſtraque diripiunt. Mermeroes coacto omni exercitu, qui militum numero Romanis ſuperior erat, ad *Satalam* urbem accedit. Manente civitatis intra muros Dorotheo, Sitta cum mille militibus poſt collem latitat. Neque inſidiæ fruſtra fuere. Quippe Barbari dum juxta muros ſequente die conſiſtunt, Sittam ex monte deſcendentem intuiti, in cumulum ſeſe colligunt. Tum Romani urbem egreſſi, hoſtes adoriuntur. Præerat exercitibus Florentius Thrax, qui in medios Perſas irruens, prætoria ſigna rapuit, quam morte ſuâ gloriam ſibi peperit. Hæc tamen Romanæ cauſa victoriæ fuit. Quippe cùm in tumultu ſignorum proſpectus Perſis ademptus fuiſſet, terrore correpti multos ſuorum amiſere. Poſterâ luce domos ſuas repetunt, non ſine dedecore, quòd tot florentes copiæ hoſtiles regiones ingreſſæ nil dignum memoriâ patraſſent, imò ab exercitu longè minore victæ fuiſſent. Majori adhùc emolumento fuit ſua Romanis victoria; *Zani* quippe Barbari, olim *Suni* vocati, qui latronum more de vicinorum facultatibus prædas agentes, cùm in Romanos incidiſſent, prælio vincuntur. Quos manſuetudine ſuâ Sittas Romanis conciliatos, ex agreſti & barbaro ad mitiorem cultum traduxit, ut vel contra Imperii hoſtes forent adjumento. Sub id tempus *Narſes* & *Aratius* fratres ex Perſarmeniorum gente, unà cum ſua matre ad Romanos transfugerunt. Quæſtor à Juſtiniano Narſes creatus, gentes quoque ſuas pecuniâ corrupit. Quod ubi *Iſaces* minor natu frater novit, Bolum arcem, Theodoſiæ civitati proximam tradit. Romanis, quorum & in poteſtatem Pharangrum venit, unde aurum Perſarum Regi ferendum effodiebatur. Nihilominus læti tot ſucceſſus Juſtinianum à pacis deſiderio non revocabant. Ad Cabadem igitur de ea conficienda Rufinus mittitur, qui id unum reſponſi retulit: *Perſas arma non poſituros, niſi Romani Portas Caſpias rectè atque ordine cuſtodiant, vel urbem Daram evertant.* Porò hanc noſtram Chronologiam Procopii autoritate fulcimus: *Hyems interea deſiit, ſimul & quartus Juſtiniani imperii annus.* Quartus Juſtiniani annus Kalendis Aprilis labentis anni inceperat. Quâ & obſervatione liquet, perturbatam eſſe de belli Perſici initio Baronii Chronologiam.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 11.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 12.

Thoringos debellat Theodoricus: cauſæ belli: filiorum Chlodovei perfidiæ.

III. Dum Romanorum arma in Oriente ſtrepunt, Theodoricus Chlodovei filius, ad bellum ſe accingit, illatas ſibi à Thoringiorum Rege injurias ulturus. Quas ſanè graviſſimas Gregorius Turonenſis memorat: Thoringi Francorum *obſides diverſis mortibus peremerunt. Irruentes ſuper parentes noſtros, omnem ſubſtantiam abſtulerunt: pueros per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas, crudeli nece interfecerunt . . . Aliis verò ſuper orbitas viarum extenſis, ſudibuſque in terram confixis, plauſtra deſuper onerata tranſire fecerunt, confractiſque oſſibus, canibus, avibuſque eas in cibaria dederunt.* Cùm hæc injuria Theodorici non excidiſſet animo, Clotharii poſcit auxilium, ut *Herminefredum* Thoringorum Regem unà bello adoriretur. Adverſarios Thoringi ſuos primum dolis excipiunt, foveis paratis in loco certaminis, quas ceſpitibus texerant. Inito prælio, Francorum equites multi in eas incidunt. Cognitâ fraude cùm ſibi magis caviſſent, Thoringi cum ſuo Rege fugam capiunt; tantaque ex eis facta cædes, ut *Oneſtrudi* fluminis alveus cadaveribus repleretur, quæ inſequentibus loco pontis fuere, ut in ulteriorem ripam tranſirent. Sic Thoringiorum regio Francorum in poteſtatem venit. Perfidè Theodoricus uſus eſt victoriâ ſuâ. Primùm fratri ad colloquium vocato inſidias parat. Cùm brevius eſſet tentorium, apparent percuſſorum pedites. Quod ubi novit Clotharius, cum ſatellite domum ingreditur. Tum Theodoricus, mirus ſimulandi artifex, variis ſermonibus delinito fratri diſcum argenteum muneri dedit. Recedente Clothario, Theodoricus queritur amiſſum catinum, miſſoque Theodeberto filio, ut datum patruo munus repetat, præcipit, quod petenti

petenti facillimè conceſſum. Neque candidius cum Herminefredo egit, quem interpoſitâ fide ſecurum ad ſe venire jubet. Dum per murum civitatis Tulbiacenſis ſermones ſerunt, ab homine quodam de muro deturbatus Herminefredus, ad terram alliſus, ibi animam exhalat. Clotharius germano moribus diſſimilis non videbatur. Radegundam filiam Bertharii Regis, qui Herminefredo frater erat, captivam abductam matrimonio ſibi ſociavit. Ipſius verò fratrem miſſis percuſſoribus occidit poſtmodum. Cùm Radegundi permiſiſſet aſceticam vitam ingredi, eam libenter eſt amplexa:

Gregor. Tur. l. 3. c. 7.

Illa ad Deum converſa, mutatâ veſte Monaſterium ſibi intra Pictavienſem urbem conſtruxit, quæ orationibus, jejuniis atque eleemoſynis prædita, in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur. Sic Principibus pietatem ſimulantibus religio eatenus inſerviebat, ut in maxima fortuna licentius peccandi facultatem ſibi compararent. Perfidus ſanè impiuſque Chriſtianus Ethnico benè morato non præſtat, imò graviores Deo pœnas luet.

Bonifacii in Semi-Pelagianos ad Cæſarium Epiſtola.

IV. Ad res Eccleſiæ convertatur oratio. Acceptis, quas anno ſuperiore Cæſarius per Armenium miſerat, literis Bonifacius Papa ſcribendi reſpondit: *Quia id voluntas ſuperna diſpoſuit, ut quod per nos ab illo ſperaveras, à nobis potius impetrares petitioni tuæ, quàm laudabili ſieri ſollicitudine concepiſti, Catholicum non diſtulimus dare reſponſum. Indicas enim, quod aliqui Epiſcopi Galliarum cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantùm, quâ in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint, non Gratiæ: & hominibus ex Adam, quod dici nefas eſt, in libero Arbitrio remanſiſſe, non etiam nunc in ſingulis miſericordiæ divinæ largitate conferri, poſtulans, ut pro ambiguitate tollenda Confeſſionem noſtram, quâ vos è diverſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium juxta Catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, autoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus. Atque ideò cùm de hac re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & majores noſtri, Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſimâ, ut nulli ulterius deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici.* Graviſſima autem ea ſententia Semi-Pelagianiſmum obruit:

Lab. Conc. t. 4. 1687.

Certum eſt enim, atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput eſt fides, nolentes nos adhuc miſericordia divina præveniat, ut velimus, inſit nobis cùm volumus, ſequatur etiam, ut in fide duremus, ſicut David Propheta dicit . . . His itaque breviter aſſignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur Epiſtola continere, quam à quodam tibi mandaſti Sacerdote tranſmiſſam, reſpondendum non duximus, quia ſperamus de miſericordia divina, quod ita per miniſterium tuæ fraternitatis atque doctrinam in omnium, quos diſſentire mandaſti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex ſe, ſed ex divina credant Gratia proficiſci, cùm ſe ſenſerint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Data VIII. Kal. Februarias, Lampadio & Oreſte V. C. Coſſ.

Bonifacii ad Eulalium Epiſtola ſubdita eſt.

V. Germana hæc eſt, unicaque Bonifacii II. Epiſtola. Non ignoramus quidem extare adhùc Epiſtolam, de reconciliatione Carthaginenſis Eccleſiæ ad Eulalium ſcriptam, quæ Bonifacii II. nomine eſt inſignita. Eulalium ſic alloquitur: *Carthaginenſem Eccleſiam ad communionem noſtram rediiſſe, Domino propitiante, tradentibus ſignificamus alloquiis, & mandatorum, quæ Legatis noſtris dedimus, ſeriem in omnibus fuiſſe completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfectè gaudium perveniret, Libelli Eulalii fratris, & Conſacerdotis noſtri, Carthaginenſis Epiſcopi, & Juſtiniani clementiſſimi Principis Orientis, ſacrarum exemplaria credidimus deſtinanda, indicantes nihilominus per Orientis partes plurimos ſic feciſſe.* Verùm eruditorum nullus eſt, qui hodie Epiſtolam imposturæ non damnet. Veteratori quidem frons perierat, qui Epiſtolam ejuſmodi Bonifacio vindicavit. Falſum enim ſedente Bonifacio II. Epiſcopum Alexandrinum *Eulalii* geſtaſſe nomen; cùm ne vel inter Alexandrinos Antiſtites ullus reperiatur Eulalius. Falſum redintegratam fuiſſe Eccleſiæ Africanæ cum Romana concordiam, quæ non diſſiluerat; imò arctiſſimis vinculis continebatur: falſum *Aurelium* Epiſcopum in Romanos Præſules rebellionem moviſſe, quod narrat Epiſtola:

Lab. Conc. t. 4. 1684.

Aurelius enim præfata Carthaginenſis Eccleſiæ olim Epiſcopus, cum Collegis ſuis, inſtigante Diabolo, ſuperbire contra Romanam Eccleſiam cœpit. Falſum denique ſedente Bonifacio II. Carthaginenſi Eccleſiæ Eulalium præfuiſſe. Sedebat Bonifacius, qui anno DXXXV. Beliſario Conſule vitam amiſit, Victore Tununenſi teſte. Ejuſmodi farinæ eſt exemplum precum Eulalii, & Juſtiniani, ad Bonifacium II. quod & à malè ſano veteratore confictum eſt. *Datum III. Kal. Octobris Juſtiniano tertium & Oreſte V. C. Coſſ.* Fictus ſanè Conſulatus, cùm Juſtinianus tertium abſque Collega Conſulatum geſſerit. Neque vitam retinebat Bonifacius, cùm Juſtinianus tertio Conſulatu functus eſt, anno DXXXIII. Exceſſerat menſe Decembri anno DXXXI. integro ferè biennio ante notam additam Libello.

Andegavenſis Synodus.

VI. Andegavenſi Synodo annus inſignis fuit, de qua pauca in notitiam venere, quæ ſunt à Labbeo obſervata:

Lab. Conc. t. 4. 1829.

Convenerunt ſimul vir Dei Melanius, & electus Dei Albinus, ſanctuſque Victor, atque Launus, & ſanctus Marſus in Andegava civitate, intra Baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ. Ibique Melanius ex communi conſenſu, Miſſam celebravit, in capite jejunii Quadrageſimæ, poſt cujus celebrationem antequam receſſiſſent ab invicem, dedit eis beatus Pontifex Eulogias in caritate, cum Dei gratia & ſua benedictione. Melanius Rhedonum, Albinus Andegavorum, Victor Cenomanum, Launus Conſtantienſium, Marſus Nannetenſium Præſul erat.

Sabas Conſtantinopolim proficiſcitur. Cauſæ itineris.

VII. Rerum Eccleſiaſticarum quæ Orientem attinent, nunc mentio eſt agitanda. Silvani à Chriſtianis Scythopolitanis ambuſti cineres Arſenio defuncti filio dolorem inuſſerant. Illuſtris titulo fulgens, Conſtantinopoli morabatur, frequenſque ad Juſtinianum Theodoramque venienti aditus concedebatur. Regias itaque aures falſis rumoribus implens, in Chriſtianos Palæſtinæ iram accendit:

Sab. Vit. c. 70.

Tunc ergo Archiepiſcopus Petrus, eique ſubjecti Epiſcopi hortati ſunt ſanctum Sabam Conſtantinopolim proficiſceretur, ac preces offerret Imperatori, ut primæ & ſecundæ Palæſtinæ publicorum tributorum remiſſionem concederet, propter cædes & vaſtationes à Samaritanis factas. Ac ſenex hortationibus ſummorum Sacerdotum cedens, Conſtantinopolim pergit ad menſem Aprilem octavæ Indictionis. Prima hæc fuit proficiſcendi cauſa, cui ſubſidiaria acceſſit altera, quam

ex

ANNO DOM. 530.

ex Cyrillo extundimus. Origenianiſmi ſcintillæ favillis coopertæ, flammis palam micantibus reviviſcebant. Magnum olim apud omnes nomen Origenis illuſtres patronos, Rufinum atque Melaniam nacti, mortalium deleri omnium pectore non poterat: *Imor Monachos, qui cum Saba erant, quidam Byzantinus genera, nomina Leontius, unus eorum, qui unà cum Nonno in novam Lauram poſt Agapeti Hegumeni mortem ſuſcepti fuere, inventus eſt Origenis dogma defendere. Nam ſimulande Concilii Chalcedonenſis tuitionem cum Origene ſentira agnitus eſt. Unde ubi audiſſet Pater noſter Sabas, & beati Agapeti ſermones in memoriam revocaſſet, ipſum ac Theodari ſectatores ſeveritate uſus rejecit, & à ſuo ablegavit conſortio.* Eò igitur libentius Sabas Conſtantinopolitanum iter confecit, ut de extinguendo Origenianiſmo perſuaſionem immitteret Imperatori. De tempore profectionis hujus eruditi diſſident. Doctiſſimus ille Noriſius: *Sabas*, inquit, *quo validiori Nonni machinas frangeret, circa annum* DXXVIII. *Conſtantinopolim ad Juſtinianum proficiſcitur.* Hic tamen totâ errat viâ viri maximi Chronologia. Annum DXXVIII. ſignabat Indictio ſexta. Octava verò labebatur, cùm Sabas Conſtantinopolim iter contendit. Audiatur iterum Cyrillus, qui profectionis hujus tempus in luce collocavit: Sabas *hortatianbus ſummarum Sacerdotum cedens, Conſtantinopolim pergit ad menſem Aprilem* VIII. *Indictionis.*

Vit. Sab. c. 72.

Nor. de Syn. V. c. 1. 3.

Quid Sabas cum Principibus egerit?

VIII. Miſerat Imperatori literas Epiſcopus Hieroſolymitanus, quibus Sabæ ſignificabat adventum. Id nuncii Juſtiniano lætitiæ plurimum attulit, qui venientis ad occurſum regios dromones miſit, *quibuſcum egreſſi ſunt Patriarcha Epiphanius, Euſebius Papa, & Hypatius Epiſcopus Epheſi cum ſuis.* Si Cyrillo creditur, Sabâ intra velum conſiſtente, ſupra caput ipſius Juſtinianus *coronam intuetur, quæ radios ſolares emitteret*, quod prodigium necdum nobis Cyrilli perſuaſit autoritas. Admittimus verò libenter, quòd Princeps Sabam *reverenter ſalutarit, & cum gaudio & lachrymis ejus caput deoſculatus ſit, benedictioneque ab ipſo acceptâ de ejuſdem manu ſuſcepit preces è Palæſtina miſſas.* Exinde ab Imperatore monetur, ut ſalutatæ Theodoræ benediceret, quæ cum lætitia ſuſceptum, illum ſic alloquitur: *Ora pro me, Pater, ut det mihi Dominus filium.* Cui id unum Sabas dixit: *Deus gloria in pietate & victoria Imperium veſtrum conſervet.* Quâ oratione Imperatrix mœrore afficitur. Ob Theodoræ triſtitiam, qui Sabæ comites erant, initâ diſceptatione ab eo quærunt, cur petitas preces Auguſtæ negaſſet: Cui ſenex, *Credite mihi, Patres, non ex ventre illius fructus egredietur, ne Severi dogmatibus lactetur, pejuſque quàm Anaſtaſius Eccleſiam perturbet.* Nihilominus Sabas cum ſuis in Palatio remanere permiſſus eſt.

Vit. Sab. c. 71.

Hæreticos & Origeniſtas opprimi Sabas ab Imperatore flagitat.

IX. Libello Sabæ multum mutatus Juſtinianus, iram in Samaritanos convertens, *Legem tulit, ut Samaritanorum Synagogæ tollerentur: ipſi ab omni Republica adminiſtratione propellerentur: ſuorum hæreditatem non adirent, neque jus per donationes ad ſe mutuò tranſmitterent. Sancivit præterea, ut interimerentur maximè ipſorum Primores ac ſeditioſi.* Quin etiam *Arſenio* mortem minabatur, qui ſe ad tempus occuluit: poſteà verò ad Sabam confugiens, baptiſmo ipſe cum ſuis donatus eſt. Elapſis diebus aliquot accerſitum Sabam Juſtinianus jubet, aſſignandos Monaſteriis ab eo conſtitutis reditus petere. Quibus expediatis, utpote divino auxilio contentus, ad ſtabiliendas Eccleſias Palæſtinæ, reſarciendaſque Baſilicas, quas incendia Samaritana vaſtarant, alendaſque miſeras Chriſtianorum reliquias, conceſſionem tributorum flagitat: *Ad hæc*, inquit, *ut unum in ſancta civitate Noſocomium conſtruatis rogamus, in peregrinorum ægrotantium curam: utque illic ante aliquod tempus ab Archiepiſcopo Elia fundatam novam Deiparæ Eccleſiam adſpicetis atque exornetis, hoc quippe maximè veſtram decet pietatem. Tum propter Saracenorum incurſiones, veſtram oramus ſerenitatem, uti clariſſimo Summo jubeat, caſtrum ex ærario condere in ſolitudine intra Monaſteria, quæ mediocritas mea conſtruxit. Et credo atque confido, Deum pro hiſce quinque ipſis gratis operibus adjuncturum Imperio veſtro Africam & Romam, omnemque reliquam Honorii ditionem. Inſuper uti vos Arianam hæreſim cum Neſtoriana, & illa Origenis, è medio tollatis, atque a lue harum trium hæreſeon liberetis Eccleſias.*

ANNO DOM. 530.

Vita Sab. c. 72.

X. Petitionibus Sabæ illicò Juſtinianus annuit: *Emittuntur divina mandata ad Archiepiſcopum Petrum, & Palæſtinæ Rectores, quæ decernebant, ut Antonius Epiſcopus Aſcalonis, & Zacharias Epiſcopus Pellæ inſpicerent utras primæ & ſecundæ Palæſtinæ, à Samaritanis incenſas, atque ex pecunia publica Indictionis nonæ & decimæ, juxta damnum unicuique loco ortum concederent auri centenaria tredecim. Ruſuſque eoſdem inſpicere juſſit oratorias ædes, quæ combuſtæ fuerant, & conſiderare, quænam danda eſſent ad uniuſcujuſque venerabilis loci inſtaurationem, eaque aut ex ærario, aut ex Samaritanorum facultatibus præberi per Stephanum clariſſimum Comitem . . . Sed & ſecundum tertiam divini ſenis petitionem, præcepit Noſocomium condi in media ſancta civitatis, prima quidem centum grabbatorum. Præſtituitque ei reditum purum annorum ſolidorum mille octingentorum quinquaginta, dein verà ducentorum grabbatorum Noſocomium fieri imperavit, adjecitque tondem nummorum reditum purum & non caducum . . . . Miſit & Hieroſolymam Theodorum quendam architectum, qui novam beatæ Deiparæ, ſemperque Virginis Mariæ Eccleſiam ædificaret, ac præcepit Palæſtinæ tractatoribus, ut aurum ad ædificium ſubminiſtrarent. Tum Petro Archiepiſcopo ſummam ea in re autoritatem tribuit. Barachium autem Bacathorum Epiſcopum ædificationibus præeſſe mandavit.* Veterum ædificiorum pulchritudinem obſcuraſſe omnem ea Deiparæ Eccleſia perhibetur. Aſſignavit & mille aureos in caſtri conſtructionem, necnon præſidium militare, quod ea publica pecunia aleretur, Sabæque Monaſteria cuſtodiret. Novam Deiparæ Eccleſiam accuratè Procopius deſcribit. Columnis ſtabat, quæ ex proximis montibus erutæ, flammam colore imitabantur: atrium, veſtibula, fores rapiebant in admirationem. In via, quâ ad Templum itur, ſtant xenones duo, uno peregrini, altero pauperes ægroti recipiuntur. Quod Templum magnis Juſtinianus reditibus locupletavit.

Juſtinianus jubet Eccleſias reſtaurari, & Noſocomia & Deiparæ Eccleſiam extruit.

Vita Sab. c. 73.

Proc. de Ædif. Juſt. Or. 5.

XI. Ad Sabam redeat oratio. Relictis in urbe regia Leontio Byzantino, illiſque qui Theodoro Mopſueſteno adhærebant, *in Palæſtinam appulit, menſe Septembri, Indictione nonâ, & Hieroſolymam profectus divina præcepta manifeſta fecit, quodque ex Byzantio detulerat aurum, Monaſteriis ſuis diſtribuit.* Poſt promulgata Juſtiniani Reſcripta, rogantibus & Petro Patriarchâ, & Epiſcopis, Sabas Cæſaream, Scythopolimque

Damna à Samaritanis illata reparantur. Cyrillum Sabas ſibi diſcipulum facit.

Anno Dom. 530.

que proficiſcitur, ut regia quoque juſſa ibi publicaret. Venienti Scythopolim obviam proceſſit Metropolita Theodoſius cum omni plebe. Aderat & Cyrilli Scythopolitani pater, *tunc temporis Epiſcopii Curator, & Metropolitani aſſeſſor.* Ductus in Epiſcopale Palatium Sabas, in ædibus S. Procopii Martyris manſit. Ibique benedictum erectumque, qui ad ipſius genua ceciderat Cyrillum, Sabas ſibi diſcipulum fecit, quem & Theodoſio commendavit, qui Cyrillum benedictione donatum ac tonſurâ, in principio Eccleſiaſticorum graduum conſtituit. Intereà damnis, quæ contigerant conſidentis, primæ Palæſtinæ, quæ totam Samariam continet, duodecim centenariorum, ex publicis vectigalibus remiſſionem fecerunt: *Finibus verò Scythopoleos unius tantum centenarii remiſſionem donandam Epiſcopi cenſuerunt, quòd illic non multæ graſſationes contigiſſent. Pro Eccleſiis autem, quæ incenſæ fuerant, Epiſcopi Palæſtinæ acceptâ ſufficiente auri ſummâ quamlibet combuſtam Eccleſiam ampliter, prout decuit, erexerunt.*

Sab. Vit. c.75.

Anno Dom. 531.

Anno U. C. 1284. Per. Jul. 5244. Jul. 576. Dom. 531. Justinian. 4. & 5. Athalaric. 5. & 6. *Sol.* 8. E. *Lun.* 19. *Indict.* 9. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 3. *P.* 20. *April.*

Coss. *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis.*

Infelix Beliſarii cum Perſis pugna.

I. Infelix Mirrhanis expeditio Cavadem ad anxietatem redegerat, Perſiſque, clade ſuâ territis, minus ad pugnandum inerat animi, cùm Alamundarus Saracenorum *Princeps* fractum Regis erigit animum. Spes penè ſuas Alamundari in auxilio Perſæ collocabant, neque immeritò, cùm viri hujus magna foret ſolertia, magna fortitudo, magna celeritas, quam magna quoque felicitas æquabat. Annis quinquaginta Romanas regiones vaſtaverat, à finibus Ægypti ad Meſopotamiam uſque, incendebat ædificia; homines ſæpe numerò ad decem millia abducebat, quorum plures nulla de cauſa interficiebat, reliquos accepto ingenti pretio liberabat. *Demoſtratum* Rufini fratrem, Joannemque Lucæ filium victos ceperat, nec antè reddiderat, quàm opes ipſorum immodicas aſſequeretur. Hujus metu Juſtinianus Aretam Gabalæ filium, qui in Arabia Saracenis imperabat, regiâ dignitate ornatum, tribubus præfecerat. Impar tamen Alamundaro viribus, ſæpius ab eo ſuperatus fuerat. Itaque obſiſtente nemine res Romanorum graviter afflixerat Alamundarus, qui Orientis regionibus terrori erat. Ad Chriſti tamen diſciplinam ſeſe converterat, quod Procopium latuit, qui cultorem numinum ipſum exhibet, ad Perſas concionantem. Porrò id conſilii Cavadi dedit, ut Antiochiam militum præſidio deſtitutam, ſpectaculis voluptatibuſque deditam adoriretur. Placuere regi monita, qui illicò quindecim mille militibus electis, Azarethum præficit, virum longo bello exercitatum: qui Duce itineris Alamundaro, ſubitò in Comagenam invaſere. Hoc ubi Beliſarius accepit, hoſtibus occurrendum ſtatuit, diſpoſitis prius in qualibet civitate præſidiis, ne Cavades incuſtodita Meſopotamiæ loca reperiret. Superato Euphrate, ipſe peditibus equitibuſque xx. mille comitatus ad Perſas feſtinat. Proficiſcenti addit ſe *Arethas* cum ſuis Saracenis. Poſtquam *Calchis* venit Beliſarius, ibi caſtrametatur, ſpatio duntaxat cxx. ſtadiorum ab hoſtibus diſcluſus, qui apud *Calchidam* conſtiterant. Cùm Romanorum adventus Perſis metum incuſſiſſet, retrò domum ſe recipiunt. Quos Beliſarius ſic inſequitur, ut ibi pernoctaret, ubi ſuperiore nocte conſtiterant. Quippe nondum cupiebat cum hoſtibus ad manum venire, contentus Alamundarum è ditione Imperii in proprias ipſius regiones re infectâ repuliſſe. Pernoctarant Romani apud *Sarvorum* civitatem. Inde moventes hoſtem deprehendunt prælio ſe accingentem. Imminebat Paſchæ dies feſtus, illuceſcente jam Aprilis xix. feriâ vii. quam jejunio Chriſtiani ad multam noctem prorogato celebrant. Quos cùm pugnæ cupidine accenſos Beliſarius intueretur, eos ab ea revocare ſententia conatur. Fugientes hoſtes ad prælium non eſſe cogendos: incertam victoriam, quâ amiſſâ, regionem utique indefenſam Perſis patere: jejunio exercitum eſſe debilitatum; neque omnes etiam copias adeſſe. Hæc iniquis auribus audiebantur, ut prorſus milites non muſſitando quidem, ſed palam & apertè Beliſarium ignaviæ coarguerent. Quibus accenſus ad pugnam ſe parat, collocatis ad flumen peditibus, ad dextram Saracenis cum Areta, ipſe cum equitatu in exercitu medius conſtitit. Atrox pugna committitur cum cæde utrinque plurima. Ad duas diei partes pugna protrahebatur, cùm Perſarum fortiſſimi in Aretam impetum faciunt, qui cum ſuis fuſus fugam arripit. Romani viâ, labore, inediâ fatigati, ex utraque parte oppugnati, vel in proximi fluminis inſulas ſe recipiunt, vel fortiter pugnando procumbunt, quos inter virtute ſuâ *Aſcan* involutus, multis prius Perſarum interfectis, coopertus vulneribus occiditur. Iſauri ferè omnes cum Ducibus ſuis periere, qui belli inexpertes, pugnæ tamen extra modum cupidi, Beliſarium timiditatis primi coarguerant. Ad extremum virium Perſis inſtantibus Beliſarius reſtitit. Ubi verò ſuos vidit partim cæſos, partim in fugam verſos, peditum in aciem ſe recepit, quo pauci cum Petro adhuc pugnabant. Ac equo relicto, cum ſuis, qui idem fecerant, peditibus ſubiit auxilio. Prohibebantur fluvio Perſæ Romanorum impugnare terga, quos fruſtra equitibus perturbare ſuis contendunt. Nocte ſuperveniente Perſæ in caſtra recedunt. Beliſarius verò onerarium navigium nactus, ad proximi fluminis inſulam navigat. Sequenti die vigeſimo Aprilis, quo Paſcha celebrabatur, ipſe cum ſuis in navim Callinico venientem ingreſſus, ad eam civitatem appulit.

Procop. de Bello. Perſ. l. 1. c. 14.

Cladis Romanæ tempus: cruenta Perſis victoria.

II. Perſæ ſpoliatis cadaveribus domum revertunt, cruentam adepti victoriam, quæ in Azaretham Cavadis indignationem movit. Cujus cauſam ſcitu non injucundam Procopius prodit. Perſis in bellum ituris mos eſt, ante Regem in ſolio ſedentem, ſagittam quemlibet unam in arculas ad hoc paratas conjicere, quæ regio ſigillo munitæ cuſtodiuntur. Ubi rediere milites, ſagittam quiſque ſuam accipit. Subindeque nunciatur Regi ex vacantibus ſagittis, quot in bello occubuerint. Interrogatus à Cavade Azarethas, num Romanorum cepiſſet oppidum, aut cum Alamundaro Antiochiam everſurus exiiſſet, Ille *nullam expugnaſſe civitatem*, ait, *verùm Beliſarium ſe viciſſe.* At Rex ex ſagittis ſuperſtitibus damnoſam victoriam intelligens, Azaretham de gradu ſuo motum in contemptu habuit. Ea Beliſarii clades in quintum Juſtiniani annum incurrentem eſt conferenda. Verba Procopii referamus:

Proc. de Bell. Perſ. l. 1. c. 18.

ANNO DOM. 531.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 12.

rentus: *Hyems intereà deſinit, ſimul & quartus Juſtiniani Imperii annus. Veris autem initio exercitus Perſarum Azarethe Duce, Romanorum in regionem cum equitibus* XV. *millibus incurrit, cum quibus Alamundarus cum magna Saracenorum manu aderat.* Azarethia ergo victoria quinto Juſtiniani anno cohæret, qui Calendis Aprilis anni DXXXI. inceperat. Unde colligimus, quale Paſcha fuerit ab Evagrio indicatum, ſummatim Procopii hiſtoriam referente: Procopius, inquit, narrat, *quemadmodum Beliſarius cogente ipſum exercitu, Perſas in regionem ſuam redeuntes, juxta ripam Euphratis aggreſſus ſit, imminente die feſto Paſcha.* Anno labente Paſcha Aprilis vigeſimo celebratum, quia terminus Paſchalis in diem Aprilis XVII. incidebat, literaque Dominicalis E. & Epacta Solaris 3. currenti anno dominabantur. Porrò belli pertæſus Juſtinianus, Hermogenem de pace Legatum Cavadi miſit. Re tamen infectâ rediit, Perſis ſuâ victoriâ non minimum intumeſcentibus. *Sotas* dum revocatus Beliſarius Conſtantinopolim redit, Orientis ad cuſtodiam mittitur.

Evagr. l. 4. c. 13.

Hildericus Vandalico regno pellitur. A quo?

III. Intereà magnos in Africa motus concitarat ambitio Gelimeris, qui privatâ ſorte non contentus, Hilderici Imperium rapit. Cujus rebellionis & cauſas, & tempora ſunt exponenda. Defuncto Thraſimundo, *Amalfreda* ipſius uxor, fugiens ad Barbaros, anno DXXIII. capta, cuſtodiæ tradita fuerat. Infelici mulieri non illuſtris origo, non cum magno Theodorico Italiæ Rege, cujus germana fuit, affinitas, non regia dignitas profuerat, ne in vinculis diem extremum clauderet. Supremus Amalfredæ annus nobis ignoratur: at non neſcimus, triſte fœminæ Principis fatum Athalarico Italiæ Domino indignationem moviſſe. Itaque Vandalorum Regi ſcripſerat aculeatas literas: *Quis neſciat divæ recordationis Amalfredam, generis noſtri decus egregium, violentem apud vos reperiſſe lucis occaſum, & quam habuiſtis pridem Dominam, paſſi non eſtis vivere nec privatam. Hæc ſi contra fas parentela gravis eſſe videbatur, remitti ad nos debuit honorabilis, quam magnis ſupplicationibus expetiſtis. . . . Si ſucceſſio debebatur alteri, numquid fœmina in eo ambitu potuit inveniri? Mater quinimò haberi debuit, quæ vobis regna profudit. Nam & hoc nobilitati veſtræ fuiſſet adjectum, ſi inter Haſdingorum ſtirpem retinuiſſetis Amali purpuream dignitatem.* Hæc Athalaricus per legationem, literaſque ſignificarat, poſtulans etiam, ut eos traderet Hildericus, *per quos facta res debeat eluceſcere.* Probabilis conjectura eſt, Athalaricum Hilderico infenſum, Gelimero ad invadendum Imperium adjutorem fuiſſe. Quo tempore rebellaverit, eſt conſtituendum. Gelimerianæ tyrannidis initia cum anno Dom. DXXX. Baronio copulari placuit. Perperàm tamen, ut nos Victoris Chronicum monuit: *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis Gelimer apud Africam regnum cum tyrannide ſumit, & Carthaginem ingreſſus, Hildericum regno privat, & cum filiis cuſtodiæ mancipat, atque Oamerdigum, multoſque Nobilium perimit.* Labente igitur anno Hildericus regno pulſus eſt, imperii ſui octavo.

Caſſiodor. Ep. l. 9. 1.

Error Baronii.

Gelimer tyrannidem arripit. Quis?

IV. *Gelimer* Genſonem, Geiſerici filium, patrem habuit, & poſt Hildericum regnaturus ſperabatur. Rei militaris periſſimus erat, gravis judicii, pecuniâ viribuſque abundans, qui moræ impatiens regnum rapere, quàm expectare maluit. Itaque Hildericum accuſare apud Vandalos, ignaviam atque imperitiam damnare, calumniis onerare, quòd Vandalorum Juſtiniano Imperium tradere vellet. Creduli Vandali Gelimerum Principem creant, *Hildericumque poſt annos regni ſeptem, ſimul cum Amere, ejuſque fratre Evagene cuſtodiæ tradunt.* Hæc Juſtiniano doloris non minimum inuſſere. Quippe vetuſtâ cum Hilderico amicitiâ conjungebatur, ab eo tempore natâ, quo ob gravem Juſtini ſenectutem Rempublicam adminiſtraras. Legatos ergo ad Gelimerum miſit, qui officii ipſum monerent: ne regnum in tyrannidem mutaret, imperii ſaltem imaginem Hilderico relinqueret. Gelimer horum conſiliorum ſecurus, Legatos re infectâ remiſit: Amerem excæcat, Hildericum & Evagenem arctiori cuſtodiæ tradit. Quem & illudendo hortabatur, uti ad Imperatorem fugeret. Poſtquam ea Juſtiniano nunciata ſunt, miſſis iterum Legatis, Gelimero ſcribit: Tibi habe, quod fortuna tribuit: *Tu autem Hildericum, & Amerem luminibus caſſum, ejuſque fratrem ad nos mitte, ſolatium habituros, quale poterunt. Quod ni feceris, nos profectò leges fœdere, quod cum Geiſericho ejuſque ſucceſſoribus geſſimus, ſoluto, se non ſolùm armis petere, ſed pœnâ quali poſſimus perſequi.* Minas intendenti ſuperbè reſpondet Gelimer: Se regni raptorem non eſſe, cui ea lege, ætateque ad imperandum vocato Vandali ſceptra tribuerant: pulſo Hilderico, qui nova moliebatur. Juſtinianum verò curioſè nimis, injuſtèque facere, qui ſcrutetur aliena. Solventi fœdera obſtiturum, totis ſe viribus expoſtulantem obteſtantemque Zenonis juramentum. Poſterior ea Juſtiniani legatio ad annum DXXXII. eſt referenda, quo etiam tempore Gelimer dignum tyrannicis initiis regnum adminiſtravit, quod illuſtri ſanguine reſperſit. Teſtis Victor Tununenſis. Qui ad annum Chriſti DXXXIII. hæc habet: *Juſtiniano Auguſto III. Coſ. Gelimer tyrannus multos Nobilium Africæ Provinciæ crudeliter extinguit, multorumque ſubſtantias per Bonifacium tollit.* Rapto diu non potitus eſt Gelimer, qui quarto ſuæ tyrannidis anno fuſus, captuſque à Beliſario, Conſtantinopolim miſſus eſt, uti narrabitur.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 9.

Amalaricus a Childeberto deletur: belli cauſa.

V. Non ſoli Hilderico, Amalarico etiam Viſigothorum in Hiſpania Regi, Theodorici Magni nepoti funeſtus annus fuit. Ad annum labentem hæc Victoris in Chronico legimus: *His Coſſ. Amalaricus Rex cum Eldiberto Francorum Rege in Gallia ſuperatus Narbonenſi in prælio, Barcinonem fugiens venit, ibique a Franco angone percuſſus interiit.* Miſeri Principis lamentabilem hiſtoriam Gregorius Turonenſis memoriæ prodidit: Chlodovei filiam Chrotildem duxerat, quæ ob pietatem, cujus tenaciſſima fuit, maximas à viro ſuo injurias patiebatur. Neque regiæ dignitatis, neque fidei conjugalis memor, Ariano errore cæcus, Catholicam in uxore ſua Religionem perſequebatur: *Plerumque procedente illa ad ſanctam Eccleſiam, ſtercora & diverſos fœtores ſuper eam projici imperavit. Tantâ eam crudelitate dicitur cecidiſſe, ut infectum de proprio ſanguine ſudarium fratri tranſmitteret.* Sororis injuriam indignatus Childebertus, Hiſpanias cum exercitu petit. Quo cognito, Amalaricus naves ſibi ad fugam parat. In quas eùm vellet aſcendere, gemmæ, quas in theſauro relinquebat, in memoriam incurrunt. Ad eas igitur auferendas in civitatem regreſſus, ab exercitu hoſtili portâ excluditur. Ademptâ ſibi fugiendi viâ, Eccleſiam

 petit,

Anno Dom. 531.

petit. Verùm priuſquam ad limen perveniret, *unum emiſſâ manu lanceâ, tum mortali ictu ſauciatus, ibique decedens reddidit ſpiritum.* Poſt menſem Maium anno imperii quinto periit Amalaricus, qui inter homines etiamnum verſabatur, cùm Synodus Toletana x v i. Cal. Junias eſt celebrata. Childebertus cum Amalarici theſauris ſororem in Gallias abducit. Illa verò cùm in itinere obiiſſet, Paritios elata juxta Chlodovenm ſepelitur. Amalarici in theſauris erant ſexaginta calices, quindecim patenæ, viginti Evangeliorum capſæ; quæ omnia auro & gemmis ornata magnâ liberalitate Rex Eccleſiis dividit.

Synodus Romana Præſide Bonifacio. Legem ſuam comburit.

V I. Ad res Eccleſiæ ſe nunc convertat oratio. Bonifacius I I. Papa, tumultuum pertæſus, qui ipſius ordinationem turbaverant, Legem fieri curat, autoritate Synodi, quam coëgerat, firmatam, ut ſibi de ſucceſſore providere liceret. Id ſcripto prodidit Anaſtaſius: *Anaſtaſ.* Bonifacius *congregavit Synodum in Baſilica B. Petri Apoſtoli, & fecit Conſtitutum, ut ſibi ſucceſſorem ordinaret. Quo conſtituto, cum chirographis Sacerdotum, & jure jurando ante Confeſſionem B. Apoſtoli Petri in Diaconem Vigilium conſtituit.* Id quidem & Canonibus pugnabat & pietati, cùm eâ ratione conſanguineos Epiſcopi Romani ſuos dignitatis & Cathedræ ſuæ hæredes ſcribere potuiſſent. Imò Chriſti, Apoſtolorumque Inſtituta eâ Bonifacii Lege prorſus violabantur, quæ Epiſcoporum electionem Cleri, Eccleſiæque ſuffragiis vindicant. Itaque labis aliquid Vigilii fama contraxit, qui vivente adhùc Bonifacio Cathedræ Romanæ inhiabat. Quod Vigilio Silverium probro vertiſſe aiunt, in ſuo adverſus illum anathemate: *Silver. Ep.* *Quia contra jura Canonica temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ, ipſo vivente deſignari conabaris, niſi tibi ampliſſimi Senatus obviaſſet juſtitia. Tunc providentiâ paſtorali ac Pontificali autoritate tuâ execranda jam debuerant auſpicia detruncari. Sed dum pravum vulnus in te neglectum eſt, inſanabile accrevit apoſtema.* Nobis tamen nutat hujus anathematis fides, de quo fusè ſuo loco diſſeremus. In ea quoque Synodo Dioſcorus, Bonifacii rivalis, anathemate percuſſus eſt, quod poſtmodum flammis ab Agapito traditum eſt: *Anaſtaſ.* *Hic in ortu Epiſcopatus ſui Libellos anathematis, quos invidiâ dolo extorſerat Bonifacius Presbyteris & Epiſcopis contra Dioſcorum, in medio Eccleſiæ congregatis omnibus, incendio conſumpſit, & abſolvit totam Eccleſiam ab invidia perfidorum.* Prava inſanaque Bonifacii Lex vigere non debuit, quâ & jura Eccleſiæ evertebantur, & Athalarici Regis majeſtas violabatur, cujus & in creando Pontifice autoritas interveniebat. Itaque coactâ iterum Synodo, Bonifacius iniquam ipſe Legem abrogare cogitur. Id memoriæ prodit Anaſtaſius in vita Bonifacii: *Id. ibid.* *Eodem tempore, factâ iterum Synodo, hoc caſſaverunt Sacerdotes omnes, propter reverentiam ſanctæ Sedis, & quia contra Canones hoc fuerat factum. Et quia culpa eum reſpiciebat, ut ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt majeſtatis, quòd Diaconem Vigilium ſuâ ſubſcriptione chirographi ante Confeſſionem B. Petri ſucceſſorem conſtituiſſet. Ac ipſum conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri & Senatus incendio conſumpſit.* Quo vel uno exemplo liquet, Papam ſummo jure Eccleſiæ non imperare, neque honorem ducere ſubjectionis omnis exortem, ſed Canonibus Eccleſiæ, Decretiſque Conciliorum, cùm imprudenter & iniquè ſe gerit eſſe obnoxium.

Anno Dom. 531.

Stephanus Lariſſeus implorat auxilium Bonifacii. Synodus Romana.

V I I. Dum Romæ verſamur, tertii Concilii, quod labente anno eſt in urbe celebratum, memoriam apprehendamus. Conventui occaſionem præbuit Stephanus Lariſſeæ civitatis Metropolitanus, qui miſſo Theodoſio Epiſcopo querebatur, ſe nullo jure à Conſtantinopolitano Patriarcha Epiphanio gradu ſuo motum eſſe, ſimulque Bonifacii implorabat auxilium. Epiſcopis duntaxat quatuor, Presbyteriſque quadraginta Synodus conſtabat, quæ Decembris ſeptimo in Conſiſtorio S. Andreæ ad S. Petrum in Vaticano congregatur. Quærebatur olim à Pontificibus Romanis, Concilia in urbe celebrantibus, vicinia reliquiarum Petri, ut veluti coram eo haberentur, uti obſervatum Leoni in ſua ad Siciliæ Epiſcopos Epiſtola: *Cùm coram B. Apoſtolo Petro ſemper in communione tractatum fuerit, ut omnia Inſtituta Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* *Leo Ep. 4. cap. 7.* Ipſamet Synodi verba referamus, quæ ex Barberina Bibliotheca edidit vir doctiſſimus Lucas Holſtenius: *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis, virorum clariſſ. die v i i. Iduum Decembr. in Conſiſterio B. Andreæ Apoſtoli, præſidente venerabili viro Papâ Bonifacio, unà cum Sabino Canuſinæ civitatis, Abundantio Demetriadæ civitatis, Caroſo Centumcellæ civitatis, Felice Nummenanæ civitatis Epiſcopis, reſidentibus etiam Sanctulo, Mercurio, &c. Presbyteris, adſtantibus quoque Tribuno, Agapio, Donato, & Palumbo Diaconibus, Tribunus Archidiaconus dixit: Theodoſius vir venerabilis Theſſaliæ Provinciæ, Echinenſis civitatis Epiſcopus, adſtans præ foribus ingredi deſiderat, quid præcipitis?* Admiſſus jubente Bonifacio *Theodoſius*, per interpretem dixit, ſe Stephani Lariſſei nomine legendum Libellum offerre, quem *Mennas* Notarius præcipiente Papâ recitavit. Libelli hic titulus fuit: *Domino meo, ac per omnia beatiſſimo & reverà venerando Patri Patrum, univerſali Patriarchæ Bonifacio, Stephanus exiguus Epiſcopus.* In eo ſcripto exponit Stephanus, quâ ratione ad Epiſcopatum aſcenderit. In provinciali ordine militiæ conſtituebatur, cùm defuncto Proclo Lariſſæ Epiſcopo eorum conſenſu, penes quos eligendi Præſulem facultas fuit, tres deſignantur ex more, quorum unus ſuffragiorum multitudine Proclo ſubſtitueretur. Omnibus antelatus Stephanus, coactâ Lariſſæ Synodo, in ea civitate ordinatur, factum probante *Probiano*, Demetriadæ Epiſcopo. Neque ob Stephani conſecrationem turbarum aliquid in Eccleſia fuerat exortum, cùm *Antonius* Presbyter & diſpenſator, *Probianuſque* ille, qui Stephani olim laudes cecinerat, Demetrius quoque Sciatenſis civitatis Antiſtes, ſuarum ſubſcriptionum obliti, ad regiam orbem illicò proficiſcuntur: *& quandam componentes accuſationem, ſanctiſſimo ejuſdem civitatis Archiepiſcopo Epiphanio querelas depoſuerunt, dicentes,* Stephani *ordinationem ſanctis Canonibus minimè convenire.* Tum Epiphanius miſſo Commonitorio, Stephanum à ſacro miniſterio recedere jubet, utpote contra Canones ordinatum, & alimentis, quæ ex Eccleſiæ reditibus ſibi comparabat, penitùs privat. Sententiæ Epiphanii executio Andreæ mandatur, qui abſente Stephano Theſſalonicam petente, coacto Clero Commonitorium legit, brevique de vaſis, rebuſque Eccleſiaſticis facto, à Stephani poteſtate eas removet. Exinde Theſſalonicam profectus Andreas,

Anno Dom. 531.

dreas, ibi latam abdicationis ſententiam Stephano notificat, qui hæc interloquitur: *Si oporteret me ad aliquem accuſantem reſpondere, aut de mea ordinatione aliquid judicare dignatur, cauſam me dicere neceſſe eſt, ſed alibi apud quem ſacrorum Canonum Lex cuſtoditur, & uſque hactenùs conſuetudo ſervatur, memoriam faciens veſtri ſancti capitis, & Apoſtolicæ Sedis.* Ea verba Stephano non fuere præſidio, quem invitum Conſtantinopolim deduxere. Adhibitis tamen ſponſoribus, qui ipſius præſentiam promitterent, carceres & vincula non paſſus eſt. Lecto Stephani Libello Abundantius Demetriadæ *ſorgens e conſeſſu, dixit: Is, quo agitur Probianus ipſe eſt, qui meam Eccleſiam invaſit.* Alterum & Libellum Stephanus Theodoſii manu obtulit, quo nunciabat, poſt lectam Epiphanii ſententiam ad Bonifacii tribunal ſe confugiſſe. Quâ provocatione commotiores Judices facti, quaſi de jure Eccleſiæ regiæ urbis aliquid decerperetur. Itaque relictâ ſententiâ, mox in cuſtodiam Eccleſiæ defenſoribus Stephanus datur. Quo verò in loco res ipſius forent, his aperit: *Sed aliqui Deum timentes, & meam miſerantes miſeriam, quòd eſſet undique deſtitutus, in ſua fide ſuſceperunt: multam pro me quantitatem pecuniæ promittentes, quia non recederem, ſed obſervaturum eſſe in regia civitate.*

Lab. Conc. t. 4. 1691.

Neſcimus ubi clariſſimus Du Pin invenerit, qu'Etienne *s'étoit ſauvé, & qu'il venoit implorer le ſecours du S. Siege.* Eo ſanè facto Stephanus in perfidiam incidiſſet. Non igitur exceſſit urbe regiâ, Bonifaciique auxilium haud ipſemet imploravit, ſed adhibitâ Theodoſii operâ. Conſtantinopoli quidem Stephanus Patritii manu uſus eſt, ut Libello Elpidii, & Timothei ſubſcriberet: *Patrius exiguus Presbyter, Sanctæ Dei Laminaenſis Eccleſiæ, ad regiam urbem veniens, pro perſona Stephani ſancti Epiſcopi mei, ipſo jubente ſupplicans ſubſcripſi.*

N. Bibl. Sec. 6. p. 191.

Lab. Conc. t. 4. 1699.

Elpidii, Timothei, Stephani Libellus Synodo Romanæ oblatus.

VIII. Quinto Iduum Decembrium, feriâ IV. dum rurſus Andreæ in Conſiſtorio Romana Synodus cogitur, Theodoſius interprete uſus, nomine & Elpidii Thebanæ Eccleſiæ, & Timothei Dicæſarienſis Antiſtitis Stephani Libellum offert, ea continentem: *Sanctiſſimus regiæ urbis Eccleſiæ Præſul, & quæ cum eo fuerat ſancta Synodus, in priſtina voluntate perſiſtentes, eripuerunt à nobis Stephanum, Dei amatorem, Paſtorem noſtrum, & S. Lariſſeæ Eccleſiæ, quæ eſt Metropolitana civitas Provinciæ Theſſaliæ, condemnationis ſententiam componentes, ſicut eis complacuit, adjecerunt non licere eum ad Theſſaliam proficiſci Provinciam. Sed prædictus Dei amator vir ſæpius inter Acta conteſtatus eſt, ſanctiſſimum regiæ urbis Præſulem, & Synodum, quæ cum eo convenerat, quia non licet eos iſtam audientiam aſſumere, & quam maximè aliquid decernere, ſed Apoſtolicæ Sedis id convenire beatitudini. Illi autem contemnentes ejus conteſtationem, & quàm maximè inde amplius incitati, immiſericordem ſententiam protulerunt.* Rogant ergo Bonifacium, Sedi ſuæ reſtituat Stephanum, neve patiatur Provinciam ſuam ditioni Conſtantinopolitani Epiſcopi obnoxiam eſſe. Elpidii dolore manus laborantis, nomine ſubſcripſit Joannes Presbyter. Lecto Libello ſubjicit Theodoſius: *Conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet Principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe.* Prolatæ Pontificum Romanorum Epiſtolæ à Menna Notario recitantur. Damaſi ſcilicet ad Acholium geminæ, Siricii ad Aniſium, Innocentii ad Anſium binæ, unaque ad Rufum, tres itidem Bonifacii ad Rufum, duæ Bonifacii ad Epiſcopos in Theſſalia conſtitutos, exemplar Epiſtolæ Honorii ad Theodoſium datæ anno 422. Reſcriptum Theodoſii ad Honorium, Epiſtola Cæleſtini ad Perigenem, ac monumenta ejuſmodi plurima, quibus non Conſtantinopolitanorum quidem, ſed Romanorum utique Præſulum poteſtati Illyricum permittebatur. Quem ſortita ſit exitum lis Stephani, compertum non habemus, cùm Synodi Romanæ exemplaria mutila ſint.

Mors Bonifacii Papæ II.

IX. Concilio Romano diu non ſuperfuit Bonifacius, qui vertente Decembri lucem omiſit. Citius ad plures abiiſſe, creditum Baronio: *Die decimâ ſeptimâ menſis Octobris ex hac vita migraſſe, Bibliothecarius habet.* Quæ & Onuphrii Chronologia eſt. Prius tamen obiiſſe Bonifacium, quàm Baronio creditum, innuit Anaſtaſius, dum Bonifacium in Baſilica Petri, *ſub die* XVII. *Octobris ſepultum* eſſe refert. Uno die ſaltem funeri mors antecedere debuit. Cæterum tam Baronii, quàm Anaſtaſii Chronologia falſa eſt, cùm *nono Decembris* Bonifacius Romanæ Synodo præfuerit, ut à nobis eſt obſervatum. Anno DXXIX. circa Novembrem Felici ſucceſſerat, proindeque tertio ſui Pontificatus anno labente extinctus eſt. Extat unicum ipſius monumentum in Epiſtola ad Cæſarium, quâ victrici Dei Gratiæ plurimum recteque patrocinatur. Succeſſorem habuit Joannem Mercurium, qui anno proximè futuro Cathedram Romanam conſcendet.

Error Baronii.

Bar. An. 531. n. 6.

Toletana Synodus.

X. Italiâ egreſſi Hiſpaniam penetremus, quid rerum in Toletana Synodo geratur obſervaturi. Octo conſtabat Epiſcopis, *Montano* Toletano Præſule, Conventus Præſide, *Pancario*, Nebridio Agragenſi, Cannonio, Paulo, Domitiano, Maracino, Juſto Urgelitano. Locum tempuſque Synodi ipſi docent: *Synodus habita in civitate Toletana apud Montanum Epiſcopum, ſub die* XVI. *Kal. Junias, anno quinto regni Domini noſtri Amalarici Regis, Æra* DLXIX. Quibus congregatis placuit, *ut ſi quæ in antiquis Canonibus minimè commemorata ſunt, ſalubri tractatu ac diligenti conſideratione inſtituantur. Si quæ verè in anterioribus Conciliis ſunt decreta, ſed abuſione temporum hactenùs ſunt neglecta, rediviva ordinationis cenſuram obtineant.* Canones quinque condiderunt. I. Qui à primis infantiæ annis Clericatui mancipantur, mox detonſi in domo Eccleſiæ, ſub Epiſcopi præſentia à Præpoſito erudiantur. Ubi XVIII. ætatis ſuæ compleverint annum, coram Clero, plebeque voluntas eorum de expetendo conjugio exquiratur. Qui continentiam promiſerint, Diaconatum à vigeſimo anno ſuſcipiant; vigeſimo quinto Diaconatum. Quòd ſi ad furtivos concubitus, aut nuptias currant, ab Eccleſia habeantur extranei. II. Qui ſic educantur Clerici, ad aliam Eccleſiam non tranſeant: Epiſcopus, qui eos ſuſceperit, ab Antiſtitum communione alienus eſto. III. Clericorum nullus cum extranea muliere habitet. IV. Qui de prædiis Eccleſiæ Clericus poſſederit, ea poſt obitum Eccleſiæ reſtituat, nec relinquat hæredibus. V. Qui ſe conſanguineis in gradu prohibito conjunxerint, Eccleſiæ communione pellantur. Qui haſce regulas ſpernere, aut violare auſus fuerit, Epiſcoporum ſocietate alie-

nus

ANNO DOM. 532.

nus exiſtimetur. Montano quoque Metropolitano facultas tribuitur, de congreganda Synodo dirigendi literas. Ille ipſe Montanus fratribus territorii Palentini Epiſtolam miſit, quâ Presbyteri Chriſmatis conficiendi munere prohibentur, adductis Oziæ, Core exemplis, qui cœleſtem iram provocarunt: *Cùm tempus Paſchalis feſtivitatis advenerit*, inquit, *ſi vobis ad petendum impoſſibile eſt, datis literis veſtris indicare debebitis, & nos ſacri hujus liquoris ultrò poterimus tranſmittere gratiam.* Vetat etiam, ne conſecrandis Eccleſiis alienæ ſortis Epiſcopos invitent. Denique Palentinos meritò vexat, quòd *perditiſſimam Priſcillianiſtarum ſectam tam actis, quàm nomine* multo honore afficiant. Theoribio quoque Provinciæ, uti videtur, Præfecto, multis laudibus ornato, ſcribit, ut autoritate ſuâ Palentinorum errores cohibeat.

ANNO U. C. 1285. PER. JUL. 5245. JUL. 577. DOM. 532. JUSTINIANI 5. & 6. ATHALAR. 6. & 7. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 1. *Indict.* 10. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 11. *April.*

COSS. *Iterum poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis.*

Horrenda ſeditio Conſtantinopoli nomine Vince. Cauſæ motus?

I. LEvi de cauſa Conſtantinopoli ſæviens animis ignobile vulgus, Juſtinianum cum urbe regia penè opprimit. Tantâ ſimul & violentiâ, & mobilitate tumultus exortus eſt, ut ſpeciem maris referret, cujus fluctus nullo ordine à ventis agitati, contrariis motibus hùc illùcque rapiuntur. Eò accuratius ingens ſeditio narranda eſt, quò nulla ejus extant Baronianis in Annalibus veſtigia, licet via pars hiſtoriæ ſit aliqua memoratu dignior. Menſis Januarii Idibus, labente adhùc anno Juſtiniani quinto, horrendus ille tumultus accenditur. Ingreſſis Circum aurigarum factionibus, quæ populi pars Praſinis ſtudebat, ea clamores effundit in *Calepodium* Cubicularium: *Multos annos; Juſtiniane, vincas; indigna patimur, ò ſolus bone, non ferimus, teſtis Deus: non audemus nominare. Infeliciter tum genes. & nos periclitabimur. Calepodius Spatharius & Cubicularius is eſt, qui nos injuriâ mactat.* Inde multis conviciis inter geminas Venetorum & Praſinorum factiones jactatis, Imperatori quoque calumniati Praſini, Circum egreſſi, Imperatorem cum Venetis relinquunt in ſpectaculo. Inimicis oculis factiones illæ ſeſe intuebantur, commune utrique ſtudium, ut altera vinceret alteram: quod hoſtile odium ſuas & in conjunges tranſmittebant, quæ licet aliàs theatri expertes, cum viris tamen, ſi opus erat, in certamen deſcendebant. Plebeis clamoribus excitatus Imperator, Baſilidem, Hermogenem & Conſtantiolum miſit, qui indicto ſilentio quærunt, quænam ſit cauſa tumultuandi. Illicò vociferantur, contra *Joannem* Cappadocem Præfectum Prætorio, *Rufinum* Quæſtorem, urbis Præfectum. Quæ cùm Imperatori nunciarentur, extemplò exautorato Joanni Phocam ſubſtituit: amoto Rufino ſucceſſorem dat Baſilidem: Felici Tryphonem ſufficit, Magiſtri Palatii officio fungentem. Componendis animorum fluctibus fruſtra fuit ea Imperatoris benignitas. Plebs amore prædæ incitata in Palatium irrumpere conabatur. Quo cognito, Beliſſarius cum Gothorum globo in ſeditioſos invadens, eorum multos ad veſperam uſque trucidat. Graviſſimam Zonaras Barbaros inter & cives pugnam memorat: *In loco, qui Millium dicitur, & multis utrinque cadentibus, Eccleſiaſtici bellum & ſeditionem ſedare cupientes, cum ſacratiſſimis divinorum Evangeliorum Codicibus, & Servatoris noſtri venerandis imaginibus, in medium agmen prœliantium penetrarunt, rati eos verecundiâ ſacrarum rerum, poſitis armis, pugnam omiſſuros.* Barbari verò, qui ne vel ſacris Eccleſiæ miniſtris parcebant, nova ſeditioni nutrimenta dedere. Quam ulturi injuriam & viri, & mulieres lapides & teſtas in Barbaros jaculantur. Qui furore perciti ignem ædibus injiciunt, unde feriebantur. A furente populo, uti Chronicum narrat Alexandrinum, facibus armato nobiliora regiæ urbis ædificia conſumuntur. Abit in cineres veſtibulum Palatii, nomine *Chalcoſtegum*: exuritur unà cum porticu domus Scholarium Protectorum candidatorum. Comburitur & Senatus, quod Auguſteum vocabatur, & Sophiæ Eccleſia tota cum ſtupendis columnis. Seditioſis ſignum hoc fuit, *Vince*, quod tumultui id nominis peperit. Inde plebs ad Juliani portum currens, Probi domum petit, quem & Imperatorem dicit, injectoque in Probi Patricii tecta igne, cum aliis nonnullis eum opprimit. Die Veneris, qui Januarii XVI. erat, populus in Prætorium venit, admotoque igne regiarum ædium duas porticus conſumit. Veluti ad perniciem regiæ civitatis conjurati, flammas transferunt in ſcrinia: balneum Alexandri Severi, Xenodochium Eubuli, Sanctam Irenem corripiunt. Noſocomium Sampſonis, cum ægrotis in eo decumbentibus crematur. Die Sabbati, Januarii XVII. milites, qui ex Hebdomo & Calabria venerant, conjuncti populo, paſſim & ubique homines mactant, quorum corpora in mare jaciunt.

Zonar. An. l. 14. 61.

Chr. Alex.

Hypatius creatur Imperator factione turbæ.

II. Die Dominicâ, Januarii XVIII. Imperator progreſſus in Circum, ſedit in ſolio, geſtans manu Sanctum Evangelium, quo debitæ erga Principem obedientiæ rebelles monebantur. Confluenti in Circum plebi Juſtinianus adhibito juramento hæc loquitur: *Per hoc Imperium meum condono vobis eam offenſam, nec ullum ex vobis jubeo comprehendi. Quieſcite modò, nulla enim apud vos culpa reſidet, ſed apud me. Peccata enim mea fecere, uti vobis negarem, quod à me in Circo petiviſtis.* Ad hæc multi ex populo clamant, *Auguſte Juſtiniane, vincas.* Alii contra, *Pejeras Sgandari.* Egreſſus Circo Princeps in Palatium redit, miſſiſque illicò Senatoribus, jubet ſingulos propriis ædibus cavere. Tum populus feſtinans ad Hypatium, Anaſtaſii ex ſorore nepotem, turbido clamore vociferantur, *Hypati Auguſte, vincas.* Sunt Scriptores, qui Hypatium pro ſuaſore, autoreque ſeditionis hujus habeant, cujus initia Januarii XIII. affigunt. Id in Marcellino legimus: *Hypatius, & Probus, genere conſobrini, divique Anaſtaſii nepotes, Imperium, quod ſibi ſinguli indignâ ambitione exoptabant, Idibus Januariis, jam pluriſque Nobilium conjuratis, omnibuſque ſeditioſorum turbâ, armis donisque miniſtratis illectâ, dolis invadere tentaverunt, atque per quinque continuos dies urbem regiam rapinis, ferro, igneque per ſceleratos cives, ſine certo interrege diſcurſantes, hoſtili impietate ipſi ſe fideles in Palatio diſſimulantes, depopulati ſunt. Quintâ*, aut quod verius exiſtimamus, *ſextâ* ſeditionis die arreptum Hypatium, & regiâ chlamyde indutum in forum Conſtantini deducunt.

Mariæ

Anno Dom. 532.

Mariæ Hypatii uxori, prudentiſſimæ fœminæ, hæc diſplicebant, quæ apprehenſo viro ſuggerebat, ipſum non ad Imperium, verùm ad mortem trahi. A plebe repulſa Hypatium relinquere cogitur, quem in forum Conſtantini productum in regiam revocant. Cùmque diadema ad manus non haberent, auro in ipſius capite poſito, Imperatorem dicunt. At Hypatius, quæ ſibi probè nota erat, populi levitatem veritus, clam Ephræmium mittit, petiturum ab Imperatore, quid fieri vellet. Palatium ingredi cupienti occurrit *Thomas* Juſtiniani Medicus, qui narrat, intus eſſe neminem, fugâ Juſtinianum exceſſiſſe. Eo nuncio accepto, Hypatius Imperium ſibi deſtinari ratus, in regio Circi ſolio audacius ſe collocat, neque invitus audit fauſtas in ſe populi acclamationes, convitiaque in Juſtinianum & Theodoram.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 19.

Chr. Alex.

III. Quæ gerebantur ubi Imperatoria aures tetigere, triclinium ingreſſus, pone Circi tribunal, æreis portis bene firmatis, à *Mundo*, Conſtantiolo, Baſilide, Beliſſario quærit, quid agendum? Ponebatur in ſententiis, manere, an fugere potius expediret. Verùm *Theodora*, excelſi mulier animi, cenſet honeſtam exilio mortem anteponendam eſſe. Placere ſibi antiquum illud proverbium, *Inſignem pulchrumque eſſe vel in ſepulchro Imperatoris titulum.* Firmatis animis, Narſes quoſdam ex Veneta factione corruptos pecuniâ, ad ſe pertraxit, qui à Praſinis diviſi, maximum exclamant, *Auguſte Juſtiniane, vincas.* Contrà verò Praſini impetum in illos ſaxis fecere. At Beliſarius & Mundus, qui Juſtiniano fidi erant, ſeditioſos adorti in Circo, ſtragis multum edunt, non civibus, non peregrinis parcitum, quos inter Antiochiæ Prætor *Antipater* occubuit. Nemine reſiſtente, *Boraides* & *Juſtus*, fratris Juſtiniani filii, Hypatium è throno raptum, ſimulque Pompejum ſub veſte lorica tectum, ad Imperatorem adducunt: cujus ad genua illi provoluti hæc dixiſſe feruntur: *Nos multum laboravimus, ut hoſtes Imperatoriæ majeſtatis tuæ in Circum cogeremus.* Quibus reſpondit, Si vobis jubentibus paruerunt, quare id prius non feciſtis, quàm univerſa civitas conflagraret. Tum ſubinde *Eulalio* præcipit, ut reos carceri incluſum iret. Ac *Pompejus* adverſam ferre fortunam neſcius, lachrymis ſe dabat, & lamentis muliebriter. Flentem verò objurgabat *Hypatius*, non oportere, eos qui injuſtè pereunt, lachrymas fundere, à populo coactum Imperium ſe ſuſcepiſſe. Die Lunæ Januarii XIX. ambo à militibus percuſſi intereunt, deinde in mare projiciuntur, ut piſcium viſceribus ſepelirentur. Hypatii verò corpus cùm ad littus appuliſſet, inter illos collocatur, qui noxii periere: jubenteque Imperatore defuncto tabula imponitur, cum ea inſcriptione: *Hic ſitus eſt Imperator Luppa.* Paucis poſt diebus conſanguineis conceditur corpus inferre ſepulchro, quod in Æde ſanctæ Mauræ conditum eſt. Pompei corpus nuſquam apparuit: reorum bona publicata. Thomæ Medico caput amputatum. Patricii, qui Hypatio favebant, arreptâ fugâ, vel in Monaſteria, vel in ſacras Ædes ſeſe abdiderunt. Deprehenſi amiſſis bonis proſcripti ſunt: Ephræmius Alexandriam relegatur. Sic Imperium antè perdidit Hypatius, quàm habuerit: triginta millium hominum, & eo amplius morte ſeditio conſtitit. Januarii vigeſimo Conſtantinopolis ſedata quievit: apertæ officinæ, ut egentibus alimenta præſtarent: verùm cives diu ſpectaculis, & Circo abſtinuerunt. Tanto Juſtinianus periculo defunctus, intra Palatium horrea piſtrinaque condidit, nec non ciſternas ſeditionum metu. Majore verò ſtudio magnam Eccleſiam, Palatium, publicaque civitatis ædificia reparavit. Anno Imperii ſui decimo, qui Dom. eſt DXXXVII. ſplendidum S. Sophiæ Templum immenſis ſumptibus inſtaurare exorſus eſt.

Seditionis autores puniuntur. Hypatius & Pompejus. Ingens Conſtantinopoli ſtrages.

Procop.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 19.

Chr. Alex.

IV. Multas Conſtantinopolitana ſeditio, ut ut ſopita, calamitates traxit. Veneta factio debellando Hypatio maximo adjumento fuerat. Hinc furoris initium, quo Juſtinianus belluarum immanitatem ſuperaſſe dicitur. Quippe Venetianis ex illo tempore adeò favit, ut ipſâ meridie in media civitate adverſæ factionis homines interimerent, nullo ſupplicii metu, imò præmii quoque adeptione: *Licebat illis etiam in domos irrumpere, opes in illis reconditas deprædari, miſeris ſalutem ſuam pretio vendere. Quòd ſi ex Magiſtratibus quiſpiam eos coërcere tentaſſet, de ſoſpitate ſua periclitabatur. Quidam certè, qui Comes erat Orientis, cum aliquot ſeditioſos nervis cædi juſſiſſet, ipſe in media urbe nervis cæſus, ac circumductus eſt.* Callinicus Ciliciæ Rector, quòd Paulum & Fauſtinum, qui in ipſum irruentes interficere voluerant, capitali ſupplicio affeciſſet, in crucem actus eſt. Hinc factum, ut Praſiniani relictâ ſuâ patriâ, cùm à nullo mortalium ſuſciperentur, viatoribus inſidias ſtruerent, cædeſque & rapinas perpetrarent. Sic loca ſceleribus omnia complebantur: Interdum Juſtinianus *in contrarium ſententiam verſus, Venetianos occidit, Legum vindictæ ſubjiciens eos, quibus anteà more barbarico per ſingulas urbes graſſandi poteſtatem dederat.*

Praſina factio à Veneta vexata, in omnes graſſatur.

Evagr. l. 4. c. 32.

V. Extinctæ Hypatianæ ſeditionis gaudio aliud & Juſtiniano acceſſit, ex morte Cavadis Perſarum Regis. Ad fata quidem veniſſe labente anno Juſtiniani quinto, in Agathia legitur. Ubi graviter ægrotare cœpit, Mebodem unum inter Perſas fidiſſimum advocans, cùm eo de ſucceſſore communicat, Coſroeque ſucceſſore relicto, mortem obiit. Poſtquam juſta defuncto reddita, Coſroës illicò regnum adire volebat, niſi Mebodis conſilium prohibuiſſet, affirmantis, quo Imperium firmius eſſet, de Optimatum ſententia capiendum eſſe: qui congregati, Cavadis virtutum memores, Coſroem Regem dicunt. Hinc ad pacem cum Romanis faciendam via panditur. Martyropolim Perſæ oppugnabant, cui Buzes & Beſſas præſidio aderant. Sed machinæ & alimenta obſeſſis deerant, neque Sittas Dux Romani exercitus civitatis expugnationi impedimento eſſe poterat. Rem itaque prudentiâ tractandam, Hermogenes Sittaſque cogitant. Legatos ergo *Chanarangi* Perſicis exercitibus Præfecto mittunt, qui obſides de pace ineunda nobiles offerrent. Venerat eo tempore nuncius de morte Cavadis, Coſroïſque ad imperium evectione. Itaque res novas ſimulque Hunnorum eruptionem veriti, Oratorum ſermones jucundius audiunt, ſtatimque Martino & Genecio obſidibus acceptis, ſolutâ obſidione domum repetunt. Pacis præludia hæc fuere, quæ anno proximè ſecuturo conſtituetur. Porro Coſroës, qui ſolium Perſicum conſcendit, fax Imperio fatalis fuit. Vir erat omnium verſutiſſimus, miruſque ſimulandi artifex, qui commodi causâ omnia pollicebatur, pauloque pòſt promiſſa ludibrio habebat. Comparandæ ſibi pecuniæ

Mors Cavadis. Coſroes ei ſuccedit. Ejus mores.

Agath. l. 4. c. 14.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 17.

ANNO DOM. 532.

cuiæ ad omne nefas promptiſſimus erat. De hominis verſutia mirum extat exemplum in Procopio. Poſt *Suram* anno DXL. expugnatam Barbarus nobilem feminam per vim trahebat, dexterâ filiolum, quem tenebat, dimittere nolentem. Cùm puerulum pavimento miles alliſiſſet, triſtem caſum indignatus Coſroës, inflexus eripit, præſenteque *Anaſtaſio* Juſtiniani Legato Deum oravit, ut Imperatorem tantarum calamitatem cauſam plecteret. Lacrymoſus ille Princeps primus nulla de cauſa pacem fregerat.

Procop. de Bello Perſ. l. 2. c. 5.

De anno Sabæ ſupremo.

VI. Imperii rebus illas Eccleſiæ jungamus. Ac primòm ab iis ordiamur, quæ ad Orientem ſpectant, vertente anno cœleſtem Sabas animam Deo reddidit. Baronio, Noriſio, eruditiſque placuit, Sabæ obitum cum anno DXXXI. eſſe copulandum. Nos verò à vita Sabæ, quam Cotelerius integram edidit, meliore Chronologiâ inſtruimur. Audiamus Cyrillum: Sabas obiit *ætatis ſuæ anno nonageſimo quarto, poſt Conſulatum Lampadis & Oreſtis ſecundo, ſexto præſentis à Deo protecti Imperii*, quod Juſtinianus adminiſtrabat. Natus erat Januarii ſub initia anno CCCCXXXIX. Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. Itaque Sabæ nonageſimus quartus cum Decembri labentis anni finem accipit, qui & Juſtinianei eſt imperii ſextus, & ab Oreſtis & Lampadii Conſulatu ſecundus currit. Quæ in anno DXXXI. notæ fruſtra quæruntur. Menſem quoque accuratiſſimè conſignat Cyrillus, eſt tamen in Indictione peccatum: Sabæ *mors contigit quinto Decembris menſis, Indictione decimâ*. Ab ineunte Septembri Indictio undecima jam erat in curſu. Cùm mortem Sabæ Baronius tempori ſuo non reddiderit, vitare quidem non potuit, quin diſſidia Origeniana, quæ Sabæ obitum excepere, perperàm collocaret.

Vita Sab. c. 77.

Error Baronii.

Mors Sabæ. Quâ die obierit?

Vita Sab. c. 76.

VII. Anno ultimo Sabæ conſtituto, quâ ratione optimus ille Abbas exceſſerit exponamus. Impleto miniſterio, quod rogante Patriarchâ Petro ſuſceperat, Hieroſolymam reverſus, *venerabilia loca cùm adoraſſet, iiſque quaſi valedixiſſet, in ſuam Lauram maximam profectus eſt. Ubi pauco tempore tranſacto in morbum incidit. Quod comperiens ſanctiſſimus Archiepiſcopus Petrus, ad eum viſitandum deſcendit. Cernenſque nihil eundem habere ſolatii in cella, præter ſiliquas paucas & veteres palmulas impoſitum lecticâ, ad Epiſcopalem domum adduxit, ejuſque ibi curam gerebat, propriiſque manibus ipſi miniſtrabat. Porrò aliquot diebus interjectis revelationem accepit, vidiſque Pater noſter Sabas, quæ ipſius obitum indicabat, non poſt multos dies fore. Quam ubi Archiepiſcopo renunciavit, hortatus eſt, ut dimitteretur. Tum Archiepiſcopus, quod vellet omnibus modis ei ſatisfacere, miſit eum cum convenienti curatione in Lauram ſuam. Qui ſenex in propria diſcumbens turricula, initio menſis Decembris, convocatis Lauræ Patribus, dedit illis quendam Præpoſitum, Berytium genere, appellatione Melitam, adhortatus eum, ut Conſtitutiones ſuis Monaſteriis traditas inviolatas ſervaret, quas ei ſcriptas tribuit. Cùmque dies quatuor tranſegiſſet, nihil ſumendo, & cum nullo congreſſus, veſpere Sabbati petitâ communione, atque acceptâ, poſtquam poſtremò dixit, Domine, in manus tuas commendabo ſpiritum meum, animam dedit.* Cæterùm ſi veſperâ Sabbati exceſſit, non utique *quinto* Decembris. Litera Dom. Biſſextilis erat B. C. Epacta Solaris 4. & 5. Primus ergo Decembris feriæ V. cohærebat, ergo Sabbatum tertio Decembris aſſignabatur. Affirmat tamen Cyrillus, Sabam V. *Decembris* ad plures abiiſſe. Quam doctiſſimus Cotelerius difficultatem neque ſolvit, neque vidit. Cui nos ſic occurrendum exiſtimamus. Græca ſunt ὀψὲ Σαββάτων, quæ verti non debent, *veſpere Sabbati*; ſed *poſt Sabbata*, quam adverbium ὀψὲ ſignificationem induit, Matthei XXVII. VI. ut eſt à nobis obſervatum. Utitur autem Cyrillus plurali Σαββάτων, ut feriam tam ſeptimam, quàm primam ſignificet, utramque ſacram & ſolemnem Orientalibus. Itaque *die Lunæ* poſt Sabbata, quinto Decembris Sabas vitam cum morte commutavit. Sic conſtabunt omnia. Ubi Sabæ mors innotuit, immenſa & Monachorum, & Laicorum multitudo cum Petro Patriarcha, & Epiſcopis adfuit, ut defuncto juſta ſolverentur, qui in maxima Laura depoſitum eſt inter duas Eccleſias. Diu ſalvum corpus ipſius ſervatum eſt, teſte Cyrillo: *Nam*, inquit, *pretioſo loculo adaperto ad deponendum corpus Beati Caſſiani deſcendi, ut divini ſenis corpus adorarem, nactuſque ſum illud integrum & inſolutum manere.*

ANNO DOM. 532.

Vita Sab. c. 78.

Sabæ vita breviarium.

VIII. Natus erat Sabas, Theodoſio Conſule XVII. qui annum Dom. CCCCXXXIX. aperuit. Januarii ſub initia lucem aſpexit, *Joanne* & *Sophiâ* parentibus ortus, in Cappadociæ vico, nomine *Mutalaſa*, ſub Metropoli Cæſarienſium conſtituto. Ætate circiter quinquennis Sabas à patre, qui in copias Alexandrinas allectus erat, apud avunculum *Hermiam* relinquitur. Qui cùm pravorum morem haberet uxorem, Sabas in Gregorii patrui domum receſſit. De facultatibus ipſius, ortâ avunculum inter & patruum lite, in *Flaviana* Monaſterio ſe condidit, ubi brevi Pſalterium, & cœnobiticæ vitæ regulas accuratè didicit: nec ab eo unquam inſtituto à conſanguineis, ipſum ad nuptias provocantibus revocari potuit. Annis decem in Monaſterio actis, Hieroſolymam proficiſcitur natus annos duodecim, ſedente adhùc Juvenale; Serapioniſque in Monaſterium, cui Elpidius præficiebatur, ingreditur. Cùm autem compulſus magnâ Euthymii famâ, quæ ubique locorum ſpargebatur, ſanctum virum adeundi deſiderio teneretur, ad eum acceſſit, orans cum lachrymis, ut in numero diſcipulorum ipſius poneretur. Quem juventutis cauſâ ad Theoctiſtum amandat. Hic ſocios laboribus ſuperans, tres quotidie faſces ſecatos in Lauram deferebat, ac nihilominus Liturgiæ alacriter miniſtrabat. Cùm à Joanne quodam Alexandriam petenti, ut paternas facultates diſponeret, comes electus fuiſſet, *Sabas* in matrem patremque incidit, qui mutato nomine *Conon* vocabatur. Iſaurorum cohorti tum imperabat, à quo, ut initâ militiâ numeri primus fieret, invitatur. Neglectis parentum precibus, terreſtri militiæ vitam aſceticam antetulit. Quin etiam viginti nummos, quos redeunti ad ſumptus faciendos offerebant, prorſus repudiat. Ne verò triſtibus dolorem adderet, tres duntaxat accipit, quos reverſus Theoctiſto tradit. Defuncto Theoctiſto, cui poſt *Marim* Longinus ſucceſſerat, Sabas annos jam natus triginta, eum rogat, ut ſibi in ſpelunca degere permitteret: precanti conceſſum, ut quinque diebus ſingulâ hebdomade eo loci ageret: *Annos quinque ibi tranſegit, hâc uſus vivendi ratione. Ad veſperam, quæ Dominicam ſubſequitur, exibat è Monaſterio, cum ramis palmularum in hebdomadæ uſum, & quinque diebus perſeverabat, abſque ullo planè cibo; Sabbato autem manè veniebat in Cœnobium,*

Vita Sab. c. 10.

ANNO DOM. 532.

bium, ſecumque ferebat, quæ per quinque dies manibus elaboraverat, quinquaginta videlicet ſportulas plenas & integras. Completo anno ætatis XXXV. mutatam Cœnobii diſciplinam intuitus, in deſertum *ad Cutilam* ſeceſſit: dum in eo verſatur, tribus Saracenis occurrit, fame laborantibus, quibus ea obtulit, quæ in ovilla geſtabat, melagria, & arundinum medullas. Satiati poſteà explorant, in quonam *Ruba* ſpeluncâ maneret. Loco cognito, *panes & caſeos, cum palmulis ei attulerunt.* Tum Sabam id cogitationis inceſſit, quod omnibus ſive fictis, ſive veris, quæ ab eo patrata feruntur, miraculis anteponimus: *Hei mihi, anima mea, quantum Barbari iſti adhibuerunt ſtudium referendi gratiam de accepto nullius pretii beneficio? Quid acturi ſumus nos miſeri, & ingrati, qui tot tantiſque divinis chariſmatibus, ac donis quotidie perfruemur, ſic tamen in negligentia & ſegnitie noſtram vitam conſumimus, nec ſtudemus donatori Deo per executionem præceptorum ejus placere?* c. 13. Anno ætatis XLV. Dom. CCCCLXXXIII. animarum curam ſuſcepit. Dum eo munere fungitur, Joanne Conone defuncto, Sophia uxor ejus, Sabæ mater, venditis quæ poſſidebat, auro multo onuſta Hieroſolymam venit. Quas poſt ipſius obitum divitias, Sabas Lauræ ſuæ addixit, ex quibus Jerichontis Xenodochium comparavit unà cum hortulis, Lauræ quoque condidit Xenodochium ad Patrum miniſterium. Quæ geſſit in Præfectura ſua ad hiſtoriam illuſtrandam memoratu digniora, ſuis jam locis retulimus. Aſcribuntur multa Sabæ miracula, quibus fidem adjungere prohibemur. Piſtoris veſtes in furnum admodum accenſum inſiliens retulit, nil ab igne paſſus. Jocularé eſt, quòd ad eum leo venerit, accidendo pedem ſuum oſtendens, nutuque rogans, ut claudicantem ſanaret. Quod cùm impetraſſet, *per dies quadrageſimales ſenem ſequebatur, benevolam ſervitutem impendendo*, c. 49. Multò feſtivius eſt miraculum ſanatæ mulieris, ſanguinis profluvio laborantis, quæ cùm Sabæ auxilium imploraſſet, roganti ille manum præbet, ut parti laboranti imponeret. Quam apprehenſam mulier *appoſuit loco abſcondito, atque ſtatim fluxus ſanguinis ejus ſtetit.* Scatet prodigiis ejuſmodi vita Sabæ. Sunt in ea tamen multa, quæ & hiſtoriæ, & Chronologiæ lucis plurimum fœnerant.

Vita Sab. c. 25.

Vita Sab. c. 6.

Vita Sab. c. 62.

IX. Qui Sabæ fatalis fuit, Joanni Papæ ſecundo natalis exiſtimatur. Ac Baronius quidem, qui decimâ ſeptimâ menſis Octobris anni elapſi, Bonifacii conſignat obitum, eidem quoque anno ad Pontificales honores Joannis evectionem tribuit. Verùm cùm ex Synodo Romana certum exploratumque ſit, nono Decembris Bonifacium huic Concilio præfuiſſe, Joannis Papæ creatio non elapſo quidem, ſed labenti eſt aſſignanda. Fruſtra eſt cum ſua Inſcriptione illuſtriſſimus Purpuratus, ut ſuam Chronologiam præſidio cingat:

Joannes Papa Bonifacio II. ſufficitur.

Error Baronii.

> *Salvo Papa N. Joanne, cognomento Mercurio, ex ſco Eccleſiæ Rom. Presbyterio, ordinato, ex titulo ſci Clementis ad gloriam Pontificalem Promoto, Beato Petro Ap. Patrono ſuo, à vinculis ejus, Severus Pr. Oſt. & II. P. C. Lampadi & Oreſtis VV. CC. Urbicalus Cedetuus.*

Ex ea Inſcriptione liquet quidem, anno currente Joannem Romanam Eccleſiam adminiſtraſſe; minimè verò conſequens eſt, Joannem anno ſuperiore infulam adeptum eſſe, cùm nota hæc Conſularis, *iterum poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis*, annum non DXXXI. ſed DXXXII. deſignet. Rectius ſane Onuphrius Joannis conſecrationem in currentem annum retulit. Noſtrum tamen non impetrat aſſenſum, quòd XI. *Kal. Februarii* ordinatus ſit, licet doctiſſimus ille Noriſius in eam Chronologiam propenderet. Quippe Januarii XXII. in diem Jovis incidebat, jubente literâ Dom. Biſſext. D. E. Die verò Jovis Pontificales ordinationes non peragebantur. Itaque Natalem Joannis annum ſcimus, diem neſcimus. Joannes, cognomento *Mercurius, natione Romanus, ex patre Projecto, de Cœlio Monte*, Sancti Clementis Eccleſiæ Presbyter, Bonifacio ſecundo ſufficitur. Joannes brevis ævi fuit, quod ad uſque DXXXIV. extendit. Periit labente tertio ſui Pontificatus anno.

X. Inſignitas etiam celebritatis notas anno impreſſit *Dionyſius*, cognomento Exiguus, dum Cyclum ſuum Cyrilliano ſuccidaneum condit, ab anno Dom. DXXXII. incipientem. De quo prius quàm dixerimus, pauca de Dionyſio ſunt obſervanda. Gente Scytha, moribus doctrinâque cultus erat, quem ſibi amiciſſimum Caſſiodorus multis laudibus afficit in ſuo de Inſtitutione divinarum Scripturarum libro, c. 23. *Fuit noſtris temporibus & Dionyſius Monachus, Scytha natione, ſed moribus omninò Romanus, in utraque lingua valde doctiſſimus; reddens actionibus ſuis, quam in libris Domini legerat, æquitatem, qui Scripturas divinas tantâ curioſitate diſcuſſerat atque intellexerat, ut undecunque interrogatus fuiſſet, paratum haberet competens ſine aliqua dilatione reſponſum, qui mecum dialecticam legit, & in exemplo glorioſi Magiſterii plurimos annos vitam ſuam Domino præſtante tranſegit.* Hæc de eruditione Dionyſii: de moribus verò ſubjungit: *Fuit in illo cum ſapientia magna ſimplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas, ut in nullo ſe vel extremis famulis anteferret, cùm dignus eſſet Regum ſine dubitatione colloquiis. . . . Inter reliquas virtutes hoc habuiſſe probatur eximium, ut cum ſe totum Deo tradidiſſet, non aſpernaretur ſecularium converſationibus intereſſe. Caſtus nimium, cùm alienas quotidie videret uxores: mitis, cùm ſerò gentium veſano turbine pulſaretur. Fundebat lachrymas, motus compunctione, cùm audiret garrula verba lætitiæ. Jejunabat ſine exprobratione prandentium, & ideò conviviis gratanter intererat, ut inter corporales epulas inquiſitus, ſpiritales copias ſemper exhiberet.* Longum eſt, & non neceſſarium, laudes ipſius referre. Cùm eâ tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ peritiâ floreret, ut *quoſcunque libros Græcos in manibus acciperet, Latinè ſine offenſione tranſcurreret, iterumque Latinos Attico ſermone legeret*, in vertendis Canonibus, quibus Apoſtolicis nomen, operam dedit, cujus Operis meminit & Caſſiodorus: *Dionyſius petitus à Stephano, Epiſcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus Canones Eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus atque diſertus, magna eloquentia luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur.* Frequenter à *Laurentio* compulſus fuerat, antiquæ tranſlationis confuſione compulſo, ut in eo opere ſuſcipiendo deſudaret. Maluit tamen Præſulis precibus acquieſcere. Eſt porrò vitandus Sixti Senenſis error. Canones Apoſtolicos, inquit, *Dionyſius quidam vetuſtus interpres, precibus Laurentii fratris adductus ad Stephanum Papam Latinos fecit.* Stephano non Papâ, ſed Salonitano Præſule rogante Dionyſius Canones Latinè vertit. De ſua autem verſione Stephano hæc

ANNO DOM. 532.

Dionyſius Exiguus. Quis? Canones Apoſtolicos vertit.

Caſſiodor. div. Inſt. l. 4. c. 23.

Sixt. Bibl. l. 2. c. 59

Conc. Lab. t. 5. p.

hæc ſcripſit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus, quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum ignorare veſtram nolumus Sanctitatem: quamvis poſteà quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.* Non plures quàm quinquaginta Canones à Dionyſio in Latinum eſſe tranſfuſos, jam olim obſervavimus.

Cyclus Paſchalis Dionyſii, quando ſcriptus? Ejus initium.

XI. Hic ille Dionyſius à *Petronio* rogatus Epiſcopo, ut Cyclum Paſchalem Romanæ conderet Eccleſiæ, qui tot de Paſchate controverſiis finem imponeret, morem amico ſuo gerens, Cyclum annorum XCV. confecit, qui proximè Cyrilliano ſuccederet. Cyclus Cyrilli anno Æræ Diocletianæ CCXLVII. qui Domini eſt DXXXI. finem acceperit ſuum. Itaque Cyclus Dionyſianus incepit anno præſente, qui Domini eſt DXXXII. Dionyſium ipſum audiamus ad Petronium ſcribentem: *Nonaginta quinque annorum bunc Cyclum ſtudio, quo valuimus expedire contendimus ultimum ejuſdem beati Cyrilli, id eſt, quintum Circulum, quia ſex adhùs ex eo anni ſupererant, in noſtro hoc opere præſerentes. Quia verò S. Cyrillus primum Cyclum, ab an. Diocletiani CLIII. cœpit, & ultimum in CCXLVII. CXLVII. terminavit: nos à CCXLVIII. anno ejuſdem tyranni potius, quàm Principis inchoantes noluimus Circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere; ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri J. C. annorum tempora prænotare, quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ, id eſt, Paſſio Redemptoris noſtri evidentius eluceret.* Porrò ſex annis prius quàm Cyclus inciperet, Dionyſius eum deſcripſit, anno ſcilicet DXXV. cùm *ſex adhuc anni* ad Cyrilliani Cycli exitum ſupereſſent, qui anno DXXXI. terminabatur. Eruditiſſimus Petavius in notis ad Epiſtolam Dionyſii obſervat, ſe in veteri Codice Regio poſt eandem Epiſtolam ſtatim legiſſe: *Incipit Cyclus Decemnovennalis . . . in præſenti namque tertia Indictio eſt Conſulatu Probi Junioris, tertius decimus Cyrculus Decemnovennalis, decimus Lunaris eſt.* Probi verò junioris Conſulatus & tertiæ Indictio notæ ſunt veſtigiaque anni DXXV. Eſt igitur accuratè in Cyclo diſtinguendus annus compoſitionis ab anno inceptionis. Prior ad DXXV. poſterior verò ad DXXXII. pertinet. Ex quibus errorem Baronii intelligimus, ea ſcripto prodentis: *Sub Conſulatu Mavortii magnus ille Dionyſius, cognomento licet Exiguus, Paſchalem Cyclum exordiens ad nonaginta quinque annorum curricula perduxit.* Annus Dom. DXXVII. Conſulatu Mavortii eſt inſignitus. Itaque biennio ſerius quàm oportuit tempus, quo ſcribendo Cyclo Dionyſius admovit animum, Baronius conſignavit. Hujus quoque Cycli ignoravit exordia, quæ ſeptennio pòſt incipiunt, quàm Dionyſius Cyclum concinnavit: Nos, inquit, *à* CCXLVIII. *anno* Diocletiani *inchoantes*, qui Domini eſt DXXXII. Quod & Cyclo Dionyſiano principium aſſignatur in laudato regio MS. cujus verba ſunt: *Dionyſius Paſchales ſcripſit Circulos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis* DXXXII. *qui annus eſt Diocletiani* CCXLVIII.

Bar. An. 527. n. 67.

Num Cyclum 532. annorum Dionyſius condidit?

XII. Exiſtit autem hoc loco quæſtio ſubdifficilis, num Cyclum annorum DXXXII. Dionyſius condiderit. Id vulgò eruditis creditum, primus in dubitationem adduxit *Petavius*, eo fretus argumento, quòd in ſua ad Petronium Epiſtola Dionyſius Cycli duntaxat annorum XCV. meminerit. Petavio oppoſuit ſe Pagius, clari nominis Chronologus, laudatis Dionyſianis verbis, quibus & permotus Scaliger exiſtimat, totam Periodum à Dionyſio ad annum MLXIII. fuiſſe continuatam, quod & à Beda obſervatum eſſe tradit. Hæc verò loquitur Dionyſius: *Hoc monemus, quod Cyclus iſte XCV. annorum, quem fecimus, non per omnia in ſeipſum revertitur. Et ideò poſt expeditionem XCV. annorum, non ad quintum Cyclum S. Cyrilli, qui incepit Cyclos ſuos ab anno* CLIII. *Diocletiani, quorum quintum Cyclum neceſſariò nobis propoſuimus, ſed ad noſtrum primum Cyclum, quem nos ab anno* CCXLVIII. *ejuſdem Diocletiani incepimus, Lector accurrat.* At doctiſſimus ille Noriſius communem, quæ Scaligeri Pagiique eſt, ſententiam falſi poſtulat, gravibuſque contendit argumentis, unum duntaxat à Dionyſio Cyclum eſſe conditum, qui annorum nonaginta quinque fuit. Primum ducit ex Ceolfridi in Anglia Abbatis ad Naitanum Regem Pictonum literis: *Cujus computum Paſchalis Theophilus Alexandriæ Præſul in centum annorum tempus Theodoſio Imperatore compoſuit. Item ſucceſſor ejus Cyrillus ſeriem nonaginta quinque annorum in quinque Decemnovennalibus Circulis comprehendit. Poſt quem Dionyſius Exiguus totidem alios pari ſchemate ſubnexuit, qui ad noſtra uſque tempora pertingebant. Quibus termino appropinquantibus, tantâ hodie calculatorum exuberat copiâ, ut etiam in noſtris per Britanniam Eccleſiis plures ſint, qui mandatis memoriæ veteribus illis Ægyptiorum argumentis, facillimè poſſint in quotlibet ſpatia temporum Paſchales protendere circulos, etiam ſi ad quingentos uſque & triginta duos voluerint annos.* Non duorum Cyclorum, ſed unius duntaxat mentionem egit Ceolfridus. Quòd ſi alterum etiam annis DXXXII. conſtantem Dionyſius adornaſſet, termino Cycli XCV. annorum appropinquante, calculatoribus quid opus erat, veterum Ægyptiorum adhibere methodum, ut Paſchales, ſi vellent, Circulos ad DXXXII. annos protenderent, cùm eo onere Cyclus eos levaſſet Dionyſianus, quem tot annos complexum eſſe, prædicant. Verba hæc, *Si ad quingentos uſque & triginta duos voluerint annos, Paſchales protendere Circulos*, certiſſimo utique argumento ſunt, eos Dionyſianam non habuiſſe regulam, quâ id docerentur. Præterea teſtatur ipſe Beda, periodum ad annum uſque MLXIII. ſe perduxiſſe: *Placuit eundem plenario ordine Circulum præſenti opuſculo proponere, ſumpto exordio à* DXXXII. *Dominicæ Incarnationis anno, ubi primùm Dionyſius Circulum ſuum cœpit, & perducto opere uſque ad milleſimum ſexageſimum tertium ejuſdem ſanctæ Incarnationis annum, quatenus legentes quique non ſolùm præſentem, vel futurum proſpicere, ſed præteritum omnem Paſchalis ſtatum temporis inenarrabili poſſint intuitu reſpicere.* Quòd ſi Dionyſius ab anno DXXXII. ad uſque MLXIII. Cyclum Paſchalem deſcripſiſſet, tam Beda provinciam non ſuſcepiſſet, utpote qui inani labore actum egiſſet. Denique exhibet doctiſſimus ille Noriſius Cyclum Paſchalem annorum XCV. ab anno Æræ Chriſti DXXXII. ad uſque DCXXVI. extantem Ravennæ in Camera Eccleſiæ Metropolitanæ, *Cartilogio* denominata, qui totus Dionyſianus eſt. Ad argumentum Scaligeri Pagiique ex verbis Dionyſianis petitum, reſpondet Noriſius, *primum ſuum Cyclum*, quem Dionyſius dixit, non illum eſſe DXXXII. quem ipſi perperàm aſcribunt, ſed *eum, qui in digeſta ab ſe annorum* XCV. *periodo, erat primus* Decem-

Scalig. de Emend. l. 1. p. 162.

Pag. Diſſer. de Per. n. 14.

Bed Hiſt. Angl. l. 5. c. 22.

Beda de Rat. Temp. c. 63.

ANNO DOM. 532.

Decemnovemnalis, quem alii quatuor itidem Decemnovennales conſequebantur, ut patet in marmore Ravennate. Hanc ſuam explicationem eâ ratione firmat, quòd *in Cyclo annorum* DXXXII. *nulli anni titubant, ſed certiſſimâ ac invariabili, uti putabant, methodo Lunas* XIV. *ac dies Dominica Reſurrectionis iterum repetito Cyclo exhibebant.* At in Cyclo XCV. annorum nulli quidem in annis communibus, verùm in Biſſextilibus titubatio oriebatur, atque variatio. Quo caſu, inquit Dionyſius, *ad primum noſtrum horum diligens ſcrutator recurrat, & ordine, quo diximus, per eos, qui firmum curſum retinent, eorum progreſſum, qui videntur titubare, ſuſtentet.*

Nor. Diſſer. 3. de Cyclo, c. 2.

ANNO DOM. 533.

ANNO U. C. 1286. OLYMP. 328. PER. JUL. 1246. JUL. 578. DOM. 533. JUSTINIAN. 6. & 7. ATHALAR. 7. & 8. *Sol.* 10. D. *Lun.* 2. *Indict.* 11. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

Cos. *Juſtinianus ſolus.*

Pax cum Perſis conſtituitur à Juſtiniano.

Marcellin.

I. DE pace Perſicum inter & Romanum Imperium multus jam ſermo fuerat, quæ feliciter anno labente conſtituitur. Pacis ſummam brevi Marcellinus retulit: *Juſtiniano Auguſto* III. *Conſ. poſt diuturnum, immanemque laborem contra Medos Romanis geſtum ſudoribus, tandem per Rufinum Patricium perque Hermegenem Magiſtrum Officiorum, utrumque Legatum à Principe noſtro miſſum, pax cum Perſis depacta eſt. Sponſionem percuſſi fœderis ab utroque Imperatore invicem ſibi munera in concordiam miſſa ſecuta ſunt.* Fuſius rem Procopius exequitur. Rufino & Hermogeni Alexander & Thomas Comites dati, qui ad Tigrim cùm veniſſent, obſides illicò Coſroës miſſos facit. Blanditiis Legatorum atque aſſentationibus, quæ Romanam majeſtatem non ſatis decebant, captus Coſroës, pacem annorum centum & decem eâ conditione conſtituit, ut exercituum Præfecti non amplius apud Daras, ſed ut olim apud Conſtantinam urbem morarentur, Pharangium & Bolum arces Perſis redderentur: auri centum libræ ſolverentur, ne Dara everteretur, ac communes cum Perſis ſumptus Romani facerent ad cuſtodiendas Caſpias Portas. Quæ pacis leges cùm à Rufino ad Juſtinianum delatæ fuiſſent, his omnibus aſſenſum præbet. Pax igitur ſine termino facta eſt anno imperii Juſtiniani ſeptimo: *Ac Romani Pharangium & Bolum arces cum pecunia Perſis tradidere. Ex parte alia Perſa Romanis oppida apud Lazos, præterea Dagarim reddidere, alium pro eo virum recipientes.* Sic Juſtinianus belli Perſici curis liberatus faciliùs rebus Vandalicis animum advertere potuit. Septennio duntaxat pax ea perduravit, quam invitatus à Vitige Coſroës, impetu in Imperium facto, anno DXL. violabit.

Procop. de Bello Perſ. l. 1. c. 17.

Nonnus quis? Spargere Origenianiſmum cœpit.

II. Dum in Oriente verſamur, res Eccleſiaſticæ civiles ſubſequantur. Sabas, qui ſuperiore Decembri fato functus eſt, maximum propagando Origenianiſmo impedimentum oppoſuerat. Quo remoto, non ſecus ac fluvius, qui ruptis aggeribus victor ubique locorum diffunditur, error in Palæſtina ſpargitur. Id in Cyrillo legimus: *Nonnus, & ſectatores ipſius Patris noſtri Saba in occaſionem arrepto, errores, quos in imo corde occultabant, divulgaverunt. Neque ſolùm cunctos nova Laura peritiores ad impuram ſuam hæreſim attraxerunt, ſed etiam eos, qui martyris Monaſterium, & Firmini Lauram incolebant, jam eorum patribus mortuis, Firmino ac Sozomeno, beatis, qui divini ſenis diſcipuli & concertatores fuerant. Neque hoc tantùm, verum etiam brevi tempore in maximam Lauram, cæteraque ſolitudinis Monaſteria pravam valuerunt Origenis doctrinam ſpargere.* Itaque origo tumultuum, qui ob Origenianiſmum Palæſtinam involverat, hoc anno eſt aſſignanda. Ac lapſu temporis motus creſcentes quàm ſolitò magis magni, ſub annum DXXXVII. gravius exarſere. *Nonnus* fax & turbo hujus incendii, genere Palæſtinus erat, qui ſedente Eliâ Hieroſolymorum Antiſtite, clam Origenianiſmi ſemina ſpargere cœpit. Audiamus Cyrillum: *Agapetus ſuſceptâ Nova Laura Præfecturâ, quatuor invenit in Congregatione Monachos à ſimpliciſſimo Paulo, eorum ignaro illic admiſſos, qui occultè Origeniana dogmata ſuſurrabant. Quorum Princeps erat vir quidam Palæſtinus, Nonnus nomine, qui Chriſtianiſmum ſectari præ ſe ferens, & pietatem ſimulans, impiorum Gentilium, Judæorum, & Manichæorum dogmata in animo habebat, quæ ab Origene, Evagrio, & Didymo de præexiſtentia fabuloſè fuere prolata. Unde veritus Agapetus, ne ad alios hæreſeos lues tranſmitteretur, ex prædicti Archiepiſcopi Eliæ ſententiâ & permiſſione ipſos è nova Laura ejecit. Illi expulſi ad locum campeſtrem abierunt, ubi prava ſparſerunt zizania.* Eliæ *Aialam* relegato cum Joannes ſuffectus fuiſſet, enixius à Nonno rogatur, ut in Nova Laura cum ſociis ſibi manere concederetur. Ubi verò à Saba & Agapeto intellexit, Origenianâ labe affectos eſſe, apertè prædicavit, *Bona & Deo placentia ſtatuiſti.* Repudiatus à Joanne Nonnus, planiciem cum ſuis repetit. Verùm extincto Agapeto, ab ipſius ſucceſſore *Mamma* cum comitibus Nonnus clam in Laura recipitur. Manebat tamen in pectoribus error, quem ne vulgaretur, Sabæ metus prohibuit. Sabâ defuncto erupit doctrina Origenis.

ANNO DOM. 533.

Vita Sab. c. 83.

Vita Sab. c. 36.

Acœmetarum de phraſi Deipara turbæ Conſtantinopoli. Juſtinianus Papam conſulit.

III. Turbas & in urbe regia dedit Acœmetarum Monachorum protervia, quaſi commovendæ Eccleſiæ Nonni temeritas non ſufficeret. Sedente Hormiſdâ à Scythiæ Monachis quæſtio agitata fuerat, dicine deberet, *unum de Trinitate eſſe paſſum in carne*: ac judicium ita interpoſuiſſe ſuum Hormiſda videbatur, ut Joannem Maxentium cum fautoribus percelleret. Hinc ab *Acœmetis* occaſio errandi arrepta, qui ſic colligebant: *Si non eſt paſſus unus de Trinitate in carne, ergo neque natus eſt idem in carne: ergo neque verè dici poteſt, Mariam verè & propriè eſſe Dei genitricem.* Quin etiam eò audaciæ proceſſere, ut ad Joannem urbis Antiſtitem Legatos, Cyrum & Eulogium mitterent, rogatum, ne ſententiam illam admitteret, quam Hormiſda ſemel exploſerat. Hoc ubi Juſtinianus novit, *Hypatium* Epheſinum, & *Demetrium* Philippenſem, quos de Collatione cum Severianis inſtituenda Conſtantinopolim accerſiverat, in urbem cum literis Joanni reddendis amandat. Ac primùm præfatus, ſe Papam ut patrem honore proſequi, ac *omnes Sacerdotes Orientalis tractus & ſubjicere, & unire Sedi* Apoſtolicæ in votis habuiſſe, ſubjungit: *Manifeſtum igitur facimus veſtræ ſanctitati, quod pauci quidam infideles, & alieni ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ contradicere Judaicè atque Apoſtaticè auſi ſunt adverſus ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus ſecundum veſtram doctrinam rectè tenentur.* Deinde pia orthodoxaque de Chriſti perſona, quam unam divinâ humanâque naturâ conſtantem fatetur, Confeſſione, necnon

Anno Dom. 533.

non veneratione propoſitâ, quâ Synodos quatuor Oecumenicas proſequitur, hæc addit: *Omnes ergo Sacerdotes ſequentes doctrinam Apoſtolicæ Sedis veſtræ, ita credunt & confitentur, & prædicant, unde properavimus hoc ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis, per Hypatium & Demetrium beatiſſimos Epiſcopos; ut nec veſtram Sanctitatem lateant, quæ à quibuſdam paucis Monachis malè, & Judaicè ſecundum Neſtorii perfidiam denegata ſunt. Petimus ergo veſtrum paternum affectum; ut veſtris ad nos deſtinatis literis, & ad ſanctiſſimum Epiſcopum hujus almæ urbis, & Patriarcham fratrem veſtrum, . . . manifeſtum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta rectè confitentur, ſuſcipit veſtra Sanctitas; & eorum, qui Judaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam.* Data eſt Juſtiniani hæc Epiſtola octavo Idus Junii. (Lab. Conc. t. 4. 1743.)

Juſtinianeæ legationis meminit & Liberatus, à quo diſcimus quas Hypatius & Demetrius Eccleſias adminiſtrabant: *Defuncto Bonifacio, Papa Romanus Joannes, cognomento Mercurius, Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit Præſulatum, ad quem miſſi ſunt ab Imperatore Juſtiniano Hypatius Epheſiorum Epiſcopus, & Demetrius à Philippis, conſulere Sedem Apoſtolicam, contra Legatos Acœmetarum, Cyrum & Eulogium, negantes eſſe confitendam B. Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum.* Quid exitus id negotii conſecutum eſt, annus proximè lapſurus Joannis cum Epiſtola exhibebit. (Liberat. c. 20.)

(Collatio Conſtantinopolitana cum Severianis.)

IV. Hypatius, quem Juſtinianus Legatum Joanni miſit, Conſtantinopolim accerſitus erat, ut Collationi intereſſet, quæ jubente Imperatore cum Severianis eſt inſtituta: cujus ſummam Innocentius Maroniæ civitatis Epiſcopus *Thomaſi* Presbytero direxit. In urbem Regiam venere Epiſcopi ſex; *Hypatius* Epheſi, *Joannes* Veſinæ, *Innocentius* Maroniæ; *Stephanus* Seleuciæ; *Anthimus* Trapezuntinæ civitatis; *Demetrius* Philipporum Antiſtes. Quos in ſuo Palatio, qui *Hormiſdæ* nomen, cum Epiphanio Archiepiſcopo convocatos Juſtinianus ſic alloquitur: *Et quidem pro his, qui cum Severo Epiſcopo ab Eccleſia deſcivèrunt, convocavi vos, ut de his, quibus ambigunt, conferatis cum eis cum omni manſuetudine & patientia, ſicut decet Orthodoxos & ſanctos viros: Etſi enim illi exaſperati fuerint, vos tanquam Dei amatores cum omni manſuetudine & tranquillitate eis ſatisfacite.* Diſputationum ejuſmodi licet Juſtinianus valdè cupidus foret, Collationi tamen huic adeſſe noluit, ne Severiani in contemptum venirent; præcepit ergo Strategio, qui Magiſtri Officii munus gerebat, ut cum Collatoribus reſideret. Dictus Conventui locus, nomine *Heptaconchus*, quem ex Catholicis quinque, ex Severianis ſex ingrediuntur: *Sergius civitatis Germaniciæ, Philoxenus Dulichii, Petrus de Theodoſiopoli, Joannes Conſtantina, Nonnus Cerèſina, & reliqui tam Clerici, quàm Monachi.* Cum Epiſcopis verò Catholicis adfuere, *Euſebius Presbyter, & Cimeliarcha ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ, & viri reverendiſſimi Presbyteri, & Syncelli beati Archiepiſcopi Epiphanii Hecatlonimus, atque Lautontius: Antiochenæ civitatis venerabiles Presbyteri & Oeconomi, atque Apocriſiarii, Hermiſigenes, Magnus, & Aquilinus, unà cum Leontio, viro venerabili Monacho, & Apocriſiario, Patrum in ſanctâ civitate conſtitutorum.* Sedentibus omnibus *Strategius* Largitionum Comes, Orientalibus ingerit, *Appium* patrem ſuum, Ægypto ortum, Alexandrinorum ſectæ addictum, dubitaſſe communicare majori Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ab Imperatoribus verò perſuaſum, Chalcedonenſes Antiſtites fidem à Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina diverſam non ediduſſe, Eccleſiæ tandem Catholicæ communicaſſe. Dubia ergo ſua modeſtè, ut viros graves decet, & à contentione alienos adverſarii proponant.

Anno Dom. 533.

(Lab. Conc. t. 4. 1763.)

(Primæ diei Collatio.)

V. Monita Strategii Orientalium excepit Severianorum reſponſio, in Libello de fide ſua expoſuiſſe ſe Imperatori ea omnia, quæ dubia erant, ſcandalumve movebant. Quibus Hypatius, qui Catholicorum nomine loquebatur, dixit ſe Libellum legiſſe, quo Concilium Chalcedonenſe criminarentur; velle ſe ſcire, quid de Eutyche à Chalcedonenſibus damnato exiſtimarent. Hìc Orientales ingenuè profeſſi ſunt, pro Hæretico, hæreſiſque architecto Eutychem à ſe haberi; Dioſcorum verò ab Epheſinis damnatum, Orthodoxum exiſtimari. Disjuncta hæc eſſe & maximè contraria, oſtendit Hypatius, quia Dioſcorus Eutychem erroris abſolverat, Flavianum Euſebiumque damnarat: neque reſipiſcentem Eutychem ſuſceperat, quem ipſi Severiani anathemate feriebant. Opus ergo fuiſſe Concilio, quod Conciliabuli Epheſini ſcita reſcinderet, quæ injuſta erant, & cæcitatis plena. Neque id à Severianis negatum dicentibus: *Benè quidem & neceſſariè congregatum eſt, ſi & juſtum finem ſuſcepit.* Primi diei ea Collatio fuit.

(Quid Severiani in Synodo Chalcedonenſi reprehendebant.)

VI. Secundo die, cùm rurſus conveniſſent, poſtquam Collationis ſumma Severianorum in mentem ab Hypatio eſt revocata, ab eis quæſitum quid in Concilio Chalcedonenſi reprehenderent. Reſpondent, *Ante omnia duarum naturarum novitatem. Beato enim Cyrillo, & anteceſſoribus ejus ex duabus naturis, unam naturam Dei Verbi incarnatam, poſt unitionem prædicantibus, illi in duabus naturis innovare præſumpſerunt.* Hanc ſuam opinionem non unius Cyrilli duntaxat, ſed Athanaſii etiam, Felicis, Juſti, Gregorii Thaumaturgi autoritate probant, & quod memoriâ recondendum, Dionyſii Areopagitæ ſuffragio: *Beato enim Cyrillo . . . & Dionyſio Areopagita unam naturam Dei Verbi decernentibus poſt unitionem, hos omnes tranſgreſſi illi, poſt unitionem præſumpſerunt duas naturas prædicare.* Regeſſit Hypatius, Epiſtolas Cyrilli interpolatas fuiſſe, qui cùm in Synodo Epheſina Patrum benè multorum teſtimonia adduxiſſet, nullum tamen de *una natura* protulit. Ad hæc Severiani: *Quid ergo ſuſpicamini, quia nos ea falſavimus?* Id criminis à ſeipſis intendi negat Hypatius, verùm in ſuſpicionem adduxit *antiquos Hæreticos Apollinariſtas*. Athanaſii verò ad Epictetum Epiſtolam à Neſtorianis corruptam eſſe prædicat. Urgentibus Severianis, ea legi teſtimonia in *libris* Cyrilli *adverſus Diodorum, & Theodorum editis*, hanc inſtantiam exceptione excludit Hypatius, *illos adverſus Diodorum & Theodorum libros ambiguos* eſſe, utpote *adverſus mortuos prolatos*. Severianis ad *antiqua Reſcripta*, & *Archiva* Alexandrina provocantibus, ea duntaxat Hypatius admiſit, quæ *Proterii*, *Timotheique* Salophacioli temporibus extitere; cætera verò, quæ penes Hæreticos erant, ſibi ſuſpecta eſſe; teſtimonia verò Dionyſii Areopagitæ Veteribus eſſe omnibus incognita. Eò pertinent verba Liberati, c. 10. quæ referre non erit inutile: *Ut ferunt rumores, permotus Cyrillus quatuor libros ſcripſit: tres adverſus Diodorum, & Theodorum, quaſi Neſtoriani dogmatis autores, & alium de Incarnatio-*

ne

ne librum. In quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta teſtimonia, id eſt, Felicis Papæ Romani, Dionyſii Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi. . . . contra quos Catholicæ veritatis defenſores ſic Acephalis reſponderunt, illos libros non eſſe Cyrilli. Hic Severiani inteſtantur, cur Chalcedonenſes de duodecim Capitulis Cyrilli Epiſtolam Epheſino Concilio inſertam non accepiſſent. Objicientibus ſic ſatisfecit Epheſinus Præſul: *Illa Epiſtola duarum ſubſiſtentiarum mentionem, propterea proprie eam nominare diſtulerunt, ut non invenirentur aut illi, aut ſibi eſſe contrarii. Sed magis illam alteram Epiſtolam ejus propoſuerunt, quæ ſuper conſenſu Symboli Nicæni laudata eſt, & eam, quæ ad Orientales ſcripta eſt.* Cùm mentio vocabuli ſubſiſtentiæ fuiſſet injecta, de eo multa ab Hypatio dicta ſunt, cui contradicentes reponunt, diſcriminis eſſe plurimum inter has phraſes *ex duabus naturis*, & *in duabus naturis*. Quam illi differentiam ſic oſtendunt: *Quòd ex duabus quidem naturis dicere ſignificat, Dei Verbi naturam incarnatam ſecundum beatum Cyrillum & S. Patres. In duabus autem naturis, duas perſonas & duas ſubſiſtentias ſignificant.* Hoc Severianis præciſè ab Hypatio negatum, quibus ſefellendis affert exemplum Flaviani, qui in ſua Confeſſione Theodoſio oblata, *unam naturam Dei Verbi incarnatam non renuit.* Reponentibus Severianis, ſe Cyrilli Epiſtolas proferre, *in quibus duas ſubſiſtentes naturas confiteri poſt unitionem abdicat*, regerit Epheſinus Præſul: *Nos ea, quæ Epiſtolis ejus Synodicis conſentiunt, ſuſcepimus. Quæ autem non conſentiunt, neque damnamus, neque velut Legem Eccleſiaſticam ſequimur.* In Epiſtolis verò ſuis tam ad Neſtorium, quàm ad Joannem Antiochenum, Cyrillum duas in Chriſto naturas confiteri. Ad hæc contradicentes poſtulant, legi ad Eulogium, ad Succeſſum, aliaſque Cyrilli Epiſtolas, quod cùm abſque *præjudicio* conceſſum fuiſſet, ex verbis ad Eulogium, *ubi unitio dicitur, non unius rei declaratur Conventus, ſed duarum vel plurium diſſimilium ſecundum naturam*, Hypatius Severianos quaſi ſuo gladio jugulat.

Concilia Diptychis inſerta eſſe queruntur.

VII. Ad aliam ſe quæſtionem Severiani convertunt: quod non ſine Eccleſiarum diſſidio Concilia Diptychis inſerta fuiſſent: *Concilia pro unitate Sanctarum Eccleſiarum in divinis Diptychis inſerta ſunt, aut pro majori diviſione.* Quibus ſic occurrit Hypatius, quòd Epiſcoporum in Diptychis nomina ponerentur, quantò magis Concilia inſeri debuere: neque ſcandali rationem habendam eſſe, quod à ſolis Hæreticis accipitur, ſecus fides omnis extingueretur, cùm Arianis Nicænum, Macedonianis Conſtantinopolitanum indignationem moverint. Reponentibus Severianis, Ibam & Theodoritum ut Epiſcopos rectæ fidei in Diptychis recitari, reſponſum, ut anathema dicentes Neſtorio à Chalcedonenſibus eſſe ſuſceptos. Nullâ Concilium injuriâ à Theodorito clamanti, *Valete*, affectum fuiſſe. Ipſum Cyrillum ad Orientale Concilium, cujus pars Theodoritus fuit Epiſtolam direxiſſe. Imò mutuò ſibi invicem ſcripſiſſe Theodoritum, atque Cyrillum, nec ſine benevolentiæ ſignis. De Theodorito cum hiſcere contradicentes non poſſent, de Iba, quem Chalcedonenſes ſuſceperant, accuſationem inſtituunt. Oſtendit verò Epheſinus Antiſtes, Ibam à Berytenſi Conventu innocentem repertum eſſe. Ibæ ad Marim Epiſtolam, quæ Cyrillo ignominiam imponebat, non fuiſſe impedimento, quominus concordia redintegraretur: neque prius Ibam à Chalcedonenſibus ſuſceptum, quàm Anathema diceret Neſtorio, quod Synodi monumentis inſertum eſt.

Juſtinianus Severianos alloquitur: Collationis eventus

VIII. Soluto Conventu, Imperator acceſſito *Epiphanio*, Collatores Orthodoxos cum eo ingredi juſſit; Patriarchâque poſt colloquium dimiſſo, Collatores cum Senatu retinuit. Vocatos dein Severianos in ſcamno ſedere jubet, Antiſtitibus in alia ſede cum Senatu collocatis. Facto ſilentio, ſermones pietate manſuetudineque conditos compluces habuit, ut ad concordiam omnes adduceret. Clam verò Imperatori per quendam Severiani ſuggeſſerunt, adverſarios ſuos minimè fateri, Deum paſſum carne, vel unum eſſe de Sancta Trinitate. Ingreſſis ergo Palatium Epiphanio, & Hypatio, hæc ab eis ſciſcitatur: *Non confitemini ejuſdem perſonæ Domini noſtri J. C. tam paſſiones quàm miracula? Vel Deum eſſe, qui in carne paſſus eſt, atque unum eum eſſe de Trinitate?* Cui Epiphanius fatetur, unius ejuſdemque perſonæ hæc eſſe omnia, non tamen ejuſdem naturæ, quod etiam Nazianzenus in ſua ad Cledonium Epiſtola, & Epheſini Chalcedonenſeſque Patres teſtatum reliquere. Aliâ die ingreſſis Præſulibus dixit: *Poſtquam locuti eſtis cum Orientalibus Epiſcopis per duos dies, tertio die convocatis tam vobis, quàm illis, antequam ſuſciperemus vos, ingreſſus ſum in Oratorium glorioſi Michaelis Archangeli, quod eſt in Corbilo, & rogavi Dominum, dicens, Qui ſi in veritate uniri habent nobis, magis autem Sanctæ tuæ Eccleſiæ, compunge eos velociter conſentire nobis; ſi autem nolunt, præpedi eos, ut ex ipſis magis culpa naſcatur, & non ex nobis.* Non omnis ſucceſſus expers fuit Juſtiniani hæc oratio. *Philoxenus* enim Epiſcopus à veritate victus ad Catholicos acceſſit, dum aliorum Antiſtitum corda magis ac magis obdureſcunt: *Plurimi etiam Clericorum & Monachorum, qui cum his convenerunt, ad ſanctam communionem cum gaudio remearunt in Eccleſiis ſuis ac Monaſteriis. Ex quibus quidem linguâ Syriacâ per interpretes locuti ſunt nobis, dicentes, Quia ab illis decepti, & nos everſi ſumus, & multas animas evertimus.* Hæc *Innocentius* Maroniæ Epiſcopus *Thomati* per literas nunciavit. Collationem Baronius anno ſuperiori alligat: eſt tamen longè probabilius, labente anno fuiſſe habitam, eâque finitâ Hypatium & Demetrium, qui diſceptationis cauſâ in regiam urbem venerant, inde ad Joannem Papam, ſuſceptâ legatione profectos. Collationem quidem verba hæc Juſtiniani apertè ſatis innuunt: *Omnes Sacerdotes univerſi Orientalis tractus, & ſubjicere & unire Sedi veſtræ Sanctitati properavimus.*

Lab. Conc. t. 4. 1763.

Lab. Conc. t. 4. 1743.

De ultimo anno Fulgentii.

IX. Dum Severiani Orientis lacerant Eccleſias, mors Fulgentii Africam vocat in luctus. Baronius fatalem Fulgentio annum illum dicit, qui Domini eſt DXXIX. n. 3. Quæ Chronologia non eſt accurata, & à vita Fulgentii coarguitur: *Poſtremo die Kal. Januar. poſt peractam veſperam beatum ſpiritum feliciter in manus Domini tradidit.* Feliciani verò, cui Fulgentius deceſſit, ordinatio in eundem diem anno peracto incidit: *Illo die Sanctitas tua ſuper Cathedram ejus ſedit, quo ipſe deſunctus eſt.* Cùm autem die Dominicâ ordinationes in Africa celebrarentur, Felicianus Pontificatum eo anno adiit, qui à prima feria incipiebat. Is verò eſt DXXXIV. cujus Cyclus Solis erat XI. Lit.

Vita Fulg. cap. 30.

Dom.

Dom. A. Periit ergo Fulgentius Kal. Januar. anni DXXXIII. feriâ ſeptimâ, quæ notæ in anno DXXIX. fruſtra quæruntur. Neque *Felicianus* Cal. Januar. anno 530. ordinari potuit, quæ à tertia feria incipiunt, vi literæ Dom. F. Cycloque Solis 7. Eſt ergo Baronii in Chronologia prochroniſmus quadriennii.

Mors Fulgentii, & Opera.

X. Conſtituto Fulgentiani tempore, ſuprema morientis verba factaque referamus: *Ante annum fermè quàm de iſto ſeculo raperetur, profundâ cordis compunctione permotus, reliquit ſubitò Eccleſiaſticas occupationes. Et de ipſo quoque Monaſterio ſuo ſecretò recedens, ad Inſulam Circinam, paucis comitantibus fratribus, navigavit. Ubi in quodam brevi ſcopulo, cui nomen eſt Chilmi, ubi jam Monaſterium fabricari mandaverat, lectioni, & orationi, & jejuniis vacans, velut ſciret appropinquare ſibi noviſſimum diem, ſic ex toto corde ſuo pœnitentiam geſſit.* Cùm Paſtoris ſui abſentiam multi indignè ferrent, rediit ad Monaſterium, ſolita munia obiturus. Elapſis diebus aliquot, corripitur morbo acerrimo, quo ſeptuaginta propè diebus vehementer cruciatur. Decumbentis frequentes hi ſermones erant: *Domine, da mihi modò hic patientiam, poſteà indulgentiam.* Suadentibus Medicis, ut balneis adverſus vim morbi uteretur: *Numquid balnea*, inquit, *facere poterunt, ne homo mortalis expleto vita ſua tempore moriatur?* Ubi intellexit, mortem ſibi imminere, vocatis Clericis Monachiſque, hæc loquitur: *Ego, fratres, animarum veſtrarum ſaluti proſpiciens, moleſtus apud vos forſitan & difficilis extiti. Et ideò obſecro vos, ut ignoſcat mihi, quiſquis aliquid dolet. Et ſi forſitan ſeveritas noſtra modum tranſgreſſa eſt debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum.* Hæc cùm lachrymas gemituſque omnibus excuſſiſſent, imperato ſilentio paululum requievit: deinde requiſitâ ſummâ pecuniæ, de qua quotidie pauperibus miniſtrabat, totam juſſit expendi, memoriter recolens indigentium nomina, quibus quid ſingulatim daretur, ipſe conſtituit: *Sed nec ſuos Clericos debitâ benedictione fraudavit; ipſorumque paupertati miſericorditer conſulens, ac ſecretè omnia prærordinans, orans jugiter, & intrantes ſingulos benedicens, uſque ad extremam horam ſanâ mente permanſit.* Poſtremo die Calend. Januar. *poſt peractam veſperam*, cœleſtem Deo animam reddidit, *annum ſui Epiſcopatus agens viceſimum quintum, vitæ autem totius ſexageſimum quintum. Ipſo autem die ſanctum corpus ejus ſepeliri minimè potuit. Sed in Oratorio Monaſterii conſiſtentium, totâ nocte illâ in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus vigilare Monachos ſimul & Clericos invitavit. Manè verò poſtquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, Sacerdotum manibus ad Eccleſiam civitatis, quæ Secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apoſtolorum conſtituerat, deportatus, ſortitus eſt honorabile monumentum. Primus planè in eadem Baſilica Pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum, neque Sacerdotem, neque Laicum ſepeliri conſuetudo ſinebat antiqua.* Sic magnum Africæ & ornamentum, & præſidium eripitur. Precibus ſanè ſuis Fulgentius Maurorum impetus à ſua Eccleſia avertebat, qui non multò poſt ejus obitum ſtrage, ſanguine, cadaveribus Ruſpenſem Eccleſiam opplevere. Africæ ſuæ gloria erat & decus, Arianiſmique pernicies, cujus cùm *Fabianus*, vir inter ſuos magni nominis, patrocinium ſuſcepiſſet, decem libris eum confutavit, ex quibus duntaxat fragmenta ſuperſunt, à Chifletio ex MS. Codice Lingonenſi in lucem edita. Sed & adverſus *Pintam*, Epiſcopum Arianum pro fide Catholica calamum ſtrinxit. Victricis Dei Gratiæ acerrimum contra Semi-Pelagianos defenſorem ſe præbuit, *tribus*, non duobus, ut Iſidorus habet, libris de veritate Prædeſtinationis & Gratiæ Dei editis, nec non libro de Prædeſtinatione & Gratia Dei. Paratus ſemper erat Fulgentius ſe conſulentibus reſpondere. Exemploque eſt inſignis ad Ferrandum de quinque Quæſtionibus Epiſtola, capitibus XLII. conſtans, quibus quærenti ſatisfecit. Non videmus tamen, qui ſibi conſtet, in ſolvenda quæſtione de ſcientia animæ Chriſti: Nam ſi *plenam* habet notitiam Divinitatis, *ſic ſuam Deitatem novit, quemadmodum ſeipſa Divinitas novit.* Porrò dum quæſtionem tractat, quam ipſi Comes *Reginus* propoſuerat, corruptibile necne fuerit corpus Domini, & ſcriptis, & vitæ ſuæ finem impoſuit, ut ex *Fulgentio Ferrando* novimus: *Quia ſi implens Libelli imperfecta dictatio nihil huic tuæ interrogationi cognoſcitur reſpondiſſe, (principia enim glorioſi operis primam quæſtionem literarum tuarum diutius ventilant) utrum caro Chriſti corruptibilis, an incorruptibilis fuerit, unde adhùc diſputans Doctor ille egregius, antequam fideliter ratione fides redditâ, de actibus militaribus cum pietate tractandis inciperet loqui, tranſivit ad æterna beatitudinis immortalia gaudia . . . importabilem ſarcinam ſuper humeros debiles ponis, ut me jubeas tanti viri quaſi hæreditarium debitum ſolvere.* Extat illa Fulgentii ad Reginum Epiſtola, quatuor capitibus conſtans, de qua mentionem egit Ferrandus.

Vit. Fulg. cap. 30.

Ferr. Parænet. cap. 1.

B. M. P. t. 9. 178.

Aurelianenſis Synodus II. Quot Epiſcopis conſtiterit?

XI. Ex Africa nos in Gallias vocat Aurelianenſe Concilium ſecundum, labente anno celebratum. Ac Baronius quidem illud affigit anno Dom. DXXXVI. qui metachroniſmus eſt triennii, ob ultimum annum Chlodovei malè conſtitutum. Cùm verò melior nos Chronologia docuerit, Chlodoveum anno DXI. ad fata veniſſe, Childeberti Regis annus XXII. quo labente id Concilium cogitur, à currente divelli non debet: *Nono Kalendas Julias* habitum eſt. Adfuere ſex & viginti Præſules, Presbyterique quinque, qui Epiſcoporum ſuorum vices gerebant: inſignis ſanè Cœtus, cujus caput Honoratus Bituricenſis, qui primus omnium ſubſcripſit. Cæterorum Antiſtitum nomina hæc ſunt: *Leontius* Aurelianenſis, *Aſpaſius* Eluſenſis, *Eleutherius* Antiſiodorenſis, *Importunus*, *Chronopius* Petrocorienſis, *Injurioſus* Turonenſis, *Lupicinus* Incoliſmenſis, *Flavius* Rothomagenſis, *Agrippinus* Æduorum, *Æſberius* Carnotenſis, *Eumerius* Nannetenſis, *Calliſtus*, *Amelius* Pariſienſis, *Marcus*, *Auſtratius* Cadurcenſis, *Perpetuus* Abrincatenſis, *Euſebius*, *Præſidius* Convenarum, *Paſſivus* Sagienſis, *Proculeianus* Auſcienſis, *Claretius*, *Julianus* Viennenſis, *Innocentius*, *Marcellinus*, *Lauto* Conſtantienſis, *Orbatus* Presbyter pro Leone Senonenſi, *Aſclepius* Presbyter pro *Adelphio* Rauracenſi, *Laurentius* Presbyter pro *Gallo* Arvernorum, *Eledius* pro *Sebaſtio*, *Præſidonius* pro Artemio. Hinc error Baronii emendandus, ſcribentis, Synodo *interfuerunt Epiſcopi triginta, licet per Vicarios nonnulli.* Ritè calculis impoſitis adfuere unus & triginta. Cùm *præceptione glorioſiſſimorum Regum* Sacerdotes Aurelianum veniſſent, Canones XXI. ad diſciplinam ſpectantes condidere.

Error Baronii.

Bar. An. 536. n. 124.

Id. ibid.

XII.

Aurelianenſis 11. Canones. XII. Primus: Nullus Epiſcoporum à Metropolitano monitus, adventum ſuum vel ad Concilium, vel ad Collegæ ordinationem abnuat. II. Metropolitani quotannis Comprovinciales ad Synodum vocent. III. Epiſcopi de ordinationibus nil accipiant. IV. Qui Sacerdotium pecuniâ emerit, abjiciatur. V. Antiſtitum nullus ad ſepeliendum Epiſcopum venire non recuſet, nec pretii aliquid *pro fatigatione depoſcat*. VI. Epiſcopus, qui ad Præſulem ſepeliendum venerit, vocatis Presbyteris, deſcriptam Eccleſiæ domum relinquat. VII. Metropolitanus à Comprovincialibus Epiſcopis, Clericis vel populis electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus ordinetur. VIII. Diaconus, qui in captivitate uxorem duxerit, miniſterio removeatur. IX. Presbyterorum nullus cum ſecularibus habitet, niſi permittente Epiſcopo: ſecus communione pellatur. X. Nullus novercæ ſuæ ullâ copulatione jungatur. Quod ſi fecerit, anathemate feriatur. XI. Contracta matrimonia accedente infirmitate non ſolvantur. Qui ex conjugibus fecerint, communione priventur. XII. *Ne quis in Eccleſia votum ſuum cantando, bibendo vel laſciviendo diſſolvat, quia Deus talibus votis irritatur.* XIII. *Abbates, Martyrarii, recluſi, vel Presbyteri Apoſtolia dare non præſumant.* Qui Canon cùm in obſcuro jaceat, paucis eſt illuſtrandus. Martyrarii ſacrarum Reliquiarum Cuſtodes vocabantur. Quam Gregorius Turonenſis vocem
Greg. Hiſt. l. 4. c. 11. non ſemel adhibet: *Conjuncti Clerici cum Leubaſte Martyrario & Abbate, cum magno apparatu*
Greg. Glor. Mar. l. 2. cap. 46. *Arvernum* petebant. Meminit etiam *Proſeris Martyrarii*, quod vitio Librariorum ſcribitur *Martyrii*. Vox etiam Canonis *Apoſtolia* corrupta eſt. Legendum *Epiſtolia*, ut ex Turonenſi Ca-
Tur. 2. cap. 6. none perſpicuum eſt: *Ut nullus Clericorum, vel Laicorum, præter Epiſcopum Epiſtolia facere præſumat.* Epiſtolia verò literæ ſunt pacificæ, quas etiam *Formatas* vocabant, de quibus fuſè ſatis ſuo loco diſſeruimus. Eſt tamen *Epiſtolia* inter & literas commendatitias aliquid diſcriminis. Quippe Epiſtolia pauperibus, vel opem Eccleſiæ implorantibus Epiſcopi præbebant. Commendatorias verò Epiſtolas viris honoratioribus dabant, ut ex Chalcedonenſium Canone liquet:
Chalc. cap. 11. *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examine cum ſolis literis pacificis Eccleſiaſticis iter carpere ſtatuimus, & non cum Commendatoriis, quoniam Literas Commendatorias ſolis perſonis, quæ ſunt in exiſtimatione, præberi oportet.* Aurelianenſium igitur mens ea eſt, ſolos Epiſcopos pacificas dare Literas poſſe, non Abbates, non Reliquiarum Cuſtodes, non Presbyteros. XIV. Clerici, qui officium non implent ſuum, aut vice ſuâ ad Eccleſiam venire detrectant, dignitate priventur. XV. Oblationes defunctorum, qui in crimine fuerunt interempti, recipiantur, niſi ſibi mortem intulerint. XVI. Presbyter, Diaconuſque indoctus, vel qui baptizandi neſciat ordinem, non ordinetur. XVII. Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus contra Canones acceperunt, ſi matrimonium ineant, communione pellantur. Quo diſſoluto, poſt actam pœnitentiam communioni reſtituantur. XVIII. Nulla mulier Diaconiſſæ benedictionem accipiat poſtmodum. XIX. Conjugia Chriſtianorum cum Judæis prohibentur, utpote illicita: qui ab ejuſmodi conſortio ſe ſeparare diſtulerint, communione removeantur. XX. Catholici, qui vel ad Idolorum cultum redeunt, vel Idolothytis, vel ſuffocatis utuntur, Eccleſiæ cœtibus arceantur. XXI. Abbates, qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, niſi depoſita prius contumacia ad communionem non admittantur.

Remigii Rhemenſis mors & hiſtoria. XIII. Remigius celebris ille Rhemenſium Epiſcopus, peragratis multis in obeundo munere ſuo annorum curriculis, Januarii decimo tertio mortalitate intercipitur. Hauſerat lucem labente ſuperioris ſeculi anno circiter XXXVII. genitore *Æmilio*, matre *Ciliniâ*. *Pagus Laudunenſis* ſancti viri natalibus non minimum inclaruit. Si qua famæ fides, Montano Monacho ſomni otia capienti Deus nunciarat, Gallicas ſe miſerias faventibus oculis reſpexiſſe, filium Ciliniæ naſciturum, nomine *Remigium*, qui navem Eccleſiæ mundi ſalo fluctuantem, felicibus remis tranquillitatis ad portum impelleret. Ferunt alii, *Remedium* eſſe nuncupatum, quòd ſolatiis ſuis
Flod. l. 1. cap. 10. Galliæ morbos lenitūrus eſſet. Ne verò vacillaret oraculi fides, Montanus aſſerit cæcitatem oculorum Ciliniæ lacte eſſe ſibi eximendam. Editis infans *Balſamiæ* nutrici alendus creditur, qui ubi adolevit, amore ſolitudinis Laudunenſi ſe Monaſterio incluſum ivit.

Remigii Epiſcopatus. XIV. Anno CCCCLVIII. qui Remigio ſecundus & vigeſimus currebat, Bennadio Remenſi Præſuli defuncto conſpiratione plebis ſufficiendus eligitur, dum voces incaſſum jactat, vim inferri ſibi, ordinem perturbari, Canonum autoritatem violari, nec poſſe ætatis adeò immaturæ virum ſacris præfici. Vicit detrectantem plebis pertinacia, conſenſuque Remenſis Provinciæ in Epiſcopum creatur. In tanto dignitatis faſtigio, quæ hactenùs ſolitudinis velo tegebantur, Remigii virtutes maximo fulgore coruſcarunt, quas Flodoardi verbis prædicabimus:
Flod. Hiſt. l. 1. c. 11. Erat *refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia.* Exemplum ſanè Epiſcopalium morum venerabile, & omnibus imitandum, cunctiſque miraculis, quæ à Remigio patrata feruntur, longè anteponendum. Sancti Præſulis honori decus addidit Chlodovei baptiſmus Regis, qui antiquâ ſuperſtitione abdicatâ, Chriſti ſe religioni inſitum voluit. Nec ignobilius eſt, quod de ipſo ad Galliæ Synodum vocato facinus prædicatur. Aderat Arianus diſputandi peritus, qui tricis Logicæ ſuæ ſuperbus, ingredienti Remigio aſſurgere noluit. Expectabant Præſules, ut loco ſuo Hæreticus loqueretur: vocis facultas dicere volenti prorſus abfuit. Cui Remigius: *In nomine Domini noſtri J. Chriſti, veri Filii Dei vivi, ſi ſic de eo rectè ſentis, loquere, & de illo, ſicut*
Flod. Hiſt. l. 1. c. 16. *Catholica credit Eccleſia, crede & confitere.* Quo ſermone quaſi ictus fulmine, tremens ſinceram de Incarnationis myſterio fidem profeſſus, in ea ſe perpetuò perſeveraturum pollicetur.

Mors Remigii. XV. Labebatur annus DXXXIII. cùm quem votis omnibus expetebat, exceſſum imminere ſibi novit. Itaque juſtam voluntatis ſuæ ſententiam de eo, quod poſt mortem fieri cupiebat, condito teſtamento declaratum ivit. Hæredes bonorum reliquit Remenſem Eccleſiam, *Lupum* Sueſſonenſem Epiſcopum, Principii fratris natu majoris filium, *Agricolam* Presbyterum, ipſius nepotem. Tabellis quoque teſtamentoriis argenti libras ſex, Eccleſiæ Martyrum *Timothei & Apollinaris*, ubi ſepultum ſe voluit, dono dedit,

Anno Dom. 533.

Flod. l. 1. cap. 17.

dit. Quâ verò ratione cœleſtem Deo animam reddiderit, verbis Flodoardi recitabimus: *Sciens adeſſe ſui tranſitus diem, per Miſſarum celebrationem, & ſacra communionis participationem valefaciens, & dans pacem filiis ſuis, poſtquam ſeptuaginta quatuor annos in Epiſcopatu religioſiſſime fidelis ſervus & prudens Domino miniſtraverat, nonageſimo ſexto ætatis ſuæ anno, Idibus Januarii, curſu ſancti operis conſummato, fide ſervatâ, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro, ut diu deſideravit, anima cœlos penetrans terræ corpus reliquit.* Optato tamen ſepulchro Remigius non potitur, prohibente, uti ferunt, prodigio. Quippe funus dum Timothei & Apollinaris in Eccleſiam efferetur, nullâ ob gravitatem arte moveri potuit. Itaque Eccleſiâ Chriſtophori Martyris in honorem extructâ, probante Numine ſepelitur. Defuncto ſucceſſit *Romanus*, Romano *Flavius*, qui Arvernenſi Synodo anno DXXXV. celebratæ & interfuit, & ſubſcripſit.

Scripta Remigii.

Sidon. l. 9. Ep. 7.

XVI. Ingenii monumenta ſui reliquit Epiſtolas, numero quinque, ex quibus hauſta quædam noſtris Annalibus inſeruimus. Nullâ verò in eis eloquentiæ veſtigia deprehendimus, quam pleno ore laudat in Remigio Sidonius Apollinaris. Arvernenſis quidam, pretio vel officio Remigii Bibliopolam nonnullis domini ſui ſcriptis emunxerat, quæ redux in patriam, Apollinari ea emere ſibi volenti muneri dederat. Declamationes erant, de quibus hanc Apollinaris ſententiam oſtendit ſuam: *Omnium aſſenſu pronunciatum eſt, paucos nunc poſſe ſimilia dictare. Etenim rarus aut nullus eſt, cui meditaturo par aſſiſtat diſpoſitio per cauſas, poſitio per literas, compoſitio per ſyllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in teſtimoniis, proprietas in epitetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis.* Quid de Cicerone majus prædicari potuit?

Anno Dom. 534.

ANNO U. C. 1287, PER. JUL. 5247. JUL. 579. DOM. 534. JUSTINIAN. 7. & 8. THEODATI 1. *Sol.* 11. *A. Lun.* 3. *Indict.* 12. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

COSS. *Juſtinianus Aug.* IV. *& Decius Theodorus Paulinus.*

Paulinus Conſul. Quis? Latinorum Conſulum ultimus.

Caſſiodor. Var. L. 9. Ep. 22.

Caſſiodor. Var. L. 9. Ep. 23.

Caſſiodor. Var. L. 9. Ep. 22.

I. MUnere Athalarici ad ampliſſimum Paulinus Magiſtratum promovetur. Venantium Patricium patrem habuit, de veterum Deciorum ſanguine ortum. Hinc regia ad Paulinum Epiſtola: *Nihil vobis ætas longa ſubduxit. Antiquos in te Decios Roma cognovit. Decios inquam, priſcis ſeculis honoratam proſapiam, libertatis auxilium, Curiæ decus, Romanis nominis ſingulare præconium.* Juvenis adhuc erat, cùm inſigni eâ dignitate ornatus eſt, ut ex Athalarici ad Senatum Epiſtola comperimus: *Patres Conſcripti, alumnum veſtrum Paulinum, aureâ dignitate veſtimus, ut juventus ejus, quæ fulget meritis, trabeâ quoque reſplendeat triumphali.* Tempus gerendi Conſulatus deſignat Athalarici Epiſtola, anno ſuperiore ad exitum vergente ad Paulinum ſcripta: *Quod Deo auſpice dictum eſt, per Indictionem XII. ſume inſignia Conſulatus: honorem quidem arduum, ſed familiæ veſtræ domeſticum.* Fuit is Occidentalium Conſulum ultimus, bellis Gothicis alios eo Magiſtratu prohibentibus.

Anno Dom. 534.

Caſſiodorus. Quis?

Caſſiodor. Var. L. 9. Ep. 24.

II. Virum & virtutibus inſignem, Caſſiodorum Senatorem ad Præfecti Prætorio munus evexit Athalaricus, qui Reſcripto hoc ſuo, viro benè de Gothorum Principibus merito hanc dignitatem tribuit: *Juvante Deo, quo autore omnia proſperantur, ab Indictione duodecima in Præfectura Prætoriana te ſuggeſtu atque inſignibus collocamus. Ut probatum Judicem ſine metu Provinciæ ſuſcipiant, quas hactenùs improborum cognovimus actione fatigatas.* Hinc apparet, ab initio Septembris anni DXXXIII. eam Caſſiodoro dignitatem fuiſſe collatam, quia tunc incepit Indictio XII. Porrò Marcus Aurelius Caſſiodorus Senator, cujus fama apud poſteros inclaruit, ſtirpe Romanus, in Brutia ſub annum CCCCLXX. lucem aſpexerat. *Scylacium* pro patria habuiſſe ferunt, urbem Plinio non ignotam, ſed & in Virgilio legimus: *Caulonisque arces, & naviſragum Scylaceum.* Hodie *Squilaci* nuncupatur. Mortuo Odacio, cui percharus fuerat, Theodorico venit in notitiam, qui ipſius ſapientiâ intellectâ, ad magnas dignitates variis eum gradibus evexit. Quod & indicat Athalaricus: *Cum Dominus avi noſtri innumeris provectibus, magnoque judicio glorieris, inconveniens res eſt diſceptationi ſubdere, quem vix poſſumus ſub admiratione prædicare.* Quibus ille muneribus præcipuè floruerit, paucis tangit Athalaricus, quæ referemus, ne vir pietate, ſcriptiſque inſignis debitis honoribus fraudetur. Caſſiodorum igitur Theodoricus *primævum recipiens ad Quæſtoris officium, mox repetit conſcientia prædictum, & Legum eruditione maturum.* A ſecretis Theodorici creatus, eam recte provinciam adminiſtravit: *Te in dictationibus amœnum, te ad juſtitiam rigidum, te habuit cupiditatibus alienum.*

Id. ibid.

Hanc ſpartam cùm egregiè exornaſſet, Magiſter Officiorum renunciatus erat: *Veniamus ad Magiſteriam dignitatem, quam non pecunia dignitate, ſed morum noſceris ſuffragio conſecutus.* Anno DXIV. Conſul proceſſerat. Itaque tot præclaris muneribus functo, reſtabat aliud nihil, niſi ut & ab Athalarico Præfectus Prætorio crearetur, quod etiam impetravit. Hinc evellendus error Petavio, ſcribenti, *Caſſiodorum Senatorem, Theodorico Rege mortuo Claſſiaſenſis Cœnobii Monachum factum eſſe.* Præfectum Prætorio Caſſiodorus agebat, cùm obiit Athalaricus, Theodorici ſucceſſor. Sed de Caſſiodoro iterum ſuo loco. Cæterùm ut creditum ſibi munus Caſſiodorus lautius adminiſtraret, Joannis Papæ precum ſibi auxilia poſtulat, *Ut*, inquit, *quæ verè ſunt utilia ſequar, quæ vitanda refugiam. . . . Talem denique Judicem excipiat publicus actus, qualem filium Catholica mittit Eccleſia.* Monumenta hæc ſunt egregia animi pietati devoti, qui & Pontificum in precibus non minimum virium ineſſe putabat: *Eccleſiaſticis ſiquidem jejuniis fames eſt excluſa popularis: decoris lachrymis triſtitia fœda diſceſſit, & per ſanctos viros acceleratum eſt, ne traheretur diutiùs quod gravabat.*

Pet. Rat. l. 7. c. 8.

Caſſiodor. Var. L. 11. Ep. 2.

Lex Athalarici in Simoniam.

III. Inter egregia Athalarici facta numerandum eſt Reſcriptum, quod de Pontificum Romanorum & aliorum Antiſtitum creatione promulgavit, & ad Joannem direxit. Cur illum ſic adiret, cauſæ fuit aliquid, quod nimirum Bonifacii ſecundi æmulus Dioſcorus ambitus Simoniæque poſtulabatur. Senatuſconſulto illi, qui infamis commercii hujus rei deprehendebantur, Eccleſiaſticis muneribus pellebantur. Id Decreti Athalaricus autoritate ſuâ ſtabilivit:

Sancti-

Anno Dom. 534.

Sanctitas veſtra ſtatuiſſe nos præſenti definitione cognoſcat, quod etiam ad Patriarchas atque Metropolitanas Eccleſias volumus pertinere, ut à tempore Sanctiſſimi Papæ Bonifacii, cùm de talibus prohibendis ſuffragiis, Patres Conſcripti, Senatuſconſulta nobilitatis ſuæ memores condiderunt, quicunque in Epiſcopatu obtinendo, ſive per ſe, ſive per aliam quamcunque perſonam aliquid promiſiſſe declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus efficietur. Senatuſconſulti verba hæc erant, incipientis à pronomine *quicunque*. Mulctam autem Athalaricus accipientibus hanc irrogat: *Et quia omnia decet ſub ratione moderari, nec poſſunt dici juſta, quæ nimia ſunt, cùm de Apoſtolicæ conſecratione Pontificis intentio fortaſſe pervenerit, & ad palatium noſtrum producta fuerit altercatio populorum, ſuggerentes nobis intra tria millia ſolidorum cum Collectione chartarum cenſemus accipere.* De ordinationibus Patriarcharum qui aliquid acceperit, *duorum mille ſolidorum* mulcta irrogatur. In civitate verò ſua tenuiſſimæ plebi quingentos duntaxat ſolidos diſtribuet. Id Decreti labente vel elapſo anno promulgatum fuit. Hic Baronius exclamat, Regem *non audere in dantes Clericos pœnam convertere*, quaſi civili poteſtati exi-

Caſſiodor. Var. L. 9. Ep. 15.

Bar. An. 533. n. 36.

merentur. Quòd mulctam Clericis non irroget Athalaricus, regiæ bonitatis munus fuit, non autoritatis defectus. Ab imponenda ea pœna credidit temperandum, quia Clerici Canonibus Simoniacos officio ſuo removentibus ſubjiciebantur: *Dantes*, inquit, *Canonum ſeveritas perſequatur*. Illos ergo pœnâ affici geminâ noluit. Quòd verò Clerici regio imperio ſubjicerentur, ex ipſa Athalarici Lege promptum eſt: *Si quis autem in hoc ſcelere deprehenditur fuiſſe verſatus, nullam relinquimus vocem, verùm etiamſi aut repetendum, aut quod acceptum eſt, non reddendum eſſe crediderit, ſacrilegii reus protinùs habeatur, accepta reſtituens, compulſione Judicis competentis.* Quibus non minus Laici, quàm Clerici involvuntur. Presbyter quidem, qui acceptâ pecuniâ ſuffragium eligendo Pontifici dediſſet, ad eam reſtituendam tenebatur.

Mors Athalarici.

IV. Legi ſuæ diu ſuperſtes non fuit Athalaricus, qui labente anno vitam reliquit, vix annos XVIII. egreſſus, ut ex Jornande colligimus, *Decennis* ab avo ſuo Rex conſtitutus erat anno DXXVI. Imperio verò ſuo octennio potitus eſt: *Dum ergo ad ſpem juventutis Athalaricus accederat, tam ſuam adoleſcentiam, quàm matris viduitatem Orientis Principi commendavit. Sed in brevi infeliciſſimus, immaturâ morte præventus, rebus humanis exceſſit.* Si quid bonæ in Athalarico indolis fuit, libidinibus corruperat. Quippe ab æqualibus ad compotationes ſcortaque compulſus, adeò depravatus eſt, ut vel debitum matri obſequium exueret. Voluptatibus, quibus juvenile corpus liqueſcebat, mortem ſibi conſciviſſe, narrat Procopius: *Cùm laſcivia ac temulentia ſe penitùs addixiſſet, morbo corripitur, quo abſumptus emoritur, cùm in Imperio octavus jam annos vixiſſet.* Hæc intemperantiæ merces fuit.

Jorn. de Reb. Get. n. 519.

Procop. de Bello Goth. l. 1. c. 3.

Amalazuntham Gothi ſpernunt.

V. Maximos in regno Gothico motus ſuſcitavit mors Athalarici. In muliebri ſexo renitentes Amalazunthæ virtutes Gothorum Optimatibus venerationi non erant, ferocibuſque animis innata barbaries fœminæ ſpernebat imperium, ac eò uſque proceſſerant, ut conſpiratione in Amalazuntham factâ, eam è regia abſcedere impudenter juſſiſſent, rerum habenas tenente adhùc Athalarico. Verùm illa ne vel tantæ procellæ cedens, tres Gothorum & facundiſſimos, & ſeditioſiſſimos viros in ultimos Italiæ fines per cauſam ejus regionis tuendæ protinùs ablegaverat. Qui amicorum operâ longius iter emenſi, in unum convenientes, conſilia adverſus Amalazuntham inibant. Quæ cum diutius ferre non poſſet, anno DXXXII. è ſuis fidum, Juſtiniano mittit, rogatum, liceretne Amalazunthæ Theodorici filiæ, Conſtantinopolim ire, Italiam egredi cupidæ. Eo nuncio lætus Imperator, illicò certos legat, qui Palatium Epidamni pararent precanti, quæ poſt aliquantum moræ in regiam urbem deveheretur. Eſt autem Epidamnum urbs propter inauſpicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellata. Accepto Imperatoris reſponſo, ea protinùs ſuos theſauros navi impoſitos, Dyrrachium amandat, eâ lege tamen fidiſſimis datâ, ne in civitatem quidquam efferrent, donec quid agendum per nuncios ſignificaret. Percuſſores etiam mittit, qui tres Gothorum Optimates ſibi inſidias ſtruentes interficeret. Patratâ cæde, Amalazuntha navem ſubinde Dyrrachio revocat, Principatuque pro votis firmato, Ravennæ permanſit. In eo ſtatu res erant, cùm Hypatius & Demetrius Epiſcopi ad Joannem Juſtiniani Legati acceſſere. Ubi verò ſenſim deficere videt vires in Athalarico, deſperatis rebus id conſilii capit, ut Juſtiniano Italorum Gothorumque concederet Imperium. Audierat Juſtinianus, miſſâ Dyrrachium nave Amalazuntham Ravennæ adhùc moras trahere. Quarum cauſam noſcere cupidus, Alexandrum ſub Oratoris ſpecie injurias queſtum mittit, per Gothos, Lilybeis illatas ſuis, decem transfugas ex exercitibus Auguſteis receptos, *Gratianam* urbem Illyriorum in finibus oppreſſam. Reſpondet illa, ſe beneficiis compluribus Juſtinianum affeciſſe; tendenti in Vandalos exercitui ſe nil impedimenti attuliſſe. Clam verò Italiam in manus Imperatoris ſe traditurum pollicetur.

Procop. de Bello Goth. l. 1. c. 3.

Theodatus quis? Ad regnum ab Amalazuntha evehitur.

VI. Mutatâ tamen ſententiâ, Theodatum Gothis præficere cogitat. Theodorici nepos erat, ex ſorore *Amalfreda*, ætate provectus, Latinarum quidem literarum Platonicorumque dogmatum peritus, verùm rei bellicæ penitùs ignarus, & accumulandis divitiis prorſus incumbens, quod à viro Principe prorſus alienum eſt, qui maris inſtar, fluctus ſuos ad orbis utilitatem effundentis, opes ſpargere ſuas debet in miſerorum commoda. Agebat in Thuſcia Theodatus, ex qua complures Amalazuntham adeuntes, ipſum rapacitatis accuſaverant. Quem ad ſe acceritum, & ab accuſatoribus convictum, quæ per vim rapuerat, Amalazuntha reddere cogerat. Defuncto autem Athalarico, de evehendo ad Imperium Theodato conſilium capit. Sperabat injuriarum memoriam ab ingentis beneficii Collatione abolendam eſſe. Igitur ad ſe vocatum, blando ſermone compellat. Solas illuſtris Theodorici ſanguinis reliquias infamiâ ſe purgare voluiſſe, ac pro æquitate caſtigaſſe, *ne de cætero eſſent, qui à Theodato acceptam injuriam queſti ſe circumſiſterent, vel neminem habere ſe dicerent Principem, cui occurſura ſibi in dies referrent, vel fortè pro Rege ſe hoſtem fuiſſe, cui vi pareant nacti.* Itaque vitiis purgatum, totis ſe viribus juvaturam, ut regnum adipiſcatur, modò juramento ſe graviſſimo obſtringat, regio duntaxat nomine contentum, poteſtatem fautrici,

ANNO DOM. 534.

trici relictum iri. Illicò Theodatus fraudulenter per ſacra jurat, omnia ſe libenter facturum, juranti manebant altâ mente recondita injuriæ, quibus affectum ſeſe exiſtimabat. Itaque contemptâ religione occaſionem amplectitur indulgendi & vindictæ, & ambitioni ſuæ. Promiſſis Theodati deluſa mulier, cùm in Regem conſtituit, miſſaque in Orientem legatione, hæc Juſtiniano nunciat: *Perduximus ad ſceptra virum nobis fraternâ proximitate conjunctum, qui regiam dignitatem communi nobiſcum conſilii robore ſuſtineret; ut & ille avorum ſuorum purpureo decore fulgeret, & animos noſtros ſolatiis prudentiæ erigeret. Jungite nunc vota felicia. Ut ſicut nos imperio pietatis veſtræ omnia fieri proſpera deſideranter expetimus, ita nobis favere veſtram benevolentiam comprobemus*, &c. Significat & Senatui Amalazuntha, regni ſe in conſortia Theodatum aſciviſſe: *Poſt flebilem filii noſtri divæ recordationis occaſum vicit animum pia matris generalitatis affectio, ut non mœroris ſui cauſas, ſed veſtra potius gaudia cogitaret. . . . Elegimus Deo auſpice conſortem regni noſtri feliciſſimum Theodatum. Ut qui hactenus Reipublicæ molem ſolitariâ cogitatione pertulimus, nunc utilitates omnium junctis conſiliis exequamur.* Scripto quoque Juſtinianum adiit Theodatus: *Novu Regibus mos eſt, per diverſas gentes provectus ſui gaudia nunciare, ut acquirant affectum Principis externi de ipſa communione regnandi.* Amalos dicit ſemper cum Imperio vinculis amicitiæ fuiſſe conjunctos, faveat ergo Juſtinianus judicio Amalazunthæ: *Nam ſi me diligitis, Regem quodammodo pariter efficietis.* Ad Senatum verò ſcribit: *Divina nobis beneficia, Patres Conſcripti, perveniſſe feliciter nunciamus: dominam rerum toto orbe glorioſam, conſortem me regni ſui largâ pietate feciſſe; ut nec illi deeſſet fidele ſolatium, & nobis avitum congruè præſtaretur Imperium*, &c.

Caſſiodor. Var. L. 10. Ep. 1.

Caſſiodor. Var. L. 10. Ep. 3.

Caſſiodor. Var. L. 10. Ep. 2.

Caſſiod. Var. L. 10. Ep. 4.

Amalaſuntha à Theodato occiditur.

VII. At ſplendente fuco Theodati & promiſſa, & tributa Amalazunthæ præconia tegebantur. Ingratum pectus, innata avaritia, vindictaque extimulant, ut illuſtrem & fœminam & fautricem iret perditum. Reductis Gothorum, quos Amalazuntha interfecerat, propinquis, occiſiſque viris, qui Reginæ ſanguine jungebantur, illam ſubinde carceri tradit. Eſt lacus in Tuſcia, *Bulſinus* dictus, intus Inſula una exiſtit, & hæc quidem breviſſima, præſidium habens ſatis munitum: in eo Theodatus Amalazuntham aſſervari jubet. Veritus autem ne Juſtinianum offenderet, *Liberium*, *Opilionemque* Senatores cum tribus aliis Conſtantinopolim legat, factum ſuum excuſaturos, teſtaturoſque, nil moleſti adhuc Amalazunthæ contigiſſe, licet multa in ſe gravia commiſiſſet; cogit & Reginam ipſam Juſtiniano nunciare. Verùm illorum conſanguinei, quos occiderat, cùm Theodato perſuaſiſſent, nec ipſi quidem, nec ſibi vitam in tuto fore, niſi quàm primum ea morti mitteretur; permittente Theodato ipſam dein interficiunt. Lamentabilem illuſtris fœminæ caſum ſic Jornandes memorat: Theodatus *immemor conſanguinitatis poſt aliquantum tempus à Palatio Ravennate abſtractam, in inſulam laci Bulſinienſis eam exilio relegavit. Ubi pauciſſimos dies in triſtitia degens, ab ejus ſatellitibus in balneo eſt ſtrangulata.* De mortis genere Jornandi Paulus aſſentitur Diaconus, l. 17. Annum currentem lugubrem fecit funeſtus ille obitus, uti ex Marcellino compertum habemus: *Juſtiniano Aug. IV. & Paulino Coſſ. Theodahadus Rex Gothorum Amalaſuntham Reginam, creatricem ſuam de regno pulſam, in inſula Laci Bulſinienſis occidit. Cujus mortem Imperator Juſtinianus ut doluit, ſic & ultus eſt.* Impellente Theodorâ Auguſtâ, quæ ne ſibi Amalaſuntham Juſtinianus præferret verebatur, tragœdiam eam eſſe commotam, in Anecdotis teſtatur Procopius. Eò temeritatis & inſipientiæ proceſſit Theodatus, ut Amalaſunthæ interfectores in honore haberet. Cœli terræque indignationem eo facinore ſibi Theodatus provocavit. Petrus, qui à Juſtiniano Legatus in Italiam venerat, Theodato præſente, aſtantibuſque Gothis, Deum & homines ſimul obteſtatur, ob indignum ſcelus nulli cum Theodato, nullis poſthàc fœderibus Imperatorem vinctum eſſe, ſed cum eo potius totis viribus dimicaturum, quod etiam anno ſequente Duce Beliſario factum eſt. Reges Francorum & iram commovit Theodatus, ſi qua Gregorio Turonenſi fides. Narrationis ſumma hæc eſt. Ex ſorore Chlodovei Theodoricus Rex Italiæ, filiam ſuſceperat. Quæ patris poſt obitum, invitâ matre, *Traguillani* ſervo conjungitur. Quem cùm Regina occidi juſſiſſet, pietatis oblita mulier, *venenum in calice poſuit, de quo mater communicatura erat*, quæ illicò extinguitur. Atrocitatem ſceleris indignatus Theodatus, *ſuccenſo vehementer balneo, eam in eodem cum una puella includi præcepit.* Quo cognito, injuriam Reges ſuo ſanguini illatam non ferentes, miſſa legatione Theodato graviora minantur. Qui ut offenſos placaret animos, *quinquaginta eis millia aureorum tranſmiſit.* Hiſtoriæ hujus fides ſit penes Autorem: Nobis ſanè à veritate laborare videtur.

Jorn. de Reb. Get. cap. 59.

Marcell.

Gregor. Hiſt. l. 3. cap. 31.

A Francis Burgundia occupatur. Theodoricus Theodeberto deceſſit.

VIII. Dum in Occidente verſamur, tragico Amalaſunthæ fato addatur & Godomari Burgundionum Regis calamitas: *Paulino Juniore Conſule, Reges Francorum Childebertus, Chlotarius, & Theudebertus, Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege, regnum ipſius diviſerunt.* Hæc Marius Aventicenſis. Primus expeditionem narrat Gregorius: *Chlotarius & Childebertus in Burgundiam dirigunt, Auguſtodunumque obſidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupaverunt.* Victoriam in dedecus ſibi vertit Theodebertus, qui cùm in Ruthenis caſtro, nomine *Capraria*, poſitus eſſet, *Deuteriam* loci dominam ejus pulchritudine captus, in cubile recepit. Dum vetitis utitur amoribus, affertur nuntius, de Theodorici ſui patris gravi morbo. Crudelitatem Theodoricus ſuam ad extremum uſque ſpiritum retinuerat. Paulò ante obitum occiſo conſanguineo *Sygivaldo*, clam ad Theodebertum nuncios miſit, ut defuncti filium Gyvaldum ſecum verſantem morti mitteret. Ne verò innocenti ſanguine ſeſe pollueret, Theodebertus paterna præcepta cùm repudiaſſet, Gyvaldo, quem de ſacro fonte ſuſceperat, Theodorici oſtendit Epiſtolam, ſimul præcipiens, ut ſalutem fugæ ſuam committeret. Dum hæc aguntur, accepit literas, ut quàm celerrimè poſſet, ad moribundum parentem feſtinaret, ne regno à patruis excluderetur. Ubi reverſus eſt, illicò Theodoricus vitâ abiit, anno regni ſui XXIII. Theodeberti regnum patrui rapere volentibus, impedimentum Leudienſes oppoſuere, à quibus & jam in regno conſtituitur. Nec multò poſt regiam dignitatem adulterio contaminavit, miſſis qui Arverno Deuteriam ad ſe addu-

Gregor. Hiſtor. l. 3. cap. 11.

Gregor. l. 3. c. 23.

adducerent, quam ſibi matrimonio junxit, vivente ipſius viro, qui Biterris agebat.

Num bellum Vandilicum anno 534. inceperit?

IX. Majoris momenti rebus ad Orientem vocamur. Juſtiniano indignationem moverat Gelimeri perfidia, qui pulſum regno Hildericum in vinculis detinebat. Itaque tyrannum, nobilium complurium cruore reſperſum adoritur, miſſâ claſſe, cui præficiebatur vir magnæ famæ Beliſarius. Verùm de belli initiis difficultatis aliquid exoritur. Veteres quippe Chronologi, Marcellinus, Victor Tununenſis, Marius Aventicenſis Africanam Juſtiniani expeditionem labenti anno alligant: quorum Chronologiam amplexus clariſſimus Valeſius, Baronii repudiat ſententiam, qui in anno proximè elapſo belli hujus initia collocaverat. At Baronii Chronologia veriſſima eſt, Valeſii autem falſiſſima, cùm certiſſimis argumentis tam ex Procopio, qui expeditioni interfuit, quàm ex Reſcriptis Juſtiniani ductis compertum habeamus, anno ſuperiore bellum Vandalicum inchoatum, præſente fuiſſe confectum, quæ cauſa eſſe potuit, cur Marcellinus, Victor, Mariuſque, qui ſummatim ſuis in Chronicis hoc belli retulere, in labentem annum conjicerent, quod magnis eventibus exhauſtum triumphum Beliſario peperit. Primum in Valeſium argumentum ſuppeditat Procopius: *Juſtinianus anno ſeptimo Principatus, veris initio, navim Prætoriam ad littus juxta regias ædes deduci juſſit: ſicque Beliſarius cum uxore Antonina ſolvit, cum Procopio.* Atqui non ſeptimo quidem Juſtiniani, ſed octavo, qui à Kalendis Aprilis incipiebat, Beliſarius tranſmiſiſſet in Africam, ſi ab anno demum præſente Vandalicæ expeditionis petantur initia. II. Conſtat, Juſtinianeam claſſem ad Carthaginenſes portus appuliſſe, imminente feſto Cypriani Martyris, quod Septembris XIV. agitatur, uti teſtatum Procopius reliquit: *Poſtquam autem Juſtiniani claſſis advenit, dies erat ſecuturus, in quo feſtum conſuetum revertebat.* Anno verò DXXXIV. Cypriani natale haud eſſe poterat. Alioquin repugnantibus Marcellino & Victore, Gelimer quarto Juſtiniani Conſulatu Conſtantinopolim miſſus non fuiſſet, ſed anno duntaxat DXXXV. de captivo Beliſarius triumphum egiſſet. Verba ſunt Procopii, dum Gelimer à *Pharâ* in monte *Papua* obſidetur: *Trium jam menſium ſpatio in hac mora conſumpto, ac hyeme jam ſuetâ, Gelimer timere cœpit.* Si anno duntaxat DXXXIV. Africana expeditio ſuſcepta eſt, hyems, cujus finem memorat Procopius, ad uſque annum DXXXV. protenditur. Quod prorſus repudiandum, cùm Beliſarius Conſtantinopoli antè triumpharit, quàm Kalendis Januariis anno DXXXV. Conſul procederet. Inſuper ante præſentis anni Cal. Septembres, Juſtinianus Africæ imperabat. Teſtis Lex *de officio Præfecti Prætorio Africæ, & de omni ejuſdem Diœceſeos ſtatu.* Titulus Legis hic eſt, *Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus. . . . Vandalicus, Africanus.* Jus ergo dicebat Africæ, Vandaloſque debellarat Juſtinianus, cùm Lex ea conſcripta eſt. Abſurdiſſimum ſanè fuiſſet, de victis Vandalis mentionem egiſſe, ſtipendiaque variis officiis Africæ aſſignare, niſi regio Juſtinianeæ ditioni ſubderetur. Eſt autem promulgata ante primum Septembris anni DXXXIV. Legis verba ſunt: *Hac igitur, quæ pro diſpendiis, civilibus Judicibus Africæ, eorumque officiis, id eſt, tam Scriniariis ampliſſimæ ejus Præfecturæ, quàm cohortalibus per hanc divinam Conſtitutionem ſtatuimus, tua magnitudo cognoſcens, ex Kal. Septembr. futuræ tertiæ decimæ Indictionis, effectui mancipari, obſervarique procuret, atque Edicto publico omnibus innoteſcat.* Decima tertia Indictio hæc à Calendis Septembris labebatur, proindeque profeſtum Cypriani, quo Carthaginis oris allapſa eſt claſſis Juſtiniani ad annum DXXXIV. pertinere nequit, ſed ſuperiori eſt addicendum. Prætereà miſſo ad Beliſarium Reſcripto Juſtinianus *civilium adminiſtrationum Judices & officia ſingulis Africanis Provinciis* conſtituit. Eſt autem ea Lex emiſſa *Idibus Aprilis Conſtantinopoli Juſtiniano P. P. Auguſto IV. & Paulino V. C. Coſſ.* Quòd ſi Africana Juſtiniani expeditio anno duntaxat labente cœpta eſt, impoſſibile prorſus, id mandati Beliſario datum fuiſſe, Juſtiniano IV. Conſule, cujus claſſis, decimo tertio Aprilis Africana litora nec dum tetigiſſet. Probando belli Vandalici initio Baronius Legem adhibuerat de confirmatione Digeſtorum, quæ Pandectarum Operi præfigitur, in qua loquitur hæc Juſtinianus: *Poſt bella enim Parthica æternâ pace ſopita, poſtque Vandalicam gentem ereptam & Carthaginem, imò magis omnem Libyam Romano Imperio ſociatam . . . benè autem properavimus, in tertium noſtrum Conſulatum & has Leges edere.* Jejunum tamen eſt argumentum ex *tertio* Juſtiniani Conſulatu petitum, cùm loco tertii quartus ſit ponendus, quo Leges Africæ poſitæ ſunt. In eo quidem Reſcripto mentio fit Prætorio Præfecti Africæ, qui Juſtiniano IV. Conſule creatus eſt.

Valeſ. Annot. in l. 4. Evagr. cap. 16.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 12.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 20.

Procop. de Bello Vand. l. 2. c. 5.

Cod. Lib. 1. Tit. 27. p. 124.

Cod. l. 1. Tit. 27. p. 116.

Error Baronii.

Bar. An. 433. n. 42.

Belli Vandalici breviarium. Græcia in Africam Beliſarius navigat.

X. Initiis belli Vandalici ritè conſtitutis, quid in eo memoratu dignius geſtum fuit, noſtra nunc referat oratio. Cœleſtibus viſis ad hoc expeditionis ſuſcipiendum, excitatum eſſe Juſtinianum, in Victore Tununenſi legimus: *Juſtiniano IV. Conſule Juſtinianus Imperator viſitatione Læti Epiſcopi, ab Hunnerico Vandalorum Rege Martyris facti, exercitum in Africam, Beliſario Magiſtro Militum Duce contra Vandalos mittit.* Parcant nobis Victoris cineres, ſi viſis ejuſmodi minus fidei habeamus, quæ Procopio belli Vandalici accurato Scriptori fuerunt incognita. Neque his ſanè opus erat, ad juſtam Imperatoris iram in Gelimerum tyrannum acuendam. Multis non arridebat expeditio: pecunia ſubditis nova imperabatur, Ducum plurimos in metum adducebat conſilii magnitudo, terraque, mariſque periculum: milites Perſico bello jam ſatis fatigati quietis cupido inceſſebat. Præcipuè Joannes Præfectus Prætorio ab incerta difficilique expeditione Imperatorem revocabat. Cujus oratione permotus, de belli hujus ſtudio nonnihil remittebat. At Epiſcopus ex partibus Orientis ſomnium ſibi noctu immiſſum jactat, quo impietatis Juſtinianus arguebatur, quòd Chriſtianos Barbarorum è manibus non eriperet: negotium aggredienti fautorem Deum præſtò eſſe pollicebatur. Sabas quoque Africæ Imperium in ſua legatione Imperatori portenderat. Neque defuere læti ſucceſſus omina. In urbe Tripolitana *Pudentius* à Vandalis deficiens, Juſtiniano nunciatum miſit, Africam, ſi diligentia adhiberetur, nullo negotio ſuperari poſſe. Rebus Juſtiniani nova fit & acceſſio felicitatis. *Godas*, qui Gelimero fidus putabatur, gente Gothus, animoque ſagax, Sardiniæ Præfectus erat. Qui ſuſtinendis fortunæ muneribus impar, factâ defectione Inſulam occupat: miſſiſque ad Juſtinianum literis, narrat non ingrati quidem

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 10.

dem animi vitio, aut poteſtatis amore, ſed crudelitatis, quam in ſuos Gelimer exercebat, ſe permotum in tyrannum rebellaſſe, malleque magis optimo Imperatori ſubjici, quàm ſæviſſimo Principi. Goddæ Cyrillus cum quadringentis militibus mittitur, qui ei cuſtodiret Inſulam. Sed profecturus Beliſarius nos ad ſe vocat. Anno Juſtiniani VII. Dom. verò DXXXIII. ineunte vere, Prætoris navis ab Epiphanio Patriarcha benedicenda juxta Prætorium adducitur; qui de more ei benè precatus, milites paulò antè baptizatos in eam introduxit. Quibus colligitur, claſſem vela dediſſe paulò poſt feſtum Paſchatis, quod anno DXXXIII. Martii eſt ſeptimo & vigeſimo celebratum. Ingreſſus Prætoriam *Beliſarius*, cum *Antonina* uxore, Procopioque Hiſtorico cum claſſe Perinthum applicuit, inde ſolventes, Abydum naves veniunt, ubique triduo commorantur, dum tranquillum mare expectant. Intereà bini Maſſagetæ, quos ebrios ipſorum ſocius illuſerat, irridentem interficiunt, ſubinde homicidas Beliſarius palo affigi jubet. Supplicium ſuorum indignati Hunni, quos audaciores faciebant, protervi effrenatique milites, qui impunita delinquentium peccata cupiebant, expoſtulant cum Beliſario. Nempe ſe Romanis ſubditos non eſſe, ſed ſponte verſari in exercitu: moris apud ſe non eſſe, delinquentes ejuſmodi coërcere ſupplicio. Tum Beliſarius coacto exercitu magnâ animi firmitudine teſtatur, neminem ſe paſſurum quantâcunque fortitudine præditus ſit, qui impuris manibus feratur in hoſtes, *cùm fruſtra ſit fortitudo, ubi juſtitia defuerit.* Quos adverſarios morum ejuſmodi exercitus non profligaſſet. Cùm proſperis ventis Methonem adventaſſent, aliquandiu deficientibus auris, dum ibi detinentur, perfida ſe prodit Joannis Prætorio Præfecti avaritia. Quò mercedis minus daret, piſtoribus, qui buccellatum parabant, crudum adhùc in publicum balneum ferri juſſit, ac in locum, ubi ignis vigebat, collocari: dein culeis incluſum immitti navibus. Itaque dum Methoni claſſis detinetur, buccellatum in farinam marcidam abit. Eo cibo contracti morbi, milites quadringentos ſepulchro demittunt. Eo alimento diligentia Beliſarii prohibito, probos panes in regione conquiſitos dari juſſit. Profectus Methone exercitus, dum tardis ventis navigat, aqua, quæ potui erat, tota putreſcit, præter eam, quæ apud Beliſarium erat, quam ſagacitate ſuâ à corruptione integram Antonina ſervavit, vitreis lagenis aquâ refertis, in arena collocatis, quæ aſſeribus cingebatur. In Siciliam delatus cum claſſe Beliſarius, in dubio erat, quâ ratione cum Vandalis unà congrederetur. Querelis militum turbabatur, apertè prædicantium, ſi terreſtris quidem pugna iniretur, officio ſe ſuo non defuturos; ſi navalis verò, fugam maturaturos, cùm impares eſſent ineundæ cum aqua, & cum hoſtibus pugnæ. Dum his curis anxius eſt, Procopium ſciſcitatum mittit, num naves eſſent hoſtiles contra Romanos paratæ: quemve potiſſimum portum Africæ ſubirent? Simulque à Gothis Juſtiniano fœdere conjunctis cibos emere jubet. Incidit fortè Procopius in amicum, rebus nauticis Præfectum, à quo quæ neceſſaria erant accipit. Audit etiam Præpoſiti ſervum, tertiâ die Carthagine advectum, nullas Romanorum claſſi inſidias deprehendiſſe: totum Gelimeri apparatum in Goddam deſtinari: Gelimerum Hermione commorari, quæ civitas quatuor diebus Carthaginenſi diſtabat. Hæc ubi novit Beliſarius, carbaſa dare jubet, curſuque ſecundo Africæ ad locum, quinque diebus Carthagini proximum deducitur.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 13.

Quid à Beliſario factum in Africano bello.

XI. Tum Beliſario placuit ſubinde è navibus milites in terram exponere, caſtraque vallo circumdare, quod tantâ celeritate factum, ut eodem die hæc omnia peragerentur. Prodigio penè fuit, quòd dum terra foditur, aquæ multum è terra erumperet, quæ equis, hominibuſque potui fieret, quod nunquam in Byzacio viſum, loco perpetuæ ſiccitati damnato. Neque minus admiranda Ducis æquitas, dum militum nonnullos, qui in agris fructus attigerant, notavit infamia. Syllectum civitas erat, quam Beliſarius ſibi vindicare ſtatuit. Ubi illuxit, ex haſtatis nonnulli in ruſticorum urbem euntium curtus aſcendunt, Sacerdoti illicò, & ſi quid nobilitatis erat viris, qui libenter ſe dederint, libertatem, beneficiaque multa pollicentur. Nec mora, claves Beliſario tradunt. Sed & ille, qui in civitate equis præerat, eos ipſi tradit, qui ſubinde miſſis ubique locorum veredariis, Juſtiniani literas perfert, Præfectis reddendas, quibus ipſos monebat, id unum ſibi propoſitum eſſe, tyrannum, qui Regem in vinculis ſuum habeat, de medio tollere. At Gelimer gnarus hoſtes propius adeſſe, ad *Ammatem* fratrem Carthagini verſantem ſcribit, ut Hildericum, omneſque ipſius conſanguineos, quos in vinculis detinebat, interficiat: Vandalos ſubinde cogat, ut Romani circa ſuburbanum civitatis, nomine *Decimum*, duobus utrinque exercitibus concluſi doleantur. Cruenta *Ammatas* mandata executus, Hildericum & Evagenem cum Afris, qui illi ſtudebant, mactat. Utilia & prudentiâ condita erant Gelimeri de Romanis circumcludendis conſilia: verùm ipſis obſtitit Dei numen, Gelimeri ſcelera ulciſci volentis. *Ammata* quippe cum paucis, nec fortioribus circa meridiem ad *Decimum* profectus, in Joannem Armenium incidit, virum prudentiâ & fortitudine ſummum, qui Romani exercitui viginti ſtadiis antecedebat. Ducebat ille trecentos ſcutigeros, bello aptiſſimos, ut ſi quid hoſtile animadverteret, confeſtim Beliſario nunciaret, ne imparatus cum hoſte congrederetur. Primâ acie Ammatas duodecim viros Joannis interficit, ſed occubuit ipſe maximo ſuorum damno. Septembris XIII. ea pugna commiſſa eſt, feriâ III. Ammatâ mortuo, copiæ ipſius fugam arripiunt, quæ & Vandalis, Carthagine ad Decimum venientibus, formidinem incutit. Itaque dum hoſti terga dant, Joannes ad portas uſque Carthaginis eos inſecutus, ex illis penè duo mille trucidavit. Neque Gibamundus uſus eſt benigniore fortunâ. Duo Vandalorum millia ad campum uſque Solis duxerat, ſtadiis XL. à Decimo diſſitum, locum uno ſalis proventu fertilem, cùm in Hunnos incidit, quibus id conſuetudinis erat, ut ex illis unus prius in hoſtes incurrat, quàm aut pugnent, aut captivos abducant. Progreſſus ergo de more Hunnus, vir fortis, conſideratis Vandalorum copiis, converſus ad ſuos; *Quàm*, inquit, *paratam nobis eſcam miſit hodie Deus.* Impetum ad hæc facientibus Hunnis, Vandali omnes turpiter perierunt. Neſciebat adhùc ſuorum victoriam Beliſarius, qui in Decimum tendebat, cùm equites, quos explorandi gratiâ miſerat, Gelimerum vident cum exercitu venientem.

Anno Dom. 534.

tem. Collis medius erat rei gerendæ idoneus, quem Vandali feſtinanter occupant, impetuque facto Romanos in fugam vertunt. Jam ad Uliarem pervenerant, haſtatum octingentorum ſcutatorum Ductorem, quem ſibi auxiliarem fore putabant. Verùm ipſe quoque cum ſuis metu correptus, ad Beliſarium curſu contendit. Ea Gelimeri infelicitas fuit, ut quam ferè amplectebatur victoriam, prorſus negligeret. Quippe ſi gladiis ſtrictis Romanos inſecutus fuiſſet, Beliſarius impar congreſſui fuiſſet, cujus copiæ Barbaris numero longè inferiores ſuâ jam formidine vincebantur. Vel ſi rectà Carthaginem petiiſſet, Joannem cum ſuis penitùs oppreſſiſſet, naves cepiſſet, ſpem reditus omnem eripuiſſet. Sed merita ad ſupplicia à fatis depoſcebatur. Itaque cùm è monte in planiciem pervenit, viſo *Ammata* cadavere, in luctus, funeriſque curam totus ſe convertit. Beliſarius verò intellectâ Joannis victoriâ, curſu contra Vandalos fertur, qui certatim fugientes, fracti Romanorum impetu miſerè pereunt: nocte prælium dirimitur. Poſteâ luce Beliſarius cum uxore, exercituque Carthaginem petit.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 18.

Claſſis Rom. Carthaginem appulit. Ariani Templis pelluntur.

XII. Nocte appetente, cùm muris civitatis naves appropinquaſſent, Carthaginenſes illicò portas aperiunt. Spe liberationis implebantur, quam Cyprianum in ſomnis apparentem, dolore perculſis injeciſſe fabulantur. Pridie Natalis Cypriani Romana claſſis oris Carthaginenſibus allapſa fuerat. Ut à vero aberret Baronius, dum ſcribit, *fuiſſe diem* XV. *menſis Septembris, quâ natalis Sancti Cypriani anniverſaria Vigilia agebantur.* In Calendario Carthaginenſi XVIII. Cal. Octobris Cypriani feſtum celebratur. Cujus feſti pervigilium Septembris XIII. recolebatur, quo die Beliſarii naves Carthaginenſium coram oculis adductæ ſunt. Itaque bidui aberratio eſt Baronii in Chronologia. Eo pervigilio & Ammatas cum ſuis deletus eſt, & clarum Carthaginenſes Sacerdotes facinus aggreſſi: *Quanquam Ammatas ad Decimum contra noſtros veniret, in ſpem erecti, protinùs pulſis Arianis Templum recipiunt, luſtrationibus curant, ſuperſtitionibus purgant, donaria, quæ pulcherrima eſſent, tholo ſuſpendunt, lychnos præparant.* Nocte, quæ Cypriani feſtum excipiebat, claſſis ſpirante Euro ad promontorium acta à facilibus Carthaginenſibus excipitur, qui ferreas catenas portus, quem *Mandracium* vocant, trahentes, aditum claſſi fecere. Tum inopinata miſeris lux felix affulſit. Erat in domo regia carcer, ubi omnes ſupplicio deſtinati à tyranno concludebantur, quos inter mercatores fuere complures, qui Gelimerum ad bellum proficiſcentem opibus juvare rogati fuerant: eâ die perituri, quæ Ammatæ mortem attulit. Commentarienſis, ubi & cladem audivit Ammatæ, & claſſem Romanam proſpexit, captivos adiit, à quibus in libertatis præmium id unum petit, ut ſibi in periculis conſtituto omnibus viribus venirent in auxilium. Quod cùm juramento adhibito promiſiſſent, illicò claſſem oſtendit, & cum liberatis abiit.

Error Baronii.

Bar. Ann. 533. n. 53.

Procop. de Bello Vand. l. 1. c. 19. 20.

Beliſarius Carthaginem ingreditur; quàm diu ea Vandalis ſervierit?

XIII. Poſtridie feſti Cypriani, feriâ quintâ Beliſarius, cunctis è claſſe deſcendere juſſis, ordinatoque exercitu, tanquam ad pugnam proceſſurus contendit, præmiſſis monitis, ut in Carthaginenſes, quorum ſaluti venerant, modeſtiam & manſuetudinem oſtenderent. His dictis, Carthaginem ingreditur, hoſtiumque obvio nemine, Palatium conſcendens, Gelimeri in throno ſe collocat, & in regia, *Delphicum* vocata, ubi Vandalorum Rex epulabatur, convivium inſtruit. Quo facto Vandalos, qui ad Templa confugerant, metum deponere juſſos, in fidem accepit: neglectos civitatis muros atque pervios reſtituit. Magna Beliſarii gloria fuit, qui nobilem civitatem, Romæ olim æmulam, Imperioque ereptam feliciter reſtituit. Victoriæ hujus famam poſteris Chronologi mandaverunt, ex quibus Marcellinus nobis eſt audiendus: *Provincia Africa, quæ in diviſione orbis terrarum à pleriſque in parte tertia poſita eſt, volente Deo vindicata eſt. Carthago quoque civitas ejus anno excidionis ſuæ* XCVI. *pulſis devictiſque Vandalis, & Gelimero Rege eorum capto, & Conſtantinopolim miſſo, quarto Juſtiniani Principis Conſulatu ipſius moderatione recepta eſt, ſua cum patria firmius quàm dudum fuerat, redintegrata.* Quæ tamen ad Conſulatum Juſtiniani quartum revocat, non omnis ſanè ad unum pertinent. Imperatoris in poteſtatem Carthago venit anno DXXXIII. Neque ſatis accurata eſt Marcellini Chronologia de annis, quibus Carthago Imperio Vandalico ſubjecta eſt. Labente anno CCCCXXXIX. Theodoſio XVII. Feſto Coſſ. in Geiſerici ditionem Octobris XV. conceſſerat. Eâ potitus eſt Beliſarius anno DXXXIII. Septembris XV. Vandalis ergo obtemperavit Carthago annos XCIII. de quibus dies XXXV. ſunt eximendi. Ut fama Gelimero nunciavit, Beliſarium Carthaginem occupaſſe, ad deſperata furibundaque conſilia ſe convertit. Africæ ruſticos multâ pecuniâ ſuas in partes allectos, invitat ut diſperſos Romanos aggrederentur: pro quolibet eorum capite aureum pollicitus: quâ promiſſione effecit, ut ex lixis & calonibus, qui prædæ avidi hùc & illùc curſitabant, complures interficerentur. Intereà Gelimer Zazoni fratri, quem ad recuperandam Sardiniam miſerat, ſcribit, Vandalorum fortunam in Africa corruiſſe: maturet quàm citò poterit reditum, ut labenti Imperio adjutrices manus afferat. Præclarè res in Sardinia geſſerat *Zazon*, in eam Inſulam invectus, Caralim repentè cœperat, *Godamque* ſuſtulerat. Accepto lugubri nuntio, de reditu cogitat, portuque provectus, tertiâ die ad littus pervenit, quo Mauritania à Numidia dividitur. Inde pedeſtri itinere ad Bulæ campum contendit, ubi Gelimer ſtabat cum exercitu. In congreſſu fraterno tot lachrymæ effuſæ, tot querelæ eruperunt, ut vel hoſtium pectora ad miſericordiam flectere poſſent. Beliſarius verò Salomonem Conſtantinopolim miſit, qui de Carthagine recuperata lætum Juſtiniano nuncium afferret.

Anno Dom. 534.

Marcellin.

Procop. l. 1. c. 22.

Beliſarius Gelimerum fundit.

XIV. Ingrediamus nunc ea, quæ deinceps geſta ſunt, magnifica etiam, Beliſarioque glorioſa, qui captum triumphatumque ſuperbum tyrannum Conſtantinopolitanis exhibuit. Gelimer congregatis Vandalis ſuis Carthaginem duxit exercitum, ut rupto aquæ ductu, qui in urbem influebat, ad potus inopiam Romanos redigeret. Sed & vias obſidere atque munire decrevit, arbitratus hoc demum pacto urbem expugnari poſſe. Hunnorum quoque Duces ad proditionem invitat, qui cùm haud ſponte Africanam expeditionem ſuſcepiſſent, clam Vandalicis petitionibus annuunt, ac cùm ad pugnam ventum, contra Romanum exercitum converſuros ſe recipiunt. Quæ cùm Beliſarii ſagacitatem non laterent, Carthaginenſem, nomine

Lau-

Laurum, in proditione deprehenſum affigit palo. Cæterum hoſtibus occurrere ſtatuit: commiſſoque Joanni ſigno, quod *Bandum* vocant, Carthaginem egreditur. Rivulo uterque exercitus dividebatur, quem jubente Beliſario Joannes trajicit, impetum in hoſtes facturus. Romanos ſuriter exceptos repulit *Zazon*, qui poſt prælium anceps cum optimis cadit. Deſiderati Romanorum quinquaginta, Vandalorum octingenti. Circa ſerum diei Beliſarius hoſtilia caſtra petit. Quem cùm venientem Gelimer fuiſſet intuitus, confeſtim equo conſcenſo, cum conſanguineis, paucisque ſervorum in Numidiam fugit. Intellecto Regis ſui ſeceſſu, Vandali protinus viâ, quæ cuique obvia fuit, certatim diſſipantur. Quorum ingreſſi caſtra Romani, pecuniam, opeſque diripiunt, pueros fœminaſque capiunt. Fugientes inſequi Joanni datur in mandatis, qui cùm diebus noctibuſque decem equitans, non procul abeſſet à Gelimero, infelici caſu pugnæ impedimentum affertur. *Uliares* vino & jocis plus ſolito indulgens, vino gravis, ſumpto arcu avem ſolis exortu ſuper arbore reſidentem jaculari conatus, Joannem in colle retrò conſiſtentem ferit, quo vulnere non multò pòſt perit, relinquens Beliſario magnum ſui deſiderium. Milites omiſſo Gelimerum inſequendi ſtudio, Joanni juſta perſolvunt, Beliſarioque rem ex ordine omnem exponunt.

Procop. de Bello Vand. l. 3. c. 3.

Qui nuncio accepto, Joannis ad ſepulchrum feſtinat, gemitibus, lachrymiſque decorandum Uliari nil pœnæ irrogatum, cui & mortem ipſum exemerat, teſtatus non ex ſententia id perpetratum.

Infelicitas Gelimeri. Se Romanis tradit: ad Beliſarium adducitur.

XV. Dum hæc geruntur, annus DXXXIII. abſolvitur. Quâ ratione verò Gelimer Romanorum in poteſtatem anno DXXXIV. venerit, paucis eſt commemorandum. Erat Afer quidam, nomine *Bonifacius*, quem ſibi fidiſſimum Gelimer exiſtimabat. Itaque belli initio ipſum cùm theſauris ſuis Hipponem regium miſerat, adjuncto mandato, ſi res malè ſuccederet, protinùs Hiſpaniam peteret. Is Beliſario ſignificat, penes ſe regios theſauros eſſe, quos traditurus erat, ſi ſibi cum facultatibus ſuis libera abeundi copia concederetur. Quâ impetratâ, Gelimeri gazam quærentibus dedit. Hinc Gelimerianæ calamitatis prima labes. Mons erat Numidiæ in finibus præruptus, nomine *Pappua*, quem Mauri Gelimero fœderati incolebant. Monti vicina erat urbs *Medeos*. Ad montis obſidionem *Pharam* virum virtute militari eximium Beliſarius mittit, qui facinus arduum aggreſſus, montem aſcendere tentat. A Mauris facilè reſiſtentibus repulſus in caſtra ſe recipit, amiſſis decem ſuprà centum militibus. Verùm qui armis Pharæ expugnari non potuerat, mollicie & intemperantiâ vinci poterat. Vino, ornamentis, opiparia obſoniis, ſpectaculis deditі erant Vandali ſuprà quàm credibile ſit. Mauri verò, quibuſcum Gelimer verſabatur, parcè duriterque vitam agebant. Nudâ humo dormiebant, laceras pannoſaſque veſtes perpetuò induebant, incoctum triticum, hordeumve, beſtiarum more, pro cibis habebant. Pharas ergo occaſionem amplexus, Gelimero languenti ſcribens, eum ad deditionem hortatur, dignitate libertateque apud Juſtinianum propoſitâ. Negat Gelimer, ſe Juſtiniano Beliſarioque infenſiſſimis hoſtibus ſervire poſſe; cæterùm Pharam rogat, ſibi citharam mittat, panem, vinum, & ſpongiam, quibus erat opus. Ex illo die, quo Pappuam aſcenderat, nullum panem coctum viderat: ſpongiâ indigebat, quod oculorum alter lachrymarum copiâ maximè dolebat; citharam petebat, ut calamitatem demulceret ſuam. Fortunam rogantis miſertus Pharas, ea omnia miſit. Trimeſtri ſpatio in obſidione conſumpto, finitâ hyeme, mente corporeque cruciatus Gelimer, eâ occaſione ad deditionem permovetur. Mauruſia frumentum contuſum, ſartagini coquendum impoſuerat. Gelimeri ex fratre nepos, & Maurus cibum expectabant. Vandalus cùm maſſam nondum coctam, ferventemque in os conjeciſſet, Maurus maſſam è faucibus Vandali eripit. Hoc ubi Gelimer vidit, Pharæ ſcripſit, ſe ſuoſque iis conditionibus Juſtiniano traditurum, quæ ſibi oblatæ fuerant. Epiſtolam ad ſe miſſam, ubi Beliſarius legit, Cyprianum illicò amandat, qui in conditiones juret. Quo facto Gelimer Carthaginem venit. Poſtquam Beliſarii in ſuburbano, quod Ælas vocant, verſantis in conſpectu fuit, *ridere palam cœpit*, qua de re varia fuere judicia, aliis pro delirio, aliis pro firmitudine animi, fluxæ caducæque fortunæ mortalium illudentis, riſum eum ducentibus.

Procop. de Bello Vand. l. 2. c. 5.

Beliſarii de Gelimero triumphus: quid de victo actum?

XVI. Victoriâ hâc ſuâ Beliſarius ſempiternæ gloriæ nomen commendavit, utpote qui regnum & opibus, & militibus florentiſſimum tam citò evertit, cum quinque duntaxat militum millibus, portu ſtationeque carentium. Egregia verò hæc facinora Beliſarium in invidiam adduxere, quaſi rebellionem moliretur. Juſtinianus tamen victori vel Conſtantinopolim redeundi, vel in Africa remanendi optionem dedit. Ille lubens cum Gelimero in regiam urbem reverſus, ampliſſime triumphat, ex propria domo pedibus ad Hippodromum uſque procedens, & inde ad Sedem Imperatoris. Spolia Vandalica pompæ decus addebant, throni aurei, regia vehicula, pocula gemmarum fulgore radiantia, mirandaque ſupellex, quam Valentiniani è Palatio Geiſericus rapuerat. Inerant & precioſa monumenta, à Veſpaſiano olim Hieroſolymis Romam tranſlata, quæ Juſtinianus Eccleſiis Hieroſolymitanis miſit, ut eſſent ornamento. Triumphum ornabat Gelimer, unà cum ſuis conſanguineis, purpureâ veſte humeros amictus, qui poſtquam Imperatorem in ſolio conſtitutum aſpexit, in has duntaxat voces erumpit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* nec mora, Juſtinianum ſupplex veneratus eſt. Victo prædia quædam non contemnenda ad incolendum aſſignantur in Galatia. Inter Patricios eum referre non licuit, quòd à ſecta nollet Ariana diſcedere.

Procop. l. 2. c. 6.

Hilderici filii & nepotes, ex Valentiniani ſanguine orti, magnis ab Imperatore facultatibus donari fuere. Juſtinianus alium Salomoni exercitum miſit, cum Theodoro Cappadoce, & Ildigero Antoninæ genero, qui neque tributa, neque cenſuales tabulas, utpote à Geiſerico deletas, repererunt. Conſtantium ergo & Tryphonem ad Imperatorem mittunt, ut Afris tributa conſtituat, parva tamen, quia priora modum exceſſerant, neque ſolventibus tolerabilia videbantur. Potens Africæ Juſtinianus Leges conſcripſit, quæ extant in Codice de officio Præfecti Prætorio Africæ, & de omni ejus Diœceſeos ſtatu.

Cod. l. 1. Tit. 27.

Id muneris *Archelao* impoſitum, cui præſcribit Imperator, quòd unuſquiſque ex officio conſequi debeat.

XVII.

Terræ motus Conſtantinopoli.

Chron. Alex.

XVII. De victo Gelimero gaudia diluit ingens terræ motus, quo in metum urbs regia conjicitur. Concuſſionis mentio eſt in Chronico Alexandrino: *Menſe Novembri, Indictione* XII. (lege XIII.) *adeò tellus intremuit Conſtantinopoli, adultâ jam veſperâ, quamvis innoxiè, ut univerſa civitas in forum Conſtantini concurreret, & ſe in preces daret, dicendo, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis. Manſeruntque totâ nocte inſomnes aſſiduè precati. Diluculo univerſus Populus erans exclamavit: Vince fortuna Chriſtianorum, Crucifixe ſerva nos, & urbem noſtram, Auguſte Juſtiniane, vince, tolle, exure volumen, editum ab Epiſcopis Synodi Chalcedonenſis.* Quæ nobis admirationem movent, cùm ea Conſtantinopolitanorum poſtulatio, Severianos potius quàm Orthodoxos deceat, pugnetque cum ea fide, quam ſæpius profeſſi fuerant. Imò anno DXVIII. magnis clamoribus petierant, & à Joanne regiæ Urbis Epiſcopo impetrarant, ut Chalcedonenſis Synodus Diptychis infereretur. Itaque vacillat narrationis hujus fides, niſi plebis parti accommodetur, quæ in Eutychis errores propendebat.

Joannes Papa Accœmetas damnat.

XVIII. Ad res Eccleſiæ nunc ſtylum noſtrum delabi patiamur. Anno proximo Juſtinianus de Accœmetarum negotio phraſim, *unus de Trinitate paſſus eſt*, repudiantium, Legatos Hypatium, Demetriumque in urbem miſerat. Ac Joannes operam adhibuit omnem, ut errantes Monachos in viam reduceret, uti Imperatorem monuit: *Nos Cyrum cum ſequacibus ſuis in Romana invenimus civitate, qui de Acœmetenſi Monaſterio ſuis. Quos Apoſtolicis ſuaſionibus ad rectam fidem, & velut oves, quæ perierant, errantes, ad ovile contendimus revocare Dominicum, ut agnoſcant ſecundum Prophetam, linguâ balbutientes loqui, quæ ad pacem ſunt. . . . Sed obduratum eſt cor eorum.* Protervitam cum ſententia Monachorum Joannes damnavit in Synodo, cujus ſummam prodit Liberatus: *Defuncto Bonifacio Papâ, Joannes, cognomento Mercurius, Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit Præſulatum, ad quem miſſi ſunt ab Imperatore Juſtiniano Hypatius Epheſiorum Epiſcopus, & Demetrius à Philippis, conſulere Sedem Apoſtolicam contra Legatos Acœmetarum, Cyrum & Eulogium, negantes eſſe confitendum Beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum. Sed Papa Joannes nobis ibi poſitis hoc confitendum Epiſtolâ ſuâ firmavit, & Imperatori direxit. A cujus communione diſcedentes Romæ quidam Monachi, Acœmetarum Legatos ſecuti ſunt, & uſque nunc hanc de Chriſto Confeſſionem non ſuſcipiunt.* Extat etiamnum Joannis Epiſtola, cujus mentionem Liberatus inſeruit: *Inter claras ſapientiæ ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſime Principum, puriore luce tanquam aliquod ſidus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio edocti Eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ Sedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis.* Deinde ad Accœmetarum Cyri, Eulogiique pertinaciam declarandam tranſgreſſus, Auguſteam in illos clementiam excitat, qui erroris ſui vanitatem experti reſipiſcerent: *Quia gremium ſuum nunquam redeuntibus claudit Eccleſia, obſecro clementiam veſtram, ut ſi proprio depoſito errore, & pravâ intentione depulſâ ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint, in veſtra communione receptis, indignationis veſtræ removeatis aculeos, & nobis intercedentibus benigni*

Joan. Ep. 2. 1746.

Liberat. cap. 20.

Joan. Ep. 2.

animi gratiam condonetis. Denique Legatis præconia multa tribuit: *Præterea, ſereniſſime Principum, laudamus Legatorum veſtrorum perſonas, Hypatii & Demetrii fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum, quos clementia veſtra gratos fore, veſtra manifeſtavit electio. Data Romæ* VIII. *Kal. Aprilis,* Juſtiniano IV. & Paulino Coſſ. Aliâ Joannes & Epiſtolâ ad Senatores Avienum, Senatorem, Liberum, Severinum, Fidelem, Avitum, Opilionem, Joannem, Silverium, Clementianum, & Ampelium miſſâ providit, ne Accœmetarum Monachorum contagione polluerentur. Certamina de hiſce quæſtionibus mota fuiſſe ſignificat: *Utrum unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit. An Deus carne pertulerit, impaſſibili Deitate? An propriè & veraciter mater Domini Dei noſtri Maria ſemper Virgo debeat appellari.* Id rectiſſimè dici, tam Scripturæ, quàm Patrum autoritate probat, laudatis teſtimoniis Auguſtini de Civitate Dei, & libro ſecundo contra Maximinum, Nazianzeni de Epiphania, Nyſſeni ad Ablavium Epiſtola, Procli de ad Occidentales literis, &c. Quibus ſubdit: *Hæc autem illuſtres & magni filii agens gratias ſollicitudini veſtræ, intimare curavimus: plenius tamen directis exemplaribus poteritis cognoſcere. Acœmetas verò, qui ſe Monachos dicunt, qui Neſtoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Eccleſia, à quibus vos propter Canonem, qui eum excommunicavit Chriſtianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentiâ paſtorali admonere non deſino, ut eorum etiam ſimplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis exiſtimetis commune.*

Joan. Ep. 3.

Contumelioſus: de ejus negotio Joannis Papæ Reſcriptum.

XIX. Joannis & curam accendit Contumelioſi negotium: Reienſis Eccleſiæ Antiſtes Contumelioſus, ſuis ſceleribus contumeliæ multum ſibi acceſſiverat. Quæ ubi Galliæ Epiſcopis innotuere, relationem Joanni ſuam miſere. Reſcripſit Pontifex, reum in Monaſterium eſſe relegandum: *Quia hujuſmodi perſona ſacris non poteſt inhærere myſteriis, ab hodierno vel officio eum noſtra cenſet removere autoritas, ut in Monaſterio conſtitutus, delicti veniam à Domino petere non deſinat. . . . Sed ne ejus Eccleſia deſtituta videatur, in ejus loco viſitatorem dari, præſenti autoritate decernimus, qui ſe ita noverit omnia exhibenda, ut nihil de ordinibus Clericorum, nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat, ſed ea, quæ ad ſacroſancta myſteria pertinent, exequatur.* Contumelioſo verò, ut pœnitendi habeat licentiam, Galliæ Antiſtitibus dare petitorium jubet, *ubi errorem ſuum profiteatur, ſub die, & Conſule.* Data VII. Idus Aprilis. Paria atque gemina Clericis Reienſibus ſcribit. Sed & Cæſarium Arelatenſem adiit ſcripto ejuſmodi: *Dolemus de amiſſione Pontificis, rigorem tamen Canonum ſervare neceſſe eſt.* Ei quoque jus tribuit conſtituendi viſitatorem, donec proprium Antiſtitem adipiſcatur Eccleſia.

Marcellini Chronicum abſolvitur. Quis Marcellinus?

XX. Juſtiniano IV. Conſule Chronicum Marcellinus ſuum abſolvit. Incipit ab anno Dom. CCCLXXIX. Auſonio & Olybrio Coſſ. Annos itaque complectitur CLVI. Quos in ſua Præfatione ſic diſtribuit: *Ego verò ſimpliciter duntaxat computatione Orientale tantum ſecutus imperium, per Indictiones, perque Conſules infra ſcriptos, centum & quadraginta annos, à* VII. *videlicet Indictione, & à Conſulatu Auſonii & Olybrii, quibus etiam Coſſ. Theodoſius Magnus creatus eſt Imperator, enumerans, & uſque in Conſulatum Magni Indictionis* XI. *colligens, eorumdem auctorum operi ſubrogavi: itemque alios* XVI. *annos, à Conſulatu*

Juſ-

ANNO DOM. 535.

Juſtini Auguſti primo uſque in Conſulatum Juſtiniani Auguſti IV. ſuffeci. Id ſunt ſimul anni CLVI. & meum ruſticum opus ſuppoſui. Cujus operis meminit Caſſiodorus, à quo etiam diſcimus, quid muneris Marcellinus geſſerit: *Marcellinus Illyricianus, qui adhùc Patricii Juſtiniani fertur egiſſe cancellos, ſed meliora dictione devotus, à tempore Theodoſii Principis uſque ad fores Imperii triumphalis Auguſti Juſtiniani opus ſuum Domino juvante perduxit: ut qui antè fuit in obſequio ſuſcepto gratus, poſteà ipſius imperio copioſe amantiſſimus appareret.*

Caſſiodor. divin. Inſt. cap. 17.

ANNO U. C. 1288. PER. JUL. 5248. JUL. 580. DOM. 535. JUSTINIAN. 8. & 9. THEODAT. 1. & 2. *Sol.* 12. G. *Lun.* 4. *Indict.* 13. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 2. P. 8. *April.*

COS. *Beliſarius ſolus.*

Beliſarius Sicilia potitur. Theodati pacta. Clade Græcorum ea revocat.

I. VIctoriæ ſuæ præmium, decoriſque ad triomphum acceſſionem Beliſarius Conſulatum habuit, quem ſuâ in populum munificentiâ non minimum illuſtravit: *Conſul creatus, curuli ſellâ captivorum humeris argenteâ invectus, zonas aureas, aliaſque è ſpoliis Vandalorum divitias populo diſtribuit.* Verùm ab ea dignitate ad majorem ſanè gloriam gradibus veniebat. Novas illuſtris viri victorias ſummatim retulit Marcellini Continuator: *Poſtquam Carthago, Libyaque ſuo cum Rege Gelimero per Beliſarium eſt ſubjugata, de Roma Italiaque deliberat Imperator: iterumque expeditio, iterumque claſſis paratur, idemque Ductor, qui Conſul eligitur, rectaque navigio Siciliam properat: Cataneam & Syracuſas ſina mora, imò omnem pervadit Trinacriam.* Nobilem Procopius expeditionem ſtylo fuſiore proſequitur. In ſuſpicionem adductus Theodatus, à Beliſario Siciliam eſſe petendam, cum Germanis paciſcitur, ut Galliæ portionem, quæ Gothos contingeret, ſibi haberent, & aureorum viginti millia acciperent, ut ſibi forent auxilio. Verùm Juſtinianus ut faciliore victoriâ Gothi ſternerentur, ſpargi rumorem juſſerat, ſuum in Africam exercitum mitti: per cauſam commeatus Siciliam peti: arcanis verò mandatis Inſulam tentari præceperat, nec in poteſtatem redactam unquam reſtitui. Beliſarius ubi Siciliam appulit, illicò Cataneam cœpit: inde Syracuſas deditione, mox civitates alias nullo negotio ditioni Romanæ ſubjecit. Una Panormus ſolidis firmata muris, victoriæ curſum interpellabat. Imperat ergo Beliſarius, ut ad mœnia ad mare ſita, defenſoribus vacua, naves accedant. Extemplò lembos ſagittariis complent, ſublatos ad malorum faſtigia, quæ civitatis propugnaculis editiora erant. Tunc Gothi ſagittis undique petiti, metu correpti, Panormum Beliſario dedunt. Cui nil accedere felicius potuit, quàm quòd ultimo Conſulatus die Siciliæ Victor Syracuſas ingrederetur, à quibus cum magno plauſu exceptus eſt. Ut fortitudinis, ſic & liberalitatis ſuæ egregiæ ſpecimina præbuit, ſparſâ magnâ aureorum, numiſmatumque in plebem copiâ. In Dalmatia quoque proſperos habuere ſucceſſus arma Juſtiniani. *Mundus* Illyricianæ Militiæ Ductor, & Gothi cùm inter ſe manus conſeruiſſent, fugatis hoſtibus Salonas occupat. Tum attonitus Theodatus, colligendis quidem theſauris, non bello ſtrenuus, cum Petro veniens in colloquium, in his pactiones deſcendit, ut totam Imperatori Siciliam concederet: auream quotannis trecentarum librarum coronam mitteret, tria pro arbitratu Gothorum millia ſuppeditaret: neminem ad dignitates, niſi annuente Juſtiniano promoveret, in plebeis acclamationibus poſtponeretur: ſibi ſoli nunquam ſtatua dicaretur, ſed utriſque: Imperatoris ad dextram, Theodati ad ſiniſtram poneretur. Quas conditiones cum juramento firmatas obtulit, miſſo & Sacerdote *Ruſtico*, qui cum Petro eas Imperatori ſignificatum iret. Verùm mutatis rerum vicibus, Theodati mutatur & conſilium. Gothi Aſinariâ, Gripâque Ducibus in Dalmatiam ſe conferunt. Venientibus cùm explorandi gratiâ Mauritius Mundi filius occurriſſet, pugna committitur. Ex Gothis fortiſſimi cadunt, Romani verò omnes cum Mauritio deſiderantur. Filii clade ingenti dolore affectus Mundus, iræque indulgens, incompoſitis copiis hoſtes adoritur, quorum pars maxima ſanguine ſuo Mauritii manibus litat, cæteris in fugam verſis, quos dum temerè Mundus inſequitur, à milite percuſſus occubuit. Hæc ubi ad Theodatum fama detulit, perfidiâ ipſius cum inconſtantia certante, Imperatoris Legatos ſpernit, ac pro nihilo habet; quos non minimâ detentos cuſtodiâ ſervat. At Juſtinianus cognitis quæ in Dalmatia contigerant, Beliſarium, quem ex Sicilia revocaverat, quàm celerrimè petere Italiam jubet, & Gothis pro hoſtibus uti. Conſtantinum Regii Stabuli Comitem in Illyricum miſit. Conſtantinus copiis comparatis, cum univerſa claſſe ex Epidamno Epidaurum invehitur. *Gripa*que cum Gothis Salonas recuperarat, timore perculſus, civitatem, quam parte mœrorum deſtructa defendere non poterat, deſerit. Vacuam Conſtantinus urbem facillimè occupat, brevique collapſa omnia in integrum reſtituit: abeunteque Ravennam Grippâ, cum ſuis militibus Dalmatiam, Liburniamque omnem in poteſtatem redigit. Baronius, cujus Chronologiam eruditi amplectuntur, Conſtantini hæc facinora in annum DXXXVI. transfert. Ab ea tamen nos ſententia Procopius ipſe revocat, qui narratis illis, quæ illuſtriſſimus Purpuratus anno proximè ſecuturo recitat, hæc addit: *His peractis hyems jam declinabat, & belli hujus, quod Procopius hiſtoria commendavit, primus jam annus finiebatur.* Si qua igitur Procopio fides, Mundi clades, Conſtantinique in Dalmatiam expeditio anno eſt labenti affigenda.

Proc. de Bell. Vand. l. 2. 6.

Marcellin.

Proc. Goth. l. 1. c. 11.

Proc. de Bell. Goth. l. 1. c. 4. 5.

Proc. de Bell. Goth. l. 1. c. 6.

Salomonis de Mauris victoriæ.

II. Dum proſperè in Sicilia res eveniunt Beliſario, Salomon Africæ Prætorio Præfectus Romanorum gloriam augebat. Mauri ſuo more omnia populantes, prædæ multum agebant. Id cùm malè haberet Rufinum Thracem, qui *Bandophori*, id eſt, Vexillarii officio fungebatur, atque Aiganum Hunnum, haſtatorum fortiſſimum, Byzacii Præfectos, palantes Mauros aut interficiunt, aut capiunt. Quam cladem ubi Maurorum Duces intellexere, veſpere appetente Romanos cum omnibus copiis petunt. Qui cùm ſe fortiter defendiſſent, telis deficientibus, Barbarorum numero opprimuntur. Aigan vulneribus coopertus cadit, cui Mediſiniſſas Maurorum Præfectus caput amputat, fœminis oſtendendum, Rufinus verò captus eſt. Auditâ eâ clade, Salomon coacto exercitu in Mauros movet, cum quatuor ſuis Ducibus apud oppidum *Mammas* caſtra habentes, mulieribus referta, quibus mos eſt, equos curare, pabulum ſubminiſtrare, arma mundare & acuere. Primo congreſſu Romanorum equi, camelorum ſpecie barrituque turbati, ſeſſores

ſeſſores excutiunt, qui nullo ordine fugam arripiunt. Tum Salomon proſpiciens quo res loco erat, quàm primùm equo deſiliens, idem alios facere jubet, ſubinde camelos adortus, eos interficit, quibus cadentibus via ad mulieres panditur. Ad hæc attoniti Barbari, in vicinum montem ſe recipiunt. Fugientes inſecuti Romani, mille circiter occidunt, fœminas, pueroſque, & quidquid camelorum ſuperfuit, capiunt, reque feliciter geſtâ Carthaginem redeunt. At Barbari clade ſuâ magis ad iram provocati, reparato exercitu circa Byzacium populantur; nec ſexui parcentes, nec ætati. Quibus auditis, Salomon Barbaris *Burgaoni* monti prærupto inſidentibus occurrit. Theodoro mandat, ut cum excubitoribus ducentis, peditibuſque nonnullis de nocte montem aſcendat, orienteque ſole hoſtes telis petat, ipſe verò diluculo cum toto exercitu in extrema montis parte eos aggreditur. In medio conſtituti Barbari, abſque prælio in ſylvam profundam curſu contendunt. Amiſerunt ſuorum quinque circiter millia, Romanorum nullus deſideratur. Harum victoriarum tempus nos Procopius docuit: *In Italia verò eâdem tempeſtate Beliſarius contrà Theodatum à Juſtiniano miſſus, primo Siciliam curſu nullo labore adeptus eſt.*

Proc. de Bello Vand. l. 2. c. 9.

Proc. de Bello Vand. l. 2. c. 10.

Joannis Mercurii Papæ obitus. Quandonam contigit?

III. Ad res Eccleſiæ feſtinat oratio. Dies Joannis Papæ ſupremus Veterum monumentorum taciturnitate opprimitur. Abſona eſt extra modum Anaſtaſii Chronologia; Joannes *ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli*, VI. *Cal. Julias, poſt Conſulatum iterum Lampadii.* Qui annus Domini eſt DXXXII. quo Pontificatum Joannes adiit, nedum eo tempore morte ſuâ illum exuerit: neque placet Onuphrii Chronologia, qui *ſexto Cal. Junii anni* DXXXIV. Joannis Mercurii aſſignat obitum. Cujus ſententiam refellit Agapeti ad Reparatum Epiſtola: *Fraternitatis tuæ literis indicaſti poſt Epiſtolam deceſſori meo dirigendam, inter navigii ſuſcipiendi moras, quas hyemis continuata generabat aſperitas, ordinationem noſtram tibi omnipotentis Dei beneficio nuntiatam.* Data eſt Epiſtola *quinto Idus Septembris, poſt Conſulatum Paulini.* Quòd ſi Joannes Maii XXVII. ſuperioris anni naturæ ſatisfeciſſet, id nuncii diu ante hyemem labentis anni ad Reparatum perveniſſet. Agapeto quoque literas Paulino Conſule Reparatus direxiſſet, neque tam ſerò Agapetus *Reparato* reſpondiſſet, menſibus ſexdecim poſt *tertium Nonarum Junii* anni DXXXIV. quibus Agapeti ordinationem affigit Onuphrius. Probamus magis Schelſtrati de ſupremo Joannis Mercurii die Chronologiam: *Joannes ſecundus obiit* XXXI. *Martii, & ſucceſſit die* XXIX. *Aprilis Agapetus.* Epiſtola quidem Agapeti ad Reparatum nono Septembris exarata, quâ de ſuſcepto Pontificatu gratulanti reſpondet indicio eſt, non ante Aprilem ordinatum eſſe. Quod & oſtendit Carthaginenſis Concilii Epiſtola, ad Joannem miſſa, menſe, uti videtur, Martio celebrati, Reparato Præſide. Quòd ſi anno elapſo Joannes Agapeto deceſſiſſet, vix Carthaginenſes Patres id latuiſſet. Denique quam regiæ gratulationi Epiſtolam perſolvit Agapetus, ea data eſt *Idibus Octobris* labentis anni. Atqui citius & de ipſius ad Pontificales honores promotione gratulatus Agapeto fuiſſet Juſtinianus, & Imperatori reſcripſiſſet Agapetus, ſi anno præterito inauguratus eſſet. Joannes igitur ad labentem uſque annum vitam extendit ſuam. Verùm de obſcura Chronologia ſatis eſt. Extat Joannis ad

Agap. ep. 3.

Schelſtr. Antiq. Ecc.

Valerium de divina & humana natura J. C. Epiſtola, *data Nonis Auguſti, Juſtiniano & Athalarico V. C. Coſſ.* Quæ nota Conſularis Epiſtolam falſi coarguit. Nullum Athalaricus Conſulatum geſſit, nedum cum Juſtiniano.

Reparatus Carthaginenſis.

IV. Reparatus, qui Joanni ſcribit, anno labente Carthaginis Antiſtes creatus erat, ut nos Victoris Chronicum monuit: *Beliſario V. C. Conſule Reparatus Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopatum poſt Bonifacium ſuſcepit.* Hic eſt ille Reparatus, qui anno DXLV. à perduelle Gonthare ad Ariobindum miſſus eſt: *Gontharis Reparatum civitatis Præſulem Ariobindo nunciatum miſit, ut ſub fidem incolumitatis ad Palatium venire maturet.* Filium Ariobindæ divino lavacro abluit, patrique ad perfidum Gontharim abeunti Evangelium tradidit, quaſi clypeum, quo tutus eſſet à vi tyranni. Neque Epiſcopatu fortunam tutam traxit, jubente Juſtiniano in exilium relegatus anno DLIII. *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno* XII. *Reparatus Archiepiſcopus plurimis calumniis impetitus, pro eo, quòd damnationi trium Capitulorum memoratorum aſſenſum non præbuit, officio ſumptibuſque privatus, Eucayda exilio relegatur.* Poſtquam Pontificatum adeptus eſt Reparatus, Synodum Carthagini cogit, quam non ſatis accuratè in annum DXXXIV. confert Labbeana Chronologia, quo Reparatus nondum Carthaginenſibus Præſul datus fuerat.

Proc. de Bello Vand. l. 2. c. 19.

Vict. Chr.

Synodus Carthaginenſis ſub Reparato excludit Arianos Clericatu.

V. Florentiſſima fuit Epiſcoporum numero ea Synodus, cui CCXVII. Antiſtites adfuere. Ex quibus in notitiam nobis venere Reparatus Synodi Præſes, Florentianus, Datianus, ſuarum Provinciarum Primates, Felicianus Ruſpenſis, Felix Zactarenſis, Caius & Petrus, Legati Synodi. Congregati ſunt Fauſti in Baſilica, quam gaudio lachrymantes ſuis fletibus rigarunt, ut ipſi teſtantur: *Ad univerſalem totius Africæ Synodum fideli devotione convenimus, in illa Juſtinianea Carthaginenſis Baſilica congregationis noſtræ primitias Domino conſecrantes, unde noſtros Patres tyrannus Hunnericus expulerat. Hæc Baſilica Fauſti apud nos dicitur multis Martyrum corporibus inſignita, quorum Deus exaudivit orationes, ut daret hujus rei fiduciam Sacerdotibus.* Poſtquam Patres conſedere, in quæſtione poſitum, quâ ratione cum Arianis Sacerdotibus eſſet agendum: *Utrùmne in ſuis honoribus, an in laica communione relinquerentur.* Communi quidem ſententiâ ſuâ dignitate moveri placuit: *Ex omnium quidem Collegarum tacitis moribus neminem placere ſenſimus, ut in ſuis honoribus Ariani ſuſcipiantur. Verum tamen convenire caritati credidimus, ut quid habeat ſenſus noſter, in publicam notitiam nemo perduceret, niſi prius vel conſuetudo nobis, vel definitio Romanæ Eccleſiæ proderetur. Hac igitur noſtræ ſalutationis Epiſtola per fratres & Conſacerdotes noſtros Caium & Petrum, & per filium noſtrum Liberatum Diaconum continuò deſtinavimus.* Ea Carthaginenſium legatio Joannis poſt obitum Romam pervenit. Rogante Feliciano Synodus & de Monaſteriis ſententiam dedit ſuam: *Felicianus Epiſcopus Eccleſiæ Ruſpenſis dixit: Apud Ruſpen Monaſterium eſt à Domino præceſſore meo conſtitutum. Peto Sanctitatem veſtram, ut aliquid de Monaſteriis ordinetur. Felix Epiſcopus Eccleſiæ Zactarenſis, Provinciæ Numidiæ dixit: De Monaſterio Abbatis Petri, ubi nunc Fortunatus Abbas conſtitutus eſt, quæ temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacii in univerſali Concilio nobis etiam præſentibus acta ſunt, inconvulſa permaneant. Cætera verò Monaſteria*

Lab. Conc. t. 4. 1755.

Lab. Conc. t. 4. 1785.

etiam ipſâ libertate pleniſſimâ perfruantur: ſervatis limitibus Conciliorum ſuorum in hæc duntaxat, ut quandoque voluerint ſibi Clericos ordinare, vel Oratoria Monaſteriis dedicare, Epiſcopus, in cujus plebe vel civitate locus Monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſalvâ libertate Monachorum, nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque Eccleſiaſticis eos conditionibus, aut angariis ſubjiciens. In ea quoque Synodo Theodoro Eccleſiæ Carthaginenſis Diacono mandata ad Juſtinianum legatio eſt, de qua in Auguſteo ad Salomonem Reſcripto mentio eſt, ut Eccleſiarum poſſeſſiones tyrannidis tempore Catholicis Epiſcopis ereptæ reſtituerentur. Quorum petitionibus Imperator annuit, *ſalvâ in quocunque loco tributorum ſolutione.*

Bar. An. 535. n. 40.

Felicianus Ruſpenſis Fulgentii ſucceſſor.

VI. Felicianus, quo proſequente id de Monaſteriis Decreti ſancitum eſt, Fulgentio Calendis Januariis anno præterito ſucceſſerat. Labebatur Pontificatus ejus annus ſecundus, cùm ad Synodum ſuam acceſſit. Vitio nobis forte daretur, ſi quæ de Feliciano, Fulgentianæ vitæ Autor retulit, ſilentio premeremus. Referamus ergo quod de Feliciano reperimus: *Ne hoc interim prætereundum ſilentio judicavi, quod dum ei ſucceſſor idoneus quæreretur, diſcordantibus Laicis, & Clericis, annum propè integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die Sanctitas tua ſuper Cathedram ejus ſedit, quo ipſe defunctus eſt. Ornatè quippe hoc privilegio meruit prima ſolemnitas ejus depoſitionis, ut multò amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem noſſe quomodo non fortuitis motibus iſta provenerunt, ſed illius orationibus demonſtrantur eſſe conceſſa? Recolo viſionem fideliſſimam B. Pontiani Epiſcopi Thenitani, quam ſic ipſe narravit: Euntis mihi ſecundum præceptum Datiani Primatis, ut Ruſpenſi Eccleſiæ eligeretur Antiſtes, idem B. Fulgentius per tempus quietis apparuit, & affabili ſicut ſolebat aſpectu, ſalutans amicabiliter, quò, inquit, nunc Sanctitas tua velociter ambulat? Cui reſpondi, ut Epiſcopus Ruſpenſi Eccleſiæ eligatur. Ille verò ſubridens, Jam, inquit, ordinatus eſt.* Feliciano Autor vitæ Fulgentii, quocunque nomine vocetur, Opus ſuum nuncupavit.

Vit. Fulg. c. 30.

Agapetus Papa Bonifacii in Dioſcorum anathema comburit: Afris ſcribit.

VII. Hactenùs de Synodo, cujus Legati Joannem, cui mittebantur, Agapeto deceſſiſſe repererunt. Natione Romanus erat, *patre Gordiano Presbytero, Clericus ad Sanctos Joannem & Paulum.* Archidiaconum egiſſe prædicat Liberatus. Quo die ordinatus eſt, non ſatis liquet. Non improbabile ſit, Aprilis XXIX. feriâ primâ, in Epiſcopali Cathedra fuiſſe collocatum; quam diu non tenuit, utpote qui anno inſequente obiit ad plures. Quàm primùm dignitate Pontificali Agapetus ornatus eſt, maximæ curæ habuit, Libellos Bonifacii in cineres redigere, ne ulla ipſorum veſtigia ſupereſſent: *Orta Epiſcopatus ſui Libellos anathematis, quos invidiæ dolo extorſerat Bonifacius Presbyteris & Epiſcopis contra Canones & contra Dioſcorum, in medio Eccleſiæ congregatis omnibus, incendio conſumpſit.* Poſtmodum ad res Africæ convertit animos. Ac Reparatum, Florentianum, Datianum, cæteroſque Carthaginenſis Concilii Præſules hâc ſuâ compellit Epiſtolâ: *Cùm literas caritatis veſtræ ad prædeceſſorem noſtrum datas accepimus, pridem gaudia concepta renovamus, benedicentes Dominum ſempiternum, qui liberavit nos ab inimicis noſtris. Quæ cùm ita ſint, redeuntibus Caio & Petro fratribus, & Coepiſcopis noſtris, atque Liberato Diacono filio noſtro proferimus ſinceriſſimam conſilii veſtri caritatem. Quoniam ſicut & ſapientes facere decebat & doctos, immemores Principatus Apoſtolici non fuiſtis. Sed quæſtione illata, volentes vincula diſſolvere, ab ejus Sede requiſiviſtis, ſicut decebat, adiutum, cui poteſtas eſt indulta clauſtrorum.*

Anaſtaſ.

Quæſtioni verò ſic perſolvit, ut Arianis Antiſtitibus dignitatem neget ſuam, *ne cum perditis volumus congregare, obnoxii cadamus inculpam.* Laudat verò, quòd *alimoniorum ſaltem utilitatibus adjuvemur.* Probat etiam maximè, quod Clerici *ſine Sacerdotum ſuorum literis* non ſuſcipiantur. Data v. Idus Septembris. Eâdem die Reparato privatim ſcribit, qui ipſi ad Pontificatum evectionem gratulatus fuerat. Pietate conditum eſt votum hoc Agapeti: *Poſtulo miſericordiam Divinitatis, ut & in vobis quietis reparata gratia fructificet, & Deus omnipotens, qui mihi Sacerdotii dedit donum, concedat & meritum.* Reparati quoque dignitatem ſuffragio ſuo ſtabilit: *Univerſa præterea, quæ inimicorum perverſitas invaſerat, caritati tuæ Metropolitana jura reparantes, hortamur ut ea, quæ tuo, vel aliorum nomine reſcripſimus, univerſis debeas innoteſcere.*

Agap. ep. 3.

Contumelioſi judicium renovat Agapetus. Ad Cæſarium de non alienandis bonis Eccleſiæ Epiſtolæ.

VIII. Literis etiamque Agapeti non Africa duntaxat, ſed Gallia quoque materiam præbuit. *Contumelioſus* Reienſis Epiſcopus, quem anno ſuperiore Joannes damnarat, ad Sedem Apoſtolicam provocabat. Placuit ergo renovari judicium, quod Agapetus Cæſario Arelatenſi ſignificatum ivit: *Delegavimus enim Deo noſtro adjuvante, ſumus examen, ut ſecundum Canonum venerabilium Conſtituta ſub conſideratione juſtitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de hujuſmodi negotio acta geſtave ſunt, diligentiſſimâ veſtigatione flagitentur.* Cùm porrò provocatione ſui vim latæ in ſe ſententiæ cohibuiſſe putans, celebrationem Miſſarum ſibi vindicaret, id Pontifici improbatum eſt: *Et nos quidem, quamvis culpatus à nobis Emeritus defenſor memoratum Epiſcopum, reverſum ad Eccleſiam ſuam, caritatis tuæ voluntate firmaverit, uſque ad exitum judicii, quod delegavimus, Epiſcopum Contumelioſum, redditâ ſibi modò propriâ ſubſtantiâ, ſuſpenſum interim volumus ab adminiſtratione patrimonii Eccleſiaſtici, & celebratione Miſſarum. Quia id, quod ſibi viderat judicio fuiſſe ſublatum, glorioſius ſi ei veritas ſuffragatur, judicio receperit, quàm uſurpationibus occuparit.* Data XV. Cal. Auguſti. Illo ipſo die aliam & Cæſario Arelatenſi Epiſtolam direxit. Eâ quâ flagrabat pauperum charitate Cæſarius, de facultatibus Eccleſiæ multa pauperibus erogare cupiebat. Cui perficiendo Pontificis aſſenſus requirebatur, quem & ſuis impetrare literis voluit. Reſpondit Agapetus, facilem quidem ſibi animum eſſe, ut votis ipſius annuat, verùm autoritate Canonum ſe prohiberi, ne Eccleſiaſticas opes diſtrahi patiatur: *Revocant nos veneranda Patrum manifeſtiſſima Conſtituta, quibus prohibemur, prædia Eccleſiæ, cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. . . Nec tenacitatis ſtudio, aut ſecularis utilitatis cauſâ hoc facere nos credatis: ſed divini conſideratione judicii neceſſe nobis eſt, quidquid ſancta Synodalis decrevit autoritas, inviolabiliter cuſtodire.*

Agap. ep. 7.

Agap. ep. 6.

Juſtiniani ad Agapetum literæ: vices Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo Juſtinianæ petit.

IX. Poſtquam in Regiam urbem de Agapeti Pontificali inauguratione nuncius allatus eſt, Juſtinianus abjectâ omni cunctatione honorem electo exhibitum voluit. Sed & aliæ cauſæ fuere, cur Agapetum adiret ſcripto. Cupiebat Imperator

ANNO DOM. 535.

rator Præſules Arianos reſipiſcentes, & ſuas dignitates retinere, & ad novas promoveri. Prætereà Stephano Lariſſæ Metropolitano, de cujus negotio in Romana Synodo, Præſide Bonifacio II. tractatum fuerat, munere ſuo remoto, ſuffectus fuerat *Achilles*, quem Patriarcha Epiphanius conſecravit. Qua de re Agapeto ſatisfaciendum putavit Imperator, ne divulſa Eccleſiæ concordia abiret in diſſidia. Denique rogabat, ut Juſtinianæ civitatis Præſuli vices Agapetus ſuas injungeret. Sacras *Heraclius* Presbyter literas Papæ reddidit, qui ſuo ſubinde Reſcripto eis perſolvit. Ac primùm gratias agit Imperatori: *Licet de Sacerdotii mei primitiis pietatis divina muneribus ad referendas eſſem gratias multipliciter obligatus, ſuſceptis tamen, venerabilis Imperator, per Heraclium venerabilem Presbyterum, filium noſtrum veſtra ſerenitatis affatibus, quos æterni fructus ubertate plurimos deſtinaſtis, votorum meorum ſunt in Domino gaudia geminata, quòd adunatis felicitatis veſtra provectibus, tali mentis glorioſa propoſito terrena vobis regna ſubjiciſtis, ut ſimul cœleſtia conquiratis.* De Arianis Præſulibus reſpondet, ab Eccleſiæ Canonibus ipſos dignitatibus pelli ſuis, ne dum ad novos honores promoveantur: *Ipſas quoque regulas credidi ſubnectendas, quæ ſpecialiter conſtituerant, ne quis ſaltem reconciliatus, aut Eccleſiaſtici ordinis provectibus augeatur, ut deſideret honores ulterius poſſidere, quos ſe dubitare non debet culpabiliter amiſiſſe.* De negotio verò Stephani Lariſſei, Achilliſque ſic ſtatuit: *De Stephani Epiſcopi perſona ſimul & cauſa non credatis alicujus nos ſtudio defenſionis impelli. . . Et ideò, quia clementia veſtra ſalubriter offerre dignata eſt, ut à Legatis noſtris omne negotium tractaretur: hanc operam his, quos incontinenti dirigimus, Deo autore mandamus: ita tamen, ut jam nunc communione noſtrâ vir religioſus Achilles pro veſtra juſſione debeat gratulari.* Epiphanium tamen perſtringit, quòd Achillem ordinarit: *Quòd autem clementia veſtra fratris & Coepiſcopi noſtri Epiphanii dignata eſt excuſare perſonam, quia in prædicti Achillis conſecratione veſtra potius juſſio, quàm illius ordinatio prævëniſſet, credimus quòd & ipſe cognoverit jure culpatum, qui præter alia, quæ deliquit, hoc certè excuſare vix poterit, quòd tam piiſſimo, & clementiſſimo Principi, B. quoque Petri privilegia defenſanti, non vel opportunè, vel importunè ſuggeſſerit, quid in hac parte Sedis Apoſtolica reverentia deberetur.* Ad Auguſteam verò petitionem de creando in urbe Juſtiniana Præſule, qui Romanæ Sedis Legatum ageret, reſpondet, mandaturum ſe Legatis, quos dirigebat, ut eo de negotio tractarent: *Sed & de Juſtiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, necnon & de noſtra Sedis vicibus injungendis, quid ſervato B. Petri, quem diligitis, Principatu, & veſtra pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus Legatos, Deo propitio celeriter intimamus.* Datum Idibus Octobris.

Agap. ep. 4.

Theologiæ Schola.

X. Cùm in regulis Eccleſiaſticis apprime eruditus eſſet Agapetus, eum ſibi adeundum eſſe putat Caſſiodorus, ut Theologiæ Scholam in urbe erigeret. Mirum in tanta civitate, nullos adhùc Theologiæ Profeſſores extitiſſe, dum in urbibus, quæ Romæ aſſurgebant, viri eruditi cum laude id muneris adminiſtrarent. Teſtis Junilii ad Primaſium Africæ Præſulem Epiſtola. Quærebat Primaſius, *Si quis eſſet inter Græcos, qui divinorum Librorum ſtudio, intelligentiâque flagraret. Ad hæc ego reſpondi, vidiſſe me quendam, Paulum nomine, Perſam genere, qui in Syrorum Schola in Niſibi urbe eſt edoctus, ubi divina Lex per Magiſtros publicos, ſicut apud nos in mundanis ſtudiis, Grammaticâ & Rhetoricâ ordine ac regulariter traditur.* Erant & apud Alexandrinos Doctores ejuſmodi, qui in explicandis rebus Theologiæ verſabantur. Optimis hiſce exemplis adductus eſt Caſſiodorus, ut Agapetum invitaret ad Scholas Theologicas in urbe inſtituendas. Rem bella, quibus Italia vaſtabatur, prohibuere. Verba ipſa Caſſiodori referamus, quæ extant in ipſius de Inſtitutione divinarum Scripturarum Præfatione: *Niſus ſum cum beatiſſimo Agapeto urbis Romæ, ut ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur inſtitutum, nunc etiam in Niſibi civitate Syrorum, Hebræis ſedulò fertur exponi, collocatis expenſis in urbe Romana, profeſſos Doctores Scholæ potius acciperent Chriſtiana, unde anima ſuſciperet æternam ſalutem. . . . Sed cùm propter bella ferventia, & turbulenta nimis in Italico regno certamina deſiderium nullatenùs valuiſſet impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis.*

B. M. P. t. X. 340.

ANNO DOM. 535.

B. M. P. t. XI. 1270.

Synodus Arvernenſis quando congregata?

XI. Dum in Occidente verſamur, Arvernenſis Synodi memoria eſt apprehendenda. Baronius ſexennii metachroniſmo Concilium anno DXLI. affigit n. 30. Quæ Chronologia Epiſcoporum ſubſcriptionibus diſertè refellitur: *Honoratus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſia Biturica Conſtitutionem noſtram relegi, & ſubſcripſi die VI. Idus Novembris, poſt Conſulatum Paulini Junioris V. C.* Conſenſu Theodeberti Regis ea Synodus convocatur, ut ipſi Præſules profitentur: *Cùm in nomine Domini, congregante S. Spiritu, conſentiente Domino noſtro glorioſiſſimo, piiſſimoque Rege Theodeberto in Arverna urbe Sancta Synodus conveniſſet.* Interfuere Epiſcopi XV. Honoratus Biturīcenſis Synodi Præſes, *Gallus* Arvernicæ, *Gregorius* Lingonicæ, *Hilarius* Gabalitanæ, *Ruricius* Lemovicæ, *Flavius* Remenſis, *Nicetius* Treverenſis, *Desiderius* Lutenſis, *Dalmatius* Rutenenſis, *Lupus* Catalaunenſis, *Domitianus* Colonienſis, *Venantius* Vivarienſis, *Heſperius* Metenſis, *Deſideratus* Verdunenſis, *Grammatius* Vindoniſſæ, qui Novembris octavo Arverno coacti, Canones ad diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes ſexdecim condidere.

Canones Arvernenſis Synodi.

XII. Primus, Nullus Epiſcoporum aliquam prius cauſam ſuggerat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, ad ſeveritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur. II. *Epiſcopatum deſiderans electione Clericorum, vel civium, conſenſu etiam Metropolitani ejuſdem Provinciæ Pontifex ordinetur.* III. Ne pallis, vel miniſteriis divinis defunctorum corpora obvolvantur. IV. Ne Clerici à ſecularibus contra Epiſcopos erigantur. V. Qui res Eccleſiæ à Regibus obtinent, excommunicentur, quæ obtinent irrita habeantur. VI. Matrimonia cum Judæis nulla Chriſtiani contrahant. VII. Ne opertorio Dominici corporis Sacerdotis unquam corpus obtegatur, ne altaria polluantur. VIII. Supellex Eccleſiæ ad nuptiarum ornamenta non uſurpetur. IX. Ne Judæi Chriſtianis Judices præficiantur. X. Parochiam alienam nullus Epiſcoporum invadat. XI. Alienum Clericum Epiſcopus ne ſuſcipiat, aut promoveat. XII. Qui relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinam, vel relictam patrui, aut avunculi carnalis contagii conſortio crediderit violandam,

autoritatem divinæ Legis, ac jura naturæ perrumpit. Quamdiu in hoc ſcelere verſabitur, à Chriſtiano cœtu atque convivio, Eccleſiæque communione privabitur. XIII. Presbyteris & Diaconis continentia ab uxoribus ſervetur, ſecus dignitate ſuâ privabuntur. XIV. Munera Eccleſiæ collata qui retinuerit, poſt Sacerdotalia monita communione pellatur. XV. Natale, Paſcha, Pentecoſte, præcipuèque ſolemnitates à Presbyteris, & Diaconis cum Epiſcopo celebrentur: cives quoque majores in prædictis feſtis ad Pontifices veniant, ſecus communione pellantur. XVI. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi extraneas ſecum mulieres non habeant. Canones excipit Synodica ad Theodebertum Regem Epiſtola, cui titulus præfigitur, *Domino illuſtri, atque præcellentiſſimo Domino, & filio, Theodeberto Regi.* Quo liquet Epiſcopos ſe Principibus ſubditos profiteri. Finis Epiſtolæ is eſt, ne qui aliorum Regum poteſtati ſubjacent, poſſeſſionibus ſpolientur, quas in ejus regno jure obtinent. Verba ſunt Arvernenſium Patrum:

Lab. Conc. t. 4. 1805.

Reverendiſſime, ut dignum eſt, ſupplicantes, quæſumus, ut hoc noſtræ petitioni divino intuitu pietas veſtra non deneget, ut tam Rectores Eccleſiarum, quam univerſi Clerici, atque etiam ſeculares, ſub regni veſtri conditione manentes, necnon ad Dominorum Regum parentum veſtrorum dominium pertinentes, de quòd in ſorte veſtra eſt, extraneos de quòd habere proprium ſemper viſi ſunt, non permittatis exiſtere.

Juſtiniana urbs: ejus Epiſcopum Metropolitani dignitate Juſtinianus induit.

XIII. Rebus Occidentis ſuccedant, quæ ad Orientis ſpectant Eccleſias. Agapeto ſcripſerat Imperator, ut Sedis Apoſtolicæ vices Juſtinianæ novæ Præſuli committerentur. Quid hoc rei accuratius eſt explicandum. Juſtinianus nobilitando loco, ubi lucem aſpexerat, urbem ædificarat, cui nomen ſuum impoſuerat. Civitatis hujus Procopius meminit. *Apud Dardanos Europæ, qui jam poſt Epidamniorum terminos habitant, locus eſt, Tauresſium nomine. Hinc Juſtinianus Imperator, orbis reparator, oriundus erat. Quem locum muro circundans, quadrangula figura ſingulis angulis turrim impoſuit, effecitque, ut Quadriturrita & eſſet, & vocaretur. Juxta hunc locum urbem nobiliſſimam condidit, quam Juſtinianam Latinâ voce appellavit, atque hoc modo nutricationis officium altrici patriæ rependit. Fabricavit etiam canales aquarum, ut urbi aquis abundaret, & multa alia narratu digna. Non eſt facilè enumerare, Deo conſecrata Templa, verbis comprehendere Magiſtratuum domos, ingentes porticus, nitida fora, fontes, vias, balnea, fora. Magna planè urbs eſt, & totius regionis Illyricanæ Metropolis, Archiepiſcopum ſortita, aliis urbibus ipſi, veluti magnitudine præſtantiori cedentibus.* Hujus civitatis Antiſtitem Archiepiſcopali dignitate decorari Juſtinianus voluit. Extat in Codice Reſcriptum ea de re Catelliano, quem *beatiſſimum Archiepiſcopum primæ Juſtinianæ* Imperator nuncupat, datum Beliſario Conſule: *Multis & variis modis noſtram patriam augere cupientes, in qua primò Deus præſtitit nobis ad hunc mundum, quem ipſe condidit, venire, & circa Sacerdotalem cenſuram, eam volumus maximis incrementis ampliare, ut primæ Juſtinianæ patriæ noſtræ pro tempere ſacroſanctus Antiſtes, non ſolùm Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fiat, & cæteræ Provinciæ ſub ejus ſint autoritate; id eſt, tam ipſa Mediterranea Dacia, quàm Dacia Ripenſis, necnon Mæſia ſecunda, Dardania & Prævalitana Provincia, & ſecunda Macedonia, & pars ſecunda etiam Pannoniæ, quæ in Bacenſi eſt civitate.* In ſpecie verò boni publici Conſtitutionis hujus ſuæ fundamenta collocat: *Et quia homines ſemper bellicis ſudoribus inhærentes, non erat utile Reipublicæ ad primam Macedoniam poſt tot ſpatia, tantaſque etiam difficultates venire, ideò neceſſarium nobis viſum eſt, ipſam Præfecturam ad ſuperiores partes trahere, ut juxta eam Provinciæ conſtitutæ faciliùs ſentiant ipſius medicinam. Et ideo tua beatitudo, & omnes præſuli primæ Juſtinianæ ſacroſanctæ Antiſtites Archiepiſcopi habeant prærogativam & omnem licentiam, ſuam autoritatem eis impertiri & eos ordinare, & in omnibus ſuprà ſcriptis Provinciis primam habere dignitatem, ſummum Sacerdotium, à tua Sede creentur & ſolum Archiepiſcopum habeant, nullâ communione ad eum Theſſalonicenſi Epiſcopo ſervandâ. . . Quando autem ejuſdem Sedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiſcopum ejus à venerabili ſuo Concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet Archiepiſcopum omnibus honoratum Eccleſiis provehi.* Labente anno cùm de Archiepiſcopo Juſtinianopolitano conſtituiſſet Imperator, ut gloriam ejus amplificaret, ab Agapeto petiit, ut Vicarii Sedis Romanæ titulis quoque dteſceret, quod anno DXLI. à Vigilio impetravit. De Archiepiſcopo primæ Juſtinianeæ verba hæc ſunt Imperatoris: *Per tempus autem beatiſſimum primæ Juſtinianeæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua juriſdictione Epiſcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ & Daciæ Ripenſis, & Prævalis & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea, quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* Data xv. Calend. Apr. Conſtantinopoli P. Conſul. Baſilii v. Sub ea fortè tempora urbem Cappadociæ *Muciſſos* dignitate Eccleſiaſticâ exornat Juſtinianus, ut nomine *Juſtinianopolis*, quod accepit, dignior redderetur. Tempus quidem collatæ autoritatis eſt in obſcuro, res verò certiſſima, teſte *Euphraniâ* Thyanenſi, cujus verba ſunt ad Synodum v. Conſtantinopolitanam, Collatione v. *Sub Thyanenſi civitate erat & Dobara, & Nazianzus uſque ad tempora hujus pii imperii. Piiſſimus autem Imperator cùm Metropolitana jura dediſſet civitati, quæ quondam quidem Muciſſos, nunc verò Juſtinianopolis nuncupatur, cum aliis civitatibus, & Dobara, & Nazianzum ſubjecit ei.*

Leges Juſtiniani de Eccleſiæ regimine.

XIV. Eodem anno Leges Imperator plures conſcripſit ad ordinandam Eccleſiæ politiam, quas Epiphanio direxit: Imperator *Juſtinianus Auguſtus Epiphanio ſanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo regiæ civitatis, & univerſali Patriarchæ.* Priori capite Clericorum majoris Eccleſiæ numerum conſtituit: *Sancimus non ultra ſexaginta quidem Presbyteros in ſanctiſſima majore Eccleſia eſſe, Diaconos autem maſculos centum, & quadraginta feminas, Subdiaconos verò nonaginta, Lectores autem centum & decem, Cantores viginti quinque, ita ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum Clericorum ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ, in quadringentis viginti quinque, & inſuper centum exiſtentibus iis, qui vocantur Oſtiarii.* Erant & Clerici benè multi in aliis Eccleſiis, quibus Conſtantinopolis floruit. Beatæ ſcilicet Virginis Mariæ, in majoris Baſilicæ vicinia poſita, & à Verina ædificata, S. Theodori à Sporatio dedicata,

Procop. de Ædif. Juſt. l. 4. p. 704.

Auth. Coll. 11. Tit. vi. Nov. 111. pag. 40.

Anno Dom. 535.

dicata, &c. Secundo Legis ſuæ capite Imperator prohibet, ne de minore Eccleſia Clerici in majorem per patrocinium tranſeant: neve in Eccleſiis, quarum Epiſcopalis expenſas facit, *ullus ordinetur, antequam ad ſtatutum uniuſcujuſque Eccleſiæ, quod antiquitùs ordinatum eſt, ab ædificatoribus Eccleſiarum, Presbyterorum, Diaconorum, maſculorum atque feminarum, & Subdiaconorum atque Lectorum, necnon Cantorum & Oſtiariorum numerus redigatur, & nullus in medio penitus adjiciatur.* Tertio Reſcripti ſui capite ſancit, reditus Eccleſiarum in pios uſus & perſonas verè egenes per Patriarchas & Oeconomos erogandos eſſe. Data xvii. Cal. April. Beliſario Conſule.

Novell. 3.

Paucis pòſt diebus Legem compoſuit de Monachis, novem capitibus conſtantem. Primum, de Monaſteriis, & eorum ædificatione. II. Ne Monachi ſtatim veſtes induant. III. Ut communiter habitent & dormiant. IV. Monachus, qui Monaſterium dimiſerit, ut in vita ſe privata conſtituat, rationem Deo redditurus eſt, res autem, quæ Monaſterio intulerit, ad illud pertinebunt. V. Teſtari ante Monachatum de ſuis facultatibus quilibet poteſt: ingredientem verò *ſimul ſequuntur omninò res*: quarta tamen pars bonorum debeatur filiis, aut ſupplementum, ſi contigit eos aliquid accepiſſe, dos uxori ſervatur. VI. *Qui ſacrum miniſterium deſpexit, tribunalis terrem obſervet ſervitium.* Hodie verò Monachus ad ſuum inſtitutum revocatur. VII. Qui ab uno Monaſterio ad aliud tranſit, ejus facultates in priori remanebunt: mutationes ejuſmodi ab Epiſcopis, & Archimandritis prohibeantur, quæ inconſtantis animi ſunt indicia. VIII. Monachus, qui Cantor, aut Lector factus eſt, ſi conjugem ducat, *excludatur modis omnibus à Clero, tanquam priorem converſationem & ſolitariam confundens vitam, & privatus ſit de cætero.* Itaque quod nunc fit, pœnâ civili non afficiebantur Monachi, qui matrimonium inibant. IX. Creatio Abbatis ne per ordinem fiat, nec qui poſt primum eſt, defuncto ſuccedat, ſed loci Epiſcopus percurrat per omnes, & qui optimus apparuerit, eligatur. Data xiv. Cal. Aprilis Beliſario Conſule.

Novell. 5.

Epiphanii Conſtantinopolitani Epiſcopi obitus. Anthimus ei ſuccedit.

XV. Epiphanius regiæ orbis Antiſtes, cui Auguſtea Reſcripta hæc dirigebantur, anno labente jam præcipiti fato functus eſt. Anno DXX. Joanni ſucceſſerat: periit itaque currente Epiſcopatus ſui anno XVI. Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritus erat, cui à teneris penè unguiculis innutritus, uti nos Juſtinianus monet Auguſtus, Epilogo Novellæ ſuæ tertiæ: *Beatitudinem igitur tuam, quæ ab initio & ex infantili penè ætate, in ſacro omni ordine & ſchemate ſanctiſſimam ordinavit Eccleſiam, quæ & ex ſacro utique genere deſcendit, hæc cuſtodire continuè ſancimus.* Anthimus defuncto ſufficitur, Epiſcopus erat Trapeſuntinus, eorumque Præſulum unus fuit, qui Orthodoxorum cum Severianis Collationi interfuerat. Neque ritè ſatis Conſtantinopolitanis Antiſtes imponitur, quod & Marcellini Continuatori eſt obſervatum: *Epiphanius Epiſcopus regiæ urbis ante adventum Romani Præſulis moritur, cujus Epiſcopatum contra Canones Anthimus Trapezuntenâ Eccleſiâ relictâ invadit.* Favore Theodoræ Auguſtæ non meritis ſanè ſuis id dignitatis Anthimus adeptus eſt, utpote qui lupum ovinâ pelle induebat, Liberato teſte: *Eâ tempeſtate mortuo Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo, Theodora Auguſta Anthimum tranſtulit in eandem Sedem, qui fuit Epiſcopus civitatis Trapeſuntis regionis Ponti, latenter Chalcedonenſe Concilium non ſuſcipientem.* Quin etiam cum impuro Hæretico Severo communionem coluit. Pietatis ſibi larvam Anthimus imponebat, in jejunando frequentiſſimus.

Liberat. c. 20.

Anno Dom. 535.

Referamus ea de re verba Anonymi, quæ in Vaticana Bibliotheca latitantia Baronius vulgavit: *Anthimus, qui relicto dudum apud Trapezuntium civitatem Epiſcopatu, Conſtantinopolim venerat, vitamque ſuam jejuniis commendabat, ſine Patrum Decreto, ſine Auguſti favore, ſine Procerum voto, Hæreticorum pecuniis & ſeditioſorum turbis fretus, in Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sedem irruit improviſus, adulter invaſit, & Apoſtolicum thronum ingemiſcente Clero, populoque ad Cœlum oculos referente, homo inimicus injecit, atque cunctis cæteris inſaniam ſuam tacitus ſeminavit, ſtipem egenis Simoniaco ritu diſſeminans.* Baronius legit, *ſive Patrum Decreto*, ſed procul dubio legendum *ſine*, ſecus legitima fuiſſet Anthimi electio, neque à Victore *pervaſor*, vel ſi communi lectione, mi placet, *perverſor* Eccleſiæ diceretur. Cæterùm etſi communi pene omnium ſuffragio Anthimus hæreſeos poſtuletur, mirantes legimus Ephræmium Antiochenum Præſulem, orthodoxum ſanè virum, de Anthimi opinionibus benè exiſtimâſſe. Qua de re extat apud Photium locus inſignis. Ephremii tertia ad Juſtinianum Epiſtola, *Anthimi Synodalia accuratè de fidei dogmatibus, & miſſa & ſcripta eſſe oſtendit. Altera verò ad ipſum mittitur Anthimum, poſt Synodalia eorum laudationem non excuſans, quaſi nil Anthimi impietatis in iis appareat, cæterùm Anthimum poſtulat recipi ſubtiliſſimum, & accuratiſſimum.* Verba Photii ſic reddenda eſſe putamus. Schoti verſio non placet: *Niſi quod minutiſſimè & accuratiſſimè Anthimum poſtulet recipi.* Græca ſunt: πλὴν προσθεῖναι τὸν Ἄνθιμον ἐξαιτεῖ λεπτομερέστερόν τε καὶ ἀκριβέστερον. Quòd ſi Anthimum & de pietate laudavit Ephræmius, & recipi poſtulavit, cum ſanè pro Hæretico non habuit. Nùm ex præconcepta opinione, aut præjudicio Hæreticis additus? Anno proximè inſequente Anthimus ab Agapeto Conſtantinopoli agente loco ſuo movebitur. Extat Agapeti ad Anthimum Epiſtola, quâ oſtendit in Chriſto duas perfectas eſſe naturas, ac contraria ſentientem damnat: *Data eſt Calendis Maji Juſtiniano* IV. *& Theodato viris clariſſimis Coſſ.* Magnâ conſpiratione Epiſtolam eruditi falſi accuſant. Nota ſanè Conſularis eſt abſurdiſſima. Nunquam Juſtinianus Theodatum habuit in Conſulatu Collegam. Anno Dom. DXXXIV. quo quartum Juſtinianus Conſulatum geſſit, Joannes adhùc Cathedram Romanam inſidebat. Denique Pſeudo-Agapeti Epiſtolæ hæc tota fermè deſumpta eſt ex primo & ſecundo Capitulo Epiſtolæ Leonis, quæ numero eſt XCVII.

Bar. An. 536. n. 60.

Phot. Bibl. c. 228. 778.

Anno U. C. 1289. Per. Jul. 5249. Jul. 581. Dom. 536. Justinian. 9. & 10. Vitigis 1. *Sol.* 13. P. E. *Lun.* 5. *Indict.* 14. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 13. *Mart.* Anno Dom. 536.

Cos. *Poſt Conſulatum Beliſarii.*

Seditio in Africa occaſione mulierum. Salomon ad Beliſarium navigat.

I. Gravem in Africa ſeditionem excitat muliebris ambitio. Vandalorum filias uxoresque Romani matrimonio ſibi junxerant, quæ viris perſuadent ſuis, ut ea ſibi loca vindicarent, quæ prius Vandalicæ poteſtatis fuerant. Nefas eſſe

ANNO DOM. 536.

eſſe victores viſi ſunt conditione inferiores eſſe. Repugnabat Salomon, qui ſpolia opeſque militibus omnes conceſſerat, prædia verò oppidaque Imperatoris eſſe volebat, à quo milites alebantur. Imminente Paſchate Arianis, cui Templa erepta fuerant, præcipuè urgentibus, placuit feſto Reſurrectionis Dominicæ, quæ decimo Cal. Aprilis celebrabatur, Salomonem interfici. Itaque eo ſolemni die ignarus conjurationis Salomon Eccleſiam ingreditur. At percuſſores, quibus injunctum negotium erat, arcanâ vi retenti, vana dentaxat murmura volutantes, à cogitata cæde temperant. Peractis ſacris, conjurati ſuorum mollitiem incuſant. In diem ſequentem re delatâ, ſimiliter infecto negotio diſcedunt. Dum ſeſe invicem accuſant, conjurationis rumor ſpargitur in vulgus. Cùm itaque Carthagini remanere, ſeditioſi ſibi haud tutum eſſe ſentirent, plerique egreſſi agros, oppidaque populantur, Afroſque omnes, in quos incidebant, loco inimicorum habent. Salomonem in admirationem rapuit militum audacia: ſimul eos, qui in civitate remanſerant, officii ſui monet. Ac illi quidem primùm auſcultare videbantur: verùm illuceſcente quintâ die in Hippodromo Salomonem conviciis onerant. Fruſtra Præfectus miſſo ad furentes Theodoro, blandis verbis ad æquum deducere conatur. Arma corripiunt, ad Palatium properant, Cuſtodum Præpoſitum virtutibus clarum, cui & Theodoro nomen, interficiunt; obvios omnes, qui vel Salomoni amici erant, vel opibus affluebant, crudeliter mactant, domos diripiunt; nec furori modum imponit. Salomoni, qui in Palatio late, Eccleſia latibulum præbuit: unde egreſſus Theodori Cappadocis domum à Martino ductus, poſt cœnam lembum cum quinque domeſticis, Procopio itaque Hiſtorico conſcendit. Inde ad *Miſuam* Carthaginenſium navale pervenit. Illicò Martinum jubet in Numidiam ad Valerianum proficiſci, rogatum, ut quâcumque ratione poſſet, rebellione compoſitâ milites ad obſequium revocaret. Ipſe verò ad Beliſarium Syracuſas navigat, quem monet, ut petitâ ſubinde Carthagine Imperatoris injurias ulciſcatur.

Proc. de Bello Vand. l. 2. c. 10.

Joannis Stozæ rebellio.

II. Intereà milites Carthaginem diripiunt, *Stozamque* è Martini haſtatis equitem, virum & magnanimum, & agendorum peritiſſimum, Ducem ſibi conſtituunt: ſequebantur eum octingenti milites, quibus ſe Vandali circiter quinque mille comites addidere. Cum hiſce copiis, quibus ſervorum manus ingens ſe conjunxerat, civitati appropinquat. Illicò certos miſit illis, qui Carthaginem tenebant, hortatum uti urbem dederent. Ad rebelles Theodorus *Joſephum* legat, Cuſtodum Imperatoris Scribam, qui eos rogat, ne ulterius ſæviant. Ad hæc *Stozas* Joſepho ſubinde trucidato, urbem obſidione cingit. Eo facto Carthaginenſes terrefacti, urbem tradere ſuam Stozæ decernunt. Veſpere, qui luci & immilucebat, quâ poſterâ civitas ſeſe deditura erat, advolat cum Salomone Beliſarius, centum haſtatis equitibus comitatus. Poſtquam illuxit, ac Beliſarius adeſſe nunciatur, è veſtigio ſolutâ obſidione, nullo ordine turpem fugam arripiunt. Mira hæc fuit Beliſarii felicitas, qui ſeditione compoſitâ ſubinde in Siciliam navigat. Celerrimæ expeditionis meminit Marcellini Continuator, ſed loco non ſuo, anno nimirum ſuperiore, Conſule Beliſario. In Trinacria *comperiens, quod in Africa civile bellum oreretur, & miles in proprium Ducem inſurgit, cum paucis ad Africam tendit, Salomoni qui præerat, ſubveniens, exercitum verò partim blandiendo, partim ulciſcendo, intestinum tyrannum effugando, Republica conſultatim linata, remenſoque navigio Trinacriam redit.*

Marcellin.

III. Reverſus in Siciliam Beliſarius, compoſitis qui exorti erant tumultibus, relictoque Panormi validiſſimo præſidio, Meſſanâ cum exercitu Rhegium tranſmiſit. Tum Brutiæ populi magno agmine ad eum accedere, vieque Romanis patere, ob ingens in Gothos odium, qui gravi ſubditos jugo premebant. *Ebrimuds* Theodati gener, ductâ ipſius filiâ *Theodenante*, cum ſuis copiis Beliſario ſe conjunxit: ac ſubinde ad Imperatorem miſſus, poſt cætera præmia ad patritium dignitatem evehitur. *Ebrimud* relicto in Brutiis exercitu, ad Beliſarium in Siciliam convolaſſe, Marcellini in Continuatore legitur. Procedente pedibus exercitu, dum claſſis litora prætérlegens ſequitur, Neapolim itur, valido Gothorum præſidio munitam. Poſitis juxta urbem caſtris, Beliſarius præſidio, quod in ſuburbano erat, deditione potitur: civibuſque permittit, ut ex ſuis aliquot ad ſe mittant, quid ſibi vellent expoſituros. Stephano provincia hæc adjungitur, qui ab obſidione Neapolitana temperandum eſſe cenſet, quòd Gothi arci dominarentur. Contrà verò Beliſarius oſtendit, Neapolitanis utile eſſe, Gothorum jugo liberatis, Imperatoris partibus adhærere. Reverſus Stephanus civibus nunciat ſuis, non è re eſſe adverſus Juſtinianum bellum ſuſcipere. Talia ſuadenti favebat Antiochus Syrus, qui rebus maritimis intentus, non minimam apud Neapolitanos æquitatis prudentiæque laudem erat conſecutus. At *Paſtor*, & *Aſclepiodotus* Rhetores, inter Neapolitanos facilè Principes, cum Gothis amicitiâ conjuncti, ſtatum rerum immutari nolebant. Qui cùm viderent civitatem ad Romanos recipiendos inclinatam, ab eo conſilio eam revocare conantur, propoſitâ Gothorum in perfidos indignatione, Beliſariique ſeveritate. Judæos & producunt, affirmantes, civitati rerum neceſſariarum nil deeſſe. Quibus mutati plebis animi, Beliſarium quàm celerrimè abſcedere jubent. Eâ levitate meritò offenſus, civitatem obſideri jubet. Hoc opus, hic labor erat. Anxiâ mente verſabatur, ne ſe hyems opprimeret, & relictâ Neapoli in Theodatum ducere cogeretur. Sed facilem capiendæ urbis fortuna occaſionem attulit. Iſaurum cupido inceſſerat aquæ ductum inviſendi, quem ingreſſus, obſervat supernè foramen eſſe, quod labentiæ quæ tranſitum exhibebat. Quo comperto ſtatim exiſtimat, exercitum in urbem induci poſſe, ampliato petræ foramine. Rem ad *Paucarem* defert, Paucares verò Beliſario, qui ſubinde manus operi admoveri jubet. *Paucares* cum Iſauris ſuis clam aquæ ductum ingreſſus, inſtrumentorum acie foramen dilatat, ut miles loricâ armatus & clypeo facilè illud tranſmitteret. Rebus egregiè diſpoſitis, Beliſarium expugnatæ urbis calamitatum recordantem miſeratio ſubit. Stephano accerſito narrat, quæ gravia urbs impetu capta paſſura eſſet. Qui nec lachrymis parcens nec monitis, cives ad ſe dedendum ſuos hortatur. Illi verò Beliſarium ſpernere, nolle Imperatoris jugo adigi. Tum Beliſarius armis adoritur, quos verbis flectere non poterat. Magnum quadringentis viris præficit, quos extinctis luminibus in urbem per aquæ ductum immittit, cum duobus tubicinibus.

ANNO DOM. 536.

Beliſarius Neapolim capit. Quomodo?

Anno Dom. 536.

nibus. At milites periculi magnitudine territi, retroſum deferri, dilabique paſſim: fruſtra ut ſe ſequerentur, monente *Magno*; qui viſâ ſuorum ignaviâ, ad Ducem ſe recepit. Beliſarius cùm redeuntes contumeliâ affeciſſet, ducentos ex ſuis cuſtodibus eligit, quibus *Photius* ipſius filius Ducem ſe præbens, in foveam, quâ eundum erat, inſilit; ſed paternis juſſis revocatur. Tum qui periculo ſe ſubſtraxerant, pudore aſfecti, cum ducentis *Magnum* ſequuntur. Intereà ne ſubeuntium ſtrepitus audiretur, Beſſas ingenti clamore Gothos hortabatur, ut ad Beliſarium ſe conferrent, à quo præmiis eſſent benè multis donandi. Illi contrà illudere Imperatorem, Beliſariumque conviciis onerare. Porrò qui aquæductum ſubibant, tandem ad teſtudinem venere, cui ſuperſtructum erat aniculæ tugurium, cujus ex faſtigio olea proceſſerat. Difficilis exitus è militibus unum movit, ut depoſitis armis, manibus pedibuſque enitendo in tugurium perveniret. Qui vetulæ ni taceret, mortem minitatus, funis ope ad oleæ truncum alligati, ſociis viam evadendi commodam præbuit. Petitis inde urbis muris, coſtodes duos obtruncant. Quo facto, tubarum clangoribus exercitum vocant. Admotis ſcalis, quas ob brevitatem binas copulari opus fuit, propugnaculis ſuperatis in muros pervadunt. In alia urbis parte Judæi fortiter pugnantes, ipſius capiendæ ſpem eripiebant. At ubi illuxit, Romani qui urbem ingreſſi erant, impetu in ipſos facto, in fugam vertunt. Tum ſtragibus plateæ complentur: obvii quicunque abſque ætatis, ſexuſque diſcrimine mactantur, domus incenduntur: nec Templa adverſus Maſſagetarum furorem præſidio fuere, ne à ſacris quidem manus abſtinentium. Obſidio ad vigeſimum uſque diem protracta, hunc finem ſortitur. At Beliſarii clementi victori plus laudis attulit, quàm expugnatio Neapolitana. Quippe civibus ſua reſtitui juſſit, facultates, uxores, liberos, ut una eademque dies & ſervitutem afferret, & libertatem. *Paſtor*que oratione ſuâ pertinaciam civibus accenderat, poſtquam captam urbem vidit morte citiſſimâ extinguitur. Aſclepiodotus verò conviciis à plebe petitus, occiſus primùm, ab ea deinde minutatim diſcerpitur.

Proc. Goth. l. 1. c. 7. 8.

Proc. Goth. l. 2. c. 9.

Theodatus regno, vitâque ſpoliatur.

IV. Neapolitana hæc oppugnatio Theodato imperii vitæque finem attulit, quem infelicis Regis caſum nunc memorare juvat. Suâ ſocordiâ atque ignaviâ neque fortem ut decet, Principem exercere, neque prudenter rerum ſatagere ſuarum poterat. Poſtquam captam à Conſtantino Dalmatiam novit, intermiſſa ob Mundi cladem pacis conſilia revocat in animum. Extant ea de re tam Theodati ad Juſtinianum, quàm *Gudelina* uxoris Theodati ad Theodoram literæ. Heracleanum Juſtinianus Presbyterum cum muneribus Theodato miſerat, qui reſcribit: *Significamus pro veſtro voto ad Papam urbis Romæ nos literas deſtinaſſe, ut præſentium gerulo literarum, ſine aliqua dilatione reſpondeat, quatenus qui à vobis dirigi meruit, celeritatis gratiam conſequatur.* Nunciavit etiam Gundelina Theodoræ, Legati ad Imperatorem munus Agapeto injunctum fuiſſe: *Quapropter ſalutans veneratione, qua tantis debet meritis exhiberi, virum venerabilem illum, & moribus, & doctrinâ pollentem, Sanctitatis etiam honore reverendum, ad veſtram clementiam legationis officio peculiariter curavimus deſtinandum. Quia gratas vobis illas credimus eſſe perſonas, quas divinis miniſteriis judicamus acceptas.*

Caſſiod. Var. L. 10. ep. 25.

Caſſiod. Var. L. 10. ep. 20.

De ea legatione fuſius paulò infrà tractabitur, ubi Theodati Hiſtoriam abſolverimus. Crebros ad eum nuncios obſeſſi Neapolitani miſerant, ut ſibi laborantibus eſſet auxilio. Verùm belli exitum animo agitantem ſubierat cogitatio, infelicem futurum eſſe. Itaque adjutorii ne vel minimum Neapolitanis attulit. Tum Gothis in ſuſpicionem venit, ne Juſtiniano ultrò is eſſet Gothorum res proditurus. Ubi verò captam Neapolim intellexere, Theodatum probris omnibus lacerant, vocatâque concione Regem ſibi, & Italis *Vitigem* creant. Qua de re certior factus Theodatus, fugâ illicò arreptâ Ravennam contendit. Vitiges verò ut regno, ſic vitâ pellendum Theodatum è re ſua putans, *Optari* dat in mandatis, ut fugientem vivum aut mortuum capiat. Huic officio *Optares* maximè erat idoneus, utpote ea de cauſa Theodato infenſiſſimus. Ampliſſimi patrimonii, præſtantiſque formæ virginem deſpoderat. Indignationi ergo ſuæ non minus quàm Vitigi morem geſturus, quâ potuit celeritate, ne noctu quidem intermiſſo curſu aſſecutum Theodatum, victimæ inſtar reſupinatum jugulat anno regni tertio. Periit miſer ille *in loco, qui dicitur Quintus, juxta fluvium Santernum.* Perturbata hic eſt Baronii Chronologia, qui Theodati obitum, & Vitigis ad regnum evectionem anno DXXXVII. aſſignat, n. 2. Evagrii quoque error non eſt diſſimulandus, ſcribentis Theodatum regno ſe abdicaſſe.

Proc. Goth. l. 1. c. 9.

Marcellin.

Evagr. l. 4. 19.

Vitiges Rex creatus Mataſuentam vi ducit.

V. Theodati ſucceſſor Viriges, generis obſcuritatem multis egregiiſque bellicis virtutibus tegebat atque illuſtrabat. In præliis apud Sirmium, imperante Theodorico, adverſus Gepidas editis fortiter ſe geſſerat. Poſtquam Gothico ſceptro potitus eſt, Romam petit, ubi auditâ deceſſoris cæde *Theodeſclium* defuncti filium in carcere aſſervandum curat. Inde Ravennam ſibi petendam ratus, vocatis Gothis conſilium exponit ſuum, cui ſuffragia omnes addidere, quòd in Gallia Ciſalpina Gothorum vis omnis, armorumque apparatus verſabatur. Diſceſſurus Silverio, qui Agapeto Papæ ſucceſſerat, Senatuique Romano revocat in memoriam iniquiſſimum imperium Theodorici, eoſque ad ſervandam fidem ſacramento adigit: impoſitiſque urbi militibus quatuor mille, quibus *Lenderem* virum prudentiâ celebrem præficit, Ravennam cum exercitu contendit, abductis ſecum multis ex ordine Senatorio, qui obſidum loco forent. Dum per Tuſciam iter dirigit, omnes Theodati opes diripit, *quas in Inſula, vel in Urbe congregaverat.* Magnum humanæ cæcitatis exemplum, quæ hoſtibus ſæpenumerò ſuis profuturas opes colligit:

Marcellin.

En quo divitias, tot per tormenta coactas.

Ingreſſus Ravennam Viriges, *Mataſſuntam* Amalazunthæ filiam, eximiæ pulchritudinis virginem invitam ſibi matrimonio copulat, ut ex affinitate Theodorici firmius Imperium ſibi compararet. Gothos quoque ſuis literis de ſua inauguratione monitum ivit. Audaciæ aliquid ſpirat Epiſtola: *Non in cubilibus anguſtis, ſed in campis latè patentibus electum me eſſe noveritis, nec inter blandientium delicata colloquia, ſed tubis concrepantibus ſum quæſitus, ut tali fremitu concitatus deſiderio virtutis ingenitæ Regem ſibi Martium Geticus populus inveniret.* Porrò cùm ad novum regnum, quod arma Juſtiniani concutiebant, ſtabiliendum cunctis viribus egeret, quam in Gallia obtinebat, ditionem Francis concedendam putat, ne cum Beliſario juncti labantem Gothorum in Italia

Proc. Goth. l. 1. c. 10.

Caſſiod. Var. L. 10. ep. 31.

ANNO DOM. 536.

Principatum proſus eterent. Conſilium Magnatibus placuit. Confeſtim Legati ad Childebertum, Clotharium, Theodebertumque mittuntur, qui placitura referrent, ut nempè conceſſis quas in Gallia Gothi tenebant Provinciis, Franci ſocia in Juſtinianum arma jungerent. Ad Francorum ditionem magna hæc erat acceſſio, quorum in poteſtatem quatuor Provinciæ veniebant, Narbonenſis ſecunda, Alpinæ duæ, & Viennenſis ſecunda, exceptis Dienſium Vivarienſiumque civitatibus. Iis conditionibus Francorum Principes ſuam Vitigi amicitiam faciles pollicentur. Arma quidem ſua negant, utpote qui paulò antè promiſerint Imperatori, ſe in eo bello venturos auxilio, clam tamen ſe ex aliis gentibus copias miniſtraturos promittunt. Icto fœderi Legati magnis itineribus Ravennam repetunt; Vitigeſque *Martiam* Tranſalpinæ Oſtrogothorum ditioni Præfectum ad ſe revocat. Sic magnum Theodorici Imperium, tot bellis comparatum, momento pene laceratur.

Proc. Goth. l. 1. c. 10. 12.

Roma Beliſario in poteſtatem venit.

VI. Dum hæc geruntur, Beliſarius urbem petere ſtatuit, impoſitoque cum trecentis militibus *Herodiano*, ad tuendam Neapolim, relictoque Cumis præſidio, ad iter ſe accingit. Verùm Romani ne ſimili atque Neapolitani clade afficerentur, Imperatoris exercitum in ſuam introducere civitatem ſtatuunt, hortante præcipuè Silverio Papâ. *Fidelemque*, quondam Atalarici aſſeſſorem ad Beliſarium mittunt, polliciti venienti urbem ſe ſuam tradituros. Ubi quid Romani molirentur Gothi ſenſere, ſimulque intellexere, Beliſarium appropinquare urbi, permittentibus civibus Româ excepto Leudere egreſſi, uno agmine Ravennam contendunt. Illâ ipſâ die, quâ per portam Flamineam excedunt, per Aſinariam Beliſarius intromittitur. Tempus percelebris ingreſſus ab Evagrio memoriæ accuratius proditum eſt: *Romani citra pugnam Beliſario urbem tradiderunt, ac denuò urbs Roma in poteſtatem Romanorum venit poſt annos denuum ſexaginta, nono menſis Appellæi, quem Romani Decembrem vocant.* Miror, doctiſſimum Valeſium in elegantiſſima ſua verſione diem Beliſarii ingreſſus omiſiſſe, quem disertè nonum Decembris dixit Evagrius: tertia feria erat, quia Litera Dominicalis ob Biſſextum F E. Cæterùm variat hîc Veterum recentiorumque Chronologia. Evagrius ſecundum Procopium expreſſis verbis narrat, urbem anno *Juſtiniani undecimo* Romanorum in poteſtatem rediiſſe. Undecimus porrò Juſtiniani incipit Cal. Aprilis anno DXXXVII. Itaque ex Evagrii ſententia, Româ Juſtinianus potitur Decembri proximè futuro. Evagrii Chronologiam ſecutus Baronius & Neapolitanam expugnationem & Romæ deditionem, quæ uni eidemque anno contigere, in DXXXVII. confert. Eſt tamen unius anni metachroniſmus in ea Chronologia. Primum Marcellini Continuator omnia hæc anno labenti alligat: *Poſt Conſulatum Beliſarii Gothorum exercitus Theodahadum Regem habens, ſuſpectum Vitigem in regnum aſciſcit, qui mox in campo barbarico regnum pervaſit. Expeditione ſolutâ Romam ingreditur, ibique reſidens dirigit Ravennam, Theodatum occidit. . . . Beliſarius favente Domino Romam ingreditur.* Præterea ea ſua Chronologia Procopius Evagriuſque refelluntur: Roma *recepta eſt ſexageſimo anno, menſe eodem poſtquam à Barbaris capta fuerat*; quod anno CCCCLXXVI. contigit Baſilisco & Armato Coſſ. Quæ de re obſervabilia

Evagr. l. 4. c. 19.

Error Baronii.

Bar. An. 537. n. 7.

ſunt verba Marcellini: *Odoacer Rex Gothorum Romam obtinuit. Heſperium Romanæ gentis imperium cum Auguſtulo periit, Gothorum dehinc Regibus Romam tenentibus.* Si annis CCCCLXXVI. addantur LX. exurgunt DXXXVI. quorum ultimo præcipiti Roma Juſtiniani in poteſtatem venit e Imperii ipſius non *undecimo*, uti Procopius. Evagriuſque tradidere, ſed decimo, qui menſe Decembri labebatur. Porrò quod etiam atque etiam obſervandum, Procopius, quâ de cauſa neſcimus, duorum annorum geſta in unum retulit. Narrata quippe Romanâ deditione, addere more ſuo debuiſſet, *Sic hyems exiit, finemque ſuppoſuit anno ſecundo belli, quod Procopio deſcribitur.* Omiſſa ea clauſulâ procedit ad narrandam urbis obſidionem, quam Vitiges cum militibus centum & quinquaginta millibus urgebat, anno belli tertio, & Dom. DXXXVII. affigendam. Igitur belli ſecundo Neapoli captâ, Beliſarius Româ potitus eſt, Vitigeſque creatus in Regem. A ſe itaque emendari Procopius debet, dum ſcribit Gothicorum libro ſecundo, c. 3. *Exactâ hyeme, & hujus belli, quod Procopius ſcripſit, anno ſecundo jam finem adepto.* Legendum dubio procul, *anno tertio*, cùm ex ipſo Procopio, Mario Aventicenſi, Marcellini Continuatore exploratum ſit, anno Juſtiniani nono, Beliſario Conſole captam eſſe Siciliam. Porrò Beliſarius Leudere Gothorum Præfecto, portarumque Romanarum clavibus, Juſtiniano Conſtantinopolim miſſis, faciendis muris, qui pleriſque in locis collapſi erant, diligenter incubuit.

ANNO DOM. 536.

Marcellin.

Vi procellæ Reges Francorum ad concordiam adiguntur.

VII. Dum pugnantium inter ſe Romanorum & Gothorum armis & clamoribus perſtrepit Italia, Francorum Principes ad mutua certamina provocabat ambitio. Memorandam ſanè hiſtoriam noſtris in Annalibus deſiderari nolumus. Clotharium ſociatibus armis petebant Childebertus & Theodebertus. Chlotarius tamen viribus impar, in ſylvam confugiens, cæſas arbores venientibus opponit. Eo cognito, Chrotildis Martini ſepulchrum adiit, *ibique in oratione proſternitur, & totâ nocte vigilat, orans ne inter filios ſuos bellum civile conſurgeret.* Intereà obſeſſus Clotharius poſterâ luce, morti deſtinabatur, cùm repentè oborta procella *ventoria diſſipat, res diripit, & cuncta ſubvertit, commixtaque fulgura cum tonitruis ac lapidibus ſuper eos deſcendunt. Ipſi quoque ſuper infectam grandine humum in faciem proruunt, & a lapidibus deſcendentibus graviter verberantur.* Tum Childebertus Theodebertuſque humo proſtrati, meditati in Clotharium ſceleris veniam orantes, ad Clotharium de pace Legatos mittunt: initoque fœdere Reges ſe in ſua recipiunt. Magnoperè à vero deflectit Baronii Chronologia, quæ hiſtoriam memoratu dignam anno DXL. alligavit. Fons eſt erroris obitus Chlodovei anno ſuo non redditus.

Greg. Tur. l. 3. c. 28.

Bar. An. 540. n. 30.

VIII. Ad res Eccleſiæ propius accedamus. Gravi timore perculſus Theodatus, Agapeto Papæ apud Juſtinianum Legationem injunxerat: in ſpem veniebat gratiſſimam Imperatori Chriſtiano fore Sacerdotis perſonam, eâque ratione longè faciliùs diſſidia componi poſſe. Crudelia Theodati mandata erant, ne Papæ eſſet integrum, imperatum detrectare onus: *Theodatus Rex Gothorum ſcribens ipſi Papæ & Senatui Romano, interminatur non ſolum Senatores, ſed & uxores, & filios, filiaſque eorum gladio ſe interempturum, niſi egiſſent apud imperatorem, ut deſtinatum exercitum ſuum de Italia ſubmoveret. Sed*

Legatio Agapeti Conſtantinopolim non erat par ferendis ſumptibus.

Liberat. c. 21.

Papa pro eadem cauſa legatione ſuſceptâ, Conſtantinopolim profectus eſt. Anno ſuperiore in regiam urbem iter convertiſſe Agapetum, in Marcellini Continuatore legimus: *Beliſario Conſule Agapetus Romanæ urbis Epiſcopus à Theodato Rege Gothorum in legationem directus Conſtantinopolim venit.* Quæ ſi vera ſunt, ad exitum quidem properante anno Romam egredi debuit, cùm *Idus Octobris* anni DXXXV. hujus legationis ignarus adhùc eſſet atque inſolens, uti compertum habemus ex ipſius ad Juſtinianum Epiſtola, in qua Legatorum, quos dirigit, mentio facta eſt. Quæ legatio ſupervacanea fuiſſet, ſi noviſſet nomine Regni ſe Conſtantinopolim eſſe tranſmiſſurum. Exiſtimamus potius anni labentis ſub initia ex urbe in Orientem iter carpſiſſe, cùm Juſtinianea Confeſſio Pontifici oblata fuerit *decimo ſeptimo Kalendas Aprilis, Conſtantinopoli poſt Conſulatum Flavii Beliſarii.* Sic enim legi debet, non ut vulgò habetur, *Flavio Beliſario Conſule.* Novo quidem Pontificis in regiam urbem adventu Imperatoris Confeſſio oblata eſt. Cæterùm ſacularatum Agapeto non ſatis erat, ut impoſito officio fungeretur. Itaque ſibi opus fuit ſacra vaſa dare pignori, uti nos Caſſiodorus monuit in ſua ad *Tomacium* & *Petrum* Epiſtola: *Retinetis memoriam, fideliſſimi viri, Sanctum Agapetum urbis Romæ Papam, cùm ad Orientis Principem legationis gratiâ mitteretur, Juſſione regiâ datis pignoribus, à vobis tot libras auri, facta pictatio ſolemniter accepiſſe, ut cui providus dominator juſſit ad ſubditum ejus etiam urgere exceſſum. Mavult Papa dabat, quod ejus ſubſtantia non habebat.* Id facti quidem in ſuas laudes meritò vertit Agapetus; non eſt tamen hìc Theodati æquitas prætereunda, qui vaſa, quæ Pontifex oppignoraverat, cum ipſius chirographo reddi Eccleſiæ voluit: *Noſtrâ præceptione commoniti, & regiâ Juſſione ſecuti, Sanctorum vaſa cum obligatione chirographi, autoribus S. Petri Apoſtoli ſine aliqua dilatione refundite. . . Rex autem veſter religioſo propoſito reddidit vaſa, quæ jure pignoris propria videbantur effecta.*

Agapet. ep. 4.

Lab. Concil. 1 4. 1802.

Caſſiod. Var. L. 12. ep. 20.

Agapetus ingreditur Conſtantinopolim: quid ibi egerit?

IX. Miracula à peregrinatore multa patrata narrantur. *Pergenti quadam die in Græciarum partibus, curandus oblatus eſt mutus & claudus.* Celebratâ Euchariſtiâ Agapetus *claudi manum tenuit, atque aſſiſtente & aſpiciente populo eum mox è terra in propriis greſſibus erexit, cùmque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt.* Subleſtior nobis eſt narrantis autoritas, & creduli, & ſolitarii teſtis, qui nec locum miraculi, nec ægri nomen ſuppeditat, ut hinc liqueat, vulgi rumoribus, qui plerumque aut falſi ſunt, aut incerti, Agapeti hoc miraculum niti, de quo nullum in Liberato, nullum in Anaſtaſio, nullum in Paulo Diacono veſtigium. Sed ingredientem Conſtantinopolim ſequamur. Pontificis introitum Aprilis XXII. celebrem fuiſſe, prodit Anaſtaſius: *Decimo Cal. Maji ingreſſus, ſuſceptus eſt cum gloria.* Falli tamen Anaſtaſium ex Juſtiniani Confeſſione liquet, quæ decimo ſeptimo Cal. Aprilis Agapeto oblata eſt. Igitur menſe, eoque amplius in urbem regiam Agapetus prius introit, quàm narrat Anaſtaſius. Itaque dies introitus Agapeti ſit in obſcuro. Quâ ratione exceptus ſit, quidve egerit, ediſſerat Liberatus Scriptor ejus temporis: *Et primùm quidem honorificè ſuſcipiens directos ſibi ab Imperatore, ſprevit tamen Anthimi præſentiam, eumque ad ſalutandum ſuſcipere noluit.* Cùm porrò ob Anthimi ordinationem Juſtinianus erroris in ſuſpicionem veniſſet, Confeſſionem Pontifici obtulit ſuam, cujus initium eſt, *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & à traditione nullatenus deviare.* In ea damnat Eutychem, Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Petrum Alexandrinum, Gnaphæum, Acaciumque averſatur. Conſtantinopoli oblata ea Confeſſio eſt, *Agapeto ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo almæ urbis Romæ, & Patriarchæ.* Pergat Liberatus: *Deinde ipſo Principe cauſam agebat legationis ſuſceptæ. Imperator autem pro multis fiſci expenſis ab Italia deſtinatum exercitum avertere nolens, ſupplicationes Papæ noluit audire. At ille, quod ſuum fuit, Chriſti legatione fungebatur. Denique petentibus Principibus, ut Anthimum Papa in ſalutatione & communicatione ſuſciperet, ille fieri, inquit, poſſe, ſi ſe Libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram ſuam reverteretur. Impoſſibile eſſe aiebat, tranſlatitium hominem in illa Sede permanere. Auguſta verò clam promittente munera multa, & rurſus Papæ minas intentante, in hoc Papa perſtitit, ne ejus audiret petitionem.* Cùm neque muneribus, neque minis conſtantem animi Pontificem Theodora flectere poſſet, Imperatoris, cui dominabatur, pertinaciam accendit. Eò pertinet narratio Zonaræ: *Imperator, qui Anthimum interceſſione conjugis, Conſtantinopolitanum Patriarcham deſignarat, Acta ſua reſcindere noluit, & divino Agapeto actus inſtanti minatus, ſe ſuo arbitratu quod vellet, poſſe agere dixit. Cùm autem Pontifex ad minas riſiſſet, ſeque cædem etiam æquo animo laturum eſſe reſpondiſſet, ac beatum fore, ſi talis ſibi vitæ exitus daretur, pudore affectus Imperator, mutatáque ſententiâ rem examinandam propoſuit. Ac nonnulli è primoribus Sacerdotibus Agapeto Papæ Romano in imperatricis gratiam ſunt refragati, ab eadem quoque largitionibus corrupti, quos tamen ille, qui veritatem defenderet, omnes ſuperavit.* Quinetiam eò proceſſit Agapeti magnanimitas, ut Theodoram excommunicatione feriret. Id quidem teſtatur Victor in Chronico: *Agapetus Archiepiſcopus Romanus Conſtantinopolim venit. Theodoram Auguſtam ejus (Anthimi) patronam communione privat.*

Liber. c. 20.

Zon. An. l. 14. p. 67.

Narratio Pauli Diaconi de Agapeto, Juſtinianum Eutychianiſmi poſtulante refellitur.

X. Excelſi conſtantiſque hæc erant animi, qui nullâ ratione ab æqui propoſito dimoveri poterat. Agapeti gloriam novo adhùc fulgore illuſtrant Paulus Diaconus, Anaſtaſius, Miſcellanea: *Sanctus Pontifex, dum Juſtinianum Principem adiiſſet, factâ cum eodem de fide Collatione, reperit eum in Eutychis dogma corruiſſe, à quo primitùs graves beatus Antiſtes minas perpeſſus eſt. Sed cùm illius inconcuſſam in fide Catholica Juſtinianus conſtantiam cerneret, ſi quidem ad ipſa uſque verbis progreſſum fuerat, ut talia à Præſule audiret, Ego ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideravi, ſed Diocletianum inveni. Tandem ex voluntate Dei ejus monitis acquieſcens, ad Catholicæ fidei Confeſſionem cum multis pariter, qui ſimiliter deſipiebant, regreſſus eſt.* Novis Anaſtaſius pigmentis traditionem ornat: *Cùmque contentio verteretur cum Auguſto & Agapeto Papa, dixit ei Imperator Juſtinianus, Aut conſenti nobis, aut exilio deportari te faciam.* Vocatus Anthimus, cum duas in Chriſto naturas profiteri noluiſſet, & ab Agapeto victus fuiſſet, *tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus gaudio repletus, humiliavit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adoravit beatiſſimum Agapetum Papam.* In fabulam inclinat Baronius,

Paul. l. 17.

Anaſta.

Gregor. Dial. l. 3. c. 13.

ANNO DOM. 536.

cui perjucundum ſanè fuit, videre Pontificem à magno Imperatore adoratum. Nos verò tam Pauli Diaconi, quàm Anaſtaſii narrationem ad ſomnia prorſus relegamus. Eutychis in errorem Juſtinianus ſanè delapſus non fuerat, qui impurum Hæreticum ſuâ Confeſſione Agapeto traditâ, verbis expreſſis damnaverat. Calculo quoque ſuo Eutychianiſmi Juſtinianum purgat Evagrius: *Juſtinianus quidem ea, quæ Chalcedone acta fuerant, pertinaciter tuebatur.* Convulſo autem Juſtiniani Eutychianiſmo, ruit undique Pauli Diaconi, Anaſtaſiique narratio in eo fundamento collocata. Falſum etiam, quòd præſente Juſtiniano Agapetum inter & Anthimum Collatio ſit inſtituta. Anaſtaſii hoc ſomnium refellunt Liberatus, atque Nicephorus, à quibus diſcimus, Anthimum ab Agapeto adeò contemptum fuiſſe, ut ad ſe ſalutandum admittere noluerit. Liberatum jam audivimus, aures præbeamus & Nicephoro: *Anthimo ne in conſpectum admiſſo, Epiſcopatum abrogavit.* Id ſanè Monachorum in Libellis legitur, quos & Juſtiniano, & Synodo Conſtantinopolitanæ obtulerunt: Agapetus *neque ad viſum ſuſcipere voluit Anthimum furentem adverſus Canones, neque participare ſecum in communione divina.* Eſt & illud quidem abſonum, quòd Juſtinianus Agapeto exilium minatus fuerit: Agapeto, qui Juſtiniano ſubditus non erat, quemque Legati munus, ipſis Barbaris ſacrum, ab omni injuria tutum præſtabat. Ridiculum etiam, Agapeto Juſtinianum cecidiſſe ad pedes, ut eum adoraret. Honores ejuſmodi Pontificibus ab Imperatore exhibitos Juſtiniani ætas neſciebat. Apage nugas!

Bar. An. 536. n. 19.

Evagr. l. 4. c. 10.

Niceph. l. 17. c. 19.

Anthimus ab Agapeto Pontificatu Conſtantinopolitano ejicitur.

XI. Inter egregia Agapeti facinora illud eminet, quòd Anthimum Sede Conſtantinopolitana pepulerit. Anthimo, cui mulier impotens Theodora favebat, multi quoque ſive metu Theodoræ, ſive veneratione erant præſidio. Ipſe Imperator uxorius homo, etſi fortè non pertinacius adhærebat Anthimo, ipſum tamen Patriarchalia potiri dignitatis patiebatur. Extat quidem ad Anthimum Juſtiniani Reſcriptum, anno labente miſſum de *menſura ordinationum.* Novellæ titulus eſt: *Anthemio ſanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, & univerſali Patriarchæ.* Prohibet verò, ne effuſiſſimæ ſint ordinationes in majore Eccleſia Conſtantinopolitana, neve in aliis Eccleſiis ultra conſtitutum numerum Clerici collocentur. Error tamen in tempus latæ Legis irrepſit: *Datum Idibus Auguſti, Conſtantinopoli poſt Conſulatum Beliſarii.* Menſe Maio jam Anthimus damnatus fuerat à Conſtantinopolitana Synodo, Præſide Mennâ. Eſt tamen veriſſimum, tempus fuiſſe, quo pro legitimo Regiæ urbis Epiſcopo ab Imperatore Anthimus habebatur: ſecus dignitatem integro penè anno non retinuiſſet, nec ſacrum de ordinanda Eccleſia Reſcriptum recepiſſet. Itaque doctiſſimo aſſentiri Blondello haud poſſumus, neganti Juſtinianum *fautorem* Anthimi fuiſſe. Fuerat quidem, ut allata à nobis argumenta docent, ſed intellectâ veteratoris pertinaciâ, iniquâque electione, ſuo tandem favore ipſum deſtituit. At Conſtantinopoli complures erant, qui hominem Canones violantem, errore pollutum, Chalcedonenſique Concilio inimicum, invitis oculis in Sede Patriarchali ſedentem intuebantur. Ubi ergo Conſtantinopolim Agapetus ingreditur, indignum Sacerdotio hominem Sede movet. Verba ſunt Continuatoris

Novell. XVI.

Blond. de Prim. 432.

Marcellini: *Agapetus Conſtantinopolim de Roma adveniens, Anthimum mox Eccleſiâ pellit, dicens eum juxta Eccleſiaſticam regulam adulterum, qui ſuâ Eccleſiâ dimiſſâ, ambierat alienam.* Itaque Epiſcopatum non ei abdicavit Agapetus, ſed Cathedrâ, quam repugnantibus Canonibus invaſerat, ejicit. Satis adhuc Trapezuntinis Anthimus operari poterat, ſi oblato orthodoxæ Confeſſionis Libello ad ſuam Eccleſiam reverteretur. Ejectus Anthimus honoris ſui inſignia Principibus reddit: *Anthimus verò videns ſe Sede pulſum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & diſceſſit, ubi eum Auguſta ſuo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit Antiſtitem, conſecrans eum manu ſuâ in Baſilica S. Mariæ.*

ANNO DOM. 536.

Marcellin.

Liberat. c. 21.

XII. Mennas, docente Zonarâ, *vir ſummæ pietatis erat, Alexandrinus patriâ, & illuſtri genere ortus, Literarum non expers, Sacrarum maximè,* Presbyteri munere fungebatur, & Xenodochio Præfecti: *Fuit iſte Mennas Præpoſitus Xenodochii majoris, quod vocatur Samſon, genere Alexandrinus, ſuſcipiens Chalcedonenſem Synodum.* De ipſius inauguratione extant in Anonymo Baroniano nonnulla obſervatu non indigna: *Agapeto Præſuli Mennam Presbyterum ordinandum ſibi Epiſcopum ſuis vocibus commendantes, in medium proferunt. Agapetus Papa Libellum ejus inſtar fidei ſuâ manu propriâ editum flagitat, ſcilicet Romà eum per ſe B. Petro Apoſtolo porrecturus. Edito Mennas juxta præceptum creatoris ſui, fidei Libello, & Agapeto Papæ in conſpectu Eccleſiæ ſuæ oblato, ab eodem omnium Epiſcoporum Principe impoſitâ manu univerſalem Epiſcopatum adeptus eſt, ſoluſque XXI. Eccleſiæ ſuæ Epiſcopus à Romanæ Sedis Antiſtite meruit ordinari.* Evecto ad Patriarchatum Mennâ, Encyclicas ſubinde ſuas in Orientem Agapetus dirigit, quos monet de ejecto ex Sede Conſtantinopolitana Anthimo, & in expulſi locum ſuffecto Mennâ. Miſſa ad Petrum Hieroſolymitanum Epiſtola hæc habet: *Voluiſſemus quidem, fratres dilecti, propter conjunctionem noſtræ charitatis omnes Domini Sacerdotes juxta Apoſtolicam traditionem irreprehenſibiles inveniſſe.* At optatis non reſpondit Anthimus. Pergit Agapetus: *Invenimus Sedem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, contra omnem Canonum honeſtatem ab Anthimo Eccleſiæ Trapezuntinorum Epiſcopo inconvenienter uſurpatam, cujus animam non ſolùm ſecundum iſtam partem, ſed quod majus eſt, in confeſſionem veræ fidei è perditione reducere deſideravimus. Sed Eutychetis errori inſiſtens ad viam veritatis redire contempſit. Unde cùm ipſius in fide pœnitentiam iſto modo expectemus, neque Catholico, neque ſacro nomine dignum eſſe ſententiavimus, donec omnia à Patribus tradita, per quæ vera religionis fides & diſciplina cuſtoditur, ſecundum congruentem ſatisfactionem ſuſcipiat.* Miratur quidem Agapetus, Orientales ſuffragium Anthimo ſuum præbuiſſe. His de Anthimo præmiſſis, ad Mennam tranſgreditur: *Hoc autem pro excitando veſtræ conſpiritualitatis lætitiam ſignifico, quia Mennam fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum, virum multis laudum modis ornatum, prædictæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſuſcepit. Cui licet præter cæteros ſereniſſimorum Imperatorum electio arriſerit, ſimiliter tamen & totius Cleri ac populi conſenſus acceſſit, ut à ſingulis eligi crederetur. Etenim alicui neque ſcientiâ, neque vitâ fuit ignotus, ſed & fidei integritate, & Sacrarum Scripturarum ſtudio, atque etiam piæ adminiſtrationis officio,*

Mennas Præſul Conſtantinopolitanus creatur. Quis?

Liberat. c. 21.

Bar. An. 536. n. 63.

Lab. Conc. t. 5. 47.

ſicio, ſic prædicta viri reſplenduit opinio, ut ipſi tardius venire videretur, quò dignus erat. Et hoc dignitati ſuæ addere credimus, quòd à temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis ſuſcepit Epiſcopum manibus noſtræ ſedis ordinatum, &c.

Libelli complures adverſus Anthimum & Zoaram Agapeto offeruntur.

XIII. Magnam in lætitiam pietatis fautores conjecerat Anthimi ejectio. Attamen Conſtantinopolitanis Archimandritis impreſſum expulſo dedecus fidei cuſtodiendæ haud ſufficere videbatur. Poſtquam ergo Mennas Patriarchali dignitate ornatus eſt, Libellum Agapetum ſuum obtulere, ut Anthimus Præſulis munere prorſus exueretur, ni Confeſſione exhibitâ Chalcedonenſi Concilio ſuffragium adderet. Neque immeritò de veteratore id flagitabant, qui multis de cauſis, vel Agapeti ante adventum ſui ſuſpicionem moverat. Verbo quidem Chalcedonenſem Synodum recipiebat, reverà damnabat:

Niceph. l. 17. c. 9.

Et cùm comprobare eam, atque anathemate eos jugulare, quos illa rejiceret, adigeretur, & id ipſum facere differret, alias ex aliis cauſas moræ confingens, intereà accidit, ut Agapetus Veteris Romæ Præſul Conſtantinopolim veniret. Sic animatus Anthimus, ne vel Trapezuntanâ Cathedrâ dignus erat. Itaque conventum Agapetum Conſtantinopolitani Archimandritæ & ſuo & Orientalium nomine adeunt Libello, quo criminum complurium poſtulant Iſacium Perſam, arte magicâ imbutum, qui inventam in diverſorio Imperatoris imaginem, *perſuſſit virgâ, dicens quadam contra caput veri & orthodoxi, imò verò contra Deum, propter quæ imaginem percuſſit.* Aiunt à Deo, qui Romam miſerat Petrum, ut Simonem opprimeret, opportunè Conſtantinopolim Papam amandatum eſſe, ut Severum, Petrum, Zoaram expelleret Eccleſiâ. Præcipuè in Anthimum bacchantur, continentiæ ſimiam, eâque ſpecie egregiè hominibus imponentem, Eccleſiæ ſuæ deſertorem, Conſtantinopolitanæ invaſorem, Hæreticorum amicum atque fautorem. Verbis ergo ad commovendos affectus quàm maximè idoneis Agapetum compellant:

Lab. Conc. t. 5.

Adjuramus veſtram beatitudinem, licet audax quid faciamus, per Sanctam, & Conſubſtantialem Trinitatem, ac per Principem Apoſtolorum Petrum, ac ſalutem, & victoriam piiſſimi Imperatoris noſtri, non contemnere divinos Canones, qui ab iſto peſſundamur, neque Eccleſiam ei traditam, quæ ab ipſo deſpicitur: ſed ſequendo in omnibus eos, qui ante ipſam tuam beatitudinem in Sede veſtra claruerunt, facere in ipſum adhùc & contra autoritatem Canonum invaleſcentem, & qui prætulit vitam degere cum Hæreticis, quàm cum propria Eccleſia, eaque S. Cœleſtinum contra Neſtorium liquet feciſſe, aſſignando ei terminum, ſicut & ille Neſtorio: intra quem niſi occurrens prædictum Libellum Apoſtolicæ veſtræ Sedi porrexerit, ac veſtræ beatitudini, & ſanctiſſimo Archiepiſcopo urbis Regiæ, & à morbo hæretico ſeipſum liberaverit, ne ad Trapezuntinam Eccleſiam ſibi traditam proficiſcatur. Neque à regiæ urbis Archimandritis pietatis amore ſe ſuperari paſſi ſunt Orientis Clerici, qui in Anthimum Agapeto ſimiliter Libellum tradidere. Poſtulationis hujus titulus eſt: *Domino noſtro per omnia ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Patri Patrum, Archiepiſcopo Romanorum, & Patriarchæ Agapeto, ab Epiſcopis Orientalis Diœceſis, & ab his, qui ſunt ſub ſanctis locis Chriſti Dei noſtri, necnon Ambaſiatoribus, & cæteris Clericis in hac Regia urbe congregatis.* Aſperè in *Anthimum* invehuntur, Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptorem, erroris magiſtrum. Neque impuro Zoaræ Monacho parcunt, qui Conventus mulierculaarum celebrabat, voluptatibus impuris diffluentes, ſtatum Eccleſiæ peſſundabat, novum baptiſmum miniſtrabat. Ac quod Mariani in Libello breviſſimè continebatur, crimen Iſacii fuſius exponunt, qui baculo, quo ſenectutem firmare ſuam fingebat, repoſitam in diverſorio Juſtiniani imaginem abſque intermiſſione percuſſit, *donec diviſit tunicam habentem, nobilem ejus effigiem, & partem pro ſe tenuit, quam & igni traditam, totam exterminare non valuit.* His permotus Agapetus, ſententiam de Anthimo ſuam fert, ut gradu ſuo pelleretur, niſi & ſeſe purgaret, & Eccleſiam Trapezuntinam repeteret. Comminatio hæc fuit, non abdicatio propriè dicta, quia integrum adhùc Anthimo fuit, retinere dignitatem, impoſitis ſibi legibus ſatisfaciendo. Itaque in eo negotio varii gradus ſunt accuratè diſtinguendi. Primus expulſionis eſt è Sede Conſtantinopolitana, quam Anthimus ſpecie quâdam adulterii occupaverat, non ſine Canonum injuria. Secundus eſt abdicationis, non *abſoluta* quidem, ſed *conditionata*, quâ Epiſcopatu removebatur, niſi Decretis Papæ ſatisfaceret. Mortuo Agapeto à Synodo Conſtantinopolitana Anthimus ſimpliciter exautoratus, ad laicam prorſus conditionem redactus eſt. Quos varios ſanè gradus obſervare facillimum eſt Juſtiniani in Novellâ XLII. *Quoties Sacerdotum ſententiâ quaſdam indignos Sacerdotio de ſacris Sedibus depoſuit, toties imperium ejuſdem ſententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum amicitate fuit... Quemadmodum & nuper factum eſſe circa Anthimum ſcimus, qui quidem dejectus eſt de Sede hujus Regiæ urbis, à ſanctæ & glorioſæ memoriæ Agapeto, ſanctiſſimæ Eccleſiæ antiquæ Romæ Pontifice, eò quòd nullo modo ſibi ipſi convenienti, contra omnes ſacros Canones ſe intruſerat Sedi: ſed & communi ſententiâ ipſius ſanctæ memoriæ viri primùm, atque etiam ſacra Synodi hic celebrata condemnatus & depoſitus fuit, eò quòd à rectis dogmatibus receſſit.* Profectò ſi Epiſcopali dignitate jam ab Agapeto pulſus fuiſſet Anthimus, nil Synodo Conſtantinopolitanâ opus fuiſſe ad eum exautorandum, quem Papæ jam in ordinem redegiſſet. Imò eum ſuo Concilio actum egiſſet, quod abſonum. Itaque abdicatio Anthimi ab Agapeto promulgata conditionalis fuit. Ea verò eſt conditionum natura, ut nil influant in homines, ad id comparatarum, ut certis rem vinculis cum ſua conditione copulent. Cæterùm quidquid in cauſa tam Anthimi, quàm Mennæ ab Agapeto perpetratum fuit, non indicium eſt ſummæ exorriſque poteſtatis in Eccleſiam. Paris & alii fecere. A Theophilo Alexandrino Chryſoſtomus, à Dioſcoro Anatolius Conſtantinopolitanus Præſul creatus fuerat. Calendionem Antiochenum ordinarat & Acacius. Neque non decens fuit, ſecundæ Sedis Antiſtitem à Papa in urbe regia moranti manuum impoſitione conſecrari. Nec Agapeti privilegium hoc fuit in Anthimum, Canonum everſorem, hæreſeoſque labi affectum abdicationis ferre ſententiam. Timotheum Ælurum Anatolius, Mongum, Gnapheumque Acacius Epiſcopatu exuerat. Imò Orientales in ſuo ad Agapetum Libello Anthimum excommunicatione ſe feriiſſe teſtantur.

Agapeti obitus & laudes.

XIV. Agapetus prolatâ in Anthimum abdicationis comminatione, de reditu in urbem conſtituerat, cùm repentina mors diſcedere volentem occupat: *His peractis, conſtituens Papa apud*

Liberat. c. 22.

 Im-

Anno Dom. 536.

Imperatorem Apocriſiarium Eccleſiæ ſuæ, Pelagium Diaconum ſuum, dum in Italiam reverti diſponit, Conſtantinopoli obiit. Quaſi prorſus conveniens fuiſſet, Agapetum ibi moriendo pietatis & monumenta ponere, ubi vivendo multa, egregiaque fidei & fortitudinis ſpecimina ediderat. Ejus obitum paulò fuſius Baronianus exequitur Anonymus:

Bar. An. 536. n. 64.

Incidit in graviſſimam valetudinem, tunè quod optabat, invenit, ut non deſereret, & temporum malis mox ſubſequentibus careret, & Domino plenus cum Sanctis Patribus jungeretur. Defecerat ſpiritus, & anhelans in morte anima etiam pere geſtiebat, ipſumque ſtridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat. Necdum ſpiritum exhalaverat, necdum debitam Chriſto reddiderat animam:

Et jam fama volans tanti prænuncia luctus, totius orbis populos, quibus civitas repleta erat, ad exequias convocabat. Aderant diverſarum Provinciarum numeroſi Epiſcopi, & Sacerdotum, Monachorumque chori penè urbem repleverant. . . . Quodque mirum ſit, nihil pallor mutarat in facie: ſed ita dignitas quædam & gravitas ejus ora compleverat, ut eum non mortuum, ſed dormientem putarent. Aprili menſe vitam cum morte commutat Agapetus, quo die non eſt in comperto. Decimo Cal. Maji obiiſſe, Bedæ in Martyrologio narratur; Græci verò quinque diebus citius Agapetum extinctum memorant in Menologio ſuo: *XV. Cal. Maji S. Patris noſtri Agapeti, Romani Pontificis, Juſtiniani temporibus Conſtantinopolim profecti, viri pietate & miraculis celeberrimi.* Defuncto quidem Agapeto Conſtantinopolitana Synodus Præſide Mennâ celebratur, cujus prima Seſſio ſecundo Maji eſt inchoata. Ut prorſus abſona ſit N. Alexandri Chronologia, qui XX. Septembris mortem aſſignat Agapeti. Quam & Chronologiam refellit Novella Juſtiniani XLII. defuncto jam Agapeto data VIII. Idus Auguſti. Defuncti corpus, ſi Anaſtaſio fides, *in loculo plumbeo tranſlatum eſt Romam, uſque in Baſilicam B. Petri Apoſtoli, ubi & ſepultus eſt XII. Cal. Octobris.* Fuit Agapetus in paucis Pontificibus numerandus, qui brevem vitæ curſum immortalis gloriæ laudibus in æternum extendit. Defuncto Silverius ſufficitur, de quo antequam dicerimus, dum Conſtantinopoli verſamur, quem exitum Anthimi res ſortitæ ſunt, nobis eſt exponendum.

Synodus Conſtantinopolitana Præſide Mennâ, Anthimum exautorat.

XV. Dolos omnes atque machinas commoliebatur Anthimus, ne Sede Conſtantinopolitanâ pelleretur. Nefariis ambitioſi hominis conatibus totis viribus Theodora favebat Auguſta, cujus vaſta erat in Imperio potentia: ad omnia hæc opportunus erat, maximèque ex Anthimi uſu Agapiti obitus, quaſi cum magno Pontifice extincta fuiſſent, quæ adverſus raptorem Patriarchatus fuerant conſtituta. Verùm Mennæ nec vires deerant, nec animi firmitudo, ut Eccleſiæ diſciplinam ſartam rectamque tueretur. Itaque de cogenda Synodo cogitat, quâ conſilia Anthimi omnia opprimeret. Conſenſu Principis congregatur die Maji ſecundâ, feriâ ſextâ,

Syn. Conſtantinop. Act. 1.

ut ex Actis apparet: *Sanctiſſimus Archiepiſcopus, & tota Synodus dixit, Legantur quæ pridie geſta fuerant. Et accipiens Macarius venerabilis Diaconus Notarius legit. Poſt Conſulatum Flavii Beliſarii clariſſimi, ſexto Nonas Maji, Indictione XIV.* Synodi locus ita deſcribitur: *Præſidente Domino noſtro ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo & Patriarchâ Mennâ in Mœſatilio Dexteo, venerabilis domus Domina noſtra ſanctæ & glorioſæ Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ, quæ eſt prope ſanctiſſimam magnam Eccleſiam.* Quid verò *Diiticum*, non ſatis liquet. Non diſplicet conjectura Baronii, exiſtimantis Monaſterium eſſe, cui *Dii* nomen. Præfectum eo tempore habebat Agapetum, qui Libello adverſus Petrum Apameenſem, Severum Antiochenum Præſulem, & Zoaram Monachum oblato ſubſcripſit: *Agapetus miſeratione divinâ Presbyter & Archimandrita Monaſterii Dii, ſubſcripſi & ſupplicavi.* Hujus quoque Monaſterii mentio eſt in Martyrologio Romano: *Sexto Idus Februarii, Conſtantinopoli natalis Sanctorum Martyrum Monaſterii Dii.* Cæterùm Baronii error nobis eſt effugiendus, qui de Agapeto, hujus Monaſterii Præfecto hæc prodit:

Error Baronii.

Bar. An. 536. n. 74.

Agapetus in ordine Archimandritarum, in datis Synodo Libellis primo loco ſubſcriptus habetur. Imò *ſecundo*, non *primo* Agapetus loco ſubſcripſit neque etiam ſubſcribere potuit, quia *Mariano* primus ordine concelebat:

Syn. Conſtantinop. Act. 5.

Marianus miſeratione Dei Presbyter, & Archimandrita Monaſterii ſancti Dalmatii, & Primas venerabilium Monaſteriorum hujus imperialis civitatis ſubſcripſi, & tradidi. Sequitur deinde, *Agapetus Archimandrita Monaſterii Dii ſubſcripſi.*

Num ut Epiſcopi Romani Vicarius Mennas Synodo præfuerit? Ordo Epiſcoporum.

XVI. Aderant quinquaginta quinque Epiſcopi, quibus *Mennas* præerat. Ac, ſi Baronio credimus, Mennas *erat vicariâ Sedis Apoſtolicæ Præfecturâ inſignitus.* Quam pro ſua liberalitate illuſtriſſimus Purpuratus Legati Pontificis Romani perſonam aptavit Conſtantinopolitano Præſuli. Principem Synodi hujus Mennam pati non potuit, niſi Agapeti nomine; quia Sedis Apoſtolicæ Legatos anno ſuperiore ad componenda regiæ urbis diſſidia miſſos eminebat, quod faſtigio Romano Aulicis non ſatis dignum videtur.

Bar. An. 536. n. 72.

Nos verò eam Legati larvam Mennæ detrahimus, quæ nullo veſtigio apparet in Synodo; non in Libellis Mennæ oblatis; non in ſententia, quam in Anthimum promulgavit; non in Anathemate, quo Severum, Petrumque percuſſit. Actione quintâ eorum damnationi his verbis ſubſcripſit: *Mennas Dei miſeratione Epiſcopus Conſtantinopolitanus definivi.* De perſona Legati Pontificis Romani ſibi impoſita ne verbum quidem. Poſt Mennam dein Legati Sedis Romanæ ſubſcribunt: *Ego Sabinus Epiſcopus S. Eccleſiæ Canuſinæ ſubſcripſi.* Itaque dignitate Sedis ſuæ, quia Novæ Romæ Antiſtitem agebat Mennas, Synodo caput erat. Baronianum ſanè figmentum refellit Monachorum Libellus:

Syn. Conſtantinopol. Act. 5.

Per omnia ſanctiſſimo, & beatiſſimo Domino noſtro Mennæ, Regiæ urbis Archiepiſcopo, & ſanctiſſimis Epiſcopis, qui ex Italorum regione in ipſa convenerunt, ac Deo amantiſſimis Archidiaconis Apoſtolicæ Sedis. Honorificamne Legati Pontificis Romani dignitatem omiſiſſent, cujus excellentia Synodi, cui Legati Sedis Apoſtolicæ aderant, Præfecturam Mennæ Baronius tribuit, quaſi eo ſolo nomine geſtam? Cùm nobiliſſimus Conſtantinopolitano Præſuli locus aſſignaretur, Itali Epiſcopi dextri ſederunt, ita præcipiente Juſtiniano, quod obſervandum: *Et à dextra quidem parte conſedentibus & coaudientibus, juxta pium juſſum Chriſti amantiſſimi, & à Deo cuſtoditi Imperatoris noſtri Juſtiniani, ſanctiſſimis & Deo amantiſſimis Epiſcopis, Sabino Canuſino, Epiphanio Eſculano, Aſterio Salernitano, Ruſtico Faſulano, Leone Nolenſi.* Ad eam quoque partem ſedebat Petrus Juſtinianopolitanus Metropolitanus cum viginti ſex Epiſcopis. A ſiniſtra verò parte *Hypatius*

Libelli Monachorum de Anthimo in Concilio leguntur.

tius Epheſinus cum XXIII. Præſulibus collocabatur,

XVII. Sedentibus Patribus *Euphemius* Diaconus Notariorum Primicerius in oculis conſpectuque omnium ea profert, quæ à Monachis apud Imperatorem geſta fuerant. Marianum ſcilicet S. Dalmatii Abbatem, Monachoſque, Antiocheni Hieroſolymitanique Epiſcopi ditioni ſubditos, Imperatori ſupplices Libellos obtuliſſe: placuiſſe ſacræ Majeſtati Conventum celebrari, cui Italiæ Epiſcopi cum Sedis Apoſtolicæ Diaconis intereſſent, ut de Libellis ex diſciplina Eccleſiæ judicium inſtitueretur. Admiſſis jubente Menna, & Theodoro Tribuno & Referendario, quem Juſtinianus legaverat, & compluribus Archimandritis oblatæ Imperatori Monachorum preces porriguntur Synodo, quarum lectio à Diacono Notarioque *Acacio* peragitur. Precum verò hæc ſumma fuit. Dei numine in regiam urbem veniſſe Agapetum, virum ſui nominis, utpote Deo hominibuſque dilectum: pietate, quâ abundabat, furentem Anthimum, everſoremque Canonum in conſpectum non admiſiſſe: cum Sede, quam invaſerat, ejeciſſe, in ea deinde Canonibus probatum, regiâque autoritate commendatum Mennam collocaſſe. Itaque optare ſe, quæ decreta ſunt ab Anthimo executioni mandari: hoc eſt, ut ſuſpicione erroris omnis liberatus, ad Trapezuntinam proficiſcatur Eccleſiam; vel ſi abnuat, damnatus decretoriâ ſententiâ, dignitate prorſus Sacerdotali ſpolietur. Sic futurum, ut defuncti Agapeti animæ honos reddatur, quæ cùm corporeis ſoluta vinculis, Deo propinqua ſit, Imperii, Imperatoriſque ſalutem precibus impetrat ſuis. Lecto Monachorum ad Juſtinianum Libello, quærit à Theodoro Mennas, placeretne Archimandritis novi aliquid proponere. Qui Mariani Conſtantinopolitanorum Archimandritarum Primatis manu documentum ſubinde porrigunt, quod à *Chriſtodoro* Diacono legitur. In eo referebatur, ſæpius ab Archimandritis Conſtantinopolitanis rogatum Anthimum, ut quæ à Chalcedonenſibus Leoneque Papa de Chriſti perſona decreta fuerant, ſine ullis ambagibus profiteretur: ſcilicet duabus conſtare naturis abſque ulla ſive confuſione, ſive diviſione copulatis. Neſtorio, Dioſcoro, Eutychi diceret anathema. Verùm juſtas preces non ſemel à faſtidioſo homine eluſas fuiſſe. Itaque Agapetò ſe Libellum obtuliſſe, ut vel liberatum prius erroris ſuſpicione Eccleſiæ Trapezuntinæ redderet, vel viduæ tandem alius Epiſcopus præficeretur. Defuncto Agapeto Imperatorem à ſe fuiſſe conventum, ut huic rei finis imponeretur. Placuiſſe regiæ Majeſtati, ut pro regulis Eccleſiæ de Libello, cauſaque Anthimi à Synodo pronunciaretur. Tum interrogati Diaconi Romanæ Sedis, ut quid ea de lite ſibi manifeſtum erat, notum facerent Synodo, *Menas*, Romanæ Lector Eccleſiæ, nomine Diaconorum inſtrumenta obtulit Synodo, quæ ab Acacio Diacono altâ voce lecta ſunt, quibus ea continebantur, quæ ex Mariani, & Orientalium Libellis de Anthimo, Petro, Severo, Zoara, Iſacio ſuprà retulimus.

Sententia Mennæ interlocutoria.

Syn. Conſtantinopol. Act. 1. 45.

XVIII. His auditis ſic Mennas interloquitur: *Nos implentes ea, quæ à ſanctiſſimo Papa in Epiſtola Synodali data fuere, & tempus pœnitentiæ ipſi dantes, deputamus & decernimus Vitiſorum ſanctiſſimum Epiſcopum Neocæſareæ Metropolitanum, & Acacium ſanctiſſimum Epiſcopum Metropolitam Peſſinuntinæ, & Joannem; ac Theoctiſtum Presbyteros, & defenſores magnæ Eccleſiæ, qui hic eſt, & Zachariam ſanctiſſimum Epiſcopum Mitylenenſem Metropolitanum, & Acacium, & Chriſtodorum Diaconos venerabiles & Notarios hujus ſanctiſſimæ Eccleſiæ ad notificandum ei ea, quæ à nobis geſta fuerunt, & invitare ipſum intra tres dies; ſi vult venire ad ſanctam Synodum, ad faciendam ſuper annunciatis congruam ſatisfactionem.* Prima hæc fuit Actio Synodi.

Anthimus à Legatis Synodi quæritur.

XIX. Sexto Maji, tertiâ feriâ, cùm Patres iterum conveniſſent, quæ in prima Actione geſta fuerant, jubente Synodo à Diacono *Macario* leguntur. Deinde *Vitiſorus*, aliique ad Anthimum Legati rogantur, num imperata confecerant. Quærentibus reſpondet *Vitiſorus*, ſe omnia perluſtraſſe loca, in quibus Anthimum invenire poſſe ſuſpicio erat: *Fuiſſe in oratorio domo glorioſi Archangeli Michaelis, quæ eſt in Palatio, & in domibus Hormiſdæ in ſancto Apoſtolio.* A Clericis poſtulaſſe, ſcirentne ubi ageret Anthimus, quave in domo reperiri poſſet; ab univerſis reſponſum, ſe neque vidiſſe ipſum, neque ſcire domum ubi ſit: addidiſſe quoſdam de ſuis, qui cum Acacio & Chriſtodoro Diacono eum inquirerent. Quæſitum eſſe & in ſua domo, & in ſuburbio circa ſanctum Laurentium, nec tamen inventum. Ex ipſius domeſticis fuiſſe aliquem, qui dixerit, ex quo receſſit de magna Eccleſia, ſe neque vidiſſe ipſum, neque ſcire ubi degat. Hâc ſuâ occultatione Anthimus ſatis indicabat, ſeſe non ita comparaſſe, ut Synodo ſatisfactum ire vellet. Placuit tamen tergiverſanti aliquid temporis addi, ut ad reſipiſcentiam revocaretur. Itaque tres illi dies adhùc conceduntur, *intra quos requirent ipſum Petrus ſanctiſſimus Epiſcopus Juſtinianopolitanus Metropolita ſecundæ Provinciæ Cappadociæ, & Thalaſſius ſanctiſſimus Epiſcopus Metropolis Berytiorum, ac Dominus Deo amantiſſimus Epiſcopus Maximianopolitanæ Provinciæ ſecundæ Palæſtinorum: Romanuſque atque etiam Joannes Deo amantiſſimi Presbyteri, & Procuratores ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ, inſuper etiam & Andreas & Calonymus venerabiles Diaconi.* Sic ſecundæ Actioni finis imponitur.

Proſcriptio jubetur apponi ad evocandum Anthimum.

XX. Maji decimo, feriâ ſeptimâ Synodus loco conſueto congregatur, à qua Legati interrogantur, num quonam Anthimum repeririſſent. Qui unâ voce & conſpiratione teſtantur, nec in Laurentii Martyrio, nec in Monaſterio Theodoſii, quo frequenter antè utebatur, quàm Conſtantinopolitanum Epiſcopatum capeſſeret, nec Petri Apameenſis in Prætorio, nec Theodori in Monaſterio, quod ſæpius frequentaverat, vitam retinente Epiphanio inventum fuiſſe. Quia etiam Stephanus, & Longinus, Anthimi familiares, dicto juramento teſtati ſunt, ſe prorſus ignorare, ubi moraretur. Ne eâ quidem pertinaciâ commovetur Synodus, ut in contumacem damnationis judicium proferret. Itaque tertiâ ei morâ conceſſâ, nova ad eum quærendum legatio decernitur, quæ Theogeni Synodorum, Bacho Antiochiæ Piſidienſis, Chriſtophoro Porphyrionis Phœniciæ Epiſcopo, Juliano & Ammonio Presbyteris, Paulo & Macario Diaconis injungitur. Ac reo mandatur, ut intra decem dies coràm Synodo ſe ſiſtat: removendoque omnis ignorantiæ prætextui proclamatio jubetur apponi, quâ moneretur, ne adventui moram aliquid injiceret. Tertiæ Seſſionis hæc Acta fuere.

XXI.

Anthimi proſcriptio legitur.

XXI. Maji XXI. feriâ quartâ, quæ hactenùs geſta fuerant, jubente Mennâ cecenſentur. Poſtquam prima ſecundaque Actio à *Macario* Diacono, tertia à *Calonymo* lecta eſt, Synodus doceri voluit, quid in perquirendo Anthimo actum fuerat. Narratur à Theogene Synnadorum Epiſcopo, Legatos petiviſſe domum, quam prius incolebat, cujus fores claudebantur, neque uſquam ſcire potuiſſe, ubinam locorum moraretur. Addit Ammonius Presbyter, proſcriptionem Synodi fuiſſe appoſitam, ne ignorationem pertinaciæ Anthimus ſuæ obtenderet. Tum jubente Mennâ à Diodoro Diacono proſcriptio legitur verbis ejuſmodi: *Mennas Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Oecumenicus Patriarcha, & tota Synodus in ipſa Deo amata Roma Conſtantinopoli, Anthimo venerabili. Si quidem aliqua ratio conveniens tibi fuiſſet, & ſpes pœnitentiæ de peccatis commiſſis, vel certè opus fuiſſet præſentium proclamationum. . . . Et cùm à nobis tanto tempore ad pœnitentiam evocatus fueris, non moderatior te ipſo factus es, & inobedientiam tuam majorem Sacerdotali humilitate oſtendiſti, ut quidem, quæ à te geſta ſunt, nullâ veniâ digna ſint.* Adhibitâ tamen clementiâ eum jubent venire ad ſanctam Synodum, intra numerum ſex dierum: *Veni*, inquit, *ut opinionem, quam in rectis dogmatibus adeptus es, purâ voce oſtendas. . . . Si verò & hanc noſtram vocationem deſpexeris, tibi de cætero non in tempore locus pœnitentiæ erit.* Appoſita eſt proſcriptio menſis Maji die XV. Lectâ proſcriptione à Diaconis Mennas quæſitum ivit, qua de cauſa ſex duntaxat Anthimo dies conceſſerint, cùm Synodus decem ei dierum moram indulſerit: Reſponſi hoc tulit, conceſſo dierum decem intervallo & inquiſitionem includi, quæ triduo facta eſt; & proſcriptionem, quam ſeptiduum excepit.

Anthimus Epiſcopatu movetur Synodi ſententiâ. Monachi damnationem Severi flagitant.

XXII. Cùm de Anthimi pertinacia conſtaret, rogante Mennâ itur ad ſuffragia. Tum Synodus per Hypatium, Epheſinum Aſiæ Metropolitanum damnationis ſententiam promulgat, cujus ſumma hæc eſt. Anthimum Patrum Leges pedibus proculcaſſe, Eccleſiæ ſtatum perturbaſſe uſurpatâ Conſtantinopolitana Sede, Eutychis erroribus imbutum eſſe; ſimulaſſe ſe quidem Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, Chalcedonenſem ſuſcipere, quas in ſacris Diptychis habet: *Sed cùm inſerta ipſis Synodis eſſet ſanctæ memoriæ beatiſſimi Leonis Papæ, nullo tamen tempore aliter vel percipit, vel participat ſanctiſſimis Dei myſteriis, nec celebritatem ipſorum prædicat, nomen hac quidem ſanctiſſima magna Eccleſia reſiliens univerſaliter à rectis ipſorum Confeſſionibus.* Subjungit *Hypatius*, facti hujus ſui Anthimum nil defenſionis afferre, quâ magnis Pontificibus ſatisfactum eſt, atque Abbatibus, unde ſcandalum & infidelibus talia irridentibus, & fidelibus hæc lugentibus, graviſſimum moveatur. Imperatori qui ſibi in memoriam revocavit *ſententiam Principis Apoſtolorum, paratos nos ſemper eſſe oportere ad reſpondendum, omni petenti rationem de ea, quæ in nobis eſt* ſpe, prorſus illuſiſſe; pollicitum ſe *omnia facere, quæcunque ſummus Pontifex magnæ Sedis Apoſtolicæ decerneret*, & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſiſſe, *ſe ſequi per omnia Apoſtolicam Sedem.* Verùm his tandem Deum dediſſe finem, veniente in urbem regiam Agapeto, qui indignum uſurpatâ Sede hominem ejecit: Eccleſiæ decus ſuum reddidit conſecrato Mennâ: paternam ſed indulgentiam exhibuit, conceſſâ ad reſipiſcendum morâ; decrevitque ni ſatisfaceret iis, quæ à Patribus de doctrina & Canonibus ſunt definita, ipſum non habere nomen Catholici, neque Sacerdotis. Synodum volente Imperatore coactam latenti obtuliſſe remedia, factâ proſcriptione publicâ: *Cùmque in his omnibus ipſum ad converſionem adducere non potuerimus, apertam hanc ſuæ hæreſis demonſtrationem accipientes, ſequenteſque ea, quæ à beatiſſimo Papa benè examinata ſunt, conſpicimus, ſi hic vobis aſtaret, omninò ipſum tanquam membrum inutile & putridum abjici de corpore ſanctarum Dei Eccleſiarum, & extra Epiſcopatum Trapezuntinum eſſe, & alienum ab omni ſacra dignitate & efficacia, & juxta ipſius ſanctiſſimi Papæ ſententiam à Catholica appellatione.* Mennas Synodi Præſes huic ſententiæ conformem ſuam effecit, plura de Anthimi & impietate, & contumacia locutus: *Anthimum conſtitum extra Pontificatum Trapezuntinum decernimus, & ipſum alienum eſſe ab omni ſacra appellatione ſimul & dignitate.* Germana Anthimi, & ſi verum placet, una ſolaque abdicatio hæc eſt, cùm Agapeti ſententia pura non eſſet, & decretoria; ſed ex conditione pendens, cui ſi obtemperaſſet Anthimus, Epiſcopatum adhùc Trapezuntinum adminiſtraſſet. Cùm Synodus ſurrexiſſet, Orientales & ex aliis regionibus Epiſcoporum nonnulli, Monachi quoque, & Clerici è veſtigio clamores ſuſtulere: *Multi anni Imperatoris, multi anni Patriarchæ, Petrum, Zoaram, Severum modò anathematiza; Orthodoxum Imperatorem habes, quid times?* Monachis Hieroſolymitanis chartam porrigentibus univerſi clamant: *Multi anni Patriarchæ, Libellum Monachorum modò ſuſcipe, Libellus modò legatur: eos, qui per domum baptizant, ejice foras.* Verùm Mennas Libelli lectione in aliud tempus delatâ, clamores compeſcuit, oſtenſo nil præter ſententiam Imperatoris eſſe faciendum, cui Clericorum petitiones exponuntur. Aliâ quoque ratione ſilentium clamantibus impoſuit, ductâ ex ſuâ erga Eccleſiam Romanam obſervantiâ: *Nos enim, ut ſcit veſtra charitas, Sedem Apoſtolicam ſequimur, & ei obedimus, & cum illis, qui ei communicant, communicamus: quos verò damnat, eos etiam damnamus.* In his verbis Bellarminus triumphat: *Si totum Concilium Apoſtolicæ Sedi obedire ſe profitetur, certè Apoſtolica Sedes toti Eccleſiæ cum autoritate præeſt.* Qui error à nobis diſſimulari non debet, cùm verba hæc non ſint Concilii, ſed Mennæ, poſtquam Patres ſurrexerant, qui motu ſuo abſque deliberatione prævia ea protulit. Neque hîc autoritati Eccleſiæ Romanæ ſeritur, aut metitur, cùm quamlibet Eccleſiam recta docentem, juſtaque & bona ſancientem ſequi debeamus, quia pietati mos ſemper gerendus eſt, atque rationi. Ad utramque verò de Anthimo Agapeti Decreta ad amuſſim quadrabant.

Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 13.

Nùm Synodus contra Severum coacta, una, vel diverſa ab ea, quâ damnatus Anthimus, dici debeat?

XXIII. Promiſſis Mennas ſuis non defuit, utpote qui quæ Imperatori ſe dictorum pollicitus fuerat, ea nunciarit, ut Hæretici Severus, Petrus atque Zoaras damnarentur. Juſtiniano quoque Libellum ſupplicem obtulit Paulus Apamearum Epiſcopus, quo & Neſtorium Idololatram, qui Chriſtum dividebat, & Eutychem cum Dioſcoro ſe prorſus rejicere teſtabatur. Imperatorem & rogabat, cujus diademati pura incontaminataque veritas ornamento erat, ut ſuo regno eos pelleret, qui fidem à quatuor Synodis, & Leone Papa ſtabilitam repudiabant.

Anthi-

Anthimum, Severum & Petrum anathemate percutiebat. Scripto quoque ſuo Monachi ſecundæ Syriæ Juſtinianum adierunt, ut eum Petro & Severo furentem Zoaram à Synodo, cui Epiſcopi Italiæ adeſſent, damnari juberet. Votis annuit Princeps, Synoduſque pridie Nonas Junias in urbe regia cogitur. Hinc exoritur quæſtio, utrùm una eademque cum illa ſit, quâ Anthimus Epiſcopatu motus eſt, vel diverſa debeat appellari? Unam eſſe vocandam, his rationibus oſtenditur. Petri, Severi, & Zoaræ Anathema, cùm Clerici in Synodo, quæ eſt Majo labente adverſus Anthimum coacta flagitaſſent, Conventus, qui poſtmodum celebratus eſt, cùm & iiſdem Epiſcopis conſtaret, & eodem Præſide uteretur, & in eadem urbe cogeretur, pro eadem potius continuata Synodo, quàm pro diverſa habetur. Quibus accedit, quod in Novella Juſtinianus ſua Anthimum cum Petro, Severo & Zoara damnaverit. Diſtingui tamen Concilia hæc Monachis placuit in ſuo ad Mennam Libello, cujus verba ſunt: *In Libellis à nobis ſanctiſſimo Papa Agapeto oblatis, & coram veſtra beatitudine in prima Synodo lectis.* Exiſtimarunt igitur, quæ in Anthimum congregata fuit, ab illa diverſam eſſe, quæ poſt menſem in Petrum, Severum, & Zoaram eſt convocata, quia variæ utrique cauſæ fuerunt. Sed parum in ea quæſtione momenti, cùm ſive una continuata, ſive altera dicatur, nullum aut Chronologiæ, aut hiſtoriæ periculum immineat, licet congruentiore fortè vocabulo poſterior appellaretur, cùm in priore Anthimi negotium finem acceperit.

Conſt. Syn. Act. 5.

Libelli Monachorum, variaque in Severum & Petrum Acta leguntur.

XXIV. Poſt Conſulatum Flavii Beliſarii, *pridie Nonas Junias*, feriâ IV. in eundem locum Patres venere, ubi damnationem elapſo menſe in Anthimum torſerant. Eundemque jubente Imperatore ordinem ſedendi habuerunt, quem in priore Conventu occupaverant. Tum *Euphemius* Diaconus Notariorum Primicerius, Synodum monet adeſſe pro foribus Monachos, & Conſtantinopolitanos & Hieroſolymitanos, expectantes ut ingreſſus ſibi concederetur. Qui jubente Mennâ unà cum Theodoro Referendario introducuntur. Rogatus Theodorus cauſas ſui adventus exponere, dixit ab Imperatore ſibi mandatum eſſe, ut tam Libelli, qui à Monachis regiæ Majeſtati oblati erant, quàm ipſi Monachi ad Synodum adducerentur. Porrectas à Theodoro preces *Dorus* legit Diaconus, Libellum ſcilicet Pauli Apamearum Præſulis, nec non illum, quem Monachi confecerant, de quibus mentionem egimus. Dimiſſo Theodoro, Diodorus oblatam Synodo Monachorum ſupplicationem recitare cœpit, quâ Severi, Petrique ſcelera continebantur. Violenti & in Abbatis, & in Sacerdotes impetus, ut vel in Chalcedonenſes Præſules, atque Leonem anathema torquerent: fracturæ digitorum, quibus ſancti viri altaria tenebant, ad quæ veluti azylum confugerant: homicidia in Eccleſiæ ſinu perpetrata: ſtructæ Judæorum ope adverſus Monachos inſidiæ. In Severum aſperè etiam invehuntur, in juventute ſua veneficum, & in civitate Berytenſi Dæmonibus ſervientem. Baptiſmi, quem in Martyris Leontii Templo apud Tripolitanam civitatem ſuſceperat, violatorem, cùm è veſtigio Acephalorum ſectæ adhæſerit, neque Zenonis Henoticum admiſerit. *Petrum* Mongum Diptychis Antiochenis inſeruerit; *Petrum* verò Apameenſem proſcindunt, ut diſſolutum hominem, quem luxuria ſequebatur, cuique venter Deus erat. Neque *Zoaræ* parcunt, imperito nebuloni, ſuperbiæ, omniſque injuſtitiæ pleno, qui id unum ſciebat, quòd à Magiſtris didicerat, nempè viros ſanctos anathematibus obruere. Rogant ergo Synodum, ut Severum & Petrum, præcipuè Zoaram, qui majores in Eccleſia turbas dedit, anathematibus feriant. Lecto Libello, Mennas ab Italis Epiſcopis requirit, quid in ea cauſa conſtitutum erat. *Minas* verò Eccleſiæ Romanæ Notarius binas Hormiſdæ Epiſtolas legit. Priorem ad Archimandritas, & Orientis Monachos anno DXVIII. quinto Idus Febr. miſſam, quâ ſtatuerat, Xenaiam Hieropolitanum, Cyrum Helladenſem, Petrum Apameenſem *non jam pro ſua tantum, ſed pro aliorum quoque damnatione damnandos.* Poſteriorem Epiphanio Conſtantinopolitano Præſuli, anno DXXI. ſeptimo Cal. Aprilis ſcriptam, in qua hæc habentur: *Perſonam meam, & in hoc oportet inducere, . . . ſic enim & Severi, vel complicum ejus, vel ſimilium abſolvemus errores, nec eorum, qui ſanari potuerunt, diſpendia patiemur.* Peracta Epiſtolarum Hormiſdæ lectione, Mennas ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Notarios converſus, jubet illos ea manifeſtare documenta, quæ cauſæ inſerviant. Quæ per *Ceſmam* Diaconum Chartophylacem prolata ſunt. Ac primùm legitur ſupplicatio Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Synodum contra Severum anno DXVIII. coactam: violentum Chriſtianæ libertatis oppreſſorem, ſacrorum Vaſorum populatorem, qui *columbas aureas & argenteas ſuper divina lavacra & altaria appenſas* ſibi vindicavit. Lectâ ſimiliter Joannis Hieroſolymitani Præſulis ad Joannem Conſtantinopolitanum Synodicâ, quâ Severi Collationem inſtituit cum Ægyptio illo, qui in deſertum induxit quatuor mille ſicarios: neque etiam prætermiſſa eſt Epiſtola Epiphanii Tyrienſium Epiſcopi, labente anno DXVIII. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripta, quâ perditi Severi mores graphicè pinguntur. Profertur etiam Epiſtola Epiſcoporum ſecundæ Syriæ ad Joannem Conſtantinopolitanum, in qua hæc reperiuntur: *Liberavimus animas noſtras, & fideles nobis Eccleſias à Severi, & Petri malitia, quos & abdicavimus, tanquam Hæreſiarchas, & anathemati ſubjecimus, ſeparantes nos ab illorum communione.* Adducta quoque eſt inquiſitio in Petrum Apamenſem Præſide *Palladio Eutychiano*, viro clariſſimo. Inter cætera hujuſce impietatis poſtulabatur, quòd cùm Conſtantinum Laicorum de grege Diaconum creaſſet, id moleſtè ferentibus Lectoribus dixerit: *Quod niſi tacebitis, in Subdiaconos vos ordinabo, & ipſe, qui crucifixus eſt, deſcendens, non liberabit vos à manibus meis.* Quam ſuis Epiſcopis ſupplicationem Apameenſes Monachi adverſus Petrum porrexerant, ea palam eſt recitata. Denique & Conſtantinopolitanæ Synodi à Joanne celebratæ, & Epiphanii Patriarchæ Decreta proferuntur, quibus Petrus & Severus damnationi ſubjiciebantur. Tum in Severum, Petrum, Zoaram, Mennas ſententiam pronunciat, His rationibus extructam.

Horm. Ep. 23.

Horm. Ep. 80.

Conſtantinopolit. Syn. Act. 5.

Synodi ſententia in Severum, Petrum & Zoaram.

XXV. Homines hæreſis labe corruptos, Canones etiam violaſſe omnes, qui ſapienter ſanxerunt, eum, qui à Synodo damnatur, ſacris non antè operari poſſe, quàm in alia Synodo reſtituatur, ſecus nullam ipſi reſtitutionis

ſpem reliquit. Hos verò Severum, Petrum, Zoaram regulas ſpreviſſe: pro nihilo habuiſſe prolatam in ſemetipſos Eccleſiæ Romanæ ſententiam: occultè ea feciſſe, quæ Canonibus pugnant, & Conventicula per domos, Monaſteriaque celebrando, & baptiſmum miniſtrando: *Porro per hæc non ſolùm non eradicatur anathema primò impoſitum à Patribus noſtris, ſed & ex noſtra ſententia, imò verò Canonum auctoritate ſpes reſtitutionis ipſis aufertur, & ut Catholici filii, cùm hoc intelligunt, fugiant illorum errorem, & hæreſim. Propterea igitur ſequentes Sanctorum Patrum noſtrorum ſententias, & Evangelicis ac paternis inhærendo Sanctionibus ſuſcipimus & ſanctiſſimos fratres & Comminiſtros, cum ab ipſis lata fuerit ſententia contra prædictos Severum, Petrum & Zoaram, & alios quicumque communicant ipſis in impietate, ac contra complices ipſorum. Et nos illos per Dominum noſtrum J. C. verum Deum noſtrum, tanquam lupos quoſdam graviter irruentes in ovile Chriſti abjicimus: & conſentanei ſumus ſanctiſſimis fratribus & Comminiſtris noſtris, & ſæpiùs priùs nominatos Severum, & Petrum ſimili anathemate ferimus, non autem ipſos ſolùm, ſed & Zoaram, & alios, qui Conventicula, & parabaptiſmata faciunt.*

Nùm datus Conſtantinopolitano Epiſcopo titulus Oecumenici ſoli Papæ conveniat?

XXVI. Decretis Synodi & prioris in Anthimum, & poſterioris in Severum pondus addidit Juſtiniani Reſcriptum, Mennæ miſſum, quem titulis *Archiepiſcopi & univerſalis Patriarchæ* ornat, quod Baronio diſplicuit, cùm *hoc tantùm ipſe Romani Pontificis in pluribus locis idem ipſe Imperator diſertis verbis ſignificarit.* Obſervat etiam illuſtriſſimus Porporatus, editionem hujus Sanctionis, quæ eſt in tomo ſecundo Conciliorum, *voce illâ univerſali carere.* Non ignoramus quidem Baronium lepidè penſum ſuum curare, ac totis viribus allaborare, ne de Pontificis Romani fulgore minima vel ſcintilla extinguitur. Rectè id quidem, dummodò ſine abſque veritatis injuria, quam utique hiſtoriæ illatam Baronio concedere non poſſumus. Anno DXVIII. Clerici Antiocheni Joannem regiæ urbis Epiſcopum dignitate Patriarchæ univerſalis affecerant: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo Oecumenico Patriarchæ Joanni.* Ipſa Synodus eodem anno Conſtantinopoli congregata, Joannem ſic compellat: *Domino noſtro ſanctiſſimo & beatiſſimo Patri Patrum, Archiepiſcopo & Oecumenico Patriarchæ Joanni Synodus in hac imperiali civitate congregata, in Domino ſalutem.* In Mennæ ſententia adverſus Severum, Petrum, Zoaramque promulgata, ea leguntur, quæ Baronius omiſit: *Sanctiſſimus & beatiſſimus Oecumenicus Archiepiſcopus, & Patriarcha Mennas dixit.* Itaque Juſtiniani Novella, quæ Conciliorum in editione vocem *univerſalis* non habet, manca utique eſt, atque mutila: cùm in Græcis reperiatur, quæ ſunt in Latinum transfuſa: *καὶ οἰκουμενικῷ Πατριάρχῃ.* Nec mirum, Conſtantinopolitanum Præſulem titulo ejuſmodi inſignitum fuiſſe, cùm Chalcedonenſe Concilium privilegia tribuerat iſtis æqualia, quæ Pontifici Romano competebant. Neque Baronium latere debuit, in Epheſino Conciliabulo Dioſcorum *Oecumenici Patriarchæ* titulo ab Olympio Evaſenſi Præſule decoratum eſſe: *Præſente*, inquit, *univerſali Concilio, cui Præſul & primus eſt, ſanctiſſimus Pater noſter, & univerſalis Archiepiſcopus Dioſcorus, magnæ Alexandriæ civitatis.* Quin etiam quem Taraſio Conſtantinopolitano Patriarchæ Epiſtolam Adrianus Papa ſcripſit, in antiqua Anaſtaſii verſione eo titulum habet ejuſmodi *Taraſio generali Patriarchæ.* Si verum volumus, magnificus ille titulus prius Alexandrino, quàm Romano Præſuli inditus eſt: cùm primum legi incipiat, in Libellis Athanaſii Presbyteri, Theodori, & Iſchyrionis Diaconorum, & Sophronii Laici, qui Patribus Chalcedonenſibus Actione Concilii tertiâ oblati ſunt: *Sanctiſſimo & Deo amantiſſimo & univerſali Archiepiſcopo Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.* Atqui triennio antè Dioſcorus Alexandrinus non à Diaconis, non à Presbytero, ſed ab Epiſcopo, *Oecumenicus Archiepiſcopus* nuncupatus fuerat. Verùm de eo titulo iterum ſuo loco diſſeremus.

Bar. An. 536. n. 104.

Conſtantinop. Syn. Act. 5.

Chal. Act. 1. p. 78.

Lex Juſtiniani in Anthimum, Severum, Petrum, Zoaram.

XXVII. Quæ Juſtiniani in Novella notatu digniora ſunt, nunc referamus. Verba ſunt Præfationis: *Rem non inſolitam Imperio & nos facientes, ad præſentem venimus Legem. Quotiens enim Sacerdotum ſententia quoſdam indignos Sacerdotio de ſacris Sedibus depoſuit . . . & toties Imperium ejuſdem ſententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit.* De Anthimo, qui à Synodo damnatus eſt, capite primo hoc ſtatuit: *Sententiam depoſitionis in ipſum à ſancta Synodo factam, occaſione non licite, neque à ſanctis Canonibus approbatâ rapinæ ſacrarum Sedium hujus regiæ urbis, & adverſionis à recto & vero dogmatibus, propriam noſtrum facit imperium, & contra ipſum præſentem ſcribit Legem. Interdicimus autem & ei, commorari in hac felici civitate & ejus deſtrictione, ac in quacumque alia inſigni civitate, ſancimus in quiete eſſe, eos diligere, quibus ſeipſum dignè ſuppoſuit, & non aliquibus communicare, neque eos inducere in perditionem interdictorum dogmatum.* Graviores adhùc Severo pœnas minatur: *Sit itaque & ipſe ſub prædicto anathemate ſuo, quem univerſus Patriarchalis, Pontificalis ac Monachicus, noſtra ut ita dicamus, politia certus juſtè in ipſum induxit, de Theopolitana quidem Eccleſia ejectus . . . Univerſis interdicimus aliquod de libris ipſius poſſideri . . . nec dicta & ſcripta Severi maneant penes aliquem Chriſtianum, ſed ſint profana & aliena ab Eccleſia Catholica, igneque comburantur à poſſidenti, niſi qui iſta habent, velint periculum pati. A nemine ergo ſcribantur, . . . ſciendo quia amputatio manus his qui ſcripta ejus ſcripſerint, pœna erit.* Similiter Petro interdicit regiæ urbis ingreſſu, aut inſignium civitatum. Eadem & Zoaræ pœna irrogatur: *Si quid verò aliud in ſententia ſanctiſſimorum Epiſcoporum continetur, quæ prædictos deponit, & anathematizat, hoc firmum ponimus & dimitt, ac Imperialibus noſtris Legibus ipſum corroboramus, ac ſi ab imperio ipſo proveniſſet.* Data VIII. Idus Auguſti.

Juſtin. Nov. 42.

Concilium Hieroſolymitanum in Anthimum, Severum, &c.

XXVIII. Mennæ dederat Imperator in mandatis, ut ſacram ſuis Metropolitanis Conſtitutionem dirigeret. Opus quoque erat, de damnatis judicium Eccleſiis manifeſtum facere, ne communionis aliquid cum perditis hominibus colerent. Epiſtolam ergo Mennas ſcripſit Petro Hieroſolymitano. Ac primùm ei ſanctitatem gratulatur, ab *Euſebio* Presbytero multis magniſque laudibus commendatam, ut Jacobi throno prorſus dignus videatur. Deinde ipſum hortatur, ut quæ nuper Conſtantinopoli decreta fuerant, iis & aſſenſum præbeat: *Sitis igitur ejuſdem ſententiæ in judicatis à nobis:* neque moram afferat ullam in damnando Severo, Petro, Zoara. Quæ geſta fuerant, ipſi quoque mittit, Epiſcopis etiam, qui Petro ſuberant,

ANNO DOM. 536.

tranſmittendo. Acceptis literis, Petrus Synodum cogit ſuam, cui interfuere Epiſcopi XLV. Tempus Synodi his docetur: *Poſt Conſulatum Flavii Beliſariiglorioſiſſimi XIII. Kalendas Octobris, Indictione XV. in Colonia Ælia Metropoli & Hieroſolymis, præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patriarchâ Petro . . . & aſſiſtentibus ſanctiſſimis Epiſcopis trium Palæſtinarum.* Tum Eliſæus Petri Diaconus refert, & ſacram Imperatoris, & Epiſtolam Mennæ ad Petrum eſſe miſſam: ſcripti utriuſque lectione ob Eliſæo peractâ, jubet Synodus, quæ Conſtantinopoli primùm adverſus Anthimum, quæ deinde adverſus Severum, Petrum & Zoaram geſta fuerant, recitari. Quo facto, Petrus contra Anthimum ſententiam promulgat ſuam, *quòd non ſolùm ab Epiſcopatu Trapezuntino cecidit, ſed & ab omni Pontificali dignitate & efficacia, cùm ſeparatus ſit ab omni corpore ſanctiſſima Eccleſia.* Quæ ſine dubio adverſus Severum, Petrum, Zoaram damnatio quoque pronunciata eſt, ea deſideratur.

Anthimo ſuadet Severus ut Epiſcopatu abeat.

XXIX. Intereà *Anthimus* continebat ſe in occulto, opinioni ſuæ, quam veram putabat, gloriam & dignitatem poſtponens. Quam ſibi perſuaſionem ut firmiorem efficeret, adjumento fuit ille *Severus*, qui eo ipſo anno, quo autoritate tum regiâ, tum Eccleſiaſticâ obruitur, clanculum Conſtantinopolim ingreditur, ut ex ipſius ad Imperatorem, Theodoramque Auguſtam literis monemur, quarum ſummam oblivioni exemit Evagrius: *Scribit, ſe cùm veniſſet Conſtantinopolim, collocutum eſſe cum Anthimo. Cùmque illum cum ipſo ſentire, eandemque de Deo opinionem tueri deprehendiſſet, perſuaſiſſe illi, ut Sedem ſuam relinqueret. Scripſit etiam his de rebus literas ad Theodoſium Epiſcopum Alexandria, in quibus gloriatur, quòd eidem Anthimo perſuaſerit, ut ejuſmodi dogmata ſeculari gloria, & Pontificali Cathedra anteponeret.*

Evagr. l. 4. c. 11.

Nonnus pro Origene turbas in Palæſtina movet. Theodorus Cæſareæ creatur Præſul. Quis?

XXX. Dum in Oriente verſamur, quæ gravis Palæſtinenſibus Eccleſiis incubuit procella, non eſt oblivioni tradenda. Mortuo *Sabâ*, quinta Decembris, anno DXXXII. quem extremum agens ſpiritum Lauræ ſuæ Præfectum dixerat *Melitas*, ejus adminiſtrationem ſuſceperat, quam & quinquiennio habuit. Quo labente fluctus Origeniani vehementer commoventur. Rem Cyrillus exequitur Scythopolitanus: *Abbate Melitâ divinum ſenis gregem, quem in vigore & proſperitate acceperat, regente, lupi eum labefactari erant, niſi Principis Paſtorum Chriſti Dei noſtri viſitatio conſervaſſet.* Quam diu *Sabas* inter homines fuit, una Monaſteriis omnibus fides erat. Eo defuncto, ovile ejus ad anguſtias redigitur imperitiâ Paſtoris: *Nonnus enim, & Sectatores ipſius, obitu Patris noſtri Saba in occaſionem arrepto, errores, quos in imo corde occultabant, divulgaverunt. . . . Neque ſolùm cunctos Nova Laura peritiores ad impuram ſuam hareſim attraxerunt, ſed etiam eos, qui Martyrii Monaſterium & Firmini Lauram incolebant, jam eorum patribus mortuis, Firmino ac Sozomeno beatis, qui divini ſenis diſcipuli & concertatores fuerant. Neque hoc tantùm, verùm etiam brevi tempore in maximam Lauram, cateraque ſolitudinis Monaſteria pravam valuerunt Origenis doctrinam ſpargere. Eodem porrò tempore Domitianus Monaſterio Martyrii Præfectus, & Theodorus, cognomento Aſcidas, Neolauritarum Dux & Princeps, uterque Origenis lue affatim infecti, Conſtantinopolim navigarunt, ubi ſimulantes pugnare ſe pro Synodo Chalcedonenſi, ex commendatione ſuprà memorati Leontii Byzantini Euſebio Papa adjunguntur, ac per eum piiſſimo noſtro Imperatori.* Cum igitur gratiâ apud Juſtinianum pollerent, Domitianus Ancyræ in Galatia, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopatum accipiunt. Inde *Nonnus* majore potentiâ pollens, ſtudioſè per Palæſtinam Origeniſmi ſemina diſpergit. Dum hæc geruntur, Abbas Melitas, qui Sabæ Monaſterium quinquiennio obtinuerat, fato conceſſit. Mors ea in labentem annum incidit, quia Melitas menſe Decembri anni DXXXII. Præfecturam inierat ſuam. Defuncto ſuccedit *Gelaſius*. Origeniſtarum tumultus Synodo Oecumenicæ, quæ anno DLIII. in urbe regia celebrabitur, materiam præbuit. Cæterùm Theodorus Aſcidas, in gratia apud Imperatorem poſitus, neglectâ Epiſcopatus ſui curâ Conſtantinopoli crebrò verſabatur. Hoc ei exprobrat Vigilius in illa, quam adverſus Theodorum ſententia tulit: *Tu, Theodore, Cæſarea Cappadocia civitatis Epiſcope, qui hactenùs ab ordinationis tua tempore, unius anni ſpatio in Eccleſia, cujus gubernacula ſuſceperas, non paſſus es reſidere.* Origeni maximè favebat, Origeniſtarumque ſectæ, quæ *Iſochriſtorum* vocabatur, patronum ſe præbens, in ſectam Origeniſtarum alteram, quæ *Protoctiſtarum* appellabatur, invectus eſt, quam etiam vexavit, teſte Cyrillo in vita Sabæ, c. 89. Theodorum bis coloribus Liberatus pingit: *Theodorus dilectus & familiaris Principum, ſectâ Acephalus, Origenis autem defenſor acerrimus, & Pelagio amulus.* Exiſtimamus tamen Theodorum Acephalis inimicum fuiſſe, injuriâque eorum ſectæ inſeri. In Edicto Juſtiniani quidem, cujus Autor fuit, parcit Origeni, & Acephalos damnat. Ea Epiſcoporum, qui tria Capitula rejiciebant, fato fuere, ut ab adverſariis ſuis in Acephalis collocarentur.

Vita Saba, c. 83.

Liberat. c. 23.

Silverius Pontifex creatur. Nùm Simoniacus?

XXXI. Quid porrò rerum Romæ gereretur, ubi fama nunciavit optimum Pontificem Agapetum vivendi curriculum confeciſſe, nunc exponamus. Mortuo ſucceſſor dandus erat; ad id honoris Silverius evehitur. Nondum vitâ abierat *Theodatus*, Rex Gothorum, cujus favore, quem datâ pecuniâ ſibi emerat, Epiſcopatum obtinet, ſi Anaſtaſio fides: *Silverius, natione Campanus, ex patre Hormiſda Epiſcopo Romano, ſedit annum unum, menſes quinque, & dies XI. Hic levatus eſt à tyranno Theodato, ſine deliberatione Decreti. Qui Theodatus, corruptus pecunia data, talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent ejus ordinationi, gladio punirentur. Sacerdotes quidem non ſubſcripſerunt in eum, ſecundum morem antiquum, neque Decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam autem ordinato Silverio, ſub vi & metu, propter adunationem Eccleſia & religionis, poſtmodum ſubſcripſerunt Presbyteri. Poſt menſes verò duos nutu divino extinguitur Theodatus tyrannus.* Vacillat tamen hujus hiſtoriæ fides, cujus ne vel tenue eſt ſive in Continuatore Marcellini, ſive in Liberato veſtigium. Imò cum Beliſarius *convocatis Presbyteris & Diaconibus & Clericis omnibus mandavit, ut alium ſibi Papam eligerent*, id pro luſu habebatur. Ad pellendum Silverium ſatis fuiſſet Simoniaca illegitimaque ordinatio, neque opus inſidiis, quæ ipſi quaſi Gothis faventi ſunt comparatæ. Cæterùm Silverius ſolo *Subdiaconi* munere fungebatur, cum Pontificali in Cathedra collocatur. Auditâ Agapeti morte, *Romana civitas Silverium Subdiaconum, Hormiſda quondam Papa filium elegit ordinandum.* Errat Onuphrius, qui Silverii crea-

Anaſt.

Liberat. c. 22.

Id. ibid.

Anno Dom. 536.

creationem in XCII. Cal. Auguſt. anni ſuperioris confert, quo tempore conſtat Agapetum nondum mortis ſolviſſe debitum. Schelſtratus medio ſecuturi anni Decembri Silverium ordinatum eſſe tradit. Citius tamen ad Pontificatum evectum eſſe cenſemus, quem Theodati favore conſecutus eſt. Spatio temporis aliquo jam Epiſcopum egerat, cùm urbem *nono Decembris* Beliſarius ingreſſus eſt. Ea quoque Chronologia pugnat tum Marcellini Chronico: *Iterum poſt Conſulatum Beliſarii*, hoc eſt, anno Dom. DXXXVII. *Papam Silverium Beliſarius ab Epiſcopatu ſummovit, & loco ejus Vigilium Diaconum ordinavit.* Menſem diemque Pontificatus Silverii natalem in obſcuro jacere cenſemus.

Silverii ad Vigilium Epiſtola ſubdita eſt.

XXXII. Animi conſtantiâ, calamitatibuſque ſuis, quas immeritò paſſus eſt, famam Silverius ſuam memoriæ commendavit. Extant geminæ ipſius nomine Epiſtolæ; prior ad *Vigilium*, poſterior ad *Amatorem* Epiſcopum: priorem anno DXXXIX. ab exule ſcriptam fuiſſe, Baronius prodit. Nos utramque falſam non injuriâ exiſtimamus. Anathematis in Vigilium fulmen torquet larvatus ille Silverius verbis ejuſmodi: *Habeto cum his, qui tibi conſentiunt, pœna damnationis ſententiam: ſublatumque tibi nomen & munus miniſterii, agnoſce S. Spiritus judicio, & Apoſtolicâ à nobis auctoritate damnatus. Data XIII. Kal. Julii, Principe Baſilio.* Sententiæ verò ſubſcriptio hæc addita eſt: *Cælius Silverius, Papa urbis Romæ, huic Decreto anathematis in Vigilio pervaſore facto, ad omnia ſtatuta conſenſum præbens ſubſcripſi. Pariter & quatuor Epiſcopi ſubſcripſerunt, id eſt, Terracinenſis, Fundanus, Firmanus, & Minturnenſis. Data eſt Chartula per Anaſtaſium Subdiaconum.* Hinc argumenta naſcuntur plurima ad coarguendam Epiſtolam. Excommunicationis verba ipſiſſimam damnationis à Felice II. in Acacium ſententiam referunt. Falſa nota Conſulatus: quid ſibi vult, *Principe Baſilio*? Falſum in exilio agentem Silverium Synodum congregare potuiſſe de damnando Vigilio. Dum Pataram incolebat, nil ſanè juris habuit, ut in ea civitate quatuor ex Italia Epiſcopos convocaret. Poſtquam verò permittente Juſtiniano Romam rediit, è veſtigio defenſoribus Vigilii traditus *in Palmariam Inſulam adductus, ſub eorum cuſtodia defecit inediâ.* Eo loci, quo Silverius erat, potuitne & Concilium congregare, & vigilantes cuſtodum ſuorum oculos fallere? Res Silverii accuratè ſatis Liberatus memorat, qui de indicto ad damnandum Vigilium Conventu, quæ felix erat & ſplendida in narrationem materia, profundum ſilentium egit. Denique Vigilius ficti ab Epiſtola Silveriana criminis poſtulatur: *Quia cruentis humano ſanguine manibus deceſſoribus noſtris pervicacia tua ſubripiens, Leviticis præſumpſeris excubare miniſteriis, plerique norunt Fidelium.* Mittamus orationis barbariem indignam Silverio. Quis ſibi inducat in animum, Agapetum Vigilii miniſterio uſum eſſe, ut in urbe regia Legatum ageret, ſi tot ſceleribus aſtringebatur, quæ in ore erant omnibus penè Chriſtianis.

Liberat. c. 22.

Amatoris ad Silverium, & Silverii ad Amatorem Epiſtola ſubdita eſt.

Bar. An. 539. n. 5.

XXXIII. Poſterior Silverii Epiſtola ad Amatorem, quem *Auguſtodunenſem* Epiſcopum Baronius putat, ſanctitate clarum, reſponſio eſt. Scripſerat Amator: *Miſimus parva munuſcula, id eſt, argenti libras triginta ad veſteam, veſtrorumque ſuſtentationem.* Tanta liberalitas digna certè fuit Pontificis Epiſtolâ: *Data eſt IX. Kal. Decembr. Juſtiniano V. & Beliſario viris clariſſ. Coſſ.* Quâ vel Conſulari notâ falſi Epiſtola coarguitur. Quin etiam Theodotam Auguſtam falſo nomine induit, quam *Patriciam* perpetuò vocat. Synodi quoque à ſe in vinculis coactæ meminit, ad Vigilium anathemate feriendum. Denique pugnat Liberato, cujus verba ſunt: Silverius *ad Palatium venit. Qui ſolus ingreſſus, à ſuis ulterius non eſt viſus.* At lacvatr Silverii in Epiſtola legitur, Beliſarius *ad primum & ſecundum velum retinuit omnem Clerum, & populum, qui mecum veniebat.* Neque veriorem *Amatoris* ad Silverium Epiſtolam putamus, cujus patrocinium immeritò Baronius ſuſcipit. Quam barbarus ſanè ſtylus falſi coarguit: *Precamur quoque, ut per veſtram Epiſtolam nobis remandare non dedignemini, qualiter circa vos ſit actum.* En jecur Ciceronis! En Atticam eloquentiam! Siccine *Amator*, Epiſcopus inſignis loquebatur? Deinde Pataram Amatoris munera miſſa eſſe quis credat? Eò tamen mitti debuere, ſi fides Epiſtolæ: *A quibuſdam, pater dilectiſſime, illis partibus adventantibus audivimus, vos à Sede Sancti Petri injuſte pulſum, exilio deſtinatum.* Silverius ſanè prius *Patarâ* dimittebatur, quàm exilii fama ad Amatorem perveniret. Audito quippe Patarenſi Epiſcopo, ſubinde Juſtinianus Silverii ſolvit exilium: *Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium juſſit.* Amator quidem exilii locum prius noſſe debuit, quàm & munera, & literas mitteret exuli. Tam ergo Amatoris ad Silverium, quàm Silverii ad Amatorem Epiſtolam ad Iſidori Mercatoris merces relegamus. Solâ igitur animi firmitudine, pietatiſque amore, non ſcriptis famam memoriæ ſuam Silverius commendavit. Anno ſequente in exilium à Beliſario truditur.

Liberat. c. 22.

ANNO U. C. 1290. OLYMP. 329. PER. JUL. 5250. JUL. 582. DOM. 537. JUSTINIAN. 10. & 21. VITIG. 2. *Sol.* C 4. D. *Lun.* 6. *Indict.* 15. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 4. P. 12. *April.*

Anno Dom. 537.

COSS. *Poſt Conſulatum Beliſarii II.*

Vitiges ad urbem obſidendam properat.

I. Vitiges accepto nuncio Beliſarium urbis potiri, diſceſſus ſui pœnitentiâ ductus, in furorem convertitur. Sentiebat ſanè Græcis Romam occupantibus, de rebus Gothicis in Italia prorſus actum. Collecto igitur numeroſo exercitu, qui equitum & peditum CL. millibus conſtabat, armorum apparatu inſtructorum, Romam magnis itineribus properat. Eunti florentes copiæ ſpem tam læti ſucceſſus injecerant, ut etiam vereretur, ne maturata Beliſarii fuga adventum ejus præverteret. Itaque cùm in itinere ex Sacerdotibus unum ſibi obvium habuiſſet, ſciſcitatum tradunt, nùm Romæ adhùc Beliſarius ageret? Neque ſemel, ſed iterum illud ipſum rogaſſe, utpote cupidum obſidendæ prius urbis, quàm Beliſarius elaberetur. Ubi verò audivit Beliſarius, conjunctis viribus Gothos urbi minitari, ſubinde Conſtantiano & Beſſæ mandat, ut in Thuſcia tantum militum relinquerent, quantum locis tuendis opus erat: ipſi verò cum cæteris copiis confeſtim ad ſe advolarent. Interea Vitiges urbi appropinquans, ſtadiis ad ſummum XIV. aberat, cùm extructam ponti turrim invenit, præſidio defenſam, ut retardato Gothorum impetu plus Beliſario temporis eſſet ad auxilia urbi comparanda. Hærentibus Barbaris, nùm in alterum diem turrim oppugnarent, ani-

mos

mos addit *Innocentius*, qui cum transfugis equitibus viginti duobus ad eos acceſſit. Tranſire volentibus auxilio fuit præſidii ignavia, noctu fugam capeſſentis præ timore, quem Gothorum multitudo incuſſerat. Dum Gothi flumen trajiciunt, ſuorum, qui in Campaniam ſeceſſerant, ignarus vecordiæ Beliſarius, in hoſtes incidit. Tum neglecto Ductoris officio, militis in morem cum tranſeuntibus ſibi certamen inſtituit. Ac transfugæ magnis clamoribus hortari, ut in *valam*, hoc eſt, gilvi coloris equum tela torquerent, gnari cum Beliſario, Juſtiniani fortunam, reſque caſuras. Periclitanti armigeri auxilio fuere, qui undique volantes ſagittas clypeis ſuis excipiebant. In ea pugna cecidit Maxentius, inter Beliſarii armigeros vir fortiſſimus: deſiderati etiam complures militiâ præſtantes, ex Gothis verò circiter mille perierunt. In novum adhùc periculum venit Beliſarius. Romani, qui Gothis numero inferiores erant, circa Salariam portam ad urbis mœnia compulſi pervenerant. Veriti cuſtodes, ne hoſtes intra urbem reciperentur, portam aperire fugientibus nolunt: præcipuè quia rumor erat, jam occubuiſſe Ducem, inter primos egregiè dimicantem. Tum Beliſarium audax cogitatio ſubit, ut cum ſuis agmine facto hoſtes invaderet. Qui cùm in ſeſe diſperſos incompoſitoſque impetum fieri ſentirent, ſuſpicati novos ex urbe milites laborantibus opitulatum veniſſe, correpti formidine, effuſo omnes mox curſu fugam capeſſunt. Sic Beliſarius cum ſuis in urbem recipitur.

Proc. Goth. l. 1. c. 15.

Urbis obſidio. Quo menſe incepit?

II. Poſtero die Gothi admovent obſidionem urbi. Quo verò menſe, in ſententiis ponitur. *Menſe Martio* obſidionem incepiſſe, narrat Baronius, anno DXXXVIII. n. 8. Cujus Chronologiam amplectuntur Noriſius atque Petavius. Ea tamen ſententia pugnat Procopio, cujus verba ſunt: *Gothi de his, quæ Arimini geſta fuiſſent, facti jam certiores, etſi menſium trium induciæ factæ extiſſent, ab urbis Romæ expeditione diſcedunt. Jamque ſe circumegerat æſtas, cùm annum Barbari & dies novenos urbem circumſediſſent.* Neque temporis ſatis fuiſſet à menſe Decembri jam adulto, quo nuncius Vitigi allatus eſt, Beliſarium urbis potiri ad Martium uſque proximè ſequentem, ut ea parentur omnia, quæ exercitui CL. millium militum erant neceſſaria. Ex laudato Procopio ſequeretur, obſidionem provectâ jam æſtate incepiſſe. Ex hiſtoriæ tamen circumſtantiis citius obſidio inchoata videtur. Ac eo propendet animus, ut in Procopio numeri corrupti ſint. Disertè quidem Jornandes ſcribit: Vitigem *poſt* XIV. *menſes ab obſidione Romanæ urbis aufugiſſe.* Unde probabile exiſtimamus, Procopio & Jornande inter ſe collatis, labente Julio obſidionis initia contigiſſe. Porrò cùm Gothi Romæ amplitudinem ſuo exercitu complecti non poſſent, ſenis poſitis caſtris, portarum quæ in muro ſunt quatuordecim, intercapedines infeſtant; ædificia, quibus aqua in urbem invehebatur, omnia mox interſcindunt. Erant aquæductus XIV. qui defluente undâ molas exercebant, qui cùm interrupti forent, obſeſſos ad alimentorum inopiam adigunt. Calamitati remedium affert Beliſarii induſtria, excogitatis machinis, quæ defluentibus per pontis fornicem aquis molas circumagebant. Quod ubi hoſtibus in notitiam venit, conjectis & arborum ſtipitibus, & interjectorum cadaveribus, machinas diſſolvunt. Ne hic ſuâ Beliſarium ſolertiâ deficit, qui ferrearum

Proc. Goth. l. 2. c. 8.

catenarum objectu voluta & ligna, & corpora ſiſtebat, quæ mox ab iis, quibus datum erat negotium, in terram trahebantur. Verùm vulgus belli inſolens, cùm nec corpora balneis curare, nec ſordes ubis abſtergere poſſet, ad hæc rerum neceſſariarum inopiâ premeretur, aliundè Barbaros aſpiceret, qui latè agros omniaque popularentur, palam Beliſarium increpare, quòd viribus impar, Gothos laceſſitum iviſſet. Quod cùm Vitigi compertum fuiſſet, Oratores mittit, quorum præcipuus Sallem vocabatur, qui liberam Beliſario cum ſuis & hominibus, & facultatibus abeundi quò vellet copiam facerent, civibus verò indulgentiam pollicerentur. Quibus magnanimitate veteri illi Romanorum non impare Beliſarius reſpondet, futurum aliquando tempus, ut Gothis ne vel inter ſenticeta quidem capita occultandi ulla uſpiam facultas eſſet. Quæ prædonum more olim invaſerant, legitimis nunc dominis in poteſtatem rediiſſe: neque fieri poſſe, *vivens hanc Beliſarius urbem ut deſerat.* Jam diebus XIX. perdurabat obſidio, cùm Vitiges arietes admovere jubet. At Beliſarius irriſâ Barbarorum veſaniâ, qui ad mœnia boves ipſorum machinas trahentes, deducere ſe poſſe ſperabant, telis & homines & animantia ſternit. Cùm hac viâ non ſucceſſiſſet, aliâ aggreditur Vitiges. Adortam per Adriani molem, tenui ſanè præſidio defenſam, penè urbem ceperant, cùm Romani diſtractis marmoreis ſimolachris, quibus ſepulchrum ornabatur, ex eorum fragmentis ingentia ſaxa hoſtium in capita devolvunt. Ludit in humanis ſæpè ſuperſtitio rebus. Murorum partem fuiſſe aliquam B. Petri ſub tutela, narrat Baronius, & ex Procopio probat. Scilicet cùm muri partem, quæ *Pinciana* portæ proxima eſt, Beliſarius demoliri vellet, & denuò reſtituere, quia lapidum compages diſſolvebatur, obſtitere Romani, affirmantes, Petrum ejus loci tuendi pollicitum, curam ſe ſuſcepturum, quod ex voto ſucceſſit. Vis quippe nulla ad eum locum pervenit. Quod cùm miraculi loco habitum ſit, *nec ſarcire quidem in poſterum quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt.* Ut orationi parcamus, Chronici Marcellini de Romana obſidione verba apponamus: *Tempore longo Romam obſidente Vitige, Beliſarius intus inediâ, vigiliiſque laborans, auxilium ab Imperatore depoſcit. Cui directi ſunt Martinus & Valerianus, uterque Magiſter Militiæ, nec ſic tamen Vitiges obſidionem reliquit*, quam in annum uſque ſequentem protraxit. Narrat Procopius, Valerianum & Martinum in Ætoliæ locis & Acarnaniæ hyemaſſe cum claſſe ſua. Cujus profectionem cùm Beliſario Imperator ſignificaſſet, id nuntii ad ſuſtinendam obſidionem Romanorum mentibus vires addidit.

Bar. An. 538. n. 2.

Proc. Goth. l. 1. c. 18.

Proc. Goth. l. 1. c. 19.

Silverius Epiſcopatu ejectus Pataram mittitur.

III. Candidis animis dolorem præbent in conſpicuo poſita, quæ Silverio injuriæ contigerunt, non ſine Beliſarii dedecore, qui facto hoc ſuo egregia ſanè facinora deturpavit. Theodoræ Auguſtæ angebat animum Anthimi, cui maximè favebat, abdicatio: nec ullum lapidem non movebat, ut Sedi Conſtantinopolitanæ reſtitueretur. Beliſario ſcripſerat, ut ad obtinendum Romanum Pontificatum Vigilio adjutor eſſet. At quam Vigilius dignitatem inhiabat, quaſi eſuriens lupus jam Silverius occupabat. De cupiditate ſua tamen nil remiſit Vigilius, quam objectum ſibi impedimentum potius inflammat. Itaque premia Beliſario pollicetur, ſi ejecto Silverio ſufficiatur. Tragœdiæ hæc ſunt initia,

ANNO DOM. 537.

Liberat. c. 22.

quam Liberati verbis totam exponere juvat : *Beliſarius evocans Silverium ad Palatium, intentabat calumniam, quaſi Gothis ſcripſiſſet, ut Romam introirent. Fertur autem, Marcum quendam Scholaſticum, & Julianum quendam Prætorianum ſictas de nomine Silverii compoſuiſſe literas, Regi Gothorum ſcriptas, ex quibus convinceretur Silverius, Romanam velle perdere civitatem. Secretò autem Beliſarius, & ejus conjux perſuadebant Silverio, implere præceptum Auguſtæ, ut tolleretur Chalcedonenſis Synodus, & per Epiſtolam ſuam Hæreticorum firmaret fidem. Qui mox de Palatio egreſſus, quid de eo fieret, Conſiliariis ſuis locutus eſt. Et veniens contulit ſe in Baſilicam B. Mariæ Sabinæ, ibique manebat, ubi & directus eſt ad eum Photius, filius Antoninæ patriciæ, ut præſtito ſacramento invitaret eum venire ad Palatium. Qui autem Silverio aſtabant, perſuadebant ei, ne Græcorum crederet juramento. Ille tamen exiit, & ad Palatium venit. Et illâ quidem die pro juramento ad Eccleſiam redire permiſſus eſt : ad quem rurſus mandavit Beliſarius, ut ad Palatium veniret. Qui de Eccleſia exire nolebat, dolos ſibi præparatos agnoſcens. Sed poſteà orans, & cauſam ſuam Domino commendans exiit, & ad Palatium venit. Qui ſolus ingreſſus, à ſuis ulterius non eſt viſus. Et aliâ die Beliſarius convocatis Presbyteris, & Diaconibus, & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium ſibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus, favore Beliſarii ordinatus eſt Vigilius.* Fuere nonnulli, qui Gothis Silverium faviſſe tradiderunt. Id ſanè in Marcellini Continuatore legimus : *Vitigi tunc faventem Papam Silverium Beliſarius ab Epiſcopatu ſummovit.* Ac ſanè religione juramenti ſui conſtrictus Silverius, Gothorum in partes animum inclinare potuit. Urbe quippe diſcedens Vitiges, ut fidem Gothis ſervarent, Romanos graviſſimo juramento adegerat. Cauſâ quoque ſuſpicionis Silverium pulſum eſſe, narrat & Procopius :

Proc. Goth. l. 1. c. 10.

Proc. Goth. l. 1. c. 20.

Obortâ ſuſpicione Silverium urbis Pontificem defectorum ad Gothos, hunc quidem tranſmiſit in Græciam. Nec ſecus & alios quoſdam, & hos Senatorios viros, cùm eadem de cauſa exterminaſſet, ſolutâ deinde obſidione, & recedentibus Barbaris ad propria revocavit. Silverii abdicationi hoc addit Anaſtaſius : *Ingreſſus Subdiaconus Regionarius Regionis primæ, tulit pallium de collo ejus, & duxit eum in cubiculum, & expolians eum, induit eum monachicam veſtem, & abſcondit eum. Tunc Sixtus Subdiaconus Regionis ſextæ videns eum jam Monachum, egreſſus foras nunciavit ad Clerum, dicens, Quia Dominus Papa depoſitus eſt, & factus eſt Monachus. Quod audientes, fugerunt omnes.* Narrationis fides ſit penes Autorem. Illatæ Silverio injuriæ miniſter *Eugenius* vocabatur, teſte arcanâ Procopii Hiſtoriâ : qui de morte Theodoſii, Antoninæ amaſii hæc narrat : *Fuit illi miniſter ſceleris quidam ex famulis, Eugenius nomine, qui commiſſi contra Silverium ſatelles fuerat.*

Proc. Arc. pag. 4.

Silverius Patarâ remiſſus Vigilio traditur. Palmariam relegatur.

IV. Reliquum eſt, ut tragœdiæ finem audiamus ex Liberato : *Silverius autem in exilium miſſus eſt in civitatem Provinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur. . . . Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis Epiſcopus civitatis ipſius venit ad Imperatorem, & judicium Dei conteſtatus eſt de tanta Sedis Epiſcopi expulſione, multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum ſicut ille Papa eſt, ſuper Eccleſiam mundi totius, à ſua Sede expulſus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium juſſit, & de literis illis judicium fieri, ut ſi*

Liberat. c. 22.

probaretur ab ipſo fuiſſe ſcriptas, in quacunque civitate Epiſcopus degeret : ſi autem falſa fuiſſent probata, reſtitueretur Sedi ſuæ. Pelagius vero currens cum voluntate Auguſtæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Silverius Romam reverteretur. Sed prævalente Imperatoris Juſſione, Silverius ad Italiam reductus eſt. Cujus adventu territus Vigilius, ne Sede pelleretur, Beliſario mandavit, Trade mihi Silverium, alioquin non poſſum facere, quod à me exigis. Ita Silverius traditur eſt duobus Vigilii defenſoribus, & ſervis ejus. Qui in Palmariam Inſulam adductus, ſub eorum cuſtodia defecit inediâ. Cùm Liberatus, qui Silverio coætaneus fuit, verbis expreſſis ſcribat eum miſſum eſſe in *Palmariam* Thyrreni maris Inſulam, quid cauſæ fuit Martyrologio Romano, cur in *Pontiam* Silverium relegaret? Liberatum *in nomine Inſulæ* erraſſe, Baronius putat in Martyrologio. Quo teſte ? Quaſi verò Liberatus ex Martyrologio emendi debeat, non Martyrologium ex Liberato. Cæterùm de Silverii in Lyciam relegatione Baronii Chronologia non eſt accurata, anno quippe DXXXVIII. Pataram miſſum eſſe tradit, repugnante Marcellini Continuatore : *Iterum poſt Conſulatum Beliſarii, Papam Silverium Beliſarius ab Epiſcopatu ſummovit, & eo loco Vigilium Diaconum ordinavit.* Eſt etiam incredibile, Vigilium aridis faucibus Epiſcopatui Romano inhiantem, ad annum uſque DXXXVIII. expectaſſe, ut prædâ cupitâ potiretur, cùm biennio antè Agapetus extinctus eſſet. Fons Baroniani erroris eſt, quòd anno tardius uno quàm par erat, obſidionem Romanam retulit, quæ anno non DXXXVIII. ut ſibi fingit, ſed DXXXVII. Joannis ante Conſulatum eſt inchoata. Vitetur & in tranſcurſu error Petavii, narrantis Marcellinum ſcribere Vigilium anno DXXXVIII. Epiſcopum creatum eſſe. Quando Silverius vitæ finem impleverit, non ſatis ſcimus. Ipſius mortem Baronius affigit anno 540. à quo & Vigilii ducit initia. Baronium ſequuntur Petavius & N. Alexander : quibus argumentis prorſus ignoramus. Cùm enim in exilii tempore illuſtriſſimus Purpuratus erraverit, vacillat etiam de ſupremo Silverii anno ipſius Chronologia. Porrò ærumnæ ſuæ Silverio in lucro fuere poſitæ, cùm inter Martyres locum invenerit. Junii vigeſimo ipſius memoria recolitur. De defuncto id in Anaſtaſio legitur : Silverius *deficiens mortuus eſt, Confeſſor factus. Qui etiam ſepultus eſt in eodem loco* XII. *Kal. Junii, ibique occurrit multitudo malè habentium, & ſalvantur.* Cui narrationi fidem prorſus detrahit Liberatus. Quippe *ad Pontianas*, ubi relegatus erat, Silverium & ultimum clauſiſſe diem, & ſepultum eſſe, tradit Anaſtaſius. Quod cùm falſum eſſe ex Liberato audierimus, qui *Palmariam* exuli Inſulam aſſignat, utique veritate cadit Anaſtaſii narratio, apud ſolos credulos ſuperſtitioſoſque autoritatem habitura.

ANNO DOM. 537.

Error Baronii.

Vigilius quis? Ab Imperatoribus ad Pontificatum evehitur.

V. Vigilium, qui Silverio ſucceſſor datur, gloris titillabat. Clarus erat origine, quam à viro Conſulari ducebat, ſi Anaſtaſio fides : *Vigilius natione Romanus, ex patre Joanne Conſule.* Joannem nonnulli illum eſſe putant, qui cognomento *Scytha*, in Oriente Conſul anno CCCCXCVIII. proceſſerat. Sacram penè infulam geſtaverat, cùm Bonifacius anno DXXXI. turbarum pertæſus, quibus ipſius ordinatio concuſſa fuerat, dignitatis ſuæ hæredem ſibi Vigilium ſcripſerat, quem Diaconum fecerat. Ex ea quaſi nutricula, quæ huic homini ambitio inſita erat, incrementi

multum

multum acceperat. Datâ ergo occaſione, turpi ſimoniâ ſacra omnia proculcans, pietatis jura dignitati Pontificiæ poſtponit. Hic teſtem Liberatum adhùc audire juvat, c. 22. *Auguſta vocans Vigilium Agapeti Diaconum, profiteri ſibi ſecreto ab eo flagitavit, ut ſi Papa fieret, tolleret Synodum, & ſcriberet Theodoſio, & Anthimo, & per Epiſtolam ſuam eorum firmaret fidem, promittens dare ei praceptum ad Beliſarium, ut Papa ordinaretur, & dari centenaria ſeptem. Lubenter ergo ſuſcepit Vigilius promiſſum ejus, amore Epiſcopatus & auri. Et factâ profeſſione Romam profectus eſt: ubi veniens invenit Silverium Papam ordinatum.* Hactenùs avarum egerat, & Hæreticum, qui abjectâ Chalcedonenſi Synodo, quaſi gradu utebatur, ut ad mundi honores aſcenderet. Nunc ſcelera hæc novo crimine cumolans, Simoniſque Magi in morem datâ pecuniâ, ſacrum munus ſibi comparato. Pergat Liberatus: Vigilius Beliſario *tradens praceptum Auguſta, promiſit ei duo auri centenaria, ſi Silverio remoto ordinaretur ipſe pro eo,* Favore Beliſarii, cujus cupidus erat dignitatem aſſequitur. Verùm ſtare promiſſis Vigilium auri ſacra fames probibuit, ut tot tamiſque ſceleribus perfidia etiam accederet: *Poſt ordinationem ergo ſuam compellebatur Vigilius à Beliſario implere promiſſionem ſuam, quam Auguſta promiſerat, & ut ſibi redderet duo auri centenaria promiſſa. Vigilius autem timore Romanorum, & avaritiâ patrocinante, nolebat ſponſiones ſuas implere,* His ſceleribus Vigilius famam ſanè ſuam deturpavit. Hinc Facundus contra Mocianum: *De ipſius Epiſcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulſu, cùm fieri arderet Epiſcopus, vel poſteà venalitate parti alteri factis, neceſſarium ducimus non tacere.*

Liberat. c. 22.

B. M. P. t. 10. 311.

Vigilii ad Patriarchas Epiſtola.

VI. Cùm egregiis hiſce facinoribus ad Eccleſiæ Romanæ Cathedram evectus eſſet, hæreticâ Epiſtolâ Theodoſium, Anthimum, & Severum Hæreticos adit, ut Pontificatus ſui initia modis omnibus nobilitaret: *Dominis & Chriſtu Vigilius. Scio quidem, quòd quia ad Sanctitatem veſtram anteà fides mea credulitas Deo adjuvante pervenit. Sed quia modò glorioſa filia mea patritia Antonina Chriſtianiſſima deſideria mea fecit impleri, quòd fraternitati veſtra praſentia ſcripta tranſmitterem. Salutans ergo vos gratiâ, quâ nos Deo noſtro Chriſto Salvatori conjungimur, & eam fidem, quam tenetis, Deo adjuvante & tenuiſſe, & tenere ſignifico, ſciens quia illud inter nos pradicamus & legimus, ut & anima una ſit, & cor unum Deo. Profectus mei quia veſter eſt, Deo adjuvante vobis gaudia maturavit ex mea animo, ſciens fraternitatem veſtram, qua optas, & libenter amplecti. Oportet ergo, ut hac, qua vobis ſcribo, nullus agnoſcat, ſed magis tanquam ſuſpectum, hic me ſapientia veſtra ante alios exiſtimet habere, ut poſſim hac, qua concepi, facilius operari & perficere.* Erat in ſubſcriptione, *Orate pro nobis Deum, mihi fratres, in Chriſto Domino noſtra charitate conjuncti.* Ac ut dignum patellæ operculum apponeret, ſcripta Leonis de duabus in uno Chriſto naturis prorſus reſcindit: *Sub hac Epiſtola Vigilius fidem ſuam ſcripſit, & reſolvens tomum Papa Leonis, ſic dixit: Nos non duas naturas in Chriſto confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum, Deum Filium, unum Chriſtum, unum Dominum.*

Liberat. c. 22.

Epiſtola Vigilii ad Patriarchas non eſt ſubdita. Baronii ſolvuntur rationes.

VII. Cur ea Vigilio Epiſtola aſcribi non debeat, nulli videmus, cùm ſacrilego homine ſit digniſſima, & ad facta Theodoræ promiſſa ad amuſſim quadret. Inſuper Vigilio eam Liberatus tribuit Scriptor illorum temporum: neque ullum eſt Liberati exemplar, in quo deſideretur, ne nobis obtrudant Epiſtolam, ab improbo quodam nebulone eſſe confictam. Fidem ſanè Liberati liberat Victor Tununenſis, qui integram Epiſtolam refert ad annum Dom. DXLIII. poſt Conſulatum Baſilii II. Qui in Liberato titulus mancus eſt & mutilus, in Victore legitur integer: *Dominis & in Chriſti Dei Salvatoris noſtri charitate conjunctis fratribus Theodoſio, Anthemio & Severo Vigilius Epiſcopus.* At Surius, Baronius, Binnius Vigilii hanc Epiſtolam ad ſubdita ſcripta relegant: *Non Vigilii eam eſſe putamus:* ſic Baronius ſciſcit, his rationibus fretus: *Nomine Vigilii ab Hareticis ſcriptas fuiſſe literas, Synodi ſexta Acta teſtantur.* Quid tum poſteà? An ideò falſi dica ſcribenda eſt Scriptoribus Vigilio coætaneis, qui ei hanc indubitanter Epiſtolam tribuunt? Quæ falſa Concilium ſextum perhibet, ab Epiſtola noſtra longè diſcrepant: *Anathema libro, qui dicitur Menna ad Vigilium, & qui eum finxerunt. Anathema Libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram.* Cùm igitur Vigilii ad Anthimum, Theodoſium, & Severum Epiſtolam ad ſubdita Vigilio ſcripta non amandent, quid eſt, cur de ejus veritate dubitemus? Inſtat Baronius: *Inſcriptio Epiſtola ad Dominos, ad Juſtinianum & Theodoram ſcriptam eam fuiſſe demonſtrat.* Hinc colligit, abſonum eſſe, quod ſive *Patrum*, ſive *fratrum* nomine Imperatores Vigilius induerit. Nos quoque inepta hæc eſſe ſentimus: ſed ſi Baronius Victorem Tununenſem legiſſet, ab eo ſanè argumento temperaſſet, quia non Principibus quidem, ſed Patriarchis Epiſtola mittitur. Objicit denique, Autorem contraria ſimul jungere: *Quomodo cum Eutyche & Dioſcoro negat duas in Chriſto naturas, & paulò inferius cum aliis anathema Dioſcoro infert?* Reſpondemus hæc faciliimè conjungi poſſe, cùm Dioſcorus ut Canonum violator, non ut Hæreticus à Chalcedonenſibus damnatus fuerit, quo etiam nomine à Vigilio anathemate percuti potuit: *Qua Dioſcorus* (Concilii verba ſunt) *antehàc Epiſcopus magna civitatis Alexandria, contra ordinem Canonum, & contra diſciplinam Eccleſiaſticam attentavit, manifeſta ſunt,* Sententia quoque damnationis, quæ ipſi notificata fuit, de Canonum *contemptu*, ipſiuſque *contumacia*, non verò de ipſius hæreſi mentionem egit.

Bar. An. 538. n. 19.

Evagr. l. 2. c. 4.

Sophia dedicatur: quando? Gemina ejus dedicatio.

VIII. Occidente relicto Conſtantinopolim migremus, ſpectatores futuri dedicationis Eccleſiæ Sophiæ, quam Juſtinianus eſtruxerat. Ceremoniæ tempus docet Marcellini Chronicum: *Eccleſia major Conſtantinopoli ab Imperatore Juſtiniano ſingulariter in mundo conſtructa, dedicatur die VI. Kal. Januarias,* qui in primam feriam incidebat. Anno DXXXII. furente populo Sophia in cineres abierat, quam Præfecto *Euphrata* Conſtantius Imperator ædificarat. Ac incendium permittente Deo contigerat, ut ea Eccleſia ex favillis ſuis longè ſplendidior excitaretur. Opifices ex terrarum orbe nobiliſſimos acciverat Imperator, ut ædificio elegantiam adderent. Præcipuè peritia *Anthemii* Tralliani commendatur, qui omnes præſentis præteritique ævi Architectos longiſſimè ſuperabat. Sophiæ Templum ſic deſcribit Evagrius: *Ædes Sanctuarii teſtudo eſt, quatuor fornicibus in ſublime erecta, in tantam altitudinem ſublata, ut ex inferiori quidem loco aſpicientes hemiſphærii faſtigium,*

Proc. de Ædif. Juſtin. l. 1.

difficile

difficilè poſſint cernere. In ſuperiori autem loco conſtituti, quantumvis audaces ſint, nunquam deſpicere conentur, & uſque ad ſolum oculos demittere. Fornices autem vacui à ſolo uſque ad culmen tecti eriguntur. In dextro autem, ac ſiniſtro latere, ex adverſo poſita ſunt columnæ, ex lapide Theſſalico fabricatæ: & ſolaria ſuſtinent, quæ aliis item ſimilibus columnis ſuffulta, iis, qui myſteria ſpectata voluerint, ex ſublimi conſpiciendi copiam faciunt. Ex hoc etiam loco Auguſta diebus feſtis ſacrorum myſteriorum ſolemnitati intereſſe ſolet . . . Suprà dictorum autem ſolariorum porticus, inferius columnis ac parvis arcubus, tantum opus abſolvunt.

Evagr. l. 4. 31. Templi verò menſura ſic ſe habet: *Longitudo quidem, quæ eſt è regione ſacræ conchæ, quo in loco incruentum offertur ſacrificium, ad ipſam uſque concham, eſt pedum centum & nonaginta. Latitudo verò à Septentrione ad Meridiem pedum centum & octoginta. Arcuum verò ſingulorum latitudo quidem eſt pedum . . . Longitudo verò ab ortu Solis ad occaſum pedes continet ducentos & ſexaginta. Latitudo verò illuminationis eorum habet pedes ſeptuaginta quinque. Sunt præterea ad occaſum Solis porticus duæ admodum venuſtæ, & atria undique miræ pulchritudinis.* Ac Zonaras Cedrenuſque Sophiæ fundamenta jacta eſſe ſcribunt, *menſe Februario*: Pro magna Eccleſia *Juſtinianus aliam* (Zonar. An. l. 14. 63.) *novam longè majorem & illuſtriorem extruere aggreſſus eſt, ædificationem auſpicatus anno ab orbe condito ſexies milleſimo quadrageſimo, Indictione* XV. *menſe Februario.* Hic porrò Baronius licentius errat, qui anno DLVII. Sophiam à Juſtiniano inſtauratam eſſe narrat. (Error Baronii.) Geminam Sophiæ dedicationem illuſtriſſimus Purpuratus ignoravit. Prior in Marcellini Chronico, poſterior in Chronico Alexandrino legitur. Illa quidem anno DXXXVII. Decembris die XXVII. feriâ primâ, ut par erat, peracta eſt. Hæc verò anno DLXIII. poſt Conſulatum Baſilii XXII. *Menſe Apellæo, ſive* XXIV. *Decembris, ſecundum* (Chr. Alex.) *Romanos, primâ die Indictionis* XII. *Feſtum dedicationis ſanctæ magnæque Dei Eccleſiæ Conſtantinopoli ſecundò celebratum eſt.* Sic quidem Græca ſonant. Verùm ſcrupulum corruptionis injiciunt. Quid enim ſibi vult, *primâ die Indictionis* XII. Fuitne initium Indictionis alicujus, quod à Decembris XXIV. proficiſceretur? An non ergo legendum ἡμέρᾳ αὐτῇ ιβ ἰνδικτίων, non ut in Græcis habetur, τῆς ιβ ἰνδικτιῶνος? Inſuper Decembris quartus & vigeſimus, anno DLXIII. feriæ ſecundæ cohærebat, quia Cyclus Solis erat 12. G. Num eâ die Sophia conſecrata? Nonne in diem Dominicam potius Feſtum dedicationis hujus incidiſſet? Quo caſu legendum Δεκεμβρίῳ κγ. non κδ. Decembris XXIII. non 24. Porrò Sophia cur iterum conſecraretur, cauſas aperit Zonaras: *Eccleſiâ magnâ jam abſolutâ, & conſecratâ, accidit, ut magnus globus verſus Orientem* (Zonar. An. l. 14. 68.) *collocatus ex terræ motu caderet, eoque caſu, & ciborium ſacræ menſæ, & ipſa ſacratiſſima menſa, & Ambo contereretur. Quâ de cauſa Trulum etiam juſſu Imperatoris demoliti, denuò inſtaurarunt,* XXV. *pedibus altius eductum, & ab Eutychio Patriarcha denuò conſecratum.* Terræ motus, quo Sophia corrupta eſt, anno DLVII. contigit.

Sophiæ ornamenta. IX. Menſam in Sophia pulcherrimam, & loci majeſtate, & conſecrantis poteſtate digniſſimam à Juſtiniano collocatam eſſe ferunt. Conſtabat auro, argento, omniſque generis lapidibus. In orbem hanc Inſcriptionem habuiſſe dicitur:

Tua de tuis tibi offerimus ſervi tui, Chriſte, Juſtinianus & Theodora. Ea tu propitius accipe, Fili Dei, Verbum, qui noſtri cauſâ carnem aſſumpſiſti, & cruci affixus fuiſti: ac nos in rectâ tua fide conſerva: & quam nobis commiſiſti Rempublicam, eam ad tuam gloriam auge, & tuere, intercedente ſanctâ Deiparâ Virgine. (Cedrenus.)

Atque hic etiam immanem in errorem Baronii Chronologia delabitur. (Error Baronii.) Qui enim anno DLVII. menſam Chriſto conſecrare potuit Auguſta, quæ novennio prius exceſſerat? Anno quippe DXLVIII. Theodoram vitâ obiiſſe conſtat, & ſuo tempore docebitur. Egregio poëmate Paulus Florus Sophiam deſcripſerat, ex quo hæc Agathias hauſit: *Hujus ex verſibus noſſe inſuper poteris ſanctius illud ſacellum, argento auroque conſtare, & in myſteria duntaxat ſepoſitum pretioſiſſimis rebus, & mirâ varietate ornatum.* (Agath. l. 5. c. 5.)

X. Sub ea tempora Chriſti Imperio nova ditio acceſſit, Erulis fidem amplectentibus. (Eruli qui? Varia eorum fortuna. Chriſtiani fiunt.) Gens Erulorum juxta Paludem Mæotim olim habitabat: à Græca voce ἕλη, quæ *paludes* ſignificat, vocati primùm Eluri. Quod ex Jornande doctiſſimus Valeſius probat: *Prædicta gens Ablabio Hiſtorico referente, juxta Mæotides Paludes habitans in locis ſtagnantibus, quas Græci Ele vocant, Eluri nominati ſunt.* Locum tamen necdum in Jornande *invenire potuimus.* Varia fuit horum Barbarorum fortuna. Cùm pace violatâ iniqui belli æſtus adverſus Longobardos, Rege ſuo Rodulpho ductore commoviſſent, maximâ clade affecti fuerant. In ea pugna pars militum maxima cum Rege deſideratur. Cùm ne vel in patriis laribus manere de cætero poſſent, circa Iſtrum cum uxoribus ſuis errabant; inde in Italiam ſe contulere. Peſte ibi oppreſſi, non multò poſt ad Gepidas pervenerant, qui ſecum habitare ſupplicibus permiſerant. Verùm quos hoſpitaliter primùm exceperant, ſubinde hoſtiliter tractant, ut nil reliquum ad injuriam facerent. Violatæ Erulorum uxores, direpta bona miſeros cogunt, in Imperio Romano ſedes quærere. Quos benignè admiſſos, domicilia habere permiſit Anaſtaſius, qui rerum potiebatur. Recepti ſunt anno DXII. Clementino & Probo Coſſ. teſte Marcellino: *Gens Erulorum in terras atque civitates Romanorum, juſſu Anaſtaſii Cæſaris introducta.* Sed innatâ ferè Barbaris perfidiâ non multò poſt variis Romanos injuriis afficiunt. Juſtâ indignatione permotus Anaſtaſius, in proditores exercitum miſit, à quo Eruli tantâ cæde ſternuntur, ut triſtes internecionis reliquiæ precariam ſibi vitam poſcerent, nomine Imperatoris confœderatorum, vel ſervituti ſaltem obnoxiorum. Ut primùm Juſtinianus ſuſcepit Imperium, largitionibus, conceſſiſque locis ad habitandum opportunis, Erulos anno circiter DXXVII. ſibi conciliat. Ac audaciâ quidem abundantes acerrimo impetu hoſtes invadunt, licet loricæ galeæque ſint prorſus expertes. Quibus autem armis pugnent, ex Procopio audire jucundum erit: *Neque caſſidem, neque thoracem, aut aliquid prorſus muniminis habent, præterquam ſcutum, ac tritam vilemque veſtem, quâ ſuccincti in certamen ruunt, ſed ne ſcutis quidem eorum ſervi in pugna utuntur, niſi poſtquam viri in bello fortes fuere.* (Proc. Perſ. l. 2. c. 13.) Cùm nemo adeò ferus ſit, ut non miteſcere poſſit, Barbaris Juſtinianus perſuadet, avitâ ſuperſtitione relictâ, Chriſti ſe Legibus addicere, quod eo anno, qui Vigilium Papæ Silverio ſuffecit, contigiſſe prodit Evagrius: *Sub idem tem-* (Evagr. l. 4. c. 20.)

pus

pus Eruli, qui jampridem Imperatoris Anaſtaſii temporibus Danubium trajecerant, benignè excepti à Juſtiniano, & maximis opibus ab eodem locupletati, univerſi ſimul Chriſtianam fidem amplexi ſunt, & priſtinâ vivendi ratione depoſitâ, manſuetiorem cultum induerunt. Cæterùm quem olim odorem imbuerant, Chriſtiani facti etiamnum ſervaverunt. Ingenio infidi erant: habendi ſemper ac rapiendi cupiditatibus inhiabant, finitimos quàm maximè violare ſtudebant, impios & deteſtabiles cum & maſculis, & belluis concubitus impudentius exercebant. Ut ex peſſimorum hominum converſione plus forſan Eccleſiæ detrimenti, quàm emolumenti rediiſſe videretur, niſi ex immani ea vitiorum ſentina Chriſti miſericordiâ nonnulli erepti fuiſſent, ne Evangelii prædicatio foret fruſtra.

Proc. Goth. l. 2. c. 14.

ANNO DOM. 538.

ANNO U. C. 1291. PER. JUL. 5251. JUL. 583. DOM. 538. JUSTINIAN. 11. & 12. VITIG. 3. *Sol.* 15. *C. Lun.* 7. *Indict.* 1. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *April.*

COS. *Joannes ſolus.*

Num Joannes Conſulatus Collegam habuerit.

I. GEminos anno labenti Conſules præfigunt Baronius, eruditique complures, *Joannem* ſcilicet, & *Voluſianum*. Quorum ſententia Vigilii in Epiſtola ad Eutharium nititur, cui ea Conſularis nota apponitur: *Data Kalend. Mart. Voluſiano & Joanne, viris clariſſ. Coſſ.* Quin tamen abſque Collega Joannes Faſtos reſerarit, nulli dubitamus.

Error Baronii.

Baronium erroris arguit Marcellini Continuator, cujus verba ſunt: *Joanne ſolo Conſule.* Unum quoque Conſulem novit Marius Aventicenſis: *Joanne. Hoc Conſule Mediolanum à Gothis & Burgundionibus effracta eſt.* Quin etiam Vigilii in Epiſtola ad Cæſarium legitur: *Data pridie Nonas Martias, Joanne V. C. Conſule.* Ut via in dubio poni poſſit, quin in Vigilii ad Eutherium Epiſtola *Voluſianus* irrepſerit, quem Surius *Wiſilianum* vocat. Id certè liquet ex Epiſtola ad Profuturum Bracarenſem, quæ habet: *Data Romæ III. Kal. Jul. Flavio Joanne viro clariſſ. Conſule.* Jam verò ea ad Profuturum Epiſtola illa ipſa eſt, quæ perperàm in vulgatis editionibus Euthario inſcribitur.

Fame & peſte Roma affligitur.

II. Vitiges tot in obſidione Romana cladibus acceptis, pertinacius adhuc inſtabat. Ne verò prorſus deſponderet animum, auxilio fuit ipſius victoria. *Pigritius*, vir ſtrenuus, Piſida genere, *Tarmutus*que Iſaurus, ardentibus à Beliſario precibus pugnandi copiam extorquent. Periculo propoſito, ſuos Vitiges ad officium ritè præſtandum multis hortatur. Neronianis campis pugnâ in meridiem uſque protractâ, Beliſarii milites repentè in Barbaros impetum faciunt. Quo ſubitaneo territi, cùm in caſtra ſe recipere non poſſent, proximos colles conſcendunt. Romanis militibus nautarum, ſervorumque ingens ſe multitudo miſcuerat, quæ perturbationis cauſa fuit, utpote ordinis militiæque modi ſervandi prorſus ignara. Dum Gothica caſtra ingreſſa turba, in auferenda preciosa ſupellectile tota eſt, Barbari furore accenſi, impeditos auro à vehendo adoriuntur, quos partim obtruncant, partim caſtris ejiciunt. Dum hæc Neronianis in campis geruntur, non minimum cladis Romanis equitibus infertur, nec pedites hoſtilem impetum magis ferentes, cum equitibus agmine uno diffugiunt. Inſequentium vim Pigritius, Tarmutuſque magnâ virtute animi morantur, donec in tutum fugientes ſe recipiſſent. Cooperti tamen vulneribus, ſanguine ſuo peditum ſalutem redemerunt. Pigritius moribundus in eo loco procubuit: Tarmutus vitam biduo protraxit. Intereà fames & peſtis urbem invaſit. Frumenta tam militibus, quàm civibus deficiebant. Jam ex jumentorum cadaveribus venalia farcimina parabantur. Beliſarius ergo, ut tantis malis remedium afferret, Procopium Neapolim miſit, ut frumento collecto naves compleret, Oſtiam evehendo. Martinum & Trajanum cum mille militibus Terracinas abire juſſit, quibuſcum & Antoninam miſit. Beliſarii mandatis obſequens Procopius, frumentis naves complet. Neque calamitatum expertes Gothi, quorum magnum lues numerum morti miſit. Dum res ſunt eo loci, opportunum urbi adfuit auxilium, de quo in Marcellini Chronico mentio eſt: *Joanne Conſule ſolo, adhuc Vitige in obſidione Romæ morante, Joannes Magiſter Militum cum Barza, Conone, Paulo, aliiſque illuſtribus, magnoque exercitu apparato ad Italiam properant, caſtraque ad portum Romanum collocant, laboranti Romæ ſubveniunt.* Quot militibus conſtarent copiæ, quæ obſeſſis in auxilium veniebant, ex Procopio tenemus: *Ex Conſtantinopoli copiæ ad Neapolis portum delatæ navigiis ſunt. & hæ quidem tria millia fuere Iſaurorum, quos Paulus & Conon ductabant. Ad Hydruntum verò Thraces equites octingenti numero appulere. Joannes Vitaliani tyranni ex ſorore nepos, his præerat, cum eoque milites alii ex equeſtri ordine mille.* Ut auxiliares illæ copiæ abſque periculo in urbem venirent, ſagacibus Beliſarius conſiliis adjecit animum. Flaminiam portam, quam belli initio ſaxis grandioribus obſtruxerat, noctu clam amolitur, & majorem exercitus partem ibidem inſtruxit. Atque ut primùm illuxit, per Pincianam portam Trajanum Diogenemque cum equitibus mille emiſit, juſſos Gothicum exercitum invadere: ſimul ad mœnia effuſo curſu contendere. Ut Barbaros ſuorum tergis inſiſtere Beliſarius vidit, in eos, patefactâ Flaminiâ, immiſit exercitum. Tum qui fugam ſimulabant, eâ repreſſâ, inſequentes invadunt: tantaque ſecuta ſtrages, ut Gothorum perpauci in caſtra ſe reciperent. In ea pugna mirum Trajano vulnus imprimitur. Spiculum ſic totum Barbarus adegit ſupra dextrum oculum, ut ferrum penitùs abſconderetur, ligno teli protinùs decidente. Neque præ ardore pugnæ ictum Trajanus ſenſerat. Poſt annum autem quintum ſuâ ſponte ſpiculum in fronte ſic eminebat, ut etiam ejus ſummitas facilè compareret.

Procop. Goth. l. 2. c. 4.

Auxilia mittuntur urbi: induciæ: artibus Vitiges Romam capere tentat.

III. Intereà diſperſus ſubſidii à Juſtiniano miſſi rumor Gothos ad nova conſilia impellit. De urbis expugnatione deſperantes, Beliſario Legatos dirigunt. Ac Oratorum Princeps nullum non lapidem movet, ut Gothicum Imperium ſartum tectumque ſervet, quod non violenter Romanis ablatum, ſed Odoacris tyrannidi ereptum poſſidebant. Theodoricum à Zenone Patriciis, Conſulibuſque aſcriptum ferebant. Addebant Leges & Rempublicam decori ſuo ſe reddidiſſe: Religionem, quam Romani colebant, intemeratam manſiſſe: Urbanos Magiſtratus non Gothis, ſed Romanis eſſe permiſſos: abeat ergo cum ſuis Beliſarius, & nuda ſaltem, quæ reliqua ſunt, juſtis Dominis relinquat. Reſpondet Beliſarius, Theodoricum à

Zenone in Italiam miſſum, non ut Odoacri regnum ſibi vindicaret, ſed ut redderet Imperio. Non grati juſtique viri officio functum eſſe ea retinendo, quæ legitimo Principi reſtituere debuit. Se quod attinet, nunquam ita commiſſurum, ut Imperatoris loca alteri unquam prodat: de conditionibus Juſtinianum conſulendum eſſe.

Procop. Goth. l. 2. cap. 5.

Sequentibus diebus dum de induciis agitur, Iſaurorum claſſis abſque ullo impedimento ad Romanum portum applicuit: ſed onerum in urbem evectio perdifficilis erat, bobus præ nimio labore ſemimortuis: navium verò actuariarum tranſitus ab hoſtibus, fluminis lævam occupantibus impediri poterat. Difficultates perrumpit omnes Beliſarii prudentia, majoribus navium limbis delectis, & altius circumquaque contabulatis, ut nautæ à vulneribus tuti eſſent. Tum

Marcell. Chron.

Vitiges auxilii adventum cernens, *trium menſium temporis cum Beliſario pacta confirmat, ſuoſque Legatos ad Imperatorem mittit.* Extant apud Caſſiodorum Vitigis ad Juſtinianum literæ de reſtauranda concordia:

Caſſiod. Var. L. 10. ep. 22.

Quanta ſit nobis, clementiſſime Imperator, grátia veſtra votiva ſuavitas, hinc omninò datur intelligi, ut poſt graviſſimas læſiones, & tantâ effuſione ſanguinis perpetratas, ſic videamur pacem veſtram quærere, tanquam nos nemo veſtrorum puteiur antè læſiſſe. . . . Si vindicta Regis Theodati quæritur, mereor diligi, ſi commendatio divæ memoriæ Amalazunthæ Reginæ præ oculis habetur, ejus debet filia cogitari, quam juſſis veſtrorum omnium perducere decuiſſet ad regnum. . . . Sed poteſtis & nunc omnia reintegrare, quæ facta ſunt, quando non eſt difficile illum in affectu retinere, qui gratiam conſtat deſideranter expetere. Et ideò ſalutantes clementiam veſtram honorificentiâ competenti, indicamus nos Legatos noſtros illum atque illum ad ſerenitatis veſtræ ſapientiam deſtinaſſe, &c. Hinc eximenda eſt errori

Error Baronii.

Baronii Chronologio, quæ elapſo anno Vitigis legationem aſſignat. Cui ſanè repugnant &

Bar. An. 573. n. 8.

Marcellini Continuator, & Procopius, qui anno obſidionem excipiente, inducias factas eſſe prodit. Scripſit & Vitiges Magiſtro Officiorum, ut Imperatoris animum ad pacem impelleret. Epiſcopos quoque ſuos Vitiges monuit de miſſa ad Juſtinianum legatione, ut ſibi eſſet ipſorum

Caſſiod. Var. L. 10. ep. 24.

in orationibus auxilium. Intereà de violatis induciis Gothi miſſis ad Beliſarium Legatis graviter expoſtulant. Recedentibus Gothis, Paulus cum Iſauris portus præſidium invaſerat: Centumcellas quoque Romani milites occuparant.

Proc. l. 2. cap. 6.

Porrò Gothi faces in manibus geſtantes in aquæductum portæ Pincianæ proximum ſeſe immittunt. Cuſtodibus cereorum fulgor oculorum lupi alicujus ſplendor eſſe videbatur. Qui rumor cùm Beliſarii aures tetigiſſet, Theogenem aquæductum ſcrutari jubet, qui ex ceræ, quæ facibus exciderat veſtigiis, remotoque à Barbaris lapide conſilia obſidentium intellexit. Ad fraudes etiam ſe Vitiges convertit, corruptis pretio duobus Romanis, ut ad multam noctem cum cuſtodibus dum potant, ſomniferos liquores vino infuoderent. Verùm alter Romanorum cùm proditionem Beliſario aperuiſſet, proditorem naſo & auribus mutilatum hoſtibus miſit.

Romæ obſidio ſolvitur. Cur?

IV. Dum hæc geruntur, Beliſarius Joanni mandat, quàm celerrimè Picenum invadat, perpaucorum militum præſidio deſenſum. Cùm nil moræ Joannes attuliſſet, ſubinde armis loca multa ſuis occupat. Joannis victorias ſummatim refert Marcellini Continuator, cujus verba repræſentabimus, ne nimis creſcat oratio: *Joannes verò in portu, quæ poſuerat, caſtra deſerens, Samnitum regionem ingreſſus eſt. Aternoque oppido expugnato, Tremonem Gothorum Ducem cum ſuis proſternit. Ortonam quoque ſimiliter invadit. Picenum deprædans, Ariminum occupat. Quo audito, Vitiges ab obſidione urbis, in qua adhuc poſt turbatam pacem conſiſtebat, relicta Roma, per Clodia aggerem, & annonariam Tuſciam tranſit Apenninum, & in Rubiconis fluminis ripa caſtrametatus, Ariminum obſidet.* Sic longâ obſidione Roma liberatur. Quàm diu duraverit, non conſtat inter Scriptores. Jornandes: *Vitigis*, inquit,

Jorn. de Reb. Get. c. 60.

ut leo furibundus omnem Gothorum exercitum congregat, Ravennamque egreſſus, Romanas arces obſidione longâ fatigat. Sed fruſtratâ ejus audaciâ, poſt XIV. *menſes ab obſidione Romanæ urbis aufugit.* Obſidionis tempus contrahit Petavius:

Petav. Rat. l. 7. c. 6.

Romam Beliſarius à Vitige obſeſſam, annum unum ac dies novem, circa æquinoctium vernum liberat. Tempus quidem obſidionis quod attinet, illud ipſum eſt, quod in Procopio legitur. At graviter de anni tempeſtate fallitur Petavius, vel ipſo

Proc. Goth. l. 2. c. 8.

teſte Procopio: *Jam ſe circumegerat æſtas, cùm annum Barbari & dies novem urbem circumſediſſent.* Ac duabus quidem æſtatibus Vitigem inſtaſſe urbis oppugnationi certiſſimum eſt:

Proc. Goth. L. 2. c. 3.

Cùm in autumnum ſe verteret ætas, fames ſimul ac peſtis urbem invaſit. Subjungit, & militum audaciſſimos *noctu in ſegetes haud procul ab urbe perveniſſe, deſectaſque cum ſtramento, ingenti pretio Romanis venditaſſe.* Quæ anno DXXXVII. facta eſſe nequeunt, cùm ſubinde narret Procopius, juſſiſſe Beliſarium, ut *Martinus Terracinas peteret.* Martinus verò in urbe non verſabatur anno DXXXVII. Ipſo teſte Procopio. Poſtquam enim Juſtinianus Beliſarii literas accepit, obſeſſæ urbis ſtatum exponentis, ſubinde Valerianum miſit, atque Martinum:

Proc. Goth. l. 2. c. 19.

Hi verò cùm in poſtremam Græciæ partem cum claſſe veniſſent, in Ætoliæ locis, & Acarnania hybernarunt. Dum Ariminium Vitiges oppugnat, Conſtantinopoli Narſes profectus, quem quinque militum millia ſequebantur, Picenum venit, cui copias Beliſarius ſuas circa Firmium jungit. Intereà afferuntur Joannis literæ, quibus feſtinum petebat auxilium. Roganti non defuere: itaque Ariminenſi obſidione pulſus Vitiges, Ravennam fugit. Liberatus Joannes Narſeti ſe, non Beliſario obnoxium eſſe profitetur. Quæ rixarum cauſa fuit. Tempus eſſet de celeberrima oppugnatione Mediolanenſi, quæ labente anno incepta eſt, nonnulla commemorare. Verùm cùm anno demum ſequente expugnata ſit, nos uno tenore quæ ad obſidionem ſpectant, referre juvat, præcipuè cùm militaria hujus anni facta diu nos ſatis detinuerint.

Epiſtola Vigilii ad Profuturum corrupta fuit.

V. Tyrannico more, & ab Eccleſiæ regulis æquabilique jure remotiſſimo Romanum Vigilius Epiſcopatum rapuerat:

Quid Nero, tam ſæva crudaque tyrannide fecit, quo Vigilii ſcelera ſuperarentur. Malè partum tamen munus ut non ſine laude adminiſtraret, varias labente anno Epiſtolas ſcripſit, quæ emolumento eſſent Eccleſiæ. Quæ hactenùs Eutherio inſcribebatur, ea *Profuturo* Bracarenſi miſſa deprehenditur, uti doctiſſimus nos Baluſius monuit. De capitibus nonnullis Vigilium conſuluerat Profuturus: cui gratulatur, quòd rectam Catholicamque fidem profiteretur, & ad fontes accedat, de quo rivuli manant, quibus Eccleſiæ irrigantur. Primo capite Priſcillioniſtas, qui dicti ſuper-

ANNO DOM. 538.

ſuperſtitione à carnibus edendis temperabant, tam Scripturarum, quàm Patrum autoritate damnat. Secundo capite mandat, in baptiſmi ſolemnis adminiſtratione, Eccleſiæ Romanæ diſciplina de trina immerſione accuratè retineatur, neve dum gloria Patri cantatur, conjunctiva particula removeatur: *Illud autem novellè eſſe judicamus errori, quod cum in ſine Pſalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, aliqui ſicut indicas, ſubductâ unâ ſyllabâ conjunctivâ perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo, Gloria Patri & Filio, Spiritui Sancto.* Tertium caput ſtatuit, Chriſtianos, qui ab Arianis rebaptizantur, eſſe ad pœnitentiam recipiendos: *Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem Spiritus Sancti fit, quæratur, ſed per illam, quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur.* Quarto capite de Eccleſiæ reſtauratione quid faciendum ſit ſtatuit: *Nihil judicamus officere, ſi per eam minime aqua benedicta jactetur.* Editio Baluſii habet: *Aqua exorcizata.* Capite quinto Paſcha anni proximè futuri conſtituit. Sed in Surio, Baronio, vulgatiſque exemplaribus gravis error irrepſit: *Paſcha verò futurum nos, ſi Deus voluerit XI. Cal. Maiarum die celebraturos eſſe cognoſcite.* Legendum quidem, *octavo Kal. Maias*, quia Paſcha anni DXXXIX. Aprilis non XXI. quæ feriæ V. cohærebat, ſed XXIV. eſt agitatum. Quia terminus Paſcalis erat Aprilis XVIII. Litera verò Dom. B. Hinc apparet, temporis notam in Epiſtola non accuratam eſſe. Paſcha enim, quod anno præſente poſt Calendas Martias proximè futurum eſt, in nullam Kal. Maiarum diem incidit, quia quarto Aprilis eſt celebratum. De ea difficultate ne vel per ſomnium Baronius cogitavit. Subjungit Vigilius: *Quoties verò Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, vel Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula Capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus.* Beatorum quoque & Apoſtolorum & Martyrum reliquias Profuturo ſe direxiſſe ſignificat. Sequuntur adhùc duo Capitula; prius, quòd in auguſtiſſimæ Trinitatis nomine baptiſmus miniſtrari debeat: poſterius, quòd *Eccleſia Romana fundamentum & forma ſit Eccleſiarum.* At vix dubitamus, quin duo hæc capita ſubdititia ſint. Capite quinto finem Epiſtolæ impoſitum eſſe, ex his compertum habetur: *His igitur fraternitatis tuæ inquiſitioni reſponſis, Deum noſtrum, quantum poſſumus, exoramus, ut omnibus Catholicæ religionis Eccleſiis circa univerſos, quos fideles ſibi efficit, gratiæ ſuæ dona multiplicet.* Quæ capita ſequuntur, ſunt igitur ab alia manu. Id etiam probatur partim ex Conſulari nota, partim ex tempore, quo Epiſtola data perhibetur: *Data Kal. Martias, Voluſiano & Joanne Coſſ.* Atqui nec Calendis Martiis ſcripta eſſe potuit, cùm Paſcha proximè futurum Calendas Maias aſſignet Epiſtola, quod pridie Nonas Aprilis erat celebrandum: nec Vigilius dare Joanni Collegam potuit, cujus expers prorſus fuit. Itaque in alia Epiſtola, quam anno labente ad Cæſarium miſit, *Voluſianum* prorſus omiſit. Denique cùm in præfatione ſua Vigilius ſatis ſuperque Sedis Apoſtolicæ autoritatem commendaſſet, quid opus erat rurſus in fine Epiſtolæ Romanæ Eccleſiæ dignitatem fuſis verbis inculcare? Pro lacinia igitur Epiſtolæ ſextum ſeptimumque Capitulum habentur, quod etiam ex editione Baluziana in comperto eſt, quæ hiſce capitibus caret.

VI. Non Epiſcopali modò, ſed Regiæ quoque interrogationi *pridie Nonas* Martii reſpondit Vigilius. De inceſtis *Theodebertus* nuptiis Pontificem conſuluerat. Quæſtioni perſolvit ſcripto ſuo ad Cæſarium Arelatenſem: *Glorioſi filii noſtri Regis Theodeberti interrogationem, quâ nos per Modericum, virum illuſtrem, Legatum ſuum credidit requirendos, duximus amplectendam: in quâ gloriam ſuam deſiderat informari, cujuſmodi pœnitentiâ poſſit illius purgari delictum, qui cum uxore fratris ſui illicitam præſumpſit inire conjugium. Cui nos equidem miſſis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in ſubjectis inveniet, hoc indicare curavimus, quoniam tale commiſſum non parvâ cordis afflictione valeat expiari. Sed quia, ſicut charitatem tuam bene noſſe confidimus, modus pœnitentiæ præſentium potius Sacerdotum inſpectioni committitur, ut juxta compunctionis tuæ meritum, venia quoque poſſit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum.* Mandat etiam, ut qui hoc ſe inceſtu polluerant, ſeorſim habitarent. Quis verò inceſtus ille, prorſus neſcimus. Ex Aulicis Theodeberti unum fuiſſe, eumque illuſtrem, ex regia conſultatione liquet. Baronio tamen non aſſentimur, qui criminis hujus *Theodebertum* poſtulat: *Vigilius conſultus de injungenda pœnitentia Theodeberto Regi Francorum, ob inceſtas nuptias contractas*, ad Cæſarium reſcripſit. Verùm eâ ſententiâ Baronius quidem errores ſuos cumulat. Nullus ſanè Theodeberto Regi frater erat, cujus uxorem duceret. Theodorici patris ex aſſe hæres fuit. Adulterio quidem cum *Deuteria* ſe polluerat; vir tamen Deuteriæ nullâ Theodebertum conſanguinitate attingebat: & diu Rex antè reſipuerat, quàm ſederet Vigilius. Itaque ut Hiſtoriæ, ſic & Theodeberti magna injuria eſt Baronii hæc opinio. Inſpiciatur Gregorius Tur. Hiſt. l. 3. c. 21.

VII. Anno celebritatem addidit Synodus Aurelianenſis tertia, quæ Maii ſeptimo cogitur. Baronius quidem annum ei DXL. aſſignat, quia perperàm ſupremum Chlodovei annum conſtituit. Cùm porrò Chlodoveus anno Dom. DXI. exceſſerit, Concilium, quod anno Childeberti XXVII. celebratur, in biennium differri nequit. Neque Edicto Baroniano movemur: *Addita eſt annis Regis nota etiam Conſulatus Paulini Junioris, qui deſideratur in Faſtis, ſed adjiciendus Collega Paulinus Juſtino.* Nullum enim Juſtinus Collegam habuit, nedum Paulinum: neque temporibus deſignandis Patres Aurelianenſes Conſulem adhibuere aliquem, quia nullus tum in Occidente Conſul fuit. Error igitur in Codices irrepſit, qui hæc habent: *Die Nonarum menſis tertii quarto, Paulino Juniore viro clar. Conſule.* Synodo interfuere Epiſcopi XIX. cum Presbyteris ſeptem, vices Antiſtitum ſuorum implentibus, qui ex variis Galliæ partibus eò confluxere. Inter Præſules præcipuè eminebant *Lupus* Lugdunenſis Synodi Præſes, *Arcadius* Bituricenſis, *Flavius* Rothomagenſis, *Leo* Senonenſis, *Pantagathus* Viennenſis, qui Metropolitanorum honore fulgebant. Canones tres & triginta conſtituerunt ad tuendam Eccleſiæ diſciplinam.

VIII. Primus quotannis Concilium à Metropolitano cogi jubet, quem anno integro à Miſſarum celebratione prohibet, niſi intra biennium convocarit; qui verò Conventui adeſſe neglexe-

ANNO DOM. 538.

Baluz. Conc. t. 1. 1570.

De inceſtu Epiſtola Vigilii. Num Theodeberto Regi pœnitentiam injungat?

Vig. Ep. 3.

Error Baronii.

Bar. Ann. 538. n. 28.

Synodus Aurelianenſis tertia.

Error Baronii.

Bar. An. 540. n. 27.

Canones Aurelianenſis Synodi tertiæ.

glexerint, ſimili pœnæ ſubjacent: nec ex *diviſione ſortis*, ſive quòd varias variorum Principum ditiones incolant, excuſatio abſentiæ ulla parari poteſt. II. A *Subdiacono & ſuprà* Clericis uxorum uſus negatur: ſecus, laicâ communione contenti, ab officio deponantur. Qui eos in integrum reſtituerit Epiſcopus, trimeſtri pœnitentiâ fungatur. III. Metropolitani, ſi fieri poſſit, à Metropolitanis, præſentibus & Comprovincialibus ordinentur. Comprovinciales verò, *cum conſenſu Metropolitani, Cleri & civium* eligantur. IV. Extraneis mulieribus Clerici prohibentur, quorum inobedientiâ triennii excommunicatione mulctatur. V. Oblationes Baſilicis collatæ Epiſcopi permittuntur arbitrio, qui ſtatuet, quid ad Eccleſiam reſarciendam, quid in Clericorum alimenta cedere debeat. Oblationes verò Eccleſiarum in pagis conſtitutarum ex conſuetudine adminiſtrantur. VI. Laicorum nullus ante *annualem converſionem*, vel ætatem legitimam, id eſt, xxv. annorum Diaconus, & xxx. annos natus Presbyter ordinetur. Clericus verò nullus fiat, qui bigamus eſt, aut Pœnitens, aut *ſemicorpore*, ſive deformis corporis vitio, aut arreptitius. Qui homines ejuſmodi conſecrarit Epiſcopus, ſex menſibus à celebrandis Miſſis temperabit, ordinatus verò movebitur officio. VII. Qui poſt liberam ordinationem Clerici matrimonia ineunt, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione feriuntur. Si reclamantes ordinati ſunt, officio quidem, verùm communione non pelluntur. Epiſcopus, qui reclamantem ordinaverit, *annuali pœnitentia ſubditus*, Miſſas non celebret. Honoratiores Clerici, qui in adulterium delapſi ſunt, officio moti, communione conceſſâ perpetuam in Monaſterio vitam agant. VIII. Clericus, qui furtum, aut falſitatem admiſerit, quia capitalia ſunt crimina, communione conceſſâ ad privatam conditionem relegatur. Perjurus Clericus biennii excommunicatione plectitur. IX. Qui defunctis uxoribus concubinas habuerunt, ſi per ignorantiam ſunt ordinati, non privantur officio; ſtatuit verò, ne ulterius ordinentur. X. Inceſtæ ante baptiſmum nuptiæ non ſolvuntur: ne quis verò deinceps ſibi conjugii nomine ſociet *relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, ſororem uxoris, conſobrinam, relictam avunculi vel patrui*. Qui ſic ſociati ſunt, *quamdiu ſe non ſequeſtraverint, à communione Eccleſiaſtica pellantur*. XI. Clerici *Canonici*, hoc eſt, qui albo Eccleſiæ inſcribuntur, ſi officium non implent ſuum, nulla ex rebus Eccleſiaſticis ſtipendia percipiant. XII. Nullis contractibus res Eccleſiæ diſtrahuntur: alienatorum *intra tricenaria tempora repetitio ſuppetit*. Quæ acta ſunt, ſuffragante juſtitiâ per publicum aut electorum judicium revocentur. Qui res Eccleſiæ retinet, communione privatur. XIII. Mancipia Chriſtiana, quæ Judæis ſerviunt, ſi à Dominis, quod religio vetat, aliquid imponitur, ad Eccleſiam confugientia non reddantur, ſed pro ipſis pretium reddatur. Chriſtiani Judæorum conjugiis non miſceantur, neque conviviis, quibus ſi interfuerint, annuâ excommunicatione percutiuntur. XIV. Miſſarum celebratio in præcipuis ſolemnitatibus horâ tertiâ fiat, ut ad veſpertina officia Sacerdotes confluant. XV. Epiſcopus, qui alienos ordinare Clericos audet, per annum Miſſarum celebratione prohibet, abdicatis quos creaverant. Presbytere ſine Epiſcopi ſui literis ambulanti nemo communionem impendat. XVI. Raptores ſacrarum & virginum, & viduarum communione perpetuò careant, viatico tantum infirmitatis periculo reſervato. XVII. Quæ ex Epiſcoporum ad plures abeuntium munificentia à Clericis poſſidentur, ſucceſſores non auferant, ut qui beneficiis ejuſmodi afficiuntur, *officia Eccleſiæ obedientiam & affectum Sacerdotibus præbeant*. Epiſcopo tamen rerum ita conceſſarum commutatio permittitur; ſed & à contumacibus & indignis beneficentiæ revocatio conceditur.

Alii Aurelianenſium Canones.

IX. Canone XIX. Clericus, qui officium implere ſuum negligit, laicâ duntaxat communione contentus, pro abdicato habeatur, donec ſatisfecerit Pontifici ſuo; ita tamen, ut debitis ſtipendiis non careat. XX. Qui ab Epiſcopo injuriâ ſe affectum eſſe putat, confugiat ad Synodum. XXI. Conjurationes Clericorum, ſive ſacramento dato, ſive chartâ factas Synodus ulciſcetur. XXII. Qui vel res aut Eccleſiæ, aut Epiſcoporum, vel defunctorum oblationes retinent; ſimiliter etiam, qui ſuas revocant, communione excluduntur. XXIII. Abſque ſui Præſulis permiſſione Abbatibus, Presbyteriſve de rebus, Eccleſiæque miniſterio alienatio vetatur. XXIV. Ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus credere præſumat: conjugatis niſi ex conſenſu partium ætate jam plenâ, eam dare non audeat. XXV. Qui pœnitentiæ benedictione ſusceptâ ad ſecularem habitum reverſus fuerit, viatico conceſſo uſque ad exitum excommunicatione plectatur. XXVI. Nullus aut ſervus, aut colonus ad honores Eccleſiaſticos evehatur, niſi *conſtiterit abſolutum*, Epiſcopus qui ſciens ſervum ordinaverit, anno ſpatio Miſſas non celebret. XXVII. Clericus à Diaconatu uſuras, aut turpe lucrum non exerceat. XXVIII. Liceat die Dominico cum caballis, bobus, & vehiculis iter facere, victum præparare, quæ ad nitorem domus pertinent peragere, ab agricultura verò & vinearum ſectione abſtineant. XXIX. Nullus Laicorum Miſſas antè exeat, quàm Dominica dicatur oratio: ſi præſens fuerit Epiſcopus, ejus benedictio expectetur: Miſſas nemo cum armis ſpectet. XXX. A die cœnæ Domini ad Paſcha uſque Judæi cum Chriſtianis non miſceantur. XXXI. Judex, qui Hæreticum, aut Bonoſiacum Sacerdotem Catholicos rebaptizantem noverit, nec puniendum ad Reges adduxerit, annuæ excommunicationi ſubdatur. XXXII. Clericorum nullus abſque permiſſione Epiſcopi ad ſeculare judicium pertrahat: neque inconſulto Sacerdote Laicus ad ſeculare judicium deducat. XXXIII. Præſules, qui Decreta hæc violaverint, tam in divino, quàm in humano judicio ſe reos eſſe noverint. Hæc *inſpirante Deo* ſancita fuiſſe, Patres perhibent. Sunt tamen in Aurelianenſium Decretis Canones rationi & decentiæ non ſatis conſentanei; decimus ſcilicet, qui inceſta connubia, quæ ſunt ante baptiſmum contracta, non dirimit, quaſi quis poſtquam ſacris undis ablutus eſt, patris relictam retinere poſſet. Trigeſimus ſecundus verò de Principum autoritate, mortaliumque jure, non minimum delibat: quaſi verò Laico non liceret, Clericum ſibi vel debitorem, vel injurium apud Magiſtratum convenire. Hoc tamen ſtatutum, ut *memoriâ dignum* Baronius extollit. Scilicet, *ſanctiſſimi Patres illi, Clericorum ac totius Eccleſiæ immunitati proſpicientes, ſanxere.* Bar. An. 540. n. 29.

Canon

Canon ſic ſonat; *Clericus cujuſlibet gradus ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſeculare judicium præſumat attrahere. Neque Laico inconſulto Sacerdote Clericum in ſeculare judicium præſumat attrahere.*

Timothei Alexandrini mors.

X. Aurelianenſi urbe relictâ in Alexandrinam migremus, Timothei Præſulis mortis ſpectatores futuri. Diu nobilem adminiſtravit Eccleſiam, licet initium Epiſcopatus ejus non ſatis compertum habeatur. Etenim Alexandrinis ab anno DXXI. præfectum eſſe, narrat Victor Tunnenſis in Chronico: *Valerio & Juſtiniano Coſſ. Alexandrina Eccleſia Dioſcoro mortuo Timotheus ſuccedit.* Sed citius ſediſſe, innuunt Evagrius, atque Liberatus. Evagrius Severi Epiſtolas à Timotheo ſuſceptas eſſe tradit. Indicio nondum Epiſcopatu Antiocheno Severum arreptâ fugâ egreſſum eſſe, cùm ejus literas communicatorias admiſit Timotheus. Antiochiam verò, Ægyptum petiturus reliquit Severus, anno Dom. DXVIII. Liberatus verò ea ſcripto prodit: *Eo tempore mortuo Dioſcoro Juniore, Timotheus Eccleſiæ ipſius ſuſceperat Epiſcopatum, à quo gratiſſimè ſuſcepti Severus, & Julianus.* Quæ indicant, jam ſediſſe Timotheum, cùm illi ſe Alexandriam contulere. Quippe venientes excipiuntur, non qui dudum venerant. Quòd ſi Victoris, quam doctiſſimus Noriſius amplectitur, Chronologiam aliquis ſequi velit, non multum repugnabimus. Porrò vitam cum Epiſcopatu labente anno reliquit Timotheus, ſi Victori creditur: *Alexandrina Eccleſia Timotheo mortuo, qui Dioſcoro Minori ſucceſſerat, duo populi electione perverſi ordinantur uno die Epiſcopi, Theodoſius ſcilicet & Gajanus.* Hic tamen nonnihil vacillat animus, quia tardius quàm oportuit Timothei initia Victor conſtituiſſe videatur. Itaque vel citius obiit, vel diutius Epiſcopatum tenuit Timotheus, quàm vulgò creditur, quod & nobis probabilius. Rejicienda ſanè procul eſt Baronii Chronologia, qui Timothei mortem anno DXXXV. affigit. Ac opportunè quidem Timotheum mors occupat, ſi Leontio credimus: *Cùm Imperatorem aditurus eſſet, vivendi finem fecit: accerſitus enim ab Imperatore fuerat, vel perſuaſuro, Synodicis uti ſe conjungeret, vel hominem ab officio remoturo.* De quæſtione Chriſti corpus corruptibilene eſſet an incorruptibile, Severum inter & Julianum mota, Timotheus Severi potius in ſententiam propendens, corruptibile affirmabat, ſi Liberato fides. Leontius tamen ſcribit, Timotheum modò huic, modò illi patrocinatum eſſe.

Evagr. l. 4. c. 4.

Liberat. c. 19.

Bar. An. 535. n. 65.

Leont. de Sect. Act. 5.

Theodoſius Alexandrinis Epiſcopus imponitur. Diviſio Eccleſiæ ob Gajanum.

XI. Timotheum excepit Theodoſius, de cujus electione Liberatum audire juvat: *Defuncto Timotheo Epiſcopo, ſtudio & permiſſione Calotychi Cubicularii partis Theodoræ Auguſtæ Theodoſius ordinatur. Qui licet haberet Cleri Decretum, contradicere volentibus non permiſit certamen populi & Monachorum, quos non habuit. Hi enim pro Gajano fuerunt. Conſuetudo quippe eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſupra defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti imponere, & ſepulto manibus ſuis accipere collo ſuo B. Marci pallium, & tunc legitimè ſedere. Dum hæc Theodoſius pertentat, cognoverunt populi & Monaſteria, quod eſſet factum veſpere in Epiſcopo, ſtudio Calotychi, & Judicum, id eſt, Ariſtomachi Ducis, & Dioſcori Auguſtalis. Mox Theodoſium perſecuti ſunt, & expulerunt, ne colligeret funus Timothei. Inthronizaverunt autem Gajanum, qui fuit Archiepiſcopus ex parte aſſertorum incorruptibilitatis; habens autem tonſemaneos aliquos ex Clero, & poſſeſſores civitatis, & corporates, & milites, & nobiles, & omnem Provinciam. Permanſit Gajanus in Epiſcopatu dies centum & tres; poſt hæc à Judicibus pulſus abſceſſit. Et poſt menſes duos Narſes Cubicularius miſſus ab Auguſta Theodora, Theodoſium quidem inthronizavit: porrò Gajanum miſit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, & inde quaſi Sardiniam directus, quid de eo contigerit ignoratur. Manſit autem Theodoſius in Sede annum unum & menſes quatuor, paucis ei communicantibus. Plurimi enim communicabant ad nomen Gajani. Populi autem pugnaverant pro Gajano multis diebus, qui caſi à militibus, majorem ſui partem amiſerunt: ſed & militum major cecidit numerus. Vincebatur Narſes, non armis, ſed civitatis concordiâ. De ſuperioribus domorum jactabant mulieres ſuper milites quidquid occurriſſet. At ille igne vicit, quod ferro non potuit. Diviſa eſt uſque nunc illa civitas hoc ſchiſmate, ut Gajanitæ, & Theodoſiani in eo vocentur, id eſt, Phantaſiaſtæ, & Corrupticolæ.*

Liber. c. 20.

Theodoſianæ Liberati Hiſtoriæ accedant ex Leontio ſcitu non injucunda: *Erant id temporis viri duo, Gajanus & Theodoſius. Ille quidem Archidiaconus Timothei, Theodoſius verò Scriptor Orationum. Itaque mortuo Timotheo, Clerus & urbis Primates Theodoſium ſuffragiis ſuis Epiſcopum legunt, quo deſignato, plebs ingreſſa, cùm in ſolio ſedentem conſpexiſſet, uſque adeò indignata eſt, quòd hominem odiſſet, ut mox eum quidam è throno dejiceret: quapropter aufugiente Theodoſio, Gajanus ipſius loco factus eſt Epiſcopus.* Sic nebulonum cauſâ Epiſcopatu prorſus indignorum, ſtudia in contraria nobilis Eccleſia ſcinditur. Quid porrò monſtri aluerit eorum opinio, docet Anaſtaſius Sinaita: *Gainitæ, Julianiſtæ, & Nagranitæ unam eandemque fidem habent, ut & Severiani, & Jacobitæ, & Theodoſiani, & Dioſcoritæ. Sed iſti, Severiani, inquam, & Jacobitæ, licet maximè unam in Chriſto naturam conſtituant, nihilominus duas in ipſo proprietates confitentur, divinam ſcilicet & humanam. Docent inſuper, corpus Chriſti fuiſſe paſſibile ante paſſionem. At Gainitæ ſentiunt corpus Chriſti corruptionis expers, & divinum eſſe ab initio unionis, unamque duntaxat proprietatem, nimirum divinam & impaſſibilem in eo reperiri.* Chriſti naturas confuſionis expertes omnis fuiſſe, profitetur Theodoſius in ſcripto, quod ad Theodoram Auguſtam miſit, cujuſque fragmenta Agathonis Papæ Epiſtolæ inſeruntur: *Propria ſibi faciens, quæ ejus ſunt, id eſt, quæ carnis ſunt, inſerenſque ei ſua natura operationem. Inſerere verò in ea quid eſt, niſi locupletari per unitionem verbi ejus Deo digna operatione, inconfuſè atque incommutabiliter unitam ei animatamque carnem demonſtrat.* Monumenta rerum à Theodoſio geſtarum annus DLX. oculis ſubjiciet, quo cladem regiæ urbi maximam ille fidei corruptor afferet. Peractis Alexandriæ, quæ ad ſtabiliendam concordiam apta videbantur, Narſes Conſtantinopolim revertitur, inde in Italiam tranſmiſſurus, quò labente anno pervenit, ut fidem facit Marcellini Chronicum: Ariminio Viriges *proturbatus à Narſete de Conſtantinopoli, & à Beliſario de Roma venientibus, fugit Ravennam.*

Leont. Act. 5.

Anaſtaſ. Odeg. c. 23.

Syn. Conſtantinopolitana 3. Act. 4. 678.

ANNO DOM. 539.

ANNO U. C. 1292. PER. JUL. 5252. JUL. 584. DOM. 539. JUSTINIANI 12. & 13. VITIG. 4. *Sol.* 16. B. *Lun.* 8. *Indict.* 2. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 6. P. 24. *April.*

COS. *Appio ſolus.*

Mediolanum Imperio redditur. Mors Conſtantiani: damno fuit rebus Juſtiniani.

I. MEdiolano fatalis annus inſigne oppidum penè delevit. *Dacius* ſacrorum Mediolanenſium Antiſtes, Primoribus civitatis comitatus, Romam elapſo anno venerat, affirmans paucis admodum copiis, Liguriam à Gothis abductam, Imperio reddi poſſe. Ac auxilium quidem pollicebatur Beliſarius, ſed rebus Romanis gravis ſane caſus intervenit. Erat inter Juſtiniani Duces Conſtantianus, vir inſignis, qui prælis adverſus Gothos feliciter geſtis laudis multum ſibi pepererat. Anno DXXXVI. Spoletum, Peruſiumque ceperat, Vitigiſque Duces, *Uulam*, & *Piſam* cum valido exercitu fuſos, Beliſarii in poteſtatem redegerat. Verùm non æquis viribus Conſtantiani juſtitia cum fortitudine certabat. *Præſidius*, gente Romanus, nobilique familiâ, Ravennam incolebat. Gothis inſenſior, dum Vitiges ad urbem exercitum ducturus eſſet, per cauſam venationis fugam ceperat. Ubi Spoletum venit, ad fundendas preces Eccleſiam ingreſſus, duos oranti pugiones, quorum capulum auro gemmiſque ornabatur, Maxentius à Conſtantiano miſſus, per vim aripuit. Ac fervente Romanâ obſidione de illata ſibi injuria *Præſidius* ſilentium egerat. Factis verò induciis dolorem Beliſario ſuum aperit, qui Conſtantiano ſæpius mandat, ut turpi ſe notâ exſolveret, redditis ſuo domino pugionibus. Ille pertinaciter id ſe facturum negat, pugiones potius in flumen abjecturum, quàm Præſidio reſtitueret. Ad hæc Beliſarius cùm corporis cuſtodes ad ſe vocaſſet, ut Maxentium pugiones reddere cogerent, Conſtantianus, qui mortem ſibi imminere putabat, nudatum gladium Beliſarii in uterum adigit. Vitato ictu, correptum cuſtodes Conſtantianum in aliud cubiculum ducunt, ibique interficiunt. Hæc anno quidem elapſo contigere, teſte Marcellini Chronico. Ad ſeriem tamen hiſtoriæ continuandam, & melius percipiendam, anno currente Conſtantiani caſum retulimus. Audiamus Chronicum: Joanne Conſule, ſtantibus induciis *Beliſarius Campaniam redit, annona copiam illaturus, reverſuſque Campania contrarium ſibi auſert de medio Conſtantianum Patricium.* Ac pertinaciâ quidem ſuâ meritam ſibi mortem accelerarat: rebus tamen Juſtiniani ea detrimenti multum attulit.

Proc. Goth. l. 1. c. 13.

Proc. Goth. l. 2. c. 7.

Mediolani oppugnatio.

II. Ut ad Imperium Beliſarius Mediolanum revocaret, promiſſum Dacio auxilium militea mille miſerat. Iſauris *Ennem* præfecerat, *Paulum* Thracibus, omnium verò imperium *Mundila* injunxerat. Ac Mediolano, totâque Liguriâ ſine prælio potiuntur: quod Mundilæ occaſionem præbuit dividendorum militum, quos Comum, Novariam, & in alia loca diſtribuerat. Re auditâ Vitiges, cui Theodebertus Francorum Rex mille Burgundiones ſuppetias miſerat, amandato cum magnis copiis Orajo, Mediolanum obſidione cingit, ut nil ex rebus neceſſariis urbi inferri poſſet. Mundilam ſoli tercentum milites comitabantur: quâ paucitate per vices cuſtodias facere cives cogebantur. Anno ſuperiore inchoata erat obſidio: Vitigis *nepos Orais Mediolanum longâ mediâ deterit, Mundilam Paulumque Duces ibi poſitos cum ſuo Duce obſidens.* Quin etiam cum eo anno Mediolanenſem expugnationem conjungit Marius Aventicenſis: *Joanne Conſule Mediolanus à Gothis & Burgundionibus effracta eſt, ibique Senatores & Sacerdotes cum reliquis populis, etiam in ipſa ſacra Loca interfecti ſunt, ita ut ſanguine eorum ipſa altaria cruentata ſint.* Accuratius tamen eſt Marcellini Chronicum, id ſtragis cum Apionis Conſulatu conjungens, Procopius quoque hanc calamitatem confert in annum, qui poſt ſolutam urbis obſidionem primus occurrit. Ac obſeſſi miſſis Paulo & Romano Legatis auxilium miſeris flagitant. Provincia hæc Martino, Uliarique à Beliſario mandata fuerat. Verùm ſocordiâ quâdam veluti catenati, loco ſe ſuo non movent. Cui moræ ut excuſationis aliquid pararet Martinus, ſcribit Beliſario, multitudini ſe hoſtium imparem eſſe. Joannem ergo mittat, atque Juſtinum, qui ſuppetias paucis ferant. Illi negant ſe venturos, niſi Narſes jubeat, qui acceptis Beliſarii literis, ſubinde Joanni mandat atque Juſtino, ut obſeſſis ſubſidium accelerent. Importunus Joannis morbus cùm interpellaſſet auxilia, ac dum Narſetis copiæ nova ductoris ſui mandata expectant, tempus iners tranſmittitur: ſicque curæ omnis, caſuſque levamen, quod Mediolanum ſperabat, prorſus amittitur. Intereà non minus cum fame quàm cum Gothis dimicabat. Canes, mures, obſcœnaque alimento erant.

Triſtis Mediolani à Gothis expugnatio.

III. Gothi, quibus ſtatus civitatis non ignorabatur, ad Mundilam Oratores legant, qui tam ei, quàm ipſius militibus incolumitatem pollicerentur. Reſpondit ille, non minus civibus quàm ſibi ſalutem poſtulare. Convocatos dein milites hortatur, ut potius morituri ruant in hoſtes, quàm turpem deditionem faciant. Nemo tamen fuit, qui id diſcriminis ſubire vellet. Itaque & ſe, & civitatem Barbaris produnt: *Gothi Mediolanum ingreſſi, muros diruunt, prædâque potiti omnes Romanos interficiunt. Mundilam Paulumque Duces abducunt Ravennam.* Hæc ſummatim Marcellini Chronicum. Mediolanenſium calamitates ſtylo fuſiore Procopius exequitur: *Ampliſſimam urbem ſolo æquatam delent, in eaque virorum trecenta millia, ſine ullo ætatis reſpectu trucidant. Fœminas verò, ſervorum in morem abductas, Burgundionibus dono dederes, ut promeritas his gratias redderent, pro inita ſecum belli ſocietate. Reparatum verò, qui defectionis cauſâ fuerat inventum, minutatim conciſum, vorandum canibus objecere.* Brigentinus ſimilis noxæ reus, ſalutem fugæ committens, ex Dalmatia Conſtantinopolim tranſmiſit. Neque Dacio, qui legationis Mediolanenſis Principem egerat, Gothi pepercissent; ſed nondum ipſius fata venerant. Itaque periculo eripitur. Ac quantum ex Gregorio colligere fas eſt, Italiâ relictâ Græciam petit. Dum Corinthum ingreditur, contigiſſe miraculum fertur, cujus fides ſit penes Gregorium, in quo legitur. Domum infeſtabant Dæmones, qui eam, olim lautam ſatis, in ſolitudinem redegerant. Quis cum Diabolo communi uti domicilio vellet? Dacio tamen eò pernoctare placuit, cum Dæmoniacis agminibus certamen commiſſurus. Tum intempeſtæ noctis ſilentio balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilus ſerpentum gravis auditur. Verſus in iram Dacius, quòd ruſtici illi Dæmones quietem dormienti ſibi eriperent, clarâ voce clamat: *Benè*

Proc. Goth. l. 2. c. 17.

tibi

ANNO DOM. 539.

tibi contigit, miſer : tu ille es, qui dixiſti, Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo : ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es : & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce ut dignus es, beſtias imitaris. Ob increpationem ejuſmodi dejecti pudore Dæmones obmutuerunt, neque deinceps domum vexarunt.

Greg. Dial. l. 3. c. 4.

Ut ad certiora convertamus animum, Beliſarius ob cladem Mediolanenſem dolore percitus, Ulinrem, quem tantæ cladis cauſam putabat, in conſpectum admittere noluit. Imperator verò audito Beliſarii & Narſetis diſſidio, hunc ad ſe revocat. At Eruli, qui ſub Narſete militabant, in Italia amplius remanere noluerunt. Inventis in Liguria Gothis, prædam, quam abducebant, omnem tradunt, acceptâque ingenti pecuniâ, jurejurando ſe obſtringunt, nunquam deinceps Gothos oppugnatum ſe venturos.

Proc. Goth. l. 2. c. 18.

Fames Italiæ: Theodebertus Liguriam vaſtat.

IV. Malorum tum temporis conjuratio erat omnium in perniciem Italiæ, quæ non bellis modò, ſed ingenti quoque fame vaſtabatur. Qui montes incolebant, molitâ glande panem ſibi comparabant. In Piceno quinquaginta circiter hominum millia inediâ perierunt. Fuere duæ mulieres, quæ viros ſeptemdecim interfectos conſumpſere : quos ad ſe divertentes, dum ſomno utebantur, miſerè mactabant. Dum eadem hoſpiti, qui decimus octavus erat, moliuntur, ille ſubitò expergefactus, utraſque obtruncat. Corporum præ inedia robur omne diffluxerat. Qui nexis in terram genibus, herbas evellere tentabant, deficientibus viribus ſolo moribundi procumbebant.

Procop. Goth. l. 2. c. 16.

Marcellin. Chron.

Tantis calamitatibus alia adhùc acceſſit : *Theudebertus Rex Francorum Italiam ingreſſus, Liguriam Æmiliamque devaſtat.* Quippe ambitionis œſtro percitus, gnarus Gothorum vires tot tantiſque præliis eſſe debilitatas, juramenti fœderumque oblitus, quæ cum & Gothis & Romanis contraxerat, Italiam ſibi occupandam putat. Contracto igitur centum millium hominum exercitu, ſuperatis Alpibus in Liguriam penetrat. Conſiſtentibus in Piceno Gothis, adventus ille jucundus fuit, auxilium & capiti & fortunæ ſubmitti ſuæ exiſtimantibus. Itaque Padum ut trajicerent Francis liberè permittunt, eaque omnia, quibus venientibus opus erat, benignè præbent. Tum Franci præſidio in poteſtatem redacto, uxores liberoſque Gothorum immolare, in eos acrius ſævire, corpora quaſi belli primitias in flumen jacere, ex avita, quam nondum prorſus depoſuerant, veterique ſuperſtitione. Multitudine ſuâ freti, apertum & bellum Gothorum caſtris inferunt, miſſiſque ſecuribus, magno incautos damno afficere. Caſtris exuti ſuis Gothi ſeſe in fugam proripiunt, rectâque Ravennam citato curſu contendunt. Neque æquius cum Romanis actum : qui viſâ Gothorum fugâ, Beliſarium captis hoſtium caſtris ſibi opitulatum veniſſe credebant. Agmine facto progrediuntur, ut ſe cum ſociis copularent. Ubi verò ſenſere in hoſtes eſſe delapſos, Tuſciam fugâ petunt. At Franci captis duorum exercituum ſine milite caſtris, inventam rerum neceſſariarum copiam ſanè affluentiſſimam, præ ſua multitudine brevi abſumunt.

Proc. Goth. l. 2. c. 20.

Marcel. Chron.

Ulterius progreſſus Theodebertus, *Liguriam totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in littore Tyrrheni maris ſitum evertit ac prædat.* Mirâ hâc bellorum facie Gothorum Romanorumque ſcelera Francorum ſecuribus Deus ulciſcebatur. Neque Franci debitam perfidiæ & crudelitati ſuæ pœnam effugiunt. Vaſtatis quippe ferro igneque regionibus, eò inopiæ rediguntur, ut præter boves, & Padi aquas nil prorſus aliud quippiam in cibum haberent. Bovillis carnibus ingurgitatos alvi cruditas invaſit. Quo morbo cùm pars exercitus maxima afficeretur, nec præ rerum inopiâ omnium remedia reperirentur, tertia pars militum miſerè conſumitur. Acceptis Theodebertus Beliſarii literis, quibus perfidiæ poſtulabatur, monebaturque ne Imperatorem iniquis amplius armis laceſſeret, cognitâ ſuâ temeritate, cum Francorum ſuorum reliquiis domum raptim abire contendit pro iniquæ expeditionis, & everſæ Liguriæ præmiis, laudis ſuæ militumque funera referens. Non erroris expers eſt Baronii Chronologia, qui Theodeberti expeditionem in annum proximè ſecuturum contulit, pugnante & Marcellini, & Marii Chronico.

Bar. An. 540 n. 34.

Auximo potitur Beliſarius.

V. In tantis calamitatibus Beliſario fortunæ non nihil affulſit. *Auximum* obſidebat, quæ Gothorum pertinaciâ diu arma Romana detinebat. Ut verò ſtatus ſui Vitigem cives monerent, Burgentii, qui Narſeti miles erat, fidelitatem ingentibus promiſſis expugnant, ut ad Regem literas ferret. Vitiges obſeſſis reſpondet, brevi ſe cum exercitu venturum auxilio : durarent intereà virtutis Gothicæ memores. Mirabatur Beliſarius, obſeſſos tot malis fractos de deditione ne verbum adhùc ullum commutaſſe. Ex Sclavinis ergo militi cuidam præcipit, ut ſtructis inſidiis ex Gothis aliquem interciperet, ex quo ſciret, quid cauſæ foret, cur tantâ animi firmitudine civitas tamdiu reſiſteret. Dum Sclavinus humi proſtratus, rubo intectus deliteſcit, Gothum, qui ad herbas colligendas venerat, medium arreptum ad Romanos transfert. Ille mox Burgentii geſta aperit, qui dignam ſcelere ſuo pœnam ſuſcipiens, vivus crematur. Neque ideò de pertinacia Gothi ſua remittebant. Quos in ſuam poteſtatem ut Beliſarius redigeret, aquam eis adimere ſtatuit. Armatis copiis fingit impetum in mœnia ſe facturum, dum Iſauri quinque in aquæ alveum immiſſi, illum interſcindere conantur. Tum obſidentium ut conſilium intellexere Gothi, apertâ portâ in Iſauros ruunt, quibus Romani mox adfuere ſubſidio. Pugnâ acri initâ, Beliſarius hoſtili ſagittâ petitur, quam manu armiger excepit. Prælium primâ luce inchoatum, in meridiem uſque extrahitur, donec Gothi fugæ ſeſe mandarent. Non profuit tamen in ſubruendo aquæ receptaculo Iſaurorum labor, adcò firma fuit lapidum compages. Cadavera igitur, calcemque in aquam projici Beliſarius jubet, certus ſolâ rerum penuriâ vinci obſeſſos poſſe. Tandem his conditionibus Auximi facta deditio, ut dimidia bonorum pars cederet Romanis, partem verò alteram Gothi ſibi haberent, ſeque morigeros præberent Imperatori. De diuturnitate obſidionis Marcellini nos Chronicum monuit : *Beliſarius obſidens Auximum, ſeptimo menſe ingreditur.* Feſulani quoque præſidii potitur.

Proc. Goth. c. 22. &c.

ANNO DOM. 540.

ANNO U. C. 1293. PER. JUL. 5253. JUL. 585. DOM. 540. JUSTINIANI 13. & 14. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 9. *Indict.* 3. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 8. *April.*

COS. *Juſtinus ſolus.*

Num Juſtinus Collegam habuit? Fueritne Juſtinus ille, cui Juſtinianus deceſſit?

I. LAbentis anni Conſulatus quæſtionis aliquid habet. Faſtos mutat Baronius, qui Juſtino Collegam fuiſſe putat : *Ex Actis tertii* Con-

ANNO DOM. 540.

Bar. An. 540.

Error Baronii.

Concilii Aurelianenſis, Juſtino Conſuli hunc Collegam addimus Paulinum. Verùm enimverò non Faſtos quidem ex Aurelianenſi Concilio, ſed Concilium ex Faſtis Baronius emendare debuit. Marcellini continuator, necnon Marius Aventicenſis, Chronicum quoque Alexandrinum Paulinum Conſulem neſciunt, imò rejiciunt, diſertis verbis, tam Alexandrinum, quàm Marcellinianum, dum habent: Juſtino Conſule ſolo. Quis porro Juſtinus ille, qui labentem annum aperuit, in diſceptationem cadit. Placuit doctiſſimo Norisio, illum Juſtinum eſſe, qui defuncto Juſtiniano rerum potitus eſt: Anno

Nor. diſſert. de v. Syn. c. 9. Sect. 2. §5.

DLXVI inquit, Juſtinus novus Imperator Conſulatum II. geſſit, priorem enim functus fuerat anno DXL. Ea tamen ſententia admitti non debet, teſtemque damus Marcellini Continuatorem, à quo diſcimus, Juſtinum, qui Conſulem egit, Germani natum eſſe: Parthi in Syriam ingreſſi nullas urbes ſubvertunt: contra quos Germanus arma arripiens, Juſtinum filium, eundemque Conſulem in ipſis faſcibus ſecum duxit. Germanus verò Juſtiniani ex fratre nepos erat. At Juſtiniani ſucceſſor Auguſti Juſtinus, patrem Dulciſſimum habuit, ut ex fine Victoriani Chronici comperimus: Juſtinus Junior, Vigilantia ſororis Juſtiniani Auguſti filius, patre Dulciſſimo natus, cum tranquillitate populi magna imperii ſumit ſceptra. Erat Juſtinus Conſul conſobrinus Juſtini Imperatoris, cujus juſſu indigniſſimè periit, ut ſuo loco narrabitur.

Inſtigante Vitige Coſroes in Imperium impetum facit. Suram exſcindit.

II. Cùm adverſam Vitiges fortunam traheret, anno elapſo amicitiam cum Barbaris ſociali fœdere ſibi jungendam duxerat. Bachem Longobardorum Principem oblatâ per Legatum ingenti pecuniâ, ad arma in Juſtinianum movenda invitaverat. Conditiones Longobardus repudiarat, quòd fœdere junctus eſſet Imperatori. Coſroïs igitur Perſarum Principis animum ſibi tentandum è re ſuâ Vitiges arbitratus, binos ex Liguria Clericos pretio corruptos, ad legationem obeundam adegerat. Alter Epiſcopi, alter Diaconi munere fungebatur. Quam duram ſanè provinciam ceperant, ea ſucceſſu non caruit. Poſtquam intellexit Juſtinianus, Perſas ad bellum Imperio inferendum ſeſe accingere, Anaſtaſium virum prudentem, qui Darâ civitate relictâ Conſtantinopolim venerat, cum literis ad Coſroëm miſit, ut à bellorum cupiditate ad pacis artes ambitioſum Regem revocaret. Lectis literis, Coſroës neque reſponſum dedit, neque remiſit Anaſtaſium. Solutâ hyeme inſtructis armis Imperii regiones infeſtus ingreditur. Labenti anno expeditionem affigendam eſſe, & Marcellini, & Marii Chronicum teſtatur. Ac primùm fruſtra tentato oppido, cui Zenobiæ nomen, ad Surenorum urbem obſidendam properat. Hîc mirâ ſuperſtitionis efficaciâ ad eam oppugnandam impellitur. Cùm enim equus, in quo ſedebat, terram pede percutere cœpiſſet, hinc Magi conjecturam capiunt, in poteſtatem Regis oppidum certo venturum. Interfecto Arſace, qui præſidio imperabat, poſterâ luce civitatis Epiſcopus, humi procumbens, lachrymis veniam precatur. Ac oblata ſibi munera, aves ſcilicet, panem & vinum, ſimulatâ quidem benevolentiâ Coſroës accipit. Verùm ſuperbo Principi, & malè in Surenos animato conſilium erat, non clementiâ quidem, ſed crudelitate gloriam ſibi comparare. Dum enim miſſos à Coſroë Perſas Sureni multo plauſu accipiunt, Barbari in civitatem irrumpentes, omnia diripiunt; homines vel cædunt, vel vinculis onerant. Aliquid tamen humanitatis poſtmodum præbuit. Mulierem formâ præſtantem, nomine Euphemiam, ex captivis unam cum matrimonio ſibi junxiſſet, amore, vel lucri ſpe permotus, captivos Sergiopolim miſit, cujus ſacris Candidus Epiſcopus operabatur. Cui Coſroës Surenorum millia XII. ducentis duntaxat aureis ſeſe commotaturum pollicetur. Cùm tantum pecuniæ non haberet Epiſcopus, ille pœnâ duplici non ſolventi conſtitutâ, nec ſine ejectione Sacerdotii anno ſequente aurum ſe daturum pollicetur. Redempti tamen non multò poſt magna ea parte laboribus confecti periere.

ANNO DOM. 540.

Proc. Perſ. l. 2. c. 3.

Antiochia expugnatur à Coſroë.

III. Expugnatis Surenis, retentum Coſroës Anaſtaſium Juſtiniano miſit, nunciatum quonam loco res eſſent. Auditâ irruptione, Imperator Germanum illicò in Orientem amandat. Cùm exercitum ſibi promiſſum fruſtra expectaſſet, in metum incidit, ne Coſroës audiens Imperatoris nepotem Antiochiæ conſiſtere, eò arma ſua verteret. Civibus ergo placuit, Magnum Berœenſem Epiſcopum ad Perſas mittere, pericula deprecatum. Prope Hierapolim Coſroës caſtra impoſuerat; quem Magnus ſuppliciter rogat, ut innocentibus parcat. Sed precibus inflammabatur magis quàm flectebatur Regis ſuperbia. Inſtans tamen Magnus promiſſum à Coſroë extorquet, ut mille pondo auri acceptis, Romanam in Oriente ditionem metu liberaret. Reverſus Antiochiam Magnus, eam hortatur, ut datâ pecuniâ communi ſe periculo liberaret. Verùm Julianus, qui Imperatori à ſecretis erat, pecuniam hoſtibus numerandam eſſe negat. Quo imprudenti ſanè conſilio maximam Antiochenis cladem peperit. Intellecto periculo, de civibus nonnulli ſibi fugâ conſulunt: Ephræmius Epiſcopus in Ciliciam migrat, quò non multò poſt Germanus etiam venit. Intereà Theoctiſtus & Malazes cum ſex mille militibus Antiochiæ ſubeunt auxilio. Quo cæterorum civium fuga prohibetur, ut venienti Coſroï prædæ majoris ſors accreſceret. Juxta Orontem caſtra poſuerat, cùm milites falsâ ſpe lactati fibi, civibuſque perſuadent, adeſſe Buzen adjutorem cum exercitu. Hîc patres cum liberis, viri cum uxoribus ad portas contendunt. Tum Perſæ incitatis equis jacentium corpora pedibus proculcant: ſcalas muris nullo reſiſtente admovent: turres celeriter occupant. Hîc omnem Coſroës prudentiam adhibet, ut urbe opulentiſſimâ quàm faciliimè potiretur; factâ Romanis militibus poteſtate fugiendi, quò vellent. Verùm complures ex juventute Antiochena Perſas adorti, penè ſuperiores videbantur. Quo ſucceſſu elati animo, magnâ voce Juſtinianum Callinicum, quaſi victores clamant. Ea tamen pugna civibus damno fuit, quâ ad iram concitati hoſtes, nulli nec ætati parcunt, nec ſexui. Duas illuſtres fœminas fuiſſe ferunt, quæ ne quid à victoribus turpe paterentur, in fluvium velatis capitibus ſeſe immiſerunt. Captâ ſic Antiochiâ, Coſroës ſuis mandat, fugitivos caperent, bonaque omnia diriperent. Eccleſiam verò ingreſſus, tantum auri, argenti, gemmarumque reperit, ut vel ex eo theſauro opulentiſſimus recederet. Civitatem dein flammis univerſam deleri jubet; unique ſoli Templo parcitum, quod Oratores pretio ſe redempturum recepere. Relictæ quoque circa Ceratæum domus multæ, non Perſarum quidem miſe-

miſericordiâ, ſed quod à cæteris disjunctæ igne corripi non potuerunt. Eatta mœnia incendio cuncta vaſtantur, exceptis & B. Juliani Templo, & ædificiis vicinis, ubi Legari diverterunt.

Proc. Perſ. l. 2. c. 5.

Coſroes Apameam petit. Thomæ cum eo commercium. De cruce miraculum.

IV. Needum calamitatum finis erat. Progreſſus Seleuciam *Coſroës*, aquâ marinâ lotus, Soli ſacrificaait. Dein vicinam & Apameam ingredi voluit. Id ægrè Legari conceſſere, eâ conditione, ut argenti libras mille ferret, cæterùm nil mali inferret urbi. Inde Daphnem Antiochiæ ſuburbium properat, ubi Nymphis ſacrificia perpetrat. Amœniſſimo hæc loco crudelitatis & ſuæ veſtigia imprimere voluit. Eques Perſa Templum ingreſſus, Antiochenum perſequitur, nomine *Aimarbum*, arte lanium. Ille verò hominem lapide petitum, & ictu cadentem occidit: armis & auro ſpoliat, dein correptâ fugâ latebras ſibi rutas quærit. Defunctus Coſroï benè notus erat: cujus caſum Rex indignatus, Michaelis Templum cum nonnullis domibus addicit incendio; poſt hæc Apameam venit. Ibi pars crucis Dominicæ cubitali magnitudine, à Syro clam delata eſſe ferebatur: thecæ ligneæ includebatur auro gemmiſque inſignitæ, quæ tribus cuſtodienda Sacerdotibus tradebatur. Magnam urbi ſuæ tutelam cùm id ligni eſſe putarent, quotannis certâ die venerabantur, nullo ſanè Apoſtolorum ſive mandato, ſive priſcorum exemplo. Viſia Perſarum exercitibus, Thomam Præſulem rogant ſuum, crucis lignum oſtendi ſibi, ut eo viſo felicius morerentur. Cùm eis morem geſſiſſet, progredientem Thomam ſequebatur ingens flamma coruſcans, ut locus conflagrare videretur. Ut hoc miraculi memoriæ commendaretur, dedicata eſt imago in lacunari ædis ſactæ, quæ prodigium pictura expreſſum neſcientibus indicaret. Coſroïs quoque animum ut mitigaret Thomas, ludos cum eo in Circo ſpectare, contra Eccleſiaſticum morem non recuſavit. Cæterùm umbra pacis Legatorum ope Perſas inter & Imperium conſtituitur. Certum quotannis aurum Coſroës petit, cui Legati, *Ergane Perſæ vectigales ſibi Romanos eſſe volunt?* Minimè, inquit, *ſed Perſarum milites deinceps ſibi obnoxios Romani habebunt, ut Hunnos atque Sarracenos.* Tandem eò rediit diſceptatio, ut in præſens quinquaginta millia aureorum, ac totidem ſingulis annis Coſroës acciperet, ne Imperium laceſſeret.

Evagr. l. 4. c. 25. 26.

Procop. l. 2. c. 6.

Beliſarius Ravennâ potitur. Vitiges ſpoliatur regno: obiit, quando?

V. Gothici belli ſtrepitus nos ex Oriente in Italiam revocat. Gothico Imperio prorſus extinguendo Ravennam ipſius caput Beliſarius petere cogitat. Vitiges navigiorum copiam longè maximam annonâ onuſtorum ſibi comparaverat, quæ civitati inferretur. Deficientibus Padi aquis navigandi facultas intercludebatur, quaſi conjurata Beliſario flumina militarent, cujus in poteſtatem cum ſuis oneribus lembi venere. Itaque obſeſſi Ravennates frumenti inopiâ premi ceperunt. Cognito obſeſſorum ſtatu, Franci ad Vitigem Oratores mittunt, de ſocietate cum Gothis ineunda. At Vitiges poſtpoſito Francorum fœdere Imperatoria amicitiæ, Oratores re infectâ dimiſit. Jam Gothorum Principes Ravennæ muris includebantur, cùm Juſtiniani Legati, Dominicus & Maximus pacis conditiones afferunt: ut ſcilicet Vitiges regiarum opum dimidiam ſibi partem haberet, Tranſpadaniſque regionibus imperaret, Ciſpadanæ verò Imperatoris in ſortem venirent. Beliſarium fœdera hæc male habuerunt. Jam victoria ipſius in manibus erat: jam Gothica poteſtas ruere de culmine incipiebat: itaque planè negat, ſe pacis ullas cum Barbaris conditiones ſcripto firmaturum. Quod cùm ſibi id vitio dari intelligeret, quaſi autoritatis amore bello finem imponi nollet, oratione graviſſimâ oſtendit, intempeſtivam Gothis pacem offerri. Intereà cùm miſeriarum ex fluctibus Gothi emergere vix poſſe arbitrarentur, ac Vitigis in imperii tædio afficerentur, Italiæ regnum offerunt Beliſario. At viro major virtus inerat, quam ut debitam ſuo Principi fidelitatem perfidiâ commutaret, aut ſacrâ imperandi fame laudes deteteret ſuas. Prudentiâ tamen adhibitâ, firmatis cum Gothica conditionibus, de imperio ſuſcipiendo apud Vitigem, Principeſque juraturum ſe pollicetur. Eum ergo Legati hortantur, ut nullâ interpoſitâ morâ Ravennam tendat: poſtquam civitate potitus eſt, Vitigem honorificè cuſtoditum ſervat: Gothos agris excolendis vacate jubet. Regiam pecuniam Imperatori deferendam, diligenter aſſervat: præſidia urbeſque à Gothis occupatas in deditionem accipit. In ſummam invidiam adducta præclara Beliſarii facinora, de fidelitate ejus materiam detrahendi inimicis præbuere, quaſi viam affectaret tyrannidi. Neque fortè ab ea prorſus ſuſpicione abfuit Juſtinianus, qui Beliſarium ex Italia revocat, in Orientem mittendum, ut curſum Perſicarum victoriarum interpellaret. De eo reditu Marcellini Chronicum hæc habet: *Beliſarius Regem Vitigem, & Reginam, cunctaſque opes, Gathaſque nobiliores tollens ſecum, ad Imperatorem revertitur, evocante ſe Marcello Comite.* Vitiges cum uxore benignè ab Imperatore excipitur. Gothica verò gaza mirantium Senatorum oculis exponitur: negatus tamen Beliſario triumphus, duabus victoriis ornatus, quales mortalium nemini contigerant: ut duos Reges cum theſauris captivos deduxerit. Pro triumpho victori laudes fuere, quæ omnibus in ore verſabantur. Adverſam regnando Vitiges fortunam expertus erat. Quin etiam fauſtis nuptiis caruit, quas cùm per vim à Mathaſunta expreſſiſſet, ea viro ſuo infenſior reddita eſt. Itaque cùm Joannem Ariminium venturum accepiſſet, clam ad ipſum nuncios miſit, qui de nuptiis ſimul & proditione cum eo communicaret. Ad privatam Vitiges conditionem redactus, fortunam magis proſperam habuiſſe viſus eſt: *Juſtinianus Vitigi non multò poſt Patricio effecto, ad miniſtrationem Perſarum tribuit terminos: ibique Vitigis degens vitam finivit.* Hæc Hiſtoria Miſcellanea, l. 16. De Perſica tamen ea Vitigis expeditione Jornandes ſilet, qui de Vitigis Hiſtoria ea ſcripto prodit: Juſtinianus Vitigem *Patricii honore donavit. Ubi plus biennio demoratus, Imperatoriſque in affectu convictus rebus exceſſit humanis. Mathaſuntem verò jugalem ejus fratri ſuo Germano Patricio conjunxit Imperator. De quibus poſthumus patris Germani natus eſt filius, item Germanus. In quo conjuncta Aniciorum gens cum Amala ſtirpe, ſpem adhùc utriuſque generis Domino præſtante promittit.* Jornandis ex Chronologia Vitiges anno circiter DXLIII. Conſtantinopoli fato conceſſit. Germanus non Juſtiniani frater erat, ut Jornandi traditum; ſed ex ſorore nepos.

Proc. Goth. l. 2. c. 25.

Proc. Goth. l. 2. c. 8.

Jorn. de Reb. Get. c. 60.

Heldobadus repudiante ſceptrum Oraio Rex Gothorum eligitur.

VI. In mentem ſibi Gothi non induxerant, Beliſarium pluris putare quod honeſtum, quàm quod utile: regnumque Gothorum datæ Juſtiniano poſthabere fidei. Ubi verò advertunt diſceſſum paraſſe, *Oraio*, quem *Vraiam* alii nuncupant,

pant, Vitigis ex ſorore nepoti regnum offerunt. Ambitione tamen longè major tunc viri hujus prudentia, qui Principatum prorſus reſpuit. Iniquum eſſe, ſi viventis adhuc avunculi ſceptra caperet: aliundè vereri ſe, ne ſanguine cum Vitige conjunctum, calamitates etiam ejus participaret; parvi quidem hoſtes facturum Ducem qui nepos viri erat, cujus captivitas omnium ante oculos verſabatur: neceſſarium potius ſe ducere, ut *Heldebadus* Viſigothus in Principem crearetur, cùm virtutibus fulgeat, atque prudentiâ, & aliundè pro avunculo *Theudam* habeat, Viſigothorum Principem, qui inclinatis Gothorum rebus poterit eſſe ſubſidio. Placuit Gothis *Oratio* conſilium. Veronam *Heldobadus* incolebat, cujus & Præfectus erat: ejus liberi apud Beliſarium detinebantur: ad quem etiam Oratores miſerat, illorum ſecuturus exempla, qui ſe victori ſubdebant. Recedente Beliſario, conſilii ſui executione prohiberetur, ut quaſi libertate ſervatâ ad regium faſtigium dignior aſcenderet. Accitum ergo communi conſpiratione *Heldobadum*, veſteque purpureâ indutum, Regem maximo plauſu creant. Verùm labentis throni ſpretor cenſet, profecturo regnum Beliſario iterum offerendum eſſe. Ex omnium ſententia Oratores ſubinde mittuntur, qui & violata ei fœdera exprobrent, & voluntarium arguant mancipium, quòd imperio ſervitutem anteponat. Verùm virtute animi, imperia omnia ſuperante, reſpondet Beliſarius, *Juſtiniano ſuperſtite nunquam Imperatoris ſe nomen uſurpaturum.* Sic delatum Heldobado regnum manſit, quod anno ſequente cum vita deponet. Beliſarius quod reſpuerat imperio dignus, Conſtantinopolim revertitur.

Proc. Goth. l. 2. c. 25.

Theodoſius Alexandrinus Conſtantinopolim venit: relegatur.

VII. Res Eccleſiæ contemplendas nunc Lectorum oculis ſubjiciemus. Dum Beliſarium ſecuti in urbe regia verſamur, mentio Theodoſii Alexandrini eſt agitanda, qui labente anno Conſtantinopolim ſe contulit. Paucos ſui fautores habebat ob motam Gajani causâ à Monachis diſcordiam. Quæ cùm Theodoſio mœrori eſſet, Epiſcopatu abire conſtituit: *Manſit autem Theodoſius in Sede annum unum & menſes quatuor, paucis ei communicantibus. . . . Noviſſimè Theodoſius de Sede diſceſſit, non ferens ſeditiones & bella, quæ contra eum exercebantur à populo. Miſſus eſt Conſtantinopolim cum honore, eò quòd ita Auguſta ſcripta præciperent. Quò illo veniente promittebat Auguſta Imperatori, quoniam poſſet Theodoſius Chalcedonenſem ſuſcipere Synodum. Sed perſiſtente, & nolente eo, cum ejus voluntate ferat civitatem Regiam ſexto milliario in exilium miſſus eſt, juxta Baſilicam Ariſphoca in via, quæ ducit ad Stomapontem, Vivitque uſque nunc,* Hæc Liberatus, c. 20. A Liberato nonnihil diverſus eſt Leontius: *Mittit Juſtinianus, ac Theodoſium quoque removet, eique Byzantium deportato Paulum ſubrogat.* Veroſimilior Liberati narratio eſt. In Theodoſium labente anno anathema latum eſſe, ex Vigilii ad Mennam Epiſtola colligimus: *De his verò, quibus ea memorem Libelli, quem ſuprà ſcripto prædeceſſori noſtro* Agapeto *tradideras, & ſequentes Apoſtolica Conſtituta doctrina in Hæreticos inferius comprehenſos, id eſt, in Severum Antiochenum, Petrum Apamenum, Anthimum quoque pervaſorem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & Theodoſium Alexandrinæ civitatis, necnon & Conſtantinum, atque Antonium Verſantanum Eutychianæ hæreſis, ſed & Dioſcorum, qui in Chalcedonenſi Synodo inter alios legitur fuiſſe damnatus, cum defenſoribus atque ſequacibus anathema dixiſſe cognovimus.* Adventum Theodoſii Conſtantinopolim anno DXXXVI. contigiſſe, Baronii Chronologia ſtatuit, utpote qui ſibi in animum induxerit, Theodoſium anno DXXXV. Alexandrinis ſacris eſſe præfectum. Verùm ea defendi Chronologia nequit, & à Victore Tununenſi disertè corrigitur: *Juſtino V. C. Conſule, Theodoſius Conſtantinopoli Sycas relegatus, totum pene Palatium, & maximam Regiæ urbis partem ſuâ perfidiâ maculavit.* Ad annum uſque DLXVI. vel ſequentem Theodoſius vitam extendit ſuam, teſte Victore Tununenſi: *Vixit Theodoſius præfatus Hæreticus uſque ad primum Juſtini Junioris Auguſti Conſulatum.* Theodoſii fragmenta quædam ex ſcripto Theodoræ Auguſtæ miſſo extant Agathonis in Epiſtola: *Reliquum eſt ut una ſit operatio ex utriſque Deſica, quoniam & unus eſſe, & ejuſdem dicimus Deo decibilia miracula & naturales omnes atque irreprehenſibiles paſſiones . . . & unam eſſe eandemque unius Dom. noſtri J. C. & Deo dignam ſapientiam ſcientiamque omnium, & cognitionem ſecundum utrumque, id eſt, ſecundum ejus Divinitatem & ſecundum ejus humanitatem.*

Vig. Ep. 5.

Leont. Act. 5.

Error Baronii.

Bar. An. 535. n. 66.

Theodoſius Conſtantinopolim erroribus opplet. De Chriſti Scientia. Qui Agnoetæ?

VIII. Cum maxima Eccleſiæ pernicie Theodoſianum Conſtantinopolim adventum conjunctum eſſe, non Victor modò, ſed Leontius quoque ſcripto tradit: *Cum autem privatus Byzantii Theodoſius degeret, Agnoetarum, ſic ab ignoratione dictorum, dogma motum fuit. Nam quia Dominus ait, Neminem horam judicii ſcire, ne Filium quidem extra ſolum Patrem, quæſitum eſt, an Chriſtus eam ignoraret ut homo. Theodoſius Chriſtum ignorare negabat, & adverſus Agnoetas ſcripſit. Alii verò Chriſtum horam ignorare tradebant, quemadmodum ipſum & dolorem ſenſiſſe dicimus. Inde divulſi ſunt a Theodoſianis, qui Agnoetæ vocantur. Cumque ſibi feciſſent Eccleſiam, ſeorſum communicabant.* Nicephorus non diſſimili modo Agnoetas deſcribit: *Hi dicunt Deum quidem Verbum omnia noſſe: humanitatem verò ſecundum ſubſtantiam ei unitam permulta ignorare.* Cæterùm ea non eſt hæreſis, quòd Chriſti anima aliquid ignorarit, præcipuè diem judicii. Perperàm ſanè Agnoetarum errorem deſcribit Bellarminus, dum tradit diei judicii ignorantiam non Divinitati, ſed humanitati Chriſti ab eis eſſe vindicatam. Verum Sophronius in ſua ad Sergium Epiſtola, quæ Actione XI. Sextæ Synodi reperitur, erroris Agnoetarum notionem conſignat in animis: *Themiſtius, qui fuit ignorantiæ pater . . . qui Chriſtum verum Deum noſtrum diem judicii neſciiſſe delirabat.* Quis ille Themiſtius, docet Nicephorus l. 18. c. 50. *Themiſtius Philoſophus ſub Valente primùm Agnoetarum ſectæ præit.* Profectò Patres ferè omnes in errore verſarentur, ſi ignorantiæ aliquid animæ Chriſti tribuere hæreſis appellatur. Audimus Leontius: *Sciendum tamen complures ex Patribus, ac propemodum univerſos videri dicere, quod ignoret. Nam cùm per omnia nobiſcum unius eſſe ſubſtantiæ dicatur, & nos ignoremus, nimirum ignorabat & ipſe. Quin & ipſa Scriptura dicit, eum profeciſſe tam ſtaturâ quàm ſapientiâ, diſcentem id ſcilicet, quod ignorabat.* Ac vera quidem de Patrum ſententia Leontium prædicaſſe, perſuaſum habemus, quòd nempè ignorantiâ aliquâ anima Chriſti effecta fuerit, prælucente Scripturâ: *De die autem illo, & de hora illa nemo novit, nec etiam Angeli cælorum, neque Filius.* Quæ verba ſapienter illuſtrat Athanaſius contra Arianos Oratione IV. *Manifeſtum eſt Chriſtum*

Leont. de Sect. Act. 5.

Niceph. l. 18. c. 50.

Leont. de Sect. c. 10.

Marc. 13.

ANNO DOM. 540.

ſtum etiam horam conſummationis ventiam, quatenùs quidem Deus eſt, ſcire: ignorare autem, quatenùs homo. Eſt enim hominis proprium ignorare, maximè ea, quæ ſunt hujus generis. Sed & hoc proprium eſt ejus amoris, quo hominem Servator complexus eſt. Etenim factus homo non erubuit propter carnem ignorantiam dicere, non novi: ut oſtenderet, ſe cùm ſciret tanquam Deus, ignorare tamen propter carnem. Ambroſius de Incarnationis Dominicæ ſacramento, c. 7. *Quomodo Chriſtus proficiebat ſapientiâ Dei?... Profectus eſt ætatis, & profectus ſapientiæ, ſed humanæ eſt.* Fulgentius ad Thraſimundum, l. 1, c. 5. *Sicut carnis eſt ætate proficere, ſic eſt animæ ſapientiâ & gratiâ profeciſſe.* Profectò cum Servatoris anima ad infinitatem non aſcenderit, ipſam quidem ſcientia de perfectione & amplitudine Dei notitiæ prorſus concedere debet: ut à vero Theodoſius aberraverit, dum negat animam Chriſti ullâ ignorantiâ laboraſſe, quâ ratione tranſmutatur in Deum. De dici verò Judicii cognitione diſtinguendum putamus. Quippe in ſtatu exinanitionis ſuæ eâ quidem cognitione Chriſti animam expertem omninò fuiſſe cenſemus: quia & decorum ſervandum fuit, & humanitas Servatoris necdum ſummum gloriæ gradum erat adepta, & regio officio non fungebatur. In ſtatu verò gloriæ, ultimæ mundi horæ notitiam animæ Chriſti indultam eſſe exiſtimamus, ut & ſummæ obedientiæ præmium, & qualitatem regio, quod nunc exercet, muneri neceſſariam. Itaque ſi de Chriſti animæ ſcientia quæſtio Agnoetas inter & Theodoſianos fuiſſet agitata, quin priorum opinio recta fuerit, nulli dubitamus, verùm Agnoetas Victor aliis coloribus pingit in ſuo Chronico: *Sed & à Theodoſianis aliæ duæ hæreſes exierant: una Agnoitarum & altera Tritheitarum. Agnoitæ ſi quidem perverſitati, à qua exierunt, id adjiciunt, quòd Chriſti Divinitas ignoret futura, quæ ſunt ſcripta de die & hora noviſſima.* Vera hæc eſt Agnoetarum hæreſis, cujus fons Themiſtius, quam extinctam ex Severianis nonnulli renovarunt.

Philoponi Tritheiſmi exortus. Quis?

IX. Eo tempore, quo Theodoſius in urbe regia morabatur, tetrum etiam ex inferis dogma rurſus revocatur. Audiamus Leontium: *Adhùc agente Byzantii Theodoſio, denuò motum fuit dogma Tritheitarum, cujus ſectæ Princeps Philoponus extitit. Quoniam enim objiciebat Eccleſia, ſi duas in Chriſto naturas diceret, neceſſariò quoque duas hypoſtaſes confeſſuram: reſpondebat Eccleſia, ſi natura & hypoſtaſis idem ſunt, neceſſariò quoque confitendum individuam. Sin aliud natura, & aliud hypoſtaſis, quænam illa ſortitio fuerit, ut naturas duas ſtatuentes, omninò duos quoque confiteamur hypoſtaſes. Et reſpondebant Hæretici, planè idem eſſe naturam & hypoſtaſim. Viciſſim Eccleſia dicere, ſi natura & hypoſtaſis idem ſint, etiam in ſancta Trinitate naturas tres eſſe dicebant, cùm in confeſſo ſit, eam tres hypoſtaſes habere. Hæc proferente Eccleſiâ reſpondebat Philoponus admittendam, ut tres naturas in Sacroſanctâ Trinitate profiteamur.*

Leont. de ſect. c. 5.

Quis verò Philoponus ille fuerit, qui à labore, cujus erat amans, cognomen habuit, ex Suida diſcimus: *Joannes Grammaticus Alexandrinus, cognomento Philoponus: hujus plurima ſunt ſcripta: Grammatica, Philoſophica, Arithmetica, Rhetorica & ſacra Scriptura, & contra XVIII. Procli argumenta, & contra Severum. Sed tamen ab Eccleſia Doctoribus ut Tritheites rejicitur, & in Orthodoxorum Catalogum non admittitur.* Multum laudis in refellendo Proclo ſibi comparavit. Proclus alter Porphyrius linguam in Chriſtianos ſtrictam exacuerat. Quem vel in Græcis, quibus efferebatur, imperitum eſſe, eximiè Philoponus oſtendit. De Philopono legitur & Nicephorus, lib. 18. cap. 50. Diu vitam retinuit Philoponus, quâ longævitate ad reſipiſcendum invitabatur. Joannis Conſtantinopoli Patriarchæ orationem anno DLXVIII. de S. Trinitate editam confutavit. Refutationis ſtylum laudat Photius, doctrinam deteſtatur, Codice LXXV. Chalcedonenſi Synodo infenſus, ei Neſtorianiſmum tribuit, unde falſè Philoponi cognomen in illud *Mataeponi* mutavit Photius cap. LV. Jam ſeptimum ſeculum labebatur, cùm vitâ abiiſſe dicitur.

Suid. t. 1. 1260.

ANNO DOM. 540.

Num Vigilius Pontificatu abierit?

X. Novâ Româ profecti in veterem migremus. Vigilii ambitione Silverium in Palmariam Inſulam relegatum eſſe, ſuo loco noſtri docuerunt Annales. Defuncto exule, famâ miraculorum ejus, quaſi tuba uſurpatorem excitans, miram ei cogitationem indidit, ſi Baronio credimus: *Se à Pontificatu abdicaſſe Vigilium, ex ſpatio vacationis Sedis Silverii dicendum omninò eſt.* Quòd ſi à Baronio quærimus, quibus machinis eam Vigilii abdicationem extunderit, reſpondet, mirum hoc arcanum in verbis Anaſtaſii de Silverio ſe deprehendiſſe: *Ceſſavit Epiſcopatus ejus dies ſex.* Id tamen Vigilius fecit, *tanquam repræſentaturus in ſcena comœdiam, non ex animo.* At miremur Dei providentiam, quæ rerum Eccleſiæ Romanæ incredibili modo ſatagit. Miſer ille comœdus Vigilius, larvatus ille Pontifex, an potius Silverii carnifex, mortuo deceſſore, ſubinde ex Dæmone mutatur in Angelum: *Qui hactenùs ad malum Vigilius vigilaſſet, cœpit pro univerſo grege agere vigil excubias, ubi legitimus eſſe cœpit Epiſcopus.* Hæc ſunt potentiſſima Chriſti miracula. Hæc ſummi Paſtoris de grege ſuo cura & diligentia. Sic Petri navicula à fluctibus tuta eſt, atque infidâ ſecuritate, *ut in littore otioſa conſiſtens, cœno putreſcat, & algâ ſepeliatur.* Eſt tamen ea Vigilii abdicatio mera fabula, neque ex verbis ſanè Anaſtaſii colligitur, qui de ea ne verbum quidem ullum habet. Ac ut prætereamus, parvi eſſe momenti Anaſtaſii in rebus antiquis autoritatem, neque ex quo Vigilius ad Epiſcopatum evectus eſt, ullum Interpontificium fuiſſe, cùm pro legitimo Antiſtite agnoſceretur, eoque nomine à *Profuturo* Bracarenſi anno elapſo conſultus fuerit, admiſſâ tamen, quam falſam putamus, Anaſtaſii narratione, id unum ſequitur, ſex Silverii poſt obitum diebus Epiſcopatum Cleri ſuffragio fuiſſe Vigilio confirmatum abſque ulla ipſius abdicatione prævia. Non eſt igitur ea fingenda, ſilentibus hiſtoriæ monumentis omnibus. Neque etiam credibile ſit, Vigilium, qui ad invadendum Pontificatum jura pietatis omnia reſolverat, auditâ morte Silverii eò abire voluiſſe. Quem vivente deceſſore uſurparat, quantò magis eo defuncto retinuit? Neque ſibi committendum putavit ambitioſus homo, ut ſuam incerto Cleri ſuffragio dignitatem permitteret, ne uti meruerat, ea prorſus excideret.

Bar. An. 540 n. 4.

Bar. Ann. 540. n. 6.

Literæ Vigilii ad Juſtinianum & Mennam.

XI. Porrò etſi pravis corruptiſque moribus Vigilius præditus eſſet, calculo tamen ſuo pietatis doctrinam comprobavit. Ad eum literas Juſtinianus miſerat, *Dominico Excenſale, atque Patricio deferente*, ſcribenti reſpondet Vigilius, pergratum ſibi eſſe, quòd Auguſteæ pietatis viribus effectum ſit, doctrinam quatuor Synodis Oecumenicis contentam ubique locorum florere: non ſine Severi Eutychiani, Petri Apameni,

Anthimi, Zoaræ, Theodoſii Alexandrini, Conſtantii Laodicenſis, atque Antonii Verſentani anathemate. Suum quoque ſilentium excuſat, quaſi ab erroris fonte manaſſet, quòd nullâ hactenùs Epiſtolâ Imperatorem adiiſſet: cui etiam obnixè Sedis Romanæ privilegia commendat, quaſi prora puppiſque religionis in ea re niteretur. Ipſiſſima verba repræſentemus: *Nos, quos B. Petrus Apoſtolus omni poſcenti rationem reddere, piâ traditione conſtituit, libenti animo Chriſtianitati veſtræ ſatisfaciendum eſſe perſpeximus, ſuppliciter petentes, ut nullius ſubrepentis inſidiis privilegia Sedis B. Petri Apoſtoli, Chriſtianiſſimis temporibus veſtris in aliquo permittatis imminui: quæ ſi turbentur, quod non credimus, aut minuantur in aliquo, violata fidei inſtar offendant.* Epiſtolam labente anno miſſam eſſe, ex illa, quam Mennæ Vigilius ſcripſit, colligitur. Quippe per Dominicum Patricium, ut Imperatorem, ſic Mennam quoque ſcripto convenit, cui gratulatur, quod quatuor Synodos, Leoniſque *Conſtituta* cuſtodiat: in Hæreticos, quorum mentionem in ſua ad Juſtinianum Epiſtola fecerat, fert damnationis ſententiam. Quòd ſi ex Hæreticis quiſpiam ejurato errore reſipuerit, Sedis Apoſtolicæ communionem ei tribuendam ſtatuit. Datarum Epiſtolarum tempus verba hæc nos monent: *Flavius Dominicus V. C. Comes Domeſticorum, Exconſul ac Patricius, has ſchedas à beatiſſimo, atque Apoſtolico Papa Vigilio in cauſa fidei factas, ad Dominum noſtrum Juſtinianum, piiſſimum & Chriſtianiſſimum Principem, ſed & ad Mennam virum beatiſſimum, Conſtantinopolitanæ Archiepiſcopum civitatis relegens, conferens conſentienſque ſubſcripſi, die XV. Calend. Octobris, Juſtino viro clariſſimo Conſule.*

Vig. Ep. 4.

Vig. Ep. 5.

Synodus Barcinonenſis.

XII. Labente anno Concilium Provinciale Barcinone celebratur. Interfuere Epiſcopi ſeptem, quorum hæc ſunt nomina: *Sergius* Metropolitanus, Synodi Præſes, *Nibridius* Barcinonenſis, *Caſonius* Empuritanus, *Andreas* Ilerdenſis, *Staſilius* Gerundenſis, *Joannes* Cæſaraugustanus, *Aſellus* Dertoſanus. Canones decem edidere, Eccleſiæ ad diſciplinam ſpectantes. I. Ut Pſalmus quinquageſimus ante Canticum dicatur. II. Ut *benedictio in matutinis Fidelibus, ſicut in veſpera tribuatur.* Cur in matutinis benedictionem omitterent, ea fortè cauſa eſt, quòd Chriſtus in Cœlum aſcendens, diſcipulos benedictione ſuos impertierat, unde congruum videbatur, ut diſcedente à populis Epiſcopo in veſpera benedictio funderetur. In matutinis autem pars officii peragebatur, ad quod iterum redeundum erat. Videatur Canon Agathenſium trigeſimus. III. Nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat. IV. Diaconus in conſeſſu Presbyteri nullatenùs ſedeat. V. Epiſcopo præſente orationes Presbyteri in ordinem colligant. VI. Pœnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu utentes, jejuniis & obſecrationibus vitæ tempus peragant. VII. Pœnitentes epulis non interſint, nec negotiis operam dent. VIII. *Qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à Sacerdote accipiunt; ſi poſteà convaluerint, vitam Pœnitentium peragant, exceptâ manus impoſitione, ſegregati à communione, quamdiu probabilem Sacerdos eorum vitam approbaverit.* Ea pœnitentia, ut verè ſcriptum Albaſpineo, peccatorum caſtigatio non fuit, ſed expreſſa vitæ religioſæ ſpecies ad imitandum propoſita. Videatur Epaunenſis c. 12. & Turonenſis ſecundæ c. 20. IX. *In infirmitate poſiti viaticam benedictionem percipiant.* X. De Monachis Chalcedonenſium ſtatuta obſerventur.

ANNO U. C. 1294. OLYMP. 330. PER. JUL. 5254. JUL. 586. DOM. 541. JUSTINIANI 14. & 15. *Sol.* 18. F. *Lun.* 10. *Indict.* 4. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 2. *P.* 31. *Mart.*

COS. *Flavius Baſilius Junior.*

Baſilius ultimus privatorum Conſul. Num exinde nullus Conſul Faſtis additus?

I. INſignia nota Baſilii Conſulatui imprimitur, quòd privatorum noviſſimus Conſul proceſſerit, Faſtoſque reſerarit. Non eſt tamen Baronio concedendum, quod perperàm ſcripto prodit: *Nec poſt hac amplius aliquis Conſulatus reperitur additus Faſtis.* Quippe novi Imperatores dum purpuram induebant, ſimul Conſulatum adibant, qui & Faſtis addebatur. Sic Marii Aventicenſis in Chronico: *Anno primo Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti, Indict. XV.* Et in Chronico Alexandrino: *Indictione XII. Tiberio Juniore Conſtantino Auguſto primùm Conſule:* & imperante Mauritio: *Indictione II. Mauritio Tiberio Aug. primùm ſolo Conſule.* Neque uti putat Baronius, *Juſtinianus per Conſulatus à majoribus deductam Chronologiam, ſuâ antiquitate venerandam, penitùs tollere voluit.* Licet enim privatorum nullus poſt Baſilium Conſul ordinarius creatus fuerit, nihilominus in annis conſignandis ſous adhùc Conſulatuum uſus fuit, adhibitâ formulâ *poſt Conſulatum*, quæ ſuperioribus quoque temporibus ſæpenumerò viguerat. Sic annus DXLII, in Faſtis eâ ratione deſignatur: *Poſt Conſulatum Baſilii.* Annus DXLIII. eam notam habet: *Poſt Conſulatum Baſilii* II. Ut tam Marii, quàm Alexandrinum Chronicum apertiſſimè docet. Cum defuncto Juſtiniano Juſtinus rerum potitus eſt, tum novi Imperatoria anni Conſulatibus inſignes prodiere. Non erat tamen ejuſdem ætatis Imperii Epocha cum illa Conſulatus, quæ priore poſterior fuit, utpote à Calendis Januar. incipiens, cùm Auguſtea Epocha ab illo die inchoaret, quo novus Imperator purpuram induerat. Ac in Tribonianum, qui ob Ethnicam, quâ utebatur religionem, Conſulatum adipiſci non potuit, Baronius invidiam derivat, quòd *ipſi Imperatori unà cum imperio jugem inhærere voluerit Conſulatum.* Verùm Baronius non erroris immunis eſt, dum verba Legis huic ſuæ conjecturæ accommodat. Verba ſic ſonant: *Imperatori quidem jugis & indeſinens Conſulatus omnibus civitatibus & populis, & gentibus in ſingulis, quæ placuerint diſtribuenti advenit, aut cùm ipſe annuerit, trabea, ideòque & Imperii Conſulatus, per omnia ſit ſequens ſceptra.* Eſt autem ea Novella anno DXXVI. promulgata, teſte Conſulari notâ: *Data Conſtantinopoli poſt Conſulatum Beliſarii.* Abhinc verò privati quatuor Conſules nomina annis ſua dederunt. Joannes, Apion, Juſtinus Junior, & Baſilius. Eâ Lege ergo gerendi Conſulatus facultas privatis non eripiebatur. Ac ſanè perabſurdum fuiſſet de Conſulum & proceſſionibus, & munificentia Decreta poni, ſi ad eum honorem inconceſſus privatis eſſet aditus. Mens ergo Legis hæc eſt, in nutu Principis eſſe, ut cui voluerit, trabeam, Conſularemque dignitatem concedat. Fons Baroniani erroris eſſe videtur, quòd Novellam de Conſulibus Strategio Sacrarum Largitionum Comiti miſſam, anno labente conſcrip-

Error Baronii.

Bar. Ann. 541. n. 1.

Id. ibid.

Bar. An. 541. n. 2.

Novel. 105. c. 2.

ANNO DOM. 541.

ſcriptam putarit, quæ ſexennio antè fuerat promulgata.

Heldebadus Vitalium delet.

II. Poſtquam *Heldebadus* novus Gothorum Princeps ſceptro potitus eſt, contractis & Barbaris, & Romanis, qui rebus novis delectabantur, omni ſtudio nititur, amiſſum Gothis Principatum reſtituere. Ac primâ ſpecie id factu impoſſibile videbatur. Regni tunc potius ſimulachrum, quàm regnum poſſidebat. Unum in agro Piceno Gothis oppidum erat, Regi mille duntaxat militabant. Verùm non multò pòſt incremento ingenti res augeſcunt, ad id conferente *Alexandri* crudelitate, quem revocato Beliſario Imperator Procuratorem in Italiam miſerat. Is ubi primùm Ravennam ſe contulit, Italos, qui regiam quidem pecuniam non attigerant, aut ne minimâ vel injuriâ Rempublicam affecerant, ad ſe evocatos peculatus damnabat: vilibuſque præmiis egregia militum facinora remunerabat. Hinc factum, ut plures ad Heldebadum civitates confluerent. Quod incrementum ut impediret *Vitalius*, Erulorum ingentibus copiis fretus, cum Gothis apud *Tarviſium* certamen iniit. Quo victus fugam capeſſit, pluribus amiſſis, quos inter *Viſandrus* Erulorum Præfectus deſideratur. Eâ victoriâ Heldebadus cum fama vires Imperiumque ſuum extendit.

Proc. Goth. l. 3. c. 1.

Mors Oraio. Heldebadus occiditur. Quamobrem?

III. At non minima res Gothorum damna pertulere ex contentione muliebri. *Oraio* uxor precioſis, quibus abundabat, monilibus, & ornamentis, nec non formæ præſtantiâ Gothicas fœminas omnes ſupereminebat. Magno veſtium apparatu cùm balneum ingrederetur, Heldebadi uxorem lineis obductam veſtibus invenit. Cui non ſatis honoris habuit, imò etſi Reginam, ſprevit. Ob illatam ſibi injuriam Regina gravi dolore percuſſa, lachrymis ſuis viri iram accendit. Mox inſidiæ ſtruuntur Oraio, quem defectionis ad Romanos inſimulatum Heldebadus interficit. Id mercedis pro regno ſibi conceſſo, optimo viro rependit. Tam tetro facinore Heldebadus Gothorum odia ſibi conciliat. Caſſum lumine lugent, ſceleris autori apertè conviciantur; & ſi vires cupiditatem æquaſſent, pœnas Deo hominibuſque debitas reus perſolviſſet. His & caſus accidit, qui Gothorum Principis fata accelerat. *Bellas*, de Gepidarum gente unus, formæ præſtantiâ, quæ uxori Oraio inerat, amore capiebatur. Dum adverſus Romanos proficiſcitur, eam Barbaro mulierem Heldebadus collocat nuptum. Quid non improbus amor deſignat? Reverſus *Bellas*, illatæ ſibi contumeliæ impatiens, Regem interficere animo deſtinat, ratus pergratum ſe Gothis facturum. Rex ſtratis incumbebat ad epulum, cùm cibum adhùc tenentibus digitis inopinanti Bellas caput adimit, quod exterritis convivis ferè in menſam cadit. Rugorum factione defuncto *Ataricus* ſubſtituitur, cæteris repugnantibus, utpote ſpei impar, quam de recuperanda Italia amplectebantur. Ignavus ille Princeps anno ſequente & regno, & vitâ ſpoliabitur. Ataricus Marcellini in Chronico *Erarius* vocatur: *Gothi Heldebado occiſo, Erarium ſibi ordinant Regem.*

Proc. Goth. l. 3. c. 2.

Salomon à Mauris occiditur. Sergius in Africæ Præfectura ei ſuccedit.

IV. In Italia Juſtiniano fortuna ridebat vultu ſereno ſatis; in Africa verò non proſperè res eveniunt, de quibus Marcellini Continuator: *Salomon in Africa interficitur. Sergius loco ejus Dux ſucceſſit belli, moderatorque Provinciæ.* Hinc deprehendere licet, rectam non eſſe Baronii Chronologiam, qui mortem Salomonis elapſo anno alligavit. Ac Procopius quidem in annum Juſtiniani XIV. caſum eum retulit, quod Baronium fefellit, dum non attendit, Juſtiniani decimum quartum duobus Julianis inſidere, quorum in poſteriore Romani à Mauris deleti ſunt. Cladem paucis expediamus. Tragœdiæ hujus primarii Actores *Sergius* atque Pudentius. Hic Pentapolim, ille Tripolim adminiſtrabat. Mauros, qui *Leucatha* appellantur, cum maximis copiis Leptim venientes benignè Sergius excepit. Septuagintaque Barbaris in civitatem admiſſis, poſtulata ſe omnia præſtaturum pollicetur. Querelæ habuit aliquid Maurorum oratio, quod contra jus & fas ipſorum agros Romani populati fuerant. Expoſtulationis ſpretorem, ac diſcedere volentem Sergium cùm Maurorum unus retinere voluiſſet, ab ipſius equitibus interficitur: exorto tumultu Barbari, uno excepto, qui ociore fugâ ſuæ ſaluti conſuluit, omnes prorſus mactantur. Belli hoc claſſicum fuit. Offenſi Mauri copias adducunt maximas, quibus Leptim venientibus Sergius & Pudentius fiunt obviam. Inito certamine, Romanis victoria ceſſit: Barbarorum multi pereunt, uxores, liberos, ſuppellectilem omnem amittunt. Brevi pòſt tempore majore exercitu Mauri Romanis occurrunt. Exterritus hoſtium numero *Sergius*, auxilium petiturus ad Salomonem confugit. Is Byzaceno tumultui materiam præbuerat, ablatis primùm frumentis, quæ Antalæ Maurorum Rectori Imperator diſtribui juſſerat, occiſo dein fratre ipſius. Tot injuriis iratus Antalas, initâ cum Leucathis ſocietate, Salomoni bellum infert. Qui hæc ubi reſcivit, collectis viribus hoſtem petens, apud *Baſtem*, ſex diebus Carthagine diſtantem, caſtra ponit. Verùm Barbarorum multitudine intellectâ, rem legationibus pacis ſibi agendam eſſe credit: graviſſima juramenta pollicetur, quòd commiſſa perpetuæ oblivionis velo tegeret. Promiſſa hæc Barbaris fuere ludibrio, dicentibus, Romanos per ſacra Evangelia ſua pridem juraſſe: violato tamen juramento Sergium credulis perniciem intuliſſe: velle igitur ſe experiri, quidnam virium ea ſacra in perjuros habeant. Poſterâ luce Salomo cùm hoſtium partem prædam maximam agentem ſuperaſſet, milites palam queruntur ſpolia ſibi non diſtribui: neque dolorem abſtulit promiſſio Salomonis, quòd exhauſto bello omnia cuique pro dignitate, aut virtute dividerentur. Præ indignatione igitur militum nonnulli aciem deſeruut, reliqui verò præter ſolitum ſegnes, pigrique concurrunt. Ac primò quidem anceps pugna fuit, ſed ſuperveniente magno Maurorum numero, Romanorum complures fugam capiunt. Reſtitit cum paucis Salomo, ſed multitudine obruti, ad fluentis alveum fugiunt. Hic equo laborante Salomon in terram cadit, quem cùm ſemifractum equo reſtituiſſent comites, cum ſuis facilè à Barbaris occiditur. Junioris Salomonis, qui Sergio frater erat, hiſtoriæ cognitio oblectationem habet. Cum patruo Salomone cecidiſſe putabatur, ſed Maurorum in manus venerat. Juvenem quis eſſet cùm interrogaſſent, reſpondet ſe Vandalum eſſe, Salomonis ſervum, in urbe *Laribo* vicina amicum ſibi Medicum eſſe, nomine *Pagaſium*, qui libenter ſe redimeret. Pretium pro captivo quinquaginta aureos Pagaſius paciſcitur, cui ſubinde redditur. Tum imprudentiâ juvenili Salomon Barbaris illudit, qui tam vili pecuniâ Bacchi filium, Salomo-

Error Baronii.

ANNO DOM. 541.

Bar. Ann. 540. n. 44.

Proc. Vand. l. 2. c. 16.

Proc. Vand. l. 2. c. 17.

movisque ex fratre nepotem liberaverant. Hic Mauri in furorem verſi, Laribum obſident. Cives, qui ad obſidionem ſuſtinendam neceſſaria urbi ſuæ non intulerant, ad colloquia cum hoſtibus veniunt, qui tribus aureorum millibus acceptis, ſolutâ obſidione domum repetunt. Salomoni Sergius in Africæ Præfectura ſuccedit, magno Africæ damno. Vir erat ſuperbus, mollis, effeminatus, opum colligendarum cupidus, qui nil Magiſtratibus honoris reddebat, dignitateque ſuâ Africæ in perniciem abutebatur. His permotus Antalas, Juſtiniano ſcribit, juſtam Salomonis fuiſſe cladem, Sergii verò adminiſtrationem ferendam non eſſe. Revocetur ergo, ut firma Romanos inter & Mauros pax conſtituatur. Sergium tamen ab officio Imperator removere noluit, ne Salomonis benè de Republica meriti manes injuriâ afficere videretur. Anno tamen DXLVI. Sergium revocabit, in Italiam mittendum, uti inferius narrabitur.

Beliſarii in Perſas expeditio. Siſauronum expugnat.

V. Quid rerum Beliſario Duce gereretur, nunc exequamur. *Joannes Zibus*, qui Juſtiniani in amicitiam ſe inſinuarat ad excitandam Lazorum in regione civitatem, nomine *Petram*, cum induxerat. Joannes autem quaſi in arce permanens, Lazos more tyrannico regebat. Aditu omni mercatoribus prohibito, ſalem, aliaque neceſſaria impoſito uti volebat pretio, ſolus diſtrahebat. Eo jugo oppreſſi Lazi, ad *Coſroem* Legatos miſerant, qui de avaritia Romanorum expoſtularent, ipſumque rogarent, ut miſeros in ſuam fidem reciperet. Quod etiam libentiſſimè fecit. Simulatâ ergo adverſus Hunnos expeditione, quaſi Perſarum fines vaſtaſſent, Petram obſidione cingit. Secunda hæc Coſroës fuit in Romanos expeditio. Dum civitatis hujus oppugnatione detinetur, Beliſarius labente anno Meſopotamiam ingreſſus, de capienda Niſibi cogitat. Parti exercitus, cui Petrus præficiebatur, mandaverat, ut ad pugnam parati eſſent, Perſis circa meridiem excubantibus. Hoc mandati cùm neglexiſſent, Sole medium orbem conſcendente, arma deponunt: ſecurique hoſtium ficus nullo ordine comedendas decerpunt. Niſibitanæ civitati præerat vir inter Perſas illuſtris, nomine Nabades, qui curſu in Romanos inconditos & inermes invadit. Ex quibus quinquaginta interficit, vexillumque aufert ſignifero. Periiſſent quidem omnes, niſi Beliſarius ſubſidio veniens, Perſarum CL. interfeciſſet, reliquis intra muros ſe recipientibus, qui in turri ereptum Romanis vexillum loco trophæi conſtituunt. Cùm Niſibis expugnari haud poſſet, Beliſarius progreſſus ulterius, *Siſauranum* venit, cui cum octingentis equitibus *Bleſmaches* præerat. Obſeſſis neceſſaria deerant. Quod ubi Beliſarius reſcivit, Georgium miſit, qui eos impelleret, ut ſeſe arcemque ſuam Romanis dederent. Siſaurano potitus, mœnia ſolo æquat, Chriſtianos liberos dimiſit, Perſas Conſtantinopolim miſit, qui contra Gothos pugnaturi Italiam petiere poſtmodum. Morbis debilitato exercitu, Beliſarius à Juſtiniano revocatus, in regiam urbem hyematum venit.

Proc. Perſ. l. 2. c. 9.

Coſroës verò, ubi novit Aſſyriam ab Areta vaſtatam fuiſſe, arcem Siſauranorum amiſſam, expugnatâ Petrâ cum captivis in Perſidem revertitur.

De Pauli Alexandrini ordinationis anno.

VI. Nobiliores Imperii caſus commemoravimus, non remiſſiore nunc animo res Eccleſiæ narrentur. Pulſo Theodoſio Alexandrina Sedes vacabat, quæ labente anno Paulo Præſule repletur. Baronii quidem Chronologia eſt explodenda, qui Pauli creationem anno DXXXVI. aſſignat. Sexennii is eſt prochroniſmus. Nobis Victoris Tun. Chronologia probabilior eſt, qui ad Baſilii Conſulatum, anno Dom. DXLI. geſtum, hæc habet: *Alexandrina Eccleſia, Theodoſio atque Gaiano exulatis, Paulus Propoſitus Tabennſiatorum Monachorum à defenſoribus Synodi Chalcedonenſis ordinatur Epiſcopus.* Totis quidem nervis Victoris ſubruere Chronologiam Garnerius tentat, Diſſertationis ſuæ de V. Synodo c. 2. *Theodoſius*, inquit, *qui Timotheum excepit, dejectus eſt circiter annum* DXXXVIII. *Dejectus eſt etiam Paulus Theodoſii ſucceſſor poſt annos Sedis duos. Zoilus igitur circiter annum* DXL. *ordinatus eſt.* Verùm gravia hanc in Chronologiam argumenta militant. Primùm, quòd Zoilus anno DLI. loco motus fuerit, eruditis in confeſſum venit. Jam verò Nicephorus atque Theophanes annos ſolos ſeptem aſſignant Zoilo. Cùm igitur eodem anno & Paulus ejectus, & Zoilus ordinatus ſit, triennio ſerius quàm Garnerius putat, Paulus in Epiſcopum creatus eſt. Garnerianam præcipue Chronologiam evertit Cyrillus Schythopolitanus, dum Pauli abdicationem confert in annum DXL. Conſtat inter eruditos, ſub ea tempora, quibus Palæſtinæ Monachi Origeniana in regiam urbem excerpta deferebant, Paulum abdicatum, nec multò poſt Juſtiniani adverſus Origenem Edictum promulgatum eſſe. Vulgato Hieroſolymi Edicto, Origenis filii extra modum tumultuantur. Itaque maximæ Lauræ Patres Gelaſium Abbatem rogant, ut Conſtantinopolim contendat. Precantibus obſecutus Gelaſius, *Cùm ad Amorium pervenisset, obiit menſe Octobri, Indictione nonâ.* Annus Æræ Chriſtianæ fuit DXLV. ut ex Indictione IX. certum eſt, quæ à Septembri proximo inceperat. Quis autem ſibi fingat trienno adeò ſeram Gelaſii profectionem, ſi Edictum Juſtiniani anno eſt DXLI. promulgatum, ut promulgari ſanè debuit, ſi Epiſcopatu ſuo Paulus ejectus eſt anno DXL.? Ex Gelaſiano itinere non igitur eſt in dubio ponendum, quin ſub annum DXLIV. Edictum Juſtiniani vulgatum fuerit. Ex quo intelligitur, anno ſuperiore Pauli abdicationem contigiſſe. Atqui biennio Paulum ſediſſe in confeſſo eſt. Epiſcopatum ergo induit anno DXLI. quem exuit anno DXLIII.

Error Baronii.

Bar. Ann. 536. n. 116.

Garn. Diſſ. 495.

Vit. Sab. c. 85.

Vit. Sab. c. 87. 369.

Ordinatio Pauli Alexandrini.

Liberat. cap. 22.

VII. Conſtituto Paulinæ ordinationis tempore, de ea nunc commemoremus, Autore Liberato: *Poſtquam ergo Theodoſius Alexandrinus in exilium miſſus eſt, Paulus quidem unus Abbatum Tabennesſium Monachorum ad Alexandrinam Sedem ordinatur Epiſcopus, Pelagio interveniente, Apocriſiario Romano, planè Orthodoxus, ſuſcipiens Chalcedonenſem Synodum. Ordinatus eſt à Menna, Conſtantinopoli præſente eodem Pelagio, Reſponſario Vigilii, & Apocriſiariis Ephræmii Antiocheni, & Apocriſiarii Petri Hieroſolymorum. Iſte Paulus ſpretus erat ab aliquibus Monachis ſuis, & venerat Conſtantinopolim pro ſe agere apud Imperatorem. Qui divino nutu Cathedram vacantem inveniens, meruit per Pelagium Diaconum Alexandriæ Epiſcopatum. Accepitque ab Imperatore poteſtatem ſuper ordinationem Ducum & Tribunorum, ut removeret Hæreticos, & pro eis Orthodoxos ordinaret: per illos enim populi invaleſcebant. Qui Alexandriam deſcendens, timore ſui, ſuâque induſtriâ omnem civitatem & omnia Monaſteria adduxerat ſuſcipere Chalcedonenſem Synodum.* Porro etſi Pauli in fide rectum

rectum eſſet, Dioſcori tamen olim Alexandrini Præſulis à Chalcedonenſi Concilio damnati memoriæ honorem habuit, ut eâ ratione exulceratos ad concordiam animos revocaret. Victor quidem ad Baſilii Conſulatum Paulinæ abdicationi hanc cauſam aſſignat: *Paulus Dioſcori Hæretici prædeceſſoris ſui depoſitionem celebrans, Palæſtino Concilio deponitur.*

De Eccleſiæ diſciplina Juſtiniani Leges.

VIII. Benè in fidem Eccleſiæque diſciplinam animatus Juſtinianus, non Alexandrinorum modò, ſed univerſarum etiam Imperii Eccleſiarum tranquillitati, Monaſteriorumque ordini providebat, celeberrimâ Lege editâ Martii XVIII. Novellæ Præfatio hæc eſt: *De Regulis Eccleſiaſticis, & privilegiis, aliiſque Capitulis ad ſacroſanctas Eccleſias & reliquas venerabiles domos pertinentibus, præſentem proferimus Legem.* Conſtat ea capitibus XV. Primo declarat, ſe quatuor Synodorum Oecumenicarum dogmata, *ſicut ſanctas Scripturas accipere.* II. Sancit Patriarcharum ordinem: Papam ſcilicet primum eſſe omnium Sacerdotum: Archiepiſcopum Conſtantinopoleos Novæ Romæ ſecundum habere locum. III. Ditionem tribuit Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ. IV. Epiſcopo Carthaginenſi, & Metropolitanis privilegia, nec non beneficia ex imperiali munificentia Eccleſiis conceſſa ſervat. V. Eccleſias Monaſteriaque *ſordidis functionibus, extraordinariiſque deſcriptionibus* eximit; non verò *itineris ſternendi, aut pontium ædificii* ſumptibus, quibus etiam tenentur. VI. *Venerabilibus locis ſolam* XL. *annorum præſcriptionem apponit.* VII. De ædificandis Eccleſiis mandat, ne Oratorium Monaſteriumve extruatur, *niſi locorum ſanctiſſimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem.* Qui verò Baſilicam aut reſarcierit, aut condiderit, ad perficiendam opus compellatur à Præſule, aut Oeconomis. VIII. Si quis in ſua domo, aut ſuburbano ſine Clericis locorum Epiſcopo ſubjacentibus ſacra celebrari fecerit, ea domus ditionis erit Antiſtitis, qui loco præeſt. IX. Legatum in nomine Dei relictum illius Eccleſiæ ſit, in quo teſtator domicilium habet. Si verò in nomine Martyris alicujus teſtamentum condiderit, inveniantur que in eodem loco plura ejuſdem ſancti Oratoria, pauperiori domo Legatum tribuatur. X. Si quis Oratorium ædificari juſſit, intra quinque annos quidem; ſi verò Xenodochium Ptochiumve, intra unum annum compleatur. Hæredes, quæ à teſtatore definita ſunt, complere tenentur. XI. Si quis pro redimendis captivis, vel alendis pauperibus aliquid reliquit, non expreſſo nomine illius, cujus miniſterium adhibet, id ab Epiſcopis impleatur. XII. In piis Legatis ſi hæres dicat, relictam ſibi ſubſtantiam non ſufficere, Lex Falcidia ceſſet. XIII. Quæ Epiſcopi ſive mobilia, ſive immobilia compararint, in neminem transferant, licentiam tamen habeant ea in pias cauſas expendere. Quæ ante Epiſcopatum habuiſſe probantur, quibus voluerint, ea relinquant. XIV. Hæreticorum nullus res vel Eccleſiæ, vel privatorum immobiles, quoquo titulo accipiat. Expelletur de poſſeſſionibus ejuſmodi, ejuſque ſubſtantia applicabitur fiſco. Si quis Hæreticorum ſpeluncam ſuæ incredulitatis ædificet, eam ſibi Eccleſia tribuat. XV. Orphanotrophi ſint tutoribus ſimiles, & ad inſtar eorum inventorium conficiant. Miſſa eſt Novella hæc *Petro glorioſiſſimo Præfecto ſacrorum*

Novella 131.

Prætoriorum. Data eſt Conſtantinopoli XV. Cal. April.

Juſtinianæ Metropolitanus Legatus Sedis Apoſtolicæ creatur à Vigilio.

IX. Eſt Legis hujus caput attentiore animo conſiderandum, ut & hiſtoria illuſtretur, & Baronianus error vitetur. Verba ſunt Legis: *Per tempus autem beatiſſimum primæ Juſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum, habere ſemper ſub ſua juriſdictione Epiſcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, & Privalis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari. Ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea, quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* Anno DXXXV. obſervavimus, Juſtinianum patriam ſuam *Tauréſium*, nunc *Achrido* urbem in Dardania ſitam, ad Metropolitanam dignitatem evexiſſe. Porrò urbis hujus, quam & origine ſuâ, & inſtituto Archiepiſcopatu Juſtinianus inſignem reddidit, deſcriptionem ex Nicephoro afferre non erit inutile: *Achrido urbs eſt in excelſo tumulo conſtructa propè lacum maximum, qui Lychnedus nominatur: olim autem Deſſarites vocatus eſt: in eo maxima vis piſcium capitur. Drilus verò fluvius ſe inde quoque provolvit, Septentrionem verſus fluens.* Conſenſum Pontificis Romani non expectavit Juſtinianus, ut loco tanti Imperatoris natalibus nobili id excellentiæ tribueret, ut Metropolis crearetur. Ut verò Juſtinianæ civitatis Epiſcopus majoribus titulis, honoribuſque fulgeret, ei Sedis Romanæ Vicarii munus ab Agapeto tribui Juſtinianus requiſiverat. Roganti hæc Pontifex reſponderat: *De Juſtiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, nec non & de noſtra Sedi injungendis, quid ſervato B. Petri, quem diligitis, Principatu, & veſtra pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus Legatos, Deo propitio celeriter intimamus.* Non eo tamen res proceſſerat, ut Juſtinianæ Metropolitanus Agapeti vices impleret. Verùm quod ab Agapeto non acceperat, labente anno impetravit. A noſtra Chronologia Baroniana quidem multum diſſidet. Audiatur illuſtriſſimus Purpuratus ad annum DLV. *Cùm fatigatus eſſet ærumnis Vigilius, idem Imperator ab eo inter alia extorſit, quod ab Agapeto Papa obtinere fruſtra tentaverat, nec ab ejus ſucceſſore Silveſtro impetrare valuit, nempè ut prima Juſtiniana, natale ſolum, à ſe mirificè illuſtrata, non Epiſcopatus tantùm, ſed Metropolitanæ Sedis augeretur dignitate.* Ingens hîc eſt annorum quindecim Baronii metachroniſmus, quem ipſa Juſtiniani Novella refellit: *Data* XV. *Kalend. Aprilis Conſtantinopoli D. N. Juſtiniano P. P. Baſilio V. C. Conſule.* Eâ verò Novellâ narratur, Juſtinianæ Archiepiſcopum *locum obtinere Sedis Apoſtolicæ Romæ ſecundum ea, quæ definita ſunt, à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* Anno igitur DXLI. quem Baſilius aperuit, à Vigilio Juſtinianeus Præſul honorem accepit, quem ab Agapeto, Silverioque non impetrarat. Neque ut ſe moleſtiis eriperet, quas adhùc nullas paſſus erat, Vigilius id precibus Imperatoris annuit, cùm Romæ in otio, atque pace ſederet. Anno duntaxat DLI. incepit vexatio, quam Vigilius ab Imperatore paſſus eſt. Neque Baronio quoque concedimus, Vigilii liberalitate Juſtinianam Metropolitanâ dignitate auctam fuiſſe, quâ jam ab anno DXXXV. pollebat, teſte Novellâ XI. cujus titulus eſt: *Imperator Juſtinianus Auguſtus Catelliano, viro beatiſſimo, Archiepiſcopo primæ*

Novella 131. c. 3.

Niceph. l. 17. c. 28.

Error Baronii.

Bar. An. 555. n. 6.

Nov. 131.

Juſti-

Anno Dom. 541.

Juſtiniana. Verba verò Legis ſuo loco retulimus. Periit etiam Juſtiniani Conſtitutio, cujus tamen titulus à temporis injuria tutus remanſit, quæ ſine dubio eo quoque reſpiciebat: *Ut quæ circa Viminatium ſunt Eccleſiæ, ſub propriæ Archiepiſcopo ſint, non autem amplius ſint ſub Archiepiſcopo Theſſalonica.* Non expectatâ igitur Pontificali ſententiâ Juſtinianæ Archiepiſcopus dignitatis ſuæ privilegiis fruebatur. Quem ſic Juſtinianus compellat: *Tua beatitudo, & omnes præfata primæ Juſtinianæ ſacroſanctæ Antiſtites Archiepiſcopi habeant prærogativam, & omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impartiri, & eos ordinare, & in omnibus ſupra ſcriptis Provinciis primam habere dignitatem.* Anno DXLIX. *Benenatus* nomine Archiepiſcopi Juſtinianæ primæ præerat. Mentio ipſius eſt Victoris in Chronico: *Illyriciana Synodus Benenatum primæ Juſtinianæ civitatis Epiſcopum, obtrectatorem eorumdem trium Capitum condemnat.* Sed & in quintæ Synodi Actione ſecunda, anno DLIII. celebrata legitur: *Sabinianum Zaparenæ civitatis Illyricianæ Diœceſeos dixiſſe, ſe non poſſe venire, eò quòd non præſtò eſt Archiepiſcopus ejus Benenatus.* Ut abundè Baronianæ opinionis falſitas appareat, quæ anno duntaxat DLV. Juſtinianei Archiepiſcopatus collocat initia. Porrò Juſtinianæ Præſul à Papa pallium accipiebat, ut nos monet Gregorii Magni ad Joannem Epiſtola, l. 4. Ep. 23. 8. *Pallium ex more tranſmiſimus, & vices veſtras Apoſtolicæ Sedis agere iteratâ innovatione decernimus.* (Nov. 11.)

(Feſtum Purificationis a Juſtiniano inſtituitur.) X. Aliam quoque Legem labente anno promulgat Juſtinianus de *Epiſcoporum & Clericorum ordinatione*, datam X. Cal. Mart. Conſtantinopoli, Baſilio V. C. Conſule, quæ in Novellis numero eſt CXXXVII. Sed & inſtitutione feſti annum nobilitavit. Nullis hactenùs feſtis Virginis nomen incluxerat, licet ubique locorum Martyrum natalitia celebrarentur. Obſervat quidem doctiſſimus Thomaſſinus, ſub annum CCCCL. in vita Theodoſii apud Surium XI. Januarii Virginis honori feſtum eſſe dicatum: *Erat dies feſtus, & feſtus Virginis Matris, in quo proptereà quòd erat valde inſignis & ſolemnis, tam magna convenerat multitudo.* Qualis verò ſolemnitas fuerit, ignoratur. Et ſi dicendum apertius, ſuſpicionem locus injicit, cùm in monumentis Antiquitatis nullum feſti hujus veſtigium reperiatur. Id ſaltem in confeſſum venit, id Feſti pauca ante Juſtinianum loca oppleviſſe. Viſum igitur Principi Deiparam expertem non eſſe publicæ feſtivitatis, quæ Græcis ὑπαπαντή, ſive *occurſus* vocatur, quia Simeon Virgini occurrit ad ſui purificationem Templum ingredienti. Feſti hujus nativitas labenti anno à Theophane affigitur: Anno Juſtiniani XV. *Occurſus Domini menſis Februarii ſecundo celebrari cœpit.* Si tamen Miſcellaneæ credatur hiſtoriæ, anno duntaxat inſequente primùm agitata eſt, licet currente inſtitueretur: *Anno XV. Imperii Juſtiniani, menſe Octobre facta eſt mortalitas Byzantii. Et eodem anno Hypapante Domini ſumpſit initium, ut celebraretur apud Byzantium ſecundâ die Februarii.* Probabilitatis habet aliquid Baronii conjectura, Lupercalium in vicem feſtum Purificationis inſtitutum eſſe. Lupercalia XV. Cal. Mart. agitata, imperante Anthemio adhùc in uſu erant, anno CCCCLXVIII. Poſt annos aliquot abrogata, Andromachus Senator Rom. in integrum dein reſtituenda eſſe cenſebat, totis viribus repugnante Gelaſio, qui feſti hujus ſu- (Miſcell. lib. 16.)

perſtitionem gravibus argumentis elidit. Extinctis Lupercalibus feſtum Purificationis ſufficitur, iiſque ritibus celebratur, qui Ethnicorum ſimiles ſunt. Sciunt filii Grammaticorum, Latinam vocem *Februa* purificationes ſignificare: (Anno Dom. 541.)

Februa Romani dixere piamina Patres;
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem. (Ovid. de Faſt. l. 2.)

Hinc Purificationis feſtivitas Februario affixa eſt. Qua de re Hildephonſi inſignem ex ipſius de Purificatione Virginis ſermone locum referre juvat: *Agitur hæc feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhùc Pagani à Februo, id eſt, Plutone ſic vocaverunt, quem potentiſſimum purgationis credebant. Februare enim purgare dicimus. Quo menſe luſtrabatur civitas: . . . Quam luſtrandi conſuetudinem congruè & religioſe mutavit Religio, cum eodem menſe, hoc eſt, hodiernâ die in honore Sanctæ Dei genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non ſolùm Clerus, ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis, & diverſis hymnis luſtrantibus circumeunt.* Sed & in Saturnalibus, Decembri agitatis, mos invaluerat mittendi cereos, teſte Macrobio: *Atat Saturnaæ non mactandis viros, ſed accenſis luminibus excolentes, quia non ſolum virum, ſed & lumina φῶτα ſignificat. Inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis cœpit.* Ubique locorum Purificationis feſtum Juſtinianus obſervari voluit: *Idem Imperator tum primùm Servatoris Hypapanthem toto orbe terrarum feſto die honorari inſtituit.* In Ludovici Pii Capitulari, quod anno Dom. 817. conſtitutum eſt, præcipuis Eccleſiæ Feſtivitatibus Purificatio inſeritur: *In purificatione & aſſumptione Sanctæ Mariæ, plenarium officium agatur, & bis reſtituatur.* (B. M. P. t. 12. 589.) (Macr. Sat. l. 1. c. 7.) (Niceph. l. 17. c. 28.) (Capit. 46. pag. 585.)

XI. Oriente relicto, nobis eſt in Gallias migrandum, quò nos vocant Patres Aurelianenſes, qui Conventu, Decretiſque ſuis annum nobilitarunt. Reſpuenda quidem eſt Baronii Chronologia, quartum Aurelianenſe Concilium anno DXLV. aſſignantis. Qui error manat ex ignoratione temporis, quo Chlodoveus naturæ conceſſit. Tempus Synodi docet Pithœanus Codex, obſervante Sirmondo: *Leontius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Burdigalenſis conſenſi cum univerſis Comprovincialibus meis, Indictione* IV. *Baſilio V. C. Conſule.* Convenerunt Epiſcopi XXXVIII. Presbyteri XI. & Abbas unus. Synodi Principem agebat Leontius Burdegalenſis. Eminebant inter Præſules *Aſpaſius* Elosæ, *Flavius* Rothomagenſis. Canones XXXVIII. condidere: I. Paſcha *ſecundum laterculum Victorii* ab omnibus uno tempore celebretur. Quæ feſtivitas quotannis Epiphaniarum die in Eccleſia populis denuntiabitur. II. Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter celebretur: neque abſque infirmitate Quadrageſimalia Sabbata ſolvantur: ſolis diebus Dominicis prandium ſumatur. III. Præcipui cives extra civitatem neque Paſcha, neque ſolemniora feſta celebrent. Hoc ſi quis implere non poſſit, ab Epiſcopo poſtulet commeatum. IV. In ſacri calicis oblatione vinum duntaxat aquâ mixtum offeratur. V. Epiſcopus in Eccleſia, cui præficiendus eſt, conſecretur. VI. Parrochiani Clerici à Pontificibus ſuis neceſſarios ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant. VII. In Oratoriis prædiorum domini contra votum Epiſcopi Clericos non intromittant. VIII. Qui accepto baptiſmo in hæreſim labuntur, eorum & pœnitentia, & in integrum reſtitutio Epiſcopi arbi- (Synodus IV. Aurelianenſis. Canones ab ea conditi.) (Error Baronii.) (Bar. An. 545. n. 17.)

Anno Dom. 541.

arbitrio permittitur. IX. Epiſcopus, qui de ſuis facultatibus nil Eccleſiæ reliquit, ſi de bonis Eccleſiæ quidpiam diſtraxerit, revocetur. Quòd ſi ſervis libertatem dedit, eâ ita utantur, ut ab Eccleſiæ officio oon recedant. X. Epiſcopus, qui bigamum, aut viduæ virum ad Presbyteratum, Diaconatumve promovit, ab officio per annum abſtineat: quam ſi fortè ſententiam ſpernat, ab ipſius communione cæteri Epiſcopi ad magnam uſque Synodum divellantur. XI. Quod Dei cootemplatione Abbatibus, Monaſteriis, Parrochiis collatum eſt, non fit proprium, neque urgente neceſſitate diſtrahi poteſt, oiſi conſenſu Epiſcopi. XII. Si de rebus terrenis ioter Epiſcopos lis exoriatur, Epiſtolis Collegarum moniti, arbitros ſibi conſtituant. Qui diſtulerit, fraternæ communionis alienus habeatur, *Quia injuſtum eſt, ut qui cunctis præſunt, inter ſe quâcunque cauſatione diſſentiant.* XIII. Judex, qui Clericos, quorum oomina in matricula Eccleſiæ inſcribuntur, *publicis actionibus applicare præſumpſerit*, ſi à Sacerdote monitus emendari noluerit, excommunicatione feriatur: *Quod Lex ſeculi etiam Paganis Sacerdotibus & miniſtris antè præſtiterat, juſtum eſt, ut erga Chriſtianos ſpecialiter conſervetur.* XIV. Quæ Eccleſiis, aut Pontificibus relicta ſunt, ab hæredibus Dei contemplatione diſtribuantur. XV. Baptizati, qui immolata Dæmonibus ſumunt, ſi mooiti non emendantur, communione pellantur. XVI. Chriſtianus, *qui apud cujuſcunque fera vel pecudis exta, invocatis inſuper nominibus Paganorum fortaſſe juraverit*, niſi emendetur, ut ſacrilegus Eccleſiæ communione careat.

Cæteri Aurelianenſium Canones.

XII. Canone XVII. prohibet Sacerdotes & Diaconos communi cum ſuis uxoribus, & lecto, & cellula. Si fecerint, ab officio removeantur. XVIII. Quod utendum acceperit Clericus, ſi alienare præſumpſerit, irritum habeatur: jus Eccleſiæ non violat longa poſſeſſio. XIX. Quod in vineolis, aut prædiolis, vel ſine ſcripto Eccleſiæ datum eſt, hæredes non revocent, ſecus ab Eccleſiæ communione ſuſpendantur. XX. Qui multa notatu digna continet, integer repræſentari debet: *Ut nullus ſecularium perſonarum, prætermiſſo Pontifice, ſeu Præpoſito Eccleſiæ, quemquam Clericorum pro ſua poteſtate conſtringere, diſcutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus, ſi pro cauſa ad petitionem cujuſcunque fuerit ab Eccleſiaſtico Ordinatore commonitus, ſe ad audientiam ſpondeat affuturum, & reſpondere nullâ calliditate diſſimulet. Sed quæcunque cauſatio quoties inter Clericum, & ſecularem vertitur abſque Presbytero, aut Archidiacono, vel ſi quis eſſe Præpoſitus Eccleſiæ dignoſcitur, Judex publicus audire negotium non præſumat. Sanè ſi cauſam habentibus placuit ut ad judicium fori, ex voluntate communi, permittente Præpoſito Eccleſiæ Clerico licentia tribuatur.* Si verum volumus, eo Canone Clerici Magiſtratus autoritati ſubſtrahuntur. XXI. Qui de locis ſacris vi, vel dolo aliquem abſtrahere præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur, donec indictâ pœnitentiâ emendatio ſubſequatur, abſtracto prius Eccleſiæ reſtituto. XXII. Ne per imperium poteſtatis quis puellam ſibi uxorem conjungat, *ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captivitas judicetur.* Qui fecerit, excommunicatione percutitur. XXIII. Servis Eccleſiæ *prædas & captivitates exercere non liceat.* XXIV. Mancipia, quæ ſub ſpecie conjugii ad Eccleſiæ ſepta confugiunt, dominis ſuis redduntur; qui ſi voluerint, propriâ voluntate conjungant. XXV. Qui potentum patrocinio fretus, ſpreto Pontifice res Eccleſiæ poſſederit, donec eas reſtituat, Eccleſiæ liminibus arceatur. XXVI. Clerici in Parrochiis potentum conſtituti, Archidiaconi poteſtati ſubſint, ſolvantque quod Eccleſiæ debent: quod ſi implere neglexerint, corrigantur ſecundum Eccleſiæ diſciplinam. XXVII. De inceſtis conjunctionibus Epaunentium Canonum ſeveritas obſervetur. XXVIII. Quem homicidam Princeps pœnâ abſolverit, is pro modo pœnitentiæ diſtringendus, in Sacerdotis poteſtate conſiſtat. XXIX. Mulieres in adulterio cum Clericis deprehenſæ *diſtrictioni ſubjaceant, & à civitatibus, ut Sacerdos præceperit, repellantur.* XXX. Mancipia Chriſtiana, quæ ſunt apud Judæos, ſi redimi ſe poſtulaverint, dominorum poteſtate oblato pretio liberentur. XXXI. Judæus, qui vel Proſelytum fecerit, vel de Chriſtianis natum ſub libertatis promiſſione Judæum reddiderit, vel ancillam ſibi ſociandam putaverit, mancipiorum amiſſione mulctetur. XXXII. Servorum poſteritas revocata ſtudio Sacerdotis, in ea qua conſtituta eſt à defunctis, conditione permaneat. XXXIII. Qui io agro ſuo poſtulat habere Diœceſim, & terras, & Clericos deputet ſufficientes, ut ſacris locis reverentia tribuatur. XXXIV. Qui ex agello à Pontifice ſibi conceſſo aliquid lucri fecerit, illud alienare non poterit. XXXV. Io poteſtate ſit Epiſcopi, rejicere deceſſoris ſui voluntatem, nec Eccleſiæ in objecto veniant tempora Legibus conſtituta. XXXVI. Præſulis poſt obitum quod quis acceperat, *ad Eccleſiæ jur, de cujus facultate diſceſſerat*, revertatur. XXXVII. Metropolitani annis ſingulis Synodum congregent. XXXVIII. Latæ à cunctis Conſtitutiones ſerventur, ut Eccleſiaſtica fulgeat diſciplina.

Anno U. C. 1295. Per. Jul. 5255. Jul. 587. Dom. 542. Justiniani 15. & 16. Totilæ 1. *Sol.* 13. E. *Lun.* 11. *Indict.* 5. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *April.*

Anno Dom. 542.

Poſt Conſulatum Baſilii. Victor Tununenſis contra & Chronologorum conſuetudinem, & rationem his verbis labentem annum conſignat: *Poſt Conſulatum Baſilii ve anno ſecundo*, qui primus dici debet.

Ataricus à Gothis occiditur.

I. Qui Gothorum ad Principatum evectus erat Ataricus, tantæ dignitati impar erat. Optabant in Rege ſuo conſideratam periculorum ſuſceptionem, laborumque perpeſſionem, quibus deficientibus, quam penè amiſerant, Italiam recuperare non poterant. Apertiore illum odio proſequuntur, poſtquam magnarum rerum occaſionem ipſis eripuit. Mittunt igitur ad Totilam, quem ad regnum capeſſendum hortantur. Neque oblatum ſibi Principatum obnuit, dummodò Ataricum è medio tollerent. Pactorum ignarus Ataricus, vocatos Gothos pacis cum Juſtiniano faciendæ monet eâ lege, ut Tranſpadana Italia ſibi remaneret, reliqua Imperatoris eſſent. Probato conſilio, Legatos ad eum dirigit, qui omiſſis conditionibus, id duntaxat poſcerent, ut in Patricios Ataricus allegeretur. Italiam tributi honoris mercedem futuram eſſe,

ANNO DOM. 542.

quam redderet totam Imperio. Dum Legati iter in Orientem accelerant, Gothi Regem ſuum dolis circumventum obtruncant.

Procop. Goth. l. 3. cap. 2.

Totila Gothorum Rex creatur. Ejus virtutes.

II. Atarico mortuo ſuccedit *Totila*, qui proprio nomine *Baduila* vocabatur. Heldebadi nepos erat, vir, in quo fortitudo æquis viribus cum prudentia certabat. Avunculi poſt obitum ad Conſtantinum illicò miſerat, Tarviſium urbem ſe traditurum pollicitus. Jam conſtituta dies erat, quâ Conſtantini milites in civitatem erant recipiendi, cum oblatum Totilæ ſceptrum negotium interpellat. Inductus in regnum Gothicas res mirâ felicitate reſtituit. Principem magnæ & benignitatis, & æquitatis in multis ſe præbuit, ut noſtri in progreſſu docebunt Annales. Satis ſit nunc unum è pluribus exemplum afferre. Anno DXLIV. expugnatâ Neapoli, Calaber eò venit, unum ex ipſius armigeris accuſaturus, quòd filiæ virgini vim intuliſſet. Gothorum Magnates, qui reo, acri quidem & ſtrenuo viro favebant, Regem ſuum rogant, ut crimen condonaret. Quorum precibus juſtitiæ cutam, Deique timorem opponit. Subinde ſtupratore morte affecto, bona ejus, quæcunque fuere, viciatæ mox tradit. Annos XII. Gothis præfuit ad uſque Poſt Conſulatum Baſilii XI.

Procop. Goth. l. 3. cap. 4.

At Romani Duces conſilio habito, ſtatuunt Veronam primùm ſuam in poteſtatem redigere, in agrum deinde Picenum contendere. Ac proſperi quidem ſucceſſus ſpem tatam eſſe omnia jubebant. Erant in exercitu militum millia duodecim: *Marcianus* Juſtiniani ſtudioſiſſimus, Veronam prodere nitebatur: *Artabaſes* vir ſtrenuus id diſcriminis ſubire volebat, ut paucis comitatus apertam à cuſtode corrupto oppidi portam ingrederetur. Jam Romani in civitatem recepti conſcenſo muro, cuſtodes obtruncarant: jam Gothi fugâ dilapſi diſceſſerant, cùm Ducum avaritiâ, de ſpoliis necdum partis litigantium, læta hæc initia retrò ſublapſa referuntur. Ex vertice rupis, quam inſederant, Gothi proſpiciunt hoſtes per urbem palantes, ac veluti de præda certantes. Tam oblatam recipiendæ urbis occaſionem nacti, ambabus ulnis amplectuntur, civitate repetitâ. Hîc Romani in propugnacula ſ gere, cum Barbaris fortiter dimicare. Adventant intereà Duces, qui cùm & portas clauſas, & hoſtes ſumma vi pugnantes inveniſſent, confeſtim recedunt. Non ſuorum periculo, non precibus, ut tam diu morarentur, quoad ſe ad ſuos incolumes recepiſſent, retinentur. Itaque deſperato jam auxilio è muro ſe præcipitant. Pars quæ in confragoſis locis ceciderat, miſerè periit, pars quæ molle ſolum offenderat, ſalva facta, in caſtra cum Artabaze ſe recipit.

Procop. Goth. l 3. cap. 2.

Totila gemino prælio Romanos vincit.

III. Auditis quæ Veronæ geſta fuerant, Totila, contracto quinque millium militum exercitu Romanos aggredi ſtatuit. Monebat eos Artabaſes, ut ſuperato fluvio fortiter cum hoſte prælium inirent. Verùm pernicioſâ Ducum diſcordiâ tempus in caſſum terebatur. Appropinquantibus Gothis, Uliaris, de illis unus, ad ſingulare certamen Romanos provocat. Occurrit Artabazes, qui adverſario lethale vulnus infligit. Sed dum incautius conficere hoſtem contendit, Uliaris cuſpis inſtantis ad fauces lapſa arteriam ſecat. Itaque victor fluxu ſanguinis triduo pòſt exceſſit, relicto Romanis maximo ſui deſiderio. Mors tanti viri fœdæ cladis omen fuit. Manus conſerebant exercitus, cùm trecenti milites, qui jubente Totilâ inſciis Romanis flumen trajecerant, poſt terga inopinato comparent. Tum majorem eſſe numerum rati, turpem in fugam ſeſe proripiunt: quos Barbari inſecuti fœdè trucidant, ſigna adimunt omnia, horæque momento lætam reportant victoriam. Noverat Totila maximi celeritatem momenti eſſe. Subinde igitur ad Florentiam copias mittit, Roderico & Uliare Ducibus. Nulli commeatus in urbe erant. Juſtinus ergo, qui ei præerat, noctu Ravennam mitrit, oratum ſibi auxilia. Advolant Cyprianus & Joannes, qui juncti Juſtino in hoſtes ducunt. Ac initio felice pugnâ Romani certabant, cùm falſus rumor per exercitum manat, ab armigeris Joannem ſuis interfectum fuiſſe. Tum Duces ipſi ad eam famam indecoram ſanè fugam capiunt, in qua Gothis inſtantibus complures periere. Captivis cùm ſigna benevolentiæ multa oſtendiſſet Totila, eos tantoperè ſibi conciliavit, ut lubentes ei militarint.

Procop. Goth. l. 3. cap. 2.

Procop. Goth. l. 3. cap. 3.

Franci Hiſpaniam vaſtant.

IV. Armorum ſonitu non ſola Italia perſtrepebat; Hiſpania quoque bellum incubuit. *Childebertus* cum *Clothario* eam ingreſſus, Cæſarauguſtanam obſidet. Ingruente periculo territi cives atque conſternati, ad jejunia ciliciaque ſe convertunt: *Cum tunica B. Vincentii Martyris muros civitatis pſallendo* circumeunt: *Mulieres quoque amictæ nigris palliis, diſſolutâ cæſarie, ſuperpoſito cinere, ut eas putares virorum funeribus deſervire, plangendo ſequebantur.* Quid id ſibi vellent, Franci neſciebant, & fraudes ſibi cogitari exiſtimabant. Comprehenſum forte de civitate ruſticum interrogant, quid rerum ageretur: reſponſum tulerunt, Vincentii circumgeſtari tunicam. Tum Reges timore conſtricti, de ſolvenda obſidione cogitant: *Tamen acquiſitâ maximâ Hiſpaniæ parte, cum magnis hi ſpoliis in Gallias redierunt.*

Greg. Tur. Hiſt. l. 3. cap. 29.

Coſroës Sergiopolim obſidet. Cum Beliſario fœdus facit, quod mox violat.

V. Hæc in Occidente. At in Oriente Coſroës ineunte vere, tertiâ expeditione arma infeſta Romanis intulit. Sergiopolitanis infenſus erat, qui promiſſos pro Sutenorum libertate ducentos aureos necdum ſolverant. *Candidus* civitatis Præſul, & ſibi, & gregi ſuo timens, ultrò ſeſe excuſans, Coſroë occurrit: qui ipſum probris omnibus affectum, in cuſtodiam duci, duplamque pecuniam exolvi jubet. Precioſa Templi ſuppellex redimendæ civitati datur. Regiæ cupiditati explendæ ea non ſufficiebant, utpote quæ urbi inhiabat. Verùm Saracenus, nomine *Ambrus*, Chriſtianum agens, de nocte ſuadet obſeſſis, ne Perſas recipiant. Oppugnatâ civitate, Sergiopolitani primùm fortiter reſiſtebant. Cùm autem ducentis ſolis militibus uterentur de tradenda hoſtibus civitate cogitant. Quod conſilium Ambrus etiam prohibet, monens ea aquæ penuriæ obſidionem mox ſolvendam eſſe. De Sergiopolitana obſidione mira Evagrius narrat, de quibus altum eſt in Procopio ſilentium. Poſt accepta ſacra Eccleſiæ vaſa, quærente Coſroë nihilne amplius eſſet, mendax quidem affirmat, alios adhùc theſauros eſſe, ab oppidanis occultatos. Nil tamen ſupererat præter arcam argenteam, cui Sergii Martyris reliquiæ includebantur. Spe prædæ majoris cùm Coſroës exercitum admoviſſet urbi, viſa eſt militum multitudo, cum clypeis muros defendentium. Cùm paucos admodum in oppido remanſiſſe Coſroës accepiſſet, eoſque aut ſenes, aut pueros, *hujus miraculi auctorem eſſe Martyrem in-*

Evagr. l. 4. c. 28.

tel-

Anno Dom. 542.

tellexit: atque ob id metu perculſus, admiratuſque Chriſtianorum fidem in regnum ſuum reverſus eſt. Traditionem eam fictam eſſe, vel ex uno Procopio liquet, cui prorſus repugnat. Aquæ penuriâ, quâ Perſæ laborabant, *Ambrique* conſiliis, non Sergii potentiâ Martyris ea urbs eſt liberata. Neque ſolutâ obſidione Coſroës domum reverſus eſt, qui ultrà progreſſus Euphraſiam ingreditur. *Candidum* quoque non dimiſit Epiſcopum, quem ſine dubio perculſus miraculis Sergii liberaſſet. Apage ergo Evagrii fabulam! Hîc porrò Baronius culpâ tenetur erroria, qui Sergiopolitanam obſidionem cum anno DXLIV. copular, biennii metachroniſmo. Obſidionem lues excepit, quæ ante annum DXLIV. orbem populata eſt. Cæterùm Coſroës Euphrateſiam ingreſſus, in Palæſtinam impetum facere ſtatuit, ut Templa precioſâ ſuppellectile referta expilaret. Conſilia interceſſit Beliſarii adventus, qui veredis invectus velociſſimè in Euphrateſiam pervenerat. Tum non armis quidem, ſed ſapientiâ, quæ pulcherrima Gelimero, Vitigeque captis facinora geſſerat, longè ſuperavit. *Banadarem* ad Legatum ei miſerat Coſroëa, expuſtulatum, quòd nullos adhùc de pace facienda Oratores Juſtinianus amandaſſet. Audito Banadarem appropinquare Beliſarius, papilionem ex aſſeribus ſubiodc compactum ingreditur: milites venatorum in morem indutos eſſe jubet, quaſi belli ſecuros: querenti Perſæ, quòd Cæſar necdum Legatos miſiſſet, ridendo hilarique vultu reſpondet, Coſroëm jam Romanorum armis circumvallatum, de pace ineunda imprudenter, temerèque verba injicere. His dictia Legatum dimittit, qui Principem ſuum ad redeundum impellit. Tum Beliſarius trajecto cum ſuis legionibus fluvio, ſubinde certoa ad Regem mittit, qui nuncient, Cæſaris expectari Legatos de pace componenda: rogant etiam, ut per agros Romanorum non moleſtus iter faceret. Ille hoc ſe facturum recepit, ſi de ſervandis pactia obſidem Beliſarius dederit, qui Edeſſam veniens, Joannem Baſilii filium civitatis clariſſimum obſidis loco miſit. Solitâ tamen perfidiâ Coſroës, qui benè in pacem animatus videbatur, *Callicinum* civitatem nullo defendente, captam ſolo æquat, agricolaſque qui eò confugerant, captivos ducit. Beliſarius verò Conſtantinopolim revertitur.

Procop. Perſ. l. 2. cap. 11.

Azumitæ fiunt Chriſtiani: qua de cauſa?

VI. Labente anno novas ſibi ditiones Chriſtus peperit. Sabæis, qui mutato nomine Homeritæ dicuntur, *Damianus* Rex imperabat, qui Romanos negotiatores, regionem ipſius ingreſſos, violato jure interfecerat. Quod ſcelus Judæorum amore perpetrarat, qui in Imperio quandoque vexabantur. Eâ cæde ſoluta ſunt cum Azumitenſibus commercia, quia per Homeritas in Azumitenſium regiones tendebatur. Hoc indignatus Adad Rex Azumitenſium, Oratores Damiano miſit, qui injuriam regno ſuo factam quererentur. Hinc grave inter utrumque bellum exoritur, cujus exitum verbis hiſtoriæ Miſcellaneæ, etſi minus Latinis, repræſentabimus: *Cùm pugnaturi eſſent, Adad Axumitenſium Rex votum vovit, dicens: Si vicero Homeritenſem, Chriſtianus efficiar, quia pro Chriſtianis pugno. Deique operatione vicit potentiſſimè, & accepit captum vivum Damianum Regem eorum, & regionem ipſorum, & regna. Gratiaſque referens Adad Rex Axumitenſium, miſit ad Juſtinianum Imperatorem, ut acciperet Epiſcopum, & Clericos, & doceretur, & fieret Chriſtianus. Et gaviſus eſt ſuper hoc Juſtinianus plurimum, & juſſit eis dare quemcunque voluiſſent. Et elegerunt idem Legati, cùm curioſè quæſiſſent, Manſionarium Sancti Joannis magna Alexandria, virum venerabilem & virginem, nomine Joannem, qui ſexaginta & duorum erat annorum. Quo ſuſcepto abierunt in propriam Regionem ad Adad Regem ſuum: & ita crediderunt Chriſto, & illuminati ſunt.* Hæc anno Juſtiniani XVI. affigit Miſcellanea. Imperante Conſtantio Homeritæ quidem fidem ſuſceperant, teſte Philoſtorgio: ſed volventibus annis extincta fuerat.

Miſc. l. 16.

Anno Dom. 543.

ANNO U. C. 1296. PER. JUL. 5256. JUL. 588. DOM. 543. JUSTINIANI 16. & 17. TOTILÆ 2. *Sol.* 20. D. *Lun.* 12. *Indict.* 6. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 4. *P.* 5. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii II.

Totila Samnium & Campaniam vaſtat. Neapolim expugnat.

I. TOtilæ victoriis, Romanorumque cladibus celebritatem annus habuit. Urgens ſucceſſus ſuos Gothorum Princeps, Tiberi tranſmiſſo Campaniam ingreditur. Eâ vaſtatâ ad Samnitas divertens, Beneventum nullo labore in poteſtatem redigit. Cujus oppidi muros ad ſolum mox diruit, ne occupatum ab Imperatoris militibus, rebus Gothicis damno foret. Totilæ æquitas fortitudinem tum æquavit. Patritias quippe feminas, nullâ prorſus affectas injuriâ, liberas abire permiſit. Miſſâ exercitus parte, cùm nulli ſibi hoſtes occurrerent, Brutioa, Lucænos, Apuliam, Calabriamque ſubjicit. Sic res Juſtiniani miſerè dilabebantur, nec ſine ipſius vel incuria, vel pecuniæ egeſtate. Stipendiorum multum militibus debebat, quo factum, ut in prædones mutarentur, ſicque Romani in vitæ bonorumque diſcrimen venirent. Miſerum Italiæ ſtatum ubi Juſtinianus intellexit, *Maximinum* Ducibus Præfectum imponit, qui cum claſſe navigat in Italiam. Sed bellicæ artis imperitus, perperàmque cunctator, & negligens, nil Principi ſuo contulit emolumenti. Intereà Neapolis à Totila obſidebatur. Cujus oppidi Procurator vir, nomine *Demetrius*, rei nauticæ peritiſſimus, Totilam maledictis inceſſebat. Jam Neapolitanis incommodi plurimum longa attulerat obſidio, cùm ex Cononia Præfecti, conſilio Demetrius conſcenſo lembo, Demetrium alterum convenit, virum, qui ſub Beliſario militarat, & *pedeſtri militi* præerat, à Juſtiniano miſſum, ut laboranti Italiæ ſuccurreret. Ac fortè Neapolitanis auxilium attuliſſet, ſi in oppidum eum magna, quam ducebat claſſe, rectà contendiſſet. Sed veritus diſcrimen, Neapolim tranſgreſſus, Romanumque in portum divertens, contrahere milites ſummo ſtudio nitebatur. Sed claræ Totilæ victoriæ terrorem Romanis incuſſerant, itaque militiam cùm detrectaſſent, his ſolis comitatus, quos adduxerat, excitatus à Demetrio Procuratore Neapolitanis ſubit auxilio. Verùm Totilas de claſſis adventu monitus, navibus, quas inſtruxerat, eam adortus, primo ſtatim congreſſu disjicit, multos obtruncat, complures capit. Evaſere duntaxat illi, quibus in lembos deſilire licuit, quos inter Demetrius fuit. Capto Demetrio Cephaleneo lingua manuſque præciduntur, cui ſic mutilato libertas quoquò vellet abeundi permittitur. In tanto diſcrimine rerum Maximinus ſocors & ne-

gligens

gligens Syracuſis manebat. Sed convitiis excitatus, Imperatoriſque veritus minas, cum claſſe Demetrium mediâ hyeme Neapolim mittit. Verùm Gothis venti militant. Horrendâ quippe tempeſtate exortâ, inviti Romani eò impelluntur, quò Barbari ſtationem habebant. Qui mox ejectas ad ſe naves ingreſſi, milites partim obtruncant, partim demergunt, claſſiſque Præfectum Demetrium capiunt. Cujus collo circumjectâ veſte, Totila ipſum Neapolitanos ad muros protractum, monere obſeſſos jubet, ne vanâ ſpe auxilii ſeſe lactent. Quo triſti ſanè ſpectaculo ad gemitus convertuntur. At Totila benevolentiam & fidem pollicitus, Cononi militibuſque ſignificat, facere ſe cum rebus abeundi copiam. Placuit ea Regis oratio: ut tamen obſeſſi fidem Imperatori ſervarent, licet fame premerentur, triginta dietum ſpatio oppidum ſe dedituros ſpondent. Totila verò trium menſium tempus ſe daturum pollicetur, eâ lege, ut pacta ſervarent. Deficientibus alimentis, non diu poſt conſtituta fœdera Gothi in civitatem recipiuntur. Tum ſingulare humanitatis exemplum illuſtri Principe digniſſimum exhibet Totila. Veritus quippe, ne obſeſſi ex nimio poſt inediam cibo ingurgitati perirent, diſpoſitis ad portas cuſtodibus imperat, ne ullum abire permittant. Famelicis parcius cibos præberi jubet, donec viribus confirmatis abeundi facultas concederetur. Excellentis fortunæ dignam iterum & Cononi, & ejus militibus benevolentiam oſtendit. Decreverant Romam petere, ſed vento conſiliis obſiſtente, in metu erant, ne Totilam victoriâ potitum, promiſſorum pœniteret. Qua de re Totila certior factus, renovatâ fide, bonum eos animum habere juſſit, & ab exercitu, quæ ſibi neceſſaria erant, ut ab amicis emere. Ingruentibus adhùc ventis tribuit & equos viaticumque, ut terreſtri itinere Romam peterent, & de Gothica gente comites probos, ut tutius abirent. Neapoli potitus, murorum partem dirui juſſit. Annos ſibi Julianos dividit duos Neapolitana hæc obſidio: labentem ſcilicet, & proximè lapſurum, quo Gothorum in poteſtatem venit, ut ex Procopio colligitur, & Marcellini quoque Chronico liquet: *Poſt Conſulatum Baſilii, anno III. Totila obſidet Firmum, & Aſculum, invaſamque Neapolim deſolat, & Tibur.*

Proc. Goth. l. 3. c. 3.

Proc. Goth. l. 3. c. 4.

Nùm Benedictum adoraverit Totila. De Totilæ annis falſum Benedicti vaticinium.

II. Dum Samnium Campaniamque Totila armis infeſtat ſuis, maximo videndi Abbatis Benedicti, qui in gloria erat, deſiderio eum flagraſſe ferunt. Rem Gregorius exequitur. Audierat Gothorum Princeps, Benedictum pollere dono Prophetiæ: ei ergo mandat, mox ſe venturum. Ubi Monaſterio appropinquavit, *Ipſe ſicut perfida mentis fuit, an vir Dei Prophetiæ Spiritum haberet, explorare conatus eſt. Quidam verò ejus ſpatharius Riggo dicebatur, cui calceamenta ſua præbuit, eumque indui veſtibus regalibus fecit.* Addidit & comites Vulterium, Rodericum & Blindinum, ut facilius virum ſanctum deciperet. Qui regiis inſignibus ornatum, *venientem conſpiciens, cùm jam ab eo audiri potuiſſet, clamavit dicens, Pone fili, Pone hoc, quod portas, non eſt tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit, & quia tanto viro illudere præſumpſiſſet, expavit.* Hæc cùm Regi ſuo dixiſſet, *tunc per ſe idem Totila ad Dei hominem acceſſit, quem cùm longè ſedentem cerneret, non auſus accedere, ſeſe in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, ſurge, ſed ipſe ante eum de terra erigere non auderet, Benedictus Chriſti Jeſu famulus per ſemetipſum dignatus eſt accedere ad Regem, proſtratumque de terra levavit, & de ſuis actibus increpavit: atque in paucis ſermonibus cuncta, quæ illi erant ventura prænunciavit, dicens, multa mala facis, multa mala feciſti, jam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus, novem annis regnans decimo morieris.* Non tantum nobis credulitatis ineſt, ut huic traditioni fidem præbeamus. Non mentis erat ejuſmodi Totila, qui Arianam Religionem tenebat, ut Benedicto, quem Trinitatis cultorem pro Hæretico habuit, adorationem ejuſmodi redderet. Quin etiam non Apollinis ex tripode edictum fuit Benedicti hoc oraculum, quod Veteres Chronologi falſi poſtulant. Quippe non labente regni ſui decimo Totila obiit, ſed duodecimo, ut in Mario Aventicenſi legimus: *Poſt Conſulatum Baſilii, anno XII. Indictione primâ, Badula Rex Gothorum ab exercitu Republica per Narſetem Chartularium Eunuchum interficitur, & Teia accipit regnum ejus.* Chronicum verò Marcellini annos ſaltem undecim aſcribit Totilæ, *Poſt Conſulatum Baſilii XI. Narſes Totilam occidit.* Sed Marii Chronicum Marcellini Continuatori præſtat. Ut Benedicti vaticinio fidem Petavius aſtruat, ait, *Totilæ prædixiſſe, novem adhùc annis regnaturum ipſum.* Verùm enimverò, voculam Petavius *adhùc* gratis ſuppeditat Benedicto, quæ non apud Gregorium legitur. Neque Gregorius annum Totiliani regni ſecundum aſſignat Benedicti oraculo. Fingi Chronologia hæc poteſt, probari non poteſt, & à Mario etiam, cujus verba exhibuimus, refellitur.

Greg. Dial. l. 2. c. 14. & 15.

Pet. Rat. l. IV. c. 14.

Plurima miracula à Gregorio Magno narrata, occaſione Totilæ rejiciuntur.

III. Ea Gregorii narratio cùm falſo propior videatur, detrahere & nos fidem cogit multis, quæ de Totila, ejuſque ſatellitibus Gregorianis in Dialogis leguntur, & Baronii Annalibus fuere ornamento. Scribit *Caſſium* Narnienſem Epiſcopum à Totila eò ſpretum fuiſſe, quòd ex aſſiduâ potatione ruborem ortum eſſe putabat illum, qui ipſius vultui inſidebat: illicò Dæmonem Regis ſpatharium corripuiſſe, quem coram Rege ſigno crucis facto, Caſſius pepulit. Fulgentium Utriculenſis Eccleſiæ Epiſcopum, *Regem crudeliſſimum Totilam infenſum omnimodò habuiſſe.* Cui mitigando munera cùm miſiſſet, juſſiſſe Totilam, *ut eundem Epiſcopum ſub omni aſperitate conſtringerent.* Regiæ crudelitatis miniſtros circulum in terra deſignaſſe, extra quem pedem tendere nullo modo auderet: repentè procellam exortam, tantâ nimborum copiâ Epiſcopi cuſtodes inundaſſe, ut eam ferre non poſſent, illæſo Fulgentio, qui in circulo ſtans ſuo, ne vel tenui rore madefactus eſt. Addit & Gregorius, Gothos eo furoris proceſſiſſe, ut *Benedictum* Juniorem cum ſua cella flammis traditum voluerint. At injecto igne, cellam comburi non potuiſſe. Hinc magis exaſperatos ſanctum Monachum in candentem clibanum projeciſſe, quem ſubinde clauſerunt. Expectantes ſine dubio Benedictum in cineres redactum iri. Verùm *die alterâ ita illæſus inventus eſt, ut non ſolum ejus caro ab ignibus, ſed neque extrema ullo modo veſtimenta cremarentur.* Perenni memoriâ digna hæc eſſe, Baronius ſtatuit. Nos verò vix dubitamus, quin Monachi, quorum clauſtra incendiis belli Gothici correpta fumabant, hæc commenti ſint, ut Totilæ conviciarentur. Inni-

Greg. Dial. 3. cap. 12. & 18.

Inniteuntur miracula hæc omnia *crudeliſſimo* Totilæ ingenio, quem Gregorius ut inhumanum, *barbarum*, *perfidum* hominem pingit, cùm ex Procopio didicerimus, vix ullum Principem fuiſſe, qui benignitate, clementiâ, æquitate Totila major eſſet. Quod & conſtitutum virginis in violatorem ſupplicium, & erga matronas captivas obſervantia, & in ſervandis Neapolitanis cura atque diligentia, & erga Canonem, & Romanos manſuetudo cum fidelitate conjuncta extra dubium ponunt.

Horrenda miraque lues orbem invadit.

IV. Corrupto cœli tractu lues miſeranda venit, quæ diram hominibus mortem attulit. Variant Chronologi de tempore lethiferi morbi. Victor Tununenſis annum ei DXLII. aſſignat, quem poſt Conſulatum Baſilii anno ſecundo nuncupavit, phraſi ſibi propriâ: *Horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas ſequitur, & inguinum percuſſione major pars populorum necatur.* Victori aſſentitur Evagrius, qui poſt biennio expugnatam Antiochiam, orbem à lue ditiſſimâ correptum fuiſſe tradit. Coſroës verò anno DXL. vaſtavit Antiochiam. Marcellini verò Chronicum inſequentem annum, qui Chriſti eſt DXLIII, peſtis aſcribit initio: *Mortalitas magna Italia ſolum devaſtat, Oriente jam & Illyrico peraquè attritis.* Quamcunque porrò Chronologiam amplectamur, illa Baronii prorſus eſt rejicienda, qui anno duntaxat DXLIV. peſtem cœpiſſe putat, repugnantibus antiquis. Neque illuſtriſſimo Purpurato Procopius præſidio eſt, cùm anno, qui tertium Perſarum in Romanos impetum proximè excepit, peſtem affigat. Tertia verò Coſroes expeditio in annum DXLII. incidit. Nunc horrendæ contagionis mala, vimque ſubjiciamus. Initium cœpit ex Æthiopia, unde teter halitus ubique locorum ſeſe diffundens, vitium aëri incutiebat: ut carmen ingenioſi Poetæ hîc aptari poſſit:

Error Baronii.

Bar. Ann. 544. n. 7.

Letiferis calidi ſpirarunt æſtibus Auſtri.

Nullâ verò certâ anni tempeſtate incumbebat lues: *Nonnulla quidem loca initio hyemis occupavit, alia verno tempore, quædam æſtate, alia procedente autumno. Et in aliis quidem urbibus cùm aliquas partes attigiſſet, à reliquis abſtinuit.* Id præcipuè admiratione dignum fuit, quòd ſi qui cives earum urbium, quas peſtis corripuerat, degerent, in locis contagionis hujus expertibus, ſoli morbo afficiebantur illi, qui corruptas urbes exibant. Quorum ſanguis venenoſorum, uti videtur, vi ſpirituum jam ſenſim ſine ſenſu infectus fuerat, atque mutatus. Narrat Procopius, *Phantaſmata Dæmonum multis humanâ ſpecie viſa: quotquot in ipſa inciderent, percuti ſe ab aliquo viro putabant, morbuſque ſubitò irruebat.* Itaque nonnulli ab initio exorciſmorum remedia adhibebant:

Evagr. l. 4. c. 29.

Pugnatum eſt arte medendi,
Exitium ſuperabat opem, quæ victa jacebat.

Metam. l. 7. f. 25.

Ac nonnullæ urbes eâ calamitate adeò vexatæ ſunt, ut incolis prorſus nudarentur. Tribus menſibus Conſtantinopoli incubuit: *Ab initio quidem pauci, deinde in ſingulos dies quinque ſæpius, etiam decem millia efferebantur, adeò ut plures etiam divites, miniſtris jam omnibus extinctis, curatorum penuriâ magis, quàm morbo perirent, ſimulque inſepulti manerent.* Exercendæ liberalitati Juſtiniano morbus occaſionem præbuit. *Theodora*, qui *Referendarii* munere fungebatur, provinciam imponit erogandæ pauperibus pecuniæ, ut morbus, qui ex penuria vires acquirit, utcunque frangeretur. Neque mali hujus Perſæ expertes fuere, licet ſerius eo afficerentur.

Proc. l. 2. cap. 12.

Miſera Romanorum in Perſidem expeditio, & clades.

V. Eâ calamitate illi ad pacem magis incitabantur. Igitur *Nabades*, qui Armeniæ Perſicæ præficiebatur, *Eudulium* Chriſtianorum Præſulem ad Valerianum Romanæ Armeniæ Præpoſitum mittit, accuſatum Legatorum tarditatem, ac omni ſtudio ad pacem hortatum. Optato bono interceſſit ſtatus, in quem res Perſicæ deducebantur, cujus ab *Eudulii* fratre Valerianus clam monitus eſt. Coſroën nimirum in anguſtiis conſtitutum eſſe; ipſius exercitus lue correptos, filiumque rebellare cœpiſſe. Arreptâ ergo occaſione Juſtinianus in Armeniam Perſicam irruptionem imperat. Præerat exercitui *Iſaacus*, Narſis frater. Eſt *Dubium* Perſidis regio, & cœli & aquarum ſalubritate præſtans, ibi campi reperiuntur equorum fertiliſſimi: ſunt & merces plurimæ ex India, Iberiaque advectæ. Epiſcopus, qui Chriſtianis præeſt, *Catholicus* vocatur, quod omnibus præſit. Hanc Romani regionem ingrediuntur. Auditâ irruptione Nabades in vicum, nomine *Anglon*, ſe recipit, cujus aditum extructo vallo, lapidibus, curribuſque optimè munitum ivit. Fortè exploratorem ceperant Romani, cujus fraude maximum in periculum veniunt: nempè affirmabat Nabadem cum exercitu domum repetiviſſe. Hîc Narſes Præfectorum moras increpare: prædam eſſe paratam. Igitur milites ſine diſciplina, ordineve moveri, nulla præferre ſigna, cum lixis & calonibus incedere. Poſtquam vico propiores fuere, reverſi quos miſerant exploratores, nunciant aciem Perſarum paratam eſſe. Tum ſtultæ credulitati intempeſtiva temeritas accedit, Romanis Ducibus cum tanto exercitu redire, turpe & indecorum putantibus. Copias ergo in tres acies dividunt: Petrus dextrum cornu, ſiniſtrum Valerianus, medium Martinus habuit. Narſes Erulorum Præfectus pugnæ inſtat: quos Perſæ adorti plurimos interficiunt, Narſem juxta tempora ſauciant, qui paulò pòſt exceſſit, relicto ſui deſiderio. Romani verò virtutis & decoris obliti, turpi fugâ ſibi conſulunt, arma projiciunt, equos extra modum urgent, ut nullus ferè ex illis ſuperfuerit. Milites, qui fugæ defuerunt, cæduntur, aut capiuntur. Tantum prædæ Perſis ceſſit, ut opibus cumularentur. *Adulius verò Præſul lapide à colonis caput appetitus, ibidem periit.*

Proc. Perſ. l. 2. c. 13.

Juſtinianus argenteam Theodoſii Magni ſtatuam diripit.

VI. Exhauſto tot bellis, tot ædificiis, tot largitionibus ærario, Juſtinianus Theodoſii Magni ſtatuæ, quæ argentea erat, ſibi non duxit eſſe parcendum. Rem Zonaræ verbis exponere juvat: *Anno imperii ejus* XVII. *magna columna in veſtibulo magni Templi collocata, abſoluta eſt, cui equeſtrem ſuam ſtatuam impoſuit. Ea loca prius ſteterat columna, Magni Theodoſii ſtatuam argenteam ſuſtinens, à filio ejus Arcadio factam, pondere ſeptem millium & quadringentarum librarum. Quam ille cum columna demolitus, argento direpto, eam repoſuit, quæ adhùc cum ejus imagine viſitur. Deſtruxit etiam maximos plumbeos canales, quibus aqua in urbem deducebatur, cùm ejus materia multum ad ſtructuras ei eſſet opus.*

Zonar. l. 14. c. 6. 63.

Paulus Alexandrinus in exilium mittitur. Cur?

VII. Eccleſiæ res referre nunc tempus hortatur. Ac in Oriente verſantibus ea prius narrentur, quæ ibi contigere. Anno DXLI. Paulus Alexandrinis ſacris præfectus erat. Pietatis amore Juſtinianus ei facultatem conceſſerat, Duces Tribunoſque removendi, quos error af-

Liberat. cap. 23.

ſtaverat. Ac eo loci Alexandriam conſtituerat, ut ſpes eſſet Concilium Chalcedonenſe ab ea civitate poſſe recipi, niſi magno Eccleſiæ damno talis cauſa concordiam prohibuiſſet. Hiſtoriam ſic narrat Liberatus: *Cogitante Paulo Epiſcopo removere Eliam Magiſtrum Militum, Pſoius quidam Diaconus, & Oeconomus Eccleſiæ, amicus Eliæ per portitores literarum, velociſſimos pedeſtres, quos Ægyptii Simaeos vocant, omnia molimina Pauli Eliæ ſcribebat. Contigit autem Paulum invenire literas ejus, Ægyptiace ſcriptas, & legere, & timens quod de Proterio contigerat, ſollicitus de eo factus eſt, & cœpit Pſoium compellere facere rationes Eccleſiæ: quem tradidit Judici, & Imperatori de eo retulit. Eo tempore apud Alexandriam Rhodo erat Auguſtalis, qui eum accipiens cuſtodiendum, uſque ad Imperatoris præceptum, conſilio cujuſdam prioris civitatis, nomine Arſenii, acceptis muneribus, inſcio, ut fertur, Epiſcopo, clam nocte totis viribus cum magno cruciatu occidit. Cujus filii & affines Imperatorem interpellantes, ſuggeſſerant ei, quia vi eorum parens debitum mortis perſolviſſet. Quod audiens Imperator, vocavit Liberium, & fecit Auguſtalem, miſitque eum Alexandriam, inquirere cauſam. Ad quam urbem Liberius cùm veniſſet, Rhodonem ad ſe venire juſſit, & ab eo requirebat, quomodo occidiſſet Diaconum. Ille verò reſpondit, juſſione Epiſcopi factum fuiſſe: habere ſe Imperatoris delegationem ajebat, ut quidquid juberet Epiſcopus, modis omnibus impleret. Sed negante Paulo Epiſcopo, & ſe neſcire clamitante, prior ille civitatis Arſenius homicidii illius autor inventus, morte mulctatus eſt. Porrò Epiſcopo Paulo Gazam in exilio miſſo, Rhodo cum geſtis de eo actis directus eſt Conſtantinopolim. Cujus geſta cùm intra Palatium legerentur Principi, juſſit eum duci, & foras Regiam civitatem occidi.*

Paulus apud Gazam Patriarchatu Alexandrino ſpoliatur.

Liberat. cap. 23.

VIII. Non ſolo Paulus exilio mulctatur. Juſſu Imperatoris Synodus Gazæ cogitur, abdicando Alexandrino Præſuli. Audiatur adhùc Liberatus: *Poſt hæc miſit Imperator Pelagium Diaconum, & Apocriſiarium primæ Sedis Romanæ, Antiochiam cum ſacris ſuis, quibus præcepit, ut cum Euphræmio ejuſdem urbis Epiſcopo, & Petrus Hieroſolymita, & Hypatius Epheſinus venirent Gazam, & Paulo Epiſcopo pallium auferrent, eumque deponerent. Pelagius ergo profectus Antiochiam, & inde Hieroſolymam cum memoratis Patriarchis, & aliquantis Epiſcopis venit Gazam: & auferentes Paulo pallium, depoſuerunt eum, & ordinaverunt pro illo Zoilum.* Paulo objectum videtur, quòd Dioſcori Alexandrinus à Chalcedonenſibus damnati memoriam publicè recoleret, ut ex Victore Tununenſi colligimus: *Paulus Dioſcori Hæretici prædeceſſoris ſui depoſitionem celebrans, Palæſtino Concilio deponitur.* Synodi Gazenſis mentio eſt apud Cyrillum in vita Sabæ.

Bar. Ann. 537. n. 14.

Pauli ejectionem anno DXXXVII. Baronius affigit. Errante ſanè Chronologiâ, cùm poſtmodum abdicatis contigerit. Porrò odioſum Paulo moleſtumque fuit, ex ſummo Patriarchatus apice in privatam fortunam redigi. Itaque anno DXLVII. pallium, quo ſpoliatus erat, modis omnibus rurſus induere tentavit, oblatâ vel Juſtiniano pecuniâ, ſi arcanæ Procopii Hiſtoriæ fides, cujus verba ſunt: *Paulus haud diu fuit, cùm Byzantium appulit, rogaturus Imperatorem & pondo ſepties centum auri oblaturus, ut in Sacerdotium reſtitueretur. . . . Nemini jam dubium erat, quin Sacerdotium Paulus eſſet conſecuturus. Verùm enimverò Principi id imperanti haud quam Vigilius, qui per id tempus Byzantii verſabatur, concedendum cenſuit: neque de ſententia à ſe per Pelagium lata decedendum.* Quibus Scriptorum ſententia damnatur, qui anno vel DXXXVII. vel DXL. Pauli abdicationem alligant. Tamdiu ſanè Paulus non expectaſſet, ut amiſſam ſibi reſtitui dignitatem conaretur.

Proc. Arc. Hiſt. pag. 110.

Origeniſtarum in Palæſtina tumultus.

IX. Dum Paulum Gazenſis Conventus exauctorat, graves ſanè motus Palæſtinæ Monaſteria exercebant. Gelaſius, qui anno DXXXVI. *principio XV. Indictionis* Lauræ Sabæ Abbas impoſitus erat, graſſantibus Origenis opinionibus obviam ire voluerat: *Certaminis adjutores habuit, Euſtathium quendam Calligraphum, genere Galatham, Stephanum Hieroſolymitam, atque Timotheum Gabalinum. Opus ſancti Boſtrenum Epiſcopi Antipatri contra Origenis dogmata conſcriptum, in Eccleſia legi curavit.* Eo facto exacerbati Origeniſtarum animi, Eccleſiam turbant: Factionis Dux *Joannes quidam Lauræ Diaconus, & Canonarcha, Antiochenus genere.* Expulſus è Sacrario hæreſis cauſâ, conjuratione factâ cum Joanne Brontodæmone, Ptolomæo, aliiſque Origenis opinionibus animas inficere nitebatur: *Tunc Patres communi Lauræ Decreto eos particulatim ejecerunt, quadraginta ferè numero. Qui in novam Lauram profecti ad Nonnum, & Leontium Byzantinum, tunc è Conſtantinopoli reducem, & contra B. Sabæ ſucceſſores efferatum, adverſus Abbatem Gelaſium, & maximæ Lauræ Patres clamabant.* Quid plura? Leontius conſilium dat, ut inimicos ſubvertant ſuos. Totis itaque viribus, & Theodoſii Monaſterium, & Sophronium Præfectum ejus ſuas in partes allicere nituntur. Quod cùm fruſtra tentaſſent, in furorem acti, inſtrumentis armati ferreis, ruſticorumque manu maximam Lauram dirutum eunt. At, ſi Cyrillo narranti fides, cœleſti miraculo impetus prohibetur: *Cùm eſſet hora diei ſecunda, ingruit ſuper eos caligo: atque totâ die confracti, per aſpera inviaque loca incedendo, vix ſecundâ die ad Monaſterium B. Marciani inventi ſunt.* Horum tantorum tumultuum tempus nos Cyrillus docuit: *Eodem tempore adfuerunt in Palæſtina Patriarcha Antiochiæ Euphræmius, & Papa Euſebius propter Pauli Alexandriæ Epiſcopi ejectionem.* Hinc errorem Baronio demere licet, qui annorum XI. prochroniſmo eum Origeniſtarum tumultum in annum DXXXII. conculit, non ſine magna labe Chronologiæ.

Vit. Sab. cap. 85.

Vit. Sab. cap. 86.

Error Baronii.

Bar. Ann. 532. n. 12.

Ephræmius Origenem damnat. Petrus motus Origeniſtarum ſignificat Imperatori.

X. Sed memorandæ, triſtiſque ſimul hiſtoriæ reliquias proſequamur. Soluto Gazenſi Concilio, Hieroſolymam proficiſcitur Euſebius, ad quem Leontius eos adducit, qui è maximæ Lauræ pulſi fuerant, accuſatores Gelaſii, quòd diſſidium Conventui induxiſſet: ipſos quidem expuliſſet, adverſarios verò aſciviſſet. Leontii verbis deceptus Euſebius, nec de Origenianis erroribus cogitans, Gelaſium accerſitum in neceſſitatem adduxit, vel ejectos recipiendi, vel eorum adverſarios propellendi. Eò redacti Abbates, Stephanum, Timotheumque cum quatuor fratribus Antiochiam mittunt, qui ea Ephræmio nunciarent, quæ geſta fuerant, ſimulque Antipatri libros oſtenderent. Agnitis Origenis erroribus, quos coarguebat Antipater, Ephræmius *publice Synodico Origenis dogmata anathemati ſubjicit.* Damnationis fama cùm Hieroſolymam perveniſſet, indignati Nonni aſſeclæ, fultique patrocinio Leontii Byzantini, qui Conſtantinopolim navigarat, nec non Domitiani, Ancyræ & Theodori, Cæſareæ Epiſcopi viam

Petro

Anno Dom. 543.

Petro inferunt Hieroſolymitano, *ut Ephræmii nomen Diptychis tolleret.* Excitatâ ſeditione, Petrus vocans Gelaſio & Sophronio mandat, ut oblato Libello obſecrarent ſe, ne Euphræmii nomen Diptychis deleret. Traditum ſibi Libellum Petrus *miſit ad Imperatorem cum literis ſuis, quibus innovationes Origeniſtarum referebat. Eo Libello accepto, piiſſimus noſter Imperator Edictum adverſus Origenis Decreta edidit. Edicto Mennas Conſtantinopolitanus Patriarcha ſubſcripſit, unà cum Synodo ſua. Coacti quoque ſunt ſubſcribere Domitianus, & Theodorus, quorum tamen ſimulatio cunctis patuit.* Hinc fugiendus Garnerii error, ſcribentis: *Huic* Synodo *Theodorus Cappadox non interfuit, quâ enim patientiâ audiviſſet, quæ de ipſo referuntur?* Subtiliter. Sinat tamen vir eruditus nos Cyrillo magis credere. Interfuit Aſcidas, utpote qui ſubſcripſit. Itaque vanum eſt, quod *invictum* dixit argumentum. Nempe Theodorus, alter Protheus omnes formas induebat, ut Imperatoris favorem retineret, reclamanteque conſcientiâ damnabat Origenem.

Vit. Sab. c. 85.

Garn. de Syn. V. Diſſert. c. 2.

Origenem damnat Juſtinianus Epiſtolâ Theologicâ.

Liberat. c. 23.

XI. Quam Origenianam Cyrillus damnationem ſummatim narrat, fuſius Liberatus exequitur: *Redeunte Pelagio Conſtantinopolim, Monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in Comitatu, portantes Capitula de Libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, ut Origenes damnaretur cum illis Capitulis. Igitur Pelagius æmulus exiſtens Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, volens ei nocere, eò quòd eſſet Origenis defenſor, unà cum Menna Archiepiſcopo Conſtantinopolitano flagitabat à Principe, ut juberet fieri, quod illi Monachi ſupplicabant, ut Origenes damnaretur, ipſaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator, facillimè gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo dictata eſt in Origenem & illa Capitula Anathematis damnatio, quam ſubſcribentes, unà cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti, deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Euphræmio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano. Quibus eam accipientibus & ſubſcribentibus Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Ea Origenis damnatio non regio quidem Edicto, ſed Epiſtolâ potius Theologicâ facta eſt. Anno DXXXVIII. Epiſtolam à Juſtiniano editam eſſe, Baronius ſibi perſuaſit. Sed in errorem ſanè delabitur, cùm necdum Paulus creatus eſſet Alexandrinorum Epiſcopus: certè nondum exauctoratus. Paulinam verò abdicationem excipit Juſtiniani hæc Epiſtola. Latuerat diu in Bibliothecis, verùm cùm ex MS. Antonii Auguſtini ad Cardinalem Carafam miſſa fuiſſet, Baronius integram ſuis Annalibus inſeruit. Nos excerpta quædam hiſtoriæ illuſtrandæ idonea Lectoribus fœnerabimus.

Bar. An. 538. n. 33.

Error Baronii.

Epiſtola Juſtiniani ad Mennam de erroribus Origenis.

XII. Sic ergo ſcriptum habet, Mennæ miſſum: *Nobis ſemper ſtudio fuit, atque etiam nunc eſt, rectam & irreprehenſibilem Chriſtianorum fidem, ſtatumque ſanctiſſimum Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, perturbationum expertem uſquequaque cuſtodiri. Hæc nobis prima & antiquiſſima cura eſt, per quam & nobis in præſenti ſeculo imperium à Deo traditum eſſe, & conſervari credimus, & Reipublicæ noſtræ inimicos ſubdi, & in ſeculo futuro miſericordiam in conſpectu bonitatis ejus nos adepturos eſſe ſperamus.* Subdit deinceps: *Ad nos allatum eſt, nonnullos Dei metum in animo non habentes ... relictis divinis Scripturis, Sanctiſque Patribus ... Origenem ejuſque dogmata Paganorum, & Arianorum, & Manichæorum erroribus affinia aſſerere, per quæ ille in foveam incidit.* Affirmat deinde, Origenem & fontem eſſe hæreſis Arii, & blaſphemias protuliſſe, & quæ ſunt Ethnicorum in Eccleſiam intuliſſe, & à Platonis, Manichæorumque ſchola multa hauſiſſe, & dixiſſe animas in pœnam ſuorum peccatorum in corpora eſſe demiſſas; & cœleſtia corpora eſſe animata, & in reſurrectione corpora orbiculata ad vitam eſſe revocanda, & damnatos olim eſſe ſervandos; & Patre, Sanctoque Spiritu Filium minorem eſſe. Quas opiniones Scripturæ, Patrumque, Gregorii Nazianzeni, Petri Alexandrini Martyris, Athanaſii, Theophili, Cyrilli, Baſilii Magni, Chryſoſtomi autoritate refellit. Confutatâ Origenis doctrinâ, hoc addit: *Cùm velimus omne ſcandalum à ſanctiſſima Eccleſia propulſare, ut nulla in ea macula relinquatur, obſequentes divinis Scripturis, Sanctiſque Patribus, qui ipſum Origenem, ac hujuſmodi ſceleratam impiamque ejus doctrinam profligarunt, ac jure anathemati ſubjecerunt, hanc Epiſtolam ad tuam Beatitudinem dedimus, quâ eam hortamur, ut omnium, qui in hac regia urbe nunc degunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum Conventum habeat, ac Deo amabiliſſimorum Præfectorum Sanctis, quæ hîc ſunt Monaſteriis: faciatque, ut omnes in ſcriptis præfatum impium ac Deo repugnantem Origenem, qui & Adamantius, quique Presbyter fuit ſanctiſſimæ Eccleſiæ Alexandriæ, ac ejus nefaria impiaque dogmata, Capitulaque omnia quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent, exemplaque dimittas eorum quæ à beatitudine tua ob hanc cauſam geſta fuerint, ad alios omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, Præfectoſque venerabilium Monaſteriorum, ut & ipſi ſubſcriptione propriâ anathematizent Origenem, ſceleſtaque ejus dogmata cum omnibus qui declarabuntur Hæreticis.* Vetat etiam Imperator ordinari ullos, niſi in Origenem torqueant anathema. Mennam quoque monet, ſimilia ſe ſcripſiſſe Vigilio, Alexandrino Theopolitano, & Hieroſolymitano Patriarchis. Sequuntur dein Anathemata novem.

I. Si quis dicit, præexiſtere hominum animas, quæ in deterius converſæ *dimiſſæ ſunt in corpora ſupplicii cauſâ, anathema eſto.*

II. Si quis dicit, Domini animam prius extitiſſe, atque unitam fuiſſe Verbo ante Incarnationem anathema eſto.

III. Si quis dicit, primum conformatum eſſe corpus Domini in utero Virginis, ac poſteà unitum ei eſſe Dei Verbum, & animam, utpote quæ antè fuiſſet, anathema eſto.

IV. Si quis dicit, omnibus cœleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Verbum Deum, anathema eſto.

V. Si quis dicit, in Reſurrectione corpora hominum orbicularia ſuſcitari, anathema eſto.

VI. Si quis dicit, Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas animatas eſſe, anathema eſto.

VII. Si quis dicit, Chriſtum in futuro ſeculo crucifixum iri pro Dæmonibus, anathema eſto.

VIII. Si quis dicit, finitam eſſe Dei poteſtatem, anathema eſto.

IX. Si quis dicit, ad tempus eſſe Dæmonum & impiorum ſupplicium, reſtitutionemque Dæmonum futuram, anathema eſto.

Bar. An. 538.

Anathema & Origeni, unà cum nefaria ejus, execrabili, ſceleſtaque doctrina, & cuivis, qui ea ſentiat. Hoc illud eſt *Edictum*, de quo Cyrillus mentionem

Anno Dom. 543.

nem egit in vita Sabæ. Quo impetrato, Palæſtinenſes Monachi præclarum de adverſariis ſuis triumphum ducunt. Neque tamen Juſtiniani hâc Epiſtolâ lites prorſus extinctæ: majore quidem incendio revixerunt poſtmodum, ut anno ſequente declaratum ibimus. Porrò ſi verum volumus, ſpecie pietatis Pelagius atque Theodorus ſibi viciſſim adverſabantur, mutuaque odia explebant, quod non eſt à Liberato diſſimulatum: *Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum & Theodorum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum hoc ſcandalum in Eccleſiam ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitavit, ſe & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc ſcandalum introivit in mundum.*

Liberat. c. 24.

Mors Cæſarii Arelatenſis.

XIII. Ad ſe nos nunc vocat Cæſarius Arelatenſis, ut mortuo juſta ſolvamus. Sancti Præſulis obitum cum viris doctiſſimis Uſſerio, Sirmondo, Noriſio, ſuperiori potius quàm labenti anno aſcribendum eſſe putamus. Quippe Vigilii ad Auxanium Cæſarii ſucceſſorem Epiſtola in accuratioribus MSS. hæc habet: *Data XV. Cal. Novembres, iterum poſt Conſulatum Baſilii V. C.* quâ ſanè notâ annus Dom. DXLIII. deſignatur. Cæſarii nunc mortem Meſſiani Presbyteri, & Stephani Diaconi, qui morienti adfuerunt verbis, commemorare juvat: *Cum ſenianimem ipſum redderet conſpectibus noſtris infirmitas, & inter hac LXXIII. gereret totius vitæ tranſitis annum, è quibus quadrageſimum in Pontificatu verteret circulus gyrum, & animadverteret per ſpiritum imminere ſibi tranſitus diem: inter non modicos, quos patiebatur dolores, ſciſcitatus eſt, quam proximò eſſet beatiſſimi Auguſtini depoſitionis dies, & cùm imminere commemorationem ejus didiciſſet, Confido, ait, in Domino, quod meum tranſitum non longè diviſurus eſt ab ipſius patris Auguſtini natali, quia, ut ipſi ſcitis, quantum dilexi ejus catholiciſſimum ſenſum, tantum me etſi diſcrepantem meritis, minime tamen reor diſtantiâ longiore depoſitionis mea, diem ab ejus obitus tempore ſequeſtrari.* Obiit tertiâ die poſt *S. Geneſii Feſtum, id eſt, ſexto Cal. Septembrium, ante diem depoſitionis S. Auguſtini.* Natus erat Cæſarius anno CCCCLXX. vertente anno DIII. Epiſcopatum ſortitus erat: Deique providentiâ pridie ejus diei, qui Auguſtino fatalis fuerat, mortem invenit, menſis Auguſti XXVII. ut viri, qui doctrinâ, pietateque cum Hipponenſi Præſule maximè conjunctus erat, commemoratio eodem penè tempore in ſacris Eccleſiæ perageretur. Defuncto ſucceſſit Auxanius. De Cæſario non accurata ſatis eſt Baronii Chronologia. Anno CCCCLIII. geſta Cæſarii narraverat, Gennadiani Catalogi autoritate fretus: *Cæſarius Arelatenſis Urbis Epiſcopus, vir ſanctitate & virtute celeber, ſcripſit egregia, & grata valde, & Monachis neceſſaria opuſcula.* Gennadius autem ſedente Gelaſio librum de illuſtribus Scriptoribus ſuum compoſuit. At verba hæc, quibus Baronius innititur, non ſunt Gennadii, cujus Catalogo alienâ manu inſerta ſunt. Itaque Baronius à vetuſtiſſimo Arelatenſis Eccleſiæ Codice monitus, Cæſarium ſeculi ſexti hominem fuiſſe, mutatâ ſententiâ, Cæſarii mortem anno DXLIV. aſſignat, nec ſatis etiam accuratè, cùm DXLIII. Cæſarius perierit. Cæterùm cùm in exemplari, quo Baronius uſus eſt, legatur: *Datum XV. Cal. Nov. P. C. Baſilii V. C. etc.* ſi cui mordicùs placet, Cæſarii vitam ad labentem annum uſque fuiſſe propagatam, non multum pugnabimus.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. c. 14. 492.

Gennad. c. 86.

Anno Dom. 543.

Libri Cæſarii.

XIV. Gratiæ & neceſſitatis, & efficaciæ defenſorem ſe acerrimum Cæſarius præbuit. Id Gennadiani Catalogi Continuator nos docuit: *De Gratia & libero Arbitrio edidit teſtimonia, divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum judiciis munita: ubi docet, nihil hominem de proprio agere aliquid boni poſſe, niſi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per ſuam Epiſtolam roboravit, & in latius promulgavit.* Felix ille eſt hujus nominis quartus, qui Joanni ſucceſſit. Deſideratur Cæſarianus ille liber, non ſine Eccleſiæ damno. Extant Cæſarii Homiliæ complures, quarum quatuordecim ineditas luce donavit clariſſimus Baluſius. De Regula Virginum ad *Cæſariam* ſororem miſſa, ſuo jam loco & mentionem egimus. Teſtamentum Cæſarii exhibent Baroniani Annales ad annum DVIII. De reliquis Cæſarii opuſculis, in quibus nil ad Hiſtoriam, Chronologiamve momenti eſt alicujus, legantur Bibliothecarum Scriptores.

Epiſtola Vigilii ad Auxanium: ei pallium promittitur.

XV. Defuncti Cæſarii locum occupat *Auxanius*, qui poſtquam ad Pontificatum evectus eſt, ſubinde Legatos Vigilio ſuos, *Joannem* Presbyterum, & *Terentium* Diaconum miſit, qui ipſius ordinationem ſignificarent. Petebat & à Romano Pontifice pallii uſum, quo deceſſor ornatus fuerat. Ad eum reſcribit Vigilius, Octobris die XVIII. hortaturque, ut Cæſarianæ pietatis veſtigiis inſiſtat, ipſius gloriam adepturus: *Si deceſſoris tui illa, quæ à Sede Apoſtolica de fundamento petræ Dominica doctrina bona ſuſcipiens, actibus exæquavit, imitari volueris, & à Sedis Apoſtolica in nullo deviaveris Conſtitutis, ſicut ſcriptum eſt, coronam ſine dubitatione percipies.* De pallio autem ſic ſtatuit: *De his verò, quæ charitas veſtra tam de uſu pallii, quàm de aliis ſibi à nobis petit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cùm Chriſtianiſſimi Domini filii noſtri Imperatoris hoc, ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitiâ, Deo autore, dum quæ poſtulaſtis, cum conſenſu Chriſtianiſſimi Principis conferuntur, & nos honorem fidei ejus ſervaſſe competenti reverentia judicemur.*

Vigil. Ep. 4.

Benedicti Abbatis obitus. Vitæ ipſius ſumma, miraculaque ſubdita.

XVI. Benedicti patris Monachorum celeberrimi ſupremus annus aptè ſatis, in labentem confertur. Longum ſanè ſpatium Gregorii Magiſter Epiſcopatum inter & Benedicti mortem interjicitur. Ejus acta quidem ab ipſius diſcipulis audita, non ſpectata, anno DXCI. Gregorius ſcripto mandavit. Pontificis verba ſunt: *Hujus ego omnia geſta non didici, ſed pauca quæ narro, quatuor diſcipulis referentibus agnovi, Conſtantino ſcilicet, reverendiſſimo valde viro, qui ei Monaſterii regimine ſucceſſit: Valentiniano quoque, qui multis annis Lateranenſi Monaſterio præfuit. Simplicio, qui congregationem illius poſt eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ ejus, in qua prius converſatus fuerat, præeſt.* Cæterùm fruſtra certus mortis Benedicti annus quæritur, judice Petavio: *Nam Fauſtus ejus diſcipulus, ut teſtis eſt Sigebertus, ſcriptum reliquit, eum obiiſſe XII. Kal. Apr. Martii XXI. pridie Paſchatis: idemque Leo Hoſtienſis refert, ſed addit, anno DXLII. Indictione 2. obiiſſe Benedictum, quæ ſunt ἀσύςατα. Nam Indictio V. fuit anno DXLII. Reliqui characteres inextricabiles ſunt.* Viri inter paucos Abbates illuſtris vitam ſummatim referamus, relegatis ad credulos miraculis, quæ cordatorum ſanè Palatio non ſapiunt. Umbrorum in regione ſub annum CCCCLXXX. Benedictus vitam ingreditur. Civitas ejus *Nurſia*: hic ex Aniciorum illuſtri ſan-

Greg. Dial. l. 4. c. 26. & 36.

Pet. Rat. l. 4. c. 14.

Anno Dom. 543.

ſanguine ortus, patrem *Eupropium* habuit, matrem *Abundantiam*, ſororem *Scholaſticam*. De ipſius educatione hæc Gregorius narrat: Benedictus *Greg. Dial. l. 2. c. 1.* *liberiori genere in Provincia Nurſia exortus, Romæ liberalibus literarum ſtudiis traditus fuerat. Sed cùm in eo multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem. . . Deſpectis itaque literarum ſtudiis, relictâ domo, rebuſque patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctum converſationis habitum quæſivit. Receſſit igitur ſcienter neſciens, & ſapienter indoctus.* Annus erat Æræ Vulgatæ CCCCXCIV. cùm urbe egreditur. Recedentem nutrix comitatur, quem *retinuit in loco, dicto Enfide*. Profectus in Sublacenſem ſolitudinem, antrum horrendum ſubit, nemine conſcio, niſi S. Romano, qui alligatum funi panem ei miniſtrabat: in illo carcere ſubterraneo triennium includitur. Cùm mortalium in notitiam veniſſet, Monachorum, qui in vicinia erant, ſuffragio in Abbatem creatur. At mores Monachorum cum ſuis non conveniebant. Repetitâ ergo ſolitudine, dum plures annos in ea conterit, eò celebritatis progreditur, ut multi ad ipſum accedentes vitæ ſibi ducem præfecerint. Ex numeroſa ea diſcipulorum multitudine Monaſteria duodecim replevit. Anno circiter DXXIX. Sublaco relicto, ad Caſſinum montem ſe contulit. Hic egregium in pietatem, eradicatâ ſuperſtitione, amorem navaſſe ferunt. Autor Gregorius Magnus. Ibi vetuſtiſſimum fanum Apollini dicatum erat, qui ruſticâ ſanè & impiâ religione à ruſticis colebatur. *Greg. Dial. l. 2. c. 8.* Tum zelo divino correptus, *contrivit idolum, ſubvertit aram, ſuccendit lucos, atque in ipſo templo Apollinis Oratorium B. Martini, ubi verò ara ejuſdem Apollinis fuit, Oratorium Sancti Joannis conſtruxit.* Hoc ſi perpetravit Benedictus, utique facinus longe præſtantius edidit illis certaminibus, quæ cum Diabolo pugnaſſe dicitur. Verùm pace Gregorii, de ea Apollinis everſione ſcrupulus nobis injicitur ex Arcadii & Honorii Lege, anno CCCCVIII. Romæ lata, Baſſo & Philippo Coſſ. *Cod. Theod. l. 16. tit. 10. l. 19. p. 288.* *Simulacra ſi qua etiam nunc in Templis, fanisque conſiſtunt, & quæ alicubi ritu vel acceperint, vel accipiunt Paganorum, ſuis ſedibus evellantur, cùm hoc repetitâ ſciamus ſæpius Sanctione decretum.* Eo fulmine dejectum Caſſini montis Apollinem annis poſt Legem eam CXXI. adhùc ſtetiſſe, quis credat? Concedamus tamen: huicne Idolo pepercisſent tot Sancti Præſules, totque Epiſcopi Romani, qui ab anno CCCCVIII. ad uſque DXXIX. floruerunt, quibus fanum illud Apollini ignotum eſſe non poterat? Sic eſt, Benedicti ut gloria inclareſcat, Præſulibus, Principibuſque Chriſtianis dedecus ſanè imponitur, qui fœdam Idololatriam tamdiu perdurare paſſi fuiſſent. Quòd ſi nulla in monte Caſſino Apollinis ſtatua, nulla ſtabat & ara, diffluit utique atque evaneſcit narratum à Gregorio miraculum. Quòd nempè Diabolus *corporalibus* Benedicti *oculis teterrimus & ſuccenſus apparebat, qui in eum ore oculiſque flammantibus ſævire videbatur:* & ſanctum virum ſæpius contumelia afficiebat: *Greg. Dial. l. 2. c. 8.* *Nam cùm clamaret, dicens, Benedicte Benedicte, & eum ſibi nullo modo reſpondere conſpiceret, protinùs reſpondebat, Maledicte, non Benedicte, quid mecum habes, quid me perſequeris?* A Dæmone Benedictus infeſtabatur, quod miſerum arâ ſuâ ædeque ſpoliatum, aliò abegerat. Itaque ſi Apollinis ſtatuam, aram, lucos Benedictus non evertit, objecta ipſius oculis ſpectra ad fabulas releganrur. Ex hoc ſpecimine quid de narratis à Gregorio Benedicti miraculis credendum ſit, feratur. Sed paucis inchoatam abſolvamus hiſtoriam. In monte Caſſino Victor Benedictus ſibi Monaſterium extruxit. Anno DXXXI. à Bonifacio ſecundo Romam vocatus eſſe perhibetur, majorem ſuâ præſentiâ Synodo autoritatem conciliaturus. Morti proximus in Oratorium S. Joannis Baptiſtæ ſe deferri curavit, ubi ſacris intentus, ſtans erectuſque animam exhalavit. Defuncti memoria Martii XXI. in Martyrologio Romano recolitur: *In monte Caſſino natalis S. Benedicti Abbatis.* Verùm annua dieſque ſupremus ejus non certè certòque noſcitur. Defuncto carmine Elegiaco parentavit anno circiter 774. Paulus Warneſridus, Diaconus Aquileienſis, libro 1. de Geſtis Longobardorum:

Ordiar unde tuas, ſacer ô Benedicte, triumphos;
Virtutum cumulos ordiar unde tuos:
Euge, beate Pater, meritum qui nomine prodis;
Fulgida lux ſecli, euge beate Pater, &c.

Hinc Franci VII. ſeculo jam præcipiti furto quodam Benedicti reliquias, quaſi maximum ſibi theſaurum, comparare voluerunt, teſte jam laudato Warneſrido: *Warnef. l. 6. c. 2.* *Cùm in caſtra Caſſino, ubi beatiſſimi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat, aliquantis jam elapſis annis, vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianenſium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulaſſent, ejuſdem venerabilis Patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes in ſuam patriam exportaverunt.* Anno DCLX. ab *Aigulfo Monacho* in Gallias Benedicti corpus tranſlatum eſſe, in Abbatum Floriacenſium Catalogo legitur. Quod Gregorii IV. Epiſtola quoque teſtatur.

Libri Benedicti Abbatis: ejus regula. XVI. Extant edita Benedicti nomine opera multa. Epiſtola Benedicti ad Sanctum Remigium: ſermo Benedicti in monte S. Placidi, Epiſtola S. Benedicti ad S. Maurum, aliaque opuſcula ejuſmodi, quæ in Bibliotheca Maxima Patrum, 1. 9. legi poſſunt. Unum tamen opus Benedicti germanum eſt, quæ Regula inſcribitur, conſtans capitibus LXXIII. quibus obſervanda Monachis diſciplina præſcribitur. De operibus ipſorum ſic ſtatuit: *Reg. c. 48.* *A Paſcha uſque Kalend. Octob. manè exeuntes, à prima uſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta uſque ad horam quaſi ſextam lectioni vacent*, &c. De ciborum menſura hæc habet: *Reg. c. 39.* *Duo pulmentaria cocta fratribus ſufficiant, & ſi fuerint inde poma, aut naſcentia, leguminum addatur & tertium: panis libra una propenſa ſufficiat in die.* De potu verò capite ſequente: *Credimus heminam vini per ſingulas ſufficere per diem.* Quæ conſtitutio jocularem inter eruditos Benedicti diſcipulos diſputationem nuperrimè peperit, utrùm *hemina* vel Pariſienſis eſſet, vel Sandionyſiana, quæ major eſt: *Si l'hemina eſt un demi ſetier de Paris, ou de St. Denis.* Quæ lis facillimè componeretur, ſi antiqua Monachorum diſciplina teneretur, quâ vini expertes eſſe jubebantur, fatente vel Benedicto. *Reg. c. 40.* Legimus *vinum omninò Monachorum non eſſe.* Fama eſt, unà cum regula diſcipulis Benedictum ſuis, tam pondus libræ panis, quàm vini menſuram tradidiſſe. Quæ pignora graſſantibus Longobardis Monachi Romam detulere. Sed à Zacharia Pontifice Caſſinenſi Monaſterio reddita ſunt, teſte *Bar. An. 748. n. 17.* Leone Oſtienſi. Quæ adminicula ſi etiamnùm ſupereſſent, quantum panis & vini diurno Bene-

dictinis alimento foret, perſpicuè certòque indicarent. At non eſt, quòd ponderis menſuræque jacturam Benedictini doleant, quæ de hodierno fortè demenſo aliquid detraherent, non ſine bibentium incommodo. Cæterùm Benedicti Regula Gregorii Magni Papæ eſt ſuffragio

B. M. P. t. 9. 655.

corroborata, ſexto ſeculo præcipiti: *Ego Gregorius S. Romanæ Eccleſiæ Præſul ſcripſi vitam B. Benedicti, & legi Regulam, quam ipſe ſanctus manu propriâ ſcripſit. Laudavi eam, & confirmavi in Sancta Synodo*, &c. Ad hanc tamen Regulam conditum à ſe Monaſterium Bonifacius dirigi noluit, utpote qui Epiſtolâ CXLI. Zachariæ Pontifici ſcripſerit: *Monachos conſtituimus ſub regula St. Patris Benedicti viventes, viros ſtrictæ abſtinentiæ abſque carne, vino*, &c.

ANNO U. C. 1197. PER. JUL. 5257. JUL. 589. DOM. 544. JUSTINIANI 17. & 18. TOTILÆ 3. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 13. *Indict.* 7. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 28. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii III.

Res Romanæ diffluunt militum vitio. Totila ad Senatum fruſtra ſcribit.

I. EO progrediebatur Juſtinianeorum militum crudelitas, ad quam turpiſſima ſanè accedebant voluptatum flagitia, quibus miſerè perfluebant, ut Gothorum deſiderio tota ferè Italia teneretur. Quippe contumeliis, ſceleribus, luxuriæ, temulentiæ nil reliquum faciebant. Scorta in præſidiis habebant, neque Ducum ſuorum imperia audiebant. Quibus permotus Conſtantianus ſcribit Imperatori, reſiſtendo Gothis ſeque Duceſque omnes impares prorſus eſſe. At Totila, ut armis & prudentiâ, ſic etiam æquitate Romanos ſuperabat. Benignitatis ſuæ ſpecimen oſtendit, miſſis ad Senatores Rom. literis, quibus beneficia urbi collata exprobrat: experimentis triſtibus jam didiciſſe, quàm Græcorum imperio illud Gothorum manſuetudine præſtet. Patiantur ergo malis eximi, quæ à ſceleratis inferantur. Ex captivis cuidam literæ ferendæ traduntur. Fortè Joannes in urbem venerat, qui Senatoribus reſponſione ad Epiſtolam interdicit. Iterato igitur alias atque item alias Romanis literas ſcribit, quibus graviſſimo ſe juramento obſtringebat, Romanorum nulli unquam quidquam Gothorum quempiam illaturum. Nocte intempeſtâ publicis literæ locis affigebantur. Romanorum Præfecti cum Arianorum Presbyteros ſuſpectos haberent, ex urbe omnes protinùs ejiciunt. His cognitis, partem exercitus Totila in Calabriam mittit Hydruntinis obſidendis, qui Gothicum imperium detrectabant. Ipſe cum majore mili-

Proc. Goth. l. 3. c. 4.

tum parte in vicinis urbis locis caſtrametatur, quam è longinquo obſidet.

Edeſſæ memorabilis obſidio Coſroes domum repetit.

II. Ex proſpero anni ſuperioris ſucceſſu ſuperbus Coſroes, Edeſſam oppugnare ſtatuit. Nil arduum, nil difficile victori videbatur. Jactabat itaque, *ſe civitatem ovibus paſcendam redditurum*. Meſopotamiam ergo ingreſſus, ubi Edeſſæ appropinquavit, Hunnos mittit, qui cùm paſtorum oves rapere vellent, ad manus ventum. Dum utrinque pugnatur, raptæ oves ſponte ad paſtores redeunt. Intereà Regis animum cogitatio ſubit, dedecori ſibi vertendum, ſi bis tentatam Edeſſam non caperet. Acceptâ itaque pecuniâ ab obſidione diſcedere ſtatuit. Subinde Paulum ad mœnia mittit narratum, expetere Coſroëm, viros graves ab Edeſſenis ad ſe dirigi. Venientibus *Zabagarnes* occurrens, minanti ſimilis quærit, pax ne placeret, an bellum. Subclamantibus pacem, ſubinde Zabagarnes, eam igitur multâ vobis pecuniâ comparate. Tantum illi offerentes, quantum quadriennio antè dederant, cùm Antiochia vaſtata eſt, cum riſu remiſit. Paulò pòſt iterum vocatis, graviora minatur, ni totam oppidi pecuniam tribuant. Iniqua hæc petenti reſpondent, *pugna periculum in conditionem non venire*. Iratus Coſroes, die obſidionis octavâ machinam fabricat, unde miſſilibus obſeſſos obrueret. Petrus verò Dux Romanorum hoſtes operi intentos prohibebat, ex quibus Hunnus, nomine Arges, ſolus ſeptem & viginti interficit. Machinam tamen ſuam ſenſim auctam cilicibus hircorum pilis tegunt, ne vel igne ab arce excuſſo, aut miſſilibus ullis læderetur. Tum in metum compulſi cives, Legatos ad Coſroëm mittunt, inter quos erat *Stephanus*, Medicorum omnium facile Princeps, qui Cabadem graviſſimè ægrotantem olim ſanaverat. Hanc ſibi præſtitorum tot officiorum mercedem à Rege ſolvi petit, ne in civitatem ſæviat. Hic ſuperbia ſe Regis exerit. Petrum & Peranium ſibi tradi poſtulat, qui patris olim ſervi adverſus ſe arma ceperint. Quòd ſi minus placet, vel quinquaginta aureorum millibus ſalutem Edeſſeni ſuam redimant, vel Perſarum nonnullos in civitatem recipiant, qui inventam pecuniam omnem ad Regem referant. Moleſtis conditionibus in timorem adducti cives, novâ Coſroëm legatione adeunt, quæ ſuperbam repulſam paſſa, totis ſeſe viribus tuendi deſiderium obſeſſis movet. Caſam habitationis ſpecie extruunt, quam ſiccis lignis, oleo, ſulphure, & bitumine unctis implent. Intereà Perſarum machina perficitur, cui plurimum innitentes, concordiam, cujus ſpem injecerant, apertè negant. Tum cives lignis ſulphuratis ignem injiciunt, qui hoſtium machinam corripit. Jamque fumus aſcendebat, cùm Edeſſeni, ne ipſius cauſa noſceretur, vaſa carbonibus plena jaciunt, quæ omni ſtudio Perſæ extinguebant. Orto ſole Coſroës conſcenſâ machinâ, fumi cauſam intelligit: aquam ſubinde imperat ad ignem ſuperandum, ſed ſulphuri potius vim addidit. Pugnâ ortâ, Romani vincunt, flammaque, quâ data porta, ruens, fit omnibus manifeſta. Hâc cùm non ſucceſſiſſet, aliâ Rex aggreditur viâ. Sexto pòſt die Perſæ ante lucem muros invadunt. Dormientibus oppidanis, ſcalis clam appoſitis aſcendunt. Ruſticus ſolus expergefactus, clamore ſomnolentos excitat. Ac Perſæ repulſi in caſtra ſe recipiunt, relictis ſcalis, quas Edeſſeni in oppidum traxere. Intereà cum obſeſſis de pace ſermones copulantur. Jam ea de re Perſarum in caſtra Richomerus venerat: quod Edeſſenis non ſignificarant, ne ſi voti compotes fierent, fœderis aliquid inirent. Poſtquam Richomerus propter portas fuit, petuntur Legati, qui de pace agerent. Cùm Martinus civium Dux malè ſe haberet, triduo pòſt Legati mittendi promittuntur. Quod reſponſum Coſroës ſubdolum arbitratus, oppidum invadit. Procedente pugnâ fœminæ ſeneſque in mœnia conſcendentes, lapidibus ferventeque oleo pugnant. Victi Perſæ caſtra repetunt. Fracti tot

Proc. Perſ. l. 2. c. 14. 15.

cladibus tandem in fœdera veniunt: acceptiſque quinquaginta mille aureis, Coſroës munitionibus incenſis cum exercitu domum revertit.

Miraculum à Chriſti imagine in Edeſſæ obſidione patratum, figmentum eſt.

III. Fabulatoribus non ſatis fuere communia urbium præſidia, virtus militum, vigilantia Ducum, indefeſſus obſeſſorum labor, quibus Dei bene-

Anno Dom. 544.

beneficio adhibitis, obſidentium impetus franguntur. Narrant & miracula, quæ leguntur in Evagrio. Edeſſeni cùm rogum accendiſſent, res eis non ſucceſſit ex voto: *Itaque ad inopiam conſilii jam redacti, afferunt divinitùs fabricatam imaginem, quam non hominum manus effinxerant, ſed Chriſtus Deus ad Abgarum miſerat, qui ipſum videre magnoperè cupiebat. Hanc cùm in foſſam importaſſent, aquâ aſperſerunt, & ex eadem aqua in rogum ac ligna guttas aliquot injecerunt . . . . Continuò ligna flammam concepere, & dicto citius in carbones redacta, eam ad ſuperiora ligna tranſmiſere, igne univerſa undique depaſcente.* Fictum miraculum refellit Procopii ſilentium, qui Edeſſenam obſidionem perquàm accuratè ſcripſit. Narrat quidem, Chriſti ad Abgarum Epiſtolam *pro munimento in portis Edeſſæ ſervari*, de imagine verò Servatoris ne verbum ullum habet. Quin etiam narratio Evagrii adverſâ fronte cum Procopio pugnat. Ait Evagrius, allatam eſſe Chriſti imaginem, quia Edeſſenis res ex voto non ſucceſſerat, *quod ignis viam non habebat, quâ poſſet admiſſo aere congeriem lignorum apprehendere.* Contrà verò ignem via non deficiebat, narrante Procopio, quia ea caſa in ſummo tumulo ædificata, nutrimentiſque flammæ oppleta oriebatur. Narrat Evagrius, Edeſſenos ex cuniculis, quos fecerant, ignem aggeri Perſarum immiſiſſe. Negat Procopius. Id conſilii quidem agitaverant in animis. Verùm cùm fodientium ſtrepitum hoſtes ſenſiſſent, ea utraque parte medii fodierunt, ut Edeſſenos in opere deprehenderent. Qui cognito obſidentium conatu, ab opere abſtinentes, *terram in locum vacuum regeſſere.* Non igitur Edeſſeni ex cuniculis ſuis ignem in rogum immiſere, quos non abſolverant, à Perſis prohibiti. Cuniculi tamen perfectio ad uſque aggerem perducti, & ignis inde aggeri fruſtra illatus, fundamentum eſt admotæ Chriſti imaginis: quo convulſo, ruit & unà miraculum, vel conceſſo eam Abgaro imaginem olim à Servatore miſſam fuiſſe: quam ſuo nos loco fabulam multis coarguimus. Hîc ſuam Baronio credulitatem condonamus, non item errorem Chronologicum. Edeſſenam obſidionem in annum DXLV. confert, qui anni unius eſt metachroniſmus, ex eo manans, quòd tempori ſuo diræ peſtis, quæ terrarum orbem vaſtavit, initia non diviſerit. Conſtat Edeſſenam oppugnationem in eum annum incidiſſe, qui luem proximè excepit: proindeque labenti, non lapſuro anno eſt affigenda.

Evagr. l. 4. c. 27.

Proc. Perſ. l. 2. c. 15.

Error Baronii.

IV. A caſibus Imperii ad res Eccleſiæ notabiliores pergamus. Gravem ſuperiore anno in Origeniſtas Juſtinianus Epiſtolam confecerat. Quâ impetratâ, Palæſtinenſes Monachi ſublimi cœlum vertice feriebant. Ubi Edictum Hieroſolymis vulgatum eſt, cuncti Palæſtinæ & Epiſcopi, & Abbates ei ſubſcribunt, uno excepto *Alexandro*, Abylæ Præſule. Verùm materiam furori Nonni Petrique ea Epiſtola præbuit, *qui à Catholica communione abſciſſerunt, & Novâ Laurâ relictâ in planicie manſerunt.* Quod cùm Euſebii Papæ, Leontiique poſt obitum, Conſtantinopoli auditum eſt, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, qui ferè in aula regnabat, *ſanctæ Reſurrectionis Apocriſiariis* vocatis dixit: *Niſi Patriarcha Petrus ſatisfecerit Patribus, eoſque ad propriam reduxerit Lauram, ab Epiſcopatu eum hiſce diebus deturbabo.* Suggerente quoque Theodoro Nonni aſſeclæ Petro ſcribant, in hunc modum: *Obſecramus Sanctitatem veſtram, ut modicâ ſatisfactione animabus noſtris remedium adhibeat, Catholicè & generaliter affirmando cum omni alacritate ac dicendo: ſolutum ſit, & fuit in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti omne prælatum anathema, quod Deo non placet. Hujuſmodi enim ſatisfactionem admittimus, tametſi rigorem juris minutatim non obtineat.* Ægrè moleſtèque Petrus id concedebat, verùm metu *Theodori* Aſcidæ convocatis clam aſſeclis Nonni, cumulatè ſatisfacit, qui ſubinde in Novam Lauram redeunt, Patribus non minimum infenſi. Quin etiam eâ, quâ pollebat autoritate Aſcidas, Petrum Archiepiſcopum, qui Conſtantinopolim venerat, pro ſyncellis Petrum Alexandrinum, Joannemque Strongylum habere cogit. Hinc arreptâ majore licentiâ Origenis errores domeſticarim prædicant, Monachos Orthodoxos, adhibitâ Laicorum operâ percuſſos, Hieroſolymis pellunt. Sic bello exorto, *Beſſi*, quorum Monaſterium prope Jordanem erat, Hieroſolymam veniunt, vexatis Monachis lauri ſuppetias. Prælio cum Beſſis Monachiſque rectè ſentientibus commiſſo, in maximæ Lauræ Monaſterium fugientes Origeniſtæ adoriuntur, feneſtriſque fractis eos, qui intùs erant, lapidibus enixè petunt. Tercentum fortè erant, quos *Theodulus*, de Beſſis unus, ſolo bacillo armatus diſſipat. Ipſe verò à fugientibus lapide percuſſus cecidit, paucíſque pòſt diebus mortem obiit. Ejus ſanguine bellum hoc monachale extinguitur. Monachorum pugnas anno DXXXII. Baronius contigiſſe tradit. Qui immanis eſt annorum duodecim prochroniſmus. Errorem demit vita Sabæ Coteleriana, quâ monemur, has Nonni turbas contigiſſe poſt ejectum Patriarchatu à Gazenſi Conventu Paulum Alexandrinum, promulgatamque Juſtiniani in Origeniſtas Epiſtolam. Anno verò & præſenti, & proximè futuro illæ diſcordiæ incubuerunt, ut inſigni temporis criterio liquet, *quod exstat in vita Sabæ, à clariſſimo Coteleriо edita. Tantorum diſſidiorum pertæſi Monachi, Gelaſium rogant, maximæ Lauræ Præfectum Conſtantinopolim ſubinde proficiſci, ea Imperatori narraturum: Gelaſius verò *Byzantio in Palæſtinam rediit, pedeſtri uſus itinere. Cùmque ad Armorium perveniſſet, obiit menſe Octobri, Indictione nonâ.* Incepit Indictio hæc à primo Septembris anni DXLV.

Anno Dom. 544.

Poſt vulgatum Juſtiniani Edictum turbæ Origeniſtarum in Palæſtina.

Vit. Sab. c. 86.

Bar. An. 531. n. 24.

Error Baronii.

Vit. Sab. c. 87.

V. Ex eo Origeniſtarum cum Monachis conflictu ſcintillæ proſiluerunt, quæ totum orbem triſti incendio corripuerunt. Urebatur Theodorus Aſcidas, maximus fautor Origenis, quòd ſuum propriâ manu Doctorem ſuperiore anno damnare coactus eſſet. Ex illata Origenis diſcipulis injuria acceptum & vulnus recrudeſcebat. Cùm igitur in aula plurimum poſſet, nil intentatum reliquit, ut offenſis Origenis manibus litatum iret. Id porrò ſe facillimè conſecuturum arbitratur, ſi adverſus Theodorum Mopſueſtenum, qui Origenem confutarat, Imperatoris iram acueret. Quod abſque nullo negotio fecit, Juſtiniano identidem inculcans, Acephalos, qui Synodi Chalcedonenſis autoritatem ſpernebant, poſſe ad obſequium flecti, ſi damnetur Theodorus Mopſueſtenſis, Neſtorii Præceptor: ſi deinde Theodoriti contra duodecim Cyrilli anathematiſmos ſcripta prohiberentur: ſi denique rejiciatur Ibæ ad Marim Epiſtola, quæ Theodoro Mopſueſteno laudes tribuit; Cyrillum accuſat; præcipitis temerariæque in Neſtorium ſententiæ

Theodorus Aſcidas Juſtinianum movet ad damnanda tria Capitula. Cur?

ANNO DOM. 544.

Liberat. c. 24.

Concilium Epheſinum inſimulat. Tria hæc Capitula ſolo impedimento eſſe, quominus ad optatam Acephali concordiam veniant. Sed narrantem Liberatum audire juvat: *Reſerato aditu adverſarius Eccleſiæ, ut mortuus damnaretur Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, dilectus & familiaris Principum, ſectâ Acephalus, Origenis autem defenſor acerrimus, & Pelagio æmulus, cognoſcens Origenem fuiſſe damnatum, dolore damnationis ejus ad Eccleſiæ conturbationem damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum, eò quòd Theodorus multa opuſcula ediddiſſet contra Origenem, exoſuſque & accuſabilis haberetur ab Origeniſtis, & maximè quod Synodus Chalcedonenſis laudes ejus ſuſcepeerit in tribus Epiſtolis. Cujus damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perficit, ſcribente Principe contra Acephalos in defenſionem Synodi Chalcedonenſis, accedens idem Theodorus Cappadox una cum ſuis ſatellitibus, qui ſub nomine Catholico Acephalis ſtudebant, cum Theodora Auguſta favore imperatoris ſuggeſſit, ſcribendi laborem non eum debere pati, quando compendio poſſet Acephalos omnes ad ſuam communionem adducere. Si quidem illi, inquit, hoc offenduntur in Synodo Chalcedonenſi, quòd laudes ſuſceperit Theodori Mopſueſtenis Epiſcopi, Epiſtolam Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana eſſe cognoſcitur, Synodus ipſa judicaverit Orthodoxam. Qui Theodorus, ſi cum dictis ſuis, & hac Epiſtola anathematizetur, tanquam retracta à Synodo atque purgata ſuſcipietur ab eis per omnia, & in omnibus, & ſine pietatis veſtræ labore Eccleſiæ Catholicæ ſocietati, gaudente univerſali Eccleſiâ, clementiæ veſtræ laus erit ſempiterna.* In inſidiis quoque Domitianus Ancyrenſis Præſul, Juſtiniano etiam gratiſſimus, Theodoro ſuccenturiatus fuit, monente Facundo: *Domitianus Ancyrenſis quidem civitatis Epiſcopus, Provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipſius Origenianæ hæreſis manifeſtus aſſertor, per Libellum, quem ad beatiſſimum Papam Vigilium ſcripſit, Deo extorquente confeſſus eſt, quod ejus complices Origeniani cum viderent non poſſe proprium dogma defendere, neque ſibi quidquam ſpei de cauſâ ſtu reſtare, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem geſta ſunt, hæc Eccleſiæ ſcandala commoverunt.*

Facund. l. 1. c. 2.

Juſtinianus tria Capitula damnat. Orientis Patriarchæ damnationi ſubſcribunt.

Liberat. c. 24.

VI. His accenſus Juſtinianus, armatus calamo adverſus tria Capitula pugnat, condito libro. Referantur verba Liberati: *Hæc audiens Imperator, & dolum doloſorum minimè proſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & hoc ſe facere promptiſſimè ſpopondit. Sed rurſus illi callidâ fraude rogaverunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium Capitulorum: quo libro ejus edito, & toti mundo manifeſtato, dum emendare Princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Sciebant enim Principem ſolitâ pietate, ſcandalo emergente ſententiam ſuam poſſe corrigere, ſeſeque ad periculum pervenire. Annuit eis Princeps, & hoc ſe lætus implere promiſit. Et relinquens operis ſui ſtudium, unum in damnationem trium Capitulorum condidit librum pro delictis noſtris, nobis omnibus notiſſimum.* Servili obedientiâ Orientis Patriarchæ nutui & arbitrio Juſtiniani morigeros ſe præbuerunt: in metu erant, ne Sedibus pellerentur ſuis, quas ut retinerent, æquum rectumque ſuorum bonorum apicibus poſtponunt. Ut autem ignaviam fuco ſuam tegerent aliquo, adhibitâ conditione Imperatoris libro ſubſcribunt. Id ſaltem de Menna conſtat. Socordiæ hujus myſteria in luce poſuit Facundus, qui de Menna hæc refert: *Primus confirmator eorum Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm adhuc cunctaretur ſcripto, ſicut præceptum fuerat, eis præbere conſenſum, contra Synodum Chalcedonenſem fieri proteſtatus eſt. Sed & poſtea quam conſenſit, à prædictæ venerabilis memoriæ Stephano, Eccleſiæ Romanæ Diacono, & Apocriſiario conventus, cur priori ſententiæ ſuæ contrarius acquieviſſet, his, quæ antè culpaverat, & de quibus ſe nihil acturum ſine Apoſtolica Sede promiſerat, ſub ea conditione ceſſiſſe, & juratum ſibi fuiſſe, reſpondit, quòd chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. In quo ſatis oſtendit, de judicio ſe potius humano, quam divino eſſe ſollicitum.* Cæteros quoque Patriarchas more ignavorum militum, qui ſimul ac viderint hoſtem, abjecto ſcuto fugiunt, Juſtiniano acquieviſſe, vel invitis conſcientiæ moribus, compertum habemus: *Zoilus quoque Alexandrinæ urbis Antiſtes, cum Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conquerens neceſſitate ſe ad ipſius Decreti affirmationem fuiſſe compulſum: quod et hic poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præſentibus exprobavit.* Præcipue Ephræmii erat Antiocheni, qui Comitem Orientis olim egerat, conſtantem animi ſe præbere, fortemque ad ſufferendas injurias. At metu perculſus, fractum etiam abjectumque animum oſtendit: *Necnon & Ephræmius Antiochenus, cùm primum ei mandaretur, ut hoc etiam in reſcribendo firmaret, conſentire noluit. At poſtquam ei denuntiatum eſt, quòd excludendus eſſet, niſi faceret, ſui potius honoris, quàm veritatis dilector inventus eſt.* Indigna hæc exempla Petrus Hieroſolymitanus ſecutus eſt: *Nonne publica notitia refert, quoniam conveniente ad ſe multitudine Monachorum, juratus pronuntiavit, quòd ſi quis eidem Decreto novitio conſentiret, contra Chalcedonenſe Concilium faceret, nec tamen ſe ab ejus conſenſione ſuſpendit.* Hæc Facundus. Lapidem quidem Petrus omnem moverat, ne Theodorus anathemate percuteretur, ut nos Gelaſius docet in vita Sabæ, c. 87. *Me verò maximè puniet, quòd Libello ſubſcripſerim, qui à Monachis Eremi juxta Patriarchæ mandatum ideò factus eſt, uti nequaquam anathematizaretur. Verum tamen Deus, qui Eccleſiæ ſuæ curam gerit, Libellum non admitti prævidit, ipſum verò Theodorum anathemate percuti voluit.* Patriarcharum ignaviam Præſulum complures imitantur. Qua de re verba Facundi ſunt animo recondenda: Poſt ſubſcriptionem *Stephano Romano Diacono Libellos dederunt, Sedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis, quòd à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſunt ſubſcribere.* Stephani verò Eccleſiæ Romanæ Diaconi fortitudo non eſt obruenda ſilentio, de qua Facundus capite ſuperiore: *Sed & venerabilis memoriæ Stephanum Diaconum, quem Romana Eccleſia Vigilius hic habuit reſponſalem, & per multos Eccleſiæ filius approbavit, quòd ſe pro hac cauſa à venerabilis Menna hujus regiæ civitatis Epiſcopi communione ſuſpenderit, & eos, qui ei communicaverant, ſub debita ſatisfactione ſuſceperit.*

ANNO DOM. 544.

Facund. l. 4. c. 4.

Ibid.

Ibid.

Utrùm primus Juſtiniani in tria Capitula liber etiamnùm extet?

VII. De Juſtiniani in tria Capitula libro, cui Patriarchæ ſubſcripſerunt, gemina quæſtio exoritur, eaque ſubdifficilis. Prior librum ipſum, poſterior libri tempus attinet. Ac Baronius librum illum eſſe putat, cujus partem longè maximam edidit anno DXLVI. *Quod igitur in dicto Libello totius obortæ diſcordiæ ob tria Capitula cardo vertitur, in quo pleroſque ſcimus hallucinatos eſſe,* illum

Bar. An. 546. n. 10.

Anno Dom. 544.

illum ipſum prolixum ſatis, hic aliqua ſaltem ex parte reddere opera pretium exiſtimamus. Sequitur liber, cujus initium eſt, *Scientes quòd nihil aliud ſit poteſt miſericordem Deum placare, quàm ut omnes Chriſtiani unum idemque ſapiant in recta immaculata fide,* &c. Verùm ea eminentiſſimi Purpurati ſententia prorſus eſt rejicienda.

Error Baronii.

Chronicum Alex. librum illum Baronianum anno Dom. DLII. aſſignat, poſt Conſulatum Baſilii XI. Liber verò, quem perſtringit Liberatus, ab Euphræmio Antiocheno fuit ſubſcriptione corroboratus, Euphræmius verò diu ante annum DLII. lucem amiſerat. Præterea liber Concilii Mopſueſteni meminit, quod anno eſt DL. celebratum. De Theodoro Mopſueſteno libri verba ſunt:

Chr. Alex. p. 971.

Quin & tota Eccleſia Mopſueſtena, cujus Epiſcopus fuiſſe dicitur, propter ejus blaſphemias, quarum gratiâ à Sanctis Patribus & Paganis, & Judæis, & Sodomitis adnumeratus eſt, ab illo tempore nomen ejus ex Sacerdotum illius Eccleſiæ Diptychis expunxerunt, quemadmodum Acta in illa civitate de hoc in Epiſcoporum Concilia illius Provinciæ teſtantur.

Bar. An. 546. n. 36.

Corruptam Baronius verſionem nactus, Juſtiniani mentem obſcurè reddit. Jam verò tempus Synodi hujus, de qua mentionem fecit Juſtinianus, his indicatur, quæ in quinta Synodi V. Actione leguntur: *Imperii divini & piiſſimi D. N. Fl. Juſtiniani perpetui Aug. Imperatoris, anno XXIII. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno IX. menſis Julii XVII. inſtantis XIII. Indict. in Mopſueſtia Celania.* Denique ex libro Juſtiniani multa Facundus profert, quorum nullum eſt in Edicto Baroniano veſtigium, Iudicio certiſſimo illum ab eo differre. Ex Juſtinianeo libro hæc profert Facundus:

Facund. l. 2. c. 3.

Oportet apertè inſpicere ad Marim Epiſtolam, omnia quidem ſine Deo, & impiè dicentem: illud tantummodò oſtendentem benè, quia ex illo Theodorus per Orientem in Eccleſia anathematizatus eſt. Et libri quarti c. 4. *Si quis dicit, hæc nos ad abolendos, aut excludendos Sanctos Patres, qui in Chalcedonenſi fuere Concilio, dixiſſe, anathema ſit.* Hæc autem in Edicto non extant. Quæ verò de Ibæ ad Marim Epiſtola liber habet apud Facundum, longè breviora ſunt, quàm quæ reperiuntur in Edicto, ut utraque verba componenti fiet obvium. Inſpiciatur Facundus l. 2. c. 3. Hinc apparet, librum Juſtiniani in tria Capitula, de quo in Liberato mentio eſt, quique diſcordiarum omnium, quæ Juſtiniano regnante Eccleſiam miſerè lacerarunt, fons & principium fuit, non amplius extare in rerum natura, & fruſtra quæri in ſcriptis Juſtiniani.

Anni Ephræmii Antiocheni & mors. Labente anno libro Juſtiniani ſubſcribit.

VIII. Ad poſteriorem nunc quæſtionem de tempore libri hujus convertimus animum. Baronius anno DXLVI. eum editum eſſe putat, Garnerius verò ſuperiorem ei annum aſſignat. Verùm quæſtionis ſolutio ex Ephræmii annis pendet, quem libro huic ſubſcripſiſſe tenemus. Illud ergo videamus. Ephræmii obitum anno 548. aſſignat Victor Tununenſis, ſed nec ea Chronologia eſt accurata; nec ſi vera foret, Baronio eſſet auxilio. Annos Ephræmio XVIII. aſcribunt Theophanes atque Nicephorus. Pontificatum ingreſſus erat anno DXXVI. quo cineribus Antiochiæ gravi motu everſæ ſepultus fuerat qui ei deceſſit Euphraſius. Ex ea Chronologia ultimus Ephræmiö annus ille eſt, qui Dom. DXLIV. numeratur. Ac Baronius quidem Ephræmio XX. annos tribuit:

Bar. An. 546. n. 68.

Hoc anno Ephræm Epiſcopus Antiochenus, cùm ſediſſet fermè XX. annos, ex hac vita migrat. Viderit tamen quo Autore eo biennio Ephræmii Epiſcopatum augeat. Non ſanè Facundo, ex quo ſuam ſtabiliri Chronologiam putat: *Vigilius*, inquit, *in Sicilia agens, Legatum ſuſcepit ab Euphræmio Antiocheno miſſum.*

Bar. An. 546. n. 56.

Certa prorſus de Euphræmii annis Baronii Chronologia videretur, ſi ad Vigilium in Sicilia agentem Euphræmius miſiſſet. Verùm ea Præſulis Antiocheni legatio purum putumque figmentum eſt. Qui Legatum ad Siciliam miſit, is Zoilus fuit, Patriarcha Alexandrinus, teſte Facundo:

Facund. l. 4. c. 4.

Zoilus quoque Alexandrinæ Urbis Antiſtes, cùm Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit. Conſtitutâ Ephræmii Epiſcopatus diuturnitate, librum Juſtiniani adverſus tria Capitula anno labente lucem aſpexiſſe putamus, cùm in eo Ephræmius naturæ ſatisfecerit. Noſtram verò Chronologiam egregiè ſtatuit Gelaſius Abbas in vita Sabæ, qui anno DXLV. nondum adulto Conſtantinopolim proficiſcens, hæc ſuis Monachis loquitur: *Vos obteſtor, ut neminem eorum, qui Theodoro Mopſueſteno adhærent, ſinatis vobiſcum manere homine hæretico.* Jam ergo à libro Juſtiniani damnatus erat, ut ex ſequentibus apertè liquet:

Vit. Sab. c. 87.

Deus ipſum Theodorum anathemate percuti voluit. Itaque vel conceſſo Ephræmium an. duntaxat DXLVIII. naturæ ſatisfeciſſe ex itinere Gelaſii, Capitulorum damnatio currenti anno includi debet.

Ephræmii Antiocheni mores & ſcripta.

IX. Antiocheno Præſuli juſta nunc ſolvamus. Charitate pauperum, humilitate, manſuetudine poſteris Ephræmius nomen tranſmiſit ſuum. Majorem Eccleſiam Antiochenam multis donariis locupletavit, quæ in ipſius conſervationem ceſſerunt, oppidum obſidente Coſroë. Venientibus Perſis metu perculſus, aliò ſeceſſit. Quantum eniti potuit, Anthimo favit, quem Hæreticis eximebat. Thomæ Monachi reliquias tranſtulit, defunctumque annuâ feſtivitate celebravit. Rem narrat Evagrius, cujus tamen de miraculo à cadavere Thomæ narrato nobis eſt ſubleſta fides, quòd ſcilicet alia peregrinorum corpora, quibuſcum ſepeliebatur, longius à ſe repelleret, quod eſt Ephræmio narratum:

Evagr. l. 4. c. 35.

Tum verò ſacrum ejus corpus publicâ feſtivitate ac ſolemni pompâ Antiochiam deportatum eſt, & in cœmeterio honorificè depoſitum. . . Hujus feſtum Antiocheni ad noſtra uſque tempora quotannis magnificè celebrant. Gazenſi Synodo anno DXLIII. interfuit, abdicando Paulo Alexandrino. Origenem requirentibus Palæſtinæ Monachis anathemate ferit. Cæterùm non minimam ſuæ famæ maculam impoſuit, dum neglectis conſcientiæ legibus, à quibus ne tranſverſum unguem oportet diſcedere, libro Juſtiniani ſubſcripſit. In credulitatem quoque pro more ſui ſeculi inclinatum gerebat animum: quæ cauſa fuit, cur vanis traditionibus v. g. de Joanne Apoſtolo adhùc ſuperſtite, fidem adhiberet. Multa Ephræmii miracula Moſchus in Prato Spirituali narrat, quæ ad fabulas relegamus. Non ſapientia ſanè fuiſſet ad ſanctum *Stylitem* de Severi diſcipulis, hominem rogum ardentem ingredi velle: neque hoc pignore vel Romanus ipſe Pontifex cum Hæreticis certaret. Sanius Ephræmio caput eſſe putamus, quàm ut *ſtolam ſuam in medios ignes projiceret* firmandæ fidei Chriſtianæ.

Prat. Spir. c. 36.

Scripta Ephræmius multa reliquerat, quæ temporis injuriâ periere. Superſunt fragmenta quædam apud Photium, qui libros ejus manibus triverat. Satis ſit Photianam noſtris Annalibus Præfationem inſerere,

cætera ab Autore petantur, ut noſtra ad compendium ſcripta conferamus: *Lecta ſunt S. Ephræmii Patriarchæ Theopolitani orationes variæ. Syrus quidem ſuit genere, ac ſermone. Græcam verò linguam non mediocriter callUit. Sed & civiles geſſit Magiſtratus, è quibus Comes tandem Orientis renunciatus, inde ad ſummam Eccleſiæ Cathedram evectus eſt. Ferunt autem, cùm alia laude digna geſſiſſe, tum verò eleemoſynis elargiendis enituiſſe. Libros verò varios compoſuit, quorum in manus meas tres inciderunt. Omnia penè opera ejus, quæ vidimus, pro Eccleſiaſticis dogmatibus pugnant, defenduntque Chalcedonenſe Concilium extra omnem eſſe Hæreticorum reprehenſionem.* Ex Photianis exceptis apparet, Ephræmium Antiquorum in Lectione apprimè fuiſſe verſatum, quorum ſcripta frequenter laudat. Accuratius tamen ei judicium in germanis Patrum operibus dignoſcendis non deſiderare non poſſumus. *Julii Pontificis* ſcripta profert contra Paulum Samoſatenum, Marcionem, Valentinum, Apollinarium & Eutychem, quæ ſubdita eſſe, conſtat eruditis. Ephræmio ſucceſſit *Domnus*, qui v. Synodo præſentiam afferet ſuam.

Phot. Cod. 228. *Phot. Bibl. 830.*

Arator quis? Hiſtoria ejus Apoſtolica.

X. Carminum ſuorum celebritate *Arator* labenti anno famam tribuit. Liguriâ ortus erat, ut nos Athalarici monet Epiſtola: *Mittis & Liguria ſuos Tullios.* Patre ortus erat facundo, cujus eloquentiam Gothorum Princeps laudibus extulit: *Genitoris quin etiam tui facundia, & moribus adjuvaris, cujus te eloquium inſtruere potuit, etiamſi libris Veterum non vacaſſes.* Ac primùm Arator cauſis in foro dicendis vacavit, deinde ad artes ſe militares convertit: *Auſpicatus es militem, cùm implere potueris cognitorem.* Dalmatarum nomine legationem apud Theodoricum obiit, quâ famæ multum ſibi peperit: *Directus enim de partibus Dalmatiarum ad Dominum avum noſtrum, ſic neceſſitates Provincialium, ſic utilitates publicas allegabas, ut apud illum magnâ cautelâ ſollicitum, & copioſum eſſes, & faſtidia non moveres.* Itaque Athalarico dignus viſus eſt, cui Comitiva dignitas concederetur: *Hinc eſt, quòd te Comitiva Domeſticorum illuſtratum honore decoramus.* Alio & Aratorem munere Baronio ornare placuit, quem nomine Athalarici apud Juſtinianum Legatum egiſſe putat. Ad id tamen muneris probandum illud omninò uſurpare debet, αὐτὸ ἔφη, cùm ne vel pertenui conjecturâ eam Aratori provinciam impoſitam eſſe indicaverit. Contemptu rerum humanarum Arator in Subdiaconos Eccleſiæ Romanæ allectus eſt, uti ipſe canit in ſuo ad Vigilium Papam Epigrammate:

Caſſiod. Var. L. 8. c. 12. *Ibid.* *Bar. An. 527. n. 36.*

Eccleſiam ſubeo, dimiſſâ naufragus aulâ:
Perfida mundani deſero vela freti:
Transferor ad niveas Petri ſine turbine caulas,
Et fruor optati jam ſtatione ſoli.

Duobus libris ſtrictâ oratione Hiſtoriam Apoſtolicam ex Actis Lucæ deſcribit, quam anno labente obtulit Vigilio. Tempus, quo liber ſuſceptus eſt, in Vaticano Codice his verbis conſignatur: *Suſceptus eſt ab eo die octavo Idus Aprilis in Presbyterio, ante Confeſſionem B. Petri, cùm ibidem plures Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Cleri pars maxima intereſſet, quem cùm ibidem legi pro aliqua parte feciſſet, Surgentius vir venerabilis, Primicerius Scholæ Notariorum in ſcrinio dedit Eccleſiæ collocandum.* Plauſu multiplici hoc Aratoris opus eſt comprobatum: *Aratore recitante, diſtinctis diebus ſeptem ambo libri ſeptem vicibus ſunt auditi, cùm unius medietas libri tantum legeretur, propter repetitiones aſſiduas, quas cum favore multiplici poſtulabant.*

B. M. P. t. 10. p. 225.

Anno U. C. 1298. Olymp. 331. Per. Jul. 5258. Jul. 590. Dom. 545. Justinian. 18. & 19. Totilæ 4. *Sol.* 22. *A. Lun.* 14. *Indict.* 8. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 7. *P.* 16. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii IV.

Beliſarii virtutes. Invidiam movet. Ab Antonina uxore pendet: mores mulieris hujus.

I. Viris illuſtribus fatale eſt, in ſe commovere omnes invidiæ aculeos, quibus punguntur ſemper, & ſæpenumerò etiam lacerantur. Fulgebat ubique locorum gloria Beliſarii, cujus & corpus & animum ita natura finxerat, ut utriuſque perfectioni nil reliquum feciſſe videretur, ſi qua Procopio fides. Erat corpore pulcher, procerus, vultu omnium formoſiſſimus. Humilem, benignum, manſuetumque omnibus ſe præbebat, ut in magna fortuna infimæ ſortis hominibus perquàm ſimilis videretur. Militibus, qui officio ſuo ritè functi erant, præmia tribuebat: vulneratis pecuniam erogabat. Eo Duce agricolæ nil ab exercitibus patiebantur, imò divites reddebantur, quia majori precio merces ſuas vendebant. Tantæ caſtitatis erat, ut præter uxorem Antoninam nullam noverit. Quas in bello & Gothico, & Vandalico excellentis formæ mulieres cœperat, næ vel in conſpectum admiſit, ne earum forte ſpecie inflammaretur. Caſtitatem æquabat ipſius temperantia. Non in deliciis vitam agebat, nec quiſquam unquam hominum fuit, qui temulentum eum viderit. Ad hæc ornamenta vividum accedebat ingenium, nullius formidinis capax, audax in periculis, in rebus trepidis firmum, in proſperis modeſtum, in adverſis conſtans: ſuis ſumptibus equitum millia ſeptem alebat, quorum quilibet hoſtium fortiſſimum ad pugnam provocare poterat. Id vitio tamen ei datum, quòd totus ab Antonina penderet, *cujus licet annos nata* LX. *ardebat amore flagrantiſſimo.* Si vera prædicat arcanæ Autor Hiſtoriæ, Antoninæ mores conſceleratum impudicitiæ, crudelitatis, avaritiæ nomen ei detulere, Theodoſium ſacro ritu filium indecoris amoribus ardebat, & inſtitutâ in Africam expeditione cum eo clanculum conſuevit. In cubiculo ſubterraneo cùm ambos unà Beliſarius comperiſſet, eâ excuſatione offenſum viri animum mitigat: *Hùc in latebris pretioſiſſima quæque ſpoliorum cum adoleſcentulo recondituram venî, ne qua iſtorum fama ad Cæſarem pertineret.* Amore in odium converſo Macedonam famulam, & Theodoſium ſibi à Beliſario traditos, Antonina linguis primùm reſectis, membratim conciſos, in altum mergit. Anno ſuperiore Juſtinianus Beliſario, qui de Republica benè meruerat, nova munificentiæ, liberalitatiſque ſuæ ſigna præbuerat, ut ex Chronico Marcellini diſcimus: *In Oriente Beliſario conſtituto, exulatur Joannes Exconſule ordinario, Patricius atque Præfectus Prætorio, & domus ejus datur Beliſario.*

Proc. Goth. l. 3. c. 1.

Beliſarius gratia Juſtiniani excidit. In eam reſtituitur.

II. Quis non crederet, tantum virum, Imperii Romani columen, generis humani delicias, trabali clavo currentem ſtitiſſe fortunæ rotam? Verùm ſemper ſui ſimilia, ſemper lubrica, ima ſummis momento ferè permutavit. Paucis Beliſarii caſus refert Marcellini Chronicum: *P. C. Baſilii anno* IV. *Beliſarius de Oriente evocatus in offenſam, periculumque incurrens grave, & invidiæ ſubjacens, remittitur ad Italiam.* Rem fuſius narrat

narrat Procopius in Arcana Hiſtoria. Inhiabat Theodora Beliſarii opibus, eum itaque depreſſum voluit. Regiam ingreſſus Beliſarius, perpaucis comitatus famulis, & ſordidis, nil benevolentiæ ab Auguſtis accipit. Ubi domum ſuam mœrens repetiit, repentè ei *Quadratus* aſtitit cum Theodoræ Epiſtola: *In nos quæ commiſeris, præclare vir, non ignoras, ſed quod ego plurimum debeam uxori tuæ, eſt cur ejus cauſâ tua tibi crimina condonem. Illi tuam vitam concedam. Per eam ſit tibi in poſterum de ſalute, deque fortunis benè ſperare. Sed in Antoninam talem oſtenderis, rebus ipſis te nobis declaraturum ſcito.* Ut verò Beliſarii opes ſibi compararet, *Joanninam*, quæ una ei filia fuit, Anaſtaſio nepoti ſuo ſpondendam Theodora illicò curat. Intereà Beliſarius priſcum ſibi dignitatis gradum reſtitui flagitat, & adverſus *Coſtroem* exercitus Præfectum deſignari. Hîc reclamante Antonina, Orientalem expeditionem pertæſa, Itaque Imperatoris Stabulo Præfectus, iterum in Italiam mittitur, eâ, ut fertur, datâ Cæſari conditione, *nullas ut ab eo bello pecunias peteret, ſed ære ſuo conficeret.*

Beliſarius in Italiam mittitur. Hydruntum obſidione liberat.

III. Poſtquam igitur gratia Imperatoris eſt Beliſario reſtituta, *vir* ille magnus in Italiam mittitur, ut ruentibus Juſtiniani rebus eſſet auxilio. Verùm cùm paucis comitatus eſſet, effuſè numeratâ pecuniâ, quatuor militum ſibi millia contraxit, quibuſcum Salonas ſe contulit. Ac primùm in liberanda Hydruntina civitate, quam Gothi obſidione cingebant, curam confìgens, Valentinum cum claſſe mittit, ut obſeſſis ſuppetias ferret. Jam deditioni diem conſtituerant, quibus pactis fidentes Barbari negligentius portum cuſtodiebant. Quem Valentinus, quarto die ante præſtitutum dandi oppidi tempus occupat, præſidiumque renovat. Auximenſibus quoque mittit auxilia, quæ Totilæ copias fruſtrata oppidum ingrediuntur. Unus *Recilas* Beliſarii armiger, tum temulentus invitis cæteris hoſtes ſpeculatum profectus, ab eis occiditur. Liberandæ Italiæ non Beliſarii prudentia, non fortitudo ſufficiebat. Pecuniæ militumque egebat. Scribit igitur Imperatori, ſi placuit Beliſarium in Italiam mittere, in ea ſe media verſari, at ſi Barbaros vinci velit, opus eſſe copiis atque ſtipendiis. Ad quæ comparanda Joannes Conſtantinopolim dirigitur. Sed Virgine, quæ Demetrii I. Juſtiniani nepotis filiæ erat, in uxorem ductâ, dum veneri operam dat, Rempublicam negligenter curat.

Proc. Goth. l. 3. c. 5.

Tibur à Gothis vaſtatur.

IV. Intereà Tibur Totilæ in poteſtatem venit. Cùm Iſauris in lites coiverant oppidani, qui ad iram provocati, hoſtes in urbem de nocte ſuam introducunt. Quod ubi præſidium ſenſit, fugâ dilabitur. Triſte verò ſocordiæ ſuæ Tiburtini præmium accipiunt. Nemini quippe pepercere Gothi: cadit urbis Præſul, quem ſua ſervare infula debuiſſet: interiit & *Catelus*, vir inter Italos juſtiſſimus. Cùm porrò nota Totilæ foret virtus Beliſarii, quantum copiarum duceret, compertum habere voluit. Boni nomine, qui Genuenſis præſidii duxerat, adulterinas ipſemet Beliſario literas ſcribit, ut ad ſe maximo diſcrimine laborantem opitulatum veniret: quas ſolertibus viris ferendas dedit. Quos pro ſuo more cùm Beliſarius comiter excepiſſet, perluſtratis omnibus ad Regem redeunt nunciatum, paucos Romanorum Duci militare. Cùm itaque Totila probè ſciret, Beliſarium Gothorum viribus inferiorem eſſe, copiarum partem miſit, quæ Firmum, Aſculumque obſidione cingunt. Miſera hiſce civitatibus conditio fuit, referente Marcellini Chronico: *Totila Firmum, & Aſculum ſub juramento ingreſſus eſt; milite Romano cum rebus ſuis dimiſſo, crudelitatem ſuam in Romanos exercuit, eoſque omnes nudat, & necat.* Quantum ex Procopio colligi poteſt, non ipſe Totila, ſed Duces ejus crudelitate eam exercuerunt, quos ad has urbes oppugnandas miſerat. Addit & Chronicum novos Gothorum ſucceſſus: *Totila vaſtato Piceno, pugnanſque ad Auximum vincit. Indeque diſcurrens per Tuſciam, Spoletum deſtruit, & Aſſiſium Cluſiumque oppida tenuit, & obſidet Perusiam.*

Joannes à Mauris deletur, Stozâ prius vulnerato.

V. Non in ſolam Italiam miſſo Beliſario, verùm & in Africam curam Juſtinianus ſuam extendebat. Eò legaverat Ariobindum, virum origine nobilem, qui *Biglentia*, quæ Juſtiniani ſoror erat, filiam duxerat, nomine *Prinétam.* Ac Sergio quidem mandaverat, in Numidia bellum Mauris inferre, Ariobindo autem cum Barbaris in Byzacena pugnare. Audito Stozam, & Antalam circa *Sicaveriam* urbem, triduo à Carthagine diſtantem caſtrametari, Ariobindus Joannem cum lectiſſimis totius exercitus Mauris occurrere jubet. Sergio quoque ſcribit, ut ſe cum Joannis copiis conjungeret. Quod mandatum cùm parvi Sergius feciſſet, cum paucis Joannes multos aggredi cogitur. Erat ei vetus cum Stoza odium: neque remiſſiore inimicitia Stoza in Joannem flagrabat: ac Joannes Stozam occupans, telo prodeuntem in dextro inguine vulnerat. Eo ictu unà cum clypeo ſemi-mortuus cadit. At Mauri longè ſuperiores numero, Romanos in fugam vertunt. Joannes cùm in equum, ex quo ceciderat, rurſum inſilire vellet, illicò à Stozæ armigero interficitur. Cujus mortem cùm Stozas audiiſſet, lætus è vulnere diſceſſit, teſtatus mortem ſibi gratiſſimam, quæ inimici ſui obitum exciperet. Tempus locumque pugnæ hujus in Victore Tununenſi legimus: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno quinto, Stuza tyrannus apud Africam, portu Tuccaa congreſſione factâ, Joannis Romanæ militiæ Ducis jaculo percuſſus eſt, pariquè vice & Joannes Stuza, qui confeſtim alterutra utrique gladio ceciderunt. Et Dominico die, quo pugna facta eſt, moriuntur.* De Joannis vulnere nonnihil à Marcellini Chronico Procopioque Victor diſſidet, quod manui Stozæ tribuit, aliis repugnantibus.

Proc. Vand. l. 2. c. 18.

Gelaſius Abbas Conſtantinopolim proficiſcitur: moritur: ejus ſucceſſores.

VI. Res Eccleſiæ à Palæſtinenſibus turbis Origenis cauſâ motis incipiemus. Poſtquam *Theodulus* pugnâ monachali extinctus eſt, maximæ Lauræ Patres Gelaſium obſecrant, ut hæc Imperatoris ad aures perferat. Iter ingreſſurus congregatos rogat Monachos, ne ullum accipiant, qui Theodoro Mopſueſteno faveat, homine Hæretico, quem Sabas unà cum Origene abominabatur. Ubi Gelaſius Byzantium appulit, Theodoro Aſcidæ nunciatur ejus adventus. Hinc præceptum Orphanotrophio, Patriarchæ, Palatii hominibus, ne ullum è Hieroſolymitanis Monachum admittant: *Quocircà Abbas Gelaſius, quòd nullatenùs introduci valeret, ac Aſcidæ inſidioſas molitiones vereretur, è Byzantio in Palæſtinam egreditur, pedeſtri uſus itinere. Cùmque ad Armorium perveniſſet, obiit menſe Octobri, Indictione nonâ.* Chronologicus ille character etiam atque etiam eſt in animo recondendus, cùm & tenebris temporum facem inferat, & regulâ fungatur ad eximendos errores, in quos viri eruditi

Vit. Sab. c. 87.

Anno Dom. 545.

ti delapſi ſunt tàm de Juſtiniani in tria Capitula libri tempore, quàm de anno Petri Hieroſolymitani ſupremo, quem clariſſimus Noriſius cum anno Chriſti DXLIV. perperàm copulat, quadriennii circiter prochroniſmo. Gelaſii morte cognitâ, Monachi Hieroſolymam perentes Patriarcham adeunt de præficiendo ſibi Abbate, qui defuncti locum impleret. Verùm à Petri Syncellis, qui maximè Origeni favebant, Epiſcopali domo contumelioſè ejecti, re infectâ in Monaſterium redeunt. Origeniſtarum partes ea res auxit pluſimum, omnibus ferè vel neceſſitate, vel adulatione ad eam factionem accedentibus. Multis ergo illecebris, maximo Monaſterio *Georgius* anno DXLVI. præficitur, hominemque cum ſatellitio ductum, in Sede Sabæ collocant, Monachos & Origeni contrarios pellunt. Quo tempore *Nonnus*, fautor Origeniſtarum maximus, repentinâ morte corripitur. Hinc ingens Baronio error evellitur, qui annorum

Bar. An. 532. n. 27.

XIV. prochroniſmo Nonni mortem anno 532. alligavit. Pauca ex Cyrillo ſubjungamus, ſed permagni ad Chronologiam reſtituendam momenti. Georgius cùm ſeptem duntaxat menſibus Sabæ gregem adminiſtraſſet, luxuriæ & turpitudinis accuſatus, per ſuos gradu movetur

Vit. Sab. c. 89.

anno DXLVII. *Tunc Patres, qui in Maxima Laura relicti fuerant, de ſententia Patriarchæ in Præpoſitum ſumpſerunt Abbatem Caſſianum Scythopolitam . . . Is poſtquam ſacri divini ſenis gregis Paſtor decem menſibus extitiſſet, in pace in id ipſum dormiit, & requievit decimo ſexto poſt magni obitum anno.* Mors Sabam invaſerat *quinto Decembris*, anno DXXXII. *poſt Conſulatum Lampadii, & Oreſtis ſecundo.* Obiit ergo Caſſianus anno DXLVIII. Defuncto Conon ſufficitur.

Auxanium Vigilius ſibi Vicarium creat. Muneris hujus rationem exponit.

VII. Hæc in Oriente. In partibus Occiduis exoptatum Auxanio pallium conceſſit Vigilius, qui Præſulem Arelatenſem ſic alloquitur: *Sicut nos pro tua caritatis affectu, & pro glorioſiſſimi filii noſtri, Regis Childeberti, Chriſtianâ devotione mandatis, vices noſtras libentiſſimâ voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit, Deo placitis operibus, tanta Sedis autoritate dignâ converſatione uti, atque diſponere, ut bonis actibus innoteſcens, rectum circa caritatem tuam judicium noſtra dilectionis oſtendas.* Ut verò tributam ſibi Legati Sedis Apoſtolicæ dignitatem Auxanius melius exprimeret, pallium ei largitur: *Et quia digna credimus ratione compleri, ut agenti vices noſtras pallii non deſit ornatus, uſum tibi ejus, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, beati Petri ſanctâ autoritate concedimus.* Monet ut pro Juſtiniano, Theodora, Beliſario Patritio preces fundat: ac pacem Imperatorem inter & Childebertum ſer-

Vig. ep. 7.

vare ſtudeat: *Data XI. Kal. Junias, IV. poſt Conſulatum Baſilii.* Eâdem die de cauſa Prætextati ſcribit Auxanio. Pontificem monuerat Auxanius, miſſo *Joanne* Presbytero & *Teredio* Diacono, Prætextatum cenſura digna perpetraſſe.

Vig. ep. 8.

Eum ergo ſic hortatur, *adhibitis vobiſcum fratribus, & Coëpiſcopis noſtris, numero competente, diſcuſſâ ratione Canonicâ veritate, eâ ſapienti ordinatione diſponat, qua deceſſorum noſtrorum convenant ſtatutis.* Monet etiam, *ne ex Laicis ad ſacratos ordines ſaltu præcipiti* quempiam promoveat. Eâdem ipſâ die Aprilis XXI. ſcripta ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola crediti Auxanio muneris partes explicat, quæ cognitu non ſunt indigna. Si fortaſſis emerſerit contentio, congregatis Epiſcopis rem cum æquitate definiat: *Quoties judicaverit expedire, ut pro facienda conſolatione communi Epiſcoporum debeant congregari perſonæ, nullus inobediens ejus fortè mandatis ſit. Quod ſi fuerit, à congregatione ſuſpendatur.* Quæſtiones autem, quæ vel fidem, vel permagni rei momenti attinent, Pontifici notificet: *Contentiones verò ſi quæ, quas Dominus auferat, in fidei cauſa contigerint, aut emerſerit fortè negotium, quod pro magnitudine ſuâ Apoſtolicæ Sedis magni judicio debeat terminari, ad noſtram diſcuſſâ veritate perferat ſine dilatione notitiam.* Vetat etiam, ne Epiſcoporum quiſquam abſque Auxanii *formata ad longinquiora loca audeat proficiſci.* Vig. ep. 9.

Anno Dom. 546.

ANNO U. C. 1299. PER. JUL. 5259. JUL. 591. DOM. 546. JUSTINIAN. 19. & 20. TOTIL. 5. *Sol.* 23. G, *Lun.* 15. *Indict.* 9. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii V.

I. FActia Juſtinianum inter & Coſroëm induciis annus maximè lætificus fuit. Calviſius aliique eruditi elapſum huic paci annum aſſignant, fieri verbis Procopii: *Inducia in annos quinque conſtituta Juſtiniani imperii anno* XIX. Verùm nonus & decimus Juſtiniani annus ultimo Martii anni labentis completur, quo inducias Marcellini Continuator aſſignat: *In Oriente cum Parthis fœdus initur per Conſtantianum, Magiſtrum Militiæ, & exercitus revertitur Conſtantinopolim.* Quæ Chronologia rebus geſtis magis apta eſt. Sanciendo fœderi Marcellus Juſtiniani ex fratre nepos, Conſtantianuſque mittuntur, unà cum Sergio, qui Coſroëm conventum rogant, ut quæ Lazorum in regione oppida erant, Romanis redderentur. At Rex proponit ad inducias prius veniendum, quàm pax ſtabiliretur: quibus labentibus tempus eſſet ad componenda omnia idoneum. Inſuper impetrandis induciis pecuniam à Romanis ſolvendam eſſe, Medicumque, nomine *Tribunum*, mittendum eſſe Coſroi, quem gravi morbo liberarat, gratiſſimum. Regiis Juſtinianus poſtulatis obtemperans, & Tribunum, aureorumque viginti millia ad Perſas dirigit: ſic in quinquennium induciæ ſanciuntur. Verùm induciarum nomine Coſroës prætexebat fraudem. Quippe *Iſdigunam* Juſtiniano Legatum mittit, quingentis viris comitatum, cui dederat in mandatis, ut dum Darenſes ſomno fruuntur, portis apertis admitterent exercitum. Georgio civitatis Præfecto cùm à transfuga res indicata eſſet, ex Iſdigunæ comitibus, nequicquam frementibus, violatamque Legati dignitatem querentibus, viginti duntaxat in oppidum recipiuntur. Spe ſuâ Barbarus excidens, Conſtantinopolim properat, ducens uxorem & filios, ut legationi decus adderet. Non vulgatâ munificentiâ venientem Juſtinianus excepit, qui præter morem, *Bradunam* interpretem regiæ menſæ accumbere juſſit.

Coſroës cum Juſtiniano induciæ.

Proc. Perſ. l. 2. c. 26.

Procop. l. 2. c. 16.

Gutharis rebellat: Ariobindum occidit.

II. Dum pacis umbrâ Oriens fruitur, novi in Africa motus exoriuntur. Rebus Juſtiniani non conducebat, ab Ariobindo & Sergio ſimul Africam adminiſtrari. Revocatum ergo Sergium, Mauris ingratum, Italiæ cum exercitu deſtinat. Duobus poſt Sergii diſceſſum menſibus *Gontharis* Ariobindi ex ignavia audentior factus, tyrannidi ſtudet. Numidiæ militibus præerat, cùm Mauros clam excitatos adigit, ut Carthaginem

verſus

Anno Dom. 546.

verſus excurrant. Prohibendæ irruptioni Gontharis ab Ariobindo jubetur unà cum exercitu hoſtibus occurrere. Gontharis miſſo ad Antalam Ulitheo ſibi fidiſſimo, de cæde Ariobindi cum eo communicat. Primus rebelli ad tyrannidem gradus fuit, milites ejus in periculum conjicere. Eum mox alter excipit. Cuzinæ Mauri Ariobindus fidem expugnarat, ut relicto Antalâ ad ſe perfugeret. Hoc veritus Gontharis ſimultates ſerit, monito Ariobindo, ne Cuzinæ pollicenti credat, niſi filios obſides tradat. Denique accuſationem ignaviæ in Ariobindum inſtituit, ut vel caſtris ejiceret, vel certè militibus per ſeditionem occidendum præberet. Commiſſo prælio, fractus animo Ariobindus in Templum cum ſorore, & conjuge fugit. Victor Gontharis Palatium occupat: illico *Reparatum* Carthaginis Antiſtitem, Ariobindo nunciatum mittit, ut acceptâ fide incolumitatis, ad Palatium maturet adventum. Aſſentitur Præſuli Ariobindus, eâ lege, ſi filio ſuo baptiſma impertiat, ac per eum illud juret, precanti ſpem ſalutis certam eſſe. Quo facto, veſtem ſervilem indutus Reparatum ſequitur. Prope Palatium conſtitutus, accepto à Præſule Evangelio, pronus Guntharis in conſpectum venit, ſimul & filium, & Evangelium protendens. Parcere metu deprecantem tyrannus jubet: poſterâ luce uxorem ejus & facultates Carthaginem transferri mandat. Eum & ad cœnam invitatum priore loco ſedere facit: poſt cœnam in cubili ſolum dormire cogit, ubi Deum obteſtatus, fidemque datam implorans, ab Ulitheo interficitur. Tempus indigni facinoris in Victore Tunnenſi legitur: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno VI. Guntharis Magiſter Militum, Ariobindum Patritium Principemque Romanæ apud Africam militiæ eo tempore ab Imperatore miſſum, Carthagine intra Palatium nocte perimit, & regnum cum tyrannide aſſumit.*

Proc. Vand. l. 2. c. 19.

Guntharis ab Artabano occiditur. Stoza patibulo affigitur.

III. Perfidum & rebellem mox pœna flagello ſubſequitur. Defuncti caput ad Antalam miſerat. Qui ſcelus indignatus, à fœdere diſcedens, Juſtiniani partes amplecti ſtatuit. Id unum laudabile Gontharis præſtat, quòd Ariobindi uxorem & ſororem ſit honore proſecutus. Porrò *Prinčam* Imperatori ſcribere cogit, ab Ulitheo ſcelus eſſe patratum Gunthari neſcio. Intereà de ſtabiliendo ſibi Imperio cogitat. At quod malè pepererat, citò dilabitur, referente Victore: Guntharim *Carthaginis Dux Artabanus trigeſimo ſexto regni ſui die prandentem interficit.* Quæ cædes eo modo peragitur. Prius ſui ſtudioſis convivium tyrannus exhibere decreverat, quàm hoſtibus concurreret. Itaque tres in conclavi menſas inſtrui jubet. Ad prandium vocatos erat *Artabanus*, qui tyrannum de medio tollere decreverat, is cum Georgio fratris filio Artaſiri, & tribus equitibus re communicatâ, eum aggreditur. Principio convivii *Artaſires* jam enſis capulo manum admoverat ad cædem peragendam, cùm Georgius ei ſignificatum ivit, expectandum tempus eſſe, quo vino madidus Gontharis fieret. Procedente compotatione dum equitibus ad edendum euntibus tres duntaxat in conclavi remanent, Artaſires nudum ſub veſte gladium geſtans, ad tyrannum accedit. Appropinquantem è ſervis unus jam repulerat, cum is illato ictu, tyranno cerebri partem unà cùm digitis excutit. Artabanus, qui juxta accumbebat, ſaucium exilire conantem, abdito in latus gladio confodit. Extincto Gunthari, omnes Juſtiniani partibus adhærentes, maximâ voce *Callinicum* vocant: quo titulo in bello ornabatur. Conjuratoſque ſubitò adorti omnes confodiunt. Præmium fidelitatis ſuæ Artabanus Africæ adminiſtrationem habuit. In annum DXLVII. ea contigiſſe, Marcellini Chronicum tradit. At quæ in eo leguntur, in præſentem potius annum ex Procopio, Victoreque revocanda eſſe putamus: *De Africa neptis Imperatoris revertitur vidua, occiſo Ariobindo à Gunthari tyranno, qui cum Stoza Juniore tractans, eum occiderat. Sed Artabanes utroſque comprehenſos, Guntharium occidit. Joannem idem Stozam Juniorem vinctum tranſmittit ad Principem.* Sic momento tyrannis exorta extinguitur. Quâ ratione in Stozam animadverſum, docet Jornandes de Regnorum Succeſſione: Juſtinianus Stozam *in urbem diſcuſſum, manibuſque truncatis, ad exemplum cæterorum in patibulo fixit.*

Procop. Vand. l. 2. c. 20.

Marcellin. Chron.

Totila Perusio potitur: Herculanumne Episcopum occiderit?

IV. Non eâdem felicitate res in Italia gerebantur. Anno ſuperiore *Peruſiam* Totila obſederat, quam conſtantiſſimè reſiſtentem ſuam in poteſtatem redigere non poterat. Oppido vir fortis præficiebatur Cyprianus, quem nec minis, nec precibus Gothus flectere valuit. Ex illius armigeris corruptum Uliarum permovet, ut Cypriano mortem inferat. Uliarus Cyprianum ſolum conventum, de improviſo obtruncat, illicòque ad Gothos ſe fugâ recipit. Crudeliſſimum in Epiſcopo flagitium à Totila commiſſum eſſe, Gregorius Papa narrat in Dialogis. Ductor exercitus ad Regem ſuum mittit quæſitum, quid de Peruſino Antiſtite fieri vellet. Reſcribit Totila, *Epiſcopo prius à vertice capitis uſque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput ejus amputa.* Antiſtiti Herculano nomen erat. Die poſt cædem quadrageſimo cives ad oppidum revocati, Epiſcopi ſui memores, corpus ejus quæſitum eunt, in Eccleſia Petri recondendum. Ac illud quidem reperitur, ſed maximo miraculo tam arctè, tamque concinnè cum ſuo capite conjunctum, *ut nulla veſtigia ſectionis apparerent.* Fabuloſa hæc eſſe omnia, perſuaſum habemus. Falſum ſeptennio Peruſium obſeſſam eſſe, quod bonus ille Præſul ſcripto mandat: *Anno ſeptimo nondum finito obſeſſam urbem Gothorum exercitus intravit.* At Totilæ in poteſtatem anno labente Peruſium venit, quam ſuperiore obſidione cinxerat, ut Marcellini Chronicum habet: *Indictione octavâ Totila obſidet Peruſium.* Neque de crudeli *Herculani* Antiſtitis ſupplicio mentionem Procopius ullam habet, quod utique multò magis memoraſſet, quàm aut Cypriani cædem, aut Valentini Epiſcopi pœnam, cui *mendacii apertius convicto ambas manus præcidit.* Denique qui Procopium legerit, compertum habebit, Totilam Principem ſanè magnanimum ab ea prorſus crudelitate, quam in Herculanum exercuiſſe dicitur, alieniſſimum fuiſſe. Verùm immanitas ea fingi debuit, ut locus eſſet miraculo.

Proc. Goth. l. 3. c. 6.

Greg. Dial. l. 3. c. 35.

Proc. Goth. l. 3. c. 8.

Totila Romam obsidet. Nases à Vigilio missæ hostium in potestatem veniunt.

V. Poſtquam Peruſio potitus eſt Totila, Placentiam, ſui nominis urbem aggreditur: ac ſubinde majus adhùc opus movens, *occupatâ Lucaniâ, & Brutiis, Neapolim ſubvertit, Romam obſidet.* Imperatoris Præfectos proditionis ſuſpicio cepit, eaque de cauſa Cethegus, inter Senatores facilè Princeps, urbe diſcedens, Centumcellas ſe contulit. Beliſarius, qui nil quicquam auxilii afferre ex tantulis copiis poterat, Romam proficiſci animo deſtinat. Delatus Epidamnum perſcriptis primùm ad Imperatorem literis, qui-

Marcellin. Chr.

bus Italiæ ſtatum ſignificabat, promiſſas ſibi copias aliquandiu expectat. Intereà Valentinum & Phocam cum exercitu mittit Romanum ad portum, ut cum præſidio, cui Nocentius præerat, crebris eruptionibus hoſtes infeſtarent. Verùm Phocæ & Valentino ſua detrimento audacia fuit. Impetum in Gothos facere agitabant in animo, cùm id conſilii Totilæ transfuga nunciat. Rex bellicoſos in inſidiis viros locat, in quas Phocas & Valentinus cùm incidiſſent, mortem fortiter oppetiere, paucis elapſis, qui portum recepere. Huic calamitati alia inſuper acceſſit. Vigilius Papa oppletas frumento naves ex Sicilia Romam miſerat. Adventu cognito, hoſtes intra muros deliteſcunt, ut naves jam deſcendentes nullo negocio caperent. Quos cuſtodes conſpicati, è propugnaculis veſte altius agitatâ, ſignum nautis dabant, ut vela verterent. Illi rati Romanos præ gaudio id ſigni dediſſe, portum celerrimè cum navibus ſubeunt. Quas nemine prohibente Gothi mox omnes capiunt: Valentinum Epiſcopum, qui earum in una navigabat, comprehenſum ad Totilam ducunt, qui cùm Epiſcopum quidnam ſibi vellet rogaſſet, & mendacii apertius convicifſet, utraſque illi manus præcidit. *Silva Candida* Epiſcopum agebat.

Proc. Goth. l. 3. c. 8.

Vigilius in Siciliam migrat. Quo anno?

VI. Mentio Vigilii ſubmonet res Eccleſiaſticas ingredi. Trium Capitulorum negotio Juſtinianus non minus commovebatur, quàm funeſto bello Italiæ. Itaque Vigilium Papam Reſcriptis Conſtantinopolim ſuis acceſſit, quod nos Chronicum Marcellini ignorare non patitur: *P. C. Baſilii anno v. Vigilius Papa LIII. ab Apoſtolo Petro, evacatus ab Imperatore Româ egreditur, & in Siciliam venit.* Anno DXLV. profectum eſſe clariſſimi Noriſii ſententia eſt. In quam faciles concederemus, ſi decimo *Kal. Decembris* Romam reliquiſſet, ut Anaſtaſius teſtatum facit. Verùm id falſo propius eſt, cùm Zoilus Vigilio apud Siciliam agenti Legatum miſerit, & naves tritico onuſtas Pontifex Romam direxit. Quòd ſi Novembris ſecundo & vigeſimo Romam exiit, non ſatis quidem ſupereſſet temporis, ut ex Alexandria labente anno veniret Legatus, qui Zoili nomine Papam ſalutaret. Neque tanti eſt Anaſtaſii autoritas, ut aſſenſum impetret, cùm ipſius narratio falſis coloribus imbuatur. Diu igitur ante Novemb. XXII. Vigilius in Siciliam migrat. Quod & nos Procopius docuit his verbis: *Diutinam ea in Inſula* Vigilius *moram traxerat.* Propterea nil doctiſſimo Noriſio rationis eſſe putamus, cur ſpreto Marcellini Chronico, Vigilianum in Siciliam iter anno ſuperiori affigeret. Licet enim anno DLII. Papa Juſtiniano ſcripſerit, *Nos ad pietatem tuam feſtinantes, ante ſeptem annos de civitate noſtra ſic egreſſi ſumus, ut nulla haberemus privata negotia*, hoc veriſſimè prædicare potuit, quemvis labente anno in Siciliam tranſmiſerit.

Proc Goth. l. 3. c. 8.

Num vi in Siciliam abductus Vigilius? Anaſtaſii narratio rejicitur.

Anaſt.

VII. Vigilium in Siciliam vi ab Anthemio abductum eſſe, Anaſtaſius narrat: Anthemius invenit *eum in Eccleſia S. Cæciliæ X. Kal. Decembris, erat enim dies natalis ejus, munera erogantem ad populum. Tenentes ergo eum depoſuerunt ad Tiberim, & miſerunt eum in navim. Plebs autem & populus ſequebantur eum, acclamantes ut orationem ab eo acciperent. Datâque oratione reſpondit omnis populus, Amen, & mota eſt navis. Videntes Romani, quòd mota eſſet navis, in qua ſedebat Vigilius, cœpit populus jactare poſt eum lapides, fuſtes cum calcibus, & dicere, famet tua tecum, mortalitas tecum, malè feciſti Romanis, male invenias ubi vadis. Et quidam amatores ejus ſecuti ſunt eum de Eccleſia.* Eſt quidem probabile, plebem famis onere preſſam, petulantiſſimâ Vigilium linguâ inſectatam eſſe. Quòd verò per vim abductus ſit, non eſt vero ſimile. Aliud prorſus innuit Marcellini Chronicum, à quo diſcimus, Vigilium ſacris Juſtiniani literis *evocatum* eſſe. Falſum ergo, Theodoram *miſiſſe Anthemium Scribonem, cum juſſione ſua, & cum virtute majore*, quaſi Vigilium ut reum in carcerem duceret. Falſum quoque prodit Anaſtaſius de tempore Vigiliani adventus in urbem regiam: *Ingreſſus eſt Conſtantinopolim vigiliâ Natalis Domini noſtri* J. C. Id coarguit Marcellini Chronicum: *Papa Vigilius ingreſſus eſt Conſtantinopolim octavo Cal. Februarias.* Falſum & illud nobis videtur, vigeſimo ſecundo Novembris Vigilium Româ egreſſum eſſe, licet viris doctiſſimis Holſtenio, Sirmondo, Garnerio id perſuaſerit Anaſtaſius. Falſi ſuſpicionem auget magnum, quod tenet de miſſis ad Vigilium legationibus, ſilentium, quæ brevem Vigilii in Sicilia moram difficillimè patiuntur. Denique non ſibi conſtat Anaſtaſius: Vigilius *permiſſus eſt facere ordinationem per menſem Decembrem.* Quod ſi eſt, *vigiliâ Natalis Domini* Conſtantinopolim ingredi non potuit. Ut enim XXIV. Decembris Conſtantinopolim appelleret, menſis hujus ſub initia ex Sicilia proficiſci debuiſſet. Quo caſu per menſem Decembrem peragendis in Sicilia ordinationibus non vacaſſet, quæ ut plurimum, appetenti feſto Natalia peragebantur. Quin ergo majorem labentis anni partem in Sicilia tranſegit Vigilius, nulli dubitamus.

Vigilius multis in Sicilia legationibus aditur.

VIII. Graves Pontifici cauſæ inerant, cur tantum moræ in Sicilia manendo contereret. Ibi Synodum cogi poſſe putabat. Orientis Africæque Epiſcopis locus perquàm commodus erat, ad quem navigando facillimè ſe conferre poterant. Urbi quoque à Gothis obſeſſæ eſſe volebat auxilio, collectâ annonâ, quam navibus impoſitam ſuis Romanis mitteret. Et fuiſſet ſanè, niſi fato urbis frumenta hoſtium in poteſtatem veniſſent. Denique plures in Sicilia legationes ſuſcepit, quibus rogabatur, ne novis Juſtiniani adverſus tria Capitula Decretis aſſenſum præberet. A quibus verò Vigilius, dum in Sicilia moratur, conventus fuerit, ex Facundo audire voluptati eſt. Beatus Dacius Mediolanenſium Epiſcopus Conſtantinopoli reverſum in Siciliam in conſpectu habuit: *Venientem Africa etiam atque Sardinia, quamquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen Conſiliarium publicâ eum conteſtatione pulſaverunt.* Adfuit & Orator Zoili, Alexandrini Præſulis, ut capite ſequente monemur: *Zoilus quoque Alexandrinæ urbis Antiſtes, cùm Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conquerens, neceſſitate ſe ad ipſius Decreti affirmationem fuiſſe compulſum.*

Facund. l. 4. 2. 3.

Aurelianus Auxanio ſuccedit. Vicarius Vigilii creatur.

IX. Annalibus quoque noſtris Epiſtolis Vigilius ſuis materiam præbuit. Mortuo Auxanio *Aurelianus* ſucceſſerat, quem cùm de meliore nota Childebertus Rex Vigilio commendaſſet, Vicariatum Sedis Apoſtolicæ deceſſori tributum, cum ſucceſſore communicatum voluit. Hæc ergo Galliæ nunciat Antiſtitibus: *Quia dudum Auxanio quondam Arelatenſis civitatis Antiſtiti vicem noſtrarum ſollicitudinem dederamus, ſed*

curſum

Anno Dom. 546.

curſum vitæ præſentis implendo, de hac luce migravit, in cujus loco Aurelianus frater noſter noſcitur ſucceſſiſſe, neceſſarium valde credidimus ſollicitudinem hanc à nobis antè fato debere committi, confidentes illum & pro loci ſui qualitate, bonis actibus univerſa quæ Deo placeant, poſſe complere: & maximè cùm glorioſus filius noſter Childebertus Rex teſtimonium bonæ conſcientiæ, pro Chriſtiana ſua voluntatis devotione perhibuit. Ea Vigilii Epiſtola XI. vulgò in labentem annum refertur.

Ferrandi ad Pelagium de tribus Capitulis Epiſtola.

X. Dum Vigilius in Sicilia commoratur, incendii ob trium Capitulorum damnationem oborti, ſcintillæ io Africa diſcurrebant. Pelagius Eccleſiæ Romanæ Diaconus, relictâ Conſtantinopoli anno elapſo Romam redierat. Etenim oon aſſentimur doctiſſimo Noriſio qui Pelagii reditum cum anno DXLIV. copulat, prohibente Pеосоріо: *Pelagius diu Byzantii commoratus, maximam ſibi cum Imperatore conciliarat amicitiam: unde & pecuniarum vi maximâ circumfultus, Romam ſe paulò antequam obſideretur contulerat.*

Proc. Goth. l. 3. c. 8.

Vix reverſus erat, cùm Epiſtolam tam ſuo, quàm Anatolii nomine ad Ferrandum Carthaginis Diaconum de tribus Capitulis direxit. In famæ ore erat nomen Ferrandi, & commune munus ad ei ſcribendum Diacooos Romanos invitabat. Epiſtolæ meminit Facuodus: *Nomine venerabiles Pelagius & Anatolius Romani Diaconi debitam officio ſuo & loco ſollicitudinem pro Eccleſia Dei gerentes, laudabili in Chriſto memoria Ferrando Carthaginenſi ſcripſerunt, ut habito de hac cauſa diligenti tractatu, cum reverendiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo, vel aliis, quos & zelum fidei & divinæ Scripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus, reſponderet, quid obſervandum in commune videretur.* Superiore anno Epiſtolam Ferraodo miſſam eſſe, eo conjecturam facimus, quòd Pelagii poſt reditum ex urbe ſimul & à Pelagio, & ab Anatolio directa fuerit. Uno Ferrandus ſcripto labente præſentis anni curriculo ambobus ſatisfecit: *Si*, inquit, *conſiderare dignemini, quàm feſtinus eſſe ſoleam ſemper ad obediendum juſſionibus veſtris, non minori devotioni reſponſionis hujus deputabitis moras. Quare enim diu ſilerem, niſi trepidarem non veritatem dicere de quæſtione nuper exorta, ſilentibus ſed adhùc Africanis Eccleſiis, ante tempus proferre ſermonem.* Ferrando valde diſplicebat trium damnatio Capitulorum, quâ Chalcedonenſis violari autoritas Synodi videbatur: *Non expedit antiquorum Patrum, qui Chalcedonenſi noſcuntur interfuiſſe Concilio, vituperari deliberationem, retractari judicium, mutari ſententiam, ne Synodus venerabilis apud omnes Eccleſias Orientis & Occidentis per annos tam plurimos ſine aliqua dubitatione firmata, perdat ſubitò reverentiam ſuam.* Inſpiciatur Epiſtola.

B. M. P. t. 9. 515.

Ferrandus Diaconus: quis? Quandonam obiit? Opera ejus.

XI. Ferrandi mentio Diaconi ſubmonet, ut de viro, qui clarus in Eccleſia fuit, aliquid ſubjiciamus. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo Ferrandum conſanguineum fuiſſe, ex prænomine Fulgentii, quod gerebat, probabiliter admodum creditur. Unum ex *quadraginta & amplius fratribus* fuiſſe, quos in Monaſterio apud Sardiniam *Brumaſio* Calaritano permittente Fulgentius extruxerat, perſuaſum eruditis. Cùm Thraſimundi poſt obitum Hildericus exules in Africam Præſules reſtituiſſet, Ferrandus à Bonifacio Metropolitano in Clerum Carthaginenſem allectus eſt. Exemplo Fulgentii Præſulis, Monachorum diſciplinam, vel in ſacris ordinibus conſtitutus retinuit. Hinc ipſius verba ad Severum Scholaſticum Conſtaotinopolitanum: *Beatum me profectò tunc æſtimabo, quando poſitus in ſilentio Monaſterii, illum verſiculum Pſalmi per momenta cantavero: Dixi, Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* In ſua Africa laudis ſibi multum collegiſſe, teſtatum faciunt verba Victoris Tunnunenſis: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno VI. Ferrandus Carthaginis Eccleſiæ Diaconus clarus habetur.* Diu tamen ante id temporis celebritatis multum ſibi collegerat, uti liquet ex ejus & ad Anatolium Eccleſiæ Romanæ Diaconum de duabus in Chriſto oaturis, & quòd unus de Trinitate natus, paſſuſque dici poſſit Epiſtolâ, & ad Reginum Comitem Parænetico. Porrò non multò poſt ſcriptam labente anno ad Pelagium & Anatolium Epiſtolam, Ferrandum fato conceſſiſſe, ex Facundo colligimus. Jam obierat, cùm libros Facundus ſuos pro trium Capitulorum defenſione vulgavit, uti ex his intelligimus: *Pelagius & Anatolius laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrando, Carthaginenſi Diacono ſcripſerunt.*

Fac. l. 4. c. 3.

Ex Præfatione verò Facundi ad Juſtinianum Imperatorem, libros eos anno DXLVII. conditos eſſe novimus: *Hoc opus ſuadentibus fratribus ad Imperatorem Conſtantinopoli ſcripſi. Quo necdum finito, at pertractato, adductus eſt Romanus Epiſcopus.* Vigilius autem anno DXLVII. *ingreſſus eſt Conſtantinopolim, octavo Kalend. Febr.* Itaque Fulgentius Ferrandus anno labente ad plures obiiſſe videtur. Scriptis famæ nomen commendavit ſuum. Ad collapſam Eccleſiæ Africanæ diſciplinam reſtituendam, jubente Bonifacio Breviarium Canonum anno circiter DXXV. confecit. Epiſtolam ad Severum, quòd Dominus Jeſus Chriſtus ſit unus de Trinitate, necnon illam, quâ Anatolium adiit, de duabus in Chriſto naturis, & quòd unus de Trinitate natus, paſſuſque dici poſſit, anno DXXXIII. tribuimus. Mota quippe ſedente Hormiſdâ quæſtio ab Acœmetis eo fuerat anno renovata. Poſt annum DXXXIII. Paræneticus ad Reginum Comitem eſt exaratus, defuncto jam Fulgenoo Ruſpenſi, qui Calend. Januar. aono DXXXIII. cœleſtem Deo ſpiritum reddidit. Epiſtolam denique ad Pelagium & Anatolium anoo DXLVI. coofecit. De reliquis Ferrandi operibus legatur Petri Franciſci Chiflctii admonitio ad Lectorem.

De initio Quadrageſimæ turbæ Conſtantinopoli. Nùm malè Juſtinianus Paſcha ſtatuerit?

XII. Turbarum aliquid io urbe regia attulit plebis præpoſtera Quadrageſimæ veneratio. Græci Quadrageſimam incipiunt ſuam feriâ ſecundâ poſt Sexageſimæ Dominicam. Hinc Dorotheus de jejunio ſancto, Doctrinâ XV. *Octo enim hebdomada ſubſtractis ſanctis Sabbatis, & Dominicis, quadraginta dies perficiunt: præ honorato quoque in ſeipſo jejunio Sabbati ſancti, quod inter cætera jejunia totius anni ſanctiſſimum & veriſſimum eſt.* Dominicam Sexageſimæ epulis paulò largioribus celebrant, quaſi carnibus valedicentes, quam idcircò ἀπόκρεων, hoc eſt, *Carniprivium vocant*, quia elapſâ eâ nefas eſt carnibus uti. Feriâ ſecundâ Quadrageſimam incipiunt, quæ majoris eſt jejunii tyrocinium. Quippe ea caſeo veſcuntur, & lacticiniis ad uſque Quinquageſimæ Dominicam, quæ τυρόφαγος ipſis dicitur, quia caſeum in cibos adhùc admittere fas eſt. Feriâ ſecundâ, quæ Quinquageſimæ Dominicam excipit, auſterius jejunium inchoant, quod & carnium, & caſei prorſus expers eſt. Ea verò diſciplina ſeditioni anſam præbuit. Plebs quippe ſibi in mentem induxerat, *Carni-*

B. M. P. t. 5. 913.

Anno Dom. 546.

privium quarto Februarii cohærere feriâ primâ, Paſchaque primo die Aprilis celebrandum eſſe. Erranti Juſtinianus plebi repugnavit, utpote qui probè intelligeret, terminum Paſchalem in Aprilis Calendas incidiſſe, conſequenterque Paſchatis ſolemnitatem ſeptiduo pòſt agitandam eſſe: quia Paſcha terminuſque Paſchatis in una eademque ſede morari nequeunt. Ex ea de Paſchatis die populum inter & Imperatorem diſceptatione illud exoritur, quod Nicephorus ſcripto prodit, nec tamen ſine errore: *Imperator ſecundâ ſtatim jejunii hebdomade carnes in foro venales proponendas promulgavit. Populus autem, qui pietatem ſibi conſectandam ſtatuiſſet, neque eas emebat, neque edebat, mortem ſibi potius adeundam eſſe cenſens, quàm & quidquam de patriis moribus, & traditionibus mutaret.* Fuſius rem narrat Miſcellanea: *Anno imperii Juſtiniani* XIX. *factus eſt terra motus magnus Conſtantinopoli, & everſio die ſancto Paſcha: & cœpit vulgus abſtinere à carnibus, menſe Februario, die quartâ: Imperator autem præcepit aliâ hebdomadâ carnem apponi: & omnes carnium venditores occiderunt, & nemo emebat, aut edebat. Porrò Paſcha factum eſt, ut Imperator juſſit, & inventus eſt populus jejunans hebdomadâ ſuperfluâ.* Eâ hebdomade, quam eſurialem eſſe populus exiſtimabet, carnes jubente Principe expoſitas fuiſſe cenſemus, non verò ſequente, utpote quæ non minus Juſtiniano, quàm populo carnis expers eſſe debuit, quia in ſecunda hac hebdomade verum Græcæ Quadrageſimæ principium fuit. Neque die quartâ Februarii populus carnibus abſtinuit, quibus potius liberalius uſus eſt, quia *Carnisprivium* fuit, ut rectè demonſtrat Noriſius. Porrò ſapienter Juſtinianus ſuo tempori Paſchæ ſolemnitatem addixit, Aprilis VIII. quam populus in errorem lapſus, Calendis Aprilis agitare volebat. Hinc apparet, culpationes Baronium multas mereri, hæc ſcribentem anno DXLV. *Hoc eodem anno cùm Græci, tum Latini Hiſtorici tradunt, de Paſchatis tempore ex Juſtiniani Imperatoris Edicto, in Oriente erratum eſſe. Ita planè permiſit Deus, ut cùm ſacris ſe immiſcent Principes, & quæ ſunt Sacerdotum, ſibi uſurpant, in errorem labantur.* At primùm ſeditio hæc anno DXLV. non oborta eſt, ut perperàm ſibi Baronius perſuaſit: cujus error vel ex Miſcellanea emendari poteſt. Februarius quippe anni ſuperioris Juſtiniani non XIX. ſed XVIII. anno includebatur. Vigeſimus incepit primo Aprilis anni DXLVI. Proximo igitur Februario annus Juſtiniani decimus nonus adhùc in curſu erat. Inſuper anno DXLV. *quartus Februarii* ad Græcorum Quadrageſimam pertinere non potuit, quia Paſcha Aprilis XVI. celebratum eſt. Carnisprivium ergo Februarii XIX. inſidebat, jubente Cyclo Solis XXII. Lunæ XIV. Turbæ ergo Conſtantinopolitanæ de Paſchali ſolemnitate anno ſunt DXLVI. affigendæ. Neque etiam in errorem lapſus eſt Juſtinianus, qui plebis potius peccatum emendavit: quia currente anno Paſcha Aprilis octavo cohærebat; ita jubente termino, qui Cal. Aprilis affigitur, Cyclo Sol. XXIII. Lunæ XV. Denique ludibrium adhùc Baronius debet, qui primum Synodi Aurelianenſis quartæ Canonem, *ut ſanctum Paſcha ſecundum Laterculum Victoris ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur*, ſibi in mentem induxit conditum eſſe *adverſus Juſtiniani Edictum, ſibi quod ſuum non eſſet, arrogantis.* Atqui Canon ille quinquiennio prius ſancitus eſt, quàm Edictum Juſtinianus ſuum proponeret. Et aliundè laterculo Victoriano prorſus Imperatoris Edictum conſentiebat, nedum cum illo pugnaret.

Niceph. l. 17. c. 34.

Miſcel. l. 16.

Error Baronii.

Bar. An. 545. n. 16.

Bar. An. 545. n. 17.

Anno Dom. 547.

Anno U. C. 1300. Per. Jul. 5260. Jul. 592. Dom. 547. Justiniani 20. & 21. Totilæ 6. *Sol.* 24. F. *Lun.* 16. *Indict.* 10. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 2. P. 24. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii VI.

I. Luctibus Romanorum annus inſcritur, præclaris Totilæ victoriis celeberrimus. Placentini à Gothis obſeſſi, inſueto uti cibo cogebantur. Eò vis famis proceſſit, ut carnibus humanis eam explerent. Itaque ſalute pactâ ſub Gothorum ditionem venere. Neque meliore Romani conditione utebantur. Officio Pelagius ſuo non deerat, qui ex pecunia ſibi ab Imperatore collata, quantum poterat, egentibus opitulabatur. Cùm indignâ fame urbs premeretur, Totilam adit, ut dierum aliquot induciæ concederentur, eâ conditione, ut ſi à Juſtiniano nil auxilii Romani habuerint, intra conſtitutum tempus ſine mora ſe Gothis proderent. Venientem benignè ſuſceptum Rex prior alloquitur. Spondet ſe poſtulanda facilè conceſſurum, tribus exceptis. Nimirum velle ſe Siculos bello perſequi, Placentiæ muros evertere, ſervos qui cum Gothis militant, retinere. Quod cùm Pelagio diſpliceret, abeundo teſtatur, ſatis intelligi, nil benignitatis Romanis à Rege expectandum eſſe, cùm in Siculos, qui eum non læſerant, immortale quoddam decernat effundere odium. Ait verò, velle ſe ad Deum regias conditiones transferre, utpote qui ſupplicum contemptores odiſſe ſolet. Infelix ea Pelagii legatio doloris famiſque vires amplificat. Romani ergo Græcis immixti, profundentes cum verbis lacrymas, à Beſſa Cononeque levaminis aliquid petunt. Sed ab crudelibus Præfectis nil ſperandum erat, qui eâ potius calamitate delectabantur, quæ explendæ avaritiæ materiam præbuit. Frumenta quippe alendis militibus deſtinata, divitibus ingenti pecuniâ vendebant: unius modimni aurei ſeptem pretium erat: bovis verò aurei quinquaginta: plebs urticis alebatur, quibus deficientibus ſtercora in cibos admittebant. Erat pater liberorum quinque, qui eum prehenſando panem petebant. Ille verò deſperatione adductus, vitæque mortem præferens, filios alimenta accepturos ſe ſubſequi jubet. Ubi ſupra Tiberis pontem pervenit, obvoluto capite, velatiſque oculis, ſpectantibus filiis, & Romanis, quotquot aderant, in aquas deſiluit. Eo caſu perculſi Præfecti, traditâ pecuniâ poteſtatem abeundi civibus faciunt, quocunque animus ferret. Paucis in urbe relictis, in fugam omnes ferè ſe proripiunt, quorum plerique areſcentibus præ inediâ viribus, mortem paſſim obeunt; nonnulli autem à Gothis interficiuntur.

II. Urbem fame expugnare Totila deſtinabat animo. Stadiis ab urbe XC. quà flumen in anguſtum cogitur, trabes pontis in ſpeciem locat: ligneas excitat utrinque turres, in quibus pugnaciſſimos milites imponit, ne navibus ullus ad urbem pateret aditus. Beliſarius verò proſperis ventis uſus, Hydrunte Romam navigat. Ut commeatum inferret urbi, binis junctis navibus turrim inædificat, quæ Gothorum arcibus longè editior erat. Naves dein ducentas, ligneis muris

Roma à Totila obſeſſa durâ fame premitur.

Proc. Gotth. l. 3. c. 9.

Beliſarius tentat urbi auxilium afferre abſque ſucceſſu. Cur?

Anno Dom. 547.

ris circumvallatas, frumentoque multo onuſtas & mithibus, fluvio committit. Ipſe navigium ingreditur, cujus in faſtigio lembum collocarat, ſulfure & pice plenum. Gothi ad ſui pontis tutelam ferreas catenas injecerant. Quæ Beliſario cuſtodes debellanti impedimento non fuere: ad pontis turrim & hoſtium machinas lembos applicat: ignem ſubinde immitti jubet. Correpta incendio turris, cum centum Gothis, & eorum Duce *Oſdas*, viro omnium pugnaciſſimo conflagrat. Spes jam aderat poſſe alimenta inferri urbi, cùm ſucceſſum interpellat partim temeritas, partim avaritia. Beſſæ mandaverat Beliſarius, ut eductis ex urbe copiis, hoſtium caſtra turbaret. Verùm auri ſacrâ fame nolebat Romam obſidione liberari, ut Senatoribus ingenti pretio frumenta divenderet. Sic animatus, Beliſarii præcepta negligit. Iſacii quoque ambitio rebus Romanorum detrimentum affert. In portu ad cuſtodiam relictus erat. Ubi verò audivit turrim hoſtium in cineres redactam, gloriæ cupiditate accenſus, ſpreto Beliſarii mandato, Barbaros cum centum equitibus laceſſitos fugat; argentum, & precioſam ſuppellectilem diripit. Reverſi Gothi ex Iſacii equitibus complures occidunt, ipſumque vivum capiunt. Turbatus eo nuncio Beliſarius ratus portum cum Antonina uxore amiſſum eſſe, reducit exercitum, ut hoſtes incompoſitos adoriretur. Cùm ad portum veniſſet, Iſacii cognitâ temeritate ſenſit demum ſe non opportunè turbatum. Sic re infectâ nil auxilii urbi attulit. Cùm ex nimia ægritudine in febrim incidiſſet, in mortis diſcrimen adducitur.

Proc. Goth. l. 3. c. 10.

Romam Totila capit: quomodo, & qua die?

III. Advenit tandem fatalis expugnationis Romanæ dies, quem Marcellini Chronicum ab oblivione vindicavit: *Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam, die* XVI. *Cal. Januarias.* Pauci in muris cuſtodes erant, fame confecti, quibus maxima erat dormiendi licentia. Tum quaterni cuſtodes, gente Iſauri, qui portam Aſinariam obſervabant, reſte ſe demittentes, Totila adito, nullo negotio Gothos intra urbem ſe excepturos pollicentur. Perfidis non nimium credendum eſſe Rex cenſebat, cùm paucis pòſt diebus rurſus venientes, ad facinus illum hortantur. Adjuncti Iſauris Gothi duo, muros reſte conſcendunt, omnibuſque diligentius exploratis, certum Regem faciunt, urbem poſſe quàm facillimè capi. Perfidiam Iſauricam adjuvit Beſſæ Cononiſque ſocordia. Gothi decem à Romanis capti, ſciſcitanti Beſſæ, quidnam Totilas animo agitaret, reſpondent, in ſpe multa verſari, Iſaurorum ope propediem ſe Româ potiturum. Præfecti nullam tantæ rei curam habentes, negligenter, uti cœperant, ſeſe habuerunt. Nocte, quæ diei XVII. Decembris imminet, Iſauri fractis portæ Aſinariæ ferreis clauſtris, Gothis aditum patefaciunt, qui cum Totila urbem ingrediuntur. Tum militum pars maxima cum Ducibus fugam maturat: pauci cum civibus ad Templa fugiunt, quos inter Maximus, Olybrius, Oreſtes. Ea fuit Totilæ clementia, ut fugientium inſiſtere veſtigiis nemini permiſerit, *nil eſſe homini ſuavius dicens, quàm terga ſibi ut hoſtes darent.* Ubi primùm illuxit, Totila orandi cauſâ Petri Eccleſiam ingreditur, cui Pelagius Diaconus ſeſe obvium offert, Evangelia geſtans: ac in genua procumbens, *Parce*, inquit, *ô Princeps, tuis.* Tum ille arridens, *Nunc mihi ſupplicaturus adveniſti, Pelagi?* Reſpondit Pelagius, *Ita quidem, quandoquidem tuum me ſervum effecit Deus. Sed ab his jam abſtine manus, qui tibi in ſervitutem ceſſere.* His precibus victus Totila ullum interfici prohibet: ex Romanis ſexaginta occiſi erant, ex Gothis verò viginti. Quos Beſſas theſauros coacervaverat, illi Gothis prædæ fuere.

Anno Dom. 547.

Proc. Goth. l. 3. c. 11.

Clementia Totilæ erga Romanos, & Ruſticianam Boëtii uxorem urbis deſolatio.

IV. Gloriam Totila ſuam clementiâ non minimam auxit, cujus multa ſpecimina palam oſtendit. Ruſticianæ Boëthii uxori & Symmachi filiæ id ad miſeriarum cumulum acceſſit, ut & ruſticorum veſtibus indueretur, panemque ab hoſtibus mendicando peteret. In Ruſticianæ mortem Gothi jam conſpiraverant, quòd datâ exercitui Romano pecuniâ Theodorici ſtatuas disturbaſſet, in viri, patriſque vindictam. Nullâ tamen injuriâ Rex mulierem affici permiſit: voluit etiam cæteras fœminas moleſtiâ omnes immunes eſſe. Sed & ſuos milites ad imitandam ſui Principis clementiam hortatur. Cauſas Gothicæ calamitatis eas fuiſſe memorat, quòd omni æquitate poſthabitâ, ea geſſiſſent, quæ ingentem Dei furorem provocaſſent. Hinc à Græcis ſeptem mille imperio fuiſſe ſpoliatos. Nunc verò favente Numine, triſtes Gothorum reliquias, nudas ferè & inermes, hoſtium ultra viginti millia viciſſe. Pernecesſarium igitur eſſe, juſtitiam ut invicem & in ſubditos quoque ſervent, fruendæ æternæ felicitati. Totilæ & facta, & verba hæc qui attento animo perſpexerit, ſubinde deprehendet, ea falſa eſſe omnia, quæ de barbarie Totilæ Gregorii in Dialogis leguntur. Ad Patricios verò Romanos converſus ſciſcitatur, quid mali à Gothis, quid boni verò à Juſtiniano acceperint, ut debitam Principibus ſuis obedientiam exuerent. Iſauros igitur, à quibus tot beneficiis affecti erant, imperia deinceps ſecum habituros, Patricios verò ſervituti addicendos. Verùm Pelagius pro miſeris ſupplex factus, non prius Totilam dimiſit, quàm clementiorem erga Romanos omnes reddidiſſet. His peractis, Pelagium, & ex Rhetoribus Romanis Theodorum ad Juſtinianum mittit, ut Græcos inter & Gothos concordia componeretur. Quòd ſi pace infectâ redirent, Romam ſe prorſus everſurum, Patriciiſque interfectis, in Illyrios bellum ſe tranſlaturum minatur. Intereà nuncius affertur, Barbaros, qui in Lucania Juſtiniano militabant, cladis non minimum Gothis intuliſſe. Quâ offenſus Totila, Romam ad ſolum uſque evertere apud ſe ſtatuit, & cum majore exercitus parte adverſus Joannem in Lucaniam tendere. De Regis conſilio certior factus Beliſarius, literas ad eum dirigit, quibus monebatur, victum, vel victorem futurum eſſe. Si vicerit, non alterius, ſed ſuammet urbem everſurum. Si deteriore fortunâ utatur, ex ſervata Roma gratiam ei apud Juſtinianum eſſe futuram. Literis permotus Totila, urbi parcendum eſſe ſtatuit, quod Beliſario conſilium miſſo Oratore ſignificatum voluit. Nihilominùs Roma in ipſa Roma quærebatur, in horrendam prorſus ſolitudinem verſâ, quam Marcellini Chronici verbis repræſentare juvat: *Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam die* XVI. *Kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit: hos ipſos Romanos in Campaniam captivos abduxit: poſt quam devaſtationem quadraginta aut amplius dies Roma fuit ita deſolata, ut nemo ibi hominum, niſi beſtiæ morarentur. Hinc veniens Beliſarius murorum partem reſtaurat, venientique Totilâ ad pugnam reſiſtit.*

Proc. Goth l. 3. c. 11. 12.

ſiſit. Marcellini Chronico Marius conſentit Aventicenſis: *Badula Rex Gothorum Româ captâ depopulavit, dejectiſque muris partem civitatis incendit.* Porrò ex Marcellini Chronico Calviſii, eorumque error pugnatur, qui Januarii XVII. Totilam urbe potitum eſſe tradunt.

Vigilius in regiam urbem tendens. Mennæ ſcribit. Ingreditur Conſtantinopolim. *Facund. l. 4. c. 3.*

V. Romæ funeribus egreſſi, ad res Eccleſiæ convertamus animos. Diu in Sicilia moratus Vigilius, ſuperiore anno iter ad regiam urbem accelerarat. Per Helladem & Illyricum iter carpſit, narrante Facundo. Rogatus eſt etiam ab illarum Provinciarum Clericis, ne novus Juſtiniani Decretis aſſentiretur: *Venientem Africa etiam atque Sardinia, quanquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen Conſiliarium publicâ cum conteſtatione pulſaverint, ſicut Hellas, & Illyricus Provincia, per quas venit, ut nullatenùs novitati, quæ facta eſt, acquieſcat.* Dum iter conficit, Mennæ ſibi ſcribendum putat, quòd ſe hortetur Imperator per *Leonem*, ut pacem, quâ nil melius cogitari poteſt, cum cæteris Epiſcopis ineat. Subjungit deinde: *Quando nobis non ſit incognitum, quia Diaconum Stephanum tunc reſponſalem noſtrum, cui per gratiam Dei præſidemus, Eccleſiæ cum plurimis Chriſtianis quamdiu vixit, à tua ſe communione ſuſpenderit. Et in Siciliensi inſula, conſtituti fratre & Coepiſcopo noſtro referente didicimus, quòd & ipſe, & alii Conſacerdotes noſtri, & multi filii Eccleſiæ Chriſtianæ à tua ſe nihilominùs communione ſubſtraxerint. Et dum cauſas exorti quæreremus ſcandali, antè dictus frater & Coepiſcopus noſter reſpondit, hoc fraternitatis tuæ feciſſe perſonam, quod à nullo deceſſorum tuorum, deceſſorumque noſtrorum temporibus quâlibet fuiſſe ratione commiſſum.* (*Facund. Cont. Mocian. p. 151.*) Menſe Januario, die XXV. feriâ ſextâ Vigilius in urbem regiam pervenit, ut teſtatum reliquit Marcellini Chronicum: *Papa Vigilius ingreſſus eſt Conſtantinopolim VIII. Cal. Februarias.* Splendidè magnificèque à Juſtiniano excipitur, ſi vera prædicat Anaſtaſius, cui in ea re fides haberi poteſt: *Obvius eſt ei Imperator, & oſculantes ſe cœperunt flere, & plebs illa pſallebat ante eum uſque ad ſanctam Eccleſiam Sophia, Ecce advenit Dominator Dominus.* Id quidem exploratum eſt venienti Papæ occurriſſe Præſules, qui Conſtantinopoli verſabantur, ut in Facundi contra Mocianum libro legitur: *Et quia illi Epiſcopi maximè Conſtantinopolim occurrerant in ejus adventum, &c.*

Vigilius Mennam & Acephalos damnat. Theodora pacem reſtituit. *Greg. Ep. l. 2. 36.*

VI. Vigilii Epiſtola fulgur erat torquendi fulminis nuncium in Mennam, & Acephalos, quos audace manu jaculatur, teſte Gregorio Magno in ſua ad Iſtriæ Epiſcopos Epiſtola: *Poſtquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in urbe regia conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos damnationis promulgavit ſententiam, tunc Romana urbs ab hoſtibus adita & captivata eſt.* Hanc ſibi contumeliam inferri Mennas non patitur, qui par Vigilio referens, ſacris eum Diptychis movet. Id in Epiſtola Petri Antiocheni ad Michaëlem Conſtantinopolitanum ſcriptum legimus, à Cotelerio edita, Eccleſiæ Græcæ monumentorum, t. 2. p. 148. *Contigit autem, ut ad breve tempus Vigilius à Relatione reſecaretur, propter contentionem, quam habuit cum ſanctiſſimo Menna, quòd hunc depoſuiſſet, donec iterum pace inter ipſos conſtitutâ, reconciliati ſunt Pontifices.* Teſtis & Nicephorus (*Niceph. l. 17. 26.*): *Vigilius eò inſolentiæ progreſſus eſt, ut & Mennam à communione quatuor menſibus excluſerit: idem ſanè & Mennas adverſus illum fecit.* Addit & Nicephorus (*Id. ibid.*): *Vigilius autem ſibi metuens, ad Sergii Martyris aram confugit, & ſacris ibi fiſtulis implicitus, non prius inde extractus ceſſit, quàm illas everterit. Erat namque magnus, & corporis ſtatu vaſtus. Poſteà verò cum ejus rei Juſtinianum pœniteret, partibus ſuis interponente Theodorâ Vigilium ſuſcepit: atque ille rurſum Mennam ad communionem admiſit.* Hanc Nicephori narrationem fide evertere totis Baronius viribus tentat. (Error Baronii.) Pugnat verò his rationibus. Quia jam defuncta erat Theodora, nec Vigilius ad aram Sergii, ſed *ad Petri, inde ad Euphemiæ Baſilicam* confugit. (*Bar. An. 552. n. 17.*) Sed dum alios illuſtriſſimus Purpuratus carpit, culpâ ſanè tenetur erroris. Ea quippe in annum DLII. confert, quæ in DXLVII. incidunt, quo tempore Theodora adhùc erat inter homines. Profectò non repugnat Vigilium, & anno DLII. Baſilicæ Petri uſum eſſe perfugio, & anno DXLVII. aſylum quæſiviſſe ad aram Sergii, dum in metu eſt, ne ob damnatum Mennam, defenſaque acrius tria Capitula contra ſe gravius aliquid ab Imperatore decerneretur. Cùm igitur conſtet, à Vigilio in regia urbe conſtituto, ac veluti Juſtiniani coram oculis, Mennam ob damnatum Theodorum, Ibam, Theodoritumque fulmine anathematis fuiſſe percuſſum, magnam utique probabilitatis ſpeciem habet narratio Nicephori, cui robur addit Petri ad Michaëlem Epiſtola, cujus verba Baronio ignorata retulimus. Diſſidia Pontificum tandem diremit concordia, interventu Theodoræ, ut à Theophane ſcripto proditum: *Vigilius pariter à Theodora Auguſta rogatus Junii die XXIX. qui ſanctis Apoſtolis ſacer, Patriarchæ Conſtantinopolitano Mennæ pacem reſtituit.* Annus erat DXLVII. quo *Pentecoſtes Sabbatum die Maji XI.* affigebatur, ut obſervatum Theophani. Paſcha igitur Martii XXIV. fuerat celebratum, quæ temporum criteria ab anno currente divelli nequeunt.

Facundus. Quis? Pro tribus Capitulis ſcribit.

VII. In urbe regia verſabatur Facundus, veniente Vigilio, ac in conficiendis pro trium Capitulorum defenſione libris operam collocabat. In ea Facundus ſententia cum Afris ſuis verſabatur, quòd Theodori Mopſueſteni, Ibæ, Theodoriti damnatio in Chalcedonenſium Patrum dedecus redundaret. Itaque libros XII. condidit, ut defunctorum honori patrocinatur. Hanc provinciam adminiſtrabat, cùm Vigilius Conſtantinopolim ingreditur: *Hoc opus*, inquit in ſua ad Juſtinianum Præfatione, *ſuadentibus fratribus ad Imperatorem Conſtantinopoli ſcripſi. Quo necdum finita ac pertractata, adductus eſt Romanus Epiſcopus; in cujus examine cùm geſtis ſuper hac cauſa diſceptaremus, mediante conflictu, interrumpi acta præcepit, & ab univerſis Epiſcopis, qui aderamus expetiit, ut ſcripta quiſque reſponderet, quod ei de his Capitulis videretur. Cùm ergo per Magiſtrum Officiorum ſub gravi neceſſitate reſpondere conſtringeret, vix mihi ſeptem dierum induciæ data ſunt, in quibus erant etiam duo feſti.* Scripti hujus occaſione quis Facundus, paucis dicamus. Byzacenæ erat Provinciæ Epiſcopus, in qua ſita urbs Hermiana. In prima Collatione Carthaginenſi adfuit *Maximianus* Hermianenſis. In Epiſcoporum Byzacenæ Catalogo, qui Hunnerici Regis præcepto Carthaginem venere, reperitur *Donatus* Hermianenſis. Synodo Conſtantinopolitanæ, quæ Epiſcopis LXX. conſtabat, anno DXLVIII. interfuit Facundus, Vigilioque Præſidi vehementer obſtitit, uti declaratum ibimus. Mordicùs defenſioni trium Capitulorum adhæſit, ut ea de cauſa & à Vigilii ſe communione

ANNO DOM. 547.

munione ſegregaverit, & exilium lubens paſſus ſit. Dum in eo verſatur, opus contra Mocianum edidit: *Metuens ne tanquam latebrarum noſtrarum conſcii, perſecutorum quos fugimus, incideretis in calumnias, nominare vos nolui.* Hinc Garnerii error detegitur, exiſtimantis, librum contra Mocianum Conſtantinopoli ſcriptum eſſe: *Conſtantinopoli*, inquit, *Facundus ſpecie reſpondendi Mociano . . . re ipſâ in Vigilium acerbè ſimul, & calumnioſè invectus eſt.* Sub annum DLXXI. librum eum Facundus confecit, ut ex his colligimus: *Nunc in præjudicium magna Synodi Chalcedonenſis reſuſcitatur ejus quæſtio, ante centum & XX. annos finita, & oblivioni jam tradita.* Ex eo loco apertè liquet, Facundum anno DLXXI. adhùc inter homines fuiſſe, quod etiam ex Epiſtola ipſius conſtat, eodem tempore ſcripta, quæ à Dacherio juris publici facta eſt. Dicit enim poſt centum & viginti ferè annos à Concilio Chalcedonenſi trium Capitulorum cauſam eſſe, *pro quâ univerſa totum penè per orbem ſcandalizantur Chriſti membra.* Synodus verò Chalcedonenſis anno fuerat CCCCLI. celebrata. Multum ſibi famæ Facundus ex ſcriptis ſuis apud Afros collegit. Teſtis Victor in Chronico: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno decimo libri duodecim Facundi, Hermianenſis Eccleſiæ Epiſcopi reſulſere, quibus evidentiſſimè declaravit, tria Capitula in præſcriptione fidei Catholicæ & Apoſtolicæ Chalcedonenſis Concilii fuiſſe damnata.* Facundi quoque cum laude meminit Caſſiodorus: *Facundus venerabilis Epiſcopus, Hæreticorum penetrabili ſubtilitate deſtructor, nuper ad Juſtinianum Principem ſcribens, de duabus naturis Domini Chriſti duos Libellos, cautè nimis, luculenterque tractavit. Quos vobis tranſcriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis tractatoribus, nec modernis.* Hinc vulgatis ſcriptis Facundi opus & accreviſſe videtur. Titulus ſanè, numeruſque Libellorum ad libros duodecim pro defenſione Capitulorum non quadrat: & durum eſt Caſſiodori verbis *duo libri primi capita* ſignificari. Cur duo libri hujus capita ſuo nomine non donaſſet? Cur Libellos vocaſſet? Cur omiſſo toto opere, exiguam ejus particulam memoraſſet, dum Facundi lucubrationum meminit? Quam de Euchariſtia Facundus ſententiam amplexus ſit, egregiè vincit inſignis ille locus, qui candidis pectoribus pro maximo ſemper priſcæ fidei argumento erit: *Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt: & poteſt ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari. Sicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus. Non quòd propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis; ſed quòd in ſe myſterium corporis ejus ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem, & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocircà ſicut Chriſti Fideles Sacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chriſti rectè dicuntur accipere, ſi & ipſe Chriſtus Sacramentum adoptionis filiorum cùm ſuſcepiſſet, potuit rectè dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.* Hinc luce clarius eſt, Facundum exiſtimaſſe, panem & vinum eſſe in Euchariſtia, non falſas panis & vini imagines. Quòd ſi panis in nihilum redactus eſt, falſum utique quòd ullâ ratione corpus Chriſti dici poſſit, quia nihili non ſunt affectiones. Credidit & Facundus non verè proprièque Chriſti corpus ſacramento includi: ſecus nil Euchariſtiam inter & baptiſmum comparationis inſtituere potuiſſet, quia in baptiſmo adoptio reapſe non continetur. Eo itaque modo corpus Chriſti in Euchariſtia reperitur, quo & adoptio eſt in baptiſmo.

Gar. Hiſt. Theod. c. 18. 165.

Caſſiod. in Pſal. 138.

Facund. l. 9. c. 5.

ANNO DOM. 547.

Origeniſtarum inter ſe lites. Protoctiſtæ & Iſochriſti qui?

VIII. Dum magnas in orbe regia turbas movet de tribus Capitulis diſceptatio, Origeniſtarum in Palæſtina concordia diſſolvebatur. Inceperant diſſidia Nonni ab obitu, qui anno ſuperiore exceſſerat. Rem Cyrillus ſcripto mandavit: *Nonni poſt mortem Firmini Lauræ Monachi, cum Neolauritis diſſidendo de ſuis ſceleſtis dogmatibus, in mutua impugnatione occupati fuiſſe.* Quid rei eſſet ea diſputatio, ſequentibus aperitur: *Neolauritæ eos, qui Firmini ſunt, Protoctiſtas, ſive Tetraditas vocant, rurſuſque Firminiſtæ Neolauritas nominant Iſochriſtos. Utrique enim ex propriis impietatis ſuæ Decretis nomina ſortiti ſunt.* Protoctiſtæ noſtro judicio illi dicebantur, qui animas diu ante corpora conditas eſſe putabant: quæ opinionum Origenis pars una fuit. Cotelerius Protoctiſtarum appellationem ſic exponit: Protoctiſtas *à Chriſto primâ creaturâ credito, ni fallor.* Quo caſu Protoctiſtas Arianos fuiſſe dicendum, & Trinitati adverſarios. Cotelerianam Cyrillus conjecturam refellit: Iſidorus, de Protoctiſtis unus, ad Cononem tranſit, *pollicitus ei in ſancta Sione, ſe nunquam defenſurum præexiſtentiæ ſententiam.* Placet magis eruditi viri conjectura, Tetraditas etiam appellatos eſſe, *quòd in Paſchate jejunarent, & Manichæiſmo eſſent afflati.* Iſochriſti verò illi nuncupabantur, qui Apoſtolos & Martyres Chriſto in reſurrectione æquales futuros eſſe putabant. Hinc Theodori Aſcidæ dictum apud Evagrium: *Quando nunc Apoſtoli & Martyres miracula efficiunt, & in tanto honore ſunt, niſi in reſurrectione æquales fuerint Chriſto, qualis tandem eorum reſurrectio futura eſt?* Iſochriſtis maximè favebat ille Theodorus, qui cùm in aula multum poteſtatis haberet, Theodorum Crucis Cuſtodem, & Scythopolitanum Metropolitam creari fecit. Hinc Protoctiſtæ gravi procellâ concuſſi, quæ Iſidorum Abbatem involvit. Qui cùm Iſochriſtis reſiſtere non poſſet, ejuratâ de animarum præexiſtentia doctrinâ, Cononi anno ſequente ſeſe addicet. Id belli, quo Origeniſtæ dividebantur, in lucrum Eccleſiæ ceſſit.

Vit. Sab. c. 89.

Evagr. l. 4. c. 39.

Vit. Sab. c. 89.

ANNO U. C. 1301. PER. JUL. 5261. JUL. 593. DOM. 548. JUSTINIANI 21. & 22. TOTILÆ 7. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 17. *Indict.* 11. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 12. *April.*

ANNO DOM. 548.

Poſt Conſulatum Baſilii VII.

Beliſarius Romam reſtituit. Fruſtra eam oppugnat Totila.

I. CRuentam luctuoſamque Romam Totila reliquerat: in urbe quondam orbis capite, ac veluti epitome ingens vaſtitas ubique locorum regnabat, cùm mortuam è cineribus ad vitam revocare Beliſario placuit. Ac primâ quidem ſpecie furentis conſilium videbatur, ſed egregium ſanè facinus fuiſſe, comprobavit eventus. Ut dirutam à Gothis murorum partem reſarciret, deficiente calce, lapides nullo ordine compoſuit, additâ exterius ingenti ſudium multitudine, quod opus militum diligentiâ diebus quindecim perficitur. Commeatum quoque navibus in urbem invexit. Ac Romani, qui patriæ deſiderio tenebantur, audito rerum ibi omnium ineſſe copiam, eò confluunt. Id nuncii Totilam

malè

ANNO DOM. 548.

malè habuit. Itaque cum exercitu quàm proximè Romam accedit. Nondum portis fores imponebantur; hinc in ſpem veniebat, urbem faciliìmè expugnari poſſe. Sed Romanis fortiter reſiſtentibus, ingens Gothorum cædes facta eſt. Poſterâ luce Totila muros oppugnare decernit, ſed compluribus amiſſis, ſuos in caſtra reducere coactus eſt. Poſt aliquantum temporis rurſus muros oppugnatum venit. Fortè in prælio Totilæ ſignifer equo in terram delapſus, ſignum illiſit. Tum Romani in hoſtes ruunt, ut ſigno ſimul & mortui cadavere potirentur. At Gothorum audaciores defuncti manum aureo monili ornatam auferunt, ne ea præda in gloriam Romanis cederet. Ibi gravi pugnâ commiſſâ Romani magnâ cæde peractâ in urbem incolumes redeunt. Solvere obſidionem coactus Totila, Tibur recedit, præſidiumque ex integro ædificat, in quo pecuniam ſuam deponeret.

Proc. Goth. l. 3. c. 14.

Joannes & Verus à Totila clade afficiuntur.

II. Sed bellorum miræ ſunt viciſſitudines. Joannes cum probatiſſimis equitibus in Campaniam proficiſcitur, ubi Senatorum complures morabantur, quos Gothorum è manibus eripere ſtatuerat. Fortè treceenti equites à Totila eo miſſi fuerant, qui Joannis in copias cùm incidiſſent, maximâ parte interficiuntur. Erant eo loci ſeptuaginta milites Romani, qui ad Totilam ultrò conceſſerant, at victoris fortunam ſecuti ad Joannem ſe conferunt. Verùm Patritius *Clementinus*, qui præſidium Neapoli proximum Gothis prodiderat, Joannis exercitum ſequi noluit, Oreſtes verò Conſularis in ſuo loco permanſit. Patricii cæteri cùm xxx. militibus à Joanne in Siciliam mittuntur. Id graviter Rex tulit: prædæque amiſſione ad vindictam accenſus, cum majori exercitus ſui parte adverſus Joannem contendit. In Lucania militibus mille comitatus verſabatur, ac miſſis qui vias obſervarent exploratoribus, diligentiſſimè rebus ſuis providiſſe videbatur, verùm potenti iracundiæ nullæ ferè via invia eſt. Præruptos Totila montes ingreditur, agmine curſuque citato de nocte caſtra Romanorum invadit. Somno tenebantur, cùm tumultu experrecti in proximos montes fugiunt, è ſuis duntaxat centum amiſſis. *Silacius* Præfectus, gente Armenius, linguæ Græcæ, Latinæ, Gothicæque ignarus, præter id unum, quod ſæpius auditum didicerat, ſe Silacium præfectum eſſe, cùm id hoſtibus reſpondiſſet, ab eis interficitur. Caſtris potiti Gothi ea diripiunt. Quòd ſi orto ſole impetum fecisſent, actum prorſus de Romanis erat. Joannes citato curſu Hydruntum pervenit. Intereà novus in Italiam à Juſtiniano exercitus mittitur. *Verus* Erulos trecentos, Barazes Armenios octingentos ducebat. Temulentus homo *Verus* erat, & temerarius, qui cùm Hydruntum appuliſſet, navibus dimiſſis iter cum ſuis carpit. Quo cognito, Totila ei concurrit. Eruli hoſtes adeſſe conſpicati, in proximam ſylvam fugiunt, ex quibus docenti à Gothis occiduntur, periiſſentque omnes, niſi ex inſperato Barazes adveniſſet. Suſpicatus Totila majorem exercitum eſſe, illicò receſſit.

Proc. Goth. l. 3. c. 14.

Totila Beliſarii equites fundit.

III. Ex Juſtiniani literis cùm Beliſario compertum eſſet, auxilia in Italiam miſſa, relicto ad urbis cuſtodiam Conone, cum nongentis viris, flore exercitus, Tarentum petit. Fortè milites ejus in hoſtium copias incidunt, quos etſi numero longè inferiores, virtute tamen ſuâ fundunt, ducentis occiſis. Eâ victoriâ in negligentiam delapſi, noctu ſe ſomno dedunt, & interdiu licentius vagantur. Qua de re Totila certior factus, eos cum tribus mille equitibus adoritur. Faſas Præfectus irruentium Gothorum impetum ſuſtinens, ad audendum pleriſque animos fecit, aliis verò ad fugiendum ſpatium conceſſit. Sua porrò fortitudo ad hoc tantùm ei præfuit, ut glorioſius cum ſuis caderet. Barbation cùm cam Beliſario cladem nunciaſſet, addito Totilam jam-jam affuturum, is deploratâ ſuorum morte, navem illicò conſcendit, & vento proſpero cum ſuis Meſſanam applicat.

Theodora Auguſta moritur: quo morbo?

Proc. Goth. l. 3. c. 15.

IV. Hæc in Italia: quid rerum in Oriente gereretur, nunc videamus. Theodora Auguſta menſe Junio mortis debitum ſolvit. Hoc nos Procopius docuit: *Theodora morbo correpta, ex humanis exceſſit, cùm annos unum & viginti, menſemque tertium in Imperio peregiſſet.* Imperium adepta erat primâ Aprilis die anni xxvii. A Calendis igitur Aprilis labentis anni Theodoræ vigeſimus ſecundus erat in curſu. Erratum itaque à Calviſio, aliiſque eruditis, qui Theodoræ mortem in ſequentem annum conferunt. Summo cruciatu, & quaſi cælitus irrogato ſupplicio vitam reliquit, teſte Victore Tunnenſi: *Theodora Auguſta, Chalcedonenſis Synodi inimica, canceris plagâ corpore toto perfuſa, vitam prodigioſe finivit.* Ut hoc tanto exemplo Principes juſtitiam moniti diſcerent, Deum Regem Imperatorum non ſpernerent, neque ex ſua dignitate peccandi ſibi licentiam compararent. Indignos regio faſtigio mores Theodora induerat, quos crudelitate, avaritiâ, vitiiſque corrumpebat, ut jam obſervavimus. Audiatur Zonaras: Theodora *maritum longo intervallo potentiâ ſuperabat, & novos, eoſque varios quæſtus ingenioſiſſimè reperiebat. Hinc ſubditi gemino onere premebantur.* Templis extructis famam Theodora ſuam extendere voluit, ſub annum dxxxv. *Condidit tunc & Theodora Imperatrix celebrem illam Sanctorum Apoſtolorum Ædem: Fuerat quidem prius quoque ibi Ædes eorumdem à Conſtantino ædificata, non tamen huic ſimilis, ſed eâ & magnitudine, & pulchritudine multò inferior.*

Zon. l. 14. c. 61.

Zon. l. 14. c. 7.

Cetus ingens capitur. Tela ſerica in Imperio texi cœpit.

V. Ut lugubres anni caſus jùcundâ narratione diluamus, de maritimo hoſte Porphyrione piſce ingenti Juſtinianus tandem victoriam retulit. Ultra quinquaginta annos Conſtantinopolitanis moleſtus fuerat. Non continuò, ſed certis quidem intervallis conſpicuus erat: quoties apparebat, & multas naves demergebat, & multis hominibus exitium afferebat. In perſequendis delphinis captus cùm in lutum incidiſſet, unde emergere non potuit. Quo cognito, accolæ belluam ſecuribus confecerunt, funibuſque in terram protraxere. Ejus longitudo triginta cubitorum fuit, latitudo decem. Imperante Juſtiniano tela quoque ſerica à Romanis texi cœpit, hactenùs ignorantibus vermium eſſe fila. Monachi duo ex India Conſtantinopolim profecti magnis ab Imperatore promiſſis, & muneribus invitati, bombycum ova attulerunt, quæ fimo ſepulta, in vermes tranſmutantur. Id in Juſtiniani regni finem contigiſſe perhibent.

Zon. An. l. 14. p. 69.

Id. ibid.

Apoſtolorum Baſilica ab Juſtiniano reſtituitur.

VI. Rerum Eccleſiaſticarum nunc mentionem faciamus. Apoſtolorum in Eccleſiam Conſtantius Imperator Andreæ, Lucæ, Timothei reliquias invexerat. Cùm longitudine temporis Baſilica jam emota, vix poſſe diu ſtare putaretur, eam Juſtinianus majorem ad dignitatem inſtaurare cogitaverat: Effoſſis fundamentis artifices

ANNO DOM. 548.

Error Baronii.

tifices ligneas arcas tres inveniunt, inſculptis literis indicantes, trium eſſe Apoſtolorum corpora, quæ ubi Imperator, Chriſtianique omnes aſpexere, rurſum humo mandaverunt. Hæc anno labente geſta fuiſſe, quæ Baronius quinquennii metachroniſmo in annum DLII. n. 22. contulit, Theophanes monet: *Julii menſis die XXVIII. feriâ tertiâ, ſanctorum Epiſcoporum Ædis facta eſt conſecratio: & ſanctarum reliquiarum Andreæ, Lucæ & Timothei depoſitio: Epiſcopus verò Mennas unà cum ſanctis reliquiis progreſſus eſt, vehiculo aureo Imperatorio gemmis exornato vectus. Tres autem ſanctorum Apoſtolorum geſtabat loculos ſupra genua, atque ita dedicationem celebravit.* Chronologici ſanè Characteres, quos Theophanes exhibet, annum labentem indicant, in quo Julii XXVIII. in tertiam feriam incidit. Narrat Procopius: *Perſpicuum eſt autem, quòd Apoſtoli habitum ſibi honorem à Principe compenſantes, tunc hominibus apparuerint.* Nos his apparitionibus non credulos eſſe, faciles profitemur. Encæniorum Baſilicæ Apoſtolorum, & reconditarum reliquiarum Miſcellanea meminit, ſed ad annum Juſtiniani XXIII. Encæniis Junium aſſignat.

Proc. de Ædif. Juſtin. l. 1. Or. 2.

Synodus Conſtantinopolitana de tribus Capitulis. Præſide Vigilio.

VII. Ad ſcitu digniora ſe nunc convertat oratio. Quæ Mennæ, Vigiliique anno præterito concordia diſſiluerat, Theodoræ interventu erat reſtituta. Ac ut firmioribus vinculis amicitia conſtringeretur, multo honore Vigilium afficit Mennas, qui in Diptychia eum ſibi propoſuit, teſte Theophane: *Menſe Januario Patriarchæ Conſtantinopolitani nomen primo gradu motum eſt, Vigilio ei prapoſito, nomen enim ejus in Eccleſiaſticis tabulis ad primum gradum promotum fuit.* Rebus ita conſtitutis Juſtinianus, qui Vigilium promiſſis blanditiiſque ſibi conciliaſſe putabat, Synodum in urbe regia cogi jubet. Baronius præjudiciis inſerviens ſuis, narrat Vigilium inter diſſidentes pacis arbitrum, & amborum partium auditorem ſediſſe, ac ut illud facilius efficeret, *colligi voluit eorum qui aderant Synodum triginta Epiſcoporum.* Verùm regiis mandatis Synodum coactam eſſe liquet, nec ſolis *triginta* Epiſcopis conſtantem, utpote quæ plus dimidiâ parte major fuerit, teſte Facundo contra Mocianum: *Quomodo enim non prajudicet, ſi demonſtrentur LXX. circiter Epiſcopi, cum Romano Antiſtite Conſtantinopolim congregati, ut illos omittam, qui antè ſubſcripſerant, condemnaſſe, cum approbatoribus ſuis Epiſtolam à Chalcedonenſi Concilio approbatam?* Actione Synodi hujus complures fuere, cujus extant duntaxat fragmenta quædam apud Facundum, ſuæ gloriam Africæ, quique accerrimum trium Capitulorum defenſorem ſe præbuit, magnâque animi firmitudine Vigilio locutus eſt. Verba ipſius audiamus: *Accipite qua in judicio ipſius Vigilii inter alia fuerim proſecutus, ſicut edita nobis ab officio tertia Actionis geſta declarant. Peto de juſtitia veſtra, utrùm ſuſcepta ſit à Synodo Chalcedonenſi Epiſtola Iba, qua velut Neſtoriana, damnata eſt iniquitate. Et dum conſtiterit non obeſſe Synodo, quòd pars adverſa de Theodori perſona proponit, ſic ea, qua proferre volunt, relegi permittatis, ne fortè qua aguntur, ad retractationem videantur memorata Synodi pertinere. Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtra, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione me à contradicentium communione ſubſtraxiſſe. Hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro qua deberemus à communione multitudinis ſegregari. Sed quia ex perſona Theodori Epiſtolam Iba Neſtorianam probare conati ſunt, & ex Epiſtola Iba Synodum, à qua ſuſcepta eſt, improbare.* Hic Vigilius oſtendere, Imperatoris in partes ſe inclinaſſe animum: *Judex hoc ſe neſcire fingebat,* Ibæ Epiſtolæ damnationem in Chalcedonenſes recidere: itaque fidenter Facundus inſtat, poſcit, urget: *Hoc ergo primum à me demonſtrare pracipito, ut doceam falſe negari, quòd à ſancta Synodo Chalcedonenſi recepta fuerit, & omnia contradicentium figmenta redarguam, quibus eam in deſtructionem Synodi Chalcedonenſis, velut impiam damnaverunt.* Hæc verò Vigilius, qui jam ſpoponderat ſe Capitula damnaturum, à Facundo demonſtrari non permiſit: *Igitur à conſidentibus Epiſcopis flagitavit, ut quid eis de cauſa videretur, prolatâ quiſque in ſcriptis reſponſione ſignaret.* Epiſcopi verò ab iis, qui trium Capitulorum damnationi ſubſcripſerant, permoti, pergratum Imperatori ut facerent, adverſus Capitula ſententiam promulgarunt. Synodus vivente etiamnùm Theodorâ, menſe ut videtur Aprili eſt celebrata. Vigilius verò, qui tum Principis ad arbitrium ſeſe fingebat, finitâ Synodo *memoratas ſubſcriptiones poſt aliquot dies ad Palatium detulit, atque alteri tradidit parti.*

Bar. An. 547. n. 22.

Error Baronii.

Facund. cont. Mocian.

Facund.

Vigilii de trium Capitulorum damnatione, Epiſtola.

VIII. Vigilius ut promiſſis ſtaret ſuis, tam Imperatori, quàm Auguſtæ literas ſcribit, quas clariſſimus orbi literato Baluzius fœneravit. Extant in *ſeptima Conſeſſione* Synodi quintæ Novæ Collationis Conciliorum. Ea in Actione *Conſtantinus glorioſiſſimus Quaſtor ſacri Palatii,* miſſus ab Imperatore hæc Synodo loquitur: Imperator *neceſſarium eſſe putavit, priuſquam finis perfectus à vobis tribus Capitulis imponeretur, chartas quaſdam veſtro ſancto manifeſtare Concilio, quas & ab initio ſcribens ad vos deſtinare promiſit, & eas pra manibus habemus, quarum una quidem ad piiſſimum Imperatorem manu Vigilii religioſiſſimi ſcripta eſt, alia verò ad pia recordationis Theodoram, Dominam noſtram facta, alterius quidem ſcripta manu, ſubſcripta autem ab eodem religioſiſſimo viro, in quibus utriſque manifeſtè eſt, inventa impiorum iſtorum Capitulorum condemnationem.* Satis erit unam referre, quia altera paucis duntaxat verbis à priore non diſcrepat.

Epiſtola Vigilii.

Bal. Collect. Conc. p. 1541.

IX. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Vigilius Epiſcopus ſancta Eccleſia Catholica urbis Roma ſcribens manu meâ, totam hanc chartam dico. Nos ſemper, per virtutem Sancta Trinitatis Haretici nunquam fuimus, neque ſumus. Jura verò, qua à Deo donata ſunt, Sedis mea exigo. Hoc ergo ne faciat exiſtimare veſtram pietatem, quia Hareticos defendo. Ecce enim ſatisfaciens veſtro invicto Imperio, anathematizans Epiſtolam Iba, qua dicitur ad Marim Perſam miſſa, anathematizans & dogmata Theodoriti, anathematizans Theodorum, qui fuit Epiſcopus Mopſueſtia, ſicut alienum ſemper illum fuiſſe ab Eccleſiis, & ſanctorum Patrum adverſarium, qui non confitetur, incarnatum Deum Verbum, id eſt, Chriſtum eſſe unam ſubſiſtentiam, & unam perſonam, & unam operationem, anathematizamus. Et ſi quis dicit alium paſſum, & alium miracula facientem, & non confitetur unius ejuſdemque miracula atque paſſiones, quas voluntariè perpeſſus eſt, carnis, qua eſt nobis Conſubſtantialis, quod Graecè dicitur homouſion, animata animâ rationabili, & intelligibili, hunc anathematizat & ſancta noſtra Eccleſia, & nos ipſi.* Propè gemina Theodoræ ſcribit Auguſtæ, ut gemino hoc anathemate tria Capitula obruerentur.

Judicatum Vigilii, quid rei ſit? Quando datum? Num excuſandus Vigilius?

X. Poſtquam conſcientiâ reclamante Imperatoribus clancularis huſce literis ſatisfecit Vigilius, *judicatum* emiſit ſuum, quo palam publicèque tria Capitula damnabat, *ſalvâ in omnibus reverentiâ Synodi Chalcedonenſis.* Quantum ex Vigilii Epiſtolis colligere licet, judicato hoc ſuo Theodori Mopſueſteni & ſcripta, & perſonam anathemate terebat. Ibæ verò & Theodoreti perſonis pepercit, illius ad Marim Epiſtolam, hujus autem in Cyrillum ſcripta damnavit, quod ad ipſius Epiſtolas, & Juſtiniano, & Theodoræ miſſas maximè quadrat. Id verbis ipſius oſtenditur ad *Valentinianum*, Tomitanum Epiſcopum: *Et quoniam Baſilianus, illuſtris & magnificus vir, filius noſter cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis, Eccleſia in Conſtantinopoli obſervant, pari ratione dixiſſe noſcuntur, etiam hoc Dei mandatos fuiſſe mentitos, quod perſona Epiſcoporum Ibæ atque Theodoriti in noſtro, quod abſit, fuiſſent judicato damnata.* Ibam igitur, & Theodoritum fulminibus ſuis non jaculatus eſt, ſed in ſola ipſorum ſcripta fulmen vibravit ſuum:

Synod. v. Act. 7.

Credimus Catholicos Eccleſiæ filios ea, quæ tunc ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Mennam ſcripſimus, id eſt, de blaſphemiis Theodori Mopſueſtem, ejuſque perſonæ, vel de Epiſtola, quæ ad Marim Perſam ſcripta ab Iba dicitur, & ſcripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem, & duodecim Capitula ſancti Cyrilli facta ſunt, poſſe ſufficere. Extat in Baluſiana Conciliorum Collectione fragmentum judicati, quod fuit ad Synodum Epiſtolæ Juſtinianus inſeruit. In qua poſt alia nonnulla, hæc recitantur:

Baluz. Conc. pag. 1495.

Anathematizamus Theodorum, qui fuit Mopſueſtiæ Epiſcopus, cum omnibus ſuis impiis ſcriptis, & qui vindicant eum. Anathematizamus & impiam Epiſtolam, quæ ad Marim Perſam ſcripta eſſe ab Iba dicitur, tanquam contrariam rectæ Chriſtianorum fidei, & omnes, qui eam vindicant, vel rectam eſſe dicunt. Anathematizamus & ſcripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem, & duodecim Capitula S. Cyrilli ſcripta ſunt. Judicatum Mennæ offertur Aprilis die *undecimo*, uti Vigilii ad Ruſticum & Sebaſtianum Epiſtolâ accepimus: *Nam & Sabbato ſancto, quo ipſum te, ſicut præfati ſumus, imminente, protulimus judicatum in Eccleſiam ſeſſum proceſſiſſe, & communicaſſe, & officium cuncti impleviſſe noſceris.* Quin etiam ſuffragio illud ſuo Ruſticus valde commendavit, uti ſequentibus monemur:

Synod. v. Act. 7.

Nam & eodem die revertens ab Eccleſia, Coepiſcopo noſtro, quantum perhibet, Juliano hoc dicens, quia melius fieri non potuit, quàm quod factum eſt judicatum, & hortareris, ut Deus oraretur, neque quod factum eſt tolleretur. Quod etiam ſuccedente Dominico die Paſchæ ſimiliter confeſſiſti. Mittitur ſubinde judicatum autore Ruſtico & in Orientem, & in Occidentem. Ipſe quoque Ruſticus in *brevitate quadruplicatum, literis ſcriptum minutiſſimis*, Pelagio Diacono in urbem direxit. Porrò hoc *judicatum* Eccleſiaſtici tuba belli fuit. Neque Vigilium inconſtantiæ, timiditatiſque ſervilis abſolvere poſſumus, utpote qui modò ajebat, modò negabat, modò Capitulis patrocinabatur, modò ea damnabat, quod nulli æqui ſpurie facere poterat. Vel enim culpationes merebantur Capitula, vel non. Si prius, nec Mennam ferire, quòd ea damnaſſet, nec poſt revocatum judicatum Capitulis palam patrocinari debuit. Si poſterius, iniquum ſanè ſe præbuit, qui & judicato primùm, & Conſtituto dein ſuo, quæ culpanda non erant, palam publicèque damnavit. Non ignorare quidem poterat, judicatu hoc ſuo Eccleſiæ pacem diſturbandam eſſe, cùm à pluribus enixè rogatus fuiſſet, dum in Orientem tranſmittebat, ne prorſus *novitati acquieſceret.* Hoc flagitarat Africa, hoc Sardinia, hoc Hellas, hoc Illyricum. Quid multa? hic confitentem habemus reum, uti ex verbis Facundi intelligimus:

Fac. contr. Moc.

Judex aſſeris, quòd invitus illud protulerit judicatum. Nos contrà reſpondemus, quod alicuo per ambitionem pollicitatione factâ peccaverit, nec alla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur. Quacunque ſanè de cauſa, ſive ambitione, ſive metu *judicatum* promulgavit Vigilius, ignaviæ quidem, vel iniquitatis ſanè ſibi notam impreſſit. Vigilii inconſtantiam excuſare Baronius tentat, cum Capitulorum damnatoribus communicantis. Scilicet Pontificis molliebat animum Apoſtolica autoritas, *quam ad ædificationem, non ad deſtructionem ſibi ſciret eſſe conceſſam.*

Bar. An. 547. n. 46.

Imò Pontificis & prudentiam laudat Marca in ſua diſſertatione de Vigilii Decreto, c. 6. *Non ea levitas fuit, non inconſtantia, à qua ſuſpicione abeſſe tantum debet, & potius ſingularis prudentiæ laudem ex iis, quæ in hac cauſa geſſit, conſequi poſſe videatur.* Egregiam ſanè prudentiam! verùm quæ Curiâ Romanâ, non viro Apoſtolico, & candido digna ſit. Siccine ſe Paulus gerebat Apoſtolus, qui Corinthiis ſcripſit: *Numnam levitate uſus ſum, ut ſit apud me, etiam & non.*

2 Cor. 1. 17.

Excuſationis locum ſanè nullum relinquunt verba Epiſtolæ Vigilii ad Eutychium miſſæ, quam Marca luci donavit: *Itaque tria impia Capitula anathematizamus.* Optimum ergo Vigilii fautoribus damus. Si impia ſunt Capitula, Vigilius ad illa accedere defenſor non debuit: ſi pia, damnare certè non potuit. Ea ſanè prudentia non eſt, quæ nefandos Ibæ Epiſtolæ errores injuriâ tribuit: *Ea, inquit, Epiſtola Chriſtum Verbum ex ſancta Deipara, & ſemper Virgine Maria incarnatum hominem factum fuiſſe negat, nudum verò hominem ex ea natum.* En ſingularem Vigilii prudentiam! En ſapientem Oeconomiam! Hujus quidem impietatis expers eſt Ibæ Epiſtola.

Juſtinianus Provinciis ſcribit, ut tria Capitula damnentur. Pontiani reſponſio.

XI. Synodi ſuffragio, Vigiliique & literis, & judicato victor Juſtinianus victos ante currum trium Capitulorum defenſores agere voluit: neque pati potuit, adverſus ea, quæ Conſtantinopoli decreta fuerant, Antiſtitum hiſcere aliquem. Teſtis Victor Tunnunenſis: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno VIII. Juſtinianus Imperator per diverſas Provincias in regni ſui finibus conſtitutas inſtantiſſimè ſcribit: & Antiſtites cunctos præfata tria Capitula damnare compellit.* Decretis Juſtiniani non ceſſit Africa. Imò regionis hujus Epiſcopus, nomine *Pontianus*, magno animo reſcribit Imperatori: *Clementiſſimo, ac piiſſimo filio, Juſtiniano Imperatori Pontianus Epiſcopus in Domino ſalutem.* Ex Epiſtola hæc ad illuſtrandam hiſtoriam idonea ſuppeditamus:

Bar. An. 549. n. 52.

In extremo itaque Epiſtola veſtra cognovimus, quod nos non mediocriter commordet, debere nos Theodorum, & ſcripta Theodoriti, & Epiſtolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos uſque nunc minimè pervenerunt. Quòd ſi & pervenerint, & aliqua ibi apocrypha, quæ contra fidei regulam ſint, legerimus, dicta poſſumus reſpuere, non autores jam mortuos præcipiti condemnatione damnare. Quòd ſi adhùc viverent, & correcti errorem ſuum non condemnarent, juſtiſſimè damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur ſententia damnationis noſtræ? Quod in eis recorrigatur,

non

ANNO DOM. 548.

non eſt. Sed timeo, piiſſime Imperator, ne ſub obtentu damnationis iſtorum Eutychiana hæreſis erigatur, & dum minima judicia non ſpernimus, ad majorem hæreſim colliſionemque veniamus. Baronius anno DXLVI. Pontiani hanc Epiſtolam exaratam eſſe putat. Cujus Chronologiam prochroniſmo biennii laborantem Victor refellit, à quo didicimus, Juſtinianum labente anno ad Imperii ſui Provincias ſcripſiſſe, ut tria Capitula damnarentur. Jam verò liquet, ad Imperatoris literas reſponſionem Pontiani in Epiſtola eſſe quærendam.

Theodeberti Regis obitus; ejus virtutes.

XII. De rebus Galliæ pauca dicamus. Theodebertus excelſi Rex animi, gloriæque augendæ cupidus, ditionem amplificarat ſuam. Cottias Alpes, Venetorumque loca nullo ſibi jure ſtipendiaria fecerat. Ubi ad colloquium cum Gothis Franci venere, conventum quoad Gothi cum Juſtiniano in bello eſſent, pace inter ſe conjungerentur; quòd ſi Juſtinianus à Totila vinceretur, utriſque ſua adminiſtrare liceret ad arbitrium. Ambitionis œſtro percitus Theodebertus, bellum inferre Juſtiniano cogitat. Legatos ad Gepidas Longobardoſque mittit, ut belli in ſocietatem veniant. Intolerandum eſſe Juſtinianum in ſuis titulis, Latinè, Germanicè, Gepidicè, Longobardicè prædicare, gentes eas omnes ſua ſub poteſtate teneri; ſanguine labem eam atque maculam eſſe purgandam. Intereà enixius curabat, ut collectis quàm maximis poſſet, & bellicoſiſſimis copiis Thraciam peteret, eàque vaſtatâ, regiam urbem oppugnatum iret. Dum hæc volutat in animo, mors ipſum occupat: quam ſic narrat Agathias. Profectus erat ad venandum, cùm taurum ſylveſtrem in ſe ruentem expectat, venabulo occidendum. Taurus arborem fronte & cornibus impetit: *Quæ ſtatim omnis concuſſa procubuit, ſimulque ex ea ingens diffractus ramus, & ſolo violenter impactus, Theodeberti caput afflixit. Tum ille, cùm letiferâ eſſet & inſanabili plagâ affectus, ſupinus mox cecidit, & vixdum domum elatus, eâdem die è vita exceſſit.* At Theodeberti obitum alio contigiſſe modo, Gregorius prodit, qui & Agathiæ nobis anteponendus videtur: *Theodebertus Rex ægrotare cœpit: ad quem Medici multa ſtudia impenderunt: ſed nihil valuit, quia eum jam Dominus vocari jubebat: ergo cùm diutiſſimè ægrotaſſet, ab ipſa infirmitate deficiens, reddidit ſpiritum.* Theodeberti obitum in annum DLII. Baronio transferre placuit. Verùm quadriennii metachroniſmo ea Chronologia laborat, quam Marcus refellit Aventicenſis: *Poſt Conſulatum Baſilii, anno* VII. *Indict.* XI. *Theudebertus Rex magnus Francorum obiit, & ſedit in regno ejus Theudebaldus filius ipſius.* Periit regni anno XIV. qui referente Gregorio ab obitu Chlodovei *trigeſimus ſeptimus* numerabatur. Hinc patet, nec de Francorum Regibus, nec de Galliæ Conciliis rectam eſſe Baronii Chronologiam. Regiam Theodeberti liberalitatem commendat hiſtoria: *Omne tributum, quod in fiſco ſuo ab Eccleſiis in Arvernoſitis reddebatur, clementer indulſit.* Facinus adhuc memorat Gregorius longè illuſtrius: *Deſideratus* Viridunenſis Epiſcopus, cùm ad levandam ſui gregis inopiam ſeptem aureorum millia à Theodeberto mutui nomine accepiſſet, ex quibus multum ſibi divitiarum Viridunenſes pepererant, aurum Regi reddere voluit: cui Theodebertus: *Non habeo neceſſarium hoc recipere. Illud mihi ſufficit, ſi diſpenſatione tuâ pauperes, qui opprimebantur inopiâ, per tuam ſuggeſtionem, vel per meam largitatem ſunt relevati.* Defunctò parentavit Fortunatus, carmine ſuo de Baptiſterio Moguntiæ:

Proc. Goth. l. 3. c. 24.

Agath. l. 1. c. 5.

Greg. Tur. Hiſt. c. 36.

Error Baronii.

Bar. An. 552. n. 29.

Greg. l. 3. c. 25.

Greg. l. 3. c. 34.

Fort. l. 2. Car. 12.

Eccleſiæ fultor, laus regni, paſtor egentum,
Cura Sacerdotum, promptus in omne bonum:
Cujus dulce jugum nullus gemuiſſe fatetur:
Vivis adhùc meritis, Rex, in amore tuis.

Liberos ſibi ſuperſtites reliquit, *Theodovaldum*, & natas duas, quarum altera, nomine *Berthoara*, in eodem carmine Fortunati pietate ſuâ celebratur:

Filia digna patri te, Theodeberte, reformans
Rexiſti patriam, qua pietate patris.

Dolendum quòd tantarum Rex virtutum ambitioni non imperarit, cui morem gerens plus ſemel injuriâ Italiam adortus eſt.

ANNO U. C. 1302. OLYMP. 332. PAR. JUL. 5262. JUL. 594. DOM. 549. JUSTINIANI 22. & 23. TOTILÆ 8. *Sol.* 26. C. *Lun.* 18. *Indict.* 12. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 5. P. 4. *Mart.*

ANNO DOM. 549.

Poſt Conſulatum Baſilii VIII.

Theobaldus Theodeberto ſuccedit, Quis?

I. QUi Theodeberto ſucceſſit Theodobaldus, ex adulterio ortus erat. Matrem habuit *Deuteriam*, quæ tribus furiis quarta addi poterat. Quippe verita, ne filiæ ſuæ pulchritudine, quæ excellentiſſima erat, Rex inflammaretur, *in baſterna poſitam, indomitis bobus conjunctis, eam de ponte præcipitavit, quæ in ipſo flumine ſpiritum reddidit.* Fruſtra tamen mulier impudica dignitatem, quam ſcelere ſibi pepererat, retinere voluit. Theodeberto Franci infenſi erant, quòd ſponsâ relictâ, Deuteriæ adhæreret: *Tunc commotus, relictâ Deuteriâ, de qua parvulum filium habebat, Theodovaldum nomine, Viſigardem duxit uxorem.* Neque Deuteriam ultrà habuit. Septennio Theobaldus imperavit, eo honoris progreſſus, ut à Juſtiniano miſſâ anno DLII. legatione de fœdere contra Gothos faciendo rogaretur. Id ad Francorum gloriam acceſſit, quòd ipſorum Regibus permiſſum, in auro nativo ſuam imaginem imprimere, quod Barbarorum Principibus non conceditur: *Perſarum Princeps, etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi fas eſt, ſuam ut imponat effigiem.* Qua de re multi animo noſtro figuntur dubitationis aculei, cùm Rex Perſarum potentiſſimus ſui juris fuerit, nec cudenda ad libitum moneta à Cæſaribus prohiberi potuerit.

Greg. l. 3. c. 26.

Proc. Goth. l. 3. c. 33.

Conjuratio in Juſtinianum ab Artabano. Cur?

II. Juſtinianus Princeps longè maximus documentum præbet, tutam non eſſe Principum conditionem, qui ſuorum inſidiis frequenter exponuntur. Conjurationi anſam obtulit malè ſanus amor. Qui egregio facinore Africam tyranno Gonthari eripuerat Artabanus, *Præjectam* Ariobindi relictam deperibat. Miſâ corporis pulchritudine mores honeſtos liberaleſque Artabanus exornabat. Maximis eum honoribus Imperator affecerat, Byzantinis militibus præfecerat, ad Conſularem dignitatem evexerat. Præjectam tamen ei neptem collocare nuptum noluit, quia alteram ſibi Artabanus uxorem habebat, quam ob diſſidia quædam abjecerat. Repudiatæ cùm Theodoræ, quæ nondum fato conceſſerat, gratiam ſibi comparaſſet, ab ea impetrat, ut vel invitus cum uxore Artabanus habitare cogeretur, *Præjecta* verò cum Joanne, viro Conſulari conjungeretur. Ubi exceſſit Auguſta, confeſtim uxorem Artabanus pellit. Erat Conſtantinopo-

li Arſaces, Artabano conſanguineus, quem proditionis cauſâ camelo impoſitum Juſtinianus per urbem populo ſpectandum circumduci juſſerat. Quâ accenſus ignominiâ offenſum Artabani animum ad iram excitat. Permovet etiam *Charaſangem* Arſaces, ut Imperatoris in caput cum Artabano conjuraret. Juſtino quoque Germani filio ſocordiam exprobrat ſuam, qui cùm ſit Principi ſanguine conjunctus, patiatur tamen plebeios ſibi homines in gerendis dignitatibus anteferri. Quem ut magis permoveret, quæ ad conjurationem peragendam compoſita erant, prorſus aperit. Tanto facinore exterritus Juſtinus rem patri ſuo prodit, qui ſubinde eam Marcello narrat, Aulæ Præſidi. Marcellus ut conjurationem accuratius intelligeret, cunctandum ratus Leontium mittit ad ea audienda, quæ conſtituto die Charaſanges Juſtino nunciaturus eſſet. Conditus Germani in domo Leontius, audit talia à Charaſange proferri. Beliſarii adventum expectandum eſſe, ut cùm primùm in Curiam venerit, & ipſum, & Juſtinianum è medio tollant: iiſque occiſis, Germanum Imperatorem creent. Appropinquante Beliſario, Marcellus Imperatori conjurationem patefacit. Erant adulatores, qui adverſus Germanum furorem Principis inflammabant: verùm Marcellus innocenti ſaluti fuit. Artabanus exautoratus in primis, cum cæteris conjuratis carceri includitur.

Proc. Goth. l. 3. c. 17.

Res Italiæ dilabuntur. Conon à ſuis occiditur. Beliſarius inglorius redit.

III. At in Italia Juſtiniani fortuna continuò dilabebatur. Qui in Ruſciani præſidio obſidebantur, preſſi inopiâ rerum in colloquium cum hoſte venerunt, deditionem polliciti, niſi ſub Julium menſem ſubſidii aliquid ſibi afferatur. Milites quoque, qui ad cuſtodiam in urbe relicti erant, *Cononem* Ducem obtruncant ſuum, id ei crimini dantes, quòd commeatus cum ipſorum damno emeret & venderet. Subinde de Clero aliquos Imperatori mittunt, & veniam patrati facinoris petitum, & ſtipendia ſibi debita, ſecus ad Totilam ſe conceſſuros profitentur. Petita facillimè impetrarunt. Intereà Beliſarius Ruſcianum celerrimè navigat, ut obſeſſis eſſet auxilio: verùm ictu procellæ ad Crotoniacum portum claſſis defertur. Rurſum Beliſarius ad Ruſcianum navigationem intendit. Sed reſiſtente Totilâ deſcenſu prohibitus, Crotonem redit. Cùm obſeſſis ſpei nil eſſet relictum, Totilæ mittunt, ſalutem ſibi in primis precatum, & pro his, quæ geſſerant veniam. Omnia Rex facilis concedit: eâ lege tamen, ut *Chalazarus* præſidii Præfectus, qui pacta ſolverat, daret pœnas: manibus ergo & virilibus primùm amputatis interficitur. Moleſtiſſima hæc Beliſario fuere, qui ſpeculum miſeriæ & vanitatis humanæ magnis ſe Ducibus præbuit. Ad ſummos gloriæ gradus aſcenderat, Gelimere & Vitige debellatis. Famam poſteà detrivit ſuam, cùm labente quinquiennio afflictis Italiæ rebus ſubſidii ferè nil attulerit. Tempus iners de loco in locum migrans miſerè conſumebat. Obſederat Peruſiam, neque eo felicitatis progreſſus eſt, ut in poteſtatem ſuam oppidum redigeret. Jam ex Italia diſceſſerat, cùm Imperatoris in ditionem venit, quaſi præſentiam Beliſarii adverſa fortuna comitaretur. Conſtantinopolim navigarat Antonina, ut à Juſtiniano viri ſui reditum impetraret, quem ſpecie belli Perſici imminentis obtinuit. Revertitur ergo Beliſarius veluti

Proc. Goth. l. 3. c. 16.

Enſe nudo levis, parmâque inglorius albâ.

Cùm in urbem regiam pervenit, diu privato ſe otio dedit, rebus antehàc feliciter geſtis contentus. Si Gregorio Turonenſi credimus, Imperator *Beliſarium Comitem Stabuli, quaſi pro humilitate, quod prius fuerat, poſuit.* Fallitur tamen, quia id dignitatis Beliſario antè tributum eſt, quàm rurſus in Italiam mitteretur. Conſtat ex Procopio, Beliſarium revocatum maximo in honore apud Imperatorem fuiſſe; cohortiumque Prætorianarum, Orientiſque Præfectum conſtitutum eſſe, ut omnes dignitate emineret. Eam defuncto Germano dignitatem anno DLI. adeptus eſt. Porrò Vigilius, qui tum temporis in urbe regia verſabatur, Juſtinianum enixius rogat, ut miſſis viribus Italiæ ſuccurreret. *Gothicus* quoque, vir Patritius, præ cæteris ad auxilium ferendum hortabatur. Reſpondet Imperator, Italiam ſibi curæ futuram. Verùm trium Capitulorum negotio magis attendebat animum, ut oborta ubique locorum diſſidia componeret.

Proc. Goth. l. 3. c. 19.

Greg. Hiſt. l. 3. c. 32.

Synodus Illyrici tribus Capitulis favet. Ruſticus & Sebaſtianus Vigilii judicatum improbant.

IV. Triſtis quidem Eccleſiæ facies erat. Indignabantur Afri Præſulibus, qui in Eccleſiæ ſinu mortem obierant, ex damnatione Capitulorum ignominiam imponi. Ac Illyrici Antiſtites palam apertèque facto Conventu, tribus Capitulis defenſores accedunt, teſte Victore Tunnenſi: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno IX. Illyriciana Synodus in defenſione trium Capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit, & Benenatum primæ Juſtinianæ civitatis Epiſcopum, obtrectatorem eorumdem trium Capitum condemnat.* Juſtiniano, qui eam civitatem Metropolitanâ dignitate induerat, gratiam *Benenatus* rependebat, ut in ipſius verba juraret. Quin etiam *Ruſticus*, qui multis Vigilii judicatum laudibus affecerat, in illud ſe adverſarium intendit, ſecurus & affinitatis, quâ cum Pontifice jungebatur, & muneris quod ab eo acceperat. Quod ut ingratum animi vitium ei Vigilius exprobrat: *Te præſente, ſicut oportuit, & pro affinitate, quâ nobis a germano, quem dileximus, jungebaris, & pro eo, quòd nos te ad Leviticum provexeramus officium, frequenter & ſecretè paternâ monuimus charitate, ut ſi ea, quæ de te dicebantur, ex aliqua parte cognoſceres, à talibus temperares.* Tanto in tria Capitula odio Ruſticus flagraverat, ut de Theodoro Mopſueſteno hæc anno ſuperiore protulerit: *Si oſſa ejus evulſa quiſquam de ſepultura ejiceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter* prorſus ſe accepturum. Verùm mutatâ ſubinde ſententiâ, *judicatum* Vigilii aculeis confixit ſuis. Conjurationis in judicatum *Sebaſtianum* quoque Romanæ Eccleſiæ Diaconum, Ruſticus comitem habuit. Dixerat, *de cœlo judicatum ordinatum, atque prolatum,* Theodorique Mopſueſteni Codices à ſe in urbe inventos, plenos eſſe blaſphemiarum: at opinione decedens in *judicatum* aſperrimè invehitur. Ac quò magis illud diffamarent Diaconi, ubique locorum ſparſerunt, Chalcedonenſis Concilii autoritatem Vigiliano eo judicato violari. Querentis Pontificis verba ſunt: *Per omnes Provincias fallaciter ſcribentes nos aliquid commiſiſſe, quod reperiatur adverſum definitioni ſanctæ Chalcedonenſium Synodi. Ita ergo cunctorum animos, qui veſtram malitiam neſciverunt, ſed tanquam à Romanis Diaconis ſuſcipientes ſcripta ſimpliciter crediderunt, ad tantum ſcelus operatio fallacia veſtra pervenit, ut humanus ſanguis in aliquibus locis intra Eccleſiam, quod dici nefas eſt, funderetur.* De Romano Clero complures etiam ad Ruſtici, Sebaſtianique partes acceſſere. Audiantur adhùc

verba

ANNO DOM. 549.

verba Vigilii: Nullus *in Eccleſiaſtica* gradu audeat revocare Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem atque Deuſdedit, quos conſtat veſtræ conjurationis & *conſpirationis eſſe participes, quos nos putantes bonos, militare Eccleſiæ, cui Deo præſidemus autore, noſtro tempore feceramus.* Ad Subdiaconi, vel Notarii munus evecti fuerant. Eorum omnium animis in judicatum odia inſtillaverat *Felix*, qui in Africa Abbatis officio fungebatur. Id quoque Vigilius queritur: *Felicem etiam Monachum Afrum, qui Gillitano Monaſterio dicitur præfuiſſe, & levitate ſuâ atque inconſtantiâ congregationem ejuſdem Monaſterii per diverſa loca certum eſt diſperſiſſe, & veſtræ pravitatis inventor eſt*, &c. Felici quidem Juſtinianum graviter infenſum eſſe ſcimus, qui ipſum anno DLIII. in exilium pellet, ubi extinctus eſt, ut ex Victore conſtat: *Poſt Conſulatum Baſilii XVII, eo tempore Felix Hegumenus Monaſterii Gillitani in exilio apud Sinopem, de hac vita migravit ad Dominum.* Literæ, quibus Vigilii judicatum perſtringebatur, ubique locorum diſperſæ, in Tomitanam urbem ad Valentinum, ad Aurelianum verò Arelatum pervenere. His commotus *Aurelianus*, qui Pontificis in Gallia partes implebat, miſſo Conſtantinopolim Anaſtaſio, Epiſtolam ad Vigilium direxit, quam anno DL. pridie Idus Julias accepit. Eâ verò monebatur, ipſum ut Chalcedonenſis inimicum Synodi gravibus verbis perſtringi.

Synod. v. Coll. 7.

Nùm rectè Juſtinianus tria Capitula damnari voluerit?

V. Hìc vertitur eruditorum in judiciis quæſtio, utrùm rectè, prudenterque tria Juſtinianus damnari Capitula voluerit. Fruſtra nobis id perſuadere nonnulli conantur, cùm vel ſi concederetur, in ſcriptis Theodori, Ibæ, & Theodoriti errores contineri nonnullos, utique fuiſſet, eam eſmarinam non moveri: cùm ex ea damnatione nil boni quidem, mali verò plurimum oboriretur, cruor humanus funderetur, Eccleſiaque miſerè laceraretur. Quòd ſi Juſtinianus de ea quæſtione ſiluiſſet, pax Chriſtianorum illæſa manſiſſet. Rectè igitur factum dicere non poſſumus, quod cum Eccleſiæ ædificatione pugnat, quam certè certòque violandam monitus & ſcriptis, & literis, & Synodorum Decretis Imperator ignorare non poterat. Cuinam ſanè detrimento fuiſſet de tribus Capitulis ſilentium, nulli videmus? Neſtorianiſmus à Synodo & Epheſina, & Chalcedonenſi profligatus erat, neque caput extuliſſet, vel ſi tribus Capitulis parcitum. Admiſſo itaque in Capitulis, phraſes reperiri paulò duriores, ne tamen ignis in Eccleſiam inveheretur, à Capitulorum damnatione temperandum fuit, quia jus ſummum quodoque ſumma injuria eſt. II. Eò iniquior Capitulorum damnatio fuit, quòd palam publicèque Theodoritus & Ibas Anathema in Neſtorium torſerant. Theodoriti verba ſunt: *Anathema Neſterio ei, qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos Filios partitur unum Filium.* Similiter Ibas Actione XI. clamore ingenti intonuerat, *anathematizo Neſtorium decies millies.* Demus ergo Natali Alexandro aliiſque ſcriptis Theodoritum ſuis doctrinam ab Epheſina Synodo probatam impugnaſſe, Hæreticis patrocinatum eſſe; propoſitiones hæreticas in libris ſparſiſſe: largiamur pariter Ibam, & Epheſinum Concilium eſſe calumniatum, & Cyrillo convitia intuliſſe, & ſententias ſuæ Epiſtolæ inſeruiſſe, quæ Neſtorii opiniones continebant, injuſta adhùc eorum Scriptorum damnatio eſt, poſtquam Autores à Chalcedonenſi Concilio in integrum reſtituti erant, præmiſſo in Neſtorianam doctrinam anathemate. Nil dedecoris nomini Præſulum imponi debuit, quos Chalcedonenſes amplexi fuerant, quos in gremio ſuo ſuſceperant: quos pro veris Eccleſiæ membris habuerant. Sub tantæ autoritatis umbra tuti ab injuriis & conviciis latere debuerunt. Quippe alti in Neſtorium anathematis prædicatio, & pertinaciæ ejuratio fuit, & reſipiſcentiæ profeſſio. Ea verò vis eſt reſipiſcentiæ, ut priori flagitio velum obtendat, reumque innocentiæ reſtituat, ut ſalvâ æquitate non poſſit damnari poſtmodum. III. Eò iniquior in tria Capitula ſententia fuit, quòd phraſes à Theodorito & Iba adhibitæ mediæ erant, recti ſenſus haud expertes. Scripſerit Theodoritus: *Non eſt crucifixus Deus, ſed homo crucifixus eſt J. Chriſtus:* Ea ſanè ſententia pro varia intelligendi ratione aut falſa, aut vera eſſe poteſt. Ac vera quidem, ſi Deus ſimpliciter ſumatur, quia immortalis eſt; falſa autem, ſi Deus in *carne manifeſtatus* concipiatur animo. Similiter innocens phraſis Ibæ in ſua ad Marim Epiſtola: *Quomodo poſſibile eſt accipi Verbum, quod ab initio eſt, pro Templo, quod ex Maria natum eſt.* Atqui Scripturæ ſermonem Ibas imitatur, corpus Chriſti Templi nomine afficiens: *Deſtruite Templum hoc, & intra triduum excitabo illud.* Itaque ob phraſes ejuſmodi temerè Theodoritus & Ibas Neſtorianiſmi damnantur, cùm ab eo errore longè diſſiti fuerint, quòd in duos Filios Chriſtus divideretur. Neque unquam Theodoritus, aut Ibas, quod Cyrilli in ſententia verum ſincerumque fuit, culpationi ſubjecere: id erroris damnarunt, quod obſcura phraſis fundere videbatur. Ut certo certius ſit, Cyrilli doctrinam non eo reſpectu à Theodorito oppugnatam eſſe, quo ab Epheſinis Patribus laudabatur. IV. Non abs re Africæ, Illyrici, aliorumque locorum Antiſtites querebantur, per Ibæ, Theodoritique latus Chalcedonenſibus vulnus infligi, qui Epiſtolam Ibæ pro orthodoxa habuerant, quam Juſtinianus in compluribus Synodis, ut impietate conditam, damnari fecit. In Concilio Chalcedonenſi Leonis Legati hæc proferunt Actione X. *Relectis chartis agnovimus ex ſententia reverendiſſimorum Epiſcoporum, Ibam reverendiſſimum innoxium approbari. Relectâ enim ejus Epiſtolâ agnovimus eum eſſe Orthodoxum, & ob hoc decernimus, ei honorem Epiſcopatus reſtituendum.* Anatolii judicium Paſchaſini & Lucentii ſententiam excepit: *Anatolius reverendiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopolis Novæ Romæ dixit, Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, & Judicum fides, ac lectio omnium horum, quæ ſunt ſubſecuta, demonſtrant, innoxium Ibam reverendiſſimum ab accuſationibus, quæ illata ſunt in eum. Unde omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abjicio.* Idem & ab omnibus ſancitum. Quid diſertius? Ibæ Epiſtola orthodoxa pronunciatur. Impiam ſanè damnaſſent, & ab autore damnari juſſiſſent. Concilium quidem Oecumenicum ex ſcripti impii & hæretici lectione autorem ipſius Orthodoxorum in numero aſcribere nequit, niſi errante prorſus judicio. Et quod memoriâ recondendum, hæc à Leonis Legatis, hæc ab Anatolio prius dicta ſunt, quàm Ibas dixiſſet in Neſtorium anathema. Itaque Ibæ Epiſtolam pro orthodoxa Vigilius habet in ſuo Conſtituto, cujus verba ſunt: *Neque enim Orthodoxam agnoſcere Ibam, diceret Juvenalis Epiſcopus, niſi ex verbis* Epi-

Chalc. Act. 9.

Joan. 2. 19.

Bar. An. 553. n. 193.

Epiſtola ejus Confeſſionem fidei orthodoxam comprobaret. Contrà verò Conſtantinopolitanæ Synodi Patres de ea Ibæ Epiſtola ſic ſanciunt, Canone XIV. *Si quis igitur memoratam impiam Epiſtolam defendit, & non anathematizat eam, & defenſores ejus . . . anathema ſit.* Quæ Chalcedonenſibus Epiſtola pia & orthodoxa eſt, Conſtantinopolitanis impia audit: *Abnegat*, inquiunt, *Deum Verbum de Sancta Dei genitrice ſemper Virgine Maria incarnatum hominem factum eſſe, dicit autem purum hominem ex ipſa natum eſſe, quem Templum vocat, ut alius ſit Deus Verbum, & alius homo.* Nil igitur tam disjunctum tamque contrarium eſt, quàm Chalcedonenſis & Conſtantinopolitanæ Synodi de Ibæ Epiſtola judicium. Cujus Epiſtolæ cùm Leonis Vicarii, cæterique Antiſtites defenſores ſe præbuerint, fulmine quidem Conſtantinopolitanorum percutiuntur. V. Nec prorſus iniquitatis expers eſſe cenſemus, quòd beatorum cæleſti gloriâ fruentium, & ſcripta & honos ignominiæ exponantur: & ab Eccleſia militante triumphantis partes anathemate damnentur. Itaque vel certum eſt Theodorum, Theodoritum, Ibam inter ſanctas animas eſſe, vel dubium: neutro verò caſu ignominiâ poſt obitum affici debuere.

Rusticus Diaconus. Liber ejus in Acephalos.

VI. His rationibus permotus Ruſticus, etſi maximus olim *judicati* laudator, Vigiliique conſanguineus, trium Capitulorum damnationem moleſtè tulit. Infenſus Ruſtico Vigilius, eum officio ſuo movit, conceſſo tamen pœnitentiæ loco. Quam miſſa ad ipſum Epiſtolâ abdicationem anno proximè futuro ſignificatum ibit. Ruſticus porrò vir erat non ſpernendæ eruditionis, ac in Veterum lectione benè verſatus. Varias orbis regiones pervagatus erat, ut nos docet Præfatio ejus ad librum contra Acephalos: *Intentio mihi eſt, ea quæ ſæpius in collocutionibus, tam Conſtantinopoli quàm Alexandriæ Ægypti, ſive in Antinoo Thebaidis, & in adjacentibus locis ſeu lecta, ſive etiam dicta, vel per me, vel per alios defendentes, de fide definitionem ſanctæ Synodi Chalcedonenſis colligere.* Cuinam opus nuncupaverit ſuum, verbis expreſſis non oſtendit; quantum tamen conjecturâ ſciri poteſt, Sebaſtiano & muneris, & damnationis ſocio dedicavit: *Memento Chriſtianum te eſſe, & Diaconum.* Valde extollit Chalcedonenſis Synodi autoritatem, quam trium Capitulorum damnatione depreſſum iri putabat.

B. M. P. t. 10. 382.

Excitatas ea de cauſa lites his verbis innuit: *Non te perturbet ea quæ nuper exorta eſt perturbatio univerſalis Eccleſiæ, ſed potius confirmet ad fidem.* Nùm partibus Juſtiniani accedens Ruſticus, munus recuperarit ſuum, *aut quid exinde ipſi contigerit*, ſibi *non conſtare* tradit clariſſimus Cavius. Ruſtici tamen caſus ex Victore diſcere potuit, in quo legimus, Ruſticum anno DLIII. à Juſtiniano in exilium miſſum eſſe: *P. C. Baſilii V. C. anno XIII. tria præfata Capitula cum defendentibus, ea damnationi ſubjiciunt . . . Quorum Decretis Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Felix Gillenſis Monaſterii Provinciæ Africanæ Hegumenus, contradicentes ſcripto, Thebaida in exilium cum ſuis ſociis tranſmittuntur.* Liber ejus poſt exilium conditus eſſe videtur.

Petri Hieroſolymitani mors. Macarius ei ſuccedit. Abbas Conon.

VII. Labente anno Petrus Hieroſolymitanus vitam cum morte commutavit. Mira ſine dubio ac inaudita compluribus ea Chronologia videbitur. De morte Petri Baronius ad annum DXLVII.

Bar. Ann. 546. n. 68.

Petrum *non ante præſentem annum diem obiiſſe oportuit, licet anno ſuperiori eum defunctum ponant.* Verùm Baronii aliorumque Chronologiam refellit, noſtramque firmat Cyrillus in vita Sabæ: *Abbas ergo Conon, ejuſque comites Conſtantinopoli diverſis ærumnis per Aſcidam ſubjecti, patientiâ victoriam reportarunt. Aliquot enim diebus interjectis, cùm è vita diſceſſiſſet Petrus Archiepiſcopus, & Macarius temeritate Neolauritarum eſſet ordinatus*, Imperator *Macarium juſſit ab Epiſcopatu expelli.*

Vit. Sab. c. 90.

Quibus luce clarius eſt, agente apud regiam urbem Conone, Petrum fato functum eſſe. Anno elapſo Conon Caſſiano ſucceſſerat, qui anno XVI. Sabæ poſt obitum è vita abierat. Conon gente Lycius, in patria à puero aſceticæ vitæ cultorem ſe præbuerat. Cùm ad ſacra loca adoranda mortuo Sabâ in Palæſtinam veniſſet, maximæ Lauræ præfectus eſt. Cum Iſidoro, Origeniſtarum tranſfuga, aliiſque nonnullis Conſtantinopolim anno labente tendit, ut vaſtam Theodori Aſcidæ potentiam, ſi poſſet, debilitaret. Hiſtoriæ ſeriem verbis Cyrilli referamus: *Cùm è vita diſceſſiſſet Petrus Archiepiſcopus, & Macarius temeritate Neolauritarum eſſet ordinatus, bellumque ſanctam civitatem teneret, piiſſimus quidem Imperator valde indignatus contra Aſcidam & Origeniſtas, Macarium juſſit ab Epiſcopatu expelli.* Ac demum *Conon & ſocii opportunitate temporis arreptâ, quæ ad ipſos pertinebant, Imperatori nota fecerunt, Libellum ei tradiderunt, univerſam Origeniſtarum impietatem manifeſtarunt, Iſidoro jam mortuo. Atque inde cum multa fiducia Euſtochium Alexandriæ Oeconomum, qui Conſtantinopoli degebat, Epiſcopum Hieroſolymorum promovent. Piiſſimus autem noſter Imperator tum Euſtochium Patriarcham fieri ſanxit, tum Oecumenicam Synodum agi mandavit.*

Vit. Sab. c. 90.

Anno DLII. Macarium Sede Hieroſolymitanâ pulſum eſſe, Victor ſcripto prodit: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XII. Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus ejicitur, & eo ſuperſtite Euſtochius ordinatur.* Noſtram quoque Chronologiam Nicephorus firmat, qui Macarium antequam pelleretur, biennium ſediſſe memorat. Anno igitur DL. Epiſcopatum ſortitus eſt. Victor quidem totâ errat viâ, qui Macariani Pontificatus initia cum anno DXLIV. copulat: *P. C. Baſilii V. C. anno IV. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Præſulatum poſt Petrum Macarius ſuſcipit.* Petrum multò pòſt ad plures abiiſſe, certum teſtatumque facit Cyrillus in vita Sabæ.

Abaſgi Chriſtiani fiunt.

VIII. Sub hæc tempora *Abaſgi* Chriſti in ditionem veniunt. Gens eſt Caucaſo monte, & Ponte Euxino incluſa, juxta Coracem fluvium habitans, Colchiſque vicino. Fluminis hujus in Ptolomæo mentio eſt: *A meridie autem parte, quæ hinc eſt Euxini Ponti uſque ad Coracem fluvium*, &c.

Ptolom. l. 5. c. 9.

Cur huic anno Abaſgorum converſionem aſſignemus, Autor eſt Evagrius, qui Beliſariani in urbem regiam reditus mentione factâ, illicò ſubjungit: *Refert* Procopius, *Abaſgos per idem tempus ad manſuetiorem cultum tranſlatos, Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, & Eunuchum quendam Palatii, Euphratam nomine, qui natione Abaſgus erat, ab Imperatore Juſtiniano ad eos miſſum eſſe, qui interdiceret, ne cuiquam deinceps in ea gente virilia ferro abſcinderentur, neve vis inferretur naturæ. Ex his enim, ut plurimum eligebantur Miniſtri imperialis Cubiculi, quos vulgò Eunuchos vocant. Tunc etiam Juſtinianus cùm Eccleſiam in honorem Deiparæ apud Abaſgos ædificaſſet, Sacerdotes illis conſtituit: atque exinde Abaſgi Chriſtianæ Legis doctrinam accuratiſſimè didicerunt.*

Evagr. l. 4. c. 22.

Synodus Aurelianenſis V.

IX. Relicto Oriente, nobis eſt in Gallias migran-

ANNO DOM. 549.

migrandum. *Childebertus* in Aurelianenſi urbe Synodum convocans Antiſtitibus agitare voluerat. Conſenſu trium Principum, qui Francis dominabantur, Octobris XXVIII. Concilium celebratur. Tempus iis Epiſcoporum ſubſcriptionibus docetur: *Quinto Kalend. Novembris anno* XXXVIII. *regni Domini Childeberti.* Baronius,

Error Baronii.

qui Chlodovei mortem anno non aſcripſit ſuo, quintam Synodum Aurelianenſem in annum DLII. contulit, triennii metachroniſmo. Florentiſſimus ille cœtus fuit, utpote conſtans Epiſcopis L. Presbyteris decem, Archidiaconis ſex,

Bar. Ann. 552. n. 25.

Diaconis tribus, Abbatibus duobus, qui XXI. Præſulum partes implebant. Synodo præfuit *Aurelius* Arelatenſis. Sanctitate inter Præſules eminebat *Agricola* Cabilonenſis, quem Venantius carmine celebravit. Non illepida eſt ad Agricolæ nomen horum verſuum alluſio:

Fort. l. 3. 24.

Ille pro ſtudio ſulcata novacula ſerit,
Quod pater effudit, hoc tibi ſemen ale.

Aderat & Concilio *Nicetius* Trevirenſis, vir magnæ quoque in Gallia famæ, teſte Fortunati Epigrammate:

Fort. l. 3. 11.

Splendor apex fidei, venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificumque caput.

Nomine *Leucadii* Bajocenſis Epiſcopi *Theodorus* Presbyter interfuit, quod oppidi in gratiam, ubi noſtra fuerunt olim incunabula, obſervatum voluimus. Canones in eo Concilio XIV. conditi ſunt.

Canones Aurelianenſis Synodi v.

X. Primus Eutychis Neſtoriique errores rejicit, *quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat.* II. Nullus rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſis à communione ſuſpendat. III. Clericis extraneas mulieres prohibet, *ne ſub conceſſa ſibi licentia parentalo ex earum ſequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur.* Præſul Decreti hujus ſecurus, anno uno à *Metropolitano ſuſpendatur.* IV. Clericus, qui ad jugalem torum redire præſumpſerit, ab officio deponatur, *ei tantummodò communione conceſſâ.* V. Nullum Clericum alienum recipere, vel promovere ſine Epiſtola Pontificis ſui, quis præſumat. Epiſcopus, qui eum ordinaverit, ſex menſibus à Miſſarum celebratione temperabit. VI. Nec ſervus, nec libertus etiam abſque ſui Domini conſenſu Clerici ad munus promoveatur. Ordinatum ſi Dominus revocare velit, Epiſcopus duos ei ſervos reſtituat. VII. Mancipia à ſervitute liberata, in eam non revocentur, conceſſaque ipſis libertas ab Eccleſia defendatur. VIII. Ne Interpontificio labente Epiſcopus in Diœceſi Epiſcopos ordinet, altariave conſecret. IX. Nullus ex Laicis ante annuam converſionem Epiſcopus ordinetur, ut intra anni ſpatium regulis inſtruatur. X. Nullus præmio Epiſcopatum adipiſcatur, *ſed cum voluntate Regis, Cleri, & plebis* à Metropolitano conſecretur. XI. Nullus invitis detur Epiſcopus, nec per oppreſſionem potentum ad conſenſum cives inclinentur. Epiſcopus per vim creatus, removetur officio. XII. Nullus vivente Epiſcopo ordinetur, niſi capitali culpâ dejectus eſt. XIII. Nullus facultates Eccleſiis, Monaſteriis, Xenodochiis datas retineat, aut alienet. XIV. Clericorum nullus alterius cujuſcunque Eccleſiæ res accipiat. XV. De Xenodochio, quod Childebertus, & uxor ejus *Ultrota* Regina Lugduni condiderunt, nil ad ſe Eccleſiæ Lugdunenſis Antiſtes revocet. XVI. Quidquid contemplatione Dei Eccleſiis datur, nemo poſtmodum auferat. XVII. In litibus, quas quis cum Epiſcopo, vel Actoribus Eccleſiæ habet, prius adeatur Epiſcopus, ut ea emendet, de quibus expoſtulatio inſtituitur. Si non ſatisfaciat, rei cognitio ad Metropolitanum deferatur. Quòd ſi Epiſcopus ſecundò admonitus non veniat, *charitate Metropolitani* ſuſpendatur. Si verò Metropolitanus à Provinciali Epiſcopo bis compellatus, auditionem diſtulerit, cauſæ cognitio ad Synodum devolvitur. Si Epiſcopus injuriâ in lite pulſetur, ſeu anni ſpatio à communione pellitur. XVIII. Si quis de Comprovincialibus ad Synodum vocatus non venerit, aut ſine commeatu Concilii diſceſſerit, ſex menſibus à Miſſarum officio ſuſpendatur. XVIX. Puellæ, quæ vel propriâ voluntate Monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa, quâ intraverint, veſte permaneant: triennio verò ubi non perpetuò teneantur incluſæ, & poſtmodum *veſtimenta Religionis accipiant.* Si matrimonium ineunt, communione privantur. XX. Qui pro quibuſcunque culpis in carceribus detinentur, ab Archidiacono diebus Dominicis viſitentur, victuſque de Eccleſiæ domo miniſtretur. XXI. Leproſis præcipuè de domo Eccleſiæ victui & veſtitui neceſſaria ſuppeditentur. XXII. Servi, qui ad Eccleſiæ ſepta confugiunt, datis à Domino ſacramentis egrediantur, de venia ſecuri. Si poſt datam fidem ſervos vexarit, à communione ſuſpendatur. Servum, qui pro venia datis à Domino ſacramentis exire noluerit, liceat occupare. XXIII. Intra anni circulum Metropolitanus Concilium celebret. XXIV. Quæ definita ſunt, inconvulſa ſerventur. In eo Conventu de Marii Aurelianenſis Præſulis negotio tractatum, qui calumniam paſſus, Sede ſuâ pulſus fuerat. Cognitâ accuſati innocentiâ, ille ſuæ Eccleſiæ redditur. Audiatur Gregorius Turon. de vitis Patrum, c. 6. *Apud Aurelianenſem urbem incriminato ab iniquis Marco Epiſcopo, & in exilium truſo, magnus Epiſcoporum Conventus eſt aggregatus, Childeberto Rege jubente. In qua Synodo cognoſcentes beati Epiſcopi hoc eſſe vacuum, quod contra eum fuerat muſſitatum, cum civitate, & Cathedra ſua reſtituunt.*

Arvernenſis Synodus tertia.

XI. Non multò pòſt Aurelianenſe quintum Arvernenſe regnante Theobaldo Concilium celebratur. Ei Præſules decem interfuere: *Heſychius* Viennenſis, Conventus Princeps, *Nicetius* Treverienſis, *Aſpaſius* Eloſenſis, *Agricola* Cabillonenſis, *Urbicus* Veſontienſis, *Rufus* Octodurenſis, *Baſilius* Glannatenſis, *Avolus* Aquenſis, *Hilarius* Dinienſis. Concilium Canones habet XVI. quæ à Decretis Aurelianenſis Synodi quintæ non diſcrepant.

Tullenſis Synodus de cauſa Nicetii. Mappini Epiſtola.

XII. Nicetius, de Arvernenſibus Epiſcopis unus, occaſionem Tullenſi Concilio præbuit, quod anno vel currente, vel proximè futuro congregatur. Experiebatur optimus ille Præſul virtutem telis injuriarum exponi. Francos inceſtus reos communione ejecerat. Quod cùm illi ægrius ferrent, contumelias ei multas imponunt. Ad Synodum *Mappinus* Epiſcopus Rhemenſis invitatus, præſentiam negat, quia conventus cauſam ignorabat. Ubi verò ſecundis à Rege literis de toto negotio inſtructus eſt, & dolorem Nicetio ſuum exponit, & abſentiam excuſat, quòd ſerò nimis Theodebaldi literis accerſitus fuiſſet: Rex *iteratis ſcriptis edocuit beatitudinem veſtram, dum aliquos Francorum pro zelo divini timoris corripis, ac pro inceſtu conditionibus à communione Eccle-*

Anno Dom. 549.

cleſiaſtica removet, ſcandala, ſeu anxietates multas ſuſtinere. Teſtatur autem Mappinius, ſe non ita commiſſurum, ut illos recipiat, qui à Nicetio *ſecundum ſeriem Canonum Eccleſiaſticâ ſeveritate abdicantur.* Innuit tamen ſatius fuiſſe, ſi à Præſule potius, quàm à Rege ad Synodum vocatus eſſet, licet *parere nos*, inquit, *Regis præceptis in bonis rebus & conveniat, & libeat.* Quid in ea Synodo geſtum fuerit ignoratur. Id unum diſcimus, virtutem improbitatis accendere vires quidem, ut longè glorioſius de inimicia ſuis triumphet:

Ovid. 4. Triſt. 3.

Quæ latet inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.

Flod. l. 7. cap. 2.

Mappinii mentio ſubmonet nos, quid de eo ſcripſit Flodoardus, hìc referre: Mapinio *poteſtas Regia quadam ceſſiſſe reperitur prædia, deinceps ab Eccleſia Remenſi poſſidenda. Hujus quoque temporibus Suavegotta Regina Remenſi Ecclesiæ tertiam partem villæ Virisiaci per teſtamenti paginam delegaſſe reperitur.* Mapinio ſucceſſit Egidius.

Anno Dom. 550.

ANNO U. C. 1303. PER. JUL. 5263. JUL. 595. DOM. 550. JUSTINIANI 23. & 24. TOTILÆ 9. *Sol.* 27. B. *Lun.* 19. *Indict.* 13. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 6. *P.* 24. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii IX.

Roma à Totila capitur. Quomodo?

I. Victricia Totilæ arma proſperi ſucceſſus ſequebantur. Quos ut augeret, Romam rurſus obſidere ſtatuit. Eam defendebant tria fortiſſimorum militum millia, quibus *Diogenes* & prudentiæ, & virium præſtans imperabat. Triticum in urbe ſeverat, ne obſeſſis neceſſaria deeſſent. Itaque diuturna fuit obſidio, Romanis Barbarorum impetum fortiter repellentibus. Portu tamen potiti Romanos pertinacius urgebant. Fatale urbi erat, urbem ab Iſauris prodi, debita ſibi ſtipendia non ſolvi cauſantibus. Clancularium cum Totila in colloquium veniunt, urbemque ei ſe prodituros pollicentur. Tum Rex viros duabus navibus ſtrenuos cum tubicinibus imponit, dato mandato, ut de nocte urbi appropinquantes, buccinâ clangerent. Ipſe intereà ad portam Capenam paratum exercitum habebat. Clangore tubarum perculſi Romani, relictis temere cuſtodiis, eò currunt, ubi ſonitus fundebatur. Iſauri, qui ſuis in cuſtodiis perſtiterant, patefactâ portâ Gothos in urbem recipiunt. Ingens obſeſſorum ſtrages edita. Qui Centumcellas petebant, in inſidias delati, miſerè interficiuntur, paucis, quos inter Diogenes, in tutum ſe recipientibus. At Paulus Româ jam captâ, cum equitibus quadringentis ad ſepulchrum Adriani confugiens, complures Gothorum occidit. Quod cùm animadverteret Totila, receptui cecinit, ratus Paulum fame ad deditionem illicò adactum iri. Sequente luce obſeſſi equos interficere ſtatuunt, ut urgentem famen ſedarent. Verùm inſoliti cibi tædio capti, mortem impetu in Gothos facto viriliter obire ſtatuunt. Conſilio cognito, Totila veritus ne deſperatâ ſalute milites, qui ſe morti devoverant, maximam obſidentibus cladem inferrent, alteram ex his optionem offert, ut aut armis depoſitis, datoque juramento, ne in Gothos de cætero militarent, Conſtantinopolim dimitterentur, aut ſua ſibi habentes Gothis conjungerentur. Ut poſteriori conditione utentes, Totilæ copulantur omnes, præter Paulum, & Mundum, qui uxorum filiorumque deſiderio capti demiſſionem precantur. Benignum Regem experti, acceptis & cuſtodibus & viatico abeundi facultatem nanciſcuntur. Ubi captæ urbis rumor Conſtantinopolim afflavit, *Aureliano* Arelatenſi Vigilius ſcribit, Childebertum Regem moneat, *ut quia Gothi cum Rege ſuo in civitatem Romanam perhibentur ingreſſi, hoc eis dignetur ſcribere, ne ſe in Eccleſia noſtra præjudicio, quippe velut aliena Legis immiſceat, & aliquid faciat, aut fieri quâlibet ratione permittat, unde Catholica poſſit Eccleſia perturbari.*

Anno Dom. 550.

Proc. Goth. l. 3. c. 20.

Totila urbem inſtaurat. Cur? Varias dein urbes capit. Siciliam vaſtat.

II. Urbe potitus Totila, de ea reſtituenda cogitat. Miſerat in Gallias Francorum Regem precatum, ut ſibi filiam in matrimonium daret. Rogantis repudiata petitio, dicente Rege, quòd Totila nec Imperator eſſet, nec in poſterum foret, utpote qui captam Romam ſervare non potuerit. Reſponſo permotus, ſedulò commeatus in urbem inferri, quæ deſtructa erant, reſarciri jubet. Patritios, quos in Campaniam miſerat, revocat, equeſtre certamen inſtituit, luſtratoque exercitu in Siciliam expeditionem molitur, comparatis ſibi quadringentis navibus, præter illas, quas à Juſtiniano in Italiam miſſas cœperat. Nihilominus in pacem inclinabat animum. Itaque Stephanum ad Juſtinianum legat, rogatum, ut bellum ſolvat, Gothoſque pro ſociis habeat. Verùm Juſtinianus Stephano ne permiſit quidem, ut ſibi in conſpectum veniret. Itaque Totila bellum redintegrare parat. Ac primùm Centumcellas tentat, cui Diogenes præerat. Prudenti honeſtoque reſponſo oblatas ſibi conditiones reſpuit Præfectus, poſtulatâ Legatos ad Imperatorem mittendi licentiâ, cui ſignificatum irent, quo res loco erant. Si nullum die conſtituto auxilium ſibi veniat, oppidum ſe traditurum. Cùm pergrata Totilæ foret ea conditio, datis utrinque triginta obſidibus, ſolutâ obſidione Rhegium tendit. Præſidio præerant Philimuth, atque Hunnerius, qui impetu in Gothos facto victoriam retulere. Totila parte exercitus ibi relictâ, civitatem fame expugnare ſibi in animo conſtituit. Inde profectus, ſine ullo negotio Tarentum capit. Ariminium quoque proditione militum ſuum in poteſtatem redigit. Rhegium quoque neceſſariorum defectu ad jugùm Gothicum adigit. Intereà Totila trajectis in Siciliam copiis, Meſſanam adoritur. Civitati præerat Domentiolus, qui fortiter Gothis reſiſtit. Verùm cùm nemo procederet obviam, Inſulam ferè omnem Gothi populantur.

Proc. Goth. l. 3. c. 20.

Juſtinianus Germanum & Artabanum laboranti Italiæ deſtinat.

III. Tot claræ Gothorum victoriæ Juſtiniani excitant animum. Italiæ auxilio Germanum ex ſorore nepotem deſtinaverat: virum, qui obſervatam Imperio Africam gloriæ ſibi multum pepererat. Mathaſuntham Theodorici neptem, Amalazunthæque filiam, Vitigis relictam nuper in uxorem duxerat. Ac ſpes erat, Gothos, qui veneratione maximâ Alarici Theodoricique memoriam proſequebantur, in virum ſuis Regibus affinitate conjunctum non pugnaturos. Verùm Juſtininianus mutatâ ſententiâ, *Liberium* ad hoc belli gerendum Germani loco decreverat. Auditis tandem Totilæ ſucceſſibus, Liberio effœtæ ætatis viro, quam claſſi præfecerat, Artabanum vinculis liberatum ſufficit, conceſſâ conſpirationis veniâ. Summæ belli Germanum præponit, cui maximâ pecuniâ datâ, collectas ex Thracia & Illyrico copias, in Italiam ducere imperat. Germanum qui & ſuam,

&

Digitized by Google

& Imperatoris pecuniam liberaliter profundebat, maximum fortiſſimorum virorum exercitum contrahit. Fama Germani ſubinde rerum mutationem efficit. Gothi in dubio eſſe, adverſus Theodorici ſanguinem bellum gererent, necne. Romani, qui Totilæ militabant, Germano nunciatum eunt, ubi ſe primùm in Italiam adventaſſe noverint nullâ interpoſita morâ, ad eum ſe conventuros Duces, præſtantiſſimi quoque viri virtute permoti, novam animis audaciam colligere. Jam conſtitutus dies aderat, quo Centumcellas Diogenes traditurus erat, cùm Totilæ ſignificatum ivit, oppidum in ſua tunc poteſtate non eſſe, Germanum cum exercitu non procul abeſſe, ſi obſides ſibi ſuos reddere nolit, quos à Rege acceperat, interfecturum.

Procop. l. 3. c. 21.

Vigilius Ruſticum Clericoſque judicato ſuo adverſarios officio movet.

IV. Nunc Gothicis prælis res Eccleſiæ ſubjungamus. Inſenſus Ruſtico Sebaſtianoque Vigilius, quòd judicatum ſcriptis ſuum diffamaſſent, varias variis Epiſtolas ſcripſit, ne accuſatoribus temerè crederetur. Hæc *Valentino* Tomitano Epiſcopo nunciat, Epiſtolâ datâ XV. Cal. Aprilis: *Hac quidem fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne ulterius prædictorum Ruſtici & Sebaſtiani, aut illorum, qui prava eorum præſumptione probantur eſſe participes, ſcripta ſuſcipias.* Aureliano quoque Arelatenſi, à quo pridie Idus Julias anni elapſi literas acceperat, die tertio Cal. Maias reſcribit, ut per ipſum Sedis Apoſtolicæ Vicarium *univerſis Epiſcopis innoteſcat, ut nullis aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut nunciis quâlibet ratione turbentur.* Ad Ruſticum verò & Sebaſtianum literas dirigit, quibus ingrati animi vitium eis exprobrat; quid adverſus judicatum moverint objicit, officiique abdicationem denuntiat: *Ideòque, quod à nobis cum gemitu, ſed cum B. Petri autoritate dicendum eſt, pro ſuprà ſcriptis exceſſibus alienos vos a Diaconi eſſe honore decernimus . . . . Pariter ſtatuentes, ut ſi nobis viventibus, ſicut optamus, ſub humilitate, & manſuetudine pœnitentes, matrem cognoveritis Eccleſiam, competenter à nobis venia concedatur.* Similiter de Subdiaconorum, & Notariorum officio pellit Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem atque Deuſdedit, conjurationis in judicatum participes. Sententiam verò tranſmiſit per Joannem Marſicanum, Zachæum Syllacenum, Julianum Cingulanum Epiſcopos, Sapatum, & Petrum Diaconos, Surgentium Primiceriorum, Notariorum & Subdiaconum regionis primæ, & Vincentium Subdiaconum regionis ſecundæ.

Syn. Conſtantinopol. v. Act. 7.

Vigilius ab Afris damnatur.

V. Dum judicati inimicos ſuis Vigilius officiis movet, fulmineâ Africanæ Eccleſiæ manu ipſe percutitur. Id Victoris in Chronico teſtatum legitur: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno II. Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum, damnatorem, trium Capitulorum Synodaliter à Catholica communione, reſervato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defenſione memoratorum trium Capitulorum literas ſatis idoneas Juſtiniano Principi per Olympium Magiſtrianum mittunt.* Facti hujus æquitatem oſtendit Facundus in ſuo adverſus Mocianum libro: *Quis illum non audens reprehendere, Africanam levitatis, vel impatientiæ reprehendat Eccleſiam, quæ non niſi aperto jam promulgatoque Decreto anathematizatum videns Chalcedonenſe Concilium, & omnes, qui ejus ſententiam tenent, damnatoribus Patrum ſuorum, ac ſuis communicare vitavit?* Africano eo Decreto apparet & perſpicuum eſt, Patres ſententiæ ejuſmodi fuiſſe, Pontificem Romanum de fide ſtatuentem poſſe in errorem labi, neque cum eo conjunctionem ſaluti adipiſcendæ prorſus neceſſariam eſſe. Secus Synodico judicio neque Vigilium damnaſſent, neque receſſiſſent ab ejus conſortio. Cæterùm Juſtinianus acceptis Afrorum literis, contra eos, Illyricanoſque Antiſtites calamum ſtrinxit: *Juſtinianus Imperator condidit quoque & Reſcriptum contra Illyricanam Synodam, & adverſus Africanos Epiſcopos, in quo tria Capitula damnare contendit.* Hæc Iſidorus de Viris illuſtribus, c. 12.

Vigilius judicati pœnitens, illud recipit. Quibus artibus?

VI. At Vigilius probè intelligens, quantum fluctuum judicato ſuo commoviſſet, ſe ſignari lis, ignaviæ, proditionis, erroris poſtulari, ad artes ſe convertit, ut ſi non judicati ſui memoriam, ipſum ſaltem judicatum aboleret. Juſtiniano igitur Mennæque perſuadet, ad perſananda Eccleſiæ vulnera Synodo Oecumenicâ opus eſſe: Ad id temporis uſque aſſenſus eſſe ſuſtinendos, cauſam ex integro retractandam; ex prioribus Decretis nil impedimenti fundi, quominùs Antiſtites liberam de tribus Capitulis ſententiam proferrent. Id volebat, Imperatorem triumque Capitulorum adverſarios, nec opinantes fallere, ſpe Synodi impletos inter oſcitantes opprimere, judicatumque ſuum recipere, ne ulla amplius extarent veſtigia ejus. Aſtutè. Hanc Pontifici mentem fuiſſe, ut Libello ſuo ſupplici Clerus Italiæ teſtatur: *Præſtitit igitur Deus, ut hâc ratione ſanctus Papa Vigilius judicatum, quod in ipſa cauſa fecerat, publicè in Conventu reciperet, denuncians quia ſi quis Græcorum Epiſcoporum uſque ad univerſalis Concilii tractatum de iſtis Capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus acquievſſet, a communione Sedis Apoſtolicæ alienus exſteret.* Illud & nos Vigilius monuit in ſuo contra Theodorum Aſcidam Decreto, quod anno DLI. apud Baronium legitur: *Ad hoc eſt cauſa perducta, quatenùs ſervatis omnibus, quæ de trium Capitulorum à quibuſlibet dicto ſcriptove fuerant ordinata, quid de ipſa re facto opus eſſet, cum Africanarum, Illyricianarum, ſeu aliarum partium congregatâ Synodo tractaremus, eorum maximè præſentiam requirentes, quorum fuerat ſcandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clementiſſimo Principe, præſentibus etiam Mennâ Conſtantinopolitanæ civitatis, & Dacio Mediolanenſis urbis Antiſtite, aliiſque tam Græcis, quàm Latinis Epiſcopis, cum quibus omnibus etiam tu, Theodore, pariter adfuiſti, necnon præſentibus Judicibus atque Proceribus, univerſoque Senatu convenit, ne uſque ad memoratam Concilii definitionem quidquam de præfatis tribus Capitulis ab aliquo fieri intentaretur.* Porrò quæ juramenta Vigilius adhibuit, ut judicatum reciperet, cordatorum nulli probabuntur. Rem ſic exponit Conſtantinus in VII. Collatione Synodi V. apud Baluzium: *Vigilius paratum ſe eſſe dicebat terribilia ſacramenta ſubire, quod recipiens prædictum judicatum, puram trium Capitulorum faciet condemnationem. Quod ut piiſſimus Imperator, licet difficulter tulit, & alienum, & non conveniens eſſe putabat, Sacerdotes talia ſacramenta ſubire, tamen ex ejus inſtantia victus, juramenta ſcriptis ſuſcipere.* In ſeptima quoque Collatione legitur apud Baluzium, coram Theodoro Aſcida & Patritio Cethego Vigilium Imperatori juraſſe: *Per virtutem ſanctorum clavorum, ex quibus crucifixus eſt Dominus Deus noſter J. C. & per ſancta IV. Evangelia ita per iſtam virtutem ſancti ſtrem, & per iſta ſancta IV. Evangelia, ſe omnibus modis* effectu-

Bar. An. 551. n. 8.

Bal. Conc. p. 1544.

ANNO DOM. 550.

effecturum, ut tria Capitula damnarentur. Voluit tamen hæc ſilentio premi: *Sed & chartula iſta nulli oſtendantur nihilominùs promiſiſtis. Datum eſt hoc juramentum XV. die menſis Auguſti, Indict. 13. Imperii Dom. Juſtiniani anno 24. novies P. C. Baſilii.*

Synodus Mopſueſtena de Theodoro.

VII. Intereà Juſtinianus de odio in tria Capitula concepto nil remittens, Theodori memoriam quantum poterat perſequebatur. Audierat Theodori nomen è Mopſueſtenis Diptychis eraſum fuiſſe. Secundæ igitur Ciliciæ Præſulibus ſcripſit, ut congregatâ apud Mopſueſtiam Synodo inquirerent, quandonam ſacris Eccleſiæ tabulis Theodorus expunctus eſt. Prior Epiſtola ad Joannem Juſtinopolis, olim *Anabarzus* vocatæ, Metropolitanum VIII. Maji dirigitur. Similiter *Coſmæ* Mopſueſtiæ Præſuli ſcribit: *Significamus tua Sanctitati, quòd juſſimus Joanni beatiſſimo Metropolitano Anabarzanæ civitatis colligere omnes Provinciæ Epiſcopos, & pervenire in veſtram civitatem, & ſubtilem inquiſitionem facere, convenientibus omnibus apud vos conſtitutis ſenioribus hominibus, ſive Laicis, & diſcere ab illis, ſi cognoſcunt ex quo ablatum eſt nomen Theodori à ſanctis Diptychis; Si verò non meminerint de tempore, & quando hoc ipſum factum eſt, & hoc ipſum confiteantur, quod non cognoſcant nomen Theodori in ſanctis Diptychis inſertum, vel prædicatum ipſum in Eccleſia.* Novem ergo ſecundæ Ciliciæ Epiſcopi Mopſueſtiam veniunt, ut Imperatori morem geſtum irent. Præſulum nomina ſunt: Joannes Synodi Præſes, Thomas Ægeæ, Stephanus Caſtabalorum, Nicetas Epiphaneorum, Andreas Flaviadeorum, Procopius Irenopolis, Urbicius Alexandrini, Antoninus Roſeorum, Coſmas Mopſueſteni oppidi Præſul. Interfuere quoque Presbyteri complures, Comiteſque clariſſimi, quos inter eminebat *Marthanius* Domeſticorum Comes. Junii XVII. congregatis omnibus Eccleſiæ Mopſueſtenæ in Secretario, Julianus Diaconus ſummatim exponit, quid Reſcriptis Juſtinianus ſuis de Theodoro fieri vellet. Prolatis Evangeliis, regiæ literæ leguntur, jubentibuſque Epiſcopis ab Eccleſiæ defenſore viri ætate provecti ſeparantur, necnon à Joanne Presbytero & Cimeliarcha recitanda Diptycha proferuntur. Verba ſunt Synodi: *Recitentur ſacra Diptycha, quæ declarant ſanctæ memoriæ commemorationem Sacerdotum iſtius Mopſueſtenæ civitatis, ex quo immaculata & orthodoxa fides prædicatur uſque ad hunc, qui in præſenti XIII. Indictione defunctus eſt.* Epiſcoporum XIII. ex Diptychis nomina recitantur, verbis ejuſmodi: *Pro requieſcentibus Epiſcopis, Protogene, Zozimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Baſiliano, Joanne, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zozimo, Theodoro, Simeone.* In eo Catalogo deſiderabatur Theodorus, qui ſub annum CCCLXXXI. Olympio ſucceſſerat. Hic eſt ille ipſe Theodorus, cujus cauſâ tot fluctus commovebantur. Anno circiter CCCCXXVII. Thomæ deceſſerat. Itaque inter Mopſueſtenos Præſules Cyrillo nil loci erat, quem ipſius memoriæ honori faciendo, Theodori in locum ſuis Diptychis inſeruerant. Quærit doctiſſimus Noriſius, cur in eo Catalogo Macedonius Epiſcopus deſideretur, cùm in ſubſcriptionibus Patrum Nicænorum anno CCCXXV. inter Ciliciæ Antiſtites, *Macedonius Mopſueſtienſis* reperiatur. Reſpondet verò, Macedonium ideò Mopſueſtenis tabulis expunctum eſſe, quòd Arianorum ad partes defeciſſe putabatur. Quâ de re obſervanda ſunt verba Socratis: *Orientales aliam fidei formulam conſcripſerunt, eamque per Eudoxium Germaniciæ, Macedonium Mopſueſtiæ in Cilicia Epiſcopum, & Martyrium ad Epiſcopos Italiæ miſerunt.* Sed de Macedonio plura anno 345. diximus. Diptychis olim ſuis Acacius Melitinenſis & Rabulas Edeſſenus Theodorum expunxerant, poſt ubi tam ipſius, quàm Diodori Tarſenſis ſcripta Neſtorii fautores in Syriacam, Armeniacam, & Perſicam linguam transfuderant, ut nos Liberatus monuit, capite decimo: *Ubi hæc agnoverant, Acacius Melitinenſis, & Rabula Edeſſæ civitatis Epiſcopus, ſcripſerunt Armeniæ Epiſcopis, ne Theodori Mopſueſteni libros ſuſciperent, tanquam Hæretici.* Palámque Rabula eum in ſua Eccleſia anathematizaverat. Verùm apud Ciliciæ cæteraſque orbis Eccleſias gloriâ ſuâ Theodorus fruebatur. Anathemate non feriebatur, Mopſueſtenis adhùc tabulis inhærebat.

Socr. l. 2. c. 19.

Theodorus dudum Diptychis expunctus. Quando?

VIII. Cùm porrò nuſquam locorum in ſacris tabulis Theodorus reperiretur, quærunt à Senioribus Epiſcopi, ut tactis Evangeliis jurent, quandonam Theodorus Diptychis ejectus eſt, & quis illius locum ſupplevit? Martyrius verò reſpondit: *Ego annorum octoginta plus minus, habeo autem in Clero ordinatus ſexaginta plus, & neque ſcio, neque audivi quòd recitatus ſit Theodorus, olim factus iſtius civitatis Epiſcopus, in ſacris Diptychis. Sed audivi, quòd ſanctus Cyrillus Alexandriæ magnæ civitatis Epiſcopus factus, pro Theodoro poſitus eſt in Dyptychis, quibus inſcripti ſunt defuncti ſanctiſſimi Epiſcopi, & uſque adhuc inſcriptus eſt, & prædicatur cum aliis Epiſcopis. Epiſcopum enim in noſtra civitate, nomine Cyrillum, neque ſcio, neque audivi factum. Qui autem nunc inſertus eſt Theodorus, ante tres annos obiit, & de Galatia erat.* Eadem quoque ſenes Clerici interrogati dixerunt. Auditis teſtibus ſuam Synodus ſententiam promulgat: *Nunc veritatis revelata eſt ratio, & valde evidenter declarata eſt, Theodorum veterem, qui per iſtam civitatem fuit Epiſcopus, in antiquis temporibus extra prædicationem divini miniſterii fuiſſe, & ſacris Diptychis ejectum eſſe: pro illo verò alterum conſtitutum eſſe, & in illius vocabulum inſcriptum eſſe Cyrillum ſanctæ memoriæ.* Unâ ergo mente & voce ſtatuunt, hæc & Chriſtianiſſimo Imperatori, & beatiſſimo antiquioris Romæ Papæ eſſe notificanda. Quo loco obſervatu dignum, Vigilium Juſtiniano poſtponi. Synodicam porrò Pontifici Romano Epiſtolam ſcribunt, quâ certam ipſum faciant, & Theodorum Diptychis dudum ejectum fuiſſe, & Cyrillum Alexandrinum in ejus locum eſſe ſubſtitutum. Jubente Imperatore Mopſueſtenſes ſcripto hoc ſuo Vigilium adeunt: *Decebat verò, tàm primam Sacerdotis dignitatem ſortiti eſtis, ſanctiſſimè ea, quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciant, manifeſta veſtra divinitùs honorata beatitudini fieri. Hoc benè & Chriſtianiſſimus noſter Imperator conſiderans, & ad veſtram ſcientiam quadam, quæ de Theodoro quondam Mopſueſtena Eccleſia Epiſcopo mota ſunt, juſſit inferri.* Quæ de Synodo Mopſueſtenſi retulimus, ex Collatione v. Synodi quintæ leguntur. Porrò illud admirationem movet, quòd Seniorum nullus ſciverit, quandonam Theodorus Diptychis pulſus fuerit, neque ullum in eis literæ veſtigium apparuerit. Rectè Garnerius monet, eo temporis intervallo contigiſſe, quod ab anno 458. ad annum 480. uſque lapſum eſt.

In

Digitized by Google

Anno Dom. 550.

In Diptychis adhùc erat Theodorus vivente Theodorito, qui ipſius, nec ſine laude, in Hiſtoria ſua meminit. Diptychis jam eraſus erat Theodorus, ex quo Martyrius recitatorum Epiſcoporum nomina io memoria cuſtodire potuit ſub annum 480, Eſt igitur probabile, anno cirtiter 475. imperante Baſiliſco ſacris tabulis expunctum eſſe Theodorum, impellente Zenonide Auguſtâ, quæ Chalcedonenſi Coocilio maximè infenſa erat.

Nùm Theodorus poſt mortem anathemate percuti debuerit.

IX. Theodori occaſione quæſtio movetur, nùm liceat mortuos anathemate percutere? Cui ſic perſolvit Eutychius, qui Mennæ ſucceſſit poſtmodum: *Dixit quæſtionem illam deliberatione non egere, quandoquidem Joſias Rex Sacerdotes Damonum non modò vivos interfeciſſet, ſed & eorum, qui diu anteà mortui fuerant, ſepulchra effodiſſet.* Cui ſolutioni multus plauſus ab audientibus datus eſt; nobis verò ea non placet. Cùm ea infamia defunctis numinum Sacerdotibus irrogata, longè multumque ab excommunicatione diſcrepet, quâ aliquis ab Eccleſiæ militaotis communione ejicitur. Illa politica pœna eſt, hæc verò Eccleſiaſtica caſtigatio: illa à Rege illata, hæc ab Epiſcopis impoſita. Quæ ſanè viventium eſt, non mortuorum, qui Conciliorum poteſtati non ſubjiciuntur amplius. Prætereà cauſa Theodori ab illa Sacerdotum valde diſcrepat, notiſſimorum & Idololatrarum, & pertinacium, qui extra Eccleſiæ Catholicæ pietatem atque communionem mortis debitum ſolverant: cùm nulla in Theodoro pertinacia foret, & in ſinu Eccleſiæ vir ille maximis pro fide defunctus periculis, mortem obiiſſet. Aliundè quæ in ipſius ſcriptis durius dicta reperiuntur, explicatione molleſcere poſſunt, quia idiomatum communicationem non admittebat, vel ſi errorem fundunt, qui ex dictis ſequebatur, eum prorſus rejiciebat. Verbi gratiâ dixit Theodorus Vigilii io Conſtituto: *Sed quis eſt Deus ex Deo, & Conſubſtantialis Patri? Is idem, qui ex Virgine natus erat, ô mirandum, & qui per Spiritum Sanctum ſecundum divinas Scripturas plaſmatus eſt.* Ecce quàm diſertiſſimè Theodorus profitetur unam Chriſti, unam Filii Dei, & Filiò Mariæ perſonam eſſe. Paucia tamen pòſt lineis ſubjongit: *Non tamen nec ſecundum tuam vocem pronunciandum eſt omninò, ex Virgine natum Deum eſſe, & ex Deo Conſubſtantialem eſſe nobis.* Quæ phraſis uno ſenſu vera eſt, altero falſa: ac vera quidem ſi Deus ſimpliciter ſpectetur, nullo ad naturam humanam habito reſpectu, quia Deus æternus eſt; falſa autem, ſi Deus incarnatus iotelligatur. Cùm igitur phraſes Theodori mediæ eſſent, oec unquam diſertè dixerit, duos Filios, duas Chriſti perſonas, Chriſtum hominem purum eſſe, imò verbis expreſſis negarit, utique ſcrupuloſam illorum laudare diligentiam atque pietatem non poſſumus, qui viro magno, & in pace Eccleſiæ mortuo, ob phraſes ejuſmodi anathema dixerunt, non ſine ingenti Chriſtianorum perturbatione atque tumultu. Nec ſi defuncti perperàm injuſtèque damnati memoria in integrum reſtitui poteſt, ideò & Præſulis in pace Eccleſiæ mortui perſona anathemate percuti poteſt: ſive quia plura ad damnandum, quàm ad abſolvendum neceſſaria ſunt: ſive quia in ſcripta Theodori via actio inſtitui poterat, ut quæ duriora forſan videbantur, explicando molliret, ſive quòd ſimplex error à pertinacia atque monitoris contemptu ſejunctus, indulgentiâ dignus eſt. Quin etiam Theodorus ipſe queſtus eſt, ſcripta ſua ab adverſariis eſſe corrupta: *Scripſerunt ipſi inter ſe procul dubio quadam inepta, qua à nobis unquam minimè dicerentur. Denique hac ipſa in medio noſtrorum Scriptorum in quadam parte interpoſuerunt.* Prudentiâ ſanè condita videntur verba Facundi, qui ſuam & ſententiam Gelaſii autoritate firmat: *Alter itaque judicatur à Domino ſimplex pietatis ignorantia, & alter duplex conſcientia pravitatis.*

Evagr. l. 4. c. 38.

Bar. An. 553. n. 60.

Fac. l. 10. c. 2.

Fac. cont. Mocian.

Et Apoſtolica quidem Sedes per B. Gelaſium nefas judicat, poſt mortem condemnare quempiam in Eccleſia pace defunctum, cùm dicit: Quod ſuper noſtra facultatis eſt modulum, divino judicio relinquamus. Non autem nobis poterunt imputare pravaricationis offenſam, ſi viventibus remittamus, quod Eccleſia Deo largiente poſſibile eſt, qui nos etiam mortuis aut veniam, aut condemnationem date poſſcunt, quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt, quia cùm dictum ſit, Qua ligaverint ſuper terram, erunt ligata & in cælo; quos non eſſe jam conſtat ſuper terram, non humano, ſed ſuo judicio reſervavit. Nec audet Eccleſia ſibimet vindicare, quod ipſis Beatis Apoſtolis conſpicit non fuiſſe conceſſum. Patrum quoque æquitas maximè nobis probatur, de quâ meminit & Facundus: *Cùm Apollinariſta progenitoros Acephalorum cum quibuſdam dictorum ejus* (Theodori) *Capitulis eum quærerent abdicare, & à Joanne Antiocheno atque Orientali Concilio, necnon Cyrillo Alexandrino, & Proclo Conſtantinopolitano repulſi ſunt.* Quam agendi rationem ſi Juſtinianus imitatus eſſet, pax infuſa Eccleſiæ regnaſſet, neque ſub Chriſtiano Principe gravis perſecutio virorum ſanè piorum commota fuiſſet, qui Sedibus pulſi ſuis, vitam in luctu, miſeriiſque finierunt. Videatur & Vigilii Conſtitutum apud Baronium, anno DLIII. n. 174.

Cyclus Victoris Capuani.

X. Labente anno Victorii Aquitani Cyclum Victor Capuanus cenſurâ vexavit ſoâ, uti Jornandis in Chronico legitur: *Victor Epiſcopus Capuanus de hujus anni Paſcha ſcribens, erroneos Victoris Cyclos arguit.* Quibus craſſus certè Baronii error refellitur, qui Victoriani Cycli, cujus Patres Aurelianenſes meminere, autorem Victorem Capuanum eſſe putat. Verba ſunt illuſtriſſimi Purpurati: *Quod autem ad Cyclum Victoris pertinet, qui ita à Synodo commendatur, Autor illius fuit Victor Capuanus.* Imò certè Victor Aquitanus, de cujus Cyclo tempore ſuo actum eſt. Ad illum ſanè Victoris Capuani Cyclum Concilium Aurelianenſe quartum attendere non potuit, utpote decennio prius celebratum, quàm à Victore Capuano Cyclus conderetur. Coactum enim eſt Aurelianenſe quartum anno Dom. DXLI. ut obſervavimus. Cur autem Victor Capuanus à Victore Aquitano diffideret, cauſa hæc eſt: Capuanus Paſcha præſentis aoni cum Aprilis XXIV. coojungendum eſſe ſtatuebat, & rectè quidem. Aquitanus verò Aprilis XVII. agitandum eſſe ſanciebat. Verba Capuani extaot apud Bedam de Ratione Temporum, c. 49. *Cùm Paſchalis veneranda ſolemnitas, quánam die potiſſimum proveniret, per anni præſentis Indict. XIII. à nobis ſollicitè quæreretur, & juxta Patrum venerabilium Conſtituta, VIII. Kal. Majarum decerneremus Reſurrectionem Domini procul dubio celebrandam; aliquibus minimè rationabilis viſa eſt noſtra reſponſio, eò quòd Victor quidam in Circulo Paſchali, quem edidit, alter diem Dominica Reſurrectionis aſſixerit, licet & hunc deſignaverit, quem nos celebrandum pariter profitemur.* Qui de ea quæ-

B. M. P. t. 18. 360.

Bar. An. 545. n. 18.

ANNO DOM. 551.

quæſtione plura cupit, legat Bucherii Commentarium, c. XI. Porrò errant Cavius & Du Pin, qui ſcribunt diſſidium Victorum Paſcha anni DLV. ſpectaſſe. Atqui eo anno Paſcha Martii XXVIII. eſt agitatum, quia Cyclus Lunæ V. Solis IV. C. numerabatur. Baſſi ergo Paſchalis expers annus ille fuit. Præfationem Ammonii harmoniæ, quam Tatiani eſſe perperàm credit, Victor & Capuanus appoſuit. Extat in Maxima Bibliotheca Patrum t. 3.

ANNO U. C. 1304. PER. JUL. 5264. JUL. 596. DOM. 551. JUSTINIANI 24. & 25. TOTILÆ 10. *Sol.* 28. A. *Lun.* 1. *Indict.* 14. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 7. P. 9. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii X.

Deletis Mauris pax in Africa conſtituitur.

I. IN Africa Deus Juſtiniani victorias augebat. Ac primùm Leuchatæ Mauri, qui cum magno exercitu Antalæ ſe conjunxerant, dum in Byzacenam irruunt, Joannem, qui ipſis occurrebat, fundunt. Ac dein Carthaginem uſque progreſſi, vicinis locis cladis multum intulere. Verùm Joannes reparato exercitu aliis & Mauris comitatus, quibus *Cuſinas* præfuit, Barbaros partim perimit, partim ad extremos uſque Africæ fines fugat: *Hoc igitur modo pauci admodum & imbelles in tota Provincia relicti, vix tandem ac ſerò quievere.* Hic Procopius libris de bello Vandalico finem impoſuit. Joannis eam victoriam labenti anno Marcellini Chronicum aſcribit: *P. C. Baſilii* X. *in Africa Mauri per Joannem Patricium domiti ſunt.* Victoriæ hujus circumſtantias Jornandes aliquas nos docuit in ſuo libro de Regnorum Succeſſione: Joannes *cognomine Troglita, Mauris partis adverſa per pacificos Mauros ſuperatis, unâ die decem & ſeptem Præfectos extinxit, pacemque totius Africæ, juvante Domino impetravit.*

Sclavorum in Illyricum impetus. In Thracia debellantur.

II. At in Europa Juſtinianus non eâdem fortunâ utebatur. Sclavi prædæ cupidine ducti, tranſmiſſo Iſtro Daciam vaſtabant. Audaces fecerat anni ſuperioris ſucceſſus. Illyricum, Thraciamque crudeliter vaſtarant, nulli ætati pepercerant, obvios non telo, non gladio, ſed palis per viſcera adactis interfecerant: alios lento igne cremarant. Sic Romano ſanguine ebrii, ingenti & rerum, & hominum prædâ potiti, ad ſua ſe receperant. Accenſi igitur opum amore, ſummâ vi labente anno *Naiſſum* veniunt. Cùm ex captivis nonnullis, quos Romani palantes diſperſoſque ceperant, intelligeretur, Barbaros ad occupandam Theſſalonicam veniſſe, Juſtinianus periculi magnitudine territus, Germano ſcribit, ut Italicâ expeditione dilatâ, Illyrico opitulaturus veniret. Ubi Sardicam ſe contulit, Sclavi audito Germanum hìc adeſſe, ingenti formidine capiuntur. Magnum apud Barbaros erat nomen Germani, qui dum Thraciæ præficiebatur, Juſtiniano nec dum rerum Domino, *Antas* Sclavorum vicinos ad internecionem ferè deleverat. Antè ergo clari Ducis conſpectum fugiunt prædones, Illyricisque montibus ſuperatis, in Dalmatiam perveniunt. Eâ curâ liberatus Germanus, biduo pòſt in Italiam profecturus erat, cùm repentino morbo capitur; cujus vis tanta fuit, ut momento penè extingueretur. Tantâ Juſtinianus jacturâ dolore ingenti percitus, Joannem juſſit unà cum Germani filiis exercitui in Italiam tendenti præeſſe. Uterum gerebat Mathasuentha, quæ filium peperit, paterno nomine donatum: *Poſthumus patris Germani natus eſt filius, item Germanus: in quo conjuncta Aniciorum gens cum Amala ſtirpe, ſpem adhùc utriuſque generis Domino præſtante promittit.* Rebus Romanis maximo damno fuit Germani obitus. Tanti viri metu liberati Sclavi, Iſtro tranſmiſſo, cum ſuis ſe conjungunt in Illyrici Thraciæque perniciem. In graſſantes egregium Imperator exercitum mittit, qui circa Adrianopolim Barbaros aſſecutus temerario conſilio, ab eis primùm funditur. Quippe milites ob rerum inopiam affecti tædio, minis atque murmure ſuos ad dimicandum Duces cogunt. Vincuntur Romani, ex quibus complures viri fortes deſiderantur. Vexillo Conſtantiani hoſtes potiuntur: parum abfuit, quin Duces Barbarorum in poteſtatem venirent. Victores pro arbitrio populati, ad longum murum perveniunt, qui diei circiter Conſtantinopoli abeſt. Verùm Romani, qui ex fuga ſeſe collegerant, de improviſo Sclavos adorti, multum cladis ipſis inferunt, captivos ſignumque recipiunt. Cædi ſuperſtites Barbari domum penitùs repetunt.

Prov. Goth. l. 3. c. 21.

Jorn. Get. c. 60.

Proc. Goth. l. 3. c. 22.

Claſſis Juſtiniani diſpergitur. Totila vaſtata Sicilia Italiam repetit.

III. Sic in Illyrico Thraciaque fortuna lætis amara temperabat. Verùm in Italia nullo ferè ſucceſſu proſpero res Imperatoris floruere. Liberius cùm Syracuſas à Gothis obſeſſas inveniſſet, impetu in eos facto in portum deſcendit. Hoc ubi Artabanus intellexit, Cephaloniâ ſolvit: dum Calabriæ appropinquat, ortu vehementis procellæ claſſis ipſius miſerè diſpergitur. Pars navium hoſtium in poteſtatem venit, pars in Peloponeſum redit, pars ſolutis compagibus perit: Prætoria tamen, quâ Artabanus vehebatur, naufragio eripitur. Liberius Syracuſis profectus, Panormum ſe contulit. Totila verò Siciliâ ferè totâ depopulatâ, ingentique pecorum & frumenti copiâ navibus impoſitâ, hortante Spino celeri navigatione Italiam repetit. Intereà Joannes, qui Germano ſucceſſerat, cùm in Dalmatiam perveniſſet, Salonia hyemare conſtituit, ut vere redeunte Ravennam cum exercitu contenderet.

Procop. Goth. l. 3. cap. 22.

Longobardi Gepidas gravi clade afficiunt.

IV. Noſtrorum in Annalium ſcenam nunc gens Longobardorum prodeat, qui theatrum deinceps commovebunt. Certa res eſt, gravem Gepidas inter & Longobardos pugnam eſſe commiſſam, de tempore prælii non ſatis liquet. Jornandis in Chronico, quod ſuo Hermannus inſeruit Contractus, id legimus, anno Dom. DXLIX. *Hoc tempore gens Gepidarum à Rege Alboino, & Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, prælio victa, & penè deleta eſt: & Chunimundus Rex eorum occiſus eſt, de cujus capite auro incluſo, Albom ſibi Fraciam fecit, filiamque Roſmodam inter alios multos captivam, poſteà defunctâ conjuge, Lotharii Regis Francorum filiâ, in ſui perniciem duxit uxorem.* Verùm labente potius anno Alboinum claram eam de Gepidis victoriam retuliſſe, Jornandes innuit in ſuo libro de Regnorum Succeſſione. Præmiſſâ enim Maurorum clade, quæ Joanne Troglitâ Africam adminiſtrante pacem peperit, mox Gepidarum, Longobardorumque bellum memorat. Joannes verò labente anno Mauros fudit, ut nos Marcellini Chronicum monuit. Jornandis verba referantur: *Longobardorum gens ſocia Romani regni Principibus, & Theodatı ſororis filiam, dante ſibi Imperatore in matrimonio jungens Regi ſuo, contra æmulos Romanorum Gepidas unâ die pugnâ commiſſâ,*

Paul. Diac. l. 7.

Anno Dom. 551.

miſſâ, eorum penè caſtra pervaſit, cecideruntque ex utraque parte ampliùs quadraginta millia. Nec par, ut ferunt, audita eſt in noſtris temporibus à diebus Attilæ in illis locis, præter illam, quæ antehac contigerat ſub Calluco Magmilide cum Gepidis, aut certè Mundionis cum Gothis, in quibus ambobus auctores belli pariter corruerunt. Memorandæ hiſtoriæ lucis aliquid fœnerat Paulus Diaconus: *Hâc ætate gens Langbardorum, amica tunc populi Romani, apud Pannonias degebat: quibus in regni gubernaculo Audoinus præerat. Is eo tempore cum Turiſcondo Gepidarum Rege confligens, per Alboinum ſuum filium, juvenem ſtrenuum, victoriam nactus eſt. Denique inter ipſas Alboinus ſeſe acies Turiſmandum, Turiſcendi Regis filium appetentem, alacriter aggreſſus extinxit, perturbatiſque hâc occaſione Gepidis, ſuis victoriam peperit.* Audoinus, ſive Alboinus vocetur, Alboini pater, Theodati ex ſorore neptem duxerat, filius verò Regis Clotharii filiam ſibi uxorem conjunxerat. Sic Auctores componendos eſſe putamus.

Jornandes quis? Quando ſcripſerit?

V. Quamen Jornande hiſtoriam hauſimus, monet de Autore mentionem facere, quove anno libros ediderit ſuos, accuratius inquirere. Gothica de gente Jornandes, quibus parentibus editus ſit, In ſuo de rebus Geticis libro nos monitum ivit. Candax, qui de Alanis Ducibus unus erat, pro Notario Jornandis avum habuit: *Cujus Candacis Alanovamuthis*, inquit, *patris mei genitor Peria*, id eſt, *meus avus*, *Notarius quouſque Candax ipſe viveret, fuit.* Eodem quandoque munere Jornandes ipſe functus eſt: *Ego item quamvis agrammatus, Jornandes ante converſionem meam, Notarius fui.* Communis vitæ pertæſus, aſceticamque amplexus eò progreſſus eſt, ut Gothorum apud Ravennam Epiſcopus crearetur. Extant Jornandis libri duo. Prior de Rebus Geticis *Caſtalio* nuncupatus, poſterior de Regnorum Succeſſione dedicatus *Vigilio*, quem ſic alloquitur: *Vigilantia veſtra, nobiliſſime frater Vigili, gratias refero, quod me per longo tempore dormientem, veſtris tandem interrogationibus excitaſtis.* Quo tempore libros eos ediderit, nunc videamus. Ad annum DL. Jornandis de Regnorum Succeſſione opus perductum fuiſſe, Baronius exiſtimat. Verùm obſervatio hæc non eſt accurata, cùm in ſuo de Regnorum Succeſſione libro rerum meminerit, quæ anno DLI. geſta ſunt, Maurorum ſcilicet à Joanne Troglita debellatorum. Quin etiam diu poſt id temporis prodiit ille liber, ut collatis inter ſe Jornandis operibus exploratum eſt. In tractatu de rebus Geticis hæc habet: *Poſthumus patris Germani, natus eſt filius, item Germanus.* Jam ergo Matasuentha pepererat, cùm id operis lucem aſpexit. Obſervavimus autem ex Procopio, anno labente jam adulto periiſſe Germanum, dum uxor ejus uterum gerebat. Vix ergo ante annum DLII. Jornandis ille liber editus eſt. Porrò poſt ſpatium temporis non parvum Jornandes de Regnorum Succeſſione tractatum vulgavit ſuum, ut verba ipſius ad Vigilium oſtenduot: Ab ipſo Romulo *originem ſumens, in* XXIV. *anno Juſtiniani Imperatoris, quamvis breviter, uno tamen, in tuo nomine, & hoc parviſſimo Libello confeci, jungens ei aliud volumen de origine actuque Geticæ gentis, quod jamdudam communi amico Caſtalio edidiſſem.* Librum ergo de Regnorum Succeſſione ad labentem annum uſque perduxit quidem, cujus in parte, Martii ſcilicet ultimo, Juſtiniani XXIV. abſolvitur: verùm non illum anno currente vulgavit, cùm diu poſt tractatum de Rebus Geticis exaratus ſit.

Jorn. de Reb. Get. c. 50.

Error Baronii.

Bar. An. 550. n. 40.

Anno Dom. 551.

VI. Nunc rerum Eccleſiæ commemorationi vacemus. Theodorus Aſcidas induciarum impatiens, indictum ad Synodum Oecumenicam uſque ſilentium violat, ſcriptoque, quod adverſus tria Capitula condiderat armatus, palam & publicè in aula regia coram pleriſque Præſulibus illud legi curaverat. Id queritur Vigilius in ſua adverſus Theodorum ſententia, quem & ambitionis, & violationis Canonum poſtulat, quòd ab ordinatione *unius anni ſpacio in Eccleſia, cujus gubernacula ſuſceperat*, non reſederit. Verba Pontificis audiamus: *Tuis ex conſuetudine incitamentis liber condemnationem Capitulorum ipſorum continens in Palatio, te aſſiſtente & inſtruente coram quibuſdam Græcis Epiſcopis eſt relectus, à quibus aſſentationem favorum tuis vocibus exigebas. Ex quo facto tam tu, quàm tibi conſentientes Epiſcopi, mitius licet à nobis quàm oportuit increpati, ad promerendam fictâ ſatisfactione veniam convolaſtis.* Objicit & Theodoro, antiquarios pretio caro conduxiſſe, ut neglectâ juramenti religione librum ſcriberet, quo Eccleſia divideretur, falſis etiam Juſtinianum ſuggeſtionibus perduxiſſe, ut adverſus ſe gravius commoveretur.

Theodorus à Vigilio objurgatur, quòd librum in tria Capitula condidiſſet.

Bar. Ann. 551. n. 8.

VII. Facta hæc Theodori probare quidem non poſſumus: verùm graviora adhùc perpetravit, autoritate fretus, quâ apud Imperatorem pollebat. Ad celebrandam Synodum Occidentis Præſules expectabantur: verùm rari advenerant. Ex Africa aderant Reparatus Carthaginenſis, Firmus Numidiæ Primas, Primaſius Adrumetinus, Verecundus Nicenſis, trium Capitulorum propugnatores acerrimi. Tum Vigilius moras nectere, palam prædicare, æquitati non ſatis conſonum, abſque Occidentalium ſuffragio de tanta quæſtione Decretum promulgari. Contrà verò Theodorus Juſtinianum accendere, inſtare, urgere vehementius, ut Capitula damnarentur. Currenti calcaria addebantur. Itaque Edictum Imperator conſcribit, quod & majori regiæ urbis Eccleſiæ, aliiſque locis legendum affigitur. Hoc narrat Clerus Italiæ in ſuo Libello: *Conſtantinopoli verò cœperunt iterum beatiſſimum Papam Vigilium compellere, ut ſi Afri atque Illyriciani, vel Dalmatæ Epiſcopi nollent, ipſe cum Græcis Epiſcopis eadem Capitula condemnaret. Sed beatiſſimo Papâ Vigilio nullatenus acquieſcente, Edicta ex nomine Imperiali, tam in Eccleſia Conſtantinopolitana, quàm in diverſis locis ſuſpendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur.* Edictum illud eſſe, quod Chronicum Alexandrinum in annum proximè ſequentem refert, *Poſt Conſulatum ſcilicet Baſilii* XI. eſt vero ſimillimum. Labitur certè Baronius, qui anno DXLVI. illud aſſignat. In Edicto quidem mentio eſt Synodi Mopſueſtenſis, quæ anno ſuperiore celebrata fuit: *Quin & tota Eccleſia Mopſueſtena, cujus Epiſcopus fuiſſe dicitur, propter ejus blaſphemias, quarum gratiâ à SS. Patribus, & Paganis, & Judæis, & Sodomitis annumeratus eſt, ab illo tempore nomen ejus ex Sacerdotum illius Eccleſiæ Catalogo, ſeu Diptychis expunxerunt, quemadmodum Acta in illa civitate, de hoc in Epiſcoporum illius Provinciæ Concilio teſtantur.* Neque poſt Synodum V. editum anno DLIII. promulgatum eſt, cum de eo Concilio nil mentionis agat, quod non prætermiſiſſet. Supereſt igitur, ut anno vel DLII. vel DLI. Edictum tribuatur. Priorem Chronicum Alexandrinum ſententiam ſequitur, poſteriori

Non expectatis Latinis Antiſtitibus Juſtinianus Edictum proponit in tria Capitula.

Error Baronii.

nos magis aſſentimur, quæ ex verbis Vigilii, Theodorum Cæſareenſem compellantis, demonſtratur: *Tu autem Sedis Apoſtolicæ interdicentis per nos autoritate deſpectâ, ad Eccleſiam, in qua Edicta ipſa pendebant, reliquos tecum attrahens perrexiſti.* Vigilii verò adverſus Aſcidam ſententia, in qua hæc continentur, lata eſt *XIX. Cal. Septemb. Imperante Domino Juſtiniano perpetuò Auguſto, anno XXV. poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno X.*

Bar. An. 551. n. 12.

Edictum Juſtiniani in tria Capitula.

X. Prolixi hujus Edicti titulus hic eſt: *In nomine Dei Patris, & unigeniti ejus Filii J. C. Domini noſtri, & Spiritus ſancti. Imperator Cæſar, Chriſti amans Juſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, glorioſus, Victor, Triumphator, ſemper Auguſtus, univerſis Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſalutem.* Multis verò Patrum teſtimoniis oſtendit, Chriſti perſonam unam eſſe, duabus tamen naturis conſtantem. Deinde quatuor Synodos Oecumenicas firmat; in Hæreticos Trinitatis, Chriſtique inimicos intonat: *Si quis Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, Eutychen, & quicunque cum his eadem ſentiunt, ſenſerunt, non anathematizat, anathema eſto.* Præterea in Theodorum Mopſueſtenum, veluti in errorum deteſtandorum gurgitem, aſperè invectus, ipſum anathemate percellit: *Si quis igitur defendit Theodorum, talia blaſphemantem, & non anathematizat ipſum, anathema eſto.* Eandem & pœnam irrogat illi, qui Theodoriti ſcripta defendit, quæ pro Neſtorio, & contra Synodum Epheſinam, & duodecim Cyrilli capita edidit. Neque magis Ibæ Epiſtolæ parcit: *Si quis defendit impiam Epiſtolam, quæ ab Iba ad Marim Perſam Hæreticum ſcripta dicitur, anathema eſto.* Vix dubitamus, quin Aſcidas Edicti hujus Autor fuerit, in quo nulla fit Origenis mentio. Hoc illud eſt Edictum, quo tota Eccleſia incendio corripitur, Menſe Julio palam publicèque in urbe regia proponitur, non ſub anni currentis initia, ut tradit Du Pin in ſua Bibliotheca, p. 194. Quippe ſi Januario Edicta vulgata eſſent, diu ante menſem Auguſtum Vigilius ſuam in Theodorum, Mennamque ſententiam promulgaſſet.

Vigilius trium Capitulorum damnatoribus minatur: à Theodoro ſpernitur.

IX. Ubi Vigilius Edictum Eccleſiæ foribus affixum eſſe novit, graviter turbatur. Ac majora quidem audet, quàm ab homine, qui ad Principum nutum ſeſe fingebat, expectabantur. In domum Placidianam tam Græcos, quàm Latinos Antiſtites venire jubet, excommunicationemque illis minatur, qui Edicto aſſentirentur. Similes quoque minas intendit Dacius Mediolanenſis, ut teſtatum eunt Italiæ Clerici: *Sed & S. Dacius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit, dicens: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Eccleſia mea conſtituta eſt, id eſt, Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ atque Venetiæ, conteſtor, quia quicunque in Edicta iſta conſenſerit, ſuprà ſcriptarum Provinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia conſtat apud me, Edicta illa ſanctam Synodum Chalcedonenſem, & fidem Catholicam perturbare.* Verùm Theodorus fortunæ ſuæ magnitudine ebrius, minarum Vigilii, Daciique ſecurus, Græcorum Antiſtitum comitante catervâ, illicò Eccleſiam petit, ſacris operaturus. Quod indignationis non minimum Vigilio movit, qui Theodorum ſic alloquitur: *Tu autem Sedis Apoſtolicæ interdicentis per nos autoritate deſpectâ, ad Eccleſiam, in qua ipſa Edicta pendebant, reliquos tecum attrahens, perrexiſti, ibique aliis adjectis prævaricationibus Miſſarum ſolemnia celebraſti.* Contrà verò qui pro tribus Capitulis firmiter ſtabant, Zoilus Alexandrinus, Reparatus Carthaginenſis, aliique Principis iram movent, quorum triſtes caſus narrabimus, ubi res Vigilii executi fuerimus, ne turbetur hiſtoriæ ſeries.

Bar. An. 551. n. 10.

Vigilius Theodorum & Mennam excommunicat.

X. Theodori contumacia idoneam jaciendis fulminibus Vigilio cauſam præbuerat: verùm antequam eo procederet, precibus Imperatorem aggredi ſtatuit, ne intentatum aliquid relinqueret ad Edicta revocanda, additis etiam minis excommunicationis. Juſtinianum rogat, ut affixa Edicta removeri jubeat: expectetur vel Latinorum Præſulum præſentia, vel certè datâ ſcripto ſententiâ, Conſtitutum nullâ comminatione evertat: *Quòd ſi hoc forſan, quod non credimus, feceritis, noveritis ex præſenti die, ut prævaricatores Apoſtoli Petri per miniſterium vocis meæ haberi ſuſpenſos.* Surdis Vigilius canebat. Minis ejuſmodi autoritatem lædi ſuam Imperator exiſtimabat. Fulminis igitur Pontificii ſecurus, majus aggreditur, Zoilo abdicato, qui trium Capitulorum damnationi obſtabat pertinacius, Apollinarem ſufficit. Novâ hâc contumeliâ accenſus Vigilius, fulmen in Theodorum torquet his verbis: *Ex perſona, & autoritate B. Petri Apoſtoli, cujus licet exigui nos locum gerimus cum Dacio Mediolanenſi, Joanne Marſicano, Zachæo Scyllaceno, Valentino Sylvæ Candidæ, Florentio Matellicatenſi, Juliano Signino, Romulo Numanatenſi, Dominico de Callipoli, Primaſio Adrumetino, Verecundo Lunenſi, Stephano Ariminenſi, Paſchaſio Alatrino, atque Joanne Crotonenſi, fratribus & Coëpiſcopis, hâc Theodorum Cæſareæ Cappadociæ civitatis quondam Epiſcopum ſententiæ promulgatione, tam Sacerdotali honore & communione Catholicâ, quàm omni officio Epiſcopali, ſeu poteſtate ſpoliatum eſſe decernimus. Nullis te vacare ulterius rebus, niſi pœnitentiæ lachrymis cenſemus, quibus perceptâ remiſſione culparum, locum communionemque tuam, aut à me, aut poſt obitum meum à ſucceſſore meo, ſi merueris, indulgentiâ recipias. Teque Mennam Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum, qui non diſſimili culpâ conſtringeris, cum omnibus Metropolitanis & Epiſcopis ad tuam Diœceſim pertinentibus, ſed & tuos Orientales, vel diverſarum Provinciarum majorum minorumque civitatum Epiſcopos, qui his exceſſibus, pro quibus Theodorum Cæſareæ Cappadociæ quondam Epiſcopum condemnavimus, præbuiſtis aſſenſum, humaniore ſententiâ pro Dei conſideratione, tamdiu à ſacra communione ſuſpendimus, donec unuſquiſque veſtrum errorem ſuæ prævaricationis agnoſcens, culpam apud nos propriam competenti ſatisfactione diluerit. Data XIX. Kal. Septembris.* Valentinus ad ſubſcribendum uſus eſt Zachæi manu, quia Totila truncatis manibus brachia ei reddiderat. Baronius Romulum Numentanenſem Epiſcopum dicit à Nomento urbe Latii. Antiquam tamen lectionem retinendam eſſe, cum clariſſimo Noriſio exiſtimamus. *Humana* vetus erat Piceni oppidum, hodie *Numana* incolis vocatum. Cæterùm vulgata à Vigilio non eſt ea excommunicationis ſententia.

Bar. An. 551. n. 11.

Ex Baſilica Petri Vigilius vi extrahitur, quæ à populo prohibetur.

XI. Hic Juſtinianus habenas iratum effundere, Vigilio vincula minari. Moleſtè ferebat Edicta regia ſperni, eorumque lautores dignitate ſuâ ejici, communione Eccleſiæ privari: quæ pœna & redundabat in Decretorum latorem

tem. Itaque Vigilium in carcerem duci jubet, quod cùm Pontificis in notitiam veniſſet, ſibi metuens, unà cum Datio Petri in Baſilica aſylum quærit. Verùm non tutum ei latibulum præbuit. Cùm ergo per Vigilium decipi moleſtè ferret Imperator, milites miſit, qui altaria amplexantem vi adhibitâ extraherent. Hæc nos docet Libellus Cleri Italiæ à Sirmundo in lucem editus: *Beatiſſimus Papa Vigilius nec in Baſilica S. Petri ſedes tutas habere meruit, in tantum ut illùc Prætor, ad quem fures & homicidæ tantummodò pertinent, mitteretur. Qui cùm multitudine militum ſpathas nudatas & arcus tenſos portantes, ſuprà dictam Baſilicam introivit: quo viſo ſanctus Papa columnas altaris amplexus eſt. Sed ille ferocitate & animo concitatus, primò de altari Diaconos ejus, & Clericos à capillis tentos ejecit. Poſteà verò ipſum ſanctum Papam alii à pedibus, alii à capillis & barbâ tenentes crudeliter abſtrahebant. Sed cùm ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ ſunt: & quantum ad ipſos ibi ſuper ipſum altare in pertibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus anguſtiis ſemper adeſſe dignatur, tàm aliquorum ex ipſis militibus, quàm populi, qui ad tumultum venerat, animos ad miſericordiam provocavit, & cœperunt voces ac ſtridores mittere, & ſic contigit, ut Judex iniquitatis ſuprà dictus Prætor, commiſſæ crudelitatis ſuæ territus, fugiendo diſcederet.* Ipſe Vigilius in Encyclia ſua teſtatur, dum pedibus traheretur, menſam ſuper ſe lapſuram, *niſi Clericorum fuiſſet manibus ſuſtentata.*

Vigilius in Placidianas redit: inde Chalcedonem fugit.

XII. Cùm Imperatoris furorem Vigilius expertus fuiſſet, ſibi committendum non putavit, ut latam vulgaret in Theodorum, Mennamque excommunicationis ſententiam, ne novos iræ aculeos miniſtraret. Neque Juſtinianus ſuarum etiam partium eſſe judicavit, ulterius in Pontificem ſævire animis. Itaque interpoſito juramento, ab omni violentia tutum præſtat Vigilium atque Dacium, qui regiis promiſſis innixi, Petri Baſilicam exeunt. Id Baronium latuit, ſcribentem: *Sed quod nec ſacer ea, plus tanto Pontifice ab Imperatoris ſacrilegi violentia videri poterat eſſe tutius, trans mare quæſivit effugium, & in Baſilicam ſanctæ Euphemiæ apud Chalcedonem habitare diſpoſuit.* Conſtat tamen, Vigilium in Placidianas ædes prius rediiſſe. Quod quâ ratione contigerit, ex Vigilii encyclica, quam doctiſſimus Sirmondus integram edidit, audire perjucundum eſt: *Indiculum dedimus, per quod datæ noſtræ perſonæ ſcripto petivimus jusjurandum, quòd clementiſſimus Princeps non quale nos voluimus præberi conceſſit, ſed quale ipſi placuit, per Judices ſuos dandum eſſe dictavit. Et dum ſæpè dicti Judices, poſito indiculo, ſuper altare & catenas beati Petri Apoſtoli, & ſuper crucem, quæ de ligno Paſſionis Domini habet inclauſum, ſed & ſuper claves beati Petri Apoſtoli præſtitiſſent corporale jusjurandum ad Placidianas, tanquam nihil mali ulterius patientes, ſecundùm peſſimi Principis rediimus voluntatem.*

Bar. An. 552. n. 8.

Dum in Placidianis moratur, veritus Imperator, ne Pontifex iterum in Templo perfugium ſibi quæreret, miſſo clam milite, ædes ſedulò cuſtodiri jubet. Intereà variis contumeliis ſubjiciebatur. Itaque ſemel iterumque Beliſarium, Judiceſque dati juramenti monet abſque ſucceſſu. Dum in conditionis ſuæ cogitationibus volutat animum, ex auribus hauſit, quibus conſilium fugam arripiendi miniſtratur: *Ante biduum Natalis Domini per nos ipſos agnovimus, & auribus noſtris audivimus, quia per ſingulos memorata domus cuſtodiremur ingreſſus.* Cùm igitur ſe captivum intelligeret, Decembris XXIII. feriâ ſeptimâ, intempeſtâ nocte Chalcedonem tranſmittit, nec ſine periculo, ut ipſe in ſua Encyclica teſtatur: *Nam ſi circumſpiciatur quale quantumque diſcrimen metu faciente deſpeximus, ut per parvam maceriam fabricantium tranſire compeditis dolore nimio, in nocturna obſcuritate poſiti cogeremur, tunc poterit evidenter agnoſci, quanta nobis fuerit temporis pro ſola Eccleſiæ cauſa neceſſitas, aut quanta cuſtodia, quæ nos ſub tali diſcrimine coegit diſcedere.* Vigilium Datius Mediolanenſis, & de Latinis Præſulibus nonnulli ſequuntur, quos inter Verecundus, Nicenſis Byzacenæ Epiſcopus.

Vig. Ep. 14.

Zoilus ob tria Capitula ejicitur. Apollinarius ei ſufficitur. Seditio Ulpianenſis de Capitulis.

XIII. Dum Vigilius Chalcedoni moratur, Zoili Alexandrini caſus nobis ſunt memorandi. Septennio Præſul inceſſerat, cùm Sede ſuâ ejicitur, quod Edicto Juſtinianeo aſſenſum negabat ſuum. Timido redierat in præcordia virtus, nec quæ metu Imperatoris compulſus, tria olim Capitula damnaverat, rejectum ire amplius voluit. Hinc expulſionis cauſa, uti ex Victore ſcimus: *Apollinarius Zoilo tria memorata Capitula damnare nolenti, Epiſcopus Alexandrinæ Eccleſiæ ſubrogatur.* Innuit quidem Evagrius, defuncto Apollinarium ſucceſſiſſe: *Quo ad deceſſores ſuos adjuncto, Apollinaris Sedem illam regendam ſuſcepit.* Nullum uſquam phraſis ejuſmodi exemplum extare putamus abdicationi ſignificandæ. Quæcunque porrò mens fuerit Evagrii, pro explorato habendum putamus, quòd non morte quidem, ſed ejectione Zoilus Apollinario locum dederit. Præcipuarum ſanè cauſarum una hæc illa fuit, quâ in Aſcidam gladium excommunicationis Vigilius ſtringere permotus eſt: *Pontificem, etiam Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotem, fratrem noſtrum Zoilum, cujus nomen uſque ad memoratum diem communicatum nobis fuerat, Diptychis amoventes, Apollinarem quendam pervaſorem atque Eccleſiæ ipſius adulterum nobis ſociaſtis.* Defuncto Zoilo Apollinarius Alexandrinæ adulter Eccleſiæ dici non poterat. Neque ſolâ Præſulum ejectione, ſanguine quoque Theodori, Theodoriti, & Ibæ manibus litatum eſt, ut trium Capitulorum negotium non Eccleſiæ modò, ſed Reipublicæ etiam damno foret. Rem Procopius ſummatim narrat. Longobardis fœdere ſibi junctis adverſus Gepidas Juſtinianus auxilia miſerat: *Ex eo exercitu tamen præter Amalafridam Præfectum, ejuſque milites ad Longobardos nemo pervenit. Nam cæteri Imperatoris juſſu circa Ulpianam Illyrici urbem ſtationem habebant, ob ſeditionem ea de cauſa inter incolas ortam, quâ Chriſtiani ſolent de fide ſolertius diſceptando inter ſe altercari.* Ulpianæ, quæ Dardaniæ civitas eſt, Paulus Epiſcopum agebat, qui tribus Capitulis mordicùs adhærebat. Populus verò, qui multis à Juſtiniano beneficiis affectus erat, in ipſius partes conceſſerat. Hinc orta ſeditio.

Evagr. l. 4. c. 39.

Bar. An. 551. n. 10.

Proc. Goth. l. 4. c. 24.

Synodus Pariſienſis de cauſa Saffaraci Præſulis.

XIV. Sub ea tempora Sapaudus, qui Aureliano ſucceſſerat, labente anno Synodo Pariſienſi præfuit. Noviſſimis Conciliorum editoribus perſuaſum fuit, Conventum Pariſinum anno DLV. celebratum eſſe. Verùm vir doctiſſimus Carolus le Comte in ſuis Francorum Annalibus obſervat, Firminum Uceticenſem Epiſcopum, qui Synodo ſubſcripſit, anno DLIII. mortem obiiſſe. Mandato Childeberti convocata eſt, eique XXVII. Præſules interfuere, qui Actis ſubſcripſere. Conventui Sapaudus præfuit, Arelatenſium Antiſtes.

Diſſo-

ANNO DOM. 551.

Diſſoluta *Saffaraci* vita Pariſienſis Epiſcopi Synodo cauſam præbuit. Patrum verba ſunt: *Ob hoc in domo Eccleſiæ unanimiter reſidentes, geſta, in quibus quondam diſcuſſio Saffaraci Epiſcopi habita fuerat, nobis poſtulavimus recenſeri, quam per ordinem relegentes, cùm veniſſemus ad locum, ubi ejus confeſſio de crimine tenebatur, quam præſentibus ſanctis ac venerabilibus viris Epiſcopis, Medovecho, Leabeno, Leubachario Abbate, Hiculpho Presbytero, Æterno Archidiacono, necnon & Aſtricio Diacono profeſſus fuerat memoratus quondam Epiſcopus Saffaracus*, &c. Exutus Epiſcopatu in Monaſterium detruſus fuerat, quam Pariſienſes ſuffragio ſuo ſententiam firmaverunt.

ANNO DOM. 552.

ANNO U. C. 1305. PER. JUL. 5265. JUL. 597. DOM. 552. JUSTINIANI 25. & 26. TOTILÆ 11. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 2. *Indict.* 15. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 31. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii XI.

Totila Græciæ oras vaſtat: Claſſis ejus à Joanne deletur. Corſicâ & Sardiniâ potitur.

I. GOthici belli annum XVIII. ingredimur, qui Procopio XVII. numeratur. Ut partum Italiæ Imperium Totila ſibi ſervaret, claſſem inſtruit ad Græciæ oras populandas. Ac primùm quidem proſperè res evenit. Corcyram Gothi diripiunt, vicinas inſulas vaſtant: omnia circa Dodonem, Anchialum, Nicopolim loca prædantur, cùmque Juſtiniani in naves incidiſſent, ad Romanum exercitum neceſſaria ferentes, ad unam omnes capiunt. Intereà Totila terrâ marique Anconam obſidet. Jam obſidionis mora civitas commeatus inopiâ premebatur, cùm Valerianus Ravennæ agens, Joannem, qui apud Salonas hyemaverat, rogat, obſeſſis ſuppetias ferret. Joannes etſi Salonis excedere regiis mandatis prohiberetur, imminenti tamen periculo præponendam fortunæ neceſſitatem ratus, cum claſſe ſolvens, Anconitanis venit auxilio. Cujus adventum cùm Gothi accepiſſent, illicò naves ſeptem & quadraginta delecto milite complent, reliquiſque copiis ad obſidionem relictis, claſſi Romanæ occurrunt. Verùm adeò incompoſitè, & ſolutis ordinibus certant, ut ſibimet eſſent ad victoriam impedimento. Itaque deſperatis rebus eo loci rediguntur, ut nec fugæ, nec virium recordatio ulla verſaretur ante animos. Undecim tantùm naves victorum manibus eripiuntur, cæteræ captæ. Profugi terrâ excepti, navibus ſubinde incenſis, ne hoſtium in poteſtatem venirent, ad caſtra pedibus feruntur, & narratâ clade ſuâ, ſimul cum obſidentibus Auximum celeriter ſe recipiunt. Joannes caſtris Barbarorum direptis, Anconæ commeatus infert. Ea victoria & Totilæ & Gothis animos fregit: quorum cladi nova calamitas acceſſit. In Siciliis Artabanes, qui Liberio Conſtantinopolim revocato ſucceſſerat, devictis, qui pugnare audebant Gothis, cæteris ad alimentorum inopiam deductis, in deditionem demum omnes accepit. Quibus auditis Gothica ſpes omnis decollat. Noverant ſe Imperatori inviſos eſſe, Francos Italiæ partem tenere: & ſi quid fortè auxilii Romanis veniret, ex iis, quas adhùc occupabant regionibus, nullo ſe negotio pelli poſſe. Triſtes tamen Totilæ caſus felicitatis aliquid lætificat. Miſſâ claſſe, Corſicam nemine reſiſtente, in poteſtatem ſuam redigit, Sardiniâque ſubinde potitur. Quod ubi Joannes, qui Africano exercitui præerat, audivit, è veſtigio claſſem in Sardiniam miſit oppugnandæ Calari. Gothi eruptione factâ, multis interfectis, Romanos in fugam vertunt, qui conſcenſis navibus turpiter Carthaginem repetunt.

Proc. Goth. l. 4. c. 23.

Proc. Goth. l. 4. c. 24.

Terræ motus in Græcia.

II. Dum Romanis Gothi concurrunt, ingenti terræ motu Bœotia omnis, & ſimul Achaia concutitur, quo Coronia Petra, Naupactus ad ſolum uſque proſternuntur. Mira aquarum eluvia, Inſulæ quædam pedibus perviæ fiunt, fluctibus montium cacumina alibi operientibus. Ubi mare in priſtinum ſe locum recepit, deſtituta aquis tanta vis piſcium inventa eſt, ut portenti loco haberetur.

Proc. Goth. lib. 4.

Æra Armeniaca inſtituitur.

III. Æra Armeniaca labentem annum nobilitavit. Incepit die nono Julii, feriâ tertiâ. Eſt autem forma annorum Nabanaſſarea, & habet menſes duodecim æquabiles, triginta dierum, cum ἐπαγομέναις quinque.

Juſtinianus Judæis concedit, quâvis linguâ Scripturas legere: Miſnæ lectionem vetat.

IV. Celeberrimam octavo Februarii Legem Juſtinianus promulgavit, quâ Judæis concredebatur, Scripturas Latinè, Græcè, aliâve linguâ legere. Editionem tamen LXX. Interpretum præcipuè commendat: *Verùm tamen hi, qui Græcè legunt, LXX. utantur traditione, quæ omnibus certior eſt, & præ aliis melior judicata, præcipuè propter quod circa interpretationem contigit, quia & per duos diviſi, & per diverſa interpretantes loca, tamen unam tradiderunt omnes compoſitionem.* Judæis tamen concedit & Aquilæ verſionis lectionem. Vetat autem δευτέρωσιν, ſive *Miſnam*, cujus originem à Moſe deducunt, Joſue Prophetiſque ſerie non interruptâ traditam. Juſtiniani mentem non intellexit Interpres, dum vertit, *ſecunda editio.* Miſnam porrò prohibet, *utpote ſacris non conjunctam libris, neque deſuper traditam de Prophetis*, contra quam recutiti arbitrantur. Si ergo Judæis animus eſt ſacros Codices legendi, Scripturas ſolas legant, non verò Rabbinorum ſuorum fabulas: *Neque licentiam habebunt, qui Archiphereciti, aut Seniores, aut Doctores appellantur, περινοίαις commentis aliquibus, aut anathematibus hoc prohibere, niſi vellent propter hæc caſtigari pœnis corporeis, & inſuper facultatum jactura.* Archipherecitæ illi ſunt, quorum munus erat legere, & Scripturæ ſectiones, & Talmud titulos, qui Hebraicè פרשיות, & פרקים appellantur, interpretari: *Archipherecita* vox eſt compoſita duobus vocabulis, uno Græco, altero Hebræo. Hominibus ejuſmodi Talmudici tituli probè noti erant, hinc nominis origo. Expellit & Lege ſuâ Juſtinianus eos, qui Reſurrectionem, Judicium, Angelos negant, hoc eſt, Sadducæos, qui hæc omnia pro fabulis habebant: *Datum* VI. *Id. Febr. Conſtantinopoli D. N. Juſt. P. P. Aug. anno* XXV. *poſt Conſulatum Baſilii* XII. Sic habet nota Conſularis: verùm ſine dubio legendum P. C. Baſilii XI. quia annus Juſtiniani non XXV. ſed reverà XXVI. erat præceps octavo Februarii, qui poſt Conſulatum Baſilii XII. labebatur. Ex ea Juſtiniani Novella apparet, linguâ vernaculâ cognitâve Scripturas & in Synagogis, & in Eccleſiis palam & publicè lectas fuiſſe, ut mirum ſit, hanc ab Epiſcopis diſciplinam noſtrâ ætate prohibere, & Presbyteros reperiri, qui de Scripturæ lectione illud uſurpent,

Novella 146.

Non proſit potius, ſi quid obeſſe poteſt.

Vigilium miſſâ legatione in urbem reducere nititur Imperator.

V. Res Eccleſiæ nunc nobis ſunt referendæ. Vigilius ſuperiore anno Decembr. XXIII. clancularià fugâ Chalcedonem migraverat. Quod permoleſtum fuit Imperatori. Januarii ergo

XXVIII.

ANNO DOM. 552.

XXVIII. feriâ primâ, honorificâ legatione Pontificem Euphemiæ Eccleſiæ incluſum conveoit, ut quem vi frangere non potuerat, obſequio ſaltem flecteret. Loquentem audiamus: *Dum in Sancta Euphemia Baſilica gravi laborantes ægritudine teneremur, piiſſimus atque clementiſſimus Imperator Dominico die, id eſt, v. Kal. Febr. glorioſos Judices ſuos ad nos deſtinare dignatus eſt, id eſt, Beliſarium, & Cethegum Exconſules atque Patricios, nec non & Petrum Exconſulem, Patricium atque Magiſtrum, ſed & Juſtinianum Exconſulem, & Curopalatem, & Marcellinum Exconſulem & Comitem Excubitorum, & glorioſum virum Conſtantinum Quæſtorem, qui nobis dicerent, ut ſacramenta percipere deberemus, & de Sancta Euphemia Eccleſia ad civitatem regiam remeare.* Congruenter admodum reſpondit Pontifex, ſi pax reddatur Eccleſiæ, ſibi ad exeundum juramento Imperatoris non opus eſſe, cùm è veſtigio ſit egreſſurus: *Si autem*, inquit, *cauſa Eccleſiæ finita non fuerit, item Sacramentis opus non habeo, quia nunquam de Sancta Euphemia Baſilica exire diſpono, niſi ſcandalum ab Eccleſia Dei fuerit amputatum.* Hæc ubi Juſtinianus accepit, Epiſtolam Vigilio miſit per Petrum Referendarium, contumeliis refertam. Verùm cùm neque Imperatoris *manu ſcripta* eſſet, oeque Petrus diem, quo oblata erat, notare vellet, nullam ei fidem Vigilius adhibuit. Igitur Petrus iterum *Dominicorum die, qui fuit pridie Nonas Februarias*, Chalcedonem redit, ut datis ſacramentis Vigilium in urbem regiam reduceret. Ad hæc Vigilius: *Si directis duobus Judicibus, quorum nomina tibi in præſenti prodidimus, ſacramenta præſtare dignetur, ut poſt hæc ſine metu periculi fratrem noſtrum Datium Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, vel alios, quos cum eo tranſmiſerimus, loco noſtro ſuſcipiat, parati ſumus dirigere, ut per eos de Eccleſiaſtica cauſa quæcunque mandavimus, veraciter innoteſcant. Si quidem Eccleſiæ cauſâ nulla ſacramenta dari depoſcimus, ſed mox pro gratiarum actione ejus occurrimus pietati.* Sequente luce Encyclicam Vigilius ſuam edidit: *Data Nonis Februarii, imperante Domino Juſtiniano P. P. Auguſto anno* XXV. *poſt Conſulatum Baſilii anno* XI. ſic legendum, oon *decimo*. Hîc Baronius erroris non eſt immunis, qui à vulgatis editionibus deceptus, tradit Imperatoris Legatos primùm Vigilium adiiſſe, Dominicorum die, id eſt, *Kal. Febr.* Secundâ verò legatione eum rurſus conveniſſe poſtridie *Kal. Februarias.* Verùm primus Februarii anno labente feriæ non primæ, ſed quintæ cohærebat. Verba igitur Vigilii eo ſunt modo legenda, quo à nobis exhibentur.

Bar. An. 552. n. 13.

Mennas & alii Epiſcopi à Vigilio veniam petunt.

VI. Cùm Juſtinianus invicti conſtantiſque animi Vigilium eſſe cerneret, neque eo repugnante tria poſſe Capitula in Occidente damnari, in illum inclioare cœpit. Quod ubi Mennas, Theodorus, Andreas intellexere, Vigilio Euphemiæ Baſilicam adhuc incolenti fidei ſuæ Libellum offerunt, quo & quatuor Synodos calculo ſuo firmant, factorumque ſuorum veniam ab eo petunt, his verbis: *De injuriis autem quæcumque beatitudini, vel Sedi veſtræ factæ ſunt, eas quidem non feci: ſed quia pro pace Eccleſiæ modis eſt omnibus feſtinandum, velut ſi eas feciſſem, veniam poſtulo. Quia verò tempore diſcordiæ excommunicatos, vel non receptos à beatitudine veſtra in communionem ſuſcepi, pariter veniam poſtulo.* Libello ſubſcripſere Mennas Conſtantinopolitanus, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ, Andreas Epheſinus.

ANNO DOM. 552.

Mennas moritur: ejus Libellus.

VII. Hâc ſuâ reſipiſcentiâ Mennas ad tranquillam mortem viam ſibi parare videbatur, cùm menſe circiter Novembri extremum diem clauſerit. Sacris Conſtantinopolitanis annos XVII. præfectus fuerat, Acephalos coactâ Synodo damoaverat, Origenem anathemate ferierat, magnâque & regiam aulam, & plebem ſibi benevolentiâ conjunxerat. Libellum edidit Mennas, qui nunc deſideratur, quique futuro ſeculo commovebit theatrum, anno ſcilicet DCXXXIV. quo Sergius Regiæ Præſul urbis Honorio Romanorum Antiſtiti nunciat, Vigilio Libellum à Menna oblatum fuiſſe, qui Chriſti uni & voluntati, & operationi maximè favebat. In eo quidem ſcripto illi, qui Monothelitæ vocantur, non minimum ſententiæ ſuæ fundamentum collocabunt. Audiantur verba Sergii, quæ extant in Actione XII. ſextæ Synodi Oecumenicæ: Heraclio Imperatori direximus *etiam ſermonem acclamatorium Mennæ ſanctiſſimi quondam Patriarchæ hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, porrectum ab eo hic Vigilio ſanctæ memoriæ prædeceſſori Sanctitatis veſtræ, habentem & diverſa teſtimonia paterna de una operatione, & una voluntate Salvatoris noſtri Chriſti, veri Dei noſtri.* Pyrrhus quoque pro re certa exploratāque habet Libellum Mennæ, in ſua cum Maximo diſputatione: *Quomodo*, inquit, *Vigilius tunc Pontifex Romanus, Libellum à Menna Epiſcopo hujus urbis Regiæ oblatum, qui unam voluntatem continebat, accepit?* *B. M. P. t. XII. 504.* Sed & in Theodoſii Cæſareæ Epiſcopi cum eodem Maximo Collatione anno DCLVI. apud *Byzam* inſtituta, ea verba leguntur: *Verùm tamen non recipis Libellum Mennæ, in quo unam voluntatem, & unam operationem Chriſti docuit.* *B. M. P. t. XII. 954.* Nec candidè ſatis hoc ſcripti objicienti Pyrrho reſpondit Maximus: *Qui tibi anteceſſit, ut ſuis ad Honorium literis ſcripſit, commonefactum quidem fuiſſe de eo Libello, non autem oblatum, nec oſtenſum.* Imò Libellum Heraclio directum fuiſſe, non ſemel affirmat Sergius in ſua ad Honorium Epiſtola. Quid his diſertius? *Nuper autem piiſſimus Dominus noſter apud Edeſſenam demorans civitatem, pios ad nos apices fecit, præcipientes ut paterna illa teſtimonia deflorémus, quæ continentur in libro dogmatico, ſicut dictum eſt, facto à ſanctæ memoriæ Menna, ad ſanctiſſimum Vigilium de una operatione & una voluntate, & hæc à Deo inſtructæ ejus ſerenitati dirigere deberemus, quod & ad effectum perduximus.* Quin igitur Mennas de una Chriſti voluntate, & operatione librum ediderit, & à ſe oblatum Vigilio, & à Sergio Imperatori Heraclio miſſum, oon eſt ponendum in ambiguo. Itaque quærenti Theodoſio, *Non recipis Libellum Mennæ?* Reſpondit Maximus: *Ne det Dominus meus.*

Mennæ Eutychius ſuccedit.

Error Baronii.

VIII. Defuncto Mennæ ſucceſſit *Eutychius*: præſentene, vel futuro anno, ponitur in ſententiis, Baronius, cui complures aſſentiuntur, Eutychium anno DLIII. in Conſtantinopolitana Cathedra collocatum eſſe tradit. Verùm certis Noriſius argumentis Eutychiani Epiſcopatus initia anno DLII. addixit. Verba ſunt Theophanis: *Eodem tempore Mennas Epiſcopus Conſtantinopolitanus defunctus eſt, in cujus locum ſuffectus Apocriſiarius Amaſeæ Presbyter, & Monaſterii ipſius Amaſeæ Monachus Eutychius, eo ipſo die, quo Mennæ cadaver in ſacris adytis adhuc expoſitum jacebat.* Præterea Euſtathius narrat,

Eutychium feſto Timothei à Juſtiniano pulſum eſſe Januarii XXIV. *In perſecutionis tempore Sabbatum & hyems erat, vigeſimo enim ſecundo* (lege XXIV.) *menſis Januarii, vir Dei ſanctus tentatus & ejectus fuit. Magnus hic vir Dei Eutychius pari annorum numero, quot ſunt Apoſtoli, Chriſti gregem pavit.* Sederat verò annos XII. menſes duos, cum ejectus eſt, teſte Nicephoro in Chronico: *Eutychius Presbyter & Monachus in Monaſterio Amaſiæ, annis XII. menſibus duobus.* Quod temporis intervallum facto in anteriora regreſſu, in præſentis anni Decembrem incidit. Epiſcopi Amaſenorum Apocriſiarii officio fungebatur Eutychius, cùm ad Patriarchatum promovetur. Jam ſibi famæ multum comparaverat, vivente Mennâ. Quæſtione enim propoſitâ, utrùm liceret mortuos anathemati ſubjicere, apertè dixerat, quæſtionem deliberatione non egere, *Quandoquidem Joſias Rex Sacerdotes Dæmonum non modò vivos interfeciſſet, ſed & eorum, qui diu antea mortui fuerant, ſepulchra effodiſſet.* Mennæ chariſſimus erat, qui præſagâ mente eum ſibi ſucceſſurum exiſtimabat. Imperatori quoque in pretio erat, à quo etiam ad Pontificatum promotus eſt. Rem narrat Euſtathius, cujus nobis eſt difficillima fides. Verba ſunt Imperatoris: *Cùm in Æde Sancti Petri Principis Apoſtolorum, in qua Senatus habebatur, me ſomnus complexus fuiſſet, in quiete vidi Principem Apoſtolorum, mihi magnum Eutychium oſtendentem, dicentemque, fac ut hic ſit Epiſcopus.* Somnia hæc attuliſſe Juſtinianum, ut Eutychius Epiſcopus crearetur, non credimus. Profectò virum divinitùs ſibi commendatum Conſtantinopolitanâ Sede Imperator non ejeciſſet, qui tamen Eutychium pepulit. Neque viſionis hujus mentio eſt in Evagrio. Ubi Eutychius inauguratus eſt, gregi ſuo palam & publicè dixit, *Pax omnibus*, qui viciſſim illam & ab omnibus accipit.

Euſt. Vit. Eut. c. 54.

Evagr. l. 4. c. 38.

Juſtinianus ob tria Capitula Afros Antiſtites in exilium tradit.

IX. Cæterùm Juſtinianus gratas odio trium Capitulorum victimas mactabat, teſte Victore: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XII. Reparatus Archiepiſcopus, plurimis calumniis impetitus, pro eo, quod damnationi trium Capitulorum memoratorum aſſenſum non præbuit, officio ſumptibuſque privatus, Eucaida exilio relegatur.* Calumnias exponit Italiæ Clerus: *Continuata eſt cauſa Sancto Reparato, Carthaginenſi Epiſcopo, quaſi Ariobindum Magiſtrum Militum à Gunthari tyranno in Africa feciſſet occidi.* Ariobindi caſus ſuo loco narrati ſunt. Diuturnum apud Euchaidam Reparatus paſſus eſt exilium, quod ſolâ morte finivit anno DLXIII. *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XXIII. Reparatus Archiepiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ exilio apud Euchaidam, glorioſâ confeſſione tranſit ad Dominum, die VII. Idus Januarii.* Pulſo in exilium Reparato Primoſus Diaconus mox ſufficitur, non ſine Canonum injuria: *Primoſus Diaconus Apocriſiarius Reparati poſtquam damnavit, quæ ſunt Synodaliter & univerſaliter defenſata, eo ſuperſtite contra vota Cleri ſimulque & populi, Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ ordinatur.* Quin labente anno Reparato ſucceſſerit, nulli dubitamus, cùm ſequente per Legatum quintæ Synodo interfuerit: *Sextilianus miſericordiâ Dei Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Tunenſis, agens vicem Primoſi Archiepiſcopi Carthaginis, totiuſque Concilii Provincialis*, &c. Verecundus Nicenſis Eccleſiæ Præſul in Byzacena, miſeriarum finem morte citiſſimâ anno labente reperit, eodem Victore teſte: *Verecundus Eccleſiæ Nicenſis Epiſcopus in defenſione memoratorum perdurans Capitulorum, Chalcedone urbe in diverſorio glorioſæ matris Euphemiæ de hac vita migravit ad Dominum.* Primaſius quoque Adrumetinus ſuâ civitate exulat, verùm cùm gloria eum titillaſſet, Primatus adipiſcendi cauſa anno DLIII. Juſtiniano ſe morigerum præbuit. Primaſii hiſtoriam narrat Victor in ſuo Chronico: *Primaſius quoque Acœmetenſis Monaſterio relegatus. Sed Boëtio Byzaceni Concilii morte prævento, ut ei ſuccederet, memoratæ damnationi protinus aſſenſit, everſuſque ad ſua, quæ prius defendebat, validiſſimis perſecutionibus impugnavit, fidelibuſque calumnias generando, eorumque ſubſtantias auferendo. Sed in quibus peccavit, latere non potuit. Si quidem poſtquam à Catholicis ſui Concilii Antiſtitibus pro ſuis prævaricationibus condemnatus, infelici morte extinguitur, & quæ conquiſierat fraude, fideliter à Judicibus auferuntur.* Firmus, qui ſuo nomine docebatur, ne quid timidè, ne quid ignavè, ne quid ſerviliter faceret, regiis muneribus expugnatur. Victoris verba referamus: *Firmus Concilii Numidiæ Primas, donis Principis corruptus, damnationi eorumdem Capitulorum aſſenſum præbuit.* Sic res Afrorum Epiſcoporum, qui in regiam urbem venerant, ſe habuit. Unde patet error Baronii, qui nobis eſt coarguendus: *Solus Primaſius inter Africanos Epiſcopos reperitur, qui inhæſerit Vigilio, cæteris ab ejus communione recedentibus.* Atqui Primaſius, Reparatus, Verecundus & adhæſerunt Vigilio, & pro Capitulis fortiter certaverunt: Verecundus & Reparatus ad extremum uſque ſpiritum, Primaſius verò ad DLIII. uſque annum. Vigilii conſtituto ſcripſerat, contra quintæ Synodi geſta condito.

Vict. Tun.

Vict. Tun.

Error Baronii.

Bar. Ann. 551. n. 13.

X. Primaſius ille Adrumetinus, qui ambitionis aculeo incitatus, trium Capitulorum tandem deſertor evaſit, vulgò ab eruditis Commentariorum & in Pauli Epiſtolas, & in Apocalypſim Autor exiſtimatur. Primaſio *Uticenſi* opus tribuerat Trithemius, quod Baronio non placet: *Errore*, inquit, *lapſus videtur Trithemius.* Cur erroris damnandus ſit Trithemius, prorſus neſcimus, cùm nullis adhùc argumentis compertum habuerimus, Primaſio Adrumetino ea Commentaria aſcribenda eſſe: *De Apocalypſeos explicatione* Caſſiodorus libro de divinis Lectionibus, c. 9. *Noſtris quoque temporibus Apocalypſis prædicta B. Epiſcopi Primaſii Antiſtitis Africani ſtudio minutè, & diligenter quinque libris expoſita eſt.* Primaſium Africæ Antiſtitem dicit: accuratius autem loquendo, Adrumetum non in Africa, ſed in Byzacena ſita eſt. Utica verò Africæ Proconſularis civitas eſt: ut ex Caſſiodori verbis Primaſius Uticenſis potius, quàm Adrumetinus ſcribendus ſit: *Sed & Prologi* in Apocalypſim titulus eſt ejuſmodi: *Primaſii Africani Epiſcopi Civitatis Uticinæ, ſuorum in Apocalypſim Commentariorum Prologus.* Titulis autem temerè fides non eſt detrahenda. Quis ergo fuerit Primaſius ille, præſtat magis in dubio relinquere. Cùm affirmantibus aut negantibus probabiles ſatis rationes non ſuppetant, licet à veriſimilitudine minus abhorreat, Primaſium Uticenſem horum Commentariorum parentem eſſe, cui non ſemel in antiquis Codicibus tribuuntur. Quiſquis ille fuerit, conſtat ex Auguſtini filiis unum eſſe, ac Gratiæ & efficacis, & peculiaris vindicem præſtare acerrimum. Exemplo ſint verba capitis noni ad Romanos: *Sed dicit aliquis, quare*

Num Primaſius Adrumetinus Autor Commentariorum in Paulum & Apocalypſim?

Bar. An. 551. n. 23.

illum

ANNO DOM. 553.

illum ſic, & alium non ſic, & cur non omnes æqualiter? Num quid perſonarum eſt acceptor Deus? Reſpondet verò Primaſius: *Si quiſpiam duos habeat debitores, & alteri velit debitum dimittere, & alterum exigere, cui vult donat, ſed neminem fraudat: nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt.* Verè & ſapienter. Expoſitionem verò in Apocalypſim edidit, ut *Caſtori* pergratum faceret, viro clariſſimo, quem ſic in ſuo Prologo compellat: *Tuis, vir illuſtris, & religioſe Caſtor, ſuaſionibus acquieſcens*, &c.

ANNO U. C. 1306. OLYMP. 333. PER. JUL. 5266. JUL. 598. DOM. 553. JUSTINIANI 26. & 27. *Sol.* 2. E. *Lun.* 3. *Indict.* 1. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 3. *P.* 20. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii XII.

Crotonenſis obſidio ſolvitur. Narſes in Italiam mittitur. Quis?

Agath. l. 1. *c.* 12.

I. ANnum Gothici belli XIX. tractamus, Totilæ fatalem, quo deſtinatum miſero Principi fulmen, Narſes velut cœlo miſſus, ad evertendas res Gothorum deſcendit in Italiam. Erat Narſeti corpus exiguum: verùm magno pollebat animo, & ſuprà quàm credibile, ad res egregias gerendas idoneo, etſi licet Orientis deliciis innutrito. Scientiarum quidem haud peritus erat; nec eloquentiæ ſtuduerat: verùm indolis, rationiſque præſtantia, quæ in deliberationem veniebant, argumentis ea firmare poterat: induſtriæque plenus, fortunæ caſibus ſeſe aptare callebat. Itaque Italiæ reſtaurator meritò habitus eſt, quam Gothis ereptum ivit. Calamitatis imminentis omen fuit Crotonenſis obſidio ſoluta. Claſſis Juſtiniani, quæ veniebat auxilio, cùm proſperum nacta ventum eſſet, de improviſo Barbaris conſpicua, eos ingenti metu percellit. Unde tumultuoſo receſſu Tarentum ſe recipiunt. Eo caſu conſternati Gothorum Ducum animi, *Regnaris*, qui Tarentino; *Morax*, qui Acheruſiæ præſidio imperabat, à *Bacario Petanio*, Juſtiniani nomine fide ſalutis acceptâ, ſeſe ſuoſque Romanis dedunt.

Proc. Goth. lib. 4.

Narſes venit in Italiam: feliciter Apenninum uſque progreditur.

II. Narſes, quem ad reſtaurandas res Imperii Juſtinianus in Italiam miſerat, Salonis cum florentibus numeroſiſque copiis progrediebatur. Cauſas adverſæ Romanorum fortunæ noverat, paucitatem militum, quibus etiam debita ſtipendia non ſolvebantur. Itaque & pecuniam ingentem, & magnum ei exercitum Juſtinianus tradiderat. Alliciebat & omnium animos, Narſetique conjungebat ejus liberalitas, cum fortitudine certans. *Aduſes* Longobardorum Dux tria militum millia ei ſubmiſerat. Erulorum pari numero equites eum ſequebantur. Ubi Venetorum in regiones pervenit, nuncios Francis miſit, ut tranſeundi copiam ſibi facerent. Quod eo prætextu negant roganti, quia Francis inimicos haberet Longobardos in exercitu. Hîc Narſes hærere, hùcque illùcque ſe vertere. Veronæ *Teia* conſiſtebat, qui aditus venientibus omnes obſtruxerat. Verùm fluctuantem animo Joannes Vitaliani filius erigit. Locorum valde peritus Narſetem monet, ut juxta maris littus copias duceret: navigia procedentem ſequerentur: quo conſilio uſus, Ravennam pervenit, quâ poſt novem dierum moram profectus, Ariminum contendit. Verùm pontem, quo *Ariminus* ſuperari fluvius poterat, Gothi interſcindi juſſerant. *Uſdrilas* quoque Gothus cum equitibus nonnullis eò conſiſtebat, ut hoſtes obſervaret. Tum ex levi caſu oritur rerum non levis inclinatio. Immiſſa à Narſetis milite ſagitta, ex Gothorum equitibus unum interficit. Eâ re exterriti, citatiore fugâ intra Ariminum ſe recipiunt. Interea per aliam portam Gothi in Romanos ferebantur. Venientibus Eruli cùm obviam proceſſiſſent, *Uſdrilam* primo congreſſu interficiunt, defunctique caput ad Narſetem ferunt. Barbaris amiſſo Duce quieſcentibus, nemineque prohibente, Narſes fluvium ponte conſtratum trajicit. Totila auditâ Uſdrilæ morte, maximâ quâ potuit celeritate, Tuſciam emenſus, ad Apenninum montem pervenit, vicumque quàm proximè conſtitit, quam *Taginam* vocant. Non multò pòſt Narſes ad Gallorum buſta pervenit, locum *Camilli* victoriâ celebrem. Qui ſubinde Totilam monet, ut de pace tandem conſuleret: imparem Juſtiniani viribus eſſe. Si bellum magis optaret, pugnæ diem conſtitueret.

Proc. Goth. lib. 4.

Totila debellatus occiditur.

III. Legatis cùm octavum diem ad prælium Totila dixiſſet, Narſes ſuſpicatus dolos, quaſi in alterum diem dimicaturus, omnia parat. Poſterâ luce Totila cum exercitu ſuo mox in conſpectum venit. Erat inter exercitus collis quidam, qui occupantibus auxilio eſſe poterat. Quinquaginta pedites à Narſete nocte intempeſtâ miſſi, loco priores inſident, qui ter hoſtium impetum, ſummâ vi eos ex colle propellere nitentium fortiter ſuſtinent. Porrò ad pugnam utrinque cogebantur exercitus: quæ tamen non committitur, Ducibus primùm per hoſtem impetum fieri expectantibus. Interea *Docas*, vir fortitudine ſuâ apud Gothos clarus, unum de Romanis ad certamen provocat. Cui occurrens Armenius quidam, telo in latus adacto eum occidit. Protrahebat prælii tempus Totila, ut validiores copias obtineret. Audierat duo Gothorum equitum millia appropinquare: itaque medio ſe campo, regiis inſignibus ornatus, optimo equo inſidens ſe inferebat, artis equeſtris peritiſſimus, quam Romanis oſtendebat. Dum hæc peraguntur, diu expectati equites veniunt: tum poſt cibum captum illicò in Romanos ducit exercitum, ratus ſe incautos invaſurum. At id veritus Narſes ſuos in armis retinuerat. Advenit tandem celebris pugnæ dies, quo ſuis Rex mandaverat, ne alio telorum genere, quàm pilo uterentur; quæ prima cladis Gothicæ cauſa fuit. Alia & acceſſit, equitum ſcilicet temeritas, qui dum inconſideratius in aciem ruunt, in octo peditum millia incidunt, quorum ſagittis petiti, magnam equorum, hominumque vim amiſere. Cùm ad ſuos ſe retuliſſent, fugam pavoremque augent. Itaque via pugnæ ſpeciem pedites præ ſe ferunt, ſed turbatis ordinibus ab hoſtili equitatu proculcantur. Gothorum ſex millia ceciderunt: qui vivi hoſtium in poteſtatem pervenere, ad unum omnes necantur. Intereà nocte tenebras terris offundente, Totila cum ſolis quinque militibus fugiebat, quem Regem eſſe neſcientes, nonnulli Romanorum aſſequuntur: quos inter *Asbadus* Gepes eum adoritur, conjecto telo. Verùm à Scipuardo, qui fugienti Totilæ comes erat, in pedem ictus, perſequi ultrà non potuit, vulneratuſque in caſtra reducitur. Gothi ſtadiis quatuor & octoginta fugiendo peractis, ad locum Capras perveniunt, ubi Totilæ vulnus curant. Verùm ex eo, utpote lethali, cùm paulò pòſt animam exhalaſſet, terræ conditur. Ignorabatur Romanis eum exceſſiſſe: id nuncii primùm eis attulit de gente Gothica mu-

mulier, quæ & locum, in quo jacebat, eis oſtendit. Effoſſâ humo, inde mortuum extrahunt, eoque cognito, ſepulchro rurſus recondunt. Supremum Totilæ annum in obſcuro eſſe non patitur Marius Aventicenſis: *P. C. Baſilii anno* XII. *Indict.* I. *Baduila Rex Gothorum ab exercitu Reipublicæ, per Narſetem Cartularium Eunuchum interficitur.* Periit menſe Julio. Annos XII. Gothis imperavit, vir multis egregiis virtutibus clarus, melioreque fato dignus. Verùm fortuna vitrea eſt, cùm ſplendet, frangitur. Teia defuncto ſucceſſit: filius erat *Fridigerni*, viri inter Gothos illuſtris.

Proc. Goth. lib. 4.

Narſetis poſt victoriam pietas. Romam capit.

IV. Dum cladem Gothi ſuam lugent, Narſes ob præclaram victoriam debitas Deo laudes refert. Aliud & pietatis ſuæ ſpecimen dedit. Longobardi, quibus utebatur, ad cæteram vitæ impietatem id facinoris addiderant, ut injuſſi ædificia, in quæ diverterant, flammis cremarent, & ſtuprum fœminis ad ſacra loca fugientibus inferrent. Itaque magnâ pecuniâ primùm donatos, ad proprios deinde lares remiſit, Valeriano & Damiano eos ad Romanorum limites uſque deducentibus, ne recedendo aliquos injuriâ afficerent. Hæc ut maximè laudamus, ſic probare non poſſumus inordinatum Deiparæ amorem, quo Narſes tenebatur, ſi vera prædicat Evagrius: Narſetem *ſupplicationibus ac reliquis pietatis officiis divinum numen uſque adeò coluiſſe, & debitum Deiparæ honorem tam ſtudioſè exhibuiſſe aiunt, ut illa tempus ei manifeſtè indicaret, quo pugna committenda eſſet, nec prius unquam prælium iniret Narſes, quam ſignum ab illa accepiſſet.* Monita hæc Virginis, ut Narſes hoſtibus victoriam extorqueret, præterit Procopius, nec ſunt ſanè credibilia. Ut ex ſua victoria fructus decerperet Narſes, in Tuſciam ſubinde profectus, Narniam, Spoletumque deditione cœpit. Peruſium deinde tentat, cui Romanorum transfugæ Melidius Ulfidiuſque præerant. Melidius cum ſuis ſe Narſeti tradit; Ulfidius verò eo ipſo loco ab eis interficitur, quo & Cyprianum anteà proditoriè obtruncarat, magno divinæ juſtitiæ documento. Romam deinde Narſes petit. Præ paucitate ſua Gothi cùm urbis mœnia cuſtodire univerſa haud poſſent, brevi muro Adriani molem complexi, ex ea præſidium faciunt, ibique precioſa ſua collocant. Quin etiam paucis ad cuſtodiam relictis, intempeſtivâ inutilique audaciâ in urbis propugnacula ſe conferunt, totiſque viribus obſidentium impetus frangunt. Cùm muri pars aliqua ſine præſidio eſſet, Dagiſtæus Narſetis imperio ſcalis admotis, nemine prohibente in muros evadens, portas ad arbitrium aperit. Quod ubi factum ſenſere Gothi, partim in præſidium ſe recipiunt, partim Portum contendunt. Miſera tum urbis conditio fuit. Primo ingreſſu cives obſidentium furori mactantur. Gothi verò ſpe retinendæ Italiæ amiſſâ, quos ex Romanis obvios habebant, crudelius interficiunt. Qui Adriani molem tenebant, fide ſalutis acceptâ, deditionem fecere. Extemplò Romæ claves Narſes Juſtiniano mittit.

Evagr. l. 4. c. 24.

Proc. Goth. lib. 4.

Gothi Patritios occidunt. Ragnares a Bacurio delentur.

V. Intereà Gothorum reliquiæ, quæ ex prælio evaſerant, trajecto Pado, *Teiam* ſibi Ducem conſtituunt, qui inventis Totilæ theſauris, in belli ſocietatem Francos ſibi aſciſcere cogitat. Initia regni ſui crudeli facinore deturpat. Totila Narſeti occurſurus, contractis civium liberis, ex his trecentos corpore inſignes obſidum loco detentos, trans Padum abire juſſerat, quos Teia evocatos ad unum omnes occidit. Patritiorum quoque cruor funditur, quo amiſſæ urbis dolor Gothis utcunque minueretur. E Campania ſe Romam referebant Patritii, cùm Gothi, qui in præſidiis erant, redeuntes, diligentius conquiſitos interficiunt. *Ragnares* quoque Tarenti Præfectus, audito Teiam ad regnum promotum eſſe, oppidi deditionem Bacurio promiſſam facere noluit. Obſides verò ſuos, qui ſex numero erant, ut repeteret, ab eo milites aliquos petit, qui ſe Hydruntem uſque tutò transferrent. Bacurius ſubinde milites quinquaginta mittit, quos Ragnares retinet, ſignificans ei, ſi milites ſuos redimere velit, obſides ſibi reſtituat. Tum Bacurius illicò adverſus hoſtem contendit. Cui occurſurus Ragnares, Romanis militibus prius interfectis, Tarento Gothos eduxit. Ubi manus conſeruere, Ragnares magnâ clade acceptâ cùm ſe Tarentum recipere non poſſet, curſu citato Acherontidam venit.

Proc. Goth. lib. 4.

Primoſi Carthaginenſis violenta præfectura

VI. Nunc rerum Eccleſiaſticarum, quæ & multæ, & magnæ ſunt, memoriam apprehendamus. *Primoſus*, qui anno ſuperiore Reparato in exilium truſo ſucceſſerat, invitis Carthaginenſibus Epiſcopatum adeptus erat. Itaque Primoſi hanc in Eccleſiam ingreſſus, cruentus fuit. Id narrat Clerus Italiæ: *Mittunt etiam ad Carthaginem, & alium in loco Sancti Reparati Epiſcopi contra omnes regulas & contra omnia ſtatuta Patrum Epiſcopum ordinari fecerunt, quod cum nimiâ effuſione ſanguinis, & interitu multorum innocentum hominum feciſſe dicuntur.* Signa hæc erant futuræ adminiſtrationis, quæ violenta fuit, ut Africæ Epiſcopos Juſtiniani partibus addiceret: *Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno* XVI. *Primoſus Carthaginenſis incubator Eccleſiæ, ſibi nolentes aſſenſum præbere, nunc fuſtibus, nunc cuſtodiis, nunc quoque exiliis affligit.* Hæc Victor in Chronico. *Sextilianum* labente anno Conſtantinopolim miſit, qui in Synodo vices ejus impleret.

Datii Mediolanenſis obitus. Vitæ ejus breviarium.

Error Baronii.

VII. Datio Mediolanenſi mortem hic annus attulit. Ac Baronius quidem in Martyrologio Datii obitum anno ſuperiori alligat. Verùm doctiſſimus oſtendit Noriſius, eam ſententiam anni unius prochroniſmo laborare, probatque ex Vigilii Encyclica, cujus verba ſunt: *Si directis duobus Judicibus, quorum nomina tibi in præſenti prodidimus, ſacramenta præſtare dignetur, ut poſt hæc ſine metu periculi fratrem noſtrum Datium Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, vel alios, quos cum eo tranſmiſerimus, loco noſtro ſuſcipiat*, &c. Data eſt Epiſtola *Nonis Februarii*, anno DLII. *P. C. Baſilii anno* XI. Cùm ergo Datii mors Januarii XIV. recolatur, in illum utique non incidit, qui anni ſuperioris eſt, quo Februarii quinto adhùc inter homines agebat. Pertinet ergò ille Januarii XIV. ad annum labentem, neque ultrà Datianus differri obitus poteſt, qui vivente adhùc Totilâ contigit, ut ex Pelagii Papæ ad Narſetem literis exploratum eſt: *Recolere debet celſitudo veſtra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Iſtriam, & Venetias tyranno Totilâ poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non antè tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis.* Cùm Totila ſuperſtes Dario fuerit, utique XIX. Calend. Febr. anni currentis obiiſſe debuit, tertiâ feriâ. Turbat

Pelag. Ep. 3. Lab. 792.

ANNO DOM. 553.

bat tamen Victor in Chronico, Datii coætaneus. Quippe Datii mortem anno DLIV. alligat: *P. C. Baſilii V. C. anno XIV. Datius Mediolanenſis Epiſcopus Conſtantinopoli veniens, & damnationi trium Capitulorum conſentiens, eo die percuſſus occubuit.* Verùm Pelagii Chronologia Victorianæ eſt anteponenda. Quippe Victor in eundem annum & Datii, & Totilæ refert obitum. Cùm igitur certo certius ſit, Totilam ante annum DLIV. periiſſe, citius & Datium fato conceſſiſſe, exploratum eſſe debet. Exceſſit igitur uterque labente anno. Regnante Vitige Datius annonæ præfectus fuerat diſtribuendæ pauperibus, qui fame diriſſimâ premebantur. Nomine Principis ad Datium Caſſiodori verba ſunt: *Sanctitatem veſtram petimus, ut de horreis Ticinenſibus & Dertonenſibus panici ſpeciem, ſicut à Principe juſſum eſt, tertiam portionem eſurienti populo ad viginti quinque modios per ſolidum diſtrahi ſub noſtra ordinatione faciatis.* Legatione ad Beliſarium functus erat, ut Mediolanenſibus adverſus Gothos mitteret auxilia. Fugâ ſaluti ſuæ providens, Conſtantinopolim venerat. Inde Vigilio regiam urbem petenti, in Sicilia obviam veniens, ingredienti comes fuerat, Capitulorum damnationi fortiter reſiſtens, Vigilium, qui Chalcedonem tranſmittebat, ſecutus erat. Verùm non perpetuâ conſtantiâ eam mentis firmitudinem roboravit, cui glorioſius ſanè fuiſſet, cum Reparato, triumque Capitulorum patronis vinci, quàm vincere cum Juſtiniano. Quo die ſubſcripſit, eo etiam naturæ ſatisfecit: memoria ejus Januarii XIV. recolitur in Martyrologio. Datio rerum Mediolanenſium Chronicum tribuitur, in Mediolanenſi Bibliotheca ſervatum, ſed diu Datii poſt obitum exaratum eſt. Datio ſucceſſit Vitalis.

Caſſiodor. Var. l. 12. c. 27.

Eutychius fidei Confeſſionem offert Vigilio.

VIII. Pacis Eccleſiaſticæ cupidus ſucceſſor Mennæ Eutychius fidei ſuæ Confeſſionem obtulit Vigilio, quâ quatuor Synodos ſibi venerationi eſſe profitebatur, deinde ad componendas de tribus Capitulis lites ipſum rogabat, ut ea de quæſtione in communi tractaretur: *Petimus præſidente nobis veſtrâ beatitudine, ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine, propoſitis ſanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæſtioni imponi Deo placitum & convenientem his, quæ à ſanctis quatuor Conciliis definita ſunt, quoniam ad augmentum pacis & concordiam Eccleſiarum pertinet, ut omni de medio diſſenſione ſublatâ, quæ prædictis IV. Sanctis Conciliis definita ſunt, inconcuſſa ſerventur.* Acceptâ Epiſtolâ Vigilius in Dei laudes erumpens, eum enixius precatur, ut pacem cum veritate ſtabiliat. Petitioni verò Eutychii ita reſponſum ivit: *Prædictis poſtulationibus veſtrum deſiderium cognoſcentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari Conventu, ſervatâ æquitate, mediis ſacroſanctis Evangeliis Collationem cum unitis fratribus habeamus. Data* ſexto Idus Januarii.

Quid à Juſtiniano, & Vigilio factum, ante Synodi Indictionem.

IX. Poſtquam de cogenda Synodo aſſenſum Vigilius ſuum præbuit, ad multas preces decurrit, ut Imperator eam in Sicilia indiceret. Quod & ipſemet in ſuo Conſtituto fatetur, cujus verba ſunt in obſervatione ponenda: quia ſi Pontificiæ facultatis fuiſſet Concilium Oecumenicum convocare, ad eum quoque Conventui aſſignare loca pertinuiſſet. Sic Imperatorem alloquitur Vigilius: *Optavimus quidem, venerabilis Imperator, ſicut frequentiſſimè ſupplici prece popoſcimus, eundem ad quendam Italiæ locum, aut certè ad Siciliam: & convocatis ad nos Africanæ & aliarum Provinciarum Latinæ linguæ Sacerdotibus, vel Eccleſiæ noſtræ ſacratis ordinibus, ſecundum conſuetudinem tractaremus, & de quæſtionibus trium Capitulorum pietati veſtræ redderemus plenâ deliberatione reſponſum.* Id roganti præciſè à Juſtiniano negatum. Aliis ergo precibus, quæ caducæ non forent, ipſum Vigilius ambit: Scilicet ut eos Imperator ex Occidente Præſules acceſſeret, qui ei indicarentur. Quæ poſtulatio cùm æqua videretur, facilè conceſſa eſt. Quin etiam, ſi Vigilio credimus, ante diem Paſchæ decrevit Imperator, *ut exæquato numero his Pontificibus, qui in Conſtantinopolitana urbe præſentes ſunt*, de tribus Capitulis tractaretur. Intereà ad Vigilium conditus à Juſtiniano in tria Capitula liber per Theodorum, *Decurionem Palatii* mittitur, ut ſuam de iis ſententiam ſcripto proderet. Qui Pontifici adhærebant Præſules, id faciendum negant, ante Epiſcoporum, qui exſpectabantur, adventum. Quod cùm moleſtè Juſtinianus ferret, miſſis iterum Proceribus urget reſponſionem. Cùm valetudine Vigilius laboraret, petit dies ſibi viginti ad reſpondendum concedi, quos & impetravit. Quæ ſummatim Vigilii ex Conſtituto excerpſimus. Cùm porrò tempus in longum duceretur, tandem Imperator moræ impatiens, diem Synodo conſtituit. Græci quippe Antiſtites tumultuabantur, ex ultimis ſe Imperii regionibus ad Synodum Oecumenicam veniſſe: hujus majeſtatem deprimi, ſi à paucis celebraretur. Nicænam ſolis ferè Græcis Præſulibus conſtitiſſe: Chalcedonenſi ſolos Leonis Legatos interfuiſſe. His permotus Imperator, diem Synodo dixit III. Nonas Maias. In editione quidem Baluziana Patres negant, vel ſe, vel Imperatorem promiſiſſe, Occidentalium adventum expectatum iri. Quatriduo ante Synodum, ineunte Maio Beliſarius, Cethegus, Ruſticus, Petrus, & Conſtantinus Vigilium adeunt, monendum ut de tribus Capitulis in Synodo cum cæteris Præſulibus deliberationem habere vellet.

ANNO DOM. 553.

Juſtinianus Concilium quintum convocavit.

X. Quin Juſtiniani autoritate Synodus quinta congregata ſit, in dubio poni vix poteſt. Expreſſis ſanè verbis teſtatur, deceſſorum Imperatorum exemplo hoc Concilii à ſe indictum eſſe: *Semper ſtudium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus, Patribus noſtris, pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, & rectâ fide ſincerè prædicatâ, in pace ſanctam Dei Eccleſiam cuſtodire. Quapropter & Conſtantinus congregavit Nicæa ex diverſis Diœceſibus trecentos decem & octo Sanctos Patres . . . ſed & Theodoſius Senior . . . congregatis in regia urbe CL. Sanctis Patribus . . . fecit rectam prædicare fidem. . . . Theodoſius Junior congregavit priorem Epheſinam ſanctam Synodum. . . . Piæ recordationis Marcianus congregavit Chalcedone Sanctos Patres.* More ergo majorum Juſtinianus Synodum ſe coëgiſſe, teſtatum facit: *Quoniam verò & poſt condemnationem à vobis factam, in eiſdem ipſis permanent quidam, eadem impia tria Capitula vindicantes, ideò vocavimus vos ad Regiam urbem, hortantes communiter convenientes quam habetis pro his voluntatem, iterum manifeſtare.* Quis credat in ſacro diplomate Juſtinianum turpiter eſſe mentitum? Hinc ſcriptum Evagrio: *Quinta Synodus à Juſtiniano convocata eſt hanc ob cauſam.* Illud quidem verum eſt, non repugnante Vigilio Concilium celebratum eſſe. Verùm

Synod. v. Coll. 1.

Evagr. l. 4. c. 38.

HHHhh 3 Pon-

Pontificis ſententia Conventus hujus cauſa non fuit. Argumentoque eſt, quòd Vigilius neque per ſe, neque per Legatos ei interfuerit. Quin etiam Synodi Legati id Pontifici Romano ſignificarunt: *Si vultis cum aliis quibuſdam tractare, qui non eadem nobiſcum ſapiunt, nec ad Eccleſiæ pacem feſtinant, neceſſe eſt, nos ut interrogatos à piiſſimo Imperatore, communiter reſpondere, quod nobis videatur de tribus Capitulis.*

Baluz. Synod. Collect. p. 1501.

Epiſcoporum numerus, tempus, & locus Concilii v.

XI. Concilio adfuerunt CLXV. Epiſcopi, quos inter eminebant *Eutychius* Conſtantinopolitanus Synodi Præſes, *Apollinarius* Alexandrinus, *Domninus* Antiochenus, *Theodorus* Cæſarienſis Cappadox, *Andreas* Epheſinus. Per Legatos interfuere Euſtochius Hieroſolymitanus, miſſis Stephano Raphiæ, Georgio Tiberiadis, Damiano *Sozuſæ* Epiſcopo, *Elias* Theſſalonicenſis, cujus vices implebat Benignus Heracleæ Pelagoniæ; *Primoſus* Carthaginenſis, quem Sextilianus Tuneienſis Epiſcopus referebat. Ne hîc quidem Baronii error eſt prætereundus, qui *Benignum* ſcribit *Epiſcopum Heracleæ Paphlagoniæ.* At certè fallitur, cùm nominis hujus civitas nulla ſit in Paphlagonia: neque Macedoniæ Metropolitanus Elias vices Aſiatico Præſuli ſuas mandaſſet, abſque ſuorum Comprovincialium injuria. In Suriana editione legitur modò *Benignus Heracleæ Pelagonenſis*, modò *Heracleæ Pelagoniæ*, & in melioris notæ exemplaribus ſic ſcribi, clariſſimus obſervat Baluzius. Erat Pelagonia Macedoniæ pars, de qua apud Plinium mentio eſt: *Partem ejus Septentrionalem Pæoniæ, ac Pelagonia protegunt à Triballis.* Axii fluvii, qui medius præterfluit, undis alluitur. Latrocinali Epheſino Conciliabulo interfuerat *Quintillus Heracleæ Macedoniæ, agens vices Anaſtaſii Epiſcopi Theſſalonicenſis.* Ut in dubium revocari nequeat, quin & *Benigno* Pelagoniæ Antiſtiti *Elias* Macedoniæ Metropolitanus perſonam ſuam impoſuerit. Diſcriminis cauſâ ad Heracleam vox Pelagoniæ addita eſt, quia Concilio aderat & *Megethius Heracleæ Thraciæ* Epiſcopus. Adeſſe Vigilius debuit, & Synodi Princeps fuiſſet, non repugnante Eutychio, ut ex ipſius Epiſtola conſtat: *Petimus præſidente nobis veſtrâ beatitudine, proponenda quæri.* Cur adeſſe noluerit quæritur, cùm Synodo cogendæ conſenſum præbuiſſet? Cauſam eam putamus eſſe, quòd æqualis prorſus impatiens nollet cum Eutychio ſedere abſque ullo dignitatis & honoris privilegio. Hanc abſentiæ Vigilii rationem Nicephorus reddit: *Porrò Vigilius etiamſi ei ſcripto interveniente cum Eutychio conveniret, aſſidere tamen illi noluit.* Scilicet duos Soles orbis terrarum non patitur. Nec etiam præſentiâ ſuâ autoritatem Synodo conciliare voluit, cujus Decreta improbatum iret. De tempore Concilii difficultatis aliquid exoritur. Dies ei vulgò dicitur IV. *Nonas Maias.* At in Belovacenſi MS. legitur: *Imperii Domini Juſtiniani perpetui Auguſti, anno* XXVII. *P. C. Baſilii viri clariſſimi anno* XII. *die tertio Nonas Maias.* Sed & Pariſienſis Codex ſimiliter habet, *die tertio Nonas Maias*, obſervante Baluzio. Quæ lectio eſt omnibus anteponenda. Quippe quartus Maii in diem Dominicam incidebat, quæ ſacris dicabatur. Quibus celebratis, prima Seſſio feriâ ſecundâ habita eſt. Sacra quoque Imperatoris, quæ primæ Seſſionis die ſcripta eſt, ea continentur: *Datur* III. *Nonas Maias Conſtantinopoli.* Somniat hîc clariſſimi Du Pin Chronologia: *tertio Nonas, qui étoit le 5. un jour de Dimanche*: imò Lunæ dies. His obſervatis, tempus Synodi non eſt in obſcuro. Incepit anno Juſtiniani XXVII. quia Cal. Aprilis erat in curſu, Domini DLIII. non ut perperàm Chriſtianus Lupus ſibi induxit in animum, anno DLIV. Menſis Maii die quinto, feriâ ſecundâ. Locus verò Secretarium erat *venerabilis Epiſcopii Regiæ civitatis.* Conſtat ad menſem Junium uſque Synodum protenſam fuiſſe, licet ultimæ Seſſionis dies non ſit in medio.

Error Baronii.

Bar. An. 553. n. 28.

Plin. l. 4. c. 10.

Nicephor. l. 17. c. 27.

Quid in prima Collatione quintæ Synodi geſtum? Sacra Juſtiniani.

XII. Quid in eo Conventu geſtum ſit, remotâ perturbatione narremus. Sedentibus Patribus, *Diodorus* Archidiaconus, & Primicerius Notariorum monet *Theodorum* Silentiarium adeſſe, ab Imperatore miſſum. Qui cùm ab Eutychio introductus eſſet, ſacram legendam obtulit, quæ jubente *Domnino* à Stephano Diacono altâ voce recitatur. Referebat, Oecumenica Concilia ab Imperatoribus perpetuo coacta eſſe. Defuncto Marciano, Eutychis Neſtoriique fautores moviſſe lacertos, ſoluta eſſe Eccleſiaſticæ communionis vincula: ſe verò poſtquam rerum potitus eſt, nil antiquius habuiſſe, quàm ut quatuor Synodi ubique prædicatæ, debitam ſibi autoritatem obtinerent. Neſtorii verò diſcipulos blaſphemias ejus per Theodorum Mopſueſtenum ſuum Doctorem introduxiſſe: nec non & per *impia* Theodoriti ſcripta contra fidem Epheſinam, beatæque memoriæ Cyrillum, & per Epiſtolam Ibæ ad Marim, *omni impietate* refertam, Theodoſique Neſtoriique laudes continentem. Ac reſecandis erroribus ſe primùm Epiſcopos ſigillatim de tribus Capitulis interrogaſſe, qui alacriter eos damnarunt. Extare tamen aliquos, qui ſe trium vindices Capitulorum præbeant. Propterea in urbem regiam Præſules ſe vocaſſe, ut conjunctim de tribus Capitulis ſententiam oſtendant ſuam. Vigilium poſtquam Conſtantinopolim pervenit, quid de his Capitulis ſentiret, manifeſtum omnibus feciſſe, utpote qui & voce, & ſcripto ea damnarit, in ſuo judicato anathematis tela torſerit in Theodorum, in Epiſtolam Ibæ & in Theodoriti ſcripta adverſus Cyrillum; Ruſticum etiam, & Sebaſtianum Diaconos gradu moverit, Capitulorum patronos: Valentiniano Tomitano, & *Aureliano Arelati, quæ eſt prima ſanctiſſimarum Galliæ Eccleſiarum*, de Capitulorum damnatione ſcripſerit. Vigilio per Judices Epiſcoporumque nonnullos mandaviſſe ſe, ut cum omnibus conveniret, ut Capitula vel percelleret, ſi impia; vel tueretur, ſi recta putaret: ſibi ab eo promiſſum de tribus Capitulis judicium. Se quod attinet, ea ſuſcipere firmiterque amplecti, quæ ſunt à quatuor Synodis conſtituta. De Capitulis ergo ſtatuant: *Cùm enim qui de recta fide interrogatur, diu protrahit, nihil aliud eſt niſi abnegatio rectæ Confeſſionis. In interrogationibus enim & reſponſis, quæ de fide ſunt, non eſt primus, vel ſecundus, ſed qui in recta Confeſſione paratior invenitur, acceptabilis apud Deum eſt.* Quibus Vigilii mora obliquè perſtringitur. Lectâ Imperatoris Epiſtolâ, *Stephano* Raphiæ Præſule, Euſtochii Legato jubente Theodorus Silentiarius Synodum exit, quo facto Stephanus Diaconus Epiſtolæ Eutychii ad Vigilium, & Vigilii ad Euſtochium lectionem peragit.

Legatio Synodi ad Vigilium.

XIII. Lectis Epiſtolis, Synodo placuit, miſſâ ad Vigilium legatione eum monere, hortarique, ut veniret in Conventum. Honorificentior quidem legatio eſſe non poterat, ut ex nume-

numero, Præſulumque dignitate liquet. Legati erant Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domninus Theopolitanus, Benignus Heracleæ Pelagonienſis, *Theodorus* Cæſareæ Cappadociæ, Andreas Epheſi, *Megethius* Heracleæ Thraciæ, *Joannes* Nicomediæ, *Stephanus* Niceæ, *Conſtantinus* Chalcedonenſis, *Euſebius* Tyri, *Joannes* Cæſareæ Palæſtinæ, *Amazonius* Edeſſæ, *Thomas* Apameæ Syriæ, *Pompeianus* de Byzacio, *Phocas* Stalienſis, *Theodorus* Leontopolitanus, *Stephanus* de Clyſmate, *Æmilianus* Antipyrgi. Cùm Vigilio Imperatoris mandata expoſuiſſent, ut Præſules de tribus Capitulis unà convenirent, id reſponſi ad Synodum retulerunt: *Modò quidem propter corporis infirmitatem dixit, non poſſe ad hanc petitionem reſpondere, in poſtero autem die pollicitus eſt manifeſtare, quod ei de tali Conventu placuerit.*

Secunda v. Synodi Collatio. Quid Legatis Vigilius reſpondit?

XIV. Die Jovis, Maii octavo ſecundam Patres Collationem ineunt. Ac Præſules, qui Vigilium rurſus convenerant, quid cum eo geſtum fuiſſet, Concilio nunciant: nempè ſe ſexto Maii Pontificis reſponſionem quæſitum iviſſe: *Qui reſpondit, non convenire nobiſcum, dicens, multos quidem hic eſſe Orientales Epiſcopos, paucos autem cum eo. Propter hoc etenim & petiiſſe piiſſimum Imperatorem, ut ducantur alii Epiſcopi de Italia. Nos autem reſpondimus ad ipſum, quod nec promiſimus aliquando Occidentalium Epiſcoporum præſentiam expectare, ſed etiam cognovimus de piiſſimo Imperatore, quod nil tale promiſit.* Addunt, pollicitum eſſe Vigilium, de tribus Capitulis unà cum Epiſcopis conjunctim ſe tractaturum: quatuor Synodis Oecumenicis duos vel tres duntaxat Occidentis Epiſcopos adfuiſſe: multos verò ex Italia Epiſcopos præſentes eſſe, adeſſe & Africanos, & Illyricianos. Ad hæc regeſſiſſe Vigilium: *Cum multis quidem convenire non poſſum, ſed æquo numero conveniamus. Et ego quidem adhibebo mecum tres Epiſcopos, qui debent convenire: conveniant autem & tres Patriarchæ cum uno Epiſcopo, ut inveniamur quatuor & quatuor.* Id indecorum Legatis viſum, nec Synodi Oecumenicæ majeſtate dignum. Indecens etiam dixerunt, tres Patriarchas *unum tantùm Epiſcopum habere*. Quòd ſi eo modo Collatio ſit inſtituenda, *oportet unumquemque Patriarcham tantos ſecum Epiſcopos habere ſuæ Diœceſeos, quantos aſſumit veſtra beatitudo.* Cæterùm præſtare magis, ut de communi cauſa in communi Conventu tractetur. Cùm neque his aſſentiretur Vigilius, id ore rotundo Legati illi denuntiatum eunt. Juſtum non eſſe, *vel tam Chriſtianiſſimum Imperatorem, vel fidelem ſcandalizari populum, ex media protractione reſponſi.* Ad hæc regerit Vigilius, ab Imperatore conceſſas ſibi eſſe viginti dierum inducias, ut ſcripto ad ſe miſſo reſponderet: *Quod niſi*, inquit, *intra prædictos dies manifeſtam meam faciam voluntatem, quidquid vos de Capitulis iſtis ordinaveritis, ſequor vos, & non ſeparo me de veſtra voluntate.* Cùm in ea reſponſione immotus maneret, è veſtigio Legati eam Imperatori ſignificatum eunt. Septimo Maii, quid cum Pontifice deinceps geſtum ſit, refertur Synodo.

Patricii reſponſionem Vigilii narrant Synodo. Legati ad abſentes Epiſcopos mittuntur.

XV. Ad Vigilium miſerat Juſtinianus Petrum & Conſtantinum, viros Patricios, cum Theodoro Aſcida, Benigno Heracleenſi, aliiſque Epiſcopis, qui cum *Liberio*, glorioſiſſimo Patricio, & Magiſtro Officiorum Synodum ingreſſi, narrant nomine Imperatoris Vigilium ſe hortatos eſſe, ut in Conventu de Capitulis tractaret, ad finem huic quæſtioni tandem imponendum. Imperatorem non promiſſas duntaxat inducias, ſed longiores etiam facilem Vigilio conceſſurum, eâ lege, ut conjunctim de Capitulis cum Synodo ſtatuat. Quòd ſi ſuam ſeorſim ſententiam peragere velit, neceſſarium fore audiri Concilii judicium. Eccleſiam in confuſione & tenebris diutius relinqui non poſſe, cùm Sacerdotibus falſa ab Hæreticis crimina imponantur, quòd nimirum Neſtorianis patrocinentur. Abſolutâ eâ narratione, Patricii rogant Patres, ut vocato coram oculis Dei metu dent quæſtioni finem. Ubi exiere, Synodus memorat Epiſcopos deſiderari nonnullos, ex Africa Primaſium Adrumetinum, ex Illyrico Sabinianum Zaparenenſem, Projectum Naiſſitanum, Paulum ſecundæ Juſtinianæ Epiſcopum, ad quos legatio dirigitur. Ea provincia imponitur Theodoro Lymiron, *Anatolio* Cymæ, Diogeniano Sozopolis Epiſcopo, *Ammonio*, Petro & Theodoro Presbyteris. Primaſium apud Marinæ domum conventum hortantur, ut præſentiam Synodo ſuam afferat. Qui paucis reſpondit, *Papâ non præſente non venio.* Inde Legati ad Paleam, ubi Sabiniani domus erat, ſe conferunt, quem ſimiliter monent, ut Synodo conſideret, à quo id reſponſi tulere, ſe venire non poſſe, quòd non præſtò ſit *Benenatus*, ſuus Archiepiſcopus. Gemina Projectus Pauluſque dixere. Tum ſuo tempore pœnam Primaſio ſecundum Canones irrogandam minantur, Sabiniano verò Projecto, & Paulo dant licentiam, ut ad Benenatum accedant, communione cum Concilio copulatum, cujus vices etiam *Phocas* in eo gerebat, Stalienſis Epiſcopus. Hactenùs de ſecunda Collatione.

Acta tertiæ Collationis Synodi v.

XVI. Tertia Collatio, quæ Maii IX. feriâ VI. celebrata eſt, pauca habet. Patres edunt fidei ſuæ profeſſionem, Apoſtolis creditæ, Eccleſiis traditæ, à quatuor Synodis palam prædicatæ. Quam perinde atque ea, quæ ſunt de ſtatu Eccleſiaſtico conſtituta, ſe obſervaturos pollicentur. Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Leonem, &c. approbant: quibus dictis, ea ſubjungunt, quæ non obliquè Vigilium perſtringunt: *Hâc igitur rectâ Confeſſione in Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſervanda & prædicanda, ſi quis ſemetipſum ab ejus communione ſeparet, contraria ei ſapiens, talis ſemetipſum alienans rectâ fidei, & Hæreticis connumerans, juſtè à Sancta Dei Eccleſia condemnatur.* De tribus Capitulis ſe alio die acturos teſtantur.

Ex Theodoro loca Synodo multa leguntur. Quis excerpſit?

XVII. Duodecimo Maii, feriâ ſecundâ, conſidentibus in Epiſcopii Secretario Antiſtitibus, Theodori Mopſueſteni ſcripta excutiuntur, quæ jubente Synodo prolata ſunt. Ad hæc Notarii dixerunt: *Habemus præ manibus ſcripta, quæ ex Theodori Codicibus collegiſtis*, quibus ſolvi quæſtio debet, ab eruditis mota: laudata Theodori loca quis excerpſerit? Quippe ex verbis Notariorum luce clarius eſt, ex Synodi Epiſcopis nonnullos, eâ provinciâ defunctos eſſe præcipuè Aſcidam, Theodoro infenſiſſimum. Cùm enim Juſtiniano autor fuerit damnandi Capitula, debuit ſanè præ manibus ea habere Theodori loca, quæ in vituperationem occurrerent. Inſuper ex Vigilii contra Theodorum ſententia diſcimus, librum ab eo contra Capitula editum eſſe, qui in palatio lectus erat, quod fieri non potuit,

potuit, niſi plurium Theodori locorum ſuppellectile inſtructus eſſet. Ad ea vero ſibi comparanda & defunctorum, & vivorum operâ uti potuit, & etiam uſus eſt, ut vero ſimillimum. Jam Armeniæ Monachi teſtimonia ex Theodoro plurima ſibi collegerant, teſte Liberato: *Surrexerunt quidam Monachi ab Armenia, Apollinaris ſectatores, duo vel tria portantes excerpta Capitula, ut dicebant, de libris Theodori Mopſueſteni.* Ex tertio Theodori contra Apollinarium libro *Calonymus* Diaconus multa Concilio loca legere incepit, ex quarto deinde & ſexto, ex Commentario quoque & ſecundum Joannem, & in Acta Apoſtolorum. Ex libris etiam de Incarnatione multa profert. Ad quæ Synodus exclamat, *Hæc jam condemnavimus, hæc jam anathematizavimus: anathema Theodoro Mopſueſteno, anathema Theodoro, & ſcriptis ejus: hæc aliena Eccleſiæ ſunt. . . . Unus Theodorus, unus Judas.* Reliqua perſecutus *Calonymus* in Theodori de Cantico Canticorum ſententiam incidit, quæ hæc complectebatur: *Nec Judæis, nec nobis publica lectio unquam Cantici Canticorum facta eſt, tanquam domeſticus & nuptialis Salomonis convivii cantus, opprobria ſponſa ſonans.* Symboli quoque, quod à *Chariſio* Philadelphenſis Eccleſiæ Presbytero, Theodoro olim aſcriptum fuerat, lectio peragitur, quâ abſolutâ, Patres exclamant: *Hoc Symbolum Satanas compoſuit; anathema ei, qui hoc Symbolum compoſuit: hoc Symbolum Epheſina prima Synodus unà cum autore ejus anathematizavit. Theodorum Mopſueſtenum omnes anathematizamus.* Ne verò aliquid prætermitterent, quod ad diligens Scriptorum Theodori examen pertineret, cætera alio die audienda eſſe decernunt.

Libérat. c. 10.

Indiculus monumentorum à Conſtantinopolitanis contra Theodorum prolatorum.

XVIII. Sequitur nunc conſeſſus quintus, de cujus die varia ſunt eruditorum judicia. Conſtat in vetera exemplaria errorem irrepſiſſe, quæ habent, *octavo Idus Maias*, cùm prior Collatio *quarto Idus* agitata ſit. Eſt autem abſonum, quartam Seſſionem quatuor poſt quintam diebus celebratam eſſe. Baronius *pridie Idus Maias* legendum eſſe putat. Noriſius vult ſcribi, *ſexto Idus Maias*: quod primâ ſpecie ex verbis Collationis colligitur, in qua Diodorus hæc loquitur: *Scit veſtra Sancta Synodus, quòd anteriore die lectis blaſphemiis Theodori Mopſueſteni interlocutionem feciſtis.* Verùm anterior ille dies intelligi facillimè poteſt is, in quo proxima Collatio habita fuerat, quomodo in Collatione VII. quæ Maii XXVI. eſt habita, Diodorus dixit: *Superiore die collecta veſtra Synodus quædam egit de Epiſtola, quæ dicitur Ibæ*, quod Maii XIX. factum eſt. Clariſſimus Baluzius in veteribus MSS. reperiri docet, XVI. *Kal. Junias*, feriâ ſeptimâ. Quæ lectio vero ſimilior, quia ſexta Seſſio Maii XIX. eſt celebrata die Lunæ: inter utramque igitur Dominicus dies ſacris dicatus eſt. Diodorus Diaconus jubente Synodo recitat, quæ de Theodoro *Sancti Patres dixerunt, & Imperialibus Legibus, & hiſtoriis conſcriptis continentur.* Quorum ſcriptorum hic eſt Indiculus: 1°. Cyrilli opus contra Theodorum, duobus libris conſtans. 2°. Libelli, qui à *Presbyteris & Diaconis tranſmiſſi ſunt ab Epiſcopis, & Clericis, & Monachis magnæ Armeniæ, & Perſidis*, Proclo Conſtantinopolitano, in quibus narratur, Theodorum *formam Dæmonis habuiſſe*, à Paulo Samoſateno, & Photino originem duxiſſe, vilis oppidi Mopſueſtiæ Epiſcopum egiſſe, docuiſſe Chriſtum hominem non prius cum Verbo divino conjunctionem obtinuiſſe, quàm immaculatus fieret Neſtorio Doctorem fuiſſe. 3°. Procli ad Armenios ſcriptum. 4°. Epiſtolæ quinque Cyrilli: prima ad Lamponem Presbyterum, ſecunda ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum, tertia ad Rabulam Edeſſenum, quarta ad Monachos, quinta ad Rabulam, in qua Theodorum accuſat, virum eloquentem, perditionis laqueos ſcriptis inſeruiſſe ſuis. 5°. Eccleſiaſtica Hiſtoria Heſychii Presbyteri Hieroſolymorum de Theodoro, narrantis ipſum querelis omnium compulſum, Commentaria, quæ in Pſalmos ediderat, ſupprimere pollicitum eſſe: ſenectute jam canâ debilitatum, opus de Domini Incarnatione elucubraſſe. 6°. Theodoſii & Valentiniani Leges duæ, quarum poſterior eo titulo ornatur: *Lex Theodoſii & Valentiniani piæ recordationis adverſus Neſtorium, & Theodorum.* 7°. Pars Epiſtolæ Theophili Alexandrini ad Porphyrium Antiochiæ Epiſcopum. 8°. Gregorii Nyſſeni Epiſtola ad Theophilum. 9°. Scripta Theodoriti & contra Cyrillum, quibus docet errores Theodori eſſe, quos Cyrillus confutavit, & ad Hierenatum, quibus palam eſt, Theodorum erroris accuſatum eſſe.

Falſa monumenta à Conſtantinopolitanis adverſus Theodorum allata.

XIX. Antequam longius procedat oratio, de laudatis adverſus Theodorum monumentis paucis eſt agendum. Qui adverſus Theodorum Cyrilli libri quatuor jactantur, ex quibus Synodus ea deſumpſit, quæ ſibi utilia eſſe videbantur, meritò in ſuſpicionem veniunt. Quippe ab *Hypatio* Epheſino in Collatione anno 533. apud Conſtantinopolim cum Acephalis inſtituta reſpuuntur his verbis: Illi Cyrilli libri *adverſus Diodorum & Theodorum libri ambigui ſunt.* Liberatus quoque eos Cyrilli eſſe prorſus inficiatur: *Catholicæ veritatis defenſores ſic Acephalis reſponderunt, illos libros non eſſe Cyrilli, quoniam teſtimoniis, quis contra mortuos poſuiſſe in eis dicitur, contra viventem Neſtorium non eſt uſus, neque in Synodo, neque in aliquibus Epiſtolis, unde dicunt, illos nec dictaſſe Cyrillum, nec edidiſſe libros.* Eos ſanè libros Ibæ adverſarii ei objeciſſent, qui in ſua Epiſtola Chalcedone lecta, multis Theodorum laudibus afficerat. Quam Heſychii quoque laudant hiſtoriam, ea ſine dubio falſitur, dum narrat Theodorum jam canâ ſenectute fractum, opus de Domini Incarnatione condidiſſe, quod Theodorus ipſe refellit in ſuo adverſus Apollinarium libro: *Ante triginta jam hos annos de Incarnatione Domini Codicem conſcripſimus, uſque ad XV. millia verſuum pertingentem, in quo Arii & Eunomii de hac re delicta, nec non etiam Apollinaris vanam præſumptionem per totum illud opus examinavimus.* Lex Theodoſii & Valentiniani adverſus Neſtorium & *Theodorum*, cujus eſt initium, *Jam prius quidem Neſtorius*, &c. aut ſubdita eſt, aut certè corrupta. Falſa quoque eſt Nyſſeni ad Theophilum Alexandrinum de Theodoro Epiſtola, quâ hæc continentur: *Suſceptis querimoniis adverſus Theodorum adhùc viventem.* Accuſandus erat Theodorus vel apud Anazarbitanum Metropolitanum, vel certè apud Antiochenum, cùm Mopſueſtia ſub Alexandrini ditione Præſulis non contineretur. Inaudita etiam in antiquis quarti quintique ſeculi monumentis ea Nyſſeni cum Theodoro diſceptatio. Non eſt igitur dubitandum, quin odio præjudiciiſque ſuis Synodus impulſa, falſa ad damnandum Theodorum inſtrumenta adhibuerit.

Librat. c. 10.

Fac. l. 10. cap. 1.

XX.

Digitized by Google

ANNO DOM. 553.

Utrùm mortui Anathemate feriendi? Conſtantinopolitanorum rationes.

XX. Porrò cùm ad tela adverſariorum, Cyrilli, Nazianzenique de Theodoro laudes veluti clypeus objiceretur, eum è manibus fautorum defuncti Synodus eripit. *Theodulus* Diaconus ex ſecundo Cyrilli libro contra Theodorum, *quòd unus eſt Chriſtus*, ea ſuppeditat: *Scripti ſunt igitur à bono Theodoro adverſus hæreſim Arianorum, & Eunomianorum, viginti penè numero, vel ampliores libri*, &c. Quibus auditis, Conſtantinopolitani negant, Theodori in laudem hæc eſſe vertenda. Theodulum deinde jubent, Nazianzeni literas evolvere, quæ ad Theodorum Mopſueſtenum ſcriptæ ferebantur. Illas verò ad Theodorum Thyanenſem directas eſſe demonſtrant. *Euphrantas* quidem Thyanenſis Epiſcopus talia fatur: *Theodorus Epiſcopus fuit in mea civitate temporibus Gregorii ſanctæ memoriæ. Prædicatur enim in ſacris Diptychis pro Eupſychio, Anthemio, Ætherio, Deodato, Calliopio, Longino, Theodoro.* Peroratâ eâ quæſtione, Synodus ad aliam ſe convertit; utrùm Hæretici poſt mortem damnari debeant? Hoc rectè fieri *Photinus* probat Diaconus ex libro Cyrilli contra Theodorum, atque ex ipſius ad Martinianum Epiſtola, quæ in Epheſino Concilio lecta fuerat. Quibus recitatis, *Sextilianus* Antiſtes vicem agens Primoſi Carthaginenſis, Africanum ſtatutum laudat, *De Epiſcopis defunctis, qui Hæreticis ſuas facultates relinquunt, ita ut poſt mortem anathemati ſubjiciantur.* Affert etiam & quinquageſimam Auguſtini ad Bonifacium Epiſtolam, & ejus verba ex geſtis apud Marcellinum, c. 187. *Si nobis oſtendi poterunt crimìnoſi, hodie illos anathematizamus*, aliaque ſimilia. Sextiliano Succenturiatus *Benignus* ait, *Valentinum, & Marcionem, & Baſilidem à nulla Synodo anathematizatos, tamen eo quòd alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiam poſt mortem anathematizat Eccleſia.* Quem Rabulas morem ſecutus, Theodorum anathemate palam in Eccleſia percuſſit. Ubi finem dicendi Benignus fecit, Theodorus Aſcidas falſi accuſat Cyrilli Epiſtolam, cujus verba ſunt, Epheſinam Synodum Theodori quidem Symbolum damnaſſe: *Condemnans autem eos, qui ita ſapiunt, diſpenſativè nullam fecit viri mentionem, nec ipſum nominatim anathemati ſubjicit.* Eâ verò ratione à Cyrillo Epiſtolam abjudicat, quòd cæteris ipſius ſcriptis non conſentiat, in quibus Theodori ſcripta rejicit, non ſine eorum cenſura, qui ea Patrum ad doctrinam quadrare putant. Verùm hîc aſperum Aſcidæ odium in Theodorum ſe prodit, cùm de Epiſtola nullus dubitandi locus relictus fuerit. Eadem enim habet ipſius ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſtola, quam ut germanam Aſcidas admittit. Factâ enim de expoſitione Symboli Theodoriana, quam Synodus Epheſina reprobavit, mentione, ſubjungit: *His verò condemnatis, qui ſic ſapiunt, nullam viri memoriam fecerat diſpenſativè, nec ipſum nominatim anathemati ſubjecit propter diſpenſationem, ne quidam ad exiſtimationem viri reſpicientes ſeipſos ab Eccleſiis ſeparent.* Quam Epheſinorum agendi rationem Conſtantinopolitani ſibi ad imitandum proponere debuiſſent, ne damnatis tribus Capitulis pax Eccleſiæ turbaretur. De Aſcidæ, Benigni, Sextillianique rationibus, quibus Hæreticos poſt obitum damnari poſſe aſtruere ſibi videbantur, appoſitè ſanè à Garnerio obſervatur: *Sextilianus quidem adduxit Auguſtini teſtimonia, Benignus verò exempla ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſed ut ingenuè fatear, neuter appoſitè. Auguſtinus enim de criminoſis loquitur traditoribus, nempè ſacrorum Codicum: Hiſtoria Eccleſiaſtica de hominibus palam obſtinatè hæreſim profeſſis: cùm tamen Theodorus dici poſſet in errorem incidiſſe imprudenter, & ad id præſtandum paratus obiiſſe, quod ſemel fecit in Eccleſia Antiochena, ubi verbum temerè lapſum revocavit offenſionis metuens . . . Theodorus Cappadox, qui Sextiliani, & Benigni ſermonem excepit, in ſua illa prolixa actione videtur peccaſſe multa, ſed illud inprimis, quòd aſſeruerit neminem in pace Eccleſiæ dici debere defunctum, niſi qui uſque ad mortem recta Eccleſiæ dogmata & ſervavit, & prædicavit. Niſi enim hæc regula intelligatur de obſtinato, & Eccleſiæ ſententiam ſpernente, quid fiet Cypriano, Hilario, Hieronymo, aliiſque Eccleſiæ luminibus, quibus adhæſit nonnulla erroris macula.* Alia igitur damnatio doctrinæ, alia perſonæ. Defuncti doctrina improbari poteſt, perſona non poteſt, cùm in Eccleſiæ ſinu mortem obiit.

Garn. Diſſ. de Syn. v. cap. 4.

ANNO DOM. 553.

Scripta Theodoriti a Conſtantinopolitanis expenduntur. De ipſius ad Joannem Epiſtola Cyrilli poſt obitum.

XXI. Inter præcipua Collationis hujus monumenta reperiuntur Acta Synodi Mopſueſtenæ, anno DL. celebratæ, de qua ſuo loco mentio facta eſt. Ventum deinde ad ſcripta Theodoriti. Photinus Diaconus legit, libros ſcilicet adverſus Cyrillum, Epiſtolam ad Andream Samoſatenum Epiſcopum Epheſo miſſam, Epiſtolam ad Neſtorium poſt Orientalium & Cyrilli conjunctionem, Epiſtolam ad Joannem Antiochenum, aliam ad eundem, cùm mortuus eſſet Cyrillus Alexandrinus, excerpta ſermonis apud Antiochiam præſente *Domno* habiti: *Nemo neminem jam cogit blaſphemare, ubi ſunt dicentes quòd Deus eſt, qui crucifixus eſt?* Quibus recitatis, Synodus Chalcedonenſium prudentiam laudat, qui Theodoritum non prius recepere, quàm Neſtorium damnaſſet. Cæterùm Theodoritus in ſua ad Joannem Antiochenum Epiſtola, cùm Cyrillus defunctus eſſet, in mortuum acerbius invehitur: *Serò tandem, & vix malus homo defunctus eſt, . . . Lætificavit quidem ſuperſtites ejus diſceſſio: contriſtavit verò forſitan mortuos; & timor eſt, ne prægravati ejus converſatione iterum ad nos remittant.* Hinc nodus vindice dignus, Theodoriti eâne Epiſtolâ fuerit? Negant Baronius, Labbeus, aliique eruditi, eâ ratione freti, quòd Joanni Antiocheno Cyrillus ſuperſtes fuerit, cujus ad Domnum, Joannis ſucceſſorem literæ extant, quæ Actione Concilii Chalcedonenſis decimâ quartâ lectæ ſunt. Hinc Chriſtianus Lupus Commentarii in v. Synodum c. 3. temperare non potuit, quin in illam inveheretur. Illam demum Epiſtolam vocat *probroſam & infernalem, opus peſſimi ſcurræ, proſtibuli, nebulonis.* Petrus verò de Marca, Diſſertationis de Vigilii Decreto c. 22. necnon Noriſius Theodoriti quidem Epiſtolam eſſe putant, verùm titulum corruptum eſſe ſentiunt: *Ergo error Codicis eſt, ac pro Joanne Domnus reponendus.* Hæc Noriſius, qui pro ſua antiquitatis peritia oſtendit, & circa annum CCCCXLIV. quo Cyrillus mortuus eſt, eum Conſtantinopoli fuiſſe; unde cum *Proclo* literas dedit ad Domnum Antiochenum, pro *Athanaſio* Perrenorum Epiſcopo: & Theodoritum etiam poſt initam pacem odii in Cyrillum ſervantiſſimum fuiſſe. Nos verò neutris accedimus: nempè nec Theodorito Epiſtolam abjudicandam eſſe, nec vocem *Domni* in vicem *Joannis* ſubſtituendam eſſe putamus. Si enim exploratè de Epiſtola judicamus, Cyrillus ille,

Nor. Diſſ. de Syn. v. c. 7. 42.

IIIIii cujus

ANNO DOM. 553.

cujus in ea mentio eſt, ab Alexandrino longè diverſus reperitur, & Joannis Antiocheni ditioni ſubditus. Audiantur verba Epiſtolæ: *Procurandum eſt, & oportet tuam ſanctitatem maximè hanc ſuſcipere ſolicitudinem, & jubere collegio mortuos aſportantium lapidem aliquem maximum & graviſſimum ſepulchro imponere, ne iterum huc perveniret, & inſtabilem voluntatem iterum demonſtraret.* Quæ nullâ prorſus ratione Cyrillo Alex. conveniunt. Non eâ quidem autoritate Joannes pollebat, ut veſpillonibus Alexandrinis imperaret, impoſito lapide Cyrilli ſepulchrum obturaret. Neque etiam Cyrillus inconſtantis argui voluntatis poterat, quem *iterum demonſtraſſet*, cùm Neſtorii in negotio ſemper ſui ſimilis fuerit. Antiocheni igitur Præſulis ſub poteſtate Cyrillus ille fuit. Neque etiam vero fit ſimile, poſt inita pacis fœdera, mutuaſque redditas Cyrillo, acceptaſque literas Theodoritum Patriarchæ manibus tam acriter inſultaſſe, licet non negemus, in ea perpetuò ſententia verſatum eſſe, quòd Cyrilli in capitibus venenum inſerebatur. Aliud verò eſt odium doctrinæ, aliud perſonæ: & à prudentia prohibebatur atque decentia, tantis tertiæ Sedis Præſulem contumeliis, eumque defunctum obruere.

Bar. An. 553. n. 45.

De Iba quæſtio, à Conſtantinopolitanis expenditur: anathematizatur: ejus Epiſtola.

XXII. Ad ſextam nunc Collationem pervenimus, Maji XIX. inſtitutam. Proponente Diodoro Archidiacono de Iba quæſtio agitatur. Lecta ejus Epiſtola, quâ tum Neſtorius, negans Mariam Deiparam eſſe, quàm Cyrillus, Apollinaris in errorem delapſus, quòd nimirum una Chriſti natura eſſet, damnabantur. Quin etiam quam Proclus ad Joannem Antiochenum Epiſtolam ſcripſcrat, ea recitatur, quâ monebatur, Ibam Neſtorii inſaniæ adeò addictum ferri, ut Capitula quædam prorſus impia in Syrum transfuderit. Tum ſurgens Theodorus Cæſarienſis cum nonnullis, refert à Clero Edeſſeno Ibam accuſatum eſſe: Theodoſium Auguſtum, Flavianumque regiæ urbis Epiſcopum cauſæ Ibæ cognitionem Photio Tyrienſi, & Eutychio Berytenſi tribuiſſe, à Chalcedonenſibus reſtitutum eſſe. Hæc Conſtantinopolitanis non ignorabantur. Nihilominus eis placuit, & Cyrilli, & Leonis Epiſtolas quaſdam proferri. *Calonymus* igitur Diaconus legit & Cyrilli ad Neſtorium Epiſtolam, cujus olim meminimus, & Neſtorii ad Cyrillum reſponſionem, & literas Cœleſtini ad Neſtorium, & Anathematiſmos Cyrilli, & Leonis ad Flavianum Epiſtolam, aliaque monumenta ejuſmodi. Quibus auditis, neceſſarium Conſtantinopolitani judicant Epiſtolæ Ibæ Collationem cum Chalcedonenſium ſcitis inſtituendam eſſe. Eâ habitâ, cenſent Ibæ Epiſtolam hæreticam eſſe: *Manifeſtè oſtenditur Scriptor Epiſtola, quòd duas introducens perſonas accuſat Sanctum Cyrillum, qui ſecutus eſt anteriores Sanctos Patres.* Ajunt etiam Chalcedonenſe Concilium non prius Ibam ſuſcepiſſe, quàm actâ pœnitentiâ Neſtorium anathemate percuſſiſſet: *Omnes Epiſcopi clamaverunt, Epiſtola hæretica eſt. Epiſtolam, qua dicitur Iba, omnes condemnamus; iſtam omnes anathematizamus . . . tota Epiſtola blaſphema eſt. . . Multis annis Imperatorem: orthodoxum Imperatorem multis annis.*

Vigilius Imperatori vult Conſtitutum mittere ſuum: rejicitur.

XXIII. In eo ſeptiduo, quod ſextam Collationem inter & ſeptimam interjicitur, Vigilius Conſtitutum Imperatori ſuum mittere voluit. Quâ ratione id fecerit, ex Baluſiana Conciliorum Collectione diſcimus, in qua *Conſtantinus* Quæſtor hæc Synodo loquitur: *Heſternâ die, Vigilius deſtinavit Servum Dei reverendiſſimum Subdiaconum Romanæ Eccleſiæ, per quem ad ſe vocavit Veliſarium & Cethegum, glorioſiſſimos Patricios, necnon & Juſtinum & Conſtantianum, glorioſiſſimos Conſulares, & Theodorum & Phocam, religioſiſſimos Epiſcopos, utpote per eos aliquod reſponſum piiſſimo Imperatori miſſurus, qui & abierunt. Et paulò poſt reverſi ſuggeſſerunt piiſſimo Domino, quod fuimus apud Vigilium, religioſiſſimum Epiſcopum, & dixit ad nos, quod propterea vos convocavimus, quod ſcitis ea, quæ in modo iſtis diebus mota ſunt. Quoniam igitur feci chartam pro tribus Capitulis, quæ moventur, ſcriptam ad piiſſimum Imperatorem, dignemini eam relegere, & ad ejus ſerenitatem proferre. Nos autem cùm hæc audiſſemus, & vidiſſemus chartam ad veſtram ſerenitatem ſcriptam, diximus ad ipſum, quòd nos chartam ad piiſſimum Imperatorem ſcriptam ſine juſſione ipſius ſuſcipere omninò non poſſumus. Habes autem Diaconos reſponſales, per quos licet tibi eam deſtinare: ille autem dixit ad nos, ut ſciatis, quia ego chartam feci.* Quid h o Juſtinianus reſponderit, referamus: *Cum hæc pietas ejus audiſſet, & mandavit per prædictos religioſiſſimos & glorioſiſſimos viros, memorato Subdiacono renuntians Vigilio religioſiſſimo, quod nos quidem invitavimus eum convenire, unà cum beatiſſimis Patriarchis, & cæteris religioſiſſimis Epiſcopis, & communiter cum ipſis, de tribus iſtis Capitulis tam examinare quàm judicare. Cùm autem hoc recuſaſti, dicis verò, quædam ſolus ſcripſiſſe per te de tribus iſtis Capitulis, ſi quidem condemnaſti ea conſonanter his, quæ jam facta antè ſunt, habemus multa talia ſcripta quæ feciſti, & altero non indigemus. Si autem aliquid contrarium his, quæ jam antè facta ſunt, in præſenti feciſti, tu teipſum per tua ſcripta condemnas, à rectis deſiſtens dogmatibus, & impietatem defendens: & quomodo à te habemus, talem chartam ſuſcipere? Et hoc dato reſponſo à piiſſimo Imperatore, per eundem Diaconum à ſe ſcriptam chartam jam non deſtinavit.*

ANNO DOM. 553.

Baluſ. Coll. 1539.

De Conſtituto Vigilii errores Baronii: ad Synodum non miſſum eſt.

XXIV. Ex his multos Baronio errores evellimus, qui Conſtitutum Vigilii & Imperatori *miſſum*, & Synodo oblatum, & ex ipſius *Actis ſublatum* eſſe tradit. Falſa ea eſſe, verba hæc oſtendunt: *Per eundem Diaconum à ſe ſcriptam chartam jam non deſtinavit* Vigilius. Conſtitutum igitur mittere ſuum voluit, non miſit tamen, quia ſibi mitti Imperator noluit. Ex quo intelligitur, neque à Synodo ſuſceptum fuiſſe, ne dum ex ipſius Actis removeretur. Quæ ex Baluſiana Conciliorum editione attulimus, non viderat quidem eruditiſſimus Marca, Baronii tamen errorem vidit, quem & graviſſimis rationibus obrutum ivit in ſua Diſſertatione de Vigilii Decreto: *Si Conſtitutum relectum fuiſſet in Synodo, illius recitatio relata fuiſſet in Acta, quibus inſertæ ſunt minoris momenti relectiones. . . Deinde promulgatio Conſtituti aliena fuiſſet ab inſtituto & prudentia Imperatoris, qui damnationi trium Capitulorum cùm totus incumberet, non debuit ſuis votis officere, Vigilii autoritate probatâ, quæ deſiderium illius improbaret.* Aliud peccavit illuſtriſſimus Purpuratus, qui hæc chartis mandavit: *Scripſerat* Vigilius *illud ipſum Conſtitutum jam antea: nam ejus ipſe meminit in Epiſtola ad Valentinum.* Hem meminit Conſtituti ſui in Epiſtola ad Valentinum! Conſtituti meminit, quod nondum concinnaverat! Ad Valentinianum Epiſtola *data eſt* XV. *Kal. April. Imperii Juſtiniani anno* XXIII. *poſt* Con-

Bar. An. 553. n. 47.

Marca Diſſert. c. 12.

Bar. An. 553. n. 47.

Anno Dom. 553.

Conſulatum Baſilii anno IX. hoc eſt, Domini DL. Conſtitutum verò triennio pòſt conditum eſt: *Datum pridie Idus Maji, imperante Domino noſtro Juſtiniano perpetuò Auguſto anno* XXVII. P. C. *Baſilii viri anno* VII. Legendum *anno* XII. quo Juſtiniani XXVII. conſignatur. Non benè quidem convenit, & Vigilio indignum eſt, quòd eodem tempore Capitula & damnorit, & ſuſceperit. Damnavit ſanè in ſua ad Valentinianum Epiſtola: ſuſcepit autem in ſuo Conſtituto, ut legenti palam eſt. Vox *Conſtituti* Baronium in errorem impulit. Verba hæc ſunt Vigilii ad Valentinianum: *Quippe dum in Conſtituto noſtro ſuperius deſignato poſſit diligenter agnoſci, quia in ipſa definitione fidei, quam Sancti Chalcedonenſis Concilii Sacerdotes, ſecundum præcedentes eam, tres alias Sanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutaverunt.* Conſtitutum illud ipſum eſt Vigilii *Judicatum*, quo tria Capitula damnabantur. Quòd ſi quis nobis non credat, Vigilio ſaltem fidem adhibeat, ad Valentinianum ſcribenti: *Credimus Catholicis Eccleſiæ filiis, ea quæ tunc ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Mennam ſcripſimus, id eſt, de blaſphemiis Theodori Mopſueſteni, ejuſque perſona, vel de Epiſtola, quæ ad Marim Perſam ſcripta ab Iba dicitur, & ſcriptis Theodoriti contra rectam fidem, & duodecim Capitula S. Cyrilli facta ſunt, abundè poſſe ſufficere.* Sequitur illicò de *Conſtituto*, id eſt, de *Judicato* mentio.

Bar. An. 553. n. 48. His Baronii erroribus tertius accedat: *Conſtitutum*, inquit, *ad hunc ipſum annum & diem Collationis quintæ, pertinere cognoſcitur.* Illud verò

Bar. An. 553. n. 220. ex eo colligit, quia *allata à Vigilio pro defenſione Ibæ Epiſtola confutantur.* Verùm ea Baronii Chronologia Conſtantini ad Synodum oratione refellitur: Vigilius *heſternâ die deſtinavit Servum Dei, reverendiſſimum Subdiaconum Romanæ Eccleſiæ*: quæ in ſeptima Collatione leguntur Quâcunque verò ratione verba hæc, *heſternâ die* intelligantur, ſive ad proximum diem Collationis VII. quæ *tertio* Non. Junias agitata eſt, ſive ad noviſſimam Collationem, Maji XIX. celebratam reſpectu habito, apertè liquet Conſtitutum Vigilii, vel conceſſo ad Synodum miſſum fuiſſe, in quintam referri Seſſionem non poſſe, utpote quæ Maji *decimo nono* anteceſſerit. Hæc ex abundanti, cùm prorſus reſpuenda ſit opinio Baronii de lecto apud Synodum Vigilii Conſtituto. Neque momenti eſt alicujus eminentiſſimi Purpurati ratio ad perſuadendum. Quæ enim allata pro Epiſtola Ibæ argumenta Actione ſuâ ſextâ Conſtantinopolitani *confutarunt*, ex Conſtituto Vigiliono non petebantur, quod necdum Imperatori oblatum fuerat. Ex aliis ergo monumentis Synodo innotuerant, ut

Marc. Diſſert. c. 12. verè à Petro Marca eſt obſervatum: *Argumenta illa pro Iba Epiſtola, quæ diſcutiuntur Collatione ſextâ, nota erant & trita, utpote quæ à ſex vel ſeptem annis ſummo ſtudio contorquerentur ab adverſariis, etiam ſcriptis copioſiſſimis libris, quemadmodum factum eſt à Facundo Hermianenſi, ut neceſſe non ſit confugere ad Conſtitutum Vigilii.*

Conſtitutum Vigilii. XXV. Nunc Vigiliani Conſtituti ſummam referamus, quod integrum Baronius Annalibus inſeruit ſuis. Continet primòm Mennæ Confeſſionem, ad *S. Euphemiæ Templum* factam, cui poſt Mennam ſubſcripſere *Theodorus* Cæſareæ, *Andreas* Epheſi, *Theodorus* Antiochiæ Piſidiæ, *Petrus* Torſenſis Epiſcopus. Exhibet deinde Confeſſionem, quam Theophaniorum die Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinaris Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, Elias Theſſalonicæ Præſul Vigilio obtulere: quibus Confeſſionibus quatuor Concilia Oecumenica probantur. Exponit deinde Vigilius, quid cum Juſtiniano egerit: petiiſſe ſe, ut in Italia, Siciliave Synodus cogeretur ad reſpondendum. Scripto, quod ſibi ab Imperatore miſſum erat, viginti dierum inducias poſtulaſſe: inſpectis dogmatibus, quæ volumini continebantur, quod ſibi Benignus Heracleæ Pelagoniæ Epiſcopus reddiderat, ea reperiiſſe prorſus impia. Sexaginta numero Capitula erant, ex Theodori Mopſueſtenſis operibus exſcripta, quæ Vigilius ſuâ reſponſione refellit, anathemateque percutit. At Theodori nomini Epheſino exemplo vult parcitum: *Diſpenſatim mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati ſubdidit, neque alios.* Neque *Proclum*, ait, neque Chalcedonenſes etiam Theodori perſonam atro carbone notaſſe. Chryſoſtomum Flavianumque violenter Eccleſiâ ſuâ pulſos, pro damnatis habitos non fuiſſe, quia Eccleſiæ Romanæ conjungebantur. Dionyſium Alexandrinum Nepotis de millenario Chriſti in terris regno errorem refutaſſe. Nepotem verò, *quia jam defunctus fuerat*, nullâ injuriâ aggreſſum eſſe: *Nulli licere noviter aliquid de mortuorum judicare perſonis, ſed in hoc relinqui, in quo unumquemque dies ſupremus invenit.* De Theodorito ſubjungit, perſonæ ejus honorem habendum eſſe: ſatis eſſe ſi errores damnentur, quos quinque anathematibus profligat. I. Si quis cum exiſtente jam homine Verbum Dei conjunctum fuiſſe dixerit, ut per hoc non Sancta Virgo verè Dei genitrix eſſe credatur, anathema ſit. II. Si quis Chriſto homini tanquam uni juſtorum, inhabitare Deum Verbum dixerit, anathema ſit. III. Si quis naturarum diviſionem introducat, anathema ſit. IV. Si quis J. C. futurorum ignorantiam, aut diei ultimi judicii habuiſſe dixerit, anathema ſit. V. Si quis obedientiam, preces, ſupplicationes nudo Deitate Chriſto tribuerit, ut duos Filios inducat, anathema ſit. Ad Epiſtolam Ibæ progreſſus, narrat, ſe *Græcæ linguæ ignarum* per doctos expendiſſe, quid ab eo Præſule geſtum; ac ſe tandem comperiſſe Orthodoxum fuiſſe. Animo obſerventur verba Pontificis: *Apparet Ibam, & priuſquàm duodecim Capitula beati Cyrilli intelligeret, & cum in eis ſuſpicaretur, unam Chriſti prædicari naturam, orthodoxo ſenſu, quod malè dictum exiſtimaverat, reprobaſſe, & poſt explanationem eorumdem orthodoxo ſenſu, quæ rectè dicta cognoverat, venerabiliter ſuſcepiſſe.* Hinc Chalcedonenſis Concilii autoritati conſultum volens, à quo Ibas reſtitutus erat, Vigilius ſic ſancit: *Statuimus & decernimus, nulli ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinenti, licere quidquam contrarium his, quæ præſenti aſſerimus, vel ſtatuimus Conſtituto, de ſæpè dictis tribus Capitulis aut conſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam poſt præſentem definitionem movere ulterius quæſtionem. Si quid verò de iiſdem tribus Capitulis contra hæc, quæ hîc aſſerimus, vel ſtatuimus, nomine cujuſcunque ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas pertinentis factum, dictum atque conſcriptum eſt, vel fuerit, & à quolibet ubicunque repertum, hoc modis omnibus ex autoritate Sedis Apoſtolicæ, cui per gratiam Dei præſidemus, refutamus.* Conſtituto Epiſcopi XVII. cum tribus Eccleſiæ Romanæ Diaconis ſubſcripſere: *Datum pridie Idus Maji, imperante Domino noſtro Juſti-*

 Lllll iii 2 *Juſti-*

Juſtiniano, perpetuò Auguſto anno XXVII. *P. C. Baſilii V. C. anno* XII. Errorem tamen in tempus oblati Conſtituti irrepſiſſe exiſtimamus, ut ex verbis Conſtantini à nobis laudatis, liquidò conſtat, quæ Collatione VII. protulit, poſt XIV. Maji habitâ, quamcunque diem ei aſſignemus: *Heſternâ die* Vigilius *deſtinavit Servum Dei, reverendiſſimum Subdiaconum* &c. Legendum ergo videtur, IV. *Non. Junii.*

Actio ſeptima. Conſtantini ſermo ad Synodum de Vigilio & Theodorito.

XXVI. Cùm Conſtitutum Juſtinianus reſpuiſſet, ſeptimam Synodus Seſſionem ingreditur, quæ in Vulgatis Codicibus Maji XXVI. aſſignatur; in Baluziana verò Collectione tertio Junii feriæ tertiæ tribuitur. Quod & veriſimilius, cùm ea editio amplior ſit, & accuratior: *P. C. Baſilii V. C. anno* XII. *die* III. *Non. Jun.* .. *prius quam aliquid apud ſanctam Synodum ageretur, Conſtantinus glorioſiſſimus Quæſtor ſacri Palatii, miſſus à piiſſimo Imperatore, ingreſſus* Concilium alloquitur. Expoſuit autem quantum ſtudii Juſtinianus habuerit, ut de tribus Capitulis ſententia proferretur: ac ſæpenumerò Vigilium monuiſſe, ut Synodo conjungeretur: Pontificem non ſemel & voce, & ſcripto Capitula damnaſſe: conſilium ei fuiſſe ad Imperatorem mittendi ſcriptum, quod de tribus Capitulis ediderat: verùm à Juſtiniano fuiſſe repudiatum. Placuiſſe igitur ſacræ Majeſtati, Vigiliana ad Synodum ſcripta prius dirigi, quàm de tribus Capitulis quæſtioni finem imponi: ipſa Conſtantini verba referantur: *Imperator neceſſarium eſſe putavit, chartas quaſdam veſtræ ſanctæ manifeſtare Concilio, quas & ab initio ſcribens, ad vos deſtinato promiſit, & eas præ manibus habemus. Quarum una quidem ad piiſſimum Imperatorem manu Vigilii religioſiſſimi ſcripta eſt, alia verò ad piæ recordationis Theodoram Dominam noſtram facta, alterius quidem ſcripta manu, ſubſcripta autem ab eodem religioſiſſimo viro, in quibus utriſque manifeſtè eſt inventa impiorum iſtorum Capitulorum condemnationem. Eſt autem & depoſitio, quam fecit in Ruſticum ſuum cognatum, & Sebaſtianum, Diaconos Romanæ Sanctæ Eccleſiæ, & alios quoſdam, & alia inſuper Epiſtola, alia quidem ad Valentinianum religioſiſſimum Epiſcopum Scythiæ: alia autem ad Aurelianum religioſiſſimum Præſulem Arelatenſis Eccleſiæ, quæ prima eſt Sanctarum Eccleſiarum, quæ in Gallia ſunt, per quas iterum manifeſtum fecit idem religioſiſſimus Vigilius, quòd in ea permanet voluntate de condemnatione Capitulorum. Quoniam autem ſcit veſtra beatitudo, quòd & judicatum idem vir religioſiſſimus ad Mennam ſanctæ memoriæ hujus regiæ civitatis factum Archiepiſcopum deſtinavit, manifeſtè prædicta Capitula condemnans; & verbis quibuſdam dubiis promittebat quidem eorum emendationem facere, & mundo undique eorumdem Capitulorum condemnatio ſit, dicebat autem non poſſe aliter hoc facere, niſi reciperet quod feciſſet, cum ad omnes judicatum directum fuiſſet Eccleſias, multis pro eo motis, idem vir religioſiſſimus paratum ſe eſſe dicebat, terribilia ſacramenta ſubire, quod recipiens prædictum judicatum puram trium Capitulorum faceret condemnationem. Quod ut piiſſimus Imperator licet difficulter tulit, & alienum non conveniens eſſe putabat Sacerdotes talia ſacramenta ſubire, tamen ex ejus inſtantia victus juramenta ſcriptis ſuſcipere voluit. Miſit ergo & iſtam chartulam ad veſtrum Sanctum Concilium, ut poſt inſinuationem iterum mihi reddatur, apud quem ipſius pietas æſtimaverit cuſtodienda.* Non de Vigilio duntaxat, ſed de Theodorito quoque ſermo eſt à Conſtantino inſtitutus. Narrat, Cyrienſis Eccleſiæ Clerum, Theodoriti imaginem currui impoſitam, in ſuum oppidum cum Pſalmis introduxiſſe. Sergium tum temporis civitatis hujus Epiſcopum *Collectam celebraſſe Theodori, & Diodori, & Theodoriti & Neſtorii cujuſdam, quaſi unius de Sanctis Martyribus.* Ad Orientalium eo de facto expoſtulationem Juſtinum Imperatorem Hypatio Militum Magiſtro ſcripſiſſe, ut de re inquireret. Ob id *Sergium* Epiſcopatu abſque reſtitutione motum eſſe, teſte Clero Theopolitano. Juſtinianum verò majori adhùc erga pietatem ſtudio eſſe, quàm Juſtinum. Proindeque Patribus regium in fidem affectum mirantibus incumbere, ut tria Capitula abſque mora ulla damnent, ne ſcandalum creſcat. Idcircò chartas ab Imperatore miſſas legendas eſſe, ne quid Synodum de tanto negotio lateret. Ubi loquendi Conſtantinus finem fecit, Diodorus Archidiaconus Vigilii & ad Juſtinianum, & ad Theodoram literas palam recitavit, quibus Epiſtolam Ibæ, dogmata Theodoriti, Theodorum Mopſueſtenum anathemate feriebat. Lectæ ſimiliter Vigilii & ad Valentinianum Tomitanum, & ad Ruſticum Sebaſtianumque, & ad Aurelianum Arelatenſem literæ, quibus conſtabat, *Theodori blaſphemias* atque perſonam, Ibæ Epiſtolam Theodoriti adverſus Cyrillum ſcripta à Vigilii anathematibus eſſe percuſſa. Denique Patrum auribus ſubjecta eſt Juſtini ad Orientis Præfectum Epiſtola, data anno DXX. *ſeptimo Idus Auguſti, Ruſtico Conſule,* quâ jubebatur de geſtis & Cyrienſibus & Antiochenis inquiſitionem inſtituere, Imperatori mittendam. Abſolutâ eorum monumentorum lectione, Synodus in Juſtiniani laudes erumpit, qui tantâ diligentiâ in Eccleſiæ fideique curam incumbebat: *Et Chriſtianiſſimus quidem Imperator mercedem pro his habebit à Chriſto magno Deo, qui talia multiplicare ſolet. Nos autem orationes facientes, pro ejus ſerenitate, pro tribus Capitulis altero die, adjuvante Deo, Synodicam ſententiam proferemus.*

Fuerintne Vigilii ad Juſtinianum, & Theodoram Epiſtolæ?

XXVII. Hic in nodum difficilem incidimus, fuerintne Vigilii Epiſtolæ, quæ ipſius nomine ad Juſtinianum & Theodorum ſcriptæ feruntur? Ac ſubditas quidem eſſe colligi poſſe videtur ex Actione tertia ſextæ Synodi Oecumenicæ, in qua à Legatis Eccleſiæ Romanæ, poſtquam illæ Vigilii Epiſtolæ recitatæ ſunt, dictum legimus: *Non faciat, Deus, Domine, non dixit Vigilius, unam operationem. Non ſunt Libelli Vigilii. Falſatus eſt hic liber, ſicut exordia primi libri præſentis quintæ Synodi.* Et Actione XII. dum Antiochus legit ſeptimam & octavam Actionem quintæ Synodi, Judices dixerunt, *In memoria habemus, quòd tunc profecuti ſunt, ex parte Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, falſatam fuiſſe prædictam ſeptimam Actionem, eò quòd non ſint veraces duo Libelli, qui in ea continentur, quaſi porrecti à Vigilio Juſtiniano, & Theodoræ piæ memoriæ.* Actione verò XIV. Synodus talia fatur: Cognovimus *in ſecundo libro circa ſeptimam Actionem mutatum quidem fuiſſe quintum decimum quaternionem, adjectumque eſſe quadrifolium non ſuperſcriptum, ante decimum ſextum quaternionem, in quo feruntur duo libri Vigilii, qui dicuntur facti fuiſſe ad Juſtinianum & Theodoram divæ memoriæ, utriſque alteram literam habentibus. Hos verò, qui falſaverunt præfatos duos libros, & chartaceum volumen,*

ANNO DOM. 553.

volumen, ex illorum vocabulis malitioſè adverſus recta dogmata hæc interjeciſſe, eò quòd neque in nunc prolatis antiquis & immutilatis libris ejuſdem ſancti quinti Concilii, neque in chartaceo libro, qui in recenti inventus eſt apud Bibliothecam venerabilis Patriarchii, rejacent iidem ipſi Libelli, ſeu Mennæ ad Vigilium, ſive à Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram divæ memoriæ, ſed hos fallaciter inſertos. Itaque decernit Synodus, *chartaceum volumen caſſari in iis locis, in quibus adjectiones ſunt factæ . . . libros etiam eos obelis obduci in locis, in quibus depravati ſunt, & caſſari eos.* Nos perſuaſum habemus, Synodo quidem id mentis fuiſſe, non corruptas tantummodò Epiſtolas Vigilii, ut Baluzius exiſtimat, verùm etiam ſubdititias prorſus eſſe: neque alium ſanè ſenſum fundere verba poſſunt, quæ laudavimus. Nihilominus certa nobis inſidet animo ſententia, Vigilii ad Juſtinianum & Theodorum Epiſtolas ſubditas non eſſe. Etenim in ſacra Imperatoris, quæ data eſt IV. Nonas Maias, & in prima quintæ Synodi Actione legitur, id reperimus: Vigilius *non ſemel, nec bis, ſed etiam ſæpius in ſcriptis anathematizavit impia tria Capitula. Quod verò ejuſdem voluntatis ſemper fuit, de condemnatione trium Capitulorum, & per plurima alia declaravit, & per condemnationem Ruſtici, & Sebaſtiani,* &c. Quòd ſi ſubditæ ſunt Vigilii ad Juſtinianum & ad Theodoram literæ, falſum erit Pontificem *ſæpius in ſcriptis* anathematizaſſe Capitula ante Synodi congregationem: uno ſuo judicato ſemel damnaſſet. Deinde verba ſunt Juſtiniani in altera ſua ad Synodum Epiſtola, data pridie Idus Julii: *Et cùm hæc examinaſſet* Vigilius, *& condemnavit, & ſatisfactionem in ſcriptis expoſuit, tam nobis, quàm piæ conjugi.* Profectò cùm in judicatu ſuo tria Vigilius Capitula damnaverit, in ſuis etiam ad Auguſtos literis ea damnaſſe nil miri. Quid ergo reſpondebimus Patribus ſextæ Synodi, querentibus Vigilii Epiſtolas in antiquis libris non reperiri? Optimam noſtro judicio ſolutionem clariſſimus affert Baluſius, cujus verba referre juvat: *Deerant ſanè Libelli illi in Codice Latino Bibliothecæ Patriarchalis Conſtantinopolitanæ uſque ad tempora Pauli Patriarchæ, cujus initia conſtituuntur in anno* DCXLII. *Verùm tametſi deſcripti non eſſent in illo Codice, extabant tamen in Græco authentico: & ex eo rurſum accepti videntur tempore Theodori Patriarchæ, qui depoſitus eſt paulò antequam ſexta Synodus haberetur. Colligi iſtud poteſt ex his verbis Georgii Monachi. Quando ergo facta eſt quæſtio inter Theodorum, qui fuerat Patriarcha à Deo conſervandæ hujus regiæ urbis, & præfatum Macarium, de fide tulerunt paria Libellorum, qui dicuntur Vigilii de Patriarchio, ſicut dixerunt Macarius, & Stephanus, & ſcripſimus in quaterniones, & oblati ſunt ab eis piiſſimo noſtro Principi.* Illud ſanè pro certo habendum, geſtorum Synodalium exemplaria in omnibus non eſſe ſimilia: alia ampliora eſſe, alia contractiora: itaque falſi ſubinde ea poſtulari non debent, quæ nonnullis in exemplaribus deſiderantur. Vix credibile eſt, eò impudentiæ proceſſiſſe Theodorum & Macarium, ut Vigilii ad Juſtinianum & Theodoram libros offerendos Imperatori ex tabulario Patriarchæ exſcribi juberent, niſi in eo reconditi fuiſſent. Ne vel levis noſtrum dubitatio animum ſubit de lectis in Synodo V. Vigilii Epiſtolis, cùm MS. Jolyi id expreſſis verbis habeat: *S. Synodus dixit: Charta, quarum glorioſiſſimus Quæſtor mentionem fecit, recitentur.* Cui mandato morem gerens Diodorus Epiſtolas legit. Incredibile quidem eſt, Juſtinianum tantum cauſæ ſuæ monumentum prætermiri voluiſſe. Cùm igitur pro veris eas Vigilii Epiſtolas habeamus, quòd etiam Synodo lectæ fuerint, nobis eſt perſuaſum.

ANNO DOM. 553.

Synodi in tria Capitula Decreta.

XXVIII. Octavam nunc Synodi Actionem ingredimur, quæ vulgò *ſecundo Junii* aſſignatur. Verùm in dubium jure revocatur, fueritne eo tempore celebrata, cùm in Julyiano exemplari ſeptima Seſſio tertio Nonarum Juniarum tribuatur. Itaque videtur legendum, *pridie Nonas Junias*, non IV. Nonas. Quæ conſtituta erat de motis quæſtionibus ſententia, à *Calonymo* Diacono publicè recitatur, ex qua hæc memoriâ digna verbis Patrum repræſentamus: Vigilii *petivimus reverentiam, ſcriptas ſuas promiſſiones adimplere, nec enim juſtum eſſe, amplius ſcandalum pro tribus iſtis Capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet enim Sancti Spiritus gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret, gentes circumcidi, definire priùs quàm communiter congregati, divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt.* Declarant deinceps, quatuor ſe Synodos ſuſcipere, & Capitula damnationi ſubjicere: *Prædicta igitur tria Capitula anathematizamus, id eſt, Theodorum impium Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoritus conſcripſit, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & defenſores eorum, vel recta ea dicere præſumunt, vel omninò impietatem eorum nomine Sanctorum Patrum, aut Sancti Chalcedonenſis Concilii defenderunt, aut defendere conantur.* Sequuntur Anathematiſmi XIV. I. Si quis non confitetur unam Deitatem in tribus Perſonis, Anathema ſit. II. Si quis non confitetur Dei Verbi duas nativitates, unam quidem ante ſecula ex Patre, alteram in tempore ex Virgine Maria, Anathema ſit. III. Si quis dicit, Deum Verbum in Chriſto eſſe, ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum Jeſum Chriſtum, Anathema ſit. IV. Si quis non confitetur, *Unitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, ſecundum compoſitionem, ſive ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe*, Anathema ſit. V. Si quis duas in Chriſto perſonas inducit, Anathema ſit. VI. Si quis abuſivè, non verè Dei genitricem dicit S. Mariam, ſed Chriſti genitricem, tanquam ſi Chriſtus Deus non eſſet, Anathema ſit. VII. Si quis in duabus naturis Chriſtum agnoſcens, ait ſeparatim unamquamque naturam ſuam habere ſubſiſtentiam, Anathema ſit. VIII. Si quis unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic intelligit, quòd ex divina & humana unitione ſecundum ſubſiſtentiam factâ, unus Chriſtus effectus eſt, Anathema eſto. IX. Si quis duas Chriſti adorationes inducit, & non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, Anathema ſit. X. Si quis non confitetur, J. C. crucifixum unum eſſe de S. Trinitate, Anathema ſit. XI. Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum ſcriptis, Anathema ſit. XII. Si quis non anathematizat Theodorum, & impia ejus ſcripta, & omnes qui de-

Anno Dom. 553.

ſendunt eum, Anathema ſit. XIII. Si quis defendit impia Theodoriti ſcripta, & contra Epheſinam Synodum, & S. Cyrillum, & pro Theodoro, & Neſtorio, Anathema ſit. XIV. Si quis Ibæ defendit Epiſtolam, dicentis & purum ex Maria hominem natum eſſe, & Cyrillum Apollinariſtam eſſe, Anathema ſit.

Num Origenes in v. Synodo verè damnatus fuerit?

XXIX. Ex illis Anathematiſmis exploratum habetur, Origenem à quinta Synodo damnatione percuſſum eſſe, cùm ejus nomen Hæretici appoſitum, Canone XI. reperiatur. Eſt quidem incredibile, Origeni, cujus diſcipuli graves nuper ſeditiones in Oriente moverant parcitum eſſe, dum Arius & Macedonius Synodi fulminibus obruebantur. Neque Halloixio aſſentimur, qui cenſet nomen Origenis intruſum eſſe Canoni, quem corruptum cum ſexta, ſeptimaque Synodus offendiſſent, eo erroris delapſæ ſunt, ut & Origenem jacularentur. Commenta hæc nobis non placent, neque Synodis, quæ Oecumenicæ habentur, ſunt honorifica, quarum anathemata temeritate & imprudentiâ condita reperirentur. Verùm magnam in difficultatem incurrimus, utrùm & quando de Origene quæſtio in quinta Synodo eſt agitata, cùm diſceptationis hujus nullum extet in octo Collationibus veſtigium. Sunt viri doctiſſimi, qui ſtatuant, Origenem non à quinta Synodo quidem, ſed à Conſtantinopolitano Concilio, cui Mennas præfuit, damnatum eſſe: dici tamen in quinta Synodo anathemate percuſſum, quia Mennas Synodi pars quinta ducebatur. Quæ & Valeſii in Annotationibus ad Evagrii libri IV. c. 38. & Garnerii Diſſertationis de v. Synodo generali, c. 2. ſententia eſt: quam etiam clariſſimus Du Pin amplectitur in ſua Bibliotheca, ut quæ in ſpeciem pugnant, ſic facili ratione ad concordiam revocet. Si verum tamen retineri placet, ea opinio prorſus eſt rejicienda, utpote Autoribus contraria, qui Synodo vel coævi, vel ſuppares quidem fuere. Permagni in ea quæſtione ponderis eſt Cyrilli Scythopolitani narratio, qui duas Origenis damnationes ſuis temporibus diviſit: priorem anno DXLIII. poſteriorem anno DLIII. priorem ſic memorat. Petrus Hieroſolymitanus ſuis Juſtinianum literis Origeniſtarum innovationum monuit:

Vit. Sab. n. 85.

Accepta Libello piiſsimus Imperator noſter, Edictum adverſus Origenis Decreta edidit. Edicto Mennas Conſtantinopolitanus Patriarcha ſubſcripſit, unà cum Synodo ſua. Coacti quoque ſunt ſubſcribere Domitianus, & Theodorus. Poſterioris verò Origenianæ damnationis Cyrillus meminit, capite XC. *Cùm ſancta & univerſalis quinta Synodus Conſtantinopoli eſſet coacta, communi generalique anathemati ſubmiſſi ſunt Origenes, & Theodorus Mopſueſtenus cum iis, quæ de præexiſtentia & reſtitutione dicta ſunt ab Evagrio, & Didimo, præſentibus quatuor Patriarchis, atque Decretum comprobantibus.* Quid tam perſpicuo, tamque luculento opponi loco poſſit, prorſus ignoramus, cùm Cyrillus anno DLIII. vixerit, & geminæ Origenis damnationis diverſis & temporibus & Synodis in urbe regia peractis, mentionem egerit. Cyrillo accedat Evagrius, qui triginta poſt v. Synodum annis floruit:

Evagr. l. 4. c. 38.

Cùm Libelli ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio Monachis dati eſſent contra dogmata Origenis Adamantii, & contra eos, qui impietatem atque errores illius ſequebantur, de his Juſtinianus Synodum, quæ congregata erat, conſuluit. Miſſa eſt igitur relatio à prædicta Synodo ad Juſtinianum, poſt acclamationes, quas contra Origenem, & ejuſdem cum illo erroris Sectatores congeſſerant, cujus pars ſic habet: Cùm animum poſſideas cœleſtis nobilitatis participem, Chriſtianiſsime Imperator: & paulò poſt: Fugimus itaque, fugimus iſtam doctrinam. Neque enim novimus alienorum vocem, & illum tanquam furem ac latronem anathematis laqueis firmè conſtrictum, procul à ſacris ſeptis ejecimus... Earum verò, quæ à nobis geſta ſunt, vim ac virtutem ex earumdem lectione cognoſcetis. His adjunxerunt etiam capita quæcumque Origenis Sectatores profiteri, à Magiſtro ſuo didicerunt, ex quibus tum conſenſus eorum, tum diſſenſio, ac multiplex & multifidus error deprehenditur. Obtorto collo illum Evagrii locum ad Synodum Mennæ Garnerius trahit: verùm perperàm, nec ſine etiam errore multiplici, cùm neget Theodorum Aſcidam interfuiſſe Synodo, in qua Præſide Mennâ Origenes damnatus eſt, quod Cyrillo affirmanti repugnat.

Garn. de v. ſynod. Diſſert. c. 2.

Scripſit quidem Liberatus:

Liberat. c. 23.

Redeunte Pelagio Conſtantinopolim Monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerant ad eum in Comitatu, portantes Capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, ut Origenes damnaretur cum illis Capitulis. Ea tamen legatio ab illa longè diverſa eſt, de qua ſit apud Evagrium mentio. Cononem è Legatis unum fuiſſe, non dicit Liberatus, qui de priore, & Monachorum Palæſtinorum in urbem regiam profectione, & Origenis damnatione utique eſt intelligendus. Octennio circiter poſt percuſſum à Mennæ Synodo Origenem Cononi legatio injuncta eſt. Teſtem, eumque potentiſſimum damus Cyrillum:

Vit. Sab. c. 90.

Abbas Conon, ejuſque Comites Conſtantinopolim diverſis ærumnis per Aſcidam ſubjecti, patientiâ victoriam reportarunt. Quippe opportunitate temporis arreptâ, quæ ad ipſos pertinebant, Imperatori nota fecere, Libellum ei tradiderunt, univerſam Origeniſtarum impietatem manifeſtarunt, Iſidoro jam mortuo. Conon verò poſt annum DXLVIII. ea legatione functus eſt, utpote qui ſexdecim Sabæ poſt obitum annis Abbatis dignitate ornatus proceſſerit, diu poſt Synodum, in qua Mennâ Præſide Origenes damnatus eſt. His argumentis, quæ ſolvi non metuunt, addatur Diurnus Romanorum Pontificum de quinto Concilio: *In hoc Origenes cum impiis diſcipulis & ſequacibus Didymo, & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis proſecuti ſunt, æterna ſunt condemnationi ſubmiſſi.*

Qua in Actione v Synodi damnatus Origenes?

XXX. Veniat igitur in conſeſſum, verè à Synodo quinta Origenem damnatum eſſe; quâ verò Collatione, diligentius inquirendum. In quinta hæc legimus, à Theodoro Aſcida dicta:

Lab. Conc. p. 490.

Et multos quidem alios invenimus poſt mortem anathematizatos. Necnon etiam Origenem. etſi ad tempora Theophili ſanctæ memoriæ, vel ſuperius aliquis recurrerit, poſt mortem inveniet anathematizatum, quod etiam nunc in ipſo fecit veſtra Sanctitas, & Vigilius religioſiſsimus Papa antiquioris Romæ. Vocula *nunc* documento eſt, in ea quidem Collatione Origenem anathemate fuiſſe perculſum. Exiſtimat & Noriſius, Origenis cauſam damnatis tribus Capitulis, eſſe *reſumptam*; proindeque ad ultimam Synodi Collationem Evagrii narrationem referendam eſſe, quæ jam factæ damnationis meminit. Id ſanè ſonant verba Evagrii: Origenem *procul à ſacris ſeptis ejecimus.* Quamobrem verò cauſa Origenis retracta-

ANNO DOM. 553.

tractaretur, cauſa hæc fuit, quòd Origeniſtarum Capitula Imperatori multa oblata fuerant. Itaque diſcipuli cum Doctore ſuo percutiuntur, quod indicat Evagrius: *His adjunxerunt etiam capita quæcunque Origenis Sectatores profiteri, à Magiſtris ſuis didicerunt. Ex quibus tum conſenſus, tum diſſenſio, ac multiplex & multifidus error deprehenditur. In his quintum caput erat, continens blaſphemias, quas privati quidam ex nova Laura protulerant, quod ſic habet: Theodorus Aſcidas Cappadox dixit: Quando nunc Apoſtoli & Martyres miracula efficiunt, & in tanto honore ſunt, niſi in reſurrectione æquales fuerint Chriſto, qualis tandem eorum reſurrectio futura eſt. Retulerunt etiam iidem Patres multas alias Didymi, Evagrii, ac Theodori blaſphemias, quas ſtudioſè admodum ex eorum libris excerpſerant.* Quæ ad Mennæ Synodum non ſpectant, cùm eâ poſteriores fuerint illæ Origeniſtarum diſſenſiones, ad quas digitum intendit Evagrius. Jam Conon maximæ Lauræ Præfectum agebat, cùm nata ſunt ea diſſidia, quæ Origeniſtarum concordiam funditùs everterunt, teſte Cyrillo: *Tunc Deus, qui ſemper Eccleſiæ ſuæ providet, Origeniſtarum concordiam diſpeſcuit, ut olim tempore Eberis fecerat, quando linguarum diviſione conſenſum cum Deo pugnantem diremit.* Hiſtoriam ſuo tempore narravimus, quæ contigit annis ſexdecim Sabæ poſt obitum. Cyrillus quoque Evagrii & Didymi damnationem verbis expreſſis quintæ Synodo Oecumenicæ vindicat.

Evagr. l. 4. c. 38.

Vit. Sab. c. 89.

Canones v. Synodi in Origeniſtas.

XXXI. Ex Cæſarea Bibliotheca clariſſimus Petrus Lambecius Canones in Origeniſtas quindecim edidit, qui quintæ Synodo tribuuntur. Repugnant quidem illi, qui Mennæ Concilio Origenis percuſſionem aſcribunt, quam eidem quoque Conventui addixerunt. Cùm autem certiſſimis argumentis demonſtraverimus, Origenem in quinto Concilio anathemati fuiſſe ſubjectum, nil rationis quidem exiſtimamus eſſe, cur Lambeciani Canones ab illo abjudicentur. Cyrillus quidem disertè narrat, quæ de præexiſtentia & reſtitutione dicta ſunt ab Evagrio, & Didymo, præſentibus quatuor Patriarchis fuiſſe damnata. Primus autem Lambecianus Canon in præexiſtentiam animarum conditus eſt. Deinde Theodorus Aſcidas eorum opinionis erat, qui Sanctos ab omni parte Chriſto æquales futuros eſſe ſentiebant, quam Monachi ſententiam in v. Concilio accuſaverant. Ea verò anathemate XIII. rejicitur. Inſuper Synodi Mennæ novem duntaxat reperiuntur anathemata: Concilii vero quinti XV. numerantur. I. *Si quis fabuloſam animarum præexiſtentiam, quæque ex illa conſequitur, monſtroſam reſtitutionem aſſeruerit, Anathema ſit.* II. Si quis dixerit Spiritus innumeros ejuſdem virtutis & qualitatis productos, ex contemplatione Dei Verbi ſatietatem tuliſſe, & in deterius prolapſos, & corpora accepiſſe, & nomina, ut alii Cherubim, alii Seraphim, alii Principatus vocarentur, Anathema ſit. III. Si quis dixerit, Solem, Lunam, Aſtra ex deflectione in pejus facta eſſe id quod ſunt, Anathema ſit. IV. Si quis dixerit, rationalia frigeſcente caritate craſſis corporibus affixa, homines appellatos eſſe; alia verò cùm ad ſummam mollitiem evaſiſſent, frigidis tenebroſiſque corporibus alligata, Dæmones fuiſſe vocatos, Anathema ſit. V. Si quis dixerit, ex Angelico & Archangelico ſtatu animalem conditionem fieri; ex animali autem Dæmoniacum & humanum ſtatum; ex humano verò Angelos iterum, Dæmoneſque fieri, Anathema ſit. VI. Si quis dixerit, duplex extitiſſe Dæmonum genus, conſtans ex animabus hominum, & ex præſtantioribus Spiritibus in hoc delapſis, unam autem mentem in caritate, & contemplatione non Dei manſiſſe, qui Chriſtus fuerit, mundumque à Trinitate, ſed à mente opifice conditum eſſe, Anathema ſit. VII. Si quis dixerit, Chriſtum ante ſecula Deo conjunctum, noviſſimis temporibus omnia omnibus factum, in Angelis Angelum, poſteà participem factum eſſe carnis & ſanguinis, Anathema ſit. VIII. Si quis non dixerit, Deum Verbum Patri & Spiritui S. coeſſentialem incarnatum eſſe, & propriè Chriſtum, Anathema ſit. IX. Si quis dixerit, non Dei Verbum per animam rationalem deſcendiſſe in infernum, & per eandem rurſus aſcendiſſe in Cœlum, ſed eam, quæ ipſis dicitur mens, ex monadis cognitione Chriſtus ſit effecta, Anathema ſit. X. Si quis dixerit, Domini corpus poſt reſurrectionem æthereum & ſphæricum fuiſſe, taliaque futura cæterorum corpora, & corporum naturam in nihilum redigendam, Anathema ſit. XI. Si quis dixerit, per futurum Judicium nil materiale remanſurum, Anathema ſit. XII. Si quis dixerit, ſimili prorſus ratione cœleſtes virtutes, homines, Diabolum cum Deo copulari, quomodo mens ea, quæ ipſis Chriſtus nuncupatur, eumque finem fore regni Chriſti, Anathema ſit. XIII. Si quis dixerit, Chriſti & rationalium differentiam futuram non eſſe in natura, cognitione, potentia, quia erunt omnes à dextris Dei, quemadmodum ante fabuloſam præexiſtentiam, Anathema ſit. XIV. Si quis dixerit, rationalium futuram eſſe unitatem, ſublatis & perſonis & numeris, ſimul cum corporibus, ac poſt rationalium cognitionem ſequi mundorum interitum, Anathema ſit. XV. Si quis dixerit, vitam mentium eandem fore cum priori antequam deceſſiſſent, vel eſſent delapſæ, Anathema ſit.

Baluſ. Conc. 1549.

Juſtinianus petit Vigilium Diptychis deleri à qua Synodo?

XXXII. *Ægrè* Juſtiniano fuit, quòd Vigilius præſentiam Synodo ſuam negaſſet. Itaque *Conſtantinum* miſit cum Epiſtola, petiturum à Synodo, ut ſacris Pontifex tabulis deleretur. Cæterùm ea nos legatio in difficultatem vindice dignam ducit. Quam Conſtantinus Quæſtor Epiſtolam afferebat, ea data fuit *pridie Idus Julias, Chalcedone, imperante Domino Juſtiniano P. P. Auguſto, anno XVII. poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XII.* Quo tempore Synodus ſoluta videbatur. In Baluziana verò editione ſeptimam Conſtantinus Actionem ingreſſus eſt cum Imperatoris Epiſtola, quæ jubente Synodo à Diacono Stephano legitur. Hæc verò ſunt [illegible], cùm in eadem editione Actio ſeptima III. Nonas Julii fuerit celebrata. Ex quaternionum perturbatione difficultatem eam naſci exiſtimamus. Hinc factum, ut Actioni VII. ea infererentur, quæ poſt Synodum geſta ſunt. Eſt enim vero proximum, Imperatorem irâ percitum, ex Antiſtitibus, qui menſe Julio in urbe regia verſabantur, Synodum coëgiſſe, ad quam eum Epiſtola Conſtantinum direxit. His accedat, quòd poſt ultimam Collationem menſe Junio habitam Conſtantinopolitani Patres Synodi geſtis ſubſcripſerint: ut alius neceſſariò Conventus Conſtantini in verbis ſit quærendus, iiſdem tamen conſtans Antiſtitibus, & in eodem loco congregatis. Quòd ſi Synodus Mennæ adverſus

Seve-

Anno Dom. 553.

Severum, Petrum, Zoaram anno DLXXVI. poſt Conſulatum Beliſarii celebratæ, in Merliniana, Crabbeana, Suriana editione Conſtantinopolitanæ quintæ Oecumenicæ includitur, quid miri ipſius appendiculam, ac paucarum hebdomadum intervallo ab ea ſeparatam, cum ipſa fuiſſe quoque copulatam? Vix quidem in dubium revocari poteſt, quin in aliqua Synodo Juſtiniani hæc Epiſtola lecta fuerit: *Conſtantinus glorioſiſſimus Quæſtor dixit: Dum ingreſſum ſancto veſtro Concilio, propter recitationem chartarum, quæ apud vos inſinuata ſunt, piiſſimus Imperator formam deſtinavit ad veſtram ſanctam Synodum de Vigilii nomine, ne jam ſacris Diptychis Eccleſiæ inferatur, propter impietatem, quam vindicavit.* Hæc ſi falſa ſunt, falſa ſimiliter Imperatoris Epiſtola: *Sacra Synodus dixit: Sacra forma competenter ſuſcepta recitetur: & cùm ſuſcepiſſet Stephanus Diaconus Notarius Inſtrumentarius, recitavit.*

Epiſtola Juſtiniani, ut Vigilius Diptychis expungatur.

XXXIII. Epiſtola regia ſic habet: *In nomine Domini J. C. Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus . . . beatiſſimis Archiepiſcopis, & Patriarchis, Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio & Damiano religioſiſſimis Epiſcopis, vicem agentibus Euſtochii beatiſſimi Archiepiſcopi Hieroſolymitani & Patriarchæ, & cæteris religioſiſſimis Epiſcopis, ex diverſis Provinciis in hac regia civitate degentibus.* Præmiſſâ verò Capitulorum damnatione, ſubjungit: *Quando verò religioſiſſimus Papa antiquioris Romæ ad iſtam magnam civitatem pervenit, omnia iſta manifeſtata ſunt, & cùm hæc examinaſſet, & condemnavit, & ſatisfactionem in ſcriptis expoſuit, tam nobis, quàm piæ recordationis conjugi noſtræ. Nec enim patiebamur, nec ab eo, nec alio quocunque inviolatam communionem ſuſcipere, qui non iſtam impietatem condemnat. Sed & ſacramenta terribilia in ſcriptis juravit, ut in eadem permaneret voluntate, in condemnatione & anathemate prædictorum trium Capitulorum, & nullo modo vel tempore conaretur aliquid ad refutationem condemnationis prædictorum impiorum Capitulorum. Quod autem ſine ſcriptis ſæpius condemnavit impia tria Capitula, coram glorioſiſſimis Judicibus & religioſiſſimis Epiſcopis, & plures ex vobis qui conveniſtis, cognoſcunt, & hæc agens permanſit ſeptem annos. Poſteà verò & ſcripta inter vos & illum proceſſerunt, in quibus invicem conſeſſi eſtis convenire, & Synodicè prædictorum Capitulorum facere condemnationem. Et poſteà invitatus tam à nobis, quàm à veſtra religioſa Synodo, communiter quidem convenire recuſavit. Contraria autem factus eſt ſuæ voluntatis, ea defendens, quæ Neſtorii, & Theodori ſequaces ſapiunt. Præterea ipſe ſemetipſum alienum Catholicæ Eccleſiæ fecit, defendens prædictorum Capitulorum impietatem, ſeparans autem ſemetipſum à veſtra communione. His igitur ab eo factis, alienum Chriſtianis judicavimus, nomen ipſius ſacris Diptychis non recitari, ne eo modo inveniamur Neſtorii & Theodori impietati communicantes*, &c.

Fueritne Vigilius à Juſtiniano in exilium ejectus?

XXXIV. Non eâ pœnâ modò, ſed exilio etiam Vigilium affectum eſſe, multi perſuaſum habent, Anaſtaſii auctoritate: *Imperator mox miſit juſſiones ſuas per diverſa loca, ubi fuerant in exilio deportati, in Giſſa & Proceneſo, & adduxit eos ante ſe Imperator, dicens eis: Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa veſter. . . Hîc habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea erit vobiſcum? Reſponderunt omnes, Imperet Deus pietati tuæ, reſtitue nobis modò Vigilium, & quando eum voluerit Deus tranſire de hoc ſeculo, tunc veſtrâ præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noſter. Tunc dimiſit omnes cum* Vigilio. Narſetis precibus Vigilium ab Imperatore liberatum fuiſſe anno DLIV. Baronius exiſtimat, n. v. Vigiliani quoque teſtis exilii Auctuarium Marcellini adducitur: *Indictione II. P. C. Baſilii V. C. XIII. Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & à Narſe de exilio relaxatus, cùm Romam redire cœpiſſet, in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit.* Sunt tamen potentiſſima in exilium Vigilii argumenta, quod fabuloſum prorſus exiſtimamus. Quippe Victor in Chronico Ruſticum Eccleſiæ Romanæ Diaconum, pertinacemque Capitulorum defenſorem relegatum eſſe tradit. Omiſiſſetne exilium Pontifici Romanorum imperatum? Quin etiam quos Juſtinianus ejiciebat, illis Epiſcopos è veſtigio ſufficiebat. Sic Apollinaris Zoilo Alexandrino, *Primoſus* Reparato Carthaginenſi, Petrus Frontino Salonitano ſubſtitutus eſt. Cùm igitur Juſtinianus nullum Vigilio ſubrogarit, hinc apparet, eum exilio non fuiſſe mulctatum. Denique & Vigilii ad Eutychium Epiſtola labentis anni, & Conſtitutum anno ſequente damnandis Capitulis conditum, oſtendunt, Vigilium Juſtiniani in gratiam rediiſſe. Id etiam demonſtrat Lex P. C. Baſilii XIII. Vigilii precibus ab Imperatore rogata. Ex quibus intelligitur, quæ de longo Vigilii exilio narrantur, ad fabulas eſſe releganda. Abſona quæ narrat Auctuarium Marcellini, fidem in ea re prorſus omnem ei detrahunt. Quid hæc ſibi volunt, Vigilium *ab Imperatoribus Romanis, & à Narſe de exilio fuiſſe relaxatum?* Pluresne Auguſti anno DLIII. regnabant? Quid juris Narſes in Oriente exercebat, Gothicis armis in Italia retentus? Quòd ſi quæratur, cur Vigilius exilio exemptus fuerit, quod pertinacibus trium Capitulorum defenſoribus irrogabatur? Cauſam eam eſſe reſpondebimus, quòd Vigilii animus abjectior, ſpeque reparandæ fortunæ fractior, ut Capitulorum damnationi aſſentiretur, nullo ferè negotio impulſus fuerit, quod teſtatum fecit in ſua Epiſtola, à clariſſimo Marca luci donata. Exſcripta verò fuit anno Dom. MCCLXXVI. à viro eruditione nobili, *Leone Cinnomo*, ex volumine, quod in Veteri Bibliotheca Romanæ Eccleſiæ jam inde ab anno 753. aſſervabatur.

Anno Dom. 553.

Epiſtola Vigilii ad Eutychium de trium Capitulorum damnatione.

XXXV. Quæ ad illuſtrandos Annales neceſſaria ſunt, ex Epiſtola Regiæ Bibliothecæ MS. deprompta, ſuppeditabimus. Epiſtolæ titulus eſt: *Dilecto fratri Eutychio Vigilius.* Poſtquam teſtatus eſt, ſe quatuor Synodorum cultorem, charitatiſque tenacem, neglectâ demum dilectione fraternâ, Diaboli artibus in diſcordiam eſſe prolapſum, ſubjungit: *Sed quoniam Chriſtus Deus noſter, qui eſt Lux vera, quem tenebræ non comprehendunt, omni confuſione à mentibus noſtris remotâ, univerſum orbem & Eccleſiam ad pacem revocavit, ita ut quæ à nobis definiri debent, revelante Domino, & veritate inveſtigatâ ſalubriter impleta ſint. Idcircò ſciat veſtrum univerſa fraternitas, quòd quatuor Synodos, hoc eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem unà cum iiſdem fratribus noſtris in omnibus ſuſcipimus, & devotâ mente veneramur; atque unanimiter ſervamus.* Ne verò ſibi vitio eſſet ſua mutatio, oſtendit licitas eſſe retractationes: *Si in omni negotio ſapientia ratio poſtulat, ut id, de quo quæritur, retractetur, neque pudori eſſe debet, cùm ea, quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde*

de veritatis inveniuntur, in publicum eduntur, quantò magis de Eccleſiaſticis diſceptationibus convenit, eandem rationem in illis quoque obſervari. Præcipuè enim manifeſtum ſit, Patres noſtros, & maximè beatiſſimum Auguſtinum, qui in divinis Scripturis clarus, Romanæ eloquentiæ Magiſtrum, propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa, quæ omiſerat, ac deinde invenerat, addidiſſe. Nos quoque ſimiliter illis exemplis incitati, in controverſia trium Capitulorum ſuprà memoratorum nunquam deſtitimus, quin inveſtigaremus, quid de tribus Capitulis in Patrum noſtrorum literis verius inveniri poſſit. Unde patuit, reverà dictis Theodori Mopſueſtiæ ſermonibus, qui ubique redarguuntur, pleraque contraria rectæ fidei, & doctrinis Sanctorum Patrum contineri. . . Unde condemnamus, & anathematizamus unà cum aliis omnibus Hæreticis, qui ut manifeſtum eſt, damnati & anathematizati ſunt à prædictis quatuor Synodis, & ab Eccleſia Catholica Theodorum olim Mopſueſtiæ Epiſcopum, & impia ejus ſcripta. Nihilominus ea quoque, quæ à Theodorito ſcripta ſunt contra rectam fidem, & contra duodecim Capitula Sancti Cyrilli, & contra Synodum Epheſinam primam, quæque ab eo ſcripta ſunt pro defenſione Theodori, & Neſtorii. Præterea anathematizamus, & condemnamus Epiſtolam ad Marim Perſam Hæreticum, quæ ab Iba ſcripta dicitur. Subſcriptione hæc continentur: Deus te ſervet incolumem, frater honoratiſſime: *Data ante ſextum Idus Decembres, imperii Domini noſtri Juſtiniani æterni Auguſti, anno* XXVII. *P. C. Baſilii anno* XII. Sic Victor Juſtinianus de proſtratis tribus Capitulis juveniliter exultat. Diſſolutaque Imperatoris & Pontificis amicitia iterum conglutinatur.

Lab. Conc. t. 5. 595.

Vigilii ad Eutychium de trium Capitulorum damnatione Epiſtola ſitne ſubdita?

XXXVI. Vigilii hanc Epiſtolam in ſuſpicionem eruditis vocari nonnullis placet, iis argumentis, quæ Garnerius in ſua de v. Synodo generali Diſſertatione proponit, c. 6. Indignum eſſe ſummo Pontifice tradi, *ſe Diaboli dolo diviſum eſſe à fratribus*, falſum *ſexto poſt abſolutam Synodum menſe univerſum orbem, & Eccleſiam ad pacem revocatam fuiſſe*. Non incertum eſſe hoc ſuppoſitionis initium, quod Vigilius inducitur, afferre exempla Patrum ſuorum, qui propria dicta retractaverint, Patrum enim nomine intelligi Pontificum *præceſſores*: contra *publicam fidem* dici, ubique tunc, cùm ſcriberet Vigilius, redargui Theodori ſermones. His tamen aciculis Garnerius cornicum oculos non configit. Non Vigilii ſanè majora ſunt privilegia, quàm Petri, cui ab ipſo Domino *Satanæ* nomen inditum eſt: nec videmus rationem, cur Eccleſiæ diſſidia in Diabolum refundi non poſſint. Neque nauci eſt, quod tamen ab eo magni fit, diſputatoris argumentum, falſum eſſe ſcilicet, quòd ſexto poſt Synodum menſe orbis terrarum, Eccleſiaque ad pacem revocetur, aut ubique locorum Theodori ſcripta damnarentur. Mortalium quippe omnium in ſermonibus tritum eſt & celebratum, totum pro parte maxima poni, quâ ratione ſcriptum & à Matthæo, ad Joannem exiviſſe *totam Judæam*; & à Joanne, *mundum* ſecutum eſſe Chriſtum. Nullus verò inficias ibit, quin Eccleſiæ pars longè major & Theodori ſcripta damnaret, & ad concordiam revocaretur menſe Decembri, quo Vigiliana Epiſtola eſt exarata. Conveniebant inter ſe quinque Patriarchæ, quorum ſententiam plerique Comprovinciales amplectebantur. Magnum Concilium Imperatoris autoritate armatum, miſerum Theodorum obruebat. Metu qui Capitulis favebant, frangebantur, quibus exilium imminebat: ut pauci adhùc eſſent, qui in deſertorum & proditorum Theodori numero non ducerentur. Fruſtra etiam vitiligat vir eruditus, in eo Vigilii ſermone: *Manifeſtum, Patres noſtros propria ſcripta retractaſſe.* Quo non ſolos Pontifex Epiſcopos Romanos intelligit, ſed vetuſtos etiam Eccleſiæ Doctores, ut ſequentibus indicatur: *Quare ipſi Sancti Patres adverſus Theodorum ſcribentes, tractatus ſuos ad Sanctæ Eccleſiæ traditionem reliquerunt.* Scripta Auguſtinus ſua retractavit: retractavit & Hieronymus, Origenis quondam fautor maximus: ex Pontificibus etiam Romanis retractavit Liberius, retractavit Leo, quæ durius de *Hilario* Arelatenſi chartis mandaverat; retractavit Hormiſda. Nec eſt, cur Vigilii conſtantiam laudemus, qui quæ in judicato ſuo de Capitulorum damnatione vulgarat, ea deinde rurſus abrogavit & in Epiſtola, & in novo Conſtituto, reſcindenda tamen poſtmodum. Scilicet

Sunt quibus in plures jus eſt tranſire figuras.

Metam. l. 8.

Nec mirum, Vigilium & poteſtatis ſuæ retinendæ cupidum, & in urbe regia Imperatoris ſub poteſtate conſtitutum, ad ejus tandem nutum & arbitrium ſeſe finxiſſe. Quid ni fecerit in Epiſtola, quod variis ſcriptis non ſemel fecerat, ut tria Capitula proſcinderet? Ac tantò in ſpeciem honeſtius, quantò facti ſui Ducem Synodum Oecumenicam haberet. Pellatur igitur de Vigilii ad Eutychium Epiſtola dubitatio omnis, quam ſanè legitimam multa demonſtrant. Ac primùm Evagrius fidem aſtruit Epiſtolæ: *Porrò Vigilius per literas quidem conſenſit, Concilio tamen intereſſe noluit.* Quodnam illud eſt Vigilii ſcriptum, ſi Epiſtola non eſt? Nam judicatum ſanè intelligi poteſt, quod Vigilius receperat, quod revocarat, quod Concilio anteceſſerat: non Conſtitutum etiam, Synodi ante anathemata editum, eique contrarium, utpote nec Theodori perſonam, nec Theodoriti ſcripta, Ibæque Epiſtolam damnans, ut fruſtra hic ſit Garnerius, qui Evagrii voci ἐγγράφως Vigilianum ſive Conſtitutum, ſive judicatum accommodat. Deinde pertinaciam expugnant omnem verba Pelagii ſecundi ad Eliam Aquileienſem: *Hanc opitulationem excuſationi veſtræ adjungitis, dicentes, quòd in cauſæ principio & Sedes Apoſtolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum Provinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter reſtiterunt. In quibus verbis attendimus, quod res, quæ provocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines, & Græcitatis ignari, dum linguam neſciunt, errorem tardè cognoverunt. . . Debet ergo perpendere veſtra dilectio, quia Prædeceſſorum noſtrorum in hac cauſa conſenſus tantò poſt inanis non fuit, quantò prius duris contradictionum laboribus inſudavit.* Qui ſunt illi prædeceſſores Pelagii ſecundi, qui ſub annum DLXXVII. Romanam adminiſtravit Eccleſiam, niſi Vigilius, Pelagius, Joannes tertius, & Benedictus I. His accedat Conſtitutum Vigilii anno DLIV. conditum, quod indefeſſæ clariſſimi Baluzii vigilantiæ debemus, in quo legimus: *Prædicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus: id eſt, Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam, in qua nefanda ſuperius deſignata blaſphemia continentur: & impium Theodorum Mopſueſtenum, cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoritus conſcripſit.*

Evagr. l. 4. c. 38.

Pelag. Ep. c. 7. 8.

Conſtit. Vig. c. 28.

ANNO DOM. 553.

Quòd ſi neque externis tot teſtimoniis, neque initiis Epiſtolæ Vigilianæ argumentis aſſenſum adhùc præbemus, moveat nos ſaltem conditio rerum. Pepercíſſetne Juſtinianus Vigilio, repugnanti Synodi quintæ Decretis, pertinacique trium Capitulorum defenſori? Eum utique perinde atque Reparatum, Victorem, alioſque Sede pepuliſſet ſua, in exilium truſiſſet, ſucceſſorem relegato dediſſet. Quæ cùm non fecerit, pro certo habendum eſt, Vigilium ſuâ Epiſtolâ Synodo aſſenſum præbuiſſe.

Ob Synodi v. Decreta multi in exilium pelluntur.

XXXVII. Non eam vim habuit ſive regia poteſtas, ſive Decretum Synodi, ſive exemplum Vigilii, ut fortium conſtantiam virorum vinceret, qui turpiſſimæ tranquillitati exilium antetulerunt. Eò ſpectant verba Liberati, c. 22. *Quæ ſubſequenter in Epiſcopis, & Catholica Eccleſia ab eodem Principe facta ſunt, quomodo conſentientes Epiſcopi in trium damnationem Capitulorum, muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti in exilium miſſi ſunt, vel aliqui fugâ latitantes, in angustiis felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda.* Inter exules Ruſticus Diaconus, & Felix Abbas reperiuntur: *Quoniam Decretis Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Felix Gillitanſis Monaſterii Provinciæ Africanæ Hegumenus, contradicentes ſcripto, Thebaida in exilium cum ſuis ſociis tranſmittuntur.* Hæc Victor in Chronico. Anno ſubſequente *Frontinus* Salonenſis Antiſtes Eccleſiæ *ad regiam urbem evocatus, pro defenſione trium eorumdem Capitulorum Antinoenſi primæ Thebaidæ civitatis exilio deputatur.* Hinc liquet, quantum calamitatis orbi invexerit importuna Capitulorum damnatio:

Prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineâque manu crepitantia concutit arma.

ANNO DOM. 554.

ANNO U. C. 1307. PER. JUL. 5267. JUL. 599. DOM. 554. JUSTINIANI 27. & 28. *Sol.* 3. D, *Lun.* 4. *Indict.* 2. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 4. *P.* 5. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii XIII.

Teja Cumas ſibi ſervare conatur.

I. UT fractis Gothorum viribus *Teja* auxilii aliquid afferret, *Theodebaldum* Francorum Regem legatione ſibi adeundum putat. Ei ergo pecuniæ multum pollicetur, ſi ſecum arma contra Juſtinianum ſociet. Abnuit Theodebaldus, eâ, uti videtur, ratione ductus, ut attritis mutuis vulneribus Romano atque Gotho Italiam Franci omnem ſuæ poteſtati ſubjicerent. Sed & valetudine correptus, ad belli conſilia minus impellebatur. Intereà Teiæ fata illum gravi exitio ſternunt, cujus ea cauſa fuit. Partem facultatum ſuarum longè maximam Totila in validiſſimo Cumarum præſidio collocarat: his opibus Teia Aligernum cum *Erodiano* præfecerat. Quarum percupidus Narſes, partem exercitus Cumas obſeſſum miſit. Pecuniæ timens Teia ſic ſuos inſtruit, quaſi in hoſtem ducturus. Ac brevioribus conſuetiſque itineribus omiſſis, Joannem Vitaliani, *Philimuthque*, quos in Thuſciam Narſes miſerat, ut tranſeunti obſiſterent fruſtratus, in Campaniam venit. Eſt ibi fluvius, nomine *Dracon*, qui juxta Nuceriam labitur, leni quidem & brevi curſu, peditum tamen equitumque nulli pervius ob editiores utrinque ripas. Hîc Teia caſtrametatus, turribus ligneis atque machinis locum munit. Verùm fuere cauſæ, cur propugnaculum deſerere ſuum cogeretur. Gothicam Ducis proditione claſſem Romani capiunt. Narſes quoque turres ſupra fluminis ripam erigit. Quibus Gothorum adeò franguntur animi, ut in proximum montem, nomine *Lacteum*, confugerent. Cùm ibi alimentorum penuriâ in deſperationem verterentur, uno agmine in hoſtes ruunt.

Proc. Goth. l. 4.

Teia occiditur.

II. Prælium oriente Sole committitur. Erat Teia vir quidem fortiſſimus, ſed non prudenter ſatis virtutis ſigna ſuæ Romanis oſtenſum voluit. Quippe paucis ſe comitantibus, primus omnium ante aciem conſtitit. Tum Romani meritò putantes, cadente Teiâ Gothorum diſſolvi aciem poſſe, eum telis undique obruunt. Ea primum clypeo excipiebat, impetuque in hoſtes facto, complures obtruncabat. Ad tertiam diei partem ſtrenue dimicando jam ſteterat, duodecim tela clypeo affixa geſtans, cùm novum pugnanti ſcutum affertur. Fortè tum accidit, ut nudo certantis pedi telum incideret: quo ictu moribundus prolabitur: cujus deinde caput præciſum, haſtæque impoſitum, Romani oſtentant, ut ſuis audaciam, Gothis verò metum incuterent. Verùm graviſſimi ſunt morſus neceſſitatis. Morte Principis ſui haud perterriti Barbari ad noctem uſque pugnant: quam & in armorum apparatu totam agunt. Exorta luce eam pugnando conterunt, nec tamen ob acceptam cladem ab armis diſcedunt. Sic & ſuo, & hoſtium cruore Teiæ manibus litabant. Fatalis ea pugna anno labente contigit, teſte Mario Aventicenſi: *P. C. Baſilii anno XIII. Ind.* 2. *Teia Rex Gothorum à ſuprà ſcripto Narſe interficitur.* Evellatur ergo Baronii error, qui Teiæ obitum anno ſuperiori aſſignat. Quantum conjecturâ aſſequi valemus, ſub Julium menſem pugna ea commiſſa eſt. Quippe poſt victoriam Narſes ad Cumenſem obſidionem proficiſcitur, indeque *Lucam* petens, exactis tribus menſibus eâ potitur.

Error Baronii.

Bar. Ann. 553. n. 17.

Gothi victi pacem cum Narſe ineunt.

III. Gothi tot cladibus fracti, ſe tandem victos fatentur. Itaque miſſis ad Narſem Legatis, eâ conditione bella ſe relicturos profitentur, ſi liberi cum cæteris Barbaris vivant: orant concedi ſibi abeundi facultatem: polliceri ſe pecuniam omnem, quam in Italiæ præſidiis recondiderant. Cùm de conditionibus Joannem Narſes conſultum iviſſet, eas admitti decretum eſt, ne cum devotis morti hominibus rurſus pugnandum eſſet. In id tandem conventum, ut Gothi collectâ ſupellectile Italiâ ſecederent, nullumque deinceps cum Romanis bellum gererent. Itaque Barbari, relictis caſtris, mille circiter numero Ticinum agmine uno contendunt.

Proc. Goth. l. 4.

Cumas Narſes obſidet, cui tandem Aligernus ſe dedit.

IV. Cumis præerat *Aligernus*, Teiæ germanus, qui ne vel ob defuncti cladem perculſus metu, totis civitatem viribus tueri ſtatuit. Contrà verò Narſes ut victoriæ ſuæ fructum caperet, exercitum Cumas ducit, oppidum in colle ſitum, adituque difficili & prærupto munitiſſimum. Quæcunque ad obſidionem neceſſaria ubi parata ſunt, oppugnatio inſtituitur, cui validam Aligernus defenſionem opponit. Erat ipſius ſagittandi peritia cum excellenti robore conjuncta. Quæ tela jaciebat, ſi in lapidem incidiſſent, eum ſubinde perſringebant, præ impetus & vi & velocitate. Itaque *Palladium*, de Romanorum Præfectis unum, cùm inſtantem oppugnationi advertiſſet, miſſâ ſagittâ, cum ſcuto ſimul & thorace tranſfodit. Permoleſtum Narſeti erat, in expugnando oppidulo diutius detineri. Verſanti in animo, quâ ratione

eo

eo potiretur, magnam vim hominum antro Sibyllæ immittit, qui inſtrumentis adhibitis ſpeluncæ faſtigium ex ea parte præciderent, quæ arci columini erat. Nudatis fundamentis erecta ex ordine tigna ſubjiciunt, quibus muri innixa moles ſuſtinebatur, ne ſtatim rueret. Tum injecto igne fulcimenta correpta, impoſitis ponderibus concedunt: propugnacula à compage divulſa in declive feruntur, fores in littus excutiuntur. Spes erat Narſeti aditum ad civitatem perfacilem eſſe; falſâ tamen opinione ducebatur: cùm hiantia loca aſcendentibus impedimenti multum objicerent. Itaque Gothis fortiter reſiſtentibus, re infectâ repellitur. Cùm igitur intellexiſſet, diuturniore ad expugnandum oppidum morâ opus eſſe, partem exercitus ad obſidendum reliquit, ipſe in Thuſciam ſe confert, audiens Leutharim, Bultinumque cum exercitibus venire obſeſſis auxilio. Elapſo temporis ſpatio *Aligernus*, cui ſubolebat Francos id agitare, ut Italiâ ſoli potirentur, verboque tenùs ſuppetias ferre, obſidentibus ſignificat, velle ſe Narſetem alloqui. Quod cùm permitteretur, illum in Ravennati agro conſtitutum adit, & claves ei in manus tradit. Sic & oppido & pecuniâ potitur. Cumas reverſus Aligernus, Francos illàc tranſeuntes illudit: fruſtra tandem perfectis rebus veniſſe: Gothorumque opes jam Romanorum eſſe. Commoti his ludibriis Franci ad verba deſcendunt, cùm verbera infligere non poſſent, Aligernumque proditionis accuſant.

Agath. l. 1. c. 9. 15.

Lucenſis obſidio: civitate Narſes potitur, quâ ratione?

V. Obſidione Cumenſi relictâ in Thuſciam Narſes conceſſerat; quid ibi geſſerit, brevi eſt narratione exponendum. Venienti Florentini obviam procedunt, acceptâ fide, ne quid hoſtile paterentur: quorum exemplum Centumcellenſes, Volaterranique imitantur. Soli Lucenſes injectâ deditionis cunctatione, Francorum adventum præſtolabantur. Cùm firmata datis obſidibus pacta parviſacerent, Narſes ad expugnanda mœnia ſeſe comparat. Ac Ducum ſententia hæc erat, obſides morti objiciendos eſſe, ut eâ ratione Lucenſes perfidiæ ſuæ pœnas luerent. Iræ tamen frena dari Narſes prohibuit; iniquum ratus, eos necari, qui multâ ſe injuriâ affeciſſent. Verùm egregium ſimul callidumque conſilium excogitat frangendæ Lucenſium pertinaciæ. Obſides producit, manibus poſt terga revinctis, ultimum eis ſupplicium minatus, ni Lucenſes pacta ſua ſervent. Obſidibus à tergo ad collum lignum ſubmittitur, pannis opertum. Tum milites ſtrictis gladiis ſigna feriunt, abſque ulla virorum pernicie, qui ut moribundi labuntur. Hic Lucenſes ululatum tollere, pectora tundere, laceris veſtibus in propugnaculis verſari, Narſeti ingerere convitia, crudelitatem ipſius accuſare. Quibus lepidum Narſes promiſſum facit, ſi violata pacta impleant, obſides ad vitam ſe revocaturum, civitatemque ſervaturum. Conditione, quam impoſſibilem putabant, illicò acceptâ, Narſes ſalvos obſides exhibet. Eo ſpectaculo, quo promiſſa ſtare monebantur, ad ingenium redeuntes, perfidiâ Narſetis clementiam compenſant. Ubi ad id eſt dementiæ ventum, Narſes nunquam ſatis laudandâ magnanimitate obſides gratis omnes remiſit, qui cum præconiis compluribus Narſetis virtutes extuliſſent, civibus ſuadent ſuis, ut Romanorum partes ſuſcipiant. Ac fortè ad deditionem eos impuliſſent, ni Francorum Legati obſtitiſſent. Itaque impetu facto Romanos adoriuntur. Verùm ubi tentatâ ſæpius fortunâ auxilii ſpes omnis decollavit, ad pacem animum inclinant, oppidoque tradito, Narſetem cum ſuis intra muros recipiunt poſt trimeſtrem obſidionem.

Agath. l. 1. c. 10. 13.

Vigilii de tribus Capitulis Conſtitutum. Negat ad Marim Epiſtolam Ibæ eſſe.

V. Attingamus nunc res Eccleſiæ, quæ famæ claritati donatæ ſunt. Ac primùm ſcribentibus offert ſe Vigilii varietas & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. Anno ſuperiore miſſâ ad Eutychium Epiſtolâ deſenſoram non ſemel trium Capitulorum damnationi conſenſerat. Non ea tamen homini ſufficiebat, qui velis equiſque & ſuam retinere dignitatem, & Principis ſibi favorem comparare nitebatur. Itaque *Conſtitutum* edidit ſuum, quod laudanda bonis omnibus clariſſimi Baluzii diligentia è tenebris in lucem vocavit. Februarii XXIII. Vigilius id vulgavit operis, cujus ſummam referemus. Ac primùm Ætii Conſtantinopolitani Archidiaconi verbis ex Actione quinta Concilii Chalcedonenſis propoſitis, quibus tam Neſtorii, quàm Eutychis opinio damnabatur, ea ſubjungit, c. 1. *Poſtquam Beati Chalcedonenſis Concilii expoſitionem, vel B. Leonis Epiſtolam de ſancta & orthodoxa fide poſuimus, qua una eademque eſt trium præcedentium Synodorum, id eſt, Nicena, Conſtantinopolitana, atque Epheſina prima, & Deo juvante, in ea nos omnes ſincera mentis devotione perſiſtere, fraternitas veſtra & univerſalis cognoſcit Eccleſia, neceſſarium valde credimus, pro ejus ſervanda per omnia reverentia, de ſuprà ſcriptis trium Capitulorum quæſtionibus diligenter debere nos cuncta diſcutere, & cautâ promulgatione ſententia definire.* Incipit autem ab Ibæ Epiſtola, quam ab eo ſcriptam eſſe negat: *Claret igitur ab ipſo initio, quo Ibas Edeſſena civitatis Epiſcopus ſanctam Chalcedonenſem Synodum monſtratur ingreſſus, Epiſtolam, qua ad Marim Perſam ab eo ſcripta compingitur, quia ſua fuerit denegaſſe, adeò ut apertiſſimè fateatur, in ſecunda illius Epheſini Concilii nefariis geſtis injuſtitiam ſe ab Eutyche, & falſa figmenta perpeſſum.* Et capite ſequente: *Satis apertum eſt, Epiſtolam ad Marim Perſam ſcriptam, qua beati Cyrilli dogmata, quibus non conſentientem Neſtorium conſtat eſſe damnatum, definiendo recta fidei eſſe contraria, Beatum Cyrillum appellaret Hæreticum, ab adverſariis Iba Epiſcopi, quia ejuſdem Iba fuerit, nullo modo comprobatam, nec eundem Ibam, quia ejus fuerit, fuiſſe confeſſum. Quoniam ſi apud præfatos judices ab Iba factam doceri potuiſſet Epiſtolam, nunquam eorum ſententiâ Ibas meruiſſet abſolvi.* Inſpiciantur capita 6. & 7. & 19.

Vig. Conſt. c. 2.

Vigilius Ibæ ad Marim Epiſtolam hæreticam eſſe contendit.

Vig. Conſt. c. 15.

VII. Poſtquam ad Marim Epiſtolam ab Iba Vigilius abjudicavit, eam Chalcedonenſium fidei contrariam eſſe contendit: *Reſtat ut veritate ſimili declaremus, quemadmodum à ſenſu, vel definitione, ſive profeſſionibus venerabilium Patrum in Chalcedona reſidentium, ſæpè dicta Epiſtola ad Marim Perſam ſcripta, aliena videtur exiſtere, & eorum ſententiis obviare.* Illud autem eâ ratione probat: *Si illa tanti Pontificis, & tantâ orthodoxa fidei luce præfulgens Epiſtola, his exigit comparationibus approbari, quomodo illam ad Marim Perſam Epiſtolam, qua ſpecialiter Epheſinam primam Synodum reſpuit, & beati Cyrilli expoſita dogmata definivit hæretica, ab iiſdem Patribus credatur orthodoxa nominari, cùm illa condamnet, quorum collatione tanti Pontificis, ut dictum eſt, meruit doctrina laudari.* Epiſtolam Epheſinæ quoque pugnare Synodo his oſtendit: *Porrò autem Epiſtola ad Ma-*

ANNO DOM. 554.

Vig. Conſt. c. 40.

rum Perſam ſcripta, dicendo beatum Cyrillum Hæreticum, ejuſque XII. Capitula impia, & fidei rectæ contraria, Neſtoriumque judicio & inquiſitione non factâ damnatum, omni ordini, atque omnibus formis in Epheſina prima Synodo habitis manifeſtatur eſſe contraria. Unde fit, ut valde demonſtretur abſurdum eorum Decretis illam putari Epiſtolam eſſe ſuſceptam, quæ apertiſſime ipſorum impugnat de fide judicium, ut per hoc non ſolùm præcedentes Patres, ſed ſemetipſos, quod vel dici nefas eſt, aliquâ videantur contrarietate deſtruere. Quia verò in Ibæ Epiſtola dicta reperiebantur multa, quæ ad veritatis regulam quadrabant, regerit hæc Vigilius, ut objectiones amoliatur: *Nec quemquam debet permovere Fidelium, quod quidam ſubripiendo nituntur aſtruere, quædam in hac Epiſtola ad Marim ita dicta, & quaſi his, quæ bene dicuntur, poſſint convenientia demonſtrari; cùm Hæreticorum conſuetudo ſit, venena ſua fucatis celare ſermonibus, & verba præmittere, quæ quaſi orthodoxis videantur profeſſionibus conſonare*, c. 17.

Vigilius Theodorum Mopſueſtenum accuſat hæreſeos.

VIII. Quæſtione de Iba peroratâ, Vigilius ad Theodorum Mopſueſtenum ſe convertit: *Perpendimus*, inquit, *quòd hujus quoque quæſtionis exordium ex Hæreticorum cænoſo fonte manaverit. Cùm enim Neſtoriani ante plures annos non valerent impia ejus dogmata, ſub ipſius damnati Neſtorii nomine quorumdam ſenſibus decipiendis inſerere, hìc proferendi errora ſui opportunitatem exquiſitis fraudibus invenerunt, ut ex Theodori Mopſueſteni libris, quem jactant in pace Eccleſiæ defeciſſe, impia rurſus Neſtorii dogmata blaſphemiis immanioribus innocata, introducere niterentur. . . . Hoc enim memoratos Neſtorianos publicè & inceſſanter aſtruere, nulli venit in dubium, dicentes: Nos patrem non tam Neſtorium, quàm Mopſueſtenum Theodorum veneramur, ejuſque libros totâ noſtra devotione mentis amplectimur, nec erit quiſquam, qui nobis obſiſtere valeat, cùm dogma noſtrum ſic antiqui Doctoris Theodori ubique vulgatis Codicibus aſtruatur.* Ulterius progreſſus Vigilius, contendit non injuriâ Theodoro erroris notam imponi, cùm Epiſtola ad Marim, in qua laudatur, à Chalcedonenſibus damnata fuerit:

Vig. Conſt. c. 26.

Quæ cùm ita ſint, non tamen deſiſtimus per fideliores interpretes ſcripta ejuſdem Theodori perſcrutari, quamvis nobis & antè utcumque fuerint publicata. . . . Quarum blaſphemiarum ex libris Theodori Mopſueſteni perverſitate repertâ, evidenter apparet, falſiſſime quoſdam ſovenos dicta Theodori opinari, quòd memoratus Theodorus non fuerit in ſua vita damnatus, cùm perſpectis prædeceſſoris noſtri beatæ recordationis Damaſi Synodalibus conſtitutis, quæ poſt Nicænum Concilium de Spiritu Sancto tractantibus, & convenientibus in urbe Roma Catholicis Epiſcopis, & beatæ recordationis Ambroſio Mediolanenſis civitatis Antiſtite ſunt edita, longè antequam Theodorus Mopſueſtia officium Epiſcopatus aſſumeret, invenerimus planiſſime definitum, eos qui duos Filios affirmant, unum ante ſecula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine, ſicut ſuperius Theodorum aſſeruiſſe monſtratum eſt, anathematis pœnâ percuſſos.

Theodoriti in Cyrillum ſcripta Vigilius damnat.

Vig. Conſt. c. 27.

IX. Rem dein Theodoriti Vigilius tractat, quem fulminibus quoque ſuis jaculatur: *Anathematizamus & quæ Theodoritus conſcripſit contra rectam fidem, & contra XII. ſancti Cyrilli Capitula, & contra primam Synodum Epheſinam, & quæ ad defenſionem Theodori & Neſtorii ab eo ſcripta ſunt: quia pro Eccleſiaſtica utilitatis cauſa popoſcit, etiam memorata Theodoritus ſcripta damnaſti, eò quòd ſæpèdicti Neſtoriani, ſub ejus Epiſcopi nomine, qui à beatæ recordationis Leone Papa & à ſancta Chalcedonenſi Synodo apertâ profeſſione receperit, & ſuſceperit definitionem ſancti Chalcedonenſis Concilii, in qua Beati Cyrilli in Epheſina prima expoſitam manifeſtum eſt prædicari doctrinam. Et ita ſicut omne Concilium ſanctæ Chalcedonenſis Synodi interlocutum eſt, ab eadem Synodo conſtat fuiſſe ſuſceptum. Propter quod clarum eſt, nihil novi nos per hanc damnationem ſtatuere, ſed ea anathematizaſſe, quæ & ſancta Chalcedonenſis Synodus reſpuit, & ipſe quoque Theodoritus Epiſcopus illic ſuâ profeſſione damnavit.*

ANNO DOM. 554.

Anathemate tria Vigilius Capitula ferit, ſcriptaque ſua, quibus ea probarat, reſcindit.

X. Præmiſſâ ſingulorum damnatione, Vigilius communi dein anathemate tria Capitula his verbis obruit: *Prædicta igitur tria impia Capitula anathematizamus, atque damnamus, id eſt, Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam, in qua nefanda ſuperius deſignata blaſphemia continentur, & impium Theodorum Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoritus conſcripſit. Et quicumque ea quoquo tempore credideſt accipienda vel defendenda, aut conatus fuerit aliquando præſentem damnationem reſolvere, pari anathemate condemnamus. Eos autem, qui conſervantes rectam fidem prædictis quatuor Synodis prædicatam, memorata tria Capitula damnaverunt, vel damnant, fratres & Conſacerdotes habemus. Quæcumque verò ſive meo nomine, ſive quocumlibet pro defenſione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præſentis noſtri pleniſſimi Conſtituti auctoritate damnamus*, &c. Poſt *ſubſcriptiones ea leguntur*: *Data VII. Kal. Martiarum, imperante Domino Juſtiniano perpetuò Auguſto, anno XXVII. & P. C. Baſilii V. C. anno XIII. Conſtantinopolim.*

Balux. Collect. Conc. 1551.

Eo Conſtituto factum eſt, ut quatuor Synodis Oecumenicis quinta tandem acceſſerit. Id quidem Vigilii ad Eutychium Epiſtolæ tribuit Marca, Diſſertationis de Vigilii Decreto c. 16. Verùm longè ſatius eſt, Conſtituto id potius aſcribere, quàm Epiſtolæ. Conſtitutum enim longè nobilius fuit, utpote ſubſcriptionibus Epiſcoporum munitum, formulaque damnationis eſt ea auguſtior, quæ in Epiſtola reperitur. Eo tamen dignitatis non evecta eſt v. Synodus, ut ab omnibus illicò pro Oecumenica haberetur. In Oecumenicis ſanè à Caſſiodoro non numeratur, qui capiti XI. libri primi de Inſtitutione divinarum Scripturarum eum præfixit titulum, *De quatuor Synodis receptis.* Capitis verò verba ſunt: *Dicamus nunc quemadmodum univerſalia ſanctaque Concilia fidei noſtræ ſalutaria ſacramenta ſolidaverint, ut ibi cognoſcentes vera religionis arcanum, poſſiſ-tos vitemus errores. Primo loco Nicæna Synodus legitur conſtituta, deinde Conſtantinopolitana; tertia, Epheſina prior; quarta, Chalcedonenſis: quas meritò probat Eccleſia, quæ tanta fidei noſtræ lumina præſtiterunt.* Biclarienſis Abbas, qui à primo Juſtini II. anno Chronicum incipit ſuum, hæc habet: *Romanorum LIII. regnat Juſtinus Junior annis XI. qui Juſtinus anno primo regni ſui ea, quæ contra Synodum Chalcedonenſem fuerant commentata, deſtruxit*, quibus Synodus Juſtiniani perſtringitur. Neque Bracarenſes Patres anno DLXXII. melius in quintam Synodum animati fuere, utpote qui eam Conciliis Oecumenicis non inſeruere. Ipſorum verba recitentur: *Sancti Patres ac præceſſores noſtri, aut generales Synodus undique collige, pro unitate rectæ fidei fecerunt, ſicut in Nicæna contra Arium trecenti & decem octo,*

&

& in Conſtantinopoli contra Macedonium CL. *& in Epheſo contra Neſtorium ducenti, & in Chalcedone contra Eutychem ſexcenti triginta.* De quinta Synodo, quæ tria Capitula damnavit, altum ſilentium egunt. Fuere & in Italia Synodi, à quibus rejecta eſt, ut videbitur inferius. Columbanus quoque temperare non potuit, quin Vigilium censurâ vexaret in ſua ad Bonifacium Papam Epiſtola, quæ numero quarta eſt: *Vigila itaque, quæſo, Papa, Vigila, & iterum dico, Vigila, quia fortè non benè vigilavit Vigilius, quem caput ſcandali iſti clamant.*

B. M. P. t. XII. 28.

Juſtiniani Lex ad Vigilii preces rogata.

XI. Cæterùm Conſtituto hoc ſuo Vigilius Juſtinianum ſibi multum devinxit. Itaque cùm precibus ſuis blandus ille Pontifex regium favorem imploraſſet, ut firma eſſent omnia, quæ Gothorum Principes conceſſerant, pragmaticam ea de re Sanctionem impetrat, Auguſti XIII. promulgatam. Loquatur ipſe Juſtinianus; *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Epiſcopi quædam diſponenda eſſe cenſuimus, ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noſcuntur. In primis itaque jubemus, ut omnia, quæ Atalaricus, vel Amalazuntha regia mater ejus, vel etiam Theodatus Romanis, vel Senatu poſcente conceſſa ſunt, inviolabiliter conſerventur.* Conſtat Lex capitibus XXVII. Ac ſecundum abrogat donationes à *Totilane tyranno* factas. Decimum quintum de liberis, qui cum ſervis matrimonio conjuncti ſunt, hæc ſancit: *Eiectionem quidem liberæ perſonæ diſcedendi per præſentes noſtros mereantur affectus.* Decimum ſeptimum de ſacris Virginibus agit: *Sancimus, ut qui mulieres Deo ſacratas, vel qui habitum religioſum habentes ſibi conjunxiſſe inveniantur, nullam eas retinendi, vel dotes forte conſcriptas, iterum Monaſteriis, vel Eccleſiis, aut ſancto propoſito, cui dedicatæ ſunt, reſtituantur.*

Bar. An. 554. n. 11.

Ex Decretis Synodi Vigiliique Conſtituto Hæſitantes ad concordiam non revocantur.

XII. Cùm & autoritate Synodi Conſtantinopolitanæ, & Conſtituto Vigilii tria Capitula damnarentur, inventi ſunt plures, qui flecterent, & dirigerent Principis ad voluntatem ſua judicia, quod in Africa factum eſſe ſcribit, ſimulque dolet Victor Tunnunenſis: *Proconſularis Concilii Provinciæ Africanæ Sacerdotes, Rufini & Vini Epiſcoporum, Reparati Archiepiſcopi obtrectatorum arte deluſi, tanquam defenſoribus fidei occurrunt, & Primoſi prævaricatoris Carthaginis Eccleſiæ communione, præter pauciſſimos polluunt.* Hinc Baronius errori eſt eximendus, qui ex Concilii quinti Decretis *univerſam Eccleſiam Catholicam ſchiſmate dilaceratam* fuiſſe fingit. Quippe certe res eſt, in Africa *pauciſſimos*, in Illyrico paucos aſſenſum negaſſe Synodo. Et verò paucorum firmitudine Eccleſia ſcindi non potuit. Conſtantiores animi, quos nec ſumma Juſtiniani poteſtas, nec Vigilii Conſtitutum de ſtatu dimovere ſuo potuerunt, exilium potiùs Capitulorum damnationi antepoſuere, quos inter Frontinus veterum monumentorum memoriâ celebratur: *P. C. Baſilii V. C. anno* XIV. *Frontinus Epiſcopus ad urbem regiam evocatus, pro defenſione trium eorumdem Capitulorum Antinoënſi primæ Thebaidæ civitatis exilio deputatur: & pro eo ab Narſete Petrus Salonenſi Eccleſiæ ordinatur.* Hæc Victor in Chronico. Neque tamen Juſtinianus propoſiti ſui compos fuit, cùm *Hæſitantes*, quos Eccleſiæ communioni ſua reſtitui Concilio voluit, ad concordiam non fuerint revocati. Quò pertinent verba Leontii de Sectis: *Alia nobis oritur de Juſtiniani temporibus difficultas. Nam quia Juſtinianus, qui videret Hæſitantes acclamare Theodorito & Ibæ, quaſi ipſorum cauſâ Synodum odio haberent, eos anathemati ſubjecit, objiciunt nobis, quamobrem illos anathematizamus? Quippe boni erant, vel mali: ſi boni, cur eos anathematizatis? Sin mali, cur à Synodo excepti ſunt?... Ad hoc reſpondemus, Juſtinianum hoc certâ diſpenſatione feciſſe. Nam quia videbat, ut diximus, horum cauſâ Hæſitantes Synodum averſari, perſuaſum ſe putabat, ut his anathematizatis, Synodus reciperetur, ideòque duos anathematizandos duxit, quanquam minimè anathematizatos oportuit, ut omnes ad concordiam redigeret; hanc igitur ob cauſam illos anathemati ſubjecit. Verùm ne ſic quidem adducti ſunt Hæſitantes, ut Synodum reciperent.* Eo docemur exemplo, veritatem omnibus anteponendam eſſe: neque unquam committendum, ut violatione æqui Eccleſiæ conjunctio redimatur.

Error Baronii.

Bar. An. 553. n. 231.

Leont. de Sect. c. 6.

Neque ſoli Illyrienſes, verùm etiam Hiſpaniarum Epiſcopi Juſtiniani Synodum repudiarunt. Itaque Toletana Synodus XIV. omiſſo quinto Concilio, ſextum, quod imperante Conſtantino Pogonato in urbe Regia celebratum eſt, poſt Chalcedonenſe proximè numeret, c. 7. *Poſt Chalcedonenſe igitur Concilium hæc debito honore, loco, & ordine collocanda ſunt, ut cujus glorioſo themate fulgent, ei & loco, & ordinis cooptentur honore.*

XIII. Labente, ut videtur, anno *Metenſis* Synodus celebratur, quæ Arvernenſibus ſacris Cautinum præficit. Exceſſerat *Gallus*, cujus corpus *ablutum* Eccleſiæ intulerant. Labente interpontificio *Cato* Presbyter, quaſi jam ad Epiſcopatum eveheretur, res Eccleſiæ adminiſtrabat. Specie pietatis ſplendebat, jejuniis vacabat, erogandis eleemoſynis delectabatur, continuatas vigilias exercebat: ut Epiſcoporum, qui Gallum venerant ſepultum, animos omnium in ſe converteret: *Videmus*, inquiunt, *quia te diligit pars maxima populorum: veni conſenti nobis, & benedicentes conſecremus te ad Epiſcopatum.* Spondent, ſi quid à Rege Theodevaldo detrimenti acciperet, ſe propriis facultatibus id ei ſoluturos. Verùm Epiſcoporum ſermone ſuperbius excepto, reſpondet, *Ego canonicè aſſumpturus ſum hunc honorem*, hoc eſt, Regis conſenſu illum impetrabo. Cùm inſolentius ſe gereret, minaſque complures Cautino Archidiacono intenderet, is morbo ſimulato de nocte ad Theodevaldum properat, quem de Galli obitu certum facit: *Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metenſem civitatem, Cautinus Archidiaconus Epiſcopus ordinatur.* Ex ea conſecratione magna Arvernenſis Eccleſiæ rebus calamitas incidit. Quippe ſciſſâ in partes Eccleſiâ, alii *Cautino*, alii *Catoni* obſequebantur. Neque unquam Presbyter ille impelli potuit, ut ſuo Præſuli ſubjiceretur. Quâ contumaciâ factum, ut Cautinus res Eccleſiæ omnes adverſariis ſuis ereptum iret. Alioquin & in Epiſcopatu ſuo tam turpiter ſe Cautinus gerebat, ut multum infamiæ ſibi colligeret, cùm bacchanalia palam apertèque viveret, ne vel Cuſtos ſimulans: *Cautinus aſſumpto Epiſcopatu talem ſe reddidit, ut ab omnibus execraretur, vino ultra modum deditus: nam plerumque in tantum infundebatur potu, ut de convivio vix à quatuor portaretur: unde factum eſt, ut epilepticus fieret in ſequenti.*

Metenſe Concilium ad Cautinum Arvernenſibus Epiſcopum præficiendum?

Greg. Tur. l. 4. c. 7.

Greg. Tur. Hiſt. l. 4. c. 12.

Anno Dom. 555.

Anno U. C. 1308. Per. Jul. 5268. Jul. 600. Dom. 555. Justiniani 28. & 29. *Sol.* 4. C. *Lun.* 5. *Indict.* 3. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 5. *P.* 28. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii XIV.

Theodovaldi obitus: ei Rex Clotarius ſuccedit.

I. Theodovaldus Rex ille Francorum, de quo mentionem egimus, labente anno lentâ morte ſternitur. Marii Chronologia hæc eſt: *P. C. Baſilii anno* XIV. *Indictione tertiâ Theudobaldus Rex Francorum obiit, & obtinuit regnum ejus Clotharius patruus patris ejus.* Quâ ratione hominibus ereptus ſit, in Gregorio legitur: Theodovaldus *valde infirmatus, à cinctura deorſum ſe volutare non poterat. Qui paulatim decidens, ſeptimo regni ſui anno mortuus eſt, regnumque ejus Clotharius Rex accepit, copulans Vuldotradam uxorem ejus ſtrato ſuo, ſed increpitus à Sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Garivaldum Ducem, dirigenſque Arvernos Chramnum filium ſuum.* Auctis Clotharii regnis Childebertus invidebat, quæ cauſa videtur eſſe, cur ſollicitato ad defectionem Chramno, voluntarium traxerit. Id memorat Marius: *Eo anno Chramnus filius Clotharii Regis, ſollicitante Childeberto, patruo ſuo ad ipſum latebram dedit.* Sed & Chramnus pravæ indolis homo, debitæque erga & patrem & Regem obſervantiæ immemor, ſatis in rebellionem propendebat. Lugubrem Gregorius hiſtoriam narrat, noſtris Annalibus ornamento futuram: Cùm Chramnus Pictavii *in magna potentia reſideret, ſeductus per malorum conſilium ad Childebertum patruum ſuum tranſire cupit, patri inſidias parare diſponens. Ille verò doloſè quidem, ſed ſuſcipere illum promittit, quem monere ſpiritualiter debuerat, ne patri exiſteret inimicus. Tunc per occultos nuncios inter ſe conjurati contra Clotharium unanimiter conſpirarunt.* In filio rebelli cudetur faba, qui tandem miſerè periit, ut ſuo loco memorabimus.

Greg. l. 4. c. 9.

Greg. l. 4. c. 16.

Clotharii de Saxonibus cruenta victoria.

II. Qui Theudobaldi regno ſuum auxerat Clotharius, relatâ & de Saxonibus victoriâ gloriam amplificavit. Rem ſummatim narrat Marii Chronicum: *Eo anno Saxonibus rebellantibus Clotharius Rex cum gravi exercitu contra ipſos dimicavit, ubi multitudo Francorum & Saxonum ceciderunt. Clotharius tamen Rex victor abſceſſit.* Tributa Regi debita negabant: quam cùm pati injuriam nollet, ad eos de petendis tributis legationem mittit, neque contumaciam Saxones adhibuere, qui excuſatum ſe, nonnullos è ſuis ad Regem legant. Honeſta verba hæc erant, quibus utuntur: *Non ſumus contemptores tui, & ea, quæ fratribus ac nepotibus reddere conſuevimus, non negamus, & majora adhùc ſi quæſiveris, reddemus. Unum tantum expoſcimus, ut ſit pax, ne tuus exercitus, & noſter populus collidatur.* Quæ Clothario conditio placuit, ea Aulicis prædæ inhiantibus haud arridebat. Partem ergo facultatum mediam Francorum Principi Saxones offerunt emendæ paci. Tum Rex bellum recuſare, pacem amplecti, ſed Aulicis alia inſidebat mentibus ſententia: *Rurſum Saxones obtulerunt veſtimenta, pecora, vel omne corpus facultatis ſuæ, dicentes: Hæc omnia tollite cum medietate terræ noſtræ, tantùm uxores, & parvulos noſtros relinquite liberos; bellum inter nos non committatur.* Hîc ſe prodit Francorum avaritia cum crudelitate conjuncta, honeſtis conditionibus bella anteponentium. Quòd cùm Clotharius ægrè tuliſſet, profeſſus expeditioni ſe comitem non iturum, Duces irâ perciti, impetu in eum facto, tentorium ipſius ſcindunt: *Ipſum quoque conviciis exaſperantes ac vi detrahentes, interficere voluerunt, ſi cum illis abire differret.* Sic Rex invitus in Saxones proficiſcitur. Initâ pugnâ dimicantes corpora telis

Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Duo maximi exercitus ad ſatietatem cæduntur, utrinque ingens militum numerus perit, ulciſcente Deo & Saxonum rebellionem, & Francorum ſuperbiam. Victoria tamen Clothario ceſſit.

Anno Dom. 555.

Greg. Hiſt. l. 4. c. 14.

Leutharis Francorum Ducis miſera mors.

III. At in Italia infauſtis prorſus avibus Franci cum Narſete pugnant. Miſeræ expeditionis ſummam nos Marius docuit: *Eo tempore Buccellinus Dux Francorum in bello Romano cum omni ſuo exercitu periit.* Nobilis hæc hiſtoria nobis eſt dilatanda. *Leutharis* & *Buccellinus* germani fratres Francis Alemanniſque imperabant, qui Theodovaldo militabant. Ut Gothis ſuppetias ferrent, exercitus ſuos junxerant. Ubi Samnitum in regiones venere, factâ copiarum diviſione in diverſas regiones abeunt: *Buccellinus* Campaniam vaſtat, Lucaniam, Brutios: *Leutharis* verò Apuliam Calabriamque prædatur. Hoc tamen inter Francos & Alemannos interfuit. Franci, qui Chriſti diſciplinam colebant, Templis ſacriſque rebus parcebant. Alemanni verò per impietatem fana diripiebant; ſacra vaſa, auro & argento conſtantia, in proprios uſus vertebant; urnas, quibus templorum ſtructores recondebantur, frangebant; cruore Baſilicas fœdabant. Hæc ſcelera aliquandiu patiebatur Dei numen: at tandem tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Æſtas jam appetebat, frugumque maturitas imminebat, cùm Leutharis prædâ onuſtus maximâ domum ſe recipere, opibuſque malè partis ingurgitare ſecum agitat in animo. Redeunti ad Picenum nil hoſtile obvium fuit. Poſitis circa *Fanum* caſtris, præmittit de more exploratores ter mille numero. Hos *Artabanus* & *Ulda*, qui ad *Piſaurum* junctis exercitibus ſtationem habebant, impetu facto cædunt. Qui ſuperfuere, nullo prorſus ordine fugam maturantes, in caſtra ſua irrumpunt, eaque clamoribus complent. Hîc ad prælium ineundum excitatus Leutharis, exercitum movet. Relicti ſine cuſtodibus captivi, quorum magna vis in caſtris erat, exuvias quaſcunque licuit, direptas in oppida proxima conferunt. Cùm Artabanus copiis impar eſſet, Leuthari prælium detrectat. Solutâ igitur acie Franci caſtra repetunt, ubi quantâ rerum jacturâ affecti eſſent, intelligunt. Itaque celeriter eductis copiis Padum tranſmittunt. In Venetorum regionem pervenerant, cùm *Cenedam* ſuæ ditionis urbem ingrediuntur, ibi ut in tuto loco victuri. Dum amiſſam prædam lugent, repentè dira lues prædones invadit, quâ plurimi extinguebantur, eò miſeriores, quòd ſuæ calamitatis originem prorſus ignorarent. Alii aëris vitium, alii vitæ ex bello ad otium converſæ mutationem incuſabant, cùm tot malorum cauſa in divinarum humanarumque Legum injuria quæri debuiſſet, ut maximo argumento fuit infelix Leutharis exitus. In apertam rabiem verſus ejulatus edebat horribiles, copioſa ſpuma os ipſius proluebatur: eoque furoris venerat, ut propria membra ſæviendo guſtaret: *In fera morem bis vraſcebatur, defluentemque lingebat cruorem.*

Agath. l. 2. c. 2.

ANNO DOM. 555.

rum. Sic demum ſuo exſatiatus, miſerè exceſſit.

Buccellinus Narſeti occurrit; prope Capuam caſtrametatur.

IV. Non multò feliciora Buccellini fata. Oppidis ad fretum Siculum uſque vaſtatis, verſus Romam proficiſcitur. Statuerat ſecum in animo, cum omnibus copiis Narſeti concurrere, quarum partem haud exiguam vi morborum amiſerat. Finierat æſtas, autumnoque ſubeunte vites fructibus abundabant, quos Buccellini milites decerptos manibus comprimebant, ut eorum liquore ſe ingurgitarent, quo factum, ut tumefacto utero, è veſtigio nonnulli interirent, alii morbo corriperentur. Cùm in Campaniam perveniſſet Buccellinus, prope Capuam caſtrametatur in ipſa *Caſilini* fluminis ripa. Ad hoſtium impetum munimenta parat. Curruum rotas ad axem uſque in terram defigit, ſtipites adhibet, exitu duntaxat relicto, ut quotieſcunque vellet, egrediendi redeundique facultatem nanciſceretur. His eâ ratione diſpoſitis, ſibi viſus eſt omnia perquàm opportunè paraſſe. Triginta præſtantium, quos ducebat, militum millia ſpe victoriæ eum complebant, cùm Romanis vix octodecim millia numerarentur. Narſes eductis ex urbe copiis, tam longè à Francis caſtra locat, ut audire ſtrepitum poſſet, & vallum proſpicere. Suſpenſa Italiæ oppida nutabant, quam ad partem ſe converterent. Intereà Franci ex vaſtatis proximis vicis neceſſaria caſtris inferebant. Quos excurſus Narſes eniſius ſibi inhibendos eſſe putat. *Charangi* ergo dat in mandatis, ut in vehiculorum ductores invaderet. Quod cùm ſtrenuè officium obiiſſet, carpenta hoſtibus demit: unum fœno onuſtum, ligneæ turri Francorum applicat, quæ igne immiſſo corripitur. Tum Franci locum relinquere, ex alto ſe præcipites dare, caſtra ocius petere; quo factum, ut è veſtigio ponte Romani potirentur.

Agath. l. 2. 4.

De Buccellino & Francis Narſetis victoria.

V. Eâ clade Franci ad iram inflammati arma capeſſunt, nec pugnam diutius differendam ſtatuunt. Prohibebantur quidem à mulieribus fatidicis, quæ eo die pugnantibus internecionem minabantur. Vaticiniorum tamen ſecuri hoſtibus occurrunt. At Narſeti præludia pugnæ fuere juſtitiæ exercitia. Herulorum de præcipuis unus deliquentem ſervum miſerè occiderat. Homicidam ad ſe deductum rogat, autorne cædis eſſet? Qui rem liberè faſſus, contendebat id dominis in ſervos juris eſſe, ut ſortis ejuſmodi homines ſcirent eadem, ni ſapiant, ſe perpeſſuros. Hanc Narſes contumaciam cùm ferre nollet, Herulum morti mitti jubet, quem adacto per ilia gladio lictores illicò interficiunt. Factum frementes Heruli indignabantur, cùm cædis ſcelere jam expiato, Narſes contentâ voce clamat: *Quicunque victoriæ vult ſe participem fieri, me ſequatur.* Dum ordinat acies, Heruli duo transfugæ ſponte ad Francos deficiunt. Eos hortantur quantocius in hoſtilem exercitum invadere, cui Heruli ſuccenſebant. His perſuaſus Buccellinus, confeſtim è caſtris copias educit: quas in majoris Græci Deltæ ſpeciem ordinat Δ. Narſes verò ſagittariis imperat, ut hoſtium in terga tela torqueant, quibus pars Francorum magna cadit: *Sindual* verò Dux Herulorum jam conſternatos in fugam agit, ſternit, in fluvium præcipitat. Periit Buccellinus cum univerſo exercitu, ut Francorum nemo domum ſe receperit præter homines quinque, qui evaſerunt, ut clariſſimæ teſtes victoriæ fierent. Romanorum verò octoginta duntaxat deſiderantur, qui primam Francorum impreſſionem ſuſceperant. Victores onuſti prædâ, & coronati ante Præfectum Romam venere. Ibi gaudium novâ lætitiâ cumulatur, audito quid de Leuthari actum erat. Tum cives, militeſque neſcientes in rebus ſecundis ſervare modum, tripudia, ludoſque agunt, quaſi nil in poſterum metuendum foret. Narſes verò gnarus & prudens mobilitatis fortunæ, veritusque ne novum ſibi cum Francis bellum gerendum foret, exercitu convocato, de reprimenda inſolentia, colendaque & fortitudine, & continentia Romanos rectè monet. Illud eſſe ſapere, non quod ante pedes modò eſt, videre; ſed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere. Eâ oratione dejectus pudore miles, abjectâ prorſus negligentiâ, ad decus ſuum redit.

ANNO DOM. 555.

Agath. l. 2. c. 6. &c.

Mermeroes Lazorum regionem ingreditur: moritur: ejus ſepultura.

VI. Hæc in Occidente. In Oriente quoque belli æſtus Lazorum in regione commovebantur. Huic genti *Gubaſes* præerat, quem utpote de Religione rectè ſentientem, magna Juſtinianus benevolentiâ proſequebatur. Verebatur etiam, ne ſi Gubaſis regnum Perſæ ſuæ ditioni ſubjicerent, nil impedimento eſſet, quominus in Pontem Euxinum navigantes, Imperii in viſcera penetrarent. Copias itaque maximas his in regionibus ſtatuerat, quibus viri ſtrenui Beſſas, Martinus, Buſes, Juſtinuſque præficiebantur: *Mermeroes* belli peritus, Mochiriſim & Cotaiſim oppida petieras, ut ſi quà poſſet, caſtella Coſrois in poteſtatem redigeret. *Teleſum* urbem munitiſſimam Martinus perquàm diligenter cuſtodiebat: erat etiam locus aditu difficillimus. Quod facto opus eſſet, cùm diu ſecum verſaſſet *Mermeroës*, gravi & inſanabili ſe morbo teneri fingit, nec multò pòſt aſtutè admodum de morte ſua famam ſpargit. Tum Romani quaſi curarum belli omnium vacui, vigilantiam ſuam in negligentiam mutare: loca quæ obſtruxerant relinquere. At Mermeroës reviviſcens, de improviſo ad Romanos accedit. Perſarum celeritate *Martinus* territus, animoque conſternatus è veſtigio diſcedit, *Theodora*, qui de Zanorum genere erat, viro fortiſſimo dat in mandatis, ut numerum hoſtium exploret. Verum Romani milites dum prædæ cupidi in Lazorum ædes impetu facto, hordea diripiunt, à Perſis opprimuntur: nonnulliſque cadentibus, alii curſu citatiſſimo, in ſua ſe caſtra recipiunt, ea clamoribus & terrore implent. Itaque virtutis ſuæ officiique immemor exercitus, ordine incompoſito ab Ollariis (locus eſt, in quo præter venales ollas, nil operis exercetur) ad Inſulam centum & quinquaginta ſtadiis diſtantem pervenit. Quam Mermeroës ignaviam cùm illuſiſſet, relictis ad quæ acceſſerat Ollariis, ponte Phaſidem fluvium juncto, retrò ad Cotaiſim & Muchiriſim revertitur. Hîc majore ſui exercitus parte relictâ, lethali morbo affectus, in hiberna ſe tranſtulit: urbemque Miſchitem vix tandem delatus, cùm vim morbi ſuperare non poſſet, ultimum diem obiit, relicto Coſroï magno ſui deſiderio. Vir erat prudentiſſimus juxta & fortiſſimus, qui jampridem pedibus captus, ut nec vehi equo poſſet, non ſecus ac robuſtiſſimus juvenis, labores belli omnes adibat: adeò verum eſt, non magis viribus corporis, quàm conſilio & prudentiâ bella ſæpè geri, *caputque non pedes imperare.* Mermeroïs corpus in loco extra urbem Perſico more nudum, ſolumque relinquunt, prædam canibus avibuſque futuram. Defunctorum cadavera, ſi ad laceran-

cerandum aves animaliaque non ſtatim petant, Perſæ corruptis eos moribus fuiſſe exiſtimant, quos nec corvi tangere velint, dignos Dæmonum cruciatu. Itaque eos propinqui maximè deflent, quibus nil putent ſpei eſſe relictum. Sub anni principia Mermeroës fato conceſſit: ei *Nachoragas* ſufficitur.

Agath. l. 2. c. 11. 12.

Gubaſes Lazorum Rex occiditur, quâ Lazi alieni fiunt à Romanis.

VII. Ducum ignavia Romanorum, qui Mermeroïs ad adventum turpem ſanè fugam inierant, cruentæ initia tragœdiæ præbuit. *Gubaſes* Lazorum Princeps, cùm acceptum dedecus moleſtè ferret, Juſtiniano Ducum ignaviam omnium ſignificat. Præcipuè *Beſſam* accuſat. Simultates erant Gubazem inter & Ruſticum atque Martinum, quos ignaviæ ſæpius & inſolentiæ inſimularat. Qui ultioni ſuæ fræna laxantes, *Gubazis* necem moliuntur. Non prius tamen eum perditum ire ſtatuunt, quàm Imperatorem tentaſſent. Conſtantinopolim itaque mittunt Joannem, Ruſtici fratrem, qui nunciaret Imperatori, Gubazem Perſis fautorem eſſe. Commotus accuſatione Juſtinianus, *Age*, inquit, *curate ad nos ille veniat.* Regerenti Joanni, ſi coactus obſtiterit, quid deinceps agendum? *Quid aliud*, ait, *niſi ut quæ pati tyranni ſolent, ea hic patiatur.* Acceptis Juſtiniani literis, Martinus & Ruſticus Juſtino & Buze ad ſe vocatis, dicunt ad Gubazem eſſe perquàm celeriter contendendum, habendo de *Onogoris* obſidione conſilio. Ubi ad ſe venire Romanorum Præfectos Gubaſes novit, inermis, paucisque comitatus, circa *Cobum* amnem obviam propinquantibus procedit. Ubi unà omnes convenere, Ruſticus Gubaſis ad expugnandam Onogorim implorat auxilia. Cui reſpondet, ſe non prius adjutorem iturum, quàm quæ Romani Duces ignaviâ ſuâ amiſerant, in integrum reſtituiſſent. Id Joanni magno ſatis argumento defectionis fuit. Itaque is diſtricto pugione Gubaſum in pectus ferit, qui equo lapſus, dum in ſolo ſe volutat, à Ruſtici ſatellite interficitur. Triſtem ſui Principis caſum indignati Lazi, procuratis ipſius pro ſuo ritu exequiis, à Romanis ſecedunt, hærentes quònam ſe verterent. In Caucaſi montis receſſibus, clam gente coactâ, deliberationem inſtituunt, utrùm eſſet ad Perſas deficiendum. Id faciendum oratione ſuâ *Æetes* Lazis ſuadere nititur. Romanos gentis hoſtes eſſe, perfidos ſui Regis percuſſores: contra Perſarum fidelitatem in fœderibus notam eſſe. Ad deficiendum Lazorum jam animos permoverat Æetis hæc oratio, cùm *Pharaſes* rebellionem diſſuadet. Juſtiniani juſſu Gubaſem occiſum non eſſe: Perſis Religionis Chriſtianæ, quam Colchi profitebantur, inimicis adhærendum non eſſe. Neque ſatis ſibi virium futurum, ut Romanorum impetum ſuſtineant. Vicit *Pharaſis* ſententia, pietatis amore. Itaque Legatos Juſtiniano mittunt oratum, ne defuncti ſui Principis manes inultos eſſe ſinat: Zatem Gubaſis germanum, Conſtantinopoli morantem, ſibi Regem imponat. Cùm æqua poſtulatio Imperatori videretur, *Athanaſium* miſit, qui de patrato ſcelere inquiſitum iret. Ubi Colchorum in regionem pervenit, Ruſticum & Joannem *Apſarunthem* oppidum vinctos tranſmittit.

Agath. l. 3. c. 3. 6. 7.

Romanorum Onogurim obſidentium fœda clades.

VIII. Jam Deus crudelem Gubaſis cædem ulciſcebatur. Dum Lazorum Legati urbem regiam petunt, Romani hortante Martino, *Onogorim* oppugnant. Id nominis urbs ea à Hunnis ſortita erat, qui *Onoguri* olim appellabantur, quos ibi Colchi debellaverant; victoriæ ſuæ in memoriam id oppido nominis impoſuerant, quod deinceps in ſanctum Stephanum à multis mutatum fuit, ob templum Protomartyris honori conſecratum. Gubaſis percuſſores in eam ſpem venerant, à ſe præſidium expugnati, eâque ratione Imperatoris iram mitigari poſſe. Captus Perſarum explorator, vi tormentorum narrat, Nachoragam in Iberiam jam perveniſſe. Quibus auditis, Buzæ ſententia fuit, eaque prudentiſſima, ut Perſis obviam irent. At Ruſticus crimine jam ſuo inſaniens, optima conſulentem coarguit; ſatius ducens applicari præſidio copias, quibus id dirui quàm facillimè poſſet. Vicit conſilium pejus, ut ſcelеſti facinoris autores juſtum ad ſupplicium Duci inciperent. Utrinque ſummâ vi pugnabatur. Perſæ lintea culcitraſque muris appendebant, ut ictus hebetiores redderentur. Intereà tria equitum Perſicorum millia Onogorim petunt, qui cùm in Dravagezam, & Uſigardum inopinatò incidiſſent, illicò terga vertunt. Verùm agnitâ inſequentium paucitate, ſubitò converſi in eos invadunt, inque fugam conjiciunt. Tum caſtra Romana ingens ſimul & turpis metus inceſſit, quem magna clades excipit. Perſis equitibus, cùm ſe præſidii pars junxiſſet, irruunt in pedites, quos equitatus Romanus deſeruerat. Eorum multi è *Cithari* fluminis ponte, quà tranſeundum erat, oppreſſi, in aquas labuntur, ferro alii cadunt, omneſque ad internecionem periiſſent, ni *Buſes* cognito periculo, Barbaris obſtitiſſet, donec Romani ponte tranſmiſſo in tuto locarentur. Quæ in caſtris erant & alimenta, & ſuppellex, Perſarum in prædam ceſſere, ut tantæ gloria victoriæ utilitate cumularetur. Quippe quinquaginta circiter millia à ter mille Perſis in fugam acta ſunt.

Agath. l. 3. c. 4.

Terræ motus Berytum, aliaſque urbes evertit.

IX. Labente & hoc anno ingenti terræ motu plurimæ Orientis urbes funditùs delentur, maturis jam frugibus. *Berytus* pulcherrima Phœniciæ civitas adeò vaſtata eſt, ut præter pavimenta nil ferè reliquum foret. Qui cladi ſuperfuere, juris Doctores Sidonem migrarunt, donec Berytus iterum excitaretur. Alexandriæ brevis concuſſionis hujus ſenſus fuit, quod pro miraculo habitum, cùm nullus antehàc in Ægypto terræ motus extitiſſet. Verſabatur tum temporis Agathias Hiſtoricus in ea civitate, ut Legum notitiam ſibi compararet: ac re ſubitâ conſternati omnes in publicum ſe effundunt. Coi Inſulæ vi motus concuſſæ pars minima ſervatur, cætera ſolo proſtrata. In Aſia civitates multæ eâ quoque calamitate afflictæ ſunt.

Turbæ Origeniſtarum, iis pulſis in Palæſtina extinguuntur.

X. Sequitur, ut notabiliora ad res Eccleſiæ pertinentia commemoremus. Autoritate quintæ Synodi Origeniſtarum Palæſtinenſium audacia nondum comprimebatur. Imperator Acta Synodi Hieroſolymam miſerat: omneſque per Palæſtinam Epiſcopi & manu & ore ea firmaverant, excepto Alexandro Abylæ Præſule, qui ea de cauſa ab officio dejectus, Byzantino terræ motu obrutus eſt. Ab Eccleſiaſtica ſe communione Neolauritæ ſepararunt. Euſtochius igitur regiam ad eos opprimendos autoritatem ſibi adhibendam putat. Rem exequatur Cyrillus Scythopolitanus: *Patriarcha Euſtochius diverſis modis eos aggreſſus, & per octo menſes admonitione & adhortatione erga illos uſus, ubi non perſuaſit, ut cum Catholica communicarent Eccleſia, imperatoriis adhibitis juſſionibus, per Anaſtaſium Ducem eoſdem à nova Laura expulit, totamque Provinciam ab ipſorum peſte liberavit. Quod verò nollet locum abſ-*

que

ANNO DOM. 555.

que habitatoribus relinquere, centum viginti Monachos collectos ibi tranſplantavit: ſexaginta nimirum è maxima Laura, ex quibus Joannem quendam, qui Scholarius fuerat, præpoſitum ordinavit & conſtituit; alios verò ſexaginta è reliquis Eremi Orthodoxis Monaſteriis, quorum unus ipſe ſum, maxima Laura Patres è Monaſterio ſancti Euthymii, de ſententia & permiſſione divini Joannis Epiſcopi ac Solitarii evocatus. Itaque in ſancta civitate congregati egreſſi ſumus cum Patriarcha, novoque Præpoſito in Thecoam vicum: atque poſt Origeniſtas, ab Anaſtaſio Duce pulſos, Novam Lauram recepimus vigeſimo tertio à morte beati Sabæ anno. Et in his quidem finem habuit bellum, quod contra pietatem excitatum fuerat. Obierat Sabas anno DXXXII. quinto Decembris, iterum poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis. Itaque anno DLV. Origeniſmus funere elatus eſt.

Numidia tria Capitula damnat. Victor Tununenſis carceri includitur.

XI. In Africa Epiſcopi, paucis exceptis, ad Synodi Conſtantinopolitanæ de tribus Capitulis placita ſeſe fingebant, ut nos Victoris Chronicum monuit: *P. C. Baſilii V. C. anno XV. Concilii Numidiæ Epiſcopi ad inſtar Proconſularium Sacerdotum collecti Carthaginem veniunt, & Primoſi ejuſdem Eccleſiæ incubatoris communione polluti, prævaricatoreſque effecti ad propria redeunt.* Conſtantior animi Victor pro Capitulorum defenſione vincula patitur: *Victor Tununenſis Eccleſiæ Epiſcopus, hujus Autor Operis, poſt cuſtodias ſimulque & plagas, quas Sala & Valericis perpeſſus, necnon in Monaſterio de Mandra, primo ac ſecundo exilio Egi Mauritaniæ Inſula, tertio Alexandrina unà cum Theodoro Cebarſiſutanæ Eccleſiæ Epiſcopo pro præfatorum trium Capitulorum defenſione exilio mittitur, & carceri Caſtelli Diocleſiani poſt Prætorianum carcerem traditur.*

Vigilii Papæ obitus.

XII. Subdifficilis quæſtio eſt & inter eruditos agitata, quo tempore extremum Vigilius diem obierit. Ac Victor Tununenſis Vigilii mortem anno DLVII. affigit: *P. C. Baſilii V. C. anno XVII. Vigilius Romanus in Inſula Sicilia moritur.* Citius tamen naturæ ſatisfeciſſe nobis eſt perſuaſiſſimum ex Pelagii Epiſtolis anno DLVI. ſcriptis. Vigilium exceſſiſſe IV. *Idus Januarii anno* DLVI. Onuphrii fert Chronologia. Ea tamen ſententia nobis probari nequit, cùm Pelagius Vigilii deceſſor, quem exilio revocatum in Sede Romana Juſtinianus conſtituit, Tuſciæ ad Epiſcopos Epiſtolam dederit, *quindecimo Kalend. Martias anno* XV. P. C. *Baſilii.* Eſt autem creditu difficillimum, in eo temporis ſpatio, quod à decimo Januarii ad uſque Fabruarii XV. protenditur, & Vigilii mortem innotuiſſe Imperatori, & Pelagium in urbe conſecratum eſſe, poſtquam ſoluto exilio Romam reverſus eſt. In Chronico Marcellini mors Vigilii cum anno DLIV. copulatur, quam nos Chronologiam admittere non poſſumus: cùm ex ea magnum ſequatur Pelagium inter & Vigilium interpontificium. Eorum ergo magis ſententiæ ſumus, qui labentem annum Vigilio fatalem eſſe tradunt, etſi ultimum ipſius & diem, & menſem ignoramus. Exceſſit itaque currente XVIII. Pontificatus anno, nec tranquillâ ſatis, placidâque morte, ſi vera Liberatus prædicat: *Ab ipſa hæreſi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus.* In Marcellini Chronico hæc legimus: *Vigilius cùm Romam redire cœpiſſet, in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit: morque Romam perlatus, apud S. Marcellum in via Salaria ſepultus eſt.* Juſto Dei judicio extra ſuam

Liberat. c. 22.

Eccleſiam in Inſula mortalium à conſpectu ereptus ille fuit, qui Silverium Sede ſuâ pulſum in Inſulam relegarat. Vigilii memoria & recordatio bonis viris jucunda non fuit, cùm ſolâ ferè inconſtantiâ, perfidiâ, in deceſſorem crudelitate, immenſâque Pontificatus cupidine nomen nobilitavit ſuum. Porrò hic non ſibi conſtat Baronii Chronologia. Supremum Vigilio annum DLV. dixit, & rectè noſtro judicio: at ſui immemor ejus obitum anno DLIV. aſſignat, dum eo anno Pelagium ad Pontificatum avectum eſſe tradit: *Quingenteſimus undeſexageſimus Chriſtianus inſcribitur, quo Pelagius Papa ubi ſediſſet annos IV. menſes X. dieſque decem & octo, ex hac vita migravit ſecundâ Martii.* Id temporis à ſecunda Martii in anteriores annos facto recurſu ſi numeremus, ad anni DLIV. Aprilem pervenimus. Defuncto ſucceſſit *Pelagius* Diaconus. Tempus verò juxta ſcimus cum ignariſſimis, neque ex Inſcriptione ab eruditis ſuppeditata probari poſſe exiſtimamus. De ea quæſtione anno ſequente accuratius tractabitur.

ANNO DOM. 555.

Bar. An. 559. n. 1.

ANNO U. C. 1309. PER. JUL. 5269. JUL. 701. DOM. 556. JUSTINIANI 29. & 30. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 6. *Indict.* 4. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 16. *April.*

ANNO DOM. 556.

Poſt Conſulatum Baſilii XV.

Zathes Lazis Rex imponitur. Perſæ Phaſidem urbem obſident.

I. ZAthes Gubadi frater natu minor, paterno regno ſuccedaneus à Juſtiniano datus, ex priſco more Lazorum Rex inauguratur. Principis ornamenta erant corona aurea, precioſis diſtincta lapidibus, mitra auro & lapillis radians, ſtola deaurata, rubri calcei: purpuream verò chlamydem Lazorum Regi geſtare nefas: albâ duntaxat utebatur & ſplendidâ, auro utrinque intertexta, cujus fimbriæ gemmis pendulis conſtabant: eo ornatu, clangentibus tubis Romanis ſimul & Lazis comitatus procedit. Intereà *Nachoragan* Perſarum Præfectus, qui *vere novo* paraverat exercitum, militum LX. millia ad Inſulam ducebat, ubi Juſtinus Martinuſque cum ſuis copiis ſtationem habebant. Qui Romanis auxilio erant, Sabyri Perſas accedentes moleſtiâ afficere jubentur. Quod ubi Nachoragan intellexit, *Dilimnitas* in Sabyros mittit. Dilimnitæ gens eſt maxima & bellicoſa, quæ loca infra *Pigritum* flumen incolit. Lanceas & fariſſas geſtant, enſemque ab humero pendentem, pugionemque lævo brachio circumligatum. Velociſſimè & loca opportuna, & cùm opus eſt, fugam arripiunt. Adverſus Sabyros tendentibus Colchus ſub obſcura nocte offertur: quem mox comprehenſum, ut ad hoſtes ſe duceret cogunt. Ille denſiorem ſylvam nactus, è manibus ſubſequentium cùm ſeſe proripuiſſet, curſu citato ad Sabyros pervenit, quos ſomno ſepultos excitat, ingenti clamore: *O miſeri, vobis jam pereundum eſt.* Tum illi ſubitò armis correptis bifariam diviſi, venientibus comparant inſidias. Dilimnitæ, qui nil ſtrepitus Sabyrorum in caſtris audiebant, in ea irruunt, quaſi dormientes interfecturi. At Sabyri inſidiis egreſſi, impetu facto, eos de improviſo invadunt, cæduntque. Ex his octingenti occubuere, cæteri palantes & diſperſi capiuntur. Ortâ luce *Babas* Romanorum Præfectus fugientium complures occidit, ut ex tanto numero vix mille ad Nachoragan ſe receperint. Spe igitur fruſtratus ſuâ Martinum ad colloquium invitat: hortatur, ut

Anno Dom. 556.

Trapezuntium concedat cum exercitu: ſic pacem per Legatos confici poſſe; ſin minus obtemperet, ſciat ſe vi pellendum, cùm Perſia expeditè vincere, non magis difficile ſit, quàm annulum ex digito extrahere. Superbas Perſæ minas cum Martinus ſprevisset, Nachoragan inſciis Romanis Phaſim fluvium facto ponte celeriter tranſmittit: quâ feſtinatione non minima Romanorum in caſtris trepidatio exoritur. Fortitudine tamen in animos revocatâ, Phaſidem ingreſſi urbem præſidio muniunt: quam totis Perſæ viribus oppugnant. Obſeſſis magnam Martini ſolertia fiduciam parat. Ignotum curſorem producit, pulvere conſperſum, qui regias literas afferebat, quibus Juſtinianus narrabat, alterum ſe exercitum miſiſſe ſubſidio. Addebat nuncius, non longius ſtadiis octoginta abeſſe, utpote à ſe circa Neognum flumen relictum.

Agath. l. 3. c. 7. 8. 10.

Magna Perſarum circa Phaſidem clades: obſidionem ſolvunt.

II. Spe victoriæ prædæque cùm ad ſtrenuè pugnandum ſuos *Martinus* animaſſet, ſimulatâ indignatione venientem, qui ferebatur, exercitum remitti cenſet, quod omnibus probatum, ne ſpoliorum partem amitterent. Adventantium copiarum fama cùm & ad Perſas perveniſſet, Nachoragan ficto rumore deceptus, equites primùm miſit unde rebatur Romanos tranſituros: dein raptim è caſtris educto exercitu, obviam eis procedit, minatus nec ſine juramento, eâ ipſâ die urbem cum hominibus ſe crematurum. Porrò ex levi occaſione inſignis rerum mutatio exoritur. Juſtinus ſacris conficiendis ad Templum haud procul ab urbe ſitum proceſſerat, equitum millibus quinque comitatus. Dum divino cultui vacat, Perſæ irruptione in oppidum factâ, clangentibus tubis, tympaniſque pulſatis, terrorem obſeſſis incutere conantur. Fortiſſima Romanorum defenſio erat, cùm Juſtinus è Templo rediens, quæ gerebantur intuitus, impetum in oppugnantes validiſſimum facit. Tum Perſæ ſuſpicati illum exercitum eſſe, quem jam affuturum intellexerant, in fugam moveri incipiunt. Ut laborantibus opem ferrent *Dilimnita*, paucis ad muros relictis, curſu tendebant, quoa *Aggilas* Theodoruſque, qui inter Romanos ordines ducebant, egreſſi oppido inſectantur, fugant, delent. Eo animadverſo, pars Dilimnitarum, quæ ad mœnia oppugnanda relicta erat, ſuis opitulandum eſſe cenſet. Cum citato curſu ferrentur, cui fugæ ſpecies ineſſe videbatur, Perſæ in mentem ſibi inducentes graviſſimum periculum imminere, fœdiſſimè terga vertunt. Oblatam ſibi occaſionem obſeſſi oportunè amplexi, ex oppido prodeuntes hoſtium extrema carpunt. Jam lævum Perſarum cornu profligatum, in dextro verò fortiter pugnabant. Præſidii loco elephanti opponebantur, unde ſagittarii telorum nube Romanos vulnerabant. Ac jam in fugam inclinabant, cùm miles, cui *Ognari* nomen, elephantum intrepidè ſe impetentem in ſupercilium lanceâ ferit. Quo vulnere in furorem converſus, Perſas excuſſos ſternit, occiditque; equorum alios dentibus laniat, alios barritu terret. Conſternatum eo caſu cornu dextrum, impreſſioni in ſe à Romanis factæ impar, nullo ſervato ordine fugam init. Nachoragan timore percitus, flagello, quod manu gerebat, ſignum fugæ dabat. Eâ pugnâ decem mille ex Perſis, qui flos exercitus erat, deſiderantur; machinæ, quas ad urbem reliquerant, in cineres redactæ. Incendii hujus ſignis decepti calones, quibus Nachoragan injunxerat, ut viſo fumo ſcirent oppidum captum eſſe, relictoque opere ocyus venirent, faces tectis ſubminiſtraturi, errore decepti, morti ſemet offerunt, quâ hominum circiter millia duo periere. Romani verò recenſito exercitu, ducentos duntaxat è ſuis cecidiſſe comperiunt. Attritus tantâ clade Nachoragan, equitatus robore ad Mucheriſim relicto, cum paucis in Iberiam hyematurus redit. Poſtquam Coſroës, quæ ad Phaſidem geſta erant, & Nachoragan fugâ exceſſiſſe novit, ſubinde accerſito cutem à cervicibus ad imos pedes univerſam detraxit, quam & ſcopulo affigi juſſit. Quam crudeliſſimam ignaviæ ſuæ pœnam miſer anno ſequente luet.

Agath. l. 3. c. 13. 14.

Agath. l. 4. c. 10.

Gubaſis percuſſores ad mortem ab Athanaſio damnantur.

III. Poſtquam debellatæ Perſarum acies Phaſidis oppugnatione relictâ receſſere, Gubaſis immani ſcelere perempti ſanguis ſicarios ad pœnam trahit. *Athanaſius* ergo Magiſtratuum apparatu ornatus, altiore Cathedrâ inſidens aſſeſſoribus comitatus, miniſtriſque ferrea vincula, compedes, inſtrumentaque ad torquendum idonea ferentibus, ut in reorum judicio majeſtas quædam eluceret, in eorum ſcelus inquirit. Ruſticus & Joannes producti è carcere, Athanaſio ad lævam ſtabant, utrinque accuſatores aderant, Lazorum peritiſſimi, qui Juſtiniani literas primùm recitari poſtulant, quibus ſive volens, ſive invitus Gubaſes Conſtantinopolim mitti jubebatur. Quòd ſi pertinacius adventum neget, qui reſiſtentem occiderit, ut tyranni percuſſor laudibus erat afficiendus. Hæc Juſtiniani Epiſtolâ ſummatim continebantur. Auditis Ruſtici Joanniſque & accuſationibus, & defenſionibus, Athanaſius ex ſcripto ſententiam tulit, quâ Gubaſis percuſſores capite plecti jubentur. Quo facto Lazi ſummâ Romanos benevolentiâ proſequuntur; ac ut æqui bonique cuſtodes venerantur.

Agath. l. 4. c. 4.

Ragnares occiditur; Gothi à Narſe Conſtantinopolim mittuntur.

IV. Hæc in Oriente. In Italia verò maxima Narſeti cura erat, ut Gothi penitùs imperio ſubjicerentur. In *Capſum* ſe oppidum receperant, cui Hunnus *Ragnares* præerat. Ingens erat in ea civitate alimentorum copia, quæ cauſa fuit, cur obſidio in longum protraheretur. Tandem Barbari in colloquium veniunt; verùm cùm magnifica verba jactarent, Narſes conventum ſolvit, eoſque ne ſe adirent, in poſterum vetat. Tum Ragnares indignatus, quòd ſpe excidiſſet ſuâ, Narſetem telo trajicere nititur, quo tamen nullus vulneratur. Eâ ſuccenſi perfidiâ Narſetis ſatellites, *Ragnarem* multis vulneribus conficiunt, qui biduo pòſt exceſſit. Eo defuncto Gothi Narſetem rogant, ut fide datâ incolumes ſe abire ſineret. Qui ne iterum rebellarent omnes numero circiter ſeptem mille Conſtantinopolim mittit.

Agath. l. 2. c. 8.

Saxonum clades. Chramnus Clotharii regnum vaſtat.

V. Non Italia modò, ſed Gallia quoque armorum murmure ſtrepebat. Saxones cladis ſuæ memoriâ ad iram inflammati, & uti fama eſt, à Childeberto commoti, Clothario bellum intendunt; Franciam ingreſſi, *uſque ad Nutiam civitatem prædas agunt*, multaque crudelius perpetrant. His occurrens Clotharius ingenti eos exitio ſternit. Belli hujus annum Marius in Chronico conſignat: *P. C. Baſilii anno* XV. *Indict.* IV. *iterum rebellantibus Saxonibus, Clotharius Rex pugnam dedit, ibique maxima pars Saxonum cecidit. Eo anno Franci totam Toringiam pro eo, quòd cùm Saxonibus conjuraverat, vaſtaverunt.* Dum eâ expeditione Clotharius detinetur, Chramnus ejuratâ pietate, patris in regnum armis infeſtis ingreditur, ut nos quoque Marius docuit: *Ipſis*

diebus

ANNO DOM. 556.

diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris devaſtat. Irruptionem Gregorius fuſius exponit. Charibertum & Gunchramnum filios *Clotharius* Chramno miſit, qui eum monitum irent, ut malè ſibi partas parentis ſui regiones reſtitueret; ſi nollet, pugnæ igitur ſe accingeret. Reſpondet Chramnus, patri ſe prorſus eſſe morigerum: cupere tamen ſe cum genitoris venia, quæ ceperat, retinere. Ad prælium itur, quod vehementis exortu procellæ prohibetur: *Cùmque moto utrinque exercitu cum magno armorum apparatu ad bellum conveniſſent, ſubitò exorta tempeſtas cum gravi coruſcatione atque tonitruo eos ne pugnarent inhibuit.* Dolis quoque Chramnus, mirus ſimulandi artifex, utendum ſibi eſſe putat. Fratrum ad caſtra nuncium mittis, qui parentis obitum referat. Illi velociter Burgundiam repetunt. Diſcedentes Chramnus inſecutus, Cavillonenſem ſuæ poteſtati urbem ſubjicit. Exinde Divionenſe caſtrum petens, die Dominicâ, quâ adventarat, auſpicia ex Prophetis, Pauli Epiſtolis, Evangelio conſultum ivit. Apud *Tetricum* Epiſcopum prandio ſumpto, ad Childebertum properat: *Tunc Chramnus jam acceptâ Wiliacharis filiâ, Pariſios accedens, ſecum Childebertum Regem conſtringit, in fide atque charitate jurans, ſe patris eſſe certiſſimum inimicum. Childebertus autem Rex, dum Clotharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remenſem accedit, & uſque Remos civitatem properans, cuncta prædis atque incendio vaſtavit.*

Greg. l. 4. c. 17.

Pelagius I. Papa: ſumma ipſius hiſtoria.

V. Deformem filium in imo gurgite turpitudinis ſuæ jacere patiamur, ut ad res Eccleſiæ convertamus animos. Pelagius anno ſuperiore Romanæ Pontifex Eccleſiæ præfectus erat. Patriâ Romanus, patrem Joannem Vicarianum habuiſſe dicitur. Diaconi munus exercebat, & in urbem regiam miſſus, Romanæ Sedis Apocriſiarium egerat. Quo munere dum fungitur, motæ in Origeniſtas tragœdiæ incendiarius fuit. Hinc Theodorus Aſcidas referente Liberato exclamaverat, *Se & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc ſcandalum introivit in mundum.* Famæ multum comparaverat, dum gravi fame laborantibus Romanis, quas ſibi Juſtinianus tribuerat, opes erogavit. Urbem Gothicâ furore liberaverat, dum ingredienti Templum Totilæ ſupplex factus, geſtans Evangelium dixit, *Parce, ô Princeps, tuis.* Fortem trium ſe Capitulorum defenſorem præbens, ſolum vertere coactus fuerat. Verùm animi pertinaciam tandem domuit ſpes adipiſcendi Pontificatus, quem & favente Juſtiniano impetravit. Teſtis Victor Tununenſis, licet in tempore peccet: *P. C. Baſilii anno* XVIII. *Pelagius Romanus Archidiaconus, trium Præfatorum defenſor Capitulorum, Juſtiniani Principis perſuaſione de exilio redit, & condemnans ea, quæ dudum conſtantiſſimè defendebat, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus à prævaricatoribus ordinatur. Qui fuit annis quinque.* More ſolito inauguratus non fuit, ſi qua fides Anaſtaſio: *Dum non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in Clero, qui eum poſſent promovere. Et multitudo religioſorum, ſapientium & nobilium ſubduxerant ſe à communione ejus.* Quibus apertè liquet, à munere Presbyterorum ordinationem Epiſcopalem alienam non eſſe; cùm Pontifici conſecrando Andreas Presbyter adhibitus fuerit. Cur Pelagii à ſocietate Romani ſe ſubduxerint, in ſententiis ponitur. Narrat Anaſtaſius, diſſidio præbuiſſe cauſam Pelagii ſævitiam, quâ Vigilius vexatus erat: *Subduxerant ſe à communione ejus, dicentes, Quia in morte Vigilii Papæ ſe immiſcuit, ut tantis pœnis affligeretur.* Anaſtaſio credulum ſe Baronius præbuit. Vix tamen dubitamus, quin more ſuo fabulas Anaſtaſius nobis obtrudat, cùm certo certius ſit, Vigilii ad obitum uſque Pelagium acerrimum ſe trium Capitulorum defenſorem oſtendiſſe, eaque de cauſa à Juſtiniano in exilium ejectum fuiſſe, ut nos Victor monitum ivit. Afflictiones quoque ſuas Pelagius memorat in ſua ad Childebertum Epiſtola, data *tertio Idus Decembres: Ut autem nos diu tribulationes Conſtantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breviter ſuperius ſcripſimus, quoniam vivente Auguſtâ quidquid in Eccleſiaſticis cauſis movebatur, ſuſpectum habuimus.* Narranti tamen Anaſtaſio non omnem fidem detrahimus. Id unum contendimus, aliam & diſſidii, & juramenti, quod Pelagius præſtitit, cauſam fuiſſe, quàm putat Anaſtaſius, cujus hæc verba ſunt: *Eodem tempore Narſes & Pelagius Papa conſilio inito, datâ Letaniâ à ſancto Pancratio cum Hymnis & Canticis ſpiritualibus venerunt ad Sanctum Petrum Apoſtolum. Qui Pelagius tenens Evangelia, & Crucem Domini ſuper caput ſuum, in ambonem aſcendit. Et ſic ſatisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium.* Materiam juramenti hujus diverſam eſſe exiſtimamus, quòd nempè damnando tria Capitula Chalcedonenſi Concilio contrarius non iverit: uti multis videbatur. Hinc purgandi ſui cauſâ Pelagius ad Childebertum ſcripſit, anathema ſe iis dicere, qui de fide aliter ſentiant, quàm Leonis in Epiſtolis, & in Synodo Chalcedonenſi continetur. Similiter ad Tuſciæ Præſules, qui ab ipſius ſe ſocietate ſegregaverant, nunciat, ſe de quatuor Synodorum Oecumenicarum autoritate nil delibaſſe.

Pelag. Ep. 10.

Quo tempore Pelagii ordinatio peracta?

VI. Quo tempore Pelagius ad Pontificatum evectus fuerit, in obſcuro latet. Extat Inſcriptio apud Baronium verbis ejuſmodi:

> *Hîc requieſcit Pelagius Papa, qui ſedit annos quatuor, menſes decem, dies decem & octo. Depoſitus quarto Nonas Martii.*

Bar. An. 559. n. 1.

Ex eo monumento Pelagius, menſe Aprili anni DLV. ad Pontificatum evehi debuit: nec in annum DLVI. ordinationem ejus differri patitur Epiſtola Tuſciæ ad Epiſcopos, *data* XV. *Kal. Martii, anno* XV. *poſt Conſulatum Baſilii.* Itaque non accurata eſt Onuphrii Chronologia, ſcribentis: *Pelagius ordinatur* XVI. *Kal. Maji, die Dominico Paſcha,* XV. *P. C. Flavii Junioris.* Porrò ex Inſcriptione nobis aqua hæret. Pelagius quippe ex Eccleſiæ Romanæ diſciplina, die Dominico conſecrari debuit. Hoc verò ad Inſcriptionem non quadrat, quæ de pleno conſummatoque Pelagii quinquiennio dies XIII. menſemque unum reſecat, ut ex ea intelligatur, Aprilis XV. anno DLV. Pelagium inauguratum eſſe, feriâ quintâ ob Cyclum Sol. 4. C. Epactam Sol. 5. Die verò Jovis ordinatum eſſe Pelagium quis credat? Prima feria, quâ conſecrationes Pontificum peragebantur, Aprilis XI. cohærebat. Itaque eâ die Pelagius Epiſcopatum induere debuit: quod nec accuratè ſatis Inſcriptioni conſentit, quæ non XVIII. ſed viginti dies cum annis IV. & menſibus decem Pelagio vindicare debuiſſet, ut numeranti patet. Aliundè ſi menſe Aprili anni DLV. Pelagius Pontificatum adiiſſet,

ANNO DOM. 556.

expectaſſetne tamdiu, ut Tuſciæ Epiſcopos ad concordiam revocaret, quos non ante Februarii xv. anno DLVI. ſcripto compellat? Eò igitur inclinat propendétque ſententia, ut anno quidem DLV. Pelagius Pontificatum adeptus ſit, de menſe verò, dieque ordinationis pendeamus animi.

Pelagius ſe purgat de damnato Concilio Chalcedonenſi.

VII. Cùm non neſciret Pelagius, ob damnata tria Capitula ſe proditæ fidei à multis poſtulari, omnibus ſe purgatum voluit, ſcriptâ ad univerſum Populum Dei de Catholica fide Epiſtolâ: *Etſi*, inquit, *zelum Dei in quorumdam mentibus eſſe deprehendimus, in hoc tamen, quòd ſuſpicionibus quibuſdam ſine notitia veritatis ſe conſſerunt atque conturbant, & quòd ſe à visceribus unicæ matris Eccleſiæ nefariâ animoſitate diſcerpunt, ſine ſcientiâ eos eſſe non dubium eſt.* Subjungit, *ad ſedandos rumores hominum* demonſtrare ſe poſſe, *nihil contra fidem Patrum, contráque quatuor Synodorum firmitatem allatenus eſſe tentatum*, verùm quia quæſtionis hujus non omnes capaces erant, quid teneret ejus de fide ſententia demonſtratum. Teſtatur ergo, quatuor Concilia magnâ ſe veneratione proſequi: *Sed & Canones, ait, quos Sedes Apoſtolica ſuſcepit, ſequor & veneror, & Deo adjuvante defendo, neque vel de hac promiſſione reticere, aut diſcedere aliquando promitto.* Pontificum quoque Epiſtolas, Cœleſtini, Sixti, &c. pro defenſione fidei ſcriptas, à ſe cuſtodiri profitetur, *quos ipſi receperunt, præcipuè venerabiles Epiſcopos Theodoritum & Ibam, me inter Orthodoxos venerari.* Quicunque aliud aut ſenſerit, aut prædicaverit, eum univerſalis anathematizat Eccleſia.

Pelag. Ep. 7.

Ea quoque de cauſa Gaudentio, Maximiliano, Gerontio, Juſto, Terentio, Vitali & Laurentio per Tuſciam Annonariam ſcribit, *Jordane* defenſore deferente Epiſtolam. Pelagium rogaverant, quinti Conſtituta Concilii rejicere, ut ex his colligitur: *Satis mirati ſumus, ita vos Apoſtolicæ autoritatis oblitos, ut diviſionem veſtram ab univerſali Eccleſia meo etiam volueritis, quod abſit, conſenſu firmari.* Quin etiam eo proceſſerant, ut nomen ipſius myſteriorum in celebratione recitatum iri nollent: *Quomodo vos ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundùm conſuetudinem nominis, memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apoſtolicæ Sedis per ſucceſſionem Epiſcopatus, præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem.* His ergo certum facit, Concilii ſe Chalcedonenſis tenacem eſſe.

Pelag. Ep. 6.

Pelagius Childeberto ſcribit ſe Chalcedonenſis Synodi cultorem eſſe. Reliquias ei mittit.

VIII. Franciæ quoque ea diſplicebant, quæ in quinta Synodo adverſus tria Capitula decreta fuerant, quod & à Rufino, viro illuſtri, eſt Pelagio ſignificatum. Pontifex ergo Regi ſcribendum eſſe ſtatuit, ut innocentiam purgaret ſuam: *Rufinus, vir magnificus, Legatus excellentiæ veſtræ nobis dixit, quod & in Provinciis Galliarum quidam ſemina ſcandalorum ſparſerunt, dicendo quòd contra fidem Catholicam, quod Dominus non patiatur, admiſſum, & quamvis à tranſitu divæ memoriæ Theodoræ Auguſtæ nullas de fide quæſtiones Eccleſia Dei in partibus Orientis Deo miſerante ſuſtinet, ſed quædam Capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum eſt, ut Epiſtolari poſſint compleƈti ſermone: hoc breviter ſecundùm admonitionem præfati magnifici viri Rufini, ad ſanandum animum veſtrum, vel omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum in Gallia regionibus conſiſtentium, faciendum eſſe proſpeximus, dicentes, anathematizare nos, & alienos ab æterna vita præmiis judicare, quicumque ab illa fide, quam beata recordationis Papa Leo in ſuis Epiſtolis prædicavit, & quam Chalcedonenſe Concilium, ſequens eundem Præſulem ediƈtâ definitione ſuſcepit.* Childeberto quoque reliquias muneri mittit, quas flagitaret pro ſeculi more: *Reliquias verò tam Beatorum Apoſtolorum, quàm Sanctorum Martyrum jam quidem per ſervos Dei Monaſterii Lirinenſis direximus. Sed & nunc quas Legati veſtri popoſcerant, nos miſiſſe ſignificamus, deputantes Hominem bonum Sabiniacinum ex Clero Eccleſiæ noſtræ, à quo uſque ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Sapaudum, jubente Domino deferantur.* Data III. Idus Decemb. anno XV. P. C. Baſilii.

Pelag. Ep. 10.

Sapaudo Arelatenſi Pelagius ſcribit: rogat, ut Italis veſtes mitti curet.

IX. Sapaudus, cujus in ſua ad Childebertum Epiſtola Pelagius meminit, Antiſtes Arelatenſibus præficiebatur. Pontifici ſcripſerat, ut ei gratulatum iret, literis IV. Nonarum Juliarum datis. Eique reſponderat Pelagius Epiſtolâ datâ XVI. Cal. Oƈtobr. quâ modeſtè laudes rejicit, quibus eum Sapaudus ornaverat. Novâ rurſus eum Epiſtolâ adit, ſcriptâ XIX. Cal. Januarias, ut reditum *Hominis boni* maturet, cui ferendæ ad Childebertum reliquiæ traditæ fuerant. Pontificis etiam animum ſubiit cura pauperum, quibus ſcatebat Italia. Arelatenſem igitur Epiſcopum rogat, ſuum patrem *Placidum* moneat, ut veſtes Romam mittat, quæ egentibus erogentur. Ipſa Pelagii verba audire non erit injucundum: *Hortamur vero magnificentiſſimo filio noſtro Patricio Placido, genitori tuo dicas, ut quod de penſionibus poſſeſſionum Eccleſiæ noſtræ collectum eſt, aut per ſuum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem. Quia Italiæ prædia ita deſolata ſunt, ut ad recuperationem eorum nemo ſufficiat. Et ſi poſſibile eſt, ut nobis de ipſis ſolidis ſaga tomentacia, quæ pauperibus erogari poſſint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut ſi qua alia ſpecies in Provincia ſiunt, quæ pauperibus, ut diximus, erogari debeant, nobis exinde facite comparari.*

Pelag. Ep. 11.

Capitulorum defenſores vexantur in Africa.

X. Non ex Gallia modò, ex Africa quoque ob tria Capitula tumultus adhuc auditur. Regiè, ſeu potius tyrannicè *Primoſus* Carthaginenſis Præſul in trium Capitulorum fautores ſtatuebat, ut ex Viƈtore diſcimus: *P. C. Baſilii V. C. anno XVI. Primoſus Carthaginenſis incubator Eccleſiæ ſibi nolentes aſſenſum præbere, nunc fuſtibus, nunc cuſtodiis, nunc quoque exiliis affligit.* Ut æqui ſpecie aliquâ vim eam indueret, ad diſputandum Viƈtor provocatur. Diſceptatio hunc exitum habuit, ut novi Theodoſio, Viƈtorique carceres pararentur: *Viƈtor & Theodoſius antefati Epiſcopi de carcere ejiciuntur: & poſt diſputationes in Prætorio continuas dierum XV. ad aliam cuſtodiam Monaſterii Tabenenſiotarum, quod eſt apud Canopum XIC. millibus ab urbe Alexandrina mittuntur.*

ANNO U. C. 1310. OLYMP. 334. PER. JUL. 5270. JUL. 602. DOM. 557. JUSTINIANI 30. & 31. Sol. 6. G. Lun. 7. Indiƈt. 5. Epaƈt. 21. Epaƈt. Sol. 1. P. 6. April.

ANNO DOM. 557.

Poſt Conſulatum Baſilii XVI.

Per Juſtinianum inter & Coſroem.

I. INfelix Nachoragani in Lazos expeditio Coſroëm ad concordiam tandem accendit, impellitque ad conſilia pacis. Intelligebat, Romanis Ponti Euxini potentibus, neque Colchorum in regione obſiſtere ſe, neque facilè ſuis annonam

Anno Dom. 557.

nam mittere poſſe. Itaque ut ad quam inclinaverat animum, firmam cum Juſtiniano, manſuramque pacem conſtitueret, *Zich*, virum inter Perſas facundiſſimum, Conſtantinopolim legat. In id tandem conventum, ut Romani & Perſæ, quæ Lazorum in regionibus oppida, caſtellave cepiſſent, ea retinerent, neque de his in poſterum certarent. Quæ conditiones ubi exercitibus nuntiatæ ſunt, belli expertes diu in alta quiete manſuerunt. Sub annum DLXXII. extinctâ pace bellum renovatur, regnante Juſtino.

Agath. l. 4. c. 14.

Ingens terræ motus Conſtantinopoli. Mors Anatolii.

II. Pacis dulcia hæc amara terræ concuſſa diluunt. In urbe regia rigente gelu Decembri, civibus altiore ſomno correptis, à fundamentis omnia ferè quatiuntur. Motus ipſis initiis vehemens in majus continenter excrevit. Omnes expergefacti, è domibus mixtim egreſſi, cadente nive in vicis madefiebant. In Templa nonnulli ſe recipiebant. Tanta vis motus erat, ut ædificia quædam compage ſolutâ hiantia divellerentur, rurſus coitura. E Senatoribus unus periit *Anatolius*, vir Conſularis: dum in lecto quieſcit, marmoris fruſto, quod cubiculo ornamento erat, vi agitationis excuſſo obruitur. Eo motu tota ferè civitas collabitur. Ad plurimos dies terra commoveri viſa eſt, etſi minimè concuteretur. Calamitati vires addidit anni tempeſtas, hyems ſcilicet, quæ tum regnabat. Dedit qualemcunque mortalibus intellectum ea vexatio. Primores urbis publicas circumvecti vias, mutilatos cibis veſtibuſque donabant: nonnulli relictis facultatibus, ſolitariam in montibus vitam amplectebantur. Hæc geſta, dum timor incubuit; ubi verò periculum abfuit, ad priſtinam vitam rediere. Corrupta Juſtinianus ædificia, vel prolapſa reſtaurare voluit. Excuſſa fuerat & motu pars Templi Sophiæ, quam longè firmius extrui juſſit. Ea de cauſa iterum Sophia conſecrata eſt, anno DLXIII. ut nos Chronicum Alexandrinum docuit: *P. C. Baſilii* XXII. *menſe Apellæo, ſive* XXIV. *Decembris ſecundùm Romanos, primâ die Indictionis* XII. *Feſtum dedicationis ſanctæ magnæque Dei Eccleſiæ, Conſtantinopoli ſecundò celebratum eſt.* Has temporis notas, quæ dubitationem nobis quandam injiciunt, anno DLXVII. expendimus.

Agath. l. 5. c. 3.

Motus in Iſtria, & Venetiis pro tribus Capitulis.

III. Ad res Eccleſiæ nunc dirigamus oculos. Eccleſiæ incendia de tribus Capitulis nondum vires poſuerant. Veneticarum Iſtriæque Epiſcopi mordicùs eis adhærentes, à Pelagii ſe communione ſejunxerant. Narſetem ergo monet, ut *Petro* Presbytero, *Projectoque* Notario quos ad perturbatores direxerat, præbeat auxilia: in *Thracium* atque *Maximilianum* præcipuè invehitur: *Thracius ſi quidem atque Maximilianus, nomina tantùm Epiſcoporum habentes, & Eccleſiaſticam ibi unitatem perturbare dicuntur, & omnes Eccleſias res ſuis uſibus applicare: in tantum ut contra unum eorum, id eſt, Maximilianum uſque ad nos per tam longum iter neceſſitate compellente, quidam infatigabiliter venientes, preces offerrent.* Hos à Narſe comprimi flagitat, eâ ratione quòd de Deo, necnon de Eccleſiis benè ſit meriturus: *Nec quidquam majus eſt, unde Deo ſacrificium poſſitis offerre, quàm ſi id ordinetis, ut hi, qui in ſuam & aliorum perniciem debachantur, competenti debeant vigore compeſci.* Cùm Narſes Pontificis monitis obſequium reddere voluiſſet, id perſecutionis in loco à Capitulorum patronis ducebatur. Itaque Narſes, cujus mores manſuetudine & æquitate conditi erant, id Pelagio ſignificatum ivit. Dubitanti ſcrupulos ille omnes evellere tentat his verbis: *Non vos hominum vaniloqua retardent, dicentium, quia perſecutionem faciat, dum vel ea, quæ committuntur, reprimit, vel animarum ſalutem requirit. Errant hujuſmodi fabulatores: non perſequitur, niſi qui ad malum cogit.* In ſchiſmate verò tantum ſceleris eſſe contendit, ut quicunque in illud incidunt, à Principibus opprimi debeant, ita jubente & Scripturæ, & Eccleſiæ regulâ. Id verò firmat Synodi Chalcedonenſis Actione IV. & Auguſtini Enchiridio, c. 72. Quibus præmiſſis, ſubjungit: *De Liguribus atque Venetis, & Iſtriæ Epiſcopis quid dicam? Quos idonea eſt excellentia veſtra, & ratione & poteſtate reprimere . . . . . Cùm ſi quid eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam Indictionem actum eſt, fortè movebat, ad Sedem Apoſtolicam, quemadmodum factum eſt, electis aliquibus de ſuis, qui dare & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt, & non clauſis oculis corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt, Sanctam Eccleſiam lacerare.*

Pelag. Ep. 3.

Narſes ab Iſtriæ & Venetiarum Epiſcopis excommunicatur.

IV. Cùm metum ea Epiſtola Narſeti omnem exemiſſet, cœpit ille acrius Capitulorum vexare fautores, qui potentiæ Narſetis ſecuri, eum excommunicationis gladio feriunt. Quod cùm admirationem in eo, & fortè dolorem effeciſſet, ſcriptis literis mentem cum Pelagio ſuam communicatum ivit. Qui ſubinde Narſetem monet, ut autoritate ſuâ eos, à quibus læſus fuerat, prorſus coërceat: *Relegentes literas excellentiæ veſtræ, de injuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præſumptio ingeſſit, valde doluimus. Sed quia ſcimus occulta Dei judicio animam veſtram, & ſi per aliorum iniquitatem & ſuperbiam, à contaminatione ſchiſmatis cuſtoditam: egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari conſuevit. Nec enim ſine illius providentia factum eſſe credendum eſt, ut inſenſati & perverſi homines ad hoc uſque proſilirent, ut ſuam diviſionem Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, à ſua vos pollutione prohiberent.* Ut ergo injuriæ ſibi illatæ pœnas expetat, vehementer illum excitat, *Euphraſium* præcipuè, variorum ſcelerum fontem coërcere: *Exercete igitur in talibus debitam autoritatem; & ne eis amplius talia committendi ſpiritus creſcat, veſtra coërcitionibus reprimantur . . . . Quales autem ſint, qui Eccleſiam fugiunt, Eufraſii vos ſcelera, quæ amplius occulta Deus eſſe noluit, evidenter informant: qui in homicidio quidem nec hominis neceſſitudinem, nec fratris caritatem, nec Sacerdotis reverentiam cogitavit. Inceſtuoſo autem adulterio etiam ipſius vindictæ abſtulit modum.* Quantum intelligere datur, *Eufraſius* Presbyterum trium Capitulorum damnatorem morti objecerat.

Pelag. Ep. 4.

Iſtriæ Epiſcopi ſub Synodo tria Capitula firmant.

V. Necdum tragœdiæ finis. Ad Capitulorum defenſionem Iſtriæ, Venetiarum, Liguriæ Epiſcopos excitabat *Paulinus* Aquileenſis Antiſtes, quem Eccleſiæ hujus invaſorem, & in eo ſchiſmate maledictum Pelagius exiſtimat. Synodum *Paulinus* congregat, quæ calculo Capitula ſuo comprobatum ivit. Quo audito, Pelagius mirum in modum excedere, ſubinde Narſeti literas dirigere, quibus eum enixè rogat, ut & Aquileenſem, & Mediolanenſem Epiſcopos ad Imperatorem ſub cuſtodia mittat. Hunc negat Epiſcopum eſſe, utpote contra Canones creatum; illum verò ait pœnis afficiendum, quòd priorem violato ordine conſecrarit. Deinde in Synodum Aquileenſem invehitur: *Nec licuit ali-*

Pelag. Ep. 2.

Pelag. Ep. 5.

quan-

Anno Dom. 557.

quando, nec licebit, particularem Synodum congregare: ſed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt rationem, aut ſponte ii, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant.

Pelagius Childeberto ſuam fidei Confeſſionem mittit. Cur?

VI. Non omnem Pelagius ſuſpicionem Childeberto Regi exemerat, quâ attingebatur, ſe in errorem divertiſſe, dum Capitula damnat. Petierat per Rufinum Legatum ſuum Childebertus, ut Pontifex & Leonis tomum, & ſuam ſibi Confeſſionem mitteret. Ex omni parte glorioſiſſimi Regis poſtulationi ſatisfactum Pelagius ivit, cujus verba ſunt in obſervatione ponenda: *Ut autem nullius deinceps, quod abſit, ſuſpicionis reſideret occaſio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illuſtris Rufinus admonuit, facere maturavi, ſcilicet proprius verbis Confeſſionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem Catholica fide, quæ in quatuor ſanctis Conciliis ſtatuta ſunt, ſed & memorati Pontificis, quas univerſalis ſemper tenuit ac tenet Eccleſia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere, præſenti ad excellentiam veſtram colloquio intimandam neceſſariò judicavi.* Sequitur Confeſſio, quæ ad Scripturam, & quatuor Oecumenicas Synodos ad amuſſim quadrat. Quam porrò fidem, ut ea per Gallias vigeat, curam ſuſcipere omnem, Childebertum etiam atque etiam obſecrat. Per Sapaudi Arelatenſis Epiſcopi Clericos ea Confeſſio miſſa fuerat. Itaque cum etiam rogat, ut quodnam de illa judicium Gallia ferat, ſibi ſignificare velit: *Hortamur, ut ſi Epiſtola, quam per Diaconum, atque Subdiaconum fraternitatis tuæ ad excellentiſſimum filium noſtrum Childebertum Regem direximus, in qua de inſtitutis beatiſſimorum Patrum noſtrorum fidem Catholicam noſtre per Dei gratiam ſermone deprompſimus, tam ipſi glorioſiſſimo Regi, quam caritati tuæ, vel aliis fratribus Coepiſcopis noſtris placuit, Reſcripto tuæ caritatis celerius agnoſcamus.* Data eſt Epiſtola *Idibus Aprilis anno* XVI. *P. C. Baſilii.* Hine apparet & promptum eſt, Veterea opinionis non fuiſſe ejuſmodi, quòd Papa privilegio *ἀναμαρτησίας* in fide gauderet, cùm Pelagium accuſent erroris.

Pelag. Ep. 16.

Pelag. Ep. 15.

Sapaudus Arelatenſis petente Childeberto Vicarius Papæ creatur.

VII. Epiſtolarum commercio Pelagius cum *Sapaudo* maximè conjungebatur, utpote cui vices ſuas delegaverat. Id Childeberto in votis fuerat, ut Arelatenſi Epiſcopo dignitas ea tribueretur: quod Regi pergratum ut faceret, cum uſo pallii facilis illam conceſſit. Regem verò ſic compellat: *Literas autem noſtras præfato Conſacerdoti noſtro Sapaudo ſecundum petitionem veſtram direximus, uſum pallii pariter concedentes, quia in ſcrinio Eccleſiaſtico hujuſcemodi exempla reperimus, quibus oſtenditur, Arelatenſibus Epiſcopis à ſanctæ recordationis deceſſoribus noſtris hoc fuiſſe collata.* Hæc ad Childebertum Pelagius; Sapaudo verò per *Flavianum* Diaconum & *Neſtorium* Arelatenſis Eccleſiæ Subdiaconum id nunciat: *Uſum quoque pallii tibi alacriter affectioſéque concedimus, pariter etiam pallium dirigentes, ut in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris: ſcituris omnibus Eccleſiaſticis gradus hominibus, nullam haberi licentiam ſine formata tuæ caritatis, ex quacunque Galliarum parte longiores petere regiones: ne prohibita præſumentes, ipſi ſe proprio videantur privare officio. Data* III. *Non. Febr. anno* XVI. *P. C. Baſilii.*

Pelag. Ep. 13.

Pelag. Ep. 12.

Synodus Pariſienſis tertia: ejus Canones.

VIII. Dum in Gallia verſamur, Pariſienſis Synodi tertiæ memoria eſt apprehendenda. Ei interfuere Epiſcopi XV. *Probianus* Bituricenſis, Synodi Præſes, *Prætextatus* Rothomagenſis, *Leontius* Burdegalenſis, *Germanus* Pariſienſis, *Euphronius* Turonenſis, *Felix* Nannetenſis, *Domitianus*, qui ſibi Peccatoris nomen indidit, *Chardaricus*, *Genothigernus* Silvanectenſis, *Paternus* Abrincenſis *Laſcivus*, *Chaletricus* Carnotenſis, *Edibius*, *Samſon* Dolenſis, *Ferrecinctus.* Canones numero decem condiderunt. I. Qui res Eccleſiæ retinent ſpecie regiæ largitatis, ut *necatores pauperum* habeantur, & communione pellantur. II. Epiſcopus perpetuo anathemate feriatur, qui res Eccleſiæ pervadere præſumpſerit. III. Ne Epiſcopi res alienas appetant, aut retineant. IV. Illicita Fidelibus conjugia prohibentur, ſcilicet cum *relicta fratris*, noverca, relicta patrui, ſorore uxoris, relicta avunculi, nuru, matrtera, amita privigna, filia privignæ. V. Sacratum Virginum & viduarum, quæ pœnitentiam profeſſæ ſunt, matrimonia negantur, qui Decretum violaverit, à communione Eccleſiæ habetur alienus. VI. Sacerdos, Princeps, Laicus nullus res alienas *competere à Regis audeat poteſtate.* Nullus viduam, alteriuſque filiam aut rapiat, *aut Regis beneficio æſtimet* poſtulandam; qui fecerit, anathemate plectatur. V. Nemo excommunicatus ab aliis recipiatur. VIII. *Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate . . . Quòd ſi per ordinationem regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à Comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoſcunt.* Canonis ea mens eſt, ne regiâ autoritate abſque Cleri populique aſſenſu Epiſcopus eligatur: Principis tamen conſenſus non abrogatur. IX. Servi in ea conditione maneant, ſub qua fuerunt dimiſſi, ſive hæredibus, ſive Eccleſiis pro defenſione fuerint deputati, voluntas defuncti obſervetur. X. Canones Synodi ab Epiſcopis abſentibus, quibus oblati fuerint, ſubſcribantur.

Anno U. C. 1311. Per. Jul. 5271. Jul. 603. Dom. 558. Justiniana 31. & 32. *Sol.* 7. F. *Lun.* 8. *Indict.* 6. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 2. *P.* 21. *April.* — Anno Dom. 558.

Poſt Conſulatum Baſilii XVII.

Zani rebellantes Juſtiniano ſubjiciuntur.

I. UT in vaſto mari ingentes fluctus alios impellunt, ſic in magnis quidem Imperiis bella ex bellis oriuntur. Quieſcentibus Perſis, Zani, (gens ea juxta Pontum Euxinum, circa Trapezuntium habitat) etſi ſub Romana ditione, prædonum tamen in morem excurrere, agros circa Pontum populari, viatores damnis afficere multis incipiunt. Theodorus gentis ejuſdem, eoque locorum peritior in graſſatores mittitur. Phaſi amne trajecto ad hoſtes provectus, caſtris inter *Theodoriadem*, & *Ziζeum* locatis, partem Zanorum, quæ in quiete manſerat, muneribus ad officium provocat. Rebelles multitudine ſuorum coactâ, collem conſcendunt, unde telorum nubem in Romanos torquent, quâ primùm turbatur exercitus. Dein fortiores Romanorum, qui montem ſuperare nitebantur, provolutis lapidibus, miſſiſque ſagittis irruptione factâ repellunt, militibus circiter XL. interfectis. Re feliciter geſtâ, bardi adeò inſolenter efferuntur, ut caſtra Romanorum totis viribus

bus adorirentur, ibique diu fortiterque pugnant. Verùm cùm & iniquo loco, & in unum confluentes Barbari caſtris inſiſterent, Theodorus maximam ſuorum partem clam in eos mittit, quos à tergo adoriuntur. Tum ignavam *Zani* fugam capeſſentes, facillimè cæduntur. Periere duo millia, cæteris hùc illorque diſperſis. Redactis Juſtiniani in poteſtatem tributa quotannis ſolvenda imponuntur, ut ſe vectigales eſſe intelligerent. Victor Theodorus ad Lazos revertitur. Ea expeditio terræ motum, cujus anno ſuperiore meminimus, proximè excepit, ut verbis Agathiæ monemur: *Paulò antequam hæc gererentur, iterato Byzantii vehementer adeò terra movit, ut omnis ferè collapſa civitas ſit.*

Agath. l. 5. c. 1.

Id. ibid.

Zambergam Hunnorum Princeps Imperii regiones vaſtat. Clade afficitur.

II. Vere ineunte terræ concuſſioni acceſſit alia calamitas, quam aër venenatis vaporibus ex telluris motu ortis infectus peperit. Interibant complures repentinâ morte correpti: ſternebatur indiſcriminatim ætas omnis, quaſi morbus ſagittis toxico tinctis corda transverberaſſet. Ac veluti aliarum ſuper alias acervatarum cladium cumulo, ſeram mundi Judex gentem excitat, ut ejus miniſterio populorum otia, luxu & voluptatibus diffluentium impietatem contunderet. Zambergam Cotrigurorum Hunnorum Princeps ſolâ quæ Barbaris innata eſt, & injuſtitiâ & habendi cupiditate ad laceſſendum Imperium movebatur. Injurias tamen ſimulabat, quòd cùm *Sandichlum* Hunnicæ & gentis Præfectum, fœdere Romanis junctum, benevolentiâ Juſtinianus multâ proſequeretur, doniſque multis muneraret, Cotriguros verò prorſus deſpiceret, in quos nil beneficii conferebat. Zambergam igitur comparandum ſibi putat exercitum, ut incurſionibus populationibuſque terrori eſſet, eoque modo aliquem numerum & exiſtimationem obtineret. Hyeme ineunte concretis glacie Iſtri aquis, Zambergam per conſtrictos amnis vortices Mœſiam ingreſſus atque Scythiam, in Thraciam demum pervenit. Exinde partem exercitus in Græciam vaſtandam miſit. Ac eâ ſpe quidem implebatur, quòd ſi murum, qui ab Ægeo mari ad Propontidem extenditur, caperet, per anguſtiſſimum utique fretum in Aſiam facillimè tranſmitteret. Ipſe cum equitum millibus ſeptem Conſtantinopolim rectà pergit, omnia populatur: facias virgines profuſæ Barbarorum libidini ſervire cogit. Matronæ uterum gerentes, fœdum dictu, partus ſuos canibus, avibuſque diſcerpendos relinquere cogebantur, quaſi ad hoc editi eſſent, ut animalibus in cibum venirent. Calamitati pondus addebat, quòd à perpaucis circa regiam urbem Barbaris mala hæc inferrentur. Ad Melantidem caſtra poſuerant, vicum centum duntaxat & quadraginta ſtadiis Conſtantinopoli diſſitum. Eo timoris Juſtinianus delapſus eſt, ut precioſiora Templorum dona partim plauſtris, partim navigiis urbem invehi juberet. Ut graſſantes quâcunque ratione poſſet Barbaros repelleret, confectum ſenio Beliſarium, ſed priſcæ fortitudinis memorem adverſus eos mittit. Trecenti circiter viri eundem ſequebantur, qui ad *Cheruneſum* progreſſi, eò caſtrametantur. Aderat & turba quædam, ſed inermis, bellique imperita, ad videndum potius certamen, quàm ad ineundum apta: ruſtici his ſe comites addunt, qui vaſtatis agris, quò ſe verterent non habebant. Barbarorum ad duorum circiter millium equitum cohors ad Beliſarium uſque provehebatur, cùm bellator ille ſagaciſſimus copias extemplò ſuas caſtris educit: occultatâ quoad fieri potuit, ſuorum paucitate, delectos equites ducentos intra proximum nemus in inſidiis locat. Ipſe Hunnos fortiter aggreditur: qui compreſſi, nec explicandi ſe, nec tela torquendi locum inveniunt. Ad hæc equites, qui in inſidiis erant, Barbaros à tergo adorti, eos in fugam vertunt. Eo prælio quadringentis occiſis, cæteri caſtra repetunt, Romanorum verò nullus deſideratur, pauci vulnerati. Poſcebat ars bellica, ut victor abeuntes inſequeretur, qui ſuo penè terrore victi jam videbantur. Jam ululatus eorum audiebatur, jam ſuo more cultris facies lacerabant. Ad urbem ſe tamen non lubens, ſed juſſus ab Imperatore Beliſarius revertitur. Ea victoria, quæ magni Ducis ultima fuit, in annum DLIX. contigit, cùm *Zambergam* expeditio labentis anni Decembri inceperit. Beliſarii victoriam Victoris Chronicon in annum DLX. retulit: *P. C. Baſilii V. C. anno XX. Bulgares Thraciam invadunt, & uſque ad Sucas Conſtantinopolim veniunt, Sergium Patricium, qui dudum Africanæ fuerat Dux militiæ, capiunt ſimulque diſtrahunt. Sed Patritii Beliſarii armis fortiter debellati, pariterque fugati, Danubium tranſierunt.* Eſt tamen vero ſimilius, eam Hunnorum cladem anno 559. contigiſſe. Ut quæ ad eam pertinent, uno tenore connectamus, *Germanus* Dorothei filius in Cherroneſum miſſus erat, ut verſantibus ibi copiis præeſſet. Qui tantâ Hunnorum conatibus prudentiâ occurſum ivit, ut nil eis relinqueret, quod executioni mandarent. Animis igitur rem audacem deſignant. Coactâ magnâ arundinum copiâ, ex ea ſibi claſſem centum & quinquaginta cymbarum conficiunt, quarum quælibet quatuor homines recipiebat. Ac Conſtantinopolim verſus navigare cœperant, cùm Germanus actuarias viginti naves armato milite complet, quæ ſecundo defluxu arundineos lembos invadunt, eos demergunt unà cum vectoribus, qui eâ ratione ad unum uſque omnes periere. Re benè geſtâ Germanus cenſet, ſubitaneâ è muro eruptione Hunnos laceſſendos eſſe. Dum juvenili ardore pugnat, in femore ſagittæ ictum ſic excipit, ut parum abfuerit, quin ad illud curandum egredi prælio opus haberet. Incepti tamen magnitudo dolorem vicit; nec prius receſſit, quàm magnam Barbaris cladem intuliſſet.

Agath. l. 5. c. 8. 9. 10. &c.

Hunni mutuis vulneribus afficiuntur. Beliſarius ſatellitio exuitur.

III. Terreſtri maritimâque clade affecti Hunni, in ea ſe ſuperbos adhùc præbent. Etenim è Græcia non prius ſe receſſuros prædicant, quàm & perinde atque de Hunnica gente alii pecuniam acciperent, & captivi, quos fecerant redimerentur, ſecus eis mortem minabantur. Erat inter eos Sergius Præfectus, quem adverſâ fortunâ uſum cœperant. Juſtinianus tantum auri ad eos miſit, quantum redimendis captivis ſufficere exiſtimabat. Acceptâ pecuniâ, à præda vix abſtinendo per Romanas regiones iter habebant. Plebi pacta hæc indecora, & penè ſervilia videbantur. Prudentiâ tamen hoc conſilii condiebatur, cùm eò ſpectaret, ut inteſtinis Hunnos diſſidiis conficeret: quod etiam evenit. Dum enim Zambergam ſuo cum agmine lentius procedit, Juſtinianus ad *Sandichlum* fœdere benevolentiâque ſibi conjunctum, ſolerter ad ultionem novis præmiis ſollicitat. Cotriguris Iſtrum tranſgreſſis, ex inſperato ſe obviam offert, multiſque cæſis, pecunias ſimul, quas à Juſtiniano acceperant, & cæteram prædam adimit. Qui evaſerant, validius confirmatis inimicitiis in gentem ſuam tam-

diu

ANNO DOM. 558.

dìu pugnant, donec utrinque attritis viribus, ſedibus prorſus ſuis pulſi, vel patrium nomen amiſerint, eo calamitatis redacti, ut in ſervitutem labentibus annis concederent: debitam ſanè Hunnicæ impietati & ſceleribus pœnam. Cæterùm indignam relatæ de Hunnis victoriæ mercedem Beliſarius retulit. Cùm enim illi, qui excellentis viri virtuti invidebant, gloriam ipſius haud ferrent, anno DLXI. rebellionis accuſatur, tanquam popularis auræ blanditiis inſoleſcens, imperiique ſpes animo volvens. Itaque Juſtiniani juſſu omni ſatellitio ſpoliatus, domi ſub cuſtodia detinetur, anno DLXII. Julii x. ſuis honoribus reſtituendus.

Agath. l. 5. c. 12.

Childeberti obitus: laudes: Conſtitutio. Donatio, quam Eccleſiæ S. Vincentii feciſſe dicitur, ſubdita.

IV. Luctuoſum Galliæ annum effecit mors *Childeberti*, cujus tempus nos egregius ille Chronologus Aventicenſis docuit: *P. C. Baſilii, anno* XVII. *Indictione* VI. *Childebertus Rex Francorum tranſiit, & obtinuit regnum ejus Clotharius Rex frater ejus.* Itaque Baronii Chronologia quadriennii metachroniſmo laborat, utpote quæ in annum DLXII. Regis hujus obitum confert. Quâ ratione mortalium conſpectu ereptus fuerit, apud Gregorium legitur: *Childebertus Rex ægrotare cœpit. Et cùm diutiſſimè apud Pariſios lectulo decubuiſſet, obiit, & ad Baſilicam Beati Vincentii, quam ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus. Cujus regnum & theſauros Clotharius Rex accepit. Ultrogotham verò, & filias ejus duas in exilium poſuit. Chramnus autem patri repræſentatur, ſed poſtea infidelis extitit.* Laudes Childeberti Fortunatus celebravit in ſuo ad Charibertum Epigrammate:

Error Baronii.

Bar. An. 562. n. 1.

Greg. Hiſt. l. 4. c. 20

De Childeberto veteres compeſce dolores,
Rex placidus redit, qui tua vota feret:
Ille fuit mitis, ſapiens, bonus omnibus æquus:
Non cecidit patruus, dum ſtat in urbe nepos.

Fortun. l. 6. 4.

Childeberti pietas multis laudibus afficitur in Charta Immunitatis B. Germani, quæ legitur Aimonii l. 3. c. 2. *Inclytus iſte Princeps Pariſiis Baſilicam in honore ſanctæ Crucis, & Domni Vincentii, vel reliquorum Sanctorum, in unum membrum conſtruxit, & ſibi ſepulturam ubi collocavit, ac largitatis ſuæ copiam per teſtamenti ſui paginam nobis habere decrevit, & habendi meritum loco tanti ordinis conſtituit.* In eo teſte tamen minimum eſt fidei, cùm graviſſimis ſanè argumentis Chartam Immunitatis B. Germani falſi Launoius poſtulaverit, quæ in ipſius *Inquiſitione* legi poſſunt. Edidit Sirmondus è *tenis* Childeberti Conſtitutionem de abolendis reliquiis Idololatriæ, & de ſacrorum dierum feſtivitatibus caſtè celebrandis, quam per Eccleſias Sacerdotibus miſit, atque populis. In ea hæc notanda continentur: *Hanc Chartam generaliter per omnia loca decrevimus mittendam, præcipientes, ut quicunque admonitus de agro ſuo, ubicunque fuerint ſimulacra conſtructa, vel Idola Dæmonibus dicata ab hominibus, factâ non ſtatim abjecerint, vel Sacerdotibus hæc deſtruentibus prohibuerint, datis fidejuſſoribus, non aliter diſcedant, niſi in noſtris obtutibus præſententur, qualiter in ſacrilegis Dei injuria vindicetur.* De inhoneſtis verò & turpibus, quæ Feſtorum celebrationem ſubierant, continuò ſubjungit: *Ad nos querimonia proceſſit, multa ſacrilegia in populo fieri, unde Deus læditur, & populus per peccatum declinat ad mortem. Noctes pervigiles cum ebrietate, ſcurrilitate, vel canticis: etiam in ipſis ſacris diebus, Paſcha, Natale Domini, & reliquis feſtivitatibus, vel adveniente die Dominico danſatrices per villas ambulare. Hæc omnia unde Deus agnoſcitur lædi, nullatenùs fieri permittimus.* Qui poſt monita id perpetravit, ſi ſervilis conditionis homo, *centum ictus flagellorum* ſuſcipiat. In regiæ Childeberti pietatis argumentum Baronius donationem ex Aimonio affert, quâ Eccleſiæ ſancti Vincentii largitur: *Iſſiacum, qui eſt in pago Pariſiorum, propè alveum Sequanæ cum omnibus dependentiis ſuis.* Certa tamen perſuaſio nobis ineſt, donationem eam ſubditam eſſe. Prætérquam enim ſtylus ejus perquàm humilis eſt atque ſordidus, tempus ſanè donationis eam falſi poſtulat: *Datum, quod fecit menſe Decembri, die ſexto, anno quadrageſimo octavo, poſtquam Childebertus Rex regnare cœpit.* Atqui eo tempore defunctus erat Childebertus, ut nos Marius monitum ivit. Periit Chlodoveus Childeberti pater anno DXI. præcipiti, cui ſi XLVIII. annos addiderimus, jam DLXIX. labebatur, quo tempore Childebertus non amplius inter homines fuit.

ANNO DOM. 558.

Iab. Conc. t. 5. 811.

Bar. An. 561. n. 11.

ANNO U. C. 1312. PER. JUL. 5272. JUL. 604. DOM. 559. JUSTINIANI 32. & 33. *Sol.* 8. E. *Lun.* 9. *Indict.* 7. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.*

ANNO DOM. 559.

Poſt Conſulatum Baſilii XVIII.

Chramnus in Britanniam fugit.

I. CAlamitatibus anni ſuperioris, quæ & lubentem adhùc afficiebant, permotus Juſtinianus, ſubditos ad reſipiſcentiam ſuos provocat, latâ pulcherrimâ Lege adverſus eos, qui luxuriantur contra naturam: *Cùm ſemper omnes benignitate ac bonitate Dei indigeamus, tum verò maximè hoc tempore, cùm propter peccatorum noſtrorum multitudinem variis ipſum modis ad iracundiam provocavimus.* Præcipit autem, ut infami ſcelere & actione abſtineant, *quam ne in brutis quidem animantibus admiſſam reperire eſt.* Pœnitentiam agant, & *verbum beatiſſimo Patriarchæ renuncient: Prædicimus autem omnibus deinceps, qui hujuſmodi alicujus ſibi peccati conſcii ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renunciantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra S. Feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, minimum, quia nullâ de cætero veniâ digni habebuntur. Dat. Idib. Martii, P. C. Baſilii, anno* 18. Hinc error Calviſii aliorumque detegitur, qui anno ſuperiori Novellam eam aſſignant.

Nov. 149. 315.

Chramnus cum patre pugnans miſerè perit.

II. Cùm nil ſit, quòd tam miſeros faciat, quàm impietas & ſcelus, *Chramnus* ſtimulis ſuæ rebellionis agitatus, novo crimine ultimum ſibi exitium parat. Innato quo in patrem ſuum odio flagrabat, cæcus, impetratæque veniæ ſecurus ruſus rebellat. Cùm ſalutis ſibi via nulla daretur, vertente anno fugam arripit. Gregorium audiamus: *Chramnus cùm ſe cerneret evadere non poſſe, Britannias petit, ibique cum Conobre Britannorum Comite ipſe & uxor ejus ac filiæ latuerunt. Wilacharius autem, ſocer ejus, ad Baſilicam S. Martini confugit. Tunc S. Baſilica à peccatis ac ludibriis, quæ in ea fiebant, per Wilacharium, conjugemque ejus ſuccenſa eſt, quod non ſine gravi ſuſpirio memoramus . . . . Protinus B. Martini Baſilica, ordinante Clothario Rege, ſtamno cooperta eſt, & in illa, quâ prius fuerat elegantia reparata.* Chramni in Britanniam fuga in annum proximè futurum à Mario confertur, minimo diſcrimine.

Greg. Hiſt. l. 4. c. 20.

Anno Dom. 560.

Anno U. C. 1313. Per. Jul. 5273. Jul. 605. Dom. 560. Justiniani 33. & 34. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 10. *Indict.* 8. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 28. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii XIX.

Chramnus cum patre pugnans miſerè perit.

Error Baronii.

Bar. An. 564. *n.* 30.

I. Seræ quidem, ſed tamen & juſtæ, & debitæ à ſcelerato *Chramno* pœnæ Clothario ſolvuntur. Impii filii in patrem exitium anno DLXIV. Baronius affigit: *Hoc*, inquit, *ipſo anno Chramni ſæpe rebellantis, & ad veniam ſæpè recepti, tragædia finem habuit.* Verùm quadriennii in metachroniſmum illuſtriſſimus Purpuratus delapſus eſt, ut Marii Aventicenſis ex Chronico certum exploratumque eſt. *P. C. Baſilii anno* XIX. *Indict.* 8. *Chramnus poſt ſacramenta, quæ patri dederat, ad Britannos petiit: & moliens regnum patris invadere, adverſus ipſum cum Britannis movere auſus eſt, multaque loca graviter deprædavit. Ad cujus inſaniam reprimendam pater cum exercitu properavit, & interfecto Comite Britannorum, Chramnum vivum cæpit, incenſumque cum uxore & filiis, totius regionis incidit excidium.* Sceleris tragici hiſtoriam, ut odio impietatis maturior erga parentes veniat liberorum obſervantia, paulò fuſius narrare juvat. In facinus Chramnus deſcenderat, cùm juſtâ inflammatus irâ Clotharius in rebellem cum exercitu movet. Quo ſucceſſu Gregorius narret: *Nec ille contra patrem egredi timuit. Cùmque in uno campo conglobatus, uterque reſideret exercitus, & Chramnus cum Britannis contra patrem aciem inſtruxiſſet, incumbente nocte à bello ceſſatum eſt. Eâ quoque nocte Conoober Comes Britannorum dicit ad Chramnum: Injuſtum cenſeo, te contra patrem tuum debere egredi; permitte me hâc nocte, ut irruam ſuper eum, ipſumque cum toto exercitu proſternam. Quod Chramnus, ut credo, virtute Dei præventus, fieri non permiſit. Mane autem facto, uterque commoto exercitu ad bellum contra ſe properant . . . Confligentibus pariter Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens, ſed dum uxorem & filias ſuas liberare voluit, ab exercitu patris oppreſſus, captus atque ligatus eſt. Quod cùm Clothario Regi nunciatum fuiſſet, juſſit eum cum uxore & filiabus igni conſumi: incluſuſque in tugurio cujuſdam pauperculæ, Chramnus ſuper ſcamnum extenſus, Orario ſugillatus eſt, & ſic poſteà ſuper eos incenſa caſula, cum uxore & filiabus interiit.* Sic tandem numen læſum

Greg. Tur. l. 4. *c.* 20.

Suppliciis delicta coërcet.

Morbus Juſtiniani: tumultus & Conſtantinopoli & Antiochiæ.

II. Dum hæc in Occidente geruntur, diſpergitur in urbe regia rumor, Juſtinianum ad plures abiiſſe. Quippe reverſus ex Thracia omnium aſpectibus ſeſe ſubſtrahebat. Tum plebs quàm tumultuoſiſſimè panes rapere ex officinis, ut circa horam tertiam nullus Conſtantinopoli panis reperiretur. Ad veſperam coacto Senatu mittitur Præfectus, qui faces ubique locorum accenderet ob ſanitatem Imperatori reſtitutam, eâque ratione perturbationi civitas eripitur. Recreato Juſtiniano, *Eugenius, qui fuerat Præfectus, detraxit Georgio & Etherio Curatoribus, quaſi voluiſſent Theodorum facere Imperatorem, filium Petri Magiſtri. Cùmque fuiſſet cauſa quæſita, & nullatenùs comprobata, in iram incidit Imperatoris Eugenius, & domus ejus publico fiſco collata eſt.* Hæc ad annum Juſtiniani XXXIV. Miſcellanea, quæ ſimul gravem apud Antiochenos ſeditionem memorat. Certabant inter ſe Orthodoxi & Severiani, nec ſine ſanguine: *Et multa homicidia facta ſunt. Et miſſo Imperator Zimarcho Comite Orientis ſubibuit inordinatos, & multos in exilium miſit, & publicavit, ac membris debilitavit.*

Anno Dom. 560.

Miſcell. c. 16.

Pelagii Papæ obitus.

III. Contemplemur nunc res Eccleſiæ. Pelagius I. Pontifex labente anno, die Martii ſecundâ, feriâ tertiâ naturæ debitum ſolvit, currente quinto Epiſcopatus anno. Anaſtaſii quidem Chronologia *annos undecim, menſes* X. *dies* XVIII. Pelagio vindicantis eſt omnium abſurdiſſima. Gratam Romanis ſui memoriam reliquit, ut Epitaphium ipſius teſtatur:

Doctor Apoſtolicæ fidei veneranda retexit
Dogmata, quæ claré conſtituere Patres:
Eloquio curant errorum ſchiſmate lapſos,
Ut vera teneant corda pacata fidem.

Quam Diaconus totis viribus quintam Synodum impugnarat, Pontifex creatus mutatâ ſententiâ defenſum ivit, ut tam ex laudatis à nobis Epiſtolis, quàm ex fragmentis literarum ipſius ab Holſtenio editarum apertè liquet. Inter Pelagii Epiſtolas extat una ad Vigilium Epiſcopum, quâ probat, Patrem & Filium unum Deum eſſe. Verùm fatente vel Binnio, acerrimo Decretalium Mercatoris patrono, Epiſtola ad falſa relegari monumenta debet. Ridicula ſanè eſt nota Conſularis: *Data Joanne & Narſete, viris clariſſimis Coſſ.* Nulli Faſti eos Conſules habent, aut habere poſſunt, cùm Baſilius privatorum ultimus fuerit, qui annum aperuit. Conſtat Epiſtola variis & Ithacii, & Leonis laciniis, quæ Mercatoris merces apertè produnt. Sepultus eſt Pelagius Petri in Baſilica.

Joannes Catelinus Papa creatur. Ejus Epiſtolæ falſæ.

IV. Defuncto ſuccedit Joannes Catelinus, patre Anaſtaſio, viro illuſtri ortus. Diu ſatis Epiſcopatum tenuit, annos ſcilicet XIII. quorum ultimo ad fata venit. Extant ipſius nomine geminæ Epiſtolæ. Prior ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ; poſterior *Edaldo* Viennenſi Archiepiſcopo. Ac prior illa tribus Capitibus conſtat. Primum in Chorepiſcopos invehitur, qui repugnante Damaſi, Leoniſque autoritate confirmationem miniſtrare ſolebant, donumque Spiritus Sancti per manuum impoſitionem, quæ Pontificibus debebatur, tradere auderent. Secundo capite docetur, Petrum *Linum* ſibi & *Cletum* aſciviſſe; non eis tamen, ſed *ſucceſſori Clementi* legandi ſolvendique facultatem tribuiſſe. Denique tradit, quanta cura atque ſollicitudo ei ſubeunda ſit, qui Chriſti gregem paſcit. Certum nunc eruditis, Joannis ſub larva inſulſum ſanè plagiarium obeſæ naris Scriptoribus eam Epiſtolam obtrudiſſe. Neque inficiatur Binnius, qui ſecundum Baronium tribus eam argumentis evertit. Ex quibus duo ſunt certiſſima: unum, quòd Epiſtola data ſit *Juſtino & Narſete Coſſ.* quæ Conſularis adnotatio falſiſſima eſt: alterum, quòd Linum & Cletum, Chorepiſcopis inſerat, qui Romanos Præſules egere. Eſt tamen vanum prorſus tertium argumentum, quod ex Conſulatu ſexto Juſtini Junioris Baronius petit, quem anno DLXXII. affigit, quo tempore Joannem jam mortuum fuiſſe contendit. Quippe ſecundum Baronium Juſtini Conſulatus incepit Calendis anni DLXVI. Potuiſſet igitur Joannes Pontifex XIV. *Kal. Auguſti*, *Juſtino ſexto Conſule* Epiſtolam conficere, utpote qui labente anno DCLX. Epiſcopatum adeptus, cum adhùc Auguſto menſe anni 572. retinebat. Poſterior Pſeudo-Joannis Epiſtola docet, aliter Alexan-

ANNO DOM. 560.

drinam Eccleſiam, aliter Hieroſolymitanam, aliter Epheſinam, aliter Romanam Miſſas celebrare, cujus Inſtituta Viennenſis ſervare debet Eccleſia. Narrat etiam, per *Felicem* Presbyterum Viennenſi ſe mittere & *pallium*, & capillorum Pauli partem aliquam. Quam Joannes à Boſco, ordinis Cæleſtinorum, Epiſtolam vulgavit: vix tamen dubitamus, quin ea ſit falſis apponenda. Præterquam enim Antiquis omnibus incognita ſit, illud certè verum eſſe nequit, quod in ea prædicatur, pallium ſcilicet *antiquum B. Petri munus eſſe*.

Sancti Medardi obitus.

V. Dum victor Chramni Clotharius Britannia revertitur, morbo lethali Noviomenſis Præſul Medardus corripitur, quem ſua pietas in prima apud Gallos commendatione poſuerat. Teſtem excitemus Gregorium:

Greg. Hiſt. l. 4. c. 19.

Sanctus Dei Medardus Epiſcopus, conſummato boni operis curſu, & plenus dierum, ſanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Clotharius Rex cum ſummo honore apud Sueſſonas civitatem ſepelivit, & Baſilicam ſuper eum fabricare cœpit, quam poſteà Sigibertus filius ejus explevit atque compoſuit. Ad cujus B. ſepulchrum vidimus vinctorum compedes atque catenas diſruptas confractaſque jacere, quæ uſque hodie in teſtimonium virtutis ejus ad ipſum B. ſepulchrum reſervantur. Medardi etiam miracula à Nicetio Treverenſi celebrantur in ipſius ad Chlodoſuindam Bulgarorum Reginam Epiſtola:

Lab. Conc. t. 5. 835.

Quid de Domino Remigio & Domino Medardo Epiſcopis, quos tu credo vidiſti? Non poſſumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Defuncto quoque Venantius parentavit, l. 2. carm. 17.

Inter Chriſticolas, quos actio vexit in Aſtra,
Pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet:
Qui ſic vixiſti terrenis hoſpes in oris,
Ut Cælos patriam crederis eſſe tuam.

ANNO DOM. 561.

ANNO U. C. 1314. OLYMP. 335. PER. JUL. 5274. JUL. 606. DOM. 561. JUSTINIANI 34. & 35. *Sol.* 10. B. *Lun.* 11. *Indict.* 9. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii XX.

Clotharii & peccatorum Confeſſio & obitus.

I. VIctor de ſuis hoſtibus Clotharius, ſuorum Confeſſione peccatorum, muneribuſque Martini Baſilicæ dicatis, Dei gratiam ſibi conciliandam eſſe putat. Turonenſi igitur orbe petitâ, proſternit ſe, contritoque animo Deo ſupplicat, Gregorio teſte: *Clotharius anno quinquageſimo primo regni ſui cum multis muneribus limina B. Martini expetiit, & adveniens Turonos ad ſepulchrum antè dicti Antiſtitis cunctas actiones, quas fortaſſe negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, ut pro ſuis culpis beatus Confeſſor Domini miſericordiam exoraret, & ea, quæ irrationaliter commiſerat, ſuo obtentu dilueret.* Præſagia hæc erant mortis brevi futuræ, cùm anno præcipiti Clotharius luci ereptus fuerit.

Error Baronii.

Baronius ſupremum Regis diem anno DLXV. contigiſſe prædicat. Quam Marius Chronologiam refellit: P. C. *Baſilii anno* XX. *Indict.* 9. *Clotharius Rex mortuus eſt, & diviſerunt Regnum ejus filii ipſius.* Neque à Mario diſſidet Gregorius, qui Clotharium anno regni LI. vitæ curriculum confeciſſe tradit. Quippe regni primus & quinquageſimus jam in curſu erat, cùm morte Clotharius interceptus eſt, qui anno DXI. Chlodoveo ſucceſſerat. Turonis egreſſus quin-

Gregor. l. 4. c. 21.

quageſimo primo regni ſui anno, dum in Cotia ſylva venationem exerceret, a febre corripitur, & exinde Compendium, villam redit, in qua cùm graviter vexaretur a febre, aiebat, vva! quid putatis? Qualis eſt ille Rex cæleſtis, qui ſic tam magnos Reges interficit? In hoc enim tædio poſitus, ſpiritum exhalavit. Quem quatuor filii ſui cum magno honore Sueſſionas deferentes, in Baſilica B. Medardi ſepelierunt. Obiit autem poſt unum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus. Extat in noviſſima Conciliorum editione Conſtitutio Clotharii, ex qua nonnulla noſtris ſunt Annalibus inferenda.

ANNO DOM. 561.

Clotharii de rebus Eccleſiaſticis Conſtitutio.

II. *Uſus eſt clementiæ principalis, neceſſitatem Provincialium vel ſubjectorum ſibi populorum providâ ſollicitius mente tractare, & pro quiete eorum, quæcunque juſtè ſunt obſervanda, indita in titulis Conſtitutione conſcribere. Quibus quantum plus fuerit juſtitiæ atque integritatis impenſum, tantum pronius amor devotionis incumbit. Ideòque per hanc generalem autoritatem præcipientes, jubemus, ut in omnibus cauſis antiqui juris forma ſervetur.* Ut quæ Eccleſiam magis attinent attingamus, hæc ſuâ Lege ſtatuit:

Lab. Conc. t. 5. 827.

Si Judex aliquem contra Legem injuſtè damnaverit, in noſtri abſentia ab Epiſcopis caſtigetur, ut quod perperè judicavit, verſatim melius diſcuſſione habitâ emendare procuret. Nullus per autoritatem noſtram matrimonium viduæ, vel puellæ ſine ipſarum voluntate præſumat expetere, neque per ſuggeſtiones ſubreptitias rapiantur injuſtè. Sanctimoniales nullus ſibi in conjugium audeat ſociare. Ut autoritates cum juſtitia & Lege competente in omnibus habeant ſtabilem firmitatem, nec ſubſequentibus autoritatibus contra Legem elicitis vacuentur. Ut oblationes defunctorum Eccleſiis deputatæ nullorum competitionibus auferantur, præſenti Conſtitutione præſtamus. Agraria paſcuaria, vel decimas porcorum Eccleſiæ pro fidei noſtræ devotione concedimus, ita ut actor & decimator in rebus Eccleſiæ nullus accedat. Eccleſia, vel Clerici nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, vel genitoris, aut germani noſtri immunitatem meruerant. Quæcunque Eccleſiæ, vel Clericis, aut quibuſlibet perſonis à glorioſæ memoriæ præfatis Principibus munificentiæ largitate collata ſunt, omni firmitate perdurent. Quidquid Eccleſia, Clerici, vel Provinciales noſtri, intercedente tamen juſto poſſeſſionis initio, per XXX. *annos inconcuſſo jure poſſidiſſe probantur, in eorum ditione res poſſeſſa permaneat,* &c. Meritò à doctiſſimo Sirmondo quæſtio movetur, cur ſi ad Clotharium I. referatur Conſtitutio, quemnam *avum* ſuum vocet, qui Clericis immunitatem conceſſerit: ſi ad Clotharium II. ecquem dicat germanum? Quæſtionem difficilem ſanè non ſolvit vir eruditiſſimus, cujus explicatio ex MS. pendet. Clotharii II. Conſtitutio hæc eſt, ſi expungantur verba, *germani noſtri.* Si verò retineantur, Clothario quidem primo eſt addicenda, verùm vox *avi* delenda erit.

Clotharii Regnum inter filios ejus dividitur.

III. Defuncti Regis hæreditatem inter ſe filii partiuntur, quam verbis Gregorii diviſionem referemus:

Greg. Hiſt. l. 4. c. 22.

Chilpericus poſt patris funera theſauros, qui in villa Brennaco erant congregati, accepit, & ad Francos utiliores petiit, ipſoſque muneribus mollitos ſibi ſubdidit: & mox Pariſios ingreditur, ſedemque Childeberti Regis occupat. Sed non diu hoc ei licuit poſſidere, nam conjuncti fratres ejus eum exinde repulere, & ſic inter ſe hi quatuor, id eſt, Charibertus, Guntramnus, Chilpericus atque Sigebertus diviſionem legitimam faciunt: dedit-

que

ANNO DOM. 561.

que ſors Chariberto regnum Childeberti, ſedemque habere Pariſios. Guntramno verò regnum Chlodomiris, ac tenere ſedem Aurelianenſem: Chilperico verò regnum Clotharii patris ejus, Cathedramque Sueſſionas habere. Sigeberto quoque regnum Theodorici, ſedemque habere Rhemenſem. Mirum porrò inter ſe fœdus faciunt, quod verbis Guntramni referemus, ſic Pariſienſes alloquentis: *Ecce pactiones, quæ inter nos factæ ſunt, ut quisquis ſine fratris voluntate Pariſios ingrederetur, amitteret partem ſuam, eſſetque Polyoctus Martyr cum Hilario atque Martino Confeſſoribus Judex & retributor ejus.* Sic ſpecie pietatis quàm ſolitò magis magna ſuperſtitio creſcebat.

Gregor. l. 7. c. 6.

Conjuratio in Juſtinianum. Beliſarius accuſatur à reis.

IV. Gravem labente anno in Juſtinianum conjurationem Annales referunt. Sceleris autores *Ablavius & Marcellus, pecuniarum venditores, atque Sergius,* Facinus moliuntur *anno* XXXV. *Imperii Juſtiniani,* XXV. *die Novembris menſis.* A Marcello acceperat Ablavius auri libras quinquaginta, ut ſibi auxilio foret. Conſilium hoc ſuum cùm Euſebio Exconſuli, fœderatorumque Comiti, & Joanni Logothetæ expoſuiſſet, illi rem Imperatori omnem nunciant. Conſpirationis miniſtri in *Silentiario* abſcondi jubebantur, ut ſedenti in triclinio Imperatori mortem inferrent. Auditâ conjuratione reos Juſtinianus comprehendi juſſit, quos occulto ferro armatos reperit. Spe ſuâ fruſtratus Marcellus, nudato ſubinde quem geſtabat pugione, tribus ſe vulneribus in triclinio confodit. Sergius arreptâ illicò fugâ, in Blachernas conceſſit: *Quo educto & interrogato, perſuaſum eſt ei confiteri, quòd & Iſacius argenti venditor, & Beliſarius glorioſiſſimus Patricius conſcii fuerint hujus machinamenti: & Vitus pecuniarum venditor, & Paulus Curator ejuſdem Beliſaris conſilium ſciverint. Qui comprehenſi & traditi Procopio Præfecto, confeſſi ſunt, & dixerunt de Beliſario. Quintâ die menſis Decembris fecit Imperator ſilentium, adducens Eutychium Patriarcham, & jubens recitari eorum Confeſſiones. Quo audito, Beliſarius ingenti eſt mærore gravatus: & omittens Imperator comprehendit omnes homines ejus, & ipſum domi ſedere juſſit cuſtodiendum.* Gemina leguntur Zonaræ in Annalibus: *Cùm Juſtiniano multorum inſidiæ nunciarentur, quarum etiam Beliſarius Patricius eſſet particeps, ſatellites ei omnes ademit, ipſumque domi cuſtodiri juſſit, ejuſque mortui opes in fiſcum omnes ſunt relata.* Patefactis tamen calumniis, nonâ decimâ die menſis Martii, anno 562. *dimiſſus eſt Beliſarius, receptis omnibus dignitatibus ſuis.* Hæc Miſcella. Miſeræ vitæ reliquias traxit Beliſarius ad annum uſque DLXV. quo menſe Martio calamitates ſuas cum vita finivit. Eo gloriæ proceſſerat, ſi Cedreno fides, ut Juſtinianus ſe nummorum in parte una, in altera Beliſarium effinxerit cum hac inſcriptione: *Beliſarius Romanorum decus.* Fabulæ ſunt Veteribus incognitæ, quæ de Beliſario à Græculis nonnullis vulgantur:

Miſcell. l. 16.

Zon. An. l. 14. p. 69.

Poculum ligneum detinens clamabat, Plebi in ſtadio,
Beliſario obulum date Imperatori.

Quam ne vel in medio traditionem Baronius relinquere debuit. Eam ſatis ſuperque refellit ſilentium Procopii, Zonaræ, Suidæ, Miſcellæ, &c. Quod de Joanne Cappadoce, viro Patricio, Exconſule & Præfecto Prætorio audierant, qui effoſſis oculis in trivio mendicavit obolos, in Beliſarium perperàm transfuderunt.

V. Celeberrimus ille Monachorum pater Antonius, qui anno CCCLVI. Januarii XVII. mortem obierat, diſcipulis præceperat, corpus ſuum ita ſepulchro condi, ut omnium notitiæ eriperetur. Morientis verba ſunt: *Meum corpus ſepelite, terrâque contegite, & nemo præter vos ſolos locum ſepulchri noſcat.* At fruſtra vir ille æquè ſagaa, ac pius in latebras corpus conjici ſuum voluit. Venatur omnia præpoſterus reliquiarum amor, nec eas ſepulchro tegi ſuo patitur. Itaque labente anno Antonii exuviæ & repertæ feruntur, & Alexandriam tranſlatæ, necquicquam repugnante mandatis ſuis defuncto, qui Iſaaco & Peluſio dixerat: *Corpus meum in Ægyptum transferri ne patiamini.* De earam reliquiarum inventione hæc habet Victoris Chronicum: *P. C. Baſilii V. C. anno* XXI. *corpus S. Antonii Eremitæ repertum, cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Baſilica Sancti Joannis Baptiſtæ honorificè ſepelitur.*

Reliquiæ Antonii Abbatis repertæ.

Athan. Vit. Ant. 502.

ANNO U. C. 1315. PER. JUL. 5175. JUL. 607. DOM. 562. JUSTINIANI 35. & 36. *Sol.* 11. A. *Lun.* 12. *Indict.* 10. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 7. P. 9. *April.*

ANNO DOM. 562.

Poſt Conſulatum Baſilii 22I.

I. CAſſiodorus, qui pietate mundi dignitatibus antepoſitâ, *Vivarium* Monaſterium, à piſcium copiâ ſic appellatum, ingreſſus fuerat, ſuum labente anno Computum Paſchalem edidit. Quo rationem docet Indictionum, Epactarum, Numeri Aurei, Biſſextorum agnoſcendorum. Extat in eo Libello graviſſimum adverſus Baronianam de vulgata annorum Chriſti Epocha Chronologiam: *Si noſſe vis, quotus annus eſt ab Incarnatione Domini noſtri J. C. computa triginta ſeu per* XV. *ſunt* DXL. *His ſemper adde* XII. *ſiunt quinquaginta duo. Adde & indictiones anni cujus volueris, ut puta decimam, victor ſemel poſt Conſulatum Baſilii Junioris, ſunt quingenti ſexaginta duo.* Quòd ſi Æræ Chriſtianæ initium à Conſulatu Lentuli & Meſſalini, qui Julianus XLIII. eſt, repetendum, uti Baronio creditum, anni ſanè non DLXII. ſed DLXIV. forent numerandi. Annos 93. ſuperaverat Caſſiodorus, cùm Paſchalem Computum ſuum luci donavit. Id liquet ex ipſius de Orthographia libro, cujus in Præfatione legimus: *Ad amantiſſimos Orthographos diſcutiendos anno ætatis meæ 93. Domino adjuvante perveni.* Quo tempore nondum Paſchalis Computus prodierat. Quoto perierit anno, nobis prorſus ignoratur. Multa ſui monimenta reliquit in libris à ſe editis, quorum Index Patrum in Bibliotheca reperitur. Omnes ſupereminet tractatus *de Inſtitutione Divinarum Scripturarum,* duobus libris conſtans, cujus in Præfatione verba lectionem Sacrorum Codicum commendantia reperiuntur: *Dilectiſſimi fratres, indubitanter aſcendamus ad divinam Scripturam per expoſitiones probabiles Patrum, velut per quandam ſcalam viſionis, ut eorum ſenſibus provecti, ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur . . . . Quocircà, ſi placet, hunc debemus lectionis ordinem cuſtodire, ut primùm tyrones Chriſti poſtquam Pſalmos didicerint, autoritatem divinam in Codicibus emendatis, jugi exercitatione meditentur, donec illis fiat Domino præſtante notiſſima.* Ordinem librorum ſuorum, quos hactenùs condiderat, ipſe tradit in ſuo de Orthographia libro. Commentarium edidit Pſalterii eo anno,

Caſſiodorus Computum Paſchalem edit.

Anno Dom. 562.

quo ſe monaſticæ vitæ conſecravit: dein ſcribendis de inſtitutione divinarum Scripturarum libris admovit animum, celebratâ jam Oecumenicâ Conſtantinopolitanâ Synodo v. Commentarium in Epiſtolam ad Romanos edidit poſtmodum: ſecuti ſunt & de Etymologiis, & Sacerdotis de Schematibus. *Memorialem* dein confecit, quem excepere explanationes in Epiſtolas, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſim: ac deinceps de Orthographia librum abſolvit, ut ipſe narrat in libri hujus Præfatione.

B. M. P. t. xi. 1291.

Nicetii ad Chlodoſuindam Epiſtola, ut virum Alboinum ad fidem adducat.

II. Sub ea fortè tempora Nicetius Trevirenſis Antiſtes ad *Chlodoſuindam* Clotharii Regis filiam, Longobardorumque Reginam Epiſtolam miſit, ut Alboinum maritum ſuum ex Arianiſmo ad fidem perduceret: *Dominæ clementiſſimæ in Chriſto filiæ, Chlodoſuindæ Reginæ, Nicetius peccator. Cùm Legatos veſtros per Francorum Reges germanos tuos ero conſpicimus, de proſperitate veſtra ſolliciti ſumus.* His præmiſſis, Chlodoſuindam per tremendum Dei judicium hortatur, ut lectam frequenter Epiſtolam viro ſuo frequenter exponat, in qua ex Scripturæ locis Trinitatis myſterium ſtatuit. Oſtendit autem, Gothos fruſtra reliquias Apoſtolorum habere, quorum fidem non habent: *Ad duodecim diſcipulos, quos habuit Chriſtus, veniamus, quia ipſi Gothi hodie ipſis venerationem impedunt, & reliquias eorum furtim tollunt, ſed nihil ibi habent, quia fidem eorum annullare præſumunt.* Provocat dein Alboinum, ut dirigat ad Martini ſepulchrum infinitis miraculis coruſcans: *Hic ſi jubet ad Dominum Martinum per feſtivitatem ſuam, quam undecimâ die facit November, ipſos mittat, & ibi ſi audent aliquid præſumant, ubi cæcos hodie illuminari conſpicimus, ubi ſurdos auditum, & mutos ſanitatem recipere.* Ne verò figmentis ea Gothi miracula apponant, *Quid dicam*, ait, *cùm inde illuminatos conſpicimus, & ad propria Deo miſerante ſanos reverti videmus.* Excitat & Chlodoſuindam exemplo Chrotildis, quæ Chlodoveum Chriſti ad notitiam rapuit, ut virum etiam fide imbuat. Demum laudibus, famâ teſte, Alboinum onerat: *Talis ornatus, talis vir qualis Alboinus Rex eſſe dicitur, talis fama, quem mundus ſic præponit, quare non convertitur, aut quare tardus ad requirendam viam ſalutis apparet?*

Lab. Conc. t. 5. 833.

Juſtinianus Capitulorum defenſores vexat.

III. Juſtiniani odium in trium Capitulorum defenſores etiamnùm perdurabat. De exilio in exilium ducebantur, quod Frontiniano contigit, de quo id Victor ſcriptum prodit: *P. C. Baſilii anno* XXII. *Frontinianus Salonitanus Epiſcopus, de exilio Antinoenſi Ancyram Galatiæ transmutatur. Petrus ejus incubator Eccleſiæ moritur, & pro eo Probinus ſubſtituitur.*

Anno Dom. 563.

Anno U. C. 1316. Per. Jul. 5276. Jul. 608. Dom. 563. Justiniani 36. & 37. *Sol.* 12. G. *Lun.* 13. *Indict.* 10. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 1. P....

Poſt Conſulatum Baſilii XXII.

Clades Genevenſis ex ruina montis.

I. Ingentem ſubita montis ruina, Genevenſi in tractu edidit ſtragem, quam ſuo dignam Chronico Marius exiſtimavit: *P. C. Baſilii anno* XXII. *Indict.* XI. *mons validus Tauretunenſis, in territorio Vallenſi ita ſubitò ruit, ut caſtrum, cui vicinus erat, & vicos cum omnibus ibidem habitantibus oppreſſiſſet, & lacum in longitudine* LX. *millium, & latitudine* XX. *millium ita totum movit, ut egreſſus utrâque ripâ, vicos antiquiſſimos cum hominibus & pecoribus vaſtaſſet: etiam multa ſacroſancta loca cum eis ſervientibus demoliſſet: & pontem Genavacum & homines per vim dejecit, & Genavam civitatem ingreſſos, plures homines interfecit.* Cladis hujus mentio eſt & in Gregorio, qui tamen eam ſuis temporibus non diviſit, Id obſervatu ſanè dignum addit: *Triginta Monachi unde caſtrum ruerat advenerunt, & terram illam, quæ monte diruente remanſerat, fodientes, æs ſive ferrum reperiunt. Quod dum agerent, mugitum montis, ut prius fuerat, audierunt. Sed dum à ſævâ cupiditate retinentur, pars illa, quæ nondum ruerat, ſuper eos cecidit, quos operuit atque interfecit, nec ultra inventi ſunt.*

Anno Dom. 563.

Greg. Tur. l. 4. c. 31.

Theodomirus Suevorum Rex fide imbutus, Synodum Bracarenſem imperat.

II. Apud Hiſpaniam Eccleſia ex Bracarenſi Concilio gaudii non minimum habuit. Id ſanè novum & inauditum, quòd Suevis Gallæciam tenentibus Orthodoxa jubente Rege Synodus cogeretur, cùm ea gens Arianæ perfidiæ mordicus adhæreret. Hanc Deus libertatem largitus erat, Theodomiro nuperrimè ad fidem perducto. Anno ſcilicet DLX. Theodomirum pietate imbutum fuiſſe, Baronii fert ſententia, cui faciles & nos aſſentimur. Quânam verò ratione permotus errores Suevus ejurarit, nobis eſt exponendum, ut majore luce Bracarenſis Conventus illuſtretur. Amplectendæ fidei Suevorum Regi occaſionem præbuere Martini miracula. *Charrarico* Regi (id nominis indidit Gregorius) filius erat, quem morbus longè graviſſimus impugnabat. Rex paterno amore cruciatus, à ſuis petit, quam Martinus, percelebris ille Turonum Præſul, tot miraculis clarus, religionem amplexus erat. Quærenti reſpondent, egregium Trinitatis cultorem fuiſſe. Tum Rex: *Si hæc vera ſunt, quæ profertis, diſcurrant uſque ad ejus Templum fideles amici mei, multa munera deportantes, & ſi obtinuerint mei filii medicinam, inquiſitâ fide Catholicâ, quam ille credidit, credam. Penſato ergo auro, argentoque ad filii pondus, tranſmiſit ad venerabilem locum ſepulchri.* Profecti Martini ad tumulum nuncii preces pro decumbente multas offerunt, quibus factum eſt, ut nonnihil vis morbi frangeretur: verùm paternis mentibus veneno erroris adhùc inhærente, æger nondum convaluit. Tum Rex cùm probè intelligeret, filium ejus curari haud poſſe, niſi credito Trinitatis myſterio, *in honorem B. Martini fabricavit Eccleſiam, miroque opere eâ expeditâ proclamat, Si ſuſcipere mereor viri juſti reliquias, quodcumque Sacerdotes prædicaverint, credam.* Miſſis ſubinde cum ditiore munere Legatis, Martini reliquias impetrat, quarum virtus ſubinde ſe prodit. Etenim vix ſacra pignora Gallæciæ portum ſubibant, cùm *filius Regis dimiſſâ omni ægritudine, ſanus properat ad occurſum.* Quæ de miraculorum cohorte, à Martini reliquiis patratorum, Gregorius habet, fides ſit penes Autorem. Pactis ſtetit Rex ille ſuis, ſuſceptâ fide Trinitatis, quod ad exemplum multi ſeſe compoſuere. Novellam Suevorum fidem Martinus Dumienſis Abbas excoluit, rudem informavit, teſte de Viris illuſtribus Iſidoro: *Martinus Dumienſis Monaſterii ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans Gallæciam venit. Ibique converſis ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Suevorum populis, regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit, Eccleſiaſticos informavit. Monaſteria condidit, copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cujus equidem ego ipſe legi librum de differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen Epiſtolarum,*

Greg. de Mir. Mart. l. 1. c. 11.

ANNO DOM. 563.

rum, in quibus hortatur, ad vitæ emendationem & converſationem fidei, orationis inſtantiam, eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia cultum virtutum omnium & pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Suevorum, temporibus illis, quibus Juſtinianus in Republica, & Athanagildus in Hiſpaniis imperium tenuere.

Bracarenſis Synodus.

III. Martinus ille Dumienſia eorum unua erat, qui Bracarenſi Concilio adfuere, de quo nunc nobis eſt agendum. Synodi titulus hic eſt: *Concilium Bracarenſe anno tertio Ariamiri Regis celebratum, die Kal. Majarum.* Vocem *Ariamiri* omnea & MSS. & excuſos Codices conſtanter habere illi teſtantur, qui tractaverunt. Contendit tamen Baronius, cujus opinioni eruditorum complures adhærent, *loco Theodomiri Ariamirum poſitum eſſe.* Quòd tamen emendatione ſit opus aliquâ, valde dubitamus, cum Suevorum Princeps binominis eſſe potuerit, non ſecus atque Rex Gothorum Totila, qui & *Badula* vocabatur, quo nomine ſemper eum afficit Marius. Quid ni ſimiliter Suevorum Rex, ſimul & Ariamirus, & Theodomirus erit? Theodomirus quidem à Joanne Biclarienſi appellatur: *In Provincia Gallæcia, Miro poſt Theodomirum Suevorum Rex efficitur.* Synodo interfuere Epiſcopi octo: *Lucretius* Bracarenſis, qui & ei præfuit, *Ildericus*, *Andreas* Irienſis, *Lucentius* Conimbricenſis, *Martinus* Dumienſis, *Timotheus*, *Collus* Empuritanus, *Malioſus*. *Ex præceptoglorioſiſſimi Ariamiri Regis* Patres ſe conveniſſe profitentur. Conſidentibus Epiſcopis, præſentibus quoque Presbyteris, adſtantibuſque Miniſtris, *Lucretius* teſtatus primùm diu eſſe, quod Conventus Sacerdotalis deſiderabatur, talia fatur: *Quoniam optatum nobis hujus Congregationis diem glorioſiſſimus ac piiſſimus filius noſter, aſpirante ſibi Domino, regali præcepto conceſſit, ut ſimul poſiti conſidemus, prius ſi placet, de ſtatu fidei Catholicæ perquiramus, tunc deinde Sanctorum Patrum Inſtituta recenſitis Canonibus innoteſcant: poſtremò quædam etiam, quæ ad obſequium Dei, vel officium pertinent Clericale, diligentius pertractentur.* Priſcillianiſtarum error olim in Hiſpania graſſatus erat, ne igitur veneni hujus ſcintillæ adhùc mortalium in pectoribus laterent, leguntur proponente Lucretio, quæ in eam hæreſim conſtituta erant in Synodo, præceptis Leonis Papæ ex Tarraconenſibus, Luſitanis, Bœticis Epiſcopis coacta. Deinde ut magis Priſcillianiſtica diſciplina everteretur, articuli XVII. quibus damnabatur, altâ voce recitantur. Quo facto ad generalium, Provincialiumque Synodorum Canonum lectionem ventum, ut regulam haberent, ad quam Eccleſiaſticam diſciplinam dirigerent. Cùm porrò Eccleſiarum Gallæciæ Inſtituta variarent, placuit quædam Capitula conſtitui, *ut ad unam omnimodò formulam revocarentur.* Lectâ igitur quæ ad Profuturum directa erat, Sedis Apoſtolicæ Epiſtolâ, Canones viginti duos ſanxerunt, quibus ſtaret Eccleſiæ diſciplina.

Canones Bracarenſes.

IV. Primus Canon ſtatuit, ut unus atque idem pſallendi ordo in matutinis, & veſpertinis officiis teneatur, neque vel privatæ vel cœnobiticæ conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula permiſceantur. II. Per ſolemnium dierum Vigilias, vel Miſſas omnes eaſdem in Eccleſiis lectiones uſurpent. III. Non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri, ſed eodem modo populum ſalutent, dicentes, *Dominus vobiſcum*, & ut reſpondeatur à Populo, & cum Spiritu tuo, ut *Orientalibus* ex Apoſtolorum traditione uſui eſt: *& non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit.* Mendum eo in Canone reperiri, Antiquitatis periti compertum habent. Quippe Orientalium in Liturgiis ſalutatio hæc fuit, *Pax omnibus*; non ea Bracarenſium, *Dominus vobiſcum.* Orientalium ſalutationem Priſcillianus adhiberi voluerat, *Pax vobis*, quam Bracarenſes rejiciunt. Itaque recudi Canon debet, ſubſtitutâ voce *Occidens*: *ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Occidens.* IV. Ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodo *Profuturus* Bracarenſis à Sede Apoſtolica accepit. V. Nullus baptizandi ordinem prætermittat, quem anteà tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, à Sede Apoſtolica *Profuturo* directum. VI. Servato Metropolitani Primatu, cæteri ſecundum ſuæ ordinationis tempus ſedeant. VII. Tres de rebus Eccleſiaſticis portiones fiant: Epiſcopo una, alia Clericorum, tertia reparationi, vel luminariis Eccleſiæ aſſignetur. VIII. Nullus Epiſcopus alterius Clericum ordinare præſumat, niſi ſignata Epiſcopi ſcripta ſuſceperit. IX. Diaconi, qui abſconſis infra tunicam utuntur Orariis, ut nil à Subdiacono differre videantur, eis ſcapulæ ſuperpoſitis utantur. X. Sacra altaris vaſa non Lectores, ſed ſoli Subdiaconi ferant. XI. *Lectores in Eccleſia in habitu ſeculari non pſallant, neque granos gentili ritu dimittant.* Grani ad veſtes non pertinent, ut Garſiæ placuit atque Binnio, capillos potius ſignificant. Iſidorus Originum l. 19. c. 23. *Nonnulla etiam gentes non ſolùm in veſtibus, ſed & in corpore aliqua ſibi propria, quaſi inſignia vindicant, ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Granos du Pin vertit, *des mouſtaches*, quæ ſignificatio non ſatis cum verbo *dimittant* congruit. XII. Extra Pſalmos, & Canonicas Veteris & Novi Teſtamenti Scripturas nil poëticè compoſitum in Eccleſia pſallatur. XIII. Intra Sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat Laicis, ſed ſolis Clericis. XIV. Clerici, qui carnibus non utuntur, pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, olera cocta cum carnibus prægustare cogantur. Quod ſi contempſerint, pro ſuſpicione hæreſis excommunicentur. XV. Pro hæreſi, aut crimine excommunicatis nullus communicare præſumat. XVI. Qui quolibet modo violentam ſibi mortem inferunt, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur. XVII. Catechumenis ſine baptiſmo defunctis neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium. XVIII. Nulla defunctorum corpora in Baſilica Sanctorum ſepeliantur: *Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuſlibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.* XIX. Si quis Presbyter auſus fuerit Chriſma benedicere, aut Eccleſiam, altariave conſecrare, ſuo officio deponatur. XX. Ex Laico ad Sacerdotium nemo veniat, niſi prius anno integro in Lectoris, aut Subdiaconi officio permanſerit. XXI. Si quid ex Collatione Fidelium, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter offeratur, & conſtituto tempore aut ſemel, aut bis in anno inter omnes Clericos dividatur. XXII. Antiqui Canones in Syno-

ANNO DOM. 563.

ANNO DOM. 563.

do lecti obſerventur, qui violaverit, ille removeatur officio.

Santonenſis ad abdicandum Emerium Synodus: à Chereberto reſtituitur.

Greg. l. 4. c. 26.

V. Hiſpaniâ egreſſi Gallias petamus, ubi apud Santonenſe Concilium celebratum, ut ejecto *Emerio*, qui Clotharii Regis mandato Santonenſium ſacris præfectus erat, Heraclius Presbyter ſufficeretur. Leontius Burdegalenſis Metropolitanus Synodum coegit. Verùm Heraclii ordinatio Chariberto valdè diſplicuit. Hiſtoriam Gregorius ſcripto prodidit, quam verbis Autoris referemus: *Ad urbem Santonicam Leontius congregatis Provinciæ ſuæ Epiſcopis, Emerium ab Epiſcopatu depulit, aſſerens non Canonicè fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim Regis Clotarii habuerat, ut abſque Metropolitani conſilio benediceretur, qui non erat præſens. Quo ejecto, conſenſum fecere in Heraclium, tunc Burdigalenſis Eccleſiæ Presbyterum, quod Regi Chariberto ſubſcriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Turones, rem geſtam beato Euphronio pandit, deprecans hoc, ut conſenſum ſubſcribere dignaretur. Quod vir Dei manifeſtè reſpuit. Igitur poſtquam Presbyter Pariſiaca urbis portas ingreſſus Regis præſentiam adiit, hæc effatus eſt, Salve, Rex glorioſe, Sedes enim Apoſtolica eminentiæ tuæ ſalutem mittit uberrimam. Cui ille, numquid, ait, Turonicam adiiſti urbem, ut Papæ illius ſalutem nobis deferas? Pater, inquit Presbyter, Leontius tuus cum Comprovincialibus Epiſcopis ſalutem tibi mittit, indicans Æmilium (ſic enim vocitare conſuevit Emerium ab infantia ſua) ejectum ab Epiſcopatu, pro eo, quòd prætermiſſa Canonum Sanctione, urbis Santonicæ Epiſcopatum ambivit. Ideoque conſenſum ad te direxerunt, ut alius in ejus locum ſubſtituatur: quo fiat, ut dum tranſgreſſus Canonum regulariter arguuntur, regni veſtri potentia avis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente frendens Rex eum à ſuis conſpectibus extrahi juſſit, & plauſtro ſpinis ſuppleto imponi deſuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putaſne quod non eſt ſuper quiſquam de filiis Clotharii Regis, qui patris facta cuſtodiat, quod hi Epiſcopum, quem ejus voluntas elegit, abſque noſtro judicio projecerunt. Et ſtatim directis viris religioſis, Epiſcopum in loco reſtituit: dirigens etiam quoſdam de camerariis ſuis, qui exactis à Leontio mille aureis, reliquos juxta poſſibilitatem condemnarunt Epiſcopos. Et ſic patris eſt ultus injuriam.*

Mors Reparati Carthaginenſis. Macarius Hieroſolymitanus pulſo Euſtochio reſtituitur.

VI. Vitæ miſeriis anno labente eripitur Reparatus, Carthaginenſis Præſul, quem Capitulorum defenſorem Juſtinianus anno DLII. ejecerat. Hoc nos Victoris Chronicum monuit: *P. C. Baſilii anno* XXIII, *Reparatus Archiepiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ exilio apud Euchaidam glorioſâ Confeſſione tranſiit ad Dominum, die* VII. *Idus Januarii.* Exilium quoque labente anno tulit Euſtochius Hieroſolymitanus, cujus in locum revocatur *Macarius*, teſtemque Victorem damus: *Euſtochius Hieroſolymitanus Epiſcopus, qui fuerat Macario ſuperſtite ordinatus, ejicitur: & rurſum Macarius reformatur.* Hinc Baronius erroris arguitur, qui defuncto Euſtochio Joannem ſubſtituit, anno DLXI. *Eo tempore poſt Euſtochium Hieroſolymorum Eccleſiæ ſubſtitutus eſt Joannes.*

Error Baronii.

Bar. An. 561. n. 1.

Multiplex hic error eſt: cùm Euſtochius parte anni DLXIII, adhùc ſederet Hieroſolymis, ne dum biennio antè Epiſcopatu abierit, nec morte quidem, ſed exilio deceſſerit ſucceſſori. Præterea non *Joannes* aliquis, ſed Macarius ei ſuffectus eſt, ut ex Victore compertum habetur. Porrò dignitati ſuæ non prius Macarius reſtituitur, quàm Origeniſmum damnaſſet. Verba ſunt Evagrii: *Macario Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Sacerdotium poſſidente, atque in priſtinam Sedem reſtituto, cùm poſt depoſitionem Euſtochii Origenem, Didymum, atque Evagrium ſub anathemate damnaſſet* &c.

ANNO DOM. 564.

Evagr. l. 4. c. 39.

ANNO U. C. 1317. PER. JUL. 5277. JUL. 609. DOM. 564. JUSTINIANI 37. & 38. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 14. *Indict.* 12. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 13. *April.*

Poſt Conſulatum Baſilii XXIII.

Juſtinianus in errorem incidit. Quis, & qualis fuerit?

I. FUlgore majeſtatis ſuæ terrarum orbem Juſtinianus illuſtrabat. Anno ſuperiore Saraceni Auguſteam dignitatem venerati, clientes ſe Juſtiniani profeſſi fuerant, quem *Arethas* conventum rogaverat, ut ſe defuncto filii ſuperſtites paterno Principatu potirentur. Hiſtoriam refert Miſcellanea: Anno Juſtiniani XXXVII. *Novembri menſe introivit Byzantium Arethas Patricius & Princeps Saracenorum, debita deferre Imperatori filiorum ſuorum, & debitis gratia, ut ſcilicet poſt obitum ſuum tenerent Principatum Tribus ſua.* Fortunæ demum ſuæ magnitudine ac ſplendore hebetatus Juſtinianus, in errorem miſerè delabitur. Rem ſic narrat Evagrius: *Juſtinianus ſcripſit id, quod Romani Edictum vocant, in quo corpus Domini incorruptibile appellat, & naturalium atque inculpabilium affectionum capax fuiſſe negat: Dominum ante Paſſionem eodem modo comediſſe dicens, quo poſt Paſſionem comedit, cùm ſacroſanctum ejus corpus jam inde, ex quo in utero formatum eſt, nullam converſionem aut mutationem, nec in voluntariis & naturalibus perpeſſionibus, nec poſt Reſurrectionem acceperit. Porrò Juſtinianus omnes ubique Epiſcopos per vim cogere inſtituit, ut huic opinioni aſſentirentur. Sed cùm univerſi ſententiam Anaſtaſii Antiochenſis Epiſcopi expectare ſe reſpondiſſent, primùm Imperatoris impetum declinarunt.* Baronius anno ſuperiore Juſtinianum in erroris hujus præcipitia delatum eſſe cenſet: quæ noſtro judicio Chronologia non eſt accurata. Anno Juſtiniani 38. ipſius caſum affigit Miſcellanea. Pars verò anni Juſtinianei octavi & trigeſimi nulla in annum Dom. 563. incidit. Baronium quoque refellit imperatum Eutychio Conſtantinopolitano exilium, quod ex ſua Chronologia Baronius in annum labentem confert, in anno tamen ſequente collocandum. Juliani Halicarnaſſei diſcipuli id erroris Juſtiniano inſtillaſſe feruntur in Libello Synodico.

Miſcellan. lib. 16.

Evagr. l. 4. c. 39.

Anaſtaſius Antiochenus Juſtiniani refellit errorem.

Evagr. l. 4. c. 40.

II. Vir erat Anaſtaſius magnæ & virtutis, & conſtantiæ, Principum minis cedere neſcius: *Itaque miſſâ ad Juſtinianum relatione, palam ei contradixit, diſerteque demonſtravit, corpus Domini in perpeſſionibus naturalibus, & quæ in reprehenſionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuiſſe, atque ita divinos Apoſtolos, & Sanctos Patres ſenſiſſe, ac poſteris tradidiſſe. Eadem quoque reſcripſit ad Monachos primæ ac ſecundæ Syriæ, qui ipſum conſuluerant, cunctorum animos confirmans, & ad ſubeundum certamen præparans, & quotidie in Eccleſia recitans verba illa ab Electionis Vaſe prolata, Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, quamvis Angelus ex cœlo fuerit, anathema ſit.*

Nicetius ad Juſtinianum ſcribit errori evellendum.

III. Accepere Galliæ famâ & auditione, Juſtinianum in errorem incidiſſe. Verùm non fide-

ANNO DOM. 564.

fideliter ſatis rumor eum retulit, utpote qui ſparſerit, Imperatorem Arianorum in partes conceſſiſſe. Id queritur Nicetius Trevirenſis in ſua ad Imperatorem Epiſtolæ, apud quam legimus: *In integro mundo ſplendebas ut Sol, & cùm omnes inde Domini Rectores Eccleſiæ cunctis, conſiliis ipſius gauderemus, devulgante famâ ex lapſu veſtro, quem numquam pervenire debuimus, contriſtati & humiliati uſque in terra ſumus. Dulcis noſter Juſtiniane, quis te ſic decepit? Quis ut Italia perſequereris ſuaſit? Quis in Chriſtum purum hominem fatereris docuit?* Ab Ariana tamen lue Juſtinianus longè remotus fuit. Eâ famâ permoti Gallicani Epiſcopi, Juſtinianum Anathemate feriunt, quod Nicetius ſcriptâ ad eum Epiſtolâ ſignificatum ivit: *Notum tibi ſit, quòd tota Italia, integra Africa, Hiſpania vel Gallia juncta nomen tuum, cùm de perditione tua plorant, anathematizant; & ſi non quæ docuiſti deſtruxeris, & publicâ voce damnaveris, Erravi, erravi, peccavi, anathema Neſtorius, anathema Eutyches, cum ipſis te ad ſupplicia ſempiterna tradidiſti.* Epiſtola *Lactantio* ferenda tradita eſt. Eſt autem vel præſente, vel inſequente anno ſcripta. Quem ex tragœdia exitum nacta ſit, quâve ratione Eutychius ob eam cauſam Epiſcopatu Conſtantinopolitano ejectus ſit, anno ſequente docebimus.

Lab. Conc. t. 5. 832.

Anaſtaſii Antiocheni laudes: quis?

IV. Supereſt, ut Anaſtaſio Antiocheno, qui infractâ mente Juſtiniani, errori repugnavit, pietatis teſtimonium reddamus. Celebritatem Anaſtaſii atque claritatem indicat Orientalium ſermo, Præſulis hujus ſententiam expectantium, ut reſponſionem Imperatori ſuam darent. Multis Anaſtaſium laudibus ad cœlum uſque extulit Evagrius: *Vir fuit tum in divinis Literis admodum eruditus, tum in moribus, & in vivendi ratione accuratiſſimus, adeò ut res etiam leviſſimas obſervaret, nec à conſtantia & firmitate unquam deflecteret, ne dum in magni momenti rebus, quæ ad Deum ſpectarent. Mores autem ſuos ita temperaverat, ut neque adeundi & alloquendi ipſum facilitas expoſitum illum redderet iis, quibus minimè oportebat: nec ſeveritas & inclementia inacceſſum eum præſtaret juri atque rationi. Et in ſeriis quidem colloquiis aures et patentes, & lingua profluens erat: & quæſtiones propoſitas prudenter & argutè diſſolvebat. In ſermonibus autem ineptis ac ſuperfluis aures quidem penitùs occluſas habebat, linguam quaſi fræno quodam comprimebat, ita ut orationem ratio metiretur, & ſilentium omni oratione præſtantius eſſet.* Sub annum DLXI. Anaſtaſius ad Epiſcopatum Antiochenum evectus erat, quem & pietate & virtute ſuâ miris modis exornavit. Magnum labente anno Juſtinianeo errori ſe propugnaculum oppoſuit. Qua de cauſa pœnas exilii pependiſſet, niſi Juſtinianus fato conceſſiſſet: *Scripta eſt ab eodem Anaſtaſio Oratio ad Antiochenos, quâ illis valedicebat, cum accepiſſet, Juſtinianum velle ipſum in exilium mittere. Quam quidem Orationem meritò quis admiretur, tum ob verborum elegantiam, tum ob copiam ſententiarum, tum denique ob frequentia ſacræ Scripturæ teſtimonia, & ob hiſtoriam ſuis locis aptè accommodatam.* Quod imperante Juſtiniano exilium vitarat Anaſtaſius, illud regnante Juſtino patietur. Inſenſus ei Juſtinus dicebatur ob negatam ſibi pecuniam de promotione ad Epiſcopatum Anaſtaſio imperatam. Cur verò eum expulerit, manifeſta cauſa hæc fuit. Quod & ſacram pecuniam in ſuperfluos uſus profudiſſet, & Imperatori convitiatus eſſet. Quippe interrogatus, cur *adeò profuſe ſacram pecuniam dilapidaret?* Disertè reſponderat, *Ne à Juſtino communi peſte ac pernicie generis humani diriperetur.* Mortuo Gregorio Sedem Anaſtaſius ſuam poſt annos tres & viginti recuperavit, ſub annum DXCV. quam ad annum DXCIX. uſque tenuit, quo cœleſtibus additus eſt die Aprilis XXI, quo ipſius memoria recolitur. Scripta edidiſſe aliqua dicitur, de quibus commodiore loco diſſeremus.

Evagr. l. 4. c. 40.

Id. ibid.

Evagr. l. 5. c. 5.

Juſtinianus Afros, qui Capitula defendebant, includit Monaſterio.

V. Errore, quo Juſtinianus occupatus tenebatur, non prohibebatur, ſpectante Conſtantinopoli variis Capitulorum defenſores pœnis afficere. Iræ quidem ſuæ habenas in plures Africæ Præſules effudit; quò pertinent verba Victoris: *Anno XXXVIII. Imperatoris ejuſdem, Muſicus, Brumaſius, Donatus & Chryſonius Epiſcopi de Africa, & Victor ac Theodorus ſimiliter ex Ægypto ad urbem regiam imperiali præcepto evocantur, qui dum eidem Juſtiniano Principi, præſentes præſenti, & poſteà Eutychio Regiæ urbis Epiſcopo altercanti novæ ſuperſtitioni reſiſtunt, ab invicem ſegregati, per Monaſteria ejuſdem urbis cuſtodiæ mittuntur.*

ANNO U. C. 1318. OLYMP. 336. PER. JUL. 5278. JUL. 610. DOM. 565. JUSTINI I. *Sol.* 14. D. *Lun.* 15. *Indict.* 13. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

ANNO DOM. 565.

Poſt Conſulatum Baſilii XXIV.

Monachorum Agaunenſium in Agricolam furor.

I. MAgnum *Marius* caſum memorat, noſtriſque Annalibus dignum. Præceps & effrenatus Agaunenſium Monachorum furor adeò in ſuum Præſulem exarſit, ut ei cædem molirentur: *P. C. Baſilii anno XXIV. Indict. 13. Monachi Agaunenſes, iracundia ſpiritu incitati, noctis tempore Epiſcopum ſuum Agricolam cum Clero, & cives, qui cum ipſo erant, occidere intentes, domum Eccleſiæ effregerunt, & dum Epiſcopum ſuum Clerici, vel cives defenſare conati ſunt, graviter ab ipſis Monachis vulnerati ſunt.*

Chereberti Regis vitæ breviarium.

II. Dum in iis regionibus verſamur, præterire non poſſumus, quid rerum Cherebertus Clotharii ſucceſſor ſuis in regnis agebat. Adhibito juramento pollicitus erat, ſe inviolatas Leges ſervaturum, neque paſſurum unquam, ut nova populis onera imponerentur: *Gaiſo verò Comes ejuſdem temporis, accepto Capitulario, tributa cœpit exigere. Sed ab Euphronio Epiſcopo prohibitus cum exacta parvitate ad Regis direxit præſentiam, oſtendens Capitularium, in quo tributa continebantur. Sed Rex ingemiſcens ac metuens virtutem Sancti Martini, ipſum incendio tradidit: aureos exactos Baſilicæ Sancti Martini remiſit obteſtans, ut nullus de populo Turonico ullum tributum publico redderet.* Charibertum multis Venantius laudibus ornat ob pietatem, prudentiam, patientiam, gravitatem, fidem, munificentiam. Neque negandum ſanè, virtutibus fuiſſe nonnullis à vitio redemptum. Clotharii facinus, qui *Ultrogotham* Childeberti viduam, filiaſque in exilium ejecerat, eis revocatis, in ſuam gloriam vertit:

Greg. l. 9. c. 30.

In tantum patrui ſe prodit eſſe ſequacem,
Ut modò ſit rutor conjugis iſte nepos,
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Ejus natarum eſt frater, & ipſe pater.

Latini ſermonis peritiâ inſignis fuit:

Cùm

Anno Dom. 565. *Cùm ſis progenitus clara de gente Sicamber,*
Floret in eloquio lingua Latina tuo.

Poriò Panegyricis fides non ſemper tutò committitur, cùm in Chariberto libidinum impunitas & licentia maximum regio apici dedecus inuſſerit, teſte Gregorio: Habebat *Ingoberda* Regis uxor *in ſervitium duas puellas, pauperis cujuſdam filias, quorum prima vocabatur Marcoveſa, religioſam veſtem habens; alia verò Meroſledis, in quarum amore Rex valde detinebatur: erant artificis lanarii filiæ.* Cùm in mentem ſibi induxiſſet, Ingoberga agnitâ mulierum generis vilitate, Regem ab illis poſſe ſegregari, dum opificio ſuo earum parens admovet animos, Cherebertum vocat, ut tali ſpectaculo frueretur. Qui contra quam ſperabat Regina excandeſcens, eâ relictâ, *Meroſledem accepit. Habuit & aliam puellam opilionis filiam, nomine Theodogildem, de qua, ut fertur, filium habuiſſe; qui ut proceſſit ex alvo, protinùs delatus eſt ad ſepulchrum. Poſt hæc Marcoveſam, Meroſledis ſororem conjugio copulavit. Pro qua cauſa à Sancto Germano Epiſcopo excommunicatus uterque eſt. Sed tùm eam Rex relinquere nollet, percuſſa Dei judicio obiit: nec multò pòſt & ipſe Rex poſt eam deceſſit Charibertus.* Quamdiu regnaverit, non prorſus exploratum eſt. Alii novennio, ad quos Petavius accedit, alii ſexennio imperaſſe ferunt, quorum & potior ſententia nobis eſt. Periit itaque Cherebertus anno DLXVIII.

Fortun. l. 6. c. 4.

Greg. Hiſt. l. 4. c. 26.

Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopatu à Synodo ejicitur.

III. Quæ ſequuntur, rebus Orientis adnectemus. Eorum, quæ de religione Juſtinianus decreverat, tenaciſſimus erat, nec ab eis ullâ dimoveri ratione poterat, ne regiæ Majeſtati ignominiæ aliquid imponeretur. Obſtabat Eutychius errori quantum eniti poterat. Itaque Imperator ſervile Concilium cogit, quo Præſul Conſtantinopolitanus Sede ſuâ ejiceretur. Conventus ejus in Synodico meminit eſt verbis ejuſmodi: *Poſt aliquantum temporis iis Juliani Halicarnaſſei hæreſim tuebantur, Imperatori ſeductè perſuadens è Cælo, & omninò corruptionis expers eſſe corpus Domini noſtri J. C. Convocatâ igitur hæreticâ Synodo celebrem illum Eutychium, qui ipſis non aſſentiebatur, in Amaſiam exulatum ablegat, & Joannem Antiochenum Scholaſticum, qui impietati illi aſtipulabatur, in ſolium Eccleſiæ Byzantinæ collocat.* Rem fuſius narrat Euſtathius in ſuo de vita Eutychii libro. Qui Eutychio infenſi erant, *Imperatori perſuaſerunt, ut virum omnibus ornatum virtutibus à Sede exturbaret, in eaque alium conſtitueret, qui ſtudiis & opinionibus ſuis conſentiret, quod quidem & factum eſt. Nam cùm feſtus dies Sancti Timothei apud Hormiſda regionem in novo Palatio celebraretur, & Sanctus Eutychius rem divinam faceret, Tribunus Militum, & ſatellites immanis ſtra miniſtri Epiſcopatum invaſerunt, comprehenſis & diſtractis viris, Sancti familiaribus, qui contra illum teſtificarentur, ut quoquomodo illum non ſine cauſa ex Epiſcopatu ejectum fuiſſe oſtenderent: at vir magnus, tùm eorum invaſionem in Epiſcopatum, & quoſdam è ſuorum numero illinc violenter abſtractos, & in carcerem conjectos fuiſſe cognoviſſet, peracto ſacrificio, diſtributâque ſanctâ communione in ſacrario manſit. Dicebant enim quidam graves viri, ſi è ſacro Templo exiret, fore ut interficeretur, quoſdam enim armatos, atque in Antiochi prædio collocatos eo conſilio eum ſoris expectare.* His auditis Eutychius ſtans coram altari, ſolitiſque & veſtibus & ſuperhumerali, quod ſemper gerebat, indutus, ad veſperam uſque orationi incubuit, ut pietas ſarta tectaque remaneret. Finitis precibus, Sacerdotes Monachique eum hortantur, ut cibi aliquantum caperet: quo facto, ingreſſus cum ſatellitibus *Etherius*, correptum Eutychium nudum in Monaſterium, nomine *Choracudim*, transfert. Cùm ob Monaſterii paupertatem malè tractaretur, permoti miſericordiâ eum in alio Monaſterio, cui *Oſia* nomen, ductum collocant, prope Chalcedonem. Coacto poſt octiduum Conventu Epiſcoporum, in jus eum vocant, ut inſtitutæ accuſationi reſponderet. Ridicula verò porrectus Synodo Libellus complectebatur: *Quòd unctus eſſet, quòd avitulas comediſſet, quòd multas horas genibus flexis oraſſet.* A Judicibus quærit, cur & ad quem ſe vocaſſent? Patriarcham eſſe ſe, nec mortalium ullum hanc ſibi dignitatem ereptum ire. Subjungit: *Quis eſt ille, quem meo in loco collocaſtis?* Cùm iterum & tertiò vocaretur, dixit, *Si Canonicum judicium conſtitutum eſt, detur mihi Clerus meus, & ordo Patriarchatus, & veniam, defendamque me, & accuſatorum meorum utar teſtimonio.* Quibus auditis, ſententiam in ipſum promulgant; ille verò omnes excommunicationis pœnæ ſubjicit, donec reſipiſcerent.

Lab. Conc. t. 5. 831.

Anno Dom. 565.

Eutychius in exilium ejicitur.

IV. Damnatus Eutychius à Judicibus, in Inſulam, *Principo* vocatam, transfertur, ad quam appulit die Sabbati, nocte imminente. Ubi illuxit, videt crucem in pariete pictam cum verbis ejuſmodi: *Chriſtus nobiſcum eſt, ſtate*, quæ in telluris motibus ædium parietibus inſcribebantur. Hic tres hebdomadas à multo milite cuſtoditus cùm tranſegiſſet, viſum Judicibus, ut Amaſeam transferretur, Monaſterio, quod ipſe condiderat, includendus, quod & factum eſt. Ibi loci moratur labente eo temporis ſpatio, quo Joannes Epiſcopatu Conſtantinopolitano potitus eſt, annis ſcilicet XII. menſibuſque circiter ſeptem. Eo defuncto Eutychius ſuæ dignitati reſtituitur anno DLXXII. *Conſtantinopolitana Eccleſia Sacerdotium Joanne mortuo recepit Eutychius, qui jam ante Joannem illud obtinuerat.* Eutychii exilium cum anno DLXIV. Baronius copulat, n. 15. errante ſanè prochroniſmi unius anni Chronologiâ, uti jam doctiſſimus obſervavit Noriſius, & ex Euſtathio apparet & promptum eſt: *Cùm dies feſtus Sancti Timothei in Hormiſda celebraretur, illinc vir pius ſacrificium faciens ſublatus eſt, & ea pertulit, quæ paſſus eſt.* Feſtum Timothei Januarii XXIV. agitatur, quod Eutychiani exilii tempore, feriæ ſeptimæ cohærebat, teſte Euſtathio, c. 54. *In perſecutionis tempore Sabbatum, & hyems erat: vigeſimo enim ſecundo menſis Januarii, vir Dei ſanctus tentatus & ejectus fuit.* Sed Librariorum error eſt emendandus, & pro XXII. reponi debet XXIV. Januarii, cui Timothei feſtum affigitur. Ea verò temporis criteria annum non DLXIV. quidem, ſed præſentem afficiunt. Errorem quoque Baronianum refellit Nicephori Chronicum: Eutychio *ejecto à Juſtiniano Imperatore, ipſius anno XXXVIII. Joannes Presbyter Antiochia ex numero Scholaſticorum, annis XII. menſibus ſeptem.* Atqui Januarius anni DLXIV. Juſtiniani anno non XXXVIII. ſed trigeſimo ſeptimo includitur. Contra tria Capitula fortiter certabat Eutychius, eaque de cauſa viros pietate inſignes damnarit, quod queritur Victor: *Juſtinianum Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, damnatorem trium Capitulorum, & Evagrii Eremitæ Dia-*

Evagr. l. 5. c. 16.

Error Baronii.

Vit. Eutych. c. 53.

Anno Dom. 565.

Diaconi, ac Didymi Monachi & Confeſſoris Alexandrini, quorum laudes ſupra illuſtrium virorum ex autoritate protulimus, exilio dirigit; & pro eo Joannem ejuſdem erroris conſimilem Epiſcopum facit. Quis porrò Joannes ille, qui Eutychio ſucceſſor datur, in Evagrio reperimus: (Evagr. l. 4. c. 38.) *Eutychius quidem ex Pontificali Sede urbis regiæ expulſus eſt, Joannes verò in ejus locum ſubrogatus. Ortus hic erat ex Sirimi, qui vicus eſt Cynegicæ regionis in territorio Antiocheni.*

(Mors Juſtiniani.) V. Eutychii exilio plerique Orientis Præſules ad fidem defendendam accendebantur, necdum frangerentur animis. Negant errori poſſe ſubſcribere ſe: ſcriptis ei reſiſtunt: Synodorum autoritate armantur: præcipuè Anaſtaſius Antiochenus, cujus & pietatem omnes venerabantur, & ſententiam amplectebantur, Imperatoris conſiliis impedimentum oppoſuit. His accenſa Imperatoris indignatio gliſcebat, exiliumque & Anaſtaſio, & Præſulibus machinabatur, cùm Deus Eccleſiæ proſpiciens ſuæ, res ejus in melius commutat: (Evagr. l. 4. c. 41.) *Etenim Juſtinianus, dum adverſus Anaſtaſium, & Sacerdotes, qui cum illo erant, deportationis ſententiam dictaret, inviſibili plagâ ictus, ex luce migravit.* Hic Baronii de annis Juſtinianeis contradictio eſt in tranſcurſu obſervanda. Anno 564. n. 1. ſcripſerat: *Annus Chriſti* DLXIV. *idem ultimus eſt Juſtiniani.* Anno verò ſequente n. 1. hæc narrat: *Quingenteſimus* LXV. *Dom. idemque Juſtiniani noviſſimus.* Hæc inter ſe maximè pugnant. Neque annus Dom. 564. ultimus Juſtiniani eſſe potuit, utpote qui ad fata venit XIV. Novembris anni DLXV.

(De anno Juſtiniani ſupremo.) VI. Cæterùm de anno Juſtiniani ſupremo Chronologi non conſpirant. Victor Tununenſis, qui Juſtiniano animam exhalante in urbe regia verſabatur, mortem ejus cum anno DLXVI. copulat: *Quadrageſimo imperii ſui anno Juſtinianus vita ſuſcipit finem, Indictione* XV. Incepit Indictio XV. menſe Septembri, anno DLXVI. Similiter Joannes Biclarienſis eandem Juſtinianeo funeri Indictionem aſſignat. Denique Marius Aventicenſis, inſignis Chronologus hæc habet: *P. C. Baſilii anno* XXV. *Indict.* XIV. *mortuus eſt Juſtinianus Auguſtus.* Quis Autoribus defuncto vel coætaneis, vel ſanè ſupparibus fidem detractum ire audeat? Nobis tamen perſuaſiſſimum eſt, Scriptores erraſſe omnes, qui Juſtiniani obitum anno DLXVI. aſſignant, ex quocumque fonte manavit error. Id Inſcriptione demonſtratur, quam anno Dom. 1671. Romæ in ſuburbio D. Petri, in cella ad lævam majoris aræ Eccleſiæ Sancti Angeli parieti affixam clariſſimus legit Noriſius:

Dep. eſt Boetius CL. P. Oct. Kal. Nobr. Indict. XI. Imp. Dom. N. Juſtino P. P. Aug. an. XII. Tiberio Conſt. Cæſ. anno III. Dep. eſt in Pac. argentea mat. SS. XIIII. Kal. Decembr. Qui SS. Boëtius vixit an. XI. m. VIIII. D. XXIII. & mater ejus vixit ann. XXXVI. m. II. D. XII.

Si XXV. Octobris, Indictione XI. quâ annus Dom. DLXXVII. eſt inſignitus, annus Juſtini duodecimus erat in curſu, primus quidem Juſtini incepit die Novembris anno DLXV. Extat quoque Juſtini Conſtitutio de filiis liberarum, in Africam directa, *data Kal. Martii Conſtantinopoli, Impera. D. N. P. P. Aug. Juſtin. an. 5. Indict. 3.* Annus verò DLXX. Juſtini quintus dici nequit, niſi anno DLXV. imperare incepe-rit. Denique Miſcellanea hæc habet: *Defunctus eſt cùm imperaſſet* XXXVIII. *annis, menſibus* VII. *& diebus* X. Ex quibus conficitur, Juſtiniani imperium, quod Cal. Aprilis anno DXXVII. inceperat, ne vel minimam anni DLXVI. partem delibaſſe. Exceſſiſſe Juſtinianum XIV. *Novembris*, in Chronico Alexandrino legitur. Feria fuit ſeptima, unde liquet, Juſtinianum annos XXXVIII. menſes VII. dies XIV. regnando contriviſſe, ab anno ſcilicet 527. Aprilis primo ad uſque XVIII. Cal. Decemb. præſentis anni.

(Juſtiniani effigies, mores, ſcripta.) VII. Juſtinianei corporis habitum Chronicum pingit Alexandrinum: *Juſtinianus Imperator formâ habituque corporis erat rotundo, pectoroſus, candidus, raro capillo, glaber, bene compactus, formoſus, florido aſpectu, ſubridens, ſuccanus, mento raſus ritu Romanorum, naſo juſto ſubalbus.* Mores ejus noſtri jam ſatis Annales exhibuerunt. Colligendi auri nimis cupidus fuit, quod in ædificiis extruendis collocaret. Eccleſiam importunâ ſedulitate turbavit; & quod maximè dolendum, maturo funeri propior in errorem incidit, quo ignem Eccleſiis ſanè ſubjeciſſet, niſi mors eum occupaſſet. Pietatem tamen ejus laudibus Agatho Papa celebravit Epiſtolâ ſuâ, quæ Actione quartâ ſextæ Synodi palam eſt recitata: *Præ omnibus æmulator veræ & Apoſtolicæ fidei, pia memoria Juſtinianus Auguſtus, cujus fidei rectitudo quantum pro ſincera Confeſſione Deo placuit, tantum Rempublicam Chriſtianam exaltavit.* Quid de viro pietatis ſervantiſſimo auguſtius, quid dici magnificentius potuit? Agatho ſanè Juſtiniani hiſtoriam ignoraſſe viſus eſt. In diverſum affectus Evagrius, æternis Juſtinianum pœnis addicit: (Evagr. l. 5. c. 1.) *Juſtinianus cùm cuncta tumultu ac perturbationibus impleviſſet, & pro his factis congruam mercedem ſub exitum vitæ retuliſſet, ad parata apud inferos ſupplicia migravit.* Nos verò Juſtiniani pietatem laudare haud poſſumus, nolumus tamen de ipſius damnatione ſententiam promulgari, cùm immenſa Dei ſit miſericordia, quæ in eos etiam extenditur, qui in precioſo ſalutis fundamento J. Chriſto ligna ſtipulaſque collocant. Multum de perficiendo jure Romano, & dirigenda Eccleſiæ diſciplina, utiliterque Juſtinianus laboravit. Quæ poſteris reliquit, omnibus obvia extant: placet tamen Pauli Warnefridi, Diaconi Aquileenſis verba referre, quibus Juſtiniani & opera, & perſonam multis laudibus ornavit: (Warnefr. de Geſt. Long. l. 1. cap. 25.) *Leges Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis diſſonantia mirabili brevitate correxit. Nam omnes Conſtitutiones Principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen Codicem Juſtinianeum appellari præcepit: rurſumque ſingulorum Magiſtratuum, ſive Judicum Leges, quæ uſque ad duo millia penè libros erant extenſæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque Codicem Digeſtorum, ſive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Inſtitutionum libros, in quibus breviter univerſarum Legum textus comprehenditur, noviter compoſuit. Novas quoque Leges, quas ipſe ſtatuerat, in unum volumen redactas, eundem Codicem Novellarum nuncupari ſancivit.* Addere debuit Warnefridus Edicta Juſtiniani, quæ Henricus Agylæus Latinè vertit. Pietatis etiam præconium Juſtiniano detulit Warnefridus: *Erat,* inquit, *hic Princeps fide Catholicus, in operibus rectus, in judiciis juſtus, ideòque ei omnia con-*

ANNO DOM. 565.

currebant in bonum. Theologicos quoque libros Juſtinianum condidiſſe, in Iſidoro reperimus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, c. 18. *Juſtinianus Imperator quoſdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diverſas Provincias miſit. Condidit quoque Reſcriptum contra Illyricianam Synodum & adverſus Africanos Epiſcopos, in quo tria Capitula damnare contendit.* Ex quibus intelligitur, non ſine & Juſtiniani, & veritatis injuria, pro Principe analphabeto eum à Baronio habitum eſſe.

Mors Theodori Cabarſuſſitani Epiſcopi.

Vict. Tun.

VIII. Qui Juſtiniano mortem attulit, ille dies non ignobili Præſuli trium Capitulorum patrono fatalis quoque fuit: *Theodorus Cabarſuſſitanus Epiſcopus, defenſor trium Capitulorum, exilio ad ultimam egiam eo menſe, & die, quo Juſtinianus moritur, & juxta Confeſſores, quibus Ugnericus Vandalorum Rex linguas abſciderat, ſepelitur.*

Funus Juſtiniani.

IX. Juſtinus, cui Juſtinianus deceſſerat, magnificas, auguſteoque faſtigio dignas defuncto exequias reddidit. Juſtini uxor *Sophia* corpus pretioſâ veſte tegit, quæ præclara Juſtiniani facinora acu picta referebat, canente Corippo:

Et tulit intextam pretioſo murice veſtem,
Juſtinianorum ſeries ubi tota laborum
Nexo auro inſignita fuit, gemmiſque coruſca.
Illic Barbaricas flexâ cervice phalanges,
Occiſos Reges, ſubjectaſque ordine gentes,
Pictos acu tenui multâ formaverat arte.

Ad cohoneſtandum funus ornamenta, thuraque multa adhibita ſunt, ut quaſi triumphi ſpeciem exhiberet:

Aurea mille,
Mille columnarum ſpecies, argentea mille,
Quæ ſuper impoſitis implebant atria ceris
Ordine ſtructa ſuo, patrum ſic more parata.

Juſtinus Imperator creatur.

X. Poſt Juſtinianum Juſtinus Imperator renuntiatur. Duo Juſtini erant, defuncto conſanguinei, ad quos Imperii hæreditas pertinere videbatur. Prior Juſtinus *Germani* filius erat, Juſtiniano fratris: vir magnæ ſpei, qui annum DXL. reſeraverat. Poſterior verò *Vigilantia*, ſororis *Juſtiniani Auguſti filius*, patre *Dulciſſimo natus* erat, ut Victoris Chronicum prodit. Cùm ambo ſæculari faſtu, ac potentiâ inter ſe pares eſſent, & ad utrumque ex æquo Imperium propendere videretur, poſt multas diſceptationes id inter ipſos convenerat, ut is, qui ad imperium perveniſſet, proximum alteri locum concederet. Juſtinus ille Juſtiniani *ex ſorore nepos* Thraciam patriam habuit. *Curopalatem* egerat, quo munere Palatio Præfectus, aureâque virgâ inſignis, Imperatori antecedebat in publicum procedenti. Imperium capeſſit abſque tumultu. Nullus aut deceſſoris obitum, aut ſucceſſoris noverat electionem præter ejus familiares, donec in Circenſi ſpectaculo apparuit, ea quæ Imperatoris ſunt acturus, ſimul & ſuſcepturus.

Evagr. l. 5. c. 1.

Id. ibid.

Quibus peractis, cùm nihil prorſus tentatum eſſet, ipſe in Palatium egreſſus eſt. Sacrum capiti ejus diadema impoſuit non Eutychius, ut in Miſcella legitur, ſed Joannes Patriarcha:

Pontificum ſummus, plenâque ætate venuſtus,
Aſtantem benedixit eum, cœlique parentem
Exorans Dominum, ſacro diademate juſſit
Auguſtum ſancire caput.

Sophiam uxorem illicò Auguſtam dixit. Erat ea Theodoræ neptis, nec ſuo nomine prorſus indigna.

De annis Juſtini.

Evagr. l. 5. c. 23.

Error Baronii.

XI. De annis Juſtini admirationem nobis efficit diverſa Veterum Chronologia. Anno imperii XVII. periiſſe, ſcripto prodit Evagrius: *Sciendum eſt Juſtinum Juniorem ſolum quidem imperaſſe annis XII. & menſibus decem cum dimidio, cum Tiberio autem Collega annis tribus, ac menſibus undecim. Fiunt itaque in univerſum anni Imperii Juſtini ſexdecim, cum menſibus novem, ac dimidio.* Evagrii ſententiam Baronius amplexus, Juſtini Junioris obitum in annum Dom. DLXXXII. contulit. Quæ Chronologia prorſus eſt rejicienda. Vix ſanè dubitamus, quin Evagrius corruptus ſit, cùm incredibile penè videatur, Scriptorem non ignobilem, qui res ſui temporis ſcripto prodit, in quadriennii metachroniſmum eſſe delapſum. Brevius quidem Juſtino imperium magnâ conſpiratione veteres Chronologi tribuunt. Joannes Biclarienſis: *Anno XI. regni ſui Juſtinus diem clauſit extremum, & Tiberius ſingulare obtinuit imperium.* Marius Aventicenſis: *Anno XIII. Conſulatu Juſtini Junioris Auguſti, Indictione XII. mortuus eſt Juſtinus Auguſtus, & ſucceſſit Tiberius in loco ejus.* Chronicum Alexandrinum: *Anno XII. Juſtini Imperatoris, menſe Septembri XXVI. Indict. XII. coronatus eſt ab ipſo Tiberius Junior Conſtantinus, & quinto die menſis Octobris Juſtinus Auguſtus vitâ exceſſit.* Fingemuſne animo, Scriptores Juſtino aut coætaneos, aut ſuppares adeò deliraſſe, ut integrum ferè quinquennium ejus de imperio reſecarent? Quod utique fecerunt, ſi Juſtinus regnavit *annos ſexdecim, cum menſibus novem, ac dimidio.* Denique certiſſimis temporum notis demonſtrabitur, Tiberium Juſtini ſucceſſorem anno DLXXXII. ſolviſſe mortis debitum. Eutychio Patriarchæ ſolis menſibus quatuor Tiberius ſuperſtes fuit, Euſtathio teſte: *Quatuor poſt menſibus è vita diſceſſit Chriſti amantiſſimus Imperator.* Obiit autem Eutychius anno DLXXXII. ut ex Theophane liquet: *Hoc anno die ſexto Aprilis, Indict. XV. Eutychius Patriarcha diem ultimum obiit.* Quòd ſi Tiberius anno DLXXXII. ſpiritum edidit, eſt igitur falſiſſimum, eo ipſo anno Juſtinum mortem inveniſſe, cùm favente vel Baronio, quadriennio ante Tiberium ad fata venerit. Conclamata ergo jaceat Baronii Chronologia. Porrò non ideò vera deprehenduntur, quòd falſa refellantur. Inveniendis quidem Juſtini annis obſtant laudati jam veteres Chronologi, tum quia Juſtini initia malè collocarunt, tum maximè, quia inter ſe diſſident. Supremo tamen Juſtiniani anno rectè conſtituto, quàm diu Juſtinus regnaverit ſciri poteſt. Quippe ſi annus Chronico Alexandrino unus addatur, ob malè aſſignatum ab eo Juſtiniani emortualem annum, recto talo ſtabit noſtra de Juſtini annis Chronologia. Obiit Juſtinus anno DLXXVIII. quinto die menſis Octobris. Imperium adierat decimo quarto Novembris, quo Juſtinianus ad plures abiit, anno DLXV. Rerum ergo potitus eſt, annos XII. menſes decem, dies XXII.

Vit. Eut. c. 68.

Juſtini mores.

XII. In Juſtino, cujus imperium ingredimur, laudanda fuere nonnulla. Rectæ fidei ſe cultorem præbuit: Legibus nonnunquam obſecutus eſt, atque juſtitiæ. Qua de re egregium extat apud Zonaram exemplum, & dignum omninò, quod noſtris in Annalibus legatur. Optimatibus valetudine ipſius abutentibus, ad humiliorum injuriam de ea cohibenda cogitanti acceſſit aliquis, pollicitus ſi Præfectus quidem

ANNO DOM. 565.

dem crearetur, neminem inventum iri, qui vexationibus afficeretur. Ea Juſtino conditio placuit. Cùm igitur Præfectus creatus pro tribunali ſederet, ex Senatoribus quidam accuſatus, ſemel iterumque accerſitus, non modò ſe non ſtitit, ſed apparitore contempto, Imperatoris ad convivium ſeſe contulit. Quo cognito, regiam Præfectus inchoato jam prandio ingreſſus, his Juſtinum verbis adoritur: *Se illi promiſiſſe, intra tantum tempus relicturum neminem, cui fieret injuria; idque omninò effecturum, ſi poteſtatis Imperatoriæ auxilium atque autoritas ſibi ſuppeteret. Sin ipſe Imperator injurios foveret, eiſque amicis & convivis uteretur, ſe nullum facturum operæ precium. Aut igitur illis non dandam eſſe licentiam, aut ſibi Magiſtratum abrogandum.* Præclara hæc quidem: quæ verò ſequuntur, indigna prorſus regio faſtigio: *Quoad vitam ejus ac mores attinet, mollis fuit ac diſſolutus, & deliciis ac ſudis voluptatibus addictus. Ad hæc aliena pecuniæ tam vehementi cupiditate flagrabat, ut iniqui quæſtus causâ cuncta divenderet, ac ne in Sacerdotiis quidem divinum numen revereretur, quæ obviis quibuſque pretio vendebat, venalia hæc etiam publicè proponens.* Quas immani rapacitate collegerat opes, ſibi recondebat, nulli profuturas. Audiatur Paulus Diaconus: Juſtinus *erat in omni avaritia deditus, contemptor pauperum, Senatorum ſpoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea, quæ rapiebat, auri talenta congregaret.* Contrariis quoque vitiis audaciâ & ignaviâ implicatus erat, atque involutus. Sed Juſtini mores, quæ de eo dicemus, magis expriment.

Zonar. l. 14. c. 71.

Evagr. lib. 5.

Paul. Hiſt. lib. 18.

Decretum Juſtini de fide. Decreta in trium Capitulorum defenſores ſolvit.

XIII. Initia imperii ſui egregio facinore Juſtinus illuſtravit, quod verbis Joannis Biclarienſis referre juvat: *Juſtinus anno primo regni ſui ea, quæ contra Synodum Chalcedonenſem fuerant commentata, deſtruxit: Symbolumque Sanctorum* CL. *Patrum Conſtantinopoli congregatorum, & in Synodo Chalcedonenſi laudabiliter receptum, in omni Catholica Eccleſia à populo concinendum intromiſit, priuſquàm Dominica dicatur oratio.* Anno quidem labente Edictum ſcriptum eſt: verùm proximè ſecuturi ſub initia promulgatur. Quæ cauſa fuit, cur Victoris in Chronico Edicti hujus nil mentionis fiat, utpote ne minimam quidem geſtorum anno 566. partem attingente. Nos uno tenore Edictum memorabimus, quod componendis animorum diſſidiis conſcriptum legitur in Evagrio. Verbis Domini, *Pacem meam relinquo vobis*, propoſitis, hæc infert, Chriſtum id ſibi velle, ut Chriſtiani in unam eandemque Eccleſiam conveniant, & in recta quidem Chriſtianorum fide inter ſe conſentiant; averſentur autem eos, qui contraria dicunt aut ſentiunt. Quam verò Confeſſionem edit, ea pia eſt & orthodoxa. Unitatem in Trinitate, Trinitatem in unitate adorare ſe profitetur. Chriſtum verò, & Patri, & hominibus Conſubſtantialem eſſe tradit, utpote Deitate atque humanitate conſtantem: hanc ſibi naturam Virginis in utero conditam Verbum copulaſſe affectibus noſtris, excepto peccato, omnibus obnoxiam. Subjungit: *Neque enim piget, tametſi in regali faſtigio conſtituti ſimus, hujuſmodi verbis uti pro conſenſu omnium Chriſtianorum, ut una ab omnibus glorificatio tribuatur Deo optimo maximo, & Servatori J. C. ac nemo deinceps inanem prætextum arripiens, circa perſonas, aut ſyllabas rixetur.* Quibus Leges in tres

Capitulorum defenſores conſtitutas prorſus ſolvere videtur. Sic ſanè verba Edicti Joannes Biclarienſis intellexit. Ac rectum quidem Juſtino conſilium erat: ad optatam tamen concordiam Chriſtiani non rediere, ea de cauſa, quam memorat Evagrius: *Huic Edicto omnes quidem conſenſum ſuum accommodarunt, rectam in eo fidem ac doctrinam promulgatam eſſe dicentes, nullus tamen ex membris Eccleſiæ, quæ diſciſſa fuerant, ad priſtinam rediit unitatem, propterea quod disertis verbis edixerat Imperator, ut firmus atque immotus Eccleſiarum ſtatus in poſterum ſervaretur, ſicut anteà ſervatus fuerat.*

Evagr. l. 5. c. 4.

Columba in convertendis Pictis laborat. Quis? Vitæ ipſius breviarium.

XIV. Quod ſequitur, & Juſtini regnum, & res Eccleſiæ non minimum illuſtrat, cùm Picti Septentrionales fide Chriſti Columbæ miniſterio imbuerentur. Ac Baronius, Bedam ſecutus, annum Columbani adventus in Pictorum regionem eum anno labenti copulat. Bedæ verba ſunt: *Anno Incarnationis Dominicæ quingenteſimo ſexageſimo quinto, quo tempore gubernaculum Romani Imperii poſt Juſtinianum Juſtinus Junior accepit, venit de Hibernia Presbyter & Abbas, habitu & vitâ monachi inſignis, nomine Columbanus, in Britanniam prædicaturus Verbum Dei Provinciis Septentrionalibus Pictorum.* Bedæ tamen Baroniique Chronologiam clariſſimus refellit Uſſerius, ex Adamnano Hyenſi Abbate, Bedâ aliquantò antiquiore, utpote qui annis prius XVII. mortuus ſit, quàm Eccleſiaſtica Bedæ Hiſtoria ederetur: *Columba anno ſecundo poſt Caledreibne bellum, ætatis verò ſuæ* XLII. *de Scotia ad Britanniam pro Chriſto peregrinari volens, enavigavit.* Ea verò pugna anno DLXI. commiſſa eſt. Columbani igitur expeditio biennio prius contigit, quàm Beda, Baroniuſque putant. Porrò Columbanus vir erat ſplendore generis virtutumque claritate juxta illuſtris: *Sanctus Columba ex nobilibus fuit oriundus genitalibus, patrem habens Feidlimyd, filium Fergus, matrem Æthneam nomine.* Hæc Adamnanus. Patriâ Hibernus, & ſi Scotico Breviario fides, regio ſanguine editus erat:

Bed. de Geſt. Angl. l. 3. c. 4.

Uſſer. de Brit. Eccl. Prim. c. 15. 694.

Felix Hibernia Columbam genuit,
Qui de proſapia regali claruit,
Sed morum gratiâ magis emicuit.

Uſſer. de Brit. c. 15. 688.

In ſua patria nobile Monaſterium condidit, *quod à copia roborum Dearmach linguâ Scotorum, hoc eſt, campus roborum cognominatur.* Relictâ dein Hiberniâ, *regnante Pictis Bridio, filio Meilochon, Rege potentiſſimo, nono anno regni ejus, gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Chriſti convertit.* A Rege Inſulam *Hy* accepit, ut in ea Monaſterium extrueret. Sic ex binis hiſce Monaſteriis, veluti diſciplinæ monaſticæ perpetuis fontibus, Cœnobia benè multa & in Britanniam, & in Hiberniam ſunt propagata: *In quibus omnibus idem Monaſterium Inſulanum, in quo ipſe requieſcit corpore, Principatum tenet. Habere autem ſolet ipſa Inſula ſemper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed Presbyter extitit & Monachus.* Obiit, ſi Hermanno Contracto aſſentimur, anno DXCVI. *Sanctus Columba Presbyter & Abbas poſt multa miracula in Inſula juxta Hiberniam migravit ad Dominum, anno ætatis* LXXIII. At Beda unius adhùc anni ſpatium Columbæ concedit: Hyberniam Inſulam, inquit, *ſucceſſores ejus uſque hodie tenent, ubi ipſe ſepultus eſt, poſt annos circiter tri-*

Bed Hiſt. Angl. l. 3. cap. 4.

gınta duos, ex qua ipſe Britanniam prædicaturus abiit. Ex Bedæ Chronologia Columbanus anno DLXV. in Britanniam conceſſerat, cui ſi XXXII. addantur, ad DXCVII. pervenimus. Verùm cùm biennio citius Britanniam Columba ingreſſus fuerit, quàm Beda ſcriptum reliquit, mors Columbæ eſt potius cum anno DXCVI. conjungenda. Quod & Chronologicis ſignis indicatur. Obiit Columbanus die Junii IX. quo memoria ejus recolitur. Erat autem feria VII. ut ex Adamnano liquet. Jam verò anno DXCVI. Nonus Junii diei Saturni cohærebat, qui ultimus Columbano fuit. Annus Biſſextilis erat Cyclo Sol. 17. inſignitus, Liter. Dom. A. G. Defuncti exuviæ Monaſterio, ubi requieſcunt, Principatum attulit. Columbani diſcipuli Romanam in celebrando Paſchate conſuetudinem non tenebant. Audiatur adhùc Beda: Columbanus *reliquit ſucceſſores magnâ continentiâ, ac divino amore, regularique inſtitutione inſignes. In tempore quidem ſummæ feſtivitatis dubios circulos ſequentes, utpote quibus longè ultra orbem poſitis, nemo Synodalia Paſchalis obſervantiæ Decreta porrexerat: tantum ea, quæ in Propheticis Evangelicisque literis diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera diligenter obſervantes. Permanſit autem hujuſmodi obſervantia Paſchalis tempore non pauco, hoc eſt, uſque ad annum Dominicæ Incarnationis* DCCXVI. *per annos centum & quinquaginta.* Ab *Egberto* Paſchalibus imbuti regulis, ſuos ritus depoſuere, ut Romanorum Canones ſequerentur. Cæterùm Baronii error non eſt hic prætereundus, qui in Martyrologio ad diem Junii IX. hæc habet: *Columba hic præter morem Eccleſiæ Paſcha celebrabat decimâ quartâ Lunâ.* Fallitur ſanè illuſtriſſimus Purpuratus, dum cenſet, Columbanum ritu Judaico Paſchalem Lunæ decimæ quartæ celebritatem addixiſſe. Quem ſi morem tenuiſſet, non utique ſcriptum à Beda fuiſſet, Columbæ ſucceſſores *dubios Circulos ſecutos* eſſe, cùm agitandæ ad decimum quartum primi menſis diem Paſchatis ſolemnitati nullus Cyclorum uſus requireretur. Itaque id feſti ſemper die Dominicâ celebrabant; maximo ſanè argumento, ipſorum diſciplinam Lunæ XIV. non alligatam eſſe, cùm impoſſibile ſit, feriam primam, quâ Chriſti Reſurrectionem recolebant, perpetuis cum XIV. Luna vinculis copulari. Hæc ergo Columbæ diſcipulorum conſuetudo fuit: Diem Paſchalem *non ſemper in Luna* XIV. *cum Judæis, ut quidam rebantur, ſed in die quidem Dominica, aliâ tamen quàm decebat, hebdomadâ celebrabant.* Ex Columbani hiſtoria hæc notatu digniſſima intelligimus, nec Presbyterorum ordinationem ſolis Præſulibus jure divino conceſſam eſſe, nec feſtum Paſcharis quotannis certis temporibus ex Aſtrorum curſibus conſtitutam, Apoſtolicæ Inſtitutioni eſſe referendum.

Id. ibid.

XV. Ad labentem annum uſque Chronicum Victor perduxit ſuum, cùm Juſtinianus naturæ conceſſit. Itaque non eſt accurata Baronii Chronologia, qui anno DLXVI. ſcribit, *finis hic Victoris.* Conſtat enim, ne minimam rerum, quæ labente anno DLXVI. geſta ſunt, partem Victoris in Chronico reperiri, ne vel mentionem Edicti Juſtini, quod ineunte anno ſequente, Baronio fatente vulgatum eſt. Includitur ergo Chronicum Victoris anni DLXV. terminis. Ac propoſitâ Juſtini ad ſummam rerum evectione, illicò ſubjungit: *Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine uſque ad Nativitatem D. N. J. Chriſti ſecundum carnem, quæ facta eſt* V. M. CXCIX. *A Nativitate verò D. N. J. Chriſti, quæ facta eſt* LXIII. *Auguſti Octaviani Cæſaris Imperii anno, uſque in annum Juſtini primum Principis Romani, qui Juſtiniani imperio ſucceſſit, anni* DXXVII. Conſtantinopoli in Monaſterio conditus Victor morabatur, Capitulorum defenſor acerrimus, cùm Juſtinianus fato conceſſit.

Victor Chronicum abſolvit ſuum.

Error Baronii.

Bar. An. 566. n. 44.

ANNO U. C. 1319. PER. JUL. 5279. JUL. 611. DOM. 566. JUSTINI I. & 2. *Sol.* 15. C. *Lun.* 16. *Indict.* 14. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 5. *P.* 28. *Mart.*

Poſt Conſulatum Baſilii XXV.

I. Diu ſatis ſuſpenſi hæſimus, quâ temporum notâ labentem annum deſignaremus. Conſtat intermiſſum diu Conſulatum Chronologis occaſionem præbuiſſe, ut ad Faſtos imperante Juſtiniano digerendos eam formulam adhiberent, *P. C. Baſilii*; quæ ab anno Dom. DXLII. eſt uſurpata. Nullus ab eo tempore Conſul creatus fuerat, quod Populis moleſtum erat, & munerum, quæ à novo Conſule edebantur, & largitionum, quæ diſtribuebantur, vehementer cupidis. Quod cùm Juſtinum non lateret, Conſulatum quaſi poſtliminio revocatum ire voluit. Eâ lege tamen, ut negatus privatæ fortunæ hominibus ampliſſimus ille Magiſtratus à ſolis Imperatoribus gereretur. Hæc ut certiſſima, ſic de ſuſcitati Conſulatus tempore quæſtio ſubdifficilis eſt. Ac Baronius, quem multi ſequuntur, anno labente aditum à Juſtino Conſulatum exiſtimat. Cujus opinioni præſidii aliquid ex Chronico Alexandrino afferri poteſt, in quo legitur: *Indictione* XIV. *anno Juſtiniani* XXXIX. *Juſtino Juniore ſecundùm ſolo Conſule.* Nil eſt tamen in ea ratione momenti, cùm Juſtinus Auguſtus, Dulciſſimi & Vigilantiæ filius, nil Conſulatus antè imperium inierit. Quem verò habuit, defuncto jam Juſtiniano illum ſuſcepiſſe conſtat, ut erret Autor Chronici, qui & Juſtiniani obitum, & Juſtini Conſulatum eidem anno tribuit. In Baronianam porrò opinionem militant Marius Aventicenſis, & Continuator Marcellini. Ad annum DLXVII. hæc Marius habet: *Anno prima Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti, Indict.* XV. Quòd ſi annum DLXVI. reſeraſſet Juſtinus, utique ſequens annus eâ inſigniri notâ debuiſſet, *Anno ſecundo Conſulatus Juſtini*, vel *poſt Conſulatum Juſtini.* Prætereà Marius præſenti anno eam notam præfixit: *P. C. Baſilii anno* XXV. *Indict.* XIV. Eſt autem magni in ea re ponderis Marii Aventicenſis autoritas, utpote qui & illis temporibus floruerit, & inſignis ſanè Chronologus extiterit. Mario accedat Marcellini Continuator, in quo legimus: *Indictione* XIV. *P. C. Baſilii V. C.* XXV. Ex quibus intelligitur, anno demum DLXVII. Juſtinum Conſulem egiſſe. Neque id ſanè mirum videri debet, cùm intermiſſus diu Conſulatus excitari debuerit, quod cùm penes Imperatoris arbitrium foret, nonniſi elapſo aliquo temporis ſpatio eò inclinavit animum. Similiter Mauricius anno imperii ſecundo, qui Æræ noſtræ 584. fuit, Conſulatum adiit. Hinc Chronico Alexandrino ſcriptum: *Indict.* 2. *Mauritio* II. *Mauritia Tiberii Aug. primùm ſolo Conſule.* Currente igitur anno de revocando Conſulatu Juſtinus mentem inſtituit ad cogitandum, illumque adiit Calendis Janu-

Quâ notâ Conſulari annus 566. deſignetur. Nùm eo tempore Juſtinus Conſulem egit?

Anno Dom. 566.

Pag. Diſſ. Hyp. p. 331.

Januariis anni proximè futuri. Ea Pagio quoque ſententia placuit. Admiratione tamen perfuſi ſumus, dum in ipſius Diſſertatione hæc verbis expreſſis reperiremus: *Modus loquendi à Mario Aventicenſi uſurpatus. Anni Chriſti . . 567. Anno ſecundo, Juſtino Juniore Aug. primùm ſolo Conſule.* Siccine Marius? Imò ad annum DLXVII. hoc ſcribit: *Anno primo Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti, Indict. XV.* Ad annum verò DLXVIII. ea legimus: *Anno ſecundo Conſulatus Juſtini Junioris Aug. Indict. I.* Nec ſatis capimus, cur ille ipſe Pagius in ſuo Diagrammate modos loquendi, & Marcellianos, & Victorianos ad annum DLXVII. nobis exhibeat, cùm nec Victor, nec Marcellini Continuator ad id uſque temporis Chronica ſua perduxerint. Victorianum anno DLXV. clauditur: Marcellinianum anno DLXVI. abſolvitur. Poſtquam Juſtino decretum eſt intermiſſum diu revocare Conſulatum, læta hæc populis nunciat, quod eleganter Corippus luſit:

Dona Kalendarum properant vicina novarum,
Vos veſtris aſtate locis, properate, parate,
Promiſſâque die noſtras ſperate curules.
Expavit gaudens inopino nomine vulgus
Conſulis audito.

Gravis hyems. Sandovali Eruli rebellio. A Narſete occiditur.

II. Ingenti frigore hyema præter ſolitum aſpera anno celebritatis aliquid addidit, referente Mario: *Eo anno hyems valentiſſima fuit, ut quinque aut eo amplius menſibus propter nivis magnitudinem terra videri non poſſet, ipſaque aſperitas animalia multa necavit.* Verùm inſigniorem anno notam impreſſit Sandovali & rebellio, & cædes à Narſete peracta, teſte laudato Mario, qui memorandum tempori ſuo caſum reddidit: *Eo anno Sendevala Erulus tyrannidem aſſumpſit, & à Narſeo Patricio interfectus eſt.* Fidus Juſtiniano Sandovalus fuerat, Narſetique adverſus Buccellinum Francorum Ducem pugnanti auxilio fuerat. Neque eum ab officio revocarat nobilis Heruli ſupplicium, quem cædis reum Narſes interfici juſſerat. Turpe ſibi fore & indecorum Sandovalus exiſtimarat, ſi in tanta belli mole & ipſe, & Herulorum copiæ defectionis arguerentur, quaſi obtentu in defunctum benevolentiæ conceptam animo formidinem occultaret.

Agath. l. 2. c. 9.

Itaque Narſeti ſignificarat, ſe *etſi alias unquam, nunc tamen quàm maximè opem laturum.* At mutatus ab illo Sandovalo, turpiter deficiens, meritas Narſeti pœnas dedit, de quibus hæc in Paulo Warnefrido legimus: *Habuit nihilominus Narſes certamen adverſus Sinduald Brebrorum Regem, qui adhuc de Herulorum ſtirpe remanſerat, quem ſecum in Italiam veniens, ſimul Odoacar adduxerat. Huic Narſes primùm fideliter adhærenti multa beneficia contulit, ſed noviſſimè ſuperbè rebellantem, & regnare cupientem, bello ſuperatum & captum, celſa de trabe ſuſpendit.*

Warnef. de Geſt. Lomb. l. 2. cap. 3.

Sigeberti Regis cum Brunichildi nuptiæ.

III. Sub hæc ferè tempora Sigebertus Rex Francorum, ignobilium, quæ fratres ejus contraxerant, matrimoniorum pertæſus, regii ſanguinis uxorem ſibi conjungi voluit. De quo connubio id ſcripto Gregorius prodit: *Sigebertus cùm videret, quòd fratres ejus indignas ſibimet uxores acciperent, & per vilitatem ſuam etiam ancillas in matrimonium ſociarent, legationem in Hiſpaniam mittit, & cum multis muneribus Brunichildem Athanagildi Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, venuſta aſpectu, honeſta moribus atque decora, prudens conſilio, & blanda colloquio. Quam pater ejus non denegans, cum magnis theſauris antedicto Regi tranſmiſit. Ille verò congregatis Senioribus ſecum, præparatis epulis cum immenſa lætitia atque jucunditate, eam accepit uxorem. Et quia Ariana Legi ſubjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipſius Regis commotionem converſa, beatam in unitate confeſſa Trinitatem credidit, atque chriſmata eſt.* Sigeberti Brunichildiſque epithalamium cecinit Fortunatus, qui conjuges multis & laudibus extulit:

Greg. Hiſt. l. 4. c. 27.

Fort. l. 6. carm. 2.

Tantum virgo micans turbas ſuperare videris
Fœmineas, quantum tu, Sigeberte, maritos.
Ite diu juncti, membris & corde jugati,
Ambo pares genio, meritu & moribus ambo.

Chilpericus eo matrimonio accenſus, pari quoque ſe junctum iri voluit. Complures uxores habebat, quas ſe relicturum *Athanagildo* pollicetur, ſi *Galſuintham* majorem natu filiam, Brunichildiſque ſororem ſibi uxorem concedat. His conditionibus *Galſuintha* Chilperico cum magnis opibus mittitur. Ac primùm ea non minimum à viro ſuo diligebatur. Sed Fredegundis, cujus amore capiebatur, jugalia fœdera ſolvit cum Galſuinthæ exitio, ut ſuo loco narrabitur. Qui Epithalamio Sigeberti cum Brunichilde nuptias celebrarat Fortunatus. Gelezuintæ etiam matrimonium verſibus luſit, eâ defunctâ:

Toletus geminas miſit tibi Gallia turres,
Prima ſtante quidem, altera fracta jacet.

De Synodi Turonenſis ſecundæ anno.

IV. Res Eccleſiæ nunc recordemur. Turonenſis Synodi II. Epocha à variis variè conſtituitur. Baronius, cui ſextum Chereberti annum, quo utique celebrata eſt, cum anno Chriſti DLXX. conjungere placuit, conſequenter & in id temporis illam contulit. Qui certè quadriennii metachroniſmus eſt. Ad verum propius Sirmondus acceſſit, dum anno proximè futuro eam Synodum affigit. Quippe annum DLXII. Clothario Chereberti patri mortem attuliſſe putat. Ex quo permotus, anno DLXVII. Turonenſem & Conventum tribuit. Ea tamen Chronologia non eſt accurata, cùm ex Mario Aventicenſi liqueat, Clotharium anno DLXI. animam ediſſe. Referamus verba inſignis Chronologi: *P. C. Baſilii anno XX. Indictione IX. Clotharius Rex mortuus eſt.* Cùm igitur 17. *Novembris, anno Chariberti Regis ſexto* Concilium apud Turonos celebratum fuerit, longè quidem ſatius eſt, anno currenti illud affigere. Euphronii ſubſcribentis verba ſunt: *Has Conſtitutiones noſtras relegi, & ſubſcripſi. Notavi ſub die XV. Kal. Decembris, anno VI. regni Domini noſtri Chariberti glorioſiſſimi Regis.* Plus pondere Decretorum, quàm numero quidem Epiſcoporum ea eſt Synodus magnifacienda. Laborat hîc Baronius errore, qui *octo tantummodò* Præſules Concilio adfuiſſe tradit. Quippe novem interfuere, quorum hæc ſunt nomina: *Euphronius* Turonenſis, Synodi Princeps, *Prætextatus* Rothomagenſis, *Germanus* Pariſienſis, *Felix* Nannetenſis, *Chaletricus* Carnotenſis, *Domitianus* Andegavenſis, *Victorius* Rhedonenſis, *Domnulus* Cenomanenſis, *Leubaudus* Sagenſis. Qui regiâ autoritate congregati ſibi providendum putant, ne Eccleſiæ diſciplina corrumpatur: *Magna enim eſt in ſeveritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. . . . Quapropter Chriſto auſpice, in Turonica civitate Concilio concordante, juxta conniventiam glorioſiſſimi domini Chariberti Regis annuentis, coadunati pro pace, & inſtructione Eccleſiæ opportunum credidimus, ſubter annexa Decreta conſcribere.*

Error Baronii.

Bar. An. 570. n. 13.

Id. ibid.

ANNO DOM. 566.

Canones Turonenſes.

V. Canones XXVII. condidere. I. Bis per ſingulos annos, vel ſi neceſſitas intervenerit ſemel, Concilium à Metropolitano celebretur, neque Epiſcoporum ullus *per impedimentum ordinationis Regiæ, neque ſub occaſione utilitatis, aut cauſa propria* à Concilio ſeparetur. Si quis ad Synodum venire diſtulerit, *uſque ad majorem Synodum maneat excommunicatus*. Cujus Decreti ratio hæc eſt: *Quia non debet ſpirituali operi etiam regalis præceptio offerri.* II. Si inter Epiſcopos diſcordia intervenerit, *electis ab utraque parte Presbyteris litis jacula ſiniant, & vota pacis acquirant.* Si ad concordiam nequeant revocari, pœnitentiæ à Synodo addicantur. III. *Ut corpus Domini in altari non imaginario ordine, ſed crucis titulo componatur.* Obſervat Labbeus, *in* & *ſub*, quod in vulgatis exemplaribus legitur, à Vaticano prorſus abeſſe. Quæ ſanè lectio concinnior eſt. Mens Canonis hæc videtur, Euchariſtiæ partes non ad celebrantis arbitrium, ſed crucis in ſpeciem conſtituantur. Frigida eſt communis Canonis hujus explicatio, *ne corpus Domini inter ſacras Imagines ſuper altari ponatur, ſed ſub ipſa cruce, quæ in medullio altaris poni conſuevit.* Quænam oratio hæc eſt? *Imaginarius ordo*, hoc eſt, inter imagines ſitus atque collocatio? Ecquid crux ipſa? Nonne imago? Turonenſes ergo corpus Domini & poni inter imagines, & non poni voluiſſent, non ſine fœda contradictione. IV. *Laici ſecus altare, quo ſancta Myſteria celebrantur, inter Clericos tam ad Vigilias, quàm ad Miſſas ſtare penitùs non præſumant. . . . Ad orandum verò, & communicandum Laicis, & fœminis, ſicut mos eſt, pateant Sancta Sanctorum.* V. Unaquæque civitas pauperes ſuos paſcat, nec per alias urbes vagentur. VI. Nullus præter Epiſcopos *Epiſtolia facere præſumat.* VII. Epiſcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum ſine Compresbyterorum & Abbatum conſilio ejiciat. VIII. Communione removeatur Epiſcopus, qui excommunicatum ab alio ſciens ad communionem ſuſceperit. IX. Ne Romanus, aut Britannus in Aremorica ordinetur abſque Metropolitani & Comprovincialium conſenſu. Aremoricæ Metropolitanum agebat Turonenſis Epiſcopus. X. Nullus Clericorum extraneam domi mulierem habeat. XI. Epiſcopus, qui ad caſtigandos eos, qui præcepti hujus ſecuti ſunt, negligens inventus fuerit, Canonicæ pœnæ ſubjiciatur. XII. Epiſcopus conjugem ut ſororem habeat. *Clerici cum illo tam in cella, quàm ubicunque fuerit, ſui habitent.* XIII. Epiſcopum Epiſcopam non habentem nulla ſequatur turba mulierum. XIV. Nullus Sacerdotum ac Monachorum colligere alium in lecto ſuo præſumat. Monachi omnes in communi *Schola* Conclavive jaceant, ut duobus vel tribus viciſſim legentibus & excubantibus, & corporum cuſtodia, & animarum inſtitutio lectione procuretur. XV. Monachi nec vagandi, nec uxorem ducendi licentiam habeant. Quod ſi fecerint, Judicis auxilio ſeparentur: ſubſidium ſi negaverit, ipſe excommunicetur. XVI. Mulier intra ſepta Monaſterii nullatenùs intrare permittatur. Abbas, qui eam non ejecerit, excommunicetur. XVII. Monachorum jejunia ſtatuit: *De Paſcha uſque ad Quinquageſimam, exceptis Rogationibus, omni die prandium præparetur: poſt Quinquageſimam totâ hebdomade ex aſſe jejunent. Poſteà uſque ad Kal. Auguſti ter in ſeptimana jejunent, ſecundâ, quartâ, & ſextâ die, exceptis his, qui aliquâ infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto, quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septembri toto & Octobri, & Novembri ter in ſeptimana. De Decembri uſque ad Natale Domini omni die jejunent. Et quia inter Natale Domini & Epiphania omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt*, excepto triduo, à Kalendis Januarii ducto, in quo Litaniæ ad Ethnicam ſuperſtitionem abrogandam peragebantur: *Poſt Epiphania ad Quadrageſimam ter in ſeptimana jejunent.* XVIII. Pſallendi ordinem conſtituit: *In diebus Feſtis ad matutinum ſex antiphonæ binis Pſalmis explicentur: toto Auguſto manicationes fiant, quia feſtivitates ſunt, & Miſſæ Sanctorum Septembri, ſeptem antiphonæ explicentur binis Pſalmis; Octobri ternis Pſalmis; Novembri novem ternis Pſalmis; Decembri decem ternis Pſalmis; Januario & Februario itidem uſque ad Paſcha.* Quicunque minus quàm XII. Pſalmos ad Matutinum dixerit, jejunio uſque ad veſperam in pane & aqua emendetur. Rectè noſtro judicio Cointius verba hæc Canonis, *in diebus feſtis*, mutat *in diebus æſtivis*: quia agitur de anni curſu, qui integer non ordinaretur, ſi de æſtate nil præciperetur.

Cæteri Turonenſium Canones.

VI. Ad cæteros Canones veniamus. XIX. Presbyter cum Presbytera, Diaconus cum Diaconiſſa, Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa inventus, annum integrum excommunicatus habeatur, & Clericali officio pellatur, conceſſo duntaxat, ut inter Lectores pſallat. XX. Qui ſacras Virgines Viduaſve aut rapiunt, aut ducunt, pœnis Canonicis ſubjiciuntur. XXI. Inceſta connubia damnantur ſecundum Epaonenſium & Aurelianenſium Decreta. XXII. Calendæ Januarii non colantur: *Qui in feſtivitate Cathedræ Domini Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt, & poſt Miſſas redeuntes ad domos proprias ad Gentilium revertuntur errorem, & poſt corpus Domini eſcas accipiunt*, pelluntur Eccleſiâ. XXIII. Non ſolos Ambroſianos, ſed aliorum quoque Hymnos in Eccleſiis cantari licet. XXIV. Qui Eccleſiæ facultates retinent, ſi eas poſt tertiam commonitionem reſtituere negligunt, excommunicatione feriuntur. XXV. Necatores pauperum habeantur, qui res Eccleſiæ legatas retinuerint. XXVI. Judices aut Potentes, qui pauperes opprimunt, ſi moniti à Pontifice ſe non emendaverint, excommunicentur. XXVII. De Epiſcoporum ordinationibus præmia nullus exigat, *quia non ſolùm ſacrilegum, ſed etiam Hæreticum eſt.* Nomine Synodi ad plebem mittitur Epiſtola, cui quatuor ex Epiſcopis ſubſcripſere, Euphronius, Felix, Domitianus, Domnolus. Epiſtolæ ſumma hæc eſt, ut imminentem cladem avertere ſtudeant, ideòque nuptialia vota differant: rerum omnium decimas perſolvant, cum inimicis redeant in gratiam, mancipiorum etiam decimas offerant: qui mancipiis carent pro ſingulis filiis ſingulos dent tremiſſes: inceſtas nuptias ſolvant. Synodum illuſtravit Radegundis, Clotharii quondam uxoris Epiſtola, quâ Monaſterii à ſe conditi confirmationem à Patribus flagitat: *Monaſterium puellarum Pictavâ urbe conſtitui, conditumque quantum mihi munificentia regalis eſt largita, factâ donatione ditavi*, Monaſterio & regulam, *ſub qua Sancta Cæſaria degerat*, & ſororem ſuam Agnetem præfecerat. Turonenſes ergo rogat, ut ſi quis de Monaſterii privilegiis, aut facultatibus delibarit, *ut ſicut prædo*,

ANNO DOM. 566.

Lab. Conc. t. 5. 870.

ANNO DOM. 566.

Lex Juſtini de ſolvendis ex conſenſu nuptiis.

ſtido, inquit, *& ſpoliator pauperum extra gratiam veſtram habeatur.*

VII. At in Oriente Juſtinus Leges minus pietati conſonas promulgabat. Solvi matrimonia Juſtinianus vetuerat. Quam Juſtinus Sanctionem Edicto ſuo reſcindit. Extat inter Novellas Juſtinianeas numero CXL. ſed Juſtino eſt aſcribenda. Dies locuſque datæ Legis diſſimili modo refertur. Legitur apud Gothofredum, *datu* XVII. *Kal. Octobr. Conſtantinopoli.* In Baroniana verò editione habetur, *datu* XVIII. *Kal. Octobr. Chalcedone, imperante D. N. Juſt. P. P. Aug. anno primo Indict.* XV. Quibus intelligitur, Juſtiniani Legem hanc eſſe non poſſe, cujus imperii initia Indictionem XV. reſpuebant. Sexta tum erat in curſu. Porrò Juſtinus exponit ſe conjuges minis terruiſſe, ut à ſuſcepto citra cauſam odio deſiſterent. Sed nihil ſe profeciſſe: *Eos ſi quidem, qui violento affectu odioque ſemel correpti fuerint, perquàm eſt difficile reconciliare. Contigit enim, ut ex his nonnulli ad mutuas inſidias procederent, veneniſque & aliis quibuſdam, quæ lethalia eſſent, uterentur. . . . Cùm itaque hæc à noſtris temporibus aliena judicaremus, ad præſentem ſacram Legem reſpeximus, per quam ſtatuimus, ut prout olim juris fuit, matrimoniorum ſolutiones ex conſenſu fieri liceat, & ne amplius patris noſtri Sanctione in eos, qui conſenſu matrimonia dirimunt, conſtituta pœna in uſu ſint.*

ANNO DOM. 567.

ANNO U. C. 1320. PER. JUL. 5280. JUL. 612. DOM. 567. JUSTINI 2. & 3. *Sol.* 16. B. *Lun.* 17. *Indict.* 15. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

Anno primo Conſulatus Juſtini.

Juſtinus Conſulatum adiit Kalend. Januar.

I. ANni initia læta prorſus hilariaque reddidit geſtus à Juſtino Conſulatus, qui extinctum munus ampliſſimum ea inferis revocavit. Hæc anno proximo pollicitus erat, ut plebis in mentibus lætitiam accenderet, canente Corippo:

Non ſolum optati jubeo ſpectacula Circi
Præmia, ſed populis & maxima dona parabo:
Ditabo plebes opibus, nomenque negatum
Conſulibus, Conſul poſt tempora cuncta novabo.
Gaudeat ut cunctis, Juſtini munere mundus.

Ubi Kalendæ Januarii illuxere, trabeatus ab aula egreſſus Imperator Templum petit, fuſiſque ad Chriſtum precibus,

Plurima veterum ſacravit dona ſuorum,
Immenſoque pium ditavit munere Templum.

Reſtituto Conſulatu, ab eo Juſtinus perinde atque ab Imperio annos in Actis publicis numerari ſuos ſtatuit. Id ſibi voluit Corippus, libri IV. carminibus:

Reparator opimi
Nominis. Antiqui redeunt novo ſecula Faſti.
Auguſti primus renovaſti Cæſaris avum,
Clarius eſt melius que tuum, tua gaudia tecum.
Hunc veſter primus feliciter excipit annus.

Quia ſcilicet Epocha Conſularis Auguſteæ addita eſt, licet à variis & hæc & illa initiis peteretur. Hinc in Mario reperimus, anno labenti præfixum: *Anno primo Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti.*

Juſtinus Germani filius ab Imperatore occiditur: ejus virtutes.

II. Purpuram Juſtinus Conſularem Juſtini conſanguinei ſui cruore imbuit: ingenti ſanè ſcelere, quod in Autorem perpetuum dedecus intulit. Nefanda cædes à Joanne Biclarienſi cum anno labente conjungitur: *Juſtinus filius Germani Patritii, conſobrinus Juſtini Imperatoris, factione Sophiæ Auguſtæ in Alexandria occiditur.* Juſtino Auguſto virtutibus longè præſtabat ille Juſtinus, ut ſive mores ejus ſpectemus, vel cum Juſtiniano conjunctionem attendamus, quem paterno ſanguine attingebat, multò quidem dignior Principatu haberetur. Anno DXL. Conſul proceſſerat, patremque ſuum in Perſas pugnaturum comitatus erat. Ad hunc ſanè Juſtinum verba ſpectant Chronici Marcellini: *Parthi Syriam ingreſſi, multas urbes ſubvertunt, contra quos Germanus arma arripiens, Juſtinum filium, eumdemque Conſulem, in ipſis faſcibus ſecum ducit.* Egregii juvenis pietatem æternæ memoriæ commendavit *Phaſidis* à Nachoragane civitatis oppugnatio, utpote qui ſpreto hoſtili exercitu, ad ſacra in Templo conficienda oppidi muris egreſſus erat. Exautorato Martino copiis, quæ apud Colchos & Armeniam erant, à Juſtiniano præfectus erat. Exinde Magiſter Militum per Thracias creatus, Abaros de gente Scythica partem camporum ultra Caucaſum olim cultricem ad Danubium uſque progreſſam, à tranſitu fluminis arcebat. Ob geſtas itaque dignitates, reique militaris peritiam magna apud omnes erat gloria Juſtini. Ex ea claritudine invidiæ faces Juſtino ſubmittuntur Auguſto. Cognatum igitur ex ripis Danubii revocatum ſpecie quâdam benevolentiæ exceperat. Mox verò varias ſubinde cauſas comminiſcens, paulatim ſatellites ei detraxerat, dato etiam mandato, ne ad ſe in Palatio ſedentem accederet. Tandem Alexandriam amandatur, quaſi magnam civitatem adminiſtraturus: reverà morti mittebatur, cujus atrocitas & in ejus autores indignationem, & erga defunctum miſerationem omnium movet. Quippe nocte intempeſtâ, dum in lecto decumbit, interficitur, id mercedis referens ob præclara facinora, & benevolentiam in Rempublicam: *Nec prius Juſtinus Imperator, & conjux ejus Sophia furorem ſuum remiſerunt, aut conceptam adverſus Juſtinum iram expleverunt, quam Juſtini caput vidiſſent, ac pedibus ſuis proculcaſſent.* Indignum hominibus, ne dum Chriſtianis furorem!

Agath. l. 4. c. 10.

Evagr. l. 5. c. 2.

Ætherius Addæuſque rei læſæ Majeſtatis à Juſtino damnantur.

III. Excitatam illuſtris innocentis morte indignationem ut mitigaret Juſtinus, Principis magnanimi officio functus eſt, irrogato ſceleratis ſontibus ſupplicio. *Addæus* quidem puerorum amori ſupra modum deditus erat. *Ætherius* verò imperante Juſtiniano, cujus domus Curator erat, nullum calumniandi genus prætermittens, viventium defunctorumque facultates diripuerat. Imperatoris ſe furori miniſtrum præbuerat, ut Eutychium Patriarcham altaribus evelleret: *Adfuit cum gladiis & fuſtibus, multoque cum præſidio militari magnus ille fur, qui Etherius appellabatur, correptum, ſanctum virum, & nihil habentem, in Monaſterium, quod Choracudim appellant, aſportavit.* Hæc Euſtathius. Rarò antecedentes ſceleſtos deſeruit pœna pede claudo. Ætherius Addæuſque, viri ordinis Senatorii, quique apud Juſtinianum plurimùm poterant, læſæ dein Majeſtatis accuſati, carnificis in manibus mortem inveniunt. Ne id quidem eſt prætereundum, Ætherium unum duntaxat Eutychio ſpoliato ornamentum, *ſuperhumerale* ſcilicet reliquiſſe. Ut ergo quaſi talionis jure violento homini par referretur, omnia ejus veſtimenta

erepta

erepta ſunt, præterquam zona, dignitatiſque inſignia, quæ lugens, non multò priuſquàm duceretur, profundebat: *Ætherius quidem confeſſus eſt, ſe Imperatorem veneno interficere voluiſſe, ejuſque facinoris, & omnium conſiliorum ſuorum conſcium ac participem fuiſſe Addæum.* Addæus quidem in ea re calumniam ſe paſſum eſſe dixit. Meritò tamen ſe à Deo omnium vindice plecti, utpote Theodori, qui Prætorio Præfectus erat, artibus magicis interfectorem. Quo genere mortis perierint, ambiguum fecit varia variorum narratio: Joannes Biclarienſis anno ſecundo Juſtini, inquit, *in Regia urbe Ætherius & Addæus* (Addæus) *Patritii, dum Juſtino mortem vellent veneno potius quam ferro per Medicos inferre, detecti, capitali ſententiâ puniri juſſi. Prior à feris devoratus, ſecundus incendiis concrematus interiit.* Evagrius verò eos capite truncatos eſſe memorat, quod & jam veroſimilius, cùm Patritiis honoribus ei fulgerent. Tertiâ Octobris die, quæ feriæ ſecundæ cohærebat, Ætherius & Addæus ſupplicio affecti ſunt.

Evagr. l. 5. c. 3.

Annus Synodi Lugdunenſis ſecundæ. — Error Baronii. — *Bar. An. 570. n. 23.*

IV. Volubilis fortunæ exempla retulimus, res Eccleſiæ nunc narrari debent. Labente anno Synodus Lugdunenſis II. cogitur. Non neſcimus Baronium eam aſſignare anno DLXX. quem Gunthrami Regis *ſextum* eſſe putat, quo currente celebratur. Verùm hic experimento compertum habemus, errorem ex errore ſeri. Cùm enim Clotharii mortem in anno DLXV. illuſtriſſimus Purpuratus perperàm conſignavit, ex ipſius Chronologia conſequens fuit, Lugdunenſe Concilium anno DLXX. eſſe tribuendum. Nos verò, quos meliore temporum notitiâ imbuit *Marius*, certè certòque novimus, ſextum Gunthrami annum partem præſentis ſibi maximam vindicare, ut abſque ulla dubitatione rejecta Baronii ſententia, quæ triennii metachroniſmo affecta eſt, in illam concedamus, quæ Lugdunenſem anno DLXVII. Conventum tribuit.

Occaſio Lugdunenſis Concilii II.

V. Concilio cauſam præbuere Salonii, Sagittariique ſcelera. Nicetius Lugdunenſis Antiſtes eos tutelæ ſuæ creditos informaverat, & ad Diaconatum evexerat. Volventibus annis ad Pontificatum uſque aſcenderant. Ac *Salonius* quidem Ebredunenſi, *Sagittarius* verò Vapingenſi Eccleſiæ præfectus erat. Infulam tamen ſuam flagitioſâ vitâ deturpabant, quaſi ad id unum Præſules creati forent, ut facultatem nanciſcerentur, majore cum licentia graſſandi. Non minus vitiis, quàm ſanguine germani erant; *cædibus, adulteriiſque* infamiam ſibi multam colligebant: *Ita ut quodam tempore, celebrante Victore Tricaſtinorum Epiſcopo ſolemnitatem natalitii ſui, emiſſa cohorte, cum gladiis & ſagittis irruerant ſuper eum, venienteſque ſciderunt veſtimenta ejus, miniſtros ceciderunt, vaſa omnia ad apparatum prandii auferentes, relinquentes Epiſcopum cum grandi contumelia. Quod cùm Rex Gunthramnus comperiſſet, congregari Synodum ad urbem Lugdunenſem juſſit.* Synodo Epiſcopi interfuere XIV. per ſe, vel per Legatos: *Philippus* Viennenſis, *Nicetius* Lugdunenſis, *Agricola* Cabilonenſis, *Vincentius* Belicenſis, *Syagrius* Æduorum, *Æoladius* Neverneuſis, *Salonius* Genavenſis, *Celidonius* Matiſcenſis, *Valeſius* Presbyter, Syagrii Gratianopolitani Legatus, *Vincentius* à Lucretio Deenſi directus, *Euſebius* Presbyter, nomine Victoris Tricaſtinorum, *Pielius* Legatus Tetrici Lingonenſis, *Caſarius* Legatus Tetradii Veſoncenſis, *Abſtemius* vices gerens Maximi Valentini Præſulis. Cùm facinoris commiſſi Salonius & Sagittarius rei deprehenderentur, Epiſcopali honore moti ſunt. Hæc in Synodo geſta: quem verò exitum ea res habuerit, narraturi ſumus, poſtquam Concilii Canones retulerimus.

Greg. l. 5. cap. 20.

Canones Lugdunenſes.

VI. Sex numero Canones à Lugdunenſibus conſtituuntur. I. Cùm quid contentionis inter Epiſcopos exoriatur, *ſi de una Provincia ſunt, Metropolitani cum Comprovincialibus ſuo judicio ſint contenti:* ſi diverſæ Provinciæ convenientibus Metropolitanis, *omnis eorum actio illorum judicio terminetur.* Qui ei repugnaverit, tribus menſibus caritate fratrum excidat. II. Clericorum teſtamenta omnium, atque donationes Eccleſiis collatæ firmæ ſint, *etiamſi quorumcumque religioſorum voluntas aut neceſſitate, aut ſimplicitate aliquid à Legum ſecularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debet inconcuſſa manere, & in omnibus Deo propitio cuſtodiri.* III. Qui aliquos per vim & nefas captivos tenent, ni *juxta præceptum Domini Regis* eos reſtituant, Eccleſiæ communione careant. IV. Qui ab uno Epiſcopo excommunicatur, apud omnes Antiſtites à communione alienus habeatur, donec vinculis ſolutus fuerit. V. Quæ Epiſcopi munificentiâ Clericis, aut Miniſtris Eccleſiæ donata ſunt, ab ejus ſucceſſoribus non revocentur. VI. *Ut in prima hebdomada noni menſis, hoc eſt, ante diem Dominicam, qua prima in ipſo menſe illuxerit, Litania, ſicut ante Aſcenſionem Domini, deinceps ab omnibus Eccleſiis celebrentur.* Menſis ille nonus in Novembrem incidit.

Salonius & Sagittarius ſuis Eccleſiis reſtituuntur.

VII. Nunc quid de Salonio & Sagittario actum ſit, quos Lugdunenſes Sacerdotio ejecerant, paucis videamus. Noverant aſtuti homines apud Gunthramnum Regem ſe gratiâ pollere. Ad eum ergo accedunt cum lachrymis, queruntur ſe injuriâ exautoratos, *ſibi tradi licentiam* petunt ad Pontificem Romanum provocandi: *Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epiſtolis eos abire permiſit.* Exponunt Joanni Papæ, nulla gravi de cauſa officio ſe ſuo eſſe motos. Qui credulus illis, Epiſtolam Regi mittit, quâ dignitati reddi ſuæ jubentur: *Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis, verbis multis implevit.* Sceleratorum tamen correctio nulla fuit, nulla vitiorum emendatio. *Victoris* duntaxat amicitiam ambiunt atque concordiam, traditis nebulonibus, quos ad injuriam direxerant. Quibus cùm libertatem conceſſiſſet, id benignitatis ipſius in damnum vertitur: *Unde in poſterum à communione ſuſpenſus eſt, pro eo, quod publicè accuſans clam inimicis pepercisſet abſque Concilio, quibus accuſaverat, fratrum. Sed per favorem Regis iterum in communionem revocatus eſt.* Cùm porrò vitioſitatem non exuerent impuri Antiſtites, Salonius atque Sagittarius, quo indigni prorſus erant gradu, anno DLXXIX. moti ſunt, narrante Mario: *Hoc anno duo germani, Salonius & Sagittarius Epiſcopi à Synodo, quæ Cabiloni collecta eſt, pro diverſis criminibus ab Epiſcopatus honore dejecti ſunt.*

Greg. l. 5. c. 20.

Anno Dom. 568.

Anno U. C. 1321. Per. Jul. 5281. Jul. 613. Dom. 568. Justini 3. & 4. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 18. *Indict.* 1. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 7. I. P. 1. *April.*

Anno ſecundo Conſulatus Juſtini.

Athanaildi Regis obitus, uxor & filiæ.

I. Hiſpania luctus non expers fuit, mortem obeunte Athanagildo, Gothorum Principe, de quo hæc prodit Bicloriense Chronicum: *His temporibus Athanaildus Rex Gothorum in Hiſpania vita finem ſuſcepit, & Luiba pro eo in regnum provehitur.* Toleti morbo deceſſit, relicta ſibi ſuperſtite Goſuinthâ, quam anno proximè ſecuturo Luibæ germanus *Levigildus* uxorem ducet: mulierem Arianorum fidei prorſus addictam, quæ ſecutis temporibus gravem in Orthodoxos perſecutionem movebit. Ex uxore Athanaildus fœmineam prolem, eamque geminam ſuſceperat, Galſuintham, quæ Chilperico; Brunichildem, quæ Sigeberto matrimonio conjuncta erat. Ad Galſuinthæ diſceſſum maternos Goſuinthæ dolores non ineleganti calamo pinxit Fortunatus, Chilperici Legatos ſic compellantis:

Si feritate trucis premer captiva Geloni,
Forſan ad has lachrymas, & pius hoſtis erat.

\- - - - -

Fort. l. 6. cap. 7.

Poſt meri gemitus, poſt multa pericula partus,
Poſtque laboris onus, quod grave fata tuli,
Qua genus, nata matrem me non licet eſſe,
Ipſaque natura Lex mihi tota perit.

Longobardi qui? Eorum Rex Alboinus: ejus virtutes.

II. Clarum celebremque annum reddidit Narſetis, Longobardos ad Italiam occupandam invitantis legatio. De qua prius quàm dixerimus, de gentis origine pauca ſunt nobis ſubjicienda ad illuſtrandam hiſtoriam. Scandinaviam olim Inſulam incolebant *Winili*, quibus *Longobardis* nomen impoſitum. Vocis originem ſic Paulus explicat Warnefridus:

Warnef. l. 1. c. 9.

Certum eſt, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cùm primitùs Winili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos, nam juxta illorum linguam, lang, *longam*; baart, *barbam ſignificat. Abor & Aione* germani, cæteriſque præſtantiores, patriâ egreſſi ſuâ, alias ad habitandum ſedes quæſitum iverunt, quibus poſt debellatos Vandalos defunctis, Longobardis placuit mutato regimine, Ducum loco ſibi Reges imponere. Itaque Aionis filium *Angelmondum* ad regiam dignitatem evehunt. Decimus in ea Regum ſerie Alboinus Imperii habenas faventibus omnium votis ſuſcipit. Qui cùm virtutibus ſuis clarum ubique locorum ſibi nomen peperiſſet, Clotſuindam Clotharii Francorum Principis filiam duxit, ex qua filiam *Alpſuindam* genuit. Gunimondus Rex Gepidorum veteres ſuorum injurias ulciſci volens, rupto fœdere malis avibus bellum Longobardis infert. Quippe *in eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius ſublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos ſcala dicitur, linguâ verò Latinâ patera vocitatur.* Hanc Gunimundi cladem perperàm Biclarienſis cum anno Juſtini ſexto conjungit, quo tempore Alboinus jam Italiæ dominabatur. Quæ verò narrat, fidem impetrant: Cunimundi *theſauri per Traſaricum Arianæ ſectæ Epiſcopum, & Reptilanem Cunimundi nepotem Juſtino Imperatori Conſtantinopolim ad integrum perducti.* Ea de Gepidis victoria anno circiter DLXV. videtur eſſe relata. Tantâ porrò clade affecti ſunt, ut eorum imperium prorſus extingueretur, nomine Gepidarum vix mortalium animis inſidente: *Gepidarum regnum finem accepit.* Defuncti Gunimundi filiam Clotſuindæ poſt obitum maximo ſuo damno Roſimondam matrimonio ſibi jungit Alboinus:

Warnef. l. 1. c. 27.

Regis verò ita præclarum longè lateque nomen percrebuit, ut hactenùs etiam tam apud Bajoariorum gentem, quàm & Saxonum, ſed & alios ejuſdem linguæ homines ejus liberalitas & gloria, bellorumque felicitas & virtus in carminibus celebretur. Nicetii Trevirenſis aures Alboini fama hæc tetigerat, quâ permotus ad *Chlodſuindam* ſcripſerat:

Lab. Conc. t. 5. 836.

Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus Rex eſſe dicitur, talis fama, quem mundus ſic præponit, quare non convertitur, aut quare tardus ad requirendam viam ſalutis apparet.

Narſes removetur Italiâ. Longobardos in eam vocat.

III. Cur Longobardi à Narſete ad invadendam Italiam invitarentur, in cauſa fuit, gravis, quæ optimo viro, & de Republica benè merito injuria illata eſt, cui nimium indulgens, feros homines immiſit viſceribus Italiæ. Marium audiamus: *Anno* II. *Conſulatus Juſtini Jun. Aug. Indict.* I. *Narſes ex Præpoſito & Patricio poſt tantos proſtratos tyrannos, id eſt, Badulam, & Teiam, Reges Gothorum, & Buccelenum Ducem Francorum, necnon & Sindevalem Erolum, Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi deſtruxerant, laudabiliter reparatas, de ipſa Italia à ſuprà ſcripto Auguſto remotus eſt.* Fuſius Warnefridus hiſtoriam narrat:

Warnef. l. 2. c. 5.

Deletâ vel ſuperatâ Narſes omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo devictis, dum multum auri, ſive argenti, ſeu cæterarum ſpecierum divitias acquiſiviſſet, magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hoſtes laboraverat, invidiam pertulit, qui contra eum Juſtino Auguſto, & ejus conjugi Sophiæ in hæc verba ſuggeſſerunt, dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius ſervire, quàm Græcis, ubi Narſes imperat Eunuchus, & nos ſervitio premit, & hoc noſter piiſſimus Princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus, aut certè & urbem Romam, & noſmetipſos gentibus trademus. Cumque hoc Narſes audiſſet, hæc breviter retulit verba: Si malè feci cum Romanis, malè inveniam. Tunc Auguſtus in tantum adverſus Narſetem commotus eſt, ut ſtatim in Italiam Longinum mitteret Præfectum, qui Narſetis locum obtineret. Narſes verò his cognitis valde pertimuit, & in tantum maximè ab eadem Sophia Auguſta territus eſt, ut regredi ultra Conſtantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia Eunuchus erat, hæc fertur mandaſſe, ut eum puellis in gynecæo lanarum faceret penſa dividere. Ad quæ verba Narſes dicitur hæc reſpondiſſe: Talem ſe eidem telam orditurum, qualem ipſa dum viveret, deponere non poſſet. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolitanam civitatem ſecedens, Legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans, ut pauperrima Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis poſſidendam venirent: ſimulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenùs eorum ad veniendum animos poſſet illicere. Penè ſimilia ſcripto mandat Anaſtaſius in vita Joannis. Quæ ſi non vera, certè vero ſunt ſimillima. Vix quidem credibile eſt, de invadenda Italia Alboinum cogitaſſe, niſi à potente viro permoveretur, quomodo Vandali ex Hiſpania in Africam non tranſmiſere, niſi prius Bonifacii literis evocati. Ut Pannoniam, ubi tranquillas Alboinus ſedes, nec prorſus incultas habebat, incertâ Italiâ mutaret,

ANNO DOM. 568.

tueret, ſpes in Narſetis auxilio collocare debuit. Narſes verò partim dolori, partim formidini ſuccumbens, Longobardorum in armis ſibi præſidium quærit.

Baronii in Warnefridi narrationem argumenta ſolvuntur. Corippi Narſes. Quis?

IV. Ad debellandam Warnefridi narrationem arma Baronius ſua diſpoſuit, ſatis tamen infeliciter: *Demonſtratum eſt*, inquit, *ante annum Narſetem rediiſſe Conſtantinopolim, illicque mirificè cultum, nec amplius in Italiam eſſe reverſum.* Verum in ea re Baronius egregie fallitur, cujus errorem ſatis ſuperque coarguit *Marius*, eorum temporum Scriptor, à quo diſcimus, Narſetem labente anno ab Juſtino Italiâ fuiſſe remotum.

Bar. An. 568. n. 10.

Error Baronii.

Ex qua obſervatione multam ſibi veri ſpeciem arripit Warnefridi narratio, cùm illata eximio Duci contumelia ejus indignationem moverit. Stramineo quidem telo Baronius pugnat ex Corippi carminibus:

Coripp. l. 3.

Armiger interea Domini veſtigia luſtrans,
Eminet excelſo ſuper omnia vertice Narſes
Agmina, & Auguſtam cultu præfulgerat aulam,
Comptus cæſarie, formâque inſignis, & ore
Aureus omnis erat.

Se tamen gladio ſuo jugulat, cùm Corippea carmina alterum prorſus ab Eunucho illo Italiæ reſtauratore Narſetem deſignent. Ille erat honeſtâ facie & liberali:

Ter. Eun. Act. 4.

Hic eſt vietus, vetus, veternoſus ſenex
Colore muſtelino.

Qui verſus Terentiani Narſeti noſtro optimè conveniunt, utpote jam ætatis provectæ, quem inſuper & longi Martis labores fregerant, & enervarant. Quis ergo credat virum, & virilibus orbum, & ſenio confectum, comptum fuiſſe cæſarie, formâque inſignem & ore? Animadvertere Baronius debuit, *Narſetis* nomen pluribus commune fuiſſe. Extant apud Procopium Narſetes gemini, amboque Perſarmenii: *Erat is*

Proc. Goth. lib. 2.

Narſes ſpado, & ſacrarum Largitionum Comes. . . Militum quatuor millia eum ſequebantur, quibus ſui in cohortes Præfecti ſumma præerant. Juſtinus Dux Illyriorum, & Narſes alter, qui ex Armeniis Perſis ſubditis ad Romanos transfugerat olim cum Aratio fratre. Ultimum hunc Narſetem ceciniſſe Corippum, clariſſimo Noriſio placuit: à qua ſententia noſtra prorſus diſſidet. Quippe ceciderat ille Narſes in bello Perſico, Juſtiniano

Proc. Perſ. l. 2. c. 13.

imperante, ſub annum DXLIII. *Barbari ſtatim ex tuguriis exeuntes, improviſos Erulos adoriuntur, ac ex eis multis interfectis, Narſem quoque juxta tempora ſauciant, qui paulò poſt mortem obiit, vir quidem fortiſſimus, & hoc bello longe utilis.* Neque ſi vitam ad annum DLXVIII. uſque attinuiſſet, ætatis integræ ſatis florentiſque fuiſſet, ut

Comptus cæſarie, formâque inſignis, & ore
Aureus omnis

dici poſſet. Filium ergo Narſetis ejus, quem Perſæ occiderant, Corippeum Narſetem arbitramur: is regnante Juſtino Juniore honeſtâ & liberali facie per ætatem eſſe potuit. Neque ab illo Narſete Patricio diverſum eſſe putamus, ad quem Gregorius Papa Epiſtolam direxit, quâ dolet, ſe à contemplationis delectatione fuiſſe dejectum; cujus dulcedinem literis Narſes ſuis laudibus extulerat. Hic & ille Narſes fuit, quem Phocas tyrannus in ignem conjici juſſit, referente Miſcellâ: *Domentiolus verbo dato Narſi, juramentiſque non paucis credere perſuaſit, quòd nullam injuriam apud Phocam eſſet paſſurus, & deduxit eum ad Phocam. At verò Phocas hoc verbum minimè ſervans, igne cremavit eum.*

Greg. Ep. l. 1. 6.

Miſc. l. 17.

V. Alio Baronius argumento Warnefridi de Narſetis rebellione narrationem oppugnat, quod paulò probabilius eſt. Scilicet Narſetem, & pietate inſignem, & poſt obitum ſplendidis exequiis cohoneſtatum fuiſſe: *Quonam pacto totius Italiæ fax, tanta autor proditionis, poſtquam defunctus eſt, tanto honore dignus eſt habitus, ut ſi non ipſe, cineres ipſius ſaltem, velut quodam triumpho evehenda fuerint Conſtantinopolim, cum jure meritoque, ſi qua illius, ſive lapide, ſive ære extaret memoria, fuiſſet more majorum penitùs abolenda.*

Narſes ubi, & quando mortem obiit? Ejus virtutes.

Bar. An. 568. n. 11.

Verùm virorum illuſtrium pietas juſto dolori quandoque nimis indulget. Pius erat Bonifacius Comes, B. Auguſtini commendatione, literiſque celebratus, nec eo minus Vandalos ad occupandam Africam excitavit. Inſignem in ſe contumeliam acceperat Narſes, quem poſt tot egregia facinora, & in Rempublicam merita Juſtinus Italiâ removerat. Præterea Alboini adventus Narſetis mortem excepit, Longobardis enim Italiam ingredientibus auxilio non fuit. Itaque nil miri, corpus Narſetis honeſtâ ſepulturâ in urbe fuiſſe regia decoratum, quæ illatæ viventi non ſine magno ingrati animi vitio ab Imperatoribus injuriæ ſatisfactio fuit. Quanquam quod de invectis veluti triumpho in urbem regiam Narſetis exuviis Baronius habet, exaggerationem prorſus redoleat. Id unum Anaſtaſius & Warnefridus ſcripto prodidere: Narſetis *corpus poſitum in locello plumbeo, cum omnibus ejus divitiis Conſtantinopolim eſt perlatum.* Quid poſt evocatos Longobardos Narſeti contigerit, eſt in obſcuro. Hæc narrat Anaſtaſius: *Ut cognovit Joannes Papa, quia ſuggeſtionem ſuam ad Imperatorem contra Narſetem miſiſſent, feſtinus venit Neapolim, cœpitque eum Joannes Papa rogare, ut reverteretur Romam. Tunc Narſes dixit ei, Dic, ſanctiſſime Papa, quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes ejus, qui me miſit, ut cognoſcat omnis Italia, quomodo totis viribus laboravi pro ea. Reſpondit Joannes Papa, dicens: Citius ego vadam, quàm tu de hac terra egreſſus fueris. Reverſus eſt ergo Narſes cum Joanne ſanctiſſimo Papa. Narſes verò ingreſſus Romam, poſt non multum temporis mortuus eſt.* Quantum conjecturis aſſequi licet, labente anno, vel proximè inſequentis ſub initia Narſes animam edidit. Id Warnefridus, id Anaſtaſius innuunt. Quæ cauſa videtur eſſe, cur in Alboini geſtis altum ſit de Narſete ſilentium. Campaniâ igitur reverſus Romam, *ibidem non poſt multum tempus ex hac luce ſubſtractus eſt.* Vir ſanè illuſtris fuit, cujus virtutes de magnitudine inter ſe certabant. Multis jam locis laudes ipſius noſtrâ ſumus oratione proſecuti, quibus Warnefridi præconium addemus: *Narſes prius quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, ut plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quàm armis bellicis victoriam obtineret.* Quæ narrat Evagrius, Narſem non prius prælium iniiſſe, quàm ſignum à B. Maria accepiſſet, credant fabulatores, non nos. Non ſatis aptè quidem rebus bellicis Virgo præficitur. Relinquatur ea provincia Pentaſileæ, Camillæ, aliiſque bellatricibus Ethnicorum mulieribus. Extat apud Baronium Inſcriptio Narſetis memoriæ anno 565. conſecrata, ob pontem ſuper Anienem reſtitutum, ex qua hæc ſuppeditamus:

Warnef. l. 2. c. 10.

Warnef. l. 2. c. 3.

Evagr. l. 4. c. 24.

Narſes

ANNO DOM. 568.

Narſes vir glorioſiſſimus. . . Pontem via Salaria uſque ad aquam à nefandiſſimo Totila tyranno deſtructum, purgato fluminis alveo in meliorem ſtatum, quàm quondam fuerat, renovavit.

Bar. An. 565. n. 11.

Inſcriptioni haud contemnendi verſus additi ſunt:

Quàm benè curvati directa eſt ſemita pontis,
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas ſubjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra, Quirites,
Et Narſim reſonans plauſus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Chilpericus Galſuintham occidit. Fredegundam ducit. Defunctæ virtutes.

VI. Egreſſi Italiâ Gallias petamus, ſpectatores futuri ſceleris tragici, quod tulit Chilperici Regia. Fredegundis amori ſerviens Chilpericus, Galſuintham odio habere cœpit. Non nobiles uxoris ortus, non dignæ pectore regio virtutes, non abdicatus Arianorum error, cujuſque loco pietas ſuſcepta crudele viri pectus tetigere. Solâ Fredegunde ſe oblectabat, cum ea totus erat. Quibus freta, pellex adeò inſolenter atque ſuperbè Reginæ illudebat, ut de repetenda Hiſpania ea conſilium inſtituerit: *Cùm ſe Regi quereretur aſſiduè injurias perferre, diceretque nullam ſe dignitatem cum eodem habere, petiit ut relictis theſauris, quos ſecum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia diſſimulans, verbis eam lenibus demulſit. Ad extremum eam ſuggillari juſſit à puero, mortuamque reperit in ſtrato.* Opima defunctæ hæreditas ad ſororem Brunichildem pervenit, ut ex Francorum Capitularibus diſcimus: *De civitatibus verò, hoc eſt, Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gaileſuindam germanam Domina Brunichildis tam in dote, quam in Morganegiba, hoc eſt, matutinali dono in Franciam venientem, certum eſt acquiſiviſſe, quas etiam per judicium glorioſiſſimi Domini Gunthrami Regis, vel Francorum, ſuperſtitibus Chilperico & Sigeberto Regibus, Domna Brunichildis noſcitur acquiſiviſſe.* Quæ leguntur in Gunthrami cum Childeberto fœdere. Defunctæ Galſuinthæ virtutibus parentavit Fortunatus egregio carmine:

Greg. Hiſt. l. 4. c. 28.

Capit. p. 11.

Fort. l. 6. c. 7.

Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens advena mater erat.
Quoque magis poſſit regno ſupereſſe perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.
At brevo tempus habens, conſortia nexa jugalis,
Principio vitæ funera rapta ſuit,
Præcipitique caſu volucri prævента ſub ictu
Deficit, & verſo lumine lumen obit.

Defunctæ ſepulcrum prodigium illuſtrat, quod à Gregorio, Fortunatoque celebratum, prætereire non poſſumus: *Lychnus ille, qui fune ſuſpenſus coram ſepulchro ejus ardebat, nullo tangente, fune diſrupto in pavimentum corruit, & fugiente ante eum duritiâ pavimenti, tanquam in aliquod molle elementum deſcendit, atque medius eſt ſuffuſus, nec omninò contritus, quod non ſine magno miraculo videntibus fuit.* Id prodigii verſibus & Venantius luſit:

Greg. l. 4. c. 28.

Fort. l. 6. c. 7.

Naſcitur hic ſubitò rerum mirabile ſignum,
Dum pendens lychnus lucet ad obſequium,
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit,
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.

Poſtquam ſpecie tenùs, & ut mori pareret, defunctam Chilpericus luxit, pellicem illicò ſuam duxit: *Rex autem cùm eam mortuam defleſſet, poſt paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio.*

Greg. l. 4. c. 38.

Mors Chariberti. Quid ejus uxori Theodigildi contigerit?

VII. Obſcuritate Chronologiæ involvitur ſupremus Chariberti Regis annus, quem labentem cx.ſtimamuſ. Solis penè voluptatibus nomen poſteris commendavit. Si Hermanno Contracto fides, à Germano excommunicatione percuſſus ultimum diem obiit. Prædium, cui Navicellis nomen, Eccleſiæ Turonenſi ereptum ivit. Regnum ejus fratres inter ſe partiuntur, cùm expers filiorum eſſet. Tres ſibi filias ſuperſtites reliquit: Adilbergam Cantuariorum Principi matrimonio junctam; Bertheſledem, quæ Turonis; Chrotildem, quæ Pictavii in vita ſe monaſtica conſtituerunt. Decori honeſtique ſecura defuncti relicta *Theodogildis*, miſſis Legatis Gunthrami nuptias ambit, qui conſenſum ſimulans mulierem cum theſauris, quos divites habebat, ad ſe accedere hortatur, majores ei pollicitus honores iis, ad quos à Chariberto fuerat evecta. Ubi venit, *Rectum eſt*, inquit Gunthramnus, *ut hi theſauri penes me habeantur, quam apud hanc, quæ indignè germani mei thorum adiit.* Spoliatam ergo facultatum parte maximâ Arelatenſi Monaſterio deſtinat. Dum ibi vigiliis ægrè vacat atque jejuniis, Gotho cuidam ſeſe, theſauroſque ſuos pollicetur, ſi in Hiſpanias deducatur. Dum colligit ſarcinas, euntem lubens ſecutura Abbatiſſa impedimentum affert, exire volenti: *Deprehenſâ fraude, eam graviter cæſam cuſtodiæ mancipari præcepit, in qua uſque ad exitum vitæ præſentis non mediocribus attrita paſſionibus perduravit.*

Greg. l. 4. c. 26.

Sophiæ Auguſtæ liberalitas. Juſtinus in uxoris honorem portum ædificat.

VIII. Ex Juſtini crudelius perempti morte non minimum invidiæ Sophia contraxerat Auguſta. Hanc ut maculam deleret, populique ſibi benevolentiam conciliaret, regiâ munificentiâ defungitur, quam Zonaræ verbis referre juvat: *Imperatrix Sophia fœneratoribus omnibus perquiſitis, & ære alieno, quod eis ſive ex Syngraphis, ſive pignoribus poſitis deberetur, debita de ſuo diſſolvit, pignora dominis reſtituit, & Syngraphas abolevit.* Anno Juſtini tertio ea contigiſſe, Miſcella teſtatur. Pluribus ea liberalitas laudibus eſt à populo cumulata. Sophiam & Juſtinus plurimi faciebat. Ejus nomine Portum *Sophiarum* exſtruxit, necnon Palatium ante urbem, quam & ipſam, vicinaque loca ejus gratiâ *Sophiana* nominavit. Ei hoc Agathiæ Epigramma eſt inſcriptum:

Zonar. l. 14. 70.

Quà reſonante freto fluctus cava littora tundunt,
Et duplici Pontus nomine findit humum,
Inclytum uxori celebranda Palatia ſtruxit
Rex Sophiæ, multum quam decoravit honos,
Quam benè, Roma, potens tua gloria conſtitit: unde
Europa atque Aſia fertilis arva patent.

Zonar. l. 14.

ANNO U. C. 1322. OLYMP. 337. PER. JUL. 5282. JUL. 614. DOM. 569. JUSTINI 4. & 5. *Sol.* 18. F. *Lun.* 19. *Indict.* 2. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 2. F. 21. *April.*

ANNO DOM. 569.

Anno tertio Conſulatus Juſtini.

De anno Longobardicæ in Italiam expeditionis.

I. DUctus ſpe regionis longè melioris occupandæ Alboinus relictâ Pannoniâ, Italiam ingreditur, Baronius, Caleiſius, cæterique vulgò Chronologi Longobardos anno ſuperiore ex Pannonia in Italiam migraſſe tradunt: neque in eam ſententiam deſcendentes miramur, cùm Sectarium habeant Paulum Warnefridum, ea referentem: Pannoniâ Longobardi *egreſſi ſunt menſe Aprili per Indictionem primam, alio die poſt ſanctum Paſcha, cujus feſtivitas eo anno juxta cal-*

Warnefr. l. 2. c. 7.

 culis

Anno Dom. 569.

culs eationem ipſis Kal. Aprilis fuit, cùm jam à Domini Incarnatione anni quingenti ſexaginta & octo eſſent evoluti. Nos in eam quoque Chronologiam concederemus, niſi à Mario Aventicenſi prohiberemur, qui cùm Alboini ætate floruerit, Warnefrido omnibus eſt modis anteponendus: ac tantò magis, quantò intelligimus, Warnefridi in narratione eſſe benè multa, quæ à recta Chronologiæ norma diſſident. Verbi gratia quòd *Clotharius & Sigebertus, Reges Francorum* Suavos poſuerint Saxonum in regionibus, qui Longobardicæ expeditionis comites erant. Atqui Clotharius novennio prius exceſſerat quàm Alboinus Pannoniâ egrederetur. De Longobardico in Italiam adventu Marium igitur audiamus: *Anno tertio Conſulatus Juſtini Jun. Aug. Indict. 2. Alboenus Rex Longobardorum, cum omni exercitu relinquens, atque incendens Pannoniam, ſuam patriam cum mulieribus, vel omni populo ſuo, in fara Italiam occupavit. Ibique alii morbo, alii fame, nonnulli gladio interempti ſunt. Eo anno etiam in ſuprema loca Gallarum ingredi præſumpſerant, ubi multitudo captivorum gentis ipſius venundata eſt.* . . . Marii Chronologiam Theophanes firmat: *Indictione primâ, in ipſis Calendis Aprilis, egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia: & ſecundâ Indict. cœpere prædari in Italia, tertiâ verò Indict. dominari cœperunt in Italia.* His accedat Gregorius Magnus. Quippe in ſua ad Conſtantiam Auguſtam Epiſtola, data anno 595. Indictione 13. hæc habet: *Viginti autem jam & ſeptem annos ducimus, quòd in hac urbe in Longobardorum gladios vivimus.* Quòd ſi XXVII. anni de 595. detrahantur, remanent DLXVIII, in quibus Longobardi nil cladis Italiæ attulere, ex quo conficitur, anno duntaxat 569. Pannoniâ egreſſos eſſe. Primus ergo ex viginti ſeptem Principatus hujus annus à DLXIX. initium ducit. Similiter ille ipſe Gregorius in ſua ad Phocam Epiſtola, quæ anno DCIII. Indictione ſextâ eſt exarata, hæc ſcribit: *Qualiter quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incurſionibus, ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus ſuggeſtionis valemus.* Anno DLXVIII. addantur anni XXXV. exurgit annus DCIII, proindeque nullâ ratione annus DLXVIII. regno Longobardico includi debet. Ex quo intelligitur, eo anno Italiam ab Alboino occupatam non fuiſſe, cùm initium imperii hujus & Italiæ invaſio ad eundem annum pertineant. Neque ſibi conſtat Warnefridi Chronologia: *Alboinus*, inquit, *poſtquam in Italia tres annos, & ſex menſes regnavit, inſidiis ſua conjugis interemptus eſt.* Obiit anno DLXXII. Indictione V. uti Marius teſtatum reliquit. Primus ergo Alboini annus à DLXIX. ducit initium.

Miſcel. l. 16.

Greg. l. 4. ep. 34.

Greg. l. 11. ep. 45.

Warnef. l. 2. c. 38.

De ſignis expeditionis Longobardicæ.

II. Ferunt calamitatis futuræ dira in nubibus præſagia contigiſſe. Verba ſunt Gregorii Magni Homiliâ primâ in Evangelia: *Priuſquàm Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipſumque, qui poſteà humani generis fuſus eſt, ſanguinem coruſcantes.* Addit ille ipſe Autor, Martyrem Eutychium nocte intempeſtâ Redempto Ferentinati Epiſcopo conſpicuum, ea locutum eſſe: *Redempte, vigilas?* Cui *reſpondit, vigilo.* Tum Eutychius ait, *Finis venit univerſæ carnis, finis venit univerſæ carnis, finis venit univerſæ carnis.* His dictis, Martyris ſpecies ſub oculis mirantis evanuit. Tum *Redemptus* ſe in luctus dato preces fundit: *Mox illa terribilia in cœlum ſigna ſecuta ſunt, ut haſtæ atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur.* Si verum proferre licet, ea prodigia, illaque Eutychii vaticinatio figmentæ redolent. Quaſi verò ex Longobardorum in Italiam adventu mortalium finis omnium immineret: cùm aliundè certum ſit, Alboinum clementiſſimum Regem miti victoriâ uſum eſſe. Ea Marius prodigia, cruentos illos in cœlo exercitus prorſus neſcivit: ut imaginationi, quæ varias in nubibus ſibi figuras fingit, potius aſſignari debeant, quàm veritati.

Gregor. Dial. l. 3. c. 38.

Anno Dom. 569.

Quid Longobardicâ in Italiam expeditione geſtum ſit? Alboini clementia.

III. Nunc Longobardicam expeditionem referamus. Profecturus in Italiam Alboinus à Saxonibus, antiquo ſibi fœdere conjunctis, petit auxilia, qui roganti *pluſquam viginti millia virorum* mittunt. Pannoniam quoque Hunnis amicis eâ lege ſuis tribuit, ut ſi Longobardis neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus *arva* repeterent. Relictâ Pannoniâ, quam annis XLII. incoluerant, cum uxoribus, liberis, omnique ſuppellectile Italiam verſus movent. Ubi Caſtri Foro Juliani fines ingreſſi ſunt, quem huic Provinciæ præficeret Alboinus deliberando quærit: *Giſulphum, ut fertur, nepotem ſuum, virum per omnia idoneum, qui eidem ſtrator erat, quem linguâ propriâ Marpahis appellant, Foro-Juliana civitati, & toti regioni illum præficere ſtatuit.* Qui oblatam ſibi dignitatem non prius accepit, quàm & præcipuas Longobardicæ gentis familias, & generoſorum equarum greges flagitanti tribueret. Armis Longobardorum exterritus Aquileenſis Præſul, relicto oppido fugam arripit: *Aquileienſi quoque civitati, ejuſque populis beatus Paulus Patriarcha præerat. Qui Longobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Gradus Inſulam confugit, ſecumque omnem ſuæ theſaurum Eccleſiæ deportavit.* Nil tamen Paulo cauſæ fuit cur metueret, ne ſibi mali aliquid Alboinus inferret, qui Præſules clementer tractabat. *Felicem* Torviſianum Antiſtitem amanter benignèque admodum excepit: *Alboin cùm ad fluvium Plavem veniſſet, ibi ei Felix Epiſcopus Tarviſianæ Eccleſiæ occurrit. Cui Rex, ut erat largiſſimus, omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit, & per ſuum Pragmaticum poſtulata firmavit.* Rapido victoriæ curſu complures ditioni ſuæ urbes Alboinus ſubjecit: *Vincentiam, Veronam, & reliquas Venetiæ civitates exceptis Patavio, & Monteſilicis, & Mantua, cœpit.* Liguriam petens, *tertio Nonas Septembris, ſub temporibus Honorati Archiepiſcopi Mediolanum ingreſſus eſt. De hinc univerſas Liguriæ civitates, præter has, quæ in littore maris ſunt poſita, cœpit.* Illæ Alboini victoriæ Longobardicum in Italia regnum fundarunt, quod annos CCV. perduravit, ad annum ſcilicet DCCLXXIV. quo *Deſiderius*, captâ à Carolo Magno Ticinenſi urbe, in Gallias abductus eſt.

Warnefr. l. 2. c. 9. en. 12.

Warnefr. l. 2. c. 14. & 25.

Bulgari à Tiberio victi.

IV. Dum pars Italiæ nobilis eripitur Juſtino, cladibus etiam Imperium in Africa afficitur, quas Biclarienſis brevi oratione complectitur: *Anno IV. Juſtini Imperatoris Theodiſtus Magiſter Militum Provinciæ Africanæ à Mauris bello ſuperatus interiit.* Thraciæ quoque Bulgari calamitatis aliquid intulerunt: virtute tamen Tiberii, qui poſtmodum imperavit, repulſi gloriam fortiſſimi Ducis amplificarunt. Id legitur in Biclarienſi Chronico: *Juſtinus Imperator per Tiberium Excubitorum Comitem in Thracia bellum genti Barbarorum ingerit, & Victor Tiberius Conſtantinopolim redit.* Victoris Tununenſis in Chronico ea reperiri, Baronio ſcriptum. Verùm ubi ſilentibus

Bar. An. 569. n. 3.

ANNO DOM. 569.

tibus hic error à Victore coarguitur, qui ad annum duntaxat 565. Chronicum perduxit ſuum. Tiberianam Corippus victoriam cecinit. Barbara gens Avarum

In media ſupplex defuſis crinibus aula,
Exorat pacem, nec fidere millibus audet.

Leovigildus Rex Hiſpaniæ creatur.

V. Relictâ Thraciâ in Hiſpaniam veniamus. Goſuintha, Galſuinthæ mater, Regis Athanagildis vidua, thalami tædæque non pertæſa, cum Leovigildo jungitur. Corporis animique virtutibus, quæ Principem decent, ornabatur Leovigildus, quibus permotus frater ejus, regni ſui participem eſſe voluit. Audiatur Joannes Biclarienſis: *Anno tertio Juſtini Leovigildus germanus Liubani Regis, ſuperſtite fratre in regnum citerioris Hiſpaniæ conſtituitur. Goſuintham relictam Athanaildi in conjugium accipit, & Provinciam Gothorum, quæ jam pro rebellione diverſorum fuerat diminuta, mirabiliter ad priſtinos revocat terminos.* Malè in Leovigildum animatus Baronius, de eo hæc prodit: *Erat Leovigildo uxor Theodoſia Catholica fœmina.* Habuerat quidem, ſed non habebat, cùm Goſuintham ſibi labente anno uxorem aſcivit. Quæ de Leovigildo in Chronico Æra DCVIII. habet Iſidorus, non ſine Lectoris utilitate noſtris Annalibus inſerentur: *Iniqua perfidia furore repletus, in Catholicos perſecutione commotâ, plurimos Epiſcoporum exilio relegavit, Eccleſiarum reditus & privilegia tulit, multos quoque terroribus ſuis in Arianam hæreſim & peſtilentiam impulit, pleroſque ſine perſecutione illectos auro rebuſque decepit. Auſus quin etiam inter cætera hæreſis ſuæ contagia rebaptiſare Catholicos, & non ſolùm ex plebe, ſed etiam ex Sacerdotalis Ordinis dignitate, ſicut Vincentium Cæſarauguſtanum, quem de Epiſcopo Apoſtatam fecit, & tan-*

Bar. An. 569. n. 1.

quam à cœlo in inferna projecit. Extitit autem & quibuſdam ſuorum perniciosus. Nam ut cupiditatis & livoris quoſcunque potentes ac nobiles vidit, aut capite damnavit, aut opibus ablatis proſcripſit. Ærarium quoque ac fiſcum primus iſte auxit, primuſque inter ſuos Regali veſte opertus in ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus omnis ut genti, ita & Regibus erat.

Lucenſis Synodus: Lucenſis Sedes Metropolitana creatur.

VI. Res Eccleſiæ noſtræ nunc orationi permittamus. Ineunte Januario Synodus imperante Theodomiro apud *Lucum* celebratur: *Tempore Suevorum ſub Æra DCVII. die Kal. Januarii, Theodomirus Princeps idem Suevorum, Concilium in civitate Luco fieri præcepit ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diverſis Eccleſiæ cauſis. Poſtquam peregerunt quidquid ſe Concilio ingerebat, direxit idem Rex Epiſtolam ſuam ad Epiſcopos, qui ibidem erant congregati, continentem hæc: Cupio, ſancti ſimul Patres, ut providâ utilitate decernatis in Provincia regni noſtri, quia in tota Gallæcia regione ſpatioſa ſatis Diœceſes à paucis Epiſcopis tenentur: ita ut aliquantæ Eccleſiæ per ſingulos annos vix poſſint à ſuo Epiſcopo viſitari. Inſuper tanta Provincia unus tantummodo Metropolitanus Epiſcopus eſt, & de extremis quibuſque Parrochiis longum eſt ſingulis annis ad Concilium convenire.* Regiis hiſce literis permoti Lucenſes Epiſcopi, *elegerunt in Synodo, ut Sedes Lucenſis eſſet Metropolitana, ſicut & Bracara. Sicque poſt hæc pro unaquaque Cathedra Diœceſes & Parrochias diviſerunt, ne inter Epiſcopos contentio aliquatenus fieret.*

Lab. Conc. t. 5. 875.

Diviſio Eccleſiaſtica Provinciarum Hiſpaniæ.

VII. Non abs re erit ſubjungere Provinciarum Hiſpaniæ diviſionem ex Codice Hiſpalenſi Divi Laurentii, qui anno Domini 962. ſcriptus eſt:

Diviſio Provinciarum HISPANIÆ, & earum SEDIUM.

Provincia GALLÆCIÆ.

Bracara Metropolis.	*Dumio.*
Portucale.	*Auriense.*
Conimbria.	*Tude.*
Egitania.	*Luco.*
Vaſeo.	*Ira.*
Lameco.	*Britona.*
Totica.	*Aſtorica.*

Provincia LUSITANIÆ.

Emerita Metropolis.	*Avela.*
Salmantica.	*Exonoba.*
Elbora.	*Oliſibona.*
Caurio.	

Provincia BOETICÆ.

Spalis Metropolis.	*Egabro.*
Italica.	*Eliberi.*
Elipa.	*Malaca.*
Aſtigis.	*Aſidona.*
Cordaba.	

Provincia GALLIÆ.

Narbona Metropolis.	*Luteba.*
Caucoliberi.	*Magalona.*
Carcaſſona.	*Nemis.*
Biterris.	*Enemaſo.*
Agatha.	*Elena.*

Provincia CARTHAGINIS.

Toleto Metropolis.	*Dianio.*
Complato.	*Setabi.*
Segontia.	*Carthago.*
Oxoma.	*Baſti.*
Palentia.	*Menteſa.*
Valeria.	*Acci.*
Oreto.	*Beacia.*
Valentia.	

Provincia TARRACONENSIS.

Tarracona Metropolis.	*Elerda.*
Dertoſa.	*Barcinona.*
Cæſarauguſta.	*Egara.*
Tyraſona.	*Auſona.*
Calaguris.	*Gerunda.*
Auca.	*Impurias.*
Pampilona.	*Orgello.*
Oſca.	

Garamantes fiunt Chriſtiani.

VIII. De rebus Eccleſiæ pauca adhùc ſubjiciamus oculis. Garamantes Chriſti jugo ſe lubentes adegere, ejuratâ veteri ſuperſtitione, ſimulque miſſâ Conſtantinopolim legatione, cum Juſtino fœdere conjungi petunt, quæ brevi nos Biclarienſis docuit: *Anno tertio Juſtini Imperatoris Garamantes per Legatos, paci R. P. & fidei Chriſtianæ ſociari deſiderantes, poſcunt, qui ſtatim*

 utrum-

ANNO DOM. 570.

mrumque impetrant. Mauritanorum gens his temporibus fidem recepit. Sic regnum Chriſti miris modis, ringente vel Dæmone, amplificabatur. Rectè hæc in ſecunda Indictione à Biclarienſi conſignantur. Sed Juſtinianus non tertius, ſed quartus dici debuit.

ANNO U. C. 1323. PER. JUL. 5283. JUL. 615. DOM. 570. JUSTINI 5. & 6. *Sol.* 19. *E. Lun.* 1. *Indict.* 3. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 3. *P.* 6. *April.*

Anno quarto Conſulatus Juſtini.

Lex Juſtini de liberarum filiis.

I. LAbente anno Juſtinus de filiis liberarum Legem direxit in Africam: *Imperator Cæſar Fl. Juſtinus fidelis in Chriſto, manſuetus maximus benefactor, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, &c. ſemper Auguſtus, Theodoro.* Suggeſſerat Theodorus, agros Africæ deſolatos remanere, *cùm divina Lex promulgata fuiſſet, conſtituens creatos ex libera matre & adſcriptitio marito liberos eſſe, quod contrarium eſt Legibus antiquis.* Quibus incommodis ut remedium Juſtinus afferat, ea conſtituit: *Sancimus in Africana Provincia filios ex libera matre, & adſcriptitiis productos, liberos quidem eſſe, & res proprias habere; in ordine tamen colonorum eſſe, & non poſſe eos dimittere prædia, in quibus nati ſunt, & excolere aliena: ſed vicos ipſos, in quibus orti ſunt, rum libertate colere, ſic etenim nec fiſcus, nec poſſeſſor læditur.* Data Cal. Martii Conſtantinopoli, Imp. D. N. P. P. Auguſto Juſtinian. 5. Indict. 3. Poſterior verò ſubſcriptio: *Quæſtor legi, dat. Kal. Mart. Conſt. Imp. D. N. Juſtin. P. P. an.* 5. *poſt Conſulat. ejuſdem D. N. anno* 2. in mendo jacet. Legendum P. C. D. N. anno III. quia quartus Juſtini Conſulatus erat in curſu, teſte Mario.

Alboini in Italia victoriæ.

Warnef. l. 2. c. 25.

II. Dum Ticinum obſidione cingitur, complures Alboinus urbes in ditionem ſuam redigit: *Alboin electis militibus invaſit omnia uſque ad Tuſciam præter Romam & Ravennam, vel aliqua caſtella, quæ erant in littore maris conſtituta. Nec erat tunc virtus Romanis, ut reſiſtere poſſent, quia peſtilentia, quæ ſub Narſe facta eſt, plurimos in Liguria & Venetiis extinxerat, & poſt annum, quem diximus fuiſſe ubertatis, fames nimia ingens univerſam Italiam devaſtabat. Certum eſt autem, tunc Alboin multos ſecum ex diverſis, quas vel alii Reges, vel ipſe ceperat, gentibus ad Italiam adduxiſſe, unde uſque hodie eorum, in quibus habitant viros, Gepidas, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suavos, Noricos, ſive aliis hujuſcemodi nominibus appellamus.* Marius quoque graviſſimum memorat morbum, quo Italia vaſtata eſt: *Anno IV. Conſulatus Juſtini, Indict.* III. *morbus validus cum profluvio ventris & variola Italiam, Galliamque afflixit, & animalia bubula per loca ſubſcripta maxime interierunt.*

Sigeberti clades, dum Arelatum occupare nititur.

III. Non lethiferi morbi lue duntaxat, bello quoque Gallia turbabatur. Francorum Regibus otia non dabat ambitio: nec ſanguinis vincula, nec fraterna pietas ab armis eos revocabat. Labente igitur, vel elapſo anno Sigebertus Arelatum ſuæ ſubjicere ditioni tentat. Firminus Arvernorum Comes & Adovarius oppidum ingreſſi cum exercitu, cives ad jusjurandum in verba Sigeberti cogunt. Quo cognito, Gunthramnus *Celſum Patricium cum exercitu illùc dirigit, qui abiens Avennicam urbem abſtulit.* Sigeberti perfidiam infelix expeditionis ſucceſſus ulciſcitur. *Sabaudus* Arelatenſis Præſul dolis adhibitis Firminum & Adovarium hortatur, ut Celſo concurrant. Si vincant, victoribus pollicitum ſe obſequium præſtituros; ſi vincantur, apertis fugientes portis ſe recepturos. His promiſſis decepti cum Celſo certamen ineunt, à quo debellati, dum ſe in civitatem receptum iri putant, clauſas portas inveniunt. Hinc miſeranda ſtrages edita, dum telis Celſi à tergo confodiuntur, ab Arelatenſibus verò lapidibus obruuntur. Cùm utrinque premerentur, *armis ſuppoſitis* Rhodanum ſuperare contendunt. Quorum pars maxima rapidi fluminis vorticibus mergitur, ſic Rhodanus

Corrupta ſub undis
Scuta virum galeaſque, & fortia corpora volvit:
Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

ANNO DOM. 570.

Greg. l. 4. c. 30.

Firmino & Adovario facultas diſcedendi conceſſa. Victoriæ ſuæ diu Celſus ſuperſtes non fuit, qui labente anno naturæ conceſſit, teſte Mario: *Anno IV. Conſulatus Juſtini, Indict. 3. mortuus eſt Celſus Patritius.*

Leontius Burdegalenſis Epiſcopus. Vitæ ipſius breviarium.

IV. De rebus Eccleſiæ nunc eſt tractandum. Florebat tum temporis *Leontius* Burdegalenſis Antiſtes, patriâ, ut videtur, *Santonenſis*, quem non uno carmine Venantius celebravit. Matre *Placidinâ* genitus erat, excelſæ virtutis fœminâ, ad quam extat Fortunati Epigramma, l. 4. c. 27. niſi ad uxorem potius & Placidinam pertineat. Leontio non deerat claritas generis:

Ven. l. 1. c. 15.

Nobilitate potens præcellis, Papa Leonti,
Clarus ab antiquis ſi numerentur avis:
Nam genus & proavos, vel quidquid in ordine dicam,
Per Proceres celſos currit origo vetus.

Avito quippe, qui purpuram olim Auguſtam geſtarat, ortum ducebat. Uxorem habuit *Placidinam*, quam Epiſcopatus amore reliquit, ſolutis nuptiarum vinculis. Hinc Venantii verſus:

Quæ tibi tunc conjux, eſt modò chara ſoror.

Burdegalenſi in Cathedra collocatus, tertium & decimum Eccleſiæ hujus Præſulem agebat:

Tertius à decimo huic urbi Antiſtes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.

Multis Baſilicis extructis nomen ſuum nobilitavit, quarum in præcipuis fuit Ædes *Mariæ*. Calices muneraque multa Eccleſiis obtulit, quæ fuſam Venantii carminibus materiam præbuere: quonam verò caſu gregi ad tempus ſuo ereptus fuerit, prorſus ignoramus, ei inopinato redditum; id tantùm ſcimus ex Venantiano ad ipſum Hymno:

Ven. l. 2. c. 16.

Dum cogitant ſuccedere,
Redit Sacerdos qui fuit.

Id contigiſſe quidem illis temporibus, quibus Leontius ob abdicatum Emerium Santonenſem Præſulem Chariberti indignationem movit: qui proptereà Leontio anno DLXIII. mille aureorum mulctam impoſuit. Baronii ſententia eſt: *Accidit iiſdem, puto, temporibus, cùm Regis violentiâ opprimeretur, ut falſo allato nuncio, ipſum jam eſſe defunctum, non defuerit, qui in Burdegalenſi Eccleſia creari conaretur Epiſcopus.* Num vera ſit ea Baronii Chronologia dubitamus, cùm diu poſt Chariberti obitum Hymnus à Fortunato conditus videatur. Poſt annum ſcilicet DLXXIII. cùm Gregorii Epiſcopatus meminerit, qui eo tempore Turonenſibus Antiſtes impoſitus eſt:

Bar. An. 566. n. 19.

Natus Sacerdos ordinem
Hilarius non ambiit.
Martinus illud effugit;
Gregorius vix ſuſtulit.

Quis

Anno Dom. 570.

Quis verò ſibi in mentem inducat, Venantium Leontio reditum gratulari ſuum octennio, & eo amplius, poſtquam ad Burdegalenſes reverſus eſt? Quod tamen feciſſe dicendus eſt, ſi ea indicat, quæ contigere, cùm regiâ violentiâ Leontius opprimeretur. Anno ætatis LIV. periit, ut ex ejus Epitaphio diſcimus:

Luſtra decem felix & quatuor inſuper annos
Vixit, & aurora lumine raptus obit.

Pietatis in Deum, charitatiſque erga pauperes laudes maximas tulit:

Ven. l. 4. c. 10.

Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Suſceptor peregrum diſtribuendo cibum.

Reliquit ſibi Placidinam ſuperſtitem:

Funeris officium, magni ſolamen amoris,
Dulcis adhùc cineri dat Placidina tibi.

Fuit & alius *Leontius* Burdegalenſium Antiſtes, qui noſtro Leontio anteceſſit, de quo canit Fortunatus:

Ven. l. 4. c. 9.

Luſtra decem pollens, ſeptem quoque vixit in annos.

Mors Apollinaris Alexandrini. De ejus in pauperes charitate.

V. In Oriente *Apollinaris* Alexandrinus ultimum diem obiit. Anno DLI. ejecto ab tria Capitula *Zoilo* ſuccedens, Eccleſiam Alexandrinam annos XIX. adminiſtravit, teſte Nicephori Chronico. Concilio Conſtantinopolitano à Juſtiniano de damnandis tribus Capitulis congregato interfuerat. Ejus erga pauperes amor multis modis commendatur. Vix tamen credimus charitatem ad illud eum perduxiſſe facinus, ut levandæ paupertati falſa conſcribi inſtrumenta juberet. Quod ſi fecit, non ſe quidem dignum fecit. Moſchi in Prato ſpirituali narrationis ſumma hæc eſt. Adverſis fortunæ caſibus atque naufragiis juvenis Alexandrinus ex primoribus urbis civibus ortus, in extremam paupertatem deſcenderat. Quam ut egenti levaret, Apollinaris diſpenſatorem jubet ſcribere chirographum quinquaginta librarum auri, quaſi Macario juvenis parenti ab Eccleſia deberentur, atque ei tradere. Cum hoc inſtrumento juvenis Apollinarem convenit, quæ defuncto patri debebantur flagitans. Ac primùm fingebat Præſul, nolle ſe pecuniam reddi: præſcriptione temporis vim chirographo omnem periiſſe. Tandem verò ſimulans, ſe rogantis precibus cedere, ſortem ei ſe redditurum pollicetur, eâ lege, ne verſuram ullam exigat; quod utriuque factum eſt. Ut nobis cura pauperum maximè probatur, ſic à dolis falſitatibuſque longè noſter abhorret animus. Apollinari Joannes ſufficitur, qui Eccleſiæ Alexandrinæ annis XI. præfuit.

Prat. Spir. c. 193.

Anaſtaſius Antiochenus Epiſcopatu ejicitur. Cur?

VI. Ea Joannis ad Epiſcopatum evectio Anaſtaſium Antiochenum Sede ſuâ pepulit. A Joanne Conſtantinopolitano Præſul Alexandrinus ordinatus erat, qui de more Synodicas Anaſtaſio miſit. Qui ſcribenti cùm reſpondiſſet, in ordinatorem invehitur, veluti adulterum, qui vivente adhùc Eutychio legitimo Patriarchâ, regiæ urbis Epiſcopatum tenebat. Quam Imperator cenſuram gravius accepit, cùm Joannem faceret plurimi, à quo fuerat inauguratus. Itaque ſummâ auctoritate Præſulem immerentem, ſuiſque charum, Antiocheno Epiſcopatu Anaſtaſium pellit. Quam ejectionis cauſam Theophanes memorat: *Eodem anno magnus Anaſtaſius Epiſcopus Antiochiæ, cùm in reſponſione ſua ad Synodicas Epiſtolas reprehendiſſet Joannem Conſtantinopolitanum, qui Joannem Alexandriæ Epiſcopum ordinaverat, & eum, qui ab illo fuerat ordinatus, perſtrinxiſſet, pulſus eſt à ſuo Epiſcopatu ob indignationem Juſtini.* Alias & iræ Imperatoris adverſus Anaſtaſium cauſas addit Evagrius. Interrogatus Anaſtaſius, cur adeò profusè ſacram pecuniam dilapidaret, diſertè reſponderat, *ne à Juſtino communi peſte & pernicie generis humani diriperetur.* Manebat & altâ mente repoſta Juſtini negata ſibi ab Anaſtaſio ad Epiſcopatum promoto pecunia. Itaque Gregorius ejecto ſufficitur. Baronius, qui Joannem ſacris Alexandrinis labente anno præfectum rectè putat, non ſatis congruenter Anaſtaſii ejectionem in annum DLXXII. contulit, quæ non ultra proximè ſecuturum differri poteſt.

Anno Dom. 570.

Evagr. l. 5. c. 5.

Anaſtaſio Gregorius ſufficitur: mores ipſius & laudes.

VII. Poſt Anaſtaſium ad Epiſcopatum Antiochenum Gregorius evehitur, cujus gloria longè latèque diffundebatur: *Hic ab ineunte ætate in palæſtra monaſtica exercitatus, adeò fortiter & conſtanti animo decertaverat, ut brevi in prima adhùc lanugine conſtitutus ad ſummos gradus pervenerit, & Monaſterio Byzantiorum præfuerit, in quo monaſticum vivendi genus primùm amplexus fuerat: poſteà verò Juſtini juſſu Monachis etiam Sinæ Montis præfectus fuit. Quo in loco obſeſſus ab Arabibus, quos Scenitas vocant, in graviſſima incidit pericula. Nihilominùs tamen cùm altiſſimam pacem ei loco conciliaſſet, illinc ad Pontificatum evocatus eſt.* Erant in eo laudatiſſimi mores, qui omnes in admirationem rapiebant, & Perſas, & Romanos. In colloquiis ob leporem jucundiſſimus, ad rem intelligendam acutiſſimus, ad agendum promptiſſimus, ad optimum conſilium eligendum ſolertiſſimus. Tanta pectori ejus conſtantia inerat, ut nullo metu adduci poſſet ad cedendum minis. In eroganda pecunia adeò magnificum ſe præbuit, ut hominum ingens multitudo euntem proſequeretur. Ad annum uſque DXCII. Eccleſiam Antiochenam rexit: eoque necdum defuncto rurſus Anaſtaſius ſuæ Sedi reſtituitur.

Evagr. l. 5. c. 6.

Anno U. C. 1324. Per. Jul. 5284. Jul. 616. Dom. 571. Justini 6. & 7. *Sol.* 20. D. *Lun.* 2. *Indict.* 4. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 4. *P.* 29. *Mart.*

Anno Dom. 571.

Anno quinto Conſulatus Juſtini.

I. FOedo morbo, quo Gallia Italiaque correpta eſt, annus infelix fuit. Quam Baronius calamitatem ſecundum Warnefridum anno DLXV. contigiſſe putat. Eſt verò ſexennii prochroniſmus, quem Marius refellit: *Anno V. Conſulatus Juſtini, Indict. IV. infanda infirmitas atque glandula, cujus nomen eſt puſtula, in ſuprà ſcriptis regionibus, innumerabilem populum devaſtavit.* Horrendum Warnefridus morbum ſic oratione pingit: *Cœperunt naſci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus locis glandulæ, in modum nucis, ſeu dactyli, quas mox ſequebatur febrium intolerabilis æſtus, ita ut in triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum tranſegiſſet, habebat ſpem vivendi. Erant autem ubique luctus, ubique lachrymæ. Nam ut vulgi rumor habebat, fugientes cladem vitare, relinquebantur domus deſertæ habitatoribus, ſolis catulis eas ſervantibus. . . . Fugiebant filii, cadavera inſepulta parentum relinquentes; parentes obliti pietatis viſcera, natos relinquebant æſtuantes.* Fallitur Warnefridus ſcribens: *Et hæc quidem mala intra Italiam tantum.* Teſtis Marius eſt, luem Gallias etiam pervaſiſſe.

Glandulæ Italiam & Gallias afficiunt.

Error Baronii.

Bar. An. 565. n. 25.

Warnef. l. 2. c. 4.

II. In Hiſpania præclaris facinoribus famam Leovigildus ſuam ditionemque extendebat.

Leovigildi victoriæ.

Quid

ANNO DOM. 571.

Quid anno præterito geſſerat, Biclarienſe Chronicum refert: *Leovigildus Rex loca Baſtania, & Malacitana urbis, repulſis militibus vaſtat, & victor ſolio redit.* Currente verò anno ad novos gloriæ gradus promovetur *Leovigildus Rex, Aſidam fortiſſimam civitatem proditione cujuſdam Framidanei nocte occupat, & militibus interfectis, memoratam urbem ad Gothorum revocat jura.* Hæc Joannes Biclarienſis ad annum Juſtini quintum. Cujus ad Chronologiam obſervandum, Autorem Juſtini initia anno ſerius uno quàm par erat, conſignaſſe, quæ cum Indictione xv. copulavit. Ex eo calculo currebat Indictio I v. cùm Leovigildus Aſinodam ſibi ſubjecit. Eſt tamen Biclarienſi peccatum, quod annum Juſtini quintum cum quarta Indictione cohærere exiſtimet, qui reverà ſextus appellari debuit.

Armeniorum à Perſis defectio. Cur?

III. At in Oriente majoris belli cauſæ feruntur, quas ſummatim exponere juvat. Philippus Imperator, Gordiani ſucceſſor majorem Sapori Armeniam tradiderat, quæ Perſicæ ditioni ab eo tempore ſubjiciebatur. Cui Provinciæ Coſroës *Surinam* præfecerat. Surinas fidei Chriſtianæ odio Perſarmenos crudelius vexare cœpit. Joanni Biclarienſi non ignota quidem ea perſecutio fuit, Armeniacam tamen defectionem tempori ſuo non aſſignavit, quâ ſcilicet anno Juſtini primo tribuit, ea fortè de cauſa, quòd eo tempore Armeniacis Eccleſiis perſecutionis faces Surina ſubdere cœperat. De re tamen ipſa certa eſt Biclarienſis obſervatio: *Armeniorum gens & Iberorum, qui à prædicatione Apoſtolorum Chriſti ſuſceperunt fidem, dum à Coſroe Perſarum Imperatore ad culturam Idolorum compellerentur, renuentes tam impiam juſſionem, Romanis ſe cum Provinciis ſuis tradiderunt.* Hæc ſunt labentis anni. Cùm à Perſis gravius vexarentur, præcipuè in iis, quæ ad ipſorum religionem ſpectabant, clam Legatos Juſtino mittunt, rogatum, ut Romanæ poteſtati ſubditi, libero pietatis cultu fungerentur. Admiſſâ legatione, Juſtinus ſcriptas fœderis conditiones gravi juramento firmat. Quid jurando Imperator pollicitus fuerit, in Menandro Protectore reperimus: *Juraverat Imperator, omni ope ſe annixurum, ut terram, quæ ipſos aluerat, ſuæ ditionis efficeret. Quòd ſi rem illam exequi, & bello finem imponere non poſſet, auteros tamen defectionis, eorumque propinquos, & generaliter eos, qui Romana Republica participes eſſe vellent, ſe nunquam Perſis dediturum.* Tum Armenii occiſis Præfectis, Romano ſeſe Imperio omnes tradunt. Quod verbis Theophanis apud

Evagr. l. 5. c. 7.

Phot. l. 64. p. 79.

Photium referre libet: *Armenii à Surina male accepti, maximè in pietatis religioniſque negotio Surinam conjuratione factâ, per Vardanum (cujus fratrem Manuelem ille interfecerat,) & alium quendam Verdum occiderunt, & à Perſis deficientes ad Romanos tranſiere, relictoque oppido, quòd incolebant, Dubis nomine, in Romanorum regionem commigrarunt. Atque hæc ipſa potiſſimum cauſa Perſis fuit rumpendi fœderis induciarumque cum Romanis. Deſciverunt poſt hos ſtatim etiam Iberes, & Gorgone ipſos ducente, ad Romanos tranſierunt.* Ad eum annum, quem perperàm Joannes Biclarienſis Juſtini quintum dixit in Chronico, hæc legimus: *Juſtinus Imperator Armeniam & Iberiam, repulſis Perſis, Romanas Provincias fecit, & bellum Perſarum Imperator per Duces peragit.* Ex quibus error Zonaræ detegitur, qui *quarto* Juſtini *anno* Marciani cum Perſis prælium conjunxit, quod in octavum incidit.

ANNO U. C. 1325. PER. JUL. 5285. JUL. 617. DOM. 572. JUSTINIANI 7. & 8. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 3. *Indict.* 5. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 5. 6. *P.* 17. *April.*

ANNO DOM. 572.

Anno VI. *Conſulatus Juſtini.*

Alboinus Ticino potitur.

Warnef. l. 2. c. 27.

I. Ticinenſem obſidionem longius traxerat Alboinus, cui cives fortiter reſtiterant. Demum anno labente potitur oppido. Rem ſic Warnefridus exequitur: *At verò Ticinenſis civitas poſt tres annos & aliquot menſes obſidionem perferens, tandem ſe Alboin & Langobardis obſidentibus tradidit. In quam cùm Alboin per portam, quæ dicitur S. Joannis, ab orientali urbis parte introiret, equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus ſtimulatus, quamvis hinc inde ab ſtratore verberibus caſus, non poterat elevari. Tunc unus ex eiſdem Langobardis taliter Regem allocutus eſt, dicens: Memento, Domine Rex, quale votum voviſti, frange tam durum votum, & ingredieris urbem. Verè etenim Chriſtianus eſt populus in hac civitate. Siquidem Alboin voverat, quod univerſum populum, quia ſe tradere noluiſſet, gladio extingueret. Qui poſtquam tale votum dirumpens civibus indulgentiam promiſit, mox equus ejus conſurgens, ipſe civitatem ingreſſus, nulli læſionem inferens, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis Populus in Palatium, quod quondam Rex Theodoricus conſtruxerat, concurrens, poſt tantas animum miſerias, de ſpe jam fidus futura cœpit relevare.* Miraculi hujus fides ſit penes Autorem.

Alboinus à Roſemunda interficitur.

Error Baronii.

II. Ultima glorioſiſſimi Principis ea victoria fuit, cùm adulteræ uxoris inſidiis labente anno indignâ morte occubuerit. Ac Baronius quidem citius Alboinum periiſſe putat, anno ſcilicet elapſo. Quam Marius Chronologiam verbis expreſſis refellit: *Anno* VI. *Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti, Indictione* v. *Albuenus Rex Longobardorum à ſuis, id eſt, Helmegiſe cum reliquis, conſentiente uxore ſuâ Veronâ interfectus eſt, & ſuprà ſcriptus Helmegis cum antè dicta uxore ipſius, quam ſibi in matrimonium ſociaverat, & omni theſauro, tam quod de Pannonia exhibuerat, quàm quod de Italia congregaverat, cum parte exercitus Ravenna ſe Reipublicæ tradidit.* In proximè futurum annum, quem Juſtini VII. numerat, nefandam Biclarienſis cædem contulit, cui Marium anteponimus, ab Italia minus remotum. Tragicam Alboini hiſtoriam ex Warnefrido noſtros in Annales referre liceat: *Cùm in convivio ultrà quàm oportuerat, apud Veronam Lætus reſideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi Regis ſui ſoceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam, ut cum patre ſuo lætanter biberet, invitavit. . . . Igitur Roſemunda, ubi rem animadvertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris ſuum vindicatura exarſit. Conſilium, quæ cum Helmichis, qui Regis Schilpor, hoc eſt, armiger & collectaneus erat, ut Regem interficeret iniit. Qui Reginæ perſuaſit, ut ipſa Peredeo, qui erat vir fortiſſimus, in hoc conſilium aſciret. Peredeo cùm Regina ſuadenti tantum nefas, conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuo Veſtiariæ, cum qua Peredeo ſtupri conſuetudinem habebat, ſuppoſuit. Cùmque illa patrata jam ſcelere, ab eo quæreret, quem ſe eſſe exiſtimaret, & ipſo nomen amicæ, quam eſſe putabat, nominaſſet, Regina ſubjunxit, nequaquam ut putas, ſed ego*

Warnefr. l. 2. c. 28.

Roſe-

ANNO DOM. 572.

Roſemunda ſum, inquit. Certè nunc talem rem, Peredeo, perpetratam habes, ut aut tu Alboin interficias, aut ipſe te ſuo gladio extinguat. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & quà ſponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus aſſenſit. Tunc Roſemunda dum ſe Alboin in meridie ſopori dediſſet, magnum in Palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut evaginari poſſet, fortiter colligavit, & juxta conſilium Helmichis, Peredeo interfectorem omni beſtia crudelior introduxit. Alboin ſubitò de ſopore expergefactus, malum quod imminebat, intelligens, manum citius ad ſpatham porrexit, quàm ſtrictius religatam extrahere non valens, apprehenſo tamen ſcabello ſuppedaneo, ſe cum eo per aliquod ſpatium defendit. Sed heu proh dolor, vir bellicoſiſſimus & ſumma audacia nihil contra hoſtem prævalens, quaſi unus de inermibus interfectus eſt, uniuſque muliercula conſilio periit, qui per tot hoſtium ſtrages bello famoſiſſimus extitit. Cujus corpus cum maximo Longobardorum fletu & lamentis, ſub cujuſdam ſcala aſcenſu, quæ Palatio erat contigua, ſepultum eſt. Tres annos & menſes ſex in Italia regnavit. Itaque egregiè Gregorius fallitur, qui Alboinum & in Italiam cum *quatuor* mille Longobardis veniſſe, & *ſeptem annos* tyrannicè in ea regione graſſatum eſſe, & *veneno* periiſſe, tradit.

Greg. l. 4. c. 35.

Rejicienda quoque Calviſii Chronologia, qui anno 574. Alboini mortem affigit biennii metachroniſmo.

Roſemunda & Helmichis Alboini interfectores veneno pereunt.

III. Crudelem Regis mortem non inultam eſſe patitur ſummus mortalium omnium judex. Defuncti Principatum invadere Helmichis moliebatur: ſed irrito conatu adeò Longobardis ob cædem perpetratam inviſus erat; qui ne dum imperium ei concederent, mortem potius inferre parant. Longino igitur Roſemunda ſignificat, citius ad ſe navem mittat, quâ cum theſauris Helmiche, cui jam nupſerat, & *Albiſuinda* Alboini filia, Ravennam tendere poſſet. Poſtquam eò pervenit, Longinus Roſemundæ perſuadet, ut Helmiche interfecto ſecum matrimonio jungatur. Quæ ut Ravennatenſem Principatum adipiſceretur, aſſenſum facilem præbuit:

Warnefr. l. 2. c. 29.

Dum Helmichis ſe in balneo ablueret, egredienti ei de lavacro veneni poculum, quod ſalutis eſſe aſſeverabat, propinavit. Ille ubi ſenſit ſe mortis periculum bibiſſe, Roſemundam evaginato ſuper eam gladio, quod reliquum erat, bibere coëgit. Sicque Dei omnipotentis judicio interfectores iniquiſſimi uno momento perierunt. Non ante annum DLXXVIII. ad fata venere, ſi ad Warnefredi narrationem noſtram Chronologiam dirigamus. Relatâ quippe Roſemundæ & Helmichis morte, ſubinde tradit: *His ita peremptis, Longinus Præfectus Albſuindam cum Longobardorum theſauris Conſtantinopolim ad Tiberium direxit.* Tiberius verò Juſtino ſucceſſit anno DLXXVIII. menſe Octobri. Valde tamen dubitamus, quin pro *Tiberio* Juſtinus legi debeat.

Leovigildus Cordubam ſibi ſubjicit.

IV. In Hiſpania Leovigildus Gothorum res novis quotidie ſucceſſibus augebat, uti nos Biclarienſe Chronicum monuit: *Leovigildus Rex Cordubam civitatem diu Gothis rebellem, nocte occupat, & cæſis hoſtibus propriam facit, multaſque urbes & caſtella, interfectâ ruſticorum multitudine, in Gothorum dominium revocat.* Gallæciæ & in partibus *Miro* Suevorum Princeps arma movebat. Biennio antè Theodomiro ſucceſſerat:

Biclar.

Anno IV. Juſtini in Provincia Gallæcia, Miro poſt Theodemirum Suevorum Rex efficitur. Alter à primo Mironis annus currebat, cum armis infeſtis Arragoniam ingreditur: *Miro Suevorum Rex bellum contra Aragones movit.*

ANNO DOM. 572.

Juſtinus negat Perſis tributum: ad Aretham Legatos mittit.

V. In Orientis tractu Coſroës Armeniorum defectionem moleſtè ferens, priuſquam illatam ſibi injuriam armis ulciſceretur, experiri voluit, an ſine vi Juſtinus faceret, quod ab eo faciendum æſtimabat. Legatos igitur ad Imperatorem mittit, qui de *Vardanis* rebellione quererentur, quibus id reſponſi dedit: *Terminatam eſſe pacem, quæ inter ipſos facta fuerat, nec fieri poſſe, ut Chriſtianos belli tempore ad ſe confugientes, rejiceret.*

Evagr. l. 5. c. 7.

Alia quoque Juſtino cauſa fuit ſolvendæ pacis, quam in Zonara legimus:

Zon. l. 14. 71.

Cùm Romani Perſis annuas quingentas libras penderent, ut ſibi vicina Romanæ ditioni caſtella illæſa tuerentur, Juſtinus, qui turpe eſſe dicebat, Romanos Perſis vectigales eſſe, aurum retinuit, miſſiſque Legatis ad Aretham Æthiopum Regem, impetravit, ut Perſicas Provincias Æthiopiæ finitimas incurſaret, & deprædaretur. Obiit legationem *Julianus*, qui Aretham nudum invenit, lumbos rectum perizomate lineo, filis aureis contexto: brachia radiabant armillis aureis: torques aureus collum cingebat: *Stabat ſuper quatuor elephantes ſtantes, & habentes jugum & rotas quatuor, & ſuperius currum velatum petalis aureis, ut ſunt Principum currus: & ſtans ſupra illos ferebat ſcutum parviſſimum rotundum, & duas lanceolas aureas, & Senatus omnis erat cum armis, canentes modulationes muſicas.* Accepta Imperatoris ſacra Arethas ſigillum oſculatur: quæ verò requirebantur, executioni ſe mandaturum pollicetur. Poſt ubi Juliano libavit oſcula, cum multis muneribus illum dimittit.

Miſcell. l. 16.

Non tamen ad bellum gerendum Juſtinus neceſſaria parabat, ſed conſuetis deliciis immerſus, libidinibus cuncta ſua poſtponenda eſſe ducebat. Imperatoris & moras & negligentiam quaſi emendaturus Arethas, collecto protinùs exercitu, præmiſſiſque Saracenis ſuis, Perſidem ingreſſus omnia populatur.

Bracarenſis Synodus II.

VI. Percurremus nunc, quæ ad Eccleſiam propius ſpectant. Labente anno Concilium Bracarenſe ſecundum, Labbeo tertium perperàm vocatum, celebratur. Verba ſunt Præfationis: *Regnante Domino noſtro J. Chriſto, currente Æra* DCX. *anno ſecundo Regis Mironis.* De menſe verò difficultatis aliquid ſuboritur, variantibus MS. Vulgata exemplaria habent, *die Kal. Juniarum*: at in aliis legitur, *die* XVIII. *Kal. Januariarum*, in quibuſdam etiam continetur, *Kal. Majarum.* Adfuere Præſules XII. ſex ex Bracarenſi, ſex ex Lucenſi Diœceſi. Ex priore quidem *Martinus* Bracarenſis Synodi Præſes, *Remiſol* Viſenſis, *Lucetius* Conimbrienſis, *Adorius* Ægitanus, *Sardinarius* Lamecenſis, *Viator* Magnetenſis. Ex poſteriore verò *Nitigiſius* Lucenſis, *Andreas* Irienſis, *Vitimer* Aurienſis, *Avila* Tudenſis, *Polemius* Aſturienſis, *Mailoc* Britonenſis, qui omnes regiis juſſis Bracaram confluxere: *Cùm Gallæciæ Provinciæ Epiſcopi, tam ex Bracarenſi, quàm ex Lucenſi Synodo cum ſuis Metropolitanis præfati Regis ſimul in Metropolitana Bracarenſi conveniſſent*, eos Martinus, quæ ad diſciplinam Eccleſiæ pertinent, ordinare hortatur, quo etiam monente ſuperioris Bracarenſis & Canones, & Epiſtola leguntur. Finitâ recitatione, affertur Novum Teſtamentum, ut *relectis B. Apoſtoli Petri præceptis, quæ pro regula Sacerdotum in ſua Epiſtola evidenter aſcripſit*, ad divinam ſanè normam Epiſcopi mores dirigerent: *Seniores*,

res, obſecro, conſenior, paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, &c. Verba omnibus quidem Synodis meritò inculcanda, ſecundum ea Epiſcopi omnes à faſtu & ambitione alieni, vitam ſuam inſtituant. Proceſſere deìn ad conſcribendos Canones numero decem.

Canones Bracarenſis Concilii II.

VII. I. Epiſcopi dum Diœceſes viſitant, *diſcutiant Clericos, quomodo ordinem baptiſmi teneant, vel Miſſarum*, ut ſi rectè ordo obſervetur, Deo gratias agant: ſin minus, ignorantiâ laborantes Presbyteros informent. Jubent, *ante XX. dies baptiſmi ad purgationem exorciſmi Catechumeni currant, in quibus Symbolum doceantur.* Hæc Presbyteros ſpectant, primâ viſitationis die inſtituendos; aliâ die vocatos Eccleſiæ populos doceant; *errores fugere Idolorum, homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera: credant reſurrectionem omnium hominum, & diem judicii.* II. Nullus Epiſcoporum ambulantium per Diœceſes, *præter honorem Cathedræ ſuæ, id eſt, duos ſolidos aliquid aliud per Eccleſias tollat, neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi requirat*, quæ *luminariis Eccleſiæ* deſtinetur. III. Pro ordinationibus munera nulla accipiantur. IV. Pro balſamo, quod benedictum pro baptiſmo per Eccleſias datur, *quia ſinguli tremiſſes pro ipſo exigi ſolent, nihil ulterius exigatur.* V. Pro Eccleſiarum conſecratione nil muneris Præſules à fundatoribus requirant, oblatum tamen non reſpuant. Eccleſiam non dedicent, niſi dos chartulâ firmetur. VI. Baſilicam eo conſilio extructam, ut quidquid *de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat* ædificator, nullus Præſulum conſecret. VII. Quod pro baptiſmo voluntariè offertur, à Clericis accipiatur; nullum verò pignus violenter tollatur, quia *pauperes hoc timentes, filios ſuos à baptiſmo retrahunt.* VIII. Qui Clericum fornicationis accuſat abſque duobus vel tribus teſtibus, excommunicatione plectatur. IX. Superventurum anni Paſcha, quoto Cal. die, vel quotâ Lunâ debet ſuſcipi, à Metropolitano nuncietur. Quod Clerici breviculo ſubnotantes, Natalis feſto aſtanti populo poſt lectionem Evangelicam nuntient, ut introitum Quadrageſimæ nullus ignoret: *In cujus principio convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ per triduum cum Pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio die celebratis horâ nonâ, ſive decimâ Miſſis, præcipiant Quadrageſima ſervare jejunia.* X. Presbyter poſt cibum non celebret Miſſam pro mortuis. Presbyterorum nonnulli Priſcilliani erroribus afflati, *poſt acceptum merum* conſecrabant, quod prohibetur.

Martinus Bracarenſis. Quis?

VIII. Martini, qui Bracarenſi Concilio præfuit, res noſtro ſtylo proſequamur. Natus erat non in *Italiâ*, ut tradit in ſua Bibliotheca Du Pio, ſed in Pannonia, quod nos Venantius in ſuo ad Martinum ipſum Epigrammate monuit:

Fort. l. 5. c. 2.

Pannoniâ ut perhibent, veniens è parte, Quirinis,
Eſt magis effectus Galliſuaba ſatus.

Id ipſum nos docet Epitaphium mox recitandum. Pannoniâ in Orientem profectus, inde marino itinere in Hiſpaniam migravit. Extat breviarium vitæ ipſius apud Iſidorum de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Martinus Dumienſis Monaſterii ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans, in Galliciam venit, ibique converſis ab Ariana impietate ad fidem Suevorum populis, regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit, Eccleſias informavit, Monaſteria condidit, copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit.* . . . *Floruit regnante Theodomira Rege Suevorum, temporibus illis, quibus Juſtinianus in Republica, & Athanagildus Hiſpanus imperium tenuere.* Evellendo è Suevorum animis errori non minimum laboravit, quod cecinit Fortunatus in ſuo Epigrammate:

In ramis hæreſis fidei pia gemmina fixit,
Quodque oleaſter erat, pinguis oliva viret.

Fuit amicitiâ conjunctus cum Fortunato, cujus & ad ipſum Epiſtolam, & fortè Epigramma *Bonoſus* attulit. Ad annum uſque DLXXXI. vitam extendit ſuam, ut ex Gregorio Turonenſi colligitur, qui Martini obitum in anno Childeberti quinto collocat. Obiit Childeberti pater Sigebertus anno 575. *Die Dominici Natalis* regnare cœpit Childebertus, cujus quintus annus, paucis diebus exceptis, in DLXXX. totus incidit. Martini igitur de obitu Gregorium audiamus: *Hoc tempore & B. Martinus Gallicienſis Epiſcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum: nam hic Pannoniâ ortus fuit, & exinde ad viſitanda Loca ſancta in Orientem properans, in tantum ſe litteris imbuit, ut nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, ubi cùm B. Martini reliquiæ portarentur, Epiſcopus ordinatur. In quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migravit ad Dominum. Verſiculos, qui ſuper oſtium ſunt à parte mediana in Baſilica S. Martini, ipſe compoſuit.* Hinc Baronii error coarguitur, qui Martini Bracarenſis obitum anno DLXXXIII. affigit. Triennii metachroniſmus eſt, ut ex Gregorio intelligimus. Martini Natale Martii XX. in Gallæcia recolitur. Defuncti in tumulo hoc Epitaphium legitur:

Greg. Tur. l. 5. c. 37.

Error Baronii.

Bar. An. 583. n. 29.

B. M. P. t. 10. 387.

Pannoniis genitus, tranſcendens æquora vaſta,
Gallicia in gremium divinis nutibus actus,
Confeſſor Martine, tua hac dicantur in aula.
Antiſtes cultum inſtituit, ritumque ſacrorum,
Teque, patrone, ſequens famulus, Martinus eodem
Nomine non merito, hic in Chriſti pace quieſco.

Martini Bracarenſis Opera.

IX. Non inter Præſules modò, in Scriptoribus etiam Eccleſiaſticis Martini nomen invenitur. Præter carmina quædam, quorum Gregorius Turonenſis meminit, & Epitaphium, ſunt & breves ſolutâ oratione tractatus: prior de quatuor virtutibus, poſterior de moribus. Capita IV. prioris libri de Juſtitia officioſi mendacii ſe defenſorem præbet: *Si aliquando coarcteris uti mendacio, utere non ad falſi, ſed ad veri cuſtodiam, & ſi contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, ſed potius excuſaberis, quia ubi honeſta cauſa eſt, juſtus ſecreta non prodit.* Ex Synodis Capitula octoginta quatuor confecit, quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſui eſſent. Octo & quinquaginta ad Epiſcopos, reliqua ad Laicos pertinent. Opus Nitigeſio Lucenſi Præſuli nuncupavit: *Domino beatiſſimo atque Apoſtolicæ Sedis honore ſuſcipiendo in Chriſto fratri, Nitigeſio Epiſcopo, vel univerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſcopus.* Conſilium Autoris utilitaſque operis his Præfationis verbis docentur: *Viſum eſt, ut cum omni diligentia & ea, quæ per tranſlatores obſcurius dicta ſunt, & ea, quæ per Scriptores ſunt immutata, ſimplicius & emendatius reſtaurem.*

Lab. Conc. t. 5. 903.

ANNO DOM. 573.

ANNO U. C. 1326. OLYMP. 338. PER. JUL. 5286. JUL. 618. DOM. 573. JUSTINI 8. & 9. *Sol.* 22. A. *Lun.* 4. *Indict.* 6. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 7. *P.* 9. *April.*

Anno VII. *Conſulatus Juſtini.*

Luibæ Regis obitus. Defuncto ſuccedit Leovigildus.

I. GOthicum in Hiſpania regnum in duas partes diviſum, quarum una *Luibæ*, altera *Leovigildo* regnabatur, unius poteſtati tandem ſubjicitur, Luibâ animam exhalante: cujus obitum currenti anno, quem Juſtini *ſeptimum* vocat, Joannes Biclarienſis alligat: *His diebus Luiba Rex vita finem accepit, & Hiſpania omnis in regno & poteſtate Leovegildi Regis, Galliaque Narbonenſis concurrit.* Errorem itaque ſuum Baronius luere debet, qui de Luibæ obitu in triennii prochroniſmum delapſus eſt. Ad annum quippe DLXX. n. 25. hæc habet: *Hoc anno Luiba Rex Gothorum in Hiſpania ipſe regni ſui anno tertio moritur.* Imò anno DLXXIII. Luiba periit, nec regni ſui *tertio*, ut Baronio creditum, ſed quinto labente. Etenim Athanildo ſucceſſerat anno Juſtini tertio, qui Biclarienſi perperàm *ſecundus* ſcribitur: reſponderque anno Æræ noſtræ DLXVIII. Incremento ingenti cùm res Leovigildi augerentur, novis quoque victoriis ditionem amplificavit ſuam: fraternoque exemplo monitus conſortes & regni ſibi aſciſcere. Quæ omnia Biclarienſe Chronicum memoriæ mandat: *Leovigildus Rex Sabariam ingreſſus, Sapos vaſtat, & Provinciam ipſam in ſuam redigit ditionem, duoſque filios ſuos ex amiſſa conjuge, Ermenegildum, & Recaredum, conſortes regni facit.* Novorum Regum hiſtoriam illuſtret & Gregorius: *Unus Sigeberti, alius Chilperici filiam deſponſavit. Ille quoque inter eos regnum æqualiter diviſit, interficiens omnes illos, qui Reges interimere conſueverant, non relinquens ex eis mingentem ad parietem.*

Error Baronii.

Greg. l. 14. *c.* 32.

Chilperici in Sigeberti regnum impetus. Chlodovei latrocinia.

II. Chilperici mentio atque Sigeberti monet, quid ſub ea tempora in Gallia gereretur, noſtris & Annalibus inſerere. De Clotharii filiis, ſi à Gunthramno fortè diſceſſerimus, ingenioſi Poëtæ carmen uſurpari non injuriâ poteſt:

Metam. l. 1. *fab.* 6.

Sed & illa propago
Contemptrix ſuperum, ſævaque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit.

Chilpericus quippe Sigeberti urbibus inhians, Turonenſem, Pictavienſemque civitatem, fratris ditioni ereptam, poteſtati ſuæ ſubjicere voluerat. Chlodoveus Chilperici filius Turonis ejectus, Burdegalam petit: venienti *Sigulfus*, de Sigeberti Ducibus unus occurrit, fugatumque eum ſua repetere cogit. Nec ad miſeram Galliam lacerandam hoſtiles illæ excurſiones & latrocinia ſufficiebant. Gunthramnum inter atque Sigebertum diffidium exoritur, cui componendo omnes regni ſui Præſules Gunthramnus Lutetiæ cogit, nullo tamen ſucceſſu, jubentibus ita Francorum flagitiis, ut Gregorius ipſe fatetur: *Ut bellum civile in majore pernicitate creſceret, eos audire peccatis facientibus diſtulerunt.* Ambitione quoque accenſus ſuâ Chilpericus, rurſum in Sigebertum arma movet, ac ne iniquitati aliquid eſſet reliqui, majorem natu filium Theodebertum, qui conceptis verbis Sigeberto juraraт, ſe fidem ei præſtiturum, jubet, ut Turonos, urbeſque ad Ligerim ſitas invaderet. Parentis juſſa perfidus capeſſit lubens, ac Pictavium uſque progreſſus, cum Gundobaldo dimicat, eoque terga vertente, ſtragis non minimum edit: *Sed & Turonicam regionem maximâ parte incendit, & niſi ad tempus manus dediſſem, totam continuò debellaſſet. Commoto autem exercitu, Lemovicinum, Caduranum, Cadurcinum, vel reliquas illorum propinquas pervadit, vaſtat, evertit, Eccleſias incendit, miniſteria detrahit, Clericos interficit, Monaſteria virorum dejicit, puellas deludit, & cuncta devaſtat, fuitque illo in tempore pejor in Eccleſiis gemitus, quàm tempore perſecutionis Diocletiani.*

Greg. l. 4. *c.* 42.

Morbi cerebro Juſtinus afficitur.

III. Clades quoque ſuas Oriens patiebatur. Vehemens quippe morbus regiam invadens urbem, multos morti miſit. Sed & mens Imperatoris cardine emoveri ſuo cœpit, teſte Joanne Biclarienſi, qui eo tempore Conſtantinopoli verſabatur: *Juſtinus Imperator gravi infirmitate concutitur: quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis Dæmonum vexatio putabatur. In regia urbe mortalitas inguinalis plaga exardeſcit, in qua multa millia hominum vidimus defuiſſe.* Cùm mente non ſatis ſanâ Juſtinus uteretur, immeritò in *Biduarium* fratrem excanduit, quaſi cauſam inimicitiarum quæſiviſſet. Stabuli Comitis officio Biduarius fungebatur, quem convitiis primùm onerat, dein à Cubiculariis pugnis cæſum ad Senatum duci jubet. Quo mandato doloris non minimum *Sophia* inuritur Auguſtæ. Cujus monitis ad reſipiſcentiam adductus Imperator, cumulatè læſo ſatisfecit, ſicque concordia redintegrata fuit. Non eò tamen vis morbi proceſſerat, ut Reipublicæ curam Juſtinus omnem deponeret.

Miſcel. l. 16.

Marcianus in Perſas miſſus, Niſibim obſidet.

IV. Cùm igitur intelligeret, Coſroëm ad bellum ſe parare, Marcianum ſibi conſanguineum in Orientem anno labente miſit, ut ex Theophane Byzantino intelligimus: *Marcianus Juſtini Imperatoris patruelis, Orientis Dux renuntiatus, in expeditionem adverſus Coſroëm octavo imperii Juſtini anno miſſus eſt.* Joannes Armeniæ Dux copias colligebat. Armenis verò ſocios ſe conjunxerunt Colchi, Abaſgi, & *Sarocs* Rex Alanorum. Perſis Saberi, Daganes, & Dilmaina gens, Duce Merane militabant. Marciano tamen juſtus exercitus non erat, nec apparatus etiam belli idoneus. Perpaucos milites trahebat, eoſque inermes: habebat & foſſores quoſdam, & bubulcos, quos Provincialibus eripuerat. Levi prælio circa Niſibim conſerto, Perſis, necdum ad bellum ſatis inſtructis, ſuperior evaſit. Non prorſus tamen ignobilis fuit Marciani victoria, ſi *Theophani* Byzantini fides: *Marcianus ad Niſiborum urbem ſignis collatis, Meranem in fugam convertit, eoque prælio mille & ducentos cecidit, vivos cepit ſeptuaginta, Romanis ſeptem duntaxat deſideratis. Mox Niſibenorum mœnia obſidione cinxit.* Obſidionem parvifecere Niſibitani, qui ne portas quidem ſuas occludere dignati ſunt: ſed & non ſine contumelia & dedecore Romano exercitui illuſere. Intereà loci Marcianus apud Imperatorem affectati Imperii accuſatur, cui calumniæ cùm Juſtinus fidem adhibuiſſet, eum exercitus Præfecturâ ſubmovit, *Theodoro*, cognomine Tiſron, ſuffecto. Sic turbatis rebus Niſibenſis ſolvitur obſidio, ut anno ſequente narraturi ſumus. In recenſendo Romanorum cum Perſis bello aliis nominibus utuntur Theophanis Chronicum atque Zonaras, quibus Dux Juſtini *Martinus*, Perſarum verò

Evagr. l. 5. *c.* 8.

Phot. Cod. 64. 82.

ANNO DOM. 573.

Rex Hormiſdas appellatur. Pius tamen fidei Evagrio Theophanique Byzantino habendum eſſe exiſtimamus.

Joannes Papa moritur. Ei ſuccedit Benedictus: ejus Epiſtola ſubdita.

V. Quæ in rebus Eccleſiaſticis partem ſibi vindicant, nunc oratione complectamur. Joannes Papa tertius ad ſuperos migravit Pontificatus anno XIV. Ejus quidem obitum in hæc tempora Biclarienſe Chronicum affigit. Tertio Idus Julias Petri in Baſilica ſepultum eſſe, interpontificiumque extitiſſe menſium & dierum trium, legitur in Anaſtaſio. Defuncto Benedictus ſuccedit: *Poſt Joannem Romanæ Eccleſiæ Benedictus ordinatur Epiſcopus.* Hæc Biclarienſis ad annum Juſtini VIII. quem perperàm ſeptimum dixit. Bonifacio patre Benedictus ortus erat, gente Romanus. Benedictus Evagrio Nicephoroque *Bonoſus* vocatur, quod fortè cognomen Benedictus geſſit. Verba ſunt Evagrii:

Evagr. l. 5. c. 16.

Per idem tempus cum Joannes, qui alio nomine Catelinus dicebatur, ex hac vita migraſſet, Bonoſus Epiſcopatus Romani gubernaculum ſuſcepit. Pontificatum tenuit quadrienio obſcurâ ſui relicta memoriâ. Eo ſedente gravis urbi fames incubuiſſe dicitur: *Quod dum cognoviſſet Juſtinus piiſſimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame & mortalitate, miſit in Ægyptum, & oneravit naves frumento, & tranſmiſit Romam.* Extat Benedicti nomine Epiſtola ad *Davidem* Epiſcopum probandæ Trinitatis. Fingit Autor, hunc ſe Præſuli reſpondere ſcribenti: *Quoſdam intra Provinciam Baticam eſſe, qui dicerent, neminem veraciter poſſe probare, Trinitatem unitatem fieri, cùm neque tres unum, neque unum in tribus poſſe quemquam propriè approbare*, quod reſpondenti lacrymas excuſſit. Scripturæ verò teſtimoniis ſanctiſſimum demonſtrare myſterium aggreditur. Epiſtolæ verò brevitatem excuſat ex fame, quâ Roma premebatur. Falſam eſſe & Benedicto ſuppoſitam Epiſtolam, eruditis in confeſſum venit. Nota quidem Conſularis eſt abſurdiſſima: *Data quarto Nonas Aprilis Juſtino & Eibio, viris clariſſimis Coſſ.*

Gregorius Turonenſis Epiſcopus creatur.

VI. Lubentem annum inſignivit Gregorii Epiſcopatus, qui Turonenſibus ſacris imponitur. Chronologia quidem Baronii non eſt accurata ſatis, utpote quæ anno DLXXIV. Gregorianæ Epiſcopatus ponit initia. Quo tempore Sacerdotium adiit, narrat ipſe Gregorius: *Sigiſberto glorioſiſſimo Rege duodecimo anno regnante, poſt exceſſum Sancti Eufronii non meo merito, cùm ſim conſcientiâ teterrimus, & peccatis obvolutus, ſed tribuente fideli Deo, qui vocat ea, quæ non ſunt, onus Epiſcopale indignus accepi.* Sigebertus verò regnum anno DLXI. exorſus eſt, ut ex Mario Aventicenſi obſervavimus. In Arvernorum regione Gregorius patre *Florentino*, matre *Armentariâ* genitus eſt, quam Venantius mulierem laudibus multis celebravit, miſſo ad eam Epigrammate, quod inſignem Maccabæorum genitrici fœminam componit:

Error Baronii.

Bar. An. 574. n. 19.

Greg. l. 2. de Mir. Mart. c. 1.

Ven. l. 10. c. 18.

Tu quoque prole potens, rectè Armentaria felix,
Nec minor ex partu, quàm prior illa fuit.

Ut ætas tulit, ſub patruo *Gallo* Præſule Gregorius literis navavit operam; quo tempore Nicetius Lugdunenſis excelſum quid in eo conſpicatus, proſpera puero omnia precatur. *Aviti* Arvernorum Præſulis diſcipulus poſtmodum factus eſt, quod & Venantius luſit, dum ſic Gregorium alloquitur:

Ven. l. 5. c. 5.

Non fuit in vacuum, quod te provexit alumnum,
Si tui mente, fide, reddis amore vicem.

Monachalem diſciplinam amplexus, creſcente famâ, cùm *Eufronius* animam Deo reddidiſſet, ad Epiſcopatum Turonenſem evectus, ab Ægidio Rhemenſi Præſule inauguratur:

Ven. l. 5. c. 3.

Quem patris Ægidii Domino manus alma ſacravit,
Ut populum recreet, quem Radegundes amet.
Huic Sigebertus ovans favet, & Brunichildis honori
Judicio Regis nobile culmen adeſt.

Menſe ordinationis ſuæ ſecundo cùm in dyſenteriam gravi febre comitatam incidiſſet, nec valerent à Medicis adhibita languenti remedia, vocato Armentario, Medicorum Principi, hæc imperat: *Pulverem de ſacratiſſimo Domini Martini ſepulchro exhibe, & exinde mihi facito potionem.* Quo facto, mox perituro ſanitas redditur. Quæ de Gregorio dicenda ſuperſunt, ſuis temporibus dividentur.

Greg. l. 2. de Mir. Mart. c. 1.

Synodus Pariſienſis quarta.

VII. Anno celebritatem addidit Synodus Pariſina, quæ Sancti Petri in Baſilica *ſub die tertio Idus Septembris, Indictione ſextâ* celebratur. Varium porrò Indictionum olim apud Romanos, & apud Gallos initium fuit. Romani à Septembri ſuas Indictiones ducebant, itaque venientibus Calendis Indictio mutabatur. Alia verò Gallis Indictionum initia: ne quis miretur, nos Synodum Indictione ſextâ Lutetiæ coactam in labentem annum contuliſſe. Doctiſſimi conjectura Sirmundi hæc eſt, Concilium illud ipſum eſſe, de quo mentio fit apud Gregorium: *Cùm autem contentio inter Guntbramnum & Sigebertum Reges verteretur, Guntbramnus Rex apud Pariſios omnes Epiſcopos regni ſui congregat.* Interfuere XXXIII. Præſules per ſeſe, vel per Legatos, quorum referre nomina tædio non erit, ex quibus hiſtoria lucis aliquid accipit: *Philippus* Vienenſis, qui ex ſubſcriptionis ordine Synodo præfuiſſe putatur: *Sapaudus* Arelatenſis, *Priſcus* Lugdunenſis, *Conſtitutus* Senonenſis, *Laban* Eloſanus, *Felix* Bituricenſis, *Germanus* Pariſienſis, *Lucretius* Deenſis, *Felix* Nannetenſis, *Clementinus* Aptenſis, *Syagrius* Æduenſis, *Optatus* Antipolitanus, *Gallomagnus* Trecaſſinus, *Salonius* Genevenſis, *Quinidius* Vaſenſis, *Salonius* Ebredunenſis, *Sagittarius* Vapincenſis, *Promotus* Glanatinenſis, *Geneſius* Segeſtericenſis, *Polemius* Agennenſis, *Anacharius* Antiſiodorenſis, *Heſychius* Gratianopolitanus, *Palladius* Sanctonenſis, *Silveſter* Veſontienſis, *Victor* Tricaſtinenſis, *Pappolus* Lingonenſis, *Claudianus* Regenſis, *Heraclius* Dinienſis, *Tetradius* Vendaſcenſis, *Licerius* Eloronenſis, *Leudobaudus* Sagenſis, *Deſiderius* Telonenſis, *Lamnonus* Presbyter, in vicem *Rivomeri* Aurelianorum Epiſcopi. Qui itaque numerus Pariſienſium Præſulum non ab Elia Du Pin rectè conſtituitur, quem XXIX. Epiſcopis conſtitiſſe tradit; XXXII. dicere debuit. Synodo Libellum ſupplicem ea de cauſa Pappolus Carnotenſis Præſul obtulit: *Promotus Preſbyter Parrochiam, cui vocabulum eſt Dunio, quaſi ſub nomine Epiſcopatus viſus erat pervaſiſſe.* Ordinationem quoque alicujus in Carnotenſi ditione uſurpatat. Ab Ægidio Rhemenſi Promotus inauguratus fuerat: Quod cùm Eccleſiaſticæ diſciplinæ contrarium foret, Synodus Ægidio ſcribit, ut Promotum ad ſe vocatum retineat, ſciatque quòd ſi Presbyter ille in Dunenſi Eccleſia deinceps audeat reſidere, *altaria benedicere, infantes confirmare, Pappolo reſiſtere*, perpetuo quidem anathemate ferietur: quicumque verò de plebe poſt vulgatum Edictum Promoti benedictionem acceperit, Eccleſiæ conſortio

Greg. l. 4. c. 41.

carebit.

ANNO DOM. 574.

carebit. Epiſtolam quoque Sigeberto dirigunt, monendo, ne Canonum violationem autoritate ſuâ defendat. Epiſcopis tamen non annuit Sigebertus, apud quem Promotus gratiâ plurimum valeret, Regia ad obitum uſque Epiſcopali munere functus eſt, quo non antè ejicitur, quàm Sigebertus periret, ut teſtatum faciunt verba Gregorii: *Promotus, qui in Dunenſi caſtro, ordinante Sigeberto Rege, Epiſcopus fuerat inſtitutus, & poſt mortem Regis amotus fuerat, eò quòd Caſtrum illud eſſet Diœceſis Carnotenæ.* Interfectus eſt verò Sigebertus anno 575.

Lab. Conc. t. 5. 918.

Greg. l. 7. c. 17.

ANNO U. C. 1327. PER. JUL. 5287. JUL. 619. DOM. 574. JUSTINI 9. & 10. *Sol.* 23. G. *Lun.* 5. *Indict.* 7. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 1. P. . . .

Anno octavo Conſulatus Juſtini.

Abares Thraciam ingreſſi Tiberii exercitum diſſipant.

I. VAriis cladibus majeſtas Imperii minuebatur. Prædatoriæ Abarum turmæ variis excurſionibus Thraciam vaſtabant. Quibus comprimendis cum ingenti exercitu Tiberius mittitur. Ignaviâ militum Tiberius inglorius rediit. Cùm enim ne Barbarorum quidem aſpectum ſuſtinere valuiſſent, ab hoſtibus penè captus eſt. Sed virum optimum periculo ereptum Dei numen ſervavit, ut Reipublicæ emolumento eſſet, quod temeritate Juſtini in tantum diſcrimen adducebatur, ut metuendum eſſet, ne funditùs periret, inque Barbarorum poteſtatem concederet. Cur Tiberii hanc expeditionem cum illa, quam anno DLXX. Joannes Biclarienſis memorat, Valeſius permiſceat, haud ſatis ſcimus. Itaque Biclarienſi litem denunciare non debuit vic doctiſſimus, quaſi cum Evagrio & Theophane pugnanti. Qui anno DLXX. de Abaris Thraciam vaſtantibus Tiberius Conſtantinopolim victoc redierat, labente quidem anno turpi militum ſuorum fugâ victus reverti potuit. Cùm regiam urbem Tiberius petiviſſet, Barbari ejus abſentiâ uſi, Sirmium capiunt, quod prius occupatum Gepidæ Juſtino tradiderant.

Evagr. l. 5. c. 11.

Præfecturam Marciano abrogat Juſtinus. Niſibitana ſolvitur obſidio.

II. Hæc levia præ cladibus, quæ à Perſis inferuntur. Ægrè ferebat Juſtinus, Niſibitanam à Marciano obſidionem tamdiu protrahi. Certos miſerat, qui Marcianum urgerent, claveſque portarum ad ſe confeſtim afferrent. Sed viliſſimus exercitus urbem expugnare non poterat. Id Gregorius Antiochenus Antiſtes à Niſibitano monitus erat, viro qui & illatam à Perſis Chriſtiano nomini contumeliam moleſto animo patiebatur, & magnâ cùm Juſtino amicitiâ conjungebatur, à quo multis beneficiis affectus erat. Hæc ergo cùm Imperatori Gregorius ſignificaſſet, monitorum ſecurus Imperator ad voluptates, in quibus volutabatur, ſolùm attentus, Gregorii literis fidem adhibere noluit. Gregorio ſcribit, *Perſas expugnationem urbis haudquaquam prœventuros, vel ſi prœveniant, gravi clade acceptâ receſſuros.* Subinde *Acacium* petulantem Marciano hominem mittit cum mandatis, ut ei vel jam Niſibim ingreſſo, poteſtatem omnem abrogaret. Quod etiam fecit, re cum militibus haud communicatâ. Auditâ abdicatione Centuriones arreptâ fugâ ridiculam obſidionem relinquunt. Nonnihil hîc ab Evagrio diverſus eſt Zonaras. Adermanno omnia longè latèque vaſtanti cùm Martinus obviam ire non auderet, id Imperator moleſtè ferens, Imperium Martino abrogatum in Archelaum transtulit. Evagrium rebus, quas narrat, coætaneum Zonaræ anteponimus.

Evagr. l. 5. c. 9.

Zon. l. 14. 71.

Coſroes multas Imperii urbes expugnat.

III. Intereà *Adarmanes* cum Perſarum, Arabumque ingenti exercitu Circeſium oppidum & muri altitudine, & Euphratis undis munitiſſimum prætergreſſus, Romanorum ditionem miſerè populatur: caſtella vicoſque nemine reſiſtente complures capit. Incurſiones faciles reddebant & urbis Daras obſidio, & Ducum defectus. Quin etiam miſſis militibus Antiochiam adoritur. Pauci in oppido remanſerant, cum ſacris theſauris dilapſus erat Epiſcopus: pars muri ceciderat: populus rerum novarum cupiditate flagrans, ſeditionem moverat: ut expedita prorſus civitatis expugnatio videretur. Contra ſpem omnium Perſæ repulſi aliò ſe convertunt. Heracleam, nunc *Gagalice* nuncupatam, incendit Adarmanes; *Apameam* muro præ vetuſtate collapſo debilem occupat; violatiſque indignè deditionis conditionibus, totam dein flammis evertit; ſupellectilem diripit, cives abducit: Epiſcopum, Provinciæque Rectorem aufert, onuſtuſque ſpoliis ad Coſroëm venit, qui Daras urbis oppugnatione detinebatur. Jam vallo circumdabatur, jam paratæ machinæ, jam catapultæ in editioribus locis ad ſaxa jacienda conſtitutæ. Præerat urbi *Joannes*, Timoſtrati filius, qui parum de ea ſollicitus, eam hoſti prodidiſſe fertur. Sic hyberno tempore capta eſt, poſt ſex circiter menſium oppugnationem. Crudeliter victoriâ ſuâ Coſroës utitur: nonnullos mactat: quibus verò vitam conceſſit, eos abduxit, relicto ad civitatis defenſionem ingenti præſidio. Sic victor in ſua ſe recepit. Sunt qui Daras expugnationem elapſo anno affigant. Nos Biclarienſem ſecuti, labenti potius anno eam alligamus: *Anno octavo Juſtini Perſæ congreſſione factâ, Daras civitatem fortiſſimam bello ſuperant, & caſâ multitudine Romanorum, memoratam urbem ingreſſi depopulati ſunt.*

Evagr. l. 5. c. 12.

Mente exit Juſtinus. Sophia à Coſroë inducias impetrat.

IV. Triſtia hæc nuncia ubi Juſtinus audivit, tanto dolore concutitur, ut mente, quæ jam debilitata fuerat, ferè prorſus exiret; ut impar regendæ Reipublicæ nihil eorum, quæ gerebantur, deinceps intelligeret; neque pedibus magis quàm mente valebat, utpote qui iis captus in lectulo jacebat. Imperatoris ergo nomine retento, curam Imperii *Tiberio* omnem credit, viro, qui virtutibus ſuis eo munere digniſſimum ſeſe oſtendebat. Qui ſtatim conſilium capit rebus Imperii accommodatiſſimum. Erat inter Senatores vir prudentiſſimus, quem *Sophia* ſolius nomine ad Coſroëm mittit cum literis, quibus & viri ſui calamitatem, & Rempublicam ſuo Principe orbatam deplorat: non inſultandum viduæ, non defuncto Imperatori, non Reipublicæ deſertæ. Ei graviſſimis quondam morbis affecto, præſtantiſſimos totius Imperii Medicos deſtinatos eſſe, quorum operâ fuerat recreatus. Sophiæ Auguſtæ votis Coſroës annuit, & cùm Romanam in ditionem jam invaſurus eſſet, triennales Orienti conceſſit inducias, eâ lege tamen, ne hiſce conditionibus Armenia frueretur, in qua bellum geri poterat.

Evagr. l. 5. c. 12.

De Tiberii adoptione. Quo anno contigit?

V. Cùm imbecilli prorſus ingenio foret Juſtinus, ſuadente Sophiâ Tiberius Cæſar renuntiatur. Ac Baronius negat quidem id labente anno geſtum, ſed ad DLXXVIII. pertinere contendit. Corrigendos itaque ſtatuit & Cedrenum, & Miſcellæ Autorem, qui & Sophiæ ad Coſ-

Anno Dom. 574.

rorem literas, & Tiberianam adoptionem in nonum Juſtini annum referunt: *Errant*, inquit, *dum eodem anno nono creatum Tiberium Cæſarem tradunt.* Verùm immeritò Miſcellæ Chronologiam Baronius carpit, cujus nec cenſura quidem, nec Chronologia eſt admittenda, cùm

Bar. An. 575. n. 14.

Error Baronii.

certum Veteribus, exploratumque ſit, labente, non lapſuro Tiberium Cæſarem eſſe nuncupatum. Id ſanè teſtatur Biclarienſe Chronicum: *Anno octavo Juſtini Juſtinus Imperator Tiberium, quem ſuperius Excubitorum Comitem diximus, Cæſarem facit, & non multò poſt imperiali faſtigio provehit, & Reipublica Principem deſignat.* Similiter Chronicum Alexandrinum Tiberii inaugurationem cum octava Indictione copulat, quæ à Septembri ducit initia. Quin etiam in Tiberiano Pragmatico de filiis colonorum & liberarum hæc ſubſcriptio legitur: *Dat. 3. Idus Auguſti Conſtantinopoli, Imp. Dom. N. Tiberii Conſtantini P. P. Aug. anno* VIII. *& poſt Conſulatum ejus anno tertio, & Nob. Fla. Tiberii Mauricii feliciſſimi Cæſaris anno primo.* Annus erat Dom. DLXXXII. Incepit ergo Tiberianum Imperium currente anno. Denique ex Inſcriptione Boetiana, quâ ad conſtituenda Juſtini tempora uſi ſumus, de Tiberianis etiam initiis liquidò docemur. In ea tertius Tiberii cum XII. Juſtini copulatur: *Indict.* XI. *Imp. Dom. N. Juſtino P. P. Aug. anno* XII. *Tiberio Conſt. Cæſ. an.* III. Ut annus Tiberii tertius cum Juſtini XII. copuletur, opus eſt illius primum in hujus nono incipere. Rejiciatur ergo Calviſii Chronologia neceſſe eſt, qui annum DLXXV. aſſignat adoptioni Tiberianæ.

Quo menſe Tiberius Cæſar creatus eſt?

VI. At ſi nunc de anno Tiberii natali conſtat inter eruditos, de menſe tamen dieque non minimum eſt diſſidii. Auguſto illud tribuit laudata Tiberianæ Legis ſubſcriptio. Septembri verò aſſignat Chronicum Alexandrinum: *Septembri menſe, die ſeptimo, octavâ Indictione morbo correptus Juſtinus Auguſtus, Tiberium Cæſarem creavit, nominavitque illum Conſtantinum, & vixit cum illo annos quatuor.* Quin tamen ſerius Cæſar renuntiatus fuerit, vix dubitandum. Quippe in laudato lapidis Vaticani Inſcriptione: *Depoſitus eſt* Boetius *P. oct. Kal. Nov. Indict.* XI. *Juſtini anno* XII. *Tiberio Conſt. Cæſare anno* III. Non igitur ante Octobrem Tiberius purpuram induit. Quem optimo Principi menſem contigiſſe natalem putamus, cùm anni 577. Octobre tertio Tiberii includatur in Vaticana Inſcriptione. Pagius Tiberii creationem in menſem Decembrem confert, Duce Theophilacto Simocatâ, inque *ſextam diem hebdomadis*, quæ vel XIX. vel XXVII. Decembris diem incidit. Etſi verò

Pag. Diſſ. p. 336.

certis ſe Tiberianæ adoptionis menſem argumentis demonſtraſſe prædicet, ejus ſanè ſententia ex ſubſcriptione à clariſſimo relato Noriſio prorſus evertitur, quod virum oculatiſſimum, qui ſubſcriptionem legit, fugiſſe mirum eſt. In Synodo Aquileienſi apud Gradi Inſulam coacta, ſcribitur: *Imperante ſereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno Imperii ejus quinto, eodem Conſule, ſub die tertio Nonarum Novembr. Indict.* 13. Quòd ſi Decembri Tiberius Cæſar renunciatus eſt, Novembris quidem tertius anni DLXXIX. Tiberiano quinto non includitur, quartus adhùc labebatur. Ex ea quoque ſubſcriptione Noriſii Chronologia rejicitur, qui Novembris XIII. diem Tiberio natalem aſſignat, quo Juſtinus ipſe *poſt Juſtinianum ad Im-*

Nor. de Syn. v. c. 9. n. 3. 57.

perium evectus fuerat. Quippe ſi *Idibus Novemb.* anni DLXXIV. Cæſareus Tiberio titulus tributus eſt, quintus imperii ejus tertio die Nonarum Novembris anni 579. numerari non potuit. Natalis igitur Tiberii dies ſit in incerto.

Anno Dom. 574.

Juſtini dum Tiberium inaugurat, excellens oratio.

VII. Deo favente lucida Juſtino intervalla conceſſa ſunt, ut de Tiberii electione cogitaret, peccata confiteretur, utilitati Reipublicæ provideret. Congregatis ergo in atrio Imperiali *Joanne Patriarcha* cum ſuis Sacerdotibus, necnon Magiſtratibus, Honoratis, cunctiſque, qui Palatio militabant, Juſtinus Imperatoriâ tunicâ, & purpureâ chlamyde Tiberium veſtit. De Patriarcha, qui ſacro Conſiſtorio interfuit, Græci variant Hiſtorici. Ac Theophanes quidem Zonaraſque Joannis in locum Eutychium ſubſtituunt, ſed perperàm, cùm non ante Indictionem decimam in ſedem Eutychius ſuam reſtitutus fuerit. Non eſt igitur, quod quis Evagrium cenſurâ dignum putet. Ubi Regiæ urbis Proceres conſedere, Imperator altâ voce hæc palam Tiberio loquitur: *Ne te in errorem inducat veſtis tua magnificentia, nec pompa rerum, quæ ſub aſpectum cadunt. Quibus ego in fraudem inductus, imprudens extremis me ſuppliciis obnoxium reddidi. Sed tu errata mea corrigito, omni cum lenitate ac manſuetudine Rempublicam regens.* Tum oſtenſo digito Magiſtratibus: *Cave*, inquit, *ne his credas: hi enim in hunc, quem vides ſtatum, me deduxerunt.* Invitâ prorſus Chronologiâ Baronius in annum 578. hæc conferenda eſſe putat.

Evagr. l. 5. c. 13.

Tiberii & mores & anni.

VIII. Tiberius Thrax erat genere, vir ſi quis alius, & corpore & animo ſummâ rerum digniſſimus. Proceritate ſtaturæ, oris elegantia certabat cum omnibus, ut jure omnium mortalium formoſiſſimus haberetur. Animo lenis fuit & benignus, & qui primo ſtatim intuitu cunctos comiter excipiebat. Summas eſſe divitias exiſtimabat, largiri omnibus & affatim, non ſoli penuriæ levandæ, id unum ſpectans, quid Romanum Imperatorem dare deceret. Aurum cenſebat adulterinum, quod cum Provincialium lachrymis colligebatur. Quamobrem unius anni tributum Collatoribus remiſit. Tiberii liberalitatem cùm Sophia incuſaret Auguſta, quaſi ad paupertatem redigeret Imperium, reſpondiſſe fertur: *Non deerit pecunia fiſco noſtro, tantum ut pauperes eleemoſynas accipiant, aut ut captivi redimantur. Hoc eſt magnus theſaurus, dicente Domino, Theſaurizate vobis theſauros in Cælo.* Hanc Tiberio dignitatem ab Eutychio prænunciatam eſſe ferunt. Tiberium apud Juſtinum Notarium collocarat, qui cùm apud Sirmium Abarici belli causâ ageret, literis ad eum ſcriptis Tribunum Militum commendavit his verbis: *Nunc quidem in partem, Reipublicæ gubernacula tibi commiſit Deus, mox autem & finem concedet.* Octo annos, excepto menſe circiter uno, rerum Tiberius potitur, ab Octobri ſcilicet ad uſque XIV. Auguſti anni DLXXXII. ut fuſius declarabitur. Bonis futuri imperii quaſi ominibus morbus, quo Conſtantinopolitani vexabantur, vires poſuit ſuas: *Hujus Tiberii Cæſaris die primâ in regia urbe inguinalis plaga ſedata eſt.* Hæc Biclarienſis. Non credimus quæ de Tiberio in Suida legimus: *Cùm in juventute præſtantiſſimus fuiſſet, ſenectutem ingreſſus in pejus ſubitò mutatus eſt, adeò ut deſipere putaretur, & à malo Dæmone agitari, & ad omnem impietatem, & inſaniam, & furorem non ſolùm in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, ſed etiam*

Evagr. l. 5. c. 14.

Miſcel. l. 17.

Euſtath. vit. Eutych.

in

in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, ſed etiam in iis, quæ ſunt contra naturam concitari crederetur. Res Occidentis memoriâ digniores nunc referamus.

Clebus Longobardorum Rex interficitur.

IX. Sanguine ſuo annum infecit Rex Longobardorum *Clebus*, qui Alboino ſuffectus, ſummæ rerum anno proximo impoſitus fuerat, teſte Mario: *Anno VII. Conſulatus Juſtini Junioris Aug. Indictione VI. Dux Longobardorum, nomine Cleb, gentis ipſius Rex ordinatus eſt, & plures ſeniores & mediocres ab ipſo interfecti ſunt.* Violenta hæc poteſtas ſtare diu non poterat. Itaque eodem penè tempore, quo nata, extinguitur. Audiatur iterum Marius: *Anno VIII. Conſulatus Juſtini Jun. Aug. Indict. 7. Clebus Rex Langobardorum à puero ſuo interfectus eſt.* Paulò fuſiore ſtylo tragicum ſævi Principis exitum proſequitur Warnefridus: *Langobardi apud Italiam omnes communi conſilio Cleph, nobiliſſimum de ſuis virum, in urbe Ticinenſium ſibi Regem ſtatuerunt. Hic multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbavit. Iſte cum annum unum & ſex menſes cum Maſſana ſua conjuge regnum obtinuiſſet, à puero de ſuo obſequio gladio jugulatus eſt.* Clebi obitum in annum 575. non ſatis accuratè refert Calviſii Chronologia. Cum Clebo regia dignitas decennio ſepelitur, agente ſub Ducibus Langobardorum gente, ut teſtatum reliquit Warnefridus: *Poſt Clebi mortem Langobardi per annos decem Regem non habentes, ſub Ducibus fuerunt. Unuſquiſque enim Ducum ſuam civitatem obtinebat. Laban Ticinum, Wallari Bergamum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Giſulfus Forum Julii. Sed & alii extra hos in ſuis urbibus triginta Duces fuerunt. . . . Per hos Langobardorum Duces, ſeptimo anno ab adventu Albuin, & totius gentis, ſpoliatis Eccleſiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus ſubrutis, populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Longobardis ſubjugata eſt.* Porrò non toto decennio, ſed ſolo octennio Langobardi Regum expertes vixere, cùm anno 582. Clephonis filius ad regiam dignitatem evectus ſit.

Warnef. l. 2. c. 31.

Longobardorum infelix in Gallias excurſus.

X. Inſita Langobardis dira prædandi cupido ex Italia eos in Gallias traxit, ſed infelici prorſus ſucceſſu, quem ex Mario referre juvat: *Eo anno iterum Langobardi in valle ingreſſi ſunt, & Cluſas obtinuerunt, & in Monaſterio Sanctorum Acaunenſium diebus multis habitaverunt: & poſteà in Bacciu pugnam contra exercitum Francorum commiſerunt, ubi penè ad integrum interfecti ſunt, pauci fugâ liberati.* Langobardicæ cladis autor *Mummolus*, vir bello clarus, quem in Patricios Guntramus allegerat: *Per diverticula ſylvarum irruit ſuper eos, multos interfecit, nonnullos cepit, & Regi direxit.* In eo prælio *Salonius & Sagittarius* Epiſcopi, militum officio functi, multorum ſanguinem fuderunt.

Greg. Tur. l. 4. c. 36.

Saxones Gallias petunt, ut favente Sigeberto ſedibus ſuis reſtituantur.

XI. Longobardis Italiam occupantibus Saxones auxilio fuerant. Qui prædæ cupidine Gallias vaſtatum iverant: *Apud Stablonem villam caſtra poſuerant, locaque vicina diripuerant.* Quo comperto, Mummolus in medias Barbarorum acies irruens, multos interfecerat. Eâ clade fracti Saxones, relictâ prædâ receſſerant, dato prius juramento, *quòd ad ſubjectionem Regum ſolatiumque Francorum redire deberent in Gallias.* Ut promiſſis ſtarent, ſuperiore anno collectâ ſupellectile omni cum uxoribus liberiſque iter in Gallias carpſerant, *ut à Rege Sigeberto collecti, in loco, unde egreſſi fuerant, ſtabilirentur.* Diviſis copiis pars per Niceam urbem, pars per Ebredunum viam ſecat. Jam meſſis tempus aderat; ſub dio jacebant ſegetes, quarum ut prædæ commodæ potiri cupiunt. Eas ergo inter ſe dividunt, ne vel minimâ parte colonis relictâ. Verùm contra ſpem occurrit Mummolus Rhodanum trajicere volentibus. Tranſitum negat, niſi illata damna reſarciant, quem nec impetrarunt, niſi datâ prius magnâ aureorum copiâ. Tranſmiſſo fluvio, Arvernum veniunt: Hic calliditate, quæ à Barbaris multum abeſſe videbatur, Francos decipiunt, auri cupidine captos: *Erat tunc vernum tempus. Proferebant ſibi regulas æris inciſas pro auro. Quas quiſque videns, non dubitabat aliud, niſi quòd aurum probatum atque examinatum eſſet. . . Unde nonnulli hoc dolo ſeducti, aurum dantes, & æs accipientes pauperes facti ſunt. Hi verò ad Sigebertum Regem tranſeuntes, in loco unde prius egreſſi fuerant, ſtabiliti ſunt.* Quid dein ſortis ulterior, narrat Warnefridus. Patriam inveniunt ſuam à Suevis occupatam, qui conceſſâ eis tertiâ regionis parte, pacem inire ſibi volunt. Quâ repudiatâ mediam offerunt: eò tandem proceſſere, ut tertiam cum pecoribus offerrent, ne bellum gereretur. Saxonibus pugna placebat: verùm contra ſpem evenit, ut amiſſâ victoriâ clade maximâ afficerentur: *Viginti millia ex eis interempta ſunt, Suavorum verò quadringenti octoginta ceciderunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello ſuperfuerant, devoverunt ſe neque barbam, neque capillos inciſuros, niſi de hoſtibus Suavis ulciſcerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer attriti ſunt.*

Greg. l. 4. c. 37.

Warnef. l. 3. c. 7.

Sigebertus Chilperico bellum intendit. Pia Germani ea de re ad Brunichildem Epiſtola.

XII. Non de Saxonibus in ſedes ſuas reſtituendis ſolùm Sigebertus cogitabat: illatarum ſibi à Chilperico injuriarum memor, ultionem volutabat in animo. Gentes ergo ultra Rhenum commovet, ut fratri bellum inferant. Territus eo nuntio Chilpericus, Gunthramo Legatos miſit, ut minanti intercederet. In tanta rerum perturbatione officio ſuo non defuit *Germanus* Pariſinus Antiſtes. Piam Brunichildi Epiſtolam ſcribit, ut virum à conſiliis belli ſuum revocet: *Domina clementiſſima, atque præcellentiſſima, & nobis ſemper piiſſima Domina, & in Chriſto ſancta filia Brunichild Regina, Germanus Peccator.* Narrat illis temporibus, quibus rari adhuc erant Chriſtiani, dictum fuiſſe, *Ecce nunc dies ſalutis*; nunc verò dicendum eſſe; *Ecce dies tribulationis.* Reginam monet à fama ſpargi, ipſam belli facem eſſe: *Vulgi verba iterantes, quæ nos maximè terrent, veſtræ pietati in notitiam deponimus, quia ita diſſeminata loquentium ore detrahunt, quaſi veſtro voto, conſilio, & inſtigatione Dominus glorioſiſſimus Sigebertus Rex tam ardnè hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quaſi à nobis credatur: ſed ſupplicamus, ut nulla occaſio tribuatur dicendi, unde nobis tam maximum & periculoſum generetur blaſphemium.* Subjungit, ſe quàm moleſtiſſimè ferre, quòd Reges opibus, potentiâque freti in Dei indignationem incurrant. Advertat animum principio rerum, *duobus fratribus commiſſum eſſe mundum.* Cain verò fraterno ſe ſanguine polluentem, pœnâ affectum eſſe: *Ubi eſt pax & charitas, ibidem eſt Dei pietas. Legimus per Eſter Reginam populo fuiſſe conceſſam ſalutem. In hac parte & veſtram oſtendite prudentiam, & fidei veſtræ ſalubritatem atque perfectionem, ut & Dominum Regem à Dei*

re-

Anno Dom. 574.

revocetis offenſa, & populum à parte ſua vivere liceat quietum, donec Judex æternus conſuetam diſcernat juſtitiam. Epiſtolam Germanus *Gundulfo* ferendum dedit, quem & Reginæ commendat.

Lab. Conc. t. 5. 923.

Chilpericus Sigeberto occurrit: pax conſtituitur.

XIII. Germani in Epiſtola virium non ſatis fuit, ut belli ignis reſtingueretur. Magnia itineribus Sigebertus in Chilpericum contendit. Eunti Sequana impedimentum opponit. Miſſis ergo Legatis hæc Gunthramo nunciat: *Niſi me permiſeris per tuam ſortem hunc fluvium tranſire, cum omni exercitu meo ſuper te pergam.* Id metuens Gunthramus liberum Sigeberto tranſitum concedit. Proceſſerat Chilpericus, *Avalocium* uſque Carnotenſem vicum fratri occurſurus: fortunam tamen belli veritus, de pace facienda conſilium init: *Timens ne coliſo utroque exercitu etiam regnum eorum corrueret, pacem petiit, civitateſque ejus, quas Theodobertus male pervaſerat, reddidit, deprecans, ut nullo caſu culparentur eorum habitatores.* Conditiones quidem lubens Sigebertus admiſit. Repugnabant Germani, quos ſibi auxiliarios aſciverat: qui & eo inſolentiæ progreſſi ſunt, ut & prædas agerent, & captivos ducerent. Obſecrabat Rex, ne hæc fierent, verùm militaris furor amorque prædæ ſupra regiam autoritatem fuit. Quinetiam ex ipſius ſubditis nonnulli indignationem teſtantur ſuam, quòd ad certamen cum fratre non veniſſet: *Sed ille, ut erat intrepidus, aſcenſo equo ad eos dirigit, eoſque verbis lenibus demulſit, multos ex eis poſteà lapidibus obrui præcipiens.* Hæc labente anno geſta fuiſſe, ex Gregorio deprehendimus, qui narrat anno inſequente Sigebertum periiſſe.

Gregor. Hiſt. l. 4. c. 49.

Anno Dom. 575.

ANNO U. C. 1328. PER. JUL. 5288. JUL. 620. DOM. 575. JUSTINI 10. & 11. *Sol.* 24. F. *Lun.* 6. *Indict.* 8. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

Anno nono Conſulatus Juſtini.

Juſtinianus a Tiberio adverſus Coſroëm mittitur.

I. SApienter & opportunè quidem regendi Imperii poteſtatem, quaſi quaſdam habenas Tiberio Juſtinus tradiderat. Coſroës Dei juramentique ſpretor, cùm ad optatos curſus res provehere ſuas poſſet, poſt captam urbem Daras confeſtim æſtivo tempore in Armeniam irrupit, atque inde Cæſaream, Cappadociæ metropolim invadere cogitat. Miſit ad eum Legatos Tiberius, quos non ſine magno Imperii contemptu ne vel ad conſpectum admiſit ſuum: ſed ad urbem Cæſaream uſque ſequi ſe eis præcepit, illic auditurum, quæ dicenda habebant. At Tiberius malè partos Juſtini opibus benè uſus, res ad bellum neceſſarias ſibi comparaverat, fortiſſimorum ex variis regionibus militum copias ſibi collegerat, ad numerum ferè centum & quinquaginta mille virorum, quibus egregios Duces præfecerat. Omnibus Rectorem impoſuit Juſtinianum, Juſtini à Sophia, Juſtinoque crudeliter mactati fratrem, & Germani filium, quem ſuperbius exultanti Coſroï opponit. De expeditionis hujus anno inter Chronologos controverſia eſt. Baronius anno DLXXIX. eam alligat: abſurdè prorſus, cùm jam defunctus eſſet Juſtinus Auguſtus, quo regnante ingens de Perſis Juſtiniani victoria relata eſt. Neque etiam Calviſii ſententiam admittimus, Coſrois cladem in annum DLXXVIII. conferentis, freti ſcilicet triennalibus induciis, quas Perſæ cum Sophia Auguſta pepigerant. Verùm pacta Coſroës omnia ſpernebat, atque pro nihilo putabat, dum ex perfidia aliquid emolumenti ad ſe rediret. Prælucente ergo Joanoe Biclarienſi, cujus Chronologia ad Hiſtoriæ ſeriem maximè quadrat, Juſtiniani cum Perſis pugnam anno labenti affigimus: *Anno IX. Juſtini Imperatoris, Coſroës Perſarum Imperator cum nimia multitudine exercitus ad vaſtandos Romanorum terminos promovet. Cui Juſtinianus Dux Romanæ militiæ, & Magiſter Militum Orientis a Tiberio deſtinatus, bellum parat.* Romanorum caſtra dum prope Perſas ponuntur, illis evocatis, Juſtinianus perſuadet, triennalem cum Imperatore pacem facere. Hæc Zonaras, quorum nobis eſt difficillima fides. Theophanes ſanè narrat, anno Tiberii ſecundo Legatos Perſarum Regi miſſos eſſe, à quo pax non admiſſa eſt. Gravem exinde pugnam anno Tiberii tertio Perſas inter & Romanos commiſſam eſſe. Nos Biclarienſem Chronologiam omnibus anteponimus.

Error Baronii.

Anno Dom. 575.

Miſc. l. 17.

Juſtiniani cum Coſroe pugna. Curs egregium facinus.

II. Coſroës ubi Romanorum exercitum vidit, armis benè inſtructum, pugnæ avidum, cum pulcherrimo ornatu audaciam anhelantem, tantum denique ac talem equitatum, quantum nullus unquam ex Imperatoribus animo acceperat, vehementer obſtupefactus, pugnam inire detrectat. Quam cùm ſimularet, *Curs* Scytha vir fortiſſimus, qui deatro cornui præerat, impetum in eum facit: maximâque ſtrage hoſtium editâ extremum agmen aggreſſus, ubi impedimenta & ſarcinæ ſtabant, regios theſauros capit, ſpectante Coſroë. *Curs* ſarcinas omnes abducit, inter quas etiam erat ignis ſacer, qui à Perſis ut Deus colebatur. Sequente nocte Coſroës multis ignibus accenſis, ad nocturnam ſe pugnam accingit, nocteque intempeſtâ ſiniſtrum cornu adortus, in fugam vertit. Subinde vacuam præſidio incoliſque Melitinam urbem flammis exterminat. Quo facto ad Euphratem trajiciendum ſe parat. Cùm verò recedentem Romani inſequerentur, Rex ſaluti ſuæ metuens, conſcenſo elephanto flumen ſuperat. Quæ verò eum ſequebatur multitudo ingens, undis mergitur. Quo intellecto cum ſuperſtitibus ad ſua ſe recepit. Sic ſuorum ſanguine impreſſas nomini Romano contumelias delevit. Ne prætereatur illud quidem, quod de ea pugna referunt Theophanes atque Zonaras. Quàmdiu Perſæ ſagittis utebantur, Romanis ſuperiores apparuiſſe, qui clypeis tecti ſuis ſe laceſſentibus non obviam ibant. Ubi verò Perſarum pharetræ exhauſtæ ſunt, cominùs haſtis & gladiis in illos Romani impetum fecere, quo deleti ſunt. Quæ porrò de Juſtiniani victoria Biclarienſis memorat, Annalibus noſtris decus afferunt: Juſtinianus *in campos, qui inter Daras & Neſibios ponuntur, forti pugnâ congreſſus, habens ſecum gentes fortiſſimas, quæ barbaro ſermone Hermam nuncupantur, memoratum Imperatoeem bello ſuperat. Quo cum ſuo exercitu in fugam verſo, caſtra ejus pervadit, & Provincia Perſida finet victor Juſtinianus vaſtat, exuviaſque eorum pro triumpho Conſtantinopolim dirigit: viginti quatuor elephantos inter cætera, qui magnum ſpectaculum Romanis in urbe regia exhibuerunt.* Mancipia Perſarum ob multitudinem *nummo publico venundata ſunt.* Juſtinianus cum ſuo exercitu Perſidem ingreſſus, ibi hyemem tranſegit, nemine prorſus ei moleſtiam exhibente: ac ſub æſtivum anni ſecuturi ſolſtitium reverſus, cum ſumma felicitate & gloria circa Imperii utriuſque limites æſtatem egit. Maximum Tiberianæ victoriæ ornamentum attulit

Evagr. l. 4. c. 24.

Zon. l. 14. 72.

Evagr. l. 5. c. 24.

tulit

Anno Dom. 575.

tulit Imperatoris clementia. Qui Perſas Conſtantinopolim perductos, omnes magnificis veſtibus inductos domum redire permiſit, quos contra ſpem conſanguinei receperunt, mirati Tiberii benignitatem.

Zon. l. 14. p. 73.

Theodebertus initâ cum Sigeberto pugnâ cadit.

III. Involutum pacis nomine fœdus Chilperici cum Sigeberto bellum portendebat, quod anno labente inflammatur. Vix annus præterierat, cùm Chilpericus miſsâ ad Gunthramnum legatione cum eo ſocialis adverſus Sigebertum belli pactum iniit. Mox fratris regiones ingreſſus, ferro flammiſque omnia vaſtans, Rhemos uſque progreditur. Eo cognito, Sigebertus reconciliato ſibi Gunthramno, Germanorum armis uſus, fratri occurrit. Commiſſo prælio, Theodebertus Chilperici filius *in campo proſternitur, & ab hoſtibus exanime corpus, quod dici dolor eſt, ſpoliatur. Tunc ab Arnulfo quodam collectus ablutuſque, ac dignis veſtibus eſt indutus, & ad Engoliſmenſem civitatem ſepultus.* Cædis hujus autor Gunthramnus Boſo ferebatur, quem ideò Chilpericus ad mortem quæſivit, ſed occulto Fredegundis patrocinio tegebatur. Sic Deus ſeras ſæpenumerò, certas tamen à ſontibus pœnas repetit. Anno circiter DLXIII. captus in Sueſſonenſi expugnatione Theodebertus, poſt annum carcerem à Sigeberto dimiſſus, muneribuſque affectus fuerat, eâ lege tamen, ne ullum contra Liberatorem bellum unquam gereret. Quod dato juramento Theodebertus pollicitus erat. Fidem promiſſi perfidus Princeps violaverat, patruique regiones crudelius vaſtaverat. Scelerum tandem ſuorum mercedem habuit, dum præcipiti ſimul & infelici morte ſternitur.

Greg. l. 4. c. 50.

Sigebertus à Francis Rex creatus, à percuſſoribus interficitur.

IV. Renovato Sigeberti & Gunthramni fœdere territus, cladeque Theodeberti conſternatus Chilpericus, Tornaco cum filiis & Fredegunda incluſum ſeſe tenebat. Intereà Sigebertus ſucceſſus ſuos urgens, loca urbeſque Pariſios ac Rothomagum uſque ſuam in poteſtatem redigit. Exinde Lutetiam ingreſſus, Brunichildem cum filiis ad ſe accerſitum ivit. Ibi Francorum legatione ſuſceptâ, repudiato ab ipſis Chilperico ſubſtituitur. Illicò miſit exercitus, qui fratrem obſiderent, mox eos ſecuturus. Talia cogitanti Germanus Antiſtes hæc dixiſſe fertur: *Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, vivus & victor redibis: ſin autem aliud cogitaveris, morieris; ſic enim Dominus per Salomonem dixit, foveam fratri tuo parabis, tu eam corrues.* At repudiato ſalubri conſilio, vindictæ nimium indulgens ſuæ, *Victoriacum* uſque progreſſus, à Francis ſolemni ritu clypeo impoſitus, Rex in vicem Chilperici renuntiatur. Verùm his gradibus gloriæ in altum aſcendebat, ut citiore, gravioreque ſimul lapſu rueret. Qui telis armiſque Chilperici violari non potuerat, venenatis tandem Fredegundæ gladiis ſternitur: Quippe *duo pueri cum cultris validis, quos vulgò Sacramaxos vocant, infecti veneno, maleficati à Fredegunde Regina, cùm aliam cauſam ſe gerere ſimularent, utraque ei latera feriunt. At ille vociferans atque corruens, non poſt multo ſpatio emiſit ſpiritum.* Baronius Sigeberti obitum anno DLXXIX. contigiſſe putat. Quo quadriennii metachroniſmo perturbationis plurimum Annalibus intulit. Marius Aventicenſis, qui eo tempore floruit, anno 576. Sigeberti mortem affigit: *Anno X. Conſulatus Juſtini Jun. Aug. Indict. IX. Sigebertus Rex Francorum bellum contra fratrem ſuum Chilpericum movet: & cùm eum jam incluſum haberet, & de ejus interfectione cogitaret, ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus eſt.* Verùm anno citius Sigebertum periiſſe, inſigni criterio deprehenditur. Occiſus eſt Meroveus anno, quo Paſcha in Galliis celebratum eſt XIV. Cal. Maias; in Hiſpania verò XII. Cal. April. Quæ ſunt anni DLXXVII. criteris. Atqui poſt ejectam in exilium Brunichildem Meroveus Paſcha Turonenſi in Eccleſiis celebravit, quo tempore nondum uxorem ſibi Brunichildem aſciverat. Quam ergo feſtivitatem Turonis Meroveus agitavit, ea annum 575. inter & 577. media eſt, illum Sigeberti ſupremum, hunc Merovei ultimum. Obiit ergo Sigebertus anno non 576. ſed proximè elapſo. Prætereà anno regni XIV. occiſus eſt, ſi quæ Gregorio fides, igitur extinctus eſt labente anno, qui à 561. qui Clothario mortem attulit, decimus quartus numeratur.

Gregor. l. 4. c. 51.

Bar. An. 579. n. 12.

Error Baronii.

Anno Dom. 575.

Sigeberti virtutes.

V. Sigeberto multa inerant virtutum ſemina, quæ non indiligenter excoluerat. Nicetium Trevirenſem, quem *Clotharius* in exilium ejecerat, parente mortuo Eccleſiæ ſuæ reſtituerat. Hunnos, qui in Franciam impetum fecerant, victos anno 562. fugaverat. Fraternis bellis ter laceſſitus, victoriam adeptus erat: magnam in Theodebertum clementiam adhibuerat, quem *ut erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit ſanum. Periit quatuordecimo regni ſui anno, ætate quadragenariâ.* Mortuo Principi lætus juſta ſolvit Chilpericus, qui audito rivalis ſui obitu, egreſſus Tornacum, cruentum fratris corpus ſepulchro condidit: *Egreſſus à Tornaco cum uxore & filiis eum veſtitum apud Lambros vicum ſepelivit. Unde poſteà Sueſſionas in Baſilica S. Medardi, quam ipſe ædificaverat, tranſlatus, ſecus Clotharium patrem ſuum ſepultus eſt.* Tres ſibi ſuperſtites liberos reliquit, Childebertum, Ingundem & Chlodoſindam. Sigeberti virtutes Venantius cecinit, l. 6. c. 3.

Gregor. l. 4. c. 23.

Gregor. l. 4. c. 51.

Proſperitate novâ pacem tua bella dederunt:
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen ut placeas, cùm ſit victoria jactans,
Tu magis unde ſubis, mitior inde manes.
Juſtitiæ cultor, pietatis amore coruſcas,
Quod te plus habeat, certat utrumque bonum.

Childebertus Sigeberto ſuccedit: morti eripitur. Childeberti Epocha contra Baronium oſtenditur.

VI. Defuncti regnum ſuſcipit filius ejus *Childebertus*, quinque annos natus, quem Chilperici tyrannidi immolandum Gundobadus ſervat. Oppreſſa ſubitaneo dolore Brunichildis, quò ſe verteret ignorabat, cùm *Gundobaldus Dux apprehenſum Childebertum filium ejus parvulum, furtim abſtulit, ereptumque ab imminenti morte, collectiſque gentibus, ſuper quas pater ejus regnum tenuerat, Regem inſtituit, vix luſtro ætatis uno jam peracto, qui die Dominici Natalis regnare cœpit. Anno igitur primo regni ejus Chilpericus Rex Pariſios venit, apprehenſamque Brunichildem apud Rothomagenſem civitatem in exilium truſit, theſauroſque ejus, quos Pariſios detulerat, abſtulit, filias verò ejus Meledis urbe teneri præcepit.* Ea Childeberti Epocha eſt in obſervatione ponenda ad rerum Francicarum Chronologiam rectè inſtituendam, quæ mirâ confuſione Baronianis in Annalibus ſunt involuta, quam certiſſimis argumentis perturbationem aberrationemque everſum imus. Verba ſunt Gregorii: *Anno octavo Childeberti Regis, pridie Kalend. Februarias cum die Dominico ad urbem Turonicam ad matutinas ſignum commotum fuiſſet.* Notæ hæc Chronologicæ annum Dom. DLXXXIII. deſignant, quo ultimus Januarii in primam feriam incidit, ita ju-

Gregor. Hiſt. l. 5. c. 1.

Gregor. Hiſt. l. 6. c. 25.

ANNO DOM. 575.

jubente Cyclo Sol. 4. C. Præterea hæc & in Gregorio legimus: *Anno XV. Childeberti Diaconus noſter ab urbe Roma Sanctorum cum pignoribus veniens, ſic retulit, quod anno ſuperiore, menſe IX. tantâ inundatione Tiberis urbem Romam obtexit, ut ædes antiquæ diruerentur.* Prodigioſa igitur inundatio hæc anno Epochæ Chriſtianæ DLXXXIX. contigit, fatente probanteque Baronio. Atqui Childeberti quartus & decimus fuit, teſte Gregorio. Eſt ergo falſiſſimum, quod Baronius contendit anno 579. & Sigebertum periiſſe, & Childebertum defuncti filium parenti ſucceſſiſſe. Aliquin annus Childeberti *octavus* non Chriſti 583. cohæreret, neque etiam ipſius XIV. cum Dom. 589. copulari poſſet. Errat igitur Baronii Chronologia quadriennali metachroniſmo.

Gregor. l. 10. c. 1.

Longobardorum Duces à Mummolo debellantur.

VII. Dum mutuis armis regna ſua deterunt Sigebertus atque Chilpericus, Gunthramnus in pace quieſcebat, quam Longobardorum inundatio nonnihil interturbat. Extincto *Clebo*, Ducibus regebantur, qui in Gallias irrupere, ut novam gloriæ ſegetem Mummolo afferrent. *Amo*, *Zabam*, & *Rhodanus* collectis copiis Galliam ingrediuntur. Amo in villa Avennici tractus, nomine *Machao*, caſtrametatur: *Zabam* ad Valentiam uſque progreditur: *Rhodanus* Gratianopolim aggreditur. *Amo* Provinciâ vaſtatâ, ad vicinum Maſſiliæ locum, nomine *lapideum campum*, progreditur. Aquis ſextiis obſidionem minatus, acceptis *viginti duobus argenti libris* receſſit. Eadem Zabam & Rhodanus latrocinia in iis locis exercent, quæ pervagantur. Dum Gratianopolim urbem Rhodanus invadit, Longobardorum excurſione cognita Mummolus, duce animali, quod Iſeram trajiciebat, fluvium feliciter ſuperat. Initâ pugnâ, Rhodanus accepto vulnere, amiſſiſque ſuis, cum quingentis duntaxat, qui cladi ſuperfuere, per ſylvas ad Zabanem pervenit, qui Valentiam tum obſidebat. Relictâ oppugnatione civitatis, ſimul Ebredunum petunt, ubi Mummolus cum numeroſo exercitu eos adoritur, ad internecionem uſque cædit, paucis ſalvis, qui Duces Italiam repetentes comitarentur. Dum Seguſium oppidum veniunt, ſimulatus Mummoli puer Siſinnio Auguſteo Magiſter Militiæ fictitias præſente Zabane literas offert, ſalutemque Domini ſui nomine dicit, ſubjungens, *En ipſum in proximo.* Quo audito, *Zaban* quàm citiſſimè oppido egreditur. Ubi ea *Amo* nuncia perlata ſunt, collectâ prædâ omni iter accelerat; verùm obſtantibus nivibus prædâ relictâ, vix cum paucis evaſit.

Greg. l. 4. c. 39.

ANNO DOM. 576.

ANNO U. C. 1329. PER. JUL. 5289. JUL. 621. DOM. 576. JUSTINI 11. & 12. CHILDEBERTI 1. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 7. *Indict.* 9. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 3. 4. *P.* 5. *April.*

Anno X. Conſulatus Juſtini.

Meroveus Brunichildem ducit. Sueſſonenſis pugna.

I. NE gratis, & ſine ulla mercede Chilpericus fratricidium perpetraſſe videretur, Sigeberti urbes ditioni ſuæ ſubjectum ire voluit. Quibus occupandis Meroveum filium cum exercitu in Pictavienſem civitatem dirigit. Qui paterna mandata ſpernens Turonos ingreditur, ibique Paſchatis feſtum agitat. Exercitus verò latrocinio atque impetu regionis incolas opprimunt, vaſtant, diripiunt. Celebrato feſto, Meroveus ſimulato ad matrem *Audoveram* itinere, Rothomagum petit, captuſque elegantiâ formæ, quæ Brunichildi inſidebat, eam ſibi uxorem ſociat. Prodigio eſt, conjugium ejuſmodi honeſtati, Scripturæ, Canonibus Eccleſiæ pugnans, à *Prætextato* Rothomagenſi Epiſcopo fuiſſe conſecratum. Inceſti connubii fama ut Chilperici aures tetigit, advolat illicò Rothomagum. Tum conjuges certi Regem de ſolvendis nuptiis adventaſſe, *ad Baſilicam S. Martini, quæ ſuper muros civitatis ligneis tabulis fabricata eſt, confugium faciunt.* Artibus doliſque multis Brunichildem, Meroveumque aſylo evellere ſuo cùm fruſtra tentaſſet, dato tandem juramento gratiam ipſis reſtituit, egreſſos Baſilicâ excipit oſculo, menſæque admovet. Nec multò pòſt aſſumpto Meroveo, Sueſſionas petit.

ANNO DOM. 576.

Greg. l. 5. c. 2.

Meroveus fit Clericus: fugit. Martini Baſilicam ingreditur.

II. Dum eò moratur, *Godinus* multis à Rege muneribus cumulatus, in eum rebellat. Collectis ex Campania copiis, quibus Ductorem ſe ſtatuit, Sueſſionas aggreditur, quam fugatâ Fredegunde civitatem ſibi ſubjicere tentat. Hæc ut Chilpericus comperta habuit, rebellibus occurrit. Inito prælio ſeditioſi cadunt: amiſſiſque compluribus fugam arripiunt, quam Godinus malè ſibi conſcius, primus maturat. Quas ei non paucas Chilpericus villas dederat, revocatas B. Medardi Baſilicæ largitur. Seditionis hujus cauſâ patris in ſuſpicionem Meroveus venit: quem armis ſpoliatum, datis etiam cuſtodibus ſervat. Intereà deliberat, quibus errantem filium modis coërceret: tandemque Clericorum in ordinem allegere placet: *Tonſuratus eſt, mutatâque veſte, quâ Clericis, uti mos eſt, Presbyter ordinatur, & ad Monaſterium Cenomannicum, quod vocatur Aninſula dirigitur, ut ibi Sacerdotali erudiretur regulâ.* Gunthramnus Boſo, qui de Theodoberti cæde accuſatus, Turonis Baſilicâ Martini pro azylo utebatur, miſſo ad Meroveum *Riculfo* Subdiacono, monet ad eam Baſilicam confugiat. Operâ *Gailenı* inter eundum Ductorum manibus ereptus, *operto capite, indutuſque veſte ſeculari, B. Martini Templum* ingreditur, Miſſas celebrante Gregorio, à quo etiam ſuadente *Ragnemodo* Pariſino Antiſtite, *eulogias* accepit. Quo facto Chilperici furor accenditur, Gregorio nuncios mittit, ea referentes regio nomine: *Ejcite Apoſtatam illum de Baſilica, ſin autem aliud, totam regionem illam igni ſuccendam.* Quod cùm negaſſet Gregorius, eò copias mittit, ut quod mandatis non obtinuerat, vi extorqueret. Triſtia miſerandi Principis fata ſequentibus exponemus.

Greg. l. 4. c. 14.

Leovigildi victoriæ.

III. At in Hiſpania Leovigildus novas quotidie regiones Imperio ſuo adjungebat. Anno ſuperiore in Arragonenſium tractum penetrarat, teſte Biclarienſi Chronico: *Anno IX. Juſtini Leovigildus Rex Arragonenſes montes ingreditur. Aſpidium loci Seniorem cum uxore & filiis captivos ducit, opeſque ejus ac loca in ſuam redegit poteſtatem.* Labente autem anno in Gallæciam arma convertit, *Suevorum fines conturbat, & à Rege Mirone rogatus, pacem eis pro tempore tribuit.*

Benedictus Papa moritur.

IV. Nunc res Eccleſiæ memoriâ complectamur. Benedictus Papa ſuperis redditur exacto in Pontificali ſede quadriennio. Benedicti mortem in anno labente Biclarienſis collocat: *Poſt Benedictum Romanæ Eccleſiæ Pelagius Junior ordinatus Epiſcopus.* Pelagius tamen anno duntaxat DLXXVIII. Epiſcopatum accipiet. Hic Pontificum Chronologia eſt obſcuriſſima. Nos Biclarienſem ſecuti, Joannis Catelini obitum in annum 573. contulimus.

V. Ger-

Germani Pariſini Antiſtitis obitus. Vitæ ipſius breviarium. De Charta Immunitatis B. Germani.

V. Germani nobilis Pariſienſium Antiſtitis morte annus inſignitus eſt. Magnæ pietatis laudes retulit, quam & Gregorius prodigio probat, cujus fides ſit penes Autorem: *Eo anno & B. Germanus Pariſiorum Epiſcopus tranſiit: in cujus exequiis multis virtutibus, quas in corpore geſſerat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis acclamantibus, corpus in platea aggravatum eſt. Solutiſque eiſdem, rurſum ſine labore levatur. Ipſi quoque, qui ſoluti fuerant, in obſequium funeris uſque ad Baſilicam, in qua ſepultus eſt, liberi pervenerunt.* Abbatem S. Simphoriani Germanus egerat, ac ob virtutum ſplendorem Pariſienſibus Epiſcopus datus erat. Pietati ipſius illuſtre teſtimonium reddidit Venantius in ſuo ad Clerum Pariſiacum carmine:

Venant. l. 2. c. 10.

Ipſe tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens:
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byſſus
Exornant humeros, ſed micat alma fides.

Compluribus Synodis cum laude interfuit, virtutumque ſuarum Scriptorem habuit Fortunatum, uti nos Gregorius monuit: *Si quis ſtrenuus virtutes illius, quas in corpore fecit, ſollicitè vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato Preſbytero compoſitus eſt, legens cuncta reperiet.* Epitaphium ejus à Chilperico conſcriptum eſſe, in Ammonio legitur:

Greg. l. 4. c. 8.

Eccleſiæ ſpeculum, patriæ vigor, ara reorum
Et pater, & Medicus, Paſtor, amorque gregis, &c.

Id tamen fabulam redolet. Honorem defuncti manibus à tanto Rege exhibitum nec Gregorius, nec Fortunatus prætermiſiſſent. Scriptorum Germanus Eccleſiaſticorum numerum auxit, miſſâ ad Brunichildem Reginam inſigni Epiſtolâ, ut bellum, quod inter fratres alere dicebatur, ea quâ pollebat autoritate, prorſus extingueret. Cujus Epiſtolæ mentionem ſuo loco fecimus. Cæterùm hîc Baronii error nobis purgandus eſt, qui triennii metachroniſmo Germani obitum in annum DLXXIX. tranſtulit. Germanus quidem anno Childeberti primo extinctus eſt, teſte Gregorio. At anno DLXXIX. quartus Childeberti numerabatur. Porrò Germanus vir fuit pietate, eloquentiâque clarus apud ſuos. De illo hæc prodit Fortunatus Presbyter in ejus vita: *Quis verò dignè repetat, quanta virtus verborum ab ore rotabatur, dum prædicabat in populo? Ita duntaxat, ut omni literatura naſceretur ſtupor, & fieret in commune generalis compunctio: atque omninò ex ore dicentis, crederes quòd verba ſancto formarentur ab Angelo, dum pluſquam homo loqueretur.* Chilperico Rege Germanus Epitaphio decoratur:

Error Baronii.

Bar. An. 579. n. 20.

Fortun. Vit. Germ. c. 77.

Du Cheſne H. T. 1. 916.

Eccleſiæ ſpeculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater & Medicus, Paſtor, amorque gregis.
Germanus virtute, fide, corde, ore beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir, cui dura nihil nocuerunt fata ſepulchri,
Vivit enim: nam mors, quem tulit, ipſa timet.
Crevit adhuc potius juſtus poſt funera. Namque
Fictile vas fuerat, gemma ſuperba micat.
Hujus opem ac meritum mutis data verba loquuntur:
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Hic vir Apoſtolicus, rapiens de carne tropæum,
Jure triumphali conſidet arce throni.

Apud Ammonium Floracenſem Monachum extat Charta Immunitatis B. Germani, quæ ſuburbanum Lutetiæ Monaſterium Epiſcoporum ditioni eximitur: *Sancimus ut nullus Metropolitanus, aut aliquis Suffraganeum ejus causâ alicujus ordinationis, illùc ingredi præſumat, niſi ſolummodò ab Abbate ejuſdem loci vocatus, venerit ad ſanctitatis myſterium celebrandum, aut ad Eccleſias conſecrandas, aut ad benedictiones Clericorum, vel Monachorum inſtituendas, quod debitum tenere nullatenùs debet.* In ea tamen Charta multa deprehenduntur falſi veſtigia. Stylus barbarus eſt, nec eâ dignus eloquentiâ, quam Germani auditores mirabantur. Pugnat & Immunitas cum Eccleſiaſtica diſciplina, quæ Monaſteria ſubjiciebat Epiſcoporum ditioni atque poteſtati. De eo privilegio ſilet Fortunatus in vita Germani. Denique defuncto Erado Pariſienſi Epiſcopo, dum Gallica ſceptra tenet Carolus Calvus, Clerus omnis cum fratribus Sancti Dionyſii & Sancti Germani Æneam ſibi Præſulem imponit verbis ejuſmodi: *Æneam, cujus præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem & Æneam Pontificem habere optamus.* Scribentibus reſpondet Guenilo, & ſuo & Suffraganeorum Præſulum nomine: *Sit igitur vobis Paſtor, qui pro ſuis in Deum meritis benè complacuit.* Legatur ea de Quæſtione clariſſimi Launoii Diſquiſitio. Germano ſuccedit Ragnemodus, qui Synodo adverſus Prætextatum coactæ interfuit.

Aim. de Geſt. Franc. l. 3. c. 2.

Lup. Fer. Ep. 99.

Arvernenſes Judæi convertantur. Quomodo?

VI. Extitit & hoc anno res noſtris Annalibus digniſſima. Arvernenſi in oppido complures Judæi manebant, quorum unus ab Avito, Eccleſiæ hujus Præſule, favorem Dei conſecutus, baptiſmi cupidus eo abluitur, & *cum albatis reliquis in albis ipſe procedit.* Quod indignatus de reliquis unus, *ſuper caput converſi Judæi oleum fœtidum diffudit.* Accenſus eâ contumeliâ populus, facinoris autorem lapidibus obrutum ire volebat, ſed à Clemente Epiſcopo prohibitus eſt. Verùm Aſcenſionis die, *cùm Sacerdos de Eccleſia ad Baſilicam pſallendo procederet*, plebs facto Judæorum in Synagogam impetu, eam à fundamentis convellit. Poſterâ luce Avitus Legatos hæc Judæis nuntiatum miſit: *Vi ego vos confiteri Dei Filium non impello, ſed tamen prædico... Ideòque ſi vultis credere ut ego, eſtote unus grex, cuſtode me poſito; ſin verò aliud, abſcedite à loco.* Cùm diu fluctuantes animo deliberaſſent, Avito tertiâ die reſpondent: *Credimus Jeſum Filium Dei vivi... & ideò petimus, ut abluamur baptiſmo.* Nocte Pentecoſtes amplius quingenti baptiſmum flagitant, quem & cum Chriſmate flagrantibus cereis ſuſcipiunt. Qui ablui noluerunt, Arverno egreſſi Maſſiliam petunt. Hiſtoriam non ineleganti carmine Venantius luſit:

Greg. l. 5. c. 11.

Ven. l. 5. c. 5.

Ecce dies aderat, quâ Spiritus almus ab alto
Miſſus, Apoſtolicis fluxit in ora viris.
Res ſacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
Certatimque aditum ad pia feſta ferunt.
Abluitur Judæus odore baptiſmate divo;
Et nova progenies reddita ſurgit aquis.

In ea meritò ſententia Avitus fuit, vi adhibitâ ad fidem homines non eſſe cogendos.

ANNO DOM. 577.

ANNO U. C. 1330. OLYMP. 339. PER. JUL. 5290. JUL. 622. DOM. 577. JUSTINI 12. & 13. CHILDEBERT. 2. *Sol.* 26. C. *Lun.* 8. *Indict.* 10. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 5. P. 25. *April.*

Anno XI. *Conſulatus Juſtini.*

Meroveus in azylo Martinum conſulit: elapſus Brunichildim adiit. Chilpericus vaſtat Turonenſes.

I. ANnus Childeberti ſecundus labebatur, cùm Meroveus, ut infanda Chilperici arma à populis Turonenſibus prohiberet, eomire Gunthramo de adeunda Brunichilde cogitat. Honeſtatem redolent miſerandi verba juvenis: *Abſit ut propter meam perſonam Baſilica Domini Martini violentiam perferat, aut regio ejus per me captivitati ſubdatur.* Regnandi tamen cupidus inanibus votis Martini auxilium implorabat, ut paternum ad Imperium promoveretur. Multa quoque & Fredegundæ, & Chilperici ſcelera vulgabat, quæ vel veriſſima alto tegere ſilentio debuit, ne in parentem contumelioſus audiret. Cùm Gregorii Antiſtitis menſæ accumberet, ab eo petiit, ut quæ ſibi ad erudiendum utilia forent, ex Scriptura legeret. Aperto Salomonis libro, primus hic legenti verſiculus occurrit: *Oculum, qui patrem ſpreverit, effodient corvi.* Intereà Gunthramus Boſo vult Acheronta movere, miſſis ad Pythoniſſam nunciis, ut ſibi eventura narraret. Aiebat mulierem, diemque horamque Chariberti mortis certò ſibi indicaſſe. Reſpondit vafra fœmina, quæ conſulenti placerent. Præſente ſcilicet anno Chilpericum vitæ curricula confecturum: Meroveum incluſis fratribus regno potiturum: ſe quinquiennio Francorum Ducis officio functurum: ſexto verò anno populorum ſuffragio Epiſcopatum Turonenſem adepturum, ætateque provectâ tandem exceſſurum. Quæ credulus homo palam prædicabat. Porrò occultè ei de Theodeberti morte Fredegundis favebat. Ad eum itaque nuncios mittit, qui ſpe mercedis injectâ, eum hortantur, ut Meroveum de azylo educeret. Intereà more, quem ſuperſtitio induxerat, Meroveus Pſalterium, Librum Regum, & Evangelium ſuper Martini ſepulchro collocat: totaque nocte Vigiliis & orationibus dicatâ, à Sancto quæſitum ivit, quid ſibi expectandum foret. Ex omnibus libris, verſus qui lecti ſunt, mali ominis eſſe videbantur. Verba Evangelii ſic ſonabant: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Cùm multis Meroveus ob reſponſum lachrymis Martini ſepulchrum irrigaſſet, Baſilicâ egreſſus dum per tractum Antiſiodorenſem carpit iter, ab *Erpone* Gunthrami Regis Duce comprehenditur. Caſu verò elapſus S. Germani Baſilicam ingreditur. Cùm duos in ea menſes conſtitiſſet, arreptâ fugâ ad Brunichildem pervenit: ab Auſtraſienſibus verò non excipitur. Hìc regius furor exardere, quem ſola ſuperſtitio viribus æquabat. Epiſtolam Martini ad tumulum miſerat conſultum, Baſilicâ Gunthramum Boſonem extrahere liceret, necne? *Baudinus* Diaconus chartam puram cum regia Epiſtola Martini in tumulo ſtatuerat, ut ſancta reſpondere anima dignaretur. At cæleſtibus calami atramentumque deficiunt, itaque Baudinus expectato fruſtra triduo abſque reſponſo redierat. Tum Chilpericus dolori ſuo ſerviens, igne ferroque Turonenſem tractum vaſtat, nec Martini rebus parcitum ivit.

Greg. l. 5. c. 15.

Mors filiorum Gunthrami.

II. Aliis de cauſis Gallia incidit in luctus, Gunthramo Regi nobiles natalibuſque ſuis digniſſimi, filii erant *Clothacarius*, & *Chlodomir.* Spes erat parenti futuros ſuperſtites, ſed immaturo acerboque ſimul funere merguntur, ut nos Marius Aventicenſis docuit: *Anno* XI. *Conſ. Juſtini Indictione* X. *mortui ſunt Regis atque egregii adoleſcentes Clothacarius & Chlodomeris, filii Gunthrami Regis.* Eorum morbus Salonio Sagittarioque Antiſtitibus libertatem peperit, non ſine magno Eccleſiæ damno. Ut pro Principibus Deo preces funderent, Epiſcopi à Gunthramo carcere dimittuntur.

Terræ motus Antiochiam concutit. Anatolii præſtigiatoris hiſtoria.

III. Dum hæc in Occidente geruntur, gravis terræ motus Antiochiam vaſtat. Cladis tempus verbis expreſſis notat Evagrius: *Antiochia & in ſuburbano Daphnenſi, cùm Tiberius Cæſar annum tertium Imperii ageret, ipſo meridiei ferventiſſimo æſtu, ingens extitit terra motus.* Viderit itaque Baronius, quo jure concuſſionem eam anno DLXXX. affigat, cùm Tiberius anno DLXXIV. purpuram induerit. Eſt in Purpurati Chronologia metachroniſmus triennii. Caſtigato errore inceptam narrationem perſequamur: *Terræ motu Daphne quidem univerſa funditùs proſtrata eſt. Antiochiæ verò ædificia tam publica, quam privata ad terram uſque dirupta, nec tamen collapſa ſunt ad ſolum uſque.* Longè majoris motus hoc quaſi omen fuit. Anatolius de plebe Antiochena, ex ſellulariis opificibus unus, ad Magiſtratus irrepſerat. Hinc magnam cum *Gregorio* Antiſtite familiaritatem contraxerat. Deprehenſus numinibus ſacrificaſſe Anatolius, in judicium vocatus, ſceleratus, præſtigiator, innumeriſque flagitiis coopertus deprehenditur. Verùm cum ingenti pecuniâ Comitem Orientis corrupiſſet, parum abfuit, quin cum ſociis dimitteretur. Conſilium impedivit coorta populi ſeditio. Suum quoque Antiſtitem contumeliis inceſſunt, veluti & conſilii & facinorum participem. Eâ ſuſpicione Gregorius in maximum diſcrimen adducitur. Itaque voluit Tiberius verum ex Anatolio ipſo audire, qui ſubinde cum ſociis in regiam urbem perducitur. Narrat Evagrius factum, cujus eſt difficillima fides: *Anatolius ad imaginem Deiparæ, quæ ſunt appenſa erat, in carcere procurrens, manibus poſt tergum circumplicatis, ſupplicis atque orantis ſpeciem palam exhibuit. At illa hominem deteſtata, & ſceleratum Deique hoſtem coarguens, faciem ſuam penitùs retrò avertit.* Nos, quibus nec ſenſum imaginibus, nec motum ineſſe conſtat, cantatam multis narrationem pro commento habemus. Neque hìc vis divina, quâ Deiparæ imago moveretur, ulla fingenda eſt, cùm nec in Scriptura, nec in Veterum monumentis Sanctorum unquam imaginibus Deus uſus fuerit ad efficienda miracula: multò minus potentiam adhibuit ſuam ad patrandum tale prodigium, quod Junone Romanorum potius dignum eſt, quàm cæleſti Redemptoris religione. Ut prodigio colophon imponeretur, non motu capitis modò, ſed voce quoque indignationem oſtendere ſuam Deiparæ imago debuiſſet. Sic apud Valerium Maximum Fortunæ muliebris ſimulacrum *bis locutum conſtitit, his penè verbis: Ritè me, matronæ, vidiſtis, ritèque dedicaſtis.* Indecorum eſt, cùm ſimulachrum Fortunæ in urbe vocale ſit, Antiochiæ mutam eſſe Virginis imaginem. Adductus Conſtantinopolim Anatolius, graviſſimis tormentis excruciatus, nullâ prorſus accuſatione Gregorii maculavit innocentiam.

Error Baronii.

Evagr. l. 5. c. 27.

Valer. l. 1. c. 8. n. 2.

Cùm

ANNO DOM. 577.

Cùm exilium reis, non mors imperaretur, plebs furore percita, damnatos ad exilium lembo impoſitos, injecto igne vivos concremavit. Anatolius verò in amphitheatro beſtiis objectus, ab iiſdem laniatus, poſteà cruci ſuffixus eſt. Neque adhuc ſuppliciorum finis. Lupi enim impurum ejus corpus cùm ex cruce detraxiſſent, vorandum inter ſe diviſerunt. Non in reos modò, ſed in Imperatorem quoque, & Eutychium Conſtantinopolitanum Antiſtitem populi furor exarſit. Non tumultuabantur, non incuſabant eos modò, ut fidei proditores, verùm etiam parati erant & Eutychium, & eos interficere, quibus cauſæ hujus cognitio mandata erat, niſi Providentia eos eripuiſſet, popularemque furorem ita ſedaſſet, ut nullum facinus atrox perpetraretur.

Evagr. l. 5. c. 18.

Eutychius Patriarcha Conſtantinopolim revocatur.

IV. Nomen Eutychii Patriarchæ ſubmonet ad res Eccleſiæ noſtram orationem transferre. Mortuo Joanne, iterum Conſtantinopolitanæ regimen Eccleſiæ revocatus obtinet Eutychius, Duodecennio exul in Amaſeenſi Monaſterio verſatus erat, cùm populus unâ voce atque conſpiratione Juſtinum rogânt atque Tiberium, ut ſibi egregius Trinitatis præco redderetur. Mittuntur Legati, qui vel repugnantem cogerent ad redeundum. Lectis regiis literis, in Monaſterio Euchariſtiam celebrat Septembris XII. feriâ primâ; die verò Martis ſequente, cùm feſtum memoriæ Crucis ſplendidè agitaſſet, Monaſterio, Amaſenìſque civibus benedixit. Iter ingredienti comitem ad regiam civitatem uſque præbuit ſe Apamecnſis Antiſtes. Fauſtis eumtem Eutychium acclamationibus excipiebant omnes, altâ voce clamantes, *Benedictus qui venit in nomine Domini. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax.* Cùm ab Euchaitis diſcederet, mulier cum filio ægrotante progreſſi, ſic à multitudine proculcata eſt, ut tam filii, quàm matris ſalus penè conclamata videretur. Incolumis tamen evaſit. Quo apparatu regiam urbem ingreſſus ſit, Euſtathii verbis referre juvat: *Pullus aſinæ virum illum portabat: tamulis ac ſtragula, veſtes variæ illum excipiebant, alii præibant, & præſultabant.* Thura incendebantur, ignes accendebantur, ut tota urbs ardere videretur. Cùm noctem in Hurmiſda tranſegiſſet, *manè ſumpto ſuperhumerali, quod ſecum ipſe ſemper geſtabat, cum ſancto Clero ſuo in auguſtam Ædem ſanctæ & immaculatæ Dominæ noſtræ genitricis ſemper Virginis Mariæ, quæ in Blachernis ſita eſt, conceſſit. Illuc erant pii Imperatores, Juſtinus & Tiberius, qui hilari vultu, & magno cum honore ſanctum virum excipientes, quæ tempori conveniebant, collocuti ſunt, & quia dies erat Dominica, & divinum ipſe ſacrificium facturus erat, eum dimiſerunt. . . . Vigeſimo ſecundo* (lege *vigeſimo quarto*) *menſis Januarii die vir ſanctus tonſus & ejectus fuit: revocatus autem eſt die tertiâ menſis Octobris, quæ erat Dominica: quâ quidem die & illi, qui viro ſancto inſidias ſtruxerant, atque eum in exilium ejecerant, Ætherius & Addæus, quorum hic quidem urbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ Curator, mortui ſunt.* Hìc Baronius erroris pœnas ſui ſuſtinere debet, qui invitis Chronologiæ regulis Eutychii reditum cum anno DLXXVIII. copulat. Quo quidem anno tertius Octobris feriæ non primæ, ſed ſecundæ cohærebat, jubente *Cyclo Sol.* 27. *B.* Anno verò labente tertius Octobris in diem Dominicam incidit, revocato Eutychio celebrem.

Euſtath. Vit. Eut. c. 54.

Error Baronii.

Diſſidium de die Paſchatis Gallos inter & Hiſpanos.

V. In Occidente Eccleſiæ & Galliarum, & Hiſpaniarum in magna turba, & in confuſione fuerunt occaſione Paſchatis. Litem ſic Gregorius exponit: *Eo anno dubietas Paſcha fuit. In Galliis verò nos cum multis civitatibus quarto decimo Kal. Majas ſanctum Paſcha celebravimus: alii verò cum Hiſpanis duodecimo Kal. Aprilis ſolemnitatem hanc tenuerunt: tamen, ut ferunt, fontes illi, qui in Hiſpaniis nutu Dei complentur, in noſtro Paſcha repleti ſunt.* Certaminis cauſa ortum ex Paſchatis termino habuit, qui in diem Aprilis XVIII. feriam primam incidit. Ex regulis ergo Paſchalibus Feſtum in XXV. Aprilis transferri debuit. Id verò incongruum Hiſpanis, Galliſque videbatur. Placuit itaque Hiſpanis, illud celebrare vigeſimo primo Martii, die Dominicâ; Gallis verò viſum, illud Aprilis XVIII. agitare. Utrique tamen rectas lineas tranſilivere, licet Galli minus peccarint, cùm menſi ſaltem ſuo ſacra Paſchatis reddiderint. Errarunt tamen, cùm Paſcha ſimul cum termino copulari non poſſit. Hinc pace Gregorii ſubleſta de miraculo, quod innuit, fides, fonte ſcilicet fluente Gallis, qui Hiſpanis exaruit. Deum firmando errori miracula patraſſe quis credat? Hìc Baronius in ſupinum errorem tanto Scriptore indignum delapſus eſt. Paſchale illud Hiſpanos inter & Gallos certamen geminis in locis recitat anno DLXXIII. n. 25. & anno DLXXX. n. 12. Quaſi verò id diſſidii ad duos annos pertinuerit, aut hunc illumve annum ſpectare potuerit. Anno DLXXIII. & vigeſimus primus Martii & Aprilis XVIII. tertiam feriam ſubiit, quia Cyclus Sol. 22. A. Epact. Sol. 7. Quis ergo credat, die Martis Paſcha à Gallis Hiſpaniſque celebratum? Anno 580. & Martii vigeſimus primus, & Aprilis XVIII. quintam ſibi feriam vindicabant, quæ ſacris Paſchalibus nec in Hiſpania, nec in Gallia dicari potuit. Annus Biſſextilis erat, Cyclo Sol. 1. G. F. inſignitus.

ANNO DOM. 577.

Greg. l. 5. cap. 16.

Error Baronii.

Synodus Pariſienſis adverſus Prætextatum à Chilperico cogitur.

VI. Dum verſamur in Galliis, Synodi Pariſienſis ob Prætextatum celebratæ mentio eſt agitanda. Audierat Chilpericus, multa à Prætextato Rothomagenſi Præſule munera populis dono dari. Quem ideò ad ſe vocari jubet. Facto examine, reperit res Brunichildis ei eſſe creditas: quibus ablatis illum vertere ſolum jubet, donec convocatâ Synodo lis terminaretur. Lutetiæ Concilium cogitur in Baſilica Petri, cui Prætextatus exhibetur. Æſtate celebratum eſſe, ex verbis Gregorianis colligitur: *Stabat Rex juxta tabernaculum ex ramis factum.* Interfuere Epiſcopi XLV. quorum nomina, *Bertchramno* Burdegalenſi, & *Regnemodo* Pariſienſi exceptis, ſilentio præteriit Gregorius. Sedentibus Epiſcopis Rex à Prætextato ſciſcitatur, ecquid cauſæ habuerit, cur & Meroveum contra Canones cum patrui relicta connubio jungeret, & datis muneribus ageret, ut pater à filio ſuo & regno, & vita ſpoliaretur. Regis orationem excepit murmur Francorum, in portas Baſilicæ irruere meditantium, ut Prætextatum lapidibus obruerent, quod eſt à Rege prohibitum. Negante quæ Chilpericus affirmabat Epiſcopo, falſi teſtes producuntur, qui exhibitâ pecuniâ dicebant: *Hæc & hæc nobis dediſti, ut Meroveo fidem promittere deberemus.* Fatebatur quidem Præſul pro muneribus à ſe teſtibus datis hæc repenſa fuiſſe: rogata verò eo conſilio eſſe, ut Rex throno ejiceretur, inficias ibat. Recedente Chilperico, dum Baſilicæ in Secretario Præſules ſedent, Ætius Pariſinæ Eccleſiæ Archidiaconus, eorum mentes erigere

QQQq 9 3 tentat:

ANNO DOM. 577.

tenat: occaſionem objici famam firmitudine ſuam extendendi: indignum prorſus facinus, ſi ignaviâ ſuâ fratrem perire ſinant. Similia & Gregorius monet: Epiſcopos hortatur, qui Regi familiariores erant, abſque circuitione ulla ei nuncient, ne irâ ſuâ & regnum perdat, & gloriam: ignavum ſilentium tenere nolint, ne animæ injuſtè pereuntis, ſe ſponſores Deo tradant. Verùm ex Epiſcopis duo adulatores Regi nunciant, Gregorium ipſi inimicum eſſe, reperiuique neminem, qui conſiliis ejus magis obniteretur. Itaque Aulicorum unus ad eum accerſendum ſubinde legatur. Ipſamet Gregorii verba audiantur: *Stabat Rex juxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram ejus Betchramnus Epiſcopus, ad lævam verò Regnemodus ſtabat: & erat ante eos ſcamnum pane deſuper plenum cum diverſis ferculis. Viſoque me, Rex ait, ô Epiſcope, juſtitiam cunctis largiri debes, & ecce ego juſtitiam à te non accipio, ſed ut video, conſentis iniquitati. Ad hæc ego, Si quis de nobis, ô Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt; ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronuntiat eſſe juſtitiam?* Rex dolis, blanditiiſque ratus Gregorium vincendum eſſe, *Propter te*, inquit, *hæc juſcella paravi, in quibus nihil aliud præter volatilia, & parumper ciceris continetur.* Cui ſapienter Gregorius, *Cibum noſtrum eſſe Dei voluntatem.* Tum Rex datâ dexterâ jurat, ſe neque Legem, neque Canones unquam violaturum. Quibus auditis Gregorius accepto pane, vinoque diſceſſit. Illâ ipſâ nocte Fredegundis nuncios ei mittit, qui largitione ipſum corrumperent: argenti libras ei ducentas pollicentur, ſi Prætextatum ſuo opprimere ſuffragio velit: cæteros in ejus damnationem Antiſtites conſenſiſſe prædicant. Id perfidi Reginæ miniſtri à Gregorio reſponſi tulere; *Unum tantùm polliceor, quòd ea, quæ cæteris ſecundum Canonum ſtatuta conſenſerint, ſequar.*

Quibus de cauſis Prætextatus damnatus ſit? In exilium mittitur.

VII. Convenientibus Epiſcopis Petri in Baſilica Rex accuſator adeſt, monet Epiſcopum, qui ſe furti alligavit, ex Canonum præſcriptione gradu prorſus eſſe movendum. Oſtendit *duo volucra diverſis ornamentis referta*, quæ pretio amplius quàm tria millia ſolidorum valebant, & ſacculum aureis numiſmatibus plenum, quæ à Prætextato ablata ſibi eſſe referebat. Accuſationem diluebat Antiſtes. Diſcedente Brunichilde, ſe Regi nunciaſſe, quinque ſibi ſarcinas commendatas fuiſſe, tres conſentiente ipſo Chilperico redditas, alias penes ſe ad cuſtodiam remanſiſſe. Regerebat Chilpericus: *Si hoc depoſitum penes te habebatur ad cuſtodiendum, cur ſolviſti unum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes diſſecaſti, & dediſti per viros, qui me à regno dejicerent?* Defenſionem hanc Prætextatus afferebat, eo ſe limbo uſum eſſe, ut munera ſibi dantibus aliquid retribueret. Propria ſibi hæc eſſe videri, quæ Merovei filii ſui erant, quem *lavacro regenerationis* ſuſceperat. Cùm accuſatio Chilperici ex ſententia non ſucceſſiſſet, machinas doloſque commolitur ad opprimendum Prætextatum, quem Fredegundis perditum iri voluit. Submittit proditores, qui Epiſcopo conſilium darent, ut ſe nocentem faſſus, regiam clementiam imploraret. Antiſtites dein ſupplici omnes venturos auxilio. Deceptus Prætextatus hæc omnia ſe facturum pollicetur. Convenientibus Epiſcopis, Rex ab eo quærit, *Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur ſacramenta poſtulaſti, ut fidem Meroveo ſervarent?* Tum Prætextatus genibus pronis ſupplex, *Peccavi*, inquit, *in Cælum, & coram te, ô Rex miſericordiſſime: ego ſum homicida nefandus: ego te interficere volui, & filium tuum in ſolio erigere.* Tum Rex genibus Epiſcoporum advolutus, talia fatur: *Audite, ô piiſſimi Sacerdotes, reum crimen execrabile confitentem.* Egreſſus Synodo ad eam mittit librum Canonum, in quo erat *quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi Apoſtolicos, continentes hæc: Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus à Sacerdotio divellatur.* Quibus lectis, ſtante Prætextato *petiit Rex, ut aut tunica ejus ſcinderetur, aut* CVIII. *Pſalmus, qui maledictiones Iſcarioticas continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret.* Petitioni regiæ unus obſtitit Gregorius, utpote Canonibus repugnanti. Porrò imprudens juxta ac miſer ille Prætextatus in carcere reconditur. Ex quo cùm ſe fugâ liberare vellet, *nocte graviſſimè cæſus, in Inſulam maris, quod adjacet civitati Conſtantinæ, in exilium eſt detruſus.* Ea inſula *Caſarea*, Gallis *Gerzè* nuncupatur. Si verum volumus, Epiſcopatu Prætextatus indignus videbatur, partim ob inceſtas, quas celebrarat Merovei & Brunichildis nuptias, non ſine & honeſtatis & Canonum violatione, partim ob ſceleris in Regem perpetrati ſive falſam, ſive veram Confeſſionem. Quâ ratione & revocatus fuerit, & perierit Prætextatus, ſuo loco exponemus. Prætextati damnationem Baronius in annum DLXXX. confert, repugnantibus prorſus Chronologiæ notis. Annus erat Childeberti ſecundus, Paſchalibuſque Francorum & Hiſpanorum diſſidiis inſignis. Quæ ſi quis in anno DLXXX. quærit, is utique in mari venatur apros.

Greg. l. 5. c. 18.

Error Baronii.

ANNO U. C. 1331. PER. JUL. 5291. JUL. 623. DOM. 578. TIBERII 4. & 1. CHILDEBERT. 3. *Sol.* 27. B. *Lun.* 9. *Indict.* 11. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

ANNO DOM. 578.

Anno XII. *Conſulatus Juſtini.*

Juſtiniano Mauricius ſufficitur.

I. PRæclaris Juſtiniani initiis ſequentia non reſpondebant. Victum pulſumque Coſroem novis cladibus non afficiebat, contentus Romanorum fines tueri. Juſtiniano igitur poteſtatem abrogat, Tiberius quòd non eâdem quâ prius felicitate adverſus Barbaros uteretur, Mauritium verò ejus loco Magiſtrum Orientalis Militiæ conſtituit. Dignitate ſuâ anno labente Juſtinianus motus eſt, teſte Joanne Biclarienſi: *Tiberius Mauricium Excubitorum Comitem, Magiſtrum Militiæ Orientis inſtituit, & ad repugnandum Perſis direxit.* Annus erat Leovigildi decimus. Utrùm verò, vel mortuo, vel vivente adhùc Juſtino Mauricius Juſtiniano ſuffectus ſit, vix quæſtio ſolvi poteſt, ob Veterum pugnam. Biclarienſis quidem Evagriuſque diſertè tradunt, Juſtini poſt obitum Mauricium Orientalium Militum Comitem creatum eſſe: *Tiberius poſt mortem Juſtini cùm jam imperialem coronam geſtaret, Juſtiniano poteſtatem abrogavit.* Superſtite tamen Juſtino, remoto Juſtiniano Mauricium ſubrogatum eſſe, teſtatur Simocata, libro 3. cap. 15.

Evagr. l. 5. c. 19.

Id. ibid.

Juſtinus Tiberium facit Auguſtum.

II. Anno labente ad fata veniſſe Juſtinum Auguſtum, Chronicum narrat Alexandrinum: *Anno*

Anno XII. *Juſtini Imperatoris, menſe Septembri* XXVI. *Indictione* XII. *coronatus eſt ab ipſo Tiberius Junior Conſtantinus, & quinto die menſis Octobris Juſtinus Auguſtus vitâ exceſſit, & Tiberius Conſtantinus ſolus imperavit alios annos quatuor.* Rectè omnia, ſi ab annis Juſtini Auguſteis diſceſſerimus, qui non duodecim, ſed tredecim numero fuere, menſe uno duntaxat, diebuſque aliquot exceptis. Juſtinus nonnihil animo reſtitutus, ut Tiberium ex Cæſare Imperatorem faceret, accerſito Eutychio Patriarchâ, Senatu etiam Cleroque convocato vocatum Tiberium Auguſtum dicit, additis egregiis monitis, ut juſtè Rempublicam adminiſtraret. Juſtini piam ſanè orationem in Miſcellæ legimus: *Ecce Deus, qui benefecit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, ut tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam, quæ aliquando domina tua fuit. Noſti quòd primùm ſervus ejus fueris, nunc autem filius. Ne gratuleris in ſanguinibus, ne communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitia ſimilis mihi efficiaris*, &c. Quæ ſequuntur, ejuſdem momenti ſunt atque ponderis. Fatetur Juſtinus ſe nocentem, ſe ab adulatoribus deceptum, quibus Dei ante tribunal litem denunciabit. Exemplum igitur à ſe capiat: purpuræ fulgore ne in ſuperbiam labatur, cum militibus non agitet convivia. Liberalem ſe omnibus præbeat. Vix ſermonem piis refertum ſententiis finierat Imperator, cùm poſt preces ab Eutychio fuſas Tiberius genibus Imperatoris advolutus, dixit, *Si vis non ſum*: cui Juſtinus: *Deus eſt, qui fecit cælum & terram, ipſe omnia, quæ dicere oblitus ſum, in cor tuum mittat.* Soluto Conventu munera Juſtinus populo largitur, quæ inaugurationem decebant.

Miſcell. lib. 16.

Mors Juſtini. Tiberius ei ſuccedit.

III. In Juſtino vita ad id manſiſſe videbatur, ut piis ſucceſſorem præceptis informatum Reipublicæ præficeret. Quinto igitur Octobris die, feriâ IV. Juſtinus lachrymis, ut videtur, & reſipiſcentiâ vitæ ſuæ flagitia detergens, morti debitum ſolvit. Urbi regiæ non prorſus inutilis fuit. Anno Imperii XI. æquæductum ſtruxerat, qui fluentorum copiam Conſtantinopolitanis ſuppeditabat. Anno ſequente emptam à Judæis Synagogam, quæ erat in Chalco, in Deiparæ Eccleſiam mutaverat. Nil tamen utilius Reipublicæ facere potuit, quàm quòd Tiberium ſummæ rerum præpoſuerit. Imperavit annos XII. menſes X. dies XXII. à Novembris XIV. ſcilicet anni DLXV. quo Juſtinianus exceſſit, ad uſque V. Octobris anni DLXXVIII. Baronius errore, qui Evagrii Hiſtoriam invaſit, deceptus, ultimum Juſtino annum aſſignat, qui Domini eſt DLXXXII. Quæ malè ſana Chronologia in regna Tiberii, Mauriciique influit, quorum & finem, & initia temporibus movit, non ſine maxima Annalium perturbatione, rerumque omnium, quæ labente eorum annorum curriculo geſta ſunt, confuſione incredibili. Quem Tiberii primum illuſtriſſimus Purpuratus annum ſcribit, noviſſimum fuiſſe, certis argumentis demonſtrabimus. Tiberius porrò & virtutibus involutus ſuis, & paternorum præceptorum memor, quinto Octobris ſolus imperium adminiſtrare cœpit: *Coronatus ab Eutychio, uxorem quoque ſuam Anaſtaſiam Auguſtam ſalutavit: ex qua duas filias pepererat, Charitonem, & Conſtantinam. Sophia verò, Juſtini vidua, relictâ aulâ in Regiam ſibi cognominem migravit, regio comitatu ei à Tiberio tanquam matri ſua attributo.* Itaque nil eſt in narratione Miſcellæ veriſimilitudinis, videlicet initiis Tiberii, cùm acclamatum eſſet, *Anaſtaſia Auguſta, tu vincas; ſalva, Domine, quos imperare juſſiſti, Sophiam* gravi eſſe dolore perculſam, utpote ignaram uxorem eſſe Tiberio, quem ſibi virum cupiebat, ut Auguſta permaneret. Sophiam latuiſſe, quòd Tiberius maritus erat, quis credat, cùm ne vel à populis id ignoraretur? Cur vir ille pius nuptiarum ſe vinculis ſolutum eſſe ſimulaſſet? Magis aſſentimur Gregorio, narranti *Sophiam* Tiberio inſidias ſtruxiſſe, ut Juſtinianum ad imperium promoveret, Qua de cauſa theſauris omnibus ſpoliatæ, ſola duntaxat alimenta aſſignavit, mutato prorſus omni ſervorum miniſterio.

Zonar. An. l. 14. c. 72.

Greg. L. 5. c. 30.

Gaſmules Maurorum Rex à Gennadio occiditur.

IV. Res Imperii virtute *Gennadii* in Africa proſperè ſucceſſerunt, occiſo Maurorum Rege, qui de Romanis victoriam ſæpius retulerat. Tres Juſtini Duces morti miſerat Maurorum ille Princeps, nomine *Gaſmules*. Anno DLXIX. *Theodorum* Præfectum Africæ interfecerat. Inſequente anno *Theoctiſtum* Magiſtrum Militum Provinciæ Africanæ occiderat. Annum & DLXXI. novâ victoria nobilem ſibi fecerat: *Amabilis Magiſter Militiæ Africanæ à Mauris occiditur.* Sed fortuna ſemper uti proſperâ conceſſum nemini. Tot triumphis ſuperbus *Gaſmules*, proprio ſanguine gladios Romanorum anno labente cruentat, quam tamen Tiberii ſecundum Biclarienſis perperàm nuncupavit. Anno X. Leovigildi, qui Æræ Chriſtianæ DLXIX. regnare inceperat, *Gennadius Magiſter Militiæ in Africa Mauros vaſtat. Gaſmulem fortiſſimum Regem, qui jam tres Duces ſuperius nominatos Romani exercitus interfecerat, bello ſuperat, & ipſum Regem gladio interficit.*

Biclar.

Leovigildus hoſtium victor Recopolim condit.

V. In Hiſpania novis quoque facinoribus Leovigildus ad gloriam nitebatur. Anno ſuperiore Oroſpedam ingreſſus, civitates Provinciæ hujus ſuas fecerat: ruſticos rebellantes oppreſſerat, quâ victoriâ pacatè Oroſpedam poſſidebat. Labente anno pacem adeptus, fundatis urbibus, laudes poſteritati ſuas commendat. Id Biclarienſi in Chronico narratum reperimus: *Leovegildus Rex, extinctis undique tyrannis, & pervaſoribus Hiſpaniæ ſuperatis, ſortitus requiem, propria cum plebe reſedit, & civitatem in Celtiberia ex nomine filii condidit, quæ Recopolis nuncupatur: quam miro opere, & mœnibus, & ſuburbanis adornans, privilegia populo novæ urbis inſtituit.*

Meroveus occiditur.

VI. Gallias ingreſſi triſtia nunc Merovei Principis fata exequamur, quem anno labente periiſſe, ex Mario tenemus: *Anno* XII. *Conſulatus Juſtini Jun. Aug. Indict.* XI. *Meroveus filius Hilperici Regis occiſus eſt.* Rhemenſibus in oris latebat, Auſtraſiis ſe palam credere non audens, cùm per *Turbannenſium* inſidias decipitur: ſi ad eos accedat, ſubjectionem pollicentium. Aſſumptis viris fortiſſimis, illico ad eos venit. Tum militibus ſeptum concludunt, ſimulque id Chilpericum monent. Dum Rex eo contendit, Meroveus ne crudeles inimicis ſuis pœnas daret, hæc *Gaileno* ad ſe vocato loquitur: *Una nobis uſque nunc anima & conſilium fuit: rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi; ſed accepto gladio, irruas in me: quod ille nec dubitans, eum cultro confodit.* Sunt qui narrent, verba hæc conficta eſſe, juſſiſque Fredegundis Meroveum periiſſe. *Gailenus* verò abſciſſis manibus pedibuſque, necnon auribus, & naribus cruciatus miſerè conſumitur. *Grindio* rotæ imponitur; *Gucilo*, olim Sigeberti

Palatii

ANNO DOM. 578.

Palatii Comes, capite plectitur: complures quoque variis tormentis laceratis necantur. Structarum Meroveo inſidiarum caput fuiſſe, Ægidium Remenſem Epiſcopum, Gunthramumque Boſonem ferunt. Illum, utpote vetere amicitiâ cum Regina conjunctum; hunc verò, quòd ob interfectum Theodobertum clanculario Fredegundis concubitu potiretur. Meroveci obitum anno DLXXVII. perperàm Calviſius alligat.

Greg. l. 5. c. 18.

Pelagius Junior Papa creatur.

VII. Dandum eſt aliquid loci etiam rebus Eccleſiaſticis. Poſt interpontificium menſium complurium Benedicto, qui ad ſuperos anno DLXXVII. conceſſerat, Pelagius ſuccedit Secundus. De Pontificatus ejus initiis variant eruditi: Baronius *undecimâ menſis Novembris* anno 577. Pelagium Epiſcopum creatum eſſe ſtatuit. Cui Chronicum Biclarienſe repugnat: *Poſt Benedictum Romana Eccleſia Pelagius Junior ordinatur Epiſcopus: praeſt annis* XI. Pelagius autem octavo Februarii anno DXC. ad plures abiit. Non igitur anno DLXXVII. ſedere potuit, aut annos non XI. ſed XII. Pontificatum tenuiſſet. Anno DLXXIX. tertio Idus Novembris creatum, conſecratum die S. Andreæ pridie Calend. Decembris, Onuphrii ſententia eſt, cujus Chronologiam menſem annumque quod attinet, eruditi nonnulli amplectuntur. Hanc tamen Chronologiam refellit Synodus Gradenſis, anno DLXXIX. tertio Novembris coacta, ut eruditè eſt à Noriſio obſervatum: *Imperante ſereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno imperii ejus quinto, eodem Conſule, ſub die tertio Nonarum Novembrium, Indictione* XIII. Hæc ſunt anni proximè futuri criteria. In ea verò Synodo Pelagii Junioris Epiſtola lecta eſt, *data* XII. *Kal. Martii, Imperatore Tiberio* II. *Auguſto.* Cùm ergo Pelagius Iſtrienſibus ſcripſerit Februarii XVIII. utique cadit Onuphrii Chronologia, quæ novem pòſt menſibus Pelagium Juniorem in Apoſtolica Sede collocat. Eſt itaque vero ſimillimum, anno DLXXVIII. Pelagium Pontificatum iniiſſe.

Bar. Ann. 577. n. 2.

Nor. Diſſert. de v. Syn. c 9. Sect. 4. 61.

De ſubditis Pelagii II. Epiſtolis.

VIII. Pelagius natione Romanus erat, ex patre *Vinigildo.* Nec in levi ponendum, quod de ejus creatione retulit Anaſtaſius: Pelagius *ordinatur abſque juſſione Principis, eò quòd Longobardi obſiderent civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italia fieret.* Ut ad concordiam Aquileienſes Epiſcopos revocaret, ſatis ſuperque ex iis allaboraſſe liquet, quæ ſuis temporibus dividemus. Extant inter Pelagii germanas Epiſtolas adulterinæ prorſus, quæ invitâ Baronii, Binniique ſententiâ ab eruditis magnâ nunc animorum conſpiratione rejiciuntur. Prima ad *Benignum* Archiepiſcopum ſcribitur, quæ ex una Eccleſia ad aliam Epiſcoporum reprobat evectionem, niſi neceſſitas coëgerit. Data dicitur *tertio die Auguſti menſis, Indict.* XVI. Annus eſt Dom. DLXXXI. Secunda ad Epiſcopos Italiæ dirigitur, quâ ſtatuit, Epiſcopis venerationem habendam eſſe, nec poſſe à quolibet accuſari, *Data Kal. Decembris Indict.* XV. annus is eſt Domini DLXXXII. Tertia ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcripta eum arguit, quòd univerſalis Epiſcopi ſibi nomen vindicarit. Quarta ad Epiſcopos Hiſpaniæ dirigitur, quos monet, de Præfationibus inter Miſſarum ſolemnia decantandis: *Invenimus has novem Præfationes in ſacro Catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Eccleſia hactenùs ſervavit: unam in albis Paſchalibus: aliam de Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natali Domini, ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de ſancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam in Jejunio,* & Quadrageſima dicendam. De Pelagii ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſtola verba ſunt Baronii: *Extant ipſa litera omni memoriâ digniſſima.* Verùm adulterinæ confictæque Pelagii nomine Epiſtolæ omnium ſanè cordatorum non *memoriâ*, ſed odio potius ſunt *digniſſimæ.* Non inficias quidem imus, extitiſſe olim Pelagii Epiſtolam, quâ Joannes perſtringebatur. Id nos ſanè Gregorius monitum ivit in ſua ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſtola: Pelagius, inquit, *omnia geſta ejuſdem Synodi præter illa, quæ illic de cauſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, validâ omninò diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſimâ illum increpatione corripiens, ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet.* Ea tamen Epiſtola cùm deſideraretur, perſonatus ille Pelagius, Iſidorus nimirum Mercator, occaſione verborum Gregorii ſuam nobis Epiſtolam obtrudit. Quam falſam prorſus eſſe eo liquet, quòd verba Gregorii ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum ſuam in Epiſtolam derivarit. Conſulatur libri IV. Epiſtola trigeſima ſexta. Epiſtola quidem Pſeudo-Pelagii ad Joannem lineamenta Iſidori omnia refert. Conſtat enim ex ſententiis Leonis, ut illi exploratum fiet, qui in Epiſtolam 43. & 47. deponet oculos. Nihilo verior eſt Pelagii ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ Epiſtola, quâ Præfationum in Miſſis numerus recenſetur. Quam Pontifici Baronius addicit. Neque accuratior ejus criſis, dum germanum Pelagii fœtum eſſe putat Epiſtolam ad Benignum Archiepiſcopum. Iſidorianas omninò merces redolent illæ Epiſtolæ. Conſtant aſſutis Veterum laciniis, nec Pelagii ſtylum ſpirant.

ANNO DOM. 578.

Pelag. Ep. 9.

Bar. An. 587. n. 7.

Greg. Ep. l. 7. Ep. 70. Lab. Conc. t. 5. 1352.

Bar. An. 590. n. 5.

Probino Elias Aquileienſis ſuccedit.

IX. Paulino Aquileienſi Probinus ſucceſſerat Epiſcopus, quo tempore necdum ſcimus. Id unum ſcimus, non diu inter homines Probinum fuiſſe, Eliæque deceſſiſſe. Verba ſunt Warnefridi: *Paulinus Patriarcha annis duodecim Sacerdotium gerens, ab hac luce ſubſtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.* Annuo Pontificatu cùm functus eſſet *Probinus*, naturæ conceſſit. Audiatur iterum Warnefridus: *Mortuo apud Aquileiam Patriarchâ Probino, qui Eccleſiam unum rexerat annum, eidem Eccleſiæ Sacerdos Elias præficitur.* Hic eſt ille Elias, qui anno inſequente Gradenſem Synodum coget.

Warn. l. 2. c. 25.

Warn. l. 3. c. 14.

ANNO U. C. 1332. PER. JUL. 5292. JUL. 624. DOM. 579. TIBERII 5. & 1. 2. CHILDEBERT. 4. *Sol.* 28. A. *Lun.* 10. *Indict.* 12. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 7. *P.* 2. *April.*

ANNO DOM. 579.

Tiberio Juniore Conſtantino primùm Conſule.

Quo anno Tiberius adiit Conſulatum.

I. JUſtini ad exemplum Conſularem Tiberius purpuram aſſuit Auguſteæ. Quo tempore id fecerit, quæritur inter eruditos. Tiberianum Panvinus Conſulatum in anno DLXXX. collocavit, ſed errante calamo, cùm anno labenti Conſulatus ille ſit affigendus. Hinc in Chronico Alexandrino legitur: *Tiberio Juniore Conſtantino primùm Conſule*, quam dignitatem induit Indictione non XIII. ut fert Onuphriana ſententia, ſed XII. ut tradit Autor Chronici. Cujus opinio graviſſimo & argumento vera deprehenditur ex ſubſcriptione Pragmatici Tiberiani

ANNO DOM. 579.

Cod. Juſt. p. 354.

riani de confirmatione Conſtitutionum Juſtini, &c. ad Theodorum miſſi: *Dat. III. Idus Auguſt. Conſtantinopoli, Imperat. D. N. Tiberii Conſtantini P. P. Aug. anno VIII. & poſt Conſulatum ejus anno tertio & Nob. Flav. Tiber. Maur. feliciſſimi Cæſaris anno primo.* Quæ notæ ſunt anni DLXXXII. quo Cæſaris titulo Mauricius à Tiberio donatus fuit. Non eſt tamen diſſimulandum, primum Tiberiani Conſulatus annum cum Indictione XIII. quo annus proximè ſecuturus inſignitur, à Mario Aventicenſi copulari: *Anno I. Conſ. Tiberii Conſtantini Auguſti, Indictione XIII.* Verùm ex Marii errore noſtra ſententia ſtatuitur. Quippe & cùm Juſtiniani & Juſtini obitum anno ſerius uno, quàm oportuit, conſignaſſet, ex jactis fundamentis Tiberii Conſulatum anno DLXXX. alligare opus habuit. Exiſtimavit enim Juſtinianum exceſſiſſe anno DLXVI. Indictione XIV. Juſtinum verò currente anno periiſſe, Indict. XII. Qui ſanè unius anni metachroniſmus eſt. Ex quo tamen conficitur Mario certum fuiſſe, primum Tiberii Conſulatum cum anno ipſius primo Auguſteo eſſe copulandum. Cùm autem defuncto Juſtino imperium anno elapſo adierit, labenti ſanè primus Tiberii Conſulatus eſt aſſignandus.

Chilpericus ſubditos tributis vexat: plebis rebellio.

II. Chilpericus ad ſubditorum perniciem natus, flagitiis, crudelitate, tyrannide regnum ſuum deturpabat. Onera ſubditis imperat, quibus ferendis impares erant. Solum itaque vertere, & in alias regiones habitatum ire maluerunt, quàm tanto jugo premi: *Statutum enim fuerat, ut poſſeſſor de propria terra unam amphoram vini per aripennem redderet. Sed & aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quàm de mancipiis.* Immenſis tributis oppreſſi Lemovicenſes, *Calendis Martiis Marcum Referendarium*, tantorum malorum cauſam, interficere voluerunt, & feciſſent quidem, niſi *eum* Ferreolus Epiſcopus à periculo liberaſſet. Deſcriptionis in tabulas plebis indignatio cadit, quæ flammis traduntur. Tum regius furor extra modum inflammari: inferre miſeris ſupplicia: ne vel ſacris viris parcere, quos publicani calumniantur, ut faces plebeiæ ſeditionis. Quò uſque ſeveritas proceſſerit, Gregorii verba hæc indicio ſunt: *Ferunt Abbates, atque Presbyteros ad ſtipites extenſos, diverſis ſubjacuiſſe tormentis.* Plebeii quoque tumultus occaſione tributa longè graviora populis irrogantur.

Gregor. l. 5. c. 28.

Indegundem Hermenigildus ducit: à Leovigildo deficit: fit Orthodoxus.

III. Triſtia hæc gaudio temperant *Indegundis* Sigeberti Regis filiæ nuptiæ cum Hermenigildo Leovigildi nato, infelici tamen ſucceſſu. Cur hunc in annum id matrimonii conferamus, Biclarienſis nobis Autor eſt, qui ad annum Leovigildi XI. ſcribit: *Leovigildus Rex Hermenigildo filio ſuo, filiam Siberti Regis Francorum in matrimonium tradit, & Provinciæ partem ad regnandum tribuit.* Paternâ eâ benignitate filius gratum animum tenerioreſque benefico genitori affectus debuit. Sed omnia Leovigildo eveniunt præter ſententiam. Quippe Hermenigildus ſuâ ſorte non contentus, rebellare cœpit. Conſiliis uxoris Arianum errorem fide Catholicâ mutaverat, quæ defectionis cauſa nonnullis exiſtimatur. Rem ſic narrat Gregorius: *Indegundis Sigiberti Regis filia cum magno apparatu in Hiſpanias directa, ab avia Goſuintha cum gaudio magno ſuſcipitur: quam nec paſſa eſt in religione Catholica diu commorari, ſed ut rebaptizaretur in Ariana hæreſi, blandis cœpit ſermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: Sufficit ſatis me ab originali*

Greg. l. 5. c. 38.

peccato baptiſmo ſalutari ſemel ablutam fuiſſe, & ſanctam Trinitatem in una æqualitate eſſe confeſſam . . . Hæc illa audiens, iracundiæ furore ſuccenſa, apprehenſam per comam capitis puellam in terram conlidit, & diu calcibus verberatam ac ſanguine cruentatam, juſſit ſpoliari, & piſcinæ immergi. Quin blanditiis Indegundem ad mutandam religionem Goſuintha pellexerit, nulli quidem dubitamus: quod verò in neptem, & Reginam tam aſperè, tamque inverecundè ſævierit, pace Gregorii non credimus. Plebeium ſanè rumorem, cui præcipitanter fidem Gregorius adjunxit, refellunt mox laudanda verba Biclarienſis. Porrò Indegundis tantum apud Hermenigildum valuit autoritas, ut tandem eum ad exuendum Arianiſmum, induendamque Trinitatis fidem permoveret: *Ac dum chriſmantur, Joannes eſt vocitatus.* Patris offenſionem veritum Hermenigildum ab eo defeciſſe vulgò creditur. Verum tamen rebellionis cauſam exiſtimamus majoris Principatus cupidinem. Biclarienſis quidem, cujus narratio fide eſt digniſſima, Hermenigildum non ut Chriſtianum, ſed ut impium ſanè, rebellemque pingit. Verba ipſius audiantur: *Leovigildo quietâ pace regnante adverſariorum domeſtica rixa conturbat. Nam eodem anno filius ejus Hermenigildus, factione Goſuinthæ Reginæ tyrannidem aſſumens, in Hiſpali civitate rebellione factâ recluditur, & alias civitates atque caſtella ſecum contra patrem rebellare facit. Quæ cauſa in Provincia Hiſpaniæ, tam Gothis, quam Romanis majoris exitii, quàm adverſariorum infeſtatio fuit.* Ac quantum conjecturâ augurari licet, dum Hiſpali Hermenegildus concitatâ ſeditione moratur, Orthodoxam Religionem amplectitur; cùm vix credibile ſit, profeſſo Orthodoxo Goſuintham Arianis partibus addictiſſimam adeò faviſſe, ut filius patri inſurgeret. Illud etiam ex eo liquet, quòd Hermenigildi animus ut fide Trinitatis imbueretur, Leander Hiſpalenſis Antiſtes non minimum allaboravit. Id ſanè teſtatur Gregorius, Leandro amiciſſimus: *Sicut multorum, qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenigildus Rex, Leovigildi Regis Viſigothorum filius ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam, viro reverendiſſimo Leandro Hiſpalitano Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto prædicante, converſus eſt.* Ut paternis viribus facilius Hermenigildus reſiſteret, auxilium Tiberii Imperatoris ſibi habendum ſtatuit, quod & nova Principis religio implorare videbatur. Leandrum ergo in urbem regiam Legatum miſit, nil tamen ſubſidii impetratum iviſſe videtur. Non prorſus tamen Leandro inutilis ea peregrinatio fuit, cùm Gregorii Magni, qui anno 580. Pelagii in urbe regia Apocriſiarium agebat, ad familiaritatem ſeſe applicuerit. Quo factum, ut rogante Leandro librum Jobi commentariis illuſtrare inceperit. Hinc patet, quantum perturbationis Annales Baronii ſibi aſſumant, qui Indegundis nuptias Hermenigildiſque defectionem anno 583. aſſignat, quadriennii metachroniſmo.

ANNO DOM. 579.

Gregor. Dial. l. 3. c. 31.

Error Baronii.

Bar. An. 582. n. 33.

Mors Coſrois. Mauricius Perſidem vaſtat.

IV. Leandrum in Orientem comitati, quid in illo tractu gereretur, paucis videamus. Cladis, quam à Juſtiniano Comite acceperat Coſroës, benè memor, conſilii ad inopiam redigitur. Dum dolori ſimul & pudori immergitur, his flectibus oppreſſum, immenſa quædam ægritudo animo offuſa ex hac vita ſubduxit. Quem caſum perperàm Evagrius Juſtini morti præponit, cui

ANNO DOM. 579.

Coſroëm ſuperfuiſſe conſtat. Perpetuum fugæ ſuæ monumentum poſteris reliquit, conſcriptam videlicet Legem, ne poſt modum Perſarum Rex contra Romanos exercitum duceret. Defuncto ſucceſſit Hormiſda. Intereà Mauritius, quem Tiberius Juſtiniano ſuffecerat, cum exercitu Perſarum regiones ingreſſus, urbes caſtellaque occupat, tantumque prædæ cepit, ut captivi, quos ex Perſide abduxerat, integras inſulas, urbes, agros jam pridem deſertos incolerent, & incultam terram fœcundam redderent. Milites etiam exercitibus ſuppeditarant, qui contra Barbaros ſubſidio fuere.

Evagr. l. 5. c. 15.

Evagr. l. 5. c. 19.

Synodus Cabillonenſis Sagittarium & Salonium gradu movet. Cur?

V. Nunc rerum Eccleſiaſticarum debita propoſito noſtro relatio eſt. Salonii Sagittariique Antiſtitum improbitas eò tandem proceſſit, ut debitas ſceleribus ſuis pœnas pendere cogerentur in Cabillonenſi Concilio, quod eſt labente anno collectum. Rem paucis complectitur Marius: *Indictione* XII. *duo germani, Salonius & Sagittarius Epiſcopi à Synodo, quæ Caballono collecta eſt, pro diverſis criminibus ab Epiſcopatus honore dejecti ſunt.* Non ad frugem facinoroſos revocarat irrogata à Lugdunenſi Conventu pœna, non Joannis Papæ clementia, qui eos Sedi reſtituerat: non regia cenſura, quâ à Gunthramno vexati fuerant. Eo inſolentiæ *Sagittarius* Vapincenſis proceſſerat, ut prædicaret Gunthrami filios regno indignos eſſe, quòd eorum mater *Magnacharii* orta eſſet. Quibus meritò Rex offenſus, mulctatos equorum ſervorumque jacturâ, ambos fratres ad pœnitentiam agendam diverſis Monaſteriis incluſerat. Armatis militibus cuſtodiebantur, ne ad illos pateret aditus alicujus: aderat cuilibet Clericus unus, qui miſeris eſſet auxilio. Dum in eo veluti carcere detinentur, filius Regis natu major morbo corripitur. Quam occaſionem amplexi Gunthrami familiares, eum rogant, ut libertatem reis concedat, ne vinclis Præſulum regis fortè peccata creſcant. Monentibus Rex facilis obſequitur: *Ite quantocius*, ait, *& laxate eos, deprecantes ut orent pro parvulis noſtris.* Hæc anno DLXXVII. contigere, quo filii Gunthrami luci erepti ſunt, teſte Marii Chronico: *Anno* XI. *Conſ. Juſtini Jun. Aug. indict.* X. *mortui ſunt regis, atque egregii adoleſcentes, Clotharius & Chlodomeris, filii Gunthrami Regis.* Egreſſi Monaſterio Antiſtites Eccleſias repetunt ſuas, abdicatâ in ſpeciem nequitiâ omni. Pallentes adeò mores raſiſſe ſuos videbantur, ut viva ſe præberent exempla pietatis: *In tantum compuncti ſunt, ut viderentur nunquam à pſallendo ceſſare, celebrare jejunia, eleemoſynas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis & lectionibus meditando deducere.* Verùm lateres lavabant. Recurrebant mox pravæ indolis facinora. Clericis matutinas in Eccleſia

Gregor. l. 5. c. 20.

celebrantibus, illi pocula poſcebant: *Nulla prorſus de Deo erat mentio: nullus omninò curſus memoria habebatur. Reddente autem ſurgentes à cœna, mollibus ſe indumentis operientes, ſomno vinoque ſepulti, uſque ad horam diei tertiam dormiebant; ſed nec mulieres deerant, cum quibus polluerentur.* Inſontes tandem irruit juſtitia Numinis, quos utpote gradu ſuo indignos, Cabillonenſe Concilium ejicit. Quâ ratione id factum ſit, narret Gregorius, ut ex uno eodemque ore miſerorum & crimen, & ſupplicium diſcamus: *Anno quarto Childeberti apud Cavillonum civitatem Synodus acta eſt ex juſſu Principis Gunthramni, diſcuſſiſque diverſis cauſis contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos iteratur illa antiqua calamitas. Objiciuntur eis crimina, & non ſolum de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accuſantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, quòd eſſent rei Majeſtatis, & patriæ proditores. Quâ de cauſa ab Epiſcopatu diſcincti, in Baſilicam Beati Marcelli ſub cuſtodia detruduntur. Ex qua per fugam lapſi, diſceſſerunt per diverſa vagantes, donec in civitatibus eorum alii ſubrogati ſunt.*

Gregor. l. 5. c. 27.

ANNO DOM. 579.

Bar. An. 582. n. 9.

Baronius Cabillonenſe Concilium triennii metachroniſmo in annum DLXXXII. tranſtulit. Obruitur verò ea Chronologia tam Marii, quàm Gregorii autoritate. Ille Synodum Indictione XII. hic anno Childeberti IV. congregatam eſſe refert. Atque anno DLXXXII. Indictio XV. & annus Childeberti VII. erat in curſu. Cæterùm martialis ille animus, qui in Sagittario habitabat, non eum deſeruit: conſectaneumque fuit, ut ille, qui humano ſæpius ſe ſanguine infecerat, proprio cruentaretur. Gundobaldo, qui ſe Clotharii filium prædicabat, ſpe Tholoſani Epiſcopatus, qui ei promittebatur, ſe conjunxerat. Anno DLXXXIV. expugnatis Convenis, jubente Gunthramno interficitur: *Occiſo Mummolo Epiſcopus, dum timore conſternatus paveret, ait ad eum quidam de aſtantibus: Inſpice propriis oculis, Epiſcope, quæ geruntur, & tecto capite ne agnoſcaris, ſylvam pete, ut abſcondaris paululum. At ille accepto conſilio, dum obtecto capite fugere nititur, extracto quidam gladio caput ejus cum cucullo decidit.*

Gradenſe Concilium. Quid in eo actum.

VI. In Aquileienſi Diœceſi regnabant tria Capitula, quæ regionis hujus Præſules Chalcedonenſis amore Concilii totis viribus tuebantur, Conſtantinopolitanam Juſtiniani Synodum ſpernebant, pedibuſque proculcabant. Idque Aquileienſis Metropolitani Comprovincialibus impune licuit, utpote Longobardorum ditioni ſubditis. Non exiguis finibus Aquileienſis Diœceſis continebatur. A Pannonia ſecunda uſque ad Adduam in Inſubria extendebatur. Complectebatur & Rhætiam ſecundam, cujus Metropolis Sabio. Noricum ſibi vindicabat, cujus Metropolis Tiburnia fuit: denique ſibi aſſerebat Iſtriam, Forum Julium, ac Venetiam, quæ tres Provinciæ unum nomen *Iſtria* tum temporis gerebant. Ex omnibus hiſce Provinciis Elias Aquileienſis Epiſcopus labente anno apud Gradum Synodum cogit ſuam, cui Præſules XIX. interfuere: *Elias* Conventus Præſes, *Marcianus* Opiterginæ, *Leonianus* Tiboricenſis, *Petrus* Altinatis, *Vindemius* Cenetenſis, *Clariſſimus* Celicanæ, *Patricius* Hemonenſis, *Maxentius* Julienſis, *Severus* Tergeſtinæ, *Solatius* Veronenſis, *Joannes* Parentinæ, *Aron* Avcutienſis, *Marcianus Epiſcopus locum faciens viri beatiſſimi Ingenuini S. E. Sederenſis; Virgilius* Scaravabenſis, *Fontejus* Feltrinæ, *Ingenuus* ſecundæ Rhætiæ, *Agnellus* Tridentinæ, *Marcianus* Petenenſis, *Joannes* Celcianæ. Adfuit & Laurentius Presbyter, Sedis Apoſtolicæ Legatus. Cauſæ cogendi Concilii geminæ. Prior ut pro tribus Capitulis conjuratione factâ, quintam Synodum rejicerent, ne Chalcedonenſia Decreta violarentur. Itaque in Chronico Aquilejenſi legitur: *Quidquid de Chalcedonenſi Concilio dubitabatur, pulſâ dubitatione confirmatum eſt.* Poſterior verò celebrandæ Synodi ratio fuit, ut *Caſtrum Gradenſe* Pelagii Papæ Secundi aſſenſu ad Metropolitanam dignitatem aſcenderet. Id ab eo literis flagitarant Epiſcopi, poſtulationis hujus ſuæ rationem afferentes

Anno Dom. 579.

rentes Longobardorum furorem. Quos ſummo officio & ſummâ obſervantiâ ſibi Pontifex devinctos ad ſuſcipienda quintæ Synodi Decreta ut impelleret, votis ipſorum facilis annuit, miſſo Legato cum literis. Epiſtolæ hic tenor eſt: *Quapropter veſtro compatientes mœrari neceſſitudinem, imò etiam rabiem furentium perpendentes Langobardarum inclinati precibus veſtris, per hujus præcepti ſeriem ſuprà ſcriptum Caſtrum Gradenſe totius Venetiæ cum omnibus veſtræ Eccleſiæ pertinentibus, etiam Iſtriæ Metropolim perpetuò confirmamus. Data* XII. *Cal. Martii, Imperatore Tiberio* II. *Auguſto.* Lectâ Epiſtolâ ab omnibus eſt acclamatum: *Exaudi, Chriſte; Pelagio vitam, omnes uno conſenſu ſanctiſſimi Pelagii præceptionem & veſtram ſequimur, confirmantes ſententiam.* Ut Synodo finis imponeretur, juſſus eſt *Epiphanius*, & Patrum Decreta & Chalcedonenſia ſtatuta, cui mordicùs Gradenſes patres adhærebant, palam & publicè recitare. Hæc omnia clariſſimus nos docuit Noriſius in aurea ſua de Synodo quinta Diſſertatione.

Nor. Diſſert. c. 9. §. 4. p. 62.

Aquileiæ nobilitas: ejus Epiſcopus Metropolitanus erat.

VII. Quæ de Synodo Aquileienſi diximus, admonent celeberrimam de Aquileienſi Patriarchatu quæſtionem ingredi. Cui ut perſolvamus, in memoriam revocandum, quod jam non ſemel obſervavimus, qui & re & nomine Patriarcha fuit, illum Metropolitanis præfuiſſe compluribus, atque Provinciis à ſua Synodo conſecratum eſſe, abſque ſuperioris dignitatis Eccleſiaſticæ conſenſo; potuiſſeque Metropolitanos legitimè electos ſuo arbitrio ordinare: quæ maximi muneris hujus privilegia fuere. Deinde obſervare juvat, Aquileiam magni olim nominis urbem fuiſſe, quam in ſuo de claris urbibus Poemate Auſonius laudibus cumulavit:

Auſon. clar. ur. cap. 6.

Non erat iſte locus: meritò tamen aucta recenti
Nona inter claras, Aquileia, cieberis urbes:
Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima.

Colonia Romanorum erat, divitiiſque ſuis à Pomponio Mela commendatur: *Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam.* Gloriæ multum ſibi comparaverat Maximini in obſidione, quam fortiter ſuſtinuit: Maximinus *Aquileiam venit, quæ contra eum armatis circa muros diſpoſitis, portas clauſit, nec propugnatio defuit, Menophilo & Criſpino, Conſularibus viris autoribus.* Itaque cùm urbe Romanâ oriretur, & magnitudine, opulentiâque in gloria fuiſſet, altera Roma vocabatur. In Martyrologio Romano ad Junii XXII. legimus: *Eodem die, ſancti Nicææ, Romatianæ civitatis Epiſcopi, doctrinâ ſanctiſque moribus clari.* Romatiano hæc civitas illa ipſa eſt Aquileia, cujus Epiſcopum *Nicætas* agebat, qui Chromatio ſucceſſerat. Eam urbem Venetiæ Conſularis incolebat. Extat in Theodoſiano Codice, libro XVII. Lex Valentiniani ad Florianum Conſularem Venetiæ: *Die Solis neminem Chriſtianum ab exactoribus volumus conveniri.* Neque hæc à nobis fruſtra obſervantur. Cùm enim eo nobilitatis progreſſa ſit Aquileia, ut Metropolis evaſerit, hinc apparet, tantæ urbis Epiſcopo decus & gloriam fuiſſe, qui in majorum gentium Præſulibus eſt collocandus. Quarto ſeculo Romanum Concilium celebratur, cujus inter Epiſcopos Valerius fulget Aquileienſis Antiſtes. Epiſtolæ Synodicæ titulus eſt: Epiſcopi *ad ſacrum Concilium Romæ congregati Epiſcopis in Illyrica conſtitutis, Damaſus, Valerius, & reliqui.* Cur poſt Damaſum unus & ſolus nominatur Valerius, niſi Sedis

Mel. l. 2. cap. 4.

Capit. Maximin. c. 21.

Cod. l. 8. p. 589.

Sozom. l. 6. c. 23.

ſuæ dignitate inter inſigniores Italiæ Epiſcopos locum habuiſſet. Præstereà dum pro Chryſoſtomo ad Arcadium Honorius ſcribit, ſolas & Romani, & Aquileienſis Epiſcopi fratri literas mittit. Verba Imperatoris ſunt notatu digniſſima: *Quænam verò ſit Occidentalium de Epiſcopo Joanne ſententia ex omnibus ferme Epiſtolis conſtat, quas ad me frequentes dederunt. Ex his duas continentes, quod reliquas, ſubdidi ſcilicet Romani, & Aquileienſis Epiſcopi.* Cui fiet veri ſimile, cum literis Romani Præſulis Aquileienſis Epiſtolam Antiſtitis ab Honorio ad Arcadium directam eſſe, ſi Aquileienſis Eccleſia Metropolitanæ dignitatis expers fuiſſet? Præcipuè Sedis hujus claritati teſtimonium reddit Chryſoſtomi Epiſtola, quæ tribus totius Italiæ nobilioribus Epiſcopis ſcripta eſt, Innocentio Romano, Venerio Mediolanenſi, Chromatio Aquileienſi. Ad finem quippe Epiſtolæ hæc extant: *Ipſa etiam ſcripta eſt ad Venerium Epiſcopum Mediolani, & ad Chromatium Aquileiæ Epiſcopum.* Quis non inde meritò colligat, tres illas Eccleſias totius Italiæ ſplendidiores extitiſſe, quarum Epiſcopis calamitates Chryſoſtomus ſuas exponebat, ut laboranti afferrent auxilia? Ea & Mediolanenſem inter & Aquileienſem conjunctio fuit, ut ſeſe invicem ordinarent, quod ex Pelagii Papæ Primi ad Joannem Patricium Epiſtola moniti ſumus: *Is mos antiquus fuit, ut quia pro longiquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico oneroſum illis fuerat ordinari, ipſi ſe invicem Mediolanenſis, & Aquileienſis ordinare Epiſcopi debuiſſent, ita tamen, ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuiſſet.* An Metropolitanum Mediolanenſem non Metropolitanus Aquileienſis conſecraſſet? Itaque eruditiſſimo largiri Sirmondo non poſſumus, quarto ſeculo nullum inter Metropolitanas Eccleſias Aquileienſi locum fuiſſe.

Pallad. Vit. Chryſ. c. 2.

Lab. Conc. t. 5. 805.

VIII. Cùm Metropolitani honorem Aquileienſis Epiſcopus ex dignitate Sedis eſſet aſſecutus, tandem ad Patriarchatum evectus eſt. Quo tempore id contigerit, eſt in obſcuro. Nobis tamen Baroniana ſententia minime placet: *Cum,* inquit, *Venetiarum, & Iſtriæ Epiſcopi, atque Liguriæ eſſent in ſchiſmate, Paulinuſque Aquileienſis his omnibus præmineret, placuit iiſdem Schiſmaticis, qui ab Eccleſia Romana deſciviſſent, illum ſibi loco Pontificis conſtituere ſupremum Antiſtitem, quem & Patriarcham nuncupavere.* Verùm Baronii opinionem potentiſſimè refellit Gradenſe Concilium, cujus ſuprà meminimus. Patriarchalem quippe dignitatem à Paulino per Probinum ad ſe tranſmiſſam Elias habuiſſet. Quo caſu Pelagium non rogaſſet, ut Gradenſe caſtrum Metropolitani dignitate indueret. Aliâ igitur ratione quæſtioni perſolvendum eſſe putamus. Nempe in Patriarchatu & titulus & res ad mentem ſeſe appellunt. Titulum quod attinet, probabile eſt admodum, Clerum Aquileienſem Theodorici temporibus ſuis Epiſcopis, quorum magna erat & autoritas & ditionis amplitudo, illum indidiſſe, ut Orientalibus Exarchis, qui inſigni illo titulo ornabantur, eos prorſus æquarent. Hinc Warnefrido ſcriptum: *Paulinus Patriarcha annis* XII. *Sacerdotium gerens.* Et libro ſequente, c. 14. *Mortuo apud Aquileiam Patriarchâ Probino eidem Eccleſiæ Sacerdos Helias præficitur.* Eodem quoque titulo & Severum ornat, & Joannem: *Defuncto Severo Patriarchâ ordinatur Joannes Abbas Patriarcha.* Neque tamen Elias à ſuis

De Aquileienſi Patriarchatu quando, & cur eam dignitatem eſt aſſecutus?

Bar. Ann. 570. n. 11.

Warnefr. de Geſt. Longob. l. 2. c. 25.

Warnefr. l. 4. c. 34.

 Com-

Anno Dom. 579.

Comprovincialibus titulum Patriarchæ accepit, ſolo Archiepiſcopi nomine eum afficiebant. Anno DXC. Venetiarum Synodus Mauritio Imperatori Libellum ſupplicem obtulit, in quo legitur: *Defunctus eſt Archiepiſcopus noſter Helias.* Et

Bar. Ann. 590. n. 21.

paulò infrà: *Poſt hoc ordinato in ſancta Aquileienſi Eccleſia beatiſſimo Archiepiſcopo noſtro Severo.* Quanquam tum temporis jura exercere Patriarchalia videretur, qui αὐτοκέφαλος erat, nec ad ejus ordinationem Pontificis Romani conſenſus requireretur, à quo communione divellebatur. Volventibus annis, dum ob tria Capitula à quinque Patriarchis Iſtriæ Præſules ſocietate ſcinduntur, & nomen & jus Patriarchicum in ſuum Metropolitanum contulere, qui abſque ullius licentia eligebatur, conſecrabatur, neminique, ne vel Romano Pontifici ſubditum ſe præbere volebat. Extinctâ diviſione nudum Patriarchæ nomen retinuit. Anno MXXVI. *Poppo* Aquileienſis Patriarcha à Joanne XIX. impetravit, ut ſecundum Romanam ipſius Sedes omnibus Italiæ Præſulibus antecelleret. Joannis verba ſunt: *Inclinati namque precibus veſtris, Apoſtolicâ autoritate concedimus, & per hujus noſtri privilegii paginam confirmamus vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, Patriarchatum ſanctæ Aquileienſis Eccleſiæ fore caput, & Metropolim ſuper omnes Italiæ Eccleſias, quoniam ante omnes conſtitutam, & in fide Chriſti fundatam eſſe cognoſcimus: atque volumus ſanctam Aquileienſem in cunctis fidei rebus peculiarem & vicariam eſſe, poſt hanc almam Romanam Sedem, ſicut olim à B. Petro Apoſtolo conceſſum fuiſſe videtur. Data menſe Septembr. Indictione X. in ſacratiſſimâ Sede B. Petri Apoſtoli anno quarto Pontificatus Domini Joannis ſummi Pontificis & univerſalis, noudecimi Papæ.* Verùm deceſſoris ſui ſententiæ Clemens II. ſtare noluit. Anno quippe MXLVII. primum Ravennati, ſecundum Aquileienſi, tertium Mediolanenſi locum tribuit. Rurſus vertente fortunæ rotâ anno MXLIX. *Gerobaldus* Aquileienſis ab Alexandro II. honoribus Patriarchalibus auctus, ac Foro Julii dominio indutus, Romani Imperii Principibus inſitus eſt. Ejus ſucceſſores primum inter Occidentis Metropolitas locum obtinent, ſolis quinque Patriarchis inferiores. Nunc *Utini* ſedet in eleganti Palatio, nobileſque etiamnùm civitates pleno jure poſſidet. Cæterùm quem ſibi *Dominicus* Venetiarum Archiepiſcopus Patriarchæ titulum indiderat, non probavit Antiochenus. Narrat Dominicus, Eccleſiam ſuam à *B. Marci Evangeliſtæ præconio ſumpſiſſe originem. Item B. Petro conſtituente, honorem Patriarchici nominis intra Italiam duntaxat habuiſſe, & in Romano Conventu conſeſſionem Oecumenici Papæ dextram obtinuiſſe.* Quæ Patriarchatus fundamenta evertit Antio-

Cotel. Ec. Gr. Mon. t. 2. 195.

chenus: *Quo alio modo ſextum introducere potenimus Patriarcham, non extante juxta quod dictum eſt, ſexto ſenſu in corpore? Idque cùm multa, magnaque in mundo ſint, Diœceſim tuam ſuperantes, Provinciæ, & Regiones à Metropolitanis & Archiepiſcopis temperata, & ad cultum Dei deducta. Reputa namque, quantò Regione tuâ major ſit Bulgaria: quantò iterum hâc amplior Babylon magna, & Romagyris, ſive Chorasan, necnon reliqua Orientis Provinciæ, ad quos à nobis mittuntur Archiepiſcopi, & Catholici, qui ordinant in illis partibus Metropolitanos, quibus ſubſunt multi Epiſcopi: attamen nullus eorum unquam appellatus eſt Patriarcha.*

Anno U. C. 1333. Per. Jul. 5293. Jul. 625. Dom. 580. Tiberii 6. & 2. 3. Childeberti 5. *Sol.* c. G. F. *Lun.* 11. *Indict.* 13. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 16. *April.*

Anno Dom. 580.

Poſt Conſulatum Tiberii Aug. Jun. Conſt.

Inundationes in Gallia.

I. VAriis inundationibus infelix annus fuit, quas Gregorius ſic depingit: *Arvernorum regionem diluvia magna preſſerunt, ita ut per dies XII. non ceſſaret a pluvia: tantâque inundatione Limane eſt infuſum, ut multos, ne ſementem*

Gregor. l. 5. c. 33.

jacerent, prohiberet. Flumina quoque Liger, Flavariſque, quem Elaurem vocitant, vel reliqui torrentes decurrentes in eum, ita intumuerant, ut terminos, quos nunquam exceſſerant, præterirent. Quæ grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecere naufragium. Pars modo Rhodanus cum Arari conjunctus, ripas excedens, grave damnum populis intulit, muros Lugdunenſis civitatis aliqua ex parte ſubvertit. Quieſcentibus verò pluviis arbores denuò floruerunt: erat enim menſis September. Pluvialis & anni mentionem egit Marius in Chronico: *Indict. 13. menſe Octobre ita in Vallenſi territorio Rhodanus exundavit, ut copias meſſium denegaret: & intra Italiam ita flumi exundaverunt, ut damna agricolæ paterentur.*

Lues Galliam corripit: Chilperici filios extinguit.

II. Calamitatem etiam mortalibus graviſſimam lues attulit. Incepit Auguſto menſe fatalis morbus, cujus affectiones erant ejuſmodi. Magnâ febre correptus æger, acuto renum dolore capitiſque gravedine afficiebatur: ore humores crocei, virideſve projiciebantur. Infantes primùm morbus invaſit, ex quibus complures morti miſit. In valetudinem quoque Rex Chilpericus incidit, ex qua vix recolligebatur, cùm filius ejus natu minor, *Dagobertus* necdum ſacris undis ablutus, in morbum conjicitur. Morti jam proximo baptiſmus miniſtratur, quo ſuſcepto nonnihil recreatur. Verùm natu major *Chlodobertus* illicò in ſimilem morbum delabitur. Hic Fredegundis ſeram peccatorum pœnitentiam agere, Chilpericum monere, queri palam, lachrymis gemitibuſque miſerorum, quos vexaverant, regios pueros interimi, iniquarum deſcriptionum tabulas in ignem conjiciendas eſſe. Fiſco ea ſufficere, quæ Clothario Regi magno ſatis fuerant. Hæc fata exhibitos ſibi libros flammis abolet, & ad virum converſa, *Quid tu*, inquit, *moraris? Fac quæ vides à me fieri, ut & ſi dulces natos perdidimus, vel pœnam perpetuam evadamus.* His compunctus aculeis Rex, tabulis incenſis, nuncios mittit, qui deſcriptiones prohiberent. Intereà regiorum puerorum junior morbo confectus extinguitur, quem Brennaco Pariſios elatum Dionyſii in Baſilica condiderunt. Chlodobertum verò Medardi ad Baſilicam miſſum, ſancto in ſepulchro collocant: ad miſeras preces decurrunt, ut in integrum reſtitueretur. Nil tamen hæc omnia Chlodoberti ſaluti profuere: *Mediâ nocte anhelus jam & tenuis ſpiritum exhalavit in Baſilica Sanctorum Criſpini, & Criſpiniani Martyrum ſepelierunt.* Pluribus funus ejus lachrymis eſt decoratum. Chilpericuſque multa & Baſilicis & pauperibus erogavit. Chlodoberto Dagobertoque Venantius ſuo cuique Epitaphio parentavit. In priore legitur:

Gregor. l. 5. c. 34.

Hoc igitur tumulo recubans Chlodobertus habetur,
Qui tria luſtra gerens, raptus ab orbe fuit:

In poſteriore continentur:

Te

Anno Dom. 580.

Te veranda tamen mox abluit unda lavacri,
Hinc licet abreptum lux tenet alma throno.
Optimæ ſpei Princeps Chlodobertus fuit:
Nam puer innocuus, vivens ſine crimine lapſus
Perpetuo regni ſe ſavet arce frui.

Venant. l. 9. 4. 5.

Chlodoveus Fredegundis artibus occiditur.

III. Regiorum filiorum mortem excepit Chlodovei obitus, natorum ultimus, quos Chilpericus ex Audnvera ſuſceperat. Menſe Octobri Rex lugens in Catia ſylva cum Fredegunde morabatur. Quæ virum pellexit, Chlodoveum mittere Brennacum, ut illo ipſo morbo, qui fratres luci eripuerat, is quoque extingueretur. Eum tamen nil prorſus læſit contagio. Elapſis diebus aliquot Rex, qui *Galam Pariſiaca civitatis villam* tum incolebat, filium ad ſe accerſitum ivit. Novercalibus injuriis exaſperatus imprudens juvenis de Reginæ fama detrahit. Spes etiam, quas agitabat in animo, vulgat: adventurum ſibi videlicet Galliæ totius imperium gloriatus, adverſariis ſe ſuis promittit ultorem. Quæ nunciata Fredegundi terroris non minimum incuſſerunt. Confingit ergo calumniam conſiliis idoneam ſuis, ut Chlodoveum perditum iret: quòd ſcilicet per Reginæ ancillam puellæ, quam Chlodoveus ardebat, genitricem Chlodobertum Dagobertumque maleficiis oppreſſerat. Illicò comprehenſæ puellæ crines inciduntur, affixæque palo Regis ante hoſpitium defixo, corpus miſerè virgis laceratur. Ipſius mater cruciatibus ſubdita, vera ea fateri cogitur, quæ ſpargebantur in vulgus. Tum Fredegundis Chlodoveum ultioni & æquitati mactandum à Rege petit. Infelix adoleſcens à *Deſiderio* & *Bobone* armis exutus & veſtibus, vilibuſque indumentis opertus, reginæ vinctus traditur. Interrogatus num vera eſſent, quæ nunciabantur, diſertè ea inficiatur; quorum verò amicitiâ uteretur, illos detegit: *Poſt triduum Regina vinctum juſſit eum tranſire Matronam, & in villa, cui Noceto nomen, cuſtodiri. In qua cuſtodia cultro percuſſus interiit, ipſoque in loco ſepultus eſt.* Ne patri ullum defuncti deſiderium relinqueretur, nunciatur, ipſum cruentas ſibi manus intuliſſe, quibus deceptus, ne vel ulla caſſum lumine lachrymula flevit. Audovera Regina crudeli morte extinguitur, *Baſina* mortui ſoror Pictavienſi Monaſterio includitur, opes defunctorum omnes Reginæ addicuntur. Delatrix ad ignem damnata fatetur, crimen ſe finxiſſe, verùm ſaluti confeſſio non profuit, itaque palo alligata flammis exuritur.

Gregor. l. 5. c. 39.

Mauricii de Perſis victoria.

IV. Novis Mauricius victoriis famam in Oriente condebat, de quibus in Biclarienſi Chronico legimus: *Mauricius Magiſter Militum Orientis contra Perſas bellum movet, & repulſa Perſarum multitudine in Oriente hyemavit.* Coſroës quippe & Adarmanes cum ingentibus copiis Romanorum in fines irruperant. Favore tamen Numinis potius quàm militum aut virtute, aut numero inſignem Mauricius victoriam retulit. Quippe Alamundarus Dux Saracenorum Euphratem trajicere noluit, nec adverſus Saracenos, qui Perſis militabant, ſuppetias ferre. Quin etiam Theodoricus Scytharum Dux ad primum telorum jactum turpem fugam arripuerat. Nihilò ſecius Adarmanes ingenti clade acceptâ, contentiſſimè fugit, cæſo in pugna Tamcoſroë Ducum altero.

Evagr. l. 5. c. 19.

Synodus Toletenſis Ariana.

V. A rebus Imperii ad Eccleſiaſticas nunc orationem transferamus. Arianis mos ille fuit, ut quos ad diſciplinam perduxiſſent ſuam, eos baptiſmate ablutum irent, quod cùm durum multis videretur, morem Leovigildus abrogari voluit. Synodum igitur ea de re apud Toletum imperat, ut ſolâ manuum impoſitione Arianorum Proſelyti ipſorum ſocietati jungerentur, ut Joannes Biclarienſis ſcripto prodidit. Anno ipſius XII. *Leovigildus Rex in urbem Toletanam Synodum Epiſcoporum ſecta Ariana congregat, & antiquam hæreſim novello errore emendat, dicens, de Romana religione ad noſtram Catholicam fidem venientes, non debere baptizari, ſed tantummodo per manus impoſitionem & communionis perceptionem ablui, & gloriam Patri per Filium in Spiritu dari. Per hanc ergo ſeductionem plurimi noſtrorum cupiditate potius impulſi, in Arianum dogma declinant.*

Gregorii Turonenſis cum Aglane Ariano diſputatio.

VI. Sub ea tempora Leovigildus *Aglani* ad Chilpericum legationem injungit, quæ de Chriſto Deo diſceptatione occaſionem præbuit. Quippe cùm *Aglanes* Turonos perveniſſet, Orthodoxam laceſſere fidem cœpit, calumniatus iniquam Veterum ſententiam eſſe, quæ Patri ob omni parte Filium æqualem eſſe ſtatuerat, cùm Chriſtus ipſe dixerit, *Pater major me eſt.* Eſſe igitur *eum & ætate, & poteſtate paterna minorem.* Spiritum verò Sanctum utroque etiam minorem eſſe, *quia & à Filio promiſſus, & à Patre legitur miſſus: nemo enim promittit, niſi quod ſuæ dominationi ſubſiſtit, & nemo mittit, niſi inferiorem ſe.* Hæc cùm Scripturæ teſtimoniis Gregorius Turonenſium Præſul confutaſſet, ſubjungit ex turpi Arii interitu ſectæ iniquitatem ſatis deprehendi. Cui regerit Aglanes, *Legem, quam non colis, blaſphemare noli. Nos verò, quæ creditis; etſi non credimus, non tamen blaſphemamus.* Abſque ullo tum ſucceſſu ea diſputatio fuit. Aglanem hortatur Gregorius, ut ſuſcepto Trinitatis myſterio, acceptâque à ſe benedictione erroris venena purgaret. Quibus inflammatus irâ Legatus in verba hæc erumpit: *Antè anima ab hujus corporis vinculis emicet, quàm ab ullo religionis veſtræ Sacerdote benedictionem accipiam.* Talia loquenti regerit Gregorius: *Nec noſtram Dominus religionem, ſive fidem ita tepeſcere faciat, ut diſtribuamus ſanctum ejus canibus.* In Hiſpanias tamen reverſus Aglanes morbo correptus, relictâ Arianorum factione, Orthodoxorum ad partes ſe contulit.

Greg. l. 5. c. 34.

Chilpericus in Sabellianiſmum incidit.

VII. Chilpericus, qui ſuis calamitatibus ad pietatem, animique modeſtiam erudiri debuit, falsâ ſcientiæ ſuæ imagine deceptus, in peſtilentiſſimum Sabellii errorem miſerè delabitur: *Scripſit indiculum, ut ſancta Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantùm Deus nominaretur, aſſerens indignum eſſe, ut Deus perſona, ſicut homo nominetur.* Voluit etiam Epiſcopis, populiſque errorem afflare ſuum. Vocato quippe Gregorio, cùm Libellum recitaſſet, ſimilem fidem imperat. Cui Gregorius: Id ſequendum eſſe, quod poſt Apoſtolos Eccleſiæ Doctores amplectendam poſteris reliquerant, quod Hilarius, quod Euſebius crediderant, quod Rex ipſe baptiſmum adeptus profeſſus erat. Ad hæc Rex irâ effervescens, *Manifeſtum eſt mihi*, inquit, *in hac cauſa Hilarium, Euſebiumque validos inimicos habere.* Cùm Sabellianiſmi falſitatem Gregorius demonſtraſſet, oſtenſo non Patrem, ſed Filium paſſum, triumque Perſonarum unam gloriam eſſe, potentiam unam Chilpericus omnes præ ſe contemnens, talia fatur: *Nunquam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc, quæ propono, ſequi voluerit.* Paucis pòſt diebus Salvium Albigenſem rogat Epiſcopum, ut ſibi aſſentiretur. Ad

RRRrr 3 quæ

ANNO DOM. 580.

quæ tantam Præſul indignationem concepit, ut *ſi chartam, in qua hæc ſcripta tenebantur, potuiſſet attingere, in fruſta diſcerperet.* Præſulum ergo horum firmitudine Chilpericus à nefario conſilio revocatur. Baronius, qui falſam prorſus Chronologiæ ſuæ regulam adhibuit, hæc anno DLXXXIII. recitavit, qui Chereberti non quintus, ſed octavus eſt. Itaque illuſtriſſimi Purpurati Chronologia triennii metachroniſmo laboret.

Greg. l. 5. c. 44.

Error Baronii.

A Leudaſte Gregorius accuſatur. Scelera Leudaſtis.

VIII. Intereà Gregorio, qui erranti Chilperico conſtantiſſimè reſtiterat, graves à *Leudaſte* ſtruuntur calumniæ, quæ Brennacenſi Concilio cauſam dedere. Alumnus fortunæ *Leudaſtes in Cracina Pictavienſi inſula, fiſcalis vinitoris ſervo Leocadie* natus erat. Regiæ dein culinæ miniſtraverat. Cùm fumo lippi ejus oculi læderentur, *à piſtillo promovetur ad cophinum.* Bis terve fugitivum auris amputata deturparet. Quam inflictam ſibi notam cùm occultare non poſſet, ad *Marcoveſam* Reginem Cheriberti uxorem fugit, à qua melioribus equis præficitur, nec multò pòſt Stabulorum Comes creatur. Defunctâ Marcoveſâ Turonenſibus Comes imponitur, quo munere dum fungitur, adulteriis latrociniiſque multis ſe nobilitat. Capite galeato, thorace & conto armatus, Eccleſiam ingrediebatur, inimicorum, quos ſibi inſenſus reddiderat, inſidias veritus. Per Meroveanos excurſus amiſſâ quas male collegerat opum parte, odio in Gregorium inflammabatur, cujus conſilio Meroveum uſum eſſe prædicabat, ut facultates ipſius prædatum iret. Quæ ſcelera Leudaſtes patrabat, regiis auribus nunciante famâ, *Anſevaldus* ſuperiore anno Turonos direxerat, qui reum gradu pelleret. Incidit adventus ejus in Feſtum Martini, amotoque Leudaſte, optione & Gregorio & populo datâ, Eunomius Comes ſufficitur. Tum Leudaſtes dolore percitus, ſummâ ope nititur, ut Gregorium perditum iret. Et quia cauſæ non erant accuſandi idoneæ, falſas comminiſcitur, ut innocentem calumniæ telis configeret. His ergo dictis, Regem compellat: *Uſque nunc, ô piiſſime Rex, cuſtodivi civitatem Turonicam. Nunc autem ab omni actione remota, vide qualiter cuſtodiatur, nam noveris, quia Gregorius Epiſcopus eam ad filium Sigeberti tradere deſtinat.* Ficta hæc eſſe Rex affirmabat, cùm inceptam Leudaſtes accuſationem ſic perſequitur: *Majora de te, ait Epiſcopus: dicit enim, Reginam tuam in adulterio cum Epiſcopo Bertramno miſceri.* Si *Plato* Archidiaconus, & *Gallienus* Gregorio amicus ſubderentur pœnis, accuſationem ſuo teſtimonio firmaturos eſſe. Tum Rex vehementer commoveri: *jubere accuſatorem caſum pugnis & calcibus recludi in carcere.* Vinctus Leudaſtes teſtem profert *Riculphum* Subdiaconum, à quo ſe audiſſe contumelias, quæ Reginæ imponebantur, pro certo affirmabat. Liberatus Leudaſtes *die Sabbati in ipſo Paſcha* Turonos ingreditur. Platonem & Gallienum catenis onerat; ac vinctos, veſtibuſque cautos ad Reginam duci jubet. Quos tamen Rex in libera cuſtodia illæſos manere voluit.

Greg. l. 5. c. 49.

Brennacenſe Concilium de Gregorio, abſolvitur.

IX. Quid intereà Gregorius? Oratorium ingreſſus Pſalterium ſumit, ut ſolatii aliquid acciperet. Primus hìc legenti verſiculus occurrit: *Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Ne verò elaberetur cuſtodes civitati Turonenſi apponuntur, eo prætextu, quod de ea in ditionem ſuam redigenda Gunthramnus cogitaret. Mittuntur etiam qui Gregorio conſilium dent, ut *aſſumptis melioribus rebus Eccleſiæ, Arvernum* fugâ petat, quod innocentiâ fretus ſuâ monitum meritò repudiat: *Rex accerſitis Regni ſui Epiſcopis, cauſam diligenter juſſit exquiri* Brennaco, *à Brene.* Septembris ſub initia Concilium coactum eſſe colligimus: viginti quippe diebus poſtquam ſolutum eſt, Chlodobertus & Dagobertus Principes lue extinguuntur, quos Chilpericus menſe Octobri in Cottia ſylva lugebat. Quot Epiſcopis conſtiterit, nobis ignoratur. Id unum tenemus, quid in eo Conventu geſtum fuerit, narrante Gregorio. Riculfo falſa in Gregorium multa vomente, faber quidam lignarius, nomine *Modeſtus*, in has voces erumpit: *O infelix, qui contra Epiſcopum tuum tam contumaciter iſta meditaris: ſatius tibi erat ſilere, & petitâ veniâ Epiſcopi gratiam impetrares.* Hîc Riculfus exclamare, indici ſibi ſilentium à Reginæ inimico, ne vera prædicet. Captus *Modeſtus* torquetur, virgis cæditur, aſſervatur in carcere. Intereà cùm Synodum ingreſſus Rex acceptâ datâque & ſalutatione & benedictione conſediſſet, Bertramnus Burdegalenſis queritur, & ſibi & Reginæ crimen objectum eſſe. Negat Gregorius, hæc unquam à ſe dicta: audiſſe quidem alios, ſe verò non excogitaſſe. Tum Rex, adhibitâ ſimul & prudentiâ & patientiâ hæc Synodo loquitur: *Crimen uxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo cenſetis, ut ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur, ecce adſunt. Certè ſi videtur, ut hæc non fiant, & in fidem Epiſcopi committantur, dicite, libenter audiam, quæ jubetis. Tunc cunctis dicentibus, non poteſt perſona inferior ſuper Sacerdotem credi, reſtitit ad hoc cauſa, ut dictis miſſis in tribus altaribus, me de his verbis exuerem ſacramento. Et licet Canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt.* Quibus peractis, Præſules convento Regi nunciant, id opus eſſe, *ut cum Bertramno accuſatore fratris communione privetur.* Reſpondente Rege, hæc à Leudaſte ſibi dicta eſſe, *placuit omnibus Sacerdotibus, ut ſator ſcandali, infitiator Reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur Eccleſiis, eò quòd ſe ab audientia ſubſtraxiſſet.* Nec ſolâ communionis Eccleſiaſticæ jacturâ Leudaſtes caſtigatur: alias adhùc ſceleris ſui pœnas perſolvit. Obiit filius ejus, quem domi reliquerat: ipſe verò regiis mandatis tectis omnibus prohibetur. Quibus cognitis, clam Turonos ingreſſus, quæ optima habuit, Bituricum transfert. Inſequentibus ſe Chilperici miniſtris vix elapſus. Quas ſibi collegerat opes, à *Berulfo* Duce captas illæ, Chilperico mittuntur, ductuſque cum eis fuiſſet, niſi S. Hilarii Pictavienſis Baſilicam ingrederetur. Eò confugerat, ut Eccleſiæ ſanctitatem patratis infra porticum adulteriis violaret. Quibus offenſa Regina, profanum aſylo ejici ſuo jubet, qui ſic expulſus in Bituricenſi oppido latibulum quærit: *Capta ejus uxor in pagum Tornacenſem exilio retruditur.* Riculfus verò Subdiaconus, calumniæ inſtrumentum morti deſtinatur. Cui tamen Gregorii precibus exemptus, ſolis cruciatibus ſubditur: *Ab hora tertia diei revinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat: ad horam verò nonam depoſitus, extenſus ad trochleas cædebatur fuſtibus, virgis ac loris duplicibus, & non ab uno vel duobus, ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot cæſores erant.* Ex miſero vi tormentorum hæc extorſit: Reginæ crimen objectum dicebat, *ut ejecta de regno, interfectis*

Greg. l. 5. c. 50.

ANNO DOM. 580.

interfectis

ANNO DOM. 580.

interfectis fratribus & patre, Chlodoveus imperaret, Leudaſtes Ducatum acciperet, Riculfus Presbyter Turonenſibus Antiſtes imponeretur, ſe ad Archidiaconatum promoto. Nec dum tragœdiæ finis. Riculfus Presbyter quaſi jam Turonenſis Epiſcopatus potiretur, argentum deſcripſerat Eccleſiæ, ejuſque facultates omnes ſuam in poteſtatem redegerat. Eo loci res erant, cùm anno proximè futuro Turonos Gregorius reverſus eſt: cui cum nil ſalutationis Presbyter impertiret, & mortem etiam minitaretur, conſulentibus Comprovincialibus, ab eo in Monaſterium traditur, quo fugâ dilapſus ad Felicem Namnetenſem fugit, à quo amanter collectus eſt. Synodi Brinnacenſis apud Fortunatum mentio eſt, quo tempore Chilperici & Fredegundis adulatorio carmine laudes celebravit:

Gregor. l. 5. c. 49.

Ven. l. 9. c. 1.

Ordo Sacerdotum, venerandaque culmina Chriſti,
Quos dedit alma fides religione Patres.
Parvulus opto loqui, Regis præconia celſi
Sublevet exigui carmina veſter amor.

Mors Agricolæ & Dalmatii.

X. Annum multis jam cladibus infauſtum, lugubrem magis efficiunt illuſtrium Antiſtitum mortes: Periit *Agricola* Cabillonenſis. Senatorio ſanguine ortus, vir juxta prudens & elegans fuerat: temperantiam egregiè colebat: prandio abſtinens, cœnâ ſolâ utebatur. Cum eloquentia manſuetudo ejus certabat. Multis civitatem ſuam ædificiis exornavit: *Eccleſiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, muſivo depinxit.* Obiit Epiſcopatus anno XLVIII. ævi autem LXXXIII. Venantii ad eum extat Epigramma:

Venant. l. 3. c. 24.

Præſul, honoris apex, generis fidæique cacumen,
Cultor agri pollens, paſtor opime gregis, &c.

Defuncto *Flavius* Gunthrami Referendarius ſucceſſit. Exceſſit & *Dalmatius* Ruthenæ civitatis Epiſcopus, vir qui jejuniis, eleemoſynis, pietate celebritatem condidit ſuam: *Eccleſiam conſtruxit, ſed dum eam ad emendationem ſæpius deſtruit, incompoſitam dereliquit.* Succeſſorem habuit *Theodoſium*, oppidi Archidiaconum.

Gregor. l. 5. c. 45.

ANNO DOM. 581.

ANNO U. C. 1334. OLYMP. 340. PER. JUL. 5294. JUL. 626. DOM. 581. TIBER. 7. & 3. 4. CHILDEBERT. 6. *Sol.* 2. E. *Lun.* 12. *Indict.* 14. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 3. P. 1. . . .

Poſt Conſulatum Tiberii II.

Langobardi Antharic ſibi regem imponunt.

I. Extincto *Clepho* Rege, ab anno DLXXIV. ad uſque labentem Langobardi Ducibus utebantur. Mutatâ dein ſententiâ, regimen ſummâ conſpiratione monarchicum revocant. Quo tempore id fecerint, in Biclarienſi Chronico reperimus. Anno Leovigildi decimo tertio *Longobardi in Italia Regem ſibi ex ſuo genere eligunt vocabulo Antharic, cujus tempore & milites Romani omninò ſunt caſi.* Decennio Regibus eos caruiſſe, ſcripto prodit Warnefridus. Verùm Mario Aventicenſi, & Biclarienſi Scriptoribus, mutato regimini coætaneis fidem potius noſtram aſtringimus, qui ſolius octennii interregnum ſtatuunt. Quippe *Clephus* anno DLXXIV. ab uno è miniſtris ejus interfectus fuerat, Antharic verò labente in throno collocatur. Rem quod attinet, faciles Warnefrido aſſentimur: *At verò Longobardi cùm per annos decem ſub poteſtate Ducum fuiſſent, tandem communi conſilio Autharı Clephonis filium, ſuprà memorati Principis Regem ſibi ſtatuerunt. Quem etiam ob dignitatem, Flavium appellaverant. Quo prænomine omnes, qui poſteà fuerunt, Longobardorum Reges feliciter uſi ſunt. Hujus in diebus ob reſtaurationem regni Duces, qui tunc erant, omnem ſubſtantiarum ſuarum medietatem regalibus uſibus tribuunt, ut eſſe poſſit unde Rex ipſe, ſive qui ei adhærerent, ejuſque obſequiis per diverſa officia dediti alerentur. . . . Erat ſanè hoc mirabile in regno Longobardorum: nulla erat violentia, nulla ſtruebantur inſidiæ. Nemo aliquem injuſte angariabat, nemo ſpoliabat. Non erant furta, non latrocinia, unus quiſque quò libebat, ſecurus ſine timore pergebat.* Anno 585. regnum Anthari à Longobardis oblatum eſſe, Baronii ſententia eſt. Quam Biclarienſis Abbas Chronologiam refellit. Quadriennii metachroniſmo hic illuſtriſſimi Purpurati Annales laborant.

Warnefr. l. 3. c. 16.

ANNO DOM. 581.

Bar. An. 585. n. 1.

Diſſidio Gunthramum inter & Childebertum. Chilpericus ditionem Gunthrami vaſtat.

Gregor. l. 5. c. 17.

II. Non eâ porrò æquitate Galliæ res adminiſtrabantur, ambitione vincula ſanguinis omnia prorſus ſolvente. Anno DLXXVII. extinctis Clothacario & Chlodomire, Rex Gunthramus defunctorum parens, luctibus immerſus ſuis, accerſitum ad ſe Childebertum ſibi filium adoptaverat, eique in ſolio ſuo collocato, hæc locutus erat: *Una nos parma protegat, unaque haſta defendat. Quòd ſi filios habuero, te nihilominus tanquam unum ex his reputabo.* Quod natura, quod amor tam arctè conglutinaverat, potuiſſe diſſolvi, quis crederet? At omnia regnandi vincit amor. Novigento morabatur Chilpericus, cùm *Ægidius* Rhemenſis Epiſcopus nobilioribus Childeberti Proceribus comitatus, ad Regem Legatus acceſſit, ut conjunctis viribus ſuo Gunthramum regno ſpoliarent. Indignam ſanè Epiſcopo legationem, cujus munus eſt, pacem inter conſanguineos ſtabilire. Diſcordiæ prætextus non defuit. Maſſilienſis oppidi partem à Childeberto Sigeberti poſt obitum Gunthramo conceſſam, miſſi ad eum Legati repetunt. Provinciæ præerat *Dynamius*, qui Theodoro Maſſilienſium Antiſtiti inſidiabatur, quem & ad Childebertum confugientem Gunthramus detineri juſſerat. Quod & diſſidii materiam aluit. Childebertus Gundulfum Ducem Maſſiliam dirigit, Theodoro Antiſtite comitatum. Negabat introitum Dynamius: tandem Ducis ad colloquium vocatus, in proximam civitati Sancti Stephani Baſilicam intrat. Tum clauſis ſubinde portis, milites, qui Dynamium ſequebantur, ingreſſu prohibentur. Habitis ultrò citròque ſermonibus, Dynamius ſuorum auxilio nudatus, veniâ poſtulatâ, Childeberto obſequium adhibito vel juramento pollicetur. Tum apertis portis Dux, Epiſcopuſque in urbe recipiuntur. Seditionis in Epiſcopum autores *Anaſtaſius* Abbas, & *Proclus* Presbyter tecta Dynamii ut aſylum petunt. Reſtituto Epiſcopo, redactâque Childeberti in ditionem civitate, dum *Gundulfus* ad eum rediit, juramenti prorſus immemor Dynamius, Gunthramo nunciat, quòd *partem ſibi debitam civitatis per Epiſcopum perderet*: eâ igitur pellendum eſſe, ut tutam poſſeſſionem retineret. Quibus Rex accenſus, Theodoro exilium imperat. Cùm ægrè oppido evelli poſſet, ſuburbani Oratorii dedicationem expectant. Cui peragendæ egreſſum Antiſtitem invadunt, equo dejiciunt, Clericos cædunt, & vili jumento impoſitum ad Gunthramum ducunt. Agnitâ tamen ejus innocentiâ, in Eccleſiam redeundi facultatem impetrat. Hinc graves Childebertum inter & Gunthramum conflatæ inimicitiæ: *Rupto fœdere ſibi invicem inſidiabantur.* Tum ſopita

ANNO DOM. 581.

pita Chilperici ambitio ſuſcitati: Deſiderio mandare, ut fraterno regno damna inferat. Qui *Ragnamodo* fugato, Petrogoricum capit: civitates, quæ in eo tractu ad Gunthramnum pertinebant, Chilperici poteſtati ſubjicit: *Graviter tunc pagi Iſidorenſis, ac Berravenſis urbis Turonica devaſtati ſunt.* Hæc illa eſt fratrum concordia.

Gregor. l. 5. c. 21.

Mors Reginæ Auſtregildis.

I I I. Gunthramno alia quoque calamitas acceſſit, uxoris ſcilicet obitus. Eum quidem elapſo anno illigat Gregorius: verùm labenti aſſignat Marius, quem Gregorio hîc anteponimus: *Indictione x v. menſe Septembri Auſtregildis Regina obiit, propter cujus tranſitum interfecti ſunt duo Medici, Nicolaus & Donatus.* Miſeræ Principis mortem fuſiore ſtylo Gregorius proſequitur: *Ferunt, Herodiano more, Regem petiiſſe, dicens: Adhuc ſpes vivendi fuerat, ſi non inter iniquorum Medicorum manus interiſſem. Nam potiones ab illis accepta mihi vi abſtulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere. Et ideò ne inulta mors mea prætereat, quaſo & cum ſacramenti interpoſitione conjuro, ut cum ab hac luce diſceſſero, ſtatim ipſi gladio trucidentur: ut ſicut ego amplius vivere non queo, ita nec illi poſt meum obitum glorientur, ſed ſit unus dolor noſtris pariter, & eorum amicis. Hac effata, infelicem animam tradidit. Rex verò peracto ex more juſtitio, oppreſſus iniqua conjugis juramento implevit præceptum iniquitatis. Nam duos Medicos, qui ei ſtudium adhibuerant, gladio feriri præcepit.*

Gregor. l. 5. c. 35.

Gunthramnum deſerit Mummolus. vitæ ipſius breviarium.

I V. Eo quoque anno Gunthramnus fortiſſimum Ducem amiſit, multis ſanè victoriis nobilitatum: de quo hæc Marii in Chronico referuntur: *Mummolus Patritius cum uxore, & filiis, & multitudine familia, ac divitiis multis in marca Childeberti Regis, id eſt, Avinione confugit.* Quibus vero de cauſis bonum Principem de ſe benè meritum deſeruerit, prorſus ignoramus. Fortiſſimi Ducis hiſtoriam ſummatim noſtris inſerere Annalibus tædio non erit: *Eunius, cognomento Mummolus, Peonio patre ortus, Antiſiodorenſis urbis incola fuit.* Regionem Comitis titulo Peonius adminiſtrabat, cùm miſſo ad Gunthramnum cum muneribus filio, ut eâ indignitate remaneret, Eunius ipſe officii hujus cupidus, ſibi neglecto patre, illud impetravit. Gradibus gloriæ ad majores dein dignitates perveniens, Patritiatu ornatus, Longobardos impetum in Galliam facientes ingenti clade affecit. Irruentes & Gunthrami in regiones, Amo, Zaban & Rhodanum, vel fudit, vel Italiam repetere coëgit. Eoque laudis progreſſus eſt, ut à Gunthramno, Sigebertoque eligeretur, qui captas à Chilperico urbes in ſui domini poteſtatem revocaret. Stimulis doloris agitatus, currente anno Avenionem petit, relicto domino. Gundobaldo, qui ſe Clotharii filium jactabat, conjunctus, multas Gunthrami urbes expugnavit. Obſidebantur Convenæ, ubi Gundobaldus includebatur, eùm feſſi obſidione, quæ ad x v. uſque diem protracta fuerat, Gunthrami Duces Mummolum ad defectionem ſollicitant. Fruſtra ignoto homini militare: agnoſcat potius Principem ſuum: exitium ei imminere, uxorem ejus captam eſſe, filios fortè non amplius inter mortales verſari. Quibus permotus exhibito perjurio, Gundobaldum ſuis hoſtibus prodit, mox ſimili perfidiâ occidendus. Accinctus enim armis cùm Leudegiſilli Gunthrami Ducis tentorium ingreſſus eſſet, queſtus promiſſam violari fidem, ſpecie componendi tumultus Leudegiſillus tentorium exit: *Quo egrediente confeſtim ex juſſu ejus vallata eſt domus, ut hic interficeretur. Sed & ille cùm diutiſſimè contra bellantes reſtitiſſet, venit ad oſtium. Cùmque egrederetur, duo cum lanceis utraque ei latera feriunt: ſicque cecidit, & mortuus eſt.* Hæc anno D L X X X V. contigere. Capta defuncti uxor, ubinam theſauri ipſius ſeconderentur aperit: quinquaginta ſcilicet talenta argentea, aurea verò amplius triginta Avenioni includebantur, quæ Gunthramnum inter & Childebertum dividuntur.

ANNO DOM. 581.

Gregor. l. 7. c. 39.

Lugdunenſe Concilium.

V. A Mummolo opportunus eſt ad res Eccleſiaſticas tranſitus, de quo Lugdunenſi in Synodo, quæ currente anno cogitur, tractatum eſt. Pauca ſunt hujus Concilii veſtigia: *Apud Lugdunum Synodus Epiſcoporum conjungitur, diverſarum cauſarum altercationes incidens: negligentioreſque judicio damnans. Synodus ad Regem revertitur, multa de fuga Mummoli Ducis, nonnulla de diſcordiis tractans.*

Gregor. l. 6. c. 1.

Hoſpitii mors: vitæ ipſius breviarium. Terreoli & Domnoli Antiſtitum obitus.

V I. Hoſpitii, qui vitam auſteritatum varietate confertam agebat, mors à Gregorio Turonenſi labenti anno affigitur. Nicenſi in oppido temperantiæ penè incredibilis oſtendebat exempla: *Conſtrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto deſuper cilicio, nihil aliud quàm purum panem cum paucis dactylis comedebat. In diebus autem Quadrageſima de radicibus herbarum Ægyptiacum, quibus Eremita utuntur, exhibentibus ſibi negotiatoribus alebatur, & primùm quidem jus, in quo coxerant, hauriens, ipſas ſumebat in poſterum.* Multa & vaticinia edidiſſe, & miracula patraſſe ferunt. Scilicet Longobardorum in Gallias adventum prænunciavit, brachium percuſſoris, *quod diriguerat, Crucis ſigno reſtituit: oleo benedicto infirmum ſanavit. Apprehenſâ manu caſarie, attraxit caput illius in feneſtram, aſſumptoque oleo benedictione ſanctificato, tenens manu ſiniſtrâ linguam ejus, ori verticique capitis infundit, dicens, In nomine Domini mei J. C. aperiantur aures tua, reſeretque os tuum virtus illa, qua quondam ab homine ſurdo & muto noxium ejecit Dæmonium.* Imminente morte vocato Monaſterii Præfecto, mandat & parietem turris, cui includebatur, frangere, & ad Epiſcopum nuncios mittere, ut ſe triduo poſt exceſſurum ſepeliat: *Adveniente autem die tertiâ depoſuit catenas, quibus vinctus erat, & proſtravit ſe in orationem, & cùm diutiſſimè cum lachrymis oraſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, elevatiſque ad Cœlum manibus, gratias agens Deo, tradidit ſpiritum.* Nullæ hic apparent miniſtratæ morienti ſive Unctionis extremæ, ſive Euchariſtiæ veſtigia. Ad plures etiam abiit *Ferreolus Ucecenſis Epiſcopus, magna vir ſanctitatis, qui libros aliquos Epiſtolarum, quaſi Sidonium ſecutus, compoſuit.* Vitæ quoque finem implevit Domnolus, Cœnomanorum Epiſcopus. Regnante Clothario *ad Baſilicam Sancti Laurentii* Monachorum gregi præfuerat, ex quo ad Avenionenſem Epiſcopatum Rex eum transferre decreverat. Quem cùm Domnolus repudiaſſet, ne regiâ præſentiâ privaretur, defuncto Innocentio Cœnomanenſibus Antiſtes datur: *Qui poſt viginti duos Epiſcopatus annos, dum ſe cerneret morbo regio, calculoque graviſſimè fatigari, Theodulfum Abbatem in locum ſuum prælegit.* Padechrſilus tamen domus Regiæ major Domnolo ſuccedit.

Gregor. l. 6. c. 7.

Gregor. l. 6. c. 9.

Gregorii Turonenſis cum Judæo diſputatio.

V I I. Ut Gregorio Turonenſi hæc nos docenti gratiarum aliquid rependamus, de ejus cum Judæo diſputatione nobis eſt commemorandum.

Anno Dom. 581.

dum. Benigno tunc Chilperico utebatur. Ad eum Novigento verſantem Gregorius acceſſerat, cui Rex munera ſibi à Tiberio miſſa oſtendere voluit: *Aureos ſingularum librarum pondere, quos Imperator miſit, oſtendit, habentes ab una parte iconem Imperatoris pictam, & ſcriptum in circulo Tiberii Conſtantini perpetui Auguſti: ab alia verò parte habentes quadrigam & aſſenſorem, continenteſque ſcriptum, Gloria Romanorum.* Cùm Chilperico valedicturus Gregorius accederet, advenit & Judæus, Regi familiaris, nomine *Priſcus*. Tum Rex apprehenſâ ejus cæſarie, Gregorium vocat, ut recurito manum imponat. Eo repugnante Rex miratur Judæorum incredulitatem, qui promiſſum in Prophetis Meſſiam non intelligebant. Ad hæc Priſcus: *Deus*, inquit, *non eget conjugio, neque prole ditatur, neque ullum conſortem regni habere patitur.* Regerente Chilperico, *Deum à ſpirituali utero Filium genuiſſe*, reſpondit Judæus: *Num quid Deus homo fieri petuit, aut de muliere naſci, verberibus ſubdi, morte damnari?* Silente Chilperico, Judaicæ objectioni Gregorius ſibi reſpondendum eſſe duxit. Ex oraculis ergo demonſtrat, nobis opus fuiſſe Redemptore, *cujus vulnere curati, reſurrectione erecti, aſcenſione glorificati ſumus.* Cùm Gregorii rationibus Judæus non magis moveretur, *quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes*, Chilpericus hæc Gregorio loquitur: *Dicam tibi, ô Sacerdos, quod Jacob dixit ad Angelum, qui ei loquebatur, Non dimittam te niſi benedixeris mihi. Et hæc dicens, aquam manibus porrigi jubet, quibus ablutis, factâ oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipſi accepimus, & Regi porreximus, hauſtoque mero, valedicentes diſceſſimus. Rex verò aſcenſo equo, Pariſios eſt regreſſus cum conjuge & filia, & omni familia ſua.*

Gregor. l. 6. c. 5.

Cum Eutychio diſputat Gregorius Magnus: vitæ ipſius breviarium ad diſputationem uſque.

VIII. Priſci cum Judæo diſceptatio admonet, mentionem quoque facere de inſtituta apud Regiam urbem Gregorium Magnum inter & Eutychium diſputatione. Verùm antequam de ea referamus, quis ſit Gregorius ille, qui nunc prodit in ſcenam, & elapſis aliquot annis Pontificatum accipiet, nobis eſt declarandum. Gregorius Senatorio ſanguine cretus, atavum *Felicem* II. Romanum Epiſcopum, patrem *Gordianum*, matrem *Silviam* habuit, mulierem virtutibus, pietateque ſuâ conſpicuam. Gordium *fuiſſe aliquo modo ſacris initiatum*, ex ipſius imagine juxta Monaſterii Nymphium collocatâ, conjecturâ Baronius fecit. Imaginem deſcribit Joannes Diaconus: *Gordiani habitus caſtanei coloris planeta eſt, ſub planeta Dalmatica, in pedibus caligas habens, ſancta tura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condenſi, vultus gravis.* Baronii tamen conjectura nihili eſt, cùm planetam Dalmaticamque promiſcui tum uſus fuiſſe oſtendat imago Silviæ Gregorio matris: *Depicta eſt Silvia, candido velamine, à dextro humero taliter contra ſiniſtram revoluto contecta, ut ſub eo manus nunquam de planeta ſubducat. Et circa pectus ſub gula inferius tunica pſeudolactini coloris appareat, quæ magno ſinuamine ſuper pedes defluat: duobus zonis ad ſimilitudinem Dalmaticarum, ſed latioribus omninò diſtincta, ſtatura plena, facies rotunda quidem & candida, ſed ſenio jam rugoſa.* Gregorianæ vitæ epitomen continent verba Gregorii Turonenſis, quæ repræſentabimus: *Hic de Senatoribus primis ab adoleſcentia devotus Deo in rebus propriis, ſex in Sicilia Monaſteria congregavit: ſeptimum intra urbis Romæ muros inſtituit: quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum ſufficeret, reliqua vendidit, cum omni præſidio domus ac pauperibus erogavit, & qui antè ſerico contexto, ac gemmis micantibus ſolitus erat per urbem procedere trabeatus, nunc vili contextus veſtitu, ad altaris Dominici miniſterium conſecratur, ſeptimuſque Levita ad adjutorium Papæ aſciſcitur. Tantaque ei abſtinentia in cibis, vigilantia in orationibus, ſtrenuitas in jejuniis erat, ut infirmato ſtomacho vix conſiſtere poſſet. Literis Grammaticis, dialecticiſque, ac Rhetoricis ita erat inſtitutus, ut nulli in urbe ipſa putaretur eſſe ſecundus.* Hæc quantum eniti potuimus, temporibus ſuis dividemus.

Bar. An. 604. n. 16.

Joan. Diac. Vit. Greg. l. IV. cap. 83.

Greg. Hiſt. l. 10. c. 1.

Error Baronii.

Bar. An. 581. n. 56.

Baronius exiſtimat Gregorium anno labente Præfectum urbis egiſſe, probatque ex Laurentii Junioris Epiſcopatu, cujus initia anno DLXXXI. aſſignat. Hanc tamen Chronologiam prorſus reſpuendam eſſe cenſemus, cum certum ſit, labente anno Gregorium Apocriſiarii munere Conſtantinopoli functum eſſe. Regnante adhuc, valenteque Tiberio, quod verbis ipſius Gregorii demonſtratur: *Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, graviſſimâ à nobis cœpimus ſimulatione reſilire, cum piæ memoriæ Tiberius Conſtantinus Imperator, ſecretò me & illum* (Eutychium) *ſuſcipiens, quid inter nos diſcordia verſaretur agnovit.* Gregorius verò aliquandiu Monachum prius egit, quam creatus à Pelagio II. Diaconus, in urbem regiam mitteretur. Decennio circiter igitur antequam Baronius putat, Gregorius Romæ Præturam urbanam gerebat, ſub annum ſcilicet DLXXI. quo jam in tria Capitula ſe adverſarium intendit. Laurentius Mediolanenſis Antiſtes promiſſionem de trium *Capitulorum* damnatione Romam miſerat, quæ à novis Antiſtitibus per ea tempora petebatur. Cui etiam ſe Prætorem urbanum ſubſcripſiſſe Gregorius narrat in ſua ad Conſtantium Epiſtola: *Quamvis deceſſor fraternitatis tuæ Laurentius diſtrictiſſimam cautionem Sedi Apoſtolicæ tranſmiſerit, in qua viri nobiliſſimi ex legitimo numero ſubſcripſerunt, inter quos ego quoque tunc urbanam Præturam gerens, pariter ſubſcripſi.* Interea vitæ mundanæ pertæſus, aſceticam animo amplectebatur. Hoc ipſe Leandro teſtatur in ſua ad Moralium libros Præfatione: *Inclita me conſuetudo devinxerat, ut exteriorem cultum mutarem.* Tandem ut mente, ſic corpore ſeculi tumultus fugiens, Monaſterium veluti portum ingreditur, mortuo Gordiano. Illud ipſum Monaſterium fuit, quod in urbe conditum, *Sanctorum Andreæ & Luciæ* Monaſterium vocabatur, cui ipſe Gregorius Valentium præfecerat. Quo & Magiſtro ad diſciplinam monaſticam excolendam uti voluit. Hinc ipſius Gregorii verba in Dialogis: *Vita venerabilis Valentius, qui poſt in hac Romanâ urbe mihi, ſicut noſti, meoque Monaſterio præfuit, prius in Valeria Provincia ſuum Monaſterium rexit.* Quàmdiu vixerit in Monaſterio Gregorius, clariſſimus diſquirit Mabillonius, in ſua de monaſtica vita Gregorii ad Adrianum Valeſium Diſſertatione. Geminam diſtinguit Gregorii in Monaſterio commorationem, *quæ utraque annorum ferè ſeptem, aut octo fuit.* Non placet ſane Baronii ſententia, quæ vix integrum Monachatui Gregoriano biennium concedit, in eo collocata fundamento, quòd anno 581. Gregorius urbanam

Greg. Mor. lib. XIX. cap. 29.

Greg. l. 3. Ep. 2.

Greg. Dial. l. 4. c. 21.

Anal. t. 2. 196.

Anno Dom. 581.

nam Præfecturam geſſerit. Quam ſanè falſiſſimam Cavius immeritò amplexus eſt. Neque in tam brevi Monachatu nobilem rerum divinarum ſibi notitiam comparare potuiſſet. Malumus tamen diuturnitatem Gregoriani Monachatus in incerto eſſe. Joanni Diacono, aliiſque perſuaſum, in Benedicti Regula Gregorium ſe conſtituiſſe. Sed non ita eſt. *Equitii* diſciplinam amplexus eſt, qui Valeriæ Monaſteriis Præfectus erat. Jam Abbatis dignitate ornatus erat *Equitius*, cùm Benedictus eremum petit. Neque Gregorius vel leviter innuit, unum ſe ex Benedicti alumnis fuiſſe, licet de eo frequentem mentionem agitarit. Denique diſciplinam ab illa Benedicti diverſam Gregorius iollituit, quod à Benedicti filio prorſus abhorret. Gregorius in ſua ad Anthemium Subdiaconum Epiſtola vetat, ne pueri ante XVIII. annos includantur Monaſterio: *Quia dura eſt in Inſulis Congregatio Monachorum, etiam pueros in eiſdem Monaſteriis ante decem & octo annorum tempora ſuſcipi prohibemus.* Atqui pueros annis XVIII. minores recipit Benedicti Regula. Hinc capite 37. ſancitur: *Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet & infantium, tamen & Regulæ auctoritas eis proſpiciat.* Videatur & Regulæ c. 30. Totus eſt Mabillonius, ut Benedictinis Gregorium ſuis inſerat, ſed ne veroſimilibus quidem argumentis utitur. Benedictum laudarit, ejus etiam Regulam commendarit Gregorius. Incredibile eſt, Gregorium ſi Benedictinum egiſſet, à Patris ſui diſciplina diſceſſiſſe, quod tamen ab eo factum, verbis expreſſis oſtendimus. Præterea ad Novitiorum probationem biennium Gregorius imperat: *Monaſteriis omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, ut eos, quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare.* Quæ diſciplina ab illa Benedicti diſſidet, c. 58. *Poſt ſex menſium circulum Novitio relegatur regula, ut ſciat ad quid ingreditur, & ſi adhuc ſtat, poſt IV. menſes, iterum legatur & hæc eadem regula; & ſi habita ſecum deliberatione, promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipiatur in congregatione.* Annum igitur unum Benedictus, non biennium probationis Gregorius Novitiis conſtituit. Diu ſatis in ſuo Monaſterio vixit Gregorius, antequam Diaconatum indueret, quem jubente Pelagio Secundo ſuſcepit. Quòd ſi Gregorio integrum fuiſſet, eam ſanè provinciam detrectaſſet, quam ſolus obedientiæ amor ſolitudinis ſtudioſo impoſuit. Hinc verba ipſius ad Leandrum in Præfatione ad Moralium libros: *Cùm mihi ad percipiendum ſacri altaris miniſterium obedientiæ virtus opponitur, hoc ſub Eccleſiæ colore ſuſceptum eſt, quòd ſi multè liceat, iterum fugiendo deſiderabatur. . . . Eo quoque tempore, quo ad Miniſterium altaris acceſſi, hoc de me ignorante, ante me actum eſt, ut ſacri ordinis pondus acciperem, quatenùs in terreno Palatio licentius excubarem.* Scilicet invaluerat conſuetudo, ut unus de Romanæ Eccleſiæ Diaconis Conſtantinopolim mitteretur. Hinc Gregorii excuſatio, quòd Reſponſalem in Palatio nullum Phocas inveniſſet: *Quòd permanere in Palatio juxta antiquam conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis Diaconum veſtra ſerenitas non invenit, non hoc mea negligentia, ſed graviſſima neceſſitatis fuit.* Quo tempore Gregorius à Pelagio Conſtantinopolim Reſponſalis miſſus fuit, nobis ignoratur. Ex ipſius verbis anno ſuperiore eo functum officio colligimus.

Greg. l. 1. Ep. 48.

Greg. l. 8. Ep. 23.

Greg. l. 11. Ep. 45.

Anno Dom. 581.

Eutychii de beatorum corporibus cum Gregorio diſputatio. Diſputationis exitus.

IX. Dum in urbe regia Gregorius verſatur, magnum de excitatis corporibus cum Eutychio certamen init, quod perperam à Mabillonio Baronioque poſt annum 583. contigiſſe creditur. De Reſurrectione librum Eutychius ediderat, quo contendebat, corpora beatorum palpatione non poſſe ullâ tangi, quaſi vento tenuiora & defecatiora redderentur. Quod cùm, nec injuriâ ſanè Gregorio diſplicuiſſet, ſententiæ ejuſmodi confutationem aggreditur. Audiantur verba Gregorii: *Neque ſicut Eutychius Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus ſcripſit, corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aëreque ſubtilius. In illa enim reſurrectionis gloria erit corpus noſtrum ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ.* Objicienti Chriſtum diſcipulis dixiſſe, *Palpate & videte*, reſpondebat Eutychius, *poſt confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in ſubtilitatem eſt aliquam redactum.* Inſtabat Gregorius, eam corporis Dominici mutationem mortem eſſe, quâ deſtruebatur. Petitam verò ex verbis Pauli rationem Eutychii, *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*, ſic ſolvebat: *Aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam.* Eâ diſputatione concordia diſputantium diſſiluerat, quæ interveniente *imperatoris* curâ tandem redintegratur. Referantur verba Gregorii: *De hac re in longa contentione producti, graviſſimâ cœpimus à nobis ſimultate reſilire: cùm piæ memoriæ Tiberius Conſtantinus imperator ſecretò me & illum ſuſcipiens, quid inter nos diſcordiæ verſaretur agnovit, & utriuſque partis allegationes penſans, eundem librum, quem de Reſurrectione ſcripſerat, ſuis quoque allegationibus deſtruens, deliberavit, ut flammis cremari debuiſſet.* Hîc exterminanda prorſus eſt Baronii Chronologia, qui Eutychii cum Gregorio diſputationem cum anno DLXXXVI. conjungit, Tiberii & Eutychii poſt obitum quadriennio.

Gregor. Mor. l. 14. c. 32.

Marii Chronicum.

X. Marius Aventicenſis Epiſcopus labente anno Chronico ſuo finem impoſuit. Scriptor inſignis, qui Occidenti Imperio Romano funus duxit; qui Barbarorum tempora, Provincias Romani Juris armis arbitris inter ſe dividentium, illuſtravit; qui Francorum, Burgundionum, Gothorumque Regum veterum exordia, res geſtas, obituſque optimis temporum characteribus conſignavit, licet aliquando in errorem delapſus fuerit. Incipit Chronicum ab anno 465. quo *Avitus* Imperator eſt renuntiatus, & in 581. deſinit. Maximo nobis auxilio Marius fuit ad refellendum Baronium. Chronico Marius ſuo ſuperfuit, qui Matiſconenſi Concilio IV. anno 585. celebrato præſentiam attulit ſuam. Inter Epiſcopos reperitur *Marius Epiſcopus Eccleſiæ Aventicæ.* In Æduis nobilibus parentibus ortus, Lauſanenſem, ſeu Aventicenſem Epiſcopatum annos XX. menſes VIII. adminiſtravit. Obiit, ut ajunt, annos natus LXIV. pridie Kalendas Januarias, quâ die nomen ejus ſacris Faſtis aſcribitur.

ANNO DOM. 582.

ANNO U. C. 1335. PER. JUL. 5295. JUL. 617. DOM. 582. MAURICII I. CHILDEBERTI 7. *Sol.* 3. D. *Lun.* 13. *Indict.* 15. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 4. *P.* 29. *Mart.*

Poſt Conſulatum Tiberii III.

Chilperici clementia: filius ei naſcitur.

I. CHilpericus Guntheami urbibus, quas ſuæ poteſtati ſubjecerat, novos Comites imponit, tributaque ærario inferri ſuo jubet. Quæ petulanti in Regem Epiſtolæ occaſionem præbuere. Charterio Petrogoviſenſi Epiſcopo aſcribebatur, querenti, *Se à Paradiſo ad inferos deſcendiſſe, quod à regno Gunthramni in Chilperici fuerit actiones commutatus.* Epiſtolæ latores à *Nunnicho* Lemovicenſis oppidi Comite comprehenſi mittuntur Regi, qui Charterium ſubinde accerſi jubet. Literarum ſe autorem fuiſſe negat. Frontonius nunciis literas dederat, Charterii Diaconus, qui dictante Epiſcopo eas ſe confeciſſe profitetur. Accuſatorem repellebat Charterius ſibi inimicum. Hic laudanda Regis ſe clementia prodit, qui ambobus injuriam condonat, causâ ad Deum relegatâ. Epiſcopum etiam rogat, ut & pro ſe Deo preces fundat, & Diacono veniam indulgeat. Hanc Chriſtus manſuetudinem illicò munerat, dum poſt tot funera filium, nomine Theodoricum, Regi largitur. Pueruli nativitas parentibus gaudii multum attulit: *Jubet Rex omnes cuſtodias relaxari, vinctos abſolvi*, fiſco debita condonari. Anno proximè ſecuturo, Paſchalis feſto regius puer à Ragnamedo Lutetiæ ſacris undis abluetur. Ne verò in pœnam incurreret Rex, quam factâ conventione fratres ſibi impoſuerant, ſi abſque alterius conſenſu oppidum quis ingrederetur, cœleſtibus telis pro clypeo Sanctorum opponit exuvias: *Reliquiis Sanctorum multorum præcedentibus urbem ingreſſus eſt, dieſque Paſcha cum multa jocunditate tenuit, filiumque ſuum baptiſmo tradidit.* (Gregor. l. 6. c. 7.)

Chilpericus Judæos ad baptiſmum cogit infelici ſucceſſu.

II. Præpoſterus Religionis amor peſſimo exemplo Chilpericum impulit, ut vi adhibitâ Judæos ad fidem ſuſcipiendam cogeret, quaſi ad credendum Principum juſſa admitterent mortalium mentes, quæ ſolo rationis imperio regi debent. Quo ſucceſſu regiâ autoritate Judæi baptizati ſint, narret ipſe Gregorius: *Rex Chilpericus multos Judæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit è Sancto Lavacro. Nonnulli tamen eorum corpore tantùm, non corde abluti, ad ipſam, quam prius perfidiam habuerant, Deo mentiri regreſſi ſunt: ita ut & Sabbatum obſervare, & diem Dominicum honorare viderentur.* Priſci tamen, qui cum Gregorio anno ſuperiore diſputationem habuerat, nullo expugnari modo pertinacia poterat. Jubente ergo Rege carceri includitur, ut vel invitus Chriſtianus fieret. Ille datis muneribus temporis ſpatium poſtulat, *donec filius ejus Maſſilienſem Hebræam accipiat.* Intereà Priſcum inter & *Pathirum* Ex-Judæum, quem Chilpericus baptiſmo ſuſceperat, diſſidii aliquid exoritur: *Cùmque die Sabbati Priſcus præcinctus Oraria nullum in manu ferens ferramentum, Moſaicas Leges quaſi impleturus, ſecretiora competeret, ſubitò Pathir adveniens ipſum gladio cum ſociis, qui aderant, jugulavit.* Mox Juliani ad Baſilicam confugit homicida: cui Rex vitam quidem concedi, ſervos verò ejus, ut facinoroſos, azylo evulſos occidi jubet. Quorum unus, ubi Pathir fugâ elapſus eſt, nudato gladio ſocios ad unum cunctos interficit, qui dein egreſſus Baſilicâ, à populo mactatur. Pathir, qui acceptâ licentiâ Gunthramni regnum petierat, à Priſci conſanguineis non multò pòſt meritæ morti mittitur. (Gregor. l. 6. c. 17.) Tragica vel una hiſtoria hæc documento eſt, Religionem liberam eſſe, nec minis, cruciatibuſve homines ad fidem eſſe cogendos, ne Sacramentorum ſanctitas violetur, hypocriſiſque pro pietate obtrudatur. Chilperico longè ſapientiores fuere Toletani Patres, qui hæc de Judæis ſanxere: *De Judæis præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ.* (Tolet. 4. c. 55.) Eo quoque Avitì Præſulis factum, cujus meminimus, eſt referendum.

Chrodini mors: viri pietas.

III. *Pathiri*, ſceleratorumque mortem retulimus, viri pietate inſignis obitum nunc commemoremus. Is eſt *Chrodinus*, qui poſteris famam commendavit ſuam: *Vocatis Epiſcopis, quorum erat parva facultas, dato epulo, ipſas domos cum culinaribus & culturis, cum argento, periſtromatibus, utenſilibus, miniſtris & famulis benignè diſtribuebat, dicens: Sint hæc Eccleſiæ data: & dum de his pauperes reficiuntur, mihi vitam obtineant apud Deum.* (Gregor. l. 6. c. 20.) Obiit ætate ſeptuagenarius. Extat Venantii epigramma, quo Chrodini de celebritate monemur:

Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt, (Venant. l. 9. c. 16.)
Laus tua cunctorum ſemper in ore ſonat.
Clarus ab antiquis digno generaſiat ortu
Regibus & Patria, qui placiturus erat,
Tutoremque alii, nutritoremque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.

Tiberius Mauritium Imperatorem dicit: moritur.

IV. Clariore adhuc funere nunc in Orientem vocamur. Tiberius Imperium feliciter juſta & clementer adminiſtrabat: non in ſuos duntaxat, ſed in hoſtes etiam munificus, quippe qui Perſas captivos Conſtantinopolim perductos, omnes egregiè veſtitos domum remiſerat. Mauricium quoque victorem ex Perſide reverſum honorificè excepit. Sed irato Deo Tiberius terras relinquere jubebatur. Auguſto menſe mora ſpecie jucunda quidem, corrupta tamen cùm edidiſſet, in phthiſim incidit. Cùm mortem ſibi imminere ſenſiſſet, *quinto Auguſti* Mauritium Cæſarem dicit, increſcente morbo Auguſti XIII. Auguſtum creat. In Palatii Aulam vocato Joanne, qui defuncto Eutychio ſucceſſerat, congregatiſque Imperii Proceribus, Joanni egregio Oratori, qui Quæſtoris munere fungebatur, injungit id officii, ut priuſquam novus Imperator renunciaretur, concionem haberet. Inſigni eâ oratione oſtendit Imperator, difficultatum omnium maximam illam eſſe, dignum ſibi ſucceſſorem eligere, qui deceſſore ſit longè præſtantior, ut ejus errata corrigat: quod niſi fiat, à fundamento ruat Imperium neceſſe eſt. Oculos ſe in Mauritium conjeciſſe, virum virtutibus, victoriiſque illuſtrem, qui ſuis egregiis certaminibus pignus futuræ ſuæ erga imperium providentiæ in ſinu Reipublicæ depoſuit. Itaque libenter ei & ſummam rerum, & filiam Conſtantinam ſe credidiſſe. Ad Mauritium verò converſus, *Tu*, inquit, *pulcherrimum mihi Epitaphium, imperium tuum facere perge, ſepulchrumque meum virtutibus tuis exorna.* Monet poteſtatis ſummæ faſtigium rationis freno cohibendum eſſe. Civium ſibi potius amorem, quàm metum eſſe

eſſe comparandam: purpuram ſapientiâ vacuam vilem pannum eſſe. Coronam gemmis radiantem nil à calculis differre putet: ſceptrum ſplendidam potius ſervitutem eſſe, quàm immenſam poteſtatem. Orationem obortæ auditorum lacrymæ excipiunt. Tum Tiberius ſublatam ſibi coronam, & purpuream chlamydem Mauritio circundedit. Simul Conſtantinam novo Principi nuptum collocat: ac quaſi eo duntaxat fine vitam retinuiſſet, ut ſuorum, Reipublicæque ſaluti provideret, poſterâ luce optimus Imperator vivendi curriculum conficit. Noſtram verò Chronologiam illuſtrat Chronicum Alexandrinum: *Quinto Auguſti Indict. XV. creatus eſt Caſar Mauritius Tiberius, & XIII. Auguſti coronatus Auguſtus. Data illi in uxorem à Tiberio novo Conſtantino filia Conſtantina XIV. Auguſti, moritur novus Conſtantinus in Proceſſo Hebdomi, impoſitoque ejus funere in navi, defertur Conſtantinopolim, poſteroque die exequiis celebratis, corpus in Æde Sanctorum Apoſtolorum deponitur.* Ferunt morienti id viſum objectum eſſe. Vocem audire ſibi viſus eſt, *Tiberi, Terſanctum tibi Numen nunciat tyrannica impietatis tempora, te imperante, minimè ventura*: quibus tyrannis Phocæ indicabatur. A Juſtini obitu, qui anno DLXXXVIII. quinto Octobris die contigit, Tiberius quatuor annos imperavit, menſes decem, dieſque totidem. Itaque Baronii error emendari debet, qui quadriennio ſolo Tiberium abſque Collega imperaſſe tradit: *Moritur*, inquit, *cum imperaſſet ſolus annos quatuor.* Princeps ſi quis alius mortalium admiratione dignus, qui virtutum ſuarum ſplendore non Orientem modò, verùm etiam Occidentem illuſtrabat, quibus Gregorius Turonenſis inſigne teſtimonium reddidit: Tiberius Imperator *erat ſummæ bonitatis, in eleemoſynis promptus, in judiciis juſtus, in judicando cautiſſimus, nullum deſpiciens, ſed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens, ipſe quoque diligebatur ab omnibus.*

Nicephor. l. 18 c. 6.

Error Baronii.

Bar. An. 586. n. 20.

Gregor. l. 6. c. 30.

Mauritii anni & mores.

V. Tiberii ſucceſſor & gener Mauritius, Romanis majoribus ortus, *Arabiſſum* Cappadociæ oppidum patriam habuit. Variis gradibus ad honores aſcenderat, ut apparet ex Gregorii Magni Epiſtola ad ipſum ſcripta, qui ſic ipſi loquentem Chriſtum inducit: *Ego te de Notario Comitum Excubitorum, de Comite Excubitorum Caſarem, de Caſare Imperatorem feci.* Dignis fortunâ ſuâ moribus præditus erat, quos conſtantiâ & temperantiâ condiebat. Nunquam gulæ inſerviit, rebus duntaxat utens, quæ vitæ neceſſaria ſunt. Divinitùs faſtigii futuri ſigna ajunt ipſi oſtenſa fuiſſe. Apud Antiochiam Deiparæ Baſilicam ingreſſus, cùm intra Sanctuarium thus offerret, *Velum altaris conflagrare viſum eſt.* Viſum reformidanti Gregorius, qui tum aſtabat, ſumma quædam & eximia ſignificari portendit. Pater etiam ipſius affirmavit, quo tempore filius conceptus eſt, vitem maximam in ſomnis vidiſſe, è cubili ſuo exortam, ex qua multæ & pulcherrimæ uvæ penderent. Neque futura Mauricii magnitudo Eutychio ignota fuit, ſi vera prædicat Euſtathius. Verſantem in Amaſeno Monaſterio Eutychium Arabiſſeni nonnulli convenerant: de quorum oppido cùm mentio agitata fuiſſet, illis lepidè dixit: *Magna eſt civitas veſtra, & de illa meritò dici poteſt, è Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Cùm Tiberium ægrotantem viſitaſſet, & multa de ſucceſſore ejus dicerentur, dum plures nominantur, ſilentium tenuit. At nonnullis Mauritii mentionem facientibus, *Verè non eſt alius*, inquit, *idque juramento aſſerunt.* Quorum vaticiniorum fides ſit penes Autorem. Mauritius porrò Imperium adeptus, illud ad annum uſque DCII. adminiſtrabit, quo Novembris XXVII. feriâ tertiâ à Phoca tyranno interficietur. Imperavit ergo annos XX. menſes tres, dies quindecim. Quos privatus mores induerat, eos Imperator conſtanter retinuit: *Rarò dabat copiam ipſum conveniendi, idque non niſi de rebus ſeriis. Superfluis autem ſermonibus aures ſuas obturabat, non quidem cerà, ut eſt, apud Poetam, ſed ratione. Porrò inſcitiam, quæ mater eſt temeritatis, & ab ea disjunctam, ac nihilominùs conjunctam ignaviam, ita ab ſe depulerat, ut quoties in diſcrimen veniret, prudentia; quoties cunctaretur, ſecuritati aſcribendum eſſet.* Benignitatem vel in proditores Imperii ſuam oſtendit, ut leviore quàm merebantur pœnâ afficerentur. Alamundarum enim Scenitarum Ducem, cum uxore & liberis quibuſdam in Siciliam deportari juſſit. Naamanem quoque Alamundari filium, qui multâ & Phœniciam, & Palæſtinam clade affecerat, omnium ſententiis ad capitale ſupplicium damnatum liberæ cuſtodiæ incluſit, nec gravius quidquam de eo conſtituit. Sed & Mauritio inerat religionis & pauperum amor. Teſtis ejus Epiſtola, quam initio Imperii ad Theodorum Archimandritam ſcripſit, de qua mentionem fecit Gregorius vitæ ipſius conditor: *Ubi defuncto Tiberio Mauritius imperium obtinuit, & ejus verborum memor, Epiſtolam ad illum miſit, rogans ut Deum pro ſe deprecaretur, ut imperium in pace tueri poſſet, & ab hoſtibus defendere, addiditque, ut peteret, ſi quid à ſe vellet. Sanctus autem Theodorus B. Philumenum miſit, & reſcripſit Imperatori, ut in uſus pauperum aliquid frumenti Monaſterio tribueret. Addixit igitur Imperator Monaſterio ſingulis annis tritici modios ſexcentus, & poculum illi pro munere miſit.* Tantarum tamen decus virtutum avaritiæ labes deformavit, quæ tandem in ejus vertit exitium.

Nicephor. l. 18 c. 6.

Evagr. l. 5. c. 21.

Evagr. l. 5. c. 1.

Nicephor. l. 18. c. 10. Evagr. l. 6.

Bar. An. 586. n. 23.

De annis Mauritii Auguſteis Baronii errores.

VI. Baronius corrupto Evagrii loco deceptus, in quo legitur, Juſtinum *duodecim annos imperaſſe, & quatuor cum Tiberio*, mortem Tiberii, & Mauritii initium anno DLXXXVI. aſſignarat. Ex quo annos duntaxat XVII. Mauritiano imperio aſſignare cogebatur, cùm in confeſſo ſit omnibus, Phocam anno DCII. Mauritium ambitioni ſuæ mactaſſe. Ex monſtroſa ea Chronologia fœdiſſimam Annalibus ſuis perturbationem induxerat, cùm imperio Tiberii ea tribueret, quæ Mauritii ad Principatum pertinent. Evagrii verò locum, cui innititur, corruptum fuiſſe, & facilè deprehendere, & ex Evagrio emendare poterat. Verba ſunt Evagrii: *Atque his hiſtoria noſtra finis eſto, anno ſcilicet duodecimo Principatus Mauritii.* Annus eſt ex Baroniana Chronologia DXCVIII. Atqui anno DXCIV. verba hæc ſunt exarata. Antiochena quippe lues, quæ biennio poſt captam à Perſis Antiochiam graſſari cœperat, annis duobus & quinquaginta orbem terrarum depaſta erat. Capta eſt Antiochia anno DXL. Incepit igitur peſtis anno DXLII. cui ſi anni LII. addantur, ad DXCIV. pervenimus, quo librum Hiſtoriæ ſuæ quartum condebat Evagrius. Is verò Mauritii *duodecimus* erat, teſte Evagrio. Mauritius igitur Reipublicæ clavo admotus eſt anno DLXXXII. Prætereà Scriptores Mauritio coætanei annos ei XX. tribuunt. Joannes Biclarienſis:

Evagr. l. 5. c. 24.

Evagr. l. 4. c. 29.

Anno Dom. 582.

rienſis: *Mauritius regnat annos* XX. Tot & annos Mauritio tribuit Theophylactus Simocata. Qui per annos Mauritiana geſta dividit: *Viceſimo Petrum Prætorem Europæ declaravit.* Quibus addi poteſt Chronicum Alexandrinum. Baronius ſe erraſſe ſerò tandem intelligens, quæ magno molimine de Mauritianis annis Chronologiæ fundamenta poſuerat, manibus evertit ſuis. In editione quippe Colonienſi, quâ utimur, anno

Bar. An. 586. n. 10.

1624. adornata, hæc legimus: *Gregorius Turonenſis affirmat Mauritium iniiſſe imperium anno* VIII. *Childeberti Regis, idemque ſuperius tradit, eo anno ultimum Januarii fuiſſe Dominicam diem, quæ Dominicalis litera fuit G. quam manifeſtiſſimum eſt cadere in annum* DLXXXIII.... *Quamobrem errore correcto, numeretur annus iſte Mauritii tertius, cujus primus numerandus fuerat anno Chriſti* DLXXXIII. Ea quidem Chronologia ad verum propius accidit, non eſt tamen expers erroris. Fallitur ſanè Gregorius, & ſecundum Gregorium Baronius, qui initia Mauritiana in anno DLXXXIII. collocant, devorato Imperii hujus anno. Id etiam patet ex morte Eutychii, quæ illo ipſo anno contigit, quo Mauritius eſt coronatus. Obiit autem Eutychius *ſexto Aprilis, Indictione* XV. quæ ſunt indicia labentis anni. Præterea nova nobis macula delendæ eſt; quam Baronii Chronologia ſuſcepit. Etenim in mentem ſibi induxit, Calendas Januarias, quæ Mauritiana initia proximè exceperunt, ejus Conſulatu ornatas fuiſſe: *Dicere neceſſariò apud eſt, Mauritium regnare cœpiſſe anno* DLXXXIII. *qui Conſulatum geſſit anno ſequenti.* Atqui ex Chronico Alexandrino ſcimus, menſes XVII. prius effluxiſſe, quàm Mauritius Conſulatum adiret: *Indict.* I. *primus annus caruit Conſulibus, atque ex communi hominum ſenſu ſcriptum eſt, Poſt Conſulatum divinæ memoriæ Tiberii Conſtantini anno* IV.

Error Baronii.

Bar. An. 586. n. 10.

Chron. Alexandr.

Mauritii cum Conſtantina nuptiæ.

VII. Ubi juſta Tiberio ſoluta ſunt, Mauritius annos *tres & quadraginta* natus, teſte Zonarâ, de celebrandis cum Conſtantina nuptiis cogitat. Magnificæ quidem nuptiæ fuerunt, & Auguſteo faſtigio dignæ. Conjuges veſtes induebant purpureas, gemmis diſtinctas, coronas quoque pretioſis lapidibus inſignitas geſtabant. Senatores ſplendidè veſtiti accenſis facibus, hymnis carminibuſque ceremoniæ decus addebant. Epulationes & vicatim populo ſunt exhibitæ. Intereà Abaram excurſus oblatâ pecuniâ ſibi ſiſtendos eſſe, Mauritius putat. *Chaganus* Barbarorum Rex fabros à Tiberio petierat, qui ſibi balneas ædificarent. Pontem in Danubio ſtruere miſſos opifices cogit, ut fluvium citra periculum trajicere, & Romanas Provincias populari poſſet. Jam Sirmium expugnarat, cùm Mauritius inducias emit, eâ lege, ut quotannis veſtes, aurique pondo octoginta millia Barbaris penderet.

Niceph. l. 18. c. 8.

Zonar. l. 14. p. 73.

Simoc.

Eutychii Conſtantinopolitani obitus: Joannes ei ſuccedit.

VIII. Res Imperii diu ſatis nos detinuere: ad Eccleſiaſticas convertatur oratio. Eutychius celebris ille Conſtantinopolitanorum Præſul luci eripitur. Paſchatis ſolemnitatem Martii XXIX. celebrarat, veſpertinaſque Deo preces ſolverat, cùm ſubinde in morbum incidit: *Reverſus in Epiſcopium in lectulo ſuo decubuit, vehementique febre circa mediam noctem correptus eſt, atque ita manſit ſeptem dies, aſſiduè precibus incumbens.* Ægrotum Tiberius Imperator inviſit, ut & ab eo benedictionem acciperet, & quem Epiſcopatus ſucceſſorem haberet, cognoſceret. Ac Imperatori quidem benedictionem impertiit, altum verò de ſucceſſore ſilentium egit. Imperatori mortem imminere, prænuntiaſſe ferunt, quâ & quarto pòſt menſe functus eſt. Decumbebat etiam Gregorius Magnus validâ febre affectus, qui officii cauſâ ad Euſtathium viſitandum ex ſuis aliquos miſit, ex quibus didicit, prorſus illum reſipuiſſe, abjecto errore, quo afflatus erat: *Cùm nuntii mei ad eum ſalutationis gratiâ pergebant, ut eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem, manuſque ſic tenebat, dicens, Confiteor quia omnes in hac carne reſurgemus, quod ſicut ipſe fatebatur, omninò prius negare conſueverat.* Obiit Eutychius ſexto Aprilis feriâ ſecundâ, ut nos Theophanes monuit: *Hoc anno, die* VI. *Aprilis, Indictione* XV. *Eutychius Patriarcha diem ultimum obiit, & poſt dies ſex Joannes magnæ Eccleſiæ Diaconus, qui Jejunator dictus, conſecratus eſt.* Hinc Baronius errori eximi debet, qui primam Eutychianæ morti feriam aſſignat: *Sequenti Dominicâ*, inquit, *migraſſe ex hac vita* ſcribit Euſtathius. Atqui ſextus Aprilis, quo Græcorum in Menæis Eutychii memoria recolitur, feriæ non primæ, ſed ſecundæ cohærebat, vi Cycli Sol. 3. D. Itaque primus Aprilis in quartam feriam incidit. Joannis quoque conſecratio *ſex* diebus Eutychii poſt obitum peracta, diei Dominicæ eſt aſſignanda, Aprilis XII. Hic eſt ille Joannes, qui Mauricium inauguravit. Mirum eſt, Cavium, Du Pin, aliſque eruditos Joannis Epiſcopatus initia in anno DLXXXV. figere, qui triennii eſt metachroniſmus.

Greg. Mor. l. 14. c. 29.

Error Baronii.

Bar. An. 586. n. 7.

Joannes Jejunator. Quis? mores ejus.

IX. Joannes, quem Cappadociâ ortum nonnulli putant, vitam primùm privatam egit, quam non indecoris opificiis fovit. Abſtinentiæ penè incredibili cùm ſeſe addixiſſet, inde Jejunatoris ſibi nomen contraxit. Teſtis Nicephorus: *Qui quòd voluptates expugnarit, animique perturbationes coercuerit, & imperium in ventrem exercuerit, Jejunator à Byzantinis cognominatur.* Pietatis larvam ſibi impoſuiſſe decipiendis mortalium oculis, contendit Baronius: Epiſcopatum *non fugit*, inquit, *ſed fugere videri voluit, ut ne fugeret, detineretur à ſuis.* Quomodo nempè apud Poëtam Galathea laſciva puella:

Niceph. l. 18. c. 34.

Bar. An. 586. n. 8.

Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri.

Accuſationibus Baronianis cauſam præbuit titulus *Patriarchæ Oecumenici*, quem Joannes induit. Neque gerenti pepercit Gregorius, qui eum ſuperbiæ non obſcurè inſimulat: *Quo auſu, quove tumore neſcio novum ſibi conatus eſt nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuiſſent ad ſcandalum pervenire.* Id tamen tituli geſſerant Joannis deceſſores à Synodis, & à Juſtiniano eo non ſemel decorati: ſenſuque Græcorum titulum ſalvâ modeſtiâ Joannes gerere potuit, ut primus præcipuuſque totius orbis Epiſcoporum audiret, quia nemini ſubditus, cæteros eminebat, Veteris Romæ Præſuli ab omni parte æqualis, ſolo ordine inferior. Itaque non ea de cauſa pietatem Joanni ſuam detrahemus, quam laudibus multis Græci celebrant. Amator pauperum maximus fuit. Quibus ut auxilio eſſet, *pluribus ab Imperatore talentis mutuo ſumptis, ſyngrapham illi dedit, quâ facultates ſuas mutuæ pecuniæ tanquam hypothecam oppoſuit.* Epiſcopatum tenuit *annos* XIII. *menſes* V. ut Nicephori Chronographia legitur, quo temporis ſpatio commovebit theatrum.

Greg. l. 4. Ep. 38.

Niceph. l. 18. c. 34.

SSSſſ 3 X.

ANNO DOM. 582.

Annus Matiſconenſis Synodi primæ.

Error Baronii.

Bar. Ann. 588. n. 14.

X. Annum & inſignivit Synodus Matiſconenſis, jubente Gunthramo celebrata. Errantem Baronii Chronologiam nunc eruditi reſpuunt, qui anno DLXXXVIII. eam tribuit. Quaſi vero annus Gunthrami XXII. quo congregata eſt, in Æræ noſtræ DLXXXVIII. incurreret. Cæterùm utrùm ſuperiore, vel inſecuturo anno affigi debeat, controverſiæ aliquid habet. Sirmundus anno DLXXXII. Cointius anno DLXXXIII. eam aſſignat. Utraque verò Chronologia ex ſubſcriptione ſynodica refellitur: *Explicit Synodus Matiſconenſis, quæ fuit facta anno XXII. regni Domini noſtri Regis, die Kal. Novembrium, Indictione* XV. Hæc ſunt labentis anni criteria. Indictio ſanè XV. anno DLXXXIII. tribui nequit. Poſſet quidem anno DLXXXI. aſſignari, ſi Galli, Græcorum aut Latinorum more, à Septembri Indictionum duxiſſent initia, ſed eâ ratione ſuas Indictiones non numerabant: neque Gunthrami annus XXII. ullâ parte Chriſti DLXXXI. afficit. Cùm verò primus Gunthrami annus Æræ noſtræ DLXI. inceperit, quo defunctus eſt Clotharius, ut ex Mario eſt obſervatum, jam Gunthrami XXII. erat in curſu, Kalendis Novembris nondum mutatâ Indictione XV.

Matiſconenſis Synodi primæ Canones.

XI. Synodo Præſules interfuere XX. numero, *Priſcus* Lugdunenſis, Conventus Præſes, *Evantius* Viennenſis, *Artemius* Senonenſis, *Remedius* Bituricenſis, *Sylveſter* Veſontienſis, *Syagrius* Æduenſis, *Aunacharius* Antiſiodorenſis, *Heſychius* Gratianopolitanus, *Victor* Tricaſtinenſis, *Heraclius* Dinienſis, *Ragnoaldus* Valentinienſis, *Namatius* Aurelianenſis, *Euſebius* Matiſconenſis, *Agricola* Nevernenſis, *Mummolus* Lingonicenſis, *Flavius* Cabilonenſis, *Hiconius* Mauriennatis, *Pappus* Aptenſis, *Artemius* Vaſenſis, *Marcianus* Tarantaſiæ. Canones XIX. condidere. I. Ne Clerici cum mulieribus extraneis habitent. II. Nullus ſive Clericus, ſive Laicus, niſi ætatis provectæ, præter utilitatem, aut reparationem Monaſterii cum Virginibus colloquatur; nec Virgines intra ſalutatorium, aut Oratorium ingrediantur, Judæis autem omne cum Virginibus colloquium prohibetur. III. Mulier cubiculum Epiſcopi abſque duobus Presbyteris, aut Diaconis non ingrediatur. IV. Defunctorum oblationes quicunque retinent, ut egenium necatores Eccleſiæ liminibus arceantur. V. Nullus Clericorum veſtimenta, vel calceamenta ſecularia induat, qui ſecus fecerit, *triginta dierum incluſione detentus, aquâ tantùm, & modico pane ſingulis diebus ſuſtentetur.* VI. Archiepiſcopus *ſine pallio* Miſſas non celebret. Quem ea recentiore Concilio Canonem in Matiſconenſe translatum non immeritò cenſent eruditorum nonnulli. Quia nec vox Archiepiſcopus eo tempore Gallis Metropolitanis ſignificandis adhibebatur, aut in ſubſcriptionibus ullis extat: nec præter Arelatenſes Præſules pallium, quod à Pontifice Romano eis conceſſum erat, ullus gerebat. VII. Nullus abſque *diſcuſſione Epiſcopi* Clericus à ſeculari judicio cuſtodiæ deputetur, excepto *homicidio, furto, aut maleficio*: ſecus Judex ab Eccleſiæ liminibus arceatur. VIII. Clericorum nullus Clericum apud Judicem accuſet; ſi fecerit, *Clericus junior uno minus de quadraginta ictus accipiat, ſin certè honoratior, triginta dierum concluſione mulctetur.* IX. A feria S. Martini uſque ad Natale Domini ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur, & *quadrageſimali ordine*, id eſt, horâ veſpertinâ ſacrificia celebrentur: quibus etiam diebus Canonum lectio eſt peragenda. X. Clerici cum ſuis Antiſtitibus feſta celebrent, contumaces officio moveantur. XI. Honoratiores Clerici, qui ad nuptias redierint, dignitate priventur. XII. Virgines, quæ vel ſponte, vel *rogantibus parentibus* benedictionem conſecutæ ſunt, ſi nuptiis conjungantur, cum procis communione priventur. Viaticum tamen illis non negetur. XIII. Ne Judæi, aut Judices ſint, aut publicani inter Chriſtianos. XIV. Judæis à Cœna Domini ad uſque Paſcha primùm deambulandi licentia negetur, Clericis verò honorem habere jubeantur. XV. Judæorum convivia Chriſtiani non participent. XVI. Nullus Chriſtianus Judæis ſervus fiat: cuilibet Chriſtiano facultas ſit, bonum ab illis mancipium XII. ſolidis redimere. XVII. Qui ad perjurium, vel falſum teſtimonium aliquem induxerit, non niſi ad exitum communicet; perjurus verò inſuper infamiâ notetur. XVIII. Qui innocentem accuſat, ſi Clericus honoratior, ordine moveatur; ſi Laicus, communione privetur, donec publicâ pœnitentiâ ſatisfecerit. XIX. *Agnes* Monacha, quæ cùm de Monaſterii ſeptis fugiſſet, in illa revocata fuerat, & datis agellis, ut clauſtrum exiret, potentum ſibi patrocinium comparare volebat, cenſuris ſubjicitur. Quæcunque id facinoris perpetrarit, à communione removeatur. Quâ pœnâ etiam afficitur ille, qui acceptâ donatione auxilium fugienti præbuerit.

ANNO DOM. 583.

ANNO U. C. 1336. PER. JUL. 5296. JUL. 618. DOM. 583. MAURIC. 1. & 2. CHILDEBERTI 8. *Sol.* 4. C. *Lun.* 14. *Indict.* 1. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

Poſt Conſulatum Tiberii anno IV.

Bellum Gunthramum inter & Chilpericum: pax initur.

I. FRancorum Reges ambitione ſimul & furore extimulati pergebant. Childebertus Legatos, quorum Princeps erat Ægidius Rhemenſis Epiſcopus, Chilperico miſit, ut inita adverſus Gunthramum fœdera firma permanerent. Querebatur Childebertus, multis à Gunthramo ſe injuriis affici. Maſſiliæ partem contra jus detineri, fugitivos receptos non reddi. Juramento igitur adhibito, datiſque obſidibus, ſocialium armorum fœdera mutuò ſibi pollicentur. Tum Chilpericus non expectato Childeberti exercitu, *ad Mecledonenſe caſtrum abiit, cuncta incendio devaſtans.* Deſiderio & Bladaſti dat etiam in mandatis, ut *Bituricum* expugnent. Commiſſo cum Bituricis prælio, tanta ſtrages utrinque edita eſt, ut ſeptem hominum millia, eoque amplius ceciderint. Bituricum dein obſident Chilperici Duces, locaque vicina maximâ clade afficiunt. Nulla domus, nullæ vites, arbores nullæ remanent: cuncta ſuccidunt, delent, vaſtant: nec à ſacris eſt temperatum: *Ab Eccleſiis auferentes ſacra miniſteria, ipſas incendio concremabant.* Gunthramus intereà imploratis cœleſtibus auxiliis, miſſo exercitu, maximam fratris copiarum partem delet. Mutuis vulneribus attriti Reges Legatorum interventu, *quidquid Sacerdotes, vel Seniores populi judicarent*, facturos ſe pollicentur. Neque laude caruit Chilperici ſeveritas, qui vel ſuorum ſanguine violatis pacis pactis litatum ivit: *Cùm exercitum ſuum*

à præ-

ANNO DOM. 583.

à prædis arcere non poſſet, Rhotongenſem Comitem gladio trucidavit. Reverſi qui Bituricum obſidebant, tantum prædæ abduxerunt, ut regio hominibus pecoribuſque vacua remaneret. Neque Turonenſium tractui Deſiderii exercitus magis parcitum ivit: *Subſecutus eſt morbus pecorum hanc cladem, ita ut vix unicum remaneret, novumque eſſet, ſi aliquis aut jumentum videret, aut cerneret buculam.* Intereà debitam legationi ſuæ mercedem Ægidius tulit. Commotâ Childeberti in exercitu ſeditione, Regis ad tentorium accedunt, ut apprehenſos & Sacerdotem, & Seniores virgis gladiiſque lacerarent, ut proditores, qui Childeberti ditionem alterius poteſtati ſubjicerent. Tum Ægidius fugam maturare, laceſſente eum plebe convitiorum lapidumque jactu: tantoque metu corripitur, *ut unam caligam de pede elapſam colligere non curaret.*

Gregor. l. 6. c. 31.

Leudaſtis infelix exitus.

II. Leudaſtes contumax ille petulanſque Gregorii Turonenſis accuſator, quem Brennacenſe Concilium excommunicationis gladio ferierat, debitam ſceleribus pœnam ſuſcipit. Regio mandato Turonos venerat, ut receptâ uxore eò moraretur. Attulit & Epiſcoporum literas, ut communioni Eccleſiæ reſtitueretur: quam petenti Gregorius tamen non reddidit, quia Reginæ, cujus præcipuè cauſa ſacris remotus fuerat, conſenſum expectabat. Ad eam itaque nuncios ea de re miſit, qui hæc retulerunt: *Rogo ut pacem tuam non mereatur, neque eulogias de manu tua ſuſcipiat, donec à nobis quid agi debeat, plenius pertractetur.* Lectis hiſce literis, Gregorius probè ſciens, furens quid Regina poſſit, Leudaſtem per ſocerum monet, quid mali ei immineret. At ſpreto eo conſilio, quaſi hoſtili, ad Chilpericum Megledum commorantem proficiſcitur, populum rogat, ut precibus aſpectum ſibi Regis impetret: quo conceſſo, genibus ejus advolutus veniam flagitat. Supplicem Chilpericus monet, ſibi caveat, donec ira Reginæ deferbuerit. Ille plumâ levior, & temerarius Lutetiam ingreſſus, die Dominicâ Fredegundi genua ſubmittens, veniam precatur. Illa fuſis lachrymis orantem aſpectu repulit ſuo: & ad Chriſtum converſa, *Qui*, inquit, *non extat de filiis, qui criminis mei cauſas inquirat, tibi eas, Jeſu Domine, inquirendas committo.* Sic Baſilicâ repulſus Leudaſtes, dum mercatorum in tabernis monilia multa ſibi emenda intuetur, Reginæ miniſtri adveniunt, ut mercees manibus tractantem catenis onerent. Ille nudato gladio unum verberat, quo facto, alii in iram converſi eum gladiis appetunt. Dum vulneratus fugit per pontem, tibia cadenti frangitur. Captus ligatis poſt tergum manibus, carceri includitur. Remedia jubente Rege vulneribus parantur, ut miſer graviorum vim tormentorum perferret: *Sed cùm ad villam fiſcalem ductus fuiſſet, & computreſcentibus plagis extremam ageret vitam, juſſu Reginæ in terram projicitur reſupinus, poſitoque ad cervicem ejus vecte immenſo, ab alio ei gulam verberant: ſicque ſemper perfidam agens vitam, juſtâ morte finivit.*

Greg. l. 6. c. 32.

Prodigium & inundationes.

III. Ne id quidem eſt prætereundum, quod ultimo Januarii contigit: res ſanè non vulgaris, quæ Turonenſibus metum attulit. Gregorianis verbis prodigium narrabimus: *Pridie Kalendas Februarias, cùm die Dominico ad urbem Turonicam ad matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad Eccleſiam conveniret, cælo nubilo, cùm pluvia globus magnus ignis de cælo dilapſus in ſpatio multo circuivit in aëre. Qui tantum lucem dedit, ut tanquam mediâ die omnia cernerentur. Quo iterum in nubem ſuſcepto, non ſucceſſit. Aquæ vero extra ſolitum inealuerunt: nam tantam inundationem Sequana Matronaque circa Pariſios intulerunt, ut inter civitatem & Baſilicam Laurentii naufragia ſæpe contigerint.*

Greg. l. 6. c. 13.

ANNO DOM. 583.

Quo vel uno loco liquet, magnâ temporum perturbatione res Galliæ Baronianis in Annalibus referri, qui annum Childeberti octavum cum Æra noſtræ DLXXXVII. copulant. Atqui teſte Gregorio, annus Childeberti octavus is eſt, qui diem Dominicam pridie Kalendas Februarias exhibet. Quæ labentis eſt anni nota, utpote qui Cyclo Solis 4. C. afficitur.

Error Baronii.

IV. Quid rerum in Hiſpania gereretur, paucis videamus. Leovigildus vel pietate paternâ, vel aliis expeditionibus detentus, rebellem Hermenigildum meritis pœnis nondum ſubjecerat. Vaſconiæ partes ditioni ſuæ ſubdiderat, teſte Biclarienſi Chronico: Anno III. *Leovigildus Rex partem Vaſconiæ occupat, & civitatem, quæ Victoriacum nuncupatur, condidit.* Tandem labente anno in filium arma convertit. In id temporis Gregoriana Hiſtoria eſt referenda: *Cùm Hermenigildus patri infenſus eſſet, & in civitate quadam Hiſpaniæ cum conjuge reſideret, ſolatio fretus Imperatoris, atque Mironis Gallicienſis Regis, patrem ad ſe cum exercitu venire cognovit; conſiliumque iniit, qualiter venientem aut repelleret, aut necaret, neſciens miſer judicium ſibi imminere divinum, qui contra genitorem quamlibet Hæreticum talia cogitaret. Habito igitur tractatu, de multis virorum millibus trecentos viros elegit armatos, & intra caſtrum Oſſer, in cujus Eccleſia fontes divinitùs complentur, includit, ut ſcilicet primo impetu ab his pater territus ac laſſatus, facilius ab inferiori manu, quæ erat plurima, vinceretur.* Fruſtra tamen cum ejuſmodi conſiliis Hermenigildus fuit: *Viros protrivit, caſtrumque combuſſit* Leovigildus. Cætera Biclarienſis narret: *Leovigildus Rex civitatem Hiſpalenſem congregato exercitu obſidet, & rebellem filium gravi obſidione concludit. In cujus ſolatio Miro Suevorum Rex ad expugnandam Hiſpalim devenit, ibique diem clauſit extremum; cui Eboricus filius in Provincia Gallæcia in regnum ſuccedit. Intereà Leovigildus Rex ſupra dictam civitatem nunc fame, nunc ferro, nunc Bætis concluſione omninò conturbat.* Gravi cœlo inſalubribuſque aquis morbum ſibi contraxiſſe Mironem, Gregorius ſcripto prodit, qui tamen non eſt audiendus, dum Mironem in patriam reverſum obiiſſe refert. Hic admirationem nobis effecere verba Baronii, qui non obliquè Gregorium temeritatis inſimulat: *In eo quàm prudens ipſe viderit, dum appellat miſerum Hermenigildum, judicio divino in prælio derelictum, quod contra genitorem quantumlibet Hæreticum talia cogitarit, quaſi non monuiſſet Dominus, pietati ergà Deum, patrem, matrem & omnia poſthabenda.* Egregiam verò pietatem, quæ filium parenti Regique rebellare docet? Imò ex Religione, quam Hermenigildus amplexus fuerat, debitum patri obſequium magis diſcere debuit, nec erroris obtentu eum è ſolio deturbare. Vera ſanè pietas & ergà Deum veneratione, & ergà parentes amore Chriſtiana pectora prorſus imbuit. Id unum jubet pietas, ne errantes in fide parentes ipſorum veſtigiis ſequamur, non verò ut bonis ſuis eos evertamus. Hermenigildum illi laudent, qui Jacobum Clementem Regis ſui Henrici III.

Leovigildus Hermenigildum vincit. Hiſpalim obſidet.

Greg. l. 6. c. 43.

Bar. An. 584. n. 4.

per-

ANNO DOM. 583.

percuſſorem, pro *benedicto Sancti Dominici filio & ſanctiſſimo Chriſti Martyre*, ſuis in concionibus habuerunt. Non minus certè Biclarienſis quàm Gregorius Hermenigildi facinus accuſat, quem & tyrannis, & rebellibus inſerit. Quid his diſertius? *Leovigildus Rex exercitum ad expugnandum tyrannum ſilium collegit.*

Biclar.

Concilium Lugdunenſe. Error Baronii. *Bar. An. 587. n. 8.*

V. Res Eccleſiæ illuſtravit Concilium Lugdunenſe tertium, quod Baronius errante Chronologiâ in annum DLXXXVII. contulit. Quam ſententiam annus Gunthrami XXII. refellit, quo labente celebratur. Inſcriptio Synodi hæc eſt: *Synodus habita in Civitate Lugdunenſi anno* XXII. *regni glorioſiſſimi domini Gunthramni Regis.* Epiſcopi interfuere octo: *Priſcus* Synodi Præſes, *Evantius* Viennenſis, *Syagrius* Æduenſis, *Heſychius* Gratianopolitanus, *Ragnoaldus* Valentinenſis, *Euſebius* Matiſcenſis, *Agricola* Nevernenſis, *Flavius* Cabilonenſis, qui menſe Maio in unum convenere. Canones ſex condidere. I. Ne Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi extraneas fœminas domi habeant. Ab uxoribus quoque, ſi habuerint, ſeparentur: quòd ſi poſt acceptam benedictionem liberos procreaverint, officio moveantur. II. De Epiſtolis commendatitiis pro captivorum neceſſitate hæc habet: *Dies datarum, & precia conſtituta, vel neceſſitates captivorum, quos cum Epiſtolis dirigunt, ibidem inſerantur.* III. Puellæ, quæ Monaſterio *extra captivitatis incurſum, voluntate ſuâ ſe ſubſtraxerint*, donec in illud revertantur, à communione ſeparentur, viaticum tamen illis præbeatur. IV. De inceſtis conjunctionibus veteres Canones ſerventur. V. Epiſcopi Natale aut Paſcha in ſua duntaxat Eccleſia celebrent, niſi aut morbo, aut Principis mandato detineantur. VI. Uniuſcujuſque civitatis leproſi ab Epiſcopo alimenta & veſtimenta accipiant, ut *illis per alias civitates vagandi licentia denegetur.*

ANNO DOM. 584.

ANNO U. C. 1337. PER. JUL. 5197. JUL. 629. DOM. 584. MAURIC. 2, 3. CHILDEBERT. 9. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 15. *Indict.* 2. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 9. *April.*

Mauritio Tiberio Auguſto primùm Conſule.

Mauritius Imperator Conſulatum adit. Nùm anno 583. Conſul proceſſerit?

I. KAlendis Januarii Faſtos primum Imperator aperuit. Elapſo Decembri ad ampliſſimum munus deſignatus erat, ceremoniamque largitionibus illuſtrarat: uti Theophanes ſcriptum reliquit: *Menſis Decembris die* XX. *Indict. ſecundâ Imperator Conſul deſignatus, magnorum theſaurorum munera Urbi largitur.* Præludia hæc erant pompæ majoris, quàm ille ipſe Theophanes deſcribit: *Agebatur annus Mauritii ſecundus, cum hyeme Conſul creatus conſcenſo curru Imperatorio ſummè conſpicuus erat. Quem non equi, non muli, ſed homines trahebant.* Doctiſſimus Noriſius anno ſuperiori Mauricianum Conſulatum affigit: *Anno*, inquit, DLXXXIII. *Conſul fuit Mauritius: annus* DLXXXIV. *dictus eſt poſt Conſulatum.* Hanc tamen ſententiam diſertè refellit Chronicum Alexandrinum, in quo ad annum DLXXXIII. legitur: *Indictione primâ primus annus caruit Conſulibus: atque ex communi hominum ſenſu ſcriptum eſt, Poſt Conſulatum divinæ memoriæ Tiberii Conſtantini anno* IV. Sed & Miſcella hæc habet: *Anno ſecundo Imperii ſui Conſul Mauritius appellatur, & multos theſauros urbi donavit.* Quòd ſi anno DLXXXIII. Mauritius Conſul proceſſit, non imperii quidem ſui ſecundo, ſed primo id muneris adiiſſet. Neque alia Simocatæ mens fuit, quem vir doctiſſimus ſibi auxiliarem vocare non debuit. Simocatæ verba ſunt: *Agebatur annus Mauritii ſecundus, cùm hyeme Conſul creatus, conſcenſo curru Imperatorio ſummè conſpicuus erat.* Cùm igitur Conſularem incunte anno purpuram induerit, id quidem anno non DLXXXIII. qui Calendis Januarii necdum ſecundus Mauritii dicebatur, ſed 584. feciſſe dicendus eſt. Objicit tamen, libro Gregorianum Epiſtolarum ſecundo incipiente, hæc reperiri: *Indictione* X. *ordinationis ejus* II. *menſe Septembri, temporibus Papæ Gregorii. Conſulatus Mauritii Auguſti anno ſeptimo depoſitus eſt Laurentius propter ſuperbiam.* Annus erat DXCI. in quo Indictio X. à Septembri ducebat initium. Quid tamen ſit in ea ratione virium, prorſus ignoramus. Imò Noriſianam omninò ſententiam evertit. Quippe ſi anno DLXXXIII. Mauricius Conſulatum geſſit, anno DXCI. Conſulatus ejus non *ſeptimus* in verbis laudatis, ſed *nonus* numerari debuit. Nec ſatis capimus Pagii reſponſionem, qui ut allatum à Noriſio argumentum ſolvat, ſcribit, *Gregorium hoc loco uti loquendi modo Marcelliano.* Etenim Gregorius Marcellinâ formulâ non utitur, *poſt Conſulatum*: neque ullâ ratione *ſeptimus* Mauritii Conſulatus cum anno DXCI. conjungi poteſt: octavus ſiquidem menſe Septembri jam præceps erat, utpote Kalendis Januarii inchoatus. Eſt ergo mendum in verbis Gregorianis, quod à viris oculatiſſimis deprehenſum non fuiſſe miramur. Legendum, *Conſulatus Mauritii Auguſti anno octavo*, qui Æræ noſtræ DXCI. cohæret. Conſulatus Mauritiani initia rectè conſtituta nævis Chronologiam pugnant, in quos eſt incidendum, ſi eum primo imperii anno, locove non ſuo copuletur.

ANNO DOM. 584.

Sim. l. 1. c. 12.

Lab. Conc. t. 5. 1076.

Noriſ. Diſſert. Hiſt. de Syn. v. c. 9. §. 3. p. 59.

Miſcell. l. 17.

Chaganus inducias frangit: urbes expugnat.

II. Pactas cum Mauritio inducias ſuâ & avaritiâ, & ambitione ductus Abarorum Rex Chaganus, ingenti perfidiâ ſolvit poſt biennium. Auri pondo millibus octingentis, quæ pendebantur, viginti adhùc addi millia flagitabat, ut ad centum uſque creſcerent. Detrectante Imperatore rumpuntur induciæ. Tum Barbari educere copias, Iſtrum ſuperare, civitates expugnare complures. Captæ Sigedon, Auguſta, Viminicum: Anchialos oppugnatur. His ſucceſſibus territus Mauritius, Legatos ad Chaganum mittit, *Elpidium* & *Commentiolum.* Verùm quod liberius barbaro Principi Commentiolus loqueretur, contumelioſè prorſus legatio excipitur. Vertente anno Elpidio rurſus legatio injungitur, polliceturque Imperator, auri pondo viginti millia ſe additurum. Elephantem etiam petenti Chagano, *quod ejuſmodi belluam nunquam vidiſſet, maximum eorum, quos habebat, miſit. Verùm homo inſatiabilis aut rumpendæ pacis cauſas quæritans, centenis illis alia vicena millia poſtulavit adjici: quod cùm Imperator recuſaret, ille bello Romanis illato, multas urbes Illyrici ſubegit, minatus ſe longum murum etiam everſurum.* Chagani perfidiâ meritò offenſus Imperator, *Targetium* Abarorum Legatum in Chalcidem Inſulam deportat, decreto exilio ſemeſtri. Chaganus verò milites Thraciæ ſuos immittit, qui editâ ſtrage multâ ad longum murum uſque pervenerunt. Eductis è Palatio ac urbe militibus, murum Auguſtus cuſtodiri jubet, Præfecto Commentiolo in Barbaros miſſo, quos cùm ex impro-

Zonar. l. 14. 74.

Theo.

proviſo adortus eſſet, eos maximâ clade afficit. Dein cùm in Andragaſtum incidiſſet, prædæ multum agentem, eam à Barbaro abſtulit.

Miſcell. l. 17.

Philippicus in Perſas mittitur.

III. Perſicis quoque rebus curas Mauritius ſuas accommodabat. *Philippicum* ergo Orientis Præfectum dicit, deſponſâque ei alterâ ex ſororibus *Gordiâ*, quam Mauritii filiam perperàm Miſcella vocat, cum exercitu validiſſimo contra Perſas eum miſit. Thraciâ Philippicus ortus erat, qui dum Romanorum copiis præfuit, multa ſapienter geſſit. Cuncta, quæ ſuperflua erant, ad luxum & delicias accommodata ab exercitu removit, & milites ad modeſtiam, obſequiumque revocavit. Hoſtium regionem ingreſſus Philippicus, obvia quæque depopulatus, ingenti prædâ potitur. Multos quoque ex nobilibus Niſibenis, & ex aliis orbibus, quæ ſunt intra fluvium Tigrim, interfecit.

Evagr. l. 5. c. 3.

Childebertus Italiam ingreditur. Longobardos ſibi conciliat.

IV. Nec etiam curas Imperator intermittebat, ut Longobardos in Italia opprimeret. Quibus debellandis idonea ſibi Francorum auxilia putabat. Childeberto quinquaginta millia ſolidorum miſerat, ut Longobardos Italiâ pelleret. Labente igitur anno arma Italiæ intulit. Venientis fama territi Longobardi regiæ ſe poteſtati ſubjiciunt, muneraque multa conferunt. Quibus peractis, Childebertus in Gallias revertitur. De ea pace cùm Imperatoris aures nuncium tetigiſſet, quam Childebertus pecuniam acceperat, meritò Imperator repetebat, nec eam petenti reſtituere voluit, non ſine Auguſteæ majeſtatis contumelia: *Hic fidus à ſolatiis, ne reſponſum quidem pro hac re voluit reddere.*

Gregor. l. 6. c. 92.

Theodori Principis mors: cujus causâ maleficæ extinguuntur.

V. Dum Longobardorum muneribus onuſtus Childebertus lætitiâ effertur, mors *Theodorici* gravem Chilperico luctum attulit. Correptus dyſenteriâ regius puer, qui necdum biennium impleverat, animum exhalat. Nunciatur Reginæ, maleficiis incantationibuſque Theodorico lucem ereptam eſſe, quarum haud ignarus Mummolus Præfectus. Viro huic maximè infenſa Fredegundis erat, cujus furorem Mummoli ſermo auget, qui aulico defunctum puerulum legenti hæc locutus eſt: *Habetur mihi herba in promptu, de qua ſi dyſſentericus hauriat, quamlibet deſperatus ſit, mox ſanatur.* Tum Regina maleficas apprehendere, tormentis cruciare, quæ cùm vim doloris perferre non poſſent, multos ſe morti miſiſſe profitentur. Addidere, quod vix credibile, *filium tuum, ô Regina, pro Mummoli Præfecti vita donavimus.* Ad hæc Fredegundis graviores imperare cruciatus, maleficarum alias ignibus tradere, aliis oſſa frangere. Dein Compendium profecta, Regi quæ de Mummolo audierat, pandit. Acceſſitus crimen inficiatur, id unum profitetur, ſe potiones à maleficis accepiſſe, quibus Regis Reginæque ſibi gratiam conciliaret. Ad laſſitudinem uſque carnificum torquetur, qui poſtmodum *ſudes ungulis manuum pedumque defigunt.* Jam miſero gladius amputando capiti imminebat, cùm à Regina vitam infelicem impetrat. Plauſtro impoſitus, ad Burdegalenſem, unde oriebatur, urbem ducitur, ubi non multò pòſt fato conceſſit. Fredegundis verò, ne quid filii ſui imaginem in memoriam reduceret, veſtimenta, tapetes, lintea quæcunque defuncti fuerant, flammis abolet; aurum verò & argentum prorſus conflavit.

Gregor. l. 6. c. 36.

Riguntis Ricaredo jungitur: mittitur in Hiſpanias.

VI. Importunè regiam aulam mors Theodorici vocat in luctus. Ex Hiſpania quippe Legati Leovigildi venerant, *Riguntem* Chilperici filiam conjugem Ricaredo petitum. Nuptias, quibus Rex aſſentiebatur, mors interpellat Theodorici. Voluit quidem *Baſinam*, quam ex Audœra ſuſceperat filiam mittere. Obſtitere volentitam Baſina, quàm Radegundis Regina his verbis: *Non eſt dignum, ut puella Chriſto dicata iterum ad ſeculi voluptates revertatur.* Calendis Septembris adfuit honorifica Leovigildi legatio, quæ Riguntem in Hiſpanias abduceret. Abeunti ut egregium Chilpericus comitatum adderet, violentiæ multum adhibuit. Quippe Pariſinos profectionem negantes in carcere condit, qua de cauſa multos laqueo ſibi vitam ademiſſe ferunt, multi teſtamenta ſcripſere ſua, quibus facultates Eccleſiis omnes legabant, quaſi in Hiſpania tumulum inveniſſent. Intereà veniunt Childeberti Legati, petentes ne de theſauris urbibuſque ſuis filiæ ſuæ dotem Chilpericus ſolveret. Celebratis nuptiis, Fredegundis tantam opum vim Reguntí dedit, ut Rex in admirationem raptus nil reliquum ſibi factum eſſe putaret. Quinquagintaquippe plauſtra ingentes theſauros ferebant. Ut Regem falleret Regina, hæc omnia ſe ſuis ex reditibus, Francorumque muneribus ſibi comparaſſe refert. Profecta Riguntis Lutetiæ portas dum egreditur, axis carrucæ frangitur, malo quaſi mox futurorum omine. Abeuntem ducebant armatorum quatuor circiter millia, quibus quaſi Paranymphus præerat Dux *Bobo*. Inter eundem fugiebant quicunque poterant, nec ſine præda. Octavo à Pariſienſi urbe milliario *quinquaginta viri de nocte apprehenſis centum equis optimis, totidemque frenis aureis, ac duabus catenis magnis, ad Childebertum Regum fugâ dilapſi abierunt.* Detrimento multis fuit ea proceſſio. Quippe Riguntis comites pauperes ſpoliabant, vites vaſtabant, pecora abducebant: ut omnia luctu miſcerentur. Pervenerat Tholoſam uſque Reguntis, cùm moras nectere cœpit. Cauſabantur etiam comites, ejus itineris moleſtiâ ſe fatigatos, ſe ſordidos eſſe. Expectandum igitur, ut calcei veſteſque reparentur, ne ſi inculti, ineleganteſque Gothorum in conſpectum veniant, in contemptum adducantur. Dum his de cauſis Tholoſæ morantur, *Deſiderio* Duci mors Chilperici nunciatur, qui oppidum ingreſſus, Riguntí theſauros eripit, tenuemque ei victum aſſignat, Baſilicam S. Mariæ incolenti.

Gregor. l. 6. c. 34.

Gregor. l. 6. c. 45.

Greg. l. 6. c. 46.

Mors Chilperici.

VII. Quæ de ſævis Principibus cecinit Juvenalis,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni,

in Chilperico verum eſſe deprehendimus. Venandi cauſâ ad villam *Calenſem*, Gallis *Chelles* nuncupatam, Rex profectus erat. Dum nocte ſubobſcurâ equo deſcendens, manu miniſtro innititur, *adveniens quidam cum cultro percutit ſub axillam, iterataque ictu ventrem ejus perforat. Statimque profluente copiâ ſanguinis, tam per os, quàm per aditum vulneris iniquum fudit ſpiritum.* A Landerico Fredegundis adultero cædem perpetratam eſſe, prodit Amoinus. Sunt qui mortem & Brunichildis conſilio aſcribunt, quòd *Falconis* manus eſt executa. Verùm enimverò obruendæ peſſimarum Reginarum famæ vera crimina ſufficiunt, abſque falſorum auxilio. Cædis autores ſuppeditat Hiſtoria: *Ebrulfum* Regis Cubicularium Fredegundis accuſat, non Brunichildem, quam odio vatiniano proſequebatur: *Aſſeruit Regina ab eodem Principem fuiſſe interfectum, ipſumque multa de theſauris abſtuliſſe.* Ac fortè non ſine calum-

Greg. l. 6. c. 46.

Greg. l. 7. c. 21.

Anno Dom. 584.

calumnia in Eberulfum ſcelus transferebat, quem Regis poſt obitum enixè rogarat, ut ſecum maneret, quod ea impetrare nequiverat. Certus autor facinoris *Sunnigiſilus*, quod & ipſe in tormentis profeſſus eſt: *Quotidie virgis lorisque caditur, & computreſcentibus vulneribus, cum primum decurrente pure cœpiſſent ipſa vulnera claudi, iterum renovabantur ad pœnam. In his tormentis non ſolùm de morte Chilperici Regis, verum etiam diverſa ſcelera ſe admiſiſſe confeſſus eſt.* Periit Chilpericus anno regni XXIII.

Chilperici mores.

VIII. Moribus Chilpericus fuit corruptiſſimis, quos ſic Gregorius pingit: *Perſæpe homines pro facultatibus eorum injuſtè punivit. Erat gulæ deditus, nullumque ſe aſſerebat eſſe prudentiorem .... cauſas pauperum exoſas habebat. Sacerdotes Domini aſſiduè blaſphemabat ... Jam de libidine atque luxuria non poteſt reperiri in cogitatione, quod non perpetraſſet in opere.* Laudum tamen ſuarum præconem Venantium habuit:

Fortun. l. 9. c. 1.

Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot Procerum culmina culmen habent.
Auxilium Patriæ, ſpes & tutamen in armis,
Fida tuis virtus inclytus atque vigor,
Chilperice potens, ſi interpres barbarus extet,
Adjutor fortis hoc quoque nomen habet.

Inerat Chilperico ſcientiarum amor, quibus & temporis & dignitatis ratione habitâ, ſufficienter inſtructus erat. Nunquam tamen committere debuit, ut ſcriptis & carminibus Latinis, & de Fide libris ſemet Autoribus apponeret: *Scripſit alios libros verſibus, quaſi Sedulium ſecutus. Sed verſiculi illi nulli penitùs metricæ conveniunt rationi. Addidit autem & literas literis noſtris, id eſt, ω. Sicut Græci habent a, the, vuy, quarum characteres hi ſunt: Ω, Ψ, Ξ, Π. Et miſit Epiſtolas in univerſas civitates Regni ſui, ut ſic pueri docerentur, ac libri antiquitùs ſcripti planati pumice reſcriberentur.*

Greg. l. 5. c. 45.

Exempla quoque clementiæ nonnulla dedit, ut Brennacenſis Concilii geſta loquuntur, plura fortè etiam daturus, niſi ſervili more Fredegundi ſe regnandum tradidiſſet. Nec forſan improvidè dixit: *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter, ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt tranſlatæ*: ut non mirum ſit, ſi multorum teſtamenta abrogarit, cùm nec Reipublicæ conducat, nec Clericorum ſaluti, ut cæca pietas patrimonia in Eccleſiam multa effundat inconſultè largiendo. Cæterùm miſer ille Princeps nullum ſui deſiderium reliquit. Triſte id quidem, quod Gregorius ſcripto mandavit ad erudiendos Reges, ne faſtigio ſuo ſuperbiant: *Chilpericus nullum unquam penè dilexit, à nullo dilectus eſt, ideòque cùm ſpiritum exhalaſſet, omnes eum reliquerunt ſui. Mallulfus autem Silvanectenſis Epiſcopus, qui jam tertiâ die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, ut eum interemptum audivit, advenit; ablutumque veſtimentis melioribus induit. Nocte in hymnis deductâ, in navi levavit, & in Baſilica S. Vincentii, quæ eſt Pariſiis, ſepelivit, Fredegunda Regina in Eccleſia derelicta.* Solitâ Annalium Francicorum perturbatione Baronius annum Chilperico ſupremum illum eſſe ſtatuit, qui Æræ Chriſtianæ DLXXXVII. numeratur. Chilperico ſucceſſit *Clotharius*, qui tum quadrimeſtris erat.

Greg. l. 6. c. 46.

Acta Fredegundis viri poſt obitum. Gunthrami implorat auxilium. Brunichildi mortem molitur.

IX. Morte viri ſui ſtupefactâ Fredegundis, ſuperbiam momento exuit ſuam. *Cum theſauris, quos in oppido habuit, ad Eccleſiam confugit*, Ragnemodi Antiſtitis uſa præſidio.

Greg. l. 6. c. 6. & c.

Aſylo tamen ſuo inverecundè utebatur. Adhùc in Eccleſia verſabatur, cùm *Leonardus*, ex domeſticis unus, Tholoſâ profectus, quantum contumeliæ Riguntis paſſa fuerat, exponit. Ad hæc furore percita, nudatum baltheo veſtibuſque diſcedere confeſtim jubet. Coquos, piſtores, & quoſcunque ex comitatu Riguntis redierant, ſpoliat, cædit, manibus truncat. Porrò optimis uſa conſiliis Legatos Gunthramo mittit, nunciatum & filiolum in ejus ſinu ſuum collocare, & defuncti regnum ejus poteſtati ſubjicere. His auditis Gunthramus pro pietate ſua ſtatim Lutetiam petit, fraterno funere prius lachrymis decorato. Venienti Childebertus, quem Pariſienſes in urbem admittere ſuam noluerant, Legatos miſit, rogatum ut in pactis mutuis ambo manerent. Quibus Rex violata ipſorum conſilio fœdera exprobrat, nec immeritò; negat etiam petentibus, regni facultatumque Chereberti partem ſe ullam eſſe conceſſurum. Rurſus nova à Childeberto legatio mittitur, quæ Gunthramo hæc referret: Fredegundem *redde homicidam, quæ amitam meam ſugillavit, quæ patrem interfecit, & patruum, quæ ipſos quoque conſobrinos meos gladio interemit.* Neque id Childebertus impetravit à Gunthramo, qui Fredegundem patrocinio ſuo defendebat. Non benignum modò in Reginam, verùm etiam juſtum erga omnes ſe præbuit, reddens dominis ſuis facultates, quas Chilperici miniſtri injuriâ abſtulerant, teſtamentaque, quibus Eccleſiæ hæres inſtituebatur, rata faciens. Labebatur jam October, cùm Chereberti ditionem in ſuam poteſtatem redigere voluit. Quod urbibus multis, præcipuè Turonis pergratum fuit. Non neſciebat Rex, Fredegundam Pariſienſibus odio eſſe. Eam igitur *ad villam Rhotoialenſem*, Gallis *Rueil*, *quæ in Rhotomagenſi territorio ſita eſt*, abire jubet. Hîc mulier ambitione tumens, fortunam lugere ſuam, amiſſam magna ex parte poteſtatem flere, Brunichildi mortem moliri. Clericum igitur ſibi familiarem mittit, qui facinus perpetraret. Fingit perfidus Fredegundis furori elapſum, ſe Brunichildis opem implorare; omnibus obſequentem, omnibus æquum Reginæ quoque ſe familiarem præbet. Intellecto ſcelerati conſilio, vinctus cæſuſque ad dominam redire permiſſus eſt. Qui quòd imperatam cædem perpetrare non valuiſſet, ab ea crudeli ſupplicio afficitur: *Manuum ac pedum abſciſſione mulctatur.*

Greg. l. 7. c. 15.

Gregor. l. 7. c. 20.

Gundobaldus Rex Francorum creatur: ejus hiſtoria.

X. Intereà gravi caſu res Galliæ turbantur, quem noſtris in Annalibus deſiderari nolumus: *Gundobaldus* in Gallia natus, *ut Regum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis*, Childeberto Clotharii fratri à matre ejus oblatus, his etiam verbis commendatus erat: *Ecce nepotem tuum Clotharii Regis filium.* Vix dubitamus, quin Clotharii ex adulterio ſatus eſſet. Hoc fama vulgabat, neque Radegundi Reginæ, & Ingetrudæ ignorabatur, quarum ad teſtimonium Gundobaldus provocabat. Liberorum expers Childebertus, puerum quidem benignè exceptum foverat. Quo intellecto, Clotharius annuente fratre Gundobaldum acceſſitum ivit. Cui comam tondere juſſit, negans à ſe genitum. Defuncto Clothario Gundobaldus à Chereberto ſuſceptus, regiorum more puerorum comam iterum aluit. At Sigebertus longos juveni capillos reſecari jubet, quâ ignominiâ ad privatam conditionem relegabatur, ut à regio ſanguine prorſus alienus. Coloniâ Agrippinenſi, ad quam aman-

ANNO DOM. 584.

amandatus fuerat, elapſus Gundobaldus, ad Narſetem Italiæ Præfectum confugiens, acceptâ uxore, filios ex ea procreat. Egreſſus dein Italiâ, Narſetis, ut fert conjectura, poſt obitum Conſtantinopolim conceſſit. Dum ibi moratur, à Boſone conventus, quo loco res Francorum eſſent audiit, Chilpericum ſcilicet cum filiis, excepto puerulo periiſſe. Gunthramnum liberis orbum, Childebertum adoleſcentem eſſe. Tum Boſo Gundobaldum invitare, ut Gallias petat. Magnatibus adventum ejus gaudio futurum eſſe juramento adhibito, ſecuritatem venturo polliceri. Neque Optimatum defuere literæ, quæ Gundobaldum ex urbe regia accerſerent. Quibus fretus iter in Gallias carpens, lubenter à Theodoro Maſſilienſium Epiſcopo ſuſcipitur. Inſenſus ea de cauſa Theodoro Rex Gunthramnus, eum in carcere aſſervari præcipit anno DLXXXII. Inſulam verò petit Gundobaldus, expectans quem res finem ſortiretur. Offenſus Gunthramno Mummolus, Gundobaldi partes amplexus, eum Avenioni ſuſcipit. Ad Mummolum quoque Deſiderius acceſſit. Auditâ igitur morte Chilperici, ad regiam dignitatem Gundobaldum promovere ſtatuunt. Lemovicum ſe conferunt, indeque Brivâ Curretiâ, Gallis *Brive la Gaillarde*, petitâ, *ibi parma ſuperpoſitus Rex eſt levatus*, tertiâ tamen circuitione cecidiſſe fertur, quaſi ruituri mox Imperii omine. Gunthramnus Gundobaldi inaugurationem ubi novit, in Gunthramnum Boſonem invehitur, quaſi conſpirationis ſocium: qui purgandi ſui causâ accuſatores palam apertèque ad pugnam provocat. Silentibus cunctis Rex ad rebellionem mox extinguendam omnes hortatur: vilem repellendum hominem, *cujus pater molendina gubernavit, pectinibus inſedit, lanaſque compoſuit*. Aderant loquenti Childeberti Oratores, quos infelix legationis ſuæ ſucceſſus malè habebat. Eorum igitur unus, joco potius, ut videtur, quàm ſerio Gunthramno hæc loquitur: *Abſit à te, ô Rex, ut tam incultè loquaris: non enim auditum eſt, unum hominem præter ſpiritalem cauſam duos habere poſſe pariter genitores.* Quod dicterium multorum riſus excepit. Legatorum alius longè aſperius in Regem invehitur. Minatur ſecurim, quo fratres ipſius perierant, in ipſius caput eſſe caſuram. Quam Gunthramnus audaciam indignatus, equorum ſtercora, fœnum putridum, urbiſque lutum recedentium Legatorum in capita projici jubet.

Gregor. l. 7. c. 36.

Gregor. l. 5. c. 24.

Greg. l. 7. c. 34.

Andeca Gallæciæ regnum uſurpat. Unde à Leovigildo ejicitur.

XI. Dum hæc in Gallia geruntur, nobilem noſtris Annalibus materiam Hiſpania præbet. Defuncto Mironi Suevorum Regi filius ſucceſſerat *Eboricus*, qui cum Levigildo fœdus inierat. Sororem Eborici deſponſaverat *Andeca*, qui Gallæciæ ſceptro inhians, collecto exercitu ejectum throno Principem ſuum includit Monaſterio. Quam Biclarienſis hiſtoriam paucis narrat: *Andeca in Gallæcia Suevorum regnum cum tyrannide aſſumit: & Siſeguntiam relictam Mironis Regis in conjugium accepit. Eboricum regno privat, & Monaſterii Monachum facit.* Uſurpato perfidè regno diu Andeca non potitur, quo armis Leovigildi anno proximè futuro ſpoliatur. Victo tamen vita relinquitur, coronâ regiâ in Clericalem mutatâ. Brevis umbratiliſque regni hiſtoriam ſic refert Biclarienſe Chronicum: *Leovigildus Rex Gallæcias vaſtat. Andecanim Regem comprehenſum regno privat. Suevorum gentem, theſaurum, & patriam ſuam in poteſtatem redigit, & Gothorum Provinciam facit. Andeca verò regno privatus tondetur, & honore Presbyteri poſt regnum honoratur. Non dubium, quod in Eborico Regis filio Rege ſuo fecerat, patitur; & exilio Pacenſi urbe relegatur. Malaricus in Gallæcia tyrannidem aſſumens, quaſi regnare vult, qui ſtatim à Ducibus Leovigildi oppreſſus comprehenditur, & Leovigildo vinctus præſentatur.* Hæc anno DLXXXV. geſta uno tenore recitavimus, ut Andecæ & crimen, & pœna ſimul exhiberentur. Sic Suevorum in Hiſpania regnum extinguitur, quod narrante Iſidoro, *manſit annis centum viginti ſex*. Leovigildi verò Principatus novo regno creſcit.

ANNO DOM. 584.

Hiſpali Leovigildus potitur. Hermenigildum relegat.

XII. Glorioſi compluribus victoriis regni poſſeſſio, quam Leovigildo lætitiam afferebat, rebellio Hermenigildi deflorabat. Incluſus Hiſpali obſidebatur, cùm pater ejus ut civitati detrimentum afferret, *muros Italicæ antiquæ civitatis reſtaurat. Quæ res maximum impedimentum Hiſpalenſi populo exhibuit.* Illuxit tandem dies, quo rebellionis ſuæ pœnas ſubire debuit. Summatim hæc Biclarienſis refert: *Leovigildus Rex filio Hermenigildo ad Rempublicam commigrante, Hiſpalim pugnando ingreditur. Civitates & caſtella, quas filius occupaverat, cepit, & non multò pòſt memoratum filium in Cordubenſi urbe comprehendit, & regno privatum in exilium Valentiam mittit.* Fuſius miſerandi Principis caſum Gregorius exequitur, cujus tamen narrationi Biclarienſe Chronicum meritò anteponimus. Græcorum auxilio fretum Hermenigildum, patri occurriſſe tradit. Corruptum verò Imperatoris Præfectum, qui triginta ſolidorum millia à Rege acceperat, à Hermenigildo diſceſſiſſe. Eâ defectione territum Hermenigildum ad proximam Eccleſiam confugiſſe: patri dixiſſe, *Non veniat ſuper me pater meus; nefas enim eſt, aut patrem à filio, aut filium a patre interfici.* Recaredum ad ſupplicem miſſum eſſe, qui fratri dat conſilium, ut paternis genibus precabundus advolveretur. Orantem oſculo exceptum ad caſtra ductum eſſe. Patrem verò juramenti immemorem, filium regiis veſtibus exutum, vilibus induiſſe, ſicque cum uno ſolo puerulo in exilium truſiſſe. Quantum ex Biclarienſi conjectura licet aſſequi, victus circa Hiſpalim Hermenigildus, dum fugâ dilapſus, Cordubæ verſatur, captus Valentiam relegatur. Cæterùm ferenda non eſt Baronii temeritas, qui Gregorio falſi dicam ſcribit, narranti exilium eſſe Hermenigildo imperatum: *Verùm*, inquit, *non in exilium, ſed in carcerem fuiſſe detruſum, omnes affirmant.* Hem omnes affirmant! Atqui Joannes Biclarienſis, quo teſte nullus magis idoneus reperiri poteſt, expreſſis verbis docet, Hermenigildum in *exilium* ejectum eſſe. Verùm carcer fingendus erat, ut ex rebelli Hermenigildus in Martyrem mutaretur.

Gregor. l. 5. c. 38.

Error Baronii.

Bar. An. 584. n. 4.

Mors Hermenigildi. Martyrne fuerit?

XIII. Ut miſerandi juvenis hiſtoriam abſolvamus, anno non labente, ut Baronius ſcribit, ſed proximè lapſuro mortem invenit, quam paucis retulit Biclarienſis: *Hermenigildus in urbe Terraconenſi à Siſberto interficitur.* Cum Valentiam relegatus fuiſſet Hermenigildus, exilio uti videtur elapſus, Terracone petitâ, à Siſberto mactatus eſt. Non Biclarienſe Chronicum modò, ſed Gregorius quoque Turonenſis anno 585. Hermenigildi obitum affixit: *Leovigildus Hermenigildum filium ſuum morti tradit.* Hæc habet Gregorius ad annum Childeberti decimum, qui Æræ noſtræ 585. reſpondet. Gregorianam

Greg. l. 8. c. 28.

 Chro-

Anno Dom. 584.

Chronologiam atro carbone Baronius notat in Martyrologio ad 13. Aprilis: *Miror admodum hominem in his, quæ ſuis temporibus facta ſunt, erraſſe.* At nos Baronium magis miramur, quem latuit decimum Childeberti annum in Chriſti 585. incidiſſe. Porrò Gregorio Magno noris Hermenigildi obitum pigmentis illuſtrare placuit. Cum fortiſſimi juvenis mentem nec minis, nec promiſſis à fide Orthodoxa Leovigildus dimovere poſſet, *in arctam illam cuſtodiam includens, collum manuſque ejus ferro ligavit. Cæpit itaque idem Hermenigildus Rex juvenis terrenum regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærens, in cilicio vinculatus jacens, omnipotenti Deo ad confortandum ſe preces effundere, tantòque ſublimius gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quantò & relegatus agnoverat nihil fuiſſe, quod potuerit auferri. Superveniente autem Paſchalis feſtivitatis die, intempeſta noctis ſilentio ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, ut ex ejus manu, ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, ac per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit, quia etſi exterius jacebat ligatus, apud ſe tamen in magno mentis culmine ſtabat ſecurus. Ad ſe itaque reverſo Epiſcopo, Arianus pater infremuit, ſtatimque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum Confeſſorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent; quod & factum eſt. Nam mox ut ingreſſi ſunt, ſecurim cerebro ejus infigentes, vitam abſtulerunt.* Addit Gregorius miracula, tanto ſanè martyrio digna: *Cæpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus* ad defuncti *corpus audiri. Ferunt etiam, quòd illic nocturno tempore accenſæ lampades apparebant.* Hermenigildi memoria in ſacris Faſtis Aprilis XIII. recolitur. Quod ſanè mirum eſt, cùm anno DLXXXV. quo Hermenigildus periit, feſtum Paſchatis Martii XXVI. cohæreret, quia Cyclus Solis 6. G. currente autem anno Aprilis nono Paſchatis feſtum fuerit agitatum. Cæterùm Gregorianam patulis faucibus traditionem hauſere Martyrologiorum conditores Uſuardus, Ado, & alii. Hermenigildum tamen Martyribus apponere nec poſſumus, nec debemus. Fictis ſanè narrationibus credulas Gregorii aures deceptas eſſe, teſtes ſunt Joannes Biclarienſis & Gregorius Turonenſis, in quibus altum de Hermenigildi martyrio ſilentium: *Hermenigildus interficitur.* Quàm frigidè, quàm jejunè, ſi Martyr occubuit? Siccine Regii Martyris conſtantiam, miracula egregium pro fide certamen nobilitantia, cantus & pſalmodias, cæleſtes lampades, Martyris exequias cohoneſtantes præteriiſſent: *Hermenigildus morti traditur.* Quis unquam Chriſtianus Scriptor noti ſibi Martyris obitum eo modo retulit. Profectò ſi Martyrem ſciviſſent Hermenigildum Gregorius & Biclarienſis, infamibus eum titulis haud oneraſſent. Joanni Biclarienſi *tyrannus* audit, *rebelliſque filius.* Quid etiam Gregorianis verbis potentius ad expungendum Martyrum Catalogo Hermenigildum? *Neſciens miſer judicium ſibi imminere divinum, qui contra genitorem, quamlibet Hæreticum, talia cogitaret.* Egregium verò Martyrem! Denique de Leovigildi in Orthodoxos ſævitia, quos vel metu in Arianorum peſtilentiam impulit, vel auro illectos decepit, multa narrat Iſidorus in Chronico, Æra DCVIII. Si Hermenigildum Martyribus appoſuiſſet, de ejus pro fide certamine ſilentium egiſſe, quis credat? Quæ vel in laudem defuncti, vel in Leovigildi vituperationem felicior materia? Porrò Hermenigildi percuſſor meritam ultionem non effugit, utpote qui anno 586. miſerè periit, regnante jam Leovigildi poſt obitum Recaredo: *Subertus interfector Hermenigildi morte turpiſſimâ perimitur.* Quibus forte Biclarienſis innuit, privatis potius Suberti odiis, quàm regio Leovigildi mandato Hermenigildum mortem inveniſſe, licet diverſa rumor vulgarit.

Gregor. Dial. l. 3. c. 31.

Gregor. l. 6. c. 43.

Anno Dom. 584.

XIV. Ex morte Hermenigildi commodius eſt ad res Eccleſiæ tranſitus. Exilii finem Prætextato Rothomagenſi Epiſcopo Chilperici cædes attulit. Oppidi cives illicò Paſtorem ſibi dilectiſſimum repetunt, atque ex Inſula Cæſorea revocatum, cum lætitia laudibus Eccleſiæ ſuæ reſtituunt. Vix redierat, cùm Pariſios petit, Gunthramum rogaturus, ut cauſa ſua retractaretur. Supplici ſummâ vi Fredegundis adverſabatur, negans eum debere recipi, *qui fuiſſet per judicium quadraginta quinque Epiſcoporum, a Sacerdotali officio ſegregatus.* Jam Regi conſilium erat, Synodum ea de quæſtione indicere, cùm *Ragnemodus* Pariſienſium Epiſcopus ait, Concilio non opus eſſe. Pœnitentiam quippe Prætextato injunctam fuiſſe, non muneris abdicationem: *Et ſic a Rege ſuſceptus, atque convivio ejus aſcitus ad urbem ſuam regreſſus eſt.* Reduci ſtatus quidem quietis & lætitiæ pleniſſimus fore videbatur, in eo tamen maximæ moles moleſtiarum & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt, quibus anno 586. obrutus eſt. Rem uno tenore narrabimus, ut partes hiſtoriæ magis cohæreant. Ultioni ſuæ ſerviens Regina, quàm moleſtiſſimè ferebat, Prætextatum Sedi ſuæ reſtitutum eſſe. Commutaverant inter ſeſe verba. Fredegundis dixerat, *Venturum eſſe tempus, quando exilia, in quibus detentus erat, reviſeret.* Ille verò: *Ego ſemper & in exilio, & extra exilium Epiſcopus fui, ſum, & ero: nam tu non ſemper regali potentiâ perfrueris. Nos ab exilio provehimur tribuente Deo in regnum; tu verò ab hoc regno demergeris in abyſſum.* Non tulit hæc furiata mente Regina, extemplòque mortem Prætextato machinatur. Die Paſchatis, quæ in XIV. Aprilis incidebat, Antiſtes ad officia peragenda citius Eccleſiam ingreſſus, percuſſorem invenit: *Cùm inter pſallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui Epiſcopum ſuper formulam quieſcentem, extracto balthei cultro ſub aſcella percutit.* Ex tot Clericis, qui tum aderant, nullus eduſit auxilio: *At ille plenas ſanguine manus ſuper altarium extendens, orationem fundens, & Deo gratias agens, in cubiculum ſuum inter manus Fidelium deportatus, & in ſuum lectulum collocatus eſt.* Accedit Fredegundis, dolorem vultu ſimulans, optat percuſſorem indicari, ut meritas ſuo ſanguine pœnas luat. Non moribundum latebant Reginæ doli. Regeris loquenti: *Et quis hæc fecit, niſi is, qui Reges interimit, qui ſæpius ſanguinem innocentem effudit?* Illa Medicos vulnerato offert, qui arte ſuâ remedium afferre poſſent. At ille morti propior, blandienti minatur: *Tu, quæ his ſceleribus princeps inventa es, eris maledicta in ſeculo, & erit Deus ultor ſanguinis mei de capite tuo.* Nec multò pòſt rebus ordinatis animam reddidit. De oblato morienti Euchariſtiæ viatico nil eſt in Gregorio veſtigii, ut in Mabillonianis Analectis legitur. Ad defunctum ſepeliendum *Romacharius* Conſtantienſis advenit Epiſcopus. Defuncti funus Rothomagenſes per-

Prætextatus exilio revocatur: ejus hiſtoria.

Gregor. l. 7. c. 26.

Anno Dom. 584.

perfudere lachrymis, quibus conſumptis, tamen infixus animis dolor diu hæſit. Quin etiam de Senioribus unus ad Fredegundem accedens, horribilia ei minatur: nonciat & ſe, & Seniores omnes fuſi tam impiè ſanguinis ultores futuros eſſe. Diſcedentem rogat Fredegundis, ut convivio ſuo accumbat. Id negantem rogat, ſaltem vini poculum hauriat, ne regiam jejunus exeat. Vinum abſynthio & melle temperatum, cui virus infuſum erat, abeunti præbetur. Quo hauſto, vim veneni in viſceribus furentem ſentiens, ſociis dicit, *Fugite, miſeri, fugite malum hoc, ne mecum pariter pereamini.* Ac ſubitò captus oculis cum equo ad tertium à civitate ſtadium perveniſſet, extinguitur. Intereà Leudaſtes Præſul acceptis ab Antiſtitibus literis, eorum conſilio Eccleſias Rothomagenſes clauſit, donec autor ſceleris in Prætextatum admiſſi reperiretur. Nonnullos pœnis ſubjicit, ex quibus extorquet, Fredegundis conſilio ea perpetrata fuiſſe. Nunciantur hæc Gunthramo, qui tres Epiſcopos *Clothane* miſit, *Arthemium* Senonicum, *Veranum* Cabillonenſem, *Agrœcium* Tricaſſinum, ut regii puerili educatores ſceleris autorem ad Gunthramum adducerent. Qui teſtantur, indignum facinus ſibi diſplicere; negant verò reum deprehenſum ſe miſſuros eſſe, quem regiâ autoritate ipſimet ulciſci poſſint. Neque ullis minis id impetrare Legati valuerunt. Diſcedentes igitur obſecrant, ſaltem ne Melantius, qui *Prætextato* ſuff. ctus erat, in Eccleſia, quæ cruore Præſulis infecta fuerat, Sacerdotali unquam officio fungeretur. Prætextati memoria in

Greg. l. 8. c. 31.

ſacris Eccleſiæ tabulis Februarii XXIV. recolitur: *Rothomagi Paſſio S. Prætextati Epiſcopi & Martyris.* Pro fide tamen mactatus non fuit, neque moriens verba dixit Martyri conſentanea; ſed nec Februario, verùm Aprili menſe periit. Anno Childeberti XI. qui Æræ noſtræ DLXXXVI. eſt, Prætextati percuſſor permittente Deo deprehenſus, meritis ſuppliciis ſubjicitur. Ut Fredegundis ſceleris, cujus accuſabatur, infamiam à ſe depelleret, unum ex miniſtris ſuis cædi jubet, qui vulgaverat ipſius conſiliis, Præſuli vitam ademptam eſſe. Cæſum dein defuncti nepoti cruciandum tradit, qui in tormentis hæc fatetur: *A Regina Fredegunde centum ſolidos accepi, ut hoc facerem: à Melantio verò Epiſcopo quinquaginta: & ab Archidiacono civitatis alios quinquaginta; inſuper & promiſſum habui, ut ingenuus fierem, ſicut & uxor mea.* Quibus auditis, furore correptus Prætextati conſanguineus, nudato gladio,

Greg. l. 5. c. 41.

Error Baronii.

ſubinde *reum in fruſta concidit.* Baronius triennii metachroniſmo Prætextati cædem anno DLXXXIX. alligavit. Atqui annus Childeberti XI. quo iræ Fredegundis Prætextatus immolatus eſt, in annum Dom. DLXXXVI. incidit.

Promotus Epiſcopatu motus fruſtra reſtitutionem petit.

XV. Anno DLXXIII. Synodus Pariſienſis rogante *Pappulo* Carnotenſi Præſule, *Promotum* Presbyterum, quem Ægidius Rhemenſis inauguratum Dunenſi Parochiæ Epiſcopum præfecerat, eâ dignitate exuerat. Epiſtolam quoque Sigeberto Epiſcopi miſerant, ne præſidio ſuo Canonum violatorem cingeret. Synodi tamen autoritas apud Regem non multum valuit. Itaque quàmdiu Sigebertus vixit, Præſulis munus Promotus retinuit, ut indicant verba Gregorii: *Promotus, qui in Dunenſi caſtro ordinante Sigeberto Rege Epiſcopus fuerat inſtitutus, & poſt mortem Regis amotus fuerat, eò quòd caſtrum illud eſſet Diœceſi Carnotena.* Spoliatus ergo Epiſcopali dignitate Promotus novennio vixerat, cùm mutatis Chilperici obitu rebus fortunam quoque mutari ſuam poſſe credidit. Itaque Gunthramum rogat, ut muneri ſuo reſtitueretur, quod non impetravit: Promotus, *contra quem ita judicium latum fuerat, ut Presbyterii tantùm officio fungeretur, acceſſit ad Regem: deprecans ut ordinationem Epiſcopatus in ante dicto caſtro reciperet. Sed obſiſtente Pappolo Carnotenæ urbis Epiſcopo, ac dicente, quia Diœceſis mea eſt, oſtendente præſertim judicio Epiſcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum Rege, niſi ea, quæ ſub ipſius caſtri termino propria habere reciperet, in qua cum genitrice adhuc ſuperſtite moraretur.*

Gregor. l. 7. c. 17.

Synodus Valentina.

XVI. Gunthrami pietas multa Eccleſiis contulerat. Quas donationes ut autoritate quoque Synodorum corroboraret, Concilium apud Valentiam cogi voluit. Conſtat, habitam eſſe *decimo Kal.* ſive *Junii*, ſive *Julii anno* XXIII. *regni glorioſiſſimi Regis* Gunthrami. Itaque totâ errat

Error Baronii.

viâ Baronius, qui anno DLXXXIX. eam Synodum aſſignat ob Chronologiam Regum Francorum perperàm conſtitutam. Conſtabat Synodus

Bar. An. 589. n. 1.

Epiſcopis XVII. quorum caput *Sapaudus* Arelatenſis Antiſtes; *Priſcus* Lugdunenſis, *Evantius* Viennenſis, *Iſicius* Gratianopolitanus, *Ragnoaldus* Valentinienſis, *Trapidius* Arauſicanus, *Euſebius* Matiſcenſis, *Flavius* Cabillonenſis, *Pappus* Aptenſis, *Urbicus* Regenſis, *Arridius* Vappincenſis, *Artemius* Vaſenſis, *Martianus* Tarantaſienſis, *Pologronius* Sigelbaricenſis, *Euſebius* Tricaſſinenſis, *Cariatto* Genavenſis, *Boetius* Carpentorienſis interfuere. Conſtitutionem edidere ad ea firmanda, quæ tam Rex, quàm uxor ejus, aut filiæ Eccleſiis donaverant. Loquentes ſuis verbis Patres audire non erit injucundum: *Cùm*

Lab. Conc. t. 5. 976.

in urbe Valentina juxta imperium glorioſiſſimi Gunthramni Regis noſtra mediocritas pro diverſis pauperum querimoniis conveniſſet, id primo amore Dei decrevimus ſanciendum, quod pro ſalute Regis, & animæ ſuæ ſalvatione, vel religionis ſtatu cenſuimus opportunum. Id eſt, ut quia prædictus Rex per virum illuſtrem Aſclepiodorum Referendarium, datis ad ſanctam Synodum Epiſtolis ſuis injunxit, ut quodcunque tam ipſe, quàm bonæ memoriæ jugalis ſua Auſtrechildis Regina, vel filiæ eorum Deo ſacratæ puellæ, id eſt, bonæ memoriæ Chlodebergis, vel Chlodehildis Locis Sanctis contuliſſent, aut adhùc conferre decreverint, autoritate Apoſtolicâ deberet ſancta Synodus præſentis titulo manuum ſuarum ſubſcriptione firmare. Et quia tam laudabilis devotionis non ſolùm Sacerdotalem, ſed etiam divinam credimus poſſe conniventiam conſpirare; idcircò præſenti conſtitutione unanimi conſenſu, Deo medio, Synodus ſancta decrevit, ut ſi quid Baſilicæ ſancti Symphoriani, vel quibuſcunque locis, vel ſervientibus Deo per quaſcunque autoritates, vel Scripturarum Epiſtolas, præfatus dominus Rex, vel ſuprà nuncupata jugalis ſua, & filiæ eorum, ſive in miniſterio altariorum, ſive in quibuſcunque ſpeciebus, quæ ad divinum cultum pertinere noſcuntur, contuliſſe, vel adhùc conferre voluerint, neque Epiſcopi locorum, neque poteſtas regia quocunque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quidquam minorare aut auferre præſumat. Quòd ſi quis quocunque tempore temerare aut auferre præſumpſerit, veluti necator pauperum anathemate perpetui judicii divini plectatur.

Pelagius Papa auxilium adverſus Longobardos petit: revocat Maximianum.

XVII. Excurſionibus Longobardorum cùm urbs Romana extra modum vexaretur, Pelagius Mauritii auxilium ſibi implorandum eſſe

 ducit.

Anno Dom. 584.

ducit. Ad Gregorium igitur, qui in urbe Regia Apocriſiarii munere fungebatur, Honoratum Notarium cum Sebaſtiano Epiſcopo mittit. Ad eam provinciam adminiſtrandam *Sebaſtianus* maxime erat idoneus, utpote qui Ravennæ cum *Decio Patritio* verſatus erat. Quantis verò anguſtiis Langobardicâ Clerus Romanus perfidiâ premeretur, his Pelagius verbis indicatum ivit: *Tanta calamitates ac tribulationes nobis à perfidia Longobardorum illata ſunt, contra ſuum proprium jusjurandum, ut nullus poſſit ad referendum ſufficere.* Gregorianam ergo diligentiam accendit, ut Imperator vel *unum Magiſtrum Militum, & unum Ducem* omni præſidio deſtitutis concedat, cùm Exarchus nil remedii afferre queat. Monet etiam, ut Presbyterum *Maximianum* remittat: *Quia*, inquit, *& in Monaſterio tuo, & in opere, cui eum præpoſuimus, neceſſarius eſſe omninò cognoſcitur. Data IV. Nonas Octobr. Indictione III.* Mandatis Pelagii obſecutus Gregorius, Maximiano reditum imperat, de quo id commemorare non eſt ſupervacaneum. Vehementi procellâ Maximianus in mari Adriatico corripitur: membra ratis jam quaſſata erant, arbor abſciſſa, vela in undis projecta, *ut non tam navis intra undas, quam unda jam intra navem eſſe videretur.* Conſternati vectores nil niſi triſte naufragium coram oculis habebant, *cùm turbati omnes ſibimet pacem dederunt, corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes.* Periclitantibus Numinis adeſt auxilium: *Nam diebus octo navis eadem uſque ad ſuperiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatavit: nono autem die in Cotbronenſis caſtri portum deducta eſt, ex qua exierunt omnes incolumes.* Vix egreſſi fuerant, cum Deo retrahente manu, quâ navem tot hominum pondere onuſtam ſuſtinuerat, navis illicò mergitur.

Gregor. Dial. l. 3. c. 36.

Anno Dom. 585.

Anno U. C. 1338. Olymp. 341. Per. Jul. 5298. Jul. 630. Dom. 585. Mauricii 3. 4. Childebert. 10. *Sol.* 6. G. *Lun.* 16. *Indict.* 3. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *Mart.*

Poſt Conſulatum Mauritii.

Gundobaldus ſuæ ditioni civitates nonnullas ſubjicit. Legatos Gunthramo mittit.

I. Ad regiam dignitatem evectus Gundobaldus ſucceſſus ſuos urgebat. Encoliſmenſes in ejus verba jurant. *Petrogoricum* fruſtra tentatum cùm reliquiſſet, Tholoſam accedit. Quæ impar reſiſtendi venientem invito Epiſcopo ſuſcipit. Dum Magnulfus Præſul atque Gundobaldus menſæ accumbunt, motâ inter utrumque diſputatione Mummolus colaphum infringit Epiſcopo. Deſiderius quoque cognitâ contumeliâ, cæſum pugnis & calcibus Magnulfum, ac fune vinctum in exilium ejicit. Inde Burdegalam tendit Gundobaldus, cui Legatos cum *virgis conſecratis*, ne eorum dignitas ab ullo violaretur, Gunthramo mitti placuit. Admiſſi debitam filio Clotharii regni partem à Rege petunt, ſecus bellum ei minantur. Quibus dictis accenſus Gunthramus, tormentis Legatos ſubjicit, à quibus extorquet, à Childeberti Optimatibus Gundobaldum Regem expeti. Tum Gunthramus accerſito Childeberto, haſtam porrigens ſuam, dixit, *Hoc eſt ſignum, quòd tibi omne regnum meum tradidi.* Eum ſubinde monet, de retinendis, aut pellendis miniſtris: inſtructoque convivio Proceres hortatur, ne juventutem Regis ſui contemptui habeant.

Greg. l. 7. c. 33.

Anno Dom. 585.

Gundobaldus Convenis obſidetur: proditus occiditur: urbs deletur. Mummolus interficitur.

II. Intereà Gundobaldus Sagittario Epiſcopo, Mummolo, Biadaſte, Wadoneque comitatus, Convenas petit, ſuperata Garumnâ. Oppidum ingreſſus, ineunte Quadrageſimâ cives hortatur annonam inferre urbi: quo facto, venientibus Gunthrami copiis occurrere eos hortatur. Quibus dictis cùm morem geſſiſſent, portis occluſis plebem civitate excludunt. Advenit tandem Gunthrami exercitus, qui Convenas obſidione cingit. Ex militibus multi non telis modo, ſed convitia quoque in Gundobaldum torquebant: *Tune es pictor ille, qui tempore Clotharii Regis per Oratoria, parietes, atque cameras caraxabas? Tune es ille, quem Ballomerem nomine ſæpius Galliarum incolæ vocitabant?* Ballomer Francorum linguâ *falſum Principem* ſonat; *Ball* enim *falſum* ſignificat, docente Cangio. Dicteriis ejuſmodi Gundobaldus vinci non poterat, qui fortiſſimam hoſtibus defenſionem opponebat. Urbs montis cacumini inſidebat: *Fons magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutiſſimâ præſidio erat.* Obſeſſi viriliter ſeſe tuebantur, jam itaque obſidionis quintus & decimus dies labebatur, cùm Leudegiſilus expugnando oppido machinas admovet. Verùm & lapidum, & cuparum, pice adipeque repletarum, jactu impetus militum frangebatur. Præcipue *Sagittarius* Epiſcopus lapidibus obſidentes petebat. Sequente luce faſcibus vallem complere profundiſſimam cùm fuſtra tentaſſent, ad dolos ſe convertunt. Clam Mummolo nuncios dirigunt, qui eum moneant uxorem jam in carcere recondi, mortem filiis ejus imminere: dominum potius agnoſcat ſuum, relictis ignoti hominis partibus. Quibus permotus Mummolus, cum Sagittario, Chariulfo, atque Vaddone ad Eccleſiam pergit: hîc mutuò ſibi pollicentur, hoſtibus Gundobaldum ſe tradituros, ſi vita ſibi concedatur. Quæ cùm faciles Legati promiſiſſent, convento Gundobaldo conſilium dat Mummolus. Adeat Gunthramum, cujus aſpectum ſæpius deſideravit. Regi in optatis eſſe, quòd de regio ſanguine pauci nunc ſupereſſent. Intellectis dolis in verba hæc perfuſus lachrymis erumpit: *Invitatione veſtrâ in has Gallias ſum delatus. Theſaurorum verò meorum, in quibus immenſum pondus argenti continetur & auri, ac diverſarum ſpecierum aliquid in Avennica urbe retinetur, aliquid Guntramnus Boſo diripuit. Ego verò juxta Dei auxilium, ſpe omni in vobis poſitâ, vobis conſilium meum credidi. Nunc cum Deo vobis ſit actio, ſi quid mihi mendacii dixeritis: ipſe enim judicet meam cauſam.* Ab Ollone Biturigum Comite, & Boſone ſuſceptus, ſenſit miſer ſe proditum eſſe. Itaque converſis ad Deum oculis, ei ſeſe, reſque ſuas commendat, fronteque ſigno crucis munitâ procedit. Tum Ollo in præcipitium ipſum impellit cum ludibriis: *En vobis Ballomerem veſtrum, qui ſe Regis & fratrem dicit & filium.* Illicò etiam emittit haſtam, quâ transfigeretur, at corpus tegente loricâ vis ferri nil nocuit. Nitebatur adhùc Gundobaldus in montem aſcendere, cùm jactu lapidis à Boſone oppreſſus interiit. Tum milites in cadaver involantes, illud per caſtra trahunt, barbam ei crineſque evellunt, inſepultumque in locum, ubi perierat, projiciunt. Octâ luce immiſſi in oppidum milites gladios civium omnium in pectora infigunt. Presbyteros cum Diaconis ad ipſa Eccleſiarum altaria trucidant: Eccleſias domoſque ſubjecto igne in cineres redigunt. Reſtabat aliud nihil, quàm ut Mummoli Sagittariique,

qui

ANNO DOM. 585.

qui Gundobaldum prodiderant, perfidia plecteretur. A Gunthramo Leudegiſilus mandatum acceperat, ut nulli parceret. Accinctus igitur armis Mummolus cùm ad Leudegiſilum acceſſiſſet, Ecquid, ait, *quaſi fugiens venis?* Cui ille, Promiſſa fides non ſervatur. Tentorium cùm exiiſſet Leudegeſilus, ſpecie componendi omnia fortiter dimicando, Mummolus duabus haſtis latera percuſſus occubuit. Periit & Sagittarius, qui dum obtecto, ne agnoſceretur, capite fugit, *extracto quidam gladio, caput ejus cum cucullo decidit.* Mummoli uxor ubi novit virum periiſſe, ejus theſauros Gunthramo indicat, Avenioni reconditos: *Ferunt autem, ducenta & quinquaginta talenta argenti fuiſſe; auri verò amplius quam triginta.* Quorum partem Rex Childeberto miſit, ſuam verò pauperibus largitus eſt.

Greg. l. 7. c. 39.

Greg. l. 7. c. 30.

Gunthramus exercitum in Septimaniam mittit infelici ſucceſſu.

III. Extincto eo bello aliud exoritur. Audiit Gunthramus, Hermenigildum labente anno à parente ſuo interfectum, *Indegundemque* Imperatoris in exercitu ab Hermenigildo relictam, dum ad Mauritium cum puerulo ſuo ducitur, in Africa defunctam, ſepultam eſſe. In Sicilia diem ultimum clauſiſſe tradit Warnefridus. Addit, Indegundi filium, Mauritio Conſtantinopolim tranſmiſſum eſſe. Fatis Indegundis Rex ad iram commotus, exercitum in Septimaniam mittit, ut eam ditioni ſuæ ſubjiceret. At milites vel in Regis ſui Provinciis homicidia perpetrant, domos incendunt, Eccleſias prædantur, Clericorum ſanguine aras imbuunt. Hi cladis potius, quàm victoriæ apparatus erant. Itaque infeliciſſima ea expeditio fuit. Apud Carcaſonam *Terentiolus*, olim Lemovicenſis Comes, *lapide de muro projecto percuſſus occubuit. Sed & Gothi per occultas inſidias multis de his ſpoliatis interemerunt,* Quin etiam Franci ſuo ſe gladio jugularunt. Provinciæ quippe ſegetes ſuis ignibus ſuccenſerant. Meritâ itaque inediâ pereuntes ſuis cadaveribus vias ſternebant: pleriqne ſeditionibus periere, quæ pluſquam quinque millia morti miſere. Franciçæ cladis hujus gloriæ ad Recaredum redundavit, qui graſſantes repulit: *Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes, cum exercitu ingreſſi, in quorum congreſſionem Leovegildus Recaredum filium obviam mittens: & Francorum eſt ab eo exercitus repulſus, & Provincia Galliæ ab eorum infeſtatione eſt liberata.* In ea quidem expeditione Recaredi & fortuna, & virtus enituit: *Caput arietis caſtra obtinuit, & ex pago Tholoſano maximam partem depopulatus eſt, hominesque captivos abduxit. Ugernum Arelatenſe caſtrum irrupit, reſque ſanctas cum hominibus abſtulit: & ſic ſe intra muros Nemauſenſis urbis incluſit.* Expeditionis Franciçæ Duces regiam iram veriti, ſancti Symphoriani Baſilicam Martyris ingrediuntur. Gunthramus verò convocatis quatuor Epiſcopis, nec non de Laicis Optimatibus, de facinoribus ab exercitu perpetratis orationem habet, quibus meritò cladem, quam paſſus erat, tribuit, victoriam impiorum non eſſe, prudenter monens. Ducibus excuſationem verò ſuppeditavit militum petulantia, Rectorum mandata ſuperbius negligentium. Quibus auditis, Rex ſanxit: *Si quis ſequitur juſtitiam, vivat; ſi quis Legem mandatumque noſtrum reſpuit, jam pereat.* Porrò ut Francos, qui Septimaniam vaſtarant, Leovigildus ulciſceretur, naves eorum capit, nautaſque interficit. Paucis rem Gregorius ſcripto prodit: *Naves, quæ de Gallia in Gallatiam abierant ex juſſu Leovigildi Regis,*

Warnefr. l. 3. c. 21.

Greg. l. 8. c. 30.

Biclar.

Greg. l. 8. c. 30.

Greg. l. 8. c. 34.

vaſtata ſunt, res ablata, homines caſi atque interfecti, nonnulli captivi abducti ſunt.

IV. Geſta hæc Leovigildi ultima fuere, qui labente anno vitæ finem implevit, ut tam ex Biclarienſi Chronico, quàm ex Synodo Toletana liquet, anno DLXXXIX. congregata, qui Recaredi *quartus* numeratur. Fallitur itaque Gregorius Turonenſis, qui Leovigildi obitum anno DLXXXVII. alligavit, qui Childeberto XII. erat. Si qua Gregorio Magno fides, mortalium vanitatem expertus, tandem reſipuit: *Leovigildus obortâ ægritudine ad extrema perductus eſt, & Leandro Epiſcopo, quem prius vehementer afflixerat, Recaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi reliquerat, commendare curavit, ut in ipſo quoque talia faceret, qualia in fratre ejus exhortationibus feciſſet.* Plura de Leovigildi pœnitentia ſcripto mandavit Gregorius Turonenſis: *Leovigildus Rex Hiſpanorum ægrotare cœpit, ſed ut quidam aſſerunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, & obteſtans, ne huic hæreſi quiſquam reperiretur conſentaneus, in Legem Catholicam tranſiit, ac per ſeptem dies in fletu perdurans, pro his, quæ contra Deum iniquè molitus eſt, ſpiritum exhalavit.* Porrò licet exiſtimare, in traditione ejuſmodi nil ſinceri eſſe, cùm Leovigildanæ reſipiſcentiæ nil Biclarienſis prodiderit, qui Ricaredi emendationem disertè memorat. Si Leovigildo recta in Deum fides non defuiſſet, inter maximos ſanè Reges eſſet collocandus, cùm magnis facinoribus atque victoriis famam ævo ſuam commendavit. Anno regni XVII. periit. Calendis Novembris adhùc erat inter mortales, cùm Narbonenſe Concilium anno DLXXXIX. primâ die Novembris celebratum, quartum Ricaredi annum numeret.

ANNO DOM. 585.

Mors Leovigildi Regis.

Gregor. Dial. l. 3. c. 31.

Greg. l. 8. c. 46.

V. Defuncto Recaredus ſucceſſit, cujus vitæ ſummam exhibet Iſidorus, collatione patrem inter & filium inſtitutâ: *Leovigildo defuncto filius ejus Reccaredus regno eſt coronatus, cultu præditus religionis, & patris moribus longè diſſimilis. Nam ille irreligioſus, & bello promptiſſimus; hic fide pius, & pace præclarus. Ille armorum artibus gentis imperium dilatans: hic glorioſus, eandem gentem fidei trophæo inclyti erroris labe deterſa ad cultum rectæ fidei revocavit. Synodum etiam ad condemnationem Arianæ hæreſis congregavit, cui Concilio idem glorioſiſſimus Princeps interfuit, ſuâque eum præſentiâ & ſubſcriptione firmavit.* Quæ ſuis temporibus erunt dividenda.

Recaredus Leovigildo ſuccedit: ejus virtutes.

Iſid. Chr.

VI. Longobardicorum armorum ſtrepitu nunc in Italiam vocamur. Ut eâ regione Barbari pellerentur, Mauritius auri multum Childeberto miſerat, qui nedùm bellum inferret, pacem anno ſuperiore cum eis inierat. Legatis Imperatoris datam pecuniam repetentibus, Childeberto tandem promiſſi munus conficere placuit, directo in Italiam exercitu: *Sed cùm Duces inter ſe altercarentur, regreſſi ſunt ſine ulla lucri conquiſitione.* Longè ergo latèque via Longobardis ad ditionem ſuam amplificandam panditur. Sub ea itaque tempora contigere, quæ ordine confuſo ſatis à Warnefrido narrantur: *Authari Rex Brexillum civitatem, ſuper Padi marginem ſitam, expugnare aggreſſus eſt, in quam Droctulf Dux à Longobardis confugerat, ſeque partibus Imperatoris tradens, ſociatus militibus Longobardorum exercitui fortiter reſiſtebat. . . . Tandemque cum cum militibus, quos juvabat, exuperantes Ravennam cedere compulerunt. Brexillus capta eſt, muri quoque ejus ad ſolum uſque deſtructi ſunt.* Victoriam

&

Authari victoria.

Greg. c. 8. c. 38.

Warnefr. l. 3. c. 17.

Digitized by Google

ANNO DOM. 585.

& Longobardorum memorat Biclerienſis, de Mauritianis copiis relatam: *Athane (lege Anthaquestion) Longobardorum Rex cum Romanis congreſsione factâ, ſuperat, & caſâ multitudine militum Romanorum, Italiæ fines occupat.* Ea prælia triennales induciæ exceperunt: *Poſt hæc Anthari Rex, cum Smaragdo Patricio, qui tunc Ravennæ præerat, uſque in annum tertium pacem fecit.* Pacis hujus occaſione uſus Pelagius Papa, anno inſequente Epiſtolas Epiſcopis Iſtriæ mittet ad componenda de tribus Capitulis diſſidia: *Poſteaquàm Deus omnipotens pro felicitate Chriſtianorum Principum per labores atque ſollicitudinem filii noſtri excellentiſsimi Smaragdi, Exarchi & Chartularii ſacri Palatii, pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus eſt*, &c.

Warnefr. l. 3. c. 18. — *Pelag. Ep. 5.*

Synodus Matiſconenſis ſecunda. Cauſæ Conventus.

VII. Rebus Imperii nunc Eccleſiaſticas ſubnectamus. Floret annus Matiſconenſi Synodo ſecundâ, quam perturbatâ Chronologiâ Baronius anno 588. aſſignat. Cujus opinionem refellit Gunthramni annus XXIV. quo labente celebratur. Rex Aureliani agens Synodum indixit, ad Octobris XXIII. teſte Gregorio Turonenſi: *Sacerdotes itaque diſcedentes à Regis præſentia cautiones & fidejuſſores dederunt, ut decimo Calend. menſis noni ad Synodum convenirent.* Præter Legatos abſentium Epiſcoporum XX. interfuere Conventui Antiſtites XLIII. *Priſcus* Lugdunenſis, Synodi Præſes, qui & Patriarchæ titulo decoratur: *Priſcus Epiſcopus Patriarcha dixit.* *Evantius* Viennenſis, *Prætextatus* Rothomagenſis, *Bertrechamnus* Burdigalenſis, *Artemius* Senonicenſis, *Sulpitius* Bituricenſis, *Syagrius* Æduenſis, *Fauſtus* Auſciorum, *Oreſtes* Vaſaticus, *Aunacharius* Antiſiodorenſis, *Eſitius* Gratianopolitanus, *Silveſter* Veſontinus, *Theodorus* Maſſilienſis, *Ferreolus* Lemovicenſis, *Palladius* Santonicenſis, *Ragnoaldus* Valentinenſis, *Pappolus* Carnotenſis, *Hecadius* Dinienſis, *Euſebius* Matiſcenſis, *Namatius* Aurelianenſis, *Agricola* Nevernenſis, *Ragnemodus* Pariſienſis, *Mummolus* Lingonienſis, *Marius* Aventicenſis, *Trapetius* Arauſicanus, *Flavius* Cabillonenſis, *Veranus* Cabellicarum, *Antidius* Agennenſis, *Carterius* Petrocorienſis, *Ruſticus* Vicojulienſis, *Sabinus* Benarnenſium, *Ruſinus* Convenicenſis, *Nicaſius* Engoliſmenſis, *Baudigiſilus* Cenomanenſis, *Cariatto* Genovenſis, *Lucerius* Eloronenſium, *Amelius* Bigorritanus, *Urſicinus* Cadurcinus, *Urbicus* Regenſis, *Aredius* Vappincenſis, *Emeritus* Ebredunenſis, *Iconius* Mauriennatenſis, *Agroecius* Glannatinenſis. Inter cauſas Conventus non minima fuit Gunthramni indignatio in Epiſcopos, qui Gundobado faverant. A Theodoro quidem Maſſilienſi promiſſio exacta eſt, *ut ad Synodum, quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab Epiſcopis damnandus adeſſet.* Regis quoque morbus impedimento fuit, ne multis Præſulibus exilium imperaretur. Teſtis Gregorius: *His diebus Gunthramnus Rex graviter ægrotavit, ita ut putaretur à quibuſdam non prorſus evadere, quod credo providentia Dei fuiſſet: cogitabat enim multos Epiſcoporum exilio detrudere.* Inerant pleriſque Antiſtitibus mores corruptiſſimi. Exemplo ſit Palladii & Bertrechamni, Rege Auliciſque præſentibus jurgium: *Cùm iterato ad convivium Regis Palladius atque Bertbramnus aſciti fuiſſent, commoti invicem, multa ſibi de adulteriis ac fornicatione exprobraverunt, nonnulla etiam de perjuriis.* Id multis riſum quidem, verùm ſanctioris vitæ viris dolorem movebat.

Bar. Ann. 588 n. 14. — *Greg. l. 8. c. 12.* — *Greg. l. 8. c. 22.* — *Gregor. l. 8 c. 9.*

ANNO DOM. 585.

Geſta Synodi Matiſconenſis ſecundæ.

VIII. Synodi & geſta ſunt, & Canones. Ut à geſtis incipiamus, *Fauſtinianus*, qui Gundobaldi juſſu Aquenſibus præfectus erat, eâ lege expellitur, ut ab ordinatoribus aleretur: *Fauſtinianus eâ conditione removetur, ut eum Bertbramnus, Oreſteſque, ſive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. Urſicinus Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatur pro eo, quòd Gundobaldum excepiſſe publicè eſt confeſſus: accepto hujuſmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, Miſſas celebrare, Clericos ordinare, Eccleſiaſque & Chriſma benedicere, eulogias dare penitùs non auderet.* In Synodo quoque indigna quæſtio mota eſt, quam & noſtro ſeculo profanus quidam cachinno tractavit, *Mulierem hominem non poſſe vocitari*, ex quo conficiebatur, partæ à Chriſto ſalutis fœminas expertes eſſe. Præſulum unus diſputationem eam inſtituit. Ei tamen ſilentium impoſuere Scripturæ oracula, præcipuè locus ille, quo Chriſtus, *Filius hominis*, quòd Virgine ſatus ſit, appellatur. Prætextatus Rothomagenſis orationes, quas in exilio ſcripſerat, coram Epiſcopis recitavit: *Quæ quibuſdam quidem placuerant, à quibuſdam verò, quia artem ſecutus minimè fuerat, reprehendebantur.* Redditus etiam Maſſilienſibus Theodorus, à quibus amanter excipitur. Hæc Matiſconenſium in Conventu geſta: nunc ad Canones veniamus, quos numero viginti ediderunt.

Greg. l. 8. c. 20.

Canones Matiſconenſes.

IX. Primus, Collapſus diei Dominicæ cultus reſtituitur: *Nullus litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat: nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus juvencorum imponere cogat.* Omnes potiùs hymnis & laudibus Dei animo & corpore attendant. Diei verò Dominicæ violatoribus id pœnæ irrogant: *Si Cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam amittet: ſi ruſticus aut ſervus, gravioribus fuſtium ictibus verberabitur: ſi Clericus aut Monachus, menſibus ſex à conſortio ſuſpendetur fratrum.* Noctem quoque diei Dominicæ imminentem ſacris Vigiliis dicant. II. Paſchatis feſtum ſit venerationi, *ut illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſervile opus audeat facere.* III. Nullus per natales Martyrum, niſi neceſſitas urgeat, baptiſmum ſuſcipiat: *Omnes à die quadrageſima cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, & impoſitionem manuum certis diebus adepti, & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtivitate fruantur, & ſacro baptiſmate regenerentur. Quò poſſint & honoribus, ſi vita comes fuerit, Sacerdotalibus fungi.* IV. Omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini. V. Decimæ à populis ſolvantur, quas Sacerdotes aut in pauperum, aut in captivorum uſum conſumant. VI. Miſſæ non niſi à jejunis celebrentur, Euchariſtiæque reliquiæ quartâ, vel ſextâ feriâ intinctæ vino jejunis inſontibus præbeantur. VII. Libertorum cauſæ ab Eccleſiis manumiſſorum, ab Epiſcopo judicentur. VIII. Sontes ab Eccleſia non evellantur. Verùm coram Sacerdote culpæ eorum innoteſcant, *& ipſe conſultum ferat, qualiter Dei habitaculum per ſubtractionem non violetur illorum.* IX. Epiſcopum nullus de Eccleſiis trahere audeat, ſed ad Metropolitanum pergat, qui, ſi opus ſit, Conventu Epiſcoporum coacto litem diſcutiet. X. Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum cauſæ

ab

Anno Dom. 585.

ab Epiſcopis judicentur. XI. Hoſpitalitatem Fideles exerceant omnes, præcipuè Epiſcopi. XII. Judices non prius viduas & pupillos conveniant, quàm Epiſcopo nuntiarint. Eo abſente judicio interſit Archidiaconus, vel Presbyter. Judex, qui Decretum contempſit, à *communione ſuſpendatur*. XIII. Canes accipitreſve ab Epiſcopali domo arceantur. XIV. Nullus per vim aut aſſentationem rebus ſuis defraudetur. XV. Clericis honor à ſecularibus habeatur. Si Laicus & Clericus vehantur equo, ille hunc ſalutet. Si Clericus pedibus iter conficiat, Laicus equo deſcendat, honorem Clerico exhibiturus. XVI. Relictæ Subdiaconorum, Exorciſtarum, Acolythorum matrimonia non ineant. XVII. Mortui marcidis cadaveribus non imponantur, nec religioſis locis inferantur abſque voluntate domini ſepulchrorum, ſecus corpora de tumulis ejicere licebit. XVIII. Inceſtæ nuptiæ prohibeantur. XIX. Clericorum nullus reorum adſit examini, neque interſit *atrio ſauciolo*, ubi aliquis eſt interficiendus. XX. Ad Synodum nationalem poſt triennium Epiſcopi omnes conveniant. *Et hoc adimplere ſollicitudini ſit Metropolitani Lugdunenſis Epiſcopi, unà cum diſpoſitione magnifici Principis noſtri, prius definientis locum mediterraneum, ad quem omnes Epiſcopi ſine labore alacres congregentur.* Quicunque abſque legitima cauſa abfuerit, à communione fraterna remanet alienus. Quod de obſervanda die Dominica Matiſconenſes Decretum condiderant, autoritate regiâ Gunthramnus confirmavit quarto Idus Novembris. Edicti verba ſunt: *Decernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus ſanctæ Reſurrectionis myſterium veneramur, vel in quibuſcumque reliquis ſolemnitatibus, quando ex more ad veneranda Templorum oracula univerſæ plebis conjunctio devotionis congregatur ſtudio, præter victum, quem præparari convenit, ab omni corporali opere ſuſpendantur, nec ulla cauſarum præcipuè jurgia moveantur.* Reverſus Synodo Berthramnus Burdegalenſis febre correptus, ad fata venit. Waldonem Diaconum ſibi ſuffici optaverat: eique cives maximè favebant. Dodoni tamen, qui Sanctonum Comitem egerat, poſtponitur.

Lab. Conc. t. 5. 992.

Anno Dom. 586.

Anno U. C. 1339. Per. Jul. 5299. Jul. 631. Dom. 586. Maurit. 4. 5. Childeberti II. *Sol.* 7. F. *Lun.* 17. *Indict.* 4. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii II.

Cardarigas Perſa bis à Philippico debellatur. Fuga Philippici.

I. Philippicus regiâ urbe egreſſus pugnaturus in Perſas, Amidam properat. Hormiſdæ exercitui Præfectus erat *Cardarigas*, qui ſuperbiâ tumens Romanorum adventum falſis rumoribus apponebat. Acceſitis Magis, eos de victoria percontatur, quam addicentibus ominibus à Perſis reſerendam eſſe reſpondent. Eâ promiſſione impleti gaudio, compedes parant, atque vincula, quæ captis Romanis injicerent. Pugnâ ad *Arzamonem* commiſſâ, Philippicus armatus, ut ferunt, Chriſti imagine non manu factâ, diſcurrens per acies militibus animos, vireſque ſuis incutiebat. Dum utrinque pugnatur, Vitalianus impetu Perſarum in phalanges facto eas disjicit. Tum Romani ad ſpolia hoſtium detrahenda advolare. At veritus Philippicus, ne dum prædæ incumbant, victoria elaberetur, Perſis in eos irruentibus, *Theodoro Ilibino* galeam imponit ſuam, ut exuviarum raptores ad pugnam revocaret. Qui Philippicum ſe videre rati, dimiſſis ſpoliis ad prælium feſtinant. Quod cùm diu protraheretur, Præfectus Perſarum equos haſtis ferire jubet. Quo facto Perſæ verſi in fugam maximâ clade afficiuntur. Poſterâ luce Cardarigas reſumptis viribus animiſque, pugnam rurſus inſtaurat. Impetu tamen ſuo fortunam non mutat. Vincunt iterum Romani; Perſarum complures occiduntur, duo quoque millia capiuntur, qui Conſtantinopolim mittuntur, ut Romanæ & virtutis, & felicitatis documento forent. Converſus in fugam Cardarigas, non ſine contumeliis à ſuis recipitur. Ut impreſſam ſibi dedecoris maculam deletum iret, ruſticos & quoſcunque potuit, homines colligit. Victoriis ſuis hoſtiumque freti cladibus Romani ab omni parte ſibi ſecuri videbantur. Itaque obſcurâ nocte Cardarigas in eorum terga invadit. Tum geminâ victoriâ inſignis ille Philippicus ingenti metu corripi, fugam maturare. Ducis ſui exemplum imitati milites, per anguſtias, per loca aditu difficilia dilabi. Orto Sole, cùm fugientibus neminem inſtare vidiſſent, pulſo metu ad Præfectum perveniunt, quem & contumeliis compluribus onerant. Saluti diſperſis fuit Cardarigæ opinio, qui cùm fictam Romanorum fugam putarat, eos inſequi veritus eſt.

Miſcell. l. 17. Phot. p. 85.

II. Hæc in Oriente. In Gallia Francorum animos ingens gaudium implevit Theodeberti nativitas, quem ex *Faileuba* Regina ſuſcepit Childebertus: *Poſt hæc Childeberti Regis filius natus eſt, qui à Magnerico Treverorum Epiſcopo de ſacro fonte ſuſceptus, Theodobertus eſt vocatus: de quo tantum gaudium Guntchramnus Rex habuit, ut ſtatim Legatos dirigens, multa ei munera tranſmitteret, dicens, Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propriâ majeſtatis ſuæ pietate dignabitur, ſi huic pater, aut ipſe vixerit patri.*

Theodebertus Childeberto Regi naſcitur.

Gregor. l. 8. c. 37.

III. Recaredus, qui nemine repugnante paterna ſceptra adeptus erat, ad pacis otia inclinaverat animum. Legatos igitur ad Gunthramnum cum muneribus miſit, pacem petitum: nil reſponſi tamen retulerunt, quâ optati fœderis in ſpem venirent. Placuit igitur Ricaredo, novam legationem injungere de pace conſtituenda, quâ non impetratâ, in Hiſpaniam Oratores rediere. *His commotus Ricaredus uſque Narbonam venit, & intra terminum Galliarum prædas agit, & clam regreſſus eſt.*

Recaredus ad Gunthramnum Legatos de pace mittit.

Gregor. l. 8. c. 38.

IV. At longè majus opus movet Ricaredus, qui errore Arianorum ejurato, pietatem amplectitur. Quam hiſtoriam memorandam ſanè his verbis Biclarienſis refert: *Recaredus primo regni ſui anno, menſe decimo, Catholicus Deo juvante efficitur, & Sacerdotes ſectæ Arianæ ſapienti colloquio aggreſſus, ratione potius quàm imperio converti ad Catholicam fidem facit: gentemque omnium Gothorum & Suevorum ad unitatem & pacem revocat Chriſtianæ Eccleſiæ. Sectæ Arianæ gratiâ divinâ in dogmate veniunt Chriſtiano.* Quibus deprehendimus, non ſatis accuratam eſſe Baronii Chronologiam, qui nobilem hunc eventum anno ſuperiori tribuit, cui tamen menſis *decimus* primi anni Recaredi includi nequit. Quid in Collatione Epiſcoporum partis utriuſque factum ſit, Gregorius narrat: *Congregatis utriuſque partis Epiſcopis, propoſuerunt Hæretici illa, quæ ſæpius ab ipſis dicta jam ſcripſimus. Similiter reſponderunt Epiſcopi noſtræ religionis ea, de quibus*

Ricaredus Catholicam fidem amplectitur.

Error Baronii.

Greg. l. 9. c. 15.

Digitized by Google

ANNO DOM. 586.

Hæreticorum partem plerumque victam libris ſuperioribus demonſtravimus, & præſertim cum Rex diceret, quòd nullum ſignum ſanitatis ſuper infirmos ab Hæreticorum oſtenderetur Epiſcopis: ac in memoria replicaret, qualiter temporâ genitoris ſui Epiſcopus, qui ſe jactabat, per fidem non rectam cæcis reſtituere lumen, tacto cæco, & cæcitati perpetuæ damnato, diſceſſiſſet confuſus. Vocavit ad ſe ſeorſum Sacerdotes Dei, quibus perſcrutatis, cognovit unum Deum ſub diſtinctione coli perſonarum trium, id eſt, Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Nec minorem Filium Patre, Spirituque Sancto: neque Spiritum Sanctum minorem Patre, vel Filio; ſed una æqualitate atque omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Recaredus, poſtpoſitâ altercatione ſe Catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo beatæ Crucis cum chriſmatis unctione, credidit J. C. Filium Dei æqualem cum Spiritu S. regnantem in ſecula ſeculorum. Exemplo ſuo voluit Rex optimus ſubditos pietate ſuos etiam imbui. Nuncios itaque Narbonenſem in Provinciam mittit, qui quæ geſta fuerant, docerent, menteſque ſubditorum ad Regis ſui factum imitandum hortarentur. Arianæ diſciplinæ addictiſſimus erat Præſul, nomine *Athalocus*, qui cum ſummâ vi niteretur errores tueri ſuos, videretque paucos eſſe, qui ei aſſentirentur, *commotus felle, ingreſſus in cellulam ſuam, inclinato ſuper lectulum capite, nequam ſpiritum exhalavit.* Cum Athaloco in Narbonenſi Provincia Ariana fides ſepelitur, populis catatim Orthodoxorum in caſtra migrantibus. Variis & pietatis actibus, quam amplectebatur Religionem, Recaredus decorari voluit: quod ſummatim Biclarenſi in Chronico legitur: *Recaredus Rex aliena a prædeceſſoribus direpta, & fiſco ſociata placabiliter reſtituit, Eccleſiarum & Monaſteriorum conditor & ditator efficitur.*

Synodus Antiſiodorenſis: ejus Canones.

V. Indictus à Recaredo Epiſcoporum Conventus, Antiſiodorenſem Synodum ſcribentibus ſubjicit. A Conciliorum editoribus ea anno DLXXVIII. aſſignatur, placet tamen Concilium potius labenti anno tribui, quòd Decreta ipſius nonnulla ex Matiſconenſis II. Canonibus deſumpta videantur. Diœceſana Synodus eſt ab Aunachario Præſule Antiſiodorenſi coacta, cui ſoli Abbates & Presbyteri interfuere. Aliud agebat clariſſimus Du Pin in nova ſua Bibliotheca, dum ſcriberet, *Ce n'eſt qu'une Aſſemblée Synodale des Abbez & des Prêtres du Dioceſe de Tours, tenue l'an* DLXXVIII. *par Aunachaire Evêque de Tours*, Aunacharius ſanè non Turonenſibus, verum Antiſiodorenſibus ſacris præficiebatur. Interfuere Concilio ex Abbatibus, Presbyteris, Diaconis Clerici XLIV. Itaque incluſo Aunachario Præſide, viris XLV. Synodus conſtabat, quaſi Canones, quos edidit, membris æquari ſuis voluiſſet, numero XLV. conditos. I. *Non licet Kalendis Januarii vetula, aut cervolo facere, vel ſtrenas Diabolicas dare.* Hoc eſt, aſſumptâ vel vitulæ, vel cervi effigie, hùc & illùc curſitare non licet. II. Omnes Presbyteri ante Epiphaniam miſſos dirigant ſuos, qui initium Quadrageſimæ referant, Epiphaniorum die declarandum. III. *Non licet compenſos in domibus propriis, nec pervigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere, nec inter ſentes, aut ad arbores ſacrivos, vel ad fontes exolvere.* Sentes termini ſunt, quos Ethnica ſuperſtitio in Deos referebat. Florus in Tarquinio Superbo Templum conſecrante: *Cedentibus cæteris Deis, mira res dictu, reſtitere Juventas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum.* Sacrivi verò numinibus dicatas arbores ſignificant, de quibus Autores frequenter meminere. Statius l. 2. Theb.

ANNO DOM. 586.

Flor. l. 1. c. 7.

At arbore caſta
Nectunt purpureæ niveo diſcrimine vittas.

Arnobius adverſus Gentes, l. 1. p. 11. *Venerabar, ô cæcitas, picturatas veternoſis in arboribus tænias, ſi quando conſpexeram.* Prudentius l. 2. contra Symmachum:

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici ſuccisa bipenni.

Pſyche apud Apuleium Metam. l. VI. p. 154. *Videt dona pretioſa, & lacinias auro literatas, ramis arborum poſtibuſque ſuffixas.* IV. *Non licet ad Sortilegos, vel ad auguria reſpicere, non ad Caragios, nec ad Sortes, quas Sanctorum vocant.* Caragii Magi ſunt, qui multa, quæ implere non poſſunt, pollicentur. Eò pertinent Eligii verba apud Audoenum, quæ ab eruditis jam ſunt obſervata: *Fontes vel arbores, quas ſacrivos vocant, ſuccidite. Pedum ſimilitudines, quas per bivia ponunt, fieri vetate, & ubi inveneritis, igni cremate. Non Carragios, non Divinos, non Sortilegos interrogare præſumatis.* Et Narbonenſis Synodi c. 14. *Si qui viri, ac mulieres divinatores, quos dicunt eſſe Caragios, atque Sorticularios, in cujuſcunque domo fuerint inventi,* ab Eccleſia is ſuſpendatur. V. Privata pervigilia, quæ B. Martini in honorem obſervabantur, omnibus modis prohibeantur. VI. Mediâ Quadrageſimâ Presbyteri Chriſma petant. Si morbo corripiuntur, Archidiaconum mittant cum *Chriſmario & linteo, ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent.* VII. Medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum veniant, & Calend. Novembris ad Concilium Abbates ſe conferant. VIII. Non mulſum, ſed vinum duntaxat aquâ mixtum in ſacrificio offeratur. IX. Chori ſecularium, puellarum cantica, & convivia in Eccleſiis prohibentur. X. Duæ Miſſæ unâ die in uno altari non celebrentur. XI. In Vigilia Paſchæ ante ſecundam noctis horam Vigiliæ non finiantur: *In illa nocte non licet poſt mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolemnitatibus.* XII. Non licet mortuis Euchariſtiam, oſculumve tradere, aut velo, vel pallis corpora eorum involvere. XIII. Non licet Diacono, velo vel pallâ ſcapulas ſuas involvere. XIV. Non licet in Baptiſterio corpora ſepelire. XV. Non licet mortuum ſuper mortuum mittere. XVI. Non licet die Dominico boves jungere, vel alia opera exercere. Qui bini Canones ex Matiſconenſibus primo & XVII. deſumpti ſunt. XVII. Eorum, qui ſibi mortem conſciſcunt, oblatio non recipiatur. XVIII. Baptiſmus extra Paſcha niſi moribundis conferatur. XIX. Miſſæ à jejunis Clericis celebrentur, & audiantur. XX. Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus, qui poſt acceptam benedictionem, aut liberos procreaverit, aut adulterium perpetrarit, exauctoretur. Archipresbyter, qui Epiſcopo id non indicarit, integro anno non communicet. XXI. Clerici conjugati ab uxoribus abſtineant. XXII. Relictæ Clerici poſt ejus mortem alteri nubere non licet. XXIII. Abbas, qui Monachi adulterium, furtumve non emendaverit, aut Epiſcopo non indicarit, in alio Monaſterio retrudatur. XXIV. Abbas nuptiis non interſit. XXV. Abbati non licet, aut Monacho filios

de

ANNO DOM. 586.

de baptiſmo habere. XXVI. Abbas, qui mulierem in Monaſterium ingredi permiſerit, *tribus menſibus in alio Monaſterio retrudatur, pane & aquâ contentus.* XXVII. Novercam ducere non licet. XXVIII. Uxoris filiam nullus in conjugem accipiat. XXX. Sororum alteram alterâ defunctâ ducere non licet. XXXI. Non licet conſobrinam ſibi matrimonio conjungere. XXXII. Nepos avunculi uxorem non accipiat. XXXIII. Clericis non licet ad *trepalium, ubi rei torquentur, ſtare.* XXXIV. Presbyter judicio capitis non interſit. XXXV. Clericus Clericum ad Judicem ſecularem non trahat. XXXVI. Mulier nudâ manu Euchariſtiam non accipiat. XXXVII. Ne mulier pallas Dominicas contrectet. XXXVIII. Nullus cum excommunicato cibum ſumat. XXXIX. Qui cum excommunicato communicat, ſimili ſententiæ ſubjaceat. XL. Ne Presbyter inter epulas cantet, aut ſaltet. XLI. Presbytero vel Diacono accuſatori eſſe non licet, ſeculari viro vices ſuas mandet. XLII. *Mulier quando communicat, Dominicalem ſuum habeat. Quòd ſi qua non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Quid rei ſit Dominicale, controverſia eſt inter eruditos. Baronius, cujus ſententiæ eruditi complures adhærent, exiſtimat linteolum ſignificari, quo puriſſimo fœminæ Euchariſtiam excipiebant. Explicationi favere videntur verba Autoris apud Auguſtinum, Sermone 252. de Tempore: *Omnes viri quando communicare deſiderant, lavent manus. & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Chriſti corpus accipiant . . . . Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Chriſti accipiant, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant.* Ea tamen explicatio diſplicet. Cùm enim Canone 36. Antiſiodorenſes lintea ad ſuſcipiendam Euchariſtiam his verbis imperarint: *Non licet mulieri nudâ manu Euchariſtiam accipere*, Dominicale, de quo Canone 42. fit mentio, à linteolo prorſus diverſum eſt, alioquin unum idemque variis hiſce Canonibus præciperetur, quod non ſit vero ſimile. Præterea ſi Dominicale unum idemque eſt cum manus integumento, poſt Canonem 36. utique Antiſiodorenſes Dominicalia ſubinde meminiſſent. Nil ſanè tam conjunctum eſſe debuiſſet, quàm Decretum de accipiendo manu involutâ Euchariſtiæ ſacramento, cum præcepto de Dominicali ad ſuſcipiendam Euchariſtiam afferendo. Dominicale igitur *Velum* potius ſignificat, quod mulieres ad ſacram menſam accedentes ſuo capiti imponere jubebantur. Clariſſimus ſanè Baluſius obſervat in ſuis ad Gratianum notis, Cauſâ 33. Q. 5. C. *Mulier*, in veteri Codice hæc haberi: *Si mulier communicans Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet.* Quibus apertè liquet, Dominicali non breve quidem manus involucrum, ſed capitis integumentum deſignari. Cæteros Antiſiodorenſium Canones ſubjiciamus. XLIII. Judex, qui in Clericum abſque Epiſcopi voluntate animadverterit, Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus. XLIV. Laicus, qui monentem Archipresbyterum ſpreverit, liminibus Eccleſiæ pellatur, & inſuper mulctam, quam Rex inſtituit, ſuſtineat. XLV. Qui Synodalia hæc Decreta contempſerit, anno à Chriſtianorum conſortio habeatur alienus.

Dominicale quid?

Lab. Conc. t. 5. 957.

Mortes complu-

VI. Præſulum compluribus in Galliæ annus mortem attulit. Obiit *Sabaudus* Arelatenſis, cujus in locum *Licerius Gonthrami Referendarius* ſufficitur. Periit & *Evantius*, Viennenſis Epiſcopus, *in cujus Sedem Virus Presbyter de Senatoribus, Rege eligente ſubſtituitur.* Extat Epiſtola *Evantii Abbatis contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicant*, quæ Evantio à Caniſio & Du Pin dubitanter aſcribitur. Exploratum tamen eſſe debet, Evantii Viennenſis Epiſcopi non eſſe, qui naturæ prius ſatisfecit, quàm Gregorius Magnus Pontificatum anno 590. adipiſceretur. Evantius autem Abbas librum Paſtoralis Gregorii laudat, qui non ante annum 590 eſt exaratus: *Sacerdotibus corpore debilibus, vel maculam corporis habentibus liber Paſtoralis S. Gregorii legatur.* Ad plures etiam abiit *Badegiſilus* Cænomanenſis, vir ſuo munere prorſus indignus. Dirâ crudelitate laborabat, cum in populos pedo ſuo ſubditos leniſſimus exiſtimari debuiſſet. Summâ iniquitate res complurium diripiebat: *Ad totos ſtimum acerbum atque immitem conjux acceſſerat ſævior, quæ illum in committendis ſceleribus nequiſſimi conſilii ſtimulis perurgebat.* Cum Judicibus cauſas audiebat, cum militibus arma gerebat: manibus ſuis multos feriebat, monentibuſque hæc non decere Præſulem, reſpondebat: *Num ideò, quia Clericus factus ſum, ultor injuriarum mearum non ero?* Sextum truculentus ille Epiſcopatus annum ingreſſus, dandum civibus ſuis epulum paraverat, cùm febre correptus exceſſit è vita. Defuncto Berthramnus Pariſienſis Diaconus ſufficitur, qui cum ejus relicta varias lites habuit. Quippe rapax ea mulier, quæ labente Badegiſili Epiſcopatu Eccleſiæ data fuerant, veluti ſibi propria retinere volebat. Cuncta tamen reſtituere cogitur.

ANNO DOM. 586.

tium Epiſcoporum. Evantii Badegiſili Cænomanenſis: iniquitas ejus.

B. M. P. l. 11. p. 1092.

Gregor. l. 8. c. 39.

VII. Intereà dominabatur adhùc in Italia diſſenſio trium Capitulorum cauſâ. Quæ diſſidia cùm pacem Eccleſiæ, animorumque concordiam everterent, Pelagius ad ea extinguenda operam ſuam collocabat. Complures igitur ad Eliam, Epiſcopoſque Iſtriæ miſit Epiſtolas, quæ Gregorii Magni manu exaratæ ſunt. Conſtantinopoli redierat, etſi regreſſûs tempus non ſatis pateſcat. Reſpuenda tamen eſt Baronii, Binnii, Du Pin ſententiâ, qui Tiberii poſt obitum relictâ urbe regiâ Gregorium Romam repetiiſſe exiſtimant. Verba ſunt Baronii: *Gregorius igitur tempore Tiberii*, Apocriſiarii *bene functus munere, illo defuncto Romam reverſus eſt.* Quam ſanè Chronologiam refellit ipſe Pelagius in ſua ad Gregorium Epiſtola, *data IV. Nonas Octobris, Indictione III.* quæ annum DLXXXIV. afficit. In ea teſtatur ſe, & Honoratum Notarium & Sebaſtianum Epiſcopum direxiſſe Gregorio, *Ut*, inquit, *quia illis in partibus ad Ravennam uſque nunc cum viro glorioſo Domino Decio Patritio fuit, ipſe ſuâ relatione te de omnibus ſtudeat informare; vel ſi qua neceſſaria judicaveris, poſſis Domino Imperatori ſuggerere.* Quibus luce clarius eſt, Gregorium anno DLXXXIV. ad exitum properante, in urbe regia Apocriſiarii munere adhùc functum eſſe Tiberii poſt obitum biennio. Fontem quidem ignoramus, ex quo Baronius hauſta hæc nobis propinarit: *Cùm innotuiſſet Pelagio Romano Pontifici, Mauritium Imperatorem poſt Tiberium coronatum, ex more novum ad eum miſit Apocriſiarium Diaconum Cardinalem.* Id ſanè non extat in Epiſtola Gregorii ad Joannem, quæ libri quarti numero eſt 38. licet à Baronio indicetur. Neque poſt Mauritium inau-

Quandonam Gregorius Magnus Conſtantinopoli Romam redit? Nomine Pelagii ad Iſtrienſes ſcribit.

Error Baronii.

Bar. An. 586. n. 25.

Pelag. Ep. 3.

Bar. An. 586. n. 24.

ANNO DOM. 586.

guratum Pelagio opus erat *novum Diaconum Cardinalem* Imperatori mittere, cùm Apocriſiarii munere Gregorius fungeretur, quod labente jam tertio Mauritii anno etiamnum retinebat. Baronium decepit ſua ipſius de Mauritianis initiis ſtupenda Chronologia, quæ in anno DLXXXVI. collocavit quadriennii metachroniſmo, quo ingens in rebus & Imperii, & Eccleſiæ perturbatio inducta eſt. Anno igitur elapſo, vel potius labente Gregorius Romam à Pelagio revocatus eſt. Tum vacuus curis, quas Apocriſiarii officium imperat, perficiendis Moralium libris, quos Conſtantinopoli inchoarat, admovit animum, quod & ipſe teſtatur in ſua ad Leandrum Epiſtola, c. 2. *Eiſdem coram poſitis fratribus priora libri ſub oculis direxi, & quia tempus paulò vacantius reperi, poſteriora tractando dictavi.* Ejus quoque calamo Pelagius Papa uſus eſt, ut Eliæ Aquileienſi ſcriberet, non ut *tria Capitula Chalcedonenſis Synodi ſuſciperet*, quod perperàm Warnefridus tradit, ſed potius ut ea rejiceret, quæ Conſtantinopolitanum Concilium damnaverat. Epiſtolam laudibus affecit Warnefridus: *Pelagius*, inquit, *Eliæ Aquileienſi Epiſcopo Epiſtolam ſatis utilem miſit, quam B. Gregorius cùm eſſet adhuc Diaconus, conſcripſit.*

Warnef. l. 3. c. 20.

Pelagius ad concordiam Iſtriæ hortatur Epiſcopos. Epiſtolarum ſumma.

VIII. Supereſt nunc ut Epiſtolarum ad Eliam, Iſtriæque Epiſcopos miſſarum ſummam referamus. Prima Pelagii in ſcribendo moram excuſat: *Quod noſtra tardius ſcripta dirigimus, non malevola voluntatis aut diſſimulationis, vel negligentia fuiſſe credatur, ſed temporalis qualitas, & hoſtilis neceſſitas hactenus impedivit.* Deinde narratis, quæ Petro de firmitudine pietatis conceſſa fuere privilegiis, ſubjungit, velle ſe ſuæ fidei Confeſſionem ipſis offerre, ut ad Eccleſiæ concordiam revocentur: *Neceſſarium judicavimus per præſentem Epiſtolam noſtram, & ad viſcera vos matris Eccleſia ut reverti debeatis, cum lachrymis exhortari, & de fidei noſtra integritate vobis ſatisfactionem noſtram mittere.* Teſtatur autem, ſe quatuor Synodos Oecumenicas amplecti, omneſque, qui eis adverſantur, anathematibus obruere: proindeque per divinum tremendumque Dei judicium Iſtriæ Præſules obteſtatur, ne ulterius per ipſos dividatur Eccleſia. Redempto Ferentino Epiſcopo, & Quodvultdeo Abbati Monaſterii majoris Baſilicæ B. Petri Epiſtola ferenda traditur. Pelagii hæc Epiſtola Iſtrienſes à ſua ſententia non dimovit, quibus perſuaſum erat, damnatione trium Capitulorum Chalcedonenſis Synodi majeſtatem prorſus violari. Pelagio igitur reſponderunt, quæ non placebant, quod ſecundâ ad Iſtrienſes Epiſcopus Epiſtolâ notum fecit, in qua legimus: *Dilectionis veſtra per eos, quos direxiſtis, ſcripta ſuſcepimus; relectiſque his, gravi ſumus mærore, & dolore perculſi: cùm neque his, qua nos vobis ſcripſimus, reſpondiſtis, neque ut fraternam decurrat charitatem, fidei noſtra ſatisfactione ſuſceptâ ad unitatem Eccleſiæ revertendi obedientiam commodaſtis. Poſtremò nec eos aliter, qui venerunt, dirigere permiſiſtis, ut apertiſſimam lucidiſſimamque ſatisfactionem ſe paterentur accipere: ſed ſcripto nobis quaſi capitulare vel interdictum potius oſtenderunt, nihil injunctum ſibi aliud aſſerentes, niſi ut veſtra tantummodò eſſent portatores Epiſtola.* His præmiſſis, rurſus eos ad pacem hortatur: *Neque Theodorus Mopſueſtenus*, inquit, *neque Ibæ Epiſtola, quæ ab adverſariis eſt prolata, ante tribunal tanti Judicis vobis valeat ſubvenire.* Addit, Patrum doctrinam eam eſſe, qui à Sedium Apoſtolicarum communione ſe divellunt, in ſchiſmate conſtitutos eſſe, nec vel ſi pro Chriſto moriantur, in Martyres poſſe referri. Iſtrienſes igitur etiam atque etiam monet, ut in Eccleſiæ Apoſtolicæ viſcera feſtinanter redeant. Acceptis hiſce literis, Iſtrienſes ut inuſtam ſibi Schiſmaticorum maculam eluerent, Pelagio reſcribunt, per ea, quæ piæ memoriæ Juſtiniani Principis temporibus acta ſunt, ſuſpicari ſe, *ſanctam Chalcedonenſem Synodum fuiſſe convulſam.* Subjiciunt autem loca Patrum plurima, quibus oſtendant, de Concilii hujus autoritate nil eſſe detrahendum. Quibus Pelagius Epiſtolâ reſpondet, quæ ob longitudinem libri potius nomine digna eſt, utpote quæ XXXII. Capitulis conſtet. Apologia hæc eſt Concilii V. quâ oſtendere conatur, Theodorum ab Epheſinis Patribus fuiſſe damnatum: Ibæ Epiſtolam Chalcedonenſi Synodo contrariam eſſe: ſcripta Theodoriti contra Cyrillum rectæ fidei pugnare. Proindeque Iſtrienſibus nil cauſæ eſſe, cur concordiam abnuant: quam non verbis modò, ſed lachrymis etiam à Deo ſe petere profitetur.

Pelag. Ep. 5.

Pelag. Ep. 6.

Lab. Conc. t. 5. 615.

ANNO DOM. 587.

ANNO U. C. 1340. PER. JUL. 5300. JUL. 6,2. DOM. 587. MAURITII 5. & 6. CHILDEBERT. 12. *Sol.* 8. E. *Lun.* 18. *Indict.* 5. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.*

ANNO DOM. 587.

Poſt Conſulatum Mauritii III.

Abarorum in Mœſiam, Thraciamque ingreſſus: multas urbes expugnant.

I. CHaganus Rex Abarorum ad Mœſiæ, regionumque Ponto Euxino vicinarum perniciem natus, collectis exercitibus eas ingreditur. Barbarorum furori multa oppida ceſſere. Ratiarnam, Bononiam, Aquas, Doroſtorum, Zaldapa, Martianopolim expugnant. Rapidum victoriarum curſum Mauritius ut ſiſteret, *Commentiolum* in Abaros cum exercitu proficiſci jubet. Qui cùm ignobiliores vallo cuſtodiendo reliquiſſet, fortiorum duo millia Caſto, totidem Martino tribuens, parem & ſibi numerum ſervat. Caſtus inventos, qui ſecurius agebant Barbaros, cædit, ampláque ex victis ſpolia refert. Sua quoque Martino gloria fuit, qui cùm non opinantem Chaganum adortus eſſet, tantum copiis ejus detrimenti intulit, ut fugæ ſalutem mandare ſuam cogeretur. Non ita fortiter ſe Commentiolus geſſit, qui metu perculſus, Martianopolim re infectâ inglorius redit. Porrò Caſti læta hæc triſtibus mutantur. Quippe à perfido deceptus, in *Chaganum* incidit; cùmque impar congreſſus eſſet, copiæ ipſius hùc & illùc diſſipatæ, quærunt in nemoribus latibula. Nec Caſto à ſuis indicato latebræ profuerunt, itaque Barbarorum in manus venit, de tanto captivo ſupra modum exultantium. Tum Chaganus majora auſus, Thraciam ingreditur. Diffuſi milites ejus magnam victoriæ occaſionem Commentiolo ſuppeditabant. Conjunctus quippe cum Martino, primâ noctis vigiliâ egregium facinus patraſſet, niſi caſu inopinato prohiberetur. Onus ſuum, quod jumento exciderat, cum animantis Dominus erigere tentans patriâ voce clamaſſet, *Verte, verte, frater.* Eâ auditâ, Romani hoſtem ſibi imminere putantes, fugam arripiunt. Correptus & metu Chaganus, in fugam ſimiliter ſe conjicit. Verùm recollectis viribus animiſque *Aperiam* civitatem obſidet. Intereà Buſa in venatione ab Abaris captus obſeſſis redimendus offertur. A ſuis vero civibus, pro quibus egre-

egregiè pugnaverat, ſpretus atque neglectus futori dat habenas. Quâ ratione fabricarentur arietes, ipſe Barbaros docet, quibus machinis inſtructi urbem expugnant. Cognitâ autem Caſti captivitate, exuto quod Imperatori debebant obſequio, Conſtantinopolitani convitia in eum multa torſere.

Miſcell. l. 17. Phot. p. 86.

Fredegundis Sicarios Gunthramo parat. Periculo eripitur.

II. At in Galliis ſicariæ artis peritiſſima Fredegundis Gunthramnum de medio tollere cogitat. Ante biennium Childeberto perniciem molita fuerat. Conſilium ut executioni ſuum mandaret, duos confici cultros juſſerat, quos & veneno imbuerat, ut ſi ferrum inutile foret, venenum ſaltem Regi mortem afferret. Clericos hiſce pugionibus armarat, rata talibus miniſtris, quibus ad Principes liberior erat aditus, rem facilius geri poſſe. Detecta conſpiratio certæ neci Childebertum exemerat, Clericique truncatis manibus, auribus, naribuſque non unâ morte perierant. Non deſperavit tamen pertinax regina, quin ortis ſui ſceleris proſperos tandem ſucceſſus daret. Itaque ſpecie legationis cædem Gunthramo anno labente parat. Inter Legatos erat *Baddo* Senior, qui expoſitis mandatis Reginæ accepto reſponſo receſſere: *Manè facto præcedente Rege ad matutinos, ac præeunte cereo, viſus eſt homo quaſi ebrius in angulo Oratorii dormitare, accinctus gladio, cujus haſta pariete ſuſtentabatur.* Vinculis illicò conſtrictus, à Legatis ſubmiſſum eſſe fatetur, ut Regem occideret. Comprehenſi quidem Legati id inficiantur: verùm negantibus non eſt fides adhibita. Rex ergo percuſſorem ad carceres damnat, Legatos verò in exilium conjicit. Necdum conjurandi finis: dum Gunthramus Cabillonenſi in oppido ſancti Marcelli, quæ menſe ſeptimo recolebatur, feſtivitatem agitat, ad altare acceſſit, Euchariſtiam percepturus. Tum nefario, qui quaſi aliquid nunciaturus ad ipſum properabat, gladius de manu excidit. Comprehenſoque alterum cultrum nudum in ejus dextra reperiunt. Mox tormentis addictus, ad occidendum Regem ſe miſſum profitetur. Rex verberibus cæſum dimitti jubet, nefas exiſtimans, ſi ultimum educto de Eccleſia homini ſupplicium inferretur.

Gregor. l. 8. c. 29.

Gregor. l. 8. c. 44.

Gregor. l. 9. c. 3.

Pacta Gunthrami cum Childeberto.

III. Non ſalute Gunthrami modò, verùm etiam fœderibus cum Brunichilde & Childeberto contractis Francorum exhilatantur animi. De ſcribendis pacis legibus Reges *Andelaum* veniunt, permoti Præſulum, Procerumque monitis. Ex fœderis pactionibus ſatis eſt paucæ hæc noſtris Annalibus inſerere. Cætera in exemplari legi poſſunt: *Illud ſpecialiter placuit per omnia inviolabiliter conſervari, ut quidquid Domnus Gunthramnus Rex, filia ſua Chlotildi contulit, aut adhùc Deo propitiante contulerit, in omnibus rebus atque corporibus, tam in civitatibus, quàm agris vel reditibus, in jure & dominatione ipſius debeat permanere ... & ſub tuitione ac defenſione Domni Childeberti, cum his omnibus, quæ ipſam tranſitus genitoris ſui invenerit poſſidentem, ſub omni honore & dignitate ſecura debeat poſſidere. Pari conditione repromittit Domnus Gunthramnus Rex, ut ſi, ut habet humana fragilitas, quod divina pietas non permittat, nec ille videre deſiderat, ſi contigerit Domnum Childebertum eo ſuperſtite de hac luce migrare, filios ſuos Theodobertum, & Theodoricum Reges, vel ſi adhùc alios ipſi Deus dare voluerit, ut pius pater ſub ſua tuitione & defenſione recipiat. Ita ut Regnum patris eorum ſub omni ſoliditate poſſideant, & genitricem Domni Childeberti, Domnam Brunichildem Reginam, vel filiam ejus Chlodoſuindam, germanam Domni Childeberti Regis, quamdiu intra regionem Francorum fuerit, vel ejus Reginam Faileubam, tanquam ſororem bonam, & filias in ſua tuitione & defenſione ſpirituali dilectione recipiat.* Brunichildi verò Cadurcorum civitas, ut proprium bonum relinquitur. *Burdegala* verò, *Lemovica*, *Benarno* & *Begorra*, quas germana Brunichildis Galſuenda hæc comparaarat, fruendas quàmdiu vixerit, Gunthramnus accipit; poſt ipſius obitum Brunichildis in poteſtatem venturas: *Die IV. Cal. Decemb. anno XXVI. regni Domni Gunthramni Regis, regni Childeberti verò XII. anno.*

Capit. p. 11.

Mors Radegundis: ejus hiſtoriæ breviarium.

IV. Eattemum vitæ diem clauſit fœmina magni nominis, quod pietate ſibi ſuâ pepererat, Regina Radegundis. Berthari Thoringiorum Principis filia erat, quem vi oppreſſum frater Hermenfredus interfecerat. Clothario Regi nupſerat Radegundis, cujus hiſtoriam ſummatim refert Gregorius: *Clotharius Radegundem filiam Berthari Regis ſecum captivam abduxit, ſibique eam in matrimonium ſociavit: cujus fratrem poſteà injuſte per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum converſa, mutatâ veſte, Monaſterium ſibi intra Pictavienſem urbem conſtruxit. Quæ orationibus, jejuniis atque eleemoſynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur.* Pro more ſui temporis reliquiarum amore maximo capiebatur. Itaque miſit miniſtros in Orientem, & civitatem Hieroſolymitanam, qui reliquiarum theſauros colligerent, *quos in arca argentea cum ipſa Cruce ſancta*, condidit. Hinc diſſidii cauſæ cum *Maroveo* Pictavienſi Antiſtite, qui non ſimili reliquiarum Orientalium amore capiebatur. Eum rogarat *Regina, ut cum honore debito, grandique pſallentio in Monaſterio locarentur.* Ille neglectâ petitione rus abierat, qui cauſa fuit, cur *Eufronius* Turonenſis Antiſtes reliquias cum pompa Monaſterio inveheret. Quæſitum ſæpius Marovei favorem cùm non impetraſſet, Arelatum profecta, Cæſarii Cæſariæque regulam ſuſcipit, regioque præſidio ſeſe, Monaſteriumque tuetur ſuum. Uſa eſt Venantii Fortunati amicitia. Extant Presbyteri hujus plurima ad Radegundem Epigrammata, quæ libro XI. continentur. In errorem tamen delapſus eſt Baronius, qui ſextum Epigramma Radegundi nuncupatum eſſe tradit. Illuſtriſſimi Purpurati verba ſunt: *Idem ad ipſam hæc ſcribit tum carmina:*

Gregor l. 3. c. 7.

Gregor. Mirac. l. 1. c. 5.

Greg. l. 9. c. 40.

Bar. An. 566. n. 43.

Mater honore mihi, ſoror autem dulcis amore, &c.

Atqui certo certius eſt, id Epigramma non Radegundi, ſed *Agneti* ſcriptum eſſe, quod & indicant verſus hujus Epigrammatis:

Te mihi non aliis oculis, animoque fuiſſe,
Quam ſoror ex utero, tu Titiana fores.
Ac ſi uno partu mater Radegundis, utroque
Viſceribus caſtis progenuiſſet, eram.

Ven. l. 11 c. 6.

Si qui igitur *ſuſurrones* caſtos amores carpebant, quibus Venantius ardebat Agnetem, Baronius nullo quidem jure Radegundem in ejus locum ſubſtituere debuit. Obiit labente anno Radegundis, non ut ſibi Baronius fingit, anno DXC. Quippe duodecimus Childeberti annus erat in curſu, quem in Æræ noſtræ 587. incidere, multis argumentis ſtatuimus. De excellentiſſimæ Reginæ obitu verba Gregoriana referamus. Anno Childeberti XII, *beatiſſima Radegundis cum Maroveum ſibi reconciliaſſet, hoc mundo migravit.*

Error Baronii.

Greg. l. 9. c. 2.

ANNO DOM. 587.

Quæ magnum planctum in Monaſterio, quod condiderat, dereliquit, ſuiſque & ego præſens ad eam ſepeliendam. Obiit autem menſe ſexto, tertiâ die menſis, ſepulta poſt triduum. Exceſſit ergo tertio Auguſti, feriâ primâ. Narrat Gregorius teſtis oculatus, circa feretrum ſtetiſſe Sanctimoniales circiter *ducentas*, quas monitis, exemploque ſuo in ea diſciplina conſtituerat, quibus de ſtirpe & regia & ſenatoria nonnullæ inſerebantur. Defunctæ memoria Auguſti XIII. recolitur in Martyrologio Romano: *Pictavi ſancta Radegundis Regina, cujus vita miraculis & virtutibus claruit.* Extat etiamnùm Radegundis ad Epiſcopos Epiſtola ſub annum DLXVII. exarata, cujus titulus eſt: *Dominis ſanctis, & Apoſtolicâ Sede digniſſimis in Chriſto Patribus, omnibus Epiſcopis Radegundis peccatrix.* Declarat hâc ſuâ Epiſtolâ, ſe Agnetem Abbatiſſam inſtituiſſe. Epiſtolam ab oblivione Gregorius Turonenſis vindicavit, l. 9. c. 42. Cæterùm Francis non omnia mœſta contigere. Quibus lætitiæ plurimum attulit novi nativitas Principis, de qua Gregorius: *Eo anno Childeberto Regi alius filius natus eſt, quem Veratus, Cavillonenſis Epiſcopus ſuſcipiens à lavacro, Theodorici nomen poſuit.*

Gregor. de Glor. Conf. c. 106.

Greg. l. 9. c. 4.

Conſpiratio in Recaredum: Duces ejus Deſiderium intericiunt.

V. Recaredi nunc geſta memoremus. Mutata Regis religio Arianorum exacerbarat animos. Itaque factâ conjuratione, è ſolio eum dejicere conantur. Detecta conſpiratio autoribus damno fuit, teſte Biclarienſi Chronico: *Quidam ex Arianis, Sunna Epiſcopus, & Seggo, cum quibuſdam tyrannidem aſſumere cupientes, deteguntur. Convicti, Sunna exilio traditur, & Seggo manibus amputatis, in Gallaciam exulans mittitur.* Armis quoque Recaredi proſperos Deus ſucceſſus dedit. Deſiderius Childeberti, cui Gunthramus Albigenſe oppidum reddiderat, indignationem veritus, in Gothos impetum facere ſtatuit. Expeditionem anno ſuperiori, primo Recaredi etiamnùm labente, Biclarienſis his verbis aſſignat: *Deſiderius Francorum Dux, Gothis ſatis infeſtus, à Ducibus Recaredi Regis ſuperatur, & cæſâ Francorum multitudine in campo moritur.* De cladis hujus tempore Gregorium magis ſequimur, utpote rerum, quæ in ipſa Gallia geſta ſunt, teſtem longè certiorem: Deſiderii verò & expeditionem, & interitum anno Childeberti XII. aſſignat. Aſſumpto ſecum Auſtrovaldo Comite Deſiderius cum exercitu, *Carcaſonam* petit. Commiſſo prælio, terga vertentes Gothi ſalutem fugæ ſuam mandant. Tum Deſiderius cum ſuis inſtare, fugientes inſequi, oppido appropinquare: *Tunc ad portam urbis accedens, vallatus à civibus, qui intra muros erant, interfectus eſt cum omnibus, qui cum fuerant proſecuti.* Deſiderio improbi mores inerant. Contra jus & fas prædia poteſtati ſuæ multa ſubjecerat. Ereptam viro Eulalio Arvernorum Comiti *Tetradiam* uxorem ſibi junxerat. Defuncti in locum Auſtrovaldus ſubjicitur.

Greg. l. 8. c. 45.

Deſiderius impoſtor falſas populis reliquias obtrudit: ea de re hiſtoria notabilis.

VI. Ut ad ea, quæ res Eccleſiæ attinent, veniamus, Deſiderii, de quo mentio facta eſt, alium in animos *Deſiderium* revocat, qui plebis credulitati miſerè illudebat: *Habebat cucullam & tunicam de pilis caprarum*: palam cibo potuque abſtinebat, clam verò ſe alimentis ingurgitabat. Se Martino minorem non eſſe jactabat, & ſeſe inter, & Petrum Paulumque, nunciorum opera, gloriabatur commercii eſſe plurimum. Detectis dolis, Turonenſium oppido ejicitur. Ne prætereatur id quidem, quod de alio ſeductore Gregorius eodem loco memorat, ut hoc exemplo moniti, reliquiarum præconibus nimium ne credamus. Burdegalâ ortus impoſtor quidam, anno circiter DLXXX. ſpecie pietatis multos decipit: *Colobio indutus erat, amictus deſuper ſindone, crucem ferens, de qua dependebant ampullæ, quas dicebat oleum ſanctum habere.* Vincentii Felicisque Martyrum reliquias cùm ſe habere prædicaſſet, Gregorio Turonenſi nunciatum miſit, *occurrant reliquiis ſanctis.* Cùm illi is obviam procedendi facultatem hora negaret, jubet Gregorius *beatas reliquias* ad poſteram uſque lucem in altari collocari. Impoſtor verò quaſi in contemptum adductus, multo mane Gregorio in cellulam convento minatur, illatam ſibi injuriam Chilperico Regi ſe narraturum. Lutetiam profectus, civitatem eo tempore ingreditur, quo Rogationes ante Aſcenſionem celebrabantur. Procedente cum ſuis Ragnemodo Præſule adveniens impoſtor cum cruce ſuâ, ruſticis mulierculiſque comitatus, ſacra Loca obire tentat. Cui Præſul miſſo Archidiacono hæc nunciat: *Si reliquias Sanctorum exhibes, pone eas paulisper in Baſilica, & nobiſcum celebra dies ſanctos.* Tum ille neglecto Archidiaconi mandato, convicia ingerere Præſuli. Quibus Ragnemodus probè intellexit, nebulonem maximum eſſe, & ſeductorem. Eum itaque cellulæ includi jubet: *Perſcrutanſque cuncta, quæ habebat, invenit cum eo ſacculum magnum plenum de radicibus diverſarum herbarum: ibique & dentes talpæ, & oſſa murium, & angues & adipes urſinos: videnſque hæc maleficia eſſe, cuncta juſſit in flumen projici, ablatâque ei cruce, juſſit eum à termino Pariſiacæ urbis excludi.* At ille crucem ſibi novam fabricans, quæ geſſerat, iterum exercere cœpit. Itaque captus ab Archidiacono vinculis oneratur. Conventu Epiſcoporum apud Lutetiam facto, coram ipſis adductus ab *Amelio* Beorretano Antiſtite pro famulo ſuo agnoſcitur, quem receptum in patriam reduxit.

Gregor. l. 9. c. 6.

ANNO U. C. 1341. PER. JUL. 5301. JUL. 633. DOM. 588. MAURIT. 6. & 7. CHILDEBERT. 13. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 19. *Indict.* 6. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 18. *April.*

ANNO DOM. 588.

Poſt Conſulatum Mauritii IV.

Priſci ſuperbia: milites Romani rebellant.

I. Nimia Mauritii parſimonia ingenti ſanè rebellioni materiam præbuit. Anno ſuperiore Philippico imperarat, quartam ſtipendiorum partem militibus detrahere. Seditionem veritus Philippicus, regiis mandatis obedientem ſe non effecerat. Quod cùm ægrè tuliſſet Imperator, revocato Philippico Priſcum ſuffecit, indignum ſanè, qui tanto Duci ſuccederet. Vir erat difficilis aditu, qui niſi maximæ neceſſitatis causâ in publicum prodibat. Moleſtum erat Philippico ſibi exautorato, alium ſubſtitui. Scribit igitur Heraclio, commeatus annonaſque militibus minuat. Ubi Priſcus venit in exercitum, elato ſupercilio omnes è ſublimi deſpiciens, & ad faſtum ornatus, Edicta quædam proponit de militum in bello tolerantia, de accurata ipſorum armatura, de annona, quam ex fiſco accepturi eſſent. His converſi in furorem milites, impetu *Priſci* in tabernaculum facto, ſarcinas ejus, apparatum, theſauros Barbarorum more diripiunt. Tum Priſcus ſummâ vi niti, ut offenſos placaret. Offert furentibus imaginem non manu factam,

grega-

Anno Dom. 588.

gregarios milites eo ſpectaculo poſſe placari arbitratus: *At imaginem lapidibus petierunt.* Priſcum quoque interfeciſſent, niſi equo conſcenſo Edeſſam ſe proripuiſſet. Eò proceſſit eorum indignatio, ut miſſis copiis eum hoc in oppido obſeſſum, ſibi dedi à civibus flagitarent, quod petentibus negatur. . . . .

Phot. p. 86.

Evagr. l. 6. c. 4.

Exercitus Orientis Germanum Imperatorem creant.

II. Relicto apud Edeſſam Priſco, Germanum Ducem rei militaris per Phœnicem Libanienſem injectâ manu corripiunt, ſibique Imperatorem imponunt. Abnuenti mortem minantur, ni ſponte delatum munus ſuſcipiat. Quam cùm viriliter ſperneret, poſtquam eum nec metu vinci, nec terrore percelli viderent, verbera quædam ei inferunt, exiſtimantes illum non duriorem fore, quàm natura & ipſius ætas ferret. Sic invitum cogunt conceptis verbis jurare, ſeſe fidem ipſis ſervaturum. Exinde pulſis & ordinum Ductoribus, & Tribunis, pro lubitu in eorum vicem alios ſufficiunt, Imperium Imperatoremque probris laceſcunt: nec aſſignatis ſibi & annonis, & manſionibus contenti, pro voluntate ſua commeatum accipiunt. Ad ſeditionem componendam Philippicus in Orientem rurſus mittitur, quem nedum ſuſciperent, quicunque eum ſuſceptum vellet, ei mortem minitabantur. Tam opportunâ occaſione uſi Perſæ, Romanorum in fines irrumpunt, perſuaſum habentes, graſſantibus obſtiturum fore neminem. At Germanus obviam illis profectus, victos ſic ad internecionem cædit, ut ne nuntius quidem relinqueretur, qui cladem Perſis referret. Fortitudinem militum Mauritius pecuniâ remuneratur. Revocato verò cum aliis Germano, quos ad ultimum ſupplicium Judices damnaverant, Imperator eis honores & præmia largitur. Quem rebellio finem habuerit, anno ſequente docebimur.

Evagr. l. 6. c. 5.

Evagr. l. 6. c. 9.

Terræ motus Antiochiam concutit.

III. Orientis clades intendit ingens terræ motus, quo Antiochia miserè concutitur. Calamitatis tempus docet Evagrius: *Anno urbis Antiochiæ* DCXXXVII. *poſtrema die menſis Hyperberetai, dum ego virginem ſponſam acciperem, & tota civitas feriaretur, ac publicam feſtivitatem circa pompam, thalamumque celebraret, tertiâ circiter noctis horâ terræ motus cum fragore & ſonitu irruens, totam urbem concuſſit.* Ex Noriſians Chronologia, quæ annis XLIX. Æram noſtram ab Antiochena anteverti ſtatuit, anni hujus curriculo ea clades includitur, quæ ex communi ſententia anno DLXXXIX. affigitur. Baronii quidem Chronologia, quæ terræ motum Antiochenum anno DLXXXVII. alligavit, eruditorum conſpiratione omnium exploditur. Incidit igitur ea calamitas in ultimum Octobris, diemque Dominicum; quæ temporis nota etiam atque etiam eſt obſervanda, cùm nobis facem præferat & ad obſcura hiſtoriæ illuſtranda, & ad purgandos errores tam de Synodo Conſtantinopolitana ob Gregorium Antiochenum celebrata, quàm de clade Varami, Perſarum Ducis, de Hormiſdæ Regis obitu, fugaque Coſroïs ad Mauricium, quæ Evagriani criterii ope ſuis temporibus dividi poſſunt. Luctus plurimum Antiochena vaſtatio civibus attulit, cùm ingens ſanè fuerit. Multa ædificia evertit, fundamentis ipſis ſurſum propulſis, adeò ut membra omnia, quæ erant circa ſanctiſſimam Eccleſiam, funditùs proſternerentur. Corruit magna pars regionis, quæ Oſtracine dicitur. Periere & ædificia, quæ circa venerabilem Eccleſiam Deiparæ extruebantur.

Evagr. l. 6. c. 8.

Error Baronii.

Anno Dom. 589.

Labefactatæ ſunt & univerſæ turres, quæ ſtabant in campo, reliquo tamen ædificio præter pinnas murorum integro, atque illæſo. Sexaginta circiter hominum millia eâ clade perierunt. Epiſcopus verò præter ſpem omnem incolumis evaſit, cùm domicilium, in quo ſedebat, corruiſſet, nec ullus omninò ſervatus fuiſſet præter eos, qui circa illum ſtabant. Demiſſus demum per funem periculo eripitur. Alterius verò Comes Orientis ruentium lapidum pondere opprimitur. Solatium miſeris Imperator præbuit, ſuppeditatâ ex fiſco pecuniâ.

Evagr. l. 6. c. 8.

Gregorius Turonenſis ad Gunthramnum Legatus mittitur. Quamobrem?

IV. Deferbuerat in Galliis Gunthrami & Childeberti amicitia. Querebatur Gunthramnus, debitam Silvanectenſis oppidi partem ſibi non reddi: tranſitum miniſtris ſuis à Childeberto negari: pacta, de quibus convenerant, non impleri. Gregorius Turonenſis igitur ad Gunthramnum Legatus mittitur, ut firmiſſimis Regum animi vinculis copularentur. Childebertum *Metis* agentem Gregorius adierat, qui legatione ſuſceptâ apud Cabillonenſe oppidum vertente Quadrageſimâ, Gunthramnum convenit. Tum omnibus modis nititur, ut expoſtulanti Regi ſatisfaceret. Teſtatur Childebertum ad implenda omnia paratum eſſe. Si dividendo Silvanectenſi oppido Legatos, è veſtigio mittat, rem abſque mora perficiendam eſſe. Legitur ergo pactum, quod anno ſuperiore apud *Andelaum*, Gallis *Andelat*, conſtitutum fuerat, ut quæ de Regno Chereberti pars Regum alterutri obtigerat, fixa certaque remaneret. Chlotildi quæ à Gunthramno dabantur, vel donarentur, perpetua forent. Vice verſa. Si Childebertum ad plures migrare contingat, tum Theodeberto & Theodorico defuncti filiis, nurui Faleubæ, Brunichildi matri, Chlodoſuindæque ſorori Gunthramnum auxilio eſſe venturum: *Facta pactio ſub die* IV. *Cal. Decembris, anno* 26. *Domini Gunthramni Regis, Domini Childeberti verò* XII. *anno.* Extant pacta integra apud Gregorium, l. 9. c. 20. ubi legi poſſunt. Quibus recitatis, id juramenti Gunthramnus adhibet: *Judicio Dei feriar, ſi de his quidquam tranſcendero, quæ hic continentur.* Finito Legatorum cum Rege colloquio, ad Eccleſiam procedunt, agitando Reſurrectionis Dominicæ feſto. Celebratis Miſſis, Rex Gregorium & Felicem Legatos epulis adhibet tanto Principe dignis.

Gregor. l. 9. c. 20.

Chlodoſuinda Childeberti ſoror Recaredo ſpondetur.

V. Chlodoſuindam, de qua Regum in fœdere mentio fit, ambierat Gothorum Princeps Recaredus, legatione ad Childebertum anno proximo miſſâ. Quod de lugendis morte crimen ei imponebatur, omni ratione purgare volebat. *Decem ſolidorum millibus* Brunichildis & Childeberti favorem ſibi emerat. Benignè admodum Legati ſuſcepti fuerant, de nuptiis verò Chlodoſuindæ Rex mentem eis ſuam ſic aperuerat: *Promiſſio noſtra ex hoc habilis dabitur, ſed ſine patrui Regis Gunthramni conſilio hæc facere non poſſumus.* Aliud & impedimenti huic matrimonio data Anthari Longobardorum Principi fides apponere debuiſſet. Sororem quippe ipſi ſuam Childebertus promiſerat: *Flavius Rex Anthari Legatos ad Childebertum miſit, petens ejus germanam ſuo matrimonio ſociari, cùmque Childebertus acceptis muneribus à Langobardorum Legatis ſuam germanam eorum Regi ſe daturum promiſiſſet, advenientibus tamen Gothorum de Hiſpania Legatis, eandem ſuam germanam eò quòd gentem illam ad fidem Catholicam converſam fuiſſe cognoverat, re-*

Gregor. l. 9. c. 16.

Warn. l. 3. c. 19.

pre-

Digitized by Google

promiſit. Labente anno *Felix*, Legatorum unus, qui de firmandis pactis agentem in Cabillonenſi urbe Gunthramum adierant, reginæ Chlodoſuindæ nuptiis conſenſum petit. Ac primum negabat Gunthramus, quod Ingundis in Hiſpania occiſa fuiſſe ferebatur: de vindicta magis igitur quàm de connubio cenſebat eſſe cogitandum. Narrante tamen Felice, Recaredum illatæ Ingundi injuriæ purum eſſe, Rex ſponſalibus tandem aſſenſum præbet. Quo impetrato ſororem Recaredo ſuam Childebertus promiſit. Annoque lapſuro, qui Childeberti quartus & decimus numerabatur, Brunichildis Recaredo munera miſit egregia: clypeum ſcilicet ingentis magnitudinis, auro gemmiſque conflatum: pateras duas ligneas, *quas vulgo Bacchinon vocant*, auro gemmiſque ornatas, quæ omnia *Ebregiſilo* ferenda tradita ſunt. Cum porrò Gunthramo fama nunciaſſet, ad Gundobadi filios munera hæc mitti, ab Ebrachario comprehenſus Ebredegiſilus ad Gunthramum perducitur. Tum Rex indignari, Ebregeſilum contumeliis inceſſere, mortem ei, ut proditori minitari, qui perduellis *Ballomeri* filiis dona tribueret, quibus ad ipſius cædem invitarentur. Ubi verò novit, Recaredo, qui Chlodoſuindam ducere debebat, ea munera deſtinari, placatus Rex Ebredegiſilum dimiſit. Porrò Recaredi cum Chlodoſuinda matrimonium diuturnum non fuit. Uxorem quippe duxit *Badbam*, quæ manu ſubſcriptam Toletanis Patribus fidei Confeſſionem anno 589. obtulit.

Gregor. l. 9. c. 28.

Childebertus exercitum in Italiam mittit: à Longobardis deletur.

VI. Non impunè porrò datam Anthari fidem violavit Childebertus, qui ſuorum ſanguine ſorori dotem ſolvit. Longobardos infenſos ſibi noverat, itaque armis ſuis eos Italiâ pellere ſtatuit. Eaque de cauſa Oratores Mauritio miſit, ut conjunctis & viribus & conſiliis Barbaros opprimerent. *Felici* quoque mandavit, Gunthramum rogaret, ut in Italiam expeditionem meditanti veniret auxilio. Precanti ſapienter hæc reſpondit Gunthramus: *Non poſſum in Italiam exercitum meum dirigere, ut ultrò eos morti tradam: graviſſima enim lues Italiam nunc devaſtat.* Conſiliis tamen ſuis ambitioſum juvenem, paternæque in Italia ditioni inhiantem revocare non potuit. Francorum ſanguine arva Italica pingueſcere debebant. Non triſtior unquam, non fœdior audita clades, quam Gregorii verbis referemus: *Commotis Ducibus, cum exercitu illùc abeuntibus confligunt pariter. Sed noſtris valde caſis, multi proſtrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapſi, vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit ſtrages de Francorum exercitu, ut olim ſimilis non recolatur.*

Gregor. l. 9. c. 20.

Gregor. l. 9. c. 25.

Goſuinthæ Reginæ in Recaredum conſpiratio: mors.

VII. In Hiſpania Recaredus non quietè regnabat. Odio erat Arianis, quorum religionem depoſuerat. Igitur graviſſima conjuratio in eum movetur, cui caput erat Goſuintha Regina, mulier Arianorum diſciplinæ addictiſſima. Conſpirationem ſummatim narrat Biclarienſis Abbas: *Uldila Epiſcopus cum Goſuintha Regina inſidiantes Recaredo manifeſtantur, & fidei Catholica communionem, quam ſub ſpecie Chriſtiana quaſi ſumentes projiciunt, publicantur: quod malum in cognitionem hominum deductum, Uldila exilio condemnatur. Goſuintha verò Catholicis ſemper infeſta vita tunc terminum dedit.* Anno DLXXIX. qui Childeberti quartus eſt, graviſſimam in Orthodoxos Goſuintha perſecutionem concitarat, teſtè Gregorio: *Magna*, inquit, *eo anno in Hiſpaniis Chriſtianis perſecutio fuit, multique exiliis dati, facultatibus decocti, carcere mancipati, verberibus affecti, ac diverſis ſuppliciis trucidati ſunt. Caput quoque hujus ſceleris Goſuintha fuit.* Furentis Reginæ crudelitatem non multo poſt Deus ulciſcitur, ut nota, quæ cælitus ei impreſſa eſt, inuſtas Dei ſervis maculas tegeret: *Nam unum oculum nubes alba contegens, lumen, quod mens non habebat, pepulit à palpebris.* Goſuinthæ obitum Baronius anno DLXXXV. perperam aſſignat, triennii prochroniſmo.

Gregor. l. 5. c. 38.

Error Baronii.

Synodus Galliarum generalis. Gunthramus ob peſtem rogationes jubet.

VIII. Goſuinthæ funus ad res Eccleſiæ nos ſenſim perduxit. Labente anno Synodus Galliarum generalis celebratur. Quid in ea geſtum ſit, ignoramus. Quibus verò de cauſis indicta ſit, quove tempore, nos Gregorius docuit. Voluerat Gunthramus omnes utriuſque regni Præſules unà convenire; Childeberto verò ſufficere videbatur, ut quiſque Metropolitanus Synodum cogeret ſuam, quod Gregorius etiam Gunthramo ſignificatum ivit: *Quæ enim cauſa exstat, ut in unum tanta multitudo conveniat? Eccleſiæ fides periculo ullo non quatitur: hæreſis nova non ſurgit. Quæ erit iſta neceſſitas, ut tanti debeant in unum conjungi Domini Sacerdotes? Et ille: Sunt multa*, inquit, *quæ debeant diſcerni, quæ injuſta geſta ſunt, tam de inceſtis, quàm de ipſis, quæ inter nos aguntur cauſis. Sed præcipuè illa Dei cauſa extat omnibus major, ut inquirere debeatis, cur Prætextatus Epiſcopus gladio in Eccleſia fuerit interemptus. Sed & de iis, qui pro luxuria accuſantur, debet eſſe diſcuſſio, ut aut victi Sanctione Sacerdotali debeant emendari; aut certè ſi innocentes inveniuntur, publicè error criminis auferatur. Tunc juſſit, ut in Kalendis menſis quarti hæc Synodus prolongaretur*, hoc eſt, primo Junii celebraretur. Eodem & anno cùm miſeranda lues Maſſilienſibus veniſſet, Gunthramus ad precum remedia recurrit: juſſit omnem populum ad Eccleſiam convenire, & rogationes ſumma cum devotione celebrari: & nihil aliud in uſu veſcendi, niſi panem hordeaceum cum aqua munda aſſumi: vigiliiſque adeſſe inſtanter omnes jubet. Triduo etiam eleemoſynas quàm ſolitò majores erogat. Hanc Baronius luem eandem eſſe putat, quâ anno 590. Roma correpta eſt. Sed Maſſilienſis illa anno 588. graſſata eſt labente 13. Childeberti.

Gregor. l. 9. c. 20.

Gregor. l. 9. c. 21.

Bar. An. 590. n. 30.

Pelagius in trium Capitulorum defenſores Smaragdum armat. Marani Synodus.

IX. Sub ea fortè tempora Synodus *Marani* cogitur. Urbs eſt ſtagnis Adriatici maris ferè circumdata, & in Forojulienſi littore ad Celinam amnem ſita. Synodo cauſam præbuit trium Capitulorum negotium. Scriptis anno DLXXXVI. Pelagii literis Elias Aquileienſis non acquieverat. Non tanti communionem Eccleſiæ Romanæ Venetiarum Epiſcopi emere volebant, quæ damnatione Decretorum Chalcedonenſium ſibi proponebatur. Itaque quod Epiſtolis non potuerat armis obtinere Pelagius tentat. Scribit Smaragdo Exarcho Mauritii, ut pertinaces Eccleſiæ Romanæ juſſis morigeros efficeret. Illi itaque coactâ Synodo Oratores Imperatori mittunt. Quo ſucceſſu, ipſi docent in Libello ſuo ſupplice, quem à Nicolao Fabro ſibi communicatum, Baronius Annalibus ſuis inſeruit. Narrant, Eliam Archiepiſcopum *pluribus vicibus* à Smaragdo vexatum, ipſorum conſilio ad Imperatorem miſiſſe, ut ipſo præſente Synodus cogeretur, qui trium Capitulorum negotium retractaret. Permotus eâ petitione Mauritius, Smaragdo mandat, *Ut nullatenùs quemquam Sacerdotum pro cauſa communionis inquietare præſumeret.* Intereà moritur *Elias*, cùm annos XV. Pontificatum tenuiſſet, cui Seve-

Bar. An. 590. n. 30.

rus

ANNO DOM. 588.

Warnefr. l. 3. c. 27.

rus ſufficitur, qui cùm pro tribus Capitulis fortiter dimicaret, cum vi captum Smaragdus Ravennam ducit: *Archiepiſcopo noſtro Severo, qua contumelia illata ſint, & quibus injuriis, ac cade corporali ſuſtinuit, atque violentiâ ad Ravennatem civitatem fuerit perductus atque redactus in cuſtodiam, potuit ad Domini noſtri pias aures ſine dubio pervenire.* Cum Severo tres & Epiſcopi abducuntur, *Joannes* Parentinus, *Severus* Tergeſtinus, atque *Vindemius*, necnon Antonius Eccleſiæ defenſor.: *Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati trium Capitulorum damnatori. Exempto verò anno a Ravenna ad Grados reverſi ſunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec cateri Epiſcopi eos receperunt.* Reverſo Conſtantinopolim Smaragdo cùm *Romanus* ſuffectus eſſet, Marani cogitur decem Epiſcoporum Concilium, quod reſipiſcentem Severum ſuſcipit. Audiamus iterum Paulum Diaconum:

Warnefr. l. 3. c. 27.

Poſt hac facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Marano, ubi receperunt Severum Aquileienſem dantem Libellum erroris ſui, quia trium Capitulorum damnatoribus communicaverat, Ravenna. Nomina verò Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hac ſunt: Petrus de Altino, Clariſſimus, Ingenuus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronenſis, Horontius, Vincentius, Ruſticus de Tarviſia, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acinio, Laurentius de Lunenſis. Docuit nos Noriſius, *Clariſſimum* Concordiæ Antiſtitem fuiſſe, immeritòque vocem *clariſſimus* poni, ut Petri Altinatis epithetum, quâ ratione novem duntaxat Synodo Epiſcopi interfuiſſent.

Synodi Conſtantinopolitanæ cauſa & tempus.

X. In aliud Concilium multò celebrius nos conferamus, quod Gregorii Antiocheni Præſulis cauſâ in urbe regia cogitur. Quo tempore Aſterius Orientis Comitem agebat, ortâ Præſulem inter & comitum contentione, Primores civitatis & plebeii Aſterii ſe partibus addixerant. Permiſſum populo, ut in Epiſcopum convicia conjicerent. Tum per plateas, per theatra contumelioſè homunciones in Antiſtitem ſuum bacchari, contumeliis eum onerare. Cùm autem Aſterio Joannes ſuffectus eſſet, ab Imperatore ei mandatur, ut de illo motu diligenter inquireret. At ne vel ad leviſſima quidem negotia, nedum ad rem tantam componendam vir erat idoneus. Itaque Antiochiam tumultu replet. Etenim propoſitis Edictis denuntiat, licere cuivis Epiſcopum accuſare: oblatum etiam à quodam argentariæ Menſæ Præpoſito Libellum ſuſcipit, quo & inceſtus & adulterii cum propria ſorore, quæ viro nupta erat, Gregorius poſtulabatur. Plebeculæ quoque accuſationes Joannes audit, querentis urbis tranquillitatem à Gregorio ſæpius turbatam eſſe. Reſpondet Præſul de violata pace paratum eſſe ſe defenſionem afferre; de aliis verò objectis ad Imperatorem & ad Synodum provocare.

Evagr. l. 6. c. 8.

Error Baronii.

Cæterùm de tempore Synodi controverſiæ aliquid exoritur. Baronius Labbeuſque annum ei DLXXXVII. aſſignant, repugnante prorſus Chronologiâ. Quippe menſibus *quatuor* poſt Gregorii è Concilio reditum ultimo die Octobris terræ motus exoritur, anni Epochæ Antiochenæ DCXXXVII. Hujus verò anni pars nulla in Domini DLXXXVII. incidit. Cùm igitur Synodus Conſtantinopolitana quinque ſexve menſibus ante terræ motum celebrata fuerit, utique anni DLXXXVII. curriculis includi nequit. Quod cùm probè intellexiſſet Valeſius,

Id. ibid.

in annum DLXXXIX. Synodum contulit, quia communi Chronologiæ addictus, putabat Æram Antiochenam ſolis XLVIII. annis Epochæ Chriſtianæ anteveniere. At cùm certis clariſſimus Noriſius argumentis oſtenderit, annis XLIX. Æram noſtram ab Antiochena ſuperari, exploratum eſt, anno DLXXXVIII. Synodum Conſtantinopolitanam eſſe tribuendam. Quid in ea geſtum ſit, nunc videamus.

ANNO DOM. 588.

Geſta Conſtantinopolitanæ Synodi. De titulo Oecumenici Joanni dato. Subdita Pelagii Epiſtola.

XI. Evagrius, qui *Gregorio* & Conſiliarius & Comes, in urbem regiam venit, hæc narrat: *Cùm omnes, qui ubique ſunt, Patriarcha partim per ſe, partim per Legatos ſuos quaſtioni intereſſent; Senatores item urbis Regia, & ex religioſiſſimis Metropolitanis quàm plurimi negotio diu multùmque examinato, tandem poſt multas actiones Gregorius cauſam obtinuit: adeò ut accuſator nervis caſus, & per totam urbem circunductus exilio multaretur.* Cogendæ quidem Synodi Joanni Conſtantinopolitano res Gregorii prætextui fuiſſe, *reverà autem, ut illud de nomine Oecumenici adimpleret*, Baronius tradit.

Evagr. l. 6. c. 7.

Bar. An. 587. n. 4.

Vanam ſanè conjecturam, cùm anno DXVIII. Joannes Cappadox Conſtantinopolitanus Patriarcha titulo Oecumenici jam decoratus fuiſſet. Qui titulus verbis expreſſis reperitur in Cleri Antiocheni Libello ſupplici. Sed & in relatione Synodi Conſtantinopolitanæ anno 518. à Joanne congregatæ, hæc leguntur: *Domino noſtro ſanctiſſimo & beatiſſimo Patri Patrum, Archiepiſcopo & Oecumenico Patriarcha Joanni, Synodus in hac Imperiali civitate congregata in Domino ſalutem.* Anno quoque 533. Juſtinianus hæc Epiphanio ſcripſerat: *Epiphanio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo regia hujus urbis, & Oecumenico Patriarcha.* Sed & anno DXLII. poſt Conſulatum Baſilii Novellam Anthimo direxerat Imperator cum hac præfatione: *Anthimo ſanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, & univerſali Patriarcha.*

Cod. l. 1. Tit. 1. c. 7.

Novel. 16.

Contrà verò Joannem urbis Romanæ Epiſcopum *Oecumenici* titulo Juſtinianus non ornaverat, quem ſic compellat: *Victor Juſtinianus pius, felix, Triumphator, ſemper Auguſtus, Joanni Sanctiſſimo Archiepiſcopo alma urbis Roma, & Patriarcha.*

Cod. l. 1. Tit. 1. c. 8.

Itaque nil cauſæ Joanni Jejunatori erat, cur Synodum reverà convocaret, ut *Oecumenici* dignitate diceſceret, quam deceſſores ab annis LXX. induerant. Neque titulum Regiæ urbis Præſuli invidebant Alexandrini Epiſcopi, teſte Cyri ad Sergium Epiſtolâ, cujus inſcriptio eſt: *Deo honorabili, meo Domino benigno, Principi Paſtorum, Patri Patrum, Univerſali Patriarcha Sergio, à Cyro humili veſtro.* Illo & ipſo titulo Conſtantinus Pogonatus Georgium Conſtantinopolitanum afficit in ſuo diplomate: *Georgio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, & univerſali Patriarcha.* Itaque ut avitum honorem poſteris tranſmiſſum, vel invitis ſuis calamitatibus, Conſtantinopolitani Præſules retinuerunt. Hinc Inſcriptio Teſtamento Arſenii præfixa: *Teſtamentum ſanctiſſimi Arſenii Archiepiſcopi Conſtantinopolis Nova Roma, & Oecumenici Patriarcha.*

Cotel. Mon. t. 2. p. 168.

Cæterùm titulus ille Joanni datus Pelagium Papam valde commovit, cùm parem pati non poſſet. Itaque Conſtantinopolitanæ Synodi geſta reſcindit, teſte Gregorii Magni ad Eulogium, & Anaſtaſium Epiſtolâ: *Ante hos ſi quidem annos ſancta memoria deceſſoris mei Pelagii tempore frater & Coepiſcopus noſter Joannes in Conſtantinopolitana urbe ex cauſa alia occaſionem quarens, Synodum fecit, in qua ſe univerſalem appellare*

Gregor. l. 4. Ep. 36.

Anno Dom. 588.

pellare conatus eſt. Quod mox idem deceſſor meus ut agnovit, directis literis ex autoritate S. Petri Apoſtoli ejuſdem Synodi Acta caſſavit. Diaconum verò, qui juxta morem pro reſponſis Eccleſiæ faciendis piiſſimorum Dominorum veſtigiis adhærebat, cum præfato Conſacerdote noſtro, Miſſarum ſolemnia celebrare prohibuit. Periit Pelagii hæc Epiſtola, cujus exemplar Eulogio & Anaſtaſio Gregorius direxerat. Extat quidem adhùc Epiſtola, cui titulus præfigitur: *Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis, qui illicitâ vocatione Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Synodum Conſtantinopolitanam convenerunt Pelagius.* Queritur hæc Autor Epiſtolæ: *Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum univerſalem ſe ſubſcribere, vosque ex hac ſua præſumptione ad Synodum convocaſſe generalem, cùm generalium Synodorum convocandi autoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari privilegio tradita ſit.* Teſtatur, Joannis deceſſores, ipſumque Joannem ſæpiſſimè Epiſtolas atque Libellos propriâ manu ſubſcriptos Romanis miſiſſe Pontificibus, quibus profitebantur, ſe de Sedis Apoſtolicæ privilegiis nolle aliquid delibare. Vetat, ne Patriarcharum ullus *profano* eo titulo utatur, Joannique, ni reſipiſcat, excommunicationem minatur. Baronius tanti fecit Epiſtolam, ut ſuis Annalibus totam inſeri voluerit. Quin tamen falſa prorſus ſit, nos haud dubitamus. Primum enim ſtylum Iſidori Mercatoris penitùs redolet. Conſtat variis Pontificalium Decretalium laciniis. Falſa prædicat, & cum Veterum moribus pugnantia, quod *generalium Synodorum convocandi autoritas ſingulari privilegio* Papis credita ſit. Hoc privilegii Imperatoribus competebat, qui omnia Concilia Oecumenica indixerunt. Denique quod ſolvi non poteſt, Epiſtola ſcripta prius dicitur, quàm Synodus Conſtantinopolitana cogeretur. Data eſt *Calendis Martii, anno Dom.* DLXXXVII. *Indictione quintâ.* Atqui Synodus Conſtantinopolitana anno duntaxat DLXXXVIII. celebrata eſt, Indictione ſextâ. Quis ergo ſibi inducat in animum, Pelagium damnaſſe Synodum, quæ nondum celebrata erat? Affirmat quidem larvatus ille Pelagius, ſe poſt Synodum Epiſtolam ſuam concinnaſſe: *Quidquid in prædicto veſtro Conventiculo ſtatuiſtis, præcipio & vana, & caſſata eſſe.* Scilicet anno DLXXXVII. reſcindebat Pelagius, quæ anno duntaxat inſequente geſta ſunt. En jecur Chronologicum impoſtoris! Epiſtolæ hujus notâ Baronius tamen impulſus eſt, ut anno ſuperiori Synodum Conſtantinopolitanam aſcriberet. Si verum ergo placet, fateamur germanam Pelagii Epiſtolam deſiderari. Non ſolus Pelagius, Gregorius quoque Pelagii ſucceſſor ob Oecumenici titulum in Joannem invectus eſt Epiſtolâ, quam Euſebio Theſſalonicenſi miſit,

Lab. Conc. t. 5. 1352. quæ editionis Labbeanæ numero eſt 104. *Cognoſcat ſiquidem fraternitas veſtra, Joannem quondam Conſtantinopolitanæ civitatis Antiſtitem contra Deum, contra pacem Eccleſiæ in omnium deſpectu & injuria Sacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in Synodo ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicum, hoc eſt, univerſalis ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem Synodi præter illa, quæ illic de cauſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, validâ omninò diſtrictione caſſavit; diſtrictiſſimâ illum increpatione corripiens, ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine compeſceret: adeò ut ſuum illi Diaconum, niſi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet.* Sed & in Epiſtola ad Joannem anno 595. ſcripta, Gregorius hæc habet: Poſt Pelagii obitum *cùm indignus ego ad Eccleſiæ regimen adductus ſum, & ante per alios reſponſales meos, & nunc per communem filium meum, Sabinianum Diaconum, alloqui fraternitatem veſtram, ut à tali ſe præſumptione compeſceret, non equidem ſcripto, ſed nudo ſermone curavi. Et ſi emendari nollet, cum Miſſarum ſolemnia cum fraternitate veſtra celebrare prohibui.* Pace tamen Pelagii atque Gregorii, magnos in ſimpulo fluctus moverunt: cùm Joanni id non eſſet in animo, ut cæteris Præſulibus dignitatem ereptum vellet, ſibi ſoli aſſumendam. Nil aliud cogitabat, quàm ex privilegiis regiæ urbis & ex Synodorum conceſſione Romano ſe Pontifici æqualem, cæteris totius orbis Epiſcopos honore ſuperiorem eſſe, quod & lubentes agnoſcebant. Superbum titulum non repudiarunt Gregorii poſteri. Conſtantinus ſanè Pogonatus ſic ſcribit Agathoni: *Sanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & univerſali Papæ.*

Anno Dom. 588.

Greg. l. 4. Ep. 38.

ANNO U. C. 1342. OLYMP. 342. PER. JUL. 5302. JUL. 634. DOM. 589. MAURIT. 7. 8. CHILDEBERT. 14. *Sol.* 10. B. *Lun.* 1. *Indict.* 7. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

Anno Dom. 589.

Poſt Conſulatum Mauritii V.

I. MAgnam in ſuſcipiendo Germano, Ducibuſque qui rebellioni adhæſerant, clementiam Mauritius adhibuerat. Ut milites ad officium revocaret, *Andream*, qui Imperialium ſatellitum primus erat, in Orientem miſit, militibus perſuaſurum, ut quos habuerant Ductores, ſuſciperent. Quod mandatum cùm ne vel audire ſuſtinuiſſent, hujuſce negotii cura in Gregorium Antiochenum transfertur. Quippe magnus huic Præſuli honos ab exercitu habebatur: cùm militibus & veſtes, & pecuniam ſæpius erogaſſet. Miſſis igitur quoquaverſum nuntiis, de exercitu præcipuos evocat ad locum, qui *Litarba* vocatur, trecentis ſtadiis ab Antiocheno oppido diſtantem. Quos in lecto decumbens hortatur, ne debitam Imperatori obedientiam exuant: *Perſpicuè, inquit, declaraſtis, licet adverſus Duces veſtros cauſas doloris habeatis, nihil tamen Republica antiquius vobis eſſe. Hæredes igitur eſtote obedientiæ majorum veſtrorum, ſicut fortitudinis eorum hæredes fuiſtis, ut vos Romanos undecunque oſtendatis.* Monet dein, quinam ſint exitus tyrannorum; hortanti ergo attendant, utpote interpretem agenti Imperatorem inter & exercitum. Orationem cùm ejus lachrymæ excepiſſent, momento temporis militum mentes omnium commutantur: deliberationeque factâ ſeſe arbitrio voluntatique Epiſcopi permittunt. Qui cùm Philippicum ipſis nominaſſet, ut ſibi Ductorem poſtularent, aiunt ſe ne id facerent, gravi juramento obſtrictos eſſe. Tum Gregorius ait, ſibi Sacerdoti ligandi & ſolvendi poteſtatem eſſe conceſſam. Acquieſcentibus itaque militibus ſupplicationum ſacrificio Deum placat: *& immaculato corpore iis diſtributo, erat enim venerabilis imprimis dies, ſecunda feria, quæ Dominicæ Paſſioni vicina eſt, cùm univerſos duo circiter hominum millia toris in graminibus tumultuariè compoſitis, cœnâ excepiſſet, poſtridie domum reverſus eſt.* Acceſſito tum Philippico, qui Tarſo, ubi morabatur, reditum in urbem regiam jam medita-

Gregorius militum ſeditionem oratione comprimit.

ANNO DOM. 589.

ditabatur, illi, qui baptiſmum adepti fuerant apud Antiochiam, ad genua cadentes, veniam orant, qui datâ dexterâ præteritorum oblivionem ſupplicibus concedit.

Evagr. l. 6. c. 14.

Philippicus Martyropolim obſidet. Nullo ſucceſſu.

II. Compoſitâ diſcordiâ Philippicum ſequitur exercitus ad obſidendam Martyropolim, quæ proditione Sittæ Perſarum in poteſtatem ceciderat. Martyropoli Decanum Sittas agebat, qui ut illatam ſibi à militiæ Rectoribus injuriam ulciſceretur, dum milites, qui præſidio erant, ex oppido diſcedunt, introductâ quadringentorum Perſarum manu, quaſi ea Romanorum eſſet, urbem occupat. Ex junioribus fœminis pleraſque retinet; reliquos verò omnes, exceptis ſervulis ejicit. Oportunam ergo Romanis civitatem Philippicus obſidione cingit. At cùm inſtrumenta neceſſaria eum deficerent, plus quidem detrimenti accipiebat, quàm hoſtibus inferebat. Solutâ igitur obſidione id unum obſervat, ne obſeſſis ſubmitterentur auxilia. Verùm cùm juſſu Imperatoris Gregorius ad exercitum ſe contuliſſet, ut ei perſuaderet obſidionem repetere, deſtituti bellicis machinis milites, nihilò plus quàm anteà profecere. Itaque dimiſſo ad hiberna exercitu in caſtellis præſidia relinquuntur, ne Martyropolim Perſæ clanculò ingrederentur. Noſtræ porrò Chronologiæ regulam habemus Evagrium, quo Scriptore eas res quod attinet, vix certiore uti poſſumus, cùm & Antiochiæ moraretur, & Gregorio Antiſtiti comes amicuſque fuerit. Is verò annis ſuis ea, quæ à Philippico poſt terræ motum Antiochenum geſta ſunt, tam accuratè, tamque diſtinctè dividit, ut omnibus anteponi jure debeat. Itaque Petavio, qui Romanam de Perſis victoriam, ob quam iratus Hormiſdas Baramo Duci muliebrem ſtolam per ludibrium miſit, anno DLXXXIX. Indictioni VII. aſſignat, prorſus aſſentiri non poſſumus. Sanctâ hebdomade, in qua Gregorius reconciliatis militibus diſtribuit corporis Chriſti ſacramentum, illa ipſa eſt, quæ Antiochenam concuſſionem, quam proximè excipit, proindeque labentis anni limitibus includitur. Philippicus etiam exercitibus Orientis anno proximè futuro adhùc præfuit, cujus tam æſtatem, quàm hyemem memorat Evagrius. Non igitur ante annum DXCI. Baramus à Commentiolo vinci potuit, quo & debellatum fuiſſe putamus.

Evagr. l. 6. c. 14.

Anthari cum Theodelinda nuptiæ.

III. Orientis rebus illæ Occidentis nunc ſuccedant. Cùm Longobardorum Rex *Anthari Chloſuinda*, quam uxorem ſperabat, nuptiis excidiſſet, amores aliò convertit ſuos. Theodelindam Bajoriorum Regis *Garibaldi* filiam miſſâ legatione petit. Quæ ambienti conjux promittitur. Ille ſponſam videndi cupidus, paucis aſſumptis ſibi comitibus, ignotus ad eam accedit. Nunciat Regi, ſe ab Anthari miſſum eſſe, ut viſâ Theodelindæ formâ, qualis eſſet, domino ſuo referret. Accerſita mulier, quæ ſpeciei elegantis erat, cùm Anthari placuiſſet, *Garibaldum* rogat, ut ipſa vini calicem Legatis propinaret. Quem cùm *Anthari* præbuiſſet, dum evacuatum ille poculum porrigenti reddidiſſet, ejus manum nemine obſervante tetigit. Quo audito, nutrix Theodelindæ ſponſum virginis eſſe novit. Anthari poſt reditum exorto tumultu obvenientes Bajoriariorum in ditionem Francos, Theodelinda cum fratre Gundoal in Italiam fugit: *Cui ſtatim*

Warnefr. l. 3. c. 31.

Anthari obviam cum magno apparatu nuptias celebraturus in Campo Sardis, qui ſupra Veronam eſt, occurrens, eandem cunctis lætantibus in conjugem Idus Maias accepit. Brevis ea lætitia, breve matrimonium fuit, cùm anno inſequente Nonas Septembris Anthari perierit. Intereà cognito, Childebertum cum exercitu expeditionem in Italiam parare, Longobardi miſſis ad Regem muneribus, certum ei tributum, copiaſque auxiliares pollicentur. Placuit Gunthramo conditio fœderis, nec non Childeberto, quod tamen non eſt initum. *Gregor. l. 9. c. 29.*

Gravis in Italia inundatio.

IV. Dum in Italia verſamur, prodigioſa inundatio non eſt ſilentio prætereunda. Contigit, Warneſredo teſte, *ſexto decimo* Kal. Novembris, & ad Novembrem uſque prorogatur. Gregorius Turonenſis quidem menſi *nono* eam aſſignat, & ſic verbis ſuis depingit: *Tantâ inundatione Tiberis fluvius urbem obruit, ut ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Eccleſiæ ſubverſa ſunt, in quibus nonnulla tritici modiorum millia periere. Multitudo enim ſerpentum, cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare deſcendit. Sed ſuffocatæ beſtiæ inter ſalſos maris turbidi fluctus littori ejectæ ſunt.* In Venetiarum quoque tractu exundans ſupra modum Atheſis, Veronenſem urbem terruit. Refert Gregorius in ea de inundatione miraculum, Zenonis meritis aſcriptum: *Apud Veronenſem urbem fluvius Atheſis excreſcens ad B. Zenonis Martyris atque Pontificis Eccleſiam venit, cujus Eccleſiæ dum eſſent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit: quæ paulatim creſcens uſque ad feneſtras Eccleſiæ, quæ erant tectis proximæ. Sicque ſtans aqua Eccleſiæ januam clauſit, ac ſi elementum liquidum in ſoliditatem parietis fuiſſet mutatum. . . . Hauriri itaque aqua poterat, ſed diffluere ut aqua non poterat, ſtans ante januam ad oſtendendum cunctis meritum Martyris.* Hæc à Pronulpho Comite audita Joannes Tribunus Gregorio narravit. De miraculo fides ſit penes Autorem, cui in ea re non ſumus creduli, licet ſummâ veneratione Dei potentiam colamus. Sed hic ſeſe extruiſſe, ut naturæ leges nullâ neceſſitate jubente refigeret, nobis non fit veroſimile. *Gregor. l. 10. c. 1.* *Greg. Dial. l. 3. c. 19.*

Boſo Dux Gunthrami à Gothis deletur.

V. Tempus eſt ea narrare, quæ in Gallia gerebantur. Gothis Gunthramus infenſus erat, qui copias ejus variis cladibus affecerant. Boſonem igitur cum exercitu in Septimaniam miſit, qui regionis hujus urbes ſuo Regi ſubjiceret. Dignam tamen ſuperbiâ ſuâ mercedem Boſo retulit. Juxta fluviolum prope Carcaſſonam caſtrametabatur, epulis & comeſſationibus operans, conviciiſque Gothos urgens, cùm illi inopinatum in Francos impetum faciunt. Ac poſt breve prælium ſimulatâ fugâ inſequentes, in inſidiis, quas comparaverant, excipiunt, concluſoſque ad internecionem uſque delent. Periere Francorum quinque millia, duo millia peditum capiuntur, ſuppellex omnis diripitur. Cladis hujus meminit & Biclarienſis, nec ſine miraculo, cujus eſt difficillima fides, quod ſcilicet tantus Gunthrami exercitus à ſolis trecentum militibus fuſus fuerit. Verba Scriptoris ipſiſſima referre juvat: *Francorum exercitus à Gunthramo Rege tranſmiſſus, Boſone Duce in Galliam Narbonenſem obveniunt, & juxta Carcaſſonam urbem caſtrametati ſunt. Cui Claudius Luſitaniæ Dux à Recaredo Rege directus obviam mihi occurrit, cum quo congreſſione factâ Franci in fugam vertuntur, & direpta caſtra Francorum, & exercitus à Gothis caditur. In hoc ergo certamine gratia divina, & fides Catholica, quam Recaredus Rex in Gothis fideliter adeptus eſt, eſſe noſcitur operata, quoniam non eſt* *Gregor. l. 9. c. 31.*

ANNO DOM. 589.

difficile Deo noſtro, ſi paucis una in multis detur victoria. Nam Claudius Dux cum trecentum viris ſexaginta millia fermè Francorum noſcitur infugaſſe, & maximam eorum partem gladio trucidaſſe. Graves ob hanc cladem in Childebertum inimicitias Gunthramnus ſuſcipit. Queritur inici à Childeberto cum Recaredo fœderis cauſâ exercitum delectum eſſe. Claudit ditionis ſuæ vias omnes, ne regnum Childeberti pervium foret. Brunichildem convitiis onerat, quaſi ejus conſiliis hæc omnia facta fuiſſent. Synodum Epiſcoporum Calendis Novembris indicit. Verùm cùm de accuſationibus ejuſmodi adhibito vel ſacramento Regina ſeſe purgaſſet, & viæ reſerarentur, ad Conventum properantes Epiſcopi ad ſua redeunt.

Gregor. l. 9. c. 32.

Riguntbis & Fredegundis jurgia.

VI. Riguntbis etiam & Fredegundis concordia perierat. Ad aurium fatigationem uſque impia filia matri conviciabatur. Illa ſe dominam, hanc verò ſervam prædicabat, eòque jurgia proceſſerant, ut invicem pugnis ſeſe cæderent. Quondam ſimulatâ manſuetudine Fredegundis facultates ſe paternas Riguntbi ſe concedere velle teſtatur, ductæque in conclave precioſa monilia ex arca extracta offert. Ac deinde, *Jam*, inquit, *laſſata ſum, immitte tu manum, & ejice quod inveneris.* Dictis cùm obſequeretur filia, mater illicò arcæ operculum in quærentis cervicem impellit, ut attritâ gulâ penè creparent oculi. Extinctaque fuiſſet, niſi ancillæ ipſius veniſſent auxilio. Hinc aucta jurgiorum ſeges, ac tantò magis, quantò Riguntbis in adulteria delapſa regiam domum polluebat.

Gregor. l. 9. c. 34.

Conjuratio in Childebertum & domum regiam.

VII. Gravis intereà in Childeberti familiam conjuratio detegitur. Ægrotabat *Faileuba* Regina ex partu, qui mox extinctus fuerat, cum moleſtum ei nuncium affertur, quâ poſtquam convaluit, regias aures imbuit. Scilicet *Septiminam* infantium ipſius nutricem Regi ſuadere velle, ut ejectâ uxore aliam duceret, Brunichildemque matrem rerum adminiſtratione pelleret. Quòd ſi aſſenſum Childebertus negaret, *ipſo maleficiis interempto*, filios ejus ad regnum proveheret. Facinoris ſocii *Droctulus*, quocum Septimina *Jovio* viro ſuo prius interempto, ſtupri conſuetudinem habebat. Item *Sunegiſilus* Comes Stabuli, & *Gallomagnus* Referendarius. Correpti ſubinde Droctulus & Septimina, tormentiſque ſubditi, ſcelus fatentur. Sunegiſilus verò, & Gallomagnus conſcientiæ pondera non ferentes, Eccleſiam petunt. Conceſſâ eis ſalute ob azyli venerationem, Rex eos ad judicium provocat. Fatentur, quod agitabant Droctulus & Septimina, ſibi fuiſſe manifeſtatum; conſenſum præbuiſſe negant: Tum *Septimina cum Droctulfo vehementer caſa, ac cauteriis accenſis in facie vulnerata, ablatis omnibus, quæ habebat, in Marilegium villam deducitur, ut ſcilicet trahens molam iis, quæ in gynæceo erant poſitæ, per dies ſingulos farinas ad victus neceſſarias pararet. Droctulfum autem inciſis capillis & auribus ad vineam excolendam delegarunt.* Sunegiſilus & Gallomagnus in exilium ejecti rogante Gunthramno revocantur.

Gregor. l. 9. c. 38.

Mors Ingobergæ Reginæ.

Gregor. l. 4. c. 26.

VIII. Ut regios caſus narrare pergamus, Ingoberga quondam Chereberti uxor morte ſternitur. Nobilem virtutibus fœminam Cherebertus Marcovefæ & Meroſledis amoribus ſerviens facto divortio reliquerat: infenſus quòd ſibi vocato, quaſi nova viſuro pellicum genitorem lanas tractantem oſtendiſſet. Ingobergam multis laudibus Gregorius effert: *Valde cordata erat, ac vitâ religioſa prædita: Vigiliis & orationibus atque eleemoſynis non ignava.* Gregorium accerſiri jubet, ut ipſius conſilio facultates Eccleſiis erogaret ſuas, quas partim Eccleſiæ Turonicæ & Baſilicæ Martini, partim Cænomanicæ Eccleſiæ diſtribuit: *Ac poſt paucos menſes ſubitaneâ ægritudine fatigata, migravit à ſeculo, multos per chartulas liberos derelinquens, ſeptuageſimo ut arbitror vitæ anno, relinquens filiam unicam, quam in Canthia Regis cujuſdam filius matrimonio copulavit.* Delirat hîc Baronii Chronologia, quæ Ingobergis obitum anno DXCIII. affigit, quadriennii metachroniſmo. Anno Childeberti XIV. extremum diem Regina morte confecit, quâ temporis notâ error evellitur Baronio.

ANNO DOM. 589.

Gregor. l. 9. c. 26.

Error Baronii.

Bar. An. 593. n. 87.

Turbæ in Monaſterio Pictavienſi, adverſus Leuboveram Abbatiſſam.

IX. Rebus Imperii illas Eccleſiæ nunc ſubnectimus. In Pictavienſi Monaſterio, quod Radegundis extruxerat, gravis tumultus exoritur. *Chrodieldis*, quæ Chariberti filiam ſe jactabat, conjuratione in Abbatiſſam *Leuboveram* factâ, à Sanctimonialibus impetrat, ut in ejectæ locum ſe ſubſtituant. Cùm *Baſina* Chilperici filia, quadraginta circiter puellis comitata, Monaſterio egreditur, eo prætextu, quòd non ut fœminæ regio ſanguine ortæ, verùm ut ancillæ tractarentur. Pedibus iter conficiunt, nemine eis præbente cibos. Augebat moleſtiam aëris inclementia ob ingentem pluviarum copiam, quibus corruptæ viæ diſſolvebantur. Turonos accedunt, *die primâ menſis primi*, hoc eſt, Kalendis Martii, feriâ tertiâ. Ac Chrodieldis & Gregorium rogat, ut Sanctimonialibus victum præbeat, donec poſt oblatam Regi expoſtulationem eò redeat. Tum Gregorius ſapienter monere, ſi *Leubovera* ſacros Canones perfregerit, paratum eſſe ſe unà cum Maroveo Pictavienſi Præſule meritam Abbatiſſæ cenſuram inurere. At Chrodieldis inſtare, nullis monitis à conſilio Childebertum adeundi revocari. Ad hæc Gregorius, vereri ſe ne Sacerdotali ſententiâ ſeditioſæ excommunicatione feriantur, uti præcipiebat Epiſtola Præſulum, cujus meminimus, ad Radegundem, quam etiam legit, ut ad obſequium pertinaces flecteret. Sed & Maroveo Epiſcopo infenſæ erant, ejuſque famæ detrahebant. Monente tamen Gregorio, ut Turonis tempeſtatem expectarent commodiorem, tandem acquievere. Æſtate igitur ineunte Chrodieldis, relictis conſobrinæ Baſinæ Virginibus, ad Gunthramnum accedit: à quo benignè ſuſcepta, muneribuſque cumulata, Turonos revertitur. Intereà relictarum Sanctimonialium multæ matrimonium ineunt. Baſina verò & Chrodieldis cùm ex Epiſcopis, quos expectabant, venire nullum vidiſſent, Pictavum reverſæ, Hilarii ſe Baſilicæ includunt, *congregatis ſecum furibus, homicidis, adulteris.* Sic ad prælia comparatæ, negant ſe in Monaſterium reverſuras, niſi Abbatiſſa foras ejiciatur.

Gregor. l. 9. c. 40.

Conventus Pictavienſis ob Chrodieldis & Virginum in Leuboveram tumultum.

X. Dum hæc geruntur, Conventus fit Epiſcoporum Pictavienſi in oppido: *Gundegeſilus Burdegalenſis adjunctis ſecum Nicaſio Egolıſmenſi, Saffrario Petragorico, ac ipſo Maroveo Pictavienſi Epiſcopis, eò quòd hujus urbis Metropolis eſſet, ad Baſilicam Sancti Hilarii advenit, arguens has puellas, & in Monaſterium reducere cupiens. Sed cùm illæ obſtinatius reluctarentur, & hic cum reliquis juxta Epiſtolam ſuperius nominatam eis excommunicationem indiceret, exurgens turba mortuorum præfatorum, tantâ eos in ipſa Sancti Hilarii Baſilica*

cæde

ANNO DOM. 589.

cado mactavit, ut contuentibus in pavimento Epiſcopis vix conſurgere poſſent. Sed & Diaconi & reliqui Clerici ſanguine perfuſi, cum effractis capitibus Baſilicam ſunt egreſſi. Tantus verò recedentes timor occupat, ut abſque ſalutatione quâ datâ primâ viâ raptim abierint. Quin etiam Deſiderius Syagrii Auguſtodunenſis Diaconus non inquiſito Cleni fluminis vado, natante equo ulteriori ripæ infertur. Tum Chrodieldis furere; villas Monaſterii pervadere; quoſcunque de Monaſterio capere potuit, virgis cædere; verberatos ſervituti ſubjicere. Quod cùm Childeberto nunciaretur, *Macconi* Comiti mandat, ut vim eam comprimat. Gundegeſilus quoque, qui cum Collegis Chrodieldem & Baſinam vinculis excommunicationis onerarat, ad Sacerdotes Epiſtolam ſcribit, quos Gunthramnus congregarat, à quibus Gundegeſilo Epiſtola dirigitur: *Domino ſemper ſuo, atque Apoſtolicâ Sede digniſſimo Gundegiſilo, Nicaſio & Saffario, Ætherius, Syagrius, Aunacharius, Heſychius, Agrœcola, Urbicus, Felix, Veranus; item Felix, & Bertbramnus Epiſcopi. Literas veſtræ beatitudinis quantum reſerante nuncio de veſtra ſoſpitate gaviſi excepimus, tantum de injuria, quam vos pertuliſſe ſignaſtis, non modico mœrore aſtringimur, dum & regula tranſcenditur, & nulla reverentia religioni ſervatur.* Deinde Monialium excommunicationi ſuum ſe calculum addere teſtantur: *Quia optimè vos novimus, ſtatuta Canonum percurriſſe, ac regulæ plenitudinem continere, ut qui in talibus exceſſibus videntur deprehendi, non ſolum excommunicatione, verùm etiam pœnitentiæ ſatisfactione debeant coërceri, ea de re addentes cum venerationis cultu, ſumma aviditatis dilectionis inſtinctum, indicamus ea, quæ definiſtis, nos concordantes veſtræ ſententiæ conſentire, quoad uſque in Synodali Concilio Calendis Novembribus pariter poſiti debeamus conſilio pari tractare, qualiter talium temeritas frenum diſtrictionis poſſit accipere, nulli liceat ſub hunc lapſum faciente jactantia, ſimilia perpetrare.* Rogant tamen, ne errantes ſuo præſidio Sanctimoniales deſtituant, ut illæ, quæ perierunt animæ ad vitam revocentur. Leubovera quoque Abbatiſſa ad vicinarum urbium Epiſcopos exemplar Epiſtolæ, quam Præſulibus Radegunda ſcripſerat.

Gregor. l.9.c.41.

Qua de re ſuo loco mentio facta eſt.

Synodus Toletana tertia.

XI. In Hiſpania Concilium Gallicanâ Synodo longè celebrius apud Toletum mandante Recaredo cogitur. Biclarienſis Abbatis verba ſunt: *Sancta Synodus Epiſcoporum totius Hiſpaniæ, Galliæ & Gallæciæ in urbe Toletana, præcepto Principis Recaredi congregatur Epiſcoporum numero* LXXII. *in qua Synodo intererat memoratus Chriſtianiſſimus Recaredus, ordinem converſionis ſuæ & omnium Sacerdotum, vel gentis Gothicæ Confeſſionem tomo ſcriptam, manu ſuâ Epiſcopis porrigens, & omnia, quæ ad profeſſionem fidei orthodoxæ pertinent, cujus tomi ordinem decrevit Sancta Epiſcoporum Synodus, Canonicis applicare monumentis. Summa tamen Synodalis negotii penes Sanctum Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium, Monaſterii Servitani Abbatem fuit.* Tempus Synodi docet præfatio: *In nomine Domini noſtri J. C. anno quarto, regnante glorioſiſſimo Domino Recaredo Rege, die octavo Iduum Maiarum, Æra* DCXXVII. *hæc Sancta Synodus habita eſt in civitate Regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ, & Galliæ.* Nec mirum Galliæ adfuiſſe Epiſcopos, cùm Gallia Narbonenſis Gothorum ditioni includeretur. Extant adhùc nomina Epiſcoporum LXXII. qui per ſe, vel per Legatos Synodo interfuere. Leander Hiſpalenſis, qui licet tertius in ſubſcriptionibus inveniatur, Concilii tamen Principem egiſſe videtur, ut Joannes Biclarienſis innuit: *Manſana* Emeritenſis, *Euphemius* Toletanus, *Migetius* Narbonenſis, *Pantaradus* Bracarenſis, qui & pro ſe, & pro *Nigiſio* Lucenſi ſubſcripſit; *Ugnus* Barcinonenſis, *Mauila* Valentinus, *Ananius* Orcetanenſis, *Sedatus* Beterrenſis, *Palmatius* Pacenſis, *Joannes* Metaſenenſis, *Mutto* Setabitanus, *Petrus* Oſſonobenſis, *Stephanus* Carcaſſonenſis, *Gabinus* Oſſonenſis, *Neuſila* Tudenſis, *Paulus* Olliſipponenſis, *Sophronius* Agathenſis, *Joannes* Dumienſis, *Venenatus* Egabrienſis, *Polybius* Ilerdenſis, *Proculus* Segobrienſis, *Ermaricus* Lactorenſis, &c. Eſt porrò animo recondendum, quod nos Sirmondus monuit, Benenatum, qui in Vulgatis Concilii ſubſcriptionibus *Egabrienſis* Eccleſiæ Epiſcopus dicitur, Elnenſibus ſacris præfuiſſe; contrà verò Joannem, qui Elnenſis Eccleſiæ Præſul in ſubſcriptionibus reverà vocatur, Egabrienſi Eccleſiæ fuiſſe præfectum, uti liquet ex Hiſpalenſi Concilio ſequentis anni.

Geſta Synodi Toletanæ tertiæ.

XII. Cùm Toletum Præſules veniſſent, eos alloquitur Recaredus: *Admoneo*, inquit, *pariter & exhortor, jejuniis vos & vigiliis, atque orationibus operam dare, ut ordo Canonicus, quem à Sacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa & diuturna oblivio, quem ætas noſtra ſe neſcire fatetur, divino vobis rurſus dono pateſiat.* Itaque tridui jejunium decernitur. Die VIII. Iduum Majarum, cùm oratione præmiſſâ Epiſcopi ſediſſent, aſtitit in medio ſereniſſimus Princeps, qui inter multa Synodo hæc locutus eſt: *Venerandi Patres, ad hanc vos peragendam congregari juſſimus Synodum, ut de omnibus nuper advenientibus ad Chriſtum ipſi æternas Deo gratias deferatis. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium veſtrum nobis agendum erat, de fide & ſpe noſtra, quæ gerimus in hunc tomum, conſcripta atque illigata innoteſcimus. Relegatur in medio veſtri, & judicio Synodali examinatus per omne ſucceſſivum tempus, gloria noſtra ejuſdem fidei teſtimonio decorata clareſcat.* Susceptam fidei Confeſſionem Synodus legit, in qua referebatur, gentem Gothicam, olim à fide Catholica ſejunctam, cum Rege ſuo Trinitatis fidem amplecti. Gentem quoque Suevorum ex hæreſi ad veritatem ſtudio Recaredi revocatam eſſe. Damnato Ario Hæreticiſque, quatuor Synodos Oecumenicas à Gothis in pretio haberi. Præmiſſis Symbolis & Nicæno, & Conſtantinopolitano, nec non Chalcedonenſi tractatu, affirmat Rex, qui aliam fidem profeſſi ſunt, ſi Clerici ſunt, alienos à Clero eſſe; ſi Monachi vel Laici, anathema fieri. His non Recaredus modò, verùm etiam Regina uxor ejus *Badda* ſobſcripſit verbis ejuſmodi: *Ego Badda glorioſa Regina hanc fidem, quam credidi & ſuſcepi, meâ manu de toto corde ſubſcripſi.* Tunc unâ mente & voce & Deo, & Regi à Patribus eſt acclamatum. Exinde Epiſcoporum unus jubente Synodo ab Arianis, qui ſe ad fidem converterant, hæc petit: *Quid damnatis in hæreſi, aut quid intra Catholicam credatis Eccleſiam?* Qui fidei ſuæ profeſſionem viginti tribus anathematiſmis teſtatam faciunt. Præcipuè XVI. articulus eſt in obſervatione ponendus: *Quicunque Libellum deteſtabilem duodecimo anno Leovegildi Regis à nobis editum, in quo continetur, Romano-*

Anno Dom. 589.

eum ad hæreſim Arianam traducta, & in quo gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto, male a nobis inſtituta continetur, hunc Libellum ſi quis pro vera habuerit, anathema ſit in æternum. Anathemariſmis ſubſcripſere Epiſcopi octo, qui Arianum virus evomuerant: *Ugnus* Barcinonenſis, *Murila* Valentinus, *Ubiligiſcius* Valentinæ Eccleſiæ Antiſtes, *Sunnila* Velenſis, *Gardingus* Tudeſanus, *Becila* Lucenſis, *Argiovitus* Portugalenſis, *Froiſculus* Dertoſanus. Subſcripſere ſimiliter Presbyteri, Diaconique. Extant & trium virorum illuſtrium nomina, qui manu ſuâ Ario, Synodoque Ariminenſi anathema ſcripſere. *Fonſa*, *Aquila*, *Eila* appellabantur. Sic inſanabili vulnere Arianiſmus in Hiſpania à Toletanis immolatur. Qua de re non prorſus inutile eſt Biclarienſis Chronici verba referre: *In hac verò Sancta Toletana Synodo Arii perfidia poſt longas Catholicorum neces, atque innocentium ſtrages, ita radicitus amputata eſt, inſiſtente Principe, memorato Recaredo Rege, ut ulterius non pullulet, Catholicâ ubique pace datâ Eccleſiis. Hæc ergo nefanda hæreſis, ſecundum quod ſcriptum eſt, De domo Domini exiet tentatio, ab Alexandria detegente Sancto Alexandro ejuſdem urbis Epiſcopo per Arium Presbyterum inolevit. Quæ in Nicæna Synodo* CCCXVIII. *Epiſcoporum judicio, vigeſimo imperii Conſtantini Senioris anno ſynodaliter damnationem cum proprio errore ſuſcepit. Quæ poſt hæc non ſolùm Orientis, & Occidentis partem emaculavit, ſed & meridianam, & Septentrionis plagam, & ipſas Inſulas ſuâ perfidiâ irretivit. A vigeſimo ergo Conſtantini Principis anno, quo tempore hæreſis Ariana initium ſumpſit, uſque in octavum annum Mauritii Principis Romanorum, qui eſt Recaredi quartus regni annus, anni ſunt* CCLXVI. Annorum tamen ſumma hæc uno major eſt quàm eſſe debuit, cùm ab anno CCCXXV. quo Conſtantini vigeſimi numerabatur, ad labentem uſque, ſoli ſint CCLXV. Neque ſatis accuratè etiam Toletana Synodus anno Mauritii octavo includitur. Cùm ſeptimus adhùc curreret ad uſque menſis Auguſti decimum quartum.

Recaredi ad Synodum allocutio.

XIII. Poſt Gothorum & ſubſcriptionem & Confeſſionem Recaredus ſic Patres compellat: *Hoc adhùc neceſſarium pro firmitate Catholicæ fidei noſtræ Deo ſupplex inſtituere decrevit autoritas, ut propter roborandam gentis noſtræ novellam converſionem omnes Hiſpaniarum, & Galliæ Eccleſiæ hanc regulam ſervent, ut omni ſacrificii tempore communicationem corporis Chriſti, vel ſanguinis, juxta Orientalium partium morem unanimiter clarâ voce ſacratiſſimum fidei recenſeant Symbolum, ut primùm Populi, quam credulitatem teneant, fateantur, & ſic corda fide purificata ad Chriſti corpus & ſanguinem percipiendum exhibeant.* Dein eos monet, ut ad conſtituendam Eccleſiarum diſciplinam Canones edant, quos etiam numero XXIII. ſanxerunt.

Canones Toletanæ Synodi tertiæ.

XIV. Primus, Maneant Conciliorum omnium Decreta, ſimul & Synodicæ Sanctorum Præſulum Romanorum Epiſtolæ; indigni honoribus Eccleſiaſticis ejiciantur. II. Per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Gallæciæ ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani Symbolum fidei recitetur. III. Res Eccleſiæ Epiſcopi non alienent. Quod Monaſteriis tamen & Eccleſiis ſuæ ditionis dedere, firmum maneat. IV. Liceat Præſoli de conſenſu Concilii de parrœcianis Eccleſiis Monaſterium facere, & facultatum Eccleſiæ partem ei tribuere. V. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ex hæreſi venientes, uxoribus non miſceantur, ſi faciant, ad Lectores relegentur. Qui vero rectam fidem ſemper tenuerunt, mulierum extranearum conſortia vitent: ſecus pœnis Canonicis ſubjicientur. Mulieres verò ab Epiſcopis venum ibunt, pretiumque pauperibus diſtribuetur. VI. Liberti libertate ſuâ fruantur, Epiſcopalique patrocinio juventur. VII. In omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum miſceatur. VIII. Clerici ex *familiis fiſci*, id eſt, ex familiis fiſco Principis addictis, à Principe donari non repetantur, ſed utilitatibus Eccleſiæ inſerviant. IX. Eccleſiæ ex Arianiſmo ad fidem converſæ cum rebus ſuis ad Præſules pertineant, quorum ditioni includuntur. X. Viduæ, nec Virgines continentium profeſſæ, cogantur ad nuptias. Si quis earum propoſitum impediat, ab Eccleſia alienus habeatur. XI. Ne quis quotieſcunque peccare libuerit, poſſe reconciliari ſibi fingat animo, antiqua diſciplina renovatur: ut nimirum Pœnitens ad manus impoſitionem crebrò recurrat, expletoque ſatisfactionis tempore communioni reſtituatur. Qui poſt reconciliationem in vitia relapſus erit, Canonum ſeveritati ſubjicitur. XII. Viro pœnitentiam petenti, niſi *prius* tonſo, Presbyter eam concedat; nec mulieri etiam, niſi mutet habitum. XIII. Clerici ſuo relicto Pontifice ad judicia publica Collegas non pertrahant ſuos. XIV. Judæis non liceat Chriſtianas uxores habere, vel concubinas, aut mancipia ſibi propria comparare, aut officia publica gerere. Liberi conjugio ejuſmodi orti baptiſmo abluantur. Chriſtiani Judaico ritu maculati abſque pretio ad libertatem & Religionem redeant. XV. Si ex ſervis fiſcalibus Eccleſias quis extruxerit & dotaverit, procuret Epiſcopus, ut id regiâ autoritate ſanciatur. XVI. Per Hiſpaniam & Galliam Sacerdotes de Idololatria inquirant, inventamque exterminent; in flagitii hujus reos animadvertant: quod ſi neglexerint, excommunicationis periculo ſubjaceant. XVII. Qui filios ſuos necaverint, à Sacerdotibus Judicibuſque factâ inquiſitione plectantur. XVIII. Ob paupertatem Eccleſiarum ſemel in anno Concilium celebretur, cui Kalendis Novembris fiſci actores interſint, *ut diſcant quàm piè, & juſtè cum populis agere debeant:* Epiſcopi monitos corrigant, aut de *inſolentiis* eorum Regi referant. Quòd ſi emendationem negligant, ſuam eos à *communione ſuſpendant.* XIX. Dos Eccleſiæ ad Epiſcopi ordinationem pertineat. XX. Ne Epiſcopi Clericos angariis & indictionibus fatigent: qui vexati fuerint, querelas ad Metropolitanum ſuas deferant. XXI. Clericorum ſervi à Judicibus angariis non fatigentur: immunitatem eam, quam à Rege Synodus poſcit, quiſquis violaverit, & Eccleſiæ ſervum publicis aut privatis negotiis occupare voluerit, communione Eccleſiaſticâ ejiciatur. XXII. Fidelium corpora cum ſolis Pſalmis ſepulchro inferantur: funebre carmen, quod defunctis cantari ſolet, *vel pectoribus ſe proximos, aut familias cædere* prohibent. XXIII. Ne in Sanctorum feſtivitatibus populi *ſaltationibus & turpibus invigilent canticis.*

Edicto Canones Toletanos Recaredus firmat.

XV. Hos Canones regiâ autoritate corroborari placuit. Itaque Recaredus Edictum promulgat, in quo legitur: *Has omnes Conſtitutiones Eccleſiaſticas . . . manere perenni ſtabilitate ſancimus.*

mus. Si quis verò Clericus, aut Laicus harum Sanctionum obediens obſervator eſſe noluerit, ſuperbâ fronte majorum ſtatutis repugnans, ſi Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni Concilio excommunicationi ſubjaceat: ſi verò Laicus fuerit, & honeſtioris loci perſona eſt, medietatem facultatum ſuarum amittat, fiſci juribus profuturam: ſi verò inferioris loci perſona eſt, amiſſione rerum ſuarum mulctatus in exilio deputetur. Qui primas in Concilio partes habuerat Leander Hiſpalenſis, poſt editam Canonum Sanctionem concione pronunciatâ Eccleſiam laudibus effert. Omnes ad fidei notitiam vocandos eſſe prædicat. De hæreſi verò ſic cenſet: Hæreſis, *quæ reſpuit Catholicæ Eccleſiæ unitatem, eò quòd adulterino amore diligat Chriſtum, non uxoris, ſed concubinæ obtinet locum.*

Narbonenſis Synodus.

XVI. Ut Synodo morem gererent Narbonenſis Galliæ Præſules, apud Narbonam coacti ſub die Cal. Novembrium Concilium congregarunt anno quarto Recaredi. Conventui ſeptem Præſules interfuere: *Migetius* Narbonenſis, Synodi Præſes, *Sedatus* Biterrenſis, *Boëtius* Magalonenſis, *Pelagius* Nemauſenſis, *Tigridius* Agathenſis, *Sergius* Carcaſſonenſis, *Agrippinus* Lotevenſis. Canones quindecim edidere. I. Nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent, non ad religioſam dignitatem. II. Per quemque Pſalmum gloria dicatur omnipotenti Deo. Per majores Pſalmos *pauſationes fiant, & per quamque pauſationem gloria Trinitatis Domino decantetur.* III. Clerici per plateas nec ſedeant, aut confabulentur: ſi quis ſe non emendarit, à communione & officio privetur. IV. Nullus operam die Dominico faciat, nec boves jungat: ſecus ſi ingenuus eſt, *det Comiti civitatis ſolidos ſex; ſi ſervus, centum flagella ſuſcipiat.* V. Sub Laicorum patrocinio conjurationes Clericorum non fiant, nec de inferiore gradu quis Seniorem increpet, ſecus anno uno Monaſterio includatur. VI. Cum Clericis aut Honoratis de civitate, qui ad Monaſterium expiandis peccatis detruduntur, ſic agat Abbas, ſicut ab Epiſcopo fuerit conſtitutum. VII. Clericus, qui adverſus Eccleſiæ utilitatem egerit, gradu dejiciatur. VIII. Clericus, qui de rebus Eccleſiæ fraudem fecerit, reſtituat, & pœnitentiæ biennio ſubjiciatur. IX. Judæi pſallendo defunctorum corpora non efferant, ſecus *inferant Comiti civitatis uncias ſex.* X. Clericus, qui Epiſcopo ſe obedientem non fecerit, ſtipendio careat, & anno communione privetur. XI. Presbyteri Diaconive ignari non ordinentur ab Epiſcopo. Qui ad legendum non ſunt idonei, ſtipendio mulctantur, donec didicerint. Si non proficiunt, in Monaſterium detrudantur. XII. Nullus Clericorum dum Miſſa celebratur, ante finem altari egrediatur, aut albâ ſe exuat. Decreti contemptores Presbyteri cenſurâ, Diaconi ſtipendio, reliqui ſeveriore pœnâ coërceantur. XIII. A Subdiacono Clerici miniſterium Eccleſiæ impleant, *& Senioribus vela ad oſtia ſublevent.* Subdiaconus, qui præceptum non impleverit, verbis primùm corripiatur; quòd ſi ſe non emendaverit, ſtipendio privabitur: reliqui flagris coërcebuntur. XIV. Si *qui viri ac mulieres divinatores, quos dicunt eſſe caragios atque ſorticularios, in cujuſcumque domo Gothi, Romani, Syri, Græci vel Judæi fuerint inventi, aut quis eo auſus fuerit à modo in eorum vana carmina interrogare . . . non ſolum ab Eccleſia ſuſpendatur, ſed etiam ſex auri uncias Comiti civitatis inferat.* Qui verò tales artes profitentur, *publicè fuſtigentur, venundentur, & pretia ipſorum pauperibus erogentur.* XV. Quinta feria, niſi aliqua feſtivitas in eam incidat, non celebretur, ſecus ingenuus *ſub pœnitentia mittetur anno uno*, ſervus flagris corripietur. Baronius errante lenè Chronologiâ Narbonenſe Concilium in annum Dom. 598. confert. Quaſi verò quartus Recaredi annus, quo labente ea Synodus cogitur, in annum 598. inciderit. Novennii metachroniſmus hic eſt.

Error Baronii. *Bar. An. 598. n. 30.*

Conjuratio Argimundi in Recaredum.

XVII. Sic Recaredi pietate Eccleſiæ diſciplina florebat. Optimi tamen Principis pietas & religio tyrannos non exarmabat. Nefariorum hominum conſpiratio contra ejus & dignitatem & vitam movetur, verùm numine benigno conjuratio patefacta, perduelles meritis pœnis ſubjicit. Hiſtoriam ſummatim è Biclarienſi Chronico narratum habemus: *Recaredo ergo Orthodoxo quietâ pace regnante, domeſtica inſidia prætenduntur. Nam quidam ex Cubiculo ejus, etiam Provinciæ Dux, nomine Argimundus, adverſus Recaredum Regem tyrannidem aſſumere cupiens, ita ut ſi poſſet, eum & regno privaret & vitâ. Sed nefandi ejus conſilii detectâ machinatione, comprehenſus & in vinculis ferreis redactus, habitâ diſcuſſione ſocii ejus impiam machinationem confeſſi, condignâ ſunt ultione interfecti. Ipſe autem Argimundus, qui regnum aſſumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, poſt hæc dextrâ amputatâ, exemplum omnibus in Toletana urbe aſino ſedens pompizando dedit, & docuit famulos dominis non eſſe ſuperbos.* Cæterum hìc errat Baronius, qui conſpirationem eam anno DXCI. alligat. Atqui & rebellio *Argimundi*, & Synodus Toletana tertia in eundem utique annum incidunt.

Error Baronii. *Bar. An. 591. n. 40.*

Joannes Biclarienſis.

XVIII. Verba hæc ſunt noviſſima Chronici Biclarienſis, cujus Autor ſilentio non eſt prætereundus. Quem ſic nobis depingit Iſidorus: *Fuit iſte natione Gothus, Provinciæ Luſitaniæ Scallabalitanus. Hic cùm eſſet adoleſcens, Conſtantinopolim pervenit, ibique Græcâ, & Latinâ eruditione nutritus, ſeptimo demum anno in Hiſpanias reverſus eſt, eodem tempore, quo incitante Rege Leovigildo Ariana fervebat inſania. Hunc ſuprà ſcriptus Rex cùm ad nefanda hæreſis credulitatem compelleret, & hic omninò reſiſteret, exilio truſus, Barcinone relegatus, per decem annos multas inſidias & perſecutiones ab Arianis perpeſſus eſt. Qui poſteà condidit Monaſterium, quod nunc Biclaro dicitur, ubi congregatâ Monachorum ſocietate ſcripſit regulam ipſi Monaſterio profuturam, ſed & cunctis Deum timentibus ſatis neceſſariam. Addidit & in libro Chronicorum ab anno primo Juſtini Junioris Principatus uſque ad annum VIII. Mauritii Principis Romanorum, & quartum Recaredi Regis annum hiſtorico compoſitoque ſermone valde utilem Hiſtoriam.* Initium Juſtini Junioris anno DLXV. affigitur, quod tamen Joannes Biclarienſis perperàm cum DLXVI. conjungit. Complectitur Chronicum annos XXIV. quibus nonnulla inſerta ſunt, quæ poſtmodum contigere: v. g. Gregorii Pontificis creatio, quæ in Recaredi quintum incidit, nec non Coſroïs ad Romanos fuga, quæ anno demum DXCI. contigit. Porrò Joannes eo Biclarienſi Monaſterio ad Gerundenſem Epiſcopatum evectus eſt, defuncto *Alicio*, qui labente anno Toletanæ Synodo interfuit.

Legi-

Anno Dom. 589.

Legitur in ſubſcriptionibus: *Alicius Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Joannes verò noſter anno DXCIX. Barcinonenſi Concilio adfuit: in ſubſcriptionibus reperimus: *Joannes Peccator de Gerunda in his Conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.* Quoto verò anno Epiſcopatum ingreſſus eſt, ignoramus. Reſpuenda eſt porrò Baronii Chronologia, exiſtimantis Joannem Biclarienſem ad annum uſque DXCI. Chronicum ſuum perduxiſſe. Fons erroris eſt, quòd Mauritiani imperii initia malè collocarit. Cùm enim ſciret, ad octavum uſque Mauritii annum Chronicum Biclarienſe perductum fuiſſe, ex ſuo præjudicio & Chronici finem, & octavum Mauritii annum in Æræ noſtræ 591. contulit, errore biennii.

Bar. Ann. 591. n. 40.

Anno Dom. 590.

Anno U. C. 1343. Per. Jul. 5303. Jul. 635. Dom. 590. Maurit. 8. & 9. Childebert. 15. *Sol.* 11. A. *Lun.* 2. *Indict.* 8. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 7. *P.* 26. *Mart.*

Poſt Conſulatum Mauritii VI.

Philippicus Perſas ſternit juxta Martyropolim.

I. MArtyropolim equis veliſque Romanorum in poteſtatem revocare, Philippicus conabatur. Ineunte igitur æſtate exercitum colligit. Similiter Perſæ comparatis copiis in Romanos expeditionem ſuſcipiunt. Tum circa Martyropolim gravis pugna committitur. Victoriam tamen Philippicus conſequitur. Multi ex Barbaris cadunt, & inter hos Princeps quidam fortiſſimus, nomine Maruſas. Perſarum tria millia victorum in manus venere. Relata magna de victis ſpolia cum ſignis captiviſque Imperatori in urbem regiam mittuntur. Clade tamen ſuâ Perſæ non prohibiti ſunt ſubmittere Martyropolitanis auxilia. Non ſpernendam militum copiam in oppidum introducunt, quod maximè ſibi ſtudio fuerat. Sic ſtragem latis ſuppetiis ſuam compenſavere. Itaque ab obſidione Martyropolitana Romani abſtinendum cenſent. Ut verò civitatem inſidiis atque incurſionibus infeſtarent, oppidum in montoſis & munitis locis, ſeptem ſtadiis Martyropoli diſſitum extruunt. Hyeme redeunte dimittitur exercitus.

Miſcell. l. 17.

Evagr. l. 6. c. 14.

Theodoſius Imperator à Mauritio creatur.

II. At in urbe regiâ Mauritius filio ſuo ſummos honores cum Imperii inſignibus tribuit, retentâ ſibi adminiſtrationis curâ. Inaugurationis tempus Chronicum nos Alexandrinum docuit: *Indictione* VIII. *feriis Paſchalibus Mauritius Tiberius inauguravit Theodoſium filium ſuum Imperatorem. Sed non in ſocietatem adminiſtrationis: nec aliud quid ſub iſto geſtum, quod in cognitionem Imperatoris eſſet, ſed tantùm coronatus eſt.* Hanc Theodoſii inaugurationem non præterit Chronicum Biclarienſe, ſed loco non ſuo diviſam, anno ſcilicet DLXXXVI. quem quintum Mauritii dixit: *Mauritius Theodoſium filium ſuum ex filia Tiberii Imperatoris natum Cæſarem fecit.* Vix tamen dubitamus, quin Chronico hæc aſſuta ſint, cùm ſubinde Gregorii ad Pontificatum evectionis meminerit, quæ anno duntaxat 590. contigit. Itaque fruſtrà eſt Baronius, qui ut abſonæ ſuæ de Mauritianis annis Chronologiæ præſidium quærat, Joannis Biclarienſis utitur auctoritate, qui Gregorianam Pelagii poſt obitum electionem in quintum Mauritii annum confert. Non obſervat tamen illuſtriſſimus Purpuratus, primùm Recaredi Regis à Biclarienſi cum quinto Mauritii copulari. Quis verò, ſi Chronologiam à limine ſalutavit, Gregoriani Pontificatus initia cum primo Recaredis anno copulavit? Ne hoc quidem Baronius fecit.

Error Baronii.

Anno Dom. 590.

Childeberti infelix in Italiam expeditio.

III. Imperatori Childebertus Legatos direxerat *Bodegeſilum*, Evantium, & Gripponem, quos anno ſuperiore redeuntes gravis calamitas attigerat. Carthaginem appulerant, cùm de Evantii miniſtris unus monile mercatoris abſtulit. Qui cùm precibus fruſtra revocare ſua voluiſſet, apprehenſum in platea puerum dum manu tenet, ille nudato gladio ſe retinentem interficit. Cognitâ cæde Præfectus Carthaginis militibus comitatus, Bodegiſilum, Evantiumque occidit. Tum Grippo illatam regiis Oratoribus injuriam queri: Conſtituta pacis fœdera violari: ad Imperatorem redire: ſociorum miſerum ipſi exitum exponere. Mauritio moleſta hæc fuere, qui Childeberti ad nutum Legatorum ſe mortem ulturum Gripponi pollicetur. Quæ cùm labente anno Regi nunciaſſet, illicò viginti Duces cum exercitu immittit Italiæ ad gentem Longobardorum exſcindendam. Verùm infauſta fuere expeditionis hujus præludia. Præfecti prædones potius quàm Duces agebant. Metenſem Odovaldus civitatem vaſtat, quaſi patriæ ſuæ hoſtem intuliſſet. Perfidum cæteri Duces exemplum imitati, ſui Principis & regiones diripiunt, quaſi ſolum inimicum ingrederentur. Poſtquam Italiæ limitibus appropinquarunt, Odovaldus cum ſex Ducibus Mediolanum petit. Ultra flumen ſtabat Longobardus, qui maximâ voce verba hæc Francis ingerit: *Hodie apparebit, cui Divinitas obtinere victoriam præſtet.* Temeritatis ſuæ tamen pœnas non effugit. Fluvium quippe tranſeuntibus de Francorum nonnullis, tum ille cæditur, tum Longobardi fugam arripiunt. Intereà adſunt Imperatoris Legati, qui poſt triduum auxilia pollicentur: ſignum adventus dant fumum villæ incendio pereuntis: ſed ſextiduum totum cùm exſpectaſſet Odovaldus, nil ſuppetiarum accipit. *Chedinus*, qui cum tredecim Ducibus lævam Italiæ ingreſſus erat, quinque caſtellis potitur. Per Placentiam Franci Veronam uſque progreſſi caſtra tredecim, quæ ſeſe tradiderant, neglectâ fide diruunt. Cives captivos abducunt: *Pro Ferruge verò caſtro intercedentibus Epiſcopis, Ingenuino de Sabione, & Agnello de Tridentino, data eſt redemptio pro capite uniuſcujuſque viri ſolidi ſexcenti.* Ortâ æſtate cum elementis Francorum exercitui pugnandum fuit, inſueti aëris fervore procreante morbos. Dyſenteriâ correpti militum complures luci eripiuntur. Quid plura? Per tres ferè menſes Italiam pervagantes, cùm nihil proficerent, *Anthari* Ticinenſibus muris incluſo, Longobardiſque loca munitiſſima hoſtium ferocitati opponentibus, fame morbiſque attriti Franci de reditu cogitant. Ac tantâ quidem rerum penuriâ premebantur, ut arma veſtimentaque alimentis mutare cogerentur; ſic nudi ad ſua rediere. Cæterùm cùm in metu eſſet *Antharis*, ne Italiam poſtmodum repeterent, legationem Gunthramo dirigit, oratum pacem. Auxiliares copias & Francorum in hoſtes pollicetur. Quæ conditiones cùm Regi placuiſſent, Legatos Childeberto mittit. Dum expoſitis mandatis reſponſum ejus exſpectant, adveniunt alii Oratores nunciatum, Longobardorum Principem periiſſe.

Gregor. l. 10. c. 3.

Warnefr. l. 3. c. 32.

Gregor. l. 10. c. 3.

Mors Anthari. Theodelinda Agilulfum ducit & coronat.

IV. Veneno, ut fama eſt, *apud Ticinum Nonas Septembris Antharis* extinctus eſt. Sexennio regnaſſe Warnefredus tradit, diutius tamen impera-

ANNO DOM. 590.

peravit, ſi Joanni Biclarienſi fides, qui anno DLXXXI. ad faſtigia rerum evectum eum eſſe memorat, ut de nono imperii aliquid delibaſſe videatur. Anthari excellens forma inerat, excelſuſque animus, imperio digniſſimus. Virtutea tamen ipſius pertinax Arianiſmi amor contaminavit. Diſciplinæ ſuæ ſerviens, ne Paſchatia ſolemnitate Longobardi Orthodoxorum baptiſmo tingerentur, prohibuerat. Quam Gregorius

Greg. l. 1. Ep. 17.

Papa Legem iniquitatis accuſat: *Quoniam neſandiſſimus Anthari in hac, quæ nuper expleta eſt, Paſchali ſolemnitate Longobardorum filios in fide Catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum divina majeſtas extinxit, ut ſolemnitatem Paſchalem ulterius non videret.* Theodelinda, defuncti relicta, Longobardis gratiſſima erat. Itaque dignitatem ei regiam firmant cum optione, ut quem ſibi viſum vellet, ex Longobardis eligeret, qui regnum adminiſtraret. Illa inito cum ſapientibus conſilio, *Agilulfum* Ducem Taurinatium ſibi maritum, & Longobardis Regem præficit. Neque improvida electio hæc, cùm & formæ præſtantiâ, & virtutibus animi tanto honore Agilulfus haud indignus videretur. Jucundam ſanè hiſtoriam Warnefridi verbis narremus:

Warnefr. l. 3. c. 36.

Agilulfum *ſtatim Regina ad ſe venire mandavit. Ipſaque ei obviam ad Laumellum oppidum properavit. Qui cùm ad eam veniſſet, ipſa ſibi poſt aliqua verba vinum propinari fecit. Quæ cùm prior bibiſſet, reſiduum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cùm Regina accepto poculo manum honorabiliter oſculatus eſſet, Regina cum rubore ſubridens, non debere ſibi manum oſculari ait, quem oſculum ſibi ad os jungere oporteret. Mexque eum ad ſuum baſium erigens ei de ſuis nuptiis, deque regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magna lætitia nuptiæ. Suſcepit Agilulfus, qui erat cognatus Regis Anthari, inchoante jam menſe Novembri regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in unum Longobardis, poſteà menſe Maio ab omnibus in regnum apud Mediolanum levatus eſt.* Ferunt unum de Agilulfi ſervis Idibus Maii ſuperioris anni cùm Theodolindam duceret Anthari, domino hæc

Warnefr. l. 3. c. 31.

ſuo dixiſſe: *Mulier iſta, quæ modò Regi noſtro nupſit, tua non poſt multum tempus conjux futura eſt.* Regum Longobardicorum nomina à Gregorio Turonenſi non minimum immutata proferuntur. Quippe Antharit *Aptacharium*, Ago verò, ſive Agilulfum Paulum vocat. Venere

Gregor. l. 10. c. 3.

Legati, inquit, *mortuum Aptacharium Regem nunciantes, Paulumque in ejus locum ſubſtitutum.* Porrò, ſi Gregorio Magno credimus, clavem Antharit auream Pelagio Pontifici miſit, miraculi à ſancta Petri clave perpetrati monumentum.

Gregor. Ep. l. 6. cap. 23.

Quam Petri clavem dum educto cultro impius vult ſcindere, cultrum *ſibi in gutture defixit*, ſubindeque extinctus eſt. Miraculi hujus fides ſit penes Gregorium.

Pelagius II. obit.

V. Dum in Italia verſamur, rebus politicis Eccleſiaſticas adjicere incipiemus. Horrendum ſuperioris anni diluvium dira peſtis exceperat. Calamitatum tantarum tela ut Pelagius repelleret, B. Petri monumentum *tabulis argenteis deauratis* induiſſe dicitur. Illud inſignius, quòd domum ſuam pauperum Xenodochium fecerit. Hæc tamen Pelagio contra vim peſtis miſerè graſſantis, auxilio non fuere. Labebatur jam Pontificatus ipſius XI. cùm *octavo Februarii* lue correptus exceſſit, ſi Anaſtaſio fides. Gregorius tamen Turonenſis, cujus Diaconus anno labente in urbe verſabatur, Pelagium ad plures

ANNO DOM. 590.

citius abiiſſe innuit: *Clades, quam inguinariam vocant, medio menſe XI. adveniens, primum omnium juxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur, A ſanctuario meo incipite, Pelagium Papam percuſſit. Quo defuncto, magna ſtrages populi de hoc morbo facta eſt.*

Gregor. l. 10. c. 1.

Inter opera ipſius memoratu digna numerant Baſilicam, *ſupra corpus B. Laurentii Martyris, à fundamento conſtructam, & tabulis argenteis exornavit ſepulchrum ejus.* In templo B. Petri ſepelitur. Præter Epiſtolas, quarum meminimus, librum Pelagius condidit, cujus mentio eſt Gregorianis in Epiſtolis:

Greg. l. 2. Ep. 36.

Ut igitur de tribus Capitulis animis veſtris ablatâ dubietate poſſit ſatisfacti o abundanter infundi, librum, quem ex hac re ſanctæ memoriæ deceſſor meus Pelagius Papa ſcripſerat, vobis utile judicavi tranſmittere. Neque eo libro Pelagii ad Eliam & Iſtriæ Epiſcopos Epiſtolam, quæ numero tertia eſt, deſignari cenſemus, iis de cauſis, quas in ſequentibus declaratum ibimus. Inter Pelagii facta memoratu digniora Thebarum, Theſſalicarum à ditione Lariſſei Epiſcopatus exemptio numeratur. Succeſſorem Pelagius habuit *Gregorium Magnum*, de cujus electione nunc eſt agendum.

Gregorius Magnus Pontifex eligitur.

VI. Annus jam inceperat, cùm Gregorius Diaconi munere contentus, ejus functiones diligenter obibat. Nec ad majorem adhùc dignitatem promotus erat, cùm reliquias Gregorii Turonenſis Diacono in Galliam ferendas dedit. Verùm in eo gradu conſtitutus, omnium ad ſe convertebat animos. Quem Prætoriâ dignitate fulgentem jus civibus dicere olim conſpexerant, nunc ſummâ modeſtiâ ornatum, Eccleſiæ miniſteria tractare mirabantur. Prudentiam ejus ex iis, quæ apud Tiberium, Mauritiumque Apocriſiarius geſſerat, & intellexerant. Itaque ſive natalium, virtutumve, vel prudentiæ ratio haberetur, ex Clero Romano nullus ſanè dignior inveniri potuit, qui tantæ dignitati gerendæ foret aptior. Sed & ſauciæ peſtis ictibus urbis calamitatibus, qui pietate, precibuſque remedium compararet maximè idoneus videbatur. Epiſcopatus tyrocinium fecerat in Monaſterii Præfectura, quam ex urbe Regia in Italiam reverſus iniit, ut liquet in ſuo pro Monachis Conſtituto:

Bar. An. 501. n. 9.

Quàm ſit neceſſarium Monaſteriorum quieti conſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, antè actum nos officium, quod in regimine Cœnobii exhibuimus, informat. Quibus commoti illi, qui eligendi Epiſcopi partes habebant, Gregorium magnâ conſpiratione Pontificem nuncupant. Ad inaugurationem conſenſus Mauritii requirebatur, cùm in tanto faſtigio collocatus Præſul autoritate ſuâ plurimum poſſet ad res Imperatorum in Italia tuendas. Exiſtimavit igitur Gregorius literis ſe ſuis poſſe impoſitam ſibi provinciam declinare. Confeſtim Mauritio ſcribit, ne electioni ullo pacto conſenſum præbeat, plus de fugiendo munere ſollicitus, quam ad illud adipiſcendum alii prompti paratique videbantur, qui quâvis arte, precibus, largitionibus etiam illud ſibi comparabant. Audiatur Gregorius Turonenſis:

Gregor. l. 10. c. 1.

Unde factum eſt, ut Epiſtolam ad Imperatorem Mauritium dirigeret, cujus filium ex lavacro ſancto ſuſceperat, conjurans, & multâ prece poſcens, ne unquam conſenſum præberet populis, ut hunc hujus honoris gloria ſublimaret. Sed Præfectus urbis Romæ, germanus ejus, anticipavit nuncium, & comprehenſo diſruptis Epiſtolis conſenſu, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, quòd

reperiſſet locum honoris ejus, datâ præceptione ipſum juſſit inſtitui. Non inelegans eſt conjectura Baronii, qui ex nomine communi proprium fecit, ut Germanus Præfectus urbis vocetur, quem Gregorio fraterno fuiſſe, Turonenſis verba Præſulis indicant. Sed & Joannes Diaconus Præfecto *Germani* nomen indidit, nec in Veterum monumentis reperitur, ullum Gregorio Magno germanum fuiſſe. Itaque non immeritò ſic Gregoriana verba Baronius dirigit: *Sed Præfectus urbis Romæ Germanus ejus anticipavit nuntium.*

Bar. An. 590. n. 7.

Gregorii Magni de lue ſermo. Litanias inſtituit. De Litaniarum apud utrumque Gregorium differentia.

VII. Intereà Gregorius nondum ſuſceptâ ordinatione, ut pietate Romanos adverſus vim morbi armaret, concionem habuit, cujus initium eſt: *Oportebat, fratres dilectiſſimi, ut flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, ſaltem præſentia & experta timeamus.* Oſtendit pœnitentiæ in mora periculum ingens imminere: *Ecce enim cuncta plebs cœleſtis iræ mucrone percutitur, & repentinâ ſinguli cæde vaſtantur: nec languor mortem prævenit, ſed languoris moras, ut cernitis, mors præcurrit.* Ac ut majoris reſipiſcentiæ ſigna oſtenderent Romani, complures Pontifex Litanias inſtituit, quas exhibet Gregorius Turonenſis, qui Pontificis & orationem ſuæ inſeruit hiſtoriæ: *Ab ipſo feria quarta primo diluculo ſeptiformem Letaniam* inſtituit ordine ejuſmodi: *Clerus egrediatur ab Eccleſia Sanctorum Martyrum, Coſmæ & Damiani, cum Presbyteris regionis ſextæ. Omnes vero Abbates cum Monachis ſuis ab Eccleſia Sanctorum Martyrum, Gervaſii & Protaſii, cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis egrediantur ab Eccleſia Sanctorum Martyrum, Marcellini & Petri, cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Eccleſia Sanctorum Martyrum, Joannis & Pauli, cum Presbyteris regionis ſecundæ. Omnes verò Laici ab Eccleſia Sancti Protomartyris Stephani, cum Presbyteris regionis ſeptimæ. Omnes mulieres viduæ ab Eccleſia Sanctæ Euphemiæ, cum Presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres conjugatæ egrediantur ab Eccleſia Sancti Martyris Clementis, cum Presbyteris regionis tertiæ: ut de ſingulis Eccleſiis exeuntes cum precibus ac lachrymis, ad B. Mariæ ſemper Virginis genitricis Domini Jeſu Chriſti Baſilicam congregentur, ut ibi diutius cum fletu, ac gemitu ſupplicantes, peccatorum noſtrorum veniam promerere valeamus. Hæc eo dicente, congregatis Clericorum catervis, pſallere juſſit per triduum, ac deprecari Domini miſericordiam. De hora quoque tertia veniebant utrique Chori pſallentium ad Eccleſiam, clamantes per plateas urbis, Kyrie eleiſon.*

Gregor. l. 10. c. 1.

Tempus, ordo, ratioque Litaniarum diverſo modo in Gregorianarum Epiſtolarum volumine diſtribuitur, in quo legimus: *Craſtinâ die primo diluculo ad ſeptiformem Litaniam, juxta diſtributionem inferius deſignatam, devotâ mente cum lachrymis veniamus. Nullus veſtrum ad terrena opera in agros exeat: nullus quodlibet negotium agere præſumat, quatenùs ad Sanctæ genitricis Domini Eccleſiam convenientes, qui ſimul omnes peccavimus, ſimul omnes mala, quæ fecimus, deploremus.* Litanias verò ejuſmodi ordine digerit: *Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B. Joannis Baptiſtæ. Litania virorum ab Eccleſia B. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Eccleſia Martyrum Joannis & Pauli. Litania ancillarum Dei ab Eccleſia B. Martyrum Coſmæ & Damiani. Litania fœminarum conjugatarum ab Eccleſia B. primi Martyris Stephani. Litania viduarum ab Eccleſia B. Martyris Vitalis. Litania pauperum & infantium ab Eccleſia B. Martyris Cæciliæ.* Cùm verba hæc ab illis Gregorii Turonenſis non minimum diſcrepent, non immeritò quæritur tanta diverſitatis cauſa. Rationem eſſe putamus, quòd variis annis variæ Litaniæ indictæ ſunt. Legitur quidem in Gregorii Regiſtro: *Factæ ſunt hæc in Baſilica Sanctæ Sabinæ ſub die quarto Kalendas Septembris, Indict.* VI. At Baronius, qui ad unum eundemque annum utraſque Litanias pertinere contendit, corruptionis Codices accuſans, ſciſcit *ſextam* Indictionem in *octavam* mutandam eſſe. Quo jure viderit: quaſi verò repugnet, anno DCIII, quo Indictio ſexta currebat, Romam diræ & mortalitatis ſenſiſſe contagia. Eſt quidem incredibile, paucorum dierum ſpatio Gregorium tam diverſas Litanias inſtituiſſe. Cui bono tanta mutatio, ut verbi gratiâ, Clerus, qui præſente Gregorii Turonenſis Diacono, Coſmæ & Damiani Eccleſiam exibat, Baſilicâ B. Joannis Baptiſtæ egrederetur: nullumque omninò Sodalitium ex iiſdem Templis ad B. Mariam procederet? In utroque etiam Gregorio Litaniæ diverſa habent initia. In Gregorio Magno Litania incipit die Veneris, quia Indictio ſexta annum DCIII. deſignat, qui Cyclo Solis 24. F. regebatur. Itaque quartus Calend. Septemb. quintæ feriæ cohærebat, quâ Gregorii ſermo pronunciatus eſt. Dicit autem *craſtinâ die, primo diluculo ad ſeptiformem Litaniam veniamus.* At in Gregorio Turonenſi Litania incipit *à quarta feria diluculo.* Noſtram firmat ſententiam *Charta, quæ relicta eſt de Litania majore in Baſilica Sanctæ Mariæ*, quæ extat libro ſecundo Epiſtolarum Gregorii, c. 2. *Sextâ feriâ veniente à titulo B. Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad B. Petrum Apoſtolorum Principem, Domino ſupplicantes cum hymnis & Canticis ſpiritualibus properemus.* Id mandari datum eſt anno DXCI, Indictione X. menſe Septembri, ut vix in dubio poni poſſit, quin variis annis variæ etiam Litaniæ celebratæ ſint.

Bar. An. 590. n. 12.

Gregorius Magnus fugeritne ad deſerta? Ordinatur.

VIII. Cùm Gregorii ad Pontificatum evectionem Mauritius literis ſuis ratam feciſſet, ubi id compertum Gregorius habuit, de capeſſenda fuga cogitat. In deſerto latitantem miraculis deprehenſum eſſe, Joannes Diaconus ſcripto prodidit: *Qui palam, inquit, egredi portas civitatis non poterat, à negotiatoribus exponendum ſe, diſſimulato, ut fertur, habitu callidus impetravit. Sylvarum ſaltus expetiit, cavernarum latibula coquiſivit. In quibus dum ab omnibus ſummâ ſollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ ſuper ſe jugiter è cœlo dependentis agnoſcitur, capitur, trahitur, & apud B. Petri Apoſtolorum Principis Templum Pontifex conſecratur.* Fabulam ſimilitudine veri reſperſam eſſe, contendit Baronius verbis ejuſmodi: *Quæ quidem omnia, & ex ipſius Gregorii Papæ ſcriptis fidem aliquam ſibi vindicant.* Nobis verò figmentorum gradibus Gregorium ad gloriam evehi non placet. Falſa Gregorii fuga, falſus in antra receſſus, falſa columnæ latentem indicantis miracula, falſum ex Gregorianis ſcriptis hæc fidem ſibi aliquam vindicare. Commenta refellat Gregorius Turonenſis, qui à Diacono ſuo, teſte oculato, hæc ſe audiiſſe refert: *Cùmque Gregorius latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, & ad B. Apoſtoli Petri Baſilicam deducitur, ibique ad Pontificalis gratiæ officium conſecratus, Papa urbi datus eſt.* Neſcit Gregorii Diaconus Gregorianam

Joan. Diac. l. 1. cap. 44.

Bar. An. 599. n. 14.

Gregor. l. 10. c. 1.

ANNO DOM. 590.

nam fugam; neſcit ad fugitivum prodendum columnæ fulgidæ miracula: quæ ſi facta fuiſſent, ignorare haud potuiſſet, cùm Pontificis inaugurationi interfuerit. Verùm nil opus artificialibus argumentis, Gregorius *latibula fuga parabat*, cùm captus eſt. Non fugit igitur prius comprehenſus quàm fugeret. Neque figmenta Joannis Diaconi adjuvant verba Gregorii, ut viſum Baronio, imò potentiſſimè refellunt. Cyriaco Conſtantinopolitano hæc ſcribit Gregorius: *Ego quoque, qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conſcius, ſecretiora loca petere aliquando decreveram, ſed ſuperna mihi judicia adverſari conſpiciens, jugo conditoris ſubdidi cervicem cordis.* Si verè fugiſſet Gregorius, non dixiſſet, *ſecretiora loca petere decreveram*: dixiſſet potius, *ſecretiora loca petii.* Quod igitur decreverat, non eſt executioni mandatum; proindeque columnæ fulgidæ fugitivum indicantis miraculum purum putumque figmentum eſt. Neque miraculum ſonant ullum verba Gregorii, *ſuperna mihi judicia*, quâ oratione miracula non ſignificantur. Itaque ut locus eſſet miraculo, Baronius vocem *judicia* in *indicia* mutavit, repugnantibus & melioris notæ exemplaribus, & orationis materiâ, quâ ſcimus, fugam quidem Gregorium animo paraſſe, reverâ non fugiſſe. Superna Gregorio *judicia* ſunt magna Cleri populique in eo eligendo conſpiratio, quæ pro Spiritus Sancti in creandis Epiſcopis judicio & habetur, & haberi debet. Ordinatus eſt Gregorius tertio Septembris, feriâ primâ. Pontificatum tenuit ad Martii XII. uſque anno DCIV. quo mortalitatem exuit. Sedit igitur annos XIII. menſes ſex, dies decem, quibus labentibus multa memoriæ digna poſteris reliquit.

Greg. l. 6. Ep. 4.

IX. Graviſſimis tum Italia malis vexabatur. Tantâ vi lues graſſabatur, ut paulò ante Gregorii inaugurationem dum Litanias populus in urbe defungitur, complures quaſi venenatis ſagittis petiti ſubitò ciciderint. Teſtis Gregorii Turonenſis Diaconus, qui tum Romæ verſabatur: *Aſſerebat in unius hora ſpacio, dum voces plebs ad Dominum ſupplicationis emiſit, octoginta homines ad terram corruiſſe, & ſpiritum exhalaſſe.* Morbo acceſſit ingens procella, quæ perculſas domorum arbores, Eccleſiaſque evertit, nec ſine mortalium complurium ſtrage. Cladis hujus meminit ipſe Gregorius in ſua ad Lucæ XXI. homelia: *Nudius tertius, fratres, agnoviſtis, quòd ſubito turbine annoſa arbuſta eruta, deſtructa domus, atque Eccleſia à fundamentis everſa ſint.* Ambiguum eſt, tantane mala Deus immiſerit, ut Gregorianæ & curæ & pietati materiam ſubminiſtrarent, an potius Gregorium Pontificatu induerit, ut tantis calamitatibus conſolator accederet. Invigilavit, ut tantum ex Sicilia frumenti apportaretur, quantum urbi ſufficeret. Scripſit itaque ad *Juſtinum* Siciliæ Prætorem, ut triticum ex integro dirigat, quod ex *Ciridano* non copioſum ſatis miſſum eſſe noverat: *Si quid minus tranſmittitur, non unus quilibet homo, ſed cunctus ſimul populus trucidatur.* Egregiam boni Pontificis diligentiam! qui gregis ſui non animæ duntaxat, ſed corporis quoque ſaluti providebat, ſummi paſtoris Chriſti ad exemplum, qui ſequentium ſe turbarum & mentes verbi cibo, & corpora pane & piſcibus in deſerto pavit. Eodem & tempore Joanni Conſtantinopolitano literas dedit cum amica expoſtulatione, quòd non obſtiterit, ne Epiſcopatus pondera ſuis humeris imponerentur. Rogat etiam, ut ſibi quaſſatam navim, cujus *putrida naufragium tabulæ ſonant*, gubernanti orationibus adſit auxilio. Precum quoque ſubſidia ab *Anaſtaſio* Antiocheno flagitat. Scribenti vero, à quo multis fuerat laudibus cumulatus, hæc modeſtiſſima reſpondet: *Quod verò me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodeſſe, multiſque poſſe lucere perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, ut cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam.* Neque in faſtigio Pontificatus conſtitutus, pulſi Epiſcopatu Antiocheno Anaſtaſii immemor fuit. Ab Imperatore igitur & Conſtantina Auguſta, quantum precibus eniti potuit, petiit, ut exuli concederetur Romam venire, *Ut*, inquit, *dum vos videre meruero, peregrinationis noſtra tædium de æterna patria invicem loquendo relevemus.* Ad Theoctiſtam quoque Imperatoris ſororem literas dedit, quibus queritur, *ſe ſub colore Epiſcopatus ad ſeculum fuiſſe reductum.* Ac Rachelis in locum, hoc eſt, vitæ contemplativæ, quæ licet ſterilis, lucem tamen ſubtilius videt, Leam, activam videlicet vitam, ſibi in nocte fuiſſe conjunctam. Inter præcipua, quæ ad annum pertinent, Gregorii facta, illud eſt numerandum, quod Formienſi Eccleſiæ, *in qua corpus B. Martyris Eraſmi requieſcebat*, & Bacauda Præſul præficiebatur, Minturnenſium, quæ deſolata erat, Eccleſiam adjungit. Sed de actis Gregorii coercenda eſt oratio, ne nimium diffundatur.

Gregorii Magni facta initio Pontificatus.

Gregor. l. 10. c. 1.

Greg. l. 1. Ep. 2.

ANNO DOM. 590.

Greg. l. 1 Ep. 7.

Greg. l. 1. Ep. 5.

X. Illud tamen non eſt prætereundum, quod maximè Gregorio in votis erat, ut exortum ob tria Capitula diſſidium finem acciperet. Itaque Epiſcopatus ſui ſub initia literas Imperatori dederat, ut Iſtriæ Præſules, quos pro Schiſmaticis habebat, ad communionem cum Eccleſia Romana copulandam regiâ autoritate compellerentur. Edictum quale optaverat impetravit, quod Severo Aquileienſi Metropolitano, menſe Decembri ſcriptis ad ipſum literis ſignificavit: *Et nos ſi quidem quantum incorporatum te jam pridem fuiſſe in unitatem Eccleſia gaviſi fueramus, abundantius nunc diſſociatum à Catholica ſocietate confundimur. Pro qua re imminente latora præſentium, juxta Chriſtianiſſimi & ſereniſſimi rerum Domini juſſionem ad B. Petri Apoſtoli limina, cum tuis ſequacibus, venire te volumus, ut autore Deo, aggregatâ Synodo de ea, qua inter vos vertitur dubietata, quod juſtum fuerit, judicetur.* Graviſſimo Severus timore ob Epiſtolam percutitur. Inconſtantiæ perjuriique inſimulari ſe ſentiebat. Redintegratam cum Eccleſia Romana ſocietatem juramentum de damnatione trium Capitulorum violaverat: Itaque nullâ morâ interpoſitâ Synodum cogit ſuam. Interfuere *Ingenuus* Sabionenſis, *Maxentius* Julienſis, *Laurentius* Bellunenſis, *Auguſtus* Concordienſis, *Agnellus* Tridentinus, *Junior* Veronenſis, *Fonteius* Feltrenſis, *Felix* Tarviſinus, *Horontius* Vincentinus, quibus placuit ad Concilium Romæ indictum, proficiſci neminem, literaſque Imperatori ſcribi, quibus decreti ſui rationem redderent. Oblatum ab Iſtriæ Antiſtitibus Mauritio Libellum, à Nicolao Fabro ſibi miſſum, Baronius juris publici fecit. Ex Libello hæc ad Hiſtoriæ notitiam perutilia Lectoribus ſuppeditamus: *Suggerendum Domino noſtro clementiſſimo, ac piiſſimo Domino Mauritio Tiberio humiles Venetiarum, vel ſecunda Retiæ, Ingenuus, Maxentius, Fonteius,*

Iſtriæ Epiſcopos ad communionem cum Eccleſia Romana reducere vult Gregorius. Libellum offerunt Mauritio.

Greg. l. 1. Ep. 16.

Laurentius, Agnellus, Felix, Auguſtus, Junior & Marontius Epiſcopi. Aiunt pietatis Auguſtæ eſſe, humilium Sacerdotum preces ſuſcipere. Se, quamvis graviſſimo ob peccata calamitatum onere depreſſos, ne vel minimum in fide titubaſſe, aut ob ea declinaſſe. Neque etiam Imperii oblitos eſſe, ad quod totis redire viribus feſtinant. Trium Capitulorum damnationem & Vigilio, & omnibus penè Sacerdotibus, Chalcedonenſi Concilio contrariam apparuiſſe: *Quin etiam*, inquiunt, *Vigilius ſcripta ſua per omnes Provincias mittens, anathematis vinculis obligavit omnem populum, ſi quis damnationi trium Capitulorum præberet aliquando conſenſum.* Subjungunt ſuo conſilio, ſanctæ memoriæ Aquileienſem *Archiepiſcopum* Eliam Capitulorum cauſâ à Smaragdo Chartulario *pluribus vicibus* vexatum, ad Auguſtea Mauritii veſtigia literas direxiſſe, ut eo præſente in Synodo res retractaretur. Reſcripta Imperatorem ſuis *Smaragdo* mandaſſe, ne ob communionem Sacerdotum aliquem fatigaret. Defuncto Eliâ ſucceſſiſſe Severum, qui indignis modis Ravennæ ſugillatus erat. Supplicum ipſiſſima verba audiantur: *Poſt hoc ordinato in Sancta Aquileienſi Eccleſia beatiſſimo Archiepiſcopo noſtro Severo, quæ contumeliæ illatæ ſint, & quibus injuriis ac cæde corporali ſuſtinuit, & quâ violentiâ ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque redactus in cuſtodiam, quibuſque neceſſitatibus oppreſſus atque tantatus fuerit, potuit ad damnum noſtri pias aures ſine dubio pervenire. . . . In hoc tempore iterum cognovimus, reverendum Papam Gregorium ad ejuſdem patris noſtri exhibitionem miſiſſe cum ſacratiſſima veſtra pietatis juſſione, ut pro cauſa ipſa communionis ad Romanam deberet civitatem deduci. Quod audientes, quamvis certi eſſemus, talem juſſionem Domini noſtri ſpecialiter adverſariorum improbâ importunitate ſubreptam, contabuimus, & contriti atque luctu graviſſimo ſauciati, ad ultimam deſperationem pervenimus, ut ad illius judicium Metropolita noſter cogeretur occurrere, cum quo cauſa ipſa eſſe dignoſcitur, & cujus communionem ab initio motionis cauſæ hujus uſque nunc deceſſores noſtri, & nos cum omni populo evitamus.* Denique Imperatorem rogant, ceſſet violentia militaris, ſint induciæ. Ipſorum Archiepiſcopus violenter ad Romanæ Eccleſiæ Pontificem non perducatur: *Nam cum quo nobis ipſa cauſa eſt, & quem in communione vitamus, Judicem experiri non poſſumus, quod etiam Legibus veſtris ſtatutum eſt, Nullum poſſe Judicem eſſe in cauſa, quæ adverſarius comprobatur.* Monent etiam, niſi vis ea prohibeatur Metropolitanam, Aquileienſem Eccleſiam citò diſſolvendam eſſe, cùm ſi Comprovincialibus humani quid accidat, *Nullus*, inquiunt, *plebium noſtrarum ad ordinationem Aquileienſis Eccleſiæ poſt hoc pateretur accedere. Sed quia Galliarum Epiſcopi vicini ſunt, ad ipſarum ſine dubio ordinationem accurrent.*

Bar. Ann. 590. n. 18. pag. 14.

De Monialium diſſidiis Pictavienſe Concilium: turbarum finis.

XI. Ex Italia nobis eſt in Gallias migrandum, quò nos Synodus vocat, Pictavienſium diſſidiorum cauſâ evacta. *Chrodieldis* increſcebat audacia. Quam ſceleratorum turbam collegerat, Monaſterium de nocte irrumpere jubet, ut Abbatiſſa vi adhibitâ extraheretur. Podagræ doloribus ea laborabat, cùm intellecto venientium ſtrepitu ad Sanctæ Crucis Aram ſe deportari popoſcit. Illi prælucente cereo cum armis Oratorium ingreſſi, *Leuboveram* offendunt humi ſtratam ante Sanctæ Crucis Aram. Tum unus cæteris petulantior, dum jacentem gladio interficere molitur, ab alio percuſſus, profluente ſanguine, ſolo recubans, cogitatam cædem perficere non potuit. Intereà *Juſtina* Monaſterii Præpoſita, extincto cereo, altaris pallâ Abbatiſſam tegit. Dum pio hoc officio fungitur, ſatellites Chrodieldis gladiis & haſtis armati Juſtinam pro Lodovera excuſſo integumento, ſolutiſque capillis ejus, abreptam ad Hilarii Baſilicam efferunt, ut carceri includerent. At ubi ſe aberraſſe norunt, ſubinde remiſſâ Juſtinâ ad Monaſterium redeunt. Abbatiſſam comprehenſam in cuſtodia condunt, Monaſterii dein ſuppellectilem ferè omnem auferunt. Ne violentiæ ſceleriſque magnitudini deeſſet aliquid, ſeptiduo hæc ante Paſcha geſta ſunt. Ob hæc facinora dolore percuſſus Epiſcopus Chrodieldi minatur, niſi Abbatiſſa vinculis liberetur, ſe nec Catechumenis baptiſma impertiturum, nec Paſchatis feſtum celebraturum: cives quoque miſſurum, qui carcere eam eripiant. Quod ne fieret, Chrodieldis ſatellites parat, qui mortem liberantibus inferrent. *Flaviani* tamen ope Abbatiſſa Hilarii Templum ingreditur. Eò progreditur vis ſeditionis, ut perpetratis cædibus Radegundis ſepulchrum ſanguine reſpergeretur: tantaque inter factiones diſſidia commoventur, *ut vix præterierit dies ſine homicidio, hora ſine jurgio, vel momentum aliquod ſine fletu.* Quibus auditis, Childebertus legationem de cogenda ex utriuſque regni Synodo Gunthramo dirigit. *Gregorius* Turonenſis, *Ebregeſilus* Aggrippinenſis, *Maroveus* Pictavienſis ex ditione Childeberti, *Gundegeſilus* Burdegalenſis, cum Comprovincialibus ſuis ex regno Gunthrami Concilio adeſſe jubentur. Venturos ſe negant Epiſcopi, niſi autoritate regiâ ſeditio comprimeretur. *Macconi* ergo Comiti præcipitur, ut facinoroſi, ſi quid turbarum moverent, illicò obruerentur. Ne ſic quidem dura Chrodieldis pectora flectuntur. *Sicarios cum armis ante oſtium Oratorii adſtare jubet*, ut vim vi repelleret. Quo factum, ut comiti opus eſſet, armis contumaciam contundere. Cæduntur nonnulli vectibus, alii gladiis, vel telis pereunt. Tum Chrodieldis acceptâ cruce, obviam egreſſa, hæc loquitur: *Nolite ſuper me, quæſo, vim inferre, quæ ſum Regina, filia Regis, Regiſque alterius conſobrina, ne quando veniat tempus; ut ulciſcar ex vobis.* Sed vulgus parvi faciens Chrodieldis dicta, ſatellites ejus Monaſterio extractos vel graviſſimè cædit, vel cæſarie, manibuſque mutilat. Quo ſupplicio ſeditio quievit. Tum Epiſcopi Eccleſiæ tribunali inſidentes Chrodieldim accerſitam interrogare, quid cauſæ haberet, cur ingenio ferox rebellare cœpiſſet? Illa verò conviciis Abbatiſſam multis onerare; impudicitiam ipſius accuſare, utpote quæ & virum veſte muliebri indutum in famulatu habeat, & eunuchis, Imperatorum more, utatur. Productus homo cum muliebribus indumentis, dixit ea ſibi aptaſſe, quòd nil virilis operis exequi poſſet. Abbatiſſam tamen ſe nunquam vidiſſe: de eunucho reſpondet *Reovalis* Medicus, puerum deplorato morbo laborantem inciſis teſticulis ſe ſanaſſe, inſciâ Abbatiſſâ. Cùm aliis accuſationibus opus eſſet, Epiſcopis Chrodieldim & Baſinam interrogantibus, cur fractis Monaſterii portis eò egreſſæ forent, illæ reſpondent, ſe famis, nuditatis, cædis periculum tolerare non potuiſſe: Abbatiſſam talis luſiſſe, in Monaſterio ſponſalium celebrationem conceſſiſſe, ex palla holoſerica veſtes ſuæ nepti confeciſſe,

ANNO DOM. 590.

fecisse, folia aurea, quibus pallâ ornabatur, collo neptis ſuæ alligaſſe. Omnia hæc refellebat Abbatiſſa, præterquam talorum luſum, quem nec Scriptura, nec Canones prohibebant. Inflexâ tamen cervice impoſitam à Præſulibus pœnitentiam ſuſcepturam ſe pollicetur. Auditis partibus, paternâ Synodus admonitione cum Leudoveram docuiſſet, ne deinceps ullis locum querelis daret, in Baſinam & Chrodieldim ſententiam promulgat. Quas ut reas ſeditionis in Monaſterio, violatæ diſciplinæ, rebellionis in Epiſcopos, direptionis Chartarum & rerum Monaſterii, conſpirationis in Abbatiſſæ perniciem damnatum ivit. Quorum facinorum cùm nec veniam peterent, nec pœnitentiam agerent, communione prohibentur. Leudoveræ in Monaſterium reſtitutæ dignitatem confirmant, ſuumque datâ Childeberto & Gunthramno Epiſtolâ judicium notum faciunt. Ne ſic quidem ſuperbæ mulieres quievere. Childeberto quoſdam indicant, qui & Leudoverâ potirentur, & Fredegundi nuncia afferrent. Qui accerſiti innocentes deprehenduntur. Habuere tandem exitum ea diſſidia in Metenſi Concilio, quod menſe Novembri labentis anni cogitur. Baſina à Chrodieldis ſocietate ſejunctâ, *coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniam petens*, repetituram ſe Monaſterium, & Regulæ obedientiam pollicetur. Chrodieldis verò reditum abnuit ſuum quàmdiu Leudovera in Monaſterio lucis potiretur. Ambabus Childebertus à Synodo veniam impetrat: *Et ſic in communionem recepta Pictavo regredi juſſa ſunt. Scilicet ut Baſina in Monaſterium regrederetur. Chrodieldis verò in villa, quæ quondam Waddonis fuerat, ſibi à Rege conceſſa reſideret.* Hæc anno DXCIV. geſta Baronius opinatur, n. 27. quadriennii metachroniſmo.

Gregor. l. 10. c. 15. 16.

Gregor. l. 10. c. 20.

Error Baronii.

XII. Metenſi Concilio *Ægidius* Rhemenſis Antiſtes occaſionem præbuit. Impuri hominis hiſtoria ſummatim referenda eſt, partim ut majore Synodi notitiâ inſtruamur, partim ut æquitas Numinis magis clareſcat, quæ feras ſæpè quidem, certas tamen ſontibus tandem pœnas imponit. Ægidius aulicam potius quàm Epiſcopalem vitam agens, politicis ſe negotiis immiſcebat. Non deerant tamen homini ingenii dotes, quas Venantius celebravit:

Metenſis in Ægidium Synodus. Ægidii Rhemenſis vitæ breviarium.

Clarior effulges quàm Lucifer ore ſereno,
Ille ſuis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus inſidiis caulo ſubducit ovili,
Te paſtore ſacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cæleſtia dogmata fundis;
Eccleſia crevit te monitore domus, &c.

Ven. l. 3. c. 20.

Chilperico præcipuèque Fredegundi acceptus erat. Itaque fama ferebat ſtructis in Principem Meroveum inſidiis caput fuiſſe. Childebertum & Chilpericum ad bellum Gunthramno Regi inferendum accenderat. Itaque nepoti ſuo reconciliatus Gunthramnus id conſilii dederat, ut *Ægidium Epiſcopum, qui ei ſemper inimicus extiterat, nullo modo aut crederet, aut haberet, quia ipſi patri ſuo ſæpius pejeraſſet.* Conjurationis, quam Rauchingus in Childebertum moverat, ut eo interfecto *regnum Campaniæ teneret*, ſocium ſe præbuerat. Itaque *magnis muneribus ad Childebertum accedens*, veniam rogaverat. Quam eò facilius impetravit, quò certæ ſceleris probationes non aderant. Verùm dum cruciatus renovantur Sunnigiſili, qui Chilpericum percuſſerat, inter tormenta fatetur, Ægidium unum ex iis fuiſſe, qui Childeberto mortem moliti fuerant: *Nec mora, rapitur Epiſcopus, & ad Metenſem urbem, cum eſſet valde ab ægrotatione longinqua defeſſus, adducitur.* Imperat Rex, ut Epiſcopi *initio menſis octavi apud Verdunenſem urbem* conveniant. Verùm Antiſtites cenſurâ Regem vexant, qui necdum auditum Epiſcopum à ſua civitate *raptum* carceri adduxiſſet. Itaque cùm Ægidio reditum Rhemos conceſſiſſet, Childebertus Epiſtolas ad omnes regni ſui Epiſcopos mittit, ut *medio menſe nono*, Novembri ſcilicet, in Metenſi urbe cogerentur. In Sirmondi notis *menſe Maio* ea Synodus celebrata dicitur, errore, ut putamus, Librariorum, cùm in Gregorio menſis *nonus* Maio non reſpondeat. Neque eo menſe *rigor intolerabilis, diſſolutaque late via*, quæ incommoda Gregorius queritur. In Synodo *Ennodius* Dux, Ægidii accuſator à Rege miniſtratur. Fabricatarum falſò chartarum, quibus ei multæ à Childeberto villæ donabantur, autor; rebellium etiam, qui Childebertum cum Brunichilde oppreſſum ire voluerant, Ægidius conjuratus deprehenditur. Ut hæc, aliaque ſcelera excuſare poſſet, Epiſcopi *de his triduani temporis ſpacium deprecantur tractandis.* Illuceſcente die tertia Ægidium interrogant, num hæc purgare poſſet? At ille: *Ad ſententiam dandam ſuper culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen majeſtatis reum eſſe mortis, qui ſemper contra utilitatem hujus Regis, matriſque ejus abii, ac per meum conſilium multa fuiſſe geſta certamina novi, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata ſunt.* Tum Epiſcopi latentem dignitate ſuâ movent, qui ſtatim Argentoratum relegatur. Exulis in locum *Romulfus* Presbyter, Lupi Ducis filius, ſufficitur. Hominem tamen Epiſcopatus faſtigio indigniſſimum Ægidium, quaſi cæleſte ſidus jucundam orbi lucem præbens, Venantius extollit:

Gregor. l. 7. c. 36.

Gregor. l. 9. c. 14.

Gregor. l. 10. c. 19.

Actibus egregiis venerabile culmen Egidi,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Subſtrahor ingenio, compellor amore parare,
Laudibus in veſtris prodere pauca favens:
Namque reus videor tantis ex ſtare cauſis,
Si ſolus taceam, quidquid ubique ſonat.

XIII. Celebratur & in Hiſpania Synodus Hiſpalenſis, conſtans octo Epiſcopis: *Leandro* ſcilicet Hiſpalenſi, qui Conventus Præſidem egit; *Joanne* Egabrenſi, *Agapio* Cordubenſi, *Stephano* Eliberitano, *Baſilio* Eliplenſi, *Velato* Tuccitano, *Sintitio* Italicenſi, *Petro* Abderitano. Die primo Nonarum Novembrium congregati tres Canones condidere, quos ad *Pegaſium* Aſtigitanum miſere. Gaudentius Aſtigitanæ Eccleſiæ Præſul teſtamento ſuo de ſervis Eccleſiæ aliquos libertate donaverat, nonnullos & conſanguineis legaverat. Ut Aſtigitanorum Diaconorum expoſtulationi, de ea donatione querentium ſatisfieret, primo Canone Hiſpalenſes decernunt, ſervos à *Gaudentio* non legitimè dimiſſos eſſe: *Cæterùm ſi res illius in compenſationem Eccleſiæ veſtræ deſerviunt, illi prorſus maneant liberi.* Legem tamen hoc ſuo Canoni appendunt, ut illi liberti in jure Eccleſiæ maneant, *& peculium ſuum non aliis perſonis, ſed tantùm ſuis filiis derelinquant.* Canone ſecundo ſtatuunt, mancipia, quæ Gaudentius conſanguineis legavit ſuis, debere repeti, ſi de facultatibus defuncti compenſatio fieri nequeat. Canon tertius extraneis mulieribus interdicit Clericis, conceſſâ facultate, ut haſce mulieres Judices vel vendant, vel ſervituti mancipent, dato tamen ſacramento, ne eas

Synodus Hiſpalenſis.

eas

ANNO DOM. 590.

ea ullâ Clericis arte reſtituant; quas ſi reſtituerint, excommunicatione feriantur: *Mulieres verò à Sacerdotibus diſtractæ in Monaſterio tradantur ſervitura.*

De Paſchate diſſidium.

Gregor. l. 10. c. 23.

XIV. Magnum hoc anno de Paſchate diſſidium exoritur. Memorat litem Gregorius Turonenſis: *Dubietas Paſcha fuit ob hoc, quod in Cyclo Victor Luna XV. Paſcha ſcripſit fieri. Sed ne Chriſtiani, ut Judæi, ſub hac Luna hæc ſolemnia celebrarent, addidit; Latini autem Luna XXII. Ob hoc multi in Galliis XV. Luna celebrarunt, nos autem vigeſimo ſecundo. Inquiſivimus tamen ſtudiosè, ſed fontes Hiſpaniæ, qui divinitus implentur, in noſtrum Paſcha repleti ſunt.* Ex Cyclorum diſcrimine ea differentia exorta eſt. Alexandrinis Lunæ Cyclus 2. numerabatur, ex quo ſequebatur, Paſcha eſſe Martii XXVI. celebrandum. At Victorio & Latinis Cyclus Lunæ XII. erat. Ex quo factum, ut octiduo poſt Alexandrinos Paſcha agitarint Aprilis ſecundo. Accuratior erat Alexandrinus quàm Victorianus Canon, qui ab errore prorſus defendi nequit. Si tamen bono Gregorio fides, Victorianum Paſcha miraculo firmatum fuit. Porrò à vero hic prorſus labitur magnus ille Chronologus *Calviſius*, qui Paſchale hoc diſſidium anno DXCIV. allegavit; quaſi verò in id temporis Childeberti XV. incidiſſet, quo labente lis ea exorta eſt. Baronium perperàm ſecutus eſt, qui eam hiſtoriam in annum 594. retulit.

Error Baronii.

Bar. An. 594. n. 28.

ANNO DOM. 591.

ANNO U. C. 1344. PER. JUL. 5304. JUL. 636. DOM. 591. MAURIT. 9. 10. CHILDEBERTI 16. *Sol.* 12. G. *Lun.* 3. *Indict.* 9. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* t. *P.* 15. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii VII.

Philippicus Perſas fundit: Ocbas capit.

I. CUm ægrè ferret Imperator, Philippicum victoriâ ſuâ ad Romanam ditionem Martyropolim non revocaſſe, *Commentiolum* Thracia ortum ei ſubſtituit, quo Duce magna Perſis clades infertur. Dum fortiſſimè pugnat, præceps una cum equo dejectus, penè interierat, niſi quidam ex ſatellitibus ipſum equo funali impoſitum ex prælio ſubduxiſſet. Superati nihilominùs Perſæ, univerſis Ducibus amiſſis, fugâ captâ Niſibim ſe recipiunt. Inde Martyropolim progreſſus, maximâque copiarum parte ibi relictâ, cum cæteris ad *Ocbas* excurrit, caſtellum munitiſſimum juxta *Nymphium* amnem, & prærupto ſcopulo impoſitum. Fractâ machinis muri parte, Ocbas impetu facto potitur. Non ſolâ Commentiolus fortitudine, prudentiâ quoque ſuâ rebus Mauritii auxilio fuit. Armenii Sabbatii perſuaſione extincto Joanne Duce ſuo ad Perſas deficere parabant. Tumultum militum Commentiolus ſedat, captumque Sabbatium Conſtantinopolim ducit. Ad beſtias perduellis damnatur, verùm Imperatoris clementiâ morti eripitur.

Evagr. l. 6. c. 15.

Phot. Cod. 65. 87.

Clades Barami: ejus in Hormiſdam rebellio.

II. Nova & clades Perſas afficit, quæ magnis rerum mutationibus anſam præbuit. Hormiſda Baramo Præfecto uſus, victos Turcas quadraginta aureorum millia, quæ ipſis olim dederat, ſibi ſolvere coegerat. Creſcente cum opibus ambitione Regis, Baramum cum florentibus copiis in Iberiam proficiſci jubet. Venienti occurrit *Romanus*, quem Mauritius eò miſerat. Relictis ad ſarcinas ignobilioribus, cum decem mille militibus adverſus hoſtem tendit. Bellum quidem protrahere Baramos conabatur, ſed Romanus pugnæ cupidus eam in Albania committit, debellatiſque Perſis maximam victoriam retulit. Quod ubi novit Hormiſda, contumeliæ causâ veſtem Baramo muliebrem miſit. Convitium indignans Baramus, factâ rebellione illud ulciſci cogitat. Mortem ſuis militibus minitatus erat Hormiſdas, niſi Duces ſalvos & incolumes reducerent. Dum milites ergo pœnæ metu apud Niſibim morantur, ad Regem ſuum revertere veriti, ſupervenit Baramus, ob impoſitam ſibi injuriam dolore furens, ultionemque anhelans. Literas ad ſe miſſas comminiſcitur, militibuſque convocatis, palam eas recitari jubet. Commemoratâque Regis crudelitate ad bellum ei inferendum milites permovet. Tum irrogatam ſibi contumeliam ulturus literas Hormiſdæ dirigit, cum inſcriptione ejuſmodi: *Coſroëi filia, non filio Hormiſdæ.* Intellectâ rebellione Rex *Saramen* adverſus Baramum mittit. Sed victus Sarames elephantis occidendus objicitur.

ANNO DOM. 591.

Zonar. l. 14.

Phot. Bib. p. 87.

Hormiſda regno ejicitur: à filio occiditur. Cur?

III. Extinguendæ ſeditioni alium Sarami Ducem *Pherecaunm* Hormiſda ſubſtituit. Cui appropinquanti Baramus ſignificat, iniquum eſſe, Perſis pro libertate pugnantibus bellum inferre. Regiâ dignitate Hormiſdam indignum eſſe, ex intimis præcordiis crudelitatem anhelantem, perfidum, juris omnis violatorem, ſuperbum, cui miſerorum ſanguis, & lachrymæ voluptati erant. Dictis ejuſmodi accenſi Pherecami milites, eo interfecto ad Baramum deficiunt, & illicò verſus Cteſiphontem tendunt. Dum hæc geruntur, *Byndoes*, vir magnæ apud Perſas dignitatis, vinculis conſtringebatur. In eo fortunæ fluctu captivi frater *Beſta* carcerem ingreſſus, Byndoem catenis eximit, congregatâque ruſticorum civiumque manu, tertiâ diei horâ regiam intrans. Inventum Hormiſdam, qui ſolio inſidebat, convitiis proſcindunt: exutumque diademate in carcere recondunt: rogant abdicati in locum Coſroës ſufficiatur. Intereà Hormiſdas è cuſtodia nuncium mittit, qui Perſis ſignificet, velle ſe loqui, quæ ipſis in utilitatem cederent. Poſterâ luce vinctus ad Optimates in regiam ducitur. Tum ille, indignum prorſus eſſe, talem Regibus ignominiam imponere: Imperii ab initiis Perſarum nomen ſe ſuis triumphis nobilitaſſe: ſubditos locupletaſſe: Turcas coëgiſſe, ut Perſis tributa ſolverent: rogare ſe, ut Coſroem crudelem, ſuperbumque regno pellant: eſſe ſibi filium alterum, quem potius ad regnum promovere debeant. Cùm peroraſſet, Byndoës ſcelera Regis omnia exponit, quibus Optimates commoti, Hormiſdæ & uxorem, & filium ſerrâ medios dividunt coram ipſius oculis. Quem deinde cæcitatis pœnâ affectum in carcerem mittunt. Vindictæ amorem Coſroïs pietas ſuperavit. Parenti omnia, quibus opus erat, munificentiſſimè tribuit. Contrà pater nullas filio gratias rependere, calcare omnia, quæ ab eo ſibi mittebantur; ipſum contumeliis afficere. Quibus accenſus Coſroës patrem fuſtibus percuſſum, turpiè occidi jubet. Quo facinore, indigniſſimo ſanè, Perſarum ſibi odia comparat.

Phot. 87. Miſcell. l. 17.

Coſroës Mauritii implorat auxilium, impetrat.

IV. Paternum regnum adeptus *Coſroes* in Baramum exercitum ducit. Cùm ad Zabam amnem uſque progreſſus eſſet, in ſuſpicionem adductus, quòd Ducum ſuorum nonnulli tyranno adhærerent, eos omnes morti miſit, ac ſubinde fugam arripit. Hærebat quid ageret: nonnullis comitum placebat, ut ad Turcas ſe conferret: alii

ANNO DOM. 591.

alii verò cenſebant, ad Romanos potius accedendum eſſe. Cùm in dubio eſt animus, Chriſto Duci viæ invocato, equum quo vellet ire permittit, tandemque *Cerceſium* pervenit cum uxoribus, duobus liberis recens natis, Optimatibuſque Perſarum comitatus nonnullis, quos à Regis ſui ſocietate iniqua fortuna non disjunxerat. Inde Legatos ad Mauritium miſit. Intereà ſummâ vi Baramus contendebat, ut Perſarum ſuffragiis ad regium munus eveheretur, quod cùm haud impetraret, Regem ſemet pronunciat. Subinde Oratores Imperatori dirigit, qui paſſi repulſam ad Dominum ſuum redeunt. Quippe Mauritius reciprocos fortunæ æſtus animo perpendens, preces Coſroïs libenter admiſit: hoſpitem pro exule, pro fugitivo filium ſibi aſciſcit, regiiſque donis cumulat. *Conſtantina* quoque Auguſta, ipſiuſque liberi Coſroïs & uxores, & liberos variis muneribus affecere. Regium quoque ſatellitium pecunias exercitumque cum Duce Coſroi Mauritius mittit. Addidit & Domitianum, Melitinenſem Epiſcopum cognatum ſuum, virum prudentiâ inſignem, & Gregorium Antiochenum, qui conſiliis ſuis Regi adjumento fuit. Gemino exercitu inſtructus, Perſarum ſcilicet & Romanorum, quibus Narſes præerat, extra Imperii fines deducitur. Ut præſtita ſibi beneficia Coſroës compenſaret, Mauritio *Daras* reddit, miſſis per *Dolbam* Legatum oppidi clavibus, Martyropolim quoque tradidit. Tum *Sita* perfidiæ pœnas ſuæ ſolvit, quem lapidibus obrutum Martyropolitani cruci ſuffixerunt.

Evagr. l. 6. c. 17.

Evagr. l. 6. c. 18.

Baramus à Coſroë vincitur, qui regnum recuperat.

V. Tot proſperis alia Regi bona acceſſere: *Byndois* operâ & theſauros, & Regiam recipit. Sic copiiſque pecuniâque munitus in Baramum provehitur. Neque res Baramus ſuas negligebat. Cum exercitu locum, cui *Alexandrina* nomen, occupat, ut venientium ex Armenia militum cum Narſe conjunctionem impediret. Verùm Maſticonis Armeniacæ Militiæ Magiſtri induſtria, Barami vigilantiam eluſit. Noctis auxilio *Maſtico* cum Narſe copulatur. Itaque ad pugnam ventum, in qua Narſis fortitudo maximè enituit, qui ſpretis elephantibus tyranni, Barbarorum phalanges diſſipat, in fugam vertit, interficit. Ad ſex millia fugitivorum capit, quos ad ſe adductos Coſroës jaculis omnes conficit. Qui verò ex gente Turcica Baramo fœderati erant, eos Mauritio miſit. Eorum multi cruces in frontibus gerebant, quas liquato atramento ſibi impreſſerant. Eas miratus Imperator, interrogat, *Quânam gratiâ, quæ non colerent, circumferrent ſigna. Illi gravem ante plures annos in Perſide, & patria ſua peſtem coortam eſſe dixerunt, à qua cùm multi mortales infecti interirent, Chriſtianos quoſdam, qui ibi fuere, hominibus ſi hoc feciſſent, ſaluti ſua conſulturos eſſe, regionemque eam à lue tali intactam, liberamque fore perſuaſiſſe. Idque ita eſſe ab eis factum.* Hæc ex Simocata Zonaras Annalium l. 14. Nicephoruſque hauſta poſteris mandavere. Porrò Barami ſupellex omnis Coſroïs in poteſtatem venit. Inſigni eâ victoriâ amiſſum ope Mauritii regnum recuperat. Redituro cùm Narſes hæc loqueretur, *Memor ſis Coſroë, præſentis diei, Romani tibi regnum donant*, ſuorum inſidias veritus, ex Romanis ad cuſtodiam ſui corporis mille ſibi milites impetravit. Sic bello, quod annis viginti duraverat, finis impoſitus eſt. Anno quippe DLXXII. inceperat, & cum Hormiſda nunc extinguitur. Nec Petavio in Rationarii libro ſexto

Niceph. l. 18. c. 20.

ſatis accuratè ſcriptum, id belli ſolos *duodeviginti* annos perſeverantis, anno DLXXXIX. fuiſſe compoſitum, repugnante prorſus Evagrio, Theophylacto, Chronico Alexandrino. Neque etiam ferenda eſt Baronii Chronologia, qui Coſroïs in regnum reſtitutionem anno DXCIII. contigiſſe tradit, biennii metachroniſmo. Hoc erroris purgat Chronicum Alexandrinum, in quo legitur: *Indictione nonâ Coſroës Perſarum Rex à Baramo contribuli ſuo regno pulſus, ad Romanos confugit, & initâ cum illis ſocietate & amicitiâ, in regnum eſt reſtitutus.* Atqui anno DXCIII. Indictio non IX. ſed XI. currebat. Non diverſis quidem annis, ſed uno eodemque Coſroës & pulſus & reſtitutus in regnum, & Barami Victor fuit. Hoc etiam apparet ex Inſcriptione Crucis aureæ, quam Coſroës Gregorio miſit Antiocheno: *Anno primo regni noſtri, die VII. menſis Januarii pollicati ſumus, ſi equites noſtri Zadeſpram occidiſſent, nos Crucem auream ad Sergii Ædem miſſuros eſſe.* Januarius ille eſt, qui anno 592. includitur, cum Januario anni 565. Gregorius Antiochenus non fuerit inter homines. Porrò Baramus, qui poſt cladem interioribus Perſidis regionibus petitis, ſalutem fugæ ſuam mandaverat, debitas rebellioni pœnas vitare non potuit. Per fraudem à *Zamerda*, & *Zoanamba* interfectus eſt. Defuncti percuſſores ſceleri quoque ſuo ſanguinem dedere.

Error Baronii.

Bar. An. 593. n. 1.

Gregor. l. 6. c. 21.

Phot. Cod. 65. 90.

Siccitas lueſque ingens in Gallia.

VI. Nunc ad res Occidentis convertamus animos. Aprili menſe Turonenſes & Nannetícos gravis lues afflixit: *Modico quiſquis ægrotus capitis dolore pulſatus animam fundebat. Sed factis rogationibus cum grandi abſtinentia & jejunio, ſociatis etiam eleemoſynis, adverſus divini furoris impetus mitigatus eſt.* Peſtem ſiccitas ingens ſubſequitur, quæ maximo & arboribus & pecoribus damno fuit. Siccitatem excepere tempore non ſuo pluviæ, quæ calamitatem auxerunt, contrariis ſcilicet Galliæ in perniciem conſpirantibus. Audiatur Gregorius: *Per ſaltus ſylvarum multitudo cervorum, & reliquorum animantium proſtrata, per invia nacta eſt. Fœnum ab infuſione pluviarum & inundatione amnium periit. Segetes exiguæ, vineæ verò profuſæ fuerunt. Quercuum fructus oſtenſi, effectum non obtinuerunt.*

Gregor. l. 10. c. 30.

Clotharii Regis baptiſmus.

VII. Fredegundis, ut filio ſuo Gunthrami præſidium compararet, miſſâ legatione ipſum rogat, ut puerum de ſacro fonte ſuſcipiat. Baptiſmo celebrando Pariſios deſtinat. Petitionem Rex non abnuit, licet infenſus Fredegundi: *Ætherium* ergo Lugdunenſem, *Syagrium* Auguſtodunenſem, *Flavium* Cabillonenſem, aliosque Lutetiam properare jubet. Ubi dolore pedum Gunthramus eſt recreatus, ad villam Roietalenſem, *Rueil*, feſtinat, *evocatoque puero juſſit baptiſterium præparari in vico Nemptodoro*, *Nanterre* Gallis hodie vocato. Dum eò moratur, adveniunt Childeberti Oratores, qui Domini ſui nomine queruntur, promiſſa non ſervari, *Clotharium* ad regnum promoveri. Contrà Rex affirmare, pacta à ſe non reſcindi: nil invidiæ eſſe, quòd nepotem ſuum de fonte ſuſcipiat, cùm vel ſervis ſuis id honoris domini conferant. Illibatum ſe Childeberto regnum eſſe tranſmiſſurum, ni culpa ipſius impediat. Diſcedentibus Legatis, Rex acceptum infantem, baptizanti que oblatum *Clotharium* vocari jubet, additis verbis ejuſmodi: *Creſcat puer, & hujus ſit nominis executor, ac tali potentiâ polleat, ſicut ille quondam, cujus nomen indeptus eſt.*

Gregor. l. 10. c. 28.

VIII.

ANNO DOM. 591.

nitùs exuerant: verendumque fuit, ne Eccleſiæ Africanæ in perniciem ea vergeret. Ut Imperii hoſtibus Mauris, ſic fidei adverſariis totis viribus Gennadius Patricius, Africæque Exarchus, obſtiterat. Gennadii pietatem accendit Gregorius, ut Donatiſtarum conatus comprimat, *& ſuperbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.* Monet etiam, ut Synodum Orthodoxorum cogat, quo majora Donatiſtis impedimenta opponat: *Concilium*, inquit, *Catholicorum Epiſcoporum admoneri præcipite, ut Primatem non ex ordine loci, poſtpoſitis vitæ meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus eleganttor, ſed vitæ melioris actio comprobatur. Ipſe verò Primas non paſſim, ſicut moris eſt, per villas, ſed in una juxta eorum electionem civitate reſideat, quatenus adepta dignitatis, meliori ingenio reſiſtendi Donatiſtis poſſibilitas diſponatur. Ex Concilio verò Numidiæ ſi qui deſideravint, ad Apoſtolicam Sedem venire permittite; & ſi quilibet eorum via contradicere voluerit, obviatur.*

Greg. l. 1. Ep. 72.

Multa Eccleſiæ Romanæ beneficia Gennadius contulerat; quæ & gratiarum actionem à Gregorio impetrarunt: *Plurima pro paſcendis ovibus B. Petri, Apoſtolorum Principis, utilitatibus excellentiam veſtram præſtitiſſe didicimus, ita ut non parva loca patrimonii ejus propriis nudata cultoribus, largitis Dotitiorum habitatoribus reſtauraverit.* Ut verò magis ac magis Donatiſtarum factio opprimeretur, ad Epiſcopos Numidiæ ſcribit, ne ullum ad Primatis dignitatem evehat, qui Donatiſtam egerit; quod cætera ſpectat, eorum conſuetudinem ſuffragio ſuo comprobat: *Conſuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, inviolatam permanere concedimus, ſive de Primatibus conſtituendis, cæteriſque Capitulis, exceptis his, qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatus dignitatem, etiam cùm ordo Clericorum eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus.*

Greg. l. 1. Ep. 75.

Id. ibid.

Iſtrienſes à Gregorio ad Imperatorem provocant: quid in ea cauſa actum?

XIII. At Iſtriæ Epiſcopi Gregorio præcipuè negotium faceſſebant. Quippe milites Gregorius miſerat, ut *Severus* ad communionem cum Eccleſia Romana ineundam vi compelleretur, à qua ob tria Capitula maximè abhorrebat. Id queſti ſunt Iſtriæ Præſules, oblato Imperatori Libello, quod teſtatur Mauritius in ſua ad Gregorium Epiſtola: *Omnes dixerant, tuam beatitudinem milites ad illos tranſmiſiſſe cum uno Tribuno, & Excubitore, neceſſitatem imponentes præfato reverendiſſimo Severo, & omnibus Epiſcopis, ut ad tuam beatitudinem perveniant, propter diverſam voluntatem, quam habent, ad ſacra & Catholica dogmata ſacroſanctæ noſtræ Eccleſiæ.* Severus ergo Synodo apud Gradum convocatâ, magnâ ſuffragiorum conſpiratione impetrat, ut à Gregorio ad Mauritium appellarent. Tres quidem Epiſtolæ ei miſſæ ſunt, ut nos Imperatoris ad Gregorium ſcripta monent, in quibus hæc legimus: *Scire volumus, quod Epiſcopi Iſtrienſium Provinciarum per Clericos aliquos ad nos directos, ſuggeſtiones nobis tranſmiſerunt, unam Epiſcoporum civitatum, & caſtrorum, quæ Longobardi tenere dignoſcuntur, aliam Severi Aquileienſis Epiſcopi, aliorumque Epiſcoporum, qui cum illo ſunt, & tertiam ſolius ejuſdem Severi . . . & ſupplicaverunt nos inducias ad hoc ſibi fieri, & nullam eis interim neceſſitatem imponi, ad veſtram Sanctitatem pervenire.* Supplicum votis Mauritius annuit, cauſatus Italiæ perturbationem: *Quia igitur*, inquit, *& tua Sanctitas cognoſcit præſentem rerum Italicarum confuſionem, & quod oportet temporibus competenter verſari, jubemus tuam Sanctitatem, nullatenus moleſtiam eiſdem Epiſcopis inferri, ſed concedere eos otioſos eſſe, quo uſque per providentiam Dei & partes Italiæ pace aliter conſtituantur, & cæteri Epiſcopi Iſtriæ, ſeu Venetiarum iterum ad priſtinum ordinem revocentur.* Quæ ad ſuperiorem annum Baronius retulit, illa ad labentem potius pertinere noſcuntur.

Bar. An. 590. n. 28.

Gregorius in Iſtrienſes malè animatus, ipſis reſcribit.

XIV. Gregorio, Joannique Ravennatenſi regia hæc mandata diſplicuere. Neſciebat Joannes, Gregorii in notitiam ea veniſſe, cùm de Iſtrienſium Præſulum negotio Pontifici literas direxit menſe Julio, Indictione decimâ, qui anni proximè futuri character eſt. Ne tamen divellatur hujus hiſtoriæ ſeries, anno labente Pontificis ad Joannem literas proferemus: *De cauſa verò Epiſcoporum Iſtriæ omnia, quæ mihi veſtra fraternitas ſcripſit, ita eſſe jam ante deprehendi, in iis Juſſionibus, quæ ad me à piiſſimis Principibus venerunt, quatenus me interim ab eorum compulſione ſuſpenderem. Ego quidem pro iis, quæ ſcripſiſtis, zelo atque ardori veſtro valde congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re ſereniſſimis dominis cum ſummo zelo Dei & libertate reſcribere non ceſſabo.* Cæterùm odio factionis Iſtrienſis plus æquo Gregoriana viſcera obduruiſſe videntur. Incendio ſubverſum erat Gradenſe oppidum, cui largitionis aliquid Joannes impetratum à Pontifice voluit, ut miſerorum inopiæ auxilium inveniret. Roganti hæc reſcribit Gregorius: *De hoc, quod dicitis, incenſæ civitati Severi Schiſmatici eleemoſynam eſſe mittendam; idcircò veſtra fraternitas ſentit, quia quæ contra nos præmia in Palatium mittat, ignorat. Quæ etſi non tranſmitterat, nobis conſiderandum fuit, quia miſericordia prius Fidelibus, ac poſteà Eccleſiæ hoſtibus eſt facienda.* Itaque Fano potius ſuppetias ferendas eſſe, ubi multi in captivitatem ceciderant. Recta quidem eſt Gregorii ſententia, cùm tunica ſit pallio propior. Vix tamen fidem impetrat, quod res Eccleſiæ Romanæ eo loci eſſent, ut eleemoſynæ aliquid Gradenſibus offerre prohiberetur. Id ſanè non exiſtimavit Joannes Ravennatenſis, ſecus Pontificiam erga egenos miſericordiam non imploraſſet. Porrò ſilentium Iſtrienſes ſibi non indixere. Scribunt Gregorio, gravem ſe perſecutionem pati ob trium Capitulorum damnationem; inter alias Provincias maximè flagellari Italiam. Quibus reſpondet Gregorius verbis Cypriani, *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Illo tempore, quo *Vigilius in urbe regia conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos damnationis protulit ſententiam*, Romam ab hoſtibus captam eſſe. Denique, ut de tribus Capitulis dubia ipſis omnia eximerentur, Pelagii librum mittit, quem de hac quæſtione condiderat. Epiſtolæ titulus eſt, *ad Hiberniæ Antiſtites.* Quem mendoſum eſſe, non immeriò cenſet Noriſius *è mivo*, quia de tribus Capitulis eo tempore in Hibernia tumultum extitiſſe, nullo veſtigio reperitur: nec MSS. Vaticana eam epigraphen exhibent. Sunt igitur, qui *Hiberniam* in *Iberiam* mutent, quæ lectio ad oram Labbeanæ Conciliorum editionis reperitur. Verùm pro Schiſmaticis à Gregorio illi habebantur, quibus Epiſtola dirigitur: *Mentis tumore depoſito, tantò citius ad matrem veſtram, quæ filios veſtros expectat & invitat, Eccleſiam redeatis, quantò vos ab ea quotidie expectari cognoſcitis.* Non autem ab Eccleſiæ Ro-

Greg. l. 2. Ep. 32.

Greg. l. 2. Ep. 36.

manæ

ANNO DOM. 591.

manæ communione Hiſpania divellebatur, quæ ope Recaredi cum Romano Pontifice conjuncta fuerat. Itaque placet nobis clariſſimi conjectura Noriſii, titulum ſic reſtituentis, *Univerſis Epiſcopis per Iſtriam*. Quorum conditioni optimè congruit Epiſtola. Conjectura quidem foret nihili, ſi liber, de quo mentionem Gregorius egit, ea ipſa eſſet Epiſtola, quæ ſic incipit, *Virtutum mater Charitas*, uti cenſent cum Labbeo viri eruditi. Labbei verba ſunt: *Hujus Epiſtolæ meminit B. Gregorius l. 2. ep. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ, quam librum appellat.* Diſplicet tamen Labbeana ſententia, quippe actum egiſſet Gregorius mittendo Epiſtolam, quam quinquennio antè Iſtrienſes à Pelagio jam acceperant. Nullâ quoque arte Epiſtola in librum mutari poteſt: ac ut pro una quidem re liber & Epiſtola exiſtimentur, Epiſtolæ Gregorianæ titulus retinendus eſſet, *ad Epiſcopos Hiberniæ*, vel ſaltem, *ad Epiſcopos Iberiæ*; neuter verò ad rationem quadrat. Ea Gregorii ad Iſtrienſes Epiſtola data eſt menſe Auguſto, Indictione x. Sed cohærentes hiſtoriæ partes divelli noluimus.

Lab Conc. t. 5. 615.

ANNO DOM. 592.

ANNO U. C. 1345. PER. JUL. 5305. JUL. 637. DOM. 592. MAURIT. 10. & 11. CHILDEBERTI 17. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 4. *Indict.* 10. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 4. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii VIII.

Mauritius Thraciam petit: quid ei contigerit?

I. PAce cum Perſis conſtitutâ, Mauritius in Avares, Chaganumque arma convertit. Itaque vere novo in Thraciam ſe cum exercitu contulit, loca viſurus, quæ barbarus furor everterat. Preces tamen adhibuere *Conſtantina* Auguſta, *Joannes* Patriarcha, totuſque Senatus, ut per Legatos potius bellum gereret: mens verò Imperatoris immota manſit. Dum Thraciæ urbem *Anchialum* contendens, ad Septimum pervenit, Solis Eclipſis accidit, die XIX. *Martii*, *feriâ ſeptimâ*, *horis poſt mediam noctem decem*, *Conſtantinopoli*. Oblectandi animi cauſâ cùm venatum iviſſet, ecce apes in eum invadit. Eo impetu conſternatus equus, Mauritium excutere nitebatur: eum tamen dejicere non potuit. Vitato periculo in aliud incidit. *Perinthum* dum navigio provehitur, exortâ ingenti procellâ penè fluctibus opprimitur, ac deſperantibus nautis contra expectationem vix ad locum, nomine *Daunum*, pervenit. Eâ ipſâ nocte ingentibus ſimul & lugubribus clamoribus ipſius aures feriuntur: illuceſcente ergo die miſit quæſitum, quid rei id eſſet? Inveniunt puerum ſine oculis, ſine palpebris, ſine manibus, ſine brachiis, caudâ piſcina uſque ad coxendices ſurſum porrectâ, quod monſtrum mulier partu effuderat. Horrendum fœtum diutius vivere Mauritius non permiſit. Poſterâ luce tres Sclavini Romanorum in manus incidunt: nil ferri, ſed ſolas citharas manibus geſtantes. Interrogati, Sclavinos ſe fatentur. Chaganum Legatos ipſorum genti miſiſſe de ferendis adverſus Imperium ſuppetiis. Verùm negatum prorſus auxilium ob interjecti ſpatii longitudinem. Ferrum ſuis ignotum eſſe, proindeque manibus ſe citharas ferre. Miratus Barbaros Mauritius, eos Heracleam miſit. Porrò cùm audiiſſet, Perſicam legationem, cui *Zalamban* præerat, in urbem regiam veniſſe, omiſſâ expeditione, Priſcoque exercitibus Thraciæ præfecto, in palatium ſuum revertitur. Mauritii in

Phot. 93. Miſcell. l. 17.

Thraciam profectionem Baronius anno 593. alligat. Verùm certè fallitur, uti ex eclipſi, cujus meminimus, exploratum habetur.

ANNO DOM. 592.

Error Baronii.

Bar. An. 593. n. 89.

II. Qui Mauritio Legatos, Gregorio quoque Antiocheno Præſuli donaria Coſroës multa miſit, Sergio offerenda Martyri. Crucem reddidit auream, gemmis exornatam, quam *Theodora* Auguſta Sergio dicaverat, à Coſroë Majore olim abreptam. Addidit Rex nomine ſuo crucem auream alteram, cui Græcis literis hæc inſcribebantur: *Ego Coſroës, Rex Regum, filius Hormiſdæ, quo tempore per Diabolicam operationem, & malitiam infeliciſſimi Varami, & equitum, qui unà cum illo erant, ad Romanorum ditionem me contuli, & quia infeliciſſimus Zadeſpram cum exercitu Niſibim advenerat, ſollicitaturus equites Niſibiſenos, ut à nobis deficerent, noſque oppugnarent, nos quoque equites miſimus ad oppidum Chareas unà cum Duce. Et quoniam audieramus, venerabilem ac celeberrimum S. Sergium cuncta largiri, quæ ab ipſo poſtularentur, anno primo regni noſtri, die ſeptimo menſis Januarii, per genium ejuſdem ſancti poſtulavimus, pollicentes ſi equites noſtri Zadeſpram occidiſſent, aut certè vivum cepiſſent, nos crucem auream, lapillis diſtinctam, ad ejus ædem miſſuros eſſe ob venerandum ejus nomen. Nono autem die menſis Februarii, equites noſtri caput ejuſdem Zadeſpram ad nos attulerunt. Voti igitur noſtri compotes facti, quo res manifeſta omnibus fiat, nec ullus dubicandi locus relinquatur, in venerandiſſimo ejus nomine, crucem hanc à nobis factam, unà cum ea, quæ olim ab Imperatore Romanorum Juſtiniano ad ejuſdem Sergii Ædem miſſa eſt. Poſteà verò bello inter duas Reſpublicas exorto, à Coſroë Cabadis filio, patre noſtro huc allata, & in theſauris noſtris reperta eſt, miſimus in Ædem venerandi S. Sergii.* Has cruces conſentiente Mauritio acceptas Gregorius ingenti pompâ Sergii in Eccleſia dedicavit. Cùm ſic in Chriſtianos animatus eſſet Coſroës, ad eum mittitur Domitianus Melitinenſis in Armenia Antiſtes, ut rectâ eum fide imbueret; quo ſucceſſu, capite ſequente exponemus.

Coſroës Sergio Martyri munera.

Evagr. l. 6. c. 21.

III. Cæterùm exiſtit hoc loco quæſtio non injucunda, num Coſroës, relictâ Idololatriâ, Chriſti Religionem amplexus ſit? Teſtantur id quidem Scriptores Coſroi coætanei, Theophylactus Simocata, nec non Joannes Biclarienſis, cujus verba ſunt: *Imperator Perſarum Chriſti ſuſcepit fidem, & pacem cum Mauritio Imperatore firmavit.* Neque ſanè negari poteſt, quin in Dei Religionem benè animatus fuerit. Siram Chriſtianam uxorem duxit. Sergii Martyris auxilium imploravit, ut Sira uterum gereret: eique vota nuncupavit. Diſcum poculumque ad ſacrorum uſum, crucem, thuribulum, cuncta ex auro, velum hunnicum, auro exornatum, Martyris ad Baſilicam tranſmiſit. Denique in ipſius præſidio ſpem ſe collocaſſe profitetur: *Mihi & Siræ auxilium feras, quo ſcilicet ego, & Sira, cunctique mortales in potentia tua ſpem ac fiduciam collocemus, atque in te credamus.* Hæc tamen non tanti ſunt, ut Chriſtianis Coſroës apponi debeat, cùm inter Turcas extent etiam hodie nonnulli, qui ſuum Mahumedem Chriſto poſtponant. Itaque licet Coſroes Sergium Chriſti Martyrem veneratione proſequeretur, nihilominus cultor Numinum permanſit, nec ſacrum unquam baptiſmum adeptus eſt. Quem ſi ſuſcepiſſet, polygamiæ quidem nuncium remiſiſſet. Ex ipſius tamen Inſcriptione liquet, non unius uxoris, ſed com-

Coſroes fueritne Chriſtianus?

Evagr. l. 6. 21.

ANNO DOM. 592.

complurium uxorum virum fuiſſe. Audiantur verba Inſcriptionis ad Sergium: *Quoniam Sira quidem Chriſtiana erat, ego verò Ethnicus; Lex quidem noſtra nobis minimè permittebat, ut Chriſtianam uxorem haberemus. Ego tamen ob meam ergo te benevolentiam hujus mulieris cauſâ Legem neglexi, eamque præ cæteris uxoribus meis præcipuo amore dilexi, atque indies magis magiſque diligo.* Neque ſanè Evagrio, qui in ea re Theophilacto, Joannique Biclarienſi eſt longè anteponendus, Coſroës Chriſtianus exiſtimatur, utpote qui poſt regiorum ipſius donariorum mentionem ea ſubjungat: *Hæc ſunt, quæ in donariis à Coſroë tranſmiſſis continebantur, à Balaami prædictione nil diſcrepantia. Benigno ſcilicet Deo ita res cum ſumma prudentia diſpenſante, ut Gentilium lingua ſalutaria interdum verba proferant.* His accedat Gregorii Magni ad Domitianum Epiſtola: *Imperatorem verò Perſarum etſi non fuiſſe converſum doleo, vos tamen ei Chriſtianam fidem prædicaſſe omninò exulta, quia etſi ille ad lucem venire non meruit, veſtra tamen Sanctitas prædicationis ſuæ præmium habebit.*

Evagr. l. 6. c. 21.

Greg. l. 2. Ep. 63. 102.

Gregorius Antiochenus Severianos informat: moritur.

IV. Gregorius poſtquam Coſroïs dona dedicavit, quæ *Limetum* dicitur, permittente Imperatore ſolitudinem peragrans, ubi Severi dogmata vigebant, rectam fidem prædicat, ſuiſque concionibus caſtella benè multa, vicos, atque integras Tribus, & Monaſteria ad Eccleſiam perduxit. His laboribus vitæ curſum cùm maturaſſet, non multò pòſt extinguitur. Quippe podagræ morbo, quo maximè vexabatur, corruptus abit è vita, cùm medicamentum ex hermodactylo confectum, à Medico ſibi porrectum ebibiſſet. Annos XIII. Eccleſiam Antiochenam adminiſtravit, ab anno ſcilicet 570. ad uſque 592. quo tempore multa & prudentiæ, & liberalitatis exempla præbuit. In ipſius maximè laudes verti debet, quòd vitam retinente Anaſtaſium revocatum ſuſceperit. Quod teſtatur Chronicum Alexandrinum, & indicat Evagrius: *Gregorius*, inquit, *mortuus eſt eo tempore, quo Antiochenæ Eccleſiæ præſidebat Anaſtaſius, poſt tres ac viginti demum annos in Sedem ſuam reſtitutus.* Rarum ſanè egregiumque æquitatis ſpecimen, à faſtu alienum. Baronius Gregorii Antiocheni obitum in annum DXCIV. vel *potius* in DXCV. conferendum eſſe ſtatuit. Argumentum habet ex Gregorii Magni ad Anaſtaſium Epiſtola, qui Gregorii poſt obitum Eccleſiæ Antiochenæ redditus eſt. Epiſtolæ initium eſt, *Gloria in excelſis Deo*, quo ſuum Anaſtaſio reditum gratulatur. Scripta eſt Epiſtola Indictione XIII. menſe Martio, quæ anni DXCV. nota eſt. Cùm igitur unus idemque annus & Gregorii funeri, & Anaſtaſii revocationi ſit aſſignandus, ſi anno DXCII. reſtitutio ea facta eſt, non ante annum DXCV. Gregorianam reduci Anaſtaſio gratulationem ſolutam eſſe, quis credat? Hujus tamen argumentationis non ea vis eſt, ut Chronici Alexandrini autoritatem perfringere debeat: *Indictione X. Anaſtaſius Antiochiæ Patriarcha Antiochiam redit, poſt mortem Gregorii Patriarchæ, qui vivus etiam Anaſtaſium receperat.* Evagrius quoque Anaſtaſium ante annum 594. ſedi ſuæ reſtitutum fuiſſe, non obſcuris verbis innuit: *Mortuus eſt Gregorius eo tempore, quo Hieroſolymitana Eccleſiæ Pontificatum Joannes adminiſtrabat. Quo non multò pòſt mortuo, nemo etiamnùm Eccleſiæ illius gubernacula ſuſcepit. Atque hic Hiſtoriæ noſtræ finis eſto, anno ſcilicet XII. Principatus Mauritii.* Ex quibus intelligitur,

Evagr. l. 6. 22.

Evagr. l. 6. c. 24.

Bar. An. 594. n. 36.

Greg. l. 4. Ep. 36.

Evagr. l. 6. c. 24.

ANNO DOM. 592.

Anaſtaſium, qui Joanne Hieroſolymitano ſuperſtite reſtitutus eſt, ante annum Mauritii duodecimum revocatum fuiſſe, cùm Joannis obitus, qui Evagrii claudit Hiſtoriam, anno Mauritii XII. cohæreat. Incepit autem anno DXCIII. Auguſti menſis XIII. Ex Gregorii verò ad Anaſtaſium Epiſtola, quæ anno DXCV. confecta eſt, non ſequitur, quin prius redierit. Id tantùm ſequitur, non ante annum DXCIV. nuntia reditus ad Gregorii aures perveniſſe: vel quod longè probabilius eſt, ordinem Epiſtolæ hujus perturbatum fuiſſe. Congruum quidem non videtur, ut Epiſtolæ ad Anaſtaſium de Joannis Conſtantinopoli ſuperbia gratulatio de Anaſtaſii reditu poſtponatur. Quòd ſi Epiſtolæ hujus ad Anaſtaſium ordinem legitimum eſſe concederemus, debuiſſet quidem prius ſcribi, quàm Baronius exiſtimat, cùm præponatur Epiſtolæ, ad Joannem Conſtantinopolitanum Calend. Januar. Indict. 13. ſcriptæ.

Greg. l. 4. Ep. 38.

Naamanus Saracenus Chriſti fidem amplectitur.

V. Potentiſſimæ gratiæ ſuæ Chriſtus maximum ſpecimen præbuit, quod Evagrii verbis referemus: *Per idem tempus Naamanes quoque Sarracenorum hoſtium Phylarchus, ſceleratus atque abominandus Gentilis, adeò ut homines ſuâ ipſius manu Diis ſuis immolaret, ad ſacrum baptiſmum acceſſit, & verè auream Venerem, quippe quæ nihil aliud eſſet quàm auri maſſa, igne liquefactam pauperibus diſtribuit; & cunctos, qui cum ipſo erant, ad Dei cultum traduxit.* Non placet Baronii Chronologia, qui anno DXCIII. Naamanem ad fidem perductum eſſe memorat. Chriſti quippe religionem amplexus eſt Naamanes, vivente adhùc Gregorio Antiocheno Præſule, uti haud obſcurè indicat Evagrius.

Evag. l. 6. 22.

Bar. An. 593. n. 6.

Donatiſtæ criſtas erigunt. Gregorius eos opprimi jubet.

VI. Dum novi in Oriente populi ſceptro ſe Chriſti ſubjiciunt, Donatiſtæ in Africa adverſus Orthodoxos acerrimi, parata cornua tollunt. Id Gregorius Magnus queritur in ſua ad *Columbum* Numidiæ Epiſcopum Epiſtola: Didicimus *Donatiſtarum hæreſim pro peccatis noſtris quotidie dilatari, & valde plures datâ per venalitatem licentiâ, poſt Catholicum baptiſma à Donatiſtis denuò baptizari.* Ferebatur, Præſulum nonnullos auri cupidine captos, accepto pretio Donatiſtas ad Epiſcopatum promoviſſe. Verba ſunt Gregorii: *Inſinuaverunt nobis præſentium latores, Conſtantius & Muſtellus, ut aſſerunt Eccleſiæ Pudentianæ Diacones in Numidia Provincia conſtitutæ, Maximianum ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitem in loco, quo degit, corruptum præmio, Donatiſtarum Epiſcopum novâ licentiâ fieri permiſiſſe, cùm etſi anterior uſus permitteret, manere atque perſiſtere fides Catholica prohiberet.* Synodum itaque imperat, ut inquiſitione factâ Maximianus ut Simoniacus gradu moveatur: *Ob hoc fraternitatem tuam ſcriptis præſentibus neceſſariò duximus adhortandam, ut veniente ad te Hilario Chartulario noſtro, adunato Epiſcoporum univerſali Concilio, habito præ oculis terribilis venturi Judicis, cauſâ eâdem ſubtili ac ſolerti debeat indagatione perquiri. Etſi Capitulum hoc à præſentium Epiſcoporum latoribus prædicto Epiſcopo documentis idoneis fuerit approbatum, à dignitate officioque, quo fungitur, omnibus modis degradetur.... Æquum eſt enim, ut qui J. Chriſtum Dominum noſtrum Hæreticis acceptâ pecuniâ venumdedit, ut fertur, ad ejus videlicet ſacroſancti corporis ac ſanguinis tractandis myſteriis ſubmoveatur.* Data eſt Epiſtola menſe Auguſti, Indictione X.

Greg. l. 2. Ep. 33.

Adriani Thebani Antiſtitis accuſatio.

VII. Grave quoque negotium Gregorii ad tribunal ex Græcia perducitur. Joannes & Coſ-

ANNO DOM. 592.

mus Thebarum Theſſalicarum Diaconi, officio ſuo, nec immerentes, ab Adriano civitatis hujus Antiſtite pulſi fuerant. Ille quidem ſcortando ſeſe polluerat, hic facultatum Eccleſiaſticarum furto ſe macularat. Ex muneris ſui jactura dolore perciti, *adverſus Adrianum de pecuniariis, criminalibuſque Capitulis* apud Imperatorem accuſationem inſtituunt. Confeſtim Mauritius Joanni Lariſſæo Præſuli cauſæ hujus cognitionem tribuit, teſte ad ipſum Gregorii Epiſtola: *Imperatores per Juſſiones ſuas te voluerunt, ſervata videlicet juris Canonumque diſtrictione cognoſcere, ita ut de pecuniariis quidem ſerves firmam jure ſententiam; de criminalibus verò, eorum clementia habitâ ſubtilius examinatione, ſuggereres.* Non ſatis æquum erat, homines amotos officio, eaque de cauſa inimici in Adrianum animi proferri teſtes: *Maximè cùm ex ſuggeſtione piiſſimis Dominis oblata eorum ſit detecta fallacia, quia cum conſenſu omnium Clericorum hac contra ſuum Pontificem ſe ſuggeſſiſſe profeſſi ſunt.* Adriano verò crimina hæc à *Joanne*, & *Coſma* objiciebantur. Primum, quòd flagitioſæ Stephani Diaconi vitæ probè gnarus, eum non exautoraſſet. Secundum, quòd baptiſmo infantes prohibuiſſet, qui abſque regenerationis ſacramento deceſſerant. Ac Stephanum quidem impurum hominem fuiſſe, & Diaconatu indignum eſſe conſtitit; id verò Adriani in notitiam haud pervenerat. Apparuit etiam, infantes baptiſmi non expertes obiiſſe, *cùm in Demetriade civitate baptizatos eos eſſe conſtiterit.* Alterum accuſationis in Adrianum caput pecuniam attinebat. Quale verò ea de re Joannes Lariſſæus ſententiam tulerit, verbis Gregorii exponemus: *De pecuniariis verò qualiter à te fuerit judicatum, inquiſitio deputatorum à Principe virorum piiſſimâ Juſſione ſereniſſimis Principibus atteſtatur. Nam cùm tum ſæpè fatus Adrianus ſuſpendiſſet appellatione ſententiam, quantum ex quatuor teſtium depoſitionibus, apud Joannem primæ Juſtinianæ Epiſcopum prolatis, agnovimus, arctiſſimâ detruſus cuſtodiâ Libellum, in quo objecta ſibi conſitetur Capitula, tua coactus eſt fraternitati porrigere. Qui quidem in porrecto à ſe Libello, de pecuniariis invenitur, tuæ conſenſiſſe ſententiæ. Criminalia verò medio quodam, dubioque verborum calle tranſcurrit, ut & tua quibuſdam ſubjectus nebulis fruſtraretur intentio, & ipſe porrò à Confeſſione imperplexæ locutionis obſcuritate refugeret.* Cùm & Adriani appellatio, & Joannis Lariſſæi tam ſententia, quàm geſta Imperatori oblata eſſent, horum omnium notitiam Honorato Gregorii Apocriſiario, & Sebaſtiano tribuit, quod etiam atque etiam eſt obſervandum: *Deputatis*, inquit

Greg. l. 2. Ep. 7. 46.

Gregorius, *Honorato Diacono Sedis noſtræ, & Sebaſtiano glorioſo Antigrapho, cunctiſque examinatis ſubtiliter, à ſereniſſimis eſt Dominis Juſſionibus abſolutus.*

Adrianus à Joanne Juſtinianæ Epiſcopo damnatur: ad Gregorium provocat.

VIII. Sic lis ea prorſus extincta videbatur. Necdum tamen quies Adriano reddita. Adhibentur ab inimicis ejus machinæ, quibus regium mandatum impetratur, ut de iiſdem accuſationibus Joannes primæ Juſtinianæ Epiſcopus judicium ferret. Tormenta admoventur, ut Adriani Clerici criminis aliquid Præſuli ſuo imponerent. Vis tamen doloris à miſeris extorquere nil potuit, quo accuſati innocentia obrueretur: imò deprehenſum eſt, accuſationes à Joanne Lariſſæo fabricatas eſſe. Joannis Juſtinianæ Epiſcopi in judicio *omnes Clerici Adriani Epiſcopi, & Demetrius inter tormenta profeſſus eſt, omnem hanc*

Greg. l. 2. Ep. 46.

contra Adrianum Epiſcopum calumniam, fraternitatis tuæ machinatione confectam: nec aliqua de Capitulis ipſis, quæ in tua audientia criminaliter objecta fuerant, Adriano Epiſcopo ſunt probata. Neque in cauſæ hujus cognitione æquiorem Primæ Juſtinianæ Antiſtes Lariſſæo ſe præbuit, quaſi conſpiratione factâ ad opprimendam juſtitiam ejus adverſarii totis viribus contendiſſent. Gregorium audiamus: *Reperimus propè nihil te, quoad nominatas indictaſque ſibi cauſas attinuit, exquiſiviſſe, ſed machinationibus quibuſdam teſtes adverſus Demetrium Diaconum in damnatione ejuſdem Epiſcopi produxiſſe. Qui eum de illo, quod nec audiri fas eſt, teſtimonium dicentem ſe audiſſe perhiberent. Quod dum præſens Demetrius contradiceret, ſe dixiſſe adverſus Sacerdotalem morem, diſciplinamque Canonicam dejectum honore ſuo Diaconum Proconſulis Provinciæ tradidiſſe. Qui cùm multis laniatus verberibus, adverſus Epiſcopum ſuum forſan aliquâ potuiſſet tormentorum neceſſitate mentiri, uſque ad finem negotii nil eum, de quibus interrogabatur, penitùs invenimus fuiſſe confeſſum.* Nihilominùs Joannes *abruptam protulit in* Adriani *damnatione ſententiam.* Itaque à Collegis, velut ab hoſtibus Romam confugit.

Greg. l. 2. Ep. 45. 6.

Gregorii in Adriani cauſa judicium.

IX. Supereſt nunc, ut illud videamus, quid in eo negotio Gregorius ſtatuerit. Ac Joannem Lariſſæum vetat, ne Adriani rebus unquam cognoſcere, cujus quidem Epiſcopatum Lariſſæenſi ditioni Pelagius ſecundus exemerat: *Cùm oportuiſſet te ex eo Dominici corporis communione privari, quod admonitione ſanctæ memoriæ deceſſoris noſtri contemptâ, per quam eum, Eccleſiamque ejus de tua juriſdictione poteſtatis exemit, rurſus in eis aliquid tibi juriſdictionis ſervare præſumpſeris, tamen nos humanius decernentes, communioniſque tibi ſacramentum interim conſervantes, decernimus, ut fraternitas tua ab eo, Eccleſiaque ejus omnem antehabitæ ſuæ poteſtatem juriſdictionis abſtineat, & ſecundum ſcripta deceſſoris noſtri, ſi qua cauſa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adverſus præfatum Adrianum Conſacerdotem noſtrum potuerit evenire, vel per eos, qui noſtri ſunt, vel fuerint in urbe regia reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio cognoſcatur, vel hùc ad Apoſtolicam Sedem, ſi ardua eſt, deducatur, quatenus noſtra audientia ſententia decidatur.* Secus ei excommunicationem minatur. In Joannem verò primæ Juſtinianæ graviorem fert ſententiam. Ac primùm eum cenſurâ vexat, quòd neminem miſerit, qui Honorato rationem judicii redderet: *Quod factum te, vel de contumacia, vel de conſcientia trepidatione redarguit.* Rem quod attinet, ejus in Adrianum ſententiam reſcindit: *Caſſatis prius atque ad nihilum redactis prædicta tua ſententia Decretis, ex B. Petri Principis Apoſtolorum autoritate decernimus, triginta dierum ſpatio te ſacrâ communione privatum, ab omnipotente Deo noſtro tanti exceſſus veniam cum ſumma pœnitentia ac lachrymis exorare. . . . Præfatum verò Adrianum fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum ex tua ſententia, ut diximus, nequaquam Canonibus, neque Legibus exiſtente damnatum, in ſuum locum atque ordinem reverti, Chriſto comitante diſponimus.* Hæc ſcripta menſe Octobri, Indictione XI. Porrò Gregorium in eos Epiſcopos autoritatem exercuiſſe nil miri, cùm Illyrici Præfectura, ad quam pertinebant, Patriarchæ Romani ditioni includeretur. Cæterùm Adrianus non multò poſt Gregorii judicium cum accuſatoribus ſuis in gratiam rediit. Quæ concordia extat Pontificis in Epiſtola,

Greg. l. 2. Ep. 46.

Greg. l. 2. Ep. 45. 6.

menſe

ANNO DOM. 592.

Greg. l. 2. Ep. 38. 77.

menſe Maio, Indictione XI. ad Corinthios Præſules ſcripta. Teſtatur, ſibi gratam quidem eſſe concordiam, verùm de ea eſſe inquirendum: *Quæ ſi, quod abſit, non ex caritate, ſed ex præmio facta conſtiterit, majori hoc emendatione plectendum eſt.*

Synodus Cæſarauguſtana 2.

X. Migrandum nunc eſt in Hiſpaniam, ubi apud Cæſarauguſtam Synodus *ex permiſſu glorioſi Principis Recaredi anno* VII. celebratur. Per ſe, vel per Legatos Concilio interfuere Epiſcopi XIII. Artemius Tarraconenſis Provinciæ Metropolitanus, Synodi Præſes; *Sophronius* Egarenſis, *Stephanus* Tyraſſonenſis, *Julianus* Dortoſanus, *Simplicius* Urgelitanus, *Aſterius* Auſcenſis, *Mummius* Calagurritanus, *Liliolus* Pompilonenſis, *Maximus* Cæſarauguſtanus, *Joannes* Menteſanus, *Galanus* Empuritanus, *Amedius* Diaconus, nomine Gavini Oſcenſis, & Stephanus Diaconus vicem agens Aquilini Auſonenſis: *Sub die Kal. Novembrium, Ærâ* DCXXX. congregantur. Canones tres edidere. Primus, Qui ex Ariano errore converſi ad pietatem Presbyteri *puram fidem atque caſtiſſimam tenuerint vitam, acceptam denuò benedictionem Presbyterii ſanctè ac purè miniſtrare debeant.* Ea ceremonia reſtitutionis potius declaratio eſt, quàm nova ordinatio. Itaque cùm Epiſcopi vel injuſtè abdicati in integrum reſtituebantur, coram altari

Tolet. 4. 18.

orarium, annulum, & baculum recipiebant. Canon ſecundus jubet, ut Arianorum reliquiæ *prolatæ à Sacerdotibus, in quorum Eccleſiis reperiuntur, Pontificibus præſentata igne probentur.* Qui eas occultarint, Eccleſiâ ſegregantur. Tertius, Ariani Præſules, *ſi quas Eccleſias ſub nomine Catholicæ fidei conſecrarint, necdum benedictione perceptâ*, illæ rurſus ab Epiſcopo Catholico conſecrentur. De hoc Concilio Epiſcoporum nonnulli, Artemius ſcilicet, Sophronius, Galanus, & Joannes pridie Nonas Novembris, quid fiſ-

Lab. Conc. t. 5. 1601.

cus Barcinonenſis exigere debeat, ſtatuunt: *Decrevimus, ut tam vos, quàm agentes, ſive adjutores veſtri pro uno modio Canonico populum exigere debeatis: hoc eſt, ſiliquas* VIII. *& pro laboribus veſtris ſiliquam unam, ut pro inevitabilibus damnis, vel interpretia ſpecierum ſiliquas* IV. *quæ faciunt in uno ſiliquas quatuor.*

ANNO DOM. 593.

ANNO U. C. 1346. OLYMP. 343. PER. JUL. 5306. JUL. 638. DOM. 593. MAURICII 11. & 12. CHILDEBERT. 18. *Sol.* 14. D. *Lun.* 5. *Indict.* 11. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 4. P. 28. *Mart.*

Poſt Conſulatum Mauritii IX.

Chaganus Thraciam ingreditur. Tſurulum obſidet. Fœdus cum Priſco init. Cur?

I. AVidus munerum ſuprà quàm credibile eſt Chaganus Rex Abarum, majora adhùc à Mauritio accipere contendebat. Inexplebili cupiditati cùm Imperator non ſatisfaceret, Barbari collectis copiis Pannoniam ingreſſi, vaſtatâ *Sigedone*, contra Sirmium arma movent. Quibus Mauritius Priſcum obviam ire jubet. Hic verò Legatum ſuum *Silvianum* præmittit, qui Barbaros fundit. Re cognitâ, Chaganus advolat cum exercitu, qui formidine correptum *Silvianum* ad *Priſcum* redire cogit. Chaganus verò poſtquam Romanorum receſſum intellexit, ſubinde Driſiperam delatus, B. Alexandri Templum obſidet. Driſiperâque potitus eſſet, niſi milites videre ſibi viſi fuiſſent, Romanorum copias ad pugnam procedere. Quo ſpectaculo mox in fugam verſi Perinthum deferuntur. Tum Priſcus ne vel Barbarorum aſpectum ferens, Tſurulo oppido ſeſe concluſit. Quod ſine mora obſidione à Chagano cingitur. Cujus potentiam cùm marte Mauritius frangere haud poſſet, arte comprimit. Excubitorum unum literas ad Priſcum ferentem Barbaris ſe de induſtria tradere jubet. Literis verò Priſcus monebatur, obſidionem fortiter tolerare: brevi quippe Chaganum cum ignominia receſſurum. Miſſis enim in ipſius regionem triremibus, domos Abarum diripiendas, uxores & liberos abducendos eſſe. Deceptus arte ejuſmodi Chaganus, acceptis munuſculis cum Priſco pacem iniit, & in ſua ſe recepit. Extat Gregorii Magni ad Priſcum Epiſtola, quæ ipſi regium favorem gratulatur: *Quia igitur perfectam vos Dominorum gratiam autore omnipotente Deo vos reparaſſe cognovimus, magnâ pro vobis exultatione gaudemus, optantes ut vitam veſtram rerum omnium Gubernator, & bonis ſemper præſentibus fulciat, & ad gaudia perpetua extendat.* Hortatur & illum, ut & in proſperis, & in adverſis modeſtiam ſervet. Commendat ei quoque & *Caſtum*, laudum ipſius præconem, & *Sabinianum* Diaconum Epiſtolæ latorem. Data eſt menſe Julio, Indict. XI.

ANNO DOM. 593.

Mojo? l. 15. Zonar. l. 14.

Greg. l. 2. Ep. 51. 90.

Agilulfi Regis Acta.

II. De rebus Longobardorum paucis. *Agilulfus* Rex, qui & *Ago* nuncupabatur, conceptam de ſe ſpem non fallebat, utpote qui ſtrenuè ſatis regnum ſuum adminiſtrabat. Quid dignum memoratu anno labente geſſerit, Paulus narrat Warnefridus: *His diebus Agilulfus Rex occidit Minulfum Ducem de Inſula ſancti Juliani, eo quòd ſe ſuperiori tempore Francorum Ducibus tradidiſſet. Gaidulfus verò Pergamenſis Dux in civitate ſua Pergamo rebellans, contra Regem ſe communivit: ſed datis obſidibus pacem cum eo fecit. Rurſum ſe Gaidulfus in Inſula Comacina recluſit. Agilulfus verò Rex in eandem Comacinam Inſulam ingreſſus, homines Gaidulfi exinde expulit, & theſaurum, quem ibidem à Romanis poſitum invenerat, Ticinum tranſtulit. Gaidulfus verò iterato Pergamum confugiens, ibique ab Agilulfo Rege obtentus, rurſus in gratiam receptus eſt. Rebellavit quoque Dux Ulfari contra Agilulfum Regem apud Tarviſium, & obſeſſus captuſque eſt ab eo.* Peſtis inguinaria vehementer apud Ravennam, Grados, Iſtriamque graſſata complures morti miſit.

Warnefr. l. 4. c. 3.

Conſtantius Mediolanenſis Antiſtes eligitur.

III. Italiæ ubi verſamur, res Eccleſiaſticas memoratu digniores nunc contemplemur. Laurentio Mediolanenſium Antiſtite defuncto, omnium ſuffragio *Conſtantius* Diaconus eligitur. Quod ſcriptis Gregorio literis nunciant, quas *Magno* Presbytero, & Hippolyto Clerico ferendas tradunt. Non ſatis providè tamen Mediolanenſium Epiſtola nominibus Clericorum deſtituebatur. Id notat Gregorius in ſua ad Clerum Mediolanenſem reſponſione: *Epiſtolam dilectionis veſtræ ſuſcepimus, cui tamen nullius erat inſerta ſubſcriptio, ſed fidem Magni Presbyteri, & Hippolyti Clerici portitorum perſona faciebant.* Ac Gregorio Conſtantius quidem notiſſimus fuit: *Et cùm*, inquit, *in urbe Regia reſponſa Sedis Apoſtolicæ facerem, longo mihi tempore adhæſit, ſed nihil unquam in illo, quod reprehendi paſſim potuiſſet, inveni.* Nihilominùs ne quid perturbatè fieret, Joanni Subdiacono ſcribit Gregorius, ut de Conſtantii electione diligentius inquireret: *Quoniam eadem non fuit ſubſcripta relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet, omittamus, hujus idcircò præcepti autoritate ſuffultum, Genuam te proficiſci neceſſe eſt. Et quia multi illic Mediolanenſium coacti*

Greg. l. 2. Ep. 29. 68.

Greg. l. 2. Ep. 30. 69.

Barbaricâ feritate conſiſtunt, eorum te voluntates oportet, eis convocatis in commune perſcrutari. Et ſi nulla eos diverſitas ab electionis unitate diſterminat, . . . tunc eum à propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, cum noſtra autoritatis aſſenſu, ſolatiante & auxiliante Domino facias conſecrari. Conſtantium quoque Romano Patritio Gregorius commendat, ut ſuo illum favore tegere dignetur. Poſtquam verò Joannes Subdiaconus electionem Conſtantii legitimam eſſe novit, aſſenſu Gregorii conſecratur, qui & honoris causâ ei pallium miſit: *Pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia utendum, ex more tranſmiſimus.* Scripta eſt Epiſtola menſe Septembri, Indictione XII.

Greg. l. 2. Indict. 12. Ep. 1.

A Conſtantio Mediolanenſi tres Epiſcopi ſeparantur. Cur?

IV. Non ſine laceratione Eccleſiæ Conſtantinus Mediolanenſibus ſacris præfectus eſt. Diſpergebatur rumor, ipſum in trium Capitulorum damnationem conſenſiſſe: quæ cauſa fuit, cur tres ab ejus communione Epiſcopi divellerentur. Audiamus Gregorium in ſua ad Conſtantium Epiſtola: *Dilectiſſimus filius meus Boniſatius, Diaconus quidam, mihi ex ſcripto fraternitatis tuæ ſecrete nunciavit, quod exquiſitâ occaſione potius quàm inventâ, tres ſe Epiſcopi à pia fraternitatis veſtra communione ſeparaverint, dicentes vos in damnationem trium Capitulorum conſenſiſſe, atque cautionem feciſſe.* Eò uſque diſſidium proceſſit, ut Theodelinda Regina ab Eccleſiæ Romanæ Conſtantiique communione ſe ſepararet. Eam itaque Gregorius ſcripto convenit, ut ad concordiam revocaret, *Ne tot*, inquit, *veſtra lachryma, tantaque bona opera pereant, ſi à fide vera inveniuntur aliena.*

Greg. l. 3. Ep. 2.

Greg. l. 3. Ep. 4.

Mauritii de militibus in Monaſterium non ſuſcipiendis Legem Gregorius improbat. Num eam temperavit.

V. Aliud fuit, quod dolorem Gregorio majorem incuſſit. Legem anno præterito Mauritius promulgarat, quam per *Longinum* Stratorem ad Pontificem miſerat, quâ ſanciebatur, *ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat.* Quod Gregorio maximè probatum. Illud verò miratus eſt, quod in eadem Lege habebatur, *ut ei in Monaſterio converti non liceat*, cùm permiſſæ eorum, qui Magiſtratum geſſerant converſione, quæ contraxerant debita, ea ſolvi facilius poſſent. Præcipuè Gregorium in ſtuporem conjecit caput illud, *ut nulli, qui in manu ſignatus eſt, converti liceat*, hoc eſt, ne militum ullus in Monaſterio ſuſcipiatur: *Quam*, inquit, *Conſtitutionem ego, fateor Dominis meis, vehementer expavi, quia per eam Cælorum via multis clauditur.* In mentem dein Imperatori revocat, quanta ei beneficia Chriſtus contulerit, *quantique milites converſi miracula fecerint.* Theodoro quoque Medico dolorem ea de Lege ſuum exponit. Primus, aiunt Juriſperiti, Legem *Julianus protulit, de quo ſcimus omnes, quantum Deo adverſus fuerit. Quòd ſi ideò ſereniſſimus Dominus noſter fecit, quia fortè multi milites convertebantur, & exercitus decreſcebat, nùm quid per virtutem militum ſubjugavit ei omnipotens Deus Imperium Perſarum.* Cæterùm obedientem ſeſe regiis juſſis efficiens Gregorius, quam non probabat Legem, promulgari tamen juſſit: *Ego quidem*, inquit, *Juſſioni ſubjectus, eandem Legem per diverſas partes tranſmitti feci.* Ac Gregorianis literis, & fortè Theodori Medici conſiliis permotus Imperator, de Lege ſua aliquid remitti voluit. Itaque Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrachiano, Joanni Calaritano, omnibus Siciliæ Epiſcopis, aliiſque Antiſtitibus Gregorius ſcripſit, qui ſeculi Actionibus implicati ſunt, *ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius à ratiociniis publicis abſoluti fuerint. Milites verò, qui Monaſterium ingrediuntur, debent in ſuo habitu per triennium probari.* Quâ conditione *libenter eorum converſionem ſuſcipit Imperator.* Doctiſſimus Marca Gregorium *delegatâ autoritate* uſum Principis Legem temperaſſe, nobis perſuadere voluit. Obſervat, fas fuiſſe Præfectis Prætorio à Legum ad ſe miſſarum executione abſtinere. Ea tamen tam confidenter prædicanti non credimus. Præfecto Prætorio *Joanni* hæc quidem ſcripſerat Juſtinianus, Novellâ 152. *Quæ ad detrimentum Reipublicæ per obreptionem fiunt, has quidem ſacras formas tua ſuſcipiat excellentia: non tamen prius, quæ ibi ſunt repoſita, faciat, quàm ad nos relationem ea de re pertulerit, quò magis ſi quid, ut poteſt fieri ad detrimentum factum eſt Reipublicæ, id corrigamus.* Hæc verò doctiſſimo Præſuli non favent. Primùm enim eam Præfecto Prætorio facultatem non tribuit Juſtinianus, ut Leges Imperatoris temperet. Ille ipſe Princeps eſt, qui eas emendat: *Id*, inquit, *corrigamus.* Itaque conceſſo Pontificem Romanum eâ pollere autoritate, quam Præfecto Prætorio Juſtinianus conceſſerat, Legem quidem Mauritii Gregorius executioni non mandare potuiſſet, donec Imperatori reſcripſiſſet; temperare verò Legem non potuiſſet. Deinde quibus argumentis P. Marca oſtendet, fas Gregorio fuiſſe, quod Præfecto Prætorio licitum erat? Id quidem fingi poteſt, probari non poteſt. Imò, quia id ſoli Præfecto Prætorio datum, Pontifex ſibi quidem vindicare non debuit. Neque fecit etiam, quod Præfecto Prætorio facere licebat, qui Leges iniquas, quas ſuſceperat, non prius tranſmittebat, aut executioni mandabat, quàm reſcripſiſſet Imperatori. Atqui Mauritio Gregorius ſcribit, ipſius Legem ſe tranſmiſiſſe. Denique non Reipublicæ detrimentum vergebat Lex Mauritii, quo ſolo caſu non vulgari potuit, neque etiam perniciei aliquid inferebat Eccleſiæ. Quaſi verò rueret Eccleſia, ſi militibus licentia negaretur Monachorum amplecti diſciplinam. Mauritianæ Legis igitur temperamentum non à Gregorio, ſed à Principe fuit adhibitum. Temerè prorſus quidem Gregorius regium ei temperamento aſſenſum jactaſſet, niſi probè compertum eum habuiſſet. Pontificis verba ſunt: *Qua de re etiam ſereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omnimodò placatur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.* Neque Epiſtola ea Gregorii *Euſebio* Theſſalonicenſi, *Urbico* Dyrrachitano, aliiſque Metropolitanis miſſa, eodem tempore ſcripta fuit, quo illa ad Mauritium, quâ Gregorius teſtatur, ſe Legem ipſius *per diverſas partes tranſmiſiſſe.* Quippe tum Ravennatenſi Eccleſiæ Joannes præerat. Epiſtola verò de Lege Imperatoris, *Quòd ex militari habitu nullus niſi ante triennium probatus ſuſcipiendus ſit*, non Joanni, ſed *Mariniano Ravennatenſi* dirigitur. His accedat, quòd ſi *delegatâ autoritate uſus* Gregorius Mauritii Legem temperaſſet, non unum duntaxat Legis caput, ſed duo ſanè capita emendaſſet, quæ improbabat. Illud ſcilicet, quod vetuit, ne ullus publicis adminiſtrationibus implicatus Monachis infereretur: *Quod verò in eadem Lege dicitur, ut ei in Monaſterio converti non liceat, omninò miratus ſum, dum & rationes ejus poſſint per Monaſterium fieri, & agi poteſt, ut ab eo loco, in quo ſuſcipitur, ejus quoque debita ſolvantur.* Quid eſt improbare, ſi hoc

non

Greg. l. 2. Ep. 61.

Greg. l. 2. Ep. 65.

Greg. l. 2. Ep. 62.

Greg. l. 7. Ep. 11.

Marca de Concord. l. 2. c. 12. n. 9. 90.

Greg. l. 7. Ep. 11.

Greg. l. 2. Ep. 62.

non eſt? Atqui de eo capite nil eſt delibatum. Audiantur verba Gregorii ad Metropolitanos: *Quòd ſi etiam tales quoque Monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius à rationibus publicis abſoluti fuerint.* Non igitur autoritate delegatâ Gregorius Mauritii Legem temperavit.

Greg. l. 7. Ep. 11.

Conciliabulum Numidienſe.

Greg. l. 3. Ep. 7.

VI. Non ſolam Mauritii Conſtitutionem, verùm etiam Numidienſis Conciliabuli Acta Gregorius improbavit in ſua ad Gennadium Patricium, Africæque Exarchum Epiſtola: *Cognoſcat ſi quidem excellentia veſtra, quibuſdam de Africanis partibus venientibus ad nos fuiſſe perlatum, plura in Concilio Numidiæ contra Patrum tramitem, atque Canonum ſtatuta, committi. Quarum rerum frequentes querelas quia diutius tolerare nullatenùs potuimus, Columbo fratri & Coepiſcopo noſtro, de cujus gravitate ipſa ejus, quæ percrebuit, dubitare jam non permittit opinio, commiſimus perquirendas. Quamobrem paterno ſalutantes affectu, hortamur excellentiam veſtram, in cunctis, quæ ad Eccleſiaſticam correptionem pertinent, veſtri robur ei ſurrogetis auxilii, ne ſi quod malè geritur quaſitum, vel vindicatum non fuerit, longorum uſurpatione temporum cum majori licentia in futuris creſcat exceſſibus.* Scripta eſt Epiſtola menſe Septembri.

Gregorius ſuos Dialogos ſcribit.

VII. Intereà Gregorius curia laboribuſque Epiſcopatus fatigatus ſeceſſum petit. Non otioſam tamen inertemque in eo vitam egit, cùm ad ſcribendos quatuor libros Dialogorum animum appulerit. Ad eam provinciam ſuſcipiendam à nonnullis invitatus erat, quod *Maximiano* Syracuſarum Præſuli teſtatum fecit, cujus & implorat auxilium: *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omnimodò me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ caritatis vehementer indigeo, ut ea, quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognoviſſe vos contigit, mihi breviter indicetis. De Domno etiam Nonnoſo Abbate, qui juxta Domnum Anaſtaſium de Pentumis fuit, aliqua retuliſſe te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, et ſi qua ſunt talia, tuis peto Epiſtolis imprimi, & mihi ſub celeritate tranſmitti, ſi tamen ad me ipſe non properas.* His accenſus Gregorius, ſecretum *amicumque mœrori* locum petit. Solitudinis ſocium habuit *Petrum* Diaconum, virum ſibi ante multos annos familiarem. Itaque interlocutorum in Dialogis alter eſt, cui quærenti Gregorius reſpondet. Si verum placet, non ſe dignum Gregorius fecit, qui tot fabulas in unum faſciculum collegit; ſine delectu, ſine judicio, ſolis ſanè credulis placituras: *On y fait des miracles ſi frequens, ſi extraordinaires, & ſouvent pour des choſes de ſi peu de conſequence, qu'il eſt bien difficile de les croire tous.* Hoc eſt de Gregorianis Dialogis clariſſimi Du Pin judicium. Superiore ſeculo Melchior Canus Gregorianis Dialogis notam inuſſerat, narratus ſummos quandoque viros dormitare: *Quod ego eadem de Beda atque Gregorio jure fortaſſe ac verè dicere poſſum. Quorum ille in Hiſtoria Anglorum, hic in Dialogis quædam miracula ſcribunt vulgò jactata, & credita, quæ hujus præſertim ſeculi Ariſtarchi incerta eſſe cenſebunt. Equidem hiſtorias illas probarem magis, ſi earum autores juxta præfinitam normam, ſeveritati judicii curam in eligendo majorem adjunxiſſent.* Prudentiâ utique plenum eſt hoc Cani judicium. Quippe Dialogorum l. 1. c. 3. Felix dicit ſerpenti, *In nomine Jeſu, præcipio tibi, ut aditum iſtum cuſtodias.* Sic horto cuſtos apponitur, l. 1. c. 4. Equitius nocte quâdam *aſſiſtente Angelo, eunuchiſari ſe vidit*, l. 1. c. 7. Nonnoſus ſanam lampadem reperit, quam timens per fragmina collegerat, l. 1. c. 9. Bonifacius ſic erucas compellat: *hæc olera nolite comedere*, l. 2. c. 1. Benedictus *capiſterium* oratione reficit, c. 25. Sanctimoniales defunctas excommunicatione liberat, c. 30. Per alapam obſeſſum Dæmone ſanat. Gregorianorum miraculorum plurima noſtris ſuo loco telis confiximus. Invenit tamen hoc opus laudatores ſuos, quorum palatis vetulorum ſomnia placuere. Itaque poſt annos circiter CXLVIII. Gregoriani Dialogi à Zacharia Papa in Græcum verſi ſunt. Prodigiis ejuſmodi Græcia mendax ſeſe paſcebat, mirabaturque, fabulorum Scriptores, quibus ſemper abundavit, à Gregorio ſuperari. Fatale labenti anno fuit, quòd nullius ferè pretii liber ille, fœcunda commentorum officina, in lucem prodiret, ut cordatis nauſeam moveret. Tempus quidem editorum Dialogorum Gregorius nos ipſe docuit. Peſtem ſcilicet, quæ Pelagium Secundum interfecerat, triennio antè contigiſſe memorat. Periit verò Pelagius anno DXC. Libros Dialogorum Theodelindæ Longobardorum Reginæ Gregorius miſit.

Greg. l. 2. Ep. 50. 89.

Du Pin N. B. pag. 138.

Melch. Can. l. 11. p. 540.

Gregor. Dial. l. 4. 26.

Privilegium S. Medardi.

VIII. Gregorio quoque aſcribitur Privilegium S. Medardi, quod labente anno vulgatum fuiſſe dicitur: *Datum VII. Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini* DXCIV. *Indictione* XI. Neque hæc pugnant, ut viſum *Elia Du Pin*, ſcribenti, *L'Indiction qui eſt jointe, répond à l'année 593. & non pas à la 534.* p. 132. Quippe Æra Dionyſiana hæc eſt, cujus initium Cyclo Lunæ 1. Solis 9. Indict. 3. eſt inſignitum, cùm Æra noſtra, quæ anno brevior eſt, Cyclum Lun. 1. Solis 10. Indict. 4. exhibeat. Summa porrò Privilegii hujus hæc eſt: *Gairaldus* Abbas erat S. Medardi Monaſterii Sueſſionenſis, cui multa concedit: *Conſenſu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, ſuadente nobis viro Apoſtolico, Auſerico Sueſſorum urbis Pontifice, & omnium Galliæ Epiſcoporum, favente judicio decernimus, ut nullus Archiepiſcoporum, vel Archidiaconorum fratres præfatæ Baſilicæ de ordinatione ſui Abbatis, vel Eccleſiaſticorum graduum aſſumptione inquietet. Secundùm prærogativam ipſius loci vobis modò recitatam, beatiſſimi prædeceſſoris noſtri Domini Joannis Papæ tempore decretam, & Apoſtolicâ autoritate firmatam, ordinationem ſui Abbatis ipſi fratres peragant, & Eccleſiaſticorum graduum dignitatem ſuſcipiant, conſecrationes quoque fontium, & ſcrutinii myſteria in ipſo Monaſterio celebrent. Chriſmatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor à quoquam Rectore illius occaſionis cauſâ; vel neceſſitatis intermittatur, nec vileſcat tantæ ſublimitatis locus S. Mariæ & B. Petri, nec non & Protomartyris, & Domini Medardi meritis ſacratus.*

Privilegium S. Medardi ſubditum eſt.

Bar. An. 593. n. 85.

IX. Petentibus Francorum Regibus conceſſum à Gregorio S. Medardi Privilegium, Baronius exiſtimat. Epiſcoporum verò ſubſcriptiones, quibus Privilegium vallatur, putat additas eſſe poſtmodum. Ex ſubſcriptionibus tamen, quæ falſæ prorſus deprehenduntur, Privilegium falſi quoque damnare Baronius debuit. Quod non injuriâ fecerunt Petronius, Sirmondus, aliique eruditi. Neque *Roberti Quatremarii*, O. B.

in

Anno Dom. 593.

in Launoium ſcriptum probabilitatis aliquid Privilegio addidit. Ac primùm, Privilegii ſtylus, barbarus ſanè, Gregorio prorſus indignus eſt. Deinde phraſis ea non eſt Gregorii: *Metropolitani cum ſuffraganeis ſuis.* Quid, ſive oratio, ſive res ipſa ſpectetur, his abſurdius: *Hac filia noſtra Brunichildis Regina xx. manſos ingenuos, & totidem ſerviles cuncta integritate, æternaliter ſacrâ præceptione, juxta finem Alpium contulit.* Præterea anno DXCIII. Franciæ imperabat Childebertus, de quo nulla in privilegio mentio facta eſt. Theodoricus vero Rex inducitur, quod cum hiſtoria pugnat: *Juxta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum ſcripta Regum Brunichildis, ac nepotis ejus Theodorici.* Ad annum uſque DXCVI. Childebertus ſceptra Francorum tenuit. Ne verò Privilegii defenſor aliquia reſpondeat, datum eſſe Childeberti poſt obitum, Indictionemque perinde atque ſubſcriptiones additas eſſe poſtmodum, obſervetur hoc argumenti, quod ſolvi non metuit. Abſurdè admodum Theodoricus cum Brunichilde conjungitur. Etenim Auſtraſiæ regno, cui Sueſſonenſe oppidum includebatur, Theodoricus non potiebatur. Ditioni Theodeberti ſubjiciebatur, Fredegario teſte: *Regnum Childeberti filii ſui Theodebertus & Theodoricus accipiunt. Theodebertus ſortitus eſt regnum Auſtriæ, Sedem habens Metenſem; Theodoricus accepit regnum Guntbramni in Burgundia, Sedem habens Aurelianis.* Scripſiſſet ergo Gregorius, *Brunichildis, ac nepotis ejus Theodeberti.* Quin etiam falſa hæc ſunt, & Veteribus incognita: Monaſterium *caput Monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nullinſque ditioni patimur ſubeſſe, ſed velut hac Sedes Romana ſpeculationem ſuam toto orbi indicit, & novas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſervitio caret* (fortè legendum, *claret*) *ita præfatus locus, remotâ omni conſuetudine peſſimâ Regum, Antiſtitum, Judicum, exemplum divinæ religionis, & honeſtatis cæteris exhibeat Monaſteriis, & ſuper ea plenâ gaudeat libertate.* His accedant ſubſcriptiones aut falſæ, aut præpoſteræ. Subſcripſit *Euterius* Arelatenſis. Atqui *Virgilius* Arelatenſibus ſacris præficiebatur. Subſcripſere & *Auguſtinus* Cantuarienſis, & *Mellitus* Londinienſis, qui anno DCIII. necdum in Angliam profecti erant. Ad otioſorum igitur Monachorum commenta Privilegium S. Medardi relegandum.

Greg. Tur. l. 11. 16.

Lab. Conc. t. 5. 1583.

Anno Dom. 594.

ANNO U. C. 1347. PER. JUL. 5307. JUL. 639. DOM. 594. MAURITII 12. 13. CHILDEBERT. 19. *Sol.* 15. C. *Lun.* 6. *Indict.* 12. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii x.

Priſci de Slavis multæ victoriæ.

I. SLavi, gens aſſueta prædæ, Imperio minabatur. Barbarorum ingreſſum veritus Imperator, *Priſcum* Iſtri ripas cum exercitu cuſtodire jubet. Quod Chagano moleſtum fuit, verito ne inita à Romanis fœdera violarentur. Metum Regi Priſcus exemit, monito Slavis obſiſtendum eſſe. Princeps eorum *Ardagaſtus* cohortes ad prædandum aliquas miſerat. Quam Priſcus occaſionem amplexus, intempeſtâ nocte ſuperato Iſtro, *Ardagaſtum* adoritur. Qui intellecto ſubinde periculo, vix illud effugit, equo ad ſalutem uſus. Ipſius verò regione vaſtatâ, Romani prædæ multum agunt, quam per *Tatimerem* in urbem regiam dirigunt. Cùm autem ille vino nimium indulſiſſet, Slavi ſubitò negligentem ſecurumque adorti, eum ad fugam compellunt, quam Conſtantinopolim uſque maturat. At milites Duce ſuo longè fortiores, Barbaros vincunt, ſalvamque prædam Imperatori offerunt. Ea de cauſa grates Deo dignæ perſolvuntur, Byzantinis unà cum Principe ſuo hymnos nocti ſuos æquantibus. Priſcus verò tanto ſucceſſu invitatus, penitiores Slavorum regiones ingreditur. Venienti *Gipes*, Chriſtianorum de grege unus, auxilio fuit, oſtenſo fluvii vado, quo ſuperari poſſet. Tum mediâ nocte incidit in *Muſacium* Regem, vino ſepultum, quòd germani funus majoribus poculis celebraſſet. Capto *Muſacio*, ſtrages Barbarorum ingens editur, prædæque multum Romanorum in manus venit. Hinc orta cum ſocordia ebrietas. Tum coacti Barbari victoribus imminent: rerumque fortunæque viciſſitudo fuiſſet, ni *Genſo* cum peditibus fortiter dimicans, invadentium impetus cohibuiſſet. Cladem Ardagaſti Baronius in annum 596. confert, *n.* 11. Additque, victoriæ hujus nuntium ad Gregorium currente anno 598. eſſe perlatum, quod ex Gregoriana ad Baſilium Epiſtola probat ſcripta, Indictione 2. Verùm ea Epiſtola, quæ numero eſt 94. nil habet ejuſmodi. Chronologia verò noſtra ea demonſtratur, quòd Priſci de Ardagaſto victoria biennio contigerit poſt Eclipſim Solis, quæ Mauritio adverſus Abares proficiſcente apparuit. Accidit autem die Martii XIX. anno DCII. Quam verò de Slavis victoriam ad Gallinichum Gregorius memorat, ea eſt ab Ardagaſti clade diverſa.

Anno Dom. 594.

Phot. 91. Miſcell. lib. 17.

Evagrius Hiſtoriam abſolvit: ipſius vitæ breviarium.

II. Res Orientis narrantibus occurrit *Evagrius*, qui labente anno ſummam Hiſtoriæ ſuæ manum impoſuit. Ortus erat Evagrius *Epiphaniâ*, urbe Cœleſyriæ, anno circiter DXXXVI. Ac primùm à parentibus arte Grammaticâ imbuendus Magiſtris traditur. Dum in his literis verſatur, à genitoribus Apameam ducitur, ſpectator futurus Crucis Dominicæ, quam more novo Thomas, hujus civitatis Præſul, certis diebus oſtendebat, facto circa Eccleſiam circuitu. Lucro appoſuit Evagrius, quòd Crucem *adorare ac deoſculari meruerit.* Poſt Grammaticam, Rhetoricam excoluit, cùmque eâ plenè informatus eſſet, foro ſeſe addixit: nec ſine laude cauſas apud Antiochiam egit. Eo famæ proceſſit, ut Gregorio Præſuli Antiocheno à conſiliis eſſet, & comes, cùm anno DLXXVIII. regiam urbem petere Gregorius coactus eſt, ut objecta ſibi crimina diſſolveret. Eodem ipſo anno Antiochiam reverſus Evagrius, Octobris ultimo virginem duxit. Ac quantò apud ſuos cives honori eſſet, indicat publica feſtivitas harum nuptiarum cauſâ, quarum gaudia terræ motus diluit. Multum à peſte calamitatis paſſus eſt. Ex liberis ſuis multos, uxorem, ſervos, ruſticos complures, nepotem ex filia prognatum vi morbi hujus amiſit. Evectus ad dignitates, quas orationum excellentiâ ſibi comparavit, à Tiberio Conſtantino Quæſturæ honorem, à Mauritio verò Codicillos Præfecturæ adeptus eſt. Volumen edidit, *quo Epiſtolæ, Relationes, Decreta, Orationes, ac Diſputationes, & alia quædam continebantur*, quarum Relationum pleræque Gregorii Antiocheni nomine conſcribebantur. Hiſtoriam quoque ſex libris condidit, qui etiamnùm extant. Sub annum DXC. ad eam ſcribendam animum admovit. Annus quippe DCII. labe-

Evagr. l. 4. c. 26.

Evagr. l. 6. c. 7.

Evagr. l. 4. c. 29.

Evagr. l. 6. c. 24.

Anno Dom. 594.

Evagr. l. 3. c. 33.

labebatur, cùm tertium Hiſtoriæ librum confiſciebat, ut ex verbis ipſius apparet: *Quo tempore verò exſcribimus, annus eſt Antiochenorum ſexenteſimus quadrageſimus primus.* Æ a hæc eſt Antiochena, quæ annis XLIX. Chriſtianam prævertit. Sextum verò librum, ut ipſe memorat, anno Mauritii XII. abſolvit: *Atque hic Hiſtoriæ noſtræ finis eſto, anno ſcilicet duodecimo Principatus Mauritii Tiberii.* Verùm cùm duos annos Julianos ſibi Mauritii XII. dividat, quæritur, nec immeritò, elapſumne, vel labentem Evagrius habuerit in animo. Nobilis ille Chronologus Calviſius, cujus in ſententiam nonnulli deſcendunt, exiſtimat, Evagrium Hiſtoriæ ſuæ colophonem anno DXCIII. impoſuiſſe. Nobis verò placet, currentem potius ab Evagrio indicari. Quippe peſtis, cujus meminit, annis LII. graſſata erat, cùm librum Hiſtoriæ quartum componeret. Incepit peſtis anno DXLII. biennio ſcilicet poſt captam à Perſis Antiochiam, quam anno DXL. Coſroës vaſtavit. Addantur ergo duo & quinquaginta anni quingenteſimo quadrageſimo primo, quia XLII. peſtis eſt initium, ad annum DXCIII. pervenimus, quo Evagrius quartum Hiſtoriæ librum edidit. Ex quo conficitur, quintum & ſextum labente DXIV. fuiſſe conditos. Porrò nec hic quidem Baronii error eſt prætereundus: *Sequenti anno, quo Evagrius abſolvit Hiſtoriam ſuam, annus expletur Mauritii nonus, & decimus inchoatur. Emendatum habet Evagrium apud Photium, ubi de Evagrio agens, ait ipſum ſuam produxiſſe Hiſtoriam uſque ad annum decimum Mauritii Imperatoris.* Sic perverſæ ſuæ de annis Mauritii Chronologiæ Baronius inſerviens, mutat quadrata rotundis. Non ita eſt ſanè, quòd Photius Evagrium emendarit, qui emendatione nil opus habet. Verba ſunt Photii: *Lecta eſt Evagrii Eccleſiaſtica Hiſtoria libris ſex, incipiens a fine Socratis, & Theodoriti Hiſtoriarum, pertingenſque ad Mauritii imperii, ἔτος δωδέκατον, annum duodecimum.* Itaque conſentiunt Evagrius Photiuſque de anno Hiſtoriæ abſolutæ, qui utrique *duodecimus* Mauritii numeratur. Bis ergo emendari Baronius debet, cùm neque Photius, uti putat, habeat annum Mauritii decimum, neque decimo Mauritii ſed reverà XII. Hiſtoria Evagrii confecta ſit. De Evagrio hoc eſt Photii judicium: *Stylus huic non ingratus, tametſi interdum redundare videatur. Certè in doctrinæ veritate cæteris Hiſtoricis accuratior eſt. Habet autem & de imaginibus quædam utilia.* Noſtrâ tamen ſententiâ, quæ de imaginibus, reliquiis, miraculis Evagrius multa habet, ipſius Hiſtoriam in commendatione non ponunt.

Evagr. l. 4. c. 29.

Error Baronii.

Bar. An. 594. n. 30.

Phot. Bibl. cap. 29.

Gunthramni obitus.

III. Finem lucis hujus invenit Gunthramnus Rex, omnibus bonis flebilis, qui clementiâ, eleemoſynis, pietate multum ſibi famæ coëgerat. Ingunde & Clothario Rege ſatus erat. Ac primùm vetitis amoribus indulſit: *Venerandam cujuſdam ſuorum ancillam pro concubina thoro ſubjunxit, de qua Gundobaldum filium ſuſcepit. Poſteà verò Mercatrudem filiam Magnarii in matrimonium accepit.* Ab eo verò dimiſſa eſt, ubi novercali odio, venenum Gundobaldo propinavit, quo extinctus eſt. Poſteà ſibi Auſtregildum ſtabili connubio copulavit, ex qua Clotharium & Chlodomerim ſuſcepit. Filios cùm amiſiſſet, in orbitate vitam luctuoſam egit. Relictâ ſeculi pompâ, theſauros pauperibus ſuos diſtribuit, atque vitam ita ſuam compoſuit, *ut non Rex tantùm, ſed etiam Sacerdos Domini putaretur.* Pietate ſane condita eſt ipſius Conſtitutio, quâ Synodum Matiſconenſem II. confirmatum ivit anno DLXXXV. *Licet abſque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat, attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum veſtrorum culpas non aſſiduâ objurgatione corrigitis, ſed ſilentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi ſuperni Regis commiſit autoritas, iram ejus evadere poſſumus, ſi de ſubjecto populo ſollicitudinem non habeamus.* Videatur & ejus allocutio ad Epiſcopos, poſtquam ipſius exercitus à Gothis eſt debellatus. De optimi Regis obitu Fredegarius: *Anno XXXIII. regni Gunthramni quinto Kal. Aprilis ipſe Rex moritur. Sepultus eſt in Eccleſia Sancti Marcelli in Monaſterio, quod ipſe conſtruxerat.* Sita eſt Eccleſia in Suburbio Cabillonenſi ad Ararim. Gunthramni obitum Baronius anno DXCVIII. alligavit. Ex qua perverſa Chronologia hiſtoriæ certiſſima inficiari cogitur: *Dum aiunt Childeberto Gunthramnum reliquiſſe regnum, non video quomodo id fieri potuerit, cum habitâ ratione annorum Gunthramni, ipſum Childebertum ante eum, ex hac vita migraſſe oportuerit, anno Dom. DXCVI.* Verum errorem potius ſuum, quam hiſtoriæ fidem accuſare Baronius debuit, cùm exploratum ſit, Childebertum ſuperſtitem fuiſſe Gunthramno. Hinc apud Fredegarium legimus: *Regnum ejuſdem Childebertus aſſumpſit.* Ad res Eccleſiæ veniamus.

Gregor. l. 4. c. 25.

Lab. Conc. t. 5. 992.

Gregor. l. 8. c. 30.

Fredeg. cap. 13.

Error Baronii.

Bar. An. 598. n. 22.

IV. Non multò ante obitum Gunthramnus Synodum indixit, ut Sancti Marcelli in Monaſterio pſallendi ordo, quem Agaunenſes obſervabant, ſimiliter conſtitueretur. Extat apud Aimoinum Synodi hujus memoria: Gunthramnus *Synodum XL. Epiſcoporum aggregari præcipiens, ut ordo pſallendi, qui in loco Sanctorum Agaunenſium temporibus Sigiſmundi Regis ab Avito & cæteris Pontificibus illius temporis inſtitutus fuerat, in Cœnobio, quod ipſe fabricarat, teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad ſepulchrum Sancti Martini antiquitùs celebratur, & à B. Germano in Monaſterio Sancti Vincentii ſervari juſſus, nec non in Monaſterio Sancti Dionyſii, ut pòſt declarabitur, à Dagoberto Rege agi præceptus, & à nobis ejuſmodi eſſet exquiſitus, taliter ſe habere eſt repertus. In diebus namque æſtivis ſex antiphonæ, binis Pſalmis explicabantur. Porrò toto Auguſto propter crebras feſtivitates manicationes fiebant. Manicare autem manè ſurgere dicitur. In Septembri verò ſeptem antiphonæ canebantur, diſtributis unicuique binis Pſalmis; in Octobri octo, cum ternis Pſalmis; in Novembri novem, cum ternis itidem Pſalmis. Verùm in Januario ac Februario, ut poſſibilitas ſinebat. Hoc tamen obſervantes, ne minus à XII. Pſalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad ſextam tamen, ſex Pſalmi cum Alleluia; ad duodecimam, duodecim, idque cum Alleluia pſallebantur.*

Gunthramni Synodus de Pſallendi ordine in Monaſterio Sancti Marcelli.

Lab. Conc. t. 5. 1854.

V. Intereà Gregorius Magnus plurimum in cauſa Maximi Salonitani Præſulis negotii habebat: ut ſeptennio opus fuerit ad finem huic liti imponendum. Hiſtoriam unâ ſerie narrabimus, aſcriptis temporum notis, perturbationi vitandæ. *Honoratus* Salonitanus Archidiaconus calumniis appetitus, à Natali Præſule officio ſuo ejectus fuerat. Exautoratum tamen tam Pelagius, quàm Gregorius ſuo muneri reſtituerat. Dum in urbe anno elapſo verſatur Honoratus, *Natalis* diem extremum obiit. Quo audito, novis Pon-

Maximus invito Gregorio Salonitanus Antiſtes conſtituitur.

Anno Dom. 594.

Greg. l. 2. Ep. 30. 71.

Pontifex Reſcriptis Honorati innocentiæ patrocinatur: *A cunctis tibi objectis Capitulis te plenius abſolventes, in tui te ordinis gradu, ſine aliqua volumus altercatione permanere, ut nihil tibi penitus mota à præfato viro quæſtio quâlibet occaſione præjudicet.* Menſis October, Indictioque XII. jam currebat, cùm viduæ Salonitanæ Eccleſiæ Gregorius ſcribit, ne ſine ſuo aſſenſu aliquis conſecretur: *Ex B. Petri Principis Apoſtolorum auctoritate præcipimus, ut nulli penitus extra conſenſum permiſſionemque noſtram, quantum ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manum præſumatur imponere.* Immorigeris verò Euchariſtiæ privationem minatur. Quem verò conſpiratio omnium elegerit, cum vult ſacris Salonitanis præfici, *Exceptâ duntaxat*, inquit, *perſonâ Maximi, de qua ad nos multa mala perlata ſunt.* Interceſſioni Pontificis haud paruere Salonitani, Maximuſque Præſul ipſis imponitur.

Greg. l. 3. Ep. 15.

Maximo favebat Imperator, ut ex Gregorii Epiſtola intelligitur: *Cognovimus, quòd vel ſubreptâ, vel ſimulatâ piiſſimorum Principum Juſſione, dum vitâ dignus non fueris, te ad Sacerdotii ordinem cunctis venerabilem prorupiſſe.* Præcepta ſua à Salonitanis in contemptum adducta eſſe, ægrè Gregorius tulit, ac eo magis, quòd non ſine ingenti tumultu, violentiaque Maximi ordinatio facta ferebatur: *Additur mandatum neſas, quòd poſt interdictionem quoque noſtram, quæ ſub excommunicatione tua, ordinantiumque facta eſt, caſſis Presbyteris, Diaconibus, cæteroque Clero, manu militari ad medium deceris deductus.* Quin etiam fama erat, Mauritium ſacris Juſſionibus prohibuiſſe, ne Maximus ad Epiſcopatum eveheretur:

Greg. l. 7. Ep. 1.

At homines glorioſi viri Patritii Romani ab eo præmia acceperunt, eumque ita ordinari fecerunt, ut Antonium Subdiaconum & Rectorem patrimonii niſi fugiſſet, occiderent. Vix tamen credibile; Maximum invito Imperatore ordinatum eſſe. Cæterum tam Maximi ordinatores, quàm Maximum ſacra attingere, Gregorius vetat, *uſque dum dominicis, vel reſponſalis ſui cognoverit apicibus, quod non ſurreptitiâ, ſed verâ fuerit juſſione ordinatus.* Secus *anathema à Deo, & a B. Petri Apoſtolorum Principe* in contumaces torquet. Scripta eſt hæc ad Maximum Epiſtola menſe Aprili, Indict. XII.

Gregorii minas ſpernit Maximus. Finis diſſidii.

VI. Gregorii minas ſpernens *Maximus*, cui ſine dubio Imperator favebat, eo proceſſit audaciæ, ut Gregoriana ſcripta palam publicèque laceraret. Hoc queritur Gregorius in ſua ad Sabinianum Epiſtola:

Greg. l. 7. Ep. [illegible]

Quæ ſcripta mea publicè relecta, vel in civitate poſita ſcindi fecit, atque in contemptum Sedis Apoſtolicæ apertius exiliit. Intereà afferuntur Mauritii literæ, ut *Maximum* Romam ſe conferentem benignè honorificèque Gregorius excipiat. Quæ juſſa Pontifici moleſta fuere: ut igitur dolenti animo ſuo morem gereret, Conſtantinæ ſcribit Auguſtæ, menſe Martio, Indictione XIII. quæ nota eſt anni DXCV. Maximus, inquit, *contempto me, atque deſpecto, in audaciam quorumdam ſecularium hominum, quibus denudata ſua Eccleſia præmia multa præbere dicitur, nunc uſque Miſſas facere præſumit, atque ad me venire ſecundum Juſſionem Dominorum noluit.* Quòd ſe neſciente ordinatum ſit Maximus, illud ſe quidem omittere profitetur; quòd verò *eum peremtis eſt electus, vel quia excommunicatus Miſſas facere præſumpſit*, ait, à ſe prætereiri haud poſſe. Subjungit, *Prius tamen quam hæc cognoſcantur, ſereniſſimus Dominus diſcurrente Juſſione præcepit, ut eum venientem cum honore ſuſcipiam: & valde grave eſt, ut vir, de quo tanta, & talia nunciantur, cùm ante requiri & diſcuti debeat, honoretur.* Quòd ſi diutius adventum differat, Maximus in cunctatorem Canonum auctoritatem adhibiturum ſe teſtatur.

Greg. l. 4. Ep. 35.

Adventum tamen negavit prorſus Maximus, qui etiam in Paulinum Epiſcopum, & Honoratum Diaconum vim adhibuiſſe dicitur:

Greg. l. 5. Ep. 25.

Pervenit ad me, quia Paulinus frater & Coëpiſcopus meus, & Honoratus Eccleſiæ Salonitanæ Archidiaconus pro eo, quod præſumptioni tuæ noluerunt præbere conſenſum, graves à te moleſtias patiantur, ita ut datis fidejuſſoribus ſint conſtricti, quatenùs eis civitatem vel domos ſuas egredi omninò non liceat. Cur Romam proficiſci Maximus nollet, pro cauſa metum habuit, ne injuriâ aliquâ violaretur. Fama enim erat, *Malcum Epiſcopum pro ſolidis occiſum eſſe.* Itaque excommunicari potius, quàm in urbem contendere maluit. Quam Gregorius pertinaciam ulturus ſcribit *Sabiniano* Jadertino, ut nec *Maximo* communicet, nec nominis ipſius faciat inter ſacra Miſſarum ſolemnia mentionem. Eum quoque hortatur, ut qui cum *Maximo* communione aliquando juncti fuerant, Epiſcopos Romam adducat, ut ſi congruum videatur, abſolvi poſſint. Hæc menſe Maio, Indictione XV. ſcripta ſunt, hoc eſt, anno DXCVII. Ad annum uſque DXCIX. lis ea perduravit, quo tandem feliciter compoſita eſt. Quippe eo ſe tandem Gregorius demiſit, ut ſi coram *Mariniano* Ravennatenſi Epiſcopo, *Caſtorioque* ſuo Chartulario, Maximus Sancti Apollinaris ante corpus purgaret Simoniam, quâ poſtulabatur, injunctâ ob excommunicationem neglectam pœnitentiâ, in integrum reſtitueretur. Flectit Pontificis animum Callinichus Exarchus, ut mitiorem ſe in contumacem præberet. Præpoſito ad cauſæ cognitionem Mariniano, ſcribit ſe quodquid decreverit, libenter admiſſurum.

Greg. l. 7. Ep. 80. 81. 114.

Caſtorio quoque poſt pœnitentiam Maximo tradendam Epiſtolam miſit, quâ redditam ſibi pacem intelligeret. Quali verò pœnitentiâ Maximus functus ſit, in monumento, quod ſeptimo Gregorianarum Epiſtolarum libro præfigitur, reperimus. Ex quo verba hæc noſtros in Annales transferemus:

Lab. Conc. t. 5. 1284.

Maximus *egreſſus Dalmatias, venit in civitatem Ravennatem ad beatiſſimum Marinianum Archiepiſcopum, & jactavit ſe tenſus intra civitatem in media ſilice, clamans & dicens, Peccavi Deo, & beatiſſimo Papa Gregorio: & actâ pœnitentiâ per tres horas occurrit Exarchus Callinicus, Caſtorius Chartularius Eccleſiæ Romanæ cum Archiepiſcopo Mariniano, & elevatus cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Tunc duxit eum ad ſanctum corpus B. Apollinaris, & juravit de omnibus, quæ adverſus eum dicta de mulieribus, vel ex ſchiſmate Simoniaco fuerant, mixtum ſe non eſſe. Tunc revertens Caſtorius Chartularius, adduxit ſecum Diaconum ejuſdem Maximi, nomine Stephanum, relatorem omnium, quæ à Maximo ſatisfacta eſſent.* Acceptis Mariniani de Maximi ſatisfactione literis, auditâque Caſtorii, qui ad Gregorium redierat, narratione, illicò Epiſtolam Maximo Gregorius dirigit, nec non & ad Miſſas celebrandas pallium, cujus myſteria pandit: *Hujus indumenti honor humilitas atque juſtitia eſt.* Sabinianum quoque Epiſcopum, nec non Honoratum Archidiaconum ei commendat, ne ulla diſcordiarum veſtigia remanerent.

Greg. l. 7. Ep. 130. 165.

VII.

Anno Dom. 594.

Pallium in ſolemnibus Letaniis negatum Joanni Ravennatenſi Gregorius concedit.

Greg. l. 2. Ep. 54. 93.

VII. Conceſſum Maximo pallium monet doloris, quem incuſſit negatum Joanni Ravennatenſi Letaniarum tempore pallium. Anno ſuperiore illicitam Gregorius pallii uſurpationem cenſurâ vexaverat, miſſis ad Joannem aculeatis literis. Quippe Joannes extra ſolemnia Miſſarum pallio uſus erat, cùm nempè Litaniæ peragebantur. Quod eſt à Gregorio improbatum, utpote cum Eccleſiarum diſciplina pugnans: *Illud, frater cariſſime, tibi non putavimus ignotum, quòd penè de nullo Metropolitano in quibuſlibet mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum tempus uſum ſibi pallii vindicaſſe.* Joanni ergo prohibuerat, ne deinceps vel *in plateis* pallium geſtaret, vel cum eo *filios Eccleſiæ* in Secretario reſidens ſuſciperet. Id pro maxima injuria ſibi illata Joannes habuit. Itaque & ad Gregorium Epiſtolam ſcripſit, ut conſuetudinem, ſi poſſet, ſuam tueretur; & *Romani* Exarchi, Præfecti Nobilium civitatis precibus à Gregorio impetrare conatus eſt, ut Litaniarum quoque tempore pallio uteretur. Ut orantibus pergratum faceret Pontifex, ab *Adeodato* quondam Joannis Diacono quæſitum ivit, num Ravennatenſium Epiſcopis moris olim fuerit, in Litaniis pallio uti? Reſpondit Adeodatus, *Quia nunquam conſuetudo fuerit, ut in Litaniis pallio niſi in ſolemnitate B. Joannis Baptiſtæ & B. Petri Apoſtoli, & B. Martyris Apollinaris uterentur.* Id tamen certum Gregorio, exploratumque non erat, quia benè multi teſtabantur, ſe nil vidiſſe ejuſmodi. Cæterùm ne Joannem triſtitiâ Gregorius afficeret, ſimulque ut Romani Exarchi, Nobiliumque precibus annueret, id ei largitus eſt, ut Litanias palliatus celebraret: *Uſum pallii donec ſubtilius veriuſque aliquid cognoſcamus, in Letaniis ſolemnibus, id eſt, die natalitio B. Joannis Baptiſtæ, & B. Petri Apoſtoli, & B. Apollinaris Martyris, atque in ordinationis veſtræ celebratione concedimus.* Quæ Joanni ſcripta ſunt menſe Octobri, Indictione XIII.

Greg. l. 4. Ep. 15.

Pallium Archiepiſcopale.

VIII. Cùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica pallii mentio frequentiſſima habeatur, oleum operamque non perdemus, ſi in aſſignando pallii & uſu & natura paululum immoremur. Pallium à Chriſtophoro Marcello in Ceremoniali Rom. l. 1. ſect. 10. ſic deſcribitur: *Cura conficiendorum & conſervandorum palliorum ad Subdiaconos Apoſtolicos pertinet, qui ex lana munda & alba illa pallia conficiunt. Sanctimoniales Monaſterii S. Agnetis, vel religioſi, qui ſunt in illa Eccleſia, afferunt quotannis agnos duos albos, ſuper altare illius Eccleſiæ in die feſtivitatis Sanctæ Agnetis, dum in Miſſa ſolemni cantatur, Agnus Dei; qui agni recipiuntur à duobus Canonicis Eccleſiæ Lateranenſis, & ab eis poſteà conſignantur Subdiaconis Apoſtolicis, qui agnos ipſos in paſcua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipſos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana alba, & pariter munda reducitur in filum, ex quo pallia hujuſmodi contexuntur, latitudine digitorum trium redactâ in orbem, ita ut humeros Præſulum ambiant? A pectore & tergibus particulam pendentem habet pallium, longitudinis palmi, & in extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem in fine orbiculatas, nigro ſerico tectas, inſutas ſupra pendentes particulas, ante & poſt, & ſuper humeros utroſque. Sic confecta pallia per Subdiaconos portant ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, & per Canonicos Baſilicæ ponuntur ſuper corpora Petri & Pauli Apoſtolorum ſub altari majori, ubi factâ ex more Vigiliâ, illa per noctem dimittunt, deinde reſtituunt Subdiaconis, qui in loco honeſto ea conſervant.* Pallium à Rabano deſcriptum, ab illo Chriſtophori Marcelli nonnihil diſcrepat: *Summo Pontifici, qui Archiepiſcopus vocatur, propter Apoſtolicam vicem pallii honor decernitur, quod genus indumenti Crucis ſignaculum purpureo colore exprimit, ut ipſo indutus Pontifex à tergo, & pectore Crucem habeat, ſuáque mente dignè de Paſſione Redemptoris cogitet, ac populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis ſuæ ſignaculum demonſtret.* Gemina de pallio Archiepiſcopali habet Honorius Auguſtodunenſis in libro, qui *Gemma animæ* inſcribitur, à quo etiam myſteriorum monemur, quæ pallium adumbrat: *Archiepiſcopus & pallio pollet, ut ſe Chriſti paſſionem populo præferre demonſtret. In duabus quippe lineis pallii, antè & retrò eſt purpureum ſanctæ Crucis ſignaculum, quia Pontifex ex utraque Lege debet proferre Chriſti Paſſionis teſtimonium. Duæ enim lineæ propendentes ſunt duæ Leges, Chriſti Paſſionem proferentes. Spinula, quibus pallium affigitur, ſunt clavi, quibus corpus Chriſti configitur. Circulus, quo Pontifex circa collum circumdatur, eſt torquis aureus, qui legitimè certantibus in præmio datur. Itaque pallium monet Pontificem ferre vitiorum mortificationem; Cruces pallii in mente & corpore Chriſti imitari Paſſionem: duæ lineæ, ut ſit duabus Legibus per omnia inſtructus: ſpinulæ, ut per timorem Dei ſit mundo crucifixus: circulus, ut ſic præeſſe ſtudeat, ut torquem coronæ vitæ percipiat.* Ex quibus accurata pallii definitio in mentibus conſignatur. Faſcia lanea eſt alba, quæ humeros circuli in ſpeciem amplectitur, ex qua faſciculæ pendent, altera ante pectus, altera inter humeros, quarum utraque rubeâ cruce ornatur. Ea verò faſcia etiam acicularum aurearum ope connectitur.

Rab. de Inſt. Cler. l. 1. c. 23.

Gem. Ani. l. 1. c. 221.

Num vetus Archiepiſcoporum pallium novi ſit ſimile?

IX. Exiſtit autem hoc loco quæſtio ſubdifficilis, num pallium, quod *Auxanio* Vigilius Papa conceſſit, quod Joannes Ravennatenſis gerebat, quod Gregorius Magnus *Maximo* Salonitano miſit, illius ſimile fuerit, quod Rabanus, Alcuinus, Honorius deſcripſere, ac Archiepiſcoporum in humeris etiamnùm reſidet. Id nobis ſanè perſuaderi nequit. Itaque cum doctiſſimo Petro de Marca, pallium antiquum & longitudine, & formâ, & materiâ ab hodierno diſſidere exiſtimamus. Primùm enim faſcia tres digitos lata, perabſurdè *pallium* vocatur, quâ appellatione Veteres longius indumentum deſignabant: nec ſi temporis lapſu ab antiquo uſu deſcitum eſt, conſequens eſt, cùm Archiepiſcopale pallium primùm inſtitutum fuit, ad inſuetas, peregrinaſque ſignificationes eſſe tranſcurſum. Præterea Græcorum Præſulum pallium faſcia non erat cingens humeros, verùm promiſſum indumentum. Id ex pallio Acacii ſubtiliter ſimul & eruditè colligit Petrus Marca: per *Tatum* defenſorem damnationis Libellum Felix Acacio miſerat. Quem cùm is fretus præſidio Imperatoris ſuſcipere noluiſſet, conſuti ſunt per *quemdam ignotum Monachum Acumetenſem, ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in ejus pallio, & diſcedere.* In demiſſo indumento id quidem fieri faciliſſimè potuit, in faſcia tribus digitis lata, & numeris circumfuſâ fieri vix potuit. Pallii quoque Græcorum Antiſtitum longitudinem oſtendit Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ ad Anaſtaſium ſermo: Cùm aliquando eum à tergo

Liberat. c. 18.

Zonar. An. l. 15. 108.

ſequeretur Anaſtaſius, & ὠμοφόριον, pallium ejus pedibus calcaſſet, converſus Sanctus Germanus, ne, inquit, feſtina, Dippium te expectat. Pallium Præſulum Græcorum μαφόριον vocatur, quòd fluviis ornatur. Hos Goartius fluvios ſic deſcribit: *Ad ejus latera circa ventrem affixa ſunt taniolæ, albi rubrique coloris terna, quibus undique variatur, & adornatur. Taniola illa ſunt ποταμοὶ, de quibus in præſenti, eamque gratiam & ſcientiam deſignant, quam intellexit Chriſtus ipſe Dominus, dicens, Flumina de ventre ejus fluent.* Legatur Morinus de Ordinat. p. 2. 197. Porrò pallii longitudinem quod attinet, ſimilem & in Græco, & in Latino extitiſſe, probabiliter ſatis ex Gregorii verbis ad Joannem Ravennatenſem colligimus:

Greg. l. 4. Ep. 15.

Diacono noſtro Conſtantinopolim ſcripſi, ut per omnes, qui ſub ſe etiam tricenos & quadragenos Epiſcopos habent, inquirere debeat. Et ſicubi iſte uſus eſt, ut in Litaniis cum palliis ambulent, abſit ut per me Ravennatis honor Eccleſiæ in aliquo imminui videatur. Splendidius etiam fuiſſe pallium videbatur faſciâ eâ laneâ, quâ nunc Archiepiſcopales ornantur humeri. Verba ſunt Pelagii Papæ Primi ad Sapaudum Arelatenſem:

Pelag. Ep. 12.

Uſum quoque pallii tibi alacriter affectuoſèque concedimus, pariter etiam pallium dirigentes, ut in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris. Neque faſciæ lineæ ſatis conveniunt verba Gregorii Magni ad Syagrium Auguſtodunenſem, cum pallium ipſi miſit:

Greg. l. 7. Ep. 113. c. 147.

Dignum profectò eſſe credimus, ut cum mentis gravitate, quâ Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret, præſertim cùm te non ad ſuperflua elationis pompam, ſed pro genio, & honore tua arbitramur Eccleſiæ petiviſſe. Quid pompæ aut claritatis ſit in lanea faſcia, nulli videmus. Cæterùm, cujus coloris fuerit pallium, non ſatis ſcimus. Quòd ſexto ſeculo purpureum fuerit, non exiſtimamus: ſecus in purpureas Præſulum veſtes Canonem ejuſmodi anno DLXXXIX. Synodus Narbonenſis non condidiſſet:

Narb. c. 1.

Hoc regulariter definitum eſt, ut nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente, ita oſtendatur in pectore, quia purpura maximè Laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quòd ſi pallium Pontificum Romanorum, Ravennatenſium, Arelatenſium purpureum fuiſſet, talem à Narbonenſibus Canonem conditum eſſe quis credat, quâ ſuperbiæ maculâ ipſorum pallia reſperſa fuiſſent. Candida potius fuiſſe putamus, ut requiſitam in Sacerdotibus ſanctitatem indicarent, quo etiam colore Cœlites ornati exhibentur. Conjecturæ favent verba Joannis Diaconi in vita Gregorii:

Joan. Diac. l. 4. c. 80.

Pallium ejus byſſo candente contextum, nullis acubus perforatum, ſic ipſum circa ſcapulas devolutum fuiſſe, non autem confixum, ſicut vetuſtiſſimis muſivis vel picturis oſtenditur. Lapſu temporis albus pallii color in purpureum mutatus eſſe videtur, uti ex falſa Conſtantini donatione intelligitur, quæ ex ſeculi ſui moribus Veterum inſtituta æſtimabat. Sylveſtro quippe Pſeudo-Conſtantinus ſe permiſiſſe dicitur *chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam.*

Pallii uſus & antiquitas.

X. De pallii & antiquitate & uſu paucis. Primus, ut noſtra memoria, cui pallium à Pontifice conceſſum fuit, Cæſarius eſt Arelatenſis, qui illud à Symmacho impetravit, ſexto ſeculo jam labente. Hinc Vigilius ad Auxanium Arelatenſem ea verba dirigit:

Vigil. Ep. 7.

Et quia dignâ credimus ratione compleri, ut agentis vices noſtras pallii non deſit ornatus, uſum tibi ejus, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, B. Petri ſanctâ autoritate concedimus. Neque id muneris primùm largiebantur Pontifices Romani abſque Principum autoritate, quod & Vigilii ad Auxanium Epiſtola teſtatur:

Vigil. Ep. 6.

De his verò, quæ caritas veſtra tam de uſu pallii, quam de aliis ſibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cum Chriſtianiſſimi Domini filii Imperatoris, hoc ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitia. Ad impetrandum etiam Juſtiniani conſenſum, ut ſibi pallium geſtare concederetur, ſucceſſor Auxanii *Aurelianus* nuncium miſerat. Sed in regiam urbem eundi onere à Beliſario liberatus eſt, qui de Imperatoris conſenſu literas accepit, uti Vigilius Aureliano ſignificatum ivit:

Vigil. Ep. 10.

Et hoc quoque veſtrum ſacere deſideramus affectum, ut glorioſo filio noſtro Patritio Beliſario deſtinatis ſcripti gratias referatis, qui hominis veſtro laborem ad clementiſſimum Principem abſtulit tranſeundi, ſed mox ut reſponſum recepit, nobis ſuis literis indicavit. Quin etiam etſi Mauritio nil juris in Gallias eſſet, non ante ipſius conſenſum Gregorius Syagrio Auguſtodunenſi pallium miſit, quod & ipſemet teſtatur in ſua ad Brunichildem Epiſtola:

Greg. l. 7. Ep. 5.

Propter quod & ſereniſſimi Domini Imperatoris, quantum nobis Diaconus noſter, qui apud eum reſponſa Eccleſiæ faciebat, innotuit, prona voluntas eſt, & concedi hoc omninò deſiderat. Cæterùm pallii miſſio non perpetuum fuit communicati Vicariatus indicium, ut eruditi nonnulli ſibi finxere. Joanni Corinthio pallii honorem largitus eſt Gregorius Magnus abſque Vicarii Pontificis dignitate, quæ in Illyrico ad ſolum Theſſalonicenſem Epiſcopum pertinebat. Itaque hæc Græciæ Epiſcopis nunciat:

Greg. l. 4. Ep. 56.

Epiſtolam caritatis veſtræ, per Andream fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, ſuſcipientes, pallium Joanni fratri noſtro Corinthiorum Epiſcopo nos tranſmiſiſſe cognoſcite. Neque in Gallia Vicarium ſibi Syagrium Auguſtodunenſem ſuffecit Gregorius, quem tamen pallio donavit.

Greg. l. 7. Ep. 113.

Dono Epiſcopo Meſſanenſi Gregorius pallium conceſſit.

Greg. l. 5. Ep. 8.

Num etiam Vicariatum? Denique *Maximum* Salonitanum pallio quoque Gregorius decoravit, quem ſibi tamen Vicarium non dixit, cùm de ea dignitate ne verbulum quidem ullum habeat in Epiſtola ad eum miſſa.

Greg. l. 7. Ep. 130.

Quis verò ſibi fingat animo, Gregorium Vicariatu Maximum induiſſe, nullâ prorſus Vicariatus mentione factâ? Porrò Occidentis in partibus ſolius Papæ fuit in eo autoritatis apice, quo conſtitutus erat, Præſules palliatos efficere. Nec ante Gregorii Magni Pontificatum ullus pallium in Gallia gerebat, præter Arelatenſem. Itaque haud ſincerus apparet Canon ſextus Matiſconenſis Concilii primi: *Ut Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.* Metropolitanorum nullus anno DLXXXI, quo Concilium Matiſconenſe celebratum fuit, Archiepiſcopi nomen habuit: uniuſque Arelatenſis pallium Præſulis erat. Neque pallio illud ornamenti apponimus, quo Iſidorus Peluſiota Epiſcopos amictos eſſe prodit:

Iſidor. Ep. l. 1. c. 136.

Amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Ut ad brevia veniamus, quibus fas erat uti pallio,

Anno Dom. 594.

lio, illis non quovis & loco, & tempore illud geſtare permittebatur. Hinc ad Joannem Ravennatenſem Gregorii Epiſtola: *Illud, frater chariſſime, tibi non putavimus ignotum, quod penè de nullo Metropolitano, in quibuſlibet mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum tempus uſum ſibi pallii vindicaſſe.* Querulo tamen Præſuli Gregorius & in certis Litaniis, & die natali ipſius palliatum incedere conceſſit. Notus eſt & eruditis Canon 14. Synodi Conſtantinopolitanæ IV. *Sancimus ut deſignati ad ſuperhumeralia geſtanda Epiſcopi, certis ſtatiſque temporibus, & locis ea geſtent, ne hujuſmodi cultu per ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore devius officii.* Pallium cum Vicariatu Pontificis Romani copulatum multa gerenti privilegia tribuebat, quæ recenſet Gregorius Magnus in ſua ad Virgilium Arelatenſem Epiſtola: *Sicubi longius Epiſcoporum quiſquam pergere forte voluerit, ſine tua Sanctitatis auctoritate, ei ad loca alia tranſire non liceat. Si qua verè inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, qua diſcerni facilius poſſit, collectis XII. Epiſcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, diſcuſſâ veritate ad noſtrum judicium referatur.* Honore pallii Epiſcopos ad benè ſanctèque vivendum permoveri, docet Zacharias Epiſtolâ IX. quam Boniſacio Moguntino ſcripſit: *Quos per unamquamque Metropolim per Provinciam conſtituiſti, hos per tuum teſtimonium confirmamus, & pallia dirigimus, ad earum firmiſſimam ſtabilitatem, & Eccleſia Dei augmentum ut in meliore proficiant ſtatu. Qualiter enim mos pallii ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant hi, quibus pallio uti licentia conceditur, eis direximus, informantes eos, ut ſciant, quòd ſit pallii uſus; & ſubjectis viam prædicare ſalutis, & Eccleſiaſtica diſciplina in Eccleſiis eorum in utilitate ſervetur, & maneat inconcuſſa, & Sacerdotium, quod in eis fuerit, non pollutum ut anteà fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſſit.* Porrò non minimum diſcriminis eſt pallium Latinorum inter & Græcorum omophorium, uti indicavimus. Sed ea longius perſequi noſtri nec temporis eſt, nec inſtituti.

Greg. l. 2. Ep. 54.

Greg. l. 4. Ep. 50.

Anno Dom. 595.

Anno U. C. 1348. Per. Jul. 5308. Jul. 640. Dom. 595. Mauritii 13. 14. Childebert. 20. *Sol.* 16. *B. Lun.* 7. *Indict.* 13. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 6. *P.* 3. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii XI.

Agilulfi victoriæ: Romam obſidet: urbis miſeria. Gregorius ab Ezechielis explicatione abſtinet.

I. Civitati Romanæ terroria multum incuſſere arma Longobardorum. Ex Italiæ urbibus, quas occupaverant complures, ipſorum ſe jugo exemerant. Quibus commotus Agilulfus, collectis copiis in rebelles progreditur. Ad hiſtoriam narrandam verba nobis ſua Warnefridus fœnerabit: *Hâc etiam tempeſtate Romanus Patritius, Exarchus Ravenna Romam properavit. Qui dum Ravennam revertitur, recepit civitates, qua à Longobardis tenebantur, quarum iſta ſunt nomina: Sutrium, Polimarium, Horta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceolis, & alias quaſdam civitates. Quod factum cùm Regi Agilulfo nuntiatum eſſet, ſtatim Ticino egreſſus, cum valido exercitu civitatem Peruſium petiit: ibique per dies aliquot Mauriſionem Ducem Longobardorum, qui ſe Romanorum partibus tradiderat, obſedit, & ſine mora captum, vitâ privavit. Hujus Regis adventu in tantum B. Gregorius Papa exterritus eſt, ut ab expoſitione Templi, de quo in Ezechiele legitur, deſiſteret.* Non immeritò & ſibi, & Romæ Gregorius timuit, cum Agilulfus urbi imminerei. Homelias in Ezechielem ſuas Gregorius ſcribebat, recitabatque, cùm auditur rumor, ad urbis obſidionem Agilulfum feſtinare, Padumque trajeciſſe. Terribile nuntium ab incepto labore Gregorium non revocat. Majoreque animi conſtantiâ & firmitudine præditus fuit, quàm olim fuerat Hieronymus, qui cùm dictaret in Ezechielem Commentaria, ubi audivit urbem Gothis captam eſſe, ſilentium ſibi impoſuit: *Diu tacui, ſciens tempus eſſe lachrymarum.* Hæc Marcello & Anapſychiæ ſcribit ipſemet Hieronymus, Ep. 82. Vocalis verò fuit Gregorius, in maximo ſanè periculo conſtitutus. Recitatâ verò Homeliâ in Ezechielem XXII. ſic peroravit: *Nemo autem me reprehendat, ſi poſt hanc locutionem ceſſavero, quia ſicut omnes cernitis, noſtra tribulationes excreverunt. Undique gladiis circumfuſi ſumus, undique imminens mortis periculum timemus.* Porrò etſi urbs Barbarorum in poteſtatem non venerit, furorem tamen eorum Romani complures experti ſunt. Qua de re dolorem Mauritio ſuum ſic Gregorius exponit: *Corruptâ pace de Romana civitate milites ablati ſunt. Et quidem alii ab hoſtibus occiſi, alii verò Narnia, & Peruſii poſiti, & ut Peruſium teneretur, Roma relicta eſt. Poſt hoc plaga gravior fuit adventus Agilulfi, ita ut oculis meis cernerem Romanos, more canum, in collis funibus ligatos, qui in Franciam ducebantur venales.* Porrò Agilulfus ubi Ticinum rediit, non alienum à pace ſe præbuit, ſi ei ſatisfieret. Quod poſtquam Gregorio notum fuit, Severo Scholaſtico ſcribit, perſuadeat Exarcho, cum Rege pacem inire.

Warnefr. l. 4. c. 8.

Anno Dom. 595.

Greg. l. 4. Ep. 31.

Gregor. l. 4. c. 29.

Joannis Ravennatenſis mors. Quis fuerit?

II. Amplam fuſamque noſtris Annalibus materiam geſta Gregorii præbent, quorum præcipua narrabimus. Joannes Ravennatenſis ille Præſul, qui de pallio in Litaniis gerendo tot fluctus moverat, pompæ ſuæ gloriam extinguit in ſepulchro. Vir fuit honorum cupidiſſimus, cujus & ambitioni notam inuſſit Gregorius in ſua ad Caſtorium Epiſtola: *Sicut ſcis,* inquit, *idem vir multum præſumptor extitit, & multa ſibi per ſuperbiam tenabatur arrogare.* Erant tamen Joanni dotes animi nonnullæ. Multum charitatis oſtendit Caſtorio Præſuli, quem ſtuduit *viſitare, & eum poſtmodum pro increſcenti moleſtia corporis in Ravennati urbe ſuſcipere.* Quo facto, laudes à Gregorio ſibi comparavit. Sed & miſeris facillimè ſuccurrebat. Itaque cùm Gradenſis civitas, quæ trium Capitulorum defenſioni ſe addixerat, vaſtata fuiſſet, laborantibus egeſtate civibus, Gregorii imploravit auxilium. Vitia ipſius nonnulla perſtrinxit Gregorius, quòd animo non ſatis candido eſſet, quòd mordaciter loqueretur, quòd de abſentibus obloqueretur, quod ſervis ſuis dum furebat, turpia crimina imponeret, quòd Clericis ſuis ſe dominum exhiberet. Joanni tamen amicitiâ Gregorius conjunctus erat, qui & ei libros de Cura Paſtorali nuncupavit. Ipſius obitum luxiſſe ſe teſtatur Gregorius in ſua ad Caſtorium Notarium Epiſtola: *Nimis nos Joannis fratris & Coëpiſcopi noſtri mors cognita contriſtavit, maximè quod civitas illa hoc tempore amiſit Paſtoralis Curæ ſolatium.* Itaque ad tabulas relegandum, quod Sigonius, Panvinus, aliique eruditi ſcripto man-

Greg. l. 5. Ep. 33.

Greg. l. 2. Ep. 22.

Greg. l. 2. Ep. 32.

Greg. l. 4. Ep. 15.

Greg. l. 4. Ep. 33.

da-

darunt, Joannem Manichæorum errore corruptum, Severum Aquileienſem coëgiſſe, ut huic ſectæ nomen daret. Plurimas Joannes Epiſtolas ſcripſit, quarum una à temporis injuria vindicata fuit. Gregorio ea dirigitur, à quo vetatus fuerat, ob uſum pallii in Litaniis, & conceſſam mappularum Presbyteris & Diaconis gerendarum facultatem. Quod ſic excuſat: *Quoties ad Epiſcopatus ordinationem ſeu reſponſi Sacerdotes, vel Levitæ Ravennatenſis Eccleſiæ Romam venerunt, omnes in oculis ſanctiſſimorum deceſſorum veſtrorum, cum mappulis, ſine reprehenſione aliqua procedebant.* Ut modeſtiam tamen ſuam oſtenderet, ab iis ſe ritibus abſtinuit, donec ſcriptis Pontificiis eorum ſibi uſus permitteretur. Joanni de Romanis civibus unus, nomine *Marinianus* ſuccedit, cui pallium Gregorius miſit.

Greg. l. 2. Ep. 55. 94.

Gregorius in Occumenici titulum in Joannem Conſtantinopolitanum invehitur.

III. Excanduit Gregorius in Joannem Conſtantinopolitanum, qui deceſſorum more, Patriarchæ Oecumenici titulum ſibi vindicabat. Indignationi occaſionem præbuere Joannis, ipſius de Joannis Presbyteri negotio mox referendo, literæ, *in quibus ſe penè per omnem verſum Oecumenicum Patriarcham nominaret.* Eo titulo ſupra modum offenſus Gregorius, quem hactenùs verbo duntaxat improbaverat, ſcriptis nunc coarguere voluit, quæ Imperatori, quæ Auguſtæ, quæ Patriarchis, quæ Joanni ipſi dirigit. Mandat ergo Imperatori, ut faſtum prohiberet. Nec obſcurè verbis aſperis in Joannem invehitur: *Oſſa jejuniis atteruntur, & mente turgemus: corpus deſpectis veſtibus tegimus, & elatione cordis purpuram ſuperamus. . . . Quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Evangelica, contra Canonum Decreta novum ſibi uſurpare nomen præſumit? . . . Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Apoſtolorum Principis honore per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt, ſed nullus unquam hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit.* Hæc, quæ tam confidenter Gregorius narrat, de oblato ſcilicet à Patribus Chalcedonenſibus Leoni *Patriarchæ univerſalis* titulo, ubi legerit, prorſus ignoramus. In Actis Synodi ea nuſquam reperiri, certè certòque ſcimus. Quòd ſi *Patriarchæ Oecumenici* titulus nomen eſt blaſphemiæ, uti Gregorius putat, quod genus hominum fuere Chalcedonenſes illi, qui Leonem blaſphemiæ titulis induere voluerunt? Hæc ſanè non conſentiunt. Conſtantinæ quoque Auguſtæ Gregorius ſignificat, ſibi *triſte* à Mauritio ſcriptum fuiſſe, dum jubet, ut pacem cum Joanne colat: *Triſte tamen valde eſt, ut patienter feratur, quatenùs deſpectis omnibus, prædictus frater & Coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Eulogium quoque Alexandrinum, nec non Anaſtaſium Antiochenum ſcriptis commovet ſuis Joannis in titulos. Repetit quæ de oblata Leoni à Concilio Chalcedonenſi, Patriarchæ Oecumenici appellatione dixerat: *Venerandæ mihi veſtra Sanctitas novit, quia per Sanctam Chalcedonenſem Synodum Pontifici Sedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente ſervio, hoc univerſitatis nomen oblatum eſt.* Credant hæc Romani Pontifices, non nos, qui tenemus Chalcedonenſes æquaſſe Conſtantinopolitanorum & Romanorum Antiſtitum privilegia. Non inficias quidem imus, quin in multis Libellis Leoni, & Chalcedonenſi Concilio oblatis Leo *univerſalis* titulo ornatus fuerit: qua de re plurima exempla extant in Actione tertia. Theodori Diaconi in Libello legitur: *Sanctiſſimo & Deo amantiſſimo & univerſali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.* Similiter Ischyrionis Diaconi in Libello reperitur: *Univerſali Archiepiſcopo Magnæ Romæ Leoni.* Aliud verò eſt, titulum illum à Synodo Chalcedonenſi oblatum eſſe, & à Leone repudiatum. Leonis certè Legati Libellos ſupplices non rejecere, cui titulus ille præfigebatur, nec mutari eum præcepere. Patriarchas etiam Gregorius monet, ne Epiſcopum ullum titulo Oecumenici afficiant: *Sanctitas veſtra in ſuis Epiſtolis neminem unquam univerſalem nominet, ne ſibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum.* Ipſum quoque Joannem ſcripto Gregorius adit, ut titulum Oecumenici exuere, illi perſuadeat. Narrat, ſe hactenùs *nudo ſermone* per *Sabinianum* reſponſalem ſuum Joanni ſignificaſſe, ut ſuperbum titulum deponeret: *Et ſi emendari nollet, eum,* inquit, *cum fraternitate veſtra celebrare prohibui, ut Sanctitatem veſtram prius ſub quadam verecundia reverentia pulſarem. . . .* Et ſub finem Epiſtolæ ſubjungit: *Ego itaque per reſponſales meos, ſemel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui, nunc per me ipſum ſcribo.* Epiſtola data eſt *Kal. Januarii, Indict. 13.* Ea quoque de cauſa Reſponſali ſuo literas dirigit, quibus nonnihil negligentiam ejus perſtringit: *Miror autem quomodo* (Joannes) *dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres Domino Imperatori perſuaderi, quatenùs ad me ſua ſcripta de hac cauſa tranſmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuiſſem.* Calliditati Joanni id omne aſcribit, ut aut tituli confirmationem haberet; aut ſi negaretur, Imperator in Gregorium commoveretur. Hæc eſt illa Gregorii cum Joanne controverſia, quam tragicè admodum, magnoque animi æſtu Pontifex tractavit, quaſi de Eccleſiæ ſalute actum fuiſſet. Hinc vehementes illæ exclamationes: *O tempora! ô mores! Ecce cuncta in Europa partibus Barbarorum juri ſunt tradita, deſtructæ urbes, everſa caſtra, depopulatæ Provinciæ, nullus terrarum cultor inhabitat: ſæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores Idolorum, & tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes, jacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & novis ac profanis vocabulis gloriantur.* At clamet licet Gregorius, & mare cœlo confundat, controverſia nihili fuit, cùm nec titulus Oecumenici Conſtantinopolitanis Præſulibus novus eſſet, nec eo cæteris Eccleſiæ Præſulibus ſuus Epiſcopatus eriperetur. Eo titulo Primatus honoris, non potentiæ in cæteros orbis Præſules Joanni aſcribebatur. Et quod Gregorium fugit, Pontifices Romani titulo *univerſalis* ornabantur. Epiſtolæ 54. Leonis ad Martianum titulus hic eſt: *Leo Epiſcopus Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Martiano Auguſto.* Et in Epiſtola 65. *Leo Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus Eudoxiæ Auguſtæ.* Similibus etiam titulis Hormiſda decoratus fuerat. Quid miri Regiæ urbis Epiſcopum Oecumenici affici titulo, quo Academiæ Conſtantinopolitanæ Præfectus fulgebat, teſte Zonarâ: *Domus erat in Baſilica, proximè forum ærarium Regia, in qua multi Codices, & humanæ & generoſioris ac divinæ ſapientiæ aſſervabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum tributa, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant.*

Greg. l. 4. Ep. 39.

Greg. l. 4. Ep. 32.

Greg. l. 4. Ep. 34.

Greg. l. 4. Ep. 36.

Greg. l. 4. Ep. 38.

Greg. l. 4. Ep. 39.

Greg. l. 4. Ep. 32.

Zon. l. 15. cap. 3.

IV.

Anno Dom. 595.

Synodus Romana Præſide Gregorio.

IV. Res Joannis Presbyteri, quarum cauſâ Joannes Patriarcha literas Gregorio miſerat, quæ ipſum commoverant, in Synodo Romana tractantur. Tempus Concilii hujus ipſius geſta continent: *Regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto, temporibus piiſſimi ac sereniſſimi Dominorum, Mauritii & Tiberii & Theodoſii Auguſtorum, ejuſdem Domini Imperatoris Mauritii anno* XIII. *Indictione* 13. *quinto die menſis Julii.* Temporum certiſſima hæc criteria intemerata eſſe non patitur Baronii Binniique Chronologia, *decimum* tertium Mauritii in *decimum* mutantium. Quâ corruptione ἀσυγλώτως connectuntur. Cùm anni Mauritii Indictionum curriculis penè reſpondeant. Anno igitur Mauritii non *decimo*, ſed XIII. labente & eâdem Indictione Concilium Romanum celebratur. Interfuere Epiſcopi XXII. *Gregorius*, Synodi Princeps, *Marinianus* Ravennenſis, *Paulus* Nepeſinenſis, *Joannes* Surrentinus, *Gratianus* Nomentanus, *Joannes* Falerinus, *Agnellus* Tarracinenſis, *Romanus* Bleranus, *Dominicus* Centumcellenſis, *Pelagius* Agnaninus, *Felix* Portuenſis, *Joannes* Veliternenſis, *Candidus* Fulginienſis, *Luminoſus* Ferentinus, *Baldinius* Roſellanus, *Secundinus* Tauromenienſis, *Martianus* Farenſis, *Homobonus* Albanenſis, *Dominicus* Ultriculanus, *Conſtantius* Narnienſis, *Fortunatus* Neapolitanus, *Anaſtaſius* Tiburtinus, *Proculus* Præneſtinus. Presbyteri quoque adfuere numero XXXIII.

Error Baronii.

Canones Synodi Romanæ Præſide Gregorio.

V. Canones ſex Synodus conſtituit. I. Diaconi omiſſo cantu ſolum Evangelicæ Lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exolvant. Pſalmi verò, & reliquæ Lectiones per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores ordines exhibeantur. II. Non Laici modò, ſed quidam etiam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi miniſterio Cubiculi Pontificalis obſequantur, *ut ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant.* III. Clericorum morem improbat, qui fiſci more patrimoniis, quorum Rectores erant, titulos imponebant: *Si quis Eccleſiaſticorum unquam titulos ponere, ſive in ruſtico, ſive in urbano prædio ſuâ ſponte præſumpſerit, anathema ſit.* Si Præpoſitus Eccleſiæ id emendare neglexerit, ipſe etiam anathema ſit. IV. Invaluerat mos, ut defunctorum Paparum corpora dalmaticis tegerentur, quas pro ſanctitatis reverentia populus ſibi dividendas ſcindebat. Gregorius ergo id conſtituendum proponit: *Ut feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.* Si Presbyterorum, aut Diaconorum quis id curare neglexerit, anathema ſit. V. *Pro ordinatione, vel pallio, ſeu chartis, atque paſtello* neque ordinandus, ne-

Lab. Conc. t. 5. 1200.

que ordinatus aliquid ſolvat. VI. *Quiſquis ex juris Eccleſiaſtici, vel ſecularis militia ſervitute ad Dei ſervitium converti deſiderat, probetur prius in Laica habitu conſtitutus.*

Joannes Chalcedonenſis in Synodo Romana abſolvitur. De Anaſtaſio Monacho.

VI. In ea quoque Synodo cauſa Joannis Presbyteri tractatur. De Eccleſiæ Chalcedonenſis Sacerdotibus unus Joannes nefandæ Marcionitarum hæreſis accuſabatur. Qua de cauſa dignitate ſuâ anno DXCII. motus fuerat. Quin etiam & ſibi perſuaſit Baronius, & nobis etiam perſuadere voluit, Joannem fuſtibus cæſum fuiſſe. Verba ſunt eminentiſſimi Purpurati: *Joannes Presbyter ille Chalcedonenſis Eccleſiæ, licet Catholicus eſſet, per Joannis Judices impoſitis verberibus, fuerat ut Hæreticus condemnatus.* Fallitur

Error Baronii.

Bar. An. 595. n. 53.

tamen Baronius. Alius à Joanne Presbytero fuſtibus vexatus eſt, teſtemque ipſummet Gregorium damus, qui Joanni Conſtantinopolitano hæc ſcribit: *De cauſa enim reverendiſſimi viri Joannis Presbyteri ſcripſeram, atque de quæſtionibus Monachorum Iſauriæ, quorum unus in Sacerdotio poſitus, in Eccleſia veſtra fuſtibus cæſus eſt.* Extra dubium eſt, Anaſtaſium Presbyterum illum fuiſſe, qui cæſus eſt: Monachus erat *Monaſterii Domini Sancti Mile, cui eſt vocabulum Tamnace, quod eſt in Provincia Lycaoniæ conſtitutum.*

Greg. l. 5. Ep. 64.

De eo Anaſtaſio hæc habet Gregorius: *Dum de te contraria integræ fidei fuiſſet orta ſuſpicio, ut profeſſionis tuæ potuiſſet integritas apparere ad Apoſtolicam Sedem, cui præſidemus, elegiſti recurrere, aſſerens etiam te corporaliter verberatum, aliqua injuſtè ac violenter egiſſe.* Cùm ad Gregorium tam Joannes Presbyter, quàm Iſaurienſes Monachi perfugiſſent, Pontifex anno DXCIII. Indictione XI. geminis Conſtantinopolitanum Patriarcham literis adiit. Nullas tamen ab eo literas accepit. Tandem rupto ſilentio Joannes

Greg. l. 5. Ep. 52.

Patriarcha Epiſtolam Gregorio mittit: *Reſcripſit mihi, ſicut ex nomine Epiſtolæ agnoſco, ſanctiſſima fraternitas tua, quia neſcierit de qua cauſa ſcripſeram.* Currente anno Joannes in Romana Synodo abſolvitur, quod & Imperatori & Joanni Conſtantinopolitano Gregorius nunciatum voluit. Imperatorem ſic alloquitur: *Relatis in Concilio, quæ contra Joannem Chalcedonenſis Eccleſiæ Presbyterum acta ſunt, ſimul & ſerie judicati, majorem illum injuſtitiam ſuſtinuiſſe cognovimus, quippe quem clamantem ſe, atque monſtrantem Catholicum eſſe, non reatus culpa, ſed diu accuſatio incerta contrivit in tantum, quia accuſatores ipſius Marcioniſtarum quam commemorabant hæreſim, ſe neſcire apertâ reſponſione profeſſi ſunt. . . . Sed ne dicta eum ſaltem lacerare potuiſſet opinio, Libellum fidei protulit, in quo ſe patenter oſtendere fidei rectæ profeſſorem ſtuduit, & ſequacem.* Decreto igitur Synodi Joannis erroris accuſatione liberatus in integrum reſtituitur. Itaque profuſiſſimis

Greg. l. 5. Ep. 16.

Imperatorem precibus Gregorius rogat, ne innocentem diutius affligi permittat, eumque potius favoris ſui auxilio cingat. Gemina penè

Greg. l. 5. Ep. 15.

Joanni Patriarchæ nunciat: *Libellus, quem delegatis à vobis Judicibus obtulit, rectæ fidei per omnia ſinceritati concordat: ea propter eorumdem Judicum reprobantes ſententiam, noſtrâ eum definitione Catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum eſſe, Chriſti Dei Redemptoris noſtri miſericordiâ & gratiâ revelante denuntiavimus.* Theoctiſto quoque, qui Imperatori cognatus erat, Joannis Presbyteri commendat innocentiam. De cauſa verò Anaſtaſii, & Monachi & Presbyteri, quem fuſtibus in Eccleſia cæſum fuiſſe diximus, Narſi

Greg. l. 5. Ep. 14.

hæc Comiti ſcribit Gregorius: *Caritas veſtra ſollicitudinem noſtræ opinionis habens, ſcribere ſtuduit, quid de illo Codice, qui contra Anaſtaſium Presbyterum tranſmiſſus eſt, ſenſi. Quem nos ex parte aliqua ſubtiliter percurrentes, in Manichæi invenimus dogma cecidiſſe. Sed is, qui loca eſſe hæretica ſigno contrà poſito oſtendit, ipſe quoque in Pelagianam hæreſim labitur.* Porrò cùm hæreſis ſuſpicione Anaſtaſius laboraret, Gregorio Libellum obtulit, quo quinque Synodos ſe ſuſcipere profeſſus eſt; Codicem etiam penes eum inventum, qui virus erroris continebat, & rejecit, & ab eo legendo temperare pollicetur. Quo

Greg. l. 5. Ep. 64.

facto, & erroris purus à Pontifice declaratur, & in Monaſterium redire ſuum permittitur. Hæc

menſe

menſe Auguſto anni 596. ſunt Anaſtaſio conceſſa.

Mors Joannis Conſtantinopolitani, ejus virtutes & ſcripta.

VII. Cæterùm Gregorii de Joannis Presbyteri abſolutione ad Joannem Patriarcham Epiſtola in ipſius manus non pervenit. Fato quippe functus erat, cùm in urbem Regiam allata eſt. Vir fuit frugalitatis amantiſſimus, & erga pauperes munificentiſſimus. Inter egregia ipſius facinora illud à Nicephoro maximè celebratur, Ut egentibus auxilio eſſet, ab Imperatore talenta mutuò non pauca ſumpſerat, datâ syngraphâ. Poſtquam is è vita migravit, Mauritius Antiſtitis facultates requirens, paupertatem cum maximam conſecutum eſſe reperit: eximiamque virtutem miratus, ſyngrapham ſtatim diſcerpit: *Et lectulum ejus ligneum, qui in bonis ejus repertus eſt, & amiculum laneum, tenue admodum, nec non penulam quandam deformem in aulam Imperialem inferri juſſit, eaque rebus omnibus prætulit, & jejuniorum ſolemni tempore deinceps, lectis ex auro & lapillis pretioſis concinnatis, ſtratiſque veſtibus, & aliis imperialibus deliciis valedicto, ligneo Præſulis ejus toro noctibus totis uſus eſt, gratiam quandam divinam ex eo ſe conſecuturum exiſtimans.* Gregorius Magnus Joannem vehementius inſultarat, ſcribens ad Conſtantiam Auguſtam: Sunt, *qui veſte quidem deſpecti ſunt, ſed corde tument; & quos in hoc mundo cuncta deſpiciunt, ſed tamen ea, quæ mundi ſunt, ſimul cuncta adipiſci quærunt:* ille ipſe Gregorius defuncto cumulatè ſatisfecit in ſua ad Mauritium Epiſtola, ubi Joannem pro *ſanctæ memoriæ viro* habet. Obiit Joannes quarto Nonas Septembris, cùm Eccleſiam ad annos tredecim, menſes quinque adminiſtraſſet, à XII. ſcilicet Aprilis anni DLXXXII. ad uſque ſecundum Septembris. Itaque Baronii Chronologia non eſt accurata, ſupremum Joannis diem anno DXCVI. aſſignantis. Egregiè etiam fallitur, dum Epiſcopatus Joannis curriculum includit decennio. Fons erroris eſt malè aſſignatum imperii Mauritii initium, quod in anno DLXXXVI. collocavit. Eſt autem certiſſimum, eodem prorſus anno & Mauritium purpurâ, & Joannem infulâ ornatum eſſe. Imperium verò Mauritius adiit anno Domini DLXXXVIII. Scriptis nonnullis Joannes famam poſteris ſuam commendavit. Ediderat de ſacramento Baptiſmatis librum ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, in quo de trina merſione Patrum ſententias retulit. Periit tractatus ille temporis injuriâ. Librum quoque Pœnitentialem confecit, quem Morinus luci donavit. Scripſit & Homelias quaſdam, quæ Chryſoſtomi Operibus vulgò inſeruntur.

Niceph. l. 18. c. 34.

Greg. l. 6. Ep. 6.

Error Baronii.

Bar. Ann. 596. n. 2.

Cyriacus Conſtantinopolis Epiſcopus creatur: ejus virtutes.

VIII. Joanni Jejunatori, cui ſecundo Septembris juſta ſolvimus, Cyriacus ſucceſſor datur. De quo legitur in Chronico Alexandrino: *Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha factus eſt Cyriacus Presbyter & Oeconomus.* Præfuit annos duodecim, quos abſolvit anno Dom. DCVI. die Octobr. XXIX. Errat tamen Chronicum in Indictione, quæ non XII. ſed XIII. dici debuit. Nonniſi poſt aliquantum moræ Cyriacus deceſſori ſuffectus eſt, teſte Gregorio, qui ſic Imperatorem compellat: *Non enim parvæ potuit eſſe mercedis, quòd Joanni ſanctæ memoriæ de hac luce ſubſtracto ad ordinandum Sacerdotem pietas veſtra diu heſitavit, tempus paulò longius diſtulit, cum metu omnipotentis Domini conſilium quæſivit.* Non ignotus erat Gregorio Cyriacus, quem ſua pietas in urbe regia verſanti commendaverat, quod Pontifex ipſe ſcriptum reliquit in ſua ad Cyriacum Epiſtola: *Dudum dum in urbe regia reſponſa Sedis Apoſtolicæ facerem, bona veſtræ Sanctitatis agnovi.* Conſultus erat Eccleſiaſtici regiminis, prudentiâ manſuetudineque præditus. Quas in eo virtutes Gregorius amavit, & laudibus etiam extulit: Cyriacus *hanc mihi præcipuè Ducum ſuæ magnitudinis probationem dedit; quod in tam multis diſpenſationis Eccleſiaſticæ cauſis occupatus, tranquillum cor inter turbulentas frequentias tenuit, ſeque ipſum ſemper ſub manſuetudine conſtrinxit.* Conſtantinopolitanos extulit lætitiâ Cyriaci ad Patriarchatum electio, ac tantò magis, quantò diu fatis ipſorum Eccleſia orba Præſule in luctu & mœrore jacuerat. Itaque præ gaudio dum ordinabatur, excitati ſunt ad canendum, *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* Quam immoderatam exultationem improbavit Gregorius ſcriptis ad Mauritium Patritium, Domitianum & Elpidium Epiſcopos literis: *Magna lætitia in immoderatam ejuſdem fratris mei laudem vos rapuit. Nam hunc ſicut Solem in Eccleſia appariuiſſe dicitis, ita ut cuncti clamaretis, Hæc dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* Itaque Chronologia Baronii non videtur accurata, dum Cyriaci creationem anno Dom. 596. alligat, unde ipſius Epiſcopatum juſto breviorem fecit, quem annorum decem cum menſibus aliquot includit ſpatio.

Greg. l. 6. Ep. 6.

Greg. l. 6. Ep. 5.

Greg. l. 6. Ep. 7.

Greg. l. 6. Ep. 7.

Cyriacus nuncios Gregorio mittit. Gregorii de Confeſſione ipſius judicium. Tituli in ... Œcumenici.

IX. Poſtquam in Sede Conſtantinopolitana Cyriacus collocatus eſt, Gregorium Presbyterum, Theodorumque Diaconum in urbem miſit, qui ipſius Confeſſionem de more Pontifici Romano oblatum irent. In ea damnabantur hæretici, quos Oecumenica Concilia anathemate percuſſerant. Quod ut accuratius fieret, complurium errantium nomina Confeſſioni fidei ſuæ Cyriacus incluſit. In illis numerabatur *Eudoxius*, de Semi-Arianorum grege, qui Eccleſiam Antiochenam ſeculo quarto invaſerat. Ad Eudoxii nomen Gregorium inceſſit admiratio. Summo Eccleſiæ Pontifici ignotus erat Hæreticus, cujus nomen in Veterum monumentis ſe non reperiſſe teſtatur: *Cùm recta à vobis fides veraciter & ſubtiliter ſit prolata inter eos, quos per ſanctiſſimos generales Synodos damnandos eſſe cenſuiſtis, Eudoxium quemdam vos damnaſſe reperimus, cujus nomen neque in Latina lingua, neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Epiſcoporum Epiphanii, Auguſtini & Philaſtrii, quos contra Hæreticos præcipuè diſputaſſe novimus, poſitum reperimus.* Quin etiam Cyriaci in recenſendis Hæreticis diligentia Gregorio probata non fuit. Plures referre debuit; *ſi quæ extra ſanctas Synodos per Patrum ſcripta damnantur*, eos omnes memorare voluit, *Eudoxius* verò omittendus fuit, ſi quos Oecumenica Concilia reſpuunt, nominandos eſſe credidit. Illud verò admirationem efficit, quod Gregorio ignotus fuerit Eudoxius, qui Germaniciâ relictâ Antiochenum Epiſcopatum invaſerat, eoque poſtmodum ſpreto, Conſtantinopolitanæ urbis ab Acacianis Præſul conſtitutus erat. Romæ verſabatur Eudoxius, cùm auditâ Leontii morte, de uſurpanda Antiochena Eccleſia ad eam ſubinde properaverat. Hinc juſta peculiariſque Cyriaco cauſa fuit, cur in ſua Confeſſione nomen Eudoxii poneret, qui imperante Conſtantio regiæ urbis Epiſcopum egerat. Eſt præterea, quod tamen negat Gregorius, Eudoxii mentio apud Epiphanium verbis ejuſmodi: *Obtinuere tamen poſtmodum Eudoxius & Georgius,*

Greg. l. 6. Ep. 4.

Socr. l. 2. c. 43.

Epiph. Hæreſ. 73. n. 23.

ANNO DOM. 595.

gius Alexandrinus. Meminit & Eudoxii Athanaſius, Oratione primâ cootra Arianos, p. 190. *Eudoxius & Baſilius patrocinio impietatis ad iſtas fortunas ſubvecti.* Neque volvente anni circulo Gregorius de Eudoxio magis inſtructus eſt: utpote qui Eulogio ſcriberet & Anaſtaſio: *Et Canones quidem Conſtantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant: ſed quis fuerit eorum Autor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit.* Verùm quis eſſet Eudoxius, Gregorium tandem Eulogius docuit, cui gratias agit, quòd ſibi ea de re ſatisfecerit. Cæterùm facta à Cyriaco Eudoxii mentio Gregorio in levi habebatur, præ Oecumenici titulo, quo deceſſoris ad exemplum Cyriacum ornatum iri, non immeritò ſuſpicabatur. Ad eum itaque ſcribit verbis ejuſmodi: *In hoc Sacerdotes vos eſſe recognoſcimus, ſi repulſâ vanitate verborum, ſanctitatis locum cum ſancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis ſcandalizati ſumus, & non minimas querelas ſervamus in mente, & promimus in voce.* Hanc Epiſtolam imminente hyeme Gregorius & Theodorus Conſtantinopolim attulerunt. Minæ tamen Pontificis non impedimento fuere Cyriaco, quominùs Oecumenici Patriarchæ titulo uteretur.

Greg. l. 6. Ep. 31. *Greg. l. 7. Ep. 30.* *Greg. l. 6. Ep. 4.*

Virgilio Arelatenſi & pallium, & vices ſuas tradit Gregorius.

X. Quid in Gallia geſtum ſit, paucis nunc memoremus. Virgilio Arelatenſi Childebertus pallium optaverat. Petenti Regi Gregorius id negatum noluit. Quod & Virgilio ſignificat: *Quod verò in eis* (Epiſtolis) *juxta antiquum morem uſum pallii, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit, ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cùm priſcam conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ fraternitas veſtra repetit, quid aliud quàm bona ſoboles ad ſinum matris Eccleſiæ recurrit. Libenti ergo animo poſtulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore ſubſtrahere, aut præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur.* Mandat etiam, ut Simoniacam labem, quâ & Germaniæ, & Galliarum Eccleſiæ laborare ferebantur, omni ratione prohibeat, neque patiatur Laicos, *qui defunctis Epiſcopis tonſurantur, & fiunt ſubitò Sacerdotes.* Data eſt Epiſtola VI. Junii. Galliæ Præſules Gregorius monitum ivit, quid honoris Virgilio contuliſſet, ut ei morem gererent. Scilicet ut vocati ad Synodum veniant, vel ſi neceſſitate aliquâ prohibeantur, loco ſuo Presbyterum, vel ſanè Diaconum dirigant, nec ad longinqua loca ſine illius autoritate pergant. Data eſt Epiſtola XII. Auguſti. Similiter Childeberto Regi ſcribit, ſe precibus ipſius annuentem, & partes ſuas, & pallium Virgilio conceſſiſſe. Viciſſim monere ſe, ut Arelatenſi Præſuli faveat prohibendo, ne quis vel datis muneribus, vel repentè de Laicorum grege Epiſcopus crearetur. Honeſtam ſanè poſtulationem, nomineque Gregorii, quod Pontifex gerebat, dignam. Scripta eſt Epiſtola XII. Auguſti.

Greg. l. 4. Ep. 50. *Greg. l. 4. Ep. 52.* *Greg. l. 4. Ep. 53.*

Gregorius fidem Childeberti laudat. Pium Regis Edictum.

XI. Eodem anno Childeberti fidem Gregorius magnis laudibus extulit, verbis ſanè pulcherrimis: *Quantò cæteros homines regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium regna regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt, ſed eſſe Catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt.* Quænam verò ſit Principum gloria in adminiſtrandis Rebus publicis, optimè deſcribit: *Tunc verè Regi Regum, id eſt, omnipotenti Domino amplius placebit, ſi poteſtatem ſuam reſtringens, minus ſibi licere crediderit, quàm poteſt.* Commendat ei Candidum Presbyterum, quem patrimonio S. Petri in locum Dynamii Patritii præficiebat. Ei regendo Dynamius Gregorii precibus invigilarat; aliis verò curis diſtractus, patrimonio Apoſtolico amplius vacare non poterat. Regem quoque obſecrat, ſi damni aliquid B. Petri rebus eſt irrogatum, ut ipſius potentiâ atque juſtitiâ abuſus emendentur. Quò magis verò Childeberti favorem ſibi conciliet, *claves Sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus incluſum eſt,* ipſius excellentiæ mittit. Brunichildi quoque *Candidum* commendat Presbyterum, eamque laudat à recta Childeberti inſtitutione, quâ factum, *ut cuncta gentium regna præcelleret, quippe qui earumdem gentium Creatorem & purè colit, & veraciter confitetur.* Gregorii laudibus non prorſus indignum ſe Childebertus oſtendebat. Pridie Kal. Martii, labente anno Decretum Coloniæ promulgarat, in quo multa ſunt ad pietatem & æquitatem tuendam idonea. Capite V. ſancit, ut homicida *nullo pretio redemptionis ſe redimat, aut componat.* Capite VII. de furibus jubet, *ut ſi quinque, aut ſeptem bonæ fidei homines, abſque immictitia interpoſita, criminoſum eum ſacramenti interpoſitione eſſe dixerint, quomodo ſine lege involavit, ſine lege moriatur.* Capite XIV. diem Dominicam religioſè cuſtodiri jubet: *De die Dominico ſimiliter placuit obſervare, ut ſi quiſcunque ingenuus, excepto quod ad coquendum, vel ad manducandum pertinet, opera alia in die Dominico facere præſumpſerit, ſi Salicus fuerit, ſolidos XV. componat; ſi Romanus, ſeptem & dimidium; ſervus verè aut tres ſolidos reddat, aut de dorſo ſuo componat.*

Greg. l. 5. Ep. 6. *Greg. l. 5. Ep. 5.* *Capit. Baluz. 18.*

ANNO U. C. 1349. PER. JUL. 5309. JUL. 641. DOM. 596. MAURITII 14. & 15. CHILDEBERT. 21. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 8. *Indict.* 14. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 7. I. P. 22. *April.*

ANNO DOM. 596.

Poſt Conſulatum Mauritii XII.

Priſcus revocatur Legatum: Chagano Theodorum mittit: ejus virtutes.

I. INſenſus Priſco Mauritius, revocato Petrum fratrem ſuum ſufficit, quæ mutatio rebus Imperii uſui non fuit. Cæterùm ut ſui deſiderium relinqueret Priſcus, Petri ante adventum Iſtrum ſuperat. Quod miratus Chaganus, Priſco Oratores miſit, quæſitum, cur flumine tranſmiſſo prædas ageret. Viciſſim Legatum Chagano *Theodorum* Medicum Priſcus dirigit. Magnæ vir prudentiæ Theodorus erat, cui ſcriptæ ad ipſum Gregorii Epiſtolæ celebritatem addidere. Hic eſt ille Theodorus, quem anno DXCIII. Pontifex rogarat, ut gratiâ illâ, quâ pollebat apud Imperatorem, ad Legem de militibus in Monachos non allegendis revocandam eum impelleret: *Veſtra gloria opportuno tempore ſecretè ſuggeſtionem meam ei offerat.* Theodori prudentiam æquabat erga pauperes charitas, quo nomine gratias ei maximas Gregorius egit: *Ea autem, quæ in redemptionem captivorum, Deo vobis inſpirante tranſmiſiſtis, lætus fateor, & triſtis accepi.* Neque ſemel copioſas Theodorus in Orientem eleemoſynas miſit. Anno 597. eo etiam officio functus eſt erga Occidentis pauperes, ob idque commendatur à Gregorio, cujus re-

Greg. l. 2. Ep. 65. *Greg. l. 6. Ep. 25.*

Greg. l. 4. Ep. 40.

reſponſalis Sabinianus cùm ex urbe regis proficiſceretur, Theodori non ſcripta quidem, ſed pecuniæ multum pauperibus erogandæ attulit Pontifici. Itaque Theodorum plurimi Gregorius faciebat, cui *agathen*, ſic enim legendum videtur, non *anatem*, *cum duobus parvulis Atticis* ad ipſum anno ſuperiore dono miſerat. Tali viro ad res gerendas idoneo Priſcus legationem ad Chaganum injungit. Difficilem ſanè provinciam, cùm Barbari Regis animus ſuperbiâ tumeſcens vix emolliri poſſe crederetur. Ac primo ſanè colloquio Theodorus Chaganum audit, minas jactantem, & pro cunctarum gentium Domino ſeſe venditantem. Ferum verò Principem mitigat mutabilitate fortunæ propoſita: Seſoſtri enim Ægypriorum Regi animos advertere monet, cujus currum auro gemmiſque decorum, cùm adacti jugo Reges quatuor traherent, eorum unus reflexâ cervice rotarum volutationes attentis oculis contemplabatur. Quem cum Seſoſtris de tali facto percontaretur, *Miror*, inquit ille, *rotam inſtabilem.* Quo ſermone Ægyptius de fortunæ vicibus admonitus, vetuit ne deinceps Reges curru tangerentur. Ad hanc hiſtoriam ſubridens Chaganus, Theodoro reſpondet, pacem ſe libenter amplecti. Priſcus itaque de manubiis parte Regi conceſſâ, cum reliquis exuviis ſine diſpendio Iſtrum trajicit.

Miſcell. l. 17.

Childeberti obitus. Ejus & virtutes, & ſucceſſores.

II. Childebertus, qui regna ſua feliciter & glorioſè ſatis adminiſtrabat, ac rebellantes ſibi *Warnos* Germaniæ populos anno proximo tantâ clade affecerat, ut pauci ſupereſſent, labente anno naturæ ſatisfecit. Veneno periiſſe, quod à *Faileuba* Regina ei datum erat, Hermannus Contractus ſcripto prodidit: *Childebertus Rex Francorum, fortis & ſtrenuus filius Sigeberti*, XXI. *anno Regni, ætatis verò* XXV. *veneno, ut aiunt, à conjuge accepto moritur.* Tanti tamen ſceleris putam eſſe Failebam, eſt vero ſimillimum, cùm eodem die ac vir ipſius perierit. Hinc in Warnefrido legitur: *Childebertus cum uxore propria, ſicut fertur, vi veneni extinguitur.* Quâ morte perierit, Fredegarius non retulit. Suæ defuncto virtutes inerant. In tributis imponendis æquitas ſane Childeberti maximè laudatur. In Pictavienſem urbem, invitante Maroveo Epiſcopo, deſcriptores miſerat, *Florentium, majorem domus Regiæ, & Romulfum Palatii Comitem*, ut cenſum, quem regnante Sigeberto Pictavienſes ſolverant, fiſco inferrent. Cùm & Turonenſibus Principis Legati vectigal impoñere vellent, interceſſiſſetque Gregorius Antiſtes, oſtenſo, tabulas Clothario regnante ob B. Martini venerationem incenſas eſſe, miſiſſetque Childeberto nuncios, qui regiam ea de re voluntatem percontarentur, ille mox cenſum prohibuit: *Tranſmiſimus nuntios ad Regem, ut quid de hac cauſa juberet, mandata remitteret. Sed protinus Epiſtolam cum autoritate miſerunt, ne populus Turonicus pro reverentia Sancti Martini deſcriberetur.* Prudentiam ſimulque Childeberti pietatem oſtendit Decretum ejus, de quo anno ſuperiore mentio facta eſt. Succeſſores ſibi reliquit Theodebertum & Theodoricum filios, qui paterna regna diviſerunt: *Theodebertus ſortitus eſt regnum Auſtriæ, Sedem habens Metenſem. Theodoricus accepit regnum Guntbramni in Burgundia, Sedem habens Aurelianis.* Hæc Fredegarius c. 16. Pueri Regii Brunichildis aviæ tutelæ crediti ſunt. Tum Fredegundis foro utens, filii ditionem ampliat, Lutetiâ captâ. Id etiam refert Fredegarius: *Eo anno Fredegundis cum filio Clothario Rege Pariſios, & reliquas civitates ritu barbaro occupavit, & contra filios Childeberti Regis, Theodebertum & Theodoricum movit exercitum loco nominato Latofo. Caſtra uterque ex adverſo ponentes, Clotharius cum ſuis ſuper Theodebertum & Theodoricum irruens, eorum exercitum graviter trucidavit.* Ultima hæc Fredegundis geſta fuere, tempore quæ anno DCVII. vitam cum morte commutavit, narrante Fredegario, c. 17. *Anno ſecundo regni Theodorici Fredegundis moritur.* Mulier fuit excelſi quidem animi, prudentiâque ad regnandum inſignis: verum ambitione furens, cædibus, veneficiiſque, qui conſiliis ipſius obſtabant, de medio auferebat, ut ſpecie muliebri Furiam exercere videretur. In Sancti Vincentii Æde ſepelitur.

Gregor. Hiſt. l. 9. c. 30.

Longobardi Crotonem capiunt: vaſtant Italiam.

III. Intereà vaſtata Italia Langobardis præda erat. Anno labente Crotonenſi urbe expugnatâ, captivos ſibi multos fecerunt. Quibus redimendis cùm par Gregorius non eſſet, divitum imploravit auxilia: *Triginta auri libræ* à Patritiis Conſtantinopolitanis Theotiſta, & Andrea anno 597. miſſæ ſunt, de quibus Gregorius gratias ipſis egit, ſimul docens, quo loco res captivorum eſſent: *Indico verò quia ex Crotonenſi civitate, quæ ſuper Adriaticum mare in terra Italiæ poſita, tranſacto anno à Longobardis capta eſt, multi viri, ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ ſunt, & filii à parentibus, parentes à filiis, & conjuges à conjugibus diviſi, ex quibus aliqui jam redempti ſunt. Sed quia gravia pretia eis indicunt, multi apud nefandiſſimos Longobardos hactenùs remanſerunt. Mox autem medietatem pecuniæ, quam tranſmiſiſtis, in eorum redemptionem tranſmiſi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos Monaſtrias dicitis, lectiſternia emere diſpoſui, quia in lectis ſuis gravi nuditate in hujus hyemis vehementiſſimo frigore laborant, quæ in hac urbe multæ ſunt. Nam juxta notitiam, quâ diſpenſantur, tria millia reperiuntur. Et quidem de Sancti Petri Apoſtolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem iſta quid ſunt, maximè in hac urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur.* Data eſt Epiſtola menſe Junio, Indictione XV. Campania quoque Longobardicum furorem expertus. Pro captivis redimendis Arthemio Gregorius Subdiacono pecuniam miſit: *Pro remedio captivorum, qui tenti ſunt, ſolidos experientiæ tuæ, per harum portitorem Stephanum, virum magnificum tranſmiſimus.*

Greg. l. 6. Ep. 23.

Greg. l. 5. Ep. 34.

Auguſtinus cum ſociis in Angliam mittitur.

IV. Provinciam multò nobiliorem ſuſcipit Gregorius. In Britannia calamitate temporum fides penè collapſa videbatur. Complures Inſulæ hujus & Reges & populi, necdum ejuratâ ſuperſtitione Chriſtum neſciebant. Ampliſſima Gregorio ſeges ea videtur, quam bonâ falce Evangelii incideret. Pontificis curæ occaſionem præbuere Anglorum pueri, qui in Gallia verſabantur. Anno ſuperiore *Candidum* Preſbyterum eò miſerat, ut Petri patrimonium adminiſtraret; cujus reditus ad pueros de gente Anglica emendos, ex parte conſumi voluit. Itaque hæc mandarat Candido: *Pueros Anglos, qui ſunt ab annis decem & ſeptem, vel decem & octo, ut in Monaſteriis dati Deo proficiant, comparet.* Neque id tantùm, ſed eos etiam in urbem tranſmitti voluerat: *Sed quia Pagani ſunt, qui illic inveniri poſſunt, volo ut cum eis Presbyter tranſmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, ut*

quos

ANNO DOM. 596.

quos morituros conſpexerit, debeat baptizare. Hæc menſe Septembri, Indictione XIV. Candido injuncta ſunt. Cùm igitur Pontifex compertum habuiſſet, Anglis in votis eſſe fide imbui, Auguſtinum Romano Gregorii Monaſterio Præfectum, cum aliis Monachis Angliæ ſaluti deſtinat. Quam Paulus Diaconus legationem in annum DXC. perperàm retulit. Eulogius Alexandrinus expeditionis cauſa fuit. Quod Gregorius

Greg. l. 5. Ep. 10.

ipſe teſtatum fecit in ſua ad ipſum Epiſtola: *Ex veſtra mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam Anglorum gentem Monaſterii mei Monachum in prædicationem transmittere, Deo autore debuiſſem.* Monachos in Britanniam Magnam proficiſcentes Gregorius Theodeberto, Theodoricoque Regibus, qui parenti ſuo nuper ſucceſſerant, commendatum ivit: *Pervenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle converti, ſed Sacerdotes veſtros è vicino negligere, & deſideria eorum ceſſare ſuâ adhortatione ſuccendere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſervum Dei, præſentium portitorem, cujus zelum & ſtudium bene nobis eſt cognitum, cum aliis ſervis Dei illuc prævidimus dirigendum.* Reges etiam rogat, ut Auguſtinum vel Presbyteros auxiliares ſibi petenſem foveant. Gemina quoque Brunichildi ſcribit. Sed & *Palladio* Santonenſi, *Pelagio* Turonenſi, *Sereno* Maſſilienſi, *Virgilio* Arelatenſi, *Deſiderio* Viennenſi, *Syagrio* Auguſtodunenſi, *Protaſio* Aquenſi Auguſtinum commendat, ut tam precum, quàm rerum, quibus opus erat, auxilio eum juvarent. Ubi Monachi nave egreſſi Angliam ſubiere, gravis eorum animis terror incidit. In conſpectu erat gens barbara, numinum addicta cultui, feris moribus prædita, cujus linguam prorſus ignorabant. Itaque communi conſilio de reditu cogitant. Nec mora, Auguſtinum remittunt, qui humili prece à Gregorio impetret, ne tam laboribus plena, tam difficilis, tam incerta peregrinatio ſibi mandetur. Meticuloſis ſcribit Gregorius, ſatius fuiſſe non incipere, quam ab incepto recedere. Titulus Epiſtolæ hic eſt: *Gregorius ſervus ſervorum Dei*, quo primùm uti cœpit, ut Patriarchæ Oecumenici honoribus quo Conſtantinopolitani Præſules afficiebantur, illuderet. Verba ſunt Epiſtolæ: *Remeanti autem Auguſtino Præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite, ſcientes veſtris animabus hoc per omnia profuturum, quidquid à vobis fuerit in ejus ordinatione completum. . . . Data die X. Kalendarum Auguſtarum, imperante Domino noſtro Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto, anno XIV. Poſt Conſulatum ejuſdem anno XIII. Indictione XIV.* Epiſtolam Hiſtoriæ ſuæ inſeruit Beda. Verùm noſtro judicio emendanda eſt nota Conſularis, & cum Chronico Alexandrino legendum, *Poſt Conſulatum ejuſdem anno XII.* Quippe Gregorius, qui Conſtantinopoli verſabatur, cùm Mauritius imperium adiit, ignorare vix potuit, quòd primus Mauritii annus caruit Conſulibus, & ex communi hominum ſententia ſcriptum ſit: *Poſt Conſulatum divinæ memoriæ Tiberii Conſtantini, anno IV.* Cùm igitur Mauritius Conſulatum inierit anno DLXXXIV. Indictione ſecundâ, ſi accuratè loqui velimus, annus DXCVI. poſt Conſulatum Mauritii Tiberii XII. inſcribi debuit. Nec cauſæ eſt aliquid, cur rectæ notæ pravam Gregorius anteponeret. Notas Mauritianorum annorum Conſulares Gregorianis

Greg. l. 7. Ep. 30.

Greg. l. 5. Ep. 58.

in Epiſtolis corruptas fuiſſe, indicio eſt Epiſtola ad Probum: *In nomine, Domino, Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti imperantibus Domno Mauritio, & Tiberio Auguſtis, anno Incarnationis Dominicæ DCI. eodemque Domno undecies Conſule, ſub die tertio Nonarum Octobrium.* Annus eſt Epochæ noſtræ DC. qui poſt Conſulatum Mauritii XVI. appellabatur. Expunctâ igitur voculâ *undecies*, legendum *ſexdecies*. Quibus accuratè perpenſis, non placet Pagii ſententia, qui Gregorii in Epiſtola ad Auguſtinum retinendum eſſe cenſet, *Poſt Conſulatum Mauritii anno XIII.* quaſi Victoris Tununenſis loquendi modo Gregorius uteretur. Porro Baronius ſuo præjudicio de annis Mauritianis inſerviens, Bedam & deceptum, & emendandum eſſe ſcſcit. Argumentum petit ex Epiſtola ab Probum Abbatem, quam laudavimus, ubi Mauritius *undecies* Conſul dicitur. Verum cùm abſonum ſit extra modum, annum Dom. DC. undecimo Mauritii Conſulatu deſignari, neque id vel patiatur Baronii Chronologia, ſemetipſum quidem illuſtriſſimus Purpuratus, non verò Bedam emendare debuit.

Greg. l. 9. Ep. 22.

Error Baronii.

Bar. Ann. 596. n. 14.

V. Donatiſtarum factione turbæ aliquid erat apud Africam. Quippe diſciplinam tam negligenter obſervabant Orthodoxorum nonnulli, ut Schiſmaticorum baptiſmo tingi non recuſarent. Quòd cùm Gregorius compertum habuiſſet, ad *Columbum* Epiſcopum Numidiæ hæc ſignificat: *Res ad nos omninò dura, & rectæ fidei inimica pervenit, quia quod dici nefas eſt, Catholici homines & religioſi, & quod deterius filios, mancipiaque ſua, vel aliquos, quos in poteſtate habent, in Donatiſtarum hæreſi baptiſari conſentiunt.* Hoc modis omnibus impediendum Gregorius jubet. Quin etiam nec vires Donatiſtis, nec audacia defuere, ut *Paulo* Epiſcopo moleſtiam inferrent. Ante biennium *Gennadio* Africæ Patritio Pontifex ſcripſerat, ut laboranti Præſuli veniret in ſubſidium. Paulus verò nil auxilii acceperat, & ne vel ad urbem accederet, ubi adjutorem Gregorium habuiſſet, prohibitus fuerat. Itaque Mauritium Gregorius Epiſtolâ ſibi conveniendum eſſe putat, ut neglectæ Leges in Donatiſtas latæ executioni mandarentur: *Qualiter*, inquit, *pietatis veſtræ ſerenitas contra Donatiſtarum flagitioſiſſimam pravitatem conſideratione juſtitiæ, & ſinceriſſimæ religionis zelo commota ſit, directarum lucidiſſimè tenor inſinuat juſſionum. Sed venientes viri reverendiſſimi ex Africana Provincia Epiſcopi, aſſerunt ita eſſe tacitâ diſſimulatione poſtpoſitas, ut nec Dei illic judicium haberetur in metu, nec principales hactenùs juſſiones ſortirentur effectum. Hoc etiam ſubjungentes, quod in præfata Provincia Donatiſtarum præmiis prævalentibus fides Catholica publicè venundetur.* Rogat igitur Imperatorem, ad quem hæc mala querentes Epiſcopus mittit, ut remedium eis autoritate ſuâ adhibeat.

Donatiſtarum turbæ apud Africam.

Greg. l. 5. Ep. 36.

Greg. l. 5. Ep. 16.

Greg. l. 5. Ep. 63.

ANNO U. C. 1350. OLYMP. 344. PER. JUL. 5310. JUL. 542. DOM. 597. MAURICII 15. & 16. THEODORICI 1. 2. *Sol.* 18. F. *Lun.* 9. *Indict.* 15. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

ANNO DOM. 597.

Poſt Conſulatum Mauritii XIII.

I. GRavem indicta à Mauritio tributa ſeditionem excitaſſent, niſi prudentiâ Petri, qui Priſco ſucceſſerat, compreſſa fuiſſet. In præceptis Auguſteis erat, ut diviſis tres in partes vecti-

Seditio militaris Petri prudentiâ extinguitur. Mauritius teſtamentum condit.

vectigalibus, prima ex auro, ſecunda ex armis, tertia ex veſtibus Petro ſolveretur. Hoc audito, multum turbæ movetur. Cui comprimendæ Petrus fictas militibus Imperatoris literas exhibet, quibus illi, qui rem fortiter geſſerant, in otio apud urbem regiam vivere permittebantur, ipſorumque filii demiſſis ſufficiebantur. Eâ arte furens exercitus Mauritii in laudes erumpit, quod ei Petrus ſignificaturum ivit. Intereà cùm Martianopolim uſque proceſſiſſet, milites circiter mille, qui exercitui præibant, in Slavos incidunt, ſpoliis Romanorum onuſtos. Quos fuſos cum internecione delevifſent, recuperatâ prædâ ad ſuos ſe recepere. Intereà Mauritius gravi morbo corripitur. Itaque condito teſtamento, filiis Imperium ſuis dividit: *Theodoſium filiorum natu maximum Conſtantinopolis Dominum fecit, cum adminiſtratione Orientis. Tiberio Romam veterem, cum Italia & Inſulis in mari Tyrrheno decrevit. Cæteras Romana ditionis Provincias inter reliquos filios diſtribuit, itque ætate adhuc immaturis, Domitianum cognatum ſuum, nobilis Eccleſia Melitinenſis Antiſtitem, virum rebus agendis idoneum, tutorem deſignat.* Hæc in annum Mauritii XV. retulit Theophilactus, uti apud Phocæ orationem legitur. Convaluit tamen Imperator, qui triſtiori fato deſtinabatur.

Miſcell. l. 17.

Gregorius non vult Reſponſalem ſuum cum Cyriaco communicare. Ea de re perſtringitur ab Anaſtaſio.

II. Dum hæc geruntur, diſcordia ex titulo Patriarchæ Oecumenici orta Romæ & Veteris, & Novæ Pontifices inceſſit. Diſplicuerant Orientalibus Gregorii literæ, quibus & legationi Cyriaci, & Synodicæ Epiſtolæ reſponderat. Dura verba hæc, *Sacerdotes vos eſſe recognoſcimus, ſi repulſâ vanitate verborum, ſanctitatis locum cum ſancta humilitate tenetis*, pro belli tuba habebantur. Neque *Anaſtaſius* Antiochenus, vir ille invicti ab ambitione animi, rigidæ innocentiæ, contemptorque gloriæ, Gregorium in ea re laudabat. *Sabium* Reſponſalis, quem ex urbe Regia Gregorius revocarat, Anaſtaſii ad eum literas attulerat, quibus inflexibilia in damnando Epiſcopi univerſalis titulo pervicacia Gregorii perſtringebatur. Id ex Gregorii ad Anaſtaſium Epiſtola ſatis intelligitur: *Quod verò dicitis, pro nulla cauſa dare nos locum ſcandalo debere, hoc mihi & piiſſimus Dominus, filius noſter, pro cujus vita inceſſanter orandum eſt, jam ſæpius ſcripſit ... Vos tamen eandem cauſam nullam eſſe, dicere non debetis, quia ſi hanc æquanimiter portamus, univerſa Eccleſia fidem corrumpimus ... Et ut de honoris veſtri injuria taceam, ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit.* Sed & Imperator benè in concordiam Epiſcoporum animatus, Gregorium hortatus erat, ut pacem ſartam tectamque ſervaret: graviſſimo, & prudentiâ tincta erant verba Mauritii: *Mihi in ſuis juſſionibus Dominorum pietas præcepit, dicens ut pro appellatione frivoli nominis inter nos ſcandalum generari non debeat.* Neque ſemel eum de fugiendis diſſidiis monuerat, fatente ipſomet Gregorio: *Dominorum pietas provida, ne quid fortaſſe ſcandali in unitate ſancta Eccleſia ex Sacerdotum diſſenſione generari potuiſſet, ſemel ac bis me admonere dignata eſt, ut reſponſales fratris & Conſacerdotis mei Cyriaci benignè ſuſciperem.* Neque in ea parte Gregorius officio ſuo defuerat, admiſſis ad communionem Cyriaci Reſponſalibus, *Gregoria* Presbytero, *Theodoroque* Diacono. Nolebat verò, *Anatolium* Diaconum ſuum, qui Sabino ſucceſſerat, Miſſis à Cyriaco celebratis adeſſe. Hoc Imperatori, hoc Eulogio Alexandrino, hoc Anaſtaſio Antiocheno ſignificatum ivit. Verba ſunt ipſius ad Mauritium: *Quidquid debui caritatis, exhibui, meliuſque eos quam conſuetudo priſca fuerat, honorari, & mecum feci eos ſacra Miſſarum ſolemnia celebrare, quia ſicut meus Diaconus ad exhibenda ſancta myſteria illis non debet miniſtrare, qui elationis culpam aut commiſit, aut commiſſam ab aliis ipſe non corrigit, ita miniſtri illius in celebratione Miſſarum mihi adeſſe debuerunt, qui cuſtodiente Deo in ſuperbia errorem non incidi.* Gemina nunciavit Eulogio & Anaſtaſio, quibus & abſque circuitione ulla declaratum ivit, ſi ſuperbiam Cyriacus non emendarit, *pacem nobiſcum nullo modo habebit.*

Gregor. l. 6. Ep. 24.

Id. ibid.

Gregor. l. 6. Ep. 30.

Gregor. l. 6. Ep. 31.

Immeritò Gregorius ob titulum Patriarchæ Oecumenici communionem ſolvit.

III. Gregorii hæc obſtinatio nobis certè placere nequit. Titulo Patriarchæ univerſalis non indignabantur Eulalius & Anaſtaſius, quos ea res præcipuè tangebat: meritoque cum Imperatore cenſebant, *pro appellatione frivoli nominis* Eccleſiæ pacem, animorumque conjunctionem non debere diſſolvi. Ex Patriarcharum literis Gregorius etiam ſcire potuit, non eam Cyriaco mentem fuiſſe, quam ei affingebat: *ſi unus, univerſus cadit*, quaſi in totius orbis Epiſcopos imperium *Cyriacus* ſibi tribuiſſet. Id verò ſibi non arrogabat, neque paſſi fuiſſent Eulogius atque Anaſtaſius, qui in ea lite ab ejus partibus ſtabant. Quibus de cauſis in frivolum nomen Gregorius adeò commoveretur, certè certòque dicere non poſſumus. Probabile eſt admodum, veritum fuiſſe, ne titulus ille gloriæ Pontifici Romano tenebras offunderet. Florebat eo tempore urbs regia, Imperatore, Senatu, opibus, gloriâ, dum Romana civitas à Barbaris ſæpius vaſtata de priſca nobilitate nil ferè quidquam retinebat, ut veteris Romæ, orbis totius olim dominæ, cadaver eſſe videretur. Hinc illæ lachrymæ! Hinc illa in damnando Patriarchæ univerſalis titulo Gregorii obſtinatio. Neque ſatis conſonum, quòd Anatolium Cyriaco Euchariſtiam celebranti adeſſe nollet, cùm ipſemet ad communionem Cyriaci Reſponſale admitteret. Cùm enim Cyriaco faverent, titulumque Patriarchæ Oecumenici ei tribuerent, tam eorum, quàm Cyriaci ſocietatem refugere debuiſſet. Numinis tamen conſilio ob titulum ejuſmodi exarſit ira Gregorii, qui in Joanne Conſtantinopolitano Cyriacoque, ſucceſſorum ſuorum vexavit ambitionem. Non eò ſanè proceſſerat Conſtantinopolitanorum audacia Præſulum, ut poteſtatem dignitatemque eâ majorem ſibi tribuerent, quâ Pontifex Romanus fulget, cujus ſplendor totum occupat orbem. Ergone ferendum, quod Gregorius tolerandum eſſe negat? Cur verò neget, non ea ſanè ratio eſt, quòd Conſtantinopolitani Præſules in Epiſcopi Romani privilegia, dignitatem, jura audacius involarent. Ea cauſa eſt, quòd hanc *elationem primus apoſtata invenerit. Quòd hoſtis omnipotentis Dei Antichriſtus juxta eſt*, ideòque timendum, *ne proprium quid inveniat, non ſolùm in moribus, ſed etiam nec in vocabulo Sacerdotum.* Quòd *ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit.* Atqui non ex nudo nomine, ſed ex adjuncta nomini potentia ruit Eccleſia.

Greg. l. 6. Ep. 24.

Greg. l. 6. Ep. 28.

Greg. l. 6. Ep. 24.

Gregorius Brunichildem hortatur, ut Idolatriam eradicet.

IV. Laudabiliore zelo Gregorius Brunichildem monuit Reginam, cujus ſub tutela Theodeberti, & Theodorici regna erant, ut Idolatriæ reliquias etiamnùm Galliam deturpantes eradicaret: *Hortamur, cæteros ſubjectos veſtros ſub diſciplina debeatis moderatione reſtringere, ut Idolis non immolent, cultores arborum non exiſtant,*

de

ANNO DOM. 597.

de animalium capitibus ſacrificia ſacrilega non exhibeant, quia pervenit ad nos, quòd multi Chriſtianorum & ad Eccleſias occurrant, & quod dici nefas eſt, à cultura Dæmonum non abſcedant. Syagrio quoque Auguſtodunenſi pallium concedit, quod Brunichildis preces ei impetrarunt, & voluntas Imperatoris. Brunichildem quoque etiam atque etiam hortatur, ne pretio Epiſcopatus emi ſinat; curet etiam rogat, ut diſſidia de tribus Capitulis, quæ & in Gallia vigebant, prorſus extingueret; gratias etiam ei reddit ob exhibita Auguſtino in Angliam proficiſcenti beneficia. Data eſt Epiſtola menſe Octobri, Indictione prima.

Greg. l. 7. Ep. 5.

Auguſtinus Angliam ingreditur. Quid cum Rege Edilberto geſſit?

V. Auguſtini mentio de ipſius apud Britanniam geſtis commemorate monet. Gregorii conſiliis ad omnia confirmatus Auguſtinus, ad ſocios redit, quibuſcum in Britanniam pervenit, ut munus ſuum adminiſtraret. Eo tempore regnabat in Cantio *Edilberthus*, qui ad *Humbrum* uſque fluvium ditionem extenderat. Uxorem de gente Francorum Chriſtianam habebat, nomine *Bertham*, quam eâ conditione à parentibus acceperat, ut liceret mulieri, quam imbiberat, eâ religione fungi, cum *Luidardo* Antiſtite, qui ad ſacra conficienda Reginæ in Angliam proficiſcenti comes datus erat. Eſt, referente Bedâ, ad Orientalem Cantii plagam, *Tanetos Inſula, quam à continenti ſecernit fluvius Vantſum.* Ad eam appulit Auguſtinus ſua cum cohorte, quæ viris quadraginta conſtabat. Ne verò lingua Anglorum peregrina venientibus impedimento foret, interpretes de Francis acceperant, ut eorum ope Idololatrarum mentibus Evangelium inſtillarent. Extemplò Oratores Edilbertho Auguſtinus miſit, narratum Româ ſe veniſſe: optima ſe Regi nuncia apportare, quæ ipſius, populorumque ſuorum ſaluti conducerent. His auditis, jubet Rex Auguſtinum cum ſociis in Inſula remanere; intereàque neceſſaria ipſis miniſtrari, donec modum cum eis agendi ſibi conſtituiſſet. Poſt aliquot dies Rex Inſulam petit, ac ſub dio ſedens, ad colloquia Auguſtinum admittit. Acceſſere Monachi duce Auguſtino, *crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, Litaniaſque canentes*, ut tam ſibi, quàm Anglis expeditio proſperos ſucceſſus ſortiretur. Tum Auguſtinus Regi Aulicîſque exponere myſteria fidei. Finitâ concione, Edilberthus talia fatur: *Pulchra ſunt quidem verba, & promiſſa, quæ affertis: ſed quia nova ſunt, & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis iis, quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente ſervavi.* Noluit tamen gratiæ præconibus moleſtus eſſe: verùm benignè ſuſceptis alimenta, quibus opus erat, largiter ſubminiſtravit, conceſſâ etiam palam & publicè concionandi facultate. *Durovernum*, hodie *Cantuariam*, ad habitandum ipſis conceſſit: cui appropinquantes, *cum Cruce Sancta & imagine magni Regis Domini noſtri J. C.* hæc modulabantur: *Deprecamur te, Domine, in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate iſta, & de domo ſancta tua, quia peccavimus.*

Bed. Hiſt. l. 1. c. 25.

Bed. Hiſt. Angl. l. 1. c. 25.

Quo ſucceſſu Auguſtinus Anglis Evangelium miniſtravit?

VI. Poſtquam *Auguſtinus, Mellitus, Joannes*, cæterique, qui ipſis comites acceſſerant, Durovernum incoluerunt, pietatem verbis & operibus erga Deum & homines colere cœperunt. Jejuniis & orationibus vacabant, opes & mundi gloriam ſpernebant; nil à diſcipulis præter ea, quæ ad vitam tuendam neceſſaria erant, accipiebant; ſanguinem ſtatuendæ veritati dare geſtiebant. Quâ ſpecie, pulcherrimâ ſanè, & ad animos alliciendos perquàm idoneâ, de Anglis nonnullos fide imbuerunt. Conveniebant B. Martini in Eccleſia, à Romanis, dum Britanniam incolebant, extructa, in qua *Bertha* Regina ſacris operabatur. Crevit ſuprà quàm credibile eſt Proſelytorum numerus, ut labente anno Decembris XXV. pluſquam Anglorum decem millia baptiſmum adipiſcerentur, uti Eulogio Alexandrino Gregorius ſignificatum ivit, Auguſtini ſimul miracula memorans: *Tantis miraculis vel ipſe, vel hi, qui cum eo tranſmiſſi ſunt, in gente eadem coruſcant, ut Apoſtolorum virtutes in ſignis, quæ exhibent, imitari videantur. In ſolemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hâc primâ Indictione tranſacta eſt, plus quàm decem millia Anglorum ab eodem nunciati ſunt fratre & Coëpiſcopo baptizari.* Nec mirum Auguſtinum Epiſcopi titulo fuiſſe à Gregorio exornatum, cùm inter tranſeundum in Germania, cujus pars Theodeberti regno includebatur, Epiſcopus creatus eſſet: *Datâ à me licentiâ, à Germaniarum Epiſcopis Epiſcopus factus, cum eorum quoque ſolatiis ad prædictam gentem in finem mundi perductus eſt, & jam nunc de ejus ſalute & opere ad nos ſcripta pervenerunt.*

Greg. l. 7. Ep. 30.

Toletana Synodus.

VII. Annum & illuſtrat Toletana Synodus quarta, ſub die XVI. Kalendas Junias, anno Recaredi XII. congregata. Concilio interfuere Epiſcopi numero XIII. quorum hæc ſunt nomina: *Maſſona* Emeritenſis, Synodi Præſes, *Megetius* Narbonenſis, *Adelphius* Toletanus, *Mutto* Setabitanus, *Petrus* Arcavicenſis, *Aſterius* Auſeenſis, *Eleutherius* Cordubenſis, *Joannes* Oxomenſis, *Baddo* Eliberitanus, *Licerius* Ægitanus, *Gineſius* Magalonenſis, *Stephanus* Oretanus, *Joſimus* Elborenſis. Duos duntaxat Canones condidere. I. Presbyteris Diaconiſque continentiam imponit. Qui eam violarit, dejectus gradu Deo amplius non miniſtret, ſed ab Epiſcopo clauſtro Monaſterii incluſus, cæteros exemplo ſuo corrigat. II. Ne reditus Eccleſiarum, quas viri pii extruxerunt, Epiſcopus accipiat; in Presbyteri commodum cedant, qui ibi ſacra conficit. Si prædia Presbytero non ſufficiant, inſtituatur Diaconus: ſi cenſus adeò tenuis eſt, ut ne vel Diacono ſufficiat, Oſtiarius à Sacerdote eligatur, *qui nitorem infra ſinus ſanctæ Eccleſiæ faciat, qui & ſanctarum reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendat.*

ANNO U. C. 1351. PER. JUL. 5311. JUL. 643. DOM. 598. MAURITII 16. 17. THEODORICI 2. 3. *Sol.* 19. E. *Lun.* 10. *Indict.* 1. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *April.*

ANNO DOM. 598.

Poſt Conſulatum Mauritii XIV.

Petri ſocordia & iniquitas. Infelix ejus in Slavos expeditio.

I. PEtrus, quem Thraciæ exercitibus Imperator præfecerat, non ſatis aptè res gerebat. Ad detrimentum, quod ex ſocordia ipſius capiebant, magnum ex morbo cumulus acceſſit. Dum venationem exercet, pedem ipſius aper ad arborem lædit, ut ex dolore diu decumbere cogeretur. Intereà Slavi undique diffuſi Byzantio minabantur: quod ubi novit Imperator, aculeatas Petro literas ſcripſit, quibus negligentiam ejus accuſabat. Hiſce literis excitatus, *Novas* oppidum progreditur. Venienti Epiſcopus mili-

teſque præſidiarii obviam procedunt, quorum arma ſpeciemque Petrus intuitus eis præcipit, ut oppido relicto, Romano ſe exercitui conjungerent. Quæ imperia cùm abnuiſſent, Petrus in furorem actus, militibus imperat ſuis in præſidiarios impetum facere, qui ſubinde arreptâ fugâ Eccleſiæ aſylum ſibi comparant, perſequentibuſque fores occludunt. *Genſonem*, qui eos inſequebatur, cùm Templi cepiſſet reverentia, ille ad Petrum re infectâ revertitur, à quo ſine mora officio pellitur. Quo facto, ſubinde *Scribonem* Epiſcopo mittit, quem cum ignominia adduceret. Verùm Scribonem cives cum dedecore oppido ejiciunt; clauſiſque portis, Imperatorem laudibus, conviciis verò Petrum onerant. Cùm turpiter receſſiſſet, exploratores mittit, qui in Bulgares mille incidunt, quos & adoriuntur. Illi pacis fœderi innixi Oratores ſeptem dirigunt, qui monerent, inita pacta ſolvenda non eſſe. Quæ cum Petro nunciata eſſent, ille in temeraria verba erumpens, *Nec ſi*, inquit, *Imperator veneris, his parcam*. Inito prælio Romani terga vertunt, quos inſidias veriti Bulgares non perſequuntur. Infelicem pugnam indignatus Petrus exploratorum Ductorem flagris cædi jubet. Querenti per Legatos Chagano jura pacis immeritò reſoluta eſſe reſpondet, ſe neſcio hæc facta fuiſſe, ſpolia Barbaris reddit, qui paci conſulunt. Inde Petrus adverſus *Ardagaſtum* proficiſcitur. Ad oram fluminis Barbari ſtabant, tranſitum negantes, quos ſagittis Romani conſigunt: telo percuſſus Ardagaſtus vitam cum ſanguine fudit. Verſis in fugam Barbaris, Iſtrum Romani trajicientes prædæ multum agunt. Dum ad ſua redeunt, errantibus Ductoribus ad loca aquarum experta perveniunt, non ſine exercitus periculo. Dum iter conficiunt, noctu ad Helicium amnem perveniunt. Barbari verò in adverſa ripa latentes, telis conjectis eos percutiebant, qui de aqua hauſtum venerant. Sic ingenti moleſtiâ affecti Romani, initâ fugâ à Barbaris debellantur. Quòd cùm Mauritius compertum habuiſſet, Petrum dignitate movit, eique Priſcum ſufficit.

Miſcell. lib. 17.

Pax Romanorum cum Longobardis.

II. Quam Romani cum Longobardis pacem volebant, eandem demum amplectuntur. In ea conficienda operæ multum Theodelinda, fœmina multis virtutibus redimita, collocarat. Quod cùm Gregorio *Probus* Abbas nunciaſſet, ille Reginæ gratias referendas eſſe ſibi duxit: *Non enim*, inquit, *excellentiſſima filia, de ſanguine, qui ab utraque parte fundendus fuerat, parvam te credas acquiſiviſſe mercedem*. Eam quoque monet, ut apud Agilulphum agat, *quatenùs Chriſtiana Reipublica ſocietatem non rejiciat*. Agilulpho Regi de pace grates etiam Gregorius dignas rependit, ſimulque cum hortatur, ut ſtabilem inconcuſſamque eam faciat: *Ut prodeſſe nobis eandem pacem, quemadmodum à nobis facta eſt, ſentiamus, paternâ caritate ſalutantes petimus, ut quotiens ſe occaſio dederit, Ducibus veſtris per diverſa loca & maximè in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis Epiſtolis, ut hanc pacem, ſicut promiſſum eſt, purè cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, unde aut contentio quædam, aut ſeditio aliqua, aut ingratitudo naſcatur, quatenùs voluntati veſtræ amplius agere gratias valeamus*. Has Baronius Epiſtolas cum anno DXCIX. perperàm conjungit. Menſe Novembri ſcripta ſunt, Indictione ſecundâ. Proindeque pax non lapſuro quidem, ſed labente anno facta eſt. Pax ea ad annum uſque DCI. conſtituitur, ut induciarum potius triennalium, quàm veræ pacis rationem haberet. Hinc Innocentio Africæ Præfecto hæc Gregorius ſcribit: Indicamus *cum Longobardorum Rege uſque ad menſem Martium, futuræ quartæ Indictionis, de pace propitiante Domino conveniſſe*. Cæterùm Agilulphi Ducibus prædæ aſſuetis pax ea non arridebat. Itaque varias rationes excogitarunt, quibus irritam facerent, additis conditionibus, quæ facillimè violari poſſent. Hoc nos Gregorius monuit Epiſtolâ ad Theodorum, Curatorem Ravennæ, anno DXCIX. concinnatâ: *Indicamus Arnulphum de ſervanda pace, non ut Rex ipſius juravit, ſed ſub conditione, ſi ſibi in quoquam exceſſum non fuerit, aut ſi nullus contra Arachis exercitum ambulaverit, ſacramenta præſtitiſſe . . . . Varniſrilda verò, ad cujus conſilium idem Arnulfus cuncta agit, omninò jurare deſpexit*. Erat Arnulſus Dux Spoletanus, Arachis verò Dux Beneventanus.

Greg. l. 7. Ep. 42.

Greg. l. 7. Ep. 41.

Greg. l. 8. Ep. 37.

Greg. l. 7. Ep. 103.

Caprula Inſula, relictâ trium Capitulorum defenſione, Eccleſiæ jungitur.

III. Rebus Imperii cura noſtra ſatisfecit, reſtat nunc ut Eccleſiæ exhibeatur. Omnibus modis allaborabat Gregorius, ut qui trium Capitulorum cauſâ ab Eccleſiæ Romanæ ſocietate disjuncti erant, ad eam revocarentur. Accidit, ut *Caprulæ* Inſulæ, quæ Veneto littori proxima eſt, hodie *Caorle* nominata, incolæ in concordiam propenderent. Inſulæ Epiſcopus cum plebe ſua Callinicum Italiæ convenit Exarchum, ut Eccleſiæ insereretur. Verùm ex Gregorio rem ordine pandamus: *Latores ad nos præſentium viri clariſſimi Vicedominus atque Defenſor venerunt, aſſerentes, quòd in caſtello, quod Novas dicitur, Epiſcopum quendam, Joannes nomine, de Pannoniis veniens, fuerit conſtitutus, cui caſtello eorum Inſula, quæ Capritana dicitur, erat quaſi per Diœceſim conjuncta. Adjungunt autem, quod eodem Epiſcopo violenter ab Iſtrico Epiſcopo expulſo, alius illic fuerit ordinatus. De quo tamen hoc placuiſſe referunt, ut non in prædicto caſtro, ſed in ſua inſula habitare debuiſſet. Qui cùm illic cum eis degeret, in errore ſe ſchiſmatis detinere noluit, atque cum omni plebe ſua excellentiſſimo filio noſtro, Callinico Exarcho petitionem dedit, ut Catholicæ Eccleſiæ cum omnibus, qui cum ipſo erant, ſicut prædiximus, uniri debuiſſet*. At Severus, qui conſervandæ ſuæ factioni invigilabat, effecit, ne Epiſcopus ab ea divelleretur. Mariniano igitur Ravennatenſi Gregorius ſcribit, ut modis omnibus conetur, Epiſcopum ad frugem, Eccleſiæque communionem reducere. Vel ſi monitus redire contempſerit, *illic Epiſcopum ordinet, eandemque Inſulam in ſua Diœceſi habeat, quo uſque ad fidem Catholicam Iſtrici Epiſcopi revertantur*. Callinico etiam Exarcho ſignificat, exemplar ſacræ Juſſionis, quod Romam miſerat, non præcipere, ut venientes ad unitatem Eccleſiæ repellantur, ſed ne venire nolentes compellantur. Ad reconciliandos cum Eccleſia Iſtrienſes Baſilius, Dux Mauritii fortiſſimus, operam Gregorio ſuam fœnerabat. Qua de re Pontifex ei maximè gratulatur: *Inter alia igitur laudanda, quæ agitis, qualiter vos contra Iſtricorum ſchiſma pro unitate Eccleſiæ amoris olim fervor accenderit, & multorum teſtificatione, & noſtrorum modo plenè relatione cognovimus*. Suppetias etiam Gregorio Maſtalo ferebat, ut Iſtrienſes in unum cum Eccleſiæ Romanæ corpus coaleſcerent. Qui verò ad concordiam redierant, eos auxilio omni juvandos eſſe, & Callinico & Mariniano ſcribit.

Greg. l. 7. Ep. 10.

Greg. l. 7. Ep. 9.

Greg. l. 7. Ep. 95.

Greg. l. 7. Ep. 98.

Jannarius Calaritanus: ipſius vitæ breviarium.

IV. Dum viros militares Gregorius laudibus proſe-

Anno Dom. 598.

proſequitur, in Januarium Calaritanum de exarata ante Miſſas Dominicales meſſe cenſuram ſtringit. Gregorianis in Epiſtolis frequens Januarius occurrit. Homo fuit in vindictam proclivis, qui *Iſidorum* ob injuriam ſibi illatam excommunicatione ferierat, quod Pontifici diſplicuit, uti liquet ex Epiſtola menſe Auguſto, Indictione x. hoc eſt, anno DXCII. ad ipſum miſſa. Anno DXCIV. Pontifex notæ aliquid & ipſi inuſſerat, quòd in adminiſtranda Eccleſia ſe negligentius haberet. Quippe à *Felice* Epiſcopo, *Cyriacoque* Abbate audierat, Sacerdotes à Judicibus opprimi, diſciplinam non obſervari, Januarium ab Archidiacono ſuo deſpici, qui vel prohibitus cum mulieribus habitabat: quodque in graviori ponendum, ruſticos Eccleſiæ Calaritanæ *in infidelitate remanere*, permittente Epiſcopo: lapſos Clericos vel ante, vel poſt pœnitentiam ad officium revocari. Quorum omnium emendationem imperat. Non ita tamen comparati ſumus, ut de ruſticis paganis mandatum Gregorii nobis probetur: *Si ruſticus tanta fuerit perfidia & obſtinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minimè conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipſâ exactionis ſua pœnâ compellatur ad rectitudinem feſtinare.* Rationibus ejuſmodi homines non ſunt ad fidem adducendi. (Greg. l. 3. Ep. 26.) Invenit & currente anno Gregorius cauſas, cur & Januarium exagitaret ob violatam diei Dominicæ ſanctitatem. Prædium habebat *Donatus*, cujus fruges Januarius antè collegit, quàm ſacra conficerentur. Quod cùm *Cyriacus* declaraſſet Gregorio, ipſius indignationem movit. *Dictum quippe mihi eſt, quòd Dominice die prinſquam Miſſarum ſolemnia celebrares, ad exarandam meſſem latoris præſentium perrexiſti, & poſt exarationem ejus Miſſarum ſolemnia celebraſti. Poſt Miſſarum ſolemnia & in terminos poſſeſſionis illius eradicare minimè timuiſti.* Canis tamen miſeri ſenis Gregorius parcitum voluit. Scripta hæc ſunt menſe Septembri, Indictione ſecundâ. (Greg. l. 7. Ep. 1.) Non multò pòſt ea de cauſa alio Januarium ſcripto adiit. Petrus Ex-Judæus vim recutitis intulerat non ferendam ſanè, quam & Gregorius his verbis exponit: Synagogam *adhibitis ſibi quibuſdam indiſciplinatis, ſequenti die baptiſmatis ſui, hoc eſt, Dominico, in ipſa feſtivitate Paſchali, cum gravi ſcandalo ſine veſtra occupaverit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei, Dominique noſtri, & venerandam crucem, & birrum album, quo de fonte reſurgens indutus fuerat, poſuerat.* Factum Petri Gregorium laudatorem non habuit. Hæc ergo Januario mandat: *His hortamur affatibus, ut ſublatâ exinde cum ea, quâ dignum eſt veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt, reformare.* Improbato autem temerario Petri zelo verba hæc Pontifex notatu digniſſima fundit: (Greg. l. 7. Ep. 5.) *Hâc circa eos temperantiâ magis utendum eſt, ut trahatur ab eis velle non venire, non ut adducantur inviti, quia ſcriptum eſt, Voluntariè ſacrificabo tibi.* Præterea privatis potius rebus quàm publicis Januarius invigilaſſe videtur. Gravia itaque tributa pro ſepeliendis corporibus exigebat. Hinc expoſtulationes anno 599. quo hæc ei Gregorius ſcripſit: *Queſta eſt nobis Nereida clariſſima femina, quòd ab ea centum ſolidos pro filia ſua ſepultura fraternitas veſtra non erubeſcat exigere.* Vectigalia illa ſepulchralia Gregorio diſplicebant: (Greg. l. 7. Ep. 56.) *Hoc autem vitium & nos poſtquam Deo autore ad Epiſcopatus honorem acceſſimus, de Eccleſia noſtra omninò vetuimus, & pravam denuò conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus.* Ad annum uſque DCII. Januarium vitam extendiſſe ſcimus, quo tempore cum frequens deliquia pateretur, nec Liturgiam, quâ Euchariſtia conficiebatur, abſolvere poſſet, ſcrupulus compluribus injectus eſt, num ſacramento, quod ipſe conſecrarat, poſſent licitè frui. Quam Gregorius dubitationem eximit verbis ejuſmodi ad Vitalem defenſorem: (Greg. l. 9. Ep. 59.) *De hoc igitur, quod ſcripſiſti, fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Januarium tempore, quo ſacrificium celebrat, tantam pati frequenter anguſtiam, ut vix poſt longa intervalla ad locum Canonis redire valeat, quem reliquit, atque ex hoc multos dubitare, ſi communionem debeant de ejus conſecratione percipere, admonendi ſunt, ut nullatenùs pertimeſcant, ſed cum omni fide & ſecuritate communicent, quia ægritudo perſonæ ſacri myſterii benedictionem nec mutat, nec polluit. Secretius tamen omninò idem frater noſter hortandus eſt, ut quoties aliquam moleſtiam ſenſerit, non procedat, ne ex hoc ſe & deſpiciendum præbeat, & infirmorum animis ſcandalum faciat.* Quàmdiu poſtmodum vitam retinuerit Januarius, prorſus ignoramus. Non multò pòſt ad fata veniſſe, utpote morbis ſenioque confectum, eſt vero ſimillimum.

V. Labente anno Oſcenſe in Provincia Tarraconenſi Concilium celebratur. (Oſcenſis Synodus.) Canones duos edidit. I. Annuis vicibus Epiſcoporum unuſquiſque omnes Abbates Monaſteriorum, Presbyteros, & Diaconos congreget, ut Eccleſiaſticis regulis eos informet. II. Perquiratur diligenter, Clericiſne vita pura ſit, & caſta. Si de turpitudine alicujus fama quidpiam vulgarit, ex diverſis argumentis, *ex quibus adulterorum indicia certiſſimè ſuſpicari ſolent, omnia argutiſſimè perquirantur.*

ANNO U. C. 1352. PER. JUL. 5312. JUL. 644. DOM. 599. MAURITII 17. 18. THEODOXECI 3. 4. *Sol.* 20. D. *Lun.* 11. *Indict.* 2. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 4. P. 19. . . . . . (Anno Dom. 599.)

Poſt Conſulatum Mauritii XV.

I. PRiſcus, cui poteſtas in Thraciæ milites ab Imperatore reddita fuerat, luſtratum exercitum non minimum decreviſſe reperit. (Priſcus Chagani ad venandum ditiones ingreditur. Pax frangitur.) Collectis quæ ſupererant copiis ad Novas, oppidum Iſtro imminens pervenit. Tum Chaganus de cauſis adventus percontari. Priſcus reſpondet ſe venandi gratiâ eo profectum eſſe. Cui Rex, iniquum prorſus eſſe in aliena ditione venationes exercere. Subinde Sigedonis muro deſtructo, Imperii regiones ingreditur. Quo cognito, Priſcus dromonibus ſumptis Conſtantiolam petit, ut Chagani colloquio frueretur. Qui à Priſco quærit, num regionem ad ſe pertinentem ereptum vellet: *Judicet*, inquit, *Deus inter me & Mauritium Imperatorem, & requirat ſanguinem exercitus Romani, & exercitus mei de manibus ejus.* Contrà verò Priſcus: *Sigidonem redde Romanis.* Hoc abnuit Chaganus, minatus ſe quinquaginta Romanorum civitates in poteſtatem ſuam redacturum. Priſcus navibus Sigedonem progreſſus, ex ea Bulgares pellit. Scintilla hæc fuit funeſtiſſimi belli, quod Mauritio in exitium vertit. (*Miſcell. l. 17.*)

II. At in Gallia gravibus incommodis Brunichildis oneratur. (Brunichildis ejecta à Theodorico ſuſcipitur. Prodigia.) Mirum dictu, Regis & filia, & uxor, & mater, & avia, ſummo ejecta faſtigio, egens, nuda, ſola in agro ſine comitibus

ANNO DOM. 599.

ioventa, à paupere in tugurium recipitur. Fortunæ hæc ludibria Numinis judicium fuit, mulieris hujus ſcelera ulciſcentis, quibus & Deo gravis erat, & hominibus. Theodeberti Aulicis moleſta erat mulieris impotentis ambitio. Sed audiatur Fredegarius: *Fredeg. c. 19.* *Anno IV. regni Theodorici Brunichildis ab Auſtraſiis ejecta eſt, ac in Arciacenſi Campania à quodam homine paupere ſola reperitur. Secundùm ejus petitionem uſque ad Theodoricum perducitur. Theodoricus autem Brunichildem libenter recipiens, glorioſe honorat. Hujus viciſſitudine meritis Epiſcopatum Antiſiodorenſem faciente Brunichilde aſſumpſit.* Ad hunc & annum pertinet prodigium à Fredegario memoriæ commendatum: *Aqua calidiſſima in lacu Dunenſi, quem Arula flumen influit, ſic valdè ebullivit, ut multitudinem piſcium coxiſſet.* Popularibus lacus ille *Laconie* vocatur, qui in Arulam amnem, *le Loir*, influit. Ex variorum ſalium mixtura id fervoris lacus acquirere potuit. Sed & aër grandinis multum miſit, quâ Provincia haud minimâ calamitate afficitur: *Fredeg. c. 18.* *Eo anno clades grandinis Maſiliam & reliquas Provinciæ civitates graviter vaſtavit.*

Serenus imagines frangit. De eo facto cenſura Gregorii.

III. In rebus Eccleſiæ nunc orationi noſtræ vagari permittamus. Ac in Provincia verſantibus veniat ante oculos Serenus Maſſilienſis Epiſcopus. Gliſcenti imaginum venerationi ut obviam iret Serenus, eas ex Eccleſiis ejectas contriverat. Impium ſane facinus, ſi ea Apoſtolorum traditione manavit cultus imaginum, Pontificalibúſque cenſuris omnino dignum. Quid verò Gregorius? *Greg. l. 7. 110.* *Et quidem zelum vos ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudamus, ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus. Idcircò enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent.* Hinc diſcimus, vel in Eccleſiæ Chriſtianæ ſinu imaginum cultores extitiſſe. Neque fingendum animo, Maſſilienſes illos, quos Gregorius, quos Serenus culpavit, aliam pupis ſuis venerationem impendiſſe ab illo cultu, qui hodie imaginibus defertur. Thus ſcilicet & cereos eis offerebant, oſcula figebant, genua ponebant. Gregorius ſanè à Tridentinorum ſententia diverſus abit, utpote qui cenſeat, ad uſum duntaxat hiſtoricum imagines comparatas eſſe. Quòd ſi genus adorationis aliquod imaginibus deberi Gregorius exiſtimaſſet, non earum utique adorationem ſimpliciter, ſed certam duntaxat adorationis ſpeciem prohibuiſſet, alterâ & permiſſâ, & laudatâ: *Id. ibid.* *Tua ergo fraternitas*, inquit, *& illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Porrò cùm Maſſilienſes ad retinendas imagines propenſiores eſſent, Sereni facto in indignationem vertuntur, ut à ſui Præſulis communione divellerentur. Hinc verba Gregorii: *Ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, ut maxima eorum pars à tua ſe communione ſuſpenderet.* Quæ vulnera ut ſanarentur, id remedii adhibendum eſſe Gregorius exiſtimat: *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò imagines modis omnibus veta.* Anno DC. ea Epiſtola concinnata eſt.

Gregorius diſciplinam in Gallia obſervari jubet. Aregio Dalmaticas concedit.

IV. Ut ſarta tectaque eſſet apud Gallias Eccleſiæ diſciplina, ſummâ vi Gregorius etiam contendebat. Scribit itaque Syagrio Auguſtodunenſi, Ætherio Lugdunenſi, Virgilio Arelatenſi, Deſiderio Viennenſi, ut deteſtandam Simoniæ peſtem avertant, quæ charitatis nomine involuta liberius graſſabatur: *Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi fratres, ſub obtentu eleemoſynæ peccata Simoniacæ hæreſeos perpetrare.* Vetat etiam, & ne *repentè ex Laicis Sacerdotes fiant*: & ne Clerici communi cum fœminis domo utantur; denique *de habendis per Parrochias Conciliis* Patrum Decreta firmat. Quæ diligentius in Synodo tractata vult ad ſe referri: *Greg. l. 7. c. 111.* *De quibus cunctis reverendiſſimus frater noſter Syagrius Epiſcopus cum omni Synodo, dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate remeante, nobis quæ acta ſunt, ſtudeat renuntiare.* Benè animatus in Galliæ Antiſtites Gregorius, *Aregio* Vapincenſi inſignia honoris tribuit: *Gregor. l. 7. c. 112.* *Hujus autoritatis noſtræ ſerie, petita concedimus: atque te, & Archidiaconum tuum dalmaticarum uſu decorandos eſſe conceſſimus, eaſque dalmaticas dilectiſſimo filio noſtro deferente tranſmiſimus.* Pallio quoque Syagrium Auguſtodunenſem decoravit, quaſi exhibiti Auguſtino in Angliam proficiſcenti favoris hoſtimentum. Primas ei quoque ſecundum Lugdunenſem Epiſcopum partes in ea Provincia concedit. Evecto ad novum gradum Syagrio officium injungit, ut exemptas ditioni S. Taurinenſis Epiſcopi Provincias ei reſtitui curet. *Gregor. l. 7. c. 114.* Eadem & Theodorico, Theodebertoque Regibus ſcribit. *Urſicinus* Taurinenſium ſacris Præfectus, *Segnſium* quoque, Gallis *Suſe* dictum, adminiſtrare debuit. Verùm Gunthramus Rex oppidum ab Italis receptum Maurienenſi Eccleſiæ ſubjecerat. Injuria hæc fuit Taurinenſis Epiſcopi, qui nullo ſuo merito parte ſuæ ditionis mulctabatur. Quam Gregorius ei reſtitui cupit. *Gregor. l. 7. c. 121.*

Recaredi pietas: à Gregorio laudatur, qui ei reliquias mittit.

V. In Hiſpanias quoque curam Gregorius ſuam extendebat. Ferrea Gothorum pectora inſtillatâ pietate Recaredus Rex molliora effecerat. Conſtantiam quoque in ſervandis adverſus Judæos Legibus retinuerat, nullis eorum precibus, nullis pecuniis, nullis muneribus flectendam. Amore etiam religionis Abbates cum regia oblatione, quæ Petro Apoſtolo daretur, nec ſine eorum ob procellam periculo miſerat. His de cauſis à Gregorio maximè laudatur, & Davidi, qui deſideratam de fonte Bethlehemitico aquam Deo obtulit, Hiſpaniæ Rex præponitur: *Penſemus quale ſacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, ſed aurum accipere contempſit.* Ait ergo, Recaredum aurum libaſſe Domino, dum ne vel pecuniis ſuis Judæi ab eo impetrare potuerunt, ut Legem in ſeſe latam revocaret. Ut verò par pari referret Gregorius, Regem oblatis reliquiis munerat: *Clavem parvulam à ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore vobis pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat. Crucem quoque dedi latori præſentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ crucis ineſt, & capilli B. Joannis Baptiſtæ: ex qua ſemper ſolatium noſtri Salvatoris per interceſſionem Præcurſoris ejus habeatis.* Leandro quoque Hiſpalenſi pallium utendum miſit. *Greg. l. 7. Ep. 127.* Ex inexhauſto Reliquiarum theſauro Regum ſibi benevolentiam Gregorius ſibi facillimè comparare poterat. Dura tamen ſunt auribus verba Gregorii à ferro Petrinarum catenarum Recaredi collum *ab omnibus peccatis ſolvi*, neque priſci Chriſtiani remedium ejuſmodi noverunt, aut uſurparunt.

Barcionenſe Concilium.

VI. Hiſpanias prius exire non debemus, quàm Barcinonenſis Concilii Decreta memoraveri-

ANNO DOM. 599.

verimus. Congregatum eſt in Eccleſia Sanctæ Crucis, *die Kal. Novembris*, anno Recaredi XIV. *Aſiaticus* Tarraconenſis Synodi Præſes, *Ugnus* Barcinonenſis, *Simplicius* Urgelitanus, *Aquilinus* Auſonenſis, *Julianus* Dertoſanus, *Mummius* Calahorritanus, *Galanus* Emporitanus, *Froiſclus* Dertoſanus, *Joannes* Gerundenſis, *Maurmus* Cæſarauguſtanus, *Amelius* Ilerdenſis, *Ilergius* Egarenſis. Canones numero quatuor condidere. I. Ad officia Eccleſiaſtica promoti nil prorſus conferant. II. Pro chriſmate nil accipiatur. III. Nulli Laicorum ad Eccleſiaſticos ordines aſcendere liceat, *Prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per ſacra regalia, aut per conſenſionem Cleri vel plebis, vel per electionem, aſſenſionemque Pontificum ad ſummum Sacerdotium aſpirare ac provehi. Sed cùm per Canonum conſcripta tempora Eccleſiaſticos per ordinem, ſpeciali opere deſudando, probata vita adminiculo comitante, conſcenderit gradus, ad ſummum Sacerdotium, ſi dignitati vita reſponderit, autore Domino provehatur. Ita tamen, ut duobus, aut tribus, quos ante conſenſus Cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio ejuſque Coëpiſcopis præſentatis, quem ſors præeunte Epiſcoporum jejunio Chriſto Domino terminante monſtraverit, benedictio conſecrationis accumulet*; ſecus deponi debet. IV. Virgo, quæ *devotarum more induta* caſtitatem ſervare promiſit, vel ſi *qui hominum utriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem* à Sacerdote perceperint, ad terrena connubia ſponte tranſierint, à Chriſtianorum communione ſeparentur.

Conſtantinopolitana Synodus: vetat Gregorius, ne Cyriaco titulum univerſalis ea tribuat.

VII. En Barcinonenſi Synodo in Conſtantinopolitanam migrare licet. Audierat Gregorius, *Euſebium* Theſſalonicenſem, *Urbitium* Dyrrachitanum, *Andream* Nicopolitanum, *Joannem* Corinthium, *Joannem* primæ Juſtinianæ, *Joannem* Cretenſem, *Joannem* Lariſſeum, alioſque Præſules Reſcriptis Imperatoris Conſtantinopolim fuiſſe vocatos. Tum Pontifex metu corripi, ne Cyriaco Epiſcopi univerſalis titulus firmaretur. Illyrici ergo Præſules ſuâ ſic Epiſtolâ compellat: *Pervenit ad nos, quòd fraternitas veſtra ad urbem Conſtantinopolim ſit convocata. Et quamvis piiſſimus noſter Imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne perverſi homines conventus veſtri occaſione repertâ, aut pro hujus nominis ſuperſtitione locum ſurreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogitent, quatenùs hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis ſine Apoſtolicæ Sedis autoritate atque conſenſu, nullas quæcunque acta fuerint, vires habeant; verùm tamen coram omnipotenti Deo conteſtor & admoneo, ut nullus veſtrum illic quibuſlibet ſuaſionibus, quibuſlibet blandimentis, quibuſlibet præmiis, quibuſlibet terroribus teneatur aſſenſus.* Conſenſum ut conſtantius negarent, ipſorum mentibus ſubjicit, Pelagium Conſtantinopolitanæ geſta Synodi abrogaſſe, ut Joannes *ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet.*

Gregor. l. 7. Ep. 70.

Anaſtaſii Antiocheni mors. Nùm Autor libri ὁδηγοῦ? Tranſubſtantiationi faveatne?

VIII. Dum in Oriente verſamur, Anaſtaſii Antiocheni Præſulis, qui currente anno naturæ ſatisfecit, cohoneſtandæ ſunt exequiæ. Quis, quibuſve afflictionibus vexatus fuerit, tàm à Juſtiniano, cujus errori de Dominico corpore ante Reſurrectionem corruptionis expertè obſtiterat, quàm à Juſtino, à quo in exilium ejectus erat, ſuo à nobis eſt loco narratum. Magnâ ſemper cum Gregorio Magno amicitiâ conjunctus erat, cui ut oſtenderet ipſum à ſe plurimi fieri, ejus de Cura Paſtorali librum in Græcum transfudit, quod nos Gregorius ipſe monuit in ſua ad Joannem Ravennæ Subdiaconum Epiſtola. Librum regulæ Paſtoralis *ſanctiſſimus frater & Coëpiſcopus meus Anaſtaſius Antiochenus in linguam Græcam tranſtulit, & ſicut mihi ſcriptum eſt, ei valde placuit, ſed mihi valde diſplicuit.* Dolebat etiam, ſpatium ingens Orientem inter & Occidentem interjectum eſſe, quo Gregorianis frui colloquiis prohibebatur. Die vigeſimâ primâ Aprilis ad ſuperos adiiſſe creditur, cùm ſeptennio circiter ſediſſet, poſtquam Sedi ſuæ redditus eſt. Fallitur egregiè Nicephorus, qui Anaſtaſium noſtrum è throno deturbatum, fune pedibus alligato à Judæis fœdâ morte affectum eſſe tradit. Qui caſus eſt alterius Anaſtaſii, Antiocheni quoque Præſulis, qui imperante Phocâ à Judæis mactatus eſt. Baronius eruditique complures Anaſtaſio noſtro, qui Mauritio imperante ad ſuperos abiit, ſecundum Nicephorum, librum tribuunt illum, cui titulus ὁδηγὸς, hoc eſt, *via dux*, adverſus Acephalos. Verba ſunt Nicephori: *Hujus liber eſt, cui nomen ὁδηγὸς.* A noſtro tamen Anaſtaſio librum abjudicandum eſſe, perſuaſum habemus. Præfationis titulus eſt: *Exordium libri Anaſtaſii, Monachi Sinaitæ*: non Præſulem ſe profitetur, quem ſibi honorem Anaſtaſius Antiochenus vindicaſſet. Præterea conſtat noſtro Anaſtaſio *Eulogium* Alexandrinum ſuperſtitem fuiſſe. Extant ſanè geminæ Gregorii ad *Eulogium* Epiſtolæ, Indictione tertiâ ſcriptæ, de hæreſi Agnoetarum. Prior eſt numero XXXV. poſterior verò XLII. Quo tempore Anaſtaſius Antiochenus non amplius fuit inter homines. Ὁδηγοῦ verò Autor Eulogio Alexandrino defuncto vitam retinebat. Verba ſunt libri hujus: *Narrabant nobis Catholici, qui Alexandriæ degunt, poſt tempora beati Eulogii Papæ Alexandrini hîc fuiſſe Præfectum Auguſtalem Severianum.* Neque etiam Anaſtaſio noſtro quæſtiones centum quinquaginta quatuor tribui poſſunt, quarum Autor poſt Phocæ ad imperium evectionem ſcripſit: *Quando*, inquit, *Phocas tyrannus factus fuit Imperator.* Anaſt. Quæſt. 16. Inſpiciatur etiam tàm 77. quàm 117. Quæſtio, quæ Autorem earum Quæſtionum Anaſtaſio Antiocheno longè recentiorem eſſe clamant. Sed & Gentiani Herveti, qui primus Quæſtiones 93. edidit, exemplar eas Anaſtaſio *Niceno* vindicabat. Neque fortè etiam Anaſtaſii ſunt libri XI. Anagogicarum contemplationum in hexameron ad *Theophilum.* Quod porrò Anaſtaſio Antiocheno *Ducem viæ* eximimus, apparet, tanti viri nomine eos abuti perperàm, qui ex capite 23. corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam aſtrui putant. Poſt Anaſtaſium noſtrum annis quinque & triginta circiter Anaſtaſius ille floruit, quorum verba nec Latinorum quoque Tranſubſtantiationi favere demonſtrare facillimum, ſi res tanti eſſet. Quanquam huic opinioni non multum ſeceretur, ſi ſeptimo ſeculo Monachus aliquis in antro ſuo ſomnians primus mortalium mentibus eam inſeviſſet, facilè reponeretur, novam eſſe ſententiam: paſſim Veteribus Euchariſtiam corporis Chriſti figuram dici, ſicque comparata eſſe ſacramenta omnia, ut pro rei ſignificatæ *figura* habeantur. Verùm ut paucis abſolvamus, in Anaſtaſio nullum ſanè eſt realis, uti loqui amant, corporis Dominici præſentiæ veſtigium. Hæc ſcripſit Anaſtaſius: *Chriſtus non dixit, hoc eſt figura, ſeu quid vices gerens corporis, & ſanguinis mei.* Fatetur ſanè, Chriſti corpus

ANNO DOM. 599.

Gregor. l. 10. Ep. 22.

Greg. l. 5. Ep. 3.

Niceph. l. 18. c. 44.

Greg. l. 8.

Via Dux c. 20. p. 835.

Anno Dom. 599.

in Euchariſtia *corrumpi, immutari, frangi, dividi*, ut verbis expreſſis liquet ex capite 15. & 23. Ex quibus intelligitur, Monachi hujus ſententiam ferre, ſacramentum quidem corpus Chriſti eſſe, quia Spiritus Sancti vinculo in illud deſcendentis cum ipſo Domino conjungitur, proindeque *ſolam figuram, aut quaſi vicarium quid, ut ſacrificium hircs* appellari non poſſe. Ut ergo conjunctione cum natura humana Verbum caro factum eſt, ſimiliter contendit & Anaſtaſius, Sacramentum Spiritus Sancti ope copulatum Domino ipſius corpus eſſe. *Præſentiæ realis* opinione imbutum non fuiſſe hæc vincunt, de Chriſti corpore, quod nunc gloriâ prædıtum eſſe fatetur, atque *æternum, non tamen incircumſcriptum, non expers figuræ, non immobile, non intactile, non inaſpectabile.* His tamen qualitatibus afficitur Chriſti corpus, ſi præſens eſt in altaribus. Eodem capite ſic Timotheum urget: *Si enim ſolam Divinitatem naturam Chriſti eſſe aſſeris, teneri autem & frangi, & dividi, & in partes diſtribui, & effundi, & exhauriri, & tranſmutari, & dentibus conteri, à Divinitate prorſus abhorret, in alterutram foveam Timotheus incidat oportet, ut aut Divinitatem paſſibilem, & mutabilem ſtatuat, aut neget corpus & ſanguinem Chriſti, quæ offert & manducat, in myſtica menſa.* Quibus ſanè Anaſtaſius indicat, hæc in corpore Chriſti fieri. Jam verò pati ea non poteſt cæleſte Chriſti corpus. Accidentia hæc ſunt ſacramenti, quod ob conjunctionem cum Domini corpore interveniente Spiritu factam, Chriſti corpus eſſe Anaſtaſius exiſtimat. Inſpiciatur & caput 23. Sed hæc obiter.

Via Dux c. 23. 840.

Anaſtaſius Anaſtaſio ſuccedit.

IX. Defuncto Anaſtaſio ſucceſſit vir & nomine *Anaſtaſius*, qui ſubinde Synodicam Gregorio ſuam miſit. Quâ acceptâ, reſpondet ei Gregorius: *Fraternitatis tuæ ſcripta ſuſcepi, profeſſionem fidei rectè ſervantia.* Eum quoque de cura Paſtorali monet: ad ſacros ordines impuræ fidei homines evehendos non eſſe: de corrupta Synodo Epheſina ab Hæreticis, de damnatione Cæleſtii & Pelagii. Hic eſt ille Anaſtaſius, qui anno DCVIII. acerbo funere à Judæis perimetur.

Gregor. l. 7. Ep. 48.

Anno Dom. 600.

Anno U. C. 1353. Per. Jul. 5313. Jul. 645. Dom. 600. Maurit. 18. & 19. Theodorici 4. 5. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 12. *Indict.* 3. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 5. 6. *P.* 10. *April.*

Poſt Conſulatum Mauritii XVI.

Chaganus Dalmatiam ingreditur. Slavi Illyricum vaſtant.

I. Belli avidus *Chaganus*, ut quas *Priſco* intenderat minas, executioni mandaret, Dalmatiam ingreditur, & quadraginta civitates, quæ circa *Balcham* ſunt, populatur. Intellectâ clade, Priſcus *Guduini* mandat, ut hoſtium ſtatum exploret, qui vallis latebris uſus, ſummo mane eos à tergo adortos occidit, prædâque recuperatâ ad Priſcum revertitur. Ubi de ſuorum cæde Chagano compertum eſt, in ſuam regionem illicò ſe recepit. Chagani ad exemplum *Slavi* in Illyricum diffuſi Italiæ ad fauces uſque penetrant. Quod nuncium Gregorii, podagrâ maximè laborantis, dolores intendit. Qua de cauſa Maximo hæc Salonitano ſcribit: *Ad Romanam veniens urbem communis filius Presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut fraternitatis tuæ Epiſtolis per me reſpondere nullatenùs valuiſſem. Et quidem de Slavorum gente, quæ vobis valde imminet, affligor vehementer & conturbor. Affligor in his, quæ jam in vobis patior; conturbor, quia per Iſtriæ aditum jam Italiam intrare cœperunt.* Errat tamen ſine dubio Baronius, qui Avarum excurſus, Forum Julii *Romildæ* perfidiâ expugnantium, labente anno accidiſſe putat. Ea contigerunt jam imperante Phocâ. Neque Chaganus anno labente *juvenili ætate florebat*, quod de Chagano Giſulfi victore eſt à Warnefrido memoriæ mandatum.

Miſcel. l. 17.

Greg. l. 8. Ep. 36.

Error Baronii.

Bar. An. 600. n. 2.

Warnefr. l. 4. c. 38.

Theodebertus & Theodericus victum Clotharium regni parte maximâ privant.

II. In Gallia Francorum Reges Theodebertus & Theodoricus, injuriarum memores, quas à Fredegunde, ejuſque filio Clothario paſſi erant, in patruelem armantur. De puero facilis victoria videbatur. Has ſpes cogitationeſque ſecum portantes, Clothario occurrunt; ac juxta fluviolum *Aroanam*, haud procul à *Doromello* vico, Senonenſium in ditione prælium committunt. Quo ſucceſſu referat Fredegarius: *Ibi exercitus Clotharii graviſſimè trucidatus eſt. Ipſoque cum his, qui remanſerunt, in fugam verſo, pagi & civitates ripa Sequana, quæ ſe ad Clotharium tradiderant, depopulantur & vaſtantur. Civitates ruptæ nimis, pluritas captivorum ab exercitu Theuderici, & Theudeberti, exinde deducitur. Clotharius oppreſſus vellet nollet, per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam & Ligerim uſque mare Oceanum, & Britannorum limitem, pars Theuderici haberet, & per Sigonam & Iſaram, Ducatum integrum Dentelini uſque Oceanum mare Theodebertus reciperet. Duodecim tantùm pagi inter Iſaram & Sigonam & mare littoris Oceani Clothario remanſerunt.* Verba hæc Fredegarii ex editione Andreæ Du Cheſne exhibuimus. In vulgatis enim exemplaribus labe maximâ afficiuntur.

Fredeg. cap. 20.

Venantius Fortunatus quis? Ejus libri.

III. Ea nunc referamus, quæ Eccleſiam ſpectant. Ac nobis in Gallia verſantibus à Venantio Fortunato eſt incipiendum, qui, uti fama eſt, Pictavienſia ſacra anno labente adminiſtrabat. Nomina quatuor geſſit: Fortunatus, Venantius, Honorius, Clementianus. Fortunatus appellabatur, ex quibus *Fortunatus* proprium fuiſſe videtur. Italum ortu eſſe Paulus nos Warnefridus docuit verbis ejuſmodi: *Fortunatus natus quidem in loco, qui Duplavilis dicitur, fuit. Qui locus haud longè à Cenitenſi caſtro, vel Tarviſiana diſtat civitate. Sed tamen Ravennæ nutritus & doctus in arte Grammatica, ſive Rhetorica, ſive etiam metrica clariſſimus extitit. Hic cùm oculorum dolorem vehementiſſimum pateretur, & nihilominùs Felix iſte ipſius ſocius pari modo oculos doleret, uterque ad Baſilicam B. Pauli atque Joannis, quæ intra eandem urbem ſita eſt, perrexerunt, in qua etiam altarium in honorem B. Martini Confeſſoris conſtructum propinquam habet feneſtram, in qua lucerna ad exhibendum lumen eſt conſtituta, de cujus oleo mox ſibi iſti, Fortunatus ſcilicet & Felix, dolentia lumina tetigerunt. Illicò dolore fugato ſanitatem, quam optabant, adepti ſunt.* Hinc orta veneratio, quâ Fortunatus Martinum perpetuò proſecutus eſt: nec ſemel prodigii hujus meminit:

Warnefr. l. 2. c. 23.

Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicos blando fugat unguine morbos.

Fort. Vit. Mart. l. 4.

Patriam paulò antè exivit quàm Alboino Duce Longobardi anno DLXVIII. Italiam peterent. Proficiſcenti conſilium erat ad Martini ſepulchrum properare. Quo ſalutato, Pictavienſem urbem incoluit, ubi Presbyteri munere ornatus eſt, quo nomine à Gregorio Turonenſi ſæpius cele-

Anno Dom. 600.

celebratur. Ad Gregorii Turonenſio familiaritatem ſe Fortunatus applicans, varus eum epigrammatibus laudavit, & poëmata ei ſua nuncupavit. Quippe *Gregorius* ille *Papa*, ad quem ſcribit, non ille Gregorius eſt, qui Romanam Eccleſiam adminiſtrabat. In ſua ad Turonenſem Antiſtitem Epiſtola narrat Fortunatus, quomodo Ravennâ profectus, Germaniam peragrarit, demumque in Gallias ſe contulerit: Iter cundum *novum Orphem Lyricus ſylva voces dabat; ſylva reddebat.* Cauſæ nihil eſt, cur Scriptoribus fidem detrahimus, qui Epiſcopali dignitate Fortunatum induunt. Verba ſunt Warnefridi: *In eadem civitate primùm Presbyter, deinde Epiſcopus ordinatus eſt, atque in eodem loco digno tumulatus honore quieſcit.* Quandonam verò Epiſcopatum iniit, eſt dictu difficillimum. Anno DXC. *Marovens* adhùc Pictavienſem regebat Eccleſiam. Defuncto *Plato* ſufficitur, quem Epigrammate Fortunatus celebravit:

Fort. l. 10. c. 17.

Provida diſponunt Reges ſolatia, leis
Pontificem dantes, quem proba alma fides:
Ut colat Hilarium, quem dat Martinus alumnum, &c.

Hæc Fortunatus ad Platonem, qui vitam adhùc retinente Childeberto ordinatus eſt. Platoni igitur Fortunatus ſubſtitui debuit. Brevem tamen Epiſcopatum geſſiſſe videtur, quem non ante annum DXCIV. adiit, cum Gregorii in Hiſtoria ſolo Presbyteri titulo afficiatur. Defuncti ſepulchro Paulus Warnefridus rogante *Apro* Abbate hoc Epitaphium inſcripſit:

Ingenio clarus, ſenſu celer, ore ſuavis;
Cujus dulce melos pagina multa canit
Fortunatus, apex vatum venerabilis, actu
Auſoniâ genitus, hâc tumulatur humo, &c.

Si verum placet, ſtrictæ orationis quam ſolutæ longè peritior fuit: quod plures teſtantur Epiſtolæ, quas carminum ſuorum libris præfixit. Præter carmina, quæ benè multa condidit, necnon Sanctorum quorumdam vitas, in Orationem Dominicam atque Symbolum Commentaria ſcripſit. Indubitanter Apoſtolis Symbolum tribuit: *qui ad hæc in uno poſiti, hoc inter ſe Symbolum unuſquiſque, quod ſenſit condiderunt.* Gratiæ efficacis ſtrenuum ſe defenſorem oſtendit, dum verba hæc Domini illuſtrat, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* Horum Commentariorum non meminit clariſſimus Du Pin in ſua Bibliotheca, quorum tamen meminiſſe debuit.

Gregorius Agnoetarum errorem damnat.

IV. At in Italia Gregorius ne vel doloribus cedens, rectitudini pietatis ſervandæ admovebat animum. Caput in Oriente exerebat *Agnoetarum* error, de quo ad Gregorium *Eulogius* Alexandrinus Epiſtolam direxerat, eruditam ſanè, nec à fide Catholica diverſam. Intereà Gregorius lævâ podagrâ laceratus, quotidie in morte erat, quotidie repellebatur à morte. Cruciatus ipſe narret ſuos: *Ecce jam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantiſque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam, Miſſarumque ſolemnia celebrare.* Vicit dolorem Religionis amor, ſtrictoque in Agnoetas calamo ad Eulogium Epiſtolam mittit, quâ Hæreticorum fundamenta convellebat. Objiciebant, quæſiviſſe Chriſtum ficus in arbore prorſus ſterili. Reſpondet verò, *Per ficum Dominus in Synagoga fructum quæſierat, quæ folia Legis habuit, ſed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium neſcire, quia fructum ficus non habuit, quod dum*

Greg. l. 8. Ep. 35.

tempus ficorum non eſſet, omnes poterant ſcire. Minus accuratè ſolvit objectionem ex verbis Chriſti petitam, *Diem judicii neſcit hominis filius.* Aſſentitur enim Eulogio, cujus explicatio non eſt ad rem: *Omninò rectè veſtra Sanctitas ſenſit, quoniam non ad eundem filium, juxta hoc quod caput eſt, ſed juxta corpus ejus, quod ſumus nos, eſt certiſſimè referendum.* Affert etiam Gregorius Auguſtini reſponſionem, quæ cordatis non arridet.

Greg. l. 8. Ep. 42.

Conſtantii Mediolanenſis obitus. Quis?

V. Gregorii doloribus luctus acceſſit ex obitu *Conſtantii* Mediolanenſis Epiſcopi. Optimi Præſulis partes vitâ, moribus, diligentiâ atque amore erga gregem impleverat, ut Mediolanenſis Eccleſiæ vulnere pars Italiæ magna ſaucia videretur. Conſtantii pietatem Gregorius pingit: *Quàm multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicina repentinâ calamitate non ſentiant! Nam quemadmodum ſolicitus in Eccleſiaſtica regula diſciplina, vel quàm fuerit vigilans in tuitione civitatis veſtræ, non habemus incognitum.* Illud moleſti, quod Conſtantii ex obitu exortum eſt, auxit & ſtatus Mediolanenſis Eccleſiæ. Quippe Rex Longobardorum Agilulfus defuncto ſucceſſorem dare volebat: eratque in metu Clerus Mediolanenſis, ne vel indignus ſibi Præſul præficeretur, vel ſi deſignatus à Rege reſpueretur, Principis furorem in ſe converterent. Populi ergo Clerique animos Gregorius accendit: *Illud autem, quod vobis ab Agilulfo indicaſtis ſcriptum, dilectionem veſtram non moveat. Nam nos in hominem, qui non à Catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nullâ præbemus ratione conſenſum, quia Vicarius Sancti Ambroſii indignus evidenter oſtenditur, ſi electus à talibus ordinatur.* Conſtantiam Mediolanenſium illud maximè adjuvabat: *Unde poſſunt alimenta Sancto Ambroſio ſervientibus Clericis miniſtrari, nihil in hoſtium locis, ſed in Sicilia, & in aliis Reipublicæ partibus, Deo protegente conſiſtit.* Diaconum, nomine *Deuſdedit*, in Epiſcopum ſibi Mediolanenſes elegerant, de cujus moribus Gregorius diligenter inquiri jubet, ne indignus ad Sacerdotium promoveretur.

Greg. l. 8. Ep. 65.

Joannes Climacus. Ipſius vitæ breviarium: Opera.

VI. Ad ſe nos nunc vocat in Orientem Joannes, cognomento *Climacus*, quod ex Opere ſuo, cui *Climaco*, ſive Scalæ nomen, adeptus eſt. Longævus vitam adhùc retinebat labente anno. *Daniel* Monachus, qui vitam ipſius ſcripſit, patriam ignoravit. Ætatis annum ad ſextum & decimum uſque Joannes pervenerat, cùm ſolitudinis amore captus in montem Sinaiticum conceſſit. Vincebat ſcientiarum peritiam humilitatis amor, cujus tanta ſpecimina edidit, ut mentis naturam prorſus exuiſſe videretur. Ferunt, dum ſub Præfecto Martyrio ageret, unà cum eo Anaſtaſium adiiſſe, qui illicò Martyrio, qui Joannem totonderat, hæc loquitur: *Abba Martyri, quis dixerit, quòd tu Antiſtitem montis Sina attonderis?* Addunt & Joannem Sabaitam, cujus ad ſolitudinem diverterant, non Martyrii, ſed Joannis ſanè Climaci & pedes abluiſſe, & dexteræ oſculo haiſſe: quorum vaticiniorum fides ſit penes Autorem. Annum erat ingreſſus XX. cùm amiſſo Mortyrio *Tholas* deſertum ingreditur, locum ad extremum montis Sinairici pedem ſitum, ad quintum ab Æde ſacra lapidem. Ibi quadraginta onnos traduxit, temperantiæ adeò deditus, ut cibum potius guſtare, quàm ſumere videretur. Siccitate Palæſtinam vaſtante precibus pluviam impetravit. Suis ergo virtutibus Sinaiticam Præfecturam adipiſcitur. Joanni Climaco germanus erat *Gregorius*, quem ſibi ſucceſſorem deſtinavit,

Anno Dom. 600.

ſtinavit. Morientem cùm Gregorius fleret, lachrymas lugenti abſterſit, pollicitus intra annum abeuntis veſtigia ſecuturum; nec vaticinio fidem defuiſſe ferunt, cùm intra decimum menſem Gregorius etiam exceſſerit. Hæc ex Daniele excerpſimus. Librum edidit Joannes ille Climacus magni inter Græcos pretii. Titulus ei eſt, Κλίμαξ, ſive *Scala*. Conſtat gradibus triginta, quibus ad vitæ aſceticæ veluti culmen aſcenditur. Cur tot gradibus conſtaret, rationem eam reddunt: *Climacus cùm Cæleſtem nobis ſcalam, quæ pro modo ætatis Chriſti, trigeſimum annum cum baptizaretur, agentis, triginta contineret gradus, exædificavit, cujus juſta Domini ætate comprehenſa, vere juſti & innocentes reperiemur.*

B. M. P. t. 10. 390.

Columbanus quis?

VII. Columbani in Epiſtolis Synodum in Galliæ incerto loco celebratam deprehendimus, ſed tam obſcuris temporis notis involutam, ut anno ſuo illam reddere Chronologorum viribus editius exiſtimemus. Scribentis verba ſunt: *Mihi liceat cum veſtra pace & charitate, in his ſylvis ſilere & vivere juxta oſſa noſtrorum fratrum decem & ſeptem defunctorum, ſicut uſque nunc licuit nobis inter vos vixiſſe duodecim annos.* Utrùm verò anni illi *duodecim* ab adventu Columbani in Gallias, vel ab incolatu Luxovienſi numerentur, non ſatis liquet. Quamquam eò magis inclinet animus, ut à Luxovienſi habitatione numerandi faciendum ſit initium. Antequam porrò materiam Epiſtolæ recenſeamus, de ſcribentis patria, vitaque nonnulla ſunt proferenda, ne viri, qui ſeculo ſuo decus & lumen fuit, noſtris in Annalibus deſcriptio deſideretur. Ortus ſui incunabula Columbanus Hiberniam habuit. Mater ipſius uterum gerens in ſomnis ſibi videre viſa eſt, *è ſinu ſuo rutilantem Solem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere.* Egreſſus pueritiâ Grammaticam, Rhetoricamque excoluit. Vigebat in corpore formæ elegantia, atque pulchritudo, quæ juvenilibus animis crebrò nimis labendi occaſionem præbet. Cùm ergo ſciret, nil eſſe tam ſanctum Religione, tamque cuſtodiâ clauſum, quo penetrare libido nequeat, generoſum pectus temperantiâ, fide conditâ ornare voluit. Quodam die Sanctimonialis ad cellulam, quam duodecennio incoluerat, cùm perveniſſet, ea accedentem ad ſe liberè perſtrinxit, utpote qui humanæ fragilitatis immemor fœminam viſitaret. Talibus dictis ſtimulatus, matrem lachrymis rogantem, ne ſe deſerat, liminique oſtii inhærentem, & pavimento proſtratam prætergreſſus relinquens, ad virum Scripturæ peritum, nomine *Senile*, ſe convertit, deinde petito Monaſterio Banchor, celeberrimo *Congello*, qui Abbatis munere fungebatur, excolendum ſe tradit. Peractis ibi annorum complurium curriculis, peregrinandi cupidine captus, vigeſimum ætatis annum agens, ſociis duodecim comitatus ad Britannica littora greſſum dirigit, indeque in Galliam tendit, Evangelii præconem exercens. Pervenit tanti viri ad *Sigeberti* Regis aulam, ex quo conſequitur, Columbani in Gallias adventum non citra annum Dom. DLXXV. poſſe conſtitui, cùm in eo lethali vulnere Sigebertus perierit. Impetratâ quò vellet manendi facultate, in vaſta eremo, cui *Voſago* nomen, domicilium ponit. Dum eo moratur, cogitanti num melius eſſet, ferarum rabiem, quàm hominum crudelitatem perferre, incidunt lupi duodecim, qui propius accedentes ore ipſius veſtimentis jungunt, intactumque dein relinquunt, c. 7. *Cùmque jam multorum Monachorum ſocietate deleſtaretur, cœpit cogitare, ut potioris loci ſpatium quæreret in eadem eremo, quò Monaſterium conſtruxiſſet. Invenit autem caſtrum firmiſſimo olim fuiſſe munimine cultum à ſupra dicto loco diſtans plus minus octo millibus, quem locum Luxovium priſca tempora nuncupaverant. Ibi aqua calida cultu eximio conſtructa*; ibi imagines multæ lapideæ, numinibus conſecratæ; ibi ſylvæ urſis, bubalis, lupis repletæ. In eo loco ſibi Monaſterium extruere cœpit, c. 9.

Vit. Columb. c. 1.

Vit. Columb. c. 2.

Vit. Columb. c. 5.

Synodo Gallicanæ Columbanus de Paſchate ſcribit.

VIII. Dum eo moratur, Synodus, cujus meminimus, in Gallia cogitur. Quam de Paſchatis ſolemnitate conſultum ivit, quia variabat in ea re Scotorum, Britonumque, & Gallorum, Romanorumque diſciplina: *Deo gratia*, inquit, *quòd vel pro me de Paſchate diſcutiendo occaſio vobis ſancta facta eſt Synodi.* Deinde Chriſtum ſupplex orat, *ut non de ſolo Paſcha negotio, quod jam diu ventilatum, ac diu variè à diverſis autoribus judicatum eſt*, tractent, *ſed etiam de univerſis neceſſariis obſervationibus Canonicis, quæ à multis, quod gravius eſt, corrupta ſunt.* Voce quoque liberè profeſſus ſe ad Synodum non iviſſe, ne præſens in ea contenderet, de Paſchatis Quæſtione ſententiam ſuam oſtendit: *Confiteor conſcientia mea ſecreta, quod plus credo Traditioni patriæ meæ, juxta Do . . . . & calculum* LXXXIV. *annorum, & Anatolium ab Euſebio Eccleſiaſtica Hiſtoriæ autore Epiſcopo, & ſancto Catalogi Scriptore Hieronymo laudatum, Paſcha celebrare, quam juxta Victorium nuper dubiè ſcribentem, & ubi neceſſe erat nihil definientem.* Sanctâ denique compellatione Synodi Patres hortatur, *ut cum pace & humilitate ſine ulla contentione libri legantur utrique, & quæ plus Vetere & Novo Teſtamento concordant, ſine invidia ſerventur.* Quid in Paſchali hoc negotio peractum ſit, nos prorſus fugit. Pacem Luxovienſibus ereptam non fuiſſe fit vero ſimillimum, cùm Monaſterium Columbanus ſuum incoluerit, donec anno DCVI. prætextu variantis à Gallorum ritibus diſciplinæ, regno Theodorici pelleretur. Concilium porrò, quod Epiſtolâ ſuâ Columbanus adiit, incerti & loci & temporis in labente anno abſque Chronologiæ injuria collocari poſſe exiſtimamus.

Columb. Ep. 2.

ANNA-

ANNALES POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæſare Auguſto ad Phocam uſque.

In quibus res Imperii Eccleſiæque obſervatu digniores ſubjiciuntur oculis, erroreſque evelluntur Baronio.

SECULUM SEPTIMUM.

ANNO DOM. 601.

ANNO U. C. 1354. OLYMP. 345. PER. JUL. 5314. JULIANO 646. DOM. 601. MAURITII 19. & 20. THEODORIC. 5. 6. *Sol.* 22. *A. Lunæ* 13. *Indict.* 4. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 7. *P.* 26. *Mart.*

ANNO DOM. 601.

Poſt Conſulatum Mauritii XVII.

Chagani erga Romanos liberalitas: de Commentiolo victoria.

I. CHaganus collectis citò viribus, menſe Martio Mœſiam ingreſſus, *Comeam* urbem obſidet. Quo intellecto, Priſcus illicò Sigedooc relictâ ad hoſtes feſtinat. Imminente Paſchatis feſto, Romani alimentorum penuriâ laborabant. Hoc ubi reſcivit Chaganus, animi magnitudine, quæ in Barbaro præcipuè laudanda eſt, & quinque dierum inducias ſuis hoſtibus concedit, & Priſco nunciat, plauſtra ſibi mittat, quæ cibos referrent, quibus expleti Romani Paſcha hilarius agitarent: nec mora, quadraginta currus alimentis onuſtos accipiunt. Viciſſim Priſcus ne liberalitate vinceretur, piper, coſtum, caſſiam, aliaque munera ejuſmodi, quæ Indis fert, dono dat Avarum Regi. Labente ergo Dominicæ Reſurrectionis feſtivitate Barbari Romanique unà verſabantur, quaſi feſtum extincto prorſus hoſtili odio animos gentis utriuſque amicitia copulaſſet, ut in unum idemque populi corpus coaleſcerent. Barbari à Romanis ſejuncti in Commentiolum incidunt, cui Imperator in mandatis dederat, ut ſeditioſum Barbaris militem proderet. Mediâ nocte *Commentiolus* exercitum arma ſumere jubet. Non putabant milites, cum hoſte eſſe ſibi dimicandum: itaque veluti exercitii cauſâ negligentius armantur. Ortâ luce ingens metus eos corripit. Barbari eâ perturbatione ſapienter uſi, partem Romanorum cædunt; partem capiunt, ad duodecim millia. Commentiolus fugâ elapſus, Diriziperam delatus, ut proditor à civibus repellitur. Fugientem Barbari inſequentes, Diriziperam populantur; Alexandri Martyris Templum flammis abolent; capſam, cui corpus ejus includebatur, argenteam diripiunt; exuvias contumeliâ afficiunt.

Chron. Alex.

Miſcell. l. 17.

Chagani filii peſte extinguuntur: captivos occidit: cur? Tempus occiſionis.

II. Intereà Commentiolus Byzantium perveniens urbem metu complet. Jam deliberatio inſtituebatur, ut Europâ relictâ in Aſiam migrarent. Imperator verò Prætorianas cohortes in muris collocat, urbem civibus cuſtodiendam committit. Mauritium monebat Senatus, ut ad Chaganum Legatos de pace mitteret; verùm Deo ſuſcipitur Avarum ultio, quâ Conſtantinopolitani ſuâ formidine liberantur. Elatus victoriâ Chaganus ad longum murum uſque proceſſerat, cùm filii ejus ſeptem uno die partim febre, partim peſte pereunt, unàque cum eis ingens Barbarorum numerus extinguitur. Quâ clade gaudia triumphique Barbarorum luctu lachrymiſque mutantur. Advenit intereà cum muneribus regiis *Armatona*, Mauritii Legatus, qui victoriâ tumidum exarmaret. Chaganus verò luctibus doloriqué ſuo immerſus, repudiatis Imperatoris muneribus, Mauritio ſignificat, ſi captivos redimere velit, ut in ſingulos nummum unum pendat. Recuſante Mauritio medium ſaltem nummum poſtulat. Verùm ne vel tanti milites redimere voluit, ſive ex propria tenacitate, ſive, quod magis credibile, ex ipſorum odio. Tum indignatione percitus, captivos Chaganus omnes ad unum occidit, qui uti ex Zonara colligitur, erant numero circiter *duodecim* mille. Indignum hoc Imperatoris facinus ſilentio præterit Simocata. Narrat Mauritii Legatum Harmatonam, *ſplendidis muneribus, & viginti millium auri pondo acceſſione pacem ægrè redemiſſe*, *dicente Chagano, Judicet Deus Chaganum inter & Mauritium.* Cæterùm facto hoc ſuo omnium penè odia Imperator in ſe commovit. Plebs ne à convitiis quidem temperabat. Exercitus verò Commentiolum proditionis poſtulat. Inter accuſatores eminebat *Phocas*, qui quaſi jam diademate redimitus foret, tam petulanter impudenterque Impera-

Phot. Cod. 65. 95.

Anno Dom. 601.

peratorem allocutus eſt, ut ea de cauſa à Senatorum nonnullis vapularet. At Mauritius repudiatâ Commentioli accuſatione, inſtantes re infectâ dimiſit. Hinc fons inſidiarum, quibus Imperator cum familia miſerè periit. Noſtram porrò Chronologiam cenſurâ dignam eſſe primâ ſpecie omnes exiſtimabunt, cùm & veteres & novi Chronologi Chagani de Commentiolo victoriam, miſeramque captivorum ſtragem anno DC. affigant, qui Mauritii vigeſimus fuit, quocum etiam ea clades à Theophane & Miſcella copulatur. Verùm ex Eclipſi, quam Theophylactus & Theophanes in annum Mauritii IX. contulere, & eos emendamus, & præſidium Chronologiæ noſtræ ſuppeditamus. Ea quippe Eclipſis accidit anno DXCII. Martii XIX. qui Mauritii non *nonus* quidem, ſed *decimus* nomerabatur. Cùm igitur Commentioli perfidia, captivorumque imperata à Chagano cædes novennio poſt Eclipſim contigerit, vel ipſo Theophane judice, quis neget anno non proximo, ſed currente; Indictione non *tertiâ*, ſed *quartâ* cladem eam contigiſſe?

Aldiberto fidem ſuſcipiente Gregorius Laurentium & Mellitum in Britanniam mittit.

III. Res Eccleſiæ nunc nobis ſunt referendæ. Pietatem Auguſtini Cantuarienſis Epiſcopi miratus Rex *Aldibertus*, ſuperſtitione relictâ fidem amplexus erat. Ubi baptiſmum adeptus eſt, Regis ſui ad exemplum complures ſe compoſuere. Quos firmioribus amicitiæ vinculis ſibi copulavit. Qui verò avitam religionem retinebant, illos vi adhibitâ ad fidem ſuſcipiendam cogere noluit, gnarus pietatem mentis actum eſſe, violarique religionem, ſi alienus ab ea colentis ſit animus. Cùm lætior indies pietatis ſeges apud Anglos creſceret, Auguſtinus Laurentium Presbyterum atque Petrum Monachum ad Gregorium ſibi mittendos eſſe duxit, ut nova ad informandos Idololatras haberet auxilia. Felicem Gregorius promovendi Evangelii occaſionem nactus, *Laurentium* & *Mellitum* in Britanniam mitti voluit. Erat ille Presbyter, hic verò Abbatis munere fungebatur, quos Galliæ & Regibus, & Epiſcopis commendatum ivit. Epiſtolam ſcribit *Menna* Toloſano, *Sereno* Maſſilienſi, *Lupo* Cabillonenſi, *Agilo* Metenſi, *Simplicio* Pariſienſi, *Melantio* Rothomagenſi, *Licinio* Andegavenſi, quos ſic alloquitur: *Quia Redemptoris noſtri gratiâ cooperante, tanta de Anglorum gente multitudo convertitur, ut reverendiſſimus communis frater & Coëpiſcopus noſter Auguſtinus eos, qui ſecum ſunt, ad hoc opus exequendum per diverſa loca aſſerat, non poſſe ſufficere, aliquantos ad eum Monachos, cum dilectiſſimis & communibus filiis, Laurentio Presbytero, & Mellito Abbate providimus tranſmittendos.* Rogat etiam Præſules, ut quâ decebat in Britanniam proficiſcentes benevolentiâ proſequantur. Paria Galliarum Regibus Theodorico, Theodeberto, Clothario, Brunichildi ſcribit. Auguſtino quoque literas dirigit, quibus gratias Deo refert, qui ipſum neſcientibus lumen fœneravit. Sapienter verò eum monet, ne de tantis ſucceſſibus ſuperbiat: *Gaudeas quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur; pertimeſcas verò, ne inter ſigna, quæ fiunt, infirmus animus in præſumptione ſe elevet, & unde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat.*

Greg. l. 9. Ep. 52.

Greg. l. 9. Ep. 58.

Regibus Anglorum Gregorius ſcribit. Non vult fana numinum dirui.

IV. Neque Anglorum Principes Gregorius præteriri voluit. *Aldiberga* ergo Reginæ gratulatur, quam cum Helena componit: *Sicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piiſſimi Imperatoris, ad Chriſtianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ veſtræ ſtudium in Anglorum gentem ejus miſericordiam confidimus operari.* Aldibertum quoque Regem, ut Conſtantini Imperatoris exemplo acceptam fidem cuſtodiat, atque etiam augeat, verbis monet ejuſmodi: *Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum converſione multiplica, Idolorum cultus inſequere, fanorum ædificia everte.* Nòn multò pòſt tamen Gregorium pœnituit mandati de evertendis numinum Templis dati. Itaque vigeſimo Junii hæc ad *Mellitum* ſcribit: *Cùm vos Deus omnipotens ad reverendiſſimum virum fratrem noſtrum Auguſtinum perduxerit, dicite quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi, videlicet, quia fana Idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt, Idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur: quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut à cultu Dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum agnoſcens ac adorans, ad loca quæ conſuevit familiarius concurrat. Et quia boves ſolent in ſacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitiæ Sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutata ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent. Nec Diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant.* Data die 12. Cal. Julii, Indict. 4. Porrò ut obſervantiæ erga Chriſtum ſuæ Rex teſtimonium daret, Auguſtino rogante in Petri Paulique memoriam Templum conſecrat, quod & Anglorum Principibus, ipſique Auguſtino ſepulchro foret. Extruxit & Londini Templum, cui D. Pauli nomen inditum eſt. Sed & in civitate Roffenſi S. Andreæ poſuit Eccleſiam, quam ampliſſimis ornari donariis voluit. Tantorum ædificiorum tempus ad annum Dom. DCV. referendum exiſtimamus, ut ex verbis Bedæ ſuo loco recitandis conjecturam facimus.

Anno Dom. 601.

Gregor. l. 9. e. 59.

Greg. l. 9. Ep. 60.

Greg. l. 9. Ep. 71.

Ad Iberos de Neſtorianis. nùm rebaptizari debeant. Gregorii Decretum.

V. Non in Angliam modò, ſed in Orientem quoque Gregorius Epiſtolas miſit cauſâ ejuſmodi. *Amoſo*, qui octennio Hieroſolymitanum Epiſcopatum tenuerat, ſucceſſit Iſacius, qui poſtquam conſecratus eſt, Synodicam de more Gregorio Epiſtolam mittit. Quam utpote pietati conſonam Pontifex ſuſcipit, ſimulque hæc Iſacio reſcribit: *Magnas omnipotenti Deo gratias exolvimus, qui & immutatis gregis ſui Paſtoribus fidem, quam ſemel ſanctis Patribus tradidit, etiam poſt eos immutabilem cuſtodit.* Simul eum monet, ut Eccleſiæ unitatem ſervet, gregem curet ſuum, Simoniacam hæreſim vitet. Ad Iberiæ quoque Antiſtites literas dirigere opus habuit. Quærebant ab eo, num ad frugem redeuntes Neſtoriani novo tingi baptiſmo debuerint? Verùm Epiſtolæ lator eam amiſerat Hieroſolymis. De ea quæſtione ſic ſtatuit Pontifex: *Ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſolâ profeſſione fidei, ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur.* Conſequenter negat, Neſtorianis baptiſmum eſſe renovandum.

Greg. l. 9. Ep. 40.

Illud

Illud tantum ab iis, qui ad Eccleſiam redeunt, vult obſervari, ut Neſtorium cum omnibus Hæreticis anathemate feriant: Synodoſque quas Eccleſia recipit, ſuſcipiant atque venerentur. Epiſtolam ad Hiberniæ Præſules ſcriptam eſſe vulgò creditur. Sed vix in dubio poni poteſt, quin vox *Hibernia* ſit in *Iberia* mutanda. Gregorii quippe temporibus Neſtorianorum ſectam in Hibernia viguiſſe, inauditum eſt in omni memoria. Sed & lator Epiſtolæ ex Hibernia ad Pontificem Romanum miſſæ eam Hieroſolymis non amiſiſſet, cùm Romam prius quàm Hieroſolymam petiiſſet.

Greg. l. 9. Ep. 61.

De privilegiis Monaſteriorum Synodus Romana.

VI. Labente anno in urbe Synodum Gregorius coegit, ut Cœnobiorum libertati, Monachorumque privilegiis proviſum iret. Interfuere Epiſcopi XXIII. *Gregorius*, Concilii Præſes, *Marinianus* Ravennas, *Joannes* Tarentinus, *Joannes* Falaritanus, *Pelagius* Agnanienſis, *Romanus* Blantanenſis, *Luminoſus* Ferentinus, *Balbinus* Roſellanus, *Martianus* Ferentiſius, *Dominicus* Utriculanus, *Fortunatus* Neapolitanus, *Proculus* Præneſtinus, *Paulus* Nepeſinus, *Generoſus* Numentinus, *Agnellus* Terracinenſis, *Dominicus* Centumcellenſis, *Felix* Portuenſis, *Claudius* Vulſinenſis, *Urbanus* Tuſcanenſis, *Secundinus* Tauromenienſis, *Homobonus* Albanſinus, *Conſtantius* Narnienſia, *Anaſtaſius* Tiburtinus. Canones verò IV. condidere. I. Nullus Epiſcoporum, aut ſecularium præſumat de reditibus, rebus vel Chartis Monaſteriorum, vel de cellia, quæ ad ea pertinena, aliquid minuere. Si lis aliqua de prædiis exoriatur, dilatione omiſſâ mediis Evangeliis finiatur. II. Defuncto Abbate unus de congregatione abſque ullo pretio eligatur. Si nullus reperiatur ad præſidendum idoneus, ex aliis Monaſteriis petatur. III. Invito Abbate Monachorum nullus ad ordines promoveatur. IV. Deſcriptiones Chartarum Monaſterii ab Epiſcopo fieri prohibentur; neque defuncto Abbate in rebus Monaſterii perquirendis ullus ſe Præſulum permiſceat. Miſſæ publicæ in Cœnobio Præſuli negantur, ne earum occaſione mulierum fiat introitus. Neque ei conceditur in Monaſterio Cathedram collocare, aut ordinationem facere.

Leandri natales & legatio.

VII. Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo hic annus fatalis fuit. Vitæ illuſtris breviarium ex ſeculo Mabillonis Benedictino præcipuè hauſtum noſtros in Annales referre juvat. Dux Severianus, Theodoraque Cervella, nobiliſſima mulier Leandro parentes fuere. Marciæ, quæ Bigaſtris, anno Chriſti DXXXIV. natus legitur. Bigaſtrum, quæ everſa jacet, Epiſcopalia quondam Sedes fuit. Ubi Leander adolevit, Monaſterium Hiſpalenſe ingreſſus, Benedicti Regulam profeſſus eſt, ſi Hiſpanis creditur; demùm mortuo Stephano, Eccleſiæ Hiſpalenſi præficitur. Hic Arianos complures, præcipuèque Hermenigildum, Leovigildi Regis filium, concionibus, colloquiis, exemplis, errore liberatos, pietate verâque Chriſti notitiâ imbuit. De Hermenigildo id fama Gregorio nunciavit: *Multorum qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenigildus Rex, Leovigildi Regis Viſigothorum filius ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam viro reverendiſſimo Leandro Hiſpalitano Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto, converſus eſt.* Ut ſuæ in patrem rebellioni Hermenigildus auxilii aliquid compararet, Leandrum anno circiter DLXXXIII. Mauritio Auguſto Legatum miſit. Dum in Regia urbe moratur, Gregorium Magnum eo conventum amicum ſibi inſtituit, cui roganti, ut pergratum faceret, Moralium libros Gregorius aggreditur. Quos cum Paſtorali ſuo in Hiſpaniam dein, ut perpetuæ pignus amicitiæ, Leandro tranſmiſit. Qui viciſſim de rebus Eccleſiæ, quæ momenti erant alicujus, Gregorium conſultum ivit. Itaque num ter, vel ſemel infans in Baptiſmo mergi debeat, Gregorium interrogavit. Quærenti reſpondet: *Quia nunc hùc uſque ab Hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo.* Suâ ad *Tiberium* legatione *feliciter effeciſſe* Leandrum, ut ſuppetias obtineret, Cavius ſcriptum reliquit; verùm non apud Tiberium, ſed Mauritium legatione functus eſt, quæ ferè nihil auxilii ab Imperatore impetravit.

Gregor. Dial. l. 3. c. 31.

Greg. Ep. l. IV. 41.

Leander exilio revocatus Arianos ad fidem adducit.

VIII. Leovigildo diſplicebat Leandri legatio, amicitiæque vinculum, quo cum Hermenigildo copulabatur. Itaque ubi percuſſoris manu mortem invenit, jubente Rege Leander cum aliis Epiſcopis ſolum vertere cogitur. In exilio conſtitutus duos adverſus Arianorum errorea libros condidit, necnon tractatum ad Florentinam ſororem de Inſtitutione Virginum. Poſtquam verò deferveſcente regio furore, ſolutoque exilio Hiſpalim reverſus eſt, proſpero tandem Leovigildo utitur, qui morti proximus filium Recaredum ipſi commendat, quod Deo favente Recaredi in bonum, Eccleſiæque commodum ceſſit. Quippe Leandri monitia inſtructus veritatia notitiâ Recaredus, ejuratâ demum hæreſi, ſubditos ad fidei concordiam ſuos perduxit, quam editâ & ſuâ & omnium Sacerdotum Confeſſione, anno 589. io Toletana Synodo profeſſus eſt. Concilio Leander interfuit, præcipuaſque in eo partes egit, teſte Biclarienſi Chronico: *Summa Synodalis negotii penes ſanctum Leandrum, Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium, Monaſterii Servitani Abbatem fuit.* Gratulatoriam de gente ſua Ariano veneno purgata orationem in Synodo Leander habuit: *Nos majoribus gaudiis elevamur, quia repentè novos Eccleſiam parturiiſſe populos intuemur, & quorum aſperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudii noſtri tribulationis præterita occaſio fuit. Gemebamus dum gravaremur, ſed gemitus illi id egerunt, ut hi, qui per infidelitatem nobis erant ſarcina, fierent noſtra per ſuam converſionem corona.*

Morbus & mors Leandri.

IX. Exantlatis laboribus oppreſſus Leander, podagram ſibi contraxit, cujus doloribus attritus, querelas ea de re ſuas expoſuit Gregorio, qui dolenti ſolatii aliquid adhibuit: *De podagræ moleſtia Sanctitas veſtra affligitur, cujus dolore aſſiduo & ipſe vehementer attritus ſum. Sed facilis erit conſolatio, ſi inter flagella quæ patimur, quæcumque facimus ad memoriam delicta revocamus: Atque hæc non flagella, ſed dona eſſe conſpicimus, ſi quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgemus.* Pallium quoque Leander accepit à Gregorio *ad ſola Miſſarum ſolemnia utendum.* Pallio donatus eſt, ut honeſtius ſepeliretur, cùm ad biennium circiter muneri ſuperſtes fuit. Tempus obitus non exploratum ſatis eſt. Legitur in ipſius Epitaphio: *Obiit felicis memoriæ Leander Epiſcopus die* III. *Kal. Mart. Ærâ* DCXLI. Periiſſet igitur XXVII. Febr. anno Dom. DCIII. Quam ſanè Chronologiam admittere non poſſumus,

Greg. Ep. l. VII. 127.

Anno Dom. 601.

mus, cùm regnante etiamnùm Recaredo perierit, qui ad plures abiit Ærâ DCXXXIX. ſive Chriſti DCI. Neque Cavio aſſentimur, Leandri obitum in annum DXCV. conferenti. Cùm liquidò conſtet ex Gregorianis Epiſtolis, pallioque ad Leandrum miſſo, anno DXCIX. adhùc egiſſe inter homines. Ad annum DCI. Leandri vitam extendere, Chronologiæ regulis non prohibemur.

Leandri libri.

Iſid. de Script. Eccl. c. 28.

X. Leandrinæ vitæ Breviarium frater ipſius Iſidorus, & in Epiſcopatu ſucceſſor nobis fœnerat noſtris Annalibus inſerendum: *Leander genitus patre Severiano, Carthaginenſis Provinciæ Spaniæ, profeſſione Monachus, & ex Monacho Spalenſis Eccleſiæ Bæticæ conſtitutus Epiſcopus, vir ſuavis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, vitâ quoque tantum atque doctrinâ clariſſimus, ut etiam fide ejus atque induſtriâ populi gentis Gothorum ab Ariana inſania ad fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in exilii ſui peregrinatione compoſuit duos adverſus Hæreticorum dogmata libros, eruditione Sanctarum Scripturarum ditiſſimos, in quibus vehementi ſtylo Arianæ impietatis confodit ac detegit pravitatem, oſtendens ſcilicet, quid contra eoſdem habeat Catholica Eccleſia, vel quantum diſtet ab eis religione vel fidei Sacramentis. Extat & aliud laudabile ejus Opuſculum adverſus inſtituta Arianorum, in quo propoſitis eorum dictis ſuas reſponſiones opponit. Præterea edidit unum ad Florentinam ſororem de Inſtitutione Virginum, & Contemptu Mundi libellum, titulorum diſtinctionibus prænotatum. Siquidem & in Eccleſiaſticis officiis idem non parvo elaboravit ſtudio. In toto enim Pſalterio duplici editione Orationes conſcripſit. In ſacrificii quoque laudibus atque Pſalmis multa dulci ſono compoſuit. Scripſit & Epiſtolas multas; ad Papam Gregorium de Baptiſmo unam. Alteram ad fratrem, in qua præmonet, cuiquam mortem non eſſe timendam. Ad cæteros quoque Coepiſcopos plurimas promulgavit familiares Epiſtolas, & ſi non ſatis ſplendidas verbis, acutas tamen ſententiis. Floruit ſub Recaredo viro religioſo, ac Principe glorioſo, cujus etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clauſit.* De tot Operibus præter Orationem in Toletana Synodo pronunciata, librumque de Inſtitutione Virginum ad Florentinam nil ſuper eſt. Regulæ caput primum mandat, ut vitantur Laicæ mulieres. II. Ut viri ſancti fugiantur. III. Ut à juvenibus virgo declinet. X. Quatenùs uti Virgo lavacro debeat. XI. Statuit, quòd *peccatum ſit virgini ridere.* XIX. Quòd virgo jurare non debeat. XX. Ne ſola virgo cum ſola loquatur, &c. Præceptis ejuſmodi abundat Regula, quæ in capita XXI. diffunditur. Extat Leandri Epitaphium, ex quo carmina ad intelligendam Hiſtoriam conducentia adducemus Lectoris ante oculos:

Secul. Bened. 1. 385.

Crux hæc alma gerit Sanctorum corpora fratrum
Leandri, Iſidorique, piorum ex ordine vatum.
Tertia Florentina ſoror devota perennis,
Et poſita amborum conſors ſic digna quieſcit,
Iſidorus medio disjungit membra duorum.
Hi quales fuerint, libris inquirito, Lector, &c.

Anno U. C. 1355. Per. Jul. 5315. Jul. 647. Dom. 602. Mauritii 20. Theodoric. 6. 7. *Sol.* 23. G. *Lun.* 14. *Indict.* 5. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *April.*

Anno Dom. 602.

Poſt Conſulatum Mauritii XVIII.

I. UT dolorum amara gaudiis Mauritius dilueret, filio ſuo *Theodoſio*, Germani Patritii natam matrimonio conjungi voluit. Septiduo nuptiæ ingenti pompâ celebrantur, à nona die Februarii ad quindecimam uſque. Neſciebat Germanus regiam ſibi affinitatem exitio eſſe futuram. Ignorabat & Imperator, Theodoſii nuptias nulli ad ſobolem uſui fore, ex iiſque majorea duntaxat Phocæ furori parari victimas.

Nuptiæ Theodoſii Cæſaris.

II. Armis Priſci proſperos Deus ſucceſſus dedit, ut & Chagani ſuperbia contunderetur, & Mauritius ex ſplendidiore fortuna rueret. Conjunctus Priſco Commentiolus Viminiacum cum exercitu pervenit. Quo cognito, Chaganus filiis ſuis mandat, cum copiis Iſtri vada cuſtodire. At Romani Priſco Duce, adhibitis limbis fluvium ſuperant. Commiſsâ ad Solis occaſum uſque pugnâ, deſideratis Romanorum trecentis, quatuor Avarum millia periere. Triduo pòſt novum prælium initur, verſi in fugam Barbari, multos ex ſuis amittunt, eòque acerbior clades, quòd filiorum Chagani morte cumulatur. Tum Chaganus exercitu numeroſiore collecto Romanis occurrit: non tamen fortiſſimo bellatori, cujus iram ſuorum funus acuebat, proſperè evenit: illuſtrem Priſcus victoriam adeptus, ſuperior iterum evaſit. Damnis Avarum nova calamitas acceſſit. Priſcus præmiſſis quatuor mille militibus, *Tyrſo* amne tranſmiſſo, Barbarorum motus explorat, qui ſuorum cladis ignari conviviis feſtum diem agitabant. Quos clam adorti Romani, miſerè cædunt, ut triginta ex iis millia perirent, ingentique prædâ potiuntur. Necdum victoriarum finis. Chaganus reparatis viribus iterum armis ultima experitur. Sed eam fortuna deſeruerat. Multi gladio, non pauci undis ſepulti periere. Victorum in poteſtatem venere Avarum tria millia, Gepidarum amplius, Slavinorum octingenti. Miſſâ ad Imperatorem legatione Chaganus ſuos recuperare nititur. Neſciebat adhùc Mauritius ultimam victoriam Priſci, cui mandat, ut ſolos Avares petenti redderet.

Priſci nobiles de Avaris victoriæ.

Miſcell. lib. 17.

III. Tot victoriæ excitatum adverſus Imperatorem odium non extinguebant. At ſi Græcis creditur, apparebant jam imminentis exitii præſagia. Monachus quaſi ejus animo futurorum præſenſio injecta eſſet atque incluſa divinitùs, nudato gladio à foro ad æneam Imperatoris ſtatuam uſque diſcurrens, cruentâ morte Mauritium periturum eſſe prædicat. Philippicus, qui *Cordam* Imperatoris ſororem duxerat, in rebellionis ſuſpicionem adducitur. Fama ferebat, illum Mauritio ſucceſſurum, cujus nomen à Φ. inciperet: itaque Philippicus Mauritio verſabatur ante animos, nec dejeranti quidem nihil ſibi tale unquam in mentem veniſſe, fidem habuit, priuſquàm hujuſmodi ſomnium vidiſſet: *Putabat magnam turbam inſiſtere effigiei Servatoris, quæ ſupra æream portam eſt, & contra Imperatorem vociferari, audireque ex imagine, quæ Mauritium adeſſe juberet, eumque ſtatim adductum interrogari, utro in loco ſacinoris in captivos admiſſi*

De cæde Mauritii præſagia: ipſius pœnitentia.

pœnas

pœnas dare mallet, in hac vita, an in futura? Eum dixiſſe: In hac, Domine: & audiſſe vocem, quæ diceret, Tradite eum ergo cum omni familia Phocæ militi. Extemplò Mauritius è ſuis aliquem mittit, Philippicum accerſeret. Tum Philippicus exiſtimare de ſe & fortunis ſuis actum eſſe, uxori ultimos ſe amplexus dare; ſumpto corporis Chriſti Sacramento, ſe munire adverſus pericula, ſicque ad Imperatorem adire. Ingredienti primùm Imperator dicere, inanis ſuſpicionis veniam ſe petere: quærere dein, an militem Phocam noverit? Ille reſpondet, Phocam probè ſibi notum eſſe; Centurionem agere, atque illum ipſum eſſe, qui cum eo inſolentius collocutus erat. Rogat dein Imperator, quâ ſit ætate, quove ingenio. Ait Philippicus, *eſſe juvenem, & ingenio partim audaci, partim timido.* Cui Imperator, *Si timidus eſt, homicida eſt.* His contritus ſubactuſque prodigiis Imperator, Epiſcoporum implorat auxilia: ad civitates Monaſteriis pecuniam, cereos, thura mittit. Rumor tenet, de Magiſtrianis unum reverſum reſipiſcenti retuliſſe, animam ipſius ſalvam eſſe futuram; ex imperio verò turpiter & miſerè ejiciendum eſſe. Quod vaticinium ſubmiſſo accepit animo, Deum laudibus cumulans.

Zon. l. 14. 11.

Miſcell. l. 17.

Rebellio militum & Romanorum in Mauritium. Phocas Imperator eligitur.

IV. Appropinquabat intereà miſerandi Principis exitus, cui tenacitate ſuâ occaſionem imprudens præbuit. Jam aderat autumnus, cùm Mauritius Petro jubet, ut in Slavorum ditione milites hyematum collocaret, ne alimenta ex theſauris ſuis ipſemet ſuppeditaret. Id Præfecto ingratum erat, neque militibus conducebat, propter cœli inclementiam, hyberna frigora, diffuſoſque hùc & illùc Barbaros, qui excurſibus ſuis moleſti Romanis futuri erant. *Gadi* accerſito, Petrus de regiis mandatis queritur. Periculoſum quidem non obtemperare, morem tamen gerere multò damnoſius. Nihilo ſecius vocatis Ducibus, conſilium Imperatoris exponit. Tum vulgus militum gravius commoveri, ad Phocam frequens curſare, vilem Centurionem clypeis impoſitum Imperatorem nuncupare. Quibus auditis, Petrus arreptâ in urbem regiam fugâ, Mauritium de ſeditione commonefacit. Ille rebellionem ſedulò occultare, ludos equeſtres agitare. Tum Praſinorum factio ad pœnas & Conſtantium & Commentiolum depoſcere, orare ut hoſtes Imperii omnes ei ſubjiciantur. Mauritius verò, ut plebis animis metum evelleret, monere ex factioſorum militum manu nil periculi imminere. Ad hæc Veneti fauſta Imperatori precari, optare, ut rebelles brevi contundantur. Quos Mauritius armatos urbis mœnia cuſtodire jubet. Verùm Romania Mauritii Principatus inviſus erat. Theodoſius unà cùm *Germano* ſocero venationibus operam dabat apud Callicratiam: ad eum ergo literas mittunt, ut Imperium ſumat; vel ſi abnuat, illud ſaltem Germanus adeat, cùm deinceps Mauritium amplius Rectorem pati nolint. Quibus intellectis Imperator Theodoſio & Germano ad ſe accerſitis, plebis rebellionem exprobrat. Accuſanti argumenta erant Conſtantinopolitanorum & ad ipſos literæ, & favor, quo factum quidem, ut Germani bonis pepercerint, dum omnia populantur. At Germanus ſibi metuens, Deiparæ Templum ingreditur. Quem cùm ex eo azylo Imperator miſſo Stephano vi evellere voluiſſet, ipſius conatibus adverſati Germani fautores, eum ad magnam Eccleſiam deducunt. Hic Imperator excandeſcere, in Theodoſium ſævire, eum virgis cædere, ſatellites mittere, qui Germanum Eccleſiâ abſtrahant. At prohibuit populus, qui contumelias in Mauritium plures jecit: *Non habeat pellem, qui te amat, Marcioniſta.*

Miſcell. l. 17.

Mauritius fugit.

V. Imperator cognito ſolum ſibi Principis titulum remanere, Conſtantinopolitanos ſibi infenſos eſſe, mutatis in privatas Imperatoriis veſtibus, concubiâ nocte ex Regia ſe ſubducit, dromoneque cum uxore & liberis conſcenſo aufugit, filiamque Theodoſium ad Coſroëm ablegat, ut commemoratis ſuis in illum beneficiis parem roganti gratiam referat. Fugâ Imperatoris cognitâ, ſeditio inflammatur, populuſque convitiis Imperatorem proſcindit. Miſera tum Mauritii conditio erat, ut ei longè ſatius foret privatum fuiſſe, quàm Principem. Infelicem & maritum & patrem comitabantur uxor & liberi complures, ut eorum multitudine paternus dolor increſceret. Eorum nomina memoriæ conſecravit Chronicum Alexandrinum: *Mauritius Tiberius cum uxore Conſtantina, & novem liberis, ſex maribus nempè, Theodoſio, Tiberio, Petro, Paulo, Juſtino, & Juſtiniano, & tribus virginibus, Anaſtaſia, Theoctiſte, & Cleopatra, vigeſimo ſecundo menſis Novembris de nocte, illuceſcente jam die* XXIII. *feriâ ſextâ fugit.* Vix miſerabilius unquam ſpectaculum animo objici poteſt. Nec ſine periculo apud ſanctum Autonomon Mauritius ſervatur, cujus calamitatibus dolor podagricus acceſſit, ut morbi veluti vinculis conſtrictus, citius faciliuſque Phocæ in poteſtatem veniret.

Phocæ inauguratio.

VI. Intereà tyrannus appropinquabat urbi. Venienti favebat Praſinorum factio, quorum Ducem *Sergius* agebat. Ad eum ergo Germanus mittit, ut ad imperium acquirendum ſibi ſubſidio foret, multa ei munera pollicitus. Id tamen impetrare non potuit, Praſinis perſuaſum habentibus, Germanum à Venetorum amore nunquam receſſurum. Itaque Praſini magnis Phocam laudibus efferunt; ad Hebdomum veniat hortantur. Eâ factione fretus Phocas, Theodorum à ſecretis mittit, qui Epiſcopalem ingreſſus Eccleſiam, Patriarcham Senatumque ad Hebdomum ſe conferre jubet. Cunctis eò confluentibus, Germanum tyrannus in ſpeciem rogat, ut purpuram induat: quam protſus à ſe repudiari Germanus ſimulat. Plebs verò, qui Phocæ favebat, Imperatorem eum pronunciat. Tum Cyriacus ab eo Confeſſionem requirit orthodoxam, promiſſionemque, ut ſartam tectamque Eccleſiam ſervet. Sicque in Æde ſancti Joannis apud Hebdomum, Novembris die XXIII. feriâ ſextâ inauguratur. Cùm ibi ad primam uſque feriam moratus eſſet, *per auream, & Throadeſias porticus, mediamque urbem uſque ad Palatium nemine reſiſtente, ſed cunctis plaudentibus, turru vectus*, regiam ingreditur. Phocæ non inerant facies, moreſque tanto digni faſtigio. Corpore erat mediocri, deformis, terribilis aſpectu, rubente capillo, cicatrice in mala notatus. Corporis vitia mentis affectus pravitate ſuperabant. Ebrioſus erat, veneri ſerviens, crudelis, à clementia alienus, nulliſque ferè virtutibus redemptus. Neque laudabiliores ipſius uxori mores inerant, ſi Cedreno fides. Monſtrum Imperatoris Deus hominibus iratus, veluti fulmen aliquod injecit orbi. Sic ad purpuram evectus tyrannus. Sequente luce *Leontiam* uxorem Auguſtam creat, quo tempore Praſinos inter & Venetos ingens de

Chr. Alex.

Miſcell. l. 17. Zon. l. 14.

ſtationibus tumultus exoritur. Compeſcendæ perturbationi Alexander à Phoca miſſus, Coſmâ Venetorum Præfectum contumeliâ affectum manu pepulit. Quod Tribunus non ferens exclamat, *Abi, diſce modeſtè agere, Mauritius vivit.*

Mauritius cum filiis occiditur: ejus conſtantia. Clades familiæ ipſius.

VII. Eo dicto tyranni ſævitia movetur. Miſſiſque ſatellitibus Mauritium cum uxore, & octo liberis in Æde ſancti Autonomi juxta Prænetum comprehendi; ac in Eutropii portum Chalcedonem perducto, Principi mortem imperat. Non alius unquam Imperator, aut iniquiorem fortunam expertus eſt, aut toleravit conſtantius. Ac primùm filiorum, Tiberii, Petri, Juſtini, Juſtiniani cædis ſpectator factus, poſtmodum jugulatur. Una vox in tanto funere clade illius eſt audita, *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Quo nil magis pium unquam, aut fortè celebrari poteſt. Generoſam mentem & illud in primis declarat, *quòd cum ultimum filiolum adhùc lactantem nutrix ſuppoſuiſſet, ne Mauritii familia funditùs interiret, ſuum filium ad cædem obtuliſſet, id ille non paſſus eſt, ſed ſuum offerri juſſit, deinde & ipſe magno animo jugulum carnifici præbuit.* Periit xxvii. Novembris, feriâ tertiâ occiſus à *Lilio*, cùm annos viginti, menſes tres, dieſque aliquot imperaſſet, ætatis anno circiter lxiii. Non defuere, qui Mauritium Martyribus insererent. Hæc in vita Joannis Jejunatoris, Actione iv. Nicænæ Synodi ii. exhibita legitur: *Mauritium olim juſtiſſimum & mitiſſimum, nunc verò Martyrem eſſe. Huic enim infernalis ille draco tyrannus, vel invitus largitus eſt.* Fuere in Mauritio virtutes non exiguæ. Viros eloquentiâ præditos coluit; Templa nonnulla condidit, in quibus Ædes B. Pauli apud Tarſum numeratur; quadraginta Sanctorum delubrum, quod Tiberius inceperat, abſolvit. Vitia verò ſua inſigni reſipiſcentiâ deterſit.

Zon. l. 14.

Niceph. l. 18. c. 39.

Cæterùm de die ſupremo Mauritii Baronii Chronologia non eſt accurata. Ex Gregoriano monumento Mauritium die xxiii. Novembris periiſſe colligit. Fallitur tamen quatriduo; neque erranti præſidio ſunt verba Gregoriani ſcripti. Tempori ſuo aſſignatâ Phocæ inauguratione, unâ ſerie Mauritianæ familiæ obitum narrat, omiſſâ diei mentione. Eſt ergo veriſſimum, non eodem tempore & Phocam coronatum, & Mauritium extinctum fuiſſe. Ille feriâ ſextâ inauguratus; hic tertiâ feriâ morti mittitur, teſte Chronico Alexandrino. Ad fabulas relegandum, quod in Nicephoro legitur: *Eâ ipſâ horâ, quâ Mauritius interemptus eſt, res ea omnis at geſta eſt, Alexandriæ ſtatuis, quæ in Tichæo celebri urbis ejus regione ſtabant, & tum baſibus ſuis delapſa erant, voce clariore quid Imperatori Mauritio accideret, referentibus, viro cuidam præclarâ vitâ inſigni, noctu ibi ambulanti indicata eſt.* Illud fide dignius, quod in eodem capite refertur, milites qui ad Phocam deſciverant, malè diſperiiſſe. *Nondum quatuordecim annis elapſis, cùm Heraclius delectum militum haberet, duos tantùm ex ea multitudine, quæ tyranno faverat, reliquos is invenit.* Tot Principum ſanguine tyranni rabies non ſatiatur: ipſius ambitioni novæ adhùc victimæ immolantur: *Interfecti ſunt in Diadromo ad Acritam Conſtantinus Lardis, ex Præfecto factus Prætorio Logothetes, & Curator Ormiſdæ, filius prætereà Mauritii Theodoſius, Commentiolus Patritius, & Militiæ Præfectus, caſus eſt trans urbem, ad ſancti Cononis propter mare, & corpus ipſius à canibus devoratum eſt.*

Bar. An. 602. n. 12.

Niceph. l. 18. 42.

Chr. Alex.

Theodoſium fugâ ſe morti eripuiſſe, in Theophane legitur. Quam famam refellit Autor Chronici à nobis laudati. Dum fugam ad Coſroëm maturat Theodoſius, à tyrannis captus ipſius furori immolatur, ſi Zonaræ fides: *Fertur etiam filius, dum ad Coſroëm iter, interceptus, atque ad Phocam perductus, occiſus eſſe.* Paucis tamen horis Mauritio Theodoſius ſuperſtes fuit, ut à vero abſit Baronii Chronologia, qui Theodoſii mortem in annum proximè ſecutu-rum contulit. Narrat Cedrenus, Theodoſium cùm ad locum, cui nomen eſt Leucatæ, perveniſſet, captum periiſſe, *ut priuſquam necaretur, divinis impertiri poſſet myſteriis. Quod poſtquam impetraverit, actis Deo gratiis lapidem ex terra ſuſtuliſſe, eoque ter pectus ſuum percuſſiſſe, ita orantem: Domine J. C. ſcis me nulli hominum injuriam feciſſe: nunc autem mihi evenit, ut tua jubet potentia. His dictis, caput ei fuit amputatum.* Quæ ornamenta eſſe videntur à recentioribus Græcis reperta ad illuſtrandam Hiſtoriam, nec ſatis narrationi conſona Autoris Chronici Alexandrini, qui Mauritianæ tragœdiæ teſtis oculatus fuit. Horrendum dictu, & ingenio Phocæ dignum, quod in Theophane legitur. Defunctorum Principum capita jubente tyranno in campo juxta tribunal poſita fuiſſe, ut eo ſe ſpectaculo dum urbem exit, ſe ſatiaret, donec ob fœtorem ſepulchro mandarentur. Mauritianæ familiæ fata unâ ſerie brevi exequamur. Indictione vi. quæ annum dciii. efficit, *Conſtantina* Auguſta Monaſterio includitur. *Philippicus* Patritius & Germanus Theodoſii ſocer *in Clero* collocantur. Anno verò dcv. Conſtantina in portu Eutropii ad Chalcedonem capite plectitur, ut uxori cum marito commune ſupplicium, in eodemque loco indiceretur. Neque infelicis Auguſtæ filiabus tyrannus pepercit, ne ſcintilla fortè aliqua ſupereſſet, quæ in Phocam rebellionis incendium aleret: *Anaſtaſia, Theocliſta, & Cleopatra unà cum filia Germani, quæ fuit conjux Theodoſii, ipſeque Germanus unà cum illis ſublatus eſt.* Conſtantina cum filiabus Mamantis in Æde ſepulta eſt.

Zon. l. 14. 79.

Bar. An. 603. n. 10.

Chr. Alex.

Phocam Gregorius Magnus veneratur.

VIII. Phocæ tyrannis à xxv. Novembris numeratur. Hinc verba Chronici Alexandrini: *A xxv. ejuſdem menſis in reliquam anni partem uſque ad Januarium, nempè præſentis Indictionis vi. perſcriptum eſt in publicis Imperii Actis, Phoca anno primo.* Porrò Gregorium Magnum laudare non poſſumus, qui cruentas Domini ſui ſanguine Phocæ manus veluti oſculatus eſt. Vix menſes ſeptem elapſi erant, cùm Phocæ imagines Romam perveniunt. Quibus acceptis, quâ ratione Gregorius cum Clero ſuo ſe geſſerit, verba teſtantur, quæ initio libri xi. Gregorianarum Epiſtolarum leguntur: *Venit autem Icona ſupra ſcriptorum Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam vi. Kal. Maii; & acclamatum eſt eis in Lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero, vel Senatu: Exaudi, Chriſte, Phocæ, & Leontiæ vita. Tunc juſſit ipſam Iconam Dominus beatiſſimus & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæſarii Martyris intra Palatium.* Hem Phocæ carnificis imaginem inter Martyres ſummi Pontificis manu collocatam! Hoccine feciſſet illuſtris ille Ambroſius, qui Theodoſium privatorum duntaxat ſanguine madentem ſacris admittere noluit? Neque factis duntaxat, ſed verbis etiam Phocæ tyrannidi Gregorius gratulatus eſt, Epiſtolâ datâ menſe Junio, Indictione vi. *Gloria in excelſis Deo.*

... In

ANNO DOM. 602.

. . . *In omnipotentis quippe Dei incomprehenſibili diſpenſatione alternatim vita mortalis ſunt moderamina; & aliquando cùm injuſtorum multorum peccata ferienda ſunt, unus erigitur, per cujus duritiem, tribulationis jugo ſubjectorum colla deprimantur, quod in noſtra diutius afflictione probavimus.* Sic defuncti Mauritii cineres inſultat: deinceps verò impuro parricidæ blanditur: *Aliquando verò cùm miſericors Deus mœrentium multorum corda ſua decrevit collatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, per cujus miſericordiæ viſcera in cunctorum mentibus exultationis ſuæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citius credimus, quia benignitatem veſtra pietatis ad imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus. Lætentur cœli, & exultet terra, & de veſtris benignis actibus univerſa Reipublica populus, nunc uſque vehementer afflictus hilareſcat.* Atqui nullum in Epiſcopo vitium, nulla peſtis major eſt, quàm ſceleratorum adulatio, blanditiæ, aſſentatio. Gregorianæ famæ macula hoc eſt, quam nulla unquam deteret oblivio.

Greg. l. 12. Ep. 38.

Pauli Docleatini abdicatio & vis.

IX. Nunc de rebus Eccleſiæ paucis. Facinus indignum à Paulo *Docleatina* civitatis Præſule perpetratur, quod curis Gregorianis materiam præbuit. In *corporale crimen* lapſus à Clero ſuo accuſatus, dato Libello, ſe reum eſſe profeſſus fuerat. Abdicati in locum *Nemeſion* Epiſcoporum judicio ſuffectus erat. In fletu lachrymiſque Paulus vitam degere debuit, abluendis peccatis. Verùm novo facinore ea cumulavit, de quo hæc ad Joannem primæ Juſtinianæ Epiſcopum Gregorii verba ſunt: *Sed nunc eundem Paulum cum auxilio quorumdam ſecularium Judicum, venientem Epiſcopium more prædonis ingreſſum, ablatiſque violenter rebus Eccleſiæ, ab eo ſe projectum, à ſumma injuria ad necem penè perductum.* Hæc paſſus *Nemeſion* Gregorio narraverat. Jubet ergo Pontifex diligenter perquiratur nùm Paulus ſua duntaxat ex Epiſcopio abſtulerit. Quòd ſi res Eccleſiæ dilapidavit, ex propriis quæ abſtulit, ſatisfaciat: *Si autem differre tentaverit, quo uſque omne, quod dilapidavit, vel de ſubſtantia tulit, Eccleſiæ reſtituat, in Monaſterium mittendus eſt, ut ſaltem coactus reddat, quod malè auferre non timuit.*

Greg. l. 10. Ep. 34.

Gregorius Magnus vult, Commentaria ſua à Claudio edita recudi.

X. Mors Claudii Abbatis occaſionem Gregorio præbuit homilias recenſendi ſuas. Gregorianas conciones plurimi faciens Claudius, eas ſtylo ſuo conſcriptas memoriæ mandaverat. Cùm eo defuncto Monachi Conſtantium Abbatem ſibi conſtitui flagitaſſent, reperit Gregorius Claudium concionantis mentem non probè intellexiſſe. Itaque hæc Joanni Subdiacono mandat: *Quia idem cariſſimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, & de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſenſu & ſtylo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cùm mihi legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde in multis inutilius fuiſſe permutatum. Unde neceſſe eſt, ut tua experientia, omni excuſatione & morâ ceſſante, ad ejus Monaſterium accedat, convenire fratres fiat, & ſub omni veritate quantaſcunque de diverſis ſcripturis chartas detulit, ad medium deducant: quas tu ſuſcipe, & mihi celerrimè tranſmitte.* Gregorio quoque diſplicuit, ſua in Job Commentaria Mammiano jubente publicè ad vigilias legi, quia *non eſt opus illud populare . . . ſed dic ei, ut commenta Pſalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes ſecularium ad bonos mores præcipuè informant.*

Greg. l. 10. Ep. 22.

ANNO DOM. 602.

Eccleſiarum Petri & Pauli tecta Gregorius refici curat.

XI. Curis Gregorianis acceſſit & labor ille, ut nobiliſſimarum Pauli Petrique Eccleſiarum tecta vetuſtate collapſa reſtitueret. Ad eam reparationem Arigis Ducis auxilio opus habuit. Quis verò Arigis ille, docuit nos Warnefridus: *Mortuo Zottone Beneventorum Duce, Arigis in loco ipſius à Rege Agilulfo miſſus ſucceſſit, qui ortus in Forojulii fuerat, & Giſulfi Forojuliani Ducis filios educarat, eidemque Giſulfo conſanguineus erat.* Arigis verò ſic compellat Gregorius: *Indicamus propter Eccleſias Petri & Pauli aliquantas nobis trabes neceſſarias eſſe, & ideò Sabino Subdiacono noſtro injunximus, ut de partibus Brutiorum aliquantas incidere, & uſque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re ſolatiis indiget, ſalutantes gloriam veſtram, paternâ caritate petimus, ut Actionariis veſtris, qui in loco ſunt, deputetis, ut homines, qui ſub eis ſunt, cum bobus ſuis in ejus tranſmittere ſolatium debeant, quatenùs vobis concurrentibus, melius quod ei injunximus, poſſit perficere.* In vulgatis exemplaribus habetur, *in partibus Britannorum.* Sed recta eſt conjectura Baronii emendantis errorem. Legendum, *Brutiorum*; quod & innuit vox Warnefridi, licet corrupta, *Briccorum.* Viginti trabibus ad inſtauranda Eccleſiarum tecta opus erat, quibus advehendis Gregorii Expræfecti Pontifex etiam imploravit auxilium.

Warnefr. l. 4. c. 19.

Greg. l. 10. Ep. 24.

Gregorius de Sabbato & die Dominica ſuperſtitionem abrogat.

XII. Exorientem in urbe de cultu Sabbati ſuperſtitionem Gregorius opprimi voluit; ſcriptâ ad ſuos cives Epiſtolâ: *Pervenit ad me, quoſdam perverſi ſpiritus homines prava inter vos aliqua & ſanctæ fidei adverſa ſeminaſſe, ut die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? Qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum, & quia Judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum Legis revocet, & ſibi Judæorum perfidiam ſubdat, coli vult Sabbatum.* Oſtendit verò, abrogatum eſſe cum ceremoniis Moſis: *Nam ſi quis dicit, hoc de Sabbato eſſe ſervandum, dicat neceſſe eſt, etiam carnalia ſacrificia eſſe perſolvenda, dicat præceptum quoque de circumciſione corporis hùc uſque retinendum.* Eò & invaluerat ſuperſtitio Romanorum nonnullorum, ut negarent licitum eſſe, die Dominicâ corpus abluere. Quid verò Gregorius? *Et quidem ſi pro luxuria ac voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: ſi autem pro neceſſitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus.*

Greg. l. 11. Ep. 3.

Synodus Byzacena: ad eam de Clementio Gregorius ſcribit.

XIII. Anno currente Synodus in Byzacena Provincia celebratur. Quid in ea geſtum fuerit neſcimus. Ad Concilium de Clementii Byzaceni Primatis rebus à Gregorio ſcriptum eſſe tenemus. Indecora multa, Epiſcopoque indigna de *Clementio* fama ſpargebat. Quæ cùm Gregorianas aures tetigiſſent, Concilio ſcribit, ut vera falſave forent, diligenter perquirerent, ut vel reus plecteretur, vel innocens infamiâ liberaretur. Gregorium ipſum audiamus: *Ante multum ſiquidem temporis quædam ad nos de fratre noſtro Clementino, Primate veſtro perlata ſunt, quæ cor noſtrum non modico mœrore tranſfixerunt. . . . Et quoniam ita ſunt gravia, ut tranſire indiſcuſſa nullo modo debeant, fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, ut cum omni ſollicitudine ac vivacita-*

Greg. l. 10. Ep. 36.

ANNO DOM. 602.

ſe veritatis indagare ſubſtantiam multis modis debeatis, ut aut ſi ita ſunt, ut audita ſunt, ultione Canonicâ reſecentur; aut ſi falſa, fratris noſtri innocentia diu ſub nefanda opinionis dilaceratione non jaceat.

Synodus Wigornienſis in Anglia.

XIV. Sub hæc penè tempora Synodus Wigornienſis ab Auguſtino Cantuarienſi Præſule permiſſu Regis Ethelberti congregatur. Auguſtino in votis erat, Clerum Britannicum in diſciplina ſibi ſimilem eſſe. Doctores ergo maximæ Britonum Provinciæ cogit in loco, Anglis dicto, *Auguſtineizac*, id eſt, *robur Auguſtini, in confinio Vectiorum & Occidentalium Saxonum.* Accerſitos rogat, ut relictis ſuis traditionibus communem Evangelii prædicandi Provinciam cum Pontificis Legatis ſuſciperent. Quod cùm recuſarent, petit Auguſtinus cœleſtibus miraculis oſtendi, quorum in partibus veritas ſtaret. Adducitur Anglus oculis captus, qui Auguſtini precibus lumen recepit, quod Britonum Sacerdotum votis negatum fuerat. Poſtulant deinde, ut numeroſior conventus haberetur. Quem cùm impetraſſent: *Venerunt ſeptem Britonum Epiſcopi & plures viri doctiſſimi, maximè de nobiliſſimo eorum Monaſterio, quod vocatur linguâ Anglorum, Bancornaburg, cui tempore illo Dinooth Abbat præfuiſſe narratur.* Prius verò quàm proficiſcerentur, Anachoretam percontantur, maximæ pietatis virum, nùm Auguſtino obedientes efficere traditiones deberent ſuas. Quærentibus poſſe id fieri, ſi humilitate præditus eſſet, quæ ex eo noſci poterat, ſi *appropinquantibus aſſurrexerit.* Cùm *venientibus illis ſederet Auguſtinus* in ſella, in iram converſi, dicenti pertinacius contradicunt. Hæc verò ab illis requirebat: *Ut Paſcha*, inquit, *ſuo tempore celebretis; ut miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, juxta morem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ compleatis; ut genti Anglorum unà nobiſcum prædicetis verbum Domini; cætera, quæ agitis, quamvis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* Id cùm Auguſtino negaſſent, eis ille minatus verbis ejuſmodi: *Si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi.* Quod defuncto Auguſtino contigiſſe memorant, cùm Rex Anglorum *Edilfridus* mille & ducentos Monachos, qui precibus cœleſtia popularibus ſuis auxilia poſcebant, interfecit. Hæc Beda, quorum fides ſit penes Autorem. Porrò Auguſtinum inter & Britonum Epiſcopos Collationis tempus eſt in obſcuro. Du Pin in annum ſuperiorem illam contulit, Baronius verò in annum DCIV. transferre voluit. Probabilius nobis eſt, Synodum Anglicanam Auguſtini, ad labentem annum pertinere. Cæterùm antiquæ Britonum diſciplinæ, quæ pietatem non deflorabat, durum nimis ſe Auguſtinus præbuit, quaſi in tempore celebrandi Paſchatis, aut miniſtrandi baptiſmi ritu prora puppiſque Religionis eſſet collocanda. Durus magis atque ferreus Auguſtini animus, ſi conſiliis ſuis crudeliſſimæ Bancorienſium Monachorum ſtragis autor fuerit: *Quelques Hiſtoriens accuſent le Moine Auguſtin, d'avoir contribué au maſſacre de ces pauvres Bretons, qui ne meritoient pas d'être traitez ſi rudement, puis qu'ils maintenoient leurs anciens uſages, & les libertez de leurs Egliſes, ſans s'écarter de la foi Catholique.* Clariſſimi Du Pin judicium hoc eſt in nova ſua Bibliotheca, tom. 6. 47. Ab ea tamen crudelitate Auguſtini innocentia defendi debet, ſi qua Bedæ fides, qui Bancorienſem cladem diu Auguſtini poſt obitum contigiſſe memorat. Narratâ enim cæde orantium Monachorum, imperatâ à Rege Edilfrido, ſubjungit: *Sicque completum eſt præſagium ſancti Pontificis Auguſtini, quamvis ipſo jam multo antè tempore ad cœleſtia Regna ſublato, ut etiam temporalis interitus ultionem ſentirent perfidi, quòd oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreverant.* Hæc ſtrictim dicta fuſius ſuo tempore narrabuntur.

ANNO DOM. 602.

Beda Hiſt. Angl. l. 2. c. 2.

Id. ibid.

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM,

quæ in tertio Tomo Annalium Politico-Eccleſiaſticorum continentur.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum ſignificat.

A.

ABares *Thraciam ingreſſi, Tiberii exercitum delent*, pag. 853. num. 1. *Multas urbes expugnant*, 892. ib. *A Priſco vincuntur*, 944. 2.
Abaſgi *fiunt Chriſtiani*, 782. 8.
Abdas *Epiſcopus Pyreum deſtruit*, 298. 1.
Abundantius *ab Eutropio relegatur*, 154. 2.
Acacius, *Epiſcopus Amidæ: ejus præclarum facinus*, 304. 1.
Acacius *Melitinenſis*, 339. 19. *Neſtorium accuſat*, 343. 6. *& Theodorum Mopſueſtenum*, 383. ib. 384. 7.
Acacius *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, 527. 4. *Baſiliſco reſiſtit*, 545. 11. *Stephanum Antiochenum conſecrat, cur?* 548. 5. *Ejus in Talaiam indignatio*, 552. 8. *Petro Mongo favet*, 554. 6. *A Felice Romam evocatur*, 559. 7. *Ejus Synodus contra Gnapheum ſubdita*, 562. 10. *Num Acacio autore Gnapheus Antiochiæ redditus?* 561. 6. *A Felice Papa bis damnatur*, 563. 8. 9. *Tatum corrumpit*, 564. 11. *Fuitne Hæreticus?* 565. 13. *Debuitne obtemperare Felicis citationi?* 566. 14. *Mors & virtutes ejus*, 575. 3. *Ejus damnationem urget Hormiſda*, 637. 3. *Diptychis deletus*, 650. 4.
Acaumenſe Monaſterium, 632. 9. 10. 11. *Chronicum Sancti Brugni de eo ſubditum*, 633. 12.
Acephali, 555. 8.
Accœmetæ *Virginem Deiparam negant*, 701. 3. *Damnantur*, 713. 18.
Addæus, 839. 3.
Adrumetini Monachi, *negaruntne liberum Arbitrium?* 318. 8.
Adrianus, 915. 17.
Ægidius *Comes*, 506. 3. 514. 2.
Ægidius *Remenſis Epiſcopus: ejus vitæ Breviarium: à Metenſi Synodo damnatur*, 909. 12.
Æonius, *Arelatenſis Epiſcopus*, 603. 4. *Ejus cum Avito diſſidium*, 604. 5. *Mors*, 612. 3.
Æra Armeniaca. 792. 2.
Ætherius *à Juſtino damnatur*, 839. 3.
Ætius *Athens relegatur*, 18. 9. *Obit*, ibid.
Ætius *Conſtantinopolitanus Præfectus à ſicario percutitur*, 291. 2.
Ætius *Comes*, 312. 1. *Bonifacio calumniatur*, 314. 1. 320. 2. *Mores Ætii: de Francis victoria*, 321. 3. *Felicem occidit*, 331. 2. *Bonifacium vincit*, 363. 1. *Gothos*, 389. ib. *Britannorum ad eum Epiſtola*, 415. 2. *Attilam vincit*, 449. ib. *Occiditur*, 482. ibid.
Afri: *eorum corruptio*, 330. 2.
Africanus Codex, 297. 18.
Agapetus *Papa*, 716. 7. *Juſtiniano reſcribit*, 717. 9. *Ejus ad Anthimum Epiſtola ſubdita*, 719. 15. *Conſtantinopolim mittitur*, 722. 8. *Ejus acta*, 723. 9. *Juſtinianumne Eutychianiſmi poſtulavit?* ib. 10. *Anthimum Patriarchatu ejicit*, 724. 12. *Mennam conſecrat*, ib. 12. *Ejus mors & laudes*, 725. 14.
Agathenſe Concilium, 614. 3. *Canones*, ibid. 4.
Agellius, *Epiſcopus Novatianorum*, 91. 6. 94. 4.
Agilanes *Arianus cum Gregorio Turonenſi diſputat*, 869. 6.
Agilulphus, *Dux Taurinentium, Rex Longobardis præficitur*, 905. 4. *Ejus acta*, 917. 2. *Romam obſidet*, 985. 1.
Agnoetæ, 746. 8. *A Gregorio damnantur*, 930. 4.
Agricola *Epiſcopus: in eum Monachi conjurant*, 831. 1.
Agricola Cabillonenſis, 872. 10.
Ajax *Hæreticus*, 519. 2.
Alamundarus *Rex Saracenorum: ejus in Palæſtinam impetus*, 619. 2. *Fit Chriſtianus*, 627. 5. *Severianos lepido commento refellit*, 628. 5. *Perſis contra Romanos militat*, 684. 1. *Perſarum erigit animos*, 693. 2.
Alaricus, *Rex Gothorum*, 150. 7. *Ad Pollentiam pugnat*, 195. 1. *In Italiam migrat*, 225. 5. *Romam obſidet*, 226. 9. 227. 10. *Romam liberat*, 227. 11. *Pacis conditiones offert Honorio*, 231. 1. *Romam capit: quando?* 235. 2. *Aſyla conſtituit*, ib. 3. *Ejus clementia & mors*, 242. 4.
Alaricus, *Rex Gothorum, Codicem Theodoſii in unum volumen colligit*, 614. 2. *A Chlodoveo debellatur*. 616. 3.
Alboinus, *Rex Longobardorum*, 828. 2. *Ejus virtutes*, 841. ibid. *In Italiam proficiſcitur*, 844. 3. *Ejus victoria*, 846. 2. *A Roſemunda occiditur*, 848. ib.

Alciſon, *Nicopolis Epiſcopus*, 635. 6.
Aldibertus, *Rex Angliæ, fidem ſuſcipit*, 942. 3.
Alexander *Martyr*, 158. 5.
Alexander Antiochenus *ſchiſma extinguit*, 262. 7. 8.
Alexander Hieropolitanus *Cyrillo adverſarius*, 368. 14. 15. *Ejus Synodus*, 372. 3. *De Joanne querela*, 374. 4. *Ejicitur*, 375. 7.
Alexandrina Synodus, 185. 4. 336. 12.
Alexandrina Eccleſia *Romanæ communionem petit*, 599. 7.
Alexandrina fana *evertuntur*, 133. 12.
Alleluia, 96. 9. *Quando in Eccleſia laudibus uſurpatum?* 97. 10. *Ejus uſus*, ibid. 11.
Alipius *Tagaſtenſis*, 303. 5.
Amalaſunta, *Theodorici filia, Eutharico jungitur*, 603. 1. *Regnum ſapienter adminiſtrat*, 676. 6. *A Gothis ſpernitur*, 707. 5. *A Theodato occiditur*, 708. 7.
Amalberga, *Theodorici neptis*, 604. 3.
Amalafrida, *germana Theodorici*, 604. 2. 3. *In carcere perit*, 665. 4. 693. 3.
Amalaricus, *Rex Gothorum, à Childeberto delatur*, 692. 5.
Amantius, *Palatii Præfectus, à Juſtino occiditur*, 644. 5.
Ambroſius *Mediolanenſis Epiſcopus*, 47. 10. *Num ad ejus deditionem Sirmium pervenit?* 74. 16. *Avenium conſecrat*, ibid. *Symmacho intercedit*, 94. 2. *Collationem cum Auxentio recuſat*, 103. 4. *Hymnos nocturnos inſtituit*, ib. 5. *A Juſtina vexatur*, ibid. *Perſecutorum ejus pœna*, 104. 6. *Ad Maximum legatio*, 109. 1. 2. *Autorne hymni* Te Deum? 112. 9. *Templi Valentinianorum incendium probat*, 113. 4. *Num Theodoſia Synagoga reſtitutionem mandanti legitimè intercedit?* ib. 5. *Flavianum perſtringit*, 119. ib. *Theodoſium objurgat*, 121. 3. *Rufinum*, ib. *Eugenium*, 136. 5. *Varia ejus acta*, 156. 6. *Mors & laudes*, ibid. 1. 157. 4.
Ambroſius Aurelianus *Angliam contra Saxones tuetur*, 550. 3.
Ammathas, *Gelimeri frater*, 710. 11.
Amphilochius, *Iconienſis Epiſcopus*, 91. 7. *Sidenſi Concilio præſt*, 72. 11. *Vita ejus & Opera*, 145. 9.
Anaſtaſia *Eccleſia*, 65. 7. *Num à Marciano condita? Quando extructa?* 509. 9. 10.
Anaſtaſius *Imperator, quot ejus anni*, 580. 2. *Mores*, ibid. 3. *Contra eum rebellio*, 581. 4. *Favet Zenonis Henotico*, 582. 2. *Seditio contra Anaſtaſium*, 599. 1. *Chryſargyrum abrogat*, 601. ibid. *A Symmacho excommunicatur*, 611. 5. *Defenſores Chriſtianos eſſe jubet*, 614. 1. *Statuam ſibi ponit*, ibid. *Longum murum conſtituit*, 616. 1. *Littora Italiæ vexat*, 617. ib. *Daræ extruit*, ibid. 2. *Epiſcopis Orientis iraſcitur*, 623. 8. *Eliam Hieroſolymitanum vult ejicere*, 624. 1. *Ob addita verba Symbolo contra eum tumultus*, 625. 4. *Epiſcopis abdicationem minatur*, 627. 2. *Catholicam Confeſſionem ſcribit*, 635. ibid. *Ejus ad Hormiſdam legatio*, ibid. 3. *De eo fabula*, 642. 2. *Obit*, ib. 3.
Anaſtaſius *Papa I.* 167. 12. *Epiſtola ipſi ſubdita*, ibid. *Origeniſtis infenſus*, 188. 8. *Ejus ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſtola*, ibid. *Rufino reſpondet*, ibid. *Ipſius Apologiam rejicit*, ib. *Moritur*, 193. 10.
Anaſtaſius *Papa II.* 597. 18. *Ejus ad Anaſtaſium Imperatorem legatio*, 598. 5. *Chlodoveo gratulatur*, 599. 8. *Acacium Diptychis inſerere voluit*, 600. 3. *Moritur*, ib. 4.
Anaſtaſius *Antiochenus Patriarcha: Juſtinianum refellit*, 832. 2. *Quæ ejus laudes*, 831. 3. *Ejicitur*, 847. 6. *Gregorium Papam perſtringit*, 982. 2. *Obit: num Autor libri Via Ducis?* 937. 8.
Anaſtaſius *Junior Anaſtaſio ſuccedit*, 938. 9.
Anaſtaſius *Hieroſolymitanus Juvenali ſuccedit: quis?* 496. 12.
Anaſtaſius *Monachus*, 927. 6.
Anathematiſmi *Cyrilli*. 336. 14. 366. 9.
Anatolius *Conſtantinopolitanus Flaviano ſufficitur*, 440. 23. 446. 8. *Eutychem damnat*, ibid. 9. *Fidei ſuæ Confeſſionem Leoni mittit*, 447. ib. *Actioni* 11. *Concilii Chalcedonenſis præfuit*, 454. 11. *Ætium Diaconum exauctorat*, 477. 3. *Conceſſane ſibi à Chalcedonenſibus jura repudiavit?* 477. 4. *Obit*, 498. 8.
Anatolius *Senator*, 821. 2.
Anatolius *præſtigiator: ejus hiſtoria*, 860. 3.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Andeca Galliciæ regnum uſurpat: ab eo ejicitur, 883. 3.
Andegavenſis Synodus, 690. 10.
Andragatius Gratianum occidit, 89. 14. Valentinianum inſequitur, 110. 4. Moritur, 114. ibid.
Andronicus: ejus hiſtoria, 253. 25.
Annianus Pelagianus, quis? ejus ſcripta, 298. 20.
Anianus Aurelianenſis, 449. 1.
Antalas, 749. 4.
Anthari, Rex Longobardorum, 871. 1. Ejus victoria, 887. 6. Theodelindam ducit, 899. 3. Obit, 904. 4.
Anthemius Præfectus Prætorio, 211. 1. 224. 2.
Anthemius Conſul, 211. 1.
Anthemius Imperator, quis? 520. 1. Infelix in Regnum ingreſſus, 521. 2. Richomero filiam collocat, ib. 3. Ab eo occiditur, 527. 2.
Anthimus, Conſtantinopolitanus Patriarcha, 719. 15. Num Hæreticus? ibid. Agapetus eum ſalutare noluit, 723. 9. Anthemio favetne Juſtinianus? 724. 11. Libelli contra eum: expulſionis ejus varii gradus, 725. 13. A Synodo Conſtantinopolitana deponitur, 726. 15. Ejus tergiverſatio, ibid. 19. Programmate vocatus, ib. 20. Ejus proſcriptio legitur, 728. 21. Movetur Epiſcopatu, ib. 22. Contra Anthimum Lex Juſtiniani, 780. 27. Damnatur ab Hieroſolymitana Synodo, ib. 28. Patriarchatu abit, 731. 29.
Anthimus, Thyanenſis Epiſcopus, 42. 18. Gregorio Nazianzeno vult conciliari, ib. 19.
Antiochia: Antiochena Valentis perſecutio, 97. 7.
Antiochena Synodus ſub Meletio, quando congregata? 72. 11.
Antiochena de Theodoro Mopſueſtena Synodus, 384. 2.
Antiochena contra Theodoſium ſeditio, 110. 5.
Antiochena clades, 497. 1. 2. 673. 1. Ejus gravitas, 674. 2. 681. 3. 860. 12. 895. ib.
Antiſiodorenſe Concilium, 890. 5.
Antonii Reliquiæ, 827. 5.
Antonina, Beliſarii uxor, 710. 10. Mores ejus, 766. 1.
Antoninus, Epheſinus Epiſcopus, 178. 8.
Antonius Arianus, 569. 20. Ejus crudelitas, 573. 4.
Antonius Fuſſalenſis, 308. 3. 4.
Aphraates Monachus: ejus cum Valente colloquium, 44. 4.
Apiarius: ejus hiſtoria, 294. 10. 296. 15. Nova ejus ad Papam appellatio, 309. 6.
Apollinaris: quis? num Epiſcopus? 5. 11. Quid eum in errorem impulit? ibid. 12. Animamne Jeſu Chriſto exterminavit? 6. ib. Exiſtimavitne Chriſti carnem ex Cœlo deſcendiſſe, 7. ibid. Quando damnatus? ib. Erroris ejus progreſſus & libri, ibid.
Apollinariſtæ turbulenti, 7. 12. Theodoſius eos comprimit, 118. 13.
Apollinaris Alexandrinus, 847. 5.
Aquilea: civitatis hujus nobilitas: Metropolitana fuit, 867. 7. Quando & cur Aquileenſis Metropolitanus Patriarcha titulum adeptus eſt? ibid. 8.
Aquileenſe Concilium, 82. 16.
Aquileenſis Diœceſis, 856. 6.
Arabs: ejus fanatus, 377. 9.
Arauſionenſis Synodus, 398. 6. Ejus Canones, ib. 7.
Arauſionenſis Synodus II. 687. 9. 10. 11.
Arator, quis? hiſtoria ejus Apoſtolica, 766. 20.
Arbogaſtes, 74. 1. Ejus ſuperbia, 134. 2. Eccleſiæ Mediolanenſi minatur, 142. ib. Seſe occidit, 143. 3.
Arcadii natalis, 177. 6.
Arcadius, quando natus? 88. 1. Fit Imperator, 89. ib. Num Doctore Auſonio uſus? ibid. Num Arcadius à patre Romam accerſitus? 148. 2. Ejus habitus, 149. 4. Eudoxiam ducit, 150. 5. Leges in Hæreticos condit, 155. ib. Flacillæ pater, 156. 1. De Clericorum ordinatione Legem condit, 169. 16. De Clericis, ib. 17. Gainam convenit, 176. 2. Longos Monachos audit, 190. ibid. Conſtantinopolitanos tumultus componere tentat, 207. 18. Epiſtola ejus ad Innocentium ſubdita, 209. 21. Mors ejus & liberi, 223. 1. Dimiſitne Iſdigerdem tutorem Theodoſio? ibid.
Ardaburius Perſas vincit, 302. 3. Joannis tyranni in poteſtatem venit, 307. 2.
Ardigaſtus, Slavorum Rex, 910. 1.
Arelatum. Arelatenſis Epiſcopus, quibus gradibus ad Metropolitani dignitatem aſcendit? 404. 8. Arelatenſis Synodus, 403. 7. Ejus Canones, 404. 9. Arelatenſis Synodus, 538. 9. Arelatenſis Synodus IV. 670. 7.
Arethas: ejus acta ſubdita, 661. 7.
Arethas, Rex Æthiopiæ: Juſtinus ei legationem mittit, 849. 5. In Ricaredum conjurat, 903. 17.
Ariadne, Leonis Imperatoris filia, Zenoni jungitur, 532. 3. Fugientem virum ſequitur, 539. ib. Anaſtaſium ad imperium evehit, 580. 2. Et nubit, 581. 4. Sabas ei benedicit, 624. 1. Obit, 631. 4. Num affecta hæreſi? ibid.
Ariani Conſtantinopoli pelluntur, 68. 5. A ſe diſſident, 152. 12. Nocturnos hymnos inſtituunt, 178. 7. Eorum in urbe Regia inſigniores Clerici, 221. 9.
Ariobindus, Præfectus Africæ, occiditur, 766. 10.
Armeni deficiunt à Perſis, 848. 3.
Armeniaca Æra, 792. 2.
Armentarius Epiſcopus, 392. 8.
Arſacius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, 207. 16. Obit, 217. 4.
Artabanus, quis? In Juſtinianum conjurat, 779. 2.
Arvandus: ejus rebellio & mors, 522. 2.
Arvernenſe Concilium, 717. 11. 12. Arvernenſe Concilium III. 783. 11.
Aſcholius, Theſſalonicenſis Epiſcopus, precibus ſuis Gothos pellit, 64. 4. Theodoſium movet, ut Quadrageſimæ honorem habeat, 65. 6. Theodoſium baptiſat, 67. 3.
Aſterius Sophiſta, 30. 7.
Aſterius, Cyrenenſis Epiſcopus, 31. 7.
Aſterius Alexandrinus ſubditus, 662. 7.
Ataricus, Rex Gothorum, 749. 3. Occiditur, 753. 1.
Athalaricus, Rex Gothorum, Theodorico ſuccedit, 676. 6. Ejus educatio, ibid. 7. A Papa ad ſe provocari jubet, 682. 9. Simoniam damnat, 706. 3. Obit, 707. 4.
Athanaildus, 841. 1.
Athanaricus, Rex Gothorum, pacem cum Valente facit, 23. 2. Cur Judex dicebatur? ibid. Chriſtianos perſequitur, ib. 52. ibid. Phritigernem vincit, ibid. 8. Conſtantinopolim venit, 74. 1. Obit, 75. ibid.
Athanaſius, Alexandriæ Epiſcopus: Valens eum vult ejicere, 17. 6. In ſepulchro latibulum quærit, ibid. Damaſo de Urſacii abdicatione & Auxentio ſcribit, 35. 5. Petrum ſibi ſucceſſorem dicit, 37. 10. Annus ejus ultimus, ibid. 9. 10. Librorum ejus Chronotaxis, 38. 11.
Athanaſius, Perrenorum Epiſcopus, 411. 3. 466. 28.
Athanaſius, Alexandriæ Epiſcopus, 599. 9.
Athenais, uxor Theodoſii: ejus hiſtoria, 301. 2. Fit Auguſta, 306. 4. Eutychianiſmum ejurat, 490. 5. 502. 3. Vide Eudoxia.
Attalus creatur Imperator, 532. 5. Societatem cum Honorio repudiat, 233. 5. Ab Alarico Principatu ſpoliatur, cur? ibid. 6. Iterum imperat, 235. 3. Ejicitur, ibid. Reſumit Imperium, 264. 3. Captus offertur Conſtantio, 267. 2. Relegatur, 278. ibid.
Ataulphus, Alarici frater, ab Olympio vincitur, 231. 3. Saro inimicus, 235. 2. Alarico ſuccedit, 243. 4. Gallias ingreditur, 254. 2. Placidiam retinet, 261. 4. Eam ducit, 264. 2. Galliâ pellitur: Theodoſium filium amittit, 267. 1. Mors & funus, 275. 1.
Atticus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, 215. 2. Chryſoſtomi nomen Diptychis inſerit: Cyrillo ſcribit, 299. 2.
Atticus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Illyricum Occidentale vult ſibi ſubjicere, 303. 6. Honorius ei intercedit, ibid. Mors & mores ejus, 313. 6.
Atticus Eutychianus Presbyter, 498. 6.
Attila Rex, quis? 398. 1. Bletam fratrem occidit, 402. 3. In Daciam invehitur, 413. 2. Diſcordiam Romanos inter & Gothos ſerit, 443. 2. Ejus excurſus, 444. 2. Aurelianum obſidet, 449. 1. Vincitur, ib. 2. Italiam vaſtat, 470. 1. Fœdus cum Leone ſancit, ib. 2. Vincitur in Gallia, 477. ib. Obit, 481. 1.
Audoera Regina, 869. 3.
Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus: breviarium vitæ ipſius, 94. 6. Quid egit Mediolani? 99. 4. Novam concubinam ſibi jungit, ibid. Baptiſatur, 111. 8. Quid Romæ ſcripſit & egit? In Africam redit, 120. 8. In vita communi ſe collocat, 121. ib. Presbyter creatur, 133. 12. Acta ejus in Presbyteratu, 134. 13. De Civitate Dei ejus cum Fortunato diſputatio, 138. 12. Epiſcopus creatur, 153. 13. Libros condit de Civitate Dei, 236. 4. Ejus cum Fortunio collatio, 254. 5. In Priſcillianiſtas ſcribit, 266. 7. De Ortu Animæ ſcribit, ibid. Ejus cum Emerito collatio, 288. 12. Pugnam catervam inhibet, ibid. Julianum refellit, 303. 5. A Paſcentio ad diſputandum provocatur, 306. 6. Ejus cum Maximino collatio, ibid. Num Auctor Epiſtolæ ad Cœleſtinum de Antonio, 308. 3. Adrumetinis ſcribit, 310. 8. Eradium ſibi ſucceſſorem dicit, 315. 1. Librorum ejus Chronotaxis, 331. 4. Mors, ibid.
Auguſtinus Monachus à Gregorio Papa in Angliam mittitur, 930. 4. Eam ingreditur: quid cum Rege Edilberto geſſit? 931. 5. Quo ſucceſſu Anglis Evangelium miniſtrat? ib. 6.
Auguſtulus, quis? creatur Imperator, 533. 2. Imperio ejicitur, 538. 1.
Avitus Imperator, 486. 6. Conſul procedit, 488. 1. Ejicitur Imperio: fit Epiſcopus, 489. 1.
Aviti in errorem incidunt, 266. 7.
Aurelianus, Arelatenſis Epiſcopus, 770. 9.
Aurelianenſe Concilium, 621. 4. Canones, 622. 5. Aurelianenſe Concilium II. 704. 11. Aurelianenſe Concilium III. 739. 7. Canones, ib. 8. Aurelianenſe IV. 752. 12. Aurelianenſe V. 783. 9.

Au-

Aurelius Carthaginenſis, 332. 5.
Auſonius Poeta Conſul procedit, 63. 19. Quando Panegyricum dixit? 64. 5.
Auſtregildis, 872. 3.
Auxanius, Arelatenſis Epiſcopus, 760. 15. Vigilii Vicentis creatur, 768. 7. Obit, 770. 9.
Auxentius, Mediolanenſis Epiſcopus, Arianus, 4. 9. Ejus Confeſſio pro Orthodoxa habetur, 5. 10. Romana Synodus contra eum, 35. 5. Mortuum vexat, 107. 7.
Auxentius Mediolanenſis, Arianus, 99. 3. Ambroſium provocat ad diſputandum, 103. 4.
Axomitæ ſiunt Chriſtiani, cur? 753. 9.
Azyla, num probanda? 519. 4.

B.

BAcaudæ à Marobaudo delentur, 400. 2.
Bagaienſis Synodus Donatiſtarum, 147. 12.
Baptiſmus: num Apoſtoli Baptiſmum Paſchæ Pentecoſteſque feriis alligarint? 415. 8. 9. Poſſitne in caſu neceſſitatis à Laicis baptiſmus miniſtrari? 165. 8.
Barames, Perſarum Præfectus, 810. 2. &c.
Baradatos Monachus, 500. 4.
Barbas Epiſcopus, Arianus, 604. 4.
Barcinonenſe Concilium, 748. 12.
Baſiliſcus Dux fugam arripit, 539. 3. Chalcedonenſia Decreta reſcindit, 540. 5. Orthodoxos perſequitur, 541. 8. Encyclicis perſecutionem revocat, 543. 7. Moritur: quamdiu imperavit? 542. 3.
Baſilius Conſul, 511. 1.
Baſilius ultimus Conſul, 748. 1.
Baſilius Magus, 613. 3.
Baſilius Magnus ad Synodum Lampſacenam mittitur, 4. 8. Ejus in fame Cappadociæ liberalitas, 25. 5. Vitæ ejus breviarium, 26. 6. Fueritne Diaconus? ibid. Cappadociæ deſerta petit, ibid. Cæſaream redit, 27. 8. Fratres ejus, ib. 9. Matrem luget, 28. ib. Creatur Epiſcopus, 29. 4. Ejus ordinatio, 30. 5. Mores, ib. 6. Ejus cum Modeſto colloquium, 32. 2. De Orientalium calamitate Occidentalibus ſcribit, 36. 6. Demoſthenem perſtringit, 37. 8. Diſſidium ejus cum Anthimo, 41. 18. Jus azyli violari non patitur, 45. 20. In ſuſpicionem erroris incidit, 43. ib. Alexandrinos ſolatur, 44. 2. & Monachos, 51. 7. Annus ejus ultimus, 69. 8. Mors, 70. 9. Ejus virtutes, ib.
Baſilius, Chryſoſtomo amicus: quis? 85. 6.
Baſſianus, Epheſinus Epiſcopus, 416. 10. 465. 35.
Bauto, quis? 150. 5.
Beliſarius, Dux Juſtiniani, in Perſas proficiſcitur, 684. 1. Pugna ejus infelix, 692. ib. Seditioſos occidit, 696. ib. Navigat in Africam, 709. 10. Acta ejus bellica contra Vandalos, ibid. 11. Carthaginem appellit, 711. 12. Civitatem ingreditur, ibid. 13. Gelimerum fundit, ibid. 14. Triumphat, 712. 16. Siciliâ potitur, 714. 16. Stoza ſeditionem compeſcit, 720. 2. Neapolim capit, ibid. & Romam, 722. 6. In periculum incidit, 733. 1. Romam tuetur, 332. 2. Silverium Papam ejicit, 734. 3. Auxilia ad urbem tuendam accipit, 737. 2. 3. Auximo potitur, 743. 5. & Ravennâ, 745. ib. Ejus in Perſas expeditio: Siſauranem expugnat, 750. ib. Ejus virtutes, 766. 1. Gratiâ Juſtiniani excidit; ib. 2. Mittitur in Italiam, 767. 3. Nil auxilii Romæ affert, 772. 2. Romam reſtituit, 775. 8. Ex Italia inglorius cedit, 780. 3. Hunnos repellit, 813. 2. Sodalitio exuitur, ibid. 3. Conjurationis in Juſtinianum accuſatur, 827. 4. Obit, ib.
Benedictus Papa Joanni ſuccedit: ejus Epiſtola ſubdita, 852. 5. Moritur, 858. 4.
Benedictus Monachus: falſum ejus de Totila oraculum, 756. 2. Vita breviarium, miracula: obitus ejus: libri, 760. 16.
Benevolus: ejus pietas, 103. 3.
Berytus terræ motu evertitur, 816. 8.
Bithynienſis Synodus Ariana, 16. 4.
Boethius Conſul, quis? 663. 1. 668. 3. Carcere includitur, 668. 2. Virtutes ejus, ibid. Accuſatur: qua morte obiit? uxor & liberi, 669. 3.
Bonifacius Comes, 307. 11. Vandalos ſibi conjungit, 314. 1. Eos immittit Africæ, 318. ib. Valentiniano reconciliatur, 310. 2. Vincitur ab Ætio, 363. 1.
Bonifacius Papa I. 292. 6. Ravennam vocatur, ibid. 7. De ejus electione ſeditio componitur, 293. 8. Quis? ib. 9. Ei Afri ſcribunt, 296. 1. Obit, 306. 5.
Bonifacius Papa II. 688. 16. Contra Semi-Pelagianos ad Cæſarium ſcribit, 690. 4. Ejus ad Eulalium Epiſtola ſubdita eſt, 690. 5. Ejus Synodus de ſucceſſore: Legem ſuam comburit, 694. 6. Ejus de Stephano Lariſſeno Synodus, ibid. 7. Mors, 695. 9.
Bonoſus, Sardicenſis Epiſcopus, 119. 6. Ejus errores, ibid. & 120. ib. Eccleſiâ movetur, ib.
Bonoſiaci, num à Photinianis diverſi? 120. 7.
Boſo, 899. 5.

Braccarenſe Concilium I. ſubditum, 252. 24.
Bracarenſis Synodus, 818. 2. 3. Ejus Canones, 819. 4. Bracarenſis Synodus II. 849. 6. Ejus Canones, 850. 7.
Brennacenſe Concilium, 870. 9.
Britannia à Saxonibus occupatur, & in Regna dividitur, 429. 2. 3.
Britanni à Scotis Pictiſque vexantur, 411. 2.
Brunichildis Sigeberto copulatur, 837. 3. Germanus ei ſcribit, 855. 12. Epiſtola ſuſcipitur à Theodorico, 935. 2.
Buccelinus, 814. 3. 815. 4. 5.
Bulgari victi à Tiberio, 844. 4.
Burdegalenſis Synodus, 101. 8.
Burgundiones, 24. 2. A Valentiniano in Germanos concitantur, ibid.

C.

CAbaon Vandalos vincit, 665. 4.
Cabillonenſis Synodus, 726. 4.
Cœleſtinus Papa Bonifacio ſuccedit, 306. 5. Errores Vincentiſium damnat, 301. 4. Pelagianiſmum adoritur, 328. 7. Cœleſtini contra Neſtorium Synodus, 336. 12. Maximiano Conſtantinopolitano ſcribit & Theodoſio, 363. 2. Obit, 364. 3.
Cœleſtius, Pelagii diſcipulus, 257. 9. Ejus patria, mores, errores, ibid. Conſtantinopoli ejectus Romam petit, 280. 9. Presbyter creatur, ibid. A Zozimo temerè abſolvitur, 281. 10. Examini ſe ſubſtrahit, 285. 4. Romam relinquit, 287. 9.
Cæſarauguſtana Synodus, 73. 5. Cæſarauguſtana Synodus, 917. 10.
Cæſaria Abbatiſſa: Cæſarii ad eam Epiſtola, 628. 6.
Cæſarius, Nazianzeni frater, obit, 21. 8. Autorne Dialogorum? ibid.
Cæſarius Arelatenſis, 612. 3. Agathenſi Synodo præſt, 614. 3. Ab Alarico in exilium mittitur, 617. 4. Revocatur, ibid. Carceri traditur, 619. 3. Ægidium Romam mittit, ut ſua ſibi privilegia ſerventur, 619. 2. Ejus dicio augetur, ibid. 3. Carpentoracenſi Concilio præſt, 681. 8. Obit, 760. 13.
Calendion, Antiochenus Epiſcopus, 575. 9. Quamdiu ſedit? Epiſcopatu pellitur: quamobrem? 561. 5. Taſaſa literas ſuſcipit, 556. 9.
Candidianus Comes Theodoſii ſacram fert ad Synodum Epheſinam, 343. 6. Ejus contestatio, 346. 12. Exilia ejus undequaque abdicatione Neſtorii, 349. 17. Acta, 350. 18. 19.
Capitula tria, quot damnantur, 763. 5. Damnationi Patriarchæ ſubſcribunt, 764. 6. A multis probantur, 760. 4. 821. 5. A Numidis damnantur, 817. 11. Probantur à Venetis, 821. 3.
Capreolus, Carthaginenſis Epiſcopus, Baſſulam Epheſinæ Synodo mittit, 343. 6. De phraſi Deus natus conſulitur, 365. 7.
Capruia inſula, 914. 3.
Capuenſe Concilium, 119. 5.
Caragi, qui? 890. 5.
Cardarigas, 889. 12.
Cariæ Synodus, 16. 5.
Carpentoracenſis Synodus, 681. 8.
Carthaginenſe Concilium II. 124. 8. Carthaginenſe Concilium III. 159. 7. Carthaginenſe Concilium IV. 163. 5. Canonéſne ad illud pertineant? 167. 12. 13. Carthaginenſe Concilium V. 174. 10. Carthaginenſe Concilium VI. 179. 9. 10. Carthaginenſe Concilium VII. 189. 12. Carthaginenſe Concilium VIII. 190. 13. Carthaginenſe Concilium IX. 200. ib. Donatiſtas invitat ad concordiam, 201. 14. Carthaginenſe Concilium X. 213. 6. Carthaginenſe Concilium XI. 219. 5. Carthaginenſe Concilium XII. contra Cœleſtium, 257. 10. Carthaginenſe Concilium in Pelagianos, 185. 4. Carthaginenſe Concilium de literis Zozimi, 282. 12. Carthaginenſe Concilium contra Pelagianos, 185. 4. Carthaginenſe Concilium, 291. 10. 295. 12. Carthaginenſe Concilium, 305. 4. Carthaginenſe Concilium, 671. 5. 715. 4.
Carthaginenſis cum Donatiſtis collatio, 247. 13. 249. 18. 250. 20. Carthaginenſis Arianorum cum Orthodoxis collatio, 568. 19.
Caſſianus, quis? ejus doctrina, 226. 4. Amicus Papæ Leonis, 394. 5. Leontio Foro-Julienſi Collationes ſuas nuncupat, 507. 5.
Caſſiodorus, quis? 706. 2. Agapetum Papam adit, ut Theologiæ ſcholam erigat, 717. 10. Paſchale Computum edit, 817. 1. Ejus libri, ibid.
Caſpiæ Portæ, 631. 3.
Caſtinus vincitur à Vandalis, 305. 2. Fugit in Africam, 313. 3.
Caſtus, 892. 1.
Cavades, Rex Perſarum, Amidam capit, 609. 1. A Romanis vexatur, 613. ib. Cum Juſtino pacem ſervat; 663. 2. Bellum infert Romanis, 684. 1.

Exercitus ejus delectur, ib. & 689. 2. Romanis vincit, 692. ib. Mors & mores ejus, 697. 5.
Cautinus, Arvernenſis Epiſcopus, 613. 13.
Celidonius, quis? ab Hilarii judicio Romam provocat, 405. 10. Abſolvitur, 406. 3.
Chaganus, 917. 36. 938 1. 945. 1. 2.
Chalcedonenſe Concilium ad Quercum, 197 5. Chalcedonenſe Concilium indicitur Niceæ, 451. 6. Leo Legatos ad illud mittit: quibus conditionibus? ibid. Monachi Epiſcopos turbant, 452. 7. Tempus locuſque Synodi, ibid. 8. Num à Leone coacta? 453. 19. Synodi ſex dies, ibid. 10. Impedit Eccleſiaſtici, 454. 11. Quæ Epiſcopi ſenſabat Synodus? 455. 13. Actionum ordo, ib. 14. Geſta primæ Actionis, ibid. 15. Geſta Actionis ſecundæ, 457. 16. Actionis tertiæ, 458. 17. Actionis quartæ, 459. 21. Actionis quintæ, 461. 24. De fidei Confeſſione quæſtio, 462. 26. Confeſſio Chalcedonenſis, ib. 27. Actio ſeptima, 463. 28. Actio octava, 464. 32. Ætas à Chalcedonenſibus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegia firmari petit, 466. 39. Synodi Canones, 467. 40. Num eos Leo firmavit, excepto Canone XXVIII? 468. 41. Invito Leone Canon XXVIII. vim habuit, ib. 42. Synodus Leoni ſcribit, 469. 43. A Marciano firmatur, 474. 9. Diſſidia ob Chalcedonenſe Concilium, 582. 2. 644. 7.
Charitius, quis? 355. 30. 31.
Cheremertus Rex, 830. 5. Ejus vitæ breviarium, 831. 2. Obitus, 843. 7.
Childebertus Amalaricum vincit, 694. 5. Ejus liberalitas, 684. 5.
Childebertus Rex trium Capitulorum damnationem non probat: Pelagius Papa ei ſcribit, 810. 7. Sapaudo Breviarium Papæ impetrat, 822. ibid. Mors ejus & laudes: ejus donatio Eccleſiæ Sancti Vincentii ſubdita, 824. 4.
Childebertus Rex Sigeberto ſuccedit, 857. 6. Ejus cum ſuccedit, 857. 6. Ejus cum fratribus diſſidium, 871. 2. Italiam ingreditur: Longobardos ſibi ſubjicit, 881. 4. Et Theodebertus ſuſcitur, 889. 2. Ejus exercitus in Italia vincitur, 896. 4. In eum conjuratio, 900 7. Ejus in Italiam expeditio, 924. 3. Inum Eardum, 929 21. Obitus, 930. 2.
Chilpericus Rex Galſuinthem ducit, 837. 3. Eam occidit, 843. 6. Fredegundem ducit, ib. In Sigeberti ditionem impetum facit, 851. 2. Subditos tributis vexat, 865. 2. Filios amittit, 868 1. In Sacellanum ſuum incidit, 869 7. Occiditur, 881. ib. Mores ejus, 882. 8.
Chlodomir Rex Sigiſmundum necat, 665. 3. Occiditur, 666. 1.
Chlodoſuinda Regina, 837. 3.
Chlodoſuinda, ſoror Childeberti, Recaredi ſponſa, 895. 5.
Chlodoveus Rex: vita ejus breviarium ad baptiſmum uſque, 591. 4. Fit Chriſtianus, 592. 5. Quando baptiſatus? 594. 6. Num ad eum ungendum columba ampullam adduxerit? 593. 7. Ejus cum Gundobalda bellum: cum Alarico pugnat, 616. 2. Eum occidit, 617. 3. Ejus ad Epiſcopos Epiſtola, ibid. Conſul ab Anaſtaſio creatur, 618. ib. Regnorum Principatus invadit, 620. ib. Obit, 621. ib. Num Hormiſdæ coronam miſit, 630. 5.
Clotharius Rex: ejus perfidia: Radegundem ducit, 690. 3. A conſanguineis morti deſtinatur, tum eis in concordiam venit, 722. 7. Hiſpaniam ingreditur, 754. 4. Chramnum vincit, 825. 1. Obit, 826. ib. Ejus Conſtitutio, ib. 2. Regni diviſio, ib. 3.
Clotharius II. 938. 2.
Chramnus, Clotharii filius, 814. 1. Patris regnum vaſtat, 818. 5. In Britanniam fugit, 824. 3. Obit, 825. 1.
Chrodieldis: ejus cum Abbatiſſa ſua diſſidia, 900. 9.
Chrodinus, 875. 3.
Chryſantus Epiſcopus, 222. 10.
Chryſaphius, 430. 5. Ejus mors, 445. ibid.
Chryſargyrum, quid? 601. 1.
Circumcelliones, 161. 4.
Cirila, Carthaginenſis Epiſcopus, Arianus, 549. 3. Patriarcha vocatur, 569. 19. Adeſt Carthaginenſi Collationi, 569. 21.
Cirtenſis Synodus, 255. 6.
Clebus, Albino juſſitus, occiditur, 855. 9.
Codex Eccleſiæ Africanæ, 197. 18.
Codex Theodoſianus jubente Alarico colligitur, 614. 2. Conditur, 888. ib.
Codex Juſtiniani, 685. 3.
Codicilli, 618. 3.
Columba, 835. 14.
Columbanus, quis? 940. 7. 8.
Commentiolus, 892. 1. 941. 1.
Conon Abbas, 782. 7.
Conſtantianus Dux, 742. 1.
Conſtantina Auguſta, 914. 1. 876. 4.
Conſtantinus in Honorium rebellat, 219. 3. Conſtantem filium Cæſarem creat, 224. 4. Conſul procedit, 230. 1. Ab Honorio agnoſcitur Imperator, 231. 12. Conſtantem dicit Auguſtum: fit Presbyter: occiditur, 241. ibid.
Conſtantinopolis grandine percutitur, 46. 3. Ejus clades, 222. 8. Ob Demophilum perſecutionem patitur, 25. 4. Eccleſia Apoſtolorum in ea dedicatur, 28. 10.
Conſtantinopolitana Synodus Oecumenica, 75. 2. 3. Theodoſii mandato congregatur, ibid. 3. Qui Epiſcopi ei interfuere, 76. 4. Quis præfuit? ibid. Symbolum ſancit, 77. 6. Decreta de diſciplina, ib 7. Canones condit, 80. 12. Eorum confirmationem à Theodoſio petit, ibid. Num de collatis Conſtantinopolitano Præſuli privilegiis Canon ſit ſubditus? ib. 13. Decreta Synodi Theodoſius firmat, 81. 14. Conſtantinopolitana Synodus anno 382. ejus acta, 84. 4. Conſtantinopolitana Synodus, cur coacta, 144. 8. Conſtantinopolitana Synodus, 178. 8. Conſtantinopolitana Synodus in Chryſoſtomum, 202. 5. In Eutychem, 422. 7. Conſtantinopolitana Synodus ſub Menna, 726. 16. Num eadem ſit, quæ Severum damnavit? 728. 23. Conſtantinopolitana Synodus in Severum, 646. 11. Conſtantinopolitana Synodus Oecumenica II. 798. 10. 11. 12. Quando Actio V. celebratur, 800. 18. Falſa contra Theodorum monumenta adhibet, ib. 19. Non ab omnibus pro Oecumenica habetur, 812. 10. 813. 22.
Conſtantinopolitana ſeditio, 607. 1. 616 ib. 696. ib. 821. 2. Conſtantinopolitanum incendium, 619. 1. 610. ibid.
Conſtantius Edovicum debellat: Edicium pellit: ejus origo & mores, 264. 2. Ataulphum Galliis ejicit, 267. 1. Placidiam ducit, 278. ib. Auguſtus creatur, 300. ib. Moritur, ibid. Ejus in Pelagianos Edictum, 302. 4.
Conſtantius, Mediolanenſis Epiſcopus, 917. 3. Ab ejus communione ob tria Capitula tres Epiſcopi diſcedunt, 918. 4. Moritur, quis? 930. 5.
Contumelioſus, 713. 19. 716. 8.
Cosroes, Rex Perſarum, 697. 4. Pacem cum Romanis facit, 703. 1. Suram exſcindit, 744. 2. Antiochiam expugnat, ibid. 3. Apameam petit, 745. 4. Petram obſidet, 750. 5. & Sergiopolim: factam cum Beliſario pacem violat, 754. 5. Obſidet Edeſſam, 762. 2. Ejus induciæ cum Juſtiniano, 768. 1. Pax, 820. ib. Juſtino rebelli indicitur, 853. 4. Obit, 865. ibid.
Coſroes II. Hormiſdam patrem occidit, 911. 3. Mauricii auxilium implorat, ibid. 4. Baramum vincit, 811. 5. Dat Sergio Martyri munera, 914. 2. Fueritne Chriſtianus? ibid. 3.
Cottradis Peraſa, 388. 2.
Cura, 856. 2.
Cyclus Paſchalis, 387. 5. 700. 11. 787. 10. 494. ib.
Cynegius, obit, 115. 7. Tatianus ei ſuccedit, ibid.
Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus creatus: ejus virtutes, 908. 8. Gregorius ejus communionem abnuit, 932. 2.
Cyrillus Hieroſolymitanus, 84. 2. Moritur, 113. 11. Extiteritne Orthodoxus? libri ejus, ibid.
Cyrillus Alexandrinus Theophilo ſuccedit, 259. 12. Ejus cum Oreſte diſſidium, 274. 14. Alexandria Judæos pellit, ibid. Ritanos Codices Afris mittit, 287. 0. Neſtorii ſermones refellit, 330. 21. Neſtorio ſcribit, ib. 13. 334 8. Theodoſio ſcribit, 335. 11. De Neſtorii doctrina Commonitorium ejus, 336. 14. Legatos Conſtantinopolim mittit, 338. 18. Præfueritne Epheſinæ Synodo Cœleſtini nomine? 344. 9. 10. Abſente Joanne vult celebrare Synodum, 345. 11. A Synodo Joannis abdicatur, 351. 22. De abdicatione ſua queritur, 354. 29. Cuſtodia includitur, 358 37. Anathematiſmos exponit, 372. 6. Theodorum Mopſueſtenum apud Theodoſium accuſat, 384. 7. Ejus cum Acacio Melitinenſi unitatem, ibid. Paſchalis ejus Cyclus, 387. 5. Mors: fueritne ex ſorore, vel fratre Theophili genitus? 406. 12. Mores ejus: Theſaurus num mutilus? ibid. 13.
Cyrillus Scythopolitanus, 692. 11.
Cyrus Conſul: vita ejus breviarium, 397. 4.

D.

DAcius, Mediolanenſis Epiſcopus, 742. 2. 3. Obitus ejus & vitæ breviarium, 796. 7.
Dalmatica, 873. 8. 9. 936. 4.
Damaſus Papa, 12. 8. Cruenta ejus electio, 13. 8. Quis? 14. 10. Subditur Epiſtola, ib 11. Synodus in Arianos, 20. 5. Urſicinus venit, ib. 6. Valentis perſecutioni non interceſſit: cur? ejus contra Auxentium Synodum, 31 5. & contra Apolinariſtas, 50. 5. Contra Urſicinos, 62. 17. De adulterio accuſatur, ib. Ejus auctoritatis incrementum, ib. 18. Maximo Cynico ſuvet, 68. 4. Num ipſius auctoritate Conſtantinopolitana Synodus Oecumenica coacta fuerit? 75. 3. Maximumne evocarit? 76. 5. Romanam Synodum

anno

Digitized by Google

anno 382. cogit, 83. 2. 3. Mors: Auterne Pontifica-lis? 98. 12.
Daræ urbs, 617. 11.
Demetrias virginitatem profitetur, 263. 9. Pelagii ad eam Epiſtola, ibid. 10.
Demophilus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Arianus, 65. 3. Dat Cyzicenis Epiſcopum, 29. 2. Conſtantinopoli egreditur, 68. 5. Beroeam petit, ibid.
Denticus, Attila filius, occiditur, 525. 4.
Deogratias, Carthaginenſis Epiſcopus, 483. 6. Mors, 490. ib.
Deſiderius, 894. 5.
Dianius, Caſarea Epiſcopus, 26. 7.
Dictinius, Priſcillianiſtarum Epiſcopus, errores deponit, 181. 14.
Diodorus Tarſenſis, quis? ejus vita breviarium, 60. 15. Opera, 61. ib. Num fons Neſtorianiſmi, 62. 16.
Dionyſia Martyr, 569. 11.
Dionyſius Exiguus, quis? Canones Apoſtolicos vertit, 690. 10. Cyclum Paſchalem ſcribit, 700. 11. Quos annos complexus ſit? ib. 12.
Dioſcorus Alexandrinus Cyrillo ſuccedit: quis? 407. 14. Conſanguineos Cyrilli vexat, 410. 8. Ejus ſuperbia, ibid. Num in Actione ſecunda Chalcedonenſi exauctoratur? 455. 14. Præſentiam tertiæ Actioni negat, 457. 1. Accuſatur, 459. 18. Damnatur, ib. 20. Ejus reſtitutio a quibuſdam petita, 460. 23. Admiſeritne in Jeſu Chriſto naturarum confuſionem? 469. 44. Nomine hæreſeos damnatuſne ſit? 470. ib.
Dioſcorus Alexandrinus II. 639. 8.
Dioſcorus, Hormiſdæ Legatus, 654. 12. 658. 10.
Dioſcorus Antipapa, 688. 16. A Bonifacio anathematiſatus, 694. 6.
Dioſpolitana de Pelagio Synodus, 271. 9. Pelagium abſolvit, ibid. Doctrinam ejus damnat, ibid. 10.
Diptycha, quæ? eorum uſus, 579. 7. 8.
Dominica, Valentis uxor, 22. 1. Virum in Arianiſmum inducit, 15. 2. Liberi ejus, ibid. Fortitudo, 57. 6.
Dominicale, quid? 801. 5.
Domnus Antiochenus Joanni ſuccedit, 396. 3. De Athanaſio Synodum cogit: de illo, 425. 13. Ab Epheſiis damnatur, 458. 20. Mors, 440. 24. Quis? ib.
Domninus Antiochenus, 766. 9.
Donatus Schiſmaticus moritur, 21. 9.
Donatiſtæ. In Donatiſtas Leges Imperatorum, 54. 5. Donatiſtarum Synodi, 147. 22. Diviſio ob Primianum & Maximianum, 142. 4. 147. 12. Afrorum contra eos legatio, 210. 6. Lege Honorii vexantur, 214. 7. Eorum cum Eccleſia conjunctio, ibid. Eane probanda commutatio, quæ violenta eſt? ib. 8. Donatiſtis clementia aliquid exhibet Honorius, 259. 9. Donatiſtæ ad Collationem Carthaginenſem veniunt, 248. 15. Tergiverſantur, 150. 20. Collationem ingrediuntur, 250. 21. Eorum factio decreſcit, ibid. 22. Honorii in eos Edictum, 254. 3. Edicto accenduntur, 244. 4. Honorii contra eos Reſcripta, 265. 5. Eorum deſperatio, ibid. 6. Motus in Africa, 913. 12. 931. 5.
Dorotheus, Arianus, Epiſcopus Antiochenus, 53. 4.
Dorotheus, Theſſalonicenſis Epiſcopus: ejus cum Hormiſdæ Legatis diſſidium, 652. 10. Ejus relegationem Hormiſda flagitat, ibid. Heracleam ducitur, 653. 11. Sedi reſtituitus, Hormiſda ſcribit, ib.
Dulcitius Tribunus: ejus manſuetudo, 265. 6.

E.

EBoricus, Rex Suevorum, ab Audeca Monaſterio includitur, 883. 11.
Eccleſia Conſtantinopolitana igne corripitur, 205. 13. Num miraculoſe? ibid. Reparatur, 268. 4. Sanguine polluitur, 338. 7.
Edeſſa à Coſroe obſidetur, 762. 2. Num ab imagine Chriſti ſervata ſit? ib. 3.
Edeſſena Valentis perſecutio, 34. 3.
Edicius, quis? ejus virtutes, 533. 3.
Eleuſius, Cyzicenus Epiſcopus, 16. 4. Conſubſtantiale rejicit, 77. 6.
Elias, Hieroſolymitanus Epiſcopus, B. Mariæ Templum dedicat, 609. 4. Literas Timothei accipit, 623. 8. Sabam ad Anaſtaſium mittit, ibid. 9. Ejus in Sidonenſi Concilio induſtria, 624. 10. Ajalam relegatur, 638. 5. Obit, 645. 8. Vita ejus breviarium, ibid.
Emerius, Santonenſis Epiſcopus, 850. 5.
Emmelia, Baſilii Magni mater, 26. 6. 27. 9. Obit, ib. 28.
Enneadecateris, 486. 7.
Ennodius Libellum contra abſolutionem Symmachi refellit, 610. 3. Ejus apologia à Synodo probatur, 612. 2. Conſtantinopolim mittitur, 631. 6. 637. 3.
Epheſina Synodus, 343. 6. Quot Epiſcopis conſtitit? ib. 7. Quis eam cogit, 344. 8. Synodi Præſes, ib. 9. Num Cœleſtini Legati ei præfuerint? 345. 10. Multa perturbatè egit, 346. 12. Actio prima Synodi, 347. 13. 348. 15. Neſtorium damnat, ibid. 16. Neſtorii andicationem Theodoſio notificat, 349. 18. Actio ſecunda, 353. 26. Synodum ingrediuntur Legati Cœleſtini, ibid. Actio tertia Synodi, 354. 27. Actio quarta & quinta, ibid. 28. 29. Actio ſexta, 355. 30. Actio ſeptima & octava, 356. 32. Canones Epheſini, 357. 35. Infelix Synodi exitus, 361. 48.
Epheſinum Conciliabulum: Legati Leonis illud ingrediuntur, 434. 14. Tempus & conſides Synodi, ib. 16. Num Leonis Legati Dioſcoro conſenſerint, 435. 16. Geſta Synodi, ib. 17. Epheſina Chryſoſtomi Synodus, 184. 3.
Ephrem Edeſſenus Diaconus, 50. 6. Num Presbyter? ibid. Ejus libri, 51. ib. Mors: eloquentia, 71. 10.
Epicarpius Presbyter, 417. 15.
Epiphanius, Salamina Epiſcopus, 46. 8. Imaginem lacerat, 116. ib. Ejus ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſtola, num ſubdita? ibid. Paulinianum ordinat in Palæſtina, 117. 10. In Origenem invehitur, ib. 11. 186. 6. Synodum in Origeniſtas cogit, 191. 4. Inhibueritne lectionem Origenis? ibid. Acta ejus Conſtantinopoli, ibid. 5. Obit, 200. 12.
Epiphanius Ticinenſis, apud Euricum Legatus, 533. 1. Apud Odoacrum, 547. 2. Apud Theodoricum, 585. 2. Apud Gundebaldum: vita breviarium & mors, 597. 19.
Epiphanius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, 656. 4. Ejus virtutes, ibid. Hormiſda ſcribit, 657. 12. Legatos ei mittit & munera, ibid. Obit, 719. 15.
Epiſcoporum natalitia, 518. 7. Epiſcoporum Romanorum luxus, 13. 9.
Epiſtolia, quæ? 705. 12.
Eponenſe Concilium, 640. 12.
Epulæ ad Martyrum ſepulchra, 95. 7. Ab Agapis diverſæ, ibid. Prohibentur, 96. 7.
Equitius, Hipponenſis Epiſcopus, loco movetur, 190. 12.
Eros, Arelatenſis Epiſcopus, 142. 2. 282. 11. Pelagium accuſat, 271. 9. De eo ad Afros ſcribit, 276. 4. Vexatur à Zoſimo, 281. 11.
Evagrius, Hiſtoricus: vita ejus breviarium, 920. 2.
Evagrius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, 25. 4.
Evagrius, Antiochenus Epiſcopus, 119. 5.
Evagrius Ponticus: vita ejus & ſcripta, 126. 11.
Eucherius, filius Stilichonis, 226. 6.
Eucherius, Lugdunenſis Epiſcopus, 397. 5.
Eudoxia Auguſta, uxor Arcadii, 156. 5. Ab Eutropio injuria afficitur, 170. 2. Infenſa Chryſoſtomo, cur? Ejus ſtatua dedicatur, ib. Moritur, 208. 20. 209. 21.
Eudoxia, Theodoſii uxor, Hieroſolymam petit, 389. 4. Num Petri catenas Conſtantinopolim retulit, 390. 3. Migrat Hieroſolymam, cur? moritur, 401. 1. Scripta ejus, 402. 2. 501. 3. Vide Athenais.
Eudoxia, Theodoſii filia, a Genſerico abducitur in Africam, 485. 5.
Eudoxia, uxor Hunnerici, Conſtantinopolim mittitur,
Eudoxius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Arianus, 4. 8. Valentem in Orthodoxos incitat, 16. 4. Moritur, 25. 3.
Eugenius tyrannus: ejus mores, 136. 5. Legatos Theodoſio mittit, ibid. Bellum parat, 142. 2. Ejus ſuperſtitio & obitus, 143. 3.
Eugenius, Carthaginenſis Epiſcopus, 548. 2. Vita ejus breviarium, ibid. 3. Epiſtola ad gregem ſuum: relegatio, 569. 20. Revocatur, 588. 8. In Gallias relegatur, 614. 5.
Eulalius, Nazianzenus Epiſcopus, 86. 8.
Eulalius Antipapa, 191. 6. Ejicitur, 292. 7. 8.
Eulogius Confeſſor, 34. 3.
Eunomiani inter ſe diſſident, 155. 4. Ab Arcadio damnantur, ib. 5. 169. 18. Nova eorum factio, 191. 5.
Eunomius Samoſatenus, Arianus, 18. 8.
Eunomius Anomæus relegatur, 18. 9. Ejus Confeſſio, 91. 6.
Eunumius Nicomedienſis: ejus hiſtoria, 468. 37.
Euphemius Conſtantinopolitanus Flavitæ ſuccedit: Diptychis Mongi nomen exhibet, 578. 6. Illud Felicis reponit: in odium incidit Anaſtaſii, 588. 1. Relegatur, ib. 2. Moritur, ib. Diptychis inſeritur, 646. 11.
Euphraſius Antiochenus, 665. 5. Moritur, 674. 2.
Euphræmius, Comes Orientis, 674. 2. Antiochiæ creatur Epiſcopus, 676. 8. Origenem damnat, 758. 10. Capitula reprobat, 764. 5. Quamdiu ſedit? 765. 8. Mores & ſcripta, ibid. 9.
Eureſius Hæreticus, 150. 6.
Euricus Rex Theodoricum occidit, 52. 4. Britonum Regem vincit, 547. 1. Arvernâ potitur, 550. 4. Eccleſiam perſequitur. obit, 561. 3.
Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus, 26. 7. Baſilio reconciliatur, 27. 8. Moritur, 29. 3.
Euſebius, Valentinopolitanus Epiſcopus, Antoninum accuſat, 178. 8. 184. 3.
Euſebius, Samoſatenſis Epiſcopus, à Valente pellitur, 17. 8. Samoſatenſium amor erga eum, 18. 8. Ejus reditus,

57. 10. Viros inſignes prajicit Eccleſiae, 58. ib. Mors & ſcripta, ibid.
Euſtathius, ad Liberium Lampſacenorum Legatus, 16. 6. Unaque & idem cum Euſtathio a Gangrenſibus damnatur? 23. 5. Ejus errores, 24. ib.
Euſtathii reliquiae, 561. 4.
Euſtachiam Virga, 291. 6.
Euſtaſius Haereticus ab Euſtathio diverſus, 14. 5.
Eutharicus Amalaſuntham ducit, 630. 2. Conſulatus ejus: Orthodoxos odio habet, 619. 2.
Euthymius Abbas, quare Eudoxium convenit, 490. 5. Obit, 538. ib.
Eutropius Eunuchus, 142. 2. Arcadii nuptias cum Eudoxia conciliat, 150. 5. Rufini facultates ſibi vindicat, 152. 10. Quid? 153. 1. Abundantium relegat, 154. ib. Fit Conſul, 170. ib. Ejus Conſulatus fatalis imperio, ibid. Ejicitur, ibid. 3. Ad Eccleſiam fugit, ib. Relegatur, occiditur, 171. 3. Num Paganus? ib.
Eutyches Abbas haereſim promulgat, 415. 4. Ejus errores, 419. 5. Chriſtum nobis Conſubſtantialem negavit, 420. 6. Chriſti ex Virgine ortum admiſit, ibid. Accuſatus damnatur in Conſtantinopolitana Synodo, 422. 8 9. Acta Synodi corrupta fuiſſe queritur, 430. 6. Abſolvitur, 436. 18. Ab Anatolio & Marciano damnatur, 447. 9. 10. Ejicitur in exilium, 454. 8.
Eutychiani Baſiliſcum rogant, ut Eutychetem revocet, 543. 8.
Eutychius Eunomianus, 155. 4.
Eutychius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Mennae ſuccedit, quid? 783. 7. Fidei Confeſſionem affert Vigilio, 797. 8. E ſede ſua ejectus in exilium mittitur, 832. 3. 4. Conſtantinopolim revertitur, 861. 4. Ejus cum Gregorio diſputatio, 873. 8. 9. Obit, 877. 8.
Euloius, Epiſcopus Antiochenus, Arianus, 39. 13. Moritur, 53. 4.

F.

FAbiolae: ejus virtutes & mors, 181. 15.
Facundus, quid pro tribus Capitulis ſcribit, 774. 7. Ejus opus contra Mocianum, 775. ibid. Ejus de Eutychiſtis ſententia, ibid.
Fames Italiae, 90. 15. Romae, 233. 6. Hiſpaniae, 235. 5. Conſtantinopolis, 411. 1. Orientis, 482. 4. 5. Paleſtinae, 643. 2.
Faſtidius Epiſcopus Pelagianus, 307. 7.
Fauſtus Regienſis, quis? 507. 7. Errorum Semi-Pelagianiſmo imbutus, 526. ibid. Liber ejus a ſententiis ſuis, 658. 8. A Fulgentio refellitur, 664. ibid.
Feliciane Epiſcopus, Fulgentii ſucceſſor, 716. 6.
Felix Nolanus, 237. 6. Num tectus ſuis abſceſſis apparuit? ibid.
Felix III Papa, 558. 4. Epiſtola Graeca falſo ei tribuuntur, ibid. 5. Felix Acacium citat, 558. 7. Ejus Legati carcere includuntur, 559. 8. Vitalem & Miſenum in Synodo damnat, 563. 9. Damnationis ſententiam Acacio mittit, ibid. 10. Juſtamne fit ejus in Acacium ſententia? 566. 14. Felicis Synodus, 573. 4. De rebaptizatis ejus Epiſtola, 574. 5. Obitus: num ipſius anima Vaſilio oſtenſa fuerit? 582. 3.
Felix IV. Papa, 678. 12. Ne Laici ad Eccleſiaſticas dignitates eveherentur prohibet, 683. 6. Duae ejus Epiſtolae ſubditae, ibid. 7. Obitus, 688. 15.
Felix Conſul, 621. 1.
Felix Abbas, 605. 7.
Felix defenſor, 560. 7.
Ferrandus Diaconus: ejus de tribus Capitulis Epiſtola, 771. 12. Quae? quando obiit? ſcripta, ibid. 12.
Ferreolus, Uſecienſis Epiſcopus, 872. 6.
Feſtum Petri & Pauli: Conſtantinopoli ſplendidius celebratur, 599. 6.
Firmus: ejus in Africa rebellio, 31. 4. 154. 5.
Flacilla Auguſta, 98. 1. Liberi, 94. 3. Statua ejus ab Antiochenis dejectata, 116. 5.
Flavianus Presbyter Paulinum erroris accuſat, 70. 12. Meletio Antiochenus ſufficitur, 78. 9. Ob ejus ordinationem Eccleſia ſcinditur, ibid. Meſſalianos detegit, 91. 10. Chryſoſtomum Presbyterum creat, 108. 12. Apud Theodoſium deprecatur mittitur, 110. 5. Capuenſi Synodo praeſentiam negat ſuam: ab Ambroſio perſtringitur, 119. 9. Sirieio reconciliatur, 144. 8. Ejus ad Siricium legatio, 167. 12. Mors, 208. 19. Succeſſorem Porphyrium habuit, ib.
Flavianus Antiochenus, 598. 4. 604. 12. Relegatur, ib. 11.
Flavianus Conſtantinopolitanus Proclo ſuccedit: quis? 410. 5. De Eutyche Conſtantinopolitanum Synodum cogit, ibid. 7. Theodoſio fidei Confeſſionem affert, 430. 10. Leoni de Eutyche ſcribit, ib. 11. A Conciliabulo Epheſino damnatur, 437. 19. Provocatione ad Leonem? ibid. 21. Moritur: ubi? 439. 22. 445. 7. Honores ejus memoriae exhibitis, 479. 12.
Flavita Conſtantinopolitanus ſuccedit Acacio, 576. 4. Ejus ad Felicem legatio, ib. 5. Quid pacem Eccleſiae prohibuit? ibid. Obit, 578. 5.
Fravitta, quis? Gainam profligat, 177. 5. Conſul procedit, 183. 2.
Franci: eorum origo & mores, 540. 2. Reges eorum, ib. 3.
Fredegundis Regina Chilperico nubit, 843. 6. Guntheramni implorat auxilium: Brunechildi mortem molitur, 882. 9. Praetextatu percuſſorem mittit, 885. 14. Sicarios Gunthramo parat, 893. 2. Ejus cum filia rixa, 900. 6. Gunthramnum rogat, ut Clotharii ſit ſuſceptor, 901. ib.
Frotonianus Epiſcopus, 828. 3.
Fulgentius Ruſpenſis: ejus vitae breviarium, 605. 6. Abbatis Felicis fit collega, ibid. 7. Romam ſe confert, ib. 8. Creatur Epiſcopus, 618. 6. Quomodo, 619. 7. In exilium pellitur, ib. Librum de Gratia Jeſu Chriſti ſcribit, 660. 13. & librum de Fide, 662. 8. Thraſimundi ſolvit objecta, ib. 9. Libros ad eum mittit, ib. Fauſtum refellit, 664. 6. In Africam revocatur, 667. 8. Virtutes ejus, 669. ib. Mors & opera, 703. 9. 10.

G.

GAianus, Alexandriae Epiſcopus ejicitur, 741. 11.
Gainas, 152. 10. Quis? 171. 4. Rebellat, ib. 176. 3. Eccleſiam Conſtantinopoli pro Arianis petit, ibid. Perniciem Conſtantinopoli minatur, ibid. Thraciam vaſtat, 177. 4. Claſſe merſa occiditur, ib. 5.
Galla, quae nuptiae ejus Theodoſius ambit, 109. 3. Mors, 141. 2.
Gallia inundationes patitur, 868. 2. 879. 3. 911. 6. Lues, ibid. 7.
Galſuinta Chilperico nubit, 837. 3. Occiditur, 843. ib.
Gallaeciae Synodus, 414. 5.
Gimaliel, Patriarcha Judaeorum, 167. 3.
Gangrenſe Concilium, 19. 4. Canones ejus, 24. 6.
Gaiſericus, Rex Vandalorum, quis? in Africam migrat, 319. 2. Ejus mores & perſecutio, 387. 3. Carthaginem invadit, 390. 2. Eccleſiam perſequitur, 391. 6. Siciliam vexat, 393. 2. Theodoſio terrori eſt, 396. 2. In eum conjuratio, 399. 2. Ejus perſecutio, ibid. 3. Theoderici filiam naribus privat, 443. 2. Attilam ſibi conjungit, ib. Romam vaſtat, 485. 5. Perſecutionem renovat, 440. 7. Piratica ejus exemplum, 516. 2. A Ricimere pellitur, 517. ibid. Mors & anni, 543. 17.
Gelaſius Papa Felici ſuccedit: Afer an fuerit? 583. 4. Euphemium Eccleſiae concordiam ſtagnantem refundat, ib. 5. Ejus Epiſtola, ib. 6. Silentium excuſat Anaſtaſio, 585. 5. Senecam damnat, ibid. 6. Pelagianos refellit, ib. 7. Ejus Conſtitutiones, 586. 3. 4. Variae ejus Epiſtolae, 587. 5. Sedem extollit ſuam, 589. 4. Moritur, 594. 8. Num Auctor Decreti de libris Apocryphis, ibid. 8. 9. Auctorne libri de duabus Naturis? 595. 11. Negantium objectionibus reſpondetur, 596. 12.
Gelaſius Abbas, 767. 6.
Gelimer, Rex Vandalorum, quis? Regnum uſurpat, 693. 4. Ejus miſeria: ad Beliſarium adducitur, 712. 15.
Genevenſis clades, 808. 1.
Gennadius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Anatolio ſuccedit, 499. 8. Ejus Synodus, ib. 2. Commentarii, 505. 2. Mors, ibid. 4.
Gennadius, Hermopolitanus Epiſcopus, 546. 13.
Gennadius Maſſilienſis, num Epiſcopus? 587. 6. Ejus libri: Semi-Pelagianiſmum induerit? ibid.
Gennadius Dux, 863. 4.
Gepidae, 841. 3.
Germanus, Antiſiodorenſis Epiſcopus pro Aremorica rebellis preces fundit, 418. 2. In Britanniam debellando Pelagianiſmo proficiſcitur, 308. 8. A quibus miſſus? ibid. Quid ibi egit? ib. In eam redit, 408. 18. Mors, ibid.
Germanus Dux obit, 788. 2.
Germanus, Pariſienſis Antiſtes: vita breviarium, & mors ejus, 859. 5.
Germanus, Dux Mauritii, creatur Imperator, 895. 2.
Germinius Epiſcopus, 12. 7.
Gervaſius, quis? ejus reliquiae, 104. 7. Earum inventio, ib. 8. Tranſlatio, 105. ib.
Gerundenſis Synodus, 640. 11.
Geruntius Diaconus, Nicomedienſis Epiſcopus creatur, 183. 2. Exauctoratur, 184. 3.
Geruntius, Dux Conſtantini, 219. 3. 225. 4. Ei offenditur, 231. 2. Maximum Imperatorem creat, 241. 2. Occiditur, 240. 3.
Gildo rebellat, 154. 2. Debellatur, 161. ibid.
Glandulae, 847. 1.
Glycerius Imperator, 519. 2. Fit Epiſcopus, 532. 9.
Godas Dux Sardiniam occupat, 709. 10.
Godinus in Chilpericum rebellat, 858. x.

Gordius, *Gregorii Magni pater*, 873. 8.
Godomarus *Rex Sigiſmundo ſuccedit*, 668. 2. *Burgundiâ pellitur*, 708. 9.
Goſuintha, *Leovigildi uxor*, 841. 1. *In Riearedum conſpirat: obit*, 896. 7.
Gothi *ab Hunnis pulſi in Thraciam veniunt*, 52. 1. *Arianiſmum amplectuntur*, ib. 2. *In Valentem rebellant, cur?* 53. 2. *Eorum in Thracia crudelitas*, 54. 2. *Cum Romanis pugnant*, ib. 2. *Valentem vincunt*, 56. 3. *Conſtantinopolim obſident*, ib. 6. *A Romanis debellantur*, 64. 4. *Eis ſe tradunt, cur?* 82. 1. *Conſtantinopoli delentur*, 176. 3. *A Litorio pelluntur*, 384. 1. *Litorium vincunt*, 389. ib. *Gallæcium vaſtant*, 495. 11. *A Glycerio in Gallias mittuntur*, 529. 2. *In Macedoniam excurrunt*, 637. 1. *A Mundone debellantur*, 689. 1. *Medialanum expugnant*, 742. 2. 3. *Tibas vaſtant*, 764. 4.
Gothici *Regni initium in Gallia*, 284. 1.
Gradenſe Concilium, 866. 6.
Gratianus, *Valentiniani filius, creatur Imperator*, 15. 2. *Quando? fratri Valentiniano favet*, 50. 3. *Cum eo regnat*, ibid. *Ethnicorum fana addicit fiſco*, 53. 5. *De Eccleſiaſticis rebus fert Legem*, ib. 6. *Germanos vincit*, 54. 4. *Contra Donatiſtas fert Leges*, ibid. 5. *Exules revocat*, 57. 8. *Damaſo auctoritatem auget*, 62. 18. *Ejus de Hæreticis Reſcriptum*, 65. 6. *Illyricum dividit*, ibid. *Ejus in Priſcillianiſtas Decretum*, 74. 15. *Mors ejus: mores & anni*, 89. 2.
Gregorius, *Nazianzeni pater*, 41. 16. 46. 9. *Vita ipſius & mors*, 47. ib.
Gregorius *Nazianzenus, quando natus?* 42. 16. *Conſtantinopolim mittitur*, 59. 12. *Vexatur ab Arianis*, 65. 7. *Concionum ejus efficacia*, ibid. *Conſtantinopolis Epiſcopus creatur*, 69. 6. *Percuſſor ab Arianis ei deſtinatur*, ibid. *Num à Concilio Conſtantinopolitano Oecumenico ordinatus ſit?* 76. 5. *Ob ordinationem triſtitiâ afficitur*, 77. ib. *In Conſtantinopolitana Synodo habuitne de Pace orationem?* 78. 10. *Abit Epiſcopatu*, 70. 11. *Quamdiu Conſtantinopolitanus præfuit?* ib. *Acta ejus poſtquam Conſtantinopoli egreſſus eſt*, 86. 8. *Contra Hæreticos Nectarium incitat*, 94. 1. *Mors*, 125. 10. *Num ejus Teſtamentum legitimum?* ib.
Gregorius Nyſſenus: *vita ejus*, 58. 11. *A Nazianzeno perſtringitur. cur? à Baſilio*, ibid. *Quando relegatus? in Arabiam à Synodo Antiochena mittitur*, 72. 12.
Gregorius Bæticus, *Autorne tractatus de Fide apud Nazianzenum?* 115. 8.
Gregorius Turonenſis: *vita ejus breviarium*, 851. 16. 912. 9. *Chilperico Sabellianiſmum foventi reſiſtit*, 869. 7. *In Brennacenſi Concilio accuſatus abſolvitur*, 872. 9. *Cum Judæo diſputat*, 872. 7. *Ad Gunthramnum Legatus mittitur*, 895. 4. *Obit*, 912. 9.
Gregorius Magnus, *Papa: vita ejus breviarium*, 873. 8. *Cum Eutychio de Beatorum corporibus diſputat*, 874. 9. *Pontifex eligitur*, 905. 5. *Litanias inſtituit*, 906. 7. *Acta ejus*, 907. 9. *Iſtriæ Epiſcopos ad concordiam reducere tentat*, ibid. 10. *De Epiſcopatus onere Patriarchis ſcribit*, 912. ib. *Judæos ad Baptiſmum cogi, aut Synagogis pelli ſuis prohibet*, ibid. 11. *Iſtrienſibus reſcribit*, 913. 14. *Donatiſtas opprimi jubet*, 915. 6. *Ejus in Adriani appellatione judicium*, 916. 9. *Dialogos ſuos ſcribit*, 919. 7. *Eo invito Maximus Salonitanus Antiſtes creatur*, 921. 5. *Pallium Joanni Ravennatenſi concedit*, 913. 7. *Ob Oecumenici titulum in Joannem Conſtantinopolitanum invehitur*, 906. 3. *Synodum Romæ cogit*, 927. 4. *Presbyterum Chalcedonenſem abſolvit*, 935. 6. *Virgilio Arelatenſi vices ſuas concedit*, 909. 10. *Childeberti fidem laudat*, ib. 11. *Auguſtinum in Angliam mittit*, 930. 3. *Reſponſalem cum Cyriaco communionem colere non vult*, 932. 2. *Ob Oecumenici titulum immeritò Cyriaci communionem repudiat*, 932. 3. *Serenum de fractis imaginibus perſtringit*, 936. ib. *Reliquias Recaredo mittit*, ib. *Vetat, ne Cyriaco titulus Oecumenici tribuatur*, 937. 7. *Multa falſa miracula narrat*, 756. 3. 769. 4.
Gregorius Antiochenus *militum ſeditionem compeſcit*, 898. 1. *Severianos informat: moritur*, 915. 4.
Grutingi, *qui? à Romanis debellantur*, 110. 1.
Gubaſes, *Rex Lazorum, occiditur*, 816. 7. *Percuſſores ejus damnantur*, 818. 3.
Gundobadus, *Rex Vandalorum, fueritne perſecutor Eccleſiæ?* 588. 8. *Obit*, 597. 10.
Gundobadus, *Rex Burgundionum, Arianus*, 603. 5. *Bellum ejus cum Chlodoveo*, 607. 2. *Obitus ejus, & vita breviarium*, 634. 1. *Legem de duello ſcribit*, ib.
Gundobadus, *Clotharii filius, Rex Francorum creatur: ejus hiſtoria*, 881. 10. *Occiditur*, 886. 2.
Guntharis *in Africa tyrannus*, 768. 2.
Gunthramnus *Rex filios amittit*, 860. 2. *Diſſidium ejus cum Chilperico & Childeberto*, 871. ib. *Matiſconenſem Synodum imperat*, 878. 10. *Exercitum in Septimaniam mittit*, 887. 3. *Percuſſoribus Fredegundis eripitur*, 893. 2. *Pacta init cum Childeberto*, ibid. 3. *Synodum de pſallendi ordine indicit*, 911. 4. *Obit*, ib. 3.

H.

HÆſitantes, *qui?* 815. 12.
Heliobaldus *Rex Gothorum creatus*, 746. 6. *Vitalianum delet: in exilium mittitur*, 749. 2. *Obit*, ibid. 3.
Helvidius: *ejus error*, 87. 11.
Henoticum Zenonis, 552. 2. 566. 15.
Heraclianus *in Honorium rebellat*, 260. 2. *Ejus crudelitas*, ibid.
Heraclides, *Epheſinus Epiſcopus*, 184. 3. *Pellitur*, 207. 18. 209. 3.
Hermenigildus, 865. 3. 879. 4. *Relegatur*, 883. 12. *Obit*, ib. 13. *Eueritur Martyr*, ibid.
Hermes Narbonenſis, *invaſor Eccleſiæ*, 507. 6.
Hibernica *Patricii Synodus*, 473. 7.
Hieronymus: *annus ejus natalis*, 51. 13. *Pueritia & peregrinationes*, 60. 14. *Gregorium audit Conſtantinopoli: ab eo petit, quid Sabbatum ſecundo-primum*, 66. 7. *Romam cum Paulino proficiſcitur*, 86. 9. *Num Cardinalis? quid Romæ egit?* 87. 10. *Ejus de nuptiis ſententia ſcandalum movet*, 88. 13. *Frequentiorem apud Romanos Alleluia uſum introducit*, 96. 9. *In Cleri Romani odium incidit*, 100. 6. *Didymum adit: Linguæ Hebraicæ dat operam*, 108. 16. *In Jovinianum ſcribit*, 124. 7. *Origenis abjurat hæreſim. ejus inconſtantia*, 137. 8. *Schiſmatis accuſatus*, 138. 11. *Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis abſolvit*, 139. 12. *Rufino diſſidet*, 174. 11. *Olim favit Origeni*, ib. 12. *Ab Imperatoribus Leges contra Origeniſtas impetrat*, 185. 5. *De Origenis damnatione ad Pammachium ſcribit*, 193. 8. *Edit contra Rufinum Apologiam*, ibid. *Invehitur in Chryſoſtomum*, 206. 14. *Tertiam Theophili Epiſtolam vertit*, 211. 28. *Polygamum, qui ante Baptiſmum uxorem duxit, ordinibus non prohibet*, 213. 5. *Scribit in Vigilantium*, 217. 8. *In Zachariam Commentaria condit*, 218. 12. *De Petri objurgatione ab Auguſtino variat*, 222. ib. *Rediitne in gratiam cum Melania?* 247. ibid. *Marcellæ Epitaphium condit*, 259. 13. *Ad Cteſiphontem & Dialogum adverſus Pelagianos ſcribit*, 272. 11. *A Pelagianis vexatur*, ibid. *Obit*, 300. 3. *Fama ejus*, 301. 4. *Quartumne Evangelium condidit?* 313. 7.
Hieroſolymitana *in Anthimum Synodus*, 230. 28.
Hildericus, *Rex Vandalorum*, 666. 4. *Epiſcopos revocat in Africam*, ibid. 8. *Regno pellitur*, 693. 3. *Occiditur*, 710. 11.
Hilarion *vita ejus breviarium*, 31. 9.
Hilarius Pictavienſis: *ejus cum Auxentio diſputatio*, 4. 9. *Mediolano ejicitur*, 5. 10. *Mors: libri: fama ejus*, 18. 10.
Hilarius Arelatenſis, 325. 3. *Vita ejus breviarium*, ib. *Quis? anni*, 514. 4. *Ejus de Celidonia judicium*, 405. 10. *Romam petit*, 408. 2. *Quid egit, ut Leonem ſibi placaret?* 409. 3. *Obit*, 443. 18.
Hilarius, *qui de Maſſilienſibus ſcribit, ab Arelatenſi diverſus eſt*, 325. 2. 341. ibid.
Hilarius *Papa*, 504. 4. 517. ib. *Ejus Synodus*, ibid. 5. *Mamertum perſtringit*, 510. 3. *Ejus ad Tarraconenſes Epiſtola*, 518. 6. *Mors*, 520. 5.
Hillus, *quis?* 552. 1. *Amicus Talaiæ*, 553. 4. *Rebellio & mors*, 557. 1.
Hipponenſe Concilium, 140. 3.
Hiſpalenſis Synodus, 909. 13.
Hiſpaniæ *diviſio*, 845. 7.
Honoratus Maſſilienſis, 587. 7.
Honoratus, *Arelatenſis Epiſcopus*, 317. 6.
Honoria *ſtuprum perpetrat*, 373. 2. *Ejus nuptias Attila cupit*, 470. 21.
Honorius *Imperator: annus ejus natalis*, 94. 3. *Auguſtus creatur*, 139. 1. *Patri contra Eugenium proficiſcenti comesne fuerit?* 142. 2. *Cum Theodoſio triumphat*, 144. 7. 161. 1. *Vim Donatiſtarum opprimit*, 162. 4. *Rogante Carthaginenſi Synodo Legem condit*, 170. 1. *Ovans urbem ingreditur*, 201. 1. *Celebraritne ludos ſeculares? gladiatorios ludos abrogat*, 202. 3. *Chryſoſtomi exilium improbat*, 207. 15. *Legatos de eo ad Arcadium mittit*, 215. 3. 4. *Infelix Legatorum exitus*, 216. 5. *Honorius Thermantiam ducit*, 218. 1. *Legem fert in Manichæos*, 219. 4. *Alaricum occidit*, 241. 1. *Legem promulgat in Patriarchas Judæorum*, 267. 3. *Ethnicorum Templorum reditus infert ærario*, 268. 3. *De Attalo triumphat*, 278. 2. *Reſcriptum ejus contra Pelagianos*, 287. 11. 298. 19. *Placidiam relegat*, 305. 2. *Obit*, ibid. 3.
Hormiſda *Papa Symmacho ſuccedit*, 519. 5. *Ejus ad Remi-*

Remigium Epiſtola ſubdita, 630. 6. Ad Heracleenſe Concilium ab Anaſtaſio invitatur, ibid. 7. Pacis arbiter deinde, 631. 5. Mandata dat Legatis ſuis, ib. 6. Ejus ad Anaſtaſium Epiſtola, 633. 7. Græcis Capitula mittit, ibid. 8. Ejus ad Anaſtaſium reſponſio, 635. 4. Joanni & Epiri Synodo reſpondet, 636. 6. Timotheo Conſtantinopolitano ſcribit, 637. 3. Ejus pertinacia, ibid. De ſuis venationibus Palæſtini eum adeunt, 644. 6. Pacem abnuit, niſi Diptychis Acacius expungatur, 639. 19. Illyrici Antiſtites ejus communionem amplectuntur, ib. 20. Euphemia ſcribit, ibid. Hormiſdæ Legati Libellos à Græcis Epiſcopis accipiunt, 650. 4. Gratulationem pacis accipit, 651. 5. Ejus ad Legatos Epiſtola, ib. 7. Hormiſdam conveniunt Scythæ Monachi, 654. 12. De Epiphanii indulgentia quæritur, 656. 5. De Fauſto Reienſi judicat, 658. 9. Epiphanio ſcribit, 660. 2. De Scytharum phraſi judicium deſert, ibid. 3. Mors & acta, 666. 5.
Hoſpitius: vita ejus breviarium, 832. 6.
Hunnericus, Rex Vandalorum, 543. 6. Carthaginenſibus Epiſcopum concedit, 546. 2. Crudelitas & perſecutio, 551. 5. Ejus in Orthodoxos crudelitas, 567. 16. Edicto eos ad Collationem cum Arianis vocat, ib. 17. Ejus perſecutio, 569. 21. Mors, 570. 23.
Hyems graviſſima, 837. 2.
Hypatia, mulier doctiſſima, 239. 10.
Hypatius, nepos Anaſtaſii Imperatoris, 638. 6. Creatur Imperator, 696. 2. Occiditur, ib. 3.

I.

JAcobus Monachus, Concilii Chalcedonenſis defenſor, 500. 5.
Januarius Calaritanus, 935. 4.
Ibas, Edeſſæ Epiſcopus, 393. 10. Neſtorianiſmi accuſatur, ibid. In Antiochena Synodo à Presbyteris ſuis accuſatur, 425. 12. Ibæ Judices dantur à Theodoſio, ib. 13. Judicio finis impoſitus, 426. 14. 15. Ab Epheſinis damnatur, 437. 20. Reſtituitur, 465. 34. Ejus Epiſtola damnatur, 802. 22. Vigilio Orthodoxus eſt, 803. 25. Ab eo damnatus poſtmodum, 811. 6. 7.
Idacius Epiſcopus Gratianum in Priſcillianum movet, 73. 15. Apud Maximum accuſat, 101. 8. 110 6.
Idacius, Lucenſis Epiſcopus: ejus Chronicum, 524. 5.
Ilerdenſe Concilium, 670. 7.
Illyricana Synodus, 36. 7. Valentiniani de ea Reſcriptum, ibid.
Illyricana Synodus, 633. 12.
Illyriciani Præſules Conſtantinopolim vocantur, 635. 5.
Indegundis, filia Sigeberti, Hermenegildo nubit, 865. 3.
Indictio, 812. 7.
Ingoberga, Chereberti uxor, obit, 900. 8.
Innocentius Papa, 193. 10. Quamdiu ſedit? 194. 11. Theophilo & Chryſoſtomo literas communionis mittit, 204. 8. 206. 14. Paterno Chryſoſtomi accuſatori reſpondere non vult, ibid. Ejus ad Arcadium Epiſtola ſubdita, 209. 21. Victrico ſcribit, 210. 24. Synodo Toletanæ, 213. 5. Permiſitne Idololatriam ſervanda Romæ? 227. 10. De Paſchate ad Aurelium ſcribit, 264. 11. Macedoniæ Epiſcopis literas dirigit, 267. 9. De Pelagio eum adeunt Afri, 276. 4. 5. 278. 10. De Pelagio ejus ad Afros Epiſtola, 279. 5. Obit, ib. 6.
Inſtantius, Epiſcopus Priſcillianiſtarum, 100. 7. Movetur Epiſcopatu, 101. 8.
Joannis Baptiſtæ tranſlatio, 128. 3. 4.
Joannes Chryſoſtomus: annus ejus natalis, 84. 5. Parentes, ibid. Studia, 85. 6. Lector ordinatur, ib. 7. Diaconus creatus, 86 ib. Libros adverſus Gentes & de Sacerdotio condit, ibid. Presbyter creatur, 108. 14. Libros in Presbyteratu edit, ibid. Epiſcopus creatus, 167. 13. Dies ejus inauguralis, 168. ib. Mores & functiones ejus in Epiſcopatu, ib. 14. Eutropium perſtringit, 170. 3. Gainæ Eccleſiam pro Arianis petenti reſiſtit, 176. 2. A Gaina honorificè excipitur, 177. 4. Nocturnas antiphonas inſtituit, cur? 178. 5. Gothorum Ethnicorumque ſuperſtitionem emendat: in Aſiam migrat, 183. 1. Nitrienſes benignè fovet. 186. 5. De iis Theophilo ſcribit, ib. 6. In Synodo ad Quercum accuſatur, 197. ibid. Conſtantinopoli ejicitur, 198. 8. Ob eum Eccleſia Conſtantinopolitana vexatur, 203. 6. Ad Epiſcopos Italiæ ſcribit, 204. 7. Provocavitne ad Innocentium? 104. 9. Pro provocatione cautiones ſolvuntur, 205. 10. Percuſſor ei deſtinatur, ib. 11. Nicopoli ejicitur, ib. 12. Incendii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ autor habetur, 206. 13. Ab Epiphanio accuſatur, 127. 12. Mors ejus & funus, 220. 6. Libri & errores, ib. 7. Conſtantinopolim transfertur, 388. 3.
Joannes Hieroſolymitanus, Eliæ ſucceſſor, quis? 117. 12. Paulinianum fautores excommunicat, 119. 4. Presbyterium contra Pelagium cogit, 270. 7. Rem Pelagii ad Innocentium remittit, 298. 13. Erroris ab Epiphanio accuſatur, 127. 12. Ab eo ob Origenem perſtringitur, 117. 11. Apologiam ſuam Theophilo mittit, 138. 10.
Joannes Antiochenus, 329. 10. Cyrillus ei ſcribit, 336. 13. Ejus ad Neſtorium Epiſtola, 337. 17. Epheſum venit, 350. 20. Synodum tumultuariam cogit, ib. 21. Ejus Comites Pelagianos interfuerint? 352. 23. Faveratne Pelagianis? ibid. 24. Ab Epheſinis citatur, 354. 28. Cum Orientalibus ab Epheſinis excommunicatur, ibid. 29. Antiochiæ Synodum damnando Cyrillo cogit, 366. 9. Ad reſiſtendum Cyrillianis Orientales hortatur, ib. 12. De pace Nicomediam accerſitur à Theodoſio, 367. 12. Synodum cogit, ib. 13. Legationem Cyrillo mittit, 368. 15. 16. Cum Cyrillo communionem init, ib. Ejus ea de re Synodus, 370. 2. Complures ei communionem renuntiant, 374. 4. Negantes ipſius communionem vexat, ibid. Orientalium pleríque ei reconciliantur, 375. 6. In diſſidentes Theodoſii implorat auxilium, 375. 7. Obit, 396. 2.
Joannes Talaia, quis? 546. 3. Ad Zenonem Legatus, 551. 6. Timotheo ſuccedit, 552. 8. Alexandriâ fugiens Calendionem adit, 553. 4. Provocavitne ad Simplicium? ibid. 5. Libellum Felici Papæ ſuum offert, 559. 6. Eccleſiæ Nolenſi præficitur, 564. 10. Quid peccavit in cauſa Acacii? 565. 12.
Joannes Niciota, Epiſcopus Alexandriæ, 639. 7.
Joannes Conſtantinopolitanus, 640. 9. Synodum Conſtantinopolitanam & Leonem Diptychis inſerit, 645. 10. Afficitur Oecumenici titulo, 646. 11. Ad Hormiſdam de pace ſcribit, 648. 19. Acacium damnat, 650. 5. Mors ejus & virtutes, 656. 1.
Joannes Jejunator, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quis? mores ejus, 877. 9. Virtutes, mors, libri, 928. 7.
Joannes, Nicopolitanus Epiſcopus, 636. 7. Vexatur ab Anaſtaſio, 638. 4.
Joannes Climacus, 930. 6.
Joannes, Ravennatenſis Epiſcopus, 923. 9. 925. 2.
Joannes Chalcedonenſis, 927. 6.
Joannes Biclarienſis, 903. 18.
Joannes Presbyter Eutychianos refellit, 576. 3.
Joannes Cabilonenſis, 526. 4.
Joannes Catelinus Papa, 825. 4. Ejus Epiſtola ſubdita, ibid. Moritur, 851. 3.
Joannes Papa Hormiſdæ ſuccedit, 666. 6. A Theoderico ad Juſtinianum mittitur, 671. 2. 3. Honor ei redditur, 672. 4. In carcerem ducitur: moritur, 676. 9. Cur à Theoderico vexatus? 677. 10. Ejus Epiſtola ſubdita, ibid. Et martyr interpontificium, 678. 12.
Joannes II. Papa, 699. 9. Acœmetas damnat, 713. 18. Obit, 715. 3.
Joannes Maxentius, quis? Phraſi, unus de Trinitate pro nobis paſſus eſt, favet, 653. 12. Ejus contra Victorem Libellus, 655. 14. Num Orthodoxus? 658. 10. In Hormiſdam ſcribit, 659. 12.
Joannes Theſſalonicæ occiditur, quis? 653. 10.
Joannes Conſul habuitne Collegam? 737. 1.
Joannes Comes Cyrillum & Memnonem cuſtodiæ tradit, 358. 37.
Joannes tyrannus, 306. 2. Occiditur, 312. 1.
Jornandes, quis? quando ſcripſit? 789. 5.
Jovianus Imperator, 1. 1. Lex ejus de Sanctimonialibus, ibid. 2.
Jovinianus, quis? ejus errores, 87. 12. Commentariis evulsatus, 88. 13. A Synodo Mediolanenſi damnatur, 204. 7.
Jovinus rebellat, 253. 1. Moritur, 260. 1.
Jovius, Præfectus Prætorio, 231. 3. Suadet cum Alarico bellum, 232. 4. Attalum prodit, 233. 6.
Irenæus, Tyri Epiſcopus, bigamus deponitur, 419. 8.
Irenæus Comes Orientalibus à Theodoſio mittitur, 357. 37. Relegatur, 382. 4.
Iſdigerdes, Rex Perſarum, utrum Theodoſio tutor fuerit? 223. 2. In Chriſti fidem propendit, 259. 15. Obit, 298. 1.
Iſidorus, Theophili Presbyter, 167. 13. Ab eo accuſatur, 185. 5. Eccleſiâ pulſus ad Longos Monachos fugit, ibid.
Iſidorus Peluſiota, quis? 319. 9. Num Epiſcopus? ib. Cyrilli cum Joanne pax ei diſplicet, 372. 6.
Iſochriſti, qui? 775. 8.
Iſtrienſes à Gregorio ad Magno Imperatorem provocant, 913. 13. 14. Eos ad incundam cum Eccleſia Romana ſocietatem Gregorius provocat, 907. 10. & à Pelagio, 891. 7. 892. 8.
Italiæ inundatio, 899. 4.
Ithacius Epiſcopus, 101. 8. Epiſcopatu movetur: mores ejus, 111. ib.
Judæi Alexandriâ pulſi, 274. 14. Mori Chriſtum profiteri coguntur, 839. 6. 875. 21.
Judicatum Vigilii, 778. 10. Improbatur, 780. 4.
Julianus Pelagianus: ejus patria & parentes, 289. 13. Errores, uxor, munera, ibid. 14. Ubinam Epiſcopus? ibid.

ibid. In Pelagianiſmum incidit. 290. 15. Conſtantinopoli pellitur, 341. 25. Sixtus eum pellit Eccleſiâ, 390. 7. Obit, 488. 9.
Julianus Samaritanorum Rex creatur: occiditur, 685. 4. 5.
Julianus Alexandrinus Hæreticus, 662. 6.
Julius Nepos fit Imperator, 530. 5. Epiphanium Eurico mittit, 533. 1. Fugit, ib. 2.
Julius, Leonis ad Epheſinum Conciliabulum Legatus, quis? 424. 14.
Julius Pomerius, 602. 6.
Juncenſis Synodus, 667 10.
Juſtina Auguſta, mater Valentiniani, 50. 4. Sirmienſibus Arianum Epiſcopum imponi voluit, 74. 16. Mediolani perſecutionem movet, 98. 2. Ambroſium vexat, 103. 5. Obit, 144. 4.
Juſtiniana civitas fit Metropolis, 718. 13.
Juſtinianus, Domeſticorum Comes, Hormiſdæ ſcribit, ut Scythia Monachos ejiciat urbe, 654. 12. De eorum phraſi Hormiſdam conſulit, ibid. 13. Apoſtolorum reliquias ſibi petit, 655. 16. Scytharum Confeſſionem probat, 658. 2. Conſul procedit, 660. 41. Juſtini Collega creatur, 679. 1. Quis? quamdiu imperavit? ib. 3. Mores, 680. 4. Fueritne analphabetus? ibid. 6. Circum magnificentiorem facit, 682. 1. Tſothio ſure ſuppetias, 682. 2. Edicto fidem firmat, ibid. 4. Varias Leges fert, 683. 5. Codicem inſtituit, 684. 2. Legatos Gelimero mittit, 693. 4. Seditio ad eum pellendum Conſtantinopoli excitatur, 696. 1. Factioni Venetica favet, 697. 4. De Acœmetarum ſententia legationem ad Pontificem Romanum mittit, 701. 3. Cum Severianis Collationem imperat, 702. 4. Eos alloquitur, 703. 8. De Arianis ejus ad Agapetum Epiſtola, 717. 9. Juſtiniana Epiſcopum Metropolitanum ornat, 718. 13. Varia de Eccleſia regimine Leges, ib. 14. 751 8. Purificationis feſtum inſtituit, 752. 10. Argenteam Theodoſii ſtatuam diripit, 757. 6. Origenem damnat, 759. 12. Ejus ad Mennam Epiſtola de erroribus Origenis, ibid. 11. Tria Capitula damnat, 764. 6. Extetne primus ejus in tria Capitula liber? ib. 7. Quando ſcriptus? ibid. 9. Num erravit in conſtituendo Paſchate? 772. 12. Res ejus in Italia dilabuntur, 780. 3. Num recte tria Capitula damnari voluit? 681. 5. In tria Capitula proponit, 789. 7. 8. Judæis lectionem S. S. in qualibet lingua concedit, 792. 4. Vigilium Conſtantinopolim reducere tentat, ibid. 5. Africæ Epiſcopos ob tria Capitula in exilium mittit, 794. 9. Concilium quintum Oecumenicum convocat, 797. 10. Vigilium Diptychis deleri jubet, 807. 30. Ejus ea de re Epiſtola, 808. 33. Ob tria Capitula multos in exilium mittit, 810. 36. Ad preces Vigilii Legem fert, 813. 11. Zanos ſibi ſubjicit, 812. 1. Ejus contra Sodomitas Lex, 824 ib. Ægrotat, 805. ib. In eum conjuratio, 827. 4. In errorem delabitur, 830. 2. Obit, 833. 5. Annus ejus ſupremus, ibid. 7. Effigies & ſcripta, ibid. Funus, 836. 9.
Juſtinianus, Dux Tiberii, 856. 1. 862. ib.
Juſtinus Imperator: ejus origo & anni, 643. 4. Uxorem creat Auguſtam: Amantium opprimit, 640. 5. In eum conſpiratio, 644. ib. Ejus in Eutychianos Decreta, 647. 25. Hormiſdæ ſcribit, 648. 18. Petiitne Imperii confirmationem à Pontificibus? ibid. Pro pace Hormiſdæ ſcribit, ibid. De pace ejus ad Hormiſdam litera, ib. Ut Acacii fautorum nominibus venia detur petit, 657. 6. Cladem Antiochenam luget: Juſtinianum Collegam dicit: moritur, 678. 1. Mores ejus, 679. 2. Analphabetus fuit, ibid.
Juſtinus II. Imperator creatur, 834. 9. Mores, ib. 02. Decretum de Fide, 835. 13. Lex de ſolvendis ex mutuo conſenſu nuptiis, 839 7. Conſulatum init, ib. 1. Juſtinum Germani filium occidit, ib. 2. Ætherium & Addæum damnat, ibid. 3. In Sophiæ honorem portum ædificat, 843. 8. De liberarum filiis Legem ſanxit, 846. 1. Morbo cerebri afficitur, 851. 3. Mente exit, 853. 4. Tiberium adoptat, ib. 5. Eum Auguſtum facit, 863. 2. Obit, ib. 3.
Juſtinus, Germani filius: ejus virtutes: à Juſtino Imperator occiditur, 839. 2.
Juſtula Tyrannus, 561. 2.
Juvenalis, Hieroſolymitanus Epiſcopus, deponitur, 456. 15. Reſtituitur, 460 22. Tres Palæſtinas retinet, 464. 31. Monachi mortem ei moliuntur, 474. 10. Pro Monachis Imperatorem ſupplicat, 475. 11. Eccleſia ſua redditur, 479. 8. Mores ejus, 495. 12. Epheſino Conciliabulo præeſt, 345. 10. 354. 18. Ambitio, 357. 24. Mors, 495. 12.

L.

Lampſacena Synodus, 3. 6. Quando congregata? 4. 9. Num Orthodoxa? ibid. Legatos Romam mittit, 9. 5. Fidem Nicænam profitetur, 10. 3.
Laurentius Antipapa, 616. 6.
Laurentius, 944. 3.
Leander, Hiſpalenſis Epiſcopus: ejus natales & legatio, 943. 7. Exilium ab eo revocatur, ibid. 8. Arianos ad fidem convertit, ibid. Moritur, ibid. 9. Ejus libri, 944. 10.
Lazarus, Aquarum Sextiarum Epiſcopus Pelagium accuſat, 271. 4. A Zoſimo vexatur, 281. 11. Quando ubis Epiſcopatu, 282. ibid.
Leo Papa, quamdiu ſedit? 394. 5. Subdita ejus Epiſtola, ib. 6. Ad Campaniæ Epiſcopos ſcribit, 401. 3. Manichæos inquiri jubet, ibid 4. A Valentiniano novas ſedi ſuæ honores obtinet, 409. 5. Diſſitam Alexandrinæ diſciplinæ Romanæ obſervationem imperat, 410 6. De Priſcillianiſtis Turibio ſcribit, 414. 4. Pelagianos opprimit, ibid. 6. Baſſianum exauctorat, 416. 10. Ejus ad Donum litera, 427. 16. Ad Eutychem, ibid. 17. Ad Theodoſium & Flavianum, 430 5. De Eutyche, 433. 11. Ad Epheſinum Conciliabulum Legatos mittit, 434. 14. Malis Epheſinis medetur: Synodum cogit, 441. 15. Valentiniani opem implorat, ib. 26. Lites Viennenſem inter & Arelatenſem Epiſcopum componit, 448 12. Variæ ejus de cuſtodienda fide Epiſtolæ: in congreganda in Oriente Synodo Marcianum revocare conatur, 451. 5. Ejus de Incarnatione Epiſtola dubia movet, 457. 16. Chalcedonenſium Canoni XXVIII. aſſenſum negat, 471. 4. immeritò, ib. 5. De Paſchate Marcianum conſulit, 478. ib. Proterio ſcribit, 479. 6. Eudoxiæ ſcribit, ut aſſidua Eccleſiaſtica extinguantur, ib. 9. Paſcha et ſcrupulos movet, 487 8. De Baptiſmi tempore ejus Decreta, 502. 6. Obit, 504. 3.
Leo Imperator Marciano ſuccedit: quis? quàmdiu regnavit? 491. 2. Mores ejus, 492. 3. Encyclicas ſcribit, 497 5. Ægrotat, 506 2. Solutus annum 466. aperuit? 519. 2. De azylis fert Legem: Aſparum & Ardaburium occidit, 523. 3. Infelix ejus in Africam expeditio, 524. 4. Mors ejus & mores, 531. 1.
Leo Junior coronatus: quot annos natus? 529. 1. Zenonem Imperatorem facit, 531. 2. Obit, 530. ib.
Leontius Burdegalenſis, 830. 4.
Leontius Arelatenſis, 506 5. Fauſtus libros ei ſuos nuncupat, 507. 5. Ejus Synodus, 510. 9.
Leporius: ejus hiſtoria, 314. 2. Ejus liber fueritne ab Auguſtino conſcriptus? 315. 3.
Leovigildus, Rex Hiſpaniæ, 845. 5. Cordubam ſibi ſubjicit, 849 4. Liuba ſuccedit, 853. 1. Recopolim condit, 863 5. Hermenegildum vincit, 879. 4. Hiſpali potitur: Hermenegildum relegat, 883. 12. Obit, 887. 4.
Leudaſtes: ejus hiſtoria, 870. 8. 879. 2.
Leudovera Abbatiſſa, 900 9. 908. 16.
Leutharis, 814. 3.
Libanius Sophiſta, 85. 7. Theodoſium ab ira revocat, 110. 5.
Liberatus, Byzacenæ Primas, 673. 6.
Liberius Papa Lampſacenos Legatos admittit, 9. 5. 10. Moritur, 12. 8.
Litorius Comes Gothos Narbonâ pellit, 384. 6. Victus ab eis captivus ducitur, 389. 1.
Longobardi Gepidas clade afficiunt, 788. 4. Qui? 841. 2. In Italiam ingrediuntur, 843. 1. 2 3 4. A Mummolo debellantur, 858. 7. Crotonem capiunt, 930. 3.
Lucenſis Synodus, 845. 6.
Luco fit Metropolis, 845. 7.
Lucianus Presbyter: ejus de Stephani Reliquiis liber, 268. 5.
Lucianus novam Eunomianorum ſectam condit, 291. 5.
Lucidus, quis? fit Semi Pelagianus, 536. 7. Ejus anathematiſmi Gallorum objectiones ſunt, 537. 8. Quot vicibus Lucidus articulos ſibi propoſitos damnavit? ibid. 9.
Lucius Arianus, quis? Alexandrinis Præſul imponitur, 39. 13. Terribilis ejus adventus, 40. 15. Monachos Ægypti vexat, 43. 2. Exules revocat, ibid. A Moſe perſtringitur, 44. 3. Pellitur Alexandriâ, 57. 2. Ejus libri, ibid.
Lucius Ethnicus Chryſoſtomi cauſâ Conſtantinopolitanos vexat, 203. 6.
Lugdunenſe Concilium, 641. 13. Lugdunenſe Concilium, 872. 5. Lugdunenſe Concilium, 880. 5.
Luiba, Rex Hiſpaniæ, 845. 6. Obit, 851. ib.

M.

Macarius Hieroſolymitanus, Petro ſuccedit: 782. 7. 836. 6.
Macedonius Monachus: egregium ejus dictum, 110. 5.
Macedonius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, 589. 2. Ab eo fidei ſuæ Confeſſio requiritur, 598. 4. Inſidiæ contra eum, 616. 4. Relegatur, 603. 7. 631. 4.

Macrianus *Rex*, 42. 1.
Macrina, *Baſilii ſoror*, 27. 9. *Obit*, 72. 12.
Magi: *eorum fraudes*, 259. 15.
Magnus *Comes*, *perſecutor Eccleſiæ*, 40. 13. 15.
Majorianus *Imperator*, 492. 4. *Leges ejus*, 496. 1. *Vult migrare in Africam*, ibid. 2. *Clericos invitos ordinari vetat*, 501. 1. *Occiditur*, 503. ibid. *Mores ejus*, ibid.
Majuma, *quale ſpectaculum? abrogatur*, 172. 6.
Maldras, *Rex Suevorum*, 501. 2.
Mamas *Eutychianus errorem ejurat*, 625. 9.
Mamertus, *Viennenſis Epiſcopus*, *Rogationes inſtituit*, 512. 4. *Ejus pietas*, ibid. 6. *Obitus*, ibid.
Mamertus (*Claudius*) *Presbyter*, *Epiſcopi frater*: *ejus ſcripta*, 513. 7.
Manichæi *vexantur*, 219. 4. 401. ib. *Eorum ſuperſtitio*, ibid. *In Synodo Romana damnantur*, 403. 6. 664. 1. 665. 2.
Manlius Theodorus *Conſul*, 170. 11.
Mappinus, *Rhemenſis Epiſcopus*, 783. 12.
Marcella, 287. 8. 235. 4.
Marcellinus, *Collationis Carthaginenſis Cognitor*, 247. 13. *Ejus virtutes*, 249. 18. *Repellit a cognitione Maximianiſtas*, 246. 14. *Ejus de Collatione ſententia*, 251. 22. *A Marino occiditur*, 260. 3. *Ejus memoria bonis exhibitur*, 262. ib.
Marcellinus *Chronologiſta*, 735. 25.
Marcellus *tyrannus*, 10. 2.
Marcellus, *Leonis Patricius*, 514. 4.
Marcellus *Epiſcopus*, *Martyr*, 133. 12.
Marcianus, *Novatianus Epiſcopus*, 94. 4.
Marcianus *Imperator*, 435. 6. *Monachorum tumultui intercedit*, 458. 7. *Synodum ingreditur*, 463. 28. *Ejus ad Chalcedonenſem Synodum oratio*, ib. 29. *Proponit Capitula Synodo*, 464. 30. *Milites ad extinguendam ſeditionem mittit*, 476. 14. *Mors & mores ejus*, 491. 1.
Marcianus *in Zenonem rebellat*, 549. 1.
Marcus *Hereticus*, 72. 13.
Mariani Synodus, 897. 9.
Marina *Princeps*, 426. 1.
Marinus *Bonifacium occidit*, 260. 3.
Marius Aventicenſis, 874. 16.
Marius Mercator, *quis?* 448. 13. 489. 9.
Martinus Dumienſis, 828. 1. 3.
Martinus Turonenſis *Maximum de Priſcilliano adit*, 106. 11. *Quando militiam reliquit?* 107. 12. *Quando creatus Epiſcopus?* ibid. 13. *Treveris venit*, 111. 7. *Invitus Ithacio communicat*, ibid. *Supremus ejus annus*, 157. 3. *Mors*, *pietas*, *fama*, ibid. 4. *Ejus tranſlatio*, 505. 6.
Martyrius *Martyr*, 158. 9.
Martyrius Antiochenus, 527. 3.
Martyrarii, *quid?* 705. 12.
Martyropolis, 899. 2.
Maruthas, 259. 25.
Maſcezel, 154. 2. 164. ib.
Mathaſunta, *uxor Vitigis*, 745. 5.
Matiſconenſis Synodus, 878. 10. 888. 7.
Mavia, *Saracenorum Regina*, 44. 3. *Fidem ſuſcipit*, ib.
Mauritius *Perſidem vaſtat*, 865. 4. *Perſas vincit*, 869. ib. *Fit Imperator*, 876. 5. 6. *Conſtantinam ducit*, 877. 7. *Conſul procedit*, 880. 1. *Philippicum revocat*, 894. ib. *Thraciam petit*, 917. ib. *Milites in Monaſteriis ſuſcipi vetat*, 918. 5. *Ejus pœnitentia*, 944. 3. *Fuga*, 945. 5. *Occiditur*, 946. 7.
Maximianus, *Conſtantinopolitanus Epiſcopus*, 362. 48. *Ejus Synodica litera*: *Cœleſtinus ei ſcribit*, 363. 3. *Obit*, 373. ib.
Maximianus *Donatiſta*, 147. 12.
Maximianiſtæ, 147. 14.
Maximianus *Presbyter Romanus*, 886. 13.
Maximinus, *Arianus*, 307. 5.
Maximus *Hereticus*, 294. 8.
Maximus *tyrannus*, 89. 3. *Mores ejus*, 90. 4. *Imperator à Theodoſio agnoſcitur*, 93. 1. *Priſcillianiſtas ad Burdegalenſem Synodum duci jubet*, 102. 7. *Perſecutionem Juſtinæ ſedat*, 105. 6. *Martinum ſuſcipit*, 106. 11. *Italiam ingreditur*, 109. 3. *Eam vaſtat*, 110. 4. *Siricii ſcribit*: *ejus frater à Theodoſio vincitur*, 112. 4. *Solio deturbatus occiditur*, 113. 2.
Maximus *Philoſophus*, 8. 3. 9. ib.
Maximus Cynicus, 66. 8. *Epiſcopatum Conſtantinopolitanum uſurpat*: *ab Ægyptiis ordinatus*, ibid. 9. *Conſtantinopoli ejicitur*, ibid. *Alexandrini & Occidentales ei favent*, 68. 4. *Deponitur*, 76. 5. *Ad Synodum Oecumenicam provocat*, 83. 2. *A Damaſo Epiſcopus agnoſcitur*, ibid. 3.
Maximus Reienſis, 373. 7.
Maximus *Imperator*, 484. 2. *Avitum Militia Magiſtrum creat*, 485. 3. *Occiditur*, ibid. 4.
Maximus *tyrannus*, 241. 2. 242. 3. *Occiditur*, 300. 2.
Maximus *Diaconus urget Theodori Mopſueſteni abdicationem*, 584. 7. 585. 5.
Maximus, *Taurinenſis Epiſcopus*, 519. 8.
Maximus Salonitanus, 921. 5. *Ejus cum Gregorio Magno diſſidium*, 922. 6.
Medardus, *Noviomenſis Epiſcopus*, *obit*, 816. 5. *Medardo privilegium*, 919. 8. *Subditum eſt*, ib. 9.
Mediolanum *vaſtatur a Gothis*, 742. 2. 3.
Mediolanenſe Concilium, 124. 7.
Melania, 33. 3. *Confeſſores juvat*, 43. ib. *Evagrium ad Monachatum hortatur*, 216. 9. *In Siciliam migrat*, 228. 12. *Obit*, 246. ibid.
Melania Junior, 228. 13. *Petit Africam*, 246. 11. *Ejus vita brevitatum*, 247. 12.
Melanius, *Rothomagenſis Epiſcopus*, 885. 14.
Meletius, *Antiochiæ Epiſcopus*, *relegatus*, 17. 7. *A Gratiano revocatur*, 57. 9. *Ad concordiam Paulinum vocat*, ibid. *Synodo Antiochenæ præeſt*, 71. 11. *Ejus cum Paulino fœdus*, ibid. *Concilio Conſtantinopolitano intereſt*, 76. 4. *A Theodoſio honore afficitur*, ibid. *Mors & funus*, 77. 8.
Meletius Mopſueſtenus, 375. 7.
Mellitus, 942. 2.
Memnon, *Epiſcopus Epheſinus*, 347. 13. *A Joannis Synodo exauctoratus*, 351. 22.
Memor *Epiſcopus*, *Juliani pater*, 289. 14.
Mennas, *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, *quis?* 724. 11. *Anthimum damnat*, 716. 15. *Conſtantinopolitanæ Synodo præfuerit*, *ut Papæ Vicarius?* ib. 16. *Ejus in Anthimum ſententia*, 727. 18. *Vigilium Diptychis movet*, 774. 6. *Aurea reliquias transfert*, 777. ib. *Veniam à Vigilio petit*, 793. ib. *Mors ejus*, *& Libellus oblatus Vigilio*, ibid. 7.
Mermeroes, *Perſarum Dux inſignis*, 815. 6.
Meroveus, *Chilperici filius*, *Brunechildem ducit*, 858. 1. *Fit Clericus*, ibid. 2. *Martinum conſulit*, 860. 1. *Occiditur*, 863. 6.
Meſſaliani: *eorum errores*, 91. 9. *Quis ſectæ hujus auctor?* 92. 10. *Damnantur*, 317. 8. 356. 33.
Metenſis Synodus, 909. 22.
Methodius, 93. 7.
Milevitana Synodus, 76. 5. *Conduntur in Pelagium Canones*, 276. 6. 7. *Statuunt Canones de diſciplina?* 277. 8.
Milevitana Synodus, 194. 11.
Milenus, *Felicis Papæ Legatus*, *carceri includitur*, 559. 9. *Mongo communicat*, 562. 7. *In Romana Synodo damnatus*, ibid. 8. *Abſolvitur*, 589. 5.
Miro, *Rex Suevorum*, 849. 4.
Modeſtus, *Valentis Præfectus Prætorio*, *Clericos Orthodoxos comburi jubet*, 25. 4. *Vanas Baſilio Magno minas intentat*, 27. 8. *Quando Præfectus Prætorio creatus?* 30. 4. *Valentem à pœnitentiæ revocare conatur*, 34. 3. *Octoginta Clericos in Thraciam relegat*, 35. 9.
Monica: *errores Auguſtini luget*, 95. 6. *Epulas ad Martyrum monumenta celebrat*, 96. 7. *Mors ejus & pietas*, 112. 10.
Moſes *Saracenorum Epiſcopus creatur*: *à Lucio non vult ordinari*, 44. 3.
Moſes *Judæus Cretenſes decipit*, 365. 8.
Mummolus *Dux*, 872. 4. 881. 5. 886. 1.
Muntius, 714. 9.
Murus Longus, 516. 1.

N.

NAaman, 915. 5.
Narbafarces, *quis? Iſauros delet*, 211. 2.
Narbonenſis Synodus, 903. 16.
Narſes, *quis? in Italiam mittitur*, 795. 1. *Mores ejus*, 796. 4. *Romam capit*, *& Cumas*, 810. 14. *Lucenſi urbe potitur*, 811. 4. *Gothos Conſtantinopolim mittit*, ibid. *Ab Iſtriæ Epiſcopis excommunicatur*, 821. ibid. *Longobardos in Italiam vocat*, 841. 3. *Obitus ejus & virtutes*, 842. 5.
Nectarius, *quis? Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus*, 79. 11. *Domum ejus Ariani comburunt*, 115. 6. *Theodoſium hortatur*, *ut intra cancellos Eccleſiæ remaneat*, 122. 4. *Presbyterum Pœnitentiarium abrogat*, 129. 5. *Publicatam peccatorum Confeſſionem abolevit?* 131. 8. *Ad pœnitentiam Conſtantinopolitanum hortatur*, 155. 3. *Obit*, 159. 6.
Nephalius *Abbas*, 567. 15.
Neſtorius, *Conſtantinopolitanus Epiſcopus*: *ejus patria & mores*, 323. 8. *Auctor Theodoſianæ Legis in Hæreticos*, 324. ib. *Ejus doctrina*, ib. 9. 339. 20. *A Proclo refellitur*, 329. 11. *De Pelagianis Cœleſtino ſcribit*, 331. 14. 334. 9. *Cyrillo reſpondet*, ib. *A Theodoſio Synodum petit*, 337. 15. *De vera Deipara ejus ſententia*, 338. 17. 18. *Ejus Anathematiſmi*, ib. 19.

Num

Num Hæreticus fuit? 340. 21. Epheſum venit, 347. 6. Damnatur, 348. 16. 07. Synodi iniquitatem queritur, 450. 19. Dimittitur, 359. 40. Relegatus obit, 381. 3. Libri, ib.
Neſtoriani Cyrilli & Joannis concordiam culpant, 371. 3.
Nicæni Codices, 297. 17.
Nicetius Trevirenſis, 686. 8. Abſcinda ſcribit, 828. 2. Juſtiniano, 830. 3.
Nichoragan, Dux Perſarum, occiditur, 818. 2.
Nilamon Monachus, 200. 12.
Nonnus Origeniſta, 701. 2. Turbas movet, 730. 3. 763. 4. Obit, 768. 6.
Numidienſis Synodus, 919. 6.

O.

ODegus Anaſtaſii, 837. 8.
Odoacer Rex, 538. 1. Italiâ potitur, 539. 2. Orthodoxis Epiſcopis gratificatur, 547. 2. De non alienandis bonis Eccleſiæ ejus Edictum, 556. 22. Rugos vincit, 572. 2. 573. ib. Ravenna includitur, 558. 5. Occiditur, 584. 1.
Oecumenicus. Oecumenici titulus, num ſoli Papæ competat? 731. 26. 897. 2. Gregorio Magno improbatur, 906. 3. 937. 7.
Olybrius Conſul, 148. 1.
Olympias Diaconiſſa: vita ejus breviarium, 168. 05.
Olympius Epiſcopus, 81. 05.
Olympius Stiliconem occidit, 225. 6. Ab Auguſtino rogatur, ut contra Donatiſtas impetrat Reſcripta, 229. 04. Honorius eum exauctorat, 230. 3. Moritur, ib.
Olympius Arianus: ejus blaſphemia caſtigata, 602. 7.
Onogerienſis Romana clades, 816. 9.
Optatus Milevitanus in Parmenianum ſcribit, 22. 9. Quot libros condidit? Legatum Valentiniano mittit, 93. 2.
Optatus Donatiſta, 062. 3.
Oraio, 745. 6. 749. 3.
Oreſtes, Alexandriæ Præfectus: ejus cum Cyrillo diſſidium, 27. 04. A Monachis afficitur injuriâ, ibid. 15.
Oreſtes Nepotem in fugam vertit, 533. 2. Occiditur ab Odoacro, 538. 0.
Origenes, num in v. Synodo damnatus? 806. 29. Quando? ibid. 30.
Origeniſtæ, cur iis Pelusiotarum nomen inditum? 138. 9. Viri inſignes ex eorum grege, ibid. Hieronymus fuit Origeniſta, 174. 12. Ab Anaſtaſio Papa veniuntur, 186. 6. Tumultuantur, 758. 9. 763. 4. 768. 6. Origeniſtarum inter ſe lites, 775. 8. 816. 10. Canonibus quinta Synodi Oecumenicæ damnantur, 806. 31.
Oroſius Presbyter in Africam migrat, 266. 7. Hieronymum convenit, ibid. 8. In Pelagianos incidit, ibid. Ad Joannis Hieroſolymitani cætum vocatur, 270. 7. Blaſphemiæ accuſatur, 270. 8. Stephani reliquias in Africam affert: Hiſtoriam abſolvit ſuam, 304. 14.
Oſcenſis Synodus, 935. 5.

P.

PAlladius, quis? in Hiberniam mittitur, 343. 4.
Palladius Hæreticus, 81. 16.
Palladius perſecutor, 40. 14.
Palladius Helenopolitanus, 184. 3. Romam venit, 210. 23. Conſtantinopolim, 216. 5. Ejus de vita Chryſoſtomi Dialogus, 233. 7. 8. Num Auctor Dialogi hujus, 234. 9.
Pallium, quid? 923. 8.
Paparum luxus, 13. 9.
Pariſina Synodus contra Prætextatum, 861. 6.
Parmenianus Donatiſta ab Optato refellitur, 22. 9.
Paſchalis indulgentia, 20. 4.
Paſcha: error in Paſchate, 279. 4. 545. 03. 547. 4. De eo Gallos inter & Hiſpanos diſſidium, 660. 5. De Paſchate Leo Marcianum conſulit, 478. 5. De die Paſchatis Proterius Leoni ſcribit, ibid. Ad Paſcha obſervandum Latini non utebantur Enneadecaeteride, 486. 7. 8.
Paſchaſinus, Lilybetanus Epiſcopus, à Geiſerico captus, 393. 2. 0. Ejus ad Leonem Epiſtola, 402. 5. Legatus ad Synodum Chalcedonenſem, 450. 6.
Paſchaſius Diaconus Laurentio Antipapæ favet: de eo Gregorii Magni fabula, 600. 4.
Patricius, Hiberniæ Epiſcopus, 472. 6. Ejus Synodus, 473. 7. 8.
Patroclus, Arelatenſis Epiſcopus, Eroti ſufficitur, 282. 12. Novos ei honores Zoſimus affert, 083. 03. Ejus ambitio à Bonifacio contunditur, 305. 3. Occiditur, 316. 6.
Paula, 100. 6. Vita ejus breviarium & mors, 211. 27.
Pauli, Conſtantinopolitani Epiſcopi, reliquiæ in urbem Regiam transferuntur, 382. 17.
Paulinianus, frater Hieronymi, ab Epiphanio Presbyter ordinatur, 017. 10.
Paulinus Nolanus, quis? 146. 10. Num Conſul ordinarius fuerit? ibid. Conjux, ibid. Presbyter creatur, 047. 12. Gaudet de Auguſtini Epiſcopatu, 153. 13. Epiſcopus ordinatur: natale Felicis ſolvit, 237. 6. Quid egit in obſidione Nolenſi? 239. 8. Num redimendo captivos migravit in Africam? ibid. Obit, 342. 5.
Paulinus Antiochenus cum Meletio concordiam repudiat, 57. 9. Pactum ejus de ſucceſſore, 70. 00. Errore accuſatur, 72. ib. Adfueritne Synodo Romanæ, 83. 2. Obit, 119. 5.
Paulus, Novatianorum Epiſcopus, Chryſanto ſuccedit, 291. 4. Precibus Eccleſiam ſuam eripit incendio, 371. 1.
Paulus Emeſenus, ad Cyrillum Legatus, 369. 17.
Paulus Antiochenus Severo ſufficitus: ubi ordinatus? 653. 15. Abit Epiſcopatu, 661. 5.
Paulus, Latinorum Conſulum ultimus, quis? 706. 1. Ordinatur, 750. 6.
Paulus Alexandrinus, 757. 7. Relegatus loco movetur, 757. 7. 8. Apoſtolorum Baſilicam reſtituit, 776. 1. Scribit, ut tria Capitula damnentur, 778. 11.
Pelagiani ab Honorio damnantur, 267. 10. Eorum error in Britanniam ſe diffundit, 007. 7. Adfuerintne Joannis contra Cyrillum Synodo? 350. 23.
Pelagius Patricius à Zenone occiditur, 577. 1.
Pelagius Laodicenus relegatur, 17. 7.
Pelagius Hæreticus: ejus patria, 255. 7. A Pelagio Chryſoſtomi diverſus, ibid. & à Pelagio Iſauro, 256. ib. Laicus fuit, ibid. 8. Demetriadi ſcribit, 263. 00. Oroſium blaſphemiæ accuſat, 271. 8. A Synodo Dioſpolitana abſolvitur: capita objecta Pelagio, ib. 9. Ejus errores, 272. 12. Moralis, 073. ibid. Quamnam peccato ignorantiam tribuebat? ibid. 03. A Carthaginenſi & Milevitana Synodo damnatur, 276. 4. Epiſtolam Innocentio miſit, 280. 8. Hieroſolymâ pellitur, 087. 10.
Pelagius Diaconus infenſus Origeni, 759. 11. 760. 12. Ad eum de tribus Capitulis Ferrandus ſcribit, 770. 10. Fit Papa, 819. 5.
Pelagius I. Papa ordinatur à Presbytero: quando? 819. 5. 6. De Concilii Chalcedonenſis damnatione ſe purgat, 820. 7. 8. Sapaudo ſcribit: Narſetem contra Iſtrienſes movet, 821. 3.
Pelagius II. Papa Benedicto ſuccedit, 863. 7. Subdita ejus Epiſtola, ibid. 8. Auxilia adverſus Longobardos petit, 885. 17. Maximianum revocat, 886. ibid. Iſtrienſes ad concordiam hortatur, 892. 8. In tribus Capitulorum defenſores Smaragdum armat, 896. 9. Oecumenici titulo commovetur, 897. 11. Ejus ad Synodum Conſtantinopolitanam Epiſtola ſubdita, 898. 12. Obit, 905. 5.
Pentadia, Timaſii uxor, 154. 1.
Perpetuus, Turonenſis Epiſcopus, Baſilicam Martini renovat, 505. 6. Ejus obitus & inſtituta, 581. ib.
Perſæ Romanos vincunt, 28. 1. Ad Theodoſium Legatos mittunt, 93. 2.
Petilianus Donatiſta, 162. 4.
Petronianus Impoſtor, 413. 09.
Petrus, Baſilii Magni frater, 37. 9.
Petrus, Alexandriæ Epiſcopus, 39. 12. De Lucii perſecutione Damaſo ſcribit, 40. 14. Romam fugit, ib. 15. 45. 5. Alexandrinorum litteras Damaſo reddit, 57. 7. Maximo Cynico favet, 66. 1. 68. 4. Mors & ſcripta ejus, 69. 7.
Petrus Chryſologus, quis, 399. 4. Ejus ad Eutychem Epiſtola, 429. ibid. Mors, 447. 00.
Petrus Mongus, quis? 545. 13. 547. 4. Alexandrinis præficitur, 554. 6. Damnavitne Chalcedonenſem Synodum? ibid. Diſſidiis Eccleſiæ occaſionem præbuit, 559. 8. Mongo Felix & Miſenus communicant, 560. 7. A Synodo Romana damnatur, 563. 8. Obit, 579. 6.
Petrus Apamenſis, Hæreticus, 647. 14. Accuſatur & damnatur, 709. 04. 05. 07. 28.
Petrus Hieroſolymitanus, 759. 10. Obit, 782. 7.
Petrus Gnapheus: ejus ambitio & damnatio, 526. 5. Antiochiâ ponitur, 540. 8. Pellitur, 547. 5. Pityuntem relegatur, 549. 4. Antiochiæ redditur, 564. 6. Mors, 575. 7.
Petrus, Dux Mauritii: ejus prudentia in extinguenda ſeditione, 930. 1. Socordia, 933. ibid.
Philaſtrius Brixienſis: vita ejus & libri, 106. 10.
Philippicus, 881. 3. 944. ibid.
Philippus Sidetes, 317. 9.
Philippus Perſas fundit, 889. 1. 904. ib. 910. ib. Martyropolim obſidet nullo ſucceſſu, 899. 2.
Philoponus Tritheita, 747. 9.
Phocas, 945. 3.
Photius, Tyrienſis Metropolitanus, 461. 25.
Phrygium, quid? 345. 10.
Pictavienſis Synodus, 900. 10.
Pinianus, 828. 13. Presbyter creatur, 246. 11.

Placilla, 264. 2. 278. 1. 305. ib. *Obit*, 444. 4.
Plato Pictavienſis, 939. 8.
Pollantina pugna, 196. 2.
Porphyrius, *Antiochia Epiſcopus*, 208. 19.
Poſſeſſor *Epiſcopus de Fauſti libro Hormiſdam conſulit*, 658. 9. *A Joanne Maxentio erroris poſtulatur*, 659. 12.
Prætextatus, *Rothomagenſis Epiſcopus, nuptias Meroves celebrat*, 858. 1. *Damnatur in Synodo Pariſienſi*, 861. 6. 7. *Ejus hiſtoria*, 884. 14.
Presbyter Pœnitentiarius, 121. 5.
Primaſius Adrumetinus, 794. 9. 10.
Primatus *in Africa atati tribuebatur*, 194. 11.
Primianus *Donatiſta*, 141. 50. 149. 12.
Primoſus Carthaginenſis, 794. 9. 796. 6. 820. 10.
Priſcillianus *Hæreticus*, 72. 13. *Ejus errores*, 73. 14. *Multos depravat*, 100. 7. *Ad Burdegalenſe Concilium vocatur*, 104. 8. *Ad Cæſarem provocat*, ibid. *Ab Evodio judicatur*, 106. 11. *Occiditur*, 110. 6. *Honores defuncto redditi*, 111. 6.
Priſcillianiſtarum *errores*, 413. 3. *A Gallæcia Synodi damnantur*, 414. 5. *Priſcillianiſtarum nonnulli errores ſuos ejurant*, 180. 14.
Priſcus, *Dux Mauritii: ejus ſuperbia*, 894. 1. *Chaganò occurrit*, 917. ib. *Ejus acta*, 920. ib. 929. ib. 935. ib. 944. 2.
Proba, *Probini Conſulis mater*, 148. 1.
Probinus *Conſul*, 148. 8.
Probinus Aquileenſis, 864. 9.
Proclus Conſtantinopolitanus, 374. 5. *Armenis ſcribit*, 383. 6. *Thalaſſium Cæſarienſibus Præſulem imponit*, 391. 4. *Mors & libri ejus*, 412. 4.
Procopius, *quis?* 7. 10. *Imperium arripit*, 8. 2. *Multos ſibi conciliat*, ibid. *Occiditur*, 10. 1. *Proditores ejus affecti ſupplicio*, ib.
Proculus, *Tatiani filius, occiditur*, 137. 6.
Proculus Maſſilienſis, 166. 9. *Vexatus à Zozimo*, 283. 13. *Epiſcopatum eo invito retinet*, 284. 14.
Prodigia, 121. 1. 879. 3.
Projectus, *quis? ad Leonem provocat*, 405. 12.
Promotus *Gruthungos debellat*, 102. 1. *Equitibus præficitur*, 113. 1. 128. ibid. *Occiditur*, ib. 1.
Proſper, *quis? nihil Epiſcopus, vita ipſius*, 379. 13. 14. 414. 6.
Protaſius, *quis? ejus reliquia transferuntur*, 104. 7. 8.
Proterius Alexandrinus *Dioſcoro ſufficitur*, 476. 9. *Ejus contra Timotheum Synodus*, 482. 4. *De Paſchate Leoni ſcribit*, 483. 5. *Obit*, 493. 7.
Protochriſti, *qui?* 775. 8.
Pulcheria, *Arcadii filia*, 172. 2. *Fit Auguſta: ejus mores*, 264. 4. *Voluitne Theodoſias Diaconiſſam creari?* 412. 5. *Obit*, 476. 1.

Q.

QUadi *Romanos debellant*, 34. 1.
Quadrageſima: *de ejus initio turbà Conſtantinopolitana*, 771. 12.
Quinque Provinciæ *a Gallia diſcretà, qua?* 48. 12.
Quintianus, *Ruthenorum Epiſcopus, in exilium mittitur*, 617. 5.
Quotvultdeum, *Carthaginenſium Epiſcopus*, 483. 6.

R.

RAbulas *Edeſſenus Cyrilli partes amplectitur*, 366. 10. *Theodorum Mopſueſtenum accuſat*, 383. 6. *Moritur* ibid. 393. 9.
Radagaiſus, 111. 4.
Radegunda, *Clotharii uxor*, 690. 3. 838. 6. 881. ib.
Ravennius Arelatenſis *Hilario ſuccedit*, 443. 19. *Synodum Arelatenſem III. de Theodori & Fauſti cauſa convocat*, 488. 10.
Rechiarius, *Rex Suevorum, fit Chriſtianus*, 418. 1. *A Gothis debellatur*, 489. 3.
Remiſmondus, *Rex Gallæcia*, 514. 1.
Reienſis Synodus, 392. 8. *Ejus de Armentario Decretum*, ib. 9.
Reliquiæ *Joannis Baptiſtæ*, 128. 3. 219. 1. 480. 10. *Stephani*, 268. 5. *De eis Luciani narratio*, 168. 5. 269. 6.
Reliquiæ XL. Martyrum, 387. 4. *Ferreoli & Juliani*, 511. 6. *Falſa Deſiderii reliquia*, 894. ib.
Remigius, *Rhemenſis Epiſcopus, Chlodovæum baptiſat*, 593. 5. *Et ſcribit*, 646. 2. *Mors & hiſtoria*, 705. 13. 14. 15. *Scripta*, 706. 16.
Reparatus *Diaconus, Confeſſor*, 569. 11.
Reparatus *Carthaginenſis*, 715. 5. *Obit*, 794. 9. 830. 6.
Reſtitutus *Presbyter à Circumcellionibus vexatur*, 162. 4.
Ricaredus, *Rex Hiſpaniæ, Leovigildo ſuccedit*, 887. 3. 4.

Catholicam fidem amplectitur, 889. 4. *Ariani in eum conſpirant*, 893. 5. *Chlodoſuinda nuptias ambit*. 895. 5. *Goſuinta inſidias ei molitur*, 896. 7. *Toletanam Synodum III. cogit*, 901. 11. *Eam alloquitur*, 903. 13. *Pietas ejus à Gregorio Magno laudatur*, 936. 5.
Richomer *Alanos vincit*, 514. 2. *Geiſericum*, 517. 2. *Majorianum occidit*, 503. 1. *Ejus cum Anthemio diſſidia*, 526. 1. *Mors*, 528. 3.
Riguntis *ſponſa Ricaredo mittitur*, 881. 6. *Ejus cum Fredegunda diſſidia*, 910. ib.
Rogationes, 112. 4. 512. 5.
Romana Synodus *in Urſacium*, 20. 5. *Contra Auxentium*, 35. 5. *Contra Apollinariſtas*, 50. ib. *Romana Synodus anni 382. Maximum Cynicum agnovit*, 83. 3. *Romana Synodus ſub Siricio*, 106. 9. *Ejus capita*, ib. *Romana Synodus contra Neſtorium*, 336. 12. *Contra Manichæos*, 403. 6. *Contra Hilarium*, 409. 3. *Contra Eutychem*, 441. 25. *Hilari Synodus*, 517. 4. *Gregorii Magni*, 917. 5.
Roſimunda, *Longobardorum* Regina, 841. 2. 848. 2. 3.
Rufinus *Comes*, 128. 2. *Promotum occidit: quis?* 149. 4. *Ad vaſtandam Græciam Alaricum movet*, 150. 7. *Occiditur*, 152. 10. *Illata injuria cadaveri: uxor & filia ejus Hieroſolymam ſecunt*, ibid.
Rufinus *Presbyter, Melania comes*, 33. 3. *Ejus cum Hieronymo diſſidium*, 174. 11. *Cauſa diſſidii*, ibid. *Invectivam inchoat*, 175. 13. *Apologiam fidei ſuæ mittit Anaſtaſio*. 188. 8. *Ab Anaſtaſio reſponſum accipit: Rufini Apologia*, ibid 9. *Anaſtaſii cenſuram ſpernit*, ib. *Ejus in Hieronymum invectiva*, 189. 10. *Romæ librum de Benedictionibus Patriarcharum condit: in Orientem migrat*, 201. 15. *Pinianum in Siciliam comitatur*, 218. 14. *Ejus patria & mores*, 243. 6. *Fama & mores*, ibid. 7. *Fueritne Pelagianus, & Peccati originalis negator?* 244. 8. *Ejus Confeſſio*, ibid. 10.
Rufinus *Syrus*, 245. 9. *Num fons Pelagianiſmi habitus?* ibid
Rumitalca *Tribunus Procopio favet*, 8. 2.
Ruricius Lemovicenſis, 582. 7.
Ruſticiana, *Boethii uxor*, 669. 3. *Erga eam Totila clementia*, 773. 4.
Ruſticus *Diaconus Vigilii Judicatum improbat*, 780. 4. *Liber ejus in Acephalos*, 782. 6.
Ruſticus *impoſtor*, 912. 8.

S.

SAbais, *quid?* 8. 2.
Sabas *Martyr*, 35. 4.
Sabas *Abbas: ejus ad Anaſtaſium legatio*, 623. 9. *Eum placat*, 624. 1. *Tributorum relaxationem impetrat: ejus in fame conſtantia*, 642. ib. *Ad Anaſtaſium Libellus*, 644. 8. *Pro Chalcedonenſi Concilio cura*, 647. 15. *Conſtantinopolim proficiſcitur*, 690. 7. *Cur?* ib. 6. *Quid egit?* 691. 8. *Petitioni ejus annuit Juſtinianus*, 691. 10. *Obit*, 698. 6. 7. *Vita ejus breviarium*, ibid 8.
Sabbati *ſuperſtitio*, 947. 12.
Sabbatius *Novatianus*, 161. 9. 228. 4.
Sabinianus, *Militia Ductor*, 547. 1. *Mors*, 550. 10.
Sabinianus, *Sabiniani filius, à Getis debellatur*, 614. 1.
Sacra nocturna *prohibentur*, 3. 8.
Sactivi, 890. 5.
Sagittarius, *Vapincenſis Epiſcopus*, 840. 5. 861. 2. *Obit*, 866. 5.
Salonius, *Ebredunenſis Epiſcopus*, 840. 5. 7. 860. 2. 866. 5.
Salomo *Mauros vincit*, 714. 2. *Conjuratione obruitur*, 720. 1.
Salvianus Maſſilienſis, *quis?* 500. 7.
Salvina, *Gildonis filia*, 155. 2. 162. ib.
Saluſtius, *Patriarcha Hieroſolymitanus*, 588. 9.
Samaritani *rebellant*, 685. 4. *Juſtiniani contra eos Edicta*, 690. 9.
Samuel *Presbyter*, 745. 13.
Sanctimoniales: *earum matrimonia olim firma erant*, 1. 1. *Earum tonſura prohibetur*. 123. 6.
Sanctorum *Animæ, num à Cœlo veniant in terram*, 237. 7.
Sandovalus *rebellat*, 837. 2.
Santonenſis Synodus, 830. 5. 866. ibid.
Sapaudus, *Arelatenſis Epiſcopus*, 820. 9. 822. 5. 848. 3. 891. 6.
Sapor, *Rex Perſarum, Armeniam ſibi ſubjicit*, 13. 4. *Obit*, 74. 17.
Satyrus, *frater Ambroſii*, 96. 8.
Saxones *à Romanis deleti*, 24. 1. *Britanniam invadunt*; 429. 2. *Geſta in Gallia*, 855. 12.
Schiſma Acacianum *componitur*, 651. 8.
Scholæ Theologicæ, 717. 10.

Sclavi

Sclavi *debellantur*, 788. 2.
Scythiæ *Monachi: eorum Confeſſio*, 654. 12. *Collatio cum Joanne Conſtantinopolitano*, 655. 14. *Roma ejiciuntur*, 659. 11.
Sebaſtianus *tyrannus*, 260. 1.
Sebaſtianus *Comes, Martyr*, 381. 2. 394. 3.
Sedulius: *num Presbyter? opera ejus Paſchalia*, 381. 15.
Semi-Pelagiani. 327. 5. *Bifariam diviſi*, ib. *A Caſſiano perſtringuntur*, 341. 2.
Seneca *Pelagianus*, 585. 6.
Sentes, 890. 5.
Serapium *evertitur*, 132. 9.
Serena, *conjux Stiliconis*, 144. 7. *Cujus filia?* 152. 21. *Potionem Honorio præbet*, 228. 1. *Occiditur*, 216. 6.
Serenus Maſſilienſis *imagines frangit*, 936. 3.
Severianus, *Gabalorum Epiſcopus: ejus cum Chryſoſtomo diſſidium*, 183. 2.
Severiani: *eorum cum Orthodoxis Collatio*, 702. 4. *Quid in Chalcedonenſi Concilio reprehendebant?* ib. 6. *Collationis eventus*, 703. 8. *A Synodo Conſtantinopolitana damnantur*, 729. 25. *Severianos Gregorius informat*, 915. 4.
Severinus *Abbas*, 538. 1.
Severus Sulpitius, *Hiſtoricus*, 181. 16.
Severus *Imperator*, 503. 2. *Annum aperit*, 506. 1. *Mors ejus & leges*, 516. ib.
Severus Antiochenus, *Hæreticus*, 626. 1. 2. *A Coſma excommunicatur*, 627. 3. *Ejus doctrina*, ibid. 4. *Contra Severum Libelli*, 646. 11. *Synodi contra eum*, ibid. 12. 13. *Apprehendi jubetur*, 647. 16. *Fugit*, 648. 17. *Ejus de corpore Chriſti ſententia*, 662. 6. *Anthimo perſuadet abire Epiſcopatu*, 731. 39.
Severus Aquileienſis, 913. 13.
Sicula Synodus, 11. 4.
Sidenſis Synodus, 91. 10.
Sidonienſe Concilium, 614. 10. *Ab Anaſtaſio ſolvitur*, ibid. 1.
Sidonius Apollinaris *Panegyricum dicit Anthemio*, 512. 1. *Quis?* 510. 3. *Arvernenſis Epiſcopus creatur*, ib. 4. *Bituricenſi Concilio præeſt*, 530. 4. *Ejus ad Oreſium Epiſtola: obitus & laudes*, 570. 13.
Sigebertus *Rex*, 837. 3. 846. ib. 855. 12. 857. 4.
Sigiſmundus, *Rex Burgundiæ, Acaunenſe Monaſterium extruit*, 633. 10. *Gundobado ſuccedit*, 634. 1. *Anaſtaſio ſcribit: ab Epiſcoporum communione abſtinet*. 641. 13. *Filium occidit*, 664. 5. *Occiditur*, 665. 3.
Silvania, *Rufini ſoror*, 152. 19.
Silverius *Papa, num Simoniacus?* 731. 31. *Ejus Epiſtola ſubdita*, 732. 32. 33. *Romà pellitur*, 734. 3. *Pataram relegatur: in Palmaria moritur*, ibid. 4.
Silvia, *Gregorii Magni mater*, 873. 10.
Simeon Stylita, 370. 19. *Obit*, 516. 6.
Simonia *damnatur*, 602. 5. 706. 3.
Simplicianus Mediolanenſis *Ambroſio ſuccedit*, 157. 2. *Fama ejus*, 181. 15. *Mors*, 189. 11.
Simplicius, *Bituricenſis Epiſcopus*, 531. 5.
Simplicius *Papa*, 512. 6. *Conceſſa Conſtantinopolitano Epiſcopo jura negat*, 518. 4. *Gaudentium damnat*, 538. 10. *Zenoni gratulatur*, 542. 4. *A Zenone petit, ut tyrannorum acta reſcindantur*, 540. 4. *Petit ut Mongus pellatur*, 547. ib. *Mongo reſiſtit*, 554. 6. *Moritur*, 558. 3.
Singedonenſe Concilium, 12. 7.
Siricius *Papa*, 100. 5. *Ejus ad Himerium Epiſtola*, 106. 9. *Epiſtola de Eccleſiæ diſciplina*, ibid. *Partes Evagrii amplectitur: Jovinianum damnat*, 124. 7. *Paulinum non ſatis honorificè tractat*, 147. 12. *Obit*, 166. 10.
Siſinnius *Martyr*, 158. 5.
Siſinnius, *Novatianorum Epiſcopus*, 90. 6. 94. 4. 222. 10.
Siſinnius *Conſtantinopolitanus*, 317. 7. *A Synodo Conſtantinopolitana conſecratur: obit*, 319. 4. *Neſtorio decedit*, 324. 8.
Sixtus *Papa Pelagianos anathematizat*, 187. 9. *Fit Pontifex Romanus*, 364. 4. *Ejus ad Orientales de ſua purgatione Epiſtola ſubdita eſt*, ibid. 5. *Cyrillum hortatur, ut Orientales ſuſcipiat*, 365. 6. *Ejus ad Joannem & Cyrillum litera*, 372. 5. *Ejus de Baſſo Synodus ſubdita*, ibid. 6. *Obit*, 394. 4.
Smaragdus, 897. 9.
Socrates *Hiſtoricus, num Novatianus?* 391. 5.
Sophia *Eccleſia dedicatur*, 735. 8. *Ejus ornamenta*, 736. 9.
Sophia *Auguſta, Juſtini uxor*, 834. 10. 843. 8. 863. 3.
Sozomenus *Hiſtoricus*, 395. 7.
Stephanus Lariſſeus, 694. 7. 8.
Stephanus junior, *Antiochenus Epiſcopus*, 548. 5.
Stilico, 144. 7. *Infenſus Rufino*, 150. ibid. *Achaia fugatur*, 151. 9. *Barbaris parcit*, ibid. *Ab Arcadio Illyricum avellere conatur*, ibid. *Ortus & mores: cur ſerò Conſul proceſſit?* 176. 2. *Gothos vincit*, 196. 2. *Quando Radagaiſum debellavit?* 213. 3. *Ejus de illo victoria*, ibid. 4. *Barbaros ad occupandas Gallias movet*, 219. ibid. *Pacem ab Alarico emit*, 225. 5. *In Eccleſiam fugit*, ib. 6. *Occiditur*, ibid.
Stoza: *ejus in Africa rebellio*, 730. 2. *Obit*, 765. 5.
Studius, *qui Joannis Baptiſtæ Templum excitat*, 509. 8.
Suevi, 241. 1. *Debellantur*, 331. 1. *Eorum perfidia*, 341. ib. *Hiſpaniam vaſtant*, 396. ib. *Regnum ſuum excitant*, 503. 2. *Eorum diſſidia*, 514. 1.
Symbolum *Theodori Mopſueſteni*, 355. 31.
Symmachus *aram Victoriæ reſtituere conatur*, 94. 5. *Theodoſius ei parcit*, 128. 2. *Scribit in ejus laudes*, ib.
Symmachus *Papa*, 600. 4. *Ejus contra Simoniam Synodus*, 602. 3. *Ejus ad Laurentium Epiſtola*, 603. 4. *Ejus in Petrum Altinum Synodus ſubacta*, 606. 9. *Adulterii accuſatur*, 608. 4. *Abſolvitur*, 609. 3. *Odoacri conſtitutionem abrogat*, 611. 4. *Anaſtaſium excommunicat*, ibid. 5. *In rerum Eccleſiaſticarum invaſores ejus Synodus*, 613. 4. *Joannem Diaconum ſuſcipit*, 616. 6. *Orientalibus negat auxilium*, 625. 5. 6. *Ejus ad Cæſarium Epiſtola*, 628. 7. *Cæſarii ditionem amplificat*, 609. 3. *Obit*, ibid. 4.
Symmachus *Conſularis occiditur*, 671. 7.
Symphoſius *errores ejurat*, 180. 14.
Syneſius, *apud Arcadium Legatus, orationem habet de Regno*, 172. 5. *Epiſcopus Ptolemaidis creatur*, 239. 10. *Vita ejus*, 240. ib. *Epiſcopatum fugit: falsòne teſtatus ſit à reſurrectionis fide ſe alienum fuiſſe?* ib. 11. *In Epiſcopatu uxore uſus eſt*, 241. 12. *De reddendis in reſurrectione aureis Evagrio ſederitne chirogra-phum?* ibid. *Andronicum perſtringit*, 253. 25. 26. *Ejus ad Petrum Epiſtola de Paſchate*, 259. 13.

T.

Taſcodrugitæ *Hæretici*, 92. 11.
Tatianus, *Præfectus Prætorio*, 136. 6.
Tarraconenſe Concilium, 636. 7.
Taurinenſe Concilium, 165. 9.
Te Deum *hymnus*, 112. 9.
Teja, *Rex Gothorum*, 796. 5. *Totilæ ſufficitur*, ibid. 3. *Cumas ſervare conatur*, 810. 1. *Occiditur*, ib. 2.
Tela ſerica, 776. 5.
Telemachus *Monachus Romæ occiditur*, 202. 3.
Templa *mutantur in Eccleſias*, 173. 7.
Teraſia, *Paulini uxor*, 146. 10.
Terentius: *ejus pœnæ*, 54. 3.
Terræ motus, 94. 155. 3. 291. ib. 413. 2. 822. 2.
Tertullus *Conſul*, 831. 5. *Num ordinarius?* 135. 1.
Thalaſſius, *Cæſareæ Epiſcopus*, 391. 4.
Themiſtius *Hæreticus*, 662. 7.
Theobaldus, *Rex Francorum*, 770. 1. *Obit*, 814. 4.
Theodatus, *Rex Gothorum*, 707. 6. *Inita cum Juſtiniano pacta violat*, 714. 1. *Deſeritur ab Ebremud*, 720. 3. *Obit*, 724. ib.
Theodebertus, *Rex Francorum, Deuteriam ſibi conjungit*, 708. 8. *Liguriam vaſtat*, 743. 4. *Obit*, 779. 12.
Theodebertus, *Childeberti filius*, 889. 3. *Clotharii exercitum delet*, 938. 2.
Theodegildis, 843. 7.
Theodelinda *Regina*, 899. 3. 905. 4.
Theodomirus, *Rex Suevorum, fit Orthodoxus*, 818. 2.
Theodora, *Juſtiniani uxor*, 680. 5. *Favet Eutychianis*, 686. 7. *Saba benedictionem petit*, 691. 8. *Ejus in ſeditione fortitudo*, 697. 3. *Vigilium Menna conciliat*, 774. 6. *Obit*, 776. 4.
Theodoricus, *Triarii filius, quis? obit*, 550. 2.
Theodoricus, *Rex Gothorum: mors & mores ejus*, 921. 3. 522. 4.
Theodoricus, *Rex Italiæ*, 557. 1. 2. *Zenoni bellum intendit*, 572. 1. *De occupanda Italia cogitat*, 573. 0. *In Italiam proficiſcitur*, ibid. 3. *Odoacrum vincit*, 575. 1. *Proditus Ticinum petit*, ib. 2. *Odoacrum debellat*, 577. ib. *Ignorantia ejus & virtutes*, 578. 4. *Veſtem Regiam ſumit*, 581. 5. *Odoacrum occidit*, 584. 1. *Poſterior ejus Epocha: mores*, ibid. 2. *Ejus ad Anaſtaſium legatio*, ibid. 3. *Decretum de venundo Italis rogante Epiphanio revocat*, 586. 2. *Ejus ad Chlodoveum Epiſtola*, 597. ib. *Ejus æquitas de Religione*, 600. ib. *Romam magnificè ingreditur*, 604. 1. *A Theodoro inſidiis appetitur*, ibid. 2. *Amalafridam Thraſimundo collocat*, ib. 4. *Sirmium capit*, 613. 2. *Mogor intervenit*, ibid. 3. *In Galliam proficiſcitur*, 618. 4. *Boëthium carcere includit*, 668. 2. *Symmachum occidit*, 671. 2. *Obit*, 674. 4. *Num in Vulcani ollam à Symmacho conjectus?* 675. 5. *Regnum Athalarico ſuum relinquit*, 676. 6.
Theodoricus, *filius Childeberti*, 935. 2. 938. ib.
Theodoricus, *Chlodovei filius, Thuringios debellat*, 689. 3. *Obit*, 708. 8.
Theodoricus, *filius Chilperici*, 881. 5.
Theodoritus: *vita breviarium*, 311. 9. *Fit Epiſcopus*, ibid. 10. *Marcionitas opprimit*, 318. ib. *Hiſtoriam abſol-*

abſolvit, 333. 6. *Synodo Epheſinæ & Cyrillo ſcribit*, 366. 10. *Joannem Antiochenum perſtringit*, 374. 4. *Cum eo communicat*, 375. 5. *Calumniam patitur*, 401. 2. *Epheſino Conciliabulo excluditur*, 433. 13. *Damnatur*, 438. 20. *Leonis Papæ implorat auxilium*, 440 23. *Synodum Chalcedonenſem ingreditur*, 456. 15. *Sedi ſuæ reſtituitur*, 464. 32. *Obit*, 499. 9. *Autor ne Epiſtola ad Joannem?* 801. 21.

Theodoritus, *Lignidenſis Epiſcopus, Hormiſdæ blanditur*, 651. 6.

Theodorus Mopſueſtenus, 321. 5. *Duaſne Chriſti perſonas admiſerit?* 322. 7. *Pelagianus fuit*, 323. ib. *Hieronymum perſtringit*, ibid. *Symbolumne ipſius nomine inſignitum condiderit? Neſtorianiſmi accuſatur*, 383. 6. 388. 7. *Diodori auditor fuit*, 61. 16. *De eo Synodus*, 786. 7. *Diptychis deletur*, ib. 8. *Debuitne poſt obitum anathemate percutiii?* 787. 9. *Excerpta ex ejus ſcriptis leguntur*, 799. 17. *Damnatur*, 800. 18. 19. 21.

Theodorus Aſcidas, *quis? Origeni favet*, 731. 30. 759. 10. 763. 4. *Ad damnanda tria Capitula Juſtinianum movet*, 763. 5. *A Vigilio objurgatur*, 789. 6. *Vigilii minas ſpernit*, 790. 9.

Theodorus *in Valentem conjurat*, 34. 2.

Theodorus, *Cabarſuſſitanus Epiſcopus*, 834. 8.

Theodoſius *ad comprimendam ſeditionem Britanniam ingreditur: Firmo opponitur*, 32. 1. *Obit*, 63. ib.

Theodoſius *creatur Imperator*, 63. 1. *Ejus patria & anni*, ibid. 2. *Uxor*, ibid. *Mores*, 64. 3. *Gothos vincit*, 67. 1. *Baptiſatur*, ib. 3. *Arianos Conſtantinopoli pellit*, 68. 5. *Meletio honorem tribuit*, 76. 4. *Leges fert in Hæreticos*, 81. 15. *Reliquiarum mercaturam prohibet*, 106. 8. *Legationem Maximo mittit*, 109. 3. *Gallæ nuptias ambit*, ibid. *Antiochenſibus iraſcitur*, 110. 5. *Bellum in Maximum parat*, 113. 1. *Ejus victoria*, ibid. 4. *In victos clementia*, 114. 3. *Acta Maximi reſcindit*, ib. *Leges de Templis & Hæreticis ſcribit*, 82. 1. *Sectarum Synodum cogit*, 90. 6. *Fidem Conſubſtantialis amplectitur: Conventus Hæreticorum in civitatibus vetat*, 91. 7. *Maximum Imperatorem agnoſcit*, 93. 1. *Ejus liberi*, 94. 3. *Conſtantinopoli Hæreticos pellit*, 94. 4. *Leges in eos promulgat*, 102. 2. *Apollinariſtas comprimit*, 118. 13. *Triumphat*, ib. 1. *Symmacho parcit*, ib. 2. *Lupanaria evertit*, 119. 3. *Theſſalonicenſem ſtragem imperat*, 122. 2. *Ejus pœnitentia*, ibid. 3. *Mulierum raſuram prohibet*, 123. 6. *Barbaros delet*, 127. 1. *Superſtitionem abolet*, 137. 7. *Joannem conſulit*, 140. 2. *Contra Eugenium bellum parat*, 141. 2. *Periculo liberatur*, 143. 2. *Eugenium vincit*, ib. 3. *Ejus in victos clementia*, ib. 4. *Viſio ejus expenditur*, ib. 5. *Ob bellum abſtinet Euchariſtiâ*, ib. 6. *Romam venit: Flavianum Siricio conciliat*, 144. 7. *Obit*, 149. 3.

Theodoſius Junior: *ejus natales*, 183. 1. *Imperator creatur*, 190. ib. *Anni & mores*, 224. 3. *Athenaïdem ducit*, 302. 2. *Spectacula relinquit auditâ morte Joannis*, 312. 2. *Ludos certis diebus prohibet*, 313. 4. *A Monacho excommunicatur*, ib. 5. *Idololatriam prohibet*, 318. 11. *Humi cruces pingi vetat*, 319. 3. *Fert Legem in Hæreticos*, 324. 6. *Ad cogendam Epheſinam Synodum mittit*, 337. 16. *De Cyrillo queritur*, ibid. *Epheſinos perſtringit*, 353. 25. *Judicium Orientalium probat*, 357. 36. *A Joanne Medico mutatur*, 358. ib. *Epheſinos de creando Patriarcha Conſtantinopolim venire jubet*, 366. 44. *Joannem & Cyrillum ad concordiam reducit*, 367. 12. *Frumentum Conſtantinopolitanis aſſignat*, 373. 2. *Antiochenæ Synodo reſcribit*, 385. 4. *Theodoſianum Codicem condit*, 388. 2. *Oſſa Chryſoſtomi Conſtantinopolim revocat*, ib. 3. *Ejus temperantia*, 393. 1. *Ab Attila pacem emit*, 399. ib. *Epheſinum Conciliabulum cogere ſtatuit*, 433. 12. *Ejus ea de re ad Dioſcorum Epiſtola*, ib. 13. *Conciliabulum firmat*, 442. 27. *Mors ejus & anni*, 444. 5.

Theodoſius, *Monachus Eutychianus*, 474. 10. *Epiſcopatum Hieroſolymitanum uſurpat*, 475. 11. *Euthymium ſibi copulare tentat*, ib. *Fugam arripit*, 479. 8.

Theodoſius, *Synadis Epiſcopus*, 330. 17.

Theodoſius, *Alexandrinus Epiſcopus*, 741. 11.

Theodoſius *Abbas*, 686. 6.

Theodoſius, *Mauritii filius, fit Imperator*, 904. 2. *Ejus nuptiæ*, 944. 1. *Virgis à patre cæditur*, 945. 4. *Occiditur a Phoca*, 946. 5.

Theodotus Antiochenus, 329. 10.

Theophilus, *Alexandriæ Epiſcopus, Serapium deſtruit*, 132. 10. *Canopum evertit*, 133. 11. *Ad componenda Hieronymi & Joannis Hieroſolymitani diſſidia Iſidorum mittit*, 138. 10. *Ejus verſutia*, 167. 12. 241. 12. *Chryſoſtomum inaugurat*, 168. 13. *Odio proſequitur Origeniſtas*, 184. 4. *In Synodo eos damnat*, 185. 4. *Longos vexat*, ib. 5. *Contra Origeniſtas ſcribit*, 191. 3. *Conſtantinopolim venit: Chryſoſtomo ſtruit inſidias*, 196. 4. *Synodo ad Quercum adeſt*, 197. 5. *Alexandriam repetit*, 200. 11. *Nilamonem vult ordinare: ejus in Chryſoſtomum odium*, 230. 16. *Mors & libri*, 258. 12. *Epiſtolarum ejus ordo*, 185. 4. 211. 28.

Theophronius *Eunomianus*, 165. 4.

Theotimus Tomitanus, *defenſor Origenis*, 192. 6.

Thermantia *Auguſta, conjux Honorii*, 218. 1. *Obit*, ibid. 267. 2.

Thomas Apameenſis, 745. 4.

Tiberius *Imperator, a Juſtino adoptatur*, 853. 5. *Quando Cæſar creatus?* 854. 6. *Mores ejus & anni*, ib. 8. *Contra Coſroem proficiſcitur*, 856. 1. *Fit Auguſtus*, 863. 2. *Conſulatum adit*, 864. 1. *Mauritium creat Auguſtum: obit*, 875. 4. *Virtutes ejus*, ib.

Timaſius, *quis?* 113. 2. *Ejus hiſtoria*, 153. ib.

Timocles *Hæreticus*, 525. 3.

Timotheus Alexandrinus *Petro ſuccedit*, 69. 7. *Obit*, 101. 10. *Scripta*, 102 ib.

Timotheus Alexandrinus, 661. 6. *Obit*, 741. 10.

Timotheus *Hæreticus*, 71. 11.

Timotheus Ælurus, 482. 4. *Epiſcopus creatur*, 493. 6. *Proterianos vexat*, ibid. 8. *Leoni Libellum offert*, 494. 9. 502. 4. *Eccleſiam turbat*, 539. ib. *Synodum Chalcedonenſem evertere tentat*, 541. 6. *Simplicius contra eum Zenoni ſcribit*, 545. 10. *Num Chriſti naturas permiſcebat?* 545. ibid. *Obit*, ibid.

Timotheus Conſtantinopolitanus, 623. 8. *Obit*, 640. 9.

Tirienſis Synodus, 646. 13.

Toletana Synodus I. 180. 12. *Toletana Synodus II.* 313. 5. *Toletana Synodus III.* 695. 10. *Toletana Synodus IV.* 903. 11. *Toletana Synodus V.* 933. 7. *Toletana Synodus Arianorum*, 869. 5.

Toloſana Synodus, 618. 5.

Totila, *Rex Gothorum: ejus virtutes*, 754. 2. *Romanos bis vincit*, ibid. 3. *Campaniam vaſtat: Neapolim expugnat*, 755. 1. *Peruſio potitur*, 769. 4. *Herculanum Epiſcopum occiderit?* ib. *Romam obſidet*, ib. 5. *Valentino Epiſcopo manus amputat*, 770. ib. *Romam fame urget*, 772. 2. *Ejus erga Romanos clementia*, 773. 4. *Objectionem ſolvit*, 776. 1. *Romanos delet*, ib. 2. *Beliſarii equites fundit*, ib. 3. *Romam capit*, 784. 1. *Eam inſtaurat*, ibid. 2. *Siciliam vaſtat*, 788. 3. *Sardiniam & Corſicam capit*, 792. 1. *Occiditur*, 795. 3.

Trajanus *Dux*, 54. 3. *Ejus inſigne dictum*, 55. 1.

Treverenſis Synodus, 111. 7.

Tribigildus *rebellat*, 170. 2. *Leo Dux contra eum mittitur*, 171. 3. *Acta Tribigildi*, ib. 4. 176. 2.

Triſolius *Presbyter Scythia Monachos refellit*, 659. 12.

Triſagium, *num è Cœlo deductum?* 417. 12.

Tſatius, *Lazorum Rex, fit Chriſtianus*, 663. 2.

Tulleoſe Concilium, 783. 12.

Turonenſe Concilium, 605. 5. 6.

Turnoenſis Synodus II. 837. 4.

Turos, *Fobeti ad Acacium Legatus*, 564. 10. 11.

Tyanenſis Synodus, 12. 6.

Tyrannus *Sacerdos*, 133. 11.

V.

VAlens *Epiſcopus*, 12. 7.

Valens *Imperator*, 3. 3. *Crudelis ejus de Procopio victoria*, 12. 2. *Bellum Gothis infert*, 15. 1. 19. 3. *Baptiſatur*, 15. 1. 16. 4. *Epiſcopos regnante Conſtantio depoſitos pellit*, 16. 6. *& Nicænæ fidei fautores*, 22. 7. *Athanaſium relinquit*, 23. 2. *Gothis dat pacem:* ib. *Demophilum Conſtantinopolitanos vexat*, 25. 4. *In Cappadociam contra Orthodoxos proficiſcitur*, 27. 8. *Antiochiam venit*, 29. 1. *Bibliothecam extruit*, 33. 4. *Ob Theodorum multos occidit*, 34. 2. *Monachos perſequitur*, 51. 7. *A Themiſtio perſecutione revocatur*, ibid. 8. *In Gothos proficiſcitur*, 55. 1. *Eis concurrit*, ibid. 2. *Debellatur*, 56. 3. *Obit*, ibid. 4. *Mores ejus*, 56. 5.

Valentina Synodus, 48. 11. *Valentina Synodus à Gunthramno coacta*, 885. 16.

Valentinianus *Conſul, Collega Victoris, quis?* 22. 1. *Valentis filius erat*, ibid. *Obit*, 37. 8.

Valentinianus *Imperator*, 2. 3. *Mores ejus*, ibid. 4. *Acta Eccleſiaſtica*, ibid. 6. *Germanos vincit*, 19. 2. *Paſchale feſtum honore afficit*, 20. 4. *Gratianum Imperatorem dicit*, 15. 2. *Rheni ripas munit*, 23. 3. *Burgundiones in Germanos excitat*, 24. 2. *Clericorum donationes prohibet*, 28. 11. *Gabinium Quadorum Regem occidit*, 34. 1. *Cum Rege Macriano pacem facit*, 42. 11. *Contra Quados proficiſcitur*, 49. 1. *Obit*, ib. *Num Polygamus?* 58. 4.

Valentinianus II. 49. 3. *Cum Gratiano dividit Imperium*, 50. 3. *Arianis favet*, 102. ib. *Gratiani corpus petit*, 89. 2. *Theſſalonicam fugit*, 109. 3. *Nam* cum

Digitized by Google

cum Theodoſio triumphavit? 118. 1. *Ab Arbogaſte injuria afficitur*, 134. 2. *Occiditur*, ibid. 3. *Anni & mores ejus*, 135. 4.
Valentinianus III. *ejus nativitas*, 296. 1. *Auguſtus creatur; anni ejus & mores*, 313. 2. *Privilegia reddit Eccleſiis*, 314. 7. *Eudoxiam ducit*, 386. 2. *Legem in gratiam Leonis Papæ fert*, 419. 5. *De abrogandis Conciliabuli Epheſini Actis Theodoſio ſcribit*, 442. 26. *De Judicio Epiſcopali Lex ejus: num ſit iniqua?* 471. 3. *Maximi violat uxorem*, 482. 2. *Ætium occidit*, ib. *Perit*, 484. 1.
Vallia, *Rex Gothorum*, *pacem cum Honorio init*, 275. 2. *Alanos debellat*, 284. ib. *Obit*, ib.
Vandali *Gallias ingrediuntur*, 218. 2. *Hiſpaniam*, 231. ib. *Eam vaſtant*, 236. 5. *Dividunt*, 243. ib. *Caſtinum vincunt*, 304. 2. *Africam petunt*, 318. ibid. *Romanos vincunt*, 325. 1. *Eorum furor*, 331. 3. *Pacem cum Romanis faciunt*, 381. 1. *Vandalici cum Juſtiniano belli initia*, 708. 9.
Varanes *Iſdegerdi ſuccedit: Romanos adoritur*, 298. 1. *Eccleſiam perſequitur*, ibid. *Vincitur a Romanis*, 302. 3. *Ejus immortales dolentur: pacem cum Theodoſio conſtituit*, 304. 1.
Valenſe Concilium II. 688. 14.
Vaſionenſis Synodus, 400. 3.
Venantius Fortunatus, 938. 3. *Ejus ſcripta*, ibid.
Venerius Mediolanenſis, 189. 12.
Venetica Synodus, 613. 8. 9.
Verina *Auguſta*, 539. 3. *Zenoni ad recuperandum Imperium auxilio eſt*, 541. 1. *Relegatur*, 552. 4.
Veſuvius: *ejus incendium*, 528. 3.
Vetrannio, *Tomitanus Epiſcopus*, 21. 7.
Victoria *Martyr*, 569. 21.
Victorianus *Martyr*, 569. 21.
Victor Tununenſis, 817. 11. 820. 10.
Victor Capuanus: *ejus Cyclus*, 787. 10.
Victor Utenſis, 572. 8.
Victorius *Cyclum Paſchalem condit*, 494. 10.
Vigilantius, *Gallusne fuerit?* 216. 7. *Quis?* 217. ib. *In Hieronymum incidit*, ibid. 8. *Ejus doctrina*, ib. 9. *Libri*, 218. ib. *Fueritne ab Eccleſia Romana damnatus?* ibid.
Vigilius Tridentinus, *Martyr*, 189. 11.
Vigilius Tapſenſis, 571. 4. *Ejus Opera*, ib.
Vigilius *Papa*, 733. 3. *A Principibus ad Epiſcopatum evehitur*, 734. 5. *Ejus ad Patriarchas Epiſtola*, 735. 6. *Num ſubdita?* ibid. 7. *Ejus ad Profuturum Epiſtola corrupta*, 739. 5. *Injunxeritne Theodeberto pœnitentiam?* 739. 6. *Abieritne Pontificatu?* 747. 10. *Ejus ad Juſtinianum & Mennam litera*, ibid. 11. *A Juſtiniano Conſtantinopolim accerſitus*, 770. 6. *Num vi abductus fuerit?* ibid 7. *Ad Vigilium in Sicilia agentem legationes*, ibid. 8. *Mennam & Acephalos damnat*, 774. 6. *Synodo Conſtantinopolitana præeſt*, 777. 7. *De trium Capitulorum damnatione Epiſtola*, ib. 8. *Judicatum ejus*, 778. 10. *Num Vigilius de eo excuſandus?* ibid. *Ruſticum Judicatique adverſarios officio movet*, 785. 4. *Ab Afris damnatur*, ib. 5. *Judicatum recipit*, ib. 6. *Trium Capitulorum damnatoribus minatur*, 790. 9. *Theodorum & Mennam excommunicat*, ibid. 10. *In Petri Eccleſia latet*, ib. 11. *Chalcedonem fugit*, ib. 12. *Acta ejus ante Synodi v. Indictionem*, 797. 9. *Synodi v. ad Vigilium legatio*, 798. 13. *Ejus Conſtitutum rejicitur*, 802. 23. *Miſſumne Synodo?* ibid. 24. *Conſtitutum Vigilii*, 803. 25. *De Vigilio Conſtantini ſermo*, 804. 26. *Ejus ad Auguſtos Epiſtola*, ib. *Ejectuſne in exilium?* 808 34. *Ejus ad Eutychium de tribus Capitulis Epiſtola*, ib. 35. *Num ſubdita?* 809. 36. *De tribus Capitulis Conſtitutum ejus*, 811. 6. *Epiſtolam Ibæ ab eo abjudicat ut hæreticam*, ib. 7. *Theodorum accuſat hæreſeos*, 612. 8. *Scripta Theodoriti damnat*, ib. 9. *Tria Capitula ferit anathemate*, ib. 10. *Obit*, 817. 12.
Vincentius Lirinenſis, *num Semi-Pelagianus?* 377. 10. 11. *Autor eſt Vincentianarum objectionum*, 378. 12. *Librum de Promiſſionibus non ſcripſit*. ibid.
Virgilius Arelatenſis, 939. 14.
Vitalis, *Legatus Papæ*, 559. 6. 561. 7. 8.
Vitalis, *Apollinariſtarum apud Antiochiam Epiſcopus*, 45. 6. *Ejus cum Paulino diſſidia*, ib. 7. *Errores*, ib.
Vitalianus: *ejus rebellio*, 628. 1. *Cum Anaſtaſio pugna*, 635. 2. *Pacem conſtituit*, 630. ib. *Præficitur exercitibus*, 644. 5. *Severum accuſat*, 647. 16. *Scythis Monachis favet*, 653. 12. *Occiditur*, 655. 1.
Vitiges, *Rex Gothorum*, 721. 5. *Romam obſidet*, 732. 1. 737. 2. *Obſidionem ſolvit*, 738. 4. *Coſroem ſibi jungit*, 744. 2. *Obit*, 745. 5.
Voluſianus, *Romæ Præfectus, fit Chriſtianus*, 376. 4.
Urſacius, 12. 7. 20. 5.
Urſinus *Antipapa*, 13. 8. *Ab Epiſcopis nonnullis conſecratus: revocatus in urbem: ejicitur*, 19. 11. *Benignitatis aliquid ei Valentinianus exhibet*, 31. 8.
Urſula. 92. 12. *Ejus traditio refellitur*, 93. 13.
Ulfilas, *Gothorum Epiſcopus: eos ad Arianam fidem traducit: Biblia vertit*, 52. 2.
Wigornienſe Concilium, 948. 14.

X.

XAntippus, *Numidiæ Primus*, 194. 12.
Xenaias, *quis? ejus doctrina*, 598. 13. *Accuſationes in Flavianum inſtituit*, 624. 2.

Z.

ZAmbergam, *Hunnorum Rex*, 823. 2. 3.
Zathes, *Rex Lazorum*, 817. 4.
Zellenſe Concilium, 291. 3.
Zeno *Imperator*, 531. 2. *Ubi coronatus?* ibid. *Quamdiu regnavit?* 532. 3. *Mores ejus*, ibid. 4. *Fuga Iſauriam petit*, 539. 3. *Imperium recuperat*, 541. 1. *Conſtantinopolim redit*, 542. 4. *Baſiliſci acta abrogat*, 544. 9. *Ejus Henoticum*, 552. 2. 553. 3. *Baſiliſcum Cæſarem creat*, 560. 1. *Armatum occidit*, ib. *Filium amittit*, 571. 2. *Voluitne ab Angelo ſcribi nomen ſucceſſoris Acacii?* 576. 4. *Pelagium occidit*, 577. 1. *Obit*, 580 ib. *Mores ejus*, ibid.
Zeno *Cæſar*, *Zenonis filius*, *obit*, 571. 2.
Zoaras *Hæreticus*, 725. 13. *Damnatur*, 728. 23.
Zoilus, *Alexandrinus Epiſcopus*, *Pauli ſucceſſor*, 764. 6. *Ad Vigilium Legatum mittit*, 770. 8. *Ob tria Capitula in exilium ejicitur*, 791. 13.
Zozimus *Papa*, 279. 6. 280 7. *Cæleſtium interrogat*, 280. 9. *Eum ſimul & Pelagium abſolvit*, ibid. 10. 11. *Erotem & Lazarum damnat*, 281 11. *Eos ſua communione pellit*, 282. ib. *Patroclo honores tribuit*. 283. 13. *Obit*, 290. 16. *Sardicenſem Synodum pro Nicæna Afris obtrudit*. 294. 10.

0056[illegible]220

Digitized by Google

by Google

Digitized by Google